VNIVERSALIS

PLANTARVM

HISTORIÆ

Tomus III.



REVERBUNTUR TE QUAMDIU ERIT SOL, ET DURANTE LUNA. PSALM. LXXII.



HISTORIÆ PLANTARUM UNIVERSALIS

Tomus III.

Auctoribus

JOHANNE BAUHINO,
Archiatro.

JOH. HENRICO CHERLERO,
Doctore:

Basiliensibus

Quam recensuit et auxit

DOMINICUS CHABRÆUS,
D. Genevensis

Juris verò publici fecit,

FR. LUD. A GRAFFENRIED.
Dns in Gertzensee.

EBRODUNI
MDCLI.

Affice medicum suis honoribus convenientibus usui ipsius: etenim ipsum creavit Dominus. ECCLE. XXXIIX. I.

Ebroduni.

Conradt Meyer fecit. Tiguri.

HISTORIA

PLANTARVM VNIVERSALIS NOVA ET ABSOLVTISSIMA CVM CONSENSV ET DISSENSV CIRCA EAS.

Auctoribus

IOH. BAVHINO ILL. CELS. VVIRT. ARCHIATRO

ET

IOH. HEN. CHERLERO PHILOS. ET MED. DOCT. BASILIENSIBVS.

Quam recensuit & auxit

DOMINICVS CHABRÆVS MED. DOCT. GENEVENSIS.

Iuris verò publici fecit

FRANCISCVS LVD. A GRAFFENRIED. Dominus in Gertzensee &c.

Continens

DESCRIPTIONES STIRPIVM EXACTAS, FIGVRAS NOVAS, EX IPSO Prototypo maxima ex parte depictas: earumdem Satum, Cultum, Mangonia: item Vires omnigenas: Præparationes, Extractiones, ac Distillationes præcipuas: Exoticarum Orientis atque Occidentis, aliarumque ante nostrum seculum incognitarum, supra mille Historias nouas: Synonyma: Æquiuoca: Succedanea: & præcipuarum Linguarum appellationes.

Inprimis verò

PLACITA VETERVM GRAECORVM, ARABVM, LATINORVM, & posterioris seculi Scriptorum:

INTERPRETATIONES AC CORRECTIONES SENTENTIARVM obscurarum & deprauatarum.

Notantur ERRORES eorum qui de Plantis scripserunt: Ac continentur plæraque omnia, quæ

THEOLOGI, IVRISCONSVLTI, MEDICI, PHILOSOPHI, HISTORICI, POETAE Grammatici, Geoponici, Architecti, aliique de Plantis promulgarunt.

Vt meritò omnium Herbariorum vicem supplere queat.


TOMVS III.



EBRODVNI.

CIↃ. IↃ. CLI.





PRÆPOTENTIBVS, NOBILISSIMIS, GENEROSISSIMIS, STRENVISSIMIS, SPLENDIDISSIMIS ET EXCELLENTISSIMIS

Dn. Dn. CONSVLIBVS, PRAETORIBVS, AMMANIS, MAIORIBVS, SENATORIBVS, CIVIBVS ET POPVLIS

FLORENTISSIMARVM RERVMPVBLICARVM, AC

CANTONVM

TIGVRI, BERNÆ, LVCERNÆ, VRIÆ, SVITIÆ, VNDERVVALDIÆ, TVGII, GLARONÆ, BASILEÆ, FRIBVRGI, SALODORI, SCAPHVSII, ET ABBATISCELLÆ:

atque in genere

TOTI INCLYTÆ, POTENTISSIMÆ, ET FOELICISSIMAE

HELVETIORVM CIVITATI.



CElebret POTENTISSIMI & EXCELLENTISSIMI CANTONES, Pyramides Memphis, Turrim Pharos, Muros Babylon, Templum Ephesus, Colossum Rhodus: celebrent prisca secula præcellētiora reliqua sua omnia: celebrent nostra sua Mirabilia: celebret VESTRA HELVETIA tractus in quibus ita variant tempestates, vt vnâ eademq; die in Hyemem, in Ver, & in Aestatem incidas: pręcelsos celebret montes in quorum verticibus summis niues & gelu, depressioribus locis viridātia pascua, partibus imis segetes maturæ: infinitáue alia celebret quæ miraculi loco esse possint: Leuis hęc momēnti, Nos maiora de magnis.

Athenienſium Reſpublica quæ ex compluribus collecta erat Populis, Achæorum quæ duodecim conſtabat Vrbibus, & Iſraëlitica quæ tribubus totidem, internis breui confectæ fuère diſſidiis: In tot populis Veſtris, moribus, ſtudiis, & relligioſo cultu plurimùm à ſe inuicē diſſitis, ſumma & perennis Concordia. Liberis Ciuitatibus minimè tutam cum ſummis Principibus familiaritatem pronuntiauit Græcæ princeps Eloquentiæ: VESTRAE cum finitimis omnibus Monarchis innocentia fœdera. Aucta ad hæc in hocce temporū articulo Veſtra fœlicitas, aſſerta ſecuritas, dum reciprocantibus procellis, incurſionibus, præliis, & proſcriptionibus totus lacerabatur Europæus Orbis: dum aræ, foci & penates armis inceſſebātur: dum ſanguini eorū non parcebatur pro quibus fundendus erat ſanguis: dū obmuteſcebat inter militaria ſigna Libertas: dum Aquilas ſuas Romanum horrebat Imperium: dum denique res eius eò redigebant alii, vt ſaluę eſſe non poſſent niſi beneficio ſeruitutis: alij verò durioribus id ſanabant remediis quàm pericula erant. Sic mouiſtis gubernaculum POTENTISSIMI CANTONES, ſic ſecundo vſi eſtis vento, ſic aduerſo reſtitiſtis, ſic dubium & communem vobis vendicaſtis.

Hęc miramur, hęc ſuſpicimus, hęc immortalitati conſecrare annitimur: eóque præſertim, quòd, ſæuiente vndique Marte, ſic fuerit exulantibus Muſis aſylū aliquod, ſic Apollini apud VOS litare licuerit, ſic tandem emicuerit quę diu latuerat Virtus, & conditam retegendi ſit facta poteſtas.

Eccl. ſiaſt. cap. 24

Qui quaſi Phiſon omnia implet ſua Sapientia: Qui vt Euphrates ingenium fœcundat: Qui profert vt Lucem diſciplinā cognitionis: Qui ſcientiam hominibus dedit vt in Mirabilibus ſuis gloriā conſequatur, ſub nouiſſimi ſeculi extrema pręfulgēs excitarat lumen, IOANNEM ſcilicet BAVHINVM, Virum in omni ſcibili peritiſſimum, rei verò Herbariæ ſtudioſiſſimum: Virum qui toto, nec breui, vitæ curriculo, in ea exornanda & perficienda ita diligenter & feliciter laborauerat, vt hac in parte τοὺ ὄντας, καὶ τοὺ ἐσομένους, τοὺς περιόντας longè poſt ſe reliquiſſe omnium calculo meritò cenſeatur: Virum qui, facto apud Antiquos & Recentiores ſpicilegio, abſolutiſſimam conſcripſerat plantarum

rum historiam, Vnum quiddam ex multis, Concentum ex dissonis: Virum qui, vt alter Phidias, ex auro, argento, ære, marmore, & viliori etiam materia, fecerat simulacra, qualia ex quacunque fieri optima poterant. Virum tandem, qui Naturę ingressus sanctuarium, quæcunque in eius maiestate & penu speculatus erat, doctè, eleganter & dilucidè aperuerat. Sed perierant tantæ eruditionis viri Lucubrationes, résque penes irritos mansisset conatus, si non apud VOS renasci ipsi contigisset, nisi fouisset Lucina in ortûs primordiis, si non in blandè obstetricantes manus incidisset.

VOBIS igitur POTENTISSIMI CANTONES natales ille debet suos: VOS meritò Patronos ac Mecænates suos nuncupat. NOS verò VNIVERSALIS eius PLANTARVM HISTORIAE Tertiam, Maximam, & Extremam Partem publici facturi juris, eā omni cum debita submissione splendidissimo NOMINI VESTRO inscribere gestimus. Sed PARTEM EXTREMAM, de qua, quod Sapiens olim in genere, *Rei Finem meliorem esse Pricincipio eius*, dicere ausimus. Plantas Spinis Armatas, Genti quæ libertatem armis assecuta, eam fortissimè tuetur. Plantas Vmbelliferas, Genti apud quam ab hoc bellorum æstu penè exusti saluberrimum nacti sunt vmbraculum. Plantas Coronarias, Genti quæ tutissimum censetur Coronarum præsidium. Plantas Lacte turgentes, Lacte & melle fluentis amplissimæ regionis Principibus. Plantas Galeatos ferentes flores, strenuissimæ & bellicosissimæ Genti. Aquis gaudentes Plantas, Genti apud quam præcipuorum Europæ fluuiorum ortus. Plantas tandem in summis nascentes Alpibus, earundem Dominis. Eccl. cap. 7.

In nostris nunc tantùm est Votis, POTENTISSIMI CANTONES, vt VESTRIS sit accepta EXCELLENTIIS hujus Operis Nuncupatio: Vestris dignum censeatur aris quod promimus Munus, humillimę nostrę Monumentum obseruantiæ quod æternitati sacrum facimus: Velitis, jubeatis sub Auctoritatis Vestræ munimine à Liuoris injuriis tutum esse hunc Fœtum.

Vt deinde protector & susceptor vester Deus vnanimita- Psalm. 67. & 45.

tem,

tem, pacem & prosperitatem perpetuet vestram: vt operiantur confusione & pudore qui Vobis mala quærunt, conturbentur qui vos turbant: vestrorum inimicorum conterantur arcus, arma confringantur. Vt is tandem cujus ope tam sæpe, tam fortiter, & tam fœliciter pro communis patriæ libertate
Psal. 146. dimicuistis: Is qui confortauit feras portarum vestrarum, nec fecit taliter omni Nationi, Vestra augeat in dies Magnalia, ita vt, quemadmodum antehac, sic & deinceps, de Vobis semper dicantur gloriosa: Fiat, Fiat, Exaudiat de habitaculo suo Virtutum Dominus:

Vota sunt

POTENTISSIMI CANTONES,

EXCELLENTIIS VESTRIS

Humillimè deuotißimorum

FRANCISCI LUDOVICI à GRAFFENRIED
Ebrodunensis Ditionis pro tempore Præfecti:

&

DOMINICI CHABRÆI M. D.
Illust. Celsit. Vvirtemb. à Consiliis Medicis,
Vrbisq; Ebrodunensis Medici ordinarij,

Ebroduni Heluetiorum Calendis Septembr.
Anno reparatæ salutis M. DC. LI.

STANCES
SVR L'IMPRESSION DE LA GRANDE Histoire des Plantes faite soubs les Auspices de Noble & Magnifique Seigneur, Monseigneur FRANCOIS LOVYS DE GRAFFENRIED Seigneur de Gertzenzee, Baillif d'Yuerdon.

DONCQVES par le moyen de ce MECENE Illustre
En fin nous possedons ce precieux thresor,
Qui donne à la nature autant & plus de lustre
Qu'elle en peut receuoir des perles & de l'or,
Elle auoit reserué ceste mere cherie
D'estaller les beautés de sa tapisserie
Dans ce riche tableau qui doibt ses premiers traicts
A la main de Bauhin, à vn autre grand Maistre
L'entier acheuement de ses plus beaux pourtraicts,
La vie à cet Heros lequel l'a fait renaistre.

Que doit à l'vniuers le Monarque Alexandre
Apres l'auoir conquis estant victorieux:
Apres tant de combats son corps reduit en cendre
Et rongé par les vers, est-il plus glorieux?
Les faueurs que receut ce sage & ce grand Maistre
Auquel il confessoit de deuoir son bien estre,
Luy ont bien erigé vn plus auguste autel,
Lors que par son moyen ceste sçauante plume
Descriuit autresfois au vif le naturel
De tous les animaux dans son docte Volume.

Quand ce grand Conquerant, cet Empereur Auguste
Eut annullé l'arrest donné par vn Autheur
Contre ses diuins vers, comme estant trop iniuste,
Et qu'il se fut porté pour leur grand protecteur:
A t'il plus obligé le poëte Virgile,
Conseruant son ouurage, ou mesme aussi sa Ville,
Que soy mesme, viuant encor dedans ses Vers,
Qui ont graué son nom au Temple de memoire,
Et fait briller l'esclat de son illustre gloire
Iusques aux derniers bouts de ce grand Vniuers?

Ainsi, ô grand Heros, imitant ces Monarques
Tu laisseras vn iour à la posterité
De ta noble Vertu des glorieuses marques
Receuant le loyer que tu as merité.
Tu eterniseras ton renom & ta gloire
Dedans les monuments de ceste belle Histoire:
Si tu peux rappeller vn homme du tombeau
Qui pourra conseruer dedans maints corps la vie;
Ne pourras tu produire vn effect aussi beau,
Empeschant que la tienne aux tiens ne soit rauie?

Ἀπλῶς.

I.P. DAPLES Med.pract. Laus.
& praec. Class.

CLARISSIMO DOCTORI MEDICO
Dn. Dn. DOMINICO CHABRÆO
Plantarum Historiæ Restauratori meritissimo.

Epigramma Græcum:

Πρὶν πολλὰς θεραπεύσε νόσους ἀντάξιε πολλῶν
    ὦ μέγας Ἀρχίατρε χερσὶν ἀλεξικάκοις.
Φαίδιμος ἄλλος ἔου Ἀσκλήπιος αὐτὸς ἰατρὸς
    Τεθνεμένων βοτανῶν βίβλον ἐγείρας ὅλων.
Ἄριστος ἔργον ἐπεὶ ἄξε νόσους θεραπεύσας ἐγείρων
    Νῦν δὲ νεκρὸς, μεγάλων θαῦμα ποιεῖς ἴδιον.

Epigramma Latinum:

ARs tua das conclamatas producere luces:
    Quicquid & illa facit cuncta stupenda facit.
Eripere at tenebris & reddere Nomina luci,
    Nomina in æternos pene sepulta dies,
Hoc opus, hic labor est, nobis miracula sunt hæc
    Quæ superant cunctas nobilis artis opes.
Talia tu præstas, dum reddis pene sepulto
    Bauhino optatum docte CHABRÆE diem.

Epigramme François:

TOn *Art peut prolonger la vie des humains,*
    Et nous faire admirer les œuvres de tes mains:
Mais pouuoir surmonter tant de fascheux obstacles
Qui se sont opposés à vn dessein si beau,
Lors que tu rappellois ton Bauhin du tombeau,
Cet œuure incomparable approche des miracles.

Idem I.P. DAPLES Med. pract. Laus.
& præc. Clas.

HISTORIÆ VNIVERSALIS PLANTARVM


LIBER XXV

CAPITATÆ NON SPINOSÆ, VT SCABIOSÆ, IACEÆ, &c. ET SPINOSÆ, VT CARDVI, &c.

PAPPVM & Carduorum florem dolli quidam dicunt, quòd is quoque in lanuginosam quandam substantiam, & veluti floccum fatiscat. Pressius forte & apertius hoc genus quis spinosum dicat, si omnes species aut differentia tales essent. Nunc quando spinis carentes multæ, in cæteris nihilominus satis inter se affines videntur, in eo tamen potissimùm cognatas sciat herbaria studiosus, quòd capita, seu speciei quoddam insigne, ferant, quæ deinceps dicentur. Quamobrem Capitata generalissima voce dicere placuit, quorum maximum numerum implebit Carduorum familia, eam Naturâ peculiari cura muniente, multiplici modo: quippe hic caulis, illic folium spinis obseptum horret: illic florem ac semen, & in plerisque pappum caulis in summis & è capitibus emicantem, nihilominus minacibus spinis munitum videas: quæ cunctis ingeniosis in maxima, non solùm admirari, sed & ratiunculis scrutari, & ad dentibus coniecturis ventilare sunt ausa. Seu verò scire aut absque indignatione sacra Parentis sciscitari nobis sit integrum, cur plantas spinis armarit: Sicine doctos deceat naturam examinare, nec certum ferre responsum? Eamus vlteriùs scrutatum, aliâque ratione eam prouocemus, certiora vtilioraque quærendo, sed ea lege ac omine, vt eam tanquam fertilem, benignam & salutiferam agnoscamus & admiremur. Carduis tamen præmittentes ac interiicientes alias capitatas, sed illis quadam ratione cognatas.

DE SCABIOSIS:

CAPVT I.



NVSQVAM reperimus Veteres Scabiosæ meminisse, nisi fortè aliqua ex Scabiosis quarum magnam varietatem ex multis vnus obseruauit Clusius, [qui nullas prouincias adire meminit, in quibus earum peculiare aliquod genus non inuenerit,] sit Psora Ætii, quam cùm nomine tantùm expresserit, nullâ adiectâ descriptione, de eo vix quicquam certi statui potest. *Psora Ætii*

Pluribus autem plantis potest accommodari Scabiosæ nomenclatio (non secus atque Psoræ Ætii) vt Iaceæ, morsui Diaboli, ac similibus facie & viribus. Nec desunt, qui Scabiosam eam esse contendant, quæ Stœbe ab Antiquioribus inscribitur. Sed horum error manifestatur. Scabiosam enim vocatam non esse Stœben illud abundè ostendit, quòd hæc *foliis* constet laciniatis, subhirsutis: *caulibus* tenuibus, cubitali altitudine, atque etiam maiore: in quorum cacumine *flores* emicent in cæruleo albicantes: & in pratis, & campestribus proueniat. At Stœbe folia ferat aculeata, & in lacubus, stagnis, paludibus, aliisque locis aquosis nascatur. Vnde rectè Fuchsius, neque rerum notæ, nec vsus, nec vlla ratio, conuincere potest Scabiosam, Officinis & vulgò dictam esse Stœben. *Stœbe. Error quorundam Stœbe. non est.*

Scabiosarum genera non leuibus de causis, vt Clusio videtur, ad phyteuma Dioscoridis refert Fab. Columna. Sed hæc Clusii opinio recipienda non videtur: Phyteuma Dioscoridis ad amatoria conuenire nonnulli prodiderunt: Scabiosæ autem hanc facultatem esse concessam, nemo prodidit. *Phyteuma Diosc. Columnæ. Columna refutatur.*

Scabiosam igitur vti dictum, quidam Phyteuma volunt, Stœben alii, alii Cirsium, sed frustra. Aetio vt Tabernamontano videtur ψώρα, vel ψῶα dicitur: Lat. Psora & Herba apostematica: Germ. Scabiosen / Scabiosen kraut / Apostemen kraut / Pasemen kraut / & Grindkraut / Belg. Scabiose: Gall. *Scabieuse*. It. & Hisp. *Scabiosa*; in Candia *Strabro Corth*: Angl. Scabious: Boh. Fawiao: Hung. Seprew fiu, quòd ex ea scopas faciant: Polon. Drtakucw / & Drtakachi. *Scabiosa* quidem secundum quosdam à scabro herbæ habitu dicitur, quod vulgatæ quidem conuenit, iuxta verò alios quòd scabiei medeatur, quod *Cirsium non est. Nomina linguarum*

vox plora prætendere videtur.

Locus. Collectio. Tempus. Nascitur in campestribus & pratis. Colligitur mense Iunio, seruatur per annum. Si aqua ex hac distillanda sit colligitur vnà cum radicibus circa finem Maij. Floret Iunio, Iulio, Augusto: deinde semen profert.

Vires & vsus. *Psora Veterum.* Omnia Scabiosæ genera calidam & siccam temperaturam obtinent, authore Trago. Sed apud Veteres, si Psora sit, externis tantum corporis partibus, aduersus tumores & contractiones neruorum & venarum radix tusa emplastri instar apponebatur. Nostri verò Medici miris eam extollunt laudibus, & rectè quidem, authoritate nimirum versuum quorundam nixi, quos S. Vrbanum composuisse ferunt, qui sic habent.

Scabiosa.

Vrbanus pro se nescit pretium[virtutes alij] *Scabiosa*

Purgat. Apostema. Anthrax. Pleuritis. Modus aquâ destillandi & vtendi.

Nam purgat pectus[caput alij] *quod comprimit ægra senectus.*

Lenit pulmonem, purgat laterum regionem.

Abscessus[apostema alij] *frangit, si locum bibita tangit.*

Tribus vncta foris anthracem liberat horis.

Herba vino decocta, pleuritico morbo medetur. Aduersus eundem morbum Maio mense Aquam distillare solent ex ea herba hoc modo. Scabiosam vnà cum radicibus colligunt circa finem Maij: contundunt & distillant in balneo aquæ feruentis: deinde per aliquot dies ponunt ad Solem, inde qui propinant singulis vicibus potandam mensuram ... cochlearium, non tantùm pleuriticis, sed & contra pectoris vitia & apostemata, tussim, pestem, omnisque generis thoracis affectus. Aqua hæc conseruatur per annum.

Desti. Apostematibus alij rursus è Scabiosis tale conficiunt medicamētum. Accipiunt manipulum Scabiosæ herbæ desiccatæ, dulcis radicis dissectæ in minutas partes vnciā vnā, ficus ij. seminis fœniculi vnciam vnā, seminis Anisi tantundem, Iridis vnciam dimidiam, quæ omnia per noctem in mensura aquæ macerant, postero illa die supra tertias decoquentes, postea verò Saccharo vel rosaceo melle indulcorant, vesperique ac manè calidum haustum inde præbent, quo Apostema maturari, emolliri ac per tussim excreabile fieri

Succus. affirmant. *Succus* Scabiosæ omnis generis scabiei, psoris & Lepræ vsurpatus per se vel in balneis vtilissimus est, quo etiam furfures capitis abiguntur, si cum eo caput abluatur. Bollère autem hanc imprimis aduersus scabiem, nomen illi inditum per se manifestat. In hunc autem vsum non modò eius decoctum quotidie potandum præcipiūt: sed & herbæ ij sius succo, per se, aut in vnguentis addito, scabiosa corpora illinunt. Prodest om-

Vitia pectoris. nibus pectoris vitiis, & respirationi inseruientibus organis: quippe quæ & eorum inflammationes purulentas diluciat, & omnia pectoris excrementa expurget. Anthracibus, siue Carbunculis pestiferis vtiliter illinitur, adeò vt illitâ hos lethales abscessus trium horarum spatio prorsus abolere existimetur. Scabiosa porrò *herba* est admodum πολύχρηστος, cuius succus calidus impositus

Vulnera. vulneribus sagittas extrahit. Item ad carbunculos efficax, vnde etiam in Germania nomen illi impositum Apostemenkraut. Extractum Scabiosæ

Extractum Scabiosa. efficax admodum in pulmonum affectibus, ac præsertim peripneumonicis Camerario commendauit C. Hoffmannus Archiater Ill. principis

Ruptura. Elect. Brandenburgici. Scribit Arnol. de Villan.

Tormina. quicumque de nouo passus fuerit rupturam, si omni mane sumat de succo Scabiosæ vnc. ij. cum curatum iri infra nouem dies ad summum. In signo sagittarij Scabiosæ radices eruendas præcipit Coler. & in taleolas oblongas scindendas, de filo suspendendas & resiccandas, & sicubi infans torminibus affligatur, vel etiam scabie laboret, in potum demittendas: hunc enim iecur repurgare, & scabiosam cutem omnem decidere.

SCABIOSA MAIOR COMMVNIOR hirsuta folio laciniato & non laciniato, & latifolia.

Descript. INter Scabiosæ genera, vulgatissima est ea, quæ inter sata proueniens *radicem* habet longam rectam: *caules* sesquicubitum & duos cubitos altos, admodum hirsutos, inanes, quibus sæpè plura capita insident: *folia* ex geniculis aducta, canâ lanugine pubescentia, formâ Valerianæ maioris, profundiùs subinde laciniata, aliàs minùs, sapore lubacri: *flores* cæruleos ex confertis corniculis quadripartitis congestos.



Varietas aut lusus naturæ. Scabiosa nō laciniata. Hæc scabiosa autmira biliter ludit aut differentias aliquas habet, quædam valdè laciniata vt demonstrat icon nostra Fuchsiana, quæ quædam folia habet iuxta radicem ferè pedem longa, quædam multò breuiora pro ratione loci vbi prouenit, quæ non sunt laciniata vel profundè diuisa, ac etiam vix versus superiora aut rariùs: Icon nostra secunda, quæ ita sculpta empta quodammodò exprimit Scabiosam communem folio non laciniato. Est mihi



Scabiosa latifolia. inter siccas plātas quædam latiori & breuiori folio hirsuto, quæ accedit ad iconē tertiam à nobis propositū, quā etiā iam sculptā emimus, non tamē omninò caret ramis, vt icon demōstrat.

Scabiosa folio scisso & integro. Cæsalp. De Scabiosis hisce nostris dubio procul loquitur Cæsalp. quando ait. Aliæ folio scisso constant, aliæ integro, quæ scissa ferunt folia in aruis potissimùm æstate inter stipulas nascuntur ex messe relictas: caule cubitali, aut ampliore: ramis ad latera sparsis: paucis foliis subhirsutis, vtrinque di-

Cerreta. uisis, modò crassiùs ad similitudinem Cerretæ, modò tenuiùs vt papaueris spumei: cacuminibus ramu-



lorum capitulum insidet, in latitudinem fusum, flosculis ad cæruleum vergentibus: seminibus acervatis subhirsutis: radice singulari: tota planta admodum amara est, & subadstringens: putatur hæc apud Actium Psora esse, cuius vstæ fumo arborum erucæ moriuntur.

Psora Actii

Scabiosa dissectifolia maior Thalio

Scabiosam cōmuniorem hirsutā folio laciniato duplicem assignat Thalius, quas sic describit. Scabiosa 3. siue dissectifolia maior, foliis est in lacinias diuisis, Valerianæ syluestris ferè modo, pilosis; caule sesquicubitali, flore ex cyaneo rubicundo, villoso, pratis familiaris. Quarta siue dissectifolia media, caule exurgit cubitali, hispido: folia circa radicem obtinens integra, paucas nonnunquam serratas incisiones in ambitu suscipientia, oblonga, nigricantia, pilosa, mucronata, quincunciali longitudine, sescunciali ferè latitudine: reliqua deinde profundas ac frequentiores incisiones ac in lacinias diuisiones admittunt, prioris illius generis speciei ritu, sed tamen illius foliis multò sunt minora. *Idem* Scabiosam communem folio non laciniato ita depingit. Scabiosa 1. siue integri-folia, foliis nimirum neutiquam dissectis caulem protrudit cubitalem, hispidum, asperum, geniculatum: folia oblonga, plantaginis acutæ ferè, mucronata, asperiora, & pilis horridiora, quincunciali ferè longitudine (quà radici videlicet ea propiora sunt,) vnciali autem latitudine & quandoque sescunciali, ac ex quolibet caulis geniculo bina semper ex aduerso sibi opposita, nihilque dentatæ vtplurimùm impressionis omninò habentia. Quandoque tamen huius generis stirpibus quibusdam, rariores ac superficiales in ambitu quorundam foliorum eiusmodi impressiones apparent: sicuti & in minoribus foliis summum ferè caulis contingentibus, vna atque altera iuxta pediculum laciniata dissectio habetur. Flos huic speciei est ex cyaneo rubicundus, villosus. In pratis quandoque reperitur.

Media

Scabiosa integrifolia Thalio

Scabiosa maior satorum vulgatior, sitne Psora Actii dubitat in Aduers. Lobelius: pro qua in Obseru. p. 291. iconem habet hoc titulo: Scabiosa maior satorum: Quæ icon minùs placet nostrâ Fuchsianâ, pro Scabiosa vulgari: videntur enim in ea quædam folia multùm ad Centaurium collinum accedere: quamuis capitula differant. In Icon. autem Plant. hæc figura est p. 536. sub inscriptione: Scabiosa maior satorum vulgatior. Sed præter hanc alia rursus ponitur p. 537. sub hoc titulo. Scabiosa altera campestris siue segetum & satorum. Et hæc sanè meliùs exprimit nostram vulgarem Scabiosam.

Scabiosa maior satorum vulgatior Lob.

Scabiosa altera campestris siue segetum Lob.

Tabern. Icon. p. 158. & Hist. p. 546. Scabiosa 2. siue maior flore ex cæruleo purpureo, Groß Purperblaw Scabiosen/Acker Scabiosen. Item Icon. p. 159. & Hist. p. 547. Scabiosa aruensis siue segetalis, sexta in Hist. Acker Scabiosen, in omnibus similis secundæ, exceptis folus maioribus in caulibus.

Scab. maior flore ex cæruleo purp. Tab.

Scab. aruensis siue segetalis Tabern.

C. Bauh. Phyt. Scabiosa 1. siue Officinarum hirsutissima folus modo crassiùs, modò tenuiùs vtrinque diuisis: flore ex cæruleo, alio Persico colore tincto: hinc duæ figuræ apud Tabernamontanum. Item: Scabiosa 7. siue maior sator. vulgatior Lobelii. *Tabern.* non distinguit suam Scabiosam maiorem ab aruensi colore, Tragus id quidem fecit: Lobelius dicit suam Scabiosam maiorem satorum hirsutam non glabram, cur igitur traditur à C. Bauhino pro specie particulari. Is apud Matth. ait, Scabiosa 3. siue Officinarum, quæ hirsutissima est & notissima, omnibus in pratis & etiam inter segetes proueniens, folus modò profundiùs laciniatis, floris etiam colore variat.

Scab. Offic. hirsutissima C. B.

Scab. maior glabra eidē C. B. lapsus Baris

Dicitur Scabiosæ primum genus Trago: Scabiosa vulgaris Fuchsio. Scabiosa communis, Dodon. gall. Scabiosa, Lacunæ quoad descriptionem Lonic. Scabiosa maior, Castor. Tabern. & Camer. hort. Scabiosa maior vulgaris Penæ & Lobelii: H. Lugdunensi. Scabiosa vulgatior inter segetes nascens, Clusio. Scabiosa scabra hirsutaque Gesn. hort.

Synonyma

Apollinaris sub inscriptione Apostemenkraut. vires tradit, sed figuram non vsque adeò bonam ponit, quæ exprimere videtur Scabiosam Fuchsii.

Locus & tempus

Scabiosam maiorem & communiorem Montbelgardi passim in segetibus, vt in horto H. C. VV. in monte Vitium *la Chau* in superiore parte dumetorum obseruaui florentem Iulio & Augusto. Hæc ibi variat folio nunc non profundè inciso, nunc profundè laciniato. Item in colle è regione pontis vltra fluuium *l'Allant* dictum, fortè ab antiquis Alduadubis. Obseruaui Geneuæ florentem Iunio, Lugduni Maio, Basileæ Augusto in monte propè Leurach in Eichelberg propè Balneum admirabile Ducatus Wirt. cum flore Septembri.

Lobel. Scabiosa maior satorum ad eandem ad quæ minor efficacissima: cordi, hepati & visceribus peramica, vt cuius succo epoto ternûm vnciarum pondere cum Mithridatii aut Theriaces ʒ ii. sudorem mouendo febres exitiales & pestiferæ etiam abiguntur. Omnes fœditates cutis illita abstergit. Scabiosa scisso folio Cæsalpini tota admodum amara est & subastringens: celebratur à Recentioribus ad scabiem malignam, & lepram, tum potu succi eius, aut aquæ distillatæ, tum ablutione ex eius decocto, aut inunctione: necat lumbricos, discutit abscessus internos, præcipuè thoracis & pulmonis: & interna vlcera siccat: dantur aquæ distillatæ vnciæ tres singulis diebus ter vel quater ad thoracis abscessus, tussim, pestem, & venena, vlceribus quoque præhumidis opitulatur exteriùs illita. Plura in genere diximus.

Vires.

Lepra

Lumbrici

Pleura

Icones duæ vltimæ incuriâ typographicâ hic fuere transposita.

SCABIOSA MINOR VVLGARIS.

Cubitum altos *caules* tollit, inanes, propter terram rubescentes, leuiter hirsutos, in alas diuisos: quibus insident *flores* ad cæruleum accedentes, Matth. cæruleo albicantes, conglomerati, quorum singuli in quinas lacinias, quarum vna maior, diuisi sunt: succedente capitulo aristis nigris horrido, *folia* inferiora oblonga, Bellidis maioris ferè, serrata, superiora profundè ad costam incisa, singulis segmentis serratis, pinguia, atrouirentia, sapore lento & nonnihil acri: *radix*

Descriptio



repit crassiuscula foris nigra, intus ex albo virescens; sapore subamaro.

Hanc porrò meam Scabiosam vulgarem minorem aliquando obseruaui iuxta arcem Matthæi Montbelgardo vicinam supra muros caule adhuc carentem, cuius folia quædam vnguem erant longa; quædam longiora, serrata ad tactum læuia.

Scabiosæ 3. genus Fuchs. Scabiosam quam minorem vulgarem voco, Fuchsius cùm apud illum essem postr. comm. scriptis Scabiosæ 3. genus faciebat. Eandem Tragus tradit pro Scabiosa quinta & sexta: flos alteri ex cæruleo purpurascens, alteri verò planè candidus.

Scabiosa Matth. Scab. minor Matth. eam pingit in prior. comm. nomine Scabiosæ: in post. cum mag. fig. Lat. & Ital. titulo, Scabiosæ minoris, cuius plurimus sit vsus: flores foliosi, cærulei coloris aut pallidi, qui deflorescentes, capitulum relinquunt subuiride: rotundis ocellis refertum, colore pauonum pennas imitante, tanto sanè naturæ artificio, vt diligenter rem intuentes in admirationem trahat. Idem in Hist. germ. & Epit. cum addit. Camer. ait, Scabiosa minor Græcis ψώρα: It. Scabiosa minore. Apostemenkraut: foliis crescit inferioribus per ambitum denticulatis, humi accubantibus, subalbicantibus oblongis & subhirtis, verùm quæ in caule sunt, tenuiora, & magis diuisa spectantur. Caulem mittit tenuem, teretem, rectum, ramosum: flores cæruleos, stipatos aut pallidos, è quibus capitula oriuntur colore subuiridi: speciosis obducta ocellis: Radix est illi palmaris, multifida, subcandicansque.

Scab. minor dissectis fol. Camer. Camer. hort. Scabiosa minor dissectis foliis.

Scab. læuis Gesn. Gesn. hort. Scabiosa altera læuis, & ita etiam vocabat cùm ei conuenirem.

Scab. minoris differentia Thalii Thalius in Harcinia Scabiosæ minoris vulgaris plures differentias inueniri scribit, quæ ordine recensendæ hic sunt. Scabiosa ergo eius 5. siue foliis Bellidis sylvestris maioris maior, fit nobis prima. Hæc caule assurgit cubitali, tereti, geniculato, cuius priora folia iuxta pediculos suos canaliculatos in aliquot lacinias profundiùs inciduntur, parte anteriori ipsius subrotundiori, ac in ambitu dentata: reliqua deinde (quorum semper bina ex vno geniculo è contrario sibi cohærent) integra sunt, breui ac imbricato pediculo innixa, non incisa, in ambitu tantummodò serrata, vncias duas longa, vnam lata, colore ac forma folia Bellidis sylvestris maioris exprimentia: posthæc superioris caulis parte, qua ipse brachiata adnata producere incipit folia alterius figuræ consistunt, tenuiora, in plures tenuiores ac angustiores lacinias diuisa. Flos huic speciei conglobatus est, cæruleus, Succisæ similis.

Huius minor species siue Scabiosa eius sexta nobis secunda: Ex vna radice quæ nigra est, plures profert tenuiores, teretes, ac dodrantales coliculos, non ita foliosos, vt prior, sed ferè prorsus nudos, nisi inferiore parte: Folia priora huic sunt in breuioribus & canaliculatis pediculis, Bellidis sylvestris maioris foliis iisdem similia, propè pediculum laciniata vt plurimùm, reliqua parte serrata: post quæ reliqua quæ deinceps sequuntur folia, diuersæ ab aliis existunt formæ, frequenter in tenues & strictiores lacinias diuisa: flores cærulei, conglobati.

Scab. Thalii 7. siue tenuif. fol. candida maior Scabiosa eius 7. siue tenuifolia candida seu maior, quæ nobis minor tertia est: caule prodit cubitali, tereti, calami frumentacei crassitudine, lignosa, geniculis nodosis prædito: folia ei prope radicē sunt in oblōgo & canaliculato, pediculo veluti incosta quadā cōstituta, in plures at tenuiores lacinias & per euidentia admodū à se vtroque latere interualla seiunctas, ac in ambitu dentatas, diuisa, quorum pars extrema mucronem constituens latior est & crenata: quæ deinde superiori in parte caulis exoriuntur, ea quantò subinde serie sua breuiora sunt, tantò & in strictiores lacinias dirimuntur: inter alas autem versus caulis summum brachiola vtrinque prosiliunt, consimilibus sed longè breuioribus foliolis exornata: flores deinde emergunt Scabiosæ nonnihil similes ex pallidiori flauedine albentes. Elegantior hæc est cæteris Scabiosæ speciebus omnibus.

Scab. Thalii 8. siue tenuif. fol. media Scabiosa Thalii 8. siue tenuifolia media [4. minor nostra] Radicem obtinet nigram, multifidam, coliculos teneriores, teretes, minùs foliosos: folia priora multò minora quàm prædictæ speciei, diuisa in lacinias tenues, latiores tamen paulò quàm sunt foliorum reliquorum subsequentium laciniæ quæ nimirum existunt admodum tenues & angustæ ac fœniculaceæ quodammodò: flores sunt vt prioris speciei.

Scab. Thalii 9. seu tenuif. fol. min. Scabiosæ eiusdem 9. seu tenuifoliæ minimæ priori [nobis 5.] coliculus est dodrantalis, teres, tenuis, prorsus nudus, propè radicem solummodò planta hæc folia protrudente in canaliculatis pediculis, laciniata, breuiora cæteris duabus iam positis speciebus, ac tenuiora. In summo caulis florem continet cæruleum in orbiculato capitulo Succisæ simili, ex cuius ambitu exteriùs breuiora quædam ac tenuiora progrediuntur sursum porrecta, adnata in brachiolorum exiguorum modum, semel geniculata ac bina ad geniculum ex aduerso locata folia, cōtinentia, in quorum cuiuslibet summo aliud ac breuius florum emergit capitulum conglobatum ac cæruleum. Locis autem prodit aridioribus in collibus apricis ac meridionalem Solem excipientibus.

Scab. Thal. 10. siue folio-sa Est & 10. nobis 6. Scabiosæ tenuifoliæ species, quam foliosam nominat author, propterea quod coliculus qui ipsi dodrantalis est, ac geniculatus à radice vsque in summum cacumen foliis in frequentes, tenues ac fœniculaceas lacinias diuisis, eleganter exornatur, quorum ad quodlibet geniculum bina ex opposito sibi correspondent. Flos huic est in globum collectus, cæruleus. Huius autem libuit hic meminisse obiter, licèt, quod Thalius sciat, in Harcynia ipsam nondum reperterit: attamen in vicinis montibus non rarò sese conspiciendam ea offert: nec dubitat admodum in ipsa Harcynia alicubi eam quoque existere.

De Scabiosa minore vulgari loquitur Lobel. in Aduers. ubi p. 231. quærit, Peristereon siue Columbaria dodrantalis in aquaticis, desiccans & adstringens, qualem Aegineta memorat, an sit

Scabiosa

Scabiosa minima? tradés eā foliis esse foliis Verbenæ, incisuris per summa altioribus, laciniosis, similibus tamen, & altera superficie albidis, ad terram stratis, latioribus, minùs serratis. Caule plurimùm assurgit recto, pedē & cubitū alto, gracili, supernè in ramulos rectos sparso: hilares flores, rotundi villosique, ex cęsio cęrulei vel glauci, Morsus Diaboli: semine compresso, radice pusilla quantus paruus digitus, parum fibrosa. Hac plurimùm, inquit, utuntur Monspelienses Pharmacopœi &c. Quod autem existimemus Lobelium tradere Scabiosam à nobis descriptam, Icon ab eo sita Obs. p. 190. & Icon. plant. pag. 575. titulo Scabiosæ minoris Adv. 232. nostram opinionem cōfirmat. *Sed Cur* Clus. in Hist. sua postrema iconem Lobelianam posuerit pro sua Scabiosa montana quinta ignoramus. H. Lugd. p. 1066. Scabiosa Matthioli minor.

Scab. minor Lob.

Figura plures Tabern.

Tabern. Icon. p. 160. Scabiosa minor 1. item pag. 161. Scabiosa minor 2. & Scabiosa minor 3. Adhæc p. 162. Scabiosa minor 4. klein Scabiosen. Hist. lib. 1. p. 548. Scabiosa 9. siue minor 1. Scabiosa Scabiosa 10. siue minor 2. Scabiosa 11. siue minor 3. & p. 549. Scabiosa 13. siue minor 5. Item Hist. pag. 551. Scabiosa 20. & 21. absque icone, quæ semper intelligenda, vbi simpliciter Scabiosa scribitur, flore cæruleo vel purpureo, interdum albo, Herbariorum fœmina, à qua mas parum differt. Ego existimo has quatuor Scabiosas esse tantùm varietates ludentis naturæ Scabiosæ minoris vulgaris, nescio cur in Hist. pro 12. faciat 13. meliùs placet ordo in iconibus: Si quod existimat Frater scabiosa 20. Tabernæmontani est eadem cum nostra vulgari minori Tabern. non debebat separare à suis minoribus: an Tabernam. benè describat iudicent lectores.

Tabern. repreh.

Scab. capitulo globoso maior C. Bauh. Phyteuma Columnæ.

C. Bauh. Phyt. Scabiosa 2. siue capitulo globoso maior, Scabiosa minor siue Columbaria eidem Ic. Plant. Phyteuma Dioscoridis Columnæ. Variat floris colore, qui communiter cæruleus, aliàs purpurascens albus. Item, Scabiosa 3. siue capitulo globoso minor 1. 2. 3. & 4. Taber. Variant tantùm foliorum dissectionibus, alteri enim tenuissimè dissecta, ad mediū neruum; alteri non item: tertia etiam folia inferiora habet penitus non dissecta, cuius nomine 3. [imò 4. Frater non benè obseruat] apud Tabern. icones habentur. Item apud Matth. Scabiosa 2. siue minor, Scabiosa 26. Tabern. Scabiosa foliis Bellidis Thalio. *Has duas cur C. Bauh. separat?*

C. B. not.

Locus & tempus

Scabiosam minimam prope Monspelii Ægidiam portam ad riuulum, & agrorum margines, Norbonæ plurimam, ac etiam in Apenninis Bononiæ meminit Lobelius: Matthiolus minorem in pratis & campestribus, in agris non cultis secus itinera, & in collibus tetrentis. Phyteumatis Columnæ Neapoli toto anno propter cæli amœnitatem vbique viarum per margines, vti dictum, florida capitula visuntur, sed æstate magis. In horto Ill. C. Vvirt. sponte ac vrbi Montbelg. vicinis locis passim prouenit florens Iunio. Hæc Scabiosa quibusdam in locis est valdè parua, aliis in locis maior, & iunceos ferens caules cubitales vt Montbelgardi, vbi cum candido flore reperi. Quæ Monspelii prouenit satis parua est & hirsutior. Basileæ obseruaui florentem Augusto propè Leurach in monte, & quà itur Mouters adhuc vegetam & florentem Octobri. Geneuæ pulchrè virentem Februarii principio quà itur ad montem Saleuæ, & alibi, vt propè fluuium *Arue* florentem Maio. Tiguri quoque vidi: Montbelgardi viret tota hieme.

Vires.

Sapore est amaro Scabiosa minor Matthioli vt in eiusdem Epit. cum addit. Camerarii videre licet: quare excalfacit, extenuat, abstergit, aperit, & crassa, lentaque expectorat. Herba ipsa in puluerem pota, aut succus ex melle delinctus, pectus, & pulmones abstergit, crassaque, ac glutinosa per os eiicit. Idem præstat eius decoctum potum, ac scabiem sanat. Id quod & succus facit in vnguentis additus. Folia cruda contusa, & pestiferis carbunculis admota, mirificè eorum perniciem coërcent: Datur vtiliter earundem succus quatuor vnciarum pondere, cum theriacæ drachma pestilentiâ affectis, prima statim die, verùm à potione ægros sudare oportet: & iterum, atque iterum medicamentum repetere. Datur item contra serpentium venenosorum morsus. herba verò exteriùs imponitur. Illitus Scabiosæ succus, cum Chrysocolla, & Caphuræ momento, lentigines, alphos, impetigines, & cæteras cutis infectiones abstergit, oculorumque per se, & cum succo Fœniculi, albugines delet. Scabiosâ minimâ Lobelii, plurimùm vtuntur Monspelienses Pharmacopœi propter inibi maioris Scabiosæ penuriam, non modò ad sanguineum serum putridum educendum, defæcandumque, & Thoracem pulmonesque congerie pituitosa expediendum: sed etiam ad Morpheas Arabicasque Elephantiases, & Græcorum lepras squammulásve, reprimendas, item impetigines, sacri ignis excretiones, pruritus, cutisque scabies fœdas: Tineam abluunt lixiuio, in quo maduerit aut decocta fuerit Scabiosa. Succo vtitur Tragus. Dioscorides hanc ad amatoria vtilem esse scripsit, sed modum omisit, quare incognitus adhuc erit, præsertim cùm potiùs magica, quàm physica facultate hoc efficere possit, sicuti in aliis, quæ appensæ collo, vel domui, vel tactæ, vel simili modo vtiles ad aliquid esse prædicantur.

Pulmonib. *Pestis* *Morsus serpentum* *Infectiones cutis* *Scabiosa maior subit.* *Morpheæ* *Diosc. notatur.*

SCABIOSA PROLIFERA.



Locus Descriptio

NVsquam spōtè nascentem conspexi (inquit Clus. in post. Hist.) Scabiosam quæ mihi in cultioribus Belgicis hortis obseruata, *floribus* ex purpureo subcæruleis in caput congestis, ad cuius latera in orbem fundebantur multi longiusculi *petioli*, è quibus dependebant alii minores *flores* maioribus colore similes, & ex his interdum etiam tertii, sed imperfecti: primis floribus succedebant *semina* Scabiosæ 5. [quam Scabiosam glabram carnosis foliis diximus] similia: *radix* subfusca, & multis fibris prædita, sed non viuax.

Scab. prolifera Lob.


Lobel. icon. plant. p. 539. Scabiosa prolifera. Tabern. Hist. p. 549. Scabiosen mit sieben blumlein 17. Scabiosa prolifera: Belg. cabiosen met

Binder fone. C. Bauh. Phyt. Scabiosa 14. siue prolifera Lobelio.

SCABIOSA RVBRA PEREGRINA quibusdam Indica.

Descriptio Foliorum diuers.

PLanta hæc, licèt vna sit & singularis, & Scabiosæ minori vulgari similis, plures tamen *foliorum* figura differentes species, vt illa, induit. Quippe ima, quæ propter radicem sunt, reliquis latiora, quædam crenata, quædam lacinijs sed minùs profundis diuisa, longo pediculo hærent, veluti repanda. Quæ sequuntur superiora versus, altiùs secta, profundioribúsq; lacinijs diuisa, veluti in plura alia subdiuiduntur, quorum singulæ partes infimis



crenatis, non magnitudine quidem, sed specie & figurâ quodam modo respondent. Sunt inter hæc quædam adhuc profundiùs & minutiùs secta. Suprema, quæ ad ramorum diuaricationes exoriuntur, vel paucis aliquot incisuris, minùs tamen profundis, vel nullis planè constant, & per ambitum tota æqualia, angusta, breuioribus pediculis donata. Ima folia cum caule modicè hirsuta sunt.

Scabiosa Indica Clus. Caulis.

Nos existimamus à Clus. in Hist. postr. lib. 4. p. 3. depictam pro Scabiosa 6. Indica ac sic descriptam: Cubitali aut ampliore assurgit *caule*, satis gracili, qui in multos tenues ramos diuiditur, ex quâ parte veluti vmbellam *flosculorum* in caput congestam gestantes, exterioribus flosculis, qui reliquos ambiunt, maiusculis, in quinque lacinias diuisis, quemadmodum & interiores flosculi, qui minores: omnes autem coloris elegantis rubri saturi, & ad purpureum quodammodò tendentis: his succedunt stellata, vt in alijs Scabiosarum generibus, *semina*, in caput metæ formâ congesta.

Flosculi.

Folia. *Folia* non absimilia habet illis quæ conspiciuntur in Pannonica ὀχεταλωγω: sunt enim similiter incisa, viridiora tamen, & splendentia, caulem atque ramos in singulis internodijs ex aduerso amplectentia.

Radix. An *radix* viuax esset & perennis initiò dubitabam, quia anno primùm 1591. florentem obseruabam, semine mihi misso natam eodem anno. Sed sequens annus annuam esse me docuit.

Tempus. Floret Æstate & Autumno: semen sub Septembris finem, aut Octobris initium maturum fuit.

Varietas. Accipiebam id semen ex Italia Scabiosæ Indicæ nomine: quod quibusdam amicis communicatum, florem variauit, qui fuit, illis referentibus, multò dilutior. Memini etiam Viennam mihi missum Scabiosæ semen ex Hispaniis, quod flores dedit eodem anno quo satum: sed illi etiam rubri dilutiores.

C. Bauh. Phyt. Scabiosa 5. siue peregrina rubra, quibusdam Hispanica rubra.

Locus & tempus. Hæc Scabiosa à me obseruata est florens Iunio, Iulio & Augusto in hortis Di. Grienningeri Pharmacopœi in Pfortzeum, & Basileæ in Di. Martini Medici Poloni, & Di. Zvvingeri & eius fratris Ielini cum semine maturo Septembri.

SCABIOSA LATIFOLIA albo flore.

Scabiosa alba foliis latioribus semine triplo, geminis capitis.

MEminit Clusius in postr. Hist. in hortis Belgicis pænè similem Scabiosæ ochroleuco flore, cuius tamen flores essent didiores: Aliam præterea latioribus foliis, firmioribus caulibus, & florum niueorum capitulis interdum singularibus, plerumque tamen binis aut ternis cohærentibus & simul nascentibus. Hæc ille qui iconem habet hoc titulo, Scabiosa alba Belgicorum hortorum.

Scab. mont. calidarum regionum. Eandem Lobel. Obseru. & Icon Plant. p. 538. posuit pro Montana Scabiosa calidarum regionum: Hist. Lugd. p. 1110. pro Scabiosa montana calidarum regionum Lobelij & Penæ.

Locus & tempus. Suspicamur nos hanc vidisse nondum florentem Iulio apud D. Grienningerum Pfortzemiæ, dicebatur esse flore albo, folia inferiora similia vulgari paruæ, sed maiora, alia laciniata, ad vulgarem hirsutam accedentia.

SCABIOSA PARVA ODORATA flore foliis maculis infectis.

Descriptio. Radix.

PVlcherrima atque grata oculis, atque naribus est Scabiosa hæc, quæ lignosam longámque *radicem* habet, ex qua *folia* exeunt diuersa, nam in imo vel sunt syluestri Erucæ paria, vel Coronopo similia, minora verò atque hirsuta, in *caule* verò similia lacinijs Scabiosæ vulgari minori, sicuti & *flores*, qui purpurei ex albo colore sunt, nec vt in aliis, ex cœruleo purpurei, in capitulis rotundioribus, atque singuli flores Ocimi flores imitantur, nam galericulati sunt, & per ora laciniati,

Flores.



admodum similes exotico Ocymo, foliis purpureis maculis infectis fimbriatisque, atque etiam, quod in aliis Scabiosis non obseruatur, benè odorati sunt.

Phyteuma minus Columnæ. Fab. Colum. nou. pl. p. 31. & 32. Phyteuma minus, Scabiosa parua, floribus Ocimi laciniatis atque odoris.

Scab. floribus Ocimi. C. Bauh. Phyt. Scabiosa 4. siue Scabiosę globoso flore similis, odoro flore. Is eandem cum minore Tabern. diceret, ni floribus Ocimi laciniatis ac odoris esset.

Floret Æstate, atque etiam Hieme propter cura-

cœli amœnitatem. In montibus oritur Amalfœ oræ.

SCABIOSA CUM PULCHRO semine minor.

Descriptio



Simplice & lignosâ *radice* albicante figitur, paucis & iis quidem exiguis fibris capillata: *caulis* dodrantalis aliquot diuisuris concauus, teres, hirsutus, *folia* tenuiter dissecta, superiorum foliorū Columbariæ Scabiosæ modo, pilis obsita, capitulis radiata, subiecta folia oblōga: *semen* per omnia simile Scabiosæ Hispanicæ magnæ dictæ, tomentosum, calatho membraneo coronatum, vnguis ferè magnitudine, pellucidum, striatum, in cuius medio stella parua quinquepartita, ex seminis autem sinu capillamenta quædam parua atque rigidiuscula prominent.

Locus. Talis ea est quæ mihi ex Prouincia per insignem Pharmacopœum Iac. Rainaudum missa.

Alia species. Postquam verò nostra figura iam esset parata,

Descriptio. aliam eiusdem speciei accepi ab erudito Medico D. Salzmanno Argentinensi lectam propè Selon in Galloprouincia. Ea altitudinem nostræ figuræ non excedit, estque vix trium aut quatuor vnciarum, nulla diuisura, folia vt prioris dissecta, pilosa: flosculi itidem ad plantulæ proportionem magnitudine prædictis cedentes, iidemque radiatis foliolis sed angustissimis suffulti, striati, emicantibus staminulis nigris ac longis. Prioris plantæ flores sua magnitudine appingi curauimus. Maior maioris est: minor minoris plantulæ.


An Scab. Hispanica minor Clus.? An Clus. Hispan. & Histor. post. Scabiosa Hispanica minor, siue 2. maiori Hispanicæ (quam à pulchro semine denominamus) persimilis & sola magnitudine differens: est enim per omnia minor, folia tenuiùs incisa, caliculi & flores minores ex cæruleo purpurascunt: cum Hispanica maiore iisdem locis nascitur, atque eodem etiam tempore floret, & semen ad maturitatem perducit.

Scab. æstiua minor folio laciniato Lob. Lobel. Obs. p.293. Scabiosa æstiua minor, folio laciniato Scabiosæ aut Erucæ, flore cæruleo vulgaris Scabiosæ, spirillis longiusculis virentibus sesquiuncialibus, Rosarum gratiâ, stellæ modo radiato. Semen membraneis inuolucris argutis implicatur, Scabiosæ maioris Hispanicæ ritu. Vnde hæc apud nos oritur rediuiuo singulis annis semine. Mutonus noster primus hanc mecum communicauit.

Scab. pereg. stellata minor C. Bauh. C. B. not. C.Bauh. Phyt. Scabiosa 16. siue peregrina stellata minor, Clusio Scabiosa Hisp. minor. In maritimis Adriaticis reperta, parua & repens apud nos in fictili sesquicubitalis enata. *Suspicor* Fratris Scabiosam in maritimis Adriaticis repertam eandem esse cum maritima mea parua & diuersam ab Hispanica minore Clusii.

SCABIOSA MARITIMA PARVA.

Descriptio



Longiusculam agit *radicem*, satis crassam, multorum capitū, pro quorum numero *caules* emergunt dodrantales, & si accedat cultus, etiam cubitales, ramosi, *folia* inferiora tenuia, foliorum Scabiosæ semine pulchro sectionibus diuisa, triū vnciarum lōgitudine, at superiora angusta & veluti graminea, nullam agnoscunt diuisionem: *capitula* pro plantulæ modo magna, *flosculis* magnis referta, præsertim circa margines (colore in siccâ planta purpurante) caput ebulliant folia oblonga viridia, vt in Scabiosa Hispanica maxima pulchro semine, at enim huic semen non ita pulchrū: quamuis interim membranei quid habeat pilis magnis obsitum. Huius semen nobis misit Frater C. Bauhinus cum hac inscriptione, Scabiosa parua maritima ex Clodia insula: sata Montbelgardi in Horto E.C. prouenit, attulit etiam plantam siccam rediens Patauio dodrantalem vel paulò maiorem pro Scabiosa maritima vera Cortuso.

Locus

Scab parua marit. ex Clodia.

Scab. marit. vera Cortuso.

SCABIOSA GLABRA CARNOSIS FOLIIS virentibus, flore ex cæruleo purpureo.

Scab. Pannon. 2. siue alpina Clus.

Descriptio

Tradit Clusius in Pannon. p.535. Scabiosæ Pannonicæ secundum genus siue Scabiosam alpinam, quæ in post. Hist. l. 4. ab eo dicitur Scabiosa montana siue quinta, quam ita describit. Quina aut sena habet *folia*, humi sparsa, Scabiosæ vulgatiori, & inter segetes nascenti ferè similia, minimè quidem villis obsita, sed carnosa, præ viriditate quodammodò splendentia, aliquot crenis incisa, sapore si manducentur lento, & gummoso, deinde aliquantulùm acri: ex horum medio crescit palmaris *caulis*, aliquando paulò amplior, gracilis, rotundus, cuius inferiorem partem ambiunt quaterna aut sena folia, profundis & tenuibus lacíniis diuisa, bina semper ex aduerso sita: extremo cauli insidet *capitulum* vt in vulgari Scabiosâ, ferè, è multis *flosculis* quinque foliolis constantibus congestum, quorum exteriores maiores sunt, eleganti colore ex cæruleo purpurascente præditi, villis quibusdam nigris singulorum flosculorum sedem ambientibus: *radix* longa, nigra, crassiusculis albis fibris capillata.

ex summis alis ramulos fert tenues, & nudos, qui sustinent plana *capitula*, è candidis siue potiùs ἀχρολευκοῖς [præsertim antè quàm explicentur] inodorisque *floribus* simul nascentibus congesta, qui quinis foliolis [quorum tria inferiora maiuscula sunt] constant, paucis intus staminulis: floribus succedunt hirsuta *semina* vulgaris Scabiosæ seminibus minora, in orbiculare caput congesta: *radix* minimi digiti crassitudinem interdum æquans, multisque exiguis fibris in lateribus prædita, viuax est, & singulis annis nouos caules profert.

Synonyma. Clus. Pannon. p. 537. Scabiosa 3. siue multifido folio, albo flore: item p. 538. Scabiosa 3. In Hist. post. lib. 4. p. 3. Scabiosa septima ἀχρολευκῷ flore.

Camer. hort. Scabiosa Bauarica pumila, folio tenuissimo, flore purpurascente vel incarnato, non absimilis Pannonicæ 3.

C. Bauh. Phyt. Scabiosa 6. siue multifido folio.

Tabern. Icon. & hist. Scabiosa 18. maior alba, Groß weiß Scabiosen inueni in Alsatia prope hohen königsberg & Schlestadium. An Taber. eandem intelligat cum Clusio nescio, figuram eius assumpsit.

Locus. Nullum est Austriæ inferioris pratum siccius editioréve loco situm, nullus ager gramineus, nulli ferè aruorum margines, in quibus non nascatur hoc Scabiosæ genus, adeoque fertile est in gerendis floribus & pertinax, vt sola bruma illius luxuriem coërceat, alioqui Iunio florere incipit: frequens etiam est in Morauia.

SCABIOSA LATIFOLIA RVBRO FLORE & alia purpurante ex nigro flore.

Descriptio.



CVbitales huic sunt *caules*, rotundi, nodosi siue geniculati, nonnihil hirsuti, concaui: in singulis geniculis bina *folia* ex aduerso nascentia, non multifida instar aliarum Scabiosarum, sed lata, in ambitu tamen crenata, Vrticæ foliis interdum maiora, ex breui petiolo pendentia, colore ex viridi dilutiore prædita, amaro & acri sapore: ex alarum sinu rami etiam prodeunt foliati, qui ex lateribus pediculos protrudunt, *floribus* vulgaris Scabiosæ modo congestis, ornatos, coloris rubescentis, nullius odoris: deinde *semina* simul congesta, angulosa, hirsuta, Cnici ferè interdum magnitudine stellata coronâ insignita: *radix* minimi digiti crassitudinem nônnunquam æquat, longa, nigricans, statim à capite quasdam fibras satis magnas spargens, & subinde ex lateribus nouos caules producens.

Scab. latifol. purpurante ex nigro flore. Est & alia [2. in Pann. quarta in post. Hist.] quæ magnitudine iam dictam [primam in Pann. 3. in Hist.] superat, maioráque & nigriora habet folia, purpurascentem ex nigro florem: in reliquis satis conueniunt: [olim autem sic descripsit, Hæc Scabiosa per omnia maior alia inuenitur maioribus & nigrioribus foliis purpurascentéque ex nigro flore: alioqui nihil differens.]

Descr. ubi ...... Eadem est ni fallor cum Clusii Scabiosa, cuius binos adseruamus ramos à Fratre C. Bauhino in horto Patauino collectos, sesquipedales, hirsutos quibus folia Vrticæ æmula ex longo interuallo proximè & immediatè hærent, quædam trium aut quatuor vnciarum, duarum, triúmve lata, aduersa, pilosa, pallidè virentia, per ambitum serrata, in acumen abeuntia. Ex superiorum combinatione geniculata, ramuli sursum vergunt terni, medio vtrumque lateralem excedente, qui florum capitula sustinent, iuniora quidem & primulùm prorumpentia Succisæ similia: foliis angustis, stellatim in orbem positis, Asteris lutei modo, veluti b. si subnixa: flores in sicca planta valdè rubebant.

Synonyma. Clus. Pann. p. 535. Scabiosa 1. siue latiore folio, rubro flore. In Hist. post. lib. 4. p. 2. Scabiosa 3. siue latifolia Pannonica rubro flore. Item in Pann. Scabiosa 2. siue latifolia purpureo flore. In hist. post. Scabiosa latifolia Pannonica purpureo flore, seu 4.

Scab. rubra Austriaca Lob. Lobel. icon. Pl. p. 538. Scabiosa rubra Austriaca.

C. Bauh. Phyt. Scabiosa 11. siue latifolia rubra. Item Scabiosa 13. siue Virgæ pastoris folio Tabern. Scabiosa latifolia peregrina Tabern. conuenit multùm cum 11.

Tabern. Icon. & Hist. Scabiosa 8. latifolia peregrina, frembt oder rot Scabiosen. Item hist. Scabiosa 7. latifolia, Breyt Scabiosen/ Scabiosa rubra Austriaca: *suspicor* eum eandem plantam bis tradere.

Locus & tempus. Prouenit vtraque Scabiosa Clusii in omnibus ferè cæduis siluis iuxta sepes, locisque vmbrosis per vniuersam Pannoniam Austriamque infra Anisum. Floret Maio & Iunio, quo tempore semen plerumque etiam maturescit.


SCABIOSA MAIOR CVM PVLCHRO semine.

Descriptio.



CLusius sic describit: Folia vulgaris Scabiosæ maioris foliis similia habet, laciniata videlicet, altè incisa, mollia, lanugine pubescentia: caules nodosos, rotundos, interdum cubitales, è quorum geniculis folia inter se opposita: summis ramis capitula insident è multis caliculis membranaceis & paleaceis composita, qui singulares flores conti-

SVCCISA SIVE MORSVS Diaboli.



QVâ *radici*, minimi ferè digiti crassitudine, fibræ longæ, albæque circumnascuntur, ea præcisa seu præmorsa apparet, sapore misto acri & amaro: *folia* oblonga, acuminata, Scabiosæ, quanquam nõ dissecta, sed vel integra vel paulùm quid, præsertim quæ superiore obtinent locum, serrata, magis suprà quàm infrà virentia, & hic quidem pilis, illic nullis prædita, extremis marginibus ruboris cuiusdam vestigio tinctis, bina ex aduerso per caulem, ignauiore sapore quàm radix: *caulis* cubito altior, rectus, & in alas diuisus: *flores* cærulei aut purpuro violacei, Scabiosæ.

Differentia C. B. Differentias has, inquit C. Bauhinus, obseruaui, quòd alia communiter sit glabra alia hirsuta: glabra, alia maior, alia minor: maior alia [& communiter] foliis integris, alia foliis dissectis. Variat & flore, qui communiter cæruleus, aliquando purpureus, rariùs albus.

Veteribus ignota Quo nomine Veteres aut Posteriores Græci plantam hanc nuncuparint, & an eam cognouerint, nondum certò compertum est. *Succisa* Latino & conueniente huic herbæ nomine, quidam Succisam vocant: quòd eius radices præmorsæ sint: *Morsus diaboli* alii eadem de causâ Morsum Diaboli nuncupant, sed nomine ex superstitione indito. Quasi verò, vt nugantur superstitiosi, Cacodæmon quidam huius radicem magnæ efficaciæ, ad multa vtilem futuram, inuideat hominibus, atque ob id vbi succreuerit, statim eam dentibus succidat, atque circumrodat. Et hanc superstitionem sapiunt etiam Germani, qui Teuffels abbiß. Belgæ, qui Duiuels beet: Galli, qui *Mors du Diable*: Itali, qui *Morso di diauolo*, & Angli, qui Deuiles bit appellant.

Scabiosa Ad Scabiosas pertinet & Succisa. Et hinc ait Lobel. in Aduers. Non video quid negotii sit hanc non esse è Scabiosis vnam probare quod quidam contendunt: verùm adeo Scabiosis est similis, vt plerumque pro iisdem accipiatur: euidens tamen discrimen in radice, à qua tota, Diaboli morsus dicitur, quod nomen Herbarii retinent, nam Antiquis non debetur. *Morsus diaboli cur dicatur* Cùm itaque sit multis crassis fibris sparsis, depacta, præcisa apparet quà crassiores coëunt fibræ plures, quasi præmorsa foret à quopiam cacodæmone: tametsi idem ferè cernatur in plantagine: quare malunt alii dictam ab vrida vsquã mordicat bubones & carbunculos pestilentes, quibus magno leuamento admouetur.

Geris Gesim Pyncomon Diosc. Esse quosdam scribit C. Bauh. Phyt. qui Gerim (Geum, Fuchs.) Veterum censeant: Columnam verò p. 37. Pycnocomon Dioscoridis esse statuere: alios ad Iaceas, alios ad Scabiosas referre: quibus tam similis, vt plerumque pro Scabiosa accipiatur. Quidam Niginam Plinii esse putare. *Nigina Plinii*

Synon. Succisa seu Morsus diaboli dicitur, Matth. Dodon. lat. in fol. & C. Bauh. Iacea nigra, Bruns. & Dorsth. Morsus Diaboli, iisdem & Trag. Dod. gall. Lon. Lob. Adv. Obs. pag. 295. & Ic. Plant. pag. 596. H. Lugd. Tabern. & Camer. Succisa, Fuchs. Cast. Scabiosa, folio integro, Cæs. Pycnocomon, Columnæ.

C. B. C. Bauh. Phyt. Succisa 1. vel glabra. Item Succisa 2. vel hirsuta, solâ hirsutie caulis & foliorum à prædicta differens. Cur igitur separat Frater?

Locus & tempus In pratis & viis quibuslibet occurrit multa: Particulariter obseruaui Succisam in quodam prato prope Monspelium, Geneuæ florentem mense Iunio. Cùm Basileæ essem copiosè in mõte Moutets florentem Octobri inueni: vt & alibi Tiguri circa Fatze see inueni iuuenem valdè pilosam. Montbelgardi abundat etiam iuxta vites nostras in monte *la Chau* dicto, infrà & suprà, incipiens florere Augusto, foliis prioribus hirsutis: vnde attuli Montbelgardum in Hortum E. C. Semen maturum Nouembri ac etiam citiùs: ea nunc durat in horto in flore aliqua rubedo.

Vires Viribus Scabiosæ Easdem, authore Trago, cum Scabiosis vires obtinet vterque Morsus Diaboli, ideoque illo pro Scabiosis, & vicissim Scabiosis pro illo vti tutò possumus. Morsus Diaboli cum flore, herba, & radice in vino decoctus, facit ad omnia ad quæ Scabiosæ, maximè verò ad discutiendos sanguinis grumos, & aduersus pestem. *Sanguinis grumos* Eadem potest aqua ex herba destillata. Hæc sicut & succus herbæ vitriolo mixtus exiccat & sanat qualuis papulas, omnemque fluentem scabiem illitu. *Papulæ* Amariuscula est herba, teste Dodonæo, calido, siccoque temperamento prædita, ad vtriusque secundum ordinem intensum referenda. *Temper.* Aduersus diuturniores tonsillarum fauciumque tumores, *Tumores faucium* qui ad suppurationem ægrè perueniunt, nulli secunda: adhærentem faucibus pituitam abstergit, digerit eadem, & discutit: tumoresque earum partium citò tollit, decocto in ore sæpiùs retento aut gargarizato, præsertim mellis rosacei exiguo addito. Posse verò & quæcunque Scabiosa, fertur, & aduersus ictus virulentorum, venena, & pestilentes morbos non minùs efficax: tusam & impositam pestilentes etiam bubones discutere: *Bubo pestilens* tum & decoctum eius si bibatur, vteri dolores lenire, flatusque pellere. Morsus Diaboli [inquit Dorsth.] herba & radix easdem vires habent, calefaciunt & siccant primo gradu. Radix contusa ac inflammationi imposita eam extinguit. *Inflammatio* Herba adhuc viridis vsui est, contra omnes affectus exteriores corporis, intrò sumi non debet quia calorem adfert. Egregium iudicium Dorstenii [vt & Apollinis eiusdem opinionis est] qui sibi ita contrarius, is enim præter dicta exhibet hanc plantam & eius aquam in morbis calidis.

SCABIOSA FRVTICOSA FOLIO NON dissecto peregrina.

Descriptio ADuersis pediculis longiusculis *caulem* amplexis *folia* ordine per caulem nascuntur, oblonga, acuminata, medio latiora, hirsuta, incana, Plantaginea, nisi alius esset neruorũ decursus

caulis teres, arborescens, albicat, pilosus, florem sustinens glomeratum: *semen* eius pulchrum, album subiongum, crassiusculum, desinens in latam pelliculam, vt Scabiosa magna, cum pulchro semine, quod missum ab Hortulano Florentino, nomine, Scabiosæ arborescentis semper virentis. Lobelio facie & virgultis Valerianæ rubræ, sed floribus & semine Scabiosæ Hispanicæ.

Scab peregrina Lob.



Lobel. Obs. p.292. Scabiosa peregrina, raræ elegantiæ nullidum hactenus literis prodita. Plant. Icon.p.540. Scabiosa peregrina. H. Lugd. p.1108. Scabiosa peregrina Lobelij. An Camer. hort. Scabiosa fruticosa siue arborescens Cæsalpinis?

Tabern. Icon. & Histor. Scabiosa 16. peregrina folijs non dissecta. frembe Scabiosen. C.Bauh.Phyt. scabiosa 17. siue folio non dissecto stellata.

Scabiosam fruticosam primùm vidi Lutetiæ apud Io. Robinum, hortulanum regium, florentem mense Augusto: eius semen accepi Stutgardiæ, quod satum in Horto E.Witt. Montbelgardi prouenit.

SCABIOSA GRAMINEA ARGENTEA.

Descriptio



PEr *caulem* lanuginosum, densè geniculatum, bina oriuntur ex aduerso posita *folia*, colore argenteo, & tenera hirsutie Holostei Mósp*e*liensis, sed longiora, angustiora, acutiora, Gramineis respondentia, vnico neruo secundum longitudinem donata: summum caulis cacumen obsidet Scabiosæ *capitulum*, mediocri magnitudine, argenteo villo tomentosum, numerosis circumcirca acuminatis foliolis stipatum.

Scab. graminea Camer.
Scab. argẽtea C. B.
Locus & Tempus.

Camer.hort. Scabiosa Graminea argenteo flore purpureo. C. Bauh. Phyt. & apud Matth. Scabiosa argentea angusto folio.

Prouenit in monte Vicentino Sumano dicto, vnde ad C.Bauhinum misit Paschalis Gallus. Florentiá missa Camerario, nascitur etiam in fodinis ferri Styriæ. Mihi dedit DD. Zvvingerus collectam in monte Sumano Vicentiæ. In Euganeis montibus vix vna aut altera obseruata H. Chero, nedùm Maio perfectè florens.

SCABIOSA MONTANA OMNIVM minima.

Descriptio

SCabiosarum omnium minimam hanc animus fuisset Lobelio Verbenam paruam facere, nisi in montibus cretaceis & incultis obuia foret. Nam sesquipalmares pedalésve paucos edit *cauliculos*, *foliis* in imo sæpiùs donatos angustioribus, inter Sesamoidem & Scabiosam minimam, *floribus* dilutæ purpureæ, è squamosis *capitulis* non diuersis.



Scab. omnium minima Lob.
Scab. montana minor C. B.

Lobel. Aduers. pag. 233. & Icon. Plant. p.540. Scabiosa omnium minima. H.Lug.p.1109. Scabiosa montana omnium minima, Penæ. C. Bauh. Phyt. Scabiosa 18. siue montana minor.

Tabern. Hist. pag. 549. Scabiosa 15. Scabiosa montana minor 7. Minima cognominata, sine icone.

SCABIOSA GLOBVLARIS QVAM Ouinam vocant.

Descriptio

DVram lignosámque habet *radicem* albicantem, fibratam, in plura interdum capita diuisam: *caules* promit multos palmares, nonnunquam cubitales, ramosos, interdum simplices, graciles, hirsutos: & in his *folia* pilosa exigua, semunciam aut vnciam longa, mollia, crispa, Lobelio aliquantùm serrata, quæ verò circa radices sunt, duabus vnciis longiora sunt. Sapor his nullus euidens: *flores* extremis hærent ramulis glomerati, staminulis contenti cærulels, parui.



Scabiosa

Dodon Gall. Scabiosæ 3 genus, Belg. Schaes pen Scae

Scabiosa Ouium. pen Scabiose / hoc est, Scabiosa ouium. Gesn. hort. Scabiosa tertia maior, quibusdam ab ouibus denominata, vt Dodonæo, qui hanc magnitudine mediam facit.

Scab. media Lob. Lobel. in Aduers. p. 232. Media Scabiosa serrato angusto folio, flore Globulariæ. Obseru. p. 291. Scabiosa media: Scabiosa media flore Globulariæ: Aphyllantis genus quorumdam, albis floribus, varians agro Louaniensi. Icon. Plant. p. 536. Scabiosa media.

H. Lugd. p. 1110. Scabiosa media Lobelii. Eadem cum Aphyllante 1. quæ habetur p. 864. Quā ait Dodonæum tertium Scabiosæ genus fecisse: *Scab. minor Dod. lat.* [Puta in Historia gallica. Est enim ipsi in Latina in fol. Scabiosa minor, siue secunda]


Camer. hort. Scabiosa ouilla Dodonæi.

Tabern. Icon. Scabiosa minor quinta: Klein Scabiosen Hist. lib. 1. p. 548. Scabiosa 12. minor 4. in descriptione 13.

C. B. &c. C. Bauh. Phyt. Scabiosa 19. siue aruensis minor folio non dissecto, Gesnero Scabiosa tertia. Duplex est, altera foliis hirsutis: sed non crenatis vt recte Tabern. pingit. & apud nos frequentior: altera quæ foliis est crenatis vt Lob. floribus est cæruleis, rariùs albis. De Gesneri Scabiosa iam diximus nostram sententiam. Tabern. in descriptione suam dicit esse foliis crenatis.

Locus & Tempus. Quum essemus Monspelij reperi Speciem florentem mense Octobri circa Gangen. Hanc etiam obseruaui vere & Iunio inter Monspelium & Lugdunum. Inter Chastenoy & Nommay pagum Montbelgardensem locis aridis florentem Iulio: plantaui in Horto Ill. E. C. vbi prouenit: *Flore albo.* huius vnicam plantam reperi flore albo & cum semine Augusto, inter Morwilare arcem & Gruningen in Sundtcouia. In marginibus agrorum Septentrionalium, teste Lobelio, lætior multò & maior adolescit, quàm in calidis.

APHYLLANTI AFFINIS SCABIOSA quinta Clus. Bellidi affinis.



Descriptio RAmos per terrā reptantes spargit, subinde demissis fibris radicem agentes, alioqui radicem primariam lignosam crassiusculam habet: folia Globulariæ similia, saturatè virentia, glabra, crassa satis, sed non vt Globulariæ folia, per extremum integra, verùm fissa & cordata, ex pediculo longiusculo, sapore amaro: pedicelli breues, aliquando satis longi, inter folia surgentes, florem gestant cæruleum, glomeratum, Globulariæ, cui nec ita dissimile semen.

Scab. mont. repens Clus. Clus. Pann. p. 539. Scabiosa 5. montana repens: & p. 540. Scabiosa 4. (scribendum erat 5. nam descriptioni quintæ respondet.) in post. hist. Scabiosa 10. siue repens: Scabiosa montana [minor, addit inter nomina] repens siue 10.

Bellis cærulea frutescens C. B. An C. Bauh. Phyt. Bellis 12. cærulea frutescens quam ex Cæsalp. in Ilua nasci tradit.

Locus & Tempus. Scabiosa montana minor repens siue 10. Clusii nascitur in omnibus Pannoniæ & Austriæ montibus glabris & asperis, inter saxa & salebras sparsa, gramineis etiam quibusdam siccioribus incultisque agris, veluti supra Neapolim Austriæ. Floret Aprili & Maio: semen Iulio & Augusto maturescit.

Vires. Cæterùm non dubium est, inquit Clusius, quin decem meæ Scabiosæ iisdem facultatibus sint prædite, quibus reliqua Scabiosarum genera: quandoquidem omnium est idem temperamentum.

APHYLLANTES ANGVILLARÆ siue Globularia Bellidi similis.



Descriptio A floris pulcherrimi glomerati figura Globulariā dixerunt quidam: constat autem is staminulis cæruleis densè farctis, insidens cacumini caulis palmaris & sesquipalmaris, raritis cubitalis, rotundi, striati, rubescentis, foliis vestiti multis, interdum vnico, interdum ab eadem radice multiplicis: alia per terram sparguntur folia, Bellidis proxima foliaciora, glabra, neruosa, gustu amara: radix lignosa, dura, fibris donata, rubra, exterius interim alba.

Globularia Clus. Scabiosa pumila Aphyllantes Anguill. Bellis cærulea. Clus. Pann. p. 541. post. Hist. lib. 4. pag. 6. Globularia seu Scabiosæ pumilum genus quod vulgò apud Herbariæ rei studiosos Globulariæ nomen inuenit, Anguill. (vt dicit in Hist. post. Clus.) Aphyllantem appellat. Viennenses mulierculæ quæ in suis hortis alunt Blaw Ruckbarzue, id est, cæruleam Bellidem nuncupant, quo nomine etiam in Belgicis hortis culta dicebatur. Gallis: Marguerites bleues. Is Viennensi agro, n... eo flore variantem nonnunquam conspiciebat. *Flore ...*

Bellis mont. Cæsalp. Cæsalp. Bellis montana, in asperis nascens foliis ab radice Bellis pratensis, rotundioribus: cauliculo simplici, sæpe nudo, aliquando paucis foliolis, in cacumine capitulum rotundum, cærulei coloris: herba amaro gustu prædita.

Aphyllantes Anguill. An Bononiensium Bellis. Anguill. epist. 12. pag 186. Aphyllantes, id est, Frondiflora: Is lectoribus liberum relinquit iudicium, an Bononiensium Botonaria ... esse possit.

Lob. in Adv. p. 199. Bellis cærulea Globularia Monspeliensium. Is describit & depingit p. 200. atque in Obs. p. 255. Bellis cærulea nostra Aduers. est Aphyllantes & frondiflora Anguillaræ. Monsp.

Gesnerus in annotatione quadam manuscripta, Aphyllanthes Anguillaræ non probat, quòd & veluti globulus cæruleus sit & in petris montium nascatur, inde & Sphæranthemum petręum dixerit.

Sphæranthemum petræum Gesn. Icon. plures Tabern.

Taber.icon. & Hist.lib.2.p.43. & 44. Bellis cærulea siue 6. Blaw Maßlieben. Bellis cærulea Apula siue 7. Bloúemaßlieben aúß Sicilia. Bellis cærulea Monspeliaca, siue 8. Blaw Maßlieben von Mompelier. Tres habet figuras quas dicit differre foliorum magnitudine.

Bellis cærulea caule nudo C. B.

C.Bauh.Phyt. Bellis 10. siue cærulea caule nudo: Aphyllanthes 3. Lugd. Hanc [inquit C.Bauh.] etsi Lugdun. eandem dicat cum Bellide cærulea Penæ obuenit tamen differentia in eo, quòd hæc in cauliculis folia non obtineat, florem etiam maiorem, imò & folia duplò triplóve longiora. Bellis 11. cærulea caule folioso: Aphyllon frondiflora & Botonaria Anguillaræ: Bellis cærulea Lobelij, varians magnitudine & foliorum latitudine. Hinc tres apud Tabern. figuræ, Bellidis cæruleæ, & Apulæ, & Monspeliacæ nomine. *Sed quicquid* C.Bauh. de Aphyllanthe 3. H.Lugdunensis, tamen ego non separo à Bellide cærulea Penæ. Nec enim Hist. suæ Aphyllanthæ folia penitùs adimit in descriptione, quã si legisset C.Bauh. inuenisset, et pauca in caule, aut nulla concedere. Pauca certè Lob. appingit Bellidi suæ cæruleæ.

Bellis caule folioso C. Bauh.

C. Bauh. not.

Locus & tempus.

Globularia Clusij passim porrò per Austriam & Pannoniam in gramineis campis, siluis à fruticibus & arboribus paulò liberioribus, interdum etiam graminosis viarum & semitarum marginibus copiosè crescit. Vidimus Bononiæ in horto S.Saluatoris al burgo di S.Catharina, florentem Aprili. Burmij Rhætorum & in alijs montibus circa Cutiam. Basileæ in monte prope Ranulicken pagum tribus milliaribus à Basilea. Geneuæ ad radicem montis Saleuæ, & in monte *Thuiri*, virentem Februario, & florentem mense Aprili, Maio, Iunio, & Iulio, vt & Monspelii florentem etiam Aprili.

DE DORONICO CAP. II.

Quæstio.

Doronicum non est Mamiras Æginetæ contra Fuschs & Gesnerũ.

Quæstio grauis nec minùs sæpè in pulpitis & Athenæis ab acutissimis ingeniorum viris agitata circumfertur. Doronicum sitne Veterum Aconitum Pardalianches, Arnabo Pauli, aut eiusdem Mamiras, necne?

Scribit Gesn. se non animaduertere posse [eiusdem sententiæ Fuchsius] quid impedimento sit, quominus Doronicum vulgare, Mamiras Æginetæ vocetur: Sed Guillandini contrarium statuentis rationibus deinde acquiescens, sic in contrarium it. Doronicum profectò, Arnabo & Mamiras, vt vocabula tria, ita res etiam tres diuersæ sunt. Ruellius apud Actuarium Mamiram interpretatus est Doronicum, ita vt Lector suspicari possit, ipsius autoris eam interpretationem esse, quod fidi interpretis non est, & fortè multis imposuit. Syluius etiam verba de Doronico ex Serapione non bona fide recitat: &c.

Doronicum non vidit Matth. Icon fictitia. Aliæ icones Matth.

Matth verba sua retractat.

Doronicum non vidisse Matthiolum, nisi quando cum Marantha in prioribus comm. pro Aconito primo Pardalianche cognominato fictitiam figuram exhibuit. Et hinc factum vt in postremis comm. Lat. & Ital. præter prioris commentarii falsam imaginem tres alias icones, omnes Doronicum vulgare exprimentes, dederit, quas ita inscribit. Et quidem primam imaginariã: Aconitum Pardalianches Dioscoridis. Aconitũ Pardalianches Plinij: Aconitum Pardalianches Theophrasti. De 4. & postrema in titulo dicit, Aconitum Pardalianches minus, quod falsò Doronicum vocant. Sed hæc verba [falsò Doronicum vocant] reuocat in ipso textu, dicens. Doronicorum vulgarium plantam misit Ant. Cortusus, qui me primùm admonuit Doronicum inter Aconita esse recensendum, quòd certò sciret, facto à se pluries periculo, extingui facilè canes, qui horum radices deuorarunt. Cæterùm Matthiolus passim in suis comm. Aconitum primum Pardalianche, quod Dioscoridis cognominat, scribit Theophrastum Thelyphonum & Scorpionẽ appellasse, vocari germanis Wolffsbeer & Wolwurtz/ Hisp. *Contelha*, gall. *Herbe de la Tora*. Sed mirum eum hæc nomina adscribere, cùm nondum innotuerit eius planta pro Aconito: nec etiam quadrent ea Doronico pro Aconito exhibito. Gesnerum rectè sensisse fictitiam plantam esse non dubito, quatenus radix eius fictitia est, licèt eam adhuc in post. comm. tueatur, se ipsum reprehendens quòd noluerit consentire Maranthæ, dicenti, Doronicum vulgare esse venenum: esse Doronicum (quòd sit venenatum hominibus) posthac *Demonicum* appellandum. In Hist.germ. Aconitum Pardalianche pingit, mutatã priori radice, sed eadem fictitiã. Si prior vera erat, relinquenda: si ab eo tempore alteram nactus, cur non & florẽ pingit, ac declarat qualis sit.

Aconit. Pardal. Diosc. Thelyphonum Scorpio Theoph.

Matth. reprob.

Demonicũ.

Camer. notatur.

Figmentum Matthioli retinet Camer. in eiusdem Epit. ac Hist. germ. pro Aconito Pardalianche, ac insuper secundam addit, cui titulum, Aconitum Pardalianches Theophrasti, fecit. Huic appingit folium angulosum, quale in Matth. figuris non obseruatur. Sed is & tertiam habet, hac inscriptione, Aconitum Pardalianches minus, Officinis Doronicum nominatum. Huic priorem congenerem dicit Camerarius in Epit. ac Arabum Doronicum esse negat, eámque venatores qui contra vertiginem comedunt Schwindel kraut vocare ait, de prima verò nihil certi indicat. Nos hác etiã omittimus, ac cæteras duas proponimus.

Arabum Doronicum non est.

Probatur Doronicum nõ esse Mamira.

Quod autem Doronicum [inquit Matth. in epist. ad Fallop.] cuius passim in Myropoliis est vsus, Mamiras non sit, tametsi contrarium sentiat Fuchsius in Nicolai Myrepsi annotationibus, ego quidem non ambigo, dissentio tamen à Guilandino, quod Doronicum nostri vsus, tam id, quod in Orientalibus prouenit regionibus, quàm aliud, quod in Europa nascitur, non existimem esse legitimum. Nam quanquam hoc probare nititur Guillandinus Ruellii, Leoniceni, Fracastorii, Manardi, Cardani, Mundellæ, Brasauoli, & nostra etiam autoritate: nihil tamen affert, quod iure aliquo admitti possit. Quippe quantùm ad me attinet, nescio quo pacto Borussus ille audeat me autore affirmare Doronicum vulgaris vsus, legitimum esse Doronicum, de quo scripsere Mauritani, quum id ego nunquam affirmauerim. Atqui si meam de Doronico debeam in medium afferre sententiam, dicam ingenuè legitimo nos carere. Cùm enim Auicennę Doronicum excalfaciat, & siccet ordine tertio, suaq. vi valenter flatus dissoluat, non video cur Doronicum nostrum legitimum appellari possit, ac debeat, quum nulla in eo reperiatur qualitas, quàm non obscura dulcedo, cuius nullus est inter Arabes, qui meminerit: &c.

Doronicum nostri vsus adulterinum

Doronici legitimi facultas.

Doronici Anguill.

Anguillara interrogatus an Aconitũ à Matth. pictum sit verum, respondit se verum non vidisse. Si Doronici, inquit, in monte S.Angeli responderent descriptioni Dioscoridis & Theophrasti Aconiti Pardalianches, non dubitandum esset easdem esse plantas.

Maran

Marantha lib. 1. cap. 11. asserit Aconitum pardalianches esse Doronicum vulgare, non tamen venenatum ait hominibus, aut Doronicum negat.

Aconitum Pardalianches est Doronicum. Error quorundam.

Doronicum [inquit Lonic. impress. anni 1569.] est radix nota Officinis, foliis Cyclamini, Theophrasto Thelyphonum, species Aconiti autore Matthiolo, qui nominauit Aconitum Pardalianches minus: quidam volunt esse Zurumbet Serapionis & Arnabonem Pauli, & Carnabum & Carnabadium Aetii, sed malè.

Dod. gall. figmen.

Dodon. gall. pro Aconito Pardalianche exhibet figmentum Matthioli. Ast lat. de purg. licèt eodem Pardalianches titulo duas describat species, easque lat. in fol. etiam exhibeat pictura, tamen fictitiam Matthioli figuram respuit, ac dicit, Aconitum Pardalianches quod exhibeo & describo, herbarum studiosi plurimi Doronicum appellant: Pharmacopœi passim pro Doronico medicamentis admiscent. Quod tamen Arabes Doronicum nominant, aliud longè ab hoc Aconito Pardalianche est. Hoc enim Auicenna Strangulatorem Leopardi: Doronicum verò, Durinigi appellat. Adhæc Durinigi ait calidum & siccum in tertio gradu, cui & ipse Arabs Serapio consentit. Strangulatori verò Leopardi suas ex Theophrasto & Diosc. vires adscribit, quæ multùm à Durigi viribus recedunt. *Et ita* Dodonæus cōcludit, qui omnia miscet, ac Pardalianches suū cum Pardalianche Veterum cōfundit. Sensus verborum eius hic est. Aconitū Pardalianches suum non esse Doronicum quia viribus Doronicū à suo Aconito Pardalianche discrepet. *Sed fallitur*, Aconitum suum Pardalianches quod exhibet, à Doronici viribus non recedit, sed ab Aconiti Pardalianches à veteribus commemorati. Nec enim quod exhibet Aconitum Pardalianche, Veterum Pardalianche est, cuius facultates suo Pardalianche falsò adscribit. Sed falsum est eius fundamentum quòd sc. Aconitum Pardalianches vocet Auicenna, quod is picturâ expressit. Nam Auicenna Durinigi vocat.

Acon. Pardalianches. Dod.

Strangulator Leopardi.

Pardalianches Dod. cum Pardalianche Veterum miscetur. Dodon. lapsus.

Doronicum aliquod Pardalianches Aconitum esse negat Lobel. in Aduers. ac idem rursus affirmat, sibi ipsi contrarius. Eius verba ita sonant Doronici varii nostratis, quorum nullus est Aconitum Pardalianches, radices in pharmacariis tabernis prostare vides. Ex triplici in differentia sunt, tametsi non ita dissita. Nonnullis enim Franciæ collibus cæteris Doronicum minore, minutaque fibrosâ radice inuenias: Aliud item foliis oblongis vti Plantaginis: Et alterum maiore, longioreque multò radice, scorpii forcipulis non dissimili. Hæc priori propior est, si non prorsus eadem sit suffragio etiam Herbariorum, qui eas magnitudine diu duntaxat distare aiunt. Iam nequaquam opus est multâ disquisitione ad statuendum, ecquid sit discriminis inter Theophrasti, Dioscoridis, Plinii, & aliorum Pardalianchen, Theliphonum, aut Cammorum: quæ nomina vnius huius plantæ diuersa putamus: nec videmus vlla insigni distinctione mereri genericam differentiam: facies enim, sapor, odor, omnibus idem, itemque fermè natales. Sed tamen paulùm quid variat Dioscor. de radice delineatio, quippe caudæ hic, Theophrastus verò cadaueri toti continuo alius generis stirpem astruit: sed eandem brachiorum aut alarum expertem, vt sæpiùs orbata, quam eisdem donata visitur. Nec dubium quin mutuatus sit ex Theophrasto, vel vterque de alio quopiam scriptore: nam quæ de nocumentis & effectionibus prodita essent, vt lecta, non explorata, subdunt. Plinianum non esse idem inficiari eius interest, qui non meminit, pleraque omnia in stirpium historia illum accepta ferre Theophrasto. Ecquid loci sit isti commento Pardalianche relictum, dicent consultissimi & stirpium exploratores indefessi Italorum doctissimi, qui nullum vspiam sibi visum, vel auditione cognitum plerique omnes nobis asserebant, querebanturque ea spe frustra se lustrasse penè quantum est Alpium & cautium, nemorum & montium, perpetuo illo dorso à Lemano Clauennam, indeque ad Veronæ Baldique deuexa, nusquam tamen comparuisse. Nostratis interim Doronici plurimùm diuersis locis obuium habuisse: eoque nobis tamensi inuitis suadebant istum Senensem Commentatorem, cui imposuisset hæc leuiuscula, quam supra agnouimus, differentia, quasi vnam quampiam nouam & sui generis sanxisse. Indicio esse, quoties curauit recudenda illa commenta, toties variatam Iconem: nec nisi vnam misellam, caule, floréque mutilam, semel chartæ mancipatam, tot vbique gentium vestigatoribus sedulis repertam fuisse, Historiæ fidem item temeratam audacia, vt qui nullo facto periculo (nec enim potuit) illicò decreuerit Pardalianchen. Quo verò fastu, astu, & palpo magni nominis eruditis inculcet illud, *Palpate & videte*, quoniam Matthiolus non scribit mendacia, se ridere & mirari: fore tamen iam, vt senior eoque moderatior factus, fateatur se lapsum, lugeatque Doronici, sibi ignotum anteà, quòd scelesle nefas, illi Æsculapio Cortusio primùm innotuerit, & per illum mortalium generi sit retectum. Quod maleficium cùm nostræ memoriæ plerisque notum esse docuissemus, & Cortusio in hortulo suo Patauii inter colloquendum respondissemus, id verum quidem esse, cæterùm minimè mirum: vt qui experimento certum haberemus, Aloë saluberrimâ interfici vulpes, easdemque enectas amygdalis amaris ex Plutarcho meminissemus, annuit ille Italicè cuidam compatri suo Pharmacopæo, qui vulgatum exemplum de Nuce vomica subdidit, eâ nempe feles, canes, aues que interimi, quæ tamen tutò & magno commodo aduersus lethifera & Epidimicos morbos in Electuariis Liberantis, datur homini. Immeritò proinde Doronicum verbo diro dum infame facit, quàm multum sciret & parum saperet, perspicuum facit: Dæmones quippe fœlices vocari vel Monachi norunt, qui Cacodæmones haud atrociori conuicio incessunt, quàm ille Doronicum è republica Medicorum exigere nititur. Tantillam rem, tam valdè vulgatam, captum superasse tanti Commentatoris, stupet vulgus, qui Philomelis, Alaudis, Hirundinibus, aliisque delicatioribus auiculis non solùm non noceat, sed interdum cibus, sæpissimè remedium vnicum & panchraston sit. Quam multis tu Principibus, nos pauperibus, Doronici ignoratione, exitio fuissemus, quâtam stragem plus quingentis abhinc annis dedissent Medici, freti electuariis de Gemmis & aromatibus, & aliis Cordi amicis, quibus frequentissimè vsi sunt, teque monere possunt, Doronico ne tantopere conuicieris, sed potiùs dosim metiaris, alioqui Croci, Moschi, similiumque dato quaternum drachmarum demensum homini, & competies Dæmonium tuum. Quin thus etiam, multò quibusdam minore mole, meminimus perniciem attulisse. Tantæ expectationis Commentatoris intererat, saltem hac postrema Com-

Discrimen Doronici ab Aconito Pardalianches.

Lob. contraria scribit. Doronica varia. Doronicum triplex.

Aconitum Mattholi.

Pictum Pardalianches somnium.

Pardalianches.

Cortusius videtur.

In Doronico maleficium.

Aloe Vulpib. Venenata. Amygd. amara Nux vomica.

Dira Matthioli.

Doronicum.

Thuris nocumentum.

mentariorum manu & mole, an Pardalianche eodem necaret modo, quo cætera Aconita, ex parte: quippe si nominis etymon & seriem Symptomatum perpendas, videtur, aut sola (aut certè comite veneno) strangulatione, id patrare: quemadmodum Fungi, papposáque excrementa Typhæ & Cannarum, quæ belluis, præsertim siccis & angustis meatibus nec ruminantibus, si cum esca pauca multùm cõfertim vorarint, mortem moliuntur suffocando. Quin non semel audiuimus venatores affirmantes, se frustrà dedisse Napellum, Helleborum, & alia toxica à feris statim vomitu reiecta: at vbi pauxillum Taxi addidissent, prorsum nullum animal euadere, quippe nauseare, sed euomere nihil. Pereunt igitur partim veneno, partim occluso spiritu, puta ad fauces, tracheam & diaphragma: plerumque etiam euomere bilem, muccum, cibum, veneni autem nihil, nisi ob siccitatem, serò, aut perparum. *Non igitur* respuemus nos Doronicum, sed vtemur moderatè: si non vt aromate, saltem liceat nobis vt Theriaca & antidoto quapiam: cuiusmodi instituisse vides in El. de gemmis Meluæ, & aromatum Electuario, celebres Medicos, quos temerè inscitiæ & sceleris reos facis. Sed hæc fusiùs paulò mox, in Paride & Napelli muscis, non muribus tuis, quos multi æquè cauti Herbarij, atque te nõ minùs sagaces, nequicquam venati sunt. Istæ descriptæ radices, à nobis Aconita censitæ, vt omnes congeneres, sic sapore penè eodem sunt, nempe ignauiore, subdulci, & emplastico. Quò magis adducimur, vt credamus Dioscoridis legitimum esse Aconitum, quippe assentit ille, oculorum scilicet remediis blandis, temperatásque calore & crassis nonnihil, emplastica, pauxilla adstrictione, digerente. *Et hæc* Lobel. quem mirari subit, quid sibi velit cur prioribus vltima contraria scribat. An fortè dum acriter nimis in Matth. inuehitur sui ipsius oblitus fuit? Is in obseru. pag. 570. & Icon. plant. 648. triplicis sui Aconiti differentiæ imagines exhibet sub his titulis. 1. Doronicum minus officinarum, hoc pingit longo folio, de quo specialiùs infrà. 2. Doronicum brachiatâ radice cancri, forcipicularum ritu. 3. Doronici tertij varietas: Aconitum Pardalianches Dodonæi.

Taxi nocumentum.

Doronicum nõ respuendum.

Excusatur Mesues.

Aconita.

Lobel. reprehendit.

Cæsalpinus Doronica differre scribit pro crassitie & longitudine radicum, & foliorum asperitate, ac læuitate, paucisque aliis; adferri & inter merces peregrinas ex Oriente radiculam eandem, in antidotis expetitam: Hoc ob similitudinem radicis cum cauda Scorpionis iudicatum esse Aconitum pardalianche, facto experimento: Esse præterea qui Doronicum Mamiras esse putent apud Paulũ. Is autẽ Plinij Helenium iudicat.

Doronici differentia, Cæsalp.

Aconitum cur iudicatum?

Mamiras Pauli Helenium Plinij.

H. Lugd. p. 1735. Somnium Matthioli pingit sine floribus. In appendice verò p. 16. Aconitum Pardalianches primum vocat, & iconi, quam priùs proposuerat adpingit ramulum foliorum floribus onustum, de quo ait. Præcessit inter Aconitorum genera Pardalianchis figura, qualem Matth. exhibuit, verissima, & certissima, quamuis falsam ac commentitiam esse quidam existimarint, sed mutila radice tantùm pictâ cum foliis. Ego integram nactus à Seplasiario Treuotensi, in cuius horto plantæ aliquot multis iam annis viuunt, & vigent, controuersiam pertinaciorem de hoc Aconito, quod his oculis conspexi, iactatam inter Gesnerum ac Matthiolum, vt dirimam, Matthiolo fidem suam, quæ labare videbatur, asserui, & plantam ostendi, minimè decurtatam, &c. Manifesto autem errore contraria scribit. Radix, ait in vno loco, prorsus ea specie est, quam Matthiolus delineauit ac expressit: in altero dicit, figura Pardalianchis, qualem Matthiolus exhibuit, verissima & certissima, sed mutila cum foliis & radice picta: verissimam perhibet figuram Matthioli, sed mutilam cum foliis radicem agnoscit: siccine patrocinatur Matthiolo? Labat certè fides Matthioli ac etiam Lugdunensis.

C. Bauh. Phyt. est Aconitum 3. quod se nunquam vidisse scribit.

Historia insuper præter falsas has duas & commentitias imagines, quatuor adhuc figuras habet tres quidem p. 1737. quarum primam inscripsit Doronicum Romanum, Aconitum Pardalianches antiquorum Dodonæi [Clusii ad Dod. gall. p. 583. teste C. Bauh. cui est Doronicum 1. siue radice Scorpii:] Alteram, Aconitum Pardalianches minus Matthiol. (C. Bauh. phyt. hoc cum præcedenti idem facit:] Tertiam, Aconitum Pardalianches Plinii [Aconitum 5. Casp. Bauh.] Quartam, Aconitum Pardalianches Theophrasti ex Matthiolo. Est & hoc 4. C. Bauhino. *Sed cur* separat C. Bauh. Phyt. suum Doronicum 1. siue radice Scorpii ab Aconito suo 3. 4. & 5. quod non fecit Matthiolus.

Figura 4. H. Lugd.

Acon. Pard. minus

Acon. Pard. Plinij

Ac. Pard. Theoph.

C. Bauhinus.

Tabern. Icon. & Hist. Doronicum primum. Monachi in Mesuem describunt Doronicum & dicunt Ianuensem & Luminare maius, loqui sub nomine Doronici de Trasi. Doronicis non rectè, aliqui [Clusius Doronicum 4. facit,] ad numerant inquit Gesnerus, Caltham alpinã. Est hæc nobis Alisma Matthioli, de quo post Doronic.

Trasi. Caltha alpina.

Alisma Matthioli.

Gaudet montibus vmbrosis, inquit Lobelius Inueni autem ego spontaneum in monte Appẽnino inter Bononiam & Florentiam, & Bononiæ florentem vidi in horto mense Aprili: inter Comum vrbem Italiæ & Mundris. Ferrariæ in horto Monasterij S. Dominici à l'Angeli. Patauij cum paucis rotundis folijs virens mense Ianuario, in horto Di. Cortusij, & mense Martio florem protrudens in horto Di. Triuesani: vidi missum Neapoli D. Guillandino. Florentiæ in horto Nicolai Ferrariensis mense Aprili desfloruerat: Bernæ, Basileæ in horto Di. Dis Fœlicis Plateri. Lugduni habebam in horto vti & alij, florebat mense Maio & Iunio, flore in pappos euanescente succedit semen paruum, nigrum, striatum, Montbelgardi in horto Ill. C. VV. mihi etiam egregiè prouenit florens Aprili & Maio.

Disputatur hodie vt dictum antè, an sit Doronicum venenatum, quod de nostro alii affirmare nolunt, & in Antidotariis id admittunt, alii verò reiiciunt. Admittunt hoc Bononienses in suo Antidotario. Admittit & Iulius Alexandrinus, nec à compositionib. auferri vult, ne, inquit, ablato eo medicamento compositio tota pereat, formaque claudicet.

Vires

In Germanica Matthioli editione ad inflationes corporis, præsertim vteri, commendantur Doronici radices. Lumbricos necant & expellunt, intestinorum obstructiones reserant, vrinam prouocant, faciunt contra cordis palpitationem, syncope correptos reuocant, venenis aduersantur, in theriacam adduntur: eædem in puluerem tritæ, & cum contusis ficubus mistæ venenum iaculantium virus domant impositæ. Has radices sæpiùs Iohannes de Vroede Rhizotomus, teste Lobelio, sine noxa ullóue percepto incommodo impunè deuorauit vt & Gesn. quamuis canibus perniciosum prodantur.

Vterus. Lumbrici Obstructiones Venena Pulsus Radices sine noxa deuoratæ.

Cæterùm

Matth. notat. Cæterùm mirari ſubit Matthiolum cur Doronici vſum in Hiſt. germ. approbet, qui antea in comm. eum penitus damnauerit, ita ſcribens. *Doronici ſpus damnatur.* Doronicum inter Aconita eſſe recenſendum, me primùm admonuit Cortuſus quòd certò ſciret, *Exemplum extincti canis.* facto à ſe pluries periculo, extingui facilè canes, qui horum radices deuorarunt. Vix ego id credere poteram, ſed interim datis cuidam meo cani vulgarium Doronicorum quaternis drachmis, crudis carnibus occultatis, is poſt ſeptimam horam obiit. Sed id mirum profectò mihi fuit, quod ipſemet canis toto illo tempore, quo ſuperuixit alacer, lætus, ac hilaris ſemper fuit, nihilque ſymptomatis paſſus eſt, imò quod maius dici poteſt, quadam cum domeſtica canicula pluries venerem exercuit. & cœnantibus nobis auidiſſimè comedit. Quo factum eſt, vt ego profectò crederem, me hoc facto periculo fruſtratum iri. Atqui paulò pòſt præter omnium noſtrûm ſententiam, is repentè admodum, ac ſi morbo comitiali percuſſus eſſet, totus in terram cecidit, vbi horrendo ſpaſmo correptus, ſpumanti ore paulò pòſt conuulſus interiit. Cortuſo itaque nobiliſſimo, hoc ampliſſimum munus futura poſteritas acceptum referat, ipſumque nouum vitæ noſtræ cuſtodem appellitet. Huic Nymphæ violas, & Lilia fundant: hunc ſuauiſſimis veſtiant roſis, & Bacchare cingant. *Admonitio.* At interim deſinant Medici, quibus hominum vita cordi eſt, exitioſo, & pernecabili Doronico vti. Expellant & illum Pharmacopœi ſuis è Myropoliis, & interdicant pii, & optimi principes, qui Rempublicam gubernant, ne poſthac venenum hoc præſentiſſimum væneat. *Deploratio prioris ſeculi.* O quam miſera fuit eorum conditio, qui ſuperiori ætate nos præceſſerunt, quorum ferè nemo ſimplicia medicamenta rectè nouit, quique ſæpe venenoſis auxiliis vſi ſunt, vbi ſaluberrimis antidotis vti putarant. *Dæmonicũ Thelyphonũ Error Matth.* Erit itaque Doronicum poſthac Dæmonicum, non Doronicum appellandum, quòd Diabolus in huius locum Thelyphoni genus hoc introduxerit. Hinc autem fit, vt ego errorem quoque meum iam agnoſcam, quod noluerim Maranthæ concedere, Doronicum vulgaris vſus eſſe Aconitum Pardalianchen, cùm viderem id innocuè ſumi in medicamentis ab hominibus: verùm non ob id fieri puto, quòd canibus ſit venenum, homini verò ſalubre medicamentum, vt quidam mihi reſpondent, quibus cùm de huiuſce Doronici exitiali facultate ſum locutus: ſed quòd non tanta quantitas propinetur à Medicis, quâ homines necare valeat, aut quòd rarò exhiberi ſoleat abſque aliis antidotis, quæ venenoſam eius vim diſſipant, & extinguunt. Nam quæ canes occidunt, & lupos, facilè adducor, vt credam, eadem homines quoque necare: vt de vomica nuce ego fateri poſſum, quippe qui ſciam hac tantùm mulierem iam ſeneſcentem eſſe extinctam, quæ caſeum è quo ſibi cibum parauerat ſuper inſtrumento ferreo ab hoc parato attriuerat, ſuper quo eius filius ſuperioribus diebus Nuces vomicas aliquot in particulas confecerat, quibuſdam necandis canibus, qui cum nocte oblatrabant.

Subſtituta Garyophylli Ruta. Ariſtolochia. Cæterùm, malim ego cum Anic. Fuchſ. Coll. Florentino, Geſn. Camer. hort. & aliis pro Doronico Garyophyllorum dimidium ſubſtituere: Aut Rutam, aut Ariſtolochiam, quàm Doronicum noſtrum pro Veterum Durungi vſurpari. *Zurumbet* Tractatus quid pro quo, Zurumbet æquali pondere, aut duas tertias de Garyophyllis pro Doronicis accipit. *Zedoaria* Sed & Bononienſes in Antid. par pondus Zedoariæ Doronici loco ſumunt. Iidem quoque cum Geſn. & Adolpho Occone Galangam ſubſtituunt. *Galanga.* Caueant autem ſibi Medici & Pharmacopœi ne cum Matth. in comp. pro Doronico Antoram ſiue Antitoram, Aconitum pro Aconito ſumant. *Antora malè.*

DORONICVM FOLIO SVBROTVNDO ſerrato.

Deſcriptio. Caulem habet aliquando cubitalem, rotundum, ſtriatum, viridem, intus concauum, capitulum in ſummo caule magnum, ex multis *floſculis* luteis concauis, & quinque crenis diuiſis congeſtum, quod ab aliis longiuſculis & in extremo crenatis foliis, fulgore auri ſplendentibus ambitur, non inodorum: *ſemen* ſuperiori ſimile, cum ſuo pappo facilè euaneſcens: *folia* circa radicem longo pediculo inhærentia, orbiculata ferè ſunt, ſenſim tamen à pediculo in latitudinem ſeſe explicant, in ambitu dentata & ſerrata, quæ verò caulem ambiunt, longiore, & ab ipſa ſtatim pediculi ſede in latum expanſa, omnia ſaporis acris & amari: *radix* ex viriditate candicans, minimum digitum craſſa geniculata & quaſi ſquamata, internodiſque diſtincta, ſed nodis ſurſum tendentibus, non infernè, ex inferiore geniculorum parte longas agens fibras albas ſatis craſſas, & propagines in lateribus, guſtu ferè ſucci è glycyrrhizæ radice expreſſi & denſati.



Synonyma Dor. latifol. ſerratum C. B. Cluſ. Pann. p. 518. Doronicum Auſtriacum 2. ſine icone, cui in Hiſt. poſt iconem addit, & Doronicum 3. Auſtriacum 2. inſcribit. C. Bauh. Phyt. Doronicum 4. ſiue latifolium ſerratum.

Locus & tempus Inuenitur in Etſcher, Durrenſtein, & quibuſdam aliis Auſtriacorum, Styriacarumque Alpium iugis inter ſaxa. Floret Iulii initio, aut etiam ſerius, in hortos verò tranſlatum, vbi non diu permanet, Maio plerumque.

Vires Rupicaprarum radix. Hoc vnà cum Doronico maximo venatores, paſtoréſque montani, qui Rupicaprarum radicem appellant, aduerſus vertigines non minùs commendant, quàm Auriculæ Vrſi flauo flore radicem, viribuſque firmandis adprimè vtilem eſſe ferunt.

DORONICVM FOLIO LATO, FLORE magno.

Deſcriptio Humilius eſt plerumque iam dicto hoc Doronicum, & capite floris maiore, *foliis* à pediculo ſtatim pænè orbiculatis, vt in Cyclamino alioqui ſuperiori non diſſimilibus: *radicum* item nodi & propagines neque in hoc, vt nec in præcedenti, deorſum tendunt (nodi autem in hoc

C



minùs apparentes aut ansarum instar longè à matre sese spargunt, sed quasi matri contiguæ sursum tendunt & extra terram folia prométes, fibris in tellure sese firmant.

Synon: Doron. latifol. flore magno.

Clus. Pann. p.520. Doronicum Austriacum. Item pag. 521. Doronicum 3. Hist. post. Doronicum 4. Stiriacum. C. Bauh. Phyt. Doronicum 5. siue latifolium alterū flore magno.


Locus.

Nascitur in Veitzalpen supra Neuberg in Stiria, & eodemquo præcedens tempore floret.

DORONICVM MAXIMVM FOLIIS hyosciami Peruani modo caulem amplectentibus.

Descriptio

GEnus hoc Doronici omnium maximum, bicubitalem interdum aut ampliorem habet *caulem*, minimi digiti plerūque crassitudine, striatū, summo cacumine in aliquot alas diuisum: *folia* circa radicem orbiculata, longo pediculo inhærentia, rugosa, & nonnihil hirsuta, quæ verò nullo ordine digesta caulem ambiūt, leuiter dentata, pediculo nullo, sed instar foliorum Peruani Hyosciami latifolij, Tabacum maius vulgò vocatur, caulem latiore basi amplectentia, viridia, hirsuta: *flores* extremis alarum ramulis insident magni, vicenis aut tricenis oblongis foliis, & orbem satis latum ambientibus constantes, lutei coloris, odoris expertes: *semen* vt aliorum Doronici generum, striatum, virescentis tamen coloris, quod cum suo pappo, auræ leni flatu defluit, initium ab exteriore ambitu faciens, quemadmodum & in reliquis Doronici generibus: *radix* ex viridi candidans, nodosa, squillulæ similis est: sed vbi propaginibus aucta est, crassior fit, & ex multis veluti corporibus in vnicum conflatur, & coalescit.



Synon.

Clus. descriptionis auctori, est in Pannon. p.523. Doronicum 5. siue Austriacum maximum. Hist. post. Doronicum 7. Austriacum. 3. C. Bauh. Phyt. Doronicum siue maximum foliis caulem amplectentibus.

Locus

Secundum riuos è montibus labentes, locis vmbrosis in descensu iugi Vvechsel primùm obseruabam [inquit Clusius] vnde in hortum translatum mihi egregiè propagatum fuit: sed postea longè maiore copiâ, decliuibus, siluosis tamen, locis Etscheri & Herrenalben inueniebam Augusto flores proferens, cùm in Vvechsel floret Iunij initio. In hortis cultum Maio flores dat,

Tempus.

veluti & in montanis siluis vltra Drauum, Pannoniâ interamni, vbi anno 1579. frequentissimum etiam obseruabam: semen in hortis Iunio maturum.

DORONICVM GRAFFOY dictum.

Descriptio

RAdix rugosa, tuberibus hincinde inæqualis, Polypodij radicum crassitudine, longis perplexisque fibris donata, quæ in sicca ligularum instar planæ nonnihil conspiciuntur, sapore insigniter dulci: talis est *Graffoy radix* siccâ, quæ eo nomine delata viridis & plantata, produxit *pediculis* hærentia *folia* crassiusculis, aut nullis aut raris pilis donatis, sui similibus vbique, nec foliosa appendice Doronici vulgaris modo auctis: ita quoque & *folia* ipsa atrovirentia, rugosa, duriora, minúsque hirsuta quàm Doronici vulgaris, sensim in acumen desinentia, obiter per margines sinuata.


Basileæ in officinis prostat nomine Graffoy vt in Officina Egregii Pharmacopœi Ioa. Heitzmani: qui viridem allatam radicem ex Alpibus Valesianis plantauit in ollam: ea verò translata in hortum Martio incipiebat caulem & florem depromere.

Vires

Quidam vulgares comedendam suadent ad vertiginem, quam verè nescio, mihi sapor satis nauseosus quamvis dulcis, qui fortè subuertendo ventriculum ingrata dulcedine potiùs fortè vertiginem excitaret.

DORONICVM FOLIO FERE plantaginis oblongo.

Descriptio



HVius *caules* erant teneri, pusilli: *folia* mollicella, oblonga, vti plantaginis: nonnihil vel ex viridi flauentia, conspicuè hirsuta, Pilosellæ modo, vel Cucumeris agrestis, sed attrectanti læuia, ambitu rotundò, sed nonnihil laciniosò & supernè angusto, Cucumeri agresti, quàm Cyclaminis similiore, terna vel quaterna:

quaterna: *pediculis* innatis radici exiguæ, tereti, orbiculatæ, sed infernè in angustum sensim adductæ, subtus & transuersis quasi squamularum torulis articulatæ, apprimè scorpionis cadauer & caudicellam exprimenti, plusculis donatæ fibris: color candidus, sapor dulcis, amaricat, & lentorem multùm pauxillæ coniunctum astrictioni præfert: sesquipalmum altus caulis *floribus* in summo donatur luteolis, aut pallidis, radiatis, Buphthalmi, aut Mediæ Consolidæ.

Synonyma. Lobel. Adu. descriptionis authori dicitur Doronici planta; Doronico vulgatiori & minori prorsus eadem. Obs. p.370. & Ic. Plant. p.648. Doronicum minus Officinarum.

Clus. Pann. p.517. & Hist. post. lib.4. p.16. Doronicum angustifolium, Doronicum Lobelii primum, longiore folio, ad Plantaginis folium quodammodò accedente.

C. Bauh. Phyt. Doronicum 2. siue Plantaginis folio.

Locus. Frequens hæc nunc in hortis Belgicis & Anglis. Burdigalà delatam etiam habuit Clusius.

DORONICI SPECIES EX HORTO Ferrariensi folio longo hirsuto.



Descriptio. HÆc à Clusio, cuius figuram propono, ni fallor, ita describitur. Eorum Doronici generum, quæ in Austriacis, Stiriacisque iugis à me obseruata, primū caule est breui, pedali dūtaxat, molli, hirsuto, striato: folia illi rara, parua, crassa, longiuscula; supinâ parte admodū viridia, & quodámodò splendentia, omninò tamen villosa, pronâ autem læuia, dilutiùs virentia, at quæ caulem ambiunt, angustiora sunt, omnia porrò peracris saporis: summo caule vnicum plerumque fert florem Tertio Lobeliano similem, sed magis aureum, quo euanescente, succedit exiguum semen nigricans, lanugine & pappo coronatum quod leui aura excutitur, & venti arbitrio fertur: radix parua, geniculata, & internodiis distincta, nigricans, crassioribus candicantibus aliquot fibris donata, gustu aromatico.

Clus. Pann. p.517. Doronicum 1. siue minus. Hist. post. Doronicum 2. Austriacum 1.

C. Bauh. Phyt. Doronicum 3. siue longifolium hirsutum.

Locus. Primum suum Doronicum Clusius obseruabat in Sneberg, deinde in Snealben & Neuberg: nusquam verò maiori copia quàm in summo Etscheri iugo, inter saxa, tenui, nigraque terra leuiter tecta. Floret Iulio, nonnunquam etiam

Tempus. Augusto, quo mense semen subinde maturitatem consequitur.

Doronicum folio longo serrato.

Descriptio. MOllicellâ lanugine & colore ex viridi flauescente cum Doronico vulgari conueniunt folia, figurâ tamen alia, vtpote longa, parum lata, vnciam circiter, & in ambitu serrata: reliqua petenda ex descriptione Doronici folio rotundo.

Reperi in Rhætia florens mense Iulio.

DORONICVM GERMANICVM FOLIIS semper ex aduerso nascentibus, villosis.



Descriptio. TErna aut quaterna, autore Clusio, summa tellure fundit *folia*, Plātagini latifoliæ ferè æqualia, longiora tamē, & ad Digitalis, luteum seu pallidum florem ferentis foliorū similitudinem magis accedentia, neruis distincta, mollia, viridia, supernè nonnihil villosa, infernè candidiora & læuiora, bina semper ex aduerso nascentia, gustu nonnihil amaro, & acri: *caulem* habet ferè cubitalem, nudum, rotundum, hirsutum, qui superiore parte in paucos ramulos diuisus, calicem sustinet hirsutum, ex quo magnus emergit orbis multis *flosculis* luteis in quatuor foliola diuisis, constans: eum orbem ambiunt quindena, aut plura folia, Doronico latifolio similia, latiuscula, & per extremum crenata, coloris flaui elegantis: *semen* floribus succedens, vt in Doronici generibus, in pappum euanescit: *radix* minimi digiti crassitudinem pænè æquat, nodis quibusdam informibus distincta, multisque fibris donata, lateribus propagines fundens, & singulis annis noua germina proferens.

Doron. German. Clus. notatur. Clus. Hist. post. Doronicum 5. Germanicum: Pannon. p.520. Doronicum Austriacum 4. quoad descriptionem: descriptio enim ibi sine icone. Figura namque quæ inibi proponitur caret descriptione, estque Doronici illius, quod folio subrotundo serrato inscripsimus, isque Hist. post. Doronicum tertium, Austriacum verò secundum cognominat.

Locus & tempus. In omnibus ferè pratis sublimioribus ad Alpium radices, tum in ipsis Alpibus, Austriæ sitis frequens est: præsertim verò in Wechsel, ad cuius radices Maio florebat, in ipso autem iugo quà Septentrionem, & Orientem spectat, serius. Eruebam (inquit Clusius) etiam his proximis annis in cæduis syluis ad Mœnum amnem sitis, circiter mille passus infra vrbem Francofurtum ad sinistram. Memini etiam in montanis Belgicæ cæduis syluis erutam, ad nos Machliniam aliquando adferri, Damasonii appellatione.

ALISMA MATTHIOLI SIVE Plantago montana.

Descriptio.



OBliquam agit *radicem* & veluti reptãtem, rufſam, quæ ex trãſverſo multas longas fibras demittit, radicum Hellebori nigri æmulas, rariores, tenuiores, ſapore acri aromatico & grato: *folia* craſſiuſcula per terram ſparguntur plantaginis more, quatuor, quinque, ſex, vel ſeptem, alia vnciam longa, aut paulò plùs, plantaginis foliorum æmula, alia palmum, vnciã latiora, leuiter in acumen deſinentia, Digitalis luteæ ferè formã, hirſuta, neruis ſecundum longitudinem donata, non tamen omnibus à pediculo vſque deductis, ſed ex medio neruo obliquè nonnihil & in arcum exporrectis: *caulis* vt plurimùm ſingularis inter hæc ſurgit, Doronico ſimilis, cauus, hirſutus, cubito minor, nonnunquam maior, vnã aut alterã oppoſitorum foliorum acutorum, multò inferioribus minorum, coniugatione donatus: ſummo faſtigio *florem* geſtans vnicum. Doronici ſimilem ferè, formã & odore, maiorem tamen, totum luteum, foliolis ſtellatis Calendulæ diſcum luteum in pappum faceſſentem obuallantibus, è calyce folioſo viridi, hirſuto: *ſemen* pappo criſtatum, longum, ſtriatum, hirſutum, compreſſum, acre, odoratum, à Doronici ſeminibus multùm differt: eſt vbi & caulis in ramos diducitur, quorum ſinguli flores ſingulos ſuſtinent.

Matth. lapſus. Fallitur Matthiolus exiſtimans hanc plantam omnibus notis Aliſma Dioſcoridis repræſentare: ita vt non dubitet aſſerere eam eſſe legitimum Aliſma: eius quidem effigiem exhiberet, ſi flos non eſſet luteus, nec montes inhabitaret, ſed aquoſos, vt Dioſcorides de ſuo Aliſmate ſcribit, amaret tractus. *Plantago aquatica. Matth. notatur Figura Matth.* Deſcriptio quam Matth. ſuo Aliſmati accõmodat, eſt Plantaginis aquaticæ. Quam pinxit autor (inquit Camer. in Epit.) pro Aliſmate, non candidum, ſed aureum gerit florem in hirſuto ſubrubenteque cauliculo, pedali, odore ſternutamenta cientem, qui tandem in pappos abit. Hanc Boh. vocant Angelſky kraut/ Engelkraut, Heluetij Mutterwurtz, & plantaginem alpinam.

Ptarmica H. L. Aliſma alpinum. In figura Matthioli & Dalechampij (qui eam Ptarmicæ nomine pingendam curauit, vt fuſiùs dicetur) non erant omittendi nerui nec pili, quamvis interdum obſcuriùs appareant.

Caltha alpina. Doronicum mali. Geſnero de hort. vti videtur, Aliſma alpinum fortè nominari meretur, herba plantaginis foliis, flore Doronici, ſternutamenta mouente. Idem hanc Caltham alpinam vocat, ac aliquos [Cluſium teſte Camer. in Hiſt. germ. Matthi] Doronicis non rectè adnumerare ſcribit.

Nardus Celtica Aduerſ. Nard. Gallica. Adu. figura mala. Lobel. in Aduerſ. pag. 133. hanc deſcribit, vocatque Nardum Celticam alteram, ac ait Rondeletium Nardi Gallicæ ſpeciem conieċtaſſe. Idem alibi dicit Commentatorem faſtiditis cæterorum iudicijs, mutam picturam indictæ ſuffeciſſe pro Aliſmate, & neſciri cuius plantæ ſit. *Nobis* autem figura Aduerſariorum non multùm placet, quã melior eſt Matthioli, quamvis non agnoſcat ſuum Nardum pro Aliſmate Matthioli, ſed hoc ad aliam plantam referat. In obſerv. porrò pag. 170. ipſi videtur Nardus Celtica altera, Caltha alpina Geſneri, plantago alpina quorundam.

Plantago alpina. Chryſanth. latifol. Dod. Dodon. lat. in fol. Chryſanthemum latifolium inſcribit, ac Germ. waldblum vocat, aitque eſſe qui Aliſma Dioſc. velint [idem eius opinionis fuit in Hiſt. de floribus] ſed Chryſanthemum latifolium citiùs appellandum quàm temerè Aliſmatis nomen ei tribuendum.

Doron. Cluſ. Hæc planta eſt Doronicum quartum Cluſij in Pann. Doronicum ſextum Pannonicum in Hiſtor. poſt. quod ipſi non abſimile videtur illi plantæ, quam Matthiolus pro Aliſmate exhibet.

Hort. Luſ. Aliſma Matthioli alpinum, Caltha alpina Geſneri, Engel tranck/ laugen kraut/ Mutterwurtz/ Schmere blumen/ Plantago alpina, Damaſonium quorundam.

Tabern. duas habet figuras vnius plantæ in Icon. & Hiſt. lib. 2. p. 410. 1. Damaſonium Dioſcoridis, Groß Lucianskraut. 2. Damaſonium alterum.

Huius plantæ tres figuræ apud autores. Aliſma C. Bauh. phyt. Aliſma ſiue 2. folio hirſuto, flore luteo. Huius, inquit Plantæ, tres apud auctores extant figuræ. Quarum *prima* eſt Aliſmatis ſiue Damaſonij nomine apud Matt. fol. lat. pag. 604. lib. 3. cap. 157. & icon. 4. pag. 606. qui foliis glabris vnico neruo medium folium percurrente pingit. *H. Lugd. 4. eiuſdem plantæ figura.* Hunc imitatus Lugd. pag. 1057. Damaſonij Matthioli nomine ipſius figuram proponit: & etiam pag. 1169. Ptarmicæ nomine deſcripſit. Sic & pag. 924. Nardi Celticæ alterius Penæ nomine, ita vt vnius plantæ quatuor figuras diuerſas pinxerit. *Chryſ. latifol.* *Secunda* eſt Chryſanthemi Latifolij apud Dodonæum pag. 263. qui glabris quidem pingit foliis, ſed neruis aliquot per folium latis: hunc imitatur Tabernæmontanus Icon. pag. 738. Damaſonij primi Dioſcoridis nomine: & Lugdunenſis pag. 1358. qui figuram Dodonæi nomine Chryſanthemi latifolij poſuit. *Nardus Celtica.* *Tertia* eſt Lobelij Icon. pag. 313. Nardi Celticæ alterius ſeu plantaginis alpinæ nomine: qui hirſuta & neruoſa pinxit folia.

Locus & tempus. Doronicum 6. Pannonicum, quinto Germanico non valdè diſſimile, ſatis copioſè naſcens Cluſius inueniebat vicinis Nemethvvyvvar arci cæduarum ſiluarum decliuibus, florens Maio. Plantago montana, vti mihi primò denominata eſt, in Rhætia circa Burmium reperta, vbi in montibus collegi menſe Iunio anno 1561. in peregrinatione mea Rhætica cum Geſnero. Hæc planta à me etiam reperta eſt in Lotharingiæ monte *Balon*, florens adhuc Auguſto cum ſemine maturo, maxima pars deflouerat: inde tranſtuli in Hortum E.C. Montem belgardum, verùm periit. Sicca mihi etiam allata per Doctiſſimum Medicum D. Petrum Turnerum Anglum caule multò maiori, in quo erant duo, tres, quatuórve flores, vt in Doronico, fortè culta fuerat in horto.

Vires. Nauſea pecorum. Dyſuria. Nauſeam pecorum emendat, herba in pulverem redacta ac propinata. Potiunculã ex huius Meique decocto parata vrinæ copiam cuidam dyſuria laboranti elicuit Lobelius.

TVSSI-

TVSSILAGO ALPINA FOLIO longo.

Descriptio.

Tußilago alpina aurea Gesn.




Hellebori fibras imitatur quodammodò Tussilaginis huius Alpinæ *radix* transuersæ, fibrosa, sapore vt mihi videtur nonnihil aromatico: *folia* crassa, quædam palmo longiora, parte inferiore hirsuta, per margines serrata, multò breuiora, latioraque adolescenti, quàm adultæ plantę, *caules* interdum cubitales, summum cacumen ornat *flos* magnus Doronici, vel Calthæ aut Plantaginis Alpinæ Iohannis Fibuti (à qua tamen differt) aliquando duo, tandem in pappum abeuntes.

Gesn. in annot. propria manu ad plantam scripta, Tussilaginis speciesalpina, quam à floris colore auream cognominat. An Aster montanus luteus de quo H. Lugd. p. 1134.

C. Bauh. Phyt. Tussilago 3 siue alpina folio oblongo à Fratre Io. Bauhino accepta.

Locus & tempus.

Hanc plantam primò obseruauimus in horto Gesneri cùm ei conuiueremus anno 1560. pòst in nostra peregrinatione per Alpes Rhætias in prealto monte Braulio & Albula florentem Iulio, tandem in Sabaudico monte altissimo Thuiri dicto, aliquot milliaribus à Geneua, vbi etiam florebat mense Iulio.



Hæc descriptio habet multa [non omnia, vt C. Bauh. sentire videtur] quæ conueniunt Tussilagini nostræ Alpinæ longifoliæ. Alisma verum [inquit idem C. Bauh. Phyt.] siue Alismati affinis Doriæ foliis, consolida aurea nemorum, Limonii folio Aduers. p. 125. Icon. Plant. pag. 298. cum Alismate Matthioli conuenit: nondum tamen vidi.

C. B. ...

Alismati affinis Doriæ fol. C. B.

CONSOLIDA AVREA NEMORVM, limonii folio, non Alisma montanum.


Locus & tempus

IN Aureliæ Gallicæ syluosis densissimis quæ nostro H. Morgano perelegans floruit hoc mense Iunio Londini, radiatis multis in ambitu foliolis, Nardi Montanæ, aut Doronici florem & colorē similē habentib⁹, foliolis est [inquiū Lob. & Pen. in Adu.] nigrę Betę, aut potiùs Limonii, atriùs virentibus, carnosis, aliquantùm hirsutis, crassis, venosis, Doreæ similibus, amplexis pedales Doronici cauliculos binos aut ternos: *floribus* radiatis Doronici, aut Calendulæ, & concoloribus, scitè pectinatim consertis, & commissis foliolis, antequam pandantur, eleganti spectaculo: *radice* multis filamentis albidis sparsa in cæspitem summum, Bellidis modo: sapore Mediæ Consolidæ, tantillùm acrimoniæ prodentis, aut Herbæ Doreæ, cuius etiam vires & quandam aromaticitatem æmulatur.

CYANVS. CAP. III.

Descriptio





DE cyano *flore*, non lapide nobis sermo est. Is igitur lignosam habet, multisque fibris capillatam *radicem* vbi excreuit: vnde *caules* plures surgunt cubitum & sesquicubitum alti, angulosi, caui, lanugine incani, in ramos diuisi: *folia* infima, Lob. acutis laciniis sinuata, Scabiosæ aut Dentis Leonis more, alia longa, culmum lata, per longitudinem neruosa, cæsia, albicantiáue, *flores* ex capitulis squammatim compactis se explicant corniculis laciniatis constantes, colore communiter cæruleo, & vt nomen loquitur cyaneo: aliàs albo, aliàs puniceo Gesn. crebris in m...

dio tamen fibris cæruleis, aut purpureis, aliàs faturatè vnà cum apicibus purpurante, simplices: *Semen* capitulis florem sustinentibus seu alabastris oblongum, nitidum, pappo cristatum. Sapore est tota planta sicco & aliquatenus nauseoso, odore nullo excellente.

Icones. Cyani nostras icones emimus iam sculptas: quæ tenuioribus est foliis fortè facta ad Cyanum spontaneum in agris prouenientem: altera verò ad domesticum.

Cyanus vnde dictus Plinio. Error quorundam. Leucoium cæruleum Diosc. Hermol. Struthiū Theoph. Cæsalp. Sunt qui Intybaceo generi herbam hanc adscripserint, quæ à colore floris cyaneo, seu cæruleo, Cyanus Plinio dicitur. Huius meminit inter coronarios, dicens. In nomine & Cyani colos. Floret post Rosam & præcedit Amaranthum. Sed quibus notis, quibúsve rationibus inter Intybacea annumerari possit, quid dicant non habent. Putat Hermolaus hoc Leucoium cæruleum esse apud Dioscoridem. Ex hoc genere videtur esse Cæsalpino Struthium apud Theophrastum, quod Theodorus herbam Lanariam vocat: ac recenset inter Acanacea, sed excipitur à reliquis, vt Sonchus, & Cnicus satiuus, quòd conceptum nequaquam spinosum ferat: floret æstate: flos inter coronarios aspectu pulcher, sed caret odore: sed alia est apud eundem Struthios, quæ fortè struthium est Dioscoridis, vt alibi à nobis innuitur.

Scabiosa ... Tragus hanc plantam Baptisecul am inscribit, ac non malè Scabiosæ generibus accensendam iudicat: Sunt, inquit, qui florem hunc Flammeam violam, Rosam Græcam, & Matronalem dictum velint, quæ appellationes partim ad herbam Trinitatis pertinent. Hermolaus Barbarus Cyanum vocat, & Alysum in patria sua dici testatur. *Alysum ... Diosc. Trag. Pes Gruis.* Nobis sanè videtur esse λυχνὶς στεφανωματικὴ Dioscoridis, quam ille Athanaton, hoc est, immortalem, Acylonium, Ballaryon, Gruis pedem, Corymbion, Taurion, Sceptrum, Maloion, Semeon Sanguinem Apocathemenes, Geniculatem & Bellaniam, cognominat. Inter has vniuersas nomenclaturas nulla est, quæ aptiùs respondeat huic plantæ, quàm Gruis pes. Folia námque illius antequam excaulescat, pedibus auicularum admodum similia sunt, in primis verò eius quæ in frumentis nascitur, quod & ea de causa, rectè *Hieracopodium* Hieracopodium appellari posset.


Synon. Brunfels. Lychnis agria & flos frumenti. Matthiol. Cast. Lugd. & Camer. Cyanus minor. Fuchs. Dod. gall. Lonic. Cæsalp. Cyanus. Fuchs. icon. Cyanus siluestris. Lob. Adv. p. 236. Obser. p. 296. & Ic. plant. p. 546. Cyanus vulgaris. Dod. lat. in fol. Cyanus flos. Thal. Cyanus cæruleus aruensis, ceu & Tabern. *Tabern. notatur* qui quatuor alias Cyani flore simplici exhibet figuras non necessarias, & solo colore differentes.

Varietates. C. Bauh. Phyt. & apud Matth. Cyanus segetum cæruleus. Flos, inquit, est cōmuniter cæruleus, rariùs albus: si verò in hortos transferatur & colatur, non solùm erit cæruleus, sed purpureus, remisso vel intenso colore, violaceus item & varius. Huius diuersitates insigniores Lob. Erratici & Hortensis.

Nomina linguarum Κύανος Græcis, Lat. item Cyanus, ob florem quem profert cæruleum dicta planta. Recentiorum nonnulli vernaculam Germanorum appellationem secuti, Florem frumentorum nuncupāt: *Flos frumenti* Germanis.n. Kornblumen & blaw kornblumen/ Belg. Cornbloemen & Roghbloemen. Gall. Blaueole, Aubifoin, aut Bluet, Blenet, & Percole. Ital. *Campese fior.* fior Campese, quòd in campis inter segetes numerosè proueniat, & Battisecula, siue Baptisecula, vel *Baptisecula* offic. vel vt Fuchs. Blaptisecula, quòd metentibus & secantibus officiat retusâ in eius occursu falce. Barb. Battisuoecere, Battis. sere pro Blatisfesere, id est, *Blatisfesere. Segetum. Seris* segetum seris. Blatum enim, siue Bladum, teste Lobelio, Barbaris idem est cum Gallorum Bled, id est, Tritico. Angl. Blaw Bottell. Boh. Chrpa oder Modrak. Hung. Kokveragt. Flos frumenti. Germ. Kornblum siue segetum flos: quia importuno luxu segetes vbique, ac præter cæteras Secalis, passim propemodum enecet, præsertim frigidiusculis terris: semen verò sub messem relinquit.

Locus & Tempus. Cyanum flore purpureo vidi florentem in agris Monspelij mense Maio & Iunio. Lugduni flore purpureo in agris florentem Maio, ac in hortis cæruleo & partim albo & cæruleo. Geneuæ in horto flore albo ex semine deciduo virentem mense Ianuario & florentem Maio: flore etiam cæruleo, in agris autem purpureo. Basileæ in aruis prouenientem Cyanum obseruaui cum flore mense Maio & Iunio, cum flore partim albo partim cæruleo, mense Octobri in horto Di. Doctoris Felicis Plateri. Patauij & Bononiæ mense Aprili. Montbelgardi passim in agris etiam vrbi proximis cæruleus, Augusti principio adhuc florens in horto E. C. in quo præterea, purpureus, albus, albo cæruleus.

CYANVS PLENO FLORE.



Icones plures Lob. Cyani pleno flore licèt duę icones à Lobelio Ico. Plant. p. 547. exhibeantur, his titulis. Cyanus flore purpureo multiplici. Itē Cyanus flore albo multiplici medio purpureus. *Lob notatur.* Nos tamē duas nō requirimus, siquidem colore tantùm differāt, & differētia hæc imagine sculptâ exprimi nequeat. *Tabern. reprehe.* Grauiori errore & emptoris sumptu maiore, Cyani multiflori tres habet figuras Tabernamontanus.

C. Bauh. not. Varietates. C. Bauh. Phyt. Cyanus hortensis flore pleno. Is malè separat Cyanum hortensem flore simplici, à Cyano segetum. Ostendat quæso Frater discrimen. Hic Cyanus vt præcedens flore coloris varius est. Est enim aut cæruleus, aut purpureus, hicque aliàs dilutè rubens, & incarnatus, aliàs ad puniceum inclinans: denique albus, aut ex albo violaceus.


Vires in genere. Cyanus frigidæ est temperaturæ atque adeò repellentis. Recentiores, teste Fuchsio, rectè tradunt huic herbæ facultatem inesse quâ oculis aliisque partibus inflammatione laborantibus prosit. *Inflammatio oculorū.* Apud Tragum enim aqua Baptiseculæ distillata rubentibus oculis instillatur, inflammationibus oculorum præcipuè, impositu linteolis in ea madefactis, prodesse nonnulli tra-

dunt. Matthiolus flores Cyani cum seminibus in vino coctos, contra aranearum & Scorpionum puncturas exhibet: floribus eius conciliatur color elegans Saccharo, cuius vsus omni vacat periculo. Flores Cyani probè cum aqua tunduntur, quæ per densum deinde linteum transmittitur: hac aquâ si extrahatur ecchylisma Amygdalinum, pulchro colore cæruleo placebit, magisque si in candidis patinis inferatur mensæ, inspersis passulis Corinthiacis, sine sale: ad putrida vlcera valent florum Cyani contusorum succus instillatus, aut puluis aridorum inspersus: idem succus ad aphthas confert & putrida oris vlcera collutione. Præcipitatis ab alto, & sanguinem spuentibus, propinantur Cyani maioris flores ex aqua Plantaginis. Camerario florum assumptus puluis efficax est contra morbum regium. Italicæ mulieres ad præfocationem vterinam, suffitu ex floribus Cyani vtuntur. Io. Wittichius vtitur floribus Cyani ad febrim Epidemiam cum mania. Condrillis & Scabiosis congenerem, affinésque facultates & temperiem Cyano inesse crediderunt. Atavi nostri (inquit Lobel.) eóque non tanta infelicitate Syrupo è Cichorio Gullelmi Placentini ad æstus viscerum & iecoris immiscere soliti: Astringendo, siccandoque plantaginis ritu refrigerant flores. Contagiosis febribus, ruptis, vulsisque auxiliantur. Vtuntur Cyani floris decocto aliqui in palpitatione cordis. In Saxonia eius manipulum in cereuisia cum butyro coquunt & exhibent in ictero & ischuria. Cum aqua florum destillata extrahitur succus ex cancero viuo contuso & eo gingiuæ puerorum in dentitione illinuntur. Puluis florum vnà cum capitibus pulueri satis, exiccatis prius, erisypelati vtiliter inspergitur.

Ventium. Florib. conciliatur color saccharo. Ecchylisma amygdalinum. Vlcera. Succus floruli, aut puluis. Aphtha. Casus. Morb. regius. Vterus. Mania. Facultas Scabiosa. Ischuria. Dentitio. Erisypelas.

CYANVS ALPINVS RADICE perpetua.

Descriptio



NVmerosis fibris & mediocriter crassis in vnam *radicem* coeuntibus viuacem & perennem, ingrato sapore, figitur: cubitales & altiores *caules* surrigens lanugine multâ villosos, angulosos, quibus adnascuntur *folia* Lychnidis coronariæ, longiora, latiora, lanuginosa, mollia, alis latiusculis ad proximum vsque folium semper cum caule continuatis: capitula squammata *flores* sustinent Cyani vulgaris, sed longè maiores, fimbriatos, & è cæruleo purpurantes, nonnunquam & albos, corniculis circiter vncialibus purpurascentibus, quo etiam colore prædita sunt *stamina*, apicibus tamen cinereis.

Tragus hunc Cyanum inter Verbasci genera 4. loco recenset, Verbasculumque inscribit, sed quâ ratione non video. Is ait à Dioscoride Lychnitidem, Lucernare, & Thryallida nominari. At Thryallis, vt Dodon. testatur, flore rubet, cùm tamen Tragus suo Verbasculo cæruleum ascribat. Cyanum siluestrem, inquit præterea, Germanicè wald forn blům appello, quoad commodius emergat nomen.

Verbasculû Tragi. Trag. refutatur. Cyanus sylv.

Dicitur hæc plãta Matth. in suis comm. qui tantùm pingit. Dod. gall. & Lat. in fol. Lob. Obs. p. 296. & Icon. Plãt. 543. Cast. H. Lugd. p. 347. Camer. in Hist. Matth. germ. & Epit. & hort. Cyan. maior. Lobel. Advers. p. 236. Cyan. maior hortensis. Lonic. wald forn blům/ cyanus silu. verbasci species siluatica. Tabern. cyanus montanus. Gesn. hort. cyanus exoticus Rreichio, cyanus montanus vel siluaticus. Cæsalp. cyanus flore grandi. C. Bauh. Phyt. cyanus 5. siue montanus latifolius, vel Verbasculum cynoides.

Synonyma. Cyanus maior. Cyanus montan. Cyan. exoticus. Cyanus fl. grandi.

An præterea Matth. in prior. comm. in Diosc. lib. 4. c. 10. Pilosellæ genus, flore cyani similitudine, maiore tamen, foliis Echii? Hanc Pilosellam in postr. comm. cum mag. fig. vt imaginariam non meminit.

An Pil. ... Matth.

Cyanum montanum siue alpinum ex montibus in hortum transtuli Geneuæ. Basileæ cùm essem inueni in monte wasserfal/ nec non in in hortis florentem Iunio & Octobri obseruaui. Montbelgardum attuli ex montibus circa Montiuê, in hortum meum, vbi hilariter prouenit, miréque serpit, florens adhuc Octobri, quemadmodum etiam transplantatum in Horto 2. c. Bononiæ in horto ad S. Saluatorem aliquandò vidi.

Locus & tempus.

Huiusce plantæ vires nullus Antiquorum, quod Matthiolus sciuerit, scriptis mandauit: non desunt tamen Recentiores, qui putent cyanum propria dote pestilentibus morbis aduersari: maioris puluis datur vtiliter ab alto deuolutis, & sanguinem reiicientibus, ex aqua Plantaginis, aut Portulacæ, aut maioris Symphyti, aut Equisiti: succus illitus recentia vulnera glutinat, & oris vlcera sanat.

Vires. Pestilentes morbi. Vulnera. Vlcera.

SERRATVLA.

Descriptio



QVam Serratulam vocamus à Betonica differt. Hæc autem *caule* recto, rigido, striato, glabro, rubente, ad cubitos duos attollitur, qui circa summitatem in ramos multos finditur: *folia*, aliàs integra, Betonicæ paria, aliàs Scabiosæ instar laciniata, vtraque atrouirentia, hirsuta, arguto spinularum mitium agmine serrata: capitula crebra extremis surculis insident, oblonga squarrosa, atrorubentia, è quibus *flores* emicant, laceæ nigræ, purpurei siue carnei coloris: *radices* è crebris

fibris paruis componuntur, sapore subamaro, tandem & eo quem Cyanus mansu exhibet.

H. Lugd. figura 2.

H. Lugd. p.1068. Iacea rubra maior laciniosa. Item p.1357. Serratula. Duæ figuræ & descriptiones vnius plantæ.

C. Bauh.

Quod C.Bauh. in suis in Hist. animaduersionibus non obseruauit, sed ipsemet etiam eodem errore lapsus est, tradens bis eandem plantam.

Tabern. notatur.

Tabern. tres habet icones, Serratulæ tinctoriæ: 1.2.3.4. Scharten kräuter / ferber scharten. Verùm mihi videntur lusus naturæ, nec diuersarum plantarum icones. Is porrò Iaceam aromaticam, & Iaceam Caryophyllatam cognominat, propter odorem quo prædita est radix, Boh. Czepek.

Iacea aromatica aut caryophyllata.

Serratula.

Serratula, à foliis minutim circumquaque serratis, nomen habet. Serratula dicitur Matth. passim in suis in Dioscor. comm. Dodon. lat. in fol. Lob. Adv. p.231. Obs. p.287. Ic. plant. p.534. Cast. Camer. ad Hist. germ. & Epit. Matth. item de hortis. Clus. Serratula Matthioli. Thal. Centauroides aut Centaurium maius siluestre Germanicum. An Solidago Sarraceni Loniceo. An Cæsalp. lib.13. cap.53. *Cerretta*, seu *Serretta* ab infectoribus lanarum appellata, quæ herba lanaria dici possit?

Herba lanaria.

Locus.

Nusquam non occurrit, authore Clusio, in siluis cùm Pannoniæ tum Austriæ, atque etiam in plurimis vdis pratis siluis contiguis: frequens in Francofurtensi agro. In siluosis etiam Bohemiæ pratis nasci scripsit Matthiolus. Pena etiam in nemorosis & decliuibus Pedemontis & Septentrionalium Nortmanniæ & Angliæ. Serratulam collegi Tubingæ, præceptor meus D. Fuchsius in com. scriptis vocabat Scabiosæ 8. genus. Genevæ reperi, Dom. Dalechampius vocabat Iaceam rubram maiorem. Montbelgardi habeo in Horto E. C. primo anno caulem protulit.

Vires.

Rupturâ.

Vlcera.

Hæmorrhoides.

Datur vtiliter, autore Matthiolo, potanda ex albo meraco ruptis, & ab alto deuolutis: idem præstat radix puluerisata, & ʒi. pondere in vino calidè pota: in vino decocta, ac deinde illita, vlcera mirificè mundat, carne replet, & cicatrice obducit: hæmorrhoidum quoque dolores mulcet fotu adhibita: folia, & radix simul contusa & imposita vulnera & enterocelas sanare creduntur.


Enterocela.

Serratulam calidam & siccam in secundo gradu statuit Tabern. qui radicem ad vsum medicum colligendam præcipit, quamprimùm folia protuberent.

CYANVS PVLCHRO SEMINE centaurij maioris.

Descriptio

CVlturâ proficit hæc herba, si qua alia plurimùm: spontaneæ *caulis* vix palmaris sæpè singularis: in hortis bicubitalis & multis ramis brachiatus, firmus, striatus, medullâ albâ donatus: *folia* priora duo orbiculata, alia quæ sequuntur longa vncias duas vel tres, laciniata, quæ velutì crispantur, nonnihil hirsuta, superiora in lacinias insigniter tenues diuiduntur: extremis ramulis insident *capitula* parua oblonga, squamis raris sed longis, purpurascentibus, læuibus, imbricata: *florem* ferebat stamineum purpurascentem: *Semina* Centaurij maioris, minora, nitido læuore lubrica, infernè nigricantia, Zona alba circa partem superiorem cincta, vmbilicum coronante russo, longóque barbitio, vt pulchrè aspergillum aquæ lustrali intingi solitum



imitentur: inest semini medulla alba: *radix* solet singularis esse longiuscula. Nostra icon non placet.

Synon.

Lobel. & pena Adv. p.189. plantula non inelegans, caule sesquipalmari & pedali, semine Carthami. Obseruat. p.16. Chondrilla rara purpurascente flore semine nitido deciduo: an Chondrilla altera Matth. Belg. Crupina, detorto vocabulo à Gruypen hoc est, repere, quia semen manu contrectatum se subducit ac prorepit? An hæc Chondrilla rara purpurea Lobelij, sit Matthioli Chondrilla altera, frustrà inquirit Hist. Lugdunensis, & Lob. id quod iam monuimus capite de Chondrilla.

Crupina Belgarum. H. Lugd. & Lob. not. Condrilla altera Lob. Camer. Chōd. Hisp. Narbonensis.

Camer. hort. Chondrilla rara Lobelij siue Crupina Belgarum.

Tabern. Icon. Chondrilla Hispanica Narbonensis, Spanisch Condrillen. Hist. Herb. Condrilla purpurea quibusdam Crupina. Tota planta est sapore amaricante.

C. Bauh. not.

C. Bauh Phyt. p.215. Chondrilla purpurascente flore Lob. Chondrilla rara, diuersa est à priore [Matthioli intelligo] quia hæc multò tenuiore est folio minórque: illa Italica, hæc Narbonensis. *Nullam* noui Chondrillam Italicam cui hæc Narbonensis similis sit aut cum qua comparari possit.

Prouenit Montbelgardi in Horto E. C. Monspelij obseruauimus. A Tabern. colitur in hortis, ei missa ex Hispania. Hetruriæ, & agri Norbonensis collibus non procul à Lupo monte exit, Lob.

CYANVS PERAMARVS REPENS folio Lauendulæ.



MInùs obseruata hæc (inquiunt Lobel. & Pena Aduers.) non aliò quàm ad Cyanū aut Iaceam referēda, *foliolis* oblongis, angustis, Lauendulæ, rigidis illius plātę, quā incanis, albidis, Cyani & Iaceæ mediam, vnā interiecta planta, proximè descripsimus, similibus, in *cauliculis* gracilibus, viticosis, palma-

Cyanus Iaceæ.

palmaribus, pedalibus, & sesquipedalibus: quorum singulis summis staminei *flores* singuli laceę, obsoletâ purpurâ, è poculis squammosa insertione conflatis prodeunt. *Radix* digitum paruum æquat. Tota planta gustu perquàm amaro & ingrato. Lobel. Obs. p.296. Cyanus peramarus supinus capitulis squarrosis Sesamoidis parui. Icon. Pl. p.548. Cyanus repens.

C. Bauh. Phyt. Cyanus 3. siue repens latifolius.

Subter Seseli pratensis ramulos ad Sellam nouam & alibi agri Monspeliaci reptando latitat, inquiunt Aduers. ex quibus desumpta præmissa descriptio.

CYANVS LINIFOLIVS repens.

Descriptio



A Valerãdo Dourez plantam siccam habuimus hoc titulo Heliochrysi species, *cauliculus* dodrantalis, *folia* ferè Lini, valdè crebra, vncia paulò longiora, angusta capitula longa, squammosa, similia Stœchadi citrinæ alteri inodoræ, verùm squammæ breuiores videntur, è quibus erumpit tomentum candicans: saporem insignem non animaduerto.

Cyan. repens alter. Lob.


Hanc plantam etiam optimè exprimit figura Lobelii Obs. p.296. cui titulus Cyanus repens alter Cyano peramaro repenti non absimilis, sed exilioribus multò foliolis & candicantibus capitulis argentei nitoris.

Icon. Plant. p.549 Cyanus minimus repens.

C. Bauh. Phyt. Cyanus 4. siue repens angustifolius.

XERANTHEMVM. CAP. IV.

Descriptio



A Nguloso est *caule*, incano, lanuginoso, palmari & altiori, singulari plurimùm & in ramos diuaricato: per quem *folia* alternatim disposita, denso tomento candicante vndique obsita, vncias duas aut tres longa, culmum lata: singulorum ramulorum extremis singula hærent *capitula* oblonga, ex squammis candicantibus & lucidis, nitidis contexta, in acumen desinentibus cum stria rubente: *flos* stellatus, squallidus & exsuccus, foliis constat acuminatis rubentibus, capitulorum squammas imitantibus, sed longioribus: quorum medium occupant stamina numerosa confertaque, rigida, candida, hirsuta, inter quæ latent *semina* lata, veluti spinæ albæ, mollia: *radix* singularis lignea.

Synon.

C. Bauh. Phyt. p.533. Iacea 24. siue incana altera, Cyani capitulis, folio integro. Stœbe incana altera Lobelio.

Ptarmica

An Gesn. de hort. Ptarmica alia Monspelii dicta, vera [vt existimant] Aretio? An Cæsalp. lib.11 cap.54. Quædam Cyano similis quam Dioscoridis Ptarmicam vocat? An Lobel. Aduers. p. 235. Incana altera Cyani aut Iaceæ capitulis & flore, propior Cyano quàm Iaceæ, quam quidam arbitrati Ptarmicam siue Sternutatiam primam? An eidem in Obseru. p.295. Incana Iacea altera? Adv. Ptarmica vulgaris Herbariorum? An Icon. Plant. p.544. Stœbe incana altera Cyani aut Iaceę capitulis & flore, Ptarmica vulgaris Herbariorum?


Stæbe incana.

Locus & Tempus.

Xeranthemum vocabat præceptor meus Gesnerus, ob siccitatem & squaliditatem florum etiã recentium. Hanc plantam habeo siccam, eandem etiam mihi attulit Gener Cherlerus collectam collibus quos *aux Garignes* vocant propè Monspelium.

XERANTHEMVM ALIVD, SIVE Ptarmica quorundam.

Descriptio



C Vbitali [inquit Clusius cuius descriptionẽ & & iconem exhibemus] assurgit Ptarmicæ Austriacæ *caule* candicante, Cyani æmulo: *folia* illi infimâ caulis parte secundum radicem numerosa, longiuscula, angusta; supernè molli lanugine incana, acidiusculi saporis, in ipso autem caule rariora: caulis in aliquot ramos se spargit, sustinentes *capitula*, è squammis veluti argenteis imbricatim sibi inuicem incumbentibus contexta: è quibus emergit *flos* venustus & elegans, duodecim aut quatuordecim foliis constans, duris, siccis, mucronatis, coloris initiò albi, deinde ex cæruleo quodammodò purpurascentis, aut illius æmuli qui in Sesamoidis minoris Matthioli flore elucet, nullo odore commendatus, sed solâ venustate gratus; & immarcessibilis: coloris enim gratiam retinet per multos annos è trabe suspensus, aut inter chartas repositus: in ipsa verò planta [si non euellatur] senescens subfuscum contrahit colorem: *semen* non multùm absimile Sesamoidi minori, tenuius tamen, & copiosum, inter albam lanuginem latet: *radix* singularis est, nigricans,

dura, capillaribus quibusdam fibris septa, sed annua.

Ptarmica Matth.

Matth.in Diosc.in prior.comm.Ptarmicam latinè Sternutamentariam dictam in Hetruria frequentissimè prouenire scribit: Nascitur autem & in Tridentino agro, præsertim Ananiensi tractu, folia incana, Oleæ modo oblonga; vnde & Oliuella à multis vulgò nominetur. Sed in post. comm.cum magnis fig. Lat.& It Ptarmicam alteram inscribit, ac aliam esse plantam ait, quam Ptarmicam appellare libeat, hanc Diosc. Ptarmicam non esse. *Lectores* perpendāt an figura Ptarmicæ Matthioli sit vera icon alicuius plantæ aut fictitia, aut malè expressa: in comm. cum magnis fig. Lat. & Ital. & in histor. Germ. flores nonnihil mutat & alios appingit, multa omittit eorum quæ antè de ea scripserat, vt loca vbi viderit & nomen Oliuellæ, quod antè ei tribuebat. Non amplius Dioscoridis Ptarmicam censet. Et hinc apparet quàm falsò in prior. comm. scripserit capitulo florum & herbæ vim quandam adeò acrem inesse, vt olfacta statim sternutamenta excitet. Hæc enim vis Ptarmicæ Diosc. debetur. Falsum ergo etiam est huius Galenum meminisse. Si Matthioli Ptarmica est eadem cum Austriaca vt vult Lobelius ineptè picta est.

Oliuella Matth. retractat.

Matth. reprehen.

Matth. error.

Ptarmica Austriaca Lob.

Lobel.Icon.Pl p.545.Obs.p.295. Ptarmica Austriaca. Ptarmica Matthioli, Ptarmicæ vulgari cognata, peregrinæ venustatis: Herbarij eam in hortis colunt propter elegantis effigiaturæ floris gratiam, simillimæ & concoloris Sesamoidi paruæ, sed aspectu hilarioris è capitulis squamulis lucidis argenteis compactis, sibi imbricatim incumbentib. Folia Oleæ. Huius semen in Belgium Viennâ Austriæ ad amicos misit Clusius, quæ feliciter adoleuit. Ptarmicæ nomen huic plantæ imposuit Clusius, non quòd sternutamenta moueat, sed quòd reliquis notis satis aptè cum Dioscoridis Ptarmica conueniat: tenues enim habet virgas, folia Oleæ, incana, molliora tamen, & Anthemidis pænè florem. Austriacam cognominauit, quia primùm in Austriâ infrà Anisum flumen, præsertim verò circa Viennam totius Austriæ metropolim, spontè nascentem inueniebat: conspiciebat etiam in Pannoniâ Transdanubiana, Tirnauiensi itinere. A mulierculis Rhyzotomis Scabiosa appellatur, siccàque in totum annum seruatur, & venalis proponitur.

Cur Ptarmicam appellarit Clus.

Austriaca cur dicta.

Cyanus Hierosolim.

Camer.hort. Ptarmica Austriaca. Cyanus Hierosolymitanus. In Hist.germ.& Epit.Matth.Ptarmica 2. wilder Bottram / Oliuella, hanc reuocat Matth.in dubium. Sunt qui Diosc. Ptarmicam faciunt, sed falluntur, Tertiam proponit Clus. cum pulchris lucentibus rubellis floribus. *Camerarius* proponit iconem Matth.nec demonstrat quæ sit, sed diuersam facit à Ptarmica Clusij, in eo non consentiens Lobelio & fratri C.Bauhino.

Error quorundam.

Gerard.Ptarmica Austriaca. C.Bauh. Phyt.533. Iacea 26. siue oleæ folio altera: Ptarmica altera Matth. H. Lugd. Ptarmica Austriaca Lob.

Locus & Tempus.

Xeranthemum aliud in Sabaudia reperi florens Iulio, prouenit etiam mihi hoc mense Lugduni in horto florens. Inter siccas plantas Valerandi Dourez reperi inscriptam titulo Stœbes Galeni. Stutgardiæ collegi semen in horto Illust. Ducis, quod à me seminatum Montbelgardi. Indicauit nobis Dominus Nicolaus Agerius se obseruasse in Austriæ & copiosam in Italia. Floret Iulio.

Vires. Fascina tollit.

Sib persuadent, teste Clusio, illius decoctum pueris & infantibus propinatum, aduersus fascinationes valdè vtile esse. Ruta Italica ex Matthioli Ptarmica scopas, quibus pauimenta verruntur, conficiunt, nec in alium vsum colligunt.

XERANTHEMI FORTE species.



Descriptio

PVsilla incana Iacea altera folio Oleę, per omnia similis Incanæ alteri capitulis & floribus, exotica Syriaca plantula: sed *cauliculus* minùs diuisus, palmaris & sesquipalmaris: *folia* maiora, Oleæ, magisque incana, minimè serrata, *capitula* habitiora, nitidis argenteis squamis, gustu insipido, minimè amaro.

Pusilla incana Lob.

Lobel. Obseru. pag.294. Icon. Plant. pag.545. Pusilla incana Iacea altera folio Oleæ, Ptarmicæ species. Lobel. 294.

Iacea Oleæ folio C.B.

Casp. Bauh. Phyt. pag.533. Iacea 25. siue Oleæ folio.

CATANANCE DALECHAMPII, flore Cyani, folio Coronopi.



Descriptio

CAtanance Dalechāpio dicta, *folia* habet Coronopi, hirsuta, candidiora, sępè integra, aliquando vno aut altero denticello inæqualia, sapore nullo excellente: *caules* bicubitales, in varios fissi ramos, nō sine *foliis*, teretes, pilis breuibus, sed aliquātùm asperis obsiti, lac manant: ramorum satis longorum extremis insident, singulis singula squarrosa *capitula*, squammis pulcherrimis membraneis pellucidis albicantibus striâ rufescente per medium decurrente, laxo connexu incumbentibus, & tanquam æstu nimio squallidis compacta: quæ in *flores* expanduntur cæruleos, Cyani æquales: sed *foliorum* formâ longè diuersa, quippe latiuscula, nō corniculata, extremâ orâ Cichoreorum ritu

crenata

crenatâ, quorum singulæ adnatæ fibræ ex purpureo flauescentes, apicibus luteis: medium occupat concinnus foliolorum corniculatorum violaceorum: *radix* subest crassa, longa, exteriùs rubens.

Sesamoides paruum Lobel. Hæc à Lob. in Adv. p. 136. Ic. Plant. pag. 549. Σησαμοειδὲς τὸ μικρὸν, Sesamoides parua Dioscoridis inscribitur. *Matth. not.* Commentator noster, inquit ille, cum suis bellè astipulantibus omnibus ex imagine, aut potiùs ignauiæ notis, huic Phalaridis flores & capitula commentus est, & affingit, suo ne, an sui Thesei errore, nescio: fortè quia qui illi pictam miserat à nobis Patauii siccam habuerat. *Locus* Tametsi in Italia Longobarda non infrequentior quàm Norbonensi agro plurima squallidis collibus, & etiam herbidis ad Lanum. *Lob. not.* Aduersaria meliorem habent figuram quàm Matthiolus, quem non immeritò redarguunt. An autem sit Sesamoides iudicent qui plantam videre.

Matth. lapsus. Quàm verè Matthiolus in prioribus comm. scripsit, se minoris Sesamoidis nullam habere cognitionem, tam falsò in post. repertam esse ait hanc plantam, notis omnibus perquàm bellè Sesamoidi minori Dioscoridis adstipulantibus, vt solers quiuis ex vtriusque collatione conicere poterit.

Camer. error. Non leui etiam errore Camer. in Epit. & Hist. Matth. germ. suo Sesamoidi paruo, vires Sesamoidis parui Dioscoridis ascripsit. Nec descriptio Sesamoidis parui Dioscoridis huic in omnibus conuenit, vt ipsemet Camer. in Hist. germ. attestatur.

Chondrillæ à nobis appellata species [inquit Dod. de purg. in app. & in fol. lat.] Sesamoides minus nonnullis esse videtur. Parum tamen cum Sesamoide conuenit: est Chondrillæ species, *Matth. not.* non tamen Dioscoridis. *Si hanc* herbam Matthiolus pro Sesamoide minori depingit iconem eius non benè pictor expressit.

Hist. Lugd. pag. 1670. Sesamoides minus Matthioli, cui non rectè Phalaridis flores & capitula affinxit, ac qd quidam Catanācē priorem esse putant. *Catanance prior.* Item p. 1190. Catanance quorundam, coniecturâ non aspernandâ, quòd multæ in Historia Diosc. commemoratæ notæ illi conueniant. *H. Lugd. not.* H. Lugd. duas descriptiones & figuras vnius plantæ habet.

Tabern. icon. & Hist. Sesamoides paruum Matthioli, Klein Sesamoides kraut. Figura non bona.

Sesamoides cærulea. C. Bauh. Chondrillis adnumerat, ac Phyt. pag. 217. Chondrillam 14. facit, Sesamoidemque dicit aliis appellari cæruleam, nonnullis Catanancen.

Coronopus Gesn. de coll. stirp. Coronopus quidam flore cæruleo.

Locus & tempus Chondrillam Dodonæi Frater C. Bauh. in colle iuxta Castelneuf, Monspelii florentem vidit mense Iunio. Catanancen Dalechampii obseruaui Basileæ florentem mense Iunio, Iulio, Augusto, Septembri & Octobri in horto Dn. Fœlicis & Zvvingeri: eodem mense collegeram in Gallia Narbonensi, inter Nemausum & Monspeliū, & inter Pontem S. spiritus, florentem Iunio, sed ibi multò minor erat cyano minore cuius olim speciem faciebam: floret Iulio & Augusto Montbelgardi in horto, durans repòsita per hyemem: Septembri semen maturat. Satam depingit vt puto Matthiolus non spontè natam. In Narbonensis agri squallidis collibus & etiam herbidis copiosè prouenire, atque etiam in Longobardia, legimus apud Hist. Lugdunensem.

CATANANCE AFFINIS SESAmoides paruum flore magis completo Camer.



Intybus Camer. AD Intybacea potiùs ego referrem [inquit Camer.] hanc plantam, cùm *radix* lacte non pauco turgeat & multis quoque doctis & rei herbariæ peritissimis hæc sententia arrideat. *Flores* Cichorio figura respondent & alii simplici foliorum textura constant, alii densiùs stipantur, colore eleganti cæruleo, stamina in medio lutea habentes, è quibus relinquitur *semen* subnigrum, angulosum, pusillum, squammatis capitulis inclusum: quod an purgandi vim obtineat neminem experiendo cognouisse arbitror. Vnum hoc scio in parua quantitate exhibitum nihil efficere. Sapore est omninò dulci, nihil vel minimùm amaritudinis obtinente.

Huius figuram & descriptionem posuit Camer. in Hist. germ. & Epit. Matth. p. 945. hoc titulo Sesamoides paruum flore magis completo. *Sesamoides paruum flore magis completo.*

C. Bauh. Phyt. p. 217. Chondrilla 15. Sesamoides dicta cærulea altera. Apud Matth. Sesamoides 2. siue paruum flore magis completo Camerarii. *Chondrilla Sesamoides cærulea.*

IACEA NIGRA VVLGARIS capitata & squammosa.



NVllum rei herbariæ studiosum adeò tenues progressus in stirpium cognitione fecisse arbitramur qui Iaceas vulgò appellatas, quarum magnus est numerus ad Scabiosarum classem pertinere cum Clusio statim non agnoscat. *Scabiosa Clusio. Inscriptionis ratio. Viola Tricolor.* Vocatur autem hæc Iacea nigra ad differentiam Tricoloris Violæ, quæ &

ipsa Iacea nuncupatur. Huic quædam cum Cyanis communia, *radicis* satis crassæ, lignosæ sapor, cum nausea adstringens: *folia* priora aliquid commune habent cum Cichorij folijs, sunt enim nonnihil laciniata: præuirore nigricantia, lanugine canâ respersa, potissimùm quæ per caules, angusta & rigidiuscula: *caules* striati, fractu contumaces, similiter lanuginosi: *flores* è squammoso nigricante capite, Cyani vulgaris, pleniores, colore purpurascente: herbæ sapor non perinde ingratus vt Morsus Diaboli, subdulcis, cũ astrictione, siccitas efficacior multò, calor propè nullus.

Descriptio. Radix. Folia. Caules. Flores. Sapor.

Plantam hanc, ni fallor, Tragus, inter Scabiosas refert [Weisemenstrauß] ac Scabiosam vulgarem pratensem cognominat, & ad caput Dioscoridis conijcit, vbi Cirsium describitur. Idque ait se non sine ratione facere, quòd non tantùm descriptio huic competat, sed & nomina, Buglossi nimirum grandis, & spinæ mollis, quoque conueniant.

Scabiosa vulgaris Tragi. Cirsium. Buglossum grandè. Spina mollis.

Ast Iaceam nigram diuersi omninò generis esse à Scabiosis, contrà quàm aliqui putarunt, statuit Gesner. de hortis, ac ait. Iaceæ, siluestres herbæ, flores habent violacei coloris, vnde & nomen forsan illis impositum. Ia enim Græcis violæ sunt: quanquam Iaceæ nomen vetus non est. Scaliger alicubi Getiam pro Iacea scribit, tanquam à Geo facto nomine, nim tum quòd nigra cognominata in hoc genere radices, vt Geum Plinianum, odoratissimas habeat, vt ipse scribit: ego hactenus odorem illum non inueni, cùm tres aut quatuor species norim, omnes Centaurio maiori cognatas: hoscis quidem dignissima fuerit species illa, si inueniatur, quæ Scaligero Cinnamomum aut Nardum olet, veluti Baccharis quædam. Idem Gesn. Centaurij maioris & Iaceæ pratensis species minor.

Diuersa à Scabiosis. Nomen à colore violaceo impositum. Getia Scalig. Geum Plinianum.

Anguill. epist. 12. Hyoscitis Plinij, quibusdam Græcis dicta Scabiosa, Bononiensibus *Lombruna*, & Patauij *Herba della fersse*.

Hyoscitis. Lombruna Bonon. Herba della fersse.

Dod. gall. & Lat. in fol. pag. 124. Iaceam nigram cognominat, quam plærique *Matrefillon* voce (vt apparet) corrupta appellant, & alij Stoebes speciem faciunt: videtur ipsi ἀφυλλάνθης non temerè dici posse: absque folijs siquidem flos eius fit, ex folijs densè confarctis staminibus constans, ex quo Aphyllanthes nomen acceperit. Is varietatem in flore agnoscit: nam flores ei tribuit coloris è purpura rubentis rarò albidi. Sed icon Dodonæi est apud Clusium pro Iacea Austriaca 6.

Matrefillon. Stoebe. Aphyllantes. Varietas in flore. Icon Dodonæi.

Errat Senensis inquit Lobelius; qui huius facultates Violæ flammeæ asserit, & à Scabiosis discernere nesciuit: sed decepit illum nomenclatura Iaceæ vtrique communis. Cæterùm qui hanc Plinij Hyoscitidem diuinant, ferendi sunt: tametsi pluris ducant virium quàm effigiei coniecturam, cùm vtraque consentiente fit opus: Folia illi nigricantia, hirsuta, rigida: flores ex purpureo nigricant in ventricosis poculis squammulis compactis semine Cyani aut Cartami. Eidem Obs. pag. 292. Iacea nigra vulgatior, Iacea nigra vulgaris: Hyoscitis Plinij Anguil. Medium Diosc. Mutono.

Hyoscitis Plinij. Medium.

Tabern. icon. & Histor. Iacea nigra Schwartz flockenblum / Iacea ἀφυλλάνθης. Anglis knapweede. Germ. Chirurgis Bruch Sanickel. Sanicula ad rupturas aut Sanicula rupturarum, multùm habens similitudinis cum Stoebe. H. Lugd. p. 1068. Iacea nigra Dodonæi. Schvvenckf. Succisa, Iacea nigra Brunfels.

Iacea nigra. Sanicula ad rupturas. Succisa Schvvenck.

C. Bauh. Iacea 2. siue nigra pratensis latifolia: aliquando folijs inferioribus laciniatis. Iacea 2. siue angustifolia: Item Iacea 3. siue nigra altera hirsuto capite, Iacea nigra Dod. Hist. Gall. & Lobel.

In pratis, teste Lob. & Dodonæo, ac locis herbosis, negligentiùs cultis, tum & iuxta sepimenta agrorum ac pratorum frequenter occurrit. Inter vitia pratorum censeri potest, ab hac etenim boues & iumenta abstinent, nec fœnum, cui admixta pascuntur. Iunio ac Iulio, nõ rarò & Augusto, cum flore videtur. Iacea nigra vulgaris capitata visa Geneuæ florens Maio: Basileæ in pratis quà itur Moutets, & quà itur Frentzack (Iunio & Octobri: propè Merimontiũ Augusto. Lugduni etiã vidi. Montbelgardi passim secus vias & in pratis, ac in horto Ill. E. C. prouenit semine maturo Iulio & florens adhuc Octobri.

Locus & tempus.

Gargarizata oris, faucium, laryngum vlcera, & quævis vitia emendat, apostematibus & vulnere sauciatis medetur, inquit Lobelius. Calida est ac sicca, sed non adeò vt Succisa siue Morsus Diaboli: commendatur etiam ad faucium, tonsillarum, vuulæque tumores, veluti succisa, sed facultate & potentiâ minor est, teste Dodonæo. Commendatur à Chirurgis apud Tabern. ad quascunque rupturas & affectus internos decocto propinata. In quem vsum & puluerem eius in cibo & potu offerunt. Ad relaxationem Iaceam albam & nigram adhibet Fontanus.

IACEA CVM SQVAMIS CILII instar pilosis.

Descriptio.

HÆc (qualem habemus) in dodrantales *ramos* finditur, graciles, angulosos, striatos, aliquantùm hirsutos, folijs amictos vncialibus & sescuncialibus, semunciali latitudine & angustioribus, duris, subhirsutis: *flores* tingit purpurâ saturatior, stamineos, Iaceę vulgari similes, è capitulo pari, toto nigricante, cuius squammæ singulæ pilos breues agminatim circumcirca, cilij instar, possident.



Clus. in Pan. pag. 58. Iacea montana hirsuto capite: iconem autem p. 545. inscribit nomine Iaceæ Austriacæ 3. Histor. post. lib. 4. c. 7. Iacea montana hirto capite siue 6. Austriaca. Is figuram habet quam Lobel. & Dodonæus posuerunt pro Iacea nigra, diuersam tamen statuit à vulgari, nos voluimus dare meliorem figuram, verùm sculptor non benè expressit flores & squammas. Hanc puto intelligere fratrem C. Bauhinum per Iaceam 3. siue nigram alteram hirsuto capite.

Figura Clusij. Icon nostra.


Siccam habeo munere Vdalrici Chelii Medici Argentinensis, mihi etiam data Basileæ à Richnero cum hac inscriptione, Iacea nigra vulgaris. Anno

Locus & Tempus.

Anno 1600. D. Agerius dedit nomine Iaceæ capite hispido collectam propè Argentinam. Crescit in montanis Austriæ & Pannoniæ pratis, florens Iulio & Augusto.

IACEA CVM SQVAMVIS PENNATIS siue capite villoso elatior & humilior.

Descriptio. RAmis multis brachiata est, iisque cubitalibus & longioribus, striatis, angulosis, subhirsutis: cuiusmodi sunt & *folia* per ramos alternatim disposita, breuiora, latioraque quàm Iaceæ nigræ vulgaris, sescunciam aut vnciam longa, latitudine vnciali, acuminata, crenata, infima verò palmum & sesquipalmū æquant, *capitula* Iaceæ vulgari magnitudine respondent, verùm singulæ squamæ longo barbitio pennato, nigricante reflexo è mucrone oriente ornatæ sunt: *flos* è medio erumpit Iaceæ vulgaris, purpureus. Calidiori circa Monspelium cœlo, longè est elegantior, foliaque possidet interdum sinuata potiùs quàm crenata.



Synonyma. Elatior est Clusio in Pann. p. 541. Iacea 2. siue montana villoso capite: hanc pingit p. 544. pro Iacea Austriaca villoso capite secunda: Hist. post. lib. 4. p. 6. Iacea montana villoso capite, siue 4. elatior. p. 7. Iacea 4. Austriaca villoso capite.

C. Bauh. Phyt. Iacea 6. siue nigra 5. villoso capite, folio integro: & alia huius species humilior. Camer. hort. Iacea Pannonica Clusii capite hirsuto.

An Thalio Cyanus Syluestris montanus integrifolius maximus in Iaceæ genere?

Locus & tempus. Minorem habeo inter meas plantas siccas. Maxima dein mihi nata est in horto Ill. P. C. Montbelgardi, attulit etiam Gener Cherlerus in monte Lupi collectam. Elatior & humilior Iacea Clusii in montanis Pannoniæ & Austriæ pratis nascuntur. Florent Iulio & Augusto, & semen subinde proferunt, quod maturitate siccum florem è calicibus excutit.

IACEA MONTANA SQVAMMOSA maior semine nigro.

Descriptio. NVmerosa ab eadem *radice* promit folia, oblonga, Vulgatissimæ Iaceæ haud absimilia, nec tactu minùs aspera, sapore nonnihil calido, subastringente, tamen *caules* plerumque cubitales, striatos, ramosos, *foliis* angustioribus, & interdum paucis laciniis secundum pediculum præditis obsitos, vt in vulgatissima: *capitula* in extremis ramis crassiora, non hirsuta, sed multis squamis tenuibus, & si vel digitis leuiter attingas, crepitantibus prædita, internè candicantia, supernè verò, quà se flos explicat, fusca: *flos* multis exiguis foliolis ex purpurâ candicantibus, in quinque lacinias diuisis constat, è quorum medio purpurascens tubulus exilit, in summo veluti farinâ aspersus, quem ambiunt purpurea maiora longioraque foliola, quinque inæqualibus laciniis etiam constantia, vti vulgatissima: *semen* Cnico formâ simile, sed exiguum, nigrum, paulò maius quàm vulgaris, subadstringentis gustus: *radix* etiam vulgatissimæ similis est, fibrosa, nigricans.

Synonyma. Clus. Pann. p. 542. Iacea Austriaca 1. siue montana squarroso capite maior. Hist. post. lib. 4. p. 6. Iacea squamato capite 1. montana.

C. Bauh. Phyt. Iacea 4. siue nigra tertia squarroso capite maior.

Locus & Tempus. Prouenit copiosè in montanis Pannoniæ & Austriæ pratis, florens Iulio & Augusto, ac subinde semen proferens, quod maturum statim è vasculis reptans, siccum florem excutit.

IACEA MONTANA SQVAMMOSA minor semine albicante.

Descriptio. HÆc priori ferè per omnia similis, paulò tamen humilior, vt quæ rarò cubitalem superet altitudinem, *foliis* minùs asperis, & aliquantulùm incanis, paulò dilutiore *flore*, *semine* minore nec nigro, sed candicante & cineraceo, linguam etiam magis excalfaciente.

Synon. Clus. Pann. p. 542. Iacea 2. siue montana squarroso capite minor. Hist. post. lib. 4. p. 6. Iacea squamato capite 2. montana.

C. Bauh. Phyt. Iacea 5. siue nigra 4. squarroso capite minor.

Locus & Tempus. Iisdem quibus præcedens locis etiam hæc nascitur, sed maturiùs plerumque floret, & semen Iulio perficit.

IACEA MONSPESSVLANA CVI IN Squammis fibræ nigræ, interdum acaulis.

Descriptio. SPontanea palmum vix superat interdum acaulis; cultura in cubitalem altitudinem proficit, multis ex *radice* crassiuscula productis *caulibus* striatis, hirsutis, intus fungosis, multùm ramosis, *folia* pumila per terram sparguntur Cyani foliorum æmula, incanâ lanugine obsita, laciniata, alia integra, reliqua per ramos fortuito positu nascuntur: capita foliis oblongis,



minimè dissectis, acuminatis obuallata sunt, mediocris magnitudinis, mollicella, squammis longiusculis compacta, quarum oras fimbria nigra ambit, acumē verò in pinnatas spinulas innoxias fatiscit: *flos* albus stamineus in pappos abit, habui etiam flore purpureo.

Iacea pumila Lob. Lobel. in Adv. p.235. vocat hanc Iaceam pumilam, quam etiam depingit prout spontè prouenit. Multò enim ramosior & maior euadit culta in hortis, ita vt alia ferè videatur planta. Hanc etiam exhibet in Icon. Plant. p.542. hoc titulo. Iacea pumilis, serpens, acaulis fermè, flore cyaneo & albo.

Flo. duplex. Est C.Bauh. Phyt. Iacea 11. siue humilis, Hieracij folio, varians floris colore, qui cæruleo absoleto purpurascit, aliquando albus est.

H. Lugd. pag.1193. Iacea humilis, Hieracij folio Penæ.

Locus & tempus. Monspelij obseruaui flore albo, quæ sine vllo caule primò erat, sed postea caules producebat multos in terra sparsos: florebat Vere. Hanc dein habui etiam flore albo & purpureo tum Lugduni, cum Geneuæ in hortis meis, vbi hiemem perferebant, ac virebant, Maioque mense florebant. Rarius occurrit Lobelio, & ferè Norbonensium est, marginibus fatorum ad pontem Monspelio dissitum, via quà Frontignanam itur.

IACEÆ GENVS STOEBE SALMANTICA, folijs mollibus lanuginosis, caule infirmo.



Descriptio Folia omnia habet mollia & lanuginosa Erucæ instar laciniata, *caulem* infirmū ramosum, in terram procumbentem, cuius *flores* summis ramis innascentes superiore maiores, barbulis exterioribus Cyani æmulis, purpureis (quibus intermixti villi quidam lutei) medium florem occupantibus: *semen* superiori simile, vel Cyani semini: *radix* digitalis, albicans, non viuax, sed quam subsequens hiems corrumpit.

Stœbe Salmantica. Clus. Hisp. p.359. sine icone Stœbes Salmanticensis prioris genus, à Salmanticensibus ad Cyanos relatum. Hist. post. lib. 4. pag. 9. Stœbe Salamantica 2.

Icon Clusij. Icon apud Clusium in post. Hist. p.9. non malè videtur quadrare eius descriptioni: verùm Lob. eam ponit, vt monemus capite de Cētaurio collino pro sua Iacea nigra differente planta: & Dodon. pro Cyanoide flore, quam verò Dod. intelligat plantam asserere non possumus, quædam enim in eius descriptione cum hac planta conuenire videntur.

C.Bauh Phyt. p.531. Iacea 17. Stoebe dicta maior altera folijs Erucæ.

Locus & tempus. Nascitur abundè Salmanticensi agro in aruorum & vinetorum marginibus. Floret Iunio, Iulio & Augusto, & subinde semen profert. In Belgica non nisi altero à satu anno.

IACEA MONTANA CAPITE magno strobili.



Descriptio. Pvmila est plāta duarum triūmve vnciarum altitudine, interdum dodrantalis aut maior, *folia* cauli lōgitudine vix cedūt: primùm nascentia accedunt formâ ad priora Centaurij folia, sūt lata & sublonga, sequuntur alia, in profundas lacinias æquali situ diuisa, subtus densa mollique lanugine candicante obsita, quā etiam superiùs non omninò destituuntur, plerúmque tamen viridantia, quædam interdum non laciniata aut parum: *cauliculus* quoque tomentosus est, inque ramos subinde diuiditur, sæpè simplex, cuius cacumini insidet *caput* magnum, Scolymi, squammis argenteis aut ex argenteo rutilantibus, purpurascentibúsve, perquàm tenuibus mollibúsque, per oras latescentibus cristatísque compactile: medium obtinent pappi quos *flos* reliquit, staminibus purpurantibus constans: *radix* satis crassa, simplex aliquando, interdum plurium capitum nigricans.

An Monach. in Mes. Chamæleon albus & Carduus pinea?

Camer. pag.78. Iacea pumila siue nana: Pena montana, & Carduus pineus Norbonensium: Theophr. Chamæleon non aculeatus.

C.Bauh. Phyt. p.531. Iacea 13. siue humilis montana capite Pino simili.

Lobel. in Adv. pag.367. Theophr. [omissa hæc vox in Icon.] Chamæleon non aculeatus.

Iacea montana Lob. H. Lugd. p.1192. Iacea montana, in apricis & glareosis montium locis, Aprili florens, semen Iunio maturescens.


Locus & tempus. Iacea montana Dalechampii mihi oblata est dum essem Monspelii, allata ex monte Ceti, quam postea inueni in montibus propè tres Pontes Mense Iunio. Io. Renauldus Pharmacopœus mihi transmisit maiorem multò, excedentem palmum, ex vno caule duo capita producentem. Vidi etiam folia, quæ palmum excederent. Lugduni mihi prouenit sata.

SCABIOSA SQVAMMATA ARGENTEA.

Descriptio. Lignosâ *radice* firmata, *caules* cubitales & bicubitales striati, subhirsuti, multis alis con-

caui: *folia* multiplici cæsurâ dissecta, ad Centaurii maioris speciem minorem accedunt, nigriora; teneriora: extremis ramulorum *capitula* nascuntur turbinata, concinnis lucentium squammarum & candicantium scandulis imbricata.

Synonyma



Clus. Hisp. p.359. & p.361. Stœbe Salmantica altera: in post. Hist. tertia, ad Scabiosas seu Iaceas referenda, à Salmanticensibus Stœbes nomine insignita, quòd extrema folia vtcunque aculeata sint. Hac pro Scabiosâ vtuntur.

Stœbe arg. Salm. minor.

Lobel. Obs. p.294. Ic. Plat. p.544. Stœbe argentea Salmantica minor, Stœbe Salmantica 2. Clusii. H. Lugd. p.1109. Stœbe Salmantica altera Clusii.

Iacea capitulo squam. argent.

C. Bauh. Phyt.530. Iacea 11. siue capitulo squâmato argéteo. Iacea alba, Tabern. Scabiosa squâmata Io. Bauhini. Iacea 18 siue Iacea Stœbe dicta tertia foliis profundè incisis. Stœbe Salmantica altera Clusii. Stœbe argentea Salmantica minor Lob. *Tabern.* Iaceam albam huc non

C. B. err.

refero nec mihi videtur mea Scabiosa squammata argentea, quamuis figura Tabern. aliquatenus conueniat, & quod dixit capitula ex albo lucentia: Iacea mea squammata argentea eadem est cum Salmanticensi 2. vel eiusdem speciei Belgica.

Tabern. icon. & Hist.543. Stœbe minor, klein Stœben kraut: Figuram habet Clusii.

Locus & tempus.

Memini me habuisse Geneuæ in horto plantam similem Centaurio maiori tenuifolio, vt eandem pænè existimarem donec omnia diligentiùs perpenderem. Valerandus Dourez hanc dicebat esse Stœben Anguillaræ. Stœbe Salmantica altera Clusii nascitur Salmanticensi agro frequens in aruorum & vinetorum marginibus. Floret Iunio, Iulio, Augusto, & subinde semen profert. Apud Belgas non nisi altero à satu anno floret.

IACEA SQVAMMATA CRETICA, quibusdam Scabiosa Cretica dicta.

Descriptio

HAbet multa *folia* longa, supra tellurem expansa, instar maioris Scabiosæ Matthioli, crasso neruo prædita, & secundum illius longitudinem, non modò multipliciter laciniata, sed ipsę etiam laciniæ in minores alias sectæ: *caulis* deinde emergit cubitalis & amplior, striatus, durus, non dissimilis Iaceæ primo loco hoc capite descriptæ, per quem sparsa sunt folia iam dictis minora & minùs laciniata: finditur deinde in varios ramos, minoribus adhuc foliis, & ramis sectis præditos: extremi rami sustinent squamata *capita*, quæ producunt deinde *florem* multis longioribus *flosculis* purpurascentibus, interdum omninò albis, & valdè sectis constantem, ex quorum medio exilit stilus pallescens: euanido flori, succedit *semen* non dissimile prioris semini, multâ lanugine inuolutum: *radix* satis crassa, & fibris quibusdam prædita, instar radicis Stœbes Hispanicæ, quæ an viuax sit, me latet.

Scabiosa Cretica.

Peregrino semine (Cretâ allato) Scabiosæ nomine nata est planta Clusio, quæ ipsi in post. Hist. tertium est Iaceæ genus ad Scabiosarum classem cum reliquis Iaceæ & Stœbes ab ipso descriptis generibus pertinens: Iacea squamato capite 3. Cretica.

An Scabiosa Candiæ.

An Scabiosa Cretica Anguillaræ.

Stœbe argentea incana Aldrouandi.

Descriptio

STœben aliam ab argentea Salamantica vidit Lobel. Obs. p.294. operâ D. Hermetis Clere Medici Niuernensis etiam foliis & caule argenteæ Stœbes, sed delicatoribus virgultis, & foliis tomento crasso incanis.

CENTAVRII MAIORIS Species tenuifolia.

Descriptio



CEntaurii maioris speciem facio, capitulorū argumento: *radicem* habet minimi digiti crassitudine dodrantalem, sapore Cyani nauseoso: *folia* Scabiosæ squammatæ argenteæ, tenuiter dissecta, albidiora, sapore amaro prædita: *caules* vnius, duorum, aut trium interdū cubitorum, altitudine pro locorum vbi prouenit ratione, in multos ramos fissi, *foliis* etiam tenuioribus Absinthii ferè Pontici vestiti: *flores* Cyani formâ, staminei, minores, purpurantes, è capitulis emicant turgidulis turbinatisque, Scabiosæ squammatæ argenteæ, paullò minoribus, squammulis asperis pilosis imbricatis, non lucidis, vt in Argentea illa: *semina* parua, oblonga, rufa, quaternis costulis striata, quibus pili adhærent: Tanta huius plantæ similitudo cum Scabiosa argenteis squâmis vt eandem existimaremus.

Centaurii species. Gesn. Iacea alba Tabern.

Est hæc Gesneri Centaurii illa species, quam circa Basileam in muris & asperis locis nasci tradit. Est H. Lugd. p.1192. Iacea alba. Tabern. icon.p.153. & Hist. lib.1. p.539. Iacea alba, Weiß flockenblům, Iacea a species Stœbe: capitulis ex albo lucentibus squammatis: foliis ex cinereo albis. In capitulis autem pilos appingit Tabern. qui in argentea Scabiosa non sunt.

C. Bauh. Phyt. Iacea 19. siue Iacea Stœbe dicta 4. Centaurium maius in muris Gesnero. Stœbes Salamanticæ alterius altera species Clusio. Iacea alba Lugd. Item p.532. Iacea 23. Iacea incana Cyano similis. Clusio Cyano minori similis.


Gerard. nom. Gerard. Angl. Iaceæ flore albo white floured Knaptweede. Non benè dicit flore albo. H.Lugdun.p.1192. Iacea alba. An Lob.Adv.p.226.Cyanus minimus? Cyanus noster minimus, inquit, in Obs.pag.294. viticulis Sparteis,perpusillis coliculis, qui humenti solo Belgico longè maior conspicitur.

An Stœbe Salamantica quarta Clusii?

Locus & Tempus. Monspelij tota æstate & Autumno conspicitur. Basileæ abundat in muris vrbis, potissimùm circa Colberg, inter portã Stein & Eschen, extra vrbem & intra, in itinere versus Moutets inuenii florentem Octobri & eundo Krentzach: & veniendo Montembelgardũ propè pagum Bagene: euulsi plantandam in Horto E.C. Dalechampius curarat depingendam nomine Iaceæ albæ, verùm figura non placet. Brisaci Brisgoiæ ad Rhenum florens adhuc Octobri & Nouembri.

IACEA MONTANA NARbonensis.

Locus. HAnc nouam subdere visum fuit, propter nonnullam inter se similitudinem. Cautibus & collibus Castri noui conterminis Monspeliensis agri nonnusquam à Lobelio reperta. *Cauliculo* riget dodrantali & pedem alto, rotundo: *folia* Iaceæ luteæ & Chamæleonis læuis Theophr. media edente, altera parte incana, glauca, tantillùm hirta: *flores* Iaceæ aut Cirsij, sed minores: *radix* sesquipalmaris, gracilis, minúsque fibrata, gustu cyaneo amaricat.



Lobel. Obseru. pag. 294. Ico. Plant. pag. 543. Hist. Lugd. pag.1193. Iacea montana Narbonensis. Casp. Bauhin. Phyt. pag. 531. Iacea 15. siue montana.

CENTAVRIVM COLLINVM GESNERI flore purpureo & albo.

Descriptio. SImilitudo huic cum Centaurio maiore: De Centaurio autem collino, Matthiolus, qui eam Scabiosam maiorem in post. comm. cap. de Stœbe, inscripsit, hæc tradit. Primo statim ex ortu folia profert longa, nullis in ambitu laciniis, at quæ his succedunt plùs, minoris modo, dissecta cernuntur, quæ verò in caule,& ramis sunt: minora habentur,& magis laciniata. Caules gerit æstate sesquicubitales, teretes, striatos, incanósque qui circa cacumen suos fundunt ramos, in quorum fastigiis capitula oriuntur in acutum desinentia, compactili squamarum ordine cõtecta, Cyani modo, è quib. flores prodeunt ferè etiam similes, sed rufescentes. Hos denique sequitur semen paruum, & subnigrum Lychnidis coronariæ simile, Radice nititur pollicari crassitudine & sæpè maiore, brachiatáque, sapore subdulci, pastinacæ proximo. Nascitur inter fruges,& in campis non cultis, argilloso præsertim solo. Quæ quidem notæ maximè arguunt magnam inter Scabiosam, & Stœben intercedere differentiam. Siquidem Stœbe folia fert aculeata, & in lacubus, stagnis, paludibus, aliisque locis aquosis nascitur. Hæc Matthiolus, cuius licèt figura nobis placeat, displicet tamen seminis descriptio. [Id enim obseruauimus paruum, oblongum, rufum, & superiori parte pilosum esse.] Sed displicet etiam quod vulgaris Scabiosæ vires huic insuper inscribat, sibi persuadens esse vulgarem. Matthioli glossator pulchram habet iconem. Verùm non demonstrat, an vires scabiosæ, huic conueniant, vel Scabiosæ vulgari minori, cuius etiam figuram nouam posuit. Camer.not.

Gesn.hort. Centaurij maioris species Collina maior, foliis dissectis. Lobel. & Pena Aduers. p.232. Iacea nigra maior laciniosa vulgari ab inscio Matthiolo supposita. Item p.234. Iacea maior folio multùm laciniosa, Dentis leonis, maiusculis vasculis floris lutei. Obs. p.292. Iacea maior, & pag.293. Iaceæ maioris folio multùm laciniosa varietas. Num Cyanoidis flos Dod.eadem? an non potiùs congener? Nonnunquam Mechliniæ in hortis floribus albis,& capitulis spinosis visa. Ic. Plant.p.541. Iacea maior. *Lobelium* in Aduersariis per Iaceam maiorem intelligere Centaurium nostrum non dubitamus, an eius capita bene vocet vasculà, aliis diiudicandum relinquimus: An etiam in Obseru.& Icon. veram eius figuram exhibuerit dubitamus, quia Clusius in Hist. in folio proponit pro Stoebe Salamantica 2. cuius descriptio non conuenit cum nostro Centaurio collino: licèt videatur icon non malè respondere suæ descriptioni. Considerandum igitur an icon illa non sit alicuius plantæ differentis à nostro Centaurio collino siue Iacea maiore Lobel. Iacea maior.



Dodonæus proposuit iconem nomine Cyanoidis floris, qui qualis sit asserere nõ possumus. Frater C.Bauh. refert ad Iaceam spinosam Mõspeliensem.

Thal. Cyanus silu. maior aruensis, Matthioli Scabiosa maior.

Tabern.icon. p.153. Hist.lib.1. pag. 540. Iacea tertia, flocken blum, Item icon. p. 158. & Hist. pag. 546. Scabiosa maior flore purpureo, Groß braun Scabiosen. *Existimamus* Tabern. duobus locis eandem plantam tradere, ideò fratri C. Bauhino duas diuersas statuenti, non consentimus adhuc, donec nobis ostendantur diuersæ plantæ consimiles.

Gerard.

Gerard. Angl. Iacea maior, Great Matfellen. Item antè Scabiosa flore purpureo, purple flowred Scabious.

C.Bauh.Phyt.p.526.Scabiosa 8. siue maior squamatis capitulis, Matth.maior. Lob.Montana Scabiosa calidarum regionum in qua capitula non rectè pinguntur: Hæc floribus est ex purpura subrubentibus: reperitur floribus paucioribus minoribus candidis. Item pag.530. Iacea 8. siue rubra latifolia laciniata Tabern. Iacea tertia. Item apud Matth. Scabiosa maior squamatis capitulis: Scabiosa quinta Trago. *Matthioli* Scabiosa montana videtur potiùs ponenda cum Iaceis, quã inter Scabiosas: præterea conferenti descriptionem & figurã Matth. cum descriptione & figura Lobelii Scabiosæ montanæ calidarum regionũ, manifestum erit diuersas ab illis exhiberi plantas. Scabiosam maiorem Matthioli aliquoties obseruaui colore purpurascente & albo, sed non variantem numero aut magnitudine florum.

C. Bauh. lapsus verus.

H. Lugd. pag. 1066. Scabiosa Matthioli maior. Item p.1108. Scabiosa montana Dalechampii. Vtrobique describitur & depingitur eadem planta, quod seuerus Censor non obseruauit.

H. Lugd. & C. Bauh. notantur.

An porrò Trago lib.1. cap.80. Scabiosa tertia, Scabiosæ 3. genus?

An Dodon. lat. in fol. p.125. Aphyllantes 3. foliis magis incisis, &c.?

Locus & Tempus

Segetum potiùs quàm pratorum, in Gallia & Anglia plurima. Horti Belgici hanc vt præstantiorem ad vsum Medicum colunt: tametsi in Angliæ segetibus Conuentriæ conterminis abundè proueniat, teste Lobelio. Fuchsius cùm apud eum essem vocabat Scabiosæ quartum genus: vidi Tubingæ: Lugduni, Geneuæ, & Tiguri. Valerandus Dourez dicebat Limoniam Theophrasti Dalechampio. Frater C. Bauhinus attulit mihi siccam plantam cum hac inscriptione Cleoma Octauii Horatiani Guillandino. Basileæ cùm essem reperi cum flore purpureo & albo in Wasserfal/ Brenzack & Lerach. Montbelgardi abundat iuxta vites: prouenit etiam in Horto r.c. Flore albo vidi Heidelbergæ in horto Dr. Sprengeri cum semine maturo Iunio, vnde attuli semina serenda Montbelgardi in horto Ill. E. C. vocabat Iaceam albam.

IACEA LATIFOLIA SPINOSIS capitulis pulchris flore purpureo.

Descriptio



MVltis ramis brachiata cubitalibus & longioribus, striatis, angulosis subhirsutis, tactu asperis, interdũ cõcauis: *folia* infima pedalia circiter, palmari latitudine in profundas latas sinuatas lacinias diuisa, & Cichorii syluestris similia, hirsuta, aspera, superiora verò per ramos passim multò sunt minora, Cyani aut Hieracii foliorum diuisurâ & magnitudine, vsque ad ipsum capitulum crebra. Cæterùm capitula extremis ramis hærentia, turbinata sunt, Cyani aut Iaceæ vulgaris capitulis paria, quorum singulæ squammæ flauescentes aut rubentes, alioqui læues & politæ in quinas, senas, aut septenas radiatas spinas, deorsum vergentes desinunt: *flores* purpurei staminei, tandem in pappos facessunt: *semina* oblonga, Cnico aliquatenus similia, multò minora, variegata: *radix* crassiuscula.

Frater C. Bauh. aliquando dedit nobis, nomine Iaceæ spinosæ, ramum huius plantæ, quæ non culta, ea est strigosa, foliis minoribus multò, non tamen angustis, vt in tenuifolia Narbonensi, sed latis etiam iuxta capitulum, laciniatis in spinis etiam differentia: plures enim quàm iam dicta & non ternæ.

Iacea latifolia spinosa spontanea.

An Clus. Pann. p.546. Iacea 4. siue Iacea montana echinato capite. Hist. post. lib.4. p.7. Iacea montana echinato capite siue 7.

An C Bauh. Phyt. p.530. Iacea 7. siue nigra 6. echinato capite.

Locus.

Alebat Argentinæ in horto suo D. Fridericus Meyer, qui referebat ex semine natam misso à Domino Agerio.

Iacea cum spinosis capitulis purpurea tenuifolia.

CAules huic cubitales, striati, asperi: *folia* aspera, angusta, vncias duas longa, quædam tantùs laciniata, aut cum quibusdam eminentiis: *capitula* parua, quæ squamis constant flauescentibus glabris, nisi desinerent in tres spinulas: *Flosculi* purpurei.

Lobel. & Pen. Adv. p.234. Capitulis spinosis Iacea: ad Cellam nouam & vicinis vinetis Monspelii minor spontè visitur alia [Iacea] nigræ eadem prorsum radice & effigie, duntaxat tristiore aspectu: florem edit purpureum, interdum album, in squammoso & spinulis horrido capitulo, Calcitrapæ haud absimili.

Iacea spinosa.

An Dodon. hist. lat. in fol pag.125. Aphyllantes altera similis primæ (id est Stœbe Salmanticæ primæ Clusii) sed caule breuiore, capitulis minoribus, & foliis nigrioribus, saturatiusque virentibus, squammulis capitulorum asperioribus & nonnihil spinosis: flore purpureo è staminulis confarcto.

An Aphyllantes 2. Dod.

C.Bauh. Phyt. Iacea 10. siue Iacea Stœbe dicta squammis asperis. Aphyllantes 2. Dodon.

Iacea Stœbe Aphyllantes 2.

Iaceæ nomine passim prouenientem Monspelii obseruauimus florentem Vere, Æstate, & Autumno: Gener Cherlerus attulit ex Gallia Narbonensi.

Locus & Tempus.

Iacea purpurea Hispanica muricata.

Descriptio.

IAceæ luteæ non multùm absimilis, *foliis* Seridis candicantibus, ramis cubitalibus & flexilibus, in quorum summo *capita* squammata, *florem* depromentia purpureum: *radix* valdè crassa est longáque & glutinosa.

Clus. Hist & Hist. post. lib. 4. p.8. Iacea purpurea Valentina muricato capite, Granatensibus vulgò *Arzolla*: proponebant nonnulli pro Poterio, cùm tamen eius descriptioni non responderet.

Iacea purp. Valentina muricato capite Clus. Arzolla Poterium non est.

Lobel. Obs. p.483. Capitulis spinosis Carduus stellatus, seu Calcitrapa altera, videtur eadem cum Iacea altera Granatensium Clusii.

Card. stellatus seu Calcitrapa altera Lob.

Abundantissimè inuenitur agro Granatensi & Valentino, locis humectis & vmbrosis, floret Martio.

Locus & Tempus.

CENTAVRIVM COLLINVM SIVE jacea spinosa, flore luteo.

Descriptio



Rigido & recto surgit *caule*, duorum triúmve cubitorũ altitudine, multis alis concauo, striato, angulo so, glabro: *folia* ramulorum exortui subiecta, alibiq; per caules & à radice ad Centaurij collini (cuius species videtur) *folia* accedunt, duarum triúmve vnciarum longitudine, vnciã plùs minùs lata, in profundas lacinias ad costam vsque dissecta, rigida, dura, tactu aspera: *capitula* extremis hærent ramorum, Iuglandis ferè magnitudine, squammis loricata, ex viridi flauescentibus, per oras nigricantibus, aliquando læuibus & sui vndique similibus, aliquando denticulatis marginibus, interdum in primam longiusculam mordacem & nigricantem desinentibus, nonnunquam inermibus: *florum* stamina in orbem explicantur, coloris lutei: *radix* minimum digitum crassitudine æquat, superiore parte subinde comosa.

Foliorum varietas. *Flores* *Radix*

Iac. maior folio multum laciniosa Lob.

Lobel. Aduers. pag. 234. Iacea maior, folio multùm laciniofo, quam aliàs flore purpureo videre est in segetibus Monspeliacis, floribus luteis, venustis: Carthami siluestris nullatenus diuersam, capitulis, foliis, aut caulibus: Nisi quia tota asperiuscula: quam qui malit Plinij Hyosciriden, nobis secundis liceat. Obseru. p. 483. Cardui stellati varietas: Iacea lutea Clusij, Tragacanthum Clusij. Icon. pag. 542. Iacea maior lutea. Item pag. 13. Tom. 2. Carduus stellatus capitulis spinosis siue *Calcatripa*. *Lobelius* non agnouit Iaceam luteam videre capitulis modò spinosis, modò non spinosis: modò vtrumque in eadem planta: ideò vnam in Aduersariis, & postea in Obseru. Clusij assumpsit figuram, ponens sub alio titulo, quam etiam hîc habemus pictam nobis absentibus, non tamen rejicienda Lobelij in Aduersariis, quamvis non habeat spinas in capitulis vt interdum visitur.

Lob. notatur.

Iacea lutea Clus.

Clus. Hisp. Iacea lutea 1. Hist. post. Iacea lutea, Salmanticenses vocant Tragacantham. Tabern. icon. & Histor. Iacea lutea maior Geel Jacea aut flocken kraut. Figuram habet Clusij. Gerard. Angl. Iacea maior lutea yellowe knapweed.

Iac. fl. lut. spinoso.

Camer. hort. Iacea flore luteo spinoso.

H. Lugd. error.


H. Lugd. 1193. Iacea maior lutea Penæ. Item p. 1474. Iacea lutea Clusij, quoad descriptionem. Figura enim est Cardui capite tomentoso. *Historia* habet duas figuras, prior ex Adu. Lobelij: altera ex Clusio est p. 1438. errore Typographi posita nomine Cardui Eriocephali Dodonæi, quæ autem cap. 21. aliò transferenda est.

Iac. lutea cap. spinoso C.B.

C. Bauh. Phyt. Iacea 10. siue lutea capite spinoso. Iacea maior lutea Aduers. collegit Monspelij, vbi prouenit ad semitam, quà itur Peraux, non procul à siluula, florens Iunio & Iulio: In Salmanticensi agro frequens nascitur ad vinetorum margines & arido solo: floret Iulio: semen Augusto maturum est. Tabern. primùm obseruauit in agris satis copiosè in Burgundia inter *Grandville & veson*: Interdum in segetibus Monspeliacis videre fuit Lobelio.

Locus & Tempus.

IACEA MVSCHATA.



Radix lignosa lẽta: *caulis* rotũdus, pedalis: folia lõgè, lata, mollia, tomentosa, laciniis longis diuisa, alba vel cinerea. Capitula forma & colore Iaceæ secundæ [quæ Centaurium murale dicitur] tota plãta satis suaui odore prædita est, saporis amaricãtis cum adstrictione quadam. Ita describit Tabernamontanus, cujus & descriptionem & iconem probamus.

Eidem Icon. & Histor. Iacea Muschata, Iacea montana, Bergenflockeblum / Groß Bisemkraut. Herba muschata maior nuncupatur.

Egregius Medicus Petrus Turnerus Anglus olim attulit mihi cum hac inscriptione, Herba quam vocant Iuam moschatam, odore florum suaui Heidelbergæ prouenit arenosis & siccis locis. Prouenit in montibus & collibus sabulosis, potissimùm in agris montosis, vt & circa domum montanam Erdtbachianam Schoenenberg: præterea inter Electoralem domum Venatoriam dictam Newen Schloß & pagum furnheym. Gaudet locis altis & apricis.

IACEA INCANA LACINIATA capitulis Cirsij, flore vno aut altero.

Descriptio.

Hæc ex *radice* crassa, lignosa, *caulem* profert palmarem, angulosum, incanum, nudum: *folia* habet multa ad radicem per terram sparsa, lata, Stœbes instar laciniata, molli lanugine incana: *flos* vnus vel alter, Iaceæ vulgari similis, ex capitulo squarroso prodiens, caulis summitati insidet.

C. Bauh.

Casp. Bauh. Phyt. Iacea 14. [apud Matth. Scabiosa 5.] siue incana laciniata.

In montibus prope Capuam prouenit.

IACEA SPHÆRITIS.

Sphæritis. cod. Cæs.

AD Aphyllantem referri posse videtur, nec fortassis temerè, cuius icon in Cæsareo codice extat Sphæritidis nomine, nisi quod absque enatis staminibus depingitur. Nulla tamen Sphæritis à Veteribus descripta reperitur (teste Dodon. Lat. in fol. pag. 126.) præter Cupressi.

C. Bauh. Phyt. Iacea 21. Sphæritis ex codice Cæsareo Dodon.

STOEBE ET PHLOEOS Veteribus.

StœbeTheoph. *Palens* *Theoph. illustrat.* *Gaza error.*

DE Stœbe, quam & Subam alicubi & Phleum vocant, inquit illo loco Theophrastus vbi Stœbem [στοίβην] appellat. Folia huic in fruticum genere veluti carnosa [σαρκόφυλλα] scilicet quia pulpa constent vt Cupressos, Myrica & alia: alibi inquit, Phleos (φλεῶ) quam nonnulli Stœbem vocant, inter eas est, quæ iuxta spinam seu aculeum alterum quoque folium habent [παρὰ τὴν ἄκανθαν ἕτερον ἔχει φύλλον, & non vt vertit Gaza, iuxta folium aculeatum, altero quoque folio conduntur] vt Ononis, Tribulus: Iterum de Phleo inquit. Spinosarum quoddam genus ex toto spinosum est: quoddam spinoso folio constat: tertium genus est aculeatum, quod iuxta aculeum folium gerit. Phleus enim Tribulus, Capparisque, peculiare nimirum obtinent, non solùm caulem aculeatum, sed etiam folium hispidum habent. Et ita omninò legendum esse annotauit etiam aliquando Dalechampius. Sed quod eo in loco subiungitur,

Gaza notatur.

Theodorus non benè omnibus his tribuit, peculiare scilicet habere, vt non solùm caulem aculeatum, sed etiam folium habeant hispidum (τὸ φύλλον παρακανθίζον ἔχει, ἢ τὸν καυλόν] nam inferiùs peculiare id soli Cappari inesse traditur:

Hippophæũ

Phleum autem & Hippopheum foliis mitibus constare, id est sine aculeis: ibidem tribuit Phleo folium carnosum multifidum: multasque radiculas [πολυρρίζον] non in profundum: germinat, inquit, cum Virgiliis, nec folia dimittit, non enim annua, sed diuturnior est. Hæc omnia pulchrè conueniunt herbæ supradictæ. Sed alia apud

Phleũ neutro genere

eundem Theophrastum Phleum neutro genere appellatur, in stagnis nascens, cuius fructus placentaceus in lacu Orchomenio prouenienș

Anthela

Anthela vocatur: alibi sterile, quæ fæmina est, foliis Harundineis, de qua alibi dictum est à nobis.

Plinij lapsus.

Plinius Theophrastum sequutus malè intellectum: inquit quædam in folio, & in caule habet aculeum [in folio non, sed in caule habet. Falsò igitur hæc Plinius, inquit Dalechampius, Stœbe Theophrasti folio minimè pungit, sed præter folium exarmatum spinosum fructum gignit, Tribuli alterius modo] vt Phleos quod

Gaza error.

alioqui Stœbem appellauere: vnde error Theodori fluxit. Alibi Dioscoridem imitatus inquit: Stœbe, quam aliqui Phleon vocant, decocta in vino præcipuè auribus purulentis medetur, item oculis ictu cruentatis: Hæmorrhoidæ quoque, & dissenteriæ infusa.

Stœbe, inquit Dioscorides vulgaris est notitiæ, folia & semen astringunt: ideò dissentericis infunditur decoctum, auribus quoque purulentes instillatur, imponitur etiam occulis cruentatis: ac folia cohibent sanguinis eruptionem.

Stœbe Galeni.

De Stœbe Galenus lib. 7. simpl. med. disseruit his verbis. Stœbes fructus, & folia maximo sunt vsui, adstringendi vim habentia mordacitatis expertem. Sed & desiccant euidenter in tertio ferè ordine incipiente. Quamobrem decoctum eorum dysentericis inijcitur, & auribus pure fluentibus, tum vulnera magna conglutinat. Euidentiùs hæc præstat cum vino atro austero: valenter enim desiccat omnes præter naturam humiditates. Præterea folia viridia, si illinantur, vim habent erumpentis sanguinis supprimendi: denique & oculorum ex ictu suffusiones illita iuuant.

Stœbe alia Galeni *Colymbada.*

Alia Stœbe Galeni est odorata & acris descripta lib. de antidotis, qua doliis aggestâ pater eius ne acescerent, imbecillia vina conseruabat. De hac ait. Quam incolæ Colymbada vocant, alii Stœbem, herba fruticosa, calida & acris valdè, paramper redolens, aptissima ad præseruandum vina: appellatur & Stœbe, quodcumque vasis interponitur opplendi gratia: ne inuicem collidantur, vt natura fecit in pulmonis fabrica: nam carne molli, instar Stœbes cuiusdam, eius vasa fulciri scribit Galenus.

An Stœbe Dioscor. eadem sit cũ Phlæo Theoph. *Anguill. redarguitur.*

Id nondum in confesso esse scribit Dalechampius, An Stœbe Dioscoridis eadem cum Phlæo Theophrasti, quam is lib. 6. cap. 1. à quibusdam Stœbe vocari dixit.

Nescio, (inquit Anguillara epist. 8. pag. 146.) quid sit Phleon quod Gaza vertit Stœbe. Sed quo loco ita conuerterit Gaza, Anguillara non ostendit, nec nos hactenus locum inuenimus.

Phleos & Stœbe eadem planta, sed diuersa Phleum.

Phleos & Stœbe (vt Honor. Bellus perhibet) vnum & idem est & ex aculeatarum genere. Phleum autem nomine neutro multùm à Stœbe differt: plerique doctissimi viri ex confusione horum nominum in maximas tenebras incident, omnes qui Phleos & Phleum apud Theophr. confundentes eandem esse plantam putant frustra Stœben cognoscere conati sunt. Phloios quæ vocatur Stœbe à Theophr. lib. 6. cap. 1. enumeratur inter eas quæ præter Spinam folium habent, vt Pimpinella spinosa, & non vt vertit

Gaza not.

Gaza: Plutarcho in vita Thesei & Ætio Stœbe. Quod Theophr. cap. 3. lib. 6. tribuat Phleo, Cappari & Tribulo folium hispidum, mendum esse suspicor, ait Bellus, &c.

Aequiuoca Scabiosa minor *Scabiosa minor communior* *Iacea genus* *Salmant. foliis mollibus* *Scabiosa squammosa argentea.*

Scabiosa minor tenuifolio Matthioli negatur esse, vt quidam voluerunt, Stœbe.

Stœbe Salmantica Clusii 2. est nobis Iaceæ genus siue Stœbe Salmantica foliis mollibus.

Stœbem Salmanticam tertiam Clusii, inscripsimus Scabiosam squammosam argenteam.

Stœbe & Scabiosæ Candiæ Anguillaræ titulum fecimus, Iacea squammata Cretica, quibusdam Scabiosa Cretica.

Stœbes Salmanticæ genus, Centaurii maioris speciè fecimus tenuifolia. Stœbe argentea incana

Xeranthemum. Stœbe spinosa. Stœbe Rosmar. folio. Pimpinella spinosa. Vulneraria rustica. Sagitta. Sparganiũ. Palma humilis.

Aldroandus quandam cognominauit. Stœbe incana, dicta est de nostro Xeranthemo. Stœbem spinosam ex Dodonço proponimus. Stœbe Rosmarini folio Ponæ. Stœbe Dioscor. Pimpinella spinosa differt à Galeni Stœbe: vt tradit Honor. Bellus, quæ opinio & nobis placet, vt ostendimus suo loco. Stœbe dicitur de Vulneraria rustica, de qua H.n.g. lib.17. Sagittam quidam putant esse Stœben & Phleõ Theoph. vide lib.8. Phleon apud Theophr. neutro genere cuius fructus Anthella in stagnis Cæsalpino. Phleon Cordo de Chamæriphes, vide Hist.l.3.

STOEBE SALAMANTICENSIS PRIOR Clusij, siue Iacea Intybacea.

Descriptio. Caules cubitales, striati, subhirsuti, fungosâ medulla farcti, valdè ramosi: per quos ramósque conspiciuntur *folia*, Cichorij laciniata, nigricantia, hirsuta, duas, trésve vncias longa, vix culmum lata, in lacinias nihilominus cæsa, vel serrata: *capitula* summis ramis hærent, Cyani paria, turbinatiora, glabris nitidisque & politis, albicantibus, per extremum rubentibus squammis imbricata, è quibus *florum* emicant stamina purpurea, quibus marcescentibus *pappus* dehiscente apparet capitulo.



Stœbe Salmantica Clusii. Clus. Hisp. & Histor. post. lib.4. pag.11 Stœbe Salmantica 1. vel prior, ad Scabiosas seu Iaceas referenda, & à Salmanticensibus Stœbes nomine insignita, quòd extrema folia vtcunque aculeata sint, ac istic Cabeçuela dicta, h.e. capitulum.

Stœbe Salm. maior Brácion. Lob. Lobel. Icon. Plant. pag.543. Obs. p.293. & 294. Stœbe Salamantica maior Brancionis, quæ ima folia Scabiosæ Hispanicæ & Sequanorum Cirsij media habet. Radix oblonga, nonnihil fibrosa. E cubitalibus & duorum pedum caulibus in longioribus petiolis & squammoso capitulo flos Cyani purpureus. Semen Cnici sed minus. Vniuersa planta gustanti peramara, præsicca, adstringens.

Aphyllantes Dod. Dodon. Lat. in fol. p.125. Aphyllantes 1. Is negat esse Stœbe.

Camer. hort. Stœbe Hispanica Clusij. H. Lugd. p.119. Scabiosa seu Stœbe Salamantica prior Clusij. Tabern. Icon. & Hist. Stoebe maior, Groß Stebenkraut. C. Bauh. Phyt. Iacea 16. siue Iacea Stoebe dicta, maior foliis Cichorij.

Iacea Stœbe dicta maior fol. Cichor. *Locus & tempus.* Creuit mihi Geneuæ in horto ad aliquot cubitos. Primo vere florentem reperi in itinere Monspelio versus Frontig. Sata Montbelgardi in horto E.C. prouenit per fratrem C. Bauhinum misso semine, nomine *Stœbe*. Frequentem tradit Clus. in Salmanticensi agro in aruorum & vinetorum marginibus, florere Iunio, Iulio, & Augusto, & subinde semen proferre: In Belgia autem non nisi altero à satu anno. Prouenire obseruauit Tabern. in incultis locis secus vias ad agros & vineas inter Wormatiam & Franckenthal.

STOEBE SPINOSA.

Extat Stœbes spinosæ imago in vetere Cæsareæ bibliothecæ codice: huiusmodi spinosam Stœbem Dodon. suâ ætate reperiendam esse dixit in Cypro atque Peloponneso, vulgò Morea, planis ac apricis locis, vnde aridam secum attulerit Dominus Bernhard. Paludanus stirpium diligens obseruator. *Locus.*

Dod. Lat. in fol. p.123. Stœbe ex codice Cæsareo. Casp. Bauh. Phyt. Iacea 22. siue Stœbe spinosa, quam Cyani maritimi nomine se accepisse ait. *Stœbe ex cod. Cæs.*

STOEBE CAPITATA ROSMARINI FOLIO Ponæ, siue Chamæpitis fruticosa Cretica Belli, aut Iacea fruticans Pini folio Casp. Bauhin.



Ex albicante *radice* lignosa, & aliquantulùm fibrosa, varij efferuntur *caules* teretes, modo Coronariæ Libanotidis, trium circiter cubitorum, quadam canitie aspersi: profert *folia* vt ipsa Libanotis, sed longiora multò, & acuminata magis, quæ paulatim flaccida facta, ita sese coarctant, vt omninò appareant Pinastri folia, quæque supernè subuirescunt, infernè albicant, cum quadam lanugine, vti & cauliculi: in ramulorum fastigiis edit capitula quemadmodum Stœbe Salmantica prima Clusij, quasi magnitudinis Centaurij maioris, cui etiam flos simillimus est, nisi quod magis purpurascit: *semen* retinet Cnici, sed nigricans: perennis est planta. *Descriptio.*

BEHEN ALBVM RAVWOLFFII.

Descriptio. Ex *radice* folia prodeunt magna & acuminata Lapathi instar, rigida vt Pyri folia: ad quorum ima quatuor alia minora aduersaque disposita sunt: cuiusmodi etiam in cauliculis teretibus conspiciuntur: quorum quidam etiam ad cubitalem altitudinem assurgunt, superiora etiam planè adhærent *caulis*, vt in Smyrnio Cretico. Horum summitatibus *capitula* squammata oblonga, luteàque insident singularia: è quibus *flos* quoque luteus emergit.

Radix



Radix prælonga est, in summo maiusculis fibris prædita, quæ adeò excrescunt, vt cum tempore trāsplantari queant. Paucis alioqui & penè nullis fibris prædita est: tenax est, & sicut Glycyrriza nostr. flexilis, cui colore & crassitie conferri potest: magis tamen albicans angulosaque est.

Rauvvolff. itin. lib. 2. cap. 12. verum Behen Arabum, quod etiam nostro seculo vocant Behmé ackma. Item parte 4. inter fig. 288. Behmen abiad Arabum, id est Behen album.

Behmen acuma.

Locus

Ad radices Libani prouenire hoc Behen album auctor est Rauvvolffius descriptionis auctor.

CENTAVRIVM MAIVS Veteribus.

Cap. V.

Ex Theoph.

CEntaurii vox, cuius etiam Hipp. lib. 1. de affect. intern. meminit, passim apud Theophrastum legitur. Ac primò quidem de Hist. plant. lib. 9. cap. 1. hæc habentur. Accidit verò, vt vel proprium succi colorem plantæ nonnullæ sortiantur: aliis enim albus, vt lactuosis: aliis sanguineus, vt Centeriæ & spinæ quam Attractylidem appellant: aliis viridis, aliis alius color: sed planiùs hoc in annuis, & anniuersario caule præditis, quam in arborum genere. His addit dicto libro cap. 14. Centauris decem vel duodecim annis durat, pinguis hæc, spissaque admodum est. Capite verò 9. eodem libro ait. At illa veluti commentitia, & è longinquo ducta apparent, Pæoniam enim quam alii Glycypedem vocant, noctu effodiendam præcipiunt: nam si interdiu, & à primo Martio vilus quispiam sit fructum quidem legens, oculis periclitabitur, radicem autem si secat ei pedes procidit. κενταυρίδα quoque secantes [accipitrem] triorchin nuncupatū cauere, vt sine vulnere nō possint discedere, & alia huiuscemodi de quibusdam alia narrant. Precari autem in secando haud quidem absurdum fortasse sit. Sed quæ addunt, absurda potiùs dixeris. Hæc Theophrastus, apud quem lib. 9. cap. 1. hist. legendum censemus pro κενταυρίδα κενταυρίδα, facili errore, quum Plinius etiam ita legisse videatur. Item lib. 9. cap. 14. κενταύριον, vbi Gaza malè vertit Fel terræ. Item lib. 9. cap. 9. hist. vbi κενταύριον legitur non benè vertit Febrifugæ: sunt ea nomina Centaurii minoris: quamobrem non videtur animaduertisse in Theophrasto discrimen inter Centaurium maius & Centaurium minus. Gesner. lib. de aurib. cap. de Triorche legendum putat Centaurio. Plinius, vt apparet è capite 6. lib. 25. legit Centauridi, vbi locum Theophr. de iis qui Centaurium secant & à triorche vulnerantur cap. 9. lib. 9. h. malè verti. Ego [Dalechamp. ita namque propria manu adscripsit] nihil mutandum censeo. Centauriam quòd existimem illam herbam esse, rubrecco turgentem, quam sanguinem Drachonis vocamus.

Centauria Theoph.

Centaurio Triorchis

Theoph. corrigitur.

Gaza error

Centaurij minoris nomina.

Centauria herba sanguis draconis.

Nos contrà existimamus Theophrasti verba posse de Centaurio magno intelligi, quandoquidem ei radix subrubra, teste Dioscoride, dicente: Centaurium magnum aliqui Narcen vocant. Folia habet Nuci regiæ similia, prælonga, colore viridia, vt in Brassica, sed ambitus ipsorum incisuras habet ad serræ modum. Caulem habet instar Lapathi, duorum cubitorum aut etiam trium, atque hic à radice multas propagines habet, in quibus capita sunt Papaueri similia, in ambitu oblonga. Flos est cæruleus. Semen simile Cnico, velut in lanuginosis floribus situm. Radix crassa, solida, grauis, ad cubitos duos extensa, succi plena, acris, cum quadam adstrictione ac dulcedine, subrubra. Amat terram pinguem, apricam, & syluas ac colles. Copiosa est in Lycia & Peloponneso, in Helide & Arcadia ac Messenia: & circa Phloën, & Lyciam, & Smyrnam. In fine capitis post vires, appellata est πανάκεια (Panacea) &c.

Centaurium magnum Diosc. Narce.

Locus.

Panac.

Plin. lib. 25. cap. 6. Diosc. descriptionem declarat his verbis, Centaurea curatus dicitur Chiron, quum Herculis excepti hospitio pertractanti arma, sagitta excidisset in pedem. Quare aliqui Chironion vocant. Folia sunt lata & oblonga, serrata ambitu, densa ab radice, caules ternûm cubitorum geniculati. In his capita ceu Papauerum. Radix vasta, rubescens, tenera, fragilisque, ad bina cubita, madida succo, amara cum quadam dulcedine. Nascitur in collibus pingui solo. Laudatissima Arcadia, Elide, Messenia, Phloë, & Lycæo, atque in alpibus, pluribusque aliis locis. In Lycia quidam & ex ea Lycium faciunt. Vis in vulneribus tanta, vt cohærescere etiam carnes tradant, si coquantur simul. In vsu radix tantùm duabus drachmis bibenda, quibus dicetur, si febris sit, in aqua trita: cæteris in vino. Et addit: Medetur & omnium morbis decoctæ succus. Hoc autem in Dioscoride ad finem habetur sic, ἐκαλεῖτο δὲ πανάκεια ... Quanquam hoc in plerisque exemplaribus non habeatur, sicut neque ea nomina, quæ paulò pòst ab Apuleio referentur, & ad finem inter supposititia à Cornario relata sunt. Plinius tamen clariùs eiusdem libri cap. 4. dicit. Quartum genus Panaces ab eodem Chirone repertum. Centaurium cognominatur. Distinguit tamen Lucanus poëta hoc versu:

Chiron.

Locus Lycium

Vsus.

Panaces.

Et Panacea potens & Thessalana Centaurea.

Tertia [pergit Plinius eiusdem lib. cap. 6.] est Centauris Plinio cognomine Triorches. Qui eam secat, rarum est vt non vulneret sese. Hæc succum sanguineum mittit. Theophrastus defendi eam, impugnarique colligentes tradidit à Triorche accipitrum genere, à quo & nomen accepit. Imperiti confundunt hæc omnia, & primo generi assignant. *Huc vsque Plinius*, cui Theophr. lib. 9. cap. 9. errandi occasionem præbuit.

Centaurio Triorches

Centaurium, vt refert Apuleius cap. 34. à Græcis dicitur Maronion, aliis Nession, aliis Pelethronia, quibusdam Limnites. Sed Prophetę eam plantam nominant Hema heracleon, alij Chironiam, alij Limnesium, alij Apogorsapon, alij

Plinij lap-sus.

Polyhydion, alij Hemeroton, Ægyptij Antiamas, alij Fel terræ, & Vneferam. Maronion quidem appellatum est à Thraciæ monte Maronio, quoniam plurima aut probata illic nascitur. Quemadmodum à Chirone Centaura Chironia: Sic etiam à Nesso, siue Nesseo, qui Centauri fuerunt, Nession appellata est Centauria. Pelethronia dicta à monte Thessaliæ, vbi Lapithæ quondam equitandi artem, cuius ipsi periti, alios docuerunt, inter quos & Chiron Centaurus censetur. Limnitis, id est paludalis & stagnalis, dicta, quòd secus aquarum scatebras & paludes, quas Græci λίμνας dicunt, nascitur. Et eadem est ratio cur aliqui Limnestin vocauerant & Limnesion. Hæma Heracleos (id est sanguis Herculis) appellata est, eò quòd, quemadmodum Hercules immania monstra edomuit, sic etiam herbæ huius radix à quacunque humani corporis parte fluentis sanguinis impetus domat, & consistere facit, seu quòd radix ipsa & succus eius sanguinis modo rubescant. Polyhydion, id est, multi aqueam & succosam: succo enim plena est illi radix, & locis succosis ac pinguibus lubens etiam nascitur. Hemeroton dici potuit à mansuetudine & dulcedine quadā saporis quæ in radice sentitur: licet enim sapore sit acri & stipticante, nihilominus tamen dulcedine aliqua participat, ἥμερος autem Græcis mansuetus dicitur. Appellatio Fel terræ ex minore Centauria maiori adiecta est contrario sensu. Constat enim re ipsa maioris radicem dulci quodammodò sapore dotatam, minoris verò amaro: quare fel quod amarum est, minori & non maiori conuenit, quod Plinius etiam testatur vbi de minore agens dicit, Hoc Centaurion nostri fel terræ vocant, propter amaritudinem summam.

Conuenit radix ruptis, autore Dioscoride, conuulsis, pleuriticis, spirandi difficultati, tussi antiquæ, sanguinem spuentibus: non febrientibus cum vino, febrientibus cum aqua, ita vt radicis tritæ drachmæ duæ dentur. Similiter ad tormina & vteri dolores. Ducit etiam menses & fœtus, in collyrij figuram derasa, & vtero apposita. Eadem & succus facit. Est & vulneribus idonea, dum quidem humida est, contusa: arida verò prius madefacta, atque ita contusa. Committit enim ipsa & glutinat. Quin & carnes dum coquuntur inter se committit, si quis ipsam contusam simul coquat. In Lycia succum ex ipsa exprimunt, & pro Lycio vtuntur. Appellata est Panacea, quoniam omnes inflammatas affectiones sedat.

Centaurij magni radix sicut gustu contrarias qualitates, ita in vsu contrarios effectus præstat, id attestante Galeno: Gustu itaque acris simul adstringénsque apparet cum leuicula dulcedine. At in actionibus acrimonia quidem caliditatis opera ostentat, menses prouocans, & fœtum mortuum euellens, viuúmque corrumpens atque eiiciens. Adstrictio verò, opera crassæ terrenæque frigiditatis, cùm vlcera glutinet & sanguinem reiicientibus prosit. Exhibentur autem eius drachmæ duę, febrientibus quidem cum aqua, febri verò liberis cum vino. Porrò secundùm omnium simul qualitatum actionem, ruptis, conuulsis, dyspnϾæ, siue spirandi difficultati, tum inueteratæ tussi conuenit. Nec enim in talibus euacuare solùm quod præter naturam est oportet, sed partem quoque euacuatam roborare ac confirmare: Eadem quæ radix & succus ipsius efficit.

Maronion. Nession. Pelethronia. Limnitis. Limnestis. Hæma Heracleos. Polyhydion. Hemeroton. Fel terra. Vires ex Diosc. Rad. trita dosis. Menses. Collyrium. Vulnera. Lycij succedaneum. Panacea. Ex Galeno. Fœtus mortuus. Dyspnœa. Ex Plinio.

Eadem quę Diosc. illi tradit etiam Plin. & mederi ouium morbis: ac valere contra venena ac magicas artes, & radicem in vuluæ doloribus prodesse. Contrita & imposita, inquit Apuleius, tumorem fieri non patitur. Ad sugillationes & dolores succus peruncus ex aqua summè facit. Ad vulnera recentia tam efficax est, & ad plagas glutinandas, vt etiam carnes cohærescant, quæ ex aqua eius coquuntur. In vino decocta & potui data, splenem persanat.

Mirum est, inquit Humelbergius, tamdiu latuisse Medicos, & adhuc etiam multos ignorare quænam planta sit Centauria maior, ipsósque longè aliā & diuersā herbā vsos pro Centauria hac fuisse, quum tamen in multo vsu & honore atque pretio eam semper habuerint, & adhuc nostro tempore etiam habeant: sed ignorantes ipsam esse Centauriam, alienóque, hoc est Rhapontici nomine, cuius radici assimilatur, appellantes. Nam quam vulgò nunc omnes Rheuponticum vocant, ea verè est Centauria maior, multi vsus contra iecoris atque lienis mala.

Rhaponticum igitur Pharmacopolarum nostrorum non est Rheum Ponticum sed potiùs Centaurium maius Iuglandis folio, de quo mox dicendum. Scabiosa alpina maxima, falsò ab aliquibus Centaurium creditur, ceu antè monstrauimus. Quam nos paulò antè Centaurium collinum inscripsimus, eam Iaceam collinam maiorem dissectis foliis, Iaceam montanam squammoso capite, & Centauroides maius cognominat Schvvenckf. Cētaurium collinum maius C. Bauh. Centaurij maioris speciem Gesnerus. Centaurij maioris quædam species in muris & asperis locis nascens Gesneri, est nobis Centaurij maioris species tenuifolia. Paucos autores comperit Hieron. Brunschvveig. quibus nota sit Centauria maior; quamquam quidam experti dicant esse Matricariam, quod non affirmat Apuleius, vt videre est apud Tragum lib. 1. cap. 42. Enulam quoque Centaurium vocat. Centauriæ radicis nomen quidam attribuunt Gentianæ, authore Dioscoride, vt testatur idem Tragus lib. 1. c. 42. & 56. Tragus adhæc lib. dicto cap. 42. Aquileiam Centaurium cognominat Germanicum. Dioscorides, vt legitur apud Tragum lib. & capite iam scripto Hyoscïamum Centaurium vocauit. Auicenna, inquit Campes. in spec. pharmac. bis ponit Centaurium in Theriaca, per ignorantiam omittens Pentaphyllum. Pro Centauria ponit Polium Tract. quid pro quo. Non desunt qui sibi & aliis persuadêre conentur eam plantam esse Centaurium, quæ Lysimachia spicata dicitur. Androsæmum à recentioribus Chirurgis Matrisylua dicta, inquit Cæsalp. lib. 9. cap. 43. fortè apud Theophrastum Centeria fuerit, quam recenset inter plantas succo sanguineo constantes. Androsæmum hoc Cæsalpini, est nobis Siciliana, de qua agemus H. 9. g. lib. 19.

Ouiū morbi. Vlcera. Cancerama. Sugillationes. Dolores. Centaurij maioris nomine donata planta. Rhaponticum. Centaurium maius Iuglandis folio. Scabiosa alpina maxima. Centaurij maioris species tenuifolia. Matricaria. Enula. Gentiana. Aquileia. Hyosciamus. Pentaphyllū. Polium. Lysimachia spicata. Siciliana.

CENTAVRIVM MAIVS IVGLANDIS FOLIO.

Centaurij maioris *caulis* rectus, hominis proceritatem assequitur, in ramos circa summitatem diuisus: *folia* amplissima in alæ formam disposita, quarum singularia spithamam ferè longa, trium aut quatuor vnciarum latitudine, per ambitum serrata, neruosa, glabra, saturatè viridia: at primùm

Descriptio.



at primùm prodeuntia folia integra sunt nec dissectionem agnoscunt: *capitula* surculorũ extremis insident squarrosa, è quibus emicant *flores* staminibus purpureis contexti, in *pappos* euanescentes. *Semen* nitidũ, oblongum: *radix* rubens, crassiuscula, longa, recta: Figuræ nostræ quæ iam erant factæ minùs placent. Quia autem ex emptis sculptis erant, nec tempus meliores fieri permisit, his vti cogebamur.



Centauriũ non est Rheum ponticum.

Tametsi doctis [inquit Corn.] videatur Centaurium maius esse id quod Officinæ hodie Rheuponticũ vocant: & huic etiam Diosc. ac Plinii descriptio magna ex parte respondeat: tamen habent Officinæ aliud quod pro vero Centaurio maiore ostendunt, quod tamen descriptionem Dioscor. nulla parte refert. Rhaponticum illud Antiquorum authore Tagaulto, de simpl. med. purg. longè diuersum est ab hac radice quæ nunc ab Officinis Reuponticum nominatur. Nam Veterum Rhaponticum, radix est fungosa, pondere leuis, laxo contextu: Hæc verò grandis, solido concretu ponderosa. Adde quod illa, si oris saliua diluatur, colorem reddit ad Crocum inclinantem: hæc ne pallidum quidem, verùm cùm recens fuerit rubro madet succo, siccata nequaquam inficit croco saliuam. Leonicenus ac docti ferè omnes huius seculi medici radicem Centaurii maioris, Galeni, Plinii & Diosc. arbitrantur.

Discrimen inter Rhaponticum antiquorũ & officinarum.

Trago lib. 1. cap. 42. dicitur Centaurium Dioscoridis, quod aliis nuncupatur Narce, aliis Limnesis, Magis Herculis sanguis, Romanis Phieri & Vnifera & Fel terræ. Quodque Apuleius sequentibus insigniuerit appellationibus, Pelethronia, Limnites, Limnostis, Apegorisapo, Polytidios, Hemerotos, Antiamas, & Fel terræ: Serapio cap. 304. Kantaurion, & Kibir, alii verò Centauriam solidam dici affirment. De Centaurio maiore præterea loquitur Tragus cùm ait. Quod ad Rhaponticam radicem attinet, non desunt inter doctos qui Centaurium maius esse asseuerent [vide Antonium Musam,] quod si ita est, nobis quoque Germanis in altissimis Heluetiæ alpibus, maximè verò in montanis Sedunorum nobilissima hæc decantatissima radix prouenit. Eius historiam Antonius Musa diligentissimè descripsit. Quod si verò quis quærat, cur Aquilegiam nostram Centaurium appellem, eum vicissim ego interrogabo, quare Dioscorides Hyoscyamum, Rhaponticum, & Gentianam Centaurium vocauerit.

Centauriũ Diosc. Trago. Herculis sanguis. Vnifera Apegorisapo Kantaurion.

Radix Rhapontica.

Aquilegia

Centaurii magni radix, Rhei pontici appellationem hodie in officinis medicorum retinet, nulla profectò alia de causa, quàm quòd tum postquam in veri Rheipontici penuriâ medici eius succedaneo Centaurii magni radice vti cœpissent: quæ Rheo pontico, Dioscor. autore, formâ & facultate similis est: lensimque è medicorum cognitione verum Rheum Ponticum abiisset, eò tandem ventum sit, vt quum prorsus iam ex illorum notitia excidisset, eius succedaneum verum esse Centaurium maius crederent, adeoque eius nomen in Centaurii magni radicem transferrent quod etiam hodie retinet.

Centaurium hoc maius Pharmacopolis hactenus impropriè Rhaponticum dici testatur Cordus in Dioscor. notatque Ant. Musam, quod absque necessitate hoc negarit. Idem ait alibi Fellis terræ appellationem malè ad maius Centaurium translatam apud Theophr. Gazam. Idem in Hist. Centaurium maius vocat, describit, ac dicit in omnibus hodie Pharmacopoliis & à cunctis Medicis Rheu siue Rhaponticum appellari magno errore.

Anton. Musa reprch. Fel terræ male. Centaurium maius dicitur. Error quorundam.

Huic Gesn. addit figuram, à quo in Obs. silua Centaurium maius Germanicum appellatur: de hort. verò, Centaurium maius vulgò Rhaponticum alterum foliis Iuglandis ferè.

Cent. maius Germ. Folio Iuglandis

Centaurea maior dicitur Amato, de qua ait: Hæc absque ambagibus & controuersia vlla, Rhaponticũ Officinarũ est. Cæterùm Theodorus Gaza in Theophrasto, perperâ huic Fel terræ nomen indidit, quum hoc nomen minori Centaurio potiùs ob insignem eius amaritudinẽ conueniat.

Centaurea maior Amati.

Cæterùm contendat licèt Musa Ferrariensis Medicus clarissimus, radicem qua Rhapontici loco plerumque Officinæ vtuntur, Centaurii magni radicem non esse: is tamen hac in re decipi [pace eius dixerim inquit Matth.] manifestè deprehenditur, cùm ea radix, quæ vulgaribus Rhapontici vicem explet, omnibus sanè notis Centaurium magnum repræsentet. Quippe quòd crassa sit, grauis, compacta, tripedalis, & rubeo succo prægnans, qui gustui non modò quadantenus sit acris: sed etiam cum aliqua adstrictione dulcis, quin etiam [vt nos quoque obseruauimus] striata, & funiculi modo contorta. Adde quòd & folia, caulis, capitula, flores, & semina illi prorsus sint eadem, quibus constare Centaurium magnum Dioscorides & Galenus memoriæ prodidêre. Ea, quæ hodie ad nos conuehitur, Gargano præclarissimo Apuliæ monte numerosa nascitur: quin & in aliis Italiæ locis, nempe in Veronensi agro Baldo monte, quem Benaci alluit vnda, sed infirma radice si ad Apulam compares. Porrò vtriusque Centaurii vno tantùm capite mentionem facit Mesues: sed adeò alterum cum altero miscet, ac confundit, vt mirandum non sit, si à nonnullis ætatis nostræ diligentissimis rei herbariæ Inquisitoribus acriter fuerit accusatus, etsi nouus quidam Mesues ipsius Commentator friuolis argumentis, horum doctissimorum virorum censuris refragari nitatur;

Musa error.

Centaurium magnum.

Locus.

Confusio Mesues.

in tam aperto illius errore. Quin etiam Auicenna, qui cum illo pariter errat, & cum vtrisque Serapio. *Auicennæ error. Serap. error.* Siquidem is scripsit ex auctoritate Aben Mesuai, Centaurij magni radicem lentam trahere pituitam, simul & bilem, & coxendicum doloribus opitulari. Quæ tamen facultates Centaurij maioris non sunt, sed minoris, vt alibi explicabitur. *Plinij error.* Cæterùm neque Plinius ab errore vindicari potest, qui tametsi in Centaurij magni historia lib.25.ca.6.in omnibus ferè Dioscoridi subscribat, in facultatibus tamen errasse videtur, quòd Centaurio maiori amaritudinem cum quadam dulcedine tribuerit: cùm amaritudo non in maiori, sed in minori tantùm deprehendatur. *Vires ex Matth.* Datur Centaurij magni radix Hydropicis, Ictericis, & Iocinorosis, cum vino macerata, tum in puluerem pota. Radicis recentis succus vnciæ pondere haustus, ac etiam vulneri illitus, auxiliatur à serpente demorsis. Hæc *Matth.* passim in suis comm. qui pingit ac dicit. Centaurium magnum nil aliud est, quàm radix præteritæ nuper ætati Rhaponticum credita, Græcis κενταύριον μέγα vocatum, Aphris Chantaurion Kibir, seu Saturion habre, *Nomina linguarum* It. *Centaurea maggiore*, Germ. Reupontick, Hisp. Ruipontic, Gall. *Rhepontice*. Sed pingitur etiam his nominibus pro Centaurio magno à Camer. in Hist. Matth.germ.& Epit.eiusdem.

Anguill. dicitur Centaurium maius, in Apulia Rhaponticum vocatum.

Centauriũ magnum Dodonæi Centaurij maioris duo genera. Differentia eorum. Dodon. Histor.pemp. & lat.in fol. Centaurium magnum duplex statuit, licèt in Histor.gallic. vnius solùm meminerit. Effigie & natura ab ille Centaurium paruum à maiore satis constat. Maioris autem duo genera [inquit Lob. in Aduers.] foliorum incisura duntaxat differre videntur, magis quàm radice quæ vtrique, cùm maxima, æquat caput humanum: color Pentaphylli flauo succo, subrufescente: flos & semen vtriusque eadem: folia verò ex vno octona, aut septena, non pediculo, vt in alio, sed medio neruo aptata, tarsi aut serratulæ modo, serrata & profundè laciniosa: radices consimiles, quæ siccatæ vtriusque Rhapontico falsò eædem olim putabantur. *Dod. reprehe.* Iam vtrasque nullo discrimine vtuntur sanguinem spuentes & asthmatici: etiamque matricis sordibus educendis, vtitur Dodonæus, quem aptiùs possent hic erroris insimulare Cretici, quàm eius Centaurij maioris iconem, vt non legitimam recusare. Nam illic potuit decipi, Arabes sequutus, qui vires maioris & minoris ferè contrariis confuderunt, hic neutiquam. Vireta enim Belgica plurimas huius Serratifolij alunt plantas, visu optimas, & nulla nota à vulgatiore, nisi foliis iuglandis, discretas. Semen vtrique Cnici simile & par, in capitulo squarroso Iaceæ nigræ maioris: flos ex purpura albicat. Hoc posterius, Belgicis hortis frequentius: rarius autem Alpinis tractibus, vbi alterum frequentius etiam spontè. *Lob. redarguitur.* Et *hæc ibi Lobelius*. Sed quid sibi velit cum sua censura circa vires ex Dodonæo adscriptas non video: eædem enim sunt non solùm apud Arabes, sed etiam apud Dioscoridem & Galenum. Vocat autem ▪ Centaurium maius suum duplex, Gall. *grand Centaurée*, Belg. Groote Sentory: Belg. gread Centorye. Ico.plant.p.212. eiusdem cum Dod.lat.habet figuram hoc titulo, Centaurium maius. *Centaur. maius vulg. Centauriũ Diosc.* Sed & Clus.Histor.post.eam proponit hac inscriptione, Centaurium maius 1. vulgare, Centaurium magnum quale à Dioscoride descriptum est, vulgaris omninò notitiæ. Est sine descriptione.

Centaurea maior. Cæsalp. Centaurea maior in monte Gargano Apuliæ nascitur: eius radix in officinis pro Rhapontico venditur, exteriùs nigra, interiùs subrubens, crassa, & longa: folia ab radice fert erecta, similia Cerretæ, sed multò maiora, sectionibus vtrinque digito latioribus, instar folij Nucis: caules fert rectos, ab eadem radice plures, paucis ramis, bicubitales, ampliorésque, in quibus pauca folia: cacuminibus capitula Cyani grandiora, flore purpurascente: semen Cnico simile inter lanugines.

Centauriũ maius folio in plures partes diuiso. C.Bauh. Phyt.p.288. Centaurium 1.siue maius folio in plures partes diuiso, quod Officinarum est Rhaponticum: Rhapontica Centaurea maior habita Trago sine icone.

H.Lugd. p.1287. Centaurium maius, vt & Camer. hort. quod hic ait à Centauro Chirone sic dictum, à quo βοτανικά Achilles edoctus fuit. Affertur ex Apulia de monte Gargano siue S. Angeli dicto, ac pro Rhapontico venditur.

Cent. maius serratifolium. Tabern.Icon.& Hist. Centaurium maius, vulgò Rhaponticum. Schvvenckf. Centaurium maius, Centaurium maius serratifolium.

Locus & tempus. Centaurium maius folio Iuglandis prouenit mihi Geneuæ in horto ex semine: Lugduni habebam in horto: Basileæ vidi in horto D. Cœlii Secundi Curionis præceptoris, & D. Dis Theodori ZWingeri & Humelij Pharmacopœi, ipse etiam habui in horto patris florentem Maio quod excreuerat ad altitudinem hominis: Patauij in horto publico & D. Cortusij mense Februario. Curiæ Rhætorum in horto. Montbelgardi in Horto Ill. F.C. satum aliquoties prouenit, verùm periit priusquam caulem protulerit.

CENTAVROIDES FOLIO GLABRO flore flauescente.



Descriptio. CVbitalis & sesquicubitalis est planta, *caule* glabro, ramoso, tereti: *folia* dodrantalia & longiora, glabra, glauca, in multa segmenta ad costam vsque diuisa, quæ quidem segmenta, aliàs opposito situ respondent, aliàs verò minimè, crassiuscula, neruo bifido per longum exporrecto, in ambitu raris denticulis crenata, aliàs integra, sapore oleraceo: singulis porrò ramulis singula insidẽt *capitula* Oliuæ magnitudine, sed formâ conicâ, splendentia, imbricata, tam acuratâ squammularũ commissurâ contexta, vt læuia esse videantur, nec vllâ asperitate molesta, è quibus emicant *flores* staminei, dilutâ flauedine imbuti.

Discrimen à Centaureo collino. Etsi cum Centaureo collino luteo Monspeliensi magna huic sit similitudo, omnia tamen in hoc inoffensâ læuitate politiora sunt, squammæ item capitulorum viridantibus striis pictæ, obtusæ,

nullis

nullis vel spinarum rudimentis donatæ, cùm Centaurium collinum luteum Monspeliense squammas habeat minimè striatas, spinulis in ambitu ruffis, mucrone mordaci aculeato.

Locus & tempus. Stuckgardiæ in horto Ill. a. c. donauit D. Schvvartz nomine Centaurii maioris siue Rhapontici Officin. Iam etiam in horto Montbelgardi vbi Augusto & Septembri floret. Considerandum an eadem sit planta, quam apud Fratrem vidi siccam anno 1594. nomine Centaurii magni flore luteo & folio vndique glabro, ex monte Baldo.

CENTAVRIVM MAIVS ALTERVM folio integro.



Descriptio. HOc Centauriũ describit, ni fallimur, Clusius, dum ait. Longa habet *folia*, non in lacinias diuisa vt vulgare, sed Armoraciæ foliis non dissimilia, & ad Glasti foliorum humi expansorum similitudinem plurimùm accedétia, per ambitum tamen serrata, saturæ viriditatis, & amariusculi saporis: *caules* inter folia prodeunt cubitales aut ampliores, rotũdi, circa summum bifidi aut trifidi, squamata capita sustinentes, Centaurii maioris primi æmula: *florem* villosum, coloris albescentis, instar vulgaris: *semen* Cnico ferè simile, seu, vt veriùs dicam, vulgaris, summo hirsutum, & molli lanugine inuolutum: *radicem* valdè crassam, duram, longam, denso cortice tectam, foris quidem nigro, interna verò parte flauescẽte, succumque croceum resudante, qui cum amaritudine quadam aromaticus est.

Synonyma. Lobel. Obs. p. 409. eandem cum Dod. lat. habet figuram hoc titulo, Centaurium maius alterum, Centaurii maioris varietas.

Cent. magn. alt. Dod. Dodon. Hist. purg. & lat. in fol. p. 333. Centauriũ magnum alterum folio nõ dissecto, verùm Lapathi modo, longo, lato, simplici atque indiuiso, per ambitum tamen serrato: caule breuiore, floribus, semine, radice, priori cõformibus. Atq. huius Cẽtaurii maioris meminit autor (qui Galenus fertur) libri de virtutibus Centaurii ad Papiam, Crateuã adducens testem, in libro eorum quæ effodiũtur: vbi duæ Centaurii species referuntur, maior & minor, ac maior foliis describitur Lapathi.

(Margin: Cent. Galeni foliis Lapathi.)

Cent. Lusitan. Clus. Rhaponticũ Error Pharmacopolarum. Clus. Hisp. & Hist. post. l. 4. p. 9. Centauriũ maius 2. siue Lusitanis Tagi accolis Rapõtis, hoc est, Rhaponticum nominatum, vulgarem Pharmacopolarum errorem sequutis, qui notius Centaurium maius, eo nomine donant.

Cent. maius fol. non dissecto C. Bauh. C. Bauh. Phyt. p. 188. Centaurium maius 2. folio non dissecto. Cum Rhapõtico, inquit, folio Helenii quidam idem volunt, at illius folia subtus incana & villosa sunt, huius verò intenso sunt virore, vt Clusius monet.

Locus. Simplicis folii Centaurium maius Dodonæo, Hispania mittit, atq; aduectę Antvverpiã radices, terræque commissæ, subinde in hortis reuirescũt. Supra Olysipponem, lapidosis iuxta Tagum collibus duntaxat inueniebam [inquit Clus.] in Belgica peregrinum omninò: nam tametsi radicẽ ad amicos inde miserim musco madido inuolutam, vt faciliùs conseruari posset, & postea etiã Olyssipone acceperim, numquam tamẽ istic persistere, aut illũ aẽrẽ ferre potuit. At Primũ illud vulgare foliis dissectis in omnibus hortis conspicitur.

CENTAVRIVM MAIVS, RHA CAPITAtum folio Enulæ, subtus hirsuto & incano.



Descriptio. FOlia est amplo, Enulę siue Verbasci nigri, magnitudine & formâ oblongâ, pronâ parte lanugine cinericea obducta, supina verò viridâte, per ambitum serrato, crasso neruo per longum decurrente, à quo in margines obliquæ porrigũtur venę, antequam ad oras pertingant in venulas alias diuisæ, pediculo longiusculo, satis crasso, villoso: *caulis*, vt scribunt Aduersariorum auctores, rectus, capite fastigiatus, foris squammulis loricato, ac per maturitatem stamine purpureo pleno: *semine* dum circa Iunium & Iulium maturuit, Centaurii maioris vel Carthami longiore: *radix* etiam fungosior, maior, & Rhabarbaro similior quàm Centaurio.

Rha diuersa genera Dodon. Dodon. gall. l. 5. c. 10. Græcè ῥᾶ ἢ ῥῆον radix eius propriè appellatur. Arab. Rheu & Raued ou Rauet. Plinio latinè Rhecoma & Rhacoma. Sunt sanè Rha diuersa genera, figurâ non differentia, sed ratione locorum vbi proueniunt & inueniuntur: *Vnum* quod supra Bosphorum nascitur, Græcè dicitur ῥαπονηκὸν, Lat. Rha Ponticum, aut Rheum Ponticum. Mesuæo Raued Turcicum: *Rha de Turquie*. *Secundum* prouenit in Barbaria & vocatur Rhabarbarum, à Mesue & Pharmacol. Rhabarbarum. *Tertium* proueniens in India vocatur Rha aut Rheum Indicum, Medicis Arabibus Rauesceni aut Rauedseni. Vidimus, inquit, hisce in regionibus in horto Gasparis van der heiden Loũanii, qui seminauerat & coluerat magnâ diligentiâ. Floret Iunio. Item in Hist. Lat. in fol. p. 385. Rha siue Rhei, vt existimatur, icon. Nullam addit descriptionem, quod mirum, cùm olim in Gallica scripserit se vidisse, & descripserit: icon quidem postrema variat à priore, sed eiusdem plantæ videtur.

CENTAVRIVM SIVE RHAPONTICVM alterum angustiore folio.

Descriptio. VAldè affine Capitato Rheo, quod ex Italico semine habent D. de Brancion & Georgius Ryensis: sed *folia* angustiora multò, acuti Lapathi



paria, auersâ item parte incana, & *caulis* rectus, capite fastigiatus squamulis loricato, ac staminibus purpureis Cynaræ aut Cardui concoloribus pleno: *semen* Cnici syluestris cóptessum ægrè maturat in Belgio: *radix* Centaurij maioris, fungosior.

Rhaponticũ alterũ Lob. Lobel. Obs. p.153. Rha Ponticum alterum angustiore folio. Plant. Icon. pag. 288. Rha ponticum alterum angusti folium.

CIRSIVM VETERIBVS.

Cap. V.

Cirsium Diosc. CIrsium [κίρσιον, Ald. cod. κίρσιμον, malè] ita describente Dioscoride, *caule* est tenero, bicubitali, triangulari [τρίγωνος] ab imo *foliis* Rosæ pusillis circumdato (τὰ κάτωθεν φυλλάρια ῥοδοειδῆ,) habentibus ex interuallo angulos spinosos, sed molles, Buglosso similibus modicè hirsutis, longioribus (μακρότερα, minoribus vet.) subcandidis, & per extremitatem aculeatis. *Diuersa lectio.* Est autem pars summa caulis rotunda & hirsuta, illique insident *capitula* in summo purpurea, quæ in *pappos* seu lanugines soluuntur. Huius radicem memoriæ prodidit Andreas laboranti loco adalligatam [ἀναδούμενον, ἀναδεδεμένον vet. religatam, dolores varicum [κιρσῶν perperàm Ald.] sedare.

Diosc. restituitur. Cirsium Plinij. Cirsion, inquit Plinius, cauliculus est tener duûm cubitorum, triangulo similis, foliis spinosis circumdatus: spinæ molles sunt: folia bouis linguæ similia, minora, subcandida: & in cacumine capitula purpurea, quæ soluuntur in lanugines. Hanc herbam radicémve eius adalligatam, dolores varicum sanare tradunt. Et *hæc* Plinius lib. 27. cap. 8. qui vt Cornarius attestatur, nihil adeò à Dioscoride euariat, nisi quòd folia non Buglosso, sed linguæ bouis similia esse dicit. Buglossum autem folium habere linguæ bouis simile, etiam ipse Diosc. alibi dicit. Deinde minora folia dixit, vt qui μικρότερα, legit, quod hodie codices habent μακρότερα, id est longiora. *Diosc. locus corruptus.* Illum porrò locum [τὰ κάτωθεν φυλλάρια] deprauatum esse, & pro φυλλάρια vocem aliam desiderari credit Sarracenus. Neque enim ait is, verisimile fuerit vnius & eiusdem herbæ folia ab imo roseorum speciem referre, pusillaque esse: reliqua verò quæ è caule prosiliunt, Buglosso similia & longiora. *Diosc. corrigitur.* De caule itidem, τρίγωνος τὰ κάτωθεν, legẽdum videtur: quoniam paulò pòst subdit Autor, τὰ ἀνωτάτω τοῦ καυλοῦ στρογγύλα, hoc est, summam caulis partem rotundam esse. Ita porrò imam caulis partem summæ videtur opponere, dum hanc scribit esse rotundam, illam verò triangularem. Sed & γωνίας seu anguli, de quibus deinde agitur, minimè ad folia, sed ad caulem potiùs referri debere videntur. Etsi verò suspecta sit Sarraceno tota ista periodus, attamen verbum verbo reddere satiùs duxit, quàm (quod fidum Interpretem minimè decet) citra codicis vllius autoritatem liberiùs quicquam immutare.

Error Plin. Diosc. Apud Plinium (inquit Leonic. de error.) seu etiã in vetere quodã Diosc. codice crisciũ [Cirsiũ & rectiùs] folia linguâ bouis minora scribuntur; quem puto errorem ex vocabuli Græci similitudine & codicis mẽdo quem Plinius habuit, contigisse: quoniam pro μακρότερα, microtera scriptũ inuenit. Ego verò in multis codicibus Grecis non solùm impressis, sed etiam manuscriptis apud Diosc. μακρότερα, id est, longiora, non autem μικρότερα, id est minora reperi.

Galenus, Paulus, & Aëtius Cirsion non habent.

Etymõ Cirsii. Cęterùm, varices, quos Græcorum Medici omnes, Cirsos vocant, Cirsio, de quo nunc agimus, nomen fecerunt: illis siquidem medetur. Sunt autem qui grandem Buglossum appellent, Romani Spinam mollem inter nothas Dioscoridis appellationes.

Plãtæ Cirsij nomine donatæ, & Æquiuocæ. Cirsij descriptionem apud Dioscoridem intricatam esse scribit Anguillara, ideóq; fatetur, quid sit, se dicere non posse.

Carduus pratensis Trago. Monspeliensium. Carduus Cirsion dictus fol. laciniato nigrius. Cirsium tomentosum radice bulbosâ. Cirsiũ maximum siue Lutetianũ. Card. Cirsium Monspeliacum. Cirsiũ Anglicum. Cirsi Britãnicum. Cirs. Pannonicum 1. Carlina sylu. Dod. Scabiosæ. Iacea. Borrago. Buglossum. Hierac. capitulis Cardui benedicti. Echion. Cirsij nomine sequentes donãtur plantæ. Cirsium Dod. gallici volunt quidam esse Carduum pratensẽ Trag. Alij pro Cirsio tradunt Carduũ bulbosum Monspeliensium, siue Acanthum siluquorundam foliis laciniatis. An Cirsion minus Lobelij Obs. pag. 313. est Carduus dictus Cirsium folio laciniato nigrius? Leucacantha Anguillaræ quorundam est Cirsium tomentosum radice bulbosâ. Est Cirsium maximum Clusio, foliis carnosis bulbosâ radice fortè Lutetianum. Carduus Cirsium Monspeliacum folio longo, vtrinque glabro Matthioli. Cirsium Anglicum radice Hellebori nigri modo fibrosâ. Cirsium foliis non laciniatis virore Brassicæ & Macrocaulon. Cirsium Britannicum Clusij repens. Cirsium Pannonicum 1. Clusio, folio non laciniato. Cirsium luteum Sequanorum Lobelij, est carlina syluestris Dodonæi. Ad Cirsium Dioscoridis conijcit Scabiosas tres vltimas Tragus, quarum vna fortè est Iacea nigra Dodonæi, aliæ autem duæ colore tantùm inter se distinctæ, quæ sint, videant lectores. Si Borrago Cirsion nõ est (inquit Hermol. in Diosc. coroll. 733.) mirum quam ob rem sit indicta Veteribus, nisi quis Buglossi generibus contribuat. cirsion & officinæ & vulgus Herbariorum vocant Buglossum maius & minus, de his l. 33. Hieracium capitulis cardui benedicti, de quo præcedenti libro egimus, vocatur à Turn. part. 1. p. 141. cirsium. Hallucinantur qui herbam vel linguam hircinam vulgò dictam, nobis Echion, cirsium arbitrantur.

CARDVVS PRATENSIS TRAGI.

Descriptio. NOuicellus est Tragi pratensis carduus & mitibus spinis donatus. *Caulis* striatus, glaber, trium, quatuórve cubitorum altitudine, cui *folia* ex longis interuallis adnascuntur, pallidè virentia, alia cubitum longa, alia palmum; alia satis profundè laciniata, alia duntaxat serrata, mollia, & tenera: ramis in quos caulis finditur insident capita



capita satis magna, simul multa congesta, mollia, è quibus *flores* excũt ex flauo pallescentes: *semen* Cnici, minus: *radix* crassa.

Carduus pratensis, quòd in nonnullis pratis nascatur nomen habet. quòd verò folia in cibis quoque vt reliqua olera expetantur, ideò à muliercuIis wisen köl [Brassica graminea] nuncupatur. Est autem inter omnes Carduos hic tenerrimus, si spinas consideres molliusculas. Trago ἄκανθα ἀγρία Diosc. & Plinii esse videtur.

Card. pratensis. Brassica pratensis, sive Graminea.

An Cordo Obs. silv. p. 222. Herba carduaceis foliis, acanaceisque capitulis, in montanis pratis?

An Herba carduaceis fol. Cordo. Limonium Theoph. Cirsium. Acanth. silv. Branca vrsina. Brass. leporina.

Gesn. hort. Carduum pratensem Tragi existimat Limoniam Theophrasti, quam Gazam malè Betam siluestrem vertisse scribit. Eidem de coll. stirp. Acanthus silv. Hieron. Bock wisen köl [Brassica pratensis:] Groß köl [Brassica graminea.] Item in cat. pl. Acanthus sylvestris, wilde Brãca vrsina. An eidem de coll. stirp. Hasenköl (Brassica leporina volens fortè scribere wisenköl.

H. Lugd. p. 1441. Acanthus silv. Carduus pratensis Tragi. An eidem p. 583. Cirsium Dodonæi?

An Cirsium Dod.

Lob. Adv. & Icon. Plant. Carduus pratensis Tragi, Acanthi facie. Lonic. Ἄκανθα ἀγρία, Carduus pratensis. Tabern. apud Vvirsung. Acanthus silv. Carduus pratensis, & Brassica pratensis.

Locus & Tempus.

Copiosum hunc Carduum vidi ad ripam Dubis inter Longeuelle & Bauans: Gener meus Theobaldus Noblot obseruauit circa Audincourt. Quum essem Geneuæ ex pratis montis Thuiri transtuli in hortulum: florẽte incipiebat Iulio, vti Montbelgardi, Augusto semine etiam maturo. Obseruaui præterea in monte prope oppidum S. Hippoliti: Item non longè à Basilea locis aquosis circa Bintze pagum in Marchionatu Badensi, & Frater Casparus in pratis circa Birsam. Planta est, authore Trago hyemis contẽptrix, & quæ frigora facilè ferat. Aprili mense quotannis noua candida folia è capillata exeunt radice: Iulio mense caules emittit.

CARDVVS BVLBOSVS MONSPELIENSIVM, SIVE ACANTHVS SILV. quibusdam, foliis laciniatis.

Descriptio

FEcit *foliorum* non inepta similitudo vt Acanthi sylueſtris nomen meruerit: sunt ea namque Acanthi seu Brassicæ vrsinæ foliis aliquatenus similia, admodum nigricantia, paulùm hirsuta, vel potiùs tomentosa, crassiuscula cum spinulis in extremitatibus laciniarum, quorum pediculi ad radicem rubescunt: *caules* bicubitales, rubentes, imprimis parte imâ, quorum ramis longis capita insident aliquot Cirsii capitibus similia, miti squarroso echino, *floribus* staminibus purpurascentibus comato, qui tandem in pappos resoluuntur: *semen* album, oblongum: *radices* ex vno capite plures dependent, turgidulæ, bulbos imitatæ, sapore nonnihil salsuginoso, in quo & plantagineus gustus elucet.



Clus. Pann. p. 660. sine icone Cirsio maximo similis planta, sed longè minor, quam in pratis Monspelianis olim eruere meminit, quam tum nonnulli pro mõtana Nardo ipsi obtrudere volebant. Eadem tradit in Hist. post. pingitque l. 5. p. 149. hoc titulo Cirsio 5. [maximo] congener Carduus bulbosus Monspeliensis.

An Leucacantha Dioscor. Lobel in Adu.? Is autem etiam carduum bulbosum Monspeliensiũ & Albam spinam vocat, ac à Spina alba (quorundam) non parum dissidere scribit, contra quàm nonnullis persuaserat vocum parilitas. Icon. Plant. tom. 2. pag 10. Carduus bulbosus Monspeliensium.

An Iacea aculeata Tabern.

An Tabern. Icon. Iacea aculeata seu tuberosa Stachelkraut/Stechgüntzel: Hist. Iacea 4. flocke blům. Et postea inter nomina: Iacea aculeata & Consolida aculeata, à foliorum spinoso mucrone sic dicta, & ab ipso Iacea tuberosa à radicis tuberibus nuncupata, & inter Stœbes genera relata.

H. Lugd. p. 1465. Carduus bulbosus Monspeliensium, quem quàm proximè ad Leucacanthã Dioscoridis accedere Lob. existimat, & quidam carduum Triglochinum esse malunt. Sed hunc carduum credimus esse carduum dictum cirsiĩ folio laciniato, nigrius, Asphodeli radicibus bulbosis, de quo mox differemus.

Card. Triglochin.

Acanthus siluestris quorundam floret mense Maio in pratis circa Monspelium locis vdis frequens inter Narcissos & Aristolochias, vbi non rarò à nobis collectus.

Locus & tempus.

CARDVVS DICTVS CIRSIVM FOLIO laciniato nigrius, & idem cum Asphodeli radicibus bulbosis.

Descriptio.

CIrsio affinis est hic carduus, laciniatis spinosisque membranis *caulem* striatum ornantibus: at verò *folia* palmum aut sesquipalmum lõga, glabra, nigricantia, profundis Carlinæ vulgaris laciniis incisa, rigidioribus spinis horrentia: *scapi* foliosam & spinosam fimbriam habent, & in longos ramos diuiduntur in quorum extremitatibus *flores* purpurei, verùm capita squammata, singularia vnde emicant: *radix* satis crassa, à qua pendent prælongæ fibræ nigræ, Hellebori nigri vulgaris æmulæ. Hæc descriptio est ex planta sicca collecta olim Basileæ & Geneuæ, quæ fortè bulbosa fuit.

An Dodon. hist. purg. in append. p. 452. & lat. in Fol. p. 725. Spina Cirsio similis, prima? An Lobel. Obs. p. 313. Cirsion minus? An Hist. Lugd. pag. 1444. Acanthus sylu. alter Dalechampij. Acanthus sylu. 2. aliis dictus Leimonia, qui in pratis nascitur: Herbarij quidam Carduum πελλόχρα vocant: alij verò Leucacantham esse volunt.

Locus & tempus. Olim obseruaui hoc Cirsium cùm essem Geneuæ in monte Thuiri florens Maio: & idem florens Augusto in montibus circa Wasserfal. Hoc Cirsium collegi etiam in montibus circa S. Vrsane, & plantaui in horto Ill. E.C. Montbelgardi, idem etiam ni fallor Basileæ vidi in horto Dn. Martini Chmielecij Poloni delatum ex Wasserfall, sed foliis amplissimis, cultura fortè facit varietatem.

CIRSIVM TOMENTOSVM RADICE bulbosa quibusdam Leucacantha Anguillaræ.



Descriptio. Ex eodem capite multæ pendent *radices* Pæoniæ vulgaris more, candidæ, gustu ferè insipido: vnde *folia* primùm promútur dodrantalia & cubito longiora, mollia, incanâ lanugine suprà infráque obducta, per ambitum laciniata, spinisque mitiorib. obsita: pòst *caulis*, & is quoque foliosus, attollitur, crassus, lanuginosus, inque ramos diuisus: *flores* singulis pediculis insident singuli, nutabundi, Cirsij vulgaris, coccineo colore præditi, è capitulo squarroso emicantes, qui in pappos abeuntes *semen* relinquunt paruum, album.

An Anguill. epist. 8. p. 147. Planta spinosa quam reperit in Illyria & circa Pisam Hetruriæ vrbem?

An Cirsii montanum Vulg. Pann. Clus. An Clus. Pann. pag. 660. Hist. post. lib. 5. p. 149. Cirsium 4. siue montanum 2. quod vulgare in Pannonia, in Belgicæ autem hortis coli meminit, foliis aliquantulùm laciniatis, & Cirsio montano tertio paulò mollioribus, similibus ferè floribus, caule striato, & perenni etiam radice?

An Cirsii varietas duplex Lob. Acant. peregr. Tabern. An Lob. Obseru. pag. 311. Cirsij varietas duplex in Belgarum hortis? An Plant. Icon. p. 582. Cirsium maius?

Tabern. Icon. & Hist. par. 2. p. 160. Acanthium peregrinum frembd wegdistel Hist. Lugd. 584. Cirsium maius singularibus capitulis. Camer. hort. Cirsium vtrumque, tam spinosum, quàm lene. Item grande aliud bienne, & aliud exiguum perenne. In tanta breuitate, non possum distinguere Cirsia Camerarij.

Locus & tempus. Leucacantham Anguillaræ Patauij vidi mense Martio in horto publico & Domini Cortusij. Frater Casp. Bauhinus attulit nomine Acanthæ lenceæ: vidi etiam Bisantij apud Dom. Doctorem Chifflet Medicum humanissimum, qui mihi misit plantam, quam Montbelgardi in Horto E.C. plantaui, folia sunt longa, radices similes Asphodelo vel Pæoniæ, magna & pulchra planta, similis Cirsio, caulibus & capitulis Centaurij floribus purpureis, vel Acantho syluestri Dalech. qui in pappos resoluuntur, in quibus semina parua, alba, floret tota Æstate.

CIRSIVM MAXIMVM FOLIIS carnosis, bulbosâ radice, fortè Lutetianum.



Descriptio. Ad Cirsij genera refert Clusius etiam id Cardui, siue spinæ mollis genus, quod in bicubitalem, & maiorem interdum altitudinem excrescit, pollicaris crassitudinis *caule*, striato, incanâ tomentaceâque lanugine obsito: *folia* illi maiora quàm in superioribus generibus, magis carnosa, succi plena, viridia, in ambitu dentata, mollibúsque spinis hirta: *capita* in summo caule summísque ramis maiora iam descriptis, quæ in stamineos purpureo colore nitentes *flores* expansa, maturitate in pappum resoluuntur: *radix* multis crassis fibris, Asphodelinos bulbos ferè referentibus, & oblongis firmatur.

Cum hoc Clusij Cirsio idem fortè vel simile vidi Lutetiæ florens Augusto in horto Robini, cui folia erant glabra, & carnosiora quàm cæteris, lata non laciniata, spinulæ breues & molles in margine foliorum: flores cum capitulis similes nostro tomentoso laciniato.

Synon. Cirsium hoc maximum foliis carnosis bulbosâ radice, est Clus. in Pannon. p. 660. Hist. post. lib. 5. p. 149. Cirsium 5. siue maximum incano folio, bulbosâ radice, sine icone. An Cæsalp. Cirsium alterum?

Locus & tempus. Nascitur in montanis pratis, etiam ad piscinarum vdos margines, inter salices amerinas quoque, & harundines. Floret Iulio.

CARDVVS, CIRSIVM MONSPELIANVM folio longo, glabro, Matthioli.

Descriptio. Radix & ima *folia* inquit Lobelius, Dipsaci modo & oris Buglossi angustifolij acutiora, & leuibus hirsutis; spinis asperiora, lógiora, viridia. *Caulis* vt plurimùm singularis, binos ternósve cubitos æquat, angulosus, rectus, incanus, tener, Sonchi modo. In quorum extremo *flores*, rotundis, oblongis capitulis. Cardui, purpurei, densis conflati staminibus: in pappos desinentibus, relicto exiguo, oblongo Cardui *semine* fuluo.

Leucacantha Anguillaræ, de qua egimus sub Cirsio tomentoso, non malè huic etiam conueniret, si sciremus an radices bulbosæ & amaræ, quæ deinceps diligentiùs obseruandæ.

Leucacan-



Plantam quã Pisis ad Matth. misit Lucas Ghinus, qui nasci eam scribit in vliginosis locis: Ea Matthioli quidem iudicio Cirsio maximè adstipulari videtur. Sed mirum quòd plãtam incognitã, quam passim in suis com. egregius & ingeniosus Commentator ex visa sola figura Cirsium referre putauit, ac quam pro eo approbauit, in historia Germanica, non amplius Cirsium Dioscoridis esse tradit. Planta de qua agimus, est Dodon. Lat. in fol. p. 725. spina altera ad Cirsij genus referenda, foliis Cirsio spinosioribus: flosculis concoloribus, sed tribus, quatuórue vnitis, quorum minora capitula non reflectuntur: Hanc pro Cirsio Matthiolus depinxisse videtur.

Matthioli Cirsium Matth notatur.

Matthiolus plantam pingit [missam à Luca Ghino præceptore meo inquit Turn. part. 1 pag. 142.] pro vero Cirsio, sed nec Italicum nomen indicat, neque Herbariorum, neque Officinarum, neque describit etiam, vt in eius cognitionem liceat peruenire. Cúmque leuiter transeat necindicato plantæ odore, sapore, aut facultatibus, neque verum Cirsium concedere possumus, nec penitus reiicere & confutare. Ex figura tamen ab illo proposita confutari posset quòd eam plantam pro Cirsio habent, eodem modo quo ipse alios confutat Buglossum putantes esse verum Cirsium. Confutatio enim eius talis est: folia Buglossi vulgaris infima spinosa non sunt Rosæ similia, non potest ergo esse Cirsium: Ita quoque licet Matthiolum refellere, Infima folia plantæ ab eo pictæ non referunt Rosam, sed longa & continua prodeunt, ergo &c.

Matth. refellitur

Gesn. hort. Cirsium Matthioli Vvysfel Silesio. H. Lugd. p. 582. Circium Matthioli.

C.B. not.

C. Bauh. apud Matth. Cirsium Matthioli, Cirsium agri Pisani Cæsalp. quod Cirsii montani 2. nomine Clusium instr. Pannonicã describere credit Frater. *Sed* an Cæsalpini Cirsium Pisanum idem sit cum Clusii 2. meritò dubito quia capitulum in Clusiano vnum esse solet, flos satis magnus, in Cæsalpini Cirsio capitula tenuia tanquam in vmbella: Figuræ etiam valdè differunt.

Cirsium Lob.

Hanc, inquit Lobel. in Adu. cum Guini Cirsio in Matthioli commentariis eleganter depictam, in tuitu, quoad licet, coniectamur: propterea quia idem Senensis vtique sui similis, nullam descriptionem apposuit: Ruellio aliisque doctis, qui putarint hanc Buglossum angustifolium esse, neutiquam passurus: si virentem, florentémque, vti nos, vidisset. Sanè vix vlla in Dioscoride pleniùs descriptioni respondet & facultatibus, quàm hæc, floribus non quidem Buglossi, sed papposis & lanuginosis, euanidis, caducis.

Cirsium Guini Matth. taxatur.

Cirsium Camer.

Camer. ad Hist. & Epit. Matth. Cirsium, welsch ochsenzung. Figuram & descriptionem quandam ponit Camerarius non suam sed Matthioli, Figura enim ex Matthioli commentariis desumpta.

Locus & tempus

Vti dictum obseruaui Monspelii, sicuti etiam Frater plurimis annis pòst iuxta Molendinum loco paludoso. Hanc plurimam prope pistrinum Oliuarum, & pone Molas farinarias, in locis vadosis Lani amnis Monspeliaci, & pratensibus lacustribusque littoreis à Graminuntio luco in meridiem deuexis, quà mesis alluuionibus & Solibus feruidis longè latéque patẽtes planicies sale nitreo opertas pedibus terebat Lobelius, Iunio 1566. Notissima hæc illic studiosis, alibi Italiæ aut Galliæ parum nota aut frequens.

CIRSIVM ANGLICVM RADICE Hellebori nigri modo fibrosa folio longo.



Descriptio

Cirsiũ Anglicum videtur Spinam albam adumbrare, spithameo *caule* & *foliis* Cirsii, cui referri cõmodè potest *flos* singularis Cardui bulbosi: *Radix* Bellidis aut Hellebori modo fibrosa prouenit in pratis in villa vernacula lingua *Arton* nomine, gustu adstringẽte, præsicco, moderatè calido.

Cirsium Anglicum

Angli ex eminent quantùm Cirsium Britannicum Clusii, de quo mox infrà, ab hoc differ it: descriptio hæc Lobelii Obs. p. 315. nimis succincta.

Lob. Icon. Plant. p. 583 & Hist. Lugd. p. 584. Cirsium Anglicum.

CIRSIVM FOLIIS NON LACINIATIS virore Brassicæ & macrocaulo.



Descriptio

Multa pro. fert folia Cirsium foliis non laciniatis virore Brassicæ, oblonga, Centaurii maioris non laciniati, foliorum propemodum æmula, Brassicæ foliorum colore & viriditate, satis carnosa, in ambitu crebris aculeis præ dita: inter quæ medius exit *caulis*, cubitalis aut amplior, striatus, quem alternè ambiũt

folia superioribus minore, latiora pediculo eum amplectentia, & veluti membranaceas quasdam alas, ad proxima folia, secundum caulis, cui adnatæ sunt, longitudinem producentia, eâ de causâ caules quodammodò alati apparent: summus caulis in hispidum, multisque squamulis imbricatum *caput* desinit, quod tandem in stamineum *florem* purpureo colore rubentem explicatur, & propendet: in superioribus alis nascuntur interdum ramuli quadam lanugine obsiti, similes sustinentes flores, qui deinde, vt alii, in pappum & lanuginem resoluuntur, *seminque* in eâ reliquis simile occultant: *radix* minimi interdum digiti crassitudine, aliquot fibris donata & viuax, singulis annis propagines è lateribus fundit.

Semen.

Cirsij folijs non laciniatis virore Brassicæ meminit Dodon. Hist. purg. in append. p. 451. & Lat. in fol. p. 725. vbi Cirsion vocat, ac ita describit. Ex Carduorum & spinarum numero etiam Cirsion est: folia eius oblonga, Lactucæ quasi similia, verùm acuminata, & per circumferentias aculeata, candidiora longioraque quàm vulgaris Buglossi: caules recti, bicubitales, in duas alas nonnullas discreti: in quorum singulis capitulum eminet spinosum ac hispidum, quod post floris vigorem deorsum reflexum nutat, tandémque in papposam lanuginem resoluitur, flos purpureo rubet colore. Semen læue resplendet aliorum multorum Carduorum instar.

Cirsi. Dod.

Carduus, ...

Cirsium alterum Lob.

Lob. Adv. p. 251. Obseru. p. 314. & Icon. plant. pag. 582. Cirsium alterum.


Clus. Pann. Cirsium 1. montanum & pag. sequent. 659. vbi figure, Cirsium 3. Histor. post. ad Iconem, Cirsij montanum: ad descriptionem Cirsium 1. siue montanum 1. H. Lugd. p. 583. Cirsium aliud Dodonæi.

Locus & tempus

Clusius Cirsium suum crescens obseruabat in montanis quibusdam siluis Pannoniæ, vt supra Posonium & Nemethwyvvar, aliis etiam ad Alpes tendentibus supra Badenses videlicet Thermas, & vicinis. Florebat Iunio.

CIRSIVM PANNONICVM 1. CLVSIO, folio non laciniato.

Descriptio




QVia aut lena Cirsium hoc Clusij Pannonicū 1. siue pratense [Eius enim descriptioné mutuamur cùm nobis nec sint radices nec inferiora folia.] statim à radice promit *folia*, circiter tres vncias longa, vnâ lata, sensim in mucroné desinentiâ, latiore verò circa pediculum basi, subhirta, & crebris spinulis per circumferentiam prædita, cirsij coloris: ex horum medio, *caulis* emicat pedalis, aut etiam cubitalis, tenuis, firmus, lanugine quadam obsitus, (per quem sparsa sunt folia iam dictis minora) vnicum in summo plerumque ferens *caput*, nonnunquam alterum & tertium, multis squamulis imbricatim compactis, nonnihil purpurascentibus & acutis asperum, quod in stamineum *florem* expanditur, vulgarium Cirsiorum modo, colore purpureo: *semen* etiam illorum semini non dissimile, multâ lanugine inuolutum nascens: *radix* multis nigricantibus & duris fibris prædita est, eamque supremo capite hirsutam, vetustiorum foliorum nerui remeantes efficiunt.

Locus & Tempus.

Nascitur inter arbores in decliui montium quorundam Pannoniæ: sed montanis pratis quæ secundum Danubium extenduntur, multò abundantiùs. Iunio floret, & subinde semen etiam profert.

CIRSIVM BRITANNICVM CLVSII repens.

Descriptio.



NOn minus est elegans Cirsij genus, & haud dubiò proximè huic collocandum, cuius descriptionem & iconé Clusio anno 1581. Londini communicauit C. Vir. Thomas Pennæus Lōdinensis Medicus. Planta est *caule* singulari, cubitali aut ampliore: *folia* per caulē alterna, longa, in ambitu spinulas, minimèque pungentes habentia, quorum supinæ partes virent, pronæ albicant, & canâ lanugine obducuntur: in summo caule *capitulum* vnum Carduorum modo, quasi ex squammis mucronatis compactum, *florem* sustinens satis magnum ex multis apicibus, colore ex rubro purpurascente, ac tandem in pappum abeuntem: *radix* est nigricans, fibrata, quandoque per magnas fibras sese propagans. Floret Iulio & Augusto. Prouenit in pratis ad radices montis Englebrovv totius Angliæ celsissimi in comitatu Eboracensi.

Clus. Pannon. pag. 657. Cirsium 2. siue Britannicum, & pag. sequ. ad Iconem Cirsium 2. Histor. post. Cirsium Anglicum siue 2.

An verò Cirsia à nobis descripta, Cirsij Veterum facultatibus respondeant, ignorare nos cum Clusio fatemur: & iudicium de iis ferre difficile. Nam neque Dioscorides suo Cirsio vllas vires tribuit, nisi quas ex Andrea descripsit, de quibus antè à nobis dictum.

CARDVVS MOLLIS LAPATHI folio.

PEdali assurgit *caule*, vtcúnque crasso, striato, nonnihil lanuginoso: *folia* illi circa radicem maiora



maiora, Lapathi foliis ferè similia, aut potiùs illius plantæ, quam vulgò Totam bonam, siue Bonum Henricũ cognominant, quà pediculo adhærent, latiora, & quodammodò angulosa, extrema verò parte mucronata, in ambitu aliquãtulùm sinuosa, & mollibus velut aculeis obsita, supinâ parte virentia, pronâ verò omninò incana, foliorum albæ Populi instar, & densâ lanugine obsita, gustu initiò exsiccante deinde amariusculo, quę verò caulem amplectũtur minora sunt & angustiora, ex quorum sinu circa summum caulem ramuli exeunt, terna, quaterna, aut plura sustinentes *capitula* squamata: Cyani, aut Iaceæ capitulis respondentia: quæ, dum expanduntur, *florem* promunt ex cæruleo purpurascentem, & *semen* deinde continent lanugine inuolutum, Cyani semini non valde dissimile, sed paulò maius, candicans. *radix* nigra, aliquot tenuibus fibris prædita, dura, viuax, è lateribus propagin. s spargit.

Clus. Pannon. pag. 663. & 664. Carduus mollis [Hist. post. lib. 5. pag. 151. mollior] 2. siue Lapathi folio.

Locus. tempus. Hunc eruebat Clusius, circa secundum Sneberg, excelsi admodum montis, iugum, inter saxa nascentẽ, cũ Auricula vrsi flauo flore, incano folio: deinde etiam in Etschero. Florebat vtroque loco mense Iulio. Viennam relatus & in horto repositus semen tulit Augusto, deinde periit. Vbi tamen sponte nascitur, viuax est: nam superioris anni caules aridos retinentem, cùm floreret deprehendebat.

CARDVVS MOLLIS HVMILIS & angustifolius.

Descriptio. HVmilior hic est, neque palmarem altitudinem excedit, *caule* non minùs crasso quàm superioris, multis longis *foliis* exornato, supernè etiam virentibus, infernè cana [non tamen adeò densâ, vt superioris folia] lanugine vestitis, & molles quasdam spinas in ambitu obtinentibus, gustus etiam amari, initiò autem adstringentis: summo cauli insidet singulare *capitulum* squamatum, maius quàm præcedentis capita: ex quo *flos* multa lanugine ex cæruleo purpurascente pubescens exoritur: *semen* obseruare non potui: nam tametsi aliquot stirpes in horto magnâ diligentiâ excoluerim, quas loco natali & florentes & nondum florentes erueram, ad frugem tamen non peruenerunt, sed paulatim flaccescentes, prorsus tandem contabuerunt & perierunt: *radix* nigra, & frequentibus subnigris fibris prædita, subinde noua germina è lateribus producit.

Clus. Pannon. pag. 665. Carduus mollis [Hist. lib. 5. pag. 151. mollior] tertius siue humilior angustifolius.

Locus. Tempus. Crescit in summis Snealben iugis, cum Auricula vrsi quarta, quæ glabro & splendente est folio, carnei coloris flore. Floret verò Iulio & Augusto.

CARDVVS MONTANVS FOLIIS Helenii non spinosus.



Descriptio. FOliis Helenii non spinosus, capite rubro, frequens in montibus Hermundurorum circa vrbes metallicas, non multùm differens à Carduo molli latifolio Clusii, in cuius descriptione huius quoque meminit.

Synonyma. Camer. hort. pag. 35. Carduus montanus foliis Helenii nõ spinosus. Clus. Pannon. pag. 967. & Hist. post. lib. 5. pag. 151. Cardui molliotis genus elegans, prælatum, & radice serpente in cultissimo horto c. v. Io. Camer. Carduus mollis Camerarii.

CARDVVS MOLLIS FOLIO laciniato.



Descriptio. MVlta secundum radicem habet *folia*, cùm humi sparsa & iacentia, tum surrecta, infernè canâ mollíque lanugine obsita, supernè virentia, valde laciniata, & ad medium vsque neruum dissecta, calcitrapæ siue cardui muricato capite, mollioribus & tenerioribus foliis penè similia: nullis tamen spinis horrentia, gustu primùm exsiccante, deinde amariusculo: è quorum medio vnus aut alter *caulis* assurgit cubitalis aut amplior, teres, rotundus, striatus, purpurascens, & molli quadam lanugine obsitus: inferiora folia per infimum

caulem ſparſa: etiam laciniata ſunt, licèt iam dictis minora, quæ verò ſupremũ caulem ambiunt, oblonga, anguſta, nullis laciniis diuiſa, mucrone vt plurimùm purpuraſcente: extremi caules in aliquot ramos interdum diuiduntur (magnâ tamen ex parte ſingulares ſunt, vnicúmque ſuſtinent caput) qui *capitula* ſuſtinent, ex multis tenuibus ſquamis imbricatim diſpoſitis compoſita, molliter echinata, quorum medium, occupat ſtamineus & villoſus *flos*, coloris purpurei elegantiſſimi: flori flaccido & euanido ſuccedit *ſemen* anguloſum: radix digiti craſſitudinem nonnunquam æquat, ſubfuſca, longa, aliquot fibris donata.

Synon. Cluſ. Pannon. pag.661. Carduus 1. ſiue mollis [mollior, Hiſt.poſt.lib.5.pag 150] laciniato folio. Hunc ait Cluſ. Geſnero atque Benedicto Aretio notum fuiſſe, nomine Edel diſtel / Cardui inter Carduos ſpinoſiſſimi, foliis referentibus folia herbæ Moßblumen nominatæ. Aſt fallitur Cluſius, multùm enim diſtat Edeldiſtel ab eius Carduo molli laciniato folio. Demonſtrant id apertè folia, herbę Moßblumen, id eſt, Calthæ aquaticæ.


Cluſ. lapſus.

Camer. hort. carduus mollis tenuifolius, cuius icon extat apud Cluſium.

Inuenitur hic, inquit Cluſius, totâ illâ montium catenâ, quæ à Calenberg & Danubio, cui imminet ad Alpes vſque extenditur, & deinde per Leytenberg, rurſúmque per Prellenberg & Hamburgerberg ad Danubium duobus ſupra Poſonium milliaribus reflectitur. Floret Maio, ſemen perficit Iunio & Iulio.


CARDVVS SIVE SCOLYMVS
Satiuus, ſpinoſus & non ſpinoſus.

Deſcriptio. AD culinarum cupedias ſatus Scolymus *folia* è *radice* promit pedem & ſeſquipedem longa, ſemipedem ferè lata, in lacinias latas ſubſectas diuiſa, incano & cinereo tomento obſita, potiſſimùm parte pronâ, nullo aculeo minacia, interdum nulla eſt lacinia angulúſve qui non ſpinis rigidis luteiſque minetur: *caulis* pedem vnum aut alterum altus, ſtriatus, tomentoſus, ramis aliquot donatus, in ſingulorum acumine *caput* gerit turbinatum, ſquammis magnis glaucis, carnoſis, acumine obtuſo, aliàs ſpina robuſta præpilato, vngue infimo craſſiuſculo tenero, veſco, albicante, compactũ, quod ſenſim diuulſis ſquammis ſuperiùs lateſcit, tandemque *floris* ſtamina purpuraſcentia explicat.



Scolymi duo habentur genera: ſatiuum, & ſponte naſcens de quo poſtea. Satiui quidem nulla verè genera ſunt, licèt genera dicat eſſe Matthiolus. Ex eiuſdem ſiquidem ſtirpis ſemine, vterque tam ſpinoſus, quàm non ſpinoſus enaſcitur.

Genera duo Matth. notatur.



Spinoſus *folia* gerit non ſpinoſi, magis diuiſa, magiſque laciniata, tenuibus circundata ſpinis: *caulem* quoque non ſpinoſo ſimilẽ, ſtriatum, ſubalbicantéq; in cuius ſummitate echinatum aculeatúmque extuberat *caput*, *flore* hyacinthino: *ſemine* Cnici minore. *Radice* nititur craſſa, firma, non inſuaui.

Scolymus ſpinoſus.

Non ſpinoſus *folia* fert ab radice amplexa, longitudine ferè cubitali, ſciſſa, ſubhirſuta, cinerei coloris, nequaquam aculeata, paucis exceptis: *caulẽ* ex medio foliorũ erigit craſſũ, & in cacumine caput figura Pineę Nucis, ex latis ſquamis coagmẽtatum. Caput hoc aliquãdo occultatur inter folia media: non procul à radice, quod ſi non auferatur tenellũ, attollitur in dies cum caule ſupra folia, ac floret: *flos* lanugineus eſt, colore purpureo: *ſemina* inter candidam lanuginem continet, oblonga, læui cortice obtecta, candido, vel nigro: Fert & alia à latere capitula duo, aut tria, ſed minora, quàm quod in medio continetur. Capitum ſquamæ figura folij Laurini, aut Myrthini in aculeum deſinunt: breuem, nunc robuſtum, nunc infirmum, nunc propè nullum: ſimiliter & folia, quæ in caule aliquando aculeata, aliquando mitia ſunt: differunt & colore ſquamarum: nunc enim ſubrubentes, nunc virides ſpectantur: capitis quoque figura nunc oblonga, nunc rotunda: guſtui gratiſſima.

Scol. non ſpinoſus.

Theophraſtus ſpinoſum intellexiſſe videtur, cùm inquit. Quæ autem Cactus [Cattus Cæſalp. mallè meo iudicio] nuncupata eſt, in Sicilia tantùm naſcitur, Græciæ nuſquam habetur ſui generis planta: hæc enim ſtatim à radice caules in terram procumbentes emittit, folio lato atque ſpinoſo, caules deſquamati cibo idonei ſunt, paululùm amaricantes, qui in muria aſſeruari queunt: alium verò & caulem producit, quem Pternicen [πτέρνικα] vocant, is quoque cibo aptus, ſed reſeruari nequit, fructus ſpinoſa facie [ἀκανώδης] exẽptis lanuginoſis ſeminibus, veſcendo eſt, & palmæ cerebro ſimilis, σκαλίαν appellant, (Plinius Aſcaliam legit:) Athenæus Ἀσκάληρον.

Cactus Theoph. eſt Scol. Spinoſus.

Pternix

Scalia. Aſcalia Plin.

Spinoſam Cinaram, inquit Dodonæus, Scolymum eſſe Dioſcoridis, Fuchſio & plerumque aliis viſum fuit. Scolymus autem Dioſcoridis folio eſt Chamæleonis aut Spinæ albæ: caule multùm folioſo: capite ſpinoſo. Cinara autem ſpinoſa huiuſcemodi non eſt: Nam tametſi caput ſpinoſum illi ſit, caulem tamen non habet multùm folioſum, ſed ſæpè foliis viduum, vel vno aut altero tantummodò folio ornatum. Conuenit magis hæc Cinara cum eo qui κάκτος à Theophraſto ac Plinio dicitur, &c.

Scolymus Dioſcoridis eſt.

Cactus

Theophraſtus porrò de Scolymo ſatiuo non ſpinoſo, egit, vt puto, ſtatim poſt Scolymum, cùm inquit

Scolymus Dioſcoridis eſt.

inquit: contrario modo se habere Scolymum, quàm Chamæleontem [Theodorus Vernilaginē vertit,] hic enim quamuis foliis constet non aculeatis, tamen Acani speciem gerit, senescensq; flos in lanuginem, pappum vocatam, cōuertitur: pergitque ad æstatem vsque, aliud parturiens, aliud florescens: seminis autem folium quale Laurinū, aut Myrthinum, aut cæterorum huiusmodi, exiguum humorem ac mediocrem habet, & arefactū relaxatur, & non ampliùs pungit: sed hæc verba transposita valdè perturbatam faciunt in codice græco lectionem. Scolymo satiuo non spinoso pleraque ex Theophrasti prędictis adscripsit etiā Plinius: Ixinen, vt ille, inter Cardui satiui genera constituens.

Vernilago.

Cæterùm, apud Columellam Carduus satiuus Cinara vocatur: De Cinara apud Diosc. mentio est tantùm inter attributa: nam de Chamæleonte albo inquit, ex medio foliorum spinas erigere, Echini marini modo, aut Cinaræ. Galenus inter alimenta ex spinosis quæsita inquit: æstimari Cinarā pluris, quàm conueniat: ab aliis Cynarā proferri.

Cinara Columella. Cinara Dioscoridi. Cinara Galenus

Tragus l.2.c.115. describit Scolymū vtrumq; spinosum quidē pro primo Cardui genere siue Scolymo, eumque depingit, figura autem [quæ etiam Cordo additur] non admodum placet. Non spinosū facit 2. Cardui genus, primo per omnia simile, exceptis aculeis spinisve, quib. hūc carere ait.

Figura Tragi Card. 1. spinosus Tragi

Lonic. duas exhibet picturas, duasque species [non genera vt Matth.] tradit, vnum Carduū aculeatum: alterum minorem non aculeatum, Cinaram Columellæ Tragi. Sed huius icon ex Trago inutilis est, vti etiam distinctio illa minoris.

Lonic. differ. Lonic. notatur.

Etsi vnius tantùm Cardui [Scolymi] breuiter meminerit Diosc. Theophrasto tamen, Plinio, ac aliis probatis auctoribus [vt posthac etiam apparebit] plura Cardui genera traduntur, inquit Matthiolus. Verùm vt primùm de his, qui natura cultrice spontè proueniunt, sermo fiat, scire sanè conuenit quod eorum diuersa sunt genera: quorum tamen nomina propria, quod sciam, non habentur. Atqui Plinio l.20.c.23. duo tantùm eorum genera produntur: vnum fruticosius statim à terra: alterum verò vnicaule & crassius. Satiuorum autem, qui tum in hortis, tum in agris seruntur, multiplex est genus. Horum principem locum tenent, qui Hetruscis vulgò vocantur *Cardoni*. Namque ii diligenti culturā adeò teneri, fragiles, albique euadunt, vt magno quidem apparatu, secundis cœnis pro bellariis cum sale, & pipere expetantur. Quo argumento ductus, equidem putauerim de his verba fecisse Theophrastum l. 6.c. 4. de plantarum historia, cūm ita scribit. Quæ autem Cactus nuncupata est, in Sicilia tantùm nascitur, &c. Nostrates quibus vbique nunc Hetruria scatet, eò ex Neapoli allati fuerunt. Neapolim verò (vt audio) ex Sicilia. Quapropter nostri cum hoc Theophrasti genere, maximè conuenire videntur, quòd scripserit, Cactum Siciliæ peculiarem esse plantam. Continentur præterea in Carduorum genere etiam ij, quos in India Hetruscū vulgus appellat *Carcioffi*: aliis verò alibi *Archichiocchi* dicuntur: quorum item meminit Theophrastus eodem loco, cūm subdit. Alium verò caulem erectum producit, quem Pternicem vocant. Qui pro palmæ cerebro illud, quantùm equidē reor, intelligit, quod Galenus encephalon pluribus in locis appellari tradidit, & quod nunc corrupta voce Neapolitanis, & Siculis vulgò vocatur *Cefaglione*. Carduorum autem, quos vulgò Carcioffi vocari diximus, nobis plura sunt genera, variā capitis formā distincta. Siquidem proferunt omnes echinata capitula, sed aliqui spinis sursum respicientibus constant, alii verò ad terram versis, nonnulli etiam aculeis vacat, (id est, quod Theophr. c.4.l.6. vult Scolymi capita oblonga esse, miniméque aculeata.) Sunt præterea in hoc postremo genere, quibus echini in longū fastigientur, quibus verò in globū extuberent, dehiscentibus in altero squamatim spicis, in altero iisdem squamis, veluti corticosis vnguibus, in vnum compactis, & coagmentatis, Nucis pineæ instar. Ex quo facilè in eam sententiam deductus sum, ut crediderim, hāc Cardui speciem postremam Nucis pineæ æmulam, esse Carduū pineam Theophrasto vocatā, quòd is loco antè citato ita de ea scribat. Est Carduus pinea ab radice foligera: qua de media seminalis Acanus, veluti malum extuberat: hæc ille. Cæterùm Cardui aculeati genus & illud est, cuius echinati capitis floribus Hetrusci coaguli vice vtuntur, etsi Cardui satiui omne genus idem suis floribus præstet. Sed facilè potuit factū esse, vt ij, qui aculeis non rigent, humano cultu mitiores euaserint, cūm naturā Carduorū omne genus spinis vacare nequeat. *Hac Matthiolus*, quē Theophrastum malè intellexisse, ac à Gaza deceptum esse, constabit illi, qui consulet textū Græcum, vbi hic vertit Carduum Pineam, id quod ipsemet animaduertit: nam in post. comm. (vbi duas pulchras exhibet figuras) omisit hanc opinionē. Ixiam Gaza Carduum pineā vertit, ineptè & nimis confidenter. Est autē Ixia Theophrasti Chamæleonis genus. Is sibi præterea contradicit: nam Carduorum genera omnia proferre echinata capitula perhibet, quod falsum, vt ipsemet paulò pòst ait, nonnulla aculeis vacant. Omnes quidem structili tanquam laminarum ordine in metam & verticem fastigiantur.

Cardui genera Plin.

Cardoni

Cactus Theoph.

Carcioffi Pternix Theoph.

Encephalon Gal.

Cefaglione. Carcioffi genera Matth.

Card pinea Theoph.

Card. non spinosi Matth. lapsus.

Gaza erroꝛ

Matth. notatur

Carduus, quē Græci vocant Scolymō, secūdum Galenum, Aëtium & Paulum, diuersus est à Cinara. Quidam tamen in eo duntaxat differre volūt, quòd Carduus sit siluestris, Cinara autem satiua. Mea quidem sententia [inquit Turn.] ex Plinio, Diosc. & Theophrasto, palàm est nostrum Artichock esse Scolymum & Cinaram. Sed illorū descriptionib. addendum profundè incisa esse folia, ad medium vsque neruum: echinum autem cono Pini similem esse, squammas tamen latiores esse crassioresque, quàm Pini.

Carduus Scolym. et dictus

Dioscor. et Plin. corriguntur.

Bellon. l.1. Obs. c.18. videtur nolle *Artichaut* satiuum, esse Scolymum, sed si eum benè intelligo potiùs Carduū vult. Sed meliùs iudicat Anguill. epist. 8. cūm ait. Planta, quam Romani vocarunt Carduum, Theophr. Cacton, Græci recētiores, vt Galen. Cynarā, culturā & mangonio reperitur sine spinis, vt affirmat Cassianus Bassus l.12.c.39. rei rusticæ, estque eadem cum Scolymo Dioscoridis.

Cactos Theoph. est Cynara Gal. Bellonii

Cinaram distinguit Dodon. in spinosam & non spinosam. Spinosam verò siue aculeatam Carduū vocat, eamq; à nō spinosa nihil differre scribit, nisi quòd foliorū eius omnes anguli, ac coni squamæ, duris, pungentibus spinis armentur, vnde & Cardui nomē ei impositum, ac ab It. *cardo*, ab Hisp. *cardos*, à Gall. *chardons* nuncupari ait, & degenerantē Cinarā esse dicit. Nō spinosā verò, Cinaram Galeni esse tradit. Is olim figuras duas posuit, nūc in postremis Carduum spinosum dūtaxat pinxit.

Cinara spinosa Dod. Carduus aculeatus.

Cinara non spinosa.

H. Lugd. quatuor proponit figuras, nullā quidem necessitate cogente. Harum duæ spinosæ, duæ non spinosæ. *Spinosa* 1. est Cactus Matth. Carduus aculeatus, p.1438. 2. est p.1440. Carduus altilis, Cynara sine capitibus acuta, Dodonæi. *Non spinosa* 1. Cinara non aculeata Matthioli. Altera Cinara nō aculeata Dodon. Ambæ p.1439. et

H. Lugd. 4. figura Spinosa dua Non spinosa H. Lugd. mirè confundit omnia.

descriptione mutila. Apud Historiam mirè confunduntur omnia. Pro Scolymo Dioſcoridis Lugd. Cynaram ſiluestrem pingit: pro Scolymo autem Theophraſti, Carduum dictam ſpinam luteam, de qua interiùs agemus, nunc verba H. Lugdunenſis adſcribamus. Σκόλυμον Græcorum, inquit, Latini Carduum interpretantur generatim. κινάραν autem à quibuſdam per i ſcriptam, teſte Galeno, ab alijs per ypſilon, quidam corruptâ voce *Articocum*, alij *Alcocalum* vocant, nũc vulgus Herbariorum, *Articocalum*, Arabes *Raxos*, *Harxos*, Alexander Trallianus ἀρτυτικόν. Cynaræ nomen dedit puella eiuſdem nominis, quam in hanc herbam conuerſam fuiſſe fabulantur. Sunt qui à cinere dictam velint, quo, vt Columella & Palladius aiunt, lætatur. Hoc etymum Græcos id à Latinis mutuò ſumpſiſſe indicat, tametſi contra huius vocabuli notionem, ex Græcia veniſſe in Latium vetuſtiſſimi quique Græci tum Poëtæ tum Oratores demõſtrent, qui apud Athenæum Cynaræ ſpinæ meminerunt, Sophocles, Hecatæus Mileſius, Callimachus, & alij. Sunt qui potiùs à cane dictam malunt κύναραν, quòd Apollinem cõſulenti Locro redditum eſt oraculum, vrbem ibi conderet, vbi lignea cane morderetur, tandem in crure Cynara vulneratus, oppidum conſtruxit. Sed Didymus apud Athenæum Cynoſbaton potiùs, id eſt, canis ſentem intellexit. Dioſcorides de Scolymo tãtùm egit, de Cynara minimè, Scolymus Dioſcoridis alius eſt, quam Theophraſti, quos Plinius confundit, his verbis: ſiluestrium genera ſunt duo: vnum fruticoſius à terra ſtatim, (Scolymus eſt H. Lugd.) alterũ vnicaule, craſſius (Scolymus Dioſcoridis iudicatur H. Lugd.) vtrique folia pauca, ſpinoſa, muricatis cacuminibus: ſed alter [nempe Dioſcoridis: nam alterius luteus flos eſt:] florem purpureum mittit inter medios aculeos, celeriter caneſcentem, & abeuntem cum aura. Scolymum Græci vocant, &c. Præter vtrumque Theophraſti Scolymum ſunt in hortis frequentes Cacti, ac Cynaræ cum quarum foliis albi Chamæleonis folia Dioſcorides confert. Galliæ vulgus Cactos appellat *Cardons*, Cynaras *Artichaux*, hac differentiâ, quòd Cactorum capita non mandantur, ſed radicis pars ſuprema foliorum ima, cum tenellis germinibus: contrà in Cynara nullus earum partium vſus eſt, ſed capitum ſolùm. Præterea Cactis & folia & capita nunquã non aculeata ſunt: Cynaræ verò cùm duplex genus ſit, alteri pariter ea, vt & Cactis, ſpinis armantur, alteri ſpinis carent, diuerſo hac in re palatorum iudicio, quibuſdam eã magis commendantibus quæ ſpinoſa eſt, alijs contrà eam, quæ ſpinis nullis pungit. Galenus, Paulus, Aëtius Scolymum ſtomacho prodeſſe adnotarunt. Cynaram autem vitioſum ſuccum gignere, præſertim, vt Galenus ait, cùm iam indurnit, nempe melancholicũ, aliàs verò bilioſum & tenuem, ideoq; elixam adiecto Coriandro potiùs edendam, ex oleo, garo, & vino: vel abſque ijs, ſi in patinis, aut ſartagine cocta fuerit, quo modo eius ſtrobilos, ſiue capita multi præparant. *Hæc inter alia habet Historia Lugdunenſis de Scolymo ſatiuo confuse ſcribens.*

Scolymus. Cinara. Articocum. Alcocalum. Articocalum. Kabula. Etymum. A cane dicitur. Scol. Dioſc. alius à Theophraſti. Plin. taxatur. Scol. Dioſc. Cacti à Scolymis diuerſi. Differentia. Cynara duplex.

Hiſpida ponatur Cynara, quæ dulcis Iaccho
Potanti veniat, nec Phœbo grata canenti.
Hæc modò purpureo ſurgit glomerata corymbo,
Myrtiolo modò crine viret, deflexáque collo
Nunc adoperta manet, nunc pinea vertice pungit,
Nunc ſimilis calatho eſt, ſpiniſq; minantibus horret:
Pallida nonnunquam tortos imitatur Acanthos.

Quibus Carduum altilem ſiue Cacton & Cynaram hîc videtur Columella delineaſſe.

Cardui hortenſis ſpecies Camer. Cardui hortenſis ſiue Cynaræ ſpecies multæ ſunt (inquit Camer.) capitulis non ſpinoſis eſculentis, eiſque vel oblongis vel latiuſculis diſcernendæ. Spinoſiſſimis præditus eſt quem Carduũ vulgò vocant, nec veſcis, aculeis longis armatis. Colitur tamen opertus ac terra obrutus, vt ſtolones teneri gulæ arrideant. Is Veterum Cactus eſt, de quo Theocritus Idil. 10. *Cactus Theocriti.*

ἀλλ. ὑποκλέπτων
ὥσπερ ἐκ ποιμνᾶς ἐς τὸν πόδα κάκτος ἐπέσθων.
Sed longè ſequeris velut agnus ouilia cuius
Cuſpide ſpina pedem pungens diſcidit acuta.

Scolymus aculeatus. Scolymus ſatiuus, ait C. Bauh. apud Matth. eſt duplex, aculeatus & non aculeatus, & rurſus capitis figura nunc oblonga, nunc rotunda, hocq; maximum, mediocre & paruum, cuius ſquamæ in aculeum deſinunt breuem, nunc robuſtum, nunc infirmum, nunc propè nullum: quorum color nunc ſubrubens, nunc viridis. Dicitur Carduus Plinio, Cinara Galeno & Columellæ.

Scolymus non aculeatus. Scolymus aculeatus, Caſp. Bauhin. Tab. Scolymus, Trag. Fuchſ. Cord. in Dioſc. & hiſt. (cui & Carduus ſatiuus) Lobel. (cui & Cactos Theophraſti) Cam. Carduus aculeatus, Matth. Carduus Lacun. Carduus hortenſis ſpinoſus, Geſn. hort. Caſt. Carduus Scolymus, Lon. Carduus altilis, Lugdun. Cactus, Matthioli eidem. Cynaræ aliud genus, Dodon. gall. Cinara, Dodon. ſol. à cinere, vt habet Columella, quo ſtercorari amat. Cardones Cæſalpino.


Scolymus non aculeatus, Caſp. Bauh. Tab. Cactus, Lonic. Carduus hortenſis non ſpinoſus, Caſt. Carduus hortenſis, Scolymus cactus vel Cynara vulgò *Artichaut*, foliis ſine ſpinis, Geſn. hort. Carduus ſatiuus, Cæſalp. Cinara, Dod. gall. Lac. Cinara non aculeata, Lugdun. ſæpè ex vno ſemine vtraque prouenit, vt ſpeciatim aculeata ex ſemine non aculeatæ: quamvis & maiore & minore habeatur ſemine.

Cluſius quoad iconem & inſcriptionem Scolymum ſatiuum proponit in poſt. Hiſtor. hoc titulo. Scolymus Dioſcor. Cactos Theophraſti.

Locus & Tempus. Scolymus hortenſis Monſpelij per totam hyemẽ durat, videbatur duplex eſſe, vnus foliis altiſſimis multùm diſſectis, alter foliis nigriorib. & obtuſioribus minúſque diſſectis. Ibi colunt maxima copia ſine vllis ſpinis. Ferunt magna capita ſine ſpinis, quanquam interdum quædã habeant minimas in extremitate foliorum. Comedunt illa capita Vere. Hunc videramus olim copiosè Stutgardiæ in horto Ill. Ducis Wirtembergenſi, Ibiq; erant duæ ſpecies, vna ſpinis horrida, alia ſine ſpinis. Baſileæ etiam in hortis variis florens Septembri obſeruauimus, habuimus etiã in horto. Apud Geſnerum meminimus viſum ſpinis horridum. Geneuæ copiosè colitur in hortis, optima & maxima capita vidimus adhuc meſe Nouẽbri, in horto noſtro virebat Ianuario. Maio interdum ſunt eis capita, ſpinoſum verò vt plurimum ſepeliunt ad dealbationẽ foliorũ, quorum pediculos vocant *des Cardes*, Patauij in hortis vidimus ſpinoſum & non ſpinoſum. Mombelgardi in horto Ill. E. C. ſunt nobis Scolymi ſpinoſis foliis & capitibus, alter non ſpinoſus capitibus mediocribus, cuius ſquammæ obtuſæ, habemus etiã genus foliis non ſpinoſis cum capitibus ita magnis vt patinam repleant magnam, huic ſquammæ longæ, ſpinoſæ: hoc genus hieme facilè abſumitur.

CARDVVS

CARDVVS SIVE SCOLYMVS MAXIMVS non spinosus.



CVius iconem hîc exhibemus, fatemur nos oculis nostris non vidisse, ac propterea eo fine vlteriori delineatione eam iconem proponere voluisse, ne nouarum rerum cupidi haberent, quod temerè desiderarent. Hanc primus depinxit Lob. in Icô. Plant. Tom.2. pag.3. hac inscriptione. Cynara maxima ex Anglia delata.

Nomina linguarum. Carduus siue Scolymus satiuus, à cinere [quo amat stercorari:] Cinara etiam, Græcè Galeno κινάρα, dicta videtur. Germanis Strobildorn & imitato nomine Gallico Artichoch. Belgis & Gallis *Artichaux*: vnde & Articocalus & Articoca à nonnullis dicitur.

Cultura. Colitur porrò Cinara in hortis: stercoratam & solutam terram diligit: quamuis & in pingui Satio. posset meliùs prouenire. Serenda est circa Calendas Martias Lunâ crescente si fieri potest: semina in area spatio semipedis discreta, non altè imprimenda sunt, sed tribus digitis comprehensa merganter, donec ad primos articulos terra peruenerit: tunc leuiter terra operiantur, & herbis liberentur assiduè. Circa Calendas Nouembris, [vel etiam citiùs in Germania] planta deprimenda, multóque cinere stercoranda: Id enim genus stercoris huic oleri videtur aptissimum. Singulis autem annis à caudice auferendæ sunt plantæ siue soboles, cum aliqua tamen radicis parte vellendæ, quæ circa Autumni æquinoctium disponendæ sunt, Columellâ & Palladio auctoribus.


Mangonium. Spinis autem carebunt Carduorum capita, vt ait Palladius, si cacumina seminum confringas, vel, vt olitores aiunt, si delibratis Lactucæ radicibus & dissectis, semina integra condantur. De Cynaræ cultura & vsu consulendus & Aug. Gallus. Scolymus inquit Dioscorides, radicem nigram, crassamque habet, quæ graueolentes alarum hircos, & reliqui corporis virosum odorem Alarum hirci. Diosc. corrig. emplastrata [inspersa in puluillum detrita Cornar. καταπλασσομένη non καταπλασσομένη] emendat. Idem etiam decocta potaque in vino potest: nam pota itidem copiosam graueque olentem vrinam prolicit. Eo nomine quoque virulentæ tertiæ Ad Gonorrheam virulentam. Gonorrheæ differentiæ præsens esse remedium expertus est Langius. Et Oribasius lib.2. Synopseos: Cardui radix, inquit, magnam educit Vrina graueolens. graueolentium vrinarum copiam, siquis vino incoquat, & decoctum bibat. Et in deliciis ga- In deliciis habetur. neæ, Carduus adeò frequens erat, vt sine eo nulla magnifica aut adiicialis conseretur cœna. Huius folia constricta, & terra obruta, albescunt: & hyeme, si inter fercula cum thyrso decocta fuerint, gratissima. Caulis eius in vere pineas aculeatis foliorum squammis compactas gestat: quæ autem radicis eius pars tenerior, vt Asparagi, in iure cum butyro elixata [ad proliciendam Venerem vterque sexus edit] æstate ad id viris in ve- Venerem stimulat. neris conflictu languentibus, hyeme verò mulieribus ad venerem pigris, vt Hesiodus refert, patrocinatur. Glaucias quoque prodidit Cardui Ad masculi conceptũ. esum ad prolis masculi conceptum plurimùm conferre. Nil igitur mirum, mulieres Carduum adeò ambire: vt diligentiori earum culturâ effectum sit, vt non tantùm echinatæ Carduorum pineæ, sed radices, caulis, & folia per totam hyemem, quâ cætera contabescunt, nobis in cibum Nulla dies sine Carduis. suppetant: *ne quis omninò, vt fertur, sine Carduis sit dies*. *Galenus* scribit Scolymi radicem copiosam vrinam graueolentem elicere, si quis eam in vino coctam bibat, ac proinde graueolentiam sanare tum alarum, tum totius corporis. Atque hoc, sanè medicamento inest ex tota substantia, nimirum cùm succus sit purgatorius. At quæ secun- Succus purgatorius. dum qualitates editur actio, calidum in sicco ordine completo, aut tertio incipiente, medicamen Temperamentum ex Galeno. indicat, siccum verò in secundo. De *Scolymi* viribus plura Plinius habet. Scolymus vrinam ciere Vires Plinio. præcipuè traditur: sanare lichenas & lepras ex Lichen. Lepra. aceto, Venerem stimulare in vino, Hesiodo & Alcæo testibus: qui florente eo Cicadas acerrimi cantus esse, & mulieres libidinis auidissimas, virosque in coitum pigerrimos scripsere, velut prouidentia naturæ, hoc adiumẽto tam validissimo. Item graueolentiam emendat radicis emedullatæ vncia, in vini Falerni heminis tribus decocta ad tertias, & à balneo ieiuno, itemque post cibum Cyathis singulis pota. Mirum est quod Xenocrates promittit experimento, vitium id ex alis per vrinam effluere. Hæc Plinius.

Nunc nullis non hortis cardueta spectantur, Vsus domesticus. plurimæ hortorum areæ Cynaris refertæ sunt, nec iam sine cibo hoc, nisi tempus anni neget, opipara vel adiicialis vlla sit cœna. Apponuntur capita nondum florescentia Asparagi modo iuribus incocta, eorumque pulpa estur cum sale & Pipere. Itali rarò decoquunt, sed cruda cum sale vorant. Scribit Aëtius Scolymum calidum Aëtii contradictio Turn. esse in principio tertii gradus, siccum in secundo, id quod in Scolymo, quem in Anglia se habere scribit Turnerus, nunquam animaduertit. Trun- Truncus Cynara melle conditus. cus Cynaræ autore Iouberto ex melle potiùs condiendus, aduersus pulmonis infarctum. Sumi verò debent Cynaræ caules terrâ obruti & can- Defectus Cornarius Scolymum non nouit. didiores facti, saporisque mitioris.

Patet verò ex hactenus dictis Cornario Scolymum non fuisse notum, quem suo tempore in cibum non venisse affirmare audet.

CARDVVS SCOLYMOS Syluestris.

SColymus syluestris satiuo persimilis, *caule* Descriptio. procero hominis altitudinem assequente: *folia* amplissima, cæsura satiui, sed tomento copiosiori obducta, cuius nulla est lacinia quantumuis exigua, quam non arment spinarum mordacium flauescentium spicula, quibus & singula capitis squammarum extrema, sed maioribus multò rigidioribusque horrent, ipsa verò capita Satiui capitibus magnitudine cedunt: *flos* stamineus consimilis purpureus. *Semen* Cnici.



Turnero Scolymus siluestris multò habet angustiora folia, quàm præcedēs hortēsis, spinásque longiores multò pungentioresq́; , totúsque fructus spinis acutissimis horret.

Carduus Plinij non est.

Ait Bellon. Obs.lib.1.cap.18. se non posse assentire iis, qui *Artichaut sauuage* volunt Carduum esse Plinij, & *Artichaut cultiué*, Scolymum: quandoquidem silu.semper spinosus manet.

An Brassauolæ in exam.syr. de Eupat.Acantha leuce, siue Spina alba, vel Bedegar?

Cinara multùm spinosa Anguill. Quorūdam error. Carciofo.

Anguill. epist.7. Cinara multùm spinosa cum magnis foliis spinosissimis, abundans in Abruzzo ad pontem di S.Clemente.

De hac, ni fallor, Matth.loquitur, quando ait lib.3.cap.9. Falluntur, qui putant, stirpem illam Pternici non absimilem (nostri eam *Carciofo* appellant) cuius[hunc errorem notat etiam Appollo red.1.]flore coaguli vice Hetruria vtitur, album esse Chamæleonem. Nam eorum error ex eo maximè diluitur, quod hæc contrà Chamæleonis albi descriptionem in longo admodum caule echinatos suos proferat fructus. Idem cap.11. de hoc Carduo Scolymo sylu.ait. Sunt præterea qui spinam albam [Carduum Echinopum]esse velint echinatam illam ac spinis rigentem herbam, quæ Hetruscis in lacte cogendo coaguli vicem explet. Item paulò pòst. Errant [& in hoc etiam errore Ruellius versatur] qui sibi persuadent, Spinam albam illud esse Cardui genus, quod à Tuscis,eò quòd[vt paulò antè diximus]coaguli vicem præstet,vulgò vocatur *Presura*. Tandem c.14. Cardui aculeati genus & illud est, cuius echinati capitis floribus Hetrusci coaguli vice vtuntur. An Matthiolus ritè dicat Ruellium hanc spinam albam putasse, videant lectores.

Ruellij error

Carduus aculeatus.

An Scolym. Diosc. Clus. Hisp.

Clus.Hisp.fortè huius meminit,cùm ait: Scolimus Dioscoridis abundanter & sponte nascitur pinguib. Lusitaniæ aruis,præsertim ad Anam vepribus dictum flumen, vulgò Guadiana, & plerisque Bæticæ locis.Eadem tradit Hist.postr.ac figuram Scolymi satiui exhibet hoc titulo: Scolymus Dioscoridis,Cactos Theophr.

Chamæleontha Monspeliens.

Lobel. in Adu. & Icon. plant. Tom.2.p.6.Scolymus silu.siue Chamæleontha Monspeliensium: Carduꝰ syluestris coagulatoriꝰ,Cinara siluestris.

Scolymus silu. Diosc. H. Lugd.

Chardonnerette.

H.Lugd.p.1437. Scolymus Dioscoridis,Cynara syluestris Penæ,de qua ait. Scolymus hic circa Monspelium in lætis agris secus vias prosilit,quē indigenæ vocant *Chardonnerette*, Officinæ Chamæleontam, nulla prorsus nota ex iis quas Dioscorides memorat reclamante: partu etiam cum adhuc tener est, in cibis grato, & germinibus, ac radicibus, quæ præsertim germinibus connectuntur [nam inferiores & altiùs depactas ob lignosam duritiē respuunt]esu suauissimis. Hanc plantam Pena Scolymum siluestrem siue Cynaram aculeatam refert. Hoc tantùm interest, quòd foliis angustioribus, aridioribus, & multò densioribus spinis sit:flores item eleganti purpura multi, conserti lanugine. Huius delibratis caulibus teneriusculis & capitulis nondum in flores erumpentibus victitare rusticos Italos ait Pena. Eius flore lac densant in caseum: eiusdem florem vulgò credunt contra fœminarū sterilitatē valere, & grauidarū partus ad iustū vsq; tempus cōtinere.

Cynara silu.

Card. spontaneus Camer.

Camer. hort. Carduus spontaneus apud Brutios, ideoque nostras hyemes minùs ægrè fert, quā delicatus ille, qui spinas mangonio deposuit.

Honor.Bello in epist.ad Clus. dicitur Agriocinara: de qua postea.

Locus & Tempus.

Scolymum syluestrem florentem vidi mense Iunio. Abundat multis in locis circa Monspelium, maximè prope Peroux, quà itur ad mirabilem quendam fontem, quem sibi persuadent esse lethalem rustici. Fons autem erat acidus vt gustauit Io. Bauh. qui videtur feruere instar Cacabi magni repleti aquâ bulliente. Color aquæ croceus est. Prouenit item inter Monspelium & Nemausum, videlicet propè Colombier & Eusian: alibi non obseruaui.

CARDVVS AGRIOCINARA CRETENsium, ex quo Costus niger officinarum.

Locus.

SVprà Chisami arcem in insula Creta authore Bellon. in Obs.ea montis parte quà Calohierorum monasterium, cui nomen D. Ioannes de Prædermos, situm est, Artichocæ siluestris genus crescit, pastoribus Agriocinara appellatum,cuius radicem cubitalis longitudinis, & humani cruris crassitudinis, foris & intùs nigram,pyri in modū turbinatam,Costi Indici loco in Aromatariorum officinis venalem esse asserimus. Intelligimus autem nigram illam radicem quam Costum nominant, quamque ab omni antiquitate in vsu esse credimus. Capita fert instar Cinaræ siue Artichocæ,quæ pastores cruda mandunt. Eius flos maxima ex parte candidus est (licèt & purpureus inueniatur) & suauis odoris. Ipsius radices Chamæleonis albi radicibus similes sunt, & folia Chamæleonis nigri foliis. Differt ab aliis Artichocis siluestribus multis Italiæ locis nascentibus.

Artichoca silu.

Descriptio

Costus.

Florum colores.

CARDVVS MARIANVS SIVE LACTEIS maculis notatus.

Descriptio



VNdulato macularū lactearum virescentiúmque discursu variata *folia*, lata longáque conspiciuntur, sinuata, & sæuis aculeis horrētia, nitida: *caulis* digitalis, striatus, lanugine villosa incanus, duos aut tres cubitos altus, in ramos diuiditur plures: *echini* intractabiles rigidissimis acutissi-

... ciisque spinis armati, Scolymi mediocris magnitudine, callosa squammarum cartilagine, dulci, vesca, florum purpurascentium *stamina* explicant, quibus *semen* succedit Carthami: *radix* longa & crassa, esculenta.

Synon. Brunfelf. Fuchs. Corn. Trago [qui & Labrum Veneris appellari asserit] Carduus Mariæ & Spina alba dicitur.

Card. Maria. Card. Marianus. Spina alba non est. Cordo in Diosc. dicitur Carduus Marianus. Is eorum opinionem non approbat, qui cum Amato Chamæleonem dicunt, ceu nec eorum, qui cum Fuchsio, Corn. Trago, Lonic. Toxite Helfr. & aliis Bedegar album, h.e. spinam albam esse affirmant.

Card. Maria Dod. gall. Sed & Dodon. gall. Spinam albam Carduum Mariæ Officinarum vocat, ac quorundam Agriocinaram facit, Donacitim, Erysisceptrum, Spinam regiam, Carduum ramptarium, & Bedeguar Arabum, non sine errore: Quem tamen errorem animaduertit Dod. lat. in fol. *Error Dod.*

Card. Maria vulgi Silybū veterum. Carduum Mariæ vulgi, aliqui [huius farinæ est Anguill. epist. 8.] Silybum Veterum putant ab his tamen meritò dissentit Gesn. de hortis, qui rectiùs de coll. stirp. Cardui genus nuncupat, maculis albis quod à pleuritide vulgò appellari tradit.

Card. lacteus. Lobel. in Aduers. Silybum, Carduus Mariæ & Lacteus dicitur. Is reprehensionem ex Turnero aduersùm Dodonæum adducit, ob vires quas ex Dioscoride vulgaribus plantis tribuit. Dodonæi sedulitas, inquit Lobelius, vt multis aliis locis laudanda, ita plerisque minùs tempestiua, vbi ignotis plantis facultates certas asserit, quas è Dioscoride accepit, magno detrimento ægrorum & experimentatorum, qui quod vident à viro bono, & veritatis amico scriptum, illicò vt verum arripiunt, & per experimenta mortes agunt. *Dodon. redarguitur.*

Silybū Lob. Lob. lapsus Leucographis Plinii. Chamæleon albus Amato. Obs. pag. 479. Silybum siue Carduus lacteus, Leucographis Plinii Aduersariorum. *Leucographis* Plinii quidem aliqui volunt, sed hoc non legimus in Aduersariis, vt hoc loco scribit Lobelius.

Icon. Plant. Tom. 2. pag. 7. Silybum, Carduus Mariæ & Lacteus, Leucographis Plinii.

Malè Amatus Chamæleonem album facit, nec congruit nomen eius gallicum, *Carline*, huic plantæ. Sed & Toxites in onom. phil. pag. 241. Acanthion leucon Carduum Marianum cognominat, & diuersos eo capite confundit Carduos p. 354. cum Tribulo S. crucis & Tribulo S. Mariæ. Loniceri vocabula, spina alba & *Artichaut sauuage* non sunt approbanda: figura quoque non multùm placet. Tabern. Icon. & Hist. Carduus Marianus siue lacteus. Is falsò spinam albam, seu Bedegarim, credit. *Acanthion leucon Toxite. Lonic. nomendatura reiicitur. Tabern. lapsus.*

Camer. hort. Carduus Mariæ vulgi, eidem in Epit. & Hist. Matth. germ. Carduus lacteus. C. Bauh. apud Matth. Carduus lacteus, Carduus Mariæ.

H. Lugd. icones duæ & tres descriptiones. H. Lugd. duas habet icones. Priorem p. 1464. hoc titulo: Carduus lacteus Matthioli. Posteriorem p. 1475. hoc: Leucographis Plinii, Carduus Mariæ. Vtrobique describitur: in illa figura folia, in hac capitula non placent. Tertiò describitur p. 1466. sub Silybo Penæ sine icone.

Dorstenii error. Theod. Dorsten. qui Bedegar, Labrum veneris & Spinam albam Carduum Mariæ cum Fuchsio & aliis non sine errore opinatur [ait enim hanc in omnibus conuenire cum descriptione Spinæ albæ apud Diosc.] Eringii iconem, non Cardui Mariæ proponit.

Nomina linguarum Cæterùm, Carduus lacteus, Lactarius, D. Mariæ, Marianus, & lacteis maculis notatus Lat. congruè dici potest, Germ. Mariendistel & frawendistel/weiß wegdistel. Belg. Onser vrouwen distel. Gall. *Chardon de nostre dame.* It. *Cardo Mariano, Cardo maculato, Scardacio bianco.* Hisp. *Cardo pinto.* Angl. Our ladythistel. Boh. Ostropes.

Locus & Tempus. Passim Montbelgardi prouenit, nec non Basileæ, Lugduni & Geneuæ, in hortis, in quibus olera seruntur, non rarò & secus vias locis incultis, florens à Iunio in Augustum vsque: altero à quo enatus est anno: interea & semen maturitatem consequitur, quo maturo perit, vt plerique Cardui, quibus non diuturnior est vita, quàm ad seminis vsque perfectionem.

Vires Decoctum radicis. Vasorum infarctus Remorantes Vrina. Menses Puluis rad. Lac auget. Aqua foliorum Laterum morbus. Pestilentia. Radix excalfacit authore Matthiolo in Epit. Camerarii, abstergit, aperit, prouocat & attenuat. Eius decoctum datur vtiliter potandum ad iocinoris, & vasorum infarctus, & remorantes vrinas, quare confert hydropicis, ictericis, ac nephriticis. Idem menses elicit, tum potum, tum in desessionibus additum: Radicum siccarum puluis propinatur ex ptisana cum Fœniculi semine, & longo Pipere ad lac augendum. Aqua, vt Tragus perhibet, è foliis Cardui Mariæ destillata, ac quantùm mediocris haustus continet pota, laterum morbo auxiliatur. Si huic potioni seminis Cardui Mariæ tusi dimidiam drachmam adieceris efficaciùs id præstabit, quin & pestilentiali veneno, & quibuscunque aliis corporis interiùs malis exigendis apprimè conducit, aqua destillata inflammationibus incensi hepatis, & deliquio animi in linteolis foris imposita opitulatur. Cæterùm Cardui Leucographi folia tenera, demptis spinis, aliquando oleribus non incommodè addi, testis est Dodonæus: ad quæ præterea vtilis incognitum est.

CARDVVS LACTEVS PEREGRINVS Camer.



Descriptio Semen subalbicans inuenit auctor inter Epithymum è Creta delatum, sed ad frugem non peruenit planta, frigore superueniente corruptâ *radice*, & mox contabescentibus foliis, quæ tenerribra erant & planè similia illi Carduo quē itidem Lacteū nuncupat D. Rauvvolfius, vel Bedeguar Arabum cum Syriacis herbis aliis ipsi communicatum, *flore* purpureo pallescente, *caule* exalbido, spinis nitidis è luteo albescentibus. Fortasse idem fuerit. Nos Iconem ex sicca à Camer. delineatam proponimus. *An Bedeguar Arabum Rauvvolfii.*


Card. Maria Camer. Camer. hort. Cardui Mariæ vulgaris species, quem Rauvvolfius Carduum Lacteum vel Be-

deguar Arabum vocat. Item Icon. Carduus lacteus Syriacus.

Card. lacteus Syriacus. Card. Mariæ Syriacus.

C. Bauh. apud Matth. Cardui Mariæ altera species ex Syria. An Honorii Belli Aguauanus Creticus stirps spinosa quam Acanon Veteribus dictam fuisse iudicat, ac à qua reliqua spinarum genera Acanacea nuncupata fuere.

CARDVVS GALACTITES IOH. Bauhini.



Descriptio.

Galactites Carduus, nititur *radice* satis tenui & simplici, *caulem* tollens interdum simplicé, interdum ramosum cubitalem, striatum, cano villo pubescentē, membranis spinosis pinnatum, cuius summum in surculos aliquot secessit, capita sustinē-tes Auellanæ magnitudinis, squarrosa, quorum singulæ squammæ in longam, acutam, inualidam spinam desinunt: hinc *flores* emicant purpurei, gratiæ suæ post multos annos tenacissimi: *semen* pappo appenditur, oblongum, lubricum, candidum, amarum, cæterùm folia palmo longiora, mitiis aculeata, profundis crebrisque laciniis diuisa, ima parte albida lanugine donata, supernâ virescunt, fortuitis maculis lacteis respersa.

H. Lugd. p. 1463. Spina alba altera Matthioli, & alibi, Leucacantha Monspeliensium Dalechampij. Duæ figuræ vnius plantæ & nulla descriptio.

An Cæsalp. lib. 13. cap. 40. Spina alba alia?


Locus. Carduus Galactites floret vere secus vias non longè à Monspelio.

ACANTHIVM VETERIBVS. Cap. VII.

Antiqua Dioscoridis lectio.

Acanthium (τοῦτο ὁ καυλὸς ... inseritur in hoc cod. vet.) *folia* gerit spinæ albæ similia, in summis extremitatibus aculeata, quibus collectis, simúlque contextis, bombicinis similes vestes fiunt. Huius *radix* & folia rectorum distentis opisthotonicis in potu auxiliantur. Et hæc est antiquæ lectionis in Dioscoride descriptio. *Est corrupta.* Periisse autem huic lectioni aliquid, sermonis patum sequax ductus ostendit. Quid autem desiderare, & amissum instaurare, vt Marcelli verbis vtar, nos oporteat, id ex deprauata lectione & etiam ex Plinio, & magis tutò ex Oribasio, manifestè colligitur. Nam Plinius, qui de aculeatis plantis quibusdam egit, lib. 24. cap. 12. Acanthium hoc his verbis descripsit. *Acanthium Plinii.* Huic similis est Spina illa, quam Græci Acanthion vocant, minoribus multò folijs, aculeatis per extremitates, & araneosa lanugine obductis: quâ collectâ, etiam vestes quædam bombycinis similes fiunt in Oriente. Ipsa folia vel radices ad remedia Opisthotonis bibuntur. Et sic etiam Oribasius legit. Patet ergo Dioscoridem ita esse restituendum. *Diosc. restituitur.* Spinæ albæ similia habet folia, in summis extremitatibus aculeata, araneosa lanugine obducta, quâ collectâ &c. Reliqua enim rectè habent. Hæc namque si quis contulerit, omnia eadem vtrique esse inueniet, præter ea, quæ Plinius ait, lanugine obducta, quæ ad explendam Acanthij historiam tam necessaria sunt, vt sine ijs non possit integer sensus esse Dioscoridi, contrâque suo loco instauratis nihil aptiùs audiatur. Quomodo enim quæso ex aculeatis folijs simul contextis vestes bombycinis similes fierent. Ast ex lanugine ex folijs collecta textâque vestes bombycinis similes fieri nemo negabit. Neque verò ignoro aliud esse bombycem, aliud verò bombacem seu Xylum, gossypiúmve: sed & Plinium imitari lubet, qui Xylo quoque seu gossypio bombycis nomen tribuit lib. 19. cap. 1. *Bombyx.* Quæ verò sit spina Acanthium dicta, & an in nostris regionibus nascatur, nemini satis notum esse arbitror. Quum enim nulla talis spina apud nos reperiatur, ex Oriente petenda videtur. Galenus Acanthij folia & radicem tenuium partium esse, & calidam vim habere asserit, vt etiam conuulsis auxilietur. Ita ex ipso etiam Paulus. *Ex Galeno.*

SPINA ALBA SYLVESTRIS Fuchsio.



Descriptio.

Tres quatuórve cubitos altum profert *caulem*, striatum, tomentosum, cui membranæ per longum adnatæ, valdè spinosæ, sinuatæ, albicante villo obductæ, quibus continuantur *folia*, sesquipalmaria & dodrantalia, interdum cubitalia, sinuata, spinis horrentia, similiter vtrinque villosa & candida, potissimùm minora, priusquàm excreuerit caulis, capita extremis ramorum hærentia mordacia *florem* explicant purpureum, *semine* cum pappis sequente Cnici, minore, versicolore, amaricante & acri, *radix* tenera, alba, subdulcis in adolescente planta, quæ qualitates per æstatem mutantur.

An Ruell. lib. 3. cap. 16. Acanthion herba: Gorth. Acanthion: Brunfels. in Diosc. Acanthion, albæ spinæ simile: Cordo in Diosc. Chamæleon albus, Carduus Diebdistel à quibusdam falsò appellatus: Brassauolo in sy. Eupat. Leucacantha, Cardui genus quadratum: Amato Acanthium, quod in horto Azaioli Ferrariensis vidit, Anguill. epist. 8. Onopordon Athenæi, in Calabria & in Sicilia *Anapurdo*, & ab Italis *Scardazza d'Asino* dictum?

An Acanthium? An Chamæleon albus Cordo? An Leucacantha Brass. An Onopordon Athenæi Anguil.

Ryssius

Spina alba agrorum Ryffio. Ryffius in Diosc. lib. 3. cap. 26. hanc intellexisse videtur, per spinam illam, quam in agris nasci tradit, & Acanthion esse, asserere non audet. Corn. in Diosc. Spinam albam Officinarum Bedegare vocat, ac à Carduo Mariano, weiß wegdistel/ wegdistel / non benè, meo quidem iudicio, distinguit.

Spina alba silv. Fuchs. Fuchsio Spina alba siluestris, spinæ albæ alterum genus siue siluestre, proximè ad Dioscoridis descriptionem accedens, ideoque à Germ. Weiß wegdistel / Gallis autem *Artichaut sauuage, ou Chardon commun* vocatum.

Spina alba Tragi. Tragus hanc spinam albam inscripsit, ac Germ. weiß wegdistel nominat, & esse alteram apud Dioscor. spinæ albæ speciem [quæ Græcis ἄκανθα λευκὴ Arabibus Bedeguar dicitur] neminem negare posse putat, & Spinæ albæ cognomina pro more suo recenset. Sunt autem hæc. Agriocinara. Donacitis. Erysisceptrum, Spina alba, Auregia, Carduus Camptarius.

Amat. reprehen. Apud Amat. capite de spina alba ponitur figura spinæ albæ siluestris Fuchsii (ita enim à Fuchs. inscribitur icon, quæ eadem cum nostra est] licèt in Amati contextu eius non fiat mentio.

Lonic. notatur. Lonic. cuius icon satis inepta cum Calepino etiam spinam albam seu Acantham leucen vocat: ac præterea Leucacantham cognominat, licèt Leucacantham Diosc. separet. Eidem etiam spina alba siluestris dicitur.

Card. 3. Marchio Acanthium Matth. Harch. in enchir. med. Carduus tertius, weiß wegdistel Germanorum.

Matth. reprehen. Matth. plantam nostram in postr. comm. cum mag. fig. lat. & Ital. pro Acanthio depingit, ac dicit. Si planta in Italia nascitur, quæ legitimum Acanthium repræsentet, hæc profectò Acanthiũ mihi rectè repræsentare videtur. Siquidem foliis est & albæ spinæ per extremitates aculeatis, & araneosâ lanugine obductis. Matthiolus suo more ex sola figura, non cognitâ planta de qua scribit, dicit repræsentare Acanthium: non agnoscit eam dudum esse exhibitam pro spina alba nec docet qualis sit, quam exhibet, nec vbi viderit.

Acanthium Dod. gall. Acanth. alterum Lat. Dodon. lat. in sol. figuram, quam gall. ex Fuchsio olim simpliciter pro Acanthio posuerat, Acanthi alterius nomine proponit, addens aliam figuram pro Acanthio, quã etiã assumpsit Lobel. in Obs. p. 476. & Icon. Plant. Tom. 2. p. 1. Sunt igitur duæ

Icones 2. Dodon. figuræ vnius plantæ. Posterior ex Fuchsio, qualis etiam nostra, æquè bene exprimens Acanthium

Dod. notatur. atque prior Dodonæi & Lobelii. Et licèt duas habeat figuras & descriptiones, minùs distinctè tamen de hoc Carduo scribit, nec ostendit qui potiùs Acanthio conueniat, nec etiam tradit, an eodem vel diuersis proueniat locis.

H. Lugd. 4. figura. H. Lugd. duas vnius plantæ ponit figuras pag. 1446. vni hic titulus: Acanthium, Spina alba siluestris Fuchsii. Non placet & tertiam huius plantæ figuram p. 1466. poni sub titulo Silybi, siue Leucacanthæ Loniceri. Præterea Lonicerus non meminit Silybi, nec etiam vocat Leucacantham: pro Leucacantha pingit aliam plantam, quemuis in comm. in Diosc. eam fortè intellexerit. Considerent lectores an huius plantæ non ponatur quarta figura p. 1472. pro Onopyxo tertio Dalechampii, & malè fortè.

Castor. notatur. Per Acanthium, cuius figuram ponit Castor, intelligo spinam albam silv. Fuchsii, quæ fortè Castori non benè nota, alioqui picturam floris posuisset, vel eum descripsisset, quum vulgaris sit planta, & ab aliis meliùs depicta.

Comiti à Neuenare in annot. apud Brunfels. Tom. 2. p. 242. Carduus armentarius siue pecuarius, Germ. Viehdistel. Carduus albus Brunfelsio. *Card. armentarius Card. albus Brunfels.*

Camer. hort. Acanthium, Onopordum aliis.

C. Bauh. apud Matth. spina alba siluestris, Acanthium Matthioli.

Hort. Lus. Acanthium vulgare. *Acanthium*

Cæsalp. Carduus siluestris in ruderibus nascens: foliis latis non scissis, candida lanugine hirsutis: capitulis hispidis, non squammosis, sed potiùs hirsutis: vsus eius ad lactis coagulationem, ideò à quibusdam vulgo *Presura* appellatus. *Acanth. vulgare. Carduus silu. Cæsalpi. Presura*


An hort. Lus. Carduus spinosissimus viarum flore purpureo, Onopordum 1. Tabern. Item Carduus spinosissimus flore albo, Onopordum 2. Tabern. Weg distel mit purpurbraunen vnd weissen blůmen? *An Card. spinosiss. viarum Hort. Lusit.*

An Schvvenckf. Carduus viarum vulgatior, Carduus vulgaris spinosissimus, Lob. Onopordum 1. Tabernomontani?

An Ioh. Agricolæ Carduus pecuarius?

Tabern. Icon. & Hist. Acanthium vulgare 1 flore albo, weiß wegdistel. Acanthium vulgare, flore purpureo, wegdistel mit purpurfarben blumen/ wegdistel: dicitur Græcè ἄκανθα λευκὴ, Latinis spina alba, Acanthium: Arabibus Bedeguar: Gall. *Espine blanche*. Ital. *Spina bianca*, Boh. Trubiily. Non placet poni duas figuras plantarum, quæ solo colore differant, non video etiam quomodo Acantha leuce & Acanthium idem esse possint: figuræ etiam duæ pro Onopordo 1. & 2. vix demonstrant discrimen nec etiam descriptiones. Monthelgardi abundat: Obseruaui etiam Monspelii, & Lugduni: Geneuæ solet hiemem perferre. Basileæ prouenit propè pontem Birse extra portam S. Albani, mirè tomentosus cãdidus infernè & supernè, maximè folia minora priusquam florem ferat. Nascitur in vtraque Germania secus vias, tum & alibi. A Iunio in Augustum vsque floret: altero à quo enatum est anno: interea & semen maturitatem consequitur, quo maturo perit, vt plerique & alii Cardui, quibus non diuturnior est vita, quàm ad seminis vsque perfectionem. *Acanthium vulg. Tabern. notatur.*

CARDVVS QVIBVSDAM DICTVS Acanthium Illyricum, aliis verò Onopordon.



Descriptio. Magnam habet cũ Spina alba syluestri Fuchsii similitudinem: *folia* tomento candicante similiter obducta, profundiùs secta, tota spinis armata: *caulis* membranis aculeatis alatus sex septémve cubitorum altitudine: in ramorum, quos crebros habet, extremis *flores* gerit purpurãces iam dict

Cardui, ex echino etiam simili.

Onopordum Tabern. & Dod. Tabern. Icon. & histor. Onopordum 1. weiß wegdistel. Dod. lat. in fol. Onopordon inscribit, ac ait: Peregrinus hic Carduus Belgio est. Onopordon Herbarij appellant: Plinij tamen esse Onopordon affirmari nequit: nihil enim apud eum de Onopordi forma. Fortassis etiam Acanos est, *An Acanos Bellon.* quem Bellonius omnium Carduorum spinosissimum refert: & in Creta hac ætate Aconachiam vocari. Pauca auté de Acano à Veteribus prodita extant: pauciora verò etiam de Onopordo. Certiùs est Acanon spinam esse, quàm Onopordon. Cur Dodon. non subnectit Onopordon, Acanthio cum quo plurima similia.


Acanth. Illyricum. Lobel. Adu. Acanthium Illyricum. Obs. p. 476. & Icon. plant. p. 1. Tom. 2. Acanthium Illyricum, Onopordon alterum Herbariorum & Dodonæi.

Acant. Illyricum. Camer. hort. Onopordion vel Acanthium Illyricum. Lusit. Acanthium Illyricum Onopordum windisch weiß wegdistell.

Locus & Tempus. Acanthium Illyricum primò vidi Lugduni in horto meo vbi satum fuerat per Valerandum Dourez qui semen ex Sclauonia attulerat, in meo etiam horto vidit Lobelius: Carduus est spinosissimus qui affinitatem habet cum Carduo sylu. Fuchsij: satum Montbelgardi in Horto E. C. prouenit & flores protulit. Argentinæ 1595. Octobri vidi in horto Friderici Meier, qui semen dedit nomine Cardui Dalmatici.

CARDVVS ACANTHOIDES.

Descriptio




Haud minora sunt huic *folia* quá Carduo Mariæ, per ambitum magis spinosa, cæsuris mediocriter profundis, sed quibus nullæ aspersæ lacteæ maculę, nec illius adest glabrities, quin cano tomento obsita sunt, potissimū inferiùs, supernè enim præualet viror inter cádorem tomenti interlucens: *caulis* duorum cubitorum, quaterno alarum spinosarum versu pinnatus, capitula parua, sublonga, extremis ramorum plura simul congesta, nec pediculis distincta: [quo nomine tum à Carduo Mariæ, tum ab Acantho siluestri Fuchsij haud obscurè discernitur, ei in cęteris valdè similis,] flores dilutè purpurascentes, quos pappi albicantes excipiunt. Sapor huic plantæ nullus euidens.

Locus & tempus Carduum hunc Acanthoidem florentem obseruaui Monspelij mense Martio. Colendissimus præceptor Gesnerus, cui omnes meos labores communicaui, Acanthium Mattholi fecit.

CARDVVS MONSTROSVS.

Descriptio De Carduo hoc monstrosæ formæ Cornu copiæ repræsentante, quem Ferdin. Imperat.



Hist. sua natural. lib. 28. cap. 1. exhibet, & existimat fuisse Onopyxó Theophrasti, quid dicam, nunc non habeo. Vellem Imperatum diligéntiùs descripsisse, & cum Onopyxo Theophr. contulisse, locumque vbi eum inuenerit annotasse, quò posteri eò faciliùs veritatem indagare potuissent.

CARDVVS NVTANS.



Descriptio Similis est Carduo syluestri Dodonęi, verùm humilior multò, *caule* pedem vnum aut alterū alto, in varios scisso ramos subhirsutos, & membranis spinosis per longum alatos: *folia* minora, asperiora, minùs profundè, crebriùs tamé laciniata, spinosa, & hirsuta, per extrema ramorum interdum sine vllis spinis, verùm tomento tecta, rotunda. Suum gerit vnusquisque ramus *echinum*, magnum, Cardui Mariani similem, deorsum nutantem, squammis aculeatis, latioribus quàm in Carduo syluestri, compactum: *flosculi* copiosi, purpurei, interdum albi, laté se explicant: *radix* rubescens vel nigricans.

Dodon. hist. purg. in app. pag. 452. & Lat. in fol. Cirsion tertium tota sua stirpe magis spinosum.

Clus. Pann. pag. 660. capite de Cirsio ad finem, & Hist. post. lib. 5. p. 150. de hoc Carduo loquitur, cùm ait. Non minùs vulgaris agro Viennensi, multisque Pannoniæ locis, & apud Francofurtum est quàm in Zelandia, Flandria, Hollandiæque maritimis, spina illa, quam Dod. inter Cirsij genera tertio loco recenset, magno, valdè spinoso, nutantéque capite, è quo flos multis purpureis elegantissimisque staminibus constans emergit, quem niueo flore variare aliquando memini: Est semine Cirsij.

An Tabern. Icon. & Hist. Onopordum 2. weiß wegdistel: Si intelligit Carduum nutantem, vt videtur, non probo eius figuram, eáque minùs illam demonstrat, quàm Fuchsiana.

H. Lugd. eandem fortè bis describit. Drypis Drypis Loniceri.

Considerandum aliis relinquo an nō ab Hist. Lugd. lib.14. cap.26. describatur & depingatur bis eadem planta. Primò p.1479. nomine Drypidis simpliciter. Secundò pag.1480. pro Drypide Scolymo, & Carduo siluestri Loniceri, Aculeosa Gazæ, Ruellii Oxyacantha. Ego Drypidis nomen apud Lonicerum non inuenio, figura quidem est (quamuis non admodum felix) in Hist. germ.lib.5. cap.29. nomine Gemein haber distel [Carduum vulgarem auenaceum dixeris] quem postea vocat Carduum siluestrem, & Scolymum syluestrem, qui sanè non videtur obseruasse Tragum l.2. c.110. varias species syluestrium Carduorū intellexisse & nō vnicā, vt Lonicerus describit.


Hort. Lus. Card. siluestris Dodon. capite grādi.

Locus & tempus.

Carduus capite nutante floret Augusto. Abūdat circa muros & fossas vrbis, necnon in agris, vt inter *Audincourt* & *Arbouans*. Frater Casp. obseruauit etiam Basileæ. Flore albo obseruaui in ducatu Wittemb.

CARDVVS CAPITE TOMENTOSO.

Descriptio



TOmentoso striato *caule*, crebrisq; ramis stipato ad duos aut tres quatuórve cubitos assurgit, qui licèt non sit spinosus, vix manu potest attingi propter foliorum aculeos: *folia* cubitū lōga tomento villoso inferiùs incana, superiùs atrouirentia, & Echij modo aspera, ex plurib. foliis minorib. quæ ex certis interuallis quaterna, vtrinque bina, altero antrorsum, altero retrorsum posito, conflata, spinis longis rigidis acutis minacia: *caput* pugillari lapidi æquale, latum, squammis paruis lōgis & spinis parum mordacibus densissima lanugine intertextis: *flos* ex eius summo emicat, constans multis staminibus & diuersis coloribus, qualibus Hyacinthus Fuchs. maximus, violaceus & cæruleus: apices inuoluuntur vaginula alba, quæ sua albedine pulchrè hunc florem ornat, hanc vaginulam alia circumdat purpurea in quinque apices diuisa, sub floribus caro alba grati & aromatici saporis: *semen* lubricum cineraceum, striatum, oblongum, modicè compressum, dulce, tomento inuolutum: *radix* crassa, gustu non ingrato, sed aromatico, quali etiam caulis & foliorum, si excipias medullam albam siccam & insipidam: vbi capita exscinduntur apparet lacteus succus.

Figura mala C. Bauhino.

De eo Lobelius in Adu. cuius pictura non placet, ita vt mirari subeat Patronum Matth. quod suum Matthiolum eā ornare ausus sit. Is in Obs. p.482. vocat Coronam fratrum Herbariorum, & Carduum Eryocephalum Dodon. In Icon. Plant. Tom.2. pag.9. Carduum tomentosum, Coronam fratrum Herbariorum: Item p. 10. Carduum tomentosum Aduersariorū. *Duæ* figuræ vnius plātæ. Mala Aduers. poterat omitti, imò debebat.

Corona fratrum.

Lobel. agit.

Camer. hort. & Dodō. lat. in fol. dicitur Carduus eriocephalus, vt & Clusio Pannon. p.666. & Hist. post. l.5. p. 154. de quo ait. Carduum eriocephalū vulgo Herbariorum satis notum flore albo variare obseruaui. Eum autem qui est flore purpureo, sed longè humiliorem, aliquoties eruere memini agro Salmaticensi in Hispaniis, cuius semen amicis in Belgicā misi cum hac inscriptione, fortè Corona fratrum, quoniam multis notis respōdere conspiciebam ei plantæ quam Monachi in Mesuem commentatores sibi in Hispaniis obseruatam, Coronam fratrum appellassent, quod rami æquali altitudine nascentes, & suis capitibus ettophoris onusti, medium caput maiusculum summo cauli innatum, quodammodò in orbem cingerent, vt Monachi suum Abbatem aut Priorem solent. Ex eo tempore Coronæ fratrum nomen apud Belgicos herbarios hæc spina obtinuit: postea tamen à capitibus candicante lanâ inuolutis, conuenientiore appellatione Carduus eriocephalus dici cœpit.

Flore albo.

Corona fratrum cur inscripserit Clus.

Eriocephalus vnde.

An Carduus mōtanus echino lanugine obducto Matth. in Diosc.? An eiusdem Carduus caule rotundo seu tela araneæ obducto, in Hist. Germ.?

Card. montan. echino lanugine obducto Matth.

Non placet tres figuras & tres descriptiones vnius plantæ diuersis locis poni ab Hist. Lugd. quasi diuersæ sint stirpes. Harū *prima* est p.1446. hoc titulo, Acanthium montanum Dalechampii: hoc quòd in gelidis montibus, vt in monte Iura, nascatur, ita cognominauit. *Altera* est p.1472. pro Onopordo, quod Onopordum Plinii rectè dici posse Dalechampius putat, & Parisienses seruata græci nominis significatione *Pet d'Asne*, vulgò vocare ait, & affirmat asinos eo gustato subsultare, crebróque pedere: in locis cultis & pinguibus, pecudum morsu non violatum ad hominis proceritatē crescere. *Tertia* figura ponitur p.1474. pro Iacea lutea Clusii, & describitur p.1484. pro Carduo Eriocephalo Dodonæi, Carduo tomentoso Anglico, seu Corona fratrum Herbariorum. Melior itaque figura transposita est sub nomine Iaceæ luteæ Clusii, quæ releganda erat ad caput de Carduo Eriocephalo: pro Acanthio deterior exhibetur.

Huius tres fig. & tres descript. apud H. Lugd.

Card. Eriocephalus.

Huius figura est trāsposita.

Quam pro Spina Arabica figuram adieci apud Matth. (inquit C. Bauh.) spinam Arabicam Diosc. & Plinii ce'et Cæsalpinus, at Aduers. & Lob. Carduum tomentosum nominant, Suchaba Arabum Guillandino dicebatur. Hæc frater, Ast Cæsalpino Arabica spina propè cubitalis est, rami infirmi, cum paucis foliis viridibus, modicè pungentibus: Carduo verò tomētoso teste Dodon. & Lob. caules crassi, ternûm quaternúmve cubitorū, incana lanugine obsiti, folia magna spinosa, pronâ parte candidiora: quæ rationes faciunt vt non existimē Carduū tomentosū esse Spinā Arabicā Cęsalpini.

C. Bauh. verba.

An Bacchanello Acanthium illud, quod quid sit nescit, etsi aliqui Carduum montanū pro specie Acanthii demonstrent?

An Cæsalp. Acanth. aliud in agrorū limitibus passim nascens maius & nigrius, in omnib. Spinæ albæ campestri simile, sed colore viridi, nigricāte; capitib. nō tantā lanuginē fūdentib. vt Acanthiū?

An Monach. in Mes. dist.6. cens.189. Cardui genus, caule carens, qui Corona fratrum dicitur?

An Thalio Cardui species capitulo spinoso, cādida lanugine, squammas eius intercurrente?

An Rauvvolff. in Itin. l.1. c.1. Carduus tomentosus circa Marsiliam, Leucacanthę non dissimilis?

Locus & tempus.


Satus primo anno caulē nō fert sed sequēti, postea perit, se suo semine deciduo propagās. Olim colebā in horto meo Lugd. & postea Geneuę tādē

seminaui in Horto Ill. E. C. vbi nunc habeo. Florere variis in locis obseruauimus Iulio, Augusto & Septembri. In Salmanticensi agro obseruaui, inquit Clusius, locis apertis & non cultis: ac in Belgicis hortis: spontè etiam in multis Austriæ & Styriæ locis.

Quibus porrò facultatibus peculiaribus sit præditus, neque Clusius intellexit, neque quemquam fecisse periculum arbitratur.

CARDVVS LANCEOLATVS SIVE silu. Dodonæi.

Descriptio



SOrtitus *caulem* est bicubitalem & tricubitalem, villo candido obuestitu, angulosum, subinde nonnihil punicantem, membranis spinosis secundùm longitudinem alatum, surculosum, rigidum, quem alterno positu ornant *folia*, palmum vnum aut duos longa, infrà supraque hirsuta, sed densiore canaque lanugine inferiùs donata, profundè crebris cæsuris diuisa, quorum singula segmenta in aculeum infestum facessentia, lancearum mucronem imitantur: *echinus*, oblongus, mitior ad Lappæ innocentiam ferè accedit, rigidioribus tamen vtrinque aculeis, nec reflexo mucrone aduncis, sed rectis, lanugine alba intertextus, *florum* cincinnos è capite profert purpurascentes, quos *pappi* excipiunt, quibus *semen* nitidum longum appensum.

Echinus.

Onopyxos Dod. H. Lugdun. Buxus asinorum.

H. Lugd. pag. 1471. Onopyxos Dodonæi, de quo ait. ὀνόπυξος inter spinosas stirpes à Theophrast. & à Plinio lib. 21. cap. 16. numeratur, Buxum asininum vertit Gaza, quòd sit Carduus asinis in cibo gratissimus, & summoperè expetitus: quanquam non desint, qui non per υ, sed per η, ὀνόπηξον legendum esse putent: quòd ad eum pascendum asinus perpetuò defigatur & hæreat: qua ratione & Dipsacum ὀνοκάρδιον, ideò nuncupant, quòd ad eum asinus magna alacritate feratur cùm senserit, quasi Asini corculum. Cùm verò asinos vbique obseruauerim ad quosdam Carduos libentiùs accurrere, iis libentiùs, & maiori cum voluptate vesci, ab iisdem magis allici, meritò ὀνόπυξον nominauerim hunc qui nascitur passim secus vias, in agrorum limitibus, scrobium marginibus, siluarum aditu, & vbique ferè in campis obuius.

Asini corculum.

Dodon. gall. Scolymus Carduus siluestris Plinio & Limonium, quibusdam φόνον & ἀκάνθιον Chardon sauuage. Figura posset meliùs exprimi quam exprimatur apud Dodonæum. Eam tamen etiam retinuit Lac. in fol. hac inscriptione p. 727. Carduus silu. primus.

Card. silu. 1. Dod. lac.

Lobel. Obs. pag. 489. Carduus vulgatissimus viarum, Onopyxos nomen & descriptio non malè conueniunt Carduo syluestri, figura non item, quæ Carlinæ syluestris.

Card. vulgatiss. viarum Lob. notatur.

An Gesn. de coll. stirp. Carduus asininus communis?. Tabern. Icon. & Hist. Carduus lanceolatus Speerdistel. Thal. Carduus sylu. Dodonæi. Schwenckf. Carduus Silesiacus, &c (vt Hort. Lusit.) Carduus lanceolatus.

An Card. communis asin. Gesn. Card. Lanceolat. Tab.

An Cæsalp. lib. 13. cap. 36. Carduus silu. alter?

An Card. silu. alter Cæsalp.

Montbelgardi abundat circa Castri hortæum, & vrbis fossas intrà & extrà, florens Iulio, Augusto & Septembri, inter alios syluestres Carduos paulò tardiùs florere videtur. Basileæ etiam obseruauit frater C. Bauhinus.

Locus & Tempus.

CARDVVS LANCEOLATVS ferocior.


Locus Descriptio.



CAlidarum hic regionum est, Galliæ Narbonensis & cõsimilium. *Folia* eâ ipsâ ferè diuisurâ, quâ lanceolatus nobis dictus, sed multò rigidiora ac penitùs aduersâ parte, atque per ambitum spinulis dēsè obsita. Auersâ verò, quà neruus rigidus seu costa in supremam spinam fathiscens, lanugine quadam obita sunt, sed modica. *Caulis* etiam crassior est firmiórque sicut Cardui capite tomentoso. At quæ in summo sunt capita, terna plùs minùs, quę & ipsa Lanceolati capitibus maiora sunt, minora quàm in prædicto tomentoso capite, ita spinarum obseptu horrent, vt tutò eas ac temerè contrectare non sit. Lutetiâ habuimus.

CARDVVS LANCEOLATVS PARVVS.


Descriptio



CArduus paruus purpureus mihi datus à Domino Agerio 1600. accedit Carduo lanceolato ferociori, sed omnibus partibus mitior si speciatim singulas eius particulas perpendas, non tamen ita ferox.

CARDVVS

CARDVVS CAVLE CRISPO.



Descriptio

AD cubitū & sesquicubitum & altiùs assurgit, *caule* digitali, subhirsuto, viridante, membranis laciniatis spinosis, crispo implexu vndulatis, per longitudinem adnatis donato fistuloso, multis alis concauo: *folia* sinuata dodrantalia aut minora, atrouirentia, hispida, aculeis mordacib. crebris pungentia, *flores* simul aliquot iunguntur, Iaceæ nigræ vulgaris ex staminibus purpureis conflati, qui in *pappos* abeunt, quibus capitulum Auellanæ magnitudine subest, spinis mollioribus obsitum: *radix* sesquipalmari longitudine crebrerrimis fibris capillata. H. Lugd. p.1473. πολυάκανθον Theophrasti, quod ex eo Plinius in spinosis stirpibus recensuit, ac Theodorus Aculeosam Latinè dixit, à spinarum infinito ferè numero, quòd nullum sit Cardui genus pluribus magisque confertis aculeis contectum & armatum. — *Polyacanthon Theoph. H. Lugd.*

Dodon. gall. Cardui siluestris tertium genus fecit sine icone, negauitque esse Scolymum, sed vocari posse Carduum asininum concessit. — *Card. silv. 3. Dod. Card. asininus.*

An est Lob. in Aduers. Aculeosa illa Gazæ, de qua dubitat an sit Polyacantha Theophrasti? — *An Aculeosa Gazæ Lobelio?*

An Anguill. epist.8. Aculeosa quæ Theophrasto vocatur πολυάκανθ@?

An Gesn. de coll. stirp. p.66. Carduus asininus quidam procerus in siluis angustioribus foliis?

Tabern. Hist. & Icon. Klein wegdistel/ Polyacantha Theophrasti. — *Polyac. Theoph. Tab.*

Locus & Tempus.


Carduus caule crispo non solùm prouenit ad altitudinem trium aut quatuor pedum: sed etiam hominis staturam interdum excedit, si solum nâciscatur commodum. Abundat circa Castrum & in Horto E. C. ac aliis in locis semine maturo in fine Iunii. Sed & inibi Carduum caule crispo obseruaui flore albo.

CARDVVS SERPENS LÆVICAVLIS.

Descriptio

AD sesquicubitum & altiùs excrescit *caule* tenui, singulari, læui, striato, rubenti, cui *folia* alternatim adnascuntur Cardui caule crispo mihi dicti, modò tomentosa, modò glabra, modò angusta, modò latiuscula, minùs profundè laciniata: *scapus* in aliquot surculos diuiditur, quibus insident *echini* plures, oblongi, parum admodum aut nequaquam mordaces, squammati, purpurascentes, odorati, ex quibus emicant *flores* staminei cærulei, interdum albi: *radix* longè latéque sub terra serpit, tenuis, subinde nigricans, odore satis graui. Ea autem minùs benè picta, sicuti & flores, in figura nostra ex Fuchsianis.

Considerandum an Dodon. Gall. lib.4. cap.73.



& Lat. in fol. per Carduum siluestrem alterum intelligat Carduum nostrum repentem? descriptio conueniret, si addidisset radicem repere, quod fortè non obseruauit. Figura in Hist. Lat. in fol. pro Carduo syluestri altero posita pag.727. est alterius plantæ, nempe Carlinæ siluestris, cuius loco malè posita est pag.716. pro Carlina siluestri, Carduus silu. alter. — *An Card. silu. alter Dodonæi? Figura Dod. lat. est transposita.*

An H. Lugd. pag.1471. & 1472. Onopyxus alter. — *An Onopyxus alter H. Lugd.*

An Spina Ceanotus Theoph. Anguillaræ & Lobelio?

Gesn. coll. stirp. fol.68. Carduus aruensis, Haber distel. Eidem hort. Carduus aruensis maior purpureo flore, qui flore nondum nato, moschum olebat Carduus aruensis. — *Card. aruensis Gesn.*

Tragus hanc inscripsit Carduum siluestrem, ac inter fruges, potissimùm verò auenam enasci scribit, ac dicit. Ex Carduis siluestribus alii proceritatem viri attingunt, quidam humiliore statu contenti sunt, in vniuersum tamen omnes aculeatis, & dissectis foliis caulem ambientibus præditi, nec non capitulis [quorum alia rufos, alia candidos, nonnulla roseos gerunt flores, cæterà carduo puellarum, consimiles] in vertice spinosis emicantes. Eorum semina oblonga apparent, punicei ferè coloris, læuia, ac Carduo Mariæ magis exigua. Vniuersa Carduorum iam descriptorum genera, quæ agricolis & messoribus subinde impedimento sunt, nos vitia frugum, seu Carduos siluestres esse iudicamus, de quibus Vergilius in hunc modum. — *Card. silu. Tragi. Card. silu. Vergilii.*

Carduus & spinis surgit Paliurus acutis.

Germani Haber/oder feld distel vocant. Thalio Carduus auenarius, seu siluestris Tragi. Tabern. Icon. & Hist. Carduus aruensis, Acker distel. Hort. Lus. Carduus aruensis, Carduus auenarius, Carduus silv. Tragi.

An Schvvenck. Carduus aruensis seu Auenarius Thalii, Carduus segetalis, Aculeosa Gazę Aduers.?

Locus & tempus.

In agris passim abundat & vineis, vt & in Horto E. C. & aliis multis, in vrbe & extra. In multis locis Germaniæ & Galliæ etiam obseruaui, florentem Iulio & Augusto.

CARDVVS CHONDRYLLOIDES Dalechampij.

Descriptio.

CArduus Chondrilloides Dalechampii ita cognominatus, quòd foliis Chondryllam secundam valdè imitetur. Crescit in asperis & saxosis, *radice* dodrantali, lignosa, dura, candida, obliqua, tenuissimis villis capillata: *foliis* proximè radicem multis, laciniatis, & circumrosis Chondrillæ modo, breuibus, aculeatis, in superiore caule paucis,

qui pedalis est, in ramulos ferè duos tantùm diuisus, teres, angulosus, in cuius cacumine capitulum nullum, sed eius vice corticosus vertex, vt in Borragine circinatus, velut in radios dispertitus: *flos* aureus, in pappos euanescens: Quod itaque Scolymo proprium esse vult Theophrastus, vt spinoso capitulo, quod Acanum vocat, is careat, id & huic Carduo commune est præter aliorum Carduorum naturam.

CARDVVS ARÆOPHYLLOS Dalechampij.

Descriptio.



CArduus Aræophyllos Dalechampio ita dictus, quòd *caulis* qui angulosus est, raris foliis vestiatur. Hæc ex interuallis singula longiuscula, angusta, oleæ similia, paucis & mollibus spinulis aspera prodeunt in caule terete, pedem alto, in in cuius summo quatuor, aut quinque conspicias *capitula*, subalbida, minimè aculeata, sed laminularum positu, ordinibus & scansili inæqualitate leuissimè tantùm attrectantium manus scabentia: *flos* purpureus est: *semen* paruum, oblongum, inter omnia Carduorum genera mollissimâ & longissimâ lanugine reconditum.

Dolendum Dalechampium non addidisse locum vbi hunc & præcedentem Carduum obseruauerit.

DE CHAMÆLEONE ALBO Veterum CAP. VIII.

DE Chamæleone Veterum dicturis exordium petere liceat ab albo, húncque à nigro separare conueniat. Vires siquidem radicum, authore Theophrasto, inter se distant, & ipsæ radices inter se specie differunt. Ita námque de albo Chamæleonte, quam Theodorus Vernilaginem vocat, inquit: radice distat à nigra: candida enim est, dulcis, crassa, & grauiter olens, vtilis traditur ad alui profluuia decocta: dissecta Rhaphani modo digeritur in taleolas, & iunco transfigitur: valet & ad interaneorum animalia lata, acetabuli mensura in vino austero pota, sed præsumpta vuâ passâ: occidit & canes & sues: Canes quidem subacta in farina hordacea, cum aqua & oleo: sues autem cum Brassica: & si hominem ægrotantem experiri volueris an viuere possit, lauandum eâ radice triduò iubent: hoc enim si tolerauerit, moriturum nequaquam existimant: nascitur æquè omnibus locis folio Scolymi, verùm ampliore, & terræ proximo: capite magno Acano simili: vnde quidam Acanum eum vocarunt. Alibi Ixiam

Chamæleon alb. Theoph. Vernilago Gazæ.

[illegible] fit moriturus.

Acanus.

Ixia.

vocat, quæ in Creta habere lacrymam dicitur, alia autem apud eundem est Ixine: nam in eodem capite vtriusque meminit, tanquam diuersarum. Alia quoque intelligitur apud eundem nomine Chamæleontis seu vernilaginis: folio scilicet non aculeato, vt in Carduo satiuo diximus.

Chamæleonem album ideò Ixiam appellarunt, ait Dioscorides, quod quibusdam in locis viscum ad ipsius radices inueniatur, quo etiam pro Mastiche vtuntur mulieres. *Folia* habet Silybo aut Carduo similia, sed Chamæleonis nigri foliis asperiora [τραχύτερα δὲ. Sic Oribasius, Plinius, itémque Serapio: at codex Aldinus habet παχύτερα, hoc est, crassiora,] acutiora atque validiora. *Caulem* non promit: verùm ex medio spinam echino marino aut Cinaræ similé erigit: *flores* verò emittit purpurascentes, capillorum figura, qui in pappos euanescunt: *semen* Cnici simile: *radicem* in lætis quidem collibus crassam, in montosis verò graciliorem, in profundo albam, aliquatenus aromaticam, odore graui, dulcem. Hæc pota acetabuli [vterque Goupili codex [illegible]] mensura, latum ventris lumbricum pellit. Sumitur verò in vino austero cum origani decocto. Hydropicis quoque commodè drachma in vino datur: etenim eos extenuat. Ipsius quoque decoctum contra difficultatem vrinæ bibitur. Aduersatur & in vino pota virulentarum bestiarum venenis. Canes autem, suésque ac mures occidit, subacta cum polenta, aquâque & oleo diluta.

Ixia cur dicatur Diosc.

Diosc. illustratur variè.

Vires

Chamæleonem, inquit Plinius, aliqui Ixian vocant: duo genera eius: Candidior asperiora folia habet, serpit in terra, echini modo spinas erigens, radice dulci, odore graui. Quibusdam in locis viscum gignit album sub alis foliorum, maximè circa canis ortum, quomodo thura nasci dicuntur, vnde & Ixias appellatur Hoc vt mastiche vtuntur mulieres. Quare vt Chamæleon vocetur, varietate foliorum euenit. Mutat enim cum terra colores, hîc niger, illic viridis, alibi cyaneus, alibi croceus, atque alijs coloribus. Ex his candidus hydropicos sanat succo radicis decoctæ, bibitur drachma in passo. Pellit & interaneorum animalia, acetabuli mensura succi eiusdem, in vino austero, cum origani scopis [decoctis.] Facit ad difficultatem vrinæ. Hic succus occidit canes suésque in polenta, addita aqua & oleo. Contrahit in se mures ac necat, nisi protinus aquam sorbeant.

Genera duo Plinio Chamæl. candidior.

Chamæleon cur dictus.

Plin. [illegible]

Galenus albi Chamæleonis radicem ad lumbricum latum dari scribit, acetabuli mensura, cum vino austero, exhiberi ipsam & hydropicis, & similem esse temperamento nigri radici, præterquam quòd amarior quàm illa sit.

Chamæl. alb. Galeni.

Ixias [ἰξίας, seu ἰξίνη] appellatio autem non huic albo Chamæleoni tantùm sed & nigro iccirco rectè tribuitur, quòd vtriusque radicibus gummi quoddam ἰξῷ i. visci æmulum adnascatur. Sic enim Plinius de Chamæleone in vniuersum, lib. 22. c. 18. Chamæleonem, inquit, aliqui Ixiam vocant: ac paulò pòst, nigri Chamæleonis (quod quibusdam ὑλόφονον & κυνόζεμον vocari scribit) radices tradit viscum ferre vlceribus vtilissimum. Hesychius: ἰξίας, ῥίζα τις, ἣν καὶ χαμαιλέων. Galenus verò in lexico vocum Hipp ἰξίαν interpretatur, φύλλον τοῦ λευκοῦ χαμαιλέοντος. Reperiuntur tamen nonnulli, in quibus sunt Cordus, Ruellius & Gorræus, qui nomen hoc ad nigri Chamæleonis radicem contrahant, existimentque ἰξίαν radicem esse nigri Chamæleonis, non quidem cuiuslis, sed eius tantùm qui viscum profundit: quod locis tantùm

Ixias appellatio varia.

Ixias Hesychio.

Ixias radix nigri Chamæleonis

tantùm quibusdam & statis anni temporibus euenire asserunt: de quibus fusè & doctè Sarracenus.

Appellationes variæ.

Chamæleonem album sunt qui Herysiscep-trum, qui Ixiam vocent, inquit Marcellus, Ægyptii Epher, siue Ephthosachim, Romani Carduum minorem appellant. Descripsit Plinius herbam, facileque est legentibus nouisse, ab animalium genere, Chamæleone lacerta Crocodilo minori, per terram serpente, herbam humi repentem, vndique spinis & aculeis fertilem, nomen traxisse. Id autem non totius, aut partium quarundam figura & species fecit, sed mutationis colorum euentus. Vt enim animal subinde & oculis, & cauda, & toto corpore colorem mutat, redditque semper quemcunque præter rubrum & candidum [& si discrepent in hoc antiqui scriptores, excipiuntque aliqui candidum tantùm,] eodem modo & herba cum terra colores mutat: hîc nigra: illic viridis: alibi crocea: atque aliis coloribus. Nec alia nominis huius in herba quàm à coloris mutatione quam similem communemque cum eo animali habet ratio in græca appellatione est. Alioquin in censu Carduorum vterque Chamæleon est, candidus sc. & niger. Dico autem Carduos nunc spinosum omne illud genus: quod siue altiùs à terra erigatur, siue humiliùs serpat, siue his aut illis, hacve parte aut illa aculeatum sit, spinosum florem aliquem profert, in quo lanis & pappis semina inuoluuntur. Neque erit difficile diligenter pinguia inculta loca, præsertimque rudera mensibus Maio & Iunio obseruantibus vtrumque hoc genus & eorum discrimina obseruasse: præcipuéque ex floribus: qui ex latiore veluti pyxide in altero purpurei prodeunt: in altero quo mox colore describentur, &c.

Chamæleonis nomen vnde ductum.

Carduus est vterque Chamæleon.

Discrimen Chamæleonis albi & nigri.

Matth. reprehensio.

Miror Matthiolum inquit Guilland. in Theone, quando ipsum in explicandis Ixia & Chamæleonte albo nigroque fœdè adeò hallucinatum esse video, vt nihil possit dici turpius. Itàne illi Dioscorides, quem explanare conatur, lectus est, vt Ixiam, quam auctor ille libro sexto inter venena connumerat, non albi Chamæleontis gummi, quod ipse falsò statuit, sed plantam per se ab vtroque Chamæleonte discretam ignoraret: Debebat eum profectò eius rei Theophrastus admonuisse, qui tres esse plantas, Ixiam, Chamæleontem album, nigrumque prodidit, vt interim Dioscoridem silentio præteream, qui eodem libro, cuius proximè mentionem fecit, Ixiam & Chamæleontem inter pestiferas & lethales radices connumerauit. Si itaque Ixia, Dioscoridis testimonio, planta sui generis est, à Chamæleonte differens, nequaquam albi Chamæleontis viscum, ea esse Ixia poterit, quam idem auctor inter exitiosa pharmaca reponit. Eludet fortassis ille nodum hunc, Ixiam Dioscoridem Chamæleontem candidum appellasse inquiens, Chamæleontis autem nomine absolutè posito nigrum intellexisse. Sed caueat quæso, ne se in grauius multò priori periculum præcipitet, quando auctores habeo non vulgares, qui Ixiam, quatenus venenum est, ab albo Chamæleonte separant: quanquam licèt Chamæleontis etiam nomine, nigrum intelligat, errat nihilominus, quòd atrum Chamæleontem à Dioscoride inter venena referri negat. Hæc si illi annoso quidem seni, sed herbarum nobilis scientiæ rudi, obseruata fuissent, nunquam ἰξίνην & ἰξίαν apud Theophrastum, quas voces Gaza nullo discrimine, Carduum pineum malè reddidit, quod item interpres ille Anazarbe celebris hactenus ignorauit [quî enim scire potuit, cùm Theophrastum græcè nunquam legerit, nec si legere velit, possit:] ad Scolymi genera reiecisset. Sed tempero mihi æquè in his atque in cæteris næuis suis latè explicandis, quando cursim tantùm ista noto, iustum aliquando de omnibus volumen conscripturus: etsi vehementer interim doleo, mihi cum tam indocto impudentique homine, cuiusmodi ipse est negotium intercedere. Sed omnis fortuna ferenda est. Herculi quoque procaces mulierculas alapas impegisse legimus. Sic ille sanè edentulus senex, iuuenem quinque & viginti annos natum imperitiæ accuset, modò ipsemet suam toti orbi inscitiam declaret patefaciatque.

Ixia, Chamæleo albus & niger, tres plantæ diuersæ, contra Matth.

Error Matth. Chamæl. niger refertur inter venena.

Ixinem & Ixiam Gaza malè reddidit Carduum pineum.

Plura qui volet circa ea quæ tum obscura tum controuersa sunt in Ixiæ & Chamæleonis tum albi tum nigri historia, consulat is Marcellum, Guillandinum & Sarracenum, nec non etiam Gesnerum.

CHAMÆLEON NIGER Veterum. Cap. IX.

De hoc Theophrastus ita scriptum reliquit. Nigro Chamæleoni folium inest albo simile, specie Scolymi, sed minus, & læuius: tota autem herba vmbraculi speciem repræsentat: radice crassa, & nigra extrinsecus, sub fulua intrinsecus, nititur: loca gelida, humidaque amat: [alii codices habent non ὑγρὰ, id est, humida: sed ἄγρια id est, inculta:] lepram & vitiliginem trita in aceto & ramentis illita expellit: nec non & canes occidere potest: viuis annis quadraginta: *hæc Theophrastus.*

Theoph. lib. 9. Gaza Vitae.

Ex Diosc. Pancarpon, Vlophonon, Cynomaxum, Ocimastrum, Cnidium granum, Cynozolon, Card. niger, Vernilagium Diosc. lectio.

A quo multa mutuasse videtur Dioscorides, cuius verba hæc sunt. Chamæleon niger [qui & Pancarpon, Vlophonon [Buphonum legit Sipont.] Ixia, Cynomazum, Ocymastrum, Cnidium granum, & Cynozolon inter Dioscoridis nothas appellationes ab aliquibus vocatur, ab Ægyptiis *Sobel*, à Romanis Carduus niger & Vernilagium dicitur] & ipse *foliis* Scolymo [Carduo Corn.] similis est: ipsa tamen habet minora, tenuioraque [λεπτότερα. Restitueret Sarrac. ex Theophrasto λειότερα, nisi vnus esset omnium exemplarium consensus. Siquidem Theophr. loco modò citato inquit, Niger Chamæleo (Vernilaginem vertit Gaza) folio est Scolymi, at minore læuioréque] ac rubro distincta. *Caulem* verò producit digitali crassitudine, dodrantalem, ac subrubrum: qui quidem vmbellam gerit [ἔχον σκιάδιον: fortè ἔχων legendum, vt ad Chamæleonem referatur: vel ἔχοντα, vt ad proximè præcedentem vocem καυλόν. Porrò aliud quàm quod signant hoc loco verba Dioscoridis, voluit Theophrastus, nimirum totam stirpem vmbraculi speciem repræsentare] floresque spinosos, tenues, Hyacinthi æmulos, & versicolores. *Radix* trita, additis atramenti sutorii exiguo, cedrino oleo, & axungia, psoras tollendi vi pollet. Eadem vnà cum sulphure ac bitumine in aceto decocta inunctaque, lichenas absterget. Eius autem decoctum collutione dentium dolores mitigat. Sed & cum pari Pipere & Cera oblita radix, dentium doloribus auxiliatur. Fouentur & eâ dentes in aceto decocta & affusa. Dolentem quoque dentem comminuit, si per stylum calida illi adhibeatur. Maculas verò depurgat à Sole contractas, & vitiligines cum sulphure emendat: septicis medicamentis admisce-

Diosc. illustratur.

Vires.

tur, ac denique imposita, phagedænica efferatáq; vlcera sanat & extirpat. Cæterùm vt vocetur Chamæleo foliorum varietate euenit. Nam pro locorum differentiis, hîc intensè viridia, illic albicantia, alibi cyanea, alibi denique rubra [Addit Oribas. ἢ πυῤῥὰ, nonnunquam rufa] reperiuntur.

Lectio Oribasii.

Chamæleonis sexus Plinio. Vires

Ex nigris, inquit, Plinius, aliqui marem dixêre, cui flos purpureus esset, fœminam cui violaceus: Vno nascuntur caule cubitali, crassitudine digitali: Radicibus earum lichenes curantur, cum sulphure & bitumine vnà coctis. Commanducatis verò dentes mobiles, aut in aceto decoctis. Ferunt & hoc viscum vlceribus vtilissimum. Omnium autem generum earum radices scorpionibus aduersantur.

Chamæleon niger Galeno.

Galenus de Chamæleonis nigri radice sic scribit. Habet quid venenosi. Quare extrinsecus vsus eius competit ad scabiem, impetiginem, vitiliginem, & omnino quæcunque extersione opus habent. Miscetur etiam mollientibus ac discutientib. medicamentis. Et phagedænica vlcera sanat imposita. Est enim sicca ordine tertio, calida secundo completo.

Ixia vox vtrique Chamæleoni communis. Error quorundam.

Multa superiori capite, quæ ad Chamæleonem nigrum pertinent, adduximus, hîc tamen rursus de eo admonendum duxi, quod communis vtrique Chameleoni Ixiæ vox & appellatio est: falsò tamen & sine causa: quum albo tantùm adnascatur viscum, vnde ea facta est, illi úsque propria, cæteras [appellationes] nigro relinquit. Dioscorides etiã id albi tantũ radices refert quod Plinius ait: Ferunt & hæc Viscum vlceribus vtilissimum. Theophrastus de Ixia loquens, quam Chamæleonem non nominat: sicut neque in libri progressu, de Chamæleone vtroque agens, Ixiæ appellationis meminit. Quare etiamsi vterque Chamæleo viscum producat, & inde Ixias appelletur: tamen aliud esse videtur medicamentum Theophrasto Ixia appellatum, quæ à Diosc. inter radices venenatas recensetur, & à Paulo. Aëtius tres diuersas radices facit, qui lib. 13. cap. 71. de Ixia agit, & mox sequenti capite de Chamæleone nigro & albo, qui priuatim strangulationem inducit. Est igitur Ixias radix peculiaris ab vtroque Chamæleone diuersa, & tamen fortassis id nigri Chamæleonis genus, quod Plinius à quibusdam Vlophonon vocari dicit: quæ appellatio etiam in suppostitiis Chamæleoni nigro apud Diosc. attribuitur. Et ab eodem Diosc. Paulóque ac Aëtio, etiam Ixiæ ascribitur. Et propterea etiam Nicander Vlophonum ixioen, id est, viscosum appellauit in Alexipharmacis:

Ixia radix peculiaris.

Blattã male interpr. Nicander.

Nec hic fides habenda est, authore Cornario, interpreti eius qui Ixiam genus blattæ esse dicit, quòd sit colore nigrum, odore verò in potu, Ocimi semini simile: quum Diosc. Paulus & Aëtius, palàm inter radices recenseant. Plinius quod Ixiam ab Ixo, id est, visco nominatam videret, vbique pro Ixia venenosa radice, viscum reddidit. Quod etiamsi tolerari ac excusari possit, tamen ἀμφίβολον, ad viscum arboreum & aucupiis inseruientem, vitio non caret. De his & huius generis similibus plura apud Marcellum & Leonicenum habentur.

Æquiuoca Chamæleon albus synonymer. Spina alba sylu. Fuchsio.

Cæterùm Chamæleonis vox absolutè posita, album & nigrum, plantas viribus radicum diuersas, denotat. Chamæleonem album, quidam eũ Carduum esse dicunt, qui à nobis spina alba syluestris Fuchsij inscribitur, & à Chamæleone differt, autoribus Euricio & Valerio Cordo. Innotuit nostris regionibus, ait Tragus, Chamæleon niger verus. *Ast* fallitur Tragus. Est Echinopus de quo infrà. Chameleonẽ Eustachius Roesslin, Amatus & Brunfelsius, existimant Carduum Marianum, sed à Chamæleone differt, testibus Euricio & Valerio Cordo, & Apolline. Falluntur, inquit Matthiolus, qui putant stirpem illam Pternici nõ absimilem, Italis *Carciofo* appellatam [nos Scolymum syluestrem inscripsimus hoc libro,] aculeis horrentem, cuius flore coaguli vice vtuntur in Hetruria, esse Chamæleonem album.

Echinopus. Carduus Marianus. Scolymus sylu.

Auicenna ceu antè dictum idem de herba Mezereon scribit, quæ Chamælea Græcis, quod de Chamæleonte Dioscorides, vt linguarum imperiti sæpè vocabulorum similitudine decipiuntur. Confirmat hoc Gesnerus de Oviparis, dicens: Arabes Chamæleontem & Chamelæam, quam & Mezereon vocant nulla ratione confundunt. De Chamælea dictum lib. 5. Chamæleonum generis esse dixerim Carlinam hodiè medicis appellatam, quasi Cardinam: Carduus enim humilis est, cuius itidem duæ vel tres differentiæ sunt. De his mox agemus. Meminit idem Gesnerus de quadrup. Ouip. in Gallia & alibi genus Cardui quoddam videre foliis diuisis, albicantib. amaris, non aculeatis, capitibus spinosis multis stellatim (vt ita dicam) aut muricum ferreorum instar radiatis, candidis, sed à Chamæleonte diuersum, vt indicat. Dicitur hæc à nobis Calcitrapa, siue Carduus stellatus, de quo paulò infrà. Arnoldus de Villanoua in breuiar. lib. 3. cap. 21. Florem Chamæleontis coaguli vsum præstare scribit. Atqui spina illa, cuius floribus multis Galliæ locis hodie ad lac coagulandum vtuntur spina alba Græcorum est, quod & Ruellio placuit. De Leucacantha, siue spina alba vide infrà. Chamæleon est inter Dipsaci nomenclaturas apud Dioscoridem, teste Gesnero. Tradetur hic paulò pòst. Perpendant lectores an Chamæleon Salmanticensis Clusij, sit Carduus Acarna Anguillaræ, & an idem cum Picnocomo Lobelij. Eringio vulgari, potiùs quàm vlli plantæ fauere nomenclaturam Chamæleontis ait Lobelius. Carduum benedictum Syluius voluit Chamæleontis speciem, cuius iudicium non probandum. Iacea montana magno capite, est Chamæleon Theophrasti, differens à Chamæleonte Dioscoridis, vt vult Anguillara, qui sibi nõ notum ait. Malè Plantinus in Icon. Tom. 2. p. 2. Branchæ vrsinæ spinosæ siue Acanthi aculeati iconem ponit, pro Chamæleonta Monspeliensium. In lacertarum genere Ægyptus, Africa, & India Chamæleones passim & quotidie videt, hoc attestante Marcello. Cæterùm de Chamæleonibus nobis dictis jam jam agemus. Inter hos autem primus sese offeret Chamæleon exiguus Tragi. Secundum locum dabimus Chamæleoni nigro Dioscoridis Maranthæ. Ab hinc sequetur Carlina caulifera vel Acaulos quæ à quamplurimis pro Chamæleone habetur. Quartus & postremus erit Chamæleo albus, à nobis inscriptus.

Chamælea. Carlina 1. 2. 3. Spina alba. Dipsacus. An Carduus Acarna Anguillaræ. Eryngium vulgare. Carduus benedictus. Iacea montana magno capite. Branca Vrsina spinosa. Chamæleones lacertæ. Chamæleon exiguus Tragi. Chamæl. niger Diosc. Marantha. Carlina caulifera vel Acaulos. Chamæleo albus.

CHAMÆLEON EXIGVVS TRAGI.

Descriptio.

Chamæleon exiguus Trago dictus *folia* in orbem per terram spargit Carlinæ, profundè laciniata, hirsuta, atrouirentia, aculeis horrida: inter quæ aut nullo, aut breui *cauli* vnciali vel sesquiunciali hirsuto insidentia enascuntur *capitula* oblonga, in glandis formam, minora, quàm Carlinæ,



linæ, squarrosa, nec vllis spinis armata, è quibus *flores* emicant purpurei: *radix* minimi digiti crassitudine, longa, fibris aliquot crassiusculis donata, obliquè agitur, colore subrubente, præsertim intrinsecus, sapore aliquantulum aromatico.

Chamæl. exiguus Tragi. Hunc Chamæleonem exiguum inscripsit Tragus: in margine verò Chamæleonem secundum, seu album exiguum nominauit, dixitque: Alterum verò Chamæleonis genus ferè vbique locorum prouenit, potissimùm verò in asperis montibus, ac forti albaque terra: radices grauissimi odoris. Augusto mense florem ostendunt in perfectione sua. Hic Chamæleo Ruellio optimè fuit notus, vulgatissimus incultis asperisque agris, maximè edito loco sitis. Hunc Succhaham Arabum [Auicen. lib.2. cap.674. & Rhas. & simpl.cap.48.] esse semper putaui. Pertinet verò ad Chamæleonta album Dioscoridis, quod descriptio testatur, quæ huic ita conuenit, vt nulla nota reclamare videatur, quod Ruell.l.4. cap.8. diligenter obseruauit.

Succhaha Arabum.

Chamæl. albus Diosc.

Dod. gall. an Carlina acaulos. An Dodon. gall. Chamæleontem hunc Ruellij non confundat cum Carlina sine caule [quam spinam Arabicam inscribit] iudicent alij.

Lonic. figuram Tragi habet sub hoc titulo, Klein oder weiß Eberwurtz/Chamæleon exiguus siue albus.

Ryffio in Diosc. dicitur Chamæleon albus, vulgò wegdistel & nider distel/ ac si Carduum viarum & Carduum humilem dicat.

Card. viarum, siue humilis.

Card. acaulis Septentrionalium Lob. Lob. notatur. Lobelio in Obs. pag.480. Icon. plant. Tom.2. pag.5. Carduus acaulis Septentrionalium, Chamæleon albus Cordi, Chamæleon exiguus Tragi. Apud Cordum hoc nondum animaduerti, licèt hoc ipsum in Hist. Lugd. Dalechampius de Chamæleone exiguo Tragi statuat. Existimo potiùs esse eius in Dioscor. lib.3. cap.12. Crocodilion, quod Germ. wild Eberwurtz vocant.

An Crocodilion Cordi.

Carlina minor Clusij. Clusio est Carlina minor, tàm in Pann. p. 667. [ubi tamen eius iconem non dat] quàm in Hist. post. lib.5. pag.156. vbi icon. Carlina minor purpureo flore inscribitur, & ex quorundam opinione non dissimilis esse iudicatur Chamæleoni Theophrasti, cuius meminere lib. Hist. plant.6. cap.3.

Coronafratrum Monachorum in Mes. Clus. refutatur. Monachorum Cardui genus Corona fratrum [quia caput magnum stat tanquam Pater, Capitula verò tanquam Filii eius, & Fratres in modum Coronæ stant, circumdâtes ipsum Patrem] dictum suspicor, licèt Clusius, cuius iudicium magni facio circa stirpes, Coronam fratrum ad Carduum capite tomentoso mihi dictum, referre videatur: sed Clusio descriptio Monachorum in Mes. dist. sext. censur. 189. manifestè contradicit.

Locus & Tempus. Carduus radice perenni, qui solet locis petrosis prouenire, Geneuæ à me obseruatus. Item Montbelgardi prope pontem Vauaucourt, ac S. Hippolitum in descensu à Blaumontio: inter Vauclule & Chastillon inter montium conualles, florens Septembri, Montbelgardi ad Vites florens Iulio & Augusto. Angliæ collibus, Picardiæ, Gallobelgii satorum marginibus obuius & frequens. Crescit in Pannoniæ montibus, frequens in siccioribus pratis, etiam in accliuitatibus herbidorum collium.

CHAMÆLEON NIGER DIOSCOR.
Maranthæ.



Descriptio Chamæleoni vero nigro est *umbella* spinosa tam grata aspectu cùm floret, vt nihil pulchriùs videri possit: est enim vmbella loculis, siue *siliquis* oblongis densissimis acutarum spinarum circumseptis plena, in quibus *flores* purpurei, oblongi, intus candidi, tenues, Hyacinthi æmuli supereminent: sed illa siliqua spinosa *semen* occludit Cnico simile, adhuc vigentibus in ea floribus, quod tandem illis decidentibus maturescit: *folia* vario colore maculis inspersa: *caulem* habet purpureum, dodrantali altitudine, *radicem* fuscam foris, intus radicis Aristol. longæ colore, atque inter mille vix vnam aut alteram vidimus, quæ non sit carnosa, quanquam Diosc. interdum exesam esse tradit, acerrimi gustus est, sed commanducari oportet.

Synonyma Huic Chamæleoni (inquit Marantha descriptionis autor, lib.2. Meth. cognosc. simpl. cap.7.) omnes notæ pulchrè respondent, quas ei Diosc. assignat, præsertimque umbella spinosa. Appellatur hæc planta à Theophr. lib.9. cap.13. Chamæleo niger, Vermilago nigra, vt vertit Gaza, & non acceptatis nominibus Vlophonon & Cynozilon, & Cynozolon: Plinius hæc nomina exponens, inquit ita appellari propter grauitatem odoris.

Chamæl. niger Theophr. Vermilago nigra.

Chamæl. niger Diosc. Castori. Castori dicitur Chamæleon niger Dioscoridis. Bellon. verò Obs. lib.1. cap.49. & 25. videtur Gallos & Germanos Medicos frustra laborasse in depingendo Chamæleone, tam nigro hoc, quàm albo.

Cardacelli Anguill. Anguill. epist.8. Cardacelli, & Cardoncelli, planta in Apulia reperta, cuius descriptio Chamæleoni nigro Dioscoridis omninò conuenit. Chamæleonem nigrum Antiquorum eum esse, minimè asserere dubitat Sarracenus, quem & ipse Marantha pro Chamæleone nigro agnoscit.

Matth. in Diosc. cum mag. fig. lat. & Ital. ait se

non habere, cur Chamæleonem nigrum à Marantha Neapoli transmissum, Chamæleonem nigrum legitimum esse affirmet. Hæc, inquit, tametsi vmbellas Hyacinthinis floribus scatentes proferat, cùm tamen folia rubris maculis varia non sint, in caule nulla prorsùs rubedo spectetur, mansa radix acredinis tantillùm haud resipiat, exesa non sit, non flauescat, nec caules digitali crassitudine videantur, cur legitimum Chamæleonem nigrum hanc plantam esse affirmem non habeo. Sed de his diffusiùs libro quarto nostrarum Epistolarum disseruimus, ad Marantham respondentes. Hæc Matthiolus, qui Chamæleonem hunc, Chamæleonem nigrum inscribit, ac meritò sententiam suam iis censendam relinquit, qui rei plantariæ maiorem, quàm ille peritiam habent.

Chamæleon niger Matt.

Camer. in Hist. Matth. Germ. & Epit. eum pro Chamæleone nigro pingit, viresque ex Veteribus vnà cum descriptione attribuit, cum his nominibus. Chamæleon niger, dicitur Græcis Χαμαιλέων μέλας, Arab. Chamæleonmelamos, It. Chameleone nero, Germ. Schwartz Eberwurtz. Hisp. Cardo pinto: Gall. chardonnette, Boh. Pupauwa carua. Meo quidem iudicio vires huic à veteribus traditas Chamæleoni nigro rectè adscribit. Ast nomina non conueniunt. Is enim his nominibus Carlinam tradit. Huius iconem exhibet H. Lugd. pag. 1454. pro Chamæleone nigro Matthioli ac Fuchsij. Sed huic titulus non conuenit, dicendũ erat Chameleon niger alter Matthioli. Sequitur errorem Typographi in Matthiolo commissum, vbi figuræ transpositæ, vt etiam sub Carlina dicetur. Sed huius & alteram figuram habet pag. 1455. pro Chamæleone nigro vero Dalechampij.

Nomina Matthioli non conueniunt. Error H. Lugd.

C. Bauh. apud Matth. dicitur Chamæleon niger alter Matthioli.

Chamæleon niger alter Matt. C. B.

Maranthæ & Anguillaræ depictus Chamæleo (inquit Lobel. in Adu.) videtur aut verum esse Crocodylium, aut certè Germanici opinionem sustinere posse. Obseru. pag. 480. & Icon. Plant. Tom. 2. p. 5. Chamæleo niger.

Chamæl niger Lob.

Locus

In Apuliæ finitimis ac multis aliis locis, in campestribus & siccis locis Chamæleonem suum nigrum, maximâ vbertate prouenientem sæpiùs collegit Marantha. Bellon. Obs. audet affirmare. Chamæleonem nigrum neque in Germania, neque in Gallia, neque in Italia sed in Lemno nasci: nam præterquam quod stirpes per Italiam perquisiuerit, sibi etiam fidem facere Aloisium horti Patauini præfectum: qui asserat, vtrumque se cõquisiuisse, sed nondum isthic reperisse. Ast dicat quicquid velit Bellonius, ego Chamæleonem nigrum Maranthæ vidi apud Clariss. Virum D. D. Felicem Platerum, nomine Carlinæ ex monte Fracto. Ante paucos annos reperta est planta hæc (inquit Anguill.) quæ satis frequens occurrit iuxta oppidum Seheniacum di Sebenitz Sclauoniæ, non longè à mari dissitum. Satis etiam frequens est in Samnio tra il Castello Zare.

Vires

Cùm Chamæleonis nigri radices apud pagum quendam in insula Lemno, Liuadochorio nuncupatum erui curaremus (verba sunt Bellonij,) plurimi Græci & Turcæ spectatum venerãt quid ageremus: eas verò frustulatim sectas filo trajiciebamus, vt faciliùs exsiccari possent. Turcæ in eo negotio occupatos nos videntes, similiter radices tractare & secare voluerunt: at cùm summus esset æstus, & omnes sudore maderent, quicunque eam radicem manibus tractauerant, sudorémque absterserãt, aut faciem digitis scalpserant, tantam pruriginem ijs locis quos attigerant postea senserunt, vt aduri viderentur: Chamæleonis enim nigri radix eâ virtute pollet, vt cuti applicata ipsam adeò inflammet, vt nec squillæ, nec Vrticæ vllæ centesimâ parte ita adurant: prurigo tamen non adeò celeriter sese prodit. Post vnam aut alteram porrò horam, singuli variis faciei locis cutem inflammatam habere cœpimus, vt tota sanguinea videretur; atque quò magis eã confricabamus, tantò maior excitabatur prurigo. Fonti assidẽtes sub Platano, pro ludo habuimus initiò, & risimus: at illi plurimùm indignati sunt: & nisi asseuerassemus nos nunquã expertos tali virtute eam plantam pollere, haud dubiè malè nos mulctassent. Attamẽ nostra excusatio fuit ab illis faciliùs accepta, cùm eodem incommodo nos affectos conspicerent. Mirum sanè tantillæ radicis ingentem efficaciam nostro malo expertos esse. Et ex his apparet, quod ex instituto mulierculæ apud Marantham faciant, quæ radicis succo pectines inficiunt ad puerorum pediculos enecandos. Quod præterea Dioscorides, dixit Chamæleonis nigri radicem commanducatam mordere, non semel expertus est Marantha, licèt ea in primo statim gustus occursu nullam ostenderit acrimoniam.

Excitat pruriginem

Succus ad enecandos pediculos

Chamæl. nigri in radice sapor.

CARLINA CAVLIFERA VEL Acaulos.



Descriptio.

Carlinæ *radix*, cuius præcipua est cõmendatio, longè lateque vagatur, profundéque intra terram agitur, crassitudine pollicari plus minùs, superficie veluti corrosa & foraminulenta, coloris foris russo, intus candido, sapore aromatico, nonnihil grauiante quam verò è terra emergat, in capita aliquot vt plurimùm facessit, ex quorum singulis separatim *folia* in orbem supina oriuntur, palmum vnum aut duos longa, vnciam vnam aut alteram lata, profundis ad costam vsque incisuris diuisa, & veluti crispa, aculeis minacibus horrida, nonnihil tomentosa, viridantia, exceptâ pediculi infima parte atrorubente, in horum medio sessilis hæret *echinus* orbiculatus, spinosissimis foliis vndique obsitus, è cuius vmbilico *flores* emicãt staminei, purpurascẽtes, vallo foliorũ argẽteorũ cincti: *semen* papposo tomẽto inuoluitur, oblõgũ, hirsutũ. Aliàs è singulis capitibus *caulis* surgit pedem altus, atrorubẽs, lanugine quadam donatus, non sine foliis alternatim positis, in cuius summo *echinus* nascitur floridus, vt iam dictum, foliis, qualia in caule & circa radices conspiciuntur, circumcirca stipatus.

Caulifera

Carlina vulgò detta generadura

Carlinæ

Carlinæ vulgò dictæ genera duo.

Carlinæ huius distinctio nostra non latuit Clusium. Ita namque ait in Pannon. p. 669. Crescunt in plerisque Pannoniæ montibus Carlinæ siue Chamæleonis vulgò nuncupati bina genera. 1. Vnum flore amplo, albo: quod nonnunquam in pedalem caulem assurgit, interdum verò prorsus est ἄκαυλον. Atque hanc etiam differentiam duplicem in Hist. post. lib. 5. p. 155. duplici expressit icone, quales Lobelius etiam habet, Vni titulus, Chamæleõ albus Diosc. ἰξία Theophr. Alteri Carlina elatior, Chamæleon albus vulgaris.

Quia verò de hac Carlina authores maximè dissentiunt, singulorũ placita ordine, quoad fieri poterit, quàm breuissimè enarrabimus.

Chamal. albus est Carlina.

Radix veris.

Non conuenit [infit Corn. in Diosc.] herbariis & officinis de Chamæleontibus. Quidam Carlinam dictam, Chamæleontis albi radicem esse volunt. Alii prioris albi radicem Weysse Eberwürtz vocant: posteriores nigri, Schwartze Eberwurtz, quasi radicem veris albam & nigrã. Alii album Chamæleonem, Wichdisteln vocant: nigrum verò priuatim Eberwürtz / eundemque Cardopatium, & Carduum suillum. *Suspicamur* Cornarium nõ cognouisse discrimen inter duos Chamæleones quos nominat, is præterea videtur non benè Eberwurtz distinguere à Carlina, cùm de Crocodilio scribit: Quidam hanc wald distel, alii Schwartze garten distel vocant. Alii Carlinam dictam, verum Crocodilium esse putant: siue à Carolo magno nomen id habet, cui ab angelo ad depellendam ab exercitu pestem ostensa fertur: siue Carlina quasi Cardina siue Carduina dicta est.

Cardopatiũ Corn. notatur.

Crocodiliũ

Carlina Monachis Succhaha Serap. Spina Arab. Diosc. Bedeguar Serap.

Carlina [aiunt Monachi in Mes. distinct. 6. cens. 189.] duplex: vna quæ non eleuatur à terra & hæc est Succhaha Serapionis, & spina Arabica Dioscoridis. Altera quæ simillima, præterquam quod eleuatur à terra, haud dubiè est Serapionis Bedeguar siue Bedegar, siue Bedoar [hæ namque voces vnum & idem significant] quę in nonnullis Italiæ locis magis quàm altera, intelligitur pro Carlina.

Chamal. alb. Fuchs. Card. suarius.

Cardopatium corruptè. Pancratiũ.

Figuram habet Fuchsius Carlinæ cauliferæ satis laudabilem Hist. & Icon. pro Chamæleone albo, quem Carduum suarium & varium Latinis, Officinis & Barbaris Cardopatium appellari tradit, ac de his vocibus ait. Cardopatii nomen haud dubiè corruptum est, deductumque à dictione Pancration, nam sic olim esse nominatum Chamæleonem Apuleius testatur: aut à Carduo vario, à qua dictione, u, scilicet litera in p, & r in t, mutata, in Cardopatium facilis est lapsus. Germanis Eberwurtz / eleganti allusione ad Carduum suarium, nuncupatur, Gallis *Carline, ou Artichaut sauuage*: Chamæleon autem à foliorum varietate dici cœpit. Suarius autem Carduus dictus est, quòd sues, si in polenta exhibeatur, perimat. Ob quam etiam causam [Eberwurtz] germanis nuncupatam puto. In glabretis montium prouenit, & in siluis, vt hinc etiam siluaticus Carduus cognominatus sit. Chamæleonem esse Carlinam negat Amatus in Dioscoridis lib. 3. cap. 8. Miror verò Lacunam in Dioscoridem lib. 3. cap. 8. eandem plantam, caule tantùm variantem, *facere* lethalem & non lethalem.

Carlina nõ est Chamæleon.

Toxit. notatur.

Toxites in onom. philosoph. vir doctus (vt sibimet videtur) varia miscet nomina pag. 280. Acantin sc. Arabicam, Acantiñ Ægyptiacam, Carlinam nigram, Cardopatiam, & Eberwurtz. Hoc chaos quomodo componendum ipse videris.

Chamæleon albus Matthioli. Fuchs. notatur.

Qui Chamæleon albus tam ab Hetruscis, quàm cæteris ferè Italiæ incolis vulgò Carlina vocatur, nunquam Fuchsium vidisse existimarim (inquit Matth. in Diosc.) quòd eum procero satis caule depingat. Hallucinantur Monachi cùm sibi persuadeant, Carlinam [vt eorum viar distinctione] caulem proferentem, quam legitimum Chamæleonem nigrum Dioscor. semper existimauimus eiusdem esse spinam albam quam Græci ἄκανθαν λευκὴν dicunt Mauritani Bedeguar. Item Carlinam alteram caule viduam esse spinam Arabicam ab Aphris Suchaa vocatam. Sunt qui velint Carlinam vtramq; nihil differre, nisi sexu, ac negant has plantas esse Chamæleones, illamque præsertim nigrum Chamæleonem esse nolunt, quæ caulem rutum gerit, &c. An Galenus errarit dicendo radicem Chamæleonis aliquid lethale habere? Postea capite sequenti ait: Sunt qui volunt Carlinã vulgò dictam quę caulem profert, legitimum Crocodilium esse. Sed eorum opinio mihi quidẽ nullo modo satisfacere potest: præsertim cùm facto periculo iis sanè viribus careat, quibus Crocodiliũ præstare scribunt, nempe quod radicis decoctum potum sanguinẽ per nares copiosum trahat. Adde quod Crocodilio radix sit longa, leuis, aliquantulùm lata, & odore, vt Nasturtii, acuto. Illi verò Carlinæ generis crassa, nigra densa, excelsaque non autẽ lata, nec leuis, nec Nasturtii odorem spirans.

Monachi hallucinantur. Chamal. niger Diosc.

Crocodiliũ non est.

Matth. redarguitur.

Non placet Matth. ex Carlinę genere facere duas plantas, ex acauli album, quem non describit, ex altero nigrum, quem ipsemet fatetur, vmbellam non ferre, quam Diosc. in nigro Chamæleone requirit, sed echinatum capitulum perinde ac albus Chamæleo, quod illud ipsum eum omnino à sua opinione dimouere debebat, & ad credendũ inducere Carlinam caulem fundentẽ non esse Chamæleonem nigrum, sed eandem cum acauli. Et hinc manifestum est, eum Chamæleonem album & nigrũ non leui errore in Hist. Camerarii germ. & Epit. ab inuicem separare, ac descriptiones & vires Chamæleonis albi ipsis ex Veteribus attributas adscribere. Cæterùm, de Chamæleone albo [acauli] inquit, vocatur Græcis χαμαιλέων λευκός, Mauritanis, Chameleon lente, seu Chamalium, Ital. *Carlina & Chameleone bianca*, Germ. Weiß Eberwürtz / Hisp. *Cardo pinto*, Gall, *Carline* siue *Chameleon blanc*, Boh. Pupawa bila. Notandum apud Matthiolum errore Typographi figuram Chamæleonis nigri Matthioli esse sub titulo, Chamæleonis nigri alterius. Et hunc errorem commisit etiam Camer. in Matth. Epit. in qua eum à Chamæleonte albo non differre scribit, nisi quòd in caulem crescat. Hunc lapsum animaduertit in Hist. eiusdem germ. ac titulum ei fecit. Carlina caulescens, quondam Chamæleon niger.

Matth. lapsus.

Error alius.

Carlina acaulis & caulifera Camer.

Carlina, inquit Camer. in horto, sessili flore ἄκαυλος, & alia alioquin ab hac nihil diuersa. Nam plerumque si eo anno floruerit, quo in hortum transfertur, sine caule permanet, sin minùs, multò lætior altero anno assurgit & cauligera fit.

Matth. notatur. Carlina non est Chamal. niger contra Matth.

Matthiolus vt probet, ait Marantha, alteram Carlinam vulgò dictam, esse nigrum Chameleonem Dioscoridis, quia eius facultas non est venenata, vt ex Galeno esse deberet, sed absque noxa deuorari soleat, ad regionem confugit, inquiens in Græcia, & in Ponto fortasse talem plantam posse vim veneni sortiri: sed fieri posse, vt in Italia sit salutaris: quemadmodum in Persea arbore, ac quibusdã aliis euenisse constat: verùm acceptari quidem hoc posset, si hæc vna nota, ad

non omnes ferè aliæ dissentirent. Altera namque flores profert in capitulo, altera in vmbella.

Aduersus Matthiol. & Fuchs. Carlina fœmina. Spinam albam (apud Apollinem Rad.1. in electi Hamech.) quidam contendunt Carlinam, id est Chamæleontem album, vel alteram caulem proferentem vocant nigrum Chamæleontem, quas alij sexu distingunt, marem alterum, alterum fœmineam appellantes, foliis enim nullatenus penè differunt, at niger caule est dodrantem paulò altiore, non vacuo, floribus autem nullo pacto Hyacinthum æmulantur Matthioli, nec in omnibus Dioscoridis historiæ respondent. *Hæc ille*, varia aduersus Matthiolum & Fuchsium scribens, sed obscurè: Maratham etiam carpit ac Anguillaram, varia dicens etiam obscurè de Ixia & Ixine spina: Monachos aberrasse ait, qui hàc Spinam albam dixerint: Idem etiam ostendit Amatum existimare cauliculosam Carlinam esse Crocodilium, ac eam sententiam à Matthiolo oppugnari.

Apollo obscurus.

Chamæl. vulg. Trago Eryngium. Ego, inquit Tragus, Chamæleonem vulgarem [Eberwurtz] Eryngij aut certè Chamæleōtis nigri [quam Pancarpon aliqui, alij Vlophonon, alij Ixiam, alij Cynozomazon, alij Ocymoides, alij Cnidion Conon, alij Conexidon, Latini Carduum nigrum aut Vermilaginem, Ægyptij Sebel vocant.] genus existimo.

Cardopatiũ vulgi Carlina differ. Gesn. Gesn. de hort. Carlina cum caule non videtur verus Chamæleo niger. Idem postea ait. Cardopatium vulgò dictum [vel Carlina] nõnullis herbariis, genus est Cardui Eberwurtz: eius differentiæ quædam sunt à magnitudine & floris colore, in aliis albo, aliis purpureo. Item caule, quo aliæ carent, aliæ habent. Ex his Chamæleo albus videtur cui flos purpureus caulis nullus: Silybum verò cui latior albiórque spina (seu flos spinosus) est: iisque rursus vel cum caule vel sine caule. In Baldo monte Italiæ flore maximo pilei instar nasci audio. Ex eodem genere esse audio Ixinem spinam quæ Mastichen in radice fundat Hispanis cognitã, Spanisch Eberwurtz. Huius floris calycem, tum recentem, tum etiam siccum, noctu claudi, ad Solem verò aperiri, nuper in hortulo meo miratus sum. Idem in descr. montis Fracti p.63. Silybus, quam vulgò Carlinam vocat Germ. Radicem apri in colle dextro vallis Eitalæ, cuius capitula carnosa, calyce floribus ac semine resectis, optimi edulij loco nobis fuere ex aqua cum sale, lautiore etiam pipere adiecto futura. Tandem de Quadruped. ouipar. lib.2. ait. Chamæleontum generis esse dixerim Carlinam hodie Medicis vocatam, quasi Cardinam: Carduus enim humilis est, cuius itidem duæ vel tres differentiæ sunt.

Chamæl. albus Silybum.

Ixine Spina.

Radix apri.

Chamæleon Cardina.

Carlina Bouio. Bouius Ixiam esse scribit gummi viscosum, quod prouenit ad radicem Chamæleontis, cuius magna habetur copia in monte Baldo, vulgò dicitur Carlina.

Chamæl niger Euchar. Eucharius pro Chamæleone nigro, Eberwurtz, pingit Carlinam cauliferam. Lonic. lib.5. cap.23. pro Chamæleo Carduo suario Offic. & vulgi Cardopatio, aut vt ipsi magis arridet Pancratio, Groß oder schwartz Eberwurtz, pingit Carlinam vulgarem cauliferam.

Pancratiũ.

Carlina vulgaris quæ existimatur Chamæleon niger si prouocaret sanguinem narium, non dubitaret Anguillara, esse Crocodilion Crateuæ & Diosc. in quo addita verba quędam quæ non sunt in Oribasio & Crateua de semine rotundo.

Chamæl niger Cord. Cord. in Diosc. lib.3. c.11. Chamæleõ niger videtur ea Cardui species quæ à Germ. Eberwurtz appellatur, Carlina Italis: sciendum est inquit, in nigro Chamęleone Ixiam interdum inueniri vt Plinius lib.22. cap.18. ait: Ipse vidi in ea radice quam Eberwurtz vocamus Ixiam nasci. Hæc *Cordus* apud quem in annot. quidam contrarium asseritur, & Carlina nigra, Chamæleon niger verus ab hoc diuersus statuitur, ac hodie ab eruditis in Italia ignorari asseritur.

Cord. refellitur.

Carlina nõ est Chamæl. Bellon. Obs. lib.2. cap.106. Carlina quæ Antiochiæ prouenit, quámque multi falsò Chamęleonem vocant. Carlina, inquit lib.1. cap. 16. non est Chamæleon niger nec albus.

Leucacãtha Dod. gall. Dodon. gall. Leucacantha (quæ distinguitur ab Acantha leuce) alijs dicta Polygonatum Phyllon & Ischias, Antiquis Romanis Spina alba: nunc Carlina aut Carolina, quibusdam Cardopatium, Gall. *Carline blanche*, German. weiß Eberwurtz. *Item* Spina alba, Carlina alia, Gall. *petite Carline*, Monachis Romanis ἀκάνθα ἀραβική, Lat. Spina Arabica, quibusdam Acanthis: Arab. *Suchala*, eorum opinio videtur valdè verisimilis. Eadem ferè Latin fol. p.714. tradit; Prior Carlina, [caulifera] inquit, & Cardopatium, ac à nonnullis Cardina dicitur, à Carolo magno primo eius nominis Romanorum Imperatore, cuius exercitus huius radice liberatus & præseruatus à peste olim fuisse fertur: Germanis Eberwurtz: Belgis, Gallis, ac alijs quoque Carline. Dioscoridis est λευκάκανθα: conueniunt radices validæ & amaræ respondent quoque facultates. Appellatur verò Leucacantha, & alijs, sed nothis vocibus πολυγόνατον, φύλλον, ἰσχιάς: à Romanis Spinacardus, à Tuscis verò Spina alba. Differens tamen ab ea Spina, quam Dioscorides ἀκάνθαν λευκὴν, hoc est, Spinam albam facit. Alteram verò & Carlinam recentiores faciunt: & Carlinam humilem vel minorem appellant: flos medio stamineus rubentibus foliolis, quandóque verò candidis ambitu circumseptus est: radix albida, solida, non rimosa, sapore minùs acris aut amaricans, atque idcircò Medicinæ minùs expetita. Falluntur autem non parum, qui ambas ad Chamæleones referre student: In Italia siquidem Germania aut Gallia nusquam Chamęleones nascuntur, vt vnus, pro multis, testis est Petrus Bellon. lib. singularium 1. *Figuras* habet Chamæleontis albi & nigri Matthioli, in quo Matthiolum & Monachos etiam secutus ex vna planta duas facit: Ruellij præterea Chamæleon albus diuersus mihi videtur: denique quod Carlinam acaulon alijs notis in postrema histor. describit, facit vt existimem illũ non benè notam Carlinam, non magis quàm Matthiolo Carlinam eandem esse cauliferam & Acaulon, vel eos confudisse Chamæleonem minorem Tragi cum Carlina.

Spina alba.

Carlina sine Leucacãtha Dod. lat.

Carlina altera.

Carlina Chamæleõ non est.

Dod. notatur.

Carlina herbariorũ Lob. Carlina Herbariorum inquit Lobelius in Aduers. è varietate non genere duplex, non est Leucacantha, sed Chamæleon albus Dioscoridis. Idem in Obseruat. Carlina herbariorum Aduersar. 367. Chamæleon albus Dioscorid. Helxine Pliniana Anguillaræ. Item Chamæleon albus caule donatus, Cardopatium, Chamæleon albus & niger, siue Carlina Officinarum. Chamæleon niger vulgaris Herbariorum. Chamæleon albus Fuchsij Germ. Eberwurtz, Belg. Euerwortele & Carlina. Gallis item Carlina Aduersarijs pag. 367. *Hæc ille*, qui duas habet figuras vnam sine caule, alteram cum

Helxine Pliniana.

Lob. notatur.

Chamæl. acaulis C. B. *Carl. minor Dod.* *Chamæl. caule donatus.* *C. Bauh. lapsus.*

cum caule. Dubito an Anguillara hanc Carlinam intellexerit per Ixinam Plinianam: Nec Chamæleonem album, dicere ausim. C. Bauh. apud Matth. Chamæleon 1. siue albus, siue acaulis. Ixia & Chamæleon albus Theophr. [Vernilaginem Gaza vertit,] & Plinij: Chamæleon albus Matth. Cordo in Dioscorid. Carlina minor Dodonæi, Carlina vulgi Cæsalpino. Cordopatium flore albo, caule nullo. Gesn. hort. Silybus vulgò Carlina Gesn. Fracto. Helxine Pliniana Anguill. Item Chamæleon 2. siue albus caule donatus. Chamæleon niger alter Matth. Hæc non videtur à præcedente differre nisi quòd caulem proferat. *Non ausim* dicere Chamæleonem album Cordi eundem cum Carlina siue Eberwürtz/ ab ea enim separat ille. Ac quum dicat Anguillara suam Ixinam spinam siue Chamæleonem album coopertum lanugine valdè alba, & ipse separet à Carlina vulgari, ego non ausim eandem dicere.

Carlina maior Schvvenckf.

Icon. Plant. Tom. 2. pag. 4. Chamæleon albus Dioscoridis, seu & Schvvenckf. cui & Carlina maior. Castori & Harchio, Chamæleon albus, aliàs Carlina.

Brunfels. not.

Brunfels. in Herb. p. 218. non describit Eberwurtz/ nec icon respondet: Est Cardopatij minoris quorundã, de quo nõ loquitur in contextu.

H. Lugd. figura tres.

H. Lugd. tres exhibet figuras, quarum prima Carlinæ ἀκαυλοῦ pag. 1453. hac inscriptione: Chamæleon albus Matthioli. Reliquæ duę sunt cauliferæ, quarum prior est p. 1454. hoc titulo, Chamæleon niger alter Matthioli. [Hæc ponenda erat sub Chameleone nigro Matthioli & Fuchsii] quæ eadem icon repetitur pag. 1476. prò Crocodilio, Carlinæ caulem habente.

Locus & Tempus.

Carlinam ego reperi non longè à Montbelgardo eundo *Audincourt*: sed paucam, copiosam autem non longè à Blaumontio, vnde transtuli Montembelgardum in Hortum s. c. vbi sæpiùs floruit, Geneuæ habui in horto, in monte *Saleue*, abundat. Ea modò reperitur cum caule, modò sine eo iisdem locis, vt sæpiùs obseruaui: Abundat etiam in montibus propè fontem Admirabilem ducatus VVirtemberg. Quidam nobis asserebat eam quæ vnum caulem haberet vnius esse anni, quæ duos duorum, quæ tres trium: Loco dicto in montis planitie dicta auff büchen, terra multis in locis erat inuersa: dicebant, qui me deducebant, euertisse apros, ac illos quęrere radices Eberwürtz. Nascuntur Carlinæ albæ Dodonæi, in montibus altis, locis desertis, ac quandoque secus vias: sed quæ caulem fert Germaniæ frequentior. Iulio & Augusto, tum & serius quandoque florent, ac semen maturum proferunt.

Vires. *Echinus conditus* *Pestis*

Carlinæ echinus spinis mundatus, conditur saccaro vel melle paratur, frigidiori ventriculo cõducibilis, vt expertus est Amatus in quodã: valet radix contra pestilentem luem, quæ ab Angelo Carolo magno, vt eã exercitum à peste liberaret indicata creditur. Carlina eosdem habet in curãdis malignis vlceribus vsus quos Chamæleon niger: egregiam vim contra pestẽ & omnia venena habet si Cordo credimus. Dum Philippus Melanchton hypochondriacis doloribus conflictaretur, eos vsu herbæ Chamæleontis mitigauit, & huius remedii efficacitatem eum prędicasse testatur Camerarius. Carlinæ radicis, authore Dodonæo, pręcipuè vsus est. Secundo ordine satis intenso excalfacit: & cum partium ac substantiæ tenuitate, tertio ordine resiccat: sudores verò etiã mouet: ventris tineas ac lumbricos pellit: venenis omnibus resistit: pestis contagia non modò arcet, sed & eandẽ curat si tempestiuè propinetur: commanducata dentium dolores sedat: iocinoris ac lienis obstructiones aperit: vrinas citmenses promouet: hydropicis confert: datur & ex alto delapsis ac cæsis. Radix Carlinæ seu Chamæleontis vulgaris in puluerẽ redacta, ac drachmæ pondere è vino sumpta, pesti aduersatur; quo nomine pecori, potissimùm autẽ suibus nonnulli radicem hanc exhibent, persuadentes sibi hoc pacto iumenta & sues à fœda & pestilenti lue conseruari posse: Quidam escam Columbarũ quò mutas alias venentur, è radice Chamęleontis vulgaris conficiunt, aliis nonnullis adiunctis. Eandẽ etiam in aceto decoctam commendat Fuchsius contra scabiem, impetiginem, & omnes cutis fœditates curatu difficiles, si eius decocto lauentur, quod dentium dolori etiam succurrere tradit. Ferunt hanc radicẽ vires his qui eam gestauerint augere, comitibus autem qui cum illo degunt, adimere. Sed credat hæc qui volet: ego, quod sciã, nusquam in scriptorib. eius rei mentionem factã legi. Vtriusq. radices calidæ & siccæ sunt facultatis. Agyrtæ & qui radices hinc inde venales circumferunt, pleno ore Carlinæ radices prædicant, ac fieri potest, vt ad multa sit vtilis.

Vlcera *Hypochondria.* *Temperamentum.* *Lumbrici* *Dentes* *Obstructiones* *Puluis* *Dosis* *Iumenta* *Columbarũ illicium* *Scabies* *Vires gestãtibus auget.*

CHAMÆLEO ALBVS.

Descriptio

CHamæleontem album vocant Carduum quendam, cuius folia, vt à Carlinæ foliis lanugine canescente, rasili, quã vtrimque sunt obducta, differunt, ita cum iis conuenit incisurâ, rariore tamen: sic vt latiores sint laciniæ, spinosæ: aliàs verò cardui lactei seu Mariæ fol a latitudine adæquat, crassiuscula, neruosa: Hunc Lugduni in horto Pharmacopœi Bralierii, Chamæleonis nomine vidimus, multùm à Carlina vulgari differentem.

An carlina flore amplo albo Clus.

An Clus. Pannon. pag. 667. Carlina siue Chamæleon vulgò nuncupatus flore amplo albo?

An Gesn. hort. Ixine spina, quæ Mastichen in radice fundit Hispanis cognita Spanische Eberwurtz ex genere Cardopatii, siue Carlinę? An Cordo in Dioscor. lib. 3. cap. 10. Chamæleon albus in Italia prouenięns?

An Anguill. epist. 5. Helxine Pliniana quam esse Chamæleonem album Dioscorides dicit esse manifestum, ac à Theophr. dici ἰξίαν, & Gaza interprete Carduum Pineam? Item epist. 8. pag. 137. Ixine Theophrasti lib. 9. cap. 1. & 6. cap. 5. & 4. quam malè, Gaza modò vertit Spinam Ixinam, modò Carduum pineam. Ixines Latinis dictus Carduus Pinea producens lachrymam reperitur in Orientalibus partibus. *Considerent* lectores an Anguillara non sit sibi contrarius dum epist. 5. ἰξίαν, & 8. ἰξίνην dicit, duas plantas diuersas.

Anguill. sibi contrarius.

Bellonius ni fallor de Chamæleone albo nostro hæc tradit. Frustra inter reliquas stirpes Chamæleon albus depictus fuit: nam nec in Germania, nec in Gallia, nec etiam in Italia nascitur: vnde certum est (cum venia sit dictum) istas tres nationes hallucinari: neque enim Carlina, neque alii similes, Chamæleon albus est. Hic radicem producit humanæ coxę crassitudinem æquantem, pedalem, interdum etiam cubitalem longitudinem, adeò odoratam, vt cõclaue in quo reposita, Violæ odore ita repleat, vt capitis grauedinẽ inducat. Cretenses pastores,

Chamæl. albus Bellon.

& rusticani pueri, prælettim apud *Rhetimo*, eius gummi colligunt, quo feminæ pro masticatorio vtuntur, vt mastiche in Chio, & Chondrillæ gummi in Lemno. Cola vel Chamæleous vulgò nuncupant Chamæleonem album.

Chamæl. albus bellii. Honor. Bellus in Epist. ad Clusium meminit, huius Chamæleonis his verbis. Chamæleon albus, gummi, vt Mastix, ferens, copiosissimus est: radicem habet maximam, odoratam: Iunio & Iulio, circa echinum gummi distillat, quod pueri legunt, & aliquantulùm masticant, postea digitis læuigant, & complanant, complicatúmque in vesiculæ formam, super alteram manum fortiter impellunt, ita vt ex ictu vesicula rumpatur & crepitum edat: quo ludi genere summoperè pueri delectantur. Quod autem, vt scribit Bellonius, loco mastichis id gummi dentibus atterant, nondum scire potui: nam hîc Cydoniæ neque legitur, neque curatur: radices vocantur κίνναι.

TETRALIX VETERIBVS.

Cap. X.

Tetralix Theoph. TEtralix à Theophr. hist. pl. lib. 6. c. 3. cum reliquis aculeatis plantis enumeratur, atque idem inter æstate germinantes, aitque à quibusdam Ixinen [τὴν ἰξίνην] vocari. Sed & Plinius Theophrastum imitatus Tetralicem Æstate *Plin lapsus* florere prodidit Helxinen [Ixinen Theophr.] Quod vitium auctoris esse, non exemplaris, monstrant hæc, quæ lib 22. cap. 17. scribit. Sed nos qualis esset Helxine vera, diximus lib. 21. cap. 16. vbi Helxinen [Tetralicem] & folio & caule spinosas habere lanugines affirmat.

Tetralix Spinosa differt ab Erica Ex quibus colligere licet Tetralicem hanc spinosam ab Erice [Erithace CH.] quã lib. 11. c. 16. ab Atheniensib. etiã Tetralicẽ appellari perhibet, diuersam esse: quia Ericam spinis armatam esse nullus vnquam Herbariorũ prodidit, id quod etiam perspicuum est ex Dioscoride & Plinio de Erica tractantibus. Deinde Tetralicem Ericæam post primos Autumni imbres florere, nempe ad Idus Septembres, & Calendas Octobres idem Plinius testatur.

Tetralix diuersa à Tetradice Pli. Alio verò in loco Tetralicem & Ixinem florere tradit æstate: quanquam Theophrastus, ex quo hæc Plinius mutuatus est, Ixinem & Tetralicem non scribit florere æstate, sed germinare.

Ericem Athenienses, vt ait Plinius apud Hermol. Corol. 125. Tetralicem vocant. Euboea Sisarum, siue, vt Varro, Sisaram (de hac diximus H. n. g. lib. 10.) Theophrastus Tetralicen non Tetradicem, nisi mendosus codex est, appellat in genere fruticum, aculeatam & germinantem æstate: De hac Erice intelligat nec ne haud scio: quia tamen bis anno floret Erice, prima videlicet & vltima syluestrium, nec inter aculeatas ponitur: fieri potest vt alia sit Tetralix sua Theophrasto, alia quæ pro Erice Athenis capitur: nisi quis hanc Tetradicem, illam Tetralicem vocari malit. Caueant igitur lectores, ne Tetralices has posthac confundant.

Carduus Echinopus maior Quia autem Tetralix à Theophrasto numeratur inter Carduos, hinc fit (vt scribit H. Lugd.) quod quidam eam esse putent, quam Tragus post Carduum vulgarem & Chamæleonem album pro vero Chamæleonte nigro pictam ostendit, de quo mox agemus sub Carduo Echinopo maiore.

CROCODILIVM VETERIBVS.

Cap. XI.

Crocodilii Diosc. CRocodilium, ita describente Dioscoride, Chamæleontis nigri figuram habet. Nascitur *Diosc. varie illustratur.* autem in syluosis [stirpibus & arboribus confertis locis Hermol.] radicem habens longam [his sequentibus vetus caret vsque ad vocabulum *acrem*, quæ lectio probatur & Hermol.] leuem, aliquantulùm latam, odore, vt Nasturtium, acrem. Feruefacta in aqua [ἐν ὕδατι. Corn. ἐν ὄξει, in *Diosc. lectio varia* aceto] & pota [πινομένη, & non vt Ald. cod. πλυνομένη, lota, quidam etiam, sed non sine errore, legũt ἀναπνεομένη si per nares attrahatur] radix, valet ad copiosum sanguinem per nares pellendum. Datur & lienosis, eos euidenter adiuuans. Sed & semen ei rotundum est, ac duplex, veluti scutum [vet. omittit ista, quę nonnulli adiectitia censent, & ex Tordylij historia huc perperam translata] quod quidem vrinam ciendi vim habet.

Ex Plinio. Ea Plinius sic videtur reddidisse. Crocodilium Chamæleonis herbæ nigræ figuram habet: radice longa, æqualiter crassa, odoris asperi. Nascitur in *Vires* sabuletis. Pota sanguinem per nares pellit copiosum, crassúmque, atque lienem consumere dicitur.

Diosc. & Plinio lectio conferitur In quibus Plinius legisse videtur ἐν τοῖς ψαμμώδεσι, id est, in sabuletis, pro ἐν τόποις δρυμώδεσι, id est, siluosis, vt habet Dioscorides: deinde pro ὑποπλατεῖ aliquantulùm latam, ἰσοπλατῆ, siue ὁμαλῶς παχεῖαν, id est, æqualiter latam, siue æqualiter crassam, Oribasius subcrassam legit. Quem verò ὀσμὴν δριμεῖαν Dioscorides, Plinius suo more odorem asperum dixit. Oribasius radicem acrem, odorémque Nasturtio similem. Quod verò ad semen attinet rotundum, duplicis scuti figura, id à Plinio omissum est, & ab Oribasio, qui integras historias ex Dioscoride exscribere consueuit. Præterea id à Dioscoride prętermorem additum fuisse videtur, absoluta scilicet historia & viribus explicatis, atque falsò huic plantæ attributum, cùm ἀκανθώδη ferè omnia semen edant Cnico simile. Quare adiectitia hæc viri docti censent, & ex Tordylij historia, cuius semini figuram hanc Dioscorides assignat, huc à sciolo quodam nominum vicinitate decepto ascita fuisse. His adde, quòd in Crateuæ fragmentis desunt verba illa, σπέρμα στρογγύλον διπλοῦν ὡς ἀσπίς, id est rotundum, & duplum vt scutum.

Crocodilium Galeno. Galenus Crocodilij semen acre & aromaticum esse dicit, vrinásque ac menses ciere, vt calidæ sit facultatis & discussoriæ ac siccantis. Succum item caulis similem semini vim habere, & renibus affectis prodesse. At radicem exputitiones è thorace vehementer adiuuare, quæ acris quidem minùs sit quàm semen, sed non minùs amara: & ducat etiam sanguinem per nares.

Differt à Chamæleone. Differt, ab vtroque Chamæleone, inquit Marcellus, Crocodilion quòd eorum alter albus scilicet, sine caule in medio, inter folia Spinam marino Echino similem profert: Niger non vnam verùm duas tréfve aliquando coliculis potiùs quàm caulibus impositas ostendit, Crocodilion autem singularem mittit caulem & in caule spinosum Echinum. Est & alia differentia, quòd illi *Differentia* pinguibus campestribus & maritimis locis nascuntur: hic inter stirpes, & confertis arboribus locis. Differunt & radice quæ in illis qualis ab hoc describitur: in Crocodilio longa cum latitudine aliqua, aliísque nonus illis quæ descriptæ paulò

Crocodili nomenclatura obscura. paulò antè sunt. Nec multū liquet, teste Lobelio, nomenclaturę Cardui ratio, vt ne vix quidē antiquis probè cognitā fuisse putemus. Nam antiqui Galenus, Oribasius, Paulus duntaxat verba ex Diosc. videtur mutuati, aut à Cratena, à quo Diosc. & Plinius, qui locis fabulosis codicis errore, oriri scribit, sua sumpsere. Sed in Crateuæ fragmentis desunt verba paucula. Ab Aëtio facta mentio maximæ Crocodyliadis.

Æquiuoca. Neque descriptio Dioscoridis tam aperta, vt à tot aculeatis plantis facilè sit genuinum Crocodilium distinguere & internoscere. Et hinc aliqui [ex quorum numero est Anguill. Amat. ex authoritate Ruellii, quem tamen hac de re dubitare scimus, & Brisoti, H. Lugd.] Carlinam vulgarem suspicantur esse Crateuæ, Dioscoridis, Plinii & Galeni Crocodilium. Horum opinionem refutat Matthiolus & Io. Agricola: Negat Anguillara: Dubitat Gesnerus.

An Chamæleon exiguus. An Chamæleon exiguus, Crocodilion Cordi in Diosc. or. lib. 3. cap. 12. quam ait Germanos wild Eberwurtz vocare.

Chamæleon niger Marantha. Maranthæ & Anguillaræ Chamæleo niger, videtur Lobelio verum esse Crocodilium, aut certè genuini opinionem sustinere posse.

Carduus Echinopus minor. Crocodilii historiæ subnectit Lob. in Adv. plantam, quam Gesner. Echinopum minorem vocabat, & Dalech. Crocodilium Monspeliensium.

Echinopus maior. Crocodilii nomine exhibent Carduum Echinopum maiorem Lacuna, Lobel. & Gesnerus.

Eryngium marinum. Eryngium marinum putat Cæsalp. lib. 13. c. 29. Crocodilium Dioscoridis, cuius sententiam minimè probat Anguillara & Matthiolus.

Dipsacus. Crocodilion dici, qui aliàs Dipsacus dicitur, testis est Dioscor. lib. 4. cuius etiam nominis meminit Tragus lib. 2. cap. 106. & Gesn. in Ascript. Dioscoridis.

Dracunculus maior de quo lib. 19. diximus, vt videre est apud Tragum lib. 2. cap. 81. Apuleio dicitur Crocodilion, Colubrina & Dracontea.

Eucharius Roeslin in herb. pro buchen, Draguntea, Viperina siue Crocodilia pingit Bistortam.

Crocodilium tandem confundi ab H. Lugdunensi cum Tordylio quod aliqui Seseli Creticum vocant, videre erit suo loco.

ECHINOPVS MAIOR.

Descriptio



Altitudine cubiti vnius & alterius excrescit, *caulibus* crassitudine digitali, purpurascente lanugine obductis, striatis, tactu pinguibus, manibus dulciusculis: quos *folia* ambiunt latiore basi oblonga, tota tactu glutinosa, profundè laciniata, supernè atrouirentia, infernè incana, vtrinque pilosa, multis tamen numeris magis infernè quàm supernè: in caulibus extremis eorumque alis *capitula* exactè globosa nascuntur, *flosculis* ex albo cæruleis: *radix* mediocris crassitudinis. Huius generis est & ille, cuius foliorum, quæ satis sunt angusta, laciniæ nihil aliud quàm infesta prælongaque spicula sunt.

Sphærocephalus fl. albo Camer. Camer. hort. Sphærocephalus flore albo. In Epit. Matth. spina alba putata, aliis Echinopus, nonnullis Acanthium, vulgò Sphærocephalus, quibusdam Chamæleon niger, aliis Crocodilium, Germ. **Bisem knöpff.** Plurium est generum, è quibus hæc vulgatior cum altera spina alba putata flore cæruleo. Eidem apud Matth. **Vermeinte weisse Bergdistel mit weissen blumen**: spina alba, albis floribus. Item **Vermeinte weisse Bergdistel mit blawen blumen**: spina alba cæruleis floribus: foliis angustioribus & paulò rarioribus. Pro cærulea spina alba ponit figuram Matth. verùm ego nescio vnde colligat Matthioli cæruleam & minorem: considerandum an Camerarius tunc non intellexerit, carduum Sphærocephalum minorem annuum: cuius dat figuram in horto.

Spina alba altera Matth. C. Bauh. Crocodilium Fuchs. Lob. C. Bauh. apud Matth. Spina alba altera Matthioli, Chamæleon verus Trago.

Lobel. Adu Crocodilium Fuchsii, Echinopus seu carduus Echinatus Gesneri: Sphærocephalus Cordi. Spina peregrina Dodonæi, Germ. welsche distel / Belgis Roemische distel. Obs. p. 81. Crocodilion Fuchsii & Cordi, perperàm Chamæleon verus Tragi. Adv. pag. 368. & 369. Icon. Plant. Tom. 2. pag. 8. Ritro seu Rutro Theophrasti.

Spina peregrina Dod. gall. Dodon. gall. lib. 4. cap. 64. *Chardon estranger*, Spina peregrina, Belg. **Vremde distel**, qui quomodo vocarint Veteres nescit, nisi sit Acāthus syluestris. Lat. in fol. p. 710. Carduus sphærocephalus primus, quem Fuchsius quandoque Chamæleonem nigrum facere studuit, sed postea rectiùs sentiens spinam peregrinam vocauit, & Val. Cordus Sphærocephalum appositè appellauit.

Card. sphærocep. Cordo Hist. Sphærocephalus carduus, ibi pulchra figura, ac annotatum: spinam albam in Italia quidam hodiè vocant, quærendum an Echinopus Veterum sit: Crocodilium videtur.

An Anguill. epist. 8. pag. 142. *Spina bianca*, siue alba Cretensium, foliis non multùm pungentibus, quam Gesnerus cùm illi conuenerem Echinopum existimabat.

Silybum Apollo notatur. Apollin. rad. 1. supra elect. Hamech. Spina alba ab Alexandrinis herbariis allata, quam meliùs Silybum referre ait: mirum ibi dicere eandem esse cum Matthioli spina alba, cùm non sit hispida, at læuis admodum: Matthiolus autem dicat suam habere spinas rigentes.

Chamæl. niger Fuchs. Fuchs. hist. cap. 339. χαμαιλέων μέλας, carduus niger aut Vernilagium Germ. **Schwartz garten distel**, qui parum an legitimus sit Chamæleon niger addubitat. Eidem Icon. spina incognita.

Spina incognita Fuchs. Spina alba Matth. Matth. in Dioscoridem in prior. comment. ἄκανθα λευκή Spina alba, quam descriptioni Diosc. adstipulari ait, frequentissimam plantam, quæ suis echinis ac spinis rigens in excelsioribus Ananiæ vallis montibus lariceis abiegnis, & piceis syluis refertis Iulio mense visatur. Eadem commemorat in post. comm. Lat. & It. cum mag. fig. vbi & secundam speciem assignat, dicens: Est & aculeata altera planta, cuius hic imago secundo loco visitur, quam quidam spinam albam esse censent, sed plura in hac desiderantur. Quidam

Aculeata planta altera.

demonstrant pro spina alba Cardui genus, cui caput rotundum, quod videtur telis araneis tectũ: figuram hîc posuimus, non est vera spina alba, quamvis posset pro ea sumi. Figura quam ponit satis conuenit cum Echinopo: verùm non describit: at tantùm repetit inaniter Diosc. descriptionem: quam etiam in postremis repetit pro Carduo nostro Galactite, quem cum sua Ananiensi spina miscere videtur, ibidem figura transposita, & primo loco posita quæ 2. esse debet, & quam antè probauit rejicit, ac ita dubiè scribit quasi spina eius alba Cortusi, Spina Alba Ananiensis, & & Spina alba quam olim pingebat, tres nũc censeat plantas diuersas. In hist. Germ. videtur descriptio conuenire Carduo capite tomentoso: denique confusè scribit Matthiol. nec scire videtur quid viderit aut curarit depingendum.

Matth. lapsus varij.

Vnius plantæ quatuor icones apud H. Lugdunensem. Ac *prima* p. 1462. pro Spina alba Matthioli: Est & altera planta aculeata, inquit, cuius iconem hic exhibemus quam quidem Spinam albam esse censent: sed multa in hac desiderantur. Hanc tamen depinxit Pena nomine Spinæ albæ. *Secunda* p. 1467. pro Spina Arabica. Sunt qui Carduum illum tantoperè aculeatum quẽ Matthiolus nomine Spinæ albæ exhibuit, Spinam Arabicam esse opinentur. *Tertia* p. 27. χαλκηϊ⊖- inscripta: *Quarta* p. 1483. pro Tetralice spinosa Tragi. Multa hoc loco displicent in histor. Lugd. Primò quòd eandem figuram nempe Matthioli ponat duobus locis: nempe pro Spina alba & pro Spina Arabica: secundò eandem existimet Penæ Spinam albam. Tertiò quòd pro Spina Arabica exibeat. Quartò quòd alias duas figuras exhibeat Cardui Echinopi pro plantis diuersis Chalceio & Tetralice. Cui obsecro placeat Hist. Lugd. lib. 14. c. 28. Tetralicem spinosam Tragi votare plantam non ita dictam à Trago, ac præterea eiusdem plantæ aliam ponere figuram cap. 27. cum inscriptione Chalceios, quasi illæ duæ figuræ & earum descriptiones non sint vnius plantæ diuersimodè descriptæ & depictæ.

H. Lugd. 4. figuræ.
Spina alba Matth.
Spina Arabica
Chalceios Tetralix spinosa Tragi
H. Lugd. lapsus varij

Spinæ albæ (inquit C. Bauh. in animadu. H. Lugdun.) pag. 1462 figura est absque descriptione. Spina Arabicę p. 1467. figura eadem numero cum priori, addita tamen descriptione. Eadem tertiò proponitur & Silybi siue Leucacanthæ Loniceri nomine p. 1466. describitur, non autem pingitur. Quartò Chalceios nomine pag. 1481. describitur. Quintò, repetitur & describitur pag. 1483. & Tetralix spinosa Tragi appellatur. Sextò, Ruthrum alterum dicitur, & ex Pena describitur, sed sine icone, pag. 1482. En vnius plantæ sexies mentionem!

C. Bauh. animaduersio in H. Lugdun.

Quam herbam ego Acanthium censeo (ait Turn.) genus est Cardui, Brancæ vrsinæ modo foliis laciniatis, verùm laciniis non ita longè ab inuicem distantibus: confractum folium habet in se aliquid oblongum gossypio simile: capitulum Cardui fullonum echino simile, sed minus multò flores cærulei: tota herba est viscida, odoréque graui prædita. Nusquam obseruaui, quàm in hortis Angliæ & Italiæ. Aiunt quidam Herbariis dici Carduum asininum. Nullum eius nomen Anglicum hactenus potui discere. Comminisci igitur cogor nomen ote thistel (Carduus auenaceus) vel Cottõ thistell [Carduus villosus] propterea quòd semina granis Auenæ sint similia, foliáque confracta villum gossypij instar referant. Lucas Ghinus præceptor meus Bononiensis, interpres publicus Dioscoridis, docuit me primus, hunc Carduum Matthiolo nunquam in Italia conspectum. Londini vidi in variis hortis.

Acanthium Turn.
Card. auenaceus
Card. villosus.

Taberb. Icon. & Hist. Carduus Sphærocephalus. Trago dicitur, Chamæleon niger verus. Gesn. de hort. Echinopus, quibusdam Spina alba, aliis Crocodilum, aliqui Germanicè Jungfrawen distel appellant. Cast. Durant. p. 404. ἄκανθα λευκή. Spina alba, Arab. Bedeguar: Priorem, Matthioli figuram habet. Cronemb. de compos. medic. lib. 4. sect. 36. Certum se esse gloriatur de spina alba, & hanc quidem esse Bedeguar: Pingere exquisitam imaginem in Diosc. suo Matthiolum, quam hactenus non viderit. Quæ autem certitudo obsecro ex planta non visa? Figuram Echinopi (quam ad ipsam plantam non existimo factam) Lonic. habet sub his nominib., weiß garten distel/ Jungfrawen distel/ Zamgarten distel λευκάκανθα, Alba spina.

Card. sphærocephalus
Lonic. notatur.
Echinopus Gesn.
Spina alba Castori.
Cronemb. videtur.
Lonic. icon mala.

Nostra opera est Carduus echinopus Bisem distel à forma capitum similium pilis odoratis & musco infectis, in Horto E. C. Montbelg. non solùm diu durat hic Carduus & hiemem perfert, verùm etiam seipsum dissseminat: Inter scripta Gesneri inuenio dici Acanthum sylu. Bononiensibus. Accepi semen Lugduno à Dom. Sebastiano Heberlin nomine *Chardons des Dames*. Spina alba altis floribus Camerarij habetur in hortis, & spontè nascitur saxosis & fluuiis imminentibus collibus: altera flore cæruleo, peregrina cùm sit, non nisi in hortis quærenda erit.

Locus.

Decoctum Spinæ albæ albis floribus echinati capitis vnà cum caule & seminibus, quæ admodum sunt amara, mirificè prodest in doloribus dentium.

Vires

SPINA ARABICA VETERIBVS.

Spina Arabica, ab alijs Acanthis dicta, Dioscoridi videtur natura similis esse Spinæ albæ, nimirum adstringens. Et ad fluxum muliebrem, & ad sanguinis eductionem, & ad alias fluxiones: radix eius similiter idonea est. Nascitur in asperis locis.

Spina Arab. Diosc.
Vires

Spinæ Ægyptiæ siue Arabicæ laudes, inquit Plinius lib. 24. cap. 12. in odorum loco diximus. Et ipsa spissat adstringitque destillationes omnes & sanguinis excreationes, mensiúmque abundantiam, etiamnum radice valentior. Ita vetus codex, inquit Corn. sed in vulgatis, *Aegyptia siue*, voces desunt. Et hæc sunt quæ etiam Diosc. habet, nisi quòd ῥοῦν γυναικεῖον, Plinius mensium abundantiam reddidit: quum dici rat fluxus muliebris à mensibus siue menstrua purgatione. Cæterùm locus quo se Ægyptiæ spinæ laudes dixisse ait, est lib. 13. cap. 9. Nec minus spina, inquit, celebratur, in eadem gente duntaxat nigra, quoniam incorrupta etiam in aquis durat, ob id vtilissima nauium costis. Candida facilè putrescit. Aculeus spinarum & in foliis. Semen in siliquis, quo coria perficiuntur gallę vice. Flos & coronis iucundus, & medicamentis vtilis. Manat & gummi ex ea, &c. *At non* satis animaduertit Plinius, aliam esse Spinam Ægyptiam ex qua Acacia præparatur, quæque item Acacia appellatur, de qua & hoc loco, itémque lib. 24. ca. 12. vbi Acaciæ spinam vocat, agit, & de qua mox capite sequenti 11. ait: Gummi optimum esse ex Ægyptia spina conuenit, vermiculatum, colore glauco, purum: sine cortice, dentibus adhærens: Et de hac spina in Ægypto

Spina Ægyptia siue Arab. Plinio.
Plin. lectio.
Plin. error confundentis Acaciam cum Spina Arabica.

Ægypto nascente, arborosa, ex qua & Acacia fit, & gummi, egit Diosc. lib. 1. cap. 112. Meminit eius & Theophr. lib. 4. & lib. 9. princ. vbi lacrymosum eius humorem esse ait, ipsumque ferre non in cortice, sed in vase: non satis animaduertit, inquam, Plinius, aliam esse hanc arborosam Ægyptiam spinam: aliam spinam Arabicam, quæ & ipsa Ægyptia vocatur, de qua superiore loco agit, ipsique omnia à Diosc. attributa adscribit. Hanc tamen Dioscor. natura similem spinæ albæ videri dicit. Sed Galenus simpl. spina Ægyptia, inquit, quam aliqui Arabicam nominant, similis est spinæ albæ quæ apud nos est, magis tamen adstringente ac siccante vi prædita est.

Æquiuoca. Acacia Carduus

Cæterùm, hallucinantur qui sibi persuadent Arabicam spinam, cuius hic fit mentio, esse quam Acaciam vocant.

Spina Arabica à quamplurimis de Carduo in genere dicitur & habetur.

ACANTHA LEVCE, SPINA ALBA Veteribus.

CAP. XII.

Acantha leuce Diosc.

SPina alba nascitur in montibus & syluosis locis, *folia* habens albo Chamæleoni similia, angustiora tamen & candidiora, subhispida, & spinosa: *caulem* duos cubitos excedentem, digiti magni aut etiam maiori crassitudine, subalbum, intrinsecus vacuum. In huius cacumine *caput* est spinosum, erinaceo marino simile, sed minus & oblongum. *Flores* sunt purpurei, in quibus *semen* velut Cnicus, sed rotundius. Huius *radix* pota facit ad sanguinis sputum, stomachicos, cœliacos: ciet etiam vrinam, & ad tumores in cataplasmate imponitur. Decoctum ipsius colluitur in dentiũ dolore. At semen potum pueris qui conuelluntur auxiliatur, itemque aduersus serpentiũ morsus. Aiunt & Amuletum ex ipso appensum venenatas bestias fugare. *Alibi* Scolymus folia habet Chamæleonis & eius quæ Acantha leuce appellatur.

Spinam albam alii siluestrem Cinaram, inter notha Dioscoridis, alii Donacitim, alii Erysisceptrum vocant. Romanis est spina alba siue regia: aliis Carduus ramptarius.

Spina alba

Inter spinarum genera, inquit Corn. meminit Plin. l. 24. c. 12. etiam spinæ albæ, his verbis: spinæ albæ semen contra scorpiones auxiliatur. Corona ex ea imposita capitis dolores minuit. Nec alibi ipsam describit, nisi quòd lib. 15. c. 28. In papyris & ferulis, spinaque alba, caulis ipse pomum est, inquit.

Acantha leuce Galeno.

Galenus spinam albam, id est, ἄκανθαν λευκήν, quandam composita voce λευκάκανθαν nominare dicit, sed postea sub litera λ diuersam facit λευκάκανθαν ab illa quam prius ἄκανθαν λευκήν vocauit, & de hac ait, radix ipsius siccat, & moderatè adstringit. Quare & cœliacis & stomachicis prodest: & sanguinis eductiones cohibet: & tumores in cataplasmate coercet. Dentium etiam doloribus prodest, si quis decoctum colluat. Semen autem tenuium partium & calidæ facultatis est, vt etiam conuulsis in potu medeatur.

Æquiuoca.

Non parua inter authores oritur contentio, quænam in aculeatarum genere, quas plurimas genuit natura, Spina alba legitimè, notis omnibus adstipulantibus, appellari possit. Verùm etsi tantam litem transigere nequeant: interim tamẽ pro spina alba alii alias herbas ostentant, & quisque suam veram existimat. Quandoquidem sunt eorum complures, qui sibi certò persuadent spinam albam eam aculeatam herbam esse, quam Carduum Marianum siue lacteum nominamus. Sunt alii, qui Carduũ Echinopum maiorẽ vocant. Sunt præterea, qui spinam albam esse velint illud Cardui genus quod Spinam albam quorundam inscribimus, Spinam albam à Cortusio sibi missam habet Matthiolus, quam veram existimat. Sed fallitur. Carduum Galactitem veriùs nobiscum dixerit. Habet Spinam albam & Anguillara, quã Lobelius existimat esse Crocodilium Monspeliense. Sed qui plantas vnà cum descriptione conferent, dubitandi occasionem inuenient, ac nobiscum Carduum Echinopum minorem cognominabunt. Spinam albam siluestrem Fuchsii, siue Acanthium quorundam ad Diosc. spinæ albæ delineationem quàm proximè accedere scribit Fuchsius, quem plures alii sequuntur. Spinæ albæ arboris nomen, cum spina alba, herba edúli, [quam nos hodie Scolymum satiuum, Goropius verò Carduum vocat] confundit Plinius. Errant, & in hoc etiam errore Ruellius versatur, qui sibi persuadent Spinam albam illum Carduum esse, qui à Tuscis *Prasura*, à nobis Scolymus silu. vocatur. Dalechampius spinam albam esse arbitratur, quam Eryngium montanum appellamus, & ei quidem notis omnibus à Dioscoride traditis optimè quadrare. Spina albæ Diosc. non minùs accedere Carduum tomentosum Anglicum ait in Aduers. Lobelius. Hunc nos Carduum capite tomentoso nominamus. Carduus stellatus, teste Lobelio in Obs. est spina alba vera Rondeletio. Sunt eorum complures, qui sibi certò persuadent spinam albam eam aculeatam herbam esse, quam aliqui Herbam Turcam, nos Carduũ benedictũ vocamus. In manifestò errore versantur qui sentiũt Leucacãthã, ab Acantha leuce h. e. Spina alba, nullo pacto differre. Spinæ albæ Symphytũ substituit Apollo in conf. Hamech. Spinæ albæ loco in syr. de Eupator. Matth. germ. Cyperum substituit. Ruellius aculeatæ arbusculæ radic bus [quæ candida est Dioscoridis Rhamnus, nobis autem Rhamnus primus, siue Monspeliensis] omnes tribuit facultates, quibus legitima spina alba à Dioscoride commendatur. Cautos nos esse oportet ne res diuersas spinæ albæ nomine confundamus. Nam præter iam dictam Rhamnum, Rhamnus cum spondylo siue tertius etiam spina alba cognominatur. Meritò Matthiolus reprehendit Ruellium, quòd spino albo (nobis Oxyacantha Matthioli dicto) attribuat facultates spinæ albæ Dioscoridis. Spina alba Brunschvveigio sunt Rosæ siluestres albæ. In spinæ albæ locum eius decoctum ad dentes firmandos laudatur, author ille Italici libri, *De gli ornamenti delle donne*, Caryophyllatæ radicem substituit. Sed argumento parum firmo.

Carduus Marianus. Echinopus maior.

Spina alba quorundam Carduus galactites. Card. echinopus minor

Spina alba siluestris, Fuchsii Scolymus satiuus.

Scolymus silu. Eryngium montanum.

Card. capite tomentoso Carduus stellatus.

Card. benedictus Leucacantha.

Cyperus Rhamnus I. siue Monspessulanus

Rhamnus cum spondylo, siue tertius. Oxyacantha Matth.

Rosa siluestres.

Caryophyllata.

SPINA ALBA QVIBVSDAM CAPITE echinato.

Descriptio

PErennis est planta *caule* ad cubitorum aliquot altitudinem surgente, striato, in ramos varios diuiso: *folia* pluś minus dodrantalia, quędam palmaria, tum alibi, tum ramorum diuaricationi subiecta; pronâ parte tomento incano vestita, alterâ viridantia, laciniis diuisa ad costam vsque profundis, quarum singulæ in vncialem & longiorem, rigidam, infestamque spinam desinunt,



spatia quoque interiecta tota spinis horrēt: singulis ramis *caput* insidet sphæricum, Cardui echinopi glomeri simile, sed spinosum.

Sphærocephalus max. Cam.

Camer.hort. Sphærocephalus maximus.

Card. sphærocep. acutus Dod.

H.Lugdun. pag.1482. Carduus Sphærocephalus acutus Dodonæi.

Spina alba Lob.

Lob. Adu. ἄκανθα λευκὴ, Spina alba quam Bedeguaram Arabes vocant, nec tamen vllis notis notiorem faciunt Mesues aut Serapionis interpretes, &c. Non est hæc quam sibi missam olim Patauio Senensis dat: cæteris omnibus jugulatis sententiis, vt suam ambitiosè intruderet ridendis argumentis, & plus allaturis ad suam ipsius quàm ad aliorum refellendam. Obseru. pag. 481. Icon. Plant. Tom. 2. pag. 9. Spina alba.

Matth. reprob.

Spina alba altera Matth.

Matth.in comm. in Diosc.cum magnis fig. Lat. lib.3. cap.12. Spina alba altera, quam legitimam in contextu dicit, ac eius primo loco imaginem se exprimere ait, misisséque ad se Patauio Iac. Ant. Cortusum, quæ notis omnibus genuinam repræsentet. Siquidem foliis sit albo Chamæleoni similibus. In comm. Ital. cum mag. figur. inquit: Spina bianca. Spina alba si legitima prouenit in Italia non possum aliud affirmare, quàm eam esse, quam misit Cortusus. In lat.comm. transpositâ figurâ, quæ primo est loco debuit esse secundo, ponit solam imaginem sine descriptione præter repetitam frustrà ex Diosc. quam olim attribuebat alteri plantæ: existimo hanc plantam illi fuisse ex sola figura notam & tamen asserit legitimam suo more.

Matth. notatur.

Casp. Bauhin. apud Matth. Spina alba 1. Matthioli.

An Fuchsius de hac dicit in hist. vidimus herbam peregrinam siccam, quæ haud dubiè vera Spina alba erat? An Gesn. de coll. stirp. fol.109. Spina alba Dioscoridis, Cardui genus? An Carduus Leucanthemus Schvvenckfeldij sit Spina alba Aduersariorum?

Locus & Tempus.

Spinæ albæ nomine fuit nobis datum Cardui semen quod in horto prouenit Geneuæ & ante Lugduni prouenerat etiam: in horto nostro, hiemem pertulit ac floruit Iulio. Obseruaui etiam Bizantij & Patauij tum in horto publico, tum in alijs.

ECHINOPVS MINOR.

Descriptio

DIgito minor est *radix*, rugosa, in plura capita fissa, ex quorum vnoquoque *caulis* vnus pullulat dodrantalis & longior, propter lanuginem densam totus albicans, ex quo prodeunt crebra alternata *folia*, quorum quædam parum cauli longitudine cedunt, alia vnciâ paulò ma-



iora, tenuissimè & ad costam vsque incisa, spinosa, infrà lanugine molli candidáque veluti & costa, pubescentia, supernè viridantia: summo caulis cacumini, sphæricum insidet capitulū, minus quam Echinopi maioris, *flosculis* cyanei coloris glomeratum.

Sphærocep. albus Cam.

Camer.hort. Sphærocephalus annuus flore cæruleo in satis magnum globum redacto. Icon. p.45. Sphærocephalus annuus.

Lob. taxatur.

Lob. in Adu. pictutam habet Cardui cuiusdam huic plantæ correspondentem quem existimat Rutrum siue Ritrum Theophrasti secundum Anguillaram: verùm aliter se rem habere comperiet, qui eorum descriptionem vel ipsam plantam conferet cum Anguillaræ descriptione, Icon. Plant. Tom.2. pag.8. Ritro floribus cæruleis Aduers. pag.369.

Ritro fl. cæruleo.

Locus & tempus

Hanc primò obseruaui inter Monspelium & Perous. Est verò mihi nunc in horto E.C. annua planta quæ quo anno sata caules & flores profert Iulio & Augusto, & Septembri semina maturat, quibus deciduis perit, ac sequenti anno ex his renouatur.

DIPSACVS EX VETERIBVS.

CAP. XIII.

Dipsacus Diosc.

Diosc. lectio varia.

DIpsacus quoque aculeatarum stirpium generi à Dioscoride ascribitur. *Caulem* habet altum, spinis horridum & *folia* Lactucæ foliorum æmula, caulem amplectentia [περιειληφότα τὸν καυλὸν, vet. caret] bina in singulis geniculis, prælóga, [ἐπιμήκη, sublonga ὑπομήκη vet.] quæ & ipsa aculeata sunt, ac ceu quasdam bullas in dorsi medio intus forísque spinosas habent: concauos autem sinus [κοιλίδας, in altero est κοῖλα, alij κοιλίας] qua parte folia illa copulantur, ad geniculum (τὰ περὶ τὸ γόνυ addit vet.) quibus aquas ex rore & imbribus in sese colligunt (συλλέγειν, vet. φυλάττειν seruant,] vnde & Dipsaci quasi sitientis, nomen traxit. At in cacumine caulis singulis surculis singula insunt *capitula*, echino similia, oblonga & aculeata: quæ quidem arefacta candida spectantur, diuisa verò per longitudinem in media medulla vermiculos ostendunt. Huius *radix* è vino decocta tusáque, vsque dum cerati crassitudinem acquirat sedis rimas & fistulas immissa sanat. Verùm hoc medicamentum æneâ pyxide recondendum. Aiunt & ipsum myrmeciarum, verrucarúmque pensilium medelam esse. Cæterùm capitulorum vermiculi, folliculo illigati, & collo brachióve appensi febres quartanas curare perhibentur.

Vires

Nomina spuria.

Dipsacum alij inter spuria Dioscoridis Crocodilion vocant, alij Chamæleonem, alij Onocardion.

dion, alii Veneris lauacrum, Romani Veneris labrum, alii Veneris Carduum, Ægyptii Sesentor, alii Chir, alii Meles, Daci Sciaren.

Dipsacus Plinio. Dipsacum ita descripsit Plinius, vt multùm lucis Dioscor. afferat. Dipsacos, inquit, folia habet Lactucæ, bullas spinosas in dorsi medio, caulem duorum cubitorum, iisdem spinis horridum, genicula eius binis foliis amplectentibus, concauo alarum sinu, in quo subsistit ros salsus. In cacumine capitula sunt echinata spinis. Nascitur in aquosis. Sanat rimas sedis. Item fistulas decoctâ in vino radice, vsque dum sit crassitudo ceræ, vt possit in fistulas collyrium mitti. Item verrucas omnium generum.

Temperamentum ex Galeno. Galenus Dipsaci spinæ radicem secundo ordine siccare dicit, & quid extersorii habere.

Apulei error. Dipsacum cum Chamæleone albo confundit Apuleius. Siquidem Chamæleonis albi, curationes & virtutes Dipsaco attribuit. Dipsaco autem *Dips. nomina spuria.* præter paulò antè recensita nomina etiam hæc adscribit. Dipsacon quidam Græcorum nominant Cneoron, alii Meletam, Prophetæ Aphrodites lutron, alii calycem Cardiacon, Ægyptii Semmeor, alii Cinaram rusticam, alii Stasioron, alii Morariam, Hispani Analentidium, Ægyptii Gerbaste, alii Sapho.

Qui quidem Latinè labrum veneris & Carduus magnus appellatur, à similitudine quadam *Chamæleon* Chamæleon dictus est, sc. ad herbam quæ inter aculeatas propriè sic vocatur, Humelbergio teste. Sed & Crocodilii appellationis eadem ratio *Dipsacus* est. Dipsacus verò appellata est à siti, quam Græci δίψαν dicũt, vel quia humorem illum contra eam paratum semper habet, aut quia iuxta fontes & *Onocardion* locis humidis nascitur. Onocardii, id est, asinini Cardui, factum illi ex Græcia & Latina voce nomen, ὄνος enim asinus est. *Meleta.* Meleta dicta videtur à capitulorum figura, oblongiori instar pomi, quod Græci μῆλον dicunt. *Aphrodites lutron. Labrũ Veneris.* Aphrodites lutron, hoc est, vt inter Latinas appellationes habetur, labrum Veneris ἀφροδίτη enim Græcis Venus est, λουτρὸν verò vas aquarium quo in balneis ad lauanda corpora vtebantur, & quod Labrum Latinè dicitur: sunt tamen non solùm aquaria sic dicta vasa, sed olearia quoque & vinaria, in quæ oleum è cortina, & vinum è lacu transfertur. *Calyx cardiacus.* Calyx cardiacus appellata est à figura capitulorum quæ oblõga instar cordis existunt & baccæ rosaceæ, antequam tota aperiatur: καρδία enim Græcis cor est, κάλυξ verò rosæ baccam dum adhuc clausa est rosa, & omne putamen in quo aliquid includitur, significat. Quemadmodum porrò pro Chamælea Chamæleonem, sic etiam pro Cicere rustico Cinaram rusticam, id est, syluestrem, reponendum censuit Humelbergius, eò quòd spinæ albæ, quæ Cinara syluestris etiam dicitur, sit quodammodò similis.

Æquiuoca. Dipsacus satiuus. Dipsacus sylu. siue Labrũ Veneris. Illud nobis cum multis persuasum habemus Dipsacum Dioscoridis esse herbam quæ adhuc hodie Dipsaci satiui nomen à quamplurimis obtinuit. Huius Dipsaci est & alterum genus spontè proueniens, quod Dipsaco Dioscoridis nullis notis repugnare dicit Matthiolus. Quam benè videndum postea. *Dipsacus sylu. folio laciniato.* Dipsacum syluestrem folio laciniato, non visâ prius Taborn. figurâ descripsimus, ac ita inscripsimus. *Virga pastoris.* Dipsacus, officinis & herbariorum vulgò Virga pastoris, non sine errore nominatur. Matthæus Syluaticus Pandectarum author, in grauiorem errorem lapsus *Polygonum.* Dipsacum cum Polygono turpiter confundit,

qui quidem tantùm à Polygono differt, quantùm lepores ab vrsis. *Dictam. Creticus Aspalath.* Dictamno Cretico, vt videre est lib. 28. Dipsaci nomen quoque adscribitur. Dipsacon tandem etiam de Aspalatho dicitur.

DIPSACVS SATIVVS.



Descriptio. Duorum aut trium cubitorum aut etiam maiorem altitudinem assequitur *caulis* pollicari, recto, rigido, multis alis concauo, striato, spinulis quibusdam horrente; *folia* bina, opposita, ita continua inuicem sũt vt ea caulis transadigat & concauum labrum, excipiendæ aquæ efficiant, ampla, longa, non minùs caule horrida: *capitula* quæ pugnum impleant oblonga, vnciatis hamulis rigidissimis, deorsum spectantibus minacia: inter quos *flosculi* emicant tubuli instar colore ex albo tantillùm purpurascente: *radice* verò nititur læui candida.

Dipsaci genera. In omnium ferè stirpium genere, si Trago credimus, duo fastigia statuere licet, nimirum vt vnum satiuum, alterum verò siluestre aut erraticum dicatur. Id quod in hoc Carduo Dipsaco vel maximè locum habet. Est enim satiuus quem iam descripsi, & suæ spontis, de quo infrà verba faciam. *Dipsacus fœmina. Error Lonic. Error Pandect.* Alii [vt Lonic.] in marem & fœminam Dipsacum distinguunt. Sed error hic desumitur ex Pandectario, vt benè monent Monachi, dicentes: Pandectarius errans tribuit ansam pluribus iunioribus errandi. Quia in suo capite Dipseos duo capitula Serapionis immiscuit, scilicet capitulum 106. quod est de Carduo Dipsaco, scilicet Labro Veneris: & cap. 38. quod est de Virga pastoris, scilicet de Sanguinaria seu Polygono. Cuius erroris Pandectarium etiam arguunt Fuchsius & Matthiolus.

Card. fullonũ Trago. Dipsacus autem satiuus dicitur Trago, Carduus Fullonum, Carduus Fullonius, siue satiuus: Isque vna figura vtrumque comprehendit.

Labrũ veneris. Matth. Matthiol. in prioribus com. Dipsacus, siue labrum veneris: In postr. comm. cum magnis figur. Latinè & Italicè Labrum Veneris, siue Dipsacus: In Histor. german. cum addition. Camer. Dipsacus, Labrum Veneris, & Carduus fullonum: In Epitom. Labrum Veneris. Ait autem Matthiolus [& subscribit Agricol. Medic. herb.] in huius capitibus reperiri vermiculum, quamuis Marcellus sibi nunquam

compertum scribat. Reprehendit præterea Syluaticum. Dipsacum cum Polygono confundentem. Is autem suo more Dipsacum non describit in comm. nec notis satiuum à siluestri distinguit, quem olim non pingebat. Camerario apud Matthiolum est noua figura, dicenti esse quorundam Spinam Selenitim Theophrasti, & Galedragon Xenocratis, apud Plinium.

Galedragon, cuius meminit Xenocrates, inquit Anguillara epist. 8. videtur Dioscoridis Dipsacus, qui dicitur Labrum Veneris, Græcis nunc ἄκανθα βοτάνη.

Dipsacus vocatur à Matth. Trago, Cast. in cat.pl. Rob. Côst.in lex. Euch.Roeslin, Turn. Fuchsio, & Tabern.Icon. & Hist. *Labrum Veneris* Matth. Corn.in Dioscor. Cast. Cæsalp. Turn *Dipsacus satiuus* Ponæ in Baldo, Dodon.Gall. & Lat.in fol. Cord.in Hist. Gesn.hort.

Ponæ in Bald. Dipsacus satiuus, vel Galledragon Xenocratis, Anguillario, seu Spina Selenitis Theophr. Guillandino.

H.Lugd.p.1447. Dipsacus seu Labrum veneris Matth. Item Dipsacus satiuus alter Matthioli. Duæ figuræ eiusdem plantæ.

Euch.Roeslin.pag.59. Cardo fullonum, Virga pastoris, Labrum Veneris Bulen strecl/ Carten distel/hirtenstab/fraw Venus bade/weber karten: duo genera vnum molle, alterum pungens, ambo calidæ naturæ, subitaneus calor, qui tamen facilè euanescit. Vebedisteln habent aliquid frigiditatis. *Quanta* ignorantia Euch. qui hoc loco nescit quid scribat, & ineptè p.223. Carduum Mariæ vocat Labrum Veneris: præterea iconem Dipsaci habet quam postea iterum ponit pag.23. nomine Virgæ pastoris ac pro more describit.

Lobel. Aduers. Dipsacus satiuus Fullonum. Obs.p.487. & Icon.pl.Tom.2.p.17. Carduus Fullonum, siue Dipsacus satiuus, siue labrum Veneris.

Casp.Bauh.apud Matth. Dipsacus satiuus albo flore.

Nomina linguarum. Planta hæc Græcis Dipsacus vocatur sicut & Lat. Item ἀφροδίτης λουτρόν: Lat. Labrum Veneris, Carduus Veneris, Carduus fullonum & vulgò virga pastoris Dod. Germ. Kartendistel / Kartenkraut / Buben strecl/ & weber karten. Belg. Caerden/ Volders Caerden. Gall. *Cardon, Chardon de foulon, Chardon à carder, Verge à bergier*. Ital. *Dipsaco & Cardo, & Cardo da panni*. Hisp. *Cardencha & Cardo penteador*. Angl. Tassel Boh. Stietka. Hung. Bogach fóro / Polon. Sczotki.

Dipsacus. Dipsacus autem, vti dictum, quasi sitiens dicitur, quòd aquam in cohærentium foliorum sinu contineat, quâ ad situs iniurias abigendas vtatur. Labrum verò Veneris à foliorum etiam positu, peluis vel lauacri speciem constituente, humorem perpetuò continente.

Labrũ Veneris.

Cardui fullonis nomen tolerari potest, inquit Tragus, modò sciamus Carduum fullonum nihil aliud esse quam Dipsacon Dioscoridis, quem aliqui Crocodilion vocant, alij Chamæleonem, alij Onocardion, alij Veneris lauacrum: Romani Labrum Veneris, alij Carduum Veneris: Ægyptij Sesenor, alij Chir, alij Meleta, Daci Sciarã vocãt.

Locus & tempus. Dipsacum quidam Montbelgardi diligenter in hortis colunt. Sed & nos eum habemus in Horto E. C. Seritur in compluribus Italiæ locis, præsertimque in agro Bononiensi, singulari à cultoribus adhibita diligentia ad lanificia. Iunio ac Iulio floret: echinata capitula Autumno colligenda sunt.

Margin notes: Matth. ... ; Spina Selenitis Theophrast. Camer. Galedragon Xenoc. Anguill. Synon. ; H Lugd. ... ; Euch. ignarus.

DIPSACVS SYLVESTRIS, SIVE Labrum Veneris.



Descriptio. VT satiuo Dipsaco congener est syluestris, ita nõ paucis cum eo notis conuenit: pari *caulis* spinosi altitudine ramorúmque diuaricatione: *foliorum* non dispar amplitudo & labri æmulus coitus, quæ spinis non secundum costam duntaxat minacibus armata, sed & reliquo quoq; folio, quib. opposita parte costylæ respondent. Echini spinis vt longiorib. quàm satiuus horrent, ita & mitioribus, minúsque rigidis nec aduncis, ex quorum sinu *flores* emicant purpurantes: *radix* & semen satiuo similia.

Echini. Flores.

Dips. sylu. Matth. Matth.in Diosc.lib.3.cap.11. Dipsacus sylu. nullis prorsus repugnantibus notis, quas illi reddidit Diosc. Inuenitur Autumni tempore, in eius capitulo iam exarefacto meditullitúsque dissecto vermiculus, etsi Marcellus dicat sibi hunc nunquam compertum: Dipsacus officinis & Herbariorum vulgo virga pastoris maior nominatur. Id comm. cum magn. figur.lat.& ital.ceu & Epit. Camer. Labrum Veneris alterum. In Histor. german. wilde Karten distel, Dipsacus sylu. & ita etiam vocatur Dodon. latin. in fol. pagina 723. *Matthiolus* quasi ex libris scriberet non vidisse Dipsaco, non ostendit qua in re differat sylu. à satiuo: in hist. etiam Germ. transposita figura.

Virga pastoris maior. Matth. notatur.

Fuchs.Hist. Dipsaci alterum genus spontè proueniens Dipsacus purpureus, floribus purpureis, Gall. *Chardon à foulon rouge*, in cauitate echini in quibusdam vermiculi reperti. Icon. p.128. Dipsacus purpureus. Braun kartendistel.

Dips. alter Fuchs. Dips. purpureus.

H. Lugd. p.1448. & Ponæ in Baldo Dipsacus sylu.maior Fuchsii. Carduus fullonum Brunfels. Carduus fullonis erraticus, Trag. Labrum sylu. Veneris.Cast. Labrum Veneris, Cornar. Diosc. Lob. Icon. Labrum Veneris flosculis purpureis Cęs. Dipsacus Brunf. Lacun. Lonic. Tab. Dipsacus sylu. Dod.gall.& fol. Cord. in hist. Gesner. hort. Thal.& Turn. Molybdæna Plin. Dalechampio in Plin. C.Bauh.apud. Matth. Dipsacus 2. siue sylu. flore purpureo.

Locus & tempus. Dipsaci syluestris siue Labri Veneris nomina & autores qui de eo scripsere sub præcedenti Dipsaco sunt annotata. Multis in locis prouenit spontè etiam in Horto E.C. Item qua itur Betoncourt: Geneuæ, quà itur ad montem *Salene* & alibi. Basileæ reperi cum suo flore purpureo mense Octobri apud fluuium Birse in vrbe. Lugduni abundat. Inter Horbourg & Colmariam sepio èpreuenit. Dipsacum sylu. ad fossas ferè prouenire, & in aquosis, scribit Turnerus.

DIPSACVS SYLVESTRIS FOLIO laciniato.



Descriptio

PRocera plãta est, duorum, triúmve cubitorum, & interdũ altior, *radice* crassâ, simplici, albâ: *caule* recto aduersis ramis brachiato, striato, aculeis horrido: *folia* valdè ampla, longa, lataque, spinis duntaxat secundum costam & auerso folio, armata, non bullata, profundè laciniata, in labri formam coëuntia: atque hoc quidem genus laciniatum, *flores* habet albicantes, & vulgaris instar quadripartos, ex aculeorum carina, quibus echinus oblongus horret, mitioribus tamen & longioribus spinis quàm in Dipsaco satiuo, nec vt in illo aduncis, *semen* oblongum striatum.

Dipsa. Tabern. Tabern. Icon. & Hist. Dipsacus secundus.

Locus & tempus. Dipsacus folio dissecto siluestris copiosè prouenit inter Horburgum & Colmariam, ibi collegi semen quod satum in Horto Ill. F. C. prouenit, primo anno caulem non protulit, florebat Iunio. Hunc Dipsacum obseruaui etiam inter Roufach & Colmariam.

Vires & Vsus. Vires ex Veterib. antè sunt traditæ, nunc quid Neotorici sentiant, adscribendum. *Aqua foliorum* Aqua è foliis Dipsaci destillata collutu vlceribus & *Putredines.* putredini oris op tulatur, inquit Tragus: folia capiti imposita phrenesi- sedare tradunt: aqua quæ in foliorum concauo reperitur, *Oculi* caliginosis & rubentibus oculis prodest: eadem maculas faciei, maximè eas quæ oculis subsunt emendat & exterit collutu: mulierculæ formæ studiosæ vsum huius optimè tenent. Hodie verò, auctore Dodonæo, exigui est vsus in medicina Dipsacus, *Ad pannos.* capita ad interpolandum laneos pannos vsurpantur. Dipsacus in Italia vulgaris est planta, authore Matthiolo, iis præcipuè locis, vbi lanificia exercentur: Siquidem echinato eius capitulo mangones rudem adhuc pannum pectunt, expoliunt, detractísque floccis concinnant. Vermiculus in capitulo quem collo adalligatum quartanis febribus remedio esse produnt, piscatoribus hamo affigendus maximè expetitus. *Menses* In fluxu mensium nimio exhibet Io. Liebaut drach. 1. Dipsaci satiui cum ouo sorbili. Quædã aliæ facultates à Serapionis interprete & aliis recẽtiorib. illi conceduntur, quæ non sunt genuinæ sed spuriæ & Polygono adscribendæ. Ineunte hyeme, ait Turnerus, Cardueles consueuerunt ad Dipsacum, seminis caussâ, cuius appetentissimi sunt, conuolare.

VIRGA PASTORIS VVLGARIS.

Descriptio TOta facie Dipsacum refert, quatuor & quinque cubitos alta, *caule* digitali, glabro, costatis, ex quibus duræ mordacésq; spinulæ oriuntur, secundum longitudinem striato, concauo, & in multos ramos brachiato: *folia* gemina ad genicula enascuntur, opposita, minimè caulem amplectentia, sed pediculo vnciali, nonnũquam breuiore, appensa, infimaque parte auriculis binis donata, post auriculas ab angusto principio sensim dilatantur, & in mucroné desinunt ac serrata sunt, spinis quà terram spectant per neruos dispositis armata: at



capitula Dipsaco multùm cedunt, Scabiosæ capitulis paria, *flosculis* albis, quadripartitis, labello paullò reliquis laciniis productiore, apicibus partim cineraceis, partim atropurpureis, confertim stipata: quos intercedunt nigricantes pilosæ & mollicellæ spinæ, secus quàm in Dipsaco, longiores item, & in mucroné magis directæ: Monspelii cùm degustarẽ sapor mihi Plantaginis videbatur cum quadam salsugine, licèt non esset apud mare.

Card. fullon. 3 Trago Est hæc Trago Cardui fullonii tertium genus, quod ad Atractylidis aliquod genus referri posse putat. Virga pastoris Matth. Lobel. in Adu. Obs. p. 487. Icõ. Plãt. Tom. 2. p. 15. & Camerario, cui & Dipsa. satiuus. Dipsacus tertius Dod. gall. & lat. in fol. cui & Galedragõ Plinii. Dipsaci species minor, Gesn. hortu. *Dips. minor.* Dipsa. minor siue Virga pastoris Thalio. Dipsacus silu. minor C. B. ubi. apud Matth. & H. Lugd. cui & Pũbago Plinii quorundam.

Locus & tempus. Prope Arbouans prouenit copiosè. Geneuæ etiam obseruaui, & Basileæ inter portam Stein & Eschen extra vrbem mense Octobri in viis ad vineas & prata, ac etiam ad fluuium Birse intra vrbem, mense Augusto florentem. Geneuæ mense Nouembri. Monspelii in prato vicino vrbi florebat mense Aprili & Maio.

CARDVVS ACANTHVS SIVE Branca vrsina.



Descriptio ACanthi *folia* humi fusa, pedalia, profundè laciniata, mollia, intensè viroris splendentia, pilosa: inter hæc surgit *caulis* duũ triúmve pedum, rectus, qui à medio ad summũ vsque fastigiũ, thyrsum gerit *florũ* candidorum, quorũ folia rictum imitata, oblonga, foliis coëuntur virentibus,

per extremum laciniatis nonnihil & spinosis, medium occupantibus staminibus crassiusculis: *semen* in oblongis continetur pericarpijs: *radices* longè latèque vagantur, foris nigræ, intus albæ, sapore glutinoso & viscido, vt & folia.

Acantha Diosc. Acantha, siue Herpacantha, vt Dioscorides memoriæ prodidit, folia habet multò latiora ac longiora quàm lactuca, fissa velut Erucæ folia, subnigra, pinguia læuia: Caulem læuem altitudine duorum cubitorum, digiti crassitudine, ex interuallis ad verticem foliolis quibusdam circumdatum, velut pileolis oblongis, spinosis: è quibus flos prodit albus: semen est oblongum, melini coloris: caput autem thyrsi figura. Radices subsunt viscosæ, mucosæ, ignei ruboris, longæ.

Acantha Plinio. Acantha siue Acanthus, vt Plinius & Galenus vocant, est topiaria, inquit Plinius, & vrbana herba, lato, longóque folio, crepidines marginum, adsurgentiúmque puluinorum toros vestiens. Duo genera eius sunt, aculeatũ & crispum, quod breuius (de hoc postea agemus) alterum læue, quod Pæderota vocant, alij Melamphyllon. Ita Plin. sed Diosc. descriptio clarior est, euidentiúsque depingit eam, quam & Officinæ & vulgus Herbariorum Brancam vrsinam Italicam vocant, & nostri, inquit Cornarius, welsch Beerenklaw: Nam alia est quam Germanicam, aut etiam simpliciter Beerenklaw dicunt à similitudine foliorum ad vrsi pedem.

Branca vrsina Ital. est alia à Germ. Acanth. & Branca vrsina eadem est. Eos non aberrasse existimat Matthiolus qui Acanthum & Brancam Vrsinam, vnam & eandem plantam esse scriptis tradiderunt. Sed cùm Branchæ vrsinæ deneget spinas in comm. in Dioscor. quas tamen habet, ac etiam ipsemet in Histor. Germ. ei concedat: satis apparet quantùm Matthiolinis scriptis credendum, qui modò rem concedit, modò negat: præterea apud Dioscoridem legitur συλλαρίοις ἀκανθώδεσιν, foliolis spinosis, & non spinis horrida, vt ait Matthiolus. *Matth. vacillat.*

Brancam vrsinam ab Antiquorum Acantho haud discrepare statuit cum Veteribus & plerisque eruditis Langius: verùm ab eo dissentit Guillandinus, post longam controuersiæ agitationem in epistol. ad Langium concludens Brancam vrsinam Italorum haudquaquam à Dioscoride celebrari.

Guillandino subscribit Camerarius in Epitom. Matthioli dicens: Tametsi Acanthus, qui nostris in hortis seritur: folia spinosa non habeat: non tamen ob id spurium id esse fuerit credendum. Siquidem (vt Plinius est author lib. & cap. 22.) duo Acanthi habentur genera, alterum crispum aculeatúmque, alterum læue.

Topiaria Acanthi pueri in florem sui nominis versi fabula nobilis, quem παιδέρωτα à puerili, vti suspicatur Kyberus, amore Græci vocant. Aliqui *Topiariam* cognominarunt, quòd historiali facilitate in omnes formas vegeta virénsque trahatur, vt in varias animalium effigies duci, & figuras exprimere multarum rerum possit. Græci quoque *Melamphyllon* appellant, quòd folium saturato virore nigrescat alijs comparatum, quæ dilutiori colore placent. *Marmoraciam* quoque Latinis audio nominari: quæ vox omnibus Diosc. exemplaribus deprauata cognoscitur, quòd Acanthi folia Columnarum maximè Corinthiarum capitulis insculpebantur, quarũ identidem tam scapi quàm vertices marmore splendebant. Frondibus Acanthi vt lib. 4. cap. 1. Vitruuius scriptis mandauit, columnas Corinthias veteres Architecti coronabant, quarum effigies adhuc hodie nostris *Melamphyllon.* *Marmoracia.*

sese frequenter oculis offert.

Carol. Stephan. in prædio rustico; Acanthæ siue Acanthos, siue Acanthi, inter herbas emollientes meminit his verbis. Acantham, quæ in acetariis non venit, vulgus Brancam Vrsinam appellat, nisi mauis dicere, Brancam hircinam. Folia enim habet cornibus hircorum similia. Cæterùm emolliendæ alui facultatem retinet, vnde à Virgilio mollis Acanthus dicitur:

Ille comam mollis iam tum tundebat Acanthi.

Et à medicis inter quatuor remollitiua, quæ appellant, annumeratur quibus vtuntur in decoctione clysterum. Plinius lib. 22. cap. 22. Acanthus, inquit, est topiaria & vrbana herba, elato longóque folio crepidines marginum assurgentiúmque puluinorum toros vestiens. Duóque eius genera facit, aculeatum & crispum. Porrò Acanthi folio Veteres ob pulchritudinem & figuræ elegantiam epistylia communiebant, & vestibus pretiosis figuram Acanthi foliorum circumtexebant. Vnde Virg.

Et circumtextum croceo velamen Acantho. *Carol. Stephanus* [illegible]

Satis suam ignorantiem demonstrat Carolus Stephanus: quæ obsecro similitudo foliorum Acanthi cum Hirci cornibus, quæ simplicia, non ramosa, aut in partes diuisa: fortè dicta est à pedibus Vrsi.

Synon. Acanthum nominat Matth. Cord. in Diosc. Lacuna, Anguill. Lonic. Cast. Gesner. in append. & Cæsalpinus, qui ex eius succo glutinoso gummi Tragacanthæ æmulum quosdam facere prodidit. Acanthum verum Camer. hort. vocat: Acanthum verum Fuchsius, qui in Diosc. Mamolariam deprauatè legi testatur. Acanthus verus satiuus, Herpacantha, Melamphyllon, & Branca vrsina Italica Trago dicitur, qui figuram habet in fine operis sui. Acanthus satiuus appellatur à Dod. gall. & Lat. in fol. Gesn. hort. Lob. Aduers. p. 365. Obs. p. 477. Icon. Plant. Tom. 2. p. 2. & Tabern. Icon. & Historia. Acanthus satiuus Matthioli Hist. Lugd. p. 1443. Acanthus satiua læuis Casp. Bauh. apud Matth. cui & Acantha herba Theophrasti, vbi Spinam Gaza vertit, & Acanthus mollis Virgilij. Branca vrsina Romana, herba Topiaria, Acanthus Græcorum & Pæderotes, de qua Virg. in Nuc. Eur. Cordo. *Mamolaria deprauatè.*

Nomina linguarum Quam Græci ἄκανθον ἢ ἄκανθαν nominant, παιδέρως quoque appellatur, & μελάμφυλλον Galeno, Orib. & Plinio autoribus. A Lat. Acãthus quoque dicitur & Branca vrsina (licet alij Spondylium Brancam vrsinam vocitent,) Germ. & Belg. Beerenklaw. Gallicè *Branche Orsine.* Ital. *Acantho* siue *Branca Orsina.* Hisp. *Yerua giguare*, & *Branqua Vrsina.* Boh. Ǳaut. Dicitur verò Branca vrsina à similitudine, quam eius folia cum anterioribus vrsorum pedibus habent.

Locus & Tempus. Acantha, authore Dioscoride, nascitur in hortis, & petrosis ac humentibus locis. Acanthum satiuum habeo Montbelgardi in horto Ill. E. C. qui mihi sæpiùs prouenit ex semine, semel verò tantùm floruit & semen protulit. Basileæ mihi etiam ex semine nata. Monspelij abundat in hortis, & in quibusdam muris, Vbi florentem vidi mense Aprili, Maio & Iunio. Obseruaui Patauij & Bononiæ in horto sancti Saluatoris al burgo di sancta Catharina, Geneuæ in pluribus hortis. Lugduni frequens in hortis.

Vires. Acanthæ Dioscoridis radices ambustis & luxatis commodant in cataplasmate impositæ. Potæ eædem vrinam ducunt, & aluum sistunt. Tabidis item, ruptisque ac conuulsis prosunt. Eadem ferè

ferè *Plinius*. Radices vstis luxatisque mirè prosunt. Item ruptis, c... ulsis & phthysin metuentibus incoctæ cibo, maximè ptisana. Podagris quoque illinuntur tritæ & calefactæ calidis. Acanthus authore *Galeno*, vim habet moderatè discutiendi. Radix autem siccat & leniter secat, & tenuium partium est. Videtur Galenus, aut eius Amanuenses quas facultatas Dioscorides Acanthio attribuit Acantho assignasse. Interpres debuisset vertere apud Diosc. non luxationes sed torsiones aut ligamentorum tractiones. Acanthi satiui folia, vt perhibet *Dodonaus*, temperie in calidi & frigidi medio quasi consistunt, nonnihil humida, emollientem ac leuiter digerentem facultatem, veluti Maluæ, obtinent. Enematis idcircò non minùs quàm Maluæ vtiliter incoquuntur. Prosunt autem tabidis sanguinem spuentibus, tum ex alto delapsis, ab ictu, aut conatu aliquo supra vires læsis, non minùs quàm Symphiti maioris radices, quas substantia, lento succo, & qualitate proximè referunt.

Galeni Vires sunt Acanthii. Diosc. restituitur

Temperamentum ex Dodonæo.

Tabes

CARDVVS ACANTHVS SIVE BRANCA Vrsina spinosa.

Descrip. & Synonyma.



Acanthus syluestris Scolymo similis aculeatus Dioscoridis, an Chamæleonta Mõspelienſiũ? an num potiùs hæc noua aculeata Branca Vrsina, siue Acanthus aculeatus Lobelii? Brancę huius Vrsinæ siue Acãthi varietatis, in agro Bononiensi Lombardiæ adeò *flores* & *folia* similia sunt huic Acantho spinoso [fortè legendum, similia sunt Acantho satiuo] vt nobis persuasum fuerit Dioscoridis esse Acanthum syluestrem quem Dioscorides assimilauit Scolymo silv. & satiuo Acantho breuiorem & aculeatum dixit.

Acãth. silv. Dioscor.

Quod genus Acanthi Plinius aculeatum & crispum ac breuius dixit, velut præcedenti capite monuimus, hoc esse videtur, teste Cornario, quod Dioscorides siluestrem Acantham appellauit, & cuius radicem eadem, quæ Acanthum satiuum, posse prodidit.

Acanth. aculeat. Plinii.

Lob. Icon. Plant. Tom. 2. pag. 2. Chamæleonta Monspeliensium quoad iconem. Huic enim incuria Typographi falsus impositus titulus. Siquidem hanc in Obs. pag. 477. Brancam Vrsinam siue Acanthum aculeatum inscripsit. H. Lugd. p. 1445. Branca Vrsina aculeata Lobelii. C. Bauh. apud Matth. Secundus Acanthus silu. spinosus.

Chaos in Aduers. Lob.

Branca Vrsina Lob.

Anguill. epist 8. pag. 147. Acanthus silu. Herbatius Bononiensibus Branca orsina saluatica. Cam. apud Matthioli. Acanthi species spinosa spontanea circa Italiæ Bononiã, quæ non malè conuenit cum Acantho silv. quæ etiam in quibusdam locis maritimis reperitur.

Acãth. silv. Anguil.

Vidimus Basileæ in horto Dj. D. Iacobi Zuvingeri cui creuerat ex semine misso ex Creta, vnde etiam nos accepimus è Cydonia à D. Honorio Bello Medico, serendum in horto Ill. C. VVirtemb. Montbelg.

Locus & Tempus.

CARDVVS BENEDICTVS.

CAP. XIV.



Succosa gracili *radice* nititur: *folia* laciniata Sonchi aut Dentis leonis diuisurâ spinulis pungentibus armata, colore quẽ in Borraginis foliis est cernere, hirsuta: *caulis* digitalis, multis alis concauus, supinus partim, partim erectus, subpurpureu, striatus, villosus, *flores* parui, lutei, spinis rubentibus ramosis, quas multa lanugo intercedit, obuallati: quibus subsunt squammata conformia capitula inter folia circumcirca ambientia posita: *semen* in iis continetur oblongum, subluteum, floccis appensum: insigni amarore tota planta est prædita.

Descriptio

Hunc circa Carduum magni Medici grauiter lapsi sunt. Quorum quidam hanc herbam esse alteram Cnici siluestris speciem: quidam voluerunt eum per Atractylidem alteram hirsutiorem significari: quidam Acanthum satiuum esse statuerunt: alii verò Acanthium: nonnulli Scolymum fecerunt: quidam etiam Crassulam mediam: Senetionem & Chamæleonem, teste Dorsthenio, crediderunt, à quibus herbis singulis multis partibus discrepat.

Aequiuoca

Cnicus silu. Atractylis Acanthus satiuus Acanthium Scolymus. Crassula media. Senecio.

Cnici siluestris alteram speciem esse Carduum benedictum, non sine graui lapsu crediderunt Ruell. Matth. Aduers. Lobelii, & Apollo.

Chamæleo.

Credidit namque Ruellius lib. 3. cap. 56. Atractylidem alteram hirsutiorem, seu alteram Cnici syluestris speciem [ambas namque has lib. 4. cap. 155. inter se confundit, easdemque indicat] eam esse stirpem quæ Carduus benedictus, vel sanctus appellatur. Eamque opinionem haudquaquam improbandam censet Matthiolus quandoquidem Carduus benedictus vocatus solo procumbit densâ foliorum comâ, & quodammodò humicaulis cernitur, quinetiam fructum gignit amarum, barbæque modo hirsutum: & caules profert Sonchi modo rubentes. Quem Benedictum, seu fœlicitatum Carduum plebeius consensus nuncupauit, alteram Cnici speciem esse iamdiu doctis, & mihi (ait Lob. in Aduers.) persuasum est. Apollo rad. in Elect. Hamech, Lobelio & Matth. & Ruell. subscribit his verbis, Spinam albam quidam faciunt Carduum bene-

Carduus fœlicitatus.

dictum, id est, secundam Cnici siluestris speciem.

Atractylis hirsutior Dod. gall. & lat. Atractylis & Cnicus silu. 2. Theophrasti, secundùm Anguillaræ opinionem, nihil aliud est, quàm Carduus sanctus. Hic à Dodon. gall. inscribitur Atractilis hirsutior, Atractilidisque species sit Plinij & Theophrasti. Latinus etiam, quæ de Atractylide Theophr. tradidit, Carduo benedicto adesse credit. Gesn. hort. Atractylidem hirsutiorem Fuchsij, Cnicum, & Atractylidem Siluestrem cum quibusdam vocat, ac de genere Cnici agrestis cum Fracastorio lib. de cont. 3. cap. 3. esse scribit. Idem fecit & Fuchs. Hist. cap. 42. vbi Atractylidem hirsutiorem, inscribit, ac gall. *saffran sauuage houssu* vocat.

Acanthus Lonic. Lonic. in Diosc. lib. 3. cap. 17. Acantham appellat, & Acanthum, Acanthesypopiam, id est, Acanthum topiarium, eiúsque meminisse scribit Theocritum Idyll. 1. & Galenum.

Licèt autem illi Carduum benedictum Atractylidis speciem hirsutam esse statuant, Ruellium secuti, attamen Tragus lib. 2. cap. 114. Acanthum germanicam appellare maluit. Acanthum autem Germanicam, Acanthum satiuam à Dioscoride Herpacantham vocatam esse sibi persuadet. Ego nusquam Carduum Benedictum vocare Dioscoridis Herpacantham: siquidem nomen illud meliùs conuenit Brancæ vrsinæ, quæ repit & serpit, quàm Carduo benedicto annuæ plantæ, quæ non repit.

Acant. german. Trag. & Herpacantha Trag. notatur.

Tragum sequitur Hatchius in Enchir. med. duos faciens Acanthos satiuos, quod non placet. Carduus, inquit, Benedictus, Carduncellus quibusdam, sunt qui mollem seu Germanicum Acanthum, siue satiuum quem Diosc. Herpacantham & Melamphyllon nominare videtur, esse existiment. Acanthus German. quem nonnulli Carduum benedictum esse volunt.

Acanthium. Carduum Benedictum Acanthium facere sequentes authores, patefaciunt eorum dicta. Atractylis (inquit Fernel. meth. lib. 5. cap. 21.) hirsutior quibusdam, aliis Acanthium, Carduus benedictus. Lonic. lib. 5. cap. 25. Carduus benedictus, Acanthium. Multi se torquent, ait Ryff. lib. 1. cap. 12. in thesaur. pharm. germanica, vt Cardui benedicti nomen inueniant apud veteres Græcos & Latinos, si non sit Acanthium aut genus Chamæleontis, relinquam cum consueto nomine. Acanthium, inquit Cord. in Diosc. lib. 3. c. 18. est sine dubio Carduus benedictus, quem Pharmacopolæ Itali Carduncellum vocat. Idem lib. 4. cap. 190. ait. Alterum silu. Cnicum siue Cnecum siue Cnecum Theophr. lib. 6. cap. 4. Diosc. & alij Græci Acanthij nomine indicant.

Chamæleo.

Carduncellus Italor.

Acanthium non videtur Agricolæ. An verò sit Carduus benedictus, Acanthium dubitat Io. Agricola, vt & Cronemburgius, dicens de comp. med. lib. 8. de oleo Hyperici. Carduum benedictum Syluius maluit Acanthium aut Chamæleontis speciem existimare, cuius iudicium hîc probare nequeo, cum Græcorum pariter ac Latinorum repugnet.

Cnicus agrestis Andernaci. Andernaco. *Cnicus agrestis.* Lob. Obs. p. 484. Icon. Plant. Fom. .... Tabern. Icon. & Histor. Camer. hort. Brunfels. Lacunæ, Dod. Lat. in fol. Cast. Lugdunensi, Theod. Dorst. & C. Bauh. apud Matth. *Carduus benedictus.* Cæsalp. *Carduus sanctus.*

Nomina linguarum. Carduus benedictus dicitur Germ. Gesegneter distel / Bornwurtz Apollinari (qui vires hoc nomine adscribit,) klein Creutz wurtz Dorst. & Cardobenedict, quarum postrema vox etiam Belgis innotuit: Gall. *Chardon benoist ou benit*: Ital. *Cardo benedetto, Cardo sancto*, siue *Herba turca*: Hisp. *Cardo sancto*. Boh. Fard benedykt: Hung. Papa fu, id est, Herba Papæ: in Lemno *Gaideracantha* dictione corrupta, teste Bellonio, id est, Spina alba.

Locus & tempus. Carduus Benedictus prouenit passim in hortis transfluit, e. in Hortū E. C. nec vsquam reperi spōtè prouenienté, licet in variarū regionū hortis obseruauerim vt Basileæ, Monspelij, Lugduni, Patauij, Bononiæ & Geneuæ, florentem adhuc & pulchrè ac copiosè virenté mense Decembri ex semine deciduo. In Lemno Mediterranei maris insula locis campestribus nullâ adhibitâ culturâ frequens occurrit Petro Bellonio teste; apud Germanos & Belgas, tum & Italos ac Gallos studiosè in hortis colitur. Iulio ac Augusto floret, quo tempore ad medicinæ vsum maximè colligendus ac reponendus est.

Vires. Tradunt, vt testis est Tragus, Carduum benedictum primùm omnium ex India ad inuictissimum Imperatorem Fridericum ante annos aliquot honoris gratiâ missum, mirisque laudibus celebratum, vt qui in cibo & potu vsurpatus ab immerso illo præseruet capitis dolore, quem Græci ἡμικρανίαν, Germ. den Nagel, hoc est, Clauū, quòd in eiusmodi morbo tantus caput tentet dolor, vt clauus inter oculos (nam suprà illos maximè grassatur) impactus videatur. Eadem planta in cibo & potu vsurpata, contra vertiginem valere, memoriam bonam facere, & amissum auditum restaurare, fertur. Folia Cardui benedicti in puluerem redacta, ac ex vino pota, pituitam malósque humores absumunt, maximè si ex illis pilulæ, vt vocant, conficiantur. Eadem vsurpata vitia pectoris & sanguinem purgant, phthisicis prosunt. Folia vino decocta & calida pota, tormina sedant, sudoréque eliciunt, calculos comminuunt, menses promouent. Foliorum puluis mensura Nucis juglandis corticis cum vino potus, aduersus pestem ne noceat præsentissimum est remedium, si intra spatium 24. horarum quem corripuisset: idem præstant folia in vino decocta & pota. Puluis prædictus & decoctum his exhiberi debent, qui putridis febribus ventriculi & quartanâ laborant. Sunt qui puluerem foliorum aut decoctum succúmve omni veneno hausto aduersari testentur, asserentes puellam quandam Pauiæ, cùm venenum inscia in pomo quodam sumpsisset, adeò intumuisse, vt nec theriaca, nec alio quouis antidoto curari potuerit, tandem verò aqua Cardui benedicti destillatâ sumptâ periculo omni & veneno liberatam: nonnulli etiam referunt serpentem, cùm puero cuidam in agro dormienti per os irrepsisset; aqua Cardui benedicti destillata per inferiora quamprimùm secessisse, puerúmque incolumen omníque periculo liberum superuixisse. Cardui benedicti aqua destillata, oculis indita, rubedinem & pruritum illorum iuuat: idem de succo intelligas velim. Folia tusa & imposita ambustis igni, ac anthraci prosunt: eadem & aqua stillatitia potest. Folia adhæc tusa & imposita Scorpionum & Serpentum ictibus medentur. Aduersus cancrum aliáque maligna & putrida vlcera vix aliud Cardui benedicti foliis, succo, decocto, aut aqua destillata est præstantius remedium: ac tradunt nonnulli maxima mala vitiaque hoc pacto sanata fuisse, imprimis verò testantur iis mulierem quandam, cuius mammæ cancro

Dolor capitis, Hemicrania.

Vertigo.

Pituitam ducit.

Pastoris gesta. Sudorem mouet. Pestis.

Febres putridæ.

Venenum.

Oculi.

Vlcera putrida.

cancro ad costas vsque absumptæ fuerant, aquâ destillatâ & puluere foliorum inspersio mundatâ & sanatam fuisse. Vaporationes, fomenta, desessiones, & balnea sudatoria, calculis & mensibus eliciendis, ex Carduo benedicto parari ac confici rectè possunt. Matthiolus comitialibus infantibus exhibet eius decoctum, aut stillatitiam aquam, aut pulueris drachmam. Herba tam recens quàm sicca, & pota & admota exteriùs, contumacia vlcera, & quæ cacoëthe vocantur, sanat, cutéque obducit: quamobrem decoctis miscetur quæ è ligno Guaiaco ex vino, & aqua iis parantur, quos lues Gallica corripuit: Florum autem pappi vulneribus impositi, ea sine dolore sanant: ex foliis cum musto cataplasma tumores mox discutit pudendorum: Testatur Arnoldus de Villa noua cap. 44. Practicæ, vidisse se quendam, cui ex putridis & cauis vlceribus erosa fuerit ad ossa vsque caro omnis tibiarum, quique bona omnia in curationem frustra expenderit, has tandem ratione sanatum: recentia Cardui benedicti folia contusa cum vino generoso discoquebat, additaque postea liquefacta porci axungia, ebullire sinebat, tandem iniecta farina triticea, continuò spathula agitabat quoad omnia in emplastri consistentiam coalescerent, quod calidum bis quotidie vlceribus imponebat. Auctor est Camerarius aquam Cardui benedicti vitreis organis, iterata destillatione, eximium esse surdastris remedium, si calida auri instillatur. Plurimum verò tribuit si in remedia contra luem venerea n addatur, sic vt extractum eius non parum in eum vsum sit efficax: ex succo syrupus, non tantùm in peste, verùm etiam in aliis ventriculi & iecinoris imbecillitatibus apprimè vtilis est, nec non in colicis cruciatibus. Succi ex tota planta expressi inspissatique præcipua laus ad menses ciendos. Cardui Benedicti planta magni vbique vsus contra putridos & malignos morbos. Extractum vtile in morbo Gallico, palpitatione cordis & in quartana. Aqua eius cum aqua Cuscutæ & Ligustici in faciei rubedine vtilis est. Per se etiam, vt placet Io Matthæo, multùm confert, quando singulis diebus tres, vel quatuor vnciæ cum sex vel septem guttulis spiritus vitrioli vacuo ventriculo ægris peste correptis exhibentur. Accipit D. Deckler in Leipsiæ ad febres folia tenella è medio Cardui benedicti exsiccata, in puluerem redigit, de eo ter vesperi sumendum cum vino calido propinat. Et hoc tanquam secretum iactat Io. de Monte de Experientiis. Ex siccis foliis, cum pauco Cinnamomo, Fœniculo & Sacchatro puluerem parat seu tragæam Gesnerus, qua vtitur cum pauco pane tosto madente vino, manè vel à cœna. Hanc & lumbricos pellere, & valetudini in vniuersum, vt sperat, conferre testatur. In liquore stillatitio ad arthritidem vtitur cineribus Cardui benedicti Francisc. Indiæ de Gutta. Cardui benedicti effectum mirabilem cum Centaurio in expellendis renis vide cap. de Centaur. ex Schenckij obseruatione. Veluti autem amara vehementer Cardui huius herba est, ita quoque excalfaciens ac resiccans ordine secundo, & simul expurgans, aperiens, abstergens & digerens.

Menses mouet.
Morb. comitiales.
Carcino
Vulnera.
Tumores
Surditas
Lues Venerea.
Syrupus.
Extractum
Lumbrici
Arthritis
Reins
Temperamentum.

CARTAMVS SIVE CNICVS.

CAP. XV.

Descriptio

TEreti surgit *caule* singularique Carthamus, qui superiùs in ramos diuiditur: *foliis* per caulem ramosque indigesta, neruosa, glabra, breuibus spinulis per ambitum dupata, sescunciâ aut vncias duas longa, vnciam ferè lata, in acumen desinentia, angustâ ceruice ramis adhærêt. ramulorũ extremis insidẽt *capita*, inter folia, squammata, è quibus *flores* explicantur staminei, saturo crocei rubore tincti: *semen* pappo adhæret oblongum, album, medullâ dulci albâ.



Cnico Dioscor. folia attribuit oblonga, per ambitum diuisa, aspera [τραχία, ωαχέα Matth. crassa, & rectè: nulla enim in foliis asperitas] aculeata: caules cubitales, in quibus capita ad magnitudinem summorum Oleæ germinum: florem Croco similem: semen album aut fuluum, oblongum, angulosum. Non laborauit hoc in loco Dioscor. Cnici differentias annotare, siquidem vnam tantùm speciem describit, & tamen inquit constare semine candido, interdum ruffo. Non distinguit, inquam, satiuum à siluestri, sed simpliciter Cnicum vocat: videtur autem Dioscorides Cnicum ruffum vocare genus syluestre, quod & ex descriptione foliorum significatur: nam folia oblonga, incisa, aspera, & spinosa nequaquam conueniunt domestico.

Cnicus Diosc.
Diosc. notatur.

Fructum inquit Theophrastus aculeatum, ac veluti retorridum fert: florem vnà cum seminibus ipsis edit: folia illi sunt aculeata: multis caulibus constat, & ramos fundit: siluestri, vrbanoque describitur.

Cnicus Theoph.

Plinius celebrari apud Ægyptios scribit Cnicon, Italiæ ignotam, ipsis autem oleo non cibo gratam: hoc faciunt ex semine eius, differentia prima siluestris & satiuæ: syluestrium [vt Theophrasto] duæ species: vna mitior est, simili caule, tamen rigido [quam ille vrbanæ admodum similem dicit] itaque & colu antiquæ mulieres vtebantur, exilis, quam quidam Atractylida vocant: semen eius candidum, & grande, amarum: Sed Plinius iis verbis potiùs domesticum demonstrat, quàm syluestre, & quia mitior, & quia semen candidum.

Mesues Carthamum vocat inter purgantia, quo nomine hodie vtitur: tradés esse domesticũ syluestrem: assumi ad purgationes domesticum, eligi semen album, lene, crassum & planum cuius medulla vnctuosa, pinguis, & cortex tenuis: & melior flos est, qui est sicut pili Croci.

Theophrasto & Plinio, inquit Dodonæus, est vrbana & satina, ad differentiam Atractylidis, quam siluestrem Crocum faciant.

De Cartamo quod asserit Tragus, Serapio duo scripsit capita nimirum centesimum vigesimum sextum de Churtal, & ducentesimum secundum de Cartam. Sed fallitur Tragus, Caput enim Serapionis 126. est de Auena scriptum, cuius titulum

Chuttal malè interpres Cartamum reddunt.

Synon. Dicitur *Cnicus* Matthiolo. Dodon. gall. & fol. Cordo in Diosc. Lacun. Castor.& Lonicero. *Cnecus*, Turn. Gesn. hort. *Cnicus satiuus*, Cordo in histor. Cæsalp. *cnicus satiuus Theophrasti*, Lob. Obs. p. 488. Icon. Plant. Tom. 2. pag. 19. *Cartamus*, Brunfels. Fuchs. Lob. Aduers. *Carthamus* Camerario. *Cnicus vulgaris* Clusio. *Cnicus flore luteo* C. Bauh. apud Matth.

Nomina linguarum. Κνῖκος ἢ κνῆκος Græci: Latini similiter Cnicum & Cnecum vocant, Officinæ Mauritanos secutæ Carthamum & Cartamum absque aspiratione, nonnulli Crocum seu Cnicum hortensem, Crocum campestrem, & Croci Saracenicum: Germ. wild Saffran; & cum Belg. wilden garden Saffran/distel Saffran, feld Saffran: Galli *Saffran bastard* vel *sauuage* & *Grain de perroquet*, quòd eius semine Psittacos alere soleant. Ital. *Zaffarano Saracinesco* & Hisp. *Alasor*, *Alafran saluage* & *semente de Papagaios*, quasi Psittaci semen, quòd sc. auidissimè hoc velci soleant. Angli Bastart Saffron vocant. Carthamum Hungari appellant, Tot saffrany, h. e. Sclauonicum Crocum.

Crocus. Crocum quidem hæ Nationes, vt puto, appellant, quòd eius flore plærumque Croci loco rura vtantur. Cartamum autem vocant Officinæ, à voce Mauritanica, quæ est kartam, vel vt vult C. Bauh. ἀπὸ τοῦ καθαίρειν, à purgando. Cartamum. Etymo. Cartamum tamen propriè semen vocari, Cnicum verò plantam placet Fallopio. Sed & eodem authore semen, semen Croci hortulani, & Venetiis semen Papagalli vocatur, ob rationem dictam. Monendus autem est lector meminerit aliud esse *cardamum* per d scriptum, & Nasturtium significare.

Locus & Tempus. Cartamum siue Cnicum vidi Lugduni in hortis & Geneuæ vt in horto Moleti Pharmacopœi, Basileæ, Montbelgardi satus in horto E.C. facilè prouenit, verùm semen non ita plenum medulla. Seritur nonnullis Italiæ, Hispaniæ, & Galliæ in hortis & agris. Plinius lib. 25. cap. 15. Italiam Vespasiani principatu hanc ignorasse ait, & in sola Ægypto celebrem, ipsis autem oleo non cibo gratam: Floret Iulio & Augusto, semen interea perficitur, & eodem quo seritur anno, exinde inarescit. Quicquid porrò de exterarum regionũ fertilitate prædicetur, certè & Germania suas opes quas solum nostrum fundit, ostentare potest, & non minùs quam aliæ nationes de variis Dei donis gloriari. Habemus autem inter cætera & Cartamum qui tanta copia apud nos prouenit, vt mercaturâ admodum celebri & magna hinc inde distrahatur. Quo fit vt cùm quæstuosa sit planta, ab hortulanis Argentinensibus & Spirensibus quotannis inter æstiuas fruges seratur.

Satio. Sationis verò hic apud illos obseruatur ritus. Aprili mense semina Cartami ex ordine panguntur, quæ inter paucos dies à satu erumpere solent, licèt dulcia illa semina testaceo quasi cortice operta sint: postquam è terra erupêre, breui deinceps tempore in altum tendunt, caulesque emittunt: qui capitula ferunt quæ Iulio mense in florem sese explicant, quem è capitulis aculeatis hortulani euellunt ac postea vendunt. Augusto mense semen lapidosum inter candidam lanuginem positum maturatur, ex quo Cartamus quotannis reuiuiscit.

Flore, authore Dioscoride, in obsoniis vtuntur. Purgat. Offula. Seminis tusi & expressi succus, cum aqua mulsa, vel iure gallinacei aluum purgat, sed stomacho aduersatur: ex eo autem fiunt offulæ, quas placentulas vocant, adiectis succo Amygdalis, Nitro, Aniso, & melle decocto, quæ aluum emolliunt: hæ in partes quatuor finduntur, quæ Nucis iuglandis magnitudinem impleant: è quibus ante cœnam duas vel tres sumpsisse satis est: Dosis. ratio temperandi hæc est: Cnici candidi sextarius, Amygdalorum tostorum & delibratorum Cyathi tres, Anisi sextarius vnus, aphronitri drachma vna, cum carnibus triginta caryearum. Correctio. Seminis succus lac cogit, & magis ipsum resoluendæ alui facultate donat. Galenus ad purgatiodes Cnici semine duntaxat vtitur, & ad tertium vsque ordinem excalfacientium esse scribit, si quis foris eo vti volet. Succus lac cogit. A quo dissentit Mesuæus, cui si credimus, calfacit ordine primo, siccat secundo, agrestis tamen calidior & siccior: minùs flos pituitam & aquas vomitu & dejectione vacuat sumptus & clystere iniectus: ob id morbis inde natis, vt colico affectui & similibus confert: thoracem quoque & pulmonem expurgat, prælertim eclegmate sequente & oleo suo: vnde & vocem claram reddit: sperma quoque vsu auget, sed alimentum est prauum. Temperamentum Gal. & Mesues. Colica. Pectus. Stomacho valdè noxium, in eóque & mammis lac dicitur cogere, fastidiendum ac nauseabundum est, & cõturbans, facultate est Lactariarum plantarum, sed remissa: terget, aperit, etiam flore cum mulsa icterum sanante. Noxa. Ne ventriculum lædat, ei misce stomachica Anisum, Galangam, Mastichen, acria verò, vt Cardamomum, Zinziber, Sal panis, Sal gemmæ, addita, actionem ipsius celerant & intestinorum noxam prohibent. Icterus. Correctio. Sic medullæ eius drachmæ decem cum Cardamomi aureo vno in catapotia Ciceium magnitudine, redignuntur, quæ sufficienter purgant, Paulo auctore: eadem medulla panno ligata, Oxymeliti præcipuè Scillitico dum coquitur mersa, purgatoriũ id facit. R. Medullæ eiusdẽ aureos duodecim, Penidiorum aureos quatuor, Cardamomi, Zingiberis ana aureum vnum, cum melle forma bolos Nucis magnitudine, da vnum vel duos. Medulla eadem ex iure galli vel gallinæ cum specieb. prædictis cocta idem præstat Galeno. Oleum ex eo semine, vt Amygdalis & balano myrepsica, extrahitur: datur à ℥iij ad aureos quinque. Oleũ ex semine. Flos à ʒj. ad aureos duos. Dosis. Semen tamen, vt ait Matthiolus, quod gratissimum est Psittacis alimentum, nihil penitùs eos purgat. Non desunt qui huius floribus Crocum adulterent. Prudenter monet Camerarius, nostratis Cnici semen non tam efficaciter purgare atque Alexandrinum, eàque propter, maiorem eius dosin parum sæpe efficere. Ex semine facta compositio Diacarthami insigniter confert hydropicis, si rectè paretur: Diacarthami vires. cuius cùm descriptiones extent plures, eam præfert Dodonæus, ceu genuinam, quæ apud Guidonem Chirurgum legitur Doctr. 1. Tract. 6. Pauperes, id attestante Trago, flosculis Cartami tusis, condimenti vice vtuntur, nec malè, cibos namque croceo colore commendant & aluum emolliunt: semen tusum ac in iure carnium aut Ciceris arietini bullitum ac potum, phlegma, lentósque ac viscosos humores trahit, non aliter atque Epithymum melancholicos. His floribus panni inficiuntur, & mulierculæ quoque in liniendis suis lectis ijs vtuntur.

CARTHAMVS SIVE CNICVS flore cæruleo.

Descriptio. CLusius hunc sic describit. Vnicus plerumque Alteri Cnico est caulis: interdum statim à radice



diuiditur in binos, ternos, aut quaternos ramos, cubitales, firmos & lignosos, perinde ac ipse caulis, nullis tamen, aut quàm paucissimis aliis ramis præditos: *folia* penè Cnici vulgaris, candidiora, paulò lõgiora, & pluribus venis distincta, *capitula* Cnici, è squamis, imbricum instar, sibi inuicem impositis, conflata, è quibus *flos* colore diuersus: nam luteus non est, sed ex multis staminibus cærulei coloris constat: *semen* Cnici semine minus & subrufum: *Radix* pollicaris crassitudinis est, carnosa, succulenta, foris fusca, non annua, vt vulgaris radix, sed aliquot annis interdum permanens.

Camer. hort. dicitur Carthamus siue Cnicus flore albido & cæruleo, perennis, sed à gelu acriore muniendus. Clus. Hisp. & Hist. post. l. 5. pag. 152. Cnicus alter flore cæruleo. Tabern. Icon. & Hist. Cnicus cæruleus blawer wilder Saffran. Lob. Obs. p. 488. Icon. Plant. Tom. 2. p. 19. Cnicus flore cæruleo, Cnicus alter Clusii.

Locus & Tempus. Circa Cordubam in segetibus inuentus à Clusio & agro Hispalensi florens Maio & Iunio. In Belgio verò Iulio & Augusto. Habemus & Mõtbelgardi in horto Ill. C. VV.

CARLINA SYLVESTRIS QVIBVSDAM, alijs Atractylis.

Descriptio.



Caule surgit plerumque singulari, albida lanugine obsito, cis fastigiũ in rectos aliquot ramos abeunte: *foliis* semipalmaribus & palmaribus, ac etiam maioribus duplò, aculeatis, laciniosis, crispis, infrà villosis, albidis, suprà viridantibus, nitidis, ab imo ad summũ densè stipato: *echini* laxa foliolorum spinosorum compage horrent, Iuglandis ferè magnitudine, è quibus nitor ille radiatorum *florum* aureo colore fulgentium, dilutiore, stamini sve arentis, emicat, exteriùs ad basin sanguine cruentatus: *stamina* verò media confertiora & mollicella maturæ messis aristis comparia: *radix* labe[illegible] lignosa Petroselini radici æqualis, fibris [illegible] donata. Dodon: acre est *semen*: H. Lugd. verò Cnici, strigosum & tenue scribit.

Spinosam hanc herbam suspicantur quidã esse Acarnam Theophrasti, vt H. Lugd. Cæsalp. Lob. Clus. & Dodonæus.

Acorna Cæsalp. Cæsalp. Acorna dicitur. Lobel. in Adu. Sequanorum Cirsium luteum vocat, ac an sit Acarna & Erysithal Theophr. in titulo dubitat, ac rursus in contextu affirmat, sibi inconstans. Figura etiam apud eum trãsposita est: est enim in Obs. p. 489. sic & in Icon. Plant. p. 20. nomine Cardui vulgatissimi viarum, Onopyxos Guillandini.

Carlina silv. Dod. Dod. gall. Carlina siluestris, *Carline sauuage*, Germ. drey distel, frawendistel, & Sewdistel / Belg. dreyedistel. Item Lat. in fol. p. 716. non ineptè Carlina siluestris dicitur: nam flore Carlinam æmulatur, nec foliis valdè dissimilis est. Hanc autem esse *Ἄκορναν* tantò est difficilius affirmare, quò breuior de hac Theophr. est: Ait autem hãc Cneco vrbano similẽ, colore flauescentem, succo pinguem. Differt autẽ Acorna ab Acarna: Acarna siquidẽ, vt Hesychius ait, *δάφνη ἐστί*, siue Laurus est: Sed *Ἄκορνα ἀκανθῶδές φυτόν*, id est, spinosa stirps.

Acorna ab Acarna differentia cõtra Lugd. & Cæsalp. Acarna Laurus est. Atractylis seu Cartamus silv. Trago Superstitio. Tragus Atractylidem seu Cartamum siluestrẽ nominat, ac dicit. Aniculæ circa Festum Assumptionis, vt vocant, Mariæ, hoc genus Cardui teneri magno studio quærunt, suisque fagminibus. [ve plena sunt hodie omnia proh dolor! fœda superstitione] adiungunt, maximè verò eos expetunt in hoc genere Carduos, qui tres surculos, seu ramulos supra in vertice ostendunt, eosque vt præstantissimos cæteris anteponunt, vnde & nomen Germanicum dreydistel / quasi dicas Carduũ triũ surculorum, deriuatum fuit. Vocant verò & frawen distel, quòd vna cum cæteris fagminalibus herbis die Mariæ Virgini sacro in templis consecrari soleant. Sunt nonnulli qui Germanica voce Sewdistel, h. e. Carduum suarium nuncupatum velint. Quod verò in Diosc. nomen habeat, mihi non satis constat, nisi sit *πρασῶδες ἄγρια* Dioscor. l. b. 3. c. 55 quod Ruellius quoque lib. 3. de natura stirpium c. 55. sensit fusum, seu colum agrestem, & Cartamum syluestrem appellans. *Carduus suarius. Fusus seu colus agrestis.*

Lonic. notatur. Loniceri figura l. 5. c. 24. sub sequentib. nominibus posita nõ placet. Wilder feld Saffran, oder dreydistel. Atractylis, vel Cnicus siluestris, Fusus agrestis, Colus rustica. Gall. *Saffran sauuage, doulx.*

Card. Vulgaris Mattheolus Scolymus silu. Camer. Matth. reprob. Matth. in Diosc. in cõmm. cum mag. fig. lat. & Ital. plantam, de qua hîc agimus, pingit pro Carduo vulgari: In Hist. germ. cum addit. Camerarii, pro Scolymo siluestri, Edlen hårle / Matthiolus egregius commentator in suis com m. posuit suo more figuram cum solo titulo: in Hist. germ. mutato titulo addit imperfectam descriptionem, quam an contulerit cum planta, priusquam depinxerit, vel addiderit interpres, nescio. Glossatores & Patrocinatores nullam ipsi adferunt lucem. Camerarius aliam habet huius plantæ figuram, quam in Epit. omisit. *Camer. & C. Bauh. notantur.*

Atractylis media Ges. Atract. vulg. Fuchs. Gesn. hort. Atractylis media, Kreichio Cardui quoddam genus, quod multi Atractylidem putarunt. Pingitur à Fuchsio pro Atractyli vulgari mitiori. Hanc propriè Græci Atractylida, Latini verò Fusum agrestem, aut colum rusticam, quòd eius caule rigido admodum & exili, veteres mulieres pro colo, vt dictum est, vtebantur, nominabant. Sunt qui Cartamum syluestrem appel- *Cartam. silv.* lãt: Germanicè itaque vocetur [wilder feld Saffran] Gall. *Vne espece de Chardon ayant la feuille saine, ou Saffran bastard*, vt hac ratione discernatur à Cnico, quem aliqui Cartamum, & crocum hortensem nominant.

Tabern. icon. & Histor. dicitur Heracantha drewdistel.

Locus & tempus. Carduus Dodonæo dictus Carlina sylvestris circa Montembelgardum copiosè prouenit vt colle extra hortum E.C.& aliis locis: Geneuæ in monte *Saleue*, Basileæ vidi virentem mense Octobri & florentem Augusto inter portam Stein & Eschen extra muros.

Vsus. Viennenses Rhizothomæ Saffraut nominant ab effectu, quia non modò illius siccæ siue recentis gestatione, sed etiam intuitu, den sat [sitim & faucium accensionem ex nimia crapula & bilis regurgitatione ortam esse putat Clusius] sisti, vulgus istic sibi persuadet, & experimento probatum asserit. Certè aliquando obseruauit, Nobilium virorum famulos in equis heris suis præeuntes, huius herbam in pileis gestantes, vt perpetuò nimirum illam heri in conspectu haberent, & si corriperentur eo vitio ab illo liberarentur.

CARDVVS CARLINA MINOR SYLV. Clusij, flore luteo.

Descriptio. Palmi altitudinem non superat *cauliculo* tenui, vnico, canâ lanugine obsito: *folia* carlinæ siluestris vulgaris foliorum æmula, minora, incana, spinis horrida: summo cauliculi fastigio bina vt plurimùm fert *capitula* spinosa (nonnunquam etiã in alis) in quibus *flos* luteus orbem oculi imitans, media lanugine pallida, quã ambiunt rigidiuscula & exsucca foliola, coloris flaui: *radix* tenuis, rufescens viuax non est, sed singulis annis perit.



Carlina silu. minor. Sequanorum Cirsij varietas. Clus. Hisp. [descript. auctori] & Hist. post. Carlina sylu. minor. Lob. Obs. p. 485. vbi Clusij figura Acarnæ siue Sequanorum Cirsij (Carlinæ ve addit in Icon. Tom. 2. p. 15.) varietas. Hist. Lugd. p. 1484. Carlina sylu. Clusij quoad titulum & descriptionem, Icon est Carlinæ sylu. vulgaris. Cam. in Matthioli Histor. germ. Carlina paruam Clusij, Dod. lat. in fol. pag. 717. & Ponæ in Baldo. Carlina sylu. minor Clusio. Tabern. icon. & Hist. Carlina silu. Clusij, Klein wild Carlina oder Eberwurtz.

Locus & Tempus. Nusquam hanc inueniebat Clusius, quàm in aridis quibusdam petrosisque & desertis circa Salmanticensem vrbem locis, promiscuè nascentem, Augusto mense florentem.

ATRACTYLIS VETERIBVS ET in genere. CAP. XVI.

Atractylis Theoph. Hanc Theophrastus de plantarum Historia pluribus locis tradit, ac primo lib. 6. cap. 4. inter genera agrestis Cnici eam recenset. Vocatur, inquit, & quædam Atractylis [Fusus agrestis, Gaza] candidior his [Cnico & Acarna:] cuius folium priuatim id habet, vt auulsum, carnique confricatum, sanguineum reddat succum. Eámque ob causam Phonum, id est, cædem [cruorem Gaza] aliqui Spinam hanc vocant. Habet præterea grauem & sanguinis in cæde odorem, nec nisi per Autumnum fructum absoluit. Idem lib. 9. à principio statim de liquore succóque plantarum & eius diuersitate agens, sanguineum succum Atractylidi [Agresti fuso, Gaza] tribuit. — *Fusus Gaza. Theoph. illustratum. Phonum. Cades Cruor.*

Atractylis Diosc. Atractylis, authore Dioscoride, spina est Cnico similis, sed quæ in summis virgultis *folia* multò longiora [μακρότερα, minora μικρότερα Oribas.] proferat: maior autem pars nuda est & aspera, qua etiam fœminæ pro colu vtuntur. Capitula [κεφάλια, Goupylus in vtroque exempl. legit κόμην, comam] etiam gerit in cacumine aculeata: *florémque* pallidum (Ald. in nothis, ἐνίοις δὲ πάνυ πορφυρᾶν, quæ verba Marcell. & Ruellius interpretantur, quibusdam verò locis purpureum: *radix* tenuis est atque inutilis (ἄχρηστος, & non superuacua vt Sarracenus reddidit. Huius folia, coma & semen trita potáque cum Pipere ac vino à Scorpione percussis succurrunt. Tradunt & nonnulli percussos, quamdiu herbam illam tenuerint, cruciatum non sentire, sed illâ depositâ statim sentire. — *Sarracenus not.*

Nomina spuria. Menstrua purgatio. Atractylida sunt qui Amyron [Ascyron Marcell.] qui Cnicum siluestrem, qui Aspidium. Magi Aphedron, hoc est, Menstruam purgationem, vocent, fortè à sanguineo succo, quem foliâ confricata reddere dicuntur. Et hac ratione Theophrasto φόνος, id est, cruor, Aetio, αἱμόρρουν appellatur: quoniam & illa sanguineo succo est, vt certiùs in ea docebitur. Sunt etiam qui Thelatrisum, Ægyptij Cheno, Romani præsepium, aliqui Fusum agrestem, alij Colum rusticam appellent. Cur autem præsepium (modò integra ea vox sit) Romani eam vocarint, incertum esse scribit Marcellus. Cur autem Colum rusticam & agrestem Fusum, ex herbæ figura factum esse, quæ in maiore altitudine Colum, in minore Fusos rusticis fœminis dederit ad lanificium quibus diu sine opere, humanóque artificio nascentibus quotannis vsa vbique vita est. Sed postquam natæ & tractatæ in vrbibus artes sunt, quæ omnia vrbanis elegantiora facerent, neglectis rusticis fusis & colo, Buxus, Ebur, & Argentum in matronali lanificio amari cœptum est: & ad vitæ delitias, fortunæque opes translatum, quod solam sedulitatem sibi exigebat. Non tamen exclusa penitus & in muliebri opere damnata natura est. Sed antiquum retinet in agro honorem Atractylis: & quem quondam in omnibus habuerat vsum in rustica muliebri plebe adhuc habet: quæ vt rudi adhuc seculo: nec exculta artibus vita ab omnibus fiebat: fusorum genere hoc natura tamen eos porrigente aliquibus locis vtitur. Vtinam qui Eburneam milesiam colum scripto priuatim carmine Theagenidi amici Niciæ vxori laudatam donauit Theocritus pastorali & bucolico carmine de aliquo, idem agrestem hanc descripsisset. Et quam ipse humano opere factam tantopere celebrauit, in siluis inuentam Amaryllidi à pastore donatam finxisset, &c. — *Præsepium. Colus siue fusus rustica.*

Atractylis Æginetæ. Atractylidem numerauit Æginetalib. 1. inter Olera, Carduísque coniunxit.

Plinius

Cnicus silv. Plin. Plinius l.21. c.25. de herbis Ægyptiis agens, ita scribit. Cnici siluestris vna species mitior est, simili caule, tamen rigido. Itaque & colu antiquæ mulieres vtebantur ex illis: Quare quidam Atractylida vocant: Semen eius candidum, grande, amarum. Idem de eadem libro eodem c.32. Nec de Cnico siue Atractylide verbosius dici par esset, Ægyptiâ herbâ, ni magnum contra venenata animalia præberet auxilium. Item aduersus fungos. Constat à Scorpione percussos, quamdiu teneant eam herbam, non sentire cruciatum.

Atractylis aut Cnicus siluestris, inquit Galenus, & ex eo Paulus, planta est ex spinosarum genere, habens vim siccandi & moderatè calidam.

Acquiuoca Quò Atractylis sit referenda, de qua loquitur Toxites in Onom. Philosoph. Cordus in Diosc. l.3. c.107. & lib.4. c.190. Rob. Const. in Lexico, Apollo rad. 1. in Diacassia cum foliis Senæ, Fernel. m.m. lib. 6. cap. 14. Gesn. in cat. plant. Bacchan. in Cons. Dauid Kyb. in Lex. & Helfric. in nomencl. 2. c.23. vbi aliquot plantas simul confundit, perpendant lectores. Videntur nobis Atractylida Veterum intelligere, quam sibi incognitam fatetur Brunfels. in exeg. in Dioscor. lib.3. Tom.2. p.118.

Cartamus silv. Est Cornario Atractylis ea herba, quam officinas ait Cartamum siluestrem, Germanos verò wilder feld Saffran appellare. Sed existimo *Corn. notatur.* Cornarium nescire quid sit Atractylis. Non enim vulgaris est Germaniæ, nec nouimus plantam, *Carlina silv.* quæ dicatur wilder feld Saffran / nisi intelligat Carlinam minorem quorundam, verùm ea non meretur nomen Croci.

Carduus benedictus. Sunt qui Atractylida credant eam esse plantam, quæ Carduus benedictus vulgò dicitur, in qua quidem sententia non permanerent (inquit Marantha lib.2. c.10.) si foliorum situm non parui fecissent. Habet enim Atractylis folia in summis virgis, cæterò magna ex parte nuda existens. At Carduus ille, per caules folia profert.

Atractylis purpurea quorundam Atractylis purpurea Bononiensis tractus Atractylis Veterum esse non potest, quia non reddit succum sanguineum.

Atractylis marina cognominata, quam Pena apud Hist. Lugd. lib.14. cap.13. Pycnocomon appellat, est Carduus, qui Spina lutea dicitur.

Spina lutea. Siler. Quam Siler, alii Siluum, alii Fusaginem, Theophrastus Euonymum appellasse videtur, fortè meliùs, vt Cæsalpino videtur, Atractylis dicenda esset, à fuso, quàm spinosa herba in genere Cnici Phonos appellata à Theophrasto.

Acarna. Acarna Theophrasto videtur genus quoddam Atractylidis. Mirum autem Tragum lib.2. cap. 166. dicere suum Carduum fullonium tertium posse ad Atractylidis aliquod genus referri. Est *Virga pastoris* nobis Virga pastoris. Anemone Lonicero in *Anemone in genere.* Diosc. Gesn. in ascrip. Diosc. & Tabern. cognominatur Atractylis.

An chamæmelum eranth. quorundam An Tragi lib.1. cap.41. ἄνθεμον γένος aut nigra Dioscoridis, quam Atractylida inibi Tragus cognominat, est Chamæmelum eranthemum quorundam?

Atractylis vera flore luteo. Atractylidem tandem veram existimo, quam flore luteo frequentem Lugduni & quidem spontaneam inueni, de qua nunc dicendum.

ATRACTYLIS VERA FLORE LVTEO.

Descriptio Ex *radice* parua, nonnihil obliqua, *caulis* prodit singularis, striatus, subhirsutus, medullâ



candidâ farctus subhirsutus, *foliis* alternatis vestitus, atrouirentibus, neruosis, in profundas & acutas spinosas lacinias dissectis, nullo donatis pediculo: supremus caulis in alas aliquot facessit, quarum extrema occupant *capita* foliolis lõgis mordacibus squammis compacta, iisque *flores*, qui staminei lutei in pappos resoluendi, superantibus.

Matth. notatur. Matth. in post. comm. Ital. cum mag. fig. l.3. c.101. figuram habet, ni fallor, huius Atractylidis malè expressam, sine descriptione. Ita vt meritò Lobelius in Aduersariis capite de Carduo benedicto in hæc verba prorumpat. Senensis suo more mordet, & nihil docet. Nam eius Attractylis nullis depicta aut asserta verbis iacet spectanda, non vt nos certiores, sed vt dubios reddat: parũ enim Diosc. descriptioni aut receptæ Atractylidi accedere videtur: vtrum verò illius silentium, an pictoris in exprimendo solæcismus & cacozelia inculanda sint, viderit lector. Fortè huc nullo delectu intrusa fuit, quia in penultimis illis commentariis abfuit, nec dum vlla certa, vt videtur, authori nota fuit. Ideò suo more, ne nihil ibi egisse videretur, velitandi ansam arripuit: ait Atractylidẽ non esse Carthami sylueſtris speciem, duntaxat, quòd argumento triuiali sanguineum succum non remittat, &c.

Matth. figura. Atractylis (inquit Camer. apud Matth. in Hist. germ. lib.3. c.14. & in horto) non est ita reflexis & curuis caulibus, vt Matthiolus pingit.

H. Lugd. 3. figura 4. De præsenti planta H. Lugd. l.4. in duobus capitibus scripsit. Ac in primo quidem capite sc.6. p.1450. eam ita inscripsit. Cnicus siluestris prior, Atractylis Dalechampii. In secundo capite, sc.13. eiusdẽ plantæ duas rursum exhibet figuras. Priorem videlicet p.1468. mutato titulo, qui sic habet: Atractylis. Item alteram malam p.1469. hac inscriptione: Atractylis quorundam Matthioli.

Synonyma. Ἀτρακτυλὶς Græcis, Latinis quoque, ceu Dodon. Gall. & Lat. Matth. in post. comm. It. cum mag. fig. lib.3. cap.101. Lobel. in Aduers. cui & Cnici siluestris species Dioscoridis, Galeni, Plinii, & Aetii suffragio, Obs. pag.483. Icon. Plant. Tom.2. pag.13. Lacunæ in Dioscorides (qui figuram habet, quæ placet.) Camer. in Hist. germ. & Epit. Matthioli. Bellon. Obs. lib.1. c.18. & Hort. Lusit. [qui wild Cardebenedickt vocat] Atractylis dicitur, quod eâ antiquæ mulieres pro fuso vterentur: ἄτρακτος enim fusum significat. Quare Gaza Fusum agrestem, alii Colum rusticam appellarunt. Vocatur etiam κνῆκος ἀγρία, Cnicus siluestris. Recentiores quidam siluestrem carthamum appellant, hoc est, Belgis wilden Carthamus. Nothæ verò voces ante dictæ sunt, quæ à nonnullis huic adscribuntur, ceu & facultates.



spatia quoque intericcta tota spinis horrét: singulis ramis *caput* insidet sphæricum, Cardui echinopi glomeri simile, sed spinosum.

Sphærocephalus max Cam. Camer.hort. Sphærocephalus maximus.

Card. sphæroceph. acutus Dod. Spina alba Lob. H.Lugdun. pag.1482. Carduus Sphærocephalus acutus Dodonæi.

Lob. Adu. ἄκανθα λευκή, Spina alba quam Bedeguaram Arabes vocant, nec tamen vllis notis notiorem faciunt Mesues aut Serapionis interpretes, &c. Non est hæc quam sibi missam olim Patauio Senensis dat: cæteris omnibus iugulatis sententiis, vt suam ambitiosè intruderet ridendis argumentis, & plus allaturis ad suam ipsius quàm ad aliorum refellendam. Obseru. pag. 481. Icon. Plant. Tom. 2. pag. 9. Spina alba. *Matth. reprob.*

Spina alba altera Matth. Matth.in comm. in Diosc. cum magnis fig. Lat. lib.3. cap.12. Spina alba altera, quam legitimam in contextu dicit, ac eius primo loco imaginem se exprimere ait, misisséque ad se Patauio Iac. Ant. Cortusum, quæ notis omnibus genuinam repræsentet. Siquidem foliis sit albo Chamæleoni similibus. In comm. Ital. cum mag. figur. inquit: Spina bianca. Spina alba si legitima prouenit in Italia non possum aliud affirmare, quàm eam esse, quam misit Cortusus. In lat.comm. transpositâ figurâ, quæ primo est loco debuit esse secundo, ponit solam imaginem sine descriptione præter repetitam frustrà ex Diosc. quam olim attribuebat alteri plantæ: existimo hanc plantam illi fuisse ex sola figura notam & tamen asserit legitimam suo more. *Matth. notator.*

Casp. Bauhin. apud Matth. Spina alba 1. Matthioli.

An Fuchsius de hac dicit in hist. vidimus herbam peregrinam siccam, quæ haud dubiè vera Spina alba erat? An Gesn. de coll. stirp. fol.109. Spina alba Dioscoridis, Cardui genus? An Carduus Leucanthemus Schvvenckfeldij sit Spina alba Aduersariorum?

Locus & Tempus. Spinæ albæ nomine fuit nobis datum Cardui semen quod in horto prouenit Geneuæ & ante Lugduni prouenerat etiam: in horto nostro, hiemem pertulit ac floruit Iulio. Obseruaui etiam Bizantij & Patauij tum in horto publico, tum in aliis.

ECHINOPVS MINOR.

Descriptio Digito minor est *radix*, rugosa, in plura capita fissa, ex quorum vnoquoque *caulis* vnus pullulat dodrantalis & longior, propter lanuginem densam totus albicans, ex quo prodeunt crebra alternata *folia*, quorum quædam parum cauli longitudine cedunt, alia vnciæ paulò ma-



iora, tenuissimè & ad costam vsque incisa, spinosa, infrà lanugine molli candidàque veluti & costa, pubescentia, supernè viridantia: summo caulis cacumini, sphæricum insidet capitulũ, minus quam Echinosi maioris, *flosculis* cyanei coloris glomeratum.

Camer.hort. Sphærocephalus annuus flore cæruleo in satis magnum globum redacto. Icon. p.45. Sphærocephalus annuus. *Sphærocep. albus Cam.*

Lob.in Adu. picturam habet Cardui cuiusdam huic plantæ correspondentem quem existimat Rutrum siue Ritrum Theophrasti secundum Anguillaram: verùm aliter se rem habere comperiet, qui eorum descriptionem vel ipsam plantam conferet cum Anguillaræ descriptione, Icon. Plant. Tom.2. pag.8. Ritro floribus cæruleis Aduers. pag.369. *Lob. taxatur. Ritro flo. cæruleo.*

Locus & tempus Hunc primò obseruaui inter Monspelium & Pereus. Est verò mihi nunc in horto E.C. annua planta quæ quo anno sata caules & flores profert Iulio & Augusto, & Septembri semina maturat, quibus deciduis perit, ac sequenti anno ex iis renouatur.

DIPSACVS EX VETERIBVS.

Cap. XIII.

Dipsacus Diosc. Diosc. locus variat. Dipsacus quoque aculeatarum stirpium generi à Dioscoride ascribitur. *Caulem* habet altum, spinis horridum & *folia* Lactucæ foliorum æmula, caulem amplectentia [περιλαμβάνοντα τὸν καυλόν, vet. caret] bina in singulis geniculis, prælõga, [προμήκη, sublonga ὑπομήκη vet.] quæ & ipsa aculeata sunt, ac ceu quasdam bullas in dorsi medio intus forísque spinosas habent: concauos autem sinus [κοιλίδας, in altero est κεῖλα, alij κοιλίας] qua parte folia illa copulantur, ad geniculum (τὰ περὶ τὸ γόνυ, addit vet.) quibus aquas ex rore & imbribus in sese colligunt (συλλέγουσι, vet. φυλάττουσι seruant,] vnde & Dipsaci quasi sitientis, nomen traxit. At in cacumine caulis singulis surculis singula insunt *capitula*, echino similia, oblonga & aculeata: quæ quidem arefacta candida spectantur, diuisa verò per longitudinem in media medulla vermiculos ostendunt. Huius *radix* è vino decocta tusàque, vsque dum cerati crassitudinem acquirat sedis rimas & fistulas immissa sanat. Verùm hoc medicamentum æneâ pyxide recondendum. Aiunt & ipsum myrmeciarum, verrucarúmque pensilium medelam esse. Cæterùm capitulorum vermiculi, folliculo illigati, & collo brachióve appensi febres quartanas curare perhibentur. *Vires*

Nomina spuria. Dipsacum alij inter spuria Dioscoridis Crocodilion vocant, alij Chamæleonem, alij Onocardion.

dion, alii Veneris lauacrum, Romani Veneris labrum, alii Veneris Carduum, Ægyptii Sesentor, alii Chir, alii Meles, Daci Sciaren.

Dipsacus Plinii. Dipsacum ita descripsit Plinius, vt multùm lucis Dioscor. afferat. Dipsacos, inquit, folia habet Lactucæ, bullas spinosas in dorsi medio, caulem duorum cubitorum, iisdem spinis horridum, genicula eius binis foliis amplectentibus, concauo alarum sinu, in quo subsistit ros salsus. In cacumine capitula sunt echinata spinis. Nascitur in aquosis. Sanat rimas sedis. Item fistulas decoctâ in vino radice, vsque dum sit crassitudo ceræ, vt possit in fistulas collyrium mitti. Item verrucas omnium generum.

Temperamentum ex Galeno. Galenus Dipsaci spinæ radicem secundo ordine siccare dicit, & quid extersorii habere.

Apulei error. Dipsacum cum Chamæleone albo confundit Apuleius. Siquidem Chamæleonis albi, curationes & virtutes Dipsaco attribuit. Dipsaco autem *Dips. nomina spuria.* præter paulò antè recensita nomina etiam hæc adscribit. Dipsacon quidam Græcorum nominant Cneoron, alii Meletam, Prophetæ Aphrodites lutron, alii calycem Cardiacon, Ægyptii Semmeor, alii Cinaram rusticam, alii Stasioron, alii Morariam, Hispani Analentidium, Ægyptii Gerbaste, alii Sapho.

Qui quidem Latinè labrum veneris & Carduus magnus appellatur, à similitudine quadam *Chamæleon* Chamæleon dictus est, sc. ad herbam quæ inter aculeatas propriè sic vocatur, Humelbergio teste. Sed & Crocodilii appellationis eadem ratio *Dipsacus* est. Dipsacus verò appellata est à siti, quam Græci δίψαν dicũt, vel quia humorem illum contra eam paratum semper habet, aut quia iuxta fontes & *Onocardion* locis humidis nascitur. Onocardii, id est, asinini Cardui, factum illi ex Græcia & Latina voce nomen, ὄνος enim asinus est. *Meleta.* Meleta dicta videtur *Aphrodites lutron.* à capitulorum figura, oblongiori instar pomi, quod Græci μῆλον dicunt. *Labrũ Veneris.* Aphrodites lutron, hoc est, vt inter Latinas appellationes habetur, labrum Veneris ἀφροδίτη enim Græcis Venus est, λουτρὸν verò vas aquarium quo in balneis ad lauanda corpora vtebantur, & quod Labrum Latinè dicitur: sunt tamen non solùm aquaria sic dicta vasa, sed olearia quoque & vinaria, in quæ *Calyx cardiacus.* oleum è cortina, & vinum è lacu transfertur. Calyx cardiacus appellata est à figura capitulorum quæ oblõga instar cordis existunt & baccæ rosaceæ, antequam tota aperiatur: καρδία enim Græcis cor est, κάλυξ verò rosæ baccam dum adhuc clausa est rosa, & omne putamen in quo aliquid includitur, significat. Quemadmodum porrò pro Chamælea Chamæleonem, sic etiam pro Cicere rustico Cinaram rusticam, id est, syluestrem, reponendum censuit Humelbergius, eò quòd spinæ albæ, quæ Cinara syluestris etiam dicitur, sit quodammodò similis.

Æquinoct. Dipsacus satiuus. Dipsacus sylv. siue Labrũ veneris. Illud nobis cum multis persuasum habemus Dipsacum Dioscoridis esse herbam quæ adhuc hodie Dipsaci satiui nomen à quamplurimis obtinuit. Huius Dipsaci est & alterum genus spontè proueniens, quod Dipsaco Dioscoridis nullis notis repugnare dicit Matthiolus. Quam benè videndum postea. *Dipsacus sylv. folio laciniato.* Dipsacum syluestrem folio laciniato, non visâ prius Tabern. figurâ descripsimus, ac ita inscripsimus. *Virga pastoris* Dipsacus, officinis & herbariorum vulgò Virga pastoris, non sine errore nominatur. Matthæus Syluaticus Pandectarum author, in grauiorem errorem lapsus *Polygonum.* Dipsacum cum Polygono turpiter confundis, qui quidem tantùm à Polygono differt, quantùm lepores ab vrsis. *Dictamno Cretico.* Dictamno Cretico, vt videre est lib. 28. Dipsaci nomen quoque adscribitur. *Aspalathi.* Dipsacon tandem etiam de Aspalatho dicitur.

DIPSACVS SATIVVS.



Descriptio DVorum aut trium cubitorum aut etiam maiorem altitudinem assequitur *caulis* pollicari, recto, rigido, multis alis concauo, striato, spinulis quibusdam horrente, *folia* bina opposita, ita continua inuicem sũt vt ea caulis transadigat & concauum labrum, excipiendæ aquæ efficiant, ampla, longa, non minùs caule horrida: *capitula* quæ pugnum impleant oblonga, vnciuatis hamulis rigidissimis, deorsum spectantibus minatia: inter quos *flosculi* emicant tubuli instar colore ex albo tantillùm purpurascente: *radice* verò nititur læui candida.

Dipsaci genera In omnium ferè stirpium genere, si Trago credimus, duo fastigia statuere licet, nimirum vt vnum satiuum, alterum verò siluestre aut erraticum dicatur. Id quod in hoc Carduo Dipsaco vel maximè locum habet. Est enim satiuus quem iam descripsi, & suæ spontis, de quo infrà verba faciam. Alii [vt Lonic.] in marem & fœminam Dipsacum distinguunt. *Dipsaci sexus Error Lonic. Error Pandect.* Sed error hic desumitur ex Pandectario, vt benè monent Monachi, dicentes: Pandectarius errans tribuit ansam pluribus iunioribus errandi. Quia in suo capite Dipseos duo capitula Serapionis immiscuit, scilicet capitulum 106. quod est de Carduo Dipsaco, scilicet Labro Veneris. & cap. 381. quod est de Virga pastoris, scilicet de Sanguinaria seu Polygono. Cuius erroris Pandectarium etiam arguunt Fuchsius & Matthiolus.

Card. fullonũ Trago Dipsacus autem satiuus dicitur Trago, Carduus Fullonum, Carduus Fullonius i. siue satiuus: Isque vna figura vtrumque comprehendit.

Labrũ veneris. Matth. Matthiol. in prioribus com. Dipsacus, siue labrum veneris: In postr. comm. cum magnis figur. Latinè & Italicè Labrum Veneris, siue Dipsacus: In Histor. german. cum addition. Camer. Dipsacus, Labrum Veneris, & Carduus fullonum: In Epitom. Labrum Veneris. Ait autem Matthiolus [& subscribit Agricol. Medic. herb.] in huius capitibus reperiri vermiculum, quemuis Marcellus sibi nunquam

compertum ſcribat. Reprehendit præterea Syluaticum Dipſacum cum Polygono confundentem. Is autem ſuo more Dipſacum non deſcribit in comm. nec notis ſatiuum à ſilueſtri diſtinguit. quem olim non pingebat. Camerario apud Matthiolum eſt noua figura, dicenti eſſe quorundam Spinam Selenitim Theophraſti, & Galedragon Xenocratis, apud Plinium.

Matth. ta... *Spina Selenitis Theophraſt. Camer.* *Galedragon Xenoc. Anguill.*

Galedragon, cuius meminit Xenocrates, inquit Anguillara epiſt. 8. videtur Dioſcoridis Dipſacus, qui dicitur Labrum Veneris, Græcis nunc ἀκανθα βεντζείδης.

Synon.

Dipſacus vocatur à Matth. Trago, Caſt. in cat. pl. Rob. Cõſt. in lex. Euch. Roeſslin, Turn. Fuchſio, & Tabern. Icon. & Hiſt. *Labrum Veneris* Matth. Corn. in Dioſcor. Caſt. Cæſalp. Turn. *Dipſacus ſatiuus* Ponæ in Baldo, Dodon. Gall. & Lat. in fol. Cord. in Hiſt. Geſn. hort.

H. Lugd. 2. icones.

Ponæ in Bald. Dipſacus ſatiuus, vel Galledragon Xenocratis, Anguillario, ſeu Spina Selenitis Theophr. Guillandino.

H. Lugd. p. 1447. Dipſacus ſeu Labrum veneris Matth. Item Dipſacus ſatiuus alter Matthioli. Duæ figuræ eiuſdem plantæ.

Euch. Roeſslin. pag. 59. Cardo fullonum, Virga paſtoris, Labrum Veneris Bulen ſtrecl/ Carten diſtel/ hirtenſtab/ fraw Venus badt/ weber karten: duo genera vnum molle, alterum pungens, ambo calidæ naturæ, ſubitaneus calor, qui tamen facilè euaneſcit. Vehedisteln habent aliquid frigiditatis. *Quanta* ignorantia Euch. qui hoc loco neſcit quid ſcribat, & ineptè p. 223. Carduum Mariæ vocat Labrum Veneris: præterea iconem Dipſaci habet quam poſtea iterum ponit pag. 23. nomine Virgæ paſtoris ac pro mare deſcribit.

Euch. ignorant.

Lobel. Aduerſ. Dipſacus ſatiuus Fullonum. Obſ. p. 487. & Icon. pl. Tom. 2. p. 17. Carduus Fullonum, ſiue Dipſacus ſatiuus, ſiue labrum Veneris.

Caſp. Bauh. apud Matth. Dipſacus ſatiuus albo flore.

Nomina linguarum

Planta hæc Græcis Dipſacus vocatur ſicut & Lat. Item ἀφροδίτης λουτρόν: Lat. Labrum Veneris, Carduus Veneris, Carduus fullonum & vulgò virga paſtoris Dod. Germ. Kartendiſtel/ Kartenkraut/ Buben ſtrecl/ & weeber karten. Belg. Caerden/ Volders Caerden. Gall. *Cardon, Chardon de foulon, Chardon à carder, Verge à bergier.* Ital. *Dipſaco & Cardo, & Cardo da panni.* Hiſp. *Cardencha & Cardo penteador.* Angl. Taſſel B h. Stiecka. Hung. Bogach kóro/ Polon. Szczotki.

Dipſacus

Dipſacus autem, vti dictum, quaſi ſitiens dicitur, quòd aquam in cohærentium foliorum ſinu contineat, quâ ad ſitus iniurias abigendas vtatur. Labrum verò Veneris à foliorum etiam poſitu, peluis vel lauacri ſpeciem conſtituente, humorem perpetuò continente.

Labrũ Veneris

Cardui fullonis nomen tolerari poteſt, inquit Tragus, modò ſciamus Carduum fullonum nihil aliud eſſe quam Dipſacon Dioſcoridis, quem aliqui Crocodilion vocant, alij Chamæleonem, alij Onocardion, alij Veneris lauacrum: Romani Labrum Veneris, alij Carduum Veneris: Ægyptij Seſenor, alij Chir, alij Meleta, Daci Sciaſá vocát.

Locus & tempus

Dipſacum quidam Montbelgardi diligenter in hortis colunt. Sed & nos eum habemus in Horto E. C. Seritur in compluribus Italiæ locis, præſertimque in agro Bononienſi, ſingulari à cultoribus adhibita diligentia ad lanificia. Iunio ac Iulio floret: echinata capitula Autumno colligenda ſunt.

DIPSACVS SYLVESTRIS, SIVE Labrum Veneris.



Deſcriptio

VT ſatiuo Dipſaco congener eſt ſylueſtris, ita nõ paucis cum eo notis conuenit: pari *caulis* ſpinoſi altitudine ramorúmque diuaricatione: *foliorum* non diſpar amplitudo & labri æmulus coitus, quæ ſpinis non ſecundum coſtam duntaxat minacibus armata, ſed & reliquo quoq; folio, quib. oppoſita parte cotylæ reſpondent. Echini ſpinis vt longiorib. quàm ſatiuus horrent, ita & mitioribus, minúſque rigidis nec aduncis, ex quorum ſinu *flores* emicant purpurantes: *radix* & ſemen ſatiuo ſimilia.

Echini. *Flores*

Dipſ. ſilu. Matth.

Matth. in Dioſc. lib. 3. cap. 11. Dipſacus ſylu. nullis prorſus repugnantibus notis, quas illi reddidit Dioſc. Inuenitur Autumni tempore, in eius capitulo iam exareſacto meditullióque diſſecto vermiculus, etſi Marcellus dicat ſibi hunc nunquam compertum: Dipſacus officinis & Herbariorum vulgo virga paſtoris maior nominatur. Id comm. cum magn. figur. lat. & ital. ceu & Epit. Camer. Labrum Veneris alterum. In Hiſtor. german. wilde karten diſtel, Dipſacus ſylu. & ita etiam vocatur Dodon. latin. in fol. pagina 723. *Matthiolus* quaſi ex libris ſcriberet non viſo Dipſaco, non oſtendit qua in re differat ſylu. à ſatiuo: in hiſt. etiam Germ. tranſpoſita figura.

Virga paſtoris maior. *Matth. notatur.*

Fuchſ. Hiſt. Dipſaci alterum genus ſpontè proueniens Dipſacus purpureus, floribus purpureis, Gall. *Chardon à foulon rouge*, in cauitate echini in quibuſdam vermiculi reperti. Icon. p. 128. Dipſacus purpureus. Braun kartendiſtel.

Dipſ. alter Fuchſ. *Dipſ. purpureus.*

H. Lugd. p. 1448. & Ponæ in Baldo Dipſacus ſylu. maior Fuchſij. Carduus fullonum Brunfelſ. Carduus fullonis erraticus, Trag. Labrum ſylu. Veneris. Caſt. Labrum Veneris, Cornar. Dioſc. Lob. Icon. Labrum Veneris floſculis purpureis Ceſ. Dipſacus Brunf. Lacun. Lonic. Tab. Dipſacus ſylu. Dod. gall. & fol. Cord. in hiſt. Geſner. hort. Thal. & Turn. Molybdæna Plin. Dalech. in pio in Plin. C. Bauh. apud. Matth. Dipſacus 2. ſiue ſilu. flore purpureo.

Locus & tempus

Dipſaci ſylueſtris ſiue Labri Veneris nomina & autores qui de eo ſcripſere ſub præcedenti Dipſaco ſunt annotata. Multis in locis prouenit ſpontè etiam in Horto E. C. Item quà itur Betoncourt: Geneuæ, quà itur ad montem *saleve* & alibi. Baſileæ reperi cum ſuo flore purpureo menſe Octobri apud fluuium Birſe in vrbe. Lugduni abundat. Inter Horbourg & Colmariam copioſè prouenit. Dipſacum ſylu. ad foſſas ferè prouenire, & in aquoſis, ſcribit Turnerus.

DIPSA-

DIPSACVS SYLVESTRIS FOLIO laciniato.



Descriptio

PRocera plãta est, duorum, triúmve cubitorum, & interdũ altior, *radice* crassâ, simplici, albâ: *caule* recto aduersis ramis brachiato, striato, aculeis horrido: *folia* valdè ampla, longa, lataque, spinis duntaxat secundum costam & auerso folio, armata, non bullata, profundè laciniata, in labri formam coëuntia: atque hoc quidem genus laciniatum, *flores* habet albicantes, & vulgaris instar quadripartos, ex aculeorum carina, quibus echinus oblongus horret, mitioribus tamen & longioribus spinis quàm in Dipsaco satiuo, nec vt in illo aduncis, *semen* oblongum striatum.

Dipsa. Tabern. Tabern. Icon. & Hist. Dipsacus secundus.

Locus & tempus. Dipsacus folio dissecto siluestris copiosè prouenit inter Horburgum & Colmariam, ibi collegi semen quod satum in Horto Ill. F. C. prouenit, primo anno caulem non protulit, florebat Iunio. Hunc Dipsacum obseruaui etiam inter Roufach & Colmariam.

Vires & Vsus. Vires ex Veterib. antè sunt traditæ, nunc quid Neotorici sentiant, adscribendum. Aqua foliorum. Aqua è foliis Dipsaci destillata collutu vlceribus & putredini oris op tulatur, inquit Tragus: folia capiti impo Putredines. sita phrenesin sedare tradunt: aqua quæ in foliorum concauo reperitur, caliginosis & rubentibus Oculi. oculis prodest: eadem maculas faciei, maximè eas quæ oculis subsunt emendat & exterit colutu: mulierculæ formæ studiosæ vsum huius optimè tenent. Hodie verò, auctore Dodonæo, exiguì est vsus in medicina Dipsacus, capita ad in- Ad pannos. terpolandum laneos pannos vsurpantur. Dipsacus in Italia vulgaris est planta, authore Matth. iis præcipuè locis vbi lanificia exercentur: S quidem echinato eius capitulo mangones rudem adhuc pannum pectunt, expoliunt, detractisque floccis concinnant. Vermiculus in capitulo quem collo adalligatum quartanis febribus remedio esse produnt, piscatoribus hamo affigendus maxi- Menses. mè expetitus. In fluxu mensium nimio exhibet Io. Liebaut drach. 1. Dipsaci satiui cum ouo sorbili. Quædã aliæ facultates à Serapionis interprete & aliis recẽtioribus illi conceduntur, quæ non sunt genuinæ sed spuriæ & Polygono adscribendæ. Ineunte hyeme, ait Turnerus, Cardueles consueuerunt ad Dipsacum, seminis caussâ, cu us appetentissimi sunt, conuolare.

VIRGA PASTORIS VVLGARIS.

Descriptio

TOta facie Dipsacum refert, quatuor & quinque cubitos alta, *caule* digitali, glabro, post aliis, ex quibus duræ mordacesq; spinulæ oriuntur, secundum longitudinem striato, concauo, & in



multos ramos brachiato: *folia* gemina ad genicula enascuntur, opposita, minimè caulem amplectentia, sed pediculo vnciali, nonnũquam breuiore, appensa, infimaque parte auriculis binis donata, post auriculas ab angusto principio sensim dilatantur, & in mucronẽ desinunt ac serrata sunt, spinis quà terram spectant per neruos dispositis armata: at *capitula* Dipsaco multùm cedunt, Scabiosæ capitulis paria, *flosculis* albis, quadripartitis, labello paullò reliquis laciniis productiore, apicibus partim cineraceis, partim atropurpureis, confertim stipata: quos intercedunt nigricantes pilosæ & mollicellæ spinæ, saeuis quàm in Dipsaco, longiores item, & in mucronẽ magis directæ. Monspelii cùm degustarẽ sapor mihi Plãtaginis videbatur cum quadam salsugine, licèt non esset apud mare.

Est hæc Trago Cardui fullonii tertium genus, quod ad Atractylidis aliquod genus referri posse putat. Virga pastoris Matth. Lobel. in Adu. Obs. p. 487. Icõ. Plãt. Tom. 2. p. 15. & Camerario, cui & Dipsa. satiuus. Dipsacus tertius Dod. gall. & lat. in fol. cui & Galedragõ Plinii. Dipsaci species minor Gesn. hortu. Dipsa. minor siue Virga pastoris Thalio. Dipsacus silu. minor C. B. ubi apud Matth. & H. Lugd. cui & Pilübago Plinii quorundam. Card. fullon. 3. Trago. Dips. minor.

Locus & tempus. Prope Auenionem prouenit copiosè. Geneuæ etiam obseruaui, & Basileæ inter portam Stein & Eschen extra vrbem mense Octobri in viis ad vineas & prata, ac etiam ad fluuium Birse intra vrbem, mense Augusto florentem. Geneuæ mense Nouembri. Montpelii in prato vicino vrbi florebat, mense Aprili & Maio.

CARDVVS ACANTHVS SIVE Branca vrsina.



Descriptio

ACanthi *folia* humi fusa, pedalia, profundè laciniata, mollia, intenso virore splendent, pilosa: inter hæc surgit *caulis* duũ triũmve pedum, rectus, qui à medio ad summũ vsque fastigiũ, thyrsum gerit *florũ* candidorum, quorũ folia rictum imitata, oblonga, foliis coë... cui tur virentibus,

ferè *Plinius*. Radices vitis luxatisque mirè prosunt. Item ruptis, conuulsis & phthysin metuentibus incoctæ cibo, maximè ptisana. Podagris quoque illinuntur tritæ & calefactæ calidis. Acanthus authore *Galeno*, vim habet moderatè discutiendi. Radix autem siccat & leniter secat, & tenuium partium est. Videtur Galenus, aut eius Amanuenses quas facultatas Dioscorides Acanthio attribuit Acantho assignasse. Interpres debuisset vertere apud Diosc. non luxationes sed torsiones aut ligamentorum tractiones. Acanthi satiui folia, vt perhibet *Dodonæus*, temperie in calidi & frigidi medio quasi consistunt, nonnihil humida, emollientem ac leuiter digerentem facultatem, veluti Maluæ, obtinent. Enematis idcircò non minùs quàm Maluæ vtiliter incoquuntur. Prosunt autem tabidis sanguinem spuentibus, tum ex alto delapsis, ab ictu, aut conatu aliquo supra vires læsis, non minùs quàm Symphiti maioris radices, quas substantia, lento succo, & qualitate proximè referunt.

Galeni vires sunt Acanthii. Diosc restituitur

Temperamentum ex Dodonæo.

Tabes

CARDVVS ACANTHVS SIVE BRANCA Vrsina spinosa.

Descrip. & Synonyma.



Acanthus syluestris Scolymo similis aculeatus Dioscoridis, an Chamæleonta Mõspeliensiũ? an num potiùs hæc noua aculeata Branca Vrsina, siue Acanthus aculeatus Lobelii? Brancę huius Vrsinæ siue Acãthi varietatis, in agro Bononiensi Lombardiæ adeò *flores* & *folia* similia sunt huic Acantho spinoso [fortè legendum, similia sunt Acantho satiuo] vt nobis persuasum fuerit Dioscoridis esse Acanthum syluestrem quem Dioscorides assimilauit Scolymo silv. & satiuo Acantho breuiorem & aculeatum dixit.

Acãth. silv. Dioscor.

Quod genus Acanthi Plinius aculeatum & crispum ac breuius dixit, velut præcedenti capite monuimus, hoc esse videtur, teste Cornario, quod Dioscorides siluestrem Acantham appellauit, & cuius radicem eadem, quæ Acanthum satiuum, posse prodidit.

Acanth. aculeat. Plinii.

Lob. Icon. Plant. Tom. 2. pag. 2. Chamæleonta Monspeliensium quoad iconem. Huic enim incuria Typographi falsus impositus titulus. Siquidem hanc in Obs. pag. 477. Brancam Vrsinam siue Acanthum aculeatum inscripsit. H. Lugd. p. 1445. Branca Vrsina aculeata Lobelii. C. Bauh. apud Matth. Secundus Acanthus silu. spinosus.

Chaos in Aduers. Lob.

Branca Vrsina Lob.

Anguill. epist 8. pag. 147. Acanthus silu. Herbariis Bononiensibus Branca orsina saluatica. Cam. apud Matthioli. Acanthi species spinosa spontanea circa Italiæ Bononiã, quæ non malè conuenit cum Acantho silv. quæ etiam in quibusdam locis maritimis reperitur.

Acãth. silv. Anguil.

Vidimus Basileæ in horto Dj. D:s. Iacobi Zuvingeri cui creuerat ex semine misso ex Creta, vnde etiam nos accepimus è Cydonia à D. Honorio Bello Medico, serendum in horto Ill. C. VVirtemb. Montbelg.

Locus & Tempus.

CARDVVS BENEDICTVS.

Cap. XIV.

Descriptio



Succosa gracili *radice* nititur: *folia* laciniata Sonchi aut Dentis leonis diuisurâ spinulis pungentibus armata, colore quẽ in Borraginis foliis est cernere, hirsuta: *caulis* digitalis, multis alis concauus, supinus partim, partim erectus, subpurpureus, striatus, villosus, *flores* parui, lutei, spinis rubentibus ramosis, quas multa lanugo intercedit, obuallati: quibus subsunt squammata conformia capitula inter folia circumcirca ambientia posita: *semen* in iis continetur oblongum, subluteum, floccis appensum: insigni amarore tota planta est prædita.

Hunc circa Carduum magni Medici grauiter lapsi sunt. Quorum quidam hanc herbam esse alteram Cnici siluestris speciem: quidam voluerunt eum per Atractylidem alteram hirsutiorem significari: quidam Acanthum satiuum esse statuerunt: alii verò Acanthium: nonnulli Scolymum fecerunt: quidam etiam Crassulam mediam: Senetionem & Chamæleonem, teste Dorsthenio, crediderunt, à quibus herbis singulis multis partibus discrepat.

Aequiuoca

Cnicus silu. Atractylis Acanthus satiuus Acanthium Scolymus. Crassula media. Senetio.

Cnici siluestris alteram speciem esse Carduum benedictum, non sine graui lapsu crediderunt Ruell. Matth. Aduers. Lobelii, & Apollo.

Chamæleo.

Credidit namque Ruellius lib. 3. cap. 56. Atractylidem alteram hirsutiorem, seu alteram Cnici syluestris speciem [ambas namque has lib. 3. cap. 155. inter se confundit, easdemque indicat] eam esse stirpem quæ Carduus benedictus, vel sanctus appellatur. Eamque opinionem haudquaquam improbandam censet Matthiolus quandoquidem Carduus benedictus vocatus solo procumbit densâ foliorum comâ, & quodammodò humicaulis cernitur, quinetiam fructum gignit amarum, barbæque modo hirsutum: & caules profert Sonchi modo rubentes. Quem Benedictum, seu fœlicitatum Carduum plebeius consensus nuncupauit, alteram Cnici speciem esse iamdiu doctis, & mihi (ait Lob. in Aduers.) persuasum est. Apollo rada. in Elect. Hamech, Lobelio & Matth. & Ruell. subscribit his verbis. Spinam albam quidam faciunt Carduum bene-

Carduus sanctus. [felicitatus]

cancro ad costas vsque absumptæ fuerant, aquâ destillatâ & puluere foliorum inspersio mundatâ & sanatam fuisse, Vaporationes, fomenta, desessiones, & balnea sudatoria, calculis & mensibus *Menses mouet.* eliciendis, ex Carduo benedicto parari ac confici rectè possunt. Matthiolus comitialibus infan- *Morb. comitialis.* tibus exhibet eius decoctum, aut stillatitiam aquam, aut pulueris drachmam. Herba tam recens quàm sicca, & pota & admota exteriùs, *Cacoethe* contumacia vlcera, & quæ cacoëthe vocantur, sanat, catéque obducit: quamobrem decoctis miscetur quæ è ligno Guaiaco ex vino, & aqua iis parantur, quos lues Gallica corripuit: Florum *Vulnera. Tumores* autem pappi vulneribus impositi, ea sine dolore sanant: ex foliis cum musto cataplasma tumores mox discutit pudendorum: Testatur Arnoldus de Villa noua cap. 44. *Practicæ*, vidisse se quendam, cui ex putridis & cauis vlceribus erosa fuerit ad ossa vsque caro omnis tibiarum, quique bona omnia in curationem frustra expenderit, hac tandem ratione sanatum: recentia Cardui benedicti folia contusa cum vino generoso discoquebat, additaque postea liquefacta porci axungia, ebullire sinebat, tandem iniecta farina triticea, continuò spathula agitabat quoad omnia in emplastri consistentiam coalescerent, quod calidum bis quotidie vlceribus imponebat. Auctor est Camerarius aquam Cardui benedicti vitreis organis, iterata destillatione, eximium esse sur- *Surditas* dastris remedium, si calida auri instillatur. Plu- *Lues Venerea.* rimum verò tribuit si in remedia contra luem veneream addatur, sic vt extractum eius non parum in eum vsum sit efficax: ex succo syrupus, *Syrupus.* non tantùm in peste, verùm etiam in aliis ventriculi & iecinoris imbecillitatibus apprimè vtilis est, nec non in colicis cruciatibus. Succi ex tota planta expressi inspissatique præcipua laus ad menses ciendos. Cardui Benedicti planta magni vbique vsus contra putridos & malignos mor- *Extractum* bos. Extractum vtile in morbo Gallico, palpitatione cordis & in quartana. Aqua eius cum aqua Cuscutæ & Ligustici in faciei rubedine vtilis est. Per se etiam, vt placet Io. Matthæo, multùm confert, quando singulis diebus tres, vel quatuor vnciæ cum sex vel septem guttulis spiritus vitrioli vacuo ventriculo ægris peste correptis exhibentur. Accipit D. Deckler in Lipsiæ ad febres folia tenella è medio Cardui benedicti exsiccata, in puluerem redigit, de eo ter vesperi sumendum cum vino calido propinat. Et hoc tanquam secretum iactat Io. de Monte de Experientiis. Ex siccis foliis, cum pauco Cinnamomo, Fœniculo & Sacchato puluerem parat seu tragæam Gesnerus, qua vtitur cum pauco pane tosto madente vino, manè vel à cœna. Hanc *Lumbrici* & lumbricos pellere, & valetudini in vniuersum, vt sperat, conferre testatur. In liquore stillati- *Arthritis* tio ad arthritidem vtitur cineribus Cardui benedicti Francisc. Indiæ de Gutta. Cardui benedi- *Rano* cti effectum mirabilem cum Centaurio in expellendis ranis vide cap. de Centaur. ex Schenckij *Temperamentum.* obseruatione. Veluti autem amara vehementer Cardui huius herba est, ita quoque excalfaciens ac resiccans ordine secundo, & simul expurgans, aperiens, abstergens & digerens.

CARTAMVS SIVE CNICVS.

Cap. XV.

Descriptio Erecti surgit *caule* singularique Carthamus, qui superiùs in ramos diuiditur: *folia* per



caulem ramosque indigesta, neruosa, glabra, breuibus spinulis per ambitum donata, sescunciâ aut vncias duas longa, vnciam ferè lata, in acumen desinentia, angustâ ceruice ramis adhærét. ramulorũ extremis insidét *capita*, inter folia, squammata, è quibus *flores* explicantur stamineo, saturo crocei rubore uncti: *semen* pappo adhæret oblongum, album, medullâ dulci albâ.

Cnico Dioscor. folia attribuit oblonga, per *Cnicus Diosc.* ambitum diuisa, aspera [τραχέα, παχέα Matth. crassa, & rectè: nulla enim in foliis asperitas] aculeata: caules cubitales, in quibus caput ad magnitudinem summorum Oleæ germinum: florem Croco similem: semen album aut fuluum, oblongum, angulosum. *Non laborauit* hoc in loco Dioscor. Cnici differentias annotare, *Diosc. notatur.* siquidem vnam tantùm speciem describit, & tamen inquit constare semine candido, interdum ruffo. Non distinguit, inquam, satiuum à siluestri, sed simpliciter Cnicum vocat: videtur autem Dioscorides Cnicum ruffum vocare genus syluestre, quod & ex descriptione foliorum significatur: nam folia oblonga, incisa, aspera, & spinosa nequaquam conueniunt domestico.

Fructum inquit Theophrastus aculeatum, ac veluti retorridum fert: florem vnà cum semini- *Cnicus, Theoph.* bus ipsis edit: folia illi sunt aculeata: multis caulibus constat, & ramos fundit: siluestri, vrbanoque describitur.

Plinius celebrari apud Ægyptios scribit Cnicon, Italiæ ignotam, ipsis autem oleo non cibo gratam: hoc faciunt ex semine eius, differentia prima siluestris & satiuæ: syluestrium [vt Theophrasto] duæ species: vna mitior est, simili caule, tamen rigido [quam ille vrbanæ admodum similem dicit] itaque & colu antiquæ mulieres vtebantur, exilis, quam quidam Atractylida vocant: semen eius candidum, & grande, amarum: *Sed* Plinius iis verbis potiùs domesticum demonstrat, quàm syluestre, & quia mitior, & quia semen candidum.

Mesues Carthamum vocat inter purgantia, quo nomine hodie vtitur: tradés esse domesticũ syluestrem: assumi ad purgationes domesticam, eligi semen album, lene, crassum & planum cuius medulla vnctuosa, pinguis, & cortex tenuis: & melior flos est, qui est sicut pili Croci.

Theophrasto & Plinio, inquit Dodonæus, est vrbana & satina, ad differentiam Atractylidis, quam siluestrem Crocum faciant.

De Cartamo quod asserit Tragus, Serapio duo scripsit capita nimirum centesimum vigesimum sextum de Churtal, & ducentesimum secundum de Cartam. Sed fallitur Tragus, Caput enim Serapionis 126. est de Auena scriptum, cuius titulum

Churtal malè interpres Cartamum reddunt.

Synon. Dicitur *Cnicus* Matthiolo. Dodon. gall. & fol. Cordo in Dioscor. Lacun. Castor. & Lonicero. *Cnecus*, Turn. Gesn. hort. *Cnicus satiuus*, Cordo in histor. Cæsalp. *cnicus satiuus Theophrasti*, Lob. Obs. p 488. Icon. Plant. Tom. 2. pag. 19. *Cartamus*, Brunfels. Fuchs. Lob. Aduers. *Carthamus* Camerario. *Cnicus vulgaris* Clusio. *Cnicus flore luteo* C. Bauh. apud Matth.

Nomina linguarum. Κνῖκον & κνῆκον Græci: Latini similiter Cnicum & Cnecum vocant, Officinæ Mauritanos secutæ Carthamum & Cartamum absque aspiratione, nonnulli Crocum seu Cnicum hortensem, Crocum campestrem, & Crocu Saracenicum: Germ. wild Saffran: & cum Belg. wilden garden Saffran/distel Saffran, feld Saffran: Galli *Saffran bastard ou sauuage & Graine de perroquet*, quòd eius semine Psittacos alere soleant. Ital. *Zaffarano Saracinesco* & Hisp. *Alasor*, *Alafran saluase & semente de Papagaios*, quasi Psittaci semen, quòd is auidissimè hoc vesci soleant. Angli Bastart Gaffron vocant. Carthamum Hungari appellant, Tot saffrany, hoc Sclauonicum Crocum.

Crocus. Crocum quidem hæ Nationes, vt puto, appellant, quòd eius flore plærumque Croci loco rura vtantur. Cartamum autem vocant Officinæ, à voce Mauritanica, quæ est kartam, vel vt vult C. Bauh ἀπὸ τοῦ καθαίρειν, à purgando. Cartamum tamen propriè semen vocari, Cnicum verò plantam placet Fallopio. Sed & eodem authore semen, semen Croci hortulani, & Venetiis semen Papagalli vocatur, ob rationem dictam. Monendus autem est lector meminerit aliud esse *cardamum* per d scriptum, & Nasturtium significare.

Cartamus. Semen.

Locus & Tempus. Cartamum siue Cnicum vidi Lugduni in hortis & Geneuæ vt in horto Moleti Pharmacopœi, Basileæ, Montbelgardi satus in horto E.C. facilè prouenit, verùm semen non ita plenum medulla. Seritur nonnullis Italiæ, Hispaniæ, & galliæ in hortis & agris. Plinius lib. 25. cap. 15. Italiam Vespasiani principatu hanc ignorasse ait, & in sola Ægypto celebrem, ipsis autem oleo non cibo gratam: Floret Iulio & Augusto, semen interea perficitur, & eodem quo seritur anno, exinde inarescit. Quicquid porrò de exterarum regionũ fertilitate prædicetur, certè & Germania suas opes quas solum nostrum fundit, ostentare potest, & non minùs quam aliæ nationes de variis Dei donis gloriari. Habemus autem inter cætera & Cartamum qui tanta copia apud nos prouenit, vt mercaturâ admodum celebri & magna hinc inde distrahatur. Quo fit vt cùm quæstuosa sit planta, ab hortulanis Argentinensibus & Spirensibus quotannis inter æstiuas fruges seratur.

Satio. Sationis verò hic apud illos obseruatur ritus. Aprili mense semina Cartami ex ordine panguntur, quæ inter paucos dies à satu erumpere solent, licèt dulcia illa semina testaceo quasi cortice operta sint: pòstquam è terra erupère, breui deinceps tempore in altum tendunt, caulesque emittunt qui capitula ferunt quæ Iulio mense in florem sese explicant, quem è capitulis aculeatis hortulani euellunt ac postea vendunt. Augusto mense semen lapidosum inter candidam lanuginem positum maturatur, ex quo Cartamus quotannis reuiuiscit.

Purgat. Offula. Flore, authore Dioscoride, in obsoniis vtuntur. Seminis tusi & expressi succus, cum aqua mulsa, vel iure gallinacei aluum purgat, sed stomacho adueersatur: ex eo autem fiunt offulæ, quas placentulas vocant, adiectis succo Amygdalis, Nitro, Aniso, & melle decocto, quæ aluum emolliunt: hæ in partes quatuor finduntur, quæ Nucis iuglandis magnitudinem impleant: è quibus ante cœnam duas vel tres sumpsisse satis est: Dosis. ratio temperandi hæc est: Cnici candidi sextarius, Amygdalorum tostorum & delibratorum Cyathi tres, Anisi sextarius vnus, aphronitri drachma vna, cum carnibus triginta carycarum. Correctio. Seminis succus lac cogit, & magis ipsum resoluendæ alui facultate donat. Galenus ad purgatiodes Cnici semine duntaxat vtitur, & ad tertium vsque ordinem excalfacientium esse scribit, si quis foris eo vti volet. A quo dissentit Mesuæus, cui si credimus, calfacit ordine primo, siccat secundo, agrestis tamen calidior & siccior: minùs flos pituitam & aquas vomitu & dejectione vacuat sumptus & clystere iniectus: ob id morbis inde natis, vt colico affectui & similibus confert: thoracem quoque & pulmonem expurgat, præsertim eclegmate sequente & oleo suo: vnde & vocem claram reddit: sperma quoque vsu auget, sed alimentum est prauum. Stomacho valdè noxium, in eóque & mammis lac dicitur cogere, fastidiendum ac nauseabundum est, & côturbans, facultate est Lactariarum plantarum, sed remissa: terget, aperit, etiam flore cum mulsa icterum sanante. Ne ventriculum lædat, ei misce stomachica Anisum, Galangam, Mastichen, acria verò, vt Cardamomum, Zinziber, Sal panis, Sal gemmæ, addita, actionem ipsius celerant & intestinorum noxam prohibent. Sic medullæ eius drachmæ decem cum Cardamomi aureo vno in catapotia Ciceris magnitudine, rediguntur, quæ sufficienter purgant, Paulo authore: eadem medulla panno ligata, Oxymeliti præcipuè Scillitico dum coquitur mersa, purgatoriũ idfacit. ℞. Medullæ eiusdẽ aureos duodecim, Penidiorum aureos quatuor, Cardamomi, Zingiberis ana aureum vnum, cum melle forma bolos Nucis magnitudine, da vnum vel duos. Medulla eadem ex iure galli vel gallinæ cum specieb. prædictis cocta idem præstat Galeno. Oleum ex eo semine, vt Amygdalis & balano myrepsica, extrahitur: datur à ℥iiij ad aureos quinque. Flos à ʒj. ad aureos duos. Semen tamen, vt ait Matthiolus, quod gratissimum est Psittacis alimentum, nihil penitùs eos purgat. Non desunt qui huius floribus Crocum adulterent. Prudenter monet Camerarius, nostratis Cnici semen non tam efficaciter purgare atque Alexandrinum, eàque propter, maiorem eius dosin parum sæpe efficere. Ex semine facta compositio Diacarthami insigniter confert hydropicis, si rectè paretur: cuius cùm descriptiones extent plures, eam præfert Dodonæus, ceu genuinam, quæ apud Guidonem Chirurgum legitur Doctr. 1. Tract. 6. Pauperes, id attestante Trago, flosculis Cartami tusis, condimenti vice vtuntur, nec malè, cibos namque croceo colore commendant & aluum emolliunt: semen tusum ac in iure carnium aut Ciceris arietini bullitum ac potum, phlegma, lentósque ac viscosos humores trahit, non aliter atque Epithymum melancholicos. His floribus panni inficiuntur, & mulierculæ quoque in liniendis suis lectis ijs vtuntur.

Dosis. Correctio. Succus lac cogit. Temperamentum Gal. & Mesue. Colica. Pectus. Noxa. Interna Correctio. Oleũ ex semine. Dosis. Diacarthami vires.

CARTHAMVS SIVE CNICVS flore cæruleo.

Descriptio. Clusius hunc sic describit. Vnicus plerumque Alteri Cnico est *caulis*: interdum statim à radice



diuiditur in binos, ternos, aut quaternos ramos, cubitales, firmos & lignosos, perinde ac ipse caulis, nullis tamen, aut quàm paucissimis aliis ramis præditos: *folia* pænè Cnici vulgaris, candidiora, paulò lõgiora, & pluribus venis distincta, *capitula* Cnici, è squamis, imbricum instar, sibi inuicem impositis, conflata, è quibus *flos* colore diuersus: nam luteus non est, sed ex multis staminibus cærulei coloris constat: *semen* Cnici semine minus & subrufum: *Radix* pollicaris crassitudinis est, carnosa, succulenta, foris fusca, non annua, vt vulgaris radix, sed aliquot annis interdum permanens.

Camer. hort. dicitur Carthamus siue Cnicus flore albido & cæruleo, perennis, sed à gelu acriore muniendus. Clus. Hisp. & Hist. post. l. 5. pag. 152. Cnicus alter flore cæruleo. Tabern. Icon. & Hist. Cnicus cæruleus **blawer wilder Saffran**. Lob. Obs. p. 488. Icon. Plant. Tom. 2. p. 19. Cnicus flore cærulæo, Cnicus alter Clusii.

Locus & Tempus.

Circa Cordubam in segetibus inuentus à Clusio & agro Hispalensi, florens Maio & Iunio. In Belgio verò Iulio & Augusto. Habemus & Mõtbelgardi in horto Ill. C. VV.

CARLINA SYLVESTRIS QVIBVSDAM, alijs Atractylis.

Descriptio



C*Aule* surgit plerunque singulari, albida lanugine obsito, cis fastigiũ in rectos aliquot ramos abeunte, *foliis* semipalmaribus & palmaribus, ac etiam maioribus duplò, aculeatis, laciniosis, crispis, infrà villosis, albidis, suprà viridantibus, nitidis, ab imo ad summũ densè stipato: *echini* laxa foliolorum spinosorum compage horrent, Iuglandis ferè magnitudine, è quibus nitor ille radiatorum *florum* aureo colore fulgentium, dilutiore, straminisve arentis, enicat, exteriùs ad basin sanguine cruentatus: *stamina* verò media confertiora & mollicella maturæ messis aristis comparia: *radix* subestlignosa Petroselini radici æqualis, fibris raris donata. Dodon: acre est *semen*: H. Lugd. verò Cnici, strigosum & tenue scribit.

Spinosam hanc herbam suspicantur quidã esse Acarnam Theophrasti, vt H. Lugd. Cæsalp. Lob. Clus. & Dodonæus.

Cæsalp. Acorna dicitur. Lobel. in Adu. Sequanorum Cirsium luteum vocat, ac an sit Acarna & Erysithal Theophr. in titulo dubitat, ac rursus in contextu affirmat, sibi inconstans. Figura etiam apud eum trãsposita est: est enim in Obs. p. 489. sic & in Icon. Plant. p. 20. nomine Cardui vulgatissimi viarum, Onopyxos Guillandini.

Acorna Cæsalp.

Dod. gall. Carlina siluestris, *Carline sauuage*, Germ. **drey distel, frawendistel, & Sewdistel**/ Belg. **dreyedistel**. Item Lat. in fol. p. 716. non ineptè Carlina siluestris dicitur: nam flore Carlinam æmulatur, nec foliis valdè dissimilis est. Hanc autem esse Ἄκορνα tantò est difficilius affirmare, quò breuior de hac Theophr. est: Ait autem hãc Cneco vrbano similẽ, colore flauescentem, succo pinguem. Differt autẽ Acorna ab Acarna: Acarna siquidẽ, vt Helychius ait, δάφνη ἐστί, siue Laurus est: Sed Ἄκορνα ἀκανθῶδές φυτόν, id est, spinosa stirps.

Carlina silu. Dod.

Acorna ab Acarna differentia cõtra Lugd. & Cæsalp.

Tragus Atractylidem seu Cartamum siluestrẽ nominat, ac dicit. Aniculæ circa Festum Assumptionis, vt vocant, Mariæ, hoc genus Cardui teneri magno studio quærunt, suisque fagminibus [vt plena sunt hodie omnia proh dolor! fœda superstitione] adiungunt, maximè verò eos expetunt in hoc genere Carduos, qui tres surculos, seu ramulos supra in vertice ostendunt, eosque vt præstantissimos cæteris anteponunt, vnde & nomen Germanicum **dreydistel**/ quasi dicas Carduũ triũ surculorum, deriuatum fuit. Vocant verò & **frawen distel**, quòd vna cum cæteris fagminalibus herbis die Mariæ Virgini sacro in templis consecrari soleant. Sunt nonnulli qui Germanica voce **Sewdistel**, h. e. Carduum suarium nuncupatum velint. Quod verò in Diosc. nomen habeat, mihi non satis constat, nisi sit πέρδικιον ἄγριον Dioscor. l. 3. c. 55. quod Ruellius quoque lib. 3. de natura stirpium c. 55. seu sit fusum, seu colum agrestem, & Cartamum syluestrem appellans.

Acarna Laurus est. Atractylis seu Cartamus silu. Trago Superstitio.

Carduus suarius.

Fusus seu colus agrestis.

Loniceri figura l. 5. c. 24. sub sequentib. nominibus posita nõ placet. **Wilder feld Saffran, oder dreydistel** Atractylis, vel Cnicus siluestris, Fusus agrestis, Colus rustica. Gall. *Saffran sauuage, doulx.*

Lonic. notatur.

Matth. in Diosc. in cõmm. cum mag. fig. lat. & Ital. plantam, de qua hîc agimus, pingit prò Carduo vulgari: In Hist. germ. cum addit. Camerarii, pro Scolymo siluestri, **Edeldistel**/ Matthiolus egregius commentator in suis com m. posuit suo more figuram cum solo titulo: in Hist. germ. mutato titulo addit imperfectam descriptionem, quam an contulerit cum planta, priusquam depinxerit, vel addiderit interpres, nescio. Glossatores & Patrocinatores nullam ipsi adferunt lucem. Camerarius aliam habet huius plantæ figuram, quam in Epit. omisit.

Card. vulgaris Matthiolus Scolymus silu Camer. Matth. reprehend.

Camer. & C. Bauh. notantur.

Gesn. hort. Atractylis media, Kreichio Cardui quoddam genus, quod multi Atractylidem putarunt. Pingitur à Fuchsio pro Atractyli vulgari, mitiori. Hanc propriè Græci Atractylida, Latini verò Fusum agrestem, aut colum rusticam, quòd eius caule rigido admodum & exili, veteres mulieres pro colo, vt dictum est, vtebantur, nominabant. Sunt qui Cartamum syluestrem appellãt: Germanicè itaque vocetur [**wilder feld Saffran**] Gall. *Vne espece de Chardon ayant la fueille sanne, ou Saffran bastard*, vt hac ratione discernatur à Cnico, quem aliqui Cartamum, & crocum hortensem nominant.

Atractylis media Gesn. Atract. vulg. Fuchsio.

Cartam. silu.

Tabern. icon. & Histor. dicitur Heracantha drewdistel.

Locus & tempus. Carduus Dodonæo dictus Carlina sylucstris circa Montembelgardum copiosè prouenit vt colle extra hortum E.C.& aliis locis: Geneuæ in monte *Saleue*, Basileæ vidi virentem mense Octobri & florentem Augusto inter portam Stein & Eschen extra muros.

Vsus. Viennenses Rhizothomæ Saffraut nominant ab effectu, quia non modò illius siccæ siue recentis gestatione, sed etiam intuitu, den sat [sitim & faucium accensionem ex nimia crapula & bilis regurgitatione ortam esse putat Clusius] sisti, vulgus istic sibi persuadet, & experimento probatum asserit. Certè aliquando obseruauit, Nobilium virorum famulos in equis heris suis præeuntes, huius herbam in pileis gestantes, vt perpetuò nimirum illam heri in conspectu haberent, & si corriperentur eo vitio ab illo liberarentur.

CARDVVS CARLINA MINOR SYLV. Clusij, flore luteo.

Descriptio. PAlmi altitudinem non superat *cauliculo* tenui, vnico, canâ lanugine obsito: *folia* carlinæ silueitris vulgaris foliorum æmula, minora, incana, spinis horrida: summo cauliculi fastigio bina vt plurimùm fert *capitula* spinosa (nonnunquam etiã in alis) in quibus *flos* luteus orbem oculi imitans, media lanugine pallida, quã ambiunt rigidiuscula & exsucca foliola, coloris flaui: *radix* tenuis, rufescens viuax non est, sed singulis annis perit.



Carlina silu. minor. *Sequanorum Cirsij varietas.* Clus. Hisp. [descript. auctori] & Hist. post. Carlina sylu. minor. Lob. Obs. p. 485. vbi Clusij figura Acarnæ siue Sequanorum Cirsij (Carlinæ vt addit in Icon. Tom. 2. p. 15.) varietas. Hist. Lugd. p. 1484. Carlina sylu. Clusij quoad titulum & descriptionem, Icon est Carlinæ sylu. vulgaris. Cam. in Matthioli Histor. germ. Carlina paruam Clusij, Dod. lat. in fol. pag. 717. & Ponæ in Baldo. Carlina sylu. minor Clusio. Tabern. icon. & Hist. Carlina silu. Clusij, klein wild Carlina oder Eberwurtz.

Locus & Tempus. Nusquam hanc inueniebat Clusius, quàm in aridis quibusdam petrosisque & desertis circa Salmanticensem vrbem locis, promiscuè nascentem, Augusto mense florentem.

ATRACTYLIS VETERIBVS ET in genere. CAP. XVI.

Atractylis Theoph. HAnc Theophrastus de plantarum Historia pluribus locis tradit, ac primo lib. 6. cap. 4. inter genera agrestis Cnici eam recenset. Vocatur, inquit, & quædam Atractylis [Fusus agrestis, Gaza] candidior his [Cnico & Acarna:] cuius folium priuatim id habet, vt auulsum, carnique confricatum, sanguineum reddat succum. Eamque ob causam Phonum, id est, cædem [cruorem Gaza] aliqui Spinam hanc vocant. Habet præterea grauem & sanguinis in cæde odorem, nec nisi per Autumnum fructum absoluit. Idem lib. 9. à principio statim de liquore succóque plantarum & eius diuersitate agens, sanguineum succum Atractylidi [Agresti fuso, Gaza] tribuit.

Fusus Gaza. *Theoph. illustratum.* *Phonos.* *Cædes Cruor.*

Atractylis Diosc. Atractylis, authore Dioscoride, spina est Cnico similis, sed quæ in summis virgultis *folia* multò longiora [μακρότερα, minora μικρότερα Oribas.] proferat: maior autem pars nuda est & aspera, qua etiam fœminæ pro colu vtuntur. Capitula [κεφάλια, Goupylus in vtroque exempl. legit κόμην, comam] etiam gerit in cacumine aculeata: *florémque* pallidum (Ald. in nothis, ἐν τίσι δὲ τόποις πορφυροῦν, quæ verba Marcell. & Ruellius interpretantur, quibusdam verò locis purpureum: *radix* tenuis est atque inutilis (ἄχρηστος, & non superuacua vt Sarracenus reddidit. Huius folia, coma & semen trita potáque cum Pipere ac vino à Scorpione percussis succurrunt. Tradunt & nonnulli percussos, quamdiu herbam illam tenuerint, cruciatum non sentire, sed illâ depositâ statim sentire.

Sarracenus not.

Nomina spuria. *Menstrua purgatio.* Atractylida sunt qui Amyron [Ascyron Marcell.] qui Cnicum siluestrem, qui Aspidium. Magi Aphedron, hoc est, Menstruam purgationem, vocent, fortè a sanguineo succo, quem foliâ confricata reddere dicuntur. Et hac ratione Theophrasto φόνος, id est, cruor, Aetio, αἰμόρροον appellatur: quoniam & illa sanguineo succo est, vt certiùs in ea docebitur. Sunt etiam qui Theriatrisum, Ægyptij Cheno, Romani præsepium, aliqui Fusum agrestem, alij Colum rusticam appellent. Cur autem præsepium (modò integra ea vox sit) Romani eam vocarint, incertum esse scribit Marcellus. Cur autem Colum rusticam & agrestem Fusum, ex herbæ figura factum esse, quæ in maiore altitudine Colum, in minore Fusos rusticis fœminis dederit ad lanificium quibus diu sine opere, humanóque artificio nascentibus quotannis vsa vbique vita est. Sed postquam natæ & tractatæ in vrbibus artes sunt, quæ omnia vrbanis elegantiora facerent, neglectis rusticis fusis & colo, Buxus, Ebur, & Argentum in matronali lanificio amari cœptum est: & ad vitæ delitias, fortunæque opes translatum, quod solam sedulitatem sibi exigebat. Non tamen exclusa penitus & in muliebri opere damnata natura est. Sed antiquum retinet in agro honorem Atractylis: & quem quondam in omnibus habuerat vsum in rustica muliebri plebe adhuc habet: quæ vt rudi adhuc seculo: nec exculta artibus vita ab omnibus fiebat: fusorum genere hoc natura tamen eos porrigente aliquibus locis vtitur. Vtinam qui Ebuream milesiam colum scripto priuatim carmine Theagenidi amici Niciæ vxori laudatam donauit Theocritus pastorali & bucolico carmine de aliquo, idem agrestem hanc descripsisset. Et quam ipse humano opere factam tantopere celebrauit, in siluis inuentam Amaryllidi à pastore donatam finxisset, &c.

Præsepium. *Colum siue fusus rustica.*

Atractylis Æginetæ. Atractylidem numerauit Æginetalib. 1. inter Olera, Carduisque coniunxit.

Plinius

Cnicus silu. Plin. Plinius l. 21. c. 15. de herbis Ægyptiis agens, ita scribit. Cnici siluestris vna species mitior est, simili caule, tamen rigido. Itaque & colu antiquæ mulieres vtebantur ex illis: Quare quidam Atractylida vocant: Semen eius candidum, grande, amarum. Idem de eadem libro eodem c. 32. Nec de Cnico siue Atractylide verbosiùs dici par esset, Ægyptiã herbã, ni magnum contra venenata animalia præberet auxilium. Item aduersus fungos. Constat à Scorpione percussos, quamdiu teneant eam herbam, non sentire cruciatum.

Atractylis aut Cnicus siluestris, inquit Galenus, & ex eo Paulus, planta est ex spinosarum genere, habens vim siccandi & moderatè calidam.

Aequiuoca Quò Atractylis sit referenda, de qua loquitur Toxites in Onom. Philosoph. Cordus in Diosc. l. 3. c. 107. & lib. 4. c. 190. Rob. Const. in Lexico, Apollo rad. 1. in Diacassia cum foliis Senæ, Fernel. m. m. lib. 6. cap. 14. Gesn. in cat. plant. Bacchan. in Cons. Dauid Kyb. in Lex. & Helfric. in nomencl. 2. c. 23. vbi aliquot plantas simul confundit, perpendant lectores. Videntur nobis Atractylida Veterum intelligere, quam sibi incognitam fatetur Brunfels. in exeg. in Dioscor. lib. 3. Tom. 2. p. 118.

Cartamus silu. Est Cornario Atractylis ea herba, quam officinas ait Cartamum siluestrem, Germanos verò wilder feld Saffran appellare. Sed existimo

Corn. notatur. Cornarium nescire quid sit Atractylis. Non enim vulgaris est Germaniæ, nec nouimus plantam, quæ dicatur wilder feld Saffran / nisi intelligat

Carlina silu. Carlinam minorem quorundam, verùm ea non meretur nomen Croci.

Carduus benedictus. Sunt qui Atractylida credunt eam esse plantam, quæ Carduus benedictus vulgò dicitur, in qua quidem sententia non permanerent (inquit Marantha lib. 2. c. 10.) si foliorum situm non parui fecissent. Habet enim Atractylis folia in summis virgis, cæterò magna ex parte nuda existens. At Carduus ille, per caules folia profert.

Atractylis purpurea quorundam Atractylis purpurea Bononiensis tractus Atractylis Veterum esse non potest, quia non reddit succum sanguineum.

Atractylis marina cognominata, quam Pena apud Hist. Lugd. lib. 14. cap. 13. Pycnocomon appellat, est Carduus, qui Spina lutea dicitur.

Spina lutea. Siler. Quam Siler, alii Sil um, alii Fusaginem, Theophrastus Euonymum appellasse videtur, fortè meliùs, vt Cæsalpino videtur, Atractylis dicenda esset, à fuso, quàm spinosa herba in genere Cnici Phonos appellata à Theophrasto.

Acarna. Acarna Theophrasto videtur genus quoddam Atractylidis. Mirum autem Tragum lib. 2. cap. 166. dicere suum Carduum fullonium tertium posse ad Atractylidis aliquod genus referri. Est

Virga pastoris Anemone in genere. nobis Virga pastoris. Anemone Loniceto in Diosc. Gesn. in ascrip. Diosc. & Tabern. cognominatur Atractylis.

An hamæmelum eranth. quorundam An Tragi lib. 1. cap. 41. ἀνθεμον γενος aut nigra Dioscoridis, quam Atractylida inibi Tragus cognominat, est Chamæmelum eranthemum quorundam?

Atractylis Vera flore luteo. Atractylidem tandem veram existimo, quam flore luteo frequentem Lugduni & quidem spontaneam inueni, de qua nunc dicendum.

ATRACTYLIS VERA FLORE LVTEO.

Descriptio EX *radice* parua, nonnihil obliqua, *caulis* promitur singularis, striatus, subhirsutus, medullã



candidã farctus subhirsutus, *foliis* alternatis vestitus, atrouirentibus, neruosis, in profũdas & acutas spinosas lacinias dissectis, nullo donatis pediculo; supremus caulis in alas aliquot facessit, quarum extrema occupant *capita* foliolis lõgis mordacibus squammis compacta, iisque *flores*, qui staminei lutei in pappos resoluendi, superantibus.

Matth. in post. comm. Ital. cum mag. fig. l. 3. c. 101. figuram habet, ni fallor, huius Atractylidis malè expressam, sine descriptione. Ita vt meritò Lobelius in Aduersariis capite de Carduo benedicto in hæc verba prorumpat. Senensis suo more mordet, & nihil docet. Nam eius Attractylis nullis depicta aut asserta verbis iacet spectanda, non vt nos certiores, sed vt dubios reddat: parũ enim Diosc. descriptioni aut receptæ Atractylidi accedere videtur: vtrum verò illius silentium, an pictoris in exprimendo solæcismus & cacozelia inculanda sint, viderit lector. Fortè huc nullo delectu intrusa fuit, quia in penultimis illis commentariis abfuit, nec dum vlla certa, vt videtur, authori nota fuit. Ideò suo more, ne nihil ibi egisse videretur, velitandi ansam arripuit: ait Atractylidẽ non esse Carthami syluestris speciem, duntaxat, quòd argumento triuiali sanguineum succum non remittat, &c. *Matth. notatur.*

Atractylis (inquit Camer. apud Matth. in Hist. germ. lib. 3. c. 14. & in horto) non est ita reflexis & curuis caulibus, vt Matthiolus pingit. *Matth. fig. mala.*

De præsenti planta H. Lugd. l. 4. in duobus capitibus scripsit. Ac in primo quidem capite sc. 6. p. 1450. eam ita inscripsit. Cnicus siluestris prior, Atractylis Dalechampii. In secundo capite, sc. 13. eiusdẽ plantæ duas rursum exhibet figuras. Priorem videlicet p. 1468. mutato titulo, qui sic habet: Atractylis. Item alteram malam p. 1469. hac inscriptione: Atractylis quorundam Matthioli. *H. Lugd. 3. figura 4.*

Ἀτρακτυλὶς Græcis, Latinis quoque, ceu Dodon. Gall. & Lat. Matth. in post. comm. It. cum mag. fig. lib. 3. cap. 101. Lobel. in Aduers. cui & Cnici siluestris species Dioscoridis, Galeni, Plinii, & Aetii suffragio, Obs. pag. 483. Icon. Plant. Tom. 2. pag. 13. Lacunæ in Dioscorides (qui figuram habet, quæ placet.) Camer. in Hist. germ. & Epit. Matthioli. Bellon. Obs. lib. 1. c. 18. & Hort. Lusit. [qui wild Cardebenedickt vocat] Atractylis dicitur, quod eã antiquæ mulieres pro fuso vterentur: ἄτρακτος enim fusum significat. Quare Gaza Fusum agrestem, alii Colum rusticam appellarunt. Vocatur etiam κνῆκος ἄγρια, Cnicus siluestris. Recentiores quidam siluestrem carthamum appellant, hoc est, Belgis wilden Carthamus. Nothæ verò voces ante dictæ sunt, quæ à nonnullis huic adscribuntur, ceu & facultates. *Synonyma.*

A Scvvenkf. appellatur Carthamus sylu. recentiorum, Atractylis syluestris hirsutior, Atractylis tecticaulis Theophrasti. A Tabern. Atractylis Matthioli, Spindel: oder Spillen distel. *Miror* cur assumpserit malam Matthiol. figuram.

Locus & tempus

Atractylidem quam veram existimo vidi Geneuæ in horto Di. Coladonij Iurisconsulti, & circa Thuiri spontè prouenientem & florentem Iulio, & in itinere Basileâ Geneuam: Basileæ in horto Di. Doctoris Fœlicis Plateri. Lugduni frequens est spontanea. Montbelgardi in Horto E. C. sata fœliciter prouenit & semen maturuit. Nascitur, teste Dodonæo, in Creta, nonnullisque Græciæ prouincijs ac insulis, & in Narbonensi Gallia: Germanis ac Belgis hortensis est. Serò admodum floret, & semen maturat.

SPINA LVTEA.

Cap. XVI.

Descriptio.



PRo Scolymo Theophrasti Carduũ exhibent, *radice* nitẽtem pollicari, fuluescẽte, lacteum succum fundente, vescâ: ex qua *caulis* surgit bicubitalis, altiórque, multis alis concauus, albicans, hirsutus: *folia* primùm erumpẽtia, palmo longiora, per terrã sparguntur, dodrantem mox æquantia, viridantia, lacteis maculis confusis, leuiter sinuata, spinis horrida, lactiflua: at quæ in caule & ramis sunt, vt breuiora, ita & rigidiora sunt magísque senticosa, à quibus productę alæ spinosæ cauli ramísque adnatæ, tum hos tum illum intractabilem reddũt: *flores* inter folia resident aureo fulgore comantes, ex capitulo Ponticam nucem æquiparante, squammis innoxijs compacto, lac, non secus ac folia, fundente. *Semen* compressum.

Icones duas proponit Clusius, suam, quam Scolymum Theophrasti Hispanicum inscripsit, & Lobelij, cui titulum fecit, Scolymus Theophrasti Narbonensis. Dodon. lat. in fol. pag. 713. duas quoque exhibet Icones. Prima est ipsius Clusij, hoc titulo: Carduus Chrysanthemus. Secunda est ipsius Lobelij, hoc titulo: Cardui Chrysanthemi altera icon.

Scolymus Theophr. diuersa à Cynara & Cardo.

Vocatur Lob. in Adu. Scolymos Theophrasti seu Eringium luteum Monspeliensium, quem à Scolymo Dioscoridis haud parum abesse scribit. In Obs pag. 478. Icon. Plant. Tom. 2. pag. 6. Scolymos Theophrasti, Eryngium luteum Monspeliensium. Eringium Vegetij Clusio, Eringium Archigenis Anguillaræ.

Eryngium Vegetij, inquit Anguill. epist. 5. eadem est planta cum Scolymo Theophrasti. Item epistol. 8. vbi describit, dicit: Græci hodie vocant Scolymum illam plantam quã Vegetius in Mulomedicina nominat Eryngium, quã plantâ nunc Bononiæ vtuntur pro Eryngio.

Camerar. hort. Eryngium Vegetij, Scolymus Theophrasti Anguillaræ. Item Acarna Theophr. alijs Scolymus eiusdem, Eryngium Vegetij. H. Lugd. pag. 1438. Scolymus Theophrasti Clusio, quem ait Vegetium lib. de Veterinaria Eryngium nominare, Eryngium luteum Monspel. & Italos Bononienses. Gesner. hort. Spina citrina vel lutea. Tabern. icon. & Hist. Scolymus Theophrasti, Artischoss Theophrasti.

Bellon. Obseru. lib. 1. cap. 18. Carduus frequens in Creta vulgò græcè *Ascolimbres* dictus. Anconæ *Rinci*: & in Romana ditione *Spina borda*. Idem c. 25. ait in Lemno hanc spinam vocari Scombrouolo, id est, *Chardon de macquereau*. *Ascolimbros* *Spina borda.* *Scibrouolo.*

Passim prouenit circa Monspelium, florentem vidi mense Septembri & Iunio vti & Vere. Geneuæ primo anno non protulit caulem, sequenti floruit Iulio, hiemem protulit. Lugduni habui etiam. Montbelgardi ex semine mihi prouenit in Horto E. C. Valdè frequens in Creta, vbique spontè prouenit, vidit Bellon. Rauennæ, Anconæ, Romæ. Salmanticensi agro, totáque adeò Castella frequentissima est Scolymus Theophrasti Clusio, integra Æstate florens, interdum etiam Autumno, subinde semen proferens. Locus & Tempus.

Sues non minùs libenter vescuntur eius radice, quàm Eryngij vulgaris, vt Clusius aliquoties conspexit, Salmanticæ viuens, vbi incolæ tenellam adhuc plantam, & primùm germinantem, cum ipsa radice elotam, crudam, aut cum carnib. coctam edunt: ipsius lacteo succo omne lactis genus coagulant: etiam eius flore crocum adulterant (tametsi vicinis locis laudatum crocum abundè nascatur) vt quædam aliæ nationes Cnici flore. Vidimus Rauennæ in foro venalem & Anconæ mulieres colligentes necnon Romæ: vescuntur autem radice & folijs priùs quàm caulescat: inquit Bellon. Vsus.

HACVB SIVE SILYBVM quibusdam.



PRimo vere Asparagos protrudit, quos incolæ secant, nostratiúmque in modum coquunt ac comedunt. Tota planta Carlinę nostrati apprimè similis est. Minor tamen ea altiorémque erigit *scapum*, cui in summo *capitula* insidens spinosa, ex quibus *flosculi* emicant rubelli. Descriptio.

Halepensibus, descriptionis autore teste Rauvvolff. dicitur hodierno die Hacub, Serapioni c. 295. Hacub Alcardeg, Dioscoridis Silybum existimandum.

Circa

Locus. Circa Halepum, locis præsertim aridis, asperis prouenit.

Vires. Radix infusa potaque nauseam parit & vomitum, ventriculoque inappetentiam imprimit.

CALOCHIERNI CARDVVS Cretensibus.

Calochierni Cretensium Hon. Bello ad Clusium, spinacea est Atractylidi & Cnico siluestri similis, maior tamen, echinos & ipsa proferens, flores non vidi, inquit Bellus in epist. ad Clusium nam tota sicca erat, semen duntaxat collegi. Hæc etiam à rusticis antè quàm caules exeant, comeditur, & nisi Acarna siue Acorna sit Theophrasti, ingenuè me eam ignorare fateor: interea semina terræ committere poteris, & eam obseruare, vocatur καλοχιερνι ἀγκάθι, hoc est, æstiua spina. Et hæc Clusio semine nata, quæ antequam florem proferret, gelu corrupta, valdè autem similis Atractylidi.

ERYNGIVM VVLGARE.

Descriptio 

Vulgare Eryngium *radice* perquam longâ nititur, minimi digiti crassitudine, candidâ: *caulis* striatus, albicans, cubitum aut sesquicubitum longus, medullâ fungosâ albâ plenus, in crebros *ramos* circa summum diuiditur: *folia* lata, ferè glauca, rigida, sæuis spinis vndique minantur, profundè laciniata, quorum singulæ laciniæ consimiliter subdiuiduntur: *echinis* creberrimi, Virgæ pastoris æquales ferè, inter mordaces spinas *flores* proferunt albicantes, apicibus concoloribus donatos, quibus subiecta in orbem folia striata, longiuscula, & mucrone & marginibus spinosis.

Eryngium in aculeatarum genere dicitur à Dioscoride. Lata autem sunt eius folia, & in extremo ambitu aspera [τραχέα, alii ταχέα sed vulgata scriptura melior,] gustu aromatica. Sed vbi augescunt, circa complures caulium eminentias in spinas aculeantur, in quorum summitatibus globosa [σφαιροειδῆ, vetus caret] sunt capitula, spinarum acutissimarum duratumque ambitu stellatim [ἀστερος εἰκῇ, ita vulg. sed Cat. addit σφόδρα alii] circumuallata. Horum color aliàs viridis (vet. χλωρὸς deest in vulg.] nunc pallidus, aliàs albus, interdum etiam cæruleus inuenitur. Radix oblõga, lata [πλατεῖα, pro qua voce vet. σπιθαμῆ] in superficie quidem nigra, intus verò albicans, pollicis crassitudine (vet. addit. μείζω) quæ & ipsa odorata est, & aromaticum quidam resipit.

Eringium sunt qui Eryngum, qui Eryngen, qui Eryneren [Erynerin Corn.] qui Caryon, qui Gorgonium, qui Hermion, qui Origanum Clonium [Clunion Corn.] qui Myracanthon, qui Moly, qui Cattete, qui montanam chloen [montanam herbam Corn.] qui Chida appellent. Ægyptii Crobiscum, Magi Symertum, Prophetæ Sistertor Corn.] Daci Seupnoen, Hispani centum capita (ἑκατοντακέφαλον, à numero capitum) Aphri Cherdan, Romani capitulum Cardui, vocant. Myracantha verò inter alias nothas appellationes vocatur à vi & radicis odore. Nihil enim aliud quàm odoratam Spinam ea vox significat.

Plinius Eryngem & Eryngion vocat: Ipsa dura, inquit, fruticosa: spinosis foliis caule geniculato, cubitali, & maiore aliquando: alia albicans, alia nigra: radice odorata, & satiua quidem est: sed & spontè nascitur in asperis, & saxosis, & in littoribus maris durior, nigriorque: folio Apii. Ex his candidam nostri Centum capita vocant: omnes eiusdem effectus: caule, & radice receptis in cibos Græcorum vtroque modo, siue coquere libeat, siue crudâ vesci: commendat contra venena omnia, aliaque multa addit ex Dioscoride.

Cæterò cùm Dioscorides Eryngium odoratum esse scribit: intelligi statim Marantha si abrumpatur & aliquatenus tundatur: aliter enim vix in eo odorem aliquem sentiri.

Eryngium Cardo in Dioscor. Fuchs. Matth. in prior. comm. Trago, Rhegino in exerc. Harchio, Lacunæ, Lonic. in Hist. & in Dioscor. Cæsalp. Gesn. in Maio. Camer. in Epit. Matth. & Tabern. Eryngium. Anguill. epist. Eryngium vulgare in Græcia & Italia. Camer. apud Matthiol. in Hist. germ. & in horto med. Dod. gall. Clus. in Hisp. Pannon. & Hist. post. & Schvvenckf. Eryngium vulgare. Clus. item, vt & Lob. in Adv. C. Bauh. apud Matth. Eryngium campestre vulgare. In Obs. p. 499. & Icon. Plant. Tom. 2. pag. 22. Eryngium campestre mediterraneum. Bellon. in Obs. & Turn. Eryngium mediterraneum. Cast. Durant. p. 172. Eryngium, Eryngium terrestre siue montanum. Dod. lat. in fol. Eryngium campestre siue alterum, à Plinio Centum capita vocatum, flosculis cæruleis, rarò luteis. Gesn. hort. Eryngium alterum mediterraneum: de coll. stirp. fol. 75. Eryngii, id est, Cardui cuiusdam odorati species. Matth. in post. comm. cum mag. fig. Lat. & Ital. Eryngium montanum. H. Lugd. Eryngium montanum Matthioli.

Nomina linguarum. Ἠρύγγιον Græcis, Lat. Eryngium, Iringus Officinis corrupto vocabulo dicitur, plerique etiam Centum capita nominatur, à numero nimirum capitum, quæ in summo obtinet, vnde Galli. *Chardon à Cent testes* vocãt. Germ. **Wassendistel/ Brackendistel/ Kraußdistel/ Manßtrew/ & Radendistel.** Belg. **Eryndistel.** Dod. gall. *Panicault* Matth. It. *Eringio, & Iringo.* Hisp. *Cardo corredor*, quia caulis resiccatus & abruptus, à vento impelli & prouolui solet, præsertim locis planis & apertis. Angl. **Sea hollye or Sea huluer & communiter Sea Hyde.** Turn. Boh. **Macka oder Mussta wiira.** **Isten atkozta tousak**/h.e. à Deo maledicta spina, Centum capita. Græci quidem Philosophi Eryngium quasi ἤρυγγον, id est, rustum, dictum autumant, quòd capræ quæ morsu surculum Eryngii præciderint, vel deglutierint, cunctum gregem ponè sequentem quasi stupore attonitum sistunt, donec Eryngium tactu reiecerint.

Frequens propè Tridentina mœnia ac in Gorlicensi agro, quin & compluribus Italię locis. In omnibus, quas adut Clusius, Prouincijs frequenter obuium fuit. Copiosè prouenit in planitie inter Arboüans, & Audincourt è regione Bechamps non longè à Montbelgardo: Geneuæ in *plain palais* incipit erumpere in fine Martij: Monspelij, Lugduni & Basileæ passim, in campestribus & asperis locis.

Vires

Eryngij folia, authore Dioscoride, primo germinatu muriâ condita in cibos oleris vice recipiuntur. Id porrò vim habet calefaciendi. Potum ducit vrinas & menses, torminàque ac inflationes dissoluit. Hepaticis autem, & à venenatis bestiis commorsis, & his qui lethale venenum sumpserunt conuenit cum vino. Bibitur aduersus plurima mala, cum semine Pastinacæ drachmæ vnius pődere. Fertur quod alligatum pro amuleto, & in cataplasmate impositum, tubercula discutit. At radix ipsius cum aqua mulsa pota, opisthotonicos & comitiales sanat. Non parum autem falluntur qui Secacul ab Eryngio secernere nescientes, Eryngij radices tum Sacchar o tum melle asseruatas Venereis infeliciter commiscent auxilijs, vt qui ederint fortiores, salaciorésque reddantur. Quippe hac facultate Eringium præstare nusquam hactenus apud Diosc. & Galenum Matthiolo reperire licuit. Radix, cũ visco quernσ, ijs subuenit quos vel epilepsia, vel spasm⁹ affligit. Eadẽ sacchar o cőditur in vsus prædictos. Ex teneris foliis mẽse Maio aqua exstillatur, quę pota eximiè bona est contra pustulas Luis Venereæ, mirificéque ab hac labe sanguinem emundat: vtilis eadem in febribus quotidianis & tertianis experimento certo cőprobata: ad quævis colli vitia, cum aqua pluuiali etiam prodest. Radix contusa & imposita, spinas & lignorum fragmenta assulásve extrahit. Eadem cum axungia salsa mista, carnem ab ossibus recedentem continet imposita. A veterano quodam Medico Italo, teste Camerario, compertum est, radicem Eryngij probe contusam, modicéque in vino rubro coctam, & impositã abortũ prohibere, quãquã cőtrà intrò sumpta partum acceleret. Foliorum succum cum vino expressum vtiliter propinat Dodonæus ijs, qui gonorrhœa Venerea vexantur. Aiunt autem Eryngium herbam, si capella vna in os sumat, ipsam primùm, mox totum gregem subsistere, donec accedens pastor ori eam eximat, Plutarcho auctore. Affirmabat quidam, inquit Aetius, assiduò Eryngij vsu, nunquam postea minxisse calculos, cùm priùs eo morbo frequentissimè vexaretur.

ERYNGIVM CÆRVLEVM.

Descriptio

ERingium hoc cæruleum à vulgari nobiscum distinguunt solo floris colore Matth. Anguillara, Castor, & Gesnerus de hortis. An eidem in App. pag. 292. Eryngium impropriè vocatum, Rosa Hierisuntis?

Lob. in Aduers. Eringium montanum cæruleum, non recipiendum pro Dioscorideo. Obs. Eryngium montanum tenuifolium ambitu profundè sinuatum. Clus. Histor. post. libro 5. pagina 158. Eryngium 4. siue montanum sine icone.

Cæsalp. lib. 15. cap. 28. Eryngium aliud cacuminibus caeruleis, quod in monte Auerno Apennini Spinam S. Francisci vocant. Camerar. hort. Eryngiũ totum cæruleum in montibus Allobrogum: Ad Histor. Matthiol. Germ. lib. 3. capit. 10. Eryngij aliud genus cæruleo flore: cuius genus prouenit tantùm in Auerno Apennini, &c.



Locus & tempus

Per plures annos habui Montbelgardi in Horto Ill. E.C. sed incuriâ hortulani periit, qui euulsit improuidè: Vidi Eslingæ in horto Di. Volmarij: Basileæ in horto Domini Doctoris Fœlicis Plateri: Stutgardiæ in horto Ducis: Argentinæ in horto Friderici Meier.

ERYNGIVM MARINVM.

Descriptio



ERyngio marino *radices* subsunt longissimæ circumquaque profundè vagantes, sapore aromatico, *folia* plurimũ pullulãtia, quæ in Matthioli icone omissa ex longis pediculis, nihil aut perparum laciniata, ferè rotunda, latiora tamen vtcunque quàm longiora, interdum latitudine palmũ excedentia, crassa siue spissa, albicantia vel glauca, vti tota planta, quæ in adolescente planta tum in lacinias abeunt, non admodum tamen profundas, sed rigidorum spiculorum mordacitate multò infestiores, nec crassitudinem illam etiam siccata amittunt, licet neruosiora appareant, multò etiam quàm Mediterranei latiora, *caulis* cubitalis valdè ramosus: capita extremis ramulorum inter pungentia folia sedent, *flores* proferentia albidos. *Semina* duo iuncta, lata, quæ cùm spinis vndique sint obsessa, vix impunè eximi possunt.

Hoc Eryngium Gesner. de coll. stirp. & in append. Anguill. epist. 8. (qui cum Matth. Crocodilion negat,) Matthiol. in suis comm. in Dioscor. Hist. germ. & Epit. Camerari) (qui posuit aliam figuram ex Gesnero factam ad meam plantam illi missam) Camer. hort. Castori pag. 173. Apollinis rad. 1. supra Dialar. Clus. Hist. post. lib. 5. p. 159. (cui &

(cui & Eryngium 5.) & C. Bauh. apud Matth. Eryngium marinum dicitur. Brassauolæ Eryngium. Goropio Eryngium maritimum, Erygiumglycyrrhizon. Hist. Lugd. p. 1459. Eryngium marinum Matth. de quo ait. Eryngii licèt satis dilucida sit à Dioscoride tradita delineatio, quodnam tamen Eryngium propriùs repræsentet, nondum inter Herbarios constat. Aliis enim Eryngium hoc marinum indiciis omnibus propiùs exprimi placet. Hoc Plinius lib. 22. cap. 7. in litoribus maris, folio Apii esse dixit, quod aut falsum est, aut deprauati codices, vt pro [illegible] [illegible] legisse videatur.

Lacuna in Diosc. lib. 3. c. 5. hoc Eryngium pingit nomine Glycyrrhizæ spinosæ. Dicens Plinium lib. 9. cap. 22. confundere vulgarem Glycyrrhizam cum Eringio marino quod vocatur etiam à Crateua Glycyrrhiza. *Lacunæ err.* Non existimo cum Lacuna confudisse Eryngium cum Glycyrrhiza Plinium, sed malè legisse folia Glycyrrhizæ & Echinodea pro Schinodea, id est, Lentiscina.

Dodon. Eryngium marinum. Lobel. in Aduers. p. 375. Eryngium marinum & vescum Dioscoridis descriptioni magis accedens. Obseru. p. 489. Eryngium marinum. Drypis Theophrasti quorundam. Aduers. p. 375. videtur Acanos Plinii. Icon. Plant. Tom. 2. p. 21. Eryngium marinum, Drypis Theophr. quorundam.

An Bellon. Obs. lib. 1. cap. 18. Eryngium Antiquorum & Eryngium marinum in Creta prouenien s?

Locus & tempus. Eryngium marinum mihi prouenit Montbelgardi in Horto e. c. Habebamus Lugduni in horto. Vidimus Stutgardiæ in horto Ducis, & Basileæ in horto Dn. Dris Fœlicis Plateri pulchrè virens Octobri. Semen maturum profert in Autumno & prouenit Vere. Veneta litora vt dique referta spectantur. Non modò in calidiorum regionum, quales sunt Hispania, Italia, Gallia Narbonensis & similes, sed etiam frigidiorum & ad Septentrionem vergentium, vt sunt Anglia, Belgium, Hollandia, atque aliæ iis adhuc frigidiores, maritimis frequens spontè nascitur, & radice sub terrâ vagatur.

Vires Matthiolus ait radicem minùs siccare quàm alteram, sed easdem possidere vires. Dodonæus, qui primum facit, ei tribuit vires quæ vulgari Eryngio tribui solent, dicens: vtriusque radix excalfactoria, &c. Meminit Clusius Rondeletium, marini Eryngii radices (quas potiss. vsurpandas censebat) Saccharo conditas præscribere solere mulieribus frigidiore vteri intemperie laborantibus, ad iuuandum conceptum, priùs tamen purgato vt decet corpore, & necessariis præmissis.

ERYNGIVM PVMILVM.

Descriptio PAlmi est, nonnunquam pedis, altitudine, *caule* gracili, multis ramis ex aduerso vt plurimùm nascentibus, prædito: *folia* circa radicem in rotæ speciem humi sparguntur, minuscula, latiuscula, & molliora: at, quæ in ipso caule sub alis nascuntur, multifida sunt, tenuia, in ambitu serrata & aculeata: ramulorum summitatibus globosa insident *capitula*, octo plerumque spinosorum foliorum ambitu stellæ instar circumuallata, ipsa etiam spinosa: *flos* & tota capitula cum suis foliolis ea ambientibus, cærulei sunt coloris: succrescente plantâ, folia secundum radicem in orbem nascentia marcescunt, deinde alia caulem



ambientia exsiccantur & decidunt, verò plantam [cùm defloruit] cum foliis, præsertim inferioribus, reperire liceat: *radix* dura quidem & lignosa sed quæ non viuax sit, & singulis annis semine maturo pereat, semineque deciduo renascatur.

Clus. Hisp. Eryngium pumilum. Hist. rar. lib. 5. p. 159. Eryngium pumilum Hispanicum, Eryngium tertium.

Lob. Obs. p. 490. Icon. Plant. Tom. 2. pag. 21. Eryngium pumilum Clusii. Tabern. icon. & Hist. Dodon. lat. in fol. p. 720. & H. Lugd. p. 1461. Eryngium pumilum Clusii.

Post messes plerumque inuenitur passim agro *Tempus.* Salmanticensi in collibus, & nusquam alibi: semine quidem inde relato, natum est apud Belgas, sed seriùs flores protulit, qui nullum semen dederunt, deinde color ille cæruleus longè fuit remissior.

ERYNGIVM PVSILLVM. planum.



Descriptio HVmile est, inquit Clusius, statim à *radice* in plures ramos diuaricatum, teretes, rotundos, procumbentes: ad quorum singula veluti genicula nascebantur inordinata *folia*, extrem latiuscula, circa pediculum angustiora & crenata: quæ verò circa radicem, formâ quidem illis similia, sed ampliora, vnciam lata, binas aut ampliùs longa, ex viridi pallescentis coloris: frequentes ex alis *ramuli* nascebantur, ad quorum singulos nodos foliola, & echinata virentiaque capitula exoriebantur: *florem* obseruare non licuit, nondum se prodebat cùm sub sequentem Autumnum Viennam euocarer: *radix* satis crassa, & aliquot fibris donata: quin & procumbentes cauliculi plures, secundùm radicis caput, crassiusculas fibras agunt, quibus subinde sese

firmant. Et secundum hoc Eryngij genus, Eryngium sc. pusillum planum, non à me quidem natali loco obseruatum, sed in exculto horto Ill. viri Ioannis de Brancion crescens conspectum, quod Ioannis Mutoni Tornacensis Pharmacopœi, munere acceperat.

Pusillum Eryngium planum Mutoni, inquit Lobelius (ita enim inscribit in Obs. p.490. Icon. Plant. Tom.2.p.22.& H.Lugd.pag.1461.) rarò nisi vel in hortis apud Belgas visitur, foliis quàm Dipsacus longè minoribus, angustioribus: coliculis dodrantalibus & pedalibus, anfractuosis & diuaricatis, in quibus summis & secundum longitudinem flosculi minores quàm Campestris Eryngij. Radix Corrudæ aut Asparagi, sed minor multò perennat. Nuspiam me vidisse memini, nisi in hortis Ioannis Mutoni.

ERYNGIVM PLANVM, LATIFOLIVM Capitulo rotundo paruo.

Descriptio



CVm Clusij descriptio omnibus numeris absoluta sit, eam hic tradimus. Bicubitalem, inquit, vel ampliorem habet altitudinem, *caulem* firmum, striatū, medullâ albâ plenum, ac veluti nodis distinctum, præsertim quà parte eum amplectuntur latâ & membranaceâ sede *folia*, tres aut plures vncias longa, duas lata, viridia, venosa, in ambitu serrata, & aspera nonnihil, subamaro, acriusculóque gustu: quę verò circa radicem nascuntur, longiora latioráque sunt, & oblongis pediculis innituntur: summus caulis in aliquot ramos diuisus, breuiora folia habet, eáque in profundas lacinias diuisa, & mollibus spinis prædita: summę deinde alæ in aliquot ramulos desinunt, echinata *capitula* ferentes, sphæricæ ferè rotunditatis, in quibus multi cærulei *flosculi* albicantibus staminibus præditi, sub ipsis autem capitulis nouem aut plura oblonga, angusta, aculeata foliola, stellæ instar expansa: ipsa porrò capitula cum summis ramulis, supremáque caulis parte, interdum vetustate cæruleū prorsus colorem adquirunt: *radix* in nouellis plantis digiti crassitudinem & longitudinem æquat, aliquot fibris donata, foris subfulca, intus alba, carnosa, gustu dulcicula, perinde ac Eryngij marini radix: vetustate subinde grandescit, & in plures alias radices exuberat, singulis annis ex lateribus frequentiores caules proferens: aliquando tamen hoc in ista planta obseruabam, vt producto semine, subsequens hiems illam prorsus corrumperet, præsertim cultioribus locis.

Matth. in post. comm. Italicis lib. 3. cap. 21. Eryngium planum: is nomine tenus tantùm meminit. Nec placet Camerarium apud Matthiolum pro hoc Eryngio plano ponere figuram Eryngij Alpini, ac diuersum facere à Clusij Pannonico Matthioli planum.

Castori Durant. p.173. Eryngium planum siue læue. Clusio Pann. & post. Hist. l.5. pag.158. Eryngium Pannonicum latifolium. H.Lugd. pag.1460. Eryngium planum Matthioli. Dodon. Lat. in fol. p.720. Eryngium spuriū primum. Tabern. icon. pag.693. & Histor. lib.2. pag.367. & 369. Eryngium cæruleum 1. Blaw meer wurtzel. Item Eryngium cæruleum 2. Item Eryngium alpinum cæruleum, Blawberg/ Brackendistel. Tres figuras vnius plantæ habet, posterior est Matthioli quæ deterior. Tab. icon. not.

C. Bauh. apud Matth. Eryngium alpinum planum capite Dipsaci, quem Carduum nobilem Bernenses, in quorum alpibus frequēs, vocitant. Eringium planum Matthioli (in cuius figura capita Dipsaci requiro) Dodon. Cast. Lugd. Eryngium aliud montanum Dalechampij eidem, quod & sub Spina alba, sed figura vitiosa, posuisse videtur. Eryngium alpinum Gesneri, Eryngium magnis latisque capitulis. Eidem in app. Eryngium montanum tenuifolium, ambitu profunde sinuatum Lob. Obs. Alpinum cæruleum Genev. Lobel. Eryngium alpinum cæruleum, Tabern. Eryngiū capite Dipsaci Cam. Herba peregrina foliis Acanthi, & Acanthus sylu. Dioscor. Cæsalp. *Non videtur fuisse notum C. Bauhino* Matthioli Eryngium planum, si notum, in eo non requireret capita Dipsaci, nec idem fecisset cum Carduo Dipsaci capite, qui diuersus, sicuti etiam Carduus nobilis Bernensium. C. Bauh. not.

In hortis Vratislauiæ primùm istud obseruauit Dodonæus: Frequens nascitur in pratis ad Danubium suprà & infrà Viennam sitis, & in hortos illatum fœliciter prouenit. Floret Iunio & in Silesiacis montibus spontè etiam nascitur. Prouenit nobis Montbelgardi in Horto E. C. vnde habuerimus semen non recordamur, primo anno non protulit caulem. Floruit autem nobis Augusto & Septembri. Locus & Tempus.

ERYNGIVM ALPINVM LATIS FOLIIS, magno capite oblongo cæruleo.

Descriptio.



PLurium capitum est *radix* pollicaris, terram versus comosa: *folia* prima plus quam cubitalibus nixa pedeculis, Calthæ palustris, eodem modo propter pediculum falcata, sed mucrone acutiore, per ambitum serrata, alia per *caules* ad ramorum diuaricationem laciniata & profundè incisa, cærulea, potissimùm suprema, quemadmodum & caulis ipse cum ramis, echini magni oblongi, densissimo creber-

Crebertimorum cristatorumque foliorum cæruleorum echinum superantium vallo latent medii.

Lobel. in Aduers. p.375. Icon. Plant. Tom. 2. p. 23. Eryngium alpinum cæruleum Geneuense perquàm venustum. Gesn. hort. Eryngium alpinum Edler distel. De coll. stirp fol. 75. Eryngium alpinum cæruleum Edler distel.

Camer. apud Matthiolum Germ. & Epit. Eryngium planum, siue læue, Italis *Iringo lisćio* & *Iringo senza spine*. Figura ex Gesnero, cui aliquando misi Eryngium alpinum pulchra est planta, diuersum tamen facio ab Eryngio plano Matthioli, huic enim magna capita longa.

H. Lugd. not. Spina alba Dalech. H. Lugd. p. 1460. Eryngium aliud montanum Dalechampio. Eiusdem Eryngii malam figuram existimo poni pag. 1462. titulo spinæ albæ Dalechampii.

Locus & tempus. Eryngium alpinum Geneuæ vidi translatum ex vicinis alpibus in hortos mense Martio folia incipere depromere. Quidam rusticus, ni multùm fallor, vocabat Cardon gentil: abundantem reperi in monte Thuiri, florere incipientem Iulii principio. Basileæ vidi anno 1595. mensis Augusti fine cum semine maturo in horto Di. Io. Hertzman Pharmacopœi, vnde accepi semen serendum Montbelgardi in Horto i. c.

CARDVVS STELLATVS SIVE Calcitrapa.



Descriptio. Cubitū & sesquicubitum altus est *caulis* angulosus, subhirsutus, alis multis concauus: *folia* satis mollia, pedem aliquando longa, aliquantùm incana, profundè in lacinias inconditas dissecta: *capitula* extremis hærentia ramulis glabra, Cyani capitulis æqualia, singulis squammis in vnciales & sescunciales rigidas, mordaces, rectà fores minantes spinas desinentibus, vt radiatam stellam imitari videantur: *florum* stamina purpurea, rariùs alba: *semen* lubricum paruum, oblongum: *Radix* digitum vel magis crassa, mollis, succosa, neruum habens vt aliæ radices, duriusculum, colore albescens, longa pedem, Raphano similis, Columnæ.

Ruellius stellatum hunc Carduum intelligit lib. 3. cap. 84. vbi ait. Tribuli terrestre genus quibusdam esse putatur, quod vulgus Chaucetrapam, vel Calcatrepam vocat, quod cacumen veluti muricibus, quas vulgus appellat Calcatrepas, muniatur, & spinarū aculeis insigniter armetur, ramis humi procumbentibus, siliqua spinarum vallo muricata, in qua semen rotundum, nigrum, rudera & septa villarum obsidens: sed folium mihi nullam referre Portulacæ similitudinem videtur, nisi forsitan id genus esset, cui Cicerculæ folium à Theophrasto redditur. Adhęc lib. 2. cap. 117. dicens. Acanos non multùm ab ea quam vulgus Calcatrepam appellat dissidere cognoscitur, cùm aculeata sit & breuis, latis & nocentibus vallata spinis, caule breui ac toroso, floribus, seu potiùs pappis in cacumine purpureis, rotundis capitibus, & spinarum septo muricatis, inde nomen in vulgus abiit, quòd murices Calcatrapas nominet: radice candida, digitali. Hanc spinam humo erutam rura domorum laquearibus appendunt, ad arcenda vt putant maleficorum veneficia. Nascitur in incultis & asperis vbique. Ea spinæ breuitate, & multitudine capitulorum rigentibus aculeis armatorum Eryngium sectatur, ideò Eryngiorum generi nonnullis, vt Aëtius retulit, adscribitur. Echinato capitellorum habitu reliquaque facie album Chamæleonem exprimit, quare ipsum Acanon, vt Theophrastus testatum reliquit, aliqui vocauerunt, inde ab Acano Latinis quæ aculeato sunt conceptu, aut floris sede, fructuque spinoso, feliciter Acanacea dicuntur, laborantibus Græcis vno verbo hos tres affectus includere.

Cordus in H. st. lib. 1. cap. 16. nomine Polyacanthæ describit, cuius icon è Dodonæi libris mutuata est, pictorum fortè incuriâ, non optima.

Trago Eryngium alterum, quòd minùs ritè describit. Apollinaris lib. 2. pag. 154. malè pingit Calcitrapam pro Brackendistel/ Maußtrew [Eryngio] nec sine errore hæc nomina germanica ei vnà cum viribus Eryngii adscribit. *Tragus & Apollin.*

Apollo rad. 1. in Diasatyr. 2. Labuntur, inquit, qui Calcitrapam radicem, vulgò Cacatrepola, stellatum herbam, de qua Plinius lib. 22. c. 7. pro Eryngii radice, vtrumque confundentes, loco Secacul substituunt. Item in elect. de cineribus. Matthiolus in Ruellium inuehitur, quòd existimarit Tribulum aculeatum Theophrasti eam esse stirpem vulgato Caaatrepolæ nomine: secus autem dictat Ruellius, cuius verba post descriptionem subiecta sunt. En ergo pigmea phalanx in Herculem dormiētem Ruellium. *Quid* Apollo velit per authoritatem Plinii nescio, nondum vidi, nisi error Typographi, & fortè legendum 22. lib. cap. 7. quia ibi fit mentio Eryngii, Matthiolus non tantopere mihi reprehendendus hoc loco videtur vt fit ab Apolline, non annotans hæc Ruellii verba, nisi forsan id genus esset cui Cicerculæ folium à Theophrasto redditur: apparet Ruellium dubitasse, ac veluti separasse Tribulū Diosc. à Tribulo Theophrasti.

Dodon. lat. in fol. p. 721. Carduus stellatus. Nonnulli Stellariam vocant: Cordus Polyacanthum, sed tamen πολυάκανθα siue πολυάκανθος Theophr. (Gaza Aculeosam vocat) fortassis ab hac differt. Falluntur autem qui Eryngium aut aliquam eius speciem esse autumant. Matth. Calcatrippam Italis dici ait, Germanis wallendistel/ Radendistel: Belg. Sterre distel: Gallis *Chausse trappe.* Gall. l. 4 c. 60. Carduus stellatus & Stellaria & Calcitrapa. Non est species Eryngii. Figura in Hist. Gallica Dodonæi minùs placet, potissimùm quod capita attinet, quæ meliùs pingi possent. Brunfels. herb. p. 281. satis commodam figuram exhibet sub alieno titulo, nempe Eryngii.

Lobel. in Aduers. Carduus stellatus, seu Calcitrapa, & Tribulus Ruellii, Coronopus [adde quod vocabulum errore Typographi in Adv. omissū est] Plinii. Calcitrapam vulgò nuncupatam

quia non manibus, sed calcibus atteritur, minus decuit Commentatorem indictam præteriisse. Indictus Matthiolo non est hic Carduus, vt sibi falsò persuadet in Aduers. Lobelius. Idem in Obseru.p.483. Carduum stellatum, siue Stellariam & Calcitrapam satis commodè (vt etiam in Icon. Plant. Tom.2.p.11. sub iam dictis nominibus) pingit, ac dicit: Perperam Polyacantha Cordo vocatur, an Myacanthus Theophrasti cap.4.lib.6. Spina alba vera Rondeletio, an Theophrasti Tribulus fobo Cicerculæ Ruellio.

Lobel notatur.

Clus.Hist.post.lib.4.cap.2. Carduus muricatus, vulgò Calcitrapa dictus: Iconem sine descriptione ponit.

Tabern.Icon. p.701. & Hist. lib.2.p.376. Stern distel, Spina stella. Itē Icon.p.702.& Hist.p.377. weiss Stern distell, Spina stella alba. Frustrà ponit duas figuras.

Cæsalp. *Cacatreppola* vulgò quasi Cacotribulus, id est, infestus Tribulus, quidam Stellariam.

Camer. hort.34. Carduus stellatus, Eryngium Guillandini Calcatrepola. C.Bauh. apud Matth. Carduus stellatus. Schvvenckf. Carduus stellatus, Calcatreppa Italorum Matthioli.

Fab.Columnæ de plant. Hist.pag.107. Hyppophæstum dicitur, ac ab ipso cum Hippophæsto Veterum confunditur.

Locus & tempus

Nascitur circa vrbes, oppida & pagos, planis & campestribus locis, præsertim in Rhenana regione, autore Cordo. Clusio teste crescit in nonnullis Stiriæ & Morauiæ locis, verùm non adeò frequens vt in Germania reliqua & Belgicæ Galliæ Prouincijs. Exit passim, inquit Dodonęus, in Zelandijs & alijs maritimis, circa Antuerpiam frequens: reperitur & in Germania, Italia, ac alibi secus vias: Iulio & Augusto potissimùm cum flore vigens. Carduum stellatum siue Calcitrapam accersiui Geneuâ, attuli etiam Colmariâ, plantaui & seminaui in Horto E.C. verùm non diu durat, Monspelij vbi abundat vocatur Calcitrapa. Florentem vidi mense Augusto inter Lausannam & Geneuam, & in vrbe ac extra vrbem *en plain palais* vel alibi mense Octobri & Nouembri. Reperi albo flore inter Geneuam & *Colegni*: Copiosum obseruaui in Italia vt Brixiæ & Mediolani in ipsa vrbe mense Maio, Patauij circa muros, Lugduni cum flore albo & purpureo Septembri & Octobri.

Vsus & Vires

Augerius ad calculum plurimùm prædicat. Facultate autem hic Carduus, Dodonæo teste, excalfacientis naturæ est. Semen ad vrinæ difficultatem commendatur: vrinas ciere & calculos expellere fertur cum vino exhibitum. Baptista Sardus aquam ex hoc Carduo destillatam auxiliari affirmat lue venerea infectis: iecur item huius vsu adiuuari, obstructiones eius tolli, sanguinémque à vitiosis humoribus emundari, & aduersus diuturnas febres, siue quotidianas, siue tertianas, vtiliter exhiberi. Font. de morb. int. lib.3. cap.8. ad diarrhœam in lotione crurum cum astringentibus pręscribit radices Calcitrapę. Item cap.10. ad dysenteriam.

LEVCACANTHA VETERIBVS.

CAP. XVII.

Descriptio

DE Λευκάκανθα quam Romani Gniam Carduū, Thusci Spinam albam vocant, Dioscorides breuiùs, quàm nobis ad eius cognitionem comparandam necesse fuerat, scripsit. Leucacanthæ *radix*, inquit, similis est Cypero, amara, valida (vel vt alij παρὰ ἰσχυρῶς, i.e. amara valdè) Hæc manducata dentium dolores mitigat. At decoctum eius cyathorum trium mensurâ cum vino potum, auxiliatur pleuriticis diuturnis, ischiadicis, ruptis, & conuulsis. Sed & succus radicis potus eadem facit.

Nec fusiùs Plinius. Leucacantha, ait, quam alij Phyllō, alij Ischiada alij Polygonaton appellant, radice Cyperi, quæ cōmanducata dentium dolorem sedat. Item laterum & lumborum, vt Hicesius tradit, semine poto drachmis octo, aut succo. Eadémque ruptis conuulsisque medetur.

Galenus Leucacanthę, quam aliqui Polygonaton, aliqui Ischiada vocant, radicem amaram esse dicit, & propterea secare ac siccare tertio ordine. Verùm in calefaciendo primi ordinis esse.

Ex qua breui mentione, quæ sit hodie Leucacantha, haud facilè est decernere. Illud saltem extra dubium est, quod Leucacantha [Alba spina] non solùm vocum transpositione & compositione ab ἀκάνθα λευκῆ solutâ compositione i.e. Spina alba, differt, sed etiam re ipsâ maximè, quod apertè prisci authores monstrant, qui seorsum & diuersa, de vtraque tractant.

Acquiuoca

Acantha leuc.

Suspicatur Cornarius eam esse Spinam, quam vulgus Herbariorum Carduum Mariæ, Matthiolus lacteum appellat, quam opinionem non approbamus cum Lobelio.

Card. Mariæ

Figura, quæ apud H.Lugd. lib.14. c.11. pro Silibo, seu Leucacantha Loniceri ponitur, est Spinæ albæ siluestris Fuchsij, siue Acanthij quorundam. Leucacantha non est Carlina illa, quæ caulem profert, licèt Dodonæus eius fuerit opinionis, teste Lobel. Lonicerus pro Leucacantha malè ponit lib.5. cap.28. nomine weißgarten distel/ Carduum, qui Echinopus cognominatur. Leucacantham Dioscoridis suspicantur Lob. & Pona esse Carduum bulbosum Monspeliensium. Sed errant, vt patet capite de Acantho siluestri Dalechāpij, siue Carduo bulboso. Leucacātha Mōspeliēsiū Dalechāpij in Hist. Lugd. lib.14. c.10. genuina non est, vt periti Herbarij nobiscū iudicāt, sed Carduus Galactites. Spinam Solstitialem, quam Sesterienses *Auriole* vocant, quidam pro Leucacantha monstrant, quorū opinio nobis multùm arridet. Leucacanthæ loco sumi Carduum Benedictum conqueritur Matthiolus. Sed conqueritur sumi & eius loco Chamæleonem album. Apud Tragum lib.2. c.117. contendunt nonnulli, Eryngium vulgare esse Leucacantham Dioscoridis. Rhamnus [Oxyacantha Matthioli] in ascriptiis Dioscoridis Leucacantha vocatur, teste Gesnero.

Spina alba siluestris Fuchsij.

Carlina

SPINA SOLSTITIALIS.

Descriptio

IN frequentes ramos diuaricata est, *caule* gracili, bicubitali, albido tomento vndique obsito, membranis passim secundum longitudinem aptatis alato: *foliis* stipato vnà cum ramis ad Cyani folia accedentibus, duarum triúmve vnciarum longitudine, & longioribus, per superiores ramos vix vnciam longis, albicantibus, hirsutis, quæ in *florem* eunte caule, ferè decidunt, *capitula* Cyani capitulis æqualia, longis rigidis luteis Cardui stellati spinis à singularum squammarum mucrone



mucrone natis infesta, *florum* stamina lutea, quæ tandem in pappos euanescunt: *radix* satis longa lignosa.

Camer. hort. Carduus Solstitialis, siue spina Solstitialisq quam Allobroges nominant *Aureoles*, ob floris colorem aureum. Cæsalp. lib. 13. c.49. Cacatreppola altera. Dodon. Lat.in fol.p.721. Spina solstitialis Cardui stellati altera quædam species. Lobel. Aduers. Spina solstitialis, *Aurioles* Prouincialium, an Pliniana? Stellato Carduo similis, nec minus nobilis spina, aut Stella solstitialis. Icon. Plant. Tom.2.pag.12. Spina solstitialis. Ponæ in Baldo, Spina, seu stella solstitialis Penæ. Gesn. in epist. ad Io. Bauh. Spina solstitialis & Spina citrina.

Locus & Tempus. Spina solstitialis florens adhuc in nostro horto Geneuæ mense Nouembri, hiemem non pertulit, D. Fœlici platero fœliciter prouenit Basileæ, vt & mihi Montbelgardi in horto Ill. C. Monspelii abundat sponte, mense Augusto florens, sicut & Autumno reliquo & Vere. Eandem ex semine ortam vidi Tiguri in horto D. Funckii mense Septembri.

Vires. Spinam solstitialem annotauit Valerandus Dourez efficacissimam in morbo regio ex experientia Fontanoni. Florem atque radicem, id annotante Camerario, mirificè prædicant valere in Cachexia, hydrope, febribus diuturnis, virginum decolore facie, & aliis obstructionibus. Eius decocto vel destillata aqua rustici vtuntur ad coxendicis dolores, punctiones laterum, lienis tumores, & sudorem ciendum.

ACARNA FLORE LVTEO.



Descriptio. CArduus quem à Valerando Dourez habui *radicem* demittit sesquipalmarem, crassiusculã, albam, fibras raras è lateribus producentem, circa caput grandescit, *cauliculos* emittens plures patulos, per terrã sparsos, duũm, triũmue aut etiã quatuor ferè vnciarum: variè diuaricatos lanugine alba tectos, membranaceis appendicibus tomentosis spinosisque secundum longitudinem alatos: *folia* creberrima, extremis potissimùm ramulis, vnius aut duarum vnciarum, non totam semunciam lata, incanâ lanugine vtrinque pubescentia, nonnihil sinuata, non tantùm infesto mucrone luteo, rigido, longo minantia, sed & pari feritate spinas è marginibus iaculantia: *capita* oblonga occultant densæ foliorum phalanges, lanuginosis squammis imbricata, ex pappo candicante pendente semine oblongo, Cnico simili, multò minori, minùs candido, & striis nigricantibus variegato.

Anguil. epist.8. dicitur Acarna Theophrasti, quam ait in Illyria in insula Lesena copiosam inueniri, spinis luteolis, in cæteris totam albam, ramis pluribus, floribus luteolis, ex paruis echinis, semine simili Cnico, coloris russescentis [Taneto,] annuam esse plantam.

Lobel. in Adv. p.373. Picnocomos Cretæ, Salonensis Gallo-prouinciæ, pusillus, pulchellus & rarus Carduus, &c. Idem Obs. pag.484. Icon. Plant. Tom.2.p.14. Picnocomos Cretæ Salonensis Galloprouinciæ Aduersariorum, Chamæleontis nigri species, fortè Acarna humilis quorundam. Item Obs. pag. 486. Icon. Plant. Tom.2. pag.16. Acarna Valerandi altera. *Figuræ* à Lobelio binæ exhibitæ pro Picnocomo & pro Acarna altera Valerandi valdè sunt similes, sicuti & descriptiones, suspicor eiusdem plantæ.

Tabern. icon. & Hist. Acarna Valerandi altera. Item Icon. & Hist. Chamæleon niger, Groß oder Schwartz Eberwurtz. Ambæ figuræ sunt eędem cum iconibus Lobelii. Hist. Lugd. pag.1456. Picnocomon Cretæ Salonensis Penæ. & Lob. Item p.1484. Acarna Valerandi altera. Duæ figuræ, duæ descriptiones vnius plantæ.

Locus. Reperitur Acarna Anguillaræ in Schiauonia [Illiria] & copiosè in insula di Leseno. Nos qualem pinximus habuimus à Valerando Dourez.

ACARNÆ SIMILIS FLORE Purpureo Chamæleon Salmanticensis Clusii.



Descriptio. CHameleõ, inquit Clusius, Salmanticensibus vocatur, tametsi historia prorsus refragetur: affinitatem tamen habere videtur, cum ea planta quam Anguillara pro Chamæleone nigro Dioscoridis exhibet. Est autem hæc planta, ex Acanaceorum genere: *caulem* pedalem habet interdum etiã cubitalem, multis alis siue ramis concauum, striatum & quasi φολλώδη, durum tamen & firmum: *folia* numerosa, longa, angusta, candicantia, spinis horrida: summis ramus

velut vmbellæ quædam ex quinis aut senis cauliculis siue capitellis spinosis constantes innascuntur, in quibus *flos* purpureus dilutior, (maturo semine) subinde in pappum euanescit, reliquorum Acanaceorum more: *semen* est Cnici seminis forma, sed minus, foris subnigrum aut cinerei coloris, intus candidum, dulce: *radix* nigra, dura, si gustetur, dulcis. Tota planta ἀκανώδης est, & firmarum spinarum vallo munita.

Dodon. Lat. in fol. pag. 717. Chamæleon niger Salmanticensis. Lobel. Obs. pag. 486. Chamæleon Salmanticensis Clusii [ita etiam inscribitur in Icon. Plant. Tom. 2. pag. 17. & H. Lugd. p. 145.] ortu, folio, totaque facie Acarnæ admodum affinis est, & fortè eadem nigri Chamæleonis hæc species agro Salmanticensi oriunda, & à Clusio literis prodita: flore purpurâ diluto. Tabern. Icon. & Histor. Chamæleon Hispanicus Clusij, Spanisch Eberwurtz.

Locus & tempus. Spinis rigentibus acutis similem Acarnæ Carduum dedit mihi Heidelbergæ Dom. Sprengerus nomine Cardui ferocis similem itidem Carduum armatum atrocibus spinis, foliis vtrinque etiam candidis, vidi in horto Di. Friderici Meier Argentinæ: florebat quoque in horto Di. Obrechti Iurisconsulti mense Augusto flore purpurascente, qui an idem esset vel diuersus à Chamæleonte Clusij asserere non ausim. Agro Salmanticensi frequens: floret Iulio & semen Augusto maturum est.

ACARNÆ AFFINIS LEO FEROX flore pallido.



Descriptio. HVnc totius Acanacei generis facilè Phœnicé, Leonem ferocem dixere nuperi à spiculis & infestissimis spinis: nihil enim aliud è foliis altiùs diuisis & capitulorum exordiis, quàm spicula & vepres vnciam & sescunciam lõgas videas: *cauliculus* vix palmũ æquat: *flos* Cnici syluestris, pallidus, spinis & aculeis sæuientibus horridisque cinctus. Lobelius.

Lobel. Obs. pag. 485. & Icon. Plant. Tom. 2. p. 15. Phœnix, Leo, Carduus ferox. Ital. *Cardo ferro, Leone ditto.* Tabern. Icon. & Histor. Carduus ferox, Phœnix, Lowendistel. Dodon. Lat. in fol. p. 726. Leo, Carduus ferox.

Locus. Planta rara & vix nota, nullius propterea vsus: audit tamen Lobelius quibusdam aridis collibus Italiæ, ab Apenninis non ita dissitis, magno prouentu gliscere.

POLYACANTHVS CASABONÆ, Acarnæ similis.



Descriptio. PVlcher est Carduus bicubitalis circiter, per cuius *caulem* rotundum, album, læuẽq; ramósq; *folia* dodrantalia ac etiam lõgiora, vnciali latitudine, acuminata, supernè ex atro virore splendentia, infernè tomento candicante obsita denso, presso, nec nisi scalpello aut alia eiusmodi re tenues radere, cõspicuo, æquabili marginum circumscriptione, nisi prohibeant spinulæ flauescentes mordaces, quæ ex interuallis binæ, ternæ, aut quaternæ, rariùs singulares, in quas nerui desinunt qui obliquè à magno secundum longitudinem decurrente neruo in oras exporriguntur. *Semen* paruum, oblongum, lucidum, nigricans. *Folia* superiora, interdum lata vnciam, etiam & semis, & capita abundant rigidis spinis.

D. Casabona Herbarius Ducis Florentiæ misit cum hac inscriptione Italica, *Leon di cardi maschio.*

Lobel. Obs. pag. 486. & Icon. pl. Tom. 2. pag. 16. Acarna Theophr. Anguillaræ. Lobelij descriptionem & figuram exhibet etiam H. Lugd. pag. 1484. hac inscriptione: Acarna Theophrasti Anguillaræ Lobelio.

Tabern. Icon. & Histor. Acarna Theophr. Anguill. wild Carlin.

Ferd. Imper. hist. nat. lib. 18. c. 1. tribuit Acarnæ Theophrasti folia longa spinosa, in circuitu extimo candicantia, parte internâ viretia. Ipsas quoque spinas albas, ternas, in foliorum ambitu ordine quodam iunctas. Florem azureum: semen nigrum papposum. *Icon* Imperati multò meliùs conuenit nostro Carduo, quàm Lobelij, lectores omnia diligẽtiùs examinent, & an Lobelij & Imperati icones diuersarum sint plantarum vel vnius.

Montbelgardi & Stutgardiæ in horto Ill. E. C. prouenit, semine à Casabona misso nata. Eundem Lutetiæ obseruare memini in horto Robini, frigoris est impatiens. D. Zvvingerus in horto aluit cui etiam flores produxit. Locus.

CARDVNCELLVS MONTIS Lupi.

Descriptio. STatim è *radice* simplice complura nascuntur *folia*, duas vncias aut palmum longa, rigidula, in lacinias spinosas, semunciales, longiusculè distantes diuisa, Cardui stellati foliis similia: *caulis* plurimùm nullus, aliquãdo sesquipalmaris, foliis paucis



paucis minoribus vestitus, breui lanugine subhirsutus, caput grande in cacumine gerit vnicum oblongum, rigidis neruosis spinosisque foliis obsitum, quibus squammæ oblõgæ & innocentes subsunt, *pappum* coërcentes, quem *flos* purpureus marcescens relinquit.

Lobel. & Penæ Adv. p. 374. & Icon. Plantar. Tom. 2. pag. 20. Carduncellus montis Lupi.

Locus. In planicie prope montem Lupi versus Meridiem copiosum obseruauit & collegit gener H. Cherlerus, & tam acaulem quàm sine caule, nec vllibi præterea ipsi videre contigit.

CARDVVS PARVVS.



INuentus mihi inter plantas Valerandi Doutez pulchellus Carduus, longiusculâ sed gracili *radice* nixus, à qua *caules* surgunt aliquot tenues, palmares & altiores, in ramos diuisi per quos *foliola* vncialia, culmum lata, spinulis per margines donata, subhirsuta, *capitula* extremis ramulorum hærentia, inter reticulatos pinnatorum foliolorum cancellos conclusa, Cyani similia, minora. Carduus hic non multò maior est ipsa icone prout à nobis visus.

LINCOSTIS HERBA ARISTOTELIS.

MEminit Aristoteles herbæ cuiusdam Lincostis dictæ, eiusdemque multùm spinosæ, quæ aliam procreet plantam, hoc modo. Quia in aqua crescit, & multos aculeos habet, & hinc inter spinas multùm liquoris colligit, qui putrescens, successu temporis, mediante Solis calore, aliud [numero] herbæ genus producit: de ea etiam Cardanus lib. 8. Subtil.



ECHINOMELOCACTOS.

CArduum hunc Indicum vidimus apud Charissi. Fratrem C. Bauhinum cui spinæ robustæ, quædam curuæ, aliæ rectæ.



De hoc autem Carduo hæc tradunt Lobel. & Pena in Aduers. pag. 376. vbi iconem proposuerunt: Miræ raritatis & venustatis Carduus, quē spontè edunt noui orbis Insulæ Occiduę; Locus. præsertim ea quæ D. Margaretæ sacra est, vnde reduces Nauclleri Anglici oris, Morgano peritissimo Pharmacopœo Londinensi attulerunt. Sit ne cœli Europæi patiens huius semen, nondum scimus: sed primo Vere experiemur. Videtur autem hic quasi quidam naturæ cinnus ex Pepone, Melone, & Carduo coaluisse: eoque nos Echinomelocacton, siue Melocarduum Echinatum, signatâ magis quàm receptâ nomenclaturâ vocamus, &c. Plant. Icon. Tom. 2. p. 24. Echinomelocactos, siue Melocarduus echinatus Indiæ Occidentalis Teut. 27. Tom. 2.

Clusius qui nouam iconem proponit ait in Exot. lib. 4. cap. 24. Anno 1601. plures Echinomelocacti plantas à quibusdam naucleris peregrè redeuntibus in Hollandiam illatas, varias autem fuisse quas conspiciebat, plantæ magnitudines, prægrandes aliquas, mediocres nonnullas, paruas, & nondum plenam maturitatem consequutas alias. Mediocrem secabam, quæ duodecim vncias longa erat: infimæ partis terræ insedentis ambitus quinque & viginti vnciarum, à qua in metam assurgebat: sedecim profundis sulcis totidemque elatioribus costis prædita, quarum singulæ nouem tomentosa tubercula habebant, è quibus decussatim acutissimæ firmissimæque, & tanquam corneæ decem spinæ, vnciam, vt plurimùm longæ, interdum etiam ampliores, prodibant, inter quas binæ (in maioribus ternæ, in minoribus singulares) sutrectæ erant: ea autem sessili parte plantæ, quâ videlicet supra terram incubuerat, & veluti fornicis instar curua erat, fuscæ & nigricantes, mediâ parte, ex spadiceo candicantes, supernâ cineracei coloris, cuspides verò purpurascentes. Summâ parte plantæ, siue veriùs fructus [etenim foliorum expers erat, & radice duntaxat nitebatur] densissimum tomentum emicabat ad vnciæ altitudinem, trium verò latitudinem in diametro, cineracei coloris: exterior fructus pars viridis erat, qualis ferè foliorum Tunæ, à nonnullis Ficus Indica & Opuntia appellatæ, parte tamen terræ proximâ ex albo pallescebat interna pars siue pulpa candida, spissa, & adeò lenta, vt in tenuissimas etiam laminas secta & digitis extensa vix frangi posset (quapropter concoctu valdè difficilem esse, coniectuam faciebam,) Cucurbitæ quodammodò saporem referens: pulpæ meditullium & ipsum cominùs album erat, nullamque cauitatem habebat, quâ semen contineretur, sed solidum erat: supremo autem pulpæ pars, cui tomentum in

hærebat, nonnihil purpurascebat: ipsum verò tomentum tenuissimum instar lapidis amianthi, & candidissimum erat, in quo latebant multæ exiles spinulæ purpureæ, quæ supra tomentum sese exerentes rigidiusculæ erant: ab extima pulpa rari quidam prodibant in tomento latentes folliculi membranacei, siue vaginulæ, coloris sanguinei elegantissimi & floridi, vnciam longi, supernâ parte crassiusculi, infimâ autem, quà videlicet pulpæ adhæserant, angusti & tenues, pleni semine exili, nigro & splendente, instar seminis Amaranthi purpurei, vel Symphoniæ, alio nomine blitum versicolore folio appellatæ, summo horum folliculorum capiti inhærebat oblongum quidpiam, tanquam flosculi rudimentum, quod supra tomentum caput extulisse videbatur, sed prorsus aridum, vt qualis formæ fuisset, coniecturâ assequi nequirem: radices crassiusculas, longas, lentas & fibrosas, insuper alias in ambitu minores adhuc retinebat ex infima sede productas: &c.

H. Lugd. pag. 1442. Melocarduus echinatus Penæ. Tabern. Icon. & Hist. Melocarduus Melonen distel.

CARDVVS PITAHAYA FRVCTVM ferens.


Descriptio

CArduum non minus admirandum quàm Melocarduum echinatum describit Ouiedus lib. 8. cap. 24. in Hispaniola insula nascentem. Pitahaya, inquit, fructus est pugni mediocris magnitudine. Hunc profert Cardui genus, spinis quidem horridum, sed aspectu iucundum & pulcherrimum: *foliis* enim caret, sed horum & ramulorum vice *brachia* quædam habet, sex pedes longa, quadrangula, in medio canaliculata, in quo medio & in angulis spinæ sunt valdè pungentes, venenatæ, satis longis spatiis à sese distantes, ternæ simul, aut quaternæ digiti maximi longitudine. Inter hæc brachia fructus medius exoritur, qui Pitahaya illic nominatur, cortice crasso, spisso, & veluti squamoso contectus, qui tamen facilè cultro inciditur, etiamsi tota interiore parte granulis carni permixtis, ficuum nostratium modo, sit refertus, coloris venustissimi, nempe Chermesini saturati. Est & tota hæc pars edulis, manúsque inficit Mori modo. Qui comederit, non statim, sed duabus horis ab eo sumpto, vrinam reddit planè cruentam. Est tamen innoxius & spectatu elegantissimus, sed qui eum profert Carduus horrendus, specie valdè agresti & admiranda, viridi, cinerea, candicante.

Huius meminit & Cardan. de rerum varietate lib. 13. cap. 67. dicens. Tunæ alij Pithaiam (fructum) adnumerant, cum qua in duobus conuenit, in colore rubro splendido, quo manus inficit, quóque adeò vrinam tingit, vt sanguis exquisitissimus videatur: in granis fructus, quæ intus habet rubra velut Ficus, & ex aculeatis plantis oritur: sed Pithaia coronatum non habet fructum, vt Tuna, sed Malo Appiano non absimilem formâ, colore rubro, cortice præduro.

NANA SIVE STROBILVS PERVuianus, & Ananas.

DE Ananas Theuetus, cuius figuram primo loco posuimus, ita scribit: Fructus quo in America plurimùm vtuntur, ibi Nana dictus, mediocris Citrij mali magnitudinem æquat, specie est Pinei Coni, vt & figura docet. Maturus flauescit: sapore & dulcedine excellens, & vel sacchato ipso iucundior. Verùm ad nos importari recens nequit, adeò fugax existit. Nulla fert semina: ideóque non nisi surculis transplantatur, eo ferè modo quo apud nos per insitionem. Crudus adhuc esui tam est rudis, atque ingratus, vt etiam fauces excoriet. Folium eius arboris primo ortu Iunci latifolij simile est.



Hanc H. Lugdun. pag. 1840. Nana Brasilianorum Theueto: Item pag. 1841. Nana fructum, siue Yayama nominat. Yayama.

De hac loquitur Maffeus Ind. lib. 2. In Brasilia ex omni genere fructuum palma tribuitur iis quos vulgus Ananazes appellat, planta est humilis, cuius è ramis veluti pinea nucamenta dependent, præmollia, hæc suo tempore in frusta desecta, gratiss. simul odore ac sapore non recenti duntaxat edulio sunt, verùm etiam in longum tempus asseruantur è Saccharo.

Hanc eandem, ni multùm fallor, Ouied. Hist. suæ lib. 7. cap. 13. tradit in hunc modum. Nascitur in Hispaniola reliquisque vicinis insulis fructus quidam, quem nostri à Strobili siue Pineæ nucis similitudine Pinas appellant, non quòd eiusmodi lignosas squammas habeat, sed quòd eius cortex simili modo distinctus, videatur, tametsi non squamatim, sed peponis modo cultello integer auferatur. Vt autem succi bonitate & suauitate reliquos fructus hic antecellit: ita color ille pulcherrimus ex luteo virescens, paulatim per maturitatem virore euanescente. Odor iucundissimus qualis ferè in eo Persicorum genere quod à Malis & Cotoneis nomen apud Italos & Hispanos inuenit, magnitudo illi vulgaris Melonis. Nascuntur verò singuli fructus ex Cardui genere aspero & spinoso, oblongis prædito foliis, è quorum medio prosilit caulis rotundus vnicum ferens fructum, qui post 10. aut 12. mensem postea maturescit. Eo sublato nullus præterea in planta nascitur fructus, ideóque ea velut inutilis abiicitur, &c.

Quibusdam locis nascuntur etiam hæc genera sponte in agris abundanter: at quibus cultura accessit, longè sunt illis suauiores, & cultoris beneficium abundè compensant. Huius fructus abundantia auctoritatem eius minuit: Sed tamen & his insularibus cùm bonitate, tum magnitudine præstant, qui in continenti nascuntur. Maturus fructus quindecim vel viginti diebus conseruari potest.

Mangas fructus Clusii reuocat in memoriam, Yaiama Ouiedij, tametsi plus similitudinis habere ipsi videatur cum eius Anon de quo H. n. g. lib. 1. cap. 4. Mangas. Anon.

cap.47. egimus Iayamæ Ouiedi Theuetus, si Clusio credendum apud Garc. lib.2. cap.9. similem describit nomine Hoyriri cap.33.lib.sing. Americæ de quo paulò infrà dicemus. Sed & Monardem l.3. c.63. Ananam Theueti intelligere credimus, dicentem: Nux Pinea siue strobilus Peruanus celeberrimus est totius Indię fructus cùm apud ipsos Indos tum apud Hispanos.


Acostæ Ananas historiam nunc adscribamus. Peregrinus fructus, & ex Prouincia S. Crucis in Brasilia primùm in Occidentalem Indiam, deinde etiam in Orientalem Indiam delatus, in quibus nunc vberrimè prouenit. Citrii verò mali magnitudine est, admodum flauus & odoratus cùm probè maturus est, adeò vt prætereuntes ex odore dignoscere queāt ædes in quibus sit: succulentus & grauissimi saporis, procul intuentib. Cinara videtur, sed pungentibus aculeis caret. Singulæ stirpes Cardui edulis magnitudinē æquant, vnicumq; malum gestant in medio quasi *caule*, & circa eum multas alias proles, quarum nonnullæ etiā suo fructu præditæ sunt. Qui itaque fructus maturos colligunt, proles illicò terræ mandare solent: è quibus singulæ deinde stirpes prouenitunt suo Malo onustæ, vt mater, quæ intra annuum spatium colliguntur. Eius *radix* Carduo eduli perquàm similis est, sed & *folia* non sunt disparia tametsi ad Ananas siluestris folia magis accedāt. Vulgò *Ananas* vocant: Canarini verò *Ananasa*. Cùm primùm in Indiam illatus est hic fructus, singuli decem ducatis, aut paulò ampliùs æstimati sunt: nunc verò propter abundantiam [tametsi neque saporis neque odoris Prunis cedāt] vix duobus regalibus Castellanijs veneunt. Hæc Acosta ex versione Clusii de suo Ananas, cuius historiam iisdem verbis refert H. Lugd. in Appendice p.12. ac Acanam Acostæ inscribit: ac de quo etiam similia scribunt Paludanus Ouiedus ac Theuetus.

Ananas Acostæ.



His ita traditis, superest vt Ananas ex Linschotani sententia prosequamur. Ananas fructus est, inquit, perelegans & speciosissimus, vt non desint, qui hunc fructum sua forma delectabili reliquos omnes superare putent. Crescit humi incumbens herbæ asperæ & expansæ Atçuar seu Semperuiuo Hispanico haud absimili, quoad *folia*. Quæ primò viridia, maturatione demum aureum colorem acquirunt, cum modica quadā rubedinē. Intus tamen perpetuò flauus est, sectione facillimè peruius: odore fragrantissimo, sapore qualis Mali Persici benè maturi. Estur ex vino: sed febrim excitare solet esu liberaliore. Nam stomachum impensè refrigerat, ac proinde minùs salubris censendus. Abundat succo, coque tam acri, vt cultello quo dissecatus fuit non deterso, vnica nocte notabilia vestigia exesione sua imprimat. Conditur cum saccharo. Gerit hic fructus velut vmbellam quandam aliquot foliis cōstantem, ex qua si terræ mandes aliæ proueniūt, etsi vel per quatuordecim dies iacuerit. Delatus est hic fructus primùm à Lusitanis ex Noua Hispan. & Brasilia in Indicas oras, in quibus nunc vndique & magna abūdantia prouenit. Maturescunt hi fructus quadragesimali tempore, tum enim gustu pollent gratissimo. Melonis sunt magnitudine, formâ coni, aut Nucis pineæ, facilè tamen scinduntur, ac Persicum colore maturum repræsentant, pari item ferè sapore. Verùm delicato gustu supra omnes fructus præstant. Succus musti dulcioris instar vix satietatem implet. Calidi sunt nam si cultrum horæ mediæ spacio insertum teneas ferè consumptus erit. Sanè communi vsu hominibus vix nocent, nisi suprà modum sumantur, vsque ad gulam. Infirmis haud permittūtur. Vulgò scinduntur orbiculatim vinoque mersantur, suauemque omninò cibum præbent. Et hæc ex duplici versione Linschottani. De hoc etiam fructu scripsit Leuinus Hulsius in nauigatione Holland. in Indiam Orientalem: vt & Leri cap.13.


Ananas Linschott.




Nux Pinea, siue Strobilus Peruanus, stomacho vtilis esse censetur, item cor roborare, languentem appetentiam excitare. Vulgaris est per vniuersam Indiam, & magnæ apud incolas existimationis: editur prima mensa, & in pomeridiano æstu nam frigidus esse perhibetur. Siccus ad me perlatus est, & conditus siccus, vt illius formam contemplarer, duntaxat vtilis fuit: at conditum grati saporis deprehendi, tametsi asperiusculum immaturum dum condiretur fuisse arbitror, inquit Monardes. Hactenus in Medicum vsum non est receptus Ananas, sed solummodò ob saporis gratiam commendatur. Calidus & humidus est, editurque maceratus in vino [fertur & inuictissimum Regem Ferdinandum comedisse vti Persicum Malo-cotoneum] & facilis est concoctionis: nimius tamen inflammationes parit quemadmodum Duriones Malacenses. Si medius secetur, & partes denuò coniungantur, venius dies ant noctis spatio cultellus relinquatur, inuenietur tota ea pars quæ in vulnere hæsit absumpta. Et hæc Acosta, qualia etiam Paludanus tradit. Vires & Vsus.

Descriptio.

AIZOI MAIORIS ORTV PERSIMILIS exotica planta Lobel.






Lobel. in Teuton. p. 458. cen & in Icon. Plant. p. 375. hanc ita inscripsit. Aizoi maioris ortu persimilis exotica planta.

Clusius Iconem eādem, quam nos ex Lobelio assumpsimus ponit, ac scribit: Qui ex ex Iaua anno 1599 redibant naucleri Ananas fructum sacchara cōditum reportabant, & eius plantæ germina vitētia admixta, quorum iconē hic subijciendam curabam. Erat quidem is fructus satis suauis, sed qui ob nimiam dulcedinē, mihi nauseam ferè excitaret, cuius pars intima durior, & difficilis (vt apparebat) concoctionis. Folia porrò antè viderā ex Guineâ delata (vbi fructus Pinas à Lusitanis appellatur, ob aliquam formę cum Pinea nuce similitudinem:) Aizoi aquatici folijs nō valdè dissimilia, minùs tamen crassa, & in ambitu serrata siue dentata, vt in subiectis germinibus animaduertere licet.

ANANAS SILVESTRIS, FOLIO ALOES fructu Cupressino.

Descriptio



Altiùs assurgit qui Ananas siluestris nuncupatur: námque *truncum* habet hastæ magnitudine læuem admodum, rotundū, & Mali aureæ crassitie, spinis horridum: *folia* spinosis cuspidib. prædita, & per ambitum mollib. spinis septa: singulæ arbores secundùm radicem summâ tellure magnam foliorum comam fundunt, maiorum quàm quæ in arbore sunt, quæque procul intuentibus Aloës folijs simillima videantur, tenuiorum tamen, pluribus spinis horridorum, & dilutè virentium: adnatis se propagat, aliæque stirpes ex alijs enascuntur, præsertim in sepibus & hortorum ambitu, quos egregiè muniunt. *Rami* foliorum simul glomeratorum capita proferunt, flauentium admodum, & tenerorum, suauissimi odoris, quæ nihil aliud sunt quàm flos ipse: ex horum singulis spica prodit Arundinis spicæ non absimilis, sed crassior, compactior, & elegantior, odore Cedri. E ramis dependent fructus *Ananas braue*, id est, Ananas siluestres dicti, quia cum domesticis nonnullam habeant similitudinem, Melonis magnitudine, coloris rubri elegantis & oculos oblectantis, toti in partes diuisi, quemadmodum Cupressini strobili, seu nuces exsiccatæ, sed tuberculis foris obsiti, vt procul spectantibus magni Pinei strobili appareant.

Arabes, descriptionis autore Acostâ teste, ex versione Clusij, *Queura* vocant, quemadmodum in Decan: Persæ *Ananasa* & *Angali* florem (qui caput illud foliorum odoratum est) Arabes *Chuxraid*, Persæ *Pixcoxbuith* dicunt. Turcis est ignota.

Clusio ad Acostam Ananas siluestris habens aliquot notas non dissimiles Aloë Americanæ. *Cur* hæc Clusius in postr. editione omisit?

H. Lugd. Ananas siluestris Acostæ.


Vires & Vsus

Capitum teneriora folia seu flores crudi eduntur, Carduósque sapiunt: sed exiguum alimentum præbent.

Succum commendant Arabes ad iecoris & renum calores, renum vlcera, purulentas vrinas, penis excoriationem, diabetem & Erysipelas.


CARDVVS EX MADAGASCAR Indiæ.

Descriptio



Non fructus, inquit Clusi⁹, sed elegantissimi cuiusdam Cardui generis caput (decimus quintus eius fructus Exot. lib. 2. cap. 15.) lectum in magno illo sinu Insulæ Madagascar, à Lusitanis *Baya d'Anton-Gil* nuncupato, Orienti exposito, eleuatione Poli antarctici sexdecim grad. in quo Hollandi primâ suâ nauigatione, & aquam, & alia ad victum necessaria comparabant, aliquot diebus isthîc hærētes, antequam in Iauam pergerent. Vnicum porrò huius Cardui caput repertum in ligneis illis capsis à Naucleris relatis, quarum antè memini, cui nullum nomen additum, sed scheda duntaxat, indicans in iam dicto sinu lectum fuisse.

FINIS LIBRI VIGESIMIQVINTI.



HISTORIÆ VNIVERSALIS PLANTARVM LIBER XXVI.

CORYMBOIDES, VEL CORYMBIFERÆ, ET MINVTIORA CAPITVLA FERENTES, ALIÆQVE NONNIHIL SIMILES.

Restant inter Capitatas Corymbos florum gestantes. Quanquam verò Prisci Hederæ Baccas seu racemos Corymbos, & Ferularum caules ac racemos Corymbiam dicat Plinius, Corymbosque quos condiebant: tamen apud eundem legimus comantes auri fulgore Corymbos dictos flores, seu, vt ille ait, fructus Chrysocomæ, quæ non infima est infrà dicendarum stirpium. Estque Κόρυμβος quoduis summum. Et pleraque hoc libro enumeranda florem gerunt densum, & in capitulum aggestum quendam minutissimorum staminum stipatum, quem Corymbi nomine tantisper complecti libuit, dum tu certius ac melius inuenias nomen. Ὀνοματοποιεῖν lex vetat nulla. Sed illud cum Philosopho edictum volumus, oportere τὰ ὀνόματα τῶν ὄντων εἶναι ὁμοιώματα.

OTHONNA VETERIBVS.

CAP. I.



Othonnam Dioscoridi fuisse incognitam, vel illud conuincere potest, quòd nihil ex se de ea certi scribat, sed omnia aliis accepta referat, ex quorũ tãtùm opinione famaque hæc de Othonna memoriæ prodiderit. Othonnam aiunt nonnulli [his Codices quidam vetusti vsque ad *Habet hæc folia* &c. omninò carent] maioris Chelidonii succum esse, quidam Glaucii: alii (è) floribus corniculati Papaueris expressum [τῆς κερατίτιδος μήκωνος τῶν ἀνθῶν χυλὸν, quæ verba sic leguntur in veteri: τῆς κερατίτιδος μήκωνος χυλὸν: sed vulgatam scripturam Goupylus meliorem esse censet.] alii Anagallidis cæruleæ, Hyosciami & Papaueris succorum misturam esse contendunt: alii denique Troglodyticæ cuiusdam herbæ succum, quæ Othonna vocetur: nascique eam in eo Arabiæ tractu, qui ad Ægyptum spectat. Habet hæc folia Erucæ [εὐζώμῳ] proxima, crebrò perforata, & tanquam à tineis pertusa, squalore oblita, pauca: quare quidam Anemones speciem esse existimauerunt. Ex ea succus expressus oculorum medicamentis conuenit, vbi expurgare opus est. Mordet enim & quæcunque oculis caliginem offundunt, abstergit. Tradunt & humorem quendam ex herba emanare, qui clotus, semoris lapillis, in pastillos ad eadem digeratur. Aliqui tamen affirmant lapidem Ægyptium esse, in Thebaide nascentem, æreo colore, exiguâ magnitudine, gustu cum feruore quodam & astrictione mordaci.

Othonne, inquit Plinius lib. 27. cap. 12. (tradens ea, quæ Dioscorides,) in Syria nascitur, similis Erucæ, perforatis crebrò foliis, flore Croci (Cocci CH.) quare quidam Anemonem vocauerunt. Succus eius oculorum medicamentis conuenit. Mordet enim leuiter (leniter, & calfacit CH.) & excalfacit, astringitque siccando. Purgat cicatrices & nubeculas, & quicquid obstat [oculis obstat vet.] Quidam tradunt lauari? atque ita siccatam digeri in pastillos.

Iam pridem cogitauit Marcellus, & in eam partem inclinauit ei animus, vt crederet sui generis omninò esse Othonnam: quæ verò alia de ea tradantur à virium & potestatis similitudine ab aliquibus credita, dictaque fuisse: & ex eorum ratione, quæ Græci ἀντιβαλλόμενα vocant, ad Othonnam translata fuisse.

Matthiolus verò in Othonna suam ignorantiam accusat, quę quia ei non nota fuit, protinus ab omnibus in Italia ignorari falsò definit, authore Guilandino in Theone. *Matth.*

Nobis quidem, inquit Sarracen. in scholiis, haud secus ac Priscis incerta omninò huius Othonnæ historia fuit in causa, vt è Recentioribus nonnulli varia variè in hoc Dioscoridis capite legerint. Ac inter cæteros quidem Rondeletius, ἀντὶ τοῦ εὐζώμῳ, ὀσθίσμῳ, legebat. Doctissimus Dalecampius, ἀντὶ τοῦ πολύτρητα vt audio, legit πολύτρητα. Marcellus, ἀντὶ τοῦ χαλκόχρουν, λευκόχρουν. Attamen perbellè respondent, quæ de

Othonna retulit Plinius, cum vulgata Dioscoridis lectione. Mirari subdit Matthiolum Herbam incognitam Italicè vocare Othonnam.


Flos Aphricanus. And. Lacuna Florem Aphricanum Othonnam herbam esse, Dodonæo teste, suspicatus fuit, cum cuius tamen descriptione haud per omnia iste flos conuenit.

Herba venti. Othonnæ accommodare voluisse Rondeletiũ Herbam venti ait Lob. in Adu. dubitátque de hac opinione in Obs.

Idem Rondeletius in pharm. supra Marciatum dicit apud Dioscor. cap. de Othonna, meliùs legi Mentham pro Eruca; ac eam esse, quam alii Clymenon putãt, & quam Arabes Mentham maiorem vocant, nos Scrophulariam maiorem. *Scrophularia maior.* Cætera æquiuoca vide in ipsa Dioscoridis Othonnæ Historia.

TAGETES INDICVS MINOR SIMPLICI flore siue Caryophyllus Indicus, siue Flos Africanus.

CAP. II.



Descriptio. STriatos producit *caules*, dodrãtales, aut paulò maiores, intus fungosos, alis aliquot concauos: *folia* Tanaceto similia, pinnata, ex quinque aut octo coniugationibus, imparique extremo commissa, odore viroso graui: singularia saturatè virent, tres, aut quatuor vncias longa, semunciam circiter lata, circumquaque denticulis serrata, in acumen desinentia: *flores* extremis ramulis hærent singulares, ex calyce turgidulo oblongo, simplice foliorum ordine radiati, colore infra ex flauo, suprà ex flauo ferrugineo, holosericeam tel im imitante: medium obtinét *stamina* numerosa, flauentia: quibus appenduntur *semina* tenuia, oblonga, nigra: *radix* breuis, fibrosa, ac vbi è terra prodit, bina habens longiuscula folia. *Icon* nostra ex Fuchsianis iam erat parata, quæ Tagetem flore pleno apprimè potissimum demonstrare videtur.

Garyophyllos Indicos, referente Trago Germanico, lib. 1. cap. 192. quidam volunt esse Flammeam Violam, quæ Græcis φλὸξ & ἴον dicitur. Idem lib. 2. cap. 145. author est vocari **Sammetblumen** (quasi dicas Serici villosi flores) & **Indianisch Negelin** [Garyophyllos Indicos.] Sibi videri esse Caltham Plinii. Se non posse satis mirari, cur nonnulli hanc plantam Arthemisiæ adnumerare voluerint, cùm non solùm formá, sed etiam odor & sapor manifestè reclament. A foliis Tanaceti similibus, Tanaceti speciem censeri. Non esse porrò Tageten Apulei cùm eius historia nulla apud eundem autorem extet. Proinde siue Caltha, siue Scopà regia Autumnalis, aut quocunque tandem nomine appelletur, certè sibi esse quàm gratissimam. Hæc ille, qui Garyophyllorum Indicorum tria facit genera, exiguũ nimirum, medium, & grande, distinguens ea tantùm magnitudine & tempore, nec indicat, an sint simplici, vel multiplici flore. Videtur autem pingere Lagetem minorem flore simplici.

Tria quoque genera hæc Garyophyllorum Indicorum assignat Matthiolus in post. comm. cum mag. fig. Lat. & Italicis. Non desunt, inquit, qui Othõnam esse censeant eam plantam, quam Indicos Caryophyllos vocat vulgus, quib. ego quoque subscriberem, si hæc planta Erucæ foliis excresceret, iisque paucis, cribri modo perforatis, & friabilibus. Verùm cùm foliosa sit planta, & non paucis foliis referta, quæ Tanacetũ potiùs, quàm Erucam referunt, eáque cribri modo perforata, aut tanquam à vermibus erosa sint, nec friabilia, non video sanè cur in horum sententiam concedere queam. Nihil enim me mouet ad probandam horum opinionem floris color, & latifolia imago, aliis reclamantibus notis, cùm numerosa sint plantarum genera, quæ croceis & latis proueniunt floribus. Ego quidem si mihi decernendi facultas daretur, in Chrysanthemi genere hanc plantam reponerem. Cæterùm tria huiusce plantæ obseruaui genera, floribus tantùm differentia. *Matthiolum* autem genera hæc nunquã inspexisse, illud nobis manifesto argumento esse potest, quòd non solùm floribus differant, sed etiam foliis & caulibus, id quod hortulani norũt, qui facili cognitione antequam flores proferãt, majores plantas à minoribus distinguunt. *Matth. mei.* Ait porrò, vt omnibus satisfaciat, duas se addere Indicæ huius plantæ imagines: Sed has in dictis commentariis nondum videre contigit.

Camerarius in eius Hist. germ. eadem tradit, ac duo genera tantùm pingit, licèt tria esse referat. Sed in Epit. duo picta duntaxat agnoscit. Videtur autem huius flores simplices pingere secundo loco, hac inscriptione: Caryophyllus Indicus minor: Italis, *Garofano Indico minore.* Est hic Matthiolo in commentariis dictis, Tertium & postremum Garyophylli Indici genus, siue minus, floribus simplicibus foliorum coronamẽto. Camer. hort. Flos Indicus minor flore simplici, Tagetes, siue Africanus Flos.

An Dodonæo ritè perspectæ sint species Floris Aphricani considerent lectores. Ait is in H. Gall. Flos Aphricanus, Flos Indianus, qui Gall. vocatur *Oeillet d'Inde*, Belg. **Thunis bloemen**, videtur doctis quibusdam Othonna Dioscoridis. In foliis huius floris, si Soli opponantur, obseruari ferè possunt, quæ Diosc. de Othonna dicit. Duplex huius inuenitur species. Maior est altitudinis octo aut nouem pedum: colore Arantiorũ saturatiore parte superiore, inferiore pallescente: floret primùm Augusto. Minor incipit florerẽ Aprili & adhuc Maio, deinde tota Æstate, maiori omninò similis, caulibus, foliis, floribus & semine, nisi omninò minor esset, nam non multùm altior pede exsurgit: ambæ tum foliis, tum floribus odore sunt ingrato valde. Dodonæus eadem de Florib. & Hist. lat. in fol. habet, ac addit. Inter Calthas numerandus videtur Flos cognomento Aphricanus. Huius duæ species: vna minor, altera maior, erecta, ad tres, vel ampliùs cubitos assurgens: folia vtriusque cribri modo Soli aut lumini opposita, perforata cernuntur: flores ex octo aut decem foliolis congesti, inferiùs luteis, superiore verò parte in fuluo ru-

uo rubentibus, & obscurè rubens villosum holosericum æmulantibus: Est vtraque species cùm foliis, tum floribus grauiter odorata: vtriusque etiam flores, sed maioris frequentiùs subinde multiplicantur: quorum foliola ab vtraque parte lutea vt plurimùm. Sunt qui velint Plinii Petilium lib. 21. cap. 8. Sed Petilius flos est autumnalis, circa vepres nascens. Andreas Lacuna Othonnam herbam esse suspicatus fuit, cum cuius tamen descriptione haud per omnia iste flos conuenit: nisi fortè squalidior, & paucioribus foliis, similioribus Erucæ, manifestiusq; perforatis, in Aphrica quàm in Europa nascatur. In hac enim ampliùs multifolius, foliis Tanaceto, quàm Erucæ similioribus, iisq; non verè perforatis, sed quæ talia lumini opposita tantummodò apparent, gignitur. Et non rarò euenit, vt feruenti, calida siccaque regione: ex sterili aut inculto, & aprico solo, in humidius, cultiusque, vbique cælum clementius, translatæ stirpes luxurient. Nam soli, cælique mutatio, ad stirpium mutationem plurimùm habet momenti, & maximè accedente culturæ mangonio. Quæ tamen an tantùm potuerit, vt florem hunc totum penè transformauerit expendẽdũ relinquimus. An Lycopersium, cuius Gal. lib. 4. de simpl. med facult. meminit, sit Flos Aphricanus definiri absolutè non potest. Videtur tamen illi, si non idem simillimus: folia etenim, & præsertim flores graui admodum & ingrato prædita sunt odore, qualitateque venenosâ, Cicutæ proxima. Cuiusmodi autem expressus & resiccatus succus, nondum quidem obseruasse, nos confitemur: vero simile tamen est, ex floribus haud alterius, quàm flaui, aut sublutei coloris, & graueolentem futurum. Et hinc non audiendi sunt ii, qui hãc Tanaceti, vel Artemisiæ speciem, aut innoxiam stirpem fore autumant. Et hæc Dodonæus, qui olim in Hist. gall. proposuit figuram Fuchsii, quam proponimus pro minore flore pleno. In postremis exhibet iconem Lobelii, cui titulum fecit, Floris Aphricani, vbi etiam proponitur pro minore.

Lycopersium an sit Dod.

Tanacetum non est nec Artemisia

Cord. in Hist. Tanacetum Peruuianum appellat, a colores ab aliis Caryophyllos Indianos, ab aliis Indianas Rosas vocari ait: Ibi annotatum est Petilium aliquos suspicari. Videtur autem Tanac. Peruuianum appellatum à similitudine Tanaceti, & Peru Americæ prouincia, ex qua primum in Europam allatus hic flos à Germanis creditus est.

Rosa Indiana Tanacetum Peruuianum Cordo

Gesn. de coll. stirp. fol. 77. Florem Portugallicum nominat, vel Indicum minorem. Idem de hort. Florem vel Caryophyllum Indicum vulgò dictum ait Punicâ lingua si bene meminerit, *Pedua* vocari: esse vnum minorem flore simplici. Videtur autem in Cat. pl. fol. 10. Caryophyllum Portugalliæ appellare Violam, ac tradere esse Scopam regiam Plinii, violentum spirantẽ odorem, &c. Hoc confirmat p. 137. vbi ita scribit. Violam flammeam eandem esse Scopæ regiæ existimo: dicitur hodie Flos Indicus, aut Portugallinis, *Fleurs ou Giroflees de Portugal*: cuius duo genera, alterum minus, alterum valdè procerum. Illi autem non placet, die Edlen bluemen Portugal (Portugalliæ flores nobiles dixeris) quosdam Othonnam suspicari.

Flos Portugallicus

Pedua Viola flammea

Genera duo Gesn.

Et hunc Lobelius, vt hanc censuram non mereretur in Aduers. vocat Othonnam Italorum (& hoc titulo pingitur in Obs. p. 410.) & Florem Aphricanum (& hac inscriptione extat in Ic. Plant. p. 13.) ac quærit an sit Lycopersion Galeni? Nam cùm sit calidus gustu, inquit, vix opinionem Othonnę tuetur.

Othonna Italorum

Othonna Dios. non est

Florem Indicum alterum minorem vulgò appellatum inter autumnales flores, Cæsalpinus Anemonæ Dioscoridis conuenire tradit, & quidem radice potiùs, quàm Argemoniæ Plinii.

Anemone Dios. Cæsalp. Argemone Plinii

Tabern. Icon. & Hist. dicitur Flos Aphricanus minor flore simplici: & sic etiam Gerardo.

Flos Aphricanus minor flore simplici.

C. Bauh. phyt. Tanacetum Africanum, seu Flos Africanus minor, quem ait variare magnitudine & flore: diu tempore: esseque flore simplici, hosque reperiri rubros, croceos, melleos, & albos.

Tanac. Afric. C. B.

Tagetes siue Caryophyllus Indicus, siue Flos Aphricanus in genere dicitur Germ. Indianisch Nägelin Sammetbluemen (quasi Florem holosericum) Indianisch bluemen/ Portugalisch bloemen: Brabantis, Flandris & Belg. vulgò Thunis bloemen: Flos Tunetanus Gall. *Oeillets d'Inde*: Geneuæ *Fleur de Rome*: Ital. *Garofani Indiani*: Boh. Karaffiat Indyásky.

Nomina linguarum

Tagetem Indianum minorem flore simplici habemus Montbelg. in horto Ill. C. W. Monpelii florentem obseruaui Iunio in hortis, Geneuæ & Basileæ: In horto Ill. E. C. Goeppingæ, & in Boll: ac in horto admi. balnei. Apud Belgas, Germanos & alibi, teste Dodonæo, in hortis colitur. In Africa plerisque locis spontè prouenit: vnde primùm in has regiones inuectus: quando videlicet Carolus V. Romanorum Imperator apud Tunetum celebri potitus esset victoria: ex quo illi & Africano & Tunetensi cognomen.

Locus & tempus

Tagetes Indicus minor multiplicato flore.

Alterum Tagetis minoris genus contractiore habitu, facilè à maiore separatur, cum quo tamen flore multiplice ei conuenit, minore nihilominus, & colore speciosiore picturato, vt prædictum genus.

Gesn. de hort. dicitur Flos, vel Caryophyllus Indicus minor flore multiplici. Matth. in Hist. germ. Caryophylli secundum genus, Indianisch Näglen.

Fuchs. Tagetes Indicus, Artemisiæ genus quartum, floribus luteis, & Croci ferè colorem referentibus, elegantiâ nulli alteri cedentibus.

In edit. Lugdunensi anni 1551. huius figura est sub falso titulo pro Artemisia tenuifolia, quæ eadem pro Tagete Indico ponitur.

Tabern. Icon. & Hist. Flos Aphricanus minor multiflorus, Gefult Sammett / oder klein gefult Thunis bluemen. Icon Tabern. meliùs placeret pro Flore Aphricano medio à nobis descripto.

Gerard. Flos Aphricanus minor multiflorus, The Smalest Double Africane Marigold.

Habeo in horto E. C. Montb. ex semine à me collecto Stutgardiæ, & aliis in locis. Geneuæ vidi florentem in horto Cœlii Curionis mense Iulio: Tiguri in ollis mense Septembri, Octobri & Nouembri.

TAGETES INDICVS MEDIVS FLORE luteo pallido.

Medio se modo habet inter Maiorem Minoremque: *foliis* grauique odore cum vtrisque conueniens. Verùm huic *flos* denso foliorum agmine stipatus, pallida flauedine (exceptis

extimis foliis intensiùs coloratis) tinctus est, haud secus ac Maior, quo tamen vt minor, ita & præcocior est, *caule* minùs recto præditus.

Hunc habeo Montbelgardi in horto E.C. collectum: Stutgardiæ, floret citiùs quàm maior, rosa minor, maior tamen quàm in priore minore, colore ab eo etiam diuerso, nempe pallido, simili maiori; caulis non ita rectus nec magnus, vt in maiori.

TAGETES MAXIMVS RECTVS FLORE simplici ex luteo pallido.



SVpersunt duæ maximorum species: prior præditos omnes proceritate superat, nõ alia ferens interim *folia*: *flos* simplice contentus foliorum agmine multis numeris maior, è calyce quoque maiore, ex luteo pallescit, minùs amœnus quã Minoris simplicis.

Trago fortè hist. Germ. Caryophyllus Indicus maximus, das allerhöchst Indianisch Negele.

Cæsalp. Flos Indiæ vulgò, Othonna Dioscoridis, Othonne Plinii.

Camer. hort. Flos Indicus maior flore pleno & simplici.

Tabern. Icon. & Hist. Flos Aphricanus maior simplici flore, groß Thunis bluem einfach. C. Bauhin. phyt. Tanacetum Africanum 3. siue maius simplici flore. Gerard. Flos Aphric. simpl. flore, the great simple Frencℏ Marigold.

In horto Montbelg. ex semine Stutgardiano, olim & aliis locis vt Basileæ, & Gœppingæ.

TAGETES MAXIMVS RECTVS FLORE maximo multiplicato.

Descriptio TAndem succedit maximus ille serotinus, humanam proceritatem aliquando superãs, *caule* recto, rigidoque: *flores* lutei pallidi, innumeris stipati foliis tanta amplitudine vt volam manus contegant.

Gesn. de hort. dicitur Flos, vel Caryophyllus Indicus flore multiplici.

Matthiol. in post. comm. cum mag. fig. Caryophyllorum genus 1. siue procerius, floribus aureis magnis numerosis admodum stipatis foliis. Sed considerent lectores, an huic conueniat, quod ait Matthiol. flores lutei holoserici charmesini.

Camer. ad Matthiol. germ. Caryophylli Indici 1. floribus magnis, nullo malo odore. In Epit. Caryophyllus Indicus, It. *Garofani indiano*, Ger. goldfarb bosten / vel Indianisch Nägelen / odore minùs graui.

Hanc pingit Lobelius in Obs. p. 410. & in Icon. Plant. pag. 713. hoc titulo: Othonna maior polyanthos.

Tabern. Icon. & Hist. Flos Aphricanus maior aureus multiflorus, Groß goldgeel Thunisblum Item: Flos Aphricanus maior, Groß gefült geel Thunisbluemen. Cur duas icones proponat nescio. Easdem etiam exhibet Gerard. his inscriptionibus: Flos Aphricanus maior polyanthos, the gread Africane double Marigold. Item: Flos Aphricanus maior, multiflorens: the smaler double Africane Marigold.



C. Bauhin. Phyt. Tanacetum Africanũ 2. siue maius flore pleno. Icon. Matth. Caryophyllus Indicus maior.

Hunc sæpiùs in horto E. C. Montb. habui à me seminatum, accepto semine ex diuersis locis, vt Stutgardiâ ex horto Ill. Ducis, vbi excrescebat ad altitudinem hominis & vltra. Geneuæ vidi florentem mense Octobri, & Nouembri. Seritur in hortis, colitur in fictilibus, & arculis spectandi gratia. Tagetem vidi transplãtatum Stutgardiæ Iunio, quem cùm limaces vorarent, calcem in circuitu sparserunt, quo remedio vtuntur in aliis etiam plantis à limacibus conseruandis.

Odor huius plantæ, authore Trago, nec non gustus eius calidę illum qualitatis participem esse arguunt. Nonnulli malè feriati homines præter omnem rationem & experientiam de eo iniquos spargere rumores non sunt veriti, dictantes leprosos eos fieri qui herbam eam secum gestarint. Excalfacit & siccat, inquit Matthiolus, quo fit, vt is quoque in medicum vsũ trahi possit, vbi abstergere & aperire sit opus: Minor valentiùs id præstat quàm maior. Venenosa autẽ & refrigerandi potentia, florem Aphricanum donatum esse, odor ingratus, caput aggrauans, Circutæ similis, qualis Lycopersii succo, ostendit: deinde & experimentis nonnullis constat. Meminit etenim Dodonæus in puero, qui flores mandere inceperat, labia & os inflata se videre: sicuti crebrò iis accidit, qui Cicutæ fistulis ludentes aut modulantes, intra labia eas aliquandiu continuerunt. Feli etiam flores cum calycibus, recenti caseo permistos olim dedit: quæ mox valdè inflata, & paulò pòst mortua fuit. Mures quoque qui semen arroserant, mortui feruntur reperti. Quæ omnia venenosam & deleteriam huius herbæ facultatem ostẽdunt: & non audiendos esse eos qui hanc Tanaceti vel Artemisiæ speciem, aut innoxiam stirpem fore autumant. Vires

CHRYSANTHEMVM VETERIBVS. CAP. III.

XΡυσάνθεμον autem, nonnullis βούφθαλμον, tenera quædam herba est authore Dioscoride,

de, ſed fruticis ſpecie, quæ lætes profert *caules*: *folia* multifida : *flores* melinos vehementer ſplendentes velut oculum in orbem circumactum ; quare ita nominata eſt [ἢ ὀφθαλμὸν μιμεῖται διὰ τὸ, ὅτως ὠνόμασαι. Matth. hæc demenda vult vt tranſlata ex capite Buphthalmi.] Naſcitur circa ciuitates. *Caules* ipſius olerum modo eduntur. *Flores* triti cum cerato , Steatomata diſcutere dicuntur [Quæ ſequuntur vult etiam Matthiol. demenda, vt tranſlata ex capite Buphthalmi] ipſa herba pota in balneis , poſt exitum de ſolio, morbo regio correptis breui bonum colorem inducit.

Plinius Chryſanthemi ſeorſum non meminit, nec Galenus, nec poſteriores Græci Medici. Quæ verò Dioſcorides de hoc prodidit , ea omnia de Buphthalmo Plinius tradidit, hic ſaltem Cornario teſte , aliis verbis vſus : quare hoc loco ſuppoſititium eſſe hoc caput videri poſſit.

Et hinc non deſint , qui credant Buphthalmum & Chryſanthemum vnam & eandem eſſe plantam, quòd paribus notis inter ſe certare videantur ; tamen ſi particulares quædam notæ in vtriſque diligenter expendantur , facilè inter has plantas diſcrimen aliquod notari deprehendetur. Quòd cùm optime ſciret Dioſcorides , diuerſis locis, diuerſiſque capitibus de his ſpeciatim diſſeruit. Quod vtique minimè feciſſet , ſi compertum habuiſſet, nullam inter eas intercedere differentiam. Quæ tamen hinc cognoſci poteſt, primùm quod Buphthalmo folia inſint Fœniculo ſimilia , quæ planè capillaria conſtant: Chryſanthemo vero multifida. Deinde Chryſanthemi caules in cibis mandi aliorũ olerũ modo ſcribit Dioſcorides : id quod de Buphthalmo agẽs ſilentio præterit. Præterea flores Buphthalmo reddidit Anthemidi ſimiles: Chryſanthemo verò luteos, & vehemẽter ſplendentes. Cæterùm de horum viribus diſſerens, Buphthalmi flores, cum cerato tritos, tumores, duritiaſque diſcutere tradidit in vniuerſum, & affirmatiuè locutus. Verùm poſtea de Chryſanthemo ſcribens, huius flores, inquit , ſteatomata diſcutere produntur, particulariter, & dubiè locutus. Hæc ſanè harum plantarum manifeſta diſcrimina faciunt, vt credam, inquit Matthiolus, quòd aliquis antiquorũ curioſus, nimiſque ſciolus Buphthalmum & Chryſanthemum vnam tantùm referre plantam fortè exiſtimans, omnia in Chryſanthemo adiecerit, & confuderit, quæ libro tertio de Buphthalmo memoriæ prodidit Dioſcorides.

Chryſanthemum ſuum habet Matthiolus, quod ait nulla prorſus reclamante nota cum Dioſcoridis Chryſanthemo conuenire. Inſcribitur hoc à nobis Chryſantemum ſegetum. *Chryſanth. ſegetum. Caltha.*

Chryſanthemum multorum doctorum hominum iudicio Calendula ſiue Caltha noſtra eſt. Chryſanthemum ſunt qui velint eum eſſe florem quem Germani, inquit Cornarius, Schmaltzblumen vocant. *Elichryſon.* Plinius Elichryſon à quibuſdam Chryſanthemum vocari dixit. Chryſanthemum camomillam poſtremam Dioſcoridi dictam exiſtimat Tragus lib. 4. cap. 36. eſſe Cotulam non fœtidã, ſeu Chamæmelum inodorum. *Chamæmelum inodorum.* Chamomillam tertiam [inquit Tragus lib. 1. cap. 47.] vulgarem Dioſcorides Eranthemum & Chryſanthemum vocat. Quod Chamæmelũ aureum peregrinum capitulis ſine foliis inſcripſimus , ait Dod. latinus eſſe Chamæmelum Dioſcoridis , & Galeni præteritum & ignoratum. Arthemiſia in aſcript. Dioſcoridis apud Geſnerum Chryſanthemum cognominatur. In Aduerſ. Lobelii Arthemiſia marina Noetericorum [Iacobæa marina] Chryſanthemum appellatur. Caryophyllos Indicos poſſe eſſe Chryſanthemi genus concedit Matthiolus germ. lib. 4. cap. 61. Chryſanthemi nomen attribuitur à Dioſcoride & Plinio Heliochryſo, & hinc vocant Lob. & Pena in Adu. ſuum Heliochryſũ Chryſanthemũ. Chryſanthemũ Democriti Dod. de purgant. lib. 4. cap. 2. Vnguem aut Pedem Leopardi vocat. An Ranunculus rectus non repens? Ranunculum dulcem, ſeu pratenſem (Ranunculum repentem non acrem) Tragus lib. 1. cap. 31. Chryſanthemum Democriti vocat. Non placet pro Chryſanthemo apud Lonicer. lib. 5. cap. 65. Goldwiſſen blumen, Moßblumen. Eſt enim, noſtro quidem iudicio , Caltha aquatica. Chryſanthemum apud Geſnerum in aſcript. Dioſcoridis Chryſocome vocatur. Chryſanthemum apud Dioſcoridem dicitur de Chryſocome inter reiectanea, quam neſcio qua occaſione ſibi Tragus perſuaſit eſſe Fabam inuerſam, ſeu vt nos vocamus Anacampſeres. Chryſanthemum inter ſpuria Dioſcoridis dicitur de Aizoo maiore, hinc ſit vt Tragus inter nomina, Sedo maiori attributa habeat.

CALTHA.

Caltha flore ſimplici.



Caltha flore pleno.




AVreus *florum* ſplendor , antequam vtilitas comperta eſſet , nobilitauit : qui omni auro ſaturatiùs ruffeſcũt , Chryſanthemi ſegetum forma, non vt illud è ſquammato capitulo ſed calyce multifiddo hirſuto prodeuntes, odorati, diſco luteo vel fuſco, *ſemine* relicto incuruo duplici , granulis quodam modo aſperato: *caules* tenues, nonnihil anguloſi, hirſuti, & tactu nõnihil viſcidi : *folia* linguæ forma, ſine pediculis, oblonga, pinguia, hirſuta, incana , guſtu herbaceo, mox calidiuſculo : *radix* lignoſa. *Deſcriptio.*

Flos interdũ alios parit in ambitu, matre minores , in

Descriptio

Caltha prolifera.



pediculis triente longiorib. hirsutis, foliolis aliquot acuminatis. Interdum maximus, plenus, volam manus ferè implens sub quo rudiméta parua aliorum florum.

Hanc Caltham veteres, Virgilius & Columella, ostendunt esse florem luteum aut flauum colore. Virgilius quidem in Georgicis Aecloga secunda, sic scribens.

Mollia luteola pingit Vaccinia Caltha.

Columella verò in hortis libro decimo his verbis.

Candida Leucoia & flauentia lumina Calthæ.

Plinius autem l.21.cap.6. Caltham etiam grauiter odoratam esse ait, qualis in totum Calendula est, quæ vt diximus, cum grauitate quadam odorata, & auri colore luteo splendet.

Synonyma

Cæterùm plurimùm errare rectè videntur Ruellio, qui Solsiam vulgò dictam, aut officinis Calendulam, aliquibus Solis sponsam, Heliotropion esse censeant: namque etsi flos ortu Solis aperiatur, & occasu claudatur, vnde Sollequia, vel Solis spósa, quòd expergiscatur & occubet crepusculis sopita, ac desiderio quodam redeuntis syderis excita perdius, quasi fœdere quodá amoris, intueatur Solé, ob idque amica Solis aliquibus dicatur: nihilominus, flos qui ei luteus est, prorsus reclamare cognoscitur: nam Heliotropio candidus tribuitur. Nec de flore sed folio circumactus ille traditur. Siquidem lutei flores omnes ferè, splédore Solis illecti, Solem sequuntur. Folia quàm paucissima vides Solis cursum imitari, nisi Maluæ & perquàm paucarum, quarum ratio superiùs nobis est reddita.

Nec folia Solsequiæ Ocimi foliis respondent, aut aliqua germanitate iunguntur. Repugnant item floris natales dies, singulis enim ferè mensium Calendis florere deprehenditur, inde vulgò Calendula dici multis putatur: Heliotropium verò Solstitio tantùm florere scripsit Theophrastus, cui experimentum suffragatur. Item flores huius Calendulæ patentem in amplitudinem dehiscunt, Heliotropii veri in caudæ Scorpionis speciem contorti curuantur.

Scorpioides herbula, Scorpiuron & alio nomine Tricoccon dictum Calendula vel Solsequia dici non potest.

Scorpioides speciem Calendulam nominatam haud dubiè esse censeret lib.4. in Dioscor. c.187. Matthiolus, si folia, sicuti semen, Scorpioidi responderent. Verùm cùm Scorpioides foliis paucis, hæc verò multis, longisque prosiliat, ii falli apertè deprehenduntur, qui in hac opinione versantur. Ipsi porrò, vt Ruellio, plurimùm errare videntur, qui censent esse Heliotropium, magna námque omnes prorsus illius notæ huic reclamare deprehenduntur. Neque eorum opinioni illud quicquam addit, quòd huius Calthæ semen, quadantenus Scorpionum caudiculas referat, quoniam Dioscorides Heliotropii florem, nō semen, Scorpionis caudæ effigiem repræsentare scripsit. Recentiorum sententiæ non audet subscribere, aut refragari, quia Calendulam vocatá Virgilii & Plinii Caltham existimant, hoc argumento nixi, quòd flores aureos luteósue proferat. Id quod nobiscum sentit Dodonæus meritò negans cum Matthiolo esse Heliotropium, aut Scorpioides.

Caltham Theod. Dorsthenius, Otho Brúfelf. & Hier. Tragus Caput Monachi appellare videntur, quòd flore decidente, capitulum, Monachi caput exprimens, relinquatur.

Hermolaus, vt legitur apud Tragum, scribit se quondam vidisse in Dioscoride peruetusto depictum Leontopodium, cámque picturam cum Calendula conuenire, vnde eam Leontopodium esse affirmat. Manardus putauit illam esse Lysimachium Dioscor. Iacob. Manlius herbam blácam vocat. Mattheus Syluaticus, putauit eam esse herbá Paralyseos. Alii Heliotropion, Sponsá Solis, Solsequium, seu Verrucariam appellant, atque hi quidem maiori in errore versantur.

Tragus in re clara & aperta maximè hæsitat: Calendulam enim à Dioscor. lib.3. descriptam, & Catanances alterum genus esse existimat, & nomenclaturas spurias pro Catanance propositas, more suo recitat.

Manardus porrò, quam Lysimachiam esse aliquando suspicatus fuit, Omnium mensium floré vulgò appellari tradit, German. **Ringelblumen/** i.e. Circularem florem, à semicirculo, quem semen refert, vel quòd ad Solem circulariter nutet. Et ideò Dorsth. Solarem, aut Solsequium aut Heliotropium appellari ait à quibusdam, sed adhuc incertum esse quo nomine apud Græcos & Antiquos vocata sit, Anguillara licèt dicat in epist. 12. Calendulæ meminisse Galenum de Dynamis.

Nondum constat, inquit Turnerus, quo nomine fuerit Græcis appellata: difficile enim est reperire, ex professo factam de ea aliquam mentionem: tametsi meminisse video eius Dioscoridé in descriptione, vbi Ruellii versio habet, Chrysanthemon aut Caltha nonnullis &c. Quæ si nó vera esset lectio, certò possemus Græcum vocabulum scire. Nam præterquam quòd ipsum esset Græcum vocabulú, nominaretur etiam Chrysanthemon. Sed meus græcus codex à Cornario editus, legit Chalchas, vt Ruellius vertit Caltha. Quo fit vt dubité, verum eius meminerint Græci ac non? Nam Chrysanthemum (Angl. **Gold-floure,**) tam potest Calchas ab æneo colore vocitari, ac Buphthalmos à bouini oculi similitudine. Cæterùm Caltha ieiunè à Latinis describitur. Virgilius solùm Luteolam nominat: Plinius inter Violas luteas, aliósque flores luteos recenser, eitque odore esse grauem. Ex quibus locis coniectari tantùm licet nostrum **Marygolde** esse Latinorum Caltham.

Caltha Poëtarum, Chrysanthemon oculatum verius Dioscoridis, Calendula Officinarum, Kalédula nostras, aiunt Aduersaria, quin sit Poëtica Caltha nullus neget, qui in Georgicis Luteolam Caltham, & in Plinio grauiter odoratam leget: Columella autem Buphthalmum hunc innuere videtur, vbi fauentia lumina Calthæ, canit, népe aureum rutilúmque flauoré, & orbem circinnatum, vmbonéque in centro extante conspicuo, luminis, siue oculi, in speciem. Vnde Calchan, id est, hiantulam & apertam dixerit: sicque Caltham-

tham putet quis decisam à Calatho, qui Latinis, Seruio teste, poculum & calix est, cuiusmodi ostentant singulis fermè Calendis Calendulæ florum pocula flaua: cuius & nos sumus sententiæ, &c. Lobelius in Obseru. p. 199. figuram habet ac dicit, Chrysanthemum Dioscoridis, Caltha Poëtarum, fortè Chromphæm Plinii. In Icon. plant. p. 512. Chrysanthemum & Caltha inflexis (plenis) floribus.

Gesn. hort. Calendula vulgò dicta, flore simplici, & alia multiplici, Caltha hortensis. Circa Monspelium suæ spontis.

Tabern. Icon. & Hist. par. 2. nouem Calthas pingit: Quas licèt in satiuam & suæ spontis, siluestrem siue aruensem, distrahat, quam nono loco ponit, attamen spontaneam à cultiua folio duntaxat minore, differre scribit. Inter satiuas autem hoc discriminis tradit, quòd alia sit flore simplici, qualem primo loco exhibemus, quæ cum eius Calendula 6. siue satiua conuenit, & alia flore pleno, qualem secundo loco damus, ad quam referimus eius Calendulas quinque priores: Calendulam sc. multifloram maximam 1. Groß gefult Ringelblumen; Calendulam maiorem polyanthon flore aureo 2. Groß goltgeel gefult Ringelblumen; Calendulam polyanthon flore aureo 3. goltgeel gefült Ringelblumen; Calendulam satiuam polyanth. melinam 4. hamgeel Ringelblumen gefult; & Calendulam multifloram orbiculatam 5. Rundgefült Ringelblumen. Quòd præterea alia sit prolifera, qualis est quæ vltimum siue tertium locum possedit. Et hæc respondet eius Calendulæ 7. & 8. siue proliferæ 1. & 2. Suffecissent sanè tres figuræ, vna flore simplici, altera pleno, & tertia prolifero.

Dictarum nouem Calendularum meminit & C. Bauh. phyt. distinguens eas vt Tabernamontanus, eius etiam sequutus logomachiam.

Nomina linguarum. Caltha, à Recentioribus Calendula dicitur, quòd ferè singulis mensium Calendis florere conspiciatur. Germanis Ringel bloůmen/ ab intorto, & in circulum acto semine: Belgis Goutsbloemen ab auri æmulo floris colore: Gallis *Soulci* siue *Souleie*. Angl. Marygold. Valeriol. de pest. *Gautet* aut *Gauchet*, Calendula vel Caltha. Ital. *Fior rancio*, siue *Fior d'ogni mese*, ob colorem aureum Mali Aurantij. Boh. MesyceK. Hung. Teuz verag/ h. e. Flos ignis.

Caltha quidem à Matthiolo, Trago, Fuchs. Turn. Lonic. Dalechampio in Plinium [à cereo ipsius flore Cerinthen putat] Chrysanthemum & Buphthalmum Dioscoridis. Caltha Poëtarum, Lugd. Calendula, Brunfels. Dodon. gall. & in fol. Anguill. Camer. Cæsalp. Clymenum Dioscoridis Fabio Columnæ.

Tempus. Locus. Monspelij Caltha passim sponte prouenit in agris & hortis toto florens anno etiam hyeme, Basileæ flore simplici & denso in hortis floret Iunio, Iulio, Augusto, Septembri. Geneuæ flore simplici abundat in hortis florens mense Octobri, Nouembri & Martio ex reliquiis hiemis: eandem habent etiam flore multiplici florentem Aprili & Maio. Lugduni abundat in hortis: Bononiæ vidi cum flore Aprili in horto di Saluador al borgo di S. Catharina. Parmæ etiam florentem Aprili: Patauij in hortis. Montbelgardi habemus in hortis vt E. C. flore simplici medio luteo, & alteram medio siue floris disco fusco: & magno flore pleno: prouenit mihi in Horto Ill. E. C. flore magno pleno reflorescens, id est, ex vno flore alios multos producens: Semina etiam collegi Stutgardiæ in horto Ducis Calthæ flore maximo pleno.

CALTHA MINIMA.

Descriptio. CAltha minima, *coliculos* emittit vnciales aut breuiores, tenues: quorum singulis *flosculus* insidet Calthæ, exiguus, luteus, ex calyce folioso viridi: *folia* Linariæ, angusta, semunciam longa: *radix* simplex tenuis, coliculo longitudine par.

Locus. C. Bauh. in phyt. Caltha 8. siue humilis. Crescit, inquit, copiosè ad fluuium non longè Lutetiâ vbi vixdum reperias vllam, quæ quatuor transuersorum digitorum altitudinem adæquet. Sic & freqentior est non ramosa.



Vires. Aqua ex floribus Calendulæ præsentaneum adeoque expertum remedium præstat oculorum rubori & inflammationi instillata mane vesperíque, vel si linteola in illâ madefacta oculis imponantur: flores in puluerem redacti inque vellere dentibus inditi, dolorem illorum sedant: flos perinde atque ipsa herba secundas educit mirificè, si aridus suffitibus admotus fuerit. Hæc Tragus, cui contrariatur Matth. dicens, Calendulam in Hetruria passim acetariis adhibent, gustu adstringente, cum quadam leuiuscula amaritudine: ex quo non video, quomodo hæc, vt quidam scriptis tradiderunt, menses ciere possit, nisi id fortasse fiat ab occulta quadam facultate. In Germanica tamen Camerarii editione, Trago subscribit. Ibidem Camerarius ad angusties thoracis commendat, ad icterum, cordis palpitationem, præsertim verò iuuenculis quibus menses substiterũt, appetẽtiam reuocare tradit: aquam autem stillatitiã ad pestem valere: succi etiam vncias duas, Alexandrum Benedictum exhibere, vehementer enim sudores ciere. Dodonæus florem taxat ad secundum ferè ordinem calidorum, præsertim resiccatum & aridum, creditque cor corroborare: herbæ autem folia calidiora esse, acrimoniam enim quandam feruidam habere, sed quæ propter humiditatem ei coniunctam non protinus se exserat, ratione cuius in olere sumpta, aluum mouere & lenire.

Calendulæ aquam Brunsuicensis omnibus oculorum morbis conducere asserit, siue à calore sint siue à frigore. Tollereque dolores capitis omnes. Suffitum ex illius floribus siccis & accensis, per vuluas receptum secundas morantes extrahere. Præscribit Arnold. in quodam med. ad Epilepsi. radices Calendulæ, si Caltha in-

CHRYSANTHEMVM FOLIO minùs ſecto glauco.

PLurimùm cum Chryſanthemo ſegetum conuenit, ſic vt ex eo annotatis differentiis minimè difficilis ſit futura huius cognitio: nam, vt à *flore*, qui maximè oculos afficit exordiar, is ſquammato calyci viri lati inſidet aureus, Chryſanthemi, diſco granulato concolori: *radix, caulis*, ſapor idem: *folia* verò glauco Cerinthes colore aut Glaſti, oblonga, pinguia, polita, & magis leuia, minùs laciniata. Idem in hortis altiùs excreſcens quàm præcedens, denique tota minor & delicatior planta; Figura quam ex Fuchſianis apponimus vt verum fatear non in omnibus placet.

Deſcriptio



Lobel. in Adu. & Obſ. Chryſanthemum ſegetum folio multiſciſſo, Germ. Geyßblum, Belg. Geel gânſe bloemen, & Dogelaauw. Adu. 237. perperam quorundam Bellis lutea. Icon. plant. & H. Belg. Chryſanthemũ ſegetum: Anglis Golden flouer aut wild Marygolde. An Lob. agnouerit diſcrimẽ Chryſanthemi vt agnoſcimus neſcio; figura quã habet demonſtrat noſtrum flore glauco, fortè vtrumque intelligit.

Dod. gall. Chryſanthemon dicitur, quod explicat florem aureum. Sic & Lat. de florib. & in fol. vbi ait, quibuſdam in locis reperiri foliis magis confectis, aliis minùs: à Germanis S. Joans blum & Genßblum appellari, à Belg. vulgò Rogelaer, & quandoque geel ganſe bloemen, & boutroofen: addit in Hiſt. gall. eſſeque incognitum Officinis. In Hiſt. Lat. ait Græcos ab aureo florum fulgore χρυσάνθεμον nuncupare: nominare verò pleroſque Buphthalmum & Calthã: non deeſſe quoque qui Bellidis ſpeciem faciant, & luteam Bellidem dicant: ſed Bellidem alterius generis herbam eſſe. Figura Dodonæi in Gallica hiſt. meliùs placet cæteris.

Camer. in hiſt. Matth. Germ. lib. 4. cap. 6. & Epit. pag. 793. figuram habet Chryſanthemi minoris, quæ hoc ſatis exprimit de quo hic agimus, is tamen non diſtinxit à maiore.

Cluſ. Hiſt. poſt. p. 334. Chryſanthemum ſegetum, à nonnullis ita cognominatum, quòd inter ſegetes naſcatur, foliis Bellidem maiorem quodammodò æmulantibus, ſed mollioribus & dilutiùs virentibus, flore ſimiliter Bellidis maioris, ſed omninò flauo. Eandem habet iconem cum Lobelio.

Locus, & Tempus. Tubingæ vidimus apud D. Fuchſium. In Galliæ Campania in agris ſpontaneum comperimus, ac collegimus ſemen quod ſatum Montbelgardi in horto Ill. E. C. prouenit ac quotannis ex ſemine deciduo ſe renouat, eſt enim annua herba.

Segetes frigidiorum tractuum Galliæ, Germaniæ, Belgicæ & Angliæ hoc ſcatent, flauam per meſſes Cererem ornante, regionibus æſtuoſis rariùs.

CHRYSANTHEMVM LATIFOLIVM.



FIbroſis nititur *radicibus*; *caulis* ſtriatus, glaber, ramis alternis diuiſus: *foliis* ſitus idẽ, ſeſcuncialibus, & duas vncias longis, ſemunciam aut paullò minùs vnciã latis, ad Bellidis maioris folia proximè accedentibus, per extremum latioribus, circumcirca ſerratis, glabris, ſine pediculo cauli adnatis. *flores* extremis ramulorum hærent ſingulares, minores quàm Bellidis maioris, diſco totiſque diſcum coronantibus aureis: florem ſuſfulciunt folia viridantia. Figura ex Fuchſio non atridet multùm.

Deſcriptio

Attulit mihi frater Caſp. Bauhinus ex Patauinis hortis pro Chryſanthemo latifolio Guillandino & Aſella Plinii, Icon à nobis ex Fuchſianis propoſita aliquatenus exprimit.

CHRYSANTHEMVM PARVVM, ſiue Bellis lutea parua latifolia.

CAP. VI.



PErſimilis eſt Bellidi maiori, cuius *folia* habet vix vnciam longa ſerrata, eodem ordine per *caulem* diſpoſita, qui ſingularis, pedalis, ſubhirſutus, ſummo vertice *florem* gerit vnicum paullò iam dictæ Bellidis minorem, radiatis in orbẽ foliis ſaturatè croceis, vmbonẽ ſtaminum, eiuſdem colo is coronantibus, quæ obuerſa

Deſcriptio



parte fulfulciunt folia pallidè virentia, fubhirfuta: *radix* breuis, gracilis, multifida.

Huiufmodi vnicam plantam gracilem & ftrigofam dedit nobis D. Georgius Rentzius Medicus delatã ex Italia nomine Bellidis luteæ.



Eodem nomine collectã in agro Neapolitano fpeciofiorem dedit D. Agerius Medicus Argentinenfis eiufdem altitudinis & fingulari caule hirfuto, *folia* autẽ ad radicem multa, fefquiunciam lõga, ex angufto principio ferrata, parte extrema & fuprema lata, qualia etiam funt folia per caulem: Icones noftræ ex Fuchfianis in eo difplicent, nec etiam in iis iconibus radices craffiores placent: plantam etiam dedit bifidam in qua duo flores. Saporem foliorum in ficca planta nullum manifeftum animaduertimus.


Confideranti diligẽter icones propofitas quas emimus cum Fuchfianis apparet vnius effe plantæ tribus tabellis expreffæ, quæ cùm accedant ad noftram Bellidem luteam, hîc ponimus, quia non occurrit adhuc quò referre debeamus.

CRITHMVM MARINVM TERTIVM Matthiolo flore luteo Buphthalmi.

CAP. VII.

SVffrutex eft maritimus, ftatim ab ipfa radice multos emittẽs *ftolones* cubito altiores, rectos, robuftos, teretes, rubentes, per quos *folia* denfiffima, vnciã longiora, angufta, craffa, teretia, glabra, acri, falfuginofo, aromaticóque fapore prædita: ftolonum fcapi in foliofos ramufculos finduntur, quorum fingulis infidet *flos* maiufculus, luteus, in pappos euanefcens.

Tabern. Hift. Crithmus 2. Bacillenkraut quoad figuram. In defcriptione enim & inter nomina Crithmi tertium genus eft, quod ab Herbariis vocari ait Crithmum, Chryfanthemũ, Chry-



fanthemum littoreum, & Afterem Articum marinum. In Iconibus huius titulus eft p. 101. Crithmũ Chryfanthemum, Geel Bacillen / Meerftern kraut: Aft figura ponitur p. 100. pro Crithmo fatiua, Afparago Gallico. Et quãuis noftra nõ placeat figura, nobis tamen deterior videtur quæ à Tabernamontano proponitur. Defcriptio

A Matthiolo in prioribus comm. lib. 2. cap. 122. fine defcriptione picta eft, pro Crithmi marini fpecie. Sed in poft. comm. lat. & Ital. mag. fig. pro Chrithmo 3. depingitur. Et rurfus eft in Hift. germ. & Epit. Camer. pro Crithmo 5. lib. 2. cap. 68. cuius defcriptio ponitur cap. 67. eiufdem libri. In Epit. vocatur Vitriaria.

Lob. Aduerf. Littoreum Chryfanthemum flore Buphthalmi, aut Conizæ, foliis Kali aut Iuæ mufcatæ. Ei autem non placet hanc reponi inter Crithmi genera. Tertia fpecies Crithmi Cõmentatoris, inquit, quid negotii, aut fimilitudinis cum Crithmo habet, ad Chryfanthemum referendum. Obf. p. 215. Littoreum Chryfanthemũ, etfi in Icon. Plant. pag. 395. Crithmus Chryfanthemus Dodonæi, After Atticus marinus, Crithmum tertium Matthioli.

Hift. Lugd. p. 1379. Crithmi fpecies tertia Matthioli. Item Crithmum Chryfanthemum Dodonæi.

C. Bauh. Phyt. Crithmum 3. fiue marinum flore Afteris Attici.

Hoc ex Prouincia mihi mifit Iacobus Rainaudetus Pharmacopœus nomine Crithmi Matthioli. Florentem vidi Monfpelii apud lacus falfos & mare, florentem Augufto. Bononiæ in horto S. Saluatoris al Burgo di S. Catharina. Pfortzemiæ in horto Domini Grienningeri Pharmacopœi: pulchrum autem delatum Monfpelio plantauimus in horto Ill. E. C. Montbelgardi. Locus & tempus.

Iis pollère facultatibus dicitur in Epit. Camer. quibus Crithmum Antiquorum Diofcoridis & Galeni, de quo maximè dubitamus. Vires

---

HERBA MAXIMA.

CAP. VIII.

MEritò hoc nominis peregrinæ huic plantæ indiderunt Recentiorum nonnulli, vt cui in herbaceo genere nulla fit magnitudine comparanda: *caule* fingulari, brachii craffitudine, duodecim aut decem pedum altitudine in noftris hortis, vicenûm etiam & quatuor referunt alii folo hifpano: incondita per hunc *folia*, Cacaliç formâ, non item magnitudine, quippe fpithamã longa, aut etiam fefquifpithamam, haud multò anguftiora, acuminata, afpera, hirfuta, in ambitu ferrata, pediculis longis hærentia. Summum Defcriptio

caulis

caulis fastigium *florem* sustinet vnicum, nutabundum, orbiculatum, Helenii simile, sed tam amplum vt facilè pedem in diametro colligat, foliis aureo nitore luteo micantibus, ambitum obsidentibus, disco plano, lato, aphyllo, innumerorum *seminum* latorum fuscorum, albорumue, oblongorum, compressorum fœcunditate farcto: *radix* fibrosa nec tantùm promittere ausa germé.



Est huius generis species quædam minor, sed quæ florum multitudine paruitatem cōpenset.



C. Bauh. Phyt. dicitur Helenium tertium siue Indicum maximū quod quidam ad Chrysāthemum, alii ad Bellidem Plinii referunt: Florem Solis, eò quòd flos ad Solē se vertat, vocant. Multùm, inquit, variat magnitudine foliorum, & florum & caulis altitudine; & florum numero: in Italia namque viginti quatuor flores in vna planta, plures in Hispania, in Germania etiam decem obseruauI. Adolescit in Hispania ad viginti quatuor pedes; aliquando flos tantæ magnitudinis vt 2362. semina contineat. Florum item folia in aliquibus longiora: sic & plantæ folia in aliquibus asperiora. Albo flore aliqui obseruarunt.

Ad Chrysanthemi genus referendus videtur Dodonæo, peregrinus hic raræ magnitudinis flos, quem Solem nonnulli Indianum appellant, alii verò Florem Solis: ast Dodonæo Chrysanthemi Peruuiani nomenclatura placuit. Existimari posset, inquit, hic flos Plinii esse Bellio, si credibile foret, illa ætate Romæ vel visum, vel vllo modo agnitum: per ambitum siquidem luteus est, & plùs quàm quinquaginta foliis medius eius orbis cingitur. vt Plinius lib.21.cap.8. de Bellione. Luteus, inquit, Bellio patulicantibus quinquagenis quinis barbulis coronatur. Sed verisimilius bellionem omninò alium esse floré.

Idem & aliud minus tradit.

Lobel. in Obs. p.322. figuram Dodonæi habet, quam ita inscribit, Solis flos Peruuianus, siue Sol Indicus, Chrysanthemum Peruuianum Dodonæi, Lusitanicè *Gigante*, à proceritate stirpis. Idem habet & aliam figuram cui titulus est, Solis flos minor.

Planta maßima (inquit Cortusus in epist. ad Matth. quæ est in principio commentariorum Italicorum) primò missa per Clusium, *Corona regale*, *Cappa di Gioue*. Quidam volebant Solsequium & heliotropium, ego Veneratricem Solis existimo, dicitur etiam Bellis Plinii *Tromba d'Amore* & *Rosa di Hiericho*: crescit ad 120. palmos Geometricos. Hæc ille qui pingit & describit.

Cæsalp. Helenium Indicum vocat, & appellari posse concedit Florem Solis, quia non solum effigiem Solarem præ se ferat, sed & cum eo modò in Orientem, modò in Occasum conuertatur, semper inclinatus ad terram, quasi præ reuerentia capite nutans. Scribit idem caulem incisum lachrimam [Gummi Camer.] pellucidam, flauam [rubram Camer. odoratam, subacrem fundere: apparere etiam in floribus aliquid resinosum, planè Terebinthinam substantia & odore referens.

Tabern. Icon. & Hist. quatuor exhibet figuras pro Corona sc. Solis 1.2.3.& 4. quam fœminam facit, nec aliter eas ab inuicem distinguit, quàm primam & secundam flore maiore, a 3.& 4. flore minore. Vocat autem Germ. Sonnen Kron & groß Indianisch Sonnenblum.

Herbam maximam siue Florem Solis maioré & minorem sæpe in Horto E.C. Montbelgardi habui, rarò profert semen maturum, potissimùm maius genus: Basileæ vidi aliquando in hospitio Ciconiæ maiorem, quæ ad altitudinem duorum hominum excreuerat eamque excedebat, mense Iulio & Augusto: semen maturuit Octobri, grati saporis: minorem vidi in horto D. D. Fœlicis Plateri, Geneuæ opera D. Valerandi Dourez Pharmacopœi insignis, habui in horto, ac tunc primùm ibi visa, quæ excreuit in satis magnam altitudinem. In oppido l'Isle dicto Burgundiæ prouenientem vidi in horto D. Baronis a Marnaut: D. Robert. Constantinus al quando mihi dedit semen cum hac inscriptione, Regina herbarum siue maxima: arborescit, flos aureus, ἀκτίνωτος est, clypeique magnitudinē sæpè exuperat, nihil pulchrius. Affertur ex Brasilio. D. Cortusus Patauio mihi misit semen cum his titulis *popugian del Indio* seu *pianta maßima: pianta del Sole, seu Corona regale*. Raslius autem Chirurgus insignis Lutetia misit nomine Oculi Indici. Ventorum iniuriis exposita, nisi firmo alligetur adminiculo propter radicem summa tellure sparsam, facilè euellitur. Locus & tempus

Flos Plantæ maximæ benè repurgatus à foliolis coctus cum oleo, sale & aromatibus, melioris est saporis quàm Fagi, Asparagi, & Cardui &, Scolymi, ac ad Venerem insigniter stimulat, vt in se ipso expertum esse scribit Cortusus. Chrysanthemi Peruuiani pediculos foliorū teneros adhuc, pilisque derasis, in craticula decoctos, sale oleoque priùs præparatos, esu suaues & perquàm gratos esse, euidenti experimento cognouit Cortusus, inquit Dodonæus, & similiter ipsos quibus floris foliola semenque insident calyces: quos & ipsius Cinaræ comis siue capitibus delicatiores suau oresque in cibo esse scribit, & non minùs, verùm ampliùs, πρὸς ἀφροδίσια, ad quæ plu-

ximùm possunt facere. Quâ in re industria ac diligentia eius commendari ac laudari satis non potest. Semen purgandi vim habere instar Cartami quidam Camerario retulit, quod tamen in seipso periculum faciens non potuit deprehendere. Caulis fractus facilimè callo obducitur: vnde vulnerariam esse coniiciunt & ad fracturas conuenientem: sed hoc signum non sufficit: inesse tamen vulnera glutinandi facultatem non negarit Camerarius. Sunt, inquit Cæsalpinus, qui caput in cibis assumant assatum: quas prætera facultates habet, à nemine hactenus traditum est: coniicere tamen licet vim calefaciédi ei inesse, cum tenui substantia: idcirco ad eadé pollère ad quæ Helenium: sed lachrymam longè efficaciorem esse.

HELENIVM SIVE ENVLA CAPANA. CAP. IX.

Descript. INsigniter grandescit Helenium, ad trium & quatuor vsque cubitorum proceritatẽ, *caule* recto, canaliculato, villoso, subrubente, aliquot alis concauo: *folia* nullis interuenientibus pediculis, caulibus adnascũtur, Verbasci latioris, incana, lanuginosa, per ambitũ crenata: *flores* odorati sed obscurè, Buphthalmi effigie, sed multis numeris maiores, aureo fulgore comantes, quibus squarrosum subest latius capitulum, *semen* continens gracile & oblongum, quod falsò Petrus de Crescentiis negat. *Radix* notandæ crassitiei, foris fusca, intus alba sapore aromatico, acrimoniâ cũ nonnullo amarore mixtâ.

Synonyma Folia habet, vt describit Dioscorides Verbasco (φλόμῳ) angustioribus foliis prædito [mendosè legit Lobel. in Adu. πλατυφύλλῳ, pro plantæ enim altitudine & foliorum longitudine angusta satis folia sunt] similia, asperiora tamen & oblonga: caulem quibusdam in locis [ἐν πᾶσι τόποις vet. caret] non emittit. Radicem habet subrufam [ὑπόπυῤῥον: πυῤῥὰν, fuluam alii: addunt & alii, interdum ὑπόλευκον (subalbidam) odoratam, subamaram (ὑπόδριμυν: δριμεῖαν, acrem vet.) magnam, vegetam: ex qua agnatæ propagines [Liliorum, κρίνων, quod nondum in aliis exemplaribus legi] velut in serendis Cinaris (κινάραις, & rectiùs meo iudicio, quàm Aris, ἄρων) ad insitionem decerpuntur opimæ & insignes. Et hæ notæ omnes in Inulam vulgatam prorsus competunt.

Cæterùm sunt qui Helenion, Symphyton, qui Persicam, qui Medicam, qui Orestion, qui Nectarion, qui Cleoniam, qui Rubum Idæum, qui Verbascum Idæum appellent: Ægyptii Lenen, Latini Terminalium aut Inulam campanam.

Plinius Inulam vocat, recensens inter ea, quæ feruntur in hortis cibi gratia: breuior Sisere est, ingr, sed torosior, amariórq;: Inula per se stomacho inimicissima, eadé dulcib. mixtis saluberrima: pluribus modis austeritate victa gratiam inuenit: illustrata maximè filiæ Augusti quotidiano cibo: superuacaneum eius semen, quoniam oculis ex radice excisis, vt Arundo seritur.

Quod porrò Dioscorides Helenium ab Antiquis Symphyton vocatum tradidit, in hoc testes sibi aliquot habent (ait Marcellus) qui Græcorũ Lexica conscripserunt: inueníssèque id nomen videtur ex sobole adnatísque illis quæ in radicibus Liliorum modo συμφύονται, id est, connascũntur & hærent. Testantur eadem græcorum lexica Medicam & Nectariam radicem Inulam dici, facto à regione & à dulcedine nomine: sic Cleoniam dictam coniicere licet: Etsi in probatissimo mihi codice non simpliciter κλεώνιν legitur, sed βούγλωσσον κλεώνιον, id est, Buglossum cleoneum appellari. Apuleius etiam quod non multùm à Cleonio differat, Chironium panacem dicit vocari: vt in alterutro vitium sit: adiectũmque hoc à nobis est ne quid obseruatum & inuẽtum hactenus relinqueretur. Ab Oreste nomen illi etiam antiquitas fecit, ignoramus nos tamen causam: nisi fortè Orestis & Helenæ propinquitas communem eius plantæ laudem & honorem ambobus fecerit. Quæ sequuntur deinde appellationes: Rubus & Verbascus Idæus ex folii similitudine (vt toto hoc opere infinitæ aliæ) factæ sunt: quod ex hoc ipso autore in Helenii aut Verbasci historia deprehendere facile erit: Et quemadmodum copiosum in monte Ida nasceretur Helenium: ideò loci & regionis discrimine à propriè Rubus & Verbascus dictis discretum est: vnde autem Terminalium Romani (modò integra ea vox sit) helenium dixerint: nihil pro comperto habemus: quemadmodum contrà Inulam dici Antiquiores Latini omnes testantur: nullibi tamen ex Campania magis quàm aliunde ab illis laudatur: suspicamúrque nos, quod à principio diximus, multas in Scriptore hoc non legitimas esse appellationes, deindéque per tempora inserta aliena & peregrina, vbique admirantibus cunctis: eóque magis in Romanæ gentis fortuna & imperio hanc Græcis miscere propriis placuisse: & ex propinqua vrbi regione eam laudasse: quando vt omnes iam pridem nouimus: quò se fortuna illuc etiam fauor hominum inclinat: & vt nos in doctrinis qualescũque græcorum voces adhuc admiramur & amamus: eodem modo & illos Romanas admirari & amare solitos fuisse verisimile est.

Nectaria Antidotus videtur Cornario esse appellata ab Helenio, quod recipit: siquidem id Nectarium appelletur, vnde & Dioscoridi Nectarites vinum dictum sit. Nec aliud esse putent quidam, quàm Homeri Nepenthes 4. Odyss. Vnde Plinius etiam lib. 21. cap. 21. de Helenio loquens, easdem vires ei tribui testatur, quas Homerus ad Nepenthes retulit, & Nectarium appellatum dicit.

Diosc. caput de Helenio, mendis scatere scribit Matthiolus, idéque testis est, Auicennam confundere cum Helenio nostrate Helenium Ægyptium: Esse præterea qui dicant (vt etiàm testatur Galen. lib. de Ther. ad Pisonem, si modò Galeni liber legitimus sit) quod si Helenii succo tela venatoria inficiantur, venenata effici, idque in Dalmatia fieri, vt feras omninò perdant, quod quidem ipsum fabulosum dicit.

Apud Anguillaram quidem epist. 1. dicit Galé. lib. de Antidot. compositionem parari ex Helenii radice.

radice, quæ venenum sit animalibus: hominibus tamen non noceat. Miratur idem Epist. 2. Plinium loquendo de Helenio voluisse Nepenthem Homeri confectum fuisse ex Helenio Crateuæ.

Tragus Enulam campanam pingit & describit, dicitque à quibusdam eam putari radicem illam, quam Mercurium Vlyssi aduersus veneficia Circes demõstrasse, Homerus testetur Odysseæ 10. libro: Sic dicens.

dedit Herbam Mercurius
Ex terra euellens, & mihi genus ipsius ostēdit.
Radix quidem nigra erat, lacti vero similis flos.
Moly quidem ipsam vocant Dii, difficile autem effodere
Viris mortalibus, Dii autem omnia possunt.

Panacis porrò & Chironii nominibus appellandam suspicabatur Tragus, quam suspicionem Apuleius ipsi pariebat. Verum si radicem Inulæ, formam eius, odorem, saporisque acrimoniam, colorē denique & vires cum Helenio Dioscoridis diligenter & cum iudicio conferas, deprehēdes illam verum esse Helenium. Quod Apuleius cap. 96. Panacem centaurion & Inulam campanam vocat; Serapio Iasim & Zinziber de Sem: Auerrhoes Assaran; Laur. Phrisius Hebraicè Elna, quod rectiùs Enula scribi posse Trago videtur. Quam autem nihil certi habeant nomenclaturæ, non solùm Apuleius testatur, qui tres plantas Enulæ nomine appellauit, verum etiam Dioscorides, qui dictas voces aliis subinde herbis attribuit: ac apud Cordum in Diosc. annot. iterum est, Helenium Theophrastum nomine Chironii Panacis describere.

Helenium, inquit Amatus, nostra est Inula Campanica. Quia autem radicem fert amaram, credendum est, vt doctè adnotauit Marcellus, Dioscoridis historiam hanc corruptam & acephalam esse: Nam quod folia angusta Verbasco similia habere tradat, id cœli causæ forsan tribuendum esset, quum in vno loco procerius herba vna quam in altero crescat: sed quòd insignem amaritudinem in Inula repertam, silentio prætermiserit, non possum non testari textum istum corruptum esse. Imò Marcellus Virgilius confirmat se amaritudinem in Antiquissimo Dioscoridis codice legisse. Quamquam eā quoque à Plinio prætermissam animaduerto, vnde Matthiolus Senensis, hic falsò admodum Pliniū adducit libro 19. cap. 5. quia vltra quòd in eo capite, nullam penitus de Helenio, siue Enula mētionem faciat, libro tamen 21. cap. 10. vbi Helenij meminit, non de hac loquitur, sed potiùs de Ægyptia, cui Dioscorides in hoc capite, ex mente Crateuæ herbarij, ramulos Serpilli modo, humi sparsos tribuit, folia verò Lenti similia, cui quoq; in eo loco nullam tribuit amaritudinem: Imò in describenda herba hac, Plinius à Dioscoride variat, quum Dioscorides folia lentis, & ramulos Serpilli per terram sparsos Ægyptiam Enulam habere tradat: ille verò non Lentis folia sed Serpilli potiùs possidere dicat. Accedunt ad hæc, quòd cap. 21. prædicti libri, vbi medicamenta Helenij pertractat, dulcem esse asserit, nó amaram, vt liquidò constet Plinium de illa tantùm dulci Ægyptia Inula memoriam fecisse, non verò de hac amara à nobis tractata: Proinde Matthiolus, si Plinij authoritatem in hac parte subticuisset, prudentiùs dubio procul fecisset, ac non ita duplici errore hallucinaretur: primò, quum credat Plinium de hac Inula primā mentionem fecisse, quum vt diximus potiùs de secūda Ægytia agat: secundò quum dicat Plinium Inulæ amaritudinem tribuere, quum re vera illi dulcedinem condonet, & non amaritudinem, vt cuique legenti notum erit. Verùm Enulæ radix adeò lætificat vt in omnium Apothecariorum ore sit, imò hac de causa, à multis creditum est, hanc Nepenthem herbam illam ab Homero tāta laude decantatam esse, quia perpetuam pariat lætitiam, & tristitiam omnem aboleat, omnes abigendo curas, & malorum omnium obliuionem inducendo, præcipuè si eius succus vino immistus bibatur, quæ omnia vera esse crediderim, modò de Ægyptio Helenio Campano dicātur, quum in nostra Enula hæc prorsus non reperiātur: nec Itali illius radices quotidie coctas, & Sacchαro uel melle & aromatibus paratas licet essitent, talia experiantur. De illa igitur Enula Ægyptia vera Nepenthe suo loco dicetur. *Hæc Amatus*, qui quid velit nondum video, ac Matthiolo fortè iniuria fit, nisi in prioribus Commentariis olim aliquid scripserit: præterea nescio cur dicat locum malè citatum à Matthiolo, & Plinium Inulæ amaritudinem non tribuere: vtrumque inuenio apud Plinium. *Amatus not.*

Apuleius cap. 95. vel Humelbergio teste, duas diuersas miscet plantas. Nam Inulæ nomina & virtutes, ceu titulus promittit, traditurus, Chironii Panacis immiscuit nomina & historiam. *Apuleius not.*

Robertus etiam non distinxit duo Helenia, præterea non facit mentionem Nepenthes, quod debebat, dum ait: Helenium, Enula Campana, cuius radicem si quis comederit omnium dolorum obliuiscitur. *R. Const. not.*

Patet itaque ex hactenus dictis Helenium, simpliciter dictum longè diuersum esse ab Helenio Ægyptio Crateuæ dicto, quod multi Panax Chironium falsò volunt, & meliùs alii Helianthe vulgare statuunt, & alii Helianthe flore albo, & alii Herbam colubrorum, nos Helianthe rarum, Clusius Medicam marinam, quidam Securidacam siue Hedysarum clypeo aspero.

Planta a nobis exhibita, Helenium dicitur Trago (cui & Enula campana) Fuchsio & Gortæo. Helenium Diosc. Corn. Matth. Anguill. Cordo & Ruell. [quibus duobus & Helenium 1.] Amato, Hermol. Dod. passim; Eluchas. Tabern. Cast. Lobel. [cui & Panax Anguillaræ] Maranthæ, Apollini, Cronemburg. Rob. Steph. Monach. in Mes. Camer. Hort. Lusitanico, & Schvvenckfeldio. Helenium vulgò cognitum Rob. Const. in Lexico. Helenium vulgare Ioh. Agricolæ, & C. Bauh. cui & Helenium primum in suo phytop. Helenium Matthioli H. Lugdunensi. Inula Plinio. Inula campana Apuleio. Enula Lonic. & Cæsalpino. Panax Theophrasti, Helenii prima species Dioscoridis Anguillaræ. *Nomina linguarū*

Helenium, ἑλένιον Græcis, hodie non solùm officinis, sed etiam vulgò omnibus notum est. Latini Inulam & Enulam appellant: Officinæ Enulam Campanā: Arab. *Iasim* siue *Rasen*. Germ. Alant/Alantwurtz [quia ferè radicis vsum solùm nouerunt:] Belg. Alantswortele: Galli *Enule Campane*, *Aunee*, & vulgus *L'aune*: Itali *Lella Enoa & Enola*: Hisp. *Raiz dell'alla*: Angl. Elecampane: Poloni Oman: Boh. woman: Hung. ôreny gyôker / ôrueny fu.

Helenium porrò ab Helenæ lachrymis dictum esse volunt, ex quibus natum fabulantur Poëtæ: Alii quòd contra serpentes ex eo primum ab He-

lena remedium inuentum sit, & Menelao comiti suo in Ægyptum nauiganti ostenderit. Alii ab Helena insula vbi longe optimum luxuriet.

Helenium siue Enula campana, Geneuæ vidi in hortis, Lugduni habebam & alii in hortis, Frater obseruauit Basileæ in Michelfelden / ego ibi tantùm in hortis vidi. Montbelgardi priusquam adornaremus Hortum Ill. E. C. in eo erat copiosum spontaneum, vt nunc cultum habetur, floret Iunio & Iulio, in locis vt Dioscorides ait, montanis vmbrosis & siccis (ἀνίκμοις) vel rectiùs [ἐνίκμοις] humectis. In pinguibus & lætis, teste Dodonæo, nascitur pratis: reperitur quandoque & in montibus, locis vmbrosis, & non omninò aridis: Frequens non modò apud Belgas, verùm & alibi, vt in Italia, Gallia, Germania &c. Flores Iunio ac Iulio vigent. Radicis frustum recens terræ mandatũ nullo negotio prouenit, id quod Dioscor. & Plinius supra testati sunt. Radix Æstate effoditur & secta siccatur: non rarò etiam Aprili & Maio mensibus legitur: viget Autumno.

Vires

Helenii radicis decoctum, authore Dioscoride, potum vrinas mensesque ciet. Ipsa verò radix in eclegmate sumpta cum melle prodest tussi, orthopnœæ, ruptis, conuulsis, inflationibus & venenatorum morsibus: quippe quæ in vniuersum excalfaciendi vi polleat. Folia ex vino decocta vtiliter Ischiadicis illinuntur. Est & radix stomacho vtilis, dulci musto condita: Siquidem salgamarii paululùm exiccatam eam, mox decoctam, aqua frigida demergunt: postea defrutum coniiciunt & ad vsum reponunt. Trita potaque ad sanguinis reiectiones est efficax.

Plinius non vno loco Inulæ meminit. Amarior, inquit, per se stomacho inimicissima, eadem dulcibus mixtis saluberrima. Et mox illustrata maximè Iuliæ Augustæ quotidiano cibo. Et Inula quoque à ieiunis commanducata dentes confirmat, si, vt eruta est, terram non attingat. Cõdita tussim emendat. Radicis verò decoctæ succus tineas pellit: siccatæ autem in vmbra farina tussi, & conuulsis, & inflationibus, & arteriis medetur. Venenatorum morsus abigit: folia ex vino lumborum dolori illinuntur.

Galenus de eadem ita scripsit, Helenii radix maximè vtilis est, non primò statim occursu excalfaciens, ac proinde non dicenda calida & sicca exquisitè, ceu Piper tum atrum, tum candidũ, sed cum recrementitio humore. Quapropter eclegmatis, quæ faciunt ad educendos ex thorace & pulmone crassos lentósque humores idoneè commiscetur. Rubrificant quoque eà partes frigidis ac diuturnis vexatas affectibus, cuiusmodi sunt ischiades, & exiguæ assiduæque articulorum procidentiæ ac luxationes. Hæc Galenus.

Helena, quæ in ore omnium est, postquam Græcis Troianisque pro se pugnantibus infinitos dolores intulisset: Helenium vt poëtæ cecinerunt ex lachrymis suis in Helena insula natum mortalibus dedit: quo tristitia omnis aboleretur: si primo doctrinarum & antiquitatis parenti Homero credimus: qui ad obliuionem poculo iniectum ab ea in cœna dixit: tam præsenti ad eam obliuionem potestate: vt nec defunctis ante se parentibus, filiisue aut fratribus, lachrymis genas rigaturus sit quâ die id biberit aliquis, poëta ille testetur: quæ an vera sint in poetis excutienda relinquimus: naturæ enim & corporis: non fortunæ & animi mala in Dioscor. tractamus.

Radicem Helenii in mustum coniectam coqui vt defrutum fiat & sapa, atque inde eximi, ac vinum siue Sapam in vsum reponi, scribit Cornarius: eadem etiam vti vulgus ex aceto tritâ ad scabiem confricandam. Radix Helenii, vt Trago placet, cùm recens adhuc est, sacchаro condiri potest, quemadmodum Zingiber & Calamus aromaticus. Síque illa desiccata & in puluerem redacta, sacchаro vel melle misceatur, vt ita fiat eclegma, benedictam præstat medicinam aduersus suspiria & lentam tussim: hoc námque eclegmate crassi & viscosi thoracis humores inciduntur & excreabiles fiunt. Eodem remedio internæ exulcerationes & abscessus pulmonis, matricis, aliorúmque viscerum (sic vsurpato) persanantur. Cataplasma ex Helenii viridis radice confectum tumores & inflammationes locorum muliebrium & genitalium detumescere facit. Nõ improbarim cum Trago in tumoribus frigidis & flatuosis, in phlegmone nolim vti: Radix siquidem, teste Dodonæo, huius Inulæ ad multa maximè vtilis sit natura excalfactoria & resiccans tertio ordine: præsertim arida. Nam recens & adhuc succo plena, excrementitio redundat humore, qui calfaciendi ac resiccandi eius potentiam nonnihil obtundit. Prodest aduersus respirãdi difficultatẽ, orthopnœã, veterémque tussim, Vẽtriculo a. cõmoda & salubris radix cõdita est: à cœna sumpta non modò concoctionem promouet, sed & aluum faciliorem reddit. Sunt etiam qui ipsis decoctis, tritis ac melli instar vnguenti permixtis, vetera vlcera expurgari atque ad cicatricem perduci affirmant.

Aridæ radicis farina, vt prodit Matthiolus, denarii pondere diebus aliquot ex vino vetere hausta spleniticos iuuat, Helenii radicum succus cum pari hyssopi succi pondere, & aquæ stillatitiæ Tussilaginis triplicato pondere, saccharique quantùm sat fuerit, ad mellis spissitudinem decoctus, magnoperè asthmaticos iuuat, si frequenter vtantur. Sicca radix foris vtilis est, sin intrò sumas humente adhuc atque recenti vtendum, præsertim in pulmonis chronicis affectibus. Helenii radicem, flores & folia tanquam peculiare præseruatiuum pestis tempore commendat Bokelius. Condit autem radices & flores etiam de quibus manè aduersus prauum aërem & difficultatem spirandi vtiliter assumi scribit, quemadmodum & vinum Helenites: vtilem etiam radicem in aceto forti maceratam & odoratam perhibet.

Inuenitur & Nectarites vinum ex Helenio paratum, sed magnâ inter pondus radicis & mensuram musti diuersitate. Plinius enim quadraginta denarios radicis, hoc est vncias quinque, si denarium drachmæ pondere accipiamus, in sextarios sex musti mittit. Dioscor. autem quinque drachmas, in sex congios iniicit, qui post tres mẽses primò diffundit, vt in hoc exilius pondus sit, ad tantam vini mensuram: in illo magnum pondus sit, ad exilem mensuram. Quare si in illo sextarii in congios mutarentur: in Dioscor. contrà congii in sextarios, mihi cum Cornario aptior miscendi modus videretur. Sed hæc tota res experimento constat, & in cuiusque arbitrio sita est, prout quæuis mixtura cuilibet iucunda est. Facit ad stomachũ, & thoracem: ducit & vrinas. Vinum quod ex Helenii radicibus passim in Germania paratur frequenter in potu sumptum mirificè visum acuit. *Vinum Nectarites.*

BATANICA

BATANICA PLANTA FOLIIS Helenii.
Cap. X.

De hac planta Clus. in Exot. lib. 4. cap. 23. talibus agit verbis. In Doctoris Colii, siue Coolmans sportulis, quæ deportatæ sunt Amstelredamum anno 1602. ex India Orientali, in chartacea pagina, hæc latina verba ipsius Doctoris propria manu exarata reperiebam. An Conyza odorata aut Helenium alterum Saluiæ odorem spirans? Herba cuius folia Helenii formam referunt, flores parui flauescentes, & in pappos abeuntes Conyzâ minores. Bantamæ comeditur. *Hæc ille.* Ego verò ex notis quas in sicca planta obseruabam, quę sequuntur addebã: Plantæ illius folia palmum erant longa aut maiora, tres ferè vncias lata, per oras crenata, aliquot venis à medio neruo folium per longitudinem medium secante inæqualiter nascentibus, & in latera excurrentibus prædita, pronaque parte incana: foliorum pediculi paruas appendices adnatas habebãt veluti aures: tenelli rami & recenter nata folia albâ lanugine pubescebant, etiam in resiccatâ, quam duntaxat conspiciebam, & cuius folia degustata aliquid amaritudinis habere deprehendebantur.

Conyza. Descriptio

HERBA MALVCANA ACOSTÆ.
CAP. XI.

Descriptio

Dvorum aut trium cubitorum longitudinẽ adquirit hæc planta, nonnunquam etiam locis vberioribus & humidis, quinque cubitos superans, eleganti virore prædita, *caule* tenui, tenero, nonnihil concauo, imbecillo, & nisi vti Iasminum pergulis sustineatur, humi sese diffundente, quemadmodum Hedera; & multos ramos spargente, qui subinde *radices* agunt vt Mentha & Melissophyllon; adeoque serpunt, vt planta sola, vel ramus transpositus, breui temporis spatio magnum locũ occupet: *folia* habet tenella & mollia, in ambitu serrata, magnitudine & forma Sambuci foliis respõdentia: *florem* croceum, Chamæmeli flori admodum similem, paulò tamen maiorem. Toto anno viret & luxuriat.



Acostâ, Historiæ huius autore, teste, ex vers. Clusii, vulgò nuncupatur Remedium pauperum & destructio Chirurgorum: Canarini *Brungara aradua* appellant, id est, quæ flore est croceo.

Hist. Lugd. Malucana Acostæ.

Frequenter vtuntur cùm in Maluca [vnde primam originem traxisse creditur, quòd istic abundè crescat, & plurima admisceatur Chirurgicis remediis] tum in omnibus Indiæ prouinciis, in quibus diligenter colitur, & in pretio habetur, nec iniuriâ.

Coquuntur huius plantæ folia in oleo, & cum cera inspissantur vnguenti modo: mirificè curat id vnguentum omnis generis vlcera recentia & antiqua, etiamsi sanguinolenta, sordida, cuniculosa, maligna, & putrida sint: miræ esse efficaciæ deprehendi in tibiarum vulneribus inueteratis, & recentibus vulneribus. Ex ea vnguentum mirè efficax.

Alia est præterea huius stirpis vtendæ ratio. Eius enim caulem & ramos superiore cortice denudant, & sumunt membranam illam tenuem quæ media est inter exteriorem corticem & caulem, quæque facilè, vti in Cannabi, reuellitur: eam oleo nucis Indicæ madentem, ipsius plantæ foliis inuoluunt, & sub cineribus calidis recondunt: vbi incaluerit & emollita fuerit, conterunt, & recentibus cruentisque vulneribus imponunt, seu grandia sint, seu leuia, & paucis diebus non sine admiratione conglutinant absque vlla inflammatione aut apostemate: lenit enim dolorem sanguinisque fluxum cohibet: breuiter nullo alio medicamento adhibito omninò ad cicatricem perducit: singulare etiam perhibent esse remedium aduersus neruorum punctiones & vulnera. Alia huius stirpis vtẽda ratio.

Eodem præterea modo adhibetur in apostemate aperto ad emundandum, carnem generandum, & ad cicatricem perducendum: item in inueteratis vlceribus & cuniculosis, in quibus ea solummodò trita interdum apponitur.

Quia porrò certissima sunt huius plantæ, quæ enumeraui, remedia: vulgaris illorum vsus est in vniuersis illis prouinciis, & magnæ æstimationis: multi præterea alii, qui inde nauigant, vnguentum ex hac herba cum oleo & cerâ confectum, secum efferre solent, tantam fiduciam in eo collocantes, quasi omnia Chirurgica remedia apud se haberent: itaque quacunque occasione, in qua chirurgorum opera requiri posset, subitò ad vnguentum ex herba Malucana confectum confugiunt, tanquam indubitatum remedium.

BELLIS MINOR SYLVESTRIS spontanea.
Cap. XII.

Descriptio



Torum cæspitẽ operit sparsis humi *foliis* numerosis, pinguiusculis, hirsutis, ex longa, ceruice senlim latescentibus rotũdatisque: *caulem* nullum promit, sed pediculos frequentes, palmares & altiores, tenues, teretes, hirsutos, quorum singulis *flos* insidet vnus, Bellidis hortẽlis;

minor, singulari foliorum in orbem ambitu, lactorum aut ex albo sanguineorum, luteo vmbilico: radiantur porrò *fibris* multis tenuibus.

Bellis non videtur à Græcis descripta: ast apud Plinium Bellim & Bellium vocari plerique fatentur, & vt Cæsalpino videtur, optimâ ratione: inquit enim lib. 26. cap. 5. Bellis in pratis nascitur: flore albo, aliquatenus rubente: ad omnes ceruicis dolores, tumoréſque quacunque in parte [illegible] cum Artemisia: lib. 21. cap. 8. Luteus, inquit, & Bellio pastillicantibus quinquagenis quinis barbulis coronatur: pratenses hi flores, ac sine vsu, ideò & plerique sine nominibus: quin & his ipsis alii alia nomina imponunt. Quo loco luteum dixit florem, id est internum: neque obstat, quod Bellio luteum esse florem tradat, quia non ad ambitum, sed ad discum, mediúmue floris, quod sanè luteum est, respexit, inquit Fuchsius: & hinc est quod à quibusdam Plinii locus ita legatur. Luteum & Bellio, vt subaudiatur semen. Barbulas autem appellauit circumdantia foliola. Alibi putat Cæsalp. hanc eandē intellexisse sub nomine Anthemi, cùm inquit: primum Anthemum quoque calculos eiicit: paruis è radice foliis quinis: caulibus longis duobus: flore roseo: radices tritæ per se ceu Laner crudum. Assumpta hæc ex Theophrasto, qui Anthemon quoddam scripsit ab radice tantùm foliatum: sed Theodorus inibi vertit Nigellam.

Cæsalp. porrò hanc eandem apud Dioscoridē dicit inter genera Anthemidis nominatam, quā Cranthemon vocat, quasi florem veris: ad id enim alludit & appellatio vulgaris apud nos: hāc dixit flore purpureo constare, efficacissimam ex omnibus generibus ad calculos, in totum maiorem: quæ nota, si de flore intelligatur, conuenit, maior enim est in totum: non si de frutice, vt Plinius interpretatur: breuior enim hæc est.

De Bellide silu. spontanea loquitur Ruell. lib. 2. cap. 125. his verbis. Bellis qui & Bellius dicitur, flos pratensis, duorum generum est. Maior (de hac postea dicetur,) & minor flore albo, aliquatenus rubēte quinquagenis ternis tantùm barbulis circinato, folio pingui, in terra iacente, in rotundū oblongo, leuissimè serrato sylvestris floris calyculus simplici foliorum constat ambitu, emaculato candore, vnde Galli *Margaritam* vocarunt. Hæc trita cum Artemisia strumas efficacissimè compescit. In officinis minoris Consolidæ titulo demonstratur. Hybernis quoque nascens coronis hyeme tota prouenit, primus etiam Veris flos, in Italiam ex occidente, vt quidam existimant, conuectus. Laudatur ad podagras, Ischiada, & neruorum resolutionem, vnde nonnulli eā Paralysim vocant. Hallucinātur qui Bellium vulgò Leonis dentem dictum interpretantur, quem non quinquagenæ quinæ, sed plusquam cētenæ coronant barbulæ, non candidæ sed luteæ, semine pullo in auras euanescente: Bellio, albæ luteum verticem circumdant, qui à multis semē intelligitur. Porrò qui Antipatrem vulgò dictum rentur esse, liquidò falluntur.

Lonic. Primula veris, Solidago minima (Klein wundkraut.) Arthritica (Gichtkraut/ ab effectu) & Bellis minor. Videtur autem pictura eam exprimere, quæ est pleno flore.

Brunfelſ. Solidago, Consolidæ species. Eidem in quarto & Cæsalp. Primula veris, quod sc. Vere inchoante mox erumpat. Trago, Primula veris, Arterica Pandectarii. Fuchſ. & Dod. gall. Bellis minor siluestris. Tabern. Icon. & Hist. Bellis 4. siue minor siluestris. C. Bauhin. Phyt. Bellis 7. siue silu. minor, varians floris colore discum enim luteum in orbem cingunt folia vel alba, vel ex candido rubra, in ambitu alba: aliquando in viridem colorem degenerant.

Lobel. in Adu. Consolida minor Officinarum. Obs. p. 253. Bellides siue Consolidæ minores. Primulæ Veris Tragi.

Bellis minor in post. comm. quam in prioribus Matthiolus lib. 3. cap. 139. Bellidis alterum genus facit, in pratis plerumque nascens. Turn. Bellidis genus alterum, siue spontaneum, vbique iuxta semitas & in pratis obuium, quod Septentrionales Angli Bauwort vocant. Videtur duas figuras proponere.

Hæc est ille Amellus Guillandini in Theone, quem Asterem Atticum esse negat, & vel Chelidonium minus, vel Primulam Veris minorem affirmat, in quarum foliis euidenter admodū Violæ subluceat purpura nigræ, ancipiti foliorū intellectu, neu quis mutitet.

Bellidem minorem siluestrem spontaneam, vocant Germani Maßlieben/ Massulen/ Maßblümlin/ klein zeitlosen/ & simpliciter zeitlose: Belgæ, Madelienen/ Kerssouwen/ Margrieten: Galli *Pasquette sauuage, ou Consire petite* Fuchſ. & simpliciter *Marguerite ou Pasquette* (fortè quòd ad Pascha ferè florere incipiat,) & *petite sauuage marguerite*: Itali *Margarite & Fiori di prima veri gentili*: Angli Dayſie: Boh. Matecnik/ Sedmikroſa. — Nomina linguarum.

Passim prouenit in pratis & similibus perinde palustribus ac humidis compluribus locis, vernis mensibus florens. Et quidem Monspelii & Patauii mense Februario: Montbelgardi Martio, Octobri, & Nouembri: Geneuæ & Decembri: Basileæ Maio. — Locus & tempus.

Aqua primulæ seu Bellidis destillata, iecur refrigerat, calores internos restinguit, reprimit choleram, pustulas linguæ ab ardore faucium profectas, oris que exulcerationes sanat potu. — Vires.

Herba ipsa adhuc tenera cum sale oleo & aceto commanducata aluum adstrictam laxat: folia recentia quibúsuis calidioribus vulneribus imposita prosunt. Herba tusa, tumoribúsque genitalium imposita, calorem repellit, leniterque dolorem sedat. Quidam & herba & floribus Primulæ quibus Ebulum & Eupatorium adiungūt, ad balnea sudatoria vtuntur, atque ea membrorum resolutioni, Græci paralysin vocant, mirificè conducere asserunt. Vereor ne Tragus hæc tradēs Primulam Verbasci speciem confundat.

Bellidis minoris folia, authore Dodonæo, humectandi, refrigerandique facultate donata sūt: & humectant quidem ordine secundo intenso, refrigerant vero eodem remisso. Dolores omnes, sed præsertim articularios ac podagricos, ex calido siccóque humore, mitigant: cum butyro recenti & insulso trita, ac locis dolentibus imposita, potissimùm additis Maluæ foliis. Eadē oleribus addita, facilem aluum faciunt, & in causonide febri, ac intestinorum inflammationibus, magna vtilitate enematis admiscetur.

A Dodonæo dissentit Fuchsius, dicens Bellius vterque calidus & siccus est, id quod ex Plinio colligi potest, qui illorum ad discutiendas strumas vsum esse scribit. Acerosus tamen sapor quē in gustu minor præ se fert, aliquam frigiditatis in eo portionem esse monstrat. Quicquid tamen sit, exiccare Bellios euidentissimum est. Temperatè frigidas & siccas potiùs quàm humidas dicitat Lobelius, & nonnihil adstringentes. Quotquot hodie viuunt vulnerariam herbam Bellium esse nouerunt.

monerunt. Vulneribus enim vtilis & potissimùm in fractura capitis admota: & hinc Consolidæ nomen adepta videtur. Succus etiam herbæ vtiliter à vulneratis bibitur. Folia recipiuntur inter olera.

BELLIS FLORE VIRIDI.




Descriptio

Est & hoc in hoc *flore* admiratione dignum, quod vbi in valdè humido loco diutiùs inhæserit, si nó aliò transferatur, in viride planè colorem degenerat. Talem enim Bellidem primò vidi Stutgardiç florentem Iunio, cuius *folia* erat minora, quàm in vulgaribus, quæ etiam mihi pallidiora videntur: *flores* etiam minores ex flosculis virentibus constantes, capitulum repræsentantes sine foliolis in circuitu. Nos curauimus depingendam sua magnitudine.

D. Arnoldus Gillenius in botanicis egregiè versatus, ait non genus particulare Bellidis, sed abortum quod non negarim.

C.Bauh phyt Bellis 7. siue silu. minor, in viridem colorem degenerans.

BELLIS HORTENSIS SIVE flore multiplicato.



Descriptio

Bellis, crebris est in orbem fusis *foliis*, piloselle, pinguiusculis, nonnihil crenatis, aliàs integris, hirsutis, sapore adstringente: inter quæ pediculi oriuntur palmares, tenues subrubétes, hirsuti, qui *flores* sustinent albos purpurascentesue, medioluteos, Anthemidis modo: aliàs verò numerosa foliorum luxuries vmbilicum luteum obumbrat, repetita transplantatione, colore vel albo, vel rubro, vel in ambitu rubro in medio albo, vel alternatim, vel viridi, vel qua denique fors tulit temerè versicolore varietate foliorum commendabilis: nec *radicis* fibrosæ repetitu contenta se propagasse, quin & è flore ad margines nouam sobolem, haud aliter atque in prolifera Caltha, sufficit, sed matre, vt par est, minorem.

Quid cultus mangonium in primula Veris efficere possit, commemorat Tragus. Hodie, inquit, versicolores, & multiplici barbularum contextu stipatos puellæ inter coronarios flores, hos quoque plantare solent. Quidam enim ex iis rubri, quidam candore emaculato, postremo nonnulli ex albo & rubeo mixti, alii intus rubri in ambitu albi spectantur. Quin & candidi flosculi, qui multiplices cultura euadunt, nisi citiùs carpantur, ex se alios generant, ita vt sæpe ex vno capitulo, seu (ut ita loquar) cerebro primifloris, quatuor aut quinque alii erumpant, qua in re naturæ fœlicitas & mira vis nobis commendatur.

Matth. in prior. comm. Bellidis primum genus siue hortense sine icone. In postr. cum mag. fig. Lat. & It. Bellis minoris tres species. Turn. p. 78. Bellis siluestris prior, quantum mihi videtur.

Fuchs. Bellis minor hortensis, quam Officinas Consolidam minorem appellare scribit, Germanos Monatblume oder rote blume, Gallos *Marguerites de iardin, ou Consire petite.*

Gesn. hort. Bellis minor in hortis.

Dodon. gall. Bellis minor hortensis, *petite Marguerite domestique*. Lat. in fol. Bellis hortésis multiplici flore. Plant. icon. p. 476. Bellis hortensis multiplici flore, siue Bellides Consolidæ minores & mediæ: Tragi primula veris.

Tabern. Icon. & Hist. tres ponit figuras, Bellis 1. hortensis multiplex flore albo, weiß gefult Maßlieben. Bellis 2. hortensis flore rubro, 3. Bellis tertia minor hortensis.

C. Bauh. phyt. p. 506. Bellis 8. siue hortensis flore pleno, albo, rubro, incarnato, vario, id est, candido & rubente, minore item & maiore flore, cuius nomine tres icones apud Tabern. p. 327. & 328. & apud Lobel. duæ. Item p. 507. Bellis 9. siue hortensis prolifera: hanc dixit Tragus lib. 1. cap. 52. albo colore, & talem fieri si nó citiùs carpantur flores, suaue rubentem Lutetiæ habemus: viridem obseruauit Lobelius.

Cæsalp. primula veris, in hortis coli solita, hieme tota florens, multiplici foliorum rubentium ordine.


Locus & tempus

Bellidem flore pleno hortensem habent Mõspelii in hortis: sed non ita frequentem vt Basileæ: cuius ibi diuersi sunt colores, quemamodũ & Geneuæ, vbi florentes obseruaui Nouembri & Decembri: albas in horto habui florentes Ianuario: sunt etiam Bellides sativæ in hortis Pa-

rauii & & Bononiæ. Montbelgardi habet in hortis: aliquot genera plantaui in Horto E.C. Albā plenam, rubras duas, vnam foliolis florum angustioribus & fistulosis ferè, aliam latioribus in quibus cum rubore sunt partes, quas albas cineraceas ferè dicas.

BELLIS SYLVATICA.

Descript.



RADICE haud secus fibrosa est quàm minor bellis, sed crassior, etiam aliquando lignosior: *folia* verò maiora, oblonga, per extremū rotunda, & in ambitu nonnihil serrata, hirsuta, subinde etiam subrubentia, longo pedicu-lo donata: *Cauliculi* ex radice nudi aliquot exeunt dodrantales aut pedales ac maiores, *florem* singuli vnicum sustinentes bellidis maioris similē, sed paullò minorem, foliis radiatis albis, disco luteo.

Matthiolo in prioribus comment. bellis quoad Iconem: In postr. comm. Ital. & Lat. cum mag. fig. & Hist. germ. bellis media, Mittel Maßlieben.

Gesn. hort. Tabern. Icon. & Hist. Lobel. Aduers. pag. 199. bellis media. Obseru. pag. 252. bellis maior. Icon. Plant. pag. 476. bellis maior syluestris. Teut. 561. *Existimamus* malè dici maiorem. Dodon Lat. in fol. bellis prima, bellis siluestris.

Clus. in postr. Histor. bellis media Matthioli, maior Lobelii, à vulgo ex Consolidæ minoris generibus habita.

C. Bauhin. Phyt. bellis 6. siue silu. media caule carens. An dicenda sit hæc bellis caule carere nescio, meo iudicio caules non foliosi dici possunt pediculi flores sustinentes.


Frequentissima est in Alpinis pratis, vnde illā sæpiùs in hortum transtulit Clusius, cùm Viennę ageret. Bellidem syluaticam siue mediam Tiguri obseruaui, & Basileæ in horto D. Doctoris Fœlicis Plateri Medici, nec non Geneuæ. Mense Maio copiosam inueni florentem in montibus circa S. Vrsane inter dumeta: transtuli Montbelgardum in hortum Ill. E. C. vbi diuturna non fuit.

BELLIS MAIOR.

FIbrosa *radice* repit, *caules* emittens plures dodrantales & altiores, quadratos, modò in alas diuisos: *folia* oblonga, pinguia, serrata, subacri sapore: *flores* Buphthalmi aut Pyrethri, vmbilico luteo, foliis in ambitu albis, odore nullo excellente: foliola calycum libenī fimbriam nigricantem. Figura prior ex Fuchsianis, non malè videtur nobis exprimere bellidem ramosam, quāuis possit etiam poni pro Chrysāthemo.

Frater C. Bauhinus misit nobis bellidem maiorem, caulē non ramoso, foliis valdè angustis dentatis, serratisue, in acutum desinentibus, Ptarmicæ Fuchsii aliquando respondentibus, flore alioqui præcedenti simili, cui satis similis Fuchsiana icon, si folia tantillùm angustiora picta esset: suspicabar fratris secūdam, verùm quæ de rotunditate acuminata ait, non conueniunt: duæ icones à nobis propositæ iam erant sculptæ.


Descriptio



Brunfelsio Tom. 1. Rhaps. 49. in folio Parthenii quinta species, seu oculus bouis vel vaccinus: Eidem in quarto pag. 111. Buphthalmos.

Parthenium.

Buphthalmus.



Matth. in priorib' cōm. bellidis tertiū genus, cæteris maius, sine icone: In postr. comm. cum mag. figuris Lat. & Ital. bellis maior.

Fuchsio, bellis maior, Officinis nonnullis Consolida media, Germ. Genßblum. Verùm alia est consolida media.

Gesn. hort. bellis, Consolida recentioribus maior.

Pro Bellide maiore Trag. Germ. malè figurā Hyperici sub sequentibus nominibus ponit, G. Gänßblum/Mogūtinensis S. Johans blum, hoc est, Florem S. Iohannis: Moguntinis, Treuerensibus ac Spirensibus Kalbs aug, hoc est, vitulinus oculus, Buphthalmus sed non Dioscoridis. Hermolaus Barbarus Bellium maiorem appellat.

Tragus

Dodon gall. Lat. in fol. Bellis maior, Marguerite grande.

Lobel. Adu. pag. 200. Obs. pag. 253. Ic. Plant. pag. 478. Bellis maior, Consolida media Vulnerariorum. Germ. Gänßblum.

Taborn. Icon. & Hist. Bellium maius Gänßblum.

C. Bauhin. Phyt. Bellis 1. siue sylu. caule folioso maior, rarissimè flore pleno reperitur.

Cæsalpin. Bellis maior, iuxta vias nascens, de qua

qua ait. Caules rectos fert, dodrante altiores, foliosos: folia sunt Oleæ figurâ, serrata: flos in summo candidus, longè amplior Chamæmelo: æstate floret, vtuntur quidam floribus cum axungia ad capitis vlcera maligna, quam Tineam vocant: non dubito hanc apud Theophrastum inter genera Anthemi censeri, quod foliaceum vocat. Theodorus Nigellam foliosam vertit.

Hort. Lusit. Bellis maior. Bellium maius, Gensblum. S. Johans blum.

Locus & Tempus. Bellidem maiorem vocant Patauii *margaritam*, comedunt mense Februario in acetariis. Geneuæ viret tota hieme & Ianuario. Basileæ florentem vidi mense Octobri quà itur Moutets & in pratis inter portam Stein & Eschen, & apud fluuium Birse intra urbem, & mense Iunio passim in pratis. Monspelii mense Maio: Lugduni frequens, Montbelgardi vulgaris in pratis, etiam in Horto E.C. spontanea, florens Iunio & Iulio.

Temperatam in caliditate & siccitate hanc tradit Tabernamontanus. Vtilis admodum vulneribus, & rupturis in potu bibita, vel Emplastri modo applicata. Lobelio si credimus eadem potest quæ Bellides, eodem modo vsurpata.

BELLIS ALPINA MAIOR FOLIIS angustis rigidis.

Descriptio. EX *radice* serpente, lignosa, nigricante, & ab vna parte fibras spargente *caulem* emittit vnicum, cubitalem altitudinem excedentem, rotundum, striatum, ad radicem villosum, circa quem *folia* pediculis carentia, quinque vel sex digitorum transuersorum longa, angusta, rigida, ex rotũditate acuminata, per circumferentiam crenata, nullo ordine disposita, in caulis summo *flos* vnicus medio luteus, quem plurima folia alba cingunt, totusque flos multò priori maior est: hæc in Baldo monte Veronensi prouenit, vt Frater descriptionis autor prodidit.

C. Bauh. phyt. Bellis 2. siue alpina maior.

BELLIS ALPINÆ ALIA SPECIES MInor foliis non rigidis.

HÆc iam dictà caule breuiore foliis duplò triplòue angustioribus, & breuioribus, leuiùs crenatis, nec rigidis in exquisitum acumen desidentibus, flore quinetiam minore, in montibus Euganeis Patauinis prouenit.

C. Bauh. Phyt. descriptionis autori Bellidis secundæ siue Alpinæ maioris altera specie.

Hæc cum præcedenti nobis Chariss. frater C. Bauh. communicauit, quarum nemo ante ipsum mentionem fecit, cuius studio indefesso in re Botanica multùm debetur.

BELLIS MONTANA MINOR

Descriptio. SEsquicubitali est *caule*, eóque simplice & indiuiduo: *folia* terram proximè multa semuncialia, per extremum subrotunda, serrata, longis pediculis nixa: alia per caulem alternata, gra-



minea, unciarum duarum aut sescunciæ longitudine, subinde crenata; magna verò caulis pars nuda est; flos summo insidet cacumini vnicus, maiusculus, Bellide pratẽsi maior, albus, disco luteo, capitulo squammis nigricantibus compacto.

Geuet Cherlerus attulit collectam ad Montis Lupi pedes & circum iacentibus campestribus squalidis & incultis.

ANTHEMIDES SIVE CHAMÆMELA Veteribus.

Cap. XIII.

GEnera Anthemon plura dicit Theophrastus. Anthemon, inquit, floret particulatim, incipiens non ab imo, vt in cæteris, sed à summo: flos candidus circumdat, medium viridis tenet [id est pallidus,] & semini color idem: decidit id vti & spinosorum conceptaculo inani relicto: genera eius plura: quædam ab radice tantùm foliata: Quædam in caule solùm: sed hanc Theodorus Nigellam vertit, teste Cæsalpino.

At Dioscorides genera tria proponit flore tantùm distantia, his verbis. Anthemidem alii Leucanthemon, alii Eranthemon, quoniam Vere floreat, alii Chamæmelum quoniam odorem Mali habeat, nonnulli Melanthemon, alii Chrysocomen [Orib. χρυσοκαλλιας,] alii denique Calliam vocant. Huius genera tria flore tantùm distantia: *rami* dodrantales fruticosi, alis multis concaui: *foliola* parua tenuia numerosa: rotunda item capitula, intus quidem auri colore fulgentia, foris verò orbiculato ambitu *floribus* circumdata candidis, aut purpureis, magnitudine foliorũ Rutæ. Hæc Dioscorides, quæ ferme ad verbum transcribit Plinius, addens eius florem inter coronamenta reponi; ac magnis laudibus celebrari ab Asclepiade.

Anthemidis, inquit Marantha lib. 1. cap. 9. tria genera posuit Dioscorides, tantùm flore distantia: atque clarius explicans seipsum, in colore, non in forma hanc discrepantiam sumpsit. Vnde quia nullam aliam habebat differentiam, omnia hęc tria genera vnica descriptione complexus est: sed necesse fuit ea distinguere, vt quæ facultatum gradibus distarent: nam si æque omnia viribus pollerent, nullam fecisset in genera diuersitatem.

Porrò in Anthemide hæc ex tam multis appellationibus nulla est, quæ non certam & rei coniunctam significationem habeat. Omittimus quas ipsemet hic declarauit, Eranthemon quòd Vere floreat: & Chamæmelum quòd Pomi odo-

rem habeat, Cæteræ etiam ex floris colore odorève consensu aliquarum Gentium factæ videntur: quæ vt interiorem exteriorémue floris colorem magis amauerant: sic Leucanthemon à colore albo: Chrysanthemum aut Chrysocomē à colore auri flauo eam indiderunt. Vtroque enim modo in Scriptore hoc legitur. Quemadmodum ab odore Mali quem habet Malanthemon, Mali enim florem ea vox significat. Libet his addere, à Theophrasto lib. de plant. Historia 8. sæpiùs genere neutro Anthemon dictam fuisse.

Sunt autore Matthiolō, qui putent plantam, quam quidam Virgilii Adonidem esse censent, purpuream Dioscoridis esse Anthemidem, sed temerè hallucinantur, quòd huiusce Anthemidis genus, Dioscoride teste, flores proferat in medio aureos, & forinsecus orbiculato ambitu purpureos, vt in Belli (Amello C.Bauh.) quadam videmus, a quibus maximè differunt vulgaris Adonidis flores qui Papauerorum siluestrium flores æmulantur.

Anthemidis siue Chamæmeli nomen maximè latè patet. Est enim Anthemis Leucanthemon propriè dictum Dioscoridi, nobis Chamæmelum vulgare. Est & Chamæmelum odoratissimum siue nobile repens flore simplici, Leucanthemon Græcorum dictum. Ab hoc variat Chamæmelum repens odoratissimum peregrinæ flore multiplici. Est Anthemis Chysanthemos quædam Dodonæo, quam Chamæmelum aureum peregrinum capitulo sine foliis inscribimus. Sunt aliqui qui Buphthalmum & Chrysanthemum eandem esse herbam credant quibus non vehementer repugnabit Cordus. Est siue Chamæmelum inodorum, siue Cotula non fœtida. Habemus & aliam Chamæmelum fœtidum, siue Cotulam fœtidam. Meminit Camerarius ad Hist. Matthiol. Germanicam, Chamæmeli cuiusdam fœtidi ex luteo pallentis. Attulit gener Cherlerus Chamæmelum fœtidum maximum, collectū in maritimis Narbonensium, vbi occurrit non ita frequens. Exhibet Lobelius in Iconibus Plantini Parthenium marinum minimum, quod Chamæmelum marinum inscribimus. Buphthalmum verum & Chrysanthemum Dioscoridis eandem esse plantam conatur demonstrare Gesner. horti: nos de hoc agemus titulo hoc Chamæmelum Chrysanthemum quorundam. Est Chamæmelum Eranthemon, Anthemis Eranthemis Dalechampii; nobis Chamæmelum purpureum. De his nobis Chamæmelis cognominatis ordine iamiam dicendum occurrit.

Chamamelū vulg. Chamæmel. nobile flore simplici. Chamamel. nobile flore multiplici. Chamamel peregrinum capitulo sine foliis. Chamamel inodorum. Chamamel. fœtidum. Chamamel fœtidum ex luteo pallens. Chamamel fœtidum marinum. Chamamel marinum. Chamamel. chrysanth. quorundam. Chamamel. purpureum.

CHAMÆMELVM VVLGARE AMARVM.

Descriptio

HÆc passim obuia est in segetibus, tenui fibrosáque *radice*, nec altè defixa: *caules* tenues, dodrantales, recti, foliis vestiuntur Cotulæ tenuioribus, odore exiguo, sed suaui: *flores* in ambitu albi, quorum *folia* vmbonem apicellis luteis constantem radiati circumstant: annua planta.

Anthemis Diosc.

Quam modo descripsimus videtur nobis præ cæteris Chamæmelis, Dioscor. descriptioni respondere. Et hinc meritò Anthemida notam esse scribit Corn. & officinis, & vulgo, sed Camomillæ nomine ex græco Chamæmelo corrupto. Matthiolus etiam hanc depingens Anthemidis titulo pro Anthemide Leucanthemo Dioscoridis & Galeni recipit. Non placet Camerarium apud Matthiolum in Epit. & Hist. germ. posuisse pro Chamæmelo vulgari odoratum.

Camomilla vulg.

Camer.

Chamæmel Tab.

Chamæmelum, inquit Tabernamontanus, quod in Germania in agris sponte luxuriat, genuinum est Chamæmelum Veterum, siquidem spirat odorem bene olentis Mali: vires etiam & facultas conueniunt: vocatur à Græcis [illegible] ab Hipp. [illegible], ab Alex. Tralliano [illegible]: à Latinis Anthemis, Leucanthemum, Leucanthemis, Melanthemū, Callia, Chamæmelum, Diacolea Apuleio seu Diocallia, Rotula Solis, Discus Solis, & Herba superba: Hippocrati Euanthemium, Theophrasto Anthemum & Anthemium, Tralliano lib. 8. cap. 2. Anthemisiū: Plinio secundo de re med. lib. 1. cap. 38. Proserpina herba: ab aliis Oualida, Amolacta, Aulitica herba, & Malium, a vulgo Medicorum, Herbariorum & Officinarum Chamomilla, Camomilla, & Chamæmilla: Seraponi de temp. simpl. cap. 22. Debonigi: Auerrh. Habonog: Alsaharauio Hesbe: Hali abbati Besbonig: & Besbonigi: Stephano interpreti Arabico Babunegum & Xambunegum: ipsis verò Arabibus authoribus Bebonici, Babonegi, Bebonigi, Bubenegieman, Biben, Bembonig: Glossographo Auicennæ Behonigi: Italis *Camamilla, Camomilla, & Mesanella*: Hispanis *Manzanilla saluage*: Gallis *Camomille & Camomille des champs*: Polonis Romyen: Bohemis Rimen & hermanecl: Anglis Camomyle: Vandalis *Apallusta*: in Africa *Ahertiphe*: Aegyptiis *Thaboris*: Brabantis Camillenbloem, & Camillen: Germanis Chamillen/ Gamillen/ Camomillen, hermlein/ Magdeblum/ Meydeblum/ Langenblum/ Alsaticis Carmelien.

Diocallia Apulei.

Euanthemum Hipp.

Anthemisium Trall.

Proserpina Plin.

Babunegum.

Anthemidem vocat Amatus Hispanicè Marcella, Manzanilha, Arabicè Babunegi, & in contextu Chamomillam vulgarem. Ei Rob. Constantinus addit figuram hoc titulo: Chamomilla satiua. Hanc tamen seri hactenus non obseruaui.

Rob. Constantin.

Lobel. Aduers. Anthemis vulgatior, siue Chamæmilla. Obs. p. 445. & Ic. Plant. --o. Anthemis vulgatior.

Dod. gall. Chamæmelum vulgare, autor autē est vocari Chamæmelum album: ac officinas hoc vti pro Leucanthemo vero. Is tamen verum negat, ac ideò Chamæmelum siluestre inscribit.

Chamæmelum vel Anthemidem esse verum Chamæmelum, non dubitat Gesn. de hortis, licet hoc Dod. gall. Chamæmelum siluestre vocarit. Gesn. in App. Chamæmelum vulgare Tragi vocat.

Quæ foris in orbem candida folia obtinet è tribus Anthemidis generibus ea est, inquit Fuchsius

chrius, quæ à Dioscoride propriè χαμαίμηλον, vt vulgò hodie Camomilla vocatur, gall. *Camomille blanche.* Primum autem, hoc Anthemidis seu Chamæmeli genus esse verum & legitimum Chamæmelum, neminem dubitare arbitror, quòd nihil in hoc sit, quod Dioscoridis descriptioni, quã antè adscripsimus, non respondeat. Inscribitur à Fuchsio Chamæmelon leucanthemon.

Chamomilla vulgaris Trago. Tragus hanc, Chamomillam vulgarem inscribit, ac tertiam facit, agrestemque cognominat. Non minus rectè Anthemidem Dioscoridis, Anthemon Theophrasti, Leucanthemon, seu Melanthemon Plinii lib. 22. cap. 21. esse existimat.

H. Lugd. duas icones. H. Lugd. p. 958. Anthemis leucanthemos Plinii. Item p. 1345. Chamæmelum silvestre Dodonæi (puta Gallicis). Non bene duas figuras vnius plantæ diuersis capitibus proponit, quasi diuersæ essent plantæ, quinimò videtur priori loco confundere Chamæmelum Romanum vocatum cum vulgari.

Chamæmelum siue Vulgare C. Bauh. C. Bauh. phyt. Chamæmelum 5. [1. apud Matth.] siue vulgare, quod Leucanthemum Dioscoridis esse confirmat.

Chamæmelum vulgare obseruaui Lugduni, Basileæ, Monspelii, Geneuæ, florens Maio in segetibus. Montbelgardi abundat etiam in horto E. C. ac ineunte Æstate segetibus interdum tam frequens & latis, vt non parum incommodum sit.

Vires. Vim habent, vt testis est Dioscorides, radices, flores, & herba Anthemidis, excalfaciendi extenuandique: potu & insessione pellunt menstrua, partus, vrinam, calculosque: aduersus inflationes & ilei tormenta bibuntur: bilem suffusam expurgant: iocinorum vitia sanant: decocto earum vesicæ fouentur: ex omnibus Anthemidis generibus, ad calculos efficacissima est, quæ florem purpureum habet, cuius amplitudo maiuscula est hanc propriè Heranthemon vocant. *Anthemis purpurea.* Fa... Leucanthemon nomen est, item quæ Chrysanthemon dicitur, vehementiùs vrinam cient: ægilopis illitæ medentur: commanducatæ vlcerum eruptiones in ore sanant: nonnulli in clysteribus ex oleo vtuntur, teruntur que in farinam ad abigendos febrium circuitus: flores & folia recondi debent, & priuatim tusa, in pastillos digeri: radix quoque siccari, dumque ingruit necessitas, binæ partes herbæ dari, modò floris aut radicis pars vna, modò contra, floris partes duę & herbæ vna permutatim duplicato pondere, alternis diebus: bibere autem oportet in vino mulso dilutã.

Est Chamæmelum Galeno tenuium partium: quamobrem digerendi, rarefaciendi & laxandi facultatem obtinet: tenuitate Rosæ persimile, calore verò ad olei facultates magis accedit, quapropter lassitudinibus, vt si quid aliud, confert, doloresque mitigat: præterea tensa remittit & laxat, quæque mediocriter dura sunt, emollit, quæque constipata condensataue sunt, rarefacit: adhæc febres quæ citra visceris alicuius inflammationem infestant, dissoluit, præsertim quæ ex humoribus biliosis aut cutis densitate consistunt, Qua de re ab Ægyptiorum sapientissimis Soli consecratum est, febriumque omnium remedium putatur. Verùm hæc quidem in re à veritate aberrant: solas enim quas diximus febres sanare potest, easque quæ iam concoctæ sunt: iuuat autem pulchrè reliquas etiam omnes, quæ melãcholicæ sunt, pituitosæ, aut ex visceris inflammatione prognatæ: nam & harum remedium Chamæmelum vel strenuissimum est, vbi iam concoctis adhibetur: quapropter & hypochondriis, vt siquid aliud, gratum existit.


Aqua. Tragus memoriæ prodidit, aquam Chamæmeli florum destilatam eadem efficere, quæ Dioscorides herbæ simpliciter tribuit: puerperis vero primo loco positam in primis vtilem esse, per eam enim efficaciter purgari. *Morbo comitiali.* Qui morbo comitiali continuò vexantur, iis flores Chamæmeli aceto & melle decocti, propinari in potu debent, quo si vsi fuerint, statim consurgunt, morboque per aliquot tempus liberantur. Chamæmeli odor, aqua eiusdem stillatitia, nec non lixiuium, in quo illa decocta fuerint, debilitati capitis & cerebri conferunt: decoctio eius, inueteratis malignis vlceribus lauandis vtilissima est. *Oleum.* Oleum ex Chamæmeli floribus confectum, induratos tumores & collectiones emollit ac detumescere facit, doloresque mitigat.

Experimentum contra flatus. De Chamæmeli viribus hæc Matth. Indubitatæ fidei experimentum contra dolores internos quos flatus peperit, vritur ad albedinem talus suillus, teritur in puluerem, cuius drachma vna ex vino propinatur in quo decoctum fuerit Chamæmelum. Eiusdem decoctum ex iusculo carnium, cupori ston est contra dolores colicos si bibatur. Scribunt quidam, si quis Chamæmeli triti puluerem melle excipiat, vt fiat electuarium, deque eo quotidie bis horis tribus ante cibum, singulis vicibus cochlearis mensuram sumat, sensimque deglutiat, bronchocelen curare. *Dolores & profit.* Magni est Chamæmelum vsus in medicina ad compescendos dolores ventris, matricis, lumborum, renum, vesicę, atque inter omnes plantas, quotquot in balnea contra calculum recipiuntur, nihil floribus Chamæmeli efficaciùs: faciunt & ad cruciatus spasmi flatulenti, aliosque conuulsiuos: in quem finem vsus duplex commodissimus, vel enim Chamæmeli & Maluę ex vino aut aqua factam decoctionem, colatam in vesicam infundunt bouinam, aut suillam, donec ad medium sit repleta, quam constrictò collo parti dolenti applicant: posset & decocto addi oleum Chamæmælinum: Alter vtendi modus est talis, folia aut flores Chamæmeli cum seminibus Lini in sacculum coniciuntur interpunctum, qui in aqua calefacta parumper intutus, postea inter orbes duos expressus, quàm potest fieri calidissimus, loco dolenti imponitur, superdato panno quadruplicato calente, vbi refrixerit, denuò eodẽ modo calefit: idque sępiùs iteretur, mane ieiuno ventriculo & vesperi, quotiescunque vrgent dolores: prodest & ante applicatum partem oleo Chamæmelino inungere: præterea Chamæmelum in aqua decoctum cum furfuribus triticeis, additã postea axungiã porcinã, vt emplastri consistentiam adipiscantur omnia, tumores duros emollit, dolores mitigat, suppurationem promouet. *Tumores.* Ad omnes tumores quantumuis duros probatum est emplastrum calidum impositum, ex ramentis coriorum derasis, & floribus Chamæmeli simul in aqua coctis. Flores Chamæmeli mollitiem cuti conciliant lotione. Oleum Chamæmelinum tumores duros emollit, dissipat, dolores sedat. Clysteribus additur cum aqua florum Chamæmelj ad dolores intestinorum placandos, siue illi etiam sint ab vtero, renibus, vesica: inprimis autem ad conuulsiones facit, relaxat enim tensa, emollitque dura: Ad infantum tormina vix præstantius inuenias, quàm vel omentum verucinum minutim concisum, in

Chamæmelino oleo in sartagine, lento igne sensim frixum, calensque ventri inductum. Cum vini spiritu miscetur oleum chamæmelinum, quod vtiliter spasmo frigido imponitur, superaddito calente panno. Meminit Camerarius olei ex floribus Chamæmeli stillatitii cærulei, cuius vsus sit multus in variis affectibus internis, præsertim vero contra tormina, si eius guttæ aliquot ex calido iusculo sumantur. Quæ omnia potissimùm de vulgari, & in segetibus spontaneo Chamæmelo intelligi vult Dodonæus: Nobile enim, & illud quod flore pleno est, facultate esse intensiore, quàm Chamæmelo à Galeno attribuitur. Caliditate siquidem & siccitate qualitatem illam viuenti familiarem ac temperatam, quæ Chamæmelo à Galeno tribuitur, quámque ipsum habere quotidiana ostendit experientia, multùm excedunt, vtpote secundo ordine calida & sicca: cùm autem & ipsa substantia tenuitatem habeāt coniunctam digerendi ac rarefaciendi potentiā habent ampliorem: molliendi verò, doloresque sedandi, aut mitigandi, remissiorem: proinde vbi magis, quàm vulgaris vsus Chamæmelum potest, incalfacere, aut rarefacere opus est, vtiliter adhiberi possunt, vti in balneis, quæ sudoris euocandi & rarefaciendæ cutis causa parantur, in quibus horum Chamæmelorum vsus haud est negligendus: nam & cutim nimis adstrictam rariorem faciunt, sudorem euocant, bonúmque corpori odorem conciliant. Author est Tabernamōtanus, ex floribus Chamæmeli hoc sæculo etiam Chamæmelites vinum, extractum, conseruam, salem, & oleum chymicā arte extractum parari, de quibus lector ipsum adiet consulere poterit.

CHAMÆMELVM ODORATISSIMVM repens flore simplici.

Descriptio



NOn, vt vulgare, recto assurgit *caule*, sed in terram procidúos multos fundit radix coliculos, paullò breuiores, foliis vestitos habitioribus, vegetiori amabili odore præditis: *flores* nō multùm absimiles Chamæmeli vulgaris floribus, radiatis albis flosculis vmbonem coronantibus.

Figura ex Fuchsianis minùs placet quia procidui ramuli radiantes non picti.

Camer. Camer. in Epit. Matthiol. pro Anthemide siue Chamæmilla ponit figuram Chamæmeli odoratissimi præter sententiam Matthioli, quod Dioscoridis Anthemidem censet. Idem facit etiam in Hist. germ. vbi Chamæmelum & Camomillā nominat, **Chamillen / hermüntzel / welsch oder Römisch Chamillen** / Chamomillam Italicam vel Romanam.

Turn. part. 1. Primum Chamæmeli genus, χαμαίμηλον Græcis vocatum, Angl. **Camomyle** / G. **Römisch Camillen** / Offic. Germaniæ Chamomilla Romana. Rara est in Germania: in Anglia vero tam frequēs, vt nō solùm hortēsis sit, verùm etiam supra Londinum sponte exeat planitie Richemontana & Brantfurdiana, omnium vero copiosissimè in Hunsleiana.

Lob. in Adu. Anthemis siue Leucanthemum odoratius, Romanorum, Belg. **Roomsche Camilbloemen**. Anthemis priore suauiùs multo, quiddámque aromaticum Amaraci, aut Abrotani halans, multóque ad aspectum hilarior & cōptior, & hac denique notione Romana dicta. Obs. p. 445. & Ic. Plant. p. 770. Anthemis seu Leucanthemis odorata, Parthenium Tragi.

Dod. gall. Chamæmelum Leucanthemum, & Chamæmelum album. Lat. de florib. & in fol. Chamæmelum odoratum, Chamæmelum nobile Tragi. Olim in Hist. gall. faciebat Antiquorum Chamæmelum, & præterim Apulei bene olens, nunc mutat sententiam & figuram, quæ in postremis melior. Et sanè id esse, quod à Dioscoride, Galeno, aut aliis Veteribus in vsu receptum fuit, non omninò videtur asserendum: verisimiliùs est ab ipsis fuisse prætermissum & incognitum. *Chamæmel. Leucāthemum Dod.*

Camer. hort. Chamæmelum odoratum Italicum, simplici flore. In Hist. Matthiol. germ. quoad figuram Chamæmelum siue Camomilla. In Epit. Anthemis Chamæmilla. Huic præter opinionem Matthioli adscribit vulgaris Anthemidis nomina, descriptionem Dioscoridis, itemque vires & facultates etiam ex Galeno, quæ huic nō omninò conueniunt. *Chamæmel odoratum Ital. simplex. Camer. Error Camer.*

Eundem errorem committit H. Lugdunensis, sequuta dubio procul cum Camerario Dodonæum gallicum. Confundit Historia Anthemidem Romanam, cum Anthemide Leucanthemo Matthioli, siue Chamæmelo vulgari, cuius iconem videtur pro Anthemide Romana, quam ex aduersariis Lobelii describit, ponere, miscetque nomina linguarum. Falsò præterea sibi persuadet Chamomillam Romanam esse Chamæmelum verum Dioscoridis, eique vires Antiquorum malè adscribit. Gesn. hort. Chamæmelū Leucanthemum Dodonæi (gallici:) Camomilla Romana alba quorundam, Chamæmel. odoratū uel nobile Tragi, Chamæmel. hortense. In append. Chamæmel. nobile, Parthenium nobile Tragi. *Lugd. Lapsus.* *Parthenium Tragi.*

Trago, Parthenium, nobilis Chamomilla [quæ propriissimè Parthenium, à Serapione Matricaria dicetur, inquit postea lib. 1. cap. 61.] Chamomilla prior, verum ac nobile Parthenion Dioscoridis, Perdicium & Muralium Celsi, aliorum Leucanthe & Tamnachum, Plinio lib. 21. cap. 31. teste. Parthenium, vt Dioscorides testatur, alii Amaracon, alii Anthemida, alii Leucanthemon, alii Chamæmelon, alii Chrysocalin, alii Melabathron, nonnulli Campestrem florem, Romani Solis oculum, aliqui Millefolium, Hetrusci Cautam, Aphri Thamath appellant. Sed quod ad has appellationes attinet, tribuuntur & ipsæ aliis stirpibus, vt verissimè dicas, multa nomina multorum errorum sæpenumero esse causas.

Tabern. Icon. & Hist. Chamæmelum Romanū inscribit, cognominarique Leucanthemum, & Chamæmelum nobile. Huius iconem non probo, quia repentem non facit.

C. Bauhin. Phyt. Chamæmelum 1. siue nobile, seu odoratius. Gerard. Anglo Chamæmelum Romanum.

Chamæmelum repens odoratissimum, vocant Medici Chamæmelum Romanum, siue nobile,

O, hæ-

Offic. Chamomillam Romanam, G. Römisch oder Edel Camomillen. Belg. Roomsche Camillen: Galli *Camomille Romaine ou odorante*: Hisp. *Manzanilha*, siue *Manzanilla* i. e Mancianilla. Tabern. de odore aromaticorum pomorum Macianorum; Angli Camomylle.

Locus & tempus. Chamæmelum repens odoratissimum flore simplici habui Basileæ in horto, vt & Lugduni. Tubingæ vidi in horto D. Fuchsii. Montbelgardi copiosè florebat in horto meo adhuc Nouembri. Audio passim prouenire in Normannia sponte. Abundat circa Tyberim non longè à Roma, & præsertim, vt Camerarius tradit, in villa Adriani Imperatoris. Restibili fertilitate & & perenni radice sese instaurat & fundit propagationes proculcationis contemptrices, eoque voluptatis ergò totum vertentem annum in Anglicis viretis attondetur: neglecta namque, protrita, & reiecta fœliciùs & vberiùs vernat & luxuriat. Siquidem teste Lob. in Aduers. Angliæ vniuersæ haud alia ferme nota. Ruri miliari vno, aut altero ab vrbe Londino plurima, herbidis, aridis, vbi sponte orta. Galliæ & Italiæ meridionalibus [tametsi Romana dicta] rarior sponte. In Belgio & Northmannia ad Druydum vrbeculam multa.

Vires. Angliæ vniuersæ, si Lobelio credimus, haud alia vsu recepta, quam hæc. Syrupus ex huius floribus, succo, & vino albo conflit, ad splenis & hydropis icterum optimus. Secus puluillos & thoros & ambulacra insternitur. Plura de huius viribus vide ante, ex Trago & Dodonæo.

CHAMÆMELVM REPENS odoratissimum perenne flore multiplici.



Descriptio. EAdē huic odoris fragantia quæ in dicto nobili Chamæmelo, nec foliorum, aut crescendi mod⁹ multùm dissimilis, verùm flores, qui ibi simplices albi umbonem luteum possident, hîc multiplici foliorum fœtura vmbonem occupante luxuriant.

Synonyma & Nomina linguarū. Lob. in Aduers. p. 43. Anglorum niueum *λευκάνθεμον* flore multiplici. Figura non in totum placet.

Camer. hort. Chamæmelum odoratum Italicum flore pleno. In Epit. Matth. Chamæmelum flore multiplici, ita densè stipato, vt nonnunquam centrum luteum prorsus sit opertum. Ad Hist. Matth. germ. Chamæmelum flore pleno Gefült Chamillen.

Dod. latin fol. Chamæmelum quoddam odoratum, foliola medium floris ambientia densissimè multiplicans.

Tabern. Ic. & Hist. Chamæmelum Romanum flore multiplici. Hoc in Hist. licèt secundo loco pingat, tamen pro tertio describit, ac insuper aliam eius speciem assignat, quam quarto loco recenset.

H. Lugd. p. 969. Anthemis, Leucanthemis niuea Anglorum flore multiplici. C. Bauh. phyt. Chamæmelū 2. siue nobile flore multiplici. Gerard. Chamæmelum Anglicum flore multiplici, double flowed Cammomill.

Abundat nunc in horto Ill. C. W. Montbelgardi, vbi hyemem perfert: florens Iunio & Iulio. Circa Aureliam sponte nasci relatum est Camerario: instructioribus tantùm hortis familiaris in Germania, primò delata ex Anglia, vbi multi flore pleno reperiuntur.

Eadem potest, quæ prior.

CHAMÆMELVM AVREVM peregrinum capitulo sine foliis.



Descriptio. C*Auliculos* profert tenues, inualidos & in terra prostratos; *folia* quoque tenuia, vt prioris, sed candidiora, & paulùlum minora: pro *flore*, qui aliis omnibus Chamæmeli ac Cotularū generibus medius, luteus est orbiculus, nudus & nullis circumambiētibus foliolis cinctus; *radix* similis. Et huius herba odorata quoque est, odore & facultate priori similis.

Synon. Chrysanthemos Anthemis dicta, vmbellis, aureisue bullis, folii facie, odore & sapore Romanæ Chamomillæ est, aiunt Aduersaria: Sed magnitudine vincitur, nullisque foliolis radiatum cingitur eius vmbo prominulus: usus non dispar.

Dod. gall. Chamæmelum Chrysanthemum, à Græcis *χρυσάνθεμον* appellatū, à Lat. Chamæmelū luteum, à Germ. Geele Roomsche Camille, à Gall. *Camomille iaulne cultiuée*. Aliam huius speciem tradit, cui folia tribuit lutea in capitulorum circuitu, primo Chamæmelo Leucanthemo, odorato, albo, similem odore & formâ, exceptis floribus omninò luteis. Imaginaria nobis videtur secunda hæc Chrysanthemi species Dod. gallici, quandoquidem Lat. in folio eius nullam mentionem facit, & silentio præterit.

Lob. Aduers. p. 343. Ic. Plant. p. 446. Anthemis Chrysanthemos.


Tabern. Icon. (vbi titulus est transpositus) & Hist. Chamæmelum luteum.

H. Lugd. p. 969. Anthemis Chrysanthemos Dodonæi. Item: Anthemis Chrysanthemos Penæ & Lobelii. Frustra proponit duas icones vnius plantæ.

Gerardo Chamæmelum nudum odoratum, Sweete naked Cammomill. C.Bauhin. Phyt. Chamæmelum 6. siue luteum capitulo sine foliis.

Locus. Sponte non prouenit, sed magna diligentia colitur, non solum in hortis Germaniæ, verùm etiam in Brabanticis & Anglicis.

CHAMÆMELO AFFINE, BVPHTHALMUM Italicum segetum altissimum.




Descriptio. TAm altè assurgit, vt segetes in Italia etiam superet, vti retulit D. Agerius Medicus Argentinensis, & in studio Botanico versatissimus, à quo ramum habemus supremum hirsutum, foliis alterno positu ex vnciali distantia vestitum, minutissimè ac profundè dissectis, quorum segmentorum extremitates, velut pilos tenuitate sua repræsentant. Summitas florem sustinet album, singularem, figura & facie Bellidis maioris.

Hanc tandem etiam vidi Pforzheimii mense Maio & Iulio cum flore.

Simplicibus autem *caulibus* duntaxat obseruaui, per quos *folia* Chamæmeli lutei quorundam, seu Buphthalmi Matthioli, asperiuscula: *flos* in fastigio vnicus, iam dicti Buphthalmi flori æqualis, radiato in orbem simplice foliorum candidorum agmine constans, vmbilico luteo: differt à Cotula fœtida, ne quis fallatur.

CHAMÆMELVM INODORVM SIVE Cotula non fœtida.



Descriptio. RAdix est satis crassa, multis adnatis fibris capillata, haud alia foliorum florúmque facie à Cotula fœtida, solo narium iudicio discernenda, vt quæ in hac nullum, nedum fœtidum odorem, deprehendat.

De hoc Fuchsius in H. cap. 52. loquitur in hunc modum. Βούφθαλμον Græcè, Buphthalmum Latinè, hodie Oculus bouis aut vaccæ, & Cotula non fœtida herbariis vocatur: Germ. Rinsang oder Rhuaug: Gall. *Oeil de bœuf, pisse en lict: ou Camomille sauuage.* Buphthalmum autem non alia ratione dixerunt Veteres, quàm quòd eius flores oculi imitentur formam, & boum potissimùm oculis similes sint.

Contra Fuchsium. Cotulam non fœtidam esse verum Buphthalmum rectè contra Fuchsii opinionem negat Dodoneus, tam in Hist. gallica, quàm latina in folio. Tertia species Chamæmeli, Cotula non fœtida appellatur (ait in gall.) Camomilla fatua, & Camomilla inodora, Græcis quibusdam βούφθαλμον, cùm tamen verum Buphthalmum non sit, quare meliùs Cotulam non fœtidam inscripsi, & Cotulam albam cognominaui.

Sunt aliqui (inquit Cord. in Dioscor. lib. 3. c. 156.) qui Buphthalmum & Chrysanthemon eandem esse herbam credant, quibus non vehementer repugnabo. Illud tamen nosse oportet, esse plures Buphthalmi species.

Chamomilla 4. Trag. Tragus hanc tradit pro Chamomilla quarta, quam, quia odore prorsus destituitur, à reliquis quasi degenerans, Chamomillam fatuam, insipidam, non odoratam, & Cotulam non fœtidã vocari posse concedit. Hæc ipsi ea videtur esse, quam Dioscorides Chrysanthemon appellat, cuius plura alia nomina eodem loco vide.

Lob. in Aduers. Inodora Cotula, minor Parthenii species inter segetes, odore imbecillo, aut nullo. Tabern. Icon. & Hist. Cotula. Iconem Cotulæ non fœtidæ Tabernamontani, cur Gerardus ponat pro fœtida nescimus. Gerardi err.

H. Lugd. p. 1. c. 348. Cotula non fœtida, Buphthalmum Fuchsii. C.Bauh. Phyt. Chamæmelũ 4. siue inodorum, quod solo odore à priori (nobili) discerni posse putat.

Locus & tempus. Lugduni & Monspelii Chamæmelum inodorum obseruaui, & Basileæ pulcherrimè florens mense Octobri. Montbelgardi etiam abundat. Fuchsius cùm Tubingæ esset Buphthalmum adhuc asserebat. Geneuæ florens Maio à me obseruatum in aruis, sapore amaro est.

Temperã. Cotulam inodoram moderatè calidã esse, & ad Chamæmeli vulgaris temperamentum quadantenus accedere legimus in Hist. Lugdunensi, quod tamen arduum est & difficile admodum credere, iudicent lectores.

CHAMÆMELVM FOETIDVM, SIVE Cotula fœtida.

CAP. XIV.

Descriptio. SI fœcundum nacta solum fuerit fœtida officinarum Cotula, parum abest quin ad duos cubitos se porrigat, *ramis* multis a *radice* digitali crassitudine aliis crebris concauis: in quibus *folia* Chamæmeli, tenuiter incisa, odore abominabili: *flores* Chamæmeli vulgaris, albi, radiatis bullam ambiunt luteam in tuberculum rotundũ paullatim surgentem.

Hæc facilè Plinii Buphthalmos esse putaretur, inquit Ruellius, quam rustici Bouis oculum, & officinæ Cotulam ab odore fœtidam appellant, Siquidem similem boum oculis florem habet, folia Fœniculi, fruticosa: nec aliter florem explicat, quæ satis Cotulæ cognomento fœtidæ congruunt. Hallucinantur, qui Cotulam vulgò dictam, Parthenium esse putant, cùm folium ei Fœniculi

Fœniculi, Parthenio Coriandri tribuatur. Cotulam Suessiones *Canesonem* vocant, quasi Canulam, quòd herba in dilutum virorem canescat, apiariis optimè cognitam.

Tragus lib.1.cap.47.de Chamomillis secundo loco Cotulam fœtidam describit, eamque inter nomina,



Chamomillam alteram, Cotulam, Cautam, vel Chamomillam fœtidum, Cynobotanem, Cynanthemin, Germ. Krottendill, & hundsdyll vocat, fierique posse ait, vt Thalictrum sit Dioscoridis: Neque enim esse Partheniū, vt multi putarint.

Cordus in Diosc. quam Pharmacopolę Cotulā fœtidam vocant, Buphthalmi speciem minorem esse concludit. Sic & Corn. Buphthalmum quoque nominat.

Brunf. iſ. Tom.1. Cotulam fœtidam, quartam speciem Parthenii dicit, suspicaturque eam esse, quam Leonicenus Cautā, Cottā & Cotā vocauit.

Camomilla silu. A Dod. gall. recensetur inter Camomillas siluestres, & fit Chamæmeli silu. species secunda, vocaturque latinè & officinis Cotula fœtida, aliis Cauta & Camomilla fœtida, græcè κυνάνθεμις & κυνοβότανη, h.e. Camomilla & herba canis, germ. Krottendill / hundsdill, hundsblum / & wilde Charmil, Brab. paddebloemen / & stinckende oder wild Camille. Idem in Hist. Flor. & lat. in fol. Cotulam albam inscribit, ac inter siluestria Chamæmela recenset fœtidumque cognominat, galliceque *Espargoutte* vocat, additque Fuchsium voluisse esse Parthenium, quam opinionem improbat.

Matth. not. Quod Matthiolo Cotula fœtida incognita fuerit, id probè demonstrat, quòd eam descripserit, neque depinxerit, dicens tantummodò, Contendunt Brassauolus & Fuchsius eam omninò plantam verum referre Parthenium, quam herbarii vulgò Cotulam fœtidam appellant. Sed quàm isti magno in errore versantur, iudicent ii qui probè sciunt Cotulam fœtidam folio esse Fœniculi, aut Anthemidis potiùs, quàm Coriandri: neque sapore usque adeò amaro, vt in Parthenio requiritur. Et hæc non sua sed Ruellii verba sunt.

Cotula vulg. Non est Matricar. Lob. in Adu. p.335. titulo de Matricaria, ait Cotulam vulgi magis quadrare Parthenio Plinii & Pauli, quàm herbariorum Matricariam, quamuis si vsum odoremque respicias, quibus uirgineis morbis Matricis opitulantur, vtraque possit Parthenium dici. Idem postea titulo de Parthenio p.334. ait. Parthenium, vel virginea, est Cotula fœtida, non Matricaria: illos præterea reprehendit & potissimùm Matthiolum, qui hác Parthenium negarint.

Gesn. quoque de hortis Parthenium interpretatur, quam alii Cotulam fœtidam vocant, & ipsi in cat. pl. Thalictrum videtur.

H. Lugd. 1545. Cotula fœtida Dodonæi. C. Bauh. phyt. Chamæmelum 5. siue fœtidum. Camer. apud Matth. in Hist. germ. Chamæmelum à D. Thoma Penæo missum, in hortis valdè se propagans, paulò tenuius vulgari & odore multò gratius, in vulgare tamen degenerans.

Basileæ Chamæmelum fœtidum quà itur Moutets vidi adhuc florens mense Octobri, item intra & extra vrbem, intra portam cineream & lapideam ad fluuium Birse / & quà itur Brenbach; Geneuæ mense Maio. Lugduni & & Monbelgardi passim abundè prouenit, etiam in horto E. C. Wirtembergici. Locus & tempus

Odor huius capiti obest, & si crebrò vtaris, phrenesim inducere creditur, teste Brunfelsio. Sed decoctio eius, authore Trago, non aliter, quàm Castoreum, contra præfocationem vteri, insessu, fomentationibus, ac odoratu saluberrima est. Cotula fœtida tusa, & emplastri instar vulneribus imposita, illa conglutinat, ac persanat. Sapore est acutissimo, inquit Matth. in post. commentariis, & exulceranti vi prædito. Calidam autem siccamque esse, odor saporque demonstrant. Apiariis, vt prodidit Ruellius, optimè cognita, qui hac suas fricant manus uel secū habentes gestant, cùm aluearia castrādasūt, atq; sequentiū impetus sunt cohibēdi, illico furore hui' sensu edomito mitescunt. Nā etsi flos sit pulcherrimus ita vt apes an suauitate huius illectæ eminus aduolent, huic tamen non insident, sed herbam totam perosæ diffugiunt, vel certe gustato flore protinus fastidiosæ transuolant. Nam apiculæ muscæque, quæ conuenientes ramis huius cohæserunt, emoriuntur, argumento, quòd hunc fruticem demortuis apibus aut muscis inuenies semper onustum, ita apibus aduersatur. Vires Temper.

CHAMÆMELVM FOETIDVM marinum.



HAVD multùm dissimilis habitus à Chamæmelo hortensi. Verùm non modò *caules ramique* striati, subrubentes, lanugine albâ sunt vestiti, sed etiam *folia*, eaque minutius, vt videtur, dissecta, & propemodū cādicātia: *flores* æquales, stellaris candidisque, in ambitu radiatis foliolis umbilicum luteum ambientibus. Descriptio

Attulit gener Cherlerus in maritimis Narbonensium collectum, vbi et occurrit non ita frequens. Figura facta est ad plantam siccam.

CHAMÆMELVM MARINVM.

CAP. XV.

Descriptio

COmplures humi spargit *coliculos*, palmares aut dodrantales simplices, per quos ordine ascendunt *folia*, quàm Chamæmeli vulgaris latiora, breuiora, crassiora, nec adeò tenuiter incisa, amara & subacria, odore ferè Chamæmeli: *flores* singulis geniculis insident singuli, Chamæmeli similes, candidi, radiati, sed maiores, eundem ferè odorem halantes: *radices* satis profundæ, nigricantes, multis fibris donatæ.



Lob. in Adu. & Icon. Plant. p. 774. Cotula siue Parthenium marinum minimum.


Floret Aprili, Augusto, & Septembri.

CHAMÆMELVM CHRYSANTHEMVM quorundam.

CAP. XVI.

Descriptio

CAulibus cubitalib. & maioribus, tenuibus & incanâ lanugine obductis, pluribus propter terram rubentibus, ex lignosa *radice* obliquè exortis ramosis. *folia* adnascũtur itidem lanuginosa, Millefolii, denticulata, pinnatáque, multò minora, quippe quæ non temerè vnciã longitudine superent, odore Chamæmeli: in singulorum ramorum fastigio *flos* vnicus, Chrysanthemi, totus luteus, siue quæ in ambitu sunt folia spectes, siue discum qui rigidulis apicibus asper est: *calyx* porrò cui insidet, incanus, Chrysanthemi instar squamosus est.



De Chamæmelo Chrysanthemo ita differit Ruell. lib. 3. cap. 69. Buphthalmon, quã Romani Boariam appellant, eandem esse Dioscoridi cum Chrysanthemo vocata nonnulli putant. Est hæc dicta ruribus nostris Camomilla crocea, & est Buphthalmos Plinii & Dioscoridis, cuius picturæ respondet. Suspicor eundem eodem libro cap. 102. per Cotulam suam, quam inibi tradit, maiorem, intelligere quoque Chamæmelum hoc aureum quorundam, quamuis in descriptione multa habeat, quæ non conueniunt. Verùm is mos Ruellii, vt cõcinnet suas descriptiones antiquorum verbis, & frustra pro suis venditet. Si eandem nobiscũ intelligit plantam, vt eius verba demonstrare videntur, cur non monuit ea de plantâ iam suprà dictâ intelligenda esse, & sic se bis eandem tradere?

Buphthalmos Trago.

Est Buphthalmos (inquit Trag. qui præsentem nostram plantam hoc titulo depingit & describit) tota sua substantia vulgari Chamomillæ cõsimilis, nisi quòd radices, caules, folia & flores habet crassiores, proceriores, latiores. Huius floribus vtuntur mulierculæ ad linimenta sua, quibus lectos illinunt, ac ideò patriâ voce Streicht oder sterckblum vocare solent. Quam verò in Dioscoride nomenclaturã habeat, facilè intelliget qui flores, caulem, folia, & radicem pressiùs considerauerit, cúmque Buphthalmo Dioscor. contulerit. Est itaque hæc planta non Eranthemon Hippocratis, vt multi putant, sed potiùs Buphthalmus verus Dioscoridis, quem ille Balsamenam, Hæmorrhan, Mercurii genituram, Aphthitis semen, aut Mnesitheũ, Cappacoraniã, & Narat, nec non Cachlan cognominari tradit, & Serapio cap. 158. Bichar vocat. Chamæmelũ hoc Tragus antea hoc lib. 1. cap. 45. Bellidem maiorem luteam vocauit. Item postea 118. Chamomillam luteam.

Chamæmelon aureum Fuchsio.

A Fuchsio Chamæmelon aureum inscribitur, ac alterũ Anthemidis genus statuitur, quòd Dioscorides à luteis per ambitum florum foliis, quibus constat, haud dubiè Chamæmelon Chrysanthemon nominarit, & Herba S. Mariæ vulgò nũcupatũ sit, Germ. Goldblumen & geel Camillen/ Gall. *Camomille iaune*.

De Chrysanthemo seu Caltha Cordus in Dioscor. lib. 4. c. 58. differit, vbi eam à Germ. Goldblum/ & à Lat. Buphthalmon appellari tradit.

Camomilla silu.

Camomillam suam siluestrem quartam Dodon. Gall. Cotulam luteam inscribit, quam ait quosdam Chamæmeli (Dioscoridis) secundam speciem existimare, ac vocare Chrysanthemum, verùm illos falli. Quinam verò hi sint in Hist. de florib. & lat. in fol. indicat, dicens. Cotulam 3. siue luteam Fuchsius Anthemidis speciem, & Chamæmelum Chrysanthemum facit: folio tamen parùm, odore nullatenus, Anthemidem siue Chamæmelum Leucanthemum refert. Matthiolus pro legitimo Buphthalmo depinxisse videtur: desideratur tamen folium Marathroeides, quod Buphthalmo esse Dioscorides testatur. Quare inter Cotulas & siluestria Chamæmela potiùs reponendam duxi, quàm alterutrum temerè asserere.

Cordus & Dodon. not.

Gesn. de hortis Buphthalmum veram nominat, flore Bellidis maioris, sed toto semine peramaro. Dodonæum carpit (& meritò mea quidem sententia) quòd Buphthalmum faciat herbã illam, qua pro Elleboro nigro quidam vtuntur. Is verò Chrysanthemum Dioscoridis & Buphthalmum eandem esse, meo iudicio non absque errore statuit.

Matth. not.

Sed & Matthiol. cum Amato Buphthalmum vocat. Figura eius in prior. comm. non placet. An postr. nonnihil eam mutauit. Quam verò Camer.

in

in Epit.& Hist.germ.eiusdem posuit, Buphthalmo Matthioli non respondet. Videtur Buphthalmum tenuifolium, folio ferè Millefolii. Ait autem is. Variæ exhibentur nomine Buphthalmi vulgaris plantæ, vt Cotula à Fuchsio, Helleborine flore luteo à Dodonæo: Buphthalmum vulgare Croatæ vocant Herbam serpentis, Græci & Latini Buphthalmum, Oculum bouis, Itali *occhio de bue*, Bohemi wolowec, aut Rwietec, Galli *Oeil de bœuf*, Arabes, *Bihar*.

Lob.in Adu. Buphthalmus, Oculus bouis Millefolii folio, Chrysanthemum Fuchsii, Aster atticus Cordi. In Icon. Plant.p.771. Buphthalmon, Oculus bouis.

Errant quidam. Tabern.Icon.& Hist.Buphthalmum, de quo ait. Errant qui Buphtalmum hoc, Chamæmelum Chrysanthemum faciunt. Buphthalmus dicitur Dioscoridi Incorruptibilis genitura [γόνος ἄφθ...] Boanthemum, Mercurii genitura (γόνος ἑρμ...) Cappacorania, Cachlas & Boaria (...) Herbariis Buphthalmum Chrysanthemum, Oculus vaccæ, Oculus bubulus, Cotula lutea, & Herba crispula, Nicolao Myrepso Crespula & Crespulus, Serapioni Bihar, Auicennæ Bithar, & teste Bellunensi, Chiaosegem, Peonasar, & Peonasari, Africanis Narrar, Hispanis *Oto de Buey* & *Ben Mequeres Amarilho*, Hungaris Sôrgôm / Belgis Sterrbloem / Germ.etiam Steinblum, Viennensibus Rhizotomis muliercculis gelb Faßblumen.

Gerar. err. Gerard. Buphthalmum album. Cur pro Buphthalmo albo proponat iconem Buphthalmi Tabernamontani flore luteo, ignoro, & fortassis ipsemet.

Turn. Chamæmeli alterum genus, Chrysanthemon dictum, Angl. yelow Camomill.

H.Lugd.p.862. Buphthalmum Matthioli.

Clus.Pann.p.569. Buphtalmum vulgare: Hist. post.p.332. Buphtalmum vulgare Chrysanthemo congener.


C.Bauh.phyt.Buphthalmum 5. siue Dioscoridis.

Chrysanthemum Cæsalp. Cæsalp.lib.12. cap.27. Chrysanthemum in ruderibus nascitur, similis Cotulæ tum foliis, tum caulibus, hirsutioribus tamen: flos secundum forum luteus est, ac sine odore: quidam pro Buphthalmo accipiunt.

Locus & Tempus. Chamæmelum hoc Chrysanthemum quorundam primò vidi Tubingæ, postea Basileæ extra portam lapideam mense Iulio & Augusto florentem; Monspelii prope aquas mortuas, vt vocant; Patauii in hortis. Montbelgardi copiosũ habeo in horto E.C. florens Iunio, Iulio, Augusto, & adhuc Nouembri, hiemem perferens, diuque durans, ac se disseminans. Apud Belgas hortensis, authore Dodonæo. In Anglia, quod meminit Turnerus, nusquam vidit. Germaniæ & Angliæ hortis, inquit Lobelius, inquilina. Romano autem agro, Hetrusco & Gallo-prouinciæ prope Olbiam ad mare Hieres vocatum, sponte secus vias & margines satorum: flores Æstate, etiamque in vsque brumam Londini vegetos vidi in horto Morgani, & Bristoiæ. Clusius frequẽtissimam esse prodidit per vniuersam Pannoniã, etiam illam, quæ vltra Drauum fluuium est, atque tota Austria in agris, & secundum vias passim Moguntiaco agro, in Morauia, Bohemia, & Norimbergensi agro: In aruis inter Auenæ & Tritici segetes, peculiare earundem vitium nascitur, inquit Tragus. Solent autem mulierculæ illud cùm in flore optimo fuerit, Iunio mense colligere, siccare, & ad vsus quotidianos recondere.

Vires & Vsus. Vsus est hac herba Tragus in vino decocta aduersus inueteratam fellis suffusionem, potu illam decoctionem calidam, hoc morbo laborantibus, tanquam concoquens & discutiens remedium exhibuit, certoque deprehendit eam extenuandi, discutiendique & educendi citra dolorem & periculum vi præditam. Habent flores omnes facultates odoratæ Chamomillæ, possuntque loco florum Absinthii vsurpari. Croatarum mulieres, vt refert Clusius, Buphthalmum vulgare tritum vtiliter vulneribus imponi asserunt. Floribus eius vtuntur in ulcerculæ ad linimenta sua, quibus lectos illinũt, quâ ratione Croco parcunt. Et quantùm nobis constat, hodie florum huius nullus est vsus in coronamentis, vt narrat Ruellius, qui ei magno errore Buphtalmi vires adscripsit.

CHAMÆMELVM PVRPVREVM.



Descriptio. Dictum est a dictis Chamæmelum purpureũ, quod hic depictum est, foliis, ramis, capitulis grandius & amplius reliquis Chamæmeli generibus, sed *flo...rum* quæ capitula ambiunt orbe purpureo decorum; *flos* priusquam dehiscat, corticoso compactilique inuolucro, propemodum, tam crasso & euidente quàm in Cyano, coërcetur. In asperis locis prouenit.

Rara hæc est planta & paucissimis nota. Apud H.Lugd. Anthemis Eranthemos p.971. inscribitur, ac Chamæmeli Eranthemi nomine describitur. C.Bauh.phyt. Adonidem secundam, siue flore maiore cognominat.

BVPHTALMVM ANTIQVIS.
CAP. XVII.

VT de Buphthalmo Veterum agamus, hoc loco requiritur. Siquidem ex dictis nonnullæ pro vero Buphtalmo habentur, nec paucæ ex posthac dicendis pro eo à quamplurimis creduntur & assumuntur.

Βούφθαλμον igitur [quam quidam Chachlan vocant, authore Dioscoride] teneros emittit *cauliculos*, & quodammodo teneres; *Folia* Fœniculi; *Flores* melinos, maiores, quàm Anthemidis, oculorum similitudine: vnde & herba nomen traxit. In campestribus & circa oppida nascitur. Huius flores triticum cerato œdemata duritiasque discutiunt. Aiunt verò, post exitum a balneo epota, regio morbo correptis, ad tempus aliquod colorem gratiorem facere.

Eadem Plinius lib. 25. cap. 8. habet, nisi quòd caulibus fruticosam dicat, vt etiam in quibusdam Dioscoridis exemplaribus legitur, & pro cerato ceram legat.

Nec multùm à Dioscoridis historia euariat Galenus. Buphthalmon, inquit, ita nominatum est à floribus, qui, iuxta figuram, bouis oculo similes esse videntur. Nam colore Anthemidis floribus simillimi sunt. Sed multò maiores & acriores, & propterea etiam maiore discutiendi vi præditi, eo vsq; vt etiam duritias sanent, ad ceratum ammixti.

Nomina notha. Buphthalmon sunt qui Cachlan, qui Balsaminen, siue Balsaminā, qui Menesitheon, si ic Mnesitheum vocent. Prophetæ Hæmorrham, Magi Mercurii genituram, siue incorruptibilem genituram, aut semen incorruptibile: Romani Cappacoraniam nominant, & Aphri Narat. Buphthalmi quidem nomen sibi à maioris quadrupedis oculo inuenit, bouisque oculus dici voluit. Siquidem particula in græcis auget, Habétque ea Gens penè infinita, quæ coniuncta sibi ea particula augentur, & in suo genere maiore amplitud. fiunt: qua ratione & Buphthalmos non a bouis oculo simpliciter, vt quidam credunt, sed à magnitudine ambitûs, quo maiorem oculum refert, nominatur.

Æquiuoca De vero Buphthalmo variæ sunt recentiorum Herbariorum sententiæ. Et quia formâ videtur *Chrysocome* & facultatibus conuenire cum Chrysocome, hoc esse putarunt nonnulli. Et hinc factum, quod *Guilandinus.* Guilandinus in Theone scripserit, Dioscoridem non rarò in diuersis locis de iisdem tractasse plātis, ignorantémne, an abundè diligentem, se nescire. Exempla esse Buphthalmon & Chrysanthemon. Ast nescit ipse Buphthalmon & Chrysanthemon diuersas esse herbas.

Chamæmelum inodorum. Multi hodiè sub Cotula nō fœtida, siue Chamæmelo inodoro Buphthalmum delineant. Sed cur horum sententiam comprobem contra Fuchsium cum Matthiolo non habeo.

Chamæmel fœtidum. Cotulam Brunfelsius in suis palinodiis Buphthalmum à quibusdam credi admonuit, etiamsi Buphthalmi historia à Chamæmeli fœtidi delineatione multùm discrepet, vt diligenter conferenti, facilè patebit.

Chamæmel. Chrysanthemum quorundā Buphthalmum tenuifolium, folio Millefolii ferè. Fuchsius, Tragus, Gesn. Matth. & alii nonnulli verum Buphthalmum contendunt, quam Chamæmelum Chrysanthemum quorundam antè inscripsimus.

Pro Buphthalmo vero Tabern. & Gerardus exhibent Buphthalmum tenuifolium, folio Millefolii ferè, de quo mox dicemus.

Chrysanthemum segetum. Ostendimus Chrysanthemū segetum à Buphthalmo differre, licèt aliter senserint Gesnerus, & alii.

Buphthalmum Dodonæi, quibusdam Elleborus tenuifolius Bellis maior. Buphthalmum verum à Dioscoride descriptū, multi censent herbam illam, quæ Buphthalmus Dodonæo, & quibusdam Elleborus tenuifolius dicitur. Verùm errant.

Aliqui teste Matthiolo, putant Bellidem maiorem, esse legitimum Buphthalmum, sed non est.


Caltha. Columella per Buphthalmum Calendulam innuere videtur, vbi fauentia lumina Calthæ canit. Lob. in Adu.

Sedum maius, siue Aizoum maius. Buphthamum tandem reperitur inter spuria nomina, quæ apud Dioscoridem Aizoo maiori attribuuntur.

Ad Buphthalmi genera refert Clusius Chrysantemum Valentinum, quod quidam Achilleæ speciem esse statuunt.

BVPHTHALMVM TENVIFOLIVM folio Millefolii ferè.

CAP. XVII.



Descriptio HOc Buphthalmi genus tomentosos habet *caules*, & frequentibus satis ramis multifidos, per quos *folia* nascuntur ad Millefolii tomentosi folia accedentia, hirsuta, pari dispositione & diuisurâ ferè, verùm nonnihil latiori: *flos* singulis ramis in cacumine hæret vnicus magnus, radiatis in ambitu foliis longiusculis luteis coronatus, disco concolori, calyce folioso, lanuginoso, canescente. Foliorum recentiorum sapor nullus notatu dignus.

Buphthalmum Dod. De hoc apud H. Lugd. p. 862. hæc habentur. Dalechampius Buphthalmum verum depinxit ad Rhodani ripam prope fossas Marianas prouenięns, radice breui, tenui, candidâ, capillatâ: caule palmum longo, tereti, gracili, subrubro: foliis Fœniculi per ramos è caule prodeuntes sparsis: flore Anthemidis, prorsus luteo, media sui parte veluti exsculpto & cauo, oculi figurâ. Idem videtur esse Chrysanthemum Valentinum Clusii. Lobelius etiam Buphthalmum tenuifoliū Narbonense vocat. Pena idem Buphthalmum exhibere videtur, quod ex Dalechampio pictum damus folio & facie Cotulæ fœtidæ, &c. *Hæc Hist. Lugdunensis.* Ego facilè crediderim Dalechampii Buphthalmum & Lobelii tenuifolium Narbonense in Obs. & Penæ alterum in Aduers. eandem esse plantam, idem tamen Chrysanthemum Valentinum Clusii dicere non velim, quia non radiati flores: non comperio Compilatorem H. Lugdunensis dicere Matthioli Chrysanthemum idem esse cum Chrysanthemo Valentino Clusii.

Camer. Camer. apud Matth. in Hist. germ. lib. 3. cap. 107. Buphthalmum aureo flore, Rindsaug. Item Epit. p. 651. Buphthalmum, & pag. 652. Buphthalmum flore purpurascente.

Tab. Tabern. Icon. & Histor. Buphthalmum verum Rindsaug oder Streichblum / Buphthalmum tertium folio quodammodò Artemisiæ & Fœniculi, sed multò tenuiore, colore ex luteo pallido, odoris non ingrati. In Hetruria spontè prouenit vnde mihi delatum. Item in Hist. Buphthalmi quartum genus, folio Cotulæ non fœtidæ, proueniens in prouincia Galliæ, & Gallia Narbonensi, non longè à mari: Buphthalmum Narbonense aut marinum maius, Groß Meer streichblum. Item: Buphthalmi quintum genus, quod etiam prouenit in Prouincia & Gallia Narbonensi folio Cotulæ fœtidæ: Buphthalmū Narbonense aut marinum minus & tenuifolium, Klein Meer streichblum. *Egregia* comparatio Tabernamontani sui Buphthalmi cum Arthemisia & Fœ-

Tab. not. & Fœniculo, foliis multùm dissidentibus. Est mihi Buphthalmum delatum ex Hetruria, ac etiam ex Gallia Narbonensi, in quibus discrimen non animaduerto: ipsemet etiam Tabern. non mihi videtur certas demonstrare notas, quibus distingui possint ab inuicem eius tria Buphthalma, si reuera diuersa. Hoc considerandum Lobelium suum Buphthalmum eo penè modo describere, & ex eo Camerarium in Hist. Matth. germanica, quo Tabern. suum Buphthalmum quintum. Gerard. Angl. vnica figurâ contentus, eam Buphthalmum verum inscribit, ac Anglicè The right oxe eie nominat.

C. Bauh. phyt. Buphtalmum 6. siue caule & flore purpurascente. Et: Buphtalmum 8. siue Cotulæ folio. Meminit Gesnerus de hort. 251. alterius speciei, flore partim candido, partim luteo nulloque alio discrimine: hoc sanè visu elegantissimum. Cur Frater hæc duo Buphthalma, separat? mihi vna planta videtur.

Buphthalmum Narbonense, siue Valentinum Clusio

Huius meminit Clusius, cùm dicit. Chrysanthemum Valentinum plurimum à Buphtalmo Narbonensis prouinciæ, mihi sanè non ignoto, differt: nam id obseruare & eruere memini apud oppidum illud Aquæ mortuæ nuncupatum, nonnulli Fossam Marianam (quam aptè nescio) appellant. Habet autem id Buphthalmum radiatos flores, Anthemidi vulgari similes, maiores, medium orbem luteum cingentibus foliis luteis, plerumque subtus nonnihil purpurascentibus, aut subrubentibus.

Locus. Siccam habeo plantam à Valerando nomine Buphthalmi. Gener Cherlerus attulit è Gallia Narbonensi, vnde & D. Rud. Salzmannus collectam reseruauit, mihique cōmunicauit. Sed & D. Agerius ea me donauit, quam propè Pisam in Italia ad ripam Arni, vbi abundare ait, collectam affirmauit. Secus Arantiorum lucos Olbiæ in in Galloprouincia maritima, à Lobelio reperta, & in Agro Romano.

BVPHTHALMO TENVIFOLIO simile Chrysanthemum Valentinianum Clusii.

CAP. XIX.



Descriptio Vnico plerumque assurgit Chrysanthemum Valentinum Clusii, *caule*, pedali, rarò ampliore, ramoso: *foliis* secundum radicem numerosis, deinde temerè & sine ordine per caulem sparsis, multifidis, Millefolii similioris foliis penè similibus, lanuginosis & incanis, quę degustata saliuam cient, & acidula sunt: *flos* in singulis ramulis vnicus, luteus, vel potiùs auri splendore fulgens, quique resiccatus, multis annis natiuum colorem etiam retinet, medio Anthemidis disco siue vmbilico maior, & sine radiatis in ambitu nascentibus foliolis, odoris non iniucundi: *radix* vnica, candicans, firma, crassiuscula.

Synonyma Chrysanthemum vocabant Valentinæ vrbis peritiores, longè tamen à Dioscoridis χρυσάνθεμον diuersum, & ad Buphthalmi genera, Clusii iudicio, potiùs referendum, nisi quis ἀχιλλείας speciē esse malit. Matthioli tamen Chrysanthemum esse nego, inquit Clusius, licèt id sentiat, qui Historiam Lugduni impressam, concinnauit, sed ipsum valdè falli deprehendet, quisquis diligentiùs vtriusque Historiam contulerit. Cæterùm hæc planta, ne quis fallatur, plurimùm à Buphthalmo Narbonensis Prouinciæ differt. Hæc Clusius, qui Compilatori H. Lugdunensis detrahit. *Clus. redarguitur.* Is enim non sentit Chrysanthemum Valentinum idem esse cum Matthioli Chrysanthemo, vt voluit Clusius, sed idem cum Buphthalmo Dalechampii.

Lob. in Obs. p. 446. Buphthalmum tenuifolium Narbonense, strigosis Galloprouinciæ & Narbonensis Galliæ prouenit, floribus radiatis, luteis, Buphthalmi, & foliis Anthemidis vulgaris siue Cotulæ non fœtidæ, minutis, nonnihil incanis: radix palmum æquat: cauliculi pedales, cuiusmodi etiam memini apud Franciscum Penninum & Valerandum Dourezium, erutas agro Monspeliaco. Hæc Lobelius de Buphthalmo tenuifolio Narbonensi, Chrysanthemo (sic. Plant. p. 773.) Valētino Clusii; Non docet autē an Buphthalmum suum tenuifoliū diuersū sit ab eo quod in Aduersariis Buphthalmum alterum vocauit: si diuersas plantas existimat, qua in re differant, non demonstrat: præterea an suo Buphthalmo, quod flores habet radiatos, vt ipse testatur, ritè adaptet figuram Clusii, videant alii: dicit enim Clusius sine radiatis in ambitu foliolis esse Chrysanthemum Valentinum. Valerandi Buphthalmum nobis idem cum præcedenti.

Gerardo dicitur Chrysanthemum Valentinum Corne Marigold of Valentia. C. Bauh. phyn. Buphthalmum 7. siue foliis Millefolii lanuginosis.

Valentino regno ad aruorum margines, iuxta semitas repertum eruebat Clusius, nusquam alibi ipsi obseruatum, florebat isthic Martio.


FLOS ADONIS VVLGO, ALIIS Eranthemum.

CAP. XX.

EX *radice* digito minimo tenuiore, alba, recta, sapore herbaceo & nonnihil nauseoso, *caules* surgunt pluribus alis donati, striati, tubulo angusto perforati: *folia* Nigellę citrinæ, glabra, subacri gustu: *flores* in extremis ramulis Chamæmeli, ex foliis octo, aut paucioribus, latioribus, coccineis vel pallidis seu luteis, compositi, quibus circumposita folia quina, extrorsum virentia, intus rubentia: *apices* in medio frequentes atropurpurei capitulum oblongum & acuminatum concolor ambiunt: *semina* tanquam in racemulum congesta, densè farcta, acuminata. **Descriptio**


Duas icones empiricas ponimus, quæ





Oculus Dæmonis.

Cord. refutatur.



Anemone 3. Tragi.

iam sculptæ non quòd discrimen demonstrent, licèt discrimina quædam sint, quorum aliqua tertia figura demonstrat.

Rectè, meo quidem iudicio, apud Cordum in Hist. ãnotauit Gesnerus, duplicẽ eius Anemonen tenuifoliam, quam agrestem & Papaueri non dissimilem dicit, non esse Anemonẽ, sed Chamæmalũ Eranthemum Dioscoridis: cuius semina ad frangendũ calculum efficacissima sint. Has Turingos vocare teufels auge (Oculum Dæmonis quasi dicas) propter colorem florũ, prunæ non absimilem, quasique ardentem. Acrimoniam nullam habere, quæ propria sit Anemone. Cæterùm, quod Cordus Anemonẽ magnã habere similitudinem cum Papauere tradit, hactenus non animaduerti. Figura autem quæ apposita Cordo reiicienda calumniandáque, pessimè siquidem picta, diuersos habens flores, vt iam dicemus aduersus Tragum.

Tragus igitur, qui lib. 1. capite 38. hanc Anemonem tertiã (das dritt vnnd kleinst klapper Rößlin) vocat fuluo flore. Item cap. 40. feld oder acker Rößlin, Anemonem agrestem, huic assignat flosculos quatuor foliolis distinctos, minii colore tinctos, aliquando candidos, vocans Aculeatam Plinii. Quamuis autem dicat suam Anemonen flosculum habere è quatuor foliolis compositum, nihilominus tamen in icone flores duos pingit, è pluribus foliolis constantes & capitulum quale in Chamæmelo Eranthemo multis dicto: Flores verò in eadem Icone multùm diuersi cum quatuor foliolis, videntur alterius plãtæ, ac accedere ad folia Melanthii in Germania spontanei. *Anemone agrestis.* *Trag. err.* *Icon Tragi confusa.*

Malam Tragi figuram exhibet quoque Lonicerus, sub nomine Aculeatæ Plinii, quam vocat Germ. feld Rößlin. *Icon Lonic. mala.*

Cæsalp. lib. 14. cap. 6. Quædam (ex Ranunculis) in aruis nascens inter segetes, floribus rubicundis, quam quidam inter Anemonas pingunt: alii Chamæmelum Eranthemum putant, ipse Ranũculis adscribendum censeo, fortè quem Dioscorides purpureum vocauit. *Ranuncul. purpureus Cæsalp.*

Meminit huius primùm Matth. in post. cõm. Ital. & Lat. cum magnis fig. dicens. Adonidem Virgilii quorundam, sunt qui censeant esse purpuream Dioscoridis Anthemidem, sed reuera hallucinantur, quòd huiusce Anthemidis genus, Dioscoride teste, flores proferat in medio aureos & forinsecus orbiculato ambitu purpureos, à quibus maximè differunt vulgaris Adonidis flores, qui Papauerorum siluestrium flores æmulantur. Eadem in Epit. & Histor. germ. cum addit. Camerarii, qui pro Adonidis icone laudabili Matthioli, ineptam posuit figuram, ac insuper aliam addit. Priorem quidem inscribit Adonidẽ, ac Germ. feldt rößlin & Margrethen blümlin vocans. *Adonis Virgilii Matth.* *Cam. err.*

Turn. negat esse Anemonen, existimans esse Papaueris erratici speciem. Idem ait rursum alibi. Existimant quidam Eranthemon esse, Amariscam rubram Herbariis dictam, quæ nostratibus appellatur Rede math / aut Rede Mademede. Quominùs autem sit Eranthemum hęc prohibent: non habet capitulum luteum, foliis in ambitu purpureis, quemadmodum reliqua duo capitulis donata luteis, scilicet altero foliis in ãbitu albis, altero flauis: Capitulum verò huius, nihil habet simile cum illorum capitulis, neque formã, neque magnitudine, neque colore: semen etiam spinachiæ semini æquale est, minimè tamẽ spinosum: in aliis multis notis descriptioni respondet: folia admodum sunt tenuia: Verùm flores phœnicei sunt, cùm deberent esse purpurei. Eranthemon porrò dicitur quod Vere floreat. *Papaueris species Turn.* *Amarisca rubra.* *Eranthemum non est.*

Gesn. hort. dicitur Anemone quædam, aut veriùs Chamæmelum rubrum. Item Chamæmelum Eranthemum Kreichio, & Coldembergio, quod quosdam non rectè Anemones generi attribuisse testatur, aliquósque Adonium vocare. *Chamæmel. rubrũ Gesn.*

Dod. gall. Anthemidis siue Chamæmeli 3. species [sine icone] Eranthemum & Chamæmelum purpureum, quod ait esse incognitum, nisi sit plãta quam quidam vocent Florem Adonidis, alii Anemon: posse vocari gallicè *Camomille à fleur purpurée*: Germ. & belg. Roode Camille. Hoc pingit cap. 31. eiusdem lib. 2. hac inscriptione, Heranthemum fortè. Hoc loco autem eorum opinionem ceu verisimilem admittere videtur, qui Florem Adonidis existiment. In Hist. de florib. & Lat. in fol. vbi pulchra figura, Eranthemi titulo proponit, aitque. Nostri sua lingua Eranthemum vulgare Bruynetteken appellant: Germanorum *Adonium Anthemis 3. Dod. gal.* *Heranthemum fortè idem.*

manorum nonnulli feldtröſlin: hâc ętate ἠράνθεμον. Eſſe tamen tertium Anthemidis genus, quod propriè Eranthemum dicitur, nemo facilè affirmauerit. Matthiolus Eranthemum hoc præſens, Adonidis florem nuncupat, ſed Adonidis flos Anemone eſſe creditur. Adonidis ſiquidem florem vento excuti Ouidius ſcribit, Metamorph. lib. 10. in fine: venti autem flos Anemone eſt. Nã Anemone ἀπὸ τοῦ ἀνέμου, id eſt, à vento nomen habet, vt Plinius auctor eſt lib. 21. cap. 23. Flos, inquit, nunquam ſe aperit, niſi vento ſpirante: vnde & nomen accepit. Cum Anemone autem Erãanthemum hoc non conuenire, manifeſtum eſt. Hæc ille, ſatis oſtẽdens non eſſe Amellũ Virgilii.

Eranthemum negat & Lobel. in Adu. Anemonenque concludit his verbis. Recentiorum Adonis, aut Adonicum Poëtarum, ſpecies Anemones, non Eranthemi. Certiùs etiam augurarentur, ſi eximiæ pulchritudinis florem iſtum vulgò Adonidis vocatum, vel Adonium qui etiam inter ſegetes paſſim in Gallia, Germania, & Anglia reperitur, & in hortis coronari⁹ habetur, ad Anemonas retuliſſent: Etenim Eranthemum cur non ſit, ſatis iam dictum: cur autem Anemone ſit & eadem cum Poetarum Adonide videatur, faciunt flores punicei Gallicæ aut Germanicæ, intenſo cruore ſaturati, & aliquantùm nigricando lucidi. Folia, caulis, ramuli, & radices Cotulæ, aut Anemones Monſpeliacæ: ſemen in puſillis, oblongis, racemoſis, Ranunculi longioribus faſtigiolis, Aſparagi primùm pullulantis, vt ſignanter monuit Dioſcorides in Anemone: tota guſtu ſubacri, vnde Monſpelienſes eruditi plerique in Anemonem potiùs, quàm Eranthemum ducendam voluerunt. Sententiæ quorum fauent etiam è Nicandri Theriaca coniecturæ, vt qui hanc Adonidis cruore genitam Anemonem vocent, & Ouidius itidem:

----Cùm flos de ſanguine concolor ortus.
Qualem quæ lento celant ſub cortice granum
Punica ferre ſolent, mimia leuitate caducum,
Excutiunt idem, qui perflant omnia, venti.

Vbi vides Anemonem vulgi nomenclaturã, Herbam venti adumbratam. Obſ. p. 150. Recentiorum Adonis videtur φλὸξ Theophraſti, à floris flammeo igneóue colore, quam inter vernos flores recenſet. In Icon. Plant. p. 283. Flos Adonis.

Tabern. Icon. p. 20. Chamæmelum purpureum, Braun oder rott Camillen. Item p. 22. Adoniũ luteum, Adonium mit geelen blumen. In Hiſt. lib. 1. p. 72. Chamæmelum purpureum ſiue 6. flore miniato, ſeptem foliolis recuruis conſtante: Grçcè ἠράνθεμον, ἠεράνθεμον, & ἠράνθεμον: Flos ſacer, Oculus Dæmonis: errat Val. Cordus, qui Anemonem minorem putauit: hæc enim planta caret acrimonia. Et p. 102. feldtröſlein [Roſulam campeſtrem dixeris] prima ſpecies flore rubro miniato; capitulis ſpinoſis; ſemine ſpinachiæ. Altera ſpecies differt tantùm flore candido. Quidam ſtirpium ignari confundunt feldtröſlin, cum Chamomilla rubra; licèt magnum ſit diſcrimen: ſiquidem in feldtröſlin, nunquam in flore ſint plura quàm quatuor foliola, in Chamomilla rubra verò ſeptem. Quonam autem nomine apud Veteres vocata ſit, me latet: feldtröſlin dictam, vocant Herbarii noſtri Aculeatam. Et hinc Tragus Anemonem aculeatam Plinii credit, cùm tamen cum Anemone communis nihil habeat. Quare cum aliis Aculeatam vocabo. Et p. 89. Adonium 1. flore miniato. Adonium 2. primo in omnibus ſimile, excepto floris colore luteo, Adonium luteum (in Icon. vti dictum p. 22.) Reperitur & tertium flore albo ſed rariùs. Herbariis Adonium, Adonidis flos Poëtis. Quamuis multi Anemonen & Adonidis, florem exiſtiment, attamen non inficias ibunt docti, quod φλὸξ & φλόγινον Theophraſti à me appelletur, quam gaza Flammam & Flammulam interpretatus eſt: vocatur Germanis Brunetröſlin / & fewer Röſlein / Adonis Röſlein: Flandris & Brab. Bruynuettekens / & Adonis bloem. Item in Icon. p. 790. Adonis ſilueſtris flore citrino. Hiſt. p. 469. lib. 2. Adonis flore citrino, aut rubro [addit in deſcr.] capitulis ſpinoſis: dicitur aliis Anemone agreſtis, aut Anthemis, Germ. Rote feldtröſlein. Hæc ſparſim Tabern. apud quem in Iconibus tranſpoſitus eſt titulus latinus Chamæmeli purpurei, & aſcriptus Chamæmeli lutei, errore & incuria Typographi, quod quidem veniam meretur, non item quod Tabernamontanus ſtirpium ignarus ſeparet Chamæmelum ſuum purpureum ab Adonio, & à ſua Aculeata, quam ei incognitam fuiſſe vel inde colligo, quòd dicat flores habere tantum quatuor foliola, cùm Tragus, vti dictum, in vno flore plura pingat. Si præterea ei nota fuit Aculeata quadrifolio flore; cur non demonſtrat vbi obſeruauit, quandoquidem Tragus nullum aſſignat locum particularem, & eius icon videatur falſa. Cur, inquam, hanc non depingit? Adhæc in illo capite nihil tradit, quod ad illuſtrationem Anemones aculeatæ faciat, verba tantùm dat. Error etiam ille nõ paruus videtur, quòd candẽ plantã, aut ſaltem congenerẽ ponat l. 2. pro Adonio: verùm is fortè ignorantiori compilatori tribuend⁹.

Gerardo, Cotula lutea, yelow Mate weede. Cur autem iconi Tabernamontani Chamæmeli purpurei, titulum Cotulæ luteæ inſcribat, ignoro.

Hort. Luſ. Adonium purpureum.

Hiſt. Lug. p. 969. Dodonæi verba de Eranthemo habet ac pag. 970. Anthemidem Eranthemon Dodonæi vocat. Item eadem pagina pro Adonide, ſiue Anthemide Matthioli quoque pingit. Ac rurſus eandem figuram p. 1344 exhibet hoc titulo: Chamæmelum ſilueſtre Matthioli, ſiue Anthemis. *Dicit* Compilator Adonidem eſſe Anthemidem Dodonæi, & Matthioli, quorſum ergo duæ figuræ, & tertia, quam ſine vlla deſcriptione infra repetit.

C. Bauh. phyt. Adonis tertia, ſiue flore minore: variat flore pallido, rubro, luteo: albo colore inter ſegetes collectam dedit Cargillus. Et Adonis 4. ſiue ſilueſtris flore pallido minore, in purpureum vergens.

Chamæmelum Eranthemum multis dictum habeo in horto Ill. E. C. Wirt. Montbelgardi, quale traditur à Cordo primo loco. Feliciter prouenit ex ſemine deciduo, & etiam ſato: ſemen maturat Iunio, Iulio & Auguſto; quo tempore adhuc floret. Recordor quondam circa Baſileam in ſegetibus ſpontè proueniens repertum florens Maio. Frater etiam reperit in agris, quà itur Dornacum. Florens vidi menſe Aprili inter Monſpelium & Nemauſum, inter Auionium & Arelatam in agris. Tiguri menſe Septembri in horto Dom. D. Funckii. Geneuę mihi florebat in horto menſe Nouembri, ac etiam Ianuario & Februario, quæ proueniente frigore perit, ibi nòmine communi Melanthio vocant *Barbue* vti & Lugduni. Monſpelii cùm ſtuderem vocabant Anemonem; D. Cortuſus Patauii & D. Rob. Conſt. nominabant Argemonẽ.

Phlox Theophraſti. *Flos ſacer. Aculeata Tabern.* *Error quorundam.* *Apud Veteres quæ ſit ignoratur.* *Flamma & Flammula Gaza Tab.* *Adonis ſil. flore citrino Tabern.* *Tab not.* *Cotula luteaGerard.* *Adonium purpureũ* *Adonium purp. Horti Luſ.* *Adonis flore minore C.Bauh.* *Locus & tempus.*

[redacted] E.C.Witt.obseruaui; florens [redacted] aureo, vnguibus purpureis fere. Sponte frequentissima, inquit Clusius, nascitur inter segetes, non modò in Gallia Narbonensi, sed etiam per vniuersam Hispaniam, qui etiam non minùs frequentem obseruauit inter segetes in Austria & Morauia.

Antè diximus commendari ad calculum, quod etiam annotauit Camer. ex loco, vt existimo, allegato. Adonium calidum & siccum in secundo gradu tradit Tabernamontanus, qui herbam in balneo sudatorio ad humores frigidos prouocãdos vtilem esse scribit. Dodonæus tamen ait Eranthemi huius nullum esse in medicina vsum: quantùm autem gustabilis qualitas eius ostẽdat, aliqua caliditate participare, sed tamen non magna. Voluptatis gratia in hortis colitur à virginibus, quarum coronas ornare consueuit.

PARTHENIVM VETERIBVS. Cap. XXI.

Parthenium autoritate Dioscoridis, *foliis* est Coriandri (μείῳ Ald. marg. χαμαιμήλῳ) tenuibus, *floribus* per ambitũ albis, in medio verò melinis, odore subuiroso & sapore subamaro. Siccatum cum aceto mulso (Lacuna addit ex vet.cod. ἢ οἴνῳ) aut sale potum, æquè ac epythymum pituitam & bilem atram detrahit, suspiriosisque ac melancholicis prodest. At herba citra florem calculosis & anhelatoribus magna vtilitate propinatur. Ipsius verò decoctum, ad insidendum valet in vuluarum duritiis & inflammationibus. Sed & ipsa cum floribus, erysipelatis & inflammationibus imponitur. Parthenium, sunt qui Amaracum, qui Anthemida, qui Leucanthemon, qui Chamæmelum, qui Chrysocalida, qui Malobathron, qui Campestrem florem appellent. Thusci Cautam, Aphri Tamacath, Romani Solis oculum aut Millefolium vocant.

Cæterùm, alia hæc Parthenion est [hoc attestante Marcello] ab ea quam Clusius lib. 3. Perdicion vocari etiam tradidit: reprimereque simul & refrigerare. Illa Elxine muralis & Perdicion dicta: hæc pluribus ab Anthemide appellationibus similibus congenereque illi credenda est. Illa à Nicandro Theriacis venenatis mederi prodita, hæc sanandis suspiriis, atræ bili, calculosisque, inflammatis, duratisque muliebribus locis apta. Hæc Chamæmelo similis flore per ambitum candido in medio luteo, illa Mercurialis herbæ foliis descripta: &, ne longiores simus, notis omnibus inter se diuersæ, solo eodẽ nomine legentes fallunt. Fallit autem non nomine sed re Parthenion tam similis Chamæmalo: vt pro ea sæpiùs ab imperitis carpatur. Habet enim illi similem paullò minùs quàm in cunctis florem. Differt magnitudine quæ in Parthenio amplior vndique est: differt & figura: quòd coloribus in vtriúsque flore paribus Chamæmeli flos in medio tumet & in altum erigitur, folia verò ad terram inflexa descendunt. In Parthenio folia medio exæquata per ambitum stant. Nobis ex his quæ diu obseruauimus inclinat animus Chamæmelo congenerem esse: & vt in plerisque [redacted] aliqua priuatim ab aliis dispescitque [redacted] hoc virosus odor est. Quemadmodum in bouis oculo, sola magnitudo, quà à Parthenio hoc illa distinguitur. Sunt Parthenii huius aliæ appellationes in fine capitis numeratæ: quarum quæ Chamæmelo communes sunt à nobis relinquentur, aliæ qualis Amaracus est parum certè dici, & enarrari à nobis possunt: Etsi antiquissimi Scriptores Amaracum hanc vocari dixerint: Galenus, Paulus, aliique plures: quorum fides & autoritas non parum difficilem nobis alterius Amaraci, quæ primo volumine dicta est, historiam & commentationem hanc nostram facit: falsóque à Marone dictum fuisse vbi mollis Amaracus illum &c. Cum hæc ὀσμῆς βαρείας, i. viroso & graui odore sit. Incertum etiam cur Romani Solis seculum dixerint: nisi fortè non Solis seculum sed Solis oculus dicenda ea sit. Hoc enim magis probamus quàm si Solis equum dicatur. Neque enim quod hactenus legerim Solem sequi Parthenion hæc à quoquam dicta est. At si Solis oculus dicatur aptior rei appellatio erit. Foliis enim per ambitum radiatus eius flos: in medio autem luteus orbis Solis disci figuram ostendit. Millefolium autem foliorum tenuitas facit: quæ vt in bouis oculo sunt capillata, & Fœniculo similia videntur, & infinita penè ex vno ramulo pendent.

Parthenium alii Leucanthemum, alii Amaracum vocant. Celsus apud nos Perdicium & Muralium. Nascitur in hortorum sæpibus, flore albo, odore mali sapore amaro. Ad insidendum decoctum in duritia vuluarum & inflammationibus. Siccatum cum melle & aceto potum, bilem tradit atram. Ob hoc contra vertigines vtilis, & calculosis. Illinitur & sacro igni. Item strumis cum axungia inueterata. Ita Plinius inquit Cornar. in Dioscor. lib. 21. cap. 30. ex recta veteris codicis lectione. Verùm ipse Plinius duas herbas in vnam confundit. Nam muralium & Perd ciũ à Celso dicta, est quidem Parthenium à Græcis appellatum, sed non hoc de quo hic Dioscor. agit & Plinius agere voluit. Verùm quòd infrà l. 4. cap. 74. Dioscor Helxines nomine describit, itémque Parthenium appellari dicit. Ad hanc itaque pertinent Celsi verba lib. 2. cap. 33. At simul reprimunt & refrigerant, Herba muralis, Parthenium vel Perdicium appellant. Ita Celsus. Cæterùm quæ sequuntur in Plinio, ad Parthenium de quo hoc loco Diosc. agit, pertinent: nec multùm euariat à Dioscor. Plinius.

Galenus, Paulus. Aetius, Parthenium hoc suo nomine non agnoscunt, sed sub Amaraci nomino describunt, quod non ingenerosè calefaciat, sed siccet non valdè, verùm vt in caliditate ordinis sit tertii, in siccando secundi.


Ex hactenus dictis clarè patet, Parthenium Helxine dictum, de quo lib. 15. Hist. n. g. egimus, ab hoc Parthenio multùm differre. Quæ autem planta hodie hoc Parthenium repræsentet, lis est inter Autores. Multi namque verum & legitimum Parthenium Matricariam dictam esse contendunt. Non desunt alii, qui Chamæmelum nobile, Parthenium Dioscoridis affirmare non verentur. Reperiuntur non rari [inter hos sũt Fuchs. Gesn. Lob. Anton. Musa, Schvvenck. & alii] qui Parthenium uolunt esse Cotulam fœtidam, sed hoc meritò negant, Matthiol. Dod. & alii. Sunt etiam qui Parthenium mas appellent, & Athanasiam, quam Tanacetum cum quibusdam vocamus, esse censeant. Parthenii nomenclatura, Teste Trago lib. 1. cap. 63. competit etiam Arthemisiæ. Mercurialis etiam, eodem Trago teste lib. 1. cap. 62. dicitur apud Dioscoridẽ lib. 4. Parthenium. De Mercuriali diximus lib. 23. H. n. g. Plantam Lappariam (Cynoglossam topiariam fortè Plinii nostram de qua lib. 35.) à Plinio lib. 22. cap. 17. recenseri Parthenii nomine, a u-

Aequinoct. Helxine
Matricaria.
Chamæmel nobile
Chamæmelum fœtidum.
Tanacetum.
Arthemisia
Mercurialis
Cynoglossa topiaria fortè Plinii nostra.

ne, author est Thalius. Parthenii nomenclatura adscribitur etiam Maioranæ, de qua dicemus lib. 28.

MATRICARIA VVLGO, MINVS Parthenium.

Cap. XXII.



Descriptio. PErquàm fibrosâ *radice* nititur, *caules* surrigés cubitum vnū, aut alterum altos, striatos, fungosâ medulla refertos, & in plures alas diuisos: *folia* Artemisiæ, multis laciniis diuisa, ex viridi luteola, odore graui, sapore amaro: *flores* in medio melini, foliis exterioribꝰ cādidis, Chamæmeli modo.

Non dubitat Tragus Matricariam cum Tanaceto sub Anthyllidis Dioscoridis descriptionem referre: sed meo iudicio absque ratione.

Is porrò Matricariam depingit & describit dicens. Matricaria videtur mihi genus esse Tanaceti potiùs quàm Chamomillæ, vel Artemisiæ species, vt multi putarunt. Et quia Parthenii appellatio à doctissimis quibusque illi tribuitur, cū aliis Partheniū vocabo, neq; multùm refert, siue Trag. nér. Partheniū siue Artemisiā uocaueris. Dicitur Iac. Manlio Febrifuga, Auicennæ lib. 2. cap. 723. Vchue, Serap. cap. 243. Achuen, Laur. Phrysio in Synonymis Amarella, Hebraicè Molusa, Amaration & Lampuesia. Cordus existimat Amaracū n Galeni. Sit itaque Matricaria Parthenium, vel Cauta nomine; tamen formâ & temperamento, non Arthemisiam tenuifoliam (vt quidam sentiunt) sed Tanaceti genus esse deprehendet, qui singula in vtraque stirpe penitiùs considerauerit. Et vno verbo, ut dicam, Parthenium Dioscoridis & Plinii, ac præsentem Matricariam, vnam & eandem esse plantam sentio. Idem in Hist. germ. lib. 1. cap. 51. ait. Matricaria dicitur Iac. Manlio Crespula, à quibusdam malè Centaurium magnum: Quidam exist mant esse Auicennæ Emerachit. Mirari subit Tragum quod vnam herbam modò Tanacetum, modò Parthenium vocet, & tamen Tanacetum, ceu & Matricariam, quam Parthenium facit, separatim describat & depingat.

Nescio [inquit Matth. in Diosc.] qua ratione ductus Brassauolus in suo simplicium examine pro certo crediderit, eam herbam esse minorem Artemisiam, quæ in Hetruria in officinis Matricaria, & vulgò mulieribus Amarella vocatur; dicens. Quam nos Matricariam & Marellam vocamus, Artemisiæ species est, illa sc. quæ malè olet. Hæc Brassauolus, qui errore notatur, quòd asserat Matricariam, siue Marellam, quam legitimum Dioscoridis Parthenium censemus, esse graueolentem Artemisiam. Quandoquidem minor illa, quæ Dioscoridi secundo loco redditur, grauiter olens, non quidem florem profert in medio luteum, & per ambitum albis foliolis cinctum Matricariæ, vel Amarellæ modo, sed candidum, paruum ac tenuem. Sed cùm porrò seipsum hac in re deceptum deprehendisset Brassauolus [vt legitur in suo vltimo volumine Venetiis impresso] dum longa oratione contendit, Amarellam seu Matricariam inter Artemisiæ genera reponendam esse, Cotulam verò fœtidam, Ferrariensibus Brusciaculo vulgò vocatam legitimum esse Parthenium, adeò seipsum [pace eius dixerim] & sua scripta confundit, vt nullo pacto, quid is tandem decernat, percipi possit. Nam cùm Asserit Amarellę siue Matricarię succum vnciarum quatuor pondere haustum vtramque bilem, ac pituitam deiicere, apertè quidem fatetur hanc esse Parthenium, cui priuatim ea vis inest. Attamen paulò pòst eorum fortè oblitus, argumentis quibusdam, mea quidem sententiâ, satis leuibus contrà asseuerat nil aliud esse Parthenium, quàm suum Brusaculum. Adhæc non in minori quàm Brassauolus versantur errore Monachi, qui in Mesuem commentati sunt, quippe qui & hunc sequuti eadem hallucinatione scriptis tradiderint, Matricariam vulgò vocatam omninò esse minorem Arthemisiam. In horum denique opinione, vel potiùs errore, ipse quoque Fuchsius implicatur, adeò vt etiam nemini dubitandum esse censeat, quin Matricaria sit alterum Artemisiæ genus.

Matricariam ad Artemisiæ speciem, non quidem secundam, verùm ad primam referre conatur Turnerus part. 1. p. 62. quam tamen suam opinionem retractat, Matricariam Parthenium esse contendens, part. 2. p. 78. contra Antonium Musam & Fuchsium qui volunt esse Cotulam fœtidam, in qua etiam opinione fuit Lobelius in Aduersariis.

Tabern. Icon. Arthemisia tenuifolia. Item & Hist. vbi ait. Arthemisiæ (Beyfus) secunda species, falsò à multis æstimata Parthenium Veterum: Græcè dicitur, τραγάνθης, à grati odore, λευκάνθη à flore albo, ὀνίτιδη, & ὀναρδίμω. Latinè Apuleio, Traganthes, Onicanthe, Onanthemum & Leucopis. Herbariis, & Botanicis Matricaria, Matronaria, Amarella, Amarusca, Tagetes, Oculus Solis, Matronella & Parthenium adulterinum, siue Pseudoparthenium. Italis *Amarella, Marella, & Matricaria.* Hisp. *Madricaria.* Gall. *Matricaire, Marone & Espargoute.* Boh. Rʒimbaba. Hung. vt Carol. Clus. testatur, Benedicta, & Alba Benedicta. Angl. feuerfew & fedderfew. Belg. Mater/ & Moedercruyt Germ. Mettram, oder Mettram/ Bochsblum/ Matrenen/ Meter/ Metre/ Matronkraut/ Meydtkraut/ Meydblum/ Mutterkraut/ Meterkraut/ federkraut/ Sonnenaug/ Metterig/ Vund Magdblum.

C. Bauhin. Phyt. & apud Matth. & Camer. Matricaria 1. siue vulgaris. Brunfels. Matricaria, prima Parthenii species. Cordo in Dioscor. & Hist. Dod. gall. Gesn. hort. Lacunæ. Castori, & Thalio Parthenium. Ericio Cordo, Amaracus Galeni. Toxitæ in Onom. philos. Amaruscus. Dod. fol. lat. Lonic. Cæsalp. & Hist. Lugd. Matricaria. Fuchs. in Icon. Artemisiæ ramosæ altera species. Monach. in Mes. dist. 11. cens. 334. Segiatmarie seu Arbor Mariæ, vel Planta Mariæ, vt scribit Ebenbitar est herba Alachuē dicta, & est Matricaria, & apud Italos vulgares

Herba S.Mariæ nominatur.

An Io.de S.Amando, supra Martiatum in Antid. Nicolai, Herba S.Mariæ, quæ alio nomine Buchor marien nuncupatur?

Locus. Montbelgardi Matricaria vulgò dicta prouenit variis in hortis. Patauii mihi visa, & Basileę. Nascitur authore Dodonæo, in sepibus, in hortis, secus veteres muros: locis gaudet ruderatis: subest sæpenumerò radicum fibris aliquis, licèt exiguus, carbo, quem inter rudera facilè contingit reperiri: de quo Cardanus nugas nonnullas in lib.de Subtilitatibus adfert. Æstiuis mensibus in vigore ac flore est.

Vires. Matricaria, vt memoriæ prodidit Tragus, calidæ siccæque naturæ est, potéstque in Medicina non aliter, quàm Centauria vel Absinthium, & Tanacetum vsurpari. Ventris tineas expellit intrò sumpta, id quod de herba & de succo expresso intelligendum erit. Quare à prudentibus matronis commendari solet: frigidioribus enim, febricitantibus, & immundis mulieribus purgandis, stillatitiam aquam, succum, aut herbam in puluerem redactam, exhibet. Pecoribus etiam desiccatam cum sale vesperi aduersus inflationes, & difficultatem spirandi, vtiliter præbent mulierculæ veterinariæ. Herba recens tusa, sacro igni & collectionibus, & ventris doloribus efficaciter illinitur. Excalfacit autem, ita tradente Dodonæo, tertio ordine, siccat verò secundo. Abstergit, expurgat, aperit & quæcunque amara possunt, feliciter præstat: ad vterinos affectus non parum confert: menses remorantes cit, secundas, & mortuos educit fœtus, siue eius decocto epoto, vel in balneo incocta, aut etiam cataplasmatis modo pubi imposita. Facit & ad suffocationes ex vtero hunc in modum, & ad eiusdem duritiès. Matricariæ viridis parum contusa folia vertici capitis imposita dolorem a frigidis humoribus ortum plurimùm mitigant.

MATRICARIA FLORE PLENO.



Descriptio. Matricariæ vulgari per omnia similis, flore excepto, qui in hac cõfertissimis foliis multiplex. Parthenium pleno flore, inquit Clusius, nihil prorsus à vulgari Matricaria, vel formâ, vel magnitudine differt. Cubitales enim aut ampliores interdum habet *caules*, striatos, in multas alas diuisos, *folia* vulgari perquàm similia, & multis laciniis diuisa, herbacei coloris, & amari saporis: extremæ alæ plurimos *flores* candidos & multiplici foliorum serie constantes ferunt, nullo, aut perquàm exiguo in meditullio orbe, quemadmodum Chamæmeli pleni flores, quibus sunt persimiles, vel etiam pleniores & candidiores: *semen* Parthenii vulgaris, fœcundum, licèt aliquoties satum mihi non prouenerit: surculis autem certiore prouentu seritur, Leucoii pleno flore instar. Londini in Anglia mihi primùm conspecta est hæc plãta, anno salutis humanæ 1579. quam inde Antuerpiam deferabam: eius verò iconem ad semina adquirebam Viennæ, munere C. V. Richardi Garth Cancellarii Londinensis, deinde longè frequentiorem obseruabam biennio pòst, cùm Londinum redisse. Florere incipit Iunio, & totâ deinde Æstate flores proferre non desinit, interdum ad ipsam vsq; brumam, nonnunquam squamata capita in multa viridia foliola transeunt, præsertim Autumno, è quorum meditullio emicant niuei flores, reliquis maiores. Cæterùm valde ferax est Anglia huiusmodi florum multiplici foliorum serie constantium, quos an arte & mangonio adquirant ignoro.

Lob.Icon.Plant.p.751. Matricaria duplici flore. Non bene meo iudicio dicit Lob. flore duplici, pro pleno.

Tabern.Icon.& Hist. Artemisia tenuifolia flore pleno, Gefult Metteram: Quarta alterius generis Artemisię species, Matricaria multiflora Herbariorum, aut Matricaria flore pleno, Gefülter Metter / oder gefült Magdblom. Camer.hort.& C. Bauhin. Phyt. Matricaria 3. siue flore pleno, à Matricaria odoratiore tantùm flore differens.

Matricariam flore pleno, antè nunquam visã, obseruaui in horto D.Michaelis Ioachimi Grunningeri celeb.Pharmacopœi in Pfortzen, cuius surculum decerpsi, ac in horto Ill.C.Wirt. transplantaui, qui se plurimùm multiplicauit, ac postea copiosè floruit adhuc Octobri. Flores, authore Camerario, aridi terræ mandati, semine intus iam maturo plantas plurimas ferunt. Commodè autem feruntur pluuiâ imminente, etiam vel mediâ Aestate, cùm alioquin cum aliis seminibus sati nasci recusent.

MATRICARIA ODORATA.



Hvius meminit Tabernamontanus, apud quem tamen præter figurã, & sequentia nomina, quę ei adscribit, nihil inuenio. Arthemisia, inquit, tenuifolia odorata, vocatur, Germanicè wolrieched Metterã/Spanisch Metter/ Spãnisch Magdblum / Matricaria odorata, & Matricaria Hispanica, Medicis & Herbariis in Hispania Argentina. Tabern. in nouellis plantis proponendis est admodum somnolentus & negligens. Tab. err.

An Camer.hort. Matricaria altera ex Ilua insula maris Thyrreni à Casabona Florentiâ transmissa,

miſſa, odore gratiore prædita. C. Bauh. phyt. Matricaria 2. ſiue odoratior.

PARTHENIVM INODORVM, ſiue Achaouan Ægyptiorum.

Cap. XXIII.

Herba Camæmelo ſimilis.



HErba eſt Camæmelo proxima, quæ tamē non adeò alta extollitur, ſed parùm ſuprà latiùs expanditur, *folijs* Parthenii, minoribus ac dēſioribus, *floribuſque* Camomeli æmulis. Herba ſaporis odoriſque expers percipitur, ſed flores odorem grauem, perobſcurumque ſpirant.

Locus. Vires.

Ægyptii, porrò, quibus & hæc planta patria eſt, deſcriptore Alpino autore, florum, foliorumque decoctum in vſu habent ad tollendas viſcerum obſtructiones, præſertimque ad ictericos.

TANACETVM VVLGARE flore luteo.

CAP. XXIV.



TAnacetū vulgare in latis magnā adoleſcit proceritatē, duorum cubitorum & altiùs: *caulibus* teretibus, nonnihil ſtriatis & hirſutis, medullà albà fungoſà plenis: *folia* ex viridi in flauum vergentia, pennata, in ſegmenta per ambitum crenata, coſtę mediæ adnexa, odore vehemente, ſapore amaro: ſummos caules occupant *corymbi* lutei, Chamæcypariſſi, minores, è ſolis ceu ſtaminulis compoſiti, quæ in *ſemen* tandem abeunt, per maturitatem nigreſcens: *radix* longè, latéque repetit.

Brunfelſ. Tanacetum, ſecunda Matricariæ ſpecies, & Parthenium.

Si temeritatem ſuam veniam conſequi poſſe conſideret Tragus, non certè dubitaret vnà cum Matricaria, de qua paulò antè à nobis dictum eſt, Tanacetum ſub Anthyllidis deſcriptionem referre. Verùm ſententia eius rationibus & veritate non confirmatur, ideoque non recipitur. Iac. Manlius Tanacetum Danetam cognominari ait, ſed à quo non oſtendit. Nec deſunt qui Artemiſiam, quæ Monoclonos dicitur Tanacetum eſſe ſtatuant, quæ quidem opinio nobis non probatur. Tragus præterea Tanacetum inter Artemiſias recenſet, & ſecundā nominat, ac Tageten, Tanaſiam, & Athanaſiam cognominari teſtatur.

Fuchſius quoque Arthemiſiam facit, ac Artemiſiæ monoclonos titulo pingit, ac dicit. Tertiam Arthemiſiæ ſpeciem, Tanacetum corrupto nomine pro Tagete hodie nominant, Germani Reinfarn/ quòd Filicis ferè ſpeciem referat, & in aquarum ripis naſcatur, alio nomine wurmkraut / quoniam lumbricos pellat. Eſſe verò hanc herbam, aliquam Arthemiſiæ ſpeciem, vel inde etiam conſtare poteſt, quòd Arthemiſiā, nonnulli Germanorum Groß Reinfarn vocant. *Pulchre* ratiocinatur, ſi Diis placet, Fuchſius. Betonicam coronariam Germani cum Caryophyllis Indicis communi vocabulo Nägelin vocant: Ergo Betonica coronaria continuè Caryophyllus erit. Vides itaque quantum ſit argumentum Fuchſii, apud quem in edit. Lugd. anni 1551. figurę Artemiſiæ monoclonos, tranſpoſita eſt, & pro Artemiſia latifolia poſita. Fuchſ. 78.

Hallucinantur Ruellius & Fuchſius, ait Matthiolus, Arthemiſiam tertii generis eam eſſe putantęs, quam alii Athanaſiam, alii Tanacetum appellant. Eorum ſententiam magis probandam cenſerem, qui mas Parthenium volunt. Monachi in Meſuem hallucinantur, tradentes Tanacetum eſſe Arthemiſiam vnicaulem. Sed & Matthiolus in errore implicatur faciens Tanacetum mas Parthenium. Hoc nomine tantùm tradit nec quale ſit demonſtrat. De Parthenio mare apud Autores, quod equidē ſciam, nihil occurrit. Matth. 511.

Tanacetum Arthemiſię Dioſcoridis ſpeciem eſſe, non abſque ratione negat Turnerus.

Tanacetum vulgo appellatum, ab aliis Danetam, non multùm differre à Matricaria, tùm ſpecie tū facultate non inconcinnè videtur Cęſalp.

Hippiam interpretatur Albertus in quodam remedio ad vulnera & vlcera canum Tanacetū agreſte. Sed meliùs, vt nobis videtur, Geſnerus de Quadr. Hippiæ nomine Anagallidem intelligit (ſic enim vel Arabes, vel Barbaros appellare legitur,) cui cum Tanaceto nihil cōmune eſt quàm quod vermes ſimiliter interimere poteſt, nimirū acri & nitroſa facultate ſua, quà Betæ ſimilis aut etiam ſuperior eſt, quod ipſe Geſn. ſe obſeruaſſe teſtatur. Quamobrem idem ad apophlegmatiſmos vtriuſque vſus.

Tabern. Icon & Hiſt. Arthemiſia Dioſcoridis: Artemiſiæ 3. ſpecies Dioſcoridis & Apuleii. Quibuſdam Parthenii ſpecies, & Parthenium maſculum, inquit, dicitur. Sed errant, eſt vera Artemiſia tenuifolia, vt prodiderunt Ruellius & alii multi docti viri, deſcriptio & vires conueniunt cum Arthemiſia tenuifolia: dicitur Græcè [illegible], id eſt, Artemiſia tenuifolia & Artemiſia vnicaulis; Herbariis aliàs Athanaſia & Herba immortalis Tanaſia & Tanacetum; Iac Manlio & Varignanæ Daneta; Syluatico Herba mariæ, Tangete & Tanaſia; Italis Tanaceto, Daneto, Athanaſia & Daneda, Gallis *Atanesie & Tageten & Tanasie*, addit

alius, Hung. Varadich: Anglis Tausy & tausie / Belg. Reinauer / Reinuaren & wormcroyt: Germ. Rheinfaren / & wurmsot. Item Icon. & Histor. Artemisia flore albo, nec formâ, nec odore, nec sapore differens, sed tantùm colore floris, qui in hac albus est, & rarò reperitur, & propterea in hortis colitur. *Mirum* si solo colore differt, vt ipsemet hîc asserit, cur figuram aliam à Tanaceto vulgari diuersam exhibeat. Locum etiam vbi hanc raram plantam viderit, annotare debebat. Verum illud est quod errent, qui Parthenium esse contendant. Sed nec illud falsum est, ipsum quoque halsucinari, Tanacetum Artemisiam statuentem cum doctis, qualis ille est? doctiùs his sentit Turnerus.


Gerardus etiam malè sequitur Tabernamontanum, qui præter Tanacetum vulgare, alterum minus flore albo quoque picturâ expressit.

Tanacetum dicitur, Brunfelf. Matth. Cord. in Hist. Gesn.hort. Lonic. Dodon. lat. in fol. Lob.in Obs.p.432. Castori. Turn.& Cæsalpino. Tanacetum Millefolii foliis Lob.in Icon. Plant. p.719. & in Aduersariis. Tanacetum vulgare luteum Trago. Tanacetum maius Dod. gallico: Tanacetum citrinum Thalio: Athanasia H.Lugdunensi: Athanasia vulgaris Lacunæ: Arthemisia tenuifolia Fuchs.in Iconibus: Arthemis. monoclonos eidem in Historia: Artemisia Dioscoridis Tabernamontano, Tanacetum Paracelsi & Filix Adamo à Bodestein in Onomastico: Sanctæ Mariæ herba & Tanacetū Io.Agricolæ: Tanacetum 3.siue vulgare, flore communiter luteo, rariùs albo (vnde Tabernamõtanum duas iconas habere ait) C. Bauh. in Phytopinace, quod apud Matthiol. Parthenium microphyllon (eodem lapsu quo alii Arthemisiā tenuifoliam Dioscoridis) Hippocratis esse credit, ac Tanacetum ita distinguit. Tanacetum, inquit, quod fortè à Tanaco, quo nomine Parthenium appellatum fuisse testatur Plinius, vel odorum est, vel inodorum: odorum aut maius, quod foliis est vel planis, floréque aut luteo, aut albo, vel crispis: aut minùs, hócque vel campestre, vel alpinum: inodorum, flore minore, vel maiore. Nos de his specialiùs agemus.

Locus. Sponte in variis locis Montbelgardi secus vias ad hortos eundo ad Molêdinum. Geneuæ habebam in horto. Obseruaui copiosum Basileæ multis in locis. Lugduni prouenit. Vidi Patauii in horto Iesuitarum: Reperi circa riuulos inter Vicentiam & Villam-nouam: in Alsatia abūdat, vbi passim secus agrorum margines, aggeres, & hortorum sepimenta exit.

Vires. Tanacetum cum Matricaria eiusdem esse temperamenti nimirum calidi & sicci, eundémque fere in Medicina vsum habere scriptum reliquit Tragus: Semine verò cum melle & vino poto, ventris lumbricos pelli, eiúsque dolores sedari, sudorémque denique elici, vulgo etiam dictitante, manifestiùs esse, quàm vt pluribus indicari debeat. Facultate porrò calidum & siccum esse Tanacetum, attestatur Dodonæus: vtpote omnibus suis partibus amarum: non tamen secundū vtriusque ordinem longè egrediens: Ex tenellis herbæ erūpentis foliis cum ouis placentas vere confici, ori nec ingratas nec iniucūdas, vētriculo verò etiam vtiles. Nā si qui in eo hæreant vitiosi humores, eos partim ad concoctionem illas perducere, partim abstergendo deorsum deducere: Succum herbæ cum vino potum, aut eiusdem decoctum, vrinam prouocare, dolores vesicæ lenire, & vrinæ stillicidio mederi: eundem succum cum oleo rosaceo spinæ ante accessiones illitum, febrium rigores tollere latum esse: cum quouis autem oleo, etiam neruorum contractionibus ac doloribus auxiliarem esse: Dici & de radice, quod cum melle aut saccharo condita, aduersus podagram plurimùm faciat: si ieiuno vētriculo eius aliquantula pars, continuo aliquo tēpore sumatur. Tanacetum flatus discutit ventriculi & intestinorum: rectè igitur, inquit Turnerus, fuit à Medicis consultum, vt in cibos veniret post Pascha, ad dissipandos flatus per ieiunia quadragesimalia contractos ex esu piscium, pisorum, fabarum, aliarúmque herbarum flatulentarum, quæ tum temporis in acetariis comeduntur. At meo consilio per ipsam quoque Quadragesimā vtentur, vt tum calculū, tū colicos cruciatus eo tempore inualescentes præcaueant. Vtinam eiet: referunt recentiores Tanacetum viris, Matricariā fœminis, vtiliora. Hîc addit Cæsalpinus, vti recentiores ad omnes cruciatus internos mitigandos tum potā, tum exteriùs applicatā, Abrotoni modo: Item contra quascunque febres propinare succum eius pondere drachmarum duarum cum aqua Plantaginis. Florem in puluerem contritum cum Saccharo grauidis conducere: folia sicca & contrita in vino sumpta muliebres locos expurgare. Expertus sum (inquit Herc.Saxon.de Luc venerea cap.31.) in muliere, quæ octo annos continuos manuum fissuras gesserat, & inutiliter omnium & Venetorum & Patauinorum opera vsa fuerat, remedium quo breui & facilè fuit curata. Est autem succus herbæ, quam alii Arthemisiam, alii Tanacetum vocant. Dum administratur hic succus, cauendum est ab omni manuum lotione, & penna hoc ipso illita, in singulas rimas succus inseritur. Expertus sum hunc ipsum succum in impetigine, in vlceribus crustosis, & successit curatio fœliciter. Sic poteritis pedum & manuum rimas curare. Plura qui volet de huius vsu ceu etiam varia præparatione, vt aqua stillatitia, vino, extracto, conserua, syrupo, sale, & oleo, videat Tabernamontanum lib.1.c.7. circa finem.

TANACETVM CRISPVM FLORE LVTEO



Descriptio. CVi Tanacetum vulgare notum, ei magis obscura crispi Tanaceti cognitio quā herba: est quippe hoc rarius, reliquâ vulgari descripto simile, sed *foliis* elegantissimis, crebriore incisura diuisis, segmentis frequenti argutiùs crenatorum marginum flexu reflexúque crispis, cristas castrenses imitatis, odore gratiore, sapore amaro.

Lob.in Adu.Tanacetum Angliæ. In Obs.p.412. Tana-


Tanacetum speciosius cristatum Anglicum. In Icon. Plant. 749. speciosium Tanacetum cristatum Anglicum.

Camer. hort. Tanacetum Anglicum siue crispum, odoratum admodum. H. Lugd. p. 956. Tanacetum cristatum Anglicum Lobelii. Tabern. Ic. & Histor. Artemisia satiua Anglica, Englischer Reynfahrn / Artemisiæ 5. species, Tanacetum crispum, siue Cristatum, vel Anglicum. Gerard. Tanacetum crispum Anglicanum, double Englisch Tansie. C. Bauh. phyt. Tanacetum 4. siue foliis crispis.

Tanacetum crispum flore luteo vidi Balmæ in horto insignis Chirurgi Petri Rolot, à quo accepi plantandum in hortum E.C. Wirt. & meum Montbelgardi, vbi feliciter se multiplicat. Vidi quondam Cabillonii siue Chalon in Camania & Lutetiæ in hortis. Frater attulit collectum folium in horto Bononiensi. Floret Iulio & Augusto.

Vires Cibus ad Vermes. Tanaceti Anglici vsus est in cibis, præsertim contra vernes puerorum, inquit Camerarius. In Scotia, vt testatur in Therapeu. puerperarum Io. de Bon Regius Medicus in Gallia, Heroina lectum Tanacetum ad prohibendum abortum admouere solent partibus inferioribus frequenter & cum felici successu, quod vt grauiùs oleat, priùs manibus atterunt, aut sub cineribus paululum coquunt.

TANACETVM ALBVM.



Descriptio. Radix huic crassa, nigra, fibrosa, cui complures fibræ adnatæ: *caules* cubitum & sesquicubitum alti, hirsuti, striati, alis concaui: *folia* Tanaceti pinnata, infernè hirsuta, supernè glabra, atrouirentia, odore nullo, sapore adstringente: *flores* Bellidis maioris, stellati, cādidi, vmbone flauo. Hanc describimus in horto cultam.


Eadem aut similis est, sed ratione loci multò minor, quam reperimus Monspelii in montibus circa tres pontes, quos vocant du Gab, quam sic delineaui: Herba foliis similibus Tanaceto, floribus omni parte & colore similibus Chamæmelo, gratissimum spirantibus odorem, quatuor vel quinque, vix ad altitudinem palmi excrescens.

Quum figura nostra ex Fuchsianis, iam sculpta non placeret, iconem Tanaceti inodori Clusij, quod idem cum nostro statuimus, curauimus pingendam, primam scilicet ampliore flore, cui folium & florem ex ipsa planta addidimus, quæ Tanaceto secundo inodoro Clusij bellè respondet. Sic autem Clus. de duplici suo Tanaceto inodoro scribit.

Tanacetum inodorum nuncupat Clusius. Lob. Adu. Tanacetum non odorum silnestre. Eidem Lob. Obs. p. 432. & Icon. Plant. p. 750. Tanacetum non odorum, perperam Sideritis Italorum. Camer hort. Tanacetum Leucanthemum, id est, floribus albis, inodorum in montibus altioribus Franconiæ crescens.

Hist. Ludg. p. 1147. Athanasia Leucanthemos, quam quidam Vchnam albam Auicennæ volunt, vel vt legit Bellunensis Achnam, Tanacetum siluestre non odorum Lobelij.

Tabern. Icon. & Hist. lib. 1. p. 470. Tanacethum Leucanthemum, weisser Regefahren. Idé antea in Hist. videtur hoc per Tanaceti quartum genus intelligere, ac Tanacetum fatuū & Tanacetum inodorum vocasse; Italicè verò *Tanaceto senza odore*, & *Tanaceto balordo*, quamuis aliqui Sideritim uelint. Vides vnam & candem sub diuersis nominibus esse traditā p. 37. & 38. pro Tanaceti 4 genere, sine icone. pag. verò 470. pro Tanaceto Leucanthemo, vbi icon.



C. Bauh. phyt. Tanacetum 1. siue inodorum montanum: hoc aliquid similitudinis habet cum Sideritide montana Matthioli, quoad folia: at si ramos & capitula perpendas conuenit cum Ruta canina: Lob. Tanacetum non odorum. Item. Tanacetum 2. siue inodorum flore Bellidis maioris, Clusio Tanacetum inodorum 1. *Hæc* duo Tanaceta C. Bauh. non duæ, sed vna planta, aut saltem eiusdem speciei, ita vt non separandæ videantur. C. B. not.

Gerardo, Tanacetum non odorum Unsauorie Tansie.

Natalem habet in horto E.C. Montbelgardi, ex Gallia per me allatum. Hoc primo anno caulem non produxit, secundo floruit Iunio, semen maturuit Iulio & Augusto. Basileæ obseruaui in monte Moutets & in horto D.D. Fel. Plateri: Geneuæ in proximis montibus collegi bicubitalem, inibi verò in hortis florenté Iunio & Iulio. Paruum vti dictum, obseruaui Iunio florentem prope Gab, odore gratissimo; Magnum, si bene recordor, in monte Wirtembergico Eichelberg / florentem Septembri. Tanacetum inodorum vtrumque Clusii prouenit ferè in omnibus vtriusque Pannoniæ & Austriæ montibus humilioribus, & siluis cæduis: vbi floret Maio & Iunio, &, si Autumno feratur, flores interdum producit sequente Augusto.


CHAMÆCYPARISSVS.
CAP. XXV.

Non iniuriâ inter suffrutices quis hanc connumerauit: ex *radice* lignosa virgulta ca-

bito altiora exitit, lignosa, tenerâ lanugine incana: in quibus *folia* longitudine circiter vnciali, cana, minutim denticulata, ita vt quatuor ferè denticuli in eadem phalange agminatim dispositi conspiciantur, odore medicamentoso, & cum quadam suauitate graui, sapore partim acri, partim amaro, singulis ramulis singuli insident *flores* Tanaceti lutei.



Hæc Chamęcyparissi à nobis plerũque obseruatæ descriptio est, cui similis, si non eadem, vt nos suspicamur, spontè proueniens, visa circa Nemausum, hirsutior & candidior, cui respõdet Matthioli figura. Vulgari persimilem aliam Vnguentariam denominatã nouimus, caulibus tenuioribus, candidioribus (qui bicubitales nobis in plurimis hortis conspecti) foliis vestitis minorib⁹, sed quæ maioribus denticulis incisa sint, odore minùs graui & iucũdiore. Figura apud Lobeliũ & Dodonæũ huic conuenit, ideò eam figuram exhibemus.



Santonicũ maius [inquit Cordus in H.] Absinthio cognatus & odoratus frutex est, caudicem habens pollicari crassitudine, numerosas, cubitalésque virgas emittentem, tenerâ canáque lanugine obductas, vnciâ longioribus, canis & Ericæ modo in breuissimas carnosásque partes diuisis, & Hieme durantibus foliis vndique vestitas. In summis virgis flores lutei sunt, breuibus staminibus in paruum orbem dispositis facti. Semen habet tenue & furfuraceum. Radice nititur lignosa. Colitur apud nos in hortis, in Narbonensi verò Gallia spontè nasci fertur, si Dioscoridi, & iis qui nostra ætate ibidem genitam viderunt, credimus. Santonicum minus, quod Plinio Chamæcyparissus dicitur, maiori in cunctis simile est, paulò tamen minoribus virgis & foliis constat, remissioremque habet tũ saporem, tum odorem. Colitur similiter apud nos in hortis Cypressi nomine. Nascitur & hoc copiosissimè in Narbonensi Gallia. Hæc Cordus, quibus fortasse intelligit duo genera à nobis descripta. Is in Dioscor. lib.3.cap. 26. erroris eos arguit, qui Cypressũ herbam (quam Germani Cypressen, Græci Chamæcyparissum nominent) Seriphium, id est, Marinum Absinthium esse contendunt.

Chamæcyparissum duplicem quoque statuit Dod.gall. his verbis. Inuenitur in hortis Galliæ Santolinæ duplex genus, figurâ admodum simile. Primum & vulgatius appellatur à Plinio χαμαικυπάρισσος, à Latinis Chamæcyparissus, à modernis quibusdam Santolina, & est officinis incognitu. Alterum simile huic, sed ramulis tenuioribus, flore pallidiore, & minoribus: odore gratiore: sine dubio species est Cypressi (*Cypres*) non Cedri [*Cedre*] vt quidam vocant.

Locupletat Dodon.lat. Historiam de Floribus & latinam in folio, plura tradens (quinque sc.) Santolinæ genera, dicens. Aurei coloris corymbos Santolina profert, odorata est, & non rarò coronis admiscetur. Eius aliquot sunt genera. *Primæ* virgulæ sunt tenues; foliis circumdatæ paruis, oblongis, angustis, denticulatis: frutex cauliculis & foliis albicans, & suauiter cum grauitate quadam odoratus. Huic similis est & altera species, foliis longioribus, virentioribus ac minùs candidis, flore pallidiore. *Tertia* foliis breuissimis & Ericæ proximis: floribus luteis, & aliarum similibus. *Quarta* foliis est minùs denticulatis, & Cupresso similioribus, perinde vt aliarum. *Quintæ* cauliculi non eriguntur, sed procumbentes per terram repunt: folia crassiora & lanuginosiora magis canescunt: flores aliarum Santolinarum. Omnes hæ vno Santolinæ nomine appellantur. Belgæ verò *Cypres* nominant. Chamæcyparissum plærique faciunt: sed de Chamæcyparisso sententia nec reiici, nec probari potest. Officinæ Semen contra vermes, & Semen sanctum appellant. Quod nonnulli ignorantes ex qua stirpe colligatur, Santonici semen esse existimant: alii Seriphii siue Absinthii marini: vtrique a vero aberrant. Hallucinantur etiam non parum, qui Santolinam Abrotanum fœminam esse volunt. Abrotanum siquidem fœmina, foliis est maris, Seriphii videlicet, similibus, sed procerius & fruticis modo arborescens. Santolina humilior est, & non Seriphium, sed proximiùs Ericam folio exprimit. Plus similitudinis cum Abrotano fœmina Heliochryson quorundam habet, vnde Abrotani folio cognominauimus: odore etiam ei vicinum est, non tamen Abrotanum, sed sui generis herba. *Santolinæ Chamæcyparissus.*

Abrotani fœminæ & Seriphii Dioscoridis icones Lob. in Obs. suis his titulis proponit. p.443. Abrotanum fœmina Adu.p.341. Chamæcyparissus Plinii Herbariorum: Santonicum minus Dioscoridis Cordi, Hispanorum *Yerua Lombriguera.* p.436. Seriphii Abrotani fœminæ faciẽ differentia, Adu.p.336. & 337. Santonicum maius Cordi, Santolina Dodonæi, cuius sex varietates alebat Moutonus, quarum pars foliis est Chrysocomes Monspeliacæ angustifoliæ, pars verò foliis cristatis Chamęcyparissi, Sabinæ vel Ericæ, minutis. Ex Hispaniis & Galloprouincia Belgii inquilina facta sunt. Horum nullum est officinarum Semen sanctum, siue contra vermes, vt credidit Dodonæus. Seriphium Galloprouinciæ Aduers. p.337. successu temporis degenerat fragrantia, ac tomento, & candore exuitur in Belgii & Angliæ viretis. *Mirum* Lobelium in Obs. locis iam citatis, bis vnam & eandem figuram fec.

Varietates sex.

Non est Semen sanctum officinarum. Lob. not.

fc.quam

fo,quam Dod.pro Santolina habet) ſub diuerſis titulis proponere, cùm in Aduerſ. pro Seriphio Dioſcoridis aliam exibuerit imaginem. Tres habet in Icon.Plant.figuras. Prima [ex Aduerſ.] p. 754.hoc titulo: Seriphium Dioſcoridis Abrotani fœminæ facie. Secundam iam dictâ paginâ hoc titulo:Seriphii Abrotani fœminę facie differentia. Et hanc rurſus pictam dat p.768.hac inſcriptione : Abrotonum fœmina. Cur autem hanc ſub diuerſis titulis bis pingat, cauſam nullam video.

Cluſius poſuit priorem iconem Lobelii pro Abrotano fœmina Narbonenſi, pro qua non videtur Lobelius poſuiſſe. Cluſius præterea pro Abrotono fœmina vulgari,exhibet modò dictam Lobelii ſecundam ſiue tertiam.

Abrotonum fœminam Salmanticenſe diuerſum eſſe ab eo,quod vulgò ab Herbariis Abrotoni fœminæ nomine circumfertur,quodque Santolinam appellant,teſtatur idem Cluſius. Illius autem in Hiſtoria rariorum ſtirpium per Hiſpanias obſeruatarum, duo tantùm genera tradit,licèt in poſt. Hiſtoria ſex aſſignet.

Abrotoni fœminæ ſexû facilè crediderit Ruellius intelligi , quod vulgus Gallicum Cypreſſum appellat, quoniam in arbuſculam fruticet , albicans, foliis Seriphii Abſinthii modo ſciſſis, ramulos circumdantibus copioſo flore , comantibus quibuſdam in ſummo auri fulgore corymbis, odore cum ſuauitate quadam violento, guſtu amaro. Qui Chamæcypariſſum exiſtimant eſſe, quem vulgus ab odore formaque foliorum eiuſdem nomenclaturæ arboris, Cypreſſu n appellat, falluntur , ſi Ruellio credimus. Nam etſi coactæ ſit breuitatis, & velut arboris cuiuſdam abortus, non tamen in genere pumilionum ſedẽ inuenit, nec in arborum, ſed fruticum cenſu cõſtat haberi. Huc facit quod nihil apud claſſicum authorem de Chamæcypreſſo legatur. Ad alterum igitur Abrotoni ſexum meliùs fuerit referre, cùm nulla videatur delineationis nota repugnare.

Abrotonum fœm. m eſſe Cypreſſum credit Ruellius.

Non placet figura Tragi,nec etiam quod Chamæpityn ſtatuat.Fuchſii icon quam proponimus paullò melius arridet.

Fuchſius cap.2.de Abrotono præſentem noſtram plantam Abrotonum fœminam vocat , & Abrotonum montanum Plinii, ac ſilueſtre Cypreſſum vulgi, eiuſque figuram cap.335. de Chamæcypariſſo ponit, ac dicit. χαμαικυπάρισσος Plinio dicta eſt,quaſi pumila Cupreſſus: apud Græcos,quod ſciam , eius fruticis nulla ſit mentio: vocatur vulgò Cypreſſus ab odore & forma foliorum eiuſdem nomenclaturæ arboris , Germ. Cypreß/ Gallis *Cypres*.

Abrot. montanum Plinii Fuchſio.

Anguill.epiſt.10.in fine Santolinam vocat,negatque eſſe Abrotonum fœminam.

Santolina Anguill. Abroton. fœm. Matthiol.

Abrotonum quod fœmineo generi adſcribitur, non omnibus notum eſt,inquit Matthiolus: non ideò, quòd & ipſum frequentiſſimum non ſeratur in hortis; ſed quòd à paucis pro Abrotono fœmina cognoſcatur. Quandoquidem id alii Cypreſſum, alii Santolinam vulgò appellant, alii verò marinum eſſe Abſinthium exiſtimant. Sed ii profectò falluntur : quippe Santolina vulgò vocata, nil ſanè aliud eſt, quàm Abrotonũ fœmina. Quòd primùm (vt Dioſcorides inquit) arboris ſpeciem quandam repræſentet, vnde & à quamplurimis Cypreſſus vulgò dicta eſt. Deinde quòd candicantibus conſtet foliis,circum ramulos minutim inciſis, floribus aureis,orbiculatis, caulem ſummum Æſtatis & Autumni tempore, corymborum modo comantibus.Poſtremò,quòd in vniuerſum ſuauiter oleat cum grauitate quadam & amaro guſtu. Ex hac equidem delineatione adducitur Matthiolus, vt decernere non dubitet,hanc plantam, quam vulgus Cypreſſum, ſiue Santolinam appellat, eſſe Abrotonum fœminam. Hinc itaque Fuchſium erraſſe credidit, quòd pro fœminei generis Abrotono, plantam ſubiecerit ab eo longè diuerſam. Qui etſi Santolinam ſeorſum poſtea depinxit ; non tamen eam Abrotoni fœminæ nomine agnouit,ſed herbariorum (vt arbitratur Matth. vulgus ſecutus, eam Chamæcypariſſum nuncupauit , eiuſque nullam à Græcis factam fuiſſe mentionem falſo credidit.

Abrotonum fœminam Camer.in Hiſt.Matth. germ.vocat & Epit.vbi præterea ab ipſo Chamęcypariſſus, germ.garten Cypreß/ Ital. *Abrotono femina,Herba canforata, Santolina, Cipreſſina & Creſpolina* cognominatur, eique meo iudicio non abſque graui periculo eædem qualitates & vires conceduntur,quæ Abrotono mari debentur. Et licèt hoc loco Abrotoni fœminæ vnius tantùm memoretur , attamen in Horto , duo eius genera reperiri ſcribit, quorum vnum vulgare & candidius ait eſſe, alterum foliis magis viridibus, quod etiam admodũ culturâ fruticeſcere tradit. Reperiri præterea & alias differentias quoque teſtatur.

Camer. lapſus.

An Turn.par.1.p.14.Abrotonum fœmina,Angl. lauander cotten.

Centonia.

Geſn.hort.Chamęcypariſſus & Centonia Gallorum , ſi non fallitur. in cat.pl. Abrot. fœmina, ἀβρότονον θῆλυ, Cypres kraut/ Cypreſſus Ruellio. Item : Chamæcypariſſus, Cypres de iardin.

Tabern.Icon.& Hiſtor.Abrotonum fœmina, ἀβρότονον θῆλυ, ἀβρότονον σικελιωτικόν, θηλυφθόριον, & θηλύθαμνον: Abrotonum Siculum, Thelyphtoriũ & Thelythamnum Dioſcoridi, Plinio verò Abrotonum campeſtre, ideo fortè quòd in Prouincia & Gallia Narbonenſi,& aliis calidis regionibus, ſponte in campis creſcit : Cordo Santonicum minus, Herbariis Cyparyſſus hortulana,Cupreſſus hortulana, Abrotonum minus & Santolina: It. Herba canforata , Santolina , Cupreſſina & Cypreſſo : Gall.*petit Cypres,Garderobbe, Cypres de Iardin & du Cypres*: Hiſp.*Hierua* , (yerua aliter) *lombriguera* : Boh. Cypreſſen : Polon. Cypres: Angl.Cipres : Brab.& Belg.Cypres & lceghe cypres : Germ.cypres/ cypreßkraut / garten cypres,Vnnd ſtabwurtz weiblin / & quibuſdam cypreſſen Stabwurtz/ hoc eſt Abrotonũ cupreſſinum , aut cyparyſſinum. Item Icon. & Hiſtor. Abſinthium marinum (3.in Hiſt.2.in Icon.) Abſinth verum marinum, σέριφον, ἀψίνθιον θαλάσσιον, Seriphium & Abſinthium marinum, Meerwermuth/ Edler Meerwermuth / kleiner garten cypres. Item in Hiſt.Abſinthium marinum alterum,Seriphium maius , Abſinthium marinum maius,Santolina maior, Meerwermuth,groſſer garten cypres,Santonicum maius Cordo,ſed errat. *Duas figuras* & tres deſcriptiones habet Tabernamontanus.

Tab.not.

C.Bauh.phyt.Abrotonum 1.ſiue fœmina Dioſcoridis,Chamæcypariſſus Tragi ,verùm figura ipſius nimis lata exprimit folia : Abrotonum fœmina Lobelii,cuius figuram bis poſuit. Abrotonum 2.ſiue fœmina flore maiore, Santonicum

maius Cordi, Seriphium Dioscoridis Abrotoni fœminæ facie Lobelii. Abrotonum 3. siue fœmina flore maiore alterum maius. Abrotonum fœmina Salmaticensis 1. Clusii. Abrotonum 4. siue fœmina flore maiore alterum minus, Abrotoni fœminæ Salmaticensis primæ altera species Clusii. Abrotonum 5. siue fœmina odore vnctuoso, Santolina 3. Dodonæi, Vnguentariæ nomine Lutetiæ collecta. Abrotonum 6. siue fœmina foliis minùs denticulatis, Santolina 4. Dodonæi, qui notat & alteram differentiam Sabinę folio. Abrotonum 7. siue fœmina repens canescens Santolina 5. Dodonæi. Abrotonum 8. siue fœmina tota viridis, Abrotonum fœmina Salmanticensis secunda Clusii.

Non placet nobis eorũ opinio, vt liberè dicamus, qui Abrotonum fœminam volunt: hanc opinionem olim oppugnaui, non visâ nec Dodonæi, nec aliorum sententiâ, qui nobis assentiuntur. Chamæcyparissus non est ὑπόλευκος, sed candidior: non est foliis λεπτοφύλλοις ὥσπερ σπέρμα: in Chamæcyparisso folia non diuisa aut secta instar Seriphii: non intelligo Lobelii Seriphium, quod nulli Absinthio simile, nec etiam Abrotono vt voluit Matthiolus: quæ similitudo obsecro Chamæcyparissi speciebus, cum Absinthiis vel Abrotono: placet argumentum Dodonæi in Chamæcyparisso non esse περὶ τὰ κλωνία πλήθη ἀνθέων; sunt enim non plures circa ramulos, sed singulares in singulis virgulis: mirabilis est opinio D. Leonhardi Kretschneri à Streckenbach Medici Snidnicii in Silesia, asserentis in epist. ad fratrem C. Bauhin. contra Matthiolum, non esse Abrotonum, sed Aristolochiam Clematitim.

Locus & tempus. Chamæcyparissum spontè nascentem & syluestrem inueni prope Nemausum inter *Eusau* secus viam copiosam florentem mense Maio & Iunio, hirsutis foliis & candidioribus quam exprimit Matthioli figura. Satiuam vidi Monspelii, Patauii, Ferrariæ, Bononiæ, Basileæ, Lugduni, Geneuæ, vbi Hiemem fert, & alibi in hortis. In horto Ill. E. C. tãtam copiam habebam, vt fimbrias multas curarem plantandas; quæ aliquot annos durarunt: tandem quadam Hieme omnes plantæ, tum in horto E. C. tum in aliis Montbelgardi, vbi abundauit, perierunt, ita vt nulla restaret. Anno 1593. ex Alsatia allatam plantandam curaui, partim in areis relictam, partim repositam, quæ deteriùs habuit. Quæ Vnguentaria dicitur, mihi visa Lutetiæ, vnde etiam a Fratre mihi missa, & plantata in hortum Ill. E. C. Montb. Abrotonũ fœmina Chamæcyparissos Lobelii in hortis frequens colitur & Galliæ Narbonensis Nemausensibus vinetis & cãpis parentibus fruticat plurima, viâ præsertim quæ Monspelium ducit, sesquileuca ab vrbe ad dextram. Seriphium Dioscoridis Abrotoni fœminæ facie in Galloprouinciâ montis celsi D. Magdalenæ celebris accliuibus quà S. Maximum spectat oppidum: redeunti item Olbia maritima vulgo Galloprouinciæ Hyeres dicta multum obuium: istud Absinthium Lobelii. Santolinæ Dodonæi in Belgio omnes peregrinæ sunt, neque alibi in hortis reperiuntur: primum genus familiarissimum: reliqua rariora.


Vires & Vsus. *Scabies.* Abrotoni fœminę decoctum aiebant Salmaticenses Clusio, vtiliter propinari ad scabiem profligandam: quod si ita est, proculdubio habenda est ratio naturę illorum, quib. datur. Matth. scribit istius folia sicca, ad sistenda alba fœminarũ profluuia conferre, si continuis decem diebus aut pluribus sumantur à ieiunis, & deinde interpolatis diebus. *Profluuia alba.* Est autem, authore Dodonęo Santolinæ semen gustu amarum, potentiâ calidũ, siccũmque tertio ordine: ventris lumbricos sumptum interimit quotidiano experimento mulierculærum, & aduersus eosdem efficax est.

MILLEFOLIVM STRATIOTES pennatum terrestre.

CAP. XXVI.

VBique viarum obuium est Millefolium, dodrantalibus cubitalibus, & altioribus *ramis* surgens, rigidis licèt tenuibus, angulosis, hirsutis, subrubentibus, qui circa summitatem in aliquot surculos diuiduntur, atque hi rursum in plures petiolos, qui *flores* in vmbella ferunt odoratos, paruos, colore albos, vel subpurpureos, quinque, septem, paucioribus, aut pluribus foliis constantes, ex calyculo squammato: *folia* pinnata ad costam alligantur, tenuibus Chamæmeli diuisuris, sed compositioribus, rigidiusculis, suaueolentibus, gustu acriusculo: *radix* lignosa & fibrosa nigricat. Millefolium maius purpureo pulcherrimo flore ex horto nobilis ab Hagenbach attulit Hortulanus Ill. E. C. quod ob colorem, qui summè intuenti arridet, plantauit: Hoc fortè idem cum rubro Clusii, de quo postea, & C. Bauhin. purpureo magno. Descriptio

Stratiotes millefolius (στρατιώτης ὁ χιλιόφυλλος) ita describente Dioscoride, pusillus est frutex, palmi altitudine, aut etiam ampliùs assurgens: habens folia pulli pennis similia (πτερῷ ἀτερῷ pro quo vet. νεαρῷ, alii νέα τὰ πτερίδι, i. est, recenti ac tenellæ Filici.) Sunt autem foliorum exortus [αἱ ἐκφύσεις, pro αἱ vet. legit αἰεὶ] breues admodum & incisuris diuisi. Folia maximè Cuminum agreste tum breuitate, tum etiam scabritiâ [καὶ τῇ τραχύτητι, quibus vetus caret] simulant, sed sunt etiamnum breuiora paullò, densiore pleniorèque vmbellâ. Surculos in cacumine gerit exiguos, in quibus vmbellæ in modum Anethi, flores parui candidique.



Plinius de hoc Millefolio inquit: Etruria hoc nomine appellat herbam in pratis tenuem, à lateribus cappillamenti modo foliosam: eximii vsus ad vulnera: Boum neruos abscissos vomere solidari eâ, rursúsque iungi, addita axungia, affirmans.

Ostenderunt Herbarii pro Millefolia stratiote ætate Marcelli, coliculum breuibus & exiguis foliis undique vestitum. Responderúntque historiæ Dioscoridis omnia, exceptis vmbellis, quas author dicit Anethi modo in summo eius esse. Quos enim Marcellus vidit flores magis longiusculis

usculis pediculis pendentes sunt, quos credit esse, quę Dioscorides ἐρφία (festucas vocat,& quibus vmbellam sustineri ait. Sed singuli potiùs flores quasi in vmbellâ plures congesti sunt. Cætera, vt existimat, egregiè respondent. Nulla est (fallitur Marcell.) quod meminerit, Stratiotes millefolia Plinio: siquidem nullam hoc nomine descriptam in eo inuenerit. Græci hanc Stratiotem millefoliam notis ab alia discreuerũt: terrestrem hanc præsentem appellantes, quæ præter humorem & frigus habeat aliquid, quod adstringat; aliam verò, de qua suo loco, aquaticã nominãtes, quæ frigefaciat & humectet. Marcelli Lapsus.

Matth. in Diosc. duas ponit figuras maioris & minoris, nec in contextu aliter, quàm magnitudine tantùm distinguit.

Hæc. Lob. in Adu. p. 333. sub duobus diuersis titulis, quorum prior est, Militaris terrestris: alter, Militaris siue Millefolium, flore albo, purpureo & luteo. In Obs. p. 430. & in Ic. Plant. p. 747. duas quoque exhibet figuras: priori titulum fecit, Millefolium terrestre vulgare, Stratiotes millefolium Dioscoridis. Alteram inscripsit, Millefolium terrestre purpureis floribus.

Quam Ruellius magno errore Achilleam (ἀχίλλειον) esse credidit, inquit Cord. in Dioscorid. est sine dubio illa herba, quæ à Dioscoride χιλιόφυλλος ὁ στρατιώτης, & hodie vbique Millefolium vocatur. Cordus in Hist. describit, & Stratioten terrestrem maiorem appellat. Gesn. verò alius figurã addidit, & in titulo posuit Millefolium terrestre maius, Tragum Millefolium nobile videri nuncupare, Et licèt Cordus minorem quoque tradat & describat speciem, neutrũ tamen Millefolium Cordi, est Millefolium nobile Tragi, quod Cordus Achilleam vocat.

Gesn. in cat. pl. Achillea, ἀχίλλειος; Item Millefolium, seu Millefolia Herturiæ, & μυριόφυλλον dicitur: quam aptè autem, videant alii. Trago Millefolium vulgare Stratiotes est terrestris apud Dioscoridem.

An Hermol Coroll. 647. Sideritis 4. siue Achilleos, quam nonnulli Panaces Heracleon appellauere, & Herturia Millefoliam vocat, herbam in pratis tenuem, eximii vsus ad vulnera. Achillios & Achillion vocatur quarta Sideritis, & à Lat. quibusdam Lumbus veneris: Dioscorides Supercilium Veneris non Lumbum dici voluit, alterutro errore orto, quòd Græci ὀσφὺν Lumbum, ὀφρὺν supercilium appellant.

Eadem hæc Hermolai verba recitat Ruellius, cum tamen non citat, more suo cuncta pro suis venditans. Achillion, inquit, Sideritim, alii Heracleon, Romani Supercilium Veneris, aliqui Militarem & Millefoliam esse appellant. Hanc nonnulli Panaces Heracleon vocauêre, nostri propriè Millefoliam. Cætera habet eadem quæ Barbarus.

Lonic. lib. 5. cap. 318. **Garben** aut **Schaafrip**/ duplex: maius **feldgarben/ grossgarben**, **groß Schaafrip**/ Græcis ἀχίλλειος, Lat. Achillæa, quibusdam Veneris supercilium, & Veneris lumbus: minus, **Garben / Schaafrip/ Schaafgarben/ felcken**/ Græcis στρατιώτης, χιλιόφυλλος, Lat. Militaris herba, quibusdam Millefolium. Hæ duæ plantæ sunt vnius generis: vni flos rubet, alteri albus est: mas excrescit cum summatibus albis, fœmina manet parua & dicitur **Schaafgarb**: est præterea parua, quæ dicitur **Tausentblat, wasserthannen & wasserfenchel** / Græcis μυριόφυλλον, vulgo Millefolium. *Lonicerus* tres proponit vnius plantæ figuras: nec tamen suis descriptionibus bene distinguit: & vt verum fatear confundit suo more omnia: in posteriore descriptione fortè etiam miscet Polygonum fœminam.

Theod. Dorsth. p. 190. duas icones habet Millefolii stratiotes, sub his nominibus: μυριόφυλλον, Lonic. &c. Millefolium Veneris.

Casp. Bauh. Phyt. Millefolium 2. siue maximum album, vmbella alba ex horto Patauino, foliis duplò latioribus, quàm sint vulgaris, Millefolium 3. siue vulgare album Millefol. album, Brunfels. terrestre Lobelio: flore candido & subalbido. Millefolium 4. siue vulgare purpureum minus, Millefol. vulg. flore diluti ruboris Trago, terrestre purpureis floribus Lobelio. Huius speciem proponit, sed sine icone Tabernamontanus. Millefol. 5. siue vulg. purpureum maius, Gœpingæ in horto quodam collectum est, hoc vulgari albo simile quidem, sed ad binos ternosue cubitos excrescit, foliis vt in purpureo minore dispositis, vmbellâ magna, floribus elegantissimi coloris.

Clusius pro Millefolio rubro colore iconem proponit, quæ apud Lob. in Ic. Pl. p. 747. est pro purpureo.

Millefolium etiam nunc vulgò appellatur in Herturia, Cæsalpino teste, in cæteris similis Achilleæ, sed foliis in longitudinem productis. Dioscorides pulcherrimè foliorum figuram expressit, Cumino siluestri comparans: si per Cuminum siluestre intelligamus Ammi, quod inter Cumini genera recenseur à Dioscoride, cuius descriptio paruo Millefolio cõgruit, non magno: vt hinc colligere liceat reliqua genera Millefolii ad Achilleam pertinere. In paruo hoc Millefolio reperiuntur flores albi & purpurei, aureos autem non vidi, ait Cæsalp. nisi in Tanaceto, quod cum Millefolio maximè conuenit.

Hoc duplex Millefol. vocat Schuuenckf. Millefolium terrestre album & purpureum.

Sed vt ad eum, quem transiuimus, reuertamur, Dodonæum. Exhibet iis Lobelii vtramque iconem his titulis: Millefolium siue Achillea. Et Millefol. purpurei floris. Cæterùm, vnica descriptione, vtrumque delineat, ac ait. A recentioribus appellatur Millefolium. Dioscoridis est ἀχίλλειος & ἀχίλλειος σιδηρῖτις, Lat. Achillea, & Achillea Sideritis, quod conferenti hanc cum Dioscoridis descriptione, vel luce clarius est. Inuenit hanc, teste Plinio, Achilles discipulus Chironis, quæ ob id Achilleios vocatur, alii Sideritim, apud nos Millefolium vocant. Sunt tamen & aliæ Sideritides, aliud itẽ Panaces Heraclion, de quibus alibi. Apuleius varias huius appellationes adfert, quarum quædam inter nomenclaturas nothas apud Dioscoridem quoque extant vt, μυριόφυλλον [aut μυρίομορφον] χιλιόφυλλον, στρατιωτικὴ, χιλιωτὴ: Lat. Militaris, Supercilium Veneris, Acrum, [aut Acorum] siluaticum: Gallis Bellocandium, Vigentiana: hac ætate Germani **Garben** appellant/**Scharffgras/scharffrip**[alii **Schaffgarb/& Schaffrip**, r. literà omissà, malè meo iudicio] **tausentbladt**, & vt Wirsung, in indice **Gerwol / & Schabab**) Belgæ **Gerwe**: Galli *Millefueille*: Hisp. *Milhoyas yerua*; Itali *Millefoglio & stratiote Millefolio*: Angli **yarrowe/nosebléde**: Bohemi **Rzebricek**: Hungari **Egherfark**/ h.e. Muris cauda.

Passim Montbelgardi prouenit flore albo & purpurascente, etiam in horto Ill. E.C. sponte

natum: florens adhuc Septēbri obseruaui Monspelii: Geneuæ virentem Februarii principio, florentem Iunio & Iulio: Basileæ adhuc Octobri inter portam cineream & lapideam extra vrbem, ad ripam Birsæ: in vrbe florentem Iunio Iulio & Augusto: multùm serpit: asparagi acres sunt, vt in Ptarmica Fuchsii. Album in Silesiæ pratis & agris plusquam notissimum: à Maio in multam Æstatem floret: dilutè rubens passim inter segetes, iuxta aruorum, pratorum, ac hortorū margines. Stratiotes millefolium Dioscoridis nascitur in agris subasperis, præcipuéque secus vias.

Vires. Herba est, authore Dioscoride, eximii vsus ad profluentem sanguinem, vlceráque tum vetera, tum recentia, atque etiam fistulas. Stratiotes terrestris, inquit Galenus, etiam quid adstrictionis habet, vt ob idem etiam vulnera glutinare possit, & vlceribus vtilis esse. Quidam verò ipso etiam ad sanguinis eruptionem vtuntur & ad fistulas. Quod porrò Millefolio sanguis è naribus irritetur, attrictu contingit. Millefolium terrestre album, vt testis est Schvvenckfeldius, siccat, adstringit, & consolidat recentia vulnera. Herba recens tusa pubíque illita mensium abundantiam compescit. Vmbella candida

Menses. ex lacte caprillo, vel propria aqua pota gonor-

Gonorrhaea. rhœam in viris, in fœminis alba vteri excrementa cohibet. Millefolium terr. purpureum valet potum ad omnes sanguinis reiectiones commo-

Dysenteria. déque dysentericis infunditur. Aqua stillatitia contra pestilentiam vtilis. Scribit Matthiolus

Mictio sanguinis. dari vtiliter Millefolii succum ad sanguinis reiectiones. Idem præstare sicci farinam ex symphiti maioris, aut Plantaginis aqua potam. Eandem naribus inditam sanguinem inde fluentem sistere.

Dentium dolor. Mirum in modum conferre eiusdem farinam ad sanguinis mictum, si vnciæ pondere cum Armeniæ terræ drachma ex vaccino lacte potui detur ieiunis, diebus tribus continuis: idque valentiùs efficere, si cum Corallio, Succino & Eboris scobe propinetur. Commanducata folia præsertim recentia dentium dolorem mulcere: idem efficere commanducatam radicem & diu sub dolente dente retentam. Dari herbæ decoctum cum Labruscæ floribus vtiliter potandum contra vomitum.

Millefolium Alpinum Clusio, paruum, nonnihil incanum, carneum.

Descriptio. Elegans est hæc plantula, dodrantalem, siue palmarem altitudinem non excedens, multis *foliis* circa radicem stratis, tenuissimè incisis, & veluti è multis minutissimis alatis foliolis constantibus, nonnihil incanis: candicantes *cauliculi*, satis crassi, huiusmodi foliis, iisque minoribus, & tenuissimè incisis obsiti: vmbella *flosculorum* dēsissima, qualis in vulgari Millefolio, sed dilutiore rubro colore siue carneo nitentium: *radix* vix à vulgari differt, fibrosa admodum, & summâ tellure serpens.


Synonyma. Ab hoc tamen Millefolio Alpino Clusii in Pānon. p. 562. & Hist. post. pag. 331. differre visum est, quod in hortis alebat, cùm in Belgica viueret, simili propemodum flore.

Millefol. illud Alpinum dicitur C. Bauh. Millefol. Alpinum incanum carneo flore.

Locus. Spontè prouenit in Judenberg & Spital, Stiriæ Alpibus, flores proferens Augusto: natalésne causa sint istius varietatis, an cultura, nescit Clusius.

MILLEFOLIVM ALPINVM INCANVM flore specioso.

Palmaris est plantula, *radiculâ* simplici, ruffâ, ac penè nigra: è qua *folia* prodeunt duas aut *Descriptio.* tres vncias longa, rariùs pinnata, tomentosa, longiusculis ac ferè vncialibus pediculis hærentia: *Coliculis* tomentosis item prædictis similia quoque hærent folia, sed aliquantò minora, breuioribúsque pediculis donata: Eorum verò summitatibus *flores* insident quinque aut sex, squammati, corymbati, vti ex sicca colligimus. Squāmæ fuscis venis insignitæ florem speciosiorem reddūt.



Legit Clariss. Platerus in Valesiæ montibus, ex cuius prototypo figuram nostrā damus.

MILLEFOLIVM TOMENTOSVM luteum.



Dodrantalis est herba, multos ex *radice* crassa, durâ, repēte, fibris Hellebori æqualibus, quibusdā minoribus, colore nigricante aut cinericeo foris, intus flauo, sapore dulcibus (in sicca planta) præditis donata: *caules* plures emittit *Descriptio.* rectos, satis robustos, in quorum cacumine densæ micant *florum* vmbellæ Millefolii vulgaris terrestris, aureo tum foliorum, tum vmbilici colore fulgentes: *folia* per coliculos tomentosos, Millefolii Stratiotis, sed multò minora, minutiúsq; incisa, incano villo pubescentia. Tale est Millefolium Narbonense.

Simile si non idem dedit frater C. Bauhin. nomine Helichrysi, ex Tyrolensi ditione delati. Minus prædicto est, foliis non ita tomentosis, caule tenuiori, vmbellâ magis diuulsâ, capitulis minoribus ex longioribus pediculis dependentibus

bus, floribus luteis, qui pulchrè reseruarunt colorem pluribus annis: an loci ratione differat à nostro asserere non ausim: accedit ad figuram Matthioli, quamuis minor sit planta quam siccam habemus.

Tanacet. lanuginos. Dalech. Dalechampius Monspessulanum meum Millefolium vocabat Tanacetum lanuginosum. An Clusii in Hisp.& Hist.post.Stratiotes millefolia luteo siue flauo flore?

Millefol. minus siue Stratiotes Chiliophyllos Dodon. Dodonæus eandem plantam cum Clusio pro Stratiote Millefolio exhibet, quam ita cognominat. Millefolium minus, siue Stratiotes Chiliophyllon. De hoc autem ait. Rariùs huiusmodi Millefolium reperitur: gignitur autem pingui ac læto solo, & subinde in pratis; Augusto mense flores eius præcipuè conspicui.

Synonyma Gesnerus ad meam plantam Monspessulanam adscripsit esse Stratiotes millefolium Dodonæi. Idem in hort. Millefolium luteis floribus a Dodonæo depictum nuncupat; Matth. in post. comm.cum mag.fig.lat.& ital Helichrysum alterum; Camer.in Epit.& Histor Matthiol.German. Helichrysum Italicum; quòd plurimum in Italia proueniat, & iisdem sit facultatibus prædictum, quibus Helichrysum Dioscoridis; In horto, Helychrysum Italicum Matthioli, Millefolium luteum; Lob.in Aduers.Militarem, siue Millefolium luteum (& ita quoque in Obs.p. 431.vbi & Achilleam luteo flore Clusii, & Icon. Plantar.pag.748.) Hist.Lugd.p.776. Elichrysum Italicum Matthioli; C.Bauh.phyt. Millefolium 7.siue luteum tomentosum.

Tab mot. Tabern.Ic.p.131. Millefolium luteum, Geel garben; Hist.p.163.Millefolium 4.luteum; Item Icon. p.127. Heliochrysi 1.altera icon [titulus transpositus, verior est Heliochrysum 2. Italianisch Goldblum [Hist.p.456 Heliochrysum 2. Icon Heliochrysi est ex Matthiolo: Tabern.non animaduertit esse Millefolii speciem: eam iungere debebat Millefolio luteo, cum quo eadem, aut eius saltem species.

Gerard.lapsus. Gerardo dicitur Stœchas citrina. Is ineptè posuit iconem Tabernamontani Heliochrysi 2. pro Stœchade citrina.

Locus & tempus Millefolium tomentosum obseruaui mense Iunio inter Nemausum & Valentiam. Nisi me impedirent notæ quædam, parum abesset, quin *Chrysocome* hanc pro Chrysocome exhiberem. Hoc in Tyrolensi comitatu cùm Italiam peteret, collegit frater C.Bauhinus.

MILLEFOLIVM CRETICVM.

Descriptio PEregrina elegantia conspicuam háncce plantam etiam exercitatiores Botanologi Chamæcyparissum esse dicerent. Et nos in ea dignoscenda primo decepti obtutu. *Surculi* quos siccos adseruamus pedales ferè sunt, in cana lanugine toti vndique cum ipsis foliis obsiti; ramulorum ac foliorum, vt dictæ Chamæcyparissi diuisurâ. *Folia* minutiùs dissecta, ad costam hærent. Segmenta rursus in alia, minùs tamen profunda diuisa. Vnde nomen illi inditum esse facilè est conicere. Folia & segmenta temporis progressu in se retracta, caudæ Scorpionis in modum incuruantur. *Florum* corymbi in vmbella positi, ex albidi, maiores quam in Millefolio vulgari. Sapore est amaricante, aromatico, ad Santonici seu Seminis contra vermes officinis dicti, saporem accedente.



C.Bauhin. phyt. dicitur Millefolium 8.seu Creticū, quod in horto Magni Ducis Hetruriæ, Florentiæ creuisse, & à Doctore Paschali Gallo accepisse se ait. Mihi primùm visum Basileæ in horto D. Iac. Zvvingeri, virens Nouembri, sed repositum, cui prouenerat ex semine misso ex Creta nomine Millefolii veri per insignem Botanicum & Medicum Honorium Bellum.

MILLEFOLIVM ALPINVM.



ALpinum Millefoliū Militari siue stratiote minus est, paullò palmâ longius, *foliis* consimilibus, vmbella in caulis fastigio minore, cuius tamen *flores* singulares, quadruplò quintuplóue maiores, *foliis* in ambitu radiatis, magnis, albis, apicibus in medio luteis, ex capitulo squarroso, nigricante, fimbriato: planta aliquantùm hirsuta.

Huic similis ac parum differens planta quibusdam Iua Moschata, dicta montana, de qua capite sequenti.

Clusius suum Parthenium, quod idem existimamus cum Millefolio nostro Alpino, ex quo etiam iconem proponimus, sic describit, tam in Hist.Pannon.quam in postrema Multis ex fibrosa radice, Chamæmeli modo, fruticat ramulis, pedalibus, viridibus, quos ambiunt folia Anthemidi prorsus similia, multiplici incisione diuisa, Cotulæ aut Matricariæ ferè odore, gustu calido, attamen non ingrato, extremis cauliculis multi flores insident umbellatim congesti, Absinthii Alpini, quod post hac describemus, floribus proximè accedentes, hoc est, exigua capitella ex albo & pallido commixta, ambientibus ea senis aut octonis latiusculis albis foliis, eiusdem cum ipsa herbâ odoris: rami siue cauliculi humi procumbunt, & ex vna, vt dictum, radice prodeun-

tes, subinde fibras agunt, & noua germina procreant. Hanc plantam montani venatores Vnser Frawe schwartz Rauch nomine donant, ad Absinthii Alpini vmbelliferi, de quo postea, differentiam, quod weiß Rauch appellant. Parthenium Alpinũ Clus. vocat, à Dioscoridei Parthenii odore, ad cuius etiam descriptionem accedere videtur Clusio.

C. Bauh. Phyt. dicitur Matricaria 5. siue Alpina Chamæmeli foliis.

Locus & Tempus. Millefoliũ Alpinum in peregrinatione Rhætica cum Gesnero iuueni in monte prope Bosen. Parthenium Alpinũ Clusii inuenitur in Schneberg, Schneealpen, & Dutrenstein iugis, magnâ copia: floretque duntaxat Augusto: nam cùm in accliuitatibus, & circa scrobes nascatur, quas diutiùs insidere solet nix, seriùs illud florere necesse est. Sæpe illud cicurare voluit Clusius, translatis è loco natali plantis cum suo cæspite, & in hortum illatis: sed vltra alterum annũ nõ permansit: licèt commodo & naturæ eius apto loco reposuisset, & omni solicitudine curasset.

MILLEFOLIO ALPINO AFFINIS PLANTA, quibusdam Iua Moschata.

Cap. XXVII.

Descript. DVos aut tres pollices alta est, paullò etiam amplior, *cauliculo* iunceo, simplice: *foliis* vestito Millefolii Alpini, licèt non hirsutis, nec ita ad Millefolium vulgare accedentibus: *flores* plures quàm Millefolio Alpino, vmbellati, sed minores, rotatim agmine foliorum alborum magnorum circumposito, apicibus in medio numerosis, ex capitulo squammis nigris Alpini Millefolii in modum compacto.

Millefolio affinem plantam voco à me collectam anno 1565. in Rhætiæ altissimo monte Braulio, florentem mense Iunio, quam tunc Iuã Moschatam denominaui. Iconem huius adiecimus figuræ antecedenti à Clusio propositæ, eámque notauimus numero II. Rhætis insubriæ finitimis, Gesn. de hort. teste, dicitur Iua Moschata, & herbula montana Tanaceto cognata.

ACHILLEA MILLEFOLIA ODORATA.

Cap. XXVIII.



Descriptio. MIllefolio terrestri cognata est Achillea, sic vt non omnibus obuiũ sit discrimen, *virgis* fruticat aliquando tricubitalib⁹, nonnunquam palmaribus, striatis: *folia* Millefolii vulgaris, seu terrestris, sed latiora, breuiora, multifida, colore non ita viridi præ dita, sapore amaro, odore valido aromatico: vmbellas fert corymborum Millefolii iam dicti, foliolis candidis medium orbem aureum cingentibus: *radix* lignosa.

Hanc Dioscorides ita tradidit. Achilleam sunt qui etiam Sideritin vocent. Gerit autem scapos dodrantales, aut etiam maiores, fusorum effigie, foliis circundatos minutulis, ex obliquo crebras habentibus incisuras, Coriandro proximis, subfuluis, lentis (γλίσχρα, quã voce vet. caret) odore multo, non insuaui, sed medicato: vmbellam verò in cacumine rotundam, floribus candidis & aurum æmulantibus (καὶ πυρρά addit vet.) Læto solo prouenit. Achillion inter nomenclaturas spurias quidam Myriomorphon, quidam Chiliophyllon, quidam Stratioticen, quidam Sideritim Herculeam, & quidam Achilleam Sideritim vocant: Aphri Asterchilloth: Romani Supercilium Veneris, Siluestrem Acorum, Militarem herbam, & Millefolium.

Achilleos, inquit Plinius, ab Achille dicta est, Chironis discipulo: quia vulneribus mederetur: hac enim sanasse Telephum dicitur. Hanc apud nos Millefolium vocant, cubitali scapo, ramosã, minutioribus quàm Fœniculi foliis vestitam ab imo. Aliud tamen idem Plinius Millefolium vocari in Hetruria testatur in pratis nascens, de quo antè dictum c. de Millefolio Stratiote pennato terrestri. *Achillea* herba, vti dictum, ab Achille primo eius inuentore, in Thessalia Centauri Chironis discipulo, sic dicta, quã vulneribus medebatur, ne tantùm in cuspide sua laudem & honoris titulum sibi perpetuum compararet. Nouerat is herbam minoribus quàm Fœniculi foliis vestitam, ideoque *Chiliophyllon* [Millefoliũ] à multis vocatam: candémque Stratioticen (*Militarem*) quòd in castris & bellis multus eius vsus esset. Nouisset etiam si tempora passa essent dictã à Romanis *Supercilium Veneris*, propterea quòd, vt in ea parte humani vultûs crebris pilis vestita veluti linea est, sic in Achillea herba minuta folia capillamenti modo caules eius vestiunt. Dixit hactenus Marcellus, quæ satis ad hanc historiam fore credidit. Cæterùm, quæ ad eam complendam facere poterunt, ex aliis adscribemus.

Qui vulgaris vsûs Millefolium Achilleam esse existimant, inquit Matthiol. qui Achilleæ nomine eam describit & depingit, haud dubiè meã quidem sententia decipiuntur. Siquidem id folia non profert crebris ex obliquo sectionibus, Coriandri similitudine, sed auicularum pennas æmulantia. Porrò tametsi constet, Millefolii vmbellã coronari modò albâ, modò purpureâ, modò aureâ: non tamen propterea colligendum est Millefolium, & Achilleam vnam & candem herbam esse. Quandoquidem non putauerim ego fuisse Dioscoridis institutum (vt Ruellio placet) quod hæc Achillea vmbellam ferat candidam, illa verò purpuream, alia denique auream: sed quod omnibus in vniuersum Achilleæ plantis eadem insit vmbella, quæ tantùm prædictis coloribus distincta spectetur. Atque in hac persistam sententia, plantam hic exhibitam esse legitimam Achilleam donec quis certiorem protulerit: quòd hæc mihi planè omnibus notis Achilleam Dioscoridis repræsentare videatur. Cæterùm in hunc fortè errorem, vt crederent Stratiotes Millefolium esse Achilleã, illos deduxit Plinius, qui l. 25. cap. 5. Achilleam Latinis Millefolium vocari tradit. Verumtamen is, quantum videre est eo in loco, non Achilleam hanc adscribit, sed eam omninò plantam, quam Dioscor-

Achillea Matth. Multorum error. Ruell. mens. Est Achill. Diosc.

Dioscorides Myriophyllum appellat. Quare paulò pòst hæc uerba subjunxit. Sed alij, inquit, fatentur veram Achilleam esse scapo cæruleo, pedali, sine ramis, ex omni parte singulis foliis rotundis eleganter vestitam. Ex quibus verbis appatet dubitasse Plinium, qualis legitima esset Achilleæ, & ideò ita indeterminatè locutum fuisse, vt nihil in eo perpetuum statui possit. *Serapio*, autoritate Constantini Achilleam, quòd [vt ipse ait, licet falsò] rubeum succum fundat, Sanguinem Draconis appellat. Sed fortasse hoc interpretis lapsu factum est. Siquidem succum rubeum fundere Achilleam non tradidit Dioscorides neque etiam [vt omnes compertum habent] lacryma, quam officinę Sanguinem Draconis appellant, herbæ succus est, sed Arabicæ cuiusdam magnę arboris gummi, vel, vt aliqui volunt, Draconis animalis est sanguis ab elephante collisi. Planta Græcis Ἀχίλλειος, Lat. pariter & Italis Achillea vocatur: Arabib. Sichritis, & Egilos: eius verò succus Demalochotten. Hactenus Matth.

Serap. lapsus.

Si in Thessalia Chironem illum laudatissimum Medicum, nec non & Achillem militem fortissimum videre contigisset Trago, non dubito quin ex illis veræ Stratiotis, & Achilleæ nomina & vires addiscere potuisset. Quod quia denegatum illi fuit, inconsideratè sanè dixit, Nobis Millefolium [sic enim Achilleam millefoliam odoratam appellat] esse verum χιλιόφυλλον, seu μυριόφυλλον h.e. Millefolium, cuius in bellis olim sanandis vulneribus magnus fuerit vsus, quodque Dioscoridi στρατιώτης, & στρατιωτικὴ, h.e. Herba militaris, Millefolium, & Supercilium Veneris dicatur: & Plinius Panacem Heracleon, & Sideritim, & Millefoliam vocet: & Apuleius Melophyllon Chrysiten, Ambrosiam, Acorum siluaticum, Vigentianam, Bellicocandium, & Diodelam à quibusdam appellatam tradat. Esse qui Arabicè Relicaminolo dictam contendant. Si Achillem, inquam, Trago videre contigisset non tot nomina, & facultates diuersarum plantarum miscuisset.

Tragus err.

Achilleiam esse reuera Millefolio terrestri cognatam plantam contendit Cord. in Dioscoridem. Dodonæus gall. hanc Tanacetum minus, *Athanasie blanche*, inscribit.

Quo citiùs, inquit Lobelius in Aduers. quiuis nosse queat, vel ab intuitu solo (quàm in recentiorum vel intempestiuas, vel salebrosas, vel confusissimas pedicas impingat) quid distet Achillea hæc Sideritis à Militari [rectiùs quàm à Plinio Millefolium] vocata, sic discernat: Achillea hęc multò proceríoribus est scapis, numerosioribus, pedem & cubitum altis, & foliis tenuioribus, magisque ac profundiùs incisis, Artemisiæ tenuifoliæ similitudine, muscaria congesta gerentibus, pusillis flosculis, densè numerosis, & quam Militaris maioribus, albidis, odorem medicatum spirantibus, Artemisiæ vel Matricariæ, cui etiam similis est; in æstatem duratura: radice fibrosa, lignosâ: tota odore & sapore Matricariæ, sed minùs amaro. Prædicta inibi habētur sub titulo hoc, Sideritis Achillea, lutea, odora, Alba purpurea eadem. In Obs. p. 430. Sideritis Achillea Dioscoridis, Stratiotes Millefolia Dodonæi editione vernacula. Videãt lectores an Dodonæus [vt Lob. vult. hanc intellexerit, meo iudicio intelligit aliam, nempe Millefolium luteum. In Icon. Pl. p. 750. Tanacetum minus candidis floribus.

Lobel. err.

Tabern. Icon. Achillea, Millefolium nobile, Edelgarb/weisser Reynfahrn. In Hist. Achillea 1. de qua ait. Non parum aberrant qui existimant Millefolium vulgare, veram esse Achilleam. Nec refert quod binæ hæ plantæ aliquam similitudinem in viribus habeant: ad euitandos plures & grauiores errores, præstat vnicuique herbæ proprium suum nomen, quo à Veteribus appellatæ fuerunt, adscribere. Vocatur hæc græcè ἀχίλλειος, & Ἀχίλλειος Σιδηρῖτις & Μυριόμορφον; latinè Achilleia, Achillea, & Achillea Sideritis, Myriomorphum, Militaris; à Botan. Millefolium nobile; Arab. Egilos; Ital. Achillea; Africè Asterchilloth; Flammandis Veldgerwe/ Germ. Edelgarb/ feldgarb/ & weysser Reynfahrn.

C. Bauh. phyt. Tanacetum 5. siue minus: Candidis, purpureis, & aurum æmulantibus floribus dicit Matthiolus, cui Achillea, nec malè. An hæc sit Scopa regia Plinii lib. 21. cap. 6. frustra quærit Frater.

An Cæsalp. Achillea, quam quosdam Fusum agrestem, sanguineum Succum, & Abrotonum siluestre vocare scribit? Se autem Sanguineum succum in ea planta quæ pro Achillea ostenditur nunquam animaduertisse tradit.

H. Lugd. p. 772. Achillea Sideritis Matthioli: Item p. 956. Tanacetum minus candidis floribus Lobelii. *Vnius* plantæ binæ descriptiones & figuræ diuersis titulo & loco.

H. Lugdun. err.

Camer. in Epit. Matth. Achillea. In Hist. german. Millefolium maius, Stratiotes millefolia.

Achillea Montbelgardi in horto E.C. sata fœliciter prouenit: eam ego reperi inter Basileam & Hagene; & florentem prope prædium D. Plateri mense Augusto & versus Otmarsum mense Septembri: Geneuæ toto anno virentem in horto habui vbi primo anno caulem protulit, floruit Iunio & Iulio, semen maturuit Augusto: in Gallia Narbonensi inter Nemausum & Valentiam reperi secus vias florentem Iunio, paruam, foliis hirsutis & albidis; copiosam etiam reperi Patauii supra muros internos vrbis & in montibus Euganeis inter Arqua & montem Gemulæ. Vidi etiam Lutetiæ. Frater C. Bauh. attulit mihi nomine Camphoratæ Bononiensium. Solum in aruo edito amat pingue & lætum, cuiusmodi in Italiæ Romano & Tusco agro, & non procul Riuoli, Pedemontis: Et passim etiam Galliæ Lugdunensis ac Allobrogum.

Locus & Tempus.

Coma huius trita, vt tradit Dioscorides, cruenta vulnera glutinat, & inflammationem arcet, sanguinis eruptiones inhibet, & eas quæ ex vtero fluunt apposita in pesso. Sed & decoctum ipsius paratur ad insessus mulieribus fluxione laborantibus. Bibitur ad dysenteriam. Quidam, inquit Galenus, vocant Achilleon Sideritim, quæ propositæ quidem viribus non est dissimilibus, cæterùm adstrictione exuperat. Quare ad sanguinis eruptiones, dysenterias & muliebre profluuium congruit. Cæterùm viribus est Sideritidis non dissimilibus.

PARTHENIUM Συμφύτιον.
Cap. XXIX.

Herba hæc est sesquipalmari altitudine, *radice* paruâ, lignosâ, candidâ, parùm fibratâ, ex qua *cauliculi* aliquot exurgunt rotundi, aliquantùm rufescentes, in quibus, imâ præsertim & terræ vicinâ parte, *folia* sunt tenuia,

fœniculacea, foliis Abrotoni similia, vt ouū ouo magis simile non sit. In summis cauliculis vmbellæ, & in iis *flosculi* multi, albi, compacti, quales in vulgari Millefolio cernutur, vt inspiciētes primā frōte facilè deludāt, Millefol. esse iudicaturos.



Plantæ sapor amarus est, & odor grauis, similis vulgari Parthenio, quod Matricariam vocāt. Quare congeneres esse plātas Myconus putat. Et quia huius folia parua sunt cum vulgaris Parthenii [id est, Matricariæ] foliis cōparata, existimat, si Veteribus planta hęc nota fuerit, Parthenium esse σμικρόφυλλον, cuius meminerit Hippocrates (licet non desint qui Cotulam fœtidam id esse velint) his verbis. Herba est paruis foliis prædita, cui nomen est Parthenium σμικρόφυλλον. Hæc verrucas de pudendo tollit. Quanquam id non asserit Myconus, sed doctis æstimandum relinquit. Quis enim sit eius vsus, & quo nomine ab incolis nuncupetur, nondum scire potuit.

Huius figura extat apud H. Lugd. pag. 954. hac inscriptione: Parthenium σμικρόφυλλον Myconi, testaturque hoc ex Hispania primò delatum.

C. Bauh. Phyt. dicitur Matricaria 6. siue foliis Abrotoni maris.

AGERATVM VETERIBVS.

CAP. XXX.

Descriptio

Ageratum ita describente Dioscoride, *frutex* est sarmentosus (è cremiorum genere, Sarrac.) humilis, palmi altitudine [πυκνὸς, σπιθαμιαῖος] simplex, Origano maximè similis, vmbellam gerens, in qua *flos* aureis quasi bullis emicat, Helichryso minor (ἔλαττον ἑλιχρύσου, his vet. caret) Agerati nomen illi inditum est, quoniam flos diutissimè in sua coloris specie conseruatur. Vis decocti eius est feruida (πυρωτική: sed Cord. & Ruell. calore fouente: Sarrac. fotibus apta) Et ipsa herba suffita (Herbæ ipsius vstæ nidor, Sarrac.) vrinam ducit, & duritias circa vterum emollit.

Cæterùm quamuis Lacuna in vetusto codice legat, pro σπιθαμιαῖος, διπίθαμος, hoc est, duūm palmorum altitudine: Et ita quoque légi constet apud Oribasium: & Plinius lib. 27. cap. Ageratum ferulaceum esse scribat, duorum palmorum altitudine. Attamen viderint lectores, quàm rectè vox διπίθαμος, cum præcedenti voce, πυκνὸς, conueniat.

Plinius easdem vires Agerato, quas Dioscorides, tradit.

Galenus verò Ageratum esse scripsit δυνάμεως διαφορητικῆς, καὶ ἠρέμα πως ἀφλεγμάντου, id est, vim habere discutiendi, & leuiter inflammationes arcendi (legunt quidam ἐμφλεγμάντου, leuiter vrendi, & inflammandi, quod conuenit voci Dioscoridis πυρωτικῆς.) Quę vis contraria videtur ei quam Dioscorides πυρωτικὴν dixit, id est, feruidā & inflammantem. Quidam legendum censent, vt Sarracenus, πυριατικὴν, ad fotus vtilem. Et hæc varietas alicui ambiguitatem parere posset, an Dioscorides & Galenus de eadem planta loquuti fuerint, præsertim cùm etiam hodie dubitetur, imò controuertatur, quæ omninò illa existat. Cōsideratione tamen dignum hoc, an legi possit πυριατικὴν, calore fouentem, quâ lectione fortè tolletur omnis difficultas.


Agerati nomine, quod sciam, donatæ sunt sequentes plantæ. Herba Iulia à plerisque existimatur Ageratum, de quo Veteres verba fecerint. Non rari etiam inueniuntur, qui pro Agerato Veterum, aliud Agerati genus tradant, minus ac etiam album. Ageratum purpureum Dalechāpii, genuinum esse non credimus, sed alterius generis plantam statuimus. Manifesto in errore versantur, qui Stœchadem citrinam Germanicā, volunt verum Ageratum. Nec minùs à vero aberrant ii, qui per Stœchadem citrinam angustifoliam Ageratum verum intelligi volunt. Occurrit apud Hist. Lugdunensem planta quædam Stœchadi citrinæ affinis, quæ ab ipsa Ageratum aliud quorundam p. 778. cognominatur. Ageratum ferulaceum Dalechampii à superioribus diuersum esse, cognoscet is facilè, qui descriptiones contulerit. Ageratum, authore Trago, sunt nonnulli imperiti, qui Thymbram vocent. A Marcello Virgilio, eodem Trago teste, Agerati nomen Satureiæ tribuitur. Marinelli Ageratum, in Mesuem de purgantibus, quod non absque ratione fortè reiicitur à Matthiolo, Lectoribus quale sit considerandum proponimus.

Ageratum plerisque. Ageratum minus. Agerat. purpur. Stœchas citrina germ. siue latifol. Stœch citr. angustifol. Stœch citr. affinis. Ageratum ferulaceum. Thymbra. Satureia Ageratum Marinelli.

AGERATVM PLÆRISQVE, HERBA Iulia quibusdam.

CAP. XXXI.

Descriptio



Radice constat lignosa, minimi digiti crassitudine, variè implexa, ex qua complura surgunt *virgulta*, cubitalia & altiora, tenuia, colore aliàs subrubente, aliàs ex viridi pallescente, in ramos diuisa: *foliis* numerosissimis ab imo ad summum stipata, Costi hortensis, vt odore, ita & formâ similibus, sed duplò aut triplò minoribus, profūdè serratis: in summis ramulis *corymbi* emicant Millefolii, sed colore luteo. *Semen succedit* exiguum, oblongum, & paleaceum.

Præsentem plantam Tragus Eupatorii Mesuæ titulo pingit & describit, quod Norimbergā ad se miss-

sed maiori Centaurea vulgari, minori tamen Amarantho luteo tenuissimis crenis & serraturis inciso, flore in cacumine capitulato, subluteo, & Amarantho per omnia consimili, odore Absinthium, gustu verò Santonicum repræsentans. Et licèt Eupatorii Mesuæ nomen huic plantæ indat, is tamen Amaranthi genus esse iudicat, nimirum id, quod ἑλίχρυσον vocauit Dioscorides, aut certè Santonici genus. Vides quàm temerè & absque ratione Tragus de plantis iudicet. *Trag. not.*

Nascitur Ageratum passim in vniuersa Hetruria, inquit Matthiolus: foliis Origano proximis: floribus aureis: in vmbella emicantibus Helichrysi modo, hoc Mesues Eupatorium existimat, & appellatur *Herba Giulia*. Is autem in prioribus commentariis figuram malam exhibet quam in posterioribus abstulit, ac primo loco satis bonam substituit: quam autem secũdo loco pingit, eandem cum prima puto, sed paulò infeliciùs pictam: qualis autem sit tertio loco depicta nullam describit.

Tragus ante Matthiolum pro Eupatorio Mesue descripsit, ac multò meliorem figuram exhibuit, quàm Matthiolus [meliorem etiam, quàm ea, quæ à nobis proponitur ex nostris empticiis] licèt dicat Gesnerus: Huius qualemcunque ex Tragi libris iconem adiunximus; accuratiorem dedit Matthiolus: iudicare poterunt, qui plantam præ manibus habebunt: fidem etiam facit mutata figura à Matthiolo in meliùs. *Gesn. not.*

Eupatorium Mesue, vt Amati quoque fert opinio, & Robert. Const. ibi testatur, est Ageratum Dioscoridis. Ἀγήρατον, inquit Amatus, vocatur lat. Ageratum, Eupatorium Mesue, vulgò *Eupatorio di Mesue* Ital. & *Herba Giulia*, German. Kunigundkraut / / & wasserdost. Hæc nomina Germanica sunt falsò addita, ac ad aliam herbam à nobis & aliis referuntur.

Plantam nostram describit Cord. hist. lib. 2. cap. 72. Menthæ corymbiferæ minoris titulo, cui ut antè dictum, Gesn. figuram apposuit ex Trago, quam Matthioli icone deteriorem falsò statuit. Herbam autem Iuliam, à Iulio mense, quo florere incipit, denominari ait, ac Costo hortensi, siue Mentæ græcæ vulgò dictæ cognatam esse scribit Gesn. de hortis. *Herba Iulia.*

Anguillara non vult certò affirmare an Ageratum sit Herba Giulia, h. e. Eupatorium Mesue, nec ne. Duo autem à Dioscoride silentio prætereita id efficiunt, vt dubitet de dicta Herba Giulia: vnum est odor, alterum folia: quandoquidem se ignorare ingenuè fatetur an per hæc verba [ἰματιὰς μάλιστα ὀριγάνῳ] sit intelligendum ramos & folia similia esse Origano, aut ramos solùm & non folia. Si enim quis velit comprehendi his verbis folia. Ageratum non potest esse Herba Giulia, cùm folia non habeat Origano similia. *An Ageratum Eupat. Mesue.*

Quod Græcis Ageratum dicitur, Italis, authore Fuchsio, Gratia Dei nominatur, ac in Diacca maiore pro Eupatorio Mesue sumitur. Nobis autem nomen Gratia Dei huc pertinere non videtur. Meliùs lib. 1. de comp. med. cap. 4. fecerat Fuchsius, omittendo Ageratum vocari Gratiam Dei.

Lonic. Eupatorium Mesue & Ageratum inscribit, Herbamque S. Kunigundis cognominat, german. Odermenig.

Castor Durant. p. 177. pro Agerato, quod & Eupatorium Mesue & Herbam Iuliam vocat, iconẽ habet alicuius Millefolii.

Lobelio in Adu. dicitur ἀγήρατον, Ageratum, vel non Senescens, Mesuæ Eupatorium officinis, It. *Herba Giulia*. Hanc verò ait esse Ageratum Dioscoridis, eamque tuetur opinionem. Obs. p. 259. Ageratum Septentrionalium, Costus minor hortensis Gesn. & Dod. Mentha corymbifera minor Cordi. Icon. Plant. p. 489. Ageratum Septentrionalium & Anglicum. Item Obs. & Ic. Plant. Ageratum floribus candidis.

Dod. gall. Balsamita minor, *petit Coq* in Languedoc Herba D. Mariæ: in Italia *Herba Giulia*, quorundam ἀγήρατον, Ageratum Dioscoridis, aliorum Elichrysum, Eupatorium Mesue aliorũ: verùm iuxta meam opinionẽ ad nullam harũ pertinet. Hæc ille qui depingit & describit, etiam de flor. & Hist. lat. in fol. iam dicto titulo. *Balsamita minor Dodonæi.*

H. Lugd. p. 777. Ageratum Matthioli. p. 778. Ageratum tertium Matthioli. Historia præter bonam ponit ineptam iconem Matthioli, quam olim habebat. *Hist. Lugd. not.*

C. Bauh phyt. Ageratum 1. siue foliis serratis, floribus communiter luteis, nonnunquam & cãdidis: quare duæ apud Lobelium figuræ.

Tabern. Icon. Ageratum, Eupatorium Mesuei. Histor. Ageratum 1. Eupatorium verum Mesuei, ἀγήρατον Dioscoridis & Galeni, Arab. *Gafet*, Ital. *Herba Giulia, Gulia, Giula herba, Agerato*, & *Eupatorio di Mesue*, Angl. Madelin & Maudelin / Belg. Cleyne Balsamcruyt, Conninginnecruyt / & leverbalsam / Germ. kleiner Costenbalsam & leberbalsam. Item: Ageratum 2. candidum, Herba Iulia alba, Ageratum album & Menta costina alba, Germ. weisser leberbalsam, & kleiner weisser Costenbalsam.

Camer. hort. Ageratum klein welsch frawen muntz: Hist germ. Matth. Ageratum Græcorum, Eupatorium Mesues: in Epit. Ageratum Eupatorium Mesue, frembd leberkraut. Item Hist. & Epit. Ageratũ minus, klein frembd leber kraut de hoc ait. Varietas deprehenditur in Agerato. Nam quod spontè nascitur in Hetruria, multò minus est, nec adolescit tantopere, vt hortense nostrum, quod & surgit altius, & folia habet magis crenata, vt Crista Galli. Obseruatur etiam quædam Agerati species, quæ candidas prorsus vmbellas gerit, sed rarior est cæteris.

Harc. in Enchir. Aliud Eupatorii genus, folio angusto, tenuibus crenis inciso, flore luteo ostẽditur: nam est & Eupatorium Mesue, Italis Herba Iulia dicta, siue Gratiola foliis minoris Centaurii, flore aureo, quæ nonnullis Ageratum Dioscoridis dicitur. Considerent lectores Harchium scribentem de herbis sibi tantùm nominetenus cognitis, bis eandem plantam describentem, & præterea Ageratum multis dictum cum Gratiola confundentem. *Harc. not.*


Apollinem & Cęsalpinum quod attinet, illi eorum opinionem oppugnant, qui Herbam Iuliam Mesues Eupatorium esse censent.

Nascitur in montibus: seritur & à quibusdam in hortis, odoris causa, vt apud Belgas, apud quos floret Iulio & Augusto: in Germania nusquam sua sponte nata, quod sciat Gesnerus, inuenitur: facilè crescit, & fert Hyemem: anno secundo [ni fallitur] caulem & flores fundit. Visitur passim in vniuersa Hetruria. Montbelgardi in Horto Ill. E. C. semine deciduo se propagauit, ac nonnunquam Hieme valde asperâ periit. Olim vidi Tiguri in horto D. Gesneri; copiosè prouenients circa Monspelium ac florens adhuc mense Octobri; Patauii in horto publico *Locus & tempus.*

& D.Cortusi: Ferrariæ in horto Cœnobii S.Dominici a l'Angeli: Stutgardiæ in hortis Ducis, vnde semina attuli: Geneuæ florens adhuc Nouembri in hortis,& Ianuario pulchrè virens: Basileæ florens in horto Plateri Iunio, & in horto patris mei Io.Bauhini Medici piæ recordationis, Basileæ celebris.

Vires Vires & vsum Agerati ex Veterib. antè tradidimus: eam autem calidam & siccam esse secundo gradu, id ostendente odore & sapore amaro, tradit Dodonæus: ac easdem vires habere, quas Mentha Græca, siue Mentha corymbifera, de qua paulò post.

AGERATVM PVRPVREVM DALECH.




AGeratū purpureum Herbariis quibusdā dictum [inquit Dalech. in H.Lugdun. p.1184.) *radice* est breui, capillatà, subflauà: *foliis* paruis, numerosis circa radicem sparsis, Agerato similibus, gustu subamaris, antrorsū subobtusis: ob quā similitudinem Ageratū vocant: *cauliculis* plurimis per saxi crepidines pendulis, saxúmq; aulæorum instar ornantibus & contegentibus: *flore* Violæ, purpureo, copiosissimo, suauissimè olente, vt vel eà solà dote mirum in modum placeat, tantà scilicet odoris gratià Violis non postponenda: *semine* minuto, in oblongis vasculis.

Moschatellina cærulea Ager. serratum Alpin. Moschatellina Alpina. Germani quidam Moschatellam cœruleam vocant: C. Bauhin. Phyt. Ageratum 3. siue serratum Alpinum: Gesnerus, cùm apud illum essem, Moschatellinam Alpinam.

Copiosè obseruaui in montibus *Saleue* & *Thuiri* Geneuæ vicinis: in mea peregrinatione Rhætica prope wesen Heluetiorum, florens Iulio, visu & odoratu gratum. Dalechampio authore in nudis ferè cautibus gignitur, vbi putris saxi puluisculus subest, vel riuulus aliquis illabitur, aut scaturientis aquæ guttis, vel aspergine rupes madescit: cauliculis vt dictum per saxi crepidines pendulis, saxúmque aulæorum instar ornantibus & contegentibus.

HERBA DE LA ROTTA.
CAP. XXXII.

FVndit ex *radice* caules dodrante minores, glabros, per quos *folia* alternatim posita cernuntur, Agerati foliis similia, vnciam longa, angusta, in ambitu serrata, glabra, gustu aromatico & subamaro, Tanaceti ferè: fastigia *cauliculorum* in vmbellas quodammodò abeunt *flosculorum*, Millefolii Alpini minorum, foliis albis apices circumstantibus, ex capitulis, quæ squammæ nigris lineis pictæ, componunt.



A Valerando Dourez accepi plantam iam descriptā, cui hæc erant annotata: *Herba de la rotta* Alpinorū: lac concretum & sanguinē dissoluit.

Vires De hac loquitur Cortusus in epist. ad Matthiolum in limine cōment. post. Italicorum, vbi ait. Puluis ossium leonis fœminę curat febres mulierum, & leonis maris, virorum: datur cum stillatitia aqua, vel decoctione illius speciei Eupatorii Mesuei flore albo, planta odorata, quam iam tibi misi & in Pedemontio & alibi dicitur *Herba rott*, abundat in Pedemontii valle *di Lanzo*, & in valle S. Fidei Patauinorum.

MENTHA CORYMBIFERA, SIVE
Costus hortensis.
CAP. XXXIII.



Descriptio OBliquas agit *radices*, Menthæ radicibus pares, teretes, à quibus fibræ demittuntur multæ: *caules* cubitales & sesquicubitales, striati, hirsuti, ramosi & herbaceo colore pallescētes: *folia* Lepidii, eodem cum caulibus colore, per ābitum serrata, raritèr laciniata, odore intenso Agerati, sapore vehementer amaro: summis ramis insident corymbi aurei Tanaceti.

Herba S. Mariæ Cæsalp. Cæsalpinus lib.6.cap.2. Herbam Sanctæ Mariæ vocat, ac legitimum Melilotum putat: quam quosdam tradit appellare Mentham Sarracenicam.

Apollinar. Apollinaris lib.2.fol.114. Costi hortensis figuram habet: verùm ibi omnes Menthas miscet & confundit: nec eo capite figura ponenda videtur.

Faciunt Costo affinem nomine Costum hortēsem, quem vulgus Coquum (inquit Ruell.lib.2. cap.32.& cum eo Gerardus in defin.) alii Mariæ herbam appellant, simplici caule, sesquicubitum alto, foliis Betonicæ, nisi quòd castigatiora sunt, tenuiora,

tenuiora, ac magis odorata, capitellis fulgore auri flauescentibus. Subscribit eorum iudicio Florentinus agriculturæ author, qui Costum & Balsamum in hortis seri viuiradice, Nouembri mense prodit, odoratu perquàm suauem: vti Sampsuchum Aprili & Maio.

Rheginus exerc. quoque Costum hortensem herbam (quam haudquaquam amaram esse ait) magis Piperitim, aut Siliquastrum Plinii & Pseudocostum Ruellii esse scribit.

Costum hanc plantam falsò appellari monuerunt Monachi in Mes.his verbis. In partibus Galliarum,& præsertim in monte Pessulano,prò Costo vtuntur aromatarii, Menthæ Romana, quam & Costum falsò appellant. Et hi forsan authoritate Platearii hoc faciunt, qui capitulo de Mentha dicit. Est & Mentha quæ longiora, acutiora,& latiora habet folia, & hæc Mentha Romana, vel Saracenia dicitur, id est, Costum vulgare. Hæc ille. Sed vt coniectamus, Platearius non dixit illud quasi affirmans ipsam Mentham esse Costum, sed volens declarare Mentham Romanam illam dixit esse,quam vulgares Costum falsò appellant, quia in capitulo de Costo nullam fecit de Mentha Romana, quæ vulgò Lasulata dicitur,mentionem.

Ruell. err. In Piperitide & Siliquastro iudicando errare Ruellium testatur Cordus in Diosc.lib.2.cap.191. Is ait lib.4.cap.55. Chrysocome quid sit ignoro: Saracenica Mentha sine dubio est Chrysocome cognata. Idem Hist.l.2.cap.117.describit dicens, Mentha corymbifera maior, quam vulgò Mentham Saracenicam appellant. Ibidem apposita figura Tragi, ac additum: aliqui Costum hortensem alii Mentham Græcam appellant.

Alisma Trago. Tragus hanc nomine Alismatis, frawenkraut depingit & describit,dicens.Quid in huius plantæ nomenclatura mihi videatur pronunciare non dubito, tametsi in reprehensionem quorundam incidere sententiam meam non ambigam.Habeo itaque præ manibus verum Dioscoridis Alisma, quod ille quosdam Damasonion, alios Alceam, nonnullos Acyron, alios Lyron appellare tradit. Phrysio linguâ Arabicâ Cazimbrium nominatur.

Costus herba. Nicolaus Myrepsus Costi herbæ appellatione [Latini codices omnes habent Herbæ S.Mariæ, inquit Fuchs.lib.2. sect.15.de compos. med.] innuere voluit, quam Dionysius Vticensis lib.11.de re rust cap.28.Costum simpliciter,& alii cum adiectione Costum hortensem nominant. Hanc itaque alii, quod Ruellius quoque significauit, Mariæ herbam appellant,hodieque Mentha Sarracenica, & Romana vulgò nuncupatur: Drabam Dioscoridis esse verisimile est. *Non* placet Fuchsium Costum hortensem Drabam Dioscoridis absque ulla probatione statuere.

S. Mariæ herba. Herbam S.Mariæ (Coldembergii verba sunt) eam esse,quam Saluiam Romanam & Mentham Græcam, seu Costum hortensem, ac Lassulatam Hetrusci vocant constat,à Mentha Sarracenica diuersam. Qua in re falli Fuchsium existimo, Mentham hanc Græcam cum Sarracenica confundentem, eandemque facientem, cum diuersæ sint: cùm Germanis aliquibus ita eam appellare placuerit, Itali tamen secus, qui hac in re quoque consulendi atque credendi sunt. Sed cur Coldenbergi cum Germanis tantùm Mentham Sarracenicam tibi nominari placet, & non item Italis, vt Anguillara, Monachis & Matthiolo? cur quæso, quid ita, quamobrem? Mentha Saracenica (inquit Anguill.epist.13.) est Costus hortensis Cassiani Bassi, qui etiam in Græcia nunc Costus dicitur, & in Italia Herba S.Mariæ.

Mentha Mentha Græca quæ Goritiensibus vulgò vocatur,in Hetruria Saluia Romana dicitur, quòd potiùs foliis Saluiam referat, quàm Mentham, ait Matthiolus. Sunt qui Herbam diuæ Mariæ, qui etiam Lassulatam appellent. Valerius Cordus in suo dispensatorio in Vnguento Marciati magno [vbi eam describit] imponendam esse censet. Sed quoniam id nulla comprobat authoritate, vel ratione, eius senteñtiæ non tutum esse arbitror adstipulari: præsertim cùm Nicolaus à Fuchsio latinus factus, nullam huiusce Saracenicæ Menthæ mentionem faciat. Id, quod obiter dicam, facilè nobis indicat, Cordi dispensatorium, quàm plurimis scatere mendis. Plantam hanc (vt ipse scribit) Germani vocant Unser frawen müntz, id est,Mentham S.Mariæ. Verùm Fuchsius aliam eodem nomine ab hac longè diuersam ostendit. Qui verò horum errauerit, in hoc Germanicæ linguæ peritiores iudices erunt, quanquam si Hetruscis Germanica, vel Germanis Hetrusca nomina respondēt, Cordo potiùs (quantùm ad vocabulum spectat,) quàm Fuchsio accesserim, quòd,vt modò dixi, herbâ diuæ Mariæ eam vocent in Hetruria.Hæc ille,qui Mēthæ Græcę titulo eā pingit & describit. Græca Matth. Cord. repr. Fuchs. not.

Herba paralysis Herba S. Petri vel Ioan. Non Arabis Apollo rad.2.in syr. Cariophi. ait, Herba paralysis vulgo nostro Sancti Petri, vel S. Ioannis Herba nuncupata, quibusdam Mentha, vel Saluia Romana, non Arabis.

Pipirella: Costus amarus Hortulana Romana. An Siluio de morb.intern.de cur.Epilef. Herba paralysis, quæ Costus, Pipirella, Herba S.Petri, vel Pauli quoque uulgò dicta?

Amatus in Diosc.ait.Pro Costo amaro in officinis capiunt radicem herbæ, quam Hortulanam Romanam, siue Mentam Romanam, aut Sarracenicam Seplasiarii vocant: plærique hortulanum Coquum, Herbarium quendam Florentinum imitantes appellitant, vt apud Constant.lib.de agricult.legimus, qui Costum & Balsamum in hortis seri viua radice asserit: Castellanis hodie Costum dicitur: Ruellius eam Plinii Siliquastrum, siue Dioscoridis Hypopiper credidit: iudicandum eam Pseudocosti appellationem mereri.

Balsamita maior Dod. Panax Chironium Hortorum Costus Lob. in Adu. Dodon.gall.Balsamitam maiorem [ita namque Costum Hortensem inscribit] magnam habere similitudinem cum Panace Chironio Theophrasti existimat.

Lob.in Adu.p.136.Hortorum Costus Cassiani Bassi, Menthæ folio, aut Lepidii. Hæc quòd feruido esset gustu,aut Lepidii, à nonnullis recentiorum Lepidium putatur, quæ Mentha Græca pharmacopœis, & Sarracenica quibusdam è libro *περὶ δυνάμεων* dicitur, vtrisque non absque plausibili coniecturâ. Vulnerariam cursores Chirurgi, & mulierculæ citissimæ opis experiuntur: eoque *Baume* apud Gallos, id est, Balsamum vocitant. Obs.p.137. Hortorum Costus. Icon.Plant.p.122.Costus hortorum.

Et licèt herba præsens Menthæ Græcæ, vel Romanæ, vel Sarracenicæ nomine donata sit, toto tamen genere, authore Gesnero de hort. à Mēthis propriè dictis d ffert, ideoq; ab illis separari cupit. Idem ibidē Costū hortensem recētiorū quorundam,Mentham corymbiferam, vnser frawen müntz,& Zam heidnisch wund kraut vocat. Lobel. not: Ouariam tandem appellat,cùm ait. Ouariam vernaculâ linguâ (Eierkraut) vocari audio herbam mihi incognitam in Saxoniæ hortis & Frācofordiæ,quæ dilecta aspergatur ouis frixis pro-

pter saporis actimoniam.

Lonic. Menta Saracenica, Frawenmüntz / oder Mergenmüntz / Frawenkraut / Pfankuchenkraut. Toxit. in Onom. philosph. p.178. Marienmüntz / Mentha S. Mariæ, Mentha sacerdotalis.

Camer. hort. Costus hortensis, Item Mentha Sarracenica siue Græca dicta.

Leucas Plinii. H. Lugdunensis esse perhibet qui Costum hortensem [ita enim Mentham Corymbiferam p.678. inscribit] Leucadem Plinii esse velint.

C. Bauhin. Phyt. Mentha 6. siue Græca corymbifera.

Betonica vera. *Error multorum.* Multi tandem suspicati sunt, teste Marantha, veram Betonicam esse plantam hanc, quę quibusdam locis Menta Romana, Neapoli *Menta Francesca* vulgò appellari solet: capti solùm ex odoris fragrantia. Sed hi dum odorem quærunt, multas alias notas se amisisse non considerãt, ac præsertim, flores & radices, quæ nullo modo descriptioni Betonicæ Dioscoridis conueniunt.

Locus & tempus. Mentha corymbifera hortensis est & passim in hortis colitur. Vidi Monspelii & Geneuæ virẽtem mense Ianuario, Februario & Martio: Mõtbelgardi florentem Augusto. Apud Belgas æstiuis mensibus aurei coloris vmbellas promit.

Vires & Temperã. Tota Costi hortensis planta, autore Matthiolo, excalfacit, siccat, aperit, attenuat, roborat, abstergit & prouocat. Auxiliatur vteri affectibus. *Hydrops.* Medetur Hydropicis, & præsertim anasarcâ laborantibus: quia refrigeratum hepar excalfacit, & vasorum obstructiones aperit. *Lienosi. Vrinæ difficultas. Cutis vitia.* Illinitur ex oleo irino lienosis, & ex vino feruefacto vrinam ægrè reddentibus. Lentigines, alphos, & alia cutis vitia abstergit illitus noctu succus. Hic epotus alui tineas & lumbricos necat, frigido vtero subuenit: ventriculum roborat tam haustus, quã illitus, & vomitiones compescit. Folia adduntur in placentas, quæ à mulieribus vteri affecti- *Vteri affectus.* bus obnoxiis eduntur. Sunt qui ea tenui pulticula illita frigunt patellis in oleo aut butyro, & iis in cibis vtuntur. *Serpentes fugat.* Tota planta, tum substratu, tũ suffitu serpentes fugat, & eorum venenis resistit, quin etiam infarctus expedit, & caput roborat.

Temperã. Dod. Balsamita vtraque, maior scilicet (Mentha corymbifera,) & minor (Ageratum) calida & sicca est, inquit Dodonæus, secundo ordine, cum amaritudine & adstringendi haud obscurâ facultate. *Affectus capitis.* Auxiliatur foliorum ejus, quam Conseruam vocant, conditura, diuturnis capitis doloribus matutino tempore sumpta: defluxiones è capite reprimit ac resiccat: *Humores crudi. Leucophlegmatia.* crudos humores ad concoctionem perducit. Prodest item cachexia aut leucophlegmatia laborantibus præsertim in initio: ac omnibus quibus iecur debile ac refrigeratum est. Semen non secus ac Santolinæ lumbricos & ventris tineas expellit.

MENTHÆ SARRACENICÆ SPECIES flore Anthemidis.

Descriptio. Herba est cubitalis, interdum minor: *ramulos* è radicibus multos edit, aliqua ex parte per *caulis* longitudinem, velut striis ornatos, nõnihil lanuginosos, in quibus *folia* parua, breuia, non admodum lata, viridia, in ambitu serrata, odorata, medio inter Ageratum vulgare & Menthastrum odore, & tam simili Menthæ Romanę vulgò dictæ, vt hæc illi commodè possit succedere: *flores* in cacumine multi, Anthemidi similes, in medio luteoli, in ambitu candidi, odorati: *radices* subsunt candicantes.

Hanc Myconus Menthæ Romanæ speciem esse credit, sapore, odore, & simili fermè foliorum figurâ inductus. A Pyrenæorum montium incolis, vbi frequens nascitur vocatur *Herba del Moro*, id est, Herba Sarracenica. Dalechampio apud H. Lugdunensem p.1169. videtur hæc Myconi Menthæ Sarracenicæ species eadem cum Ptarmica Fuchsii, vulgari scilicet folio longo serrato, flore albo, de qua mox agendum. Eiusdem sententiæ est & C. Bauh. Menthæ (inquit in animaduers. in Hist. Lugd. pag. 33.) Sarracenicæ altera species H. Lugdun. p. 672. & eiusdem Ptarmica Fuchsii p.1168. vna est planta, vtrobique descripta. Ego tamen in Ptarmica Fuchsii, lanuginis nihil obseruo, nec odorata folia sunt, nec parua, nec breuia, nec admodum lata, sed longa & angusta, nulla etiam similitudine foliorum comparantur Ptarmica & Mentha corymbifera: Medici Tholosates stirpium studiosi, poterunt nos monere an *Herba del Moro* Pyrenęorum montium eadem sit cum Ptarmica Fuchsii, vt volunt Dalechampius & C. Bauhinus.



In Pyrenæis montibus locis frigidis maximè prouenit, in pratis iuxta fluenta: vix alibi: floret Iulio & Augusto mensibus. Iuribus carnium eam incoquunt ad saporis gratiam.

PTARMICA VETERIBVS. Cap. XXXIV.

Ptarmica, ex Dioscoride, frutex est paruus, habens *surculos* paruos (κλωνὰς μικρὰς, pro quo vet. cod. legit λεπτοὺς, id est, tenues) multos & teretes, Abrotono similes: circa quos *folia* sunt oblonga, oleaginis proxima, multaque: ac in cacumine capitulum, vt Anthemidis, paruum, rotundum, acri odore, sternutamenta ciens, vnde etiam nomen accepit. *Descriptio.* Valent folia cum floribus illita ad delenda sub oculis sugillata: *flores* autem sternutamenta efficacissimè mouent. Nascitur in montosis, saxosisque locis.

Plinius huius non meminit. Galenus, & Paulus Ægineta eadem quæ Dioscorides posse eam testati, adiiciunt viridem totum fruticem, sugillata & reliquas sanguinis subter cutem effusiones discutere. Esse enim temperamentum ipsius calidum & siccum dum adhuc viridis secundo ordine, siccum verò tertio.

Ex re nomen habet Ptarmicæ: πταρμὸν enim Græci sternutamentum vocant, in quo egregiam necesse est habere vim: ex quo tam præsenti salutis augurio & honore dignata eam Græcia est, vt quasi sternutatoria, ab effectu, quem exerit, appellata sit.

Licèt autem in nullo [quod Marcellus sciat] herbarum

herbarum censu sub hoc nomine Ptarmice sit, hodie tamen multæ plantæ sternutamenta cientes, Ptarmices, id est Sternutatoriæ, siue Sternutamentariæ nomen sibi assumere videntur. Barbarus in Coroll. 395. testatur à quibusdam hanc ipsam Diptarmicem dici. Sed quam intelligat, me latet.

Diptarmica.

Sunt qui Luteolam velint Ptarmicam Dioscoridis, sed malè, siquidem Oleæ folia suæ Ptarmicæ Dioscorides tribuat.

An Xeranthemum aliud vel cultum.

Matthiolus in Diosc. Plantam pro Ptarmica pingit quæ an vera sit figura, an herba aliqua male picta, perpendant alii. In postr. comm. flores ei paulò aliter appingit, de qua scribens, multa omittit eorum quæ antea de ea protulit. An hæc Xeranthemum nostrum aliud vel cultum?

Xeranthemum Alypum Monspeliens.

Xeranthemum credimus ab Aretio apud Gesn. hort. Ptarmicæ Monspelii dictæ veræ titulo tradi. Alypum Monspeliensium siue Montis Ceti Lobelio, de quo H. n.g. lib. 34. est Ptarmica quorundam. Ptarmica vulgaris folio longo serrato albo, de qua mox agemus, Fuchsii & multorum Herbariorum sententia Ptarmicæ nomen adepta est. Ptarmicæ huius vulgaris est species quædam flore pleno.

Ptarmica vulg. fol. longo fl. albo

Ptarm. vulg. flore pleno

Ptarmices Plinius & Theophrastus non meminerunt, inquit Dodonæus, quod suspicionem nonnullis adfert, nullam esse πταρμικὴν propriè dictam, & eandem cum Struthio hanc esse: πταρμικὰ siquidem generali voce Græcis dicuntur, quæcunque sternutationem excitant: inter quæ & Struthion.

PTARMICA VVGARIS, FOLIO LONGO serrato, flore albo.

CAP. XXXV.

Descriptio



Est vbi tres superet cubitos, sæpiùs minor, cubitalis: *radice* obliquè acta, & veluti geniculata, fibris aliquot donata: *caule* singulari tereti, glabro, fistuloso, cui alterno positu adnata *folia* ab imo ad summum Draconis esculenti, argutis asperiusculique denticulis circumquaque crenata, atro virore splendentia, sapore Pyrethri, feruido: summus scapus nonnihil angulosus, & subhirsutus, in surculos aliquot diuiditur, qui vmbellatim *flores* gestant Millefolii terrestris, candidos, duplò aut triplò maiores, odore non dissimili, sed remissiore.

Pyrethrum silu.

Descriptam à nobis plantam, Ptarmicen Ruellius vocat, Herbarii verò & officinæ in Gallia, eodem authore, quòd gustum Pyrethri modo, quanquam mitiùs, vellicet, siluestre Pyrethrum appellant.

Ptarmica hæc quæ sit [apud Veteres] ambiguum est, nomen tamen ei imposuit Cornarius, & ad græci similitudinem Nießkraut appellauit. Hanc is depictam quidem vidit, sed viuam aut natiuam non aspexit, ita vt nihil pronunciare ausus sit: alioqui si talis fuerit, qualis à Ruellio descripta est, facilè in ipsius sententiam concesserit.

Tanacetum album seu acutum Trago

Tragus hanc Tanecetum album, seu acutum, weissen oder Spitzen Reinfahrn appellat, eosque errare scribit meritò, qui hanc stirpem ad Pyrethrum referunt. Existimat verò illi descriptionem Ptarmicæ apud Dioscoridem non ineptè accommodari posse, tametsi non desint, qui Tragion secundum Dioscoridis velint. Lubens etiam Millefolii tertium genus faceret, nisi aliquibus Ptarmice esset & Pyrethrum siluestre.

Tragium Millefoliū

Ptarmice Fuchsio Error multorum

Ptarmicen (ita Fuchs. præsentem plantam inscribit) nonnulli pro vero Pyrethro, seducti eius titillante acrimonia descripserunt. Germanis secundum Fuchsium wilder Bertram appellari potest, Gallis *Pyrestre bastard.*

Ptarmica Matth.

A Matthiolo in priorib. comm. silentio inuoluitur: in postr. verò Ptarmicæ nomine depingitur. In Hist. germ. cum addit. Camer. Ptarmica 1. wilder Bertram/Boh. Persam vocata: in Epit. Ptarmica, siue Sternutamentaria, Græcis πταρμική. It. *Ptarmica*, Germ. Dorant/ vel weisser Spitziger Reinfahrn. Vires Camerarius Ptarmicæ Veterum adscribit, quas ei adscribendas non putarim.

Camer notatus

Docti multi plantam Germ. dictam wilder bertram / existimant Ptarmicam Dioscoridis, quorum diligentia & iudicium laudandum potiùs quàm improbādum: etsi duo hic desiderem, inquit Turnerus. Nam Germanorum wilder bertram non est folio Oleæ, sed multò acutiore, tenuiore, longioréque pro magnitudine sua, circumcirca crenato: adhæc prouenit [quod adhuc obseruarim] circa aquas, & pratis humentibus, non autem in rupibus & montibus. Non ausim ergo cum illis pronunciare veram esse Ptarmicam, etsi viribus parum aut nihil ab ea differat, adeò vt ei rectè possit substitui.

Ptarmica Diosc. non est

Pyrethrum palustre

Variis in locis variis appellationibus nominatur à Gesn. hort. vt Ptarmicæ, quam quidam sequuti Ruellium Pyrethrum palustre esse putent: Item Pyrethri cognatæ herbæ titulo, & Tarchi aquatici [vbi eos falli dicit, qui Ptarmicam putant:] quòd Monspelii Serpentina vocetur.

Dodon. lat. in fol. p. 698. Draconem siluestrem siue Ptarmicon vocat. Lobel. in Adu. & Obs. p. 243. & Icon. Plant. p. 455. Ptarmica folio Taraconis, vel Sternutamentaria.

H. Lugd. p. 1168. Ptarmica Fuchsii, & ita Camer. hort. Ptarmica silu. germanica, Thalio. Ptarmica vulgaris seu pratensis, Clusio. Ptarmica 1. Sneesewoort/ Gerardo. Ptarmica, & Sternutamentaria Castori. Ptarmica, Tanacetum album Tragi. Hort. Lusitano. Draco silu. Ptarmica Matth. Ptarm. silu. germ. πταρμική Diosc. Schvvenckfeldio. Ptarmica Rob. Steph. Brunfels. Bacch. Cordo, & Apollini.

Dracunculus

C. Bauh. phyt. Dracunculus 2. siue aquaticus serrato folio: Brunfel. in 4. p. 257. Pyrethrum quoad iconem non descriptionem.

Lonic. optimo refellitur

Lonic. wild Bertram/ Ptarmice Diosc. vulgò Pyrethr. siluestre, Sternutamentaria, Ital. *Oliuella.* Miror Lonicerum dicere hanc plantam differre tantùm magnitudine à Pyrethro, cùm ex ipsiusmet figurâ contrarium appareat: ramosa enim herba, folia non fœniculacea, radix

repens, & multa alia differentiam faciunt.

Passim Germaniæ Bohemiæ, Hungariæ, Austriæ & Morauiæ pratis obuia, similiter & Belgicis & Anglicis Clusio authore. Dodonæo verò in montosis, saxosis & circa margines agrorum, vel pratorum, locísque vmbrosis nascitur: ad hortos verò etiam transfertur, in quibus citò multúmque luxuriat. Cum flore Maio, Iunio, ac Iulio mensibus viget. Prouenit in horto Montbelg. Ill. E. C. abundat etiam ad riuulos inter Montbelgardum & *Souchaut*, aliísque in locis. Videram primò Stutgardiæ in horto Ducis Wirtemb. postea in horto Cœlii Secundi Curionis præceptoris mei florentem Iulio: tandem spontè prope *Wasserfal* ad stagnum florentem Augusto. Reperi aliquando inter Viennam & Lugdunum. In Bohemia, Matthiolo teste, passim in hortis seritur, è montibus, in quibus nascitur, illuc translata.

Vires & Vsus. Aperit Ptarmica, si Matthiolo credimus, discutit, prouocat, attenuat, & incidit. *Puluis sternutatorius.* Siccæ puluis naribus inditus sternutamenta mouet. *Dolor dentium.* Mansa radix dentium dolores mulcet, & pituitam detrahit. Facultate & viribus, inquit Dodonæus, Draco siluestris hortensi (Dracunculo hortensi) non est inferior: excalfacit & reficcat: gustu acris & feruens. *Acetariis additur.* Adduntur verò & Lactucis, aliísque acetariis, huius folia, quorum frigiditatem, veluti Eruca & Draco, corrigunt quoque ac temperant.

DRACVNCVLVS HORTENSIS siue Tarchon.

Cap. XXXVI.



Descriptio. FRuticosa promit duorum cubitorũ & ampliora *virgulta*, dura, gracilia, nonnihil angulosa, inconditis ramis diuisa: *folíis* primò orientibus indiuisis, vbi verò adoleuit, foliis onusta Lini folia æquantibus, aut Hyssopi Arabum, atrouirentibus, splendidis, omnis diuisionis ignaris, sapore acri aromatico, cũ quadam dulcedine grata, Anisum conditum æmulante: *corymbi* eo ordine per summos ramos quo in Abrotono, apiculis *florum* vix conspicuis, quos *semen* excipit acerosum: *radix* perennis, nouam singulis annis stolonum sobolem emittit.

Draco Hermol. Hermolaus Coroll. 400. huius meminit his verbis. Olitores & Draconem vocatam serunt, quam mirabili quodam modo nasci prædicant ex *Eius generatio.* Lini semine incluso Raphanis, aut Scillæ bulbis, atque in terra obruto. Pusilla herba, nigro minuto semine, folio tenui & oblongo, acri & vtramque originem prodente, linguam & folio & radice amburens, & aceti & salis gustu. Pyrethrum sunt qui à Veteribus appellatum falsò putent hanc inter olera acetaria gratissimam.

Ruell. not. Ruellius hæc ad verbum recitat, quãuis Hermolaum non nominet. Quædam tamen ita variat. Draconem vulgò vocatam inter acetaria olera gratissimam celebrant, quòd nec salem, nec acetum exigat, vtriusque saporem referens, vtriusque parentis dotes retinens. *Sypontini lapsus.* Sypontinus Pyrethrum à Veteribus appellari putat, falsus quadam saporum cognatione. *Pyrethrum non est.* Nam Pyrethrum, siluestre Daucum caule & folio imitatur: Draco potiùs foliis Hyssopum, vel Linum. Illud ostendit vmbellam Anethi, circinatæ rotunditatis: Draco nullam prorsus ostendit.

Draco satiuus Cordo. Cordus hanc lib. 5. cap. 1. Draconem satiuum vocat. Amatus verò in Dioscor. lib. 2. enarr. 161. Draconem herbam, Draconeam, aut Dracontiũ appellari, ac Dracunculum hortensem in vniuersa Italia comperiri, & ex semine Lini in Cepa incluso quoque nasci tradit. Gesnerus contrà negat prouenire ex semine Lini in Cepe sato.

Dragoncellus Matth. E Lini semine Dracunculum hunc nasci quoque negat Matthiolus. Ab omnibus, inquit, Dracunculis formâ maximè differt hortẽsis Dracunculus, quo in acetariis vescimur, vtimúrque ad intinctus acerrimo gustu, folio oblõgo, radicibus humi repentibus, Graminis modo. Sunt qui asserant hanc plantam cultorum mangonio factitiam esse, & non sui natura prouenire: eam siquidem nasci putant Lini semine excauatis Cepis imposito, ac deinde terrâ recondito. Sed hos falli crediderim, quòd facto periculo operam quidam perdiderint. Huius nec Græci, nec etiam Mauritani, quod sciam, meminère. Hæc ille, qui in suis comm. Dragoncelli nomine figuram dedit: In Hist. Germ. cum addit. Camerarii hoc titulo, Dracuncellus, Dragoncellus, *Dracunc. esculentus.* siue Dracunculus esculentus: In Epit. hoc, Dracunculus hortensis, Italis *Dragoncell:* & *Dragone*, Gallis *Targon*, Germ. Dragun / oder Dragoncell.

Draco hortensis Hist. Lugd. Draconem hortensem Dalechampius in Hist. Lugd. (quæ Matthioli verba recitat, licèt paulò aliter eà narret) Chrysocomen esse Dioscoridis *Chrysocome Dal.* prodidit. Quam opinionem vel ipsa Chrysocomes historia falsam esse ostendit.

Nasci Lini semine negatur a pluribus. Gesnero verò, Matthiolo, & Hist. Lugdunensi, ac Dalechampio (qui vnanimiter fabulosum esse aiunt nasci hanc Lini semine Cepa inclusæ & sic sato) se opponit Lobelius. Non est de nihilo (inquit in Adu.) quòd plærique holitores hanc ex Lini semine cuipiam cepaceę, aut tuberosę radici inserto emergere affirmant: nam tametsi nõ temerè cuilibet experienti cedat, reique ostentũ, & euentus rarior fidem penè abroget, tamen si quis in afflatu maritimo & natalibus, Squillæ nõ auulsæ inserat, optato voto non frustrabitur, vt mihi asserebant quidam Lygures & Hetrusci herbarii non pauci. Idem euenire tradunt si in Raphano aut Cepę foraminulo facto adigatur Lini semen: & argumento vtuntur saporis, quem salis & aceti vnà mixti quodammodò præfert. *Lob. videtur.* Hæc ille, cui Lygures imposuisse & lusisse credimus. *Draco Lob.* Vocatur ab ipso in Adu. p. 190. in Obs. p. 243. Draco (ita in Icon. Pl. p. 455.) aut potiùs Tarchon Symeonis Sethi & Auicennæ.

Draco herba Dod. Draco herba, ait Dodonæus, existimatur Auicennæ Tarcon esse, de quo cap. 886. egerit. Sed quia breuis adeò de hoc Auicenna est, ideò certi affirmari nihil potest. Fertur & Dracone herba, quæ ἀειζώον, Glaucus olim in vitam restitutus: de quo in Erasmi Chiliadibus. Differentem

teram verò hanc à vulgari Dracone verisimillimum est.

Qui cum Dalechampio ad legitimæ Chrysocomes historiam conuenire putant vulgare Targum (Dracunculum hortensem) cuius in acetariis vsus, quâ ratione ducti sic sentiant, Clusio non constat.

Tabern. Icon. & hist. Dracunculus hortulanus. C.Bauh. phyt. & apud Matth. Dracunculus 1. siue hortensis integro folio : Tarchon Simeoni Sethi de alim. facult. reliquis Græcis & Mauritanis indicta.

Locus & Tempus. In hortis colitur ac sæpiùs ramulis, quàm semine seritur. Totâ Æstate in multum Autumnũ viget: folio autem flosculos facit Draco herba Dodonæi. Lugduni ceu & in Italia copiosissimè colitur, vt Veronæ in horto S. Dominici à l'Angeli. Montbelgardi ex hortulo meo transtuli in hortum Ill. E.C. Monspelii & Basileæ prouenit in hortis.

Vires & Vsus. Cùm insigni acrimonia planta tota sit prædita, haud verendum est, quin valenter excalfaciat atque siccet, incidat, digerat, aperiat & prouocet. Proderit igitur Tarchon iis, scribente Matthiolo, quibus ventriculus frigidior: appetentiam excitat, flatus dissipat, membris robur addit, vrinam & menses ciet, obstructiones expedit, mansum pituitam ducit & saliuam instar Pyrethri, & hinc dentium dolores mulcet, & humidum cerebrum purgat. Ex Lobelio, acetariis Erucæ vicem supplet: ad pestis contagia maximè & primæ laudis eius stillatitia apud Anglos, sudores cit, & crassam pituitam concoquit. Perpensa huius herbæ acrimonia, quâ maximè linguam vellicat, eorum esse medicamentorum, quæ valentissimè excalfaciunt, facilè conici potest. Nec alias huius vires aut vsum nouimus.

HELICHRYSVS, HELICHRYSON & Heleiochrysus & Eleiochrysus veteribus.

CAP. XXXVII.

A Theophrasto inter herbas, quæ ad animum & mores faciant, refertur. Quinetiam qui Eliochrysi [ἑλειοχρύσου Theodorus Aureliæ vertit, inepte Rob. Const.] flore coronatur, vnguento ex auro ignis experto (μύρῳ ῥαίνων ἐκ χρυσίου ἀπύρου) gloriam atque existimationem bonam consequitur: Habet autem Eleiochrysos florem auro similem [auri colore,] folium verò album, fructum tenuem, durumque, φύλλον δὲ λευκὸν [pro quo legit Plinius λεπτὸν, tenue: Diosc. στενὸν, angustum] καὶ τὸν καυλὸν λεπτὸν [legendum τὸν καυλὸν, vt vult Corn. & Rob. Const. iuxta Plinium & Diosc. quod non animaduertit Theod.] radicē in superficie terræ, eandemque gracilem.

Theod. not.

Helichryson, inquit Dioscorides, quidam Chrysanthemum; nonnulli & Amaranton vocant, quo etiam Deorum simulachra coronant: *ramulum* habet ex candido virentem (cauliculum candidum, virentem, Cæs. lp. virgam albam, viridem Corn. Hermol. autem non λευκὸν i.e. candidum legit, sed λεπτὸν, i.e. tenuēm: fortè quia repugnare videtur color candidus cum virente.) erectum & durum (solidum) *folia* ex interuallis angusta, Abrotono similia: *comam* in orbem circumactam, aureæ lucis fulgore (χρυσοειδῆ) vmbellam rotundam, veluti corymbis aridis depēdentibus: *radicem* gracilem. Nascitur in asperis & salebrosis.

Plinius, qui Heliochryson inter siluestres recenset lib. 21. cap. 11. Theophrastum secutus, inquit: Heliochrysos florem habet auro similem; folium tenue: cauliculum quoque gracilem, sed durum: hoc coronant se Magi, si & vnguenta sumantur ex auro, quod apyron vocant, ad gratiam quoque vitæ gloriam pertinere arbitrantur. Et verni quidem flores hi sunt. Alibi iterum eodem libro cap. 21. mentionem facit ex Dioscoride inquiens: Heliochryson quod alii Chrysanthemum vocant ramulos habet candidos, folia subalbida, Abrotono similia: ad Solis repercussum aureæ lucis in orbem veluti corymbis dependentibus, qui nunquam marcescunt. Qua de causa deos coronant illo, quod diligentissimè obseruauit Ptolomæus rex Ægypti: nascitur in fruteis.

Galenus Amarantum vocat; quia sc. non marcescit: alia tamen est Amarantus apud Plinium de qua nos alibi diximus.

Paulus Elichryson vocat, plantamque coronariam esse ait, comam habentem auricolorem.

Helichrysum Plinius & Heliochrysum appellat, habetque vtriusque vocis, teste Marcello, certam ex natura causam. ἑλίχρυσον quidem & ἑλειόχρυσον, quòd locis aquosis & palustribus, quæ Græcis ἕλη dicuntur, proueniat. ἡλιόχρυσον verò quòd ad Solis, qui ἥλιος Græcis est, repercussum aureâ luce flores huius plantæ fulgeant, quam ob causam Aureliam fortè interpretatus est Gaza. Refert præterea Dioscorides Amaranthum ab aliquibus Helichrysum etiam dici, non quia spicatus flos sit, qualis est qui propriè Amaranthus dicitur, de quo suo loco dictum est: sed ab eadem longioris sine detrimento vitæ natura. Summa enim eius natura in nomine est ἀπὸ τοῦ μὴ μαραίνεσθαι, à non marcescere.

Vtuntur, inquit Theophrastus, eâ contra morsus venenatorum in vino: vtuntur & ad ambusta, cinerem eius melle excipientes. Sed hæc [vt superiùs insinuatum est] commenta hominum esse planè videtur, qui suas artes magnificare, celebrareque cuperent. Nos reliquorum naturas viresque persequemur. Comam è vino potam contra serpentium ictus, coxendicumque dolores, vrinæ stillicidia, ruptaque commodè auxiliari tradit Dioscorides: ciere autem menses, grumos sanguinis in ventre aut vesicæ liquare cum vino mulso potam, cohibere quoque defluxiones è capite trium obolorum pondere, ieiunis datam in vino albo diluto: Inseri etiam vestibus, vt eas ab erodentium iniuriis tueatur. Plinius eundem vsum medicum partim ex Theophrasto, partim ex Dioscoride descripsit.

Amarantus Galeni. Galenus Elichrysum non habet, sed Amarantho tribuit, quod Dioscorides Elichryso. Amaranthum, ait, facultatis est incidentis & extenuantis. Coma igitur eius cum vino pota menses educit. Sed & grumos sanguinis liquare ac soluere creditur, non solùm in ventre, sed & in vesica, sed tunc potius cum vino bibenda. Et omnes simpliciter fluxiones pota desiccat, stomacho infecta.

Quæ Paulus de viribus tradit, ea de verbo ad verbum ex Dioscoride sunt transcripta, quamuis antè sub Amarantho eadem ex Galeno dixerit.

Pro Helichryso hoc à Veteribus tradito, variæ circumferuntur. Multi enim existimant


esse Stœchadem citrinam vulgò Germanicam latifoliam. Quam C. Bauh. Phyt. Elichryson 5. siue Orientale vocat est nobis Stœchas citrina speciosa. Matthiolus in postr. comm. eos errare dicit qui Stœchadem citrinam vulgò dictam, Helichryson Dioscoridis legitimum æstimant. Pro hoc verò inibi tradit Stœchadem citrinam tenuifoliam Narbonensem. Helichrysi nomine delineat Cæsalpinus Stœchadem citrinam tenuifoliam alterā siue Italicam. Sed & Stœchas citrina tenuifolia tertia, siue Neapolitana Elichrysi nomen sibi apud C. Bauh. assumpsit. Stœchadi citrinæ affinis capitulis paruis, vocatur à C. Bauh. Phyt. Elichrysum 8. siue siluestre angustifolium. Stœchadi citrinæ affinem capitulis longis idem C. Bauh. Elichrysum 9. siue silu. flore oblongo cognominat. Stœchadi citrinæ quoque affinis capitulis breuioribus appellatur ab eodem C. Bauhin. Elichrysum 10. siue siluestri flore oblongo similis. Elichryson 7. eiusdem Bauh. Gnaphalium ad Stœchadem accedens existimamus. Quod Gnaphalium Fuchsii, vel Impiam Plinii inscripsimus, C. Bauh. Gnaphalium 3. vulgare, & Heliochryson siluestre Tragi nuncupat. Gnaphalium virgatum nostrum, Tragus Heliochryson siluestrem appellat. Heliochrysū quorundam, siue Abrotoni folio, de quo mox dicemus, Helichrysum Veterum à plurimis habetur. Helichrysos vel Helyochrysos Ruellii, est Chamæmelum inodorum, siue Cotula non fœtida, licèt hæc opinio non placeat Gesnero in cat. pl. Ἑλίχρυσον Suidæ, Hederæ flos est Rob. Constantino. Apud Camer. hort. Helichrysi nomen attribuitur Tulipæ. Heliochrysum Italicum Matthioli, ni fallor, est Milliefolium luteum. Elichrysium Dioscoridis est Ageratum quibusdam, quæ opinio nobis non probatur. Linariā suam tertiam Tragus lib. 1. cap. 17. Heliochryson Dioscoridis appellat. Vide titulum, Heliochrysos Tragi, siue Linaria tertia, de qua paulò pòst.

An Gnaphalium ad Stœchadem accedens. Gnaphalium Fuchsii vel Impia Plinii. Gnaphalium virgatum. Helichrysō quorundā fol. Abrotoni. Chamæmelum inodorum. Hedera. Tulipa. Millefol. luteum. Ageratum.

HELIOCHRYSON QVORVNDAM folio Abrotoni.

CAP. XXXVIII.

Descriptio



PRo Heliochryso exhibetur hodie planta, *caulibus* rectis, robustis, cubitalibus: per quos & ramos visuntur *folia* Abrotoni, densissima, vbi primùm erūpit, tenuissimè diuisa, breuia, hirsuta, nonnihil albicantia: *flores* summis hærent ramulis vmbellæ propemodum effigie, corymbos Agerati imitantes, vel disco florū Chamæmeli, lutei, odore valido & pertinaci, vehementiæque nomine ingrato nonnihil & fastidioso: *radix*, vt ait Clusius, dura, lignosa, minimi digiti nonnunquam crassitie, quę tamen singulis annis perit.

De hoc Matthiol. in Dioscor. ait. Caule constat recto, æquali, ac lignoso, cubitalem longitudinem non excedente: foliis per interualla emergentibus, Abrotoni æmulis: comantibus in cacumine floribus, aureo colore fulgentibus, & in orbem vmbellæ modo cohærentibus, corymbaceâ facie, veluti Myriophylli, vel Agerati, qui exsiccati aureum colorem diutiùs retinent. Hæc ille, cuius descriptio videtur potissimùm ex Dioscoride desumpta: fides sit penes eos, qui sunt in Italia, an flos exsiccatus sit ita speciosus, vt mereatur referuari ad corollas, vt postea inter vires ex ipso dicetur. Icon quam Helychrysi nomine proponit, non placet, licèt apud Amatū Robertus Cōst. Matth. verum pingere Heliochrysū affirmet. Robertus videtur plantam, quam Matthiolus pingit, æquè bene nouisse ac ille. Meliorem figuram exhibet Camerarius in Hist. Mathiol. Germ. hoc titulo: Helychryson Dioscoridis: in Epit. hoc, Helichrysum Creticum, Italis *Helichryso di Candia*. In horto vocat Elychrysum & Heliochrysum Matthioli secundum alios, quod Hispanis secundum Clusium *Scoba hedionda*, id est, Scopam fœtidam appellari scripsit.

Helichrysum Matthiol. Matth. notatur. Matth. & Rob. Const. notatur.

Scopa fœtida.

Lacuna eandem cum Matthiolo nomine Elichrysi habet iconem, quod ait Græcis Ἑλίχρυσον vocari, Cast. *Mançanilla bastarda*, Catal. *Gutrnalda*, Portug. *Macela galega*.

Lacuna notatur.

Dod. de flor. & Hist. lat. in fol. Elichryson, quod Diosc. ἑλίχρυσον esse ait, ac nonnullos etiam Chrisanthemum: alios inter quos Galenum refert, ἀμάραντον propter floris diuturnitatem, appellare ait: Plinium verò & Theophrastum ἑλιόχρυσον, quod Gaza Aureliam vertat. Hic ille qui in H. Gall. Gnaphalium Fuchsii siue Germanicum olim Elychrysum Dioscoridis credebat.

Dodon. inconstans.

Clusius Dodonæi figuram habet, ac eadem cū illo tradit, candémque de Elichryso suo opinionem tenet.

Tabern. in Icon. (apud quem transpositæ sunt figuræ) Heliochrysum 1. Item: Heliochrysi 1. altera icon. Huius icon est pro Heliochryso 2. vt videre est in Hist. eius l. 1. p. 456.

Figura apud Tab. transposita.

Gerard. Eliochryson siue Aureus flos, Golden Moth woort. Item: Coma aurea Golden tuft. Icones sunt Tabern. qui vnam non bonā sumpsit ex Matthiolo, eámque posuit pro Eliochryso 1. Verùm Gerardus præter veritatem ponit pro Coma aurea iconem Lobelii, faciens è duabus iconibus vnius plantæ duas diuersas plantas.

Tab. not. Gerard. reprehe.

Lob. Adu. Ἑλίχρυσον, vel Ἡλιόχρυσον, siue aureus flos (falsò hic legitur Sileris flos) Chrysanthemum. Et hoc patet ex icon. Plant. pag. 746. vbi corruptam lectionem ita restituit. Eliochrysum, siue aureus flos, Chrysanthemum. Obs. p. 450. Ἡλιόχρυσον, Gaza vertit Aureliam: Elichryson, Amaranthus Galeni.

Lob. restituitur.

H. Lugd. p. 776. Elichrysum Matthioli.

C. Bauh. Phyt. Elichrysum 1. siue foliis Abrotoni: quod Dioscoridis. Item apud Matthiol. Helichrysum Matthioli Castori, Helichrysum Creticum Matthiolo in compendio, sed figura transposita est. Gesn. hort. Heliochrysus verus Italicus Kreichio.

Heliochrysum quorundam prouenit Montbelgardi in horto Ill. E. C. vbi floruit adhuc Octobri mense. Heliochryson Matthioli copiosè proue-

sè prouenit in Hetruriæ pratis in gracili solo, incultisque locis, sitículosis collibus, nec non etiam in fluminum alueis. Norimbergæ crescit & semine in alterum annum propagatur. In Belgii hortis floret Augusto, aut Septembri mense. Læto solo prouenit, & copiosè circa Madritium itinere Complutensi, aliisque Hispaniæ locis, in agris, vbi Septembri & Octobri florentem videbat Clusius. Niceæ ad Tyrrhenum mare, Genuæ Lygusticæ, & in Galloprouincia asperis, macilentis conuallibus, & desertis incultis, autore Lobelio, fruticat.

Vires & Vsus. Cùm tota hæc planta sit amara, facilè eas facultates obtinebit, quas Elichryso suo Veteres tribuunt, inquit Clusius. Hispanis autem nullo est in vsu, nisi quòd Madrutiano agro mundatorias scopas ad ædes purgandas ex ea faciunt: & quibusdam aliis locis, illâ in fasciculos congestâ & colligatâ, fornaceos, vt Pliniano verbo vtar, parietes (quos Hispani *tapias* vocant) integunt aduersus imbrium iniuriam: Quia exsiccati flores, vt vult Matthiolus, aureum colorem diutiùs retinet. Proinde commodè Hyeme quòd eo tempore flores deficiant, puellæ siccum Helichrysum coronamentis suis inserunt, quemadmodum & Amaranthum purpureum. Neglecto vsu ad vires nos recipiamus. Pollet multùm, si Lobelio credimus ad podagras & vlcera maligna, humorum impetum illuc ruentem reprimendo, lotium deriuando, & saburram vehementiùs impellendo: & eadem fermè, quæ Millefolium promittit. Multi Recentiorum plantæ, de qua hactenus verba fecimus, Heliochrysi Veterum vires & facultates adscribunt, cui rei testimonium aut rationem non adiungût, præter Clusium, qui amaritudinem vadem adducit, quæ nostro iudicio, non sufficit.

HELIOCHRYSOS TRAGI, SIVE Linaria tertia.

Cap. XXXIX.



Descriptio. Ex duris fibrosis *radicibus*, nigris, perennantibus, singulis annis nouæ virgæ siue *caules* exeunt singulares cubitales: teretes, rigidi, fractu contumaces, crebris foliis Linariæ vulgaris, angustioribus, saturatiùs virétibus, sapore subamaro & nonnihil aromatico præditis, ab imo ad summum densè stipatis: cuius fastigium in complures abit surculos, non minùs foliosos, quibus *corymbi* insident lutei, circumquaque foliolis viridantibus obuallati, odore nullo commendabiles: succedunt *semina* inter pappos, quæ supernè villosa sunt, nigricantia, longiuscula, qualia ferè, inquit Clusius, Hieracioru͂ generi, pappi instar, quæ leuissimo vento excussa, eius arbitrio feruntur.

Linaria 3. Trago. Est hæc Linariæ tertium genus Tragi, tertia Linaria vulgari similis, tertia Linariæ species, magnis illis corymbis, seu multiplicibus, & rotundis floribus, Amaranthum luteum imitantibus ornata, quam secundum descriptionem Dioscoridis Holiochryson appellaret & ad illud ipsum Dioscoridis caput referret; propter folia acuta planè & astricta, non multò aliter quam in Abrotono videre est: quòd præterea non in siluis nascatur, sed in campis sub dio versetur, arenosis, humectisque incultis & apricis agroru͂ limitibus. Sed quæcunque tandem habeat apud Dioscoridem, is sanè nullum apud Germanos illius nomen nunquam cognoscere potuit, quapropter à forma lynkraut, hoc est, Linariam; à floribus groß Rheinblumen, id est, Amaranthû maiorem nuncupauit.

Linaria 4. Lonic. Lonic. lib. 5. cap. 170. Tragi figuram habet, ac quartam Linariam, das Viert lynkraut facit, Heliochrysónque existimat.

Linosyris Lob. Tripolii species. Lob. Obs. p. 223. Linosyris nuperorum, an Tripolii species? num Linariæ tertium genus Tragi? Item p. 224. Linaria aurea Tragi, Hyssopus vmbellifera Dioscoridis Guilandino: prorsus eadem Linosyridi, quam in Iconib. Plant. omisit, ac p. 411. Linariam auream Tragi solùm exibuit.

Tab. not. Tabern. Icon. & Hist. Linaria [tertia] aurea, Gulden leinkraut. Item Linaria aurea minor (Osyris Austriaca Clusii) klein gulden leinkraut. Quandoquidem a Tabern. inter has nullum discrimen indicatur, præterquam magnitudinis, ego non separo.

Osyris Austr. Clusii. Clusius in Pannon. p. 310. & Hist. post. lib. 3. p. 325. Osyridis Austriacæ titulo hanc proponit, quâ refert Viennenses Osyridem appellare. Sed an cum Osyride Dioscoridis conueniat, aliis discutiendum relinquit. Tragum Linariam tertiam: nonnullos verò Chrysocomen Dioscoridis & Chrysitin Aristotelis arbitrari idem autor est.

H. Lugdun. not. H. Lugd. p. 1152. Linosyris recentiorum Lobelio: Item Linaria aurea Tragi, Heliochrysi genus, prorsus genere eadem Linosyridi. Histor. duas habet figuras & descriptiones vnius plantæ, vt Lobelius.

Gerard. reprch. Gerard. Osyris purpurocærulea: Item, Linaria aurea, Golde flaye. Absurdè ponitur à Gerardo pro Osyride purpurocærulea icon Linariæ aureæ minoris Tabernamontani.

C. B. not. C. Bauh. phyt. Linaria 16. siue folioso capitulo luteo, maior. Item: Linaria 17. siue folioso capitulo luteo, minor. Propter solam magnitudinem, vti dictum, non separandas iudico.

Linariam tertiam Tragi Tubingæ vidimus mense Septembri florentem: inter Basileam & Colmariam locis siccis. In horto Ill. E. C. plantata feliciter durat, à pluribus annis, florens Augusto & Septembri: hanc attulimus Sturgardiâ ex horto eiusdem Ill. Comitis. Linosyrim nuperorum in collibus Narbonensis Galliæ non procul à mari erutam meminit Lobelius, quà ad balnea Frontignianum itur; Linariam verò auream Tragi in vireto D. Petri Brughelii professoris Louaniensis Æstate lætè florentem vidi; nec non apud Petrum Coudenbergium & Iaco-

cobum Plateau. Erit Osyris Austriaca Clusii non procul Phasianorum horto circiter miliare infra Viennam, editiore quodam & sicciore prato, cum Lini siluestris generibus, sed humilior: secundum verò sepes atque inter frutices, maior & vberior. Inuenitur multis item Pannoniæ locis, etiam interamnis supra Drauum flumẽ. Floret Augusto: semen maturum est mense Septembri.

Humilior. Maior.

Vires. Vires exploratas non habeo: Tragus tamen Helichrysi ei adscribit. An bene, examinent alii. Est acris gustanti, glutinosa & amaricans, Senæ æmulo sapore, ad Thymelæam accedente.

AGERATVM FERVLACEVM DALECH.

CAP. XL.



Descriptio. Dalechãpio Ageratum ferulaceum herba est cubitalis, *caulibus* satis robustis, striatis, quos *folia* ornant, tenuiter Chamæmeli modo dissecta, quæ quò magis superiora versus tendunt, eò sunt minora, minutiúsque incisa: inferiora nãq; palmo longiora, Ferulaceis sunt proxima: caulis fastigiũ in pediculos frequentes abit, quibus incompositi *flores* vmbellam mentiuntur, Iacobeæ floribus similes, minores, luteis foliolis radiati, staminulis concoloribus medium occupantibus, tandem in pappos facessẽtibus: *radix* longiuscula, mediocris crassitudinis, fibrata: sapor huic nonnihil aromaticus.

Ageratum ferulaceũ H. Lugd. In H. Lugd. ita describitur. Ageratum ferulaceum Dalechampii p. 1184. Fruticat radice nigrâ, rugosâ, contortâ, lignosâ, dimidii pedis longitudine: folio Ferulæ aut Fœniculi statim ab radice copioso, per caulem impari exortu disposito: flore aureo, inodoro, Senecioni simili in vmbellę rotunditatem formato, licèt ramuli flosculos sustinentes, & in vmbellæ orbem coëuntes diuersis caulis partibus attollantur: pertinaci in floribus aurei coloris fulgore, & gratia, vnde Agerati, id est, non senescentis nomen, gustu subamaris: odor foliorum, dum teruntur, Artemisiam leptophyllon vulgatem refert. Est Ageratum secũdum & ferulaceum Plinii.

H. Lugd. error. Cæterùm, non absque errore hæc eadem planta ab ignaro Hist. Lugdunensis Compilatore pro diuersa pag. 772. antè reperta fuit, nempe Achillea montana Penæ, ciúsque duas icones habet. Lobelius autem & Pena proposita icone tradunt suam vmbellis aureis Millefolii lucentem: caulibus pedalibus: oblongo semine: vocant Achilleam montanam Arthemisiæ tenuifoliæ facie.

Locus & Tempus. Quum hanc plantam vnà cum descriptione Gesnero misissem, eam curauit depingendam, & denominauit Chrysanthemum alpinum.

Florentem reperi in cacumine montis Esperou mense Octobri dum Monspessuli medico studio incumberem. Parum frequens fuit Lobelio nisi celsioribus Calcaris & Horti Dei montium Narbonensium iugis, vbi Iulio & Augusto floret. In Pinetis gigni traditur apud H. Lugdunensem arido macróque solo, florens Iunio mense.

CHRYSOCOME VETERIBVS.

CAP. XLI.

Diosc. Graecè illustratur. Χρυσοκόμη (οἱ δὲ χρυσίτιδα καλοῦσι, vet.) est *frutex* (θάμνος, pro quo vulg. exempl. ῥαβδίον ramulus) exiguus, palmi altitudine [dodrantalis, Cæsalp.] habens comam corymbaceam (κόμην κορυμβοειδῆ, pro quo κορυμβώδη legit Dalechamp. corymbis onustam) similem Hyssopo: *radicem* densam (δασεῖαν; non hirsutam vt legit Marcell.) instar veratri (Hellebori) nigri (ὡς ἐλλέβορου, auth. Adu.) tenuem, gustui non iniucundam, non minùs quàm Cyperi cum dulcedine subastringentẽ [non bene hic locus à quibusdam vertitur, Cypero æqualem magnitudine: ad gustum enim refertur æqualitas in codice Aldino,] nascitur in opacis & petrosis. *Radix* calfactoriam adstrictioràmque (στυπτικὴν, πικρὰν vet. amaram) vim habet, hepaticis & peripneumonicis accommodatam. Sed & eadem decocta in aqua mulsa ad purgandam vuluam assumitur.

Appellationes spuriæ. Sunt quibus Chrysocome inter spurias appellationes dicitur Chrysitis, quibus Chrysanthemõ, quibus Amarantus, quibus Diospogon: Latinis Iouis Barba, Aphris Dubath, siue Burchumath [Buchromat Marcell.] Sunt ibidem qui Chrysospermon vocent, quasi aureo semine præditam, alii Dapsin, alii Origanon, alii Ariophthalmon, quasi vrsi oculum, Romani Aureliam.

Chrysocome, inquit Plinius, siue Chrysitis non habet Latinam appellationem: palmi altitudine est: comantibus fulgore auri corymbis: radice nigra ex austero dulci: in petrosis, opacísque nascens: radix calfacit & adstringit: datur potui ad iocinorum vitia: item pulmonum: vuluæ dolores in aqua mulsa decocta. Ciet mẽstrua, & si cruda detur, hydropicorum aquam.

Mirum sanè, à Lobelio scriptum, de Chrysocomes foliis nihil à Dioscoride proditum fuisse, cùm is disertè & apertè tradat, huic plantæ comam esse κορυμβοειδῆ, corymborum bullis insignẽ, Hyssopo similem.

Æquiuoca. Stœch. citr. tenuifol. Narbon. & Ital. Stœch. citr. Germ. Stœch. Orient. Gnaphal. Stœchadi affine. Gnaph. Virgatum. Chamæmel. vulg. Linaria aurea. Mentha Sarracen. Dracunc. esculent. Cæterùm plurimis plantis attribuitur Chrysocomes nomen, & potissimùm Stœchadi citrinæ tenuifolię Narbonensi & Italicæ. Stœchadi citrinæ Germanicæ. Stœchadi citrinæ Oriẽtali flore maximo & specioso. Stœchadi citrinæ affini capitulis longis. Gnaphalio cuidam Stœchadi citrinæ accedenti. Gnaphalio Virgato. Anthemidi, seu Chamæleoni vulgari. Guilandinus absque ratione nostro iudicio volebat Chrysocomen esse Linariam auream Tragi. Cordo authore Mentha Sarracenica Chrysocome cognata est. Pulegium montanum ad Chrysocomen accedere vult Ruellius. Dalechampius ex Dracunculo esculento faciebat Chrysocomen Dioscor:dis. Linaria quibusdam Chrysocome existimata fuit, vt videre est, H. n. g. l. 29. Passerina quoque Chrysocome dicta fuit, de qua iam dicto libro agemus. Helianthemum quibusdam dici Chrysocomen retulimus l. 13. Quosdam inepte existimasse Anacampserosem esse Chryso-

Chrysocomen, patet ex lib.35. De Orobáche tandem dictam fuisse Chrysocomen demonstrabitur lib.38.

STOECHAS CITRINA GERMANICA latiore folio.

CAP. XLII.

Descriptio



STœchas citrina Germanica *virgas* habet dodrantales, aut etiã cubitales, canâ lanugine vestitas, nunc singulares nunc plures: per quas *folia* tomentosa incana, latiora, multò quàm Stœchadis citrinæ Narbonensis, adeò vt quæ terræ proxima è radice statim pullulant ad vncialem ferè latitudinem accedant: extremis ramulorum immortalis auri fulgore resplendent conglomerati squammulis compactiles *corymbi*: *radix* longa lignosa, fibrata: in foliis siccis decem annis pòst degustatis sapor nonnihil aromaticus.

Tragus hanc icone proponit nomine Amarãthi; describit verò pro Heliochryso primo, ac inter nomenclaturas, quòd in regionibus quæ Rheno adiacent potissimùm gignatur, Rheinblumen appellari tradit; in Wasgoia autem, quòd non senescat nec marcescat, Jüngling dici; aliis tandem Mottenblumen, hoc est, Tineariam & *ἀμάραντον* nominari, quòd vestes à tinearũ erosionib' vindicet: Multos in ea esse sentẽtia, eã esse Aureliam Theoph. de qua tamẽ opinione nihil certi concludit. Duo autem huic non malè quadrare capita apud Dioscoridem, est ipsius sententia, nempe Helichrysi & Agerati. Eius autem Iconem vt fictitiam, præsertim quod pilos attinet, reiicimus.

Amaranth. lutei Fuchs. Fuchsius sub Amaranto luteo eadem ferè tradit. Amarantus luteus, inquit, Dioscoridi *ἑλίχρυσον*, Galeno Amarantus, officinis & imperitis Stichas citrina, vel, vt ipsi loquuntur, Sticados citrinum, Gallis *Passeuelours iaulne*. *Nomen* gallicum non conuenit, nec icon Tragi figurâ melior, vel attestante Matthiolo, dicente. Helichrysum depinxit Fuchsius, folio Echii aculeato, & floribus Buphthalmi. Qua in pictura ipsum deceptum suspicor, quòd ea Helichryso minimè respondere deprehendatur. *Sed nec* Matthiolo Heliochrysum Fuchsii cognitum fuisse indico. Apud Amatum Elichrysi primi titulo est quoque icon Fuchsii addita per Rob. Constantinum, quam non probo.

Dod. gall. malam figuram Fuchsii habet sub his nominibus: Ageratum, Aurelia, Stichas citrina. Is Elichrysum Antiquorum statuit. Sed hanc sententiam retractat Hist. de Flor. & lat. in fol. vbi meliorem imaginem habet, quam Stœchadem citrinam inscribit. Dicit autem: Fuchsius & Tragus [his adde Amat. Lonic. & Io. Agricolam] Eliochrysum faciunt. Nil autem aut omninò parum, cum eo conuenire palam est. *Elichrysum non est.* Ageraton esse etiam sunt (Tragus & Gesn. in cat. pl. vt mox patebit] qui sentiant, propterea quòd flos bullarum instar globosus sit, & non facilè aut citò marcescat: *ἀγήρατα* siquidem flos *πομφολυγώδης*, id est, bullæ modo tuberosus est, & diutissimè in sua coloris specie conseruatur: sed foliorum Agerati, Origani folio simile est: tale autem nequaquam Stœchadis citrinæ, quod oblongum & angustum est, vnde etiam non esse Dioscoridis Ageraton, euidens est. *Hæc ille* cui cum Chrysocome Dioscoridis plurimùm similitudinis habere videtur. *Ageratum non est.* Is, vti antè dictum, proposuit olim iconem Fuchsii, quæ Tragi figuræ similis, quæ vt verum fatear non bene exprimunt Stœchadem Rhenanam, siue Germanicam, in qua tomentum per pilos malè voluerunt exprimere pictores. Quam porrò in postremis suis operibus proponit Dodonæus, ea Germanicam in latitudine foliorum superiorum quodammodo exprimit: an verò Germanica reperiatur ramosa, vti pingitur à Dodonæo, nondum mihi compertum: Germanica quod ad folia attinet latiora per caules, multa habet communia cum Cretica: Dodonæo non fuit meo iudicio cognita Narbonẽsis angustifolia, ac quæ scripsit ex relatione aut libris potiùs, quã ex autopsia habuit: *Dod. not.* miror que, cũ in gallica Historia scribere in Belgicis hortis seminari, in latinis nullam ampliùs facere mentionem.

Stœch. citr. Turn. Quidam, ait Turnerus, huius sæculi viri docti, Stœchadem citrinam officinarum, & Germanorum Rheinblumen / esse Eliochryson censent. Verùm non habet folia Abrotono aut Hyssopo similia. Quare Stœchas citrina non est Eliochryson Dioscoridis.

Gesn. error. Gesn. in cat. Ageratum, vulgò stichas citrina. Item, Stœchas, vel Stichas, vulgò Sticados citrinum. Et, *ἑλίχρυσον*, vel *ἑλειόχρυσον* quibusdam, mihi potiùs Ageratum. Vtrumque falsum: nec enim Helichrysum est, nec Ageratum.

Camer. in Hist. Match. germ. & Epit. Stœchas citrina.

C Bauh. phyt. Elichryson 6. siue Stœchas citrina latifolia vel Germanica. Non idem cum Stœchade gallica censeri debet: hæc enim triplò, quadraplóue latioribus & etiam longioribus est foliis, nec vt illa excrescit.

Stœchas citrina hodie dicta, malè authore Euricio Cordo, à quibusdam inter Absinthii genera refertur.

Locus & tempus Stœchadem Germanicam latiore folio reperi vltra Rhenum, non longè à Rastat Marchionum Badensium, locis arenosis: curaram plantandã in horto Ill. E.C. Montbelgardi, verũ non diu durauit. In regionibus, quæ Rheno adiacent, potissimùm verò quæ intra Spiram & Wormatiam sunt, prouenit in locis asperis, sabulosis, siccis & conuallibus: florens Iunio & Iulio mensibus.

Amaranthi flores, auctore Trago, calidæ sunt naturæ, id quod & sapor & odor arguunt, ideoque commodè possunt vtrinque vsurpari. Vino quidem decocti & poti, lumbricos ventris expellunt, quod Tragus experientiã certum esse didicit. Eodem modo sumpti sudores eliciunt, quare hanc herbam obstructionibus hepatis, he-

enis, renum & vesicæ conferre existimat. In lixiuio decocti, si cum illo caput abluatur, furfures capitis & porriginem expellit, pediculósq; enecat. Vestibus appositi à tineis illas tuentur. Aqua decocti, vaporantibus & fomentis induratam ac tumentem matricem emollit.

STOECHAS CITRINA, FLORIS ET MAGNITUDINE, & colore speciosa.

CAP. XLIII.



Descriptio

Tomento penitùs obsita & incana, vt & *folia* quæ crassa, & latiora multò quàm in Narbonensi, vnciã vnam vel duas lata: *caulium* non ramosorũ, cubitaliũ, summum fastigium tenẽt *corymbi* multi, hilariter micantes, lutei, aurum prouocantes, maiores multò quã Stœchadis citrinæ Germanicæ vel Narbonensis, Ciceris penè magnitudine.

Camer. in Hist. Matth. Germ. & eiusdem Epit. huius florem pingit, quem stellâ consignauit, in tabella Stœchadis citrinæ, vocauitque priuatim in Historia, Stœchadem ex Creta missam, comas grandiores habentem, breuiusculam plantam.

Elychryson Orient. An Chrysocome.

C. Bauhin. Phyt. Elichryson 5. siue Orientale, An Χρυσοκόμη Dioscoridis, & Chrysocome siue Chrysitis Plinio? Eidem apud Matthiol. Helichryson 5. Orientale, flore flauo, splendentéque, corymbis auri fulgore splendentibus.

Locus.

Basileæ frater C. Bauhin. Stœchadis citrinæ pulchram speciem dedit. Eandem dedit Iacob. Zvving. missam ex Creta ab Honorio Bello, qui Ageratum in Creta vocari tradit.

STOECHAS CITRINA TENVIFOLIA Narbonensis.

CAP. XLIV.

Descriptio

Fruticosa est planta Stœchas citrina, *radice* mediocriter crassâ, lignosâ, simplice, perẽni, nigrâ, ex qua lignosi *stolones* pronascuntur, qui in virgulas creberrimas, pedales & cubitales, albidâ lanugine obsitas desinunt, quarum summum cacumen *flores* corymbaceos, luteos pallentésque, densè glomeratos sustinet, singulos crassiusculos, glomeratos & squammulis imbricatos, siccissimos, colore aureo fulgentes, non marcescentes per multos annos (si bene exsiccati & loco sicco reseruati fuerint) odore vehementes cũ iucunditate: *folia* per ramos ordine frequentia conscẽdunt, incana, villosa, magis tamen subtùs, quàm suprà, admodũ angusta, nec planè culmum dimidiatũ lata: versus superiora minùs frequenter disposita à Lobelio authore in mollicello vellere, pusillum *semen* Maioranæ, sed exilius, russũ, acre, odoratũ: radix gracilis, gummi Elemiũ, vel Cyperum rotundũ Syriacum redolens, vti flores & tota planta: gustu etiam aromatico, medicato, acuto & feruẽte, non tamen nimio feruore, subastringẽte.



Hanc, inquit Ruellius, vocant imperiti Sticados citrinũ: nãnque frutex ostenditur surculosus, odoratus, ramulis exilibus, folio Hyssopi, gustu amaro, semine minuto, capitulis luteolis, ex concoloribus flosculis compactis, quare citrinum vocarunt.

De hac Siluius in Pharmacop. lib. 1. Stœchas verò citria vel flaua, Dioscoridis Heliochrysũm, & Galeni Amaranthus, comâ floris aureâ, densâ, in Gallia Narbonensi & Aquitania, agro Burdegalensi plurima & præstantissima gignitur, odore Abrotoni maris, & etiam sapore, sed minùs amaro.

Stœchas citrinum. Helychrysum non est.

Hallucinantur (ait Matth. in comm. cum fig.) qui Plantam, quam quidam Stœchas citrinum vocant, legitimum Dioscoridis Helichrysum esse censent. Siquidem folia illi tenuia Abrotoni modo non sunt, sed longa, albicantia & hirsuta. Hist. Germ. Rheinblum / Stichas citrinum, Amarantus citrinus, quem volunt Dioscoridis Helichrysum, & Galeni Amaranthum, quam opinionem nunc non oppugno, sed cum Pharmacopœis Stœchas citrinum voco, Germ. Rheinblum / quia abundat circa Rhenum, quibusdam Mottenblumen, quia resistit blattis aliis Jüngling / quia flores non marcescunt. In Histor. Germ. Matthioli, non videtur distingui Stœchas citrina latifolia ab angustifolia: dubius hæreo an bene cognita fuerit Matthiolo Stœchas citrina, & quam intellexerit: fortè Matth. Stœchas citrina potiùs eadem fuerit cum ea, quam Neapolitanam vocamus, siue tertiam tenuifoliam, de qua pòst.

Amat. in Dioscor. lib. 4. enarr. 60. Heliochrysũ vocat: quem in eo oppugnat Rob. Const. dicens Stœchadem citrinam Heliochryson esse non posse, quòd folia non habeat Abrotoni. Is verò Amato apposuit iconem Heliochrysi Fuchsii, cui sanè folia nihil habent cõmunis cum Abrotoni.

Lob. Adu. pag. 203. Chrysocome Dioscoridis, Stœchas citrina nostras, siue luteus Amaranthus, Angl. Gold flower / Germanicè Mottenblum / Rheinblum / Belgis Reynbloemen / Motten cruyt. Obs. pag. 256. Chrysocome, aureáue coma, Amaranthus luteus Fuchsii & Tragi, & perperam Heliochrysos, Linaria aurea, Tinearia. *Hac ille.* Ego Amaranthum luteum Fuchsii & Tragi separo, non tantùm loci ratione, vt facit Lobelius, à Stœchade hac citrina, sed etiam propter figuram, quâ multùm

multùm differt: folia huic Stœchadi citrinæ angustissima, Fuchsianæ Amarantho latissima: sunt & aliæ differentiæ. Figura apud Lobelium qualis Dodonæi, non placet in omnibus pro Germanica nec etiam pro Narbonensi, cui tenuissima folia, in eius autem icone lata sunt: hoc etiam Monspeliensibus & Lugdunensibus examinandum relinquimus quod antè in descriptione ex Lobelio dixi de tenuitate radicis & eius odore.

Chamæmelo. Clus. Hisp. p. 367. Chrysocome, vulgo Stœchas citrina, Murcianis Mançanilla, & nomine communi Chamæmelo vocata, sine icone. Hist. postr. Chrysocome 1. vulgaris, vulgò Stœchas citrina, appellata, multis prouinciis communis.

Elichrysũ Creticum. Camer. hort. Elichrysum Creticum [Matthioli:] Stœchas citrina altera Lobelii odorata. Fratri autem C. Bauh. Elichrysum Creticum Matthioli diuersum est à Stœchade citrina odorata Lobelii, quod ego non negarim.

Tabern. icon. & Histor. Stœchas citrina, siue Chrysocome Mompeliaca, **Reinblum vom Mompelier.** Compilator nullam proponit distinctam descriptionem: figura præterea non in omnibus conuenit.

Synonyma. C. Bauh. phyt. Elichryson 4. siue Stœchas citrina, angustifolia uel gallica, Stœchas citrina Matth. Chrysocome Lobelio. Apud Matth. Gesn. Dod. Lac. Cast. H. Lugd. Stœchas citrina: Trago Heliochrysos 1. & Tinearia lutea: Amaranthus luteus, Fuchs. Lacun. Lonicero: Amaranthus citrinus, Turnero: Helichrysum, Cordo in Diosc. & Cæsalpino: Ageratum Dod. gallico: Chrysocome Lob & Tabernamontano, Coma aurea Icon. Plantini. *Icon postea* C. Bauh. apud Matthiolum pro Stœchade citrina non placet: est enim angustioribus foliis: ac miror eum non distinguere hôc loco Stœchadem citrinam angustifoliam, à Tragi, Fuchsii, & aliorum Stœchade citrina germanica latifolia, quamuis ipse in phyt. moneat, Tragi Amaranthum luteum multùm differre à Stœchade gallica.

C. B. not.

Gerard. Chrysocome siue Amaranthus luteus, **Goldilockes Nothweed.** H. Lugd. Stœchas citrina altera.

Locus & tempus. Copiosè prouenit circa Monspelium, vbi florentem annotaui, Aprili, Maio, nec non Septébri. Eadem ni multùm fallor à me obseruata est florens Aprili, in monte Apennino inter Bononiam & Florentiã. Præstantior hæc autore Lobelio, & speciosior Norbonẽsis Gallo-prouinciæ & Hispaniæ aridis & petrosis, vbi odoratissima & plurima Æstate, radice perenni. In Germania ad Rhenum, reliquaque Gallia paucior & inefficacior.

STOECHAS CITRINA TENVIFOLIA altera siue Italica.

Descriptio. Virgæ ramosæ, quarum superiores partes albicant, lignosæ, in quibus *folia* similia foliis Stœchadis citrinæ Narbonensis, quæ tenuiora sunt, inferiora breuiora, vt in illa, alia quædã longiora vnciã: in singularum virgarum summimitate, vmbella parua corymbifera: corymbi parui minores quàm in Narbonensi, longiusculis veluti paruis squammis constantes, qui se explicantes, discum faciunt, in quo *flosculi* multis apicibus constantes: color qualis sit me latet: externus in sicca ad straminis coloré accedere videtur

Locus & Tempus. Hoc genus Stœchadis dedit mihi chariss. Frater anno 1595. nomine Heliochrysi Camerarii. Similem plantam virentem vidimus Stutgardiæ apud honestum Virum D. Seck anno 1608. florentem Iulio.



Helichrysũ Camer. Camer. in Epit. Matth. Helichrysũ vocat; in Hist. germ. Stœchadem citrinã præstantiorem, de qua ait. Idem de Hort. Elychrysum Creticum (Matthioli videlicet) appellat, & Stœchadé citrinam alterã odoratam Lobelii, cuius iconem acuratiorem se dedisse ait in Matthioli editione. *An autem* Matthiolus in Epitome per Elichrysum intellexerit, quod proponit Camerarius, iudicent lectores: si id intellexerit magna hoc loco inconstantia & incertitudo Matthioli: Hanc etiam quã Camerarius pingit, non ausim dicere eandem cũ Stœchade odorata Lobelii, siue Narbonensi, quã describit in Aduersariis. In Narbonensi flores non sunt minores, quàm in Germanica: nec eã formã sunt, quã suam Stœchadem citrinam præstantiorem pingit Camerarius.

Camer. not.

C. Bauh. phyt. Helichrysum 2. siue foliis longis copiosis: Dod. fol. lat. p. 268. Stœchadi citrinæ similis, sine icone: in Epit. secundum edit. Cam. Helichrysum quoad figuram, non etiam descriptionem. Hoc ait se Frater ex Apennino habere. Quod verò ego descripsi, & cuius portionem suã magnitudine apposui depictam, dono habui nomine Helichrysi à D. Agerio qui in Apennino collegit. An verò hæc respondeat Stœchadi citrinæ similis Dodonæi adhuc dubito.

An Cæsalp. lib. 12. cap. 13. Helichryson, quam recentiores Medici Stœchadem citrinam vocant, passim incultis, arido Solo nascens?

STOECHAS CITRINA TENVIFOLIA tertia, siue Neapolitana.

Helichrysũ Creticum. Helichrysum Creticum (vt videre est apud Matth. lib. 4. cap. 52. in edit. fratris C. Bauh.) planta est exilis, *foliis* longis, angustis, hirsutis, striatisque: *caulibus* angulosis, *vmbella* in summitate aurea, diuulsaque: *radice* tenui ac superuacua. Nascitur in Creta.

Ab. H. Lugd. p. 777. appellatur Elichrysum Creticum Matthioli: sine vlla descriptione. Item p. 779. Stœchas citrina Matthioli. Nescio quã in re differant Elichrysum & Stœchas Matthioli.

C. Bauh. phyt. Elichryson 3. siue foliis oblongis paucis Stœchadi citrinæ angustioribus: Helichrysum Creticum Matthioli fol. lat. & Helichrysum eidem icon, quoad iconem non descriptionem: hoc in Italia prouenit inter Neapolim & Puteolos, ne quis eum prædicta [videlicet tenuifolia altera, de qua præcedenti capite] eandem

dem censeat, illa enim numerosis angustissimis foliis: hæc paucioribus, longioribus, & illa latioribus est prædita. Apud Matthiol Elichryson 3. foliis Stœchadis citrinæ angustioribus: Elichrysum Creticum Matthioli & Lugdunensis.

Vires & Vsus. Stœchadis citrinæ, si Matthiolo credimus, radix excalfacit & siccat, aperit & abstergit, vt amariusculus indicat sapor: quin etiam nec adstringendi facultate vacat. Decocti flores, aut ex vino macerati, iocinoris obstructiones aperiunt: proinde datur vtiliter eorum decoctum, aut dilutú regio morbo, aut malo habitu affectis. Idem potum interaneorum vermes necat. Medetur tota planta omnibus cerebri morbis à frigido prouenientibus, nempe pituitosis fluxionibus, diuturnis doloribus, comitialibus, resolutis, & id genus aliis, siue eius decoctum sumatur in potu, siue herba ipsa in puluerem trita ex rhodomelle bibatur, aut oxymelite: In lixiuio addita non solùm præscriptis morbis auxiliatur, vbi eo caput abluatur, sed furfures quoque abstergit: & pediculos necat. Datur cum herba ipsa, tum eius decoctum ad vrinę suppressiones, siquidem renes expurgat, & vrinam pellit. Adduntur flores in fomentis, quæ ad vteri morbos frigidos, & obstructiones parantur. Stœchas citrina, inquit Lobelius, gustu est aromatico, medicato, acuto, & feriente, non nimio feruore subastringente: cuius doctiorum quorundam imitatione experta est admodum insignis vis, ad iecoris ex glutinosis succis ac vaporibus crassis intra tunicas discursantibus, diuturnos affectus. Pulmonibus verò inflammatis non impunè dari meminisse par est, sed affluxu pituitæ acidæ, serosæ, vel salsæ calefactis aut erosis: eóque tutiùs vertissent interpretes Dioscoridis, pulmonariis, vel peripneumonicis, quàm inflammationibus pulmonum.

Flores decocti Obstructiones. Vermes. Morbi cerebri frigidi. Furfures pediculi. Vrina suppressa.

STOECHADI CITRINÆ AFFINIS, capitulis paruis, raris, squammosis, in pappos euanescentibus.

Cap. XLV.

Descriptio



Citrinæ Stœchadis Narbonésis instar densè fruticat, *virgæ* tamen breuiores tomento candidæ, quas *folia* vestiunt Citrinę Stœchadis, sed longiora subinde, non minùs angusta, inoffensa marginum æquabilitate, tomento villoso subtus obsita: *capitula* singulorum ramulorum extremis imposita, aut singularia, aut bina, ac etiam terna, semunciá breuiora, squammata: *flores* coloris sordidi & obsoleti non aurei, quorum apices medii in pappos degenerant. huius plantæ idem ferè odor, qui dictæ Stœchadi. Monspelii hæc à me obseruata mense Septembri, & incipiente Vere in muris: item in colle circa Castelneuff. Suspicabar hanc meam plantam eandem esse cum Lobelii Stœchade citrina altera: Verùm dubium mouit mihi Clusius, qui has separare videtur.

H. Lugd. p. 778. dicitur planta nostra, Ageratú aliud quorundam, cui adscribit radicem candidá, tenuem, breuem, capillatam: corymbos aureos. An eidem p. 780. Stœchas citrina altera Penæ? *Ageratum aliud H. Lugd.*

C. Bauh. Phyt. Elichryson 8. siue siluestre angustifolium, quibusdam Chrysocome Dioscoridis & Plinii. Ageratum (inquit C. Bauh. in Animad. in Hist. Lugd.) aliud quorundam H. Lugdunensis sub Stœchade citrina altera Penæ denuò describitur, sed sine figura. *Elichryson silu. angustifol. Casp. Bauh.*

An Camer. apud Matthiol. in Hist. Germ. l. 4. cap. 58. Stœchadis citrinæ species inodora, ex semine facilè proueniens: nam quotannis se eo propagat: quidam Chrysocomen vocant. Puto Camerarium nostram intelligere: sed non placet inodoram & annuam dictitare. *An Stœchadis citrinæ species Camer.*

An Cæsalp. lib. 12 cap. 14. Chrysocome in petris tantùm nascens, copiosa in mœniis Pisanis: Fruticulus candicans, tenuis, ramosus: foliolis Helichrysi, rarioribus: in cacuminibus ramulorum singula capitula oblonga, squammosa, sine flore, sed squammis ad Solis repercussum aureis: semine abeunte in lanuginem. *An Chrysocome in petris nascens Cæsalp.*

An Tabern. Icon. & Hist. Amaranthus luteus 2. geel Rheinblum. *Suspicor* Compil. Tabern. iconem esse malam ex mutatione Stœchadis citrinæ alterius Lobelii: Compilator nullam proponit descriptionem. *Tab. mala*

Gerard. Amaranthus Galeni, Galeni Mothwoort. Mala figura Tabernamontani malè ponitur à Gerardo pro Amarantho Galeni, quem non nouit. *Gerardi mal.*

STOECHADI CITRINÆ AFFINIS capitulis longioribus.

Cap. LXVI.



Descriptio

Pedalibus, interdum etiam cubitalibus, crebris lignosis fruticat *virgis*, in multos ramos diductis, albo villo tectis: *folia* Stœchadis Arabicæ, infernè lanuginosa, incana, supernè ferè nigricantia, subinde videntur laciniata, in sicca plãta, fortè ex siccitate, ea corrugata sunt, sapore amaro: singulorum ramulorum fastigio insidet modò vnũ, modò bina, modò terna *capitula*, vnciam longa, teretia, squammis pulchrè scandulata, nonnihil rufescentia, papposum tomentum ipsis longiùs complexa.

Hanc Lobelius in Aduers. Stœchadem citriná alteram inodoram (& sic etiam in Icon. Plant. pag. 486. vbi eadem figura) appellat.

Clusius

Clusius assumpta Lobelii icone in post. Histor. (vbi p.327. Chrysocomen alteram inscribit) pag.326.pro Chrysocome tertia, siue peregrina secunda hoc modo describit, Pedalibus, interdum etiam cubitalibus, assurgit ramis, candicantibus & lanuginosis, quos Oleæ similia folia, longa, mollia, canâ lanugine tecta, per intervalla ambiunt: flores autem extremis ramulis pallentes, squammosi, vt Agerati ferè, insident: radices sunt nigricantes. Hanc alteram Chrysocomen Murciani *Mançanilla* nominè Chamæmelo communi appellabant, Hispalenses *Romero marino*, h.e.Libanotidem coronariam maritimam, Mauritani vrbis Granatensis incolę *Mistaun*. Bœtici referebant huius decoctum mirificè coli doloribus prodesse: qua facultate & præcedentem esse præditam verisimile est.

Chrysocome altera Clusii.

Libanotidis marina vires.

Synonyma

Inscribitur ab H.Lugd.p.779.Stœchas citrina altera, ac p.780.pro Stœchade citrina altera inodora Penæ describitur.Item.p.1387.pro Gnaphalio marino Dalechampii, vbi quæritur num hæc Impia Plinii lib.24.cap.19.potiùs fuerit. In figura Gnaphalii folia nimis angusta mihi videntur, nec etiam capitula omnia singularia, vt ab Hist. pinguntur, sed etiam bina & terna.

H.Lugdun.

C.Bauh.phyt.Elichryson 9.siue siluestre flore oblongo.

Tab.error.

An Tabern. Icon. & Histor. Amaranthus luteus 3.Geel Rhein blum. *Suspicor* Compilatorem Tabern.malè suâ icone imitatum Stœchadem alteram inodoram Lobelii, cuius non tradit descriptionem.

Gerardo dicitur Helichrysos siluestris, wild es goldlocks. Malè mala figura Tabernamontani à Gerardo ponitur sub falso titulo.

STOECHADI CITRINÆ ALTERI inodoræ Lobelii affinis, capitulis breuioribus.

CAP. XLVII.

Descriptio



ANonymos ad fratrè C.Bauh. per D.Doldiū missa, sesquipalmari *caule*, incanâ lanugine obsito, in ramulos pænè palmares diuiso, foliis vestito latioribus quàm Stœchadis citrinæ alterius inodorę Lobelii, codē tamen modo subtus incanis & tomentosis, suprà nigricantibus,nonnullis etiam sinuatis, nisi corrugatio in sicca id videatur demonstrare: reliqua ramulorum pars palmo minor, foliis nuda, tenuis, in summo cacumine vnicum gestat capitulum dimidio breuius, quàm iam dictæ inodoræ Stœchadis, crassius tamen, squammulis nigrioribus, angustioribus, & breuioribus compactum, pappo breui nec extra prominente plenum.

C.Bauh.phyt.Elichryson 10.siue siluestre, flore oblongo,Elichryso [præcedenti] simile.

Ex Italia allatum: in montibus enim prope Terracinum, teste C.Bauh.prouenit. Locus

STOECHADI CITRINÆ ACCEDENS Ialoux Paludano. CAP. XLVIII.

HOc nomine herbæ cuiusdam summitates & flosculorum capitula nobis missa, ad Stœchadis citrinæ,vel potiùs Gnaphalii recti squammata capitula accedentia, quæ tamen non citrina, sed cineritia sunt, vt Gnaphalii dicti,breuiora tamen, pilisque albis consita. E quibus flosculorum foliola candidissima emicant. His etiam foliola quædam hærent, Serpilli minora, subrotundaque, auersâ parte incanâ lanugine obsita, oppositâ obscurè virentia. D.Bernh. Paludanus misit cum hac inscriptione; Ialoux incognitum mihi. Descriptio

GNAPHALIVM MARITIMVM MVLTIS.



RAdix firmatur crassa, longâ, lignosâ,paucis admodum fibris donata, nigrâ:quæ *caules* emittit cōplures, dodrātales, crassiusculos, pilosos candidos, in quibus denso ordine stipata *folia*,oblonga, semuncialia, per extremum nonnihil rotunda, candida, quæ concerpta in floccos xylinæ lanæ penitùs abeunt,olei in lucernis bibula:ramorum fastigiis capitula in umbellæ ferè formam digesta, crassiuscula,candida, villosa, in medio lutea, in quibus *semen* longiusculum, album, in arcus formam incuruum: nullam ego in hac planta saporem animaduerto,quamuis de sapore & odore dicat Lobelius. Astringit magnopere & desiccat tota planta,nonnihil salsa,nec tamen ingrata, aut amara, aliquantùm aromatica odore, quadantenus citrinæ Stœchadis vel gummi Elemi. Descriptio

Plantam à me descriptam, asserui quondam Monspelio reuersus esse Gnaphalium Dioscoridis, ob descriptionem scilicet, quæ tunc mihi conuenire videbatur. Anno autem 1600. monitus per industrium virum D. Siluestrium Tedeschinum Pharmacopœum in Canna Cretæ,aliam plantam meliùs hâc cum Dioscoridis Gnaphalio conuenire,lubens mutaui sententiam,vt qui sim veritatis studiosus,& qui nolim ambitione & pertinacia eam oppugnare,vbi meliora mihi demon-

Sapor & odor Gnaphalii Dioscoridei non est.

strantur. Cæterùm plantam cum descriptione, & priori assertione (quam hîc retracto) misi olim Clariss. & gratiss. D. Præceptori Gesnero, à quo Camerarius figuram factam mutuò accepit, eámque, vt multas alias, apposuit Matthiolo, nusquam facta mei, aut Gesneri mentione.

De hac Lob. in Aduers. ait: Gnaphalium marinum: Coronaria vulgi. Γνάπτειν dicunt Græci vellere carperéue lanas aut pannum, vnde Gnaphalion quod Romani Centunculum nuncuparunt & Tomentariam, ac Plinius Chamæxilon (sic enim emendo, quod omnes etiam recentiores legunt Chamæzelon) appositè dixit. Figuram exhibet, & in margine Bombacem humilem, Gall. *petit Coton* nominat. Obs. p. 254. Gnaphalium. Icon. Plant. Gnaphalium marinum, & Coronaria vulgi, siue Bombax humilis. *Non* placet Lobelium in Obs. ei vires adscribere, quas suo Gnaphalio Veteres attribuêre. *Bombax humilis.*

Camer. hort. Gnaphalium marinum, planta tota albicans, exceptis floribus subluteis. In H. Matth. germ. itémque Epit. Gnaphalium: quod in Hist. ait latinè Tomentum appellari. Tab. icon. & Hist. Gnaphalium marinum, See Gnaphalium. Clus. Pannon. p. 496. Gnaphalium legitimum in mediterranei maris littoribus nascens. Item Histor. postr. Gnaphalium legitimum Dioscoridis. Hist. Lugd. pag. 1115. Gnaphalium Matthioli. *Tomentum*

C. Bauh. Phyt. & apud Matthiol. Gnaphalium 1. siue maritimum. In Animad. in H. Lugd. Gnaphalium Matthioli, pag. 1115. figura posita absque descriptione. Gnaphalium marinum tomentosū p. 1387. figura cum descriptione.

Gesn. hort. Gnaphalium marinum, vel potiùs maritimum. Videtur ipsi autem, vt propria manu ad plantam meam adscripsit, Stœbe Galeni. *Gnaphal. marinum.*

Marina littora Gnaphalio candicant [inquit Bellon. Obs. lib. 1. cap. 18.] nam quod ab Herbariis depingitur (de hoc mox dicemus) adulterinum est.

Gnaphalium marinum voco propter summam totius plantæ albedinem. Monspelii apud mare prouenit. Lugduni habui in horto. Vniuerso littore & sabuletis à Marianis aquis ad Ceti môtis radices & lacum plurima, alibi haud temerè occurrit Norbonæ. In Adriaticis littoribus non vidit Lobelius. Gnaphalium legitimum Clusii circa Calpen, Malacam, & Valentino regno mediterranei maris litore frequens obseruatur. *Locus & tempus*

Sæpiùs vsus est Lobelius surculis cum elichniis, qui viuidè alunt flammam. Olei quippe, cæterique pinguis liquoris potrix est.

GNAPHALIVM GERMANICVM.

CAP. L.

GNaphalium hoc palmæ & sesquipalmæ altitudinem vix ferè superat, *caulibus* pluribus donatum, partim rectis, partim in terram repandis, ramosis, canâ lanugine obsitis: quâ etiam pubescunt *folia*, Lauendulæ foliis paria, sapore citra morsum siccante: *flores* tum in extremis ramulis, tum in ipsis angulis, quæ ramorum diuaricationes deformant, sessiles ex luteo pallescunt, conferti: *radix* lignosa, alba, fibrosa. *Descriptio.*

Plantam à nobis descriptam, Herbam Impiam Plinii esse plurimorum consensu statuitur. Et inprimis quidem Matthioli testimonio confirmatur, dicentis. Fuchsius herbam quandam



pro Gnaphalio Dioscoridis ostendit, quā ideò fortasse Gnaphalium existimauit, quòd incana, tomentosáque conspiciatur. Sed mihi planè eā Fuchsius pro Gnaphalio depinxisse videtur, quam Plinius lib. 24. cap. 19. Herbā Impiam vocari tradit: quæ meritò Impia Plin. dici posset, quòd eius è Veteribus nemo, quantùm equidem legerim, præter ipsū meminerit. De qua is differens loco modò citato, eam his notis descripsit. Herba Impia vocatur incana, Rorismarini aspectu, thyrsi modo vestita, atque capitata. Inde alii ramuli assurgunt, sua capitella gerentes. Ob id Impiam appellauere, quoniam liberi super parentem excellant. Alii potiùs ita appellatam, quòd nullum animal eam attingat, existimauêre. *Hactenus* de Impia Plinii Matthiolus, qui in priorib. cōm. Gnaphalium Fuchsii nec depingit, nec describit, sed nec dum in postr. comm. delineat, sed picturā tantùm exprimit, ac Gnaphalium vulgare vocat, ita vt vel hinc appareat, eum id non nouisse.

Camer. apud Matthiol. Germ. dicitur Impia Plinii, vel Centuncularis, Gnaphalium verum quorundam. In Epit. Matthiol. Gnaphaliū vulgare, Impia Plinii, Herba torminalis. *Synonyma Herba torminalis.*

H. Lugd. p. 1115. Gnaphalium vulgare Fuchsii. Gnaphalium Fuchsio. Gesn. hort. Gnaphalium, Impia: Impia Plinii, & Gnaphalium quorundam. Cordo in Dioscor. Tomentum siue Centunculus, Gnaphalium. Anguill. epist. 11. Impia Plinii, Cartaphilago, quam quidam putant esse Gnaphaliū. Eur. Cordo Gnaphalium, latinè Centunculus, Albinus etiam dicta. Lob. in Adu. pag. 201. [vbi ad Stœchadem citrinam potiùs hanc referendā censet,] & Icon. Plant. p. 480. Gnaphalium vulgare, Filago, Centunculus. Obs. pag. 285. Gnaphalium vulgare, Centunculus, Impia Plinii. *Tomentum Cordo. Cartaphilago. Albinus. Stœch. citrina. Filago.*

Tabern. Icon. & Hist. & C. Bauhin. apud Matthiol. & phyt. (vbi tertium facit) Gnaphalium vulgare.

Dod. gall. lib. 1. c. 60. Filago, *Herbe à cotton*, Pilosellę species quibusdam, γναφάλιον Græcorum; Centunculum, Centuncularis & Tomentitia: Herba Impia Plinii. Dod. lat in fol. Filago, siue Impia. Quam primo loco describit, ac nonnullos Pilosellam quoque appellare ait. *Pilosella. Centuncularis. Tomentitia.*

Tragus in Hist. lat. lib 1. cap. 109. hanc secundo loco pro syluestri Heliochryso describit & depingit: in Hist. germ. autem primo loco sub nomine Rhurkraut pingit, & pro genere siluestri Rheinblumen describit, atque à quibusdam Fetzlin/ seu feldtkatzen à colore & mollitie dici: ab aliis Rhurkraut (hoc est Dysenterialem, gall. *Herbe de la disenterie*) & Hünschkraut / à facultatibus quas obtinet, appellari. Is inter vires alteram Amaranthi speciem in H. Lat. constituit. *Heliochrysos silvestris Trago.*

Cæsalp.

Cæsalp. Herba Impia, de qua Plinius.

An Ruellio Gnaphalium?

Bellon. lib. 1. Obs. cap. 18. fortè hanc intelligit cùm ait, Gnaphalium depictum apud plantarum Historicos spurium est.

Gnaphal. spurium Bellon. Sorba, vel siliqua Syriaca. Brunfelsius quoque Tom. 3. in Obs. ex Scrib. Largo fortè de hac ait: γναφάλιον Herba, Centunculus, vel Sorba, vel Siliqua Syriaca.

Turn. part. 1. p. 119. Centunculus, Græcè Gnaphalion, Germanicè **Rhurkraut**, Anglicè alicubi Cartaphilago, etsi alia sit vera Cartaphilago ab hac planta diuersissima. In Eboracensi agro dicitur **Cudweed**, vel **Cudwurte**. In Northumbria **Chafweede**/ quoniam ad intertrigines valet. Idem par. 2. fol. 11. Gnaphalium, Gnaphalium Dioscoridis, lat. Centuncularis, Anglis **dowuewede** / vel **Cottenwede**. Bis de eadem planta agit Turnerus.

Locus & tempus. Gnaphalium Fuchsii siue Germanicum puto me vidisse Monspelii verno tempore, & autumnali: Basileæ etiam vbi frater C. Bauh. duas esse species obseruauit: vnam flore albo, valde tomentosam: alteram flore luteo. Patauii vidi & Geneuæ virentem Octobri. Lugduni frequens est. Montbelgardi abundat in agris. Camerario autore nascitur in locis sabulosis apricisque aggeribus.

Vires & Vsus. Impia Plinii inter duos lapides trita feruet, præcipuo aduersus anginas succo; lacte & vino admisto. Mirumque traditur, nunquam ab eo morbo tentari, qui gustauerint. Itaque & suibus dari, quæ id medicamentum noluerint haurire, eo morbo interire. Sunt qui & in auium nidis inseri aliquid ex ea putent, atque ita non strangulari pullos auidiùs deuorantes: hactenus de Impia Plinius. *Altera* Amaranthi species [Gnaphalium Germanicum] authore Trago, easdem cum Amarantho Tragi (Stœchade citrina germ.) obtinet facultates, & præsertim pecorū ac armentorum affectionibus, quas Germani **die hinsch** appellant, succurrit. Resiccantem, ac nonnihil adstringentem facultatem Filago Dodonæi habet. Aqua ab hac destillata ad cancrum, præcipuè mammillarum, magni est vsus: conti... et enim occultos cancros ne exulcerétur, cum linteolis se...l in die imposita. Sunt verò & qui Asari foliis, huius aqua madefactis, non infeliciter ad cancros reprimendos vtantur. Qualitates & vires easdem huic adscribi, quas Gnaphalio veteres tribuerunt, testis est Camerarius. Herba contusa, inquit Lobelius, oleo maceratâ & coctâ, occiduæ Angliæ plebs, ad liuores, concussiones, cæsa, & verbera vtitur feliciter, menses etiam supprimit.

Pecora. Tempet. Aqua Cancer. Herba ad liuores.

GNAPHALIO VVLGARI SIMILIS. CAP. LI.

Descriptio. Plurimos ex *radice* breuiusculâ, denso capillitio comatâ profert *cauliculos*, palmares, ramosos, teretes, villo incano pubescentes, & in his similiter lanuginosa *folia*, nullo ordine posita, vnciam longa aut breuiora, dimidium culmum vix lata, neruo secundum longitudinē decurrente, sapore citra morsum siccante, inter quæ summis ramulis resident *flosculi* perquàm pusilli, conferti, staminulis è viridi flauescentibus compositi, in *pappos* facescentes.

Synonyma. Lob. Icon. Plant. p. 48. Filago minor. Dod. gallic. & lat. in fol. Gnaphalii seu Filaginis tertia species, lanuginosis coliculis, foliis, floribusque in cacumine priori similis [Gnaphalio virgato,] sed humilior ac multò minor: Filago minor: figura eadem cum Lobelii. C. Bauh. phyt. Gnaphalium 4. siue medium.

An Tabern. Icon. & Hist. Gnaphalium medium.

An Cæsalp. lib. 12. cap. 15. Herba Impia alia in montibus tenuior ac ramosior; tenuioribus corymbis?

Montbelgardi passim mense Iulio & Augusto floret. Filago Dodonæi minor cùm aliis locis sterilibus, arenosis, subinde circa aridos scrobes, in siluis & in neglectis agris: à Maio in Augustum vsque cum flore viget, atque his mensibus opportunum cum priore colligere. *Locus & tempus.*

GNAPHALIVM MINIMVM.

Lobelius in Obs. Belg p. 566. hoc Gnaphaliū sequentibus verbis tradidit: Gnaphalium minimum (ita etiam inscriptit in Icon. Plantar. p. 481.) aller minste Ruer cruydt/ palmi altitudine; flosculi Abrotoni maris, foliis albicantibus & tomentosis. *Synon.*



C. Bauhin. phyt. dicitur Gnaphalium 5. siue minus. Nos quale hoc sit, vt veritatem fateamur adhuc ignoramus, quia oculis nostris nunquam intuiti sumus. Si Lobelius natales in quibus collegit, annotasset, cultiores rei herbariæ studiosi meliùs hanc inuestigare potuissent.

GNAPHALIVM VVLGARE. tenuifolium.

Descriptio. Lignescit *radix* multis fibris capillata; haud secus ac Gnaphalio Germanico: *caules* multi, dodrantales, ramosi: *folia* vnciam longa, fili penè tenuitate, incondita, mollia, tomentosa, incana: *flosculi* & capitula per caules disposita, vt in prædicto Gnaphalio, sed pauciora, minoraque.

An Lob. in Aduers. p. 201. varietas germanicæ [Gnaphalii] maioris & secundum folia floridi, de qua ait. Interdū & aliam vidi in Germania Filaginem, etiam foliis & caule Stœchadis citrinæ & inodoram, alibi etiam flosculis non summo, sed inter foliorum interualla passim secundū lōgitudinē, ortis. In Belg. p. 567. **Ander Ruerkruyt**, Filago Germanica altera secundum folia florida.

An etiā Pl. icon. p. 482. Filago Germanica altera secundum folia florida? An C. Bauh. phyt. Gnaphalium 6. siue secundum cauliculos florens.

Locus & Tempus. Gnaphalio Germanico siue Fuchsii affinem, dico plantam in segetibus à me Basileæ inuentā, & mihi à Petro Turnero allatam, à se Heidelbergæ collectam. Montbelgardi abundat in agris etiam Octobri.

GNAPHALIVM RECTVM.



Descriptio. HVic Gnaphalio *caulis*, rectus & rigidus, dodrātem altus, teres, canáq; lanugine pubescens, nihilóque seciùs *folia*, magis tamen auersâ quàm aduersa parte, quæ in caule crebra, ordine nullo, nascuntur, vncias duas aut quatuor circiter longa, vix culmum lata vtplurimùm, carinata, sapore præter siccitatem nullo euidente, ex quorum alis secundum caulem, ab eius medio, ad summum vsque *capitula* oblonga, squammata, plura simul iuncta, ex viridi nigricantia, & nitida, in pusilla *stamina* ex herbaceo flauescentia dehiscunt: *radix* subest parua, nigra.

A Trago germ. hæc exhibetur sine descriptione sub titulo Rhürkraut. A lat. autem hoc nomine non tantùm pingitur, sed etiam pro Heliochryso siluestri describitur, vt ego quidem existimo. An verò hanc, vel Gnaphalium Fuchsii [quod secundo loco pingit] Polium alterū Dioscorides appellet inter nomenclaturas, difficile est iudicare: videtur enim vtramque sub nomine Heliochrysi siluestris describere. (*Heliochrysos silu. Trago.*)

Matth. in postr. comm. cum mag. fig. iconem huius apponit sub descriptione Leontopodii falsi. (*Leontopodium falsū Matth.*)

Lob. in Aduers. dicitur Gnaphalium tertium Anglicum folio longiore, perperam Leontopodium alterum Matthiolo: astringit, nonnihil amaricat, multùm exsiccat. Obs. p. 256. Chrysocome germanica, Pseudoleontopodiū Matthioli, & Heliochrysos silu. Tragi. Icon. Plant. p. 482. Gnaphalium Anglicum vel Belgicum folio longiore. In Hist. Belg. pag. 567. Engelsch Ruers cruydt. Dod. gall. Filiginis (herbe à cotton) secunda species. (*Gnaphalium Anglicum folio longiore Lob.* — *Filago.*)

Hist. Lugd. p. 1125. Chrysocome lanuginosa Dalechampii, quam quosdam Impiæ à Plinio memoratæ genus esse putare refert, quod doctis Herbariis iudicandum relinquit. Item p. 1344. Pseudoleontopodium Matthioli. Eadem planta bis describitur: prior descriptio seruanda.

Clus. Pannon. pag. 494. & Hist. post. Gnaphalii genus pedali aut ampliore caule, floribus à medio ad summum vsque fastigium inter longiuscula, mollia, incanáque folia nascentibus.

C. Bauhin. Phyt. Gnaphalium 7. siue maximum virgatum. Frater Herbam Impiam in montibus Cæsalp. credit, quod asserere pro certo nondū queo.

Gnaphalium virgatum in montibus inter Beffordiam & Masmunster abundat, & in monte Rossberg. Propè Montbelgardum eundo ad pontem Vauiaucourt. In monte *Balon* Augusto florens. In Alpium Pannonicarum variis locis, Clusio teste, prouenit. Tertio à Londino miliari opacæ siluæ cliuus multam alit, cis Tamesim. (*Locus & tempus.*)

GNAPHALIVM AD STOECHADEM citrinam accedens.

CAP. LIII.



Descriptio. RAdix huius spectatur parum fibrosâ, & nónihil lignosa: *folia* Gnaphalii, quædam tres vncias lōga, alia breuiora, culmum, vnum, vel duos lata, tomentosa, incana, mollia: *caules* villosi, albi, recti, interdū ramosi, dodrātales & cubitales: quorum fastigiis duntaxat *flores* hærent, & capitula ad Stœchadem citrinam accedentia, vel ad Gnaphalium montanum, ex squammis lucentibus constantia.

An Chrysocome altera Clusio? An Lob. Ic. Plant. p. 485. Chrysocome & Heliochrysos siluestris? An Tabern. Icon. p. 386. Chrysocome, Amaranthus Galeni, Stœchas citrina officinarum, Rheinblum / Mattenblum Hist. lib. 1. pag. 103. Stœchas citrina; Hæc etsi certè non sit nostra planta, malè tamen Tabern. accommodat multa nomina figuræ è Plantino desumptæ, quæ minimè conuenit cum Stœchade citrina officinarum. (*Tab. not...*)

Gerard. Chrysocome Galeni, Galens Goldilocks.

C. Bauh. Phyt. Elichryson 7. siue siluestre latifolium capitulis conglobatis.

Monspelii Autumno à me fuit obseruata, ceu & in Montibus circa *Esperon*. Eandem ni multùm fallor Lutetiæ vidi in horto Monachi. Vesontii inter plantas siccas celebris Medici Casenat pulchram plantam reperi ad quam partim facta mea icon.

GNAPHALIVM VNICO CAVLICVLO.

VNico assurgit Gnaphalium aliud Plateau [3. in Hist. post. Clusii] *cauliculo*, aliquot ramulis in diuersa se contorquentibus prædito, quos hinc inde sepiunt latiuscula, mollia & incana *folia*: ad ramulorum internodia nascuntur, inter foliorum congeriem, quina, sena, aut plura *capitella* simul congesta, ex flauo canescentia, multâ lanugine plena: *radix* inutilis, sed deciduo *semine*, noua

Descriptio



æ, nouæ plantæ singulis annis renascũtur.

In ficcioribus (quantùm memoriæ Clusio succurrit) agris, præsertim demessis segetibus, occurrit.

GNAPHALIVM ALPINVM PVLCHRVM.
CAP. LIV.

Descriptio



GNaphaliũ Alpinum *caulibus* est palmaribus, dodrantalibus, altioribus etiam, tomẽtosis, quos *folia* vestiunt lõga, angusta, villosa, trium, quatuorue vnciarũ longitudine, culmo latiora: summum fastigium *flores* gerit satis magnos, corymbatos, sapposos ex staminibus luteis atque splendentibus constãtes, sessiles, molli lanugine intertextos, in medio foliorum xyli carptam lanam imitantium radiatorum: *folia* propter terram multa, superioribus non multùm absimilia, statim è radicum satis crassarum, nigrarum multis fibris pullis capillatarum capitibus oriuntur.

Flos odoratus.

De hoc Iosias Simler. de Alpib. wüllblümen flos odoratus, est folio Pilosellæ, circa supremũ cauliculum folia multa, imparia, candicantia, lanuginosa, medio orbe quinque vel sex flores, inter quos medius plerumque aridus, & singulis lutei apices: radix arida, parua, summo cespite hærens: Tomenti speciem arbitror.

Non dubitat Matthiolus in post.comm.It.& Lat.cum magnis fig.quin planta, cuius hîc imaginem damus legitimum sit Dioscoridis leontopodium, ideoque Leontopodium verũ inscribit.

Lobel in Adu.p.202.Leontopodium, siue Pes leoninus dicitur propter villosam foliorũ & florum effigiem crus pedi annexum aliquantùm referentem. Is autem herbulam hanc montanam inde à Brunfelsii, Germanorũ aliorum Scriptorum temporibus inuentam & descriptam, ait, quæ non parum, foliis Rosam, seu Rorellam imitetur. Ego autem eam non inuenio apud Brũfelsium aut alios Germanos: in Obs.p.255.diuersam iconem à Matthioli figura posuit, quamuis aduers. Leontopodium referat: in Belgicis ait tantùm siccam sibi visã & priùs à Clusio obseruatã.

Gnaphal. Alpin. Clus. Gnaph. Matthioli est Leontopodium.

Gnaphalium alpinum [inquit Clus. in Pann. & hist.post.] videtur ea planta, quam Matthiolus pro vero Dioscoridis Leontopodio exhibet. Sed sine dubio Gnaphalii duntaxat genus est.

Tab. Icon. & Hist. Leontopodium 1. siue alpinum magnum magno flore: Leontopodium verum Matthioli, differens à Lobelii radice maiore quasi squammosa, & foliis longioribus. Eadem apud Matthiolum habet. Gesnerus ad herbam siccam propria manu scripsit: Gnaphalium montanum vel petræum dixeris.

Gnaphalium hoc Alpinum abundat in montibus circa Geneuam. In horto Ducis Florentiæ collegit I.H.Cherlerus. Prouenit, in scopulis Pannoniæ, Sneberg/Dürrenstein/& Ertschberg iugorum: floretque Iulio & Augusto.

GNAPHALII ALPINI PVLCHRI aliud genus.




PIngit hoc Lobelius in Icon. Plant. p. 484. hac inscriptione. Leontopodium siue Pes leoninus; In Belg. p.569. hoc titulo. löwen Dott. Cæterò, Leontopodium quod in Aduers. Lobel. refert ad Matthioli ab hoc diuersũ est, quod crassam & quasi ex squammis compactam habet radicem vt rectiùs à Clusio pingitur: cùm illi tenuius sit: vt rectè in Phytopinace annotat C.Bauhinus.

Tabern. Icon. & Hist. Leontopodium, species Gnaphalii, löwenfus.

GNAPHALIO ALPINO AFFINE Leontopodium paruum Lobelii.
CAP. LV.

Descriptio



DIoscoridi & Neotericis præterita hæc huic [iconi] effigie habituque toto conuenit, singulari dodrantali *cauliculo* & *folio* Gnaphalii montani densâ lanugine incanis: *flosculis* sũmo caule luteo pallentibus Gnaphalii mõtani, exili ligneaque *radice*. Et hæc Lob. in Obs.p.256. de suo Leontopo-

dio paruo, cuius iconem eodem titulo in Icon. Plant. p. 484. in H. Belg. p. 569. habet, vt & Tabern. in Icon. & historia, vbi Germ. Kleinen lötten-fuß vocat. C. Bauh. Phyt. dicitur Gnaphalium 12. siue Alpinum minus.

Gnaphalio Alpino affinem hanc plantam vidi apud fratrem C. Bauhin. inter eius plantas siccas, nomine Leontopodii parui.


GNAPHALIVM VMBELLATVM minimum.
CAP. LVI.



Descriptio. PLantula hęc vix vnciale magnitudinem superat. Ea aliàs vnica & simplex, aliàs in plures veluti ocellos diuisa, ex *foliis* constantes candicantibus, hirsutis, inter quæ oculus conspicitur minimi digiti vnguem ferè latus, asperiusculus ex flauo virescens. *Coliculos* etiam *foliola* vestiunt, prædictis minora, quæ sculptor (quæ esse solet eorum negligentia, vtinam non impostura) perperam fecuit. Sed nec ocellum asperiusculum rectè ad pictoris manum imitatus est. *Radix* ex meris fibris constat, ligneæ duritiei, nigris, contortis, ipsâ plantulâ longioribus. An sit hoc idē cum Leontopodio Lobelii Obs. p. 255. quod iconem attinet, asserere nec negare possumus.

In montis Ceti arenosis & maritimis sabuletis Maio florentem collegit I.H. Cherlerus, eâ nimirum parte, quâ lacum traiiciendo ad dextram rectâ versum tenditur.

GNAPHALIVM AMERICANVM.
CAP. LVII.



Locus. Descriptio. EX America delatum, indidémque denominatūm Gnaphalium, ad cubiti altitudinē assurgit, procerius etiā subinde adolescit, *caulibus* crassiusculis, multo candido tomento obsitis, medullâ fungosâ farctis, teretibus: quibus certâ serie *folia* adnascuntur, palmum circiter longa, semunciam lata, in acutum mucronem desinentia, supinâ parte virentia, triplicique neruo secundum longitudinem decurrente donata, inferiùs verò villosa & incana: *corymbi* summis ramis insident, multi, cōferti, tomento obsiti, quorum singulares *flores* ex argenteis retorridis foliis compactiles, papposa in medio filamenta, coloris rufi, aut melini, vel subflaui Clusio, qualis ferè in gnaphalio vulgari, comprehēdunt, quæ tandem in pappum aut semē mutata abeunt: *radix* subest lignosa, exsucca, serpentes de se propagines & fibras promittens, minimi digiti crassitudinem ferè æquat, nigra, ex laterib. nouos singulis ānis caules proferēs qui primùm emergentēs nihil nisi tomentum esse vidētur: tota Æstate flores producentes.

C. Bauh. Phyt. Gnaphalium Americanum Clusii. Item apud Matth. Gnaphalium latifolium peregrinum in horto Ill. D. Wirt.

Hanc primùm vidi Pfortzheimiæ in cultiss. horto, quem excolebat Höchstetterus anno 1593. cum copioso flore Nouembri. Mihi floruit Iulio & Augusto mensibus. Montbelgardi missa ab eodem Höchstettero.

PILOSELLA MAIOR ET MINOR QVIbusdam, aliis Gnaphalii genus.
CAP. LVIII.

Pilosella minor.



Pilosella maior.



Descriptio. HVmi fundit circumcirca oppressa ferè terræ *folia* oblōga, per extremum rotūda, incanâ lanugine obsita, infernâ parte, inter quæ surgunt *caules* palmares, aut dodrantales, etiam cubitales, tomentosi, candicātes, *foliis* vestiti lōgis, angustis: è quorum cacumine glomerati pendēt *flores* multi, iā maiores foliolis exsuccis, squammulis latioribus & breuioribus contextis, speciosiores, iam minores, è minùs pulchris squammulis angustioribus & longiusculis cōstantes, nunc candidi, nunc magis minúsue purpurantes, in medio apicibus multis, quibus succrescunt longi *pappi*: *radices* fibrosæ

ces fibrosæ repant Pilosellæ vulgaris in morem.

Lagopus Trago. Pilosellam minorem pingit Trag. lib.1.c.109. Lagopi titulo, quem Hasenpfötlin nominat.

Fuchsius licèt Pilosellæ alterum genus faciat, minoremque inscribat, quod tamen *κυὲ ὃς* sit, non concedit. Ex descriptione, inquit, Sole clarius fit, eam herbam, quæ à Græcis Myosotis, à Lat. autem Auricula muris dicitur, non esse Pilosellam: nam vt reliqua taceam, neque maior neque minor hæc Pilosella cæruleum flosculum velut Anagallis obtinet, vt non parum errent herbarii, qui Pilosellam alio nomine Muris auriculam appellari tradunt.

Lacuna Pilosellam aliam floribus purpureis appellat, negatque esse legitimum Holostium meritò.

Pilosell. minor Dodon. Gnaphaliũ. Dod.gall. Pilosella minor, Auricula muris non tamen vera. Lat. in fol. Pilosella minor, prior: sunt qui ad Gnaphalii genus referant, & Gnaphalium montanum appellitent, à quo non admodum differens: refertur etiam ad Leontopodium Dioscoridis cuius descriptioni non omninò respondet. Dodonæus Lobelii posteriores duas icones proponit, non tamen Iconum Plantiniarum priorem.

Lob. in Adu. Gnaphalium montanum, purpureum & albũ. Pilosella minor Fuchsii. In Obs. p.255. Gnaphalium montanum Aduers. p.202. Lagopus & Pilosella Tragi. In Icon. Plant. p.482. Gnaphalium mo tanum album. Item p.483. Gnaphalium montanum purpureum. Et Gnaphalium montanum suaue rubens. *Nulla* figura placet: in priore flores non ritè exprimuntur: aliæ duæ pilos habent nimis magnos.

Gnaphal mont. triplex Tab. Tabern. Icon. & Hist. Gnaphalium montanum album, weiß Engelblum. Et Gnaphalium mont. suaue rubens, Rot Engelblum. Figuræ hæ tres Tabernamontani nullum discrimen demonstrant: nostra ex Fuchsianis eam in memoriam reuocat speciem, quæ flore minore est: altera autem nostras est eius, quæ speciosiore flore cernitur.

Thal. Pilosella minor Dod. floribus candidis & purpureis Clus. Pilosella minor. Is non describit, quamuis flore aut omnino albo, aut purpureo, aut ex albo purpurascente, siue carneo esse scribat.

C.B. not. C.Bauh. phyt. Gnaphalium 8. siue montanum rotundiore folio: Lagopus 2. Trag. lib.1. cap.88. Et Lagopus 3. cap.109. Item: Gnaphalium 9. siue montanum longiore folio & flore. In foliis cum fratre non agnosco differentiam: in floribus potissimùm discrimen obseruo.

H. Lugd p.1116. Gnaphalium montanum Dalechampii.

Locus & tempus Plantaueram in hortulo meo Montbelgardi Pilosellam minorem Fuchsii, quam collegi prope *S. Germain* eundo Masmunster: Circa Geneuam in montibus obseruaui, Basileæ in colle iuxta vetus Castellum mense Maio. Copiosam vidi in valle Griesbachiana florentem Maii principio, flore maiore & minore, albo & purpureo. Appellaui autem Gnaphalium montanum multis annis priusquam Aduersariorum authores scripserint. Pilosellæ minoris Clusii mitioribus Hungariæ, Stiriæ, Morauiæ, Bohemiæque montanis & collibus herbosis duo aut tria genera inueniuntur. Quæ verò carneo dicitur flore, omnibus cæduis & apertis per Germaniam siluis atque arenosis tumulis ferè est obuia.

Facultas. Gnaphalium hoc montanum, tametsi vsum in medicina nullum habeat, est tamen naturâ valde reficcans & adstringens.

BACCHARIS DIOSCORIDIS Rauvvolfio.



Locus. *Descriptio* Peregrina & hæc quoque planta ad Libanum à Rauuolfio obseruata, cubitalis, *foliis* lanuginosis donata, Verbasci foliis, similibus tamen, & *caulem* vt in Tabaco, aut Hyosciamo Peruuiano Dod. amplexantibus. Summa occupant *flosculi* globosi, purpurascentes, densè stipati, vt in Amarantho luteo, aut Auricula muris Fuchsii. *Radicula* odorata Ellebori nigris similis. Rauuolfius sanè circa hanc titubare deprehenditur. Nunc enim (in Itiner. lib.2. cap.12. Dioscoridis Baccarum absolutè pronunciat: nunc (parte se.4. in Icon. No.285.) an Baccharis Dioscoridis sit, quæ à quibusdam Vnser frawen handschuch (nostræ Damæ chirothecam dixeris) nominetur, dubitat. Attamen planta hæc, quam se obseruasse in descensu montis Libani scribit Rauvvolfius, quæque plurimùm ad Dioscoridis Baccharin accedere ipsi visa est, ex notis quas illi tribuit, teste Clusio, potius ad ea Gnaphalii montani genera referenda videtur, quæ à Fuchsio & aliis plærisque Pilosellæ minores appellantur.

H. Lugdun. not. In Hist Lugd. in append. p.31. Baccharis Dioscoridis titulo depingitur & depingitur. Hist. licèt ex Rauuolfio suá desumat, cum tamen non citat.

PILOSELLA PHLOMODIS exotica.



Descriptio HÆc primùm nobis visa apud Cl. Felicẽ Platerum Archiatrum Basiliensem. Pedalis autem est, nec dum *flores* ferebat, sed florum tãtum prima rudimenta. *Folia* ab imo statim lõgis & crassis pediculis annexa denso stipatu oriuntur, quædam ouata, quædã rotundiora, crassa, carno-

ſa: ipſo exortu holoſerico vellere donata, reliquâ parte totâ incanâ lanugine pubeſcentia, veluti Dictamnus falſus, aut Stachus, lætiſſimo aſpectu. *Caulem* etiam, qui vnicus eſt *folia* ſtipant alternatim hærentia, prædictis minora, longis interim craſsiſque pediculis donata.

Picta erat ex Lobelio antequam nobis innotuerat planta. Quæ Lobelii figura in hoc à Plateriana nobis iam deſcripta planta differt, quòd ea nec rotundiora exprimat folia, pluribúſque caulibus donatam ſcribat, nempe ternis quaternis, quadrangulis, geniculatis. Radix durior, eodem teſte, lignoſa, fibris donata.

Synonyma

Lob. autem Obſ. p. 254. & Icon. Plant. pag. 479. ſuam plantam pingit hoc titulo. Piloſella maxima Syriaca. Tabern. Icon. & Hiſt. ita inſcribit: Piloſella maior Syriaca, Piloſella 4. Groß Syrisch Mausöhrlin. C. Bauh. Phyt. vocat Piloſellam 4. ſiue Syriacam nondum viſam.

ABSINTHIA VETERIBVS

Cap. LIX.

Abſolutiorem Abſinthii tractationem tradituris, Veterum de eo placita primò inſpicere conueniat.

Abſinth. amarum & ingra. Theophr. Abſinth Ponticum

Paſſim autem à Theophraſto in hiſtoria plantarum his & ſimilibus deſcribitur. Quædam amaræ plantæ, aut mali odoris, vtiles tamen: eodem modo & folia & caules, vt Abſinthii & Cétaurii. Hoc oues in noſtro tractu non paſcere quidam dicunt. Quæ autem in Ponto paſcunt & fiunt pinguiores & pulchriores, & vt quidã aiunt, non habent fel (vna amaritudine, alteram pellente, inquit Tragus:) ſed hoc non ad præſens inſtitutum. Cur verò pecora maximè pingueſcant hoc pabulo, id euenire videtur, quia effarctus liberet hepatis, vnde facilior diſtributio alimenti. Eſt enim inſignis hepatica Abſinthium, quippe in hydropicis remediis ferè ſolennis. Abſinthium, pergit Theophraſtus, mutatur ratione cultûs: loca algentia quærit.

Bathypicrō.

Dioſcorides Abſinthium Bathypicron cognominat, id eſt, intenſæ amaritudinis, ſed tanquam notam herbam non deſcribit: præſtantiorem ex ipſa eſſe tradit, quæ in Ponto & Cappadocia in monte Tauro appellato naſcitur. Abſinthium inter ſpuria ab Aegyptiis Somi vocatur, à Romanis Abſinthium ruſticum.

Genera Plinio. Santon Ponticum. Ponticum Italico amarius.

Abſinthii genera ſunt plura, inquit Plinius: Santonicum appellatur à Galliæ ciuitate (regione Dioſc.) Ponticum à Ponto, vbi pecora pingueſcũt illo, & ob id ſine felle reperiuntur, neque aliud præſtantius multóque (multúmque M.) Italico (Italicum, Cæſalp. legendum putat) amarius, ſed medulla Pontici dulcis. Eſt & Abſinthium marinum, quod quidam Seriphium vocant probatiſſimum in Taphoſiri, ſhanc Stephanus ſic dictam vult, quòd Oſiridis ſepulchrum ibi eſſet, quaſi Oſiridos τάφ@-] Ægypti. De vſu Abſinthii dicemus poſtea.

Abſinthii probabilius genus eſſe Ponticum, affirmat quoque Apuleius, virtutis ſc. acerrimæ, feruentis & amaræ: naſci locis incultis Et hinc Ouidius:

Turpia deſertes gignunt Abſinthia campi:
Terráque de fructu quàm ſit amara docet.

Pulchra ſimilitudo D. Gregorij

Abſinthium amarum eſſe pulchra ſimilitudine oſtendit D. Gregor. Nazianz. in Orat. Apolog. dum ait. Citiùs quis parua malitia abundare incipit, quàm in virtutis cumulo vel parum proficitur. Quandoqnidem & modicum Abſinthium citò melli amaritudinem tribuit, mellis verò nec duplum Abſinthio ſuam confert dulcedinem. Et conuerterunt, inquit D. Hieron. in Amos cap. 5. dulcedinem iudicii in Abſinthii amaritudinem: aſſumentes iniquitatem & iuſtitiam derelinquẽtes. Item in Iob. cap. 5. Nouiſſima autem illius amara quaſi abſinthium: vide plura ibidem. Simile quid tradit etiam Lucretius.

Ac veluti pueris Abſinthia tetra medentes
Cum dare conantur, priùs oras pocula circum
Aſpergunt mellis dulci flauóque liquore.

Verebatur & Fab. Quintilianus ne liber ſuus parum mellis & Abſinthii multùm habere videretur, eſſetque ſalubrior ſtudiis, quàm dulcior.

Fuit apud Veteres Abſinthium herba funebris (autore Pierio in Hierogliph.) ac ideò eum in cœmeteriis plantabant.

Abſinthia tria Galeno. Ponticum. Santonicũ Seriphium.

Ad Galenũ noſter dirigatur greſſus. Aliud eſt, inquit, ab Abrotono Abſinthium, cuius tres ſtatuendæ ſunt ſpecies, quarum vnam eodem, cum genere ipſo, nomine appellitant: cuiuſmodi potiſſimùm eſt Ponticum: alterum Santonicum: tertium Seriphium. Si verò aliud placet appellare Abſinthium, aliud verò Seriphium, aliud autẽ Santonicum nihil intereſt. Quoniam hæc tum ſpecie ſeu formâ, tum guſtu, tum facultatibus inter ſe diuerſa ſunt, non obſcurè vno, ſi ita lubet, omnia nomine nuncupes: verùm exactè vires earum edoceas. Ac nos ſanè ſufficienter ipſas formas à Dioſcoride explicatas eſſe, aliiſque non paucis, iam diximus. His addit lib. 11. m. m. c. 16. Pontico adſtringendi facultas non parua eſt: in reliquis omnibus amara quidem qualitas eſt vehementiſſima, adſtrictio verò (quam ſaltem guſtu agnoſcas) aut planè obſcura, aut prorſus nulla ſentitur. Ponticum eſt tum folio, tum flore lõgè quàm cætera minore. Odor quoque huic nõ modò non inſuauis, verùm etiam aromatum quid præferens, reliquis autem omnibus eſt fœtidus. Libro tandem de Antidotis 1. c. 4. ait. Pater meus mel quoddam habuit ita amarum, ac ſi in Ponto natum foret, eo in tractu, vbi ex Abſinthio apes mel colligunt.

Pontici forma Abſinthiorum odor.

Serapionis Abſinthia tria.

Serapio trium tantùm meminit, quorum primum Aſinthium vocat. Alterum Cretenſe. Tertium verò eſt Santonicum: ſed de his paulò pòſt.

Abſinthij genera. Monachorum. Marinum.

Præter Abſinthium [ita namque Monachi de eius generibus] Romanum (vulgare,) naſcitur etiam in maritimis & montibus aliud, quod à Dioſcoride & aliis pluribus principaliter vocatur Abſinthium marinum, & ab aliis Seriphium, ſiue Seriphium & Abſinthium Ponticum. Eſt quoque & tertium apud Dioſcoridem Abſinthium, quod antonomaſticè vocatur Santonicum, ſeu Sardonicum, quia hoc vocabulum eſt etiam commune ad omnes Abſinthii ſpecies, ſecundum ipſum Dioſcoridem, & Plinium, & cæteros. Sicut *Sceba* apud Serapionem. Qui Serapio omnibus Abſinthii ſpeciebus Sceba nomẽ tribuit. Et hæ duæ vltimæ ſpecies ab antiquioribus & recentioribus ita confunduntur, vt nemo in præſẽtiarum audeat dicere abſolutè, quale ſit illud. Dioſc. nempe & Serapio, & alii plures tres tantùm Abſinthii ſpecies ſcribunt. Auicenna autem ſex, dicens: ſpecies eius quinque ſunt. Tarſenſis, & Suſi, & Nabati, & Coraſceni, & Romani. Et infrà ait: Et eſt etiam ex ſpeciebus Sceha. Et propter hoc vocauerunt ipſum quidam ſapientes Scheha Romanorum.

Vel

Vel saltem ponit quinque species. Quia hoc vltimum forsan non intendit absolutè esse diuersam Absinthii speciem: sed quod dicitur Absinthium Romanum, à sapientibus vocatum esse Secha. Verba etenim ipsius ad vtrumque sensum possunt deduci. Platearius quidem duas tantùm scribit Absinthium habere species. Sed Simon Ianuensis authoritate Galeni, & ex libro antiquo de simplici medicina, enumerat quatuor. Pandectarius autem præter suprà dicta, habet etiamnum Absinthium dulce, quod declarat esse Anothum. Et Sticados citrinum, dicit esse Absinthium marinum. Item apud Hali filium Abbatem legitur Absinthium Græcum, quod si differat à Romano, nescimus. *Et alii alia* de Absinthio tradunt genera Nos autem dimissis omnibus aliis tanquam dubiis & incognitis, solummodò primo genere, quod est verum, notissimum & præstantius cæteris, & pro Romano, & pro Pontico, & pro Santonico vtimur. Hactenus Monachi. Absinthium secundum Mesuem Luminare maius ait esse multiplex. Ponticum quidem, vel commune, quod satis notum: melius esse illud, quod remotum sit ab odore Maris, & oriatur in terris liberis, & habeat folia alba, plana & læuia.

Platearius.

Ianuensis quatuor.

Tria Absinthii genera posuit Dioscorides: quoniam etsi tertium genus cum primo conueniret: discrepabat tamen quoad facultates. Secundum etiam genus licèt virtutibus cum tertio conueniat: in forma tamen minimè consentit. Primum verò à secundo & facultate & formâ dissentit. *Et alibi.* Nemo non cum Marcello consentit adscititium esse id, quod de Absinthio marino legitur apud Dioscoridem copiosissimum in Teucro monte iuxta Cappadociam gigni: quando clarum sit locum hunc longâ spatii intercapedine à mari distare.

Trium Absinthii generum discrimen.

Eandem hanc Marcelli opinionem, & veriorē meâ quidem sententia, ex Cornario tuetur H. Lugdunensis. Absinthii, inquit, tria sunt genera Dioscoridi. Vulgare, Marinum, quod & Seriphium nominant, tertium Santonicum in Gallia ad Alpes proueniens. Et totidem sunt Galeno, licèt plura Plinius statuat genera. *Geographiæ* peritus nunquam Gallicas Alpes in Santonum agro, vulgò *Saintonge*, existere credet, vbi crescat eiusdem nominis Absinthium. Adhæc in Aldino non σαντόνιον, siue σαντόνικον, sed σαρδόνιον legitur. Tertium hoc Pena vult ad Alpes Asiaticæ Galatiæ nasci, quas Sardonidas vocant.

Hist. Lugd. var.

Tanta est Seriphii, inquit Rocardus, & Santonici in qualitatibus similitudo, vt nisi forma discernerentur, vix qualitatibus ipsis fieri posse, nisi ab expertissimis, arbitrer. Quemadmodum & in forma cum Absinthio tanta est Santonici affinitas, quæ multis etiam eruditis imposuit, nisi qualitatibus ipsis iudicarentur. Quare non mirum videri debet, si in Absinthiorum examine, multi errores, multæ confusiones & hæreses occurrant. Est autem Absinthium [quod aliqui Bathypicron ex Dioscoride vocant, Arabes Secha ac etiam Sihe] fruticosa planta, cuius tres species statuendæ sunt Galeno, quarum vnam eodē, cum genere ipso, nomine appellitant: cuiusmodi potissimùm est Ponticum Græcis & Latinis omnibus, ab Arabibus interpretibus Romanum, Cretense & Græcum ab Hali-abbate cognominatum. Alterum Santonicum, tertium Marinum, quod aliqui Seriphium cum Galeno (Sericum & Erison Serapio) vocant. Non defuêre qui triplicem in species partitionem in dualitatem redigere conati sunt, similitudines illis multiplices tribuentes, quod cùm præstare nitûtur, in seipsis postea non constant. Quidam specierū numerum augent, fortè Auicennæ illius Arabis exemplo ducti, quem in simplicium doctrina cōfusum & præcipuè in Secha & Absinthii consideratione, nullus est, qui non facilè percipiat. Sic nouas cùm species in medium protrudere conātur, genuinarum penitùs ignari semper remanent. Quamuis porrò Absinthio proprium conuenienśque nomen inditum sit, Neotericorum tamen Commentatorum præcipua pars improprium esse arbitrata est, illique per Antiphrasin inditum, quod verò vt improprium à solo Dioscoride memoratur ex aliquorum ignorantia impositum Bathypicron proprium ac illi conueniēs esse asserunt. Quamuis à nullo alio Priscorum receptum sit aut memoratum. In hoc errore versantur, qui Absinthium vulgare Gallicum à Pontico nullo modo diuersum comprobare nituntur. Nec minorem erroris sui causam nacti sunt in Absinthii Romani Arabum interpretum denominatione, qui à Romanis ruinis, quiúe à Romano solo & sacris Romanorum ritibus deductum asserunt: quemadmodum & alii, qui ab austero & adstringente sicco sapore, quem quidam Ponticum vocarunt, Ponticum dici putant. Sunt & qui vi nulla, in Dioscoridis contextu particulà illâ, quâ vulgaris notitiæ herbam dicit, vulgare Absinthium, idem esse cum eo, quod in Ponto incolis vulgare existit, persuadeant. Quibusdam etiam vulgare à Pontico differre placet, vt minutum Absinthium pro Pontico officinis receptum Ponticum esse probent, vulgari nostro, nullum aliud nomen tribuentes, quam, vulgare Absinthium. Nonne & in marini appellatione sese tacitè opponere videtur, qui in Tauro mōte (à mari enim tanta itineris latitudine distat, vt quod in eo producitur Absinthium marini denominatione indignum dici possit) & Cappadocia prouenire Seriphium putant, loci in Dioscoridis contextu permutationem non aduertentes? Nonne apertiùs se opponunt Antiquorum placitis qui Santonicum a Galliæ Santonia ciuitate deductum esse negant, Sardoniumque Absinthiū vocari affirmant? Qui Santonicum nostrum vulgare à Pontico nihil specie differre, solùmq; accidentibus quibusdam, odore sc. & sapore quodammodò & foliorum magnitudine [quæ Santonici à Pontico differentiam constituunt] quod soli natura & cœli eueniat, arbitrantur. Sic enim authorum placita contorquent. Quidam vulgare nostrum Absinthium non audent Absinthii denominatione priuare, sed Dioscoridem insimulant de eo locutum, dum herbam vulgaris notitiæ esse dicit, & de Bulgarico minuto, quam de Pontico mentionem facit. Alii Galeni textum in contrarium sensum auertere conantur, methathesimque proponunt, vt vulgare Gallicum nostrum Pontico idem esse asserant, sed *iniuria* obiiciunt contra expressam Galeni mentem. Qui manifestam Absinthiorum differentiam deprehendunt optimo iure in triplicem, nec multiplicem distribui oportere arbitrati sunt. Nec est quod nobis Auicennam proponant, in quinque species Absinthium Antiquorum authoritate, distinguentem. Abrotonum a. cū Absinthio confundere videtur. Eum non secutus est Serapio, nec Mesues qui Pontico, quem Romanum vocat, contentus. In contrarium sensum dictum Bathypicron iudi-

Varia sententia circa numerū specierum Absinthii.

Error quorundam.

cabimus. A quibuſdam verò vnquam, ſic vocatũ fuiſſe nullus eſt qui memoriæ prodiderit, præter vnum Dioſc. qui potiùs vt aliorum placita (vt ſunt ferè Poëtarum, quidlibet audentium) ſe non ignoraſſe proderet, ab aliquibus Bathypicro dici teſtatur. Cognomen hoc vt aſcititium, minimeque Abſinthii naturam exprimens reiiciendum putamus. Optima verò ratione ἀψίνθιον proprium & naturæ ſuæ conueniens ipſi nomen inditum fuiſſe ἀπὸ τοῦ ἅπτεσθαι quod eſt tangere & manibus tractare, non autem per antiphraſim. Porrò nihil à noſtra nos ſubmouebit ſententia Bathypicri interpretatio, profundè amarum. Ponticum dicitur, non vt quidam Meſuæo improperare videntur, à Pontico illi aut potiùs interpretis appellato ſapore. Meſue enim ratione Arabs, qui nunquam Abſinthium Ponticum aut Romanum appellaunt &c. Fortaſſis eorum excuſanda potius venit opinio, qui Romanum ob id dictum fuiſſe credunt: quòd antiquis Romæ ruinis Abſinthium copioſiſſimũ proueniat, quàm eorum qui ex Romanorum ſacris obſeruationibus. Soli barbari interpretes, qui Arabum ſcripta Latinè barbarè verterunt huius denominationis verba fecerunt, quod ipſi Rumi dixerunt ſua lingua & Rom pronuntiant, hi Romanum perperam verterunt. Hali abbatis interpres multò præſtantiùs aliis Arabum interpretibus Rumi per Græcum vertit, quod alii per Romanum perperam exponunt. Eſt igitur Abſinthium Rumi ſeu Romanum nihil aliud quàm Ponticum aut Græcum, quod alio nomine Auicennæ interpres Nabathi vocat, ſed malè, & Serapio quod deferatur a Gallicia, craſſa illarum regionum ignoratione. Dioſcoridi Græco Abſinthium Ponticum vulgare fuit, Græciſque vulgarem herbam eſſe dixit. At noſtris Gallis Santonicum familiare, vulgare Abſinthium dicitur: Italis etiam vulgare Abſinthium eſt. Plinius herbam ob id facillimam vocat, quæ inuentu & vſu facilis exiſteret. Differunt tamen inter ſe ſpecies hæ, quantùm à Santonico Abſinthium. Illis ſubſcribere non poſſum qui Centronicum, non Santonicum legere rectiùs putant. *Et hæc Claudius Rocardus*, qui longè plura habet.

Abſinthium, vt ex Nonio Marcello de proprietate ſermonum refert Theſaur. linguæ Latinæ, neutri generis eſt Lucret. lib. 4. Abſinthia tetra medentes cùm dare conantur. Abſinthius genere maſculino Varr. Quinquatrib. Quid medico mihi eſt opus, nempe tuo, Abſinthium vt bibam grauem.

Vires & Vſus. Ex Abſinthio præſtantius eſt ſecundum Dioſcoridem, vt antè quoque dictum, quod in Ponto & Cappadocia in monte Tauro appellato naſcitur. Vim habet calefaciendi, adſtringendi, & biliosa quæ ſtomacho & aluo inhærent, depurgãdi. *Purgat. Crapula.* Ciet etiam vrinam & præpotum crapulam arcet. Sed & ad inflationes commodum eſt, & alui ac ſtomachi dolores, cum Seſeli aut Nardo Celtica potum. *Morbus regius.* Quin & ciborum faſtigia, & morbum regium ſanat cremor aut decoctum eius, quotidie trium cyathorum menſura potum. *Menſes.* Ducit & menſes tum potum, tum appoſitum cum melle. Commodum eſt & ad ſtrangulationes à fungis cum aceto potum: cum vino verò aduerſus Ixiá & Cicutam, & muris aranei morſum, & draconem marinum. *Venena. Angina.* Illinitur autem anginis cum melle & nitro: puſtulis nocturnis cum aqua: ſugillatis cum melle: ſimiliter etiam ad hebetes oculos, & ſanie manantes aures. *Ocul. Aures.* At decocti ipſius vapor ad aurium & dentium dolorem confert.

Decoctum verò cum paſſo dolentibus oculis pro cataplaſmate imponitur. Eſt & præcordiorum hepatiſque ac ſtomachi cataplaſma, in dolore & diutina affectione, tritum cum cerato cyprino: *Hepar. Stomachus. Hydrops.* ad ſtomachum tamen cum cerato roſaceo. Conuenit & hydropicis & ſpleneticis, ammixtis ad ipſum Ficubus, Nitro & Lolii farina. Paratur & vinum ex ipſo, quod Abſinthites appellatur, maximè circa Propontidem & Thracen, quo ad relata vtuntur, vbi febris abeſt: alioquin in æſtate propinant, ſanitatem efficere id putantes. Videtur etiam Abſinthium in arcas inſperſum, veſtes incorroſas ſeruare, illitúmque cum oleo, culices a corporis contactu abigere. Atramentum quo ſcribimus cremore Abſinthii dilutum literas (γράμματα Lat. βιβλία) tuetur, ne à muribus (à muſcis alii) corrodantur. *Succi nocumentum.* Exiſtimatur & ſuccus eius eadem opera efficere: Verùm in potiones ipſum improbamus, vt qui ſtomacho incommodus eſt, & capitis dolorem inducit. At quidam Amurca cocta ac ammixtâ ſuccum adulterant.

Facillimam herbam dicit Plinius, vtiliſſimam, ac ſacris Populi Romani peculiariter celebratã. Siquidem, inquit, Latinarum feriis quadrigæ certant in Capitolio, victórque Abſinthium bibit: credo ſanitatem præmio dari honorificè arbitratis maioribus. *Roborat ſtomachum.* Stomachum corroborat, & ob hoc ſapor eius in vina transfertur: Bibitur & decoctum aqua. Vetuſtiſſimè in vſu eſt: Bibitur & madefacti dilutum: Tritum rarò in vſu ſicut & ſuccus expreſſi: inutilis enim ſtomacho, capitique eſt, cùm ſit vſus decocti ſaluberrimus. Namque adſtringit ſtomachum, bilémque detrahit, vrinam ciet, aluum emollit, & in dolore ſanat: ventris animalia pellit, malaciam ſtomachi & inflationes diſcutit cum Seſeli & Nardo Gallico, aceto exiguo addito. Faſtidia abſterget, concoctiones adiuuat. Cruditates detrahit cum Ruta & Pipere & ſale. *Purgat.* Antiqui purgationis causà dabant &c. alii dabant contra Paralyſin: alii pueris folia in Fico: Sic vt amaritudinem fallerent. *Thorax.* Thoracem purgat cum Iride ſumptum. In regio morbo crudum bibitur cum Opio (Apio Dalechamp.) aut Adiantho. Aduerſus inflationes calidum paulatim ſorbetur ex aqua: iocinoris cauſa cum Gallico Nardo: lienis cum aceto, *Hepar.* aut pulte, aut Fico ſumitur. Aduerſatur fungis ex aceto: item viſco, Cicutæ ex vino & muris aranei morſibus, draconi marino, ſcorpionibus. *Fungi. Venena.* Oculorum claritati multùm confert. *Ocul.* Epiphoris cum paſſo imponitur: ſugillatis cum melle. Aures decoctum eius vaporis ſuffitu ſanat, aut ſi manat ſanies, cum melle tritum. *Aures. Vrina.* Vrinam ac menſes cient tres quatuórue ramuli, cum Gallici Nardi radice vna, cyathis aquę ſex. *Menſes.* Menſes priuatim cum melle ſumptum, & in vellere appoſitum. Anginis ſubuenit cum melle & nitro. *Angina. Epinyctida.* Epinyctidas ex aqua ſanat: vulnera recentia priuſquam aquâ tangantur, impoſitum: præterea capitis vlcera. Peculiariter ilibus imponitur cum Cypria cera (lege cerato cyprino) aut cum Fico. Sanat & pruritus. Non eſt dandum in Febri. Nauſeas maris arcet in nauigationibus potum: inguinum tumorem in uentrali habitum. Somnos allicit olfactum, aut inſcio ſub capite poſitum. Veſtibus inſertum tineas arcet. Culices ex oleo perunctis abigit, & fumo ſi vratur. Atramentum librarium ex diluto eius temperatum, literas à muſculis tuetur: capillum denigrat Abſinthii cinis, vnguento roſaceóque permixtus. *Et alibi:* Si natæ ſint erucæ, remedium eſt Abſinthii ſuccus, de-

cocti

coĉti inſperſus. *Item*: Ex cæteris herbis fit Abſinthites, in XL. ſextarios muſti Abſinthii Pontici libra decocta ad tertias partes, vel ſcopis Abſinthii in vinum additis.

Abſinthium inquit Galenus adſtrictoriam & amaram, & acrem ſimul qualitates poſſidet, excalfaciens pariter & extergens & roborans & deſiccans: proinde bilioſos ventris humores per egeſtionem infernam propellit, ac per vrinas euacuat. Magis autem quod in venis & bilioſum per vrinas expurgat. Calidum primò exceſſu, ſiccum tertio: ſuccus autem eius longè quàm herba calidior eſt: Nos, ait lib. xi. m. m. c. 16. Si vel minima ſuſpicio ſit iecur ventriculumue laborare, abſynthium protinus oleo incoquimus, ac eas particulas perfundimus. Cùm autem duplex in omni Aſynthio ſit facultas & qualitas, vtique in Pontico adſtringendi facultas non parua eſt: in reliquis omnibus amara quidem qualitas eſt vehementiſſima, adſtrictio verò (quam ſaltem guſtu agnoſcas) aut planè obſcura, aut prorſus nulla ſentitur. Proinde Ponticum ad iecinoris & ventris phlegmonas eligi præſtat. Odor huic non inſuauis, verùm etiam aromaticum quid præferens: reliquis autem omnibus eſt fœdus: quare hæc fugienda, illo autem ſemper vtendum.

Herbæ Abſinthii, inquit Apuleius, & Marrubii, & Lupinorum paria pondera in aqua mulſa cocta, vel in vino auſtero, bis aut ter in vmbilico impoſita, necant lumbricos. Commendatque idem Abſynthii ſuccum contra fungorum venenum: & ſurculi Abſynthii & Marrubii geſtationem contra intertrigines.

Ex Meſue. Abſinthii vires & vſum perſpicuè declarat Meſues. Abſinthium, inquit, cùm ſit multiplex, Romanum eligimus, foliis albis, leuibus & planis, non aſperis, odore iucundo, Abſinthium marinum nihil imitante, lectum in terra libera, calidū ordine primo, ſiccū ſecūdo, in quo etiam calet flos. Conſtat ſubſtantia duplici, vna calida, amara, nitroſa, purgante, obſtructa liberante; altera terrea, ſtypticā, partes cogendo roborante, largiore, præſertim ſiccatum. Cùm autem ſubſtantia eius calida ſit ſuperficiaria, vbi ſumptum eſt Abſinthium, ab ea prior fit actio: à terrea ſtyptica poſterior, per quam comprimendo ſoluere nonnulli malè ſunt opinati. Bilem enim flauam & aquas, à ventriculo, inteſtinis, hepate, & venis vacuat, etiam interdum per vrinas. Pituitam enim non vacuat, aut maximè paucam, licèt phlegmagogum quoque eſſe Auenzoar cenſuerit. Abſinthium à putredine vindicat, præcipuè potu quotidiano vnciæ vnius, vel duarum vini, aut aquæ cui infuſum aut incoctum fuerit, vel aquæ ex eo ſublimatæ. Siccum idem pannis interpoſitum à tineis vindicat & tutos reddit. Partibus attritis aut contuſis præcipuè cum melle aut vino & pauco Cymino calfactum, & appoſitum mirè confert. Si vino, aut aqua, aut oleo, cui Abſinthium & radix Cucumeris agreſtis incocta fuerint, ſpongia merſa & expreſſa temporibus alligatur, hemicraniam ſanat. Auris quoque ſuffita vino aut aqua, cui incoctum fuerit Abſinthium, dolore, tinnitu, ſurditate liberatur. Acetum autem aut vinum cui incoctum ſit Abſinthium cum cortice Citri, oris fœtorem à gingiuarum & dentium, vel materiarum in ventriculo putredine emendat. Idem præſtat aqua eius diſtillata. Succus Abſinthii cum nucleis Perſicorum, vermes aurium & aliarum partium enecat, & educit. Abſinthium ventriculum & hepar roborat, appetentiam excitat, obſtructiones tollit, & inde natos affectus, vt Icterum, Hydropem: febribus putridis etiam diuturnis confert. Abſinthium innocenter ſumitur, ſucco tamen lædit ventriculum, ob nitroſum ſaporem. Quia autem imbecilliter ſoluit, Roſæ, Fumaria, Serum lactis, Spica, Vua paſſæ purgatæ illi miſcentur, vt meliùs & tutiùs purget. *Et hac Meſues*, qui contrarius in quibuſdam eſſe videtur Galeno, ac eum propterea ita conciliare ſtudet Siluius. Diuerſus Meſues Galeno tantùm eſt, quod ſiccum tertio gradu hic, ille ſecundo ſcribit. Quæ controuerſia in aliis ſimplicibus multis eſt inter Medicos etiam doctiſſimos, quorum vnus in fine (verbi gratia) primi vel ſecundi, alter in principio ſecundi vel tertii intelligit, quæ ambiguitas etiam Galeno ipſi eſt in Anetho, Praſio, Ruta agreſti & aliis permultis. Nam quod ſuccum eius dicit Meſues ob nitroſam qualitatem nocere ſtomacho ipſi Galeno id non aduerſatur ſcribenti, ſuccum longè ipſâ herbâ eſſe calidiorem.

ABSINTHIVM MARINVM VETERIBVS. CAP. LX.

Abſinthium marinum, inquit Dioſcorides, quidam etiam Seriphium vocant. Naſcitur plurimum in Taphoſiri Ægypti, quo pro Oleę ramo Iſiaci vtutur. Eſt autem *herba* exigui ſarmēti, Abrotono paruo ſimilis, paucis *ſeminibus* referta, ſubmara, ſtomacho incommoda, odore graui, adſtringens cū quadā caliditate. *Ex Dioſc.* Inter ſpuria Dioſcoridis marinū Abſinthium alii Santonicem vocant, alii Seriphion, Romani Santonicum. In Tauro circa Cappadociam monte, dicuntur pingueſcere eius pabulo maximè pecora.

Quod autem huius capitis initio habetur in Græcis codicibus, [illegible]: alienum eſt ab hoc loco, & ex ſuperiore Abſinthio huc tranſlatum ac ſuppoſitum. Oſtendit id etiam Plinius, qui eâ particula relicta, probatiſſimum in Taphoſiri Ægypti eſſe ait. Sicut autem hæc particula ad initium, ita alia ad finem accreuit. [illegible]. Aut enim in totum hæc redundant: aut ad ſuperius Ponticum Abſinthium referenda ſunt; quo pecora pingueſcere ex Theophraſto ac Plinio oſtenſum.

Seriphium aliud à Santonico non ſolùm voluit Paulus, ſed & Galenus lib. 6. ſimpl. medic. & Plin. lib. 27. Nec te mouere debet Dioſcorides, ſi Manardo credis, Abſinthium marinum à nonnullis Seriphion, ab aliis Santonicon vocari ſcribens: ſcis enim quàm inconſtantes ſint huiuſcemodi nomēclaturę, vt pro lib. to ab vnoquoq; cōfictæ: alioqui ſi vbique has ſequemur Abrotonū idem dicemus quod Abſinthium Ponticum, cùm eodem Dioſcoride autore, Romani ſic Abrotonum vocent, atque idem quoque cum Santonico: quoniam, vt refert Galenus, Abrotonū à Romanis vocari Santonicum ſcripſit Pamphilus. Vocet igitur vnuſquiſque prout vult, vt ait Galenus, modò ſciat res eſſe diuerſas. Tutius tamen eſt ſequi Antiquorum, pręſertim Galeni nomina, ne in rebus quoque ipſis labi contingat. Verùm & Dioſcorides ipſe, ſi emaculatus ſit codex, Santonicum rem diuerſam à Seriphio facit.

Vires & Vſus. Hanc coctā per ſe, aut cum Oryza & cum melle acceptā, aſcaridas & lúbricos rotundos necare, &

uiter aluum subducere, autor est Dioscorides. Posse & eum sapa, aut lenticula cocta eadem præstare. Hæc verò [Oues eà pastæ plurimùm pinguescunt] in hoc Dioscoridis textu redundant, & ad Absinthium Ponticum referenda sunt, vt habet Theophrastus & Plinius. Authore porrò Galeno simpl.lib.6.ipsum Seriphium Abrotono minus est calidum: verùm calidius Absinthio, stomacho impendiò inimicum, nempe cum amaritate salsedinem quandam præ se ferens. Sed & quandam, licèt minimam, adstrictionem obtinet. Sic & Abrotonū, & Santonicum admodū infesta sunt stomacho. Solum autem inter ea Absinthiū, & maximè Ponticum, gratum est stomacho, quia plurimam adstrictionem continet. Idem lib.8. Est Seriphium Absinthio tum specie, tum gustu simili: attamen discrepat, gustu quidem, quandoquidem non æquè, vt illud adstringat, plúsque excalfaciat, amaritatémque quandam cum salsedine resipiat: tum quòd stomacho infestum sit, magísque Absinthio lumbricos necet, siue foris impositum, siue intrò in corpus assumptum. Et sanè excalfacere ipsum in secundo ordine intenso recensendum est, exsiccare in tertio. Stomacho autem esse inimicum, prodidit quoque Plinius: aluum preterea mollire, pellereque animalia interaneorum. Bibi cum oleo & sale, aut in farinæ trimestris sorbitione dilutum. Coqui quantùm manus capiat, in aquæ sextario ad dimidias.

DE ABSINTHIO SANTONICO Veteribus.

Cap. LXI.

Varietas lectionis Dioscoridea.

Est & tertium Absinthii genus, inquit Dioscorides, in Gallia ad Alpes (ἐν τῇ Χ... ταῖς ἄλπεσι γαλατίας, legit cod.Basil.) plurimùm prouenien, quod vernaculâ voce Santonicum (σαρδόνιον exempl. Basil.) appellant cognomine ducto à Santonide (σαρδονίδι) regione ipsum producente: Simile est Absinthio, non tamen ita semine refertum, sed amarum & eadem facultate cum Seriphio præditum.

Galenus Santonicum à Santonia regione, in qua nascitur, appellationem habere dicit. Quæ de Santonico ex Plinio dicuntur, suprà recitauimus. Santonicum à Columella Santonica herba dicitur.

Santonica herba Columellæ.

Illud autem notatu dignum arbitratur Hermolaus, Santonicum Absinthio similius describi, quàm Seriphium, aut, quod idem sit, marinum: quoniam marinum Abrotoni potiùs, quàm Absinthii figura demonstratur, à Dioscoride & Plinio. Recentiores contrarium decernunt: & sanè videntur haud falsa dicere: marinum siue Seriphium docentes Absinthio quàm Abrotono similius: Santonicum Abrotono quàm Absinthio. Marinum certè id quod passim in littoribus & secus mare nascitur sapore salso, & folio albicante, notum omnibus, nihil ferè commune cum Abrotono habet.

Santonicum à Seriphio differt.

Dioscorides ipse, si emaculatus sit codex, teste Manardo, Santonicum rem diuersam à Seriphio facit. Pro verbo enim Sardonicum, legendum Santonicum. Quod nedum ex Galeni, Plinii, Serapionísque concordi sententia patere potest, sed etiam ex hoc quòd nulla est in Gallia Sardonis regio, sed Santonis: estque Sardonion alia herba, de qua Dioscorides inter Batrachii species, & l.6. inter venena mentionem facit, à qua Sardonius risus Græcorum prouerbium non bonæ famæ in vita, sicut Dioscorides, Paulúsque testantur. Et lib.4. Auicenna sub nomine *Sebardi*, licèt ignorauerit, de qua re scriberet, nec intelligi valeat quid scripserit, nisi ab iis qui ea quæ ille scripsit, alibi priùs didicerint. Obscuriùs quoque idem Auicenna scripsit de Seriphio & Santonico, libro 2. sub *Schee* nomine, in capitis principio, adeò vt ne diuinando quidem possis assequi quid voluerit: & ne in nostra tantùm editione putes difficultatem, consule etiam Hebræam, atque maiorem, non modò æquam, inuenies obscuritatem.

Absinth. Sardoni. Anguillaræ

Absinthium Sardonium licèt multi vocent Santonicum, inquit Anguillara, non inuenitur propterea vllum Absinthium in ea Galliæ regione, quod vel figura, vel qualitate huic sit simile: ac quod de Galliç alpibus legitur apud Dioscoridē, de Galatiæ Alpibus intelligendum censet.

Vires & facultates.

Eadem facultate cum Seriphio præditum esse tradit Dioscorides. Ad cæterorum, inquit Gal. simpl.6. Santonicum à Santonia regione in qua nascitur, nomen sortitur proximam habet facultatem. Seriphio paulò imbecillius in extenuando, & calfaciendo, desiccandóque. Peccant Recentiores, cùm in Pontici Absinthii penuria Santonicum substituunt, vt docet Aug.Ferr. Castig. cap.3.

ABSINTHIVM VVLGARE MAIVS.

Cap. LXII.

Descriptio.



Vulgatissimo Absinthio *caules* plures, lignosi, incani, multis ramis fruticosi, cubitales & tricubitales, interdum & altiores: *folia* Artemisiæ foliis paria, minutiùs dissecta, mollicella, tota incana, magis tamen pronâ, quàm supinâ parte, odore aromatico, gustu itē, sed cum pluscula amaritudine, coniuncta adstrictione aliqua: *corymbi* longâ serie vbertim in ramis vndique fuluo colore emicant, *semine* succedente minuto: *radix* crassiuscula, lignosa, abundè calfacit, aromaticâ gratiâ, sine omni amarore, totum os perfundens.

Icones.

Icon nostra est ex Fuchsianis, quæ ita empta: perplacet ea, quam habet Camer. in lib. Ic. Matthioli & in eiusdem hist. germanica.

Ex pluribus Absinthii generibus, Ruellius hoc lib.3. cap.20. vulgare vocat, gallicè *Aluine*, Ponticúmque cognominari ait, quod à Ponto veniēs, cæteris multò sit præstantius.

Eadem hæc pro suis recitat Tagault. l.2. purg. simpl.cap.10.

Cordus in Dispens. vocat Absinthium rusticū, calidiúsque

calidiúsque Pontico statuit, & nihil ferè adstringens. In H. Absinthium vulgare, & vbique nascés.

De hoc ita Sylu. de comp. medic. l. 1. ait. Nostrum vulgare Absinthium, sarmentosum, folio & flore multò maiore quàm cætera tria Absinthia Veterum, inter quæ comprehensum non videtur, nisi esse velis Absinthiũ primum Dioscoridis, quod vulgò notum dicit, & βαθύπικρον, vel potiùs ῥαιόπικρον vocatur: vulgò Aloina & Forte. Id autem si primum in Dioscoride recipias, quænam alia in eo statues?

Absinthium hoc, vulgare quoque esse ait Cornarius, & à Germanis wermut vocari, quasi impediens concitationem ad Venerem, vt quidam exponant. Hoc certè etiam nomine apud honestas fœminas, damnatum esse eius vsum, & maximè Vini & Zythi ex eo parari: nec facilè hos potus maritis eas permittere. *Idem alibi*, Absinthium Ponticum à Galeno descriptum, à vulgari hoc nostro diuersum esse genere negat, sed speciè saltem, & natali solo differre existimat.

Absinthium, quod Germani wermut appellant, propter insignes quas obtinet facultates, rectiùs weronmut, inquit Tragus, quasi dicas pellens tristitiam [nobis meliùs, prohibens alacritatem: weren enim, Germanis est impedire; mut verò alacris animus] appellari posset. Sic enim Ouidius 3. de Ponto.

Tristia deformes pariant Absinthia campi.

Idem 5. Trist.

Cana priùs gelido desint Absinthia Ponto.

Mantuan.

Et quoniam tecum virosa Absinthia potant.

Lucr. lib. 1.

Sed veluti pueris Absinthia tetra medentes.

Non tamen negandum est Germanis quoque dici posse werumnut duabus dictionibus, vt videtur Tragus nomen inde traxisse. Sed is authoritatem pro se non habet. Cæterùm lib. 1. cap. 111. vulgare Romanum, seu Ponticum Absinthium nominat, eoque Apitiũ cõdiméta factitare solitũ fuisse tradit. De hoc tandem loquitur cap. 112. Absinthium quod Dioscorides in Ponto prouenire scribit, hoc nobis in Germania quoque prouenit.

Absinth. absolute

Quod absolutè dicitur Absinthium, notissimũ est. Sed quia dicit Mesues in syrupo de Mentha: Recipe Absinthii Romani. Sciendum quòd ferè omnes pharmacopolæ Romæ decipiuntur, sumentes pro Absinthio Romano, illud quod in muris vrbis Romanæ [de quo pòst] oritur, de quo minimè author intellexit quodque à peritis diuersa Absinthii species iudicatur: Et in veritate est. Negligentes illud [de quo intellexit autor] quod in partibus Romæ propinquis oritur. Largo enim modo per Absinthiũ Romanũ intelligitur omne illud Absinthium, quod sponte intra Italicum nascitur solum. Quia vt plurimùm & Dioscorides & Galenus & cæteri autores, cùm dicunt aliquid Romanum, intelligunt illud esse Italicum. Vt exempli gratia: Apud Dioscoridem cùm citantur Romani, intelliguntur Latini, scilicet Itali, qui sunt veri Latini. Aliud efficacius exemplum: Scribitur à pluribus autoribus & præsertim Auicenna, Gentiana Romana, Pœonia Romana, Spica Romana, & alia plura, quæ non tantùm Romæ non sunt, sed nec prope Romam ad multa miliaria nascuntur. Qua de re talibus in locis, necessariò pro Roma, Italia, & pro Romano, Italicum intelligendum est. Quod clariùs ostendit ipse Mesues, dicens. Absinthium multiplex est, sed illud quod intendimus nunc, est Absinthium Romanum, melius, remotum ab odore maris, & quod oritur in terris liberis. Si igitur intellexisset pro Absinthio Romano, illud quod nascitur in ruinis vrbis, non dixisset: Melius est, quod est remotum ab odore maris, sciens Romam non esse in maritimis positam. Vnde necessarium est dicere omne Absinthium Italicum, etiam & quod oritur circa mare [non obstante quod sit non bonum] esse Absinthium Romanum. Et ex hoc sciendum est, quod murale iudicio plurimorum est malum: vnde pro Absinthio Romano accipiendum est illud, quod [vt dicit autor] nascitur in terris liberis, habens folia latiora lenia & plana. Quodque non est ita aridum, & pluribus Italiæ locis copiosè habetur, & hoc etiamnum à Romanis [teste Dioscoride] vocatur Absinthium rusticum, & Absinthium absolutè vbique à Latinis, siue Absinthium Italicum, vt in Plinio legitur. Quod enim Plinius dixit Italicum, id Mesues, Auicenna & cæteri Romanum dixerunt. Nos dimissis omnibus aliis Absinthiis, tanquam dubiis & incognitis, solummodò primo genere, quod est præstantius cæteris, & pro Romano & pro Santonico vtimur: sed illud quod oritur in terris mari non vicinis, & montanis, melius est. Amaritudo in Absinthio solummodò in superficie consistit, intrinseca est optimi saporis cum aliqua dulcedine, quod apparet in cauliculis mundatis à cortice. Hinc enim est quod aqua ipsius sublimata est dulcis. Hactenus Monachi.

Fuchsii genera

Fuchsius ex Dioscoride & Galeno tria Absinthii genera statuit. Horum primum esse ait, quod Romanum, vulgare, seu commune vocant; id quod passim in Germania nascatur, quod Allobroges retento nomine vocant, *la Romaine*. Officinis etiam Absinthium Romanum dicitur Huius generis esse quod à Ponto regione, in qua nascitur, Ponticum cognominetur. Is errare scribit Monachos, quando in syr. de Absinth. vulgare & rusticum esse accipiendum Absinthium censeant.

Absinth. Vetus Bellonii

Absinthium Ponticum vocat Bellon. Obs. lib. 2. cap. 112. ac nulla in re differre ait à nostro hortorum, nisi quod albidius proueniat inter Heracleam & Iconium. Idem lib. 1 cap. 76. ait. Authores laudant Absinthium Ponticum, quod vidi venale & in vsu in officinis Constantinopolitanis, quod respondet in omnibus Absinthio, quod in nostris hortis prouenit, eo excepto quòd Ponticum spontè proueniens reperitur. Admirandi nobis occasio, plurimos nostræ Europæ dubitantes de hoc Absinthio nolle pro vero vti: sed pro eo assumere malam herbulam, speciem Abrotoni, nullius efficaciæ, derelicto nostro culto, quod verum Ponticum, quo abundant montes inter Ror & montem Sinai.

Absinth. Matthioli

Prodidit Galenus m. m. lib. 11 c. 16. τὸ Ποντικὸν Ponticum tum folio, tum flore esse lõgè quàm cætera minore. Equidem nullo alio discrimine alterũ ab altero dissidere crediderim [inquit Math. in Diosc. lib. 3. cap. 23.] quàm climatis temperie & foliis & floribus nostrate minoribus, & adstrictiore facultate & odore. Mesues, vt Syluius doctissimè adnotauit, nescio tamen qua ratione ductus, Ponticum Romanum appellat. Monachi verò qui in eum Commentarios scripserunt, putant, magno quidem errore, id Mesue Romanum Absinthiũ esse, quod non modò in agro Romano, sed etiã in vniuersa Italia prouenit. Plinius lib. 27. cap. 7. Ponticum scribit multò

Italico amarius esse: in quo sanè Galeni sententię & refragatur, & errat. Volunt Patres qui Mesuem commentati, tantùm superficie tenus Absinthium vulgare amarescere, imis verò partib. dulcescere, ob idque gustui gratum esse. Vnde etiam aquam, quæ ab eo ignium vi distillat, dulcem potiùs quam amaram sentiri contendunt. Qua in re ii parum rem naturalem callere deprehenduntur: nam quod absinthii stillatitia aqua sit dulcis, non ex eo fit (quantùm equidem sentio) quòd Absinthium ipsum sit extima parte amarum, medullitùs verò dulce: sed quoniam cùm exteriores illæ partes, quibus amaror ille inest, admodum sint tenues, ac in vaporé facilè resolubiles, ignis calore tenuiores factæ, non magno quidem labore resoluuntur: eueni que ab hoc, vt stillatitia, quæ inde fluit, aqua omnis sit amaritudinis expers. Præterea dulcedo, quæ in ipsa inuenitur, non ab intimis Absinthii partibus emanat, sed eam tantùm à plumbeis instrumentis, quibus conficitur (vt diuturna docet experientia) prouenire comperimus. Nam ipsius dulcedinis qualitas non modò Absinthii stillatitia aquâ sentitur, sed etiā in quauis alia, quæ ex herbis temperamento calidis extrahatur &c. Mirari autem subit Matthiolum quòd dicat Absinthium Ponticum non differre à vulgari, & nihilominus diuersæ plantæ figuram ponat pro Pontico in Hist. germ. & postr. comm. cum mag. figuris. Matthioli etiam censura in Monachos & ratiocinatio non mihi satisfacit: cùm Absinthium non in vasis plumbeis destilletur, sed cupreis, cum quibus extrahuntur olea ex seminibus & herbis siccis aquâ addita.

Monachi contra Matthiol. defenduntur.

Absinthium vulgare, idem cum Pontico & Romano Absinthio esse, testatur quoque Amatus: in nihilo enim inter se quàm natali tantum differre scribit, & quòd in Ponto tātùm proceriùs crescat. Quod vltimum in Amato reprehendit Apollo rad. 1. in Dialacca magna.

Absinthium tertium, Santonicum vocatum à Santonib. Galliæ populis, apud quos magno prouentu gignitur, quemadmodum etiam hodie locis quàm pluribus nostris (inquit Cronenburg. de compos. med.) opinor Absinthium vulgare, quamuis id Syluio inter tria Absinthii genera Veteribus enumerata, non fuisse comprehensum videatur. Auicenna lib. 2. cap. 2. quinque species recenset, sed obscurat magis, quàm illustrat.

Vulgare hoc Absinthium, inquit Turnerus part. 1. pag. secunda non esse Ponticum, docere potest [etsi Dioscorides non describat, tanquam passim notum] comparatio aliarum herbarum cum Absinthio, vt Abrotoni & Santonici. Idē probari potest ex Galeno lib. 11. Meth. med. & lib. 6. de simpl. facult. & cæt. Cùm vulgare Absinthium, maius sit & magis fœtidum reliquis, longissimè absit necesse est à Pontico, oportetque esse potiùs Marini aut Santonici Absinthii speciē, potissimùm Santonici, quòd Santonia propior sit Italiæ, Germaniæ & Angliæ, quàm Pōtus, in quibus regionibus, propter vicinitatem, & cœli cōsimilem temperiem, verisimilius est maiorem esse debere Santonici, quàm Pontici Absinthii copiam. Errorem Matthioli secutus est eius simia Amatus Lusitanus, atque in eodem luto hærent Monachi. Idem pag. 12. Si locus sit coniecturę, nisi folia essent tam magna & fœtida, ego magnum hoc Absinthium [vulgare] censerem esse Santonicum, aut spuriam quandam eius speciem.

Vulgare Absinth. nō est Ponticū.

Gesn. hort. Absinthium commune [quod ad remedia vtilius est] spontè nascitur locis aliquot Heluetiæ arenosis, vt circa Rhenum superiorem, & saxosis montium, vt supra Riuarium lacum Wallestadii, alibique: item in altis quibusdam montibus Bernensium, sed multò minus, frigore, aut alimenti inopia: ita vt species diuersa videri possit: sicuti & aliæ multæ herbæ in montibus altis natæ, iis quæ humiliùs nascuntur, minores, solidioresque, & crassiusculis foliis sunt, vt Violæ nigræ, Bechium, &c. Coudenburg. in epist. ad ipsum scribit, se Absinthium Ponticum Veterum, ægrotis tam salutarem herbam hactenus desiderare. Esse qui pro eo vulgare nostrum horridæ amaritudinis, & adstrictionis manifestæ nullius, accipiant: alios verò Romanum.

Absint. hoc vulgare, non esse aliud à Romano & Pontico, sequentibus docet in Aduers. Lobelius. Noscitur ἀ[illegible] & ἄπτον, quia id pecus non pascitur, neque vlli bibitur, vnde βαθύπικρον (non Cαθύπηκρον, vt falsò, errore typographi, hoc in loco legitur) dictū. Cuius veri non nisi duæ videntur differentiæ, tametsi multæ sunt similitudines: quod namque vulgarius & amarius est, spōtè natum, vel cultum, Ponticum est, tum antiquis à præstantia & regione cognomine, tum recentioribus barbaris ab astrictione, quam illi Ponticū saporem, suâ, non latinâ voce appellant, quem laudabant in Absinthio Pontico, cuiusmodi est vulgatissimum, vbique peruium nostrum: sed natalibus commendatius. Et inter Arabes Mesues interpres idem Ponticum atque Romanum esse verissimè literis mandauit. Vnde pharmacopœorum tam sedula Romani conquisitio & exploratio etiamnum durat. Romanum enim, i. e. optimum, vti Camomillam Romanam, cæteris prestantiorem & genuinam expetunt. Quin ne Barbaros istud nomen Romani commentos se ignorare conqueratur noster Vercellensis Apollo, sciat Romanum istud commendatissimum inter paucas herbas & sacrum plebi Romanæ fuisse, quod quidem victori sanitatis præmio & quasi omine fausto propinabant, vt Plinius author. Et quod nostro æuo in Romano agro, antiquisque ruderibus passim visitur, non aliud à nostro est, & vtrumque Pontico idem est, &c.

Absinth. Pont. Mesue.

Bauder. eorum opinioni adhæret, qui Absinthium nostrum vulgare, scribunt esse Absinthiū verum Ponticum Dioscoridis, & Romanum Mesue, & quorundam, qui existimarunt Antiquis fuisse incognitum rusticum: Nostrum rusticum, inquit, verum est Ponticum Dioscoridis & Galeni: pro Pontico aut Romano semper ponendum: poterit dici Ponticum magnum.

Absinth. vulgare est Romanum.

Absinthium Ponticum cum Absinthio vulgari contra Galeni sententiam cōfundit Matthiolus, inquit Guilandinus in Theone. Insignem, me hercule, nouitium istum herbariorum ducem, qui tanto temporis interuallo nōdum didicit, binas Absinthii Pontici nomine plantas auctoribus venire. Ex iis altera cum Absinthio absolutè prolato conuenit, quod, Dioscoride teste, optimum in Ponto oritur. De hoc intelligit Galenus, quando Absinthii, libro simplicis medicinæ sexto, tria tantùm genera statuit, neque Ponticum ab absolutè prolato distinguit. Altera, Absinthium propriè Ponticum appellatur, non quòd laudatissimum Ponto proueniat, sed quod copiosissimum: quanquam & apud alias gentes nasci, nihil prohibet. Hoc Absinthium auctore Galeno, magis adstringit, quàm cætera, & amarum minus est: Adhæc aroma olet, reliquis fœtentibus. Postremò, foliis

mò, foliis & floribus longè, quàm alia Absinthia minoribus constat. Nec in Ponto tantùm, sed in Pannonia quoque; Romæ item & variis in Latio locis copiosè exit. Et hæc ex aliorum sententia retulisse sufficiat.

Autorum iudicium de absinth. Reliquum est, vt nostram de Absinthio hoc vulgari maiore proferamus sententiam. Quin igitur nostri absinthii vulgaris meminerint veteres, vix dubitamus, his Argumentis nixi. Primùm cum Theophrastus Absinthium recenseat inter herbas mali odoris & amaras, ac sui tractus oues eam non pascere scribat. Quæ huic omninò competunt. Nec odor omnibus æquus: gratus vni, ingratus alteri. Itē quòd Dioscorides vocet *βαθύπικρον*, vel, vt habet Apuleius, *βαρύπικρον*. Est enim tum multùm amarum, tum etiam cum grauitate amarum. Si præterea cui Absinthio folia Artemisiæ similia, huic certè sunt, sed paulò maiora. Competunt etiam quæ in Abrotono de Absinthio dicuntur. Sed conuenit & illud nomen additum ab Apuleio, Absinthium rusticum. Nec illud quoque renuit nomen à Plinio adiectum, Italicum: passim enim in Italia prouenit.

Synonyma Absinthium absinth. Vulgare Absinth. commune, Romanum, Santonicum, Ponticum, Latifolium, Rusticum, Maius. Absinthium dicitur Brunfelsi. Trago, Matth. Cord. in Diosc. & Hist. Lonic. (cuius pictura non placet, & meliùs arridet quam posuit pro Abrotono,) & Cæsalpino. Absinthium vulgare Fuchs. Gesn. app. Lacunæ, H.Lugd. Cast. & Tabernamontano. Absinthium commune Gesn. hort. (cui & Romanum) & Camerario. Absinthium Santonicum, Dod gallico: Absinth. Ponticum Ruell. & Trincauellæ. Absinthium vulg. Ponticum Ruellii Lobelio Obs. p. 433. Icon. Plant. 752. Absinthium latifolium Dod. lat. in folio. Absinthium nostrum rusticum Thalio. Absinth. rusticum Apuleio. Absinth. maius & vulgare Clusio. Absinth. commune rusticum Hort. Lus.

C.Bauh. phyt. & apud Matth. Absinthium 1. siue Ponticum, seu Romanum officinarum, seu Dioscoridis. Item phyt. Absinthium 10 siue pumilum multifido incano folio: Gesn. Alpinum humile: Pumilum Camerarii Clusio. *Varietas* *C.B. lapsus* est dependēs solùm à loco quare non separo hæc duò Absinthia: Gesnerus etiam non separauit. Gesneri quoque commune minus, ab eiusdem Alpino humili disiungere nolo, id quod Frater fecit, vt sub Absinthio vulgari montano monebo. Absinthium tandem pumilum Camerarii Clusio, non separo ab Absinthio Vallesiano Gesneri, cuius meminit Camerarius.

Nomina linguarum Ἀψίνθιον Græcis, ἀπίνθιον, Comicis *βαρύπικρον*, seu *βαθύπικρον*, & *ἀβίνθιον* nonnullis. *Laanah* Hebr. Amos 5. *Mirer* & *Meritura* Chald. Arab. Serapioni Absinthium, Stephano interpreti *Almatsm*, aliis Medicis Arab. *Asenesu, Sesurem, Abanlais, Barus, Bulengi, Bululengi & Liembali*: ab aliquib⁹ Zuriderdar, quo nomine alii Violas martias, alii Cydonia mala vocant. Quare videant, qui Arabes exponunt, ne quid pro quo interpretentur. Absinthium Lat. *Alosna* & *Absinthium*, ac *Herba fortis*. Ægypt. *Somt*. Germ. Wermût/Elß/Eltz/wiegenkraut / *Etymō germanicum* Vndt feld wermût/oder gemeiner wermût magis propriè: wermuth quidem quòd hominibus sua amaritudine omnem alacritatem adimat, aut Venerem inhibeat. Alii tenent nomen hoc à vi & facultate calefaciente adeptum esse, & hinc Saxones wermpten vocant. Nonnulli tamen wer-unmuth appellant, abigens tristitiam, propter excellentes & multi-varias virtutes & operationes, quibus eam depellat. Belg. Alsene. Brabant. Alsem & Alssem. Gallis *Aluyne*, *de l'Aluine*, *Absinthe* & *Forte*. It. *Assenzo* & *Assentio*: Romæ *Nascientio*, Venetiis *Bon Maestro*, & aliis Italiæ locis *Medico*, Tabern. Hisp. *Assensios*, *Alosna*, & *Al sua*. Angl. Common wormewood. Bohem. Pelynick. Polon. Piolúm oder Piolin. Hung. Irôm quib. etiam appellationibus reliqua Absinthii genera plerumque donantur.

Absinthii verò nomen Græci ab ἀψίθω [ἀψίθεσθαι malè legit H.Lugd.] id est, contrectando per antiphrasim deflexerunt, quòd nullum animal ob eximiam amaritudinem hanc herbam attingat: quam ob causam etiam Bathypicron, seu Barypicron nominata est. Veteres Græci Comici ἀπίνθιον, quasi impotabilem dixerunt, quòd hanc nemo propter insignem amarorem bibere possit.

Prouenit ferè vbique, & seritur, & per se quoque in hortis nascitur, autore Matthiolo; Clusio *Locus & tempus* verò passim per Hungariam, Austriam & reliquas vicinas prouincias, Absinthium illud maius, quod reliquæ etiam Europæ familiare est. Saxosa tamen amat, montosa, & inculta, teste Dodonæo: non rarò prouenit circa aggeres. Vbique & omnibus regionibus vulgare. Claraualllis locus in territorio Lingonensi, non longè à fluuio Alba, antiquitus dicebatur vallis absinthialis, propter abundantis tunc ibi Absinthii copiam, vt legere memini in vita S.Bernardi l.1. cap.5. Absinthium vulgare passim habetur in hortis & muris Castri, vnde transtuli in Hortum Ill. E.C. Montbelgardi, vbi copiosè colitur: optimum prouenit spontè in monte *Rosbed is* ditionis Episcopi Porentrutensis non longè à Blaumontio. Monspelii in hortis, & spontè inter Monspelium & Lugdunum: in ditione Basiliensium inter Liechstal & wasserfal: Basileæ quoque spontè in Sabaudia inter Lugdunum & Geneuam copiosè non longè à *Cormon*. Lugduni & Geneuæ, vbi vocant *du gros fort*, abundat in hortis, virens mense Nouembri, & adhuc Ianuario. Fallitur Turnerus, dum ait non prouenire *Turneri lapsus* in montibus. Absinthium, inquit, vulgare non in montibus, sed circa vrbes, fossas, viasque publicas, & locis cultis nascitur.

Lectores videant vires attributas Absinthio à *Vires & Vsus.* Veteribus, vt Diosc. Galeno, & aliis, antè recitatas, quas existimamus respondere viribus nostri Absinthii latifolii. Cæterum, vt autor est Tragus, flores Absinthii vino decocti & poti, aut in Autumno vinum ex Absinthio confectum, quod Absinthites vocant, continuò vsurpatum, appetitum edendi facit & fastidia discutit, quod non ignorant vinosi, qui vt appetentiam cibi contineant, vinum eiusmodi potare consueuerunt. *Appetitus* Absinthium cum Romano Cymino in vino decoctum & calidum haustum ad tormina & stomachi dolores facit. Commemoratas facultates a- *Tormina Aq. stillatitia* quæ distillatæ adscribunt, quanquam non perinde validarum sit virium, quippe quæ infirmioribus & pueris [qui omnes fortes medicinas ferre nequeunt] exhiberi debeat, mensurâ quatuor aut quinque cochlearium. Absinthium contrarias habet vires, nam aluum duram emollit, laxam verò coërcet. Opiliones flores Absinthii *Dosis Vires contraria* resiccatos & cùm sale tritos pecoribus & ouibus deuorandos obiiciunt: nam ex longa obseruatione perceperunt, Absinthium omnibus internis affectionibus mederi, neque tantùm dolores mitigare, sed & quęuis noxia expellere quib⁹ nōnunquam pecora nō minùs quàm homines infe-

Dolor capitis. *Oculi, Aures.*

stantur. Aqua Absinthii linteis linteolis temporibus illita, dolores sedat capitis, qui ex frigida oriuntur intemperie: eadem vesperi instillata oculis & auribus, claritatem illorum adiuuat, & dolores harum tollit: dentium, auriúmque dolores decoctum, vaporis suffitu compescit. Quidā

Mures. Cimices.

succum Absinthii linimentis lectisterniorum, aduersus mures tuendi gratiâ imponunt. Absinthiū aquâ decoctum, cimices abigit, si illo inferiores lecticæ partes illinantur, quod aliæ quoque amaræ herbæ præstant.

Febres.

Aduersus diuturnas & prorogatas febres, præsertim tertianas magno sæpenumerò præsidio fuisse testatur Dodonæus: neque enim ventriculum tantummodò confirmat, aut cibi appetentiam excitat, sed & iecinori robur conciliat, ac ipsum ab obstructionibus expedit, vitiosos humores per vrinam expurgans.

Sanguinis vomitus.

Conferre præterea Absinthium plurimùm etiam his, qui ex liene sanguinem profusum vomunt. Pellit præterea & interaneorum vermes, nō modò intrò assumptum, sed & foris admotum, aduersatur omnibus: Vestes etiam à tineis conseruat: cum oleo corpori illitum culices abigit.

Obstructiones viscerū.

Solenander dixit se obseruasse, quibus in pagis circa sepes frequens Absinthium luxuriet, in iisdem habitatores obstructionibus naturalium viscerum, ventriculi infirmitate, suffusione bilis plurimùm ita affectos, vt facilè, nisi prædictæ herbæ vsu, viscerum meatus reserentur, extersáque bile eadē roborantur, firmentúrque, in icterum primùm, post in aquam intercutē exorbitēt.

Gabr. Fallop. ad purganda corpora non fuit solitus vti Absinthio tum quia leuem admodum habere facultatem purgatoriam æstimabat, tum quia ingratum nimis iudicabat. Sed contrarium nos hodie experientia docet. Plura de Absinthio, qui desiderat, legat Aug. Ferrer. Castig. pract. med. cap. 3.

Succus.

Absinthii *succus* fit in Vere, vel Autumno, foliis tritis atque expressis, deinde paruâ coctione & residentia purgatus ante repositionē in vase angusti oris, superfuso oleo digiti crassitudine, vel in vesica inspissatus, seruatur per annum. Succus differt ab herba: hæc enim adstringit, ille verò magis aquosus detergit. Succum calidū ait Weckerus in primo gradu.

Aqua.

Herba circa finem Maii colligitur, contunditur, atque in vini pauca quantitate maceratur per duos, vel tres dies: deinde in aquæ feruentis vapore destillatur: vel per se absq; vino distillatur. Ad eadē prædicatur ad quæ herbâ, ceu iam suprà dictū. Aqua verò ex Absinthio vitreis organis & tepente balneo elicita, stomachi & iecinoris infarctus mediocriter expedit, & quod in venis bilosum est, per vrinas expurgat: iuuat arquatos, menses morantes ciet: stomacho negotium nō facit, capiti non nocet, autore Rubeo.

Syrupus.

Syrupus de Absinthio recipit Absinthii Romani lib. s. Rosarum rub. Vnc. ii. Spicæ Indicæ Drach. iii. Vini clari veteris, Succi citoniorum, singulorum lib. ii. semis. Macerantur in vase marmoreo, aut fictili denso per noctem vnam: deinde decoquuntur. Colaturæ adduntur Sacchari l. ii. Ita confecit s. a. Mesues. Ventriculum roborat & iecur, aliáque instrumenta nutritionis, appetentiámque excitat: contra regium morbum prodest, flatus discutit, humoréique per vrinam pellit.

Vinum.

Multiplicem atque adeò quotidianum, non modò ad voluptatem, ad honorem, ad luxum, ad ebrietatem, iam olim fuisse factitiorum vinorum apparatum, atque vsum Veteribus. sed ad conseruandam insuper & restituendam salutem, inprimis necessarium, cùm ex Dioscoride, Galeno, cæterísque Græcis, tum ex Columella, Constantino, Plinio, & aliis Latinis Scriptoribus, euidenter demonstrari potest. Qui etsi aliquot retro annis, quorundam negligentiâ obliteratus sit, non propterea in vniuersum est omittendus, quandoquidem haud pœnitenda auxilia, ex eo absque corporum labefactione, & fastidio consequi possint: vt meritò quispiam iuuandi proximi artem eximiam, in vino demiretur. Hoc itaque nos cognoscentes, eiusmodi vinorum genera suis simplicibus passim inserimus, quorum præcipua in paruis affectibus, consuetudo, familiari culinarióque vsu & remedio, nobis esse queat. Proinpe meritò de Absinthite, fama nunc plerisque omnibus celeberrimo, post hac agemus. Id variè paratur Dioscoridi, sex diuersis scilicet modis. Cæsar Constant. lib. 8. cap. 20. Absinthii Pontici tusi drachmas octo, linteolo non valde denso, illigatas in amphoram (quæ libras octoginta Romanas continet) vini conniicit.

Amphora.

Plin. l. 14. c. 16. Absinthii similis libram, quadraginta musti sextariis, ad tertias coquit. *Ita* multiplices apud antiquos, huius conditurae vsus fuerunt, quæmadmodum etiam ætate nostra: nam quidam vindemiarum tempore, Absinthium vulgare nostrum recens, quidem aridum indeterminato pōdere in dolium mundum coniicientes, mustum [quod omninò esse debet album, maturum, benè expressum] affundunt, & ita simul ad Solem feruendo, fermentandóque, per hyemem, seponunt. Interea si inde quippiam depromitur, rursus musto implentes, appetente tempore verno, colant.

Absinthites nostri temporis vinū simplex [illegible] promptè fiat.

Alii initiò mustum lento igne coquunt, cum Absinthio, ad tertias diligenter despumando, deinde torculari potenter exprimunt, & herbam in eodem musto renouant, postea donec deferbuerit, hiatū supernè relicto, sinunt: postremò studiosè occludunt, ne transpiret. *Alii* herbam sacculo comprehendentes, in feruidum mustum deponunt, simúlque per fermentationem, Absinthiten conficiunt. Qui sanè modi vt sunt efficacissimi in omni factitiorum vinorum genere, ita in primis retinendi ac consectandi. Etenim quemuis odorem, colorem, ac saporem vinum simplex purum facile attrahit, quia calorem in se continet, quo alliciendi potentiam, naturamque obtinet. *Sunt* qui quouis anni statu, siccati Absinthii, linteolo deligati partem, vino defæcato, pro suo quisque arbitrio, madefaciant, aut in eo ipso, occasione, siue necessitate sic ferente, ad horas aliquot, in vase occluso, suspendant, mox in vsum vertant. *Nonnulli* aromata admiscent, velut necessarium arbitratur Cronemburgius, Veteres secutus.

Absinthites diuersitas.

Breuiter, tot sunt hodie condiendi eius ritus, quot reperiuntur œnopolia, & hominum ingenia: nam vix paucos hodie inuenias, quos eadem parandi norma iuuet. Et notum est alioqui illud Horatianum lib. epist. 2.

Tres mihi conuiuæ propè dissentire videntur
Poscentes vario, multùm diuersa, palato.

Arnoldus Villanouanus Philosophus ac Medicus suo seculo doctissimus ad extremum libelli de vinis, hoc ipsum copioso elogio illustrauit. Aëtius quoque Amidenus triplici scriptura Absinthiaci præparationem, ad flatus & stercora euacuanda, ad bilem flauam, atque pituitam seorsum educendam, nobis scriptam reliquit, lib. 3. cap. 69. & sequentibus. A quo accepit Actuarius & Marcellus lib. de med. cap. 30. ponderibus rebúsque subinde tamen mutatis. Sed admiratione

ctione dignum in Aetii confectionibus, nullam fieri mentionem Absinthii, quod paucissimâ quoque dosi intermiscuit Marcellus. Imperator Carolus, eius nominis quintus, quotannis vinum ex Absinthio parari iubens, libras XII. Absinthii, ad Amas binas musti apponit: huncque Absinthitis vini conficiendi modum Dioscoridèis affinem tradit Cronemburgius. *Debent* autem in factitiis vinis, semper vasa ad summum impleri, alioqui vina in acorem corrumpuntur.

Vinũ Absinthites Caroli V. Imp.

Oleum Absinthium sic parabis. ℞ Comarum Absinthii Vnc.iiij. Olei omphacini lib.j.Insolata in vase vitreo, Absinthiumque mutato ter, veluti de Mentha in oleo Menthæ dicetur. Calefacit ac roborat ea, quæ sunt refrigerata, potissimùm verò ventriculum, excitat appetentiam, obstructiones aufert, lumbricosque enecat.

Oleum.

Sal Absinthii ita fit. Recipe Absinthii recentis quantùm vis, tere, distilla aquam per alembicum, calcina fæces vase clauso, igne mediocri, quousque in cinerem siccum vertantur. Sitque ignis cautio, ne materia priuetur propriâ & radicali humiditate, quæ non posset ampliùs nisi vitrificatoriam dare fusionem. Redde aquam suæ terræ, inhuma in fimo, vel balneo aliquot dies, effunde cautè, ne fæces turbentur, deinde filtra, postremò euapora filtrationem. Omnibus ferè morbis exhibetur vtiliter, præsertim in peste: aquam intercutem educit: vrinam mouet, ventriculum corroborat: Gesnerus scriptum reliquit, Theophrastum tria salis Absinthiaci grana cum vino ægris exhibuisse. Matthæus verò interdum drachmam dimidiam cum aqua Cardui Benedicti, interdum cum extracto Angelicæ, vel syrupo Berberorum, non sine magna vtilitate, exhibuit. An verò sal Absinthii, theriacæ, aliisque probatis antidotis præferri debeat, quod nonnulli statuere videntur, id non facilè dixerit. Hoc equidem affirmauerit, salem Absinthii putredinem potenter inhibere: à Theriaca verò mouendis sudoribus longè superari. Restat adhuc vnum, quod aliorum iudicio relinquit Matthæus, an sal Absinthii fauces & palatum insipidum reddat. Habuit enim ægros de eo conquærentes. Certum equidem est, lixiuium, ex quo sal paratur, quemadmodum & alia vulgaria, manus ita afficere, vt sensum tactus ferè amittant, adeoque suspicari licet sal ipsum ingrato læuore fauces oblinire, vt de saporibus exactum iudicium ferre nequeant.

Sal. *Salis Vires & Vsus Pestis, Hydrops.* *Pauredo.*

ABSINTHIVM VVLGARE montanum.

Descriptio

Vlgari Absinthio tam *radice*, quàm *caulibus*, nec non *foliis*, floribusque prorsus est simile, sed exilius, ad summum duorum dodrantum altitudinem attingens, amaritudo illi, quæ priori, sed gratior, & minùs tetro abominabilique odore commendatur. Nascitur in montibus pluribus in locis.

Camer. descriptionis autor in Epit. & Hist. Matthioli vocat Absinthium montanum, Germ. **Berg Wermut**, It. *Assenzo montano*, Hisp. *Al.sena montesina*, Gall. *Aluyne de montaigne*.

De hoc Dodon. in fol. lat. Absinthium latifolium reperitur in quibusdam frigidis Heluetiorum montibus, quod præ cæli rigore non attollitur, sed per terram serpit, vnde Supinum à nonnullis dicitur.



C.Bauh.phyt. Absinthium 3. siue Ponticum montanum, simile vulgari, nisi quod exiliora omnia, & amaritudo gratior: Absinthium montanum Camer. in Epit. Matthiol. p.455. Absinthium commune minus Gesnero.

ABSINTHIVM ARBORESCENS Lobelii. Cap. LXIII.

Descriptio



Vlgari non ita *folio* & *flore* dissimile, sed fruticis arborei habitu, Abrotoni modo hominis proceritatem adipiscitur: candidiore & minore paullò *folio*, semper virente. In Belgio aliquando emoritur, ob Hyemis & cœli inclementiã. Gustu amaro, aromatico, odore non ingrato.

Lobelio descriptori dicitur in Obs.p.435. & in Icon.Plant.p. 753.Absinthium arborescens; *Absinthium del Comasio* Anguillaræ.Dod.lat.in fol. Abrotonum fœmina arborescens. Camer.apud Matth. Absinthium arborescens, inodorum, dulce. Tabern. Icon.& Hist. **Baum wermuth**, Absinthium arborescens, Ital. *Assenzo de Comasio*. C.Bauh.phyt. Abrotonum 12.siue latifolium arborescens, Anguillaræ Absinthium del Camasso, Lobelio Absinth.arborescens.

Absinthium insipidum.

Meminit huius Cordus in Hist.sua de plant.lib.2. cap.82.his verbis. Absinthium dulce Artemisiam sapore æmulatur, figurâ verò Absinthium: *radice* nititur similiter vt Absinthium perenni.

Tabern.in hist.part.1.p.26.de hoc ait: **Gauch wermut**/Veteribus incognitum, potest dici Græcè ἀψίνθιον ἄπικρον: Herbariis Absinthium insipidum, saporis expers & fatuum. Italis *Assenzo bastardo*: vulgati Absinthio in omnibus simile, ex-

cepto quòd destituatur omni odore & sapore: colitur in Belgicis hortis.

Absinth. spurium Dod. Dodon. lat. in fol. Absinthium spurium externum secundum, foliis, caulibus, floréque vulgare latifolium refert, sed odore & sapore destituitur, vnde insipidũ appellatur, inodorum, & fatuum. Quibus locis aut quâ regione huiusmodi nascatur, nondum cognoui: in studiosorum tantùm hortis à me repertum. *Si* differt tantùm odore & sapore à vulgari, vt Dodonæus & alii dicunt, quid opus erat figurâ, ac eâ, quæ ab aliis pro alia planta ponitur nempe, à Lobelio pro Artemisiæ specie.

Vidi (inquit apud Gesn. horti Coudenbergius) Absinthium in alieno horto, vulgato tota facie, ac colore adeò simile vndiquaque vt ouum ouo, planè tamen insipidum.

C. Bauhin. err. C. Bauhin. Phyt. Absinthium 4. siue insipidum primum Gesnero, & Lobelio insipidum, Pontico supino simile, sed gustu expers. *Sed* cur dicitur supino simile non video, quandoquidem præcedentibus, vt apud Gesnerum, vulgato simile dicitur.

Vires Vt sapore & odore destituitur, ita vix vllius qualitatis calidæ, multò minùs expurgatricis facultatis aliquid possidet. Summopere cauendũ esse monet Dodonæus, ne tale aliquod (si alicubi occurrit) pro legitimo colligatur. *Cautio.* Odor perpetuò consulendus, atque vnà sapor.

ABSINTHIVM MARITIMVM LATIFOLIVM, siue Matthioli.



DEnsis *ramis* cubitalibus & altioribus fruticat, iisque lignosis, albicantibus, & magno foliorum agmine stipatis: *folia* verò tota incanâ lanugine pubescũt, modò integra & Oleæ foliorum æmula, delicata, modò in duas, tres, aut quatuor lacinias diuisa, odore Artemisiæ, nec ingrato sapore: *corymbi* lutei, minores, quàm Absinthii vulgaris, *semine* minuto: *radix* lignescit.

An Hermolao Coroll. 452. Absinthium marinum, siue Seriphium, Absinthio quàm Abrotono similius?

Matthioli Absinthii marini descriptio. Ἀψίνθιον θαλάσσιον, Absinthium marinum, cùm primum è terra erumpit, inquit Matthiolus, folio est Absinthio simili, crassiore tamen. Sed postquam adoleuerit, & caules ediderit, mutatis in longum foliolis, iisque præsertim, quæ vbique caulem ambiunt, Abrotonum æmulatur, non tamen foliolis est adeò paruis. Semen profert exiguum, copiosúmque, Abrotoni modo inter folia erumpens, atque in summitate caulis ferè racemosum, amari & adstringentis gustus. Eadem in post. comm. cum mag. fig. In Ital. vocat Assenzo marino. In Hist. verò germ. ait. Meerwermut prouenit apud mare, minora habet folia cõmuni Absinthio, præcipuè in caulibus. Hæc folia magnas habent diuisuras, cineritio sunt colore, & saporis amari, ab vna radice multos emittit caules, tenues, rotundos, albicantes, qui in extremitatibus ferunt semina densa, lutea, & amara, multò minora quàm in aliis generibus. Multas habet tenues radices, non profundas: tota planta grauis odoris, nonnihil adstringit. Eadem habet Matthiolus in Epit.

Nullibi Absinthium maritimum vidi (inquit Turn. part. 1. p. 11.) tam lato folio, vt exhibet Icon Matthioli. *Contra Matthiol.* Existimo eum loco Absinthii maritimi proponere legitimam Artemisiam, quam in Italia in littoribus vidi.

Lobel. in Aduers. Artemisiam marinam (ita quoque in Icon. Plant. p. 765.) vocat, eiúsque semen similius Absinthio communi quàm Artemisiæ tradit. In Obs. p. 436. Seriphium vulgare, Dioscoridis perperam putatum: Artemisia marina tenuifolia. P. 441. picturam habet pro Artemisia marina Aduersariorum pag. 341. & duabus picturis foliorum varietatem demonstrat.

Hist. Lugdun. pag. 943. Absinthium Seriphium, seu marinum Matthioli. *H. Lugd. error.* Pag. 946. Absinthium angustifolium Dodonæi, quod plærique Absinthium Santonicum esse volunt: alii Artemisiam marinam. Pag. 951. Artemisia marina Lobelii, quam pictam dedi nomine Absinthii angustifolii Dodonæi. Heus bone vir, si pictam dedisti, cur eam repetis? tres figuras, trésque descriptiones, vnius plantæ habes.

An Clusio in Pannon. & H. post. Absinthium marinum Patauinum.

C. Bauhin. Phyt. Absinthium 11. siue marinum Lauendulæ folio, ludens foliis, in hortos translatum Patauii collectum.

Tabern. Icon. & H. Artemisia marina, Meer Beyfus. *Tab. err.* Item: Artemisia marina maior, folio Artemisiæ angustiore & minore: Artemisia marina minor, folio Lauendulæ. Tabernæmontanus habet figurã tantùm vnam ex Matthiolinis, Absinthii eius marini folio non viso: an bene autem distinxerit iudicent Lectores.

Absinthium maritimum vidi Eslingæ apud insignem pharmacopœum Volmarium, *Locus & Tempus.* ex cuius ramo est pictura per Camerarium posita in Hist. germ. & Epit. Matthioli, vt iam dictum, in qua parte folia erant simplicia & non diuisa: Absinthium hoc Seriphiũ folia superiora habet Oleæ ferè similia, candida, hirsuta. Vidi Patauii in horto D. Cortusii in quo mirabiliter variant folia: quædam enim inferiorum non sunt diuisa, quædam verò sunt diuisa. Eadem varietas in superioribus quoque cernitur. Idem, ni fallor, cõspexi in horto D. Robin hortulani regii Lutetiæ, & postea apud Generos. D. à Schvvende in Bourque ad Rhenum, à quo habui plantandũ in hortum Ill. E. C. Wirt. Montbelgardi: vidi etiam Eslingæ. Si Matthiolo credimus, Seriphium prouenit in quàm plurimis tam Tyrrheni, quàm Adriatici Pelagi littoribus, præsertímque Aquileiensibus & Tergestinis.

Temperã. Calidũm siccum esse scribit Dodonæus, sed tamen haud intensè, multò certè minùs, quàm vel Absinthium, vel Lauendulam.

Absinthium Seriphium Turneri.

Absinthium vulgare, inquit Turn. part. 1. pag. 7. maius est, grauioris odoris, minúsque adstringens

gens, quàm Seriphium. Cùm igitur Seriphium maius ſit, minùs habeat adſtrictionis, grauiorique ſit odore quàm Ponticum, vulgareque in omnibus hiſce ſuperet Seriphium, neceſſariò ſequitur Ponticum differre à vulgari, non tantùm natalibus, ſed etiam magnitudine, odore, adſtrictione ac illud docetur falſum eſſe, quod ait Amatus, nempe Ponticum maius & procerius eſſe vulgaribus Abſinthiis, cùm aperte Galenus cōtrarium doceat. Idem p.9. Alterum Abſinthii genus, dicitur ἀψίνθιον θαλάσσιον, Latinis Abſinthium marinum, aut Seriphium, etiamſi in quibuſdam codicibus inueniam Seriphium. Verùm cùm Seriphus ipſa inſula ſit, videtur Seriphium potiùs nominandum eſſe Abſinthium; veluti ranam dicimus Seriphiam, hoc eſt, mutam, &c.

ABSINTHIVM PONTICVM vulgare, folio inferiùs albo.

Deſcriptio





NVmeroſas ſpargit *radices*, paruas, & crebris fibris intertextas, lignoſas, ſapore aromatico prædicas: *caules* verò ex eadē radice plures erigit, cubitales & ſeſquicubitales, teretes, glabros, vireſcentes, aut ex virore rubeſcentes, caneſcentesque, frequentibus adnatis, ab imo ad ſūmum vſque ramoſos: *folia* non minùs tenuiter inciſa quàm Abrotoni, ſed breuioribus, concinnioribuſque ſegmētis, breui lanugine pubeſcunt, potiſſimùm infernâ parte, quæ & magis caneſcit quàm ſuperior, odore ſuaui, ſapore ſubamaro: *corymbi* quàm in vulgari Abſinthio minores, melini, foliis vehementiorem ſpirant odorem.

Abſinthium Ponticum duorum generis Cluſio. Abſinthii Pontici duplex genus tradit Cluſius tam in Pannon. quam Hiſt. poſtrema. Vnum enim planè incanum eſt, quo potiſſimùm Vienenſes officinæ vtuntur, tanquam nobiliore, ità enim ſibi, perſuadent. Alterum purpuraſcentes habet cauliculos, folia non adeò incana, ſed internà parte viridiora: id à nonnullis ſuperiori præfertur: exiſtimo tamen natales iſtam varietatem duntaxat parere.

An Syluio in Meſ. lib.2. cap.12. Abſinthium Ponticum ſeu Cappadocicum Dioſcoridis & Galeni dicitur, Meſue Romanum? An eidem de compoſ. med. Ponticum, quod Romanum Meſuem vocare ſcribit, quodque hodie paſſim videri teſtatur?

Abrot. candidum ſeu fœmina Cordo. Cordo in Hiſt. nominatur Abrotonum candidum, ſeu fœmina, & hoc titulo ab eo etiam deſcribitur. Geſnerus addidit figuram, quæ non ſatisfacit.

Abſinth. Geterum Fuchſio. Abſinthii multa ſunt genera, inquit. Fuchſ. de comp. med. lib.1. vbi autem apud Veteres Abſinthii mentio incidit, non vulgare & quod omnibus notum eſt, vſurpandum erit, ſed Ponticum: quod non eſt, niſi id quo hactenus Seplaſiarii pro Abrotono fœmina ad ſua medicamenta vſi ſunt. Comam tantùm cum floribus ad medicamentorum confectionem adhibemus.

Abſinth. Pont. Matthiol. Pro Abrotono minori deſcribitur à Trago in Hiſt. lat. In Hiſt. verò germ. vocat Ein ſchön Stabwurtz / exiſtimauitque primò [& rectè] eſſe Abſinthium, nunc verò Abrotonum Theophraſti lib.6. cap.7. eſſe poſſe ſibi (falsò) imaginatur.

Matth. in Icon. Abſinthium Ponticum, Græcis ἀψίνθιον ποντικόν, Ital. *Aſſenſo Pontico*, in Hiſt. germ. Pontiſcher wermuth. Camer. ad Epit. Matth. ponit nouam iconem, Abſinthii titulo; Ad eiuſdē verò Hiſt. germ. duas icones, quas Matthioli figuræ non præferimus. Ponimus & nos duas, nō vt diuerſarum plantarum, ſed quia ita ſculptas accepimus.

Geſn. de hort. Abrotonum fœmina à Cordo exiſtimata, Abſinthii genus potiùs. An eidem Abſinthium Romanum officinarum Coudenbergio? Eidem Abſinthium Ponticum Fuchſii, non multi amaroris, ſpontè proueniens Tubingæ, aſtrictionis cuiuſdam particeps.

Ex Galeni lib.11. m.m. & 6. ſimpl. patet, inquit part.1. p.7. Turnerus eam plantam, quæ in Anglia Occidentali *Herbe Cypres*, i.e. Cypariſſus, vel Cupreſſus herba dicitur, circa Londinum Abſinthium Romanum; Pharmacopœis Antuerpienſibus & Meſuæ Abſinthium Romanum, Colonienſibus Graue cruyt / eſſe verum Abſinthium Ponticum, neque magnum illud vulgatum fœtidum Abſinthium, eſſe Abſinthium illud, quod pro Pontico proponit Galenus. Et pòſt, ſi Matthiolus, ſicuti debuit, Galeni auctoritatem curaſſet, debuiſſet, quodlibet trium (præter vulgare Abſinthium) Abſinthiorum, aut duorum ſaltem pro Pontico recipere potiùs, quàm vulgare: cùm præſertim vidiſſet duo hæc genera, vnum quidem Romæ, alterum aut in Italia, aut in Germania, aut ſaltem apud recentiores Germanos, præcipuè Fuchſium, & Tragum, ſub nomine Abrotoni fœminæ deſcriptū. Item p.12. Herbā illā, quam olim Santonicum Abſinthium credidi, puto fuiſſe Romanum mihi tum temporis ignotum. *Matth. not.*

Dod. Gall. Abſinthium Ponticum. Lat. in fol. p.24. Abſinthium tenuifolium, quod ait vulgò Romanum Abſinthium, & Roomſche Alſeue appellari, & hoc nomine compluribus medicinam facientibus ac pharmacopœis innotuiſſe, qui hoc Abſinthio Pontici loco vtantur. Videri verò Ponticum illud eſſe, quod à Galeno m.m. 11. deſcriptum ſit. Differens porrò hoc Ponticum

esse, ab eo, quod à Dioscoride cõmendetur. Nam Dioscoridis Ponticum, ex primi generis, siue Latifolii Absinthii esse numero: Quod & Galeni 7. simpl. cap. de Abrotono affirmet.

Absinth. Romanum Cronemberg. Cronemburg. Absinthium Romanum, quod alio nomine Ponticum vocari ait, ac multò minus amarum dicit, in compos. med. accipit, simpliciterque Absinthium intelligi tradit.

Lob. in Obs. p. 436. pingit his nominibus. Dioscoridis Galatium Sardonium Absinthium, perperam Santonicum vulgi, est Absinthium Romanum falsò creditum, Abrotonum candidum Cordi, & fœmina Fuchsii, foliis & similitudine quadam Achilleç, Ponticum Absinthium Dod. & Fuchs. Santonicum Ruellii. In Icon. Plant. pag. 755. hoc titulo. Absinthium Galatium Sardonium Dioscoridis.

Cæsalpino dicitur Absinthium Santonicum virens in horto Pisano, allatum ex Gallia, vbi indigenæ Abrotonum vocant.

Tabern. Icon. & Hist. Absinthium Ponticum Galeni, Pontischer wermuth: Absinthium minus, Absinth. tenuifolium, Auerrhoë Absinthiũ, welschen wermut/ vnd Grabkraut.

C. Bauh. Phyt. Absinthium 6. siue Ponticum tenuifolium incanum.

Locus & tempus. Horto Lusit. Absinth. Ponticum vulgare.

Matthiol. Absinthium Ponticum, inquit Matth. nascitur plurimùm in Ponto: quin etiam in Vngaria & Bohemia. Temerè quidem meo iudicio asserit Matthiolus in Ponto prouenire, quasi ibi obseruarit. Idem fortè facit Dodonæus, cùm ait. In Mysia, Thracia, Pannonia, aliisque vicinis regionibus frequens: in Belgio & Britannia hortense est: Autumno flores, seménque profert, paulò pòst Hieme aduentante herba marcescit, vegetà interim radice, à qua Vere folia caulésque rursus exeunt. Nonnullis Germaniæ locis frequẽs, teste Lobelio, in Flãdriæ & Angliæ hortis copiosa, & vsu multo expetita. In Galliis etiam aud ... haberi in hortis copiosè. Tubingæ spontaneum est, non longè à fluuio Nicaro. Florentiæ in horto Nicolai Ferrariensis: Lugduni in hortis frequens, vt & Geneuæ, vbi vocant *du petit fort*: Montbelgardi *du petit Cypres*. Absinthium tenuifolium quod doctissimis Medicis & Pharmacopœis Romanum dicitur prouenit in Germania apud Wormaciam, non longè à pago haselocke, item circa Spiram apud locum dictũ heylig graben/ authore Turnero. In Anglia verò, Frisia, & Germania inferiore, quod idem sciat, in hortis duntaxat nascitur. Spontè crescit non solùm multis Pannoniæ, sed etiam Austriæ locis atque Viennensi agro, cùm in saxosis, tum in salebrosis gramineisque desertis agris, autore Clusio.

Vires & Vsus.

Hydropi. Ponticum Absinthium efficacem vim obtinet ad aquam intercutem, vt Matthiolus iam sæpiùs experimento compertum se habere scribit. Equidem quosdam se nouisse ait hydropicos quasi deploratos, qui ex longo esu comarum eius, quæ ex saccharo asseruatę fuerant, sanitati restituti sint.

Conserua & apparatio. Eius parandi ratio hæc est. Sumito comarum recentium Absinthii Pontici libram vnam: Sacchari albissimi libras tres. Comas illas tundito in mortario lapideo: deinde iis optimè tusis saccharum in puluerem tritum adiicito. Rursus omnia simul tantisper tundito, donec in vnũ corpus redigantur: & deinde pixide vitrea recondita insolentur per mensem. Ex Absinthio ita saccharato, semuncia quotidie assumatur tribus horis ante cibum. Lobelius ridens Matthiolũ ait: Roomsche Alsen conseruam, in officiuis Antuerpianis & Belgicis paratam, mulierculæ mulo medicæ & clinicæ libentiùs emunt, quia non ita amaram, faciliùs deglutiunt: Deceptæ quidẽ, nam si caret amarore, igitur & facultate amica, & grato colore. Calidum est ac siccum, inquit Dodonæus, amaritudinis quoque, sed multò minoris, quàm latifolium (Absinthium,) adstringendi autem vis in eo superat. Vino impositam ventriculo vtilem statuit Camerarius.

ABSINTHII SPECIES QVIBVSDAM, Chamæmelum Chrysanthemum Fuchsii.
CAP. LXIV.



Descriptio. Simplice & singulari est *caule*, ferè cubitali, tereti, glabro, per quem ex interuallis *folia* nascuntur, Chamæmeli nobilis similia, tenuiter incisa: paullò supra medium caulem summo tenus, alternatim pullulant *flores*, corymbis Abrotoni similes, inferiores quidẽ semuncialib. & longioribus pediculis nixi, superiores verò breuissimis hærent, & veluti cauli apprimuntur: *radix* lignosa, tortuosa, multifida, fibrata.

Chamæmelum chrysanthemum Fuchsii. Chamæmelum chrysanthemũ vocabat descriptam iam plantã Fuchsius, cùm apud eũ esse. Vidi olim & collegi Eslingę in horto D. Volmarii Pharmacopœi.

Dod. in fol. lat. pag. 32. Reperitur in quibusdã frigidis Heluetiorum montibus, quod præ cœli rigore non attollitur, sed per terram serpit, vnde supinum à nonnullis dicitur.

Absinthium Ponticum supinum herbariorum Lobelio. Lob. Obs. p. 454. Absinthium Ponticum supinum Herbariorũ n. cauliculis procumbentibus, vnde supinum vocatur, folio & semine Absinthii arborescẽtis, odorę suauissimo, gustu aromatico, amaricante.

Absinthium repens Tab. Tabern. Icon. & Hist. Absinthium repens, Friedender wermuth/ Absinthium arborescenti simile, Absinthium supinum siue minus supinum.

C. Bauhin. Phyt. Absinthium 2. siue Ponticum supinum, Gesnero supinum, & Lob. Ponticum supinum. Item Absinthium 7. siue Ponticum repens, Absinthium repens Tabern. quod Eslingæ in horto D. Volmarii repentis nomine accepi, inquit C. Bauh. licèt sint qui Chrysanthemum vocitent.

ABSINTHIVM PONTICVM ET ROMAnum quibusdam, aliis Seriphium, & variæ de eo sententiæ.
CAP. LXV.

Absinthium hoc attulit mihi frater C. Bauhinus, qui Absinthium marinum ex Lic tuc, denomi-

denominabat, ac aliquatenus noſtrati ſimile aiebat, *foliis* minoribus, diuiſuris longioribus, tenuioribus, & anguſtioribus multò, candidis.

Dedit hoc idem Metis D.S. Albinus Medicus inſignis iā dicto titulo. Claudius verò Rocardus inſignis Pharmacopœus, qui libellum de Abſinthiis doctiſſimum conſcripſit, Troiæ mihi obtulit pro Pontico vero eandem plantam, & aliam pro Romano valdè ſimilem.

Abſinth. Seriphiū Camer. Camer. apud Matthiolum in Hiſt. germ. & Epit. Abſinthium Seriphium vulgò dictum, habet folium ſeparatim pictum, quod reſpondet Abſinthiis prædictis.

Abſinthium murale Monachorum in Meſ. diſt. 6. cenſ. 179.

Turn. part. 1. p. 6. Alterum Pontici Abſinthii genus in ruderibus Romanis proueniens. Figuram autem habet, cui titulum fecit, Abſinthiū Ponticum Romæ natum, ex qua nihil certi colligere poſſum, quia mala: prætereà eandem iterum poſuit p. 10. pro Abſinthio marino.

Abſinth. Ponticum Romanum Turn. Geſn. de hort. Coudembergius in Epiſt. ad me. Abſinthii Romani [inquit] ramulum, dedi olim Guill. Turnero qui Anglico ſuo herbario eius imaginem inſeruit: ſed periit mihi tum plāta abſque ſemine, Hyemis iniuriâ, nec id deinceps quauis diligentia licuit recuperare. Forma tota cum vulgato Abſinthio conueniebat, foliis tantùm paulò minoribus. Romā ſemen acceperam.

Anguill. epiſt. 10. de hoc dicit: Abſinthium Sardonium, quamuis multi Santonicum vocant: in ea Franciæ parte nullum inuenitur Abſinthium, quod deſcriptioni Dioſcoridis reſpondeat. Galatia eſt in Aſia nunc Natolia dicta, in qua Sardorum regio: Abſinthium ibi naſcens idem eſt, cum eo quod inuenitur in Boſnia & in Hungaria, reſpondens deſcriptioni Dioſcoridis. Hoc non reperitur, nec in Francia, nec in Italia.

Dodon. gall. Abſinthium Ponticum quibuſdā, in his regionibus [in Gallia] in quorundam hortis.

C. Bauh. phyt. p. 670. Abſinthium Ponticum Belli, Abſinthium Creticum, de quo hæc Bellus ex Creta ſcripſit. Abſinthiū in hac inſula frequētiſſime prouenit, perpetuoque viret, odorem gratum ſpirat, nihilque amarum eſt, aut ſi quam licum amaritudinem habet (in viridi enim nulla percipitur) ea valdè obſcura eſt. Ab aſinis & pecoribus, omnibuſque brutis valde expetitur. Folia tenuia profert & multum diuiſa. Ego legitimum Ponticum eſſe exiſtimo. Vocatur Apſtia, & non, quemadmodum Anguillarus in Græcia vocari aliquando perperam ſcripſit.

Abſinth. montanum ſeu Romanum Tab. Tab. Icon. & Hiſt. part. 1. p. 1. **Bergwermuth aut Römiſcher wermuth** / Abſinthium montanum, ſeu Romanum: differt tantùm à vulgari paruitate: eſt enim duos aut tres palmos altum, eadem amaritudo, ſed gratior, odor non ita grauis: prouenit paſſim in multis Germaniæ locis montoſis, hoc eſſet ſemper à Medicis & pharmacopœis ſumendum: eo tamen deficiente accipiendum quod ſupra muros prouenit, & in ruinis, aut ſaltem in agris ſiccis, & Soli expoſitis. Abſinthium montanum peritis Medicis, & circa ſtirpes bene verſatis. Dioſcoridi, Aëtio, & Paulo Æginetæ Abſinthium Ponticum, Meſue Romanum, Plinio Abſinthium Italicum: & quamuis prædictis præferatur Ponticum, Romanum & Italicum, quod vnum & idē Abſinthium eſt, noſtrum montanum nihilominus formā & viribus non differt, nec neceſſe ex Ponto, vel Italia accerſere. Errant qui diſcrimen quærunt. Serapioni cap. 14. ſimpl. & Meſarugie Arabico Medico apud eum Cuſcute Romanum. *Synonima.*

Hæc Tabernamontanus, qui pro Abſinthio montano, Lobelii figuram habet, cui titulus, Abſinthium vulgare Ponticum Ruellii & Dodonæi Abſinthium latifolium: quod Turnerus poſuit pro Pontico & Seriphio, ponit pro Abſinthio marino. *Tab. not.*

An Cæſalp. lib. 12. cap. 2. Abſinthii alterum genus in collibus argilloſis, vbi alia nulla viuit planta, frequens in agro Senenſi? Hoc breuius, inquit, at multò tenuius vulgari: paucioribus ramis, ac ſeminibus odoris minùs ingrati, ac saporis. Ex Dioſcoridis, Galeni & Plinii verbis patet, Abſinthium hoc exiguum, quod apud nos in cultis naſcitur argilloſis locis, eſſe quale Ponticum traditur.

ABSINTHIVM SERIPHIVM TENVIFOlium marinum Narbonenſe.

CAP LXVI.



Deſcriptio. ABſinthiū quod Seriphium Dioſcoridis legitimum eſſe videtur, multis fruticat *virgulis*, cubitalibus, ligneſcentibus, incanis: per quas *folia* ſunt crebra, tenuiſſimè diſſecta, latiora tamen quàm Alpini Abſinthii Geſneriani, cuius foliis alioqui ſunt ſatis ſimilia, minùs tamen candida ſunt mei Seriphii, ſapore ſalſuginoſo cum amaritudine, at primùm pullulantia, ſucculenta ſunt & viridia: *ſemine* grauidum euadit minuto.

Cluſ. in Pannon. p. 554. & hiſt. poſt. nominat Abſinthium Seriphium Narbonenſe & Hiſpanicum, ac id ſe nuſquam niſi in mediterranei maris littoribus obſeruaſſe meminit: hoc prætereà graueolentiā atque ſapore Miſnenſe ſuperare ait.

Eadem ferè Dodonæus tradit. Abſinthium Seriphium, inquit, circa littora exit maris mediterranei in pleriſque Europæ prouinciis, veluti in Narbonenſi Gallia, graueolentius eſt, ac minùs candicat, quàm Seriphium Belgicum.

An Camer. ad Epit. Matth. p. 457. & ad Hiſt. germ. tabellam habet hoc titulo: Abſinthii Santonici ſpecies maiuſcula & longiuſculis foliis?

Miror à Lobelio tum in Aduerſariis tum in Obſeruationibus omiſſam noſtram plantam, de qua hoc capite verba fecimus, niſi voluerit eam

comprehendere sub Seriphio vulgari: ait enim Absinthium Xantonicum vulgare in Gallia, non multùm differre à Seriphio vulgari.

Dodon. Absinthium Seriphium, circa littora exeuns maris mediterranei in plærisque Europæ prouinciis.

An Cl. Roccardo Absinthium tertium marinum?

C. Bauhin. Phyt. Absinthium 13. siue Seriphiū Gallicum, vel primum: Absinth. Seriphium tenuifolium Io. Bauhino libello de Absinthiis.

An Anguill. Absinth. Seriphium & marinum? An Bellonio Obs. lib. 2. cap. 66. Absinth. Seriphium: cap. 95. & cap. 112. Absinth. marinum & Seriphium marinum? An Tabern. Hist. part. 2. pag. 28. Paruum genus Absinthii, pulchrum instar paruæ arboris, altitudinis tantùm digiti, foliis similibus Absinthio montano, sed multò minoribus, quod quibusdam Tiberiadicum & Genezarethicum dicitur.

Ruellius, Cornarius, & Cordus aiunt, semen contra vermes, vel *Barbotinam* esse semen Seriphii, quod non impugnamus. Anguillara verò ait Herbam esse Abrotono similem quæ semen contra vermes ferat.

Locus & tempus.

Absinthium Seriphium semine prægnans obseruaui mense Augusto circa mare Mõspelii. Vidi præterea Florentiæ in horto Nicolai Ferrariensis.

ABSINTHIVM SERIPHIVM GERMANIcum succulento folio siue Misnicum.

CAP. LXVII.

Descriptio

MVltifida habet *folia*, succulenta, non minùs quàm Absinthium marinum Patauinum incanæ, proximè ad Seriphii, in Belgicæ & Angliæ maritimis nascentis, folia accedentia, gratioris tamen paulò, & validioris, vt Clusio videtur (qui Absinth. marinum Misnense vocat) odoris, Seriphii Narbonensis & Hispanici graueolētiam quodammodò referentis, atque etiam saporem.

Absinth. marinum Misnense Clusio

An apud Cordum Gesn. in annot. lib. 3. cap. 27. in Diosc. hoc intelligit dum ait. Absinthium marinum referunt etiam in Germaniæ ora, vt Scebergi inueniri? An eidem de hort. Absinthium Seriphium?

Absinth. Seriph. germanicum C. B.

C. Bauh. Phyt. Absinthium 14. siue Seriphium Germanicum vel secundum. Camer. apud Matthiol. in Hist. Germ. & Epit. pag. 456. tabellam habet sub titulo Absinthii marini, in qua portio picta notata litera Hac ibidem annotatum, Absinthium aliud Bononiæ marinum dictum, foliis minùs candidis, salsuginosis cum amaritudine, abundat seminibus paruis: cubitalis est planta, multos ramulos habens: folia primùm succulenta sunt & viridia, vt solet marinis stirpibus euenire. Considerandum an sit Absinthium Misnicum ex Clusio modò descriptum, vel Belgicum, de quo nunc dicendum.

Absinth. marinum Bononiæ Camer.

ABSINTHIVM SERIPHIVM BELGICVM.

CAP. LXVIII.

MIsit hanc plantam nobis siccam ex Angliæ Londino, Medicinæ Doctor & rei Botanicę studiosissimus Scotus, Iacob. Gargillus hoc titulo & hac descriptione. Absinthium marinum Anglorum, admodum lanuginosum & incanum, diuisura foliorum Absinthii Pontici seu vulgaris, sed segmentis concinnioribus, angustiā Romanum dictum prouocantibus: sapor minimè ingratus, aromaticus quodāmodò, maiorem adstrictionem, quàm amarorem resipiens, eiusmodi ferè est Absinthii Romani vulgò dicti: odorē nullum spirat: colit in horto Gerardus Chirurgus & Botanicus, cui nunquam floret.

Nos planè simile obseruauimus Lutetiæ in cultiss. horto Io. Robini hortulani regii āno 1586. quod nondum florebat, id etiam aliquot annis pòst misit plantandum Montbelgardi in horto Ill. E. C. id veluti rependo se plurimùm multiplicat, hiemem perferens non reconditum, vt pluribus annis durans.

Apud simile[illegible]

Dodon. gall. lib. 1. cap. 2. Seriphium, *Aluine marine* inscribit, vocatque grece ἀψίνθιον θαλάσσιον & σερίφιον, ac dicit. Absinthium marinum incognitum Pharmacopœis, quamuis vendant quotidie semen, quod officinis dicitur Semen sanctum, Semen lumbricorum, & semen contra vermes: Absinthium marinum prouenit copiosè per totam Zelandiam, & in Flandria circa mare, & quibusdam Brabantiæ locis: albicans est, aut cinereum, multa folia habet, alba, similia Absinthio communi, sed multò minora, tenuiora, candidiora, tenuiùs incisa, multos flores paruis globulis similes & semina similia vulgari Absinthio: crescit ad altitudinem pedis & semis, ac etiā altiùs: odore est graui, salsi verò saporis, grati & amari, suo natali loco collectum, translatum verò in hortos & terram vbi aquæ dulces, multùm variat saporem & naturam. Is in Hist. gall. in descriptione aiebat Seriphium suum esse odore forti, sapore salso, amaro, & ingrato, quæ conueniebant nostro Absinthio Narbonensi: In Hist. verò Lat. ea omittit [meritò sanè] nec repetit ex ea colligi semen contra lumbricos officinarum, rectè autem calidum quoque ac siccum naturâ statuit. Omissâ insuper icone sua priore, quam in Gallica exhibebat, ponit aliā quæ apud Lobelium nomine Absinthii Pontici Tridentini (Absinthii tenuifolii albi) habetur, & etiam est apud Clusium in Pannonicis pro Austriaco tenuifolio.

Seriphium Dod. gall.

Ex his ita dictis patet, meritò Lobelium in Aduersariis dixisse perperam fuisse agnitum Seriphium Dodonæo. Quàm verò aptè Artemisiæ speciem constituat, iudicent alii. Seriphium vulgare [inquit in Obs. pag. 436.] Dioscoridis perperam putatum, Artemisia marina tenuifolia. Artemisiam tenuifoliam potiùs refert, minutissimis incisis foliis albis, semine & floribus: odore Lauendulæ & Abrotono proximas, vel Artemisiæ marinæ. Et paulò pòst. Xantonicum vulgare, è Xantonum Gallorum agro, *Saintonge* vernaculè. Seriphio vulgari non ita absimile, longiore & viridiore folio, ingrati saporis, & grauioris odoris. Belgis hortense, apud Io. Mutonum. Icon. Plant. pag. 755. Seriphium vulgare perperam Dioscoridis. Figura hæc Lobelii apud Plātinum particularis & diuersa est, ab vtraque à Dodonæo posita, ita vt me lateat, an Lobelius eandem intelligat, quam Dodonæus.

Seriphium Dodonæi perperam cognitum Artemisiæ species Lobelio

Xantonicum vulgare

Clus. Pannon. & Hist. post. Absinthium marinum, siue Seriphium in Belgiæ & Angliæ maritimis. H. Lugd. pag. 944. Seriphium Absinthium Dodonæi. Tabern. Icon. & Histor. Absinthium marinum, Meer wermut. An huc referendum sit hoc Tabernamontani Absinthium, videndum ex eius Historia: figura est ex Turnero, qui bis

Absinth. Seriphium

candem

tandem posuit, vti dictum, semel pro Absinthio Pontico: secundò pro Absinthio marino.

C. Bauh. phyt. Absinthium 15. siue Seriphium Belgicum, vel tertium. Leuino Lemnio in herbis Biblic. cap. 17. Absinth. marinum apud Belgas in Oceani crepidine passim obuium.

An Cordo in Sylua Obs. Seriphium, i. e. Absinthium marinum ad lacum prope Seburgum? An Camer. in Hist. germ. Matthioli, & eiusdem Epit. Absinthium Seriphium vulgò, illud scilicet quod hoc signo ☿ notatum est?

Cronemburgum de comp. med. lib. 3. in syr. ex ex Absinthio hoc intelligere credibile est, dum ait: Seriphium nunc quoque passim nascitur, iuxta maris Hollandici littora, odore fœtenti grauissimoque: eo plærique tineas & vermes necant, ob idque semen lumbricorum, ac mortem appellant: quanquam alii peculiariter eam vim Santonico attribuant: vnde etiam Semen sanctum dici cœpit. *Fallitur* Cronemburgius: semen quod contra vermes appellamus, non ex hac planta colligitur.

Cronemburgius lapsus.

ABSINTHIVM VALLESIANVM tenuifolium candidum siue Herba alba.

Cap. LXIX.



Vallesianū cur dictum.

Descriptio

QVo tempore D. Gesnero Tiguri familiariter vtebar, Vallesiani nomenclatura Absinthium quoddam eapropter indigitabat, quòd in Seduno Vallesianorum vicinis collibus frequens oriatur: lignosi *ramis* tomento denso & albido pubescentes, mollitie delicata, id quod in foliis quoque non minùs obseruatur, ad Seriphii Absinthii folia, diuisionum minutis cæsuris, accedentibus, vtcunque tamen angustioribus: *flores*, nisi quòd magnitudine cedant, similes quoque: odor aromaticus.

Absinthii genus quod in Vallesia [Heluetiorum regione, inter Rhodani ortum & Lemanum lacum] in collibus apricis circa Sedunum (Herbæ albæ nomine vulgari notum) nascitur Caphuræ quodam odore. Id ex semine facilè & pulchrè mihi prouenit, inquit Gesnerus de hortis. Floret eodem anno, quo satum, sed serò: nempe Autumno, si Vere seratur, vnde herbam annuam esse suspicatus sum: sed hæc dum scriberem in Iunii mensis fine, anni superioris Vere satæ plantæ nondum florebant: vt illas quæ primo Autumno floruerunt, præcoces & præproperos flores edidisse existimem. Sata in fine Veris ad florem non peruenit. Absinthium Seriphium fœminam hoc appellarim, vel mediterraneum: nam color albus, & vis aliquantò minor, quàm maritimi (alioqui similis odore saporeq;) fœminam mihi designare videntur. Huius, quod sciam, hactenus nemo mentionē fecit, multis autē quidem modis in re medica fœlicē eius vsum esse posse experimento didici. Hiemes in hortis quamuis asperas perfert. Idem in app. Absinthium album è Vallesia appellat, & vix vltra biennium in hortis durare ait. Negat tandem in Epist. ad me esse Absinthium Ponticum, eique minorem, quàm cæteris adstrictionem attribuit.

Herba alba Absinth. Seriph. fœmina. Vsus.

De hoc Dodonæus loquitur in Hist. lat. p. 26. dicens. Ex Spuriis Absinthiis, quæ non abs re externa appellari possunt, *Herba alba* ab Heluetiis appellata, vel prima occurrit: Tota hæc mollis, veluti lanuginosa atque albida est, & Seriphio siue Marino Absinthio assimilis, sed candidior, odore & sapore quoque satis refert, sed tamen aliquantò suauior, ad Caphuræ odorem accedens. In Valesia prope Sedunum in collibus nasci scribit Gesnerus, &c.

Absinth. spurium externum primū Dodonæo.

C. Bauh. phyt. Absinthium 18. siue album foliis Seriphii.

Facultate Herba alba, vt Dodon. refert, caloris & siccitatis cuiusdam exiguæ particeps est.

Absinth. album foliis Seriphii C. Bauh.

ABSINTHIVM AVSTRIACVM tenuifolium.

Cap. LXX.



Descriptio

HVius *caulis* pedalem altitudinem plerumque æquat, nonnunquam cubitalem attingit, firmus, canescens, multis foliis, marini Belgarum Absinthii foliorum quodammodo æmulis, tenuioribus, prorsus incanis, quæ confuso ordine eum ambiunt, præditus, qui superiore parte in multos ramulos, ex tenuiorum adhuc foliorum alis nascentes, diuiditur, plenos *flosculorum* propendentium corymbis: *radix* fibrosa est, & singulis annis nouos frequentioresq; producit: tota planta impensè amara est, sed elegans & rara.

Absinthium hoc tenuifolium Austriacum Clusii, descriptionis auctoris, crescit in collibus & apertis quibusdam locis Viennensi vrbi vicinis, atque à Rhizotomis promiscuè cum eo, quod vulgò Ponticum appellatur, ad Viennensium pharmacopolarum officinas adfertur. Hæc ex Clusio, cuius figura in Pannon. malè ponitur. p. 556. nomine Absinthii montani vmbelliferi, quod pingitur p. 553. Clusii porrò figura apud Dodonæum pro Absinthio Seriphio. Licèt autem hæc nonnihil dubii nobis pariant, suspicamur tamen Tridentinum & Clusii tenuifolium idem esse.

Absinthium tenuifolium Austriacum Clusio.

Tabern.Icon.& Hist. Absintium Nabathæum Auicennæ, Alexandrischer wermuth: foliis paruis tenuiter diuisis, albicantibus: odore grato, aromatico: sapore amaricante & adstringente: Hoc Medici Tridentini vtuntur pro Pontico, cuius loco etiam ponendum: quandoquidem Pontico viribus par est: apud nos spontè non prouenit: in Belgio frequens in hortis, priùs vidi Bruxellæ in horto. Hæc Tabernamontanus, qui figuram Lobelii habet.

Absinth. Seriphium Dod. Lob. quoad figuram. Absinthium quadam dubia.

Dodonæo Absinthium Seriphium quoad figuram, non autem descriptioné, quæ est Absinthii Seriphii Belgici.

Casp.Bauhin.Phyt. Absinthium 17. siue tenuifolium albicans.

Considerandum proponimus, quantùm & in quibus differat hoc Absinthium Austriacũ Clusii, ab Absinthio Valesiano Gesneri. An Anguillaræ Absinthium marinum? An etiam Bellonii Obseru.lib.2.variis capitibus Absinthium Seriphium: & Absinthium marinum?

LVMBRICORVM SEMEN.
Cap. LXXI.

Lumbricorum semen vulgare & Matthioli.



Lumbricorum semen Rauvvolfii.



Descriptio

QVod in officinis prostat Lumbricorum *semen* vulgò dictum, ex variis, minutissimísque surculis, *foliis*, & semine ipso coaceruatũ est. Semen paruũ est, oblongũ (maiora tamé inter ea Milio suppaŕia, ex squarrosis cuniculis compacta,) pullũ vel flauescẽs. At quæ minutula inter ea sunt foliola, striata sunt. Quædam etiã obseruantur trifida, angustiora, acuminata, videntur etiam adesse portiones tenuissimorum *cauliculorum*. Omnia facilè digitis atteruntur, amara sunt cum acrimonia & odore graui usculo.

Absinth. Santon. Rauvvolfio

Absinthiũ Santonicum, inquit Rauvvolfius prouenit circa Bethlehem & abundat in Terra Sancta, foliis paruis, cinereis, nostro Absinthio mediocriter accedentibus: ramulis multis tenuibus, cum copioso semine paruo, flauescente, grauis odoris, saporis amarissimi, acri cum salsugine.

Absinth. Seriphium, siue marinum Cordo.

Cordo in Hist. Pl. lib. 4. cap. 80. ita describente. Absinthium Seriphium, siue marinum Absinthium, ramosa est herba, nostrati Absinthio similis, multò tamen minoribus foliis: semen habet paruum veluti Ammi, acerosum, colore flauum, gustu valde amarum, acre, vehemẽter tenax, & grauiter, veluti si quis Santonicum Absinthio misceat, & cum aromatica qualitate aliqua, odoratum. Eligito magnum, non puluerulentum, & odoratissimum. Nascitur maritimis locis in Aegypto, vnde ad nos affertur, Alexandrinum semen, aut Zinæ semen appellatum, aliud ab hoc est Santonicum. Absinthium verò hoc marinum, aliud esse ab eo, quod Matthiol. pingit, notat hoc in loco Gesnerus. *Idem* Cord.in Dioscor lib.3.c.27. de Lumbricorum semine hæc habet. Marinum Absinth. à Seriphio insula Seriphium dictum. Pharmacopolæ eius semen habent, quod Alexandrinum semen vocant, quidã etiam Sanctum semen, quod nomen à Sanctonico deductum est. Nam hoc marino Absinthio simile est, semine tantùm exiliore. Nascitur hoc in Galliæ & Germaniæ quibusdam locis; & semen eius ab Italis *Sandonigo*, à pharmacopolis Zinæ semen, vel Semen sanctum minus appellatur: Germani verumque wurmsamen & wurmkraut vocant. Hoc etiam in loco annotauit Gesnerus huius semen, Semen Zedoariæ quosdam vocare. Cordus verò in Historia Seriphium suũ; siue Semen sanctum facit simile Absinthio vulgari, quod nullus vnquam nobis persuadebit, propter foliorũ fragmenta admixta, à seminibus lõgè diuersa. Quale Santonicum tradat, vt ingenuè fatear, hactenus me latet.

Semen sanctum.

Sandonigo Italorum.

Semen Zedoariæ. Cordo.

Seriphium Ruellio.

Seriphii semine Medici, id attestante Ruellio, tineis vermibúsque necandis insidias struunt, & ob id semen contra lumbricos vocant. Gallicum vulgus *Barbotinam* appellat, nonnũquam quoque mortem vermium. Officinæ iis vocant appellationibus. Hæc eadem Tagaultius de simpl. purg. lib.2.cap.10.non nominato Ruellio tradit.

Nonnullorum error.

Nonnulli, vt Fuchs.annotat, Santonici à Santonibus Galliç populis; dicti semen, corruptâ voce Sanctum, cùm Sanctonicum dicendum esset, appellant. Nisi id nominis ob insignem eius efficaciam, quam in necandis lumbricis obtinet, illi imposuerint. Plura vide inter vires, vbi Santonicum & Seriphium diuersa statuere cernitur.

Absinth. 3. Dioscoridis Trago.

Tragus lib.1.cap.111.de hoc ita loquitur. Tertium Absinthium Dioscorides Santonicum à Santonibus Galliæ populis, nuncupat. Estque illud Lumbricorum semen, quod Rhizotomi & Pharmacopolæ ac Agyrtæ vendere solent. Multi putarunt à facultatibus illud vocari Santonicum, quare in receptis suis [vt vulgò loquuntur] Semé sanctum nominant, quod Arabibus Sceha aut Schea dicitur. In græcis exemplaribus quibusdã σαρδόνιον scribitur, quod quàm absurdum sit, & vitiosum nemo non videt, cuius rei Manardus Ferrariensis lib.4. Epist.1.meminit.

Schea Arabum.

In Italia cùm non soleat prouenire Semen sãctum, mirari subit Cornarium, cur Italicum vocet.

Nonnulli (quamuis falsò) opinantur Absinthium Sanctonicum esse plantam ferentem semen, quod vulgò Semen sanctum, & Sementina vo-

na vocatur. Sed hoc nobis [Monachorum in Mes.dist.6.cens.179.verba sunt] videtur impossibile: quia Absinthium Sanctonicum nascitur, vt Mesues tradit, non longè ab Alpium montibus eiusdem nominis, vnde & nomē, Absinthiū Santonicum, sibi vendicauit. Sementina autem, siue hoc Semen sanctū vulgò dictum, quod aliqui etiā falsò putant Sanctum a Sanctonico dici, quodq; Venetiis non vili venditur pretio, vt scitur, Alexandriâ Venetias fertur. Quapropter non potest esse Absinthii Sanctonici semen. Quid autem sit incompertum habemus. Pluries illud sensimus; sed nunquam potuimus natum videre. Præterea Venetiis etiam venundatur aliud semen, grossius eo, pro vermibus puerorum, quod nonnulli asseuerant esse semen Sanctonici Absinthii: sed neque de hoc adhuc potuimus habere certitudinem, quid propriè sit. Vtrumque enim non potest esse. Vnde necesse est alterum ipsorum esse falsum. Et fortasse [vt coniectamur] quod neutrum eorum est, verum Absinthii Sanctonici semen. Item nonnulli pharmacopolæ Romæ pro Semine sancto vulgò dicto, vendunt semen cuiusdam plantæ similis Alexandrinæ herbæ, quam plantam scimus in partibus Apuliæ vocari vulgariter *Moridam*. Cuius quidem semen nunquam fuit sanctum, neque beatum.

Morida quid?

Monachis se opponit Matthiolus his verbis. Sunt, qui putent semen illud, quod officinæ sanctum cognominant, quodque saccharo circumdatum necandis interaneorum vermibus præbet, Absinthii marini esse semen. Attamen vt fatentur rei herbariæ periti, qui ex Gargano monte Apuliæ, semen hoc ad nos comportant, à planta quadam profertur, Absinthio nostrati paululum absimili. Ex quo facilè (vt mea fert opinio) coniici potest, id potiùs esse Santonici Absinthii semen, quàm Seriphii: præsertim quod Sanctum illud nomen non aliunde quàm à Sanctonico deductum esse videatur. Hallucinantur qui Canabel Serapionis interpretantur, cum Canabel terra sit, &c. Idem in Epit. excusa 1571. Semen sanctum, Italis *semen santo*, & *Semenzina*, planta est admodum fruticosa, caulibus & ramis numerosis referta, semine minuto oblongoque, racematim prodeunte, amariusculo gustu, odoreque non insuaui: affertur ex Alexandria Ægypti, ac aliis meridionalibus locis. In Hist.germ. lib. 3. cap.23. Absinthium Santonicum nomine tantùm cognitum est, quamuis aliqui semen Sanctum officinarum, Santonici semen esse velint. In comm. cum mag. fig. Lat. & Ital. Sunt qui putent semen illud, quod officinæ Sanctum cognominant, Absinthij marini esse semen, sed ij planè decipiuntur. Siquidem legitimam seminis huiusce plantam integram misit ad me Patauio Iac. Ant. Cortusus, quæ à marino Absinthio longè distat.: Item paulò pòst: Ægyptium Seriphium primùm consequutus sum à Iac. Anton. Cortuso, è quo colligi quoque semen Sanctum quidam volunt, etsi quid certi de re hac affirmem, non habeam. *Quam porrò* inconsideratè & ignoranter de plantis sibi non visis scribat Matthiolus, præallegata satis demonstrat. Olim Semen Sanctum accersebat ex Gargano, & potiùs Absinthij Santonici volebat: postea mutatâ sententiâ afferri dicit ex Alexandria, propositâ icone nouâ, sine foliis, non indicans vbi viderit plātam: tandem & postremò fatetur plantam integrā à Cortuso missam: verùm ei addit folia quæ creuerunt in eius musæo, vel potiùs accreuerunt

Absinthii Marini semen non est

apud pictorem, quorum non meminit in descriptione. Pro conclusione præterea dubius hæret, an Semen sanctum sit ex Ægypti Absinthio Seriphio. Profectò magna est differentia foliorum eius Absinthii Seriphii, & eorum quæ mixta reperiuntur cum Semine sancto. Nos figuram assumpsimus Rauvvolfii, & portionem ex planta ab eo nobis communicatā appinximus. Matthioli figuræ iungimus portiones seminis sancti, siue Lumbricorum officinarum.

De Lumbricorum semine variat Dodonæus, ait enim in Historia gallica. Secunda species Absinthii vocatur Seriphium, pharmacopœis incognitum, licèt soleant vendere sub nomine *Mort aux vers*, quod in officinis vocatur Semen sanctum, Semen lumbricorum, & Semen contra vermes. In Hist.lat.de Florib.cap.75. Semen Santolinæ (quæ plerisque Chamæcyparissus) officinæ Semen contra vermes & Semen sanctum appellant, quod nonnulli ignorantes ex qua planta colligatur, Santonici semē esse existimant; alii Seriphii. Vtrique aberrant. In Hist. lat. in fol. mutata priori sententia hæc ait. Ad Absinthii genus contingit & referri, vulgò Sementinam dictam, inter spuria Absinthia, vel alio referendam. Caule hæc assurgit mox in multas alas & ramos distributo, circa quos folia minuta, copiosiora verò semina, exigua quidem illa, sed adeò frequentia, vt stirps cum ramis vniuersis semine tota turgida appareat. Peregrina est stirps: semē in calidarum regionum hortis satum non infeliciter prouenit: Gallis *Barbotine*, Italis *Semenzena*, vnde & Latinis Sementina: Semen passim Semen sanctum, & Semen contra lumbricos, à quibusdam Semen Zedoariæ. *Et hæc* Dodonæus, qui in Hist.gall.pro planta, quam Lumbricorum semen ferre ait, Absinthium Seriphium Belgicum exhibet magno errore. Descriptionem porrò, quam nimiùm securus ponit in Histor.lat.in fol. Dodonæus, existimamus factam ad iconem Matthioli postremam, quod displicet nobis. Si vidisset alicubi plantam qualem describit, locum procul dubio in quo obseruauerit, annotasset.

Santolinæ semen.

Dodon. errores duo.

Lobel. in Aduers.p.337. iustè negat Gallorum Barbotine, vel Belgarum Semen Zedoariæ, Semen sanctum, vel contra vermes officinarum, aut Santolinum dictum, esse aliquod trium Absinthiorum: nam tametsi nonnulla amaritudinis & figuræ similitudo illis intersit cunctis: tamen non adeò plenè sunt adulta horum semina aut horridè amara. In Obs.p.p.437. figuram Matthioli habet, hac inscriptione, Semen sanctum, *Barbotine* Gallorum, Ital. Semenzina. In Icon. Plant. hoc titulo Semen sanctum.

Semē lumbricorum trium Absinthiorum nullum est.

H.Lugd. in append.p.36. Absinthii genus, Arabibus Seneha: Semen Zina: Mercatoribus Semen contra vermes.

Huius plantæ figuram quam proponit Rauvvolfius cæteris ab aliis traditis præfert Camerarius: sed non placet eum in Epit. Matthioli, eius descriptioni subnectere Rauvvolfii verba, eo non citato.

Camer. err.

Harchio dicitur in Enchir. Absinthii tertia species, Santonicum, proferens semen illud, quod vendi solet ad occidendos vermes. Carol. Steph. de hort. vt & Gorræo in definit. Absinthium aliud, marinum, Seriphium dictum.

Semen, quo vulgò vtuntur aduersus lumbricos, si credere fas est Lacunæ, est Semen Absinthii & non Seriphii, vt putant aliqui, differtque etiam à Canabel Serapionis.

H. Brun. J. bot. not. An Hieron. Herbario apud Brufelsium Tom. 2. Absinthium Santonicum, Germanis wurmsot/ quod adfertur Geneuâ vt plurimùm, vbi prouenit, rarò aliis locis? Videant lectores an fortè loquatur Hieron. de Chamæcyparisso, quod etiam Santonicum à quibusdam dicitur, vel de Semine contra lumbricos vulgari: nescio an Geneuæ proueniat Semen lumbricorum.

Absinthium Santonicum plurimum esse in Gallia testatur Bacchanellus, & esse iuxta Matthiolum, cuius semen vulgò dicatur Sementina. Bacchanellus asseclam habet Dorsthenium, qui tertium Absinthii genus facit, & plurimum cum illo in Gallia vltra Alpes nasci, seménque eius aduersus infantium lumbricos vendi tradit. Sed considerandum quale semen venderetur tempore Dorsthenii, an id quod nunc, toto cœlo aberrat, qui putet in Gallia prouenire.

Tertium genus Absinthii (Veterum puta) facit & Apollo, eoque Galliam Alpibus finitimam scatère refert, idque patrio nomine Santonicum vocari, Sardonium vertere Anguillarium, quòd in Aldino codice pro Gallia legatur Galatia, quã incolant Sardi, hodiè Natoliam, vbi frequentissimum, vti & in Pannonia, visitur, nec vllibi in Gallia &c.

Mizaldo in Alexikepo campo 6. area 1. Absinthium alterum, Seriphium vocatum, seu marinũ, cuius semen Gallicum vulgus Barbotinam & *Vermium mort.* Vermium mortem nuncupat. Toxites in onom. philosoph. wurmsamen/ wurmkraut/ Absinthiũ marinum, Absinthium Seriphium, Semen lumbricorum &c. Venedisch sam/ Babilonisch sam. Disp. Colon. Absinthii marini semen contra lumbricos.

Adolph. Occoni Absinthiũ Seriphium, i. e. semẽ contra lumbricos, Barbotina quibusdam, aliis Santonicum, & Cinæ semen.

Seha Corasceni seu Carmeni Auicennæ De hoc Claud. Roccardus ait. Sunt qui nominis affinitate seducti Semen sanctum, officinarum semen contra vermes, & vulgò Barbotine dictum, Santonici semen putant, quod Seha Corasceni seu Carmeni Auicennæ semen esse Bellunensis testatur &c. Quod ex Corasceno regione Indiæ finitima non ex Gallia ad nos adfertur. Si quoddam Absinthium marino quodammodò simile fuerit, in eius serie collocandum esse putamus. Huiusque generis esse, quod semẽ sanctum profert, ac Seha Auicennæ affirmat Bellunensis interpres.

Calepin. ignarus Calepinum ignarum Botanicum esse hæc liquidò demonstrant. Absinthium marinum, inquit, ἀψίνθιον θαλάσσιον Gall. *la mort aux vers, Barbotine*: Hoc est Seriphium à nonnullis appellatum, de quo Plin. lib. 27. cap. 7. Est & Absinthium marinum, quod hodie Semen lumbricorum vocant.

Euch. Rœssl. reprehen. Quis non nisi cæcus non videat ex sequentibus verbis Eucharium Rœslin licentiosè scribere, quæ non intelligit. Semen lumbricorum, ait, wurmkraut/ wurmsamen, paruum est instar ferè arenæ, coloris lutei, Croci modo, habet supra semen siliquam rubram: tunditur herbâ &c.

Abrotonum mas Anguill. Wirsung. Anguill. epist. 10. Abrotonum mas, cuius semẽ adfertur pro Semine sancto, quod Arabes Semẽ lumbricorum, & Auicenna Secha vocant.

An nomina hæc (welsamen/ wurmsamen/ Absinthium Seriphium, Santonicum) vni plantæ conueniãt, vt sentire videtur Wirsung. iudicent periti.

Tabern. Icon. & Hist. Sementina, Santonicũ, wurmsamenkraut. Cur plantæ sibi non visæ appingit radices repentes?

C. Bauhin. Phyt. Absinthium 19. siue Seriphiũ Alexandrinum, Semen sanctum Matthiolo & Lobelio. Item Absinthium 20. siue peregrinum, vnde semen lumbricorum colligitur, Secha Arabum Rauvvolfii: vidimus apud fratrem Io. Bauhinum: an diuersum à superiore dubito. *Absinth. Seriph. Alexandrinum Casp. Bauh.*

Habes studiose Lector de Lumbricorum semine diuersas diuersorum authorum opiniones: Alii enim Absinthium alterum, Seriphium & marinum vocatum proponunt, pro planta Lumbricorum semine. Alii Absinthium Santonicũ obtrudunt: alii ipsum Absinthium vt Lacuna. Aliud Absinthium tradit Matthiolus, uti dictum. Pena addit Semen contra vermes officinarum trium Absinthiorum nullum videri. *Et huius sententia maximè nobis arridet.* *Iudicium de planta seminis Lumbricorum authorum.*

De loco satis dictum, qui hodie nondum planè cognitus. Aliquoties seui semen lumbricorum Montbelgardi in horto Ill. E. C. & aliis locis, sed non mihi prouenit, ita vt Lobelium vagum & manem iactatorem dixerim. *Locus.*

Oblinitur passim saccharo à Pharmacopœis, daturque vtiliter infantibus & pueris ad intestinorum vermes. Sementinæ semen amarum admodum esse scripsit Dodonæus, calidum & siccũ ea de causa facultate. Aduersus lumbricos, & interaneorum vermes quoquo modo sumptum vtile. Vtilius verò futurum, si Rhabarbari nónihil ei addatur: ita enim non modò vermes interfici, sed & per aluum mortuos expelli. Nos hoc Dodonæi consilium multùm probamus, ac eo modo feliciter soliti sumus exhibere à quadraginta pene annis, non lecto eius consilio. Et sanè fieri hoc omninò expedit. *Vires & vsus.*

ABSINTHIVM ÆGYPTIVM QVIBVSDAM.

CAP. LXXII.



Folia ferè palmaria, quæ sicca (ex sicca describimus) aliquid simile habent cum Trichomane, vel Scolopendrio & Chamæcyparysso, in quibusdam iuxta longum pediculum sunt veluti foliola mutuò se contingentia, cũ fimbriis nónihil serratis, reflexis. Alia autem folia ex longiori pediculo in foliola longiora, & à se inuicem magis dissita diuiduntur. Tota herba villosa & incana, Chamæcyparissi modo: sapore amaro & Seminis contra vermes officinarum ferè simili, odore aliquantulùm aromatico. *Descriptio.*

Absinthium Seriphium, inquit Matthiolus in Epitom. Italis *Assenzo Seriphio d'Egitto*, pumila

mila est planta, in ægypto proueniens, foliis minutis Abrotoni fœminæ ferè similibus: surculis compluribus, gracilibus, breuibus ac foliosis; minuto semine, gustu amaro: non tamen vehementer: aliis omnibus præditum est facultatibus, quibus & Italicum. Hæc Matthiolus.

Claud. Roccardo autore Absinthium hoc, quod ex Ægypto translatum esse volunt, Polytrici folio ex Absinthiorum numero reiiciendum esse, doctissimorum Herbariorum maior pars censet.

Aliud peregrinum, siue Ægyptium, Polytrici formâ, foliolis albis, alterno situ digestis, digitum altis apud Gesnerum iamdiu, & post penes Valerandum Dourez siccum videramus [aiunt Lob.& Pena in Aduers.] infirmâ aut certè nullâ coniectura Ægyptij cognomine inscriptum, & à quodam Herbario missum, qui ex hoc Semen sanctum produci coniectabat. Pingitur in Obs. p.437. in Icon. Plant. p.756. eodem titulo, quo in Aduersariis vsus est Lobelius.

Dodonæus lat. in fol. ponit figuram sine descriptione: dicit tamen Absinthium Ægyptium in Africa & Ægypto odore Seriphio potentius esse. Tabern. Icon. & Hist. vt Dodonæus, vocat Absinthium Ægyptium, Egyptischen wermût.

C. Bauh. phyt. Absinthium duodecimum, siue Capilli Veneris folio. Quomodo autem propriè & absolutè, possit dici Capilli Veneris folio, non videmus. quia Capillus veneris vulgò dictus, siue Adianthum verum, multùm differt.

C. B. not.

H. Lugd. p.494. Absinthium Seriphium Ægyptium Matthioli. Frustra Matthiolus adductus vt crediderit [Epist. lib.5. ad Cortusum] Absinthium hoc Seriphium, quod Alexandriâ Ægypti allatum esse scribitur, esse Seriphium genuinum Dioscoridis. Hanc autem perceptam opinionem, vt faciliùs sibi eripere non permitteret, Seriphii caput apud Dioscoridem pluribus in locis deprauatum esse scribit, quod vanum est.

Matth. reprch.

ORIGANI FACIE CORIMBI.

CAP. LXXIII.

TRagorigani nomine misit plantæ cuiusdam cacumina D. Rauvvolffius, quæ nonnihil similia Maro Syriaco, siue Origano Oniti Matthioli, candida admodum, parua, hirsuta: quorum capitula squammis oblongis, in modum capitulorum Thymi Cretici dispositis, compacta, odore graui, sapore amaro, feruido, ad saporem Seminis contra accedente, adeò vt de Seriphio aliquo suspicionem possit iniicere. Eius figuram iunximus cum Absinthio Ægyptio quorundam.

ABSINTHIVM VMBELLIFERVM; Mutellina quibusdam.

CAP. LXXIV.

Descriptio.

MVtellinæ nomine inter siccas nostras plantas Absinthii genus inuenimus, radice nixum crassa, perenni, vt videtur, caules emittente plures, palmares, & paulò maiores, per quos vt & in ipsorum fastigiis corymbi conspiciuntur, rariores, satis magni, & ni fallimur, lutei: folia tenuia, Absinthii Seriphii diuisurâ, candidissima, hirsuta: sapore amaro, ingrato.

Hæc planta nobis communicata est, cum inscriptione horum nominum Gallicorum, *Mutelline blanche, Herbe de l'apostume*: videndum an sequentes scriptores huius stirpis meminerint, sub sequentibus nominibus.



Lobel. Obs. p.435. Absinthium vmbelliferum alterum Italicum, Ital. Asenzo ombellifero nondum literis proditum: quippe non frequens obuium, vel minùs notum: octu colore incano, & habitu ipso non ita diuersum ab absinthio, albo, sed omnia exiliora multò, cauliculos plures spithameos emittit, summis flosculos in glomeratis capitulis incanis gerens. Itali stirpium exploratores, a quibus studiosè alitur, vmbelliferum Absinthium dixêre: folia amara Absinthium Ponticum Tridentinum (Absinth. tenuifolium album) non multùm magnitudine superant.

Camer. hort. Absinthium paruum & incanum, Gesnero humile [nos hoc ad aliud referimus] In hortum à me translatum ex montibus Tyrolensibus, vbi copiosè crescens reperi, sed non diu culturam fert, nisi sæpiùs transplantetur. Item apud Matthiolum germ. lib 3. cap. 23. Absinthium paruum Clusio pumilum dictum, in Tyrolensium montibus, pulchrum, delicatulum, non facilè ferens culturam.

Absinth. paruum Camer.

Clus. Pannon. p.554. & Histor. post. Pumilum Absinthii genus, vix palmi altitudinem superans, tenuibus admodum cauliculis, quos circa radicem multa exigua, multifida tamen & incana; ambiunt foliola, non iniucundi odoris. Id in summis cauliculis quaterna aut quina fert capitula in pallescentes flosculos sese explicantia. Norimbergæ alebat in fictibus C. V. Camerarius.

C. B. phyt. Absinthii noni, siue montani vmbelliferi, alterum Italicum, à montano vmbellifero non multùm diuersum, sed multò exilius.

ABSINTHIVM ALBIS FLORIBVS capitulis squarrosis.

CAP. LXXV.

Descriptio.

PLantula est semuncialis & dodrantalis, & mediæ magnitudinis: *caule* incano, albo, per quem *folia* vncialia aut sescuncialia & ampliora, latiuscula, incano tomento obducta, in lacinias Absinthii vulgaris in morem diuisa, profundè laciniata, minora tamen multò, semunciam lata, unciam vnam aut tres longa sapore amaricante: ex *radice* statim oriuntur alia per cauliculum:

in cuius summo *flores* in vmbellæ formam digesti, pulchri, magni, septem, vel octo, pediculis mediocribus hærentes, radiatis albis foliis constãtes, Herbæ *de la rotta* aut Millefolii Alpini, vel etiam Tanaceti albi similibus, discum occupantibus multis apicibus, subnixi autem sunt capitulis squarrosis, lineis nigris variantibus: *radix* crassa, perennis esse videtur, cui radiculæ longæ, tenues, ac etiam capillares adnatæ.



Eandem cum Clusio figuram exhibet Lobelius in Obs. p. 435. cum hac inscriptione. Absinthium album [ita quoque in Icon. Plant. pag. 755.] capitulis squarrosis, floribus albis, vmbella Achilleæ montanæ, ac ait. Rariùs multò hoc Absinthii genus in Belgio, Gallia, Anglia, & Italia, nullidum memoratum Scriptori: vni C. Clusio agnitum, & D. Dilsio Viennâ Austriæ transmissum: folio Chrysanthemi diuisura, Arthemisiæ marinæ concolori, in cauliculo dodrantali: flos albus, Parthenii, in vmbellis fenis foliis: subastringit, nonnihil amaricat.

Absinth. Pannon. flore albo Camer. Agnouit hoc & Camer. de hort. dicens. Absinthium Pannonicum flore Albo. Elegans planta quasi mediam naturam obtinens, inter Absinthium & Matricariam. Non lubenter horto mansuescit, sicut nec aliæ alpinæ: quare collocandæ in loco vmbroso, attamen aëri exposito, cùm Solem minimè ferant. Astutus (vel potiùs ingratus) Camerarius est: In Epitomen, Clusii verba redigit, immutat, ac pro suis venditat.

Absinth. album Tab. Tabern. Ic. & Hist. Absinthium album weyszer wermut: Absinthium vmbelliferum, Cronen wermut: Heluetii vocant Herbam albam, Gesnero teste ea abundat in Valesia ab vrbem Sedunum locis cliuosis, Soli expositis. Sed quidquid statuat Tabern. Herba alba Gesneri multùm differt ab hoc Absinthio albis floribus, squarrosis capitulis, quod icone sua exprimit Tabern. Herbam albam Gesneri exhibemus pro Absinthio Valesiano inter præcedentia.

Absinth. mont. vmbelliferum C. Bauh. C. Bauhin. Phyt. Absinthium 9. siue montanum vmbelliferum.

Hist. Lugd. pag. 946. Absinth. album capitulis scabris Lobelii.

Locus. A plurimus annis habemus inter nostras plãtas siccas; præterea frater C. Bauh. attulit nobis à D. Bechio sibi datas plures stirpes, qui eas collegerat in monte Baldo.

ABSINTHIVM MONTANVM FLORE Chamæmeli.

CAP. LXXVI.

E *radice* lignosâ, paruâ, nigrâ, fibrosâ, incana, lanuginosa, tenuia emittit *folia*, incisuris profundis diuisa, media inter marinum Absinthium & Abrotonum marem in orbem disposita:



Descriptio Vere *caules* edit plures, supinos, paucis in imo foliis hærentibus, Aestate *flores* singulos, singulis caulibus in summo hærentes, Abrotoni fœminæ modo, sed similes Chamæmelo potiùs, foliolis quidẽ albis lutei vmbones circũdantur. Sapore & gustu, atque odore Absinthium vulgare Ponticum refert hæc planta, ac ideircò potiùs Absinthii nomen indidit Columella quàm Abrotoni fœminę, cui similior videtur, præsertim flore, qui longè ab Absinthii floribus abest.

C. B. Phyt. Absinth. 8. siue montanum Chamæmeli flore, atque mediæ esse naturę inter Absinthium & Abrotonum marem.

*In excelso monte D. M. Virginis appellato noua & elegans, ratáque Absinthii huius species oritur, atque non nisi rimis saxorum sterilibus, ex quibus fruticat, exit.

ARTEMISIA.

CAP. LXXVII.

Artemisia vulgaris.



Descriptio PErennis fruticosa herba ex *radice* digitali, serpente, plurimis fibris capillata, lignosa, sapore subdulci & aromatico: *caules* surgunt duos, aut tres cubitos alti, fractu contumaces, canaliculati, subhirsuti, colore rubescente plurimùm, rariùs cano aut viridi, alis multis, concaui: *folia* suaueolentia, sapore dulciusculo & subacri, alternatim caulibus & ramis adhęrent, inferiùs incana, superiùs viridantia, in minora segmenta, quàm Absinthii vulgaris, diuisa, ita velùma sint veluti digitata: *corymbi* odorati, ad spicę, vel Lauendulæ odorem quadantenus accedentes,

tes incani, villosi, fibrillas luteas ostentant. Et hæc descriptio est Artemisiæ vulgaris.

Artemisia rubra & alba Tabern. Tabern. Icon. & Hist. Artemisia rubra, Rotter Beyfus. Item, Artemisia alba, weisser Beyfus: differunt tantùm colore caulium, vni albo, alteri purpureo [Brasin.] Ἀρτεμισίαν volunt dictam ab Artemisia regina, vxore Mausoli, quæ multos hac herbâ curauit; alii ab Artemide venatrice, aliàs Diana. Appellatur aliàs à Græcis Ἀρτεμισία πλατύφυλλος, i. est Artemisia latifolia, ad distinctionem cæterarum; Dioscoride & Apuleio πολύκλωνος τοξότισα, ἐφεσίας, σώζουσα (quasi salutaris,) λεία, λυκότρυξ, αἷμα αἰθιόπος, βασιλικὸν λάχανον, χαμαιμηλοχία, τοξότις, λῦπος κ. λοας ζαδισιν, θάνιτας, ῥόος ἠρακος, τοξάδιλον, αἷμα κρόνου, ὑπίσις, & παρθενίς, ut testatur Plinius lib. 25. cap. 7. Dicitur à Latinis Canaparia à caulibus lignosis, cannabinis similibus, & Olus regium & Herba regia, à regina Artemisia. Similiter Rapium, ab Apuleio Sirium, à Pythagora Pexasis, Dioscoride & Apuleio Valentia & Valentina, à virtutibus & facultatibus quibus valet. Marcellus Empyricus scribit suo tempore à Gallis fuisse Bricumum appellatam: à Mattheo Syluatico, Pandectarũ authore Ierania & Ierania, potissimùm autẽ radix eius. Vocatur aliàs etiã eodẽ referente, Bemastrum, Amarantium, Amantina, & vulgò ab Herbariis Armosia; Valachis Zuoste / Züuoste & Zyred: Arabibus Belengesif, Molusar & Molusari: Haliabbate Beteniaitum, Berenasceron & Berinemase cum Hebræis teste Aruchi Monsteri *Chalgalugath.* Italis *Artemisia*, Venetianis *Herba della madonna*: Hisp. *Artemisia & Altamusa*, Gallis *de l'Armoise*, *l'Herbe de Sainct Iehan, & Armase*: Nuncupatur aliàs quoque ab Herbariis, Mater herbarum, à Vegetio Dianaria, dubio procul à Diana: Polonis Bilicza / Bohemis Czernobyl / Zernobyl: Hungaris Fekete Irôm [h.e. nigrum Absinthium] Ægyptiis *Anesce & Netesar*: Belgis Byvont & Sint Jans crüyt. Anglis Mugwurt. Germani nominant Beyfus / Bucken / Buckelen / S. Johans gürtel [Cingulum D. Ioannis] Sonnenwend gürtel & Himelfher. Hactenus de nominibus & Synonymis linguarum ex Tabernomontano, qui frustra ponit duas figuras Artemisiæ vulgaris, cùm colore caulium duntaxat, vt ipse refert, differant. Solo autem colore differre approbat Fuchs. & antè eum Cordus, & Gesnerus.

Nomina & Synonyma linguarum

Canaparia Olus regiũ

Valentia

Bricumum

Ierania

Armosia

Mater herbarum Dianaria.

Absinth nigrum

Cingulum D. Ioan.

Gerardus icones habet Tabernamontani (qui eas non tanquam figurâ differentes, sed suo more, propter colorem diuersum proposuit) ac ratione iconum ita distinguit. Artemisia (latifolia) Mater herbarum, Common Mugwoort. Item Artemisia tenuifolia, Thyne Leofed Mugwoort.

Distinctio Gerardi

Lonicerus Artemisiam cum absinthio & abrotono comparat, eamque caulium coloris gratia in descriptione in rubram & albam distrahit, licèt hanc pro tenuifolia, illam pro latifolia pingere videatur. Duas habet figuras malas, nõ multùm discrepantes: vna bona sufficeret.

Loniceri icones

C. Bauh. phyt. Artemisia 1. siue vulgaris maior. Item Artemisia 2. siue vulgaris minor. Non placet, Fratrem separare plantas sola quantitate differentes. Apud Matth. non fecit. Eam etiam, quam Artemisiam tertiam, siue montanam, facit, nempe Leptophyllon montanam Lugdunensis Hist. nondum seiungimus.

C. B. not.

H. Lugd. p. 950 Artemisia prima, vulgaris. Item Artemisia Leptophyllos montana. Cuius nec figura placet, nec descriptio.

Artemisia duplex Tragi

Tragus qui vnicâ figurâ contentus [quam Artemisiam absolutè inscribit] ait. Apud nos Germanos nulla ferè Artemisiæ omnis differentia constituitur, nisi quod alia purpureo [Rotbucken scriptum habetur in margine:] alia verò viridi ac subpallescente (weissbucken) caule sit. In reliquis, formâ sc. odore & sapore similes videntur. Reliqua [à Tabern. omissa intelligi hic nos volumus:] Artemisiæ apud Dioscoridem nomina, hæc sunt: Anactarios, Chrysanthemum, Serpillum, Tertana, & Gallis Pona. Artemisiæ nomen primùm, ab Artemide, h.e. Diana impositum quidam credidere reclamantibus ac affirmantibus hanc nomenclationem ab Artemisia Halicarnassi regina ortã esse, cùm priùs Parthenis hoc est Virginalis Meidtraut Germanis vocaretur. Sed parum refert vnde nomen traxerit Artemisia, modò illa nobis cognita sit. Sunt qui illam Matricariam, h. e. Germ. Mutter Kraut / appellatam velint, astruentes apud Hispanos Altiliam seu Altimiliam nuncupari. De Altilia Neoterici varias habent opiniones, alii Rob, seu Sapam eam interpretantibus, aliis Abrotonum siluestre esse dictitantibus. Verùm Arabs Auicenna, Can. 5. in Ther. Esdræ litem dirimit, dum scribit, succum Altiliæ esse Albelengesif, & Abrotonum siluestre vocari. Atque hæc est quorundam Mater herbarum, seu Artemisia. Neoterici tres ponunt Artemisias, Monoclonon sc. quam Matrem herbarum nominant, deinde Tanacetum secundo loco collocant, tertiò quæ dicitur ἀρτεμισία λεπτόφυλλος. Huic sententiæ subscribit Apuleius quoque. Hæc ille qui Dioscoridis caput de Artemisia tenuifolia superfluum esse ait.

Artemisia nomen vnde

Parthenis Virginalis

Matricaria

Altilia Hisp.

Artemisia triplex differentia quorundam

Prima duo Artemisiæ genera [Dioscoridis] Hetruscis frequentissima sunt, neque in alio inter se distant, quàm quòd in maiori omnes partes maiores spectentur, in minori verò minores: aliàs facie, & formâ similia constant, quinetiam idem sapor, & odor, eademque facultas vtrique inest. Quare equidem nescio (inquit Matth.) qua ratione ductus Brassauolus pro certò crediderit, eam herbam minorem esse Artemisiam, quæ in Hetruria officinis Matricaria & vulgò mulieribus Amarella vocatur. Sed eò magis virum hunc alioqui celebrem admirari subit, quòd tradiderit duas alias esse Ferrariæ Artemisiæ species nullis prorsus notis distinctas, præterquam quòd alteri vnus tantùm sit ramus, alteri verò plures. Vide plura antè, vbi Ruellium, Monachos, & Fuchsium notat.

Brassauol. not.

Veram Artemisiam parum hodie esse notam, author est Turn. part. 1. p. 61. ac vulgarem quæ habetur nec Galeni, nec Dioscoridis, nec Plinii esse Artemisiam. Addens: Matthiolus, qui multos & quidem nominatim, acerbè taxat [quosdam autem meritò] erroris de Artemisia, errat ipse, cùm vulgarem pro vera exhibet, quæ nec natalibus, nec gradu coloris, nec formâ cum Dioscoridæa conuenit. Ait primas Artemisiæ species ambas inueniri in Hetruria, easque nihil differre neque formâ, sapore, odore, neque facultatibus, exceptâ solâ magnitudine. Quod si verum est, altera species, non erit illa, quam Dioscorides describit: differt enim minor species à maiore flore fœtido. Vterum hic erret ille nec ne, iudicent alii. Ait primas duas species in Hetruria nasci, tanquam sibi notas: sed nec eas describit, nec vulgaria nomina recenset, nec denique natales, quod in aliis facit plantis. Quam ob rem & propterea, quòd

Matth. redarguitur

verum Ponticum Absinthium non nouit grauitérque in eo errat: verisimile est, illum neutram primam Artemisiæ speciem nouisse, ac æquè in Artemisiis errare, ac Plinius, Musa, Fuchsius, Monachíque in his & aliis. Quod si vel Musa ita nos docuisset, probè mihi nota est hæc planta, Ferrariæ nascitur: vel Fuchsius, hanc noui, ac in Germania vidi: neque nomina Italica, Germanica, Herbariorum & Officinarum docuissent, multas potuissent effugere reprehensiones, quas nuper tulerunt, & quidem à Matthiolo, qui in postrema acie cunctans, in multis describendis plantis, quemadmodum & hîc, effugium quærit, tacitis & præteritis nominibus vulgaribus, natalibus, descriptione, & facultatibus, ne si in aliquo eorum errasset, conuictus deprehenderetur, quo ipse modo alios excipit. *Ex Turnero planta 30,3 vbi de Amati opinione.*

Synonyma Cæterùm, Artemisiæ nomine, quam colore caulis & floris variare constat, aliqui inutiliter duas figuras proponunt, vti satis dictum. Nominatur Artemisia Gesnero (is diuidit in hort. in cãdidam & rubicundam: in cat. in Monoclonon & Polyclonon) Kybero, Cordo, Apollini, Rob. Stephano, Brunfels. Rœslino, Golio in Onó. Ruell. Fuchs. (cui de comp. med. Artemisia fruticosa, Artemisia in offic.) Maulio in Lum. maiori, Goropio, Gualt. Ryffio, Had. Iunio, Winckleto (qui in chronica in Augusto de herb. albam & rubeam vocat, ac in Augusto de florib. tres facit: quid autem velit, ipse videto:) Brassauolo, Fauardo, VVirsungio, Camer. horto, Anguill. Trago, Lob. in Aduers. (vbi in quibusdã locis inauspicatæ telluris, adeò strigosam fieri tradit, vt alia prorsus putetur,) in Obs. p. 441. in Icon. Plant. pag. 764. [vbi & Mater herbarum,] Gorræo (qui duo genera facit Monoclonon & Polyclonon) Car. Stephano, Corn. Lacunæ, Bapt. Fieræ, Monach. in Mes. (qui dicunt secundum rei veritatem esse triplicem, videlicet vulgò Canapariam, Matricariam, & Tanacetum.) Hier. Herbario, Agricolæ, Mizaldo, Reform. VVorm. Toxite [apud quem legitur etiam Arthemisia menodos: item Artimilia,] De Vigo, Pandect. marchio [qui maiorem & minorem facit:] Castori (cui & & Mater herbarum) Matth. & Tabernmontano. Dod. gall. Artemisia cõmunis, λευκόφυλλ@, quam quartam speciem ait Dioscoridis & tertiam Apulei. Lat. in fol. Artemisia latioris folii. Artemisia vulgaris Turn. Cæsalp. Thalio & Clusio. Amato Artemisia maior, Artemisia latifolia hortensis, apud quem male ponitur eius loco Matricaria. Schuvenckf. Artemisia candida, ἀρτεμίσια πλατύφυλλ@, ἀρτεμίσια πολύκλων@ Dioscor. Artemisia fœmina, Artemisia latioris folii Dodonæo. Item Artemisia vulgaris rubra, Artemisia mas. Nemo quod ego equidem sciam, ita distinguit, vt Schvvenckfeldius. Rhegino Artemisia πλατύφυλλ@, Artemisia, vulgò Cermisia.

C. Wincklerus not.

Mater herbarum.

Artemisia triplex Monachis.

Locus Quascunque regiones peragrauerim [vt cum Clusio loquar,] nulla fuit in qua Artemisiam hãc vulgarem cum candidiorem, tum subpurpurascentem, & vniuersę, vt puto, Europę familiarem, crescentem non viderim.

ARTEMISIA VETERIBVS IN GENERE. CAP. LXXVIII.

Genera Diosc. Genera tria Artemisiæ Dioscorides proponere videretur, nisi concludendo, vtraq; calfacere diceret: verùm in quibusdã codicibus Græcis, vt Goupili, Assulani, Cornarii (qui tamen in Latino omisit, sequitur & aliud caput de Artemisia, quod spurium videtur: quare Ruellius in sua interpretatione omisit: Marcell. Virgilius, vt ascititium damnauit: Cornarius vt suppositititium, ex textu latino amouit: nec immeritò (vt placet C. Bauhino) cùm nec apud Galenum, Oribasiũ, Paulum, Aetium: nec apud Serapionem de tertia specie quicquam legatur, cùm tamen hi omnes ex Dioscoride simplicia enumerare soleant. Verba eorum adscribamus.

Locus Artemisia (inquit Diosc.) in maritimis plerumque nascitur, herba fruticosa, Absinthii similitudine, nisi quod est maioribus, pinguioribúsque foliis: quanquam est quædam lætior, habitiórque, foliis virgultisque latioribus, altera verò tenuioribus. Flores sunt parui, tenues, candidi, & graueolentes. Aestate autem floret. *Sunt* qui in Mediterraneis Artemisiam monoclonon appellant, herbulam gracili surculo, simplici caule donatam, valdè pusillam, attamen floribus refertam tenuibus, & ad fuluum colorem accedentibus. Hæc quàm præcedens iucundiorem afflat odorem. Vtraque excalfacit & attenuat. Feruefactæ insidentibus fœminis prosunt ad extrahendos menses, partus, secundásque, itémque ad vuluæ præclusionem & inflammationem. Valent etiamnum ad comminuendos calculos, remoratámque vrinam eliciendam. Quin etiam herba ipsa copiosior imo ventri imposita menses ciet. Succus ex eadem expressus: cum myrrha subactus, vuluęque subditus, eadem quæ insessus ex utero trahit. Sed & coma eorundem educendorum gratia ternis drachmis propinatur. *Habetur* & Artemisia tenuifolia, quę circa riuulos ac sepes & in agris frumentariis nascitur. Huius flores & folia, si contriueris, Sampsuchi odorem expirant. Si quis igitur herbam eam tusam & cum oleo amygdalino bene subactam, more malagmatis, dolenti stomacho imposuerit, sanabitur. Quòd si quis etiam neruorum dolore tentetur, eius contritæ succo expresso & mixto cum oleo rosaceo, si eum perunxeris, curabitur. *Et hoc* Dioscoridis caput de Artemisia tenuifolia in aliquibus codicibus desideratur, & propterea à quibusdam ad notha transfertur, vbi hæc omnia leguntur. Artemisiam seu Polyclonon, à multiplicibus ramulis sic dictam, seu Monoclonon, à singulari ramulo, quidam Toxotin, alii Ephesian, alii Anctorion, alii Sozusam, quasi salutarem, alii Læuem, alii Leucopin, à floris in ambitu colore, vel Lycophryn, quasi Lupi supercilium, Prophetę Hominis sanguinem, alii Chrysanthemon vocant, Romani Valentinam ab efficacia, alii Serpillum maius, vel Herbam regiam, alii Rapium, alii Traganthen, alii Artemiliam, Galli Ponem, Daci Zuosten. Pro Toxoti [τοξότιν] τοκῶτιν, seu τοκίτιν, à iuuando partu, legendum suspicatur Sarracenus.

Artemis. tenuifolia.

Artemisia appellationes notha. Polyclonos. Monoclonos. Sozusa. Leucopis. Lycophrys. Valentina.

Toxotis.

Plinius vbi de herbarum inuentoribus agit, inquit. Mulieres quoque hanc gloriam affectauere in quibus Artemisia vxor Mausoli, adoptatã herbâ, quæ antea Parthenis vocabatur. Sunt qui ab Arthemide Ilithya cognominatam putent, quoniam priuatim medeatur fœminarum malis. Est autem Absinthii modo fruticosa, maioribus foliis pinguibusque. Ipsius duo genera. Altera [Altior CH.] latioribus foliis, altera tenera tenuioribus, & non nisi in maritimis nascens. Sunt qui in Mediterraneis eodem nomine appellant, simplici caule, minimis foliis, floris copiosi

piosi, erumpentis, cùm vua matutescit, odore nō iniucundo, quā quidā Botryn [Botrynon CH.] alii Ambrosiam vocant. Talis in Cappadocia nascitur. In his autem Plinius cum Dioscoride consentit, nisi quod Artemisiam monoclonon Dioscoridi dictam cum Ambrosia confundit. Idem vsum eius medicum sparsim sic tradit. Artemisiam quoque secum habentibus negant nocere mala medicamenta bestiámue vllam, ne Solem quidem. Bibitur & hæc ex vino aduersus opium. Alligata priuatim potens traditur, potáue aduersus ranas. Strumis Artemisia operitur folio suo imposita. Eadem sinistrâ manu circumfossa adalligatur, custodienda sanatis, ne rursus sata diro herbariorum scelere rebellet. Bellin cum hâc illitam, efficaciorem esse produnt.

Plinii lapsus.

Vsus medicus ex Plinio.

Datur quoque contra calculos ex vino dulci, & ad stranguriam. Artemisiam & Elelisphacum alligatas qui habeat viator, negatur lassitudinem sentire. Artemisia vuluæ medetur trita, ex oleo irino, aut cum Fico, aut cum myrrha apposita. Eiusdem radix pota in tantùm purgat, vt partus enectos extrahat. Menses & secundas ciet ramorum decoctum insidentibus: item folia pota. Ad eadem omnia prosunt etiā imposita ventri imo cum farina hordeacea.

Vires ex Galeno.

Artemisia vtraq; inquit Galenus, & modicè desiccat, & est, quod ad calfactionē attinet, excessûs secundi, quod verò ad resiccationē, aut primi intensi, aut secundi remissi. Est autem & modicè tenuium partium. Itaque ad tenum calculos mediocriter commoda, & ad fotus vteri. Si secundæ statim à partu non exierint, omnibus præstare nouit Hippocrates herbam Artemisiam. Idem præterea quod Mercurialem præstare (videlicet tenuem biliosam purgationem educere in pesso suppositam) & efficaciùs purgare.

Ex Hyppoc.

Artemisia Marcello.

Ad declarationem iam dictorum non parum iuuant, quæ Marcellus Virgilius olim præclarè scripsit. Certarunt, ait, pro Artemisia quondam tota Græcia & Asia, Gentes aliquot: nec aliter minoréue studio, quàm pro Athenis felici quondam, ingeniorum & doctrinarum genitrice, ciuitate, Pelagi arbiter Neptunus & mille operum Dea Pallas fecerant, in vulgaris herbæ nomine gloriam affectauerunt: Contendentibus Caribus Halicarnassoque præsertim reginæ suæ adoptione notam gentibus Artemisiam esse. Quę non contentâ Mausoli coniugis sui fortunâ & regno, quod ante se reges aliqui fecerant, glorioso adoptionis genere, in nomen & gloriam suam olus hoc traxerit, vt esset in Medicæ materiæ historia, etiam post diruta in vacuo aëre pendentia Mausolea: & quæ victrix Rhodi trophæa mulier erexerat, diuturnius & naturæ æquæuum nominis sui in æterno olere monumentum. Contra verò nitentibus totâ Græciâ gentibus. Quæ aut mulieris gloriæ inuidentes: aut, quòd vero similius est, piâ religione salutis suæ numini gratias habentes: Non à regina Halicarnassi Artemisia: sed à Diana, quæ Græcis Artemis dicebatur, factum herbæ nomen testabantur. Salutaris parturientibus Dea illa esse credebatur, ideoque quotidianis precibus & multo religionis ritu prægnantes & puerperæ numen eius colebant, vt sine interiorum locorum noxa liceret, illis quem in vtero gererent, fœtum excludere: & quemadmodum idem eius Deæ beneficiō præstaret hoc olus, æquâ numinis potestate parem illi nominis honorem etiam fecerunt: Quod enim Artemis Dea votis & precibus vocata tunc poterat. Idem adhuc herba Artemisia potest: menses, secundas, fœtusque trahens, & præter hæc eiusdem partis præclusionibus, inflammationibusque vtilis. Ob quas vires in multo nominum ambitu & honore fuit. *Parthenis*, i.e. Virginalis primò dicta, quòd virgo, Dea sc. nomen illi dederit. Mox βασιλικὸν λάχανον, regium olus. Tum ex eadem causa Anactorium. Anactas enim reges Græci vocant. Ephesia à regione dicta eadem est. Quemadmodum à præsenti remedio & ope Sozusa salutaris. Romani regiam herbam Græcorum exemplo: & si recipiendum id sit à similitudine Serpillum maius dixerunt. Et hæc antiquioribus artemisiæ nomenclatura fuit. Ex posterioribus alii in Cannabis genere Artemisiam numerarunt. Congenerem illi facientes & eodem illi nomine eam indicantes. Alii Matricariam notum omnibus olus esse Artemisiam testati sunt. Quod non aliunde, vt credimus, quàm ex duplici eius genere factum est. Quæ enim à Dioscoride Monoclonos, à Plinio autem simplicis caulis nominatur: non dissimili penitùs figura: præsertimque ob singularem quem profert caulem, à Cannabe describitur. Quæ contra Absinthii modo fruticosa ab hoc & ab aliis traditur, facilè ob quas habet vires ad nostri orbis & nostrę ætatis Matricariam transferri potuit: quod etsi Græcorum de Artemisia historiæ omninò non respondeat, nec certo aliquo auctore confirmari possit, non reiiciendū tamen penitus est. Egregia enim in Muliebribus (dico autem nunc muliebria, quę Græci γυναικεῖα vocant) Artemisiæ vis est: credendumque non aliunde, quàm à matricibus posteriori Matricariæ nomē fecisse posteriores: per matrices enim nunc passim Medicina vuluas & muliebres locos intelligit.

Quantum potest Dea, tantū valet herba.

Regium olus.

Anactorium.

Sozusa. Serpillum maius.

Cannabis Matricar.

Artemisia duplex genus.

Idem de Artemisia tenuifolia addit. Desideratur, sed sine iactura aliqua, in vetustis Græcorum Latinorumque codicibus hoc caput, accreuisseque Dioscoridi inutiliter multa indicant: Phrasis primùm sermonisque forma, quæ in Græcis à Scriptoris huius indole longè absunt: mox nullà eorum, quæ in eo iubentur necessitate. Satis enim ad constituendum vtrumque Artemisiæ genus fuerant, quæ de priori longiùs dixerat, præsertim cùm moneret esse alteram Artemisiam speciosiorem, latioribusque foliis, & alteram tenuioribus: mox in Medicina vtráq; calefacere, extenuare &c. Quibus tam apertè à se decretis non oportebat addere: quæ certi, & vt quotidie solent Medici, remedii institutionem potiùs quàm historiæ & vniuersarum virium rationem haberent. Nec si quis Plinium de iisdem docentem contempletur, aliter censebit. Nobis tanti est antiquissimorū codicum fides, præsertim accedentibus coniecturis aliis, vt non vereamur liberè totum de Artemisia tenuifolia caput damnare, & ex aliorum ordine in ordinem reducere.

Artemisia tenuifolia caput Dioscoridi accreuit.

Tria, inquit Matthiolus, à Dioscoride recensentur genera. Verùm priora nullis inter se notis certant, nisi quod in vniuersum altera maior est, altera minor. Id quod etiā confirmat Plinius l. 25. cap. 7. Qui tametsi in prioribus Artemisiæ generibus, nihil à Dioscoride dissentiat, dissidet tamen, & errat in tertio, quod in eius locum Ambrosiam sequenti capite ab ipso Dioscoride descriptam subiecerit, crediditque deceptus hic Ambrosiam, & tertium Artemisiæ genus, vnam & eandem esse plantam. Cæterùm prima duo Ar-

Plinii lapsus.

temisiæ genera Hetruscis frequentissima sunt. Quare equidem nescio, qua ratione ductus Brassauolus pro certo crediderit, eam herbam minorem esse Artemisiam quæ in Hetruria officinis Matricaria, & vulgò mulieribus Amarella vocatur. Sed eò magis virum hunc alioqui celebrem admirari subit, quòd scriptis tradiderit duas alias esse Ferrariæ Artemisiæ species, nullis prorsus notis distinctas, prӕterquàm quòd alteri vnus tantùm sit ramus, alteri verò plures &c. de quibus antè ex Turnero. Cæterùm (addit idem Matthiol.) credidere nonnulli tertium Artemisiæ genus in Dioscoride ascititium esse: Quòd in huius capitis initio non tria, sed duo tãtùm esse Artemisiæ genera scribat Dioscorides: Quòd prӕterea reperiantur huius auctoris codices antiquissimi, in quibus illa de tertio Artemisiæ genere non leguntur. Sed nihil mirum videri debet, si in eius historia cæcutiuit Plinius. Neque item mirandum est, si eius non meminerunt Galenus & Paulus. Non desunt insuper, qui Artemisiæ tenuifoliæ caput Dioscoridi accreuisse, atque adulterinum esse censeant, hoc ducti argumento, quòd cùm priore capite de omni Artemisiæ genere disseruisset Dioscorides, absurdum quippe esset, quod seorsum Artemisię genus aliud subiungeret. Addunt etiam quod huius Artemisiæ inter simplicia nusquam meminerint Paulus, Oribasius & Serapio, qui tamen illa ex Dioscoride transcribunt. Horum sententiam etsi planè probandam existimem: cùm tamen vulgati Græci codices hoc loco Artemisiæ tenuifoliæ caput habeant, illúdque à quibusdam reddatur, nobis quoque adiiciendum, eiúsque aliquã saltem mentionem faciendam, duxi: præsertim quòd non desint, qui id Artemisiæ genus inueniri tradunt. Siquidem Ruellius est autor, ipsũ in Gallia nasci circa riuulos, aggerésq; item in frumentaceis agris, atque inibi vulgò D. Ioannis nominari. Verùm cùm difficillimum esse putem, vt hęc planta ab aliquo cognoscatur, & legitimè demonstretur, quòd nullis prorsus notis depingatur, nescio equidem quomodo Ruellio, viro alioquin digno fide, in hoc quis rectè adstipulari debeat, aut meritò possit.

Tertium Artemisiæ genus an ascititium?

Amatus not.

Amatus Lusitanus, inquit Turnerus, cùm Dioscorides tria faciat Artemisię genera, duo duntaxat facit. 1. Artemisiam hortensem. 2. vulgarem Matricariam: vnde planè discedit à textu quem interpretandum suscepit. Diosc. enim vnũ habet Artemisiæ genus, quod in maritimis proueniat, foliis & ramis magnis: alterum minus, paruo albo fœtido flore: deinde meminit alterius cuiusdam speciei, nascentis in mediterraneis, paruo singulari caule: pręter has omnes, de alia agit, quę Leptophyllos dicatur: cuius fit mentio in omnibus vulgatis Græcis exemplaribus & versionibus Dioscoridis, quæ nunc extant: Vetus etiam interpres meminit trium, vt minimùm, specierum, etsi Galenus duarum dũtaxat meminerit. Vbi autem primam suam Artemisiam hortensẽ facit, Dioscoride in maritimis nasci scribente, Plinio in littoreos natales dũtaxat assignãte: rursum ab auctore suo discedit, quem interpretandũ suscepit. Cęterùm, vt probet contra Matthiolum Matricariam esse Artemisiam vnicaulem, varios citat autores recentiores, suppresso tamen nomine, quos ipse interim variis in locis operis sui damnat, auctoritatémque pro arbitrio reiicit. Nullam aliam hoc loco rationem adducit, quàm quòd fœtida quędam herba, Chamæmelo similis, sit Parthenium non Matricaria. Ergo Matricariam esse Artemisiã monoclonon. Quàm misera sit argumentatio, quilibet potest conspicere. Repono, planta tribus quatuórue donata caulibus, non potest esse Artemisia monoclonos: at Matricaria tres quatuórue aut plures aliquando ramos habet, Ergo &c. Ego vnicam duntaxat verę & legitimæ Artemisiæ speciem noui, quam in insula quadam prope Venetias inueni, foliis multò maioribus quàm Ponticum Absinthium, calidum in secundo gradu completo, floribus multùm absimilibus Pontico, odore tamen nonnihil, non penitùs, simili. Testari id potest D. Wodæus Medicus Regius, qui mecum plantam examinauit. Posset Angl. appellari See Mugwurt/ i. e. Artemisia marina. Qui igitur verę Artemisiæ videndæ desiderio tenentur, conferant se Venetias, indéque paullùm in insulam Chertesã, vbi Carthusianorum monasterium: ibi eam videbunt per omnia descriptioni Dioscoridis conuenientem. Hęc Turnerus, qui non solùm verè negat Matricariam esse Artemisiam veram, verùm etiam Artemisiam nostram vulgarem esse legitimam meritò improbat, & aliam adstruit, de qua iudicent ii, qui Artemisiam suam vel viderunt, vel nouerunt.

Antequam verò ad æquiuoca Artemisię deueniamus, notandum nullam reperiri stirpem, vnico quę sit ramo: ac propterea nonnullos Grӕcos Artemisiam ramosam μονόκλωνον, vt memoriæ producit Adrian. Spiegelius, malè nominasse, atquo Recentiores quosdam, hos fortassis imitatos idem epitheton quibusdam herbis lapsu eodem apposuisse. Sed Græci illi rami appellationem in caulem transtulisse videntur.

Artemisiæ nomine donata planta.

Cæterùm, Artemisię hodie plures nominantur, vt mox apparebit. Est siquidem Artemisia vulgaris rubra & alba: iterumque latifolia & tenuifolia. Artemisia marina Lobelio, nobis Absinthium maritimum Matth. latifolium. Artemisia tertia Dioscoridis leptophyllos Lobelio, nobis Artemisia leptophyllos. Artemisia tenuifolia prima Clusii, quę eodem autore ad Dioscoridis tenuifoliam referenda. Artemisia tenuifolia secunda eiusdem. Artemisia tenuifolia tertia eiusdem Clusii. Quę quibusdam Ambrosia dicitur, ab aliis Artemisia nuncupatur. Artemisiam dici de Abrotono apparet apud Tragum lib. 1. cap. 1. Botris à quibusdam Artemisia dicitur. Iua illa aruensis, quam Gesnerus Artemisiam heptaphyllon esse putat, Botris altera à nobis appellatur. De Artemisia marina Neotericorum dicemus sub Iacobæa marina siue cineraria. Artemisia 3. siue satiua Anglica Tabernamontani est Tanacetum crispum. Artemisię tertię genus flore albo vocamus Tanacetum album. Artemisię tertię quartum genus, Tanacetum fatuum & Tanacetum inodorum. Matricaria creditur à multis, esse Artemisia leptophyllos Dioscoridis. Senecio fœtidus Dalechãpii, à quibusdam Artemisia fœtida appellatur. Camphorata Cæsalpini, Ageratum nostrum, à quibusdam Artemisia monoclonos cognominatur. Artemisię speciem qui autumant Florem Aphricanum (Tagetem Indicam) non sunt audiendi. Scorodotin Artemisiæ speciem constituunt Eustach. Roeslin & Lonicerus, qui Ambrosiam vocant. Eupatorium siue Agrimoniã aliqui falsò Artemisiam esse putarunt. Artemisiam monoclonon non desunt qui Tanacetum vocatum affirmant. Artemisiam tenuifoliam odoratam

Ambrosia quibusdam Abrotonum. Botris.

Iacobæa marina. Tanacetũ crispum. Tanacetum album. Tanacetum fatuum. Matricaria. Senecio alter fœtidus. Ageratum.

Tagetes Indica. Scorodotis.

Agrimonia. Tanacetum.

doratam Tabernamontani Matricariam odoratam appellamus. Artemisia tenuifolia eiusdem flore pleno, est nobis Matricaria flore pleno. Artemisia μαλακανθος Dodonæi, seu Flos Iacobæus Thalio, à nobis Iacobæa vocatur.

Vires & vsus. Artemisia rubra, vino decocta, adiectâ Mace multâ, aut exiguâ prout volueris, per diē bis vel ter sūpta locos muliebres excalfacit, autore Trago, Menses. menses suppressos ciet & educit, nec non secundinas, ac quæcūque id genus in internis hærent vitia : aqua destillata paribus facultatibus est prædita. Decocto Artemisiæ, si id cum Saccharo vel melle temperetur, tussis mitigatur, lenti humores circum præcordia extenuantur, calculi comminuuntur, pulmo mundatur, nec non renes & vesica, idque tam in mulieribus, quàm viris, si decoctum istud per dies bis vel ter bibatur, ita tamen vt à potu sumpto postea ieiunes. Flosculi Artemisiæ siccati omnium præstantissimi sunt, nec tantùm Medicinæ, sed & culinæ maximè idonei. Sunt, qui in Autumno vinum ex Artemisia deferuescere sinunt, illudque vinum postea ad dictas mulierum affectiones vsurpant: & vt paucis absoluam, Artemisia viribus ad Pulegium ferè accedit, & quantùm iudico, in omni cibo gratior. Artemisiæ flores cum Chamomilla & Eupatorio in vino decocti ad neruorum & articulorum perfrictiones & dolores faciunt, si decocto illorum foueantur & cum illo confricentur partes affectæ : præterea si quis longo itinere, Tenesm. plus æquo defatigatus fuerit is aqua in qua Artemisia decocta fuerit, pedes abluat, releuationem sentit: herba Artemisiæ vino rubro decocta vtuntur aduersus exitum ani, vt in locum suum reponatur, vino autem decocto calidissimo insidendum erit, ita tamen vt priùs cum Myrrha & Sterilitas. Colophonia suffumigetur anus. Artemisia, si Plateario fides habenda, calida est & sicca in quarto gradu, folia eius magis competunt vsui medicinæ quàm radices, & viridia magis quàm sicca. Valet contra sterilitatem factam ex humiditate: nā si ex siccitate esset, obesset: possunt autē hæc satis perpendi ex complexione mulierum, sc. an sit corpulenta, vel macilenta. Datur autem cum puluere Bistortæ, & Nucis muschatæ & Sacchato, per modum Electuarii. Aqua Artemisiæ secundum Hier. Herbarium, somnum inducit. Facit procrescere barbam illita. Tineas capitis exterit. Ictericiam expellit. Et hydropisi incipienti medetur. Venenorum quoque vnica antidotus est. In dolore capitis à frigiditate Wirtembergic. Empiricus coquit Artemisiam in bono vino, abluit caput, & calidè applicando superligat, intra horam mitigare dolorem certò pro mittens. Hoc antè docuit, & clariùs quiParalysis. Superstitio. dem Arnold. lib. 1. de cur. morb. cap. 8. vbi ad hemicraniam flores Artemisiæ in aqua coctos appositos, abluto priùs capite eâ decoctione, multùm valere prodidit. Inueniuntur carbones [inquit idem Wirtemb.] sub Artemisia rubra, quos dabis epileptico, & collo appendes : D. mater mea experta est in vxore mea & puero, qui curati fuerunt, vt propria manu scribit Guillelmus Landgrauius Hassiæ. Commendantur etiam ad paralysin cum vino aut aqua lauendulæ. Hem! quibus ceremoniis, quâ superstitione homines non insi ni irretiti tenentur : contaminantur! Sunt qui Artemisiam certis hortis & diebus effodere, ac sub ea carbones, seu (quod ferè miseram) stultorum lapides, aduersus febres inquirere soleant. Alii eò stultitiæ ac dementiæ progrediuntur, vt Artemisiâ se cingant, ac ex ea serta conficiant, quæ postea in ignem Diuo Ioanni sacrum, vna cum omni infortunio [vt sibi temerè imaginantur,] coniiciunt. Nec desunt qui [Plinio seductore impio,] Artemisiam cum Saluia secum deferant, credentes se nequaquam ex itinere defatigandos. Sed quis veræ religionis sincerus cultor, his & similibus superstitionibus fidem haberet, quibus seductor ille spiritus, Cacodæmon, nobiles Dei creaturas conspurcatas decipere, deceptas tandem in ignem æternum abducere solet. Iacobus Vallick lib. de sagis & lamiis, Artemisiam commendat aduersus Satanam, & sagarum [vasorum eius] fascinationes. An verò herbas reformidet Satan, Theologis disceptandum relinquimus. Mittamus nos imposturas has. Ambros. Paræus multùm commendat suâ & & aliorum experientiâ, Artemisiæ salem aduersus pestem: vt & Antonius Royet, nec non alij. Veteres plurimùm laudarunt Artemisiam contra serpentum morsus : ideò probabiliter aduersus pestem.

AMBROSIA VETERIBVS.

CAP. LXXIX.

Ambrosia. Idem Botris Artemisia. Ambrosiam, vt Dioscoridis palàm fecit, alii Botrin, alii Botrim Artemisiam appellant. Est autem frutex exiguus, trium palmorum altitudine, ramosus: *folia* circa imum caulem habet exigua, ceu Rutæ, *cauliculos* [*iacula* ald.] verò minutis *seminibus*, quasi racemulis, qui nunquam florent, refertos : est is odore vinoso, ac suauis. *radix* tenuis & duum palmorum longitudine. Nectitur in coronas apud Cappadoces. Vis eius reprimere, repellere, & illitu adstringere humores, qui in aliquam partem incumbunt. Romani Caprum siluaticum, aut Apium rusticum vocant; Ægyptii Merseo.

Ambrosia, inquit Plinius, vagi nominis est, & circa alias herbas fluctuantis &c. quæ cùm Dioscorides habeat omittimus. Is tantùm, inquit Cornarius, vim reprimendi ἀποκρουστικὴν Dioscoridi dictam, in discutiendi vim διαφορητικὴν appellatam commutauit. Nam & Galenus AmbroPlinii lapsus. siam in cataplasmatis vim adstringentem & repulsoriam habere testatur. Sed Plinius vti dictum Ambrosiam cum Artemisia confundit. Nō inter herbas aliquas fluctuans, & vagum nomē tantùm quondam Ambrosiæ fuit: sed quodcunque odoris aut cibi suauitate placeret, in Poëtis, Scriptoribusque aliis eodem hoc nomine ab antiquis dicebatur, & quasi immortalitatem vtentibus faceret, sic appellata illis fuit. Frequens & notum vbique nomen, ignota tamen res, & inter herbas non facilis inuentu: aliis aliter eam ostendentibus & cum Artemisia miscentibus ferè cunctis. Quo fit vt in peregrina Italiæ herba nihil pro comperto constituere audeam. Plinius lib. 27. cap. 4. integrum Dioscoridis caput commentationibus suis inseruit, cùm tamen non multò antè lib. 25. cap. 7. de Artemisia agens dixisset. Sunt qui in mediterraneis eodem Artemisiæ nomine &c. Ambrosiam vocent. Ex quo manifestè deprehenditur, quod paulò ante diximus vagum per multa Ambrosiæ nomen esse,

plantas, cibos, & pocula, eoúsque vt Athenienses hoc nomine omnigenas fruges oleum, vinum, lacticélque alios, quos diis in ara afferrent, Ambrosiam nominarent. Nobis inclinat animus vt peregrinam nostro orbi peculiarémque Cappadociæ herbam existimemus, inquit Marcell. Virgilius ex Ruellio, iuxta quem tamen, Ambrosia notissima est in Gallia nascens inter segetes: Verùm eam in Gallia se nunquam vidisse nec scire quid sit refert Bacchanellus, nisi sit species Artemisiæ de qua Dioscorides & Galenus verba fecerint.

Italiæ nunc inquilinam refert Hier. Cardanus lib. 8. de rer. variet. c. 44. dicens: Ambrosiam producere vitam in longissimum æuum plærique affirmant. Italia quoque hanc herbam, licèt rarã, fert: sed si seratur, non reiiciet: facilè dignoscitur quòd sola suo semine quemadmod. copiosum fert vinum, suauiter redolet: racemosa est, Rutæ folio, radice valdè longa exilique, nunquam floret. Vsus igitur herbæ huius vitam producere creditur: nec ratione caret, quod ex proprietate fit. Qualis sit Cardani Ambrosia perquirant posteri. Itémque qualis Bellonii Obs. lib. 2. cap. 53. 56. & 112. vbi valdè aromaticam esse tradit, his verbis. Dum ex Heraclea in Iconium, vulgò *Cogne* dictum iter facerem, nullam herbam inueni Ambrosia frequentiorem, adeò odoratam, vt capitis grauedinem non minùs induceret, quàm si in cella vino musto pleno versatus fuissem. Incolæ lignis carentes, eam legunt ad ignem struẽdum. In pago nomine Sarameli vidi Scopas ex Ambrosia confectas, cuius manipulum in Galliã retuli, pro re singulari: nam in Europa, quod sciam, spontè non prouenit.

Hortus porrò Sanitatis cap. 21. nomine Ambrosiæ habet figuram alicuius plantæ vmbelliferæ, quid autem velit me latet.

Artemisia tenuifolia. *Ambrosia quibusdam.* Ambrosiæ nomine sequentes plantæ passim apud autores inueniuntur. Artemisia tenuifolia, quam Matthiolus in prior. com. pro vera Ambrosia expressit. Ambrosia quibusdam dicta, aliis est Artemisiæ species, aliquibus Conyza Hippocratis. *Botrys.* *Botrys altera.* Quam lib. H. n. g. 28. Botryn inscribimus, Ambrosia à pluribus cognominatur. Per Ambrosiam Rheginum existimo intelligere nostram Botrym alteram. *Nasturtium verrucosum.* Coronopus Ruellii vel Nasturtium verrucosum Ambrosiæ nomen apud multos adeptum est. *Saluia.* Toxites in Onom. philosoph. Saluiam, Ambrosiam Deorum appellat. *Tanacetum.* Ambrosiam quidam Tanacetum esse volunt, quibus reclamat ipsamet Ambrosiæ & Tanaceti historia. *Achillea.* Ambrosia Apulei cap. 88. Millefolium nobile Tragi, vocatur à nobis Achillea. *Myriophyllum Matthioli.* Myriophyllon quod alii teste Apuleio, Ambrosiam dixere, Millefolium siue Myriophyllum Matthioli inscribimus. *Apium vulgare.* Sunt qui Apium vulgare Ambrosiam vocent, sed magno cum errore. *Centumgrana.* Stirpis ramusculum, quidam Ambrosiam esse censent, Matthiolus verò Polygoni esse genus credidit: cum officinis eam Centumgrana vocamus. *Pyrola altera.* Amato dicitur etiã Pyrola altera. *Lilium croceum minus.* Ambrosia Corinthiis autore Nicandro ex Athenæo lib. 15. cap. 11 est Lilium croceum minus. *Lilium.* In Co Insula ex Alexandri statua enatam in capite Ambrosiam, quæ nihil aliud sit quàm Lilium, Carystius, teste Ruellio, memoriæ prodidit. *Sedum maius.* *Sedum arborescens.* Nec desunt, authore Dioscoride, qui Sedum maius Ambrosiam appellent, secundum nonnullos. *Scorodotis.* Existimo ego Apuleium ac Dioscoridem vocasse Aizoum maius, arborescens potiùs quàm vulgare. *Millefolium.* Ambrosiam multi vocant eam herbam, quam nos Scorodotin nũcupamus. Toxites in Onom. philosoph. Millefolium Ambrosianam cognominat. *Ageratum.* Ambrosiã quoque de Agerato dici, liquidò constat. Ambrosiam quidam *hirschwurtz* putant, sed falsum est, inquit Cordus in Dioscor. lib. 3. cap. 129. *An Libanotis secunda Dodonæi?* Hanc nos credimus esse Libanotim secundam Dodonæi. *An Herba vinosa.* An Ambrosia Ruellii, quam Bacchanellus se ignorare fatetur, est Herba vinosa?

AMBROSIA QVIBVSDAM.
CAP. LXXX.



Descriptio. COmpluribus fruticat statim è radice ortis *virgultis*, striatis, rubentibus, subhirsutis, in ramos multos diductis: *folia* suaueolentia, Absinthii communis magnitudine & diuisurâ, albicãtia, lanuginosa, sapore aromatico, amaricante, non ingrato: *corymbi* proximè ramulis annexi longam spicam faciunt, quos excipiunt echini parui, muricati, quorum singulis granum inest vnicum, nigrum, gigarto vitigineo simile & ferè par. *radix* lignosa, simplex, fimbris aliquot capillata.

Synonyma. Lobelio dicitur in Aduers. Ambrosia: in Obs. p. 442. Ambrosia satiua hortensis procerior: In Icon. Plant. p. 766. Ambrosia satiua hortensis.

Dod. lat. Ambrosia: Rauvvolff. in Itin. Ambrosia vera apud Iac. Renaudum visa: Cæsalp. Ambrosia, & Ambrosiana vulgò, (Videtur autẽ Cæsalpino esse Ambrosiam Dioscoridis, quæ opinio minùs placet.) Camer. hort. Conyza Hipp. secundùm Anguill. Item: Ambrosia picta à Lobelio: Gerardo Ambrosia, Oke of Cappadocia.

H. Lugd. not. H. Lugdunensis mihi videtur quatuor figuras unius plantæ pingere, & tres descriptiones dare, quæ non placent, ceu nec in omnibus figuræ. 1. est p. 950. hoc titulo: Artemisia monoclonos alia. 2. hoc: Artemisia monoclonos quorundam, aliis Ambrosia. An 3. figura p. 950. hoc titulo? Artemisia leptophyllos montana? 4. hac inscriptione p. 1148. Ambrosia hortẽsis procerior Lob.

Casp. Bauhin. Phyt. Ambrosia 1. siue satiua, aliquando ramosa, aliquando vncialis, hinc duæ icones apud Lugdunensem, p. 1148. & p. 951. Itẽ Ambrosia 4. siue polyspermos, Lugd. monoclonos quibusdam. *Dubii sumus nos*, vt ex iam dictis patet, an H. Lugdunensis monoclonos figura non sit mala, ac etiam descriptio, & fortè eadem cum Ambrosia satiua: si quis extat, qui plantam viderit, moneat.

Tabern. Ambrosien: oder klein traubenkraut/ Græcè Ἀμβροσία, & βότρυς ἀρτεμισία, Ambrosia, Botrys, Artemisia Botroides, Gesnero Herba vinosa,

nosa, Ital. Ambrosia, Gall. Minonec, Ægypt. Merseo, Boh. Stozruyeko, Flammandis & Braban. hof Ambrosie/ h.e. Ambrosia satiua seu hortulana, & Cleyn Truyvenoruyt. *Videtur* Tabern. diuersas plantas confundere. Nomen, Herbis tinosæ, & Minones sunt apud Ruellium, quem de hac Ambrosia vix puto esse locutum. Tabern. si nouit, plantam quam describit, cur eam non quoque pinxit?

Locus

Ambrosia quibusdam dicta à nobis visa est Tiguri in horto D. Gesneri. Geneuæ in horto nostro florebat mẽse Nouembri & semine turgebat, deciduoque proueniebat Maio. Montbelgardi in Horto Ill. E. C. sæpiùs creuit: sed semen ad maturitatem non prouenit.

ABROTONVM VETERIBVS.
CAP. LXXXI.

Etymon

A*βρότονον*, vt Nicandri testatur interpres, inde nomen sibi vsurpauit, quòd conspectu tenerum, molle & delicatum appareat: *διὰ τὸ ἁβρὸν εἶναι καὶ ἁπαλὸν φαίνεσθαι*. Aut quod grauem acremque & difficilem halitum prospiret: *ἀλλ' ὅτι καὶ βαρὺ τὸ ὄζειν εἶναι*.

Veterum verò omnium sententiâ Abrotonum duorum est generum. Theophrasto quippe 6. Hist. 1. Vrbanum & [6. de caus. 24. sic C. Bauhino in phyt. scribente, quod nondum in illo capite legimus,] Agreste. Dioscoridi fœmina & mas: Sic quoque Plinio lib. 21. cap. 7. cui mas, Abrotonum campestre: fœmina verò montanum. Verùm quam Dioscorides fœminam fecit, eam Plinius Chamæcyparissi nomine lib. 24. cap. 15. donasse videtur, inquit Casp. Bauhinus.

Abrotonum, inquit Theophr. radice aut auulsione potiùs quàm semine germinat: semine enim difficulter exit. Seritur Æstate: friget enim vehementissimè: atque in totum morbo obnoxium est, etiam vbi Sol vegementer illucet. Sed cùm conualuerit, creueritque magnum, robustum atque arboraceum constat, quemadmodum Ruta, nisi quod hoc lignosius, & siccius & squallidius est. Abrotonum quoque semine abũdat, nec sine odore est, sed id radices rectas, altasq; agit: est veluti vnistirps, crassa sc. illa radice: reliquis verò de ea exeuntibus spargitur. Abrotonum mirandum profectò apparet: cùm enim calidum sit, loca aprica persequitur. Ratio in infirmitate est: vires enim tam contra frigus, quàm contra æstum huic deficiunt. In totum verò calor inditus ad facilè beneque germinandũ haudquaquam præcipuus intelligitur: siquidem calida sunt quæ acria.

Abrotonum duorum traditur generum, inquit Dioscorides: ac fœmina quidem frutex est arboris specie, candicans, *foliis* circa ramulos Seriphii modo minutim incisis, *floribus* refertos habens in summo quasi *corymbos* auri fulgore, Æstate prouenientes, iucundi odoris cum grauitate quadam, at gustu amaro. Hoc genus Siculum esse creditur. Alterum mas nocatur, sarmentosum, gracilibus ramulis velut Absinthium fruticosum. Plurimùm in Cappadocia gignitur, & Galatia Asiatica, atque in Syriæ Hierapoli. Vtriusque semen seu feruefactum, seu crudum, tritum & ex aqua potum, orthopnϾ, ruptis, conuulsis, ischiadicis doloribus, vrinæ angustiis & men sibus commorantibus auxiliatur. Est & in vino potum exitialium venenorum

Siculum.

Vires

exitialium venenorum antidotum. Rigore prehensis ex oleo vtiliter illinitur. Serpentes quoque tum substratu, tum etiam nidore fugat. Sed & contra morsus eorum cum vino babitum prodest, priuatim verò pollet contra phalangiorum & scorpionum ictus. Subuenit & oculorum inflammationibus, cum Cotoneo cocto aut pane impositum. Discutit quoque panos, cum farina hordeacea cruda tritum decoctumque. Miscetur denique & Olei irini compositioni. *Oleum* Abrotonium hunc in modum conficit Dioscorides. In olei ad Cyprinum conficiendum aromatibus imbuti libras nouem & quincuncem, Abrotoni foliorũ libras octo immittit, ac posteaquam diem noctemque vnam macerauit, excolat. Qvod si perennius & magis durabile conficere vult, abiectis prioribus foliis, alia apponit, & macerata exprimit. Vim porrò habet calfactoriam, ad vuluæ præclusiones & duritias efficacem, menstrua secundasque pellit.

De Abrotono passim agit Plinius. Nam lib. 21. cap. 10. huius primò meminit. Abrotonum, inquit, odore iucundè graui floret Æstate. Flos aurei coloris. Vacuum [vacuis, i.e. incultis, neglectisque locis legit D dech. & hoc loquendi modo prædia vacuat, scripsit ac dixit Cicero] spontè prouenit. Cacuminẽ suo se propagat [quoniam summis flos surculis exit, quo pereunte semen succedit, & è vertice plantæ delapsum, terraque exceptum plantam suam propagat: Seritur autem semine meliùs, quàm radice aut surculo: semine quoque non sine negotio: plantaria transferuntur. Sic & Adonium. Vtrumque Æstate. Alsiosa enim admodum sunt: & Sole tamen nimio læduntur: sed vbi conualuêre, ritu Vitis fruticant. Eodem libro 21. cap. 21. Abrotonum duorum traditur generum, campestre ac montanum: hoc fœminam, illud marem intelligi volumus. Amaritudo [Diosc. hoc de Helenio secundo, Dalech.] Absinthii in vtroque. Siculum laudatissimum, dein Galaticum. Vsus est & foliis, sed maior semini ad excalfaciendum: ideo neruis vtile, tussi, orthopnoicis, conuulsis, ruptis, lumbis vrinæ angustiis. Datur bibendum manualibus fasciculis decoctis ad tertias partes. Ex his quaternis cyathis bibitur. Datur & semen tusum in aqua drachmæ pondere. Prodest & vuluæ. Concoquit panos cum farina hordeacea & oculorum inflammationibus illinitur, Cotoneo malo concocto. Serpentes fugat. Contra ictus earum bibitur cum vino illiniturque. Efficacissimum contra ea, quorum veneno tremores & frigus accidunt, vt scorpionum & phalangiorum: & contra venena alia, pota prodest, & quoquo modo algentibus, & ad extrahenda ea, quæ inhærent corporibus. Pellit & interaneorum mala. Ramo eius, si subiiciatur puluino, venerem stimulari aiunt: efficacissimamque esse herbam contra omnia veneficia, quibus coitus inhibeatur. *Hæc Plinius*, apud quem nonnunquam falsò legitur, *Coquitur panis cum farina hordeacea*: legendum enim est, concoquit panos. Est enim id quod Dioscorides *ἀποιεῖ καὶ φύματα* dixit. Sicque recta est Gazæ lectio & interpretatio, Plinii locum corruptissimum quidam meritò sic restituit. Seritur autem viuiradice, ac surculo meliùs quàm semine quoque non sine negotio plantaris transferuntur: in Adonidis hortos, Æstate. Vtrumque alsiosum admodum est, & Sole tamen nimio læditur: sed vbi conualuere, instar Rutæ fruticant. Sic enim

Plinius corrigitur.



anni tempore multùm variare, ita ut videatur plurium esse specierum. Qui curarunt pingendas tres icones à nobis propositas, an per singulas Abrotonum intellexerint asserere non audemus: ita sculptas emimus, omnes vix placent pro Abrotono.

Synonyma Abrotonum

Quod nobis Abrotonum vulgare dicitur, id Abrotonum appellat Corn.in Diosc. Wirsung. Kyber. Brunfels. Riff. Euch. Roeslin, Winckleτus, Brassauola, Rob.Stephanus, Harchius, Gesn.in cat.pl.Cæsalp.& Apollinaris. Abrotonum vulgare Cronemb. de compos.med.& Cordus in disp.supra Martiatum vbi & Camphoratam Nicolai vocat. Abrotonum nigrum, seu masculum Cordus in Hist. (vbi figura apposita parum placet) & in Dioscoridem. Abrotonum marem Milzald.in Alexikepo campo 2.area 2.& de sect.hort.lib.2.cap.24.Toxites in onom.phil. (cui etiam Abrotonum agreste,) Lacuna, Lonic.H.Lugd. Had.Junius in Nomēcl. Amat. Wormatienses, Car.Stephanus,& Matth. qui tradit esse vulgaris notitiæ, hortense & per se in campestribus nascens tenuioribus & minutioribus seminibus.

Abrot. vulgare. Cāphorata Nicolai. Abrot.nigrum. Abrot.mas mas. Abrot. agreste

Abrotonum mas [inquit Apollo rad.1.] notissimum est ex Matthiolo in hortis. Ego tamen Anguillarii opinioni potiùs adhæreo, quod usitatum sit fœmina.

Figuram, quam nomine Abrotoni ponit Tragus, non bene exprimit Abrotonum, sed potiùs Absinthium vulgare Ponticum foliis aliquo modo imitari videtur. Is Abrotonum duorum esse generum tradit. Minus foliis, magis quàm maius, cineraceis & incanis vestitum, adeoque Seriphio germanico planè similibus. Maius virgis vulgari Chamomillæ quàm proximis, odore grauiori, simulque gratiori quàm minus.

Figura quam habet Fuchsius minus placet, nec etiam placent nostræ olim per Fuchsium sculptæ: vt iam suprà dictum.

Abrotonum duplex tradit Dodonæus: Maius, quod fœmina: & Minus, quod Mas. Miror autem eum pro Abrotono mare assumere figuram Absinthii arborescentis Lobelii, & pro Abrotono fœmina figuram quam habet Lobelius pro Abrotono mare, quæ nostri vulgaris Abrotoni: ac suspicor eum ignorasse verum discrimen inter Abrotona quæ tradit, & per maius intellexisse id quod culturâ in arborem erigitur: per minus verò quod culturâ non erigitur, quo ad hortorum septa minora consitia vtuntur.

Abrotonum fœminam Dioscoridis, nihil aliud esse scribit Anguillara, quàm commune & vulgare.

Camer.hort. Abrotonum mas, vbique notum taleis ramulis facilè propagatur, semine verò difficulter prouenit.

Et paulò pòst: Abrotonum magnum, camphoratum, quibusdam Incensaria, admodum fruticat, & facilè se ex surculis propagat, odoris grauis, attamen omnibus iucundi: Tragus appellat Groß Stabwurtz. *Eccur* Camerarius separat suum magnum Abrotonum, à suo mare Abrotono, interpositâ Chamæcyparisso: præterea Groß Stabwurtz Tragi non differt ab Abrotono vulgari, quod proponit Camerarius pro mare. Is etiam ad Hist. Matthioli germ. hoc separat ab Abrotono Matthioli. In Epit.Matth. Abrotonum mas. Idem ibidem pro Abrotono fœmina Chamæcyparissum pingit. *Camer. hort.*

C.Bauh.phyt. Abrotonum 9. siue mas angustifolium maius: maius Brunfelsio, mas Lobelio. Item: Abrotonum 11. siue latifolium: maius & secundum Trago, latifolium Tabernamontano. *Cur* separet frater C.Bauh. Abrotonum Tragi maius à vulgari & angustifolio non video: vel dicendum vulgare Trago non cognitum. *C.B. ad.*

Tab. ait Legitimum Abrotonum in hunc vsque diem nomen seruat: vocatur autem Abrotonum, vel vt subtiliores quidam Grammatici volunt Habrotopum, Colopæon, Procampylon, Cynanchites & Auronum, à verbo Gallico *Aurone*. Arabi Serapioni de temp.simpl.cap.306. *Caisum*: Auerrh. *Halsita*: Ebenbitari *Asutta*: Haliabbati, *Berenjaseton* & *Quisumium sebum*. Dicitur aliàs in libris Arabum Aluise, Saguasara, Sanguasora, Sanamen, Sarion, Sckebinegi & Schebingi, potissimùm Almansori Tract.2. Aliis tandem Seise gurab, Sgusera, Alfelisil, Cuisar. Dalegensiter, Halsia, Hanudab, Hebum, Kaisum, Kasum, Kisum, Kesimi, Kakilem, Kelilech, Naesul, Nanasar, Rutinas, Sachinabiam, Safara, & Sagation, Italianis *Abrotono, Abrotano, Brotono, Herba canforata*. Plebi Ferrariensi *Aurodono*. Hisp. *Abrotano, Hierua*, aut *yerua lombriguera*. Gallis *Auron, Aurone, Auronne, Aurosne, Aucronne & Bois de S. Iean*. [item aliquibus *Garderobe*, quod Tabern. non monuit,] Anglis Sothernwod. Bohem. Brotan/ Bozcdrzewko. Hung. Obtuta, Seprő rota, h.e. vt Car. Clusius interpretatur, Scoparia Ruta, & Isten faya, h.e. Lignum Dei. Belgis & Brabantis Aueroone & Auercruyt. Germ. Stabwurtz/ Gertwurtz, Garthagen/ Affrusch/ Ebrich/ Garthan/ Gertel/ Gertelkraut/ Gertelwurtz/ Kuttelkraut/ Ganserkraut/ Ganserkraut/ ab odore, quo Camphoram æmulatur: Abrauten/ Gertwurtz, & Schoßwurtz/ quòd sagittas, spinas & id genus extrahat, si emplastri modo applicatur. Et hæc nomina Abrotoni sunt communia. Abrotonum enim mas vocatur græcè ἀβρότονον ἄρρεν Lat. Abrotonum masculum, Plinio Abrotonum montanum: Dioscoridi Abrotonum Cappadocum, Abrotonum Galaticum, & Abrotonum Asiaticum, quòd copiosè crescat in Cappadocia, in Asia & Galatia, Italianis ad differentiam fœminæ (Chamæcyparissi) *Abrotono maschio*. Germ. Stabwurtz/ vel Stabwurtz Männlin/ quibus nominibus vtrumque Abrotonum intelligitur, masculum sc. maius & masculum minus: ad euitandum errorem, in quem incidunt, qui Abrotonum minus, Abrotonum fœminam esse credunt. Theophrastus & Plinius non conueniunt in plantatione Abrotoni: vnus vult feliciùs prouenire ex surculis, alter ex semine. Experientia docet ex surculis potiùs crescere. Et quamuis Theoph.lib.6.cap.7.& alii scribant, frigus ferre non posse, nihilominus Hie-

mem perfert. Abrotoni maris species minor, quę etiá in hortis nostris vulgaris, vt maior, huic in omnibus similis nisi folia essent cinerea, & planta minor. Horum figuras ponit in Hist. & Icó. his inscriptionibus. Abrotonum mas Stabwurtz Mänlin: Item: Abrotonú humile, klein Stabwurtz. Sed Tab. frustra duas figuras ponit, cùm çolor, qui demonstrari non potest, & magnitudo, quam non ostendit, solùm differentiam non constituant.

Locus & Tempus. Abrotonum passim in hortis & in campestribus nascitur: floret Augusto: colligitur in Autumno, potissimùm Septembri mense, hoc enim tempore, Fuchsio autore, semen profert. Ego tamé multùm ambigo an Germania alsiosum húc fruticem in campestribus proferat. In hortis quidé Montbelgardi, Patauii, Geneuæ, Tiguri, Heidelbergæ, in Gallia Narbonensi & alibi obseruaui.

Vires Vires ex Veteribus vide antè. Summæ propagines Abrotoni cum flosculis suis, vino, vel aqua decoctæ, adiecto melle, aut saccharo, pérque dié ter aut quatuor potæ, non nisi rectâ ceruice spirantibus & asthmaticis apprimè conducunt, si Trago credimus: nam vitia pectoris expurgant, cardiacæ medentur & tussi, lentósque humores pulmonis, renum, matricis & vesicę incidunt, stillicidio vrinæ succurrunt, & quosuis internos dolores sedant: aqua destillata, non est inferiorum virium, quę etiam scorpionum & araneorú ictibus auxiliatur, loca muliebria mundificat, si illâ colluantur, vel linteolis in illa madefactis curentur. Qui plura desiderat, Tabernamontanum consulere velit, qui plurima de vsu interno & externo, de aqua eius, vino, & conserua: itémque oleo stillatitio & vnguento tradidit, quæ meritò nos omittimus, ne in immensum opus excrescat. Abrotonum, vt apud Camerarium inquit Horatius, ægro non audet, nisi qui didicit, dare. Sed nostro seculo audaci quilibet non solùm minimè periculosa hæc medicamenta, sed etiam quęuis validissima aliis obtrudere non erubescit. Vsus eius præcipuus in lumbricis, quod & Aelianus notauit. Aqua destillata cum momento pulueris nucis moscatæ optima in stranguria & dysuria. Exteriùs imposita extrahit ferrum, & alia corpori infixa. Cęterùm, Abrotonum calidum & siccum ordine tertio satis intenso assignat Dodon. digerendi quoque ac rarefaciendi, & vt vim.

ABROTONVM CVM PVLCHRIS corymbis.



Descriptio. PRædictis humilius est, *folia* habet maioris Abrotoni similitudine dissecta, sed minùs candida, & odoratiora, quo Santolinam referunt: *corymbi* è ramulis copiosi ad summum vsque luteo splendent colore: *semen* admodum fœcundú est: *radix* vt aliorum.

Hoc Dodon. gall. Abrotonum tertium nominat, ac extra dubium Dioscoridis ἀβρότονον σικελικὸν, Abrotonum Siculum pronuntiat, testatúrque Germanos wolriechender Stabwurtz, Abrotonum odoratum, vocare. Lat. Dod. Abrotonum odoratum humile inscribit.

Lob. Obs. p. 444. Icon. Plant. p. 769. pingit hoc titulo. Abrotonum odoratum humile densè fruticosum.

C. Bauh. Phyt. vocat Abrotonum 10. siue mas angustifolium minus.

A Fuchsio quum Tubingæ apud illum essem, mihi in horto eius demonstratum, à vulgari diuersum. In hoc enim pulcherrimi corymbi, multò maiores quàm in vulgari Absinthio Pontico, & rariores, aurei: foliola circa flores latiora nónihil, longiora, non ita dissecta. Frater mihi attulit à se Venetiis collectum. Belgis hortense est, id quod testatur Lobelius.

ARTEMISIA TENVIFOLIA, SIVE LEPtophyllos, aliis Abrotonum siluestre.

Cap. LXXXIII.



ARtemisia tenuifolia longa pollicaris crassitudinis *radice* firmatur, eáq; multifidâ, lignosâ perenni: *caules* cubitorum aliquot altitudine emittit, qui vetustate in lignum solidum, durúmque degenerant crassitudine digitali, alioqui tenues Artemisiæ latifoliæ similes, rigidi, rubentes, striati, medullâ albâ farcti, alis multis cócaui: *folia* pilosa, albicantia, Seriphii Absinthii tenui diuisurâ, ad Abrotoni folia accedentia, colore viridi, vbi adoleuerint non multùm dissentanea, odore autem multùm ad Abrotonum accedente, *corymbi* rubentes, spicatim in ramulis crebri, Abrotoni formâ & colore. Solet non raròad ramulorum diuaricationes muscosum squammatum excrementum ferre.

Tres Artemisias tenuifolias statuit Clusius. An autem commodè ad Ἀρτεμισίαν λεπτόφυλλον, Artemisiam tenuifoliam Dioscoridis hæ stirpes referri queât, peritioribus dispiciendum relinquo. Prior quodammodò ad eius historiam accómodari posset, quia odorata est. Aliæ, odore carent, aut, si quem habent, is valdè tenuis est. Tertię etiam ingratus, quemadmodum & sapor.

An Ruell. lib. 3. cap. 62. Artemisiæ quartę mentionem faciens, hanc intelligit, dicens. Artemisiæ genus aliud, quæ minutis foliis: vulgus Diui Ioannis herbam nominat?

Credide-

Crediderimus nos cum Doctiss. Dalechampio hanc herbam dici apud Matth. in prior. comm. Ambrosiam: in postr. verò vbi retinet priorem picturã, Ambrosiam alteram: ibidemque depingi: Etsi in suis illis cõmentariis, quos primùm Italicâ linguâ conscriptos ediderat, ingenuè confessus esset, se nunquam vidisse Ambrosiam in Italia. *Ambrosia Matth.*

Gesn. de hort. Artemisia leptophyllos quædam circa Basileam spontè nascens. Gerard. Abrotonum campestre wilde Sothernwood. C. Bauh. phyt. Abrotonum 13. siue campestre tenuifolium.

Tabern. Hist. part. 1. p. 62. Abrotonum campestre, Abrotonum 3 in descriptione & inter nomina, vbi ait ad Herbariis vocari germ. feldt Stabwurtz/wild Stabwurtz, & Besenkraut/ à copia virgularum, è quibus scopæ fiant. Latinos quosdam appellare Herbam camphoratam. Idem p. 37. vocat Artemisiam minorem, kleinen Beyfus/ Artemisiam peregrinam: p. 38. inter nomina, Artemisiæ quartum genus è Galliæ prouincia oriundum, Artemisiam minorem, & Artemisiam tenuifoliam minorem: Germ. welscher Beyfus. Tandem p. 60. nominat Ambrosiam tertiam, daß drit Ambrosien kraut. p. 61. Ambrosiæ tertium genus & Ambrosiam tenuifoliam. Artemisiam igitur minorem Tabernamontani, eiusdemque Ambrosiam tenuifoliam non separo, ab Abrotono eius campestri, quia ex aliorum sententia de iis scribere videtur, nec earum picturas proponit particulares nisi Abrotoni campestris, quam etiam in Icon. p. 16. pictam exhibet.

H. Lugd. p. 950. Artemisia 3. leptophyllos Penæ. Item p. 1148. Ambrosia altera Matthioli, quæ multis esse videtur Artemisia tenuifolia. Existimamus nos H. Lugdunens. in ponere duas figuras vnius plantæ: ac eam quoque indistinctè scribere lib. 10. cap. 32. de Ambrosia.

Artemisia tenuifolia Basileæ ad Rhenum quà itur in Krentzack, prouenit. Monspelii passim in sepibus & agrorum marginibus, vbi totam Hiemem fert, & Autumno floret. Mense etiam Septembri florentem obseruaui Lugduni: inter Mülhausen & Otmarsen in vitibus ad vias: in itinere Argentinâ versus Stutgardiam multis in locis: Bononiæ in Italia ad montes Apenninos. Reperi quoque in muris Castelli Sponeck Ill. F. C. ad Rhenum, plantaui Montbelgardi in Horto eiusdem E. C. vbi Hiemem pertulit, foliis cineritiis, hirsutis, quibus mense Iunio depositis, induit longiora & tenuiora, viridia, vt quis diceret aliam esse plantam. Brisaci abundat, florens adhuc Octobri & Nouembri, in collibus arenosis & secus vias profundas: & iuxta agrorum margines radiis Solis illustratas.

ARTEMISIÆ TENVIFOLIÆ SIMILE, si non idem, Abrotonum inodorum Lobelii.

CAP. LXXXIV.

Abrotonum inodorum & insipidum, vultu, *folio, flore, & semine* Artemisiæ tenuifoliæ è collibus Gallo-Belgii alunt Mutonus, Coudenbergius & Iacobus Plateau, harum studiosissimi & cultissimi, inquit Lob. Obs. p. 444. vbi figura cum hac inscriptione. Abrotonum inodorum. Eadem Icon. Plant. p. 769.

Dodon. lat. in fol. p. 26. iconem eandem habet cum Lobelio pro Absinthio inodoro & insipido. Verùm descriptio est alterius plantæ, de qua egimus post Absinthium.

Clusius quoque in post. Hist. eandem iconem exhibuit pro Artemisia secunda tenuifolia, cuius descriptionem antè posuimus ex ipso Clusio.

Tabern. Icon. & Hist. Breit Stabwurtz/ Abrotonum latifolium, Abrotonum quartum, Abrotonum fatuum, Abrotonum inodorum. *Meritò* nominat Tabern. Abrotonum fatuum. Est enim fatua figura ex Lobeliana nonnihil mutata: & cum latioribus foliis: fatua etiam descriptio & amplificata ex paucis verbis Lobel. *Abrot. latifol. C. B.*

C. Bauh. phyt. Abrotonum 11. siue latifolium, maius & secundum Trago, latifolium Tabernamontano. *Ego* Tragi Abrotonum aliud non puto à vulgari, si hoc ei cognitum fuit. Et hinc diuersum Tragi statuo, à Tabernamontani latifolio.

Gerardus, qui Abrotonum inodorum vocat, Angl. Vnsauerie Sothern wood/ imitatur Tabernamontanum. Penæ in Baldo, Abrotonum inodorum Penæ.

RVTA SIVE ΠΗΓΑΝΟΝ VETERIBVS.

CAP. LXXXV.

Theophrastus de causis lib. 5. vult Rutam plantari, vt quæ sub vmbra Fici arboris libentiùs acquiescit, velut Palladius ait in Martio. Hoc mense Ruta seritur locis apricis, foliis cineris inspersione contenta. Loca desiderat altiora, vnde humor elabitur. Si ponas semina eius adhuc clausa folliculis, singulatim manu debebis affigere. Si iam minuta sunt, sparsa iactabis, & rastro obducta cooperies. Caules eius, qui inclusis seminibus nati fuerint, fortiores erunt, sed serò nascentur. Ramuli eius cum aliqua corticis parte conuulsi verno tempore pro plantis tenebunt: tota verò translata morietur. Nõnulli ramulos eius pertusæ Fabæ inserunt vel Bulbo, atque ita obruunt alieno vigore seruandos. Prosequuntur etiam maledictis, & maximè in terra soluti lateris ponunt, quod prodesse certissimum est. Sed [vt asserunt] meliùs furtiua prouenit. Sub Fici arboris vmbra libentiùs acquiescit. Non effodi herba, sed optat aucelli. Immundæ mulieris formidat attactum. Et hoc est, quod ante ipsum Plutarchus quoque scripsit. Cur autem dicatur πήγανον declarat idem his verbis. φασὶ δὲ καὶ τὸ πήγανον ἀπὸ τῆς δυνάμεως ὀνομασθῆναι· πήγνυσι γὰρ ξηρότητι διὰ θερμότητα τὸ σπέρμα, καὶ ὅλως πολέμιον ἐστι ταῖς κυούσαις. Aiunt facultate sua πήγανον dictum, quòd siccitate & calore coagulet & condenset semen. Hinc vterum gerentibus inimicum est. *Ruta plantatio ex Theoph.* *Palladio.* *Superstitio.*

Rutam duplicem agnouisse videtur Hippocrates. Et quidem lib. 2. de m. m. dicens. Acrius subdititium ad menses eliciès, si Brassicæ & Rutæ vtriusque [πηγάνου ἑκατέρου] &c. Quales autem sint, non ostendit, id quod Dioscorides fecit.

Ruta inquit, montana & siluestris, satiuâ & hortensi genere aptior esui, quæ iuxta Ficos prouenit. Vtrumque porrò genus vrendi uim habet, calfacit, exulcerat, vrinam ciet, menses ducit, at cùm cibo, tum etiam potu alium sistit. Semen acetabuli mensura è vino bibitum contra lethalia medicamenta est pro antidoto. Quin & folia per se præsumpta aut cum nucibus Iuglandibus aridisue Ficis, venena irrita & inefficacia reddunt. Sed & simili sumpta modo contra serpen-

rium ictus valent: genituram seu esitata, seu bibita Ruta extinguit: decocta verò cum Anetho sicco tormina potu sedat. Facit & ad pectoris laterúmque dolores, spirandi difficultatem, tusses, pulmonis inflammationem, coxendicum, articulorúmque cruciatus, & rigores febrium circuitu repetẽtes, pota velut antè dictum est. Idem ad inflationes coli, vuluæ, rectique intestini, cum oleo decocta & infusa. Vuluæ etiamnum strangulatui medetur, si trita cum melle genitali sede tenus imponatur. Feruefacta ex oleo & pota lumbricos expellit. Sed & articulariis doloribus, ex melle: & aquæ subter cutem fusę morbo cum ficubus adhibetur. His iisdem in potu auxiliatur itémque decocta in vino ad dimidias partes & affricta. Cruda quoque conditáque in cibo aciẽ oculorum excitat: quin & oculorum dolores, imposita cum polenta lenit. Caput dolentibus cum Rosaceo & aceto succurrit, ac profluentem naribus sanguinem sistit trita & indita. Testium inflammationibus cum Laureis foliis imposita, & papularum eruptionibus cum Myrteo cerato prodest. Cum vino autem, Pipere ac nitro affricta, vitiligini albæ medetur, & cum iisdem illita thymos ac myrmecias tollit. Contra impetigines cũ melle & alumine vtiliter imponitur. Succus verò in Mali punici corio (calyce, Sarrac.) calfactus aurium doloribus efficaciter infunditur. Opitulatur & aciei oculorum hebetiori, si additis Fœniculi succo ac melle, oculi ipsi eo inungantur. Erysipelata, herpetas, & vlcera in capite manãtia cum aceto, Cerussa & Rosaceo, inunctione sanat. Ipsa verò Ruta Alliorum, Cæparúmque grauem halitum emendat, si postea commanducetur. At montana si copiosiùs esitur, interficit. Atque si sub id tempus quo florere incipit, ad murię conditura colligatur, cutem rubefacit, ac inflat, cum prurιtu ac vehementi inflammatione. Eam itaque vnctis antea manibus & facie colligere oportet. Tradunt & succum gallinaceis pullis inspersum feles arcere. Adiiciunt verò, eã quæ iuxta flumen Haliacmonem in Macedonia gignitur, comedentes interimere. Montosus autem is locus est, ac viperis abundat. At illius semen epotum contra interaneorum vitia est efficax: ideóque antidotis vtiliter immiscetur. Cõtra incontinentiam vrinę, tostum, septenis diebus potui dato, & cessabit. Cęterùm (his caret vet. vsque ad finem) radix huius montanum Moly vocitatur. Syluestris itaque Ruta satiuæ quodãmodò similis est. Ac pota prodest comitialibus & ischiadicis: menstrua quoque mouet: ac partus enecat. Acrior verò est quàm satiua & maioris efficaciæ. Attamen siluestrem cibis abdicare oportet, quippe quæ veneni noxam obtineat.

Plinius lib. 20. cap. 13. vim & vsum Rutæ medicum his verbis declarat. Quæcunque Ruta & per se, pro antidoto valet, foliis tritis, & ex vino sumptis, contrà aconitum maximè, & viscum: item fungos siue in potu detur, siue in cibo. Simili modo contra serpentium ictus, vtpote cùm mustelæ dimicaturæ cum his, Rutam priùs edendo se muniãt. Valent & contra scorpionum ictus, & araneorum, apum, crabronum, vesparum aculeos, & cantharides, ac salamandras, canísque rabiosi morsus, acetabuli mensura succus ex vino bibitur, & folia trita, vel commanducata imponuntur cum melle & sale, vel cum aceto & pice decocta. Succo verò perunctos aut eam habentes, negant feriri ab his maleficiis. Serpentésque si vratur Ruta, nidorem fugare. Efficacissima tamen est siluestris radix cum vino sumpta. Pythagoras oculis noxiam putauit falsò, quoniã sculptores & pictores hoc cibo vtuntur oculorũ causâ. Cum pane quoque, vel Nasturtio satiuo atque siluestris propter visum: Vt aiunt, multi succo eius cum melle Attico inuncti discusserunt caligines, vel cum lacte mulieris puerum enixæ, vel pauco succo angulis oculorum tactis, epiphoras cum polenta imposito. Lenit autem capitis dolores pota cum vino, aut cum aceto & rosaceo illita. Si verò sit cephalæa, cum farina hordeacea & aceto. Eadem cruditates discutit, mox inflationes, dolores stomachi veteres. Vuluas aperit, corrigítque conuersas, illito cum melle toto ventre & pectore. Hydropicis cum Ficu, & decocta ad dimidias partes, potáque ex vino. Sic bibitur & ad pectoris dolores, laterúmque, & lumborum tusses, suspiria pulmonum, iocinorum, renum vitia, horrores frigidos. Ad crapulæ grauedines concoquuntur folia poturis, & in cibo vel cruda, vel decocta, conditáue prodest: item torminibus cum Hyssopo decocta, & cum vino. Sic & sanguinem sistit trita & naribus indita, sic & collutis dentibus prodest. Auribus quoque in dolore succus infunditur, custodito, vt diximus, modo. E siluestri verò contra tarditatem & sonitum cum rosaceo, vel cum Laureo oleo, aut Cumino aut melle. Succus & phreneticis ex aceto tritæ instillatur in tempora & cerebrum. Adiecerunt aliqui & Serpillum, & Laurum, illinentes capita & colla, dederunt & lethargicis exolfaciendum: dederunt & comitialibus bibendum decoctæ succum in cyathis quatuor: ante accessiones, quarum frigus intolerabile est, alsiosisq; cruda datur in cibo. Vrinam quoque vel cruentam pellit, fœminarum etiam purgationes, secũdásque, etiam emortuos partus, vt Hippocrati videtur, ex vino dulci nigro pota. Itaque illini & vuluarum causa etiam suffire iubẽt. Diocles & cardiacis imponit ex aceto & melle cum farina hordacea. Valet contra ileum decocta farina in oleo, & velleribus collecta. Multi verò & contra purulentas excreationes siccæ drachmas duas, sulphuris vnam & dimidiam sumi censent: & contra cruentas, ramos tres in vino decoctos. Datur & dysentericis cum caseo in vino contrita. Dederunt & cum bitumine infriatam potioni propter anhelitum. Ex alto lapsis seminis tres vncias illinunt ex olei libra, vinique sextario. Illinitur & cum oleo coctis foliis, partibus quas frigus adusserit. Si vrinam mouet, vt Hippocrati videtur, mirum est quosdam dare, velut inhibẽtem, potui, contra incontinentiam vrinæ. Psoras & lepras, cum melle & alumine emendat. Item vitiligines, verrucas, strumas, & similia, cum strychno hircino & adipe suillo, ac taurino seuo. Item ignem sacrum ex aceto & oleo, vel Psymmithio: carbunculum ex aceto. Nonnulli Laserpitium vnà illini iubent, sine quo epinyctidas pustulas curant. Imponunt & mammis turgentibus decoctam, & pituitæ eruptionibus cum cera. Testium verò epiphoris cum ramis Lauri teneris, adeò peculiari in visceribus his effectu, vt siluestri Ruta cum axungia veteri illitos ramices sanari prodant, fracta quoque membra semine trito cum cera imposito. Radix Rutæ sanguinem oculis suffusum, & in toto corpore cicatrices aut maculas illita sanat. Ex reliquis quæ traduntur, mirum est, cùm feruentem Rutæ naturam esse conueniat, fasciculum eius in rosaceo decoctum addita vncia Aloës, perunctis sudorem reprimere: Itémque generationes impediri, hoc cibo, ideò profluuio genitali datur, & Venerem crebrò per somnia imaginantibus. Prę-

cauendum

cauendum est grauidis, abstineant hoc cibo, necari enim partus inuenio. Eadem ex omnibus satis quadrupedum quoque morbis in maximo vsu est, siue difficilè spirantibus, siue contra maleficorum animalium ictus, infusa per naros ex vino, aut si sanguisugam exhauserint, ex aceto, & quocunque in simili morborum genere, vt in homine temperato.

Galenus breuiùs vtriusque vires sic tradit. Ruta agrestis ex quarto est ordine excalfacientium & siccantium, domestica verò ex tertio. Est autem non solùm gustu acri, sed & amaro. Ea digerere atque incidere crassos lentosque humores potest. Ob eâdem vim & vrinas mouet. Quin & tenuium est partium, flatusque extinguit. Quare ad inflationes competit, ac Veneris appetitum inhibet, digeritque atque exficcat sanè strenuè. Est enim ex eorum numero medicamentorum, quæ valenter desiccant.


Sunt porrò qui Rutam Rhyten, Aegyptii Epnubu, Syri Armala aut Besasa, Aphri Churma dicant, teste Dioscoride inter notha. Meminerimus autem cùm Dioscorides dicit Rhyten ab aliquibus vocari Rutam, Nicandrum Poetam & Peloponnesii incolas indicari. Siquidem Iolaus antiquissimus Græcorum scriptor, & cuius nomen vel olim tantùm audiebatur, in Peloponesiacis retulit suis, quam tota Græcia Peganon vocabat, Peloponesum Rhytem appellare. Nicâder certè in Theriacis suis de Trifolio suo quod Menyanthes Græci vocant, agens, id habere ait comam quidem Loto, odorem verò Rutæ similem. Ex his manifestum est, inquit Marcell. Virgilius, Rutam ab aliquibus Græcis *ῥύτην* dictam fuisse. Nec dubitandum alicui à Peloponnesiorum Rhyte, Latinos Rutham suam fecisse. Frequens enim græcæ y. literæ in latinam v. mutatio est, quoties seruatis cæteris transferendum à Græcis ad Latinos aliquid est.

Ruta satiua. *Ruta silu. maior.* *Ruta silu. minor.* *Ruta quæ Harmala.*

Cæterùm Rutæ cognominatæ plantæ sequentes nominantur. Ruta maior hortensis Aduers. Ruta satiua nostra. Ruta siluestris & agrestis Aduers. Ruta siluestris maior nostra, Ruta Gesneri. Rutula, Rutæ minima, angustifolia, Aduers. Ruta silu. minor nostra, capitulo quadripartito. Ruta siluestris alia Dioscoridi, in Cappadocia & Galatia Asiæ Moly dicta, nobis Ruta quæ Harmala. Quam Rutam pratensem Lutetiæ, aliqui verò circa Sabaudiam, non rectè Rutam caprariam vocant, nominamus nos Thalictrum Gesneri maius folliculis angulosis. Ruta pratensis Lobelii Obs. p.509. appellatur Thalictrum maximum, semine striato, folio ex cæruleo virente. Quæ Ruta fœtida siue lutea ab Aduers. titulo de Sophia p.328. nominatur, Thalictrum semine striato folio saturatiùs virente à nobis inscribitur. Ruta pratensis minor quorundam, est nobis Thalictrum minus. Ruta palustris, Filipendula palustris Tabernamontani, dicitur Oenanthe. Rutam pedicularem Tabern. Fistulariam purpuream Schuvenckf. simpliciter Pedicularem appellamus. Rutam caninam Recentiorum, Scrophulariam tertiam Dodonæi cognominamus. Rutam caprariam vocari Galegam patet H.n.g. lib.17. Rutam siluestrem multi statuunt herbam quæ dicitur Hypericum. Ruta siluestris Dioscoridis, quam à Ruellio inter notha reiectam esse Placa dicebat, est Clusio Hypericum supinum, nobis tomentosum. Ruta capraria Gallorum Monspelii vulgò sic dicta, traditur H.n.g. lib.17. pro fruticante, siue Polemonio Monspessulano. Ruta vinacea quorundam Ruellio lib.3. cap.62. est nobis Bottrys altera. Rutam lunariam, Rutam iecorariam Tabern. vocamus Lunariam minorem. Ruta parietum vulgi Gesnero de hort. vocatur à nobis Ruta muraria. In nothis Dioscoridis Romani Isatim satiuam appellant Rutam. Isatim verò siluestrem, Rutam minorem. Rutæ tandé appellatio, quo pacto ad Tussilaginem peruenerit, meritò sane miratur Tragus. Vide Dioscoridem lib.3.

Thalictrũ maximum. *Thalict. minus.* *Oenanthe.* *Pedicularis* *Ruta canina* *Galega.* *Hypericum tomentosũ.* *Bottrys altera.* *Lunaria minor.* *Ruta muraria.* *Isatis.* *Tussilago.*

RVTA SATIVA, VEL HORTENSIS.



Descriptio

IVre inter frutices Rutam reponunt lignosi densè fruticâtes *rami*, cubitos duos alti, maioresque, quos alæ diuidunt frequentes: *folia* viroso odore, perindeque ingrato sapore, subcærulea, terna sæpè, vel plura, Trifolii fruticâtis, *flores* stellati ex extremis ramulis breuib⁹ quinque carinatis foliis, in quorũ singulis singula stamina totidem intercedentibus, colore herbaceo ex luteo præditis, vmbone pyramidato ex atro virente, medium occupante: calyce quadripartito, ac etiam quinque partito, in quo *semina* nigra.

Cordi diligentis Botanici descriptionem omnibus numeris absolutam meritò subscribimus. Ruta satiua maior siue latifolia, inquit, frutex est *caudice* cubitali, aut altiore, crassitudine digitali, colore cinereo, in multos ramos diuisus: ex his Veris initio plures emittit, longos, teretes, egregiè virides & flexiles surculos, in quorum summitate Veris exitu, & Aestate inæquali ordine *flores* sunt Leucoio similes, minores tamen, quatuor aut interdû quinque, luteis & cochlearis modo concauis foliis constantes, sursum spectante eorum concauitate, in medio flore quadripartitum, aut nonnunquam quinquepartitum est *capitulum*, colore viride, exiguum quendam apicem habens, stamina ab ima eius parte exeunt lutea, octona aut dena in latitudinem resupinata: ex his medius numerus supra foliorum concauitatem extenditur; reliqua autem quatuor foliorum spaciis interposita sunt, *semen* in mediis florum capitulis fert paruum, in rotundo modicè oblongum, colore nigrum, folia omnibus ramulis adnascuntur, in longis pediculis incerto ordine disposita, parua, in plures & inæquales partes secta, virẽtia, mollia, & pinguia: ex his maxima pars semunciam longitudine non excedit, latitudine multò minore. *Radice* nititur ex vno principio multifidâ, numerosâ, capillamentis fibratâ, colore flauâ: viret tota Hieme, non flaccescentibus foliis, antequam nouo Vere alia enascantur, quo tempore etiam surculi qui

ſemen protulerunt, in ſummitate exareſcunt: coma eius acrem, aromaticum, interimque graué ſpirat odorem, eadem ſapore amaro, feruido & tenui palatum excalefacit, maximè viridia adhuc florum capitula. Colitur in hortis.

Cæterum, eſt & altera Ruta ſatiua, tenuifolia ſcilicet, quam ita Cordus ita deſcribit. Ruta tenuifolia latifoliæ per omnia reſpondet, præterquam quòd multò minoribus conſtet omnibus partibus: folia ſiquidem Fumariæ modo in exiles partes diuiſa habet, non tamen in tantam latitudinem diffunditur: floribus & capitulis latifoliæ ſimiliter reſpondet: ſemen habet oblongum, nigrúmque guſtu vehementer acre: reliquarum partium qualitas & ſapor latifoliam æmulatur. Seritúrque ſimiliter vt illa in hortis, parcè apud nos, ſed frequentiùs Italis quibuſdam locis, vbi hanc tantùm Rutam nouerunt.

Rutam ſatiuã in latifoliam & tenuifoliam diuidit quoque C. Bauhinus. Tenuifoliam quidẽ vocat Rutam hortenſem alteram, Rutam hortẽſem minorem Tragi, Rutam Matthiol. Anguill. Lacunæ, Cãſt. Rutam ſatiuam tenuifoliam Cordi: Hortenſem nobilitate præſtantem Geſn. hort. Tenuifoliam Tabernamontani.

Cornarius autem appellat hanc Rutam minoribus & herbaceis coloris foliis. Latifolia dicitur Cordo in Dioſcor. Ruta & Ruta ſatiua. In Hiſtor. Ruta ſatiua maior, ſiue latifolia, quemadmodum & Tabern. Trago Ruta domeſtica, Ruta 2. vulgaris. Lobelio in Aduerſ. Ruta maior hortenſis. Ruta hortenſis in Obſ. p. 506. In Icon. Plant. Tom. 2. pag. 52. Camer. hort. & Hort. Luſit. Ac Fuchſio. Ruta hortenſis vulgaris Turnero. Ruta domeſtica Hier Braunſchvveig. Aliis vt Corn. ſimpliciter Ruta. Cæſalp. Ruta ſatiua latioribus foliis. Dod. Ruta graueolens hortenſis.

Nomina linguarum *Πήγανον* Gr. Ruta Lat. G. Rauten / & weinrautten / zam Rauten. Belgis Ruyte / & wynruyten. Gallis *Rue, Rue de iardin.* Itali Latinam ſeruant nomenclaturam. Hiſp. *Ruda, Aruda.* Anglis Rue. Boh. Rauta. Hung. Zeges, Rutha, h. e. anguloſa Ruta. Maurit. *Sadeb,* ſeu *Sedab.* Phurſius Hebræâ linguâ Rutam *Schaſeſ* vocat, Chaldæi & Thalmudiſtæ *Mechul & Pigam.* Quidam ſemen Rutæ *Bizert, Salgagel* dicunt.

Locus & tempus Rutam ſurculo naſci aliquoties compertum habemus. Hæc culta (vt ſe vidiſſe teſtatur Camer.) ita in altum creſcit, vt etiam tres cubitos ſuperaſſe viſa ſit, ac admodum eſt longæua, cuius radix tandem planè ligneſcit, quæ ſi accenditur ſuauem & tempore peſtis vtilem emittit odorẽ. Ruta ſubſalſo alimento redditur melior, vt Eruca. Meminit Ioſephus in Macheo Rutam fuiſſe regiam mirabilis magnitudinis, quæ a nulla Ficu, vel celſitudine, vel magnitudine vinceretur. Eam autem ex Herodis temporibus perſeueraſſe. In Germania noſtra moris eſt Rutam Saluiæ adiungere, cuius hanc afferunt rationem: Buffones amare loca Saluiâ conſita, qui vt abigantur, Saluiam Ruta muniri oportere. Rutam ſatiuam vidi Monſpelii, Lugduni, & Bononiæ in hortis, vt in horto di S. Saluator al Burgo di S. Catharina. Geneuę florentem adhuc Octobri, Montbelgardi Iunio, vbi g lu nonnunquam abſumebatur, verùm rurſus facilè ex ſemine proueniebat.

Ruta, vt experientia teſtis eſt, ferculis abdicatur, nec culinę ſeruit propter iniucundum, quẽ habet odorem, & ſaporem quem obtinet feruentem, quo homines grauiter afficit. Quia autem omni penè veneno reſiſtit, ideò peculiaris fit pauperum Theriaca. Eſt enim tantarum virium, vt eas nemine ſatis deſcribere poſſe arbitretur Tragus. Attenuat, vt prodidit Matthiolus, incidit, digerit, reſoluit, prouocat, & flatus potenter pellit. Rutę vires in longum proſequitur Tabernamontanus, quas in gratiam germanicę linguę ignarorum ita reddere ſtuduimus. Ruta facultatis eſt calidæ & ſiccæ, reſoluentis, penetrantis, & digerentis. Eſt calida & ſicca in tertio gradu, ſingularis & approbata Theriaca contra omnia venena, ideóque magna cum vtilitate intrinſecus aſſumitur: extrinſecúſque admouetur. Herba vna cum floribus colligitur, & in vmbra ſiccatur: Semen verò in Autumno, bene maturum. Nemo ſatis vires & facultates Rutæ inueſtigare poteſt. Hoc ſiquidem impoſſibile ferè eſt. Et licèt multa à veteribus de huius operatione & vſu ſint prodita, attamen præterire nolui, quæ ipſemet expertus ſum adſcribere. Ruta igitur in ſubtilem puluerem redacta, drachmæ pondere calidè ex vino hauſta, fugat dolorem capitis à cauſa frigida ortum. Recentis in mortario lapideo contritæ ſuccus vnciarum quatuor, in eoque drachma ſemis Aſæ fœtidæ diſſoluta, calidè bibita, ſalutaris eſt medicina morbis caduci: ſanat etiam clauum, diuturnum capitis dolorem. Soliti fuère veteres Rutam ſale condire, annum ſeruare, eámq; comedere, vt claros ſibi compararent oculos. Quidam, quia quolibet anni tempore recens haberi poteſt, viginti diebus, quolibet die viginti foliola cruda, purgato tamen priùs corpore, ſumunt: vnde magnum iuuamen ſentiunt. Alii ſiccam redigunt in puluerem ſubtiliſſimum, de quo drachmam in vino hauriunt. Quocunque verò modo vſurpata dolorem oculorum à frigiditate & humiditate prouenientem corrigit. Cum anetho exſiccato cocta, iúſque colatum bibitum, mitigat dolorem thoracis, laterum, & tormina. Item difficultati ſpirandi ſuccurrit, tuſſi & inflãmatis pulmonibus. In quibus & ſimilibus affectibus par eſt accipere ficus & Hyſſopum. Hæc ſimul in vino cocta valent aduerſus iecoris & renum vitia: item Iſchiadicos affectus: menſes mouent: horrores febrium abigunt. Alii accipiunt Rutæ manipulum vnum, coquunt in menſura vini ad conſumptionem tertię partis, colant, in colatura diſſoluunt Sacchari Vnc. 4. De hac bibunt mane & veſperi calidè Vnc. 4. Valet aduerſus dolorem thoracis à frigiditate ortum. Folia Rutæ aut ſola ſeparatim, aut etiam cum ſemine in generoſo vino albo ad tertiæ partis conſumptionem incoquuntur, ſit colatura, quæ calidè bibitur. Pellit hæc à corde vapores, aperit, thoracem & pulmonem à frigidis craſſiſque humoribus obſtructum, facilitat reſpirationem, vrinã ciet, menſes prouocat, ſecundinas & fœtus mortuos educit. Salutare eſt remedium contra hydropem. Rutæ & Saluiæ ęquales partes contuſæ & cum ſale commanſæ, ſubueniunt dolenti ſtomacho, repleto cibis crudis & incoctis. Pulueris Rutæ drachma ſemis cum vino calido pota confortat ſtomachum puerorum frequentiori vomitu debilitatum. Aut accipe Rutę ſiccę ſcrupulum vnũ, Thuris albi grana octo, pulueriza, da infanti ſępiùs euométi cum ſyrupo roſarũ rubrarum. Rutę cum veteri vino coctę iuſculum colatum & ebibitum, medetur ſingultui à flatibus oborto. Idem poteſt ſemen drachmæ vnius pondere dicto modo hauſtum. In oleo coctę colatura bibita enecat vermes & lumbricos. Puluetiſata & drachmæ pondere pota, idem

idem potest. Sed & herba in vino aut aqua cocta pota idem præstat. Vel coquantur Rutæ manipuli duo, Absinthii montani manip.1. in aqua ad consumptionem medietatis, colaturæ mane & vesperi propinetur cyathus vnus, calidæ. *In summa quoque modo sumpta Ruta non sine commodo administratur.* Hæc & alia quàm plurima habet Tabernamontanus, ex Æmilio Macro in longum translata, & passim inserta.

Ruta tandem quomodocunque vsurpata, internè & externè oculos reddit acutos & claros, lacrymasq; exsiccat. Idem hoc monet Schola Salern. libro de conseru. valetudinis, his Versibus:

Nobilis est Ruta, quia lumina reddit acuta:
Auxilio Rutæ, vir lippe videbis acutè.

Conuenientissimum tempus destillandi Rutam est in medio Maii. Destillantur autem folia cum comis minutim priùs incisa in Balneo Mariæ. Pro qualibet porrò mensura aquæ, requiruntur Vnc.4. Rutę recenter exsiccatę in puluerem crassiusculum contritæ. Digeruntur hæc 24. horis in in Balneo Mariæ, distillantur secunda vice, rectificanturque Sole. De hac aqua singulo mane & vesperi, duæ aut tres vnciæ potæ medentur vertigini frigidæ, morbo caduco, singultui, & denique omnibus capitis affectibus frigidis: enecant vermes; calefaciunt refrigeratum thoracem & pulmonem: item stomachum, hepar & lienem: sedant tussim à decidentibus humoribus obortam. Obstructos pulmones aperiunt: difficultatem spirandi tollunt: flatus dissipant, tormina sedant, & murmura: menses promouent & secundinas: Visum acuunt supra omne aliud medicamen, ita quidem vt nonnulli testentur, vt qui dicto modo hac aqua vtatur, stellas in cælo de die æquè clarè visurus sit, ac nocte. Huc spectare videntur versus hi:

Fœniculum, Verbena, Rosa, Chelidonia, Ruta:
Ex his confice aquam, quæ lumina reddit acuta.

Resistunt porrò venenis præsertim pesti mane ieiunè Vnc.2. aut 3. bibitæ. Medentur febribus item canis rabidi morsui quadraginta diebus potæ. Eos, qui castitatem deuouerunt & iurarunt, multùm iuat quotidie Vnc.1. semis hausta. Os aquâ Rutæ, & gingiuæ, sæpiùs collutæ, vlcera earum sanat. Manus tremulæ hac lotæ, nec abstersæ, à tremore liberatæ non rarò obseruatæ fuêre. Polypum naribus indita curat, & cerebrum purgat.

Vinum & Rutâ aliquibus quondam in vsu fuisse, facile est colligere ex his, quæ sequuntur, Schol. Salern.

Saluia cum Ruta faciunt tibi pocula tuta. h.e.
Salbey vnd Rauthen vermengt mit wein
Lassen dir den trunck nit schädlich seyn.

Cæsar Constantinus lib.8. de Agricult. ait vinum Rutaceum, siue Peganites calidæ naturæ esse, venena sumpta expellere, & morsibus venenatorum animalium resistere. Marcell. Empiricus commendat vinum hoc contra dolorem infimi ventris & colicam. Sed proficeret quoque iis, qui castitati student. Quare si quis hoc expeteret, hoc vt alia vina, Absinthites nimirum, Saluiatum &c. præparabit.

Rutæ conserua fit hoc modo. Recipitur comarum Rutæ recentis & foliorum Vnc.1. Sacchari albissimi Vnc.3. Comæ cum foliis in lapideo mortario tūduntur cum pistillo ligneo: deinde iis optimè tusis saccharum in puluerem tritum adiicitur: rursus omnia simul tantisper tunduntur, donec in vnum corpus redigantur; & deinde pixide vitrea insolentur per mensem. De hac sume ieiunus contra pestem Vnciam semis.

Acetum ita conficies. Accipe comas cum foliis, pone super linteum 24. horis vt aliquomodo flaccescant, postmodum conscinde, phiolam imple, superaffunde vini acetum optimum, obtura, & insola: post duos menses cola, & serua ad usum. Præstat tempore pestis in cibo vsurpatum. Item labiis, naribus & temporibus illitum. Sic & spongiâ susceptum odoratum. Meminit etiam Tabern. Rutæ succi inspissati ex ipsa herba sicca parati, vt eiusdem quoque extractum paratur. Rutæ sal fit vt Artemisiæ. Eius vsus est aut per se, aut cum aliis medicamentis permixtus.

Vt oleum conficias. ℞ Rutæ recentis incisæ & contusæ ℥iiij. Olei veteris lib.1. Macera ad Solem aut in loco in calido aliquo, diebus quindecim, deinde in duplici vase coquito, & abiecta Ruta priori recentem iniicito, & iterum quindecim diebus macerato, postea simili modo coquito, & abiecta Ruta priori recentem iniicito, & iterum quindecim diebus macerato, postea simili modo coquito, & exprimito, & tertiò recentem Rutam iniicito, macerato coquito & colato. Est calidum aperitiuum, resolutiuum, & mitigatiuum dolorum: calfacit renes, vesicam, matricem: & sedat dolores eorum, & maximè colicam, si venter vngatur, & fiat ex eo oleo clyster: præterea opitulatur neruis, confert spasmo; & expellit frigidos humores.

RVTA SILVESTRIS MAIOR.



Rvta siluestris maior, vt minora multò tenuioraque habet *folia*, quàm hortensis, ita maiora quàm altera siluestris, quamuis vtraque acerrimo ac viroso est odore, quamque impunè tenellis partibus nequaquam admoueris: *flores* excipientia capitula multò sunt, quàm in siluestri altera maiora, nec vt illius quadrangula. Hæc prouenit Monspelij cum sequenti. *Descriptio*

Matth. in Dioscor. vocat Rutam siluestrem, quam ait in Goritiensi agro inueniri copiosam. Is in post. comm. pingit nomine Rutæ silu. reprehendens eos, qui Rutam hanc eandem putant cum Hyperico. Vtrum autem Matthiolus hanc siluestrem intelligat, vel minorem asserere non ausim. Figura demonstrare videtur maiorem. Qui fuerunt in Goritiensi agro, aut adhuc sunt, nos moneant.

Anguill. Ruta proueniens in montibus Apuliæ venenata. Item: Ruta silu. nota in Apulia

nomine Harmel, & Ruta syluatica, de qua satis Dioscorides: potest videri in horto Patauino.

An Turn.part.2. pag.121. Ruta siluestris ex semine, à D.Gesnero?

Dicitur Gesnero de hort. Ruta silu.maioribus foliis. Trago Ruta siluestris, quam ait in Germania non sæpe visam: Eius semen primùm ad se misisse Gesnerum, quod vbi seruisset, plantulam ipsi exiguam natam, quæ tertio primùm anno floruerit. Quod ad formam pertineat, ad vulgaré penè hanc accedere, foliis tamen, & nodosis floribus, ac semine multò illâ exiliorem, teneriorem, molliorem, & magis incanam. Caule prætere a præditam frequentiore & altiore, deinde & odore grauiore, ita quidem vt etiam capitis dolores proritet. Saporem obtinere ingratum & ad amaritudinem quandam vergentem. Augusto mense florere. Autumno verò maturescere. Græco sermone dici πήγανον ἄγριον, non tamen eam esse, quam Dioscorides ab initio capitis Androsæmon, Hypericon, Chamæpytin, Hederalem, Coriô Cêtonalē, & Chiurma feminaced appellat. Fieri autem posse, vt ea sit quam dicant Harmalā & Besasam, & quam Galenus Moly vocitet, quæ opinio nobis non placet, licet eius figuram non improbemus.

Synon. & Nomina linguarum. Lob.in Aduers. Ruta siluestris siue agrestis. In Obs.p.507. Ruta silu.montana. In Icon. Plant. p.53.Tom.2. Peganon, Ruta silu.montana. Castori, Brunfel. Cerdo, Carol.Steph. Bacchanello, Apollini, Dodon.gall.& passim Gesnero, Ruta siluestris. Lacunę Ruta silu. prima. C. Bauhin.apud Matthiol. Ruta silu.latifolia. Tab. Icon.& Hist.Ruta montana, Germ.wild rawtē, Belg.welde ruyte / Gallis *Rue sauuage*. It. *Ruta siluatica* Hisp. *Ruda saluage*. Harmel Officinis secundum Lobelium in Obs.

RVTA SILVESTRIS MINOR.

Descriptio.



RVta siluestris altera, sed minor, cubito altioré emittit *caulē*, cuius scapus in surculos crebros, breues diuiditur, confertis floribus herbaceis onustos, quos delapsos sequũtur *capitula* tetracocca, sed multo minora quam præcedentis: *folia* satis crassa, tenuissimè dissecta: feruor & virus siluestris maioris Rutæ.

C.Bauh. not. Gesnerus de hort. vocat Rutam siluestrem minoribus foliis. Tabern. Icon. & Hist. Rutam siluestrem minorem. Rutam siluestrem tenuifoliam C.Bauhin.apud Matthiol. Camer. & H. Lugdunensis. Rutam siluestrem minimam Dodon.lat.in folio. Lobelius in Aduers. Peganiū Narbonensium, siue Rutulam: In Obs. pag. 107. Rutam siluestrem: In Icon.pag.54.Tom.2. Rutam siluestrem, Peganion Narbonensium, siue Rutulam.

Locus & tempus. Lugduni habebam in horto. Multis in locis prouenit Mōspelii, sed maximè propè Castelneuf inter saxa: floret circa Aestatem, semina profert Septembri. Geneuæ habui in horto florentem Iunio, pulchrè virentem Nouembri & Ianuario.

Vires. Ambæ Rutæ siluestres acerrimæ sunt & grauissimi odoris, quæ attactu cutem multùm vitiāt, maximè faciei, si attingatur etiam solùm manibus eâ infectis. Narrabat præceptor Rondeletius peregrinum quendam Monspelium petentē, hanc nactum in itinere collegisse (quia audiuisset pestem Monspelii) naribus apposuisse, diúque manibus retinuisse, vnde oborta sit maxima inflammatio.

RVTA QVÆ DICI SOLET HARMALA.

Cap. LXXXVI.



FRuticosa hæc est planta, multos ab vna radice emittens cauliculos, pluribus ramis donatos, pedales, ex viridi nigricantes: in quibus folia oblonga, densa, siue pinguia & carnosa, saturè virentia, multifida, Napelli tenuifolii (quem quidam Antitorā vocant) foliis non valdè dissimilia, gustu lento, gummoso, amaro, aliquantulùm tamen mordaci: flores in summis ramis candidi, quinque foliolis constantes, multis in medio fibris luteis præditi deinde capitula hortensis Rutæ capitibus maiora, molliora tamen quàm illa, & triangula, semine referta inæquali, anguloso, ex rufo nigrescente: radix dura est, minimi interdū digiti crassitudinem æquans, fibrosa, colore ex luteo pallescente. Tota autem planta graueolentis atque adeò ingrati odoris est: *sic describit Clusius*.

De ea autem hæc tradit Dioscorides. Vocant, ait, etiamnum siluestrem Rutam, quod in Cappadocia & Galatia Asiatica Moly dicitur. Frutex est ab vna radice complures virgas proferens: foliis multò quàm alterius Rutæ longioribus ac tenuioribus iisque graueolentibus, flore candido, capitulis in cacumine paulò quàm satiuæ Rutæ maioribus: quæ quidem tribus maximè partibus constant: in quibus triquetrum semen subfuluū gustúque perquam amarum reconditur, cuius etiam est vsus. Id Autumno maturescit, túmque conuenit ad retusam oculorum aciem, si cū melle, vino, gallinaceo felle, Croco, ac Fœniculi succo teratur. Sunt qui Rutam hanc Harmala vocent, Syri Besasa, Cappadoces Moly, quoniam quandam cum Moly seruet similitudinem: siquidem radice nigra est, flore verò candido. In collibus

collibus ac læto fœcundoque solo prouenit.

Non esse autem verum illud Homericum Moly, hanc siluestrem Rutam, inquit Cornarius, Dioscorides apertè docet, dum ait Cappadoces ipsam Moly vocare ob similitudinem. Indicatur & ex eo, quòd mox consequenter de vero Moly Dioscorides agit. Moly tamen, vt autor est Galenus, quidam Rutam siluestrem nominant, alii Harmala, Syri Besasa, sicut Cappadoces Moly, eò quòd radice nigrum est, florem autem lactosum habet. Et rursus de Ruta agens Galenus ait. Quod in superioribus Moly, & Besasa nominari diximus, fuerit etiam ipsum syluestris Ruta. Hæc à Galeno ex Dioscoride transcripta, videntur partim indicare, Rutam illam siluestrem Moly vocari, ob similitudinem radicis & floris ad verum Moly: partim non aliud esse Moly, quàm hanc ipsam Rutam siluestrẽ. Et hoc magis adhuc inde colligi potest, quòd Moly non habet, sed Mylem vocat, quam Dioscorides pro vero Moly proponit.

Moly Galeni.

Plinius Rutam Galaticam vocat, sed eam Moly, aut aliis nominibus appellari non tradit: Moly tamen verum clarissimè describit.

Ruta Galatica Plinii.

Officinæ hodie Harmala appellationem agnoscunt, ipsamque ad Rutam siluestrem referunt. Multa porrò hoc Dioscoridis capite leguntur, quæ ad Hypericum pertinent, de quibus alibi dicemus.

Nominat hanc Bellon. Obs.lib.3.cap.50. Rutæ speciem, Harmalam. Qualceb Rutam siluestrem, quam ait Arabes Harmel, vt priores de ea scripserunt, appellare. Rutam hanc siluestrem Qualcebeni legitimam esse Harmalam rectè quoque probat Matthiolus, quum omnibus illi respondeat notis, eam pingens & describens in postr. com Lat.& Ital.

Gesn.de hort. Harmel, Harmala. Item Ruta siluestris, Rutæ tertium genus apud Dioscoridem.

Hanc græcè *πήγανον ἄγριον* appellari testis est Dioscorides, inquit Clusius: Cappadocibus autem *μῶλυ*, alii *ἄρμαλα*, Syris Besasa dici: Latini Rutam siluestrem & Harmalam vocant. Castellani *Gamarsa*, & *Cog mbrillos amergos*, id est, exiles Cucumeres amaros nuncupant.

Lobel.in Aduers.& Obs.p.508. quærit an Harmala Syriaca [ita enim hanc nostram prætentem plantam vocat] sit Sesamoides magnum Dioscoridis? Existimat autem non inscitè Sesamoidem maiorem vocari posse. In Icon.Plant. p.55. vocat Harmalam Syriacam. Castor Rutam siluestrem alteram vt Camer.hort. In Epit. & Hist.Matth.germ. Rutam siluestrem Harmolam. Hist.Lugd.Rutam Harmolam Matthioli. Cæsalp.Harmel Constantinopolitanum. Harmalam, Dod.lat.in fol. Clus.Hisp.& Hist. post. Tabern. qui & Moly Galeni vocat. C.Bauh.apud Matth.Rutam siluestrem magno flore.

Locus & tempus

Bellonius Obs.lib.2.cap.21. ait arenosis circa Alexandriam locis Ægypti nasci. Plurimam in Castella noua circa Madritium & Guadalaiara, collibus & læto solo prouenire prodidit Clusius florere Iulio & Augusto, semen Septẽbri maturescere. Sed & florere & semine prægnantem esse etiam Octobri. In Belgica satam aliquot nonnunquam annos perdurare, sed vix aut rarò admodum ad florem peruenire, vtpote quæ non secus ac Ruta montana, frigoris sit valde impatiens. Viennæ autem aliquot etiam annos semine natam se aluisse idem testatur, sæpissimè egregiè florentem; aliquando etiam deciduo flore trigona capita proferentem, quorum tamen inane esset semen. Ruta, quæ Harmala à Dioscoride dicitur, ex semine copiosè nobis prouenit Lugduni, eius radix perennis est. Prouenit etiam Geneuæ semine ex Italia à Cortuso misso. Montbelgardi in horto E.C.W. semine quod receptum erat ab hortulano Ducis Florentiæ, quod floruit quidem, sed non maturuit semen, frigoreque hyberno periit.

Auctor est loco citato Bellonius, apud Arabes, Ægyptios & Turcas vario in vsu esse: præsertim verò hanc apud eos inualuisse consuetudinem, vt eius summo singulis diebus manè suffiantur, sibi persuadentes, noxios spiritus hac ratione abigi. Quæ res illi herbæ, & eius semini, tantam celebritatem peperit, vt nullæ sint adeò viles Institorum officinæ, quæ eam non habeant, tanquam pretiosum aliquod medicamentum. Rutæ huius semen datur ad purgandum bilem atram magno auxilio, si Matthiolo credimus, paraturque potandum hoc modo. Conciciuntur in mortarium seminis grana xv. priùs clarissima aqua abluta, & deinde ligneo pistillo teruntur, affunduntur que aquæ vnciæ iv. eodemque pistillo aliquantisper miscentur. Demum linteolo percolatus cremor, cui adduntur mellis optimi vnciæ tres, & olei Sesamini, aut Amygdalini vnciæ duæ: & id omne propinatur melancholicis: facit enim copiosas vomitiones. Nec est hoc medicamento aliud valentius ad comitiales. Scribunt Arabes huius Rutæ semine inebriari homines, adeò vt subinde diutiùs dormiant. Id quod maximè confert in eo melancholiæ genere, quod ii *beros* appellant. Recipitur etiam hæc ruta siluestris nec leuis est momenti in Pilularum fœtidarum dictarum compositione.

FVMARIA VVLGARIS.

Cap. LXXXVII.



Descriptio

Fumaria vulgaris gustu tota amaro *radice* est mediocriter crassa, albâ fibrosâ modicè: *caules* multi, brachiati, quadratique glabri, colore partim purpurante, partim in albo virente; *folia* ex longis pediculis latiusculis & angulosis, tenuissimè incisa, glauca: *flores* quasi in spicâ congesti, tenues, oblongi, labellis duobus, vt plurimùm purpureis aut violaceis, virore tantillo variegatis, inter quæ folia bina, alba inferiùs, apicibus atro purpureis coëuntia, in medio staminula quædam tenuissima, crocatis apicibus donata: aliàs flos

totus albus, aliàs purpureo-violaceus: *semen* succedit minutum, rotundum, ex diffusa & longa spica.

Fumaria Diosc. Fumaria Dioscoridi fruticosa est herbula (herba Ald.) Coriandri similitudine (in Hordeo nascens, addit Lac. non necessariò cùm ex alibi reperiatur:) prætenera, foliis candidioribus, & cineracei coloris, vndique numerosis, flore purpureo. Hanc aliqui inter nothas appellationes Corydalion, à foliorum Coriandri diuisura, aut Corion, id est Coriandrum, vocant: alii Corydalium siluestre, alii verò Capnon in segetibus hordaceis nascentem. Plinius tamen adiecit & hortis, nec malè, quoniam frequentior in hortis [in vineis & circa vias etiam non rarò] quàm in segetibus reperiatur: alii Capniten seu Capnion, alii marmariten, alii Capnogorgion, alii Chelidonion paruum, alii Peristerion, alii Cantharida, alii Calcochrum, Romani Apium seu Fumariam, Aegyptii Cnix, alii Tucin.

Synonyma Quia porrò hæc passim nota, & ob id non lôgiùs tractanda: Fumaria dicitur Matthiol. Trago, Fuchs. Lacunæ, Cordo in Diosc. Gesn. hort. (cui Capnium etiam & Capnus vti Galeno) Lonic. Dodon. lat. in fol. Histor. Lugd. pag. 1292. Camer. Epit. & Hist. Matthioli germ. Cæsalp. & Tabern. Fumaria maior Castori. Fumus terræ, Brunfels. Camer. hort. (cui & Fumaria vulgaris,) & Thalio. Fumaria herbariorum, & Cerefolium felinum Schvvenckfeldio. Capnos Turn. Dod. gall. Anguill. Lobel. Obseru. p. 437. Icon Plant. pag. 757. Aduers. p. 338. [ceu & Fumaria] & Clusio, cui & Fumus terræ vulgaris. Capnos alia Plinii Corn. in Dioscor. lib. 4. Embl. 94. & Capnion herba. Fumaria 1. siue officinarû & Dioscoridis C. Bauh. Phyt. qui eam floris colore variare scribit, violaceo, pallescente & albo.

Fumariam inquit Marantha, flore purpureo depingit Dioscorides, sed candido etiam inuenitur, quâ tanquam meliore Neapoli [licet magno errore, si Mesueo credendum sit] vtuntur. Fortè & hanc nouit Dioscorides, sed quia putabat eandem esse noluit distinguere. Arabes valentiorem esse existimarunt eam, quæ purpureo flore constat, ac cùm experientiâ comprobassent, eam distinxerunt, & aliis prætulerunt.

Apollinarem sub nomine Erdtrauch loqui de Fumaria colligere licet ex nominib. & facultatibus, non item ex figura, quæ quónam sit referenda, nos latet.

Nomina linguar. Herba quæ Græcis καπνὸς, καπνίον, & καπνίτης dicitur, Latinis quoque Capnos & Fumaria nominatur, sed potest & Fumus & Fumida dici. Hebræis *Nibsalbimen*, Frisio in synonymis, Arabibus *Schebiterig* siue *Sabeteregi*, *Schebiterim* Trago, Officinis Medicorum Fumus terræ, Germ. Erdtrauch / Daubenkropf / Nunnenkraut / Cordo in Dioscor. Katzenkörffel Trago, & Dod. Katzenkorffel Lob. & Acker Feld: oder wilde Rauten quibusdam Cordo in Dioscor. sed malè. Belg. Gryscom / Duyvekeruel, & Erdtroock. Gallis *Fumeterre*. Hisp. *Palomilha*. Ital. *Fumaria* & *Fumoterra*, itémque *Fumosterno*. Angl. Fumoterry. Bohem. Polniruta. Hung. Föd epeje, h. e. Fel terræ.

Fumaria cur dicta Fumariæ autem herbæ notissima res fumus nomen quondam fecit: haud sanè quia tricliniorum parietibus eorúmque cameris inductâ nigredine noceat: Sed quoniam vis illi contra hominis oculos lachrymosa sit, qualis in Fumo est.

Locus & Tempus Fumaria multis in locis in hortis ac secus vias sponte prouenit. Montbelgardi in horto ac vineis etiam Ill. E. C. florens Aprili & Septembri flore albo & purpureo. Lugduni Maio, Basileæ Iunio, Geneuæ Nouembri ac etiam Ianuario.

Fumariæ succus, authore *Dioscoride*, acris est, visum acuit, lachrymas prolicit, vnde & nomen traxit. Illitus cum gummi, duplicatos palpebrarum pilos euulsos renasci prohibet. Cæterùm herba in cibo sumpta, copiosam bilem per vrinas trahit. Eadem planè de posteriore sua Fumaria *Plinius* habet lib. 25. cap. 13. Claritatem facit inûctis oculis delachrymationémque ceu fumus, vnde nomen accepit. Eadem euulsas palpebras renasci prohibet. Et lib. 26. cap. 7. Capnon herbam qui edêre, bilem per vrinam reddunt. *Galenus* 7. simpl. non alias ei qualitates, viréique assignat his verbis. Acris simul & amaræ qualitatis est particeps, neque tamen planè expers est acerbæ: quamobrem vrinam multam, biliosámque prouocat, sanátque iocinoris obstructiones & debilitates. Succus eius oculorum aciem acuit nô parum trahens lacrymarum, velut ipse fumus: nâ hinc ei appellatio indita. Arabes verò multò plures eásque insignes dotes ei tribuerunt. Fumaria [inquit *Mesues* lib. 2. simpl. cap. 14.] in superficie calida est, in profundo frigidior non absolutè frigida cum quibusdam, sicca ordine secundo. Ab illa autem substantia calida [quæ semini maior inest] & amara & subacris, purgatoria, attenuans, obstructa aperiens. A frigida autem styptica constringendo ventriculum, hepar & cætera viscera laxiora & molliora roborat. Quapropter ad actioné nullo externo eget auxilio, cùm per se purget ac roboret. Purgat verò bilem & vstos humores etiam ex venis: clarum ob id & purum efficit sanguinem. Quare mirè prodest morbis omnibus hos humores sequêtibus, lepræ, scabiei, pruritui, impetigini, serpigini, & similibus cutis vitiis. Quia autem obstructa liberat, morbos omnes inde natos sanat, vt febres biliosas, putridas. Herba est innocens, quia tamen magna vbique copia luxuriat, vilescit. Flore nûc est subalbo, nunc cinericeo, nunc pallido violaceo. Optima est viridis, tenera, foliis teneris, planis, non crispis, flore subuiolaceo. Herba & succus eius Veris initio fit efficacissima: semen Veris exitu. Quoniam verò imbecilliùs purgat, fortior euadet cum Myrobolanis Senna, Sero lactis, Vuis passis exacinatis, & illarum melle. Succus datur ab vncia dimidia ad Vncias duas: puluis à Drachmis tribus ad Drachmas quinque: decoctum ab Vnciis decem ad vncias quindecim. *Auicenna* frigidam esse primo gradu, siccam secundo statuit & reliqua quæ Mesues attribuit. Fumaria, sic *Tragus* addit, scabiei & morbo Neapolitano, quem Gallicum vulgò vocant, sanando accommodatissima est: quicunque enim huiusmodi morbos curare instituunt, ii aliquot diebus antequam ad curationem accedant, ægrotis Fumariæ aquam destillatam Theriacâ admixtâ bibendam propinant, & à potione sudare iubent, quo remedio sanguinem corrigi & mundari credunt. Eodem modo vsurpata aqua Fumariç côtra pestem preseruatio est optima, nec non aduersus venenosos & immodicos sudores prophylacticum est haud pœnitendum: multi antequam balnea sudatoria intrent, prædictam aquam pari ratione vsurpant non infelici successu. Succus Fumariæ & radix Esulæ in puluerem redacta, & præparata, æquis portionibus, hoc est, pondere drachmæ ex calida aqua hydropicis, & quibus vomitiones ciere volumus, vtiliter exhibentur: aqua Fumariç aphthis & oris exulcerationibus medetur,

Vires & Vsus. *Temperamentum ex Mesuae.*

medetur, collutu, decoctio Fumariæ adhibito Fœniculo, obstructiones hepatis aperit, perque vrinam icterum ducit. Seplasiarii ex ea syrupum conficere solent, qui medeatur scabiei & malis pustulis. Succus, vel aqua destillata, Fumariæ oculis inditus caliginem illorum, scabiem & rubedinem discutit emendatque: succus Fumariæ cum succo Lapathi acuti, admixto modico aceti & mellis temperatus, ita vt vnguentum fiat, omnis generis scabiem persanat illitu. Conseruantur flores saccharo, melancholicis affectibus salutares & Cachecticis.

FVMARIA MINOR, SIVE tenuifolia surrecta.

Descriptio

EX tenuibus radicibus surrectos producit *caules* palmares vel dodrantales ac minores: *folia* minora ac tenuiùs dissecta quàm in cęteris Fumariis à nobis visis: Clusio mollicella, capillacea, vulgaris foliis cādidiora, summos cauliculos exornant: *flores* in spicam breuem densamque compacti, visu pulcherrimi, colorum varietate: *flosculi* singulares [qui non omnes pariter aperiuntur, seriùs enim summi, citiùs imi] breues, hiantes, supremo foliolo coloris purpurascentis carnei mucrone cucullato ex luteo viridantis: foliolo gemello subiecto, cęteroqui albo, mucrone atro purpureo: imum locum obtinet subtensum foliolum, fili instar tenue, coloris carnei: Clusio tota amara est.



Tabern. Icon. & Hist. Fumaria tenuifolia, Fumaria tertia. Lob. in Adu. Fumaria minor in Narbonensi agro. Eidem Obs. p. 438. Capnos tenuifolia cauliculis surrectis. Icon. Plant. p. 757. Capnos tenuifolia. Figura eadem quæ Clusii Hisp. & Hist. postr.

Prodidit autem Clusius Capnon tenuifoliam quosdam in Hispania Sideritim tertiam facere voluisse, nescit quidem quibus indiciis ductos: vulgò à nonnullis Pallomilla & Palomina dici, nomine cum Fumaria vulgari communi.

C. Bauh. phyt. vocat Fumariam secundam, siue minorem tenuifoliam, cauliculis modò surrectis, modò procumbentibus & caducis.

Camer. hort. nominat Fumum terræ siue Fumariam tenuifoliam, Hispanicam, elegantissimè variegato ex rubro, albo, viridi, & luteo coloribus flosculo, ex semine plurimùm propagandam, minùs amaram quàm reliquas Fumarias, pictam à Clusio & Lobelio.

Locus & tempus.

Inuenitur autem plerisque Hispaniæ regionibus in aruorum marginibus & iuxta vias ac semitas: nonnullis etiam Narbonensis Galliæ locis obseruare se meminit Clusius, præsertim supra Arelatem dum Massiliâ Monspelium rediret. Ego Monspelii florentem reperi mense Aprili non longe à monte Seti prope lacum; Basileæ in horto Plateri mense Martio.

FVMARIA QVÆ SPLIT DICITVR.

Descriptio

NVmerosos teneros & delicatos profert *caules* dodrantales, per quos *folia* spectantur Radicis cauæ, vel Adianthi, sed minora multò, mollicella, glauca, potissimùm parte inferiore, sapore insigniter acri, & fauces vellicante, pauco adiuncto amarore.: *Flores* lutei, vel albi, cornicula relinquunt Fumariæ bulbosæ, minora, *semine* plena nigro, nitido: *Radix* crassiuscula nigricat.



Matth. in post. comm. & Camer. in eiusdem Epit. & Hist. germ. Fumaria corydalis.

Gesn. hort. de hac loquitur cùm ait: Est & Fumaria quædam montana, quā ab Illyriis Split, vel Split appellari audio. Incolæ montis Baldi ad Veronam nominant Chelidoniam, videtur autem Capnus, vel Chelidonia phragmites Ætii esse.

Lobel. in Aduers. Fumaria lutea, montana & alba, siue Split Illyrica, an sit Ætii Phragmitis & Corydalis Galeni, non absque ratione dubitat, scitéque coniectare quemlibet ait, esse Capnum siue Chelidonium phragmitin Aetii; eos autem qui Galeni Coridalin esse asseuerent, nimis ancipiti vti argumento. Obs. p. 438. vocat Κορυδάλλιον, Fumariam luteam montanam siue Split, Chelidonium Capnites Aetii, Corydalin Anguillaræ. Icon. Plant. p. 758. Fumariam luteam montanam.

Clusius Capnon tertiam vocat, *Split* Italis dictam.

C. Bauh. phyt. Fumariam 5. siue luteam. An Anguill. epist. 12. Corydala Galeni, Fumariæ, vel Fumiterræ species, in Græcia [illegible] dicta?

Fumaria, inquit Marantha luteo etiam flore reperitur: Sed non nisi montibus, radice crassiore chordęque instar contorta, quæ montana Capnos dicitur, vulgò *Splith*, Et Diosc. & Arabibus ignota.

Tossanus Carolus misit ex Burgundia semen hoc titulo. Split flore albo & luteo: seui hoc Montbelgardi in horto E.C. vbi Martio mense dodrantalis erat altitudinis. Obseruaui etiam Ferrariæ in horto cœnobii S. Dominici à l'Angeli: prouenit in collibus cultis & agris, præsertim in Illyria.

Præstat, si Matthiolo fidendum, vniuersa plan-

ta ad colicos dolores, siue recens manducetur, siue sicca in puluerem sumatur, ex vino pluribus diebus. Vires, inquit Gesnerus in Epist. ad Craton. ei attributas cerebrum corroborandi exhilarandique mirifice, in me experiendo, nullas deprehendi. Sed sic noua pleraque remedia ὑπερβολικῶς extolli videmus.

FVMARIA CVM CAPREOLIS.

Descriptio



TEnui est *radice*, sed satis longâ, *ramuli* tenelli, clauicularum beneficio proximis circumuoluti eriguntur, *foliis* vestiti glaucis teneris, integris, tenuissimis pediculis hærentibus: flores albicantes.

Hanc Dod. gall. inscribit Capnon Plinii, Capnon Phragmitem, *Pied de geline*. Describit auté pro Fumaria secunda, aitque vocatam à Plinio Capnon & Pedem gallinaceum, ab Hermolao Capnon phragmitin, Lat. in fol. vocat Fumariam alteram: ibique Fumariam Splith dictam cum Fumaria hac confundit.

Gesn. hort. hanc intelligit, per Capnum Plinii, quam à Dodonæo pictam & sibi incognitam ait. Item per aliam Capnon Plinii, vel Phragmiten capreolis nitentem. Et per Fumariæ alterã speciem, quæ Capnus vel Pedes gallinacei Plinii sit.

A Lobel. pingitur Obs. pag. 438. hoc titulo: Capnos alba latifolia (& hoc etiam in Ic. Plant. pag. 758.) Split album quorundam. Clusio dicitur Capnos altera Belgica albo flore, viticulis seu capreolis sepibus vicinis se implicans.

C. Bauhin. Phyt. Fumaria 4. siue clauiculis donata, varians foliis latioribus & angustioribus, floribus albis & dilutè rubentibus.

Tabernamontanus vtramque icone expressit his titulis: Fumaria latifolia minor siue quarta. Item: Fumaria latifolia maior, siue quinta.

Locus & Tempus.

In horto E. C. per me sata florens Iulio, Augusto, Septembri, & Octobri, proximo Vere ex semine deciduo iterum quotannis prouenit. Fumaria altera Dod. lat. in fol. circa sepes, senticeta, agrorum margines, quandóque & prope veteres muros exit. Prouenit, floret, vigétque eodé, quo prior, anni tempore.

FVMARIA BVLBOSA, RADICE CAVA flore purpurascente & albo.

FVmaria bulbosa, quam hîc exhibemus, *radice* est bulbosa, caua, lata & sessili, fibris aliquot donata, colore intus foríſque buxea, sapore amaro, interdum non maior nuce Iuglande, aliâs pugno maximo maior, quasi ex compluribus bulbis compacta, continuis tamen, eâ formâ, quâ brutorum renes nonnunquam conspiciuntur: hinc exsurgit *caulis* vnus aut plures, teneri, & magna sui parte sub terra latentes, angulosi, compressi, dodrantales, & altiores, foris obsoletâ purpurâ colorati, intus

Descriptio



pallidi, neruorum agmine rubentium, in circulo stipati, succũ remittétes, qui primo statim occursu linguam cum amarore & acrimonia vellicat: *folia* in caule bina ortu inęquali, *pediculis* crassis, cauli concoloribus & longis, colore glauco prædita, quę trifariam rursum cum peculiaribus pediculis subdiuiduntur: singularia folia diuisurâ Aquilegiæ minoris: à caulis medio ad summitatem vsque in thyrsi modũ digesti *flores*, pulcherrimi, ex breuibus pedicellis, veluti Consolidæ regalis, calcaris extremo recuruo, & veluti nucleato, obtusóue, vt in Aquilegia, purpurei, vel albi, labris vtrinque diuulsis rictum ostentantes, singula tanquam in ore latente, binis foliolis ad capita coëuntibus, cannulatis, foris albis, intus puncto coccineo, saturo in summitate, notatis: id quod commune est, tam ei quæ flore albo est, quàm ei quæ purpureo, sicut & crocati apices: quin etiam vtrique inter flores, quà eorum pediculi oriuntur, pro singulis pediculis singula folia oblonga striata, mucronata, integra & modicè concaua. *Siliqua* maturo ortu sequuntur oblongę, in quib. *semen* paruum, nigrum. Plantulæ ex semine deciduo folium vnicum producunt oblongum, subrotundum, simile Auriculę leporis primùm prouenienti.

Fumariam bulbosam radice cauâ magno errore credunt esse Aristolochiam rotundam Brunfels. Apollinaris, Corn. & Georgius Pictor. *Variorum lapsus.*

Meritò verò negant plantam hanc esse Aristolochiam Cord. in Diosc. Trag. Fuchs. Matthiol. Turn. Lonic. Lob. Guiland. Tab. & C. Bauh.

Deformẽ habet figurã Lonicerus. Dod. verò gall. dicitur Radix caua, quam ait diu in officinis Belgicis existimatam Aristolochiam rotundam, & hoc nomine ab ignaris pharmacopœis adhuc vsurpari: doctos quosdam putare Pistolochiam Plinii, quosdã Fumiterræ speciẽ facere, Capnon phragmitẽ vocatã: nonnullos ad Hyacinthos referre: alios ἰσόπυρον & plantã Veris existimare, cũ qua maiorẽ habere similitudĩ credit. Eadem Lat. in fol. tradit, vbi Radicem cauam simpliciter inscribit, ac maiorem in descriptione cognominat. Germani inquit, *Holwurtz*: Belgę *Hoolwortele*: Galli *Racine creuse*, id est, Radicem cauam appellant. Officinas perperam hac pro Aristolochia rotunda vsas notius est, quàm referri, aut refelli debeat: & similiter eorum manifestus error, qui temerè Pistolochiam iudicarunt. Quo autem nomine

mine dici debeat (si modò Veteribus cognita fuerit) non parum ambigendum videtur. Sunt qui Leontopetali speciem faciant: alii Eriphion: nonnulli Thesium: plerique Capnon chelidoniam.

Fumaria bulbosa Tabern. De fumaria bulbosa hæc prodidit Tabernamontanus. Ignari, inquit, & inexperti Calendarii & Mulomedici Radicem cauam [die holwurtz] pro vera Aristolochia in officinas falsò introduxerunt, qui error, quamuis aliàs sæpiùs, à pluribus sit animaduersus, tamen adhuc hodierno die non euitatur in pluribus Officinis, quamuis Radix hæc cum Aristolochia penitùs nihil commune habeat: Ita proh dolor! fit, firmamentum cœli contemplamur, & terrena non agnoscimus, quæ pedibus conculcamus, & scire ex officio deberemus. Est

Nomina Varia. verò caua hæc radix, Fumariæ species, quam Aëtius & Plinius describunt. Vocatur autem græcè κάπνος χελιδονίας, καπνίον, χελιδόνιον, καὶ κάπνος φραγμίτης, à Theophrasto βόλβιον: Latinè Capnus chelidonia, Capnium Chelidonium, Capnium Phragmites, Capnus sepiaria, ab Alexand. Bened. Pes gallinaceus, à Plinio Pedes gallinacei, ab Herbariis Fumaria bulbosa, Fumaria tuberosa Aristolochia concaua, Aristolochia adulterina, Radix caua & Tonitruifuga, quòd quamprimùm tonitrua oriuntur, marcescat. Italicè *Capno Chelidonio*, Gallicè *racine creuse*, Belg. Hoolwortel. Germ. Holwurtz/ hanenspor & donnerflug. Dictis porrò his nominibus appellantur sequentes

Tab. not. octo species. *Caeterùm* nullam ego video distinctionis eius in octo species rationem, quippe quæ nullas notas diagnosticas ponat, præter eam, quam à colore sumit: ac Octo figurarum vicem abundè suppleuisset vnica, fideli manu facta.

C. Bauh. phyt. Fumaria 6. siue bulbosa maior radice cauà, varians colore floris purpureo (quod si flos minor sit saturatiùs rubet & pro masculo habetur) pallido, subflauescente, albo. Schvvenckf. Fumaria bulbosa maior albo flore, hertzwurtz. Item Fumaria bulbosa maior flore rubente, hanenspor.

Locus & Tempus. Fumaria radice bulbosâ & cauâ flore purpurascente ac albo abundat circa Montbelgardum & horto Ill. E. C. florens Februario, Martio, & Aprili mensibus. Olim obseruaui flore albo & purpureo Basileæ versus Pratelen; Monspelii in montibus circa Gangem florentem Martio; Patauii in montibus Euganeis inter balneum Aponense & Arquam florentem Februario.

FVMARIA BVLBOSA, RADIX CAVA viridi flore dicta Lobelio.

Descriptio R*Adicem* huic adscribit Tabernamontanus integram, rotundam, præcedenti minorem, & multis donatam fibris: *folia* item iam dictæ similia: caulium summitatibus foliola parua, dissecta, inter quę *flores* prodeunt colore viridés.

Dicitur descriptionis autori Tabernamontana in Histor. Fumaria bulbosa 9. siue flore viridi, Capnos chelidonia siue Fumaria bulbosa, viridis. Germ. Brun holwurtz/ & grün hanenspora.

Fumariam bulbosam viridi flore obseruauit Lobelius, cuius figuram in Icon. Plant. p. 760.



proponit, hoc titulo: Radix caua viridi flore. Eadem verò hæc autore C. Bauhin. in phyt. vel maior, vel minor, ratione loci natalitii est: huic folia angustiora: illi paulò latiora.

FVMARIA BVLBOSA, RADICE solidâ, calcari, & folio cristato.



F Vmaria bulbosa alia, *radice* est bulbosa, non caua, rotunda, Auellanæ magnitudine, interdum maiore, non tam altè defixa, vt ea, quæ radice caua, membranula quæ facilè trahenti cedit inuestita, foris buxea, intus subalba, amara; cui fibræ capillares aliquot adnatæ; planta sæpè palmaris & minor, interdum dodrantalis & pedalis, nec multò minor Radice cauâ, *caule* leui, subrubro, binis *foliis* prædito, ex oblongis pediculis cauli concoloribus, non aduersis, in tria alia subdiuisis, quæ tenuiùs deinde subdiuiduntur: Iuxta radicem aut paulò altiùs folliculus vnicus carinatus, calcaris gallinacei instar, membraneus, in quo aliorum foliorum rudimenta: externo cauli insident *flores* Radicis cauæ, purpurantes, qui pediculo mediocriter longo tenuique adhærescunt albi, tres, quatuor, nouem, duodecim & plures confertì in spicæ formam, inter quos ad singulorum pedicellorum exortum, fol um vnum dissectum variè, fimbriatum, & cristatum; succedunt *siliquæ*, vt in præcedenti. In hoc genere albos flores nondum obseruaui.

Cordo in Diosc. dicitur Capni Plinii & Aetii species minor. In Hist. [vbi pulchrè describit] Chelidonia phragmitis, quam ait Aëtium Capnium, Plinium verò Capnum phragmitem, & Pedes gallinaceos, appellare, propter folliculum gallinaceum calcaribus similem. Nomen verò

verò suum inuenisse, quòd primo Vere circa hirundinum aduentum germinet ac floreat. Capnitum & Capnium phragmiten dici, quoniam herbæ priuatim Capnus dictæ floribus & foliis similis sit, quódque circa sepes & dumos nascatur.

C. Bauhinus. Gesn. de hort. Aristolochiæ vulgaris speciem solidam vocat. Tragus Aristolochiã rotundã vulgarem radice solida. Dodon. gall. Radicis cauæ dictæ speciem plenam, firmam, & solidam. Lat in fol. Radicẽ cauam minorem. Lob. in Adu. Fabaceà radice Capnon, Belg. Boonkens holworteele. In Obs. p. 439. in Ic. Pl. p. 759. Fabaceà radice Capnon alteram. Clus. in Pannon. & H. post. Radicem cauam minorem, germanicis & belgicis Officinis apprimè notam. Tab. Fumariam bulbosam minorem decimam (ita enim inscribit, ac postea etiam tuberosam cognominat.) Casp. Bauh. Phyt. Fumariam 7. siue bulbosam maiorem radice non cauà. *Non* separabimus nos vnquam has duas Fumarias radice solidà non cauâ, siquidem magnitudine tantùm variant.

Locus & Tempus. In finibus comitatûs Montbelgardensis ad pagum Mandeure, non longè ab oppido Lisle iuxta viam ex Montenoy, Fumaria minor obseruata non profundà radice: in silua rarior inter fruteta, vbi Fumariæ bulbosæ nulla alia species inuenitur. In horto Ill. E. C. maior plantata, citiùs siliquas producit quàm caua, florens Martio & Aprili. In Belgio, Germania & Sabaudia (etiam prope Ebrodunum) vti Geneuæ, aruorum quorũdam sepes & margines hac scatent. Meminit etiam Lobelius in Veganiis hortis Dei se eruisse. In Germania passim, tum in Belgica inter vepres & frutices nusquam in Pannonia videre meminit Clusius.

Vires. Vulgaris Aristolochia rotunda ad internas quàm plurimas affectiones adhibetur. Sunt enim qui radicem eius in puluerem redactam aduersus venenum & pestem à vino bibendam exhibeant. Cum vino calefacto pota, si postea in lectũ te componas, probè contectum, sudores potenter elicit. Eadem vrinam trahit, & ad morbum facit regium è vino pota. Semen tusum ac sumptum quotidianis alui profluuiis auxiliatur, autore Trago. Vt verò Lobel. scribit, facit ad vermes & maligna vlcera. Radix amara, excessu secundo calida & sicca. Digerendo, abstergendo, & defluxionem inhibendo, anginis & laryngum tumoribus gargarizata prodest, pituitámque exterget. Eadem ferè Dodonæus tradit. Radix caua inquit, anginas curat, tumorésque inueteratos amygdalarum, si ex eo aqua sola, aut aceto facta decoctio gargarizetur: humores crassos incidit, dissipat. Prodest & tumoribus palati & gingiuarum, inspersus puluis eius. Cum vnguento populeo consumit hæmorrhoidas, earúmque dolores sedat. Aristolochia rotunda vulgaris, cùm habeat & in foliis & in radice acrimoniam, eámque leuem quidem: si genuina Aristolochia rotunda deest, sine omni discrimine illà vtitur Fuchsius ad omnia ea, ad quæ vera vsurpatur. Maiore cõmendatione est minor apud Chirurgos & mulomedicatrices mulierculas, quæ istius puluerem efficaciorem & delicatiorem ad lumbricos interimendos prædicant. Radices cauæ omnes, ex sententia Tabernamontani, calidæ sunt in secũdo gradu, siccæ in tertio, abstergunt cum nonnulla adstrictione. Radix herba & flores quomodocunque vsurpata, in cibo etiam & in potu hepatis obstructionibus efficaciter medẽtur. Succus ex herba, radice, & floribus expressus, duarũ Vnciarum pondere potus, expellit vermes. Idẽ præstat radix in vino sumpta: minor quidem iunioribus natu propinanda. Succus dicto modo manè & vesperi adhibitus, cancro, fistulis, cęterísque putridis vlceribus medetur. Vulneratis etiam vtiliter propinatur. Cæterùm planta hæc, ceu Fumaria sanguinem purificat. Nec tantùm prædictis affectibus vtilis est, sed & vlceribus obscœnarum partium occurrit, etiam brutorum. Radicis enim herbæ & florum decocto (dicto modo facto) hæc si sæpiùs lauentur, breui sanantur. Radix puluerizata, aceto in vnguenti consistentiam reducta, scabiem illitu, vlceraque capitis manantia sanat. Succus è floribus & herba expressus, si parum sacchari candi in eo dissoluatur, aliquoties de die in oculum instillatus, maculas eorum tollit, & visum acuit. Vlcera obscœnarum partium dicto decocto lota, puluis inspersus curat. Radix puluerizata & melle in emplastrum redacta contusionibus vtiliter imponitur. Radix cum herba in vino decocta, emplastri modo applicata lenit dolores podagricos, arthriticósque. *Aqua* stillatitia Fumariæ huius bulbosæ in eosdem vsus adhibetur, in quos Aqua Fumariæ vulgaris. Accommodatissimum autem tempus distillandi hanc, est finis Aprilis, cùm floret. Distillatur integra planta in Balneo, rectificatur in Sole. Fit ex Capno bulbosa Capnites *vinum*, vt Enulæ campanæ. Admodum salutare tempore pestis. In cura vlcerum, cancrorum, apostematum, morbi venerei, scabiei, & omnium cutis vitiorum, potûs vice bibitũ multùm prodest. *Conserua* commendatur ad obstructiones viscerum, & sanguinis purificationem. Item pestem, manè ieiunè sumpta Castaneæ dimidiæ magnitudine. Melancholicis etiam affectibus vtilis est & cachecticis. Porrò, si quis velit, *salem, syrupos, olea, extractum*, & cætera id genus, in prædictos vsus, conficere poterit.

MOSCHATELLINA FOLIIS FVMARIÆ bulbosæ, de qua Cordus.



Descriptio. Moschatellina *radicem* habet semuncialem & vncialem, cãdidam, pluribus squamulis, caninorum dentium instar habentibus, quarum inferioris cauum, superioris mucronem solidum excipit, fibris donatam circa superiora genicula, satis pro plantulæ proportione longis, subdulcem, *pediculi* duo, tres, molles & delicati, in viridi pallescentes, tenues & palmares, *folia* sustinent in viridi glauca, Fumariæ bulbosæ diuisurà: *cauliculus* vt foliorum pediculis haud discolor, ita non

non multò altior, singularis, flosculos quinos sustinet, colore herbaceo, quinque foliolis constantes, in quorum medio *staminula* exigua ex herbaceo virore in luteolum dilutum fatiscentia, stylo viridanti: omnes *flores* simul sumpti cubum referunt: paulò sub flore, breuibus pedicellis appensa sunt folia bina, reliquis supradictis, exceptâ solâ quâ superantur magnitudine, similia: & flores & folia moschum spirant.

Cordo dicitur Bisemkraut / à Moscho, non Besemkraut à scopis, vt perperam asseruisse Cordum falsò scribit Cronemburgius, H.Lugd. p.1296. Denticulata, à radice velut à dentibus paruis coagmentata. Sunt qui Albastricem vocent, ob radicis ferè pellucidæ ac nitentis splendorem alabastro similem.

A Lob. in Aduers. vocatur minimus Ranunculus Septentrionalium herbido muscoso flore: Item Icon. Plant. p.674. & Muscatella Cordi. A Tabern. Fumaria bulbosa minima in Icon. & Hist. vbi quoque Fumaria vndecimæ bulbosa. C.Bauh. Ranunculus 5. seu Ranunculo similis Moschatellina dicta, varians magnitudine.

Locus & tempus. Moschatellina Cordi folio Fumariæ bulbosæ Geneuæ copiosè in sepibus nascitur, in colle *la Bastie*, & alibi, mense Martio florens, Iunii principio vix dum apparens. Copiosè quoque Montbelgardi iuxta *la Crote*. Basileæ à se repertam scribunt Gesn. & C.Bauh. In Anglia prouenire & circa Coloniam asserebat nobis coram Turnerus. Ad fontium scaturigines, riuulosque prata rigantes, & in vmbrosis sepibus nasci primo Vere, statimque perire testis est Dalechampius.

MELANTHIVM VETERIBVS.

Cap. LXXXVIII.

Descriptio. MElanthium, vt memoriæ prodidit Dioscorides, *surculis* tenuibus, in binûm dodrantum altitudinem, aut etiam ampliùs, assurgens, *foliis* veluti Senetionis, at multò tenuioribus, capitulo in cacumine paruo ceu Papaueris, oblongo, intrinsecus dissepimentis quibusdam prædito: intra quæ *semen* latet nigrum, acre & odoratum, quod panibus inspergitur. Caput dolentibus illitum fronti subuenit, itemque incipientibus oculorum suffusionibus tritum cum irino & infusum naribus. Tollit & lentigines, lepras, veteresque tumores ac duritias, ex aceto illitum: circumscarificatos clauos excutit, cum vrina vetere impositum. Dentium quoque dolori cum aceto & tæda coctum collutione prodest. Teretes itidem lumbricos expellit illito ex aqua vmbilico. Tritum verò linteolo illigatum & olfactum destillatione laborantes adiuuat. Pluribus autem diebus continuis sumptum menses vrinasque ciet & lac auget. Leuat & spirandi difficultatem addito nitro potum: auxiliaturque phalangiorum morsibus ex aqua drachmæ pondere bibitum. Incensum quoque serpentes fugat. Sed & ipsum tradunt largiùs epotum enecare. Cæterùm, sunt qui Melanthion, Nigellam, Gith, & siluestre, & nigrum papauer dicant.

Melanthium etiam Melaspermon Græcis vocari Plinius, Latinis autem Gith, & de ipso planè eadem quæ Dioscorides prodit lib.20. cap.17. Galeno Malanthium calefacit ac siccat tertio ordine: & vbi siccare, extergere, siccare ac calefacere opus est, vtilissimum medicamentum existit: in destillationibus & grauedinibus. Id nouit etiam Hippocrates, & ad vterinos affectus frequenter præscribit. Apud Theophrastum non reperiri Melanthium testatur Cæsalpinus quamuis Theodorus Nigellã dicat, quod Theoph. Anthemon vocat. Melanthiũ tandem dictum putat Andreas Baccius de venen. & Antidotis, testibus Arabibus à proprietate sanãdi morsus canis rabidi, quæ tamen Etymologia potiùs conuenit Alysso, hactenus non satis cognito. Aequiuoca.

Quæ porrò planta ex dicendis Veterum Melanthium hodie repræsentet, multi dubitant. Nominatur siquidem Melanthium capite & flore maiore, Nigella Damascena Cordi, Isopyrum Guilandini. Melanthium Hispanicum elegans flore simplici magno, Nigella Hispanica venusto flore Robini. Melanthium capite vel calyce & flore maiori pleno, Melanthium Damascenum Clusii. Melanthium calyce & flore minore, semine nigro & luteo, Nigella citrina Herbariorum. Melanthium capite minore, flore Multiplicato, Nigella citrina, flore multiplice Lobelii, Melanthium citrinum multiflorum Tabernamontani. Melanthium siluestre siue aruense, Melanthium siluestre capitulis reflexis Tabernamontani. Pseudomelanthium multis, sed perperam, nominatur Melanthium. Pro Melanthio Cypryo apud Hipocratem, legendum censet Cornarius Atramentum seu Spodium Cyprium, quam lectionem non probamus.

Melanth. capite & flore maiore — *Melanth. Hisp elegans flore simplici magno* — *Melanth. capite vel calyce & fl. maiore pleno* — *Melanth. calyce & fl minore* — *Melanth. capite minore flore multiplicato* — *Melanth. silu. siue aruense* — *Pseudomelanthium* — *Dathmoides Spodium Cyprium*

MELANTHIVM CAPITE ET flore maiore.



AD cubiti altitudinem excrescit, rigidis, striatis *cauliculis*, quos *folia* ambiunt Melanthii cui *flos* minor, perquàm tenuiter dissecta, sapore nõnihil acri & nauseoso: *flores* longè maiores, nonnihil odorati, quinque constant foliolis ex cæruleo albicantibus, quæ totidem intercedunt folia, qualia in caule conspiciuntur: medium occupant multa *stamina* apicibus viridantibus cum pericarpii rudimento quæ omnia cingit corolla ex bulgulis operculatis melleum liquorem continentibus: *semen* in pericarpiis ventriosis: membraneis dissepimentis distinctum, nigrum, odorum. *Radix* lignosa, colore buxeo.

Cordus plantam à nobis hîc depictam, describit in Hist. nomine, Nigellæ Damascenæ, vbi etiam figura à Gesnero posita ex Trago nomine Nigellæ. Fuchsius Melanthium hortense alterum inscribit, ac Nigellam alteram vocat, ger-

manicè Schwartz Coriander, quòd folia eius Coriandri foliis non dissimilia sint.

Isopyri & Melanthii siluestris nomine pingit Matthiolus. Gesn.hort.dicitur Nigella [aliàs Melanthium, Gith] Damascena. Hort.Lusit. Melanthium Damascenum, frembder schwartzer Kümmel. Camer. hort. Melanthium Damascenum Cordi, flore cæruleo, nigrum, insipidū, & inodorum, quamuis vegetum semen gerens. In Epit.Matthiol.Melanthium siluestre. In Hist. eiusdem Germ. Melanthium siluestre primum. Dodon.gall.& Latin.Melanthium Damascenum (hoc est *Nielle de Damas.*) Lonic. Melanthium secundum satiuum maius. Tabern. Icon.& H. Melanthium agreste, Nigella aruensis, wild Gardenkraut. Lob.in Aduers. pagin.329. Obs. p.428.& Icon.Plant.p.740.Melanthium siluestre. C.Bauhin.Phyt. Nigella 3.siue flore maiore simplici.

H. Lugd. not. H.Lugd.plantæ à nobis descriptæ tres proponit icones. Duas p.813. his titulis: Melanthiū siluestre prius Matthioli. Et: Melanthium siluestre prius Matthioli secunda editione. Tertiam pag.1020.hac Inscriptione: Isopyrum Matthioli. Inter priores duas nullam ostendit differentiam. Quale verò sit Isopyrum Matthioli satis dictū.

Matth. & Tab. not. Lapsi sunt etiam Matthiolus & Tabernamontanus (quod rectè etiam obseruarunt Lob.in Aduers.& C.Bauhin.) Melanthii speciem quandam pro Isopyro pingentes.

Melanthium flore & capite maiori spōtè prouenit Montbelgardi, vbi floret Maio: Geneuę in hortis Octobri & Nouembri mense, virens autem adhuc Ianuario. Basileæ florens Octobri & Iunio in horto patris mei,& aliorum: Patauii in horto nob.di Mufati Martio.

MELANTHIVM CAPITE VEL CALYCE & flore maiore pleno.

HOc alterum Melanthii flore maiore genus *ramis* striatis tenuibus, *foliis* tenuibus multipliciter dissectis, cum præcedente conuenit: verùm huic *flores* non tantùm multiplici foliorū fœturâ luxuriant, colore vel herbaceo, vel albo, vel cęruleo, vel ex his mixtis vario: verùm etiam singula floris folia profundis crebrisque cæsuris fimbriata sunt.

Est hoc Melanthium Damascenum pleno flore Clusio. Prosp.Alpino de plant. Ægyptii cap. 42. Melanthium. Item Nigella. Casparo Bauhino Phytopinace Nigella 4. siue flore maiore pleno, solo flore a primo differens, qui penè circinatæ rotunditatis est.

Locus & Tempus. Montbelgardi in pluribus hortis, vt Ill.E.C. floret Augusto & Septembri.

Vsus. Nigellæ floribus maioribus ac numerosioribus foliis preditis semen in Aegypto in vsu est frequentissimo, inquit Alpinus, ad puerorum vermes necandos: contusisque seminibus cum aceto emplastri modo ad plures cutis infectiones vtuntur mulieres. Quæ verò non purgantur, eo si suffiantur, maximè iuuantur, vocántque hanc plantam *Suneg*.

Vermes. Cutis affectus. Menses retentis.

MELANTHIVM CALYCE ET FLORE minore, semine nigro & luteo.

FOlia latiusculâ diuisurâ, licèt singula interim segmenta culmum latitudine non æquent, medium percurrente semper neruo, striatis pedalibus *caulibus* hærent: *flores* ramorum extremis hærent singulares ex albo pallētes, minores quàm cęrulei, è quinque foliis cōpositi, multis apicibus medium occupātibus, capitulúmque cingētibus, quod delapso flore minus quoque apparet, quam in Damasceno quibusdam dicto, quinque aut sex corniculis præditum, *semine* refertum angulοso luteo, vel nigro odorato.



Descript.

Hanc describit Cordus in Hist. sub titulo Nigellæ, quam duplicem agnoscit. Vnam semine nigro: alteram candido seu flauescente. Tragus vocat Melanthion satiuum, Salusandriam Dioscoridis, agreste vel nigrum Papauer & Nigellam, Germ. Schwartz Coriander, h.e.nigrum Coriandrum, Xanium Serapionis, & Scaunicem Auerrhois. A Fuchsio Melanthii hortensis primi titulo pingitur, eiúsque duæ species assignātur. Nigellam Romanam officinis dici testis est Cornarius. Melanthium satiuum appellat Matthiolus passim in suis comm.

Lacuna Matthioli figuram & titulum retinet, atque vocari græcè Μελάνθιον, Gith & Melanthiū latinè, barb. Nigella, Castil. *Neguilla* aut *Axenuz*, Catal. *Niella*, Portug. *Alipriue*, Ital. *Girbene*, Gall. *Barbue*, aut *Nielle*, Germ. Schabab. Recipit & ipse duas species. Vnam semine nigro,& alteram citrino, dictam Herbariis Nigellam citrinam.

Cæterùm, Camer.hort. dicitur, Melanthium, siue Nigella, Gith [quamuis desint secundū Dioscoridem folia Senecionis] flore simplici, semine nigro. Item Melanthium Damascenum semine pallido, quod ait Bononienses in suo Antidotario substituere pro Cardamomo maiore Arabum. In Epit. Matth. Melanthium satiuum, semine nigro, quandoque subflauo. In Histor. eiusdem German. Nigella satiua.

Dodon.Gall.Malanthium satiuum, *Nielle domestique* gall.hoc est, Nigella domestica, & Salusandria, Belg. Nardus: semine nigro & subluteo, quod Nardus saet dicitur. Lat. in fol. Melanthium.

Wirsung. Nigella, Schwartz Coriander, & Nigella alba, Weiß Coriander. Gesn.hort. Nigella vulgaris semine nigro,& altera species semine subflauo.

Lob in Aduers.(vbi florem purpureum ei tribuit, quod miror, cùm potiùs ex albo ad luteum tendat) p.329. In Obs.p.427.Ic.Pl.p. 740. Melanthium siue Nigella Romana odora.

Tabern.Icon.& Hist.Melanthium satiuum vt & Castori. Hist. Lugd.p.812. Melanthium satiuum Matthioli. Hort. Lusit. Melanthium vulgare satiuum.


Casp.

C. Bauh. phyt. & apud Matth. Nigella 1. siue flore minore simplici, semine aliquando nigro, aliquando pallidè flauente: luteo etiam in horto nostro Basileæ; rariùs candido.

Schvvenckfeldio tandem Nigella Romana, Μελάνθιον Dioscoridis, ἀπὸ τοῦ μέλανος ἄνθος. Melanthium hortense. Item: Nigella citrina simplex, Melanthium citrinum flore simplici.

Locus & tempus. Melanthium flore & calyce minore, semine nigro in hortis facilè prouenit, florens Augusto & Septembri. E semine luteo à fratre misso Geneuæ mihi crevit in horto, & Montbelgardi in horto Ill. E. C.

MELANTHIVM CAPITE MINORE flore multiplicato.



Descriptio. Ex *radice* exili, simplice *caulis* surgit singularis, cubitalis & sesquicubitalis, teres, striatus, hirsutus, inanis, in alas diuisus; alternatim *folia* oriuntur, longis carinatis pediculis appensa; colore ex viridi in luteum vergente, diuisurâ multò latiore, quàm in vulgari Melanthio, hirsutâ: *flores* ex albo herbacei coloris, multiplici foliorum stipatu pleni, apicibus multis herbidis.

Hoc ita traditur, à Clusio. Melanthium odorum pleno flore, virgis foliisque à satiuo, cuius semen odoratum, flosque è viridi candicat, nihil, vel quam minimùm differt: flores tamen qui in satiuo triplices sunt, in hoc, triplici, aut quadruplici nouem aut decem foliorum serie constant, exurgentibus in medio staminulis, & pentagono hexagonóue capite in totidem cornicula inflexa supernè diuiso, quod, intercursantibus internè membranis, plenum est semine rotundo, nigro, odorato, vt vulgaris.

Lobel. in Obs. Aduers. in fine, & Icon. Plant. p. 741. Nigella citrina vulgò vocata, flore albo multiplici. Cæsalp. Nigella flore candido ex numerosis foliis constante, semine multùm odorato. Schvvenckf. Nigella citrina plena, Melanthium luteum multiflorum, Melanthium flore pleno pallidè luteo, doppel geel Römischer Coriander. H. Lugd. p. 812. Nigella citrina, flore albo multiplici.

C. B. nec. Casp. Bauhin. phyt. Nigella 2. siue flore minore pleno: Cardamomi 3. species Lacunæ, Nigella citrina solo colore à nigro differens sine icone. Si solo colore differat à nigro, non video quomodo huc referri debeat, aut queat: Melanthium calyce & flore minore semine luteo, potiùs nominandum existimo.

Tabern. Icon. & Hist. Melanthium citrinum multiflorum, doppel geel Viarben kraut. Variat hæc figura à Lobelii.

Locus & tempus. Montbelgardi in horto Ill. E. C. florebat Iulio & Augusto Melanthium hoc calyce & flore minore pleno. Melanthium odorum pleno flore, in hortis cultum obseruabat Clusius, florens Iunio & Iulio: semen verò maturans Augusto.

MELANTHIVM SILVESTRE siue aruense.



Descriptio. HVic cum Melanthio Damasceno magis quàm cum ullo alio conuenit, sed longè strigosius natales suos testatur, ad palmarem aut dodrantalem magnitudinem pertingens, *caulibus* modò simplicibus, modò à radice statim, quæ lignosa, ramosis, striatis: *folia* Anethina, vel potiùs Damascenæ Nigellæ, sed non ita læta, rara, in tenuissima fila dissecantur: *flores* stellati quinque foliis constant, colore cæruleo, vel pallente, luteæ Nigellæ floribus non maiores, nullis foliorum tenuium barbulis, vt Damascenum, suffulti: hisce succedunt *capitula* Aquilegiæ, quinis corniculis in diuersa quidem superiùs abeuntibus, sed à medio ad imum vsque connatis: *semen* nigrum, exigui odoris.

Huius plantæ pictura exhibetur Nigellæ cornutæ titulo lib. 2. Hist. cap. 22. apud Cordum. Dicitur Nigella siluestris Trago & Lonic. lib. 5. cap. 49. Non placet autem hanc eum rursus dicto lib. cap. 78. sub falsa figura, quam S. Catharinen blümen (Florem S. Catharinæ) inscribit, inter Linarias reponere, cúmque eis miscere & confundere.

Gesn. hort. in append. Nigella agrestis & spontè proueniens. Camer. hort. Nigella siluestris, in Tritico multùm crescens. Melanthium siluestre Fuchsio (cui Nigella 4. & Cuminum silu. 2.) Castori, Dod. gall. & lat. in fol. dicenti. Siluestre Melanthium spurium est, ac à similitudine nomen inuenit. Germani quandoque S. Catharinen blumen, id est, Diuæ Catharinæ florem nuncupant. Placet nonnullis istud esse Cuminum siluestre. Et potest non temerè pro siluestri Cumino altero haberi: Veterum breuitas sæpe in causa est vt certi definiri nihil queat.

Melanthium siluestre alterum Matth. in post. comm. cum mag. figuris lat. & italicis. Camer. in in eiusdem Epit & Hist. germanica. Melanthium siluestre alterum Matthioli H. Lugdunensi p. 813. Lobel. in Adu. p. 329. in Obs. p. 428. in Icon. Plant. p. 742. Melanthium siluestre alterum, capitulis reflexis Aquilegiæ. Tabern. Icon. & Hist. Me-

lanthium agreste alterum. Cordo in Dioscor. & Fuchs. in Icon. Cuminum nigrum, & Cuminum siluestre alterum. Clus. Melanthiū Cretico [quod describit, ac quod C. Bauhinus Phyt. Nigellā sextam siue Creticam vocat,] valde simile vocat. Hort. Lusit. Melanthium siluestre, Nigellam aruensem. C. Bauhin. Melanthium siluestre siue aruense, Nigella aruensis.

Locus & Tempus. Melanthium siluestre obseruaui in agris Mōtbelgardensibus, florens mense Septemb. In agris Basileensibus mense Octobri. Melanthium Cretico valde simile Clusii inuenitur in aruis post demessas segetes, totā Pannoniā, Austriā, reliquāque Hungaria.

DELPHINIVM VETERIBVS.
CAP. LXXXIX.

Descriptio DElphinium (vt Dioscorides prodidisse fertur) *ramos* ab vna radice duorum dodrantum longitudine, & aliquando maiores profert: circa quos *folia* sunt tenuia, candida (carent hoc vocabulo quædam exemplaria,) prælonga, incisuris diuisa, Delphinorum figura, vnde & nomē inuenit. *Florem* fert Violæ [albæ addunt quidam] similem, purpureo colore. *Semen* in siliquis habet Milio æquale. Potum cum vino scorpionum ictibus, vt quoduis aliud medetur. Ferunt præterea admotā herbā contactos scorpiones languescere, torpidósque, & ad nocendum inefficaces fieri: amotā verò statim in antiquam redire naturam. Nascitur Delphinium hoc asperis locis. Est & alterum Delphinium, quod Hyacinthum aliqui, Romani verò Buccinum pariter vocant, iam dicto simile, foliis tamen ramulísque multo gracilioribus: Vim etiam eandem cum prædicto habet, sed non ita efficax est.

Cùm autem Delphinium nec à Galeno, nec ab Oribasio, nec à Paulo, nec à Plinio, nec ab aliis tum Græcis tum Latinis describatur vsquam: multis, præsertim verò Cordo & Matthiolo, eius caput quod apud Dioscoridem habetur spurium & ascititium existimatur: Lobelius tamen aliud sentit, perquirendum suadens, num autores illi classici alio fortè nomine de eo scripserint necne: nec parum placet nobis eius sententia, cùm in tanta rerum obscuritate & opinionum diuersitate vix quicquam certi statuere liceat.

Senam autē Mauritanis vocatā non defuere qui siliquarum conuexitate freti & decepti [inter quos Marcellus] Delphinium esse crediderint: quorum grauis error ita euidens est, vt iam ab omnibus explodatur: Idque non iniuriā, quòd in Delphinio, folia non siliquæ, quæ Delphinorum formam repræsentēt, requirantur: tota denique Delphini facies ea depingatur, quæ cum Sena quàm maximè pugnet.

Existimant, inquit Lobelius, Herbarii Delphinium eam esse plantam, quæ à vulgò ipsorum Filius ante Patrem appellatur. Examinandum etiam in Aduers. proponit, An Antora nobis Antitora dicta [de qua dicemus l. 34.] sit Delphiniū, cuius delineationem explere posse testatur.

Alii cum Lychnide, alii cum Lunaria conferunt: Crato verò cum ea planta quæ à nonnullis *Noli me tangere* appellatur.

DE CONSOLIDA REGALI, EIVSQVE speciebus. CAP. XC.

COnsolidam regalem videntur Veteres inter flores coronarios habuisse, & quidem sub Hyacinthi nomine, siquidem Plinius lib. 21. c. 11. ita discurrentes notas inesse dicat, vt græcarum literarum figurā A. I. legatur inscripta: quod sanè in Consolida Regali hortensi obseruare licet, quippe quòd in floribus sit folium quoddam implicatum, quod in albo characteres habet occultatos, ex virgulis cęruleis duas literas A. I. aut tres A. I. A. exprimentes. Cuius Hyacinthi meminisse videtur Dioscorides lib. 4. in Delphinio altero, quod & Hyacinthum appellari monet. Ita videtur Consolida regalis hortensis [illegible] esse Dioscoridi, si modò vox [illegible], non ad folia, sed ad flores referatur. Altero verò Delphinio seu Romanorum Buccino, Consolidam regalem segetum notare. *Hæc C. Bauh.*

Consolidam regalem esse Delphinium meritò negat Tabernamontanus, sed idem falsò Cuminum siluestre alteram Dioscoridis esse pronunciat. A Medicis & Herbariis Consolidam regalem siue regiam vocari tradit, à cōsolidandis vulneribus, Herbam diuæ Otiliæ, & Florem diuæ Otiliæ, Florem regium, Equitis calcar, & Calcar equestre, Florem equestrem, Pedem alaudæ, Corydalopodium, à Ruellio Cornuetam & Cornutam. à Germ. Ritterspurn / S. Otilienkraut / oder Blum / Ritterblum / & Lerchenklawe. Belg. Ridderspoorn. Gall. *Pied d'alouette, Cornuette, & Fios regalle.* It. *Sperone di caualiero, Sproni di caualiero, Sprone di cauallieri,* & *Consolida regale.* Angl. Larckes clawe / larckes spurre. Boh. Ostrauyk krawloſky. Hung. Sarkasfiu.

Delphiniū Consol. regalis. Eranthemū. Non multùm tamen culpandi sunt, qui Delphinium plantam illam esse volunt, quæ Consolida regalis vulgò dicitur, quęque à Fuchsio pro Eranthemone depingitur. Hi enim contextum tanquam deprauatum ita emendāt vt similitudinem Delphinii ad flores referant, non ad folia. Verùm illi (qui Senam Delphinium esse contendunt) nullo pacto contextum immutantes, quod foliis tribuendum est, folliculis tribuūt. Qui præterea Eranthemon putant eam plantam, quæ Consolida regalis appellari solet, quonam pacto excusari ab errore possint, non videmus cum Marantha. Hæc enim in figura floris multùm distat atque alias fortè habet differentias. **Consol. regalis non est Eranthemum.**

Consolidam regalem Cornarius falsò Cumini siluestris Dioscoridis primum genus esse credidit. Cæterùm de Consolidæ speciebus nunc ordine dicendum.

CONSOLIDA REGALIS FLORE minore.



GEnere hæc non est diuersa, ab ea quæ maiore est flore, pòst describenda: verùm spontanea cùm sit, nullóque mangonio lætiore exculta, tota strigosior euadit, nec temerè dodrantalem magnitudinem vnquā, quoad suæ spōtis est, vt diximus, nec adeò *foliorum* vel numero, vel lati-

latitudine luxuriat: magis etiam squallidus *flos*, & minor neglectionem testatur, coloris cærulei: *semen* in corniculis non dissimile, vti nec *radix* nisi quòd ea hortensi habitior est.

Cordus in Histor. vocat Calcatrippam candidam, cui dicit florem in candido esse rubentem. Et Gesnerus apposuit figuram nomine Consolidæ regalis, & ita etiam vocat Apollinaris, qui vires tradit. Tragus Consolidam regiam inscribit, Violamque purpuream, simulque elegantissimá, Martiam æmulantem cognominat, testaturque Germanos Calcar equitis [Ritterspoirn] quod formâ calcar referre videatur, vocasse. Esse prætereà qui Hyacinthum, qui Vaccinium [quod libens non sine errore admittit] appellent: Othonem Brunfelsium suspicatum esse hanc Ægylopa esse Dioscoridis &c.

Fuchsius inter Anthemides seu Chamæmela hanc reponit, speciemque tertiam Chamæmeli constituit: Reprehenditur autem à Dodonæo, qui eam pingit in Histor. gall. hoc titulo: Buccinum, C*onsoulde royale sauuage*. In Hist. de florib. & in fol. hac inscriptione: Flos regius siluestris: Postea verò nominat Delphinium alterum. Lobel. in Obs. p. 426. & Icon. Plant. p. 739. figuram habet hoc titulo Segetū Consolida regia strigosior tota. Gesn. hort. Consolidæ regalis siluestre genus in aruis nascens flore cæruleo. Consolida regalis Brunfels. Camer. in Epit. & Histor. germ. Matthioli. Eidem in hort. Consolida regalis, siue flos cæruleo minore. Consolida regalis aruensis Tabern. Icon. & Hist. Cōsolida regalis 3. siue aruensis flore cæruleo minore C. B. phyt. Cæsalp. Floris vulgò dicti in Etruria C*apuccio* alterum genus: Delphinium minus Dioscoridis. Clus. Delphinium siue Consolida regalis vulgaris in ramos latè sparsa, passim inter segetes spontè nascens, cærulei coloris elegantis flore.

CONSOLIDA REGALIS ERECTIOR, purpureo, siue violaceo flore maiore.



Hæc Consolida differt à vulgari cærulea flore maiore, non enim ita ramosa, sed erectior multò. Color omninò differens: est enim purpureus, siue violaceus.

Huius, ni fallimur, meminit Cæsalpinus his verbis. Flos quidam vulgò in Etruria *Fior Capuccio* ob coloris gratiā quæ etiam arefactis seruatur: expetitur in coronas: *caulis* est cubitalis, rectus, paucis ramis rectis: *foliis* numerosis, in angusta, & oblonga folia diuisis, Fœniculo proximis: *flores* circa summas virgulas initiò antequam dehiscant, effigie Delphinorum, virides: procedente tempore explicati, colorem purpureum elegantem contrahunt, tendentem ad cæruleum, à tergo caudati: *foliorum* in his est quoddam implicatum, quod in albo characteres habet occultatos [de eo iam antè C. Bauhinus ex Plinii lib. 21. cap. 11] ex virgulis cæruleis duas literas exprimentes, A. I. aut tres, A. I. A. Siliquam fert oblongam, nigram, *seminibus* nigris, vt Melanthii, sapore ingrato, amaro: colitur in hortis inter coronarias, quamuis & spontè proueniat in aruis. Recensetur à quibusdam non sine probabili ratione inter genera Cumini siluestris: ipse non dubito hunc florem inter coronarios habitum apud Antiquos sub nomine Hyacinthi, quem Poetæ fabulantur ex Aiacis cruore ortum.

Consolida regalis, siue Flos regius maior flore purpureo (vt testantur Camer. hort. & C. Bauh.) hoc habet peculiare, quod folium corniculo annexum si pandatur A. I. A. I. A. literas inscriptas ostendat, vnde Cæsalpino Hyacinthus poëtarum habetur, de quo Ouidius in Metamorphosi:

Ipse suos gemitus foliis inscribit & AI AI
Flos habet inscriptū, funestaque litera ducta est.

Itemque Theocritus Idyll. 19.

Nunc Hyacinthe sonet tua litera, scilicet AI AI,
Nec tamen hoc satis est, AI AI plus ergo loquatur.
Literulasque velis foliis inscribere plures.

CONSOLIDA REGALIS ERECTIOR, flore purpureo siue violaceo pleno.



Descriptio

Sesquicubitalibus *caulibus* adolescit, erectis, tantillùm hirsutis, *folii* circumscriptio tota, paulò duabus vnciis maior, segmentis fissi crebris, breuibus, angustis: *flores* ordine sesquipalmari digesti, pediculis hærent semuncialibus, hirsutis, Buccinum, antequam aperiantur, effigiantes, qui explicati, multiplici conspiciūtur foliorum farturâ pleni, colore purpurouiolaceo hilariori, apicibus luteis medium obsidentibus luteis, calcari longo: sequitur *corniculum* hirsutum, plerumque sine semine.

CONSOLIDA REGALIS MAXIMA villosa.

Caule est longo, crasso, contorto, admodum villoso: *folia* ferè palmū longa, pilosa, multifida, segmentis latis non multò Peucedani foliorum segmentis angustioribus, pediculi per totum ferè *caulem* ramosque, sursum reflexi, palmares & minores, altioribus semper breuioribus, villosis, non sine oblongis quibusdam veluti



foliorum ligulis: *flos* vnicuique pediculo insidet vnicus, magnus, candidus, quorũ calcar & folia extima foris, tomẽtosa sunt, & virore quodam variegata: *cornicula*, quæ succedunt, densissimo villo sunt obsita: Vnde hanc nacti simus non recordamur.

CONSOLIDA REGALIS PEREGRINA paruo flore.



Descriptio IN arcum ferè curuis est *caulibus* qui vix pressu vllo inter chartas, imposito quoque pondere dirigũtur, quin subinde ad curuitatem redeant: sunt ii verò cubitales, aut paullò etiam maiores, coloris cineracei, subhirsuti, ramosi: *folia* priora quidem latiuscula, tripartitò diuisa, segmentis latiusculis laciniatis, alia verò per ramos aut parciùs secta, aut omninò integra: *flores* strigosæ illius aruensis pares, corniculati, cærulei, alternatim surgentes spicam efformant, quibus excussis, singulis terna succedunt erecta simúlque iuncta cornicula *semine* farcta.

Consolida regalis quam peregrinam voco missa fuit fratri C. Bauhino (qui eam describit, vocátque Consolidam regalem 5. in phyt. 2. apud Matth. flore paruo,) Neapoli cum hac inscriptione à Ferd. Imperato. Delphinium Dioscoridis meâ opinione. Hæc Consolida flores habet cæruleos, similes minori Consolidæ. Et hanc aluit etiam hortus D. Iacobi Zvvingeri Basileæ, qui mihi, pro singulari in me beneuolentia, eam quoque communicauit.

CONSOLIDÆ REGALIS SPECIES ALIÆ.

PRæter recensitas Consolidæ Regalis species habemus Montbelgardi in horto Ill. E.C.W. & alias: vt pote: Consolidam regalem minorem, flore bicolore, cæruleo & albo. Consolidam regalem minorem flore pleno, albo & cæruleo; cuius hic iconem damus. Consolidam regalem flore maiore dilutè purpureo, labello striato. Consolidam regalem ramosiorem, flore maiore, cæruleo & albo. Atque Cõsolidam regalẽ erectiorem flore incarnato pleno: quarum Consolidæ regalis varietatũ descriptiones, breuitati studẽtes, exhibendas non ducimus.



Vires Traditis Cõsolidæ regiæ speciebus, reliquum est, vt vires breuiter perstringamus. Flores itaque sicut & aqua eius destillata ad caliginem oculorum ferè adhibentur: tradunt etiam aquam quasuis inflammationes internas & externas iuuare potu & impositu: Auctor Tragus. Chirurgi, teste Matthiolo, in potionibus vulnerariis vtuntur, consolidat enim & glutinat, vnde & Consolidæ nomen est adepta: herba in puluerem redacta, cum eiusdem aqua stillatitia, pota confert cardialgiæ, quam Germani Godt vocant, calorem præter naturam extinguit, bilem exæstuantem reprimit, nec non tussim & stillicidium, aduersatur venenis: succus ex integra planta expressus, recentia vulnera sanat: flores continuo intuitu visum corroborant, vnde quidam fasciculos in conclauibus suspendunt in eum vsum. Iidem contusi ex aqua rosacea, illitu oculorum calores & rubores tollunt. Semen, scribit Camerarius, aut succus plantæ expressus vermiculos putridorum vlcerum profligat: quæ ille ex Lobelii Obseruationibus videtur mutuatus, à Lobelio, vt apparet, Sophiæ Chirurgorũ attributa, non Consolidæ regali proximè eam sequenti. In coronas hodie ab amasiis pluribus in locis expetitur. Conseruam & è floribus parari tradit Tabernamontanus, quam commendat ad tormina infantium, Auellanæ nucis magnitudine sumptam: Castaneæ verò ad cardialgiam. Cæterùm, miscet Tabernamontanus non absque graui, meâ quidem sententiâ, errore, vires Consolidæ regalis & Cumini siluestris secũdi Dioscoridis, quod idem simplex sibi falsò imaginatur.

Oculorum caligo · *Inflammatio* · *Vulnera glutinat* · *Tussis.* · *Venena* · *Tormina* · *Cardialgia.*

FINIS LIBRI VIGESIMI SEXTI.



HISTORIÆ VNIVERSALIS PLANTARVM

LIBER XXVII.

VMBELLIFERAE.



VTINAM benigna rerum parens natura quamque stirpium classem tam claro & insigni donasset ceu communis generis societatisque signo atque vexillo, quali umbelliferas deinceps producendas dilatavit; non profecto tantopere in classibus instruendis & bersiscundis laboraremus. quanquam nimia etiam similitudo non rarò in hoc genere exercitatissimum quemque fallere queat. Vmbellam dicimus in plantis florum seminisve veluti pedamentum, in plures divisum longiores pediculos: qui simul ex fastigio eodem orti, in latius continuò radiantur: singulique florem vel semen sustinent in orbem circumactum, quâ florum figurâ Fœniculum, Anisum, Seseli, Daucus, & cætera pleraque id genus sunt: quod quoniam umbellæ, quâ solem à vultu mulieres arcent, formâ est, ob latitudinem circinationémque suam ideo umbellis hácque decoratæ plantæ, umbelliferæ dicuntur.

FOENICVLVM SIVE MARATHRVM VETERIBVS.

CAPUT I.

Olus Theophr. 27. suffrutex.



HEOPHRASTUS inter olera recenset, & suffrutices ferulaceos Fœniculum, eique caulem nervosum, ac semen nudum & suaveolens [*εὔοσμον*] attribuit. *Diosc. lib. 3.* Dioscorides Fœniculum [*Μάραθρον*] tanquam notissimum non describit. Herba hujus, inquit, *Lac generat.* si edatur, mammas lacte replet, idem verò potest semen epotum, aut cum ptissana decoctum. Comæ autem decoctum bibitum [*ἐπιτεθὲν in vulg. exempl. impositum legitur, sed legendum ποθὲν, Corn.*] renum ac *Nephresis* vesicæ vitiis (*τοῖς νεφριτικοῖς*) est utile, quippe quòd urinam excieat. Convenit & à serpente demorsis, in vino bibitum, ac menses quoque ciet. In febribus *Nausea* nauseam & stomachi ardorem [*additur in vetusto Lacunæ codice καὶ αὔξησιν*] sedat, ex aqua frigida potum. Contritæ verò radices, & cum melle impositæ *Canum morsus* canum morsibus medentur. Succus è caulibus & foliis expressus, & in Sole siccatus, oculorum *Visum acuit succus.* medicamentis utiliter additur, quæ ad aciem visûs excitandam reficiendámve præparantur. Extrahitur & ad eadem valens è recenti semine succus unà cum foliis atque ramulis. Radicibus præterea primâ germinatione succus eodem modo exprimitur. Porrò in Iberia quæ ad Occidentem spectat, liquorem etiam reddit Fœniculum, gummi similem. Caulem verò medium dum floret herba demetunt indigenæ, ignique admovent, quò faciliùs vi caloris velut exudans gummi remittat. Id autem est succo ipso efficacius ad oculorum medicamenta.

Si secundis fœmina liberari nequeat, Fœniculum *Secundas movet, Hip.* ex vino & oleo, & melle fervefactum potui exhibere jubet Hippocrates. Idem etiam, si lac extinctum fuerit, Fœniculi semen & radices decorticatas, simúlque butyrum decoquit, cùm verò decocta fuerint, refrigerata bibenda propinat. Cùm autem emoti & facilè solubiles uteri fuerint, radices Fœniculi probè lavat, contundit, in ollam ad usum paratam immittit, & aquâ affusâ fomentum parat, & admovet. Ex dictis itaque patet, nullo modo tolerandum esse errorem Bald. Ronsei, *Rons. err.* qui pro Fœniculi vino, oleo, ac melle fervefacti decocto, oleum sublimationis Fœniculi siliqui aut drachmæ pondere bibendum præbet. Ego tam calidi olei vix scrupulum propinandum suaderem.

Fœniculum, inquit Plinius, ferulacei generis est, *Plin. anguibus gratum.* anguibus gratissimum [*hic fortè deest syllaba, &*] ad plurima condienda cùm inaruit. Ei perquam similis Thapsia. Item, Fœniculum nobilitavere serpentes, gustatu ut diximus, senectam exeundo, oculorúmque aciem succo ejus reficiendo. Vnde intellectum est hominum quoque caliginem præcipuè relevari. Colligitur hic caule turgescente. In Sole siccatur. Inungitur ex melle. Vbique hoc est. Laudatissimum tamen in Iberia è lacrymis fit. & ex semine recenti. Fit etiam è radicibus prima germinatione incisis. Dixerat autem de serpentibus l. 8. c. 27. Anguis hyberno tempore membranâ corpori obdu-

ctâ, Fœniculi succo impedimentum illud exuit, nitidúsque vernat. Et paulò post: Idem hyberna latebra visu obscurato, Marathro herbæ sese affricans, oculos inungit ac refovet.

Nicander. Sed hæc, quæ de Fœniculo Plinius habet, Nicandro debet. Sic enim apud Poëtam legimus.

Τῆμος ὅτ' ἀζαλέην φολίδα ἀπεδύσατο γῆρας,
Μῶλις ὑποστείχων ὅτε φωλεὸν εἴαρι φάγῃσιν.
Ὄμματα δ' ἀμβλύνθη· μαράθου δ' ἐνήχυτος ὅρπηξ
Βοσκηθεὶς ὠκύν τε καὶ αὐγήεντα τίθησιν.

Cordus:

Dum tepido sub vere suum modo liquerit antrum,
Et caligante suo malè cernit lumine, sed cui
Arrosus mox Fœniculi sua robora caulis
Atque novum reddit, qualis fuit ante vigorem.

Quorum sensus hic est. Quo tempore relictâ arescentium squammarum senectute torpidus & segnis ingrediens, vernaque tempestate cavum suum fugiens, hebetibus oculis cæcutit: verùm depastus Fœniculi comosus ramus celerem & claræ lucis eum effecit.

Medicinæ in sativo [*scil. Fœniculo*] pergit Plinius, ad scorpionum ictus, & serpentium, semine in vino poto. Succus & auribus instillatur, vermiculósque in his necat. (*Aurium vermes.*) Ipsum condimentis prope omnibus inseritur: oxyporis etiam aptissimè quin & panis crustis subditur. (*Oxyporum.*) Semen stomachum dissolutum adstringit, vel in febribus sumptum, nauseam ex aqua tritum sedat, pulmonibus & jocinoribus aptissimum. Ventrem sistit cùm modicè sumitur, urinam exciet, & tormina mitigat decoctum, in lactisque defectu potum, mammas replet, radice cum ptisana sumpta. (*Tormina.*) Renes purgat, sive decocto, sive semine sumpto. (*Obstructiones.*) Prodest & hydropicis radix ex vino cocta: item convulsis. Illinuntur folia tumoribus ardentibus ex aceto. (*Tumores.*) Calculos vesicæ pellunt, genituræ abundantiam quoquo modo haustum facit. (*Calculus.*) Verendis amicissimum, sive ad fovendum radice cum vino cocta, sive contrita in oleo, illitum. Multi tumoribus & sugillatis cum cera illinunt. Radicis succo, vel cum melle contra canis morsum utuntur & contra multipedam ex vino.

Galenus. Galenus Fœniculi facultates distinctiùs explicat, à Dioscoride tamen non dissentit. *Temperamentum.* Fœniculum, inquit, tam valenter excalfacit, ut ex tertio ordine excalfacientium censeri possit, desiccat verò non æquè, sed ipsum quispiam in hoc primi esse ordinis posuerit, quare lac procreat, quòd si admodum desiccaret, non sanè efficeret, suffusis eadem ratione auxiliatur, urinas, mensésque ciet. Hæc Galenus.

Fœniculum nobilitavêre & homines toto anno quondam viridi, sicco, servatóq; sale, totáque mensa non ut nostra ætate fit in secunda & ad augendam sitim tantùm, nec semine solùm, sed comâ & caulibus utentes.

Satione tempus. Mense Februario Fœniculum serere præcipit Palladius, loco aprico & modicè saxoso.

FOENICVLVM SILVESTRE, SIVE Hippomarathrum, duplex, semine cachry simili, & rotundo, veteribus.

Diosc. Ἱππομάραθρον, quod Μάραθρον est ἄγριον, inquit Dioscorides (apud quem inter notha aliqui *Marathin* vocant, Ægyptij *Sampson*, Magi *Thymarnolion*, Latini *Fœniculum erraticum*, seu *equinum*. aliqui *Meum*, Galli *Sistrameor*.) fert semen Cachry simile, radix subest odorata, quæ pota urinæ stillicidium sanat. *Vires.* Eadem apposita menses ducit. Semen autem aut radix alvum sistunt potu. Auxiliantur etiam commorsis à bestiis venenatis, & calculos atterunt & morbum regium depurgant. (*Morbus regius.*) At foliorum decoctum potum lac attrahit, & mulieres à partu purgat. Vocatur & alterum Hippomarathrum, quod folia habet angusta, parva, oblonga: semen autem rotundum, ad Coriandri semen accedens, acre, odoratum, calfaciendi vi præditum. (*Hippomarathrum alterum.*) Facultas hujus Hippomarathri superiori respondet, sed efficaciâ debiliore.

Porrò est & alterum Fœniculum Galeno, quod præ magnitudine Hippomarathrum nuncupant, cujus radix ac semen amplius quàm domestici, desiccandi vim obtinet: quocirca ventrem quoque eo nomine sistere videtur. (*Fœniculum alterum, Galeno.*) Nec sanè manifesta illis inesse videtur adstrictio. Hujus non radix modò, sed & semen cachry assimile est, potéstque & calculos frangere, & auriginosos sanare, mensésque & urinas movere, non tamen lac congerere, sicut illud superius. Aliud est Hippomarathrum, cujus semen rotundum est & acre, simile semini Coriandri, facultate quidem Hippomarathro simile, sed debilius. (*Hippomarathrum semine rotundo Galeni dubium.*) Hæc Galenus, qui dubitare videtur, quomodo ventrem sistat Hippomarathrum, cùm manifesta ei adstrictio inesse non videatur, & causam attribuere desiccandi vi: ego autem alvum sistere existimo propter vim diureticam: dixit enim ante Dioscorides, radicem potam urinæ stillicidium [στραγγουρίαν] sanare. Copiosas autem urinas alvum sistere docet Hipp. aph.83. sect.4. ubi ait. οὔρησις νυκτὸς πολλὴ γινομένη σμικρὴν τὴν ὑποχώρησιν σημαίνει. Vnde etiam Galenus dicit in comm. In quibus enim supra modum humida alvus deprehenditur, iis potum minorem exhibemus, ac præterea illi viam ad vesicam parabimus.


De hoc Fœniculo silvestri hæc Plinius tradit. (*Fœnic. silv. Plin.*) Est in hoc genere [*Fœniculum*] silvestre, quod alij Hippomarathrum, alij Myrsineum vocant foliis majoribus, gustu acriore, procerius, brachiali crassitudine, radice candidâ. Nascitur in calidis, sed saxosis. Diocles & aliud Hippomarathri genus tradit, longo & angusto folio, semine Coriandri. Hippomarathrum ad omnia vehementiùs [*quàm Fœniculum*] calculos præcipuè pellit. Prodest vesicæ cum vino leni, & fœminarum menstruis hærentibus. Efficaciùs in eo semen quàm radix. Petridius, qui ophiaca scripsit, & Michon (alij Micon legunt) qui Rhizotomumena, adversus serpentes nihil Hippomarathro efficacius putavêre. Sanè & Nicander non in novissimis posuit.

Silvestre Fœniculum semen ferens ut Cachry (inquit l.3.c.48. Ruell.) est tantæ amplitudinis in Mauritania ut caulis duodecim cubitis assurgat, crassitudine palmarum quatuor. (*Fœnic. silv. Mauritanicum maximũ Ruel.*) Officinæ nominant agreste Fœniculum, sativo procerius, brachiali crassamento, foliis etiamnum majoribus, semine miliaceo, radice albâ, odoratâ.

Cæterùm, non ampliùs esse notum, quàm nomine Fœniculi silvestris, tum officinis, tum nostris, utrumque Hippomarathrum testatur Cornarius.

FOENICVLVM VVLGARE MINVS, acriori & nigriori semine.

Descr. INTER Fœniculi genera, quod vulgatius est, ex radice digitali, aut majore si ramosior fuerit, rectâ, albâ, sapore cum quadam dulcedine aromatico, caulis surgit tres aut quatuor cubitos altus, rectus, striatus, geniculatus, atrovirens, fungosâ albâ medullâ farctus, crebris alis concavus: pediculi ceu vagina caulem & ramos complectuntur, quibus folia insident in longa tenuissima filamenta dissecta, atrovirentia, sapore dulci,



dulci, odore suavi: umbellæ florum latæ, luteæ, odoratæ. semen oblongum, Anisi, nigricans, gracilius, sapore acriori, minus dulci.

Synon. Ruellius de quo Fœniculo loquatur li. c.48. minus patet. Nec is ibi demonstrat, an de vulgari, vel dulci scribat. Vulgare hoc, Fœniculi nomen apud plerosq; Herbarios retinuit; apud Anguill. ep.7. Fœniculi fortis sive acris; apud Gesn. hort. Fœniculi communis; apud Tabern. in hist. (ubi pro Fœniculo hoc vulgari ponit figuram, quæ in Icon. posita nomine Fœniculi Romani sive dulcis) Ger. & Lugdun. p. 629. Fœniculi vulgaris; apud Lob. in Adv. & Icon. Fœniculi sive Marathri vulgatioris; apud Cæsalp. Fœniculi silvestris semine exiliori & acriori; apud Bauh. phyt. Fœniculi 2. sive vulgaris; apud eundem apud Matth. Fœniculi sativi minoris vulgati, quibusdam Hippomarathri dicti. In pin. Fœniculum vulgare duplex facit, scilic. Germanicum & Italicum.

Fœniculum germ. I. est Fœniculum, Brunf. Trag. Fuchs. Dod. gal. Turn. Cord. in Diosc. & Tab. commune, Gesn. h. vulgare, Ger. quibusdam Hippomarathrum putatum, Camer. h. Huic accedit Mediolanense, quamvis vulgato germanico gratius sit. Variat foliorum colore: nam commune foliis est virentioribus; alterum subnigricantibus, rubentibus, aliàs non differens: quare Fœniculum 1. & 2. facit Dodonæus.

Italicum. Fœniculum 2. sive vulgare Italicum semine oblongo, gustu acuto: Fœniculum, Matth. Lac. Cast. vulgare semine pallido sive luteo oblongo, Lugd. Fœniculum acre, Ang. Eid. B. in pin Fœniculum 5. sylvestre:

Silvestre. Fœnic. erraticum, Matth. Lac. sponte virens in agris Narbonensium. Est hoc Fœniculum Lobelio & nobis à vulgari non diversum. Præterea Matthiolus suo more quæ non novit dicit omnibus nota, ut notum in omnibus Hetruria Fœniculum erraticum: interea non demonstrat an per id intelligat nostrum vulgare, semine amaricante, spontaneum: nec an sit Dioscoridis silvestre.

Nomina linguar. Græcis Μάραθον dicitur, Actuario Μάραθρον & Μαραθρόσελινον; Latin. Marathrum & Fœniculum & officinis sine diphthongo Feniculum; Serapioni *Ratenegi*; Averrh. *Halcasmeg*; Avicenn. *Baraline, Alsabaraute, Rasinagi* & *Razinog*; aliis Arabibus *Ratinigi* & *Rasienegi*: cortex radicis, *Cocior Atala Rasienegi.* semen *Bizeri Arasigenti*. *Basara, Asisigenti*, & *Beser Rasinæ*: Germanis Fenchel: Belg. Venkel: Gall. *Fenoil* & Fenouil: Ital. *Finocchio* & *Finocchio*: Hispan. *Hinojo* & *Hinojo*: Lusit. *Funcho* & *Funicho*: Persis *Berasine*: Angl. Fenel & Fenckel: Bohem. Wlasskykopr/& Kopr wlasky: Polon. Wloskikopr: Hungar. *Kômeny*: Cretensib. *Marathra*.

Marathri & Fœniculi etymon. Μάραθον autem Græcis, ἀπὸ τοῦ μαραίνεσθαι, à marcescendo dictum putatur, quòd ejus cùm marcuerit, multus sit usus ad condienda plurima. Fœniculum autem à Latinis, quòd satum magno cum fœnore semen reddat; vel potiùs Græcorum imitatione Fœniculum dictum, quòd quasi fœnum in hyemes arefactum & marcidum reponatur.

Locus & tempus. Fœniculum vulgare semine minori, acriori & nigriori Monspelij & Lugduni sponte passim provenire observavi; Genevæ in hortis folia Hiemem perferre; Basileæ adhuc Octobri florere; Montbelgardi in horto E. C. ubi à me satum primo anno non fert caulem, altero verò floret Iulio. Ex semine deciduo multùm se propagat. Nascitur locis calidis & saxosis, qualis est Monspelium & Lugdunum, juxta muros meridianos. Radix vivax est & in plures annos durat. Vere erumpunt folia, deinde caulis assurgit, sequuntur cum floribus muscaria. semen sub finem Augusti ac Autumno perficitur.

Vires & usus. Fœniculi semen per se mansum aut sacchàro conditum, & continuò sumptitatum, lentam pituitam incidit, inquit Tragus, & excreabilem facit. *Oculi caliginosi.* Ad caliginosos oculos nihil efficacius hoc semine. Aqua fœniculi distillata manè & vesperi oculis indita, caligines eorum discutit, auribus instillata vermes enecat. Easdem facultates obtinet succus expressus, & lachryma, seu, ut vocant, gummi Fœniculi. *Gummi.* Cæterùm, ut refert Dodonæus, *Temperamentum Dod.* Fœniculi vulgaris semen quidem calidum est secundo, siccum verò primo ordine. Ventriculum assumptum roborat, nauseam sedat, tormina mitigat, flatus discutit: In vino potum ad serpentum & scorpiorum ictus ac morsus valet. cum sacchàro pulvis hujus jejuno ventriculo assumptus, aciem oculorum conservat: lac quoque nutricibus auget, quod & ipsius herbæ succus efficaciter præstat, tum & ipsa comesta ac in olere sumpta, quæ minùs calida ipso semine. Utilis verò renibus ac vesicæ. urinam cit & calculos expellit. Radices ad eadem valent, & potentiores, utpote calidiores: proinde non modò urinam provocant, sed & hepatis ac quoque lienis infarctus expediunt, & viscera ab obstructione liberant: *Viscera infarcta.* menses quoque promovent. Feruntur eædem cum melle contritæ canum morsibus mederi impositæ. Ipse Fœniculus (inquit Americ. Vesput. in præfat. suæ navig.) priùs sumptus, esculentis odorem dare & meliorem digestionem facere assuevit. *Digest.* Fœniculi sacchàro conditi semine, vel Zingibere cocto, vel aliquo alio simili dissipantur flatus. Quòd si semen Fœniculi aceto infundas, exsicces, & Cinnamomi tantundem addas addito sacchàro parti semi uniùs, sumendo de hoc fit mirabile in præservando visum & debilitatem reformando & in oculis octuagenariis jam obtenebrato visu, ut incredibile visum sit Arnoldo de Villa nova. Galenus, Paulus & alij *Antiquorum lapsus.* Fœniculum statuunt calidum in tertio gradu & siccum in primo. Verùm si rem penitiùs examinamus, comperimus (inquit Tabern.) esse calidum in secundo & siccum in primo ordine cum nonnulla adstrictione. quare aperit, discutit, & resolvit. Hodie non solùm in Medicina expetitur, verùm etiam in culina. *In cibis.* Coqui & diligentiores matres familias variè ad usum præparant. Nonnullæ tenellis vescuntur surculis cum sale ad carnes & assaturas. *Surculi tenelli.* Nonnullæ miscent cum sacchàro: aliæ acetariis imponunt. Quædam hos cum non bene maturo semine, sale & aceto condiunt, & post annum usurpant. Pisces assandi non temerè Fœniculo replentur & eo involvuntur. *Ad pisces assandos.* sic namque non solùm iis gratus sapor conciliatur sed & superflua humiditas corrigitur, & sic salubriores redduntur. Quare ij quoque consultum faciunt, qui pisces cum Fœniculo in jure decoquunt. Hoc siquidem non tantùm eorum humiditatem consumit, verùm etiam ad concoctionem facit. Roborat enim Fœniculum caput, ventriculum, hepar, lienem, renes, vesicam & matricem, viscososque humores digerit. *Roborat viscera.* In

eundem usum tam comæ Fœniculi, quàm etiam radix in cibos additur, & semen in panem. Hoc pulverisatum, è vino potum, flatus discutit ventriculi & intestinorum. unde versiculus rythmicus,

Semen Fœniculi reserat spiracula culi.

Succus è radice recenter expressus, unciarum trium pondere potus cum vini generosi uncia una, nephriticis mirè subvenit. De Fœniculo hunc in modum cecinit Macer Æmilius:

Fœniculum Medici calidum siccúmque secundo
Dicunt esse gradu, Marathrum Græcus vocat illud:
Cum vino cunctis obstat hæc herba venenis,
Hac mansâ serpens oculis caligine purgat,
Indéque compertum est humanis posse mederi
Illam luminibus, atque experiendo probatur.
Radicis succus mixtus cum melle recenti,
Pulsâ reddit eos omni caligine claros
Expressus Marathri viridi de semine succus
Soléque siccatus, magnum medicamen habetur,
A queiscunque velis oculorum pellere morbos.
Auribus infusus vermes succus necat eius:
Renibus in pessana radix decocta medetur,
Cum vino fugat hydropicos potata tumores,
Sicque venenatis obstabit morsibus illa,
Sic quoque pulmonis obstat, iecorisque querelis,
Et sic nutrici sumpta, fit copia lactis.
Cum vino, vel aqua radicis coctio sumpta
Nephreticis, & vesicæ morbis medicatur,
Vrinas purgat, & menstrua sumpta resolvit:
Vel si trita super pectus hæc herba ligetur,
Nauseam in vino sumpta sedabitur illa:
Fervorem stomachi cum lympha mitigat hausta.
Radix illius vino decocta dolores
Fomento curat: patitur quos virga virilis
Hæc quoque, si iungas oleo, facit, hócque perungas
Ictus, vel factos subitò quoscunque tumores,
Apponas tritam iunctam sedabit aceto.
Semen cum vino bibitum Veneris movet actus,
Hócque modo lateris diros sedare dolores
Dicunt, aut herba si sit decoctio sumpta
Tradunt autores, eius iuvenescere gustu
Serpentes, & ob hoc senibus prodesse putatur.

Idem hoc testatur Serenus, dicens:

Si tenebras oculis obducit pigra senectus,
Expressæ Marathro guttæ cum melle liquenti
Detergere malum poterunt.

Et hæc sunt & plura alia, quæ in longum recenset Tabernomontanus, qui præterea Fœniculi saccharati, seu Fœniculi sacchato obducti meminit, quod commendat ad jam dictos affectus, scilic. caliginem oculorum, dolores capitis, ad memoriam juvandam, vertiginem abigendam, lac & semen augendum. ad obstructiones reserandas, tussim sedandam, & dolores nephriticos curandos, corrigendúmque aërem malignum, & ad halitum fœtentem, nauseam, & similes morbos. Sed & vinum fœniculatum, Mulsam, sive Aquam mulsam Fœniculi: Item Fœniculi decoctionis aquam, Fœniculi succum exsiccatum, Fœniculi extractum, radicis syrupum, & Syrupum extractionis Fœniculi, radicem conditam, Fœniculi salem, & oleum stillatitium chymicâ arte extractum, ad omnes prædictos morbos.

Margin notes: *Coma semen additur.* — *Flatum discutit.* — *Nephresis.* — *Macer.* — *Venenis obstat.* — *Oculorum morbi.* — *Hydrops.* — *Vesicæ morbi.* — *Nausea. Fervor stomachi.* — *Oleum.* — *Venerem stimulat.* — *Fœniculum saccharatum.* — *Vertigo.* — *Halitum fœtens.* — *Compositiones è Fœniculo.*

FOENICVLVM VVLGARI simile, dulce.

THOMAS Platerus egregius Medicinæ candidatus misit anno 1595. semen cum hoc inscriptione. Fœniculum dulce instar sacchari, cujus semen non differt à vulgari, nisi sapore dulci & grato; tantò tamen minùs & rigidius quàm id, quod Florentinum dulce cognominatur. Satum Aprili multoties provenit & floruit in horto E.C. Montbelgardi.

FOENICVLVM DVLCE, MAIORE & albo semine.



FOEniculũ dulce, eodem anno, quo satum est, semen proferens maturum, à vulgato radicibus, foliis, caulibus, & flore vix differre videtur, nisi fortè caule minùs procero & graciliore ac foliis minoribus. semina quidem multò sunt majora, striata, albida, dulcia, minùs acria: cæterùm, si quando Hiemem apud nos perfert, & aliquot annis durat, videtur amittere dulcedinem, & de albedine ac magnitudine minui. Icon præsens exhibet hujus Fœniculi semen dulce majus, & vulgare minus: itemque rotundius.

Rationes porrò quæ me movent, ut potiùs hoc Dioscoridis sentiam Marathrum, quàm vulgatiùs, sunt hæ. Primò quod seratur & non nisi cultum proveniat, ut etiam ostendit colendum Palladius, & sativum vocat Plinius. Secundò quòd semen hujus multò dulcius & minùs acre sit, quàm illius. Tertiò quòd minùs procerum, & folia minora conspiciantur. His adde locum, unde deferri dicitur.

Gesn. h. dicitur Fœniculum dulce, vel Florentinum æstivum. Matth Fœniculum sativum, sive domesticum in Hetruria notum. In epit. cum addit. Camer. Fœniculi quoddam genus dulciori & crassiori semine. Cam. apud Matth. german. de hoc ait: Fœniculum Italicum, Welscher Fenchel / Fœniculum dulce, fortassis hortense veterum: in nostris hortis cultum, non diu reservat naturam suam, verùm uti sæpiùs expertus sum, solet postremò, nostro iterum simile evadere.

Cæsalp. sanè à nostra opinione alienus non est. Fœniculum hortense, inquit, caule cubitali constat, & paulò altiori, recto: umbellas fert latas; semen crassum, in rotunditate oblongum, candidum, sapore subacri, aromatico: seritur in hortis pro condimentis & obsoniis: sed anno secundo transit in silvestre. Fœniculum hortẽse Dioscorides Marathron vocat, Theophrastus Fœniculum inter olera, Plinius Fœniculum à serpentibus nobilitatum.

Lugd. p.689. Fœniculum dulce vocat (ut & Anguill. epist. 7.) describit, sed non pingit. Tab. quam posuit figuram in hist. pro Fœniculo vulgari, in Ic. ponit pro dulci, quod Fœniculum Romanum, & Fœniculum Florentinum, Ital. *Finocchio dolce*, German. Süssen Fenchel / Römischen Fenchel & Florentinischen Fenchel / propter dulcedinem quam habet ex cultura Romæ & Florentiæ, cognominari ait.

Bauh. phyt. Fœniculum 1. sive dulce, caule vulgari breviore, semine majore albido, foliis & semine dulcioribus. Apud Matth. Fœniculum sativum semine majore albidum, verum Fœniculum credi-

Margin notes: *Descr.* — *Icon.* — *Synon.* — *Satum naturam mutat.* — *Fœniculum antiquorum Cæs.* — *Tab. aut.* — *Synon. C.B.*

ereditum, magis dulcescens, sæpiùs hortense, secundo anno in silvestre transiens, quod in incultis montosis semine exiliori, radice crassiore nascitur: Eid.pin. Fœniculum 3. dulce; ut & Matth. Lac.Ang. Gesn.h.Lob.adv.Cast.Ger.desc. Fœniculum 3.Dod. solo sapore à primo distinctum. Fœniculum sive Marathrum vulgatius dulce, Lob. Fœnic.hortense semine crasso in rotunditate oblongo, Cæs. quod anno secundo in silvestre transit. Fœnic. dulci semine majore, gustu anisi, Lugd. Fœnic.Romanum semine pallidè luteo, Tabern. quod tertio anno in commune transit. Fœnic.majus, Cam.h. Hoc semine est vel rotundiore, quod Romanum & Florentinum dicitur: vel in rotunditate oblongo, quod omnium dulcissimum & gratissimum, & Bononia adfertur. Hæc frater. Mihi Fœniculum dulce, quod veterum existimo, non videtur simpliciter apud Herbarios Fœniculum vocari. *I. Bauh.*

Locus. Tempus. Fœniculum dulce Montbelgardi in horto E.C. ex satione provenit, quod Lugduno allatum erat, eodem anno caulem fert & semen: interdum etiam perfert Hiemem non perinde tamen ut vulgatius, nec perinde frequens seritur, utpote semine è Græcia aut Syria allato, teste Lobelio. Basileæ in horto patris habui semine maturo Augusto.

Vires. Quia porrò Fœniculum hoc à veteribus descriptum esse credimus, ideò ei quoque vires ab ipsis Fœniculo attributas convenire dicimus. Illas etiam huic adscribimus, quæ recentiores vulgari proprias faciunt.

FOENICULUM ROTUNDIORI semine, quibusdam Hippomarathrum.

Hippomarathri ab antiquis proditi silvestris, semine præsertim à vulgari sponte virente diverso, plantam, quæ aptè respondeat, similem equidem habemus (inquiunt auctores Adversariorum) nullam, quale Guilliel. Dresch probus & peritus Pharmacopœus aluit superioribus annis Antuerpiæ, procerum, prægrandeq; Fœniculum, communi simile: caule ternum, quaternúmve cubitorum, foliis brevioribus, aliquanto rigidioribus, albicantibus Corrudæ. Semen par, aut paulò minus altero [*dulci*] rotundius, & Aniso propius. Isti Hippomarathri nomen fecêrunt.

An B.pin. Fœniculum 3. dulce, semine rotundiore: de hoc vide in tituli præcedentis synonymis.



FOENICULUM rotundum flore albo.

Descr. Radice nititur fibrosâ, exili: caule minori & breviori: foliis latioribus ac etiam brevioribus, quàm vulgaris Fœniculi: umbella alba, rotunda, primo anno flores & semẽ ferens, minus, quàm vulgare Fœniculum, sublõgum, & rotundum. Plantæ gustus & odor vulgari similis. Si semen hujus stipis in Autumno terræ mandas, evadet tota planta procerior & efficacior, quandoquidem Hiemem facilè perfert.

Tabern. descriptionis auctor, inscribit Fœniculum rotundum, propter semen oblongum & rotundum, quo à vulgari differre scribit. Mirari eum subit, cur locum, in quo hoc viderit, vel unde habuerit, non indicet.

B.pin. Fœniculum 4. semine rotundo minore: Fœnic.rotundum vulgare, Ger.ic. *Synon.*

A vulgato sapore & odore non differt, sed humilior est, umbella candida, seménque vulgari minus & Carui formâ.

FOENICULUM MAGNUM, sive Hippomarathrum.

Accepimus à Casabona anno 1594. Hippomarathri ex Cãdia titulo, pulchrũ semen album, duplex, cõpressum, latum, oblongum in quo tres costæ, differt à nostra Libanotide cachryophora dicta, quæ illi semina crassa, turgidáve & non lata.

Consideradũm an de hac planta hæc scribat Bellus in epist. ad Clusium. Hippomarathrum folia tenuia, Fœniculo quodammodo similia, profert, caulem lævem, duos aut tres cubitos longum, minimi digiti crassitudine, geniculatum: florem luteum in umbellis, ut Anethum, semina magna, Cachry similia: radice nititur firmâ, magnâ, odoratâ. Vocatur πλατύκυμινον, quod latum Cuminum sonat. Hujus semen vulgariter à mulieribus coquitur in lixivio ad capillos aureo colore tingendos. *Platicymi-num Latum Cu-minum.*

C.B. in prod. Hippomarathri Cretici nomine ex horto Nicolai Contareni Senatoris Veneti, habet ramos cubitales, rotundos, læves, striatos, pallidè virentes, in alios brachiatos: folia Fœniculi modo, in tenuissima, sed longè brevissima segmenta divisa: caulium summitatibus, umbellæ parvæ insident: gustanti plantæ siccæ folia & caulem, de sapore nihil certè pronunciare licuit. In pin. vocat Fœniculum 6. Hippomarathrum Creticum.

CHAA, HERBA Iaponiæ.

Ad Fœniculum reducit C. Bauh. in pin. Chaa, herbam in Iaponia, ex cujus pulvere decoctum preciosum parant, & hospitibus dignioribus propinant: & olla in qua hujus herbæ decoctio facta, in eo apud ipsos precio habetur, in quo apud nos adamantes sunt: Linscot.part.2.Ind.or.

ANETHVM. Cap. II.

Descr. FOENICULO persimile est, caule fistuloso striato, foliis tenuissimè in capillaria filamenta dissectis, odoratis, sed minùs, quàm Fœniculum, gratis: flores in umbella lutei, quibus semina succedunt fœniculacea, latiora, sapore acri, minùs grato etiam, quàm Fœniculi.



Anethum Theophrastus inter olera recenset. Hoc nec Dioscorides, nec Plinius describunt, sed ex aliis plãtis Anetho cõparatis facilè colligitur, eã esse, quæ id nomen in hunc usque diem apud herbarios retinet.

Synon. B. pin. Anethũ 1. vulgare: Anethũ, Brunf. Matth. Fuchs. Turn. Dod. Cord. in Diosc. Gesn. h. Ang. Lac. Lob. Cast. Lon. Cæs. Lugd. Tab. Cam. & Ger.

Nomina linguar. Anethum sunt qui Polgidon sive Polgida, qui Anicetum vel Anicethum vocent: Magi Cynocephali aut Mercurij genituram & Cynocephali capillum, alij Mercurij semen: Aphri Scyrrian [Sicirian Tragus] Aegyptij Arachu [Arach. Tab.] Daci Polspum aut Pulpum: Æginetа Enemion: Serapio *Xebeth*: Averth. *Scenat*. Bellunensis *Alscebat*: vetus Avicennæ glossator *Namlin vebet, Sebatum, Iebet, Seebet, Sebet, Sebez, Sceet, Ancide, Alscebete. Sohar. Seth & Ran*: Ioan. Bruyerinus Escarlata & Herba Tolosana: Germani Tillen/ Dyllen/ Dillenkraut/ & Hochkraut: Belgæ Dille: Galli *Anet & Anete*: Itali *Anato*: Hispani *Eneldo, Aneldo, & Heneldo*: Portug. *Endros & Endres*: Angli Dill: Bohemi Koprzahradny: Hungari *Kapor*: VVal. *Polrum & Polpum*: Poloni Swoyskikopr [& Anyz *Tabern. sed quàm bene iudicent alij*] Cretenses *Agnitho*. Nicol. Myrepso caules dicuntur [illegible]: Fuchsius autem per [illegible] intelligit lignosas radices Anethi. Semina dicuntur Arabibus *Besara sebezi*.

Etymon. Ἄνηθον quidem Græcis dictum scribitur [illegible], quòd citò crescat. Alij tamen [illegible], quasi [illegible] dictum volunt, quia appetentiam cibi excitet, sed etiam [illegible] & congressus, & coitio Venerea est, ad quam lacessit Anethi esus, ut antiqui prodiderunt: tametsi plurimo usu tandem genituram exhauriat, Dioscoride teste.

Locus & Tempus. Anethum in hortis copiosum Genevæ, Basileæ, Lugduni, & Montbelgardi, semel satum quotannis semine deciduo se propagat, restibili fœcunditate. Sponte interdum nascitur in Anglia & Northmannia. Anethum, ut legimus apud Crescentium, desiderat communem hortorum terram, & seritur mense Februario & Martio, Septembri & Octobri & in locis clementibus etiam mense Decembri per se & cum aliis herbis, omnem cœli statum patitur. Sed in tepidiori lætatur, rariùs seratur, & irrigetur si non pluat. Aliqui semen ejus obruunt, opinantes quod ab ave nulla tangatur.

Vires & Vsus. Aridi Anethi comæ, seminisque decoctum, inquit Dioscorides, potu lac evocat, inflationes ac tormina sedat, alvum vomitionésque læves sistit, urinas ciet, singultus lenit, oculorum aciem hebetat & genituram restinguit assiduè potum. fœminis vulvæ malo opportunis ad dessessiones utile. condylomata illitus ejus cinis tollit. *Oleum.* Oleum sic conficito. In olei libris octo & dodrante, floris Anethi libras undecim & bessem per diem macerato, deinde manibus exprimito acrecondito. Quod si bis macerare voles, rursus recentem Anethi florem eodem modo immittito. Potest mollire & aperire uterum. Convenit etiam ad rigores per circuitum repetentes, calefaciens & lassitudines solvens. Est etiam cõmodum ad articulorum dolores. Eadem ferè quæ Dioscorides tradit, Plinius etiam habet. *Plinius.* Anethum, inquit, ructus movet, & tormina sedat, alvum sistit. Epiphoris radices illinuntur ex aqua vel vino. Singultus cohibet semen fervens olfactum. Sumptum ex aqua sedat cruditates. Cinis ejus uvam in faucibus levat, oculos & genituram hebetat. *Galenus. Temperamentum.* Anethum, authore Galeno, adeò excalfacit, ut habendum sit aut secundi ordinis incipientis, aut primi finientis. itaque meritò in oleo decoctum digerit, dolorem sedat, somnum conciliat & crudos & incoctos humores concoquit. fit enim ex eo oleum, cujus propinqua sit temperies pus moventibus & concoquentibus vocatis medicamentis, nisi quatenus paullò illis tum calidius, tum tenuiorum partium est, ac proinde digerendi facultate præditum. *Anethum ustum.* Vstum autem tertij ordinis tum excalfacientium, tum desiccantium fit, & propterea ulceribus nimis humidis, mollibúsque prodest, potissimùm iis, quæ in pudendis consistunt. at quæ in præputio sunt inveterata, ea probè cicatrice concludit. Cæterùm, viride humidius est & minùs calidum: itaque magis quàm siccum concoquit, & somnum conciliat, *Somnus.* sed minùs digerit. idcirco mihi videntur veteres in conviviis usi esse coronis ex eo concinnatis. Ad crassorum humorum inflationes prodesse Anethum testatur Simeon Sethi. Prodidit idem quosdam sanè ipsum stomacho bonum esse, alios verò minimè, dixisse. Illos quidem ad ejus caliditatem, & facultatem, quæ humiditatem concoquit, & flatus, qui sunt in ventriculo, discutit, respexisse: eos verò ad substantiam ejus, quæ crassarum est partium, concoctu difficilis & nauseosa. Oleo incoctum porrò discutere ait, & somnum conciliare. Inunctum tumores crudos concoquere. Inflationes quoque, quæ in ventriculo generentur, digerere. Corpus ex immodico labore defatigatum curare. Renes verò lædere secundùm quosdam. Anethum sequentibus quondam celebravit Macer. *Macri.*

A Medicis calidum siccúmque refertur Anethum.
Et dicunt quòd sit gradus huic in utroque secundus.
Lac dat abundanter eius decoctio sumpta — *Lac.*
Nutrici, stomachique solet depellere morbos: — *Stomachi morbi.*
Tres cyathos eius tepida si sumpserit æger,
Indicio ructus fit, qui demonstrat apertum
Os stomachi, ventúmque per hoc exisse noxivum,
Atque gravis talis sedatur nausea potu.
Provocat urinas, obstantia quæque repellens.
Matricem iuvat, bene si foveatur eodem,
Cum tepido tritum patiens si poret aceto.
Intestinorum curat, ventrisque dolorem. — *Intestinorum dolor.*
Hoc etiam potu digestio tarda iuvatur,
Vnde minor fieri vis egestiva videtur.
Assiduè bibitum visui nocet, & genitale — *Visui nocivum.*
Claudit iter, siccans humorem seminis intus,
Vváque si nimio turgens humore gravetur
Suspendit pulvis combusti seminis eius,
Appositus digitis, aut intus clystere fusus.
Acrior esse cinis radicum dicitur eius, — *Cinis anethi.*
Rodit crescentes cinis hic in vulnere carnes.
Vulnera quæ serpunt, & sordida vulnera curat, — *Vulnera & ulcera.*
Vlcera præcipuè membri curare virilis
Dicitur iste cinis infusus sæpiùs illis.
Olfactu reprimit singultum semen Anethi, — *Singultus.*

Assatum

Assatum & fervens si sæpiùs olfacit æger,
Dicunt fervores oculis tum tollere posse
Ejus radices tritas priùs, appositásque.
Hæmorrhoida. *Apponas hæmorrhoidis, si semen Anethi*
Ustum, curat eas, & condylomata solvit,
Frigora pellit. *Flos oleo si decoquitur medicabile reddit.*
Illud præcipuè nam de frigore causis
Prodest, & capitis compescit sæpè dolorem
Nervorum laxat tensuras, frigora pellit.

Trago. Anethum, ut testatur Tragus, condimentum est optimum, nam olim cum Serpyllo & Allio contundebatur, fessisque messoribus proponebatur, quemadmodum in Alexi Virgilius notat. Tradunt præterea sicut Fœniculum caliginosis oculis conferat, ita Anethum caliginem illorum promovere ac creare. Verumenimverò caliginem oculis inducere *Somnum conciliat.* Anethum dixerit Tragus, sed citra noxam. Nam capiti conducit & somnum conciliat, maximè Anethinum oleum: quamobrem quod dicitur visum hebetare, aut caliginem oculis inducere, is de somno & quiete intelligendum potiùs censet. *Tragi opinio reprobatur.* Nobis tamen non placet Tragi sinistra explicatio. siquidem alia est natura ipsius seminis devorati, & olei ejus. Itémque diversa applicatio. Eadem præstare aqua distillata dicitur, quæ Dioscorides toti plantæ adscribit. De hac aqua hæc leguntur apud Tabernomontanum. *Aqua.* Conveniens tempus hanc aquam distillandi, in fine Maij, aut in principio Iunij, cùm maximè floret, abjectâ radice, in Balneo Mariæ. Si verò efficaciorem desideres, accipe ℥.iiij. seminis ejus, quod pulverizabis grosso modo, & Cucurbitæ impones superaffundendo ℔.iiij. aquæ distillatæ, Cucurbitam alembico cæco occludes, permittésq; viginti quatuor horis in balneo Mariæ macerari, quo peracto alembicum mutabis, & lento igne distillabis. Anethites vinum ex Cæsaris Constantini mente fit ita. Anethi semen colligabis in linteolum, deinde in vinum demittes. Valet ad eosdem affectus. *Compositiones ex Anetho.* Plura vide apud Tabernomontanum, qui suo more & Anethinam mulsam, & aquam decoctionis seminis Anethi, & Oleú chymicâ arte extractum, in sæpè dictos usus sine dubio refert. *Matth.* Cæterùm, seminis Anethi & urticæ partes æquales pulveratæ, cum melle in emplastri formam redactæ, condylomata impositu confestim sanant, si Matthiolo credimus. Folia recentia ad condimenta incoquuntur, præcipuè cum recentibus pisceolis, suaveolentiam simul & coctionis facultatem in ventriculo præstantia, Cæsalpinus. *Calculus.* Teneræ comæ in jusculis esitantur à quibusdam calculosis, quibus non parum prodesse certum est, sed cibo parum grato sapore, Lobelius. Radix recens (nam sicca nullius est utilitatis, Cresc.) habet virtutem diureticam, calculi fractivam, & viarum urinalium aperitivam. Semen per triennium potest servari, melius tamen est si singulis annis innovetur. decoctio herbæ & seminis valet ad stranguriam & dysenteriam & lac augmentat. Vulgus tandem Anethum vaccarum pabulo commiscet, ad augendam lactis copiam.

ANETHUM SILVESTRE, SEMINE exiguo, Ameos.

ANethum silvestre in Sicilia nascitur, grandius sativo: caule crasso: foliis amplis, ut Fœniculi, sed odore Anethi, quanquam infirmo: umbellis amplioribus: flore luteo, semine exiguo, ferme ut Ameos, subacri: radix parva & lignosa est annua: hac herba equos purgant: nam miro modo ejus usu (inquit l.7.c.12. Cæs.) vegetiores redduntur. Idem Fœniculum hoc Meum ignobilius nominare videtur, *Meum ignobilius.* ita enim quærit eodem l.c.13. An quod Anethum silvestre appellavi ad Meu ignobilius reduci potest, grandius scilicet sed infirmius.

Syn. C.B. Bauh. phyt. & pin. vocat Anethum, 2. silvestre, grandius sativo, foliis Fœniculi, Cæsalpini. Eid. pin. Anethum 3. silv. minus, quod in prodr. sic describit: radice est albicante, uncias tres longâ, tenui, quemadmodum & caulis, qui pedalis, albus, rotundus: foliis est uncias quatuor longis, tenuissimè, ut in vulgari, divisis: umbella parva, ex festucis octo vel novem uncialibus composita, flosculis luteis, semine parvo oblongo. In hortulo meo crevit, ex semine à doctiss. Columna, nomine Anethi sylvestris ex Sicilia, misso: quod minus appellare lubuit, cùm Cæsalpinus, Anethi silvestris in Sicilia, quod sativo grandius sit, meminerit.

ANETHO SIMILIS PLANTA, semine lato laciniato. CAP. III.

Descr. PLantula Gingidio nostrati perquam similis, radice parvâ albicante, foliolis fœniculaceis, tenuioribus quàm in Pastinaca erratica, gustúque amarioribus: umbellæ in medio capitulum cæruleum habenti subsunt folia tenuia ut Melanthio: semina rotunda, confertim coacta in unum quasi capitulum. Et sic descripsit plantam Rauvvolfius.

Meo judicio bina esse solent semina qua parte coherent mutuò, aspera, rugosa, oblonga, extrinsecus striata, in ambitu foliacea, fimbriata, ut in Ferulaceis quibusdam, ab iis in eo differens quòd pulchrè in decem partes dividantur, totum semen paulò minus parvi digiti ungue vel denarioso.

Synon. Rauvvolfius appellat, Gingidium Dioscoridis verum: Item postea inter Icones, Gingidium Dioscoridis; Camer. hort. Gingidium Rauvvolfij, Siriacam plantam, inter icones Gingidium; ubi ait eius iconem etiam extare apud Rauvvolfium sed apud eum elegantissima seminâ, nimis confusa & obscurata esse picta. Lugd. in append. p. [illegible] Gingidium Dioscoridis. Bauh. phyt. & pin. Gingidium 2. folio Fœniculi.

Locus. In monte Libano Syriæ, locis præruptis provenire scribit Rauvvolfius, qui nobis semen communicavit, ex quo Montbelgardi in horto E.C. planta excrevit.

MYRIOPHYLLON SIVE MILLEfolium veteribus. CAP. IV.

Descr. MYriophyllon [[illegible], Ald.] ita describente Dioscoride, cauliculus est singularis, tener, unicâque nixus radice [[illegible], qua voce [illegible] carer] folia habens circa caulem multa [[illegible]] lævia, Fœniculo [Μαράθῳ, [illegible]] similia, unde & nomen accepit. Est verò caulis quadantenus cavus [[illegible]

pro quo vulg. exempl. ὑπόξανθος, *subfulvum*] coloribus variis distinctus, & quasi studio & artificio limatus & expolitus. Nascitur in palustribus. Vulnera recentia ab inflammatione vindicat, seu viride, seu etiam siccum ex aceto oblinatur. præcipitatis quoque ex alto cum aqua & sale potui datur. Millefolium nonnulli (inter quos est Apuleius) Melophyllon vocant, alij Stratioticen, quasi Militarem, alij Achilleam, Romani Millefolium aut Supercilium veneris appellant, Galli Bellicocandium.

Locus. Vires & Usus.

Plinius. Myriophyllon, inquit Plinius, quod nostri Millefolium vocant, caulis est tener, similis Fœniculo, plurimis foliis, unde & nomen accepit. Nascitur in palustribus, magnifici usus ad vulnera. Cum aceto bibitur ad difficultates urinæ, & vesicæ, & suspiria, præcipitatisque ex alto. Efficacissima eadem ad dentium dolores.

Millefoliū cur dictum. Millefolium Plinius Myriophyllon vocat, haud sanè quia in græca voce certa ejus numeri vis & significatio sit, sed quod aptius non poterat in latinis nomen fingi: nec referebat, inquit Marc. Virgilius, in re incerta mille potiùs, quàm decem millia, infinitave folia illi tribuisse. Quod mutato tantùm accentu in græcis μυρία significant: quemadmodum nec malè penitùs dixerit aliquis mille, pluribúsve, aut infinitis pilis constare hominis supercilium, ex cujus similitudine Veneris supercilium hæc ipsa etiam vocata à plerisque fuit: quoniam scilicet quemadmodum minuti densique pili eam hominis partem vestiunt: sic Millefolij hujus coliculos, minuta densáque vestiunt folia, quæ licèt hîc Dioscorides Fœniculo comparaverit, non tamen eâdem longitudine sunt. Hujus enim brevia admodum, Fœniculi verò longiora & quasi capillata. Quod comparatur, copia & exilitas eorum tantum est. Eadem ratio Stratioten & Achilleam vocari fecit. Brevibus enim & numerosis illæ etiam foliis describuntur & sunt, ut videre est H.n.g.lib.25.

Stratiotes.

Dubium in Diosc. Relinquit verò Marcellus constituendum in hoc Dioscoridis capite peritioribus, quod ultimum in eo legitur, *bibi ex alto præcipitatis utiliter Millefolium*: præcipitatis legi ne, an aliter oporteat. Is σφάλματα in cunctis ferè græcis se invenisse ait, quam vocem nihil aliud quàm ex alto casus & lapsus quidem significare concedit. Inclinat ei tamen animus φλάσματα, i.e. inflationes legi posse, vidisseque in quo φλασματώδεσι, quod est inflationibus laborantes legeretur.

Aquaticum. Stratioten aquaticum hodie ignotum esse placet Cornario: aut eum saltèm esse, qui in Ægypto solùm nascatur juxta Plinium. Sed cùm hic Aizo similis, Stratiotes aquaticus, meo judicio, esse nequit.

Millefol. Brassav. Myriophyllon esse voluit Brassavola Millefolium vulgare sive Stratioten (de quo dictum H.n.g.l.25.) sed hoc ei non concedimus.

Millefol. aquaticum. Lob. in adv. titulo de Millefolio aquatico altero Coriandri folio p.334. habet nomen Myriophylli, ac ibi intelligere videtur Millefolium aquaticum, à Matthiolo in postr. comm. cum mag. fig. sine descriptione exhibitum. Quale autem hoc sit, nescio. videant igitur lectores, perpendántque an reperiatur planta, omninò similis figuræ Matthioli, & an non sit composita ex umbella Myriophylli Matthioli, de quo paulò post, & nostro Millefolio aquatico pennato.

Millefol. aquaticum. Fœniculi facie. Millefolium aquaticum Fœniculi facie, umbelliferum, multis est Myriophyllon.


Millefolium pennatum Lobelio & Clusio est Myriophyllum aut Marathrophyllum palustre.

Millefol. palustre alterum Lob. Est & Millefolium cognominatum Myriophyllon palustre alterum Lobelio.

Viola aquatica. Habet Myriophyllum aliud Lucas Ghinus, de quo agimus sub Millefolio dicto Viola aquatica lib.38. descripta sub capite Polyanthemi tenuifolij.

Fit & Myriophyllum, Millefolium marathrifolium flore Ranunculi albo.

MILLEFOLIVM AQVATICVM, Fœniculo simile, umbelliferum.



Descr. Folia sparsa, lętè virentia, fœniculaceis perquam similia, cæsurâ non ita dissimili; prima & inferiora differunt nonnihil; segmenta sunt paulò latiora, in icone nostra non expressa, incuriâ pictoris: odore grato, saporo nullo insigni: flores gerit in scapo umbellatos. radices ad Hellebori albi radices quodammodo accedunt, fibrosæ, albę, crebræ ex capite uno dependentes, palmo longiores, cavæ; in quorum tamen medio reperitur interdum radix quædam primaria, minimi digiti crassitudine, fungosâ, & veluti concavâ.

Myriophyl. lum legitimū, Matth. Hanc pingere videtur Matthiolus nomine Myriophylli, quod legitimum Dioscoridis constituit, ac se invenisse & sæpè vidisse refert in vallis Ananiæ palustribus, unico tantùm caule, innumeris foliis referto, capillaceis, Fœniculi modo, odore non ingrato. Figura Matthioli non undique placet, minùs etiam ea, quæ ad epit. & hist. germ. à Camerario addita est, eodem Myriophylli titulo, quod græcè Μυριόφυλλον, italicè *Mirifillo*, germ. **Fenchelgarb** vocat. Emendavi ego Matthioli figuram per vetustam plantam ante 40. annos Patavij collectam.

Icon Matth. non placet.

Millefol. aquaticum, Lob. Lob. in adv. p.333. vocat Millefolium aquaticum alterum Coriandri folium, ac de eo dicit. Quandoquidem hæc mutila aut depravata visa fuit lectio nobis, post multam perpensionem, animum advertimus hanc repetitam foliorum Millefolij cum Cumyno silvestri collationem, aptiùs nulli quadrare posse, quàm illi Millefolio in aquis nascenti, ejusdem cum isto speciei & faciei, cujus folia quàm plurima, à media ad imum scitè exprimunt Cuminum silvestre aut Coriandrum: superiora verò sunt Fœniculi, sed tenuiora, delicatiora, molliora, uti aptè etiam quædam habet lectio: non Amaraci (ut falsò legunt) sed Marathri: reliqua minora, sed similia supernè floribus Millefolij: unde perspicitur supina commentatoris [*Matthioli*] somnolentia, dum usque & usque carpit hunc & illum, ipse carpendus & ridendus magis, qui non videat hanc neutiquam foliis esse Sempervivo majoribus, magisque refrigerantibus, sed potiùs Cumini silv. Coriandri, & Marathri, qualem ipse Senensis bellè pinxit. Vmbella etiam hujus est Millefolij, aut silv. Cumini, cui hîc Dioscoridis confert, post sativum fuit Matthiolo expendenda. Hæc Lobelius, qui, dum Matthiolum reprehendit, sibimet valdè doctus videtur, licèt obscuriùs multò loquatur, quàm ut à quoquam intelligi posse queat. Sed quid mirum si volare cupientes absque pennis ipsi prius labant & titubent. Idem postea p.354. Myriophyllum aut Marathriphyllum palustre nominare videtur, Fœniculi foliis in-

Lob. reang.

fluitan-

fluitantibus aquis, luteā umbellā emicans. In Obs. p. 460. & Icon. p. 750. Myriophyllum aut Marathriphyllum palustre, Adv. p. 333. & 354. Cæterum, videtur mihi Lobelius non nosse discrimen inter Millefolium aquaticum & Millefolium pennatum fluitans: quod describit secundo loco in Adv. Ei meo judicio malè assignat umbellam, ut dicemus alio loco. In Obs. ponit figuram Matthioli, sed fluitantem facit, præter ejus mentem. Verum Millefolium Matthioli nunquam observavi fluitare, nec puto ipsum vidisse: conferatur ejus descriptio quam nos ponemus sub Millefolio pennato fluitante, videbitis id non respondere figuræ; ita ut non dubitem asserere, ab eo duas plantas confundi: si bene notas ambas habuisset, aut ipsi ad manum fuissent, non accepisset figuram Matthioli, cui tantopere insultat.

Dod. lat. in fol. Millefolium aquatile inscribit, ac à Millefolio stratiote differre rectè tradit. Expendant peritiores an Apollo rad. 1. supra Martiatum, qui Myriophyllo huic videtur tribuere flores candidos, an ritè ab aliis Millefoliis distinguat.

Taber. appellat Millefolium, Fœniculum aquaticum, Wasser Fenckhel / Fenckbelgarb. Bauh. phyt. Millefolium 10. aquaticū umbellatum; is Myriophyllum aut Marathriphyllum palustre Lobelij needum vidit cum umbella. Idem apud Matth. vocat Millefolium 1. aquaticum umbellatum, Millefolium Cordi in Diosc. Mirari autem subit fratrem cur Millefolium umbellatum cognominet, cùm is umbellam needum viderit. Millefolium quoque Cordi in Diosc. l. 4. c. 115. plurimùm differt à Millefolio hoc Matthioli. Cordi namque est Polygonum fœmina, id quod indicant ejus verba, cùm ait: tota herba nuper natam Abietem figurâ imitatur. B. in pin. meliora docet. Millefolium aquaticum 2. umbellatum, capillaceo brevique folio, est Myrioph. Matth. Lac. Cast. prius Matthioli, Lugd. Millefolium aquatile, Dod. Myriophyllum aut Maratriphyllum palustre, Adv. Lob. Myriophyllum alterum, Cæs. Millefolium, Lon. Ger. Tab. cui & Fœniculum aquaticum.

Lugd. p. 770. Myriophyllum prius Matthioli. Schvvenckfeld. Millefolium palustre 1. στρατιώτης μυριόφυλλος, Myriophyllum, Matth. Cam. Myriophyllon aut Μαραθρίφυλλον palustre, Lob. Fœniculum aquaticum 1. Tabernomontani. An appellandum cum Schvvenckfeldio stratiotes Millefolium, considerandum: quia Dioscor. descriptioni non convenit.

An Cæs. dicitur Myriophyllon in palustribus Pisanis nascens; frequentibus foliis, mollibus, tenuissimè scissis, instar latæ avium plumæ: radice junceâ, albâ, fibrosâ: caulem supra aquas tollens, nudum, tenerum, ac mollissimum supra dodrantem: flores circa summum per intervalla congestos, multò latiores Anagallide, colore ex albo modicè purpurascentes: fructus quoque Anagallide majores, florens Verē.


Locus & Tempus. Millefolium Matthioli apud paludes circa fossas Paduæ reperi. Mense Aprili vidi apud portam Livianam. Palustris est in Silesia & aquis non fluitantibus familiaris.

MILLEFOLIVM AQVATICVM foliis Coriandri Matthioli.

Synon. Matthiolo quondam dicebatur in epit. Millefolium aquaticum, It. *Millefoglio aquatico*. Eidem Dioscor. Planta quædam Pisis missa à Luca Ghino, quam aquaticum Millefolium appellabat Ghinus. Matthiolus verò aquaticæ stratiotes genus aliquod esse putat. Lugd. p. 773. Stratiotes Millefolium aquaticum Matthioli. Bauh. phyt. Millefolium 9. seu aquaticum Coriandri folio, nondum visum. Eid. apud Matth. Millefolium aquaticum à Matthiolo propositum & à Lugdunensis herbarij autore sub Stratiote Millefolio aquatico Matthioli enarratum, hactenus non visum. Veretur Bauh. ne duæ diversæ unâ figurâ junctæ ad commentatorem sint missæ. Siquidem caules optimè respondeant, si umbellas adimas Equiseto olido. Idem ait in animadv. in H. Lugdunensem p. 38. Stratiotes Millefolium aquaticum Matthioli, an duæ diversæ plantæ unâ figurâ proponantur, considerent Botanici: caules conveniunt optimè Equiseto nostro olido, cujus etiam fit mentio in H. Lugdunensi p. 1070. sub Equiseto olido.

Autorum iudicium. Ante multos annos annotavimus, nos suspicati iconem Matthioli compositam ex diversis plantis. Cam. in ep. ejusdem omisit & descriptionem & iconem. Ipsemet etiam Matthiolus solam ponit iconem in post. comm. cum mag. fig. nullâ factâ Ghini mentione: fortè composita icon ex umbella Millefolij aquatici folio Fœniculi, & Millefolio pennato, ac aliâ aliquâ plantâ: non autem existimo ex olido compositam Millefolio, quod frater Equisetum fœtidum sub aquis vocat, de quo sanè meo judicio Lugd. p. 1070. Nulla igitur animadversio in Lugdunensem hîc cadere videtur, sed potiùs in Matthiolum, qui non descripsit & fortè confudit suâ icone duas diversissimas plantas. Quare meritò censuram in Lug. omisit idem Bauh. pin. vocans Millefolium aquaticum 1. umbellatum, Coriandri folio, Millefolium aquaticum alterum Coriandri folium, Adv. Hoc foliis Coriandri, & umbellā subpurpurascente, needum videre licuit.

DAVCVS PRATENSIS DALEchampij, folio Millefolij.



Donavit mihi aliquando D. Dalechāpius Daucum, quem pratensem vocavit ac sic descripsit. *Descr.* Nascitur radicibus multis, candidis, rotundis, ab una caulis parte in diversa sparsis, brevibus, dulcibus, odoratis, foliis proximè radicem sex aut septem, totidem digitos longis, foliolis per ordinem multis, orbiculatim cauliculos totos ambientibus, Myriophyllo similibus, mollibus, lætè virentibus, caule medio Fœniculi, cubitali, in ramos duos, vel tres divaricato, foliis paucis vestito, interdum nudo, umbellā per initium nonnihil rubescente, postea albā, amarā, subacri, odoratā.

C. Bauh. Lugd. p. 718. dicitur Daucus pratensis Dalechampij. Bauh. phyt. Daucus 9. (14. pin.) pratensis, Millefolij palustris folio. hūc ait frater me ipsi communicasse. Mihi autem videtur potiùs esse folio Millefolij Stratiotes, quàm aquatici. Hic (inquit Bauh. pin.) foliis & umbellā, quæ tamen alba est, cum Millefolio aquatico Matthioli convenit, foliis tamen inferioribus, Coriandro similibus exceptis.

Locus & Tempus. In montosis pratis nascitur, ut refert autor, florens mense Majo.

DE

DE PANACE ASCLEPIO veterum.

Diosc. PAnaces Asclepium, ut memoriæ prodidit Dioscorides, caulem de terra emittit, tenuem, cubitalem, geniculis distinctum, circum quem folia sunt similia fœniculo, sed majora, & hirsutiora, odorata [*male sentia, δυσώδη, Orib.*] & in summo umbella, in qua flores aurum referentes, acres, odorati. Radix est parva & tenuis. *Parv.* Vim flores & semina habent adversus ulcera, tubercula & phagedænas, si trita cum melle imponantur: contra serpentes cum vino bibuntur, & cum oleo illinuntur. Quidam etiam *Origanum sive Cunila* silvestre Origanum, aut Cunilam, Panaces vocant, velut de Origano dictum est.

Plin. De hoc Panace Plinius ait, Asclepion cognominatur, quoniam is filiam Panaceam appellavit: & ipsi succum attribuit, quem Dioscorides Heraclio adscripsit. Theophrasti descriptio non omninò consentit, cum Dioscoridis descriptione. Asclepium, inquit, radicem habet longitudine palmi, albam ac valdè crassam & corticem crassum ac salsum: caulem undique geniculatum: folium simile Thapsiæ, sed crassius: Commodum autem esse aiunt adversus serpentes, si derasum bibatur: & ad splenem, quum sanguis circa ipsum fuerit, ex aqua mulsa: & ad caput, si tritum cum oleo illinatur: & si quis aliâ quadam obscurâ parte doleat: & ad ventris dolorem vinum derasum. Item, ut quis longas ægritudines evitet. Postea verò etiam ad ulcera, ita ut humidis siccum inspergatur, vino calido prælotis, siccis vino subactū imponatur. Galenus minus calidum quàm præscriptum esse dicit. Vnde ipso & floribus & semine, ad ulcera & tubercula & phagedænas utuntur melle mixto.

Autores non conveniunt. Asclepij folia, quæ Dioscorides Fœniculo similia dixit, Theophr. lib. 9. plant. hist. Thapsiæ nullâ diversitate comparavit. Siquidem Thapsia Fœniculi folio est, teste Marcello Virgilio. Idem Theophr. radicem Panacis hujus candidam esse dixit & crassam valdè [*παχεῖαν σφόδρα*] & non tenuem, ut multi verterunt, & Dioscorides legisse videtur. Idem quoque radicem *σπιθαμιαίαν* [*dodrantalem, aut longitudine spithame*] tradit: Dioscorides *μικράν*, i. e. parvam, etsi in melioribus codicibus *μακράν* [*longam*] legatur. Cogitandum itaque in radicis longitudine est, brevisne an longa dicenda sit, quæ dodrantalis fuerit. Est autem Spithame Græcis & Latinis, auctore Plinio l. 7. c. 2. dodrans: longitudo & quod capit spatium humana manus à summo pollice usque ad summum minimum digitum extensa: quæ mensura quoniam in tres quartas humani pedis partes incurrit, dodrans dicta est. Sic enim veteres Romani novem in libra uncias appellaverunt. Variant Plinius & Plinium sequuti in hac mensura, nunc pedalem, nunc semipedalem, & aliquando palmarem vocantes: quæ etsi videatur descripto à nobis [*Marcell.*] dodranti & spithamæ congruere, nihilominus utendum ea non est, ne concurrat cum antiquo palmo, quæ quatuor digitorum in hominis manu, ut sunt conjunctorum sine pollice, mensura est, quæ sexies repetita cubitum Romanum constituit, qui ex 24. hujuscemodi digitis conficiebatur. Nobis in radice herbæ, qualis Panaces est, dodrantalis mensura, longior potiùs, quam brevior videtur, & nihilominus mutare aliquid ausus non fuit: quoniam non sit facilè certi aliquid constituere.

Anguillara. De reliquo, Anguillara & Matthiolus pro Panace Asclepio Dioscoridis plantam exhibent foliis Ferulæ, flore luteo [*Panaces scil. nostrum Matthioli flore luteo, de quo mox*] quam in Candia Seseli, in Sicilia vero Peucedanum appellari aiunt.

Panacem Asclepiadem Lobelij Ferulæ facie diversam esse ab Asclepio Panace Matthioli asserere non dubito, ita ut eandem, Libanotidem quorundam flore luteo, appellare non verear.

PANACES ASCLEPIUM MATTHIOLI, flore luteo.

PAtavio ad me misit frater plantam, quam Panacis Asclepij nomine pictam, nec descriptam, exhibet Matthiolus. folium dodrantale, palmum fermè latum, pinnatim ferè divisum, incisuris Millefolij militaris: segmenta extrema angustissima, brevissima, quæ ad Mei segmenta accedunt: flores umbellati, parvi, lutei, acri sapore linguam feriunt.

C. Bauh. plantam hanc dedit nomine Mei Athamantici Guilandini, Patavio delatam. *Mei athamantici.* Dedit & aliam portionem cum hac inscriptione Delamberus. *Delamberus.* Verùm quum non sit mihi integra planta, accepi figuram Matthioli, & ad latus folium ex mea planta, & semen ex Camerarij figura apud hist. germ. Matthioli, nescio tamen an hujus plantæ sit.

Præsens porrò planta dicitur Matthiolo Panaces Asclepium, græcè *πάναξ ἀσκλήπιον*, arabicè *Panax Aschilibet*, italicè *Panace asclepio*. *Panaces asclepium, Matth.* Eidem in post. comm. cum mag. fig. Panax Asclepium. Is in post. mutavit nonnihil figuram, non tamen redditâ causâ, mihi meliùs arridet prior. non describit, & in hist. germ. omittit. Et hoc etiam Cam. ad ejus hist. germ. annot. Panax Asclepium, inquit, pictum à Matthiolo sine descriptione, cui addit semen sibi missum pro Panace Asclepio.

An Gesn. h. Panaces Asclepium, quod Patavij ferere scribit, quamvis ignoret quo proventu.

An Cæsalp. l. 7. c. 4. Dioscoridis Asclepium ex Sicilia allatum, foliis circa radicem stratis, densis: foliorum capitulis brevibus, subhirsutis, cauliculo tenui: umbellis luteis: seminibus compressis, magnitudine Fœniculi: radice digiti crassitudine, nigrâ.

Lugd. p. 739. Panaces Asclepium Matthioli inscribit, & ejusdem cum Ferula generis esse cum Pena tradit, nec item figuram dissimilem.

Tabern. Panaces Asclepium, Geelwurtz/ Asclepium. Ad aliam plantam, quàm hactenus nominati hanc refert frater C. Bauh. Apud Matth. enim & in phyt. vocat Libanotidem 3. sive Libanotidi secundæ similem, seu Panax Asclepium primum; *Libanotis, C. B.* & ita etiam in Animadv. in Lugdunensem appellat, dicitque ibi falsum esse quod diversi generis non sit à Ferula, id quod cum Pena statuat Lugdunensis: esse enim Panaces Asclepium Lugdunensis & Panaces Asclepium Lobelij in horto Patavino legisse, diversas à Ferula plantas: quod idem in notis in Matth. etiam monet. Debebat porrò is addere Lugdunensem figuram ex Lobelio Panacis Asclepij Ferulæ facie recepisse. Non video tandem Lugdunensem in verbis Penæ quicquam falsi dixisse, quæ sic habent. *C. Bauh.* Panaces Asclepium, quod diversi generis non est, inquit

Pena,

Pena, nec item figura dissimile, præsertim istud doctioribus verum putatum, fortè quale in Matthiolo pictum videtur. Sed id tantùm se vidisse ait Matthiolus, effigiémque ejus pinxit, omissis notis omnibus. Hæc verba sunt Lugdunensis. Considerent Lectores an falsitas non sit in animadversore: cur non reprehendit Matthiolum, qui suam non descripsit, & Lobelium ex quo desumpta verba, posita ab Lugdunensi. Eid. B. pin. Libanotis Ferulæ folio 4. sive Libanotidi secundę similis: Panaces Asclepium, Matth. Lac. Cast. & Lugd.

MEVM VETERIBVS.
Cap. VI.

Diosc. *Anetho foliis.* MEum, quod Athamanticum vocatur in Macedonia & Hispania [*non legit Oribasius, Matth.*] nascitur, authore Dioscoride, plurimum, caule & foliis Anetho simile, crassius tamen Anetho, ad cubitos duos [*ώς τὰ πολλὰ Oribasius, inquit Matth.*] insurgens, sparsis radicibus tenuibus, obliquis & rectis, longis, odoratis, linguam calefacientibus. *Vires.* Quæ cum aqua coctæ, aut etiam citra cocturam, tritæ potæ, arctas circa vesicam & renes affectiones mitigant, & urinæ difficultati commodant, stomachique inflationibus & torminibus, & uteri affectionibus ac articulorum doloribus. Thoracis fluxionibus cum melle tritæ, vice ecclegmatis auxiliantur. Sanguinem etiam ducunt per menses ad insessus decoctæ. Ad pubem verò puerorum impositę urinas ducunt. Si verò plus quàm oportet bibantur capitis dolorem inducunt.

Temper. Galeno. Mei radices, ut ait Galenus, perutiles sunt, calidæ tertio ordine, siccæ secundo: proinde urinam, mensésque ciere volentes, hoc utuntur pharmaco. *Noxa.* Sed si plusculum sumatur capiti dolorem movet, utpote cùm plusculum sit calidum quàm siccum, quippe cum humiditatem crudiusculam etiamnum & flatuosam caliditatem ad caput deferat, atque ita ipsum afficiat, lædátque.

Meu duplex Plin. Meu, scriptore Plinio, in Italia non nisi à Medicis seritur, & iis admodum paucis. Duo ejus genera. Nobilius Athamanticum vocant, illi tanquam ab Athamante inventum: hi quoniam laudatissimum in Athamante reperiatur, *Anisi folio.* foliis Aniso [*Anetho volunt legendum, Corn. Launa & alij*] simile, & caule aliquando bicubitali, radicibus multis & obnigris [*obliquis puto legendum, ut Diosc. habet*] quibusdam altissimis. Minus ruffum quàm illud alterum. Ciet urinam in aqua potum, radice trita ac [*vel*] decocta. Inflationes stomachi mirè discutit. Item tormina & vesicæ vitia, vulvarúmque: & dolentibus articulis prodest. Thoracis item fluxionibus cum melle, infantibus cũ Apio illitum, imò ventri urinas movet.

Athamanticum. Cæterùm, cur Dioscoridi Athamanticum diceretur, Plinius modò exposuit: nisi fortè Athamanicum subtracta t litera legendum sit, inquit Marcell. Virgilius, docueritque Dioscorides in Athamania nasci: cujus regionis gentem, auctore Bizantio Stephano, aliqui Thessaliæ, aliqui Illyrico assignant. Nec refert in Macedonia nasci Meon dixisse Dioscoridem, cùm non longè distent inter se Thessalia & Macedonia, mutatisque à regibus sæpenumerò earum terminis, altera in alterius appellationem aliquando trãsierit. Peregrinum autem semper, quondamque rarum, nunc verò quod sciam nullum Italiæ Meon est: non quia quibus locis antiquâ ætate nascebatur: æterna enim plantarum genera voluit natura esse. Sed mutatæ cum temporibus artium & doctrinarum rationes, multa quæ in nova medicina diu neglecta sunt, ignota penitùs nobis tandem evaserunt. Ex quo fit, nequid possit in eo dici, præter ea, quæ à Dioscoride, Galeno & Plinio jam tradita sunt.

Radix ursina. Meum, nomen herbæ cujusdam à veteribus descriptæ, pluribus attribuitur plantis. Et inprimis Meo vulgari, seu Radici ursinæ nominatæ.

Meo altero Italico quorundam.

Meo, Dauci Cretici facie.

Libanotis. Libanotidi quorundam, sive Ferulagini; foliis Fœniculi, floribus luteis.

Anethum silv. Quod Anethum silvestre appellatur, ad Meu reducere conatur Cæsalpinus.

Fœnic. tortuosum. Fœniculum tortuosum nonnulli verum Dioscoridis adstruunt Meum. Verùm non sine errore.

Cicutaria. Cicutaria latifolia à Cam. h. & C. Bauh. phyt. Meu folio Cicutæ cognominatur.

Apium silv. Meum in quibusdam Belgicis officinis, teste Dodonæo, de Apio silvestri dicitur.

Imperatoria. Invenitur Imperatoriam [Meisterwurtz] esse à quibusdam Meu dictam.

Angelica. Mei & Meu nomine, id attestante Cordo, Angelica à nonnullis exhibetur.

Mutellina. Mutellina, Gesnero Caros, vel Daucus Alpinus quidam visus, Meum, à C. Bauh. quoque nuncupatur.

Bulbocastanum. Meum quibusdam de Bunio Dodonæi dicitur, quod nos Bulbocastanen inscribimus.

Succedanea. Traditis ita Æquivocis reliquum est, ut Succedanea adscribamus. Meu itaque vero nos carere attestatur Cordus, qui *Sison.* Sisonis semen (quod Sisarum, vel Siser, & Amomum dici ait) pro Meu sumendum præcipit.

Glans unguentaria. Pharmacopola, si Meu caruerit, Galeni & Æginetæ consilio in suis antiballomenis, Myrobolano, i. e. Glande unguentaria uti debet.

Psyllium. Meu deficiente, Tractatus qui pro quo, Psyllium substituit.

Mu Avic. Petrus Paduanus, Luminare majus, & alij plures volunt quod Mu Avicennæ sit Meu Dioscoridis: nec nos aliud esse (aiunt Monachi in Mes. distinct. 1. cens. 45.) putamus, adhuc tamen nobis incompertum. Quid sit Mu Avicennæ investigent posteri.

Radix quædam grossa. Quæ tandem sit radix ista grossa, quam Monachi in Mes. dist. 1. cens. 45. communiter à multis annis usque in hodiernum diem omnes Pharmacopolas falsò pro Meo usos esse scribit, ignoramus, nec ipsi id ostendunt.

MEV VVLGARE SIVE
Radix ursina.



Descr. HErba hæc, cujus folia cubito ferè longiora, longos habentia pediculos, striatos, supremæ partes admodum sunt similes foliis Fœniculi, capillaceæ, molliores tamen, nec capilli usque adeò longi, caulem edit similem Fœniculo, minorem tamen multò, striatum, inanem, ramosum, umbellam florum alborum, Anethinis similis, è quinq; foliis compositorum, odoratorum, semina magna,

gua,longa. Radix interdum una,interdum plures, dodrante longiores, modò tenuiores, modò crassiores, à quarum lateribus, ut plurimum oriuntur obliquæ radices, satis longæ, quæ sursum interdum tendere deprehenduntur, nec passim in aliis radicibus sic àdnatæ provenire solent. Cortice vestitur primò nigricante, vel potiùs cineritio, tenui: dein altero crasso, albo, gummoso: in ejus medio est matrix. Odore est satis jucundo, Pastinacæ ferè, magis tamen aromatico: sapore non ingrato, nisi quòd acris & non nihil amara. Quum verò radix hæc ex iis sit, quæ Hiemem perferunt, & alpina, magnas habet comas, capillatias, ex foliis arescentibus.

An Ruell.lib.2.cap.3. per Meu (quod officinis Anethum silvestre, quibusdam verò Herbariis Anethum tortuosum, appellari scribit) hanc plantam intelligat, judicatu admodum difficile est, cum nullas addat notas, præter eas, quas habet Dioscorides & Plinius, licèt id eum voluisse scribat apud Matth. C.Bauhinus.

De hac Monachi in Mes.dist.1. cens.45. Meum sive Meu paucis ante annis invenimus ipsum in nostra Italia, videlicet in montibus Nursiæ, & ab incolis illius loci, Spicula vulgo dicitur. *Spicula.* Et sine dubio est ipsum Meum à Dioscoride descriptum. Nam ad unguem omnes notæ de Meo à veteribus positæ, conveniunt isti plantæ. Reperitur etiam in Calabria & alibi, quam nonnulli Imperatricem, & Imperatoriam, sive Herbam Imperatoris nominant. *Imperatrix.* Etiam in Hispaniis, circa montes Asturiæ degentes, à quodam fratre nostri ordinis habuimus de radicibus plantæ veri Mei Hispanici: tamen ipse frater non vocabat ipsam plantam Meum, sed Sistram. *Verum Meum.* Sistra autem secundùm Pandectarium, Simonem Ianuensem, & plures alios, est ipsum Meum. Dictas autem radices, Hispaniâ Romam nobiscum detulimus, & comparavimus ipsas radicibus dictæ Spiculæ, & ambæ ejusdem speciei esse, ab omnibus qui viderunt, judicatæ sunt. Quapropter non est necesse ampliùs ab Hispanis & Macedonibus ipsas perquirere. Et quamvis Dioscorides, Plinius, & cæteri laudent Athamanticum, forsan quia (ut putamus) non viderunt Meum Italicum: quoniam si vidissent, judicassent ipsum optimum, quoniam certissimum est, terram regionis Italiæ non esse inferiorem, aliis Europæ partibus, in procreandis herbis, & cæteris rebus à summo omnium bonorum datore usibus hominum concessis. *Meum Italicum optimum.* Et specialiter Plinius non vidit Meum in Italia sponte natum, quoniam ipse testatur, quòd tempore suo non nisi à Medicis serebatur in Italia. Nec Dioscorides cùm dicit, quod in Macedonia & in Hispania plurimum gignatur, negat in aliis Mundi partibus posse gigni. Dicit autem plurimum in Hispania & Macedonia: quasi dicat, in aliis regionibus non ita copiosè habetur. Ista autem radix qua communiter à multis annis pharmacopolæ pro Meu usi sunt, atque in hodiernum usque diem utuntur, minimè est Meu. *Meum officinarum falsum.* Non enim Meu habet radicem grossam, ut est ista, quam ipsi vendunt. Non obstante quod in Serapione legatur: Et habet radicem non subtilem. *Serap. err.* Est ibi menda in codice: quia librariorum incuriâ, vel quomodocunque sit, illud *non*, ad textum authoris additum est. Debet enim dici: & habet radicem subtilem. Probatur, quoniam Serapio non à se: sed authoritate Dioscoridis illud dicit. In Dioscoride autem patet contrarium, cùm dicit Meon habere radices longas, tenues, &c. Præterea nonnulli hallucinati sunt in Sistra: ut sunt Petrus Paduanensis, postillator antiquæ Dioscoridis trāslationis, & Lumen Apothecariorum, & Thesaurus aromatariorum, & cæteri qui volunt ipsam Sistram esse Phu, Valerianam, quod falsum est. *Error quorundam circa Sistram.* Etenim in propinquitate vocabuli erraverunt. Siquidem pro Sistar, intellexerunt Sistram: quoniam Sistar est Phu, i.e. Valeriana; Sistra autem est Meu. Meon igitur sive Meum, Meu, Sistra & Spicula, idem est, quod etiam nonnullis Anethum silvestre nuncupari non displicet. *Anethum silvestre.* Hactenus Monachi, quorum opinio verisimilior videtur: quàm Cordi, qui verum Meum solo tantùm nomine cognosci, & in calida Italia sponte vix nasci, ac propterea olim in Italia Medicos hanc herbam studiosè in hortis serere, testante Plinio, fuisse solitos ait. *Cord. err.* Et nedum in frigidiori Germania suæ spontis esse concedit. Sed argumentum Cordi ex Plinio desumptum non satisfacit. Nec Plinius asserit, non provenire in frigidis locis.

Tragus Meum vulgare inter Dauci genera reponit, Daucúmque, Berwurtz / inscribit, ac pro Dauco Cretico, & Dauco primo describit, & post his nomenclaturis appellat. *Daucus Trago.* *Dauc. Creticum.* Primum genus [*Dauci*] Daucus ille est Creticus, quem magni etiam viri Pastinacis, sed non sine gravissimo errore annumerare non dubitarunt. *Pastinaca non est.* Nicander in Theriac. *δαυκεῖον* vocat, ex quo loco Marcellus Virgilius id emendat, quod malè in quibusdam græcis exemplaribus *δίρκαιον* legebatur. Hieron. Braunschvveig Fœniculum porcinum (germ. Sewfenckel) & Peucedanum vocat, alij Creticum Seseli, quod aliàs Tordylon, vel ut habet Ægineta Gordylon nuncupatur, esse volunt. Nostri Rizophori Berwurtz / germanicâ voce, vel, quòd capillata sit [*qualem descripsimus*] aut, quia matricis suo loco motæ dolor, à mulieribus retentâ in ore hâc radice, quem patriâ voce Bermůter nominant, sedari credatur. *Berwurtz.* Hæc Tragus l.1.c.148. Idem l.2. c.120. Tordylion sive Gordylion non esse Daucum, quem Germani Berwurtz nominant, affirmat. Sed is, quam Germani Berwurtz vocant, ineptè Daucum appellat.

Daucum porrò esse, & non esse (sui fortè oblitus) his prodidit Fuchsius. *Dauc. non est. & est Fuchsio.* Mei radix officinarum (ait l.1. compos.med.cap.8.) non est nisi ejus herbæ, quam Germani Berwurtz / Græci & Latini Tordylion & Seseli Creticum nominant, radix, ac possunt officinæ illâ pro vero Meo sine omni errore uti, donec verum ad nos advehatur. Siquidem Tordylion easdem quas Meum facultates habeat. Idem l. 2. supra auream Alexand. præter jam dicta ait, quosdam Libanotidem primam putare. Non est (addit in hist. c.313.) cur *περ ... σέσελι κρητικόν*, Daucum credamus. Cap. autem 85. ait: Daucus Creticus Dioscoridis, vocatur à Germ. Berwurtz / licèt hujus semen hirsutum non sit, quale Dioscorides in Dauco Cretico desiderat. Sed quum alia omnia adeóque facultates respondeant, non est, cur una nota nos impediat, cur minùs Creticum Daucum credamus, aut saltèm Germanicum, qui Cretico per omnia respondeat. Vel si prorsus alicui non satisfaciunt, quæ diximus, dicat planè hanc herbam esse Seseli Creticum [*seu etiam in Icon vocat.*] *Err. Ryff.* Tandem in Apol. concludit, dicens. Ryff in Diosc. nostra usus est pictura. Falsò autem eam herbam, quam Meum esse affirmat, germ. Eberwurtz vocat [*Corn. hic labat etiam.*] Quanquam typographi erratum suspicor, legentis pro Berwurtz / facili transpositionis errore. *Meum esse negatur.* Non esse Meum ut Brunfels. Gesn. & post hos Ryffius censet, satis monstrat, quòd scil. ejus caules, ac potissimùm folia, non sint Anethi foliis crassiora, sed magis tenuia. Erit itaque potiùs Creticum Seseli. Fuchsius malè, nostro quidem judicio, & Daucum & Seseli Creticum, vel Tordylion, præsentem plantam pronunciat. Discrepant enim jam nominatæ plantæ plurimùm, ut conferenti eas facilè patebit. Rationes quibus Meum esse negat, debiles sunt & infirmæ, quæ non refutandæ.

Mat-

Seplasiariorum albicantes radices, Matthioli.

Credidimus superioribus annis, inquit Matthiolus, legitimum Meon non oriri in Italia, nec eo aliunde advehi: primùm quòd Mei vice uterentur seplasiarij quibusdam albicantibus radicibus, sapore Pastinacæ simili: deinde quòd etiam Plinij tempore rarum esset in Italia, quippe qui scripserit non seri in Italia Meon, nisi à Medicis, iisque admodum paucis. Quod procul dubio indicare videtur, usque ad Plinij ævum peregrinum in Italia fuisse Meon. Sed cùm herbariorum quorundam diligentiâ, quædam nuper reperta sit planta, quam legitimum esse Meum, omnes ferè rei herbariæ periti unanimes affirmant, ne videar mordicus tenere opinionem, facere equidem non possum, quin in eorum sententiam deveniam: tametsi in contrarium aliqua sese offerat ratio, quòd scil. hujus plantæ radices odorem non usque adeò gratum spirent, sed quadantenus graviter oleant, nec tenues cernantur, ut Dioscorides inquit. Plinius Meo, folia Aniso similia reddidit, vocum fortasse similitudine deceptus. siquidem Dioscorides Anethi foliis Meum oriri tradidit. Eadem in postr. comm. cum magn. fig. habet Lat. & Ital. ubi pulchriorem figuram ponit, & addit folia Asparago magis similia, quàm Anetho; Imperatricem vocari in Apulea: Plinium dicere Meum folia Anisi producere, uti etiam reperiatur in quibusdam Dioscoridis exemplaribus, quod dubitandi ansam præbeat. Idem in Apol. adversus Amatum hæc tradit. Non clamo in Italia Meum non reperiri, sed plura sanè esse scribo, quæ me ancipitem reddiderunt, an Meum quod nunc pro genuino sumitur, legitimum fuerit. A Lusitano jam pridem non didici in Italia quoddam circumferri Meum, cùm ante ipsum hoc sciverim. In hanc tamen inclinari me dixi opinionem, illud à genuino ac vero Meo mihi videri longè dissimile. Hoc etsi simpliciter à me esset dictum, ut meam hac in parte solùm exponerem sententiam, nescio tamen cur accusandus magis illi videar, quàm admonendus. At quòd in hanc venerim opinionem, illud in causa fuit, quòd plures hujus rei mihi constarent rationes. Etenim est in primis quòd viderim nostratis Mei radices longè crassiores, vegetioresque, quàm genuini expetat historia: quippe longas & tenues radices Meo reddidit Dioscorides. Est deinde quòd eædem graviter potiùs, quàm suaviter oleant, quum tamen Dioscorides in Meo radices requirat odoratas, non graveolentes. Est præterea quòd maniæ parùm omninò acrimoniæ resipiant. At quum Galeno auctore, Meum tertio excessu excalfaciat, cur non illud genuinum acriori vi pollere existimaverim, quàm quod nuperrimè in usum Medicum concessit? Est etiam quòd extent manuscripti Dioscoridis codices, qui Meum non Anethi, sed Anisi foliis, conferant. Quod & idem refert Plinius, quem licèt rejiciat Amatus, non tamen sine ratione est adductus, ut scriberet non nasci in Italia Meum. Nam cùm non nisi à Medicis, iisque admodum paucis ipsum seratur, magnum & evidens est argumentum, non ibidem sua sponte progigni. Quorsum velut peregrinum à Medicis excolebatur, si ubique in Italia nunc illud excrescere videmus? His itaque palam est, ut non abs re in censendo Meo mihi plurimum fuerit ambigendum, &c. Veruntamen nolui id prætermittere, quin hujusce Mei imaginem appingerem, non tamen, ut hoc tantùm argumento fateri viderer, illam genuinum referre Meum, sed ut illud nobis ante non ignoratum (ut opinari videtur Lusitanus) ostenderem.

Imperatrix Apulea.

Meu non verum.

Matthioli argumenta refutantur.

His Matthioli argumentis, si nulla sint validiora, facilè est respondere. Primò, quòd vegetiores sint radices, cùm tamen tenues Dioscorides dicat, fieri potest, ut locis calidioribus, ut in Macedonia tales sint: Præterea Meo nostro non semper crassæ sunt, quod evenit ratione loci & ætatis. Secundò dixit Dioscorides εὐώδη esse, quod vocabulum pro odorato simpliciter ut plurimum ab ipso sumitur. quin addiderim habere nostras radices suavem odorem, quamvis aliquid gravis habeat. Tertiò, quòd temperamentum attinet, acrimoniam sanè cum amaritudine manifestam habet, ita ut si non tertio gradu excalfaciat, parùm absit à fine secundi, id quod aliis dijudicandum relinquo: addiderim loci naturam ad id plurimùm conferre. Quartò, de foliis facilis est lapsus, ut ait Lacuna. legit fortè Plinius pro ἀνίσου, ἀνήθου, facili errore. Quintò, ex Plinio majoris momenti est argumentum, quod ita infringendum esse censeo. Difficile esse ulli pronunciare, non provenire plantam sponte in aliqua regione, nisi quis diligentissimè omnia loca & minimos ejus regionis (ut ita dicam) angulos perlustrarit, quod an Plinius in Italia præstiterit me latet. Plinij tempore fortè sponte nata propter Medicorum ignaviam nondum conspecta fuerat. Latitabant sanè plures, quæ nostris temporibus indies manifestantur. Sed unde quæso in hortos translata? Quod autem à Medicis culta fuerit, factum dixerim, quòd digna fuerit, quæ hortos exornaret, & non passim proveniret. quales hodie, exempli gratia, Asarum, Pyrola, & similes plures coluntur. Non hæc propterea dixerim, quod Vrsinam radicem, verum Meum asseruerim. Nam crassitudinem caulium & altitudinem Meo à Dioscoride attributam, hactenus in Meo vulgari non observavi, quamvis Matthiolus ei tribuat cubitalem, an visam, ignoro. Color etiam totius plantæ non convenit cum Anethi colore.

Meu verum Amato.

Verum Meum in Italia nasci contendit Amatus his verbis. Meu herba, in Hispania familiaratissima, tamen hactenus à multis ignorata, caule & foliis Anetho similis est, verùm crassior, radicibus comosis, obnigris, in obliquum rectùmque sparsis & frequentibus, qua de causa hodie multi Fœniculum tortuosum, sive tortuosum Anethum appellarunt. Cæterùm, hæ radices, in medico usu à multis desiderantur, quæ facilè ex Hispania, & montibus Bononiensibus in multas orbis partes vehi possunt. Nam olim mihi, quosdam agirtas convenienti, qui in Antuerpiam, tanquam celebre emporium inter alias quasdam radices adferre & ostendere solent, suo nomine [illegible] appellatas: quas tamen Meu esse herbæ, summopere contendebant: & quum ex herba folia caulémque non dissimilia Anetho habente se collegisse affirmabant, eáque de causa, ab officinis Germaniæ pro vero Meo habebantur: cæterùm, minimè ita se rem habere, illud mihi indicabat, quòd præter discrepantem figuram, non erant odore [*commendabiles*] quem aromaticum Meon Hispanum habet. Nam multi quoque Itali pharmacopolæ pro vero Meo quasdam indicant albas radices, Daucum odore referentes, quæ non multùm ab illis, quibus Germani utuntur, absunt. At re vera, verum Meum in Italia nascitur, in montibus præcipuè Bononiensibus, ex quibus Herbarij quidam diligentiss. ad nos attulerunt, illi non nisi à nobis in Hispania conspecto, simile, quod Dioscoridis historiæ in universum respondet:

Fœniculum & Anethũ tortuosum.

Meu verum in Italia nascitur.

nam radices exteriùs nigræ, intus verò albæ sunt, quarum odor similis illi est, quem Fœniculum siccum ex se spirat, suavior tamen: earum quoque sapor non admodum acutus erat, aromaticum quid præ se ferens: quæ in infima parte capillatæ, comatæve adeò reperiuntur, ut Spicam Nardi quicunque has radices viderit, primo intuitu esse dicat. A quibus argumentum non mediocre desumimus, quòd Spica Nardi passim officinis obvia, radix potiùs, quàm plantæ summitas sit, ut suo dicetur loco. Curabunt igitur deinceps pharmacopolæ, verum Meum non solùm ab Hispania, sed etiam montibus Bononiensibus habere, quum ibidem verum & Athamanticum reperiatur. Nec enim veritas ipsa occultanda est hac de causa, quia Plinius scriptum reliquerit, suo tempore Meum in Italia non nisi à paucis Medicis seri, quem sequutus postea Marcell. Virgilius dixit: Nunc quod sciam, nullum Italiæ Meon est: Ob quæ verba Matthiolus in Italia quoque Meum non reperiri clamat. Imò contra Monachos acriter agit, qui in Calabria & Nursiæ montibus Meum nasci, & inde eradicasse se affirmant, quod ita esse crediderim, quum apud Bononiam quoque nascatur: ut testes sunt Nicol. Nicolucius pharmacopola Ferrariensis, & Gaspar de Gabrielis, qui publicè rem herbariam apud Ferrarienses profitetur. Accusandus igitur Matthiolus potiùs est, quum negligens in hac herba inquirenda fuerit, quàm diligentissimi patres, qui desudantes, Nursiæ montes, ut eam inde eradicarent, ascenderunt. Interdum tamen avarus Pharmacopola si hac caruerit radice, Galeni & Æginetæ consilio, Myrobolano, i.e. Glande unguentariâ uti debet. Hæc Amatus, qui Meum vulgare pingit, & falsò in Germania provenire negare deprehenditur.

Spica Nardi radices æmulantur.

Matth. reprob.

Monachi excusantur.

Meum verum Dioscoridis reperiri in Italia repetit Anguillara; in Calabria in monte Poline vocari Imperatrice; in Nursiæ montibus ad Castellum S. Angeli Spicura; in montibus Modenæ ad Castellum dictum Fiuralbo, Finochiella.

Imperatrice.

Finochiella.

De Meo ita discurrit Cronemburgius. Mei genus unum, quod Athamanticum vocant, à Diosc. lib. 3. refertur. Duo autem à Plinio lib. 20. cap. 23. Hactenus illo vero caremus: quo passim utimur, Pastinacæ odorem habet, & quibusdam Anethum silvestre vocatur, vulgo Germanico Berwurtz. Sunt qui Siler montanum, sunt qui Amomum nostrum hîc substituant. In Hispania nunc passim cognoscitur, ac quanquam Plinij ævo Italiæ fuerit peregrinum, utpote non nisi à paucis Medicis seri solitum, attamen nunc herbariorum diligentiâ repertum frequens in montibus Bononiensibus, è quibus commodè ad nostrum usum transferri queat. Cæterùm, cur negat Cronemburg. Germanorum Berwurtz / esse verum Meu? traditque hoc in Hispania & Italia reperiri. Meum Hispanum & Italum non videtur diversum, à Meo vulgari Germanorum, dicto Berwurtz. Demonstrant hoc plurimorum autorum propriæ figuræ, quæ in omnibus conveniunt. Si igitur Meum Hispanicum genuinum sit appellandum, appellandum quoque erit verum Germanicum. Cronemburgius talia scribit, non qualia observavit, sed qualia ex Amato & aliis collegit.

Negat Meu. Cronemburg.

Anethum silv.

Substituta.

In Hispan. verum Genuinum Meu.

In montib. Bononiens.

Cronemb. reprob.

Seseli Creticum Cordo vocatum, quod Berwurtz Germani, Fœniculum porcinum Belgæ appellant, esse ipsissimum Meu, seu Meum Dioscoridis, Coldemberg. apud Cord. in Disp. supra Lithontribon, omninò sibi persuasum habet. Nec radicem ejus tantam, tamve crassam esse (natalibus præsertim locis natam) neque tam graviter olere ait, veluti Matthiolus voluit. Quæ de Meo Asturiæ ac Sistra Monachi observarunt, & scribunt, approbat. Et si quispiam adhuc refragetur, pro Meo vero tantisper utetur, dum ipse Dioscoridis genius aliud proferat. Fuchsium imprudenter Matthiolum carpere idem perhibet, quod ille cum Monachis, hanc herbam Apulis Imperatoriam nominari inquiat, quam Angelicam esse (sic à Germanis appellatam) malè interpretatur Fuchsius: cùm Imperatoriæ nomine ab isthoc Meo admodum diversæ à Germanis demonstrentur herbæ.

Meu Diosc. Coldemb.

Fuchs. reprob. Matth. excusatur.

Meum tandem verum Radicem ursinam esse contendit in adv. Lob. Mei veri plurimas sæpissimè vidi, inquit, plantas, in Germaniæ, Italiæ, Galliæ, Hispaniæque locis Alpinis: Radix est odore suavi, Spicæ, vel Angelicæ, caule & foliis Anethi, umbellâ candidâ, Iunio & Iulio florens. Semen Hippomarathri, odoratum. Eadem in celsissimis montium jugis sterilis Sevenæ, præsertim loco cui nomen gallice *l'Esperon*, i. e. calcar, monticolis *Cestre* nuncupatur vernaculo nomine, uti Platearij & Pandectarij ævo, cui nulla doctiorum omnium suffragio deest nota veri Mei Dioscoridis. Cujus etiam sententiæ est Turnerus qui in oræ Septentrionalis Alpibus Cheveoticis Scotiæ finitimis, magnâ ubertate scatere hanc stirpem nos monuit. Vix enim ante annum 1560. primùm hæc planta Venetis pharmacopœis innotuit: nam tametsi radices ad Theriacæ confectionem ex Syria & Apulia advectas norant, & in singulis libras singulum aureum ducatum institori pendebant; tamen exoticâ putabant, nec ullo loco Italiæ oriundam, ut qui neq; caulem foliáve vidissent, & Herbariorum Senensi dictatoris summi placitis acquievissent. Hic enim Massil-ensium & Monspeliensium Anethum Fœniculúmve tortuosum, tortuoso errore, verum Dioscoridis Meum astruxerat, ansámque illis errandi præbuerat. Quin ne nunc quidem, ut errorem aut tegat, aut foveat in postremis commentationum recoctionibus atque recantationibus, nisi invitus hanc genuinam esse fatetur: Et fatali suâ modestiâ arguatur, odorem quadantenus virosum, folia non Anethi, sed Asparagi, radicibus non adeò tenuibus; tum paulò mox subdit, Appuli Imperatricem vocant: quo quidem vocabulo, ubique fermè locorum ignara herbarum plebs solita est alicujus incognitæ plantæ eximium & gratum odorem & vires insignes signare: Sic enim vulgò etiam Angelicam Imperatricem vocant: alioquin Angelicæ, aut Imperatoriæ cum Meo nihil est affinitatis, nisi odoris, qui in Meo perinde jucundus est. Et peritis indicio est eum neque multas radices hujus eruisse, neque folia planè perspecta habuisse; sunt enim situ & similitudine Anethi, non Asparagi, ut asserit: cui etiamsi essent similes, tamen ambitionem sic suam magis proderet: Asparagum námque ipsemet Fœniculo assimilat, & Anethum adeò simile Fœniculo asserit, ut plerumque colligentes fallat. Ne porrò in multò reconditioribus plantis, deinceps fallamur à Matthiolo, cautio una & summa erit, non temerè ejus argutis inductionibus, picturisve credere.

Meum Germ. Lob.

Cestre.

Matth. err. Fœniculum tortuosum.

Imperatrix.

Angelica.

Meum Asparagi folio non est, contra Matthiolum.

Dodon. gall. Meu vulgare inter Libanotides reposuit, & perperam Libanotidis primum genus fecit, vocarique ait à Dioscoride Zea & Campsanema; semen à Græcis Canchrys aut Cachrys. Sed hanc suam erroneam opinionem, retractat in folio lat. & meritò.

Dod. err.

An de hac loquatur Cæsalpinus, ut vult C. Bauh. dubito. Si enim hoc vulgare Meum intelligit, miror cum

An Meum alp. sit Cæs. C. B.

eum ipsi adscribere flores luteos. Meu, inquit, in Alpibus nascitur; foliis Anetho angustioribus, longioribúsque & tenuioribus, crebrioribúsque capillamentis: caule cubitali & altiore, flore luteo, semine Fœniculi oblongiore: radice nigrâ exteriùs, in longas fibras divisâ: odore valido, sapore amaro: Quidam Imperatoriam vocant. Apud Plinium depravatè legitur pro Anetho Aniso.

Synon. Trago, ut hoc breviter repetamus, Eur. Gordo (qui tamen dubitare videtur) Fuchs. in fol. & in 8. in hist. dicitur Daucus Creticus. Lob. Ic. p. 777. Daucus Creticus Fuchs. in Ic. & Lonic. Seseli Creticum. Cord. hist. Tordylion. Dodon. gall. Libanotidis 1. genus, & Fœniculus porcinus. Cordum Diosc. Meu. Gesn. hort. Anguill. Lob. adv. & obs. Dodon. lat. Matth. Cast. Turn. Lugd. p. 758. Camer. h. Lac. & Tabern. Meum. Sylvio Meum Dioscoridis descriptionem explens. Ben. Aretio Meum quorundam. Clusio Meum vulgare tenuifolio. Bauh. phyt. & apud Matth. Meum 1. foliis Anethi, Meum Dioscoridis & Plinij, Hordylon Nicandri, & Torgylon Æginetæ. Nimium securè. Eid. pin. Daucus alpinus, Gesn. col. Lob. ic. Meum, Lac. (cui & Anethum silv.) & Ger. Daucus Cast. ic.

Nomina linguar. Græcis μῆον vel μῆον. Lat. Meum. Ger. Berwurtz. [*Radix ursina vel ursi*] Sewfenchel [*Fœniculum porcinum, Hier. Braunschw*] & nonnullis ut Matth. in hist. germ. Herzwurtz & Bärdillen. Ital. *Meo & Finocchiella*, Lobel. Hispanorum quibusdam *Sistra*, aliis *Funello & Pinillo oloroso*. Ang. Mew. Bohem. Kosprnuk.

Locus. Ex dictis constat meum vulgare provenire in Hispania: montibus Bononiensibus: in Calabria ad montem vocatum Polino: in montibus Nursiæ, ad Castellum S. Angeli: in Montibus Modenæ, ad Castellum S. Angeli: in montibus Modenæ, ad Castellum dictum Fium' albo: in Gargano Apuliæ monte: & monte Fracto addit Gesnerus. Fuchs. in Germania nusquam copiosius, quàm in Martianæ silvæ quibusdam pratis. Pannonicarum Alpium juga alere, sed nullibi gentium frequentiùs observare, quàm in Gurtenstein meminit Clusius. Nasci refert Dodonæus (ut & Lob.) in pluribus Italiæ, Germaniæ, Hispaniæ, ac Galliæ locis, montanis quidem, sed campestribus ac apricis; descendere verò & ad plana. Belgio rarum, sed tamen haud peregrinum. Laudari Athamanticum & in Hispania natum. Radicem

Tempus. restibilem novo Vere nova proferre folia: cauliculos postea erumpere cum umbellis: Iulio flores, semináque perfici. Ego in Germania variis in locis observavi, ut in valle Schenthal propè Maßmünster/ ultra fodinas stadiorum circa Plumbarias thermas; item in monte Rosberg: Tubingæ in horto Fuchsij: Basileæ in horto Zvvingeri. Monspelij verò observavi in Sevenum monte Esperon Autumno, virentem.

Vires. Qui existimant Radicem ursinam, verum esse Meum antiquorum, videant vires ex antiquis ante. Apuli hanc ad venenosorum serpentium morsus præferunt, autore Matthiolo; Gesnero Mei pabulo in Apulia vaccæ plurimùm & optimum lac reddunt. & inde Caseum caballinum dictum confici, se audivisse refert.

MEVM ALTERVM ITALICVM quibusdam.

Meum alterũ, Matt. SVnt qui plantam, quàm secundo loco appinximus (inquit Matth. in Diosc. in comm. cum mag. fig. anni 1585.) pro meo usurpent, quod magis Anethum, quàm alterum referat, quorum sententia non mihi omninò improbanda videtur: siquidem priori potiùs Asparagi, quàm Anethi folia insunt. Hæc ille qui omisit figuram, licèt se eam secundo loco appingere scribat.

Meum alterum Italicum, Lob. & Lugd. De hoc Meo hæc Lobel. in Obs. p. 450. Spurium Meum alterum Italicum, Meum secundum Matthioli, superiori Meo [*vulgari*] non absimile: sed folia, caules cubitales, umbellæ, crassiora & habitiora, subvirosi odoris. Radix item major, foris pulla, Peucedani facie & concretione, tetri & injucundi, cùm odoris, tum saporis. Et Huius Mei alterius spur. Italici Lobelij, cujus pictura in omnibus Matthioli editionibus omissa fuit, ex Lobelij ic. p. 778. exhibet Lugdun. p. 759.



Bauh. apud Matthiol. Meum 2. adulterinum & Tabern. Eid. phyt. Meum 4. adulterinum: Spurium Meum alterum Italicum Lobelij. Cæterùm, Lobelius non tradit colorem floris Mei Italici. icon ejus videtur exprimere Apium silv. Dodonæi. Eid. B pin. Meum 4. latifolium adulterinum.

Ponæ in Baldo Seseli Massiliense genuinum frequentissimum: forte Meum Italicum Lobelij.

MEVM, DAVCI CRETICI facie.

Locus. SVnt qui Meum hîc depictum pro genuino habeant quod in Allobrogum & Sequanorum montibus frigidissimis & altissimis nascitur, radice dimidio pede longiore, foris nigrâ, Dauci Cretici modo, intus candidâ, brachiatâ, odoratâ: cauliculis multis, nervosis instar Fœniculi, tres aut summum quatuor digitos altis: foliis brevibus, capillaceis, Fœniculo similibus, flore cândido, umbellis dê-



Synon. fis: semine minutissimo, amaro, & suaviter olente. Et ita describit Lugd. p. 759. sub titulo Mei alterius.

Bauh. phyt. nominat Meum alterum umbellâ albâ. Eid. pin. Meum 2. Dauci Cretici facie: Meum aliud, Lugd. An hoc intelligit Gesn. in descr. Montis fracti lib. de Lunariis; ubi ait reperiri in eo monte Daucum montanum brevissimis & minutissimis foliis, quem quidam nulla ratione Wolffwurtz' *Lupi radicem*] vocare refert, nascique in summo loco, Widerfeld appellato, tradit radice Mutellinæ simili dulciori.

FOENICULUM TORTUOSUM. Cap. VII.

Descr. FOENICULUM tortuosum vocant Mõspelij herbam cubitalem interdum majorem, caule striato, medulla alba, pleno Clusio unico, interdum Cubitali, sed sæpissimè minore: mox à radice in varios contortos ramos firmos diviso, crassiusculo, brevibus internodiis intercepto. folia fœniculacea, nõ ita tenuia, breviora, videlicet palmaria, rariora, duriora, colore ferè Anethi: Clusio Anethi ferè exilia, & minutim incisa, Rutæ propemodum colore: umbellæ parvæ exiguis floribus, quinque foliolis albis: aut etiam Clusio purpurascentibus, constant: semina alba striata, Dauci mei glaucifolij seminibus omninò, uti & tota planta, similia, semen Apij Clusio: radix longa, alba, crassiuscula, digitalis etiam interdum crassitudinis Clusio, comata, aromatica: tota planta odorata est.



Seseli Massiliense, Camer. & Lob. Camerarius, qui figuram habet ex plantis nostris, communicatis D. Gesnero, in epit. & hist. vocat Seseli Massiliense nonnullorum, Gallorum herbariorum Fœniculum tortuosum: De hoc Lob. in advers. ait. Seseli Massiliense, folio Fœniculi crassiore hoc titulo est in Icon. p. 785. planta est valde nota, Fœniculi tortuosi nomenclatura, quæ ad Theriacæ exquisitam confectionem, Monspeliensium Doctorum instituto, Rondeletij præsertim, additur, cujus sententiam non raro sequor. Neque quantum illic locorum est Massiliæ circum lustranti, ullam plantam videre est, quæ magis quadret Seseli, proindéque hallucinantis commentatoris [*Matthioli*] Tridentinum Seseli neutiquam genuinum esse quit: quid verò sit, cùm ille describere non ausus sit, mihi ignorandum. Illud tamen ignorandum, me in Tridentinis Alpibus hanc plantam uspiam vidisse, ac ne in Baldo quidem monte longe illis feraciore. Idem de Meo dicit. Senensis Massiliensium & Monspeliensium Anethum, Fœniculúmve tortuosum, tortuoso errore verum Dioscoridis Meum astruxerat, ansámque errandi Pharmacopœis Venetis præbuerat.

Fœnic. tortuosum, Clus. Memorat hoc Clusius hisp. & hist. cap. de Selino peregrino, his verbis. Selino non possum non adjungere umbelliferam quandam plantam, quæ mihi plurimùm accedere visa est ad Seseli Massiliensis historiam à Dioscoride traditam, quam Mompeliani Fœniculum tortuosum appellabant: Castellani verò *Enxalmos*.

Lugd. icones duæ. Hujus Lugd. p. 749. duas figuras exhibet, quarum neutra placet. Primam ita inscribit: Fœniculus tortuosus Dalechampij; Alteram sic: Seseli Massiliense Penæ.

Fœn. marinum, Cæs. Cæs. pro Seseli Massiliensi describit, ac Fœniculum marinum appellari tradit, describiq; hoc nomine à Dioscoride: sed apud Theophrastum & Plinium mentionem quidem reperiri, non autem descriptionem: Aristotelem tradere cervas à partu Seselin herbam petere &c. Recentiores Medicos Seseli corrupto vocabulo Siseleos vocare, & Siler quoddam campestre. *Siler campestre.*

Bauh. phyt. Seseli 7. sive Massiliense Fœniculi folio: Seseli Dioscoridis habitum. Apud Matth. Seseli Massiliense nonnullorum, umbellis albis, rariùs subpurpurascentibus: semine Apij formâ, acri, calido. In animadv. in Lugdunensem testatur Fœniculum tortuosum Dalechampij Lugdunensis, & Seseli Massiliense Penæ esse figuras unius plantæ, quarum neutra sit perfecta: ac idcirco se novam in Matthiolo proposuisse: cum priori figura multùm convenire Meum aliud Lugdunensis p. 759. positum. Quam diximus ante à Camerario exhibitam ex nostris plantis, eandem assumpsit C. Bauhinus. Descriptio præterea Mei alterius non convenit huic: est Mei Dauci Cretici facie. Eid. B. pin. Seseli 9. Massiliense. Fœniculi folio, Seseli Dioscoridis creditum: Seseli Massiliense, Ang. Dod. Lugd. & Cæs. Fœniculum petræum [*existimamus nos hoc Fœniculum esse referendum, ad Daucum glauco folio,*] Tab. Variat in foliorum crassitie, tenuitate, longitudine, brevitate & divisurâ: in omnibus tamen glauca sunt. *C. Bauh.*

Locus & Tempus. Fœniculum tortuosum Monspelij passim copiosè provenit: florens vidi in superficie trium illorum admirabilium Pontium du Gab in rimis saxorum mense Maio & Septembri. Sunt qui propè colles oppidi Montisfiasco inter Senam & Romam observarunt. Copiosum in maritimis Pisanis Salmanticensi agro observabat Clusius in vinetorum marginibus juxta vias & semitas, etiam agro Mompeliano, & toto illo tractu Massiliam usque.

Semen subamarum, calidum manifestè, non ineptè pro Seseli Massiliensi usurpandum esse censet Camerarius.

DAUCUS GLAUCO FOLIO, similis Fœniculo tortuoso. Cap. VIII.

Descr. SAxorum intervenus pertinacissimè inhærent radices albæ, minimi ferè digiti crassitudine, rugosæ, acriusculæ, cum levi amarore aromaticæ, ex pluribus coëuntibus conflatæ, móxque in alias rursum post coitum divisæ, qua caulibus committuntur Daucorum more capillatæ: caules verò plures bicubitales sunt & altiores, graciles, striati, subrubentes, medullâ albâ farcti, ramosi: in quibus ad articulos folia Anethi, aut Fœniculi tortuosi, pediculis longis: particulæ latiores, crassiores, rigidiores, quàm in Fœniculo, & veluti pungentes, colore glauco, sapore acri. umbellæ parvæ flosculorum perpusillorum primùm purpurascunt, explicatę albescunt magis, apiculis purpurantibus inter folia interjectis. Semina propiusquam maturescant quiddam purpurascentis habent ea parte qua decidit flos, ubi maturuerunt, alba sunt, striata, & Fœniculi tortuosi seminibus similia, saporis aromatici cùm quadam acrimonia. Tota herba omnibus partibus similis Fœniculo tortuoso mirè variat pro locorum ratione & anni tempore.



An

An Peucedanum, Gesn. An Gesn. coll. Peucedanum in horto meo, caule est dodrantali, foliis crassiusculis, per terram sparsis, umbellis albis. floret Maio.

Clusius videtur nostram plantam describere pro Peucedano Pannonico, quod non multùm differre putat à Saxifragia secunda Matthioli, idque frater C. Bauh. idem planè esse pronunciat. Quia autem planta, quam à fratre pro Saxifragia Matthioli accepimus, non parùm à Dauco nostro glaucifolio differt, ut lectores rem possint diligentiùs perpendere, integram Clusij descriptionem hîc adscribimus: *Peucedanum Pannonicum, Clus.* Peucedanum quod in Pannonia observabam, inquit ille, radicem habet, ut plurimum pollicaris crassitudinis, interdum minorem, nonnunquam etiam majorem, longam, crasso cortice, modò candicante, modò fusco & nigricante tectam, gustu initio Pastinacæ, deinde nonnihil acri, transversis & obliquis aliquot crassioribus fibris donatam, supremo capite hirsutam: ex qua quinque vel plura exeunt folia, Peucedano vulgari & legitimo ferè similia, sed minora & breviora, colore ex viridi cæruleo, non, ut illa, nigricante, subamaro sapore, & odore ferè ignavo, nihilque singulare referente: caulis inter illa assurgit cubitalis, rotundus, gracilis, in multos ramos divisus, in quibus umbellæ candidorum florum: semen Selini ferè, breve & crassiusculum, geminum ut in omnibus pænè umbelliferis, cineracei coloris, saporis verò aliquantulum amari & acris. *Natales.* Provenit multis Vngariæ & Austriæ inferioris locis, montium acclivitatibus petroso, & salebroso Solo, ubi Iunio floret: at in illarum regionum Alpibus (ubi etiam nascitur) Iulio & Augusto, & subinde semen ferre non desinit. Non multùm differre videtur à Saxifragia secunda Matthioli.

Fænic. petræum, Tabern. Tabern. Fœniculum petræum, Steinfenchel & Bergfenchel / Fœniculum saxatile & montanum. Lugdunens. p. 766. Libanotis minima. Quia Dalechampius vocat Libanotin, ideo occasio suspicandi nobis offertur, eandem fortè tradi à Lobelio in advers. p. 351. pro Herbariorum Septentrionalium notiore Libanotide. quædam tamen nos dehortantur, ita ut cogamur separatim ejus historiam tradere, donec aliquid certius, de ea cognoscamus: Posset videri ab hac diversa Libanotis minima Lugdunensis: verùm eam differentiam à loco pendere suspicamur.

An Bau. apud Matth. phyt. & pin. Peucedanum 3. minus: Peucedanum Pannonicum Clusij: Saxifragia 3. Matth. Lugd. Cast. Saxifragum, Lac. Peucedani facie pusilla planta, Lobel. ic. Peucedanum pannonicum, Clus. hisp. & hist. Matthioli Saxifragia 3. huc non referenda. Est enim diversa à Peucedano ejus tertio, sive minore. An Eid. phyt. Libanoti 5. sive minor umbellâ candidâ: Libanotis minima Lug. p. 766. quam multùm cũ Saxifragia Anglicana Lob. Icon. p. 784. convenire tradit. An Eid. pin. Libanotis Ferulæ folio 7. sive Libanotis minorum bellâ candidâ: Liban. Septentrionalium herbariorum, Adv. Libanotis minima, Lug. Nos de Libanotide Septentrionalium herbariorum, mox dicemus.

An Peucedani facie pusilla, Lob. An Lob. ic. p. 351. & adv. Peucedani facie pusilla planta, an Pseudobunion Dioscoridis? Palmaris, Peucedani facie, foliisque, sed brevioribus, & ad Fœniculum tortuosum Seseli Massiliense accedentibus, ramulis intortis latius, in alas sparsis, concoloribus: umbellâ exiguâ, candidâ, Anethi semine, Anisi breviore, exiliore, gustu grato, aliquantulum acri: radice crassiore, comosâ supernè, gustu Oreoselini, non longâ, parvi Napi, crassiore, quàm pro sui parvitate, cibo idoneâ: qualem Bristotæ in Anglia, ad rupem Vincentij, ipse primùm magna copia reperit, & icone dat.

Daucus glauco folio florens Iunio & Augusto, semen maturans Septembri, provenit inter dumeta loco herbido circa patibulum Montbelgardense in colle. *Locus cum tempore.* Item prope hortum E.C. parva admodum & palmaris, & magis glauca: locis enim siccis & Soli expositis delectari videtur: in hortos, ob magnitudinem quam in eis acquirit, translata, multum de forma mutat, ut quis diversam putet. Nascitur Fœniculum petræum Tabernomontani locis saxosis, in montibus altis & rupibus, in Burgundia apud Musacon inter Dolam & Bizantium ad cautes sub Buxis, locis à Solle illustratis.

Vires. Fœniculum petræum, inquit idem vim habet calefaciendi, ceu Fœniculum. calidum autem est in secundo gradu; siccum in primo. Calculum pellit & urinam movet.

DAVCO GLAVCO FOLIO FORTÈ SIMILIS, LIBANOTIS SEPTENTRIONALIUM, FLORE CANDIDO, SEMINE FERÈ AMMI.

Herbariorum Septẽtrionalium notior Libanotis Lobel. HANC Lobelius in Adv. Herbariorum Septentrionalium notiorem Libanotidem vocat, & hæc de ea scribit. Non perinde Libanotidi congruit hæc Ferulacea, quàm multi Herbarij horti, in Gallia, Germania, & Anglia fovent: tametsi caule gracili, recto, Mei, aut Anethi, striato, atrovirente, bicubitali sit, paucis alis & geniculis donato: in quibus, imis præsertim, Peucedani prolixiora folia, Fœniculi tortuosi, angustiora. Saxifragiæ Anglicæ, medio & superiore caule pauciora; umbellis & floribus pusillis & candidis, Mei: sed exiguum semen, sub Hyemem maturans, minus Carvi rotundi, ferè Ammi officinarum par, quod neutiquam potest convenire Rosmarini ferulis Dioscoridis semini, Cachryn, aut Canetyn vocati, quia grano hordeaceo esset simile, aut potiùs quòd urentis facultatis cum esset, similem escaram inurebat cuti, atque pilula Cacri propterea ab antiquis vocata.

Descriptio hæc Lobelij habet multa, quæ conveniunt cum Dauco nostro glauco. quid autem velit per Carvi rotundum, nos latet: hoc epitheton nondum alibi legisse recordamur.

SELINVM MONTANVM PVMILUM CLUSIJ, FOLIIS FŒNICULI AUT PEUCEDANI, FLORE ALBO, SEMINE SELINI.

CAP. IX.

Descr. ALIQUOT à radice spargit folia, Fœniculi aut Peucedani foliis formâ quidem similia, sed longè minora, & rarò pluribus, quàm quindenis foliolis constantia, è quorum medio dodrantalem, crassumque fert caulem, in multos tamen ramulos divisum, sub quibus aliæ foliorum alæ minores nascuntur, novenisque duntaxat foliis constantes, latâ basi caulem amplectuntur, Pastinacæ sive Staphilini gustu & odore: singuli rami exiguorum florum quinque candidis foliolis præditorum cum totidem staminulis, & odoris expertium umbellulis sunt onusti: quibus succedit semen Selini semini non dispar: radix supremâ parte in crassum caput extuberat, multisque villis (qui foliorum superioris anni fibræ sunt) hirsuta, brevis, quasique in orbem convoluta est, intus fungosa & alba, externis fusca & rugosa, infernâ parte bifida plerumque & in tenues fibras desinens.

Clusius descriptionis autor vocat in pan. & hist. Selinum montanum pumilum. Tab. Oreoselinum, Apium montanum, Bergpeterlin / Bergeppich. Bauh. phyt. Peucedanum 4. sive Peucedano similis, Selini semine, Peucedani facie pusilla planta Lobelij. An Selinum montanum pumilum Clusij? plurimum convenit cum superiore [*Peucedano minore, sive Pannonico Clusij*] si non idem. Vix adduci possumus à C. Bauh. ut credamus, hoc Selinum montanum Clusij esse idem, cum Peucedani facie pusilla planta Lobelij. Eid. B. pin. Daucus 4. montanus multifido folio Selini semine: Oreoselinum, Tabern. ic. & Ger. tertium, Tab. fol.



Selini genus hoc exile & pumilum Clusij invenitur quibusdam siccorum, desertorúmque, virentium tamen, agrorum marginibus, & in nudis gramineisq; montibus inferioris Austriæ & Pannoniæ: florétque Maij initio. Biennalis esse arbitratur, uti pleræque sunt umbelliferæ, quæ prolato semine perire solent.

SAXIFRAGA MATTHIOLI TEnuifolia & umbellifera.

Cap. X.



De hac author passim agit. Ac imprimis quidem in prior. com. in Diosc. l. 4. cap. 15. (ubi eam Saxifragæ titulo pingit, ac Græcis σαξίφραγον, & σαξίφραγον, Italis verò Sassifragiam nominari tradit) hæc de ea scribit. Licèt omnibus hujus ætatis rei herbariæ peritis satis superque persuasum esse non ignorem, Saxifragæ caput Dioscoridis illegitimũ esse, quòd Latina hujus plantæ nomenclatura contra Dioscoridis morem proferatur: tamen id mihi dissimulandum non putavi, Saxifragæ plantam habere, nosceréque Italiam, ejusque usum præcipuè experti ad renum & vesicæ calculos comminuendos, & ad urinam remoratam ciendam. Eam autem in Hetruria pluribus locis è durissimis erumpere saxis, foliis capillaribus, Epithymo non dissimilibus, præsertim Argentario promontorio in maritimis. Inveni quoque eam in agro Goritiensi, quibusdam saxis enascentem, juxta Sontij fluminis ripam, quà Salicano itur ictur Canalum. Sed aliquis fortasse objiciet, hanc plantam non esse legitimum Saxiphragon à Dioscoride descriptum, quòd ea nullis ferè notis Epithymum repræsentet. Neque id quidem temerè objicietur: etenim non video ego, quomodo Saxifragon rectè Epithymo assimilari possit. quod illud frutex sit, hoc autem tantùm absit à frutice surculoso, ut videatur potiùs esse quoddam capillamentum. Idcirco facilè adductus sum, ut suspicer codicem Dioscoridis depravatum esse: aut Saxiphragon frutex erit, qui foliis duntaxat Epithymum æmuletur, ut illa folia satis ostendunt, quæ in hac planta, cujus imaginem hîc expressimus, capillorum instar tenuissima conspiciuntur.

Quam porrò Matthiolus in priorib. comm. pro Saxifraga Dioscoridis habuit, eam in postremis rejecit. Pręter Saxifragam Dioscoridis sive Vetonicam Pauli, tria alia Saxifragæ genera novimus (inquit in post. comm. cum magn. fig. ubi præsentem plantam Saxifragæ secundæ titulo pingit) quæ frangendis educendisque renum calculis plurimùm præstare videntur. Primum illud est, quod antea Dioscoridis Saxifragam esse suspicabamur. Nascitur hæc in magnis, ac durissimis lapidibus, aut sicco, & admodum extenuato solo, foliis capillaceis, Fœniculi modo, sed longioribus, tenuioribus & rarioribus. Caule pariter prodit fœniculaceo, sed tenui ac pumilo; umbella in summitate emergente. Semine vulgaris Petroselini æmulo, sed longiusculo, & odorato. Radice albicante, Pastinacæ sapore. Tota planta subacris est, & subdulcis. Eadem in Ital. comm. habet, ac pro Saxifragia 3. pingit, ceu & in epit. cum add. Cam. ubi hæ adduntur vires. Radix urinam ciet & menses quovis modo sumpta: visum acuit, & obstructiones reserat. In Hist. germ. cum ejusdem Cam. addit. vocat Welschen Steinbrech / Saxifragam alteram, aitque esse foliis Fœniculi, aut Anethi, & talem etiam caulem, nisi minorem & læviorem, umbellas parvas, & in iis semen. Hanc herbam utilem adversus icterum, incipientem hydropem, suppressa menstrua, diuturnum capitis dolorem, à pituita & frigiditate ortum: Succum foliorum in oculos instillatum albugines tollere & principium suffusionis, ac efficaciùs quàm Fœniculum.

Matthiolus olim pingebat suam Saxifragiam sine descriptione, quàm postea mirùm evariat. in postr. etiam comm. omittit loca, in quibus viderit, quasi olim non ibi observasset. in epit. vires alias addit, alias item in hist. german. denique in tanta varietate versatur, ut quis jure merito dicere posset, eum non cognita, aut non experta, aut non ritè considerata scripsisse. Frater C. Bauhinus attulit mihi plantam foliis amplis, Anethi tenuissimè divisis cum hac inscriptione: Petrafindula Italorum Guillandino, Saxifragia Bononiæ, Daucus primus Dioscoridis: hanc asserit collectam in horto Patavino; Similis mihi planta crevit Genevæ, quam tunc oblitus sum describere aut saltem icone exprimere.

De Saxifragia ferulacea Italorum (quam eandem cum Matthioli jam dicta suspicor) Lob. in adversf. p. 352. talia scribit. Quidam horti Italici, ut Vrbini & Florentiæ, alebant Saxifragiam bicubitalem, foliis ferulaceis, aut Fœniculi, minùs, aut minimè geniculatis, tenuioribus foliis, obscurè virentibus: floribus umbellatis, albidis, Mei, cujus videtur species. Radices albicant, Pastinacæ sapore.

Bauh. apud Matth. & in pin. Saxifragiam tertiam nominat, Peucedanum minus, & Saxifragam 3. Matthioli, Lugd. Cast. Saxifragum Lacunæ, & Peucedanum Pannonicum Clusij; An verò Peucedanum Pannonicum Clusij, idem sit cum Saxifragia Matthioli, est quod dubitem. Peucedano Pannonico folia sunt minora & breviora, quàm Peucedano vulgari: sapor amarus: Saxifragiæ Matthioli folia Fœniculo longiora & tenuiora, sapor totu plantæ sub-


subdulcis. Planta etiam quæ mihi data longa habet folia. Et hæ causæ sunt cur separatim Peucedanum Pannónicum à Saxifragia Matthioli, & junxerim illud Dauco glauco folio, donec aliquid certiùs addiscam.

An Cæs. Pusilla quædam flosculis candidis. An Cæsl.7.c 15.de hac loquitur, cùm ait. Est quædam pusilla, quæ in apricis asperis nascitur inter saxa: paucis foliolis, ratioribus capillis, subcandidis: cauliculo exili non ultra duos dodrantes: ramis tenuissimis instar filamenti, quibus flosculi candidi ceu flores arescentes in sparsis umbellis: semen in Autumno figura Apij, exilius, nigrum, & aromaticum; acre: radix subrotunda, in tres aut quatuor ramulos divisa: sapore acri & amaro: Quidam Saxifragam vocant: *Cuminum æthyopicum* arbitror Cuminum Æthyopicum dici. Hanc Cæsalpini plantam non audemus asserere eandem esse cum Saxifragia Matthioli: quædam enim notæ repugnare videntur.

SAXIFRAGIA MVLTIFIDO folio, Pannonica.

CAP. XI.

Descr. MVLTO minor Peucedano [*Pannonico dicto Clusio, quod nobis videtur Daucus glauco folio, similis Fœniculo tortuoso*] est Saxifraga Pannonica, & brevioribus foliis prædita, Capni foliorum ferè æmulis, quorum sapor & odor, Peucedani Pannonici foliorum odorem & saporem quodammodo referunt, paulo tamen acriora sunt: inter quæ cauliculi exeũt pedales, graciles, geniculati, aliquot exiguis foliis exornati, summo fastigio candidorũ flosculorum umbellam sustinẽtes: radix Peucedani radici non multùm absimilis, sed brevior, acrior, salivamque ciens, multa hirsuta capita supernâ parte producens, è quibus folia & caules emergunt.



Synon. Clusio pann.p.694. Saxifraga Pannonica multifido folio: Eid.hist. Saxifraga Pannonica. Bau.phyt. & pin. Daucus 3. montanus multifido breviq; folio.

Locus. Inventa à Clusio descriptionis auctore multis Hungariæ & Austriæ inferioris locis, montium acclivitatibus petroso & salebroso Solo, præsertim verò in aperto & glabro illo monte, qui medium, quasi spacium, inter Hamburgum & Altenburgum Vngariæ urbes, occupat, etiam è mediis saxis plerumque erumpens. Sed & colliculo juxta Zinunerin, *Tempus.* itinere ad phasianorum, juxta Lachn, & plerisque aliis circa Viennam locis crescit. floret Iulio.

SAXIFRAGIÆ TENVIFOLIÆ affinis, quibusdam Caucalis.

CAP. XII.

Icon. HANC Anguillara epist. 7. Caucalin vocat, ac nasci in Peloponneso & multis aliis locis in saxis prodit, foliis Fœniculi, caule cubitali, umbella alba, semine Ammi: comedi: odorem habere Petroselini, vocari ab eis ἄγριον σέλινον, i.e. Apium silvestre: verba *Apium silv.* quæ legantur in Dioscoridis quibusdam exemplaribus (*foliis Apij similibus*) superflua esse, ut appareat ex textu græco & Plinio: Chrysippum vocasse Olus *Olus salsuginosum.* salsuginosum: Videri se intellexisse in Apulia provenire plantam, quæ dicatur Pietra findula, quæ multùm respondeat descriptioni hujus Caucalidis.




Plantam, quam Caucalidem Anguillara autumat, Lobelius jam dudum collectam in præruptis S Specus vocati, ad fanum Magdalenę in Provincia Narbonensi pingendam curavit: est verò caule Fœniculi & foliis & divisurâ cubitum alta: umbella albet & odorata est: radix unica, recta, humi pacta, candida, sapore Pastinacæ. Verùm hoc magis placent vulgares Caucalides.

Synon. Lobelio in hist. Belg. p. 889. & Icon. p. 727. Caucalis dicitur. Lugd. p. 715. Caucalis Penæ. Tab. Caucalis Anglica, Kletten Körffel. An verò nomenclatura hæc germanica conveniat, judicet vel mediocriter doctus. Bauh. phyt. Peucedanum 5. sive Peucedano similis: Caucalis 3. Tab. in fol. Eid. B. pin. Caucalis 12. folio Peucedani.

APIVM, QVOD PETROSELINVM Dalechampij, folio tenui, Apij hortensis semine, subrubro, amaro, radice nigra.

CAP. XIII.

RADIX longiuscula & crassa, foris nigricat, intus albet, capite comato, earundem more quæ plures annos perdurant, sapore amaro. caules inde pronascuntur plures, fungosi, striati, pedales, interdum palmares duntaxat, foliis amicti, Dauco glauco folio similib⁹. cauliũ scapus tripartitus primùm; laterales surculi umbellas gerũt flosculorum albicantium, parvas per florendi tempus, magis patulas euntibus in semen floribus: medius surculus rursum stellatam subdividitur, umbellis similibus onustus. semen Petroselini vulgaris.



Locus. Petroselinum hoc Dalechampio putatum, in Exolis tumulis propè Gratianopolim nascitur, ut testatur p. 704. Lugdunensis.

Synon. B.pin. Apium 5. montanum folio tenuiore, Petroselinum Dalechampij, Lugd. an Petroselini succedaneum, quod in Apulia Anethum silv. dicitur, Colum.

PYRETHRVM VETERIBVS. CAP. XIV.

Diosc. EST Pyrethrum, autore Dioscoride, herba quæ caulem & folia velut Daucus silvestris & Fœniculum producit, umbellam velut Anethum rotæ similem [*τετραειδὶς cod. Bas. forte legendum τετραειδὴς.*] Radix est digiti magni crassitudine, gustanti fervidissima, quæ pituitam attrahit. Quare etiam dentium doloribus opitulatur, si cum aceto colluatur. Ducit etiam pituitam commansa. Quòd si cum oleo illinatur, sudores movet, faciens ad rigores diuturnos. Sed & ad corporis partes perfrigeratas, aut resolutas summè conducit.

Plin. Pyrethrum Plinius non descripsit, sed semel tantùm l.28.c.9. simpliciter nominavit. Galenus Pyrethri, inquit, radice maximè utimur, urendi vim habente, per quam & perfrigeratorum dentium dolores mitigat, & ante rigores per circuitum repetentes, cum oleo affricatur. Torpidis etiam ac resolutis utile est.

Æquivoca. Ceterùm, notum esse vulgò omnibus Pyrethrum, & maximè radicis in dentium dolore usum contendit Cornarius. Sed longè aberrat, meo quidem judicio. Plures enim hodie hoc nomine plantæ passim inveniuntur.

Pyrethrum flore Buphthalmi. Et primò Pyrethrum vulgare flore Buphthalmi de quo H.n.g.lib.præcedenti.

Dehinc, Pyrethrum umbelliferum Matthioli, de quo mox dicemus.

Item, Pyrethrum Gesneri.

Cotulæ genus. In Cotulæ genere in Gallia tradi radicem ferventis gustûs, ideoque Pyrethrum vocari, author est Cæsalpinus. Quænam hæc sit nos hactenus latuit. Si locum adnotasset, posteri indagare possent, qualisnam esset & supplere brevitatem, propter quam Cæsalpinus meritò reprehendendus est.

Saxifragia. Quam Saxifragiam hircinam majorem, aut saltèm mediam putamus, eam alij ex rei herbariæ prudentibus pro Pyrethro quodam ostendunt.

Ptarmica. Pyrethrum nominant Ptarmicam, quod Pyrethri modo, quanquam mitiùs vellicet. Atque hinc est, inquit Fuchsius, quod nonnulli pro vero Pyrethro, seducti ejus titillante acrimoniâ, descripserint.

Dracunculus hort. Radix penè nulla Draconi [*Dracunculi hortensis*] eorum arguit temeritatem, qui Pyrethrum fecère.


Tanacetũ. Apud Eucharium Roeslin Pyrethri vocabulo, icon Tanaceti posita est.

Valeriana silv. Pyrethrum de Valeriana silvestri dici, vide sub Pyrethro vulgari.

Staphysagria. Pyrethro substituere videtur Platocomus uvam Tamineam, i.e. Staphysagriam.

PYRETHRVM VMBELLIferum Matthioli.

PYrethri veri (ut Matthiolus ait) hæc est planta, cujus imaginem in post.commẽtum mag.fig. lat.l.3.c.71. Ital.cap.80. expressit, quamque se non sine labore consequutum esse scribit. Sed unde, non ostendit, nec figuram eam describit. In epit.cum addit.Cam. Pyrethrum verum inscribitur, ac πύρεθρον græcè, arab. *Macharcharaha*, seu *Hacharaharcharha*, italicè *Pyrethro*, german. Bertram / hisp. *Pelitre*. & gall. Pyrethre cognominatur, ibidemque ei Pyrethri Dioscoridis descriptio, ac vires adduntur, non sine gravi lapsu, ut ego quidem existimo. In hist.germ. ejusdem, Pyrethrum alterum vocatur, ac præter dicta Bohemicè Beltram appellatur.



De Pyrethro altero, sic enim Lob. in Adv. præsentem hanc plantam vocat, hæc scribit. Pyrethri veri nonunc donabat plantam Guillandinus, & alebat in Patavino horto, cui radices & folia Cotulæ fœtidæ. Vmbellæ ab uno quasi centro multis pedicellis innixæ, Venerei pectinis ritu, aut Anethi, candidis flosculis, fervido & amaricante gustu. Sed illudit lectori Senensis, qui hàc non nisi labore arduo sibi comparatam, neque omnibus cognitam asserens, quasi invideret nobis cognitionem, aut metueret criticorum reprehensionem, tacendo docet, nisi quænam illa esset, non perspectum planè fuerit illi. Et sane minimè habet hæc alterius illius, [*vulgaris, flore Bellidis*] vires mirificas: ut neque nonnullæ aliæ, quæ quia gustu fervido sunt, & nonnullam foliorum similitudinem sortitæ, illicò ab intempestivis herbariis Pyrethri nomen accipiunt, quasi id præstaret Pyrethrum fervore tantùm, ac non potiùs aliâ comite facultate. *Adv. Matthioli.* Quid velit Lobelius, assignans huic radicem & folia Cotulæ, nos latet. non videntur respondere picturæ, quam ex Matthiolo assumpsit. *Lob not.* Cast. dicitur Pyrethrum alterum. Lug.p.1170. Pyrethrum verum Matthioli. Taber. Pyrethrum, Bertram/Speichelwurtz/Zanwurtz.

De Pyrethro hoc Cæs. l.7. c.30. sequentibus egit. Pyrethrum apud nos, inquit, in palustribus nascitur radice nigrâ, brevi, divisa in fibras, specie Meu, odorata, amara, linguam non statim exurente, sed cum plusculum mansa fuerit: folia fert Staphylini silvestris, tenuiora: caulem cubitalem, rectum, lævem, umbellas tres aut quatuor, in cacumine: flore subrubente: semina compressa, & rotunda, figurâ Lentis, nigra & ferventia. Chinarum Incolæ Imperatoriam vocant: exhibent radicem in vino malvatico drachmæ unius pondere ad dolores colicos magna efficacia; nam vehementer digerit flatus, & urinam promovet. *Imperatoria.*

Et hæc Cæsalpinus, quæ omnia Cam. apud Matthiolum germ.lib.3.cap.61. eo tamen non nominato transcribit. Quidam, inquit, describunt Pyrethrum in palustribus nascens, &c. quæ conveniunt cum figura Matthioli, quam posuit in lat.comm. nomine Pyrethri veri, sed ipse rem dubiam reddit, cum ait, se non sine labore eam iconem consecutum; & paulo post cum subdit, rei herbariç indagatores novum quoddam Pyrethrum ostendere, foliis hortensis Pastinacæ &c. Ita Matthiolus, quamobrem posuimus ejus figuram hoc capite & appinximus semen nobis missum pro vero Pyrethro, nigricans cum margine candido, ut veritatem rei diligentiùs investigent rei herbariæ studiosi. Hæc Cameratius, qui, ut dictum, omnia ea, quæ ex Cæsalpino ponimus, transcribit, eo innominato. Cæterùm, videtur is velle notare Matthiolum contrarietatis, quam non animadverto: quia olim priusquam picturam exhiberet

beret Pyretri umbelliferi, scripserat de novo quodam Pyrethro, quod dicebat foliis hortensi Pastinacæ proximis, i.e. Germanicæ latifoliæ, & non gamen Mörhen oder gelben Rüben/ ut vertit Camerarius, quæ sunt Pastinacæ tenuifoliæ, sive Carotæ.

Synon. Variat umbella. Bauh.phyt. vocat Pyrethrum 1. sive umbellâ candidâ, quod ait se in horto Patavino collegisse, verùm umbellâ luteâ, longioribusque foliis, quàm vulgò pingatur. Sed hanc suam assertionem omisit apud Matthiolum, ubi frustra quærit, an fortè sit Pyrethrum Cæsalpini. Eid. B.pin. Pyrethrum 2. umbelliferum, Fœniculum montanum, Trag. Pyrethrum verum, Matth. Lugd. Pyrethrum Italicum, Gesn.h.ap. Pyrethrum alterum, Lob. Cast. & Tab. sylvestre, Ger. Saxifragiæ species, Dodon. 8. Pyrethrum Diosc. 1. Cam. umbellâ albâ & luteâ.

PYRETHRVM GESNERI.



Descr. RAdice nititur longâ, simplici, modicè fibratâ, pallente, digiti crassitudine, fervidi & urentis gustus: folia Anetho similia prodeunt, caulis fœniculaceus, flos in umbella circinatæ rotunditatis, ut in Dioscoridis exemplaribus legendum sit, *αὐέδον τεγχειδῆ*, i.e. capillaceâ umbellâ. Quare nullam prorsus notam deesse ad veram Pyrethri delineationé putat Gesnerus, qui plantam appictam Pyrethri veri nomine ad Dalechampium ex horto suo Tigurensi transmisit.

Lugd. p. 1170. vocat Pyrethrum Gesneri. B.phyt. Pyrethrum 2. (3. pin.) sive foliis Anethi. Nostro judicio frustra quærit an Pyrethrum Dioscoridis.

CYMINVM, SIVE CVMINVM sativum veteribus.

CAP. XV.

Diosc. DIoscorides de sativo Cumino inquit: stomacho [*εὔστομον*, *n. mori. ut quidam codices habent*] utile est: sed multò magis Æthiopicum, quod Hippocrates regium appellavit. Secundum locum tenet Ægyptium: mox reliqua sequuntur. Provenit in Galatia Asiæ, Cilicia, & Tarentina regione, aliisque locis compluribus. Excalfaciendi, adstringendi & exsiccandi vi præditum est: ad tormina inflationésque convenit, seu coctum & cum oleo infusum, seu etiam cum hordeacea farina impositum. Datur & orthopnoïcis, in posca: demorsis à venenatis belluis, in vino. Testium inflammationibus auxiliatur, cum uva passa & Fabarum [*vulg. exempl.* ...] lomento, aut cerato impositum. Cohibet & fluxum muliebrem, sanguinisque è naribus profluvia, in aceto contritum & admotum. Cæterùm cutis colorem bibitum illitúmve mutat in pallorem.

Theophr. Cuminum Theophrastus inter olera recenset. Semine, inquit, est nudo, angusto, instar literæ (sic enim interpretandum verbum ..., quod Gaza canaliculatum vertit, nescit qua ratione Cæsalp.) inter semina fœcundissimum omnium Cuminum [*κύμινον*, *Corn. legendum censet ὤκιμον, ut Plin. habet.*] *Ocymum pro Cumino.* Peculiare etiam quod de hoc dicunt: imprecari nàmque & maledicere serendo oportere affirmant, quò lætius, copiosiusque proveniat. Difficile, ut ita loquar, omnia exsiccantur, Cumino excepto: quæ cortice continentur, difficiliùs exsiccantur, & inter ea maximè Ocymum. Pluribus constat generibus Cuminum (ait idem Theophr. hoc lib. 7. seq. cap. 4. Sed hoc loco legendum *σέλινον*, ut post legitur.) Idem *Selinum pro Cumino.* Hist. lib. dicto cap. 8. ait. Quod statim ab radice Cumino subnascitur & Hæmodorum vocatur, unicaule constat, nec absimili caule surgit: verùm longè *Hæmodorum.* breviori & modo capitis superiore quiddam gerente: radice autem subrotundâ nititur. Tandem *Cuminum corrumpentia.* c. 10. Nonnulla scabie atque salsugine pereunt, ut Cuminum.

Plinius. De Cumino pluribus in locis plura scriptum reliquit Plinius. Ita nàmque l. 19. c. 8. scribit. Conditamentorum omnium fastidiis Cuminum amicissimum. Nascitur in summa tellure vix hærens, & in sublime tendens. In putridis & calidis maximè locis, medio serendum Vere. Alterum ejus genus silvestre, quod rusticum vocant, alij Thebaicum: si tritum ex aqua potetur, in dolore stomachi prodest. In Carpetania nostri orbis maximè laudatur, alioqui Æthiopico, Africóque palma est. quidam huic Ægyptium præferunt. Idem antea eodem hoc libro c. 7. dixerat. Quibusdam [*supple: sunt semina*] angusta & canaliculata ut Cumino, & nuda. Nihil Ocymo [*Cumino Theophr.*] fœcundius: cum maledictis ac probris serendum præcipiunt, ut lætiùs proveniat: sato pavitur terra. Et Cuminum, [*Et Cuminum, inquit Corn. est suppositum*] qui serunt precantur ne exeat. Eodem l. c. 10. Necatur Cuminum ab imo dorso, *Cumini morbus.* nisi repurgetur. Est autem unicaule, radice bulbo simili, non nisi in Solo gracili nascens. alias privatim Cumini morbus scabies. Lib. 20. c. 14. Sed & sativi *Vires.* [*Cumini*] magnus usus, in stomachi præcipuè remediis. Discutit pituitas & inflationes, tritum & cum pane sumptum. Veruntamen omne pallorem bibentibus gignit. *Pallorem inducit.* Ita certè ferunt Porcij Latronis clari inter magistros dicendi adsectatores similitudinem coloris [*palloris*] studiis contracti imitatos: & paulò ante Iulium vindicem adsertorem illum à Nerone libertatis captatione testamenti sic lenocinatum. Narium sanguinem pastillis inditum, vel ex aceto recens sistit. Et oculorum epiphoris per se impositum, tumentibus [*testiculis herniâ præsertim aquosâ, vel flatuosâ*] cum melle prodest. Infantibus impone in ventre [*ventrali Dal.*] satis est. Morbo regio in vino albo à balineis datur. Et c. 15. Æthiopicum [*Cuminum*] maximè in posca, & in ecleigmate cum melle. Africano privatim urinæ incontinen- *Urinæ incontinentia.* tiam [*ἀκρασίαν. de hac facultate Dioscorides nihil prodidit, nihil quoque de Cumino Africano, Dalech.*] cohiberi putant. Sativum datur ad jocinoris vitia tostum, tritum in aceto. Item ad vertiginem. Iis verò, quos acriore vi urina [*acriorum urina C H.*] mordeat, in dulci [*τῷ γλυκεῖ, vino passo, Dalech.*] tritum vino. Ad vulvarum vitia [*ore sumptum, Dal.* in vino: prætereque impositis vellere foliis: testium tumoribus [*collectionibus, Diosc.*] tostum, tritúmque cum melle, aut cum rosaceo & cera. Silvestre ad omnia eadem efficacius. *Cuminum silv.* Præterea ad serpentes cum oleo, ad scorpiones, ad scolopendras. Sistit & vomitionem, nauseásque ex vino, quantum apprehenderint tres digiti. Propter colum quoque bibitur, illiniturque, vel penicillis fervens adprimitur [*adstringitur M.*] fasciis ad strangulationes vulvæ potum in vino aperit, tribus drachmis in tribus cyathis vini. Auribus instillatus ad sonitus atque tinnitus cum sevo [*sebo C.H.*] vitulino,

vel

vel melle. Sugillatis illinitur cum melle & uva passa & aceto. Lentigini nigræ ex aceto.

Pallens Cuminum vocat & Persius Satyra 5. Item Horatius lib.1.epist.3.

——————— *quòd si*

Pallerem casu, biberem exangue cuminum.

CVMINVM SIVE CYMINVM sativum.



CVMINUM, ita describente Cordo, sativum, sive ut aliqui scribunt Cyminum, parva & umbellifera herba est, altitudine rarò pedem excedens (Cæsalp. annua planta brevior cubito) tenuibus & in plures angustas partes sectis foliis (foliis paucis, raris capillis, Cæsalp. & flore candido) semine in umbellis (parvis & rotundis Cæs.) oblongo, utrinque acuminato, anguloso cartilagineo, in cineraceo colore subflavo, longitudine quartam unciæ partem æquante, gustu subamaro, tenui, mediocriter acri, & cum gravitate suaviter odorato. Radice nititur oblongâ, tenui, & cũ maturuit semẽ, pereunte.

Ruell. Cuminum sativum non novit. Ruell.l.3.c.44. Cuminum nominat, & tamen non agnoscit. Cuminum, inquit, Latini juxta & Galli, rura nostra Comin appellant. Vnicaule, frequentibus ramulis brachiatum, folio penè Fœniculi, semine copioso & canaliculato, radice subrotundâ, quasi bulbosâ. Suspicor Ruellium nescivisse de qua planta scriberet. Rura Galliæ non ferunt Cuminum, sed Carvi, quod multis dicitur Comin, si novisset discrimen inter Carvi & Cuminum, annotasset capite de Carvi dic: Comin, & id in Gallia vulgare: præterea ait radicem Cumini subrotundam, quasi bulbosam, qui morbus est Cymini Plinio & Theophrasto, quod ipse poterat observare ex verbis Plinij & Theophrasti, quæ adducit.

Negatur esse Cuminum sativum antiquorum. Cuminum præsens, esse sativum verum Cuminum antiquorum, dubitarunt quidam. Et ex his etiam Cæsalpinus est. Cuminum, inquit, vulgò appellatur semen, ex Orientalibus allatum. Quo minus sativum hoc affirmem, illud facit, quod non est ori gratum [*non enim legit Cæsalp. στόματι, stomacho gratum: quæ vera & genuina Dioscoridis lectio est*] ut panibus spargi possit pro condimento: nec pusillum semen est, ut Theophrastus testatur, nec ullo pacto conferri potest, cum Ammi, ut vult Dioscorides: *Est Cuminum silv.* idcirco inclino magis in alteram sententiam ut sit primum genus Cumini silvestris. Nobis contra Cæsalpinum nullo modo placet pro silvestri, quum alia planta multò meliùs conveniat, ut ostendemus.

Cumini 2. genera, Dalech. Commin fort Commin doux. Non desunt etiam hodie, qui Cumini plura agnoscant genera & recipiant. Et talis est Dalechampius. Hodie (inquit apud Plinium l.20.c.15.) è Melita Cumini duo afferunt: alterum acrimoniæ vehementioris, subnigrum, quod *Commin fort* [*Cuminum acre*] vocant: alterum candicans, gustûs levioris, subdulce, quod *Commin doux* [*Cuminum dulce*] appellant, quod ab Hippocrate regium vocari ait Dioscorides.

Genera Lobel. Plura quoque genera Cumini sativi agnovisse Lobelium ex sequentibus ejus verbis colligere licet. Cuminum haud sponte apud nos oritur, quod quidem aliquantum diversum diversis è locis Syriæ, Ciliciæ, & Græciæ allatum observatur. Quod enim albicat, hirsutúmque est semen, præstantius habetur, ac idem cum eo quod neutiquam hirsutum est, apud nos seri & virere solitum. Nec item putandum discrimen aliud fuisse Æthiopici, Gallative, quàm loci prærogativa: visusque est Hippocrates sativum istud albicans, hirsutúmque, Basilicum, seu Æthiopicum fecisse. Nec enim argumenti ullam umbram habent Patavini quidam herbarij, cum alius generis semen pro Æthiopico Cimino ostentant. pusillum enim valde est, acerosum, evanidum, viribus multùm & odore à communi deficiens.

C. Bauh. nor. Cumini tandem plura genera tradidisse Theophrastum scribit C.Bauhin. Sed hoc erroneum est. Theophrastus non dicit Cumini plura genera, sed Apij. eo loco depravatè legitur κυμίνου pro σελίνου. id patebit legenti totum caput.

Matth. Diversas figuras habet Matthiolus. Rejectâ enim falsâ (eâ sc. quam in priorib. comm. exhibebat) meritò in post. comm. aliam meliorem pinxit. Sed eam maximè probamus, quæ est in epit. ejus & hist. ger. cum addit. Camer. sub titulo Cumini sativi: nostram sculptor minùs fœliciter expressit.

Synon. Dicitur Cuminum sativum, Brunf. Trag. Matth. Cord. hist. (ubi Gesn. addit ex Tragi l.2. c. 119. figuram, quæ an bona sit, videant alij) Cam. apud Matth. Dod. in fol. lat. Lac. & Castori. Cuminum sativum, Matth. Lugd. p. 697. Cuminum Dioscoridis Lob. qui in Obs. p. 428. & Icon. p. 742. figuram habet similem figuræ Matthioli in post. comm. positæ. Cuminum Ruell. (ut videtur) Corn. in Diosc. Dalech. apud Plinium, Turn. Lon. & Cæsalpino, cui & Cuminum officinarum, & Cumini silv. 1. genus Dioscoridis. Cyminum, Arg. Cord. in Diosc. (cui & Cyminum Romanum) Tab. sativum, Cam. Cuminum æthiopicum, Carabadium Cass. Bassi & Myrepsis, Guill. Cuminum 1. sive Fœniculi folio Bauh. phyt. Eid. B. pin. Cuminum 1. semine longiore. Et, Cuminum 2. semine rotundiore & minore: Cuminum dulce Melitensium. Hujus plantam non vidimus: at cum Dalechampij in Plin. l.20. c.15. notas legissemus, ex Melita duplex Cuminum, utpote acre & dulce adferri: & apud Megiserum in Melitæ descriptione, idem invenissemus ejus nomine ut haberemus laboravimus: quare, utriusque semen è Melita insula transmissum fuit: alterum longum, acuminatum, coloris sordidi, graveolens & sapore acri, cui Cimonagero, i.e. Cuminum silv. inscriptum erat: quod cum Cymino Æthiopico officinarum convenit. Alterum verò multò minus, Aniso simile, candicans, gustus lenioris & subdulce, quod nomine Cimonagero dulce, missum. Apud Melitenses copiosè seritur, ad panem condiendum, & ad mercaturam cum eo exercendam.

Nomina linguar. Græci Κύμινον vocant, & ad differentiam silvestrium Κύμινον ἥμερον. Sic & Latini Cuminum, & Cuminum sativum: Offic. Cyminum. Germani Kymmel / quidam etiam Kymmich / Garten: aut Römischen Kümel / (Cuminum hortense, aut Romanum) gemeiner garten Kümell / Kramkümmel / & Pfeffer Kümmel. Belg. & Angl. Comin. Gall. *Comin.* Montbely *Ces. t.* Ital. *Comino.* Hisp. *Cominhos.* Bohem. Kmin Arab. *Camum* seu *Kemum.* Cuminum verò quasi prægnans à verbo κύω manasse putatur.

Locus. Melitam insulam gignere Cuminum, notam herbam medicinis & condimentis, author est. fr. Io. Quint. Heduus, quod ait Solo gracili gaudere. Duo

ejus

Cumin. agrion. ejus genera esse: unum magnâ gustûs acrimoniâ, aromatum modo odoratum, Cuminum agrion vulgò vocatum: alterum per opinia referre Anethum *Cum. Aphricum.* & Anisum: sativum utrumque. Cumino Aphrico, quale hoc sit, palmam semper datam. In Chirman, quæ regio est Persiæ optimum Cuminum crescere testatur Linschottanus. Malayvenses Indiæ Orientalis *Ieutanyeran* vocare. Importari ex Ormus in Dachem, & inde in Bantam, ubi satis charè venditur. *Delectus.* Cæterum, Cuminum sativum eligitur plenum, magnum, flavum, aut pallidum, purum, intus pingue, veluti liquore aut oleo madefactum, miniméque acerosum. Invehitur ex Vlisibona & Venetiis Antuerpiam, ac in reliquas urbes atque emporia. Cyminum satum in horto E. C. mihi provenit.

Vsus. Meminit Tragus Cuminum sativum in cibo veluti & Piper usurpari. sunt & qui cum cicere arietino seu pisis concoquant, nec sine præcipuâ utilitate, siquidem inflationes quasvis & flatus ventris discutit, phlegmata, lentósque incidit humores, stomachique nauseam tollit: sunt qui asserant hoc Cuminum cum vino albo à balneo potum, regium expellere morbum, nec non vertigini prodesse. *Regius morbus.* Cuminum sativum ex vino dulci sumptum difficultati & ardori urinæ auxiliatur. *Vrinæ ardor.* In oleo coctum ait Matthiolus, & clystere infusum, prodest torminibus & flatibus corporis. contusum & ex passo potum, auxiliatur stranguriæ. *Stranguria.* cum ficubus in vino coctum & bibitum, tussim sedat, thoracem expurgat. in eundem usum, cum aceto in aqua coctum assumitur. utiliter pani incoquitur, & caseis inditur, ita concoctionem juvat, & flatus dissipat. *Concoctionem juvat.* si masticetur, halitúsque in oculos insuffletur, iis claritatem conciliat. ad rubores oculorum discutiendos coquitur in pane contusum Cyminum, panis clybano extractus & dissectus, calidus ob oculos detinetur, tandem humor qui oculis sese affixit, molli linteo abstergetur. ad ventriculi debilitatem, & nauseam continuam, *Nausea.* recipe crustam panis, quam asperso pulvere Cymini, calidam ventriculo applica. posset & panis tostus sumi, qui aceto forti imbutus aspergêdus pulvere Cymini, & Garyophyllorum, ventriculóque imponendus calidus. *Sugillata.* ad suggillata ex quacunque causa, valet Cyminum in pulverem tritum, & ceræ ad ignem commistum. ardori urinæ, aliisque vesicæ vitiis auxiliatur Cyminum in vino coctum, & umbilico calidè inductum. *Collectiones testium.* Cum farina Fabarum, teste Camerario, utiliter collectionibus testium imponitur: & tumentibus, dolentibúsque equorum cruribus frequenter inducitur. non pauci Cyminum in columbariis suspendunt, odorem enim ejus sequuntur columbæ.


CVMINVM SILVESTRE veteribus duplex.

Diosc. 2 genera. Cymini silvestris duo genera describit Dioscorides. Plurimum, inquit, & efficacius nascitur in Lycia & Galatia Asiæ, & in Carthagine Hispaniæ. Frutex est caule palmum alto, tenui, in quo foliola sunt quatuor, aut quinque, tenuia, velut terra incisa, ad Gingidij modum: *Gingidij folia.* capita verò in summo habet quinque aut sex, rotunda, mollia: in quibus semen acerosum, gustatu acrius quàm sativum. Nascitur in locis editioribus. *Vires.* Bibitur semen ad tormina & inflationes cum aqua: cum aceto verò singultus sedat: ad bestias venenum ejaculantes, & stomachi humiditatem cum vino. Tollit & sugillata commansum, & cum melle, aut uva passa impositum. Inflammationes etiam testium sanat cum iisdem impositum. Est & alterum genus silvestris Cumini, simile sativo, quod ex singulis floribus sublimia cornicula producit, in quibus est semen simile Nigellæ. Hoc potum ad serpentium morsus optimum auxilium est. Opitulatur & urinæ stillicidio, & calculosis, & his qui sanguinis grumos mingunt. Sed his Apij semen fervefactum insuper bibendum est.

Plin. Cuminum silvestre est prætenue, quaternis aut quinis foliis veluti serratis, inquit Plinius. Et paulò post. Silvestre ad omnia eadem efficacius. Præterea ad serpentes cum oleo, &c. Vide plura loco superiori titulo citato, de Cumino sativo veterum. Galenus silvestre Cuminum præteriit, & etiam Aëtius & Paulus.

Primum silvestre Dioscoridis Cuminum Turnerus se videre non meminit. posterius putat se vidisse. Italì quidam censent Nigellam citrinam esse Cuminum silvestre. *Nigella citrina.* Alij putant Nigellastrum esse Cuminum silvestre alterum. Sed nec Nigella citrina, nec Nigellastrum esse potest. Cuminum silvestre, nisi Nigella Romana hortensis sit etiam Cuminum silvestre. Persimiles enim sunt formâ foliorum, seminis & odore. Cuminum alterum silvestre cornicula fert, in quibus semen, Nigellæ simile. Nigellæ genera habent quidem Cornicula, nullum tamen in iis semen; semen enim in medio capituli continetur, tenuibus membranis distinctum. Nequit ergo sive Nigellastrum, sive Nigella citrina esse Cuminum silvestre alterum. Assentitur Turnerus Gesnero, qui Consolidam regalem esse Cuminum silvestre alterum arbitratur, quæ opinio displicet. *Consolida regalis.* De Cumino silvestri primo odorato, globuloso nunc dicendum.

CVMINVM SILVESTRE PRIMVM valdè odoratum, globulosum.



Descr. Variè divaricatos ramos dodrantales, teretes habet, medullâ candidâ plenos: folia palmum longa, pinnata, Pimpinellæ sanguisorbæ foliis similia, foliola singularia, profundè serrata. extremis ramulis hærent glomerata capitula, è villosis candidis penicillis, quibus semina adhærent, congesta, quibus subjecta sunt radiata foliola, profundiùs incisa & veluti spinosa.

Synon. Matth. in Diosc. in post. comm. cum mag. fig. item epit. cum addit. Cam. figuram habet sine descriptione, in qua flores non bene exprimuntur. Is verò cum Dodon. lat. in fol. nominat Cuminum silvestre. Lugd. p. 677. Cuminum silv. 1. Matthioli. Tab. Cuminum silv. erraticum. Castor. Cuminum silv. primum. Lob. in Adv. p. 310. Cuminum silvestre Dioscoridis, & ita etiam in Icon. p. 743. Porta, Cuminum silvestre primum Dioscoridis. Ang. Cyminum silvestre.

Et sanè Cyminum de quo agimus, meliùs placet pro Dioscoridis Cymino silv. primo, quàm Cuminum vulgare, quod silv. esse suspicatus est Cæs.

An Cordo in Diosc. l. 3. c. 69. Cyminum silvestre, quod Gabelkümmel à Germanis vocari ait, quo-

Leporis cubile. niam Avenæ modo glumosum sit. B. pin. Cuminum 3. silvestre capitulis globosis: Lago chymeni, i.e. leporis cubile in insula Lemno, Bellon.

Locus. Cyminum silvestre primum Dioscoridis, odoratum valde provenit mihi Lugduni in horto. Studtgardiâ mihi missum semen quondam per hortulanum Ducis Florentini, qui Cuminum silvestre Candiæ inscripsit, Montbelgardi satum in horto E.C. excrevit.

Vires. Calefacit, authore Matthiolo, exsiccat, aperit, digerit, incidit, resolvit, & provocat. Vires ex veteribus præcedenti titulo adjecimus.

AMMI ANTIQVIS, ET IN genere. CAP. XVI.

Diosc. exemplaria non conveniunt. AMMI nonnulli Æthiopicum, aliqui regium Cuminum appellant [*ὅτι καὶ τοῦτο Αἰθιοπικόν, ὅτι ᾗ βασιλικὸν κύμινον καλοῦσι. desunt hæc in Ald. aut. & ad nota releguntur. Alij etiam nonnulli codices hic carent, usque ad γνώριμον, i.e. vulgo notum.*] Alij alterius naturæ Æthiopicum Cuminum: & alterius Ammi esse prodiderunt. *Delectus.* Vulgo notum est semen exile, multò minus Cumino, & Origani sapore. Eligito purum, minimèque furfurosum. *Vis. Usus.* Vim habet hoc quoque excalfactoriam, urentem & exsiccantem: valet ad tormina, urinæ difficultatem, ac venenatorum morsus, ex vino potum. Menstrua quoquè ciet. Miscetur & cutim erodentibus medicamentis è cantharide paratis, quo resistat urinæ difficultatibus, quæ alioqui id genus medicamentis supervenire solent. Sugillata cum melle impositum tollit. Sed & potu ac illitu colorem pallidiorem efficit. Suffitum aut cum uva passa, aut resina, vulvam purgat: Diosc.

Ammi Plinio. Cumin Aethiopicum est regium Hippocrati. Est Cumino simillimum, quod Græci vocant Ammi, inquit l.20.c.15. Plinius. Quidam verò Æthiopicum Cuminum id esse existimant. Hippocrates regium appellat, videlicet quia efficacius in Ægypto judicavit. Plerique alterius naturæ in totum putant, quoniam sit exilius & candidius. Similis autem & huic usus. *Usus.* Namque & panibus Alexandrinis subditur, & condimentis interponitur. Inflationes & tormina discutit. Urinam & menstrua ciet. Sugillata & oculorum epiphoras mitigat. Cum lini semine scorpionum ictus in vino potum drachmis duabus: privatimque cerastarum, cum pari portione Myrrhæ. Colorem quoque bibentium similiter mutat in pallorem. Suffitum cum uva passa aut resina, vulvas purgat. Tradunt faciliùs concipere eas, quæ odorentur id per coitum.

Gal. temperamentum. Hujus meminit quoque Galenus dicens, Herbæ, quam vocant Ammi, semen maximè est utile: facultatis est excalfactoriæ, & desiccatoriæ, tenuiumque partium. Sed & gustu subamarum est, & acre: & clarum est quod & digerat, & urinam moveat. Fuerit autem in calfaciendo, resiccandóque ex ordine tertio intenso.

Marcell. Ammi peregrinum semper Græciæ & Italiæ fuisse scribit Virgilius Marcellus: sive sui generis herba & semen: sive Cymino congener sit, meliúsque & efficacius in Ægypto nascatur. Eámque ob causam usam eo antiquam medicinam esse aliunde invecto. *Ammi domesticum quondam in Ægypto.* Fuisse præterea in Ægypto quondam domesticum Ammeos hujus & quotidianum usum: panibus enim compissum & alimentis mixtum solitum fuisse comprobare Plinium. Adhæc majore in extenuando vi, quàm Cyminum esse. Quæ porrò à principio hujus capitis leguntur, vocare quosdam hoc Æthiopicum & regium Cyminum, ex aliorum opinione, non Dioscoridis decreto intelligenda esse. Neque enim ipsum id probare: sed à quibusdam sic vocari, tantùm testari. Siquidem Æthiopici & regij voces bonitatis à gente in Cymino notæ sunt, non generum diversitatés.

Marantha nominum proprietatis atque etymon investiganda suadet. Nos si nominum proprietates atque etymon vestigaverimus, inquit Marantha; non dubium est, quin multa nobis simplicia innotescant: quæ alioqui non innotescerent. Nominis namque proprietas denotabit nunc medicamenti formam, nunc facultatem, nunc odorem, vel aliquid ejusmodi; ita ut aliqua nota effatu digna medicamento addatur, quæ faciliorem ejus cognitionem reddat, ut in ea planta, quæ Ammi à Dioscoride appellatur, clarissimè apparet. ex descriptione enim seminis (namque id tantùm describit) forma nullo pacto sumi potest, sed solummodo sapor, sive odor Origano proximus, & quod exile sit semen: quam ob rem diutiùs omnibus ferè incomperta fuit. *Ammi Fuchsii reprob.* Quam namque pro Ammi Fuchsius depingit, proculdubio ipsa non est; nullum enim Origani saporem repræsentat. quare alij aliud semen receperunt minutissimum; cujus plantam in Apulia sæpissimè legi: & est quam Senensis [*Matthiolus*] depingit, quanquam verum Ammi esse non consentit. redolet hæc mirum in modum Origanum, & apud omnes ferè materiæ medicæ peritos (scio enim Fuchsium mutasse sententiam, & cum cæteris consentire) pro vero Ammeo habetur. Verùm si rectiùs intueamur, ex alio nomine, quo illam appellatam Dioscorides asserit, clarissimè colligemus, longè aliam plantam esse Ammi: *Aethiopicum cuminum quorundam, Diosc.* inquit enim a quibusdam appellari Æthiopicum Cuminum. ex quo non obscurè colligitur, Ammi semen, cum Cumini semine multam habere similitudinem; non enim ab odore esse potest hæc similitudo, quia odor Origano proximus est, non autem Cumino, sed à forma; quod & ostendit, id quod subdit, semen est exile multò minus Cumino; quasi vellet nullam aliam esse (quantum ad figuram attinet) discrepantiam, nisi magnitudinis; quod clariùs ex Plinio colligitur lib. & cap. citato, ubi habet. Est Cumino simillimum, quod Græci vocant Ammi, quidam verò Æthiopicum Cuminum esse existimant, &c. plerique alterius naturæ, in totum putant, quoniam sit exilius, & candidius. quæ verba longè clariùs ostendunt, id semen; quo passim pro vero Ammi utuntur, quódque à Senensi depingitur, non esse genuinum Ammi: est enim nigri coloris, nedum Cumino candidius. *Ammi verum.* At verò verum Ammij semen ad me misit Ghinus, Dioscoridis & Plinij descriptionibus penitùs consentiens. erat enim Cumino simile, exilius tamen, & candidius, odore & sapore Origani. Hæc Marantha.

Appellationes variæ. *Ἄμμι*, ut Tabern. memoriæ prodidit, vocat Gal. 6. simpl. & ... Aëtius *ἄμμιον* & *ἄμιον*. Lat. Ammi, Ami, Amium & Ammium. Herbarij Ammium Alexandrinum, Amomum Syriacum, Caminella, Cuminella, Cyminella & Muriola. Medici & pharmacopœi Ameos, Amios, Ammeos & Ammios, in genitivo casu indeclinabiliter. Serapio simpl. c. 287. *Nanochach*, & *Anazue*; Averrhoes *Navoca*. Glottographus antiquus Avicennæ *Alvenic*, & *Neraberti*. Avicenna *Manochne*. alij verò Arabes *Anemo* sive *Aneme*, *Ecindebel*, *Leligan*, & *Leligani*, *Nachana*, *Nemicha*. *Nemichie*. *Nenuca*. & *Nenucha*, addit. Matth. *Nanachua* sive *Nanachue*. Ital. *Ammio*. *Ammi* & *Ammeos*. Hisp. *Ammi* & *Zanagria*. Gall. *Amm*. Boh. Ammi Pol. Polßkitnna. Angli Ammy/ ut & Belg. Ger. Ammey/ Ammy & Ammeysi aut/ & Alexandrinischer Ammey.

Aequivoca. Ammeos porrò nomen sequentes assumpserunt sibi plantæ.

Ammi odore Origani.

Ammi semine tenuissimo & odoratissimo.

Ammi vulgare majus latioribus foliis, semine minùs odorato.

AMMI

AMMI, ODORE ORIGANI.

Descr.



AMMI Creticum mihi ad cubiti altitudinem excrevit, caulibus pluribus, ramosis, nitidis, striatis, & geniculis nodosis: folia infima quidé latiuscula, multifida, ad Cari nonnihil accedentia, superiora verò multò tenuius dissecta, non minùs ferè, quàm Chamæmeli; odore, si teratur, admodum aromatico, Origani, sapore non dissimili: umbellæ frequentes flosculorum minutissimorum, albicantium, nec verò solis umbellis sunt subjecta tenuia folia, ut in Visnaga, sed & umbellarum particulis singularibus: semen succedit Anisi facie, sed minus, insigniter aromaticum: radix crassiuscula subest.

Amomum quoddam Mauri cujusdam.

Crediderim loqui de hujus plantæ semine, Anguillaram epist.7. dicentem. Anno 1549. Maurus quidam appulit ex Alexandria Venetias secum habens duos saccos seminis, quod pro Amomo vendere volebat, quod mihi exhibitum fuit, ut judicarem an Amomum esset, néc ne. Ego gustato eo, & ejus odore perspecto, dixi non esse Amomum, sed Ami. Quæ opinio cum ipso semine sparsa fuit in Italiæ varias partes. Vnde omnes reliquerunt Ammi M. Lucæ Ghini, & hoc omnes semper receperunt pro vero Ami. Id autem mali est, quod non existimem, amplius adferri, quod non multum lucratus est mercator, qui emit, nec is qui vendit. Hoc autem semen ex Alexandria allatum saporę & odore in omnibus respondet verbis Dioscoridis, exceptâ figurâ: non enim admodum simile est Cumino. Sed Dioscorides capite de Petroselino dicit, semen ejus simile esse Ammi, cui respondet semen nostrum, & figura simile est Petrosolino, quod in montibus nascitur, quod multò minus eo est, quod colitur. Planta, quę verum nostrum Ammi fert, folia prima similia habet, foliis vulgaris Nigellæ, sed crassiora, deinde alia subtiliora & minora. Caulem fert cubitum altum, cui insidet umbella similis Dauco Cretico, cum flore pallido. Vbi decidére flores, relinquit semen supra dictum odoratum & saporis Origani. Non provenit in Italia. nascitur quidem aliud simile sapore & odorę: sed multò minus, quod etiam pro Ammi usurpari potest: quòd aliud finito hoc Ægyptio habere non poterimus, nisi alij fortè adferant.

Ammi aliud.

Ammi Germ. Cam.

Non displicet figura à Cam. ad hist. Matthioli germanicam & ad ep. p.521. posita, pro Ammi vero, non item pro Matthioli Ammi, quod à Cretico, seu vero diversum. Matth. in comm. post. cum mag. fig. plantam nostram Ammi Alexandrini legitimi & veri titulo pingit. In edit. C. Bauh. vocatur Ammi peregrinum ex Alexãdria apportatum, Arabicum, Ammi 1. poniturq; fig. Ammi Cretici Lob. verùm hoc Ammi miscetur meo judicio cum vulgari, & cum Matthioli Ammi, q pingebat, quódq; tenuissimo est semine.

C. B. confusio.

Cuminum sativum. Cæs.

Cumini sativi nomine describitur semen hoc à Cæs. Cuminũ sativum, inquit, existimo semen quoddam exiguum, quod ex Orientalibus adfertur, Ameos nuncupatũ in officinis, acre & jucundum; sed plantã videre ei non licuit: & ex hoc genere illam esse putat, quæ fertur in Hispania, Visnagã vocatam.

Ammi Amomum habitum fuisse, sed falsò. Amatus quoq; novit. Ait enim in Diosc. l.3. enar.68. Ammi cujus gignendi casus, Ammeos est, semen album & exiguũ est, quod Origani saporẽ & odorem habet, & nunc ex Alexãdria adfertur, quod Amomum appellant, falsò tamen & corruptè, quum pro Ammi Ammomum pronunciant. nã Amomum, uti l.15. H. n. g. dictum, botriolum, tanquam uva minuta est. Est enim semen Ammeos simile semini Anisi, quod ex Alexandria adfertur, sub nomine Amomi.

Ammeos genus alterum, Turn.

Turn. hoc intelligit per alterũ illud genus, Ameos sc. quod verum esse ait. & nuper in Italia inventum. foliis multò minoribus, quàm ullum aliud, cujus semen adferebatur tunc Francofurtum venale sub nomine Amomi; quidam tamẽ verũ Ammi appellant, potissimũ materialistæ ut vocant, Norimbergenses.

Nomen.

Gesn. h. vocat Ammi, Venetiis habitum ex Alexandria, nomine Amomi, Aniso simile, Amati Lusitani. Lob. adv. p.321. Ammi ex Syria aut Creta. In observ. p.414. & Icon. p.725. Ammi Creticum Aromaticum Lugd. Ammi Creticum aromaticum Lob. Tab. hist. Ammium 3. Creticum, seu Candiacum. Bauh. apud Matth. Ammi 1. semine Apij: Ammi, Lac. Cast. Cam. Eid. B. pin. Ammi 2. semine apij: Ammi majoribus & serratis foliis semine apij, Gesn. h.

Locus.

Ammi plãtam primò vidi allatam a fratre ex horto Bononiensi. Ex semine ab eo Neapoli misso provenit Montbelg. in horto E. C. ubi cubitalis facta, copiã pluviarũ periit. annua est: semen validi erat odoris & Origani. Hujus Ammi semen habui etiã à Valer. Doutrez, cũ præessem Lugd. & Genevæ examini Theriaces & Mithr. datij, quod etiam in eã Theriacã impositum. Ammi semẽ, quod plusculis ab hinc annis cœptũ fuit devehi ex Syria aut Creta Venetias, hortẽsi Apio par, sed flavũ, gustu aromaticum fervidum, Origanum præferens, sæpius sarè non victum, aut marcidum, delusit nos, inquit Lob. & in eam suspicionẽ cõjecit, quã quidã nos monuerat, fieri posse ad Theriacæ Venetæ mysteria, ut hebræus magno, Cretensiũ & Syriacorũ portuũ telonarius, decoctione dilutóve semina macerãda merserit: sicq; cõpẽdij causa cũ pharmacop. Venetis nõ parũ gratiæ inierit.

Vires. Sterilitas mulierum.

Ammi legitimi semẽ quod ex Alexandria affertur, mirificè præstat ad mulierũ sterilitatẽ. Nã cõpertum esse scribit Matthiolus in edit. C. Bauh. seminis auxilio, plures prolificas effectas. Siquidem si propinetur manè drachmæ põdere ex vino meraco, aut carniũ jure in tenuẽ pulverẽ contritũ, alternis diebus, tribus horis ante cibũ, futurã pollicetur prolẽ, sed oportet maritũ cũ uxore tẽ habere iis tantũ diebus, in quibus illa semẽ nõ biberit. Quod tamẽ diutiùs sumi nõ debet, q̃ quatuor, aut quinq; diebus, est enim ad sterilitatẽ præstantissimũ auxiliũ, & pluries expertũ.

AMMI SEMINE TENVISSIMO, & odoratissimo.

Descr.

HErba est pedalis, interdum bipedalis, caule tenui, fragili, fœniculaceo, medullâ albâ pleno: folia prima longa, profundè undiq; incisa: superiora fœniculaceis aut anethinis similia, paulò tamen tenuiora. extremis ramulorũ hærent umbellæ parvæ, inæquales, flosculis albis cõtextæ: semen minimum odoratissimum, calido & acri gustu: radix parva, gracilis, lignosa, per ætatem in fibras diductã: sapore ferè Pastinacæ.

Ammeos vera plãta incognita in Italia.

De Ammi hoc videntur hæc tradere Monachi in Mes. dist.1. cens.27. Non est hodie quod sciamus in Italia, qui Ameos certi veram agnoscat plantam. Vnde varij pharmacopolæ variis pro eo utuntur plantarum seminibus. Certè verum Ammium non est cognitũ in Italia, neq; est, q̃ multò pejus est, qui



quærat agnoscere. Omnes enim accipiunt, quod primum ad manum venit. Emunt & vendunt, sed quid emant, quidve vēdant, ignorant. Pro Ammi autem confitemur, nos ambigere, an verum sit quo utimur. Attamē valde approximatur Dioscoridis & aliorum descriptionibus. Vnde malumus (usque dum habeatur cognitio veri Ammeos) uti eo, quàm tot diversis herbarum seminibus, non solùm nobis, sed etiam Medicis peritioribus incognitis. Planta autem seminis, quo utimur, est exilibus foliis, tenerrimo ac minimo Fœniculo similibus. Hasta recta, duobus palmis ferè extollitur, gracilibus ramulis plena, in quorum summitatibus umbellulæ sunt breves, Dauco similes, multò tamen minutiores, in quibus flosculi albi, & semina minutissima insunt. Quorum odor Cumino sativo non absimilis est: sapor autem non (ut ait Dioscorides) Origani (si tamen hoc quo utimur verum Origanum est) sed dicti Cumini sativi, acutior tamen, & quasi ad Piperis gustum trahens. Sed plus de Cumino, quàm de Pipere sapit. Dictam autem plantam cum semine, foliis & parva radice (quæ alba est & lignosa) ostendimus pluribus probatis Medicis, ac eruditioribus viris, à quibus omnibus valdè laudatum est tale semen, pro Ammi in confectionibus admittendum. Quod quidem semen plurimi credunt esse verum Ammi, quodq; quibuscunq. quotidie possumus ostendere: quoniam circa Romā, & pluribus aliis in locis provenit in inculto Solo, & juxtā viarum semitas.

Ammi Monachorum descriptio.

Ammi verum plurimorum.

An Ammi perpusillum, Lob.

An Ammi hoc intelligit Lobel. in Adv. p. 323. per Ammi illud, quod in Patavinis hortis coli, etiámq; non procul Ageno & Garumna in Aquitania se legisse refert, foliis & umbellis Dauci Cretensis, semine & radice hortensis Apij, neutiquam illis in Ammi seminē viribus expetitis præditum. Lob. fig. in Obs. p. 414. & Icon. p. 725. nomine Ammi perpusilli, non multùm placet: sed nec ea quam nos habemus ex Fuchsianis quæ emendanda erat ad plantam; & flos & semē separatum ex Cam. ep. p. 522. pingēdum.

Icons

Anguill. epist. 7. vocat Ammi aliud proveniens in Italia, cujus usum admittit pro vero Ammi.

Ammi Matth.

Non negarit Matthiolus Ammi in Italia nasci, etsi in officinis hactenus verum non repererit. Siquidem Anguillarius ex Patavio ad ipsum misit legitimum Ammi. Verum enimverò huic sanè illud non adstipulari tradit, quo Monachi usi sunt, utpote qui suum Ammi (hoc sc. nostrum) nullo Origani sapore commendari fatentur. Ait præterea Matthiolus in com. cum mag. fig. Non propterea dicam, non nasci Ammi in Italia, quum verum in officinis non reperiatur, nuper mihi missum, in quo aliquæ notæ à Dioscoride descriptæ, quamvis sapor Origani non ita manifestus, ut in eo quod nunc adfertur ex Alexandria legitimum & verum, cum quo non conferendum Italicū, quod adfertur ex Apulia minimum pauci vigoris si saltèm vocādum Ammi. In editione C. Bauh. addit. Quod misit Anguillarius, caulē mittit fœniculaceum, foliis agrestis Pastinacæ, semine in umbellis exili & Cumino minutiore, Origanum resipiente, odoratū & acutum. Nascitur in monte Gargano, quod Italum est: quod verò peregrinum ex Alexandria apportatur Arabicum est. Eadem ferè in hist. ger. & ep. cum add. Cam. leguntur. Cæterùm, ut ex dictis colligere licet, diversa de Ammi scribit Matthiolus, figuram tamen eandem exhibet. Olim non descripsit, sed ab Anguillara missum ait, ac legitimum putat. In comm. It. cum mag. fig. non meminit Anguillaræ, & Apulum vocat: in ep. descriptio, quam frater recepit, nescio cui competat. in hist. germ. alia descriptio diversa. Figura tamen est Ammi: non placet pro ea figura addita à Camerario, tum ad ep. tum ad hist. ger. Meliùs arridet figura Matthioli, potissimùm inter minores figuras. Præterea planè nobis persuademus Ammi Monachorum non diversum à Matthioli, quamvis dicat non habere saporem Origani: videtur quoq; nobis tenuissimum illud semen habere saporē Origani, cōtra gustum Monachorum.

Legitimum ex Alexandria adfertur.

Matth. tax.

Ammi Monachorum idem cum Ammi Matth.

C. Bauh. error.

Bauh. apud Matth. malè separat Ammi parvum foliis Fœniculi, ab Ammi Matthioli, quod idem cum jam dicto. Non absque titubatione quoque indigenam herbam Italiæ dicit, delatam ex Alexandria. id enim cōpetit Ammi Cretico, quibusdā dicto: quamvis idem ante ipsum scripserit Dodonæus, nō agnoscens Creticum vel Alexandrinum. Verba fratris hæc sunt. Ammi 2. sive parvum foliis Fœniculi, herba est exigua, ex radice parva aliquot cauliculos tenues, brevésque emittens: circa quos folia Nigellæ oblonga, tenuissima, capillorum instar dissecta, & sensim magis attenuata, umbellas habet parvas, candidas, exiguis flosculis quadrifoliis, quibus succedit semē minutissimum, acre & suave: ex Alexandria Ægypti in Italiam allatum, nūc in hortis & Italiæ (apud quos & in Ilva provenit) & Germaniæ facilè provenit, quod pro Sisone aliqui habent. Eum autem separare Ammi suum parvum foliis Fœniculi, ab Ammi Matthioli, ita patet. Vocat Ammi Matthioli, Ammi 1. quod nos appellamus Ammi odore Origani & Creticum quorundam, de quo ante egimus. Hoc verò Ammi, vocat Ammi parvum, Dod. gall. Ammi verum Ges. h. Ammi perpusillum Lob. & Lugd. Ammi alterum parvum, vel tenuifolium minus Dod. in fol. lat. Ammium primū Alexandrinum Tab. Ammi, Cæs. Ammi simile, Anguill. Nobis autem dictorum autorū Ammi ab Ammi Matthioli, quod B. malè Ammi Creticum facit, in nulla penitus re differt. Ammi Matthioli & Creticū vocat Cam. h. sed nescimus an unā vel duas species existimet. Sed ipse Bauh. in pin. certiora docet. Ammi 3. parvum foliis fœniculi, inquit, est Ammi, Matth. Ang. Lac. Cast. Cæs. Lug. & Cam. Ammi verum, Ges. h. Ammi parvum, Dod: gall. alterum parvum, Eid. fol. Ammi perpusillum, Lob. Ammium 1. Alexandrinum, Taber. Lugd. vocat Ammi Matth. p. 695. & videtur secundā vice tradere p. sc. seq. 696. pro Ammi perpusillo Lob.

Ammi parvum foliis Fœniculi, C. B.

Sison nonnullorum.

C. B.

Syn. C. B.

Lug. lapsus.

Tab. not.

Videtur Tab. in hist. p. 366. per Ammiū 1. Alexādrinū describere Ammi tenuissimo semine: sed nō placet dicere Alexandrinū, & ex Alexādria Ægypti delatū: quandoquidē in Italia provenit: nescimus præterea quid intelligat per Ammiū Italicū, Apulū & Rom. sive Ammiū 2. nisi hoc idē, quāvis pro diverso ponat.

Schvv. falsus.

Æstimamus Schvvenckfeldium non distinguere verum Ammi Dioscoridis & Alexandrinum ab hoc quod minimo semine est: considerent lectores an quæ scribit de sapore ipse suo gustu observarit. Ammi, inquit, Dioscoridis, Ammi perpusillum Lobelij, Ammi Alexandrinū, Æthiopicum Cuminum, semen est gustu amarum, subacre & tenuium partium.

Cuminum æthiopicum.

Locus & Tempus.

Ammi semine tenuissimo & odoratissimo, Cretico est multò minus: odor quoq; paulò infirmior: differunt etiam folia: latū in horto meo Genevæ florebat adhuc Novēbri, & ex semine deciduo virebāt parvæ plātæ. Lugduni copiosè habebā in horto, ut & Basil.

Mont-

Montbelgardi in horto E.C. & meo satum florebat Augusto, semine quotannis se renovans: narravit mihi quidam Rizotomus, qui seminis magnam habebat copiam, abundare in Apulia. Solum requirit bene stercoratum, Soli expositum. *

AMMI VULGARE MAIUS, LAtioribus foliis, semine minùs odorato.



Descr. Ammi Cretico, & Ammi semine tenuissimo majus est, caule crassiore, striato, foliis latiusculis, oblongis, crenatis, multifidis, ad Podagrariæ folia quadantenus accedentibus, quibus tamen multò minora sunt superiora, in plures lacinias divisa. umbellæ inæqualibus contextæ sunt muscariis flosculorum alborum amplissimæ, longis pediculis, ad quorum coitum folia circumjecta sunt longa, in tenues, lori instar lacinias dissecta: semen majus, ignavius, quàm in Cretico & tenuifolio: radix gracilis, inutilis.

An Caucalis Cæs. Cæsalpini Caucalidem (de qua l.7.c.19. sequentibus egit) diceremus esse eandem, cum Ammi hoc: quia autem notæ quædam repugnare videntur, illud asserere non audemus. Caucalis, inquit, ubique in arvis nascitur, similis Dauco campestri, sed foliis variè divisis, ut in Coriandro: nam prope radicem sectiones longæ sunt ac subrotundæ, leviter in ambitu serratæ, ac leves; procedente tempore cùm caulescit, folia tenuius & inæqualiter scinduntur, & tandem redduntur Dauco campestri similia, subcandida & subhirsuta, rariora quàm Dauci: caulis candidus, ab imo ramosus, cubitalis & amplior: umbellas fert capillaceas, tactu aspero, quæ nequaquam clauduntur, ut in Dauco; flosculi candidi: semina parva ferè, ut Ammi; idcirco pro Ameos hodie à plurimis accipitur, sed pauca inest acredo, cum aliqua amaritudine, non insuavi: radix candida est, ramosa & parva, gustui non ingrata, coquitur in cibis ut Pastinaca silvestris. Dioscorides de Caucali inquit, ab aliis silvestrem Daucũ vocari: Plinius edi & Caucalem Fœniculo similẽ. Theophr. Daucũ recenset inter olera: Pes gallinaceus vertitur à Theodoro.

Dauco similis utrique.

Ameos plurimorum.

Caucalis Diosc.

Pes gallinaceus

An Matth semen legitimum Ammi menticatur.

An de hoc loquitur Matthiolus, cùm ait. Quamquam varia, ac diversa semina viderim, quæ legitimum Ammi mentiuntur, nullum tamen ex iis hactenus sese mihi obtulit, quod animũ ad credendum alliceret, verum Ammi ex Alexandria Ægypti ad nos deferri. Quod Ameos nomine in officinis passim habetur, cùm probatissimũ, Plinio teste, Cumino sit candidius, id nigricat, adeoq; vulgaris Petroselini semen æmulatur, ut visu ab eo dignosci minimè possit, sed in hoc gustũ consulere oportet. Nã cùm haud leviter sit acre, facultatis discrimẽ gustu facilè deprehẽditur. Præterea cũm hoc nullum Origani saporẽ gustui repræsentet, quẽ tamen referri verũ Ammi Dioscorides est auctor, adhuc clarius fit, id non esse legitimum. Veruntamen contrarium sensisse videtur Ruellius: quippe qui minùs fortassè accuratè ea examinaverit, quæ de Ammi Hippocratis testimonio, scriptis tradidit Plinius, de quibus ante.

Ruell. lapsus.

Ruell. ferè Sison. confundit cum Ammi. Videtur nobis Ruellius confundere cum vulgari Ammi, Sisonis semen, quod à quibusdam Ammi existimatur. Notum, inquit, officinis semen, Ameos nomine, quod Romanis Cuminum Alexandrinum dicitur. Quidam Æthiopicum Cuminum id esse putant, alij Regium Cuminum appellant. plerique in totum alterius naturæ existimant Æthiopicum Cuminum ab eo, quod vocatur Ammi, exilius multò quàm Cuminum, gustúsque Origani.

Ammi Trag. De Ammi (ita namq; inscribit præsentem nostram plantam) hæc habet l.2.c.118. Tragus. Sæpenumero equidem in hortis meis semen Ammios exiguum sevi, sed nunquam in his florem protulit, nisi an. 1536. quo hæc scribo. Ac animadverti semen Ammios in fine Aprilis mensis terræ mandandum, quam requirit Soli expositam & apricam. Erumpit autem primo exortu binis exiguis & acutis foliolis, veluti Petroselinum vulgare, post quæ alia subsequuntur, subinde auctiora & latiora, quorum nonnulla Fœniculi equini, aut Levistici aquatici foliis similia apparent. quamprimum in rotundos, concavos, geniculatos, & surculosos caules assurgit, in fastigiis magnas & perelegantes, candidóque flore refertas umbellas, Aniso ferè aut Coriandro similes, Iulio mense gerentes. Semen exiguum albicansq; Autumno appetente cum Fœniculo maturatur, gustu fervidum & acre. Planta est anniola, seu æstiva, ut quæ quotannis semine seri necesse habeat, nam postquã defloruit, semenq; maturavit, totâ suâ substantiâ, caulis, radix & folia pereunt. Proceritatem viri nonnunquam adipiscitur, multis ramulis & adnascentiis brachiatur; radicem habet rectam, candidam & lignosam. Hippocrates Ammi Cyminum regium appellavit, quod germanicè Hertzen [ferè melius Bönigs] Kümmel interpretari licet. Ægypto olim familiare fuit, pani enim compinsebatur, sicut apud nos Caros. Hoc pacto usurpatum tormina & inflationes ventris sedandi vi pollere traditur. Dioscoridi ἄμμι, Ammium Alexandrinum, Cyminum Æthiopicum (ger. Moerenkümmel) nominatur. Recentiores & officinæ Ammium & Ammeos vocant, Germani Ammey. Ammi Serapioni c.287. Nanochach, Anazue & Pomum anchenimon. De Ammi vide Gal. simpl. 6. Avic. l.2.c.62.

Semen in fine Apr. terræ mandandum.

Cyminum regium, Hipp.

Ammi Diosc.

Ammi Cordo peregrinum. Ammi peregrinum nobis semen est (inquit Cord. in Diosc.) & interdum ejus loco Petroselini semen Materialistæ pharmacopolis vendunt. Sevi aliquoties mihi missum recens Ameos semen, & nostrum cœlum minimè respuit, habetque mediam inter Apium, & sativum Petroselinum figuram. In hist. Ammi describit, eique Gesnerus figuram Tragi addit.

Ammi commune, Dod. Ameos officinarum, juxta Dodonæi opinionem, verum Ammi Dioscoridis est. is verò id describit & depingit in hist. gall. nomine Ammi communis; In fol. lat. Ammi vulgaris, latioris folij, quod majus ait.

Negat Ammi veterum Turn. Turnerus quidem Ammi veterum esse negat, sed ejus loco hoc nos uti posse admittit. Ammi, inquit, Græcis & Latinis, quo nomine & Angl. potest appellari. Officinæ Ameos nominant in gignẽdi casu. Herba Ammi in omnibus hodie officinis usitata, caule est longo, viridi, circa summitatem ramoso: foliis longis tenuibus, crenatis: flore albo in umbellis Anethi, semine parvo, amaro, calido. Etsi pro Ammi possit substitui, sitq; ejus species quædam, provenit tamẽ in Italia genus quoddã nobilius, q; vidi: Cujus si copia esset, ejus usũ, relicto hoc vulgari, cõsulerẽ. Nõ enim invenio in vulgari calorẽ illũ & siccitatem in tertio excessu, quẽ requirit Galenus. Quamquam interim nõ est contemnendum vulgare hoc Ammi.

Ammi species quædam melior an Sison?

Ammi vulgare. Cam. Ammi vulgare (ut pulchrè notat Cam. h.) à Trago Sepletisq; depictum, interdum longè alia folia proferre conspicitur, pluribus nimirùm incisuris prædita, & nonnihil crispa, ut penitùs diversa planta videri queat. Ammi enim vulgatum, si in asperis ac

FOENICVLVM TORTVOSVM. CAP. VII.

Descr.



FOENICULUM tortuosum vocant Mõspelij herbam cubitalem interdum majorem, caule striato, medulla alba, pleno Clusio unico, interdum Cubitali, sed sæpissimè minore: mox à radice in varios contortos ramos firmos diviso, crassiusculo, brevibus internodiis intercepto. folia fœniculacea, nõ ita tenuia, breviora, videlicet palmaria, rariora, duriora, colore ferè Anethi: Clusio Anethi ferè exilia, & minutim incisa, Rutæ propemodum colore: umbellæ parvæ exiguis floribus, quinque foliolis albis: aut etiam Clusio purpurascentibus, constant: semina alba striata, Dauci mei glaucifolij seminibus omninò, uti & tota planta, similia, semen Apij Clusio: radix longa, alba, crassiuscula, digitalis etiam interdum crassitudinis Clusio, comata, aromatica: tota planta odorata est.

Seseli Massiliense, Camer. & Lob. Camerarius, qui figuram habet ex plantis nostris, communicatis D. Gesnero, in epit. & hist. vocat Seseli Massiliense nonnullorum, Gallorum herbariorum Fœniculum tortuosum: De hoc Lob. in advers. ait. Seseli Massiliense, folio Fœniculi crassiore hoc titulo est in Icon. p. 785. planta est valde nota, Fœniculi tortuosi nomenclatura, quæ ad Theriacæ exquisitam confectionem, Monspeliensium Doctorum instituto, Rondeletij præsertim, additur, cujus sententiam non raro sequor. Neque quantum illic locorum est Massiliæ circum lustranti, ullam plantam videre est, quæ magis quadret Seseli, proindéque hallucinantis commentatoris [*Matthioli*] Tridentinum Seseli neutiquam genuinum esse quit: quid verò sit, cùm ille describere non ausus sit, mihi ignorandum. Illud tamen ignorandum, me in Tridentinis Alpibus hanc plantam uspiam vidisse, ac ne in Baldo quidem monte longe illis feraciore. Idem de Meo dicit. Senensis Massiliensium & Monspeliensium Anethum, Fœniculúmve tortuosum, tortuoso errore verum Dioscoridis Meum astruxerat, ansámque errandi Pharmacopœis Venetus præbuerat.

Fœnic tortuosum, Clus. Memorat hoc Clusius hisp. & hist. cap. de Selino peregrino, his verbis. Selino non possum non adjungere umbelliferam quandam plantam, quæ mihi plurimùm accedere visa est ad Seseli Massiliensis historiam à Dioscoride traditam, quam Mompeliani Fœniculum tortuosum appellabant: Castellani verò *Enxalmos*.

Lugd icones dua. Hujus Lugd. p. 749. duas figuras exhibet, quarum neutra placet. Primam ita inscribit: Fœniculus tortuosus Dalechampij; Alteram sic: Seseli Massiliense Penæ.

Fœn. marinum, Cæs. Cæs. pro Seseli Massiliensi describit, ac Fœniculum marinum appellari tradit, describiq; hoc nomine à Dioscoride: sed apud Theophrastum & Plinium mentionem quidem reperiri, non autem descriptionem: Aristotelem tradere cervas à partu Seselim herbam petere &c. Recentiores Medicos Seseli corrupto vocabulo Siseleos vocare, & Siler quoddam campestre. *Siler campestre.*

Bauh, phyt. Seseli 7. sive Massiliense Fœniculi folio: Seseli Dioscoridis habitum. Apud Matth. Seseli Massiliense nonnullorum, umbellis albis, rariùs subpurpurascentibus: semine Apij formâ, acri, calido. In animadv. in Lugdunensem testatur Fœniculum tortuosum Dalechampij Lugdunensis, & Seseli Massiliense Penæ esse figuras unius plantæ, quarum neutra sit perfecta: ac idcirco se novam in Matthiolo proposuisse: cum priori figura multùm convenire Meum aliud Lugdunensis p. 759. positum. Quam diximus ante à Camerario exhibitam ex nostris plantis, eandem assumpsit C. Bauhinus. Descriptio præterea Mei alterius non convenit huic: est Mei Dauci Cretici facie. Eid. B. pin. Seseli 9. Massiliense, Fœniculi folio, Seseli Dioscoridis creditum: Seseli Massiliense, Ang. Dod. Lugd. & Cæs. Fœniculum petræum [*existimamus nos hoc Fœniculum esse referendum, ad Daucum glauco folio,*] Tab. Variat in foliorum crassitie, tenuitate, longitudine, brevitate & divisurâ: in omnibus tamen glauca sunt. *C. Bauh.*

Locus & Tempus. Fœniculum tortuosum Monspelij passim copiosè provenit: florens vidi in superficie trium illorum admirabilium Pontium du Gab in rimis saxorum mense Maio & Septembri. Sunt qui propè colles oppidi Montisfiasco inter Senam & Romam observarint. Copiosum in maritimis Pisanis Salmanticensi agro observabat Clusius in vinetorum marginibus juxta vias & semitas, etiam agro Mompeliano, & toto illo tractu Massiliam usque.

Semen subamarum, calidum manifestè, non ineptè pro Seseli Massiliensi usurpandum esse censet Camerarius.

DAVCVS GLAVCO FOLIO, similis Fœniculo tortuoso. CAP. VIII.

Descr.



SAxorum intervenis pertinacissimè inhærent radices albæ, minimi ferè digiti crassitudine, rugosæ, acriusculæ, cum levi amarore aromaticæ, ex pluribus coëuntibus conflatæ, móxque in alias rursum post coitum divisæ, qua caulibus committuntur Daucorum more capillatæ: caules verò plures bicubitales sunt & altiores, graciles, striati, subrubertes, medullâ albâ farcti, ramosi: in quibus ad articulos folia Anethi, aut Fœniculi tortuosi, pediculis longis: particulæ latiores, crassiores, rigidiores, quàm in Fœniculo, & veluti pungentes, colore glauco, sapore acri. umbellæ parvæ flosculorum perpusillorum primùm purpurascunt, explicitę albescunt magis, apiculis purpurantibus inter folia interjectis. Semina propinquam maturescant quiddam purpurascentis habent ea parte qua decidit flos, ubi maturuerunt, alba sunt, striata, & Fœniculi tortuosi seminibus similia, saporis aromatici cùm quadam acrimonia. Tota herba omnibus partibus similis Fœniculo tortuoso nisi variat pro locorum ratione & anni tempore.

An Peucedanum, Gesn. An Gesn. coll. Peucedanum in horto meo, caule est dodrantali, foliis crassiusculis, per terram sparsis, umbellis albis. floret Maio.

Clusius videtur nostram plantam describere pro Peucedano Pannonico, quod non multùm differre putat à Saxifragia secunda Matthioli, idque frater C. Bauh. idem planè esse pronunciat. Quia autem planta, quam à fratre pro Saxifragia Matthioli accepimus, non parùm à Dauco nostro glaucifolio differt, ut lectores rem possint diligentiùs perpendere, integram Clusij descriptionem hîc adscribimus.

Peucedanum Pannonicum, Clus. Peucedanum quod in Pannonia observabam, inquit ille, radicem habet, ut plurimum pollicaris crassitudinis, interdum minorem, nonnunquam etiam majorem, longam, crasso cortice, modò candicante, modò fusco & nigricante tectam, gustu initio Pastinacæ, deinde nonnihil acri, transversis & obliquis aliquot crassioribus fibris donatam, supremo capite hirsutam: ex qua quinque vel plura exeunt folia, Peucedano vulgari & legitimo ferè similia, sed minora & breviora, colore ex viridi cæruleo, non, ut illa, nigricante, subamaro sapore, & odore ferè ignavo, nihilque singulare referente: caulis inter illa assurgit cubitalis, rotundus, gracilis, in multos ramos divisus, in quibus umbellæ candidorum florum: semen Selini ferè, breve & crassiusculum, geminum ut in omnibus pænè umbelliferis, cineracei coloris, saporis verò aliquantulum amari & acris. *Natales.* Provenit multis Vngariæ & Austriæ inferioris locis, montium acclivitatibus petroso, & salebroso Solo, ubi Iunio floret: at in illarum regionum Alpibus (ubi etiam nascitur) Iulio & Augusto, & subinde semen ferre non desinit. Non multùm differre videtur à Saxifragia secunda Matthioli.

Fœnic. petræum, Tabern. Tabern. Fœniculum petræum, Steinfenchel & Bergfenchel / Fœniculum saxatile & montanum. Lugdunens. p. 766. Libanotis minima. Quia Dalechampius vocat Libanotin, ideo occasio suspicandi nobis offertur, eandem fortè tradi à Lobelio in adversp. 351. pro Herbariorum Septentrionalium notiore Libanotide. quædam tamen nos dehortantur, ita ut cogamur separatim ejus historiam tradere, donec aliquid certius, de ea cognoscamus: Posset videri ab hac diversa Libanotis minima Lugdunensis: verùm eam differentiam à loco pendere suspicamur.

An Bau apud Matth. phyt. & pin. Peucedanum 3. minus: Peucedanum Pannonicum Clusij: Saxifragia 3. Matth. Lugd. Cast. Saxifragum, Lac. Peucedani facie pusilla planta, Lobel. ic. Peucedanum pannonicum, Clus. hisp. & hist. Matthioli Saxifragia 3. huc non referenda. Est enim diversa à Peucedano ejus tertio, sive minore. An Eid. phyt. Libanoti 5. sive minor umbellâ candidâ: Libanotis minima Lug. p. 766. quam multùm cũ Saxifragia Anglicana Lob. Icon. p. 784. convenire tradit. An Eid. pin. Libanotis Ferulæ folio 7. sive Libanotis minorum bellâ candidâ: Liban. Septentrionalium herbariorum, Adv. Libanotis minima, Lug. Nos de Libanotide Septentrionalium herbariorum, mox dicemus.

An Peucedani facie pusilla, Lob. An Lob. ic. p. 451. & adv. Peucedani facie pusilla planta, an Pseudobunion Dioscoridis? Palmaris, Peucedani facie, foliisque, sed brevioribus, & ad Fœniculum tortuosum Seseli Massiliense accedentibus, ramulis intortis latius, in alas sparsis, concoloribus: umbellâ exiguâ, candidâ, Anethi semine, Anisi breviore, exiliore, gustu grato, aliquantulum acri: radice crassiore, comosâ supernè, gustu Oreoselini, non longâ, parvi Napi, crassiore, quàm pro sui parvitate, cibo idoneâ: qualem Bristoiæ in Anglia, ad rupem Vincentij, ipse primùm magna copia reperit, & icone dat.

Locus cum tempore. Daucus glauco folio florens Iunio & Augusto, semen maturans Septembri, provenit inter dumeta loco herbido circa patibulum Montbelgardense in colle. Item prope hortum E. C. parva admodum & palmaris, & magis glauca: locis enim siccis & Soli expositis delectari videtur: in hortos, ob magnitudinem quam in eis acquirit, translata, multum de forma mutat, ut quis diversam putet. Nascitur Fœniculum petræum Tabernomontani locis saxosis, in montibus altis & rupibus, in Burgundia apud Musacon inter Dolam & Bizantium ad cautes sub Buxis, locis à Solle illustratis.

Vires. Fœniculum petræum, inquit idem. vim habet calefaciendi, ceu Fœniculum. calidum autem est in secundo gradu; siccum in primo. Calculum pellit & urinam movet.

DAVCO GLAVCO FOLIO FORtè similis, Libanotis Septentrionalium, flore candido, semine ferè Ammi.

Herbariorum Septẽtrionalium notior Libanotis Lobel. HANC Lobelius in Adv. Herbariorum Septentrionalium notiorem Libanotidem vocat, & hæc de ea scribit. Non perinde Libanotidi congruit hæc Ferulacea, quàm multi Herbarij horti, in Gallia, Germania, & Anglia fovent: tametsi caule gracili, recto, Mei, aut Anethi, striato, atrovirente, bicubitali sit, paucis alis & geniculis donato: in quibus, imis præsertim, Peucedani prolixiora folia, Fœniculi tortuosi, angustiora. Saxifragiæ Anglicæ, medio & superiore caule pauciora; umbellis & floribus pusillis & candidis, Mei: sed exiguum semen, sub Hyemem maturans, minus Carvi rotundi, ferè Ammi officinarum par, quod neutiquam potest convenire Rosmarini fertilis Dioscoridis semini, Cachryn, aut Canceryn vocati, quia grano hordeaceo esset simile, aut potiùs quòd urentis facultatis cùm esset, similem escaram inurebat cuti, atque pilula Cacri propterea ab antiquis vocata.


Descriptio hæc Lobelij habet multa, quæ conveniunt cum Dauco nostro glauco. quid autem velit per Carvi rotundum, nos latet: hoc epitheton nondum alibi legisse recordamur.

SELINVM MONTANVM PVMIlum Clusij, foliis Fœniculi aut Peucedani, flore albo, semine Selini.

CAP. IX.

Descr. ALIQVOT à radice spargit folia, Fœniculi aut Peucedani foliis formâ quidem similia, sed longè minora, & raro pluribus, quàm quindenis foliolis constantia, è quorum medio dodrantalem, crassumque fert caulem, in multos tamen ramulos divisum, sub quibus aliæ foliorum alæ minores nascuntur, novenisque duntaxat foliis constantes, latâ basi caulem amplectuntur, Pastinacæ sive Staphilini gustu & odore: singuli rami exiguorum florum quinque candidis foliolis præditorum cum totidem staminulis, & odoris expertium umbellulis sunt onusti: quibus succedit semen Selini semini non dispar: radix supremâ parte in crassum caput extuberat, multisque villis (qui foliorum superioris anni fibræ sunt) hirsuta, brevis, quasique in orbem convoluta est, intus fungosa & alba, externùs fusca & rugosa, infernâ parte bifida plerumque & in tenues fibras desinens.

Synon. Clusius descriptionis autor vocat in pan. & hist. Selinum montanum pumilum. Tab. Oreoselinum, Apium montanum, Bergpeterlin / Bergeppich. Bauh. phyt. Peucedanum 4. sive Peucedano similis, Selini semine, Peucedani facie pusilla planta Lobelij. An Selinum montanum pumilum Clusij? plurimum convenit cum superiore [*Peucedano minore sive Pannonico Clusij*] si non idem. Vix adduci possumus *C. Bauh.* à C. Bauh. ut credamus, hoc Selinum montanum Clusij esse idem, cum Peucedani facie pusilla planta Lobelij. Eid. B. pin. Daucus 4. montanus multifido folio Selini semine: Oreoselinum, Tabern. ic. & Ger. tertium, Tab. fol.



Locus & Tempus. Selini genus hoc exile & pumilum Clusij invenitur quibusdam siccorum, desertorúmque, virentium tamen, agrorum marginibus, & in nudis gramineisq; montibus inferioris Austriæ & Pannoniæ: floretque Maij initio. Biennalis esse arbitratur, uti pleræque sunt umbelliferæ, quæ prolato semine perire solent.

SAXIFRAGA MATTHIOLI TEnuifolia & umbellifera.

CAP. X.



De hac author passim agit. Ac imprimis quidem in prior. com. in Diosc. l. 4. cap. 15. (ubi eam Saxifragæ titulo pingit, ac Græcis σαρξίφαγον, & σαξίφραγον, Italis verò Sassifragiam nominari tradit) hæc de ea scribit. Licèt omnibus hujus ætatis rei herbariæ peritis satis supérque persuasum esse non ignorem, Saxifragæ caput Dioscoridis illegitimú esse, quòd Latina hujus plantæ nomenclatura contra Dioscoridis morem proferatur: tamen id mihi dissimulandum non putavi, Saxifragæ plantam habere, nosceréque Italiam, cujúsque usum præcipuè experti ad renum & vesicæ calculos comminuendos, & ad urinam remoratam ciendam. Eam autem in Hetruria pluribus locis è durissimis erumpere saxis, foliis capillaribus, Epithymo non dissimilibus, præsertim Argentario promontorio in maritimis. Inveniri quinetiam in agro Goritiensi, quibusdam saxis enascentem, juxta Sontij fluminis ripam, qua Salicanó rure itur Canalum. Sed aliquis fortasse objiciet, hanc plantam non esse legitimum Saxiphragon à Dioscoride descriptum, quòd ea nullis ferè notis Epithymum repræsentet. Neque id quidem temerè objicietur: etenim non video ego, quomodo Saxifragon rectè Epithymo assimilari possit. quod illud frutex sit, hoc autem tantùm absit à frutice surculoso, ut videatur potiùs esse quoddam capillamentum. Idcirco facilè adductus sum, ut suspicer codicem Dioscoridis depravatum esse: aut Saxiphragon frutex erit, qui solius duntaxat Epithymum æmuletur, ut illa folia satis ostendunt, quæ in hac planta, cujus imaginem hic expressimus, capillorum instar tenuissima conspiciuntur.

Quam porrò Matthiolus in priorib. comm. pro Saxifraga Dioscoridis habuit, eam in postremis rejecit. Prǽter Saxifragam Dioscoridis sive Vetonicam Pauli, tria alia Saxifragæ genera novimus (inquit in post. comm. cum magn. fig. ubi præsentem plantam Saxifragæ secundæ titulo pingit) quæ frangendis educendisque renum calculis plurimùm præstare videntur. Primum illud est, quod antea Dioscoridis Saxifragam esse suspicabamur. Nascitur hæc in ma- *Locus.* gnis, ac durissimis lapidibus, aut sicco, & admodum extenuato solo, foliis capillaceis, Fœniculi modo, sed *Descr.* longioribus, tenuioribus & rarioribus. Caule pariter prodit fœniculaceo, sed tenui ac pumilo; umbella in summitate emergente. Semine vulgaris Petroselini æmulo, sed longiusculo, & odorato. Ra- *Vires.* dice albicante, Pastinacæ sapore. Tota planta subacris est, & subdulcis. Eadem in Ital. comm. habet, ac pro Saxifragia 3. pingit, ceu & in epit. cum add. Cam. ubi hæ adduntur vires. Radix urinam ciet & menses quovis modo sumpta: visum acuit, & obstructiones reserat. In Hist. germ. cum ejusdem Cam. addit. vocat Welschen Steinbrech / Saxifragam alteram, aitque esse foliis Fœniculi, aut Anethi, & talem etiam caulem, nisi minorem & læviorem, umbellas parvas, & in iis semen. Hanc herbam utilem adversus icterum, incipientem hydropem, suppressa menstrua, diuturnum capitis dolorem, à pituita & frigiditate ortum: Succum foliorum in oculos instillatum albugines tollere & principium suffusionis, ac efficaciùs quàm Fœniculum.

Matth. inconstans. Matthiolus olim pingebat suam Saxifragiam sine descriptione, quàm postea mirùm evariat in postr. etiam comm. omittit loca, in quibus viderit, quasi olim non ibi observasset. in epit. vires alias addit, alias item in hist. german. denique in tanta varietate versatur, ut quis jure merito dicere posset, eum non cognita, aut non experta, aut non ritè considerata scripsisse. Frater C. Bauhinus attulit mihi plantam foliis amplis, Anethi tenuissimè divisis cum hac inscriptione: Petrasindula Italorum Gullandino, Saxifragia Bononiæ, Daucus primus Dioscoridis: hanc asserit collectam in horto Patavino; Similis mihi planta crevit Genevæ, quam tunc oblitus sum describere aut saltèm icone exprimere.

Saxifragia ferulacea Italorum, Lob. De Saxifragia ferulacea Italorum (quam eandem cum Matthioli jam dicta suspicor) Lob. in advers. p. 352. talia scribit. Quidam horti Italici, ut Vrbini & Florentiæ, alebant Saxifragiam bicubitalem, foliis ferulaceis, aut Fœniculi, minùs, aut minimè geniculatis, tenuioribus foliis, obscurè virentibus: floribus umbellatis, albidis, Mei, cujus videtur species. *Mei species* Radices albicant, Pastinacæ sapore.

C. Bauh. Bauh. apud Matth. & in pin. Saxifragiam tertiam nominat, Peucedanum minus, & Saxifragam 3. Matthioli, Lugd. Cast. Saxifragum Lacunæ, & Peucedanum Pannonicum Clusij. An verò Peucedanum Pannonicum Clusij, idem sit cum Saxifragia Matthioli, est quod dubitem: Peucedano Pannonico folia sunt minora & breviora, quàm Peucedano vulgari: sapor amarus: Saxifragiæ Matthioli folia Fœniculo longiora & tenuiora, sapor toti plantæ sub-

subdulcis. Planta etiam quæ mihi data longa habet folia. Et hæ causæ sunt cur separatim Peucedanum Pannonicum à Saxifragia Matthioli, & junxerim illud Dauco glauco folio, donec aliquid certiùs addiscam.

An Cæs. Pusilla quædam flosculis candidis An Cæs.l.7.c 15.de hac loquitur, cùm ait. Est quædam pusilla, quæ in apricis asperis nascitur inter saxa: paucis foliolis, rarioribus capillis, subcandidis: cauliculo exili non ultra duos dodrantes: ramis tenuissimis instar filamenti, quibus flosculi candidi ceu flores arescentes in sparsis umbellis: semen in Autumno figura Apij, exilius, nigrum, & aromaticum; acre: radix subrotunda, in tres aut quatuor ramulos divisa: sapore acri & amaro: Quidam Saxifragam vocant: *Cuminum Æthyopicum* arbitror Cuminum Æthyopicum dici. Hanc Cæsalpini plantam non audemus asserere candem esse cum Saxifragia Matthioli: quædam enim notæ repugnare videntur.

SAXIFRAGIA MVLTIFIDO FOLIO, PANNONICA.

CAP. XI.

Descr. MVLTO minor Peucedano [*Pannonico dicto Clusio, quod nobis videtur Daucus glauco folio, similis Fœniculo tortuoso*] est Saxifraga Pannonica, & brevioribus foliis prædita, Capni foliorum ferè æmulis, quorum sapor & odor, Peucedani Pannonici foliorum odorem & saporem quodammodo referunt, paulo tamen acriora sunt: inter quæ cauliculi exeũt pedales, graciles, geniculati, aliquot exiguis foliis exornati, summo fastigio candidorũ flosculorum umbellam sustinẽtes: radix Peucedani radici non multùm absimilis, sed brevior, acrior, salivamque ciens, multa hirsuta capita supernâ parte producens, è quibus folia & caules emergunt.



Synon. Clusio pann.p.694. Saxifraga Pannonica multifido folio: Eid.hist. Saxifraga Pannonica. Bau.phyt. & pin. Daucus 3. montanus multifido breviq; folio.

Locus. Inventa à Clusio descriptionis auctore multis Hungariæ & Austriæ inferioris locis, montium acclivitatibus petroso & salebroso Solo, præsertim verò in aperto & glabro illo monte, qui medium, quasi spacium, inter Hamburgum & Altenburgum Vngariæ urbes, occupat, etiam è mediis saxis plerumque erumpens. Sed & colliculo juxta Zimmerin, *Tempus.* itinere ad phasianorum, juxta Lachn, & plerisque aliis circa Viennam locis crescit. floret Iulio.

SAXIFRAGIÆ TENVIFOLIÆ affinis, quibusdam Caucalis.

CAP. XII.

Locus. HANC Anguillara epist. 7. Caucalin vocat, ac nasci in Peloponeso & multis aliis locis in saxis prodit, foliis Fœniculi, caule cubitali, umbella alba, semine Ammi: comedi: odorem habere Petroselini, vocari ab eis ἄγριον σέλινον, i.e. Apium silvestre: verba *Apium silv.* quæ legantur in Dioscoridis quibusdam exemplaribus (*foliis Apij similibus*) superflua esse, ut appareat ex textu græco & Plinio: Chrysippum vocasse Olus *Olus salsuginosum.* salsuginosum: Videri se intellexisse in Apulia provenire plantam, quæ dicatur Pietra findula, quæ multùm respondeat descriptioni hujus Caucalidis.



Plantam, quam Caucalidem Anguillara autumat, Lobelius jam dudum collectam in preruptis S Specus vocati, ad sarum Magdalenę in Provincia Narbonensi pingendam curavit: est verò caule Fœniculi & foliis & divisurâ cubitum alta: umbella albet & odorata est: radix unica, recta, humi pacta, candida, sapore Pastinacæ. Verùm hoc magis placent vulgares Caucalides.

Lobelio in hist.Belg.p.889. & Icon.p.727.Caucalis dicitur. Lugd.p.715.Caucalis Penæ. Tab.Caucalis Anglica, Kletten Körffel. An verò nomenclatura hæc germanica conveniat, judicet vel mediocriter doctus. Bauh.phyt.Peucedanum 5.sive Peucedano similis: Caucalis 3. Tab.an fol. Eid.B.pin.Caucalis 12.folio Peucedani. *Synon.*

APIVM, QVOD PETROSELINVM Dalechampij, folio tenui, Apij hortensis semine, subrubro, amaro, radice nigra.

CAP. XIII.

RAdix longiuscula & crassa, foris nigricat, intus albet, capite comato, earundem more quæ plures annos perdurant, sapore amaro. caules inde pronascuntur plures, fungosi, striati, pedales, interdum palmares dũtaxat, foliis amicti, Dauco glauco folio similib⁹. cauliũ scapus tripartitus primũ; laterales surculi umbellas gerũt flosculorum albicantium, parvas per florendi tempus, magis patulas euntibus in semen floribus: medius surculus rursum trifariam subdividitur, umbellis similibus onustus. semen Petroselini vulgaris.



Petroselinum hoc Dalechampio putatum; in Gavotis tumulis propè Gratianopolim nascitur, ut testatur p.702. Lugdunensis. *Locus.*

Synon. B.pin. Apium 5. montanum folio tenuiore, Petroselinum Dalechampij, Lugd. an Petroselini succedaneum, quod in Apulia Anethum silv. dicitur, Colum.

PYRETHRUM VETERIBUS. CAP. XIV.

Diosc. EST Pyrethrum, autore Dioscoride, herba quæ caulem & folia velut Daucus silvestris & Fœniculum producit, umbellam velut Anethum rotæ similem [*τεχνικὴν cod.Bas.forte legendum τροχοειδῆ.*] Radix est digiti magni crassitudine, gustanti fervidissima, quæ pituitam attrahit. Quare etiam dentium doloribus opitulatur, si cum aceto colluatur. Ducit etiam pituitam commansa. Quòd si cum oleo illinatur, sudores movet, faciens ad rigores diuturnos. Sed & ad corporis partes perfrigeratas, aut resolutas summè conducit.

Plin. Pyrethrum Plinius non descripsit, sed semel tantùm l.28.c.9. simpliciter nominavit. Galenus Pyrethri, inquit, radice maximè utimur, urendi vim habente, per quam & perfrigeratorum dentium dolores mitigat, & ante rigores per circuitum repetentes, cum oleo affricatur. Torpidis etiam ac resolutis utile est.

Aequivoca. Cęterùm, notum esse vulgò omnibus Pyrethrum, & maximè radicis in dentium dolore usum contendit Cornarius. Sed longè aberrat, meo quidem judicio. Plures enim hodie hoc nomine plantæ passim inveniuntur.

Pyrethrum flore Buphthalmi. Et primò Pyrethrum vulgare flore Buphthalmi de quo H.n.g.lib.præcedenti.

Dehinc, Pyrethrum umbelliferum Matthioli, de quo mox dicemus.

Item, Pyrethrum Gesneri.

Cotulæ genus. In Cotulæ genere in Gallia tradi radicem ferventis gustûs, ideoque Pyrethrum vocari, author est Cæsalpinus. Quænam hæc sit nos hactenus latuit. Si locum adnotasset, posteri indagare possent, qualisnam esset & supplere brevitatem, propter quam Cæsalpinus meritò reprehendendus est.

Saxifragia. Quam Saxifragiam hircinam majorem, aut saltèm mediam putamus, eam alij ex rei herbariæ prudentibus pro Pyrethro quodam ostendunt.

Ptarmica. Pyrethrum nominant Ptarmicam, quod Pyrethri modo, quanquam mitiùs vellicet. Atque hinc est, inquit Fuchsius, quod nonnulli pro vero Pyrethro, seducti ejus titillante acrimonia, descripserint.

Dracunculus hort. Radix penè nulla Draconi [*Dracunculi hortensis*] eorum arguit temeritatem, qui Pyrethrum fecere.


Tanacetũ. Apud Eucharium Roeslin Pyrethri vocabulo, icon Tanaceti posita est.

Valeriana silv. Pyrethrum de Valeriana silvestri dici, vide sub Pyrethro vulgari.

Staphysagria. Pyrethro substituere videtur Platocomus uvam Taminiam, i.e. Staphysagriam.

PYRETHRUM UMBELLIferum Matthioli.

PYrethri veri (ut Matthiolus ait) hæc est planta, cujus imaginem in post.comm.eum mag.fig. lat.l.3.c.71.Ital.cap.8c. expressit, quamque se non sine labore consequutum esse scribit. Sed unde, non ostendit, nec figuram eam describit. In epit.cum addit.Cam. Pyrethrum verum inscribitur, ac *πύρεθρον* græcè, arab. *Macharchaharha*, seu *Hacharar:barha*, italicè *Pyrethro*, german. Bertram / hisp. *Pelitre* & gall. Pyrethre cognominatur, ibidemque ei Pyrethri Dioscoridis descriptio, ac vires adduntur, non sine gravi lapsu, ut ego quidem existimo. In hist.germ. ejusdem, Pyrethrum alterum vocatur, ac præter dicta Bohemicè Beltram appellatur.



De Pyrethro altero, sic enim Lob. in Adv. præsentem hanc plantam vocat, hæc scribit. Pyrethri veri nomine donabat plantam Guillandinus, & alebat in Patavino horto, cui radices & folia Cotulæ fœtidæ. Vmbellæ ab uno quasi centro multis pedicellis innixæ, Venerei pectinis ritu, aut Anethi, candidis flosculis, fervido & amaricante gustu. Sed illudit lectori Senensis, qui hâc non nisi labore arduo sibi comparatam, neque omnibus cognitam asserens, quasi invideret nobis cognitionem, aut metueret criticorum reprehensionem, tacendo docet, nisi quænam illa esset, non perspectum planè fuerit illi. *Adv. Matthiolo.* Et sane minimè habet hæc alterius illius, [*vulgaris, flore Bellidis*] vires mirificas: ut neque nonnullæ aliæ, quæ quia gustu fervido sunt, & nonnullam foliorum similitudinem sortitæ, illicò ab intempestivis herbariis Pyrethri nomen accipiunt, quasi id præstaret Pyrethrum fervore tantùm, ac non potiùs aliâ comite facultate. Quid velit Lobelius, assignans huic radicem & folia Cotulæ, nos latet. non videntur respondere picturæ, quam ex Matthiolo assumpsit. *Lob not.* Cast. dicitur Pyrethrum alterum. Lug.p.1170. Pyrethrum verum Matthioli. Taber. Pyrethrum, Bertram / Speichelwurtz / Zanwurtz.

De Pyrethro hoc Cæs. l.7. c.30. sequentibus egit. Pyrethrum apud nos, inquit, in palustribus nascitur radice nigrâ, brevi, divisa in fibras, specie Meu, odorata, amara, linguam non statim exurente, sed cum plusculum mansa fuerit: folia fert Staphylini silvestris, tenuiora: caulem cubitalem, rectum, lævem, umbellas tres aut quatuor, in cacumine: flore subrubente: semina compressa, & rotunda, figurâ Lentis, nigra & ferventia. Chinarum Incolæ Imperatoriam vocant: exhibent radicem in vino malvatico drachmæ unius pondere ad dolores colicos magna efficacia; nam vehementer digerit flatus, & urinam promovet. *Imperatoria.*

Et hæc Cæsalpinus, quæ omnia Cam. apud Matthiolum germ.lib.3.cap.61.eo tamen non nominato transcribit. Quidam, inquit, describunt Pyrethrum in palustribus nascens, &c. quæ conveniunt cum figura Matthioli, quam posuit in lat.comm. nomine Pyrethri veri, sed ipse rem dubiam reddit, cum ait, se non sine labore eam iconem consecutum; & paulo post cum subdit, rei herbariç indagatores novum quoddam Pyrethrum ostendere, foliis hortensis Pastinacæ &c. Ita Matthiolus, quamobrem posuimus ejus figuram hoc capite & appinximus semen nobis missum pro vero Pyrethro, nigricans cum margine candido, ut veritatem rei diligentiùs investigent rei herbariæ studiosi. Hæc Cameratius, qui, ut dictum, omnia ea, quæ ex Cæsalpino ponimus, transcribit, eo innominato. Cæterùm, videtur is velle notare Matthiolum contrarietatis, quam non animadverto: quis olim priusquam picturam exhi-

beret Pyretri umbelliferi, scripserat de novo quodam Pyrethro, quod dicebat foliis hortensi Pastinacæ proximis, i.e. Germanicæ latifoliæ, & non *samen Mörhen oder gelben Rüben*/ ut vertit Camerarius, quæ sunt Pastinacæ tenuifoliæ, sive Carotæ.

Synon Variat umbella. Bauh.phyt. vocat Pyrethrum 1. sive umbellâ candidâ, quod ait se in horto Patavino collegisse, verùm umbellâ luteâ, longioribusque foliis, quàm vulgò pingatur. Sed hanc suam assertionem omisit apud Matthiolum, ubi frustra quærit, an fortè sit Pyrethrum Cæsalpini. Eid. B.pin. Pyrethrum 2. umbelliferum, Fœniculum montanum, Trag. Pyrethrum verum, Matth. Lugd. Pyrethrum Italicum, Gesn.h.ap. Pyrethrum alterum, Lob. Cast. & Tab. sylvestre, Ger. Saxifragiæ species, Dodon. 8. Pyrethrum Diosc. 1. Cam. umbellâ albâ & luteâ.

PYRETHRVM GESNERI.



Descr. Radice nititur longâ, simplici, modicè fibratâ, pallente, digiti crassitudine, fervidi & urentis gustus: folia Anetho similia prodeunt, caulis fœniculaceus, flos in umbella circinatæ rotunditatis, ut in Dioscoridis exemplaribus legendum sit, *σκιάδιον τριχώδες*, i.e. capillaceâ umbellâ. Quare nullam prorsus notam deesse ad veram Pyrethri delineationē putat Gesnerus, qui plantam appictam Pyrethri veri nomine ad Dalechampium ex horto suo Tigurensi transmisit.

Lugd. p. 1170. vocat Pyrethrum Gesneri. B.phyt. Pyrethrum 2. (3. pin.) sive foliis Anethi. Nostro judicio frustra quærit an Pyrethrum Dioscoridis.

CYMINVM, SIVE CVMINVM sativum veteribus.
CAP. XV.

Diosc. Dioscorides de sativo Cumino inquit: stomacho [*εὐστόμαχον*, *non stomachi, ut quidam codices habent*] utile est: sed multò magis Æthiopicum, quod Hippocrates regium appellavit. Secundum locum tenet Ægyptium: mox reliqua sequuntur. Provenit in Galatia Asiæ, Cilicia, & Tarentina regione, aliisque locis compluribus. Excalfaciendi, adstringendi & exsiccandi vi præditum est: ad tormina inflationésque convenit, seu coctum & cum oleo infusum, seu etiam cum hordeacea farina impositum. Datur & orthopnoïcis, in posca: demorsis à venenatis belluis, in vino. Testium inflammationibus auxiliatur, cum uva passa & Fabarum [*vulg. exempl. ἀλεύρῳ*] lomento, aut cerato impositum. Cohibet & fluxum muliebrem, sanguinisque è naribus profluvia, in aceto contritum & admotum. Cæterùm cutis colorem bibitum illitúmve mutat in pallorem.

Theophr. Cuminum Theophrastus inter olera recenset. Semine, inquit, est nudo, angusto, instar heturæ (sic enim interpretandum verbum *...*), quod Gaza canaliculatum vertit, nescit qua ratione Cæsalp.) inter semina fœcundissimum omnium Cuminum [*κύμινον*, *Corn. legendum censet ὤκιμον*, *ut Plin. habet.*] *Ocymum pro Cumino.* Peculiare etiam quod de hoc dicunt: imprecari námque & maledicere serendo oportere affirmant, quò lætius, copiosiusque proveniat. Difficile, ut ita loquar, omnia exsiccantur, Cumino excepto: quæ cortice continentur, difficiliùs exsiccantur, & inter ea maximè Ocymum. Pluribus constat generibus Cuminum (ait idem Theophr. hoc lib. 7. seq. cap. 4. Sed hoc loco legendum *σέλινον*, ut post legitur.) Idem *Selinum pro Cumino.* Hist. lib. dicto cap. 8. ait. Quod statim ab radice Cumino subnascitur & Hœmodorum vocatur, unicaule constat, nec absimili caule surgit: verùm longè *Hæmodorum.* breviori & modo capitis superiore quiddam gerente: radice autem subrotundâ nititur. Tandem c. 10. Nonnulla scabie atque salsugine pereunt, ut *Cuminum corrumpentia.* Cuminum.

Plinius. De Cumino pluribus in locis plura scriptum reliquit Plinius. Ita námque l. 19. c. 8. scribit. Condimentorum omnium fastidiis Cuminum amicissimum. Nascitur in summa tellure vix hærens, & in sublime tendens. In putridis & calidis maximè locis, medio serendum Vere. Alterum ejus genus silvestre, quod rusticum vocant, alij Thebaicum: si tritum ex aqua potetur, in dolore stomachi prodest. In Carpetania nostri orbis maximè laudatur, alioqui Æthiopico, Africóque palma est. quidam huic Ægyptium præferunt. Idem antea eodem hoc libro c. 7. dixerat. Quibusdam [*supple: sunt semina*] angusta & canaliculata ut Cumino, & nuda. Nihil Ocymo [*Cumino Theophr.*] fœcundiùs: cum maledictis ac probris serendum præcipiunt, ut lætiùs proveniat: sato pavitur terra. Et Cuminum, [*Et Cuminum, inquit Corn. est suppositum*] qui serunt precantur ne exeat. Eodem l. c. 10. Necatur Cuminum ab imo dorso, *Cumini morbus.* nisi repurgetur. Est autem unicaule, radice bullo simili, non nisi in Solo gracili nascens. alias privatim Cumini morbus scabies. Lib. 20. c. 14. Sed & sativi *Vires.* [*Cumini*] magnus usus, in stomachi præcipuè remediis. Discutit pituitas & inflationes, tritum & cum pane sumptum. Veruntamen omne pallorem bibentibus gignit. Ita certè ferunt Porcij Latronis *Pallorem inducit.* clari inter magistros dicendi adsectatores similitudinem coloris [*pallorū*] studiis contracti imitatos: & paulò ante Iulium vindicem adsertorem illum à Nerone libertatis captatione testamenti sic lenocinatum. Narium sanguinem pastillis inditum, vel ex aceto recens sistit. Et oculorum epiphoris per se impositum, tumentibus [*testiculis herniâ præsertim aquosâ, vel flatuosâ*] cum melle prodest. Infantibus impone in ventre [*ventrali Dal.*] satis est. Morbo regio in vino albo à balineis datur. Et c. 15. Æthiopicum [*Cuminum*] maximè in posca, & in ecleigmate cum melle. Africano privatim urinæ incontinen- *Urinæ incontinentia.* tiam [*ἀκρατείαν. de hac facultate Dioscorides nihil prodidit, nihil quoque de Cumino Africano, Dalech.*] cohiberi putant. Sativum datur ad jocinoris vitia tostum, tritum in aceto. Item ad vertiginem. Iis verò, quos acriore vi urina [*acriorum urina CH.*] mordeat, in dulci [*τῷ γλυκεῖ, vino passo, Dalech.*] tritum vino. Ad vulvarum vitia [*ore sumptum, Dal. in vino: prætérque impositis vellere foliis*]: testium tumoribus [*collectionibus, Diosc.*] tostum, tritúmque cum melle, aut cum rosaceo & cera. Silvestre ad omnia eadem efficacius. *Cuminum silv.* Præterea ad serpentes cum oleo, ad scorpiones, ad scolopendras. Sistit & vomitionem, nauseásque ex vino, quantum apprehenderint tres digiti. Propter colum quoque bibitur, illiniturque, vel penicillis fervens adprimitur [*adstringitur M.*] fasciis ad strangulationes vulvæ potum in vino aperit, tribus drachmis in tribus cyathis vini. Auribus instillatus ad sonitus atque tinnitus cum sevo [*sebo CH.*] vitulino, vel

vel melle. Sugillatis illinitur cum melle & uva passa & aceto. Lentigini nigræ ex aceto.

Pallens Cuminum vocat & Persius Satyra 5. Item Horatius lib. 1. epist. 3.

——— quod si

Pallerem casu, biberem exangue cuminum.

CVMINVM SIVE CYMINVM sativum.



CVMINVM, ita describente Cordo, sativum, sive ut aliqui scribunt Cyminum, parva & umbellifera herba est, altitudine rarò pedem excedens (Cæsalp. annua planta brevior cubito) tenuibus & in plures angustas partes sectis foliis (foliis paucis, raris capillis, Cæsalp. & flore candido) semine in umbellis (parvis & rotundis Cæs.) oblongo, utrinque acuminato, angulosio cartilagineo, in cinera- ceo colore subflavo, longitudine quartam unciæ partem æquante, gustu subamaro, tenui, mediocriter acri, & cum gravitate suaviter odorato. Radice nititur oblongâ, tenui, & cû maturuit semẽ, pereunte.

Ruell. Cuminum sativum non novit. Ruell. l. 3. c. 44. Cuminum nominat, & tamen non agnoscit. Cuminum, inquit, Latini juxta & Galli, rura nostra Comin appellant. Vnicaule, frequentibus ramulis brachiatum, folio penè Fœniculi, semine copioso & canaliculato, radice subrotundâ, quasi bulbosâ. Suspicor Ruellium nescivisse de qua planta scriberet. Rura Galliæ non ferunt Cuminum, sed Carvi, quod multis dicitur Comin, si novisset discrimen inter Carvi & Cuminum, annotasset capite de Carvi dici Comin, & id in Gallia vulgare: præterea ait radicem Cumini subrotundam, quasi bulbosam, qui morbus est Cymini Plinio & Theophrasto, quod ipse poterat observare ex verbis Plinij & Theophrasti, quæ adducit.

Negatur esse Cuminum sativum antiquorum. Cuminum præsens, esse sativum verum Cuminum antiquorum, dubitarunt quidam. Et ex his etiam Cæsalpinus est. Cuminum, inquit, vulgò appellatur semen, ex Orientalibus allatum. Quo minus sativum hoc affirmem, illud facit, quod non est ori gratum [*non enim legit Cæsalp. εὐστόμαχον. stomacho gratum: quæ vera & genuina Dioscoridis lectio est*] ut panibus spargi possit pro condimento: nec pusillum semen est, ut Theophrastus testatur, nec ullo pacto conferri potest, cum Ammi, ut vult Dioscorides: *Est Cuminum silv.* idcirco inclino magis in alteram sententiam, ut sit primum genus Cumini silvestris. Nobis contra Cæsalpinum nullo modo placet pro silvestri, quum alia planta multò meliùs conveniat, ut ostendemus.

Cumini 2. genera, Dalech. Commin fort Commin doux. Non desunt etiam hodie, qui Cumini plura agnoscant genera & recipiant. Et talis est Dalechampius. Hodie (inquit apud Plinium l. 20. c. 15.) è Melita Cumini duo afferunt: alterum acrimoniæ vehementioris, subnigrum, quod *Commin fort* [*Cuminum acre*] vocant: alterum candicans, gustûs levioris, subdulce, quod *Commin doux* [*Cuminum dulce*] appellant, quod ab Hippocrate regium vocari ait Dioscorides.

Genera Lobel. Plura quoque genera Cumini sativi agnovisse Lobelium ex sequentibus ejus verbis colligere licet. Cuminum haud sponte apud nos oritur, quod quidem aliquantum diversum diversis è locis Syriæ, Ciliciæ, & Græciæ allatum observatur. Quod enim albicat, hirsutúmque est semen, præstantius habetur, ac idem cum eo quod neutiquam hirsutum est, apud nos seri & virere solitum. Nec item putandum discrimen aliud fuisse Æthiopici, Gallatiive, quàm loci prærogativa: visusque est Hippocrates sativum istud albicans, hirsutúmque, Basilicum, seu Æthiopicum fecisse. Nec enim argumenti ullam umbram habent Patavini quidam herbarij, cum alius generis semen pro Æthiopico Cimino ostentant. pusillum enim valde est, acerosum, evanidum, viribus multùm & odore à communi deficiens.

C. Bauh. err. Cumini tandem plura genera tradidisse Theophrastum scribit C. Bauhin. Sed hoc erroneum est. Theophrastus non dicit Cumini plura genera, sed Apij. eo loco depravatè legitur κυμινου pro σελινου. id patebit legenti totum caput.

Matth. Diversas figuras habet Matthiolus. Rejectâ enim falsâ (eâ scilicet quam in priorib. comm. exhibebat) meritò in post. comm. aliam meliorem pinxit. Sed eam maximè probamus, quæ est in epit. ejus & hist. ger. cum addit. Camer. sub titulo Cumini sativi: nostram sculptor minùs fœliciter expressit.

Synon. Dicitur Cuminum sativum, Brunf. Trag. Matth. Cord. hist. (ubi Gesn. addit ex Tragi l. 2. c. 119. figuram, quæ an bona sit, videant alij) Cam. apud Matth. Dod. in fol. lat. l. 2c. & Castori. Cuminum sativum, Matth. Lugd. p. 697. Cuminum Dioscoridis Lob. qui in Obs. p. 428. & Icon. p. 742. figuram habet similem figuræ Matthioli in post. comm. positæ. Cuminum Ruell. (ut videtur) Corn. in Diosc. Dalech. apud Plinium, Turn. Lon. & Cæsalpino, cui & Cuminum officinarum, & Cumini silv. 1. genus Dioscoridis. Cyminum, Ang. Cord. in Diosc. (cui & Cyminum Romanum) Tab. sativum. Cam. Cuminum æthiopicum, Carnabadium Cass. Bassi & Myrepsis, Guill. Cuminum 1. sive Fœniculi folio Bauh. phyt. Eid. B. pin. Cuminum 1. semine longiore. Et, Cuminum 2. semine rotundiore & minore: Cuminum dulce Meliten sium. Hujus plantam non vidimus: at cum Dalechampij in Plin. l. 20. c. 15. notas legissemus, ex Melita duplex Cuminum, utpote acre & dulce adferri: & apud Megiserum in Melitæ descriptione, idem invenissemus ejus nomine ut haberemus laboravimus. quare, utriusque semen è Melita insula transmissum fuit: alterum longum, acuminatum, coloris sordidi, graveolens & sapore acri, cui Cimonagero, i. e. Cuminum silv. inscriptum erat: quod cum Cymino Æthiopico officinarum convenit. Alterum verò multò minus, Aniso simile, candicans, gustus lenioris & subdulce, quod nomine Cimonagero dulce, missum. Apud Melitenses copiosè seritur, ad panem condiendum, & ad mercaturam cum eo exercendam.

Nomina linguar. Græci Κύμινον vocant, & ad differentiam silvestrium Κύμινον ἥμερον. Sic & Latini Cuminum, & Cuminum sativum: Offic. Cyminum. Germani Kymmel/ quidam etiam Kymmich/ Garten: aut Römischen Kümel/ (Cuminum hortense, aut Romanum) zen er garten Kümel/ Kramkümmel/ & Pfeffer Kum mel. Belg. & Angl. Comin. Gall. *Cumin.* Montbelg. *Sist.* Ital. *Cumino.* Hisp. *Cominchos.* Bohem. Kmin. Arab. *Camum* seu *Kemum.* Cuminum verò quasi pra grans à verbo κύω manasse putatur.

Locus. Melitam insulam gignere Cuminum, notam herbam medicinis & condimentis, author est. fr. Io. Quint. Heduus, quod ait Solo gracili gaudere. Duo ejus

ejus genera esse: unum magnâ gustûs acrimoniâ, aromatum modo odoratum, Cuminum agrion vulgò vocatum: alterum per opinia referre Anethum & Anisum: sativum utrumque. Cumino Aphtico, quale hoc sit, palmam semper datam. In Chirman, quæ regio est Persiæ optimum Cuminum crescere testatur Linschottanus. Malayvenses Indiæ Orientalis *Jentanyeran* vocare. Importari ex Ormus in Dachem, & inde in Bantam, ubi satis charè divendatur. Cæterum, Cuminum sativum eligitur plenum, magnum, flavum, aut pallidum, purum, intus pingue, veluti liquore aut oleo madefactum, miniméque acerosum. Invehitur ex Vlisibona & Venetiis Antuerpiam, ac in reliquas urbes atque emporia. Cyminum satum in horto E. C. mihi provenit.

Cumin. agrion. *Cum. Aphricum.* *Delectus.*

Meminit Tragus Cuminum sativum in cibo veluti & Piper usurpari. sunt & qui cum cicere arietino seu pisis concoquant, nec sine præcipuâ utilitate; siquidem inflationes quasvis & flatus ventris discutit, phlegmata, lentósque incidit humores, stomachique nauseam tollit: sunt qui asserant hoc Cuminum cum vino albo à balneo potum, regium expellere morbum, nec non vertigini prodesse. Cuminum sativum ex vino dulci sumptum difficultati & ardori urinæ auxiliatur. In oleo coctum ait Matthiolus, & clystere infusum, prodest torminibus & flatibus corporis. contusum & ex passo potum, auxiliatur stranguriæ. cum ficubus in vino coctum & bibitum, tussim sedat, thoracem expurgat. in eundem usum, cum aceto in aqua coctum assumitur. utiliter pani incoquitur, & caseis inditur, ita concoctionem juvat, & flatus dissipat. si masticetur, halitúsque in oculos insuffletur, iis claritatem conciliat. ad rubores oculorum discutiendos coquitur in pane contusum Cyminum, panis clybano extractus & dissectus, calidus ob oculos detinetur, tandem humor qui oculis sese affixit, molli linteo abstergetur. ad ventriculi debilitatem, & nauseam continuam, recipe crustam panis, quam asperso pulvere Cymini, calidam ventriculo applica. posset & panis tostus sumi, qui aceto forti imbutus aspergédus pulvere Cymini, & Garyophyllorum, ventriculóque imponendus calidus. ad suggillata ex quacunque causa, valet Cyminum in pulverem tritum, & ceræ ad ignem commistum. ardori urinæ, aliísque vesicæ vitiis auxiliatur Cyminum in vino coctum, & umbilico calidè inductum. Cum farina Fabarum, teste Camerario, utiliter collectionibus testium imponitur: & tumentibus, dolentibúsque equorum cruribus frequenter inducitur. non pauci Cyminum in columbariis suspendunt, odorem enim ejus sequuntur columbæ.

Usus. *Regium morbum.* *Urina ardor.* *Stranguria.* *Concoctionem juvat.* *Nausea.* *Sugillata.* *Collectiones testium.*

CUMINUM SILVESTRE VEteribus duplex.

Cumini silvestris duo genera describit Dioscorides. Plurimum, inquit, & efficacius nascitur in Lycia & Galatia Asiæ, & in Carthagine Hispaniæ. Frutex est caule palmum alto, tenui, in quo foliola sunt quatuor, aut quinque, tenuia, velut terra incisa, ad Gingidij modum: capita verò in summo habet quinque aut sex, rotunda, mollia: in quibus semen acerosum, gustanti acrius quàm sativum. Nascitur in locis editioribus. Bibitur semen ad tormina & inflationes cum aqua: cum aceto verò singultus sedat: ad bestias venenum ejaculantes, & stomachi humiditatem cum vino. Tollit & sugillata commansum, & cum melle, aut uva passa impositum. Inflammationes etiam testium sanat cum iisdem impositum. Est & alterum genus silvestris Cumini, simile sativo, quod ex singulis floribus sublimia corniculа producit, in quibus est semen simile Nigellæ. Hoc potum ad serpentium morsus optimum auxilium est. Opitulatur & urinæ stillicidio, & calculosis, & his qui sanguinis grumos mingunt. Sed his Apij semen fervefactum insuper bibendum est.

Diosc. 2 genera. *Gingidij folia.* *Vires.*


Cuminum silvestre est prætenue, quaternis aut quinis foliis veluti serratis, inquit Plinius. Et paulò post. Silvestre ad omnia eadem efficacius. Præterea ad serpentes cum oleo, &c. Vide plura loco superiori titulo citato, de Cumino sativo veterum. Galenus silvestre Cuminum præteriit, & etiam Aëtius & Paulus.

Plin.

Primum silvestre Dioscoridis Cuminum Turnerus se videre non meminit. posterius putat se vidisse. Itali quidam censent Nigellam citrinam esse Cuminum silvestre. Alij putant Nigellastrum esse Cuminum silvestre alterum. Sed nec Nigella citrina, nec Nigellastrum esse potest. Cuminum silvestre, nisi Nigella Romana hortensis sit etiam Cuminum silvestre. Persimiles enim sunt formâ foliorum, seminis & odore. Cuminum alterum silvestre cornicula fert, in quibus semen, Nigellæ simile. Nigellæ genera habent quidem Cornicula, nullum tamen in iis semen; semen enim in medio capituli continetur, tenuibus membranis distinctum. Nequit ergo sive Nigellastrum, sive Nigella citrina esse Cuminum silvestre alterum. Assentitur Turnerus Gesnero, qui Consolidam regalem esse Cuminum silvestre alterum arbitratur, quæ opinio displicet. De Cumino silvestri primo odorato, globuloso nunc dicendum.

Nigella citrina. *Consolida regalis.*

CUMINUM SILVESTRE PRIMUM valdè odoratum, globulosum.



Variè divaricatos ramos dodrantales, teretes habet, medullâ candidâ plenos: folia palmum longa, pinnata, Pimpinellæ sanguisorbæ foliis similia, foliola singularia, profundè serrata. extremis ramulis hærent glomerata capitula, è villosis candidis penicillis, quibus semina adhærent, congesta, quibus subjecta sunt radiata foliola, profundiùs incisa & veluti spinosa.

Descr.

Matth. in Diosc. in post. comm. cum mag. fig. item epit. cum addit. Cam. figuram habet sine descriptione, in qua flores non bene exprimuntur. Is verò cum Dodon. lat. in fol. nominat Cuminum silvestre. Lugd. p. 677. Cuminum silv. 1. Matthioli. Tab. Cuminum silv. erraticum. Castor. Cuminum silv. primum. Lob. in Adv. p. 330. Cuminum silvestre Dioscoridis, & ita etiam in Icon. p. 743. Pona, Cuminum silvestre primum Dioscoridis. Ang. Cyminum silvestre.

Synon.

Et sanè Cyminum de quo agimus, meliùs placet pro Dioscoridis Cymino silv. primo, quàm Cuminum vulgare, quod silv. aestoſe ſpicatus est Cæſ.

An Cordo in Diosc. l. 3. c. 69. Cyminum silvestre, quod Gabes kümmel à Germanis vocari ait, quo-

Leporis cubile. niam Avenæ modo glumosum sit. B. pin. Cuminum 3. silvestre capitulis globosis: Lago chymeni, i.e. leporis cubile in insula Lemno, Bellon.

Locus. Cyminum silvestre primum Dioscoridis, odoratum valde provenit mihi Lugduni in horto. Studgardiâ mihi missum semen quondam per hortulanum Ducis Florentini, qui Cuminum silvestre Candiæ inscripsit, Montbelgardi satum in horto E.C. excrevit.

Vires. Calefacit, authore Matthiolo, exsiccat, aperit, digerit, incidit, resolvit, & provocat. Vires ex veteribus præcedenti titulo adjecimus.

AMMI ANTIQVIS, ET IN genere. CAP. XVI.

Diosc. exemplaria non conveniunt. AMMI nonnulli Æthiopicum, aliqui regium Cuminum appellant [*ἔνιοι ᾗ τοῦτο Αἰθιοπικὸν, ἔνιοι ᾗ βασιλικὸν κύμινον καλοῦσιν. desunt hæc in Ald. cod. & ad nota relegantur. Alij etiam nonnulli codices his carent, usque ad γνώριμον, i.e. vulgo notum.*] Alij alterius naturæ Æthiopicum Cuminum: & alterius Ammi esse prodiderunt. *Delectus.* Vulgo notum est semen exile, multò minus Cumino, & Origani sapore. Eligito purum, minimèque furfurosum. *Vis. Usus.* Vim habet hoc quoque excalfactoriam, urentem & exsiccantem: valet ad tormina, urinæ difficultatem, ac venenatorum morsus, ex vino potum. Menstrua quoquè ciet. Miscetur & cutim erodentibus medicamentis è cantharide paratis, quo resistat urinæ difficultatibus, quæ alioqui id genus medicamentis supervenire solent. Sugillata cum melle impositum tollit. Sed & potu ac illitu colorem pallidiorem efficit. Suffitum aut cum uva passa, aut resina, vulvam purgat: Diosc.

Ammi Plinio. Cumin Æthiopicum est regium Hippocrati. Est Cumino simillimum, quod Græci vocant Ammi, inquit l.20.c.15. Plinius. Quidam verò Æthiopicum Cuminum id esse existimant. Hippocrates regium appellat, videlicet quia efficacius in Ægypto judicavit. Plerique alterius naturæ in totum putant, quoniam sit exilius & candidius. Similis autem & huic usus. *Usus.* Namque & panibus Alexandrinis subditur, & condimentis interponitur. Inflationes & tormina discutit. Urinam & menstrua ciet. Sugillata & oculorum epiphoras mitigat. Cum lini semine scorpionum ictus in vino potum drachmis duabus: privatimque cerastarum, cum pari portione Myrrhæ. Colorem quoque bibentium similiter mutat in pallorem. Suffitum cum uva passa aut resina, vulvas purgat. Tradunt faciliùs concipere eas, quæ odorentur id per coitum.

Gal. temperamentum. Hujus meminit quoque Galenus dicens, Herbæ, quam vocant Ammi, semen maximè est utile: facultatis est excalfactoriæ, & desiccatoriæ, tenuiumque partium. Sed & gustu subamarum est, & acre: & clarum est quod & digerat, & urinam moveat. Fuerit autem in calfaciendo, reficcandóque ex ordine tertio intenso.

Marcell. Ammi peregrinum semper Græciæ & Italiæ fuisse scribit Virgilius Marcellus: sive sui generis herba & semen: sive Cymino congener sit, meliúsque & efficacius in Ægypto nascatur. Eámque ob causam usum eo antiquam medicinam esse aliunde invecto. *Ammi domesticum quondam in Ægypto.* Fuisse præterea in Ægypto quondam domesticum Ammeos hujus & quotidianum usum: panibus enim compistum & alimentis mixtum solitum fuisse comprobare Plinium. Adhæc majore in extenuando vi, quàm Cyminum esse. Quæ porrò à principio hujus capitis leguntur, vocare quosdam hoc Æthiopicum & regium Cyminum, ex aliorum opinione, non Dioscoridis decreto intelligenda esse. Neque enim ipsum id probare: sed à quibusdam sic vocari, tantùm testari. Siquidem Æthiopici & regij voces bonitatis à gente in Cymino notæ sint, non generum diversitates.

Marantha nominum proprietates atque etymon investiganda suadet. Nos si nominum proprietates atque etymon vestigaverimus, inquit Marantha; non dubium est, quin multa nobis simplicia innotescant: quæ alioqui non innotescerent. Nominis námque proprietas denotabit nunc medicamenti formam, nunc facultatem, nunc odorem, vel aliquid ejusmodi; ita ut aliqua nota effatu digna medicamento addatur, quæ faciliorem ejus cognitionem reddat, ut in ea planta, quæ Ammi à Dioscoride appellatur, clarissimè apparet. ex descriptione enim seminis (namque id tantùm describit) forma nullo pacto sumi potest, sed solummodo sapor, sive odor Origano proximus, & quod exile sit semen: quam ob rem diutiùs omnibus ferè incomperta fuit. *Ammi Fuchsii reprob.* Quam namque pro Ammi Fuchsius depingit, proculdubio ipsa non est; nullum enim Origani saporem repræsentat. quare alij aliud semen receperunt minutissimum; cujus plantam in Apulia sæpissimè legi: & est quam Senensis [*Matthiolus*] depingit, quanquam verum Ammi esse non consentit. redolet hæc mirum in modum Origanum, & apud omnes ferè materiæ medicæ peritos (scio enim Fuchsium mutasse sententiam, & cum cæteris consentire) pro vero Ammio habetur. Verùm si rectiùs intueamur, ex alio nomine, quo illam appellatam Dioscorides asserit, clarissimè colligemus, longè aliam plantam esse Ammi: inquit enim à quibusdam appellari Æthiopicum Cuminum. *Aethiopicũ cuminum quorundam, Diosc.* ex quo non obscurè colligitur, Ammi semen, cum Cumini semine multam habere similitudinem; non enim ab odore esse potest hæc similitudo, quia odor Origano proximus est, non autem Cumino, sed à forma; quod & ostendit, id quod subdit, semen est exile multò minus Cumino; quasi vellet nullam aliam esse (quantum ad figuram attinet) discrepantiam, nisi magnitudinis; quod clariùs ex Plinio colligitur lib. & cap. citato, ubi habet Est Cumino simillimum, quod Græci vocant Ammi, quidam verò Æthiopicum Cuminum esse existimant, &c. plerique alterius naturæ, in totum putant, quoniam sit exilius, & candidius: quæ verba longè clariùs ostendunt, id semen; quo passim pro vero Ammi utuntur, quódque à Senensi depingitur, non esse genuinum Ammi: est enim nigri coloris, nedum Cumino candidius. *Ammi verum.* At verò verum Ammij semen ad me misit Ghinus, Dioscoridis & Plinij descriptionibus penitùs consentiens. erat enim Cumino simile, exilius tamen, & candidius, odore & sapore Origani. Hæc Marantha.

Appellationes variæ. *Ἄμμι*, ut Tabern. memoriæ prodidit, vocat Gal. 6. simpl. *ἄμι*, Aëtius *ἄμμιον* & *ἄμιον*. Lat. Ammi, Ami, Amium & Ammium. Herbarij Ammium Alexandrinum, Ammium Syriacum, Caminella, Cuminella, Cyminella & Muriola. Medici & pharmacopœi Ameos, Amios, Ammeos & Ammios, in genitivo casu indeclinabiliter. Serapio simpl. c. 287. *Nanechach*, & *Anazue*: Averrhoes *Navoca*. Glossographus antiquus Avicennæ *Alvenic*, & *Neraberti*. Avicenna *Manochne*. alij verò Arabes *Anemo* sive *Aneme*, *Ecindebel*, *Leligan*, & *Leligani*, *Nachana*, *Nemicha*. *Nemichre*. *Neneca*. & *Nenucha*, addit. Matth. *Nanachua* sive *Nanachre*. Ital. *Ammio*. *Ammi* & *Ammeos*. Hisp. *Ammi* & *Zanagria*. Gall. *Ammi*. Boh. Ammi Pol. Dolskitmie. Angli Ammy/ ut & Belg. Ger. Ammey/ Ammy & Ammeyfraut/ & Alexandrinischer Ammey.

Aequivoca. Ammeos porrò nomen sequentes assumpserunt sibi plantæ.

Ammi odore Origani.

Ammi semine tenuissimo & odoratissimo.

Ammi vulgare majus latioribus foliis, semine minus odorato.

AMMI

AMMI, ODORE ORIGANI.

Descr.



Ammi Creticum mihi ad cubiti altitudinem excrevit, caulibus pluribus, ramosis, nitidis, striatis, & geniculis nodosis: folia infimâ quidẽ latiuscula, multifida, ad Cari nonnihil accedentia, superiora verò multò tenuiùs dissecta, non minùs ferè, quàm Chamæmeli; odore, si teratur, admodum aromatico, Origani, sapore non dissimili: umbellæ frequentes flosculorum minutissimorum, albicantium, nec verò foliis umbellis sunt subjecta tenuia folia, ut in Visnaga, sed & umbellarum particulis singularibus: semen succedit Anisi facie, sed minus, insigniter aromaticum: radix crassiuscula subest.

Amomum quiddam Mauri cujusdam. Crediderim loqui de hujus plantæ semine, Anguillaram epist.7.dicentem. Anno 1549. Maurus quidam appulit ex Alexandria Venetias secum habens duos saccos seminis, quod pro Amomo vendere volebat, quod mihi exhibitum fuit, ut judicarem an Amomum esset, nécne. Ego gustato eo, & ejus odore perspecto, dixi non esse Amomum, sed Ammi. Quæ opinio cum ipso semine sparsa fuit in Italiæ varias partes. Vnde omnes reliquerunt Ammi M. Lucæ Ghini, & hoc omnes semper receperunt pro vero Ammi. Id autem mali est, quod non existimem, amplius adferri, quod non multum lucratus est mercator, qui emit, nec is qui vendit. Hoc autem semen ex Alexandria allatum sapore & odore in omnibus respondet verbis Dioscoridis, exceptâ figurâ: non enim admodum simile est Cumino. Sed Dioscorides capite de Petroselino dicit, semen ejus simile esse Ammi, cui respondet semen nostrum, & figura simile est Petroselino, quod in montibus nascitur, quod multò minus eo est, quod colitur. Planta, quę verum nostrum Ammi fert, folia prima similia habet, foliis vulgaris Nigellæ, sed crassiora, deinde alia subtiliora & minora. Caulem fert cubitum altum, cui insidet umbella similis Dauco Cretico, cum flore pallido. Vbi decidêre flores, relinquit semen supra dictum odoratum & saporis Origani. Non provenit in Italia. *Ammi aliud.* nascitur quidem aliud simile sapore & odore; sed multò minus, quod etiam pro Ammi usurpari potest: quòd aliud finito hoc Ægyptio habere non poterimus, nisi alij fortè adferant.

Ammi verum, Cam. Non displicet figura à Cam. ad hist. Matthioli germanicam & ad ep.p.522. posita, pro Ammi vero, non item pro Matthioli Ammi, quod à Cretico, seu vero diversum. Matth. in comm. post. cum mag. fig. plantam nostram Ammi Alexandrini legitimi & veri titulo pingit. *C.B. confus.* In edit. C. Bauh. vocatur Ammi peregrinum ex Alexãdria apportatum, Arabicum, Ammi 1. ponitur; q; fig. Ammi Cretici Lob. verùm hoc Ammi miscetur meo judicio cum vulgari, & cum Matthioli Ammi, q pingebat, quódq; tenuissimo est semine.

Cum sativum, Cas. Cumini sativi nomine describitur semen hoc à Cæs. Cuminũ sativum, inquit, existimo semen quoddam exiguum, quod ex Orientalibus adfertur, Ameos nuncupatũ in officinis, acre & jucundum; sed plantã videre et non licuit: & ex hoc genere illum esse putat, quæ seritur in Hispania, Visnagã voce ant.

Amomum ... ? Ammi Amomum habitum fuisse, sed falsò, A... tus quoq; novit. Ait enim in Diosc. l.3. enar. 68. Ammi, cujus gignendi casus, Ammeos est, semen albũm & exiguũ est, quod Origani sapore & odorem habet, & nunc ex Alexãdria adfertur, quod Amomum appellant, falsò tamen & corruptè, quum pro Ammi Ammomum pronunciant. nã Amomum, ut l.15. H. n. 9. dictum, botriosum, tanquam uva minuta est. Est enim semen Ammeos simile semini Anisi, quod ex Alexandria adfertur, sub nomine Amomi.

Ammeos genus alterum. Turn. Turn. hoc intelligit per alterũ illud genus. Ameos sc. quod verum esse ait, & nuper in Italia inventum, foliis multò minoribus, quàm ullum aliud, cujus semen adferebatur tunc Francofurtum venale sub nomine Amomi; quidam tamẽ verũ Ammi appellant, potissimũ materialistæ ut vocant, Norimbergenses.

Synon. Gesh. vocat Ammi, Venetiis habitum ex Alexandria, nomine Amomi, Aniso simile, Amati Lusitani. Lob. adv. p.322. Ammi ex Syria aut Creta. In observ. p.414. & Icon. p.725. Ammi Creticum Aromaticum. Lugd. Ammi Creticum aromaticum Lob. Tab. hist. Ammium 3. Creticum, seu Candiacum. Bauh. apud Matth. Ammi 1. semine Apij: Ammi, Lac. Cast. Cam. Eid. B. pin. Ammi 2. semine apij: Ammi majoribus & serratis foliis semine apij, Gesn. h.


Locus. Ammi plãtam primò vidi allatam à fratre ex horto Bononiensi. Ex semine ab eo Neapoli misso provenit Montbelg. in horto E. C. ubi cubitalis facta, copiâ pluviarũ periit. annua est: semen validi erat odoris & Origani. Hujus Ammi semen habui etiã à Valer. Dourez, cũ præessem Lugd. & Genevæ examini Theriaces & Mithridatij, quod etiam in eã Theriaca impositum. Ammi semẽ, quod plusculis ab hinc annis cœptũ fuit develii ex Syria aut Creta Venetias, hortẽsi Apio par, sed flavũ, gustu aromaticum fervidum, Origanum præferens, sæpiùs fæ non victum, aut marcidum, delusit nos, inquit Lob. & in eam suspicionẽ cõjecit, quã quidã nos monuerat, fieri posse ad Theriacæ Venetæ mysteria, ut hebræus mago, Cretensiũ & Syriacorũ portuũ telonarius, decoctione dilutóve semina maceráda merserit: sicq; cõpẽdij causa cũ pharmacop. Venetis nõ parũ gratiæ inierit.

Vires. Sterilitas mulierum. Ammi legitimi semẽ quod ex Alexandria affertur, mirificè præstat ad mulierũ sterilitatẽ. Nã cõpertum esse scribit Matthiolus in edit. C. Bauh. seminis auxilio, plures prolificas effectas. Siquidem si propinetur manè drachmæ põdere ex vino meraco, aut carnũ jure in tenuẽ pulverẽ contritũ, alternis diebus, tribus horis ante cibũ, futurã pollicetur prolẽ, sed oportet maritũ cũ uxore tẽ habere iis tantũ diebus, in quibus illa semẽ nõ biberit. Quod tamẽ diutiùs sumi nõ debet, q̃ quatuor, aut quinq; diebus, est enim ad sterilitatẽ præstantissimũ auxiliũ, & pluries expertũ.

AMMI SEMINE TENVISSIMO, & odoratissimo.

Descr. Herba est pedalis, interdum bipedalis, caule tenui, fragili, fœniculaceo, medullâ albâ pleno: folia prima longa, profundè undiq; incisa: superiora fœniculaceis aut anethinis similia, paulò tamen tenuiora. extremis ramulorũ hærent umbellæ parvæ, inæquales, flosculis albis cõtextæ: semen minimum odoratissimum, calido & acri gustu: radix parva, gracilis, lignosa, per ætatem in fibras diducta, saporeferè Pastinacæ.

Ammi veri vera planta incognita in Italia. De Ammi hoc videntur hæc tradere Monachi in Mes. dist. 1. cens. 27. Non est hodie quod sciamus in Italia, qui Ameos certi veram agnoscat plantam. Vnde varij pharmacopolæ variè, pro eo utuntur plantarum seminibus. Certè verum Ammium non est cognitũ in Italia, neq; est, q multò pejus est, qui



quærat, agnoscere. Omnes enim accipiunt, quod primum ad manum venit. Emunt & vendunt, sed quid emant, quidve vẽdant, ignorant. Pro Ammi autem confitemur, nos ambigere, an verum sit quo utimur. Attamẽ valde approximatur Dioscoridis & aliorum descriptionibus. Vnde malumus (usque dum habeatur cognitio veri Ammeos) uti eo, quàm tot diversis herbarum seminibus, non solùm nobis, sed etiam Medicis peritioribus incognitis. Planta autem seminis, quo utimur, est exilibus foliis, tenerrimo ac minimo Fœniculo similibus. Hasta recta, duobus palmis ferè extollitur, gracilibus ramulis plena, in quorum summitatibus umbellulæ sunt breves, Dauco similes, multò tamen minutiores, in quibus flosculi albi, & semina minutissima insunt. Quorum odor Cumino sativo non absimilis est: sapor autem non (ut ait Dioscorides) Origani (si tamen hoc quo utimur verum Origanum est) sed dicti Cumini sativi, acutior tamen, & quasi ad Piperis gustum trahens. Sed plus de Cumino, quàm de Pipere sapit. Dictam autem plantam cum semine, foliis & parva radice (quæ alba est & lignosa) ostendimus pluribus probatis Medicis, ac eruditioribus viris, à quibus omnibus valdè laudatum est tale semen, pro Ammi in confectionibus admittendum. Quod quidem semen plurimi credunt esse verum Ammi, quodq; quibuscunq. quotidie possumus ostendere: quoniam circa Romã, & pluribus aliis in locis provenit in inculto Solo, & juxta viarum semitas.

Ammi Monachorum descriptio.

Ammi verum plurimorum.

An Ammi hoc intelligit Lobel. in Adv. p. 323. per Ammi illud, quod in Patavinis hortis coli, etiamq; non procul Ageno & Garumna in Aquitania se legisse refert, foliis & umbellis Dauci Cretensis, semine & radice hortensis Apij, neutiquam illis in Ammi semine viribus expetitis præditum. Lob. fig. in Obs. p. 414. & Icon. p. 725. nomine Ammi perpusilli, non multùm placet: sed nec ea quam nos habemus ex Fuchsianis quæ emendanda erat ad plantam: & flos & semẽ separatim ex Cam. ep. p. 522. pingẽdum.

An Ammi perpusillum, Lob.

Icones

Anguill. epist. 7. vocat Ammi aliud proveniens in Italia, cujus usum admittit pro vero Ammi.

Non negarit Matthiolus Ammi in Italia nasci, etsi in officinis hactenus verum non repererit. Siquidem Anguillarius ex Patavio ad ipsum misit legitimum Ammi. Verum enimverò huic sanè illud non adstipulari tradit, quo Monachi usi sunt, utpote qui suum Ammi (hoc sc. nostrum) nullo Origani sapore commendari fatentur. Ait præterea Matthiolus in comm. cum mag. fig. Non propterea dicam, non nasci Ammi in Italia, quum verum in officinis non reperiatur, nuper mihi missum, in quo aliquæ notæ à Dioscoride descriptæ, quamvis sapor Origani non ita manifestus, ut in eo quod nunc adfertur ex Alexandria legitimum & verum, cum quo non conferendum Italicũ, quod adfertur ex Apulia minimum pauci vigoris si saltèm vocãdum Ammi. In editione C. Bauh. addit. Quod misit Anguillarius, caulẽ mittit fœniculaceum, foliis agrestis Pastinacæ, semine in umbellis exili & Cumino minutiore, Origanum re-

Ammi Matth.

Legitimum ex Alexandria adfertur.

sipiente, odoratũ & acutum. Nascitur in monte Gargano, quod Italum est: quod verò peregrinum ex Alexandria apportatur Arabicum est. Eadem ferè in hist. ger. & ep. cum add. Cam. leguntur. Cæterùm, ut ex dictis colligere licet, diversa de Ammi scribit Matthiolus, figuram tamen eandem exhibet. Olim non descripsit, sed ab Anguillara missum ait, ac legitimum putat. In comm. It. cum mag. fig. non meminit Anguillaræ, & Apulum vocat: in ep. descriptio, quam frater recepit, nescio cui competat. in hist. germ. alia descriptio diversa. Figura tamen est Ammi: non placet pro ea figura addita à Camerario, tum ad ep. tum ad hist. ger. Meliùs arridet figura Matthioli, potissimùm inter minores figuras. Præterea planè nobis persuademus Ammi Monachorum non diversum à Matthioli, quamvis dicat non habere saporem Origani: videtur quoq; nobis tenuissimum illud semen habere saporẽ Origani, cõtra gustum Monachorum.

Matth. var.

Ammi Monachorum idem cum Ammi Matth.

Bauh. apud Matth. malè separat Ammi parvum foliis Fœniculi, ab Ammi Matthioli, quod idem cum jam dicto. Non absque titubatione quoque indigenam herbam Italiæ dicit, delatam ex Alexandria. id enim cõpetit Ammi Cretico, quibusdã dicto: quamvis idem ante ipsum scripserit Dodonæus, nõ agnoscens Creticum vel Alexandrinum. Verba fratris hæc sunt. Ammi 2. sive parvum foliis Fœniculi, herba est exigua, ex radice parva aliquot cauliculos tenues, brevésque emittens: circa quos folia Nigellæ oblonga, tenuissima, capillorum instar dissecta, & sensim magis attenuata, umbellas habet parvas, candidas, exiguis flosculis quadrifoliis, quibus succedit semẽ minutissimum, acre & suave: ex Alexandria Ægypti in Italiam allatum, nũc in hortis & Italiæ (apud quos & in Ilva provenit) & Germaniæ facilè provenit, quod pro Sisone aliqui habent. Eum autem separare Ammi suum parvum foliis Fœniculi, ab Ammi Matthioli, ita patet. Vocat Ammi Matthioli, Ammi 1. quod nos appellamus Ammi odore Origani & Creticum quorundam, de quo ante egimus. Hoc verò Ammi, vocat Ammi parvum, Dod. gall. Ammi verum Ges. h. Ammi perpusillum Lob. & Lugd. Ammi alterum parvum, vel tenuifolium minus Dod. in fol. lat. Ammium primũ Alexandrinum Tab. Ammi, Cæs. Ammi simile, Anguill. Nobis autem dictorum autorũ Ammi ab Ammi Matthioli, quod B. malè Ammi Creticum facit, in nulla penitus re differt. Ammi Matthioli & Creticũ vocat Cam. h. sed nescimus an unã vel duas species existimet. Sed ipse Bauh. in pin. certiora docet. Ammi 3. parvum foliis fœniculi, inquit, est Ammi, Matth. Ang. Lac. Cast. Cæs. Lug. & Cam. Ammi verum, Ges. h. Ammi parvum, Dod: gall. alterum parvum, Eid. fol. Ammi perpusillum, Lob. Ammium 1. Alexandrinum, Taber. Lugd. vocat Ammi Matth. p. 695. & videtur secundã vice tradere p. sc. seq. 696. pro Ammi perpusillo Lob.

C. Bauh. error.

Ammi parvum foliis Fœniculi. C. B.

Sison nonnullorum.

C. B.

Syn. C. B.

Lug. lapsus.

Videtur Tab. in hist. p. 366. per Ammiũ 1. Alexãdrinũ describere Ammi tenuissimo semine: sed nõ placet dicere Alexandrinũ, & ex Alexãdria Ægypti delatũ: quandoquidẽ in Italia provenit: nescimus præterea quid intelligat per Ammiũ Italicũ, Apulũ & Rom. sive Ammiũ 2. nisi hoc idẽ, quãvis pro diverso pònat.

Tab. nod.

Æstimamus Schvvenckfeldium non distinguere verum Ammi Dioscoridis & Alexandrinum ab hoc quod minimo semine est: considerent lectores an quæ scribit de sapore. ipse suo gustu observarit. Ammi, inquit, Dioscoridis, Ammi perpusillum Lobelij, Ammi Alexandrinũ, Æthiopicum Cuminum, semen est gustu amarum, subacre & tenuium partium.

Schvv. fallitur.

Cuminum æthiopicum.

Ammi semine tenuissimo & odoratissimo, Cretico est multò minus: odor quoq; paulò infirmior: differunt etiam folia: satũ in horto meo Genevæ florebat adhuc Novẽbri, & ex semine deciduo virebat parva plãta. Lugduni copiosè habebã in horto, ut & Basil. Mont-

Locus & Tempus.

Montbelgardi in horto E.C. & meo satum florebat Augusto, semine quotannis se renovans: narravit mihi quidam Rizotomus, qui seminis magnam habebat copiam, abundare in Apulia. Solum requirit bene stercoratum, Soli expositum.

AMMI VULGARE MAIUS, latioribus foliis, semine minùs odorato.

Descr.

Ammi Cretico, & Ammi semine tenuissimo majus est, caule crassiore, striato, foliis latiusculis, oblongis, crenatis, multifidis, ad Podagrariæ folia quadantenus accedentibus, quibus tamen multò minora sunt superiora, in plures lacinias divisa. umbellæ inæqualibus contextæ sunt muscariis flosculorum alborum amplissimæ, longis pediculis, ad quorum coitum folia circumjecta sunt longa, in tenues, lori instar lacinias dissecta: semen majus, ignavius, quàm in Cretico & tenuifolio: radix gracilis, inutilis.

An Caucalis Cæs.

Cæsalpini Caucalidem (de qua l.7.c.19. sequentibus egit) diceremus esse eandem, cum Ammi hoc: quia autem notæ quædam repugnare videntur, illud asserere non audemus. Caucalis, inquit, ubique in arvis nascitur, similis Dauco campestri, sed foliis variè divisis, ut in Coriandro? nam prope radicem sectiones longæ sunt, ac subrotundæ, leviter in ambitu serratæ, ac leves; procedente tempore cùm caulescit, folia tenuiùs & inæqualiter scinduntur, & tandem redduntur Dauco campestri similia, subcandida & subhirsuta, rariora quàm Dauci: caulis candidus, ab imo ramosus, cubitalis & amplior: umbellas fert capillaceas, tactu aspero, quæ nequaquam clauduntur, ut in Dauco; flosculi candidi: semina parva ferè, ut Ammi; idcirco pro Ameos hodie à plurimis accipitur, sed pauca inest acredo, cum aliqua amaritudine, non insuavi: radix candida est, ramosa & parva, gustui non ingrata, coquitur in cibis ut Pastinaca silvestris. Dioscorides de Caucali inquit, ab aliis silvestrem Daucũ vocari: Plinius edi & Caucalem Fœniculo similẽ. Theophr. Daucũ recenset inter olera: Pes gallinaceus vertitur à Theodoro.

Dauco similis aliquatenus. *Ameos plurimorum.* *Caucalis Diosc.* *Pes gallinaceus.*

An Matth. semen legitimum Ammi mentiens.

An de hoc loquitur Matthiolus, cùm ait. Quamquam varia, ac diversa semina viderim, quæ legitimum Ammi mentiuntur: nullum tamen ex iis hactenus sese mihi obtulit, quod animũ ad credendum alliceret, verum Ammi ex Alexandria Ægypti ad nos deferri. Quod Ameos nomine in officinis passim habetur, cùm probatissimũ, Plin. teste, Cumino sit candidius, id nigricat, adeoq; vulgaris Petroselini semen æmulatur, ut visu ab eo dignosci minimè possit, sed in hoc gustũ consulere oportet. Nã cùm haud leviter sit acre, facultatis discrimẽ gustu facilè deprehẽditur. Præterea cùm hoc nullum Origani saporẽ gustui repræsentet, quẽ tamen referri verũ Ammi Dioscorides est auctor, adhuc clarius fit, id non esse legitimum. Veruntamen contrarium sensisse videtur Ruellius: quippe qui minùs fortasse accuratè ea examinaverit, quæ de Ammi Hippocratis testimonio, scriptis tradidit Plinius, de quibus ante.

Ruell. lapsus.

Ruell. fortè Sison confundit cum Ammi.

Videtur nobis Ruellius confundere cum vulgari Ammi, Silaris semen, quod à quibusdam Ammi existimatur. Notum, inquit, officinis semen, Ameos nomine, quod Romanis Cuminum Alexandrinum dicitur. Quidam Æthiopicum Cuminum id esse putant, alij Regium Cuminum appellant. plerique in totum alterius naturæ existimant Æthiopicum Cuminum ab eo, quod vocatur Ammi, exilius multò quàm Cuminum, gustúsque Origani.

Ammi Trag.

De Ammi (ita namq; inscribit præsentem nostram plantam) hæc habet l.2.c.118. Tragus. Sæpenumero equidem in hortis meis semen Ammios exiguum sevi, sed nunquam in his florem protulit, nisi an. 1536. quo hæc scribo. Ac animadverti semen Ammios in fine Aprilis mensis terræ mandandum, quam requirit Soli expositam & apricam. Erumpit autem primo exortu binis exiguis & acutis foliolis, veluti Petroselinum vulgare, post quæ alia subsequuntur, subinde auctiora & latiora, quorum nonnulla Fœniculi equini, aut Levistici aquatici foliis similia apparent: quamprimum in rotundos, concavos, geniculatos, & surculosos caules assurgit, in fastigiis magnas & perelegantes, candidóque flore refertas umbellas, Aniso ferè aut Coriandro similes, Iulio mense gerentes. Semen exiguum albicansq; Autumno appetente cum Fœniculo maturatur, gustu fervidum & acre. Planta est alsiosa, seu æstiva, ut quæ quotannis semine seri necesse habeat, nam postquam defloruit, semenq; maturavit, totâ suâ substantiâ, caulis, radix & folia pereunt. Proceritatem viri nonnunquam adipiscitur, multis ramulis & adnascentiis brachiatur; radicem habet rectam, candidam & lignosam. Hippocrates Ammi Cyminum regium appellavit, quod germanicè Herren [*fortè melius* Königs] Kümmel interpretari licèt. Ægypto olim familiare fuit, pani enim compinsebatur, sicut apud nos Caros. Hoc pacto usurpatum tormina & inflationes ventris sedandi vi pollere traditur. Dioscoridi ἄμμι, Ammium Alexandrinum, Cyminum Æthiopicum (ger. Mohrenkümel) nominatur. Recentiores & officinæ Ammium & Ammeos vocant, Germani Ammey. Ammi Serapioni c.287. Nanochach, Anazue & Pomum anchenінon. De Ammi vide Gal. simpl. 6. Avic. l.2.c.62.

Semen in fine Apr. terræ mandandum. *Cyminum regium, Hipp.* *Ammi Diosc.*

Ammi Cordo peregrinum.

Ammi peregrinum nobis semen est (inquit Cord. in Diosc.) & interdum ejus loco Petroselini semen Materialistæ pharmacopolis vendunt. Sevi aliquoties mihi missum recens Ameos semen, & nostrum cœlum minimè respuit, habétque mediam inter Apium, & sativum Petroselinum figuram. In hist. Ammi describit, eique Gesnerus figuram Tragi addit.

Ammi commune, Dod.

Ameos officinarum, juxta Dodonæi opinionem, verum Ammi Dioscoridis est. is verò id describit & depingit in hist. gall. nomine Ammi communis; In fol. lat. Ammi vulgaris, latioris folij, quod majus ait.

Negat Ammi veterum, Turn.

Turnerus quidem Ammi veterum esse negat, sed ejus loco hoc nos uti posse admittit. Ammi, inquit, Græcis & Latinis, quo nomine & Angl. potest appellari. Officinæ Ameos nominant in gignẽdi casu. Herba Ammi in omnibus hodie officinis usitata, caule est longo, viridi, circa summitatem ramoso: foliis longis, tenuibus, crenatis: flore albo in umbellis Anethi, semine parvo, amaro, calido. Etsi pro Ammi possit substitui, sitq; ejus species quædam, provenit tamẽ in Italia genus quoddã nobilius quod vidi: Cujus si copia esset, ejus usũ, relicto hoc vulgari, cõsulerẽ. Nõ enim invenio in vulgari calorẽ illũ & siccitatem in tertio excessu, quẽ requirit Galenus. Quamquam interim nõ est contemnendum vulgare hoc Ammi.

Ammi Græcorum quale melior an Sison.

Ammi vulgare Cam.

Ammi vulgare (ut pulchrè notat Cam. h.) à Trago & plerisq; depictum, interdum longè alia folia proferre conspicitur, pluribus nimirùm incisuris prædita, & nonnihil crispa, ut penitùs diversa planta videri queat. Ammi enim vulgatum, si in asperis ac

aridis locis, quales ut plurimum in Apulia conspiciuntur, inveniatur, dodrantali longitudine videtur, ut testatur Marantha: in pinguiori verò Solo, sesquicubitum æquat, exceditque.

Ammi verum esse negatur. Licèt autem reperiantur, qui vulgari hoc Ammi, veri loco utantur, non desunt tamen, ut Monachi in Mes. dist. 1. cens. 27. qui non recipiunt vulgare Ammi. Et sanè expendendum est pharmacopolis an usuale hoc veri notas exhibeat. Cronemburgius de compos. med. l. 1 ait se hactenus ejusmodi notas non deprehendisse; ideóque genuinum esse inficiatur, & meritò.

Synon. Fuchsius porrò descriptam à nobis plantam vocat Ammi, quo titulo ea etiam pingit. sic vocat & Lon. & Gesn. col. Dod. gall. Ammi commune; lat. in fol. Ammi vulgare. Lob. adv. p. 321. in obs. p. 415. (hîc quærit, *An Bubonium Hipp.* An Bubonium Hippocratis in morb. muliebr. Guilland.) in sc. p. 720. Ammi vulgatius. Lug. p. 695. Ammi Fuchsij. Ger. Ammi vulgare, Bischops weede. H. Lul. Ammi Fuchsij & Tragi, Ammi vulgare. Tab. Ammioselinum, Bubonium Hippocratis, Ammeypeterlin: Ammium adulterinum. *C. Bauhini multiplex lapsus.* Bauh. apud Matth. confundit Ammi vulgare cum Cretico. Ammi, inquit, triplex habetur, majus, alterum semine Apij, & tertium foliis Fœniculi. I. Ammi semine apij, Ammi Matthioli Ang. Lac. Cast. Lug. Ammi majoribus & serratis foliis, Gesn. h. Ammi Creticum aromaticum Lob. Ammium 3. Creticum Tab. Cuminum sativum Cæsalpini fortè. Confundit inquam C. B. Ammi vulgare cum Cretico. Matthiolus non loquitur de Ammi majoribus foliis, nisi intelligat id, sub officinarum Ammi: Anguillara non loquitur de hoc Ammi, nisi id intelligat per Ammi Ghini. Ammi Creticum Lob. Tab. & Cuminum sativum Cæsalpini est alia planta. Alia item Lacunæ & Castoris. Et hæc monemus, ut si post hæc de plãtis scribat, confusionem suam agnoscat & emendet. Qui verò possibile est tantũ virum tam graviter lapsum. *C. B. excus.* Num bonus aliquando dormitat Homerus? An hũc errorem ex inanimadversione, aut aliorum potiùs culpâ irrepsisse, vel ex eo cõjectari licèt, quòd monitus in pin. lubens sentẽtiam mutarit? Ammi 1. majus (inquit) est Ammi Brunf. Trag. Turn. Cord. in Diosc. & hist. Ges. h. Lon. & Lugd. Ammi commune sive vulgare, Dod. Cam. Ger. Ammi vulgatius, Lob. Ammioselinum, Taber. Bubonium Hipp. quorundam; *Bupleuron Plinij Schwenck. tenetur.* Bupleuron Plinij, aliorum. Variat foliis plurimum incisis & nonnihil crispis.

Ammi vulgatius, amarum est semen, & gustu fervet, ut tradit Schvv. Sed fallitur, si gustus ejus non depravatus sit, aut eum penitùs amiserit. Iudicent, hoc qui semen habent, an tali sit sapore.

An Corn. in Diosc. notum vulgò semen Ammi, officinis Ameos corruptè vocatum, Germ. Ammey sâmen/ i. e. semen Ameos.

Locus cum tempore. Ammi vulgare, foliis, caulibus & vmbellis maius Ammi Cretico, & Ammi cum minore semine, nec eo ita odorato, habebat Fuchsius Tubingæ in horto, cùm ipsi conviverem, vocabatque Ammi majus. cujus faciebat & alteram speciem, quam vocabat Ammi medium tenuioribus foliis. Sed hæc fortassis à cultura varietas. Basileæ vidi in hortis florens mensibus Septembri & Octobri. Lugduni sponte proveniens in horto meo, florens Iunio. Montbelgardi in horto E. C. florens etiam Iulio ac aliis mensibus, semine deciduo se propagans. unde annua est planta. *In Germania satum tantum provenit.* Tragus, Fuchs. & Dodonæus hanc in Germania tantùm satam in hortis provenire ferunt, facilè tamen & magnâ copia, sic ut deinceps vix extirpari queat. Augusto mense floret, ac deinceps ubi defloruit, semen abundè producit.

BVNIVM VETERIBVS.
CAP. XVII.

Diosc. illustratum. BVnion [βούνιον] caulem producit quadrangularem, prolixum, crassitudine digitali: folia verò [πρὸς τῇ ῥίζῃ, radici proxima, Dod.] similia Apio [σελίνῳ] sed multò tenuiora, ad Coriandri folia accedentia [τὰ τῷ κορίῳ, Cod. Bas. τὰ τῷ τεύτλῳ ἢ κορίῳ, vet. Lac. τοῦ ἄγρου.] florem Anethi: semen odoratum, Hyosciami semine minus. *Vires.* Ciet id urinas, excalfacit, & secundas evocat. Spleni, renibus & vesicæ utile. Cæterùm seminis tam humidi, quàm sicci, itémque succi ab eo unà cum radicibus, caulibus ac foliis expressi usus est ex aqua mulsa. *Bunion varia nomina.* Bunion inter rejectanea Dioscoridis, alij Aton, alij Actinen, alij Anemosphoron, Prophetæ Paradacry, Ægyptij Erxoen, Romani Scopam regiam vocant; Aphri Zigar, alij Thempso. *Vinum.* Vinum Bunites fieri, si Bunij contusi drachmæ duæ in quatuor musti heminas mittantur, autor est Dioscorides. Commodum esse stomachicis & fatigatis ex armorum pugna, aut equitatione multa, idem prodidit.

Napus Pl. Meminit hujus Plinius l. 20 c. 4. Naporum, inquit, duas differentias & in Medicina Græci servant. Angulosis foliorum caulibus florentis, quod Bunion vocant, purgationibus fœminarum, & vesicæ & urinæ utile decoctum, potum ex aqua mulsa, vel succi drachma. Semen dysentericis tostum, tritúmque in aqua calida, è cyathis quatuor. Sed urinam inhibet, si non Lini semen unà bibatur. Alterum genus Buniada appellant, &c.

Arction quorundam Galeno. Bunion, quod aliquos Arction vocare scribit Galenus, ex calfacientibus esse ait in tantùm, ut & urinam ciat, & menses ducat.

Bunion de Aro. Bunion sunt qui Aron dicant, ut videre est apud Marcellum, sunt item qui Arction, &c. Alterum & primum in divisione Naporum genus Bunion hoc facit Dioscorides, ait idem Marcellus: describitúrq; à cunctis iisdem notis & viribus. Non tamen in sanitatis usu receptum, ut alterum illud est. *Bunida fœminino genere.* Quod fœminino genere Buniada Græci vocant, secundo volumine à Rapis statim, quasi ejusdem cũ illis generis à Diosc. tractatum. Vtriq; radix crassior: sed cõtra quàm in Rapis acuminatæ longitudinis: hinc etiam exilior, quàm Buniadis & minor. *Nomen unde traxerit.* Nomen ambobus factum aliqui tradiderunt ἀπὸ τῶν βουνῶν. Vocant autem Græci inter alia Bunos, tumentia & quę in amplitudinem creverunt, quæ Naporum radicis forma est. *Scopa regia non appellanda.* Cur autem in Dioscoride legatur Scopam regiam Bunion à Romanis dici, ignotum nobis est. Nihil enim habet planta hæc quod scopis congruat: non surculosam naturam, non usum, non folia, non aliud quidpiam quod scoparum rationẽ indicet aliquam. Ignotæ aliæ appellationes etiam. Sola Arction ex similitudine facta est: quam nos Æginetæ auctoritate instauravimus. *Caput hoc de Bunio legitimum est.* Non legitur in Barbari editione hoc caput: nec nos scimus, rejectúmne à librariis imprudenter in exscribendo fuerit: an potiùs quia de Napis à Diosc. secundo libro actum fuerat, ratus abundare, volens ipse & prudens id reliquerit. Siquidem in Corollario etiam nihil actum de Bunio ab eodem est. Veruntamen auctoribus Græcis omnibus recipiendum, & cũ cæteris vertendum fuerat. Qui enim de Pseudo-Bunio, i. e. falsa & mẽtiẽte Bunio, agi mox poterat, nisi de vero Bunio actũ priùs fuisset? Veræ enim alicujus oportet falsã & mẽtiẽtẽ in plãtis esse.

PSEVDO-BVNION VETERIBVS.
CAP. XVIII.

Diosc. PSeudo-Bunion parvus frutex [θαμνίον] est palmi altitudine in Creta, folia, ramulósq; habẽs Bunio similia

Vires. similia [*Apio, vet. cod.*] acri gustu. Quaterni ejus ramuli ex aqua bibiti, tormina, stranguriam, laterisq; dolorem sanant: discutiunt & strumas, si cum sale & vino tepentes imponantur. Romani pariter & Græci Pseudobunion vocant.

Plin. Pseudobunion ut refert Plin. l. 24. c. 16. Napi folia habet, fruticans palmi altitudine, laudatissimũ in Creta: contra tormina atque stranguriam, laterum, præcordiorũ que dolores bibuntur rami ejus quini senive. *Galen.* Pseudobunion, authore Galeno, similiter ut ipsum Bunium, calidum est.

Marcell. Quale Pseudobunion sit, præter Dioscoridem, Plinium, cunctosque alios, qui omnes Napo similem tradiderunt, nomen ipsum etiam indicat. Neque enim mentiri verum Bunion, nec fallere carpentes posset, nisi similis illi esset. Eaq; similitudine fallens, falsum, & mendax Bunion à Græcis dictum est. Monere aliud legentes in eo non oportet. Peregrina enim Italiæ herba est, & ex Creta repetenda, inquit Marcellus.

BVNION ET PSEVDOBVNION in genere.

Bunium ignotum, Corn. IGnotum hodie utrumq; Bunion, tum verum, tum falsum ait Cornarius. Vulnerariam præterea herbam esse negat: siquidem iis viribus nõ sit prædita, quas Gal. Bunio attribuat, velut quidam opinati sũt. Idem Pliniũ Bunion cũ Buniade cõfundere scribit.

Male capite de Lampsana additur caput de Bunio. Monet author Lugdunensis, in quibusdam etiam veteribus græcis Dioscoridis exemplaribus l. 2. c. de Lampsana: caput de Bunio non rectè subditum fuisse à descriptore, nominum τῆς βουνιάδος, i.e. Napi, & τοῦ βουνίου similitudine decepto, cùm re ipsâ diversissimæ sint plantæ. *Bunion olerum generi conjungi non debet.* Nam præterquam quòd absurdum fuerit ejusdem plantæ historiam diversis libris à Dioscoride conscribi, certè Raporum, Raphani, Naporum, & cæterorum id genus olerum descriptio, & natura à Bunio & Pseudobunio herbis insigniter medicatis omninò dissidet, nec rectè conjungi potest. Quare ex vetustiorum etiam codicum fide, rectè Bunij & Pseudobunij historia in librum quartum rejecta est. Eadem nominum affinitas multis etiam doctis herbariis, erroris causa fuit: *Plinij & Ruell. err.* primùm Plinio, qui Bunium Napi genus fecit. Deinde Ruellio, qui capite de Pseudobunio φύλλα γογγυλίδος, folia Napi convertit: item Oribasij interpreti, qui βούνιον Napum interpretatus est. Huc etiam impegit Matthiolus, Bunium Napum silvestrem vocãs, cùm Napus silvestris Bunias sit, non Bunion. At βούνιον neque βουνιάς est, neque eadem figurâ, neque iisdem viribus, aut classe cum Buniade. *Lect. Diosc. diversa.* Est præterea observandum, nec in exemplaribus græcis, nec in Oribasio in Bunij caule ramulos minutis foliis ac floribus scatere: itẽ folia Apio quidem similia legi, sed non proximè radicem. Quare necesse est, aut verba hæc redũdare, aut Ruellium alio exemplari, quàm vulgato usum.

Turner. Bunium non aliud agnoscit nomen, quod sciam, nec apud Græcos, Latinos, Germanos, aut Anglos: nusquam enim mihi (Turneri verba sunt) in Anglia, aut Germania conspectum, tantumque in Italia Bononiæ vidi. *Bunium Boschia.* Vocetur tamen, ne anonymos sit, wilde Parsely aut Square Parselye / à similitudine cum Apio. Matthiolus ait Bunium in Hetruria vocari Napum silvestrem, nusquam tamen describit, nec pingit, quod tamen facturum cum fuisse puto, si ei notum fuisset. *Napus silv. Hetruriæ, Matth.* Mirum est rusticis in Hetruria tam bene notam plantam, vocarique ab iis Napum silvestrem, cùm Napus sativus (unde illi nomen mutantur) nihil penitùs habeat simile cum Apij aut Coriandri foliis, nec flores habeat Anethi, nec semen Hyosciami. Præceptor meus Bononiæ Lucas Ghinus hũc plantam me docuit, portionémq; communicavit, quam etiamnum possum demonstrare. Cùm Bunium Dioscoridi dicatur Bunion, eidémq; Napus vocitetur Bunias, déque iis agat duobus diversis capitibus, differentésq; faciat plantas, alteriq; tribuat folia Apij, aut Coriandri: alteri longè alia: si melior auctor sit Dioscorides quàm Plinius, illum potiùs Buniadem à Bunio distinguentem, quàm hunc sequendum censeo, aut Matthiolum etiam, *Plinij & Matth. err.* qui unà cum Plinio utramque confundit plantam, ex duabus unam faciens, quę tã longè descriptione, figurâ & formâ inter se differunt. Nominum fortè similitudo Plinio imposuit, ut has conjungeret, aliàs formâ & viribus longè diversissimas.

BVNIVM DALECHAMPII.

Descr. LOcis saxosis, asperis, & à Sole illustratis Bunium Dalechampij provenit, radice candidâ, surculosâ, odoratâ, festucis in sũmo villosâ, foliis proximè radicem tam facie similibus Apio hortensi, ut spectantes fallant, tenuioribus ad Coriandri folia accedẽtibus, caule quadrato, procero, minimi digiti crassitudine, flore umbellâque Anethi, semine odorato, quàm in Hyosciamo minore.

Bunium verum antiquorum Dalech. Pingit hoc Bunium Dalechampij Lug. p. [illegible]. verúmque Bunium Dioscoridis, Plinij, & Galeni facit. Sed descriptio Dalechampij nimis jejuna & potissimùm ex Dioscoride transcripta: regio ubi observata, erat annotanda. Stirpium periti investigent quam plantã intellexerit Dalech. in Icone non est radix in summo villosa, ut in descriptione traditur.

Daucus Coriandri fol., C. B. Bauh. phyt. vocat Daucum 8. (u. pin.) & Daucum Petroselini, vel Coriandri folio, Bunium Dalechampij, quem multùm convenire ait cum Dauco 7. sive campestri Apij folio [*hunc nos Saxifragiam hircinam mediam credimus.*] Verùm in illo semen dicit, ut Anethi oblongum; in hoc Hyosciamo minus, ut in Bunio Dioscorides requirat. *C. Bauh.* Ego non invenio Dalechampium dicere semen ut Anethi, sed semine minuto: Icon parum habet similitudinis.

BVLBOCASTANVM TRALLIANO. Cap. XIX.

Etymon. ALEXANDER Trallianus empyematicis victus rationem præscribens, inter alia meminit βολβοκάστανον, quam sic dictam rẽtur, quòd figurâ radicis bulbos, saporẽ gustũq; Castaneas scitè exprimat. Verùm Goupylus vocem hanc depravatam fuisse à descriptoribus annotavit, quòd Castaneæ neque ex Bulborum genere sint, neque Bulbis simile quicquam habeant, ex Glandium enim genere sunt, ex quo conjicit veterem scripturam fuisse βαλανοκάστανον. *Goupylus refutatus.* Sed cùm natura plantas proferat habitu & figurâ radicis bulbos, sapore gustúque Castaneas scitè exprimentes, adhuc non video, cur Tralliani lectio sit immutanda.

Sexus. Et hinc Dalechampius proponit Bulbocaſtana ſexu diſcreta, unum mas, quod alij Bunium Dioſcoridis faciunt, & nos Bulbocaſtanum inſcribimus. Alterum fœmina, quod Oenanthen aquaticam cognominamus.

Habet & Camer. de hort. Bulbocaſtanum conio-phyllon, quod Cicutariam bulboſam odoratam vocamus.

Ornithogalum Ruell. Dod. de florib. c. 57. ait Ornithogalum Ruellij deſcriptum l. 2. c. 77. Bulbocaſtanum quoddam eſſe videri, & non Ornithogalon.

Bulbina. Bulbina quibuſdam neotericis, teſte Dodonæo, de ſuo Bunio dicitur, quod eſt Bulbocaſtanon. De Bulbina dictum H. n. g. l. 19.

Caſtanea. Guilandinus non probat Andernacum & ante ipſum Goupylum (quos ſequitur Matthiolus, ut prolixiùs videre eſt. L. 7. H. n. g.) pro Bulbocaſtanon, Balanocaſtanon (Caſtanearum glandes) ſubſtituentes, quod empyematicis nullam utilitatem afferre poſſint.

Traſi. Bulbocaſtanum dici de Traſi, patet H. n. g. l. 18. c. de Traſi.

Cyclamini non ſine errore. Errant Angli multi, qui Cyclamini loco, Bulbocaſtanum ſumunt, quod neque viribus, neque facie reſpondet Cyclamini deſcriptioni.

BVLBOCASTANVM.



Deſcr. Radix bulboſa, primo ortu Ervi magnitudine & rotunditate, interdum pyriformis, fibras tum ab imo, tum à lateribus promens capillares, alba, ſolida, guſtu ſubdulci, grato, folia profert bina, virore ſplendentia, ſeſquiunciam longa, vix dimidium culmum lata, ſapore ferè Petroſelini, ſed multùm ignaviore, quæ poſtea variè diſſecantur, adeò Apii hortenſis folia, mentientia, ut difficilè ab exercitatis etiam, niſi deeſſet ſaporis fervor, internoſci poſſint. At adultiori radix in inſignem augetur molem Iuglandis magnæ, inæqualiter tuberoſa, membrana nigra contecta: folia verò ex pediculis palmaribus & ſeſquipalmaribus purpuraſcentibus etiamnum tenuiùs diſſecantur, ut Rutæ ferè pratenſis tenuifoliæ, pinguia, craſſa. caulis, in ramos aliquot diviſus: umbellæ ſatis magnæ: flores albi: ſemen tenue, longiuſculum, nigrum, ſapore aromatico, & acri.

Synon. Oenanthes ſpecies. Guillandinus vocabat cùm Patavij eſſem Bulbocaſtanum. D. Cortuſus ſpeciem Oenanthes faciebat. Inſignis Medicus Petrus Turnerus, cùm apud nos eſſet, dicebat patrem vocaſſe Apion. Is verò part. 1. appellat Apion, vel Chamæbalanon, quod à

Chamæbalanos. Theophraſto Iſchas, Lat. Gazâ interprete Caryca, Anglis Erdnut/ vel Earthnut dici ait.

De hoc porrò loquitur Guill. in epiſt. ad Geſn. inter epiſt. Matth. l. 2. βολβοκάστανον Tralliani l. 7. ... herbam interpretor, cujus ſemina ad te miſi.

Agriocaſtana. in Græciæ Chia ἀγριοκάστανα, Bizantini ἀγριοκάστανα, Rhodij βολβοκάστανα appellant. Adſtipulatur meæ ſententiæ, aut ego potiùs ſuæ, Fallopius.

Guillan. & Geſnerum taxat Matth. Guillandinum, quod novam improbarit Tralliani lectionem, hallucinari ſcribit Matthiolus, nec ullo pacto cenſendum putat loquutum Alexandrum, de Bulbocaſtaneo Guillandini, cùm nullus habeatur inter antiquos, nec inter recentiores Græcos, qui uſquam Bulbocaſtanei meminerit. Miratur Geſnerum conceſſiſſe Guilandino radicem illam miſſam eſſe Tralliani Bulbocaſtanon. In hiſt. germ. præ-

Oenanthe Matth. non ſine gravi errore. ſens planta ab ipſo Oenanthe inſcribitur, quòd figuram, quam ponit meliùs cum Oenanthe, quàm Filipendula convenire tradit, ac propterea Oenanthem conſtanter, ſed pertinaciter exiſtimat. In poſt. com. cum mag. fig. Oenanthen primam fecit, quam Cortuſum ſibi miſiſſe fatetur, quámque pluribus notis genuinam Dioſcoridis Oenanthen referre etiam adhuc aſſerit. In Compend. p. 545. ait. Si Oenanthæ huic caules ineſſent craſſi, aſſererem profe-

Matth. redarguitur. ctò legitimam eſſe Oenanthem. Matthiolo autem non bene notam plantam eſſe, cujus figuram ponit, ſatis conſtat ex eo, quòd non deſcribit: ſi quis etiam conſideret quibus rationibus motus Matthiolus, neget Filipendulam eſſe Oenanthem, iiſdem & hanc rejiciet: ubi enim folia Paſtinacæ & ſemen Atriplicis.

Bulbocaſtanum Geſn. De Bulbocaſtano (ita namque in append. horti, & de hort. ubi & Bunium Dodonæi nominat) Geſnerus Guillandino planè ſubſcribit. In eo enim quod dubitavit an Mamiras Pauli fortè eſſet, planè ipſi ſatisfactum eſt, & plantas diverſas eſſe agnoſcit, & aſſertam à Guillandino veram lectionem Tralliani, & rem ipſam quoque demonſtratam aſſentitur: ſed quæ de facultatibus ſcribit Guill. non ſatis aſſequitur: ſiquidem Trallianus non quibuſvis purulentis uſum commendat.

Bunium, Dod. Dod. gall. βούνιον dicitur, latinè Bunium. perhibet autem quibuſdam Aton, Actine, Anemoſphoron, Galeno etiam Arctium, in Zelandia Cleyn Erdnoote dici, & Neotericis, non ſine tamen ingenti errore

Apium, Bulbina, & Meum non ſine errore. Apion, aliis Bulbinam, quibuſdam etiam Meum. Idem de Floribus c. 53. Bulbocaſtanum aliud (ſc. ab Ornithogalo Ruellij, quod Bulbocaſtanum quoddam eſſe credit) quod Tralliani Bulbocaſtano, ſive ἀγριοκάστανον ſimillimum ſcribit, nuncupat. Lat. in fol. pingit Bulbocaſtani nomine, dicens: βολβοκάστανον meminit Alex. Trallianus l. 7. inter ea, quæ purulentis utilia ſunt, cibaria ipſum referens, &c. Bulbocaſtanum

Bulbocaſtanum unde dictum. autem à formâ bulbi, & ſapore Caſtaneæ nomen invenit ſuum. Noſtrâ ætate pleriq; ἀγριοκάστανον nuncupant. Zelandi Cleyn Erdnoten/ Germ. Klein Erdnuß/ Sabaudi *Faverottes*, Angli Kippernut.

Matth. opinio refutatur à Lobelio. Lob. in Adv. p. 325. de Bulbocaſtano inquit. Verſio Pliniana imitatione oppido tuberoſâ illuſit fortè Commentatori [*Matth.*] aut ejus Theſeo Tridentino, adegitque ut Ariſtolochiæ rotundæ & adultæ perquam ſimilem facie radicem adſtruxerit: quæ ab Oenanthe tantùm diſtat, quàm Bunium vel Bulbocaſtanum Tralliani à Filipendula, quod plebecula Gallica, Germanica, & Anglica eum monuiſſet. Il-

Nux opilionum. lam enim Angl. Kippernut vocant, quod opilionum Nucem ſonat, quia illis cibo cedit. In Obſerv. p. 429. inſcribitur ab ipſo Nucula terreſtris, Apios Turneri Angli, an Bunium Dioſcoridis? & Bulbocaſtanon Tralliani: perperam Oenanthe Matthiolo.

Matth. Nucula terreſtris. Lugd. repetitio vana. In Icon. p. 745. Nucula terreſtris Septentrionalium. Lugd. tres hiſtorias & figuras unius plantæ habet. Primâ figura eſt p. 773. hoc titulo: Bulbocaſtanon mas Dalechampij. Altera p. 774. hoc. Bulbocaſtanum grandius, Bunium Dodonæi. Tertia p. 782. pro Oenanthe 1. Matthioli. Nos ex tribus Dalechampij deſcriptionibus, adſcribemus eam, quæ eſt.

C. Bauh. error. Bulbocaſtani maris Dalechampij, quod frater Bauhin. ſeparat à Bunio Dodonæi, malè noſtro judicio. Ea ſic habet. In pratis udis & riguis naſcitur, radice bulbo-

bulbosâ, nodis extuberatâ, extrinsecus in nigro rufescente, intrinsecus candidâ, gustu Castaneæ. Prælongum quoddam & gracile veluti filum ex se mittit, sæpius intortum, paulatim crassescens in caulis originem: caulis cubito major est, rotundus, in quo folia pauca, Fœniculo similia, veluti & caulis ex articulis prodeuntia. umbella in summo candida. semen oblongum, capite gemino conspicuum, subacre. Dodonæo est Bunium Dioscoridis lib. purg. Bulbocastanum n. Lob. Nucula terrestris, perperam Oenanthe Matthiolo: Bulbocastanum mas Trallia-ni. Lon. vocat Klein Erdtnuß / facitque speciem Ornithogali. Camer. h. nominat Bulbocastanum Tralliani, Oenanthe Matthioli, Erdtkesten / Schäfernuß / Geranium 1. Dioscoridis Cæsalpini. Tradit is & alterum Bulbocastanum majoribus foliis & bulbis, in tractu Rhenano frequens, quod quidam cum præcedenti Bunium Dioscoridis esse putarunt. Apud Matth. in hist. ger. Oenanthe Matthioli, vulgo Bunium & Bulbocastanum Tralliani. In epit. Oenanthe, Bulbocastanum Tralliani.

Ornithogali species, Lon.

Bulbocast. alterum majus, Cam.

Tab. Bulbocastanum, Erdtcastanien / Sewcastanien. Bulbocastani altera icon, quam Turnerus cõmunicavit nomine Apios, quámq, depingendam curaverat ex veteri libro, & postea mutatâ sententiâ vocavit Bulbocastanum, cum quo convenit, si folia non essent ita crassa. Herbarij vocant Castaneam terræ & Castaneam porcinam.

Castanea terræ.

Castanea porcina.

Bauh. phyt. Bulbocastanum majus folio Apij: Bunion Dod. Nucula terrestris Septentrionalium Lob. Item Bulbocastanum alterum folio Fœniculi, Bulbocastanum mas Tralliani, Lugd. Idem apud Matth. Bulbocastanon folio Apij, Oenanthe 1. Matthioli, Pancaseolus Cæsalpini. Quomodo autem Bulbocastanum possit esse Pancaseolus Cæsalpini non videmus: huic enim folia Geranij, aut Anemones: flores purpurei, quæ non competunt Bulbocastano: præterea non diversum, sed idem planè credimus Bulbocastanum mas Tralliani & Bunium Dodonæi. Ipse adhæc notat in animadv. in Lug. Bulbocastanum mas Tralliani Lugd. & Oenanthe Matthioli easdem esse plantas, sed illius figuram meliorem. Dissipatis tenebris veritas tandem illuxit C. Bauh. in pin. Bulbocastanum 1. majus folio apij (inquit) est Oenanthe 1. Matth. Cast. Lugd. Bunium, Dod. gall. Lac. Gesn. h. Apios, Turn. Bulbocastanum, Gesn. h. Dod. Cast. Tab. Ger. grandius, Lugd. Bulbocast. mas Tralliani, Eid. Lugd. Nucula terrestris Septentrionalium, Lob. Panacaseolus vulgo, Cæs. Eid B. Bulbocastanum 2. minus; Ornithogali species, Lon. Bulbocast. alterum, Cam. Hic ratione loci, foliorum incisuris variat: quod ex Anglia, ex Pyrenæis, & monte Calcaris habemus.

Synon. C. B.

Pãcaseolus Cæs. esse non potest, contra fratrem.

Alius eius error.

Bulbocast. Iterum.

Apios Tur.

Varietas.

Bulbocastani Dodonæi nomine accepi semina & bulbos missos ex Champagnole Burgundiæ ab insigni pharmacopœo Tollano Carolo; qui plantati in horto E. C. optimè provenêre, & semine deciduo se multiplicavêre, mense Martio producentes folia, ac flores Iunio; semen maturantes Iulio. Arva & pinguia umbrosa amat, in Holandia & Anglia, teste Lobelio, plurima, præsertim ad pagum Clefton prope Bristoiam. Multis in locis Angliæ provenit, copiosissimè verò in Northumbria, Turnero id perhibente. Camerario copiosè crescit in monte S. Petri dicto prope Salinas Saxonicas. In editis Arvernorum montibus copiosissimè. Plurimùm provenit ex semine per maturitatem sponte deciduo, quo tempore commodè seminatur. Vere ineunte terræ mandatum ægerrimè pronascitur, & interdum integro anni spatio delitescit, nec nisi altero demum prodit: radix diu vivit, nec semine maturescente cassa redditur. Tabern. in multis Germaniæ locis provenit in agris frumentaceis, & vineis potissimùm in Palatinatu prope urbem Odernheim & locis vicinis: delectatur terrâ firmâ, præterea pingui.

Locus cum tempore.

Vere ineunte difficulter provenit.

Bulbocastani radix, referente Dodonæo ex Tralliano, moderatè calida est & sicca, simul & adstringens: semen verò calidius & siccius. editur illa cruda, sed suavis cocta, sanguinem spuentibus & mingentibus utilis. semen aperiendi vi præditum & *diuretikon* esse videtur. Radices Lonicerus tradit dulces & gratas esse, ac propterea eas effodere pueros, coquere cum aqua & sale, & comedere; quosdam etiam crudas. Dioscoridis verba (de purgatione sursum & deorsum) scrupulum Turneto injecerunt ut dubitaret, utrum suum Eardtnut (i. e. Bulbocastanum) esset Apios, an non? cùm multi totam (Bulbocastani) radicem comedant, imò interdum quinque aut sex radices, nullo vel vomitu, vel alvi solutione subsequente. Verum autem Earthnut (i. e. Apios) eas habeat facultates in Græcia; hîc [in Anglia] utem minimè, certò non affirmat. Id tamen conjecturâ commodè consequi posse ait, ut minore labore Apyon verum cognoscatur, si in id fortè incidatur. Hortatur tandem studiosos ut periculum faciant, an suum Earthnut (Bulbocastanum) alibi fortè in Anglia, quàm ubi ipse fuerit, facultates eas habeat, quas illi tribuerit Dioscorides. Quòd si non inveniant, discant ex hoc Earthnut / in indagandis plantis, non temerè de plantis pronuntiare ex forma sola externa, verùm etiam ex viribus & facultatibus. Et hæc est de Bulbocastani viribus opinio & mens Turneri, cui si nota fuisset Apios vera Dioscoridis, non quæreret vim purgatricem in Nucula terrestri. Radix Bulbocastanei (inquit Tab.) excorticata cum modico pipere in jure carnium cocta, suavis admodum cibus est, multùm nutriens & Venerem stimulans. Eadem in cibo usurpata, aut etiam medicamentis addita, cruenta mingentibus & etiam spuentibus auxiliatur. Convenit etiam purulenta excreantibus, id Tralliano testante. Hâc denique sues (cujus avidæ sunt) impinguantur, unde & Castaneæ suillæ nuncupantur.

Temperamentum ex Tralliano.

Sputum, mictumque cruentum.

Turnerus dubitat an sit Apios Diosc.


Ex sola forma de plãtis non est temerè dejudicandum.

Venerem stimulat.

Suum sagina.

VISNAGA. CAP. XX.

ICON I.



Sesquicubitalis circiter est plãta, radice raris adnatis fissâ hærens, caule Anethi, striato, glabro, geniculato: folio Pastinacæ erraticæ, lævi, portionibus divisionis majoribus; umbellæ florum candent, tandémque in se contrahuntur, veluti caverna, mediam palationum sepimẽto effingente: pediculi autem umbellæ, potissimùm externi, palmo longiores, rigidi, duríque sunt; singulique tam hi quàm interni novam pedicellorum frequentium umbellam in summo gerunt. porrò tam umbellæ singulares, quàm coma tota, subjecta habent radiatim foliola: semen parvum, Apij officinarum, acre.

Descrip.

Pastinacæ folio.

Nostræ icones sunt ex Guarinianis, quarum secunda est apud Fuchsium pro Seseli Massiliensi.

Iconum ratio.

Gingidium negamus cœtera, Dod. & Ang. Non desunt autem qui velint Visnagam, vel ipsum legitimum esse Gingidium, in qua sententia sunt Dod. & Anguillara. vel ejus alterum genus. Sed nobis & Castori cum Matthiolo, non arridet eorum opinio. Sed nec ipsi Matthiolo & Castori subscribere possumus, potiùs esse existimantibus majorem Pastinacam silvestrem. *Nec est Pastinaca silv.* Sunt præterea qui Gingidium Matthioli Scandicem esse putant. Sed erronea est eorum opinio.

Seseli Massiliense, Fuch.

Icon II.



Seseli Massiliensis titulo secundam hanc nostram iconem pingit Fuchsius in hist. cap. 303. Verùm descriptio non convenit figuræ, & multa nomina, quæ alterius sunt plantæ. Meritò propterea mutavit sententiam in Iconibus, ubi Dauci tertium genus facit, *Kid & Dauci tertium genus* das dritt geschlecht deß Vogelnests.

Gingidium Ang. Gingidium adhuc notum in Syria est, inquit Anguill. cons. 7. ubi eo vescuntur. Huic vires à Dioscoride ascriptæ conveniunt; vocatur Visnaga & Busnaga: pingitur à Fuchsio, modò pro Seseli Massiliensi, modò pro Dauco: sed neutri descriptioni convenit. *Fuchs. cens.* Dioscorides ex Crateva corrigendus amari est saporis, ut vult Gingidium esse Galenus.

Lepidium Syria, Dod. Gingidij & Visnagæ titulo plantam nostram pingit Dodonæus gallicus, vocatque ait in Syria Lepidion: ab aliis etiam teste Dioscoride, præsertim à Romanis Bisacutum: *Bisacutum* in Hispania verò Visnagam: incognitam officinis tam Germaniæ, quàm Galliæ. *Synon.* Lat. in fol. vocat Gingidium alterum. Castor p. 477. Visnagam, & Pastinacam silvestrem majoré. Matth. in post. comm. cum mag. fig. lat. l. 2. c. 131. Ital. c. 126. Visnagam, ut etiam in epit. & in hist. germ. cum addit. *Bisnaga.* Cam. ubi dicitur vocari quibusdam Bisnagam & Basniaginem. Tab. Gingidium 3. & Bisnagam, Spirisch Körffelkraut / Zanstücherkraut. Idem apud VVirsung, Gingidium verum, Hispanorum Visnagam, & herbariorum Ceræfolium Hispanicum. *Cerafolium Hispanic.* Cordus in Diosc. Gingidion. In hist. Gingidium, Syriacum olus.

Bauh. apud Matth. phyt. & pin. Gingidium 2. sive umbellâ oblongâ: Visnaga, Matth. Lob. Lugd. Gingidium, Ang. Cordus in Diosc. & hist. Dod. gall. Clus. hist. cui & Bisnaga. Seseli Massiliense, Fuchs. Dod. gall. ic. Cumini sativi alterum genus, Cæs. Gingidium hispanicum, Ger. Hort. Patavin. Busnagam, aut Visnagam *di Soria*.

Lugd. 2 fig. Lugd. duas figuras habet unius plantæ: uni titulus p. 710. Visnaga, Gingidium Matthioli: alteri p. 711. Visnaga, Gingidium Dodonæi. Sufficiebat prima icon, nullam enim inter utramque differentiam ostendit.

Matth. not. Matthiolum notat Lobelius, quòd Visnagam sibi peregrinam videri scribat, siquidem ipse multis Italiæ locis & Aquitaniæ viderit, & æquè bene possit congruere descriptioni Gingidij, atque cæteræ: quod de umbella nulla mentio in Dioscoride habeatur. In Obs. p. 419. in Icon. p. 726. vocat Visnagam & Gingidium Anguillaræ.

Satis ostendunt Tragus & Lonic. Visnagam non sibi notam fuisse. *Trag. & Lon. tax.* Tragus siquidem eam pro Seseli, Lonic. verò pro Seseli Massiliensi pingit, ac cum Silere montano præterea utérque confundit.

Visnaga annua planta Montbelgardi in horto F. C. sata facilè sæpiùs provenit, florens Augusto: *Locus & Tempus.* inter alios semen misit nomine Visnagæ Tossanus Carolus. Lugduni & Genevæ copiosam habebam in hortis, turgentem semine in Autumno, quo tempore perire solebat. Frater misit pro Gingidio Dioscoridis; Bernh. Paludanus verò nomine Scandicis, & Gingidij Ægyptij, cujus umbella & pediculi firmiores erant & majores, quàm in hortis nostris provenientis.

Pastinacam viribus referre contendit Matthiolus, cujus rei, qui volet, periculum facere poterit. *Pastinaca viribus, Matth.* Pediculi pro dentiscalpiis multis in usum veniunt, *Dentiscalpium.* præsertim verò Hispanis, ob suaveolentiam. Cæterùm, vires Gingidij huic tam verè conveniunt, quàm verè Gingidium esse diximus.

DAVCVS CAMPESTRIS FOLIIS Fœniculi, clausâ umbellâ.

Herba læto Solo & in agrorum limitibus ubique frequens in Æstate: *Descri.* caule cubitali, crasso: frequentibus foliis, capillaribus, ut Fœniculi, crassioribus: umbellas fert latas, tres aut quatuor, initio convexas, capitulorum modo herbaceas, quibus postea flosculi insunt candidi: *Flos candidus.* accedente autem ad perfectionem semine, concavæ redduntur, reflexis ad medium corymbis, ut in Staphylino, & tandem clausæ vasculum efformant, in quo multa semina continentur parva, in rotunditate oblonga, sapore acri & amaro: radix alba est, acris & odorata, sed lignosa.

Cæs. l. 7. cap. 18. vocat Daucum campestre, herbam *Synon.* quam modò descripsit, facitque Dioscoridis tertium Dauci genus, & Daucum foliis Coriandri Plinij. Is nisi Visnagam tradidisset, eodem lib. cap. 14. existimarem ab eo hoc loco per Daucum campestre Visnagam describi.

DE SESELI MASSILIENSI, ÆTHIOpico, & Peloponesiaco, veterum sententiæ.

Cap. XXI.

Seseli Massiliensi Dioscorides assignat folia Fœniculi similia, sed crassiora: *Massiliense Seseli, Diosc.* caulem etiam luculentiorem, & umbellam Anetho similem, in qua semen oblongũ, angulosum, & statim ut editur acre esse dicit. Radicem longã & odoratam. Vim habere semen & radicé calefaciendi. *Vires.* In potu urinæ stillicidium & erectæ cervicis spirationem sanare. Prodesse etiam ad uteri strangulationes, & ad morbum comitialem. Ducere quoque menses & fœtus, & ad omnes internas affectiones facere, & tusses veteres sanare. Semen cum vino potum concoctionem adjuvare, & tormina solvere. Et epialis febribus commodum esse. Et ad frigora itinerum cum Pipere & vino bibi. Dati etiam capris & reliquis pecoribus in potu, ad partûs facilitatem. At quod Æthiopicum Seseli appellatur, *Æthiopicum.* folia habere Hederæ similia, sed minora & oblonga, ad Periclymeni foliorum modum. Frutícem esse magnum, sarmenta ad duos cubitos extendentem, in quibus rami sunt duorum palmorum & capitula velut Anethi. semen autem nigrum, densum, velut Triticum, acrius & odoratius, quàm Massiliense, vehementer jucundum. Quod verò in Peloponneso nascitur, *Peloponnes.* folia habere Cicutæ similia, sed latiora

latiora & crassiora: caulem majorem quàm Massiliense, Ferulæ figurâ. Et in hujus summo umbellam, in qua semen est latius & odoratum & carnosius. Vim habere eandem. Nasci in locis asperis & humidis, ac editioribus. Item in Ida.

Tordylion ... semen ex Seseli. Tria hæc Seselis genera à Dioscoride proposita, Plinius, ut etiam testatus est Cornarius, non habet, sed l.20.c.22. inquit. Adjicitur Tordylion. Est autem id semen ex Seseli. *Silis pro Seseli.* Aliàs Sili vocare solet ac dicere pro Seseli, ut l.24.c.19. Tordylon alij semen Silis esse dixerunt, alij herbam per se, quam & Syreon vocaverunt. Neque aliud de ea proditum invenio, quàm in montibus nasci. Et l.22.c.22. Elaphoboscum ferulaceum est, geniculatum, digiti crassitudine, semine in corymbis dependentibus Silis effigie. Et l.13.c.26. de Spondylio. Semen eodem nomine Silis speciem habet. Et l.27.c.7. de Absinthio agens, cum *Seselis.* Sili, inquit, & Nardo gallico, aceti exiguo addito, fastidia absterget, concoctiones adjuvat. Seselim tamen appellat lib.8. c.32. de cervis loquens, fœminæ ante partum purgantur herbâ quadam, quæ Seselis dicitur, faciliore ita utentes utero. A partu duas habent herbas, quæ Aros & Seselis appellantur. Et l. 25. c. 8. simplicids cervæ monstravêre Elaphoboscum, de qua diximus. Idem Seseli enixæ à partu. *Seselis Aristotelis.* Hoc autem apud Aristotelem hist. animal. l. 9. in hunc modum legitur. Ferarum quadrupedum, cerva maximè prudentiâ præstare videtur, quia cùm peperit circa semitas, involucrum primum exedit, mox Seselim herbam petit, quam cùm ederit, redit ad prolem.

Gal. temperamentum. Galenus Seselis radicem & semen ex calefacientibus esse ait, in tantum ut medicamentum sit, quod multam urinam cieat. Esse item partium tenuium, ut & ad morbum comitialem, & erectæ cervicis spirationem conveniat.

Seselis Gr. variæ appellationes. Seseli Massiliense, sunt qui Spagnon, qui Platycyminon, i.e. latum Cyminum vocent. Æthiopicum verò Ægyptij Cyonophricem appellant, ut inter nothas Dioscoridis appellationes videre licet. *Siler montanum, Corn.* Seseli autem in genere, ut Gesn. in ascript. Dioscoridis perhibet, Ægyptij Caucalin vocant. Novisse Seseli officinas, sed corrupto ex Sili nomine, Siler appellare, & montanum insuper dicere, ut sit ab aquatico differentia, quod molle Virgilius dixerit, tradit Cornarius. Sed non demonstrat quam plantam intelligat. *Seseleos nomen pluribus attribuitur.* Nec est generum aliqua ipsi distinctio. Cùm tamen Seseleos nomine plures & diversæ proponantur plantæ, ut ex sequentibus fiet manifestum.

Seseli Massiliense nuperorum. Pro Seseli Massiliensi legitimo exhibet Matthiolus plantam, quam Seseli Massiliense folio aliquatenus Visnagæ, mox inscripturi sumus.

Visnaga. Fuchsius Seseleos Massiliensis picturâ Visnagam in hist.c.403. expressit.

Seseli montanum angustifol. Clus. Seseli montanum angustifolium 3. Clusio, Massiliensis Seseli picturam apud Matthiolum (inquit ille) aliquantulum refert.

Libanotis cachryophoros. Quidam Seseli Massiliense statuerunt (& sanè facultates respondere ait Lob. in Obs.) Libanotim cachryophoron.

Fœniculum tortuosum. Seseli Massiliensis descriptionem à Dioscoride traditam Clusio plurimum accedere videtur ad Fœniculum tortuosum.

Panax Asclepias. Panax Asclepias in Candia & vulgo in Creta Seseli cognominatur.

Peucedanũ. Seseli loco, quasi eadem esset planta Peucedanum, Peucedani semen substituit Dispens. Florent.

An Cerfolium magna. Ad Seseli posse referri Cyminum equinum (quod Cervi-foliam magnam credimus) existimat Tragus.

Meum vulgare. Meum vulgare, Seseli, & quidem Creticum, à quàm plurimis cognominatur.

Siler montanum. Siler montanum, Seseleos Massiliensis cognomen sibi quoque vendicat.

An Silaũ? Seseli pratense Monspelium, quod quidam Monspeliensium olim Seseli Massiliense Dioscoridis putabant (teste Lob. in Adv.) an est Silaum?

Seseli palustre Cam. Habet Seseli quoddam, quod palustre appellavit, Camerarius de hortis.

Seselis Æthiopicum verum. Cognovimus autem hodie Seseli Æthiopicum verum fruticosum, Periclymeni folio.

Ligusticum Rauw. Et hinc fallitur Rauvvolfius, qui pro Seseli Æthiopico obtrudit Ligusticum folio Aquilegiæ.

Seseli montanum 1. Pannonicũ. Inquirit C. Bauh. an Seseli montanum 1. Clusij, non sit idem cùm Ligustico altero Belgarum Lobelij in Obs. p. 457. Sed dubium hoc tollit seminis descriptio, quæ plurimum ab ejus delineatione differt.

Libanotis Theophr. Pro Seseli Æthiopico Fuchsius in Icon. exhibet Libanotim Theoph. Dodonæi, Seseli Æthiopicum Matthioli radice albâ.

Libanotis altera. Libanotis altera quorundam, sive Cervaria nigra, pingitur à quibusdam pro Seseli Peloponesiaco.

Libanotidi 2. quorundam affinis. Libanotidi 2. quorundam sive Cervariæ nigræ, affinis, Valde bona flore pallido, est Seseli montanum Clusio secundum sive latifolium.

Seseli Peloponese Matthiol. Seseleos Peloponensis picturam ponit Matthiolus suo more sine descriptione, non convenit tamen multorum judicio cùm descriptione Diosc.

An Oreoselinum? Quod Turnerus par. 2. Seseli Peloponnense, quidam verò Petroselinum seu Apium montanum opinati sunt, nos Oreoselinum suspicamur.

Thapsia quorundã. Thapsia quorundam à nobis appellata, est multis Seseli Peloponense.

Thapsia latifol. Clus. Clusium mirari subit esse qui suæ Thapsiæ [*latifolia*] iconem ad Seseli Peloponensis historiam accommodare non sunt veriti, cùm tamen facultates planè sint dissimiles.

Myrrhis. Myrrhidem Anguillara, nullis, aut paucis adstipulantibus notis Seseli Peloponense existimat.

Cicutaria. Cicutaria, seu Cicutaria Myrrhis, quam Cordus olim Myrrhidem silvestrem nuncupavit, à multis credebatur esse Seseli Peloponesiacum.

Daucus quidam vulgari cõgener Camer quid. Camerarius horti nominat Daucum quendam, vulgari congenerem, quem Seselios Peloponensis nomine ex Italia sibi missum ait, semine perquam aromatico, folijs pulchrè virentibus nitidissimis. Hæc quænam sit adhuc nobis non constat.

Caucalis major semine hirsuto. Seselios sed Cretici cognomen tribuitur Caucalidi majori semine hirsuto.

Caucalis minor pulchro semine. Seseli Cretici loco Dodonæus Caucalidem Belonij, seu Caucalidem nostram minorem pulchro semine exhibet, quod non probat Gesnerus.

Saxifraga major. Seseli Massiliense ait Ruell. lib.3. c.42. esse Saxifragiam majorem officinarum & herbariorum, qui sanè pro suo more non descripsit eam ex autopsia: sed repetit Seselios descriptionem alijs verbis.

Spõdilium. Quod Hippocrates scribit libro de fistulis, Seseli radicem fistulis impositam earum callos eximere, id Paulus Spondilij radici tribuit.

Pimpinella. Seseli Creticum Dioscoridis verum dicitur Trag. lib.1. c.156. de sua Pimpinella tertia, quam l.2. c.110. rursus pro Seseli tertio commemorat.


Perfoliata. Seseli Æthiopicum Dioscoridis dicitur quibusdam, teste C. Bauhino, de Perfoliata.

Filipendula. Filipendula (inquit Dorsth.) est Seseli Græcorum Laur. Phrisio. cum viribus bene convenit, quamvis forma discrepet.

Ricinus. Seseli tandem Cyprion in ascript. Diosc. (notante hoc Gesnero) legitur de Ricino.

SESELI MASSILIENSE NVPERORUM folio aliquatenus simili Visnagæ.

Descr. EX Italiæ horto Patavino attulit frater Casparus plantam folio dodrantali circiter longitudine & latitudine, tenuiter dissecto, cæsuris Visnagæ utcunq; latio-



Panacis Asclepiadis Guillandini folio.

latioribus: affine hujus folium cum ejus plantæ folio, quam Panacis Asclepiadis Guillandini nomine descripsimus: tam felix nondum fui, ut florentem observare potuerim aut semen ferentem, licèt diversis in locis eam offenderim. semen Camerarius sic describit, longius & latius est quàm Fœniculum, odoris vehementis.

Trag. Seseli cum Visnaga confundit.

Tragus l.2.c.120. Seseli titulo proponit picturam sine descriptione, quæ Visnagam exprimit. putabat fortè semen Sileris montani in ea planta provenire. Verùm non videtur ei cognita nec Visnagæ, nec Sileris montani planta, quas mirè inter se confundit.

Seseli Massiliense, Matth.

Seseli hoc Massiliense ait Matthiolus Græcis *σέσελι*, Arabibus *Sesalios*, Barbaris *Sisileos* dici: officinas verò Siler montanum appellare: Germanos gemeinen Sesel & Welsch Steinbrech / Gallos *Sermontain* nominare. Legitimum autem esse Seseli Massiliense, & in omnibus ferè Tridentinis montibus legi. Sed maximè advertendum esse, quod quanquam in quibusdam Italiç pharmacopoliis verum sit reperiri Seseli, in quàm plurimis tamen aliud vendi, &c. Idem in post.comm.cum mag.fig.lat l.3. c.33. Ital.c.58. Item in hist. germ. & epit.cum addit.

Siler montanum.

Matth. obscurus.

Camer. ait Seseli hoc Massiliense, sive Siler montanum provenire in Apuliæ Gargano, adferri tamen semen in Germaniam abundare circa Massiliam. Sed quis obsecro intelligit Matthiolum, quem non puto ritè cognovisse quid scriberet, nec quid esset: Siler montanum officinarum, quam præterea plantam pingat, asserere non ausim, quia non describit: potest quoque ejus icon Visnagæ competere, licèt respondeat Seseli Massiliensi mulus vocato, potissimum priorum comm.figura, quæ meliùs posteriorum placet. Et hinc meritò reprehendunt quoque Adversaria Lobelij Matthiolum, dicúntque titulo de Seseli Massiliensi folio Fœniculi crassiore [*de Fœniculo tortuoso*] hallucinantis commentatoris Tridentinum Seseli neutiquam genuinum esse posse: quid verò sit, cùm ille describere non ausus sit, ipsis ignorandum. Illud tamen asserendum, se in Tridentinis Alpibus hanc plantam uspiam vidisse, ac ne in Baldo quidem monte, longè illis feraciore.

Reprehenditur à Lob. Matth.

An Seseli Massiliense Lob obs.

An Lob.Obs.p.457. Seseli Massiliense Adv.p.352. Ferulæ aut Dauci Cretici facie, majoribus, crassioribus, latioribus, latiúsque sparsis Fœniculi foliis: caule bicubitali & proceriore: semine in umbellis Mei, compresso, Anethi carnosiore, gustu Seseli Æthiopici, aut Peloponensis, valdè aromatico? Icon.p.785. Seseli Massiliense nuperorum. Mirari subit hoc in loco Lobelium, cur inter Ferulam & Daucum Creticum cum Seseli hoc comparationem instituat, inter quæ tamen videtur satis magna differentia. Si Lobel.eandem nobiscum intelligit plantam prætulerim Lobelij figuræ eam, quam Matthiolus habet in penultimis comment.quamvis aliquo modo repræsentet Visnagam. Cur ad Adversaria Lobelius hanc referat, me latet. siquidem ejus non meminerunt, nisi quatenus Matthiolum reprehendunt.

Lob redarguitur.

Seseli Massiliense confundit Dod.

Dodonæus Seseli Massiliense cum diversis plantis confundit. Seseli Massiliense, inquit in hist.gall. (ubi figura Matthioli) appellata græcè *σέσελι μασσαλεωτικόν*, latinè nonnullis latum Cuminum, i.e. græcè *πλατυκύμινον*, gallicè *Cumin large*. Offic. Siler montanum, ger. Wald Kümel. Idem in fol.lat. ait, quod *σέσελι μασσαλεωτικὸν*, Latini Seseli Massiliense quoque nominant, à natali loco cognomen accepit. à nonnullis *σκόλιον* dicitur. Recentiorum quidam Fœniculum tortuosum vocant. Vides Dodonæi chaos. Quam porrò in hist.gall. figuram exhibuit, in fol.lat. tanquam falsam & imaginariam omittit.

Cuminum latum.

Fœniculum tortuosum.

Tab. chaos.

Tab.Icon.p.104. Seseli Massilioticum, Siler montanum. hist.p.178. Seseli Massilioticum 3. Marsilischer Sesel / Roß Kümmel. Item Icon.p.105.hist. p.178. Selelios Massiliensis icon verior. Marsilischen Sesels ein bessere Figur/Zirmet. Figuræ ambæ vix discrepant. nec video cur una verior, altera dici possit. Adde & tertiam figuram his similem. Icon.p.107.hist.381. Libanotis, Rosmarinum herbaceum, Roßmarin Kraut/Weyrauchwurtz. An verò hæc icon ex Matthiolo sit Libanotidis cachryophori, anceps hæreo.

Synon. C.B.

Bauh.phyt. Seseli 6. sive Massiliense Ferulæ facie, Massiliense Lob. & Matthioli. Apud Matth. Seseli 1. Massiliense. Sunt, inquit ibidem, qui velint Matthioli figuram Siler montanum officinarum exprimere, quibus non assentior. Notat frater Lugdunensem quòd suo Seseli nullam addiderit descriptionem, sed immeritò. Nã si Matthiolus posuisset descriptionem, posita fuisset etiam à Lugd. carpendus igitur potiùs Matthiolus, & ejus patrocinator, qui etiam omisit. Eid.B.pin. Seseli 8. Massiliense ferulæ folio: Seseli Massiliense, Lac. Gesn.Lon.Cast. & Lugd. Siler montanum offic.Ger.

C. Bauh.

Locus.

Monthelgardi, Heidelbergæ, & Lutetiæ in hortis observavi.

SESELI MONTANVM ANGVSTIfolium 3. Clusij, folio Seseli Massiliensis Matthioli, semine Angelicæ.

Descr.

MVltæ sunt foliorum alæ Seseli montano 3. Clusij, Fœniculi foliorum instar in multa folia tenuia, illis tamen crassiora, & breviora divisæ, virides admodum, mucrone omnium foliorum candicante & duro, calidi gustûs: inter quas enascuntur cubitales caules aut ampliores, digitalis crassitudinis, striati, geniculati, in aliquot ramos secti, quos secundum nodos alæ minores amplectuntur foliorum: flores in extremo caule & summis ramis in umbellas distributi nascuntur albi: deinde semina gemina conjunctim, ut in omnibus umbelliferis, striata, Angelicç semini non disparia, gustu fervido: radix multis crassis & oblongis fibris latè & obliquè sparsis constat, quæ singulis annis summo capite novas propagines ad latera facit.

Synon.

Clusius descriptionis autor vocat in pann. p.691. Seseli 3. sive montanum angustifolium. In hist. Seseli montanum 3. Ait autem hoc Massiliensis Seseli picturam apud Matthiolum aliquantulum referre, ac nonnullos fortasse alteram Libanotidem Dioscoridis fructiferam potiùs esse contendere, à qua sanè ipsi non multùm differre videtur. Nullum porrò vulgare nomen apud earum provinciarum rusticos, in quibus Seseli hoc observabat Clusius, quod equidem sciat, obtinuit.

A Libanotide Diosc. altera non multùm differt.

C.Bauh.phyt. Seseli 8. (re.pin.) montanum Fœniculi folio.

Locus.

Nascitur in plerisque Austriæ inferioris & Stiriæ montanis pratis, Iulio florens.

DE PEUCEDANO VETERUM sententiæ. Cap. XXII.

Peucedanum, inquit Dioscorides, caulem profert tenuem [... vet. hoc vocabulo caret] gracilem, Fœniculo similem: comam verò habet circa radicem, copiosam ac densam: florem luteum [..., vet. ...] radicem nigram, gravi odore, crassam, liquoris plenam. Gignitur in montibus opacis. Excipiendi liquoris ratio hæc est: Tenera radix cultello conciditur, statimque qui profluit è plaga liquor in umbra reponitur. Sub sole siquidem confestim evanescit. Verùm inter colligendum capitis dolorem vertiginemq; inducit, nisi quis priùs nares rosaceo perunxerit, eodémque caput irrigaverit. Quæ verò radix liquorem fuderit, deinceps inutilis evadit [... Bas. ... Corn. Lac. Sarrac. & vulg.] Sed & è caulibus, uti è radice & liquor & succus elicitur, haud secus ac è Mandragora. At succus liquore inefficacior est [... ut Gal. & Serapio: pro quo ... vet. cod. lat.] ocyúsque expirat. Interdum etiam priùs concreta reperitur lachryma, Thuris similitudine, caulibus, radicibúsque adhærens. Porrò præfertur liquor [ex succo qui radice incisâ manat, præstat Corn.] qui è Sardinia [..., videtur cum Theophr. & Plinio legendum ..., Corn.] & Samothracia petitur, odore gravi, fulvus, fervénsque gustu. Ex aceto & rosaceo illitus prodest lethargicis, phreniticis, vertiginosis, comitialibus, diuturno capitis dolore vexatis, paralyticis, ischiadicis & convulsis. Ac in universum omnibus nervorum vitiis, ex oleo & aceto convenienter illinitur. Datur & olfactandus in strangulatu vulvæ, paritérquè profundiore somno sopitos excitat. Suffitu quoque serpentes fugat. Quin & aurium dolori cum rosaceo, utiliter instillatur, & ad mitigandum dentium dolorem earum cavernis inditur. Sed & contra tussim efficaciter ex ovo assumitur, itémque spirandi difficultatibus, torminibus inflationibúsque subvenit, ventrem leniter emollit, lienem absumit, ac difficiles partus egregiè adjuvat. Facit & potus ad vesicæ renúmque cruciatus ac distensiones, vulvámque aperit. Radix ad eadem utilis est, at inefficior: ejus verò decoctum bibitur. Arida quoque trita sordida purgat ulcera, ossium squamas extrahit, veteráque ulcera ad cicatricem perducit. In cerata denique & malagmata calfacientia additur. Radicem eligito recentem, minimè cariosam, solidam & odoris plenam. Cæterùm, succus ad potiones amaris Amygdalis, aut Rutâ, aut pane calido, aut Anetho resolvitur. Sunt autem, qui inter nothas appellationes Dioscoridis, Sisonem agrestem, & qui Agriophyllon vocent. Magi Bonum Dæmonem, Romani Pinastellum, sive Satariam herbam dicunt.

Liquoris excipiendi ratio. *Lachryma.* *Liquoris delectus.* *Liquoris vires usus.* *Radicis usus.* *Delectus.* *Succus ut resolvendus.* *Appellationes nothæ.*

In Arcadia nascitur Peucedanum, inquit Theophrastus: Radix durat [utilis est Cæsalp.] quinque aut sex annis: vim calefactoriam habet; quamobrem quidam ex ea unguentum sudatorium faciunt: datur & ad lienes: semen inutile est, nec succus ulla in re prodest. An verò hoc dixerit Theophrastus, quia facilè expiret & evanescat, ut Dioscorides testatur, quærit Cæsalpinus. Cum & lachryma ob id infirmior succo habeatur ab eodem.

Theophr.

Plin. l. 25. c. 9. Sed inter primas celebratur Peucedanum, laudatissimum in Arcadia, mox Samothrace. Caulis est ei tenuis, longus, Fœniculo similis, juxta terram foliosus, radice nigrâ, crassâ, gravi odore, succosa. Gignitur in montibus opacis. Foditur exitu Autumni. Placent tenerrimæ & altissimæ radices. Hæ conciduntur in quaternos digitos osseis cultellis, fundúntque succum in umbra, capite priùs & naribus rosaceo perunctis, ne vertigo sentiatur.

Plin. delectum. *Autumni exitu foditur.*

Et alius succus invenitur caulibus hærens, incisisq; manat. Probatur crassitudine melleâ, colore ruffo, odore suaviter gravi, fervens gustu. Et hic in usu & radix, & decoctum ejus plurimis medicamentis. Succo tamen efficacissimo, qui resolvitur amaris Amygdalis, aut Rutâ, bibitúrque contra serpentes, & ex oleo perunctos tuetur. Plura vide infra.

Succi delectus.

Fecit Pinus, ut Marcell. Virgil. annotat, quæ Græcis πεύκη dicitur, Peucedano nomen; non congener congeneri, ut similis simili planta, sed speciosa & procera arbor parem folio tantùm sibi humiliorem fruticem, ut inter homines quotidie fit solâ ejus partis similitudine in genus & nomen suum sibi adoptavit. Quod posteriores intelligentes Latini Pinastellum eam vocaverunt. Cujus vocis auctor Apuleius est. Sic enim emendanda est vox, quæ corruptè in impresso codice Pinasgellum legitur. Idem quod in Dioscoride simpliciter Agrion nominatur, ab eo Sison agrion dicitur: quasi ex similitudine Peucedanus hæc Sison etiam diceretur, sed silvestre. Marcello videtur abs re non fore, si quis suspicetur deesse voci illi Agrion, qui silvestre significat, Marathrum: ut quoniam similes illi caules & capillata folia haberet, silvestre Marathrum diceretur. Quemadmodùm quod sequitur Agriophyllon, agreste Fœniculum potuisse quondam legi. Suspiciones tamen hæ sunt, nec ipse aliquid mutare ausus fuit, præterquam ex Apuleio agrion, i. e. agrestem Sisonem vocari Peucedanum, inter alia dicens. Quæ non tam à Peuce arbore dici in græcis potuit, quam ab amaritudine, quæ in eadem gente illâ voce indicatur. Et hinc fortè ait Phavorinus, Peucedanum amarum. Peucedanus adurens, calidus. vocat verò hunc (sc. Homerus) Bellum, à πεύκη, Picea ad ustionem apta. Moris autem est Homero, Bellum igni comparare, eò quod pugnantium sanguis in pericardio ignescat, incendatúrque.

Peucedani nomen unde. *Pinastellum.* *Pinasgellum corruptè.* *An Marathrum silv.* *Sison agrestis.* *Epitheta.*

Peucedani nomen subsequentibus attribuitur plantis, sed à diversis scriptoribus.

Æquivoca.

Peucedano, Tragi sc. Fuchsij, Matthioli & aliorum, ut mox videre licet. Item Peucedano majori Italico Lobelij.

Peucedano.

Panacem Asclepiadem in Sicilia Peucedanum vocari prodit Camerarius.

Panax Asclepias.

Peucedanum Pannonicum Clusij in hist. lib. 6. cap. 17. suspicamur esse plantam, quam vocamus Daucum glauco folio, similem Fœniculo tortuoso.

An Daucus glauco folio?

Quod Hier. Brunschvveig apud Tragum l. 1. c. 148. Peucedanum appellat, est nobis Meum vulgare.

Meum vulgare.

Lonic. l. 5. cap. 32. ponit pro Peucedano figuram plantæ, quæ ut dicemus non est Peucedanum, & in Botanico Francoford. p. 40. dicitur Hippomarathrum. Est autem nobis Silaum quorundam. De his præsenti libro.

Silaus quibusdam.

Peucedanum aquaticum Tabernæmontani, inscripsimus Millefolium, sive Myriophyllon marathrophyllum palustre. De hoc lib. 38.

Millefolium marathrophyllum palustre.

Peucedani semen sunt qui volunt dici silvestre Levistici genus [Phelandrium Dodonæi de quo hoc lib.] Sed nemini obscurum est (inquit Trag. l. 1. c. 141.) aliam esse & peculiarem plantam Peucedanum.

Phelandrium Dod.

Libanotidem alteram Dodonæi, ait Matthiolus in post. comm. Italicis, contra ejus mentem in sua hist. germanica errore typographi pro Peucedani secunda specie esse exhibitam.

Libanotis altera Dod.

Peucedanum de Angelica silvestri dici legimus apud Adamum à Bodenstein in Onom. Parac.

Angelica silv.

Quæ sit Rosmarini illa prima species Anguillaræ, quam ait in epist. 12. Herbarios Peucedanum & Opopanacum vocare, nos latet.

Rosmarini 1 species Ang. quid.

Euch. Roeßlin capiti de Peucedano ineptè jungit Ebertvurtz [quæ vox sonat Chamæleonem album] & pro eo iconem ponit Cardui acaulis.

Carduus acaulis male.

Peuce-

Radices annulla. Cucumis silv. Peucedani loco sumi obscuras radices conqueritur Matthiolus in proœmio in Diosc.

Peucedanum, vocatur Cucumis silvestris (de qua diximus l.16.) in ascript. Diosc. autore Gesnero.

PEVCEDANVM.

Peucedanum minus germanicum.

Descr. Peucedano radix ex deciduis foliis comosa, crassa, altè depacta, cortice nigro obducta, substantiâ virescēte, succum, si vulneretur, remittens fulvum, odore piceo, viroso. caulis cubitum unum, aut alterum etiam altus, in aliquot ramos brachiatus, striatus; umbellæ insigniter latæ, tātâ luxurie, ut interdum minutiores earum partes sobolem pariant, Anethi umbellæ parem: in quibus flosculi reflexis foliolis flavescentibus constāt, staminibus longiusculis apices flori concolores sustinentibus. semen foliaceum Angelicæ. folia ampla trifariam dividuntur, singulaq; eorum segmenta trifariam deinceps dissecantur, divisionum partibus Linariæ folio latitudine & longitudine ferè paribus. semen gemellum, foliaceum Angelicæ, lōgius, quàm latius, striis exterius quaternis ferè, interius binis donatum, sapore acri & subamaro.

Peucedanum maius Italicum.

Peucedani genera duo, Trago 1 Tragus l.2. c.221. Peucedani duo assignat genera. Primum tradit radice prǽlongâ, & altè in terram demissâ, succosâ & amarâ, supra terram barbam, seu comam canam setis porci similem obtinente: caule terete, foliis fœniculaceis, aut pineis potius (cum Pino enim plus similitudinis, quàm cum Fœniculo habent, vel Tragi judicio) vestito: flore in muscariis luteo. 2. Alterum illius genus, quod ad Rhenum in arena tenuissima reperit, foliis angustissimis, veluti Cuminum equinum. Existimat autem Tragus l.1. c.147. Peucedanum à Theophr. l.9. c.15. tradi pro Pastinaca in Achaja sive Parensi agro, radice nigrâ. Ast quandoquidem Theophr. l.9. c.15. & 22. ubi Pastinacæ nigræ meminit, Peucedanum etiam ibi tradit, non existimo ego eum eandem plantam iisdem locis diversimodè nominasse. *Non est Pastinaca nigra Theoph. contra Tragum.*

Apollinarem lib.2. fol.14?. facilè crediderim per Harstrang intelligere Peucedanum: verùm quid ineptâ figurâ indicet, planè ignoro. *Harstrang.*

Lugd. p.746. tres proponit icones: Peucedanum Matthioli. Item Peucedanum Dodonæi. Et Peucedanum majus Italicum Lobelij. Ast Peucedanum Matthioli & Italicum Lobelij idem sunt, teste C. Bauhino, at hujus [*Italici*] figura melior. *Lugd. 3 fig.*

Synon. 1. Peucedanum nostrum prius, est Peucedanū Tragi, Fuchsij, Corn. & Tab. qui & Caudam porcinam vocat. Peucedanum Argentinæ, radice ad duos aut tres cubitos longâ (ut se audivisse narrat) succi seu potiùs liquoris plenâ, sulphur olente, foliis oblongis, ternis ferè, Gesneri h. quod vulgò Fœniculum agreste [wilden Fenchel] vocari tradit. Eid. coll. Peucedanum Fuchsij. Peucedanum Lob. in Obs. p.453. quod in adv. p.350. & Icon. p.781. Fœniculum porcinum præterea nominat. Bauh. phyt. & pin. Peucedanum 2. Germanicum: Peucedanum, Trag. Fuchs. Dod. Cord. in Diosc. & hist. Gesh. Turn. Lob. Lon. desl. Lugd. Ger. & Tab. Is in figura Lobelij & Dodonæi in fol. radicem comosam requiri scripsit. Eid. apud Matth. Peucedanum Germanicum angustioribus foliis. *Fœniculum agreste. Fœn porcinum.*

2. Posterius, Peucedanum Matth. in Diosc. hist. germ. & epit. cum addit. Cam. Item Ang. epist. 12. qui recordatur hoc usos fuisse olim Patavij, pro Silere montano & pro Seseli. Peucedanum majus Italicum Lob. Icon. p.782. Obs. p.454. ubi Narbonensi quadruplo majus omni sui parte esse tradit. Peucedanum Italicum, Grosser Sewfenchel Tab. Peucedanum 1. sive majus Italicum, Bauh. phyt. & pin. Peucedanum, Matth. Ang. Lac. Lugd. Cæs. & Cast. Peucedanum Italicum, Tab. Peucedanum majus Italicum, Lob. & Lugd. majus Ger. Peucedanum foliis longioribus, Dod. Eid. B. apud Matth. Peuced. Ital. majus latioribus foliis. Libanotis nigra, Cæsalpini l.7. c.8. Libanotidem nigram, Cæs. (quæ nobis Peucedanū est) Bauhinus eandem facit in pin. cum sua Libanotide 3. fœniculi folio, semine foliaceo, quod idem statuit esse cum Rosmarino altero ferulaceo Lob. observ. p.455. & Panace asclepio, Ang. & Cam. itemque Libanotide 2. Dod. & Tab. quam nos Libanotidem quorundam flore luteo, semine ferulæ inscribimus. *Siler montanum. Seseli. Libanotis nigra.*

Πευκέδανον, καὶ πευκέδανος dicitur Græcis, & ut apud Dioscoridem Tragus legi testatur) *ἄγριον, ἀγριοσέλινον, καὶ ἀγαθὸς δαίμων*: Arab. *Harbatum*. Germani Peucedano varias tribuunt appellationes. Alij namque à coma, quæ supra radicem cernitur, Harstrang/quâ appellatione pilorum restis significatur, alij à foliis & facultatibus Sewfenchel/ h.e. Fœniculum porcinum, vel suarium, alij à croceo illo succo, vel à sulphureo radicis odore, quod tamen Gesnerus improbat, Schwebelwurtz/quasi sulphuream radicem vocant. Belgæ Verckens Venkel. Galli *Peucedane.* Ital. *Peucedano.* Hisp. *Servadan y Fenicho de porco.* Angli Horestrange. Bohemi Gelenij koren. *Nomina & Synon. linguar.*

Nominatus verò, ceu ante quoque dictum, Peucedanus est à *πεύκη*, quæ Græcis Pinus est, quòd folio sit Pinûs: quare Apuleius Pinastellum appellavit. Vel à piceo fœtore: nam amarorem horrendum & fœtorem *πευκέδανος* vox apud Poëtas significat. Quid tandem Frisius Peucedanum Fœniculum agreste, Algul, Cusaunon, Porcinum, & Herbaturum vocat, ostendit ipse (inquit Trag. hist. germ.) se non multum vidisse, sed didicisse à Petro de Crescentiis, qui ita Peucedanum nominat. *Peucedani Etymon. Frisius not.*

Peucedanum Tragus in altis, umbrosis & opacis silvis, ut est Hercynia, & ea, quam Germani den Spessart, & quam den Ydar nominant, nec non in Wasgau & monte Tonitrui provenire tradit. Item in hortis suis magnâ copiâ. Is radicem, ex ipsu diffi- *Locus & Tempus.*

cilem

cilem ait, ac præterea dum effoditur, gravissimum spirare odorem, ita quidem ut nisi munitus quis illam aggrediatur, odore suo deliquium animi inducere valeat, qua de causa veteres priusquam illam colligerent, caput & nares rosaceo perfundere solitos fuisse, ne capitis dolor illos premeret & vertiginem sentirent. *Collectio.* Autumno mense effici Timiam credi, tum enim temporis non rarò radici succum concretum quasi & Thuri penè consimilem adhærere deprehendi, quod inde fieri credendum sit, quando per vermes, aut aliud quodvis incommodum radix vulnerata fuerit. Cæterum, liquorem hunc concretum in medicina præstantissimum esse. Quosdam radicem in particulas cultro concindere: alij integram illam in umbra siccare, quam rationem magis probat. Eandem, postquam effossa fuerit, nigram evadere, aliàs albicantem existere, gustu acrem & amaram, instar penè Gentianæ. Nasci porrò Peucedanum, prope urbem Argentinæ in pratis juxta Carthusiam, intellexit Gesnerus, ibidémque florere Augusto. Multum crescere in Italiæ Hetruscæ æstuosis atque Narbonæ glareosis collibus, præsertim in luci Garamontij aditu, & circum sentes, lumas & dumeta, author est Lobelius; in Ananiensibus montibus Matthiolus. Clusius proposita icone Peucedani in hist. l.6.c.17. ait in omnibus, quæ adierit, locis sibi conspectum, nusquam tamen frequentius, quàm in pratis ad Danubium sitis, infra Ratisbonam & Straubingam anno 1588. cum adverso flumine veheret Ratisbonam. Observavit Turnerus non tantum in umbrosis montibus, ut Erenfelsij in Germania, sed etiam in pratis humidis juxta VVormaciam, aridisque, sed quæ Rhenus inundat aliquando. audit in Anglia quoque reperiri. Et certè non longe Bristolio in Rupe S. Vincentij radicem ejus invenit, squallidiorem germanica. Accepi ego Peucedanum à D. Schvvartz, qui me monente collegit Tubingæ, ubi observaveram 27. annis antea, quod plantavi Montbelgardi in horto E.C. Stutgardiæ sponte provenit, florens ibi Iulio & Augusto. Brisaci radices maximas, nec ante tales visas, cubito longiores, crassitudinis carpi communicavit Rhizotomus, qui affirmabat se collegisse in Marchionatu Badensi in prato sicco, non longe à Baden versus Rhenū. supernæ autem appendices quædam palmaris crassitudinis erat, ex quibus folia & caules.

Vires & Usus. Galeni. Temperamentum. Vires Peucedani veterum quasdam ante recitavimus, quasdam verò nunc adscribemus. Peucedani radice, inquit Galenus, quidem maximè, sed tamen etiam succo & liquore utimur. Sunt autem omnia hæc ejusdem speciei facultatis: sed valentior succus, admodum excalfaciens, discutiens & digerens. *Nervorum affectus.* Quare affectibus omnibus circa nervos consistentibus convenire creditur, cum morbis in pulmone, thoraceque ex crassitudine atque viscositate humorum factis. Et intro quidem in corpus sumpta, sed tamen etiam olfactu prosunt. Porrò quod incidat atque extenuet, sæpè etiam dentium perforatorum dolores cavitati impositus protinus sedavit, quia videlicet est tenuium partium & excalfactorius. *Lienes indurati.* Quin etiam lienes induratos juvat, nempe incidendo, digerendo, & extenuando crassos humores. Sed & radice adhæc uti licebit, quæ & squamas ab ossibus celerrimè detrahit, quia videlicet validè desiccat (radix, dicebat alibi, calefacit secundo ordine completo, siccat tertij initio) minus tamen, quàm succus excalfaciens. *Vlcera maligna. Plinius.* Et ulceribus malignis arida illita optimum est remedium, ipsa enim expurgat, carnem generat, & ad cicatricem perducit. Ex Plinio superioribus sequentia debentur. Idem (*succus amaris Amygdalis aut Ruta resolutus*) pectoris doloribus subvenit. Pituitam & bilem detrahit Peucedani radix. Eadem decocta lieni & renibus prodest. Perfringunt &

radicem sudoris causâ eliciendi, quoniam caustica vis ei est. *Sudorem elicit.* Peucedano ad recentia vulnera tanta vis est, ut saniem ossibus extrahat. Cum semine Cupressi bibitur, si sanguis per os redditus est, subitque ab infernis. *Hæmorrhagia. Vteri dolor. Epilepsia.* Strangulatus vulvæ nidore usto terreat, laxantque; suffocationes eo; sed quidam admiscent in vino semen Cupressi contritum. Potum cum coagulo vituli marini æquis portionibus comitiales levat. *Comitialis.* Succus infantium ramici, & umbilicis eminentibus inungitur. Stranguriæ cum melle medetur. Item semine lethargici excitantur, & ut perhibent ex Euphorbio naribus tactis Peucedani succo. *Lethargus.* Ex quibus ita dictis Galeni, Plinij & Dioscoridis patet Peucedani radicem herbam vi purgādi donatam fuisse, sed propter fœtorem utriusque minus in usum deductam. Peucedani radicem viscosos & lentos humores, nec non bilem educendi facultate pollere veteres prodidere, inquit Tragus. Quamobrem radix quidem Peucedani, vel vino decoqui & bibi, vel in pulverem redigi & assumi potest, hoc enim pacto thoracis vitia purgat, lentos & frigidos extrahit à pulmone humores. *Thoracis vitia.* Eadem succus in pulverem quoque redactus & usurpatus efficit, imprimis verò tussi inveteratæ, à frigore originem trahenti utilissimus est. *Tussis inveterata.* Succus melli mixtus; ac intro sumptus, stranguriæ prodest, serpentium quoque eâ ratione veneno adversari dicitur. *Stranguria.* Quisquis ergo ab his sibi timet, oleo cui succus Peucedani mixtus fuerit, corpus perungat, quod si fecerit ab injuria serpentium procul dubio tutus erit, nihil enim minus ferre possunt serpētes, quam Peucedanon. *Serpentum fuga.* Radix in pulverem redacta & ex oleo & aceto illita, nervorum vitiis unicè prodesse dicitur. Ischiadicis potenter auxiliatur. *Ischiadici. Spasmus.* Qui spasmo continuo vexantur, succo ejus se perungant, & sanabuntur. Succus cum aceto temperatus, auribusque instillatus, dolores illorum mitigat. *Aurium dolor.* Succo naribus objecto, aut pulvere indito, non tantum lethargici, sed & vulvæ strangulatus respirant. Radix & lacryma ejus recentibus vulneribus sanandis experimento singulari conducunt, ita quidem ut vel ex ossibus purulenta extrahant. *Vulnera.* Radicis pulvis inspersus sordida ulcera purgat, & vetera cicatrice obducit. Hæc juvamenta à Trago ascripta, à veterum facultatibus, non nisi utendi modo aliquantulum evariare deprehenduntur.

PEVCEDANVM SICILIÆ, FOLIIS hirsutis, floribus luteis.

Descr. Peucedanum in Sicilia nascitur, unde translatum ad nos (inquit Cæs.) semen, quod plantam produxit aspectu similem Panaci Asclepio, & supra dictæ Ferulagini (*Libanotidi nostræ undam, sive Ferulagini, foliis Fæniculi floribus luteis*) longioribus tamen foliis, erectis, hirsutis, pediculis densis, ac brevibus eorum capillamentis: caulem tendem ac lævem fert, cubitalem: flores luteos: semina oblonga, striata, in foliaceam latitudinem desinentia, sapore resinaceo: radix Pastinacæ figura, sed cortice atro: madet succo multo, qui concrescit in lachrymam, Thuri similem, non solùm colore, sed & odore: at sapor acris & amarus est. In totum videretur Panax Asclepium Dioscoridis, nisi constaret grandioribus foliis, eisque: caulem gignit, cùm folia dimiserit, prope finem Æstatis perficit adventante Hieme. Et hæc Cæsalpinus, qui tandem concludit esse Peucedanum veterum. *Panax Asclepium Diosc. Peucedanum.*

LIBANOTIDES VETERIBVS.
CAP. XXIII.

Libanotides duæ Theoph. AVthore Theophr. l.9.c.12. Libanotidum (*Rosmarini Græci, sed malè*) altera infrugifera est, altera

fructifera. Et altera etiam semine, & folio utilis est: altera solùm radice. Vocatur autem semen Canchrys [κάχρυς.] Habet fructifera folium simile Apio palustri [σελίνῳ ἑλείῳ] sed multò majus: caulem cubiti magnitudine, aut majorem: radicem magnam & crassam, albam, velut Thus olentem: semen album, asperum, oblongum. Nascitur maximè ubi squallidi ac petrosi sunt loci. Vtilis est radix ad ulcera, & ad menses ducendos pota in vino austero nigro. Semen ad urinæ stillicidia, & ad aures, & argema, & lippitudines facit, & ut lac mulieribus inducat. At infrugifera folium habet simile Lactucæ amaræ [θριδακίνης τῆς πικρᾶς] sed asperius & candidius: radicem autem brevem. Nascitur ubi Erica [*legendum enim ἐρείκη, & non ἐρέγμα, ut prædicto loco Gaza vertit, Corn.*] plurima. Potest purgare radix sursum & deorsum. Quod enim ad germen est, sursum purgat: quod ad terram, deorsum. Prohibet etiam vermes vestibus imposita. Colligitur circa Tritici messem.

Canchrys apio palustri simile folium.
Locus.
Vires.
Libanotis infrugifera folio Lactucæ.

Duplicem quoque Libanotidem tradit Dioscorides his verbis. Libanotis duplex est. Altera fructifera, ab aliquibus Zea, aut Campsanema vocata, cujus fructus Canchry nominatur: folia habet Fœniculo similia, sed crassiora, & latiora ad rotæ formam, per terram strata, odorata: caulem cubitalem, & majorem, multas alas habentem, & in summo umbellam, in qua semen multum, album, Spondylio simile, rotundum, angulosum, acre, resinam redolens, dum manditur gustum adurens. Radix est alba, admodum magna, Thus redolens. Est & altera hujus species, prædictę per omnia similis, quę semen fert latum, nigrum, Spondylio simile, odoratum, non fervidum: radicem foris nigram, diffractam albam. Quæ verò infrugifera dicitur, per omnia prædictis similis, neque caulem profert, neque florem, neque semen. Nascitur autem in petrosis & asperis locis. Omnium in communi herba trita imposita, hæmorrhoidas sistit, & inflammationes sedis lenit, & condylomata ac strumas & abscessus ęgrè ad maturationem pervenientes, maturos efficit. At radices aridæ cum melle ulcera repurgant, & tormina sanant, & commorsis à bestiis venenatis commodant, cum vino potę. Menses item ducunt & urinas. Discutiunt & tumores veteres impositæ in cataplasmate. Succus autem tum radicis, tum herbæ, visum acuit, si melle ammixto illinatur. Semen potum eadem facit. Auxiliatur & comitialibus, & antiquis in thorace affectionibus. Regio item morbo, si cum pipere & vino detur. Provocat etiam sudores, si cum oleo illinatur. Confert & ruptis, convulsis, podagricísque, tritum impositum cum loliacea farina & aceto. Vitiligines quoque deterit ammixtum acerrimo aceto. Semine in potionibus utendum est ejus Libanotidis, quæ non fert canchry. Acre enim illud est, & arteriam exasperat. Theophrastus tradit cum Erica nasci Libanotidem, Lactucæ silvestri amaræ similia folia habentem, candidiora tamen ac asperiora; radicem autem brevem. Et potam hanc sursum ac deorsum purgare.

Diosc.
Zea. Campsanema. Fœniculo folio.
Spondylij semine.
Libanotis altera.
Libanotis infrugifera
Vires in genere. Hæmorrhoidas.

At verò canchry vim habet calefacientem & valde reficcantem. Vnde in smegmate commodè miscetur. Et ad fluxione laborantes oculos capiti inspergitur, & post triduum defricatur. Hactenus Dioscorides. Eum autem non intelligimus, quid velit: cùm ait, hæmorrhoidas sistere Libanotidem, si intelligit fluorem sanguinis. quandoquidem Libanotides insigniter calidæ: inflammationes sedis lenire per accidens concedimus, si junctus fuerit œdematosus, vel flatulentus tumor.

Diosc. not.

Libanotis odorem Thuris reddit, inquit Plin. l. 19. c. 12. Et inde ei nomen ductum esse, evidens est. λίβανος enim græcè Thus est. Et subdit mox, Libanotis locis putridis, & macris ac roscidis seritur semine. Radicem habet Olusatri, nihil à thure differentem. Vsus ejus post annum stomacho saluberrimus. Quidam eam nomine alio Rosmarinum appellant. Et rursus l. 24. c. 11. Est & Rosmarinum, duo ejus genera. Alterum sterile. Alterum, cui caulis & semen resinaceum, quod canchrys vocatur. foliis odor Thuris. Et mox. Canchrys multa genera habet, ut diximus. Sed hæc quæ ex rore supradicto nascitur, si fricetur, resinosa est. Atque ita reddit vocem [illegible] apud Dioscoridem. Sed Cornarius de odore accipiendam putat. Dalechampius in hunc locum hæc sequentia annotavit. Libanotis Dioscoridi quadruplex: prima folio Fœniculi, semine, quod Cachryn vocant, & radice candidis: secunda folio similis, semine & radice nigris: tertia folio similis sed absque caule, flore, semine, ἄκαρπος: quarta Theophrasti folio Lactucæ. Præter has Libanotis est coronaria, sive Rosmarinus [*de quo Hist. g. l. 13.*] quam Plinius confundit cum superioribus. Theophrastus duo tantum genera statuit, fructiferam, folio Heleioselini, semine & radice candidis: & sterilem folio Lactucæ.

Libanotidis nomen unde acceptum. Plin.
Rosmarinum. Genera 2.
Libanotis quadruplex Diosc. Dale.
Plin. lapsus

Gal. l. 7. simpl. Libanotides tres sunt, una sterilis, duę fructum ferentes: omnes verò ejusdem facultatis, emollientis & digerentis. Succus tū radicis, tum herbæ, melli mistus obtusam oculorum aciem ab humorum crassitudine curat. Porrò ejus Libanotidis, quę ad coronas est utilis, quam Romani Rosmarinum nuncupant, decoctum regio morbo laborantes potum adjuvat. Omnes enim Libanotides abstergentis & incidentis facultatis participes sunt.

Libanotis triplex Galeno.

Commentarium Marcelli, ad faciliorem hujus capitis intelligentiam, autorúmque collationem, multùm proderit, quod propterea dignum judicavimus, ut subscribamus. Libanotida, inquit, Romani Libanotida etiam dicunt. Duum generum Libanotis est. Fœcunda, fructumq; ferens alia. Quę secundâ divisione duo item genera facit. Eam sequę Zea aut Campsanema vocatur, cujus fructus Canchrys dicitur, &c. Alteram dictæ similem, semine lato, nigro, odorato, &c. Quę autem ex prima divisione sterilis ac sine fructu Libanotis dicitur, est antedictis tota similis. Plures autem quondam non Dioscoridi tantùm: sed cæteris Græcorum Herbariis & Medicis omnibus Libanotides fuerunt, aut eodem Thuris cognomine omnes: sic non eodem ejus odore insignes. Vna enim quæ Canchry fert, primò & per se, quod radix ejus Thus olet; ab eo indicari meruit. Cæteræ autem congeneres, aut aliquâ parte illi similes, in censum & nomen ejus venerunt. Satísque earum certâ divisione licuit posteriores Græcorum Medicos & Herbarios alios subscribentes sibi habuit. Siquidem omnes, exceptâ Coronariâ, quæ alibi ab ipsis describitur, ita ejus genera fecerunt, fœcundam, fructúmque ferentem, & hanc duplicem: tum sterilem numerantes. Peregrinas ut ego credo Italiæ plantas, & quarum omnis misceatur historia, si Theophrastus audiatur, [illegible] tímque in foliorum figurâ, quæ palustri Apio in primo genere; in sterili verò amaræ Lactucæ similia ille facit. Cùm Dioscorides Fœniculo comparet, & crassiora tantùm latioráque esse dicat. Quæ una foliorum forma coronariam Libanotidem cognomen ille fecit. Alioquin nulla erat ex similitudine causa. Cur quondam Libanotis & nunc totâ Græciâ Dendrolibanon, Coronaria Libanotis diceretur. Nihil enim simile commune ve illi aliud habet. Quod facilè ex historia earum intelligat aliquis, tota & undique diversa. Siquidem coronaria Libanotis, sive Rosmarinus, frutex magis quàm herba ramos habet: hæ caulem, & quæ fructum inter has, faciunt umbellam etiam. Illa à terra erigitur: hæ per terram folia spargunt. Et ne longior sim, plu-

Marcell.
Duum generum. I fœcunda.
Sterilis.
Fœcunda duplex. Libanotidis multiplex misceatur.
Hæc Libanotis cum coronaria nihil commune habet.

plures habent hæ notas, quibus ab illa (coronaria) separantur. Quo etiam in foliis prius hoc genus suas habet quidem differentias. Quo autem maximè differunt, Cachry est, quod in fœcundo utroque hoc genere in summo caule simile arborum cachry surgit, in quo concipitur & maturatur semen. Quæ una nota à coronaria Libanotide reliquum omne hoc genus præcipuè separat. Nec Nicander aliter eam signat in Theriac. ... q.e. Sumito & calidam radicem, cachry hoc ferentem: Libanotidis fœcundum illud genus significans. Rursusque ... q.e. Simul cum Libanotide cachry ferente. Vnà autem hac nota præcipuè discernebatur Libanotis, quòd in medicina cachry os hujus, i.e. seminis, tantùm usus esset. Eamque ob causam seorsum à reliqua planta Ægineta de eo egit, fructum seu semen Libanotidis vocans: viresque illi exterendi, discutiendi, & calefaciendi tribuens. Vsus illo etiam est ex oleo contra febrium perfrictiones, & cum tremore algores. Duplexque illud Libanotidis genus fœcundum ex cachry hoc dictum est. Tertium enim, quia eo caret, ideo ..., sterile & sine fructu à Græcis nominatur, prioribus, præterquam in hoc, simile. Quatuor Libanotidum genera his verbis Ægineta iisdem numeravit. Libanotides tres: sterilis una: ferentes fructum duæ. dico autem ego fructum, quem græci ..., communi ad fructum & semen significatione. extergendi, discutiendi, incidendi, molliendique vires habent. Succus earum hebetibus ex humorum crassitudine oculis ex melle medetur. Coronariæ verò Libanotidis decoctum, &c. Quæ porrò de Cachry, Libanotidis fructu, dicta ab Ægineta sunt, his etiam addere non piget. Ea hujusmodi sunt. Fructus Libanotidis Cachry est. Habet is repurgandi, discutiendi, & calefaciendi vim, ideóque comitialibus subvenit, & suffusis felle cum Pipere, & vino potum. Illinitur idem ruptis, convulsis & podagris utiliter, &, ut ait Dioscorides, vitiligines exacerbo extergit. Et hæc longiùs ideò repetita sunt, ut legentes pluribus in unum collatis, veterum ad eandem rem dictis, faciliùs & aptiùs de omni Libanotide censere possint. Licèt autem testati omnes hactenus Græci & Latini sint: quia Thus oleat Libanotis, quod Græci Libanon dicunt, sic dictam ab eis fuisse: Apulejus tamen tradit ideo sic vocatam, quod ante cognitum nostro orbi Thus, suffitu & vapore hujus herbæ pro Thure gentes usi sint: quod tamen parum verisimile est, nisi priùs Libanotidis nomen fuisse dicamus, & quia Thus illi successerit, Libanon id homines appellaverint. Plinius multis locis de omnibus his egit, sed tam incerto intellectu, ut non facile sit peregrinas Libanotides has à Coronaria & à Cunila in eo separare, eamque ob causam Marcellus (cujus verba hactenus recitavimus) eum non allegat. Plinius, inquit C. Bauhinus, l.19.c.12. confusè agit de Libanotide, sicut & l.20. cap.16. eam cum conyzis miscens.

Perscribit ad venas hæmorrhoidales apertas occludendas, stringendasque Libanotidem Fel. Platerus. Sed quam stirpem intelligat, se non explicat. Novimus nos sanè ultra 27. plantas, Libanotides dici. Ex quibus quæ eligenda sit juveni practico, ab ipso scire optaremus. Nos quod attinet nullam stirpem ex iis, quas Libanotides denominari posthac ostendemus, novimus, quæ emplasticam naturam, aut adstringentem habeat, qua utilis esse queat, nimium fluentibus hæmorrhoidibus, licet Dioscorides quoque eam tribuat Libanotidi facultatem.

Quænam igitur ex dicendis, quæ diversi admodum generis sunt plantis, quæ Libanotidis appellationem sortitæ sunt, Dioscoridis & Theophrasti Libanotides sint, ... perdifficile est.

Prima dicendarum occurrit Libanotis Matthioli & ejus sequacium flore albo.

Libanotidi secundæ similis, sive Panax Asclepium Matthioli.

Libanotidis nomine mihi sæpiùs missum semen longum & latum, foliaceum, Thapsiæ quam glaucam voco, vel Ferulæ simile, cujus plantam, quæ in horto E.C. nobis provenit, Libanotidem quorundam flore luteo vocamus.

Quæ à Cæsalpino ad Ferulaginem refertur, & à quibusdam pro Meu falsò accipitur, ab aliis verò inter Libanotides reponitur, a nobis Libanotis quibusdam, sive Ferulago foliis Fœniculi, floribus luteis nuncupatur.

Libanotis nigra, Libanotidis fertilis alterum genus, vulgò accipitur pro Peucedano.

Cachryn veriorem, Libanotim Galeni Lobelii, appellamus Libanotidem cachryophoron semine anguloso.

Seseli montanum angustifolium Clusii, flore albo, nonnulli alteram Libanotidem Dioscoridis frugiferam esse contendunt, à qua non multùm differre existimat Clusius.

Siler Creticum quibusdam à nobis dictum, Libanotidem Theophrasti appellat Bellus.

Libanotidis nomen à quibusdam Thapsiæ glaucæ adscribitur.

Quam Herbarii Libanotidem minorem vocant, nos Daucum glauco folio conjectamus.

Libanotidis Dioscoridis primum genus Dodonæo, est nobis Meum vulgare.

Libanotis Theophrasti Dodonæi, sive Seseli Æthiopicum Matthioli.

Libanotis 4. sive latifolia, Aquilegiæ formâ C. Bauhini, inscribitur à nobis Ligusticum Rauvolfii, folio Aquilegiæ.

Libanotis altera Dodonæi, sive Daucus secundus Matthioli, & Tragi.

Libanotis alba minor, seu amara Thalii, an Apium montanum nigrum?

Libanotidis Theophrasti species minor nobis & Lobelio.

Libanotis in Mithridatio Cleopatri non significat Rosmarinum, sed, teste Cordo, Angelicam silvestrem minorem.

Libanotidi Theophrasti majori, sive Ligustico 2. Matthioli hunc titulum fecimus: Ligusticum quorundam foliis Angelicæ.

Ligusticum vulgare Guiland. in Theone Theophrasti Libanotim esse retur.

Rosmarinus est Libanotis coronaria Dioscoridis, de qua H.n.g.lib.11.

Libanotim primam Dioscoridis, Tragus existimat suam Spicam, quam quidam Spicam Nardi vocant, nos Pseudonardum appellamus.

Libanotidis species Rondeletio, est Tragoriganum nothum Dalechampio.

Libanotis dicitur Coniza minor Dioscoridi, ut legimus apud Tragum l.2.c.54. Sed Plinius quoque Libanotidem cum Conyzis miscet.

An Conyzam majorem Matthioli intelligit Cæsalp.l.12.c... dum ait. Quæ vulgo Incensaria vocatur, hanc pro Bacchari quidam ostendunt: alii Libanotidem sterilem apud Theophr. esse censent: nec abhorret radicis odor.

Herbariorum Septentrionalium major Libanotis Lobelii, an Dauco glauco folio fertè similis Libanotis Septentrionalium.

Plantam quandam Ligustico majori, quam quidam pro Libanotide Theophrasti ostendunt; Cæsalp. autem potiùs ... Theophr. ... Panacis

Margin notes: Æginetæ genera. — Libanotis unde dicta Apuleio. — Plin. ... — Fel. Plateras. — Libanotides plures. — Libanotis flore albo. — Panax Asclepium Matth. — Libanotis flore luteo. — Libanotis sive Ferulago foliis Fœniculi, &c. — Peucedanum. — Libanotis cachryoph. — Seseli mont. angustifol. Clusii. — Siler Creticum quibusdam. — Thapsia glauca. — An Daucus glauco fol. — Meum vulgare. — Seseli Æthiop. Matthiol. — Ligusticum Rauvolfii. — Liban. altera Dodon. — An Apium mont. nigrum? — Libanot. ... — An ... silvestris. — Ligusti. foliis Angelicæ. — Ligust. vulgare. — Rosmarinus. — Pseudonardus. — Libanot. species Rond. — Coniza. — An Coniza major Matthioli. — An Dauco ... — ...

recensendam æstimat, Ligusticum majus, sive Imperatoriam majorem flore luteo pronunciamus.

Libanotis sterilis Theophr. Cæs. quæ

Vt ingenuè dicamus, nescimus quam plantam intelligat Cæs. l.11.c.45. dicens, Theophrastus sterilem Libanotim describit folio Lactucæ amaræ. eandem ex Theophrasto tradit Dioscorides. Puto Rosmarinum silvestrem intelligi. Comparatio cum foliis Lactucæ amaræ quadrare possit cum silv. Rosmarino, tum coronario, si per Lactucam amaram intelligamus Tithymalum.

LIBANOTIS MATTHIOLI, ET ejus sequacium flore albo.

Libanotis mas.

PRimum ac summum Libanotis sive Rosmarini genus, quod mas appellit, sub duplici differentia repræsentatum à Dioscoride, aliquoties se vidisse Venetiis scribit Matthiolus in horto Maphei Medici, nullis sanè differentibus notis. Eandem nasci refert quoque in monte Gargano & agro Goritiensi.

Figura Matth. metamorphosis.

Figura autem, quæ est apud Matthiolum in comm. impressis Venetiis apud Valgrisium anno 1559. ejusmodi est, ut mihi videatur vix posse dici, cujus plantæ sit, præsertim quia non describit. In post.comm. Ital & lat.cum mag.fig. itémq; hist.germ. figuræ appinxit semina, sed ea non manifestè demonstrat, ita ut qualia sint, non constet. Cam. in hist.germ. & ep. figuram mutavit, & semina Libanotidis Cachryophorę appinxit, quem si sequamur, ut & C. Bauhinum, erit Libanotis Matthioli, Cachrys verior Lobelij, seu Libanotis cachryophoros. Verùm & hîc dubium est. flos enim Libanotidis cachryophoros est luteus: Matthiolus verò in hist.germ. tribuit ei florem album. In epit. est Dioscoridis descriptio, nullâ factâ mentione umbellæ, cum flore albo. Lectores hæc diligentiùs examinent.

Liban. sive Rosmarinũ Matth. Lugd.

Primam hanc Dioscoridis fertilem Libanotidem (si Diis placet) ex Matthiolo pictam dat Lug. p.764. eámque Libanotidem sive Rosmarinum Matthioli inscribit.

Rosm. herbaceum, Tab.

Tab. dicitur Libanotis, Rosmarinum herbaceum, Rosmarcinkraut/ Weyrauchwurtz / Libanotis prima. Proponit aut Tab. descriptionem ex Dioscoride, additque umbellas pulchras & albas esse. Icon facta est ad figuram Matthioli. subdit se Libanotidem primam observasse in Ducatu Burgundiç copiosè, non longè à Baurbon, in silva qua itur Ischurtilles. item in monte propè Vesuntium & aliis locis. Non facilè nunc est divinare, quam Tab. intelligat plantam: vix credimus Matthioli Gargani Libanotidem in Burgundia ab eo fuisse observatam.

LIBANOTIS CACHRYOPHOROS quibusdam, floribus luteis.

Descr.

CVbitorum aliquot est altitudine caulis, lævis, ramosus: folia Peucedani foliis similia, strigosiora, teneriora; in longa, tenuia, segmenta divisa. umbellæ magnæ florum luteorum: quibus semina succedunt semper gemella, magna, ventricosiora unâ parte, oblonga, canaliculata, & per extremum coronata, stilo ex utriusque commissurâ prominente, alba, aromatica, acria, amaricantia.

Descr. Cæs.

Lubet subjicere descriptionem ex Cæsalpino. Semen est, inquit, crassum, & rotundum, ac striatum, osseo cortice candido, quo fracto nucleus intus apparet albicans, multò amplior, quàm in Erithmo, fervent gustu & resinoso: radix unica est, profunda, & candida, acris: folia ab radice non in longitudinem extensa, lateralibus tantùm ramis, ut in Peucedano, & Ferulis, sed in orbem tripartita, assiduè, scissiorem in tenuitatem Fœniculo crassiorem, erecta, & prædura, ut integrum folium turbinis figuram referat, in his lachryma concrescit propè pediculum, rufsa, odorataque: caulem ipsi videre non licuit, quamvis permultis annis vixerit in horto Pisano ex semine ex Sicilia allato orta.



Cachrys verior, Libanotis Gal. Lob.

Nos Lobelij iconem assumpsimus, eiq; semen ex sicca planta appinximus. Et dicitur in Obs. p.455. Cachrys verior, (& hoc titulo est etiam in Icon. p.783.) Libanotis Galeni, semine tereti, oblongo, strobilo, sive nucleo Pini subpari, gustu aromatico, acri, resinaceo, caule cubitum & sesquicubitum æquante: foliis Fœniculo crassioribus, pallidè virentibus. Quidam Seseli Massiliense statuerunt. Et sanè facultates respondent, uti & Rosmarino fœcundo, cujus semen Cachrys dicitur, & appositè substitui possunt. Belgis hortense.

Seseli Massiliense.

Libanotis candida, Cæs.

Cæs. l.7.c.7. Libanotis candida; cujus semen Cachrys vocatur. In descriptione Libanotidis fertilis Dioscoridis dissonat Spondylij similitudo, nam depressum ejus semen in foliaceam tenuitatem, huic rotundum & plenum, ut Crithmi, & Hippomarathri, quæ Dioscorides Cachryi comparat. An satis est magnitudine Spondylium æmulari? In hac planta dicere possum sterile quoddam reperiri, quod neque caulem, neque florem, neque semen ferat, in cæteris illi simile, quod fertile est, ut tradit Dioscorides, quod & multis aliis contingit, non propter speciei diversitatem, sed affectionem quandam. Sed apud Theophrastum tum sterile, tum fertile aliter describuntur.

An Rosmarinus 1. species, Ang.

An Ang. epist.12. Rosmarini prima species in Apulia, Peucedano & Oppopanaco vocata, foliis in quibusdam partibus Peucedano similibus, sed rotundis. Optaremus hanc ab Anguill. descriptam, & colorem floris expressum.

Cam. ad hist. Matth. germ. Libanotis. In epit. Rosmarinum. Figura alia à Matthiolina. Nam semina particulatim appicta respondent plantæ, de qua hoc capite agimus. non describit plantam, sed tantùm peregrinam dicit, quæ in hortis Germaniæ sata, secundo aut tertio floreat anno, & raro maturum semen producat. Item hort. Libanotis prior, vel Cachryfera, rotundis foliis orta è semine, cum pleræque aliæ umbelliferæ oblongis oriantur.

Libanotis prior, Cam.

Syn. C. B.

Bauh. pin. Libanotis 1. sive Ferulæ folio, semine anguloso, (crasso in phyt.) Libanotis seu Rosmarinum Matth. Ic.4. p.486. Lac. & Lug. Rosmarinum 1. Ang. & Cast. Libanotis 1. Dod. vel cachryfera, Cam. Rosmarinum ferulaceum, fertile, Diosc. cujus semen Cachrys dicitur, Advers. Cachrys verior, Libanotis Galeno, Lob. Eid. B. apud Matth. Libanotis Ferulæ folio, semine crasso: Libanotis seu Rosmarinum, Matth. Lac. Rosmarinum 1. Cast. Figuram Lobelij frater Matthiolo appingit, ejus omissâ icone. separatim quoque semina addit, quę minùs placent, quàm Camerarij. Ante diximus nos non posse asserere Cachryn Lobelij eandem plantam cum Matthioli Libanotide, quia icon non respondet,

nec

nec etiam floris color. Frater præterea putat Libanotin alteram Camerarij, ſemine lato, nigricante, odorato, eſſe eandem cum hac præſente, verùm ego dubius hæreo, quia Camerarius præſentem alio nomine tradit, ut jam dictum. Lugd. p. 764. dicitur Cachrys verior, Libanotis Galeni.

Libanotin cachryophoron frater C. Bauh. Patavio attulit, ejuſque ſemen mihi communicavit, quod plantavi in horto E.C. Miſit etiam ſub hoc titulo: Roſmarinus cachryophorus legitimus Imperati. Simile accepi à Caſabona miſſum cum hac inſcriptione. An Roſmarinus Theophraſti Candiæ? D. Cortuſus aliquando obtulit, hoc titulo: Baſiliſco coſi chiamato in Baglia. Gener Cherlerus attulit ex Italia nomine Cachrydis. Hanc Libanotidem, ni multùm fallimur, alit D.D. Fel. Platerus Baſileæ in horto ſuo à pluribus annis, & erat adhuc anno 1606. menſe Junio. ſed eam nondum florentem vidit. Hanc aliqui ſibi perſuadent Peucedanum, cùm tamen non adſit, nec odor, nec ſapor fœtidus.

VMBELLIFERA MAXIMO SEMINE, quibuſdam Cachrys Hiſpanica.

Cachrys hiſpanica.

NON recordamur, unde acceperimus Cachrys Hiſpanicæ inter umbelliferas & ferulaceas plantas maximum ſemen quod hactenus viderim. Eſt enim ungue longius, craſſum, duplex, tribus coſtis foliaceis conſtans, & duabus juxta commiſſuram, album, ad Crithmum nonnihil formâ accedente, ſed plurimùm magnitudine differente, aromatici & grati ſaporis cũ acrimonia & levi amaritudine.

Fœniculi 2. ſpecies Dioſcoridis.

Hoc idem, ni fallor, ſemen eſt, quod frater Bauh. miſit cum hac inſcriptione: Fœniculi 2. ſpecies Dioſcoridis, præcedenti ſemine ſimile, niſi paulò latius, & paulò brevius eſſet. Nos de Fœniculo, ejúſque ſpeciebus egimus hoc libro c. 1.

LIBANOTIS QVIBVSDAM, FLORE luteo, ſemine Ferulæ.

Deſcr.



SÆpiùs mihi in horto montbelgardenſi E.C. pulchrè provenit Libanotidis nomine miſſa planta, folio Ferulæ ferè pari, minutiùs diviſo, rigidiore, odoris non ingrati; pediculis ſolidis, minimèque fungoſis nixo, caule procero, ramoſo, ſtriato: flore umbellato, luteo, parvo: ſemine raro per ſparſam umbellam foliaceæ Ferulæ, longo, duplici, albicante, potiſſimùm quod foliaceum in illis eſt, ſtriato inſigniter amaro, & veluti reſinoſo.

Panax Aſclepias Camer. h. Seſeli Peucedanum.

Panacis Aſclepiadis nomine hanc ſibi miſſam ait Camer. h. folio Ferulæ tenuiore & Fœniculi craſſiore. Naſci in Creta, ubi Seſeli vulgò, & in Sicilia, in qua Peucedanum vocari teſtatur, quamvis hæ appellationes propriè aliis plantis conveniant. Ad hiſt. Matth ger. & epit. hujus ſemen exhibet notatum litera C. pro ſemine Panacis Aſclepij, videtúrque ipſi Panax Aſclepium Ferulæ facie Penæ, cui à Valerando ex Iſtria delatum ſcribit.

Synon. C. B.

Bauh. phyt. Libanotis 2. Ferulæ folio, ſemine lato: Panax Aſclepias Theophr. & Plini. Eid. apud Matth. Panaces 3. Aſclepium alterum: Libanotis Ferulæ folio, ſemine plano: Panax Aſclepium, Lob. Cæſ. Panaces Aſclepium, Camer. in ſuo Matthiolo, Caſt. Tab. Panaces Aſclepium ut exiſtimatur Dod. in fol. Libanotis altera ſemine lato, Cam. Ego Panax Aſclepium Tabern. huc non refero, ſed ad Matthioli Panaces Aſclepium: Vix etiam puto Libanotidem Camer. p. 83. cui ſemen nigricans: quia p. 116. Panacem Aſclepiadem vocat, ni fallor, de qua hîc agimus. Eid. B. pin. Libanotis 2. ferulæ folio & ſemine: Panax Aſclepium ferulæ facie, Lob. Panaces Aſclepium, Dod. Cæſ. & Tab. Eid. B. pin. Libanotis 3. fœniculi folio ſemine foliaceo: Roſmarinum alterum ferulaceum Dioſ. Lob obſ. Panax aſclepium, Ang. Cam. Libanotis 2. Dod. Tab. Libanotis nigra, Cæſ. *Eſt hæc nobis Peucedanum.*

C. B. putat ſententiam.

Panax Aſclepium, Ang.

Anguill. epiſt. 12. de hac ait. In Candia & Sicilia Panax Aſclepium foliis ferulæ minutioribus, crebrioribus, durioribus: caule quatuor cubitorum, flore luteo, ſemine compreſſo, anguloſo, ſimili Ferulæ, albo. apud Dioſcoridem malè legitur μακρὰ pro μικρὰ: pro [illegible], Oribaſius legit [illegible]. vocatur in Candia Seſeli, & in Sicilia Peucedano: licèt aliud ſit Peucedanum.

Panax Aſclepium ferula facie, Lob.

Lobel, in Adv. & Ic. p. 783. Panax Aſclepium Ferulæ facie nominat, ac dicit. Nec diverſi generis eſt Aſclepium Panax à Ferula, nec item figurâ abſimile, præſertim iſtud doctioribus verum putatum, fortè quale in Matthiolo pictum vidimus, qui in paucis commentatoris officio functus. Ex Illyrico tractu, cui Hiſtriæ nomen, aſportavit Valerandus Inſulanus pharmacopœus plantas, quibus multa cum Panace affinitas, quas in horto Iouberti ſevimus. Et inter has Ferulæ ſimilis erat effigie, ſed multò minor magnitudine: ſemine ut Ferulæ lato: foliis & floribus haud diſſimilibus, caule & radice magnitudine atque ſimilitudine Anethi odorato. Obſ. p. 455. Panax Aſclepium.

Synon aliâ.

Habeo ego à Valerando Dourez plantam nomine Panacis Aſclepij, reſpondentem picturæ Lobelij. Et talem etiam attulit mihi frater C. Bauh. nomine Libanotidis primæ. A Raſſio olim eadem miſſa, ni fallor, Lutetia, pro Libanotide Dioſcoridis tertia. Præterea frater attulit plantam ex Italia, quæ multò meliùs exprimit Panacem Aſclepium Matthioli, quàm hæc. diverſa etiam erat à Matthioli planta, quam oſtendebat Valerandus. diverſam quoque figuram ab illa Matthioli ponit Lobelius.

An Geſn. h. Libanotis quibuſdam exiſtimata, Argentinæ in horto ultra annum 14. vivax. Hæc Ferulane ſit, aut Libanotis, aut ejus ſpecies inquirendum proponit. Is Libanotidem potiùs, quàm Ferulam eſſe putat. Item hort. Libanotis prima Dioſcoridis, quam Ferulaceam cognominat, quamque eruditos quoſdam in Italia Ferulam credere audit. In appen. hort. Libanotis Volmario. De coll. ſtirp. Libanotidis ſpecies ex Italia floribus luteis, Libanotidis ferulaceæ genus.

An Cæſ. l. 7. c. 4. Panax Aſclepium foliis ſubcandidis, floribus luteis: ſeminibus raris in umbella, Thapſiæ albæ ſimilibus, candidis & ſtrictis, radice albâ, craſſa admodum, ſed brevi. Theophraſtus de hoc genere Panacis tradit, folio eſſe ſimili Thapſiæ, ſed craſſiore. Plinius eadem ferè refert, radicem ſcil. multi ſucci & ſalſi, ex qua ſuccus extrahatur Opopanax. hanc ſententiam ſequutus videtur Meſues. Dioſcorides tamen ex alio genere Panacis ſcil. Heracleo, haberi Opopanacem teſtatur.

Panaces Asclepium, Dod. Dod.gall. & in fol.lat. Panaces Asclepium ut existimatur, Dioscoridis, cui folia assignat minora, quàm Fœniculi, hirsutiora, & odorata, flores auricolores, odoratos, aliàs ... Theophrastus folio Thapsiæ esse dicit, sed crassiore: incognitum istud est: Matthiolus iconem exhibet, sed descriptionem nullam addit: proponit & haud dissimilem, si non eadem est, Lobelius, quæ in adv. lacteo succo multo turgere scribitur, veluti Ferulæ, sed minùs quàm hæ sapore sit acri. Ego contra Dodonæum Matthioli figuram differentem facio à Lobeliana. Idem mecum facit & frater C. Bauhinus. *Dod. opinio reprobatur.*

Tabern. hist. p. 385. dicitur Libanotis 2. Rosmarinum ... Libanotis herbacea altera, Rosmarinum umbelliferum alterum.

Libanotidis nomine sæpiùs missa planta, quę mihi provenit in horto Montbelgardensi, flore luteo. Valerandus reposuerat nomine Panacis Asclepij Dioscoridis. verùm differt ab Asclepiade Panace Matthioli, cui folia aliter divisa & molliora. quamobrem dissentio à Lobelio qui in adv. p. 351. ait, Panax Asclepium Ferulæ facie, quale in Matthiolo pictum vidimus, & Valerandus ex Illyrio attulit. Benè Lob. fecit, qui in obs. p. 455. plantæ, de qua agimus, figuram posuerit, quæ est Panacis Valerandi, & non Matthioli, quæ alia planta, ut suo dicemus loco.

LIBANOTIS QVIBVSDAM SIVE Ferulago, foliis Fœniculi, floribus luteis.

In montibus nascitur radice non brevi, ut Dioscoridis Panax Asclepium [*Libanotidem quorundam, flore luteo, semine Ferulæ, intelligimus*] quod ostendo, inquit, Cæs. l. 7. c. 5. sed profundâ, cubitali, crassâ, candidâ, medullâ intus flavescente: caulibus ab eadem radice pluribus, rectis, striatis, bicubitalibus, ex viridi pallescentibus: foliis capillaribus, figurâ Fœniculi, ut supra dicta: floribus luteis: seminibus nigricantibus, depressis & oblongis, ut Ferulæ fœminæ.

Hanc quidam pro Meu falsò accipiunt: nonnulli verò inter Libanotides reponunt: ego potiùs ad Ferulaginem refero; huic enim magis convenit conditio tradita à Theophrasto, & Plinio; nam Ferulæ comparata, cui similis est, parva dici potest, & humilis, ait Cæsalpinus. Nos verò latet quonam hæc planta adhuc sit reducenda: an porrò aliquis alius ejus meminerit, considerent lectores. *Meu falsò.* *Ferulago.*

FERVLA ET FERVLAGO VEterum.

CAP. XXIV.

Theophr. Sed primùm de eo, quod cõmune omnium constat, dicendum est, authore Theoph. l. 6. c. 2. de Ferula scilicet atque Ferulagine [νάρθηκός τε καὶ ναρθηκίας] seu idem genus differens magnitudine tantùm, seu etiam alterum sit, ut nonnulli. Ergo natura earum, quæ conspici possit, consimilis certè sentitur, præterquam ratione magnitudinis: Ferula enim grandis admodum surgit, Ferulago autem humilis. Sed uni caules ambæ geniculatæ sunt. Folia & cauliculi quidam geniculis erumpunt, ac alternatim exeunt: folia alternatim, inquam, quod non ex eadem parte geniculorum, sed permutatim caulem magna ex parte amplexa, sicuti harundinea proveniunt, nisi quòd deflexa hæc magis molliciei, magnitudinisq; causa: folium enim grande, molle, multifidum, ut capillamenti modo ferè inspectetur, maximàque terræ proxima, & reliqua subinde ad portionem: flos melinus, semen obscurum [...] Anetho simile, sed majus, finditur cacumine, inq; stipites quosdam haud magnos dispergitur, quibus flos, semenque insidit: nec flore fructúve laterales caules carent, sed modo Anethi ferunt; annuo caule constat. Et germinatio in Vere primùm foliorum, tum caulis, ut etiam in cæteris fieri solet: radice altè descendit, eadémque singulari innititur. Talis Ferula est. Hæc loco citato Theophrastus, qui c. 3. ejusdem libri 6. Laserpitio caulem ascribit quantum Ferulæ, & crassitudine ferè proximum. *Magnitudine tantum differunt.*

Plinius. Plinius hæc breviùs l. 13. c. 22. sed nihilo clariùs. Et Ferulam, inquit, inter externas dixisse conveniet, arborúmque generi adscripsisse, quoniam quarundam naturæ, sicut distinguemus, lignum omne corticis loco habent, hoc est forinsecus, ligni autem loco fungosam intus medullam, ut Sambuci; quædam verò inanitatem, ut Harundines. Ferula calidis nascitur locis, atque trans maria, geniculatis nodata scapis. Duo ejus genera: Narthecem Græci vocant assurgentem in altitudinem. Narthecium verò semper humilem. A genibus exeuntia folia maxima, ut quæque terræ proxima. Cætero, natura eadem quæ Anetho, & fructui similis. Nulli fruticum levitas major: ob id gestata faciliùs, baculorum usum senectuti præbet. Plinius repetit de eadem l. 19. c. 9. Ferulæ duo genera in fruticibus diximus. Semen ejus in Italia cibus est. Conditur quippe duràtque in urceis, vel anni spacio. Duo ea genera, caules & racemi. Corymbiam hanc vocant, corymbósque quos condiunt. Et rursus l. 20. c. 23. Ferula semen simile Anetho habet. Quę ab uno caule dividitur in cacumine, fœmina putatur. Caules eduntur decocti, commendantúrq; musto & melle, stomacho utiles. Sed plures sumpti, capitis dolores faciunt. Et subdit his usum medicum, ferè ut Dioscorides habet. Radix [*medulla Diosc.*] denarij pondere in vini cyathis duobus, bibitur adversus serpentes. Et ipsa radix imponitur [*semen potum Diosc.*] Sic & torminibus medetur. Ex oleo autem & aceto contra sudores immodicos [*sudores ciet, cum oleo perunctio corpore, Diosc.*] vel in febribus proficit. Succus Ferulæ alvum solvit [*sistit, vet.*] Fabæ magnitudine devoratus. Et viridi Ferula ramusculus, utilis est ad omnia ea vitia [*Et viridis medulla, vulvæ utilis est & ad omnia eius. M.*] Ad sanguinem sistendum decem grana seminis bibuntur, in vino trita, vel medullæ [*ad cruentas excreationes medulla pota confert: naribus indita sanguinem erumpentem sistit, Diosc.*] Sũt qui comitialibus morbis [*bis*] dandum putent Luna quarta, sexta, septima ligulæ [*lingulæ, CH.*] mensura. Natura Ferularum muraenis infestissima est: tactæ siquidem ea moriuntur. Castor radicis succum [*Sagapenum, de quo suo loco*] & oculorum claritati conferre multùm putavit. Idem l. 21. c. 9. de honore coronarum, ait. Vtuntur è Ferulis & corymbis. Tandem l. 24. c. 1. Ferulæ asinis gratissimæ sunt in pabulo, cæteris verò jumentis præsentaneo veneno: qua de causa id animal Libero patri assignatur, cui & Ferula. Lib. 26. c. 13. Ferulæ cineri tantam vim tribuit, ac etiam carboni, ut quamvis recenti gladiatoris vulneri illigata [*illitu, CH.*] sanguinem claudat: fungum verò, quem secundùm radicem ejus nasci perhibet, id efficaciùs prestare scribit. *Laeves.* *Narthecea.* *Narthecium.* *Ferulago.* *Ferula fœmina.* *Vsus.* *Ferula coronamentis adhibeta.* *Baccho sacra.* *Ferulæ cinis quid.*

Ferulæ racemos, ut testatur Dalechampius, umbellas adhuc compressas & nondum explicatas vocat Plinius. Corymbiam verò Ferulam, quam in caulem surgere permittebant, ut corymbos, sive umbellas nascentes ad condituram colligerent. Nam alioqui caulem gliscentem, tenellum, & adhuc convolutum demetebant, ut vel recentem comederent, vel in condimento servarent.

Diosc. De Ferula inquit Dioscorides. Hujus, dum adhuc viridis est, medulla pota, sanguinem spuentibus & cœliacis prodest: & commorsis à vipera datur cum

vino : & sanguinis è naribus eruptiones sistit. Semen potum torminibus auxiliatur. Movet & sudores, si cum oleo illinatur. Caules in cibo accepti, capitis dolorem inducunt. Iidem etiam murià conduntur. Caulem autem profert Ferula sæpè trium cubitorum: folia habet Fœniculo similia, sed multò crassiora & majora.

Galenus. Galenus Ferulę semen calefacere & attenuare dicit. Internam autem partem adhuc viridem, quæ medulla dicitur, adstringentem quandam qualitatem habere, ob quam sanguinem spuentibus & cœliacis prodest. Ex his itaque aliquam Ferulę notionem accipimus, & nostris penitùs ignotam esse, cognoscimus.

Νάρθηξ. Ferula, quæ species fruticis est, lignum pro cortice, & medullam pro ligno habens, calamúmq; fungosum, Græcis νάρθηξ dicitur, inquit Olivarius. Et hinc factum adagium est. Tanquam de Narthecio, pro eo quod est expatato & ad manum. Narthecium autem Ferulæ calamum significat, vel, ut opinatur Roterodam. pyxidem, quà olim pharmacopolæ medicamenta servabant, unde tanquam ex promptuario quodam post ea depromebant. Inde Cicero de finib. bonor. l. 2. ait. Iam doloris medicamenta illa Epicurea, tanquam de Narthecio promant, si gravis, brevis: si longus, levis. Fabulantur etiam hoc calamo ignem fuisse servatum, & hinc fabula est, Prometheum è Ferula surripuisse ignem. De Narthecio Corn. in lib. 6. Galeni de compos. pharmac. dissentit his verbis, Sorani ναρθήκια citat Aëtius l. 8. c. 44. Arbitror autem receptum fuisse morem Græcis Medicis, ut libros suos medicamentarios ναρθήκια & ἀρθήκια inscriberent. atque sic etiam illud Ciceronis l. de fin. accipio. Iam doloris &c. Et certè confirmat etiam Martialis Poëta in Apophor. cui ejusmodi Narthecia capsulis eboreis inclusa fuisse dicit. Hæc ille. qui quà ratione ducatur, haud scimus. Narthecium [ναρθήκιον] pro repositorio medicamentorum positum, etiam si ex alia materia factum fuerit, placet Thesauro linguæ latinæ: quod id genus ligni accommodatum sit ad servanda medicamenta. Idem Ferulam Narthecem penult. productà vocat, à nominativo Narthex, quem masculini generis statuit.

Adagium Tanquam de Narthecio.

Adagium Manum Ferulæ subducere. Extat & aliud proverbium, Manum Ferulæ subducere. Ferulam non minus à serviendo, quàm feriendo dictam, vult quoque Dorsthenius, qui eam Hippocratem Plessinga vocasse scribit. Et nos manum Ferulæ subduximus, inquit Roterodamus, est dicere, & nos literas didicimus & præceptorum operâ usi sumus. Nam antiquitùs literatores discipulorum manus Ferulâ cædebant. Est autem Ferula fruticis genus, quo non aliud levius, ut indicatum ex Plinio. Græcis νάρθηξ dicitur, utilis ad fulciendos vacillantes ætate senes. Vnde & Baccho Silenóque sacer, ut vino titubantes fulciat, nec oneret tamen. Est enim ligno durissimo foris, licèt intus lignum non habeat. Hâc exceptum ignem cælestem Poëtæ fingunt Prometheum deportasse in terras. Hinc quoque facta sceptra pædagogorum, quò terreant magis, quàm lædant, appellat Martialis. Notavit id eleganter Columella in carmine,

Nec manibus mites Ferulas. Et ibid.
— *Ferulæque minacis* *Plantantur.*

Vnde manum Ferulæ subduxisse dicuntur, qui desierunt in ludo literario versari, neque jam pueri docendi, sed utcunque docti sunt. Iuvenalis in 1. Satyra,

Et nos ergo manum Ferulæ subduximus, & nos
Consilium dedimus Syllæ.

Hieronymus *Subducere manum* accipere videtur pro eo, quod est subjecimus, supposuimus. Sic enim scribit ad Domitionem: Et nos didicimus literas, & nos sæpè manum Ferulæ subduximus. Nisi fortè manum Ferulæ subducere pueri dicuntur, quum metu plagæ subtrahunt manum. Est similis apud Græcos sermonis color. citatur apud Athenæum lib. 13. Timocles,

— *Opus esse adhuc*
Trepidare & alapis cædi. & in teneras manus
Recipere plagas res profectò suavis est.

Ferula 2. Ferulæ porrò nomine duas plantas à veteribus esse insignitas, Ferulam & Ferulaginem, ex hactenus dictis manifestò colligere licet.

Thapsia. In ascriptitiis Dioscoridis utramque rursus cum Thapsia confundi clarè patet.

Ferula folio fœniculi. Ferulæ præterea titulo sequentes cognominantur plantæ. Ferula folio Fœniculi semine latiore & rotundiore.

Ferula fol. glauco &c. Ferula folio glauco, semine lato, oblongo, quibusdam Thapsia ferulacea.

Ferula galbanifera. Galbanifera Ferula, quam cum Galbano paulo post tradituri sumus.

An Thapsia montis Gargani. Quam Ferulam Coli nonnulli vocant, nos Thapsiam sive Turbit montis Gargani opinamur.

Thapsia Carota effigie. Thapsia Carotæ effigie, Ferula sagapenifera à multis vocatur.

Ammoniacum. Ferula Hammoniaci, ex qua Ammoniacum liquor habetur.

Assa fœtida. Ferulæ cujusdam succum esse Assam fœtidam [*de hac Hist. g. lib. 9.*] innuere videntur Adversaria p. 149.

Peucedanum. Iisdem Adversariis p. 350. è Ferulæ cognatis est Peucedanum.

Spondylio affinis Panax. Spondylio affinis Panax de Ferula dici, suo ostendemus loco.

Libanotis. Ferula, quæ à nonnullis vulgo existimatur Libanotis prima Dioscoridis, ab eruditis quibusdam in Italia creditur, id referente Gesnero.

Euphorbiũ. Euphorbij plantam, ferulaceam arborem non desunt, qui statuant.

Tinctorius flos. Tinctorium florem (Gälbferberblumen) Tragus l. 2. c. 8. Ferulam nominat, dicens videri eam significasse Columellam l. 10.

Tormentilla. Tormentilla à plerisque etiam Ferula dicitur.

Ferula Goropij quæ. Quò plantam referre debeam, quam Goropius in Hisp. lib. 2. Ferulam nominat, nondum mihi constat. De hac autem agit, ubi de monte Baldo locutus est. In montis, inquit, Fœniculanj jugis Ferulæ genus inveni, quod si Laserpitium non est Cyrenaicum, certè Laser Alpinum dici potest: tanto succo optimi odoris in radicibus maximis & crassissimis abundat, ut alterius locum supplere possit.

Laserpitium Laser alpinum.

FERVLA FOLIO FOENICVLI, semine latiore & rotundiore.

Descr. AD quinq; aut sex cubitos excrescit, caule crasso, fungosâ medullâ pleno, ramoso: folia amplissima divisurâ fœniculaceâ, sed segmentis latioribus, Ferulæ glaucæ similia, sed magis etiam virentia: umbellæ latæ florum luteorum, quibus delapsis semen supervenit magnũ, foliaceum, lemnisciam latum, nullò longius, per extremũ latescens,

geminum ſemper, exteriore parte triplici lineâ elatiore ſtriatum, quà gemina ſemina conjunguntur, fibrâ unicâ longâ donata ſunt. radix vulnerata lachrymam fundit lacteam. odor plantæ nonnihil gratior videtur quàm Ferulæ glaucæ: ſapor acris.

Νάρθηξ. Ferula. De ferula hac à nobis hîc deſcripta hæc habet in adv. Lobelius. Quemadmodum Νάρθηξ virgultum, thyrſum, aut bacillum Græcis ſignat, ſic Ferula latinè à ferendo, quòd illius ſcapi pedamenta fruticibus, & ſenibus pedum ac ſcipiones eſſent. Quinûm cubitorum caulis, radix magna, recta, & altè in ſaxorum commiſſuras hiantes rimas deſcendens, evulſu difficilis, candida, lacteo, pinguíque ſucco turgida, odorem vehementem vibrans. folia Fœniculo majora, pinguiora, craſſiora ut & caulis: umbellæ prægrandes Anethi, Junio & Julio floſculis luteis defluentibus. Semen foliaceum, compreſſum, oblongum, rotundum Angelicę fermè, duplò majus. Idem poſtea ait. Dioſcorides videtur agnoſcere Ferulam eandem eſſe atque Sagapenum: nam è radice Ferulæ fauciata manare Sagapenum primùm dixerat: deinde inferiùs, quaſi ſuperiùs nihil dixiſſet, alteram plantam ferulaceam docet, ex qua alius generis Sagapenum effluat: quæ arguunt potiùs ſuccos ipſos agnitos illi quàm plantas. Quippe Plinius etiam Sagapenum in Ferula oriri tradit, fortè quia eandem plantam cum Ferula vulgari putavit. In adv. huic titulum facit, Νάρθηξ. Ferula & Ferulago, Hiſp. *Cananheia*. In Obſ. p. 450. Ferula, It. *Ferola*, Gall. *Ferule*. In Icon. p. 778. Ferula. Fallitur Lob. Dioſcorides non tradit ex hac Ferula Sagapenum excipi. Neque etiam alibi hoc docet. Verùm ex Ferulacea herba in Media Sagapenum fieri prodit, ut ſuo loco certiùs patebit. Si Lobelius etiam in Obſ. non poſuiſſet figuram Ferulę, dubius hærerem an in adv. per Ferulam eandem nobiſcum traderet, quia deſcriptio ſeminis pro ea non placet. particulare etiam ſemen in Obſ. & Icon. appictum, non videtur hujus Ferulæ eſſe.

Lon. err. Errat plurimùm & Lonicerus, tradendo ex Narthece, ſive Ferula, ut vocat, Sagapenum colligi. Eam ſe curaſſe affirmat depingendam flore luteo, ſemine Anetho paullò majore. Sed ſi ſemen vidit, miror eum dicere paulò majus. oportebat ſcribere multò majus.

Tormentilla Euchar. Roeſl. Euchar. Roëſl. Ferulam Birckwurtz vocat, verùm non deſcribit. Aſt quantum ex viribus colligere poſſum, exiſtimo eum intelligere Tormentillam, de qua alibi agit, cui etiam potuiſſet hæc jungi, ſi non eadem.

Ferula mas Caſ. Cæſalp. l. 7. c. 3. nomine Ferulæ maris aptè deſcripſit plantam, de qua hîc agimus. per fœminam autem fortè intelligit noſtram Ferulam folio glauco. Ejus verba hæc ſunt. Ferula altitudine caulis, & craſſitie formæ, ſpecie arboreâ conſtat; nam ad quina & ſena cubita adoleſcit, craſſitudine brachij, foliis latiſſimis, tenuiter inciſis, ferè capillamenti modo, ut Fœniculi, pediculo caulem veſtiente, ut in Harundine: umbellas fert latas, convexâ ſuperficie, ut Anethi: floſculos pallidos: ſemen latum & depreſſum, ſubnigrum, unguis magnitudine, acre; radicem craſſam, ramosámque, lacteo ſucco manantem. Ejus duo genera. Mas [*Ferula hæc*] craſſior, & brevioribus internodiis; latiore ſemine: radice candida; foliis tenuiùs ſciſſis: caulis, ut & fœminæ [*hujus deſcriptionem poterit lector petere, ſub titulo Ferula glauco folio.*] cùm exaruerit, læviſſimus eſt, quia fungoſus, adeò tamen robuſtus, ut ſufficiat pro baculo ad ſuſtentandam ſenectutem: exareſcit autem profecto ſemine in Æſtate. Theophraſtus genus ferulaceum inter ſuffrutices recenſet, hanc [*Marem*] quidem Ferulam, alterâm verò [*Fœminam*] Ferulaginem vocans,

Narthex. ut Theodorus vertit: græcè enim hæc Narthex, illa Narthecia vocatur. Ex ejus verbis conjicere [illegible] Ferulam illum intellexiſſe, quam ego marem appello. Ferulaginem autem, aut fœminam, quamquam in læto Solo, non ſolùm non eſt humilior mare, ſed & altior, gracilior tamen, aut aliud quoddam humilius genus ex dicendis. Plinius in delineanda Ferula Theophraſtum ſequitur. Dioſcorides Ferulam tantùm deſcribit. Hæc Cæſalp. qui Lobelij errorem ſequitur, dum Dioſcoridem ex hac Sagapenum fieri ſcribit.

Caſ. not.

Lug. 2 fig. Lugdun. p. 754. Ferulæ titulo mancam Matthioli figuram exhibet, additque aliam pro Narthecio Theophraſti, Ferulagine Gazę. Hanc licèt neſciamus cujus plantæ ſit, ac imperfecta videatur, eam tamen hoc loco pictam damus, ne quid temerè omittamus. Eam autem ſic deſcribit. Ναρθήκιον Theophraſti, Ferulago Gazæ, in iiſdem locis naſcitur, in quibus & Ferula. Ad hominis altitudinem creſcit, radice dodrantali, pro magnitudine plantę totius exigua & graciliore, candida, parùm fibrata, guſtu ſubacri, nonnihil odorata cum manditur: caule Fœniculi, ſtriato, ramoſo, inani intus; folio quoque Fœniculi, ampliore, minore quàm in Ferula, ad ramorum exortus prodeunte, alternis nunc ex hac, nunc ex illa parte, guſtu ſubdulci & ſuavi: flore luteo in umbellis, amaro, & ſubacri, odorato: ſemine oblongo. Liquet itaque duo Ferulæ genera eſſe, unum νάρθηκα, alterum ναρθήκιον, quam Ferulaginem vertit Gaza. Sunt etiamnum hodie, inquit ex authoritate Penæ, duæ in Herbariorum hortis hujus claſſis, naturæ & ſimilitudinis plantæ, quas idcirco Ferulagines vocant. Eæ videntur tantùm diſtare culturâ, ſtaturâ, elegantiâ, & ſucci copiâ, ut nactæ fuerint radices arvum aridum, magíſque excoctum, ſub cœlo ſudo & fervidiore, ut in Africa, Media, Cyrene, & alibi.

NARTHECIUM, THEOPHR. Ferulago, Gazæ.



Ferula Matth. Matth. in ſuis comm. Ferulam nominat, ut & in epit. ubi ita delineat. Ferula, grandis admodum ſurgit, unico tantùm caule ac geniculato: folia grandia, mollia, multifida adeò, ut capillamenti modo ferè ſpectentur, præſertim quæ terræ proxima ſunt. flos melinus: ſemen obſcurum, Anetho ſimile, ſed majus. In hiſt. germ. vocatur Ferula quoque ſive Nartex, ſemine Anethi aut Fœniculi, ſed paulò majus. Is in comm. figuram habet non bonam, nihil particulare & certi demonſtrans, ſine deſcriptione: ſi eandem plantam nobiſcum ſentit, non convenit dicere ſemen Anethi & paulò majus. Cam. ad epit. & hiſt. Matthioli germ. poſuit figuram, quam probamus ſemine lato & rotundiore.

Synon. C. B. Bauh. phyt. apud Matth. & pin. Ferula 1. fœmina Plinij: Ferula. Matth. Ang. Turn. Lac. Cord. in Dioſc. Geſn. h. Lon. Lob. Dod. in fol. Caſt. Lugd. Tab. (cui & Ferula major & Canna Ferula, *Carcas* Serapionis, *Capatta* Gloſſographi Avicennæ, & aliorum Arabum *Kalcan*: germ. Ferulkraut & Steckenkraut) Camer. Ferula mas, Cæſ. Liber etis 1. Dioſcoridis ferulacea Geſn. h. Eid. phyt. & pin. Ferula 3. ſive Ferulago

tenuiore-

...minore folio: Narthecium Theophr. Ferulago Ga-za, Lugd. Ferulago, Tab. Si per figuram Lobelia-nam apppositam Matthiolo intelligitur eadem Fe-rula nobiscum, non quadrant semina appicta, quæ nihil videntur sequentis Ferulæ folio glauco. Gesne-ro non negarim esse posse de hort. Libanotidem primam Dioscoridis. verùm ea quæ scribit eo loci, possunt etiam convenire Libanotidi tenuifoliæ, se-mine Ferulæ. Vidi aliquando Gesnerum annotasse plantam hanc Libanotim dici. Quod Cæsalp. citatur facit pro nobis, qui semen dixit latum unguis ma-gnitudine: cur potius Ferulam Plinij vocet, confide-ratione dignum videtur. Narthesium Lugdunensis non separo à Ferula Matthioli, quia imperfecta fi-gura, nullam plantam demonstrans.

Anguill. epist. 12. Ferula nota in Apulia, Calabria & Sicilia, ibidémque nomen retinens.

Ferula, quæ depingitur à Matthiolo Monspelij in hortis habetur, ut in horto Castellani Monspel. pharmacopolæ ad altitudinem quinque, vel sex cu-bitorum, mense Aprili florens. Patavij apud Cortu-sum vidi gummi, quod ex Ferulæ annosæ vulneratâ radice effluxerat. Lugduni magnas habui plantas in horto. & magnam quoque observavi in hor-to Trivesani Patavij; Basileæ in horto F. Pla-teri parvas. Item Ferrariæ in horto Principis; Flo-rentiæ in horto Nicol. Ferratiensis, & Montbel-gardi in horto E. C. & nostro. Ferula plurima & pro-cera in Galloprovincia & Narbonensi Gallia, præ-sertim illis rupibus, præruptísque saxis prope sub-terraneas Cryptas, via qua Monspelio Frontigna-num itur ad dextram: itidem in celsis squalidísque saxorum sinubus, qui Soles æstivos & fervidos to-tum fermè fovent diem, prope oppidulum Rochæ-ve Castrum vocatum qua Austrum vergit: umbellæ Junio & Julio florent, Lobelio. Ferula, inquit Matthiolus, æstuosis nascitur locis: ideóque nil mi-rum, quòd Apulia Ferularum sit maximè ferax. Quinetiam frequens provenit in Romano agro Tyrrheni maris contermino, præsertim apud Cen-tumcellas, & in Hetruriæ maritimis. Exarescit, au-thore Cæsalpino, perfecto semine in Æstate. vivit radix diutiùs: Autumno & per totam Hyemem fo-lia à radice emittit: ineunte Vere caulescit: paulò ante Æquinoctium veluti ovum producit: gaudet regione calidâ & læto Solo: frequenter in Sicilia, & apud nos in Italia in monte Argentario.

Vires. Matth. Viribus à veteribus Ferulæ assignatis, has insuper addit Matthiolus. E Ferulis prima tantùm germina-tione corculum quoddam pastores eximunt, ovi lu-teum induratum referens, quod sub cineribus assa-tum, prius tamen chartis, aut linteo madefactis con-volutum, mox pipere & sale conspersum, non mo-dò gustui gratissimus est cibus; sed etiam ad excitan-

Venerem excitat. dam venerem valentissimus. In insula quadam ex fortunatis nomine Morion, Ferulas in arborum am-


Lignorum vicem supplet. plitudinem grandescere, scripsêre quidam. Apuli li-gnorum vice, quibus maximè carent, Ferulis ad ignem utuntur.

FERULÆ FACIE THAPSIA, sive Turbit Gallorum.

De Thapsia, sive Turbit gallico, Turbit cineri-tio Officinarum ut vocat Lob. in adv. hæc tra-

Thapsia. dit. Putat dici Thapsia non solùm ut placuit Dio-scoridi, à Thapso insula cognomine, quæ una è Spo-radibus est: sed etiam propter flammeum calorem, quem corpori admota inureret, adeóque eminùs, præsertim adverso flatu spectanti. Valdè quàm simi-lis Thapsia habitu toto & viribus, tametsi usu mul-

Locus. tò præstantiore atq; purgatrici vi. In Aquitaniæ ma-cilentioribus montosisque squalidis inventam no-bis dedit præceptor Rondelletius, propè vadum qua trajicitur in Hispaniam, tum ad radices Pyre-



neorū, non procul Perpignano urbe: crassior radicis cortex, fusco foris colore, intus pallet, succóque multo gliscit lacteo, gummeo, sed inibi loci neglecto: cau-lis Peucedani gra-cilior, quàm Feru-læ, foliáque Fœni-culo latiora, bre-viora, in umbellis semen Ferulæ mi-noris, oblongum, angustius, monta-ni Sileris. Meritò desita ex istius suc-co purganti anti-quis consueto, ut quo multùm no-ceatur præcipuis visceribus, & tormina dira inter-dum excitentur. Verùm siquidem miscentur levio-ribus, & naturæ amicioribus, proderit Sarcocollæ, Hammoniaci, Turpeti ve succi modo. Nec Ferulæ, Peucedanique succis gummeis desunt vires purga-trices: verùm tum quia planta, tum succus fœtidus cerebro adversatur, ideò non correcta plus discri-minis inferret. Et hæc tradit p. 350. ubi paulò post Thapsiam Aquitaniæ nominat, cujus radice uti as-

serit pleràsque omnes officinas Septentrionales. Thapsia Aquitaniæ. p. verò 321. vocat Thapsiam vernantem multùm in Aquitania Vasconum. In Ic. p. 779. Thapsiam Dio-scoridis. Lug. p. 756. Thapsiam Penæ veram.

Bauh. phyt. Thapsia 1. sive Fœniculi folio: Thapsia Diosc. Adversariorum. Eid. in pin. Thapsia 4. fœni-culi folio: Thapsia Diosc. Lob. & Lugd. Thapsia 2. vel tenuifolia, Clus. hisp. & hist. Thapsia angustifo-lia, Tab. tenuifolia, Ger. Nos quo debeamus refer-re Thapsiam hanc Lobelij, incerti sumus. multa quidem habet communia cum Ferula glauco folio, jam dicenda: verùm Rosmarinum Ferulaceum Lo-belij, meliùs adhuc cum ea convenit.

FERULA FOLIO GLAUCO, semine lato, oblongo: quibusdam Thapsia Ferulacea.



Mirum quàm grãdescat hu-jus radix: caulis hu-manam proceritatem multùm exce-dit: folia magna, fe-rulacea, minùs ad Fœniculum acce-dentia, quàm præ-cedens Ferula; co-loris glauci. potissi-mùm subtus; quo-rū singula segmen-ta latiora breviorá-que sunt, quàm fœ-niculacea aut feru-lacea, succum la-cteum manantia, o-dore gravi, sapore acri. flore umbellæ coloris sublutco: se-Descr.

men

men magnum, compressum, striatum, nigrum, angustius quàm Ferulæ.

Ferula fœmina. Cæsalpinus, si nostrum nos non fallit judicium, Ferulam fœminam vocat, eique radicem tribuit exteriùs nigram. Ego hanc sæpius habui, verùm radicis colorem non observavi. Is autem de Ferula fœmina (quam C.Bauh. ad galbaniferam Ferulam refert) sic disserit. Fœmina Ferula, mare [*Ferula folio Fœniculi, semine latiore & rotundiore*] est erectior, geniculis magis distantibus; foliorum segmentis angustis quidem, non tamen capillaribus, ut maris: radice nigra exteriùs: caulis hujus, ut maris, cum exaruerit, levissimus est, quia, ut maris, fungosus, adeò tamen etiam robustus, ut sufficiat quoque pro baculo ad sustentandam senectutem. exarescit autem perfecto semine in Æstate. ejus substantia igni familiaris, nam instar funiculi ignem conceptum tam diu servat, donec totus contabescat. Vivit radice diutiùs. Autumno & per totam Hyemem folia ab radice emittit: ineunte Vere caulescit, sed paulò tardiùs mare: gaudet regione calidâ & læto solo: frequens in Sicilia, & apud nos in Italia in monte Argentario.

Locus.

Ferulago Gazæ. Narthecia Theophr. Theophrastus hanc Ferulaginem vocat, ut Gaza vertit: græcè verò Narthecia vocatur. Ex Theophrasti verbis (quæ ante recitavimus) conjicere licet, aut Ferulaginem intellexisse, quam nos Fœminam appellamus, quanquam in læto Solo, non solùm non est humilior mare, sed & altior, gracilior tamen, aut aliud quoddam humilius genus ex dicendis.

Narthesia Plin. Plinius Theophrastum sequutus inquit. Narthesia semper humilis, &c. quæ ab uno caule dividitur in cacumine fœmina putatur.

An Rosmarinum ferulaceum, fertile Dioscor. Lob. An Lob. in adv. p. 351. hanc titulo Rosmarini ferulacei, fertilis Dioscoridis, cujus semen Cachris dicitur, intelligit, de quo ait. Diversi admodum generis plantæ Libanotidis appellationem asciverunt, ob odorem quem spirarent, quâdam sui parte Thuris quadantenus æmulum, cujusmodi primæ Libanotidis radicem olere Dioscorides author est: qui idem à Theophrasto quandam Libanotidem memoratam, cujus folia agrestis Lactucæ amaræ candidiora, asperiora, radice brevi narrat. Nobis autem nulla hodie planè innotuit Libanotis è tot ferulaceis, quæ vulgo Libanotides putantur, perinde descriptioni consona, ut hæc, quam Patavinus olim habebat hortus, quæ etiamnum ineunte Hyeme læta vi-

Descr. Lob. rebat Londini in horto Io. Riccij, pharmacopœi. Surrigit ea caulem quinûm, aut senûm interdum cubitorum, fœniculaceum, aut Ferulæ nitidum, obscurè viridantem, alis multis & ramulis divisum, è nodosis geniculis exeuntibus, foliaque gerentibus crebra, Fœniculo crassiora, Cotulæ majora, aversa, virore cæsio & glauco, umbellas per Æstatem latiores Ferulæ, aut Thapsiæ, floribus luteolis refertas, & semina Fraxini, folliacea, oblongiora quàm

Semine Fraxini. Ferulæ, & Cucumerino semini majora, compressiora, striata, acerosa, resinaceum, aut thureum halitum dum fricantur. Seseleris montani, aut Peloponensis Seseli dantia, mansuque os resinaceo & thureo sapore complentia, acriora: reliqua planta tenera, calidiuscula, sed non ingrato holeraceo & Smirnii gustu, quo quidem facilè dignoscitur à Ferula: nam aliqui lacte multo turget tota, uti Ferula, sed albidiore & minus fervido, aut gravi odore, quin potiùs odoro. In hac quidem Lobelij descriptione nihil invento, quod non conveniat cum Thapsia nostra glauca. Videtur etiam cum hac non malè convenire Thapsiam Turbit gallicum, Turbit emeritium, ... siccitarum, sive Thapsiam Aquitanicam (hi enim ... omnibus unam eandémque stirpem appellat) Lob. in Adv. p. 350. Verùm quia dubius sum consilium præmittere volui.

An Thapsia major Cordi. An Cordo in hist. l. 4. c. 63. Thapsia major umbel-

liferis & ferulaceis herbis ... longâ, crassitudine magnam ... foris nigrâ, aut fuscâ, intus autem candidâ, crasso, carnosoque cortice, & lignosâ, similique fungosâ medullâ constante: gustu acerrimâ, linguam exurente, plurimam salivam provocante, ingratissimâ, nauseosâ, & fauces veluti strangulationis comminatione afficiente: odore virosâ, rancidâ, & vetustissimæ cujusdam, rancidæque pinguedinis qualitates referente. Nascitur in Italiæ calidioribus regionibus, unde in Germaniam pro Costo ab impudentissimis impostoribus quondam mitti cœpta est, execrabili, periculosissimo, ac capitali pœna digno dolo ac impostura. Gesnerus apposuit figuram Matthioli. Cordus verò Thapsiam majorem advehi pro Costo albo, seu Arabico, monet etiam c. 60. ejusdem libri, & in dispensatorio. Est eidem Cordo in Diosc. l. 4. c. 157. Ferula nostra glauca, dicta Thapsia, ferulacea & Fœniculo similis planta. Hoc loco annotatum est à Gesnero, Thapsiam esse duplicem, unam minorem: alteram majorem, quæ pro Costo interdum afferatur, & hæc foris quidem Costi loco uti licere, intus non item. Thapsiam autem pro Turbith, licèt Turbith durius sit, interdum advehi notat. Thapsiam verò suam minorem Cordus in hist. l. 4. c. 74. ita describit. Thapsia

Thapsia minor, Cord. minor, æquè ut major, ex umbelliferarum & ferulacearum herbarum genere est: radicem habet longam, satis magnam, crassitudine digitalem aut pollicarem, nonnunquam etiam crassiorem, vel graciliorem, foris nigram, intus candidam, carnoso, crassoque cortice constantem, qui exemptâ interiori, nervosaque medullâ affertur, substantiâ tener, in farinam friabilis, levis & liquorem russum, exiccatum, guttatim dispersum continens. Saporem habet, cum exsiccatus ad nos pervenerit, primùm ferè insipidum, aut farinæ Tribuli aquatici similem, mox tenuem aliquantulum, postremò mediocriter acrem & ferventem, ob excrementitij humoris copiam, non è vestigio, sed tardiùs acrimoniam suam linguæ ac palato imprimentem. Eligitur cortex ejus magnitudine mediocris, crassus, siccati liquoris guttarum plenus, & a ... nubibus nondum corrosus, quod facilè fit ... humiditatis copiam. Huc usque Cordus. Sunt autem qui aliò referant hanc Cordi Thapsiam minorem, mihi tamen consultiùs videtur huc referre, neque consilium mutare, donec rationibus convincar, alio loco locandam. Scimus etiam C. Bauhinum Thapsiam majorem Cordi ad Turbith garganicum, de quo post, reducere.

An Thapsia Matth. An de hac nostra Ferula glauca loquitur Matthiolus in Diosc. l. 4. c. 151. quando ait. Thapsia plurima nascitur in Apulia, præsertim Gargano monte, inter complures ferulacei generis plantas. Provenit & in nostris maritimis locis adeò Ferulæ assimilis, ut non facilè, nisi à rei herbariæ peritis, una ab altera dignoscatur. Visitur etiam hodie in hortis ad spectaculum plantata, quâ ratione jam fermè omnibus innotuit in Italia. Cæterum, non desunt impostores, qui

Turpetum. Thapsiæ radicum cortices pro Turpeto venditent, quæ quidem à peritis seplasiariis in ea medicamenta jure optimo addi possunt, quæ Thapsiam exposcunt: sed in Turpeti locum non sunt, meo judicio, recipiendæ. Quapropter maximè in hoc, à Fuchsio

Fuchs. opinio reprehenditur. dissentimus, qui Turpetum à Mesue descriptum nil aliud esse censet, quàm Thapsiæ radices. Hactenus ille, qui suam Thapsiam non describit. Ea porrò figura ... Thapsiæ titulo passim incognita, nullam ... tam plantam ritè exprimit. Pot... ejus, Lob. ... & C. Bauhinus alias figuras pro Thapsia Matthioli proponunt, quæ tamen & ipsæ aliarum sunt plantarum, & ... dicemus

Pharmacopœi errant. locis. Figuram Matthioli sumpsit Lacuna, qui ... et pharmacopœos capitali errore in ... calido ...

Avicennæ ponere Thapsiam pro Cassia, i.e. Canellam. Eshuber & si fallor Lonic. apud quem Thapsia cognominatur Hypopion, Ferulago, Ferula sylvestris & Ferula Thapsia, dicitúrque describi à Dioscoride: hujus meminisse Nicandrum nomine Trinacriæ ab insula Siciliæ vocatæ. Descriptio est Dioscoridis, quam Lon. l.5. c. sibi propriam facit.

Synon. C.B. Existimo fratrem C. Bauhinum phyt. & pin. per Ferulam 2. sive Ferulaginem latiore folio; (quæ Ferulago, Gesn. Dod. & Cam. Ferula fœmina, Ces.) eandem nobiscum intelligere, verùm dubius hæreo an hanc Lob. Obs. p.451. & Icon. p.779. itemque Lugd. & Tab. per Ferulam galbaniferam intelligant, quod frater temerè nimium asserit. Illud inficias non eo, à quibusdam Narthecium Theophrasti & Thapsiam Dioscoridis vocari.

Lugd. dua facit ... describ. Lugd. Ferulæ nostræ glauco folio, videtur iconem dare, sine descriptione p.756. pro Thapsia Matthioli. Sed hanc vulgatiorem Thapsiam esse dicit officinarum, & longius à Dioscoridis descriptione abesse. Esse enim foliis potiùs Carotæ, sive Dauci agrestis, quàm Ferulæ. Aliam ex Lobelio describit p.764. pro Libanotide Penæ, quam non depingit.

Locus cum tempore. Ferula folio glauco primo anno caulem non fert: radix ut refert F. Platerus excrevit in tantam molem, ut ponderarint libras septuaginta postquam semen produxerit, eà verò magnitudine transpositam non periisse. Virens hac mense Januario visa à nobis, apud Cortusum Patavij, quæ valebat in ollá. Lugduni mihi provenit in horto & semen tulit, ceu & Montbelgardi post aliquot annos maturum Julio. Semen mihi à quodam, cujus nomen nondum occurrit, datum titulo Ferulæ nigræ. Ex semine misso

Ferula nigra. ... fœtida. per Calabonam nomine Assæ fœtidæ provenit eodem anno. Pona in descript. Baldi, notat provenire in ejusdem Baldi horto, & posteà inter spontaneas recenset.

DE THAPSIA VETERUM sententiæ, & in genere. CAP. XXV.

Etymon, Diosc. THAPSIA ex eo nomen accepit, quòd in Thapso ejusdem nominis insula primùm inventa fuerit. Tota verò natura Ferulæ similis est, attamen gracilior caulis [καυλὸν. ἁ καυλὸν habet cod. Basil. Plin. lib. cap.22. legisse videtur καυλὸς ... , Dalech.] est: folia Fœniculo similia: umbellæ in unaquaque propagine Anetho similes: in quibus flos melinus: semen sublatum, Ferulæ semini simile, minus tamen: radix intus alba, magna, foris nigra, crasso cortice vestita [ὑλιστ... , acris. Ex hac succus colligi-

Succus ut colligendus. tur in hunc modum. Effossâ in ambitu scrobe inciditur radicis cortex: aut incavatur ipsa radix, ita tamen ut excavatio sensim à latiore orbe in acutum desinat: mox cooperitur, quo postero liquor confluat: postero autem die congestum eum tolli par est. Eliciendi quoque succi ratio hæc est: Radix

Succi eliciendi ratio. contunditur, ac succus per qualum instrumento ad id comparato exprimitur, qui quidem fictili crasso inditus in Sole cogitur siccatúrque. Sunt & qui foliis simul cum radice tusis succum exprimant, sed invalidior is est. Hoc verò indicio discernitur qui è sola

Indicium probi succi. radice manavit, quòd viroso magis est odore, humidúsque permanet: at è foliis extractus, exiccatur, ac teredinum injuriam sentit. Porrò qui liquorem colligit, minimùm obverso vento stare oportet, ac potiùs tempestatem diligere à ventis silentem, quave nulla aspiret aura. Alioqui propter halitus acrimoniam, vehementer intumescit facies, nudasque corporis partes pustulæ invadunt [... ἀκτῖνι τὸ φλυκταίνας τε γυμνὰ μέρη διὰ τὴν δριμύτητα τῆς ἀποφορᾶς. Hunc locum sic legit Goupylus. φλυκταίνας τὰ γυμνὰ μέρη τοῦ γυμνοῦ σώματος, quomodo Hermolaus legisse videtur.] Idcirco etiam non, nisi cerato quopiam adstringente liquido priùs inunctis nudis partibus, eò accedendum. Purgandi vim habent cortex

Vires. radicis & succus, itémque liquor, si in aqua mulsa bibatur: supernè enim æquè ac infernè bilem extrahunt. Radicis modus, quaterni oboli, cum ternis seminis Anethi drachmis: [μετ' ἀνήθου σπέρματος < γ. his vet. caret.] expressi verò succi terni oboli: aut liquoris, obolus unus: [τοῦ δὲ ὀποῦ ὀβολός. pro hoc vocabulo legit vet. < α. h.e drachma una.] copiosior dosis salutem in discrimen adducit. Convenit autem hujuscemodi purgatio suspiriosis, & in diuturnis laterum doloribus, atque difficilibus excreationibus: iis verò qui ægrè vomunt in cibariis obsoniisve datur. Tam radix, quàm liquor omnium maximè, quæ pares cum eis vires sortita sunt, metasyncritica vi pollent, sive quid ex alto evocare, sive summæ cutis meatus relaxando corporis habitum mutari expedit. Quamobrem succus perunctione, aut radix recens affrictu, alopecias explet. Radix succúsve cum æquis thuris ac ceræ portionibus sugillata liventiáque emendat: sed non plus binis horis dimittatur, ac locus deinde aqua maris calida foveatur. Tollit & maculas à solis ardore contractas illitus ex melle succus, ac lepras removet: sed & tubercula rumpit, cum sulphure perunctus. In diuturnis quoque lateris, pulmonis, pedum, articulorúmque vitiis utiliter illinitur. Cæterùm valet ad integendam colis glandem, si modò alia ex causa, quàm circumcisione nudata fuerit. Tumorem enim excitat, qui & fotibus,

Præputij reparatio. & pinguibus adhibitis emollitus præputij jacturam resarcit. Et hæc de Thapsia Dioscorides memoriæ prodidit.

Theophr. De Thapsia diversis in locis loquutus est Theophrastus. Adde (inquit l.9. hist. c.9.) quæ medicamentarij & herbarij partim forsitan rectè, partim quòd rem suam ostentent ac prædicent, adjungunt: præcipiunt enim aliàs plantas vento averso secare, sicuti & alias quasdam ut Thapsiam, corpore oleo inuncto: nam si adverso, corpus tumescere aiunt. Radicis verò ejusdem (pergit c.10.) partem unam supernè, alteram infernè purgare profectò mirabile est. Ultimo ait c.22. Thapsiæ radix profectò vomitoria est, & si quis continuit, tam supernè, quàm infernè purgat. Nullus seminis usus: nascitur tum alibi, tum in terra Attica: in qua pecudes incolæ eam non tangunt, peregrinæ verò depascunt, & aut alvus solvitur, aut intereunt. Radicem denique candidam scribit: caulem ferulaceum: folium Fœniculo latius: radicem livida tollere posse: succum validiorem esse.

Plinius. Semen Ferulæ, inquit l.13. c.22. Plinius, Thapsiam quidam vocavere: decepti eo, quoniam Ferula sine dubio Thapsia est, sed sui generis, foliis Fœniculi, inani caule, nec excedente baculi longitudinem: semen quale Ferulæ, radix candida. Incisa lacte madet, & contusa succo: nec corticem abdicant, omnia ea venenata. Quippe etiam fodientibus nocet: si mi-

Fodientib. nocet. nima aspirat aura, intumescunt corpora, faciémque invadunt ignes sacri: ob id cerato priùs illinunt. Quibusdam tamen morbis auxiliari dicunt Medici, permixtam aliis. Item in alopeciis, suggillatisque ac liventibus: ceu verò remedia desint, ut scelera contrahent. Sed ista prætexunt noxio instrumento: tantúmque impudentiæ est, ut venenum artis esse persuadeant. Thapsia est in Africa vehementissima. Quidam caulem incidunt per messes, & in ipsa excavant radices, quo succus confluat, arefactúmque tollunt, alij folium. Radicem tundunt in pila, & succum in Sole coactum dividunt in pastillos. Nero

Cæsar

Thapsia Neronis Caesaris. Cæsar claritatem ei dedit initio imperij, nocturnis grassationibus converberatam faciem illinens sibi cum Thure ceráque, & sequuto die contra famam cutem sinceram circumferens. Ignem Ferulis optimè servari certum est, easque in Ægypto præcellere. Libro 19. c. 9. Thapsiam inter ferulacei generis plantas quoque nominat, eamque perquam similem Fœniculo dicit.

Galeni iudicium. Thapsia, autore Galeno, acrem habet ac valenter excalefacientem facultatem cum humiditate conjunctam. Quamobrem ex alto violenter extrahere, & ipsum quod extraxit, digerere scribit. Verùm plusculum ad ea efficienda tempus postulari, ut quæ larga humiditate impleta sit, ob quam celeriter corrumpatur.

Nothæ appellationes. Thapsiam porrò sunt qui Hypopion, qui Pancration, qui Scammonion, qui Thelypterida appellent. Aphri Boeden, Romani Ferulaginem, sive silvestrem Ferulam dicunt.

Cognomines diversis locis Thapsi urbes, insulæ, chersonesique aliquot, Thapsiæ huic ab earum aliqua primò quondam sic appellatæ diversos natales & diversas bonitatis laudes fecisse videntur. Nicander in Theriacis ex Sicilia Thapsiam in primis contra venena laudavit. Nunc age, composita te malorum remedia docebo: Trinacriam [Θρινακίδα] sumito, Thapsiæ radicem, quæ corpori medetur, &c. *Trinacria.* Plinius contra Thapsiam in Aphrica vehementissimam esse dixit. Hic quem plures alii sequuti sunt in Thapso insulam primò inventam fuisse ait, nec bonitatis, majorisque in ea efficaciæ discrimina aliqua numeravit. Ex eo fit, ut credam, (inquit Marcellus) primam Thapsiæ inventionem Thapso, quæ una ex Sporadibus insulis est, deberi. *Hypopion.* Hanc veteres Hipopion vocarunt, ancipiti, nisi vitium in Theophrasto sit, & rei, & nominis significatione. Pro qua intelligendum est, significare Græcis Hypopion, cui in ultima *syllaba* i. non y sit, sanguinis ex ictu, suctuve, aut injuriâ aliquâ aliâ, in quampiam corporis partem concursum, integráque cute in eo loco cessante, & quod extra venas sit quasi mortuum. Auditâ itaque Hypopij hujus voce, nihil aliud Græci intelligunt, quàm cessante sanguine nigrescentem cutem. Nec dubium est, his mederi Thapsiam, & ab eo remedio, nomen hoc factum illi esse. Siquidem hic ait. ὑπώπιά τε ἀφανίζει καὶ πελιδνώματα, h. e. hypopia & livores delet. Et Plinius rem augens ait. Nero Cæsar claritatem ei dedit, initio imperij nocturnis grassationibus verberatam faciem illinens sibi cum Thure ceráque & sequenti die contra famam, cutem sinceram circumferens. Solus Theophrastus aliter Hypopia, quibus ea medeatur, intellexisse creditur. Verba ejus sunt. Thapsiæ autem vomitoria vis est, quod si quis eam retinuerit, per inferna pariter & superna purgat. facit & Hypopia, veruntamen candida [ὑπώπια δὲ ποιεῖ· ἀλλὰ λευκά.] Ex his ni vitium in hoc scriptore sit, maculas, quæ in cute albicant, hypopia intellexisse oportet. Et si recipiendum in Theophrasto hoc est, ad aliam Thapsiæ naturam referenda res erit, ad pallorem, sc. à quo Thapsinus color in Phocione à Plutarcho dictus est, & à Theocrito in pharmaceutria. χρὼς δ' ἐμὸς ... θάψῳ, h. e. Et corpus meum Thapso simile factum est: nullâ aliâ quàm coloris significatione, quis color Thapsiâ fiebat. Consueverant enim veteres ad excusandam valetudinem, corporisque morbos non aliter, nec alio eventu quàm Cymino, Thapsia se inungere, potuitque Theophrastus hypopia candida, pallores Thapsiâ factos indicare. Quod legentibus significasse satis sit. Et si sciamus Theocriti interpretes & alios Græcorum scriptores Thapson Chrysoxylon, id est, aurei coloris lignum, non herbam hanc interpretari solitos. *Scammonia.* Scammoniam vocari ab aliquibus Thapsiam in Dioscoride legitur. Verum tamen non potuit ad Thapsiam Scammonium, ut si ex pari in purgando vi, trahi. Romani ex totius plantæ similitudine (quoniam ut Plinius ait, Thapsia sine dubio Ferula est) Ferulaginem, & silvestrem Ferulam vocaverunt. *Ferulago.*

Barbari lectio improbatur. Barbarus in colligendo Thapsiæ liquore, quorundam codicum (quos & se vidisse Marcell. testatur) sidem secutus, quod in Dioscoride passim & vetus legitur. ... vertit succiduntque eam ... & tollunt sic radicem. Marcello autem communis lectio verior & aptior videtur, nec absque ratione, cum nulla sit ad colligendum liquorem succidendæ & auferendæ radicis necessitas. Præterea non semel tantum, sed sæpius verisimile est colligi posse liquorem, cum & si colligendus est ex vivente, adhuc in radice sua, planta colligendum esse. Idem Barbarus quod erat ... fiscum vertit, à quo & Fiscella dicta est. Nec male quidem: nisi hîc vox ad alterius rei æstimationem translata penitus jampridem esset.

Thapsos? Thapson verò insulam, si non Siciliæ, at certè à Sicilia non ita longè dissitam, innuit Dioscorides. Nam & ideò Nicander in Theriac. radicem Thapsiæ Trinacriam cognominavit. Siciliam verò etiam Trinacriam olim dictam fuisse constat, deducta appellatione à tribus jugis seu promontoriis, quæ in ea insula præcipua sunt.

Thapsiam, inquit Cæsalpinus, Theophrastus simili modo radicem Thapsiæ, quo ego, candidam scribit, caulem ferulaceum, folium Fœniculo latius. Dioscorides verò Thapsiam paulò aliter delineat, ut videatur non hanc [*Thapsiam Illyr. semine candido, crasso*] intelligere, sed Ferulaginem, quam Ferulam fœminam appello. Mesues procul dubio utrumque genus Thapsiæ Turbith appellat; inquit enim, Turbith est radix herbæ, cujus folia sunt, sicut folia Ferulæ, minora tamen, & est ex habentibus lac. reperitur silvestre, & domesticum, & ex eo etiam est magnum & parvum, & adhuc aliud album, aliud citrinum, aliud nigrum. Quod in locis siccioribus nascitur, fit gummosius propter spissitudinem lactis ejus; in humidioribus econtra, quod deficit à septem conditionibus, quæ bonitatem ejus ostendunt, ut sc. sit album, & concavum, harundinosum & gummosum, & sit cortex ejus cineritius & plenus, & sit recens, & friabile: citrinum verò malum est, & nigrum pejus; crassum est non bonum, & similiter quod tenue est, nam imbecille: & rugoso cortice, & quod interius, dum frangitur, nervos habet, silvestre est & malum: quod non est gummosum, imbecille est & ventris conturbativum. adulterant super illinentes gummi dissolutum: deprehenditur fractione, nam caret gummi. quod est nimis recens, est conturbativum, & subversionem facit viscerum: vetustum imbecille est, ideò eligitur id, quod in mediocritate consistit: evacuat humores tenues; quod si addatur Zingiber, educit humores crassos, & viscosos à partibus longinquis, & articulis, & locis profundis. pondus ejus contriti exhibetur à drachma una ad duas: decoctionis autem à drachmis duabus ad quatuor.

Turbith Mes. *Generat.* *Conditiones 7 boni Turbith.* *Adulteratur, frangitur deprehenditur.*

Nigrum est Thaps. Diosc. Ex his patet indicari à Mesue nomine Turbith nigri, Thapsiam Dioscoridis, quod genus improbatur; Turbith autem album Thapsiam esse Theophrasti. Tam Dioscorides quàm Mesues, corticem radicis assumi testantur, conveniunt & in facultate, nam & superius & inferius purgant, ut Græci asserunt; quod Mesues inquit purgare cum subversione & nausea. illi bilem ducere. Mesues humores tenues scribit. de pondere exhibendo non conveniunt Dioscorides & Mesues, quia hic nigrum, ille album assumit: Dioscorides indicit obolos tres *Mesues dissentit à Dioscoride.*

lacte

lactis obolum unum, si amplius periculosum esse: Mesues radicis drachmam unam usque ad duas exhibet, succum solùm non exhibet. Galenus maximam differentiam esse recentis ad vetustiorem testatur: vis enim hujus pharmaci post annum multū exsolvitur, atq; amplius adhuc post duos annos, ad triennium penitùs inutilem esse audet proferre. Mesues recentē abdicat ob vehementiam, veterem, ob ignaviam. Testantur qui Turbith ex Apulia ferunt, radices esse Thapsiæ, ut ex his fateri liceat idem esse Turbith, & Thapsiā. Alia tamen est sententia apud Actuarium inter Græcos recentiores, nam Turpetum (sic enim appellat) Titimalis ascribit: album quidem esse Alypiæ radicem; nigrū verò Pythyusæ. Ac longè diversa est Serapionis opinio: putat enim Turbith esse apud Dioscoridē Tripolium; sed radix, quæ in hunc usque diem pro Turbith venditur, nec Tripolio convenit, nec Alypiæ, nec Pythyusæ, de quibus suis locis erit manifestum. Thapsiæ succus, aut lachryma, quod Cæsalpinus monet, non adfertur hodie, neq; etiam in Italiam, quamvis radix succosa, & sincera habeatur, etiam ex Orientalibus, sed ob vetustatem infirma, ut eum usum præstare nequeat ad extrahendum ex alto, quem sinapismi, & cataplasmata ex succo Thapsiæ præstabant apud antiquos. Hæc Cæsalpini argumenta & rationes, quibus Turbith Thapsiam esse contendit, doctiorum judicio pensitanda relinquimus. De Turbit plura ex professo H.n.g.lib.34. dicemus. Iouberti stat sententia Thapsiam à multis loco Turbith perperam usurpari.

Gal. differ. — *Thapsia radicem negat Actuar. & Serap.*

Thapsia alia (inquit Fallop. de purg.simpl.c.49.) defertur ex Siria, quæ vocatur Turbith gummosum, eò quòd concrescat circa oculos radicis Thapsiæ; & est gummi acre: solet tamen & gummi quoddam apponi à nebulonibus, ut decipiant homines: sed detegitur fraus, quia gummi quod addunt, non est acre. Et hoc defertur ex monte Gargano, qui mons nunc vocatur, mons S. Angeli, & dicitur Turbith ex monte S. Angeli. Quamvis autem utrumque bonum sit, semper tamen accipiendum ex Siria delatum, quod validius est & minùs cariosum, ut ortum in loco calidiori. aliud verò ex Gargano monte allatum, utplurimum est cariosum, & est debilius, quoniam oritur in loco frigidiori: & ideò etiam in conficiendo oleo pro defluvio pilorum, hoc non, nisi in defectu illius, utendum erit.

Turbith gummosum. — *Adulterium.* — *Turbith montis S. Angeli.*

Acrimoniam tandem si quæsieris in Thapsia, nihil est quod statim degustata, te invenire posse credas: sed si commanducetur. Illud silentio hîc non prætereundum, si Thapsia loco superposita fuerit, ac vesicæ & œdemata excitata fuerint, eadem illicò theriacā solvi, aut etiam Cumino, aut aceto superposito, ut l.8. cap.44. rer.var. scriptum reliquit Cardanus.

Cardan.

Thapsiam apud Tragum l.2. c.8. Arabes Thesific cognominant, ut Avicenna l.2. c.10. Iacobus Manlius autem Piperiam nuncupavit.

Piperia.

Quam plantam intelligat per Thapsiam Euchar. Roëslin divinari non possumus, nec eum etiam agnovisse credimus plantam, quam sequentibus tradidit. Thapsia, Wilder (silvestre) Turbith folio est Fœniculi, flore albo, semine lato, Levistico simili: radix alba, crassa, cortex crassus, acuti odoris.

Thapsia Eucharij quæ?

Lacuna in annot. in præfat. Diosc. ait per totum mūdum præparari diamargaritum calidum Avicennę cum Thapsia, quod diamargaritum perimat multos. Historiam recitat mulieris, quæ eo assumpto in convulsiones & gravia symptomata inciderit: se vidisse Avicennę exemplar manu scriptum apud Vincentium pharmacopœum Romanum in quo legebatur Capsiæ pro Thapsiæ, & in margine annotatum fuisse, Capsiam esse Cassiam ligneam sive Canellam. Idem rursus l.4. c.159. in Diosc. repetit se in præfatione summum errorem, qui à pharmacopœis committatur, ostendisse, dum in diamarg. calido Avicennæ Thapsiam loco Cassiæ, quam Canellam dixit, ponant. Thapsiæ adferri magnam copiam ex Apulia Romam nomine Turbith. Errorem hunc auget VVeckerus Cordum secutus, addendo in diamarg. dicto radicis Thapsiæ, quum alij simpliciter habeant Thapsiæ pro Capsiæ, sivè Cassiæ, ut ritè monet Lacuna. Quare meritò Fuchsius in hæc prorumpit verba. Id errore non caret & quidem maximo, quod Cordus in diamarg. calido Thapsiæ radicem subjecit, quæ intra corpus exhiberi non debet. est igitur ex contextu rejicienda.

Thapsia in diamarg. calido pro Capsia, fal-
Error pharmacopœorum. — *Cord. not.*

Apollo rad. 1. redarguere conatur Fuchsium dicens: Fuchsius Cordum taxans, non leviter criminandus est, quod ipse, non Cordus, ab Avicennæ præscripto longè recesserit, dicens Thapsiam à contextu rejiciendam, nec intra corpus exhibendam, contra Dioscoridis, aliorúmque sententiam. Sed non video cur Apollo ita culpet Fuchsium & excuset Cordum: qui sanè neglexerit monere errorem in interpretatione Avicennæ periculosissimum. Quod autem dixerit intra corpus non exhibendam, non malè fecisse videtur & potissimùm in cardiaco medicamento. Ille Apollo dehortari debebat ejus usum, quandoquidem ipsemet testatur pessima symptomata assumptam adferre.

Apollo redarguitur, & Fuchsio patrocinatur.

Thapsia sit qualiscunque herba velit (inquit Agricola) quam hodie sic appellant, constat non esse veram Thapsiam, de qua veteres loquuti fuere. Thapsiæ verò nomine sequentes circumferuntur plantæ.

Aequivoca.

Herbariorum Thapsia vulgaris, Thapsia Carotæ folio à nobis inscripta. — *Thapsia Carotæ folio.*

Thapsia latifolia Clusij, Thapsia quorundam sive hirsuta. — *Thapsia hirsuta.*

Considerandum an nostra Ferula folio glauco, de qua ante egimus, sit Thapsia Matthioli quam non describit. — *An Ferula glauca.*

Thapsia, Turbith gallicum & Turbit cineritium officinarum Lobelij, est Ferulæ facie Thapsia nostra, sive Turbit Gallorum. — *Ferula facie Turbith Gallorum.*

Thapsia tenuifolia, Thapsia 2. Clusij, fortè Thapsia angustifolia Cam. hort. — *Thapsia 2. Clus.*

Thapsia 3. Thapsia Salmanticensis Clusij, an Cicutaria maxima Brancionis, an num potiùs Cicutaria nostra maxima, fœtida. — *Thapsia 3. Clus.*

Thapsia quarta Clusij in agro Salmanticensi Tuero vocata. — *Thapsia 4. Clus.*

Thapsia, sive Turbit Gargani mōtis, de qua mox. — *Thaps. Garg. mōtis*

Thapsia Asclepiadis est Rubia sativa. Traditur hæc H.n.g.lib.36. — *Rubia sativa*

Vesalius in paraph. in Rhazæ lib.9. c.7. nominat Thapsiam Indam, quæ interpretatur Lepidium. Vide H.n.g.lib.12. — *Lepidium.*

Thapsiæ succo Sylvius in Antiball. substituit Nasturtium. lib.22. — *Nasturtium.*

Thapsiæ succo Nasturtij & Erucæ seminis pondus æquale, licèt illa sint multò inferiora Thapsia, suborpat Galenus lib.1. cap.ph. — *Eruca cum Nasturtio.*

Pro Thapsia imponit Nasturtij semen Fuchs. in antiballomenis. lib.22. — *Nasturtij semen.*

Pro Thapsia foris adhiberi semen Erucæ testatur in ant. phar. Sylvius: itémque Fuchs. in antiball. lib.21. — *Erucæ semen.*

Thapsiam Indam Simonis Ianuensis vocant Nasturtium aquaticum, Trag. l.1. c.26. — *Nasturt. aquaticum.*

Thapsiæ succi loco Sylvius in antiball. itémque Tractatus qui pro quo, succum Chamæleontis (nigri Sylv.) substituunt. lib.26. — *Chamæleon nigri succus.*

Pro Thapsiæ loco accipit Tract. qui pro quo, succum Glycyrrhizæ. lib.17. — *Succus Glycyrrhizæ.*

Cassia lignea. Non desunt, qui Thapsiæ loco Cassiam ligneam supponant, ut dictum lib. 4.

Cardamomum. Pro Thapsia Gesnerus Capsicum legendum censet, quod Adolph. Occo Cardamomum Arabum interpretatur, ideóque in diamarg. cal. Avic. utrumque Cardamomum ponit. lib. 15.

Thapsus barbatus. Confunditur Tapsus cum Thapsia à nonnullis, præsertim Port. phyt. lib. 3. cap. 36.

Ruta. Rondeletius in praxi cap. de Alopecia, Pulegium regale, & cervinum, Erysimum, Nasturtium, Abrotanum, & Rutam loco Thapsiæ in usu admittit, si eodem modo adhibeantur. Tandem notat esse semina ejusdem facultatibus prædita, ut Erucæ, & Rutæ, non autem Cicutæ, ut Valesc. Tarantam ausum dicere prodit. De Ruta lib. 25. de Cicuta lib. 27.

Cicuta.

THAPSIA SIVE TVRBITH Garganicum semine latissimo.



Descr. AMPLA & pulchra sunt hujus folia, glabra, pedem longa, in alis per certa intervalla, ex adverso sitas elegantér divisa, atque ita rursum in segmenta alternata vel fortuita subsecantur, Peucedani ferè segmentis singularibus similia, nisi & latiora & breviora essent: caulis crassiusculus desinens in umbellas magnas, quæ iterum dividuntur in parvas, luteas, quibus semen succedit longè maximum, unciam longũ paullò minus latum, labiis prædituum magnis, foliaceis, per extremum bifidum, simile Thapsiæ latifoliæ Clusij, sed duplo ferè majus.

Thapsia Patavina, Thapsia sive Garganica. C. Bauh. Plantam à nobis descriptam misit frater C. Bauhinus inscriptione, Rarissi næ Patavij Thapsiæ sive Turbith Garganij. Nos ad hanc referimus Thapsiam sive Turbith Gargani montis Gesneri, & non ad Thapsiam Carotæ facie (ut facit frater C. Bauh.) cui non competit. Est siquidem semine latissimo.

Thapsia latifolia Imp. *Turbith Ferulacula.* Eandem quoque nobiscum intelligit Ferd. Imp. l. 25. c. 1. per Thapsiam latifoliam, qua utuntur in Sicilia insula pro Turbith felici successu, ubi vulgo dicitur Ferulacula eodem authore. Ejus etiam usus est in Gallia pro Turbith. Folia huic Thapsiæ, inquit Imperatus, sed latiora: flos luteus, semen longum, latum, sapore medicamentoso: radices crassæ, lac habentes, externæ nigræ, internæ albæ, amaræ cum aliqua acrimonia. Idem postea vocat Thapsiam latifoliam, a multis pro Turbith usurpatam.

Trinacchria & Turbith Ferula coli. Ang. epist. 14. dicitur Thapsia Trinacchria, abundans in Apulia & Sicilia, ubi eam vocari refert Turbith & Ferulam coli.

Gesn. Thapsia Rurpodij, Thapsia vera in Gargano Apuliæ monte, semine inter ferulacea latissimo: cujus radice aliquos abuti pro Turbit, ac propterea Turbit montis Gargani vocari testatur.

Cam. ep. p. 948. & hist. l. 3. c. 139. juxta figuram Thapsiæ à Gesnero exhibitæ, figuram habet signatam num. 5.

Frater, ut dictum ante, mihi pulcherrimam hanc plantam inter ferulaceas, ex Italia allatam communicavit unà cum semine, quod sevi in horto E. C. Montbelgardi, quod tamen ad frugem non pervenit, licet Gesnerus olim sibi Tiguri provenisse è semine dicat, sed quæ primâ Hyeme periit. Hanc in regni Neapolitani monte Virgineo Campaniæ; & in monte Gargano Apuliæ reperiri refert Imperatus.

DE GALBANO VETERVM.

CAP. XXIV.

Diosc. GAlbanum liquor est nascentis in Syria Ferulæ: id nonnulli Metopium vocant [*succus est Ferulæ in Syria nascentis, quam quidam Metopium vocant, Cornarii hæc lectio verior videtur, ita enim græca sonant.* [illegible]] Est in hoc genere probatissimum, quod *Delectus.* Thuris, aut Hammoniaci [*hoc vocabulum in Diosc. exempl. non legitur, sed à Sarraceno adjicitur, cujus hæc versio est.*] præbet effigiem [*speciem, meliùs legit Corn. in Græco est* [illegible]] grumosum [[illegible]] purum [[illegible]] pingue [[illegible]] minimè lignosum [[illegible]] nonnihil retinens admixti seminis, ac ipsius quoque Ferulæ [[illegible]] odore gravi, neque valdè humidum, neque etiam penitùs aridum. Admixtis resina, Faba fresa & *Adulterium. Vires.* Hammoniaco adulteratur. Excalfacit porrò Galbanum, urit, attrahit, atque discutit: menses ac partus trahit appositu vel suffitu: lentigines cum aceto & nitro illitum tollit. Devoratur autem ad tussim veterem, spirandi difficultatem, suspiria, rupta atque convulsa. Cum vino quoque [*aceto leg.* [illegible]] & Myrrha [[illegible]] epotum toxico adversatur. Sed & simili modo sumptum partus mortuos extrahit. Imponitur & lateris dolori atque furunculis. Comitiales, vulvæ strangulatus & vertiginosos olfactu suscitat. Si uratur, fugat nidore venenatas bestias, ac perunctos iisdem ab illarum morsu vindicat: serpentes cum Spondylio & oleo admotum necat. Dentium dolorem oblitum, aut cavernis inditum sedat. Prodesse quoque difficulter mejentibus existimatur [[illegible]] sed & ad potiones, amaris Amygdalis & aqua, aut Ruta, mulsáve aut calido pane resolvitur: aliàs verò Meconio, æreve usto, aut felle liquido. [*aliàs verò in Meconio &c. legendum suspicatur Marcell.*] Porrò *Purgatio Galbani.* si Galbanum purgare voles in ferventem aquam demittito: nam ubi liquatum fuerit, sordes ex parte fluitabunt, quas ita facilè separabis: dein Galbanum ipsum mundo, raroque linteo illigatum in æream pyxide aut fictili vase ita suspendito, ut ne fasciculus nodulúsve vasis imum contingat, opertúmque vas in fervidam aquam demittito. Sic enim quod utile præstantiúsque fuerit, veluti per colum eliquescet [[illegible] *pro quo Lac ex vet. cod.* [illegible]] lignosum verò quicquid fuerit intra linteum remanebit. Arborem autem Galbani & non ipsum Galbanum (ut Sarracenus in Dioscor. legit.) Metopium vocari, testatur ipse Dioscorides lib. 1. cap. de Metopio. Præparatur, *Unguentum Metopium.* inquit, & in Ægypto unguentum, vernaculo nomine Metopium dictum: scilicet propter Galbani permistionem. Lignum enim è quo Galbanum manat, Metopium Ægyptiis vocatur. Ex oleo omphacino & Amygdalarum amararum [[illegible]] Cardamomo, Schœno, Calamo, melle, vino, Myrrha, Balsami semine, Galbano, & resina [*Plin. Terebinthina*] componitur. Proba-

Dalechamp. Probatur quod graviter olet, ac pingue est, quódque Cardamomum & Myrrham potiùs quàm Galbanum resipit. *Vires.* Vehementer autem calfacit, adurit, ora vasorum aperit, attrahit, ulceráque expurgat. Ad nervos & musculos præcisos efficax est, itémque ad aquosos ramices, septicis [*vulg. cod.* ... *sed cum Corn.* ... *ex Pal. cod. legendum & subintelligendum* ...] emplastris adhibitum. Malagmatis etiam ac ceratis inseritur. Rigoribus quoque ac retrorsum curvato corpore convulsis conducit. Ciet & sudores, atque uteri vasorum oscula reserat, ejusdémque duricias laxat. Atque in universum molliendi vi præditum est.

Plinius. Dat & Galbanum Syria in eodem Amano monte è Ferula, quam [*hanc vocem omittendam censet Dalech.*] ejusdem nominis resinæ modo [*hic omissam vocem, quam, repetit Dalech.*] Stagonitin appellant. [*Ferulam hanc Theophr. l.7.c.9. Paco vocari tradit.*] Quod maximè laudant, cartilaginosum, purum ad similitudinem Hammoniaci [*Thuris Diosc.*] miniméq; lignosum. Sic quoque [*sic hoc*] adulteratur faba, aut Sagapeno [*Hammoniaco Diosc.*] Syncerum si uratur, fugat nidore serpentes. Permutatur in libras v. [*XV. M. & C H.*] Medicinæ hoc tantùm: Plinius l.12.c.25. Et l.24.c.5. de Galbano dicit: Neque humidum, neque aridum probatur, sed quale docuimus. Per se bibitur ad tussim veterem, suspiria, rupta, convulsa. Imponitur ischiadicis, lateris doloribus, panis, furunculis, corpori ab ossibus recedenti, strumis, articulorum nodis, dentium quoque doloribus. Illinitur & cum melle capitis ulceribus. Purulentis infunditur auribus cum rosaceo, aut Nardo. Odore comitialibus subvenit, & vulvâ strangulante, & in stomachi defectu. Abortus [*immaturos partus. Dalech.*] non exeuntes trahit apposito vel suffitu: item ramis [*radiculis, Dal.*] ellebori circumlitum atque subjectum. Serpentes nidore urentis fugari diximus. Fugiunt & perunctos Galbano. Medetur & à scorpione percussis. Bibitur & in difficili partu fabæ magnitudine in vini cyatho: vulvásque conversas corrigit. Cum myrrha autem & in vino mortuos partus extrahit. Adversatur & venenis, maximè toxicis, cum myrrha & in vino. Serpentes oleo & spondilio misto tactu necat. Nocere urinæ existimatur. Idem dixerat l.19.c.10. culices Galbano accenso fugari.

Galenus. Galenus, Galbanum succum plantæ ferulaceæ esse dicit, mollientis & discussoriæ facultatis, quod sit in calefaciendo, ex tertij ordinis initio, aut secundi complemento: in siccando verò, ex secundi initio. Et hæc tradit lib. simpl. Libro verò 1. de antid. c.2. ait. Cæterùm, Panacis succus simile quicquam non habet Chalbani particulæ cuidam albiori. Nam Chalbani pars quædam revera in Sagapenum transit, quę spumosa est & lævis. Quædam verò Chalbanum optimum est Sagapeno æmulum. Densum autem hoc est, & reliquo Chalbano longè magis compactum, quo uti debemus, ceu optima Chalbani particula. Quoniam verò ad Sagapenum ex Chalbano transire diximus quodcunque spumeum, constans & album est, humorique immissum facilè diluitur.

Marcellus. Vbique, ut suavi carmine cecinit Lucretius, surgit amari aliquid, quod in ipsis floribus angat; neque habet natura aliquid tam amabile, aut fortuna tam lætum & hilare, ut non contiguum, conjunctum, hacténsve aut mixtum illi sit, quod ingratum corpori, aut animo triste, malo doloris sensu hominem torqueat. Ecostendit id hoc in voluptatibus: ostendit & in Galbano, quod in Syria nascens, odoramentorum omnium fœcundâ genitrice, ingrato odore hanc regionis ejus felicitatem turbavit. Nisi fortè, quæ in agendo sagax natura est, Galbanum Balsamo, Cassiæ, Cinamomo, Calamo, Iunco, aliisq; odoratis pluribus, miscuerit, iisdémque locis nasci voluerit, ut quantum ingrati odoris ex terra Galbanum in se traxisset, tantum purioris odoris illis relinqueretur, damnaretúrque una Galbani ferula, ut feliciùs cætera agerent. Quod & hortos conserentibus consilium aliquando est, malè & graviter odoratis plantis eodem loco consitis aliarum odores augere. Nihil tamen sic etiam à natura damnatum inutile homini penitùs genitum est. Habet enim, ut cætera relinquam, inquit Marcellus, suas vires & laudes Galbanum, solùm, auctore Theophrasto, graviter odoratum in Syria nascens, poténsque præter alia, quæ illi à Dioscoride, Plinio & Galeno tribuuntur,

Galbaneóque agitare graves nidore chelydros,

ut Maro cecinit Georg. l.3. & Nicander. Item Georg. 4.

Hic tam galbaneos suadebo incendere odores.

Potuit quondam etiam, ne bellorum & fortunæ gloriâ & honoribus careret, oppida expugnare, illitísque liquore suo facibus Hispaniæ oppidum frustra diu oppugnatum, succendere, eáque victoriâ Romanis civibus gentile nomen ex se dare, quod non multò post à Domitij Neronis turpi & funesto principatu inter Cæsares coleretur, esséntque à Galbano, quo usi in incendio oppidi in Hispania fuerant, Galbæ Romana gens per Cæsarem suum toto orbe clari. Ex quo non parvuum Galbano honoris accessit incrementum.

Nos hactenus à fortunæ gloria laudatum Galbanum ad naturam transferimus. *Veterum autorum collatio.* Primúmque illud legentes monemus, non Thuri tantùm, sed Hammoniaco quoque liquori simile Galbanum Plinium dicere, indéque fieri, ut deesse Dioscoridi id suspicemur. Quod præterea in hoc autore legitur, Toxicis cum aceto [...] mederi, ex veterum meliorúmque codicum fide cum vino verti, persuadente id Serapione, Avicenna, & maximè Plinio. Fecit etiam hujus scriptoris auctoritas, accedente eâdem veterum codicum fide, ut quod erat ... quod significare videtur, facere ad urinæ angustias, ad contrarium sensum derivetur, indicarétque urinæ nocere, & ejus angustias facere. Et præter Plinium, meliores græci codices his verbis rem docent: ..., q. e. credi urinæ angustias facere Galbanum. Ostendunt præterea iidem antiquiores Græci, non legi ..., q. e. sordidum, sed unâ tantùm mutatâ literâ, ..., q. e. pingue. Variat tandem à Dioscoride Plinius. Hic enim cartilaginosum dixit, quod ... grumosum ac granosum vocavit. Et tale sanè Thuris speciem refert. Hic per se bibi ad tussim veterem dixit, quod is devorari scripsit. Neque enim per se bibi potest. Hic serpentes oleo & Spondylio mixto tactu necare dixit, pro eo quod in Dioscoride legitur; ... Et ex neutro satis intelligitur justus usus; quomodo vel tactu, vel ..., serpentes necet. Quare Cornarius vel ..., vel ... legendum arbitratur, ut de Galbano cum oleo & Spondylio respersо accipiatur. Sed nunc & illud patet, Dioscoridem, Metopium esse lignum, *Metopium lignum & Metopium Ferula.* ex quo Galbanum generetur, dixisse. Et posteà Ferulam in Syria nascentem tradidisse, quam Metopium aliqui vocent, cujus liquor sit Galbanum. Hâc autem Plinium palam arborem fecisse. Sed hujus verba l.12.c.23. sic jacent, ut ea arbor non Galbanum, sed Ammoniaci lachrymam stillare intelligatur. *Ammoniacum.* Quum deniq; à Galbano Metopium unguętum appelletur, ambiguũ est cur oleum amygdalinũ Metopium vocari alibi dixerit, q Galbanũ non recipit. Nec aliud sanè putavit esse Metopon Cornar. apud ...

Hippocratem sæpè usurpatum, quàm hoc Metopium unguentum, etiamsi alij ipsum Galbanum eâ voce accipiendum censeant. Illud verbo dicendum, Dioscoridem σηπτικὰ emplastra erodentia appellasse. Præter λιβανωτὸν videtur legisse Serapio ἢ ἀμμωνιακῷ ἀφεψηθέν. utriusque enim & Thuris & Hammoniaci meminit. Sed & Plinius quoque Galbanum vult esse ad similitudinem Hammoniaci. Fortasse autem in dictione hac (τοῦ ἀπέμματος καὶ τοῦ ναρθηκώδους) rejecto καὶ, legendum ἀπέμματος τοῦ ναρθηκώδους. Nam & Aëtius in electione simplicium, probatissimum censet Galbanum, quod seminis aliquid admixtum retinet, neque τοῦ ναρθηκώδους mentionem facit. Ac ut verè dicam, ait Sarracenus, pugnantia scribere videtur Dioscorides, dum probat id Galbanum cui aliquid Ferulæ sit admixtum, cùm antea probasset ἄξυλον, h. e. minimè lignosum, seu, ut Celsi verbis utar, quod est sine surculis: nisi ἄξυλον dici velimus, quod minimum habeat lignorum seu surculorum. Galbanum ab odore gravi [ὀσμὴ βαρεῖα] quo præditum est, Nicander in theriac. βαρύοδμον cognominat. Lectionem δυσουρίας, pro δυσουρίαν ποιεῖ, sic Lacuna quoque in veteri codice legisse annotat, neque hanc lectionem ratione carere subdit: quandoquidem quæ vehementer diuretica sunt, uti etiam Cantharides, interdum lotium supprimunt ratione exulcerationis, quam vesicæ ipsiúsque collo imprimunt. Equidem quamvis præterea Serapionem, eodem quo illi modo legisse animadverterem, de immutanda vulgata lectione malui liberum esse suum cuique judicium. Marcellus denique & Lacuna ex antiquioribus codicibus pro ἐπιπολάζει, νηχομένη restituendum existimant: maximè cùm pinguia, tanquam aërea, ferè supernatent. Sordes verò, cùm terrenæ substantiæ magis participes, gravitate suâ subsidere soleant. Sed quoniam in Galbani, quantumvis legitimi, sordibus exiguorum lignorum, surculorum, cæterorumq; id genus suâ naturâ levium, nõ minimam portionẽ conspicimus: non est dubium, quin si Galbanum aquæ ferventi demergatur, ejusmodi levia unà cum pinguitudine quadam fluitent: id quod ex αὐτοψίᾳ facilè est unicuiq; animadvertere. Quamobrem nihil immutatum. Legit ultimò Lacuna veteris cujusdam codicis autoritate fretus ἢ εἰς ὀθόνιον ἀραιὸν ἀφαιρεῖν, &c. quippe Dioscoridẽ existimat præter illam priorem, alteram hoc loco purgandi Galbani rationem tradere, quam cęteri cum superiore cõfundant. Verùm equidem unicam in toto Galbani cõtextu purgandi rationẽ à Dioscoride describi existimaverim. Scilicet, ut primùm in aquam ferventem conjiciatur Galbanum, quò quicquid est stipularum aut lignosorum surculorum aquæ innatet, conchâque aut alio id genus instrumento facilè detrahi possit: deinde verò reliquum quod subsidet in imo, rejectâ scilicet aquâ, ad separandam denuò terram, arenam, lignum densius, aliúdve ejusmodi crassamentum, in vas aliquod per linteum rarum excoletur, juvante in id aquę calore, quæ in vase duplici effervescat. Tũ enim purius Galbanum per linteum in vas subditũ excolabitur: crassior verò sordities intra linteum remanebit. Neque verò fit verisimile, quod verba Dioscoridis innuere videntur, id tãtùm quod innatat excolari debere, ut pinguitudo fluitãs à sordibus ipsis secernatur, quippe cũ in eo quod subsidet, sordium etiam ac crassamentorum non minimâ portio resideat. Cæterùm, pharmacopœi, minùs laboriosè ac forsã aptiùs, Galbanum purgabunt: dum aceto aliove accõmodato liquore ipsum dissolvunt, dissolutum colo transfundunt, transfusumq; tandem igni lento decoquũt ad justam spissitudinem. Metopium unguentum modò quod attinet, id totidẽ verbis ab Aëtio 1. Tetrabl. serm. 1. describitur, itemq; à Nicol. Myrepso sect. 16. quot à Dioscoride. At Æginetal. 8. de re med. singulorum ingredientium pondera & mensuras adjicit. Dubium autem est, utrum ad hujus confectionẽ assumantur ipsæ Amygdalæ amaræ, an verò oleum ex iis expressum. Hoc enim posterius mihi magis verisimile videtur, ac Nicolai quoque Myrepsi interpres hoc modo intelligendum existimavit. Quod si ita est legendum hîc velut habetur apud Aëtium, δι' ἐλαίου ἀμυγδαλίνου πικροῦ, &c.

Diosc. sibi contrarium.

Purgandi Galbani ratio 1.

2.

Cæterùm, non possum non illis assentiri (inquit continuando suum sermonem Sarrac.) qui hoc unguentũ illud ipsum esse asserunt, quod ab Hipp. tum lib. morb. mul. tum etiam sexcentis locis aliis νέτωπον, seu μέτωπον nomine tantopere celebratur: quippe q in uteri affectibus ad induratas vulvæ cotyledonas emolliendas & obstructas aperiendas, itemq; ad secundas pellendas plurimùm ab illo commendetur. Hesych. in suo Lexico sic quoque habet. Νίτωπον, νέτωπον μύρον αἰγύπτιον ... ἐκ πολλῶν μιγμάτων. οἱ δὲ μέτωπον. Erotianus autẽ in vocib. Hipp. νέτωπον (sic enim lego, nõ νίτωπον) exponit, τὸ ἐκ καρύων πικρῶν ἔλαιον. Galenus in vocib. Hipp. quod è spinæ Ægyptiæ flore parabatur oleum μέτωπον dictum existimavit, idémque Αἰγύπτιον μύρον Hippocrati dictũ. Sed præter Hesychij autoritatem, vires quas μετωπίῳ tribuit Dioscorides, ac eæ quas νετώπῳ suo itidem ascripsit Hippocrates; cũ eodem planè spectare videantur, μέτωπον seu μετώπιον Dioscoridis, ac νέτωπον seu νετώπιον Hippocratis unum & idem fuisse unguentum evidentissimè testantur. Diosc. cap. de Galbano, non ipsam arborem, lignosámve plantam, è qua Galbanum emanat, sed Galbanum ipsum, h. e. liquorem Ferulę cujusdam in Syria nascentis, Metopium nonnullis dici refert. Capite verò de Metopio unguento, lignum ipsum è quo manat Galbanum, ab Ægyptiis Metopion appellari admonet. Cæterùm ξύλον nomine significare videtur lignosum corticem, qui in ferulaceis cernitur, ipsorum teneritudine processu temporis in lignum abeunte. Quamvis & pro arbore hoc loco, ut aliàs plerumque, ξύλον vocabulum accipi potuit: nam propter lignosum illum corticem, arborum etiam generi adscribitur Ferula: ac propterea Clearchus inter ænigmata aliam Ferulam dixit esse, ξύλον τε κ' ἄξυλον.

Metopon.

ξύλον significatio.

Et hæc de Galbano monuisse sufficiant. hoc tamen hîc obiter monendum, ut canes uno loco mingant, locum confricandum esse Galbano, si Iac. Faulloux de venat. cap. 8. verum dicat.

Quænam porrò sit Lobelij Ferula galbanifera, nihil certi habemus. De hac verò mox agemus.

Ferula galbanifera, Lob. quæ?

Galbani deniq; nomine plura denotari pro confesso habetur. Tacamahaca siquidem à quibusdam Galbanum dicitur & idem existimatur. De Tacamahaca diximus in H. n. g. lib. 9. circa finem libri.

Tacamahaca.

Galbanum quoque vocatur genus vestimenti delicatorum, à colore albo ac sublucido, quod nullos habet pilos: Vnde Iuvenal. Satyr. 2.

Galbanum vestimenti genus.

Cerulea indutus scutulata, aut Galbana raso.

Et hinc Galbanatus nomen simile participio formavit Martialis, i. e. Galbano indutus, accipiturque pro homine molli & effœminato: lib. 3. 40.

Iacet occupat Galbanatus in lecto.

Tractationi de Galbano finem impositūris, ejus substituta annotasse quoque conveniat.

Succedanea.

Sylvius in antibal. Tract. qui pro quo, & Placotomus in pharm. inter alios loco Galbani Sagapenum, de quo hoc libro dicturi sumus, accipiunt.

Sagapenum.

Holerius in inst. Chir. l. 1. c. 2. scribit, Galbani loco veteres Propoli usos fuisse.

Propolis.

GALBANVM ET GALBANIFERA Ferula.

Galbanum colore est flavescente, intus forisq; unguibus subinde ex albo viridantibus, seu cornei

Galbani descr.



cornei coloris a-spersis, substantia molli & ceræ instar ductilis, sapore amaricante cum acrimonia, odore vehementi & cum gravitate quadam viroso.

Descr. planta. Galbaniferā Ferulam sic describit Lobelius. Oritur in hortis nostris hæc pervenusta planta semine copioso lato, foliaceo, aromatico, reperto Antuerpiæ in Galbani lachrymā. Tota facie Ferulam refert: folia exilia: flosculi item in umbellis hilarioribus: radix crassa, succo prægnans.

Hanc in Obs. p.451. item in Ic. p.779. Galbaniferam Ferulam vocat. Quænam autem sit hæc Lobelij planta, nondum perspectum habeo. Frater C.B. refert, ni fallor, ad eam, quam vocamus Ferulam glauco folio, quod ego asserere non ausim.

Apud Lugd. pingitur p.755. hac inscriptione: Galbanifera Ferula Lobelij. Pona tradit hanc Galbaniferā Ferulam Lobelij in montis Baldi horto reperiri.

De Galbano autem à nobis descripto loquitur Cord. in Diosc. l.2.c.97. Galbanum verum, inquit, eodem nomine à pharmacopolis cognoscitur, estq; Ferulaceæ cujusdam plantæ, Metopium appellatæ, liquor. Corn. in Diosc. l.3.c.85. Officinis & notum & in usu est Galbanum veteri suā appellatione conservatum. C.Bauh. phy. & pin. inter succos inspissatos secundo loco vocat Galbanum, ut & Clus. in fine Dod. gallici.

Cæs. l.7.c.51. ait Galbanum succum esse pinguem, non tamen oleo solubilem, sed aquā: mediā quodammodo natura constantem inter gummi & resinam: accendi enim igne, ut resinam: humore aqueo solvi ut gummi: tactu mollescere ut ceram: colore esse ex ruffo sublivido, odore valido, medicato. Adferri autem ex Orientalibus. Dioscoridem succum Ferulæ vocare.

DE AMMONIACO VETERUM. CAP. XXVII.

Diosc. EST & Hammoniacum, Dioscoride ita referente, Ferulæ liquor, quæ in ea gignitur Africæ parte, quæ est juxta Cyrenen. Totus cum radice frutex *Agasyllis.* Agasyllis appellatur. Maximè probatur, quod bene coloratum est, ligni & calculorum expers [*καὶ ἄξυλον καὶ ἀλιθῶδες. his veteres quidam codices carent*] Thuris glebarum granorúmve similitudine, sincerum ac densum, nullā sorde spurcatū, Castoreum odore imitans [*vet. καὶ τὸ ῥίζιον τῷ καστορίῳ ὀσφραδίζει*] & gustu amarum. Hoc genus thrausma, quasi fragmentum, seu friaturam *Thrausma.* dicas, appellatur: alterum, quod terræ calculorúmve est particeps, phyrama, id est, mixtura seu miscella. *Phyrama.* Gignitur verò succus is in Libya, juxta Hammonis templum, è ferulacea stillās arbore. *Vires.* Vim habet molliendi, attrahendi, calfaciendi, atque duritias & panos discutiēdi [*θερμαντικὴν, διαφορητικήν. vet. pro his διαλυτικὴν tantùm legit.*] Potum alvum subducit [*Lacuna legit ex vet. cod. τιτρώσκει καὶ ἐκβάλλει*] partúsque extrahit: lienem verò consumit cum aceto drachmę pondere haustùm, & ab articulorum coxendicúmq; doloribus liberat. Auxilio quoque est anhelatoribus, orthopnoicis & comitialibus: item quibus humor intra pectus hæret, si ex melle delingatur, aut cum ptisanæ succo sorbeatur. Cruentas etiam urinas pellit; nec non & oculorum albugines abstergit, & genarum scabritias absumit. Tritum autem ex aceto & impositum [*καὶ ἐπιτεθέν.* In quibusdam codicibus legi annotat Marcellus *σπληνὸς*] lienis, jocinorísque duritias emollit. Sed & tophos seu nodos dissolvit, qui circum articulos occalluerunt, cum mello adhibitum, aut etiam pici admixtum. Facit & ad lassitudines, & ischiadas si additis aceto, nitro & cyprino oleo, acopi vice, perungantur.

Æthiopiæ subiecta Africa Ammoniaci lachrymam *Genera. Plin.* stillat (inquit Plin. l.12.c.23. inde & nomine etiam ab Ammonis oraculo, juxta quod gignitur arbor, quam Metopion vocant) resinæ modo aut gummi. *Metopium.* Genera eius duo, Thrauston, masculi Thuris similitudine, *Thrauston.* quod maximè probatur. Alterum pingue & resinosum, quod Phyrama appellant. *Phyrama.* Adulteratur harenis velut nascendo apprehensis. Igitur quàm minimis glebis probatur, & quàm purissimis. Idem Plin. l.24. c.6. de eodem repetit, usumque medicum his verbis recenset. *Vires.* Similis Ammoniaci natura, atque lachrymæ probatio ut diximus. Mollit, calefacit, discutit, dissolvit. Claritati visûs in collyriis convenit. Pruritum, cicatrices, albugines oculorum tollit. Dentium dolores sedat efficaciùs accensum. Prodest dispnoicis, pleuriticis, pulmonibus, vesicis, cruentæ urinæ, lieni, ischiadicis potum. Sic & alvum solvit. Articulis & podagræ, cum pari pondere picis, aut ceræ, & rosaceo coctum. Maturat panos, extrahit clavos cum melle. Sic & duritias emollit. Lieni cum aceto & cera cypria, vel rosaceo efficacissimè imponitur. Lassitudines perungi cum aceto & oleo, exiguoque nitro utile.

Ammoniacum succus est Ferulæ cujusdā, inquit Galenus. *Galenus.* Habet hoc molliendi vim intentam, ut & articulorum tophos dissolvat, & lienes induratos sanet, & strumas discutiat.

Ammoniacō sunt qui Agasillū, qui Criotheū, qui Ebustrū appellent, teste Marcello. Romani Guttam hammoniacā dicunt. Habet verò salem, habet & liquorē medicina Ammoniacū. *Ammoniacum liquor est & sal.* utrumq; ab harenis, sed diversā ratione dictum. Illum quidem quod sub harenis concrescat & inveniatur. Hunc quod in harenosa Libya ad Ammonis Iovis templum ex Ferula in harenas destillet, & ut in Thure fit, concretis grumis inter eas inveniatur. *Etymon.* Græci ab harenis, quas ἄμμους dicunt, utrumq; indicaverunt, sed illum salem, hunc liquorem Ammoniacum, quasi arenosum vocantes: gravi periculo miscendi simul diversa, nisi eorum exemplo discrimen aliquod ex rei substantia addatur. Quod timens Marcellus, ut illum salem suo loco: sic hunc Guttam Ammoniacam vocat: *Gutta ammoniaca. Marcello.* quasi & hic quemadmodum Thus stagonias aliquando dictus fuerit, quæ vox in græcis stillicidium & guttam significat. Plinius Ammoniaci lachrymam eiusdem rei significatione appellat; Græci Ammoniacon simpliciter, ut tunc erat eius vocis æstimatio, vocant: fugiensq; æquivocæ appellationis periculū Marcell. Guttā Ammoniacā dixit lachrymā liquoremq; significantē Ferulā quę privatim in Libya ad Ammonis Iovis tēplum tunc nasci ferebatur. Quę sive ab harenis, sive ab Ammonis Iovis tēplo vocari dicatur, eandē rationē habet. Quoniā & Deus, qui inter eas arenas colebatur, mortalibusq; respōdebat, ab iisdē arenis nomē à Græcis invenerat, ideoq; Criotheos à forma eius, qui arieti- *Criotheos.* no capite pingebatur, eadē hęc Ferula, liquorq; eius pariter dict* est. Cęterę eius appellationes barbaræ sunt, ideoq; omnibus incognitæ. Posteriores Græci

inter odoramenta, & quæ ad odorem vaporarentur, numerantes ἀμμωνιακὸν θυμίαμα vocabant. Quo in antiquis variat in Ammoniaco, hoc odor est, quem castoreum sentire Dioscorides ait; Galenus verò κορίαννον, i.e. Coriandrum, nisi ex vicinitate vocis in alterutro vitium sit. Vtebatur hoc remedij genere multùm antiquitas, contra duritiės, panos, furunculos, & inguina. Patétque hoc ex eo, quod Dioscorides non procul à fine dixit. λεανθὲν δὲ σὺν ὄξει καὶ ἐπιτεθὲν, &c. q.e. ut Marcell. & nos vertimus, finire tritum ex aceto impositum, &c. nisi antiquiores græci codices non ἐπιτεθὲν, sed ποθὲν [potandum] haberent. Nos contra communem aliorum lectionem nihil mutavimus, reliquimúsque Medicis de diverso remedij ejus usu etiam post hac censendum.

Thymiama

Notandùm tamen hoc quoque, Metopion arborem à Plinio dici, ex qua Ammoniaci lachryma distillat: quum Dioscorides Ferulam. ex quæ Galbani succus est, Metopium appellari dixerit. Deinde vocem θραυστὸν in Plinio, & θραῦσμα in Dioscoride, nihil nisi fractum, fragmentúmque ac fracturam significare: sicut φύραμα mixturam, à qua nihil decessit, teste Cornario.

Metopion arbor, Plin.

Miratur Brassavolus in exam. simpl. Paulum Æginetam, qui inter odoramenta Ammoniacum numeraverit, quòd odor ejus gravis sit. Nescire se quoque fatetur, cur Galenus odorem Coriandri dixerit, cúrque Paulus ad odorem Ammoniacum accendat. Diversum tandem putat Ammoniacum Pauli & Galeni, à Dioscoridis, quòd gravem odorem ut Castoreum habeat. Et sanè quòd de re diversa loquantur, hoc signum est: quia in simpl. med. facult. ea dicunt, quæ à Dioscoride in Ammoniaco tractantur. Ammoniacum apud Averroim calidum est in prima parte tertij ordinis, & siccum in primo. Avicennæ autem calidum in fine tertij. sed Averroi potiùs favere statuit Brassavolus, qui verum Ammoniacum nobis non deesse scribit, quamvis antiquum fortè esse & adulteratum non neget. Quòd verò officinarum Ammoniacum adulteratum esse quis suspicari possit, frustra illa faciunt, quæ in modum massæ cujuspiam composita à pharmacopolis ostenduntur, non ad Thuris similitudinem in grumos concreta, & in minutas glebas (ut Diosc. scribit) coacta. nisi fortassè Dioscoridis verba ita intelligenda sint, quòd particulæ illæ ex quibus Ammoniacum, quale in officinis habetur, diversitate quadam, quæ in eo est, Thuri comparatum, illius similitudinem repræsentet. Sed argumenti hujus solutio (ut ipse Mundella fatetur) ingenium magis quàm veritatem ostendit.

Ammoniacum Pauli & Galeni, diversum à Dioscor.

Ammoniacum officinarum adulteratum.

Nunc quod ad Armoniam pertinet, barbarè quidem Armoniacum dicitur. Rectiùs autem dicendum est Ammoniacum, ab Ammone, juxta cujus oraculum &c. Sed notandum quod hoc nomen, scil. Ammoniacum, est commune ad plura. Vnde etiam quoddam sal Ammoniacum dicitur, de quo nobis sermo non est. Et licèt Ammoniaci succus à Romanis Gutta dicatur: tamen pro Gutta simpliciter scripta à doctis secundùm Monachos, non Ammoniacum quod malè olet: sed stacte sive styrax liquida intelligitur. Et non per hoc, quia ipse Dioscorides dicit, quòd ex Ammoniaco fit Thymiama, intelligatur, quòd Ammoniacum suavè oleat: quoniam antiqui in Thymiamatis compositionibus, multa olfactu horrida immiscebant. Et ipsemet Dioscorides declaravit malum odorem, dans Castorei similitudinem. Et res ipsa olfacientibus maximum veritatis rei præbet testimonium: ex quo igitur non dubitant Monachi ipsum esse verum, quo utebantur, adulteratum tamen supplendum volunt.

Ammoniacum plura significat.

Cæterùm, quando absolutè scribitur Ammoniacum, Gummi non sal accipiendum.

Ammoniacum absolutè.

Ammoniaco thymiamate deficiente, substituit Fuchsius l.1. de compos. med. in succed. Propolim.

Propolis.

Pro Ammoniaco thymiamate quidam intelligunt Anime in Castilia dictum, Lac. in Diosc. l.3. c.92. De Anime H. n.g. lib.9.

Anime.

Ammoniacum misceri à quibusdam cum Benzoino, palam fecit Levin. Lemn. de herb. bibl. cap.21. his verbis. Gutta, thymiama Ammoniacum, Cyrenaicus, vel Syriacus succus, quem Benzoi vocant, &c.

Benzoinum.

AMMONIACVM.

Ammoniacum in magnas glebas coactum advehitur, ex grumis magnis congestum, unguibus lactei coloris nitentibus, aut rufis, permistis per substantiam coloris obsoleti & ferè fusci, ut Benzoini mistioni & unguibus non ineptè possit comparari, sapore amaricante, odore Galbani virosiore. sub dentibus facilè diducitur sibi cohærens, magísque albescit: carbonibus injectum in flammam exardet. puræ adferuntur massæ, nunquam aut rarò quicquam sordium admistum habentes, rarenter enim invenitur semen foliaceum Anethino majus, & plantæ fragmenta nervosa, & mollia.

Descr.

Ammoniacum hic à nobis descriptum, quidam genuinum esse negant, quidam verò probant, quorum sententiam ut veriorem & nos cum Aloisio Mundella, Corn. Cæs. & Cordo amplectimur. Mundellæ verba ante adscripsimus, Cordi verò sic habent in hist. l.4. cap.105. Hammoniacum, seu gutta Hammoniaca, à veteribus etiam Hammoniacum Thymiama appellatum, nunc verò corrupto nomine Armoniacum, ferulaceæ plantæ Agasyllus nominatæ, & in Lybiæ harenis, atque circa Hamonis Iovis delubrum nascentis densatus liquor est, densis solidísque grumis, in massas compactus, Thuri non dissimilibus, foris flavis, rufis, aut in fusco flavis, intus autem candidis, aut subcandidis, nitidis & splendentibus. Odore ferè Galbanum pauco Castoreo mixtum referens, gustu amarum. Eligito sincerum, minimè harenosum, omninò purum, majoribus grumis, foris flavis aut croceis. intus verò candidioribus congestum, cùm accenditur, claram flammam alens, & repentino ictu propter densitatem ardiorem in plures splendidas, nitentésque micas dissiliens, & cum manibus tractatur, cum lentore mollescens, quod hujusmodi fuerit Thrausma à Dioscoride vocatur, quæ verò minoribus micis est, & arenis plena, ab eodem Phyrama dicitur. Affertur ad nos sincerum & valde purum, omnibúsque bonitatis notis commendabile: nonnunquam tamen semine suo permixtum, quod latum, dupléxque est, veluti Anethi semen, sed majus. Resolvitur ad medicamenta quemadmodum Laserpitium. Hæc Cordus loco citato. Is in Diosc. l.3. c.98. interpretes illos erroris arguit, qui apud Galenum duas has dictiones, Ἀμμωνιακὸν & θυμίαμα, virgulâ distinguunt, diversas res falsò intelligentes.

Ammoniacum genuinum.

Cordo Hammoniacum, seu Gutta hammoniaca.

Delectus

Hammoniaci semen.

Error quorundam.

Ammoniacum (inquit Cæs. l.7. c.52.) inter succos pingues est, aquâ solubiles, consistentiâ aridioris ceræ, exteriùs flavum, intus candidum, crassis guttis constans. sapor inest primo gustui suavis, postea subamarus, odor incensi, acrior Galbano. hujusmodi affertur inter merces orientales. Dioscorides tradit succum esse Ferulæ aut Ferulaceæ arboris.

Paulus, Aëtius & reliqui Medici Græci, attestante hoc Cornario, Ammoniacum Thymiama vocant, Latini Guttam dicunt. In officinis nomen retinet, etiamsi quidam barbarè Ammoniacum pronuncient. Arab. appellatur *Raxach*, aut *Assah*. It. *Ammoniaco* & *Armoniaco*. Hisp. *Aguaxaque*, & *armoniaque*.

Gutta.

Armoniacum barbarè.

Ammo-

Ammoniaci lachryma, non legitima, Matth. Ammoniacum hoc illegitimum censet Matthiolus, dicens: Ammoniaci lachrymam officinæ, mutatâ unâ literâ Armoniacum vocant. Cujus tamen sincerissimæ parum ad nos [*Senenses*] convehunt, qui ex Alexandria Ægypti cum mercimoniis Venetias redeunt. Quandoquidem rarissimum Ammoniacum visitur, quod suis minutis glebis Thus referat. Nam omne ferè quo officinæ utuntur, piceæ resinæ modo in massam compactum cernitur, impurum, ac quàm plurimis impostorum adulteriis vitiatum. Ut hinc facilè dici posse putaverim, hoc vel illegitimum, vel saltèm deterius esse, idque fortasse, quod Dioscoridi Phryama nuncupatur.

Syn. C.B. Bauh. pin. Succus inspissatus 1. Ammoniacum ut Cæs. Ammoniaci lachryma, Matth. Ammoniacum officinis & Gummi ammoniacum.

DE DAUCO VETERUM.
Cap. XXVIII.

Diosc. illustratur. Daucus, ut refert Dioscorides, ab aliis Dircæum vocatur [*δαῦκος· οἱ δὲ δίρκαιον καλοῦσι. Marcell. Trag. Corn. legunt δαύκειον, Dauci um.*] *Creticum.* At Creticum quidem foliis est Fœniculi similitudine, at minoribus atque tenuioribus [*λεπτότερα. Plin. legit λειότερα*] caule dodrantali, umbellâ Coriandri, floribus candidis: atque inter hos semine acri, albo, hirsuto, ac suavis in mandendo odoris [*ἐν τῷ διαμασᾶσθαι καὶ εὐώδες. cod. Basil. & Matth. verùm cat. legit εὐωδὲς ἐν τῷ μασᾶσθαι καὶ εὐώδες.*] Radix est digitali crassitudine, & dodrantis [*palmi Corn.*] altitudine. In saxosis apricisque locis provenit. *Daucus alter.* Alterum verò genus est Apio silvestri simile, aroma olens, acre, odoratum, ferventisque gustûs. Probatissimum est Creticum. *Tertium.* Tertium præterea genus est, floribus Coriandri, albis, capite & semine Anethi [*κεφαλὴν δ' ἔχει καὶ καρπὸν ὅμοια ἀνήθῳ. Matth. σπέρμα δὲ, κεφαλὴν ὥσπερ ἀνήθου*] umbellâ verò in capite ceu Pastinacæ [*σταφυλίνου*] semine refertâ oblongo [*ἐπιμήκει. hoc contra venit semine Anethi*] ceu Cumini, acri. *Vires in genere.* Omnium semen excalfaciendi vim habet. Potum menses, partus [*ἐμβρύων pro quo Plinius videtur legisse δεύτερα, quasi secundas Corn.*] & urinas pellit, torminibus liberat, veterémque tussim mitigat. Subvenit & à phalangio demorsis in vino potum, & impositum œdemata discutit. Seminis duntaxat ex aliis usus est: at ex Cretico & radicis, quippe quæ maximè contra venenatorum injuriam in vino bibatur.

Dauci genera, Plin. Dauci genera ita distinguit Plinius l. 25. c. 9. Dauci genera quatuor fecit Petronius Diodorus, quæ per-
1. sequi nihil attinet, quum sint differentiæ duæ. probatissima in Creta, mox in Achia, & in siccis ubicunque nata, Fœniculi similitudine, candidioribus foliis, & minoribus, hirsutisque: caule pedali recto, radice suavissimi gustûs & odoris. Hoc genus in sa-
2. xosis nascitur meridianis. Reliqua genera ubique nascuntur terrenis collibus, limitibusque, nec nisi pingui solo, foliis Coriandri, caule cubitali, capitibus rotundis, sæpè pluribus quàm ternis: radice lignosâ, & quum inaruerit supervacuâ: semen ejus Cymino simile, prioris Milio, album, acre, odoratum omnibus & fervens. Secundum priore vehementius est, ideóque parcè sumi debet. Si jam ma-
3. ximè tertium genus facere libeat, est simile staphylino, quod Pastinacam erraticam appellant, semine oblongo, radice dulci. Omnia hæc & Hyeme & Æstate sunt intacta quadrupedi, nisi post abortus. Ex aliis usus seminis, ex Cretico & radicis, & magis ad serpentes. Bibitur è vino drachmâ unâ. Datur & quadrupedibus percussis. Idem l. 26. c. 5. Daucum &
4. menses & secundas potum facillimè pellit. Et ante l. 19. c. 5. *Pastinaca gallica.* Est & quartum genus [*Pastinaca*] in eadem similitudine Pastinacæ, quam nostri Gallicam vocant. Græci verò Daucon: cujus genera etiam quatuor fecerunt.

Galenus. Et Galenus 2. de alimen. Daucum quosdam silvestrem Pastinacam dicere testatur. In simpl. verò censu a. c. Daucus quem aliqui Staphylinum vocant, silvestris esui minùs aptus est, quàm sativus, sed in omnibus vehementior. Sativus autem edi quidem potest, sed debilior est. Habent acrem & calidam vim, & propterea attenuantem. Hippocrates m. m. si in partu, aut ex partu uteri humores contingant, Dauci Æthiopici radicem ex vino albo, grati odoris, jejunæ præcipuè præscribit. & paulò post semen, ac mox etiam Daucum.

Dircæum malè. Dircæon apud Dioscoridem inter appellationes malè legi vult Marcellus, ideóque ex Nicandro in Theriac. Daucion emendandum. Fuisse præterea tradit etiam ex antiquis, qui Daucum scriberent, duóque ejus tantùm genera facerent, Creticum & Asiaticum: Dioscoridem tamen tria: Plutarchum verò plura. *Genera plura, Plutarcho.* Masculino genere & neutro Daucum dici.

Quia porrò non semper, quod Flaccus ait decies repetita placebunt. Sunt enim quæ iterum tantùm dicta fastidium afferunt, & si quam habuerunt gratiam amittant. Siquidem sumus hoc ingenio omnes, ut nihil unquam tam gratum, aut novum sit, ut non statim placere desinat, & exolevisse credatur. *Daucus idem cum Pastinaca silv. Galeno.* Et ob hanc causam plura hîc de Dauco non dicemus, siquidem non multò post in agresti Pastinaca tam longè tractetur ex Marcelli sententia, omnis ejus historia & ratio. Ex qua poterunt volentes quæ in Dauco exigi hîc poterant, novisse omnia. Neque enim congener, sed idem illi est, & nomine tantùm diversus, si Galeno credendum est. Cordus tamen à Dauco Pastinacam distinguit.

Pastinaca silv. Nunc verò quod dicendum restat, Dauci nomen plures sibi vendicant plantæ. Quales sunt: Pastinaca silvestris, Daucus vulgò dictus.

Carota. Carota secundùm aliquos est Daucus Theophr. l. 9. c. 15. & Daucus Staphylinus Gal. lib. simpl. 6.

Antriscus semine longo. Antriscus Dalechampij semine longo Cicutariæ, est Daucus sepiarius Gesn. de coll. stirp.

An Antrisco affinis sem. aspero & hispido. Daucoides majus Cordi in hist. l. 2. c. 141. sive Dauci genus asperiusculum Gesn. de coll. stirp. putamus esse eam plantam, cui titulum fecimus, An Antrisco affinis, semine aspero & hispido.

Caucalis. Caucalidem, teste Dioscoride, aliqui Daucum silvestrem vocant.

Lappula canaria. Daucus silvestris quorundam Dodonæi gall. l. 5. c. 49. ab ipsomet Caucalis dicitur, à nobis Lappula canaria flore magno.

An Lapp. canar. fl. minore. Daucus ἰχθύοκαρπος aut ξανθόκαρπος major Cordi & Thalij, an Lappula canaria flore minore.

Quis? Daucus similis Pastinacæ silvestri quis sit Matthiolo, videant lectores.

An Seseli. Dauco vulgari congener Seselios Peloponnensis nomine ex Italia Camerario hort. missa, perquam aromatico semine, foliis pulchrè virentibus, nitidissimus an est Seseli?

Qualis. Daucus λαπίχαυλος, cui Dauci angulosi Cordi notas plures congruere scribit Thalius, quis sit colligere nondum potuimus.

Visnaga. Dauci genus tertium Fuchsij in iconibus (qui eandem figuram habet cum Seseli Tragi) Visnagam existimo.

Qualis. Daucus tenuifolius Cordo in hist. l. 2. c. 35. (ubi annotatum, quærendum esse, an hæc sit Caucalis Matthioli, de quo dubito) qualis sit, ignoro.

Daucus Creticus. Quem Dauci Cretici titulo insignitæ cum aliis visum fuit, Daucum Cretensem verum Dioscoridis esse, plures conjiciunt.

Dauc. Tiburtinus. Est nobis Daucus quidam Tiburtinus, de quo seorsim dicturi sumus, & ejus folium ad Dauci Cretici radicem separatim pingimus.

Meum vulgare. Cùm Meo vulgari semen sit hirsutum, non est cur Daucum esse credamus.

Mutellina. Mutellinam esse Dauci aut Cari montani genus credidit Gesnerus.

Quid? Per Daucum montanum, quem quosdam nullà ratione Wolffswurtz (Lupi radicem) vocare refert quid intelligat Gesnerus in descr. mont. Fracti lib. de Lunariis, nos latet.

An Saxifr. media? Daucus Selinoides Cordi, an est Saxifragia media: nec est Saxifraga minor, ut voluit Gesnerus.

An Saxifr. minor? Daucus coriophyllus ejusdem Cordi, an est Saxifragia minor?

Quid? Daucum Cyanopum Cordi, existimat Gesn. esse Pimpinellæ Tragi tertiam & minimam speciem. Sed ejus opinio non approbanda videtur, imò res diligentiùs perpendenda proponitur. Nostra siquidem est opinio non esse Saxifragam hircinam minimam.

Quid? Optaremus ut aliquis Apollo nobis diceret, quænam sit planta Daucus coniophyllus Cordi in hist. l. 2. c. 124.

Quid? Tradit Gesn. de hort. in append. Dauci silvestris genus, quod quale sit, nobis non constat.

An Pastinaca silv. Daucus silvestris Galeni Anguillaræ, an Pastinaca silvestris germanica?

An Cicutariæ similis. Daucoides Cordi minus Thalio, an Cicutariæ similis?

An Cicut. latifolia. Daucoides minor Cordi Lobelio, an Cicutaria latifolia?

Cic. fatua. Dauci inutilis genus in arvis foliis Coriandri Gesn. hort. est Cicutaria fatua.

An Apium petræum. Daucus angulosi caulis Cord. hist. l. 1. c. 53. an Apium petræum quoddam?

Levisticum. Dauci secunda species fortassis est Levisticus vulgaris secundùm Manardum, & Fuchsium.

Libanotis Theophr. Dod. Dauci Dioscoridis alterum genus Fuchsij in hist. inscribimus Libanotidem Theoph. Dod.

Libanotis altera Dod. Dauci Dioscoridis tertium genus Fuchsii, est Libanotis altera Dodonæi.

Silaum quorundam. Dauci speciem, Daucum asininum quibusdam Cordi, vocamus Silaum quorundam.

... um silv. Dod. Daucus quidam palustris Gesneri, videtur respondere Apio silvestri Dodonæi, sive Thysselino quorundam cum lacteo succo.

An Carvifolia magna. Dauci tertia species Tragi (quam sibi nondum cognitam ait) an Carvifolia magna?

Hippuris. Apud Plinium l. 26. c. 7. Caucon de Anabasi legitur, quam Hermol. coroll. 657. in aliquot codicibus Daucum vocari scribit, ac Hippurin significari.

Ciminum. Dauci semine deficiente, Tract. qui pro quo, Ciminum accipit.

DAVCVS CRETICVS SEmine hirsuto.

Descr. DODRANTALI aut altiore est caule, tereti, striato, hirsuto: umbella mediocris magnitudinis summo caule ramisque extremis insidet florum exiguorum, candidorum, pedicellis canescentibus, hirsutisque hærentium. semen longum, incanum, villosum, acre, aromaticum: folia lanuginosa, cinerea, minutissimè dissecta, sæpè mihi etiam penitùs glabra visa, atrovirentia: radix longa, digitali crassitudine, terram versus comata, sapore Pastinacæ germanicæ. *Icones.* Fuchsiana figura, quia minùs bona erat, ideò aliam ex ep. Camerarij parandam curavimus, cui nos folium in inferiore parte adjecimus Dauci Tyburtini.

Daucum Matth. Daucum vocat Matthiolus in prior. com. legitimúmque facit, eúmque ex Creta tantùm adferri existimavit, ac ait *Δαῦκον* Græcis, ut etiam Daucum Latinis appellari: Mauritanis *Ducu, Gezar* seu *Cuezar*:





It. *Dauco*: Ger. Beerwurtz: Hisp. *Dauco Cretico*: Gall. *Carote sauuage*. In post. com. cum mag. fig. lat. c. 79. *Ital.* c. 78. eadem nomina habet, sed Daucum primum inscribit. In hist. ger. cum addit. Camer. Daucum inscribit (& sic etiam in epit.) ac silvestris Pastinacæ genus (ein Geschlecht der wilden Pestinachen) constituit, vocatq; Bohem. Daywortz/ aut Olessnyk & Capihnyczdo. Cæterùm, is olim non describebat. In hist. germ. & epit. descriptio concinnata potissimùm ex Dioscoridis delineatione. Figuram in post. comm. mutavit nonnihil. Nomen germanicum Beerwurtz / & gallicum *Carote sauvage* non assumendum pro Dauco. Suspicor auté Daucum Matthiolo nō bene perspectum fuisse & cognitum, quicquid ejus patrocinatores statuāt de Matthioli Dauco, quasi sit pictura exotici Dauci, & diversi à Dauco Cretico nostrarum Alpium.

Camer. Sic námque ait ad hist. Matthioli Camerarius. Habē, officina Dauci Cretici nomine semen, cujus figuram exhibeo, ũt discrimen appareat, inter Matthioli figuram & hanc, quæ provenit in Sabaudicis montibus, non tamen differt à Cretico, nisi quòd minùs acre semen sit, nec ita efficax. In epit. p. 536. dicit. Ad Daucum hunc facultates refer, quas Matthiolus suo adscribit, nam figurâ non differt à Cretico, qui ad nos afferri solet, viribus tantùm eo paullò inferior. In horto nominat Daucum Cretensem vulgarem.

Matthiolum tax. at Turn. Porrò, Matthiolus etsi de tribus loquatur generibus Dauci, unius tamen solummodo figuram proponit, quæ an primi, an secundi, an tertij Dauci sit, non is dicat. Non differt tamen a primi descriptione, inquit Turnerus, si odorem, saporem aliásque Dauci vires habeat. Quòd si Italicum sui Dauci nomen perstitisset, faciliùs in ejus cognitionem licuisset pervenire, verúmne an falsus esset Daucus judicare. Ego quidem Daucum primum non memini me videre.

Daucus Cretensis, Lob. De Dauco Cretensi vero Dioscoridis (vt vocat in adv. p. 323. & Icon. p. 722.) hæc prodidit Lobelius. Vt naturæ sic appellationis cum Caucalide videtur particeps Daucus, quem etiam *ἀγριάδιον* vocatum, *Agrialium.* à seminis in umbella quasi furfureas verruculas & aspergines ostentantis effigie, a qua & viribus communis

munis nomenclatura fuit, diverso alioqui folio à Daucis est: nam quod primum designat Creticum vocatum Dioscoridi, à Selinoide non parum differt, nec tamen id sola Creta fert, quippe germanicæ Alpes non modò, sed etiam Genuensium colles, & Genevensium circa Iuram rupes, hoc Cretico abundant, unde Lugdunum atque alia ad emporia hodie venum defertur eóq; pluris emitur etiam Venetiis, quia ad Theriacam & similia antidota efficacius est, quovis alio congenere Dauco, cujus folia exilia, inter Fœniculum & Carottam media sunt, umbellis candidis, paribus Anethi: copiosum semen, oblongum, ut Cumini, sed lanugine albidum, gustu acre, odorum, & cujus usus potissimùm est: usui etiam radix, quæ Pastinaca minor, gustu fervidiore & odoratior. Huic, quò minus sit Creticum, si quid deest, Solum, Cœlúmve erit. Sanè effigie nihil, viribus autem perparum abest. Quo tempore Senensis commentabatur in Dioscoridem in Patavino vireto unam aut alteram plantam alebat, unde ille habuit, quod opinionem illi faciebat, non nisi in Creta oriri. Hæc Lobel. qui in Obs. p. 416. Daucum Creticum vocat, ut & Pona in Baldo, Calzolar. Gesn. h. & ap.

Daucus Creticus, Cæs. Sed & Cæs. l. 7. c. 15. Daucum Creticum nominat. Semen est, inquit, ex Creta nuper allatum, longius & angustius Fœniculo, candicans, lanuginosum, acre, odoratum: sed ejus plantam adhuc videre non licuit. Describit autem Dioscorides in hunc modum. Daucum aliqui Daucium vocant. Ac Creticum quidem est foliis Fœniculi, &c. Plinius de eodem inquit, probatissimum in Creta, &c. Hoc genus apud nos in collibus saxosis nascitur, herba Fœniculo simillima, brevior, candida: ramis in latera tendentibus: flore candido: semine farcto, brevi, vulgo Fendesaxum vocant: utuntur pro Saxifraga. Hæc Cæsalp. quem non intelligimus. Si Plinius cum Dioscoride de eodem Cretico intelligendus, de quo ipse, cur novam posuit descriptionem, quâ vulgare Fendisaxum describitur: nec demonstratur qua in re *Fendisaxum.* differat ejus semen à Cretico, vel an sit planè simile. considerandum an per Fendisaxum intelligat Daucum Creticum cognominatum licèt apud nos proveniat semine non minùs lanuginoso vel hirsuto, quàm ejus quod in Creta crevit.

Lugd. p. 716. Daucus primus Matthioli. Clus. pan. p. 700. Daucus Creticus, cinerei coloris folio, & viribus cum eo, qui in Creta insula provenit, proculdubio conferendus. Cast. *Sauker*, Daucum, Berwurtz germ. *Carotes sauvages* gall. Figura Castoris non placet quamvis fortè verum Daucum intelligat. nomen gallicum & germanicum non convenit.

Roeslin censura. Ignarus homo Euch. Roeslin nescit quid scribat, confundens diversas plantas, wild Moren / Daucum silvestrem & Daucum Creticum. Icon repræsentat Carotam, quæ ante pro Baucia domestica exhibebatur.

Tab. Daucus Creticus, Candisch Morenkumel / *Dau* [illegible] *Arab.* [illegible] Glossographo Avicennæ *Algósarel*, cæteris *Gezar*. Lat. Daucus, Daucum, & Daucium, (cujus semen Arab. *Beser Algósarel*) Ital. *Dauco* & Hisp. Gallis verò *Panet sauvage*. Bohem. Daywerec & Czapy [illegible] / Belg. Croonfeno cruyt / Germ. Mohrenkumel. Daucus Creticus dicitur Serap. lib. de temp. simp. c. 254. *Carrit. n.*

Synon. C. B. Bauh. phyt. & pin. Daucus 1. sive foliis Fœniculi tenuissimis: Daucum 1. Matth. Lugd. Daucum Creticum vocatum. Daucus, Lac. Creticus, Cast. descr. Gesn. & Tab. Daucus Cretensis verus Diosc. Adv. Lob. ic. & Ger. Eid. Bauh. phyt. Daucus 2. montanus [*multifido longóque folio addit in pin.*] umbellâ candidâ: Daucus Cret. Gesn. h. Cam. apud Matth. & hort. Clus. pan. non solùm in Baldo, sed & alpibus Helvetiorum collectus. Daucum montanum, Cæs. Eid. apud Matth. Daucus 1. sive folio Fœniculi: Daucum 1. Matthioli, Lugd. Dauc. Creticus, Cast. Tab. Cæs. Daucus Cretensis verus Dioscoridis, Lob. Item; Daucus 2. sive Dioscoridis, quem Lobel. id Adv. non solùm ex Creta legitimum adferri, sed & Alpes Germaniæ eo abundare statuit, ideóque placuit Dauci hujus figuram à Camerario propositam adjicere, quam Daucum montanum umbellâ candida nomino, & Daucum secundum Dioscoridis censeo esse; Daucus Creticus Gesn. & Clusij, Daucus montanus Cæsalpini. Cur Daucum Creticum Matthioli & Lobelij frater Bauh. separet à Gesneri & Clusij Dauco Cretico, rationem non habet, siquidem discrimen non ostendit. Fecit sanè hoc contra mentem Lobelij, id quod ex ejus verbis ante recitatis constat. Variant quidem aliquantulum: nam qui in Baldo, foliis est brevioribus compactioribusque: qui verò in Helvetiorum alpibus & monte Wasserfall / longioribus & rarioribus: & hujus Gesn. in ab. meminit, quem cum eo in Baldo eundem, aut certè similem, & earundem virium scribit.

Daucus Creticus Montbelgardi in horto E. C. à me plantatus semen maturum produxit, quod decidens prodiit, sequenti anno: satus etiam sequenti anno provenit. Copiosè in monte Salone, & aliis Genevæ vicinis, ubi in horto virebat Februario & Martio, florebat Majo, semen habebat Iunio. Ibi Rizotomus quidā vocabat *Re à l'our* & *Patenasle sauvage*, quod interpretor Radicem ursi & Pastinacam silvestrem. In præruptis item montium altissimorum rupibus ad Meridiem vergētibus propter S. Vrsinum semine maturo Iulio, & in vicinis montis rupibus Sainct Bre vulgò vocant, evulsimus tam glabro, quàm hirsuto folio, Majo florētem & jam tum semina satis magna ferentem. Reperi in monte Wasserfall in descensu versus Balstat / & prius in monte Rhætiæ Braulio florentem Iunio, ubi degustatā radice, videbatur mihi odor & sapor Pastinacę germanicæ. In mōtibus Vicentinis hic Daucus plurimus provenit. In Baldo plures legerunt. In Durrenstain frequens, autore Clusio, & Etschero ubi inter saxa, tenui Solo aspersa, nascitur, ut difficulter ejus integra radix erui possit. Si Tabernomontano credimus, in Italia abundat in monte S. Angeli, Gargano & aliis pluribus. Quæ Lobelius de loco prodidit, vide ante. In montis Iuræ altissimis illis rupibus occurrit, quibus in monte Ducatu Neocomensi Falcones nomen imposuerunt, & illis, qui Bernatum ditioni subjacent, & suchée cognominantur. *Locus cum tempore.*

DAUCUS TIBURTINUS quibusdam.


STUTGARDIÆ in horto Ducis VVirtembergici D. Schvvartz demonstravit herbam umbelliferam parvam, nomine Dauci Tiburtini, tenuibus foliis, ut Daucus Creticus. Tossanus Carolus pharm. Burgundus misit semen dicti Dauci, quod hirsutum erat, ut Dauci Cretici, sed tenuius mihi videbatur. Hoc satum Montbelgardi in horto E. C. non provenit.

Figuram folij Dauci hujus Tiburtini exhibemus cum Dauco Cretico, quod separatum pingi curavimus in inferiore iconis parte.

DAUCUS TERTIUS FOLIO Coriandri flore luteo.

DAucus tertius, folia Coriandri, sed minora & crassa aliquantulum profert, caulem sesquicubitalis longitudinis, flores luteos in umbellis ut *Descr:*

Ane-



Anethum, semenq; Cumini. Vere manduntur radices & folia, quæ aromatici gustûs sunt. Vulgò appellant *κορώνοποδι*, quod Cornicis pedem significat, ut Bellus ex Creta ad Clusium in epist. scripsit.

Synon. Dauci hujus tertij Belli iconem exhibemus ex Ponæ Baldo. B.pin. Daucus 12. sive Creticus nodosus umbella lutea: Daucus 3. Creticus Belli, Ponæ & ep.1. ad Clusium.

DAUCUS PETRÆUS GLAUCIFOLIUS.

Descr. RAdix capillata ex defluxis recentibus foliis sapore accedit ad Staphylinum sive Carotam, cum aliqua acrimonia: folia profert tenuiter divisa, sed rariùs glabra, colore glauco, è mediocriter brevibus pediculis pendentia: caulis unicus ut plurimum, pedalis ac etiam cubitalis, tenuis per quem plerumque tria parva folia, pediculo caulem amplectentia, ramosus interdum (præsertim si planta sit minus novella) in tres ramulos divisus, in quorum extremitatibus umbellæ parvæ flosculorum alborum, quos subsequitur semen parvum, per maturitatem rubrum, ad Ammi vulgare accedens, aromaticum, cum aliqua acrimonia.

Provenit locis siccis & petrosis, ut in comitatu Montbelgardensi la Roche Bavam ad Dubim qua itur Isle, abundans semine maturo Septembri & Octobri.

DAUCUS ΛΑΣΙΟΚΑΥΛΟΣ Thalij.

Descr. RAdice nititur candidâ, palmari, quandóque pedali, unicâ deorsum descendente, nonnunquam in duas tresve partes æqualiter crassas obliquè divulsâ, minùs crassâ parvo digito, odore Apij sativi, ac sapore etiam, sed fervidiore, diutius linguæ inhærente. Caulem depromit cubitalem & majorem, quandoque bicubitalem, infimâ parte ferè digiti crassitie, geniculatum, nonnihil teretem, sed plurimis striis evidentioribus angulosum, pilosum valdè. Folia ad singula genicula latâ alâ caulem ambiunt, quæ deinde in pediculum carinatum, oblongum, pedalem in inferioribus foliis diducitur, asperum & pilosum: cui in anteriore sui parte ad latera bini semper ex æquo sibi correspondentes, alij breviores pediculi, in brachiorum modum & ipsi canaliculati appenduntur, folia continentes, sicut & reliqua principalis pediculi pars, flavescentia ut plurimùm ex viridi, in ambitu profundè incisa, simili modo quo folia Carotæ nostræ sativæ dividuntur, sed in latiores tamen aliquanto particulas: suntque hæc attactu quidem mollia, hispida tamen leniter, præsertim in dorso ac ambitu. Porrò intra singulas foliorum alas adnata nova emergunt, hispida, & ipsa geniculis intercepta, juxta quæ genicula latiori alâ brachiolum amplexante pediculi canaliculati, prioribus similes, sed breviores prodeunt, foliis consimilibus præditi, sed quæ subinde etiam breviora fiunt, quo magis in plantæ cacumen devergunt. Præterea etiam ex qualibet alâ fermè foliorum tam caulis, quàm brachiorum, folliculus protuberans emergit involucro obtectus oblongo, ex quo demum sicuti & in caulis summo eodem modo prorumpit cauliculus, sex oblongis ac imbricatis foliolis constans, quibus diductis fasciculus exeritur plurimorum petiolorum, leniter striatorum ac pilosorum, agminatim caliculo inhærentium, quorum singuli expandunt parvam, & convexam umbellam, candidam aut flaventem quandoque, leviter odoratam: sequuntur quemlibet flosculum bina semina, sibi invicem cohærentia, subrotundiora in ambitu, aliàs verò alterâ parte lata, echinata, fulva, similia Carotarum seminibus.

Dauci angulosi Cordi [*An Apium petræum quodam*] notæ plures huc congruunt, sed non omnes. Folia profundiùs usque ad pediculum dissecantur, in ambitu tamen serraturam nullam habent, nisi dentatas paucas impressiones. Deinde Cordus procul dubio non prætermisisset, ejus evidentissimam pilositatem caulis, cùm aliàs singula diligenti industriâ prosequatur. Præterea caulis licèt sit striatus, tamen non circa radicem triquetram figuram ostendit. Demum nihil villorum circa radicis caput ex amissis foliis obtinet. Sed hæc omnia potiùs (ut & aliæ Dauco anguloso attributæ notæ) in Libanotide amara reperiuntur, quam tamen seorsim Cordus alicubi descripsit, in libello cui titulus fuit, *Liber VI.* quem ipsius Cordi *αὐτόγραφον* olim apud Æmilium vidi, qui nondum editus est, licèt quædam capita inde desumpta quatuor stirpium libris sint inserta. Tamen non dubito nostram Daucum (inquit Thalius) Cordo fuisse cognitissimam. *An Daucum angulosum, Cordo hist.* *Libanotis amara Cordo.*

Locus. Nascitur maxima ex parte in ericetis, locis apricis, præsertim in montibus circa Gerenrodam: imò etiam Stolbergæ in monte urbi proximo ad dextram ante portam Septentrionalem fürm Kaltenthal. item in loco pratensi Harcyniæ dicto auff der Langen.

Quis Daucus hic Thalij sit, hactenus divinari nondum possumus, ideóque natalium ejus incolas, aut saltem qui hujus cognitionem habent, rogatos volumus, ut de eo nos moneant. *Daucum Selinoides Cordi.*

Quia Daucum suum Thalius cognitum affirmat Cordo, non autem pronunciat quo nomine, ideò si Ioanni Schwab credunt lectores, Daucum hunc Thalij, Daucum selinoidem Cordi judicabunt, de quo mox.

B. pin. Pastinaca 3. sylv. hirsuta echinato fructu: Daucus *λασιόκαυλος*, i. e. hirsuto caule, Thal. an Daucus angulosus, Cord. hist.

DAUCUS TENUIFOLIUS Cordi.

Descr. DAucus tenuifolius primo anno, quo è semine prodit, folia tantùm profert, silvestri Pastinacæ similia, multò tamen minora, glabra & per terram strata. Sequenti po[st]ea anno caulem erigit pede proceriorem, teretem & foliis circa genicula præcinctum singulis, iis quæ circa terram sunt minoribus, umbellam in summo caule Æstate unam atque alteram fert, minimis, candidisque flosculis plenam: quibus singula succedunt duplicia semina ante maturitatem superiùs rubentia, sativo Petroselino æqualia. Radice nititur annua admodum gracili & subflavâ, quæ gustu aliquantulum acris est. folia silvestri Pastinacæ similem saporem habent. semen verò fervore cæteras partes vincit.

Nasci-

Locus. Nascitur asperis, apricis & editis locis, pluri mùmque quà ex Hildesheimia Hanoveram itur, unius milliaris germanici spacio Hildesheymia.

An Caucalis Matth. Gesneri opinione Caucalis Matthioli fuerit, Daucus hic tenuifolius Cordi. Nobis verò inclinat animus esse Daucum nostrum petræum glaucifolium, judicium tamen esto penes alios.

DAVCVS SELINOIDES Cordi.

Descr. FOlia à radicis capite emittit utrinque à pediculis exeuntia, Apio similia, paulò tamen oblongiora, nec ita splendida & glabra, sed aliquantulum rugosa, ambitu incisa, & per terram sparsa: è quorum medio caulis assurgit cubitalis, gracilis, striatus & geniculatus, singulis foliis geniculatim vestitus, prioribus multò tenuiùs incisis. habet adnata & ramulos aliquot caulis, in quorum summitate parvæ sunt umbellæ, Æstate candidis flosculis plenæ: quibus succedunt exigua, oblonga & in fusco rubentia semina, singulisque flosculis bina, & sibi invicem conjuncta. Radice nititur duorum plerumque dodrantum longitudine, minimo digito paulò graciliore, terete, colore candidâ, & perenni.

Nascitur campestribus lutosisque locis, ac pratis. Radix gustu acris & fervida est, quæ si diutiùs (cùm recens adhuc est) attrectetur, manúsque ad os & nares ferantur, eas partes quibus admotæ sunt manus, leniter exulcerat, idem efficit decoctæ vapor & halitus, insuper etiam capitis gravedinem, attractoriâ vi, quam efficacem habet, facit. odorem spirat similiter acrem. semen utraque facultate radici respondet.

Daucum hunc Selinoidem Cordi putat Gesnerus esse Saxifragam minorem, Pimpinellæ similem [*Saxifragam hircinam, Pimpinellam minorem*] cujus iconem dedit ex Trago. Nos contra Saxifragiam mediam conjectamur. Ioannes Schwab tamen asserit esse Daucum λευκόχυλον Thalij, quem autores incognitum sibi fatentur. Et certè descriptio respondere deprehenditur, licèt Thalius de gustu & facultate radicis sui Dauci talia non prodiderit.

DAVCVS CORIOPHYLLVS Cordi.

FOlia circa radicis caput profert, partim Coriandro, partimque Pastinacæ similia, per terram strata, à quorum medio caulis exit pedalis, aut nonnunquam cubitalis, gracilis, teres, solidus, geniculatus, subtilibus striis sulcatus, & in purpura (cum in consistentia est) rubens umbellis, flosculis, eorumque colore & semine, Dauco Cyanopo [*de hoc mox dicendum*] similis existit. Radicem habet pedis, aut nonnunquam duorum dodrantum longitudine, Selinoide graciliorem, teretem, candidam, & perennem. Sapore & odore exulcerante. acrimonia tota herba Selinoidi Dauco respondet.

Nascitur ubique in cultis campis, & secus vias. Solo qualicunque.

Si conjectura nostra non fallat, erit Daucus hic coriophyllus Cordi, Saxifragia minor.

DAVCVS CYANOPVS CORDI.

FOliis, caulibus, umbellis earúmque colore, seminibúsque Selinoidi similis est, preterquàm quòd caulis brevior & magis teres sit, & vix evidentibus striis sulcetur: lanugine etiam tam caulis, quàm folia tenui brevique vestiuntur. Radice nititur perenni, paulò minore, quàm Selinoides Daucus, foris nigra & aliquantulum tuberosa, intus autem candida, quæ præcisa aut abrupta omninò cæruleum liquorem remittit. Sapore & odore Daucum Selinoidem æmulatur, sed paullò imbecillior existit.

Nascitur asperis, arenosis, sabulosis & aliquantulum editis locis, congestisque arenâ tumulis, & aggeribus, plurimùsque VVirtembergæ.

Daucum hunc Cyanopum Cordi, existimat Gesnerus esse Pimpinellæ (meliùs, si vis, Saxifragæ) tertiam & minimam speciem. Nos autem hanc opinionem non recipimus. nec descriptiones respondere videntur. Daucum verò Cyanopum cognominat à cæruleo radicis liquore prædicto (Dauco Selinoide) similem, sed minorem.

DAVCVS CONIOPHYLLOS foliis Cicutæ, Cordi.

DAucus Coniophyllus caulem habet Dauco Selinoidi similem, folia verò in brachiatis utrinque pediculis producit in latitudinem explicita, & Cicutæ modo in tenues partes incisa. adnata caulis à geniculis emittit longa, in cacumine lacisculas umbellas candidis flosculis ferentia: quibus semina succedunt Selinoidi similia. Radice nititur candidâ, Coniophyllo Dauco æquali, aut nonnunquam majori & perenni. facultatibus Selinoidi respondet.

Nascitur umbrosis, herbosis atque editis locis, descriptore Cordo authore, Solo pingui.

Optaremus, ceu ante quoque diximus, ut nobis aliquis Apollo diceret, quænam sit hæc Daucus Coniophyllos Cordi.

DE PASTINACA, SIVE STAPHYLINO veterum, silvestri & sativa, quæ etiam Daucus quibusdam Græcis dicitur.

CAP. XXIX.

PAstinaca silvestris [σταφυλῖνος ἄγριος] folia habet Gingidio similia, at latiora & subamara [... *nec, pro quo vet.* ..., *male. Sarrac.*] caulem rectum, scabrum, umbellam similem Anethi, in qua flores insunt candidi, ac in medio exiguum quiddam, colore purpureo & ferè ad croceum inclinante. Radix est digiti crassitudine, dodrantalis, odorata, & si decoquatur, esculenta. Hujus semen potum, subditúmve [... *vet. Sarac.*] menses ciet. Convenit & ægrè mejentibus, hydropicis, atque pleuriticis, in potione: nec non & venenatarum bestiarum morsibus ictibúsque prodest. Sed & aiunt, qui illud præsumpserint ab illis minimè lædi. Conceptum quoque adjuvat. Radix autem quæ & ipsa urinas pellit, venerem præterea stimulat, & partus appositа ejicit. Folia verò trita & cum melle imposita phagedænica ulcera repurgant. Hortensis verò Pastinaca [ὁ ἥμερος σταφυλῖνος] cibo aptior ad eadem pollet, attamen viribus inefficacior. Cæterùm, Pastinacam silvestrem inter nothas appellationes, sunt qui Ceras, qui Comen [*κηρασκόμην, Cerascomen legit Sarrac.*] vocent. Romani Carotam, vel Pastinacam rusticam [*erraticam, Marcell.*] Ægypti Babibyron, Aphri Sicham. — Diosc. & ejus illustratur.

Theophr. Theophrastus (juxta opinionem Cæsalpini) Pastinacam sativam Daucum vocavit, quam Theodorus simpliciter Pastinacam vertit: inquit enim, in Arcadia nasci colore croci [κρόκινον] specie Lauri [δαφνοειδές] Ita namque Cæsalpinus quoque legendum monet.

monet. Et sanè verbum δαυκοειδὲς postponendum erat, ut herbam propriam significaret, nec conditio foret Pastinacæ, quæ enim Lauri similitudo esse potest in ullo genere Dauci aut Pastinacæ? nisi Pastinacam germanicam intelligat; latifolia enim est, ut particulæ quandam Lauri speciem habeant. Scribit præterea Theophr. in agro Pratensi præstantiorem cæteris nasci; huic vim calfactoriam esse; radicem nigram. Et alibi l.9.c.22. Pastinacam in agro Spartensi Achajæ laudatissimam referri, natura calfactoriam, radicem nigram. Quibus verbis insinuat illud genus, quod sanguinei coloris est, inquit Cæsalpinus. niger enim appellari solet hujusmodi color, ut uva nigra & vinum nigrum.

Athenæus. Diphilus apud Athenæum l. 19. Pastinacam esse tradit acrem, satis alere, mediocriter juvare stomachum, alvum pellere, inflare, ægrè coqui, ciere lotium, satis ad venerem stimulare, ideòque à nonnullis *Philtron.* Philtron vocari. Numenius etiam in Piscatorio silvestrem Pastinacam nominat. Sed & Nicander in Georgicis Pastinacæ in arido solo radicem figentis meminit, Staphylini sc. agrestis, in asperis locis frequentis. Phanias lib.5.de plant.de Staphylino ita scribit: Ejus plantæ quam Pastinacam vocant, semen aiunt [*hunc locum Dalechampius ait valdè corruptum, sed in quibus non ostendit*] contra sepas esse utile. Primo verò libro: seminis exortum Petaso similem, & instar umbellæ Anisi. Staphylinum Diocles lib.1. *Astaphylinum* de tuenda valetud. etiam Astaphylinum nominat, eum nimirum, quem Caroton [*alij Cod. legunt Carton, alij Caron. nos, inquit Dalechampius, adhuc Carotes*] *Carton. Caron. Carotes.* vocant (magna est ea, procera, sativáque Pastinaca) succi melioris, quàm silvestris, quæ magis calfacit, & pellit urinas: stomacho sativa grata est, ac facilè digeritur [*εὐκατέργαστος ἐστι. Dalech.*] ut Diphilus asserit. Et hæc apud Athen. de Pastinaca leguntur.

Plinius. Ex iis [*quæ lignosiora sunt reliquis in hortensis nascentibus in cartilaginum genere, à nobis, ait l. 19.c.5. Plinius, positis, quibusque, quod mirum, vehementia saporis inest*] Pa- *Pastinaca agrestis. Staphylinos Sativa.* stinacæ unum genus agreste spontè provenit, Staphylinos græcè dicitur. Alterum seritur radice, vel semine, primo Vere, vel Autumno, ut Hygino placet Februario, Augusto, Septembri, Octobri, solo quàm altissimè refosso. Annicula utilis esse incipit, bima utilior, gratior Autumno, patinisque maximè. & sic quoque virus [*vis, M.*] illi intractabile est. Hi- *Hibiscum.* biscum à Pastinaca gracilitate distat, damnatum in cibis: sed medicinæ utile. Est & quartum genus, in *Quartum genus. Pastin. gallica,* eadem similitudine Pastinacę quam nostri Gallicam vocant. Græci verò Daucon, cujus genera etiam quatuor fecêre. Seritur autem & Pastinaca utroque tempore, Vere & Autumno magnis seminum intervallis, non minùs quàm ternorum pedum, quoniam *Pastin. major.* spatiosè fruticat. Nervus autem Pastinacæ majori, at duntaxat anniculæ, idem [*cum Silere*] longitudine inest, qui decoctis extrahitur; amaritudinis tamen magna parte relicta: quæ mulso in cibis temperata, etiam in gratiam vertitur. Idem l.20.c.4. Pastinacæ simile Hibiscum [*Pastinacam pratensem vocat, l.21.c.15. verius oblectamentum, quàm cibum*] quod Molochen agriam vocant, & aliqui Pistolochiam, hulceribus cartilaginis, & ossibus fractis medetur. Folia ejus ex aqua pota alvum solvunt, serpentes abigunt. Apum, vesparum, crabronum ictibus illita medentur. Radicem ejus ante solis ortum erutam involvunt lana coloris, quem nativum [*is aut niger est, aut fuscus, φαιὸς, Dalech.*] vocant, præterea ovis, quæ fœminam peperit, strumisque vel suppuratis alligant. Quidam ad hunc usum auro effodiendam censent, cavendúmque ne terram attingat. Celsus & podagris, quæ sine tumore sunt, radicem ejus ex vino decoctam imponi jubet. His addit eadem libri. Alterum genus est Staphylinos, quod Pastinacam erraticam vocant. Ejus semen contritum, & in vino potum, tumentem alvum, & suffocationes mulierum, doloréque lenit, in tantum ut vulvas corrigat, illitum quoque è passo ventri earum prosit: viris verò prodest, cum panis portione æqua tritum, ex vino potum contra ventris dolores. Pellit & urinam, & phagedænas ulcerum sistit, recens cum melle impositum, vel aridum farina inspersum. Radicem ejus Dieuches contra jocinoris ac lienis, ilium, lumborum & renum vitia, ex aquamulsa dari jubet. Cleophantus & dysentericis [*dysentericis jet*] veteribus. Philistio in lacte coquit, & ad stranguriam dat radicis uncias quatuor: ex aqua hydropicis similiter & opisthotonicis, & pleuriticis, & comitialibus. Habentes eam, feriri a serpentibus negantur, aut qui ante gustaverint, non lædi. Percussis imponitur cum axungia. Folia contra cruditates manduntur. Orpheus amatorium inesse Staphylino dixit, fortassis quoniam venerem stimulari hoc cibo certum est: ideò conceptus juvare aliqui prodiderunt. Ad reliqua & sativa pollet. Efficacior tamen silvestris, magisque in petrosis nata. Semen sativæ quoque contra scorpionum ictus ex vino, aut posca, salutare est. Radice ejus circumscalpti dentes, dolore liberantur. Et hæc Plinius.

Galenus. Galenus simpl.6. inquit. Daucus, quem quidam Staphylinum nuncupant, agrestis quidem domestico minùs est esui idoneus, cæterùm, in omnibus vehementior: at domesticus esui aptior, sed imbecillior: acrem & calefaciendi facultatem obtinet, ac proinde etiam extenuandi. Certè radix præter jam comprehensa, flatuosum quiddam habet, ac venereum. Semen autem domestici quidem & ipsum quandam ad venerem ciendi potentiam possidet. Agrestis verò planè flatu caret, quod ἄφυσον vocant, ac proinde urinam mensésque ciet. Idem 8. simpl. Staphylinus sativus imbecillior, agrestis ad omnia potentior est. Urinas mensésque provocat cùm herba quidem tota, tum maximè semen ac radix. Habet porrò etiam abstersorium in se quippiam: quamobrem ulcera phagadænica quidam foliis ejus viridibus cum melle, quo pura reddant, illinunt.

Sationis tempus. Plinium à Columella nonnulla mutuasse, ex Columellæ verbis patet. Potest, inquit, duobus seri temporibus Pastinaca, Autumno nimirum & Vere. Autumno circa calendas Septembris, vel meliùs Vere ante calendas Martias, Februario. Locis verò siccis, aut tepidis, qualia sunt Calabria, & Apuliæ maritima, potest circa Idus Januarij terræ committi. Convalescit altè pastinato & stercorato loco, sed quàm rarissimè ponenda, ut majora capiat incrementa.

Si liceret in plantis, quod in Republica fit aliquando, mutato nomine legentes fallere, exiguus in Pastinaca labor modò nobis esset, inquit Marcellus, nec præteritam à peritioribus Pastinacam à *Daucus.* Dauco secerneremus: siquidem Pastinaca eodem cum Dauco nomine gaudet. Sed cogunt diversæ gentium in plantis appellationes, ob diversas quidem vires, neque easdem penitùs notas, earum discrimina, quæ alioquin unum idémque sunt nominibus, tradere, dubitaréque quid Dauco cum Pastinaca idem nomen apud antiquos fecerit, & an sit Staphylinon (quam Romani Pastinacam dicunt, *Staphylinon sativum & silvestre.* cujúsque duplex genus sativum scil. & agreste: rursúsque agrestis multiplex potiùs divisio quàm genus) agreste, eadem cum Dauco, an alterius generis herba? Sciendum igitur illud est, Staphylinum à Græcis simpliciter Pastinacam dici olus, & oleris notissimam & quotidiani usus radicem, nullaque adjecta nota alia sativam semper intelligi: sic Columella canit:

Staphylinus. *Lætitiam, molliumque finem Staphylinus inumbret:*

Seren-

Serenda enim in hortis tunc numerabat. Idem L.10.c.4. Tunc agrestis Pastinaca & ejusdem nominis edomita, quam Græci Staphylinum vocant: edomitam sativam intelligens: silvestrem verò addito silvestris discrimine, appellant σταφυλῖνον ἄγριον, Pastinacam silvestrem, intelliguntque eam, quæ locis incultis nascitur, ac sativæ pariter frondeat & floreat, sed minore radice & magis fibratâ. Agrestem Staphylinum Galenus vocari tradit. Testisque est Paulus 6. simpl. Sed manifestiùs 1.cap. de his, quæ edendo radices habent, in quo cùm plures alias numerasset radices, σταφυλίνου καὶ δαύκου ait: q.e. Staphylini autem & Dauci, sativam & silvestrem Pastinacam intelligens. Plinius præterea & ipse congenerum duarum radicum discrimina apertè indicavit. Nec dubitandum cuipiam est, quin Staphylinus Græcis & Pastinaca Latinis simpliciter dicta, in hortis consitam non significet, longiorem, crassiorem, nec fibris capillamentisve tot quot silvestris in terra hærentem: Daucus verò illis; nobis agrestis Pastinaca, silvestrem illam significet in arvis, pratis, & incultis locis per se nascentem, cujus radix per Hiemem satis grata in cibis etiam fit. Estur enim cruda in acetariis, sed cocta suaviùs respondet & sapit. Superest modò ut dicamus (si sativa tantùm & agrestis Pastinaca sit: illáque simpliciter Pastinaca, hæc Daucus quondam, aut silvestris Pastinaca dicta fuerit) cur duobus capitibus diversis locis, primúmque sub titulo agrestis Pastinacæ; mox sub Dauci voce de eadem planta Dioscorides egerit: sed quòd variante in diversis gentibus earum herbarum natales & vires natura testari in medicina seorsum id oportebat. Plura enim Daucorum genera numeravit antiquitas, non genere, sed natali solo diversa, indicavitque id Plinius. Ex cujus verbis conjicere facilè est, quondam in græcis non omnem silvestrem Pastinacam, Daucon vocatum fuisse, id quod & Theophrastus indicavit. Ex quo absurdum fuerit bis de eadem planta diversis nominibus actum fuisse. Primùm ut quas habet in Medicina vires agrestis omnis Pastinaca, ubique nascens indicaretur: mox Dauci appellatione Creticâ, ut ille in Dauco ait, & certis locis doceretur: cujus propriæ vires propriam sibi etiam historiam exigerent. Potuit & illud in causa esse, quòd quo tempore hic medicinam suam commentabatur Dauci appellatio non omnibus silvestribus Pastinacis respondebat, sed Creticæ tantùm. Quos enim nos testes citavimus Galenum & Paulum, cùm ostenderem paulò ante, eundem illis esse Daucum & silvestrem Staphylinum, Dioscoridi posteriores fuerunt, & quod certæ rei ante eos æstimationem habuerat, mutatâ, ut cæteris humanis rebus fit, vocis fortunâ aliud significare potuit. Quotidie enim fieri videmus, quod Flaccus ait, perire multas, renasci multas subinde voces, si velit usus;

Quem penes arbitrium ius est & norma loquendi.

Nobis, ut tam multa colligamus, pro comperto est, agrestem Staphylinum & Daucum Græcis eandem radicem ex multo tempore esse, & à Latinis erraticam Pastinacam vocari: & in Dioscoride non damnandam ejusdem plantæ duplicem historiam. Factum enim id est, vel ob diversas vires & notas quas Cretensis, & in Achaia nascens Daucus haberet, ob quas à communi Staphylino hac voce separavit: vel in quam partem nos propensiores trahimur, quum Dauci vox antiquiore illâ ætate privatim inter silvestres Staphylinos aliquam indicans à posterioribus ob similitudinem ad totum eorum genus translata fuerit, pertinétq; eo quod Plinius ait, Est & quartum genus in eadem similitudine Pastinacæ nascens, quam nostri Gallicam vocant, Græci verò Daucon. Ex his enim ratiocinari licet Daucum similem Pastinacæ erraticæ esse non eundem, & à Romanis nomine gentis distingui, quemadmodum in Græcis à Staphylino agresti alio nomine distinguebatur. Hunc sive silvestrem Staphylinum, siue Daucon appellet aliquis hic κέρας, cornu vocari ait, quod & Græcorum Lexica testantur, in quibus legitur: σταφυλῖνος ἄγριος ὃν ἔνιοι κέρας καλοῦσι. credimusque nos quod paulò antè dictū est, à cornu formâ & longitudine sic dictum à Græcis fuisse, potuit tamen & aliâ ratione sic vocari à fibrata & capillata radice, quam habet. κέρας enim ut testatur Plutarchus in libello, cui titulus est, Vt orbi in terrestribus, sc. an aquatilibus maior prudentia sit, antiquis Græcis τρίχα, i.e. capillum significabat. Cujus significationis indiciū est κείρεσθαι verbum, quod tōdere est, & κουρά nomen, i.e. tonsura: & qui apud Archilochū κεροπλάστης legebatur, ὁ περὶ κόμην καλλωπιστής, i.e. qui in ornanda coma occupatur. Quæ sententia melior & probanda magis videtur Marcello (cuius verba hactenus recitavimus) ob id quod statim sequitur. Sunt qui & comam Staphylinum agrestem, ob candē sc. causam vocent. Adrian. Turnebo porrò Pastinaca herba videtur nomen ex eo invenisse, quod pastinum referat, & tanquam habeat. Est autem antiquis, ut Columella refert, Pastinum ferramentum bifurcum, plantandis malleolis aptum: unde repastinatæ vineæ veteres dictæ, quæ refodiebantur.

Pastinacæ nomine sequentes gaudent plantæ, quantum quidem hactenus intelligere potuimus.

Pastinaca silvestris, sive Staphylinos Græcorum, de quo jam jam dicemus.

Pastinacæ sativæ & Staphylini sativi, dicuntur Carotæ albæ, luteæ, rubræ & nigræ.

Pastinaca Syriaca, sive Secacul Arabum quibusdam, genus Rapunculorum.

Pastinaca sativa Germanica, quibusdam Staphylinus, Pastinaca, quam quidam Sisarum sativum censent.

Pastinaca & Staphylinos quibusdam, quam nos Pastinacam Germanicam silvestrem dicimus, quibusdam Elaphoboscum.

Fallitur Oliverius de Serres in Theat. agric. concludens Betam rapaceam esse speciem Pastinacæ sive Carotæ. Est potius Betæ species.

Tragus l. 3. c. 152. loquens de Carvi, ait Æginetam l. 1. & Athenæum, Pastinacam majorem vocasse.

Pastinacæ silvestris genus dici potest Dacus. Et licet Galenus clarissimè ostendat Daucum non esse Pastinacam sibi, tamen se declarat aliis Pastinacam agrestem appellari.

Pastinaca nigra silvestris Cordi & Ligustrum Matthioli, Gesn. hort. Silaum à nobis vocatur.

Pastinacæ genus radice nigrâ in Pratensi agro Theophrasti Trago, inscribitur à nobis Peucedanum.

Matthiolo in epist. ad Cortusum Visnaga nihil aliud repræsentare videtur, quàm domesticæ Pastinacæ speciem.

Pastinaca marina vulgo vocatur, quæ Matthiolo Crithmum secundum spinosum.

Plinius, authore Cæsalpino, Pastinacæ nomen tribuit Hibisco, in genere Malvæ.

Sisarum, à Trago lib. 2. c. 146. nominatur Pastinaca exigua. Item lib. 2. c. 60. Pastinaca minor.

Laver quam Pastinacam aquaticam fecit Lobel. in Advers. Sion odoratum dicimus.

Considerent lectores an Cordus in Diosc. lib. 3. c. 85. item lib. 4. c. 83. per Pastinacam Gallicam Plinu

Marginal notes: *Pastinaca simpliciter.* — *Daucus est agrestis Pastinaca.* — *Staphylinus agrestis est Daucus.* — *Daucus non est Pastinaca erratica.* — *Cornu.* — *Pastinaca unde dicta.* — *Æquivoca.* — *Pastin. silv.* — *Pastinaca sativa.* — *Past. Syriaca.* — *Pastin. sativa germ.* — *Pastin. sil. germanica.* — *Betæ species.* — *Carvi.* — *Daucus.* — *Silaum.* — *Peucedanum.* — *Visnaga.* — *Pastinaca marina.* — *Althæa.* — *Sisarum.* — *Sion odoratum.* — *Saxifragia major.*

intelligat Saxifragiam majorem, ut nobis fit verisimile.

Brancam ursinam, quam Pastinacæ genus credidi. Tragus, Spondylium inscribimus.

PASTINACA SYLVESTRIS, sive Staphylinus Græcorum.



Descr.

IN promptu est sylvestris Pastinacæ ex sativa dicenda faciem novisse: radix minor, acrior: caules altitudine pares, sesquicubitales, striati, hirsuti, in alas divisi: folia minutim dissecta, similiter, atrovirentia, hirsuta: flores in umbella consimiles, candidi; at flosculus umbellæ medius purpurâ rubet: delapsis floribus succedũt semina brevia, striata, hirsuta: tum verò convoluta umbella, cavitatem ceu aviculę nidulum in medio deformat.

Baucia secundùm Monachos. Pastinacæ sylvestris in pluribus locis meminerunt Monachi in Mesuem. Et primò quidem dist. 1. cens. 11. his verbis. Baucia licèt nonnullis variè exponatur, secundùm tamen Dioscoridem, Serapionem & quamplurimos authores, imò secundùm veritatem, est Pastinaca sylvestris. Est etiam Carvi agreste, *Carvi agreste.* sive silvestre: quoniam tria hæc sc. Baucia, Pastinaca silvestris, & Carvi agreste, sunt unum & idem. Et cens. 41 Non desunt, & præcipuè recentiorum, qui Bauciam & Daucum, unum & idem esse affirmant. Etenim Serapio de eis separatum capitula facit, & Bauciam inter plantas calidas in secundo, Daucum verò inter calidas & siccas in tertio scribit: ergo non sunt idem. Dioscorides quidem sub nomine Bauciæ caput non habet, sed sub nomine Staphylini, sive Pastinacæ erraticæ, quod idem est. Vt patet concordando caput Serapionis de Baucia, cum capitulo præfato Dioscoridis de Staphylino. Et infra ipse Dioscorides habet cap. de Dauco, quod concordat cum capitulo de Dauco Serapionis. Marcellus autem super capitulum Dioscoridis de Pastinaca erratica multa dixit: ultimatè conclusit idem esse Daucum & Pastinacam erraticam: & quod Dioscorides non à diversitate rerum, sed à varietate locorum & virium varia de eis scripsit capitula. Nos autem salvâ semper veritate, sicut de eis Dioscorides, Plinius, Serapio, & alij fide digni authores diversa faciunt capitula: ita credimus & absque dubio tenemus res esse differentes. Præterea non desunt qui dicunt, quod *Daucum nõ est semen Bauciæ.* Daucus sit semen Bauciæ, quod non ita esse, facilè probatur per Avicennam in 5. canone, videlicet in descriptione, quæ intitulatur, Ars Scoriæ decoctæ: & est prima descriptio, in qua habet semen Bauciæ, & semen Dauci immediatè unum post alterum. Si autem Daucus est semen Bauciæ, ad quid iterum posuit semen Dauci? Nunquid reperitur semen de semine? Vt possit stare Daucus pro semine Bauciæ: & semen Dauci pro semine seminis Bauciæ? Non obstante, quod ipse Avicenna in descriptionibus suis de Dauco, & Baucia seipsum confundat. Sed nota, quòd Avicenna scribit caput Bauciæ, in litera g. sub nomine Gezar, quod quidem Luminare majus minimè animadvertit: quia in Diacurcuma magna, declarans Daucum, asserit capitulum Bauciæ, Avicennæ non reperiri. Insuper autem multa fuissent tanquam necessaria interserenda, pro tot diversitatibus opinionum doctorum de Dauco, & Baucia declarandis: sed ut ne lectionis prolixitate legentis animus fastidiatur, curiosis lectoribus omnia perscrutanda relinquimus. Hoc tamen non prætereundum existimamus. Quia cùm sint plures Dauci & Bauciæ species, & inter se Daucus & Baucia sive Pastinaca parùm differant: non pro multo inconvenienti tenemus, administrari alterum pro altero. Sed quia Daucus Creticus est cæteris laudabilior, si potest haberi, apponatur tam pro Dauco, quàm pro Baucia. Apud nos quidem tres tantùm species Bauciæ, seu Pastinacæ, id est, Staphylini reperiuntur: duæ sylvestres & vna domestica Carota nuncupata: *Pastinacæ species tres.* sylvestrium autem una elevatur in cubitalem altitudinem, & aliquando plus vel minùs, secundùm loca, quæ in medio umbellæ floridæ & albæ habet aliquid parùm cærulei, seu violacei coloris. Quam equidem speciem, pro Baucia, sive Pastinaca erratica, sive Carvi agreste, recipimus: quia Dioscoridis descriptio & aliorum de Pastinaca erratica, & descriptio Serapionis, & cæterorum de Baucia, magis conveniunt huic, quàm alteri, Dauco scilicet Cretico. Hucusque Monachi, qui Bauciam, Pastinacam sylvestrem & Carvi agreste unum & idem esse statuunt. Ab iis quoque reprehenditur Marcellus, quòd Daucum & Pastina- *Marcellus reprehenditur.* cam erraticam esse concludat, idque firmis ostendunt argumentis, ea scilicet inter se differre. Notant præterea Avicennam quòd ea confundat. Sed etiam ab iis taxatur Luminare Majus, quòd caput Bauciæ apud Avicennam non reperiri dixerit, cùm tamen id ab eo nomine Gezar describatur. Plura tamen satis obscura hic ab iis scripta sunt, quæ diligentiùs consideranda. Si quis caput Serapionis de Iezar, sive Baucia conferat cum Pastinacæ silvestris capite Dioscoridis, inveniet unam eandémque esse plantam, ut etiam meritò asserunt Monachi, qui ante dist. 1. cens. 8. in hæc verba prorumpunt. Secundùm Halabbatem, qui (si non est additio interpretis) asserit absolutè *Been.* Been esse Pastinacam sylvestrem, potest poni ipsa Pastinaca silvestris. Ait enim in 2. Practicæ, 43. Been quoque duæ sunt species, est enim rubeum & album & est Pastinaca silvestris, &c.

An Gorn. in Diosc. hanc Pastinacam silvestrem, per Siser silvestre, quod Germanos wilde *Siser silv.* Mören appellare ait, intelligit. Item alibi, per Dauci semen, officinis natum, quod Germanis *Daucus.* Veld Mören & Vogelneste/ Avium nidos, vocare refert.

Error quorundam secundùm Matthiolum. De Pastinaca erratica, sive Pastinaca silvestri (ut vocat) hæc scribit Matthiolus. Falluntur qui Dauci loco, agrestis Pastinacæ semen accipiunt, illius scilicet, in cujus florentis umbellæ medio exiguum quid purpurei emicat. Aliud enim est, à Pastinaca erratica Daucus. Nam licèt tam ex Dioscoridis, quàm Galeni sententia, Daucus à silvestri Pastinaca parùm, vel potiùs nihil viribus differat, ob idque alterum alterius vice in medicinæ usu capi possit: non tamen rectè dici potest, Daucum erraticam esse Pastinacam. Eadem ferè repetit Matth. dicto lib. 3. in Dioscor. cap. 69. his verbis. Tametsi nonnulli inveniantur, qui Daucum ab erratica Pastina-

[illegible]naca, nihil prorsus differre contendant, affirmantes, hoc idem sensisse Galenum, & post ipsum Paulum; ij tamen manifestè falli deprehenduntur. Nam etsi rectè dici possit, Daucum esse sylvestris Pastinacæ genus; non ob id tamen illa fuerit unquam sylvestris Pastinaca, cujus meminit Dioscorides. Quandoquidem si unam & eandem plantam esse Daucum, & agrestem Pastinacam credidisset Dioscorides, de iis sanè seorsum non disseruisset, neque alterum ab altera propriis capitibus disjunxisset. Cæterùm, cùm non desint, quibus videatur Galenus inter has plantas nullam facere differentiam, videndum est, an ita se res habeat. Mihi quidem inter eas discrimen fieri voluisse Galenum, illud maximum argumentum est, quòd Dioscoridem secutus, & ipse varias utrisque tribuerit vires, easque diversis locis descripserit. Dauci siquidem lib. 6. Pastinacæ verò lib. 8. simpl. mentionem fecit. Hinc itaque fit ut apertè conjiciam, Galenum inter illa discrimen novisse: atque eos decipi, qui in hoc Marcellum & Ruellium secuti, contrarium asserunt. Quorum præterea sententiam, ipsius Galeni testimonio, facilè explodi posse putaverim, nec solùm quòd diversis capitibus utriusque vires speciatim tractaverit; sed quia lib. 6. simpl. Daucum non esse Pastinacam clarissimè ostendit, cùm inquit. Daucus, quem quidam Staphylinum nominant, agrestis quidem domestico minus est esui idoneus. In quibus sanè verbis Galenus perspicuè satis declarare videtur, Daucum non sibi, sed aliis Pastinacam agrestem appellari.

Cam. cit. Lon. l. 5. c. 303. hujus meminit nomine Staphylini & Pastinacæ silvestris & erraticæ: verùm illam confundit cum Pastinaca Germanica silvestri, sive Elaphobosco Matthioli.

Daucum tertium, Dod. gall. Dodonæus gall. hanc describit & depingit, pro Dauci tertio genere (sc. Dioscoridis) *Carotte sauvage*, quam ait officinis Daucum appellari, aliis etiam Daucum Creticum. Lat. in fol. vocat Pastinacam silvestrem tenuifoliam, aitque officinas pro Dauco habere, ejúsque loco nec malè, nec infeliciter uti. Nam & Galenum suo tempore pro Dauco habitum fuisse testari; & Dauci à Theophrasto dicti silvestre genus esse. *Dod. tan.* Sed mirari subit, Dodonæum hanc in hist. gall. secundâ vice describere & depingere sub titulo Stapylini silvestris, ubi vocari ait prætereà, Pastinacam rusticam, Carotam, Babyron & Sicha.

Tragus. Trag. l. 1. c. 147. pro Staphylino 2. sive sylvestri describit: cap. autem præcedenti 146. hujus figuram nomine Pastinacæ exhibet. De Staphylino autem silvestri ait. Galenus & Ægineta, necnon Averrhoes Daucum erraticum seu sylvestre Pastinacæ genus esse dixerunt. Dioscorides sentit Pastinacam erraticam & Daucum unius & ejusdem esse generis. Sylvestre verò Staphylini genus Cerasomen, Latinis Rusticam Pastinacam, aliquibus Carotam, Ægyptiis Babyron, Aphris Sticham vocitari tradit. Theophrasto Brassica sylvestris, Apuleio verò Ceras, & Vdonaution, aut ut aliis legendum videtur, Daucion dicitur; Averrhoi Halgazar, quibusdam Banciam, & cùm condita fuerit, Algingibel appellatur.

Pastin. erratica, Fuchs. Fuchs. hist. Pastinacam erraticam appellat, quam Staphylinum Græcis propriè nominari ait, In Icon. Pastinacam erraticam magnam.

Pastin. silv. Lob. Lob. adv. p. 317. Pastinaca silvestris tota similis est Carotis, seu Dauco, cui Galeni Pastinacam silvestrem succedaneam faciunt, etiamnum Pharmacopœi. *Daucum usitatius officinarum.* Idem rursus de Baucia vocat Dioscoridis Pastinacam sylvestrem Pharmacopœorum, quam pro Dauco substituant ex Galeno. Item p. 323. Vsitatius Daucum officinarum inter Caryotam & Pastinacam silvestrem [*officinarum sc.*] radice lignosiore & minore quàm Carotæ; cui multum similis, caule cubitali, foliis latioribus, hirsutis, Coriandrinis, ad Bauciam accedentibus: umbellis albidis & semine. Miramur dicere Lobelium hoc loco folia habere Coriandrina, ad Bauciam accedentia, cùm ei Baucia sit Pastinaca Germanica silvestris sive Elaphoboscum. In Obs. p. 416. vocat Pastinacam Dioscoridis, Carottam silvestrem vulgi, Daucum officinarum & Siser Lacunæ. p. 417. num Carota silvestris, sive Daucus officinarum, sit Dioscoridis Pastinaca silvestris, quærit. In Icon. p. 722. genuinam silvestrem Pastinacam Dioscoridis esse affirmare deprehenditur.

Pastriccianum vulgo, Cæs. Staphylini silvestris, quem vulgo Pastriccianum vocari scribit, plures extare differentias, ait Cæs. l. 7. c. 21. sed magnitudinis tantùm & parvitatis: id autem quod maximum est, Daucum marinum vocari: hujus seminibus officinas pro Dauco uti: Dioscoridem huic folia assignare Gingidij: Plinium Pastinacam erraticam vocare: Galenum verò de aliment. Daucum.

Dorsth. Lob. Ham. Theod. Dorsth. pro Dauco silvestri habet iconem Carotæ sativæ, quod non placet. Tabern. nominat Pastinacam erraticam. Clus. pan. & hist. Daucum vulgarem, quem ait in Pannonia in officinarum usu esse. Castor. & Cam. epit. & hist. Pastinacam silvestrem. Lugd. p. 717. Vsitatiorem Daucum officinarum Galliæ, Germaniæ, & Italiæ: Pastinacam silvestrem Dioscoridis, sive Carotam silvestrem vulgi. Item p. 720. Pastinacam silvestrem Matthioli. una eademque planta.

Synon. Bauh. Bauh. phyt. & pin. dicitur Pastinaca 1. (2. apud Matth.) tenuifolia silvestris Dioscoridis vel Daucus officinarum: Daucus agrestis Gal. de alim. Dauci tertium genus, Dod. gal. Thal. Pastinaca erratica, Plin. Fuchs. Cord. in Diosc. Tab. Staphylinus silv. Trag. Dod. gall. Cæs. Pastinaca sylv. Matth. Lac. Lon. Cast. & Lugd. sylv. tenuifolia, Dodon. Ger. Pastinaca 2. Turn. 4. Plinij, Cam. Differt magnitudine & parvitate: sic & ratione umbellæ in cujus medio aliquando macula purpurea, subnigrave, aliquando crocea: foliis etiam, aliquantum latioribus, in altera multò tenuioribus: quare Thalius illam Daucum 3. Dodonæi, hanc verò Daucum 3. tenuifolium nominat.

Nomina linguar. Σταφυλῖνος ἄγριος, Pastinaca silvestris, sive Staphylinos Græcorum, Germ. Wild Pasteney / Vogelnest / Belg. Vogelnest / Croonkens cruyt / wilde Pastenaken aut Carote. Gall. *Pastenade sauvage.* Ital. *Pastinaca salvatica.* Hispan. *Canahoria salvage.* Angl. Wild Carot. Boh. Plane Pastrnak.

Locus cum tempore. Passim in Pannonia. Frequens etiam in Italiæ arvis etiam in gracili solo & saxoso. Pastinacam sive Staphylinum silvestrem observavi Basileæ florentem Iunio & adhuc Octobri, qua itur Muttes, & ad montem prope Krenzach, & ad ripam Birsæ inter urbem. Monspelij, Genevæ & Montbelgardi, etiam in horto F. C. sponte.

Morbus comitialis puerorum. Pastinaca sive Staphylinus silvestris in media sua umbella profert rubentem flosculum, qui si maturuerit, & scrupuli unius pondere pueris morbo comitiali laborantibus exhibeatur, nullum magis præsentaneum adversus epilepsiam remedium esse dicit egregius Botanicus Arnoldus Gillenius ex authoritate Medici Germani, qui Staphylinon silvestre distinguebat in marem & fœminam, quam aiebat esse, quæ flore rubente careat. *Vino adduntur semina ut citius inebriet.* Vt porrò vinum citiùs & fortiùs inebriet, Pastinacæ silvestris semina quidam in potum addunt. Radices diutiùs elixæ more Carotarum in patinis hiemali tantùm cibo parantur.

PASTINACÆ SATIVÆ, SIVE CArotæ, rubræ, luteæ & albæ.

Descr.

PASTINACA SATIVA 1. Fuchsij.



PASTINACA SATIVA altera Fuchsij.



Icones.

PASTINACÆ SATIVÆ melior effigies.



SI caulescere permittitur Pastinaca, Carota dicta, caulem erigit duorum aut trium cubitorum, hirsutum, striatum, concavum, ramosum, ad cujus divaricationes folia dodrantalia, in alas veluti divisa, singulas quadam Apij cæsura dissectas, hirsutas, odore & sapore suavi satis. flores in umbellis [illegible]tiusculis, pusilli, subrubentes. radicis potissimùm cura, quæ pedem longa, crassa, friabilis, lutea, aut rubra, succulenta, sapore dulci, aromatico.

Fuchs. hist. c. 264. Staphylinon sive Pastinacā sativam duorum generum dicit. Vnum quod vulgò Carotam, Germ. zam Pastenney & Rot Rüben vocat; alterum verò Geel Rüben/ quosdam inter Rapa cōnumerare refert. Duas figuras habet, quas & nos [illegible]dem quā ipse inscriptione exhibemus, quamvis posterior nostra sufficere valuisset.

Corn. in Diosc. geelet Mören & Carioten gallicā, non latinā voce cum Germanis appellat, eāmq; Pastinacam gallicam Plinium dixisse scribit.

Daucus Theophr.

Theophrasti Daucum esse Pastinacam nostram sativam ita concludit Turn[illegible]erus. Daucus apud Dioscoridem trium est generum, apud Plinium quatuor. Galenus, Paulus & Aëtius duo tantùm faciunt. Theophrastus ex versione Gazæ tria videtur facere, quæ radicis tantùm colore distinguit. Simeon Sethi duo facit genera, colore radicis, duntaxat differentia. Videntur Theophr. & Sethus per Daucum intelligere Carotam. palam enim est, duo ut minimùm Carotæ genera, pro Daucis accipi, videlicet nigrum & flavum. Gregorius Giraldus Simeonis Sethi interpres, Daucion vertit Pastinacam, i.e. Carotam. Gaza quoque Theophrasti Daucium transfert Pastinacam. Galenus, quem sequitur Paulus, ait Daucum vocari quibusdam Staphylinum. Aëtius non solùm ait Daucum dici Staphylinum; verùm etiam de Staphylino scribens, inquit vocari Daucum. Licèt autem omnes hi tres duobus distinctis capitibus de Daucō & Staphylino agant, easdem tamen utrique facultates tribuunt. Etsi ergo diversæ essent plantæ Daucus & Staphylinus (quod non nego quin sint) tamen cùm viribus conveniant, non potest illorum error esse magnus, qui alterum pro altero sumunt, præsertim cùm scribat Aëtius Daucum dici Staphylinum & econtra. Extra dubium est autem, Theophrasti & Sethi Daucum esse nostram Carotam, utcunque Dioscorides Daucum & Staphylinum distinguat.

Daucus triplex, Diosc. — *Carota.* — *Pastinaca.* — *Staphylinum.* — *Daucus Theophr. & Sethi est Carota.*

Matth. in Diosc. l. 2. c. 107. Siseris (primi scil.) titulo figuram habet Carotæ. Verùm ut dicetur cap. de Pastinaca germanica confundit cum ea Carotas, quod ex post. comm. apparet, cùm ait. Ego superiori tempore (in prior. comm.) scripseram Siser in Italia non seri; tametsi in Germania, Rheni præsertim fluminis accolæ suis in hortis Sisera frequentissima habeant, quæ & serant & colant. Ideóque Moguntiæ venalia abundè reperiri, à Tincao agro illuc allatam: Siser folio esse Olusatri, &c. Verùm mea scripta post comperi fallax ac Siser quod faciebam, esse Germanorum geel Rüben & Mören intellexi. Monachos etiam in Mesuem redarguendos duco, qui Carum semen esse rubentis illius radicis, quæ vulgò Carota vocatur. Hæc ille, qui lib. 3. cap. 52. picturam exhibet Carotæ, ac dicit: Ruellius manifesto errore putavit Carotas nobis vulgò dictas, sativas esse Pastinacas. Meminit autem Matthiol. tantùm russarum, licèt in post. commen. describat utramque sanguineam sive russam & luteam, ubi (licèt ante reprehendat Ruellium) nihilominus ait: quantum possum judicare Carotæ sunt species Pastinacæ. Quidam novi simplicistæ volunt Carotas rubras esse rubrum Been Arabum, albas album: verùm iis assentiri non possum, cùm non respondeant descriptiones Avicennæ & Serapionis. Hist. german. lib. 2. cap. 33. Mören aut Gelbe Rüben / Siser 1. quo, autore Plinio, Tiberius delectabatur. Græcis σίσαρον, Arab. *Culcas*, Ital. *Sisaro*, Hisp. *Chirivias*, Gall. *Cheruy*, Bohem. Mrkew. Item cap. 34. Carota. In epit. p. 227. Siser alterum; Ital. *Carota bianca*; German. Gierlin / sive Girgeslin: Hispan. *Chirivias*; Gall. *Cheruy*, sive *Girles*, aut *Carottes blanches*: radice napi effigiem repræsentante, colore albicante, aut subflavescente. Tametsi autem sub Siseris alterius nomine posita sit hæc planta, nihil tamen (secundùm appendicem inibi positam) cum legitimo Sisere habet cognationis. Item p. 400. Carota. Ital. *Carota & Carota la*. German. Roth & weiß Möhren / radice rubra & alba. Mirè omnia miscet Matthiolus. nomina confusa inter cætera monstrant Matthiolum vix scivisse quid scriberet de Sisere.

Matth. error. — *Pastinacæ species.* — *Been non est contra Anguill.*

Lacuna lib. 2. cap. 105. figuram habet Matthioli pro Sisere, quem primum facit, ac Plinij existimat, quo Tiberius utebatur, cui tribuit radices amaricantes cum nervo. Is ad imitationem Matthioli con-

Lacuna imitatur Matthiolum.

confundit Pastinacam germanicam cum Carota, nec agnoscit, quam pingit ex Matthiolo, Carotam esse. Libro verò 3. c.55. Staphylino sativo quatuor tribuit colores, ac quatuor constituit species. Quarum tres primæ à Trago enarrantur, alba sc. rubra, & crocea. quartam ait foris nigram, intus sanguineam. Miror eum inter figuras retinuisse Matthioli figuram Pastinacæ sativæ ac omisisse Carotarum effigiem.

Trag. l.1.c.147. de Staphylino egit hunc in modum. *Staphylini Columella, Trag.* Staphylinorum fecit mentionem Colum. l.11.c.3. licèt ignorem, utrùm eo loco intellexerit Pastinacam [*germanicam intelligit Trag.*] an verò ea raporum genera, quæ nunc commemorabo. *Rapi genera. Tria Staphylini genera.* Triplici autem colore distinguuntur hæ rapitiæ radices, aliæ enim crocei fiunt coloris, aliæ candidi, aliæ postremò purpurei. Galenus & Ægineta, necnon Averrhoes Staphylinum, sativam Pastinacam dixerunt. Quia autem Dioscorides scribit Pastinacam habere asperum caulem, umbellam Anethi, & in medio florum purpureum quiddam: & hæc in tribus Staphylinis nostris (quos Germani, Gele Rüben/ Rothe Rüben & Weisse Rüben vocitant) omnia appareant, maximè verò posterius, quod omnes fateri necesse est, manifestum esse puto, nihil cum Daucis, quibus nullæ ex prædictis notis insunt, Pastinacæ esse commune, sed has plantas juxta Dioscoridem Pastinacas, seu Staphylinos hortenses appellari, quarum mentio facta apud Plin. l.19.c.5. cùm scribit Pastinacæ quatuor esse genera, tertium ex his Hibiscum, quartum verò Gallicanam Pastinacam, Græcis Daucion. Iac. Manlius existimat luteum Staphylinum, qui *Chariota. Lezar.* Germ. Geel Rüben dicitur eam esse, quæ Chariota & Lezar. & à Lombardis *Guisso* nuncupatur. Platina candidam & rubram Staphylinum Cariotam vocat. Libro autem 2. c. 60. hæc habet Tragus. Sunt qui per Siser luteam Pastinacam sativam intelligant, & credo Plinium Pastinacæ jam dictæ mentionem fecisse, cùm scribit Siser Tiberium omnibus annis à *Error in Trago.* Germania flagitasse. Hæc ille, apud quem notandum in hist. germ. lib.1.c.147. pro Rohte Rüben/ Pastinacâ sativâ rubrâ malè positam esse figuram Betæ, radice rubrâ, errore Typographi.

Gesnero Carotæ genera. Pastinacæ vulgo Carotæ dictæ, tria genera reperiri tradit Gesn. hort. radicibus scil. luteis, purpureis, & albis: Carton vocabulum accedere ad vocabulum Cariotæ vulgaris, esséque Pastinacam magnam, ac fortè Pastinacam vulgo dictam, à Carotis diversam. De coll. stirp. vocat Pastinacam.

Anguill. Anguillara ait Pastinacas sativas à sylvestribus tantùm cultu differre, quia illic omnia majora sint; Nicandrum eas Daucum vocasse, item Theophrastum l.9.c.22. [*ubi sanè Daucus nihil aliud est, quàm Carota*] item Dioclem de Salubribus.

Dodon. Dodonæus existimat Pastinacam rubram & croceam esse Daucum Galeni lib.6. simpl. Cujus etiam *Been.* opinionis est Anguillara, qui Been album & rubrum Galeni Daucum existimat. Dodonæus quidem in hist. gall. describit & depingit, duas figuras Fuchsij assumens. σταφυλῖνος ἥμερος Pastinaca sativa: Neotericis, inquit, Staphylinus luteus, germ. zam Pasteney/ zam Pastinachen/ & geel Rüben/ gall. *Pastinade jaulne*, Belg. Geel Peen/ Pooten/ & Geel Wortelen. Secunda species etiam Staphylinus sativus, & Staphylinus niger dicitur, gall. *Pastenade rouge*, Germ. Roth Pasteney/ Belg. Caroten. Hæ duæ Pastinacæ videntur Theophrasti Daucus l.9. cap.15. & Gal. lib.9. simpl. δαῦκος σταφυλῖνος, i.e. Daucus Pastinaca. Lat. in fol. duas icones Lobelij assumit & describit, his titulis: Pastinaca tenuifolia sativa. 2. Pastinaca sativa rubens. Est verò hæc propriè à Græcis σταφυλῖνος dicta. Hujus autem sativum genus σταφυλῖνος ἥμερος, Latinis Pastinaca sativa dicitur. Theophrastus autem lib.9. stirp. hunc Staphylinum Daucon nominat, & apud Arcades nasci refert: ac in Spartensi Achaiæ laudatissimam, radicemque ait *ὠχρὰν*, i.e. luteam esse: exemplaria quædam *μέλαιναν* legunt, quod de altera specie veritatem habet. Galenus de simpl. Daucum quoque facit, sed tamen non simpliciter Daucum, sed composito nomine Daucum Pastinacam appellat. Nos autem hanc Pastinacam tenuifoliam, ad differentiam alterius latioris & candidæ radicis vocavimus. Priorem autem harum Germani zam Pestenacken/ & geel Rüben appellant. Brabanti geel Peen/ geel Pooten/ geel Wortelen. Gall. *Pastinade jaulne*. It. *Pastinaca*. Hisp. *Canahoria, Pastinagues, & Cenouras.* Alteram vulgo Carotam vocant. Iacob. Manlius Caryotam, & Pastinacæ, cujus radix citrina est, speciem facit. Veteres autem Caryotam inter Palmæ fructus numerant. Carota autem hæc Pastinaca dicitur, à germanica voce gar roth/ quod est, in totum rubens: quæ non modò ad Brabantos, verùm & ad Italos, Gallósque vox pervenit. *Carota unde dicta.*

Lonic. l.5.c.303. hanc depingit & describit, non distinguens ritè à Pastinaca Germanica sativa. vocat Staphylinon & Pastinacam: meminit albæ, rubræ, & luteæ. *Lonic. not.*

Euch. Roësl. his nominibus Moren/ Murolen/ Murelen/ Besenaw/ zam Morehlen/ Baucia domestica pingit p. 55. iconem Carotæ seu Staphylini sativi, quam postea p.80. repetit pro Dauco silvestri & Dauco Cretico, wild Moren. *Roësl. chaos*

Lob. Adv. de Pastinacis, sive Carotis hæc scriptis mandavit. Fecit similitudinis cognatio, quæ Daucis cum Carotis intercedit, ut Theophrastus hanc Daucum nigrum censuerit. Est tamen duplicis à colore radicis differentiæ Carotta: isthæc namque flavet, altera purpureum atrum remittit succum: mediæ videntur inter Daucum & Pastinacam naturæ: utrique congeneres: neutra tamen dici possunt. *Daucus niger Theophrasti, Carotta utrumque Lobel.* His qui Behen album & rubrum augurantur, suo ex Lobelio respondetur loco. Istis nomenclatura indita fuisse videtur, ab illa, quam cum Carvi similitudine & cognatione sortitæ sunt. In Obs. p.416. Pastinaca sativa Dioscoridis, Daucus Theophrasti (ita etiam in Icon. vocatur p.723.) Geel Rüben & geel zam Pastiney/ Belg. geel Peen & geel Wortelen/ Gall. *Pastinades & Carottes jaulnes.* Item p.417. (in Ic. p.722.) Pastinaca sativa atrorubens: Daucus niger Theophrasti, Belg. absolutè Caroten/ Gall & Gallo-Belgis *Pastinades & Carotes rouges*, Germ. Rot Rüben & Pesteney.

Cæsalp. Carota vulgò in Etruria appellatur radix Pastinacæ similis, colore sanguineo intus & extra. itémque & Buxei coloris: foliis prælongis, crassiùs divisis, quàm Fœniculi, tenuiùs quàm Cicutæ, subhirsutis: caule cubitali: umbellis clausis, vasculi modo: flore candido: semine parvo, ut Anethi, hirsuto, subamaro. hæc ab antiquis non describitur, quia fortè illis, ut nobis, notissima erat inter olera. puto autem apud Græcos Staphylinum sativum esse, sic appellatum à colore uvæ nigrantis. De hoc inquit Dioscorides easdem vires habere, quàm Staphylinum silvestrem, sed minùs efficaces, & cibo aptiorem esse. Plinius Pastinacam vocat, quod Græci Staphylinum. Theophrastus hanc ut puto Daucum vocavit, quam Theodorus Pastinacam vertit, colore Croci in Arcadia, in Agro Pratensi, ut & alibi in agro Spartensi, radice nigrâ. *Cæsalp.*

Lugd. p.722. Carota vulgaris. Item: Carota Matthioli altera. Sufficiebat una figura: color, in quo Carota rubra & lutea differunt, sculpturâ non potest demonstrari. Castori dicitur Carota. *Lugd.*

Bauhin. phyt. Pastinaca 2. sive tenuifolia sa- *Syn C B.*

tiva radice luteâ. Item: Pastinaca 3. sive tenuifol. sat. radice albâ. Et: Pastin. 4. sive tenuifol. sat. radice atro-rubente. Eid. pin. Pastinaca 5. tenuifolia sativa radice lutea, vel alba. Staphylin. sativus & Daucus domesticus, Galeno. Staphylinus 1. & 2. Trag. luteus, Dod. gal. Siser, Lac. alterum, Matth. Tab. Carota crocea malè Siser, Guil. Pastinaca sativa 1. Fuchs. sativa flava, Lon. Pastinaca sativa 1. & 2. Tab. Pastinaca radicibus luteis, vel albis, Gesn. hort. Pastinaca sativa Diosc. Lob. Cord. in Diosc. Pastinaca tenuifolia sativa, Dod. Ger. Carotta vulgaris radice flava, Adv. Carota radice buxei coloris, Cæf. ex albo flavescens, Cast. nostra lutea, Cam. Pastinaca 6. Daucus Staphylinus altilis & hortensis, vulgo Carotta, Cam. h. Variat solùm radicis colore, quæ vel alba, vel pallidè lutea, vel lutea est. Itē: Pastinac. 6. tenuifolia sativa, radice atrorubēte. Staphylinus sativus Dioscoridi. Daucus radice nigra, Theophrasti. Pastinaca sativa, Plinij. Staphylinus 3. Trag. niger, Dod. gall. Carota, Matth. altera, Lugd. radice sanguinei coloris, Cæs. radice rubra, Cast. Pastin. sat. altera, Fuchs. prima, Turn. sativa rubens, Dod. Tab. atrorubens, Lob. Daucus niger Theophr. Carotta vulgaris. Ad. Pastinaca radicibus purpureis, Gesn. h. Been rubrum & album, an Daucus sativus & sylv. Galeni, Ang. Carota Italis radice rubra & alba, Been rubri & albi [illegible] esse volunt aliqui, non malè Cam.

Seritur Carota passim inter olera. Monspeli j quidem rubra & lutea radice, copiosè, ibidem rubra in tantam magnitudinem excrescit, ut vix duabus manibus comprehendi possit. Patavij abundant, Lugduni, Basileæ, Genevæ (ubi vocant *Pastenades rouges & jaulnes*) & Monthelgardi.

Vires & Vsus. Facultas Carotarum ad caliditatem & humiditatem inclinat. Ventrem emolliunt, angustiam pectoris adimunt, tussique medentur, melle aut vino dulci coctæ & comestæ. Vrinam provocant & menses, idque non fortiter. Semen in caliditate radici præstat, inquit Matth. in hist. germ. cum addit. Cam. In ejusdem verò epit. ait: semen & radices, pares cum domestica Pastinaca facultates habent. In cibis sumpta radix inflat, & concoctu non adeò facilis est. Rubra coquitur in aqua, & deinde tessellatim inciditur, & in acetariis cum Pipere estur. Alba verò Rapi, aut Napi modo in carnium jure coquitur.

PASTINACA SYRIACA, SIVE Secacul Arabum quibusdam.



Descr. EDulis est planta, & proin hortensis, jure dicenda, licèt in silvestribus proveniat. Radice nititur exteriùs cinereâ, intus candidâ, lævi, tenerâ, digitum crassâ, sesquidigitum longâ: ex qua fibrarum loco noduli ceu verrucæ prominent: sapore dulci, Carotarum simili; quibus caule, foliis, ac umbellâ (flosculis exceptis, qui penitùs flavi sunt) haud absimiles sunt, autore Rauvvolfio.

Synon. Hic in Itin. parte 1. c. 4. Secacul vocat. Parte verò 2. inter Icon. num. 24. inscribit genus peregrinum Rapunculorum Rieblin dictorum Germanis Geelen / Arabibus & Mauris Secacul. Bauh. phyt. Pastinaca 3. sive Syriaca: Lugd. in app. p. 23. Secacul Arabum, Pastinaca Syriaca (hoc titulo pingitur pag. seq. 24.) Germanis Gerelen / sive Siseris species. Eid. Bauh. pin. Sisarum 2. Syriacum: Secacul Arabum & Maurorum, sive Pastinaca Syriaca, Rauvvolff. Lugd. ap.

Locus. Iuxta sepes, & hortos urbis Halepi, locis præsertim apricis, ut sub arboribus observavit Rauvvolffius. item inter segetes.

Sapori grata est, ideóque Rhizotomi illius regionis hujus radices in taleolas sectas filo trajiciunt, & magnâ abundantiâ passim venundant.

MVTTELLINA.



Descr. STaphylini silvestris folia habet, minora tamen, minutisque incisa, trium circiter digitorum longitudine totâ, glabra: caulis brevis uncias aliquot altus, umbellam gerit parvam. radix propter terram ca[illegible] illata, satis longa, & crassa, exteriùs nigricans, odoris & saporis Mei vulgaris.

Hanc plantam à nobis in itinere Rhetico à quadraginta ferè annis delineatam ita describit frater, apud *Meum alpinum C. B.* Matth. Meum 3. Alpinum umbella purpurea (purpurascente, in pin. ubi quærit an sit Daucus montanus, Clus. pan. & hist. At florib. purpureis, in phyt.) ex radice simplici, oblonga, nigra, partim fibrosa, aliquando minimum digitum crassitie æquante, circa caput barbata, Mei ferè figurâ, sed infirmiore, odorata & acri, folia prodeunt Mei foliis latiora: caulis item unus vel alter, lævis, striatus, umbellam sustinens florum purpureorum, vel etiam ex alba purpurascentium: quibus succedunt semina, oblonga, satisque magna.

Mutrina Aretio. Bened. Aret. in descr. Stochornij & Nessi mont. Bern. lib. de hort. Germ. vocat Mutrinam radice minimâ, digiti crassitiem quandoque æquante, ut plurimùm tamen minore: umbella Pimpinellæ rubescente.

Mutellina. Mutellina dicitur vulgo in Alpibus, nomine sc. à Mutteri vel Mutteren deducto, Gesnero hort. teste, *Caros alpinum.* cui Caros Alpinus videtur: radicibus ferè Mei figurâ & sapore, sed infirmioribus. Idem in descr. montis Fracti lib. de Lunar. Dauci aut Cari montani genus esse confirmat, radice simplici, nigrâ, oblongâ, & circa caput setosâ.

Ex his perspicuè licet cognoscere C. Bauhinum descriptionem suam ex Aretij & Gesneri verbis concinnasse, quamvis eos silentio prætereat, nec fortè unquam suâ manu plantam ipsam collegisse.

Mutelina, Cam. Camer. hist. germ. Mutellinam similem ait Meo vulgari, sed folia latiora & flores magis rubicundos: Gesnerum existimare posse assumi pro Dauco Cretico. In epit. vocat Mutellinam, Meum Alpinum, vel

vel Carum Alpinum, & Seseli Creticum quorundam. Descriptionem quam ponit, ex aliis mutuò accepit, ut & figuram, licèt eorundem non meminerit.

Ponæ in Baldo dicitur Mutelina Gesn. & Camer. Meum Alpinum quorundam.

Mutelina mihi denominata est hæc planta in monte Rhetio propè Burmium Iunio collecta.

Vires. Facilè autem conjectu fuerit, hujus plantæ radicem, cùm aromatica sit, excalfacere posse. proindéque Dauci Cretici loco usui valere, Gesnerum rectè collegisse in itinere nostro, utpote quo efficaciorem censuit. Condiunt hâc lactarij colostra & recoctam suam Glaronenses & Valesij. Ejus pabulo (ut etiam C.Bauh. intellexit ex pastoribus Bernensibus) in montibus vaccæ plurimum & optimum lac reddunt, sicut & Mei pabulo in Apulia.

DAVCVS MONTANVS CLVSII flore carneo, semine Selino hortensi æquali.

Descr. HVic è radice prodeunt quinæ aut senæ tenuiorum foliorum alæ, Seseli pratensis (quod abundè in totius inferioris Austriæ pratis nascitur) alatis foliis penè similes, sed longè minores, neque palmi amplitudinem excedentes, sed proximè ad Acus pastoris vulgaris folia accedentes, admodum viridesinter quas caulis prodit pedalis, nudus, striatus, satis gracilis, qui summo fastigio binas aut ternas sustinet parvas, & bene confertas umbellas flosculorum è rubro dilutè purpurantium, sive carnei, ut vulgò loquuntur, coloris, quinque foliolis constantium, quos excipiunt Selini hortensis æqualia semina: radix digitalis est longitudinis, cortice foris nigricante, rugoso, & multis tenuibus fibris prædita.

Tota planta Daucum vulgarem quodammodo redolet, & illius gustum etiam refert.

Locus cum tempore. Elegans hoc Dauci genus in Alpium Austriæ, & Stiriæ sublimibus pratis nascitur. floret Iunio, in hortis etiam Majo, descriptore autore Clusio.

DAVCVS MONTANVS, SEMINE Cretico simili, non lanuginoso, valdè odorato, specie Staphylini, umbellâ clausâ.

Descr. DAucum montanum apud nos, inquit Cæsalpinus, in Alpibus nascitur, semine alioqui Cretico simile, sed nequaquam lanuginosum, acre, & valde odoratum: ejus planta foliis constat non capillaribus, ut Fœniculi, sed specie Staphylini longo pediculo in adnexu folioso, prædura hæc & odorata: caulis striatus, cubitalis, reperitur brevior, non ultra dodrantem: umbellæ clauduntur, ut Staphylini: radix singularis, in altum descendens, ut Pastinacæ.

Daucum hunc montanum Dioscorides inter genera Dauci, secundo loco describit; Plinius verò tertio recenset.

PANACES ASCLEPIVM GVILlandino flore albo folio aliquatenus Carotæ, sed tenuiori.

Descr. FOlia habet divisurâ ferè Carotæ vulgaris, quorum tamen segmenta tenuiora, delicatioráque sunt & rariora, nequaquam, ut illa, hirsuta. caules canaliculati, tenues: umbellæ Ammeos vulgaris pares, in quibus flosculi minuti, albi: semen foliaceum, geminum, oblongum, Thapsiæ quorundam semini



simile, minus, candidius, aromaticum, amarum, tres quatuórve costas exteriùs, interiùs quoq; lineas, sed pauciores, nigricantésque habens.

Frater C. Bauh. attulit plantam ex horto Patavino nomine Panacis Asclepiadis Guilandini.

Posset pro hac summi figura Lobelij in Obs. p. 452. titulo Thapsiæ Carotæ effigie, licèt descriptione aliam intelligat plantam.

PANACES ASCLEPIVM ALterum Dalechampij.



PAnaces Asclepium alterum Dalechampij in asperis locis & tumulis propè Monspelium provenit, ut legimus apud Lugdunensem p. 740. radice Apij, candidâ, tenui, acri, odoratâ, folio tamen Apij aut Coriandri potiùs, quàm Fœniculi, hirsuto; flore luteo in umbellis circinnatæ, rotunditatis.

Bauh. phyt. inter Libanotides (Ferulæ folio seil. ut patet ex pin. ubi quinto loco ponit, eique umbellam luteam tribuit) quarto loco refert, & Panax Asclepium alterum, Lugd. facit.

PANACES CHIRONIVM Veteribus. CAP. XXX.

PAnaces Chironium [πάνακες χειρώνιον. *Cat. Mattb. Diosc.* πάνακες χειρώνιον.] in Pelio monte maximè proventre scripsit Dioscorides: folius esse Amaraco [*vet. quidam Origan. Theophrastus etiam Lapatho, Sarrac.*] similibus, floribus aureis: radicem tenuem [*Anthol. Theophr.* μακρὰν *longam. Plin. parvam*] & non altam [*pr. furdam Corn.*] gustu acrem. Vim habere radicem potam, serpentium veneno resistentem, ac imposítam quoq; contra illud ipsum efficacem esse.

Tertium Panaces Chironium cognominatur, inquit Plinius, ab inventore. Folium ejus Lapatho si- *Plin.* mile, majus tamen & hirsutius: flos aureus, radix parva. Nascitur pinguibus locis. Hujus flos efficacissimus, eóque amplius quàm supra dicta prodest. Ita Plinius ex Theophrasto, ut apparet teste Cor- *Theophr.* nario, cujus verba hæc sunt. ἔχει τὸ χειρώνιον φύλλον μὲν

ὅμοιον λαπάθῳ [*magis consentaneum legendum ἀμαράκῳ, ut Diosc. habet. Casal.*] μείζον δὲ καὶ δασύτερον, ἄνθος δὲ χρυσοειδὲς, ῥίζαν δὲ μακράν. φύεται δὲ ἐν χωρίοις πιόσιν. Plinius qui hæc ex Theophrasto convertit, pro *μακράν* legit *μικράν*. Et fortassis ita legi debet, quum etiam Dioscorides λεπτὴν dixerit. Addit præterea Theophrastus usum. Vtuntur, inquit, ea adversus viperas & phalangia, & tineas [*σῆπας. legendum σήπας sepas, ut mox Corn. ostendit*] vestium, & cætera reptilia data ex vino, & uncta oleo: viperæ autem morsui inspergitur ex acido vino, & potui datur. Valere aiunt & ad ulcera ex vino & oleo, & adnascentia [*tubercula*] ex melle. Et hoc Theophrasti loco τὰς σῆπας exemplaria habent, & Theodorus tineas vestium vertit, vulgatam lectionem secutus. Et sunt quidem vermes σῆτες, qui vestes, aut libros corrodunt. Verùm adversus hos quomodo Panaces Chironium in vino bibatur, aut cum oleo illinatur? legendúmque itaque est τὰς σήπας, i.e. adversus sepas. Est autem, ut Lucanus ait,

Ossáque dissolvens cum corpore tabificus seps,

Serpentis genus, ex cujus ictu partes putrescunt, atque ipsi ictu intra tres aut quatuor dies pereunt. Qualis autem serpens sit seps describit Aëtius l. 13. cap. 26.

Galenus. Galenus denique Chironio eandem quam Asclepio vim adscribit. Eidem quoque sua ætate Panax dici ab omnibus cœpit non Panaces.

Veterum discrepantia. Discrepant toto genere in historia foliorum Chironij Panacis Plinius & Dioscorides. Ille enim Lapatho (quæ Latinis Rumex est) ea comparavit: Hic folio Amaraci esse dixit: quod in tam gravibus scriptoribus antiquísq; meritò demiretur, multoque magis (inquit Marcell.) quod uterque habet antiquos alios scriptores citatos. Dioscorides Nicandrum, Theophrastum Plinius, qui licèt eadem sua verba ex Theophrasto reddiderit, non major ob id fides huic historiæ accedit: antiquã saltèm Theophrasti eam fuisse lectionem testantur. Graves utrinque scriptores stant, nec levi auctoritate utrinque pugnatur & in re non satis nostrâ ætate certa, difficillimum est censere aliquid, invenisséque, quomodo Rumicis & Amaraci foliis (quorum grandius alterum, alterum brevius est) cõparari eodem tempore aliquod possit. Nisi fortè dixerit aliquis in altero figuram, in altero quantitatem in comparatione æstimari. Verùm in tanto discrimine parum verisimile id est. Solent enim cognomines plantæ, quales hæ sunt, majori suâ parte invicem sibi similes esse. Neque ego is sum, qui facilè persuadear: si Herculeum Panaces, quod Dioscorides ait folia habere πρὸς τὰ τῆς συκῆς, quod est ad Ficulnei folij figuram multóque magis magnitudinem; & Theophrastus φύλλον ἔχειν μέγα καὶ πλατὺ καὶ πενταδακτυλιαῖον, q.e. habere Herculeum Panaces, folium grande, latum, & in omnes partes trinis dodrantibus, Chironium hoc ob similitudinem Panaces itidem appellatum, folio Amaraci esse? Inclinat ob eam causam animus in Theophrastum, qui cùm Rumicis folio Chironij hujus folia compararit, quæ grandia omnium foliis magis congruent. Quódque à Nicandro & Dioscoride de Amaraco dicitur, odoris, coloris aut figuræ tantùm rationem habere. Hæc Marcellus, qui legentibus & herbarum peritioribus liberum & arbitrarium hoc relinquit.

Angelica. Spondylio affinis Panax. Spondylio vel potiùs Pastinacæ affinem Panacem, cum Theophrasti Panace Chironio convenire posse videtur Dodonæo lib. de florib. in epilogo, hist. purgat. & in fol. lat. ubi Panaces peregrinum vocat.

Imperatoria. Si Imperatoriæ, Herbæ Renæ in Alpibus Pisanis vocatæ, flos inesset aureus, constanter affirmaret Cæsalpinus Panacem Chironium esse.

Idem apud Theophrastum & Plinium de Panace Chironio, rationi magis consentaneum esse ait, legere folio Amaraci, quàm Lapathi: quod in genere Ferulaceo nulla sit folio Rumicis, nisi quis Perfoliatam accipiat. *Perfoliata.*

Panaces Chironium Dioscoridis, Plinij, Nicandri & Theophrasti, Trago est Herba vulneraria, Bupleuron Lobelio, est nobis Auricula leporis. *Auricula leporis.*

Panacem Chironium Apuleium ait à Latinis Enulam Campanam vocari, descriptionémque Panacis Chironij huic convenire. *Enula Campana.*

Helianthes minus Lobelio [*Perfoliata lutea*] Panacis Chironij opinionem fecit. *Perfoliata lutea.*

Sed fecit eidem magis opinionem Chironij Panacis Centaurium luteum vocatum. *Centaurium luteum.*

Panaces Chironium Theophrasti volunt quidam esse Balsamitam majorem. *Balsamita major.*

Panax Chironium habetur de Virga aurea vulgari. *Virga aurea.*

Alisma Monspeliensium sive Doria, à multis Panaces Chironium habetur. *Alisma Monspel.*

Lapathi silv. quartum genus Dalechampij, nonnulli Panaces Chironium, nos Lapathum antoxanthon vocamus. *Lapathum antoxanthon.*

Helianthemum vulgare nonnulli Panaces Chironium volunt. *Helianthemum vulgare.*

CAROS VETERIBVS.
Cap. XXXI.

Diosc. MEDICINAM pluribus subinde remediis instruens Dioscorides, Cari semen sequentibus commendavit. Carum [*κάρος. Romani etiam Careum appellant. Et in antiquo utroque etiam hac verba leguntur, οἱ δὲ καρεὸν λέγουσι, quæ post tempora Dioscoridis huic loco ascripta esse annotat Goupylus. Nam recentiores καρὸν καρεόν vocare solent. Sarrac.*] semen est exiguum, vulgaris notitiæ. Vrinas ciet, excalfacit, stomacho utile, orique gratum, concoctionem adjuvat, ac utiliter antidotis & oxyporis admiscetur: denique non parva illi est cum Aniso [*ἀνίσῳ. vet. καὶ ἀνήθῳ addit.*] convenientia. Est & cocta radix edulis, æquè ac Pastinacæ.

Plin. Plinius l. 19. c. 8. Careum à Caria appellatum dicit. Peregrinum & Careum gentis suæ nomine appellatum, culinis principale. In quacunque terra seri vult, ratione eadem, qua Olus atrum. Laudatissimum tamen in Caria, proximum Phrygia.

Galen. Nunc licèt radicem coctam edi, ut Pastinacam referat Dioscorides, Galenus tamen 2. alim. radicem Cari meliori, succi esse ait, quàm Pastinacę, & nihilominus tamen ægrè concoqui. Idem simpl. inquit. Caron semen calefacit & siccat ordine tertio, acrem moderate qualitatem habens. Quapropter & flatus discutit, & urinam ciet, non solum semen, sed & tota planta.

Pastinaca major Athenæi. Marcello, non sine errore. Athenæus contra ganeam cibósque, Dipnosophistas illos suo nono sui operis commentario docens, radicem celebravit, Majorem Pastinacam appellans, ut Marcello credimus, vulgari & quotidianâ meliorem. Dalechampius tamen, meo judicio, doctissimè hoc in loco annotat, Athenæum sativam Pastinacam, Gallis adhuc hodie *Carotes* appellatam intelligere. Et sanè in Græco καρωτὸν legitur. Patet itaque gravis Marcelli lapsus.

Paulus. Paulus Æginetа quidem capite de radicibus, quæ edendo sunt, hanc Pastinacis congenerem fecit. Pastinacæ verò, inquit, & Pastinacæ agrestis [*σταφυλίνου δὲ καὶ δαύκου*] & Cari [*καὶ καρώ*] radices minùs quàm Rapa nutriunt: calent tamen, odoratæque sunt: & manifestè urinam cient. Nihil de Caro præterea Marcellus monet, quàm peregrinum Italiæ putat, alius vero lo-

... locis copiosum & frequens. Ex iis tandem, quæ de Caro Paulus dixit, ratiocinatur & colligit vulgarem & quotidiani usûs radicem fuisse, Pastinacis congenerem, aut illis non dissimilem.

Æquivoca. Guaiacum. Guajacum, quod Lignum sanctum vocant, ab Avicenna l.2. sui Canonis Caron vocari ait Amatus.

Carota. Redarguendi Monachi qui in Mesuem commentati, credidêre Carum esse semen rubentis illius radicis, quæ vulgò Carota vocatur, de qua ante dictum.

Pastinaca germanica. Pastinacam majorem sive germanicam, Gesnerus in Cat.pl. Caron cognominat.

Mutellina. Mutellina, vulgo in Alpibus Muttri vocata, Caros Alpinus à quibusdam habetur.

Gingidium. Gingidium, quibusdam teste Cordo in Diosc. Carui de Syria nuncupatur.

Cacalia. Cacalia Plinio, officinis Carvi agreste dicitur, authore Ruellio.

Substituta. Anisum. Carvi loco, Anisum ponunt Collegium Florent. Borgarucus, & Monachi in Mesuem.

Daucus. Carvi loco Daucus à Colleg. Florent. & Borgaruco substituitur.

Cyminum. Carvi loco Cyminum Tractatus qui pro quo sumendum præcipit.

Nigella. Carvus, Carvi & Carvia non est Nigella quod Pandectarius prodit.

Piper. Carvi loco Piper à Tractatu qui pro quo præscribitur.

Cardamomum. Nonnulli Iuniorum, ut Simon Ianuensis, Pandectarius, Luminare majus & cæteri confundunt Cardamomum, quod Carvi agreste falsò interpretatum legitur.

Bacca Lauri. Careos loco Baccas Lauri Tractatus qui pro quo quondam admisit.

CAROS.



Descr. Carum ex radice singulari, longa, crassitudine pollicari, & majore, rugosa, adnatis quibusdam & fibris aucta, alba, sapore aromatico & acriusculo ut Pastinacæ, caules profert multos, cubitum & sesquicubitum altos, striatos, geniculatos, in ramos subinde divisos: folia longo carinato pediculo, sed angusto, partim à radice, partim ex ramulorum alis enata, Staphylini foliis similia, sed per longiora intervalla alas proferentia: in ramulorum extremis umbellæ non ingrato odore: flores singulares albidi, aut rubescentes, ex quinque foliolis cordatis, non nihilque ad fissuram crispis compositi: ex quorum umbilico virentia stamina tenuissima exeunt albicantia apicibus virentibus: semen succedit oblongum, striatum, sapore acri & aromatico.

Carvi Sui. go. Matth. Carum officinis vulgo Carvi dicitur, inquit Matthiolus, semen omnibus notum. Planta nascitur in pratis & collibus, præsertim in montibus & convallibus, Pastinacæ silvestris non absimilis, caulibus ab una radice pluribus, quadrangulis, cubitalibus: umbella floribus candidis referta, semine Anisio longiore, anguloso, subnigricante. Radice longâ, sapore mariusculo simul & acri. Sed maximè, meo quidem judicio, redarguendi sunt Monachi illi, qui in Mesuem commentarios ediderunt: quippe qui non sine magno errore & aperto crediderint, Carum semen esse rubentis illius radicis, quæ vulgo Carota vocatur. Quandoquidem Carotarum semini nulla Cari qualitas inest: id enim adeò acre non est, ut tertio calfacientium ac exficcantium ordini adscribi possit, quod tamen de Caro testatur Galenus. *Monachorum error.*

C.Bauh. Cuminum pratense vocat Bauh. apud Matthiolum, seu Carum, à Caria regione, ubi laudatissimum nasci scribit. Hujus verò inter Staphylinos Athenæum meminisse putat: sed multùm aberrat. Athenæus, ut aliàs quoque monuimus, Pastinacam Carotam dictam intelligit, quæ culturâ & foliis & semine vegetior redditur.

Synonyma variis linguar. Cæterùm cujus nomen græcum est καρ... & ..., & apud Aëtium ..., apud Simeonem Sethi ... & ..., hoc Latinis (ut Ruell. Brunf. Trago, Dod.gall. Gesn h.) Caros dicitur, & Carus (ut Lac. Cord. in Diosc. & hist. Dod.lat. Lob. Cast. Lugd. Tab. & Cam.) itemque Careum (ut Fuchsio, qui secutus est Plinium) & Carum (ut Turn. Cord. in Diosc. Matth. Lac. Ang. Lob. Dod. Cast. Lug. Tab. & Ger. inquit C.Bauh. in pin. ubi vocat Carui & Cuminum pratense.) officinis & herbariis (Lon. Adv. Cæf. & Thal.) paterno ut plurimum casu cognitum Carvi vocatur, quo tamen nomine semen omnes uno ore vocitant, licèt non desint qui Careô semen appellent. Sed & Carum & Caroum, Carnabium ac Carnabadium Simeonis Sethi seu Actuarij, ad differentiam Carnabadium Nicolai Myrepsi, quod Cuminum est. Arab. Serapioni *Carvia* & *Carvium*. Averrhoi *Nancoca*, [*Navoca* Tragus] & aliàs *Karavia*, *Karvi*, *Carguet*, *Karma*, *Altorfili*, *Harumij*, *Zanarbu* & *Carunacasi*. videturque quod Græci recentiores nomen Carnabi & Carnabadij ab Arabibus desumpserint. Hebræis *Kammon*; Chaldæis *Kemona*. Sed dubitat Tragus an ad hoc Cuminum, an verò ad Cyminum Romanû hæ appellationes pertineant. Is sibi falsò persuadet hanc plantam Athenæum Pastinacam majorem vocasse. Germ. Feldtkümmich / Wisenkümmel / & Mattenkümmel / (Cuminum pratense hæc verba sonant) Item Kym / & Kymmel / quæ tamen nomina de Cumino propriè dicuntur. Wegkümmel / quoniam nonnunquam ad itinera & vias reperiatur: Iuliacensibus & Coloniensibus Fischkummel / & Speißkümmel / quòd eo in cibis & præsertim in piscibus coquendis id adhibeant. Belg. Carue / Suyckerpeen / Sucrepeen: Frisiis Hoffkuym: Gall. *Carui*, *Cumin* & *Sisec*; Ital. *Caro* Melanes.ibus *Caroli*: Vicentinis *Carvin*: Venetiis *Carvi*. Hisp. *Caravea* & addito articulo *Alcaravea*. Angl. Carwayes. Boh. Kmyn lauceny.

Locus cum tempore. In pinguibus, ac lætis campis herbosis & pratis, quæ subinde rigantur, apud Germanos Bohemósque frequens nascitur, à Maio mense usque ad Augustum & flores, & semen proferens. Sicciora Hungariæ prata hoc abundant, & magnam copiam in quotidianum usum singulis annis suppeditant. Copiosè crescit in Frisiæ pratis inter Mattena-Koff & Werden proximè littus. Basileæ, Tiguri, Montbelgardi & Ebroduni passim in pratis provenit florens Maio; Genevæ in principio mensis Aprilis. In horto E.C. satum eo anno neccaulem, nec florem protulit.

Vires & Usus. Hodierno die, auctore Trago, semen Cari panis adjectum apprimè conducit, caseisque quoque appositum jucundo illos commendat odore, sicut & omnes alios cibos. In sacculo lineo semen calidum impositum vel trisfatus, discutit, à purgatione in colicâ passione. Passim semen hoc in Germania usu fre-

frequentissimum, non tantùm panibus compistum & caseis adjectum, sed etiam eo jusculа carnium & piscium in culina condiuntur. officinæ denique saccharo semen istud obducunt. Quod etiam non conditum, scribente Camerario, cum Erucæ semine sæpè usurpatum, cerebrum corroborat, pravósq; humores ejus dissipat, quo nomine ad apoplexiam præcavendam utile est. Semen crassiusculè tritum, sacculo exceptum, calentéque vino conspersum, exterìus impositum, non tantùm aurium doloribus ex defluxu frigido ortis confert, verùm etiam dentium cruciatus lenit. Asparagi primùm erumpentes, crudi suavissimè in acetariis comeduntur. Multum olei reddit distillatum semen, quod ipse expertus sum. Quum in principio paroxismi tertianæ flatibus & pituita in ventriculo vexarer cum œsophagi convulsione, ut viderer suffocari, ac vix possem loqui, jussi mihi dari olei Carvi guttas tres aut quatuor cum jusculo. Nescio autem quo errore multò plures datæ, subitò sensi tantum ardorem oris ventriculi, ut penè enecarer, nisi epotâ multâ aquâ frigidâ, deinde evomuissem. Hoc sanè oleum multò acrius est, quàm Anisi.

Cerebrum corroborat. *Dentium dolor.*

ANTRISCVS PLINII QVIBVSdam semine longo Cicutariæ vel Chærephylli.

CAP. XXXII.

Descr.

Lignosa, simplex & alba est radix, sapore Pastinacæ, aromatico. caulis cubitum unum, aut alterum altus, multis alis concavus, striatus, ex virore atrorubens, abundè hirsutus, copiosâ medullâ farctus: folia Pastinacæ sive Staphylini tenuifolij, minore tamen divisurâ, ad Cerefolium etiam accedente, nervo hirsuto annexa, ipsa quoque non minùs pilosa, sapore nullo manifesto: flores in umbellis candidi ex quinque foliis cordatis, & quodammodo crispis, concoloribus apicibus, compositi: semen oblongum, tenue, compressum, sulcatum; duas fibras è summo proferens gustu aromatico, simile Cerefolij semini, minus, nigrum, quod in Icon. Guarinianis non exprimitur.

Semen. *Anthriscus Plinij. Lug.*

An plantam à nobis descriptam intelligit Lugd. l.6.c.48. dum ait. Antriscum Plinius tradit l.21. c.15. & l.22. c.22. Anthriscum plantam esse hic pictam contendunt Herbarij quidam, quorum sententiæ nec refragor, nec suffragor: gignitur in pratorum marginibus, præsertim si gelidis aquis rigantur, & ad rivorum præterfluentium alveos, radice Fœniculi, intus albâ, odoratâ, acri: foliis Apij per oras obliquè dissectis, in singulis pediculis ferè semper quinis: caule cubitali & interdum proceriore, anguloso: flore in umbellâ candido: semine oblongo, gemino, apicibus duobus præfixis exilibus, acri & odorato. Hæc Lugdunensis. Audivi ego qui plantam nostram Anthriscum Plinij Dalechampij nominarint: alij Caucalidem: ei autem non refragatur descriptio & figura in Lugdunensi posita. verùm quod dicitur de loco natali, nostræ plantæ non convenit.

Anthriscus Plinij. Dal.

ICON ALIA.

Tabern. Cerefolium silvestre, Onoselinon: Wilder Körffel/Eselßkörbel Gesn.coll. Daucus sepia ius. Bauh. phyt. Caucalis 2. sive latifolia hirsuta, semine Cherefolij. De hac etiam in Animadv. in Lugdunensem loquitur his verbis: Antriscus Plinij Lugdunensis p. 791. cujus folia latiora erant pingenda, & etiam hirsuta unà cũ caule. Eid. B. pin. Cherophyllum silvestre; Dauci sylv. genus, Gesn. ap. Apium syl. Ger. icon.

Synonyma.

Herba quæ quibusdam dicitur Anthriscus, passim juxta sepes provenit Basileæ & Montbelgardi florens Iunio & Augusto. Lugduni florentem in sepibus Majo observavi & Genevæ passim in sepibus virentem mensis Februarij principio.

Locus cum tempore.

SCANDIX VETERVM.

CAP. XXXIII.

Dioscorides de Scandice, inquit, silvestre olus est [*vet. silvestri oleri similem dicit.*] subacre, amarum, atque esculentum. Siquidem crudum coctúmve estur, alvo stomachóque utile. Ejus verò decoctum potum, vesicæ, renibus, & jocinori prodest.

Diosc.

Tantùm reperitur apud Theophrastum Scandicis mentio inter eas plantas, quarum caules humi procumbunt, ut Malvæ, Cucumeris silvestris: quo in loco ἐνετήσιαυλα, i. e. annicaulia legendum putat Cæs. sed χαμαίκαυλα, i.e. humicaulia, ut opponatur eis quæ dixit recticaulia, & nervicaulia.

Theophr. Scandix humicaulis.

Plinius Scandicem inter olera silvestria recenset & vilia, dicens l.22.c.22. Scandix quoque in olere silvestri à Græcis ponitur, ut Opion & Erasistratus tradunt. Item decocta alvum sistit. Semine singultus contestim ex aceto sedat. Illinitur ambustis, urinam ciet. Decoctæ succus prodest stomacho, jocinori, renibus, vesicæ. Hæc est quam Aristophanes Euripidi Poëtæ objicit joculariter, matrem ejus ne olus quidem legitimum venditasse olim, sed Scandicem.

Plinio olus silvestre.

Galenus 8. simpl. de Scandice (quam 2. de alim. Gingidio similem facit) ait. Ex sylvestribus oleribus est, subacre & amarum ut in siccando & calefaciendo secundi ordinis intenti sit. Multum autem urinam ciet, & ut ex relatis qualitatibus compositum, viscera ab obturatione liberat.

Galeno Gingidio similis.

Hæc itaque est Scandix illa quæ toties Atheniensium excitavit, cùm in comœdia lepidissimi Poëtæ Dicæopolis ex agro in urbem profectus rudis homo ab Euripide eam humiliter Poëtæ supplicans peteret, dicens:

Marcell.

σκάνδικά μοι δὸς μητρόθεν δεδεγμένος.

Noverant enim omnes vulgare & vile onus, meminerántque Poëtæ illius matrem quotidie in urbem venien

venientem vendito eo olere filium in summa paupertate educasse. Nec antiquæ hominis paupertati illudentes, sed ad virtutem in angusta re studium admirãtes totis subselliis audito versiculo illo exultabant. Nota tunc omnibus Scandix erat vulgare & sponte sua nascens, locis plerumque incultis olus, plebis cibus & quotidianum pulmentum, & acetarium quo ad sanitatem magis, quàm quæsitis toto mari & orbe obsoniis proficerent. Sed quod utilissimum in ea est, urinam cit & renes egregiè laxat, id quod veteres Græci testati sunt, utiturque ad eas difficultates sæpissimè Æginetа, jubétque in primo si non justè quotidie purgetur aliquis Scandice, Apio, Asparago, similibúsque aliis sollicitandam esse urinam. Plin. l.22.cap. ejusdem numeri, inquit Marcellus, multis Scandicem prosequitur, peculiarémque illi laudem tribuit, quòd venere fatigato corpori succurrit, marcescentésque senio jam coitus excitat. Quo magis mirum in tanta morum ruina & labe in nullo honore esse herbam, neque ab herbariis nostris penitùs cognosci. Græci nunc etiam Scandicem appellant, nihilque in eorum gente notius, sed non congruentem antiquorum notis ostendunt. Quam enim illi Scandicem modò appellant, latiori & quasi Betæ folio est. Antiquiores autem, ut in re nota, nullas ejus certas notas tradiderunt. Veruntamen ut ex multis conjicere licet, tenui & quasi capillato folio Plinius esse prodidit. Conjunxit enim, ut verisimile est, congeneres plantas (Scandicem, Caucalim & Tragopogon) in foliorum figura, quæ tenui folio, & capillaceo sunt. Et hanc ob causam non abs re penitùs fuerit similem in foliorum figura illis credere.

Renibus utilis.

De Scandice hæc posteritati reliquit scripta Hermol. coroll.371. Scandix olus est sylvestre Plauto quoque dictum. Eadémque erat, ut Theophrastus ait, Enthussicon: sive ut Athenæus & Plinius Anthriscon, si tenuiora folia odoratioráque haberet. Differt Scandix à Sandice, quòd Scandix herba est, Sandix metallica. Scandix aliter non describitur, quàm quòd olus est silvestre, gustu acri subamaróque, foliis Anthrisci, sed majoribus & minùs odoratis. In exemplari græco Dioscoridis appictam vidi Scandicem Fœniculi folio ferè cum corniculis, in summo floribus luteis sive albis. Hac ipsa specie in silvis quoque visitur, frutice odorato, flore candido. Paulus, Aëtius, & si rectè memini, inquit Barbarus, Galenus, similem Gingidio fecêre Scandicem.

Enthussicõ. Anthriscus. *Quid est.*

Cornarius. Sin autem inter Scandicem & Gingidium similitudo est, velut Galenus dixit, & Gingidium Pastinacæ silvestri simile est, velut Dioscorides affirmavit: sequitur etiam Scandicem Pastinacæ similem esse, & nostrum olus Kerfel dictum, inquit Cornarius, referre: atque sic tres herbas inter se similes esse, nec Galenum à Dioscoride dissentire.

Scandix. Quænam hodie Scandix sit, lis est inter authores. Est enim Scandix quibusdam, herba ex quàm plurimis apicibus coagmentata.

Pecten Veneris. Scandix multis est, quod Pecten veneris cum quàm plurimis inscripsimus.

Pecten Veneris aliud. Alia est Scandix semine rostrato, quod Pecten veneris paucioribus rostris appellamus.

Pecten Veneris Creticum. Scandix Cretica C. Bauhino, Pecten veneris Creticum cognominatur.

Pecten Veneris tenuissimis foliis. Scandicem Creticæ similem ejusdem C. Bauhini dicimus Pecten Veneris tenuissimis foliis, Anthriscum Plinij.

Lappula Canaria flore majore. Scandix Turnero, est Lappula canaria dicta flore majore.

Scandix dicitur quibusdam de Gingidio Matthioli, quam Visnagam credimus.

Perchepier. An Perchepier Anglorum sit Scandix quærit Lobel. in Obs. p.419.


Pandectarius (authore Cronemburg. de comp. med. in diasatyrio) insigni errore Raphanum à Galeno 8. simpl. Scandicem appellari ait. *Raphanus.*

Hermannus Comes à Nevenare Isatidem Scandicem, licèt falsò vocari prodit. *Isatis.*

Tragopogon etiam Scandix à Plinio vocatur, nisi, quod suspicatur Hermol. coroll.376. depravata existat apud Plinium lectio. *Tragopogõ.*

Differt tandem Scandix à Sandice, quod Scandix herba est, Sandix metallica. *Scandix.*

SCANDIX QVIBVSDAM, VMBELlà ex quàm plurimis apicibus coagmentata.



Descr. RAdice est Pastinacæ silvestri similis, amarâ & subacri, eodem ferè sapore, qui & in radice Smyrnii, sive Petroselini Macedonici deprehenditur: foliis Pastinacæ silvestris latioribus, ad Apii folium magis accedentibus, candidis, minimè hirtis, è caule per intervalla sic prodeuntibus, ut in corticosam mẽbranatã delatatum prope caulem folium alterum intra se cõcipiat, & foras protrudat: caule striato, cubitali: flore in umbella candido, non Fœniculi modo & aliarum id genus plantarum, quæ umbellam gerunt, pediculis rotatim constructa, sed quàmplurimis apicibus ex candido herbaceis velut coagmentata, peculiari quadam compositione, in nullis aliis perspecta. Hactenus Lugdunensis, qui herbam hîc depictam & descriptam Scandicem vocat p.712. Bauh. phyt. & pin. Scandix 1. umbella ex apicibus coagmentata.

PECTEN VENERIS.



Descr. PECTEN veneris vulgaris ex radice exigua, interdum culta ferè minimi digiti crassitudine, dulci sapore prædita, caules producit tenues, dodrantales, hirsutos, juxta terram rubentes, superiùs virentes striisque ut plurimùm rubris, distinctos, in ramos divisos; folia longis ferè pediculis appensa, Coriandri divisurâ tenui, sapore subdulci, subacri & nonnihil nauseoso; Dodonæo folia tenuiora, quàm luteo

raditis Pastinacæ, latiora verò crebriúsque dissecta, nigriora item, minúsque odorata quàm Chærefolii; flores umbellatim positi colore albo, ad Myrrhidis flores quàm proximè accedentes, nisi quòd incisi minimè sunt, ut illi, pediculisque longioribus ceu corniculis, quod siliquæ est rudimentum, insident: ad parvæ umbellæ basim quina folia caulem latis brevibúsque pediculis amplectuntur, quæ postea minutim, reliquorum instar, dividuntur: semen longum in muctonem extenuatum rostellis, aut citius, ut inquit Dodonæus, crassis magnísque acubus simile: rostra matura semine dissiliunt in duas partes, manente in medio membranâ tenui, albâ, simili quodammodo acui Tritici aut Hordei.

Ang. negat Scandicem esse. Non desunt, inquit Anguill. epist. 7. qui velint plantam, quæ dicitur Pecten veneris esse Scandicem: sed deficientibus facultatibus, nescio quomodo possit defendi illorum opinio.

Scandix ex Dodon. Scandix quidem creditur à Dodon. tam gall. quàm lat. in folio. Inscribitur autem in hist. gall. Scandix, appellatúrque & Herba scanaria, Acus pastoris, aut Acula, à semine acum referente, ideóque gallicè *Aiguille de berger* appellatur, belg. Naelde Kervel. His additur in fol. lat. Scandicem Latini appellant, à Græcis mutuato nomine. Inter nothas autem voces reperitur Romanos Scanariam herbam & Aculam, ob rationem dictam, aptè vocare. Ruellius hanc sub Pectinis Veneris nomine describit: apud Hispanos alicubi in forum venalis infertur, ac editur: *Quixones* vocant: Angli Pinke nedle/ & Storkes byll appellant. Hæc est, inquit Plin. l. 22. c. 22. quam Aristophanes Euripidi Poëtæ objicit jocułariter: matrem ejus ne olus quidem legitimum venditasse olim, sed Scandicem. Hæc ille qui iconem habet, hoc titulo: Scandix, Pecten Veneris.

Pecten veneris, Lob. De Pectine Veneris hæc scribit Lobel. adv. p. 324. Si quid conjecturæ captari potest, cujusmodi planta fuerit Scandix, id sanè ex capitum consequutione [*apud Dioscoridem*] stirpiúmque cognatione accipiendum videtur. Descriptio enim non tam ambigua, quàm nulla est. Hæc tria [*Gingidium, Cerefolium, & Scandix*] serie recensita olera sylvestria; vix dum innotuêre ulli, propterea quia incertis & paucis, partim etiam nullis verbis designata sunt. Nam

Fumaria. Pecten veneris, Fumariam gustu, foliis & usu repræsentat: vulgus Pharmacopæorum etiam Veneris putat & usurpat. Acrimoniæ verò & amaroris eiusdem momenti sunt argumenta, qualia sunt Galeni de Fumariæ acrimonia: quam sententiam meritò docti viri vellicant, & ipsa reclamat res. Hæc ille, qui Scandicem vocat, & rursus titulo

Myrrhis fortè Pliniana. de Myrrhide, Scandicem vulgarem oleraceam, ac Myrrhidem Plinianam suspicari aliquem meritò posse dicit. In Obs. p. 419. (ubi dubitat an sit Scandix) itémque in Icon. p. 726. appellat Veneris pecten Plinij.

Scandix Hermolai, Matth. Matthiolus existimat Hermolaum per suam Scandicem Pecten veneris intelligere, quod admodum difficilè est credere. Nos equidem Scandicem Hermolai ignoramus, ejúsque descriptionem ante posuimus. Matthioli autem verba hæc sunt. Quanquam Scandix antiquis fuerit stirps notissima: cùm tamen hactenus eorum repererim neminem, cui fides sit adhibenda, qui Scandicem notis aliquibus, vel lineamentis descripserit, nescivérim perfectò quonam pacto, quáve ratione affirmare possit & in Italia Scandicem nasci, & pariter dignosci à compluribus. Cæterùm scribit Hermolaus se vidisse Scandicem in exemplari græco Dioscoridis appictam foliis Fœniculo proximis &c. Hanc ipsam ego quoque sæpiùs vidi, mihi

Anthemis. tamen magis Fumariam & quadantenus Anthemidem referre videtur, quàm Fœniculum. Flores gerit Chærefolio proximos, albicantésque, è

Chærefolio congener. quibus tandem prodeunt cornicula tenuia, longiuscula, recta, acuminata, acubus, quæ in Geranio emicant, non dissimilia, quemadmodum & in Chærefolio visuntur, licèt huic longè tenuiora, & fragiliora innascantur. Quo fit ut rectè intuentibus specie tantùm, non autem genere differre hæ plantæ haud dubiè appareant: id quod etiam indicat eorum sapor. Quapropter in eorum sanè irem sententiam, si hæc, quam Scandicem putant, tantum acrimoniæ & amaroris gustantibus relinqueret, quantum in Scandice

Scandicem veterũ negat Matth. veteres inveniri prodiderunt. Verùm cùm eas non obscuras quidem qualitates, quas veteres veræ Scandici assignant, in hac, ut ita dicam, nova Scandice nunquam ego repererim, cogor omninò eorum sententiæ refragari, & ab ipsis dissentire. Quapropter nisi regionis & climatis ratione, & locorum mutatione eveniat, ut hæc stirps omnem tum acrimoniam, tum amarorem exuerit, non facilè quidem adduci potero, ut credam hanc esse Scandicem. Neque ab hac mea me deterret opinione Hermolaus, quòd viderit is Scandicem hanc in græco Dioscoridis codice appictam: quippe quum inter omnes rei herbariæ scriptores nullus, quod equidem sciam, reperiatur, qui per notas aliquas Scandicem descripserit, nescivérim ego quanam historiâ, & ratione fictus aliquis unquam illam picturâ expresserit: nisi fortasse Dioscorides ipse manu propriâ eo in libro ipsam appinxerit. Plinius Scandicem Anthrisco similem reddidit. Sed cùm ignotum per ignotius descripserit, nihil nobis luminis his in tenebris affert. Sed ex Galeni verbis de Scandice, etiam manifestè colligere licet, plantam quam pro Scandice accepit Hermolaus, quámque pro eadem plerique recentium hodie ostendunt, nullo pacto legitimam esse Scandicem. Quandoquidem ea non tantam acrimoniam, nec amaritudinem gustui repræsentat, ut dici possit primum calid tatis & siccitatis gradum excedere, id quod Galenus de Scandice prodidit. Cæterùm, si nulla est planta, cui hæc comparari possit, eam ad amussim mihi quidem referre videtur, quam

Pecten veneris Plinij. (apud Plin. l. 24. c. 19. à pectinum similitudine, Veneris pecten appellant, cujus radix cum Malva tusa, omnia corpori infixa extrahit. Siquidem hæc radice nititur candida, cauliculis semipede majoribus: foliis silvestris Pastinacæ, vel ferè Anthemidis, exilibus: floribus albis, tenuibus, emicantibus, summatim ab eodem capitello compluribus, acuminatis rostellis, inter se disjunctis, quæ pectines planè referunt, quibus linum mulieres concinnant. Quæ certè omnia reperiuntur in hac vulgari Scandice. Hæc Matthiol. qui Pecten veneris inscribit, ac in epit. germ. wild Mören; in hist. verò Nadelkam appellat. Testatur Camer. ad hist. Matthioli germ. Pecten veneris Italos vocare adhuc Aciculam hodierno die, quo nomine veteres Scandicem vocarint, ita ut non planè cum Matthiolo sit negandum esse

Scandix ne neganda. Scandicem. In hort. Scandicem vocat & Pecten veneris, quo nomine & Cast. appellat. Lugd. Pecten Veneris, Scandicem quorundam. Gesn. h. Pecten veneris sive Scandicem. In cat. Scandix olus silvestre, quod imprudenter inter Dauci genera officinas referre prudenter notat. vocat germ. wild Körble Fraut, gall. *Cerfeuile sauvage.* Lac. Scandicem, Scanariam & Aculam quorundam. Clus hist. Pecten veneris vulgi, sive Scandicem silvestrem. Tab. Scandicem, Herbam

bam Scanariam, Nadelkörffel / Venus Strel.

Non est Anthriscus. Bell. in epist. ad Clusium ait Pectini veneris vulgari non convenire vires à Plinio tributas Antrisco. *Pecten veneris.* Nam Pecten veneris neque odoratum esse, neque ab ullo comedi: vocari autem ἀγκυναίτζιγα. *Scandix legitima.* Scandicem verò legitimam dici καύτζικα & σκάνδιξ, quæ comedatur quidem, sed ipsa neque venerem excitet, neque fatigato venere corpori succurrat. unde appareat error Andreæ Tiraquelli comm. in legem connubialem, qui Scandici hoc tribuit, quod Plinius Antrisci peculiare esse scripserat. Hæc Bellus, qui Scandicem à Dodonæo affabrè pingi testatur. Eum autem non intelligimus dum scribit Pecten veneris à nemine comedi: contrarium asserente Dodonæo: nec scio quam plantam intelligat Bellus per Scandicem legitimam, & per Scandicem à Dodonæo affabrè pictam: is enim pro Scandice nihil aliud pingit, quàm Pecten veneris.

Scandix vulgo Acicula, Cæs. Scandicem vulgò Aciculam ab Italis dici refert Cæsalpinus; frequentem in agris inter segetes, fruticosam foliis minutissimè scissis, ut Chamæmeli: in cacuminibus esse flosculos candidos, longis veluti stilis insidentes, similitudine acûs: in his detracto putamine semen contineri nigrum, & oblongum, gustu non insuave, ut neque folia. Dioscoridem de Scandice dicere esse olus silvestre, &c. Galenum eadem confirmare, conjungentem cum Gingidio, sed plantam neminem describere. tantùm reperiri apud Theophrastum Scandicis mentionem inter eas plantas, quarum caules humi procumbunt: quo in loco non ἐπισσόκαυλα, i.e. anticaulia legendum putat, sed ἡμισόκαυλα, i.e. hemicaulia, ut opponatur eis, quæ dixerit recticaulia & nervicaulia. Plinium Scandicem inter olera silvestria recensere & vilia. Aristophanem objicere Euripidi matrem Scandicem venditasse non olus legitimum, Anthrisco similem esse. Hermolaum appictam vidisse Scandicem in vetusto codice Dioscoridis, folio ferè Fœniculi, &c. hâc ipsa specie in silvis reperiri: frutice odorato: flore candido. Ex his significari plantam Scandicem [*Pecten veneris*] nam & inter antiqua nomina apud Dioscoridem Aciculam appellatam esse à similitudine acus. Hæc Cæsalpinus, *Scandix antiquorum Cæs. non sine errore.* qui Pecten veneris Scandicem antiquorum esse retur, sed non absque errore.

Bauh. pin. Scandix 2. semine rostrato vulgaris: (an Pecten veneris Plinij? inquit in phyt.) Pecten veneris, Matth. Ang. Gesn. h. Adv. Lob. Cast. Lugd. Cam. & Ger. Scandix, Dodon. Lac. Cord. in Diosc. Gesn. h. Cæs. & Tab. Pecten veneris, ἀγκυναίτζιγα vulgò dicta, Hon. Belli ep. ad Clus. Apud Matth. Scandix 1. semine rostrato vulgaris: 1. Pecten veneris. Scribitur in fine verborum Matthioli C. Bauhini Scandicem appellari It. *Scandice*: Pecten veneris. Ital. *Pectine de venere*, Germ. wild Möhren. Sed postrema hæc nomina non invenio in meis exemplaribus Matthioli,

Locus cum temp. ore. Pecten veneris, quod Plinij non negarim, provenit circa Monspelium passim in segetibus, florens mense Martio, & Aprili siliquas ferens, quotannis ex semine deciduo sese propagans. Observavi hoc Montbelgardi in agris prope vineas la Chau, in horto E. C. Patavij, Veronæ in Cœnobio di S. Ioanne del monte, passim circa Tigurum in vineis, Tubingæ, Eslingæ, & Genevæ in agris Februarij mensis principio, mense Maio cum siliquis. Basileæ in segetibus prope S. Iacobum collegit C. Bauhinus; Pona in monte Baldo; Dodonæus in arvis pingui lætóque solo, & non raro inter ipsas segetes, non modò in Italia, verùm & in Belgio, Maio & Iunio mensibus præcipuè vigens.

Vires & Usus. Pectinis veneris radix cum Malva tusa omnia corporis infixa extrahit, id quod ipsa natura ostendisse creditur in acubus seminum. Eadem cum herba & floribus in patella calefacta ex vino albo meraco & butyro una cum hortensis Petroselini foliis, pubique adhibita, remorantem urinam, pueris præsertim provocat, authore Matthiolo. Quidam antequá floreat, & tenera est, cùm butyro & oleo, &.

PECTEN VENERIS TENVISSIMÈ dissectis foliis, Antriscus Casabonæ.



Descr. EX radice tenui, parùm fibrosa, caulis unus, vel plures, tenuis exit: folia ad radicem ex longiusculo pediculo tenuissima, Mei ferè divisurâ, quæ per caules pediculi sui vagina eos complectuntur: indidémque alij seorsim pediculi prodeunt duûm, triúmve unciarum, quorum extremis hærent in minima umbella flosculi, qui post se radiata relinquunt cornicula, Pectinis veneris, unciâ circiter longa, at breviora & tenuiora quàm in illa, quina plerumque ubi parvæ plantæ, ubi majores, plura. Hæc, ni multùm fallor, Montbelgardi plurimùm degeneravit, & excrevit in caules cubitales, crassos, ramosos, in quibus rostra sive cornicula plura non minora, imò majora, quàm in Pectine veneris vulgari, se in latera incurvantia, mense Augusto pene matura. Primùm autem semina accepimus ex Stutgardiano horto E. C. VVirtemb. quo *Anthriscum Plin. Cas.* missa fuerunt per insignem hortulanum Magni Ducis Casabonam, titulo Antrisci Plinij Candiæ. Anno sequenti 1595. cùm essemus Heidelbergæ siccam plantam dedit D. Sprengerus valde parvam, unciarum circiter sex, eodem quo Casabona, titulo. Anno verò 1598. pro Scandice Cretica pulchram plan- *Scandix Cretica.* tam multò majorem, pedalem ferè accepi Basileæ à D. Richnero: similem nobis dedit anno 1599. frater C. Bauhin. sed minorem nomine Antrisci ex Creta transmissi.

Anthriscum Bellii. De hoc Pectine veneris, sive Antrisco Casabonæ agit Honor. Bellus in epist. ad Clusium, his verbis. Anthriscus herba simillima Scandici legitimæ [*Pectini veneris*] est, folia ferens tenuiora, crebriùs divisa, odoratiora multò: cauliculi ejus dodrantales, flores in umbellis albi, semina longa, sed minora quàm Scandicis: tota planta suavissimi gustûs est: provenit lætis collibus, locis siccis, & inter saxa: manditur in acetariis Vere, & maximè appetitur. Venerem mirum in modum excitat & adjuvat, ideo τζιλαπίδια nomine obscœno vulgò vocatur, quod vulvæ purgamentum significat. Meminit Antrisci Plinius l. 22. cap. 22. his verbis. Eadem erat Antriscus, si tenuiora folia & odoratiora haberet, &c. quæ quidem verba corrupta sunt & hoc modo legenda: Eadem erat Anthriscus, nisi tenuiora folia & odoratiora haberet. Nam si legatur *si*, & non *nisi*, Anthriscus esset Pecten veneris vulgaris, cui *Plinius corrigitur.* non conveniunt vires à Plinio tributæ Anthrisco.

Antriscum Plinij Clus. Clusius etiam hanc intelligit, cùm ait. A nullo recentiorum hactenus descriptam arbitror Anthrisci Plinij historiam, quæ nata Lugduni Batavorum *Descr. Clus.* in Academico horto anno 1595. semine è Cretæ Cydonia ad me misso à docto viro Honor. Bellô, ejus urbis Medico. Dodrantalis est planta, statim à radice tenui, longâ, albâ, paucis fibris donatâ, multa folia in multifidas, tenuésque alas divisa proferens; pænè instar foliorum Scandicis, non injucundi, si terantur, odoris, neque, si gustentur, saporis, qualis ferè Chærefolij vulgaris, inter quæ breves prodeunt cauliculi, quadam tenui lanugine præditi, qui in breves, virides, graciléſque ramulos dividuntur, sustinentes umbellulas, quatuor, quinque, aut sex flosculorum, quinque foliolis albis praeditorum, in quorum medio exile quidpiam ex purpura nigricans: flosculis succedunt, seu veriùs flosculi sustinentur, à stilis quibusdam gracilibus, qui paulatim in uncialem longitudinem succrescentes, formam referunt thecarum seminis Pectinis Veneris vulgò vocatæ plantæ, sive Scandicis silvestris. Flores & semen, sed immaturum protulit Iunio.

Syn. C.B. Bauh. phyt. Scandix 5. sive Creticæ similis: Ex radice gracili, oblonga, candida, caulem palmarem, tenuem, angulosum, hirsutum potissimùm parte infernâ emittens, foliis Scandicis vulgaris, sed tenuioribus, flore pusillo albo in exiguis umbellis, cui succedit semen oblongum ut in Cretico Pectine veneris, sed breviùs & paucius etiam in apice bipartitum, subhirsutum. Hanc Casabona Antriscum Plinij vocat. Huic figura Apij silvestris Dalechampij apud Lugd. p. 700. per omnia conveniret, si semen responderet, & caules hirsuti mentionem faceret. Eid. B. pin. Scandix 4. Cretica minor: quæ 5. & 5. in phyt. at 2. in prodr. Anthriscus Plinij, Clus. hist. Anthriscus vulgò τζιμεμιδια, quod vulvæ purgamentum significat, cùm venerem excitet, Belli ep. 1. ad Clus. an Scandix legitima quæ χαιτζιμ & σκανδιξ, quæ comeditur., Eid. lib. 1. Anisomarathrum Apulum Colum. & Clus. hist. ap. alt. an Apium silv. Dalech. Lugd. Duplex est odora & inodora.

PECTEN VENERIS FOLIO TEnuiori, paucioribus rostris.

Descr. HÆc palmaris est, radice parvâ, albâ, fibrosâ, ex qua cauliculi terni, quaternique procumbentes prodeunt, circa quos folia Scâdici vulgari similia, sed tenuiora: umbellæ minores, floribus succedunt semina oblonga acubus similia, non tot ut in Pectine veneris vulgari, ubi communiter octo observantur, sed bina, terna, quaternáve, & illa hæc longitudine media superant.



Synon. Hanc vocat Bau. phyt. descriptionis autor Scandicem 3. sive semine rostrato Italicam. Apud Matthiol. Scandicem 2. Italicam. Miror ego tantam hirsutiem à fratre appingi siliquis & nullam ejus fieri mentionem in descriptione. Eam missam ait per Doldium Norimberga, cujus semen Neapoli missum fuerit. Hanc C. Bauh. eandem facit in pin. cum præcedenti: an bene considerent alij.

PECTEN VENERIS CRE- ticum.



Descr. FOlia hujus inferiora subrotunda, per oras sunt obliquè dissecta, Saxifragæ minoris Lobelij similia, sed nigriora leviter hirsuta, superiora verò formâ Scandicis vulgaris dissecta. Caulis cubitalis, angulosus, striatus, subhirsutus: umbellâ parvâ sparsâ floribus albis, at latioribus, quàm in vulgari foliis, quibus succedit semen rostratum, decem, duodecim & pluribus rostris simul junctis: cuilibet rostro apicês duo quasi aculei rigidi præfiguntur, quod & in Chærefolio observare est. Patavio à Doctore Zvvingero accepta.

Synon. Bauh. descriptori est in phyt. Scandix 4. sive Cretica. apud Matth. Scandix 3. Cretica. Miror autem eum pilorum in siliquis non meminisse in descriptione. Eid. B pin. Scandix 3. Cretica major: quæ 4. in phyt. 1. in prod.

PERCHEPIER ANGLORVM quibusdam.



Descr. PLANTULA est plurimùm biuncialis aut triuncialis, paucis culmulis. Est &, quod numerosa coliculorum palmarium luxuriat, quos ex geniculis crebris ad summum usque foliola stipant subrotunda, tripartita ferè, profundè laciniata, ad Geranei columbini folia quadantenus accedentia, licèt minora, hirsutaque, inferiora quidem pediculis donata, superiora perbrevi aut nullo. Inter quæ flosculi delitescunt exigui, herbidi, ac nisi rectiùs intuearis, vix conspicui. Radicula nigra, cava, flexilis, tenax atque dura, in fibras oblongas terminatur.

Scandix minor, Tab. Tabern. vocat Scandicem minorem / klein nadel Kerffel / klein nadel Möhren / quæ nomina germanica non conveniunt. nulla enim in hac herba acus observatur. C. Bauhin. in append. phyt. Scandix 6. sive minor Saxifraga (quia

(quia vehementer & repentè urinas movet) dicitur. Eid. pin. Chærophyllum 3. sive Chærophyllo nonnihil similis: Perchepier (i.e. Saxifraga) Anglorum; Scandix minor, Fab. Alchimilla montana minima, Col. Lob. adv. p. 324. Percepier Anglorum, quo nomine inscribitur etiam in Icon. p. 727. & Obs. p. 419. ubi dubitat an sit Scandix. De hac aitin adv. Qui Percepier Anglicum probè perspectum habent, harum duarum stirpium utrivis [Cerefolio & Scandici] simile esse sciunt; & neutiquam iisdem viribus secundum; amaror etiam & acrimonia in eo percipitur, & passim valetudinis causà olere manditur: Figura ei Cerefolij nuper nati proxima; sed herbula semper est, nusquam spithamæo adultior, toto anno suapte sponte erumpit, arido & trito Solo luxuriat, sine caule, flosculis herbaceis. Hanc plantam propono magis, quàm assero: quia herbarus non valde notam, neque quod sciam descriptam. Figura proposita à Lobelio vix demonstrat similitudinem cum Cerefolio: appictus etiam caulis, quem ei negat. Considerandum an intellexerit fortè plantam diversam à sua figura & nostra.

Lugd. p. 793. intitulat Percepier Anglorum quibusdam. Pona in Baldo Percepier Anglorum Penæ.

Locus. Arvis agrisque suapte sponte primo Vere prorumpit, ut etiam in agris Montbelgardi. Circa Patavium inter segetes observavit quoque H. Cherlerus.

Vires. Neutiquam Cerefolio viribus est secundum. Amaror etiam & acrimonia in eo percipitur, & passim valetudinis causa olere manditur. Vehementer & repente urinas ciet. muriâ conditum servatur: & ex ea aqua stillatitia magno usu elicitur. Angliæ Bristoiæ frequentissimo apud mulierculas usu recepta est.

CHÆREPHYLLON.

Cap. XXXIV.



Descr. Vulgò appellat Cherefoliū herbam, radice nitentem albâ, minimi digiti crassitudine, sapore ferè Pastinacæ: cujus folia Apij hortensis foliis similia, non ita longa, argutiùs divisa, aversâ parte hirsuta, nonnihil subinde rubentia, sapore aromatico, pediculis sæpè rubentibus, nonnihil hirsutis: caules plures ab eadem radice exsurgunt, ramosi, concavi, striati: in quorum extremis, ut & ramulorum, flores in umbellâ rara, parvi, albi, quinque foliolis cordatis totidemque staminibus albidis constantes: semen oblongum, tenue, sapore dulci & aromatico.

Quæ vulgò Chærephyllum vocatur, Ruellius Gingidium appellat. Hunc sequitur Fuchs. Gesn. in catal. pl. & C. Bauh. qui in phyt. Gingidium 5. vocat, & Chærephyllum Columellæ. An autem Plinij Cerefolium sit, propter brevitatem asserere non vult. Ipsi potiùs videtur Anthriscus ejusdem, & fortè ἐνθυσκον, quod Enthuscum vertit Gaza, Theophrasti. Gingidiū. Antriscum. Enthuscū.

Gingidiū Corn. Quum juxta Dioscoridem & Plinium, Staphylino sive Pastinacæ silvestri simile sit Gingidium: & nullum apud nos olus Pastinacæ similius sit, quàm quod vulgo Kerfel & Kerfelkraut vocant: mihi quidem verisimile fit, inquit Cornarius, hoc ipsum olus Gingidium esse. Quanquam ipsa appellatio Chærephyllon referre, & ex ipso corruptum esse videatur. Recenset autem & Chærephyllon inter folia Plinius l. 19. c. 8. his verbis. Rursus alio comitatu, Æquinoctio Autumni seritur Chærephyllon, quod Pæderota Græci vocant. Nam verba quæ sequuntur ad Sinapi pertinent. Meminit & Chærephylli in carmine Columella l. 10. Iam breve Chærephyllon inquit, circa Calendas Octobris obrui oportet non frigidissimo loco. Habet & Palladius l. 3. c. 24. Nunc (*in Februario*) Cærefolium locis frigidis post Idus seratur. desiderat agrum lætum, humidum, stercoratum. Fieri igitur potuit, ut hi Chærephyllon appellarint, id quod Dioscorides & Galenus & Medici Græci Gingidium dixerunt, ita ut hi Syrorum voce usi sint, illi Græca: & quanquam Palladius ex græca & latina particula compositam vocem usurpet. Sed hæc quidem ex conjectura dico. Quòd verò nostrum olus Kerfel dictum, referat appellatione Chærephyllon, negari non potest. Quòd autem Gingidio illud simile sit, aspectus indicat Pastinacam penitùs referens. Obstat tamen Plinius, qui diversis locis, tanquam de diversis, de Gingidio & Chærephyllo tradidit. Attamen nec hoc infrequens apud ipsum est, ut de eadem re, diversis locis & nominibus agat. Cæterùm, quod Galenus & Paulus Scandici simile Gingidium dicunt, id ita accipiendum videtur, velut Gingidium proprium Syrorum fuerit, cujus similitudinem in Asia ac Græcia Scandix habuerit. Hoc enim verba ipsa Galeni declarant; ... παραπλήσιον τῷ ... Pæderota. Gingidium antiquorū.

Possit itaque etiam ipsa Scandix, nostrum Chærephyllum esse, ut id quod Syris est Gingidium, Asianis & Græcis Scandix, Latinis Chærephyllum & Chærefolium, Germani Latinos æmulati Kerfel dixerint. Profectò Dioscorides etiam Scandicem, velut simile olus, mox post Gingidium posuit, non tamen velut Galenus, similitudinem expressè dixit, sed eundem usum ipsi attribuit. Hæc Cornarius, qui Chærephyllon Gingidium aut etiam Scandicem esse frustra conjectatur.

Hujusce sententiæ esse comperiuntur Ruellius & Fuchsius (licèt non planè adstipuletur) nec non etiam recentiorum alij in hoc consentiunt, quòd Gingidium ea sit planta, quam nos (*Itali, inquit Matth.*) vulgò *Cerefolio*, illi verò Chærefolium. Veruntamen cùm hæc radice nitatur, quæ nihil amara sentitur, sed potiùs acris & odorata, quemadmodum & folia; idcirco eorum opinionem non equidem (ut dicam quod sentio) probandam putaverim. Sed ex Galeni verbis de Gingidio facilè comprobari potest, Chærefolium non esse Gingidium, quod in ipso Chærefolio ex amaroris & adstrictionis qualitates Gingidium esse negat Matth.

quas Gingidio Galenus adscribit gustu haud manifestæ deprehendantur. Idem in post. comm. addit. Non potui unquam eorum subscribere opinionibus qui plantam *Cerefolio* vulgò vocatam Gingidium esse censent. Plinii Chærephyllon, quod Pæderota Græci vocant, acerrimum sapore, ignei effectûs, saluberrimum corpori, nostrum esse non potest, quòd tam vehementi acredine non sit præditum. In epit. cum addit. Camer. non deesse scribit, qui vulgare Cerefolium Myrrhidem faciant. Verùm cùm caulis Cicutæ non sit, nec radicis usus: sed foliorum: iis profectò subscribendum non esse. Hæc Matthiolus qui sua ex Hermolao accepit, licèt ejus non recordetur. Myrrhidem (inquit Coroll 730.) sunt qui per Chærephyllon modo nominatum, in hortis passim nascens, intelligant. Plinius (cujus verba postrema de Sinapi dicta videri possunt, de quo statim idem loquitur) Chærefolium aliud videtur accepisse. Et certè quę à Plinio dicuntur de saporis acrimonia, non debent quenquam in eam pertrahere opinionem, ut ipsis fidem habeat. Plinii Chærefolium diversum esse, Plinii verba legenti apparebit.

Myrrhis non est.

Myrrhis, Herm.

Oreoselinū, Anguill.

Anguill. Oreoselinon, statuit epist. 7. his verbis: Oreoselinum i.e. Apium montanum, nihil aliud est, quàm commune *Cerfoglio*, quod quidam Gingidium putarunt, quod non verum. Theophrastus & Plinius dicunt habere folia Cicutæ. Nunc adhuc in Græcia Apii species existimatur, & in quibusdam locis dicitur ὀρεσέλινον, i.e. Apium montanum.

Negat esse Gingidium & Oreoselinum Dod.

Dodon. gall. & lat. in fol. figuram habet Fuchsii j, quæ est in Iconibus. Negat esse Gingidium, ut plerisque visum fuit. haud amarum siquidem sit, sed grato jucundóque sapore commendetur. Negat quoque & meritò Oreoselinon esse; hortense siquidem sit, non montanum; semen etiam non acre, aut Cumino gustu simile, veluti Oreoselini esse scribatur. Plinii locum de Chærefolio admodum corruptum esse ex Cornario monet, qui & Macro imponere potuerit.

Pro Myrrhide admitti posse videtur Trago.

De Chærefolio hæc scribit Tragus. In initiis Petroselino prope simile est, sed tenuius, pluribúsque incisuris dissectum, ut eo nomine cum Cicuta majorem affinitatem contraxisse videatur. Sin autem Chærefolium Apii genus fuerit, quemadmodum Constantinus & alii multi opinantur, jure equidem post Apia proximum locum occupavit. Quod in Dioscoride habeat nomen, non satis constat, ut sunt variæ de ea re autorum sententiæ. Ego certè propemodum mihi persuaseram Chęrefolium esse Oreoselinon, seu montanum Apium, sed non prorsus cum herba ipsa cōvenit historia. Extant autem duo alia apud Dioscoridem capita, quæ satis Chærefolio quadrare videntur, nimirum caput de Sisone, seu ut vocavit Hippocrates, Sinnone. Et alterum de Myrrhide, quod Brunfels. ad Chærefolium retulit, quòd mihi nequaquam improbatur. Nam Chærefolium hoc sativum odoratum est foliisq; per omnia excepto odore & sapore Cicutæ simillimum. De hoc autem non facilè contenderim, tametsi enim, quod ad odorem, formámque attinet herbæ, descriptio Myrrhidis satis respondeat, tamen radice, quam habet breviusculam Chærefolium ab eadem Myrrhide discrepat. Sed uti aliàs semper inculco, sentiat quisque quod vult, nemini enim erroris causam præbere volo, meam duntaxat indicans sententiam. Columella Chærephyllon appellavit. Plinius & Apulejus longè aliud describunt Chærefolium. Apulejus namque Chærefolium [illegible] Bootes, Bootis, Arctophyllon, & Pederos nuncupat. Sed & Plinius Pederota nominari scribit. Gesn. in cat. Gingidium Dioscoridis esse statuit, quæ sententia utique probanda videtur assentiente

Sison.

Plinii & Apulei Chærefolium no idem.

Ruellio. Hæc Tragus, apud quem in margine notatum à quopiam, Chærefolium Apulei esse Acātham Dioscoridis, quæ Pæderotis dicatur, Plinium l. 37. c. 6. & 9. Pæderotas dicere gemmas esse, sed nihil Chærefolio cum gemmis est commune.

Anthriscum.

Toxites in Onom. philosoph, Harchius in Enchir. Hadrian. & Helricus in Nomencl. itémque C. Bauh. aliique nonnulli, Anthriscum eandem herbam putarunt, cum ea quam Cærephyllum Columella dixit. Quidam, inquit Lugd. l. 6. c. 48. pertinaciùs contendunt Anthriscum Plinii esse Chærephyllum nostrum. Idem Lugdunensis Chærephyllum Plinii à Cerefolio nostro planè diversum dicit, sed cur, rationem non assignat.

Chærefoliū Cæsalp.

Hoc & Plinii Cerefolium idem esse conjicit Cæsalpinus, quâ ratione non docet. Cerefolium, inquit, vulgò appellatur à recentioribus inter Apia cōnumeratum: peregrinum est apud nos: seritur in Gallia pro olere: Plinius cùm nullas Cærephylli notas tradat, non licèt nisi ex nomine conjectari hanc esse, quæ in hunc usque diem Cerefolium vocatur. puto apud Dioscoridem Oreoselinon esse, itémque Theophrasti (apud quem Theod. Montapium vocat) ac Plinii, qui eadem recenset ex Theophrasto, & Galeni.

Montapiū.

Synon.

Cæterùm, Cherefolium dicitur Brunfels. Dod. lat. in fol. Chærefolium Trago, quod sativum cognominat, ut patet. Cerofolium, Matth. Lud. p. 711. Cerefolium, Dod. gall. Lob. Adv. p. 324. Icon. p. 280. Lonic. Tabern. Camer. & Cæsalp. Cerifolium, Gesn. hort. Gingidium, Ruell. Fuchs. Lacunæ & Gesn. in cat. pl. Gingidium 3. & Chærophyllum Columellæ, C. Bauh. Eid. pin. Chærophyllum 1. sativum. Gingidium 5. in phyt. Gingidii species Lob. Obs. p. 419. Oreoselinum Anguillaræ.

Linguarum nomina in Ethymo.

Cerefolium itaque Latinis dicitur, & ut nonnullis placet, Cerofolium per o secunda syllaba. itémq; Cherefolium & Chærephollum, Cerephyllum & Chærephyllō (χαιρέφυλλον) Nominari autem sic putatur, quòd multis foliis gaudeat: vel potiùs quòd gaudium ac hilaritatem excitet. Germani Körffelkraut/ aut Körbelkraut: Belg. Kervel: Galli *du Cerfueil*: Itali *Cerefoglio*: Hisp. *Segun algun. s.* Angli Chervel: Böh. Trebule a nebo Kerbluf: Hung Olaz salatahoc est, Italicam Lactucam vocant.

Locus cum tempore.

Passim in hortis colitur: terrâ stercoratâ & aliquantulum humente lætatur. Vere satum celeriter in caulem assurgit, esuíque citò parum idoneum redditur: Sed quod Augusto seritur per totam insequentem Hiemem ac etiam Ianuario virens, florens mense Aprili & Majo, utile est.

Vires & usus. Sanguis concretus.

Succus foliorum Chærefolii sicuti & aqua destillata; sanguinem ex casu, contusione, aut plagis concretum dissolvit: posset fortassis non sine utilitate ad calculum renum mensésque muliebres ciendos in cibo & potu usurpari. Si quis in discutiendis concreti sanguinis grumis efficaciorem desideret medicinam, is oculos cancrorum & carbones Tiliæ in pulverem redactos in succo aut aqua Chærefolii destillata imbibat. porrò & ad pleuritin seu puncturam laterum hocce remedium facit. herba Chærefolii adhuc teneri inter olera mansa stomacho & capiti conducit, ob odorem quem habet gratissimum, Chærefolium tusum ac emplastri modo foris impositū omnes tumores & intra cutem carnémq; casu, contusione, aut quacunque tandem ratione concretos sanguinis grumos discutit; non aliter atque Sigillum, ut vocant, Salomonium: Auctor Tragus: Quibus addit Matthiolus. Calidum primo gradu, medio se habet modo inter humidum & siccū. Comestum urinam promovet, & obstructionem solvit. idem facit decoctum. herba conducit stomacho, vinum in quo coxerit Chærefolium, haustum, utilissimum

Pleuritis.

Tumores.

Temperamentum.

utilissimum est vesicæ, menses ciet. ad icterum, accipe succi Chærefolii cochlearia octo, quibus infunde drachmam triti Marrubii, & calidè propina diebus aliquot continuis. Cum melle remistus succus & bibitus confert tussi: idémque succus ex decocto hordei cum saccharo sumptus, pleuritidi benefacit. pulvis herbæ cum melle mistus cancrum incrementa capere prohibet. planta integra in aqua decocta, cui admistum sit acetum, si abluatur eo caput meliceridas & lendes curat. Et hæc leguntur in historia germanica. Inlat. inquit. Tota planta dulcis est & odorata, acriusculo quodam accedente sapore, vix ferè sensibili: quò fit, ut aliis oleribus addita, ea gustui gratiora reddat. Estur cruda in acetariis unà cum aliis plantis ad hoc idoneis, ac etiam cocta cum Beta, aliísque oleribus. Camerario apud Matth. germ. succus è Chærefolio expressus ex jusculo gallinæ aut carnium sumptus torminibus ventris succurrit. in primis verò si in butyro frigatur herba & abdomini superponatur, certum est contra tormina remediū. Chærefolium, inquit inter alia Dodonæus, temperatè excalfacit, modicéque deficcat, multóque minùs quàm Apii genera. Flatulentum verò etiam aliquid obtinet, quamobrem & venerem promovet.

Tussis. Cancer. Meliceris. Tormina Ventris. Venerem promovet.

MYRRHIS VETERIBUS ET in genere.

Cap. XXXV.

Diosc. MYRRHIDEM, quam alii Myrrham, nonnulli Conilam, Romani verò pariter cum Græcis Myrrhida appellant, Dioscorides similem esse tradit Cicutæ caule foliisque: radicem verò habere oblongam, teneram, rotundam, odoratam, cibo non insuavem. *Usus.* Hanc potam in vino, phalangiorū morsibus auxiliari. Ciere verò menstrua & fœminarum purgationes à puerperio trahere. Eandem decoctam & in sorbitione datā, phthisicis subvenire. Tradere & nonnullos eandem bis in die térve potam ex vino in pestilenti constitutione ita salutarem esse, ut arceat morbi contagia.

Plinius. Myrrhis (inquit Plinius l. 24. c. 16.) quam alii Smyrrhizam [*alij Smyrnizusam, Dalech.*] alii Myrrham vocant, simillima est Cicutæ, caule, foliisque & flore, minor tantùm & exilior, cibo non insuavis. Ciet menstrua & partus cum vino. Aiunt quoq; eandem potam in pestilentia salutarem esse. Subvenit & phthisicis in sorbitione. Aviditatem cibi facit. Phalangiorum morsus restringit. Hulcera quoque in facie aut capite succus ejus in aqua triduò maceratæ sanat. Hæc ille, qui l. 26. c. 11. Geranium Myrrhin appellari ait.

Galenus. Myrrhidi 7. simpl. Galenus has reddit vires. Radicem, inquit, habet odoris jucundi, & dulcem, quæ menses movet, & ea quæ in thorace ac pulmone sunt, expurgat. Itaque ex secundo ordine fuerit excalfacientium, adjunctâ quadam partium tenuitate.

A myrrhæ odore fortè dicta. Verisimile autem est à Myrrhæ odore Myrrhida & Myrrham dictam fuisse, inquit Marcellus. Nullus tamen quod invenerit; apertè id testatus est in Græcis aut Latinis. Odoratâ siquidem radice à cunctis describitur, potuitque illi ab ea nota nomen hoc factum fuisse.

Æqui-voca. Cicutaria. Cæterùm, quia Cicutæ similem scriptores tradiderunt, ideò aliqui Cicutariam eam dici crediderunt.


Geranium. Myrrhidem dici de Geranio patet ex Plinio, ut copiosiùs indicabimus H. n. g. lib. 30.

Chærefolii. Chærefolium quibusdam censetur Myrrhis, verùm notæ non respondent.

Sunt qui pro Myrrhide Angelicam accipiant, quæ opinio suo loco refutatur. *Angelica.*

Ea nobis Myrrhis sive Myrrha vera videtur, quæ semine est magno, longo, sulcato & dulci, de qua jam dicemus. *Myrrhis vera*

MYRRHIS MAGNO SEMINE, longo, sulcato.



Descr. MYRRHIS radicem habet insigniter crassam, adnatis plurimis & crassis donatam, albam, sapore dulci, subacri, grato, aromatico, qualis est seminis Anisi sapor: caules surrigit aliquot proceros bicubitales, & tricubitales, brachiatos, hirsutos, fistulosos: folia magna, pinnata, Cicutæ foliorum facie, magis albicantia, & albis maculis subinde respersa, tactu mollia, nervis aversâ parte pilosis, sapore Anisi, pediculis fistulosis: flores in umbella gerit cādidos, leviter odoratos, quorum singuli foliis quinis constant bifidis, seu cordatis, extimo intimis duobus oppositis simul utrisq; maiore, lateralibus binis medio modo se habentibus bisurcato stilo albo cum staminulis albis medium occupante particularium umbellarum basim sustinet senū radiorum stella: succedit semen notatu dignum, magnum, longum, angulosum, sulcatum, sapore Anisi dulci & jucundo.

Matth. Si Myrrhis hæc nota fuit Matthiolo cur nihil de ea tradit præter Dioscoridis descriptionem factam per Ruellium ex Plinio. Gignitur, inquit, in quàm plurimis Italiæ locis planta quædam Cicutæ faciem repræsentans, minor tamen, miniméque graveolēs, Cicutaria vocata, quam quidam legitimam Myrrhin esse censent. Sunt deinde qui pro Myrrhide Angelicam vulgò appellatam accipiant. Alii verò, ut Manardus, Chærefolium. Cæterùm, si Myrrhis in Italia provenit, nulla sanè mihi (Matthiolo) sese obtulit planta, quę magis Myrrhidi Dioscoridis respondeat, quàm cujus effigiem Myrrhidis titulo pinxi. Hæc ille, qui imperfectam iconem proponit, quemadmodum & Patrocinator ejus C. Bauhinus. A Camer. in ep. & hist. Myrrhis inscribitur. Lugd. p. 760. dicitur Myrrhis Matthioli.

De hac Myrrhide ait Lobel. adv. p. 327. Odoratam hanc, sive salubrem & esculentam possit quis vocare Cicutam, quam Myrrhidem sive Myrrham propter suaveolentiam, quiddam Myrrhæ resipientem dixerunt. Cerefolii nomen apud Germanos ascivit: vocant enim wild Keruel/ i.e. silvestre Cerefolium, quod odore, saporisque jucunditate imitatur, etiámque facultatibus diureticis: facie verò est Cicutæ: tenellâ hirsutie Pastinacam refert: Ferulæ aut Pastinacæ esculentæ saporem & odorem, sed magis medicatum & ad Smyrnium accedentem repræsentat. Hæc etiam Myrrhis Pliniana videtur, *Myrrhis Pliniana.*

Cicuta odorata, salubris & esculenta. Cerefolium sylvestre.

quam ortâ confusione à Geranio odoro, Myrrhidem Romani perperam faciebant: unde quispiam Scandicem vulgarem oleraceam meritò suspicetur, aut illius aliquam speciem. Hæc ille, qui in Obs. p.423.vocat Myrrhidem adversp.327.& Seseli Peloponense Anguillaræ. In Icon. p. 734. Myrrhidem. An verò sit Seseli Peloponense Anguillaræ dubitamus.

Scandicis species.

Myrrhis, Lob.

Gesn.h.Myrrhis quam aliqui Italicam cognominant; Alii verò Cerifolium hispanicum. Cæs. Cicutaria tertia, odore & sapore Fœniculi, indéque Alpinis *Finocchiella* vocata, à Dioscoride & Plinio Myrrhis. Bauh.phyt.Myrrhis 1.sive maior, vel (addit in pin.) Cicutaria odorata: Myrrhis, Matth. Cord. in Diosc. Gesn.h. Lac. Ad. Lob. Dod. Cast. & Lugd. sativa, Cam. Seseli Peloponense, Ang. Ceresolium hispanicum, Tab. Ceresolium magnum & Cicutaria tenuifolia, Ger.

Cerifolium hispanicũ.

Synon. C.B.

Græcis Μύῤῥις, welscher Körbel/ wilder Körbel/ Matth. Belg. wilde Kervel. Gall. *Cicutaire* quibusdam & *Persil d'asne* (quæ tamen nomina vulgaria Lobelii mihi non placent.) Ital. *Mirrade* & *Finocchiella*.

Linguarũ nomina.

Myrrhis nobis provenit in horto Genevæ secundo anno à satione, ubi Hiemem pertulit. Paravii mense Ianuario & Februario vidi in horto D. Cortusii. Montbelgardi si semina quàm primùm matura sunt in terram recondantur, prodit Vere, sed ante secundum annum caulem non profert. In Ober-Enzingen prope *Nirtingen* Ducatus Vuirtembergici in horto D.Iacobi Præfecti pagi vidimus mense Octobri. Is vocabat Chærephyllon maximum.folium autem ita variabat, ut aliam pęnè existimassem plantam, nisi semina misisset. In Hassia circa Cassellas sponte provenire Myrrhidem referebat Gillenius. Hæc, ut ait Lobelius, non adeò frequens aut procera occurrit, sed rarior & in pratis, vel germinosis marginibus etiam olitoribus ad vescendum in Belgio multa colitur & citatur in jusculis Ceresolij vice. Fertur autem apud Germanos in pratis alicubi nasci, Dodonæo perhibente, cùm apud Belgas hortensis tantummodo sit. Majo mense flores profert: Iunio ac Iulio semen maturescit. radix singulis annis primo Vere regerminat, post seminis perfectionem restans.

Locus cum tempore.

Myrrhidis porrò folia non minùs quàm Chærefolii edulia sunt, in eorundémque locum quandoque assumuntur. Myrrhis (ut apud Matth.germ.cum addit. Camer. legitur) calida est secundo ordine, & partium subtilium. Radix cum vino pota medetur morsui aranearum. À partu purgat mulieres, & mēstrua promovet. Cum melle cocta & sumpta tabidis conducit. pectus & vasa respirationi dicata à viscosis humoribus purgat. Cum vino cocta, & bis aut ter in die de hac pota à peste præservat. Herbam & radicem decoquunt ad urinam provocandam. Fit quoque extractum ex herba & radice contra pestem & puerorum epilepsiam. Radix tribus diebus in aqua macerata, fac iéque hâc lotâ ulcera ejusdem curat. Plura qui volet, legat quæ ante è veterum sententia protulimus. Plantam siquidem à nobis traditam eorum Myrrhim esse statuimus.

Vires & usus.

Temperamentum

Menses cit.

Tabes.

Pestis.

Epilepsia.

MYRRHIS BROCCENBERGENSIS
foliis Myrrhidis Italiæ, flore albo, radice crassâ, nigrâ.

Descr.

RADICE crassâ, profundâ, nigrâ: caule sesquicubitali, cavo, hirsuto, quem folia nigriora, palmari ferè pediculo, eoque imbricato amplexantur membraneâ veluti vaginâ, similia Myrrhidis Italicę, seu Apii alicuius multùm incisi: è membranearum autem vaginarum medio, exoritur subinde alius eodem modo foliosus pediculus, qui tandem ubi folia ei esse incipiunt, aliam peculiarem vaginulam protrudit, ex qua deinceps prorumpit densa, orbiculatáque umbella, duas uncias non multùm excedens, conferta exiguis flosculis candidis, muscosisque. Loco uliginoso fruitur.

Thalio descriptionis authori dicitur Myrrhis Broccenbergensis. Bauh. phyt. Myrrhis 3. (5.pin.) Quænam autem sit Myrrhis hæc Thalio nos cum fratre C.Bauhino adhuc latet.

Synon.

GINGIDIVM VETERIBVS, & in genere.

CAP. XXXVI.

GINGIDIVM ait Dioscorides alios Lepidium vocare; nasci autem plurimum in Cilicia & Syria; herbulam esse Pastinacæ [σταφυλίνῳ] silvestri similem, sed tenuiorem & amariorem [πικρότερον, cod. Basil. μικρότερον, antiq.] radicem habere parvam, subalbidam, amaram [ῥίζαν πικρίζον, cod. Basil. ῥίζαν πικράν Matth. Trag.] edi crudum & coctum & sale asservatum. Esse autem stomacho commodum, ciere urinam. Et decoctum ipsius potum cum vino, vesicæ utile esse. Idem postea Staphylini silvestris folia Gingidio similia esse tradit.

Diosc.

Plinius l. 20. c.5. Gingidium hoc modo depingit. Syria in hortis operosissima, (unde quoque est proverbium Græcis, Multa Syrorum olera,) simillimam Staphylino herbam serit, quam alii Gingidion vocant. Tenuius tamen & amarius, ejusdémque effectûs est, coctum crudúmque stomachi magnâ utilitate. Siccat enim ex alto omnes humores ejus. Et hæc Plinii dicta cum Dioscoridis descriptione conveniunt.

Plinius.

Plurimum, inquit Gal.2.aliment. in Syria Gingidium nascitur & editur, simile apud nos Scandici. Est autem Stomacho valde commodū, sive crudum, siue fervefactum edere ipsum velis: longiorem autem cocturam non sustinet. Quidam edunt ipsum cum oleo & garo: quidam etiam vinum aut acetum addunt: & multò magis commodum est, & aversantibus cibum appetentiam facit, si cum aceto edatur. Et satis clarum est hanc herbulam medicamentum potiùs esse, quàm alimentum. Nam & adstringendi vi, & amaritudine manifestâ nō modicâ participat. De hoc itaque ut medicamento rursus agit 6. simpl. ubi ait: Gingidium quemadmodum gustu, amaritudine & adstrictione participat: ita temperamento, caliditate & frigiditate. Iuxta ambas autem qualitates siccat. Caliditatem equidem non ita manifestam possidet, siccat autem ordine secundo. Atque hoc modo etiam Paulus l. 7.c.74. Gingidium Scandici simile esse dicit, adstringentémque & amaram non parvam habere qualitatem, stomacho accommodatum esse, edique in fame & à jejuniis utiliter ex aceto, non tamen magnopere nutrire.

Galenus.

Paulus.

Dicta autem hæc sint, ut fortè aliquis sagaci ex Pauli historia conjecturâ quale Gingidium hoc sit, invenire possit, quod tamen difficilè admodum videtur. Siquidem Plinii ac etiam Dioscoridis tempore Græciæ & Italiæ peregrinum fuisse conjicimus. In Syria enim Galenus, Plinius & Dioscorides nasci & seri dixerunt; & hic quoque in Cilicia. Quòd porrò Dioscorides & Plinius Pastinacæ [σταφυλίνῳ] simile dixerunt; Paulus verò Scandici, ad faciliorem herbæ propositæ cognitionem parùm confert, cùm hæc duo simplicia nihil commune habeant.

Dioscorides quoque Lepidium ait à quibusdam ob similitudinem dici, ita ut minùs miretur aliquis ignorari nostrâ ętate, quodnam olus Gingidium sit.

Æquivoca.

Gesnerus

Gesnerus siquidem in catalogo suo plantarum, referente etiam Trago; Chærefolium Gingidium Dioscoridis esse statuit, quæ sententia probatus etiam à Ruellio.

Gingidium Dioscoridis verum Rauvvolfii, inscribitur à nobis Anetho similis planta, semine lato, pulchrè laciniato.

Caucalis Syriaca. Quam Caucalidem Syriacam maximo semine intitulavimus, Lobelius Gingidium foliis Baucicæ Syriacum cognominat.

Visnaga. Visnagam quidam volunt legitimum Gingidium, quorum opinio non placet.


Lepidium. Gingidii nomenclatura à Dioscoride tribuitur Lepidio.

Hippuris. Hippuris vocatur Gingidium à Gesnero in ascriptitiis Dioscoridis.

Gingidium Matthioli. Gingidium allatum ex Syria nullus certò pro Dioscoridis Gingidio ausit asserere. Ego Gingidium Matthioli voco quidem, sed Lappulam canariam flore majore esse potiùs judico.

Appellationes nothæ. Cæterùm, refertur in nothis Gingidium Dorisastin Ægyptios vocare: Syrios Adorin: Aphros Tuniétum: Romanos Visacutum. Sed & hæ appellationes incertæ, quòd barbaræ, & ex nullo auctore alio auditæ sunt.

GINGIDIVM MATTHIOLI.



Descr. LEGITIMI Gingidii plantam è Syria allatam sibi missam à Cortuso scripsit Matthiolus, Pastinacæ sylvestri haud absimilem, amariorem tamen, caule ramoso, rotundo, sesquipedali, striato, subnigricante, geniculatoque umbellâ in cacumine alba, minoribus circumquaque comantibus foliolis: è floribus semen prodire, quo maturescente umbellæ in sese contrahantur (ut in Pastinaca) & tactu glutinosæ sentiantur: radicem habere candicantem palmari longitudine, subamaro sapore. In hist. germ. cum addit. Camerarii ita describitur. Gingidium herba est habens folia ut Pastinaca silvestris, sed minora, amarioráque. Ab una radice procedunt caules multi, parvi, rotundi, concavi, sesquipedales, adnatis & albis umbellis, quæ circum circa exilibus, & viridibus foliolis donantur, profundiùs incisis, cauli adhærentibus. Vmbellę semen proferunt Ammi, quod si maturum est, clauduntur, tractatæque digitis adhærescunt: radix est subalbida, spithamea, amaruscula.


Locus. Nascitur ut plurimum in Syria & Cilicia, unde semen in Italiam infertur, ac in hortis seritur. Et ita verum Gingidiú innotuit, quo nomine Cerefolium falsò intellexerunt nonnulli. Hæc Matthiolus, qui Gingidiú vocat, eique Gingidii facultates adscribit.

Gingidium Matthioli, an Lappula canaria. Quale autem hoc sit Gingidium judicent qui viderunt: Figura habet multa communia cum Lappula canaria flore majore. Interea quoque considerádum an utraque descriptio non sit partim ex Dioscoride, partim ex dicta Lappula canaria & Visnaga composita: quid de figura Camerarii, quam & nos hîc proponimus) in hist. & ep. Matthioli dicendum sit non habeo. mutavit is unam umbellam, fortè ad descriptionem. Tabernomontanus cur majorem mutationem in icone sua expresserit, me latet. Hoc ei tamen commune non ignoro, quod quidem laudabile foret, si è plantis ipsis mutationes sumeret. vocat Gingidiú Dioscoridis, Syrisch Körffelkraut. *Gingidium Dioscoridis, Tab.*

Synon. Lobelius videtur existimare Lappam agrestem Tragi esse pro Gingidio Syriaco exhibitam.

Cast. & Cam. dicitur Gingidium. Lugd. p. 710. Gingidium Matthioli. Bauh. phyt. & pin. Gingidium 3. foliis Chærefolii: Gingidium Matth. Lugd. & Cast. primum Tab. & hinc apponit ad Matthiolum figuram illam Tabern. nomine Gingidii primi, non parùm mutatam fortè in deterius.

LAPPVLA CANARIA FLORE pulchro magno albo.



Descr. RAdix tenuis, alba, subdulcis cauliculú pedalem aut majorem interdum emittit, in ramos divisum aliquot, partim rectos, partim procumbentes, striatos, hispidos, purpurascentes, geniculatos, multisque alis concavos: folia Pastinacæ tenuifoliæ, vel Carotæ, hirsuta, Classio Apii ferè; umbella florum alborum, quorum folia externa aliis duplo majora, speciosa, quibus succedunt lappulæ oblongæ, sulcatæ, hispidæ.

Caucalis Tab. Tab. plantam à nobis traditam vocat Caucalidem, Apium silvestre, Kletten Körffel/ Acker Peterlein/ Acker Kletten. Dod. Caucalidem, quem Daucum silvestrem à nonnullis vocari refert; à rure verò Hetruriæ *Petrosello salvatico*, & spuriis vocabulis, *καυ-κα...* à Democrito *...*: Latinis Pedem gallinaceum, Pedem pulli: Ægyptiis *Sesesin*.

Lugd. dua figura. Lugd. p. 715. Caucalidem Dodonæi (& ita etiam vocat Gesn. h.) Item p. 761. Myrrhidem lappam Dalechampii: ponit duas figuras unius plantæ, quarum posterior multò deterior, quàm ea quam hîc ponimus, quæ minùs tamen placet.

Myrrhis Sylvii & Lappula campestris, Trago. Trag. Germ. l. 1. c. 158. Myrrhidem Sylvii. Item l. 2. c. 104. Lappulam campestrem, & ruralem, Acker Kletten/ Feld Kletten. Retur hanc esse agrorum Tribulum Virgilij l. 1. Georg. aitque Sylvium Myrrhidem Galeni existimare. Sed qui Tribulum verum noverunt & veram Myrrhidem, hanc negabunt vel Tribulum, vel Myrrhidem. pictuam malam habet Tragus, quę non exprimit pulchros flores magnos, nec folia. Si non descripsisset, existimassem cum pingere Lappulam canariam cum flore minore. *Non Tribulus contra Tragum.*

Tribulus terrestris, Lonic. Lonic. figuram habet malam ex Trago, quam inscribit Acker Kletten/ Tribulum terrestrem & Lappam campestrem. Anguill. vocat epist. 12. Lappulam canariam Plinii, & Italorum *Pedochi di cani*.

De hac ait Lob. adv. p. 324. Multi iam sunt anni cum pharmacopœus Martinellus nobis Gingidiú

Gingidium Matthioli, Lob.

ex Syria allatum asserere ausus est, sed contra nos esse indigenam plantam meminerimus, & biennio post magnâ copiâ in vinetis & segetibus inter Pisa silvestria & Caucalides crescentem vidimus: quæ etsi facie & viribus ad Gingidium alludat, tamen ex Dioscoride nullus ausit pro Gingidio asserere: Planta enim est Caucalidi natalibus & facie eadem, folio tamen longiore & angustiore: illi umbella candida, semen hirsutum, odore Pastinacæ silvestris. Item p. 329. Caucalidis duæ sunt in nostris vinetis & segetibus differentiæ, altera enim candida, foliis minoribus, sed caule proceriore. Et hęc Matthioli Caucalis. In Obs. p. 420. ut & in Icon. p. 728. pingitur hoc titulo: Caucalis albis floribus, vulgaris: Lappa agrestis Tragi. Lobelius suâ icone proponit nostram Lappulam canariam magno flore albo, quæ non potest esse Matthioli Caucalis, ut dicetur capite de Caucalide Matthioli: videtur Lobelium velle dicere Gingidium Syriacum Matthioli idem esse cum Lappa agresti Tragi, de qua nos proprio capite.

Caucalis candida.

Negatur esse Caucalis Matthioli.

Gingidio congener, Cæs.

Cæs. l. 7. c. 23. dicitur quædam in collibus asperis nascens semine grandi, prope nuclei Olivarum magnitudine, striato & valde hispido, colore candido, medullâ intus non injucundâ: ejus planta brevis est, dodrantalis: foliis Staphylino minutioribus, & tenuiùs scissis, ferè vt Fœniculi: umbellis parvis Gingidio similibus: floribus candidis, latifoliis. hanc congenerem Gingidio statuit, quamvis particularem Gingidii mentionem apud authores non reperiri scribat.

Caucalis albo fl. Clus.

Clus. hist. iconem exhibet, ac Caucalis albo flore titulo donat & describit, videturque illi hæc proximiùs ad Dioscoridis Caucalidem accedere.

Syn. C. B.

Bauh. phyt. & pin. Caucalis 4. sive arvensis echinata magno flore: Lappa agrestis, Trag. Lappula canaria Plinij, Ang. Caucalis, Dod. (& Daucus syl.) Gesn. h. Tab. Eyst. Caucalis alia vulgaris, Lugd. Caucalis albis floribus vulgaris, Lob. Ger. Caucalis coronatâ umbellâ, Cam. Myrrhis lappa Dalechampij, Lugd. Dauci genus arvense, Gesn. cat. Daucus ἀκανθόχαρτος seu ἐχινόχαρτος, sive ξανθόχαρτος minor, Thal. Echinophora συκινόχαρτος, an Gingidium Diosc Col. Testatur frater in animadvers. in Lugdunensem Caucalidem Dodonæi & Myrrhidem Lappam Dalechampii, utrinque describi, illius tamen figuram esse longè meliorem.

Pona in Baldo vocat Lappam agrestem Tragi, & Caucalidem albam Penæ. D. Zvvinckerus misit Basilea pro Myrrhide Monspeliensi.

Locus cum tempore.

Lappulam canariam flore majore reperi inter Esincourt & Adincourt pagos Montbelgardẽses florẽtẽ, & semine maturo Augusto. Abundat etiam in planitie versus Matta florens copiosè Septembri & circa *Columbier Sauonrenx* Iunio & Iulio; In Gallia Narbonensi circa Nemausum; Genevæ in segetibus. Sata Montbelgardi florebat & echinata semina producebat Majo & Iunio. Basileæ frater observavit prope S. Iacobum in segetibus. Tiguri multam vidi, ut & in agris inter Kauppen/ & Beffordiam eundo in Masmünster, in arvorum marginibus atque inter segetes, vinetáque, Clusio etiam teste. Cæterùm flos in umbellis habet aliquid simile cum flore Sambuci aquaticę: in medio flosculi minimi albi, in circuitu sunt magni: succedunt lappę longæ magnæ echinatæ & duplici semine similes Lappulæ canariæ flore parvo, de qua jamjam dicẽdum.

LAPPVLA CANARIA FLORE minore, sive tenuifolia.

Descr.

SIMPLICEM parvámq; habet radicem, à qua statim pullulant caules plures, sesquipedales ferè, brevi mollique lanugine leviter hirsuti, nonnihil angulosi: foliis minutim dissectis Caucalidis albæ pilosis, seu Lappulę canarię flore specioso, magis tamen mihi videntur concinna & ferè tenuiùs dissecta: flores umbellati, parvi, ex albo purpurascẽtes: lappæ semũciales canaliculatæ, spinis rigidulis, atropurpureis per costas dispositis, muricatæ, in binas partes findũtur, totidem semina cõtinẽtes.



Lappula Cretica. Bauh. phyt.

Synon.

Fuchsius, cum essem apud illum Tubingæ, vocabat Gingidiũ. A Grieningero habui pro Caucalide Hispanica; à D. Sprengero pro Lappula canaria Candiæ. mihi etiam missa pro Caucalidem quintam vocat, sive arvensem echinatam parvo flore.

Hanc florentem vidi & semina habentem mense Majo inter Monspelium & Lunel, & prope Castelneuf, si bene recordor. Item in pago Leurach uno miliari germanico à Basilea mense Iunio, & in colle prope Castellum Hermes florentem Majo. Montbelgardi in agris ad Dubim ultra *Adincourt* nõ longè à domo D. Dancurtii. Vidi insuper in horto Grieningeri Pfortzhemiæ: provenit mihi in horto F. C. ex semine misso pro Cretico, quæ multùm excrescit cum multis brachiis. folia hujus propter culturam minùs tenuia evadunt.

LAPPVLA CANARIA LATIfolia, sive Caucalis.



Descr.

MINùs obvia nostro solo est hæc Canariæ Lappulæ species, cujus radix simplex, alba, lignescens; caulis cubitalis, ramosus, striatus, tactu asper: folia pulchra, palmũ circiter longa, perquam hirta, quatuor aut quinque foliorum conjugationibus, extremóque impari constant, singularia folia profundè serrata, Pentaphylli recti foliis singularibus similia, utcunque tamen minora, umbella divulsa surculo insidet peculiari, palmo longiori: lappulæ magnæ, oblongæ, horridæ, nigricantes.

Synon.


Exhibetur apud Lugd. p. 762. pro Lappa boaria Plinii. Lobelius in advers. p. 325. vocat Caucalidem alteram purpurascentem, foliis latioribus & crassioribus [*Caucalide candidâ, sive Matthioli*] semine etiam majore. In Obs. p. 422. ubi figura, Caucalidem flore rubro,

rubro, folio latiore. Descriptio Lobelii non malè convenit nostræ Lappulæ canariæ latifoliæ, non item figura, quæ mihi videtur composita ex Matthioli fortè non bona, & aliis seminibus: præterea minùs distinctè de his plantis videtur scripsisse Lobelius.

Locus. Observata hæc aliquando erat à me in agris inter Stutgardiam & Pfortzen. Copiosam quoque I. H. Cherlerus observavit in agro Narbonensi, circa Monspelium præsertim & Nemausium, & inter segetes; sed perpetuo purpurascente flore. D. Renzius medicus admirabilis balnei dedit collectam prope montem Flasconem, quæ erat flore rubro.

LAPPULA CANARIA, SIVE Caucalis maritima.

Descr. RADIX Caucalidis utriusvis segetum, gracilis, longa, alba: caules vix palmares molli canescunt lanugine, internodiis gravissimis distincti, è quibus exeūt rami caule lōgiores, nudi, lappas in umbellis gestantes luteas, Caucalidis albæ arvensis: folia mollia, villosa, luteola, Pectinis venerei dissectionibus.



Locus. In arenoso quodam maritimi tractus Narbonensis & finitimis sabuletis perraram observavit Cherlerus, unde vix unam, aut alteram ad nos invexit plantulam.

CAUCALIS VETERIBUS ET in genere. CAP. XXXVII.

Diosc. lectio variat. CAUCALIDEM, quam aliqui Daucum sylvestrem vocant, ac etiam in nothis Mytida, Democritus verò Brion quasi Muscum, Ægyptij Seselim, Romani Pedem gallinaceum, sive Pedem pulli, cauliculum esse dodrantalem aut etiam majorem tradit Dioscorides, subhirsutum, folia habētem Fœniculo similia cum multis incisuris [φύλλα ἔχοντα μαράθῳ ὅμοια πολυσχιδῆ. & ita Basil. cod. ita Cat. teste Matth. ut vult Lacuna, cui Ruellij lectio non placet, quæ sic habet: φύλλα ἔχων σελινοειδῆ, ἐπ' ἄκρων δὲ μαραθώδη, Apio similia, in summo verò Fœniculum referentia.] hirsuta: & in summo umbellam albam, odoratam. Et hunc olerum modo crudum ac coctum edi. Ciere autem urinam.

Plinius. Estur & Caucalis, inquit l. 22. c. 22. Plinius. Fœniculo similis, brevi caule, flore candido, cordi utilis [quæ sequuntur apud Dioscoridem cùm non legantur, ea ex Petrico Plinium sumpsisse conjectatur Dalech.] Succus quoque eius bibitur, stomacho perquam commodatus & urinæ, calculisque & arenis pellendis & vesicæ pruritibus. Extenuat & lienis, jecinoris, renúmque pituitas [obstructiones à pituita factas, Dalech.] Semen menses fœminarum adjuvat, bilémque à partu siccat [biliosam purgationem provocato lochio, Dalech.] Datur & contra profluvia genituræ viris. Chrysippus & conceptionibus eam putat conferre multùm: bibitur in vino jejunis. Illinitur & contra venena marinorum, sicut Petricus in carmine suo significat. Eandem recensuit l. 21. c. 15. inter herbas sponte nascentes, quibus plæræque gentium utantur in cibis, maximéque Ægyptus, frugum ferulissima.

Theophrastus similiter Caucalidem [Pedem gallinaceum vertit Gaza] inter olera recenset hist. l. 7. c. 7. Sed nec his appellationibus perspicuum fit, quæ herba, aut olus, aut, ut Dioscorides ait, qui cauliculus sit Caucalis. *Theophr.*

Caucalidem verò aliquos Daucum agrestem vocare testatur præter Dioscoridem etiam Galenus, qui ei (*Dauco sil. sylv.*) hanc & sapore & facultate similem esse scribit: calefaciat siquidem ut ille, & siccet & urinam cieat, & muria condita reponatur. *Galenus.*

Genus herbarum l. 7. c. 7. de plant. hist. facit Theophrastus, quod ἀρουραῖον vocat i. e. in arvis spōte nascens, inquit Marcellus, statimq; in eo Caucalidē [Pedem gallinaceum Gaza] numerat, nullis aliis adiectis notis. Nec parùm, si quis rem justè æstimet fuerit tam certè à tam gravi auctore Caucalidis natale Solum, & ubi quærenda sit, audisse. Id enim additum his, quæ Dioscorides, Plinius, & Galenus tradiderunt, facillimam ejus inventionem nobis efficiet. Nota enim, tam Apij, quàm Fœniculi folia, quibus similia Caucalis sua habere fertur à nonnullis. Altitudinem deinde, hirsutam lanuginem, & candidi floris umbellam oculus deprehendet, invenietque tam Dauco similem herbam, ut aut silvestris Daucus sit, aut rudimentum naturam Dauci facere condiscere. Qualis autem uterque Daucus sit, in eo certiùs cognoscetur. Nullibi non Caucalis nascitur, præsertimque in novalibus antequam novà aratione renoventur. Galenus Dauco Caucalidem sapore & viribus similem ait. Dioscorides tamen ex similitudine figuræ ab aliquibus agrestem Daucum potiùs appellari insinuat. Habet enim & hæc & Daucus folia incisuris divisa. Habent ambo & candidi floris umbellam. *Olus ex arvis sponte nascens. Marcello.*

Potuit tandem dici Caucalis, Lobelio autore, à seminum effigie, quæ vascula oblonga & semisphærica imitantur, aut cùm prærarida strepitum edunt hæc semina ventis concussa, vindemiis exactis. Et sanè luxata videtur lectio Dioscoridis, aut quispiam non imperitus videtur oræ codicis hæc verba, *foliis Apij similibus*, adiecisse, quæ postea in contextum latinum irrepserint: nam nostris [Lobelij & Penæ] græcis exemplaribus desiderantur, & etiam supervacanea videntur, ut vir magnæ sedulitatis & exercitatæ cognitionis Anguillara annotavit. *Caucalis cur dicta Lob.* *Diosc. lectio luxata.*

Cæterùm, audaciùs herbarij aliquot Caucalides exhibent. Habet suas Caucalides Matthiolus, de quibus mox agemus. *Caucalides ab aliis exhibitæ.*

Antriscus quorundam à nobis inscriptus, semine aspetso hispido, à quibusdam Caucalis cognominatur. *Antriscus quorundam.*

Caucalis nodoso echinato semine, Antrisco hispido affinis est, si non ejus varietas. *Caucalis nodosa.*

Caucalis Hispanica semine rugoso depingitur ac describitur à Camerario. *Caucalis hispanica.*

Caucalis minor pulchro semine, sive Bellonij, dicitur à nonnullis Seseli Creticum. *Caucalis minor.*

Caucalis major semine minùs pulchro, hirsuto, est Seseli majus Creticum Lobelio. *Caucalis major.*

Caucalis major Clusij, quæ sit cogitandum.

Caucalis Syriaca cum maximo semine, est Gingidium primum Dodonæo in fol. lat. *Caucalis Syriaca.*

Caucalis omnium minima. De hac, ceu & aliis hîc nominatis, ordine dicemus. *Caucalis minima.*

Lappulam canariam flore pulchro, magno, albo vocat Caucalidem Dodonæus & Lobelius. *Lap. canaria minor.*

Lap. canar. minor. Lappula canaria flore minore, siue tenuifolia, est Caucalis quinta C.Bauh. in phytopinace.

Lap. can. lat. folia. Lappulam canariam latifoliam appellat Caucalidem alteram Lobelius.

Lap. canar. maritima. Lappula canaria, sive Caucalis maritima. De hac Lappula ceu & aliis Lappulæ speciebus paulò ante egimus.

Saxifraga hircina. Meritò rejicienda eorum opinio, qui Saxifragiam hircinam majorem, sive Pimpinellam, de qua infra tractabimus, Caucalidem esse affirmant.

An Saxifragia. Caucalidem Lobelij an audemus appellare Saxifragiam Matthioli tenuifoliam & umbelliferam?

Matthioli. Visnaga. Caucalis depicta à Matthiolo videtur, quod ad figuram attinet, Visnaga.

Solanum. Caucalis pro Cuculo, vel Vva lupina apud Sylvium dicitur de Solano.l.14.

Myrrhæ genus. Caucalis est Myrrhæ genus Dioscoridi.

CAVCALIDES MATTHIOLINÆ.

Locus. VISITUR (inquit Matthiol. in Diosc.l.2. c.133. in edit. anni 1554. & 1559.) Caucalis in Hetruriæ campestribus, inculto præsertim Solo, ut & Ananiensi tractu in Tridentino agro, nullis reclamantibus notis: Rura nostra hanc *Petrosello salvatico* vulgò appellant. Quippe quòd folia quæ per ima prope radicem exeunt, Apium quadantenus effigie referat, quod vulgò *Petroselli* dicunt. Etsi quæ superiore parte prodeunt per ambitum sint Fœniculi modo capillamentis divisa. Caulem mittit Pastinacæ: in cujus cacumine umbellam gerit floribus candicantem, odoratam, Dauco non absimilem. Idem in epit. lat. impressa anno 1571. ait. Caucalis, Italis *Petrosello salvatico*: caule exit dodrantali & sæpè majori, Dauci, aut Pastinacæ simili, subhirsuto, foliis Apio similibus, sed quæ in caule ac ramis sunt, Fœniculi modo per extrema multifidis hispidisque: candidâ umbellâ: semine odorato. *Icones Matth.* Cæterùm, Matthiolus iconem habet, cui folia tenuia, quam autem intelligat, judicent Hetrurienses Medici & Pharmacopæi, & considerent, quæ planta sit *Petrosello salvatico*. Matth. enim in comm. cum mag. fig. Ital. c.128. Lat. cap. 133. pro Caucalide aliam longè diversam habet iconem, ab ea quam in epit. exhibet, quamvis eandem descriptionem retineat, quæ etiam extat in hist. germ. l.2. c.68. ubi ait, wilder Petersilg / Caucalis, Caucalis Diosc. in Hetruria inter *Petroselinū sylvestre.* fluvium Tiberim & Macra, Italis *Petrosello salvatico*, i.e. wild Petersilg / aut Peterlin / ut Germani circa Tridentum vocant, quidam wild Vogelnest dicunt. Caulis Pastinacæ, palmaris, vel etiam major: folia juxta radicem similia Petroselino, unde huic nomen, superiora Fœniculo similiora, ita multifariam dissecta; præterea aspera & hirsuta: umbellæ *Matth. tentatur.* florum alborum, grati odoris. Hæc ille, quem existimamus nescivisse, quid traderet icone & descriptione, quarum priorem suspicamur fictam fuisse ad descriptionem Dioscoridis, quales fictitias plures olim habuit & habet adhuc. Si ei nota planta fuit, cur non reddit rationem mutationis iconum; cur semen non describit? Considerandum porrò an icon postrema non habeat aliquid commune, cum Antrisco quorūdam semine aspero. Cam. ep. Matth. posuit postremam (ut & nos) iconem, candémque *Pes gallinaceum Camer.* etiam in hist. vocans wilden Peterling / Caucalidem, Pedem gallinaceum, & *Petrosello salvatico*.



Caucalidis diff. Lob. Caucalidum Matthioli talibus meminère Adversaria Lobelii & Penæ p. 325. Caucalide Anguillaræ magis placent vulgares Caucalides, quia sunt caule, foliis, umbellâ, & semine hispidis, eoque magis congruunt verbis Dioscoridis. Duæ namque sunt in nostris vinetis & segetibus differentiæ: altera enim candida, foliis minoribus, sed caule proceriore, & hæc Matthioli. Altera purpurascens umbellis, seu floribus, folia habet latiora & crassiora: semen majus. Est istud semen argutum & elegans: nam triquetram, oblongam, & spinulis horridam glumam, Glycyrrhizæ quadantenus similem, vestibus mordicùs hærentem, eâ exutâ granum oblōgum, Avenæ exanteratæ modo cernitur, haud gustu insuave: qua quidem satis expressâ notâ insignivit Caucalides Dioscorides & similibus discrevit. Has Caucalides imagine expressit Lobel. in Obs. p. 420. his titulis: Caucalis albis floribus, vulgaris Adversp.324. & 325. Lappa agrestis Tragi; Item Caucalis flore rubro latiore. In Icon. p. 728. his nominibus: Caucalis albis floribus; Item, Caucalis flore rubro, folio latiore. Cæterùm, Lobelium intelligere non possum per *Lob. notatur.* Caucalidem Matthioli, quam dicit flore albo, semine hispido, pro qua in Obs & Icon. exhibet Caucalidem Dodonæi & Lappulam agrestem Tragi: ubinam Matthiolus eam plantam tradidit pro Caucalide? Præterea iconem quam Matth. in post. comm. cum mag. figuris exhibuit pro Caucalide, Lobel. exhibet pro Caucalide flore rubeo: mutans nonnihil semina, quæ paulò majora pinguntur cum pauca hispiditate.

Clusius habet iconem Lobelij cum inscriptione Caucalidis rubello flore, ac dicit: Caucalidem saturè rubente flore, similem Caucalidi albo flore ex- *Caucalis rubra, Clus.* hibitæ à Dodonæo, majoribus alatisque foliis atque ad Pimpinellæ Germanicæ folia magis accedentibus, agro Francofurtensi abundanter nascentem observabam, florem variantem, qui major erat & æqualis magnitudinis, folia obtinebat, saturè rubente colore.

Lugd. p. 714. postremam iconem Matthioli habet, inscriptione Caucalidis Matthioli, sub quibus verbis ejus etiam meminit Pona in Baldo.

Bauh. phyt. Caucalis 3. Apij folio, Caucalis Mat- *Syn. C.B.* thioli. Item Caucalis 3. latifolia altera semine aspero: Daucoides majus Cordi: Caucalis flore rubeo, folio latiore Lobelij. Eid. pin. Caucalis 2. lato apij folio: Caucalis, Matth. Lac. Cast. & Lugd. an Caucalis, Cord. in Diosc. Daucoides majus, Cord. hist. & Thal. Caucalis vulgatior, Ad. Caucalis flore rubro folio latiore, Lob. Caucalis rubello flore, Clus. hist. Gingidium, Cæs. Idem apud Matthiolum ait: Caucalidis diversas proponit Matthiolus figuras. Aliam similem ei, quam pro Visnaga dedit: aliam in majoribus iconibus, quam Caucalidem latifoliam alteram nominamus, eamque Caucalis flore rubro, folio latiore Lobelij, fortè Daucoides majus Cordi & Thalij. Hæc frater. Nos uti nolumus negare Caucalidem Matthioli & Lobelij eandem esse cum Daucoide, ita etiam adhuc asserere non possumus eandem cum nostro Antrisco semine aspero, quod videtur idem cum Daucoide Cordi, uti dicetur suo capite, ubi proponimus considerandum an Gingidium Cæsalpini, Matthioli Caucalis esse possit.

Antriscus

ANTHRISCVS QVORVNDAM semine aspero, hispido.

Descr.



PERSIMILIS est Antrisco Dalechampij, caule sesquicubitali, hirsuto, aspero, geniculato: folia Antrisco penè eadem, hirsuta: umbellæ parvæ, albicant, vel ex albo rubescunt: semen Coriandro par, minùs rotundum & Lappulæ canariæ instar echinatum, asperum, striatum, duplex, interdum nigricans, nonnihil amarum. Radix alba, odorata & aromatica, Pastinacæ silvestris modo.

An Daucoides majus Cordi? An planta à nobis tradita, est Daucoides majus Cordi, de quo ait in hist. plant. lib. 2. cap. 41. Daucoides majus folia habet per terram strata, Apio, aut Selinoidi Dauco (i. e. latifolio) similia, hirsuta & per terram strata: è quorum medio caulis exit sesquicubitalis, aut aliquando major, aliquantulum asper & geniculatim foliis vestitus, iis, quæ inferiùs sunt, minoribus, in summo caule umbellæ sustinentur Æstate in candido rubentibus flosculis plenæ: quibus singulis bina, subrotunda, crassiuscula & Lapparum modo aspera, & prætereuntium vestibus adhærentia semina succedunt. Radice nititur oblongâ, candidâ, tenuique, antequam caulem proferat, carnosâ, gustûque cum acrimonia subamarâ, quæ maturo semine perit. Semen tritum odore cimices & buprestides imitatur, gustûque admodum ingrato est. Nascitur declivibus, campestribus locis inter fruteta. Hæc ille.

Gingidium Cæs. Gingidium, si non aberro, vocatur à Cæsalp. l. 7. c. 22. quod hisce ab ipso traditur. Gingidium apud nos est sylvestre quoddam olus, quod passim oritur in ruderibus & vineis, lappas ferens, quæ vestibus pertinaciter hærent. herbula est parva, foliis Staphylini, longè minoribus, ac minùs hirsutis, odoratis, quæ pro Apio aliquando venduntur: cauliculum *Apium.* habent tenuem, cubito breviorem, hirsutum: parvas umbellas, flore candido: semina Fœniculo proxima, in rotunditate oblonga, hærentia vestibus. extat & hujus differentia quædam magnitudinis & *Differentia.* parvitatis, inter quas una est, quæ fructus inhærentes ramis fert nullo pediculo, quam aliqui Cicutariam vocant: nam foliola magis ad Cicutæ incisuras *Cicutaria.* accedunt. Et hæc de suo Gingidio Cæsalpinus, qui Gingidium antiquorum reris. Nobis non bene constat, quam plantam velit: videtur tamen accedere ad nostrum Antriscum quorundam semine aspero. Considerandum etiam an possit esse Caucalis: animadvertendum etiam an aliquid commune habeat cum Caucalide hispanica semine rugoso Camerarij. *Caucalis hispanica.*

Dauci genus. Daucoides Cordi. Daucus asper Gesneri. Gesn. h. vocat Dauci genus parvum asperiusculum, circa sepes & muros nascens, inutile. Thal. p. 8. Daucoides majus Cordi, quod Daucum asperum Gesneri existimat, ut p. 35. declarat.

An Bauh. phyt. Caucalis 3. latifolia altera semine aspero; Daucoides majus Cordi; Caucalis flore rubro, folio latiore Lobelii. Item Caucalis 7. semine ad caulium nodos echinato. Apud Matth. Caucalis Matthioli in comm. cum major. iconibus: Daucoides majus Cordi & Thalij. Sunt quadraginta anni ex quo misi omnes meas plantas cum descriptionibus, clariss. diligentissimóque Botanico, præceptori fidelissimo, D. Gesnero: huic autem plantæ cùm ascripsissem, Caucalidem esse quorundam, ille Daucoides Cordi in sepibus fore putavit. An frater intelligat plantam, de qua hîc agimus, nondum planè nobis constat. Suspicamur etiam ejus Caucalidem 7. esse hujus variationem, non asserimus tamen, donec viderimus ejus plantas: Matthioli quoque Caucalidem non possumus adhuc dicere, noluimus tamen inficiari, ut ante hortati sumus cap. de Caucalidibus Matthioli.

Antrisco affinem hanc vidi Genevæ. Abundat ea Montbelgardi in sepibus, ut alia Antrisci species, florens & semina producens Augusto. Copiosè conspicitur extra urbem juxta la Crote. *Locus cum tempore.*

CAVCALIS NODOSO ECHINATO semine, Antrisco hispido affinis, si non ejus varietas.



Descr. EX radice oblonga, tenui, alba, bini ternive caules, qui dein in alios dividuntur, rotundi, striati, asperi, quorum alij semipalmares incurvi, alij bipalmares erecti prodeunt, quos folia Pastinacæ similia, breviora tamen & pauciora, multóque tenuiùs divisa, aspera ex virore nigricantia ad caulis singula penè internodia. flosculi exigui brevissimo pediculo insidentes, quibus succedunt semina plurima, parva, echinata, conglobata. Ita quidem describente C. Bauhino, qui in phyt. sibi hanc missam ait nomine Lappulæ caninæ Cortusi. Is verò loco citato facit Caucalidem 7 cognominatq; Caucalidem semine ad caulium nodos echinato. Apud Matth. verò Caucalidem 2. (In pin. facit Caucalidem 8. at 1. in prod. Scandicem Colum.) nodoso echinato semine quam à nemine descriptam gloriatur. Suspicor ego hanc esse varietatem nostri Antrisci semine hispido. videnda tamen fratris planta & conferenda. *Synon.*

Hanc ipse in horto Patavino anno 1578. se collegisse scribit.

CAVCALIS HISPANICA semine rugoso.

SEmen habemus rugosum nigrum Caucalidis nomine missum, non recordamur unde. ejus plantam depinxit Camerarius, ac sic descripsit.

Descr. Cam. Superioribus (Caucalidi flore minuto & alteri coronatâ umbellâ. est hæc nobis Lappula canaria flore majore & minore) ferè similis, non tamen spinoso semine, sed rugoso nonnihil, cóque elegantissimo, sed pusillo flore in umbella incondita. Tota planta lac habet dulce in modum Cherefolij, sed copiosius, quod etiã ex immaturo semine cõfracto emanat. Radix



Radix tamen eo caret, nisi fortè initio antequam caulescat planta etiam lactescat, quod tamen nondum observavi. Sapor est Apij.

Caucalis hispanica. Huic autem plantæ titulum hunc fecit: Caucalis hispanica: quo etiam in Icon. p.11. eam icone exhibuit. Bauh. in phyt. Caucalis 8. (9. in pin. ubi & Caucalis hispanica, Camer. Clus. hist. Gingidio congener, Cæs.) peregrina semine rugoso.

Considerandum nos proponimus, an Gingidium Cæsalpini l.7. c.22. aliquid commune habeat cum hac Camerarij Caucalide: &, an sit Antriscus quorundam semine aspero. Historiam Cæsalpini possumus sub Antrisco quorundam semine hispido.

Caucalis hispanica, Clus. De hac loquitur Clusius hist. l.6.c.24. A prima [*Caucalide maiore*] inquit, non valdè differt ea, quæ semine ex Hispaniis allato nata mihi est aliquando, cùm apud Belgas, tùm Viennæ Austriæ: cauliculos enim habebat striatos & asperos, umbellas verò candidorum flosculorum minores, & quasi in orbiculare caput coactas: semen etiam crassiusculum, valdè striatum, non hispidum. Annua etiam est planta: nam maturo semine perire solet.

SESELI CRETICUM, TORDYLIUM veteribus. Cap. XXXVIII.

Tordylon. NON habet certum in antiqua etiam Medicina Tordylon hoc nomen, nec certam penitùs historiam: aliter aliis id appellantibus & de eo tradentibus. *Tordylium. Seseli creticum.* Sunt enim qui cum Dioscoride Tordylon; sunt alii qui Tordylium, & qui Creticum Seseli vocent: Romani pariter cum Græcis Tordylen dicunt. Dioscorides hoc in Amano Ciliciæ monte nasci scripsit, esséque herbam sarmentosam [*brevem & fruticosam Marcell.*] habentem semen rotundum [*parvum addit Marcell.*] duplex, scutis, sive clypeolis simile, subacre, & aromaticum. Bibi ad urinæ difficultatem, & ad menses ducendos. At succum caulis, & seminis adhuc viridis, trium obolorum pondere potum, cum passo per dies decem, nephriticos sanare. Radicem etiam efficacem esse, educentem quæ in thorace hæreant, si cum melle delingatur.

Plinius. Plinius non satis cognovisse rem videtur diversas ante se scriptorum sententias tantùm referens. Adjicitur Tordylion, inquit l.20.c.22. Est autem id semen ex Seseli [*Tordylium quidam Creticum Seseli vocant, Diosc.*] Et si vehementior somnus lethargicos premat, cruribus aut etiam capiti illinitur cum Fico ex aceto. Veteres dolores thoracis, lumborum, coxendicum, humerorum, & in quacunque corporis [*parte, C.H.*] ex alto vitia extrahenda sunt, illitum caustica vi emendat, pustulas faciendo. At in magna duritia sine Fico impositum: vel si vehementior urigo timeatur per duplices pannos [*inter duplicatum pannum, Dalech.*] Vtuntur ad alopecias cum rubrica, psoras, lepras, phthiriases, lithanicos [*tetanicos, alius*] opisthotonicos. Inungunt quoque scabras genas, aut caligantes oculos cum melle. Succúsque tribus modis exprimitur in fictili, calefitque in eo in Sole modicè. Exit è cauliculo succus lacteus [*falsum hoc. non enim planta hac lacteum succum fundit, Dalech.*] qui ita cùm induruit, dentium dolori medetur. Semen ac radix, cùm immaduère musto, conteruntur, manúsque plenæ mensurâ sorbentur ad firmandas fauces, stomachum, oculos, caput, sensúsque omnes: mulierum etiam lassitudines, saluberrimo genere medicinæ. Calculos quoque discutit potum ex aceto. Illinitur & livoribus, sugillatisque cum melle & adipe anserino, aut cerâ Cypria. Fit & oleum ex semine madefacto in oleo, expressóque, quo utuntur ad nervorum rigores, lumborúmque & coxendicum perfrictiones. Idem l.24. c.19. Tordylen alij semen Silis [*Seseleos vet.*] esse dixerunt: alij herbam per se, quam & Syreon vocaverunt. Neque aliud de ea proditum invenio, quàm in montibus nasci. combustam potu ciere menses, & pectoris excreationes, efficaciore etiam num radice: succo ejus ternis obolis hausto renes sanari: addi radicem ejus & in malagmata.

Paul. Ægineta Gordilon non Tordylon vocat, *Gordilon Paulo.* facili tamen & lubrico in una tantùm litera ad vitium lapsu. Cæterùm easdem huic cum Dioscoride vires adscribit.


Alii fœminino genere Tordylē vocaverunt: alij *Tordyla.* Seselis semen Tordylij nomine censeri voluerunt: alij sui generis herbam Græciæ & Italiæ peregrinam, ideóque parùm notam. Nec Marcellus quod pro ea *Seselis genus, Marcello.* dicat, aliud habet, quàm Seselis genus esse; ex eo quod Dioscorides eam statim ab omni Seseli descripserit, propriúmque & privatim ab illis aliud à gente, in qua nasceretur, nomen sibi invenisse. Galenus in simplicium censu Tordylion præteriit, velut de quo in Seselis mentione egerit. Corrarius officinis *Acquiescat.* suique sæculi scriptoribus ignotam esse scribit.

Lob. Cam. C. Bauh. & Schvvenckf. Caucalidem *Caucalis maior.* majorem semine hirsuto, Seseli majus Creticum vulgò cognominant.

Seseli Cretici loco Dodonæus Caucalidem Bellonij, seu, ut nos vocamus, Caucalidem minorem *Caucalis minor.* pulchro semine, exhibet, quod non probat Gesn.h.

Seseli Creticum Dioscoridis verum dicitur Trago *Pimpinella* de sua Pimpinella tertia.

CAUCALIS MINOR PULCHRO semine, sive Bellonij.



Descr. TEnuem ligne scétem albam radicem demittit & simplicem: caulem habet pedalem aut majorem, striatum, hirsutum. folia per conjugationes, longo pediculo adnexa, subrotunda, serrata, aspera & pilosa, minora quàm sequētis, quibus penitùs similia etiam sunt ea, quæ ramorum divaricationi adnascuntur, utcunque minora, nihilque cum superioribus Caucalidis majoris foliis habent simile: flores in umbellam digesti similes, candidi, quorum etiam flosculi exteriores majora habent

habent

bent bipartita folia, peltata semina pulchriora, non ita hirsuta, fimbria candida crispa vel granulata ambiente. sapor planè ferè qui Staphylini. C.Bauhino flores & semina odorata, ac nonnihil acria Myrrhidis gustu.

Tordylium esse negatur. Caucalis, quæ in Hellespontо hodie vulgò Græcis *Cascalistra* dicitur, quasi Caucalida, ut Bellon. scribit, qui & herbam quoque pingit, Itali quidam corrupto nomine *Cacaleprам* vocant, ut Ges.hort.monet, qui eos falli putat, qui Seseli Creticum aut Tordylium cum Dodonæo, Caucalidem hanc esse pronuntiant. Dodonæus (inquit Ges.h.) Caucalidem Bellonij pro Seseli Cretico exhibet, quod non probo. Item post: Tordylium Dodonæi est Caucalis Bellonij.

Seseli Creticum, sive Tordylium Dod. Dodonæus itaque tam gallicquàm lat. Caucalidem quam Bell. Obf.l.2.c.49. in Græcia *Cascalidam* appellari refert, sub Seseli Cretico sive Tordylio depingit & describit, hocq; Græcos similiter τορδύλιον & σέσελι κρητικὸν appellare, ac officinis incognitum esse tradit.

Pimpinella Romana, Cæs. Pimpinellam Romanam vulgò appellari autor est Cæs.l.7.c.58. ubi hæc de ea leguntur. Herbula est cubito brevior: paucis foliis in simplici pediculo, rotundis, paulò latioribus Pimpinella, candicantibus, hirsutisque: umbellas fert candidas: & semina lata ac rotunda, ut Pastinacæ, circulo candido, ac denticulato, ornata, instar clypeoli: unde quidam Tordylium esse putarunt, at infirmi odoris, saporisque non ingrati: radix est tenuis & inutilis.

An Herba umbellifera Cordi? An Cordo in Sylva Obf. Herba umbell.fera, foliis inter Anisi, Apij & Coriandri foliorum figuram mediis, semine acri, odoratóque?

An Seseli Creticum Advers. An Lob.adv.p.318.dicitur Seseli Creticum, Tordilion (hanc siquidem hoc titulo in Observ.p.425. in Ic.p.736.pictam dat) de quo ait. Passim in segetibus Norbonæ secúsq; vias occurrit surculosa, hirsuta, rigida, aspera planta, folio rotundiore, Ceresolij, umbellis albidis purpureis; parvis: quibus succedunt semina copiosa, circinnata, quasi toreumatis elaborata, unde fortè nomen peculiare fuit adeptum, orbiculata compressa, atque geminis valvulis, ut Ferulæ semen, conflata, clypeoli speciem referentia, gustu Myrrhidis. Numnam hæc sit illa, qua se deceptum Commentator [*Matthiolus*] conqueritur, cùm ille scribere, aut nolit, aut non ausus sit, ambigo: volui tamen hanc studiosis notam esse, ut horum judicia excitarem: ne deinceps fastui commentatoris, qui innumeras propemodum, aut non novit, aut perperam prodidit, aut silentio abdidit, assuescere discant, luculento enim detrimento ejus ignavia, aut ambitio Tyronibus fore certum est, quemadmodum & mihi multos annos per initia nimium credulo, fuisse memini & doleo: non tamen illi insulto, quin potiùs veniam do, si docere non potuit quod nesciebat: libereque profiteor, me dehinc non modò non libenius quicquam animadversurum in meis pannosis centonibus & commentationum adversariis, sed potiùs si minùs de re herbaria bene meruit, & meliùs voluit, gratiam habiturum, & meliùs in posterum bonas horas collocaturum potiùs, ut certa prodam, quàm ut incerta, ambigua, ambitiosè emendicata munera, furta, versuras, censuras, jurgia, simultates, obtrectationes, conquestiones, apologias, apomaxes, & recantationes, retegam. Hæc Lobelius, qui umbellarum albidarum & purpurearum meminit. Nos verò in nostra album tantùm florem observavimus.

Adversus Matthioli.

Ordilion Nicandri, Ang. Ang. epist.5. ut testatur Lob. vocat Ordilion Nicandri & Tordylion Dioscoridis, idem enim utrumque esse asserere non dubitat. An idem ep.7. appellat speciem Seseli Cretici, visam in horto Patavino?

Lugd. Castori & Tab. dicitur Seseli Creticum, Cretischer Sesel. Lugd.p.751. duas figuras habet, unam pro Tordylio Dodonæi, alteram verò pro Tordylio, Seseli Cretico Lobelij, quas diversarum plantarum putat, contra nostram quidem opinionem. Sufficiebat autem, C.Bauh. teste, descriptio una & posterior figura. Est et apud Matth. Seseli 5. (Staphyt. & pin.) Creticum minus: Seseli Cretici species, Elaphobosco similis, Ang. & Ordilion Nicandri, Eid. Caucalis, Bellon. Ges.h.Bell.ep.ad Clus. Tordilion & Gordilion, Dod.gal.Ges.h.Lugd. Seseli Creticum, Lac.Lob.Dod.Cast.Tab.Ger. minus, Cam. Tordilium Creticum, Eyst.

Locus, tempus. Caucalis minor pulchrò semine, sive Tordylium minus primo anno Genevæ in horto folia protulit, & caules, nec non flores Iunio, & semina matura Iulio. Basileæ pulchrè virebat Septembri in horto D. Zvvinkeri, ibidem florens Iunio. Monspelij provenientem sponte vidi, ubi vocabant Caucalidem; in Italia Tordylium conspexi in horto publico mense Martio. Habui semen Stutgardia missum per hortulanum Ducis Florentini nomine Caucalidæ Creticæ, id satum in horto E.C. Montbelgardi copiosè nascebatur, ut & in suburbiis Romæ præcipuè in Vaticeno, autore Cæsalpino, qui herbam ejus crudam inter olera assumi testatur. *Usus.*

CAUCALIS MAIOR SEMINE minùs pulchro hirsuto.



Descr. Duorum cubitorum ferè altitudinem caulis assequitur, hirsutus, striatus, inanis, in ramos divisus. folia prima subrotunda, ut in sequenti, similia quodammodo Elaphobosci Matthioli, sive Pastinacæ germanicæ silvestris, sed minora, serrata, hirsuta, alia longiora, breviora alia: umbellæ parvæ; flores parvi quoque, albi, quorum flosculi externi quædam habent foliola majora, tripartita. semina peltata Caucalidis Syriacæ, sed multò minora, hirsuta, umbone rubente, fimbria alba, sapore aromatico, C.Bauh. umbellæ candidæ, subpurpureæ.

Synon. Lob.Obs.p.425.pingit ac describit vocans Tordylium sive Seseli Creticum majus; in Ic. p.737. Seseli Creticum sive Tordylion majus. Lugd.p.752. Tordylium sive Seseli Creticum majus Lob. Tab. Seseli Creticum secundum. Bauh.apud Matth. (ubi commentatori hujus Tordylij descriptionem cùm icone adjicit) Seseli 6. (3. phyt. & pin.) Creticum majus. Cæs.Pimpinellæ Romanæ alterum genus, sive silvestre insuavius. Cam.Seseli Creticum majus.

Locus, tempus. In horto meo Genevæ primo anno caulem non protulit, florens mense Iunio & semen producens Iulio sequentis anni. Inveni sponte nascens & florens mense Maio in Sabaudia propè Cormou non longè à S.Mauritio itinere Genevâ Lugdunum.

CAUCALIS MAIOR CLUSIO.

Descr. Caucalis hæc omnium maxima Clusij, multos à radice producit stolones, erectos, bicubitales & tricubitales, interdum etiam quatuor cubitorum altitudinem attingentes, striatos, intus cavos,




geniculis interceptos, & in plures ramos divisos: sub quibus latâ sede adnascuntur magna, alatáque folia, in ambitu incisa & serrata, instar foliorum Angelicæ, ex atrovirentia; summis ramis adnascûtur umbellæ candicantium florum subtus nonnihil purpurascentium & ad carneum colorem accedentium: quibus succedunt lata semina, ferè ut in Spondilio vulgari, subhirsuta, & summo mucrone bifida, aculeatáque instar spinarum: radicem habet albam, duram, lignosam, raris fibris præditam.

Synon. Hanc descriptionis auctor Clusius denominabat Caucalidem majorem, qui verò eam ad ipsum mittebat Iacobus Plateau, dubitabat, an propter semen gemellum, ad Tordylij genus aliquod potiùs referret. Bauh. pin. est Caucalis 1. maxima, Spondilij aculeato semine.

Locus cum tempore. Scribebat porrò Iac. Plateau, mense Septembri esse serendam: nam illicò emergere, viridémque deinde permanere totâ Hieme, quam percommodè ferre potest: subsequentis anni Iunio flores producere, deinde maturum semen, sub exitum Iulij & Augusto: tandem perfecto & ad maturitatem perducto semine totam perire.

CAVCALIS SYRIACA CVM maximo semine.



Descr. Plantula est bipalmaris, radice simplice, tenui, albâ: coliculus hirsutus, striatus, atrovirens: tortuosus: folia Baucíæ, sive Pastinacæ germanicæ, alata, rotundiora, & foliis singularibus conflata, plerumque terna, crassiuscula, crenata, hirsuta, subaspera: flosculi albicantes, apiculis saturâtâ purpurâ tinctis, umbellatim quidem, sed sparsim dispositi: longis foliorum segmentis protensis obvallantur, odore nullo excellente; quibus etiam nondum delapsis, præcoci ortu succrescunt semina simul juncta, multa, incana, villosa, lata, compressa, per maturitatem pulchrè peltata, duplicia, multò majora, etiam triplo, vel quadruplo, quàm præcedentium duorum, quibus similia, crispâ albâque fimbriâ, umbonem cinericeum circumdante. In his lineæ duæ, nonnihil nigricantes, quales ferè Spondilio vulgari: saporis aromatici.

Icon. Cæterùm, si viva planta ex horto vel sicca pictori exhibita fuisset nobis absentibus per amanuensem, meliùs picta fuisset: inter alia enim semen multò majus erat pingendum.

Synon. Hæc autem est illa, quam Dod. in fol. lat. p. 696. Gingidium primum inscribit; Lobel. verò in Obs. p. 419. & Icon. p. 723. Gingidium folii Baucíæ Syriacum. Lugd. p. 710. Gingidium foliis Baucíæ Lobelij, quod ait Venetias Alepo Syriæ missum Sequini Martinelli operâ. Tabern. Gingidium latifolium 2. Syrisch Körffel mit breitten blettern. Bauh. phyt. & pin. Gingidium 4. foliis Pastinacæ latifoliæ. Gingidium 2. Tab.

Spondylium. Tordylium maxim. Caucalidis Syriacæ maximum semen mihi misit insignis Medicus D. Doctor Leonh. Rauvvolff. hoc titulo: An Spondylium ex Syria. Frater C. Bauh. misit simile omninò semen nomine Tordylij majoris, ex quo planta mihi provenit in horto E. Principis Montbelgardi, maturans semen Iulio eodem anno, quo sata, quæ deinde periit.

CAVCALIS OMNIVM MInima.

Descr. Tota plantula cum radice & caule unciam non superat, tantúmque ejus ferè in terram descendit, quantum supra eam extat. est autem radicula simplex, alba; coliculus tenuis, hirsutus, infimâ parte rubens, in cacumine nescio quid minutissimi capitelli exalbidi gerens, quod solum contingit videre. folia statim à radice pluscula emergunt, pari cum coliculo altitudine surgentia, aspera, hirsuta, incana, pediculo propter terram rubente; ex foliorum serratorum binis conjugationibus, imparique extremo segmento composita, ad Caucalidis latifoliæ (si parva licet componere magnis) foliorum figuram accedentia.

Prope Nemausum in hiulcis saxorum rimis collegit gener I. H. Cherlerus.

CORIANDRVM VETERIBVS & in genere.

Coriannum Theophr. Meminit Theophrastus sparsim Coriandri, hæc l. 7. hist. suæ c. 1. scribens. Coriannum proventu contumax est, quippe quòd si novum sit, nasci recuset, nisi convolvatur. Et c. 3. Lignosæ radices in summa omnibus multi-caulibus datæ sunt: habet enim & Coriannum, quæ unistirps est radicem lignosam, & non prolixam, neque fibris multis subnixam: multis caulibus, multísque ramis consistit: quapropter ejus pars superior, pro ratione inferioris non extat. Et post, cap. 5. Coriannum sub canis ortum salescit. Libro tandem caus. 4. c. 3. ait: Coriannum in ortu ab aliis oleribus discrepat: difficilè siquidem provenit: haud enim germen emittit, nisi aqua præmaceratum. Causam duritiei habet. Cæterùm, 7. hist. 4. Coriannum inter ea recenset, quibus minimè plura genera sunt, quibúsque diversitatem generis omninò deesse volunt.

Coriannum unum, Diosc. Sic & Dioscorides (ceu & alij veteres) Corianni unius duntaxat meminit eique multas plantas comparat, tanquam plantæ notissimæ: ipsam tamen non describit: et vim refrigeratoriam tribuens, ut inter venena reponatur. Quare illitum cum pane aut polenta erysipelata & herpetas sanare auctor est: cum *Vires. Erysipelas.* melle verò & uva passa pustulas nocturnas (epinyctidas) testium inflammationes, carbunculósque; cum Faba fresa strumas & tubercula discutere. *Struma.* Lumbricos semen cum passo [*paucum præponit Cornar.*] potum pellere & genituram augere, largius

gius autem sumptum, mentem periculosè movere, quapropter uberiorem & assiduum ejus usum vitare oportere. At succum cum Cerussa & Lithargyro [*aut spuma argenti, Corn.*] necnon aceto & rosaceo illitum ferventes in summa cute inflammationes sedare. Et hæc de Coriandri viribus Dioscorides perhibuit. De quibus deinceps eò diligentiùs disserendum, quò major est de iis inter probatissimos auctores controversia.

Inflammationes.

De Coriandri namque facultate refrigeratoria dubitat Galenus. quoniam & effectus caliditatis in eo videt, ut 7. simpl. scribit. Vetustiores, inquit Græci Coriannum nominant, recentiores omnes Medici Corion, sicut & Dioscorides [*nomen hoc in Diosc. codicibus non legi, nec Corion ab eo vocari, refert Marantha*] refrigeratoriam esse herbam dictitans, sed perperam. Siquidem ex contrariis constat facultatibus, plurimum habens amaræ essentiæ, quam ostendimus esse tenuium partium & terrenarum, nec modicum etiam aqueæ humiditatis obtinet, quæ est facultatis tepidæ. Habet autem & adstrictionis pauxillum. Ex quibus omnibus variè quidem agit ea, quæ scribit Dioscorides, sed non tantum ex refrigeratione. Cæterùm, ego cujusque particulatim actionis causam enarrabo, tametsi propositum fuerat mihi, meam unius duntaxat hoc in libro sententiam expromere, sed fortè nihil obstabit, imò, si verum fatendum est, proderit nonnihil superiores methodos, quæ ad hunc modum in paucis medicamentis sunt dictæ, hîc repetere. primùm ergo non Dioscorides tantùm, sed & alij complures Medicorum indeterminatè de morbis pronunciant, sicut sinè hac quoque tempestate non paucos invenias Medicos vel insignes, præter alia, hac in re turpissimè hallucinantes. interdum enim atrâ, lividâ, frigidâque, redditâ parte, quæ erysipelas habuit, nec ampliùs refrigerantia poscente pharmaca, ceu antea, sed ea, quæ infixum parti præter naturam humorem vacuant, quidam tamen refrigerare perseverant: alij ad digerentia quidem transeunt, cæterùm ea erysipelas sanare dicunt. Quæ quum scribunt, incipientibus etiamnum atque gliscentibus crescentibúsve erysipelatis alia esse medicamenta, alia verò jam declinantibus ac flaccescentibus. sed ita res non habet. Neque enim erysipelas etiam vocari debet, posteaquam inflammatio ejus, & fervor, ac biliosum illud abierint; neque facultate frigidà, quæ ejusmodi affectus sanant, existimandum est esse: sed veluti si vel initio protinus aut percussis, aut alia de causa quavis tumor in parte quapiam aut lividus, aut niger extiterit eum esse frigidum affectum existimabis, & quæ digerant, excalfaciántque medicamenta poscere: ad eundem, opinor, modum, si calida affectio in frigidam reciderit, negligenda quidem prior est, sed secúda alio appellanda nomine; aut si displicet nominis mutatio, saltèm sicut quidam alij scribunt principij, alia declinationis remedia, haud ampliùs frigida esse autumantes declinationis remedia: concedendum sanè est, si cui ita placet, ut talis affectio etiam erysipelas vocetur: sed eam etiam calidà dicere ubi jam refrigerata est, id verò neutiquam concedendum: itaq; ne quod tunc ei auxilio est, refrigeratorium esse credamus, sicuti Dioscorides Coriandrum, qui cum pane aut polenta, inquit erysipelas curare illitum. Nam quod ad unguem est erysipelas, quod utiq; inflammatum est & flavum, haud unquam sanare queat cum pane Coriandrum, sed illud quod jam refrigeratum est. Et mox: Exactum erysipelas haud unquam ab antedicto cataplasmate curari potest. voco autem exactum, cùm à biliosa fluxione pars impleta fuerit. porrò quòd longè à refrigeratione absit Coriandrum, vel ex iis quę ipse scripsit Dioscorides, discere liceat. Nam chæradas sive strumas, cum eragno, sive lomento, inquit, dissolvit: porrò quòd nullum refrigerantium medicamentorum idoneum sit dissolvendis chæradibus, vel ipsum Dioscoridem non dubitaturum arbitror, quippe qui sexcenta scripserit medicamenta chæradas sanare potentia, quæ omnia tum temperie calida, tum actionibus digerentia esse in confesso est. Hæc in Dioscoridem Galenus; Pro Dioscoride tamen pugnat Avicenna lib. 2. Canon. cap. 144. Scripsit Galenus Coriandrum esse compositum ex diversis facultatibus, etsi terreà facultas in eo cæteris excellat, simul cum aquea quadam tepida, & adstrictoria pauca. verùm, ut ego, conjicio, aqueitas, quæ in ipso repetitur, absque dubio frigida, non quidem tepida existit: nisi ei forsan admisceatur aliquid excalfacientis substantiæ, quæ sui tenuitate velociter in auram evanescat. quapropter dixit Hunaym, removet Galenus frigiditatem à Coriandro & Dioscoridi repugnat. at ego quidem aliter sentio, cùm frigidæ ejus substantiæ meminerint Archigenes, Rufus & aliorum posteriorum nonnulli. frigidum igitur est Coriandrum natura in fine primi, & usque ad principium secundi, & siccum in secundo; quanquam, sententia mea, & siccum est, & ad caliditatem aliquo modo vergit. Sed Galenus ipse sentit, Coriandrum esse ex omni parte calidum. id quod fortasse evenisse putandum ex ea caliditatis particula, quæ dum bibitur, aut comeditur, ab ipso disperditur. aliter nec necessarium foret, si homines suâ frigiditate interficeret, ut in multa exhiberetur quantitate. Illud præterea subdidit Galenus, si Coriandrum strumas dissolvit, quonam igitur pacto frigidum erit? Cui facilè responderi potest, id agere Coriandrum suâ quâdam occultâ facultate, ac formâ; aut quod reperiatur in eo aliquatenus facultas, quæ in profundum penetrare possit, frigidâ substantiâ exteriùs relictâ. sed cùm bibitur caliditas illa resolvitur. quo fit, ut sola frigida remaneat & in corporibus agat. Hactenus Avicenna, qui non sine ratione refragatur Galeno.

Galenus dubitat an Coriandrum sit frigidum.

Medicorũ turpis hallucinatio.

Avicenna pro Dioscoride pugnat contra Galenum.

Coriandrum est frigidum.

Dioscoridi consentanea ferè scribit Plinius l. 20. cap. 20. his verbis. Coriandrum inter silvestria non invenitur. Præcipuum tamen esse constat Ægyptium. Valet contra serpentium genus unum, quod amphisbœnas vocant, potum impositúmque. Sanat & alia vulnera. Epinyctidas, pustulas tritum. Sic & omnes tumores, collectionésque cum melle, aut uva passa. Panos verò [*& strumas. addit Diosc.*] ex aceto tritum. Seminis grana tria in tertianis devorari jubent aliqui ante accessionem: vel plura illini fronti. Sunt qui & ante Solis ortum cervicalibus subjici efficaciter putent. Vis magna ad refrigerandos ardores viridi. Hulcera quoque quæ serpunt [*herpetas & ignes sacros sanat cum pane & polenta: item testes inflammatos, Diosc.*] sanat cum melle vel uva passa: item testes, ambusta [*igneas summa cutis inflammationes, Diosc.*] carbunculos, aures: cum lacte mulieris epiphoras oculorum: ventris & intestinorum fluxiones semen ex aqua potum. Bibitur & in choleris cum Ruta. Pellit animalia interaneorum, cum Mali Punici succo & oleo semen potum. Xenocrates tradit rem, si vera est: menstrua contineri uno die, si unum granum biberint fœminæ: biduo, si duo: & totidem diebus, quot grana sumpserint. Marcus Varro, Coriandro subtrito cum aceto, carnem incorruptam Æstate servari putat. Meminit idem Plinius Coriandri l. 19. c. 7. ubi ejus semen nudum esse ait. Eodem hoc libro c. 8. dicit in aliquo comitatu Æquinoctio Autumni seri Coriandrum. Tandem c. 11. Coriandro in seminis permutatione majorem frigiditatem esse testatur.

Vulnera.

Collectiones.

Tertianis.

Ulcera.

Ambusta.

Ventris fluxiones.

Superstitio.

Plin. Valerianus.

Ejuſdem etiam ſententiæ eſt cum Galeno Plinius Valerianus: Non dubitanter Coriandro refrigeratrix poteſtas datur, non tamen ſimplex, ut prudentiſſimè Galeno videtur, ſed cui quædam portio auſteritatis immixta ſit, inde quòd quædam ex eo vitia curantur, quæ nunquam omninò curaret, ſi ſolà virtute frigidà niteretur. Cum melle & uva paſſa tritum & impoſitum, omnes tumores collectionéſque compeſcit. præcipuè tamen iſto genere medicaminis doloribus teſtium ſubvenitur. ſucco Mali Granati & oleo in potione permixtum, animalia interaneis innata perſequitur. ſemen ex aqua potum ſolutionem ventris ſtringit. ſcriptum à multis legitur, tria Coriandri grana tertianas excludere, ante acceſſionem ſi fuerint devorata.

Teſtium dolores. *Animalia interanea.*

Simeon Sethi.

Stomacho bonum eſt, auctore Simeone Sethi, & eundem corroborat. cibos in ventriculo, donec probè concoquantur, retinet. toſtum igne ventrem ſiſtit. prodeſt ad phlegmonas & calidas temperaturas. ſanguinis profluvium potum, & ſi imponatur, compeſcit. cum vino potum lumbricos educit: immodicus tamen ejus uſus delirium facit. hujus etiam ſuccus potus venenum eſt & occidit. qui enim hunc bibunt, muti fiunt & deſipiunt.

Lumbrici.

Macer.

De viribus à veteribus Coriandro attributis, extat non inelegans Macri poëſis, quæ ſic habet:

Frigida vis herbæ Coriandri dicitur eſſe
Auſteraque ſimul quiddam virtutis habere:
Háncque Galenus ait, perquam depellere ventre
Lumbricos, tineáſque ſolet, ſi trita bibatur. *Tinea.*
Cum vino, vel ſi mixta ſumatur aceto,
Unà cum paſſa Coriandrum mélque jugatum
Sedabunt varios ſuperaddita trita tumores:
Præcipuè teſtes tumidos juvat hoc medicamen.
Illius ſemen ventrem ſtipare ſolutum
Fertur, aqua tinctum fuerit ſi ſæpiùs hauſtum.
Argillæ ſpumam Cerusſæ contere mixtam
His tritis ſuccum Coriandri junge & acetum
Quatuor his roſeum miſcendo jugabis olivum,
Iſta terendo ſimul pretioſum conficis unguen,
Quo ſacros ignes pellas, calidóſque tumores.
Si tibi difficilis confectio tanta videtur,
Succus cum ſolo prodeſt commixtus aceto:
Et ſi frumenti panis mundiſſima mica
Jungitur huic ſucco, ſedat quemcúnque dolorem. *Sedat dolores.*
Huic ſucco ſi juncta Fabæ ſit ſola farina,
Et ſuperaddatur ſcrophis, medicabitur illis, *Scrophæ.*
Et cedet fervens emplaſtro puſtula tali.
A multis ſcriptum legitur, febris ante tremorem *Febris tertiana.*
Si tria grana voret Coriandri ſeminis æger,
Evadet febrem, cui dat lux tertia nomen.
Præſtat idem lectum Coriandrum manè, priuſquam
Sol ſurgat, cervicali ſi ſubditur ægri.
Xenocrates ſcripſit totidem ceſſare diebus
Menſtrua, quot mulier Coriandri grana vorabit. *Menſtrua.*
Aſſiduum quidam condemnat illius uſum,
Nempe putant mortem quemviſve parare dolorem.

Noxa.

Traditis ita Coriandri facultatibus, ſupereſt ut noxas ejus, atque alexipharmaca ſubſcribamus, quæ Dioſcorides hunc in modum lib.6. cap.9. proſequitur. Coriandrum propter odorem latere non poteſt: epotum vocis raucitatem facit, atque inſaniam, qualis ex vinolentia proficiſcitur, ita ut qui ſumpsère varia dictu pudenda blaterent: toto verò corpore Coriandri odor ſeſe prodit. His poſt vomitionem oleo irino concitatam, uti relatum, merum aut per ſe, aut ex abſinthio potum auxiliatur: item oleum ováque in eo exinanita [*in id à ſuo putamine effuſa, Lac.*] ſi tepefacta cum muria ſorbeantur. Sic & epota muria, & jus ſalſum gallinæ & anſeris: paſſum quoque cum lixivio ſumptum. Variat ab hac Dioſcoridis lectione, verſio Marcelli, maximè autem in his. *Bibuntur contra Coriandrum etiam ovorum putamina in ſeipſa confracta tritáque & cum muria diluta.* Et hanc lectionem in qua cum aliis non convenit, ex Nicandro & Ægineta ita ſtabilire conatur, ut quæ Dioſcorides ὠὰ κενωθέντα dicat, Paulus ova omni intrinſeco humore vacua appellet, & non cum aliis intelligat, ova depleri oportere, & quod ex eis depletum ſit, ſubigendum eſſe, & cum ſalſugine ſorbendum. Sed contra illi videatur, non quod in ovo clauditur, quærendum eſſe: ſed depletis omni ſuo humore ovis eorum putamina cum ſalſugine ſubigenda. Utiturque ad hanc ſuam ſententiam confirmandam his rationibus. Quòd in conſtituendo ovorum uſu Dioſcoridi & aliis ſatis fuerit ovis uti præcepiſſe. Quod autem in illis uſum plerumque habeat, interiorem liquorem eſſe: & ſi hâc magis, quàm illà parte uti voluerint, tunc vitellum, aut albumen ſeorſum imperaſſe. Hoc autem loco cum Dioſcorides jubeat depletis, i.e. vacuis ovis contra Coriandrum uti, putamina eorum ſumenda tantùm imperet. In hancque ſententiam cum primùm traxit Ægineta, qui ὠὰ κενωθέντα δεῖ τὰ αὐτὰ κλασθέντα, id eſt, evacuata ova, & in ſe ipſa trita & infracta dixerit. Traxit & Nicander, qui in Alexipharmacis ſuis inquit: ſæpiúſque gallinarum mollem partum evacuans, ſpumam ſuperinfundens, &c. Quibus cum manifeſtè jubere credit, gallinarum ova deplenda eſſe, depletiſque his nihil supereſſe, quod intelligi poſſit, quàm putamina. Accedere his ait communem quoque ſenſum, in quo auditis depletis ovis, nihil quàm putamen intelligi relinquatur.

Dioſc. lectio varia.

Coriandrum in hunc uſque diem etiam apud vulgares Medicos & Pharmacopœos vulgatum & antiquum nomen ſibi ſervat. A Græcis quidem vocatur, κόριον, κορίαννον, ἢ κορίανον: Lat. Corium, Corianum, Coriannum, Coriandrum & Coliandrum: Arabib. ut Serapioni de temp. ſimpl.cap.34. *Kusbor*: Averrhoi *Kusbera*: Avicennæ Gloſſographo *Kulbar*: Gloſſographo Haliabbatis Stephano, *Quesbara*, aliis etiam *Caſſebar*, *Kazbor*, *Alkazbor*, *Kuzbara*, & *Kuzibara*: Laurentio Phryſio linguà Hebraicà *Dajbera* & *Dyabora*: Semen arabicè *Beſar Culbar*: Ægyptiis *Ochion*: Aphris *Goed* & *God*. Germ. Coriander/ Coliander & Wangendill/ hoc eſt, Anethum cimicum, vel Cimicarium, ob fœtorem herbæ, quæ contrita contritos cimices olet. Belgæ Germanorum appellationes retinent. Galli *Coriandre* appellant, Itali *Coriandolo*, *Coriandro*, & *Pitartima* Romæ, Tabern. Hiſp. *Culantro*, *Culatro*, *Culiandre*, & *Cilandro*: Portug. *Coentro*: in Candia *Coriandro*: Angl. Coriander ſive Coliander & Colonder: Bohem. Coryandr: Poloni Polſkipiero & Coriander. Crediderunt aliqui, inquit Marcellus, è Græcis cimices nomen feciſſe Coriandro, quòd eos folia ejus oleant & caules. Et quoniam inſectum hoc Græci *Corin* vocent, ideò olentem eos plantam Corion nominaverint. Sunt contra qui quòd Coriannon Græci frequentiùs, quàm Corion Coriandrum vocent, non à cimicibus: ſed quaſi Coriamblon, i.e. hebetantem oculorum pupulas, dictum fuiſſe velint. κόρην enim oculi pupulam, & ἀμβλύνειν hebetare iidem Græci dicunt. Quod quàm verum ſit, peritiores intelligent. Ab antiquis enim ſcriptoribus nihil quod ad oculos privatim pertineat, in Coriandro decernitur. Corion appellatio omnium frequentior eſt in Dioſcoride & aliis Medicinæ ſcriptoribus. Coriannon verò in communiore ſermonis uſu fuiſſe indicat in equitibus ſuis Ariſtophanes.


Nomina linguar. *Anethum cimicum.* *Coriannon.*

Coriandrum triplex.

Annotaſſe hîc conveniat Coriandrum triplex eſſe, Coriandrum nobis abſolutè dictum, quod C.B. majus vulgatum cognominat: Secundum Coriandrum minus, odorum; C. Bauh. teſticulatum appellatum:

latum: Ultimum silvestre, in Hispania nuper repertum, licèt Plinius l.20.c.20. & Theophr.7. hist.c.4. inter silvestria non inveniri scribant, & Dioscorides (ceu & alij veteres) unius duntaxat meminerit: attamen Nicandri scholiastes sativum & silvestre proponit. De his igitur nunc dicendum.

CORIANDRUM.



Descr. Recta & simplex tenuisq; est radicula, omninò paucis fibris donata, candida: caulis bicubitalis & major, gracilis, striatus, solidùs: folia primùm Anisi, aut potiùs Petroselini, progressu temporis tenuiter dissecantur, ut ad Chamæmelina accedant, sapore fœdo intolerabili cimicum: umbellæ florum Petroselini pares, sed colore propemodum carneo, magis tamen ad album vergente, quorum media foliorum pars quintuplo aut sextuplo reliquâ amplior est: semen exactè rotundum striatum, dissepimentis intrinsecus distinctum, alioqui vacuum, odore & sapore gratissimo, aromatico.

Synon. Coriandrum, planta à nobis descripta, ab omnibus herbariis appellatur, excepto C. Bauhino, qui Coriandrum 1. majus vocat, cui in calidioribus regionibus semina majora esse, & in viridariis Alexandriæ ubique provenire, & Cusbara nominari tradit. Tragus l.1.c.36. notat aniculas agri Metensis & Trevirensis hujus semen Anis / h.e. Anisum appellare: esse hoc Coriandrum antiquorum.

Coriandrum à cimicum putore, aut potiùs Cicutæ fœtore viroso, & consimili facie nominatum testatur Lobelius, qui & Cicutæ similibus, ut Dioscoridem innuisse ait, viribus cognatum dicit.

Matthiolus cum Cornario Coriandrum omnibus notissimum scribit. Brassavolum præterea in hoc errasse, quòd, cùm nesciverit Coriandrum in Hetruria passim in pratis & campestribus suâ sponte nasci, asseruerit in suo simplicium volumine, sativum tantùm reperiri Coriandrum. Cæsalpino quoque incompertum fuit Coriandrum silvestre passim in Hetruria oriri, ut quidam testantur, nisi per Coriandrum intellexerit eam plantam, quæ vulgò Verdemarcum [*Thalictrum*] appellatur.

Lug.p.755. dicitur Coriandrum sativum Matthioli. Guil. Coriandrum, quod recens frigidum, exsiccatum verò calidum. Turn. Coriander.

Locus & Tempus. Coriandrum ubique vidi in hortis florens mensibus Maio, Iunio ac Iulio, quo etiam tempore semen maturabat. Lugduni & Genevæ in horto meo Novembri ex semine deciduo pulchrè virebat, ac etiam Ianuario, & florens Maio & Iunio.

Vires & usus. Ex veteribus, Dioscoride, Plinio, Galeno, Avicenna & Simeone Sethi, vires ante scripsimus, recentiores sequentia tradunt de iis. Matth. In Coriandri facultate indaganda Galenus productus est, ut longum sermonem faceret contra Dioscoridis sententiam 7. simplicium. Quâ in re ei maximè refragitur Avicenna, qui in ipsum apertè invehitur lib.2.c.144. cujus verba etsi aliquid in se rationis ac veritatis habere videantur, tamen cùm omnibus compertum putem, Galeno neminem adhuc parem extitisse, qui diligentiùs stirpium tum naturas, tum facultates investigarit, partim saporis gustu, partim odoris olfactu, partim substantiâ, & coloribus, partim denique ex longa experientia profundissimæ Philosophiæ conjuncta, operæ pretium est ejus potiùs acquiescere sententiæ, quàm reliquorum omnium. Veruntamen Brassavolus in hoc maluit fortasse cum Avicenna errare, quàm cum Galeno rectè sentire. Cæterùm, quòd Dioscorides auctor sit, Coriandrum sumptum mentem non sine periculo commovere, quódque alij tum ex eo, tum ex Mauritanis memoriæ prodiderint, ejusdem succum potum interimere; ideò factum est, ut multi, quorum ego sententiam antehac secutus sum, Coriandri usum prorsus damnaverint. Sed id nunc certè mihi videtur injustè factum. siquidem Coriandrum mentem non commovet, nisi largiùs & immoderatè sumatur. Quid quæso mirum erit de Coriandro copiosiùs sumpto, si vinum etiam, cujus tamen est usus quotidianus, liberaliùs epotum, dolores, morbos graves, strangulatus & mortem denique inferat? quod si moderatè bibatur, præter alias utilitates, quas humano corpori præbet, ventriculum roborat, concoctiones adjuvat, excrementosa pellit, cor exhilarat, intellectum acuit, spiritus claros reddit & vivificat. Quare non equidem video, quid obstet, quo minùs simili ratione credamus, tantum abesse, ut Coriandri semen noceat, ut etiam maximè prosit, si tamen parcè & modicè sumatur. Quippe ab ejus usu moderato non abhorruisse Galenum puto: nam lib. 8. cap. 4. de comp. med. sec. locos ex Archigene refert, ructu acido affectis Coriandrum cochlearis mensura exhibendum esse. *Ructus acidos.* Galeno autem apertissimè adstipulatur è recentioribus Græcis Symeon Sethi, utpote qui in Coriandri mentione scribat, id stomacho bonum esse, & eundem corroborare: cibum in venniculo retinere, donec probè concoquatur. *Stomachū corroborat.* Quæ auctorem hunc de temperato Coriandri usu tradidisse, nulli dubium est. Ex his igitur facilè colligamus licèt, quod non sit admittenda, sed potiùs explodenda illorum recentiorum opinio, qui Coriandri usum omninò fugiendum esse censent: nos enim jam non omnem ejus usum, sed immoderatum tantùm vitandum esse existimamus. Semen tritum & recentibus carnibus aspersum prohibet ne putrescant tam citò, quàm solent, Æstatis tempore. *Putredinem arcet.* Ex aqua autem potum cœliacos juvat, & alvi fluxiones cohibet. *Alvi fluxum.* Attamen semen in ciborum, aut medicamentorum usum admitti nunquam debet, nisi priùs triduò aceto fuerit maceratum. Matthiolus præterea certum inquit experimentum esse ad immodicas vulnerum hæmorrhagias, Coriandrum in tegula tostum & vulneri inspersum, desertoque Dioscoride, Galeno adhæret calidum statuenti, quam controversiam componunt auctores adversariorum in hunc modum scribentes. *Hæmorrhagias.* Coriandrum similibus, ut videtur innuisse Dioscorides, Cicutæ viribus cognatum. Cujus sententiam si accuratiùs subduxisset Senensis, non quidem jam commentator, sed Dioscoridis immerentis desertor, nequaquam tam multas farragines in suas paginas convasasset. Quin potiùs quod solertis interpretis & candidi est, à veritate, Dioscorideq; stetisset, neq; nostri

delusâ spectatione sic nihil docendo, elapsus abiisset. Decuit enim Medicum doctum hunc ad modum pauca disserere: Coriandri aut herbam totam, aut semen in usum utplurimum venire: & ejus quidem aut aridi, aut virentis: neque tam multis rixis, sed multiplici experimento, & antiquorum certissimâ observatione, ejus expressum succum herbámve contusam, illitu tumorum fervores compescere; *Tumores.* semen verò stomacho multis de causis proficuum, concoctionem juvare, vaporum sursum eruptionem, flatuúmque impetum sistere, temperatæque qualitatis alimentum esse, unde sanguinis, seminísque incrementum, ac ne quidem correctum prodesse, ne tantoperè aversentur illud meticulosi isti declamatores: cùm quisque pharmacopœorum, aut etiam è plebecula quotidianis opulis aut medicamentis correctum misceat, nullo inde percepto nocumento. Plerumque etiam illud saccharatum officinarum, neutiquam correctum est: nisi putes saccharo, ignéque: igitur non aceti frigiditate, sed potiùs seminis siccitate & tenuitate, virus, fœtidúmque spiritum abstergi putandum. Rationis subductio igitur hæc est: Coriandri herbam præsertim succo frigidam esse, adeóque nonnullis in locis, Arabum testimonio, ejus succum epotum exitio esse, quod de Hulca recentiores etiam exploratum habent: Herba nempe vesca & boni alimenti, cujus succus hominem necat. Quapropter & sacris ignibus illitus reprimet succus inflammationem, exceptus medullâ panis polentâ, quam Galenus haud *Ignis sacer.* rejiciet, ut qui libello de paratu facilibus, ex antiquis doceat hordei farinam polentam panémve & similia addi solita, non tam quò agant, quàm ut agendorum succorum vires excipiant. Tametsi videntur etiam juvare digerendo, & siccando, ut hordeacea, aut etiam demulcendo, ut medulla. Atque hinc responsio eruenda objectioni de strumis: multa námque sunt non calida, quæ strumas incipientes discutere valent: eóque hic farinam fresæ Fabæ addi vult Dioscorides; tum excipiendo medicinam, tum etiam juvando actionem: Digerit namque Faba, cùm nqui Coriandri succo mixta moderatè repellit exficcando: quâ etiam vi testium phlegmonibus opitulatur: sicca enim optimè id præstare, modò modicè refrigerent & discutiant, præsertim initio, methodus Galenica docet: sic Plantago etiam Dioscoridi, sic capilli veneris strumas discutiunt. Et hæc Adversaria. Galenus igitur acerbiùs in Dioscoridem invehitur, cúmque vehementiùs agitat, atque insectatur, quòd Coriandrum cum pane, aut polenta erysipelas curare illitum tradiderit: neque quodnam erysipelas curet, manifestaverit. siquidem plures hic tumor habet differentias: quarum ratione variam curationem fieri necesse est. debuisset enim adjicere Galenus, authore Maranthâ, illud erysipelas sanitati restituere non posse, quod jam planè refrigeratum est. quia ei, quod verè est erysipelas, *Dosis praeparatum.* nempe inflammatum, & flavum, ut in principio esse solet, non solùm non curaret, sed potiùs intensius redderet. Hic igitur morbi tempus declaran à Dioscoride desiderat: quia nimirum pro temporis varietate, causa etiam morbum procreans varia fit. Innoxium esse Coriandrum Lobelio contra Sethi certum se habere asserit D. Dionysius Thomas Lusitanus apud Antuerpienses Medicus, qui eam virentem Cerefolij & Selini ritu jusculis suis & suorum inseruerit, nullo percepto incommodo. Trago, semen Coriandri per noctem vino, vel aceto maceratum, rursúsque desiccatum, stomacho in primis confert, venenatas enim ejus exhalationes, ne caput tentent, reprimit: quare ex Coriandro pro stomacho præstantissimus pulvis confici potest, qui tamen pro voluntate cujuscunque commisceatur, & vel saccharo condiatur, vel non condiatur. admonendi sunt hoc loco Seplasiarij, ne semen cuiquam, nisi priùs eo, quo diximus, modo præparatum (ut isti loquuntur) fuerit, vel cum saccharo vendant, nisi venenum loco remedij exhibere velint. *Cautio.* Coriandri semine subtrito cum aceto, caro salsa non solùm à tarmis [*forte tineis*] sed & fœtore vindicatur, & longo tempore odorata conservatur. Hæc Tragus, cui eadem stat de Coriandri venenatâ facultate, quæ Matthiolo sententia, proindéque ei eadem quæ huic debetur ex Lobelio responsio. Empir. *Capitis defluxiones.* VVirtembergicus capitis defluxione laboranti, post cibum accipienda præcipit 20. aut 30. Coriandri grana pulverizata & cum saccharo permixta. Ego tamen hoc medicamento propter malignam vim, quæ Coriandro à multis, dubio procul non absque experientia tribuitur, potissimùm non præparato, non temerè utendum discerno. Coriandri folia odore ingrato ac pertinaci miratur Cæsalpinus in Hispania expeti in cibis, tum cruda, tum cocta, quæ in Italia vehementer fœtent. Dictæ gentes hoc cibo quidem somnum conciliant, sed capitis gravitatem & *Somnum inducit.* vertiginem sibi excitant. Scribit Camerarius ex Coriandro oleum destillari, ex quo fiant tabellæ cum saccharo, ad podagræ præcautionem: catharros enim siccare.

De Coriandri facultate venenata, si placet, audi Alpinum de plant. Ægypti c. 42. itémque Guilandinum sic conferentes. *Alpin.* Vbique in viridariis Coriandrum provenit copiosissimum, quod omnes *De Coriandri facultate ex Alpino.* *Cusbara* appellant. Herbæque virentis usus in cibo est apud omnes Ægyptios familiarissimus. Etenim ferculum non parant sine foliis Coriandri, quamquam ingratè oleat. *Guil.* Quid audio? nónne ij ipsum mandentes maximè læduntur, & ab ejus usu in phrenesim labuntur? quod Dioscorides, Avicenna, tum multi alij tradidêre. *Alpin.* Ridiculum. quis unquam vidit aliquem, Coriandrorum causa (quæ in usu apud quosque tum sanos, tum ægrotos familiarissimo existunt) læsum fuisse, aut ei aliquos sensus turbatos, nisi immoderatè eis fuerit usus? quid miraris? quasi ejusdem cum Galeno non sis sententiæ, qui Coriandrum calidum, resolvens ac modicè adstringens statuit. nónne demonstrat Dioscorides vel hanc ejus facultatem fateri, cùm dixerit, chæradas Coriandro cum lomento sanari? Quod nunquam à frigidis frigidi tumores discutiantur, ac *Chœradas.* curentur, cum medicamenta aliàs à Dioscoride ad sanandos duros tumores chæradásque præsertim memoriæ prodita, calidâ facultate fuerint. Neque videtur planè hoc siluisse Avicenna, cùm dixerit, chæradas Coriandro sanari, vel ex proprietate, quam ad illum sanandum tumorem habet, vel ex partium substantiæ tenuitate, quâ permeat profundè tumidam partem. Sed quis ignorat nihil à frigido resolvi, etsi multa fiat permeatio partis tumefactæ, sed omnia resolventia calida esse? *Guil.* Veram sententiam rectè defendisti, quam quis modo negabit, sciens ex te Ægyptios virentem Coriandri herbam in cibo sequi citra aliquam noxam? multò minùs seminum siccatorum usus erit exinde timendus. Hinc eque erralle non parum Arabes liquidò constabit, qui Co- *Arabum error.* riandro frigidam facultatem narcoticam, stuporem inducentem, atque sensûs turbationem concitantem, ac exitium tribuerint. Herbam in aqua elixatam illi edant. Sed eâ multò plus semina ad roborandum stomachum valere ij affirmant, debiles enim ventriculos, usu seminum assiduo maximè roborant, ejúsque calorem ipsâ fovent, augent, flatúsque resolvunt, ac discutiunt, proindéque in colico dolore, atque aliis à flatulento spiritu concitatis usum seminum sequuntur: ipsis scilicet vel in pulverem reductis, vel ex ipsis parato decocto, utentes. *Flatus.*

Quo

Uteri frigiditas. Gonorrhæa. Quo, uteri quoque frigiditatibus & humiditatibus occurrunt: præsertimque ad menses immodicè fluentes, & ad gonorrhœam firmandam, quòd inſit illi quoque facultas adstringendi, ex quo puto apud eos plantam quoque emplastri modo, ad podagricos & alios articulorum dolores in maximo ibi esse usu, quòd eas partes adstrictione, ne humorem partes recipiant, roboret, atque etiam contentos resolvat, discutiat, vel exprimat. *Coriandrũ saccharatum.* Confectum Coriandri vocatur Coriandrum saccharatum, vel saccharo obductum, quod parabis hoc modo. Recipe Coriandri, à sordibus, pulveribus, festucis, lapillis, & pediculis, cribrando, ventilando & seligendo repurgati & ab omni humiditate exsiccati ℔.ij. Ponantur in æneum vas pensile duabus ansis suspensum, & super carbones hinc inde, antrorsum, retrorsum, dextrorsum, sinistrorsum agitentur: nunc in orbem volvuntur, nunc instar Avenæ, in vannis moventur, donec calefiant. Calefactis infundatur parum sacchari, ad debitam, & quodammodo perfectam consistentiam, i.e. propemodum ut ad morsulos & orbiculos cocti cochleari ferro non procul ab extremitate perforato, & continuò agitentur, donec siccetur saccharum: deinde aliud affundatur, ut prius, idque tantisper fit dum justam acquirat magnitudinem, quæ in duplici differentia consistit. Nunc enim tam crassè sacchari obducitur semen hoc, ut Pisi hortensis magnitudinem vel etiam majorem acquirat. *Coriandrũ prima tunicâ.* Nunc quàm parcissimè sacchari circumdatur, & in officinis Coriandrum primâ tunicâ nuncupatur. Superficies plerumque lævis est, nisi singulari artificio asperior, seu (ut vulgo loquuntur) crispa sit, videlicet ex alto saccharum fundendo. Si materia conglobatur, vel saccharo confertim infuso, vel negligenter moto, manu affricatâ dissolvuntur nodi. In fine confectura exactè siccentur: *Eius usus.* deinde in locum calidum & siccum cribro imposita reponantur. Coriandro primâ tunicâ præcipuè utimur in medicina ad trageas grossiusculas conficiendas. Per se & absque aliis rebus usurpatur utiliter ad confortationem capitis, cerebri & memoriæ. Medetur vertigini post cibum sumptum dimidio cochleari. Paralysi jejuno stomacho comestum, & post prandium & cœnam devoratum. A cibo usurpatum corroborat ventriculum, orificium ejus superius claudendo, quare sedat vomitum, fastidiúmque ciborum, præcipuè autem post febres, concoctionem adjuvando. corrigit anhelitum fœtentem, præcavet ebrietatem, inducit somnum, dolorem ventriculi à flatibus concitatum curat: venerem extinguit: humiditates absumit, ubi os aquâ & sputo abundat. Admodum vulgare est Coriandrum saccharo largiùs obductum in conviviis, commessationibus, & compotationibus nocturnis. *Mulsa coriandrata.* Multùm commendatur à Marcello Empyrico & Nicolao Myrepso Mulsa coriandrata in apostematibus & pleuritide: sed neuter eorum confectionem ejus docet. Cui itaque animus est parandi hanc, is præparatum Coriandrum, ut monet Tabern. priùs in aqua coquet, ac octo partibus aquæ colatæ partem unam mellis immiscebit, post igne lento ad consumptionem dimidiæ partis ea simul decoctu rus, despumaturus, ac cocta colaturus ad usum. *Coriandri decocti aqua.* Coriandri decoctionis aqua laudatur in quolibet alvi profluvio, etiam vomitione assidua conjuncta, Cholera morbus dicta. Conducit in calidis capitis affectionibus sicut & in aliis, in quibus vinum haud conceditur. Hæc, Cinnamomi aquæ loco pauperibus concedatur, quibus fortuna Cinnamomum persolvere denegavit. Paratur autem hoc modo: Accipitur Coriandri præparati: unc. semis: Aquæ fontanæ ℔.viij. Coquuntur hæc in vase stanneo bene obturato, alteri vasi aqua pleno imposito, ad quatuor horas. Ab igne verò remota & frigefacta colatur, & frigido loco reponitur ad usum. Quidam saccharum addunt, alij verò uvas passas, utrumque pro cujusque libitu. *Aq. stillatitia herbæ.* Herbæ Coriandri aquæ stillatitiæ nullius ferè est usus, nisi in extrinsecis quibusdam affectibus, seu dolore oculorum pulsatorio, guttatim nonnunquam instillatæ. Quod medicamentum efficacius redditur, si lac muliebre immisceatur. Linteolum quoque in hac madefit, & tepidè superponitur. Fit autem hac ratione. Herbam ac unà caules colligé cum maximè floret: inciduntur omnia simul minutim, & in Balneo Mariæ distillantur. *Seminis.* Coriandri seminis aqua stillatitia maximè salubris est in hepatis apostematibus, uncia pro dosi cum aliis convenienter permixta & epota. Potest etiam aliàs ejus usus esse ad prædictos affectus. Epithematibus cum aliis inservire potest. Hanc ita parabis. ℞. Coriandri præparati ℥. viij. Contunde crasso modo, affunde ℔.v. aquæ limpidæ: macera in Balneo Mariæ alembico cœco contecto, horis octo: dein igne lento per cineres alembico vitreo distilla & reperies aquam saporem & odorem Coriandri repræsentantem, si in sole, ut moris est rectificetur, ceu memoriæ prodidit Tabern.

CORIANDRUM MINUS odorum.



IMa folia habet minutulis incisa, & semen habitius, copiosius, in pluribus spithameis procumbentibus cauliculis: *Descr.* alitur in horto Iacobi Plateau exoticarum stirpium avidissimi, teste Lobelio, cujus iconem hic pictam damus, juxta quam tamen possimus parvam plantam, florem & semina Coriandri nostri communis.

Synon. Huic Dod. in fol. lat. titulum fecit Coriandri altera icon. Lob. in Obs. p.404. in Icon. p.706. Coriandrum alterum minus odorum; Lobelij, Lugd. p.735. Bauh phyt. Coriandrum 2. Apud Matth. & pin. Coriandrum 2. minus testiculatum: Coriandrum 2. inodorum, Tab.

CORIANDRUM SILVEstre.

Descr. SIlvestri Coriandro radix est singularis, tenuis, nõ altiùs demissa, cui radiculæ aliquot tenues adnascuntur. Hæc caules multos edit, quinque angulis costantes, solidos, geniculatos, ramuli incerto ordine similiter solidi è singulis geniculis prodeunt, folia ferentes summis prioris Coriandri foliis similia, sed minora, in quorum cacuminibus umbellæ veluti in altero Coriandro, floribus ex purpureo candicantibus, refertę, quibus discussis semen oritur rotundum, id peculiare habens, quod in singulis pediculis duplex sit, atque unum alteri junctum. Odor totius plantæ gravior, quam sativi Coriandri, & caput magis tentans.

Synon.



Nicandri scholiastes in Alexipharmac. silvestre hoc Coriandrum sativo simile depinxit, sed latioribus foliis, & multò longius, multa habens adnata, multósque flores. Cujus cùm latiora folia esse dicat, soli naturæ id tribuendum censet Myconus, qui minora hujus folia depinxit referente Dalecampio.

Lugd. hanc pictam dat p.736. titulo Coriandri silvestris Myconij, ceu & Pona in Baldo. Bauh. in phyt. & pin. Coriandrum 3. silvestre vocat; apud Matth. Coriandrum silvestre nuper in Hispania repertum.

Clarum itaque jam est dari Coriandrum silvestre, licèt Plinius inter silvestria inveniri neget. Nos non vidimus, habemus tamen munere Doct. Iac. Zvvingeri Coriandrum silvestre.

Locus.

Nascitur locis quadantenus siccis, marginibus & limitibus terrenis. Vberius tamen pullulat & altius adolescit Solo humidiore.

ANISVM VETERIBVS ET IN genere. CAP. XL.

Descr.



ANisi folia prima longis hærent pediculis, simplicia, aut trifidà, circùscriptione rotunda, profundè serrata, unciá majora, albicantia, odorata, superiora Petroselini foliis similia & tenuiter incisa. caulis rotundus, concavus, Apij cauli similis, hirsutus, nonnihil striatus, è cujus geniculis rami enascuntur multi, Coriandri modo, quorum extremis hærent umbellæ latæ, minutis candidisque floribus constantes, ad Pimpinellæ Saxifragiæ flores accedentibus: semen parvum, minus quàm Cicutæ, colore ferè cinericeo, odore ac sapore gratissimo, dulci, cum jucunda quadam acrimonia: radix gracilis, inutilis, modò simplex, modo multifida.

Anisum semen est Cæsalpino Fœniculo minus, veteribus inde scriptum, sed nihil seciùs vulgo notum. Quam ob rem ejus historiam longiori sermone prosequi, non est operæ pretium. B.pin. Anisum 1. herbariorum, majore semine & minore, quod & apud Bohemos habetur.

Nomina linguar.

Græce vocatur Ἄνισον, Ἄνησον, & Γλυκάνισον: Latinè Anisum & Anesum omnibus authoribus, solo excepto Eustachio Roeslin, cui Anisi thium dulce & Hier. Braunschvveig, cui Fœniculum Romanum, & innominato quodam, cui Cyminum dulce (q. e. Germ. Süsser Kummel) & Fœniculum dulce (q. e. Süsser Fenchel) dicitur. Plinio tamen Anicetum pro quo fortè Brunfels. in herb. germ. malè legit Anacetum. Arab. apud Serap. lib. simpl. c. 242. *Aneisum, Aneisim & Ancusam*, quæ appellationes dubio procul à Græcis mutuatæ sunt. Haliabbati *Drosatum & Abiezatum* ejus verò Glossographo, Stephano *Nizatum, Oiezatum & Anexissum*: Ger. Anis & Eniß: Belg. Anys: Gall. *Anis*: Ital. *Aniso*, & semen ejus *semenze d'Anisi*: Hisp. *Matahalva, Metahalva, Mathalva, Matalahuga Yerva dulce, Yerva buona*, & *Anise*: Angl. Anese & Anyse: Boh. Anitz: Polo. Anyz: Hung. *Anis*.

Cæterùm, ut nostrum sequamur institutum, non est à nobis silentio prætereundum, malè quosdam apud Dioscoridem capitis principium de Aniso, quod inter nothas appellationes aliqui Sion vocant, cum fine prioris capitis de Sisone commixtum esse, quod ad historiam attinet. Nam si eadem est herba Sison & Anisum frustra diversæ vires eis assignantur. *Sion. Sison.*

Anisum vulgare, quod quidam in Candia Glycanison vocant, diversum inter alios ab Aniso Græcorum Silvius esse statuit. *Anisum Græcorum.*

Sunt, ut refert Levin. Lemnius de herb. Bibl. c. 41. qui Anethum, quod Christ. Matth. 23. concioni adhibet, malè Anisum credant, quum sui generis herba sit. *Anethum.*

Anisum vocant Coriandrum dictum aniculæ Agri Metensis & Trevirensis. *Coriandrum.*

Ex Orbe Atlantico inter alia apportatur lignum quod Anisi odorem ita spirat, ut Anisi lignum, teste Goropio, meritò nuncupetur. *Anisi lignum.*

Anisi saporem, nostro judicio, refert Sassafras. *Sassafras.*

Zingi fructus stellatus Anisi sapore, dicitur Anisum Philippinarum Insularum Clusio. De his tribus proximè nominatis, consule lib. 4. *Zingi fructum stellatum.*

Sed ne quid intactum relinquamus, substituta annotemus. Avicenna quidem pro Aniso & Daucum & Samplucum substituit. *Substituta. Daucus. Sampsucus.*

Sed & Anisi loco secundùm Avicennam à Monachis dist. 8. cent. 255. Carvi ponitur. *Carvi.*

Nunc si natales quæras, in Creta, Syria, Ægypto, alijsque Orientis regionibus feliciter gignitur: Seritur quandoque in Angliæ, Silesiæ & Germaniæ hortis, ubi Iulio ac Augusto floret, ac semine prægnans, Monspelij floret Maio. Genevæ habuit sæpiùs in horto suo Moletus pharmacopœus, sed semine teneriore, quale fuit, quod nobis Montbelgardi in horto E.C. provenit sæpiùs difficilè maturescens. adfertur etiam ex Germania Anisum minus plenum, quod magis acerosum & minùs aptum ad extrahendum oleum. *Locus cum tempore.*

Superest, ut deinceps de Anisi viribus disseramus. Anisum igitur, ut præcepit Dioscorides, in universum vim habet excalfaciendi, exsiccandi [*suaveolentiæ et. mittit.*] odoris halitum [*Ἄ... græcè legitur: quam vocem sic Plin. reddit & eum secutus Ruell. & Sarrac. At Corn. & eum secutus Dalech. facilem spirationem vertunt. Et sanè utrumque intelligi posse videtur. Nam & asperam arteriam repurgando, spiritum facilem reddit: & ad respirationem jucundum efficit. Corn.*], jucur diorem faciendi, dolores mitigandi [*sedandi Dalech.*] digerendi [*discutiendi idem ex Corn.*] urinam ciendi, ac denique discutiendi, dissipandique [*diffundendi Corn.*] Hydropicis potum sitim arcet. Prodest ad venenata animalia, & ad inflationes. Alvum & album mulierum profluvium sistit. Lac ad mammas elicit, & venerem stimulat. Suffitum naribus dolorem capitis sedat: tritum & cum rosaceo instillatum aurium medetur rupturis. Præstat autem quod recens est, & plenum & non furfurosum, *Vires & Usus. Vrinam ciet. Sitis. Lac facit. Delectus.*

odore validum. Principatum obtinet Creticum. Secundum locum tenet Ægyptium. Hæc Dioſcorides, quæ particulatim & pluribus verbis declaravit Plinius. *Scorpiones.* Aniſum adverſus ſcorpiones in vino bibitur, Pythagoræ inter pauca laudatum, ſive crudum, ſive decoctum. Item viride, aridúmve omnibus quæ condiuntur, quæque intinguntur deſideratum: panis etiam cruſtis inferioribus ſubditum. Saccis quoque additur. Cum amaris nucibus vina commendat, *Oris halitus.* quin ipſum oris halitum jucundiorem facit, fœtorémque tollit manducatum matutinis cum Smyrnio, & melle exiguo, ore mox vino colluto: vultum juniorem præſtat. Inſomnia levat ſuſpenſum in pulvino, ut dormientes olfaciant. *Appetitum excitat.* Appetentiam ciborum præſtat, ob has cauſas quidam Anicetum id vocavere. Dolores capitis levat ſuffitum naribus. *Epiphora.* Epiphoris oculorum è vino radicem ejus tuſam imponit Iollas. Ipſum cum Croco pari modo, & vino, & per ſe tritum cum polenta ad magnas fluxiones, extrahendiſque, ſi qua in oculos inciderint. Narium quoque carcinodes conſumit illitum ex aqua. Sedat *Angina.* anginas cum melle & Hyſopo & aceto gargarizatum. Auribus infunditur cum roſaceo. Thoracis pituitas purgat toſtum: cum melle ſumptum melius. Cum acetabulo Aniſi nuces amaras L. purgatas tere in melle ad tuſſim. *Tuſſis.* Facilimè verò Aniſi drachmæ tres, Papaveris duæ miſcentur melle ad Fabæ magnitudinem, & ternis diebus ſumuntur. Præcipuum *Ructus.* autem eſt ad ructus, ideo inflationibus ſtomachi & *Tormina.* inteſtinorum torminibus, & cœliacis medetur. Singultus & olfactum, decoctum, potúmque inhibet. Foliis decoctis digerit cruditates. Succus decocti cum Apio olfactus ſternutamenta inhibet. Potum *Calculus.* ſomnum concitat. Calculos pellit. Vomitiones cohibet, & præcordiorum tumores. Et pectorum vitiis, nervis quoque, quibus ſuccinctum eſt corpus, *Capitis dolores.* utiliſſimum. Prodeſt ejus & capitis doloribus inſtillari ſuccum cum oleo decocti. Non aliud utilius *Dyſenteria.* ventri & inteſtinis putant, ideò dyſentericis, & in teneſmo datur toſtum. Aliqui addunt & Opium pilulis in die ternis Lupini magnitudine in vini cyatho dilutis. Dieuches & ad lumborum dolores *Hydrops.* ſucco uſus eſt. Semen hydropicis & cœliacis dedit tritum cum Menta è vino, radicem ad renes. Dalion *Parturientibus confert.* herbarius parturientibus ex eo cataplaſma impoſuit cum Apio: item vulvarum dolori. Dedítque bibendum cum Anetho parturientibus. Phreneticis quoque illinunt, vel recens cum polenta. Sic & in*Morbus comitialis.*fantibus comitiale vitium aut contractiones ſentientibus. Pythagoras quidem negat corripi vitio comitiali in manu habentes. Ideóque quamplurimum domi ſerendum. Parere quoque faciliùs olfactantes. Eſt ſtatim à partu dandum potui polenta *Duritia.* aſperſa. Soſimenes contra omnes duritias ex aceto uſus eſt eo: & contra laſſitudines in oleo decoquens *Laſſitudines.* addito nitro. Semine ejus poto, laſſitudinis auxilium viatoribus ſpopondit. Heraclides ad inflationes ſtomachi ſemen tribus digitis cum caſtorei obolis duobus ex mulſo dedit. Similiter ad ventris aut *Orthopnœa.* inteſtinorum inflationes. Et orthopnoicis, quod ternis digitis apprehenderit ſeminis, tantundem Hyoſciami cum lacte aſinino: multi vomituris acetabula ejus & folia Lauri decem trita in aqua, *Vteri ſuffocatio.* bibenda inter cœnam ſuadent. Strangulationes vulvæ, ſi manducetur, & linatur calidum, vel ſi bibatur cum Caſtoreo, in aceto & melle. Vertigines à partu cum ſemine Cucumeris & Lini pari menſura ternum digitorum, vini albi tribus cyathis diſcutit. *Quartana.* Tlepolemus ad quartanas ternis digitis ſeminis Aniſi & Fœniculi uſus eſt, in aceto & mellis cyatho uno. Lenit articulares morbos, cum amaris Nucibus illitum. Sunt qui & aſpidum venenis adverſari naturam ejus putent. Vrinam ciet. Sitim cohibet.

Venerem ſtimulat. Cum vino ſudorem leniter præſtat. Veſtes quoque à tineis defendit. *Delectus.* Efficacius ſemper recens & quo nigrius. Stomacho tamen inutile eſt præterquam inflato. Hæc Plin. l. 20. cap. 11. Qui libro præcedenti 19. cap. 8. Aniſum ceu & Anethum culinis & medicinis naſci dixerat. Licèt autem Dalion apud Plinium præſcripſerit radicem parturientibus, nos tamen nihili facimus. eſt enim tenuis radix, & noſtro judicio inutilis. Quid ſi Dalion aliquam aliam radicem intellexerit? Nos id facilè credimus. Soſomenis remedium orthopnoicis, Aniſum &c. cum Hyoſciamo fore proficuum. *Conceptionis futuræ ſignum.* Si mulier noſſe velit an cóceptura ſit, Aniſum ex aqua quàm tenuiſſimè tritum, Hippocrate præceptore, bibat & dormiat. quod ſi quidem pruritus circa umbilicum eam corripiat, concipiet: ſin minùs minimè. Prodeſt, referente Simeone Sethi ad vetuſtas ex frigore jecoris affectiones, *Iecur frigidum.* & ad ſpirandi difficultatem, quæ ex pituita proficiſcitur. Flatus, qui in ventriculo ſunt, digerit. Obſtructiones tollit, & lactis copiam facit. *Temperamentum. Galeno.* Galeno l. 6. de ſimpl. med. facult. autore, Aniſi ſemen maximè utile eſt, acre & ſubamarum, ut prope ad urentium accedat caliditatem. Eſt autem & in ſiccando tertij ordinis, ſicut & in calfaciendo. Proinde & urinam ciet, & digerit, & flatus ventris reprimit. Hæc Galenus, cui conſentit Paul. Ægineta l. 7. Nos Aniſum quod in Gallia & Germania provenit minùs calidum exiſtimamus, quàm Galenus tradat, & potiſſimùm Germanicum. Aſt non inficias imus temperamenti hujus varietatem ex natali Solo dependere. Cum & Dioſcorides & Plinius Creticum ratione loci principatum obtinere dicant. Galeno Aniſum calidum & ſiccum eſt in tertio. Verùm id, quo in Anglia utimur, inquit Turnerus, non ita calet: Quare ſuſpicor eſſe melius quoddam genus, quàm quod venale communiter ad nos affertur. Etiamſi interim utendum nobis eſt hoc vulgari, quod mihi videtur vix calidum in initio ſecundi gradûs. Galenum, ut contendit Lugdunenſis, de Aniſo in Syria aut ſponte alibi in regionibus calidis nato loquutum eſſe æſtimandum eſt. Magni fuit olim Aniſum antiquis, inquit Lob. in Adv. præſertim Pythagoreis: non modò quia cibi appetentiam revocaret, unde Aniſum & Anicetum dictũ putant, *Aniſum & Anicetum unde dictum.* ſed ut veriſimiliùs ἐπὶ ἀνίναι τὰς ἐμπνευματώσεις, remittit & laxat tenſiones flatulentas internas & externas. Et ſanè nullum è cæteris flatum emittentibus oleraceis ſeminibus gratius eſt ventriculo, minus habet acrimoniæ, aut plus ſuavitatis, quàm iſtud ſemen, quod neutiquam, ut ex Dioſcoride Galenus arbitratur, *Galen. not.* tertio gradu hodie guſtanti apparet calidum: niſi quia ruri raro, aut nuſpiam apud nos viſitur, in hortis verò ubique gentium etiam Septentrionalium, ut Germaniæ & Angliæ provenit, cultu & Solo nonnihil deponat caloris. Aniſi ſemen recens melius eſſe, plenum, non furfuroſum, odore præſtans, inter prima verò laudatum eſſe Creticum, proximo loco Ægyptium, ad trientium uſque non inefficax teſtatur Apollo. dicens: In ſiccando tertij ordinis, ſicut & in calefaciendo ſtatuitur ex Galeno. *Avicenna lapſus.* At Avicenna duplici errore, in ſecundo ſiccum dictat ex utroque, etſi qualitatum gradu relicto, hoc pacto ſcribat Dioſcorides. Aniſum in ſumma calefacit, exſiccat, &c. id amarum fecit Galenus, propterea noſtrum eſſe γλυκάνισον, i.e. dulce Actuarij, crediderunt *Glycaniſon Actuarij.* nonnulli, quum noſtrum furfuroſum nunquam ſit. Attractionem vaporum Aniſorum bullitorum per nares, ſedare ſodam [*frigidam videlicet, i.e. dolorem capitis frigidum*] perhibet Bayrus. *Soda.* Semen Aniſi vim obtinere ſcribit Tabern. calfacientem, ſiccantem, & diſſolventem, tam intrinſecus, quàm extrinſecus: herbam præterea rarò in uſum venire, radicem, tanquam inutilem, nunquam. De ſemine hæc tradit:

Viſu-

Vsurpatur hodie non solùm in medicina, verùm etiam in culinâ apud Germanos ut olim apud priscos. *Pani addertur.* Mulierculæ nostræ pinsunt hoc in panem, ex quo Biscoctum parant. hoc enim ei non solùm saporem gratum communicat, sed ob id etiam pani utiliter conceditur: quippe in *Inflationes.* inflatione ventriculi, lienis, & intestinorum: similiter in dolore laterum *Morbi frigidi.* & renum; itémque ventris torminibus, colica, hydrope, omnibúsque frigidis jecinoris affectibus, & obstructionibus, in lapide renum, in sterilitate seu infœcunditate mulierum. Cibi Aniso concocti non absque commodo propinantur vertiginosis, & catarrhus frigidis laborantibus, ex cachexiâ, ictero, hydrope & aliis supra enarratis affectibus. *Confectum Anisi.* Confectum Anisi, Anisum sc. saccharatum, vel sacharo incrassatum urinam movet, digerit, flatúsque ventris discutit, oris halitum commendat, aliáque plurima præstat. Maximè autem hujus usus intempestivus est, in conviviis & compotationibus luxuriosis; & voluptuosis, tam apud pauperes, quam apud divites. Fit autem hoc modo. ℞. semen Anisorum optimè mundatorum ℔.ij. Inde in vas æneum pensile, ut in Confecto Coriandri, & super ea infunde saccharum lævis coctionis in principio, & bene manibus duc per vas æneum, usque ferè sint cooperta, benéque *Anisum læve & asperum.* exsicca ad omnem manum sacchari: & hoc continua usque in finem, si solidos, seu læves Anisos facere velis. Si verò asperos & crispos, postquam cooperta erunt, affunde saccharum cum cochleari ferreo, ab alto, in & sit fortis coctura: deinde vas hinc inde agita, ut in Coriandris est dictū. Anisi quantò minores, tantò pulchriores: & quantò duriores, tantò laudabiliores. Duri enim fiunt & non solùm Anisi, sed & cætera alia confecta, si bene siccentur ad omnem sacchari affusionem. Aqua stillatitia florum Anisi conducit in omnibus iis morbis, ad quos semen per se commendatur. Facies hâc mediocriter lota, & per se resiccata, clara redditur: immoderatè verò adhibita subflavum & morbosum inducit colorem. Ejus etiam in epithematibus usus esse potest. *Aqua flosculorum.* Aquam è flosculis ita parabis. Anisum florens collige unà cum foliis & caulibus. Incide omnia minutim, distilla in Balneo Mariæ, rectificaque in sole. Si fortiorem desideras, contunde seminum uncias ȝ. affundendo aquæ hujus libras tres aut quatuor, progredere ut in aqua Coriandri componenda te docuimus. Anisites, vel Anisatum vinum, ut Fœniculatum faciendum. Laudatur in omnibus affectibus, quibus semen ipsum medetur. Constantinus l.8.c.5. de Agric. si semen Anisi vino inditum sit, id succurrere urinæ difficultati, omnibus intestinis *Anisata mulsa.* conducere narrat. Anisata mulsa dupliciter fit. Vel enim semen crassiusculè contunditur, & unà cum mulsa fermentari sinitur. Vel semen priùs in aqua, è qua mulsa paranda, coquitur. Admodum utilis est longo tempore tussientibus, difficulter spirantibus, itémque raucitati. Calefacit pectus & pulmones, medetúrque earundem partium frigidis affectibus. vires quoque easdem obtinet, quas vinum. Pro iis, quibus vinum morbus denegat, aut pro absthemiis, *Decoctio Anisi.* aut etiam pro iis, qui vinum per se bibere non consueverunt, paratur Anisi decoctionis aqua, eo modo, quo Fœniculi, accipiendo tamen pro uncia seminis libras octo aquæ, quæ coquuntur in vase du-*Dianisum.*plici. Dianisum recipit sem. Anisi ℥.ij.ʒ. Glycyrrhizæ rasæ, Masticis, singul. ʒ.i.sem. Carvi, sem. Fœniculi, Macis, Galangæ, Zingiberis, Cinnamomi, singul. ʒ.v. Piperis nigri, albi, longi; Cassiæ ligneæ veræ, Pyrethri, Calaminthæ, singul. ʒ.ij. Cardamomi majoris, Caryophyllor. Cubebar. Croci, Spicæ Indicæ, singul. ʒ.j.semis. Sacchari albi ℥.ij Mellis despumati quantum sufficit. fiat Electuarium. Intemperiem frigidam ventriculi à pituita cruda, vel etiam flatibus sanat, & tussim diuturnam à frigida causa genitam, Mesues. *Trochisci de Aniso.* Trochisci de Aniso sanant obstructiones hepatis, & alios ejus morbos, & inde natas febres antiquas. Eorum compositio hæc est. ℞. Anisi, succi Eupatorij, singul. ℈.ij. sem. Anethi, Nardi Indicæ, Mastiches, Folij, sol. Absinthij, Asari, Apij, Amygdalarum amararum, sing. ℈. semis. Aloës, ℈.ij. Syr. Absinthij, quantum sufficit, formentur trochisci, siccandi in umbra. *Anisi semen cum vino.* Anisi seminis extractum pondere unius scrupuli, cum vino, aqua Anisi, aut aliquo alio convenienti liquore propinatur in iis morbis, quibus semen. De Anisi decocto, sale & oleo, vide Querc. defens. Herm. c.21. Nos in doloribus ventriculi à flatibus & pituitosis humoribus ortis, Oleum Anisi magni facimus, exhibitum cum jusculo, modo paucæ dentur guttulæ, tres sc. aut quatuor, quod tum in nobisipsis, tum in aliis sumus experti.

Decoctum quoque multum æstimamus, & pluris facimus, si febrile quid morbo conjunctum sit. Aquam etiam, quæ parando oleum extrahitur, multum probamus. Colicos cruciatus, quos non potuit sanare, oleo chymico Anisi persanavit Heurnius. *Sal Anisi.* De sale Anisi hæc scribit Tab. Herbam semen & radicem exsicco, comburo, & ex cinere sa. salem elicio. Vtiliter adhibetur in hydrope, opilatione renum & vesicæ, per se, aut cum aliis medicamentis permistus.

VISNAGA MINOR QVORVNdam, Selinum peregrinum Clusio, semine hirsuto.

Cap. XLI.



Descr. Caule surgit cubitali & sesquicubitali, striato, tenui, medulloso & ramoso. folia cujusmodi Pastinacę Germanicę silvestris primò provenientis, vel Sanguisorbę, aut Saxifragiæ hircinæ minoris, vel Caucalidis majoris & minoris, vel, ut ait Clusius, Coriandri, ex duabus, tribus, quatuórve foliorū conjugationibus, unóque impari ad costam hirsutam alligatis componūtur: singularia verò folia, subrotunda, aspera, subhirsuta, potissimùm infernâ parte, profundè circumquaque serrata, pollicis unius, aut duorum latitudine, per terram strata: folia verò per caules accedunt ad Ammi folia vulgaris majoris. Foliis sapor nonnihil aromaticus cum acrimonia. umbellæ parvæ ex muscariis inæqualibus contextæ, flosculis minimis, quæ constant quinque foliis bipartitis singulis, & apicibus albis, vel ut dicit Clus. candicantibus: semen exiguum, sublongum, hirsutum, duplex, Apij vulgaris officinarum semini ferè par, majus quam Ammi minoris, vel Clusio autore, Petroselini vulgaris simile, gustu acri, odorato, Clus. aromatico: Radix illi alba, oblonga Pastinacæ Germanicæ, vel Apij hortensis, cum nervo in medio, sapore valdè ingrato, acri, Clusio odorata, Selini sapore.

Clus.

Synon. Clus. hisp. & hist. Selinum peregrinum 1. Cæsl. 7. c. 57. Saxifragia 3. quam existimat fortè dici posse Cuminum silvestre primum Dioscoridis. Ait enim ante cap. 13. ejusdem libri posse pro Cumino Dioscoridis silvestri semen hirsutum ostendi, quod veriùs acerosum dici possit, ut ejus quæ inter Saxifragias numeretur, exili semine, ut Ameos, valdè hirsuto, & vehementis acredinis. An idem loco priori jamjam citato hujus Visnagæ varietatem intelligit, per Saxifragiam quartam, quam in totum tertiæ similem ait, & solo semine discrepare, quod paulo crassius sit, nequaquam lanuginosum & infirmius.

Bau. phyt. Apium 7. (9. pin. cui & Daucus 3. Diosc. 2. Plinij, Col.) sive peregrinum foliis subrotundis appellat, aitque Guilandinum, cùm illi in horto medico Patavino ostenderit, Daucum secundum nominasse.

Locus cum tempore. Visnaga minor quorundam mihi provenit in horto E.C. Monthelgardi. Lugdunum mihi semen mittebatur nomine Visnagæ minoris. Idem hoc inibi R zotomus quidam anno 1566. exhibuit nomine seminis Petroselini Macedonici, quamvis fateretur non verum Petroselinum Macedonicum. Frater attulit ex horto Patavino pro Saxifragia Bononica. Semen accepi à Tossano Carolo ex Burgundia nomine Dauci veri. Hortulanus misit Ducis Florentini nomine Dauci servidi Candiæ. Provenit satum in horto D. Frid. Meier Argentinæ, qui vocabat Panacem. Habui tandem siccam plantam à Sprengero, qui Panacem Asclepiadem cognominabat.

In Salmanticensi agro sponte nasci Selinum peregrinum in vinetorum marginibus, juxta vias & semitas, auctor est Clusius: Florere autem mense Iulio: semen Augusto maturum esse.

APIVM, SELINVMVE VETERIBUS. CAP. XLII.

Apij vox æquivoca. NE Apij nomenclatura ignaris imponat, statim in limite hos admonendos necessarium esse duximus, eam æquivocam esse, & duas diversissimas plantas denotare. Apium sc. Ischias, &c. cognominatum, de quo Diosc. l. 4. scripsit, & nos suo loco dicturi sumus. Alterum verò Selinum dictum, de quo hîc nobis sermo est, & Dioscorides hæc memoriæ prodidit. Apium hortense [σέλινον κηπαῖον] ad eadem quæ & Coriandrum convenit: præterea que ad oculorum inflammationes, cum pane aut polentæ polline imposita. Æstuantem quoque stomachum demulcet, & mammas grumoso lacte turgentes reprimit: ciet & urinas, sive cocta, sive cruda edatur. Decoctum ejus radicúmque potum, venenorum noxæ resistit, dum vomitiones excitat, alvum quoque cohibet. At semen potentiùs urinas pellit, & à venenata bestia demorsis, iisque qui argenti spumam hauserunt, opitulatur, ac denique flatus discutit. Sed & utiliter admiscetur medicamentis, quæ dolorum levamenta præstant, itémque theriacis ac tussicularibus. Hæc ille.

Apij hortensis vires, ex Diosc.

Apij differentia ex Theophr. Apium sub nomine Selini videtur passim intellexisse Theophrastus. Et quidem 7. hist. c. 4. inter ejus genera ex foliis & caulibus differentiam fecisse, his verbis: Pluribus constant generibus, ut Radix, &c. Cuminum [*κύμινον: legendum σέλινον, Apij ut ex sequentibus apparet*] Apiorum verò [*τῶν σελίνων*] cùm in foliis, tum in caulibus discrimen utrique constat: aliud enim folio spisso, crispo, densóque: aliud rariori, latiorique, cauléque majori. Horum iterum aliud candidi caulis, aliud purpurei, aut versicoloris: verùm ad summam ejusmodi omne silvestri proximum est. Idem caus. 5. c. 6. ait, figuram & speciem [*μορφὴν*] suam mutare, si satum conculcetur, cylindróque superinvoluto coërceatur. Fieri etenim crispum, quoniam incrementum transire facilè nequeat, & vasis quoque, in quo positum fuerit, speciem imitari: & hoc propterea evenire, quia nutrimentum, cùm prohibetur arceturque à vase circumveniente, feratur ad id quod avocet, libertatémque permeandi concedat: fieri enim velut rivuli cujusdam deductionem. Itaque speciem vasis ambientis capessere. Evenire hoc idem quodammodo & generi animalium in magnitudine, parvitate, brevitate & longitudine. Quippe illa formata jam esse: hæc verò cùm generentur, formam recipere. Quapropter cùm Apium hoc transferre oporteat, palum defigendum tantum præcipere aliquos, quantum Apium efficere libeat. Radicem enim totum locum implere facilè posse. Et hist. 2. c. 5. Fit & in oleribus culturæ causâ mutatio, ut Apium, si satum conculcetur, cylindróq; spissetur, coæquetúrque, crispum inquiunt provenire. Mutantur item regione, tellurēque mutatâ, ut etiam cætera. Hist. 1. c. 9. Olerum autem major ferè pars radice cohæret singulari, ut Apium, quod tamen propagines magnas suggerit, quæ quidem pro corporis sui ratione altiùs, quàm arborum sanè radicantur. Hist. 7. c. 3. Inter radices Apio carnosa est: ista namque ne siccata quidem omninò durescit. Caus. 6. c. 22. Ex dulcibus nullum ferè bene olet, & eò minùs quò dulciora sunt. Ratio, quòd succus dulcis crassior, atque terrestrior est, præsertim cùm mistus fuerit in fructu. Odor autem humoris tenuioris, siccioris aptique difflari potiùs est. Verùm odor & foliorum, & ramorum, & in totum arborum atque plantarum in eisdem generibus est, in quibus aliquid acredinis aut pinguedinis inest: quemadmodum certè in genere herbarum, quas coronarias appellamus, & oleribus quoque, ceu Apio. Siccitas enim, & acritas, vel acerbitas bis inno. telcit non in fructibus, neque in cæteris, quæ humoris ejusmodi sunt. In omnibus verò odoratis redditum illud per definitionem omninò inest, ut demistum sicco, quod sapidum est, vim aliquam pariat odoris. Prorsus odoratiora, suavioráque, tam tota, quàm particulatim locis placidis spiritûs, ac siccis proveniunt: scilicet exhausto humore aquoso, excoctóque reliquo melius. Siccitas enim odori convenientior est, & omnia odorata eò potiùs vergunt. Argumento etiam illud est, quòd tractibus æstuosis plura, melioráque odoratorum genera prodeunt. Meliùs enim ibi concoquitur, & quædam siccata olent. Hist. 7. c. 1. Omnium difficillimè Apium nascitur: quadragesimo enim die affirmant, qui celerrimum ejus proventum tradidêre: sed sunt qui quinquagesimo velint, quod etiam omnibus sementibus fieri potest: quidam enim omnibus id adjungunt. Ad summam quæ locis pluribus seri patiuntur, hæc nihilo celeriùs ex majore parte Æstate proveniunt: quod mirum, si tempus, aërve, nihil confera ad celeritatem. At si improbo, frigido cœlóque tristi circundata sunt, seriùs prodeunt: nam & tempestas, serenitásve sementi succedens, facit ut aliàs seriùs, aliàs maturiùs germinentur. Discrimen illud quoque in sementibus singulis, quòd locis apricis, temperatísque, maturissimè proventus fieri solet: causas enim eorum in pluribus constare credendum est: exempli gratiâ, in seminibus ipsis, in cœlo, in tempore, quo singula fieri placuerit: adde tempestates, serenitatésque. Sed hoc ampliùs inspectandum, in quibus tempora differant, atque in quibus conveniant: radicem enim tertio die tam Æstate, quàm Hyeme quidam provenire affirmant. Adhæc temporum diversitate plurimùm dissident. Ergo tempora germinandi hæc & sunt, & singulis addicuntur. Refert ad celeriorem, seriorémque proventum, & seminum ætas: quædam enim maturiùs

extè-

ex recentiore semine exeunt, ut Porrum, &c. Contra quædam ex vetere celeriùs, ut Apium. haud enim omnia oriri meliùs è recentiori possunt. Apium verò non anno tantùm fructificat, verùm etiam bimatu: quod quidem vel plus temporis edurare potest. Nec annuum dici debet: major enim ejus pars si nusquam semen perfectum est, exarescit. *Sementes hortensium.* Sementes porrò hortensium, quibus seri singula solent, tres certè notantur, una hyberna, alia æstiva, tertia quæ inter eas cadit, post hybernum solstitium: quas ita appellant: non ratione satus, sed ortus, usúsque cujusque. Satus enim in contrariis fermè consistit temporibus. Quippe hyberni principium post æstivum solstitium est, mense Iulio, quo Brassicam, Radiculam, Rapam, & quæ sementis postera vocant, ceu Betam, Lactucam, &c. serere assolent: primamque sementem istam appellant: secunda post brumam Ianuario incipit mense, qua seminant, defigúntque Porrum, Apium, Gethyum & Atriplicem. Tertia quam æstivam appellant, mense Martio agitur, qua Cucumis, Cucurbita, Blitum, Ocimum, Portulaca, & Satureia feruntur. Hist.1.cap.15. Virent ex suffruticibus herbísque perpetuò, Ruta, &c. Apium. Sed hoc cacumine perdurat, amissis reliquis. Huc usque Theophrastus. *Plinio.* Quem sequutus Plinius, hæc l.19.c.36. scribit. Et sativi autem differentiæ in folio denso, crispo, aut rariore, & leviore [*latiore Theophr.*] Item caule tenuiore aut crassiore. & caulis aliorum candidus est, aliorum purpureus, aliorum varius. Idem l.20.c.11. Apio gratia vulgo est. Namque rami largis portionibus per jura innatant, & in condimentis peculiarem gratiam habent. Præterea oculis illitum [*inflammatis, Diosc.*] cum melle, ita ut subinde foveantur fervente succo decocti, aliísque membrorum epiphoris, per se tritum, aut cum pane, vel polenta impositum, mirè auxiliatur. Pisces quoque si ægrotent in piscinis, Apio viridi recreantur. Verùm apud eruditos non aliud erutum terra in majore sententiarum [*noxium sit, an innoxium, Dalech.*] varietate est. Distinguitur sexu. Chrysippus fœminam esse dicit, crispioribus foliis & duris, crasso caule, sapore acri & fervido. Dionysius nigriorem, brevioris radicis, vermiculos gignentem. Ambo neutrum ad cibos admittendum, imò omninò nefas: nam id defunctorum epulis feralibus dicatum esse, visûs quoque claritati inimicum. Caule fœminæ vermiculos gigni. Ideóque eos qui ederint sterilescere, mares fœminásque. In puerperiis [*puerperis M.& CH.*] verò ab eo cibo comitiales fieri [*Galenus in consilio pro epileptico. Apium in comitialibus & laudat & imperat. Dalech.*] qui ubera hauriunt. Innocentiorem tamen esse marem. Eáque causa est, ne inter nefastos frutices damnetur. Mammarum duritiam [*lacte concreto turgidarum*, [illegible] *Diosc.*] impositis foliis emollit. Suaviores aquas potui incoctum præstat. Succo maximè radicis cum vino lumborum dolores mitigat. Eodem jure instillato gravitatem aurium. Semine urinam ciet, menstrua ac secundos partus. Et si foveantur semine decocto, sugillata reddit colori. Cum ovi albo illitum, aut ex aqua coctum potúmque renibus medetur. In frigida tritum oris hulceribus. Semen cum vino, vel radix cum veteri vino vesicæ calculos frangunt. Semen datur & arquatis ex vino albo. Et ita Plinius de Apio disseruit.

Arnobius. Arnobius l.5. advers. gentes; ubi oblivioni sacra Corybantia donanda monet, mysterium hoc sanctum credi refert. Fratrem trucidatum à fratribus, è cujus interempti sanguine Apium natum sit, ideóque prohibitum mensis olus hoc apponi, ne à manibus mortui inexpiabilis contraheretur offensio.

Apud Plutarchum Timoleontis milites ad pugnam castris educti, mulis Apium ferentibus obviis infaustum augurium putavere, quoniam Apij corone sepulchris imponerentur, unde proverbij specie *Apio egere* dicitur is, qui periculosiùs ægrotat, & cui vitæ periculum imminet. *Apio egere.* Subest autem adagio jocus, alludens ad coronas victorum, quæ ex Apio fiebant, præsertim in ludis Isthmiis, teste Diphilo apud Athenæum lib.6. *Super Apio certamus.*

Super Apio certamus, ut solet Isthmiis.

Ne inter apia quidem sunt. Silentio hîc non involvendum & illud Adagium, Ne inter Apia quidem sunt, pro eo quòd est, ne ingressum quidem, aut initium rei attigerunt. Sumpta metaphorà ab iis, qui hortos ingrediuntur. Nam antiquitùs extremus ille hortorum ambitus, Apio conserebatur: quem qui nondum præterissent, velut in horti limite adhuc esse videbantur. Aristophanes in vespis:

In Apio nondum est vel ipso: sed nec in Ruta adhuc.

Hoc est, ne initium habet eorum quæ sunt futura. Interpres & aliam quandam hoc loco refert sententiam, volens adagium ad gymnicum agonem pertinere, ad quod qui præpararent infantes, statim ut essent nati, in Apio collocare consueverunt. Itaque perinde dictum videtur, Ne in Apio quidem: quasi dicas ne in primis quidem rudimentis.

Apium coronæ. Porrò morem Apio coronandi putant jam olim ab Hercule inductum, post interfectum Nemeæ leonem: quod & Pindarus indicare videtur alicubi: nam in Nemeis hymno quarto dicit, [illegible] &c. Vbi in certamine tumultuosi, floruit Corinthiacis Apiis. Significat quendam in certamine Neptuni Isthmico coronatum fuisse à Corinthiis. Virg. in Bucol.

Floribus atque Apio crines ornatus amaro.

Honorem in Achaia fuisse, Apio coronare victores sacri certaminis Nemeæ demonstrat etiam Iuvenal.

—— *Graiaque Apium meruisse coronæ.* Horat.

Quis udo deproperare Apio coronas, curátve Myrto.

Galeni temperamentum. Apium tandem Galeno 8.simp. usque adeò calidum est, ut urinas & menses ciere tradatur: flatus quoque discutere, & magis semen, quàm herbam ipsam. Idem 2.de alim. familiarissimum, jucundum & stomacho gratum esse scribit. Apium, inquit 2.de diæta Hippocrates, magis urinam ciet, quàm alvum movet & radices magis, quàm ipsum alvum movent. In libro de intern. affectionibus, ubi à pituita in aquam intercutem transitus fit, ex oleribus Raphanorum & Apij usum præscribit. Item morb.mulieb. si ex partu uteri inflammationem conceperint, Apij [*σελίνου. quo loco tamen λίνου malim legere, quod videtur meliùs contra inflammationem convenire, quàm Apium*] succum intra pudenda immittit.

Simeon Sethi. Vrinam ciet, etiam Simeone Sethi authore, obstructiones tollit, non inflat, magis verò flatus discutit, & menses ducit. Difficulter autem concoquitur, atque ob eam causam oportet ipsum in medio ciborum sumi. Paululum quid ventrem sistit. *Comitiales lædit.* Proprietate verò quadam comitiales lædit, & oportet hos omninò abstinere. Sæpè enim quidam qui ferè ex hoc morbo convaluère, parati autem in eum incidere, ex ejus usu iterum comitiales facti sunt. *Testes offendit.* Offendit etiam testes. Semen autem quàm folia validiùs & efficaciùs, & eo radix. Prodest ad singultus à crassis excrementis profectos. Abstergit renes & vesicam. *Obstructiones.* Obstructiones in venis & arteriis factas aperit. Semen præsumptum, ebrietatem arcet. Confert etiam ad bonum corporis [*oris, aliàs.*] odorem, multique crebriore hujus usu gravem corporis [*oris*] odorem abegerunt. *Ad venerem excitat mulieres.* Mulieres ad rem veneream promptiores facit. Si in hujus decocto calculosi desidant, ut ferunt, ejicit, & difficultatem urinæ sanat & renes curat. Lactantes mulieres oportet ab ejus usu abstinere, minuit enim lac.

Etymo-

Etymologiam Apij docet Macer sequenti Poëmate.

Est Apium dictum quòd apex hanc ferre solebat
Victoris, veterum fieret dum more triumphus;
Ipse sibi talem prior imposuisse coronam
Dicitur Alcides: morem tenuere sequentes.
Ast alij dictum credunt, quòd apes vehementer
Illius soleant avide decerpere flores.
Hanc herbam οἶκον solet Attica dicere lingua:
Temperamentum. *Virtutis calidæ, siccæ quoque dicitur esse;*
Tertius à Medicis datus est gradus huic in utroque.
Illius succo si candida mica terendæ
Oculorum tumor. *Panis jungatur, oculi sedare tumorem*
Dicitur, emplastri potius superaddita more:
Sicque ferunt mammis prodesse tumentibus illam.
Sedat fervorem stomachi, pellitque tumorem,
Et quicquid venti creat, includitúrque nocivi.
Desiccans potui assumpta repellit apertis,
Urinā cit. *Provocat urinas hac cruda comesta, vel hausta,*
Sed mage radicum facit hoc decoctio sumpta.
Hoc itidem semen operatur fortius haustum.
Tota venenatis occurrit morsibus herba:
Sed semen potiùs vel apozema proderit eius,
Et bibitur, tussimque modo sedabit eodem,
Ventrem constringit, vomitum potata coërcet.
Vomitum sistit. *Lympha commixtum quoque si jungatur acetum.*
Colorem reparat. *Ægris amissum fertur reparare colorem,*
Cruda à jejunis fuerit si sæpè comesta.
Unaquaque die vexantem corpore febrem,
Febris. *Cum lympha potata fugat febres ante tremorem.*
Hydropicos, & splen tumidum juvat illa, jecurque,
Si cum Fœniculi succo contrita bibatur.
Lentigo. *Hácque superposita turpis lentigo fugatur:*
Illius succus farris cum polline mixtus
Atque vi lachrymè, vulnus bene purgat & ulcus,
Si superaddatur emplastri more frequenter.

Mangonium ex Columella. Finem huic de Selino tractationi imponeremus, ni ex Columellæ lib. 12. foliorum discrimina, quæ à Theophrasto nativa superiùs numerabantur, culturâ & artificio humano fieri quoque posse, docendum foret. Apium etiam possis plantis serere, nec minùs semine. Aqua præcipuè lætatur, & ideò secundùm fontes commodissimè ponitur. Quòd si quis id velit latifolii facere, quantum possint tres digiti seminis comprehendere, raro linteolo illiget, & ita in areolas dispositum religet: Vel si crispæ frondis id fieri malueris semen ejus inditum pilæ & saligneo palo pinsitum expoliatumque, similiter in linteolis ligatum obruas. Potest etiam circa hanc operam fieri crispum qualitercunque satum; si cùm est natum, incrementum ejus supervoluto cylindro coërceas. Et hæc omnia de sativo hoc Apio intelligenda sunt, ideoque longiùs à nobis repetita, ut sciant, meminerintque legentes, sperandum homini, ut labore & diligentiâ suâ naturam in ruris disciplina, non imitari tantùm, sed etiam æquare possit.

Pyrum. Coronidis loco lector monendus erat aliud esse Ἄπιον pyrum, fructum Pyri arboris, quæ Græcis ἄπιος dicitur. Item aliud ἄπιον herbam. Et hanc rursus duplicem. Unam quidem ἀγριοσέλινον & ἰσχὰς cognominatam, de qua agemus H. n. g. lib. 34. sub titulo Apios, quo in loco etiam adscribemus Apij æquivoca. Alteram Apium sativum Græcis σέλινον κηπαῖον dictum, quod quidam Melissophyllon, Magi verò Sanguinem ori appellant.
Apios. Apium hortense. Melissophyllon.


APIUM HORTENSE MULTIS, quod vulgo Petroselinum, palato gratum, planum & crispum.

Descr. RADIX adultior magnitudinem interdum assequitur Pastinacæ Germanicæ, alba, acriuscula,

APIUM HORTENSE Fuchsij.



PETROSELINUM VULGO, planum et crispum.



non ingrata. caulis cubitalis & major, in fastigio & ramulorum extremis flores fert in umbella parvos albos: semen oblongum, strigosius quàm Fœniculi, multò majus quàm Apij officinis dicti, sapore grato. folia duarum aut trium unciarum in alas divisa, segmentis latiusculis, laciniatis, minùs latis, quàm Apij palustris, ori gratis.

Folia hujus interdum crispa, rotundiora, pulchrè crenata, frequentiora, sapor & odor idem cum vulgari jam dicto.

Icones. Icon prior ex emptitiis nunius placet pro Apio hortensi vulgari. Altera desumpta tum ex viva plãta, tũ ex epitome Camerarij, exhibet Petroselinum vulgò dictum, planum & crispum.

Apium antiquorum. Putarunt autem dubio procul omnes ferè prioris ætatis Medici, iique præsertim, qui diu versati fuerunt in simplicium medicamentorum inquisitione, quique multum laboris ac studij impenderunt, ut hanc Medicinæ partem penè abolitam, restituerent, nil aliud apud antiquos fuisse sativũ Apium, quàm vulgare hoc nostrũ Petroselinũ, hodie hortis omnibus frequẽtissimum. Et hanc quidẽ sententiã unanimi ferè cõsensu cõprobarunt, præsertim quòd omnibus notis nostra hæc planta sit prædita, quibus cõstare Apiũ veteres tradidêre: quippe quòd nobis omnium olerũ familiarissimum in ciborũ condimentis perpetuò habeatur, & recentiores quoque Apium comitialibus interdicant. Quæ sanè de Apio veteres memoriæ prodiderunt. Cùm igitur his tum rationibus, tum auctoritatibus, notis præterea astipulantibus constet vulgare Petroselinum legitimum esse Apium, mirari subit Anguillaram epist. 7. in Ang. sent. hæc verba temerè prorumpentem. Qui existimant vulgare nostrum *Persemolo*, vel *Petrosello* esse Apium & Selinum antiquorum, errant. *Persemolo* nihil aliud est, quàm verum Petroselinum antiquorum, sed cultum, hodie adhuc nomen servans, sed nonnihil corruptum. In Sio [Chio fortè] nunc vocant Condimentum, ut fecit Cratevas, qui ait Condimentum. *ἀρτυσίδιον τὸ σέλινον*. In insula Zante & Morea vocatur *Petroselino*, in Candia *Macedonisi*.

Apium, Tragi. Inter omnia Apiorum genera, vix aliud est usitatius eo, quod officinæ vulgo, sed non sine errore, Petroselinum vocant. Nam nullam in Germania

nostra, inquit lib. 1. cap. 154. Tragus) culinam reperias, in qua herba & radix hujus Apij hortensis, suum locum inter præcipua olera non occupet, ita ut non solùm divitibus, sed & pauperibus varus cibis condiendis magnopere quæratur. Sed quid de Germanis dico, an non & ipse Apicius ac Platina summo loco Petroselinum semper habuerût? Proinde neminem esse existimo, cui usitatissima planta non sit cognita, qui non etiam vires ejus perspectas habeat. Quanquam quod mirari satis non possum, quò notior aliqua herba vulgo fuerit, eò plerumque forma, & nomen illius ignota existunt. Quot enim putas in numero illorum esse, qui Petroselini, Chærefolii, Cicutæque differentias proprias cognitas habeant, aut nomina sciant. Quemadmodum enim, quod ego vidi, Cicutam Chærefolium, rursus verò herbam Germanis Gleiß [hanc Tragus vitium Petroselini esse, aut certè aliquâ ratione ad Cicutam pertinere arbitratur.] dictam, Petroselinum dicere quidam ex his audent, ita fieri facilè possit, ut iidem Petroselinum Cicutam, rursus autem Cicutam Petroselinum appellare non vereantur, Petroselinum enim & vitium ejus Gleiß dictum [Cicutaria quæ Apij vitium] cùm adoleverunt (nam conjunctim, iisdem locis natalibus gaudentes proveniunt) tantâ affinitate copulantur, ut discerni vix possint, nisi coloris differentiam probè animadvertas. Petroselinum namque dilutâ & gratâ viriditate præditum est, alterum verò vitium nigricat magis. Caulem etiam rotundum utraq; planta habet, sed in eo rursus differunt, quòd altero demùm anno Petroselinum excaulescat & floreat: illud verò primo statim anno caulem & florem in umbellis album, & semen Cumino simile proferat. Iam & in umbellis, quas habet in flore subluteas, & semine magis exiguo, odorato, gustuque aliquantulum acri, à vitio illi dissidet Petroselinum, ut interim de radice nihil dicam, quæ vitio illo non ultra dodrantem longa, ac ingrati planè & fœtidi odoris est, huic verò odoratissima ac prolixa, ceu Fœniculi. Isidorus porrò & Platina in ea sunt sententia, ut existiment Petroselinum nostrum vulgare esse Petrapium, seu Apium saxatile, h. e. (si germ. exprimere velimus) Stein Eppich / aut Stein Peterlin. Atqui manifestum est nostrum vulgare Petroselinum; non in saxis, sed hortis plantatum provenire, licèt quandoque illud viride in muris reperiatur, id quod vento tribuendum est, qui plantarum semina hinc inde non rarò dispergit, disiicitque. Quòd si verò eam ob causam Petrapium esset dicendum, quòd inter petras interdum inveniatur, multa sanè haberemus Petrapia, quando luce clariùs est multas plantas saxis & petrosis delectari. Sed ut tandem nostram de hac planta proferamus sententiam, eam σέλινον κηπαῖον, Apium hortense, h. e. Germ. Garten Epff / Garten Peterling / & Zam Peterlin / Dioscoridi vocatam omninò judicamus. Quòd autem vulgare nostrum Petroselinum, nihil aliud sit, quàm Apium hortense, non solùm experientia, herbæque ipsius apud Dioscoridem historia, verùm etiam Constantinus & Manardus Ferrariensis 6. Epist. med. epist. 8. testatur. Ex his itaque, quæ adduximus, satis liquet, nos quoque hodie veterum habere Apium, quod quocunque modo alij vocitent, parum sumus solliciti, modò sciamus illud hortense esse Apium.

Petroselinum chærefolio & Cicutæ affinitas.

Apium saxatile non dicendum.

Est Apium hortense.

Monachi negant esse Petroselinum antiquorum.

Apium hoc hortense, sive Petroselinum vulgare, non esse Petroselinum Dioscoridis & Galeni (ut Anguillara, non sine tamen errore, sensisse videtur) docetur à Monachis dist. 1. cens. 25. his verbis: Secundùm Dioscoridem & ferè omnes Doctores, Petroselinum [in Diacalaméto] non est istud quod pro manibus habemus, & in hortis ubique seritur, quódque vulgi corruptela Petroselinum falsò appellat. Cùm separatim omnes faciant capitula de Petroselino, & cæteris generibus, sive speciebus Apij: quod quidem Selinum est, est verè nostrum vocatum Petroselinum. Et nota quòd in hac descriptione [Diacalamenti] etiam habetur Apium, quod est propriè ipsum Selinum. Apium itaque simpliciter scriptum, ut in descriptione Diacalamenti Galeni, semper (testantibus pluribus fide dignis authoribus) de Selino est intelligendum, scilicet de nostro vulgò nuncupato Petroselino. Quæ quidem species, Selinum vocata, à Dioscoride anteponitur omnibus aliis descriptionibus specierum sui generis. Et etiamsi scribatur Apium hortense, sive sativum, illud idem intelligitur Selinum, seu Græcè Selinon. Vnde in Diacalamenti descriptione duas Apij species posuit Galenus, Apium petræum sc. & Apium sativum, quod propriè est nostrum vulgo Petroselinum nuncupatum.

Synon.

Cæterùm, planta à nobis tradita Apium dicitur à Monach. & Turnero. Apium hortense, Matth. Dod. gall. & lat. Lob. adv. p. 314. & Icon. p. 706. Lugd. p. 700. & Castore. Apium sativum, Sylvio de compos. med. & Tab. hist. Eid. Ic. Apium, Selinum, sativum, domesticum. Apium domesticum, Cæs. Apium verum, Schvv. Apium commune vel mas Plinij, Gesn. h. Apium montanum, Fuchs. Icon. & hist. eidémque in fol. Oreoselinum. Apium hortulanum, Brunf. Apium 1. sive hortense, seu Petroselinum vulgi, Bauh. apud Matth. & pin. ubi & Petroselinum, Cord. in Diosc. & Ang. Petrosel. vulgare seu sativum, Lon. Petrosel. syl. Fuchs. ic. vulgo Apium veterum, Gesn. h. Apium hort. Ger. Apium commune, non rectè Petroselinum, Gesn. h. Petroselinon vulgi, Petroselinum verum priscorum, Guil. Apium sativum vulgare, sive Petroselinum, Col. Eidem phyt. Apium Selinon seu Apium Theoph. & Diosc. & Apium mas Plinij: Selinum, Turn. Selinum hortense, Lob. Obs. p. 405. Petroselinum officinis, Trag. & Brunf. Petroselinum vulgare, Ang. & Guilandini, qui cum Petroselino antiquorum non absque errore idem esse statuunt. Petroselinum silvestre, Fuchs. Ic. & hist. Et hi omnes Petroselinum planum intelligunt.

Petroselinum crispum.

An autem Petroselinum crispum Trago fuerit notum, asserere non ausim, existimarim potiùs incognitum. Huic enim non sunt folia Fœniculi, quale ait esse crispum. Hoc vocat Lob. adv. Apium crispatum, ut & Lugd. p. 700. Bauh. apud Matth. phyt. & pin. Apium 2. vel Petroselinum crispum, ut & Cam. Apium hortense crispatum, Adv. Lugd. Apium sativum Sardum, Col. Apium crispum & Apium multifolium, Krauser Peterlin / gefülter Peterlin / Tab. & Ger. Apiũ crispum, σέλινον πολύφυλλον, & Petroselinum crispum, gefülter Petersilge / Schvv. Matthiolus in comm. post. ex Columella meminit Apij crispi, ostendens dein arte fieri ab hortulanis. Apij verò crispi nomine herbam sativam veteres intellexisse tradit Gesnerus. Plinium quidem lib. 20. cap. 11. per Apium fœminam, quod mare nigrius, acrius, & crispius facit, hoc intellexisse, ita ut generis unius duas species proximas statuerit. Theophrastum autem hæc duo Apia non aliter quàm cultu differre, ostendere. Qua de re consule veteres.

Linguarum nomina.

Apium hoc hortense, Petroselinum vulgò dictum, Græcis propriè dicitur σέλινον & σέλινον κηπαῖον. Germ. Peterle / Peterlin / Petersil / & Garten Eppich. Belg. & Flammandis Petercelie / Petroselie & Peterselie. Gall. *Persil*, *du Persil*, *Persil de Iardin*, & *Persil*

& *Persil domestique.* Ital. *Petroselo, Petroselini, Petroselini domestico, & Apio domestico, & Petr. semolo.* Hisp. *Perexil, Iuliverr, & Salsa.* Angl. Persele/ Persely & Garden Parsely. Boh. Petruzel. Hung. Selinum hortense, Petrsilyom. Sclavon. Petrezylia. Offic. & vulgo Medicorum Petroselinum, Petrosilium & Persilium. Serap. de temp. simpl. cap. 280. arabicè *Karphs* & *Karphi*. Averrhoi *Alcarsphas*, Avicennæ Glossographo *Alcarase*, & aliàs etiam *Charsi, Charsi, Chares, Carphi, Alcarpse, Carase, Alkarapse, Karsi, Carasim, Harps, Naru, Quercassum, Queraffium, Queisferum*, Karph & *Safnech*.

De etymo. Licèt autem plurimæ nationes nomina sua à Petroselino declinent, non est tamen verum aut legitimum Petroselinum, quod in petrosis gignitur: unde nomen accepit; & in Macedonia præstantissimum est. partim rectè idcircò sentiunt, qui hortense Apium hoc, à Petroselino genuino solâ culturâ differre existimant. & nihil aliud interesse, quàm quòd hortense imbecillius sit, silvestre verò potentius: solent enim silvestria facultatibus, sativis superiora esse.

Censura Guilandini. Minimè igitur audiendus est Guilandi Theon, Deus ille caninus, qui in explicatione Petroselini, & Selini, h. e. Apij hujus sativi Matthiolum frustra hallucinatum esse falsò scribit, dum plantam, quam vulgus Petroselinum vocat, verum priscorum Petroselinon non absque gravi errore autumat, tum quòd à descriptione nihil abhorreat, tum quòd nomen suum non in Græcia solùm & Italia, sed in tota etiam Europa servet, tum quoque quòd Cyprij geminas vulgò plantas agnoscant quarum unam Selinon appellent: quam is pro antiquorum Apio interpretatur; alteram Macedonium, quod nostrum Petroselinon esse ait. Hic autem cùm asseclam neminem, præter comitem invidiam habeat, meritò dente suo canino ab omnibus roditur, dilaniatur, dilaceratúrque.

Locus cum tempore. In hortorum areis seritur, calida ac frigida sustinens loca, modò vel humidum naturâ Solum sit, vel sæpiùs rigetur. Loca siquidem amet humentia, aquâ lætetur, atque idcircò circa fontes commodè proveniat. Fuchsius in palustribus nonnullis Germaniæ sponte reperiri scriptum reliquit. Tempestivè seri potest, sed tardè erumpit: Æstate sæpiùs tonderi ac demeti potest: caulem altero anno profert: semina verò Iulio, vel Augusto ad maturitatem proveniunt. Hortulani nostri primùm Aprili mense, aut potiùs appetente Majo, secundùm doctrinam Palladij: deinde verò, quò sequenti anno in Majo tenerum Petroselinum, quod maximè cibis expetitur, habere possint, circa festum D. Laurentij & Bartholomæi terræ mandare solent.

Vires & usus. Petroselini vulgò dicti herbam & radicem, non solùm coqui, sed & Seplasiarij hodie usurpant, magis verò semen, quod calidius est, & ad ciendam urinam efficacius. Porrò possunt utiliter omnes partes Petroselini, utrinque corpori adhiberi, id quod ex veteribus antè pluribus ostensum est. Radix & herba verò potissimùm ad culinas spectant, utiléque sunt, in omni cibo. *Utile in cibis.* inflationes stomachi deprimunt, urinam & menses cient, *Obstructiones.* jecur & lien ab obstructione liberant, hydropicis & ictericis conducunt. Radix & semen omnibus *Venena.* medicamentis adversus venena, tussim & aquam intercutem facientibus misceri possunt. Sunt qui decoctionem contra aquam intercutem, morbum regium, & calculum regium, hoc pacto con-*Morbus regius.*ficiant. Accipiunt seminis Petroselini, Fœniculi, Anisi, Cari, singul. Unc. j. Radicis Petroselini, Pimpinellæ & Cari, singul. Unciam unam, aut Unciam & semis. Hæc omnia in mensura vini albi per noctem macerant, alteróque die ultra tertias decoquunt, vesperique ac manè ægris propinant, tamen ut à potu jejunet æger tres horas. Hac decoctione obstructiones jocinoris ac lienis tolluntur, aqua inter cutem atque icterus per urinam expellitur. Eadem juvamenta aquæ stillatitiæ à Trago ascribuntur. *Trago sententia peramentū.* Hortensis Apij calida quidem ac resiccans est facultas, sed magis excalfaciens ac siccans semen, quod ad secundum caliditatis & tertium ferè siccitatis ordinem attingit. radix moderatam etiam caliditatem obtinet. Folia in condimentis singularem gratiam habent, per jura, ut Plinius l. 20. c. 11. largis potionibus innatant, in quibus præter quod grato sapore ipsa condiunt, ad aperiendum obstructa, urináque promovendas, etiam non exiguum conferunt: Quod & radices juri simul ter incoctæ haud segniter præstant: deinde & ori, ventriculóque gratæ sunt. Semina medico usui utiliora, extenuant, aperiunt, urinas cient, calculos cohærentes dissolvunt, flatus discutiunt, *Calculus. Hydrops.* conveniunt hydropicis, menses promovent, secundas & fœtus mortuos expellunt: commendantur & contra veterem tussim eclegmatis permixta, aut *Tussis.* incocta: venenis etiam adversantur, atque idcircò Theriacis miscentur Dodonæus. Contra æstus & calores febriles maximoperè commendatur Apij *Febriles calores.* sativi succus, oleo olivarum commixtus, si eo membra totius corporis illinantur, id quod non fecuit Serenum, qui usum hunc sequentibus versibus est testatus.

Sin autem calida depascent corpora febres,
Tunc Apij succum levi solvatur olivo:
Membra line, sotiique feras mulcebitur ignis.

Majori tandem experimento, quàm quod de Amygdalis amaris vulgò fertur, Apij sive Petroselini vulgaris semen ante potum comestum ebrietatem remorari & arcere testatur Bernh. Desen. in *Ebrietatem remoratur.* Athanas. magna. Christoph. Mylæus l. 1. de scribenda universitatis rerum historia, hirundines à nidis suis blattas & alia animalia asperso prudenter Apio prohibere scripsit. Vinum selenites cibi appetentiam facit, atque stomachicis atque urinæ difficultate laborantibus auxiliatur, halitum quoque commendat, *Vinum selenites.* authore Dioscoride, qui sic faciendum tibi præcipit, ut demittas seminis Apij maturi, recentis & cribrati, ac in linteolo colligati, in musti amphoram Uncias novem.

APIUM HORTENSE MAGNUM, vulgari hortensi sive Petroselino vocato, sapore idem, sive Anglicanum quibusdam.



Descr. Anglicanum Apium quibusdam dicitur, folio Apij vulgaris, majore, densiore, gustus gratioris, ejusdémque cum Apio hortensi, quo etiam majus & spissius: caules in laterales ramos eodē modo dispositi, quo in Eleoselino: flores umbellati, albi: semē multum differēs ab Apio vulgi sive Eleoselino, longius & majus quàm in Apio hortensi, sive Petroselino vulgari, uti & tota planta multò major.

Selinon Cypriorum, Guil.

Hoc est Guilandini illud, Cypriorum Selinon, quod perperam adversus Matthiolum pro antiquorum Apio est interpretatus. Ang. ep. 7. verum & legitimum Apium, quo aliud per totam Græciam & potissimùm in Chio, Creta, & Cypro haberi negat. Camer. Apium verum Anguillaræ. Bauh. apud Matth. Apium 3. sive hortense maximum: itemque phyt. ubi præterea Apium Anglicanum vocat, dubitatque an fortè sit Anguill. Selinum Græciæ? Apium hortense maximum à C. Bauh. ita describitur. Ex radice oblonga, albida, & pro magnitudine plantæ, tenui, folia prodeunt pediculis palmaribus, & sesquipalmaribus, striatis, pallidè virentibus, tripartitò primùm divisa, quorum quodlibet rursus tripartitur, ipsæque particulæ, triplo, quadruplóve quàm in Petroselino vulgo dicto majores, per ambitum incisæ, pallidè virentes: inter hæc caulis exsurgit cubitalis, & sesquicubitalis tenuis, striatus, in cujus summitate folia oblonga, angusta, minimè incisa. Vmbellam habet parvam, albam, exiguis flosculis refertam, quibus succedunt semina Petroselini formâ, sed duplo, triplóve majora, gustu nonnihil aromatico odorata. Nomine Apij Anglicani primùm apud nos satum. In pin. Apium 4. hortense, latifolium: an Apium verum, Ang. an Apium sativum Anglicanum, Col.

An Matthiolo epist. lib. 3. ad Cortusum, Apium Orientale? An Cæsalp. Apij domestici, vulgò Petroselini vocati alterum genus, peregrinum, odoratius, latiore folio, tum ab radice, tum in caulibus, ac brevioribus pediculis: semine paulò ampliore, multò acriore, & subamaro: caule breviori, candidiore; radice crassiore, diutiùs vividâ? Putat autem hoc Theophrastum sub nomine Selini, cum Apio sativo intellexisse, & apud Galenum & Dioscoridem genus hoc Apij latifolij, quod peregrinum ait in Italia, Petroselinon appellari. Sed difficilè est ex solo semine, quod solùm ab iis describitur, conjectari; judicanda enim est planta aliqua à tota facie.

Locus.

D. Christophorus Schvvarz ostendit mihi plantam in horto Ducis VVirtembergici pro Apio Anglicano. Hujus plantæ semina accepi Basileâ missa per elegantem Medicum Thomam Platerum, cum hac inscriptione: Apium maximum nondum descriptum. Hoc satum Montbelgardi provenit in horto. E.C.

APIVM PALVSTRE, sive Helioselinum veteribus.

CAP. XLIII.

Diosc.

HELEOSINON [ἑλειοσέλινον] quod in nothis Dioscoridis, alij Pedinon, alij Hydroselinum [silvestre add. Corn.] Romani rusticum Apium & palustre dicunt, in aquosis locis nascitur, & sativo Apio grandius est: sed ad eadem, ad quæ & illud efficax est.

Plinius.

Apium palustre itaque ἑλειοσέλινον Græcis est, & ita quoque à Plinio appellatur, qui Helioselino vim privatam contra araneas esse dicit: & à reliquis generibus ita distinguit. Id, inquit, quod sponte in humidis nascitur, Helioselinum vocatur, uno folio, nec hirsutum. Hæc Plinius de Theophrasto transcripsit, apud quem 7. hist. cap. 6. ita legitur. Equapium, Paludapium, Montapium, tam inter se distant, quàm ab urbano plurimùm differunt. Paludapium enim quod apud aquæ ductus & in paludibus provenit, folio raro, nec hirsuto consistit, sed simile quodammodo Apio est, odore, sapore, figuráque. Ex his autem Theophrasti verbis clarè patet Plinium per hoc verbum μανόφυλλον deceptum esse, & non absque errore, μονόφυλλον legisse, ac malè pro raro folio, uno folio convertisse. De Apio palustri Palladius in Aprili sic ait. Eleoselinon molli folio & caule tenero, quod nascitur in lacunis.

Plinij lapsus.

Apij vulg. ingratum.

Nos Apium palustre inscribimus Apium vulgare ingratius. Et de hoc mox tractandum.

Fuchsius pro Apio palustri pictum dedit Sion odoratum, de quo suo loco dicendum.

Maceroni.

Ruellius plantam ab Italis Macerone vocatam, Paludapium esse contendit, sed præter rationem.

APIVM VVLGARE ingratius.



Descr.

NON dispari adeò vultu ab hortensi, Apium vulgare, pedali & altiore caule, striato, crassiore: foliis latioribus, gustu fervidiore, ingratiore: flosculi in umbella candidi, quinque partiti: quibus semen succedit dimidio minus, ingrato, acri sapore. radix subest hortensi similis.

Hoc quidem est Paludapium illud, quod vulgus practicantium, Mulo-Medici, &, ut cum Tabern. loquar, Calendariorum fabri, pro Apio veterum, quod Petroselinum nostrum est, receperunt, & multis annis pro eo compositionibus falsò immiscuerunt. Et hæc eorum sinistra mens, adeò profundas apud eos egit radices, ut obcæcatam, pertinacem, imò phantasticam eorum opinionem nemo eruere, erutámque extirpare possit. Sic, sic est in eorum capitibus ob calendaria concinnanda, mola pneumatica eversa, ut cum vagis & oberrantibus planetis & stellis, in tantum quoque aberrent, ut Majoranam ab Vrtica, Rosemmarinum à Iunipero vix discernere queant. Quare quando invenitur scriptum in Diacalamento descriptione Galeni Apium palustre, sive Apium aquaticum, accipienda est, id vel Monachis in Mes. annotantibus, species ista, quæ simpliciter, tum à jamdictis Mulomedicis, tum vulgaribus seplasiariis vocatur Apium.

Paludapium Matth.

Quod porrò præcedenti capite, tum rationibus, tum auctoritatibus, notisq; præterea suffragantibus [illegible] confirm.

constet, vulgare Petroselinum legitimú esse Apium, putandum quidem hic fuerit, quin potiùs affirmandum, teste Matthiolo, id quod officinis omnibus sativi Apij vicem expleт, nil aliud esse quàm Paludapium, sive Apium palustre, Eleoselinum Dioscoridi vocatum, de quo Theophr. l.7.cap.6. differit. Hinc itaque fit, ut Matthiolus Ruellio minimè adstipulandum censeat, qui plantam Italis *Macerone* vulgò appellatam, Paludapium esse putat. Quippe (ut dicetur) non parva sanè inter vocatum Maceronem, & Eleoselinum intercedit differentia. Cæterùm, hac in re Fuchsius etiam apertè errasse deprehenditur. Nam etsi in hist. rectè scribat, illud, quo officinæ hodie pro Apio hortensi utuntur, non esse nisi Eleoselinum, i. e. Apium palustre; tamen postea de compos. med. perperam scriptis tradidit, Petroselini semen Seplasiis, Apij semen vocari, atque in ejus locum usurpari. Etenim Eleoselini semine, non Petroselini, quod hactenus, duce Matthiolo, desiderari existimo, Apij seminis locò utuntur omnes ferè Pharmacopœi, idque etiam Apij semen nuncupant.

Apij genus in humectis, Cæs. Cæsalp. de Apio nostro vulgari ingratiorc hæc l.7.c.38. annotat. Aliud, inquit, genus Apij sponte nascitur in Italia locis humectis & umbrosis, quod in officinis vulgo Apium vocatur, eoque pro Apio sativo utuntur, quamvis à plerisque Eleoselinon, i. e. Paludapium censeatur, quod minimè negaverim: paucæ enim notæ, quæ Eleoselino traduntur, huic non desunt: tamen ab eadem non video nequaquam abhorrere Hipposelini descriptionem apud Dioscoridem & Galenum, non autem apud Theophr. & Plinium.

Nomina linguar. cum Syn. Græcis vocatur Ἐλαιοσέλινον, Ἑλειοσέλινον sine & cum aspirationis nota. item ὑδροσέλινον, & Homer. Iliad. B. ἑλεόθρεπτον. Lat. Eleoselinum, Elioselinum & Eleoselinon, ut Ang. Turn. Fuchs. icon. & hist. Ger. (ubi tamen Sion odoratum umbelliferum exhibet) Lon. Dod. gall. & lat. itémque Lob. in Obs. p.405. Icon. p.707. (quibus etiam Paludapium) & Nomenclatori Pannonico. Apium rusticum, Apium aquaticum, Apium palustre: & sic Corn. & Cordo in Dioscor. (secundùm tamen annotatorem, Apium sativum latifolium. Eid. hist. secundùm Gesnerum, qui ex Trago Apij vulgo dicti figuram addidit, Apium sativum; juxta C. Bauh. verò & meliùs, Apium agreste) Monach. in Mes. dist.1.cens.25. Ang. Matth. Lac. Cast. Gesn.h. Lon. & Schwenckf. Apium vulgare Sylvio & Trago, & simpliciter Apium officinis, Bruns. Lon. & Fuchs. in fol. Paludapium Gazæ, Lob.adv. p.315. & Tab. Apij alterum genus, Cæs.

Apium 9. (4. apud Matth.) sive palustre, Hipposelinon Dioscoridis, & Apium latiore folio, caule versicolore Theophrasti, Bauh. in phyt. Eid. pin. Apium 11. palustre, & Apium officinarum: Apium palustre, Fuchs. ic. Apium sativum & palustre, solà culturà differens, Cord. in Diosc. & hist. Eleoselinum spontaneum, Col. Apium palustre Matthioli, Lugd. p.701.

Apud Æmilium à Georgio Pictore pro Apio ineptè ponitur figura Rubi. Videndum etiam an Apium aquaticum intellexerit Æmilius, ut ibidem

Apiũ aqua. Pupilla oculi. Pictor innuit. Vocatur tandem etiam aliquibus Apium aquæ & Pupilla oculi. Arabibus, ut Serapioni (ex relatione Tabern.) lib. simpl. cap. 250. *Asalu*; Bellunensi, *Chare Albarn*, & ab aliis *Asaris*, & *Apsilu*, & *Asabs*, Lacunæ. Germ. Epf / Epffich / Eppe / Eppich / Bawren-Eppich / Wilder Eppich / Hepfe / Wasser-Epff / Merck / & Wassermerck ac Epte. Belg. Eppe & Jouffrouwmerck. Gall. *Asche*, *Ache*, *Persil de l'eau* & *Persil de l'alpe*. Ital. *Apio*, *Apio palustre*, *Apio aquatico*, *Petrosello aquatico*, & *Petrosemolo del aqua*. Hisp. *Apio* & *Perexil dagoa*. Catal. *Api*. Angl. Smallage / aut Marche. Bohem. Wodni Petruziel. Nomencl. Pannonico *Apton*.

Locus, cum tempore. Humentibus locis Apij hoc genus nasci gaudet; transfertur verò & ad hortos. Cum hortensi Apio viget ac viret: altero quoque à satione anno caulis ejus assurgit, ac semina fert, quæ post Solstitium matura fiunt, autore Dodonæo. Ego quidem Apium officinis vulgò dictum, immeritò tamen, vidi Patavij in hortis, Lugduni, Monspelij, & Basileæ, ubi florebat Novembri. Genevæ mihi virebat tota Hieme. Montbelgardi in horto meo & E. G. semine deciduo quotannis se renovabat. Satis copiosum observavi juxta thermas in Canstat urbe, quæ non longè à Stutgardia est in Ducatu VVirtembergico. Turnerus sæpenumero vidit ad rivulos, nec non in insula Frisiæ Orientalis, Nordenia appellata, ad littus. In Italia sponte nasci locis humectis & umbrosis, alicubique seri in hortis, sed infirmo odore & sapore refert Cæsalpinus.

Vires eju. sim. Etsi porrò Dioscorides easdem habere facultates Paludapium dicat & Selinon: Selini tamen potiùs quàm Paludapij usum consuluerit Turnerus, quia epilepticis suspectum, cujus rei testes habemus Leonellum, & Scholia Holleriana. *Epilepticis nocivum.* Licèt autem multorum sententiâ hujus vires cum Apio domestico conveniant, ingrati tamen est tum odoris, tum saporis, acutioris & gravioris, quo caput ferit, unde etiam à cibis abdicatur, neque ad condimenta utile habetur. Facultate autem & temperamento & calidius, sicciúsque est, & ad pleraque efficacius. *Temperamentum.* Hinc succus ejus ad multa confert: exterget enim, aperit, crassa attenuat, obstructiones tollit, & urinas movet, Dodonæo & Schwenckfeldio testibus; atque idcirco Serapia dicta, quæ hunc permixtum habent, veluti Byzantinum, jocinoris, lienisque obstructiones aperiunt, & diuturnis, sive tertianis, sive quartanis febribus, omnibúsque ex causa frigida, tum & obstructionibus, enatis, auxiliantur, ac regio morbo succurrunt. Idem succus oris tonsillarúmque etiam maligna ulcera cum Hordei decocto, addito melle rosaceo, gargarizatus ad sanitatem perducit. *Oris ulcera.* Prodest verò & omnibus externis ulceribus & sordidis vulneribus cum melle: canceris etiam exulceratis confert: nam tametsi hos curare nequeat, putredini tamen resistit, ac fœtorem eorum reprimit. *Vulnera.* Semen Medicinæ etiam haud inutile habetur, sed ad eadem, ad quæ sativi Apij commendatur; minùs tamen tutus usus ejus est: nam comitialii morbo obnoxij, uti dictum, ab hoc offenduntur, ut evidentibus experimentis compertum legitur & observatur. Ut cognoscat utrum masculum an fœminam prægnans in utero habeat, Apium cum radice capiti ejus Priscianus, apud Harm. Gynæc. part.1. cap. 4. apponit, & si priùs masculum nominaverit, dum loquitur, masculum; si verò fœminam, fœminam utero gerere, concludit: quod nobis sanè fabulæ, aut Græciæ mendacij specimini propiùs esse videtur, quam vel rationi consentaneum, aut etiam experientiâ comprobatum. *Prisciani judicium de genere in utero.* Aquæ destillatæ peculiaris vis contra hydropem à vulgo ascribitur. *Hydrops.*

SELINUM TUBEROSUM.

Nominabat Selinum tuberosum, sive Buselinum speciem Honor. Bellus, semen minimú rufum sapore aromatico, & Apij hortensis, vulgò Petrose-

lini vocati, quod è Cretæ Cydonia dictâ inscriptione transmisit. Hoc commissum terræ Montbelgardi in horto E.G. non provenit.

DE APIO SIVE SELINO; QVOD Petroselinon antiquis dicitur.

CAP. XLIIII.

Descr. APium, quod Petroselinum dicitur, provenit in Macedonia præruptis in locis, semine Ammeos, at odoratiore, acri [*Ruell. Lac. legit in vet. cod. acriori*] & aroma olente. *Vires* Vrinas id, menstruáque pellit: contra stomachi & coli inflationes, ac tormina prodest. Succurrit & lateris, renum, ac vesicæ doloribus; in potione sumptum. Admiscetur & antidotis urinas cientibus.

Plinius. Plinius ubi de Apij generibus egit, alio genere, inquit, Petroselinum quidam appellant in saxis natum, precipuum ad vomicas, cochlearibus binis succi additis in cyathum Marrubij succi, atque ita aquæ calidæ tribus cyathis. Et subdit mox: prævalet contra serpentes, potum, & litum.

Galenus. Petroselini semen, ex autoritate Galeni, maximè in usu est, quum tota herba unà cum radicibus similis quidem, sed debilioris sit facultas. Est autem sicut in sapore acre, cum amaritudine, ita etiam in operibus calidum, simúlque siccandi vi præditum. Et ob id menses & urinas largè propellit. Flatus item discutit. Fueritque itaque tertij ordinis calefacientium ac siccantium. Cæterùm, quòd sit verum Petroselinum, lib. de Antid. docet similibus verbis. Petroselinum ab omnibus laudatum est Macedoni- *Estreaticum.* cum, quod etiam quidam Estreaticum vocant, nomine à loco, in quo nascitur, imposito. Est autem omninò modicum, quod in illo nascitur, qui præruptus est, & non magnus. Estreaticum itaque Macedonicum, quod ex Macedonia ad omnes gentes defertur, paucum & ipsum in Macedonia gignitur. Quare quod circa mel Atticum & vinum Falernum contingit, id etiam circa Petroselinum hoc accidit. Nam quemadmodum illa duo, Mel Atticum & vinum Falernum, per universæ fermè orbis terrarum oppida à mercatoribus deferuntur, velut ea ipsa sint, quæ propriè ita vocentur, quæque à gentibus requirantur, licèt interim in parvo natali modica nascantur, ut vix isthic sufficiant, ac propterea à callidis hominibus ad illius similitudinem efficta duntaxat divenduntur apud exteros. Ita etiam Macedonicum Petroselinum, quod in Epiro plurimum nascitur ac inde in Macedoniam prius defertur, & plurimum ac ferè totum in Thessalonicam, atque illinc velut Macedonicum exportatur, quamvis isthic [*in Macedonia*] non tantum nascatur, ut omnibus gentibus sufficere possit. Quod si tamen Estreatico Petroselino carueris, nihilo deterius fore putes Theriaces medicamentum, si alterum injeceris. Non enim velut quòd adversus venena, aut bestiarum venenum ejaculantium plagas commodum sit, injicitur, sed ut stomacho debili, & hydropicis, & aliis hujusmodi affectibus utile, non juxta principalem Theriaces promissionem. Facit autem amarissimam antidotum Petroselinum Estreaticum, & maximè si recens fuerit. Præstat enim sicut acerrimum præ aliis Petroselinis, ita etiam amarissimum. Et hunc in modum de Petroselino disseruit Galenus, quem non intelligimus, nec videmus cur propter parvam quantitatem Petroselini amarior reddatur Theriaca, quæ tot alia valdè amara recipit.

Anguillara. Apium sativum. Petroselinum antiquorum non est Apium sativum, seu Petroselinum vulgo vocatum, licèt Marcellus hæc non alià quàm natalium ratione inter se differre, cum Anguillara & Guilandino credat.

Apium Maced. multis. Apij, sive Petroselini Macedonici planta multis, à nobis mox tradetur.

Saxifraga maior. Saxifragiam majorem quidam Neoterici Petroselinum Macedonicum Dioscoridis volunt.

Apiũ mont. nigrum. Apium montanum nigrum Lob. Obs. & Ic. Petroselinon appellavit.

Apium sive Petros. Dal. Apium sive Petroselinum suum habet Dalechampius, quod tenuifolium cognominamus.

Cicutaria fatua. Herbam Gleyß [*Cicutariam fatuam dictam*] Petroselinum dicere quidam audent.

Apium montanum. Adversaria cur suum Oreoselinum [*Apium montanum*] Petroselinum dicant, videant lectores.

Macerone. Petroselinum Macedonicum non est Olusatrum, vel ut corruptè pronuntiant Olixatrum, aut Alexandrum, ut dicemus capite de Macerone.

Sison. Pro Petroselino Dioscoridis & Galeni pinxit Fuchsius Sison, ut postea demonstratur.

Imperatoria. Petroselinum quidam putant Ostrutium esse, referente Lacunâ, qui hoc separat ab Imperatoria, quod considerandum, quam privatim etiam aliquos Petroselinum esse censere narrat.

Substitutum Apium. Cæterùm, Petroselino deficiente sumendum præcipit Tract. qui pro quo semen Apij.

Cuminum. Petroselinum si desit, Cuminum substituit Collegium Florentinum.

APIVM SIVE PETROSELINVM Macedonicum multis.



Descr. QVod hodie Macedonicũ petræum Apium putatur, foliis est quàm Apij hortensis majoribus, firmioribus, nitidis, atrovirẽtibus, quorũ sapor ignavior, quàm hortẽsis nostri videtur: caules striati incanâ pubescunt lanugine: umbellæ candidæ: semẽ striatum hortensis & sativi Apij ferè par, tomento obductum est albicante.

Synon. Inscribitur hoc apud Matt. in com. cum mag. fig. hist. germ & epit. cum add. Cam. Cast. Ger. Lob. adv. p. 315. Obs. p. 406. Icon. p. 708. Tab. (hoc titulo in Ic. p. 87. est non conveniens figura: ea enim transposita est sub titulo Hipposelini in eadem tabella.) Petroselinum Macedonicum. A B. phyt. (ubi plures plantas confundit) Apium sive Sium 13. & Petroselinum Macedonicum Dioscoridis. Eid. apud Matthiol. Apium 5. sive Petros. Macedonicum. In pin. Apium 12. Macedonicum: Apij alterum genus peregrinum, Cæsalp. Daucus 2. Dioscoridis, Col. A Schvvenckf. Apium Macedonicum. A Lug. p. 703. Petroselinum Macedonicum Matth. A Dod. lat. Petroselinum Maced. ex Lobelio.

Nomina linguar. Germ. vocatur Stein Eppich / Apium Petræum, aut Stein Peterlin. Belg. Steen Eppe. Gall. *Ache, ou Persil des rochers.* It. *Petroselino Macedonico*, Hetruscis *Petrosello Macedonico.* Hisp. *Apio que crece en las piedras.* Angl. Steen Peterlih.

Locus. Ex semine per fratrem C. Bauhinum allato ex horto Patavino provenit Montbelgardi in horto E.C. sed sine caule primo anno, & vix Hiemem ferens.

rens. Argentinæ ſemine maturo conſpiciebam Octobri in horto D. Meieri. In Sileſia referente Schvvenckfeldio, frigoris impatiens ex ſemine bet.is Medicorum familiare.

APIVM MONTANVM, SIVE Oreoſelinum veteribus. CAP. XLV.

Diosc. OReoſelinon, autore Dioſcoride, caule eſt dodrantem alto, qui quidem ſingularis ex gracili radice aſſurgit: ambiunt verò ipſum ramuli & in ſummo capitula [κλωνάκια, καὶ κεφάλια. Lacuna tamen legit καὶ φύλλα κωνίῳ & hæc lectio Theophraſti & Plinij quidem autoritate comprobatur.] Papaveri [μήκωνι] ſimilia, at multò tamen tenuiora, in quibus ſemen oblongum, acre, tenue, odoratum, Cumino ſimile. In petroſis montoſiſque locis naſcitur. Et ſemen & radix urinam ciendi vim habent, ſi in vino bibantur, ac menſes etiam trahunt. Antidotis quoque & urinam cientibus atque excalfactoriis medicamentis inſeruntur. Neque verò nos oportet in eo errore verſari, ut id Oreoſelinon exiſtimemus, quod in ſaxis provenit: aliud enim eſt Petroſelinon.

Theophr. Montapium ab urbano majoribus differentiis, quàm vel Equapium, aut etiam Paludapium, diſtat: referente namque Theophraſto, folio Cicutæ ſimili conſtat: radice tenui, caule Anethi, minore tamen, datur in vino auſtero menſtruorum gratia.

Plinius. De Oreoſelini folio, radice & caule eadem habet Plinius l.19.c.8. ubi Apium tertium conſtituit. Is ruſus l.20.c.11. ait. Quartum genus ex Apio faciunt aliqui Oreoſelinon, palmum alto frutice ac recto, ſemine Cumino ſimili, urinæ & menſtruis efficax. Sed & fœminæ eo purgantur ex vino.

Autorum veterum collatio. Ex his itaque palam fit, à Theophraſto & Plinio folio Cicutæ hoc Apium deſcribi: A Dioſcoride autem nihil de foliis agi: ſed à tenui radice ſingularem prodire caulem, circa quem ramuli ſint & capitula, ut in quibuſdam Græcis legitur, μήκωνι (& non Μηκωνίῳ, Opio) παραμφερῆ, Papaveri æqualia, multo ad hanc rem ſenſu. Quandoquidem comparanda inter ſe plantarum capitula, non liquorum ſimiles vires. Quam ob cauſam cum Hermol. in Theophraſto legiſſet τὸ μὲν γὰρ φύλλον ἔοικε κωνίῳ, folio namque Cicutæ ſimili conſtat, vertit κεφάλια κωνίῳ παραμφερῆ, capitulis Cicutæ ſimilibus, ratus corruptum locum eſſe, & pro κωνίῳ, quæ Cicuta eſt, malè μήκωνι, qui Papaver eſt, legi, inutili, abſurdáve conjecturà: ſiquidem μήκωνι legendum eſt, & de Papaveris ramulis ac capitellis accipi debet, & non de foliis. Immeritò igitur legendum arbitror cum Theophr. & Plinio κωνίῳ: faciliùs fieri potuit, ut μη ſyllaba à voce μήκωνι dempta & κωνι vocabulo ad finem ω additum ſit. μηκωνίῳ autem nullo modo legi poteſt, dum nulla ſit ramulorum & capitellorum ad Papaveris ſuccum ſimilitudo. Videtur itaque non poſſe, quod Theophraſtus de foliis docet, ad capitula Dioſcoridis referri: nec Cicuta ſemen in capitulis, ſed Fœniculi modo in umbella habere deſcribitur. Si tandem cum Corn. & Lacuna pro voce κεφάλια legendum foret φύλλα, lectio illa manca foret & imperfecta, perſuadétque id quod mox ſequitur, capitula illa papaveraceis multò tenuiora eſſe, & in illis contineri ſemen, quod foliis à natura negatum eſt.

Galenus. Galenus porrò Oreoſelini ſimilem Apio vim eſſe ait, ſed robuſtiorem. Cæterùm, vox ipſa montanum Apium indicat, & Dioſcorides à Petroſelino apertè diſtinguit. Sunt tamen qui hoc, agreſte Petroſelinon vocent, Ægypti verò Anonim.

Aequivoca. Lacuna tandem Apium montanum incognitum eſſe ait. Sed nec Cornarius reperit aliquem, qui vel ipſe viderit, aut ex alio naturale, aut pictum monſtrarit.

Chærephyllum. Oreoſelinum tamen Græcis, authore Anguillara, eſt Chærephyllum, de quo ante egimus.

Habet Apium ſuum montanum Dalechampius.


Oreoſelinum Sequanorum. Eſt & Apium montanum, Oreoſelinum Sequanorum, foliis Cicutæ ſemine oblongo, nigro, Cymini.

Apiũ mont. nigrum. Oreoſelinum nigrum, ſive Apium montanum nigrum.

Apiũ mont. album. Oreoſelinum album, Apium petræum, ſive montanum album.

Saxifragia hircina. Oreoſelinum quoque dicitur de Saxifragia hircinà. Sed nobis nulla harum plantarum deſcriptioni Dioſcoridis reſpondere compertum eſt, proindéque aliquam ex prænominatis Oreoſelinum antiquorum eſſe non poſſumus aſſerere.

APIVM MONTANVM DAlechampij.



Deſcr. RAdice craſsâ, longâ, extrinſecùs nigrâ, intus candidâ, acri, odoratâ, aromaticâ, foliorum densâ comâ circa radicem humi jacentium, Apio hortenſi ſimilium, ſed latiorum, jucundè olentium in pediculis infernè rubentibus: caule cubito altiore, è medio foliorum ambitu prosiliente, ferulaceo: flore in umbella candido, ſemine Apij, acri, odorato & amaro.

Cùm Apium hoc montanum Dalechampij in quibuſdam Dioſcoridis hiſtoriæ repugnet, patet Oreoſelinum Dioſcoridis haud eſſe nuncupandum (ut quidam vocant, aut etiam Oreoſelinum majus appellant) ac propterea depravatos eſſe Dioſcoridis codices aſſerendum. Hanc verò eandem numero eſſe cum Apio montano nigro concludere non audemus, licèt id aſſerat C. Bauhinus.

Provenit in aſperis ſaxoſis, lapidoſis, apricis; nonnunquam etiam ex ſaxorum rimis enicat. Floret Iulio menſe.


APIVM QVOD OREOSELInum Sequanorum, foliis Cicutæ, ſemine oblongo, nigro, Cymini.

Locus. PROPONUNT alij aliud præter jam dictum Oreoſelinum, in Sequanorum montibus, ad pratorum ſaxoſos margines naſcens, caule & foliis Cicutæ, nunc humile, nunc procerum pro loci natura: radice tenui, candidà. Flore in umbella albo, ſemine oblongo nigro, acri, odorato, Cymino ſimili, referente id Lugdunenſi p.702. Qualis hæc ſtirps ſit indagandum relinquimus iis, qui plantam natali loco collectam, imagine exprimendam curabunt.

Deſcr.

APIUM MONTANUM nigrum.

Descr.



OReoselinum seu Apium montanum, foliis est per terram expansis, Apij hortensis, nigrioribus durioribus, modicè acribus & amaris, odoris nonnihil aromatici & quasi vinosi, pediculo membraneo purpurascẽte caulem amplexis procerum, multiplicem, non multùm crassum, solidum, striatum, nonnihil rubentem, ramosum: in quo umbellæ florum albent; seminaque post se relinquunt longè foliis acriora, compressa, lata, & ferè orbiculata, colore ante maturitatem plenam modò rubente, idque intensius, remissiúsve, modò viridi. radix insigniter crassa, mollis, supremâ parte capillata, intus forisque albida, sapore acri, amaricante, ingrato nonnihil, succum è vulnere remittens, lactescentem, viscidum, resinosum.

Polychrestum Cord. Plantam à nobis delineatam Cord. hist.l.2.c.125. vocat Polychrestum, ac sic describit. Foliosam à radicis capite emittit comam, undiq; per terram sparsam. ipsa autem folia non simplicia atque individua, sed multifida, omnium ferè umbelliferarum modo: siquidem pediculi tenues à radice exeunt, crebrò articulis intercepti, qui in singulis articulis in ternos surculos sæpiùs & multis vicibus subdividuntur. ultimis extremis, minimisque pediculis folia insident exigua, in multas tenues partes secta, & crebris incisuris, partim Coriandro, partim sativo Petroselino similia, cùm fructificare inceperit, arescentia. Caulem è media foliorum coma erigit unum atque alterum, aut nonnunquam plures secundùm radicis ætatem, cubito plerumque proceriorem, teretem, modicè striatum, longo intervallo geniculatum, intus fungosum, atque per omnia Anetho similem, paulò tamen tenuiorem, folia è geniculis proferentem, inferioribus similia, sed multò pauciora minoráque: in cujus summitate umbella expanditur lata, quinque aut sex unciarum latitudine, quadrantalibus plerumque surculis constans, candicantibus flosculis plena. siquidem singuli umbellæ surculi, in plures tenuiores surculos subdividuntur, minoris umbellæ speciem referentes. semina singulis floribus succedunt bina, conjunctáque, tanquam unum sint, Anetho latiora, crassioráque, colore subfusca, sub ipsa umbella, tenuia, oblongáque exeruntur ceu folia. Radice nititur tricubitali, aut nonnunquam pro ætate, longiore [*Mirum hoc, cùm caulem dixerit uno cubito duntaxat, plerumque proceriorem esse. Gesn.*] brevioréve, superius crassitudine digitali, candidâ, carnosâ & perenni, quæ præcisa lacteum remittit liquorem. saporem radix habet Pastinacæ sativæ similem, similque amarum & subacrem. semen gustu radici respondet. Lacteus verò liquor cæteris partibus efficacior est: folia imbecilliora sunt: flores postremò mediam tenent inter folia & radicem temperiem. Nascitur asperis, sabulosis, arenosis campis, tumulis & arvis, plurimúmque in VVirtembergensi Electoratu. Hæc Cordus, apud quem Gesnerus vel alius hæc annotat: Nomen unde indiderit Cordus, ex descriptione non video: si nomen fingendum sit à foliorum crebris incisuris, aut surculorum, qui umbellam constituunt, divisionibus, Polyrrizum fuerit dicendum, non Polychrestum. Fortè Vielgutha, i.e. Valde Bona: etsi alia videtur Valdè Bona Italorum: & *Toutte bone*, i. e. Tota Bona Gallorum. *Cord. reprehen.* *Polymetum* *Vielguth.i. Valde Bona.*

An Monach. in Mes.dist.1. cens.25. Petroselinum & Apium petræ, in montibus Rhetianis & supra Palumbatiam inventum? de hoc Apio petræ Monachorum hæc Matth. in Diosc.l.3.c.64. An legitimum Petroselinum Macedonicum vocatum in Italia proveniat, non equidem asserere ausim, etsi Monachi se in Romanis quibusdam montibus invenisse testentur. quod tamen (si vera referunt) Romanum quidem, non Macedonicum appellandum fuerit: An rursus c. 65. vocat Apium montanum & Oreoselinum? *An Apium petræ, Monachorum?*

Gesn.h. dicitur Apium montanum, i.e. Oreoselinum, persimile specie saporéque Petroselino vulgari, nascens in colle primo juxta Rhenum, horæ ferè supra Basileam itinere ad sinistram, superficie simillimum illi, quam Cervicariam radicem nigram Germani vocant, lacteo liquore manans, ob quem Enopum [*ἐνοπόν, licèt hæc vox in usu non sit*] Oreoselinum nuncupare licet: sicut & ἴσχαδον. An eidem in stirp. app. Apij crispi nomine herba ex Italia missa, silvestris, ut apparet, nec Apij seu Petroselini vulgaris odore æmula? An præterea de Apio petræo loquitur Gesn. in epist.ad Io.Fabricium, epist.lib.3. cùm ait: Ex tribus illis herbis, quas misisti, Altera Apio sativo similis est, & nulla apud nos: memini tamen circa lacum à felibus dictum, invenisse: Seseleos speciem neque ipse putarim. Nam omne Seseli radices vegetas & satis validas habet, & caput radicis setosum, quod & aliis quibusdam umbelliferis, sed paucis contingit. Sed neque Petroselinum Macedonicum. hoc enim in petris quidem montium præsertim Macedoniæ nasci scribit: sed adeò medicatum & vehemens, ut nullum Apij genus acrius, amariúsque reperiatur, quibus etiam qualitatibus universam Theriacam inficiat. Ego Astrantiam in ejus vicem suppono. Oreoselinum appellemus licet, quòd & montosa sit herba, & Selino perquam similima. Semen ejus maturum ad me mitti cupio, ut certiùs judicem. Tribuit enim & Dioscorides semen Cumini, oblongum, acre, odoratum, tenue. Novi & alias duas Oreoselini species. Existimandum est autem nullas propemodum herbas esse, quæ non genus aliquod constituant, in duas aut plures species diversas dividendum. *Apium montanũ, Gesn.* *Apio sativo simile.* *Seseli species.* *Petrosel. Maced.* *Oreoselinum.*

Oreoselinum Parisiense ad hoc caput refero, donec mihi constet quantum differat, ab Apio, quod montanum nigrum voco. Parisienses (inquit Lugd. p.702.) pro Oreoselino plantam monstrant raram & nobilem in fabuloso Surenæi montis vertice, nec usquam alibi nascentem, radice longâ, crassâ, acri, odoratâ, sapore & odore Empetro nostro simillimo, comâ Apij, humi procumbente, densâ: flore in umbella candido, semine acri, & odoris suavis. *Oreoselinum parisiense, Lug.*

An Cæsalp.l.7.c.33. hoc intelligit per Seseli Creticum, de quo ait. Apud nos in silvis nascitur, tractu maritimo, & collibus arenosis: pauca fert folia, inflexa ad terram, Apij modo divisa, parvis & raris segmentis, crassis & præduris, quæ ex prælongis, & patulis pendent pediculis: caule singulari constat, rotundo ac subnigro, cubitali: in cacumine duas, aut tres umbellas gerit: flore ex albo subrubente: semina fert in rotunditate compressa, magnitudine Lenticulæ, circulo quodam foliaceo circumdante, sub- *An Seseli Creticum, Cæs.*

subfulva, acria, & odorata: radice constat singulari, in altum demissâ & odoratâ, & albâ. Altera est in montibus similis prædictæ, sed pluribus ab eadem radice caulibus striatis: foliis longioribus, tenuiùs incisis, subjectis: radice constat in multos ramos distributa, & subnigra: semina in totum similia: idcirco & hanc Tordylio congenerem statuo. Hæc ille de suo Seseli Cretico, quod videtur in multis convenire cum nostro Apio montano nigro, non audemus tamen idem asserere. Alterum quale sit esse nobis non constat. stirpium periti considerent, an aliquis præter illum ejus meminerit.

An Thalio Libanotis albam minor? An Thalio Libanotis alba minor seu amara, foliis latioribus, & profundiùs dentatis, radice resinoso succo turgente, thus spirante, flavescenteque, ac amarâ, candidâ, multifidâ sæpè, & crassâ?

Oreoselinum. Clus. pannon. p. 695. & hist. Oreoselinum, ut & Ger. primum, Tab. Lob. adv. p. 315. Obs. p. 406. Icon. p. 707. Oreoselinum, sive Petroselinum n. Dod. lat. Oreoselinum sive Veelgutta, ubi describit ac ait: Oreoselinon quale quidem à veteribus describitur, innotitiam hac ætate pervenisse non constat. A montibus autem apud Græcos ὀρεοσέλινον nomen est, quod Latini idcirco Apium montanum & Montapium appellant. Dicitur verò & idem, ut inter rejectaneas voces reperitur, πετροσέλινον ἄγριον, & Latinis Apium: Sed Dioscorides Petroselinum ab Oreoselino diversum statuit. Veelguttam

Multibona. verò Latinè Multibonam quis dixerit, hoc enim nomen accepit, quod ad multa utilis & commoda habeatur. Non omninò verò impropriè & hæc Oreoselinon nuncupatur, nam in montibus gignitur & Apio non dissimilis est. Desideratur semen Cumino simile: tale si haberet, Oreoselinon legitimum esse, quis negaverit?

Daucus. Apium mont. Selinoides Dauci Cordi. Bauh. phyt. Daucus 6. montanus Apii folio minor: Apium montanum & Oreoselinum nigrum, Gesn. h. Dauci 2. Selinoidis varietas, sive Selinoides Cordi Lobelio Obs. p. 414. sine icone. an Daucus (addit in pin.) selinoides latifolius, Cord an Apium sylvaticum, Thal. Eid. B. Apium 5. (6. pin. ubi & Apium montanum, Cast. Lugd. Variat ratione loci, nam foliis tenuiùs divisis, in pratis udis Michelfeldæ reperitur.) montanum folio ampliore: [Apio, Petroselino Dalechampii tenuifolio.] Apium crispum, Thyselinum Plinij & Agrio-

Apium crispum Thyselinum Agriselinum C. Bauh. selinon [falsò enim legitur ibi Agriofolium.] Galeni Guilandino: Oreoselinum sive Petroselinum Lobelij. Miramur C. Bauhinum diversum tradi Oreoselinum Gesneri ab Oreoselino Lobelij, quum manifestum sit eandem esse plantam consideranti descriptiones & iconem: præterea Oreoselinum Gesneri non convenit cum Dauco Selinoide Cordi. Eid. pin. Apium 8. montanum nigrum: Oreoselinum Parisiensium, Lug.

Schwenckf. Apium montanum: Ὀρεοσέλινον Dioscoridis, Clusio: Ὀρεοσέλινον ἄγριον, seu ἴτυον, Gesn. Polychrestum Cordi: Polymetum Gesn. Montapium. Vielgütt / Augenwurtzel / & Berg


Schwenckf nae. Peterlin / Silesiis: radice longissimâ. Nos latet ubi Clusius asserat esse Oreoselinum Dioscoridis: vellemus locum annotatum.

Locus cum tempore. Apium nostrum nigrum, denominavi Oreoselinum, non quod descriptioni Dioscoridis respondeat, sed propter natalem locum. Basileæ locis montosis ad meridiem sitis provenit: in Alsatia copiosè propè S. Thamarin in pratis siccis & arenosis, non longè à Befordia florens Iunio & Iulio secus viam: in Rhetia Iunio prope Curiam in pratis: Genevæ in monte Thuiri: Lugduni frequens: Montbelgardi in arida planicie. Veelgutta Dodonæi in iis montib. provenit, qui Silesiam à Moravia, olim Marcomannorum provinciam, dirimunt, tum & in aliis montibus ac collibus. Meminit verò Dod. olim hanc ad se missam à Martino Tulemanno, qui in montosis apud Eburones ac Tongros, nunc Leodios, hanc repertam in horto suo Trajecti ad Mosam studiosè alebat. In monte, qui Badensibus thermis imminet & in aliis vicinis collibus, atque urbi Viennæ Austriæ proximis vulgare esse Oreoselinum refert Clusius. Rariùs occurrit Lobelio nisi in montosis Lugduni, prope sequanum, & in valle Ostensi Pedemontana. Amat in summa montosos arenososque tractus. Abundat in Silesia propè Gryphibergam in pratis ad Quissum fluvium. Iulio & Augusto flores in umbella, cum semine Anethi nigricante, ostendit, Schwenckf.

Vires. Radix, inquit idem, calida & sicca est tertio recessu [secundo ordine intenso, Dod.] Extenuat, aperit, incidit, urinas movet. Calculos dissolvit, menses provocat, jecinoris & lienis obstructiones solvit, regio morbo auxiliatur. Manducata dentium dolores mitigat, ac salivam ciet, torminibus ventris succurrit, visum exacuit, & alios multos usus præstat.

APIUM PETRÆUM, SIVE montanum, album.


Descr. Apium hoc petræum folia habet dodrantalia, pulchrè in alas oppositas divisa, atque iæ rursum in opposita segmenta, Apij nigri montani segmentis similia quodammodo, quæ mirè variant pro locorum diversitate: quædam enim valde tenuia quasi crispa: caulis fœniculaceus, cubitalis, medullâ plenus. umbellæ parvæ, floribus albis contextæ: semina Apij hortensis, longiuscula, hirsuta, striata, cum amarore, aromatica, eodémque sapore, ferè ad Apium vulgare accedente prædita. est radix perennis, crassiuscula, alba, comata.



An Cordo Daucus angulosi caulis. An Cord. hist. l. 1. c. 53. vocat Daucum angulosi caulis, quem sic describit: Daucus angulosus dum è semine nascitur, primo anno caulem non fert, sed folia undique circa radicis caput per terram strata, eâ ratione, ut multa folia singula constituant, pedalibus enim & canaliculatis pediculis utrinque apposita sunt duarum unciarum longitudine, Folia ab utroque latere profundiùs usque ad suum quoque pediculum in partes per ambitum serratas dissecta: ex his maxima sunt quæ posteriori pediculorum parte exeunt: minima verò, quæ anteriore. Caulem altero & nonnunquam tertio anno erigit tripedalem, minimo digito graciliorem, angulosum & juxta terram ferè triquetrum, nisi plures intercederent minores anguli, solidum & geniculis præcinctum. folia è geniculis se proferunt inferioribus similia, breviori tamen pediculo: & ex horum alis pedales, ac plerumque individui ramuli, angulis striati: in quorum cacumine Æstate singulæ sunt umbellæ, formâ convexæ, dep-

APIVM MONTANVM nigrum.

Descr.



Oreoselinum seu Apium montanum, foliis est per terram expansis, Apij hortensis, nigrioribus durioribus, modicè acribus & amaris, odoris nonnihil aromatici & quasi vinosi, pediculo membraneo purpurascéte caulem amplexis procerum, multiplicem, non multùm crassum, solidum, striatum, nonnihil rubentem, ramosum: in quo umbellæ florum albent; semináque post se relinquunt longè foliis acriora, compressa, lata, & ferè orbiculata, colore ante maturitatem plenam modò rubente, idque intensius, remissiúsve, modò viridi. radix insigniter crassa, mollis, supremâ parte capillata, intus forisque albida, sapore acri, amaricante, ingrato nonnihil, succum è vulnere remittens, lactescentem, viscidum, resinosum.

Polychrestum Cord. Plantam à nobis delineatam Cord. hist.l.2.c.125. vocat Polychrestum, ac sic describit. Foliosam à radicis capite emittit comam, undiq; per terram sparsam. ipsa autem folia non simplicia atque individua, sed multifida, omnium ferè umbelliferarum modo: siquidem pediculi tenues à radice exeunt, crebrò articulis intercepti, qui in singulis articulis in ternos surculos sæpiùs & multis vicibus subdividuntur. ultimis extremis, minimisque pediculis folia insident exigua, in multas tenues partes secta, & crebris incisuris, partim Coriandro, partim sativo Petroselino similia, cùm fructificare inceperit, arescentia. Caulem è media foliorum coma erigit unum atque alterum, aut nonnunquam plures secundùm radicis ætatem, cubito plerumque proceriorem, teretem, modicè striatum, longo intervallo geniculatum, intus fungosum, atque per omnia Anetho similem, paulò tamen tenuiorem, folia è geniculis proferentem, inferioribus similia, sed multò pauciora minoráque: in cujus summitate umbella expanditur lata, quinque aut sex unciarum latitudine, quadrangalibus plerumque surculis constans, candicantibus flosculis plena. siquidem singuli umbellæ surculi, in plures tenuiores surculos subdividuntur, minoris umbellæ speciem referentes. semina singulis floribus succedunt bina, conjunctáque, tanquam unum sint, Anetho latiora, crassioráque, colore subfusca, sub ipsa umbella, tenuia, oblongáque exeruntur ceu folia. Radice nititur tricubitali, aut nonnunquam pro ætate, longiore [*Mirum hoc, cùm caulem dixerit uno cubito duntaxat, plerumque proceriorem esse. Gesn.*] brevioréve, superiùs crassitudine digitali, candidâ, carnosâ & perenni, quæ præcisa lacteum remittit liquorem. saporem radix habet Pastinacæ sativæ similem, simulque amaram & subacrem. semen gustu radici respondet. Lacteus verò liquor cæteris partibus efficacior est: folia imbecilliora sunt: flores postremò mediam tenent inter folia & radicem temperiem. Nascitur asperis, sabulosis, arenosis campis, tumulis & arvis, plurimúmque in VVittembergensi Electoratu. Hæc Cordus, apud quem Gesnerus, vel alius hæc annotat: Nomen unde indiderit Cordus, ex descriptione non video: si nomen fingendum sit à foliorum crebris incisuris, aut surculorum, qui umbellam constituunt, divisionibus, Polymetum fuerit dicendum, non Polychrestum. Fortè Vielgutha, i.e. Valde Bona: etsi alia videtur Valdè Bona Italorum: & *Toutte bone*, i.e. Tota Bona Gallorum. *Cord. reprch.* *Polymetum* *Vielgutha, Valde Bona.*

An Apium petræ, Monachorum? An Monach. in Mes.dist.1. cens.25. Petroselinum & Apium petræ, in montibus Rhetianis & supra Palumbariam inventum: De hoc Apio petræ Monachorum hæc Matth. in Diosc.l.3.c.64. An legitimum Petroselinum Macedonicum vocatum in Italia proveniat, non equidem asserere ausim, etsi Monachi se in Romanis quibusdam montibus invenisse testentur. quod tamen (si vera referunt) Romanum quidem, non Macedonicum appellandum fuerit: An rursus c. 65. vocat Apium montanum & Oreoselinum?

Apium montanū, Gesn.h. Gesn.h. dicitur Apium montanum, i.e. Oreoselinum, persimile specie saporéque Petroselino vulgari, nascens in colle primo juxta Rhenum, horæ ferè supra Basileam itinere ad sinistram, superficie simillimum illi, quam Cervicariam radicem nigram Germani vocant, lacteo liquore manans, ob quem Enopum [*ἔνοπος, licèt hæc vox in usu non sit*] Oreoselinum nuncupare licet: sicut & ἱππογλωσ. An eidem in stirp. app. Apij crispi nomine herba ex Italia missa, silvestris, ut apparet, nec Apij seu Petroselini vulgaris odore æmula? An præterea de Apio petræo loquitur Gesn. in epist. ad Io. Fabricium, epist.lib.3. cùm ait: Ex tribus illis herbis, quas misisti, Altera Apio sativo similis est, & nulla apud nos: memini tamen circa lacum à felibus dictum, invenisse: Seseleos speciem neque ipse putarim. Nam omne Seseli radices vegetas & satis validas habet, & caput radicis setosum, quod & aliis quibusdam umbelliferis, sed paucis contingit. Sed neque Petroselinum Macedonicum. hoc enim in petris quidem montium præsertim Macedoniæ nasci scribit: sed adeo modicatum & vehemens, ut nullum Apij genus acrius, amariúsque reperiatur, quibus etiam qualitatibus, universam Theriacam inficiat. Ego Astrantiam in ejus vicem suppono. Oreoselinum appellemus licet, quòd & montosa sit herba, & Selino perquam simillima. Semen ejus maturum ad me mitti cupio, ut certiùs judicem. Tribuit enim & Dioscorides semen Cumini, oblongum, acre, odoratum, tenue. Novi & alias duas Oreoselini species. Existimandum est autem nullas propemodum herbas esse, quæ non genus aliquod constituant, in duas aut plures species diversas dividendum. *Apio sativo simile.* *Seseli species.* *Petrosel. Maced.* *Oreoselinum.*

Oreoselinum parisiense, Lug. Oreoselinum Parisiense ad hoc caput refero, donec mihi constet quantum differat, ab Apio, quod montanum nigrum voco. Parisienses (inquit Lugd. p.702.) pro Oreoselino plantam monstrant raram & nobilem in sabuloso Surenæi montis vertice, nec usquam alibi nascentem, radice longâ, crassâ, acri, odoratâ, sapore & odore Empetro nostro simillimo, comâ Apij, humi procumbente, densâ: flore in umbella candido, semine acri, & odoris suavis.

An Seseli Creticum Cæs. An Cæsalp.l.7.c.33. hoc intelligit per Seseli Creticum, de quo ait. Apud nos in silvis nascitur, tractu maritimo, & collibus arenosis: pauca fert folia, inflexa ad terram, Apij modo divisa, parvis & raris segmentis, crassis & praeduris, quæ ex prælongis, & patulis pendent pediculis: caule singulari constat, rotundo ac subnigro, cubitali: in cacumine duas, aut tres umbellas gerit: flore ex albo subrubente: semina fert in rotunditate compressa, magnitudine Lenticulæ, circulo quodam foliaceo circumdante, sub-

subfulva; acria, & odorata: radice constat singulari, in altum demissâ & odoratâ, & albâ. Altera est in montibus similis prædictæ, sed pluribus ab eadem radice caulibus, striatis: foliis longioribus, tenuiùs incisis, subjectis: radice constat in multos ramos distributa, & subnigra: semina in totum similia: idcirco & hanc Tordylio congenerem statuo. Hæc ille de suo Seseli Cretico, quod videtur in multis convenire cum nostro Apio montano nigro, non audemus tamen idem asserere. Alterum quale possit esse nobis non constat. stirpium periti considerent, an aliquis præter illum ejus meminerit.

An Thalio Libanotis alba minor? An Thalio Libanotis alba minor seu amara, foliis latioribus, & profundiùs dentatis, radice resinoso succo turgente, thus spirante, flavescenteque; ac amarâ, candidâ, multifidâ sæpè, & crassâ?

Oreoselinũ. Clus. pannon. p. 695. & hist. Oreoselinum, ut & Ger. primum, Tab. Lob. adv. p. 315. Obs. p. 406. Icon. p. 707. Oreoselinum, sive Petroselinum Dod. lat. Oreoselinum sive Veelgutta, ubi describit ac ait: Oreoselinon quale quidem à veteribus describitur, innotitiam hac ætate pervenisse non constat. A montibus autem apud Græcos Ὀρεοσέλινον nomen est, quod Latini idcirco Apium montanum & Montapium appellant. Dicitur verò & idem, ut inter rejectaneas voces reperitur ... ἄγριον, & Latinis Apium: Sed Dioscorides Petroselinum ab Oreoselino diversum statuit. Veelguttam

Multibona. verò Latinè Multibonam quis dixerit, hoc enim nomen accepit, quod ad multa utilis & commoda habeatur. Non omninò verò impropriè & hæc Oreoselinon nuncupatur, nam in montibus gignitur & Apio non dissimilis est. Desideratur semen Cumino simile: tale si haberet, Oreoselinon legitimum esse, quis negaverit?

Daucus. Apium mont. Selinoides Daucus Cordi. Bauh. phyt. Daucus 6. montanus Apii folio minor: Apium montanum & Oreoselinum nigrum, Gesn. h. Dauci 2. Selinoidis varietas, sive Selinoides Cordi Lobelio Obs. p. 414. sine icone. ... Daucus (addit in pin.) selinoides latifolius, Cord ... Apium sylvaticum, Thal. Eid. B. Apium 5. ... ubi & Apium montanum, Cast. Lugd. Variatione loci, tam foliis tenuiùs divisis, in pratis udis Michelfeldæ reperitur.) montanum folio ampliore: [Apio, Petroselino Dalechampii tenuifolio.] Apium crispum, Thyselinum Plinij & Agrio-

Apium crispum Thyselinũ Agrioselinũ C. Bauh. selinon [falsò enim legitur ibi Agriofolium.] Galeni Guilandino: Oreoselinum sive Petroselinum Lobelij. Miramur C. Bauhinum diversum tradi Oreoselinum Gesneri ab Oreoselino Lobelij, quum manifestum sit eandem esse plantam consideranti descriptiones & iconem: præterea Oreoselinum Gesneri non convenit cum Dauco Selinoide Cordi. Eid. pin. Apium 8. montanum nigrum: Oreoselinum Parisiensium, Lug.

Schvvenckf. nor. Schvvenckf. Apium montanum: Ὀρεοσέλινον Dioscoridis, Clusio: Ὀρεοσέλινον ἔγχυλον, seu ..., Gesn. Polychrestum Cordi. Polymetum Gesn. Montapium. Vielgütt / Augenwurtzel / & Berg Peterlin / Silesiis: radice longissima. Nos latet ubi Clusius asserat esse Oreoselinum Dioscoridis: vellemus locum annotatum.

Locus cum tempore. Apium nostrum nigrum, denominavi Oreoselinum, non quòd descriptioni Dioscoridis respondeat, sed propter natalem locum. Basileæ locis montosis ad meridiem sitis provenit: in Alsatia copiosè prope S. Thamarin in pratis siccis & arenosis, non longè à Beffordia florens Iunio & Iulio secus viam: in Rhetia Iunio prope Curiam in pratis: Genevæ in monte Thuiri: Lugduni frequens: Montbelgardi in arida planicie. Veelgutta Dodonæi in iis montibus provenit, qui Silesiam à Moravia, olim Marcomannorum provinciâ, dirimunt, tum & in aliis montibus ac collibus. Meminit verò Dod. olim hanc ad se missam à Martino Tulemanno, qui in montosis apud Eburones ac Tongros, nunc Leodios, hanc repertam in horto suo Trajecti ad Mosam studiosè alebat. In monte, qui Badensibus thermis imminet & in aliis vicinis collibus, atque ubi Viennæ Austriæ proximis vulgare esse Oreoselinum refert Clusius. Rariùs occurrit Lobelio nisi in montosis Lugduni, prope sequanum & in valle Ostensi Pedemontana. Amat in summa montosos arenososque tractus. Abundat in Silesia propè Gryphibergum in pratis ad Quissum fluvium. Iulio & Augusto flores in umbella, cum semine Anethi nigricante, ostendit, Schvvenckf.

Vires. Radix, inquit idem, calida & sicca est tertio recessu [secundo ordine intenso, Dod.] Extenuat, aperit, incidit, urinas movet. Calculos dissolvit, menses provocat, jecinoris & lienis obstructiones solvit, regio morbo auxiliatur. Manducata dentium dolores mitigat, ac salivam ciet, torminibus ventris succurrit, visum exacuit, & alios multos usus præstat.

APIUM PETRÆUM, SIVE montanum, album.

Descr. APIUM hoc petræum folia habet dodrantalia, pulchrè in alas oppositas divisa, atque hæ rursum in opposita segmenta, Apij nigri montani segmentis similia quodammodo, quæ mirè variant pro locorum diversitate: quædam enim valde tenuia quasi crispa: caulis fœniculaceus, cubitalis, medullâ plenus. umbellæ parvæ, floribus albis contextæ: semina Apij hortensis, longiuscula, hirsuta, striata, cum amarore, aromatica, eodémque sapore, ferè ad Apium vulgare accedente prædita. est radix perenis, crassiuscula, alba, comata.



An Cordi Daucus angulosi caulis. An Cord. hist. l. 1. c. 53. vocat Daucum angulosi caulis, quem sic describit: Daucus angulosus dum è semine nascitur, primo anno caulem non fert, sed folia undique circa radicis caput per terram strata, eâ ratione, ut multa folia singula constituant, pedalibus enim & canaliculatis pediculis utrinque apposita sunt duarum unciarum longitudine, folia ab utroque latere profundiùs usque ad suum quoque pediculum in partes per ambitum serratas dissecta: ex his maxima sunt quæ posteriori pediculorum parte exeunt: minima verò, quæ anteriore. Caulem altero & nonnunquam tertio anno erigit tripedalem, minimo digito graciliorem, angulosum & juxta terram ferè triquetrum, nisi plures intercederent minores anguli, solidum & geniculis præcinctum. folia è geniculis se proferunt inferioribus similia, breviori tamen pediculo: & ex horum alis pedales, ac plerumque individui ramuli, angulis striati: in quorum cacumine Æstate singulæ sunt umbellæ, formâ convexæ, den-

læ & candidæ, minimisque floribus farctæ, melleo liquore veluti conspersæ, quibus odor est lixivii aut saponis, sive mellis calce mixti. semen

Radice nititur diuturnâ, pedali, pollicis aut digiti crassitudine, candidâ, circa caput propter amissorum foliorum vestigia & nervos pilosa & villosa: in crassiores fibras distracta, per quam lignosus descendit nervus. ea gustu acris est, salivam provocat, diúque fervorem in gustantis palato relinquit: folia acrimoniæ mixtam quoque amaritudinem habent. Semen verò Nascitur asperis & editis locis: copiosissimáque Ienæ, in vinearum incultis calculosisque partibus: & VVirtembergę in tumulis quibusdam sabulosis, qua ex urbe versus Septentrionem itur. Et hæc de suo Dauco angulosi caulis scribit Cordus, apud quem in annotatione quærit Gesnerus, numquid cum Oreoselino, h.e. Apio mõtano, commune quid habeat hæc herba. Nos quidem diversum existimamus, ac fortè non malè sequi posse credimus hoc Apium, Pimpinellam tertiam Tragi, sive Pimpinellam crispam Tabernomontani, cujus descriptionem ponimus cap. de Saxifrag. minore.

Gesn. verò de hort. vocat Apij montani genus aliud amarum, Legarij montis ad Badam Helvetiorum, radice multis annis durante. Hoc Oreoselinum anopum, quòd liquore resinoso careat, si libet, cum Gesnero nuncupemus: sicut & ἄχυλον græcè: etsi ἄνοπον in usu non sit.

An Thalio Libanotis alba minor. An Thalio Libanotis alba minor, seu amara, foliis contractioribus, & frequentiùs, succinctiusque incisis? Cum hac plerisque notis congruere descriptionem Dauci angulosi apud Cordum testatur Thalius quidem, sed tamen Dauci anguloli radicis saporem acrem esse, hujus verò amarum.

Locus cum tempore. In petrarum rimis ante quinquaginta annos Basileæ provenire observavi in Marchionatûs monte prope pagum Krenzach, & Badæ in Helvetiorum monte, ceu & Basileensium prope Wasserfall / florens mense Augusto: in monte Masmünster supra Sebenthal pagum, ultra stagnum magnum: repertum propè S. Hippolitum in monte attuli Montbelgardum plantandam in horto E. C. ubi primo anno caulem non proferebat. Frater attulit ex Italia pro Apio Guillandini, Petroselino Cortusi. Eandem rursus dedit pro Dauco tertio Dioscoridis, & Pyrethro vulgari Patavinorum Cortusi. Sed duæ sunt plantæ distinctæ. Vereor ne hic tres diversæ confundantur plantæ, quas distinctas habeo. Apium enim Guilandini est Oreoselinon, vel Pyrethrum alterum Plantini p.775. Daucus verò tertius Dioscoridis Guilandini, multùm differt, folia habens multò latiora, non ita copiosa, nec in tot ramos divisa. Pyrethrum etiam habeo, quod ab his duabus plantis diversissimum & à Guilandino Pyrethrum 1. Matthioli vocabatur, & à Cortuso Pyrethrum Brunfelsij. Qualis autem sit illa, quam scribit me Dornaci observasse, nescio, nullam enim ex his tribus Dornaci observavi, quod recorder, nisi plantam videam. Si frater volet tres has diversas plantas, Deo dante, ex meo herbario illi mittam.

APIVM SILVESTRE DAlechampij folio perquam tenui.

APIVM silvestre [σέλινον ἄγριον, cujus meminerunt Theoprastus & Dioscorides] hic ex Dalechampij opinione olim depictum, descriptumque, radice est gracili, longâ, candidâ, odoratâ: folio Apij hortẽsis, perquam tenui: caule palmum alto: flore pusillo, albo, in exiguis umbellis, quas herbacei cortices glumis spicarum non dissimiles sustinent, & subtus ambiunt, semine minutulo. In asperis collibus provenit.



Apium verò silvestre quod Dodonæus exhibuit, longè aliud est ab Apio silvestri Dalechampij, ut inferiùs demonstraturi sumus.

VMBELLIFERA ALSAtica magna, umbellâ parvâ sublutea.



Descr. INDICTA, quod sciam, herbariis est hæc planta, proceritate hominem æquans, aut major, caule rubente, striato, geniculato, inani, firmo satis, & in ramos diviso: ad cujus singulos nodos pediculi, caulem ceu vagina amplectentes, oriuntur, longi cubitum unum, ex cujus latebris alij breviores prodeunt, folia sustinentes Siseris aut Apij petræi modo dissecta, sapore amaricante & aromatico prædita: umbellæ pro plantæ ratione parvæ, Apij umbellis pares, ex floribus conflantur luteolis, quorum singulos componunt foliola quinque cum apice longiusculo in medio: semen gemellum, Anethino simile, foliaceum, latum, striatum, sapore aromatico, subacri & subamaro. radix lignosa, rugis arata, vegetiore sapore prædita est quàm semen.

Locus cum tempore. Anno 1592. in fine Novembris inter Colmariam & Sultz inter dumeta reperit, hominis altitudinem excedentem, radice perenni, ut puto. Eodem anno Basileæ ejus nomen à me inquirebat frater C. Bauhinus, qui collegerat in Alsatia. Cum flore & semine maturo observavi 1597. Octobris 5. inter Ruffack & Colmar.

SISON VETERVM.
CAP. XLVI.

SISON exiguum semen esse, & in Syria nasci, Apio simile, oblongum, nigrum, & ferventis gustûs, constat ex relatione Dioscoridis. Bibi verò contra lienis vitia, & urinæ difficultatem, itemque ad com-

morantes

morantes menses evocandos. Eo ipso indigenas cum Cucurbita in acetococta condimenti vice uti. In cacuminibus ceu granula multa gerere, ... Sed his vetus caret. Cæterum, sunt à quibus σίσων & Sinnus & Sinnon, sive Sinon in notis vocetur. Romanis pariter cum Græcis Sisona & Sinnona dicitur.

Appellatio-nes spuria.

Cognovit & Hippocrates Sinnon. Sic enim eum appellat: cognovit & Paulus Ægineta & ante eum Galenus, qui Sisonem calidum & subamarum gustantibus esse testatus est ideoque & urinam ciere, & concoctiones adjuvare mensesque provocare, & omnes circa viscera obstructiones [ἐμφράξεις Græci dicunt] reserare. Sed novit & Oornarij vetus Plinianus codex l.27.c.11. qui Sinon habet. ubi in vulgatis simul legitur, & quod sequitur ad Sison pertinens, Smyrnio attribuitur. Locus is est. Sinon concoctiones facit, sapore simillima Piperi. Eadem in dolore stomachi efficax. Quod verò sapore Piperis esse ait, respondet voci πυρώδες, quam Dioscorides usurpat, fervidũ esse scribẽs. Porrò Dioscorides exiguũ semen in Syria nasci dicens, importunè relictâ herbâ historiam & caput hoc à semine ejus incepit. Oportebat enim (quod etiam Marcellum remoratur & suspendit) à planta descriptionem incipere: nisi fortè in re tunc nota, satis fore credidit ex eo quòd in usu erat, totam indicasse plantam.

Galeno testimonium.

Plinius Sinon.

Diosc. notatur.

Fuerunt tandem ex posterioribus aliqui, quoniam Apio simile Dioscorides esse dicat, silvestre Petroselinon esse affirmare non dubitarint: quod parum verisimile est, cùm hoc Dioscorides in Syria tantùm nasci testetur.

Petroselinũ non est.

Tragus Chærefolium satis quadrare credit Dioscoridis capiti de Sisone.

Chærefoliũ.

Recentiores Medici, qui barbaro adhuc seculo vixerunt, Olusatrum, quod Macerone inscribimus & Sinon, idem esse putarunt, sed malè.

Macerone.

Ammi minus quod vocamus, à Coldenbergio Sison appellari, testatur Gesnerus hort.

Ammi minus.

Ait Dodon. gall. doctos quosdam Saxifragiam minorem, Sisonem Dioscoridis nuncupare.

Saxifragia Germanica minor.

Corn. in Diosc. l.3.c.54. semen quod vulgò Sine appellatur, & ab officinis semen Zedoariæ dicitur, ab aliis autem, ut & nobis semen lumbricorum, verum Sinon esse arbitraretur, ex appellatione inductus, nisi usus vulgatus repugnaret.

Semẽ lumbricorum.

Nos contra Amomum officinarum Sison esse tenemus, de quo mox agemus.

Amomum officinarũ.

Collegium Florent. in antiball. Daucum pro Sisone substituit, ceu & Antid. Romanum.

Substituta, Daucus.

Ast Ætius Tetrabibl.3. Serm.2. cap.21. pro Sisonis semine, Ligustici semen admittit.

Ligusticũ.

Baud. pharm. l.1. sect.4. in pulvere Diaprassii Nic. confundit Sion cum Apio montano, quod Oreoselinum Græcorum esse ait, ac diversum facit à Petroselino Macedonico contra Pandectarium & Platearium, ejusque sequaces.

Apium montanum.

SISON, SIVE OFFICINArum Amomum.

Sison caulem producit gracilem, teretem, medullosum, cubitalem & altiorem: cujus folia longa, pinnata in Pastinacæ Germanicæ morem; singularia tamen folia, Sisari foliis similia, tenera, oblonga, circumcirca crenata, aliquando & laciniata. Flores in umbellis parvis candidi: semine subsequente perpusillo, fusco, striato, gustu acriusculo, aromatico. Radix gracilis, fibrosa.

Descr.

Matthiolus licèt Sison semen esse in Syria proveniens ex Dioscoride testatum reliquerit, nobisque propterea incognitum dixerit, ut qui plantam, quæ illud profert, apud nullum authorem descriptam inveniri crediderit. Nos tamen Sison à Dioscoride propositum hâc figurâ exhiberi credimus, & à sequentibus autoribus, eo, quo dicimus, modo tradi.

Sison est Dioscoridis contra Matthiolum.

Semen peregrinum, officinarum Amomum, hiemẽ ferre non potest, ideo mihi (Trago in hist. Germ. l.1. c.154.) nullum erit Apium. Existimo Sison, nec ita aberrare possum ut ij, qui vendunt pro Amomo. veteres vocarunt hanc herbam Sinon, Senon & Sison. est sanè minimum Apiorum. Idem in hist. lat. ait: Amomum germanicum, Petroselinum peregrinum appellatur, nos illud Sison hortense dicimus. Minimum quoddam Apiorum genus esse videtur: venditari solet semen contra veritatem pro Amomo. Hæc ille qui sibi contrarius est, Apium quoddam esse modò negando, modò concedendo.

Amomum officinarũ, Trag.

Amomum germanicũ Trago.

Tragus sibi contrarius.

Fuchs. in Icon. vocat Petroselinum Macedonicũ, Welsch Petersilgen. In hist. c. 254. Petroselinum & Apium saxatile. Germ. Frembd Petersil/ Gall. verò *Persil de Roches & lieux pierreux*, aut *Matherons* nominari commodè posse ad Oreoselini differentiam putat, ac ait: Officinæ hujus herbæ semine pro Amomo utuntur, non tamen sine magno errore, quum constet omnibus Amomum ab hac herba esse diversissimum. Ego ut tandem scirem è qua stirpe semen hoc decerperetur, terræ illud mandavi, & hæc cujus pictura formam ostendit, herba erupit, quam ego verum esse Petroselinum credo, cujus brevis delineatio est apud Dioscoridem atque imperfecta, ut nihil mirum sit, me hactenus quod verum esset Petroselinum non potuisse cognoscere. Meritò itaque hoc loco, ut compluribus etiam aliis, Dioscorides negligentiæ insimulari potest, ut qui mancas ac mutilas plerasque posteritati relinquere stirpium historias voluerit. Si verò quispiam paucas etiam has notas expendat haud dubiè herbam hanc Petroselinum esse comperiet. Semen enim ejus Ammi tam simile est, ut ab eo vix discerni queat: odoratius etiam existit & acre, ac aroma olet. In summa, nulla est nota quæ illi non respondeat ut hoc nomine verum Petroselinum esse credam. Quinetiam tota hujus herbæ forma, quæ non multùm à Germanico Petroselino abest, atque odor, Selini speciem esse docent, ut pro Petroselino usurpare hanc ipsam officinæ tutò possint: semen enim quo hodie utuntur, non Macedonicum Petroselinum, sed Hypposelinum existit. Sunt porrò qui hanc herbam Sisona pro Petroselino esse putent, quorum sententiæ cur non magnoperè repugnem, facit imprimis Dioscorides, qui Sisona perinde atque Petroselinum suis notis haud descripsit. Deinde quòd viribus non discrepent, atque adeò in usu hujus aut illius nullum sit periculum. Ego tamen meam sententiam propter jam adductas rationes deserere, nisi evidentibus convictus argumentis, non possum. Hactenus Fuchsius qui herbam quidem depingit, sed non describit, ita ut meritò de eo dici possit, quod ipse de Dioscoride protulit. Eum sc. hoc loco non sine occasione negligentiæ insi-

Petrosel. Macedonicum, Fusch.

Officinarũ error.

Petroselinũ Dioscoridis, Fuchs.

Diosc. taxatur.

Selini species.

Sison.

Fuchs. ut Tragus.

mulari posse, ut qui mancas ac mutilas plerasque posteritati stirpium historias relinquere voluerit, easque turpiter confuderit.

Petrosel. Macedonicum Dod. gall.

Dodonæus gall. Petroselini Macedonici titulo pinxit, verique Petroselini nomine delineavit ac dixit: Petroselinum hoc exoticum appellatum est, Græcè πετροσέλινον, & quia abundè crescit in Macedonia, πετροσέλινον μακεδονικὸν, Petroselinon Macedonicon: lat. Petrapium, Apium saxatile, & Petroselinum: Gall. *Persil de roches*: Germ. Stein Epffich/ aut Stein Peterlin. Belg. Steen Eppe. Vocatum est etiam ab ignaris pharmacopolis Amomum: Brabãtis Vremde Peterselie/ h.e. Petroselinũ peregrinũ: quod tamen dubio procul est Petroselinum verum, nominatum à loco, in quo abũdat, Petroselinũ Macedonicum. In fol. lat. appellat Petroselinum Macedonicum Fuchsij, ubi eos hallucinari scribit non parum qui plantam hanc Amomum esse velint. Is verò eam pro Petroselino amplectitur, eodem sanè errore, quo Fuchsius, ac etiam ij, qui Amomum esse pronunciant.

Petrapium Apium saxatile.

Petrosel peregrinũ.

Petrosel. Maced. Fuchsij. Dod. lat.

Fuchs. & Dodonæi lapsus.

Lonic. vocat eodem lapsu Petroselinum Macedonicum Dioscoridis, quod ait officinas assumere pro Amomo, & vocare Amomum Germanicum. Debebat is ad hanc plantam referre caput Sinonis, sive Sisonis, quod malè Cicutæ Gleiß adscribit.

Lonic. notatur.

Synon.

Gesn. in app. hort. dicitur Amomum officinarum falsum. Volcmarij. Cordo de artif. extract. Ammi Amomum appellatum. Matth. in Diosc. l. 1. c. 14. pumilum semen, colore nigro, odore Melanthij, quod quosdam stirpium impostores, ex Gargano Apuliæ monte profectos, Amomi vice supponere notat.

Apollo.

De hoc loquitur Apollo rad. 1. supra Diatrion-piperinon. Semen quoddam exiguum, nigrum, & inodorum, à pharmacopolis publicè vendi, prò Amomo scribit Brassavolus: hoc idem Matthiolus, sed aroma olere, acreque esse, secus quàm dictet Brassavolus, ut alterum aberrare necesse sit: quod tamen apud illustres aromatopœos, sæpè, ac sæpiùs explorare potui, acre quidem conspicuè apparuit, ut Piperis leviculam præ se ferret acrimoniam, nullo tamen aromatis odore.

Ang. Sison.

Ang. ep. 12. nominat Sison, ac à quibusdam, potissimùm verò ab herbariis Bononiensibus, *Sinulo* vocari scribit. Cord. in Diosc. & hist. Sison & Sinon. Lugd. p. 709. Sison & Petroselinum Macedonicum Dodonæi. Cæs. & Bauh. tam apud Matth. quàm in phyt. & pin. Sison Dioscoridis: Sison, quod Amomum officinis nostris: Amomum germ. Trag. Amomum offic. falsò dictum, Gesn. h. Sison, Ang. Gesn. h. Lugd. Tab. & Cam. Ammi parvum, Gesn. h. Sed & Sisonis (quod Plinio & Græcis multis, tam veteribus, quàm recentioribus Sinon vocari ait) descriptioni nihil accommodatiùs Turnerus invenit Amomo vulgò dicto, quod & nonnullis Apium nigrum (Anglis Black Perselie.) Circa sepes nascitur, foliis Pastinacæ Germanicæ, radice eleganti, longâ, dulci, gustu nonnihil calida, semine nigro, calido certè, sed non fervido. Quò fit ut verum Sison non ausit pronunciare, sed solùm fieri posse dicat, ut ejus sit species aliqua.

Locus & tempus.

Sison Montbelgardi in horto E. C. per plures annos coldi, ubi facilè hiemem ferebat, & semine decidno se propagabat, florens, & semina maturans Iunio, Iulio, & Augusto, virens sequenti anno mense Februario. Habui idem Lugduni & Genevæ virens Ianuario. In locis humectis nascitur, non tamen in aquis: semen affertur ex Orientalibus, quamvis passim apud nos (inquit Cæsal.) oriatur in fovetis.

Vires & usus.

De Sisonis viribus & usu diximus ante ex veteribus, quos lector consulere velit.

PIMPINELLA IN GENERE dicta.

Cap. XLVII.

PIMPINELLÆ nomen non solùm Sanguisorbæ, & Saxifragiæ attribui, ut ait Dodonæus, sed aliis etiam quibusdam plantis adscribi, jamiam est demonstrandum. Extat autem vetus versiculus, qui Pimpinellam Saxifragam, à Sanguisorba Pimpinella differre ostendit, qui talis est:

Pimpinella latè patet.

Saxifraga à Sanguisorba discrimen.

Pimpinella pilos: Saxifraga non habet ullos.

Nos quidem relictis aliorum Saxifragæ differentiis, eam quadruplicem agnoscimus.

Harum prima est Saxifraga hircina major, quæ quibusdam Pimpinella major Germanica dicitur.

Saxifraga hircina major.

Altera Saxifragia hircina media, quæ videtur Daucus selinoides Cordi.

Saxif. hirc. media.

Postrema Saxifragia hircina minor, foliis Sanguisorbæ, sive Pimpinella minor Germ. acris, aliis hircina.

Saxif. hirc. minor.

Vltima Saxifragia hircina minima, Pimpinella crispa Tragi.

Saxif. hirc. minima.

Pimpinellæ sanguisorbæ sunt duo genera; una minor, Pimpinella Italis vulgò dicta, nec non Gallis.

Sanguisorba minor.

Altera Sanguisorba major flore spadiceo, Pimpinella major multis. Et de his quidem mox ordine pertractabimus.

Sanguisorba major.

Aliæ plantæ, quæ Pimpinellæ nomine donantur, sunt hæ.

Caucalis minor Bellonij pulchro semine, quam Cæsalpinus Pimpinellam Romanam vulgi vocat.

Caucalis minor Bellonij.

Caucalis major est Pimpinellæ alterum genus silvestre Cæsalpino.

Caucal. major.

Poterium quorundam, ut dictum lib. 11. nuncupatur Pimpinella spinosa.

Poterium quorundam.

Anagallis, ut videre est lib. 29. est Pimpinella Anglicæ plebeculæ.

Anagallis.

Pimpinella crispa, sive Petræa Tabernæmontani, An Apium petræum quoddam?

An Apium montanum quoddam?

Pimpinella major Brunschvveig, An Pastinaca silvestris Germanica.

An Pastin. silv. germ.

Sunt, teste Matthiolo, qui aberrantes Pimpinellam, Flatinem putant.

Flatine.

Chij, Rodij, Peloponenses, Corcyrenses & cæteri Græci, ait idem, Pimpinellam hodie Sideritidem vocant.

Sideritis.

Sideritidem alteram, Pimpinellam in Italia dici, tota Græcia distitat, inquit Guilandi Theon.

Sideritis altera.

Pimpinellam apud Dioscoridem Tragium dici putat Cæsalpinus. Sed is videtur duas plantas confundere.

Tragium Dioscoridis.

Pimpinellæ vetus nomen se quidem ignorare fatetur Gesnerus, sed tamen ad Oreoselinum referendum putat, ut legimus, epist. l. 4. ep. ad Bened. Aretium.

Oreoselinum.

Illud tandem silentio non involvendum, quòd quæ à Germanis passim quidem & vulgò Pimpinella vocatur, rectiùs alias gentes, Saxifragam seu Saxifragiam (à facultate calculorum à renibus expellendorum) cognomine hircinam, appellare. Contra verò quam Galli, Itali, & Hispani Pimpinellam dicunt, proprie Pimpinellam vocari, & à nobis Sanguisorbam vel Sorbastrellam (quòd sanguineos fluxus sistat.) appellari.

Pimpinella Germanorum: alia Gallorum, Italorum, & Hispanorum.

Cæterùm, Pimpinellæ, & Pipinellæ, à foliorum binis ordinibus, pennatim sive plumatim digestis, nominatæ, veteribus indictæ existimantur: quæ etiam Bipennulæ & Pampinellæ vocantur.

Saxifraga

SAXIFRAGIA HIRCINA major.

Cap. XLVIII.



Descr. EX radice digiti crassitudine, alba, sapore fervido, caules surgunt recti, tres cubitos, lætiore Solo, superantes, inanes, striati, angulosi, geniculati: folia Sij odorati umbelliferi, atrovirentia, splendentia, sapore ignaviore multò quàm radix: umbellæ flosculorum candidorum, quinis foliolis constantium: semen pullum, striatum, oblongum, acre, aromaticum.

Hæc est illa, quam Ruell. Saxifragiam majorem officinarum & herbariorum vocatatémque Seseli Massiliense, & Siler montanum. Puto autem Ruellium existimasse Siler montanum esse semen Saxifragiæ majoris, ac ita confundere duas plantas: nec me movet ejus descriptio, quæ nihil aliud quàm Seseloos repetita delineatio, non facta ad plantam: quales solet plures habere descriptiones. Tragi verò aliam esse opinionem sat scio.

Saxif. major. Seseli Massiliense. Siler montanum. Ruell. nota tur.

Fuchs. ic. & hist. inscribit Pimpinellam majorem, cujus icon (qualem etiam nos proponimus, quia jam sculptam emimus) destituitur prioribus foliis, quæ solent ad Pastinacam Germanicam accedere. De hac autem majori Pimpinellæ, ut & minori (hanc enim duûm generum esse tradit) in genere ait. Vt appellata sit Græcis aut Latinis herba hæc, quam hodie vulgus herbariorum & officinæ Pimpinellam vocant, nondum mihi certò scire licuit. Sunt qui Pampinulam, & Bipennulam nominent. Mirum autem in modum errant, qui Sanguisorbam cum Pimpinella confundunt.

Pimpinella maior Fuchsii.

Error medicorum.

Leonellum Favent. de med. morb. c. 39. per Petram Findulam [vel ut legendum puto Petrafindulam, non autem Filipendulam, ut quidam corrigit] apud Simonem Genuensem, quam speciem Saxifragiæ ait, nostram plantam intelligere credo, licet id non demonstret.

Petra Findula Leonelli.

Cordus in Diosc. nominat Daucum omnium maximum, & Pastinacam gallicam Plinij, itémque Pimpinellam germanicam. An præterea alibi Caucalidem germanicam, Rauch Bibinellen? An etiam in hist. Daucum selinoidem? Aliter autem concludunt autor annotationum (qui figuram Tragi apposuit.) Lob. adv. & C. Bauhi apud Matthiolum.

Daucus omnium maximus Cor di. Pastinaca gallica Plinij Cordum.

Trago germ. dicitur Pimpinella maxima, qui de ea talitan genere scribit. Multi se torserunt docti, nec ullus indicavit certò, quæ planta fuerit antiquis. Hermol. vocat Bibinellam alius Pimpinellam, Pampinellam, Pampinulam, Bipennullam, Sanguisorbam. Simon Ianuensis Petramfindulam & Saxifragiam. Platina Bibinel. Est autem Macedonicum Petroselinum, de quo veteres scripsere. Petrapio loquutendum in comp. Philantropos, Aureaque Alexandrina Luminaris majoris. De hoc Apio montano Berg Epff (Pimpinella sc.) Theophrastu n l. 7. c. 6. intelligo potissimum autem de hac majori. E d. h. st. lat. (ubi trium generum esse tradit) Pimpinella major, Pimpinellas. sine icone, ubi præter dicta hæc profert. Simon Ianuensis Petramfindulam & Saxifragiam appellat, & rectiùs quidem meo judicio alijs omnibus, his enim nominibus non solùm historia Pimpinellæ, verùm etiam vires respondent. Nam Pimpinellæ hujus radix saxa penetrat ut dixi, & ad ciendam urinam, ac, quemadmodum testatur Platina, ad calculos facit unicè. Ego, ut de hujus plantæ appellationibus, meam dicam sententiam, si cum Manardo Ferrariæ essem, ubinam Pimpinella in Dioscoride nascatur, illi indicare non gravarer. Hoc ergo Macedonicum Petroselinum est. Quid verò hoc ipso aptiùs Pimpinellæ huic accommodari poterit? An non hanc ipsam ordo, descriptio, & vires, quæ apud Dioscoridem de Petroselino Maced. habentur, testantur? Quare hanc à Theophrasto sub nomine montani Apij [ὀρεοσέλινον] describi puto. Radix ejus gustu & viribus, ita Piperi respondet, ut Piper germanicum non ineptè dici possit. Hæc ille, qui mirum in modum errat, Sanguisorbam cum Pimpinella confundens ut postea ex viribus patebit, Sanguisorbæ etiam nomen huic convenit.

Pimpinella maxima Trago Germ. Sanguisorba. Petroselinum Macedonicum. Pimpinella sive maior, Trago lat. Petrosel. Macedonicum Diosc. Oreoselinum Theoph. Piper germanicum. Error Tragi.

Matthiolus, qui l. 4. c. 15. Pimpinellæ duo genera agnovit, & hanc majorem cognominat, ab iis cap. 4. planè dissentit, nec absque ratione nostro quidem judicio, qui putant Tragium Dioscoridis secundum hanc esse plantam, quam quidam ab odore Saxifragiam hircinam appellant. An idem l. 3. c. 71. vocat novum quoddam Pyrethrum, passim ferè in pratis nascens? Figura à Matthiolo olim posita, eaque unica ad minorem accedere videtur, quam verò in postremis comm. (ubi major) intelligat, me latet. Camerarius novam effigiem posuit ad epit. & hist. ejus germanicam.

Pimpinella maior Matth. Tragium Dioscoridis non est. An Pyrethrum novum Matthioli.

Lacuna figuram habet nomine Bipennulæ (quam duplicem assignat) quo loco eum majorem intelligere suspicor. Cornarius Pimpinellam vulgi herbariorum vocat.

Lac. Bipennula.

Nullam se novisse plantam scribit Turnerus, quæ cum Dauco secundo rectiùs conveniat, quàm hanc, quam à germanicis quibusdam scriptoribus Pimpinellam germanicam vocari refert, & ab Italis nonnullis Saxifragiam, etsi id nomen alteri quoque plantæ tribuant. Daucum tamen secundum verum asserere non audet.

An sit Daucus 2. dubitat Turn.

A Gesn. coll. appellatur Saxifraga hircina major, Pimpinellæ similis. Ab eodem hort. Pimpinella Germanorum vulgo dicta, aliorum Populorum Saxifraga, Italorum cognomento hircina. Item Saxifraga hircina, vel simpliciter Saxifraga, radice ferè hircum olente, major, floribus albis, locis humidioribus & pinguioribus; in Alpibus species quædam flore rubente.

Saxifraga hircina maior Gesn.

Dod. gall. inscribit. Saxifragiam majorem, ac dicit vocari lat. Saxifragiam & Saxifragam; Simoni Ianuensi Petramfindulam, aliis Bibinellam, Germ. Bibernell/ & Feld Moren: Belg. Bevernaet & Bevernelle. Esse etiam quosdam qui Bipennulam, Pimpinellam & Pampinulam appellent, sed hæc nomina propriè deberi Sanguisorbæ, huicque minimè convenire: Et hoc antiquum hunc versum apertè demonstrare.

Saxifraga maior, Dod. gall.

Pimpinella pilos: Saxifraga non habet ullos.

Esse siquidem Sanguisorbam, quam Pimpinellam vocet, non nihil hirsutam: Saxifragam verò hanc nequaquam.

Sciolos porrò alios modernos velle reducere Saxifragiam ad aliquot capita Dioscoridis, appellantes Sison parvam Saxifragiam, magnam verò Petroselinum Macedonicum, & tertiam [hircinam minimam.]speciem Dauci. Et hæc in hist. gall. quorum non meminit in lat. ubi hanc Saxifragiam magnam appellat.

Petroselinũ. *Daucus.* *Saxifr. magna Diosc. lat.* *Sison diff.*

Saxifragæ, Pimpinellæ Germanorum majoris, ut vocat Clusius varias inveniri differentias prodidit, tametsi magna ex parte foliorum formâ non variet, (omnia enim in ambitu serrata esse, & per alas ordine disposita tradit) unum tamen genus ex atrovirentia ea obtinere & splendentia, alia minimè: genusque aliud inveniri, cujus folia in lacinias sint divisa: præterea Elscherum montem alere, cujus flores eleganter ex purpura rubescant, cùm reliquorum sint candidi. Pimpinellam verò hanc germanicam ubique nascentem, & Italis Pimpinellam hircinam dictam, Tragium alterum Dioscoridis esse suspicari testatur Fabium Columnam.

Tragium alterum Dioscoridis Columnæ.

Bipinellam saxifragam majorem à minori, Lob. adv. sic distinguit. Major in silvis & umbrosis pratis, minus acris, fervidave, & folio longo propiùs exprimit Apium, quam Pimpinellam [Sanguisorbam intelligit] proindéque nulla magis Pliniani Phellandrij opinionem tuetur. Isthæc autem neutiquam à viroso hircúmque olente odore Hircina dicitur (Dauci namque, Pastinacæ, vel ligustri quiddam, nec insuave redolet) sed quia illâ adulti hirci, eo quo docent Practici modo, sanguis & carnes eximium sint calculosis præsidium, etiamque ictericis & hydropicis. Petrifindula verò vocatur etiam eadem prærogativâ. Icon Lobelij placet, quæ in Obs. p.413. Pimpinella major Fucsij (ita etiam in Icon. p.720.) & Saxifraga magna vocatur. Quod autem Petrifindulam ob prærogativam frangendi lapides vocari ait, minùs prudenter judicat. Ob eandem siquidem facultatem etiam Saxifragam appellari sequeretur. Sed calculos, quos lapides vocamus, quis petras unquam, aut saxa nominabit?

Bipinella saxif. major Lob. *Phellãdriũ Plinij.* *Petrifindula.*

Nominatur à Camer. h. Pimpinella saxifraga major, quam ait Marantham in suo lib. de Theriaca conjicere non malè pro Oreoselino Dioscoridis posse accipi. Eid. apud Matth. Pimpinella major. In epit. Pimpinella saxifraga: item Pimpinella, sive Saxifragia hircina, Ital. *Sassifragia di becco.* Si Cæs. Saxifragia vulgò ab odore radicis, hircina cognominata. Thal. Pimpinella nostras communis major, circa Ilfeldam & VVernegerodam, sed rariùs, vulgari in omnibus similis, eadémque nisi quòd majora, latioraque aliquantulum folia contineat. Lugd. p. 786. Pimpinella saxifraga major Matthioli. Videtur asserere esse Thalictrum Rondeletij, & Natricem Plinij Guilandini & Anguillaræ. Esse præterea herbariorum quosdam, qui velint Pseudobunium Dioscoridis, sed alios potiùs credere esse Phellandrion Plinij.

Tab. in ic. & hist. hujus imaginem dat, titulo Tragoselini majoris, quam etiam Pimpinellam majorem vocat; Ital. verò *Pimpinello maggiore & Petrosello salvatico maggiore*, Gall. *Pimpinella grande.* Angl. Great Saxifrage/ Belg. Groot Beuernel & Bevernaert; Germ. Groß Bibernell & Grossen Bocks Peterlin. In genere autem de omni Saxifragia hircina ait: Pimpinella à veteribus non aliter, quàm Petroselinum appellatur: est enim verum Petroselinum. Vocatur hoc à Nicolao Myrepso Penpinela; à Ruellio Pampinaria; Hermolao Bibinella; ab aliis Pimpinella, Pampinula, Bipennula, Bipinnula, Pampinella, Pimpinella & Bimpinella; Sim. Ianuense Petra findula & Saxifragia; Ab Herbariis & Botanicis Tragoselinum, Apium hircinum, Petroselinum hircinum, Pimpinella hircina, propter gravem odorem & ad differentiam Sanguisorbæ, quæ etiam Pimpinella cognominatur. Item Saxifragia hircina, Pimpinella alba, & Pimpinella saxifraga. Ab Arabibus, ut Matthæus Sylvaticus perhibet, *Halimach, Kezai, Kezaz,* & *Nefeblach*, quæ nomina apud nullum unquam Arabum legi. Italis *Pimpinella & Petrosello salvatico*: in Candia sive Creta *Pipinella*: Gall. *Pimpinelle*: Bohem. Bodruyec: Polonis Biedrzennec; Hung. Chaba ire: Angl. Saxifrage: Belg. Beuernel: Germ. Bibernell/ Bibenell/ Stein Peterlin & Bocks Peterlein/ q.e. Tragoselinum. Hæc ille. Ast nobis Bibinella Hermolai alia est planta, nempe Sanguisorba.

Tragoselinum maius Tab. *Petroselinũ veterum.*

C. Bauh. phyt. facit Pimpinellam 1. majorem umbellâ candidâ: is varietatem adverti tradit in foliis, ex Clusio, quem tamen non nominat. Folia (inquit in pin. ubi ipsi est Pimpinella 1. Saxifraga major umbellâ candidâ: Pimpinella, Brunf. Cord. in Diosc. Lon. Trag. Fuchs. Turn. Gesn. h. Lob. & Cast. Pimpinella saxifraga, Matth. & Ger.) iu una atrovirentia, splendentia: in altera minimè: inveniuntur & in lacinias divisa. Ait præterea ad hujus radicem quibusdam in locis, grana reperiri, quorum medulla in colorem rubeum mutetur, cujus ad tincturam Carmesini usus sit, Lacunâ monente, in quibus vermiculi, Costæo autore, nascantur, ideoque Coccum radicum dici posse. Ego quidem ita denominavi ad meum Lacunam grana illa, provenireque in Pimpinella hac dixi, non autem Lacuna. Quam porrò Clusius vulgaris hujus Saxifragiæ varietatem duntaxat asserit, is tanquam diversam specie separat, vocatque Pimpinellam 3. saxifragam majorem umbellâ rubente: Saxifragam majorem in alpibus flore rubente, Gesn. h. Pimpinellam majorem umbellis purpureis, Gesn. fract. Idem inter Saxifragiam & Sanguisorbam non bene distinxit. Est præter alias notas Saxifragia hircina, sive Pimpinella Germanorum, planta umbellifera; Sanguisorba autem, sive Pimpinella Gallorum, Italorum ac Hispanorum præsertim, capitosa, corymbiferaque.

Synon. C. B.

Fragosus l. 3. c. 15. videtur Cocchenilla existimasse: Cocchenilla, inquit, quædam grani species adfertur ex Peru, quod nascitur in certis plantis parvis, Pimpinellæ vulgari similibus, cujus radicibus adhæret, similitudine uvarum silvestrium: quidam putarunt falsò, esse Coccognidium verum: alij esse Chermes Arabum, à Cocco Baphico Græcorum differens, quod manifestè falsum est: hæc ille. At Oviedus, ex arbore colligi vult.

Cocchenilla Fragosi.

Schwenckf. dixit Pimpinellam majorem, groß Bibenel/ Roß Bibenell & Stein Peterlein: Item Pimpinellam majorem splendentem, gleissende Bibenell; rariorem vulgari, at ejusdem usûs.

Usus.

Saxifragiam hircinam majorem Basileæ observavi prope Moutes: florentem & semina ferentem Octobri; Tiguri & Genevæ in horto meo ex vicinis montibus allatam, Majo; Montbelgardi passim in pratis, Iunio & Augusto. Hortis est molesta ob radicem, quâ se multùm propagat. Vulgaris porrò admodum est per Hungariam, Austriam, Stiriam, vicinasque provincias, Clusio in pratis apricis, & arenosis agrorum limitibus, mense Majo caules proferens, Tragos...

Locus, & tempus.

Saxifragia

SAXIFRAGIA HIRCINA media.

Descr.

DVVM generum habet folia, inferiora quidem ad minorem Saxifragiam accedentia, superiora verò Majoris foliis similiora, oblonga, in acumen desinentia, profundè crenata: radix prolixa, mediocriter crassa. caulis striatus, cubitalis: alis aliquot brachiatus, umbellas gerit albas, majusculas.

An Daucus selinoides Cordi.

An est Daucus selinoides Cordi, cujus descriptionem lib. 2. hist. cap. 121. talem dedit: Daucus selinoides folia à radicis capite emittit utrinque à pediculis exeuntia, Apio similia, paulò tamen oblongiora, nec ita splendida & glabra, sed aliquantulum rugosa, in ambitu incisa, & per terrã sparsa: è quorum medio caulis assurgit cubitalis, gracilis, striatus & geniculatus, singulis foliis geniculatim vestitus, prioribus multò tenuiùs incisis. habet adnatã & ramulos aliquot caulis, in quorum summitate parvæ sunt umbellæ, Æstate candidis flosculis plenæ: quibus succedũt exigua, oblonga, & in fusco rubentia semina, singulisque flosculis bina, & sibi invicem conjuncta. Radice nititur duorum plerumque dodrantum longitudine, minimo digito paulò graciliore, terete, colore candidâ & perenni. Nascitur campestribus, lutosisque locis ac pratis. Et hæc descriptio Cordi videtur nobis meliùs respondere huic nostræ Saxifragiæ mediæ, vel etiam majori, quàm minori: quamvis aliter sentiat Gesnerus, qui ad minorem refert. Frater C. Bauh. aliam etiam pro Dauco hoc selinoide Cordi proponit, videlicet Apium montanum nigrum Gesneri, à quo nobis tamen diversa videtur, licèt id certò affirmare non possimus.

Gesn. opinio refutatur. *C. Bauh.*

An Dauci 2. genus Dalechampij.

An est Lugdunensis p. 717. Dauci secundum genus Dalechampij, quod ἀγριοσέλινον dici refert autore Dioscoride cap. de Hipposelino. Hujus historiam hanc habet. Gignitur in glareoso campo, quem Dravus irrigat prope Gratianopolim, radice albâ, odoratâ, acri, paleis in summo capillata: caule cubitali, nonnunquam altiore, anguloso: folio prope radicem terræ instrato, latiore, Hipposelino simili, in exilibus ramulis tenuiore, magisque dissecto, Apij modo: umbella Apij, flore candido: copioso semine, minuto, oblongo, acri, odorato. Et hæc est hujus Dauci descriptio, quem quia frater à Saxifragia separat, eum nos hic integrè ex Dalechampio delineare voluimus. Sed Medici & Pharmacopœi Gratianopolitani nos monere poterunt, an eadem, vel diversa ab hac Saxifragia hircina media, sit planta: & si diversa, in quibus differat. Nos interea suspensum tenebimus lectorem. Vocat autem C. Bauh. Dauci 2. genus Dalechampij, Daucum 7. (10. in pin.) sive campestrem Apij folio.

Dauci secundi generis Dalechampij descr.

Locus.

Saxifragiam hircinam, quam mediam voco, observavi Tubingæ, ubi cùm essem, Fuchsius Pimpinellam mediam denominabat. Eandem quoque observavi in monte Wattwiller

SAXIFRAGIA HIRCINA minor, foliis Sanguisorbæ.

Descr.

SAXIFRAGA minor dodrantali, aut cubitali est caule, rigido, solido, in ramos diviso, in quibus pauca, eaque tenuissima folia: reliqua enim ex radice statim orta & numero plura & latiora sunt, Sanguisorbæ foliis proxima, quorum singularia folia tripartita ferè semper sunt, & in ambitu serrata, rigida, glabra, sapore acri. flores umbella-

ICON FUCHSII.



EFFIGIES MELIOR nostras.



ti, Saxifragiæ majoris, candidi, minores: radix longa, rugosa, simplex, quàm Majoris minor, sapore magis vegeto, fervido.

Icon Fuchsij vitiatur.

Quia autem figura Fuchsij, quam in ic. & hist. Pimpinellam minorem inscribit, omninò displicet, ut quæ potiùs ad majorem accedat, nec tamen etiam conveniat (siquidem Saxifragiis folia non sunt brachiata) aliam fieri curavimus, quam secundo loco pictam damus, ut ita herbarum studiosi discrimen habeant, quo veram à falsa imagine discernere discant.

Oenanthella Fracast.

Fracastor. lib. 3. de contag. morb. facit Oenanthes speciem, vocatque teste Camerario, Oenanthillam.

Napio.

Ruellio dicitur Saxifraga minor officinarum, eamque accedere ait Napi secundæ speciei, sive Bunio.

Icon Tragi.

Icon apud Tragum l. 1. c. 156. titulo Pimpinellæ licèt hujus plantæ videatur, meliúsque placeat quàm Fuchsij, non tamen in omnibus probatur. Cæterùm, tam in hist. germ. quàm lat. vocat secundam Pimpinellæ speciem, quam sic delineat. Altera Pimpinella fervore & acrimonia primum genus superat. Nascitur in arenosis agrorum limitibus, in asperis montibus ac saxis, radice saxorum rimas angustissimas penetrante trium quandoque palmorum longitudine, rectâ ac tenui, ut vermis rudimentum quasi exprimat. Folia, caules, flores, & ipse color, & forma cum primo genere prorsus conveniunt, nisi quòd hæc totâ substantiâ minor est, coliculis interdum & venis foliorum purpurascentibus: floret appetente Majo mense: semen Ammios semini simile habet.

Pimpinella altera Tragi.

Pimp. saxifr. minor Matth. Tragum non est.

Matthiolus nomine Pimpinellæ saxifragiæ minoris passim obviæ describit, & hircum redolere ait, ac Tragium negat. Huic in epit. & hist. germ. à Camerario figura additur.

Saxifr. minor Dod. Sison. Dod.

Dod. gall. Saxifragiam minorem, petite Saxifrage inscribit, ac esse ait, qui Sison appellent: Esse præterea in Belgio valdè communem. Exhibet is iconem Fuchsij, quæ ut dictum, nullo modo placet. Hanc autem mancam esse monere debebat, quandoquidem vulgarem in Belgio dicit, le

In fol. lat. Saxifragam parvam vocat, & pro secunda describit ac ait. Minorem saxifragam hircinam quidam appellant, alij Pimpinellam saxifragam minorem: Brabanti Beuernelle. Qui autem Saxifragam hanc, Pyrethrum esse existimant, non parùm à verò recedunt. Quòd si autem ad aliquam Dioscoridis referenda videatur, cum nullo citiùs, quàm cum Bunio convenire poterit. Caulis siquidem angulosus est, & majoris Digitalis ferè crassitudinis: folia inferiora Apio comparari possunt, superiora longè tenuiora: flores in umbellis Anetho similibus: semen odoratum, minus quàm Hyoscyami, acre ac excalfaciens, quale Bunion esse Dioscorides ostendit, de quo suo dicemus loco.

Pyrethrum falso.

Buniū fortè Diosc.

Gesn. coll. dicitur Saxifraga hircina, Pimpinellæ similis, minor. Itcat. Napi species altera. Item, Daucus selinoides Cordi [Nos Cordi Selinoidem Daucum aliam suspicamur plantam, congenerem tamen.] Tandem h. Saxifraga hircina minor, siccis asperis & saxosis locis, in collibus & circa muros Tiguri abundans.

Cordo in Diosc. l. 2. c. 169. est Pimpinella Germanis vulgo dicta, quam Daucum veterum autumat. Idem lib. 3. cap. 53. meminit hujus plantæ nomine Dauci, & Pimpinellæ in Germania. An Eidem hist. Daucus coriophyllus, quem ex eo ante descripsimus.

Lob. adv. p. 321. de hac potissimùm loquitur, cùm quærit, Bipinella saxifraga utraque, an Phellandrium Plinij? Quia, inquit, Saxifragiæ nomenclatura planè diversa genera notat herbarum & perquam dissita, vulgòque indita, nolui ita nominis aurâ sonóve abripi, ut naturæ vel cognatas classes, vel cognitioni mutuæ accommodas, facilè divellerem. Harum autem notissima hircina, nonnullis Bipinella [quæ ipsi est Sanguisorba minor] cujus folio adeò similis exit, ut eadem planè putetur: nec eas semper pilis discernere est, ut putat versificator: nam eodem proximè loci tractu videre memini Saxifragam foliorum internâ superficie pilosa: nullos tamen in Pimpinella, Sanguisorba, vel hortensi videas. Anne non foliis innatos: sed inter frangendum tractos villos, tenuissimòve & fermè Arachnea stamina innuit, qualia in Scabiosa animadvertas?

An Phellandriū Plinij?

Cæsalp. vocat Saxifragiam alteram minorem, cauliculo constantem dodrantali: foliolis ab radice Pimpinellæ, sc. subrotundis & circumserratis, in simplici pediculo dispositis: ramis autem tenuiùs divisis, ut Silonis: semine odoratiore & acriore priore [Saxifr. majore] nigriore & tenuiore: adeò ut cum Petroselino Macedonico congruere omni ex parte ipsi videatur, & magis quàm vulgare Petroselinum latifolium de quo egimus.

Saxifr. altera minor, Cæsalpini.

Lugd. p. 786. Pimpinella Saxifragia minor Dodonæi & Lobelij. Habet figuram Fuchsianæ similem. Dodonæi etiam & Lobelij icon Saxifragiam hirc. minimam potiùs exprimit, meo judicio, quàm minorem hanc. An præterea eandem intelligit p. 717. per Dauci tertium genus Dalechampij in saxoso colle Gratianopoli imminente nascens, radice ex flavo candicante brevi & exili, festucis in summo villosâ: foliis prope radicem Coriandri similibus, in plantæ vertice ad tenuitatem fœniculaceorum gracilescentibus, caule Apij, flore candido: semine oblongo, Anethi æmulo, saporis acris, qualis in Cumino gustanti percipitur? Figura videtur respondere Saxifragiæ minori, verùm semina non sunt Anethi: Anetho simile & oblongum mihi contraria penè videntur. verùm ea contrarietas ex descriptione Dauci tertij Dioscoridis desumpta est.

Pimpinella saxifraga minor, Lugd.

An Eid. Dau. 3 genus Dalechampij.

Tab. Tragoselinum minus, Pimpinella minor, Klein Bibernell/ Klein Stein Peterlin: à Medicis & pharmacopœis simpliciter Pimpinella vocata.

Tragoselinum minus Tab.

C. Bauh. phyt. Pimpinella 2. major altera, Pimpinellæ secunda species Trago, sine icone. Nos nondum percipimus cur dicatur sine icone, nec cur major. Icon Tragi nobis videtur demonstrare minorem Saxifragiam. Eadem etiam fuit opinio Gesneri. Apud Matth. Pimpinella minor; Daucus selinoides Cordi. In animadv. in Lugd. p. 36. Dauci 3. genus p. 717. Eadem est cum ea quam Pimpinellæ hircinæ nomine describit p. 787. Figura autem eo loci posita removenda: frustra duæ descriptiones unius plantæ. Item in animadv. p. 39. Pimpinella saxifraga minor Dodonæi & Lobelij p. 787. [Lugdunensis] Longè alia est figura Lobelij, quam Dodonæus postremâ editione habet. quare Lobelij assumenda tanquam melior. vel servanda Lugdunensis p. 717. quæ nomine Dauci 3. Dalechampij pingitur & describitur. Diximus nos ante Daucum selinoidem Cordi ab hac diversam nobis videri plantam. Pimpinellam etiam saxifragam minorem, tam Lobelij, quàm Dodonæi lat. quoad figuram huc non referimus, sed ad minimam. Quare rectiùs in pin. Pimpinella saxifraga minor, Ger. Cauliculi & foliorum venæ, interdum purpurascunt: hæc fervore & acrimoniâ primum genus superat.

Smon. C. B.

Columna pro Tragio pingit, de quo hæc scribit. Tragij nomen adepta est planta hæc, eò quòd, ut Dioscorides ait, folia Autumno hirci odorem emittunt. Differt autem à primo Tragio, nam illud non hirci virus olet. Tragij alterius descriptioni plantam à me propositam respondere demonstrabo: quæ radicem habet Raphano silvestri similem, vel Pastinacæ erraticæ, pede longam, minimum digitum crassitie æquantem, albam, raris fibris divisam: folia emittit petiolis ex adverso hærentia, quaterna, & in extremo unicum, Sideritidis secundæ Dioscoridis modo, Pimpinellæ vulgò nobis dictæ (ob cujus similitudinem, & hanc Pimpinellam hircinam vocant) rotundiora, atque magis & profundè divisa: sed si semine seras primùm bina emittit folia singulis petiolis hærentia, rotunda Coriandrinis similia; deinde bina singulis petiolis, & postremo quaterna, sibi ipsis adversantia, in quorum extremo unicum inest. Caules emittit tenues admodum, pedem & sesquipedem altos, binis ternisve geniculis interceptos, ex quibus folia admodum tenuia exeunt: in summo verò eorum umbellæ insunt floribus refertæ albis, quibus succedunt semina oblonga similia Aniso, sed minora multò; colore ad viridem tendentia, atque hirsuta. Floret Æstate, Autumni initio semina perfecta inveniuntur. Oritur in montib. saxis, & locis terrenis: in monte D. Mariæ Virginis appellato excelso & frigido frequens. Folia confricata virus olent hirci, sicut tota planta. Gustu acri atque τραγίζοντι, non solùm Autumni tempore, sed semper. Quare fieri potuit, ut Dioscorides, vel is à quo transcripsit, plantam hanc Octobri mense viderit, tunc enim hic [Neapoli] sine umbellis, & caule corrupto invenitur, nova proferens folia, quo tempore magnam habere cum Scolopendrij foliis similitudinem conspicitur caule existens vidua: atque ita eo tempore tantùm folia naribus admovit, atque ignorans, an toto anno eundem remitteret odorem, tempus Autumni tantùm, quo ipse invenit, atque consideravit (ut in aliis multis, quæ sine caule & sine flore descripsit) posteris tradidit. Eo enim tempore propter humoris abundantiam folia magis virus olent, sicuti in planta Androsemo verius putata, Siciliana dicta simili & congenere

Tragium Columnæ.

Tempus. Locus.

Coniectura in Dioscoridem.

nere [In Siciliana, & Siciliana alia minore fœtida] observatur, cujus folia quæ jam ficcari incipiunt, non hirci virus, sed vini odorem remittere videntur. Obstaret plantæ huic aliquorum sententiâ forma foliorum, quam dicût non esse Scolopendrij foliis similem: quam sententiam ita rejiciendam duxi. Asplenum folio constat Polipodij divisurâ, quod est Filici simile Dioscoridis sententiâ: sed axioma est, quòd ea quæ uni data sunt similia, ad invicem similia esse dicuntur: ergo non sine ratione & similitudine necessaria, plantæ hujus folia sunt Asplenij foliis similia, cùm Filici Polipodium sit simile, atque idem Dioscorides Filici Sideritidem secundam, & Trichomanes comparat: quod utrinque folia ex adverso posita Lentis similitudine habere ait. In Sideritide ait φύλλα ὅμοια πτέρεως, quia sola divisura similia sunt: in Trichomane, ταχύματα ὅμοια πτέρεως, quia & foliorum substantiâ & divisurâ Filici est similis: ut & ὅμοια ἐστὶ πτέρεως, non φύλλα ὅμοια, ut hic, quod tantùm de foliorum divisura est intelligendum, ut de Sideritide secunda dicitur, quibus foliorum Filicis figuram repræsentat utrinque digestorum: longaque differentia est inter habere folia similia Scolopendrio, Scolopendrij sc. foliis, & similem esse Scolopendrio; quod ultimum de substantia & de forma totius plantæ intelligitur, ut dicitur de Doryopteride & Trichomane. Obstare dicant aliqui, quod de Filice fœmina Dioscorides scripsit, φύλλα πτέρεως ὅμοια, & tamen substantia & foliorum divisura similis est Filici mari: ad quod respondere pro me Dioscoridem dico, & sic. Filix fœmina quamvis mari similis sit substantiâ & divisurâ foliorum, positum tamen foliorum valdè dissimilem habet, nam fœmina est ramosa, & non uno petiolo constat, ut Filix mas, sed pluribus alis; ideoque cùm plantæ maximè similitudine foliorum & divisurâ dignoscantur, majori notâ, quâ faciliùs dignosci poterat, descripsit: atque folia similia Filici habere ait, cùm plantæ habitu differret: ramorum sc. multitudine. Præterea Raphano similem radicem, nullam ex Filiceorum genere plantam habere adhuc compertum est, sed obliquam, ut Polypodium; reliquos verò capillares. Nec de floribus est dubitandum, ut aliqui dicunt, qui à Dioscoride tacentur, nam hoc fuit, quia eo tempore caule & floribus viduam plantam conspexit, quod multis plantis evenit, quorum flores non descripsit, & tamen illos habere certò scimus: aliquibus penè abstulit; illásque flore carere dixit atque hîc etiam oportebat, ut flores negarentur, scribere, & hanc flore carere, si flores non emitteret. At potiùs credendum est plantam hanc à notiore nota describere voluisse, ut faciliùs cognosci posset, à formâ & divisura foliorum, & ab hirci olentia. Quibus sic cognitis, jam videtur planta à me proposita [Saxifragia hircina minor] dubiis soluta Tragij nomen assequi debere, cujus Dioscorides meminit. Hæc Columna, qui plantam à nobis in præsenti delineatam, Tragium Dioscoridis credidit, cujus opinio non placet.


Schvvenkf. Pimpinella minor, Pimpinella simpliciter officinarum Lobelio: Petrifindula, Saxifragia hircina, Tragoselinum minus, Kleine Bibinell/ Bocks Peterlin.

Saxifragiam minorem hircinam folio Sanguisorbæ observavi Genevæ florentem mense Majo; Basileæ Octobri, idque copiosè qua itur ad S. Iacobum, & inter portam cinericeam & lapideam dictam. item itinere versus Crenzach. luxta Castellum Elumberg / sive Florimont copiosè, florens & semen maturans Octobri. Veronæ in Theatro si rectè recordor. Montbelgardi frequentem circa urbem in colle versus patibulum. Schvvenkf. asperis & saxosis montium delectatur locis.

Sapor manifestè arguit acriorem & validiorem majore Pimpinella habere efficaciam. Calefacit & siccat 3. ordine. Vsus ejus frequens ad sudores eliciendos, tormina ventris, calculum & menstruorum retentionem. Ictericis, hydropicis, & ijs qui angustiam præcordiorum ex scabie repercussa sentiunt, eximium præsidium. Schvvenkf.

SAXIFRAGIA HIRCINA minima, Pimpinella crispa Tragi.

AN SAXIFRAGÆ species minima.



Radice, caule, flore, semine, odore, & sapore planè similis est iam dictæ, uno hoc nomine ab eadem differens, quod foliola habet minutissimè dissecta ac serrata, ita quidé ut à Caro discerni ac Pimpinella esse vix credi possit, nisi gustatâ radice.

Est hæc Pimpinella 3. itémque Pimpinellæ crispum genus Trago. L. 1. c. 156. Vocat hoc idem l. 2. c. 120. Seseli 3. inter descriptiones; 4. inter nomenclaturas, acetiam Seseli Creticum verum, quod aliàs test: Diosc. de Τορδύλιον τορδύλον, vel ut habet Ægineta Gordylon vocari refert.

Gesnerus apud Cordum in hist. l. 2. c. 122. quærit an hæc Pimpinellæ (meliùs Saxifragiæ) Tragi tertia & minima species, sit Daucus Cyanopus Cordi, quê à cæruleo radicis liquore sic cognominare ait. Nos Daucum cyanopum Cordi (quia quis sit is, nobis nondum constat, licèt Gesnerus suspicatus sit, esse Pimpinellam 3. Tragi) suo capite descripsimus, donec quid melius nobis innotescat.

A Dod. gall. appellatur Saxifragia parva altera, Saxifragia 3. quibusdam Dauci species existimata. In fol. lat. Saxifragia parva, quoad iconem. Miramur Dodonæum olim scripsisse duas minores valdè vulgares in Belgio conspici, nunc autem unius meminisse, quasi de incognitis sententiam tulerit. Stirpium peritis considerandum relinquimus an duæ sint minores Saxifragiæ specie differentes, vel an sit variatio quædam ratione loci & temporis.

Iconem eandem habet Lobelius, cui in Obs. p. 411. hunc titulum apposuit. Bipinella saxifragia hircina minor Adv. p. 321. Thalietrum Rondeletij: Natrix Plinij Guillandini & Anguillaræ. Item: Minor Saxifragia foliis rotundioribus Pimpinellæ proximis in agro Britanno & Belgio. Icon quidem hæc Lobelij respondet descriptioni Pimpinellæ minimæ Tragi, sed non Lobelij in Adversariis. Et quæ dicit de foliis rotundioribus conveniunt descriptioni Saxifragiæ minoris in Adv. & cum Tragi Pimpinella altera, quæ est minor nostras.

Marginalia: Obiectio. Refutatio. Differentia in. ... habere folia similia & simile esse. Obiectio. Responsio. Radix alterum foliorum. Tragium esse non ... Columna. Pimpinella minor Schvvenkf. Locus & tempus. Vires & usus. Descr. Differt a præcedente. Pimpinella crispa Tragi. Seseli creticum. An Daucus cyanopus Cordi. Saxifragia parva Dod. Dodon. ... Bipinella hirc. minor. Lob. Thalietrum Rondeletij. Natrix Pl. Guill. & Ang. Animadversio in Lobelium.

Saxif. Pimpinella germ. minor Clusii.

Dodonæi & Lobelij figuram pictam quoque dat Clusius in hist. quam sic inscripsit: Saxifragia Pimpinella germanica minor. Saxifragiæ autem vulgaris à Germ. Pimpinellæ nominatæ varias inveniri differentias foliorum formâ inter se discrepantes, præsertim in minore, autor est idem Clusius (etiam in pann.) qui ait eam interdum folia singula laciniata habere, aut angustioribus & oblongis incisuris divisa; aliquando folia Petroselini.

Differentia variæ.

Pimpinella crispa sive petræa Tab. Tragosel. petræum.

Tab. dicitur Pimpinella 3. crispa sive petræa. Tragoselinum petræum, Stein Bibernell / Stein Peterlin / Maur Peterlen / & Krauß Bibernel. Is hanc radicibus, caulibus, floribus, seminibus, odore & sapore cum Trago secundæ similem ait, sed hanc acriorem & inter omnes Pimpinellas acerrimam pronunciat: foliis interim tenuissimè sectis & pulchrè crispis, ut ferè Petroselini crispi.

Saxif. parva Diosc.

Pimp. minor C. B.

Schvvenkf. Pimpinella minor crispa: Pimpinella petræa seu saxatilis: Saxifragia parva Dioscoridis; Krausse Bibinell / Stein Bibinell. B. phyt. Pimpinella 4. minor. E. d. pin. Pimpinella 4. saxifraga minor: Pimpinella minor, Fuchs. Turn. Cam. ep. Pimpinella saxifraga minor, Lugd. Cam. Pimpinella nostras communis minor, Thal. Bipinella, Saxifraga hircina, Adv. Saxifragia 2. Cæs. Saxifraga hircina minor, Gesn. h. & Cam. Daucus selinoides, Cord. hist. Tragium Dioscoridis Col.

Locus.

Provenit plerumque iis locis, quibus minor, in saxosis videlicet montibus, præcipuè in rupium fissuris, in veteribus muris & ruderibus, quibus radix ita inhæret, vt nunquam integra evelli possit. Sic evulsisse eam longitudinis cubiti & semis, nec tamen integram, testatus est Tabernomontanus. Schvv. petrosis & arenosis delectatur.

Iisdem cum priore pollet viribus, eodem Schvv. authore.

PIMPINELLA SAXIFRAGA tenuifolia.

Ex radice oblonga, caulis viridis, lævis, striatus, geniculatus, statim ad radicem in ramos, & hi in tenues alas divisus, exurgit: folia habet in tenues primùm, dein penè capillaceas partes divisa: flosculi exigui, pauci albicantes, in parva umbella: semen non vidit autor C. Bauhinus, qui copiosè ad lacum Genevensem provenire scribit. Vocat in pin. Pimpinellam 5. Saxifragam tenuifoliam.

VIRES ET USUS IN GENERE.

Temperamentum. Pimpinella saxif. siccata radix Piperis loco vtendum.

Traditis ita Saxifragiæ differentiis, reliquum est, ut vires & usum adscribamus. Pimpinella, inquit Tragus, calculo comminuendo & expellendo accommodatissima est, temperamento calidior omnibus Apij generibus. Radix siccata loco Piperis in cibo usurpari posset, nam gustu & viribus ita Piperi respondet, ut Piper germanicum non ineptè dici possit. Et meo certè judicio utilior ac salubrior est omni Pipere, quod ego experientiâ longâ didici. Herba Pimpinellæ radix & semen, Petroselini facultatibus pollent, sed in expellendo, ac sedando dolore efficacioribus multò. E radicibus pastilli confici possunt, stomacho frigidâ intemperie, crassisque ac viscosis humoribus laboranti, passioni etiam colicæ & matrici, quàm utilissimi. Radix quacunque ratione sumatur, sive in pulverem redacta, sive in potionibus, aut ecligmatis adversus omne venenum facit unicè, dolorem intestinorum lenit, calculis renum prodest, menses ciet: & si quæ alia per urinam evocanda sunt. Hæc omnia de semine quoque intelligenda sunt. Nam & Norimbergenses seplasiarij sacchаro hoc semen, quemadmodum Fœniculum & Anisum, condiunt. Aqua distillata easdem planè

Anodinum. Pastilli.

Radix adversum venena utilis. Calculus renum.

Semen saccharatum.

Aqua.

facultates obtinet, diebus aliquot continuis mensurâ trium, aut quatuor cochlearium pota. Castoreum in aqua Pimpinellæ decoctum, ac potum, spasmo laborantibus auxiliatur. Tradunt nonnulli [hæc de Sanguisorba potiùs dixerim] vulnerariam esse herbam Pimpinellam, capitisque maximè vulnera quamprimùm glutinare, si succus herbæ expressus instilletur vulneri. Id verò Pimpinellam præstare galli gallinacei mortales primùm docuerunt. Nam cranio illorum subulâ perforato ita tamen ne cerebrum læderetur succum herbæ instillabant, ac herbam ipsam tusam foris imponebant, quo facto intra paucos dies sanatum est vulnus, unde conjecturâ factâ, capitis vulneribus eam herbam imprimis conducere creditum est. Aquâ Pimpinellæ si per aliquot dies facies abluatur, ea maculas ejus detergit, eamq; claram reddit. Atque hæc à Trago de Pimpinellæ saxifragiæ facultatibus perhibentur. Quum autem acrimoniam non exiguam in gustu præ se ferat, haud dubiè in secundo ordine calida & sicca erit: imò secundum calefaciendi ordinem excedere credidit Fuchsius, & ad tertium ferè accedere. Pimpinellæ succus bibitur contra serpentium ictus. E vino pota calculos terit. Stranguriam etiam decocta levat. Succus ejus potus omne venenum discutit. Et hæ sunt Facultates, quas illi antiquus herbatius, teste Fuchsio, tribuit. Alij tradunt succum ejusdem faciei maculas detergere posse. Est autem radicis Pimpinellæ tum usus præcipuus, quum sævientis populatim pestilentiæ contagia arcere conamur: unicè enim venenis adversatur, & corpora ab hac lue vindicat, ut adfirmant, si tantùm in ore teneatur. Quod certè non potest ea, quam hodie Sanguisorbam vocant, herba. Quare mirum in modum errant, qui hanc cum ea confundunt. Matthiolus ait radicem, ceu in qua vis tota consistat, excalfacere, siccareque ordine secundo completo, aut tertio incipiente, aperire, provocare, attenuare, digerere, atque incidere: Gattinaria & Pandectarius commendant contra phthisin sequens experimentum. Recipe Pimpinellam minutissimè tritam, ex qua & sacchаro Rosato fac Electuarium, de quo singulis diebus ægroto propinabis, ac insuper Vnc. octo aquæ ejusdem Pimpinellæ, quæ tamen annum non excesserit. Mulieres quibus menstrua retardantur bis quotidie, manè sc. & vesperi in ingressu lecti bibant mediocrem haustum de hujus aqua, in quem Croci modicum sicut & sacchari imponant, & menstrua movebuntur. Fracastorius l. 3. de morb. contag. extollit syrupum Pimpinellæ in febribus malignis, ut sunt in quibus petechiæ apparent. Radix pulverizata utiliter propinatur cum vino, cerevisia, aut aqua contra quosvis casus & contusiones. Dodonæus Saxifragiæ semen ac radicem vehementer & tertio ordine excalfacientes ac resiccans ait, & partium unà tenuium. Vtramque urinas movere, stranguriæ ac ischuriæ mederi, calculos cohærentes dissolvere ac expellere, præsertim si in balneo horum pulvis aut decoctum propinetur: movere easdem menses, ac secundas pellere: jocinoris lienisque obstructiones aperire: ventriculi cruditates emendare: tormina colique dolores sedare: flatus discutere. Radicem commanducatam dentium dolores sedare, & multam ex ore pituitam elicere. Non secus porrò ac Eringij radicem conditi refert Lobelius, ad juvandam concoctionem ventriculi & viscerum. Colicis affectibus, diuturnæ febri, convulsis, comitialibus, & à serpente demorsis auxiliari, fœtusque mortuos pellere. Potam ex aceto magnæ commendationis ad pestiferos morbos esse: nomis & ulceribus sordidis succum & folia commodè illiniri. Palmerius tandem de morsu canis rabidi affirmat Pimpinellam ad præcavendam hydrophobiam

Tragi lib. Hist.

Galli gallinacei docent remortales.

Faciem reddit claram.

Temp. ex Fuchsio.

Stranguria. Succus adversum venena.

Error quorundam. Temper. Matth.

Phthisis.

Menstrua retenta.

Syrup. in febribus malignis.

Casus et contusiones. Temp. Dodon.

Ischuria.

Secunda. obstructiones. Tormina. Dolor dentium.

Colica. Febres diuturnæ.

Fœtus mortuus.

Vlcera sordida.

drophobiam tantam vim obtinere, ut quicunque eam aliquot diluculis vel in acetariis, vel alio quovis modo apparatam comederit, nihil inde incommodi sentire possit. Io. Bokelius lib. de pest c. 17. parium virium cum Angelica & Zedoaria radicem Pimpinellæ esse concludit. Sed ego mihi vix persuadere possum hircini odoris & acerrimi saporis Pimpinellam parium esse virium cum grati & aromatici odoris Angelica & Zedoaria: nunquam vidi imponi ejus folia in vinum, ut gratum odorem & saporem acquirat, ut idem censet, sed ut utile tempore infecti aëris efficiatur. Et in hunc finem etiam saccharo conditur, ut gratiam adipiscatur, ac manè jejuno ventriculo faciliùs masticetur & assumatur, non solùm pesti efficaciter resistens, sed & asthmaticis & calculosis utilissima. Cur etiam Saxonia de plica cap. 59. in sua aqua ad pestifera, quæ potissimùm constat frigidis & temperatis assumat Pimpinellam germanicam, fervidam & fœtidam, nescio: meliùs placeret Pimpinella gallica sive italica, quæ dicitur Sanguisorba, cujus folia grati sunt odoris & saporis. Pimpinellam germanicam, Saxifragiam dictam, non solùm formâ (umbella sc.) verùm etiam facultatibus, à Pimpinella italica seu gallica, Sanguisorba cognominata, his differre ostendit Gesnerus. Quæ à Germanis vulgo Pimpinella dicitur, ab Italis rectè Saxifraga hircina vocatur. Pimpinella autem vera alia est, Sanguisorba nimirum Fuchsij, cui à Peponis seu Cucumeris odore nomen inditum puto (inquit ille 3. epist. ad Cor. Holz.) M autem literam ante P, recentiores indocti sæpè ponunt, & Græci hodie præsertim: quare pro Peponella, Pimpinella ab indoctis vocata est. Utraque autem vires adversus pestilentiam habere videtur non vulgares. Posterior enim Tormentillæ & Pentaphylli facultatibus insignis est: siccat, adstringit, roborat & refrigerat modicè. Prior autem (h. e. Saxifragia hircina) calida est in tertio gradu, sicca in secundo, meo quidem judicio, minimè astrictoria, tenuium partium, incidens & aperiens, diuretica admodum, & calculos vel arenas potiùs propellens. In receptis latinè scriptis pro Pimpinella, eam quæ propriè sic vocatur, ponerem. In germanicis verò, vel è germanico sermone translatis, Saxifragam hircinam (i. e. Pimpinellam à Germ. falsò sic dictam) ponerem, ut in Electuarij etiam de ovo compositione, si fortè in descriptione vestra ingreditur. Audivisti fortè rhythmum illum è cœlo, sc. delapsum:

Nemmend Bibernell/
So gnäsend Jr schnell.

Ubi omninò Saxifragia hircina intelligitur. Verba verò germanica sic sonant. Accipitote Pimpinellam & confestim sanabimini. Vulneribus maximè utilem esse prodidit Chaba rex, Attilæ regis minor filius ex Honorij Cæsaris filia, qui post parentis mortem (cùm universum regnum Hungariæ intestino bello concuteretur, atque acre prælium commissum esset, quòd inter se dissentirent, cuinam filiorum Attilæ regnum cedere deberet, eoque prælio omnes Hungari occubuissent) solus superstes remansisse fertur cum 15000. virorum, & illis quidem omnibus vulneratis, quos hâc herbâ curasse dicitur, unde factum est, ut postea Pimpinella germanica, Saxifraga dicta, ab eo apud Hungaros, *Chaba ire*, h. e. Chabæ emplastrum appellationem sumpserit. Supersunt paucis referenda, quæ particulatim de usu & viribus scriptis mandavit Tabernomontanus. Amarus & acriter calidus sapor Pimpinellæ satis indicat, eam calidæ & siccæ naturæ esse; prætereàque vim habere attenuandi, detergendi, & aperiendi. Est autem Tragoselinum majus calidum & siccum in principio tertij gradûs; minus verò, ac etiam petræum [Saxifragia major, minor, ac minima] calidum & siccum in tertio gradu. Herba radix & semen loco Petroselini Macedonici in compositiones medicamentorum admitti possunt, præsertim autem minora duo, quorum petræum [Saxifr. minima] præstantius est, ideoque præ aliis eligi debet. Pimpinella viridis & tenera in acetaria venit, quæ stomacho appetitum pristinum restituit, & quasvis ejus viscosas humiditates consumit. Radix pulverizata, & drachmæ pondere pota in vino, excalfacit thoracem, tussim frigidam levat, ac excreationes juvat. Pimpinella unà cum radicibus & herba mense Majo colligenda est, contundenda atque in balneo Mariæ distillanda, & conservanda per annum. Calculos expellit: renes mundificat: menses ciet: pestilentiæ medetur, &c. De vino è Pimpinella, mulsa & succo exsiccato, itemque extracto, extractionis syrupo, radicibus & seminibus saccharo incrassatis, tabulis; seminis oleo expresso, ceu & stillatitio, atq; sale, plura ex eo adscribere supersedemus, tum quia ingratiora nobis credũtur, tum quia & rariora sunt, nec in officinis communiter parari soleant. De Saxifragiæ viribus, Tragij nomine hæc prodidit Columna. Recentiores negant Tragium nostrum dysentericis opitulari; tantùmque agnoscunt, ad calculos frangendos aptum esse, & urinas eliciendas, atque ob id contrarium potiùs dysentericis judicant, ad quos tamen Dioscorides Tragium commendat. Sed si consideretur plantæ substantia & qualitas, gustu percipietur acrimoniam quandam habere cum quadam odoris gravitate, & adstrictione non carere, qua dysenteriam prohibere poterit, præsertim si viscerum imbecillitate proveniat (multæ namque sunt causæ) corroborans jecur, & infirmas partes, per urinam evacuans, & siccans, divertensque humorem, adstringere fluxionem. Quam facultatem etsi recentiores non sint experti: Galenus non denegat, atque propter adstrictionem, quam habere Tragium ait, posse dysenteriam, & similes fluxiones sistere. Et sic calidæ facultatis poterit incidere, & abstergere, calculos minuere, & urinas movere; siccantis & adstringentis, dysenteriam & alias fluxiones à contraria causa effectas emendare. Quorum exempla non pauca apud Dioscoridem & Galenum extant, ut eadem calculos frangant, & menses moveant, eadémque dysenteriam & diarrhæam sistant propter adstringentem facultatem, calidæ vi mixtam. Sed hæc Medicis sunt relinquenda. De Dauco selinoide (quem ad Saxifragiam mediam referimus, vel etiam ad majorem) hæc scribit Cordus. Radix, inquit, gustu acris & fervida est, quæ si diutiùs, cùm recens adhuc est, attrectetur, manúsque ad os & nares feratur, eas partes, quibus admotæ sunt manus, leviter exulcerat: idem efficit decoctæ sapor & halitus: insuper etiam capitis gravedinem attractoria vi, quam efficacem habet, facit: odorem spirat similiter acrem: semen utraque facultate radici respondet.


[Margin notes: Io. Bokelius notatur. — Radix condita. Pestis. Asthma. — Saxonia notatur. — Pimpinella germanica ab Italica discrepatio. — Rhythmus è cœlo delapsus. — Vulnerib. utilem prodidit rex Chaba. — Chaba emplastrum. — Tabern. de ejus usu & viribus. — Petrosel. Macedonici vicẽ supplet. — In acetaria venit. — Aqua destillata ratio. — Vires. — Varia compositiones. — Ex Columna Dysenteria. — Cordus de Dauco selinoide. — Noxa.]

SANGUISORBA MINOR.

CAP. XLIX.

Radice longâ, fuscâ [Matth. lignosâ, subrufescente, & adstringentis gustûs] cum amarore aliquo adstringente, tenui, ex pluribus in unam coëuntibus compositâ nititur; ex qua caules attolluntur pedales & cubitales, spadicei, angulosi, in quibus capitula glomerata, pluribus flosculis cõfertim congestis, quorum singuli, ubi quaterna foliola, extra purpurascentia, intus virescentia explicaverint, stamina numerosa ostentant, nunc lutea, nunc purpurantia, breviora aliàs, aliàs muscoso barbitio, unciali

[Margin note: Descr.]



circiter dependentia [Matth. capitula squammosa, subpuniceo colore] in iis deinde semen.

Folia [Matth. ab una radice numerosa, complura ab uno tenui pediculo utrinque prodeuntia, humi jacentia] Melonis odore, saporéque cū adstrictione, pinnatim disposita in pediculo tenui, rubescente, hirsuto, exigua, subrotunda, circumquaq; profundè serrata, supinâ parte atrovirentia, pronâ glauca.

Cur Sanguisorba inter umbelliferas reponatur.

Nos hanc Sanguisorbam, sicuti & sequentem non umbelliferam, hîc reponimus post Saxifragiam hircinam, quia uti illa à Germanis Pimpinella vocatur, ita hæc Gallis & Italis, ceu jam aliquoties monuimus, etiam Pimpinella nominatur, maximè æquivocatione, unde insignes errores oboriuntur.

Affinitas exigua cum Sanguisorba.

Quanquam autem forma radicis, foliorum, & caulium in herba, quam modò describendam sumpsimus, Pimpinellæ quadantenus respondeat, tamē si & odorem & gustum spectes, plus illa cum recenti glande, quàm Pimpinella affinitatis habere certò cognoscitur. His addit Tragus quòd folia hujus ad cæsium quodammodo inclinant colorem, ac molliora, teneriorâque sunt quàm Pimpinellæ. Quòd caules habet purpurascentes, læves ac tenues, veluti culmus, modicáque lanugine hirsutos, qui non umbellis, uti in aliis Apiorum generibus videre est, conspicui sunt, sed potiùs gerunt in fastigio capitella rotunda, foraminulenta, ut ea ratione rudimentum favi satis exprimant.

Sanguisorba minor.

Fuch. Sanguisorbam minorem foliis minoribus, cauliculis autem majoribus esse tradit, quàm majorem. An autem hæc à Fuchsio ritè observata sint, judicent Botanici. Is enim jejunè has duas plantas describit & distinguit.

Antiquis incognita. Bipinella nomen unde adepta.

Antiquis porrò, referente Lobelio, putantur indictæ omnes Bipinellæ differentiæ, idque recens nominis adeptæ à foliorum binis ordinibus pinnatim, plumatim, tarsive effigie digestis: cujusmodi Filipendulæ. Harum autem minima, frequentissima ruri & domi notissima est pedem aut cubitum alta, exili radice, exiguis Pentaphylli, sed numerosis & teneris turionibus, oleraceis multis foliolis, æquis spatiolis Chamedri vel Eufrasiæ similibus, ambitu crenatis, & binis ex adverso positis: summis in caulibus rotundi flosculorum glomeruli muscosi, interdum punicei ex candido, interdum subfulvi insunt, qui floribus elapsis Adonidis, vel Mori fructum exprimunt.

Saxifraga Quinti, Marcello. Pampinula.

Cæterùm, hujus videtur meminisse Hermol. coroll. 625. his verbis. Quinti Saxifraga eadem est, aut proxima ei quæ Pampinula, Pimpinella, & Bipennula, & Sanguisorba ruri dicitur: quoniam vulneribus injecta ferrum & spicula facilè ac citra sensum doloris exigit. folio parvo, orbiculato, & extremitatibus serrato: quod & mandi soleat parata oleo, sale, aceto, surculis ab eadem radice pluribus, atque densis, rubentibus cum radice, ut ferunt. quibusdam locis vermiculus eruitur, sericis tingendis idoneus, &c. Vide H.n.g. lib. 7. de Cocco radicum.

Hermol. notatur.

Videtur autem Hermolaus non novisse discrimen inter Saxifragam & Sanguisorbam: nos intelligere non possumus, quomodo herba insigniter adstringens spicula extrahere possit: ea etiam opinio displicuit Fuchsio.

Ruell. sibi contradicit.

Dum Ruellius aliorum scripta, ut Hermolai, pro suis venditat, sibi contradicit, confunditque plantas, ut ex modò allegandis locis patebit. Elatine pampinaria (inquit l. 2. c. 136.) si alia est ab ea, quam nostrates Galli Pimpinellam, aut potiùs Pampinulam dicunt, germanum certè genus illi fuerit. Enimvero Pampinulæ folia latè crenantur, thyrsuli quoque flosculis micant, ex cæsio candicantibus, in queis nascuntur capitella rufescentibus punctis maculata. Nonnullis Bipennula & ruri Sanguisorba dicitur, &c. Idem l. 3. c. 94. Non sunt audiendi, qui Pimpinellam vulgò dictam esse existimant Elatinem, cùm etiam natales situs adversentur: nam in pratis incultis, nec usquam subacto Solo nascitur, imò potiùs hortensis sativa, nec ramulis exit à radice foliosis. Est autem folio piloso, latè crenato, exili, in rotundum oblongo. thyrsuli foliis emicant ex cæsio candicantibus, &c.

Elatine pimpinaria. *Elatine non est.*

Teucrium Dioscoridis Brassav.

Brassavol. in exam. simpl. Teucrium Dioscorides facit, negans, & meritò, esse Thryallidem. Ejus verba hæc sunt. Pimpinellam apud antiquos nunquam inveni. Hermol. lib. 4. sui coroll. cap. de Saxifraga eam mirè describit, quæ hydropicis multùm valeat. est valdè similis Saxifragæ, unde carmen:

Pimpinella pilos Saxifraga non habet ullos.

Thryallis Gaza.

Gaza Theophrasti interpres per Thryallidem, Bipinellam interpretatur, si autem per Bibinellam hanc intelligit, quam Pimpinellam Ferrariæ dicimus; in acetariis gratam, longè errat. Nam constat Thryallidem herbam, Pimpinellam non esse: semina in morem Mori rubi facit, dicitur etiam Pampinula, Bipenula, & à rusticis Patavinis Sanguisorba, à Ger. Bibernell. Si Thryallidem conferamus, ut Dioscorides pingit in Phlomide, nullam habere Pimpinellam cum Phlomide similitudinem statim constabit. Verùm si Theodorus hoc nomen Bibinella Thryallidi tribuerit, ut linguam latinam ampliaret, encomio dignus est. At ex altera parte arguendus, qui inepta nomina sequatur, cùm apud nos id nomen Thryallis in usu sit, ut apud Plinium constat virum Latinum, ideò non est opus in herbis ita temerè nomina immutare. Idem: Pimpinellam suspicor Dioscoridis Teucrium esse, & figura illi satis affinis est, imò vires quoniam lienosis & venenatis succurrit. Hæc ille. Nos Thryallidem Theophrasti, quam Gaza Bibinellam interpretatur, diversam existimamus à Dioscoridis Thryallide, sive Phlomide, aut Verbasco, cui non spica Plantaginis, qualem requirit Theophrastus. Nolumus etiam dicere Pimpinellam, sive Sanguisorbam esse Thryallidem Theophrasti: Teucrium, quod à Neotericis, ut Fuchsio, Cordo in Diosc. Matthiolo, Dod. gall. Lac. Lon. Lob. Cæs. & Castore, itémque aliis, proponitur, meliùs convenit cum Dioscorideo, quàm nostra Sanguisorba.

Gaza notatur. *Thryallis Theophrasti non est.*

Agricola confusus.

Pimpinellam Germanorum sive Saxifragiam, cum Italorum Pimpinella hac, sive Sanguisorba nobis videtur confundere Agricola: dicens: Brassavolo Thryallis non est Pimpinella, sicut Gaza in Theoph. vertit: Pimpinellam quidam Pampinulam, Bipenulam & Sanguisorbam vocat. Idem alio loco, Teucrium Pimpinella est. Idem rursus, Pimpinellæ nomenclaturam vide in dictione Teucrii: Manardus Saxifragiis connumerat, calculos enim comminuit, urinam suppressam ciet, stranguriam solvit, & venena peste infectorum arcet à corde.

Pimpinella Ital. Trago.

Quodnam genuinum Pimpinellæ hujus Italicæ (quod Pimpinellæ Italicæ primum genus vocat) & sequentis,

sequentis, nomen sit, scire nondum potui, inquit Tragus. In agro VVormatiensi & Spirensi, Bergots Bärtlein, h.e. Barbulam Dei, illas vulgò nuncupant, fortassis à spadiceo colore. Ego in ea aliquando etiam sententia, cùm Pimpinellæ similis sit, ad Apia referri posse, verùm multa sunt, quæ repugnant. Nec desunt, qui dicant eam esse veram Italicam, seu hortensem Pimpinellam, qui mihi certè neutiquam satisfaciunt, neque enim illorum sententiam probare possum. Hæc Tragus. Cur autem illorum improbet sententiam, qui Pimpinellam hanc Italorum esse censent, rationem non habet. Quandoquidem planta, de qua hîc agimus, à multis in Italia & Gallia excolitur nomine Pimpinellæ.

Apium.

Trag. refutatur.

Quum porrò ignoraret Fuchsius, quo nomine stirpem hanc veteres Græci & Latini (si modò iis cognita fuit) appellarint, maluit quidem vulgari uti nomenclaturâ, donec aliud certius nomen inveniatur. Interea tamen Elatinen esse judicaret, si folia pusilla, pilosa, & rotunda obtineret. Nunc qum neq; pusilla, neq; pilosa, neq; rotunda, sed mucronata esse videantur, certi statuere nihil potest. Sanguisorbam verò dictam esse ait hanc herbam, non quòd vulneribus injecta ferrum & spicula facilè & citra sensum doloris (ut habet Hermol. & ex eo Ruell.) exigat, ut nonnulli arbitrentur: id ipsum enim non posse, nimirum ob eam, quæ illi inest, adstringendi facultatem abundè ostendere: sed potiùs quòd ei in sistendo sanguine, undecunque emanarit, mira admodum insit efficacia, adeò ut hunc ipsum quasi absorbere videatur. Erroris autem hujus nullam aliam causam esse, nisi quòd hanc stirpem multi cum ea, quæ hodie Pimpinella Germanis vocatur, confundant: quæ certè propter caliditatem, quam obtinet haud exiguam, quandam etiam trahendi facultatem habere videtur, adeò ut infixa corpori extrahere facilè queat. Quòd verò cum Pimpinella confuderint non alio factum est nomine, quàm quòd hujus folia proximè ad Pimpinellæ folia (quæ iidem ut hæc serrata sunt) accedere videntur. Sed hæc confusio non caret errore. Germanis hæc herba Kölbles kraut / à capitellis, quæ rufescentibus punctis maculata sunt, dicitur: Quibusdam etiam à sistendo sanguine, Blutkraut. Bona pars Gallorum *Pimpinelle* eam vocat.

Contra Hermolaū & Ruellium.

Error multorum de spiculis extrahendis, unde procedat.

Si Corn. in Diosc. l.4.c.123. per Kleine Bibernell / Pimpinellam minorem, quam quosdam herbarum peritos hodie Polygalon esse velle scribit, Sanguisorbam intelligit, nobis erronea eorum opinio videtur.

Polygalon.

Sideritidem alteram, Pimpinellam in Italia dici, totam Græciam dictitare prodit Guiland. in Theone. Chios, Rhodios, Peloponenses, Corcyrenses, cæteros Pimpinellam, hodie Sideritidem nominare. Sed se nescire fatetur quod monstrum, magnus ille Amati peccatorum expiator, pro Sideritide afferat.

Sideritis altera.

Amatus notatur.

Cordus apud Diosc. Pimpinellam hanc Italorum, quam germ. Blutströpflein / h.e. Guttulam sanguinis appellat, rectè à Pimpinellis Germaniæ diversam ait. Hujus etiam duas esse species tradit, unam purpureo, alteram pallido, cùm floret, capitulo. Idem in Dispens. ad unguent. Mart. mag. Nicol. Alex. notat eo loci Pimpinellam non significare germanicam, h.e. Saxifragiam, sed Italorum, Sanguisorbam dictam, cuj radicem tribuit rubram, Tormentillæ sapore. Nasci in pratis unam ejus speciem, alteram in montibus: Italos acetariis miscere, habereq; Cucumeris odorem. A Cordo circa Pimpinellam in dicto Vnguento dissentit Fuchsius, qui Nic. Myrepsum non Italicam, sed Germanicam intelligere contendit, quòd hujus facultas in præsenti unguento acris potiùs, quàm alterius adstrictoria requiratur.

Guttula sanguinis.

Discrepantia autorum sententiarum circa Mart. Pimpinellam.

Fuchsium autem oppugnat Coldembergius his verbis: Fuchsius per Pimpinellam in Vng. martiato non Sanguisorbam Germanis vocatam, cum Cordo hîc intelligendam esse vult, idque ea propter, quòd adstrictoria sui facultate huic medicamento malè convenire existimet, quasi verò nihil unguentum hoc præterea recipiat, quod adstringat, atque etiam refrigeret. Cùm Italiæ multò priùs quàm Germaniæ unguentum illud innotuerit, Pimpinellam Italorum hîc intelligendam esse censeo. Adolph. Occo contra utramque admittit, non sine errore, nihil certi concludens, nec differentiam inter has fortassis agnoscens.

Vtraque admittitur.

Quomodo apud Græcos, aut Latinos sit appellata Pimpinella, inter autores non convenit, id quod partim ex dictis constat & partim ex mox dicendis patebit. Ruellius enim loco supra citato Elatines pampinatiæ, Cronenburgo etiam referente, germanum genus constituit: Brasavolus Dioscoridis Teucrium suspicatur: Sunt qui Tragium contendant, quàm autem verè, judicent, quibus est exacta rerum notitia: Falluntur qui cum Sanguisorba, Onochelon, vel Alcibiadion conjungũt. Tragus inter Apij genera Dioscoridis, jure maximo numerat, peculiariterque Petroselinum in Macedonia nascens, sive Apium saxatile, sive Petrapium judicat, cui Cronemburgius (cujus verba hîc recitamus) acquiescit.

Cronenburg.

Lapsus quorundam.

Meminit hujus Apollo Rad. in Elect. ad pestem, nomine Bipinellæ, quam testatur corruptè Pimpinellam, quibusdam Solbastrellam, aliis autem Sanguisorbam dici: perbellè pingi ab Hermol. 4. suo Coroll. cap. de Saxifrago, cujus speciem aliqui conjecerint, hanc tamen depilem esse, illam verò nequaquam: quumque Dioscoridis Teucrio, aliquantulum alludat, idem esse suspicari, alios Elatinem, quamvis revera vel antiquioribus incomperta extiterit, vel Syderitis altera Dioscoridis sit, de qua l.4. etsi Matthiolus à Luca Ghino, obrepticiam plantam sibi transmissam, latino volumini appingat: Bipinellæ tamen meminisse Theophrastum 7. hist. c.10. in jugis Crepacorianis.

Apollo.

Solbastrella.

Matthiolus notatur.

De hac loquuti sunt Monachi in Mes. dist. II. cens. 182. de mistura ad vulnera sananda. Pimpinella, sive Pampinulla, ajunt, herba est ita ferè cunctis viventibus notissima, sicut & priscis fuit incognita. Abundè recentiores de ipsa tractarunt: tamen nullus ipsorum valuit apud quempiam priscorum invenire. Vnde quasi omnes tenent hanc cum aliis pluribus veteribus fuisse incognitam. Quod quidem valdè mirandum est. Neque nos etiam hucusque potuimus ipsam apud aliquem antiquorum capitulare. Sed omissis aliorum omnium judiciis, nos putamus vel ipsam propriè Saxifragiam, vel speciem ejus esse. Nam & in saxosis libenter crescit, & ad calculos in vesica frangendos valdè efficax est, ut pluries experti sumus. etenim cùm plures sint Saxifragiæ species, inter eas non est absonum & Pimpinellam connumerare. A nonnullis etiam Sanguisorba appellatur. Et à Pandectario in litera F. Fillum Indicum, Pimpinella interpretatur. Fuchsius inter Sanguisorbam & Pimpinellam fecit differentiam, & utramque duplicem pinxit. Hæc illi viri reverendi, qui si discrimen inter Pimpinellas Italicas & Germanicas noverunt, cur non demonstrarunt, quàm Pimpinellam intellexerint. Pimpinellam Italicam nunquam crediderim dici posse Saxifragiam, multò minus calculos frangere in vesica, quicquid jactitent fallacem suam experientiam, & quod majus est, tantum abest ut adstringentem Sanguisorbam frangere calculos vesicæ credam, quia firmiter mihi persuadeo nullo medicamento posse frangi quod hactenus observare potuerim.

Monachi in Mes. Pampinulla.

Saxifragia.

Fillum Indicum.

Monachi refutantur.

Pimpin. Italica Matth. Sideritis tertia. Sunt (autore Matth. in Diosc. l.4.c.31.) qui Italicam Pimpinellam, tertiam faciant Sideritin, quibus ille haud adstipulatur: quippe quòd illi folia Coriandri non sint, nec eadem circa caules oriantur, sed pinnata, è longo utrinque pediculo exeant. Item quòd caules prædurοs gerat, non teneros, ac etiam quòd flores, capitulaque, nec amaro, nec lento gustu habeantur, sed adstringenti & austero. *Matth. notatur.* Sed Matthiolus in gustu sibi contrarius, ipsemet scribit mansam lentoris copiam præbere: Fuchsius quoque viscositatem præ se ferre prodidit. Matth. porrò c.36. refert quosdam Elatinen Dioscoridis dicere; sed sibi eam opinionem non placere: siquidem *Probatur Elatine non esse.* Pimpinella, aliàs Sanguisorba dicta, ramulis exeat longè pluribus, quàm senis (præter Dioscoridis mentem) in terram procumbentibus, & folia habeat undique in ambitu laciniata, Asterisci modo. Idem c.45. Pimpinellam aliam vocat, diversam à Pimpinella Saxifraga, Italis vulgò Solbastrellam nominatam.

Sideritis secunda Ang. Ang. epist.14. facit Sideritim secundam, Pimpinellam Italicam communem, ex opinione Hermodori Listarri, ac in Chia adhuc vulgò Sideritim vocari perhibet. Idem postea nominat Pimpinellam vulgarem, edulem in acetariis, ad cujus radices colligi ait Chermes quibusdam dictum.

Fracast. l.3. de contag. morb. c.6. ad curationem febrium, quæ Lenticulæ dicuntur, præscribit syrupum *Oenanthe Fracast.* de Pimpinella, quam ait ad Oenanthes genus referri posse, & appellari Oenanthillam. Nobis autem nondum constat, quâ ratione ad Oenanthes genus sit referenda.

Carol. Steph. in hort. Bipinnellam vocat, præterque hactenus dicta, ejus confractum caulem, veluti nervum quendam habere narrat, cujusmodi in Plantaginis folio confracto apparere soleat.

Lonic. notatur. Varia Synonyma. Lonic. qui non distinguit duas species, dicitur Pimpinella 3. & Pimpinella Italica, welsch Bibenell. Cast. Pimpinella sanguisorba. Gesn. cat. Elatine pampinaria: Eid. h. Pimpinella minor silvestris, quam in collibus siccis crescere tradit hirsutam modicè: Haberi & sativam lævem: non aliter, ut opinatur, quàm cultu à silvestri differentem, teneriorem, & acetariis expetitam; in quem usum, silvestrem adhuc teneram substitui posse concedit.

Pimp. minor Dod. gall. lat. verò Pimp. Sanguisorba. Dod. gall. hanc Pimpinellæ minoris titulo pictam dedit; lat. verò Pimpinellæ sanguisorbæ quæ non parum differat ab ea Pimpinella, quæ Saxifraga vocatur. Esse autem ait hujus duo genera, unam minorem, ut plurimùm hortensem; alteram majorem, *Duplex.* totâ naturâ silvestrem. Folia hortensi esse oblonga, ex pluribus ad unum pediculum congesta, quorum singularia subrotunda, ambitu crenata, nonnihil hirsuta: inter hæc caulem nō omninò foliorum viduum, aliquantulum striatum, in cujus fastigiis capitula rotunda, quæ exiguos flosculos purpureos, deinde angulosa proferat semina simul confracta. radicem subesse longam: odore hanc Pimpinellam peponem aut cucumerem aliquo referre modo. eam recentiores Pimpinellam appellare & ad differentiam alterius, Sanguisorbam, quamvis & seorsim Sanguisorba & Sanguinaria nuncupata reperiatur. Gesnerum *Sanguinaria. Peponella.* Peponellam dicere maluisse, à Peponum odore: Alios Pampinulam, aut Bipennulam, plerosque Solbastrellam nominare; Germ. Megelkraut/ Gall. *Sanguisorbe, Pimpinelle cultivée*, h.e. Pimpinellam hortensem: Angl. Burnet. Cæterùm cum altera Sideritide Dioscoridis, inquit, convenit; folium (& præsertim minoris hujus) simile est Trichomanis, quod *Sideritis 2. Diosc.* ex Filicum est genere, & [illegible] quoque appellatur: semen angulosum rotundius est, & durius quàm Betæ: respondent & reliqua, ac simul facultates, ut ex ipsa Sideritidis alterius descriptione satis manifestum. Potest verò & eadem hæc esse, quæ à Plinio *Sissitepteris Plinij.* l.24.c.17. Sissitiepteris in Persidè nominari traditur, quoniam hilarentur ea. Eandem & Protomediam *Protomedia* appellat, ac Casignete n, tum & Dionysionymphadem, *Casignetis Dionysionymphas.* quoniam vino mirè convenit; cui quoque hæc Pimpinella, suavem gratiam confert: Nec repugnat, quod de Sideritidibus alio loco Plinius egerit: Non rarò siquidem evenit, ut de eadem stirpe sub differentibus nominibus diversis locis agatur; quod tunc citiùs accidit, quando ipsis scriptoribus stirpes non satis notæ sunt: veluti Sideritidem Plinio non satis cognitam fuisse, vel ex eo apparet, quòd non nisi aliorum de hac sententias adferat.

Sorbastrella, unde dicta. Cæl. Pimpinella recentioribus vulgo apud nos Italos (inquit Cæl.) Sorbastrella, à sorbendo dicitur; nam sanguinem ex vulneribus sorbet & vulnera glutinat: in cauliculorum cacuminibus capitula ex granis congestis habet, quibus flosculi insident constantes ex quaternis foliolis herbaceis, media quadā lanugine rubra: fructus angulosi, asperi, duri, quibus bina semina continentur: radix unica est Raphano similis. Extant ejus aliquæ differentiæ magnitudinis & parvitatis. Fama est alicubi cum ejus radicibus vermiculum erui &c. Pimpinella sapore constat astringente, cum quadam dulcedine subacri. Apud Dio- *Tragium Diosc.* scoridem Tragium dici puto, quod secundo describit. folia in Autumno hircum redolent: unde nomen Tragij. Quamvis autem hirci odor in Saxifragia manifestus sit, quæ & Pimpinella ob foliorum similitudinem dicta est: facultas tamen astringendi & usus in cibis huic inest non Saxifragiæ. Hæc ille, *Cæsalp. notatur.* qui quamvis videatur discrimen facere inter Solbastrellam Pimpinellam, & Pimpinellam Saxifragiam, apparet tamen eum tribuere Solbastrellæ, quæ ei non conveniunt: sed potiùs Saxifragiæ Pimpinellæ nempe radicem Raphano similem & odorem hirci: planè etiam displicet opinio de Tragio: suspicamur omninò eum duas confundere Pimpinellas: præterea differentiæ Sorbastrellæ non solùm cōsistunt in magnitudine. De vermiculis ad Pimpinellæ radices nascentibus, in lib. de stirp. nat. pertractāvit Costæus, & nos H.n.g. lib.7. copiosè egimus. Adrianus autem Spigel. Isag. l.1.c.7. radicem Pimpinellæ in Polonia non vermiculos, sed granula quædam rubra, quibus lanæ purpureo inficiantur colore, proferre perhibuit.

Synonyma. Columna Pimpinellam vulgò Italis dictam, Sideritim secundam Dioscoridis credidit. Thal. Pimpinellam minorem passim in Hercynia nasci prodit. Cam. h. Pimpinellam sanguisorbam minorem nominat; ut & in hist. Matth. germ. In epit. Pimpinellam sanguisorbam. Textor l.1. de peste c.7. Bipennullam & Bipinnellam, eam verò non distinguit. Robert. Const. Myosotim Sylvij.

Pimpinella Lob. Lob. adv. p.320. Pimpinellam aut Bipinellam antiquis jure merito indictam dixit, vocarique germ. Blutwurtz/ i.e. Sanguinariam, vel Sanguisorbam. Idem tamen rursus p.332. videtur Sanguisorbam bipinellam Sideritim alteram Dioscoridis credidisse. Aut enim: Cunctas ejus partes si Dioscoridis conferas descriptioni, nihil planè deesse, nihilve superesse facilè intelligas: quin qui mecum sentiunt doctores, narrant etiamnum in Chio insula Sideritidem vernaculo adhuc superstite nomine dici. Senensem *Matth. insciti.* inscitiæ specimen dedisse clamant, ubi carpebat quosdam, qui Pimpinellam hanc, tertiam Sideritidem autumabant. Atqui nullum inscium putamus, qui facilè videat, cum tertia nihil prorsum, sed cum secunda penitùs quadrare Pimpinellam. In- *Lobel incertus.* constans Lobelius ipse inscitiæ notâ se defœdat, nunc concludendo, Sanguisorbam antiquis indictam, nunc quærendo, [illegible] etiam in Obs. p.440. in Sideritid

Sideritis altera Dioscoridis sit? Sed quid tergiversatur adhuc Sideritim alteram Dioscoridis asserere? si cunctæ, ut ait, Sanguisorbæ partes, Sideritidi alteri Dioscoridis adsint, nullæque supersint: Cur in Obs. p. 412. Pimpinellam & Bipinellam, Sideritim Ang. & Guillandini inscripsit, & non potiùs Sideritim alteram Dioscoridis? Cur in Ic. p. 718. simpliciter Pimpinellam?

Thryallis Theoph. Porta. Pimpinella nobis vulgo dicta, inquit Porta Villæ l. 10. c. 19. si divinare licet, θρυαλλὶς est Theophrasti, nam ejus interpres Gaza Bibinella vertit. Dioscoridis autem σιδηρῖτις τρίτη, quam Cratevas Heracliam vocat; Plinius spicatorum genus & Thryallidem. *Porta opinio damnatur.* Sed quis sanæ mentis Philosophus cum Porta concludat hoc modo? Interpres Thryllum Theophrasti vertit Pimpinellam, ergo est Pimpinella. Quæ quæso necessitas consequentiæ? Concedéine Porta tale Enthimema: Quidam te indoctum dicit, ergo es indoctus. Agnoscis credo errorem. Cum Sideride 3. nihil communis habere docent, præter Matthiolum & Lobelium utrorumque descriptiones.

Sanguis. minor Tab. Sorbaria minor. Pimp. sanguinarea Solbastrella montana. Tab. ic. dicitur Sãguisorba minor (ut & Schvven.) Sorbaria minor: Eid. hist. Sanguisorba minor, Sanguis. 2. Pimpinella Italica minor, Pimpinella sanguinaria minor, & Solbastrella montana; Germ. Klein welsch Pimpernell / klein Sperbenkraut / klein blut Kraut / klein Bergottsbärtlin / klein Kolblinß kraut / klein blutströpflein / & Megelkraut: Belg. Cleyn Pimpenelle: Gall. *Sanguisorbe* & *Pimpinelle*: Ital. *Pimpinella minore*, *Solbastrella* & *Strella minore*: Angl. Lytle burnet.

Pimp. minor Ital. & Gall. & Sanguisorba Germ. Clusii. Clus. Pimpinella minor Italorum & Gallorum, Sanguisorba Germanorum. Lugd. p. 1087. Pimpinella minor Mathioli. Bauh. phyt. Pimpinella 6. sive minor hirsuta; Pimpinella Italica 1. Tragi. Item: pimpinella 7. sive Sanguisorba minor lævis, cultu ab illa solùm differens. Eid. B. pin. Pimpinella 7. Sanguisorba minor hirsuta: Pimpinella Italica minor, Thal. Pimpinella silv. hirsuta, Gesn. h. Pimpinella hortensis, Ger. Sideritis 2. Diosc. minor, Col. hæc apud Monspelienses minor & valdè pilosa reperitur. Eid. rursus Pimpinella 8. sanguisorba minor lævis, Gesn. h. Culturâ solùm à priore differre videtur, cùm in usum acetariorum ab Italis in hortos seratur.

Locus. Invenitur hæc planta in limitibus agrorum aridioribus ac asperioribus: incultis item agris & campis, maximè verò iis, qui aprici existunt. Soli sc. expositis, unde colligit Fuchsius non esse Elatinen. Exit præterea petrosis & montosis asperis locis, veluti etiam in æditis, plærisque Bohemiæ, ac Belgij, *Tempus.* itémque Germaniæ locis, per Hungariam, Austriam & Styriam etiam in pratis, florens Majo & Iunio. In hortis quoque studiosè nunc seritur cibi gratiâ: quamvis quoque lucis & opacis affatim citra cultum erumpat. Ferrariæ quidem in hortis habetur magna copia, sicut etiam Monspelij, Lugduni & Patavij in horto Iesuitarum: Venetijs ad litus maris: Genevæ virens Hyeme: Basileæ in urbe ad fluvium Birsæ, & in pratis, ut circa castellum Hermes, florens Majo: Montbelgardi passim spontanea & hortensis: *Pedum calcatu nobilis evadit.* prope Masmünster in monte Roßberg. Pedum calcatu nobilis evadit, quo pressa Peponis odorem in nares ejaculatur, qui minimè olfactus sensum vibratus offendit, sed quadam jucunditate recreat. Pimpinellæ herbæ folia cum ramulis & seorsum semina servanda. In hortis semel sata diutiùs durat & ex semine se propagat.

VIRES ET USUS.

Tēp. Tragi. Alvum solvit. Profluvia restringit. Reliquum est, ut de Sanguisorbæ viribus agamus. Hæc planta, inquit Tragus, & sequens ad calidam accedunt temperaturam, quare adversus quotidiana alvi profluvia usurpari fortè possint. Tradunt nonnulli in supprimendis ac restringendis sanguinis profluviis, dysenteriis, aliisque alvi fluxionibus, necnō & muliebribus profluviis, esse efficacissimas stirpes, adeò ut quidam constanter asserant; etiam manibus gestatas sanguinem undecunque manantem sistere. id quod experiatur, quisquis volet. Nos etiam considerandum proponimus, an hæc & sequens planta non accedat potiùs ad frigidam temperaturam, quàm ad calidam: Schvvenckf. eam siccare tertio; refrigerare autem secundo gradu dixit. *Authorum conjectura de temperamento.* Quia autem gustantibus adstrictionem haud vulgarem ac viscositatem (authore Fuchsio. Matthiolo enim non est lento gustu) herba hæc præ se ferre videtur. Ea propter siccam admodum consistentiam nacta est, simúlque corpora contrahere, & constringere potest: atque adeò emplasticam, eò quòd glutinosa sit, facultatem obtinet. *Emplastica vis.* Ex his itaque abundè constat, utramque Sanguisorbam in restringendis ac supprimendis sanguinis profluviis esse efficacissimam. Experientia certè compertum est, ad muliebre profluvium sanandum nullum posse reperiri præsentius his stirpibus remedium. *Vulnera Carcinomat.* Glutinant etiam vulnera illarum folia, carcinomatísque & fistulis medentur. Generosum denique ac strenuum præsidium easdem esse ad dysenterias, & reliquos ventris fluxus, si ex aqua aut vino bibantur, nemini non notum est. Quid multa? Elatines herbæ, cujus hæ duæ stirpes genus esse videntur Fuchsio, iis facultates earum attribuit. *Error moll. torum.* Quare toto cœlo errant qui herbas has cum Saxifragia confundunt, à quibus, viribus longè distant, teste etiam Matthiolo, qui hanc gustatam non leviter adstringentem percipi refert, & mansam lentoris copiam præbere, glutinare, siccare, resolvere & cohibere. Vnde facilè conijcitur eam esse adstrictoriæ facultatis. Hinc itaque fit ut præter quod sanguinem undecunque manantem, etiam biliosas vomitiones reprimat. *Vomitio biliosa.* Herba ipsa vulnera & ulcera sanat, miscetúrque unguentis, quæ tum ad capitis vulnera, tum ad carcinomata parantur. Natat sæpè in poculis vino repletis, quod gratiam quandam, jucunditatémque potantibus afferat. *In poculo.* Hæc Matth. Curtius contagiosis pestilentibúsque febribus maximè commendavit. *Febres pestil. Brassav. Lienosis.* Brassavolus autem lienosis succurrere & incipientibus ascitis proficere prodidit. Ego tamen non facilè præscriberem in liene indurato: plurimum siquidem adstringit: an porrò utilis in ascite & qua ratione considerandum. Non suaderem præterea statim ab assumpto veneno exhibendam: verùm si dysenteria à veneno orta diutiùs perseverarit. Möttus in Anasceve morb. cap. de phthisi meminit *Phthisis.* Electuarij de Pimpinella Sardi, quam fieri ait ex pulvere foliorum cum melle vel saccharo, de quo ægroto sumendas præcipit omni manè Drach. duas cum Vnc. tribus aquæ Pimpinellæ recens destillatæ. Per Pimpinellam autem Sardi nos intelligimus Sanguisorbam. Modum Sanguisorbam administrandi sequentibus docuit Dodonæus. *Temp. Dod.* Sanguisorba Pimpinella, aut Peponella, inquit, præter eximiam exsiccandi ac astringendi facultatem, refrigerat quoque mediocriter: habet verò & minor superficietenus quandam leviter odoratam & temperatam qualitatem, quam in vinum injecta deponit: hæc necandæ herbæ adest, nec succo, aut decocto communicatur. *Vulnera.* Ad vulnera autem Sanguisorbæ vis singularis est (quod & de Sideritide altera Diosc. asserit) & à quàm plurimis laudata: sanguinem supprimit, Sanguisorbæ inde nomen accepit) æquè intro ac foris adhibita. Datur autem vel succus, vel decoctum, vel ipsius herbæ foliorum aridorum pulvis: foris secus contusa imponitur, vel aliis externis remediis admiscetur. Poculis tandem herba virens gratiam conciliat inter bibendum, sapore & odore aromatico & vi-

noso, quodammodo Melonis: nec minùs in acetariis expetitur: ex oleo namque sale & aceto à Belgis, Anglis, Gallis & Italis non insuaviter editur minor, quibus ad hilaritatem facere creditur. Peramica porrò visceribus, hepati, cordi, & præsertim spiritibus perhibetur: magnæ commendationis etiam ad pestilentes morbos, ut cujus succo etiam abigantur febres exitiales. Astrictoria vi & exsiccante pollet, citra mordacem vellicationem: eòque internis & externis sanguinis eruptionibus opitulatur. Fernel. 4. m. m. 5. Pimpinellam ad virulentarum bestiarum ictus commendat. Lib. autem 5. cap. 20. calidam siccamque ordine secundo, abstersionis, adstrictionisq; participem ait, ac tabidis aptissimam: cruentas excreationes sistere, sordidas ac purulentas expurgare, ulcera detergere, mirificè siccare, & agglutinare. His addit cap. 25. ex vino potam calculos terere. & stranguriam decoctam juvare. Libro 6. cap. 13. hæc habet. Pimpinellæ folia tusa aut etiam cocta, si apertam venam attingant, protinus sanguinem sistunt, quod & radix luculentiùs efficit: eadem quovis modo sumpta sanguinis vomitiones excreationésque supprimunt: subdita verò mulierum purgationes, hæmorroidásque cohibent. Ex his Fernelij verbis apparet ipsi non fuisse notam differentiam inter Pimpinellam hanc Italorum seu Gallorum, quę Sanguisorba dicitur, & Germanorum, quæ Saxifragia hircina vocatur, de qua antè. Ictibus virulentarum bestiarum nolim applicare Sanguisorbam: ea non abstergit, nec expurgat sordidas & purulentas excreationes, calculos non terit. hæc omnia referenda ad Germanicam Pimpinellam: cætera verò quæ de Pimpinella scribit, conveniunt Gallicæ. Apud F. l. Platerum sunt qui Pimpinellæ succum in febre hectica commendant. Quo loco ego Sanguisorbam intelligo, quamvis ipse Pimpinellam in alia significatione sumat, ubi ad pestem utramque præscribit: in hectica enim usque adeò calida & sicca radix, ut Saxifragia, non convenit. Platina quoque confundens duas Pimpinellas, Italicam & Germanicam, malè Italicæ caliditatem tribuit, ac lapides comminuere dicit lib. 4. de honesta voluptate & valetudine, vel de obsoniis, & arte coquinaria cap. 10. de conditura Pimpinellæ. Pimpinellæ, inquit, quæ & Bibinella græcè dicitur, vis calida & sicca inest. Ob hanc rem tardè concoquitur, voluptatem edentibus affert. Collecta ac lota in patinam, ac suomet caule, si tenera est, reponi debet, sale, oleo & aceto conditi, si prædura fuerit, folia tantùm sumantur. Aperit hic cibus jecinoris fibras, urinam provocat, ac lapides, ut Saxifragia, non tamen adeò comminuit. Sequens remedium jactatur tanquam certum ad urinæ incontinentiam, quod recipit Manipul. quatuor Pimpinellæ, qui coquuntur ad tertias in vini boni phyalis quatuor, & datur bibendum ægro. Idem secretum hop ait ad quartanam expertissimum. Æstate sumit Manip. unum Pimpinellæ, verno tempore radices cum foliis præsentibus, tenuiter incidit, coquit in aquæ mensura ad tertias, dat per triduum ingnè haustum tepidum, & affirmat, non sensurum ægrum paroxysmum, expertúmque esse in multis personis. Palmerius de morsu canis rabidi, Henrici 2. Galliarum regis venator bona fide asseveravit Pimpinellam ad præcavendam hydrophobiam tantam vim obtinere, ut quicunque eam aliquot diluculis, vel in acetariis, vel alio quovis modo apparatam comederit, nihil inde incommodi sentire possit. Purpuram incomparabilem ex vermiculo ad radicem Pimpinellæ & Sanguisorbæ, quidam carmesinum appellat colorem; fieri perhibet Gesn. Aquat. lib. 4. De aquæ hujus stillatitia, syrupo & conserva consule Tabernomontanum.

Amica viscerum. *Ictibus bestiarum virulent.* *Tabes.* *Calculi.* *Stranguria.* *Sanguinem sistit.* *Fernelius non novit discrimen inter Pimp. germ. & italicam.* *Febris hectica.* *Pimp. Platero appugnatur.* *Platina deprehensus.* *Urinæ incontinentia.* *Secretū ad quartanā.* *Ad præcavendam hydrophobiā.*

SANGUISORBA MAIOR flore spadiceo.



Descr.

TOTO vultu cū Pimpinella sāguisorba minore convenit: verùm folia, quæ novena, aut undena ad unam costam alligantur, plusquam duplo sunt majora, Betonicæ foliorum æmula, profundè serrata, glabra, odore & sapore eodem cum minore: caules verò ex radicibus fibrosis bicubitales & altiores assurgunt, læves, striati: capitulum oblongum: a flosculis favaginelis spadiceis quadrifoliis, apicibus cor coloribus contextum.

Pimp. It. altera Tragi. Planta à nobis hîc exhibita & descripta, est Pimpinellæ Italicæ genus alterum Tragi præcedenti per omnia simile, sed elegantius planè atque grandius, floribus spadicei coloris.

Sanguisorba major, Fuchsii. An bene hæc tradatur à Fuchsio, qui Sanguisorbam vocat majoribus foliis ac longioribus, coliculis tamen tenuioribus, aliis dicendum relinquimus.

Synonyma cætera. A Cordo vocatur Pimpinella Italorum capitulo purpureo. Matth. in comm. cum mag. fig. Pimpinella major. In comm. apud Bauh. Pimpinella 2. sive Sanguisorba major. In hist. germ. cum addit. Cam. Pimpinella Sanguisorba major (ita etiam vocat Cast. & Cam. h.) In epit. ejusdem, Sanguisorba, seu Pimpinella major. Lugd. p. 787. Pimpinella sive Sanguisorba major Matthioli. Dod. gall. Pimpinella major: lat. in fol. Pimpinella silvestris, Sanguisorba major, capitulis obscurè purpurascentibus, odoris gratiâ destituta. Gesn. h. Pimpinella major. Clus. Pimpinella Italorum & Gallorum major, Sanguisorba Germanorum. Bauh. phyt. Pimpinella 5. sive Sanguisorba 1. Eid. B. pin. Pimpinella 6. sanguisorba major: Pimpinella Italica major, Thal. Sanguisorba major, Cord hist. Pimpinella syl. Ger. Sideritis 2 Diosc. major, Col. Schvvenckf. Sanguisorba major, ut & Tab. apud quem hæc reperiuntur nomina. Sanguisorba 1. vel major vocatur à Botanicis & Medicis Solbastrella major, Sorbastrella major, Sorbaria major, Sorbus pumila major, Barbula Christi major, Solbastrella pratensis, Sanguisorba pratensis, & Pimpinella sanguinaria major. Pimpinella verò nominatur, quoniam Itali pro Pimpinella, hac utuntur. cætera nomina accepit ferè omnia, ab Ariæ Theophrasti foliis, quæ hujus foliis similia sunt. Germ. vocatur groß Sperbenkraut / groß blut kraut / groß welsch Pimpernell / groß Kölblinkraut / groß bluttröpflin / & wurm wurtz / quod ulceribus vermiculosis equorum medeatur: reliquas appellationes à similitudine foliorum Pimpinellæ Saxifragiæ sortitur, & à sanguine sistendo: sed appellatur etiam Drachenblut / h. e. Sanguis Draconis. Belg. groote Pimpinelle / Ital. *Pimpinella, Solbastrella*. & in Hetruria Alex. Benedicto teste, *Strella*. Gall. *Sanguisorbe grande & Pimpinelle grande* Angl. great Burnet / Bohemicè Krwawe Korenij.

Nomenclatura varia.

Lobelius

Sanguisorba altera maior, Lobelio. Lobelius Sanguisorbam alteram majorem sive Pimpinellam, pictam dat in Obs. p. 412. in Icon. p. 719. De ea autem hæc ejus est opinio in Advers. Hæc tametsi natalibus differt, & plus quàm cultu, contra quàm nonnulli arbitrantur, tamen quanta est major multò, sic similima est. Folium interdum Betonicæ par: in alis & caule dudum, triúmve pedum alto: capitulis item iisdem, sed longioribus ruffescentibus, semine anguloso, triangulari.

Locus. Fuchsius, uti ante retulimus, scribit Sanguisorbam majorem nasci locis incultis, & aridioribus, & soli expositis. Sed quàm bene facilè erit us, qui eam sæpiùs collegerunt, indicare. Pinguia & lutosa prata ac palustria magis amare, & non modò apud Mediomatrices, sed & in Germania, Bohemia, Hungaria, & aliis locis potiùs crediderim, quamvis & Tragus quoque & Clusius in aridioribus etiam locis provenire tradiderint. Observavi Burmij in Tempus. Rhætia & Tiguri florentem Iunio & Iulio, itemque Augusto.

Vires & usus. Huius vires licet videre in præcedentis Sanguisorbæ historia. Eadem enim, ut vult Matthiolus, utrique facultas, sed hortensi, juxta Lobelium, gratior & potior. Is tamen suavem & majorem vino mersam meminit in Angliæ Northamptoniæ. Flos dysenterico opitulatur. Schvvenckf. particulatim florem hujus siccum pulverizatū ex vino dysentericis opem ferre prodidit.

PIMPINELLA SANGVISORBO inodora.

HÆc à Sanguisorba minore vulgata, differt foliis & odore: nam in hac folia longiora sunt, quæ in illa magis rotunda; sunt in hac inodora, in illa odora. Hanc Pimpinellæ minoris hispanicæ nomine Gillenius misit C. Bauhino, cui est in pin. Pimpinella. 9. sanguisorba inodora.

APIVM MAGNVM, SIVE HIPposelinum, ex veterum sententia.

CAP. L.

HIpposelinum, ut refert Dioscorides, alij Grielon [γρίελον] alij Apium agreste [ἀγριοσέλινον] alij Smyrnium vocant, quum tamen aliud sit, quod propriè Smyrnium dicitur, velut suo loco dictum Smyrnium. fuimus. Est autem grande Apium, eodem autore, majus & candidius, quàm Apium hortense, cujus caulis cavus, altus, tener, velut lineas habens: folia verò latiora, subpunicea: in quibus est coma, velut Rosmarini [ὡς λιβανωτίδος. vet. non habet] flore plena, in Diosc. varie illustratur. corymbis priùs quàm efflorescit, compacta. Semen est nigrum, oblongum [ἐπίμηκες. vet ...] solidum, acre, aromati olens. Radix odorata, alba [λευκή. vet. λεπτή] esu grata [ἰοῦσα. Cat. ...] & Lac.]non crassa [... vet. non legit] Nascitur in locis umbrosis & juxta paludes. Oleris modo editur, velut Apium. Sed & radix tum cruda, tum Usus. coꝺta editur. Et folia cum caulibus coꝺta eduntur: & tum per se, tum cum piscibus præparantur. Sed & cruda muriâ condita servantur. Vim ducendi Vires. Menses ducit. menses semen habet in vino mulso potum. Calefacit etiam rigore prehensos, tum potum, tum illitum. Vrinæ quoque stillicidio opitulatur. Et Vrinæ stillicidium. radix eadem facit. Hipposelinum Latinis vocari Olus atrum ait Plin. l. 20. c. 11. his verbis. Olus a-Plinius. trum, quod Hipposelinum vocant adversatur scorpionibus. Poto semine torminibus interaneis medetur, itemque difficultatibus urinæ semen ujus de-Tormina. coꝺtum ex mulso potum. Radix ejus in vino coꝺta calculos pellit, & lumborū ac lateris dolores. Canis rabiosi morsibus potum & illitum medetur. Succus Calculos pellit. ejus algentes calefacit potus. Cæterùm, hoc in loco Plinius algentes dixit, quos Dioscorides ῥιγῶντας, i. e. frigore, aut rigore prehensos. Nam de utrisque in-Plin. dilucidatur. telligi posse videtur, tū his qui ab externi frigidi aëris conversatione frigus contraxerunt, tum his qui rigorem, febres maximè tertianas, præcedentem, & cum ipsis irruentem habent. Est autem hic rigor majus quiddam horrore: sicut horror majus quiddam frigiditate.

Plinius Buselinō tanquā ab Hipposelino diversum habet. Idem l. 19. c. 8. ex Theoph. Olus atrum miræ naturæ esse ait. Hipposelinum Græcos vocare, alios Smyrnium. E lachryma caudicis sui nasci. Seri & radice. Succum ejus qui colligant, Myrrhæ saporem habere dicere: autoremque esse Theophrastū Myrrha satā natum.

Galenus. Galenus 2. de aliment. nō Hipposelinū, sed Smyrnium Romæ Olus atrum vocari dicit. Idem Hipposelini & Oreoselini similem Apio vim esse ait, sed debilius Hipposelinum, robustius Oreoselinū esse. Verùm ampliùs addit idem lib. τῶν κατὰ τόπους bullas in alopecia excitatas noctu, inanè compunctas Buselini foliis integendas esse, ex Archigenis traditione.

Theophrastus passim de Hipposelino hæc prodit. Perpetuò viret in suffruticū genere Equapium, cacumine perdurans amissis reliquis, radice carnosà. Equapium [ἱπποσέλινον] à Paludapio & Montapio Equapium Theoph. tam distat, quàm ab urbano plurimùm differt. Folio quidem vicinum Paludapio est, sed hyrsutum [& sic etiam δασύ vertit Cæsalp. alij tamen vertere densum] & grandi caule constat, & radicem crassam modo Raphani agit, nigram: fructū quoq; nigrum producit, magnitudine Ervo [ὀρόβου] ampliorem: ambo utilia referunt ad urinæ difficultates ex vino dulci albo, & ad pellendos calculos. Nascitur omnibus locis, & lachryma ex eo similis Myrrhæ defluit. Lachrymæ autem ejus in radice consistit, ut & Scammoniæ, & aliorum multorum, vim medicam gerentium. Equapij ergo lachryma Myrrhæ similis constat quamobrem cum quidam hunc nasci Myrrham audivissent, Equapium apud se procreare putarunt. Seritur Equapium etiam suā lachryma [...] Non intelligimus quid velit Theophrastus per seritur ... considerandum an hic aliquis error.

Figmentum quorundam. Crediderunt autem, ut Marcello videbatur, nonnulli Equapium Hipposelinon vocantes fieri in plantis à natura posse, quod fabulosè à Poëtis aliquādo ad delectationem fictum est, ut, quemadmodum illi in Thessalia hippocentauros, equis insitos homines, duplici natura, ut Lucretius ait, & corpore bino, ex alienigenis membris compactos finxerunt, sic nos non dissimili ratione in hortis etiam nascentes aliquot plantas, equis insertas, audientes saltèm admiraremur, crederemusque Hipposelinon hoc ab equis aliquid habere, unde portentoso, & ut in hippocentauris, admirabili nomine, etiam nostrâ ætate judicarentur, essetque quasi equestris planta, Equapium hoc. Quòd si verò humilior fuerit hæc planta, nec supra congeneres sibi, aliùs à terra se erexerit, non malè forsitan (si jocari Iocus Marcelli. aliquando liceat) ex tractata aptiùs venere, eam sic nominis notam, licet ex turpi re, invenisse aliquis dixerit. Siquidem Martialis non semper pius vates, nec ubiq; Phœbo digna locutus in Epigrāmate suo jussit parvas & brevi corpore amicas ad venerē vehi equo: subjecit q; statim longissimam nunquam Chebaidem hectoreo nuptam resedisse equo: sed quoniam congeneribus suis omnes grandiores sunt, nullamque more hominum venerem exercent, nec possunt diversi generis duo simul in natura coalescere: cogitandum constituendúmque, quia

grandes ſint & comparatæ congeneribus ſuis longo intervallo eas ſuperent, ideò ſic quondam appellatas fuiſſe. Conjuncta enim illis Hippo græca vox, *Hippo.* quæ in communi ſignificationis æſtimatione equum indicat non id animal, ſed ab eo, magnitudinéque eius, proceriorem in illis altitudinem ſignificat. Nec quia Hippoſelinon commune, ſimile, *Hippoſelinũ unde dictũ* conjunctúmve, aut neceſſarium equis aliquid habeat, ſic dictum à Græcis fuit. Verùm quia altitudine congeneres ſibi plantas ſuperaret, id nomen invenit. Significare autem proceriorem habitum, & majorem altitudinem, Hippo Græcorum vocem, præter rem ipſam Æſchylus in tragœdiis autor eſt, qui ad augendam rerum & carminis ſui majeſtatem Hippactos, Hippalectrionas, aliáque hujuſcemodi multa finxit grandes aquilas, grandéſque gallos tantùm vocibus illis indicans. Teſtis Ariſtophanes in fabula quæ inſcribitur ranæ ῥήμαθ᾽ ἱππόκρημνα dicens, i.e. verba rupium modo grandia: & ῥήμαθ᾽ ἱπποβάμονα: i.e. voces equeſtres & ideò grandes: ob id ſc. quòd qui vehuntur equis, altiùs à terra ſeſe extollunt. Teſtis itidem Sophocles in furioſo Ajace: is enim tragœdiæ titulus eſt, in qua Chorus loquitur: μεγάλαι φῆμαι κατέχουσι ἡμᾶς ἐπὶ δυσκλείᾳ σὲ τὸν ἱππομανῆ &c. quâ voce grandem hominis furorem ſignificavit & ſupra modum furentem hominem: id enim ea vox poteſt. Quam vim videtur habere etiam Maronis in Georg. & Theocriti in pharmaceutria Hippomanes: nec aliter, quàm adjectivi nominis modo, quod grandem furorem faciat, indicare. Ex qua ſignificatione Marcellus grande Apium, Hippoſelinon hoc *Apium grande.* dixit: monente id etiam re ipsâ. Siquidem comparatũ aliis hoc Apium arboreſcit. Et hæc ratio nominis in Græcis eſt, & non ab equo derivata, ut Gaza credidit, qui Equapium id dixit. *Equapium* Latini à radicis colore nomen Hippoſelinon fecerunt Olus atrum vocantes; quemadmodum omnes Smyrneum à ſimilitudine Smyrnij. *Olus ſmyrneum* Qui agreſte Apium id nominaverunt, nõ aliâ ratione, quàm quòd agreſtia & erratica *Apium agreſte.* in generibus aliquibus altiùs ſativis extolluntur. Deerat tandem in lectione Dioſcoridis adverbium *Dioſc. lectio reſtituta.* ἔνδον, quod intus ſignificat, ſenſu & re ipsâ id indicantibus: foris enim nigro, intus candido colore grandis Apij radix eſt: unde & Romani Olus atrum *Olus atrũ. Olus pullũ. Columella.* eam vocaverunt, ut Plinius; Columella Olus pullum; Gaza barbarè Equapium: interpres Nicandri *Kopſium. Anacreon.* in Ther. ut Rob. Conſt. in Lexico retulit κόψιον & Anacreon vocari.

Angulocca. Smyr. Creticum; Cæterùm, Smyrnium perfoliatum, ſive Creticum, Hippoſelinum agreſte Galeno 8. ſimpl. vocatur.

Macerone. Dicitur Hippoſelinum de Macerone, ut ſuo loco dicemus.

Liguſticũ. Hippoſelini loco Matthiolus pingit Liguſticum vulgare.

Tragus l. 1. c. 144. ait Theophraſtum l. 9. c. 1. inter *Smyrnium.* ſuccos plantarum Hippoſelinum, vel, ut Gaza transferat, Equapium nominaſſe & hoc Smyrnion Galeni & Dioſcoridis eſſe, pro quo is Imperatoriam *Imperatoria.* picturâ expreſſit.

Angelica. Teſtatur Io. Agricola Hippoſelinon non eſſe Angelicam, quod opinari Braſſavolus refert.

Spõdelium. Spondilium, quod Tragus Brancam urſinam Germanorum vocat, Hippoſelinon Theophraſti eſſe falsò credidit.

Smyrnium Lacuna tandem prodidit Theophraſtum confudiſſe Smyrnium cum Hippoſelino.

LIGVSTICVM VVLGARE foliis Apij
Cap. LI.

Deſcr. VVLGARE Liguſticum caulem habet hominis altitudinem excedentem, craſſum, geniculatũ,



cavum, ſtriatum; folia pedalia & ampliora, in alas diviſa, quarũ extremæ diviſiones ad folia Apij paluſtris aliquatenus accedũt, ſed longè majores, obſcuro virore ſplẽdentes, odore valido: rami umbellas gerunt amplas florum luteorum; ſemen majuſculum compreſſum: radix eſt craſſa, rugoſa.

Hæc eſt illa plãta quam Ruell. Leviſticum officinarũ vocat, & Liguſticũ antiquorũ eſſe non abſque ratione negat, licèt ſimillimam naturâ eſſe ſcribat. *Liguſticum antiquorũ non eſt.* Brunfelſ. & Cornarius Leviſticum appellarunt, ac cum Liguſtico Dioſcoridis & Galeni gravi errore confundũt. *Error Brũfelſij & Corn.* Ejuſdem etiam opinionis Tragus eſt, licèt deſcriptionem in Dioſcoride non in totum convenire cum noſtro Liguſtico fateatur. Sunt qui putent Cheiſmi, ſeu Keiſmi Arabum eſſe Leviſticum. *Cheiſmi Arabum.* Alij alia quoque nomina Leviſtico tribuunt, nimirum Thalaſpium. Thalapis, & Scandilatium. *Thalaſpiũ. Thalapis. Scãdilatiũ.* An autem hæ nomenclaturæ huic Liguſtico conveniant, aliorum eſto judicium. Dorſth. putat quoſdam plantam noſtram non abs re Panariam ſive Panacem vocare, *Panaria. Panax.* quandoquidem & radicem; & caulem, & vires Herculeo Panaci ſimiles eſſe ſibi imaginatus eſt. Quod quàm erroneum ſit, facilè cuivis patet.

Lapſus multorum. Eos porrò apertè falli, vel Matthioli fert opinio, qui herbam vulgò hodie Leviſticum nominatam, putant eſſe Liguſticum à Dioſcoride repræſentatũ, quòd Galenus vnius literæ mutatione Libyſticũ appellavit. Siquidem Liguſticũ Dioſcoridis caule aſſurgit tenui, & foliis Sertulæ campanę ſimilibus. Hoc verò caulem habet hominis altitudinem excedẽtem, &c. Is autem Hippoſelinum legitimum cenſet, *Hippoſelinũ legitimum, Matth.* addens alibi Fuchſium deceptum: quippe qui legitimum Hippoſelinum Leviſticum vulgò vocatum, Smyrnij loco depinxerit. *Fuchſius notatur.* Ἱπποσέλινον id græcè vocari, quod etiam latinè Hippoſelinon: Arab. *Sàlis.* It. *Hipposelino*: Germ. Liebſtöckel. gall. *Ache & Ache large.* In hiſt. germ. addit vocari Groß Eppich; Hippoſelinum vulgò Leviſticum. Sed Hippoſelinon, vulgari huic Liguſtico non conſentire, vel ex nuda ſeminis figura doceri atque convinci poteſt. *Matth. refutatur à Guilandino.* Guilandinus in Theone ſtirpem hanc Theophraſto Libanotidem dici retur: *Libanotis Theophraſti Guiland.* etſi interim non deeſſe ſciat, qui Silphion eſſe defendant, numiſmatum antiquorum auctoritate roborati, quam equidem ſententiam nec probat, nec rejicit. Quin & Geſnerus ſe audiviſſe refert Silphij plantam in Africa huic ſimillimam inveniri.

Ang. in Italia herbam eſſe peregrinam Leviſticum ab aliis Hippoſelinum, ab aliis Smyrnium dictum, credidit. Idem etiam horum deſcriptiones non convenire teſtatur. Laſerpitij ſpeciem eſſe concedens, è monte Parnaſſo, cujus meminerit Theophraſtus. *Laſerpitij ſpecies, Ang.*

Lob. adv. p. 311. cenſuit eſſe Laſerpitium germanicum, *Laſerpit. german. Lob.* idemque cap. de Hippoſelino vocans Leviſticũ vulgare. Matthiolũ increpat; qui hanc Hippoſelinũ, ſive Selinũ majus fecerit. In obſ. p. 401 addit eſſe

Laserpitium Dioscoridis Guilandini, dubitatque an Laserpitium Theophrasti Anguillaræ.

Laserp. verum Tab. Tab. olim etiam existimavit esse Hipposelinum Dioscoridis, Roß Eppich: sed postea conclusit verum Laserpitium, si non Dioscoridis, saltèm speciem: nam convenire ait cum descriptione Theophrasti l. 6. hist. Facultate etiam non cedere vero Laserpitio: esse itaque Theophrasti σίλφιον, Hippiatris λασάρπιτιον, Laserpitium Gallicum Ruellij, Herb. Laserpitium Europœum, Laser Gallicum, Silphium Europœum, Laserpitium Germanicum, Levisticum seu Lybisticum adulterinum.

Levisticinomen unde adeptum Libanotis fertilis Theoph. & Plinij. Levisticum vulgò appellatur, quia pro Ligustico aliquando accepta est, inquit Cæsalpinus. Censet hic apud Theophrastum Libanotidem fertilem esse [Rosmarinum fertile vertit Theod.] & Rosmarinum alterum Plinij, cuj & caulis, & semen resinaceum, quod Cachrys vocatur.

Synonyma. Ruell. dicitur Levisticum officinarum: Brunf. Levisticus: Matth. Dod. in fol. lat. Lac. Gesn. & Cam. h. itémque epit. Matth. (ubi & Hipposelinum) Cæs. & Bauh. phyt. & apud Matth. (Apium sextum facienti) Levisticum vulgare: Fuchs. Libisticum vulgare. Eid. B. pin. Libanotis 7. Ligusticum vulgare: Dod. gall. Gesn. & Camer. h. ut etiam Guil. Ligusticum vulgare: Cordo hist. & Trag. Ligusticum sativum. Lob. adv. p.313. Obs. p. 401. Icon. p. 703. Levisticum, Germanicum Laserpitium: Tab. ic. Ligusticum Laserpitium adulterinum: hist. Ligusticum adulterinum: Cam. apud Matth. germ. Hipposelinum vulgò Levisticum: Lugd. p.703. Hipposelinum Matthioli, sive Levisticum vulgare: Smyrnium, Fuchs. in fol. & Lac. Levistici loco habita herba, Ang. Ger. Laserpitium, qui iconem ex Tab. habet.

Nomina linguarum. Auctor porrò est Tabern. vocari Germ. Liebstöckel / & Badkraut / quòd in balneis hoc usurpari plurimùm soleant: Belg. Lavetsche / Lavetse / & in Holandia Lavas: Gall. *Livesche*: Angl. Louage: Hung. Levesticon.

Locus & tempus. Ligusticum vulgare hactenus tantùm in hortis observavimus, utpote loca pinguia & humentia nonnihil amans. Æstate floret; Augusto magna ex parte semen ad maturitatem pervenit: primo Vere germina erumpunt. Pona in monte Baldo ait reperiri Smyrnium Lacunæ. Semen quod accepi à fratre C. Bauh. sub inscriptione Sileris montani Bononiæ, satum Montbelgardi in horto E. C. produxit Levisticum.

Vires et usus.

Temperam. Trago. Venenum propulsat. Ligusticum ex ordine exsiccantium & excalfacientium esse prodidit Tragus, & ad venena propulsanda utilissimum, non minùs atque Angelicam. Ejus porrò radicem siccatam ac in pulverem redactam, condimentum esse optimum, quo cibi codiantur, non minùs atque Piper. *Condimētū Stomacho utilis radix.* Utilem esse Stomacho frigido, concoctionem adjuvare, omnésque superfluas humiditates consumere: internos sedare dolores in vino potam pondere dimidiæ [integræ, Tabern.] drachmæ: venenum educere, urinam & menses trahere, & ad omnia, ad quæ Angelica facit, usurpari posse: *Angelica par in operationib.* Aceto & sale conditam conservari posse, uti Helenij, aliarúmque herbarum radices. Tusam ac impositam (ceu & semen) ictibus atque morsibus serpentum, viperarum, aranearum, scorpionum, & canis rabiosi mederi, dolorem namque mitigare & venenum educere. *Ictus animalium venenatorum.* Ligusticum adhæc insessionibus & balneis adhiberi utiliter, ad ciendam urinam, calculos ac menses, nec non ad excalfacienda omnia interna membra. *Urinam ac menses ciet. Puerperas à partu purgat.* Puerperas hujus herbæ radices, folia, & semina in cibo & potu suo usurpare debere, & balneis sudatoriis suis adjicere: ut à partu rectè purgentur. *Aqua destillata.* Aquam distillatam discutere, & sanare anginam, & pleuriticum morbum, gargarissatam & potam: *Angina. Caput & guttur tumens.* impositam tumenti capiti utilem esse, & gutturi vulnerato apprimè conducere gargarissatam: claram reddi & puram faciem, & vitia cutis deformis ac nigræ maculis & sugillata, cicatrices etiam à scabie & abscessibus relictas, extergi & emendari, si ex aqua per aliquot dies colluantur. *Facies clara.* Eandem ad oris & colli, ani & locorum muliebrium exulcerationes & vitia utilem esse, si lineis pannis aqua affectis partibus imponatur. *Exulcerationes.* Anginam etiam sanari Ligustico, si per caulem ejus continuò bibatur. Est Levisticum, autore Dodonæo, & radice & semine excalfaciens ac resiccans ordine tertio incipiente, & tenuium admodum partium. *Temper. Dodon.* quo fit, ut aperire, incidere, digerere & provocare valenter possit: perinde ac Selinorum genera, inquit Matthiolus. Dodonæus porrò radicem siccatam cum vino bibitam ventriculo prodesse scribit: crudorum item humorum concoctionem promovere, ac præter cætera sudores elicere: *Sudores movet.* semen eadem posse, ac præter alia adversus uteri strangulatus prodesse. Non piget ea latino sermone reddere, quæ Tabern. germanico idiomate de hujus facultate & usu scriptis confirmavit. *Temper. Tabern.* Suavis odor herbæ, inquit, radicis, floris, & seminis; ad hæc etiam validus & acris sapor Ligustici adulterini, satis ostendunt, id calidæ & siccæ naturæ, proprietatisque esse in tertio gradu. Surculi novelli, Vere prorumpere soliti, in cibis à quibusdam assumuntur, & præsertim in acetariis. *Novelli surculi in cibis sumuntur.* ventrem autem emolliunt, viscosósque humores educunt, ac serosos. *Alvus duca.* Radix quovis modo usurpata oppilationes reserat hepatis & lienis: *Oppilationes.* resistit veneno assumpto, aëri infecto, ac pestilentiæ; qui namque de hac frustulum manè assumit, securus est eo die, gratia DEI adjuvante, ab infectione. *Pestis.* Per Urinam & sudorem expellit omne venenum. Medetur tussi à viscosis frigidisque humoribus ortæ. *Tussis.* Pectus expurgat & excreare facit. Confortat cor & stomachum. Dissolvit concretum sanguinem. *Sanguis concretus.* Respirationi difficili succurrit, appetitum excitat, concoctionémque adjuvat, *Fastidium tollit.* sive in vino, cerevesia, aut aqua decoquatur; pro ratione morbi, ægerque jus colatum bibat, etiam adversus venenatorum animalium morsus. Ad morbum regium accipe seminis Ligustici, Selini, & Fœniculi singul. Unc. semis. *Icterus.* Rasuræ Eboris drach. sex: pulverisentur cribrentúrque cribro setaceo angustissimo. De quo pulvere propina drach. unam in jure Cicerum, aut aqua Fœniculi: hoc facto æger sudet, in, aut extra balneum, continuis aliquot diebus, & felicem successum deprehendes. Seminis duæ partes cum parte una Cumini in pulverem redactæ, aut Drachmæ pondere cum vino potæ frigidos stomachi dolores sedat, *Stomachi dolores.* itemque tormina intestinorum. *Tormina.* Semen Drachmæ pondere potum ex vino necat lumbricos, & menses cit. *Lumbrici.* Radicis pulveris drachma semis cum drachma una Theriacæ Andromachi ex aceto calidè hausta per sudorem pestilentiam avertit & expellit. *Pestis.* Cum vino albo seminis triti drachma una & semis fœtum mortuum ejicit. *Fœtus mortuus.* Herba vulneraria est. Vinum vindemiarum tempore contra pestem è radice concisa parari posset, ut Helenites. *Vinum.* Herba distillatur in Balneo Mariæ, cum flore in Augusto, unà cum radice, caulibus & floribus. *Aqua.* Paratur ex hac etiam extractum ad supra dictos usus, cujus dosis scrupulus unus, in suo menstruo, vino, aut alio aliquo liquore. *Extractū. Oleum.* Laserpitij Europæi oleum ex sicca herba, radice, floribus & semine extrahitur arte chymica, ut ex Absinthio. Dantur autem hujus olei stillatitij guttæ duæ, aut

tres cum vino, aut succo aliquo convenienti. Præstat in dictis affectibus præcipuè verò in colica. *Sal.* Sal contra quævis venena commendatur, itemque aërem pestiferum pondere granorum decem, aquæ appropriata. Quæ ex Tabernomontano omisimus vertere, jam ab aliis ante recensita sunt.

SMYRNIVM VETERIBVS.
Cap. LII.

Petroselinũ. SMYRNIUM, quod in Cilicia Petroselinum vocant, plurimum in Amano monte gignitur, au- *Apij caule.* thore Dioscoride. Caulem habet Apij, copiosâ cinctum agnatâ sobole: folia verò latiora ad terram, infracta, subpinguia, robusta, odore medicato, & cum quadam acrimonia jucundo, colore denique in luteum languescente: habet & umbellam supra cau- *Anethi umbella.* lem, qualis Anetho inest: semen rotundum Brassicæ *Brassicæ semen.* simile, nigrum acre, Myrrhæ sapore, ita ut alterum alterius qualitatem repræsentet: radix verò acris est, odorata, mollis, succosa, faucésque mordens, cortice prædita foris nigro, intus verò pallido aut subpallido. Nascitur in saxosis, collibus, locis aridis & incultis angulis. *Vires.* Vim habent radix, herba, ac ipsum *Folia in cibis.* quoque semen excalfactoriam. Folia quoque muriâ condita olerum instar in cibos veniunt, alvumque *Radix.* sistunt: radix verò pota prodest contra serpentium *Vrinæ difficultas.* morsus, tusses & orthopnœas mitigat, ac urinæ difficultatibus medetur: imposita verò recentia œdemata, *Discutit.* inflammationes duritiásque discutit. & vulnera ad cicatricem perducit: fervefacta autem subditáque abortum infert. *Abortum infert.* Semen renum, lienis ac vesicæ vitiis succurrit, menses & secundas pellit: ischiadicis utiliter in vino propinatur, *Ischiad.* & inflationes stomachi lenit, sudores item ciet atque ructus. Peculiariter verò potui datur contra hydropem ac febrium circuitus. *Febres.*

Plinius variè illustratur. Plinius Smyrnium describens in paucis evariat à Dioscoride. Smyrnium (inquit l.27.c.13.) caulem habet Apij, folia latiora, & maximè circa [caulem, addit vet.] stolones multos, quorum à sinu exibunt pinguia [subpinguia.&c. Diosc.] ad terram infracta, odore medicato, & cum quadam acrimonia jucundo, colore in luteum languescente, capitibus [umbella, Diosc.] caulium orbiculatis, ut Anethi semine rotundo, nigro, quod arescit incipiente Æstate. Radix quoque odorata, gustu acri mordet, succosa, mollis. Cortex ejus foris ni- *Smyrnium cur dictum.* ger, intus pallidus. Odor Myrrhæ habet qualitatem: unde & nomen. Nascitur & in saxosis collibus, & in terrenis. *Vsus.* Vsus ejus excalfacere, extenuare. Vrinam & menses cient folia, & radix. Semen alvum sistit. Radix collectiones & suppurationes non veteres: item duritias discu- *Phalangia.* tit illita. Prodest & contra phalangia ac serpentes, admisto cachry, aut Polio, aut Melissophyllo, in vino pota, sed particulatim, quoniam universa vomitionem movet. Qua de causa aliquando *Tussis. Orthopnæa.* cum Ruta datur. Medetur tussi & orthopnææ semen, vel radix: item thoracis, aut lienis, aut renum, aut vesicæ vitiis. Radix autem ruptis con- *Secunda.* vulsis. Partus quoque adjuvat, & secundas pellit. Datur & ischiadicis cum Crethmo in vino. Sudores *Nota.* ciet & ructus: ideò inflationem stomachi discutit. Vulnera ad cicatricem perducit. Exprimitur & suc- *Succus.* cus è radice, utilis fœminis & thoracis præcordiorúmque desideriis: [Vitiis, morbis. In græco for- *Plinij lectio suspecta.* tassis [illegible], pro quo legit Plinius [illegible]: remediis admovendis thoraci & præcordiis, Dalech.] calfacit enim & concoquit & purgat. Semen *Hydrops.* peculiariter hydropicis datur potu, quibus & succus illinitur, & malagmate [malagma, Dal.] è corti- ce arido. Et ad obsonia utuntur cum mulso, & oleo, *Ad obsonia.* & garo, maximè in elixis carnibus simul. Concoctiones facit, sapore simillima [simillimo, vet.] Piperi. Eadem in dolore stomachi efficax. Et hæc ex meliorum codicum lectione, juxta quos etiam verba, quod arescat incipiente Æstate legenda sunt, quale *Plinius restitutus.* Brassicæ est: quanquam neque in ipsis integrâ sit hæc lectio. Idem rursus ait lib. 19. cap. ultimo. Et Smyrnium olus seritur iisdem locis, Myrrhamque radice resipit. Et hæc de propriè dicto Smyrnio cum Dioscoride loquitur. Rursus tamen Hipposelino, quod & ipsum impropriè Smyrnium appellatur, tribuit Myrrhæ saporem. Atque ita verum Smyr- *Plinij lapsus.* nium cum Hipposelino confundit, Theophrastum in hoc sequutus. Vtriusque verba capite de Hipposelino adscripsimus. Plinius Smyrnium etiam Mur- *Murrha.* rham appellavit, ut vult Cornarius l.19.c.12. ubi tamen Myrtim quidam legendum censent. Libanotis ait, odorem Thuris, Murrha Myrrhæ habet. Galenus *Galenus.* de Smyrnio scripsit ut alimento, & ut medicamento, quæ occasio quò Cæsalpinus eum de duabus distinctis plantis egisse credidit. Et quidem omnibus hisce de Olusatro, quod Macerone inscribimus. Smyrnium (inquit l. 2.alim.) non est insuave, ideoque Romæ plurimum vænit, appellatúrque vulgò *Romæ plurimum venit Olusatrum.* non Smyrnium, sed Olusatrum. Multò autem acrius est & calidius, quàm Apium, quin & odorati quippiam habet. Quapropter efficaciùs urinam, quàm Apium, Hipposelinum, & Sion, mensésque mulieribus movet. Veris tempore caulem producit, qui crudus edendo est, haud aliter quàm folia, quæ sola per Hiemem inhærent plantæ nondum caulem habenti, sicut neque tum Apium habet. *Caulis editur.* Postea verò accedente tota planta jucundior redditur, sive quis crudam ipsam, sive coctam mandat, sive ex oleo & garo, sive acetum, sive vinum velit adjicere. Et l. 8. simpl. Smyrnium quidam Hipposelinon a- *Hipposelinũ.* greste cognominant. Ex eodem genere & ipsum cum Apio est, & Petroselino, sed Apio quidem validius, Petroselino autem imbecillius; menses itaque & urinas movet, calidum, siccum in tertio ordine. Et hæc de suo Olusatro intellexit Cæsalpinus, quod Macerone est. *Macerone.* Sequentia verò Galeni verba ad Smyrnium Creticum refert. *Smyrnium Creticum.* Cilices in Amano monte natum; Petroselinum vocant; est quidem & ipsum Smyrnium, minùs verò acre Petroselino & Smyrnio; ideò ulceribus commodum, quia siccat sine molestia. Sed & digere, quæ & indurata sunt, potest. Reliqua vis Apio & Petroselino similis est; quare & semine ejus utimur ad menses, urinas & asthmata. Hactenus Galenus.

Theoph. Smyrnij nõ meminit. Smyrnij porrò non meminit Theophrastus, nisi cum Cæsalpino & Marcello dicamus eum id Hipposelini historiâ assignasse, cujus verba suo adscripsimus loco. Cæterùm, sentiebat jam tum, cùm sua scriberet Dioscorides, à gravissimis authoribus confundi cum Olusatro Smyrnium, miscerique *Olusatrum non est.* simul communicatâ invicem appellatione similes quidem & congeneres, non tamen easdem plantas; ideóque in Olusatri historia apertè omnes monuerat, aliud esse Olusatrum ab eo quod propriè, veréque Smyrnium diceretur. Et in Smyrnio hoc eas numeravit natalium, virium, seminis, foliorum, aliarúmque partium notas, ut his, qui Olusatrum noverunt, nihil faciliùs posthac sit, quàm alterum ab altero secernere, præsertimque ex Myrrhæ gustu: ideóque pari & promiscuo alterius usu. Miscuisse autem veteres invicem similes & congeneres plantas, in Latinis Columella testis est l.12. *Columella.* c.3. scribens. Atrum olus quod quidam Græcorum vocant Hipposelinõ, nõnulli Smyrniõ. In Græcis testis Nicander in Theriacis suis, qui Smyrnion vocat *Nicander.*

οἰδ' ἀγα-

... & adjectivâ formâ ... Hippoſelinon vocans hoc, ſc. ut ab illo ſepararet: addiditque interpres ejus, magno Apio, i.e. Hippoſelino ſimile eſſe Smyrnium, vocarique Smyrnium, quoniam Myrrham odore refert: Vocari & Coperium auctore Anacreonte in comm. de radicum ſectione. Similitudo hæc miſcet, & in veterum hiſtoria cófundi cogit; alioquin diverſa ſunt, ut ex Dioſcoride & aliis etiam Marcellus docet.

Coperium.

Æquivoca Hipposelinum. Petroselinum. Ex hactenus dictis conſtat, Smyrnium quoſdam Hippoſelinum ſtatuere ac vocare.

Nec deſunt, inter quos recenſet Cilices Galenus, qui Petroſelinum dicant.

Olusatrum. Alij verò Oluſatrum non abſque errore, noſtro judicio, aſſerere ſtudent.

Smyrnium Creticum perfoliatum. Macerone. Smyrnium Creticum perfoliatum, pro Smyrnio vero probant non pauci.

Macerone multorum ſententiâ, Italorum autem præcipuè Smyrnium pronunciatur.

Imperatoria. Quidam etiam ſibi imaginati ſunt Imperatoriam eſſe Smyrnium, ſed fruſtra.


Angelica. Reperiuntur adhuc hodie, qui ſibi perſuadent, & quidem non ſine occaſione Angelicam vulgò dictam eſſe Smyrnium Dioſcoridis & Galeni.

Liguſticum vulgare. Lacunæ tamen opinione Smyrnium eſt Liguſticum vulgare foliis Apij.

Spondylium. Euchar. Roeſslin in herb. Spondylium malè vocat Smyrnium.

Sinon. Cornarij Plinianus codex lib. 27. cap. 13. Sinon habet, ubi in vulgatis ſimul legitur, & quod ſequitur ad Sinon pertinens, Smyrnio attribuitur.

SMYRNIUM CRETICUM perfoliatum.



Folia. HILARI virore perfuſa folia producit nitidaq; pedem longa, lógo nixa pediculo, quæ in oppoſitas ex certis intervallis alas dividuntur, atq; hæ rurſum in alias, ut ſubſectiones particulares, haud malè Apij paluſtris foliis poſſint comparari, altiuſculè inciſæ, craſſæ ſatis; atq; hæc quidem ſtatim à radice pronaſcuntur. ná quæ ramorú divaricationibus ſubſunt, immane quátum ab hac forma diſcédunt, circinatę ferè rotunditatis, Perfoliatæ foliorum modo à caule ramisq; transfoſſa, ſeſcunciam aut uncias duas lata & interdum gemina, alterum alteri impoſitum. umbellis (ut teſtantur Adverſaria) eſt Anethi aut Perfoliatæ, floribus albicantibus, aut pallentibus. ſemen fuſcum, ſubrotundum, Braſſicæ par & ſimile, quale nobis aliquoties miſſum.

Smyrnij foliorum variatio. Smyrnij hujus (ut noſtra fert opinio) in foliis ex ætate variationem agnovit Maranta Meth. lib. 3. dicens: Smyrnij folia Apio comparat Dioſcorides, latiora eſſe inquiens & ſubpinguia: & rectè quidem reſpondet comparatio, ſi folia caudici, ſeu radici proxima aſſumantur: nam quæ ſtolones circundant ac caules, rotundantur, nullam præ ſe ſe tenuia diviſuram, ita ut Ariſtolochiæ, aut oblongæ

Hederæ figuram potiùs, quàm Apij retineant. Idem cap. 8. Smyrnium cùm per ſe provenit in collibus, ac limitibus terrenis, folia exigua profert: cùm verò in hortis ſeritur, ac colitur, præter id quòd folia multò latiora habet, ad majorem multò altitudinem aſſurgit.

Smyrn. Creticum Matthioli. Matth. in Dioſc. cum mag. fig. vocat Smyrnium Creticum, ſemine haud Braſſicæ ſimili, ſed rotundo, anguloſo, & in acutum deſinente, ac propterea Smyrnium ſuum (Macerone) magis admodum ad hiſtoriam Smyrnij accedere aſſerit; quæ à Dioſcoride deſcribitur. In epit. & hiſt. germ. cum addit.

Smyrn. alterum Dioſc. quibuſdam. Camerarij (qui refert putari Smyrnium alterum apud Plinium & Dioſcoridem, quod in monte Amano Ciliciæ provenit, & ad nos ex Creta adfertur) Smyrnium Creticum. Cur autem hoc Smyrnium Creticum perfoliatum non potiùs Dioſcoridis dicatur, quàm Macerone, ut vult Matthiolus, non video. Quæ obſecro Smyrnij Italici ſive Macerones ſeminis ſimilitudo, cum Braſſicæ ſemine quid craſſum, & anguloſum? Matthiolo apparet non fuiſſe nota ſemina Smyrn. Cretici, quæ multis numeris magis accedunt Braſſicæ quicquid ille dicat: dubito an inferiora viderit: ea namque quæ pinxit parùm conveniunt. Vires & qualitates eodem teſte non differunt, à viribus Smyrnij Dioſcoridis, apud quem non invenio fieri mentionem duorum generum Smyrnij.

Matth. reprehenſus. Jam itaque in procinctu fuerit vera Smyrnij cognitio, & cum Hippoſelino ac Leviſtico diſtinctio, cui nota ſit illa planta multis jam diu Belgiæ & Galliæ hortis enata. Commentator commentatorum Senenſis, moroſè nimis in hoc exquirendo Smyrnio ſemen Braſſicæ ſatagit, lectorem ſeque intricando ſuo more. Nam & illic paucis interjectis lineis ſibi refragatur, & Braſſicæ ſemen negat (quia, ut fermè ejus omnia, emendicatam habuit plantam, radice mat. cum umbellis ſemineque chartis fortè appreſſis, eoque minùs exactæ cognitioni aptis) nec quicquam melius indicat, ut et Lobelius, qui in adv. p. 316. Smyrnium in Icon. p. 709. Smyrnium; in Obſ. p. 407. Smyrnium Adverſ. Gall. *Smyrnium de Candie* aut *Crete*; Ital. *Smyrnio di Candia* vocavit. Idem cap. de Hippoſelino, Matthiolum increpat dicens, cum Doctiorum omnium judicio in veri Smyrnij loco melius non ſufficere.

Smyrn. Amani montis Dod. Dod. in ſol. lat. inſcribit Smyrnium Amani montis, ac differens tradit ab Hippoſelino, quod etiam Smyrnium vocat: In Cilicia verò olim Petroſelinum nuncupatum fuiſſe, teſtibus Dioſcoride & Galeno, credit.

Figuræ 3. apud Lugd. Conſarcinator Lugdunenſis unius hujus plantæ dat tres figuras & tres deſcriptiones, ſummo errore. Prima eſt p. 707. hoc titulo: Smyrnium verum Dioſcoridis & Dodonæi. Altera hoc: Smyrnium Creticum Matthioli. Tertia ſic inſcribitur p. 791. Perfoliata altera. Et hæc peſſima eſt.

Smyrnium Tabern. varia appellatione. Tab. hanc plantam Smyrnij inſcriptione pictam dedit, vocavitque græcè ..., & ... latinè, Petroſelinum Cilicium; itemque Matthioli Plinij l. 19. in fine, Herbarium Smyrnium Dioſcoridis, Creticum & ... ad differentiam Smyrnij Galeni, aliarumque ... Smyrnij plantarum, quibus hoc nomen falsò ... applicari ſolet. Ad hæc appellat Semirnion & Smirnion Serapionis de temp. ſimpl. c. 289. Samurnon Avicennæ, & Semurnion, Sumihon, Sumirion, Suramion, Surananon, Zumizirnum & Zinirnion aliorum Arabum, quæ omnia à Græco mutuata & depravata eſſe ait. Germ. appellat Smyrnenkraut & Myrrhenkraut à Myrrhæ odore.

Olusatrum alterum C. Bauh. Cæs. Olusatrum alterum constituit, ac Olusatri genus peregrinum nominavit, utpote quod nuper ferri cœperit. Hoc ita describit. Foliis exit à radice longè exilioribus, quasi Apij tenuifolij, in caule autem sensim grandioribus segmentis, adeò ut propè ramulorum cacumina, nulla ex parte scissa sint, sed rotunda, caulem ambiant formâ acetabuli, ut in Periclimeno, colore pallescente: umbellas fert luteas: & semina altero [Maceroné] minora, ac rotundiora, similiter dura ac nigra, odore fermè Styracis: radix brevior, ac tenuior, gustu suavior, simili modo cute nigra, intus lactei coloris: floret Vere: Hoc autem Smyrnij genus, Galenus ait Cilices Petroselinon vocare, &c. De hoc Plinium eandem fermè ad verbum descriptionem cum Dioscoride habere.

Smyrn. verū peregrinū C. Bauh. Bauh. phyt. Apium 15. & Smyrnium verum peregrinum, vel Smyrnium Dioscoridis: Smyrnium Creticum Matthioli, cujus figuram quo ad partem superiorem bonam esse ait, at quo ad inferiorem vitiosam. Quare adprobat Dodonæi & Lobelij iconem: Hoc autem non animadvertisse notat Lugdunésem, ideoque vitiosam proposuisse Matthioli iconem p. 707. ac dein bonam Lobelij. Idem appellat Persoliatam 3. sive alteram geminato folio. In Animadv. in Lugd p. 35. ait, Smyrnij figuram Dodonæi bonam esse cum descriptione ex Pena: ex Matthiolo verò vitiosam: quia folia interna non sint Apij: hanc cum descriptione Matthioli omitti debuisse. Miror ego fratrem non assecutum esse ex historia Persoliatæ alterius Lugdunensis, eam eandem esse cum Smyrnio Cretico, sed malam iconem, ac propterea non diversam ab eo statuendam, ac separandam. Eid. B. pin. Apium 14. Smyrnium peregrinum rotundo folio: Smyrnium Creticum, Matth. Cast. Lugd. Cam. & Ger. Smyrnium Creticum putatum, Col. cui Hipposelinum aliud Diosc. Smyrnium, Dod. gall. Ad Lob. Tab. verum, Gesn. h. & Lugd. cui & Persoliata altera.

Persol. altera geminato folio eiusdē.

I. Bauh.


Locus. Smyrnium Creticum missum Stutgardiam per hortulanum Ducis Florentiæ, seminavi in horto E. C. Montbelgardi, ex qua postmodum descripsi. Miram inesse Smyrnio Cretico proprietatem refert Camer. de hort. Altero, inquit, anno à satu prodit foliis geminis, ut locustarum ferè alas repræsentent, quæ paulò post marcescunt. Interea sub terra latitat radix rotunda Ervi magnitudine aut paulò grandior. Sequenti postea anno folia protrudit instar Ammi vulgaris, ut in pictura Matthioli apparent, radix verò tenuis fit & oblonga, quæ rursum per Hiemem ita perdurat. Primo denique Vere tandem emergunt folia Petroselini, quæ Dodonæus suo Smyrnio rectè appinxit, caulisque enascitur circumdatus foliis persoliatæ. Hæc planta semina matura profert, quæ excidunt, & anno sequenti proveniunt.

Vires & usus. Quia tandem Smyrnium hoc Creticum, idem cum Smyrnio Dioscoridis esse credimus, ideò hic ejus vires & usum repetere superfluum fuerit, ut de quibus ante satis supérque ex veteribus diximus.

SMYRNIVM PEREGRINVM folio oblongo.

Descr. HVius inferiora folia ex radice prodeuntia, Apij foliis similia sunt, in complures particulas oblongas divisa, oblongis pediculis donata, per ambitum profundiùs laciniata, pallidè virentia, quæ verò in caule sunt cubitali, striato, non subrotunda, nec duplicia, ut in communi Smyrnio peregrino, sed eorum primum, uncias sex longum, tres latum, per ambitum profundiùs incisum; superiora verò, per quæ caulis ad extremum transit, & simplicia sunt, uncias tres longa, duas circiter lata & superna quæ leviter crenata sunt, sensim minora fiunt: caulis in summo brachiatus, & cuilibet alæ, ramuli quaterni, rariùs quini, biunciales insident, festucis aliquot umbellam exiguam flosculorum luteolorum sustinentes: quibus semen nigrum, subrotundum, succedit: radicem non vidit autor C. Bauh. cui Doldius ex horto Camerarij transmisit. Vocat in pin. Apium 15. Smyrnium peregrinum folio oblongo: pingit hoc Columna sub titulo, an Hipposelinon.

MACERONE, QVIBVSdam Smyrnium, semine magno, nigro.



Descr. MACERONE dicta herba radice nititur crassâ, foris & intus albâ, odoratâ, acri cum quadam amaritudine: caules edit plusquam bicubitales, farctos, ramosos, striatos, nōnihil rubentes: folia Apij palustris, ampliora, atrovirentia, sapore ad Apium hortense accedente, subdulcia: flores in umbella è quinque aut sex foliolis ex albo virescentibus, totidemque apicibus concoloribus compositis: semen crassum, nigrum, angulosum.

Petrosel. Macedonicū & Ital. Hæc est illa planta, quam Corn. in Diosc. officinas quasdam pro Petroselino Macedonico ostendere, vulgusque germanicum, Petroselinum Italicum vocare scribit.

Hipposel. Cordi. Cord. hist. describit nomine Hipposelini, cui Gesn. addidit figuram ex Trago. Is in Diosc. & dispēs. supra diacat. Mes. vocat Olusatrum, Olixatrum, & Alexandrum, carpitque officinas, falsò Petroselinum Macedonicum appellantes. Eodem hoc errore culpandi sunt adhuc hodie Ebrodunenses, apud quos dicto nomine passim in hortis conspicitur.

Petrosel. Alexandr. ab Trago. Pingitur à Trago pro Petroselino Alexandrino, a quo Macedonicum multùm differre ait, ita ut Alexandrinum id sit semen magnum, sc. & nigrum, quo Seplasiarios uti scribit, quod genus lubens sub Hipposelino Dioscoridis comprehendi censet: siquidem magnum Apium esse statuit, & neque descriptionem reclamare: rursus verò ut Macedonicum minus sit genus, quemadmodum sub Pimpinellis & Apiis fusè docet. Sed clamant contra Tragum Iac. Manlius & Matth. Sylvaticus, dicuntque Olusatrum, aut ut ipsi loquuntur, Olixatrum esse Petroselinum Macedonicum & Alexandrinum, quæ ab invicem non distinguunt.

Inclamant in Trag.

Hipposelinū quo autores. Apium grāde. Olus atrū. Hipposelinum seu Olusatrum inscripsit Fuchs. cujus semine perperam officinas pro Petroselino Macedonico uti attestatur, statuitq; esse Hipposelinon antiquorum. Hunc sequitur Lonic. Gesn. cat. (ubi & Apium grande vocat) itémque de hort. (ubi & Olus atrum) Dod. gall. & lat. Ang. Lac. Lob. Tab. Cæs. & Bauh. itémque Turnerus, qui lecto Matthiolo suam opinionem, tanquam falsam, meritò retractat ut paulò infra dicemus.

Subscribamus

Subscribamus nunc eorum placita, qui Macerone Hipposelinum constituunt, vocantque græcè ἱπποσέλινον; germ. groß Eppfich aut groß Eppich; Belg. groote Eppe; gall. *Ache*, aut *Ache large*, itemque *grand Persil.* Lon. groß Peterlin auß Alexandria; Gesn. in cat. plat. etiam Mirrhor & Meicheron Alexandri. Turn. angl. Alexandre. Dod. belg. Peterselie van Macedonien/ Peterlin van Alexandrien; Hisp. *Perexil Macedonico.*

A magnitudine (inquit Dod. qui Hipposelinum inscribit) quâ reliqua Apia superat, Græcis ἱπποσέλινον dicitur, à Gaza Equapium: Appellatur verò & Olus atrum: & à nonnullis ἀγριοσέλινον & ἀγριοσέλινον. h. e. sylvestre Apium: Galeno verò & aliis quibusdam [Theophrasto ait in hist. gall.] etiam Smyrnium propter succum ab ipso profluentem, qui Myrrham, h. e. σμύρναν, refert: offic. (addit in gall. hist.) non sine errore Petroselinum Macedonicum, cum quo nullam similitudinem habet.

Ang. epist. 7. hanc quidem pro Hipposelino recipit, Theophrasti sc. non autem Dioscoridis, atque nihil aliud esse, quàm vulgare Maceroni & Alessandrini, & Scribonij Largi Olusatrum.

Lacuna refutans eorum opinionem, qui Macerone Smyrnium esse volunt, vocat Hipposelinum, quod Apium bestiale aut valdè magnum denotare ait, scribitque quosdam excellentes viros intelligere plantam, quæ sine ratione dicatur Petroselinum Macedonicum, unde corruptè in Italia dicta sit Macerone: quorum opinioni assentitur, quamvis alij exercitati viri censeant esse Smyrnium.

Lobelius (qui adv. p. 315. Hipposelinum, sive Olusatrum appellat, addês in Obs. p. 407. & Icon. p. 708. Dioscoridis; Macedonicum Belgarum) reprehendit Græcos nuperos, ac Matthiolum, quòd perperam Smyrnium esse crediderint, his verbis. Perquam similes Olusatrum & Smyrnium, adeò ut minus circumspectè utrunque exploranti, alterutrum utriusvis possit veram delineationem repræsentare; at cui utraque planta viridis præ oculis, atque descriptio non item. Magis conspicuæ differentiæ sunt hæ. Istud genus, quod plebecula frequens esitat, præsertim primùm asparagos dum promit, vocitatque Macedonicum, vel Alexandrinum, ut Angli, in hortis copiosissimum, cui semen copiosum, atrum, unde illi Olusatrum, plenum, grave, semisphærica figurâ, sed paulum quid utrinque retusâ in basi, medicato gustu acri, ad Smyrnium accedente. Marcell. & Brassavola esse verum Hipposelinum asseruerunt, quod qui respuunt, anili prorsum argumento, non ut veritati, sed suæ potiùs dignitati consulunt, ne & Levisticum vulgare abjurent, pro majore Selino, néve verum Smyrnium: doctiorum omnium judicio, melius & repertum posterius in Italia, in hujus locum sufficiant. Sicq; volens vidénsque errores ingeminat, cudit, & tegit Senensis dictator, infaceto hoc sæculo plaudente. Virgilius Marcellus ipsi perversus interpres immeritò videtur, quippe hoc non est pervertere, si radices foris nigras, intus albas in quopiam non viso ipsi codice aut exemplari legit, & scripsit. Perverteret autem, si contra, quàm autor innuerit, sensum exprimeret, atqui si, ut ipse (Matth.) vult, Dioscorides nullibi meminit, igitur, nec adversatur, nec Matthiolus meritò Hipposelinum verum [illegible]versatur. Quod tamen vulgus Italorum avidissimè expetit in acetariis, non secus atque Germanorum, Anglorum & Græcorum, qui etiamnum, ut jam tum tempore Dioscoridis, cum Smyrnio confundunt.

Tab. Hipposelinum confirmat, ac in Iconibus suis (ubi figura transposita est, sub Petroselino Macedonico) adhæc Apium Hispanicum vocat, hæcque in hist. de eo scriptis mandavit. Nonnulli præsentem plantam absque ullo discrimine Smyrnium aliquod esse contenderunt, nec longiùs in eo aberrarunt, quàm quòd Smyrnium Dioscoridis æstimarunt. Qui si Galenum, Aëtium & Apulejum hac de re consuluissent, animadvertissent hanc stirpem non Smyrnium Dioscoridis, sed Galeni, Aëtij & Apulei esse, quod Dioscorides Hipposelinum & Olus atrum nominavit, quodque Smyrnium ab aliquibus vocari retulit. Quæ Galenus, Aëtius & Apulejus de Smyrnio scriptis prodiderunt, ea de Petroselino Alexandrino intellexerunt. Et hoc diligenter observandum est, ne binæ hæ stirpes inter se confundantur, id quod Plinium & Theophrastum fecisse legimus. Posito enim uno absurdo, plura necessariò subsequuntur. Quæ verò Dioscorides de Smyrnio dixit, ea de Cretico intelligenda sunt. Apium Alexandrinum vocatur Græcè à Dioscoride ἱπποσέλινον, γράπιον; & ἀγριοσέλινον: à Galeno ceu & aliis σμύρνιον; Lat. Hipposelinum, Olusatrum, Grielum: Galeno Aëtio & Apuleio Smyrnium: Gaza Equapium: Herbariis Smyrnium Galeni, Smyrnium holeraceum, Apium Hispanicum, Persicum, grande, Alexandrinum, & equinum, Herba Alexandrina: Petroselinum Alexandrinum, & equinum: Sorano Ephesio Alexandrum, Olysatrum, & Olixatrum: Chyrurgis & pharmacopœis Petroselinum Macedonicum nō sine errore: Serapione lib. de temp. simpl. cap. 280. arabicè Samarinion: Ital. Macerone: Venetiis Herba Alexandrina: Neapoli Alexandro: In Candia Macedonico: Gall. Macero: Hisp. Perexil de Macianto, & Apio Macedonico: Egypt. Deuterobons Polon. Gier: Angl. Alexandre: Belg. Petrosilie van Macedonien/ & groote Eppe: Germ. Alexandrinischer Peterlen/ aut Peterlen auß Alexandria/ Roß Peterlen/ Roß Eppich/ Spanischer Eppich/ Persischer Eppich/ & Alexander.

Cæsalp. dicitur Olusatrum, & vulgò corrupto vocabulo Macerone, ut putat à Macedonico Petroselino: quia ejus loco aliquando acceptum est: alij Alexandrium vocant: fert luteum florem, radicem nigram. Galenus, inquit, refert Romæ plurimum vendi appellarique vulgò Olusatrum. Iterum in simpl. censu Smyrnium quosdem Hipposelinon silvestre nominare; Theophrastum verò Hipposelinon, quasi equinum Apium, &, ut Theod. vertit, Equapium, foliis vicinum Paludapio, hirsutum, &c. radice nigrâ, quod quidam in totum Myrrham esse affirment. Plinium tandem Olusatrum & Hipposelinon & Smyrnium vocari tradere. Hæc ille. An verò ubique Macerone proveniat radice albâ qualis est nostra Monthelgardi, non observavimus. Si Equapium sive Hipposelinum Theophrasti est hirsutum, non potest esse Macerone: sed interpretandum fortè δασὺ, non hirsutum, ut transtulit Gaza & eum sequutus Cæsalp. sed densum. Theophrasti locus est sub Apio magno, sive Hipposelino.

Bauh. est Hipposelinum vel Smyrnium vulgatum 1. apud Matth. Ac præterea Apium 14. in phyt. Eid. B. pin. Apium 11. Hipposelinum Theoph. vel Smyrnium Diosc. Petroselinum Macedonicum verum, Ger. Smyrnium, Matth. Cord. in Diosc. Gesn. h. Cast. Lugd. Col. qui Dioscoridis vult. Alexander, Tur. Et hi uno ore Hipposelinum esse affirmant, sed iterum discrepant, dum pars Hipposelinum Theophrasti, pars Dioscoridis, pars Galeni, Aëtij, & Apulei, aut affirmat, aut negat.

Matthiolus Smyrnium esse contendit, ac ait. Si Smyrnij singulæ notæ, quæ illi à Dioscoride tribuuntur, rectè diligentérque expendantur, facilè quidem perspici poterit, Smyrnium ei herbæ simillimum esse quæ à nostris in Hetruria vulgò vocatur Macerone. Siquidem hanc nasci clarum est eo modo, ut notæ ferè omnes, quas Smyrnio Dioscorides

didit, conveniant. Verùm quispiam, cui fortè hæc mea sententia minùs arrideat, obtrudet nobis semen, ut quod Maceroni nostro non insit rotundum, Brassicæ modo. Huic illud responsum volo, quòd cùm ceteræ in universum notæ illi respondeant, facilè in seminis delineatione mendum subesse potest. Vel quòd non in rotunditate, sed in alio uni cum altero semine intercedat similitudo. Porrò quamvis memoriæ non prodiderit Dioscorides, quòd Smyrnium seratur in hortis, in quibus hodiè, nostrum hoc seritur, sed quòd sponte in Amano Ciliciæ monte gignatur, tum etiam in collibus incultis, ac saxosis locis, Plinij tamen ætate passim in hortis serebatur: id quod ipse Plinius manifestè demonstrat l. 19. c. ult. ubi Smyrnium inter hortensia refert. Idem quoque testatur Galenus, quòd ipsum lib. 2. de aliment. facult. inter olera connumeret. Ex cujus sanè verbis liquidò apparet, Smyrnium veteribus etiam inter olera fuisse receptum. Galeno verò adstipulantur ea, quæ de Smyrnio mihi retulerunt Siculi, namque ij affirmant, plantam Maceronem appellatam passim coli in suis hortis, atque eam Veris tempore (ut etiam Galenus perhibet) caulem tenerrimum emittere: qui non solùm edendo sit, sed gratiam quoque ineat cum ore, præsertim si cum sale & Pipere Cinaræ modo comedatur. His itaque fortasse, vel etiam validioribus rationibus adductus Manardus, Smyrnium esse nostrum dictum Maceronem constanter asseruit. Quo fit, ut minùs dubitem Ruellij opinionem improbandam esse, quòd suspicetur Maceronem esse Paludapium. Smyrnium verò eam esse stirpem certò putet, quam in Galliis vocant vulgò Levecchia, h. e. Ligusticum vulgare.

Camer. apud Matth. germ. vocatur Olusatrum sive Smyrnium, quã etiam inscriptione pictum dedit in epit. Idem h. appellat Smyrnium Matthioli, ubi ait Hipposelinum cum Smyrnio confundi, non esse novum patere ex Hesychio, apud quem legimus σμύρνιον τὸ ἱπποσέλινον ὃ καλεῖται καὶ αὐτὴ ἡ σελίνη. Sed patere etiam ex Galeno & Dioscoride docet.

Tandem Macerone non esse Hipposelinum ostendit sequentibus Turnerus. Præceptores meos in simplicium cognitione, Antonium Musam, Fuchsium, Ruellium viros extra aleam doctissimos, sequutus, vulgare nostrum Alexandre, Hipposelinon Dioscoridis credidi. Sed lecto Matthiolo de Hipposelino, descriptionéque diligentiùs perpensâ, notas quasdam deprehendi à Dioscoride Hipposelino tributas, quas in Alexandre nostro non est reperire. Tribuit enim Dioscorides Hipposelino radicem albam gracilem, plantámque altiorem Selino, foliaque in purpureum colorem vergere. Nostrum autem Alexandre radicem habet magnam nigram, plantáque tota, si intuearis, Selino nigrior est, nihilque habent purpurei, etsi talis color in oculis appareat primùm erumpentibus. Non est ergo Hipposelinon Dioscoridis. Credo tamen Smyrnion, sed non illud à Dioscoride descriptum, ut vult Matthiolus, sed illud quod rejicit Dioscorides, tanquam impropriè dictum Smyrnium, quod tamen alij Græci, ut Galenus & Aëtius Smyrnion nominant. Hoc autem Smyrnion, ut ut à Dioscoridis Hipposelino diversum est, existimo tamen esse Hipposelinon Theophrasti & Aëtij, & plantam eam, quam Galenus de alim. fac. testatur suo tempore vocatum Olusatrum. Quod autem nostrum Alexandre non sit Smyrnium Dioscoridis, hæc quæ in Smyrnio exquirit Dioscorides & in Alexandre non reperiuntur, docent. Smyrnium Dioscoridis folia habet colore in luteum languescente: nostri Alexandre folia sunt nigra. Smyrnium semen habet Brassicæ rotundum nigrum; nostri Alexandre semina oblonga sunt nullo modo Brassicæ similia, sed Selini, nisi quòd multò sunt majora & nigriora. Radix Smyrnij intus viridis est, aut subalbida. Alexandre, nisi fallit memoria, non habet radicem intus viridem, neque subalbidam, sed penitùs albam quantum memini. Smyrnium Dioscoridis saxosis nascitur & collibus, atque squallidis & juxta semitas. Nostrum Alexandre in opacis provenit, & humidis, & insulis mari ambitis, ut in insula quadam inter Somersetensis agri ultima & VValliam. Quare Alexandre nostrum non est Smyrnion Dioscoridis. Quod autem sit Smyrnium Galeni & Aëtij, ac Olus atrum, cujus meminit Galenus, fuitque Romanis usitatum in cibis, atque etiam Hipposelinon Theophrasti, sequentes rationes aut penitùs, aut ex parte evincent. Aëtius de Smyrnio hæc scribit, Smyrnion alijs Hipposelinon dictum, ejusdem generis cum Selino & Petroselino, sed semen habet nigrum, & multò majus. Ex quibus verbis colligo, Smyrnium speciem esse Selini vel Apij, & cum genus maximum, meritò Hipposelinum vocari posse. Discimus etiam ob id Selini esse speciem, quoniam simile habet semen figura & viribus: neque esse posse Apij seu Selini speciem, plantam cujus semen cum Apio nihil habeat simile. Ex quo colligimus Ligusticum vulgare, cujus semen nullo modo Selino simile est, neque Oreoselino, neque Petroselino, non posse esse Hipposelinon Dioscoridis, nec Smyrnium Aëtij, nec Smyrnium Dioscoridis. Galenus de aliment. fac. de Selino, Hipposelino, Sio & Smyrnio, scribens inquit, Omnia vim habent diureticam, &c. Hæc verba Galeni perspicuè docent, plantam quam ipse vocat Smyrnium, esse nostrum Alexandre. Sed quæ mox apud ipsum sequuntur, facilè probabunt id ipsum apertiùs, atque etiã quoddã esse Hipposelinon (quod mihi est Dioscoridis, nõ Theophrasti, quod nequeat esse nostrũ Alexandre; nec non nostrum Alexandre veteribus Latinis Olus atrũ dictũ fuisse. Galeni verba sunt, sed Hipposelinum & Sion contra comeduntur, &c. Videamus jam porrò an probare possimus prædictũ Smyrnion, sive Olus atrum esse Hipposelinon Theophrasti. Theophr. Hipposelinõ suũ ita describit; Folia habet Eleoselini &c. In qua descriptione nihil video, quod nõ cum Alexandre nostro conveniat. Habet enim folia Apio palustri similia figurâ, majora, nec ita lævia, caulis magnus quoq; radix crassitie Raphanum æquat, nigra, semẽ nigrum, magnitudine Orobi, sed alterius figuræ. Quod ad natales, copiosè in quâlibet Angliæ provincia nascitur. Nihil video igitur causse, quo minus Hipposelinum Theophrasti sit nostrum Alexandre. Quoniam autem opinati sunt nonnulli Myrrham, Græcis σμύρναν, ex radicibus Hipposelini exstillare, existimo postmodum plantam hanc Smyrnij nomen adeptam. Quòd si quis objiciat Theophrastum & Galenum Hipposelino & Smyrnio folia tribuere toto anno virentia. Respondetur Theophrastum, sicuti ait Hipposelinum folia habere virentia, itidem de Selino dicere, & iis quæ in summitate virentia sunt, i. e. folij extremo, nam caules qui semen tulerunt, Hyeme pereunt. Sed cum Selini duo sint genera, 1. Fœmina fœcunda. 2. alius Virgo, Viduum dictum, quod aut nunquam semen tulit, aut caulescere incipiens decerptum est, antequàm semen maturum ferat, ut in Apio hortensi, quod Æstate vel Autumno semen tulit, nulla habet Hieme folia, sed duntaxat Apium à Virgine nomen adeptum. Ita quoque de herba Alexandre dicta se res habet. Tametsi enim non quælibet nostri Alexandre radix folia habet Hyeme virentia: locis tamen calidioribus Alexandre radix folia habet per Hiemem læta ac Apium hortense tenellum. Sic hæc Turnerus de Macerone nostro judicio scripsisse videtur.

Quod Macerone Italis, quibusdam verò Smyrnium semine magno nigro vocatur, dicitur pluribus Galliæ in locis, ceu & aliis multis adhuc hodie Petroselinum Macedonicum.

Locus. Oritur Cæsalpino in umbrosis hortis prope maceries pingui solo: lætissimum autem in cœmiteriis. Tempus. Vide ego passim in hortis. Genevæ florebat Aprili & Majo, primo anno non producens caulem, Hyeme virens: se multiplicat semine deciduo, perire solitum postquam caulem produxit.

Vires & usus. Valde familiare olus multis in locis, alit bene & præstat eadem, quæ Apium, sed efficacius. Calidum & siccum. Venit in cibum cruda & cocta, tum radix concisa, tum folia tenella & caulis ex aceto & oleo. Radix Autumno eruta, ac in arena per Hiemem conservata tenerior evadit, aptiorque acetariis redditur, Ioanne Schvvab referente, qui copiosam alit Ebroduni in horto. Radix Apij, quæ Alexandra multis in locis vocatur (inquit Ioub.) ante coctionem præmacerari debet per novem aut decem dies, affusâ quotidie recenti aquâ, ut condiantur radices.

SILPHIVM SIVE LASERPITIUM veterum.

Cap. LIII.

Silphium Diosc. SILPHIUM, Dioscoride ità tradente, nascitur in Syria, Armenia, Media, & Lybia. Caulis ejus Maspetum Maspetum vocatur similis Ferulæ: folia habet Apio similia, semen verò latum [foliaceum, Plin. & Orib. qui addit φυλλώδης μεγάλας] Radix excalfacit, ægrè Vires & usus. concoquitur, inflationes facit [sic habet uterque codex, teste Goupylo. at in vulg. exempl. desiderantur, nec etiam Corn. legit.] ac vesicæ quoque noxia est. Strumis atque tuberculis cerato excepta & sugillatis cum oleo illita medetur. Ischiadicis cum irino aut cyprino convenit: excrescentia circa sedem tollit, tegmini Mali punici incocta cum aceto & imposita: venenis eadem pota resistit: necnon & intinctibus salibusque admista ori grata est. Colligitur Liquor. & liquor è radice atque caulibus incisis. Præfertur is modicè ruber atque translucens, Myrrhæ æmulus, odoréque valens, minimè porraceus, neque saporis immitis & asperi: qui denique dum liquefit Cyrenaicus. ac diluitur, facilè albescit. At Cyrenaicus etiamsi tantillū quis ipsum degustaverit, madorem toto corpore ciet, estq; odore blādissimo: adeò ut ne os quidem gustanti nisi paululum spiret. Medicus verò & Medicus. Syriacus. Syriacus viribus minùs valent, & magis virosum reddunt odorem. Porrò liquor omnis anteaquam Adulterati. siccescat addito Sagapeno aut Fabæ lomento [Faba fracta, Plin.] adulteratur: quod maleficium gustu odore, visu, ac diluendo quoque deprehendes. Sunt verò qui caulem, Silphium; radicem, Magudarim; & Partiū appellationes. folia, Maspeta vocaverint. Efficacissimus est liquor, mox folia, postremò caulis. Est autem ille acris, inflationésque facit, alopecias cum vino pipere & aceto perunctas sanat: cum melle illitus oculorum aciem exacuit, incipientémque suffusionem dissipat. In dentium doloribus cavernis ipsorum inditur, aut cum Thure linteolo illigatus circumponitur, aut denique cum Hyssopo & Ficis in posca decoctis colluitur. A rabioso cane commorsis prodest Animantiū ictus. vulneribus impositus, itidémque valet ad omnium quæ virus ejaculantur animantium, venenatorumque telorum ictus, seu potus, seu etiam illitus. Scorpionum plagis oleo dilutus circumlinitur gangræna Gangræna. obsessis partibus, priùs scarificatis, infunditur: nec non & carbunculis, cum ruta, nitro & melle, aut Calli. etiam per se: clavos callosque priùs circumcisos extrahit, siquidem cerato, siccorúmve Ficuum carne subactus antea fuerit. Sanat & lichenas recentes ex aceto: itidémque sarcomata & polypos, si cum atramento sutorio aut ærugine per dies aliquot illinatur: verùm extuberantia forfice extrahi oportet. Arteriis quoque longo tempore exasperatis opitulatur, ac vocem quæ derepente irraucuerit aquâ dilutus sorbitione confestim expedit. Vox rauca. Quin & uvam illitus cum melle reprimit, ac in anginis cum aqua mulsa utiliter gargarizatur. Angina. Vescentibus lætiorem colorem conciliat, ad tussim commodè in sorbili ovo datur, itémque pleuriticis in sorbitionibus. Ictericis verò & hydropicis cum aridis Ficis utiliter exhibetur. Rigores etiam cum pipere ac thure in vino potus discutit. Tetano, opisthotonóq; distentis oboli pondere devorandus datur: hærentes gulæ hirudines gargarizatus cum aceto decutit. Hirudines. Quibus haustum lac intus concreverit, & comitialibus, sumptus ex aceto mulso succurrit. Potus verò cum pipere & myrrha menses ciet: cœliacos in acino uvæ sumptus adjuvat: denique in lixivio potui datus repente convulsis prodest. Ad potiones autem Amygdalis amaris. Ruta aut pane calido dissolvitur. Cæterùm, foliorum succus eadem præstat, at liquore Foliorum succus. multò inefficaciùs. Estur porrò utiliter cum aceto mulso ad purgandas fauces, maximè verò cùm suppressa interceptáve vox est: vescuntur & ipso cum Lactucis Erucæ loco. Sed & altera fertur Magudaris Magudaris. in Lybia nasci, radix Laserpitio similis, at minùs crassa, acris verò ac fungosa, nullóque prægnans succo: ejusdem tamen cum Laserpitio facultatis.

De Laserpitio [σιλφίου] nunc indicandum est ex Silphium Theoph. Theophrasto: Silphio radix multa, crassaque: caulis quantus Ferulæ, & crassitudine ferè proximus; folium quod Maspetum vocant, Apio simile est; semen latum, foliaceum, sc. quod Folium appellatur, caulis annuus, sicuti Ferulæ [νάρθηξ] Ergo Vere ineunte Maspetum hoc exit, & pecus eo purgatur, pinguescitq; vehementer, & carnes mirabilem in modum suaves redduntur. Posthac caulem edit hominum cibo idoneum omnibus modis, elixum, assúmque: corpora eo quoque purgari ferunt, quadraginta diebus. Succus Succus duplex. capitur duplex, alter ex caule, alter ex radice: qua de causa alterum Scaparium [καυλίας] alterum Scaparius. Radicarium [ῥιζίας] vocant. Radix nigro cortice te- Radicarius. gitur, eumque detrahere solent. Sunt veluti certæ mensuræ cædendæ radicis, quibus quantum conferre putetur ad futuram cæsuram reservantes, reliquum abscindunt. Nec enim deviè [nec enim alio Theoph. restitutus. pacto, fortè meliùs leg.] neque plus constituto cædere licet: corrumpitur enim putrescitque, si diu mansit [si in exercitatum, aut iners diu mansit, ex græco.] Præparant id conficiúntque in Pyræum portum advectum hoc modo: Cùm in vasa conjecerint, farinámque admiscuerint, quatiunt crebrò & diu: hinc etiam colorem capessit & conditum jam incorruptum perdurat. Præparatio, cæsuráque ita se habet. Succi præparatio. Locum Africæ amplum occupat, ampliorem quàm quatuor studiorum millia. In hortis Hesperidum ferunt ejus magnam partem colligi, sed majorem apud Syrtes. Peculiare hujus, cul ut fugere loca proditur, quamobrem si colatur, mitescátque solum, deviat [in deserta fugit, rectiùs ex Plinio. græcum verbum est ἐξαναχωρεῖν] atque omninò degenerat, utpote naturâ culturam aspernans, ferocitatísque constans vernaculum [ferum ac contumax Plin. ego è græco legendum censeo, quum sit verum: ἄγριον] Cyrenenses annis septem priùs, quàm ipsi urbem habitarent, Silphium [Laserpitium reddit Gaza] extitisse affirmant: habitant verò annos maximè trecentos usque ad Simonidæ Athenis magistratum. Illi sic referunt. Alij radicem Silphij cubitalem esse tradunt, aut paulò majorem. Hanc in

medio extuberare in caput, quod sublime penitus extat, ut ferè supra terram esse appareat: unde primum [ἐξ ἧς. sub. κεφαλῆς, ex quo capite] quod *Lac.* lac appellant, erumpit, dein caulis assurgit, *Magydaris.* Magydarim nuncupant, ex quo nascitur id quod *Folium.* Folium[φύλλον]vocant. Folium id semen est, quod cum Auster vehemens [λιβονότος] post caniculam flaverit, disiicitur, atque ita Laserpitium nascitur eodémque anno radix consummatur, & caulis. Sed hoc haud quaquam peculiare notatur, nam aliis quoque idem tribuitur, ni dixeris, quod disiectum id protinus nasci potest, ortum peculiarem sortiri, supradictisque propterea diversum intelligi posse. Adhæc circumfodiendum id quotannis censent: nam si *Cultura.* cultura ea præmittatur, semen universum caulémque totum proferri, & deteriora tam hæc, quam radicem reddi existimant: defossa autem fieri meliora, sc. Solo subacto, benéque gluto. Hoc autem repugnat eorum sententiæ, qui culta fugere volunt. Mandi quoque radices ex aceto recens decisas referunt. Folium colore aurum æmulatur. Sic alienum etiam quod pecora folio ofitato purgari narrant. Nam & Vere & Hieme, pecus ad montem dimitti affirmant. Depasci verò à pecore non solùm hoc, sed etiam alterum quoddam Abrotono simile aiút. Vim ambo calefactoriam sortiri planè videntur, & purgandi quidem vim non habere: exsiccare autem, & concoquere unicè posse. Quòd si qua pecus ægrescens, aut aliàs minus bene se habens ingressa sit, mox eam sanari, aut mori ajunt, sed magna ex parte posse servari. Hæc igitur utro tandem sint modo, quærendum. Quòd verò Magydarim vo- *Magydaris alterum Silphij genus.* cant, alterum est Silphij genus, nimirum à primo differens: tenerius enim, minusque vehemens id sentitur & sine Lasere est. Expertis verò vel ipso aspectu & figurâ planè dignoscitur. Nascitur in Sy- *Locus.* ria: nam apud Cyrenem, & monte Parnaso largè provenire eandem affirmant. Sed quidam Silphium id appellant. An culta id quoque Silphij modo fugiat, quærendum. Quin & si quid simile, aut proximum habeat, ad folij, caulisque rationem, & si quam ullo pacto emittat lacrymam, id investigandum. Ergo naturam ferulaceam, hisce contemplari oportet. Et hæc habet Theoph. l. 6. hist. c. 3. Capite verò *Semen Atriplicis.* tertio l. 7. Silphij semina, Atriplicis seminibus oblongis, neque latis, neque foliatis, similia esse ait. Libro 4. c. 3. refert in Cyrenensi omnium maximè peculiare Silphium esse: namq; id quoque copiosum eam regionem proferre, odoréque suavissimum. Idem 9. cap. 1. è caule & radice è Silphio succum elici tradere deprehenditur. itemque lacrymam ejus acrem esse, ut ipsum Silphium: quod verò vocat *Lacryma.* ὀπὸν τοῦ σιλφίου, lacryma est. Et cap. 2. Quorum autem & caulis, & radix inciditur, horum caulis antea fer- *Caulias & Radicias succus.* rum recipit, ceu Laseris. Eorum denique succum alterum Cauliam, alterum Radiciam vocant: præstantior Radicias est: purus enim tràslucidus, & siccior. Caulias verò humidior, & ideò farinam ei inspergunt, ut satis coagulari possit. Incisuræ tempus idoneum Pœni novere. Laser enim illis legendum natura largita est. Quin & radicum cæsores, & qui succos medicos legunt, caules liquare antea solent. Ad plenum verò, & qui radices, & qui succos legunt, omnes tempus suum cuique observant: ergo commune id esse omnium constat. His addit caus. l. 1. c. 5. Sponte illa exeunt, quæ minora consistunt: & maximè quæ annua herbaceáque naturâ sunt. Cæterùm evenit, ut etiam majora interdum ita gignantur, cùm aut imbres frequentes fuére, aut peculiaris aliqua occasio in cælo, terrâve consistit. Sic enim *Silphium quomodo exortum.* Silphium exortum in Aphrica ferunt, imbre piceo quodam, crassoque. Item 3. caus. 1. Et omninò vis omnis medica, vel radice, vel fructu, vel ramo, respondent iis, quæ in gustatu quandam vehementiam monstrant. Quo in genere Capparis quoque e- *Locus.* numeratur & Laser[Silphium] quod aut nullo pacto locis cultis provenit, aut vitiosè, quia copiosiori, humidiorique alimento vescitur, proptereaque non æque vehemens est. Tandem 6. c. 18. Frons quia humidior, ac pensilis est, moderationem aliquam obtinet, quod etiam in Silphio, atque aliis plerisque acribus patet. Folium enim Silphij suave fructusque leves propter humorem,

Plinius. Plinius l. 19. c. 3. dixit autoritate clarissimum La- *Laser succus.* serpitium, quod Græci Silphion vocant in Cyrenaica provincia repertum, cujus succum vocant Laser, magnificum in usu medicamentisque, & ad pondus argentei denarij pensum. Multis jam annis in ea terra non invenitur: quoniam publicani qui pascua conducunt, majus ita lucrum sentientes, depopulantur pecorum pabulo. Vnus omninò caulis nostrâ repertus memoriâ, Neroni principi missus. Si quando incidit pecus in spem nascentis, hoc deprehenditur signo: ove, cùm comederit, dormiente proti- *Plin. variè emendatur.* nùs, caprâ sternuente[sternûtante, M.] Diuque jam non aliud ad nos invehitur Laser, quàm quod Perside, aut Media, aut Armenia nascitur largè, sed mul- *Adulteratur.* tò infra Cyrenaicum: id quoque adulteratum gummi, aut Sagapeno, aut Faba fracta. quo minùs omittendum videtur, C. Valerio, M. Herennio Coss. Cyrenis advecta Romam publicè Laserpitij [Laseris Dal.] pondo XXX. Cæsarem verò dictatorem initio belli civilis, inter aurum argentúmque protulisse ex ærario Laserpitij [Laseris Dal.] pondo CXI. Id apud autores Græciæ evidentissimos invenimus natum imbre piceo repente madefactâ tellure, circa Hesperidum hortos Syrtinque majorem, septem annis ante oppidum Cyrenarum, quod conditum est urbis nostræ anno CXLIII. Vim autem illam per qua- *Mira de Silphio.* tuor millia stadium Africæ valuisse. In ea Laserpitium gigni solitum, rem feram ac contumacem: & si coleretur, in deserta fugientem [ἐξαναχωροῦσαν, evanescentem exarescentem deserta derelictaque sede Theoph. Dal.] radice multâ crassaque, caule ferulaceo [magnitudine Ferulæ par, Theop. Dal.] haud si- *Maspetum.* mili crassitudine. Hujus folia Maspetum vocabant, Apio maximè similia. Semen erat foliaceum, folium ipsum Vere deciduum, CH. Vesci pecora solita, primóque purgari, mox pinguescere, carne mirabilem in modum jucundâ. Post folia amissa, caule ipso & homines [post emissa caulis ipse (sub. prodit) quo & hom. Theoph.] vescebantur decoctos asso, elixóque: eorum quoque corpora XL. primis *Succus duplex.* diebus purgante à vitiis omnibus. Succus duobus modis capiebatur, è radice atque caule. Et hæc duo erant nomina, Rhizias atque Caulias, vilior ille ac putrescens. Radici cortex niger, & ad mercis adulteria. Succum ipsum in vasa conjectum, admisto furfure [farina Theoph.] subinde concutiendo ad maturitatem perducebant: ni ita fecissent, putrescentem. Argumentum erat maturitatis, color, siccitasque sudore finito [cùm habituosus vapor omninò discussus manare cessasset. Dal.] Alij tradunt Laserpitij radicem fuisse majorem cubitali, tuberque in ea super terram. Hoc inciso, profluere solitum succum, ceu lactis, supernato caule [supernasci caulem, vet.] quem Magydarim vocarunt. Folia aurei coloris pro semine fuisse [In Silphij planta *Plinij lapsus.* φύλλον significat nunc foliorum comam, quæ aureo colore est: nunc foliaceum semen, τὸ φύλλον, quod Austro post caniculam flante decussum novellas Silphij plantas gignit. Ea significationis varietas Plinium decepit. Dal.] cadentia à canis ortu. Austro flante. Ex his Laserpitium nasci solitum, anno spatio & radice & caule consummantibus sese. Hoc & circumfodi solitum prodidere. Nec purgari

pecora,

pecora, sed ægra sanari, aut protinus mori, quod in paucis accidere. Persico Silphio prior[posterior legit Dalech. Nam priore narratione in convenire Libyco, sive Cyrenaico, apertissimè Theophr. indicat Persicum vocat, quod in Armenia & Media Persarum imperio subditis nascitur. Dal.] opinio cognitu. Alterum genus est, quod Magydaris vocatur, tenerius & minus vehemens, sine succo: quod circa Syriam nascitur; non proveniens in Cyrenaica regione. Gignitur & in Parnasso monte copiosius, quibusdam Laserpitium vocantibus: per quæ omnia [per quod omninò. Vet.] adulteratur rei saluberrimæ utilissimæque autoritas. Probatio sinceri prima in colore modicè rufo, & cùm frangitur, candido intus, mox translucente: gutta aqua, salivâque liquescit. Usus in multis medicaminibus. Hactenus ille, qui usum ejus medicum l. 22. c. 23. proponit, pleraque juxta Dioscoridis præscriptum tradens his verbis: Imbre provenit & Silphion. Venit primò è Cyrenis, ut diximus est. Ex Syria nunc maximè importatur, deterius Parthico, sed Medico melius, extincto omni Cyrenaico, ut diximus. Usus Silphij in medicina. Nam folia ad expurgandas vulvas, pellendósque emortuos partus decoquuntur in vino albo, odorato, ut bibatur mensura acetabuli à balineis [acetabuli. Ad lienas radix. M.] Radix prodest arteriis exasperatis, & collectionibus sanguinis illinitur. Sed in cibis concoquitur ægrè. Inflationes facit & ructus. Urinæ quoque noxia. Suggillatis cum vino & oleo amicissima, & cum cera strumis. Verrucæ sedis crebriore ejus suffitu cadût. Laser è Silphio profluens, quo diximus modo, inter eximia naturæ dona numeratum, plurimis compositionibus inseritur. Per se autè algores excalfacit. Potum nervorum vitia extenuat. Fœminis datur in vino. Et lanis mollibus admovetur vulvæ ad menses ciendos. Pedum clavos circumscarificatos ferro, mistum ceræ extrahit. Urinam ciet Ciceris magnitudine dilutum. Andreas spondet, copiosius sumptum, nec inflationes facere, & concoctioni plurimum conferre senibus & fœminis: item Hyeme quàm Æstate, utilius, & tum aquam bibentibus: cavendúmque ne qua intus sit exulceratio [quam acrimoniâ suâ cum tenuitate partium junctâ irritet. Dal.] Ab ægritudine recreationi efficax in cibo. Tempestivè enim datum, cauterij [Cauterium licenter vocare Plinius hic videtur medicamentum Græcis dictum μετασυγκριτικὸν & μεταπεποιητικὸν, quod habitum & structuram corporis ac fabricam mutat; nempe quod admotum suâ caliditate & insigni tenuitate humores evocat ex alto, cutisque poros aperit: & intro sumptum sanguinem ac humores potenter in habitum corporis diffundit & dispergit. Dal.] vim obtinet: assuetis etiam utilius, quàm expertibus. Ad extera corporum indubitatas confessiones habet. Venena telorum & serpentium extinguit potum: ex aqua vulneribus his circumlinitur: scorpionum tantùm plagis ex oleo: ulceribus non maturescentibus cum farina hordeacea, vel fico sicca. Carbunculis cum ruta, vel cum melle, vel per se visco superlitum ut hæreat: sic & ad canis morsus. Excrescentibus circa sedem cum tegmine [germine M. & CH.] punici mali ex aceto decoctum. Clavis pedum, qui vulgo Morticini appellantur [Morticinum (hominem sc.) per convicium & contumeliam Plautus in Persa vocat, exanguem, tetrum, pallidum. Dal.] nitro misto, ante subactum. Carnes [vel ulcera cava explet, vel corpus obesum reddit, & ut alibi ait, pingue facit. Dal.] replet cum vino & Croco, aut Pipere, aut murium fimo & aceto. Perniones ex vino fovet, & ex oleo coctum imponitur: sic & callo [& clavis add. Dal.] Clavis pedum superrasis præcipuæ utilitatis. Contra aquas malas, pestilentes tractus, vel dies. In tussi, uva, fellis veteri suffusione, hydropisi, raucitatibus: confestim enim purgat fauces, vocemque reddit. Podagras in spongia dilutum posca lenit. Pleuriticis in sorbitione vinum potui datur, contractionibus, opisthotonicis, ciceris magnitudine cerâ circumlitum. In angina gargarizatur. Anhelatoribus & in tussi vetusta cum porro ex aceto datur æque ex aceto his qui coagulum lactis [coagulatum lac, vet. Alij colostra lactis. Dal. quibus lac potum coagulatum est] sorbuerunt. Præcordiorum vitiis, syntecticis, comitialibus, in vino [in cibo, CH.] in aqua mulsa linguæ paralysi. Coxendicibus & lumborum doloribus cum decocto melle illinitur. Non censuerim, quod autores suadent, cavernis dentium in dolore inditum [cavernis Dioscorides indit, aut cum thure in linteo circumligat. Interim distinguendam causam doloris censemus. In frigida quid ni conferat? In calida quid non obsit?] cera includi, magno experimento hominis, qui se ea de causa præcipitavit ex alto. Quippe tauros inflammat naribus illitus: serpentes avidissimas vini admistum rumpit. Ideò nec inungi suaserim cum Attico melle licè: præcipiant. Quis habeat utilitates admistum aliis, immensum erit referre: & nos simplicia tractamus: quoniam in his naturam esse apparet, in illis conjecturam sæpiùs fallacem, nulli satis custodita in mistura concordia naturæ ac repugnantia. Nec plura Plinius.

Hipp. lib. 4. de morb. rationem reddit, cur in Libya Silphium sua sponte nascatur: quum ut in Ionia & Peloponeso nasceretur, à multis frustra tentatum sit.

Galenus de Silphio 8. simpl. brevibus scripsit. Liquor, inquit, calidissimus est, imò & folia, & caulis, & radix satis strenuè excalfaciunt. Sed omnia flatulentæ magis essentiæ sunt, ac proinde coctu difficilia: foris tamen imposita corpori efficaciora, & omnium potissimùm liquor, ad nodum trahentem facultatem habens, attamen & excrescentias amoliendi, & liquandi vim quandam propter propositam temperiem obtinet. Hæc ille.

Serapio Silphium in simplicium censu præterit, nisi Aliehit & Anjuden nomine, de quibus mox particulatim dicturi sumus, historiam ejus tradiderit, ut plurimi, non sine ratione quidem, putarunt.

Strabo succi Cyrenaici defectûs causam, in Barbaros, non in Publicanos rejicit his verbis: Cyrenis finitima est regio, quæ Silphium gignit, & Cyrenaicum succum, quem Silphium posterius effert, vertendum, quem liquorem Silphium fundit. Interpretes enim non viderunt ἀπὸ τοῦ ὀπίζειν duci, nec adverbium esse. Idem Strabo lib. 15. scribit Alexandro ab Arachosia transeunti ad Bactrianos per iter nudum arboribus, copiosissimum Silphium occurrisse. Id propemodum defecisse cum aliquando Barbari odio quodam ingruissent, ac radices ejus penè omnes eruissent.

Columella l. 12. c. 57. in Moreto Oxyporo, vel ut alij, Oxygaro componendo, requirit Laseris radicis, quod σίλφιον Græci vocant, sescunciam. Infra in pretiosiore Oxyparo faciendo inquit: quod si etiam cùm Laser non habueris, pro Silphio, mellis adjicies pondo semunciam.

Antiphanes apud Athenæum Deipnos. l. 1. inter alias res etiam excellere putat Silphium sive Maspetum è Carthagine. Et lib. 14. in Philothebæo.

Libycus caulis Silphij
Adstat divinis arefactus radiis.

Phavorinus in Lexico suo Græco ait Silphion speciem esse plantæ suaveolentis: & maximè Cyrenaicum. Et: Silphium esse radicem bene olentem,

Persicum Silphium
Plin. corrigitur.
Sinceri probatio.
Imbre proven.
Delectus
Vires & usus
Purgat.
Noxa.
Menses ciet.
Plin. emendatur.
Venena.
Morticinus homo.
Contra Dioscoridē.
Hippocr.
Galenus.
Serapio.
Strabo.
Apud Bactrianos.
Columella.
Silphium præstat è Carthagine.
Phavorinus.

Amuletum. amuletum de collo suspensum. Idem Magydarim appellat, ac succum Silphij facit. alij verò, aliud à Silphio esse dicunt. Priscianus l.?.cap.de Accusativo inquit. Magudaris significat frugis, i.e. caulis genus, qui nascitur ex ea parte, cujus radix Silphij avellitur. vel, ut alij volunt, Siliginem. Hactenus Priscianus. Hanc, caulem Laserpitij quidam existimant. Plaut. in Rudente:

Seu tibi confidis fore multam Magudarim.

Rob. Steph. Robert. Stephanus in Thesauro ling. lat. vocat Laserpitium, σιλφιον, virgultum herbidum, ejusque succum Laser, subjungens in Dioscoridis de Laserpitio capite, cõmentariũ Matthi. Rob. Const. in Lex. græco ait. σιλφιον planta est ferulacei generis, foliis Apij: in agro Genevensi primùm à nobis multis ostensa est. Ex Cyrenaica laudatissima, culturámque naturà effugiens. Latinis ipsa Laserpitium dicitur. Laser verò, id est, ὀπὸς κυρηναϊκὸς, & ὀπὸς simpliciter per excellentiam, apud Hippocratem, lacteus ejus succus est, liquorque qui ex radice, vel caule scarificatis effluxit, ob idque καυλίας vel ῥιζίας vocatur: vulgò Benioyin: seplatiariorúmque est Asa dulcis, ut Asa fœtida, sive stercus diaboli, i. ὀπὸς μηδικὸς, succus sc. ex deteriore genere Silphij, virosus, fœtidusque admodum, præsertim dum suffitur. Silphij folium à Dioscoride & etiam à Plinio Maspetum appellatur. Corrigendus igitur Pollucis liber, ubi scriptum σιλφιου τὸ φύλλον δάσπετον dici. Radix Silphij sola ab Hippocrate σιλφιον nominatur, teste Galeno in glossis: ῥίζιον κυρηναϊκὸν à Nicandro: μαγύδαρις à Dioscoride, quod tamen controversum alijs, ut Theophrasto & Plinio caulem (qui & καυλὸς simpliciter dicitur ab Hippocr. & Polluce καυλ' ἐξοχὴν) vocantibus μαγύδαρις alijs semen. Pollux τὸ μὲν τοῦ σιλφίου τὸ μὲν σπέρμα καλεῖται μάνδαρις: corruptè pro μαγύδαρις. Apud Theophrastum 6.hist.3. locus etiam corruptissimus, ita restituendus est, autore Plinio. Hoc inciso, profluere solitum succum, ceu lactis, supernato caule, quem Magydarim vocarunt: folia aurei coloris pro semine fuisse, cadentia à canis ortu, Austro flante, & σιλφιωδες φύλλον, folium Laseris.

Silphium Genevense. *Ὀπὸς per excellentiam.* *Benioyin.* *Corrig. Pollux.* *Pollux corrupte legit Mandaris.*

Adagium. Occurrit hîc illud Adagium *Batti Silphium* (Βάττου σίλφιον) Græcis novum & rarum quempiam honorem significaturis dici solitum. Aristoph. in Pluto:

Nec si mihi donaveris
Ipsúmque Plutum, ipsúmque Batti Silphium.

Negat se sycophanta quieturum, etiam si præmium quantumvis magnum detur. Idem in equitibus:

Nostine stipitem illum
Qui dignus Silphio habitus est? notus quidem est ille mihi.

Historica relatio. Interpres diversam originem adagij scribit. Battus à Thera juxta Cretam insula, profectus, oraculo monitus Apollinis, vel (ut alij tradunt) domestica pulsus seditione, Cyrenen condidit. Cui quum Afri beneficij memores summũ honorẽ habere studerẽt, donarunt illi Silphium herbam apud illos omnium pulcherrimam: simúlque numisma ferientes, in cujus altera parte, regia facies erat insculpta, altera Silphium, quo fuerat à civitate donatus. Cujus rei meminit & Aristoteles in Republica Cyreneorum. Sed fusiùs narrat Herodotus in Melpomene, addẽs, apud Libyas regem Battum appellari, & hoc nomine compellatum ab oraculo, significante fore regem. Sunt qui dicunt imaginem fuisse datam: sunt rursum, qui anulum, in quo civitas erat expressa, regi Silphium deferens. Porrò Silphium inter herbas primam gloriam obtinet, cujus & folia, & fructus, & caulis, & succus pretiosissimus sit. Vnde Ampeliotæ (ea gens quædam est Africæ) Delphis Silphij caulem consecratum suspenderunt, ut author est Alexandrides. Hæc fermè adfert in Plutum: nec dissident, quæ Suidas memorat. At idem in Equites scribit Silphium fruticem esse inamœni odoris: rursus juxtà alios amœni, & ad medicamenta utilem: cujus usum primus invenisse creditur Aristæus Apollinis & Cyrenæ filius, qui & mellis invenisse traditur. Illud quid sibi velit nescio, inquit Roterodamus: Aristophanis interpres ait; in altera numismatis parte insculptam βασιλείαν, i.e. regnum, seu regiam, si transferas tonum: pro eo Zenodotus legit Ammonem. sic enim habet. καὶ τὸ νόμισμα τοτὲ μὲν θατέρῳ Ἄμμωνα, ἐπὶ δὲ θατέρῳ σίλφιον ἐνεχάραξαν. i.e. Nomismatis altera parte Ammonem, in altera Silphium expresserant. Ammonem, ut arbitratur Erasmus, sentiens Iovem regnorum largitorem, si quidem Homero credimus. Hujus Batti meminit & Pindarus in Pythiis: Respondit habitatori Batto frugiferæ Africæ. Eruditi quidam putant Silphium Laserpitij genus esse.

Theophrasto, Strabone, Plinio, Columellâ, Græcisque Medicis & Herbariis de Silphio tradentibus, diligentiùs auditis, omnique ejus in antiquis scriptoribus medicinâ & historiâ contemplatâ: non erit ut cum Marcello credimus, Silphij Ferula hæc, Balsami arbusculâ vilior, nec honore liquor etiam inutilior. Siquidem peregrina Greciæ & Italiæ, ideóque in majore dignitate, ceu illa semper fuit ac certos, privatimque sibi à natura traditos natales locos, quod omnibus eam fecit optabiliorem, accepit: ad Cyrenem sc. lætiores campos, etsi postea extinctum omne illud Silphium fuerit. Et nè longiores simus, ob raritatẽ, & quas habet, ad utramque valetudinẽ, egregias utilitates, gentibus ad spectaculum, & in Deorũ templis ad religionẽ & anathemata, proposita diu fuit. Cyrenes Delphis Apollini quotannis Silphij caulem ex agri sui opibus offerebant, Ferulámque hanc suam tantopore amaverunt, ut Conditori Batto perpetuum cum ea honorem habuerint. In gemma, qua publicè in signandis epistolis civitas utebatur Battum gentis suæ auctorem ostendẽtes: cui mulier quo decebat corporis ornatu & habitu Silphij caulem porrigebat, fortunæ simul naturæque pro suis opibus gratias agens, gloriam, felicitatémque suam: gratâ utriusque beneficij memoriâ sic ostentans. Id certè maximum precij & honoris in Ferula hac argumentum fuerit, quod egregium, rarum, amabile, preciosúmque aliquid Greci significantes, non aliter quàm ut in dicto proverbio sit, Batti Silphium jactitabant: neque immeritò tanta fuit quondam, utroque tempore, morborum & sanitatis, ex ea humano generi voluptas, simul & necessitas, tamque quotidianus & amabilis cunctis usus. Ob quam causam omnes plantam, partésque ejus, longiore historiâ illustrarunt, quàm legentium aliquis æquo animo ferre potuerit, ab ipsis & à nobis dicta. Sed non inutilia, ut quæ caussa sint, ut certiùs intelligi possint. Cyrenaico autem agro probatissimum nascebatur, tantúmque illi ex ea laudis & honoris accreverat, ut Catullus unâ hâc notâ Cyrenem illustraverit, Laserpiciferas in epigrãmate suo Cyrenas vocans. Noverant enim tunc omnes quod ubique nunc ignoratur, eratque in quotidiano ciborum usu Silphium, quod grato sapore & odore commendabant. Miscebatur id ut indicat Columella Oxyporis: & ut plures alij testãtur Laserpitiatum acetum in multo usu erat. Et ne huic de Silphio tractationi aliquid desit, illud quoque dixisse conveniat, quod Martialis de Simila ait.

Silphij planta Græcia & Italia peregrina. *Argumentũ maximum precij & honoris.* *Martialis.*

Nec Laseris dotes poteris numerare, nec usus:
Cùm medico toties, cùm sit & ut quo toties aptum.

Vtebatur eo passim antiquitas, nunc autem tantùm abest, ut nostrorum temporum Silphio uti ganea aut medicina possit: ut rem ipsam utraque ignoret, nec conjecturâ saltèm ostendere possit. Noverunt

Liquoris Cyrenaici nomen tantum notum. runt quidem nostræ ætatis Medici, inquit Marcellus, Opon Cyrenaicum, sed nomen tantum, & id quidem nomen longissimè ab antiquo Opo Cyrenaico differt. Idem enim Opos Cyrenaicus & Laserpitium hoc quondam fuit: nunc autem in Asa fœtida eâ uoce utuntur, quæ tetri & ingrati odoris sensu tantùm à Laserpitio differt, quantum verisimile est, quondam discrepasse eorum usus.

Disquisitio. Ex hac varia Silphij apud veteres historia, judicatu perdifficilè est, quænam sit hodie planta, quæ Laserpitium dici possit.

Macerone. Macerone quidem non esse Silphium, cùm aliunde tum ex semine (quod Silphio latum & velut foliaceum tribuunt, conjecerit Gesnerus.

Ligusticum vulgare. Ligusticum vulgare nonnullis censetur Silphiũ, quorum opinio non placet.

Silphium Genevense quid? Tradit Rob. Constantinus Silphium quoddam agri Genevensis. ejus autem verba hoc capite habentur. Quare lectores investigent, quam plantam intelligat.

Angelica. Angelicam quidam faciunt Laserpitium Gallicum, de quo hoc libro agimus.

Imperatoria. Imperatoria quibusdam est Silphium Cisalpinum sive Laserpitium, non absque errore.

Silphium Massilia. Silphij & Laserpitij nomine suam plantam habet Lobelius, quam ait circa Massiliam reperiri. de hac mox dicturi sumus.

Benivinum. Benivinum non est Laser, vel Silphium, ut multi voluerunt, de quo H.n.lib.9.

Asa fœtida. Plurimis Asa fœtida est Silphij sive Laserpitij succus, isque duplex sincerus & impurus.

ALTIHT ET ANIVDEN veteribus.

CAP. LIIII.

Aniuden Serap. Altiht. Maharot. Temperam. ANIUDEN est folium arboris Asfæ Isaac Ebenamram apud Serapionem, & gummi ejus Altiht dicitur, & radix Maharoth. Abugerig Assam statuit calidam in quarto gradu, & nocivam stomacho & hepati, positámque in dente corroso, eum frangere. Mesarugiæ Assa fœtens est subtilior, & calidior, fortiórque odoriferâ. Aben Mesuæ est bona pustulis intrinsecis & confert ventositati hæmorrhoidarum & stringit ventrem. Azaravi reperit Assam multùm bonam in ægritudinibus nervorum phlegmaticis, & non comparavit aliquid ei in calefaciendo, & in inducendo febrim, deditque ex ea ægroto in quantitate Fabæ manè, & tantundem vesperi, in potu vini boni, quia inflammatur corpus ejus statim. Radicem appellavit Abohanifa Almaharet Anjuden & unà Almohorocha, quam nasci in arenis tradidit. Almaharoch autem, juxta Melehah, est minor quàm Assa in virtute sua, & juvamentis suis, & in nocumento, quod ipsa infert stomacho, & est facilioris digestionis. Rasis Almaharoch ait calidum & siccum, confortare stomachum & hepar, conferréque digestioni. *Almaharet Anuden Almohorocha. Almaharoch.* Fusior de Almaharoch est Habix. Est, inquit, calida in quarto gradu, appropinquat operatio ejus operationi venenorum, & est mala hepati & stomacho, & quando imponitur denti corroso frangit eum, & ipsa habet odorem fortem multùm, & caliditas ejus est prope caliditatem Anacardj. Et dicunt quidam quòd aliquæ gentes, cùm non possunt præservare sata sua à rebus nocivis sine ipsa, quia ipsi suspendunt Assam ligatam in petia, in campis suis super bladum, & super flumina, quoniam ipsa occidit, & fugat suo odore canes fluviales, & omne quod generatur in seminibus, ex vermibus & aliis nocivis, & homines quidam Armeniæ, quando inveniunt, quod in vulneribus suis, quæ fuerunt à sagittis, apparet venenum, propterea quòd sagitta fuerit toxicata, apponunt in vulnere Assam, & evadunt à veneno illo sine nocumento. Et hæc de Assa & planta ejus Anjuden Arabes apud Serapionem perhibent. Is autem præterea hoc capite Laserpitium Dioscoridis & Galeni miscet & confundit, nonnihil varians à Dioscoride; & præcipuè in fine capitis de Magudari altera in Lybya nascente, ubi ait: Comeditur autem & radicis pars interior cujusdam plantæ, quæ Moly dicitur, quæ assimilatur radici Anjuden, nisi quia est minor eâ, acuti saporis, non habens lacrymam quidem, sed easdem cum Silphio operationes. De hac planta vide Avicennam lib.2.c.52. *Serapio notatur.*

Asa fœtida offic. Altiht porrò Arabum plurimis est Laserpitium sive Assa fœtida officinarum, Silphium Medum à quibusdam appellatum.

Figmentum. Pro Asa fœtida quid pingat Euch. Roesslin nescimus: figmentum putamus.

Spathula fœtida. Asa fœtida Gassori dicitur de Xyride, sive Spathula fœtida.

Angelica. Assam dici de Angelica, post apparebit.

Asarum. Monachi in Mesuem dist.1.cens.54. notant, nonnullos decipi, Asarum pro Asa intelligentes.

Thymus. Iidem eodem loco referunt, aliquos Hasce, quod est Thymus, dum legant Asæ, intelligere.

Res combusta. Alios etiam quandoque pro Assa, rem combustam intelligere. Ut e. g. quando legunt Galbani, Myrrhæ, Assæ, &c. intelligunt Myrrham crematam.

Casia. Scribit Fuchsius de comp. med. l.2. sect. 15.ol. 54. supra Oleum Irinum Nicol. Myrepsi, falsò in lat. exemplaribus legi Asæ, pro Casiæ.

Ammoniacum Colleg. Florentinum in Antiball. pro Asa admittit Sagapenum, seu Ammoniacum.

Serapinum Tract. qui pro quo substituit ex Galeno pro Asa fœtida Serapinum.

Benivinum Assa dulcis multis est Laserpitium sive Silphium, quod Benivinum putant, de quo H.9.lib.9.

Glycyrrhiza. Glycyrrhizam vocatam quibusdam Assam dulcem, dictum est Hist.n.lib.17.

ASA FOETIDA, NOstris officinarum.

Descr. LENTA & sequax est Asa, compactæ substantiæ, colore ruffo, glebis satis magnis coacta; odorem nobis virosum, Allij ferè, vehementiorem, magisque abominandum latè spirans, & nares acriter feriens, sapore primùm amaro, postmodum mordaci, in officinis sæpè impura, admota igni flavescens.

Silphium Medũ & Syriacum. Verisimile esse ait Cornarius Silphium Medicum & Syriacum esse hodie Officinarum succum, quem aliqui gummi esse putant, dictum Asam fœtidam: Nam Dioscoridem virosi & graveolentis odoris esse testatum esse. Asam vocem esse ex Lasere corruptam, minimè dubium esse: fœtidam propter graveolentiam Germanos vulgo Diabolr merdam appellare. *Asa vox corrupta.*

Assam porrò fœtidam eandem esse cum Laserpitio, placet, ni fallor, etiam Garciæ, Matth. Catal. francofurtensi, Clus. Lac. Amato, Monachis, Rob. Constant. Apoll. Dod. Disp. Col. Cam. Costæ, Lugd, Hadr. Iunio, Bellon. Lob. Cæs. & C. Bauhino. Hos igitur de hac re disserentes audiamus.

Altiht Garcia Tanta est in nominibus Altiht, inquit Garcias, Anjuden, Asa fœtida, Asa dulcis, sive odorata, & Laserpitium confusio, ut vix explicare me possim. *Laserpit.*

quandoquidè hactenus neminem invenire licuerit, qui plãtę, ex qua hoc gũmi profluat, nomẽ indicare, aut formam describere mihi potuerit. Illud autem certum est, hoc gummi *Altiht* Arabibus dici, nonnullis *Antit*: nam cuicunquè Arabi gummi Ingu aut Imgara ab indis vocatum ostenderis, statim id Altiht sive Antit esse pronuntiabit. Planta ex qua hic liquor emanat, incolis Anjuden, quibusdam Angeidan dicitur. Sed quoniam hoc gummi è longinquis, ut dicetur, adfertur regionibus, veram plantæ descriptionem habere difficilè est. Is verò ut paulò post dicemus, Asà solâ sæpiùs utitur, & retulit sibi narratum esse succum hunc ex planta quadam foliis Coryli extrahi, conciso caule, dein in bubula coria conjici, priùs illita sanguine cum Tritici farina permisto, conservationis gratiâ; eàmque ob causam si quid in Lasere furfuribus simile conspiciatur, non adulterationis, sed puritatis potiùs esse indicium. Multis ab Avicenna l. 2. c. 53. nominibus insignitum est hoc medicamentum, veluti est Altiht Almaharut, Almharut, propter linguarum in regionibus, unde advehitur, varietatem. Quid autem interpretem moverit, cùm Asam vertit, ignoro, nisi quòd verisimile sit eum non Asam, sed Laser vertisse; idque vocabulum deinde temporis injuria in Asa depravatum esse. Porrò dicet aliquis Altiht non esse nomen plantæ Laseriferæ, sed ipsius potiùs succi concreti & coacti: cujus sententiæ esse videtur Gerard. Cremon. comm. in Rasin, cap. de diminutione coitus, lib. Divis. 1. c. 79. Huic sic responsum volo, Gerardum veram linguam Arabicam ignorasse, cùm ex Bœtica Hispaniæ oriundus fuerit; lingua verò, quâ Avicenna scripsit, legitima est Arabica, quâ videlicet Syri, Mesopotamij, Persæ & Tartari utuntur, apud quos Avicenna natus creditur urbe Basora (quæ nonnullis Babylon fuisse putatur, certò tamen rectius Babylonem non esse eam, sed proximam huic fuisse cujus nulla nunc extent vestigia) in provincia Vzbeque sita, quæ pars est Tartariæ. Eam igitur linguam vocant illi *Araby*, i. e. Arabicam, quâ videlicet scripta inveniuntur Galeni, reliquorúmque Philosophorum, & falsi Prophetæ opera. Nostrorum verò Mauritanorum linguam *Magarabi* nuncupant, quasi dicas, eorum qui ad Occidentem habitant; siquidem *garb* Occidentem arabicè sonat, & *ma* eorum. Est itaque Altiht nihil aliud, quàm ipsa planta Lasarifera, veluti plerumque sumitur gummi pro ipsa planta. Verùm objiciet aliquis: Si Altiht non est Asa dulcis, quid est Asa dulcis? Asam dulcem apud nullum probatum auctorem, sive Arabem, sive Græcum, sive Latinum, legisse memini. Sed cùm Arabes liquorem *cuz* vocent; eum verò qui probè coctus sit & densatus *Robalcuz* (Rob enim arabicè densatum sonat, & *Al* est articulus genitivi apud Arabes) hinc depromptum esse nomen Asæ dulcis verisimile est. Ceterùm, Altiht Arabum, esse Laserpitium Dioscoridis & Plinij, tametsi nemo legitimorum Arabum (qualis est Rasis & Averrhoes) ejus usquam meminerit, satis ostendit Serapio lib. simpl. c. 251. qui de Altiht agens, ad verbum ea refert, quæ Galenus & Dioscorides de Laserpitio scripsère. Cadit ergo eorum opinio, qui multis argumentis probare conantur, Asam fœtidam à Laserpitio differre. Nam quod Laserpitium veterum in cibos admissum esse ajunt, Asam verò fœtidam medicamentis solùm utilem, idque rarò; in cibis verò planè damnari ob tetrum odorem, plurimùm à veritate aberrare mihi videntur, ut postea inter vires fusiùs dicetur. Mirari subit Ant. Musam, qui adeò credulus fuit, ut his fidem adhiberet, qui Scythy (quod veteribus fuit ignotum) plantam consimilem Silphio affirmarunt. Sic Ruellius Angelicam esse Laserpitium gallicum sibi olim imaginatus fuit, cujus opinio l. 9. H. n. g. cap. de Benivino convellitur. Ejusdem sententiæ fuit aliquando (ut sc. Benivinum Laser esse putaret) ipse etiam Matthiolus, veritate tamen coactus, sententiam mutavit. Hæc Garcias.

Antit Ingu, Imgara.

Almaharut.

Objectio.

Responsio.

Objectio alia.

Responsio.

Error quorundam.

Ruel. notatur.

Succum Syrenaicum longè alium fuisse, & Benzoino vocato excelluisse in promptu est nosse: cùm legenti, alterum Ferulaceæ plantæ, alterum verò arboris proceræ multò suavissimum excrementum esse, tum etiam facultates, qualitatésve exploranti, quæ gustui in Benzoino, neque fervorem in intima sese dantem, neque in corporis meatus pervadentem, sudorésve affatim cientem exhibet. Ac tametsi Syrenaicum illud celeberrimum jam tum defecisse Plinij ævo assentior, inquit Lobelius, non tamen prorsum nullum extare in naturæ familia Laser persuadeor. Præter enim quàm quòd speciem nullam penitùs posse interire docent Metaphysica dogmata, tum verò mihi suppetit Asa fœtida, quæ potis est Syriaci, Armeniaci & Lybici Laseris opinionem sustinere. Si porrò quis duplicem Asam meminerit, alteram dulcem, alteram fœtidam, is nosset, mitiorem illam, quæ dulcis dicitur, minus aut nihil additum habere fœtidi Sagapeni, aut alicujus consimilis gummi; Fœtidam verò multum. Quò fit ut interdum liquidior, lividior, rubicundior, remissiórque cernatur, prout mixta, recens aut vetustior fuit, neque dum exaruit, cujusmodi interdum videre est in rancidis officinis.

Non est Benzoinũ.

Syrenaicus succus.

De Asa sive Asa hæc adferunt Monachi. Asa secundùm aliquos, & secundùm alios (quod putamus rectiùs) Assa, dicitur illud quod à Græcis Laser appellatur, ut patet concordando capitula Serapionis & Avicennæ de Assa, cum capitulis Diosc. & cæterorum de Lasere. Sunt aliqui, qui in duas species dividunt Assam, sc. in fœtidam & odoratam: & sunt qui addunt & tertiam, sc. dulcem, quæ parum habet de amaritudine. Quorum opinio nobis non displicet. & quoniam scripta doctorum de Assa & Lasere, tradita sunt, ea hîc brevitatis causâ repetenda non sunt. Hoc tamen dicimus, quòd judicio plurimorum hæc, quâ hodie communiter utimur, tenetur esse vera species Assæ fœtidæ. Quod nos non audemus affirmare, nec possumus reprobare, quia adhuc non vidimus plantam ejus, neque ab aliquo qui viderit, ejus formam discere valuimus. Dum ergo non habemus certiorem notitiam de ipsius Assæ speciebus, liceat nobis hanc communem & usualem, *tam pro* fœtida, quàm pro odorifera, quàm etiam pro dulci in medicinis ponere. Dulcem quippe Assam adhuc non legimus in proborum authorum compositionibus. Odoriferam autem simul & fœtidam Avic. can. 5. in oleo lerbuet descripsit. Nec miretur quis, quòd diximus pro odorifera apponendam esse fœtentem, tanquam suum contrarium: quia similiter Avicenna in fine sui cap. posse fieri notavit, ut loco fœtidæ, æquale pondus de odorifera ponatur. Si ergo fœtidum & odoriferum contrariantur ad invicem, hoc in loco Avic. malè scripsit. Quod absit. Item dicet forsan aliquis, quòd ponere olentem pro fœtida (sicut Avic. dicit) est bonum, sed non econtra. Ad hoc respondemus, quod de consimilibus idem est judicium. Quòd præterea sit melior odorifera, ut idem Serapio authoritate Mesarugiæ dicit, In permutatione autem ponere speciem meliorem

Monachi.

Asæ species tres.

Asa fœtida supplet dulcem & etiam odoriferam vicem.

Opinio Manardi de Asa dulci non constat. meliorem sui generis, non est nisi bonum. Praeterea nos huc usq; non vidimus propriam & veram odoriferam Assam. Et quamvis aliqui, ut Manardus & Brassavolus, velint Benzuin vocatum, esse Assam odoriferam, tamen hoc nobis non clarè constat. Unde putamus pari modo, ut dictum est de dulci, dicendum esse de odorifera, sc. quòd illa quae minimum habet foetorem, respectu foetentioris vocetur odorifera. In quo videntur convenire verba Avicennae, qui ait: Alia est odorifera, non fortè habens odorem, &c. Odor enim in bonam & in malam partem capi potest, i. e. multoties ponitur odor pro foetore. Ex quo etiam verba Serapionis conveniunt, cùm dicit illam Assam, quae nascitur in Syria habere pejorem odorem. Pejus quidem nonnisi à malo comparatur. Quibus visis, concludendum est bene posse poni Assam foetidam pro odorata. Insuper est advertendum, quòd nonnulli ob ignorantiam & affinitatem vocabulorum multoties decipiuntur, & pro Assa intelligunt Assarum: & aliqui Hasce, quod est Thymus: Alij etiam quandoque rem combustam, ut fusiùs ante diximus inter aequivoca.

Laser medicum & Syriacum. Apollo rad. 1. per Laser Medicum aut Syriacum, quod minùs valere, virosúmque odorem prae se ferre scripsit Dioscorides, quodque etiam tunc temporis, ut hodie Sagapeno adulterabatur, Assam foetidam intelligendam comprobat & accipiendam. Is monet ab institoribus adeò adulterari ut potiùs Sagapeno variis suppositum fucis videatur.

Anviden. Anviden Latinos Silphium vocare testatur Pand. Mor. cap. 48. esseque genus Ferulae, cujus gummi Assa foetida dicatur, quam duplicem statuit, odoriferam sc. & foetidam.

Altiht Arabum. Camer. apud Matth. germ. deprehenditur approbare sententiam Garciae, videlicet Altiht Arabum esse Laserpitium Graecorum.

Anguiden. Costa Ital. cap. 62. scribit in Altiht, Anguiden, Assa foetida, dulci, & odorata dissidere autores: esse gummi, existimarique proprium ejus nomen esse Laser. Iis autem qui dicunt Assam foetidam dissidere à Laserpitio, quia Assae foetidae usus sit tantùm in Medicina, respondet (cum Garcia) magni usus in cibis esse apud Indos. Falli ait Sepulvedam propterea, licèt Guainerus & multi, solùm in compositionibus recipiant: Matthaeum Sylvaticum venenum dicere Galenum adducentem: quod quidem apud illum, nec ullum Graecorum reperitur: rem non bene considerasse Matthaeum.

Sepulveda lapsus. Matth. Sylvaticus reprehéditur.

Lug. planè assentitur iis, qui Asam Laserpitium esse censent. Ac propterea rectè scribere Garciam; errare verò eos attestatur, qui Asam foetidam & Laserpitium differre putant.

Almaiemur Mesues. Bellonio de medicato funere, Almajemur, quod Serapio in cap. de Mumia sua citat, apud Galenum videtur Silphium esse, quod Romani Laserpitium vocent, officinae Assam. Insuper si Serapionem capite de Ajouden legamus, Almajemur Mesues, cum Serapionis Almajemur prorsus convenire, nos deprehendere. Cùm itaque Mesues seorsum Mumiam ab Assa descriptam habeat, quae idem est cum Almajemur, liquere sanè ex eo quòd Mumiae vires non confundat cum Silphio, neque sui Silphij vim suae Mumiae eum tribuere voluisse, ut à Serapione, aut ejus saltèm interprete immeritò accusatur. Itaque si quem fortè apud Arabes similem errorem comperias, eùm in interpretem, non autem in ipsum authorem conferre debebis. Non enim Arabes Mumiam intellexisse Silphium esse, neque Silphij vim suae mumiae eum tribuere voluisse, usquam legitur. Siquidem vires, quas Graeci Silphio tribuerunt, Arabes Assae adscribunt, non autem Mumiae, prout utrumque bene descriptum habeant. Ne autem aliorum opinio nos conturbet, ista de Mumia & Assa, & de Ajouden & Almajemur dicere voluit Bellonius. Ergo qui temerè bonos viros taxant, atque eorum sententiam non tenent, reprehensione non carent. Quòd si Avicennam, Serapionem, Mesuem, Rasim, omnes denique Arabes capite de Ajouden legeris, in eo Silphij vires seorsum à Mumiae viribus descriptas esse videbis. Arabes, cùm sua lingua scripserant, à nobis non essent magno Graecarum & Latinarum literarum, sed Arabicarum acervo corripiendi. Nam quum eorum sententias omninò non teneamus, neque Arabicam linguam intelligamus, eos fortè insontes accusamus.

Mesues immeritò accusatur.

Arabes Graecis literis minimè corripiendi.

Laser. Caesalpino. Laser à recentioribus Medicis Assa vocatur, distinguentibus in odoriferam & foetidam: ut per odoriferam succus Cyrenaicus significetur, ut vult Caesalpinus: per foetidam Medius & Syriacus. tamen in officinis non reperitur nisi foedissimum genus, quam Asam foetidam vocant. Mirum autem si in Aphrica copiosum est Laserpitium, non afferri succum Cyrenaicum, qui ob excellentiam simplici nomine Succus appellatur, graecè Ὀπὸς. cùm ex eadem Cyrenaica regione Ammoniacum habeatur, teste Dioscoride: ideò quaerendum inter eas merces, an cum Ammoniaco feratur. Haec Caesalp.

Opos. Ammoniacum.

Et hi sunt, qui Laser seu Laserpitium Graecorum, Altiht & Anjuden Arabum, Asam foetidam officinarum esse argumentis & rationibus comprobare conantur, quos cum aliis quibusdam sequuntur ij, quos supra commemoravimus.

Laserpitium negatur esse. Contraria stat sententia Brunf. tom. 2. in exeg. in Diosc. dicenti: Quanquam & Medici & officinae pro Laserpitio Asa foetida utantur, quae gravissimi odoris est, tantùm tamen differt à Laserpitio, quantum à melle fel.

Asam quoque non esse Laser aut Laserpitium concludit Agricola in med. herb. qui alibi ait, Laserem Medicum & Syriacum gravioris odoris existere, & hinc quosdam elicere Asam foetidam Tabernarum, hos succos dici posse: Asam Arabibus corruptè dictam esse credi posse pro Lasere: Virosum habere odorem & putrilaginem resipere, adulterari addito Sagapeno, &c. Cyrenaicum esse non posse hanc foetidam Assam, Diabolicum stercus Germanis appellatum.

Laser putrefactum non est. Montanus Assam Aromatariorum foetidam nihil aliud esse concludit, quàm Laser putrefactum. Sed Assam foetidam puram, qualis non rarò occurrit, nullo modo Laser putrefactum concesserimus, quin meliùs de ea sentire Garciam existimamus.

Disp. Coloniense notatur. Disp. Coloniense de Asa foetida sibi non constat, dans p. 27. esse Laserpitium, Syriacum, aut Medicum; negans verò p. 46. ubi haec habentur. Asa foetida etiam est liquor Laseris Parthici & Persici, seu cum Mesue Medici & Syriaci, sed virus & putrilaginem resipiens: atque nostra Asa foetida, porraceum quid potiùs resipit & olet quàm virus & putrilaginem. Videtur itaque alterius peregrinae plantae, quàm Silphij lachrymam, aut succum esse.

Icones fictae. Eluchases Tabern. duas habet diversas figuras, quid intelligat autem, hactenus divinare non licuit. 1. Asae folia. 2. Asa melior ex Carmania. Sed & Hort. sanitatis cap. 46. figuram proponit fictam.

Synonyma. Nùc ad Synonyma, nominaq; varia intẽdendum. Ὀπὸς Μηδικὸς, Συριακὸς, & περσικὸς dicitur Graecis, quem plures Assam, ut Monachi, Scalig. & Manlius

Asam & Azam simpliciter nominant; Assam fœtidam Garc. Lang. Lob. Bellon. Amat. (qui & virosum Laserpitium) Bacchanell. Rob. Const. Apollo, de Vigo Chir. Dod. VVirsung. Vesal. Platear. Costa Ital. Lugd. & alij. Asam fœtidam, Agric. Corn. Clus. Catalog. francofurt. Lac. Lonic. Toxit. Euchar, (qui fictam habet figuram) Disp. Coloniense, Hort sanit. Adolph. Tab. & C. Bauhinus. Assam fœtentem, Rhegin. in exerc. Azam fœtidam offic. Tab. apud VVirs. Assam fœtidam officinarum, Ruell. Corn. Colleg. Florent. (qui duo tamen Asam scribunt simplici s. ut etiam Cord. in Diosc. Cat. francos. Clus.) Matth. Fuchs. Bacchan. Dod. Vesal. Succum aut liquorem Syriacum, Medicum, & Particum atque Persicum alij; nonnulli etiam Cyrenaicum. Laser Medicum Syriacum & fœtidum aliqui. Lacrymam Syriacam, Medicámque quidam. Guido Chir. Gummam fœtidam. Laserpitium, Clus. Laser, Lac. & Cæs. Laseris alium liquorem, Harcho. Laserpitium & Silphium Diosc. Bauhinus. Eid. B. pin. dicitur Laserpitium veterum: Silphion Diosc. & Theoph. Laserpitium s. Plinij: Althit Avic. Asa quorundam. Nec desunt qui Scordolasarum: Nicol. Myreps. referente etiam Tabern. Scordotasarum: Alex. Bened. Opoparthicum, Opoparthiam & Scorodolaser. Germ. Teuffelsdreck. Belg. Duyvelsdreck & Fierislen fonsa. Poloni Czarcie. Stercus & Merda Diaboli ob insignem fœtorem appellatur.

Nomina.

Locus.

Volunt nonnulli ex Corasone ad Ormuz, & inde in Indiam deferri; alij ex Guzarate, tametsi istic ex regno Deli adferri vulgo asserant, regione admodum frigida, quæ ad Corasone usque & regionem Chirvam ex Avicennæ testimonio extenditur. Frequens verò est, Garcia referente, in Mandou, Chitor & Deli; præterea ex Ormuz advehitur in Pegu, Malaca, Tanasarim, & regiones alias vicinas.

Vires & usus. *In medicamentis & cibis.*

Nullum medicamentum simplex per totam Indiam majore est in usu (fas enim credere est Garciæ) quàm Asa fœtida, cùm in medicamentis, tum condiendis cibis. Eam enim pro suarum facultatum modo sibi emunt, cuiusmodi sunt Baneanes (qui neque occidunt rem aliquam animatam, nedum eâ vescuntur, ut in longum eos apud Garc. describit Clusius.) & omnes gẽtiles Provinciæ Cãbayæ, quos Pythagoras imitatus videtur. Solent illi Asam suis jusculis & oleribus commiscere, confricato primùm ex ea lebete, nec alio condimento utuntur omnibus in cibis. Bajuli & huiusmodi tenuis fortunæ homines, quibus duntaxat panis est Cepe, non nisi summa in necessitate eâ utuntur. Commendarunt mihi multi condimenta istorum Baneanum, cùm à saporis, tum ab odoris suavitate. Horum oratione persuasus aliquando ejusmodi condimenta degustavi, quæ sanè sic satis palato arridebant, non tamen adeò ut illi prædicabant; quoniam fortè neque jusculis, neque condimentis valde delector: odore certè suo non erant molesta; tametsi nullus odor æquè mihi infestus sit, atque Asæ fœtidæ. Sumunt verò nonnulli Asam, ut dejecti appetitûs fastidia tollant initio enim aliquantulum amara est Asa, ut sunt Olivæ conditæ; deinde devorata mirum in modum illis bene sapit. Solent etiam plerique eâ solâ ad stomachi corroborationem, flatusque discutiendos, medicamenti loco uti. Quamobrem multi hallucinantur, qui Sepulvedam secuti nullo esse in usu medico asserunt, nisi alijs, medicamentis permistam. Lepidam porrò historiam, quæ in Bisnager contingit, præmittere nequeo. Lusitanus quispiam istic vivens equum habuit maximi pretij, quem illius provinciæ Rex libenter emisset; nisi multis flatibus obnoxium comperisset. Lusitanus Asam farinæ permixtam

Fastidium.

Historia lepida.

equo præbet edendam, & flatuum morbo liberat. Equum jam sanum emit Rex, & qua ratione curatus sit, percontatur. Respondet Lusitanus, Imgũ, sive Asam edendam dedisse. Tum Rex: haud sanè mirum si curatus, cùm Deorum cibo illum paveris. Ad hæc Lusitanus, sed mussitans, ne exaudiri posset, & Lusitanico quidem sermone, veriùs Cacodæmonum cibum nuncupasses. Sed non possum non mirari Matth. Sylvatici cap. 27. de Anjuden oscitantiam, qui Galenum citans, venenum esse asserit. Nam neque Galenus, neque Græcorum quispiam id unquam scripsit, cùm omnes uno ore Laser magnopere commendent adversus venena, pestis contagia, lumbricos, & scorpionum plagas. Solent Indi cavernis dentium indere in dolore, quam facultatem etiam illi tribuit Dioscorides, tametsi Plinius id non censeat, exemplo cujusdam, qui hac de causâ sese ex alto præcipitavit. Sed is forsitan cachexiâ laboravit, & medicamentum eos humores, qui turgebant, nimium commovit. Magni apud Indos est pretij, quòd eo plurimùm utantur etiam in venere proritanda. Radicis verò aut foliorum apud eos nullus est usus; sunt enim illis incognita. Succus conciso caule extractus in bubula coria conjicitur, priùs illita sanguine cum Tritici farina permisto, conservationis gratiâ: eámque ob causam si quid in Lasere furfuribus simile conspicitur, non adulterationis, sed puritatis potiùs est indicium. Atque interrogatus doctus quidam Baneanes, cur Asâ vesceretur, quandoquidem admixtus esset bubulus sanguis? respondit ejusmodi esse medicamentum, ut hæc regula minimè in illo observanda sit. Porrò Laseris duo genera ad Indos adferuntur, alterum sincerum & tralucens; alterum turbidum & impurum, quod à Baneanibus repurgatur ante quàm in cibos admittatur. Sincerum colore est puro, Electro simili, id Gurazate convehitur ex Chitor, ut ajunt, & ex Patane & Dely. Impurum ex Ormuz adfertur: majoris pretij est syncerum, neque facilè mercatores impurum emunt (solet autem id magna parte in tenuiorum cibos & medicamenta cedere) nisi purioris defectu. Sincerum validioris est odoris, quàm sordidum, utrumque tamen fœtet, sed id magis quod sincerius esse putatur. Qui verò ejus usui assueverunt, sincerius, odoratius esse asserunt; quod quadam consuetudine fit. Neutrum verò Porrum redolet, sed ad Myrrham non nihil accedere videtur. Hinc factum puto, ut Avicenna Asam diviserit in fœtidam & odoratam, quòd fœtidam porraceo odore esse asseveret, cùm non ita sit. Siquidem veteribus odoriferum dicebatur, non quòd suaviter oleret; sed quòd validi esset odoris. Hactenus Garcias.

Dolor dentium.

Proritat venerem.

Laser duplex.

Nefas fore duximus non subscribere ea, quæ Tabern. germanico idiomate de Asæ fœtidæ usu & facultatibus perhibuit. Asthamati cum ovo sorbili sumpta medetur. Drachmæ pondere cum aqua bibita coagulum lactis in ventriculo dissolvit. Contra mandragoram & opium sumptum laudatur electuarium, quod recipit Asæ fœtidæ, granorum Iuniperi, & Castorei ana Vnc. semis. Hac pulverizatâ cum mellis Vnciis quatuor & semis componunt Electuarium, de quo propinant in vino nucis Avellanæ magnitudinem. Ad uteri strangulatum accipe Asæ & Castorei ana grana XII. Duarum drachmarum pondere cum vino venerem stimulat. Hirudines casu poti ejiciuntur Asa cum aceto potata. Succo mali Punici bibitur contra contusiones. Sæpiùs odorata à suffocatione matricis liberat. In collo suspensa anginam curat & affectus guttu-

Venena.

Vteri strangulatum.

Contusiones.

Angina.

ris. Cum ruta & pipere in vino pota nervorum affectibus medetur, & paralysi. Odorata partum accelerat. Si sanguisugi deglutita hæreat in faucibus, ægrum suffumigat Guido cum Assa.

Paralysi. Sanguisuga.

LASERPITIUM E REGIONE Massiliæ allatum.

CAP. LV.



Locus. Descr.


A docto Pharmacopœo Iacobo Raynaudo, unde & Pena & Lobelius, Massilea ante annos multos Laserpitium accepi, cui caulis præaltus, striatus, geniculatus, fungosus: folia in alas dividuntur è regione opposita, quæ in minores rursu subdividuntur: folia singularia nullis hærent pediculis, ex adverso sita triplice ferè per extremū divisura, Spinæ albæ foliorum æmula, crassiuscula & firma, aversâ parte rari pili, rigidiusculi. umbellas tradunt Adversaria prægrandes esse Ferulæ, aut latiores quàm Anethi. semen Angelicæ foliaceum, rotundum, compressum, odoratum & colore buxeo, radicem prægrandem, intus albam, foris cinericeam, succo prægnantem, mollem, pinguem, odoratam, majoremquàm Thapsiæ aut Ferulæ.

Synonyma. Lobelius vocavit adv. p.313. Laserpitium è regione Massiliæ repertum: in Icon. p.702. Laserpitium & Silphium: Lugd. p.731. Laserpitium Penæ. Bauh. phyt. & pin. Laserpitium 2. gallicum: itémque apud Matth. Tab. Laserpitium Massilioticum.

Ferulacea hæc planta Rondeletio visa fuit Laserpitio aptiùs congruere, quàm quævis alia ex multis, quas ille vidit, Ferulis.

Locus. Laserpitium hoc vidi Lutetiæ in horto Robini mense Augusto, qui misit E. Comiti plantandum in hortum Montbelgardi.

LASERPITIO LOBELII SIMILIS angustifolia.



Locus. Daucus montanus.

QUAM Laserpitio Lobelij similem, sed angustifoliam cognominamus, vidimus in horto Robini Lutetiæ, qui sibi missam affirmabat nomine Dauci montani. De hac plura scribere non possumus, cùm eam nullibi alibi observáverimus, nec quisquam auctorum, quantum scimus, ejus mentionem fecerit.

IMPERATORIA.

CAP. LVI.



Descr. POLLICARI crassitudine nō nunquam est radix, sensim gracilescens, rugosa & lateralib' fibris, quibus se propagat donata, summa tellure obliquè acta, carne albâ, aromaticâ, acrimoniâ vehementer linguam vellicante, totámque os calfaciente: folia terna vel plurima juncta, Macerones, acutiora, rigida, quorū singula rursum in tria segmēnta serrata, aliàs leviùs, aliàs profundiùs dividūtur: caules cubiti & sesquicubiti altitudinem assequuntur, striati, inanes, in alas divisi: umbellæ florum alborum Myrrhidis, latæ: semen Anethi ferè, sed paulò majus, candidum, plenum & latiusculum.

Indicta a veteribus. An veteres hanc noverint, aut sub quo nomine intellexerint, necdum hodie apud Medicos & Pharmacopœos constat. Multi namque veteribus incognitam dicunt, Agricolam hac in re sequentes, quorum opinioni & nos facilè adscripserimus.

Smyrnium Diosc. Tragi. Hipposel. Theoph. Petrosel. Cilicum. Coptum. Senitvion. Tragus ad Smirnium commodè referri posse existimat, de quo Dioscorides l.3. Et Theoph. hist. l.10. c.1. inter succos plantarum Smyrnion Hipposelinū, h.e. Equapium, quemadmodum Gaza transtulit, vocavit, quodque Cilices authore Dioscoride Petroselinum dicunt, appellatúmve sit ab Anacreonte Coptium, referēte Marcello. Serapionem dicit cap. 350, tertium Apij genus Senitvion appellasse, quo loco Smyrnion legendum esse putat Tragus. Idem ait de Smyrnio hoc diligenter scripsisse Plinium l. 27. c.15.

Silphium Diosc. Ruellio & aliis. Cum iis tamen nequaquam contenderit, qui cum Ruellio Silphium seu Laserpitium Dioscoridis, esse volunt. Ex hoc numero est Fuch. Turn. & Lemnius: itémque Solerius & C. Bauhinus.

Laserpitium gallicum Ruellio. Non est silencio dissimulandum, inquit Ruellius, præcipuè cum in nonnullis compositionibus, veterinariæ medicinæ authores, Gallicum requirant Laserpitium, aliquando in Gallia produsse. Et jam quibusdā in locis apud nos [Parisiis] invenitur in hortis hâc specie. Radix crassa est & multa, foris nigricans, intus candida, tuber in ea, quæ super terram eminet. caulis ei fœniculaceus, folium Apij, an auri colorem languescens. semen foliaceum, latum, nempe quod figurâ exile folium exprimit, miráque fragrat jucūditate. Cùm vulneratur caulis profluit lentor modicè fusus. Tam radix quàm lachryma, sémenque suavissimum spirant odorem. Cui, ut rei magnæ authoritatis, illustria indiderunt nomina. namque modò Angelicam, modò Sancti Spiritus radicem

Angelica. S. spiritus radix. Imperatoria. modò Imperatoriam appellant herbarij, eiúsque calfacientem, siccatoriámque vim in tertio signant abscessu, &c. Vides hîc plurima à Medicis & Herbariis, qui de ea periculum fecerunt, satis Laserpitio congruere. Sit ergo Gallicum Laserpitium, cujus veterinarij Medici meminerunt. Vereor ne Ruellius Imperatoriam & Angelicam inter se confundat.

Ruell. ...

Laserpitiũ germ. Fuchs. *Osteritium.* *Ostritium.* *Lapsus quorundam.*

Σίλφιον Græcis, Laser & Laserpitium Latinis dicitur, si Fuchsio credimus, vulgò & officinis corruptâ voce, deflexâ tamen quadam à Laserpitio pristini nominis umbrâ, Osteritium vocatur. Primum siquidem Laserpitium, dein depravatâ nomenclaturâ Osteritium, postremò Ostritium cœpit appellari. Qui sanè lapsus facilis admodum fuit. Abjectâ namque primâ literâ, Austeritium, & dein a mutato in o, Osteritium, ac postremò magis concisè Ostritium nominare cœperunt. Veteribus Germanis haud dubiè Laser wurtz dicta est hæc herba, quam quidem vocem, utpote semilatinam, posteri non rectè intelligentes in Meisterwurtz mutarunt. Ex hujus quidem descriptione luce clariùs constat esse Laserpitium, saltem Germanicum. His accedit, quòd facultates Ostritij nominati, à Laserpitij viribus non discrepant quemadmodum postea patebit.

Turn. Laser sive Laserpitium.

Non memini, inquit Turnerus, quenquam vidêre aut legere ex recentioribus, qui ausit affirmare se verum Laserpitium Theophrasti & Dioscoridis vidisse. Putat Ruellius Angelicam esse Laserpitium Gallicum. Si quod est in Gallia aut Germania Laserpitium, malo Imperatoriam pro eo sumere. folia enim Apio similiora quàm Angelicæ.

Quod triviali voce Osteritium ac Magistrantiam dici refert Lemnius de occult. l. 1. c. 17. id Silphium Cæsalpinum, & Laserpitium vocat. Solerius verò nominat Silphium Gallicum, Imperatoriam Ruellij, & Alegros Delphinatum. Ex Solerij autem verbis colligitur Ruellium per Silphium Gallicum non Angelicam ut vult Turnerus, sed Imperatoriam, quam modò quoque Angelicam dici testatus est, intellexisse.

Turn. refutatur.

Silphium nõ est. *Error multorum.*

Cæterùm, qui plantam Imperatoriam vulgò vocatam, legitimum esse Silphium asserunt, nostro judicio plurimùm aberrant. Siquidem jam olim Plinij temporibus, unicus solummodo Silphij ramulus inventus fuerit. Imperatoriæ quoque nullus autorum alteram speciem assignavit. Postremò Silphij caulis inflationes facit (ἔστι δὲ φυσώδης, inquit Diosc.) Imperatoria autem flatus discutit, ut postea fusiùs dicetur.

Struthium Cordo. & Cornario.

Cordus hist. Struthij hodie vocati nomine describit, cujus etiam inscriptionis titulo Gesnerus figuram apposuit ex Trago. Cornarius quoque Ostrutium (Imperatoriam nostram intelligit) esse Struthium vilibus conjecturis ostendere conatur, non approbans eorum opinionem, qui officinarum Ostrutium, sive Astrutium, aut Magistrantiam appellatam, esse Sphondylium constanter asserunt. Nolo, ait, hic præterire, eam quæ apud aliquos Imperatoriæ nomen accepit, à Mauritanis, & ipsos sequentibus officinis, Struthion appellari Condisi. In Macri verò vulgato libello Ostruthium vocari, & ipsi omnia, quæ Dioscorides & Plinius de Struthio habent, adscribi. Vnde postea Astrutium & Astrens & Astrantia vulgò dici cœpit. Hanc itaque ut verum Struthium esse credam, vel hinc maximè inducor. Suffragatur autem etiam usus ejus vulgatus. Hæc Cornarius, cui scribere maximè veremur, quòd Imperatoriæ herbæ ad lanas purgandas, lavandásque hodie nullus sit usus, qualis erat Struthio tempore Dioscoridis, qui propterea quoque Radiculam & Lanariam herbam, Struthion appellavit. Ad Spondylij porrò descriptionem meliùs accedere videtur multis ea herba, quam multi imperiti apud Germanos Brancham ursinam falsò vocarunt. de hac infra agemus.

Spondylium negatur. *Ostruthium Maurt.* *Struthium non est.*

Astrantia nobilis. *Laser Gal.* *Angelica species.*

Nunc considerandum an Smyrnio Græcorum convenire possit, id quod Trago, uti ostensum, ac etiam Gesnero, itémque Lonicero placet. Nobilem Astrantiam appellat Gesn. in compositione casei Glaronensis [Zyger Germani vocant, ni fallimur] ac ait; Sive Laser hanc Gallicum dicas, ut Ruellius Angelicam, cujus hæc ferè species videri potest, ita ut sexu aliqui tantùm discernant, nam & Laseris duo referuntur genera; sive Oreoselinon, sive Petroselinum Macedonicum, haud multùm retulerit. Mihi ad postremum animus inclinat, cujus argumenta plura sunt. Primò à nomine, quia veteres Estreaticum nuncupabant. Secundo à natalibus, in præruptis enim montium & petrosis, quamvis & in pratis montanis exilit. Tertio à sapore, quem inter omnia Apiorum genera, acerrimum amarissimúmq; habet: ità ut Galenus universam ejus amaritie infici scribat. Quartò ab odore, est enim odoratum admodum. Quintò à figura, quam foliis & umbella quodammodo similem Apiis habet. Ab effectibus, qui eidem omnes, quos veteres adscripserunt, & præterea multò plures à nostra gente ei attribuuntur. Quæ facultates omnes etiam Smyrnio magna ex parte attribuuntur, & Cilices Smyrnium in Amano monte nascens Petroselinon indigetant. Est tamen infirmius Petroselino, & Apio vehementius, teste Galeno. Et hæc ideò prolixiùs recensuit Gesnerus, ut caseum Glaronensem commendaret, quem etiam cum Lasere, i.e. Batti Silphio viribus excellentiaque certare scribit.

Oreoselinũ. *Petrosel. Macedon.* *Acrimonia & amaritudo.* *Smyrnium.*

Cæterò, Tragus, Gesnerus & Lonicerus ex recentioribus, hallucinantes contendunt, plantam Imperatoriam vulgo vocatã legitimum esse Smyrnium, argumento quòd ejus radices exteriùs nigrescant, interiùs verò virescant, inquit Matthiolus. Quibus addimus, quòd natalis & vires correspondere videantur. Verùm ij ex eo apertè decepti deprehenduntur, quòd non animadverterint, an hæ plantæ cæteris inter se notis conveniant, cùm vel solùm semen apertissimum discrimen manifestet. Smyrnium Græcorum semen habet Brassicæ, rotundum, nigrum, &c. Imperatoria semen Anethi ferè, sed paulò majus, candidum, plenum & latiusculum. Dictos porrò viros sibi falsò imaginari Imperatoriam dictam esse Smyrnium, testatur etiam Lacuna, qui Ostrutium ab Imperatoria diversis capitibus separat, quàm bene considerent periti.

Trag. Gesn. & Lonicerus refutantur. *Lapsus eorum.* *Lacunæ notatur.*

Si vires hujus plantæ contemplemur & formam, maximè convenire videbitur cum Panace. Si igitur flos aureus Herbæ tenæ inesset, constanter affirmaret Cæsalpinus Panacem Chironium esse. at eadem difficultas contingit in Panace Herculeo; quæ enim in Alpibus etiam Pisanis oritur, in cæteris omnibus convenit cum descriptione ab antiquis tradita, excepto floris colore luteo; cùm in Herba tena sit albus.

Herba tena Cæsalp. *Panax Chironium.* *Panax Herculeum.*

Dod. gall. tenet sententiam eorum, qui Struthion Græcorum asserunt, ac propterea latinè vocat Lanariam & Radiculam, Arabicè Condisi, quam ait esse veram Herbam fullonum & Saponariam, ideóq; Ostrutiũ inscripsit, gallicéq; appellari posse cõcedit *Herbe à foulon* germ. Wesch kraut & Seiffen kraut Belg. Seeperuyt, sed non absque errore, in quo tamen non perseverat, sed eum agnoscens ingenuè retractat. Differt (inquit in fol. lat.) multùm à Struthio sive Lanaria herba. Non autem ampliùs Ostrutium sed Astrantiam nominat. Alij verò Asteritium sive Osteritium legere malunt, qui voces has à Laserpitio depravatas volunt, & Asterantiam Laserpitium, vel ejus speciem esse. Laserpitium autem caule describitur ferulaceo, i.e. magno atque procero: hujus autem tenuis ac brevis est cauliculus, qui solus à Laserpitio differentem esse satis ostendit.

Struthion Diosc. Dod. gall. *Error Dod.* *Struthion negat. Dod. lat.* *Silphium non est.*

Ignoranter quidam Imperatoriæ tribuit Maceroni nomen Italicum, alterius plantæ. Herb. antiq. Cubæ & Euch. Roeslin malè nominant Meu & Anethum agreste.

Errores quorũdam.

C. Bauh. Imperatoriam mediæ esse naturæ ait inter

C. Bauh.

ter Laserpitium & Panaces, vocatque inter alia synonyma Ligusticum Anguillaræ (ex Lobelio) magno errore. Ligusticum enim Anguillaræ, idem est cum Cæsalpini Ligustico, & Ligustico altero Matthioli, quod in Liguria Imperatoria dicitur, diversaque est ab Imperatoria fratri dicta. Potent itaque si quandoque de stirpibus tractare cogitaverit, errorem huncanimadvertere ac corrigere, debuisset que hoc in descript. Baldi inter spontaneas Ponæ jam olim observasse, monuisseque in pin. ubi est Imperatoria 1. major.

Synon. Imperatoria, quæ ob raras & præstantes facultates sic nominata fuit, dicitur Matth. Lac. Gesn.h. Lob. Adv. Cast. Cam. epit. & hist. & Tab. Imperatoria Matthioli, Lugd. p. 727. Imperatoria Ostentium, Lob. Obs. p. 398. & Icon. p. 700. Astrantia, Brunfels. Gesn. de lacte & operib. lactariis, itemque h. Clusio, & Dod. lat. in fol. Magistrantia. Cam. & Offic. germ. Laserpitium germanicum, Fuchs. Smyrnium, Lon. Smyrnium hortense, Trag. Herba Rena, Cæs. Struthium hodie vocatum, Cordo. Ostrutium, Dod. gall, & Lon. Aliàs vocatur etiam Ostricium, Astrencium, Ostentium, Asteritium & Astrutium corruptis nominibus dubio procul à Struthio Dioscoridis, quandoquidem multi hanc Dioscoridis Struthium esse falsò existimarunt. *Nomina* Germani vocant. Meister wurtz/, quasi omnium radicū Magistram & Reginam appelles, Keyser wurtz/ Astrentz, & Magistrantz. Belg. Meesterwortel: Galli *Otruche & Imperatoire*; It. Imperatoria, Angli Pellitorye of Spayne: Boh. Wssedobr.

Locus. In nonnullis Italiæ montosis gignitur præstantissima verò & frequentissima in Ananiensib. montib. supra Tridentinum: tum & apud Germanos, quibus tamen sæpenumerò, veluti & Belgis aliisque nationibus, hortensis est. Producitur etiam in pratis ad radices montium, Alpibus Austriacis & Stiriacis vicinorum magnâ copiâ. Iunio flosculi apparent, quibus decidentibus semen succedit. hiemis patiens radix, multo tempore vivit, serpendo progrediens.

Vires & usus. Sed posteaquam de Imperatoria herba incidit mentio, prætereundum sanè more nostro non duximus, quin non hîc ejus quoque facultates & usus subscriberentur. *Temperamentum ex Matth.* Radix itaque gustu admodum acris deprehenditur, mordax, subamara & odorata. Ex quo non temerè aliquis conjicere potest, Imperatoriæ radicem excalfacere tertio excessu completo, vel quarto inchoante: siccare verò secundo. *Flatus discutit.* Discutit hæc mirificè tum ventriculi, tum intestinorum, tum etiam uteri flatus. Quapropter coli cruciatibus *Tormina.* ac ventriculi torminibus maximè utilis est: Ciet item menses atque urinam. *Dolor dentium.* Foventur ejus decocto utiliter in dolore dentes, præsertim si in vino austero radix decoquatur. *Strangul. uteri.* Eadem ex vino pota, uteri strangulationibus prodest. conceptum adjuvat, quem frigiditas intercipit: concoctionem roborat. Commanducata est veluti præstantissimus apophlegmatismus, ut quæ efficaciter cerebri pituitam expurget. *Pituitam cerebri expurgat.* In pulverem contrita, vinoque subinde pota, *Morbis frigidis.* frigidis occurrit morbis. Quamobrem resolutis, comitialibus, convulsis, auxilio est. Ajunt nonnulli *Quartana.* quartanâ eos sanari, qui pulveris cochlearis dimidium horâ unâ ante accessionem, ex mero biberint. *Oris halitū commēdat.* Oris halitum commendat, & omnes roborat sensus. *Venenis opē præstat.* Epidemiis morbis, venenis ferè omnibus, ac venenosorum animalium tum morsibus, tum ictibus opem præstat. *Asthma.* Asthmaticos seu anhelosos juvat, obstructiones aperit, *Aqua intercute.* aqua intercute laborantes sanat, *Lienosis sanat.* itemque liene affectos. In summa excalfacit universas corporis partes, quas frigus occuparit. Vt hinc palam fiat, herbam hanc non immeritò sibi Imperatoriæ nomen adscivisse, cùm tot tantisque viribus præstet, authore Matthiolo. Perventus admodum *Temper. Dod.* facultatis Astrantiæ radicem testatur etiam Dodonæus, sed excalfacientem ordine tertio, nec minus resiccantem, tenuium similiter partium esse: incidere, attenuare, digerere, *Sudores movet.* sudores ac urinas movere, crassos frigidosque humores concoquere, aliaque omnia posse, quæ Matthiolus de ea scriptis mandavit. *Pestis.* Fuchsius præter dicta hæc habet. Laserpitium germanicum pestilentiæ populariter grassantis arcet contagia: *Tussi frigida.* tussi quam frigus attulit medetur. Crassa enim, quæ in thorace coëunt, discutit. *Coloré bonū efficit.* Coloris corporis bonitatem iis, qui eo vescuntur, efficit. *Sanguinē concretum.* Concretum in corpore lac & sanguinem resolvit. *Stomacho.* Stomachum ejus corroborat. Pituitam ventriculi dejicit, & elanguescentem appetentiam invitat. Rabiosi canis morsu, aut serpentis ictu liberat, si contrita folia vulneri indantur. Hypochondriorum viriis auxiliatur. Item lumborum doloribus. *Carbūculi.* Carbunculos cum polenta tritum & impositum sanat. *Vulnera interna.* Herba ipsa in vino & aqua cocta vulnera interna glutinat & in summa omnia quæ Angelica, & majori efficacia potest. *Angelicā viribus efficacior. Laserpitio autem inferior.* Vt hinc etiam constet Osteritium nominatum easdem habere, quas veterum Laserpitium, inefficaciores tamen facultates. Quare cùm metus sit ne Laserpitium adulterinum, aut saltèm non optimum ad nos adferatur, præstat Laserpitio germanico uti, quòd sc. exigua admodum pecunia comparari possit, & viribus satis efficax sit. Nam eadem quæ Dioscorides & Plinius Laserpitio assignant, recentiorum testimonio præstare valet. Hæc ille. Ego cùm Lugduni publico stipendio donatus in crudelissima peste profliganda occuparer, in officinis magno pretio Imperatoriæ radix pro Angelica vendebatur, leviori multò errore, quàm illorum, qui Napellum inibi pro Elleboro divendebant, publicâ pœna digni. *Temperam. Tabern.* Tabernomontanus cum Fuchsio Imperatoriam in universum calidiorem atque acriorem Pipere ipso, adeoque calefacere & exsiccare radicem in tertio ordine, succum verò ad quartum usque statuit: semen cum radice folia & caulem superare, ita ut in ea efficacissimus omnium aliarum partium sit liquor, secundo loco radix & semen, tertiò folia, & postremò caulis. *Aroma piscibus coquēdis idoneū.* Ex his particulatim radicem & semen piscibus coquendis præ cunctis aromatibus commendat. *Succus exsiccatus.* Succum porrò eum præfert, qui è radice & herbâ siccâ exprimitur, eo modo, quo de Absinthij succo monstravimus. *Aqua destillata.* Convenientissimum tempus aquam distillandi, est mensis, quo in flore est, in balneo Mariæ, cum radice, foliis & floribus, omnibusque ejus partibus. *Vinum.* Fit vinum ex Imperatoria, *Radicis conserva.* Radicis conserva (cujus dosis drachmæ duæ) *Extractum.* Extractum (hoc scrupuli pondere in menstruo suo propinatur) extractionis Syrupus (qui præparatur in modum Syrupi de cinnamomo, exhibeturque de hoc pro vice cochleare unum) *Sal. Oleum.* Sal, & Oleum stillatitium, chymica arte extractum. Quæ omnia ad enumeratos affectus unicè conducere à multis experta sunt.

IMPERATORIA ALPINA.

Descr. Minor quàm præcedens est, omnibus suis partibus, nam & angustiora folia & pedicellos teneriores profert ex radice non absimili jam dictæ Imperatoriæ, & æquali etiam, gustu acriori & magis urenti.

Astrantia mas. Hanc quidam volunt Astrantiam marem nominari, ut refert descriptionis author Camer in hist. ubi Imperatoriam Alpinam, *Astrantia Alpina.* Astrantiam Alpinam & Astrantiam silvestrem vocat, ceu etiam in *Astrantia silv.* epit. Germ. Bergstrentz & Bergmeister wurtz. *Smyrnium.* C. Bauh. apud Matth. Smyrnium II. & Imperato-

Imperator montana. Locus. riam Alpinam: In phyt. Imperatoriam 2 sive montanam: In pin. Imper. 2 minorem.




Hanc Camerarius in Alpibus apud Helvetios provenire ait. Sed miror, cur non annotarit particulatim locos Helvetiæ ubi ab ipso observata fuerit.

Temperam. Calida est & sicca ut vulgaris Imperatoria, quà superior esse facultatib. omnibus videtur & ad agendum promptior. *Vires. Quartana. Partus mortuus.* Vtuntur hac planta ad quartanas, partus efuendos & cerebrum expurgandum, flatus discutiendos, colicosque dolores sedandos, id quod vulgaris quoque Imperatoria, authore Camerario, præstare potest.

ANGELICA.

CAP. LVII.

ANGELICA SATIVA.



Descr. ANGELICA sativa radicem altè demittit, interdum multò plusquam brachiali crassitudine, cum multis adnatis pollicari crassitudine & fibris rugosa, cuticula in cinereo rubescente nonnihil obtectam, pulpà albà, gustu admodum calido & aromatico, acri & amaro, odore suavi, succum ex incisione remittentem *Succus.* croceum, ejusdem saporis: ex qua surrigitur caulis crassus, ad terram purpureus geniculatus, concavus, striatus, bicubitalis, multis alis donatus: folia è vulgis se proferunt convoluta in pilam quasi, multa, quæ ubi se explicaverunt, in ambitu crenata, mollia, supernè virentia, *Folia.* infernè dilutiora, formâ, ut fors tulit variâ, semper tamen oblonga sunt, sed multo gibbo inæqualia, modò continua, modò dissecta, sapore & odore minùs aromatico, quàm radix. Quia autem nec flores, *Descr. Cordi.* nec semina à nobis delineantur, placet Cordi diligentissimi Botanici descriptionem integram hic referre. Angelica primo anno cùm è semine prodierit, *Angelica ut nascatur. Pediculi.* pediculos emittit cubitales, crassitudine digitales, teretes, teneros, glabros, & in terram repandos, utrinque in binos, ternos, aut nonnunquam quaternos, minores pediculos, ceu brachia divisos & expansos, in quorum extremitate folia sunt figurâ Apij foliis similia, sed multò majora, in ternas plerumque, aut binatas partes antrorsum spectantes secta, propius ad Aceris cinereæ folia accedentia, in- *Folia.* terdum ad dodrantem, tam longitudine, quàm latitudine accedentia, & tota Hieme virentia: sequenti aut tertio anno caulis è medio foliorum assurgit, *Caulis.* duûm aut nonnunquam trium cubitorum altitudine, crassitudine pollicem plerumque superans, teres, geniculatus, glaber, in candido livente & abstersu facili polline veluti conspersus, & concavus, geniculatim foliis ornatus, prædictis multò minoribus. habet ramulos & adnata aliquot caulis, in quorum summitate magnæ sunt umbellæ, quinque aut *Vmbella.* sex unciarum latitudine, formâ convexæ, candicantibus flosculis plenæ, quibus bina succedunt semi- *& Semina.* na invicem conjuncta, oblonga, angulosa, paleacea & in candido cinerea: oblongum, planum, foris nigrum, intus candicantem & cartilagineum nucleum *Nucleus.* paleaceo & anguloso cortice claudentia. Vmbellæ antequam enascantur, in posteriorum foliorum parte instar utriculi tumidæ continentur, quæ intra ipsum utriculum auctæ, rupto utriculo, erumpunt, quandam conferti racemi speciem referentes, donec in modo dictam formam adolescant. Radice ni- *Radix.* titur antequam caulis enascatur crassitudine plerumque manum complente, nonnunquam etiam crassiore, oblongâ, in multas dodrantales aut pedales partes distractâ, foris nigricante, intus candidâ, carnosâ, molli, succosâque: quæ præcisa flavum liquorem seu lachrymam ab interiori corticis parte *Lachryma.* remittit, cui similis liquor etiam in foliorum venis continetur, sed aquosior. Cùm verò caulis maturo semine perit, ipsa quoque radix putrescit. eadem quamvis tempestivè effodiatur, ob excrementitij humoris copiam facilè ab innascentibus vermiculis perfunditur. Saporem radix, semen & folia habent *Sapor.* acrem, fauces scarificantem, subamarum, tenuem & aromaticum: odorem similiter acrem, vehementem, *Odor.* medicatum, atque aromatum similem. Efficacissimus omnium partium liquor est, mox semen, deinde radix: flores & folia postremum locum tenent.

ANGELICA OFFICINARUM.



Angelica offic. Cæterùm, prostat in officinis radix Angelicæ, quæ non parùm distat, à præcedenti. Quia autem hæc à nobis non integra visa, dubitamus an sola cultura differentiæ causa sit. ea enim constat plurimis, tenuibus, longis, nigrisque fibris, ex uno capite Ellebori albi modo.

Antiquis indicta. Quamvis porrò Angelica, nostro quidē judicio, nobisque adstipulantibus Braunschvveig. & Tabernemontano ab antiquis non describatur, nihilominùs tamen non desunt alij qui Silphium, vel eidem congenerem esse asserere non dubitant. Reperiuntur etiam qui Smyrnion Dioscoridis esse perhibeant. Nonnulli Panax Heracleum statuunt, aliis interim Panacis speciem tantùm indicantibus. Myrrhis etiam à quibusdam dicta olim deprehenditur. De his itaque fusiùs indicandum est.

Silphium Diosc. Ruell. Silphium itaque Dioscoridis allquale videtur Ruellius esse Angelicam, quam tamen cum Imperatoria turpiter

Ruell. reprob. turpiter confundere deprehenditur, ut præcedenti capite, ubi ejus verba adscripsimus, annotavimus. Nemo enim præter ipsum Angelicam Imperatoriam vocavit, præterquam eum secutus Lonicerus. Angelicam tamen ab Imperatoria vel Solerius distinxit utramque Silphium appellans. *Ruellij opinio explosa.* Silphium autem esse non potest, inquit etiam Fuchsius, quòd folia Apij habere minimè deprehenditur. Garcias quoque Ruellium lapsûs redarguit, qui Angelicam Laseris genus putarit & Belzuinum, uti indicatum H.n.l.9.c.de Belzuino.

Silphio congener. multis *Silphij species Dodon.* Silphium congenerem fecit Gesn. h. & C. Bauh. phyt.itemq; Dod.& Cæsalpinus. Σιλφιον, sive Laserpitij species esse apparet, inquit Dodonæus, si non ipsum genuinũ ac legitimũ Laserpitium fuerit. Nam si cum iis conferatur, quæ ex Theophrasto prolixè satis de Silphio adscripsimus, respondere comperietur. Radix namque crassa, superiùs veluti in caput extuberat: caulis quantus Ferulæ, cibo idoneus; qui post seminis maturitatem perit: folium Apij divisurâ, sed longè majus, semen vento facilè abripitur, latum ac foliaceũ, unde aliæ stirpes rursus progignuntur: amat silvestria loca. Quale omninò Silphium à Theophrasto esse traditur. Iam & memini olim me à Cortuso Laser accipere, odore ac colore succo è radicibus Angelicæ incisis profluenti, simile: quod Angelicam Silphium esse quoque adstruit.

Angelica Alpina Cæsalpin. Cæsalpino Angelica vulgo appellatur in Alpibus caule bicubitali, crasso & concavo, odorato: foliis Olusatri, oblongioribus, leviter serratis, mollibus: umbellas ferens latas: flore candido: semen candidum, oblongum, striatum quod in foliacea quædam labia dilatatur, valdè odoratum, quasi Moschum redolens, sapore acri: radicem palmi longitudine, crassam instar Napi, candicantem, fungosam, succosam, jucundissimè olentem, acrem & subamaram: Lachryma concrescens pullescit: descendit & in plana juxta aquas, locis umbrosis brevior: folio nigriore: radice minori, figurâ tenuioris Napi, quæ in plures radiculas desinit, odore infirmo ad Pastinacam vergente: caules recentes & tenelli, & folia utriusque gustui grata sunt. *Angelica aquatica.* Celebrant radicem ad venena & pestilentiam. Extat & sativa quæ colitur in Germania: radice nigrâ, in multas fibras diducta, Ellebori modo, gustu suavior, eruitur antequam caulescat. *Angel. sativa, nobis Polyrrhizos* *Laserpitiũ.* hanc ad Laserpitium referri posse reor, quod Græci Silphion vocant, licèt in Italia non ad eam magnitudinem crescat, neque ea sit succi ubertas, quæ in Aphrica & calidioribus regionibus, ut multis aliis contigit. Theophrastus de Laserpitio inquit, folium Maspetum vocant, caulem verò Magydarin & folium &c. Dioscorides verò ait caulem Maspeton vocari, radicem aliquibus Magydarim; caulem Silphion & folia Maspetum: hoc Laserpitium in Syria, Armenia, Media & Lybia nasci tradit: Alteram præterea in fine capitis Magydarim assignat in Lybia nascentem, &c. Patet nostram Angelicam non multùm discedere à Laserpitio Cyrenaico, aut saltèm ab altera Magydari: immò Angelica montana & magnitudine, & odoris suavitate, & acrimoniâ, & succo maximè ad Laserpitium accedit: Altera verò ad Magydarim: Laser à recentioribus Medicis Assa vocatur. *Laserp. Cyrenaicum. Magyd. altera.* Hucusque Cæsalpinus, cujus Angelica Alpina videtur nostra hortensis: per eam verò quæ in plana descendit, fortè intelligit aquaticam nostram, de qua post. per sativam verò Germanicam nostram polyrrhizon, de qua dubitamus an sativa: facilè credimus cum Matthiolo potiùs silvestrem. *Cæsalp. notatur.*

Angelica negatur esse Myrrhis. Angelicam autem ab aliquibus Myrrhidem quondam falsò dictam fuisse ostendit Matthiolus, dicens. Quòd Angelica non sit Myrrhis ex eo evidentissimum esse convincitur, quòd Angelicæ folia sint sativæ Pastinacæ similia, non quidem multifida Cicutæ, qualia Myrrhidi Dioscorides adscripsit. His addit Matth. in postr.comm.cum mag.fig. Angelicæ esse plura genera: namque aliam sativam, aliam domesticam, aliam silvestrem, & aliam in aquosis provenientem tradit. *Angelica 4.* *Sativa.* Sativam radices habere nigras, atque fibratas, odore adeò eximio, ut meritò Angelicæ sibi nomen comparaverit: *Domestica.* Domesticam vocatam sponte per se nasci iisdem in mõtibus in quibus silvestrem, sed foliis, caule, umbellâ, semine, & radice longè grandioribus: radicem huic esse succosam, subalbicantem, & suaviter odoratam. *Sylvestris.* Sylvestrem autem pumiliorem esse, sed viribus omnium præstantissimam: radice niti pollicis crassitudine, & sæpè majore, succo flavescente refertam, gustu acerrimo & odore præstanti: *Aquatica.* Aquaticam cæteris grandiorem esse, & viribus longè imbecillioribus. Idem in Hist. germ. Angelicam triplicem agnovit, majorem & minorem, sive silvestrem, utramque in montibus altis habitantem, & tertiam aquaticam. *Angelica triplex.* Majorem, Costi loco medicamentis admiscere jubet. Minorem sive silvestrem, majori in omnibus similem nisi quòd minor, aliquos Libanotim cachryoforam esse statuere perhibet. Aquaticam, formâ primæ similem, odore tamen & sapore imbecilliori multò, ad aquarum ripas & umbrosis locis gaudere. In Epit. Angelicam duûm esse generum, sativam & silvestrem, assignat. *Angelica duum generum.* Sativam semine Lentis modo compresso, radice crassâ: seri colique in Germania in campis, præsertimque in Misnia & Saxonia. Silvestrem pumiliorem esse omnibus suis partibus, sed viribus longè præstantiorem: radicem proferre minorem, paucis fibris donatam: nasci plurimam in altissimis montibus, in pratis & pascuis, amœnis locis acerrimi gustûs. *Matth. taxatur.* Quàm bene Matthiolus dictitet Angelicæ semen Lentium modo compressum, judicent periti. Olim unicam tradebat speciem & figuram exhibebat, quæ silvestri potest competere, quamque in posterioribus modò pro minore pingit. modò meminit unius tantùm, mox quatuor, iterum jue trium, tandemque duarum, non ritè distinguens, neque describens. Quam pingit pro sativa in comm. Lat. cũ mag. fig. & in Ital. pro domestica, in Hist. germ. pro majore, & epit. pro sativa, eadem nobis videtur cum hortulana & crassiore radice, cujus Fuchsianam exhibemus figuram. Acerrima illa minor silvestris pumilio sanè non convenit cum officinarum illa Angelica polyrrhizo quoad iconem, nec cum vulgari silvestri quoad descriptionem. Quam porrò dicit ad aquam provenire fortè referenda ad silvestrem, de qua post.

Est Smyrnium Euric. & Valerio Cordo Est Angelica Smyrnium Dioscoridis Euricio Cordo, ejusque filio Valerio Cordo, dicenti: Pater Angelicam esse dixit, Smyrnion Dioscoridis. Et hac in re dubium non est. *Ruell. reprob.* Ruellius non scivit Smyrnium hodie Angelicam vocari, alioqui non affirmaret Angelicam Laserpitium gallicum esse, ut temerè fecit. Sed filius Val. Cordus parentis Euricij Cordi opinionem sequutus, eodem quo parens errore notatur. *Euricij & Valerij ordi opinio reprobata.* Neque enim Smyrnion est, Fuchsio etiam teste, quòd sc. umbellam Anethi, & semen rotundum, aliaque multa, quæ descriptio requirit, non habeat.

Panacis species Brunfelsio. Panacis speciem facit Brunfelsius, qui silvestrem & sativam agnoscit, quam multos Germanorum Buch Holter (Valerianam puto) vocare refert. hujusque radici saporem negat, contra veritatem. *Brunfel. notatur.* Nulla nobis nota Angelica, cui radix sit insipida. Radici ci, inquit nullus sapor, nisi decipiantur ementes, & vendatur sylvestris Angelica pro vera. Cæterùm, testatur Radicẽ Sancti Spiritûs doctissimos existimare esse Meu Dioscoridis. sed nõ cõvenire descriptioni. *Radix S. Spiritus.*

Panax Herculeum Trago.

Hanc nostram Angelicam Panaces Herculeum Dioscoridis esse sentit, & ut ita judicet, plures causas adducit. Non enim tantùm similem esse ait Angelicam Levistico, sed etiam recentis adhuc folia thus optimum redolore: vires habere adversus omne venenum efficacissimas. Sed ipse veterum scripta aut non legit, aut negligenter & obiter per transennam quasi vidit, ac propterea magno cum errore πάνακες ἡράκλειον, insolenter, præter simplicium cognitionem, quam ex veterum scriptis haurire debebat, asserere non dubitavit. Vbinam folia aspera, in terra jacentia, & multùm ad ficulnea accedentia? ubinam in umbella ceu Anethi oblonga, flores lutei? ubinam liquor radicis candidus, amarissimus, atque graveolens? Non certè hæc Angelicæ nostræ competunt, quæ tamen Panaci suo Heracleo Dioscorides inesse scriptis comprobavit.

Trag. reprehenditur.

Tragus refutatur.

Vix igitur credi par est nostrates Angelicas, indicis etiam delitiis & præsidiis neutiquam posthabendas, antiquitati notas fuisse: nec enim siluissent tam divinam fragrantiæ gratiam, & vicarias divinæ beneficentiæ vires, inquit Lobelius, triplicis nostratis Angelicæ. Quarum quæ procerior, binum triumve cubitorum, radice crassâ, intùs candicante, foris pullâ, odore perquam suavi, floribus luteis. Nonnullis in hortis Londini, Antuerpiæque visitur alia, tota minor, suaviori odore, folijs imis ex purpura rubescentibus, supernis autem ex rubore virescentibus: umbellis, cæterisque similibus. Tertia est Angelica sylvestris. de qua postea seorsum pluribus dicetur. Idem in Obs. appellat Costum nigrum nuperorum. Sed quibus ita appelletur, aut quam ob rem non ostendit.

Angelica Lobelio.

Costus niger.

Angelica.

Angelica dicitur Brunf. Ruell. Eur. Cordo, Trago, Brunsch. Fuchs. Corn. Solerio, Ang. Gesn. Lon. Matth. Dod. Lob. in Adv. p. 311. Obs. p. 388. Icon. p. 698. Cæs. & aliis plerisque cum Officinis. Smyrnium, Corn. Lac. Schvvenckf. Euric. & Valer, Cordo. Angelica sativa, Lon. Hort. Lusitano, Brunf. Trago & Fuchsio. Angelica. hortensis, Lac. Angelica major, Dod. lat. Angelica odorata, Cam. h. Silphium, Gesn. in cat. plant, Dod. & Cæsalp.

Smyrnium. Angelica sativa. Angel. hortensis. Angel. major. Silphium. Lugd. notat.

Lugd. p. 724. pro sativa Angelica ponit duas figuras, unam quidem Angelicæ sativæ Matthioli titulo; alteram Angelicæ sylvestris Dodonæi inscriptione. Sufficiebat autem una figura. Nam Dod. non posuit pro Angelica silvestri, sed pro sativa.

C. Bauh. Angelica sativa Laserpitio cognata: varians radice, crassiore, quali est nostras, & minore, quali est Bohemica. In animadvers. testatur Lugd. duas figuras Angelicæ unius dare, quæ nullam sativæ differentiam ostendant. Eid. B. pin. Angelica 1. sativa: Angelica odorata, Gesn. coll. & Cam. Laserpitium, Lac. Variat radice; nostra enim crassior, Bohemica minor & nigricans: illa citiùs, hæc tardiùs corrumpitur. Huc referenda est Angelica Scandiacæ, sive Archãgelica Tabernæmontani, quæ umbella est flava, semine rotundiore, & ex Norvegia & Pomerania adfertur. Nos hanc infra seorsim describimus, nec huc referendam ducimus.

Angelica alp. 2.

Schvvenckf. Angel. alpina 2. vera, nobilior; Angel. montana, C. Bauh. sativæ Angelicæ similis, Rhizotomis Silesiis, at tota minor; foliis ex atrovirentibus, radice in pauciores, sed crassiusculas fibras divaricata, in præruptis montium jugis & saxorum fissuris. Angelica alpina 3. montana Silesiaca; Camerario Angelica silvestris montana; Adversarijs Angelicæ varietas, Silesiis in montibus frequentior, Solo pingui inter saxa, herbidis locis: radice acerrimi gustûs, luteo & lento turgente succo, ideóque valentiore cæteris omnibus, quæ mansa os, linguam & fauces maximè urit & inflaminat: calida & sicca ad quartum ferè gradum: corrigitur aceto macerata.

Angelica alp. 3.

Item Angelica hortensis, Smyrnium Cordi, Angelica major Matthioli & Dodonæi, gustu acris & amariuscula, suaviter odorata, calida sicca in tertio.

Angel. hortensis 3.

Angelica, sativa præcipuè, dicitur ab aliquib⁹ Germanorũ Angelick/ab aliis des Heyligen Geistwurtz i.e. Radix S. Spiritûs, à suavissimo ejus odore, quem radix spirat, aut ab immensa contra venena facultate, appellatur. itémque Brustwurtz & Engelwurtz. Belg. Angelyka. Gall. Angelic. & Angelique. Ital. Angelica. Hisp. Angl. Angelica. Boh.

Nomina linguarum & Etymon.

Angelica sativa Montbelgardi à nobis sata provenit copiosè in horto E. C. ac aliis, se ipsam semine propagans, nec facilè proveniens vere · recenti siquidem semine disseminari cupit. Nostra valdè magna est, ad eam quam pingunt pro Archangelica accedens, valdè odorata: sed crassæ radices, non tenues quales sunt ejus Angelicæ quæ solet Basileæ & passim vendi. Vidi Angelicam Florentiæ in Cœnobio à Innocenti. Genevæ sata vere provenit, sed pauca: caulem incipiebat producere sequenti anno, Februarij principio: florebat junio, seménque decidebat Iulio. Dum autem ex semine plantatur, ex húmo primùm prodire solet foliis primis Petroselinaceis similibus; transplantandæ dum in tenera sunt adhuc ætate, inquit Tragus; altero, aut tertio demum anno caulem emittit: multi hodie venditare non dubitant Angelicam veteribus incognitam, sed à neotericis herbariis in altissimis montibus eam fuisse inventam. Angelicam sativam Matthiolus passim seri scribit in Misnia & aliis fortasse Germaniæ locis in campis, colique diligenter, quod inde non mediocrem recipiant proventum. Erui tertio à satu anno. Domesticam sponte per se nasci iisdem in locis, in quibus silvestrem; aquaticam in aquosis. Item Angelicam majorem & minorem provenire in altis montibus, Soli expositis, ut in Risenberg Bohemiæ: in finibus Silesiæ, ibi utramque speciem effodi; interdum Angelicam provenire ad ripas aquarum locis umbrosis copiosè inveniri in Norvegia, Islandia, Pomerania & Helvetia. Angelica procerior & minor Lobelij, celsos utraque montes, gelidáque amat juga, colitur & in hortis in Gallia, Anglia & Belgio.

Locus & tempus.

Angelica, authore Trago, valet adversus omne venenũ tã internis quàm externis in partibus corporis, præsertim verò contra ictus & morsus serpentũ & canum rabiosorum, quod ille ipse quoque experientia didicit: venenum educit, sanguinem dissijcit, & corpus excalfacit. Eadem potest aqua ex radice, non herba, distillata. Si qui peste, febre repentinâ, aut cum sudore immodico corripiatur, is radicis Angelicæ in pulverem redactæ drachmam dimidiam cum Theriacæ drachma misceat, in tribus aut quatuor cochlearibus aquæ ex radice Angelicæ distillatæ, bibat, deinde in lectum se componat, seque probè contegat, ac ad minùs tribus post horis jejunet: quod si fecerit, incipiet sudare, & (Deo favente) periculum omne evadet, morbóque liberabitur. Quòd si Theriaca non suppetat, tunc pulveris radicis drachmã integram, cum aqua distillata sumat, ut jam dictum, pari ratione liberationem sentiet. Radix in aceto macerata, & tempore pestis odorata, & nonnunquam aceto illo etiam poto, si jejunus sit, præservat à lue pestifera corpus. Aqua radicis distillata, aut radix ipsa in pulverem redacta ac cum vino pota, tormina ex frigore orta sedat, modo nulla illis alvi adstrictio adjuncta adfuerit. Breviter omnibus internis affectionibus prodest aqua distillata, & radix in pulverem redacta, nempe pleuritico morbo incipienti, nam collectiones eiusmodi discutit, ruptis & pulmonis vitiis, unde tusses plerumque gravissimæ oriuntur, torminibus, stillicidio urinæ

Vires & usus. Contra venenum.

Pesti.

Pleuritis. Pulmonis vitia.

Vrinam movet. Discutit. urinæ,& ſtranguriæ, menſibus movendis, fœtibus trahendis, internis denique quibuſvis tumoribus & flatibus diſcutiendis. Ad omnia illa poſſunt decoctiones & potiones ex Angelica confici, ſi vel vino, vel melle, prout ratio ægrorum poſtulare videbitur, decoquatur radix. *Succus. Aqua.* Succus Angelicæ cavis dentibus inditus, dolore liberat. Aqua diſtillata auribus indita, idem poteſt. Succus etiam & aqua diſtillata, oculorum aciem illitu excitant, claritatem adjuvant, pelliculáſque oculis obductas, unde caliginem ſequi neceſſe eſt, rumpunt. Ex Angelica & pice optimum *Emplaſtrũ ex Angelica contra venenatos morſus* fit emplaſtrum contra beſtiarum morſus, quæ in rabiem efferuntur. remedium præſtantiſſimum eſt aqua diſtillata, ſuccúſve inſtillatus, aut pulvis radicis inſperſus inveteratis & profundis ulceribus, *Vlcera profunda* illa enim mundat, & nudata corpore oſſa operit. aqua diſtillata podagricis, ischiadicis, illitu prodeſt; *Aqua anodina eſt.* dolorem enim ſedat, & collectos ac lentos humores diſſolvit. ſemen ejuſdem cum radice eſt efficaciæ. Sylveſtris Angelicæ radix & ſemen non tantarum ſunt virium. hodie illis in vino decoctis in vulneribus recentib. ſanandis utuntur. Et hæc de Angelicæ facultatibus memoriæ prodidit Tragus, quæ Fuchſius *Temper.* aliter ita recenſet. Calfacientem & deſiccatoriam vim in tertio ordine ei aſſignant herbarij recentiores. Aperit, extenuat, diſcutit. Vnicè venenis adverſatur. Peſtilentiæ populatim ſævientis arcet contagia. Corpora à lue peſtifera vindicat, ſi tantùm, ut adfirmant, in ore teneatur. Per Hiemem ciceris magnitudinē cum vino, per Æſtatem ex ſtillatitio Roſarum liquore ſumpſiſſe ſatis eſt. Nec ſenſurum eo die contagionem pollicentur, quo quis devorarit: nam urina & ſudore venenum abigit. Lentitiam pituitæ digerit, *Tuſſis frigida.* quapropter tuſſi, quam frigus attulerit, medetur. Craſſa, quæ in thorace coïerint, diſcutit. Herba ipſa in vino & aqua cocta, vulnera interna glutinat, *Sanguis concretus* concretum ſanguinem reſolvit, ſtomachum eſu corroborat, cor recreat, pituitam ventriculi dejicit, faſtidia ciborum diſcutit, & elangueſcentem invitat appetẽtiam. Rabioſi canis morſu, aut ſerpentis ictu liberat, ſi contrita cum ruta & melle folia indantur, dein cocta in vino bibantur. Libidinem extinguit ore jejuno ſumpta. *Laſſitudines reficit* Laſſitudines reficit, thoracem expurgat. *Febres.* Supra febricitantis caput impoſita, fertur ad ſe fervorem elicere. *Faſcinationes* Valere contra faſcinationes adfirmant, ſi quis eam ſecum geſtarit. Angelicæ vires & uſum ſequentem in modum tradidit Tabernæ- *Temper. Tabern.* montanus. Angelica, præſertim hortenſis vim habet calefaciendi, aperiendi & deſiccandi, & eſt calida in tertio, & ſicca in ſecundo gradu. Semen in operatione ſua radici ſimile eſt, ceu etiam Angelica montana minor. Aquatica parva & ea quæ ex Northvegia adfertur, non excedunt ſecundum caliditatis gradum, ſic neque primum ſiccitatis. Herba tam hortenſis quàm ſilveſtris Angelicæ, minus etiam ra- *Vulneraria* dice calida eſt. Vtraque vulneraria, tam intrò aſſumpta, quàm foris admota ad curanda vulnera in potionibus & emplaſtris. Angelica maſticata, nonnihilque deglutita oris fœtentem halitum emendat. *Oris fœtor.* Nonnulli folia in ſalſamentis adhibent, ad craſſos humores diſſolvendos, concoctionem adjuvandam, itemque oris fœtorem corrigendum, pectus expurgandum, & appetitum excitandum. Salſamenta hæc apud Anglos in frequenti ſunt uſu: Sed etiam *Potagia.* potagia ex tenellæ herbæ foliis, præſertim ſilveſtris Angelicæ, parant. Magnæ uterq; cibus peſtis tẽpore commendationis. Radix cor confortat ex frigida *Vertigo.* cauſa laborans, maximeque conducit in vertigine & animi deliquiis quovis modo uſurpata. E radicis *Electuariũ de Angelica.* Angelicæ pulveris parte una cum mellis deſpumati partibus quatuor ſalutare componitur electuarium contra quoſvis thoracis & pulmonum frigidos affectus, unde & Bruſtwurtz / Pectoraria radix, nuncupatur. Et hinc radix in vino decocta ac cum melle deſpumato dulcorata manè & veſperi quinque aut ſex unciarum pondere pota pectus calefacit & pulmones, medeturque difficili reſpirationi. humectat enim & diſſolvit viſcoſitatem omnem. Hæc ille, qui plura alia de Angelicæ facultatibus adſcribit, quæ datâ operâ lubentes omittimus, tum quòd ex aliorum ſententia ea jam recenſuerimus, tum quòd compoſitionem medicamentorum concernant, de qua nos hîc agere ex profeſſo non ſtatuimus. Sunt *Succus.* autem inter alia ſuccus exſiccatus, qui & cum aliis medicamentis, & per ſe etiam uſurpatur ad ſuprà dictos affectus. paratur ut ſuccus Abſinthij, etiam ex ſicca radice, qui præſtat. Aqua variè diſtillatur. *Aqua.* Nunc enim accipitur herba & radix, minutim conciditur, diſtillaturque vaſe vitreo in Balneo Mariæ, igne lento. Et ita vulgaris aqua conficitur. Si præſtantior requiratur, capitur pulvis radicis pondere unciarum quatuor, cui affunditur prioris aqua menſura una, maceraturque in Balneo Mariæ die naturali, diſtillaturque. Alij accipiunt herbam & radicem, contundunt, conciduntque minutim, macerantes in vino veteri aliquot diebus, diſtillantque. Alij radices exſiccatas eligunt, groſſo modo pulverizantes, ac in vino veteri macerantes aliquo tempore, ex qua infuſione eliciunt aquam, Aquæ vitæ ſimilem, fortem multùm. De Angelicæ vino, Mulſa, Extracto, radicum conſerva, Syrupo extractionis, Oleo ſtillatitio, radicibus conditis, Angelica ſaccharo incraſſata, tabulis ex Angelica & Sale idem Tabern. plura ſcripſit. Septentrionales ſativæ Angelicæ caulem detracto edunt cortice, ut ab ipſis accepit Dodonæus, quos in Iſlandia peregrinantes hiſce veſci alterius cibi quandoque coëgit inopia. ferunt autem ſapidum eſſe & palato eſurienti gratum.

ARCHANGELICA.



De hac variè ſentiunt autores, ideoque ſingulorum placuit ſubſcribere opinionem.

Archangelica Lob. Archangelica (ita vocat Lob. in Obſ. p. 399. in Icon. p. 701.) dicitur Gallo Belgis Angelick de Norwegen / foliis ſativæ multò majoribus, atrovirentibus, latiſq;, humifuſis, averſâ parte glaucis, primo pullulatu rubris. Caulis multis concavus alis, proceritatis humanæ, imò rubens. In lata umbella flores luteoli & ſemen foliaceum Angelicę ſativæ, majus & rotundius. Radix altè depacta, parum odora: ex Norvegia Belgio inquilinam factam aſſerunt. In hiſt. Belg. p. 850. vocat Archangelicam, Noorweeghſche / Angelicam, viſam Antuerpiæ, delatam ex Norvegia, & in Dornick apud Mutonium. Item Archangelicam cum duplici corona, quam habuiſſe ait Dominum à Reinoutre.

Matthiolus & Geſnerus aquaticæ cujuſdam Angelicæ meminère, ſed quandoque eam non deſcripſère, ſuſpicatus eſt Dodonæus eandem hanc eſſe, quam ipſe Archangelicā nominavit & ſic deſcripſit: *Archangelica Dod.*

Est hæc & foliorum amplitudine, sativa haud inferior, sed tamen singularium frequentia numerosior: in plurima enim folia, hujus diducuntur. caulis crassus, quandoque unà cum foliorum pediculis rubens, geniculatus quoque, valde ramosus, è singulis siquidem geniculis tres aut quatuor alas pronuit; multis idcircò undequaque umbellis cingitur, quarum flores candicans: semen latum, longius & crassius quàm Angelicæ: alta radix & albida, exigui odoris, majoris tamen quàm folia, vel caulis, quæ nullius aut admodum obscuri. Nobis Gesneri aquatica Angelica non est diversa à silvestri, ceu post quoque monebimus. In Matthiolo autem omnia obscura fatemur. Dodonæus Archangelicæ flores candidos tradit; Lobelius autem luteolos; quibus visa dijudicent. Dodonæus separat ab Angelica Norvegica; Lobelius verò eandem facit: quare rem diligentius inquirant stirpium periti.

Dod. notatur.

Clusius. Clusius in pannon. Archangelicam à nonnullis appellatam & ipse amplioribus quàm Angelicæ foliorum alis esse refert, & teneris adhuc existentibus, subpurpureis: caule humanam altitudinem superare, brachiali, aut ampliori crassitie: frequentissimam in montibus arci Greben, sitæ in interamni Pannonia, quam Germani Windischlandt appellant: expansa enim est inter Dravum & Savum flumina: solere eam quemadmodum & Angelicam perducto ad maturitatem semine perire, atque illo in terræ sinum sponte recepto renasci. Eadem habet in hist. post. ubi Archangelicæ titulo iconem etiam apposuit.

Camerarij verba de Angelica Norvegica & Archangelica vide titulo de Angelica, sativa scilicet. In horto dicit Archangelicam depingi à Lobelio & Clusium in pannonicis ejus meminisse.

Angelica Scandiaca. Tabern. appellat Archangelicam & Angelicam Scandiacam, Norwegisch & Pomerisch Angelick. Ejus figura facta ad imitationem Archangelicæ Lobelij, additis in summitate ejus, alternis foliis & radice: verùm Lobelius in Ic. & hist. Belgica sativam separat ab Archangelica Norvegica.

Angel. silv. montana. J. Bauh. C. Bauh. phyt. Angelica 4. (5. in pin.) sive silvestris montana, Archangelica, Clus. pan. Angelica, Cæs. Angel. minor montana, Tab. Item Angelica 5. (6. in pin.) sive aquatica, Gesn. h. Archangelica, Lob. Dod. Clus. pan. & hist. Cast. Lugd. & Camer. Angel. altera, Cæs. Cur frater in phyt. separet Archãgelicam Clusij ab Archangelica Dod. & Lobelij; eademque iterum in pin. ad duas referat, me latet: is sibi constare non videtur nam omnes eandem iconem habent. Gesneri verò Angelicam non statuo diversam à silvestri.

Angelica alpina. Schvvenckf. Angelica alpina 1. Angelica Silesiaca maxima, Archangelica auff der Iserwiese / caule brachij crassitudine, tricubitali: radice longiore, crassâ, paucioribus fibris donata. ad ripam Iseræ fluvij majoris.

ANGELICA SILVESTRIS magna vulgatior.

Desc. CVM sativa Angelica multas habet notas communes silvestris, adeò ut ex illa hæc non sit cognitu difficilis: radix similiter rugosa, crassa, sed minùs quàm sativæ, sapore non minùs vegeto, imò interdum luculentiùs excalfaciente, verùm cum minore suavitate: caules bicubitales & tricubitales, nonnihil hirsuti & alicubi subglauci, alioqui sativæ similes, quemadmodum & folia, utcunque tamen minora & imbecilliore sapore prædita. umbellæ candidæ minores; semen

Trag. notatur. Hanc cum sativa similem facit Tragus, quam bene ostendit descriptio nostra. Angelica silvestris, in-



quis, sativæ per omnia similis est, nisi quòd nonnunquã candidum fert florem, odor illi nec non & sapor non perinde vehemés: Germanis wild Angelick / & nonnullis wundtkraut / h.e. Vulneraria dicitur, quòd vulneribus mundandis & sanandis conducat. *Vulneraria.*

Cord. in Diosc. vocat Angelicę genus in uliginosis. Cordo hîc adscripsit Gesnerus Angelicam silvestrem vulgò dictam aliquos putare esse Libanotidem primam, Cordum ipsum in Disp. sequutus supra Mithrid. dicentem: Libanotis hîc non significat Rosmarinum, sed Angelicam silvestrem minorem. semen autem ejus accipi debet, quod Cachrys vocatur. *Libanotis.*

Cord. reprehenditur. Matthiolus meritò Cordum in suo dispensatorio hallucinatum credidit, quippe qui existimaverit silvestrẽ Angelicã esse Libanotim. Matthiolus autem, cujus verba ante adduximus, olim videtur hujus Angelicæ figuram exhibuisse sub solo titulo Angelicæ, ut videre est l. 4. c. 111. & postea in comm. cum mag. fig. Lat. c. 111. It. c. 118. titulo Angelicæ silvestris; in hist. germ. Angelicæ minoris: in ep. Angelicæ sylvestris pumilioris: Glossator & patrocinator pro silvestri. Iam itaque illi patrocinentur Matthiolo & apud eum demonstrent discrimen inter silvestrem minorem & in aquosis provenientem. qualis ea cujus nos figuram Fuchsianam exhibemus: eos demõstrasse velim an Matthioli Angelica ad aquarum ripas proveniens non sit ea, de qua hîc agimus, quamque Fuchs. in Ic. & hist. Angelicam vocat; itémque Lonic. (qui in edit. anni 1573. iconem malam exhibet) Lob. adv. p. 311. in Belg. p. 850. in Obs. p. 399. (ubi affirmat Gullandino Phellandrium Plinij esse) in Ic. p. 699. Thalius & Hort. Lusitanus.

Gesn. Angelicam aquaticam, ferulaceam herbam, hortensi similem, circa rivos sponte crescentem, & restibili fœcunditate durantem. Tabern. Ic. & hist. Angelicam minorem aquaticam.

An Magudaris? Dod. Angelicam silvestrem sive minorem, cui radicem tribuit tenuiorem & minùs oleosam aut odoratam, passim in utraque Germania locis humidioribus provenientem, præsertim silvestribus. An autem illa sit quæ à Theophrastro μαγύδαρις, Magudaris à Latinis appellatur, altera videlicet Laserpitij species, expendendum & considerandum proponit. Quamvis autem, uti à nobis dictum, Matthiolus de Angelica aquatica sylvestri obscurè scribat, nihilominus tamen haud puto diversam à silvestri, de qua hîc nobis sermo, nec etiam Gesneri, ut ante diximus: Dodonæus in hist. gall. olim Fuchsij figuram habebat, quam in Lat. mutavit licèt sit ejusdem omninò plantæ.

Cam. h. Angelicam silvestrem montanam, in locis humidioribus nascentem, foliis tenuioribus, satis tamen odoratis: frequentem ubique Norimbergæ circa urbem in locis palustribus, & alibi.

H. Lugd. notatur. Duas icones unius hujus plantæ, ut opinamur pictas dat Lugd. p. 725. primã inscribit Angelicam silvestrem Fuchsij, alteram Angelicam silvestrem Matthioli:

thioli. Nec ostendit quomodo differant Angelica silv. Fuchsij, & Angelica silvestris Matthioli, ut animadvertit in Lugdunensem C. Bauhinus. Sed ipsemet patrocinator Matthioli bene fecisset, si ostendisset, quam plantam intellexerit Matthiolus suâ icone. Is in phyt. & pin. appellat Angelicam 2. silvestrem majorem. Schvvenckf. Angelicam aquaticam, wasser Angelick / & wild heylig geistwurtzel. *(C. Bauh.)*

Ponæ in Baldo dicitur Phellandrium Plinij Guilandini; quam ab Herbariis Angelicam silvestrem vocari ostendimus, atque Cordum Smyrnium fecisse, quod apud hunc nondum legimus, si non fallit memoria. *(Phellādriū Plinij.)*

An Cæsalp. Angelica descendens in plana, juxta aquas locis umbrosis? Descriptionem Cæsalpini videre est capite de Angelica sativa.

Angelica silvestris magna Montbelgardi abundat in horto E.C. & alibi, florens Augusto. Vidi in Italia inter Veronam & Castelfranc: Bononiæ & Genevæ ultra Rhodanum ad ripam virentem mense Aprili. Basileæ frater observavit in pratis propè Münchenstein, & ad Rhenum extra portam Riehem. Illam, quæ Archangelica Gesnero dicitur, ut ipsemet annotavit, ipse vidit Basileæ extra portam lapideam & in monte Moutes mense Octobri, & in monte wasserfall, florentem Augusto, ad altitudinem hominis magnam, cum succo odorato, acri, amaro & croceo in radice. In Ducatu VVirtembergico locis vicinis & fonti & balneo admirabili, & ad rivum prope fontem medicatum, vicinum pago Zell copiosè provenit, ubi cum flore & semine Augusto observavi. Angelicam silvestrem rariùs hortis, sed sæpiùs uliginosis, pratensibus, locis frigidis gaudere scribit Lobelius, cuilibet notam in Anglia: In Silesia passim in pratis secus fluenta occurrere testatus est Schvvenckfeld. *(Locus & tempus.)*

Hospes quidam in Zell pago in Ducatu VVirtembergico Angelicâ silv. celebrabat in morbis equorū, pecorum & suum exhibitam viridem in potu, vel siccam. Narrabat autem laborare sues morbo paucis cognito, unde sæpè sine auxilio intra octiduum moriantur: morbum quidem vocari *Fässem*, & esse internum in ore tumorem ad maxillam durum, crassitudinis pollicis, qui si non tollatur, excrescat, & eos suffocet. Se mederi hoc modo, acu filum per tumorem traducere, ut cum filo possit eum tenere & elevare, deinde novacula auferre totum tumorem, mox dare in potu hanc Angelicam & subternere Artemisiam & Ebulum. Hanc ob acrimoniam minorem cibis condiendis aptiorē statuit Schvvenckfeldius, corrigereque proventum, saburramque crassorum & viscidorum humorum, atque fœtidum halitum emendare tetri spiritûs ex prava concoctione manantis. *(Usus. Morbi pecorum. — Saburra crassorum humorum.)*

ANGELICA SILVESTRIS repens.

HÆc duos cubitos superat, caule tenui, striato, rubente, fistuloso, alis concavo, ex radice tenui, fibrosâ, longè lateque reptante, odore & sapore quadantenus Angelicæ, sed multò infirmiore: folia Angelicæ sativæ minora, atrovirentia, Sisari sapore. umbella Angelicæ itidem minor, odorata. semina bina juncta, oblonga, striata. *(Descr.)*

Cordus in Diosc. ad Elaphobosci descriptionem satis accedere hanc herbam dicit, quam à Germanis Girsche / aliàs etiam Gersse / vel Strenzel appellari refert. Cordum sequitur Toxites in Onom. philosophico. *(Elaphoboscum.)*

A Trago inter Angelicas recensetur, ac tertio loco Vitij Angelicæ titulo describitur, flore in umbel- *(Vitium Angelica Trago.)*



lis candido, edice per terra sparsâ ut Loliū, unde Mediomatrices maternâ linguâ witscher lewertsch nominare ait & Synfus. Idē alibi silvestre Osteritij genus, Osteritio quàm Angelicæ similius, & germ. wildt meisterwurtz appellat. Tragi nomen, Vitium Angelicæ usurpat & Lon.

G. fn. h. negat verum esse Corchorum, licèt interim Corchorum quorundam, Apij genus vitiosum, & Caccoselinū quodam appellet. *(Corchorus quorūdam.)*

Cam. h. dixit Angelicam silvestrem communem & Pestem hortorum. Apud Matth. germ. Imperatoriæ, Ostrutij vulgò speciem silvestrem, quam alios ad Angelicam silvestrem aquaticam referre testatur, ac Belgas Podagrariam vocare, ab utilitate ad podagram, ac etiam ad coxendicis dolorem. *(Podagraria.)*

Thalius ac eum sequutus Schvvenckfeldius Angelicam erraticam nominat, & Giersâ, i.e. Giersing Giersig / & Gierisch: itemque zipperlin kraut / ejus odorem satis fortem adscribunt. *(Angel. erratica. Giersa.)*

Dod. gall. & lat. Astrantiæ secundam speciem constituit, silvestrem scilicet, vocátque Herbam Gerardi (Geraert Brabanti dicunt, & Sevenblat / inquit privatim in hist. gallica, Græci ἑπτάφυλλον & Septifolium, h.e. *Herbe Gerard & Septfeuilles*) folijs, floribus in muscarijs candidis, latè serpentibus radicibus, Astrantiam referentem, omnibus tamen minoribus. *(Herba Gerardi. Septifoli.)*

Lob. hanc inscripsit adv. Podagrariam Germanorum, quam odore & viribus quadantenus ad Ebulum accedere tradit ac propterea plebeculam ratam Ebulum esse, usam diu fuisse, etiam nunque experiri ad ischiadicos & podagricos optimè facere, vocitaréque hanc Belgas Fleireincruyt i. e. Podagrariam. In Obs. p. 398. Icon. p. 700. Podagrariam, Germanicam aut Belgicam appellat. *(Podagraria Germanorum.)*

C. Bauh. phyt. dicitur Angelica 3. silvestris minor, sive erratica, mirè varians foliorum incisuris: & Pycnocomos Brunfelsij in fol. p. 165. & in 4. p. 163. Icon quidem apud Brunf. est hujus Angelicæ silvestris, non autem descriptio. In pin. addit Castorem vocare Podagrariam; Ægopodium, Tabernæmontanum.

An Cæsalpinus plantam nostram intelligit lib. 7. cap. 46. ubi ait. Per alterum Pharnaceon, à Pharnace rege cognominatum [apud Plinium] tenuioris folij, intelligi puto herbam in omnibus ferè alpibus frequentem, quæ & in plana descendit, umbrosis tamen locis, Imperatoriæ similimam, sed sine odore, folijs tenuioribus, mollioribus, pediculis non rotundis, sed excavatis: radice brevi: umbellâ candidâ: seminibus gustu insuavibus: hanc Pseudo-Ligusticum appellari posse cēseo, cujus semine adulterari legitimum Ligusticum testatur Dioscorides. *(An Pharnaceō alterū Cæsalp.)*

Angelicā sylvestrē repentē Patavij provenientē vidi, & Basileæ in hortis, & ad fluvium Birse: Lugduni florentē Majo. Genevæ Iunio. Montbelgardi varijs in locis, ut in colle eundo Admincourt florentē Iulio. In Ducatu VVirtemberg. nō longè à Fonte Admirabili in monte Eychelberg. In hortis gramineis, quibus nasci gaudet, semel plantata, longè reptatu *(Locus & tempus.)*

nitiosa est: nam aboleri difficillimè potest. Adeò restibili & importuno proventu juxta sepes hortorum & parietes udis umbrosisque locis pinguibus luxuriat, ut vix inde possit radicitùs deleri.

Vsus. Odor huic satis fortis, multò tamen imbecillior Angelicâ. Adduntur folia recentia tenera oleribus. Radix aliquot diebus ex vino pota febres putridas sanat. Vulneraria est. Podagricis optimè facit, autore Schvvenckfeldio. *Febres putridas. Podagra.*

ANGELICA SYLVESTRIS hirsuta inodora, C. Bauhini.

Descr. RADICEM habet crassam & fibrosam, foris pulla cortice tectam, intus albam, redivivam & odore medicato; caulem cubitalem, in breves alas brachiatum parte infernâ, paucissimis pilis cinctum, nigrum; folia Angelicæ sylvest. sive Podagrariæ æmula, in alas, modò binas, modò ternas, easque aliquando uncias quatuor longas, tres latas, aliquando vix unciales, divisa, in ambitu profundè incisa, atrovirentia, hirsuta, quorum pediculi hirsutie asperi sunt: umbellam habet parvis floribus albis refertam, quibus semen oblongum nigricans succedit. Hanc ex Lusatia, nomine herbæ podagrariæ cognatæ, D. Francus misit, cujus in horto Lusatiæ meminit.

LIGVSTICVM VETERIBVS.

Cap. LVIII.

Ligusticum Diosc. LIGVSTICVM, Dioscoride ita referente, plurimum in Liguria nascitur, unde & nomen traxit, in monte sc. Apennino dicto, Alpibus contermino. Ipsum incolæ Panaces haud abs re appellant, quoniam & radice & caule Heracleotico Panaci simile sit, paribúsque viribus prædictum. Gignitur in altissimis, asperisque montibus ac umbrosis, maximè verò juxta foveas & scrobes. Cauliculum profert tenuem, ceu Anethi [Margo recens Selini] geniculatum, circa quem folia sunt Meliloti, at teneriora [Ald. longiora] & odorata, prope verticem graciliora, pluribusque incisuris. In cacumine umbella, è qua semen dependet nigrum, solidum, oblongum, Fœniculo [Anetho. vet. Margo] proximum, gustanti acre & aroma redolens [vet. ... tantùm legit] Radix est candida, Heracleotici Panacis similis & odorata. Seminis, radicisque vis excalfactoria & concoquens: siquidem prosunt ad interaneorum dolores ac tumores, itémque ad juvandam concoctionem. Valent & ad inflationes præsertimque ventriculi, neć non & ad venenatarum bestiarum ictus: urinas quoque ac menses pota trahunt. Sed & apposita radix idem præstat. Ipsa porrò æquè ac semen utiliter oxyporis & concoquentibus medicamentis admiscetur. Hoc verò stomacho perquam utile est: quare Piperis loco id indigenæ obsoniis immiscent. Adulteratur autem semine quodam consimili, quod tamen gustu facilè discernas: amarum enim est. Alij quoque seminibus Fœniculi, aut Seseli simul admixtis fraudem faciunt. *Locus. Diosc. Varie lustratur. Vires & usus.*

Ligusticum Plinio. Ligusticum (inquit Plin. l. 19. c. 8.) silvestre est. In Liguriæ suæ montibus seritur. Vbique suavius sativum, sed sine viribus. Panacem aliqui vocant. Cratevas apud Græcos Cunilam bubulam eo nomine appellat. Et rursus lib. 20. cap. 15. Ligusticum aliqui Panacem vocant, stomacho utile est, item convulsionibus & inflationibus. Sunt & qui Cunilam bubulam appellaverunt, ut diximus, falsò.

Libysticum. Galenus. Galenus λιβυστικόν vocat, si scriptura non fefellit Cornarium, cujus radicem & semen ex genere excalfacientium esse ait adeò, ut menses cieant, & urinas provocent, flatusque discutiant.

Panax Columella. Credimus cum Marcello, Ligusticum hoc esse quod Columella l. 11. Panacis nomine Autumno & Vere seri jubet leni & subactâ terrâ, raris intervallis, quò majus incrementum capiat. Idem vltimo ultimi libri capite, Oxyporis misceri Ligusticum jubet; & qualia antiquis Oxypora essent, & quo modo conficerentur longissimè etiam docuit, sic dicta quòd aceto condita ad intinctus servarentur. Cornario tamen ὀξύπορα à celeri transitu appellata videntur; ut etiam videre est apud Aëtium l. 6. c. 10. & 9. c. 24.

Smyrnium. De Ligustico, non autem Smyrnio, quod cum Ligustico turpi errore confundit Pictorius, Macer hæc prodidit.

A Ligurum Patria sumpsere Ligustica nomen, *Etymon.*
Copia quòd major ibi nascitur illius herbæ.
Tertius huic gradus est calidi, siccique vigoris: *Temperamentum.*
Major radicis vis est, quam seminis ejus,
Et par est illis vis in medicamine quovis:
Inflato stomacho cum vino sumpta medetur, *Inflato stomacho.*
Et tali potu via digestiva juvatur. *Aperit.*
Omnibus & morbis sic prodest interiorum:
Vrinas sic sumpta movet & menstrua purgat. *Morsus venenati.*
Tota venenatis medicatur morsibus herba,
Sic bibitur bene trita priùs, vinóque soluta,
Et pars contrita ponatur desuper herbæ,
Non modicum colicis prodest hæc mansa, vel hausta, *Colica.*
Vel si radicis elixatura bibatur,
Nec solùm colicis decoctio proderit ista,
Sed supradictis medicabitur omnibus hausta,
Digestibilibus semen bene jungitur ejus *Digerit.*
Omnibus antidotis, quòd sit huic pepsica virtus.
Hanc oculis Strabus, potuque & odore nocivam *Oculis noxia.*
Asserit, antidotis ejus tantummodò semen
Misceri jussit hoc verum dixerit à se, *Strabus notatur.*
Aut à doctorum libris, non est mihi notum:
Hoc scio, quod veteres non parvis laudibus istam
Attollant herbam, nec me legisse recordor
Vllum qui Strabi sermonibus astipuletur.

Æquivoca. Levisticum vulgare. Ligustici nomen pluribus plantis attribui comperimus. Est enim Ligusticum multis, quod vulgò Levisticum dicitur, de quo ante post Apia.

Ligustic. Rauvvolfii. Ligusticum Rauvvolfij folio Aquilegiæ paulò post referemus sub eo titulo.

Seseli Alpin. Clusii. Ligusticum de Seseli alpino, sive montano Clusij dicitur, de quo paulò ante.

Siler montanum. Seseli sive Siler montanum quibusdam dicitur de hoc Ligustico, de eo egimus supra.

Ligust. Belgicum. Est Ligusticum alterum Belgicum Lobelio, de quo mox dicemus.

Ligust. quorundam. Vocatur quoque Ligusticum quorundam (ut Matthiolo) folius Angelicæ.

Ligusticum Matthioli & Lobelij quo referendum sit nondum videmus.

Cicutaria latifolia. Myrrhidem alteram parvam Penæ, alij pro Ligustico genuino in pharmacis ponunt. De hac post Cicutarias, Cicutariæ latifoliæ titulo dicemus.

Imperatoria. Ligusticum quorundam opinione, Imperatoria esse statuitur, sed non absque errore.


Cuminum. Pro Ligustico Dioscoridis sumit in antiball. Collegium Florentinum Cuminum.

Daucus. Sylvius in Antiball. phar. pro Libystico sufficitur semen Dauci.

Pastinaca agrestis. Ligusticum sive Libysticum idem ab eodem interpretatur semen Staphylini, i. e. Pastinacæ, præsertim agrestis.

Ligusticum

LIGVSTICVM QVORVNdam foliis Angelicæ.



Ligusticum alterum. MATTHIOLUS in post. com. cum mag. fig. lat. l. 3. c. 51. & Ital. c. 53. Ligusticum alterum vocat, ejusque imaginem pingi curavit missum ab amicis. Verùm nõ magis Ligusticũ Dioscoridis ipsi referre videtur, quàm ejus primum Ligusticũ, de quo paulò infra.

Ligusticum Italicum. Camer. apud Matth. in hist. germ. & epit. inscribit Ligusticum Italicum, welschen Liebstöckel/ notatq; Matthiolum, quòd figuram ponat sine descriptione; quibusdam in locis existimari verum Ligusticum. Is autem exprimit figurâ suâ plantam, quam habemus siccam *Citra.* Citræ nomine, odorem spirantem Meu, foliis nonnihil accedentem ad Angelicam: comâ valdè capillatâ ad radicem ex foliorum antiquorum reliquiis, quæ bene *Effigies.* exprimitur effigie ex ipsâ planta à Camerario proposita notatáque litera A. Hanc unde acceperim, vel ubi collegerim, non recordor. Iconem Matthioli apud Camerarium denotat litera B.

Libanotis Theoph. major Lugd. Libanotidem Theophrasti majorem (inquit Lugd. p. 775.) monstrat Lobelius foliis magis carnosis: Hæc secundum est Ligusticum Matthioli. Fallitur *Lugd. lapsus.* autem Lugdunensis, confunditque duas plantas. Alia enim est Libanotis Lobelij major, & alia Ligusticum secundum Matthioli.


Tabern. notatur. Mihi videtur Tabernæmontanus descriptionem suâ accommodasse ad iconem, quam Ligusticũ tertium herbariorum inscribit, & non ad plantã visam.

Imperatoria vulgò Cæsalpino. Subnectendam hic duximus diligentem Cæsalpini descriptionem. Ligusticum, inquit, in Alpibus Liguriæ vulgò Imperatoria vocatur: folia à radice, rotundo pediculo & ferè lignoso, ac tripartito gerit, figura herbæ S. Mariæ, sed magis in acutum desinentia, magisque serrata, terna in singulis pediculi ramulis, odorata, prædura: caulem cubitalem altioremque, paucis foliis: semina in umbellis, figurâ & magnitudine Fœniculi, nigra, odorata & acria: radix candida, pollicis crassitudine, in duas aut tres prælongas desinens, odore jucundo, sapore acri: oritur *Locus.* in Alpibus propè rivulos: utuntur semine in obsonijs, & radice ad stomachi dolores, & imbecillitatem, ac omnes fermè internorum noxas. Dioscorides inquit de Ligustico plurimum in Liguria nasci, &c. Plinio Ligusticum silvestre est & in Liguriæ suæ montibus seritur, &c. Eandem puto apud eundem inter Panaces appellari Pharnaceon, à Pharnace rege cognominatum, longioribus quàm cætera foliis, serratis & levioribus.

Ligusticum Anguill. Ligusticum Anguillaræ epist. 12. nihil aliud existimat, quàm plantam hanc, quam Liguriæ montibus reperiri, & dici Imperatoriam refert, foliis Angelicæ, caule bicubitali, semine nigro.

C. Bauh. C. Bauhinus per Ligusticum alterum Matthioli & Castoris, Angelicę alicujus silvestris figurã proponi censet. Retulit autẽ Ligusticũ Anguillarę ad Imperatoriã vulgarẽ, cùm sit eadẽ cùm Ligustico Matthioli.

LIGVSTICVM ALTERVM Belgicum, minus ferè Absinthij, semine rotundo.



LIGUSTICUM alterum Belgicũ, non inelegans plãta, multis jam annis à Lobelio reperta *Locus.* in Taurinis amœnissimis collib. non procul à Padi fluctis. In hortis Belgi- *Descr.* cis alitur, caulem promens cubitalẽ & sesquicubitalem, quem ambiunt folia rutacea, Seleris mõtani latiora, rotũdiora, Absinthij fruticis ferè paria. Flores & semen rotundum, nonnihil aromaticum in umbellis Smyrnij Cretici. Vocat hoc *Synonyma.* Lob. in Obs. p. 457. Ic. p. 786. Ligusticum alterum Belgarum. Lugd. p. 744. Ligusticum alterum Lobelij. Tab. Ligusticum alterum Herbariorum. C. Bauh. phyt. Seseli montanũ 1. vel Alpinum Clusij, idem fecit cum Ligustico hoc Belgico, ut & in pin. ubi vocat Seseli 1. montanum, Cicutæ folio glabrum, notatque differentiam latiorũ foliorum ex horto Cl. Cõtareni.

LIGVSTICVM MAIVS SIVE Imperatoria major flore luteo.

Descr. QVÆDAM in montibus nascitur Ligustico [altero folijs Angelicæ] major: folijs latioribus, rotundioribusq;: caule crasso, proximo Ferulæ, umbellam ferens luteam: semina compressa & rotunda, candicantia, Sphondilio minora. Radicem candidam, Ligustico crassiorem.

Libanotis Theoph. Hanc quidam, Cæsalpino autore, pro Libanotide Theophrasti ostendunt: non tamen odor adeò insignis inest. Censeret potiùs apud eundem inter genera Panacis recenseri, cùm inquit: sunt & aliæ quædam Panaces: una folio tenui: alia latifolia: ut Ligusticum significet & hanc, quæ latiori folio constat, quasi Ligusticum majus dici possit, & Imperatoria major.

LIGVSTICVM MATTHIOLI & Lobelij.

AN hoc intelligit Cornarius in Diosc. quando ait. Verum Ligusticum etiam hodie Liguribus notissimum, & in cibis condiendis familiarissimum, tale depingunt, quale ipsis Dioscorides descripsisse videtur. Imò quale est id quo hodie Ligures utuntur, & quale etiam reliqua Italia novit.

Ligusticum verũ Diosc. Matthiolo. Legitimum ac verum Dioscoridis Ligusticum in Ananiensibus & Coritiensibus montibus nasci scripsit in prioribus comm. Matthiolus, itémq; Venetijs in horto Maphei, ac etiam in Liguria, cujus Metropolis sit Genua. Id autem sibi vulgaris notitiæ ait, ut cujus semine passim utantur incolæ in ciborum condimentis. His addit in post. comm. cum mag. fig. lat. & Ital. hujus plantæ imaginẽ amicos sibi misisse, priúsque hoc Ligusticum magis quàm secundúm referre sibi videri, sed velle, ut sit quoq; aliorũ judicium. In epit. cum addit. Camer. vocatur Ligusticum,

Germ. wilder Diptam & Roß kümmich/ aliis wilder Galgant. In hist. germ. Frembder Liebstöckel/ Dioscoridis Ligusticum. Annotatum legimus à Dalechampio cap. de Ligustico apud Matthiolum, plantam hanc in Allobrogum montibus frequentem nasci, ab incolis dici *Sermontanum*, eam Libanotim fructuosam esse se putare. Si porrò Matthiolo e-tat notum semen, quod ait sibi vulgatus notitiæ, cur non descripsit, ut meliùs innotesceret, cur in postremis non repetit nasci in Ananiensibus & Goritiensibus montibus, si olim vera & perspecta scripsit? Icon Matthioli videtur nobis repræsentare Siler montanum, sicuti & Icon nova à Camerario exhibita, semen tamẽ quod imagini ejus appinxit, differt. Sileris enim semen magnum & foliatum est. *Matth. taxatur.* Matthiolum autem de Silere montano loquutum esse, asserere non ausim. quandoquidem Lobelius tradit plantam nasci in Liguria Sileri similem: præterea Matthiolus in Diosc. l.3. c.54. Seseli pharmacum [i.e. Siler.] cimicum fœtorem repræsentare scribit.

Siler Massiliense. Pona in descr. montis Pilati narrat nonnullos Ligustic. Matthioli pro Silere aut Seseli Massiliensi uti. Contra Dodonæus, Guilandinus, & C. Bauhinus volunt Ligusticum Matthioli esse Siler montanum, quorum opinio non placet, ut suo loco diximus.


Lacuna notatur. Lacuna habet iconem Matthioli, nihilque præterea. quam autem plãtam intellexerit, dubitamus. Si Siler montanum voluit, improbamus ejus conjecturam propter semen.

Taberna. notatur. Tabern. quoque imaginem Matthioli pingi curavit, historiamque ex Dioscoride & Matthiolo concinnavit, quam pro vera venditat. Non existimo illum scivisse, quid scriberet. Nescio an Siler montanum intellexerit. Si ita, semen non convenit cum Dioscoridis Ligustico.

Locus. Si quis Genua itinere terrestri Savenam proficiscatur, & paulum ad lævam Austrum, maréve versus deflectat, inquit Lobelius, magnam copiam videbit Ligustici, inibi propemodum, ubi Saliunca visitur orinunda: verùm illic unde nomen habuit apud Ligures, neglectui habetur: universo illo tractu maritimo reperitur hæc, cujus semen fuscum odorum, Fœniculi fermè, vescum est, multóq; usui illis montium accolis, Mei simile & par umbellis, caule ferulaceo, alis diviso, folia ferentibus angustiora Galegæ aut Sileris, radice Panacis odorâ. Pingitur hoc in Obs. p.408. pro Ligustico Adversariorum.

LIGVSTICVM RAVVVOLFFII, folijs Aquilegiæ.

Descr. RADIX est crassâ, fibrosâ, cortice inæquali, quasi rugis transversis asperatâ, fuscique coloris tectâ, medullâ candidâ, amarâ, modicũ quid Aroma & Aristolochiam sapore redolens: ad cujus caput, pili tanquam veterum foliorũ defluxorum fibræ solidiores & nigræ: etenim folia, quæ numerosa ex radicis capite longis pediculis emergunt, unâ parte quasi vaginato exortu (nimirum ea, quæ crassiora & latiora sunt, ut & ea, quæ ex caule prodeunt) eudem tanquam membranacea siliqua circumdant, articulo crassiore, lineaque transversa: quæ crassa sunt, rigida, glabra, viridia & splendentia, subtus candicantia, fibris majoribus subpurpureis transcurrentibus, quæ licèt instar foliorum Aquilegiæ dividantur, non tamen omnia in pares lacinias (Aquilegiæ lacinijs latiores) fissa sunt: inferiora namq; in vegetiore planta, plerumq; quinq; folia habent, ex triplici rami divisura aliàs tria tribus pediculis insidentia. Caulis unicus est, cubitos tres quatuorve superans, rotundus, striatus nodis di stinctus, subalbicans, puniceo colore aliquando admixto, in tria, quatuor, vel quinque brachia distributus, quæ umbellam magnam, ex longissimis festucis & floribus albis parvis cõpositam, sustinent: semen succedit longum, latum, striatum, geminum, puniceum, gustu subamarum, Cumini saporem imitans, aromaticum, modice excalefaciens, & salivam ciens. Hoc D. Doldius Norinberga ex D. Camerarij horto, nomine Seseli Æthiopici folio Aquilegiæ misit, cujus Camerarius, (sed sine descriptione) in sui horti Catalogo, sub Seseli Æthiopico altero meminit, & semen odore & sapore aliquantulum Cinamomum repræsentare scribit. *Synon.*



Est autẽ descriptionis auctori C. Bauhino in phyt. Libanotis latifolia 4. aquilegiæ forma: Eid. in prod. Libanotis 1. (6. in pin.) latifolia, aquilegiæ folio.

ELAPHOBOSCVM VEterum.

CAP. LIX.

Elaphobosc. Diosc. ELAPHOBOSCON caulem habere Libanotidi aut Fœniculo similem, angulosum; folia duorum digitorum latitudine, satis longa, velut Terebinthi, confracta & aspera quodammodo, auctor est Dioscorides. Habere & multas propagines ipsum caulẽ, quas ait umbellas habere Anetho similes: flores submelinos [ὑπομήλινα, vet. quidam caret.] & semen Anetho simile. Radicem esse trium digitorum longitudine, crassitudine autem unius [sc. digiti. πάχος δ' αὐτόν. Matth. eod. πάχος δὲ ἢ πλάτος.] albam [ὑπόλευκον, Ald.] dulcem [ἡδύσμα, Ald.] edulem. Sed & caulem olerum modo edi, dum recens est. Tradere quosdam cervas hujus herbæ pabulo resistere serpentium morsibus. Vnde & semen ejus commorsis à serpentibus dari cum vino bibendum.

Ex Plinio. Elaphoboscon cervas monstrasse ait Plinius, qui l.22. c.22. sic describit. Elaphoboscon ferulaceum est, geniculatum, digiti crassitudine, semine in corymbis dependentibus Silis [Sileris] effigie, sed non amaris foliis Olusatri. Et hoc laudatum in cibis. Quippe etiam conditum prorogatur ad urinam ciendam, lateris dolores sedandos, rupta, convulsa sedanda, inflationes discutiendas, coli quoque tormenta. Contra serpentium, omniumque aculeatorum ictus. Quippe fama est, hoc pabulo cervos resistere serpentibus. Fistulas quoque radix Nitro addito illita sanat. Siccanda autem in eos usus priùs est, ne succo suo madeat, qui contra serpentium ictus non facit eam deteriorem. Et hæc verioris Plinij codicis lectio est.

Tempér. ex Galeno. Galenus calidam & tenuium partium vim habere tradit, & propterea etiam siccantem secundo ordine. Nunc quod silentio non prætereundum, sunt *Nota appellationes.* qui Elaphicon, qui Nebrium, qui Ophigenium, qui Ophioctonon, qui Herpizen, & qui Lymen vocent. Ægyptij Chemin: Aphri Aldtuachu? Romani Cervioccellũ dicũt. Quæ Elaphobosci appellationes unã, eandemq; causam & originẽ habẽt, Verba autem ea quæ Dioscorides nõ procul à fine capitis, & Plinius 22. volumine ejusdem numeri capite retulerũt. Quoniã sc. famã sit hoc pabulo cervos resistere serpentibus

eam

eam denominationem exprimunt quæ prima in Notis Dioscoridis auditur, Elaphicon sc. i.e. Cervinam herbam. Max Nebrium ex eodem eventu: νεβροὺς enim cervorum inulos Græci vocant. Ophigenium itidem & Ophioctonon: quarum altera ab enectis serpentibus manifestam habet significationem: altera quòd serpentes aliquo hujuscemodi malo vexet. Corrupta enim est, ut ait Marcellus, nec licuit eam instaurare: quemadmodum & eam, quæ sequitur Herpixen, suspicari tamen in hac licet ἐρπετῶν, quæ Græcis reptilia & serpentes sunt, aliquid fuisse. In Romana etiam Cerviocelli voce certum aliquid non est, credimúsque Græcarum harum modo corruptam esse. Siquidem in græca Elaphobosco nihil est quòd oculum aut ocellum indicet, quódque in ea auditur cervorum tantùm pabulum ostendit.

Pastin. germ. silv. Tandem, ut ad Elaphobosci æquivocationes deveniamus, Pastinaca Germanica silvestris plerisque hodie Elaphoboscum censetur.

Pastin. ger. sativa. Aliorum stat sententia Pastinacam Germanicam sativam esse Elaphoboscum.

Staphylinô silv. Euchar. Roeislin variarum plantarum nomina confundens, videtur pro Elaphobosco pingere Staphylinon silvestre.

Sisarum. Iudicent periti stirpium, quàm concinnè Cæsalp. Fab. Columna, & C. Bauhinus Sisarum, Elaphoboscum Dioscoridis & Plinij esse statuant.

Caucalis minor Bellonij. Caucalis minor Bellonij semine pulchro à nobis dicta, creditur ab Anguillara Elaphoboscum.

Difficile est judicare, quam plantam per Elaphoboscum Plinij missum Florentius, intelligat Camerarius. Is enim eum non describit in horto.

Libanotis altera Dodonæi. Cornarius arbitratur esse eam herbam Elaphoboscum, quam Germanos weysse Hirzwurtz appellare ait. De hac agimus sub Libanotide altera Dodonæi.

Libanotis Theoph. Dodon. Credit esse Elaphoboscum Dioscoridis Lonicerus quam Libanotidem Theophrasti Dodonæi, sive Sesēli Æthiopicum Matthioli inscribimus.

Angel. silv. repens. Cordo in Dioscoridem ad Elaphobosci descriptionem satis accedere videtur herba, quam Angelicam silvestrem repentem appellamus.

Auricula leporis. Elaphoboscum aliqui faciunt plantam à nobis Auriculæ leporis imagine propositam.

Auricula leporis altera rigidior. Monspeliensium Pabulum cervinum [Auriculam leporis alteram sive rigidiorem] Elaphoboscum putatum, multùm abesse à veris notis perhibet nobilicum Lobelius.

Allium. Elaphoboscon cognominat Allium Gesnerus in descriptionis Dioscoridis.

Salvia. Loco jam citato Salvia quoque de Elaphobosco dicitur.

AGRIOPASTINACA Cretensium.

Cap. LX.


Descr. Agriopastinaca vulgariter hodie vocatur in Creta herba quædam Petroselino vulgari simillima, nisi quòd minor est, foliáque eisdem etiam incisuris prædita licèt habeat, minora tamen & aliquantulum crassiora profert, caulis Petroselini est, flores in umbellis albos sustinens, quibus succedunt semina Petroselini, sed minora, colore adustum accedentia: radice nititur unicâ pollicis magnitudine, semper figurâ longâ, cortice tenui tectâ, qui digiti attritu facillimè à radice separatur, quæ candida edulisque est, Bulbocastani gustu: totâ Hyeme viret, semenque Majo profert, postea tota arescit præter radicem, quæ terrâ latet, & primis Autumni imbribus germina protrudere incipit, inquit Honorius Bellus in epistolis ad Clusium missis. Hujus stirpis duo reperiuntur genera, colore corticis radicum tantùm differentia: nam unius rufus, alterius niger conspicitur. *Genera duo.* Nigrum genus in montibus totius Cretæ, & etiam in Dalmatia provenit. *Nigri locus.* At rufum abundantissimè tantùm in scopulis Cretæ propinquis inter saxa, & copiosè admodum in quadam insula parva, Grabusa vocata Occidentali Cretæ parte sita; ubi arx munitissima extructa est, quam insulam unam ex tribus Mussagoris olim à Plinio appellatis esse judicat Bellius. *Rufi natalis.* Hæc herba ad Buselinon à Plinio l. 20. c. 12. descriptum ipsi accedere plurimùm videtur, siquidem differat brevitate caulis & radicis colore rufo à Petroselino. *Buselinon Plinij forte?* Porrò ut ait a Seplasiarus pro Saxifragia usurpatur, & Saxifragia vocatur, à rusticis verò ἀγριοπαστι-νάκα, i.e. silvestris Pastinaca, à qua tamen longè differt, Pastinaca silvestris adhuc in Creta legitimum nomen retinet, nam eam σταφυλῖνον vocant, frequentissiméque radice, & herbâ coctâ, verno tempore, vescuntur rustici. *Saxifragia offic.*

Hanc annò 1597. semine sibi natam refert Clusius, sed cùm valdè serò germinasset, & maximè tenella adhuc esset planta, Hiemem proximè sequentem corripuisse, ut observare nequiverit: fuisse verò ejus folia ex atro splendentia, non minùs quàm Eleoselini. Plura nobis hac de planta non constant. Bauh. in pin. vocat Apium, sive Petroselinum Creticum: Agriopastinacam vulgò in Creta, Belli ep. 5.

PASTINACA GERMANICA Sylvestris, quibusdam Elaphoboscum.

Cap. LXI.

Guar.



Nequaquam aliter quàm cultu nobis videtur à sativa, de qua mox agemus, differre, formâ partium omnium eadem, sed coactiore, saporéque vegetiori.

Descr. Cæsalpini. Cæsalpinus Pastinacæ vulgò appellatæ titulo sic describit. Folia fert simplici pediculo, longitudine duorum dodrantum, sectionibus oblongis, latitudine ternum digitorum, circumsectis, hirsutis, frequentibus: caulem crassum, bicubitalem, & ampliorem, striatum: umbellas summis ramis insidentes latas, flore luteo: semina in rotunditate depressa, lata, candida: radix singularis in altum demittitur, vasta, cubitalis, subpallida, cortice carnoso nervo intus duro.

Matth. & Lacuna notantur. Matthiolus & eum imitatus Lacuna solam iconem pro legitimo Elaphobosco proponunt. Suspicamur autem plantam eis non fuisse cognitam. Dod. gall. eam Elaphobosci inscriptione pictam dedit, refertque ab officinis patriæ suæ Brancam ursinam, aut Bauciam appellari: gall. Cheruy

sauvage: Germ. & Belg. wilde Moren: Græcè *ελαφόβοσκον*. Lat. in fol. Pastinacam latifoliam silvestrem vocat, sativam foliis, caule, umbellâ, flosculis luteis semine plano, rotundoque referentem, sed radice tenuiore, duriore, ac lignosiore, esui minùs idonea. Silvestre hoc Pastinacæ genus, quosdam hæsitantes acignorantes quo referri posset, Panacis speciem esse finxisse: nonnullos verò Bauciam, alios Brancam leoninam vocasse: Bauciam autem, auctore Mälio in Luminari majore, Pastinacã esse Dioscoridis & reliquorum veterum, tenuifoliam videlicet dictam. A veteribus autem, ac præcipuè Dioscoride, Pastinacam hanc Græcè *ἐλαφόβοσκον* nonunari: id quod conferenti Elaphobosci descriptionem cum hac mox fiet manifestum. Radicem verò & esui idoneam esse, ipsum etiam Dioscoridem agnoscere. Dici verò istud etiam *ἐλαφικόν*, *νίφεον*, *ἐφγιτον*, *ὀσεοτόνιν*, *ἱερὸν λάχανον*, & Latine Cervinocellum, ut inter nothas ascriptum reperiri testatur.

Loniceri error. Lonicerus hanc habet malè pictam sub nomine Pastinacæ sylvestris (wild Möre) & pejùs descriptam, confundens eam cum Carotis.

Anguill. Anguill. ep. 7. c. de Elaphobosco hujus meminit. dubitat tamen an verum Elaphoboscum & vocat Pastinacæ speciem. De eadem autem cap. de Pastinacis ait, sativas non differre à silvestribus nisi culturà. Item cap. de Cimino silvestri, ubi Pastinacam silvestrem nominat. Hanc fortè eandem vocat ep. 5. Been album Actuarij in Diasatyrio, & Galeni Daucum silvestrem.

Tametsi non esse figurâ diversam à sativa Pastinacam, sed viribus duntaxat ignavioribus ex Dioscoridis oratione non liquet, inquit in Adversl. Lobelius: tamen, quia posteritatis consensu & multo usu ista recepta est, ideò ut congenerem agnoscere visum est, sylvestrem Pastinacam, sive Bauciam officinis dictam, luteis florib. & radice sativæ Pastinacæ concolore, & ejusdem saporis. *Baucia offic.* Vocavit hanc idem alibi Pastinacam silvestrem Arabum, Bauciam pharmacopœorum, sique cum Elaphobosco Dioscoridis conferas, nihil prorsum esse ait, quod requiras. Nominatur in Obs. p. 408. Baucia, dubitaturque jam an Elaphoboscum.

Synonyma. Trago dicitur Pastinaca 2. sive silvestris, & Pastinacæ sylvestre genus. Cornario Pastinaca silvestris, qui malè existimat Staphylinum, sive Pastinacam veterum. Fuchsio in hist. Sisarum erraticum, silvestre. In Icon. Siser silvestre. Lacunæ Sisaris tertia species, & species Elaphobosci silvestris. Cam. apud Matth. in hist. germ. & epit. Pastinaca silvestris.

Lugd. error. Lugd. p. 721. Elaphoboscum Dodonæi seu Baucia: Item inibi Elaphoboscum Matthioli. Historia duas figuras habet unius plantæ. Cæterùm, esse ait qui Pastinacam pratensem Plinij esse velint, quam etiam Hibiscum, Pastinacam appellat, & *μελάγχιον ἀγρίαν*. Lugdunenses rusticos vocare *Panet z sauvage*, i. e. Pastinacam silvestrem, ejusque radice vesci ut hortensis.

Tab. Icon. Elaphoboscum erraticum, Branca leonina, wildt hirtz Pastenach / wildt Moerche. Item hist. Elaphoboscum 2 erraticum. Item Elaphoboscum 3. Matthioli falsch hirtz Pastenach. Matthiolum ait ponere pro Elaphobosco plantam aliam quod rogatur facere, quia verum Elaphoboscum posuerit pro Pastinaca domestica, quænam verò sit planta sibi non constare. *Thaern. redarg.* Sed miramur Tabernæmontanum non animadvertere Matthioli Elaphoboscum non differre à suo Elaphosco erratico, ac dicere falsum esse: quum ipse eundem proponat pro Elaphobosco suo erratico, licèt figura Tabern. minùs placeat. *Gerardi lapsus.* Malè quoque à Gerardo sub titulo Spondylii ponitur icon Elaphobosci erratici Tabernæmontani.

Elaphobosci Dioscoridis descriptio nostræ Pastinacæ maximè quadraret tum flos, tum folia, caulis & semen, inquit Cæsalpinus, at radicis brevitas nequaquam, nisi genus silvestre assumatur, cui radix brevior multò quàm sativæ, ac flos luteus. Ad id nequaquam disjungendum videtur à sativa cùm solo cultu differat.

Elaphobosci hujus effigiem & Lacunam & Castorem posuisse, & Tabern. nomine Elaphobosci Matthioli meminisse testis est. C. Bauh. qui vocat Pastinacam 2. sive silvestrem latifoliam: Pastinacam. Brunf. Sylvestrem, Trag. Ang. Cord. Gesn. h. Thal. Cam. Spontè natam, Cæs. Siser sylv. Fuchs. Turn. Elaphoboscum, Matth. Dod. gall. Cast. Sylvestrem, Lac. Bauciam, Pastinacam sylv. Arabum, an Elaphoboscum, adv. Elaphoboscum erraticum, Tab. Pastinacam sylv. gallicam, Cord. in Diosc. Pastinacam latifoliam silv. Dod. Spondylium, Ger.

Locus & tempus. Pastinaca Germanica sylvestris, quæ quibusdam Elaphoboscum dicitur, provenit Monspelij & Genevæ: Basileæ inveni florentem Octobri ad ripam fluminis Birsę in urbe. Montbelgardi frequens est, prope Arbonani pagum, florens Iulio & Augusto. Matthiolus sæpe vidit tum in Tridentino, tum in Goritiensi agro. Passim provenire ait Tabern. inter silvestres plantas in collibus agrorum & vinearum, herbosis locis & siccis pratis.

PASTINACA SATIVA LATIFOLIA, Germanica, luteo flore.

GUAR.




Descr. CULINIS notissimę Pastinacæ hujus radices in Germania, singulares, longæ, minùs crassæ, albæ, in medio nervo duro donatæ, magis grato, quàm Sisarum, sapore: ab his caulis surgit bicubitalis & procerior, striatus, inanis, multis alis concavus: folia Pimpinellæ majori non ineptè compares, sed multis numeris majora, atro-virentia hirsuta, sapore grato & aromatico quoque: flores in ampla umbella lutei, quorum singuli quinque foliolis reflexis umbilicum medium viridantem circumstantibus constant. semen latum, foliaceum, duplex, compressum, Angelicæ vulgò dictæ semini simile.

Sisarum sativum magnum Fuchsij. FIGURAM à nobis primo loco exhibitam exhibuit Fuchsius Siseri sativi magni titulo, dixitque *σίσαρον* Græcis, Siser Latinis, vulgò autem Pastinacam, quod ei congener sit, appellari. Esse qui extritis prioribus literis diminutrice formâ, Serullum, aut Servillam, aut Chervillam, pro Siserculo nominent. Germanos ad corruptam hanc appellationem respicientes Gerlin & Geirlin, Gallos *Chervys* aut *Giroles* vocare.

Pastinaca sativa. A Trago hæc appellatur Pastinaca 1. sive sativa. Sunt, inquit, qui Staphylinon & Pastinacam domesticam appellent, quod equidem per me illis licebit, modo

modo non offendantur, si, quod ad me attinet, Pastinacam Elaphoboscum (quod Dioscorides alios Elaphicon, nonnullos Nephrion, alios Ophigenion, quosdam Ophioctonon, aliquos Herpiceen, alios Lymen, Romanos Cerviocellum, Ægyptios Chenain, Aphros Ascaucau nominare dicit) appellaverim. Sed si quis miretur, quæ sit causa, ob quam Pastinacam Elaphoboscon nuncupare voluerim, is herbam ipsam cum historia Elaphobosci conferat, & videbit dubio procul quid me permoverit, ut Pastinacam sic vocarem. Sin verò aliqui sint, qui Pastinacam Sisarum interpretari velint, non ero illis impedimento, ea tamen lege, ut Rapunculos ab ea appellatione nequaquam excludant. Hæc ille, qui figuram falsam addit: nec enim hanc sua descriptione tradit plantam, quam icone repræsentat sub Pastinacæ titulo.

FIGURA ALIA.



Lacuna notatur. Lacuna confundit hanc Pastinacam cum Carota, eumque forte sequutus Oliverius in Theat. agric. dicens Pastinacæ & Carotæ (*Pastenades & Carrotes*) inter se differunt tantùm colore, uni color ruber, alteri albus. In Languedoc & alibi *Carrote* vocat *Pastenaille blanche*: hæc duo vocabula confunduntur in multis partibus hujus regni, ut Lutetiæ, ubi indistinctæ hæ radices nominantur *Pastenades & Carrotes.* Manifestum itaque ex dictis Oliverij fit, ipsi non fuisse notam Pastinacam Germanicam sive latifoliam foliis multùm differentem: miramur etiam eum non meminisse Carotarum lutearum.

Ruellij lapsus. Et quoniam fortassis in Gallia Pastinaca sativa (ita namque vocatur Matthiolo) non seritur, Ruellius manifesto errore putavit, Carotas vulgò vocatas esse Pastinacas. Vt hinc maximè admirari subeat Ruellium. Siquidem hactenus nemo inventus fuerit, Matthiolo etiam annotante, è rei herbariæ scriptoribus, tam Græcæ, quàm Arabicæ familiæ, qui cùm Ruellio memoriæ prodiderit, Pastinacam sativam radice niti adeò rufa, ut sanguineo succo madeat. Idem Matth. alibi dixit. Non desunt qui crediderint, album quoddam Carotarum vocatarum genus, legitimum esse Siser. Cæterùm eos hallucinari putaverim, Plinij testimonio ductus, qui lib. 19. cap. 5. hæc habet. Inest Siseribus longitudine nervus, &c. Id quod in hisce Carotarum radicibus haud quaquam reperire licet. Hæc ille, qui quamvis

Matth. confusus. l. 2. c. 107. Carotam pro Sisere depingat, suspicamur tamen eum per Carotã albam intellexisse Pastinacã Germanicam, quæ radice albâ, & Carotarum modo venditur, & editur in Germania, diciturque quibusdam Siser. In hac sanè Pastinaca nervus & amaritudo quædam. Ipse Matthiolus fortè confundit Carotam cum hac Pastinaca, & ex postremis comment. satis apparet eum nescivisse quid tunc scriberet. Omisit siquidem ea, quæ in prioribus de Carota alba scripserat.

Dodon. sibi contrarius. Dod. gall. videtur Pastinaca vulgaris esse *σταφυλῖνος*, h. e. Pastinacam Galeni 8. simplicium. Latinus in fol. Pastinacam latifoliam sativam contra negat esse verè & propriè Staphylinum veterum; videturque Elaphoboscum concludere.

Lonic. reprehenditur. Lonic. hanc confundit cum Carotis, quas Pastinacas vocat, ac hanc Staphylinon facit, & Pastinacam albam vocat sine pictura. Anguillara ait Pastinacam Græcos Staphylinon vocare, domesticamque hanc à silvestri cultu solummodò differre.

Synonyma. Lobelius in Advers. Pastinacam domesticam appellat, Dioscoridis Pastinacam esse existimans, absque ratione. In Obs. p. 407. & Icon. p. 709. vocatur Pastinaca domestica vulgi. Lugd. p. 719. Pastinaca sativa vulgi Matthioli. C. Bauh. Pastinaca 1. sive, sativa latifolia: Pastinaca sativa, Trag. Lac. icon. Lugd. Gesn. h. & Cam. Pastinaca vulgaris, Dod. gall. & Cel. Pastin. domestica, Matth. Ang. Cast. Ad. Lob. Pastin. latifolia sativa, Dod. Latifolia sylv. Ger. Sisarum sativum magnum. Fuchs. Turn. Siser Dioscoridis, Col. Elaphoboscum sativum, Tab.

Pastinaca vulg. Cæsalpinus statuit Theophrastum Daucum vocasse, quam Theodorus Pastinacam vertit, Lauri facie, colore Croci, sed verbum inibi positum Daphnoides postponendum putat, ut herbam propriam significet, nisi Pastinacam hanc nostram intelligat Theophrastus. Latifolia enim est, ut particulæ quandam Lauri speciem habeant. Idem Cæsalp. ait Pastinacam vulgò appellari, radicem vastam, in hortis seri solitam, cibi gratiâ. Plinium hujus meminisse nomine Pastinacæ majoris, cui nervus insit, ut Siseri, sed tantùm anniculæ. Athenæum de magna Pastinaca dixisse, quod Caros vocetur, magnam esse Pastinacam, quæque facilè augeatur, meliorem habere succum, quàm Pastinacam. Profectò si aliqua magna dici debeat, hanc cognomen id mereri, sed apud Dioscoridem quo nomine donata sit, incertum esse: neque enim in genere Staphylini, neque Dauci ponendam videri: cùm totius plantæ facies longè discrepet; neque cum Sisere, cui valde affinis sit, convenire: nam Plinium Pastinacam majorem sejunxisse ab eodem: alioqui Sisaris facultates, quas Dioscorides & Plinius tradunt, maximè convenire cum hac Pastinaca: & vulgò cognitum tradit Siser, ut apud nos Pastinacam. Videri autem Plinium per Germanicum Siser aliam intellexisse ab hac Pastinaca, quam marem Pastinacam vocârit.

Siser antiquorum Columnæ. Sed ex Dioscoridis, Plinij, Galeni, & Columellæ de Sisere verbis corrigere conatur Columna plantam hic à nobis propositum Antiquorum Siser esse absque dubio ullo. Radicem namque Pastinacæ sativæ similem formâ & sapore, verùm amariore, atque odoratiore, omnesque Pastinacæ generi adscripsisse, atque Pastinacam vulgarem sive domesticam appellasse. In hac radice nervum inesse longitudine, qui eximatur, postquã elixata fuerit radix, nõ solùm dulcedinis causâ, sed quia tenerior sit pars reliqua exterior, ciboque aptior, atque gratior; hoc & in Pastinaca sativa vulgari & Raphano perspici, præsertim cùm radices sint bene adultæ, duriorem enim tunc continere nervum cibo ineptum. Hanc postremò pro Elaphobosco aliquos depingere, ab illius quidem descriptione longè alienam: differre namque radicis forma, sapore atque semine Anetho dissimili, foliaceo, compresso. Quamobrem non sit verendum dicere non esse Elaphoboscon, atque Siseri perquam congruere, cum sapore, formâ, atque usu antiquorum monumenta etiamnum retineat.

Elaph. sativ. Tab. Elaphoboscum sativum hanc inscripsit Tabern. hæcque de eo tradidit. Multiplex opinio de hac herba habetur. Postquam enim quidam animadverterunt cum Pastinaca Dioscoridis & veterum eam convenire non posse, Sisarum statuerunt, non minori lapsu id asserentes, quam ij qui Pastinacam concludunt. Si planta hæc cum Elaphobosci Dio-

scoridis & Plinij descriptione conferatur, nulla nota deesse deprehendetur, quæ huic non conveniat. Apud Dioscoridem itaque nominatur ἐλαφόβοσκον, ἐλάφειον, ὀφιογένειον, aut ὀφιγένειον, ὀφιοκτόνον, νέφιον, κερβία aut κερβία & κρίσιον. Apud Latinos Elaphoboscum (vel ut Hesychius & Varinus legunt ἐλαφόβοσκος, Elaphoboscus in masculino, nomine Oxytono) Elaphicũ, Ophiogenium, aut Ophigenium, Ophioctonum, Nephium & Cerviocellus. Apud Herbarios Pastinaca domestica latifolia, ad differentiam Pastinacæ Dioscoridis tenuifoliæ, Pastinaca cervina, Olus cervinum, Herba cervina, Pabulum cervi; & Matthæum sylv. Cervaria; Turnerum Pastinacam adulterinam. Quia autem sponte hæc in agris nascitur, eaque quælibet paupercula gens pascitur, Lobelio Pastinaca dicta videtur, quemadmodum etiam Staphylos à radicis rapo Bryoniç (quæ σάφυλος etiam vocatur) non ita absimili appellationem traxisse potuit. A Germ. dicitur Pastenachen / Pestenaken & Pasteney / Moren / weiß Moren & Zam Moren / Dod. Hirtzmörcken / Hirmaug / hirtz Pasiesnach & hirtzkraut / Tab. Belgis Tamme Mooren. Brabantis Pastinaken / hoff Pastenaken & Moren van die Bouenieren. Gallis *Pastinades & grand Chervy cultivé*, Dod. gall. Ital. *Elaphoboscio & Pastinaca domestica*. Hisp. *Canahoria blanqua*. Arab. Iezar, Gezar, seu Giezar. Ægypt. Chemis. Africanis Ascaurau, Ascaucau, & Asdruachu. Angl. Persenippe. Boh. Passtrnak.

Locus. Pastinaca Germanica sativa flore luteo, vulgaris in hortis Mötbelgardi, ut etiam in horto E. C. in quem hortulanus introduxit genus crassiore radice. Genetæ meo tempore pauci habebant in hortis. Seritur hæc semine, & postquã exierit, ut major efficiatur radix, transfertur, altè tamen priùs refosso atque stercorato Solo, atque rariùs ut cætera olera deponuntur. Dalechãpius alios sequutus, quia planta à se descripta plures habebat radices, putavit atq; scripsit, non semine, sed radice seri: sed hallucinatus est, quia sequi voluit Matthioli scripta, quæ à Marcello Virgilio, qui verbis tantùm Dioscoridem commentatus est, ea transcripsit. Neque animadvertit verba illa Plinij [*Oculis ex radice excisis, ut Harundo seritur,*] Inulæ satum, inquit Columna, non Siseris demonstrare, de qua verba faciebat. Idemque postea Inulam, Siser & Pastinacam eodem tempore magnis seminum intervallis seri; Siser verò transferri meliùs. Quod Neapoli quilibet Olitor facit, priùs verò seminẽ ferit, deinde opportuno tempore priùs altero Solo refosso & stercorato, ut meliùs convalescant, atque grandiora fieri possint, radices transfert. Locos amat pratenses. Augusto mense semen perficitur. Pastinaca latifolia sativa Dodonæo Iulio aut Augusto florem profert, semen deinde perficit, & altero ex quo vel sata, vel enata est anno. Radix Autumno & Hieme usque in proximum Ver esui aptissima est. Qui Hieme colligunt radices caveant à Cicuta vel Cicutaria. Dum sum Montbelgardi vidi duas familias in quibus qui decepti edebant pro prædicta Pastinaca penè extincti erant, sed sublevati vomitu, Theriaca & Saxonico pulvere, itémque purgantibus salvi evaserunt.

Sativ. *Dalech. hal. lucinatur.* *Tempus.* *Satio.*

Vires & usus. Hujus radicis sapor est Pastinacâ (veterum, intellige cum Columna) amarior atque odoratior, aromaticum quid ampliùs habens, gustu gratior, quapropter etiamnum à multis seritur, & præsertim in Gallia Cisalpina, ut ab illius provinciæ incolis amicis accepit Columna, in cibo avidissimè expetitur, atque ut palato gratior fiat, illam ita parare solent. Radicem adultam accipiunt lavántque, fibras parvas cultro excidunt, postea elixant, atque cum refrixerint, per longum dividunt, nervúmque eximunt, atque in frustra dissectam, patella oleo fervẽti plena, farina priùs obductam piscium modo frigũt: eo evadere sapore aiunt, ut nec pisces bene conditos eâ mensâ degustare comedentibus placeat ampliùs. Non igitur mirum, si Tiberius princeps, ut à Plinio fertur omnibus annis è Germania afferri jubebat, cùm sit ita palato & stomacho grata atque utilis. Ex his itaque notum esse ait Columna, plantam hanc antiquorum usum Siseris, atque vires ab illis tributas retinere, quare alias plantas ab alijs descriptas minimè Siseris vires atque gustum & usum referre judicavit. Pastinacam autem venire in cibos elixam exempto nervo plures alij testantur, dein frixam more fungorum verno tempore: refert quoque Cæsalpinus ex eadem cum saccharo Electuarium confici ad vires recreandas cõvalescentibus, & puerperis, communissimum rusticorum remedium: appetentiam quoque præstare. Tabernæmontanus inter vires multa recenset imaginaria. Ego naturali antipathia aliquando abhorrui, cogente tamen patre p. m. Ioanne Bauhino Medico, tandem comedi & nunc sapiunt, à jure tamen adhuc abhorreo, nec sine nausea assumo. Incidendi tandem, attenuandi, detergendi, obstructiones aperiendi facultatem inesse sapor, odorque demonstrant.

Condiendi modus. *Electuariũ.*

DE SISERE VETERIBVS.

Cap. LXII.

Diosc. DIOSCORIDES Siser notum esse proposuit, ut cujus radix cocta ori grata sit, & stomacho cõmoda, & urinam cieat, & appetentiam ad cibum provocet.

Siser duplex Plinio. Plinius Siser duplex statuit. Inter medica (inquit lib. 19. cap. 5.) dicendum Siser & ipsum Tiberius princeps nobilitavit flagitans omnibus annis à Germania. Gelduba appellatur Castellum Rheno impositum, ubi generositas præcipua. Ex quo apparet frigidis locis cõvenire. Inest longitudine nervus, qui in decoctis extrahitur, amaritudinis tamen magnâ parte relictâ, quæ mulso in cibis temperata, etiam in gratiam vertitur. Nervus idem & Pastinacæ majori, duntaxat anniculæ. Et lib. 20. cap. 5. Siser erraticum sativo simile est & effectu, stomachum excitat, fastidium abstergit. Ex aceto Laserpitiato sumptum, aut ex Pipere & mulso, vel ex garo. Vrinam ciet, ut Opion credit, & Venerem. In eadem sententia est Diocles. Præterea cordi convenire convalescentium: aut post multas vomitiones perquam utile. Heraclides contra argentum vivum dedit, & veneri subinde offensanti, ægrísque se recolligentibus. Hicelius ideò stomacho utile videri dixit, quoniam nemo tres Siseres edendo continuaret: esse tamen utile convalescentibus ad vinum transeuntibus. Sativi privatim succus cum lacte caprino potus, sistit alvum.

Galenus. Galenus de Sisere, quod inter alimenta omittit, 8. simpl. hæc tantùm tradidit. Siseris radix cocta stomacho grata est, urinam movet: secundo ordine calfaciens, adjectam habens amaritudinem quandam, cum levi adstrictione.

Columella. Columella de hortorum cura agens ait, Pastinaca convalescit altè pastinato, & stercorato loco, sed quàm rarissimè ponenda, ut majora capiat incrementa. Palladius quoque velut de rota radice tradit. Iis, quæ ante ex Plinio adduximus, hæc adjungimus. Siseris satus mensibus Februario, Martio, Aprili, Augusto, Septembri, & Octobri. Idem paulo post. Seritur & Siser, & Pastinaca utroque tempore, Vere & Autumno, magnis seminum intervallis, nec minùs quàm ternorum pedum, quoniam spatiosè fruticant. Siser autem transfertur meliùs.

Siser

Acquivoca. Erica. Sisari nomenclaturam variis adscribi plantis nos minimè latet. Ac primum quidem Sisarum dicitur de Erica H.n.g.lib.10.

Sisarum multis. De Sisaro multis dicto, quamprimum posthac pluribus dicturi sumus.

Carota. Alij Pastinacam tenuifoliam propriè Carotam appellatam ad Sisarum, vel Siser referunt.

Pastin. silv. Græcorum. Sisarum verò alij Pastinacam silvestrem Græcorum esse statuunt.

Pastin sativa Germ. Pastinacam sativam latifoliam Germanicam luteo flore, quidam Sisarum esse contendunt.

Pastina. germ. sylv. Siseris tertiam speciem credidit esse Lacuna Pastinacam Germanicam silvestrem.


Rapunculum. Tragus non vult Rapunculum à Sisari appellatione excludi.

Bathades Indica. Bathades Indica seu Ges vocata ab Adversariis inter Sisarum refertur.

Oenanthe aquatica. Siser palustre. H. Lugdunensis an est Oenanthe aquatica?

SISARUM MULTIS.

Siser. RADIX propter majorem suavitatem cupediis magis expetita, quàm Pastinacæ latifoliæ Germanicæ, quæ non ut in ea unica, sed ex uno capite plures pendulæ, glandulosæ, teneræ & fragiles, rugosæ, cortice tenui, pallidoque obductæ, pulpâ candidâ digitali crassitudine, pedales quædam, aliæ multò breviores, dulci & grato sapore, nonnihil aromatico; caulis surgit sesquicubitum altus, singularis, geniculatus, striatus: folia pinnatim disposita, Baucijæ minora, teneriora, acuminata, argutis per ambitum denticulis crenata, umbella candicat suaveolentium flosculorum, quorum singuli quinis foliolis, totidemque apiculis constant. semen in umbella producit Petroselini modo,



Icones. Figura nostra ex Fuchsianis minùs congruit, ac propterea aliam pingendam curavimus.

Pastinaca exigua. Commemorat plantam à nobis descriptam & icone meliore propositam Tragus lib.2.cap.146. dicens. Summè mihi placet, quòd Pastinacas exiguas, quæ Germanis Gerlin dicuntur, ad Siser, seu Sisarum aliqui referant, hoc enim verum illud hortense est Sisarum; quo Tyberius Cæsar delectatus fuit. In Hist.germ.ait. Quæ Plinius lib.19.cap.5. de Sisaro dicit, quod Tiberius è Germania accersebat intelligo Pastinacam minorem, Germ. Klein Moreslen/ Kritzel Moren aut Gerlin vocatam. Alibi Sisarum Columellæ esse Rapunculum hortense docet. An autem Columellæ sit Sisarum dubito, quia me latet an bis in anno seri possit.

Sisarum Cordo. Siser seri solitum fuisse olim in Germania cibi causa, eamque quotannis à Germanis flagitasse Tiberium Cæsarem, vel Cordus in Diosc. quoque testatur, qui licet se ignorare fassus sit, quid sit, Brunfelsio tamen omninò subscribit, esse sc. illud olus, quod Germani Gierlen / vel Gerele & Girgele vocant; Hessi klein gel Moren/alij Critzel Moren. In



Dispens. supra diacorum & in Triphera Sarracenica, Secacul, verum esse Siser, quod Germani Grittelmoren; Bavari Rudle/ Suevi Geytle vocant, concludit. Secacul autem non esse; negat Coldenbergius, & cum eo Dodonæus, dicens: Serapionis autem Secacul, de quo cap. 89. ut nonnulli existimant, haudquaquam est: Secacul siquidem folio describitur Iulben, i.e. Pisi, interprete Matthæo Sylvatico: & fructum ferè nigrum Ciceris magnitudine, humore plenum, ac sapore dulcem: qui granum Culcul dicitur. Pisi autem folium non habet Sisarum, nec fructum: nec granum fert nigrum, Ciceri simile. Vnde satis constat, Sisarum à Serapionis Secacul plurimùm differre: tantum abest, ut idem sit. *Secacul Serapionis non est.*

Matth. in Diosc. est Sisarum alterum. In post. comm. cum mag. fig. Lat. & Ital. Siser primum, quod Dioscoridis, Plinij, Columellæ, Marcelli & Ruellij ait. Nec obstat unicus illi tantùm scrupulus, quòd in hoc nostrate Sisere nulla ferè percipiatur amaritudo, cùm tamen Galeno & Plinio Siser amarore non vacet. Verùm hoc à sua eum non deducit sententia, quòd regiones sæpè plantis immutent saporem, non tamen legitimum facit Siser. Epist. 2. ait, si huic nostro Siseri folia essent Pisi, non Pastinacæ; semen rotundum, nigrum, non latum ac foliaceum Lentis ferè instar, ut in Spondilio, cum Cordo sentirem esse Secacul, Serapionis sc. ut vult etiam Hieron. in epist. ad Matth. itemque Arnoldus referente Pœsio in Pharm. sect. 7. Cæterum si Matthiolus vidisset semen Siseris longum, non foliaceum, non diceret latum, ut in Spondilio: nec pictura ejus tale demonstrat: in Epit. meliùs dicit esse Petroselini modo. Mirum Tragum alioqui diligentem in descriptionibus dixisse latum: quē secuti fortè Cæsalp. & Dodonæus, etiam latum scripsere. *Sisarum alterum Matthiolo.* *Matth. notatur.*

Tam Fuchsius, quàm Matthiolus duo Siseris genera proposuerunt; sed ut in secundo consentiunt, ita in primo dissentiunt. Cùm enim Fuchsius pro primo exhibet Pastinacam sativam Germanicam, Matthiolus Carotam pingit. Descriptio interim, quā subjungit, figuræ Sisaris minimè respondet: ita enim describit: Siser habet folia Olusatri, &c. Quæ descriptio non convenit primo Sisaro, non enim folia habet Olusatri, sed Carotæ. Neque etiam secundo, cujus radices non sunt dodrantales, sed vix palmares. Plinij auctoritati de Sisaro si standum sit, tum nec Pastinaca Germanica dicta, nec Carota Siser fuerit, inquit Turnerus. Vtramque enim se gustasse affirmat, sed nullam unquam in illa amaritudinem deprehendisse, sive in matrice lignosa, sive cortice. In radice hujus Sisari levem quandam amaritudinem quidem persensisse, sed non quantam Plinius requirere videatur, acriorémque quàm amariorem deprehendisse, talibúsque facultatibus præditam, ut certò ausit Sisari genus pronunciare. At Pastinacam Germanicam quemadmodum Siser Plinij esse non posse contendit, ita se non videre ait, cur [hæc lego, ut Turnerus inter Sisarum non distinguat] Siser Dioscoridis esse nequeat, nisi quia *Fuchsius & Matth. sibi contrariantur.*

impediat ingens dulcedo: siquidem quæ insigniter dulcia sunt appetentiam nō excitare, sed prosternere consueverint. Et hæc Turnerus, qui Sisarum Dioscoridis, à Sisaro Plinij differre velle videtur, contra veritatem.

Cordus reprehenditur. Turpiori errore, inquit rad. 1. Apollo, Secacul ad veterum Siser revocat Cordus, mirum sanè quum Rheni accolis in Germania vulgatissimum sit & hortulanum folio Olusatri. Ex Plinio l. 19. c. 5. Geldubæ speciei est Pastinacæ, Gheldrap, sive Poten vocata.

Synonyma. Lacuna exhibens figuram Matthioli, vocat Sisarum alterum, Siseris secundam speciem, & Siser. Dioscoridis.

Sisari imagine exhibetur à Lobeliô (qui quondā ambigit, an Hesiodi Asphodelus) in Obs. p. 498. in Ic. p. 710. Camer. hort. & Epit. Matth. Gesn. h. Dodgall. & Lat. in fol. itémque Tabernæmontano. A Camer. in hist. Matth. germ. Siseris alterius titulo. Siseris sativi minoris inscriptione à Fuchs. & Turnero. Siseris hortēsis à Gesn. de coll. stirpium. Ab H. Lugd. p. 713. Sisari majoris Matthioli. Sisarum hoc hortense Occo, hoc annotante Gesnero, non rectè Sesamum inscripsit. *Sesamum male.*

Anguill. refutatur. Miraris itaque subit Anguillaram epist. 7. qua frōte eos errare dicere ausus sit, qui putarunt Sisarum pictum à Fuchsio cum radicibus Asphodeli esse illud quod proveniebat in Gelduba. Imò annotavit Gesnerus in suo Anguillara hoc verum esse Sisarum.

Siser germ. Cæsalpin. De Sisere germanico (ut vocat) hunc in modum scribit Cæsalpinus. Foliis constat Pastinacæ, tenuioribus ac minus hirsutis, Sio proximis: flore candido: seminibus latis: radiculis quasi acervatis bulbis, ut in Asphodelo subcroceis, quæ coctæ in cibos veniūt. Puto apud Dioscoridem Elaphoboscum vocari, quasi Cervi Pastinacam: nam græcè βόσκειν pascere est: unde Pastinacæ nomen derivatum videtur. In Dioscoridis descriptione flos luteus non convenit Siseri germanico. Sed Siser germanicum non solùm colore floris non convenit cum Elaphobosco, sed etiam semine, quod non latum, quod dicit Cæsalpinus, nec Anetho simile, ut tradit Dioscorides, vel Ferulæ ut Plinius: folia etiam non hirsuta, ut Cæsalpinus, vel aliquantulum aspera, ut annotavit Dioscorides. Patet itaque quam verè dixerit C. Bauhinus cum Elaphobosco Diosc. & Plinij Sisarum hoc multùm convenire.

Nomina linguarum. Σίσαρον autem Græci vocant: Latini pariter Sisarum, vel etiam Siser, aut Sisar, & Iac. Manlio auctore Sesarum: posteriores nonnulli Servillum, aut Chervillum, vel Servillam. Arabes, vt Avicenna l. 2. tract. 2. c. 940. *Seisaron.* alij *Culcas, Seisacon* & *Fisarum.* Germ. Gierlin/ Gierlen/ Geyerlein/ Görlin/ Gerlin/ Klingelrüblin/ Garten Rapuntzel/ Zam Rapuntzel/ klein Moreslen/ Klingel Möhren/ Girgele/ Giegelin & præter ante dictas appellationes Zucker wurtzel. Belg. Suycker wortelen & Serillen. Galli. Roberto Stephano referente, *Eschervis, Chervis, Chervy, & Gyroles*, Matth. *Gyrotes*, Tabern. Itali *Sisaro.* Hisp. *Cherivias, Chirivias, & Chirimas.* Angli Skyrret, Bohemi Mrkew.

Satio. Sisarum hoc in hortis seritur semine, sed radice potissimùm: nam majoribus ac crassioribus sublatis, minores iterum in terram defiguntur, quod Martio & Aprili opportunè fit, priusquam caules assurgant: atque hoc tempore exemptæ radiculæ coctæ eduntur. Veteres autem & majores radices si quadragesimali tempore non adimantur, corrumpuntur, novæque juxta oculos radiculæ mense Martio quandoque folia protrudere observavi.]

Usus. Cordus omnium radicum, quæ vescendo sunt salubertimam Siseris radicem affirmat. Sisari autem radiculæ Dodonæo moderatæ calidæ sunt ac humidæ: facilè concoquuntur, non tardè descendunt: nutriunt mediocriter, nec pravi sunt succi: flatulenti autem quiddam etiam obtinent, venerem promoventis. Eduntur coctæ, & quandoque cum aceto, sale, & exiguo oleo, acetarij in modum: quandoque verò in oleo, aut butyro frixæ apparantur, & aliis modis. In Suevia, ait Hier. Heroldus, mulieres præparant maritis suis, atque usum norunt. Radicem autem primò decoquunt, dein butyro frigunt, pipérque postremò addunt. Cibus est gratus, excitat maritos, promovet urinam, alvumque solvit. *Tēper. Dod.*

*PANACES VETERIBUS & in genere.

CAP. LXIV.

QUOD Græcis Panaces dicitur, ejus à Theophrasto sex species assignantur in universum. Primùm Syrium c. 10. hist. 9. de quo ait. Sunt verò quorundam omnia commoda, & radix, & fructus, & succus, ut Panacis. Et paulò post: Panacis quoque pleraque assignantur commoda, nec omnia ad idem fructūs, sed ad abortūs, & distentiones, & ejusmodi genera dolorum, item ad aures & vocis languorem. Radix ad partus, & mulierum profluvia, & ad jumentorum morbos, necnon ad irinum unguentum utilis, addit enim suavem olentiam, sed fructus radice validior est. Nascitur circa Syriam, secatur per messem Tritici. Idem c. 12. Panacis quoque genus multiplex redditur. Panacem enim appellant primam, quæ in Syria nascitur, de qua jam ante retulimus [quæ qualis sit à Theophrasto non exprimitur] secundam Chironiam, tertiam Æsculapiam, quartam Herculanam [de Panace Chironio, Asclepio, & Heraclio privatim dicemus ex veteribus] Præter hæc verò & unum Latifolium [πλατύφυλλον] & alterum Tenuifolium [λεπτόφυλλον] Ex his constat Theophrastum sex Panacis species in universum assignasse Dioscorides autem trium tantùm meminit, Heraclei, Asclepij & Chironij, de quibus suo, ut promisimus, loco seorsim agemus. *Panacū sex species Theoph. Diosc. trium.*

Quamvis autem Theophrastus quale sit Panaces Syriacum, non expresserit, attamen Plinius l. 12. c. 26. foliis illud esse refert ampla magnitudine rotundis. Sed suspicatur Dodonæus hæc ex Heraclei Panacis descriptione translata esse. Idem l. 25. c. c. 4. Panaces unum Asclepion cognominat, alterum genus Heraclion vocat ab Hercule inventum: alij Origanum Heracleoticum silvestre, quoniam Origano simile est: Tertium Panaces Chironium, & quartum genus Panacis ab eodem Chirone repertum, Centaurion cognominatur: sed & Pharnaceum nominat, cujus genera duo fecēre, alterum levioris folij [crassioris legit Dalech. παχύφυλλον] alterum tenuioris. *Plinius.*

Theophrastus itaque sex agnovit Panacis genera, tria suis nominibus describens, quæ sola etiam Dioscorides delineavit, Chironium, Asclepium, Heraclium; duo nulla recta appellatione tradens πλατύφυλλον & λεπτόφυλλον, & unum Syriacum appellans. Plinius septem genera statuisse deprehenditur, Panaces Syriacum, Asclepion, Heraclion, Chironium, Centaurion, & duplex Pharnaceum. *Plinius septē.*

Gesn. in cat. Plant. Panaces communem esse pluribus herbis nomenclaturam, Centaurio, Ligustico, Tithymalo & Origano Heracleotico testatur; Dioscoridi tamen privatim sic nominari tria solùm genera, jam memorata πάνακες ἡράκλειον, cujus succus Opponax, ἀσκληπιεῖον, καὶ χειρώνιον, incognitam herbam. *Panaces nomen, ac pluribus herbis.*

Ex

Panax Heraclion hortaria. Ex his tribus Panacis generibus, Heraclion tantùm, quod meminerit Io. Agricola, se vidisse refert Ferrariæ in horto Iesuitarum, ex quo Opopanax manet, licèt Mesue alterius sit sententiæ.

Pineæ nuci similis Iaca. Pineæ nuci simili Iacæ Panacis nomenclatura à Canarinis adscribitur.

DE PANACE HERACLIO veterum.

CAP. LXV.

Diosc. Variè illustratur. PANACES Heracleum[vet.inserit, ὃ ἔνιοι ut legat πάνακες ἐκ δὲ ...] ex quo Opopanax colligitur, plurimum authore Dioscoride, nascitur in Bœotia, & in Psophide [vet. ... Plin. Phocide] Arcadiæ nascitur, ut etiam de industria in hortis colatur, ob accedentem ex liquore quæstum. Folia habet aspera, ad terram depressa, valde viridia ad *Fici folia.* Fici[vet.margo συκῆς] folia accedentia, per ambitum *Ferula caulis.* quinque fissuris scissa: caulem ut Ferulæ altissimum, qui lanuginem habet albam [ἴχοντα χνοῦ λευκόν. pro quo Ald. ... alias ... ἐκτός. al. ...] *Anethi umbella.* & folia circum se minora [vet. ...] Vmbellam in cacumine [vet.delet.neque habetur apud Oribas.] qualis Anethi est: florem melinum: semen odoratum & fervens, radices ex uno principio plures albas [vet. inserit ...] graveolentes, crassum corticem habentes, eúmque gustu subama-*Succus Opopanax.* rum. Nascitur in Cyrene Libyæ, & in Macedonia. Colligitur succus ex radice incisâ, dum recens adhuc germinant caules [fructus vet.] Remittit succum album, qui siccatus in superficie Crocum colore refert. Excipiunt ipsum effluentem substratis foliis in excavatam terram, & siccatum tollunt. Colligunt & ex caule succum incidentes ipsum per messem, & quod defluit similiter excipientes. Ex radici-*Radicum delectus.* bus meliores sunt, quæ extentæ sunt & albæ, aridæ, non corrosæ, & gustu ferventes ac aromaticæ. Se-*Semẽ quod idoneum.* men ex media Ferula idoneum est. Quod cum ex *Succi delectus.* propaginibus prodit macilentum est. Ex succo præstat, qui gustu amarissimus [amarior Orib.] est, intrinsecus quidem albus, & subfulvus[vet.delet.]extrinsecus Crocum referens, lævis, pinguis, friabilis [...., vet.& qui facilè diluitur, & graveolet. Ni-*Adulteriũ.* ger & mollis vitiosus[..., vet.] est. Adulteratur enim Ammoniaco, aut Cerâ. Experimentum sumitur si digitus conteratur in aqua. Qui enim adulteratus *Vires.* non est, resolvitur & lactescit. Vim habet calfaciẽdi, emolliendi, attenuandi. Vnde convenit ad febres per circuitum repentes, rigores, convulsa, rupta, laterum dolores, tusses, tormina, urinæ stillicidia, vesicæ scabiem cum aqua mulsa, aut vino [vet. caret] potus. Ducit & menses, & fœtus enecat, & inflationes in utero ac duritias discutit, cum melle dilutus. Illinitur & ex ipso coxendicum dolor. Miscetur quoque acopis & compositionibus capitalibus. Abrumpit & carbunculos. Et podagricis convenit cum uva passa impositus. Eximit & dentium dolores cavernis inditus. Visum acuit oculis illitus. Ad picem ammixtus emplastrum est optimum adversus *Radix.* rabidi canis morsum. Quin & radix rasa ac utero apposita fœtus educit. Facit & ad ulcera vetera, & ossa denudata carne obducit, trita, inspersa, & cum melle illita. At semen ipsius, cum Absinthio acceptum, menses ducit. Cum Aristolochia verò adversus bestias, venenum ejaculantes, convenit, & ad uteri strangulationes cum vino bibitur.

Panax Herculana Theoph. De Panace Heracleo Theoph. lib.9. hist. ita scribit. Panax Herculana constat folio magno & amplo, ut quoque versus tres palmos perficiat, radice crassitudine propè digiti, bifidâ aut trifidâ, gustu subamarâ, odoratu sincerum Thus redolente, utilis contra morbum comitialem potâ, coagulo vituli marini admisto, ad quartam partem: & contra tormina è vino dulci: commoda etiam ad vulnera sicca, ex melle ad madida.

Panaces Plinij. Panaces, inquit lib.25. Plinius ipso nomine omnium morborum remedia promittit, numerosum & Diis inventoribus adscriptum. Et mox tria genera, Heracleum sc. Asclepium & Chironium exponens, *Panax Asclepium.* Asclepio attribuit, quod Dioscorides Heraclio adscripsit. Ejus verba sunt hæc. Vnum quippe Asclepion cognominatur, quoniam is [Asclepius, vet.] filiam Panacem appellavit. Succus est coactus Ferulæ [succus ex eo cogitur, ut & Ferula, vet. Ex inciso Ferulæ caule Sagapenum fieri Dioscorides monstrat lib 3. Potest etiam lectio retineri, quandoquidem Plin.l.12 c.26.Panacem esse Ferulam sui generis *Error Plinij.* tradit, si legamus, appellavit. Opopanax succus est coactus Ferulæ; &c. notando tamen errore Plinij, qui ex Asclepij Panace fieri tradat opopanacem, cùm is fiat ex Heracleo. Dalech.] qualem diximus, radice multi corticis & salsi [radicis cortice multo (crasso) & salso, Theoph.] Hac evulsâ scrobem repleri vario genere frugum [placenta mellita ex omni genere frugum. Theoph. c.9.l.9.] religio est, ac [ad Vet.] terræ piamentum. Vbi, & quo fieret modo, & quale maximè probaretur, inter peregrina docui-*Bucolicon.* mus. Id quod è Macedonia affertur, Bucolicon vocant, armentariis sponte erumpentem succum exci-*Plinij lectio probatur.* pientibus: hoc celerrimè evanescit. Et in aliis autem generib. improbatur [probatur CH. contra veritatem] maximè nigrum ac molle. Id enim argumentum est Cerâ adulterati. Albi, lib.sc.15. ita de Panace *Panax.* tradit, nulla appellationum distinctione facta. Panacem & unguentis eadem gignit, nascentem & in Psophide Arcadiæ, circaque Erymanthi fontes, & in Africa, & in Macedonia. Ferula sui generis quinque cubitorum, foliis primò quaternis, mox senis in terra jacentibus, amplâ magnitudine rotundis, in cacumine verò oleagineis, semine in muscariis dependente, ut Ferulæ. Excipitur succus inciso caule messibus, radice in Autumno. Laudatur candor ejus coacti. Sequens pallido statera.

Temper. ex Galeno. Ex Heracleo autem Panace fieri Opopanacem refert quoque Galenus, radicibus & caulibus ipsius incisis. Est verò utilissimus Opopanax, calefaciens, & molliens, & discutiens: & posuerit quis ipsum in calefaciendo ordinis tertij, in siccando secundi.

Anguisicæ Spondylium majus. Cæterùm, Spondylium majus hodie quidam Panax Heracleum esse crediderunt, quod tamen nos affirmare non ausimus.

Angelica. Ab aliquibus, ut Trago, Angelica putatur esse Panax Herculeum Dioscoridis, Plinij, & Theophrasti.

Achillæa. Achillæam vocatam fuisse Panacem Herculeon scribit Plinius.

Millefoliũ Stratiotes. Millefolium Stratiotes nonnullos Panaces Heracleon vocasse refert Ruell.l.4.c.92.

Geranium sanguineũ. Panax Heracleum Anguillaræ, inscribimus nos H.n.g.lib. Geranium sanguineum.

Cornarus licèt omnia Panacis genera incognita esse asserat, tamen haberi hodie Opopanacem notissimum officinis haud negat. De hoc succo igitur posthac nobis agendum erit.

OPOPANAX.

Descr. PANACIS liquor Opopanax est, gummi sunt Pisi circiter magnitudine, aut sabuli crassioris, multò etiam aliquando uti oque majores, coloris rufi foris, qui diffracti intrinsecus ex flavo albescunt, sapo-

re acri & aliquantum amaró, eo ferè qui in Ligustico nostro observatur. Sordidissimæ quoque subinde adferuntur glebæ, caulium festucis & assulis remistis, succo concreto, qui admiscetur, ex ruffo nigricante. Sunt porrò mihi à quadraginta ferè annis grumi & lachrymæ majores, quibus remixta satis magna fragmenta, similia Ferularum aut Fœniculi, lignosis caulibus, fungosa, alba semina oblonga, Ferulæ glaucæ seminibus magnitudine ferè similia, tenuia, & ferulacea, valde striata. Qua magnitudine reperimus, curavimus appingenda Galbaniferæ figuræ Lobelianæ, separatim: non tamen propterea dicimus eadem, sed ibi locavimus, quia nondum nobis constitit, de Opopanacis planta.

Panaces Heracleū in Apulia.

Matthiolus licèt Panaces Heracleum [Spondylium majus] in Apulia frequens nasci dicat. Verùm non ob id affirmaverit ejus lachrymam, quam officinæ Opopanacum vocant, excipi in Italia. Nam quam Venetiis reperiri scribit, ex Alexandria Ægypti convehi refert. Legitima porrò, sic ipse narrat, non desit, etsi adulteratæ frequentior sit usus. Ὀποπάναξ gummi, vocatur Lat. Opopanax, Ital. *Opopanaco*, Hisp, *Opopanaque*. Anguillara verò epist. 12. vocat *Rampa d'orso*, dubitatque meritò an sit Panax Heracleoticum, siquidem odore non convenit cum Opopanace, quod hodie affertur.

Opopanax. Rampa d'orso.

Panax Heracleum Matth. non fert Opopanacem Cordi lapsus.

Panax autem Heracleum [Spondylium majus] non proferre Opopanacem, sed Panax Siculum, quamvis parum, testis est apud Matthiolum Camerarius in Historia ejus germanica. Labitur itaque Cordus, qui ex Panace Herculeo, quod in Italia feri audivit, radice incisâ, liquorem manare perhibet, qui Opopanax & Opopanacum vocetur, cujúsque frequens usus sit in Medicina. Nec scio quomodo possit demonstrari ex Spondylio majore parari Opopanacum, id quod somniat etiam C. Bauhinus.

Panax flore candido & semine candido hirsuto. Mesues notatur.

Panaci (inquit Cæsalp. lib. 7. cap. 53.) ex Sicilia flore candido, semine candidâ lanugine hirsuto, magis congruit Panax Herculeum: ex quo Opopanax fluit radice incisa. Habemus Opopanacem inter merces externas, quem Mesues inter medicamenta purgantia ponit, at plantæ figuram aliter tradit, ut Asclepium Plinij & Theophrasti videatur intelligere.

Turquet. repreh.

Videtur inscienter liquores cum gummis confudisse Turquetus, qui Opopanacem inter gummi recenset, cùm nomen ipsum inter liquores referendum esse demonstret.

Vires. Error quorundam.

Mesues tandem scribit Opopanacum, hoc habere peculiare, quod concitet sitim, longè ergo aberrant ij à suo proposito, qui ubi sitis urget, id præcipiunt. Panacis Heraclei defectu optimi chirurgi, cùm denudata ossa carne explere volunt, radicum segmenta, quæ lachrymæ compacta reperiuntur, seligunt, & ad hunc usum in pulverem redigunt.

Ossa denudata.

SAGAPENVM VETERVM.

Cap. LXVI.

Locus. Delectus.

SAGAPENVM succus est herbæ ferulaceæ in Media nascentis. Præstat ex ipso quod pellucidum est, extrinsecus fulvum, intus album, odorem inter Silphij succum & Galbanum medium habens, acri sapore. Facit ad thoracis & lateris dolorem, rupta, convulsa, tusses veteres. Crassa in pulmone hærentia repurgat. Datur & comitialibus, opisthotonicis, splenicis, paraliticis, perfrigeratis, in febribus per circuitum repentibus in potu. Sed & in unguentis commode adhibetur. Ducit & menses, & fœtus corrumpit cum aqua mulsa potum. Auxiliatur commorsis à bestiis venenatis cum vino sumptum. Excitat eas, quæ ab utero strangulantur, si cum aceto ipsum olfaciant. Deterit cicatrices oculorum, & visus hebetudinem & quæ pupillis tenebras offundunt & suffusiones. Resolvitur ut Silphij succus, ruta & aqua, & amygdalis amaris, aut melle, aut pane calido.

Vires.

Sagapenū distinguitur a Sacopenio.

Inter Sacopenium & Sagapenon Plinius distinctionem facit, ita l. 20. c. 18. de ipsis loquens. Sacopenium quod apud nos gignitur, in totum transmarino alienatur. Illud enim Ammoniaci lacrimæ simile Sagapenon vocatur. Et subdit mox medicum usum, parum ut Dioscorides habet: Prodest laterum & pectoris doloribus, convulsis, tussibus veteribus, exscreationibúsque, præcordiorum tumoribus. Sanat & vertigines, tremulos, opisthotonicos, lienes, lumbos, perfrictiones. Datur & olfactandum ex aceto in strangulatu vulvæ. Cæteris & potu datur, & cum oleo infricatur. Prodest & contra mala medicamenta. Iuxta hanc itaque distinctionem, videtur etiam lib. 19. cap. 18. Sacopenium legendum esse, non Sagapenum, ubi ait, Sagapenum & ipsum in hortis quidem nascitur, sed Medicinæ tantùm.

Vsus ex Plinio.

Ferulæ similis stirps Galeno.

Galenus stirpem ipsam Ferulæ similem, Sagapenum primariò vocari dicit. Abusivè verò ipsius succum quem rectiùs esset, non Sagapenum, sed Sagapeni succum dicere. Addit idem eam stirpem debilem & inutilem esse: Succum autem calidum & tenuium partium, sicut alios succos. Idem lib. 1. de antid. Sagapenum probari dicit, si aquâ, aut vino rigetur. Quod enim verum est, dissolvi: non liquescente eo, quod tale non est. Non autem referre sive quis Sagapenum simpliciter, sive Sagapenū succum nominet. Esse enim revera cujusdam Ferulæ succum, quæ Panaci similis sit. Cornarius adhuc hodie notum esse ait officinis, sed corruptè Serapinum vocari. Hoc itaque notis suis sic delineamus.

Sagapeni veri nota.

Sagapenum succus

Serapinum officinarum Cornario.

SAGAPENVM.

Sagapeni descr.

SAGAPENVM guttis constat magnis, veluti Thuris mammosi, aut masculi (interdum in glebas magnas coactum) Opopanacis modo, ruffescentibus, intus corneo quodammodo colore præditis, sub dente, vel etiam digito, lentescentibus albescentibúsque, mordaci acrique sapore, odore viroso, candelæ, admotis flammam concipientibus. assulæ rariùs in massa inventæ, substantiâ fungosâ, albâ, foris purpurascente, rariùs adhuc caulis ipsius portiones justæ, digitalis crassitudinis, striatæ, fibris longis contextæ, quarum spatia opplet fungosa, laxáq; substantia. semen quoque gemellum, Ferulaceo par, semunciâ longius, semunciam ferè latum. impuriores sunt glebæ, quarum vix grumos internoscas, ita omnes sunt concretæ veluti fusæ, colore sordido, sapore & odore simili.

Turquet. repreh.


Valdè inscienter Turquetus Sagapenum, quod non gummi, sed liquor Ferulacei fruticis est, cum gummis confundit.

Herba Costa, autore Cæsalpino, indicatur à quibusdam non immeritò Ferulæ genus esse, quod Sagapenum fert de quo Diosc. Mesues & cæteri Arabes paulò ante verba fecerunt.

SPHONDYLIO, VEL POTIVS Pastinacæ Germanicæ affinis Panax, sive Pseudo-Costus flore luteo.

Descr.

PVLCHRE' in Montbelgardensi viridario viget, foliis sesquicubitalis longitudinis, latitudinis cubitalis, asperis, hirsutis, atrovirentibus cum nitore quodam, in alas divisis ex adverso sitas, easque rursum



sum pinnatim subdivisas in folia Pastinacæ Germanicæ foliis similia, serrata, tres quatuórve uncias longa, binas lata, in obtusum mucronem desinentia, pediculo admodum hirto & aspero; caules aliquot cubitorum brachiati: umbellæ inæqualis longitudinis muscarijs Peucedani in morem constant florum luteorum. Semina majora quàm Pastinacæ Germanicę, Spondylij seminibus paria compressa, lata, fimbriam albam habentia, cùm in medio nigricent, acria & linguas mordicantia.

Semina.

Non defuisse jam olim Matthioli temporibus impostores, qui ex Gargano Apuliæ monte quotannis ad Senenses advexerint Pseudocosti hujus radices, amari saporis, quæ facie quadantenus Rhodiam radicem repræsentarint, ipsemet passim suis in comm. conquestus est & contestatus. Has, inquit, pro legitimo Costo vendunt nostratibus pharmacopœis, iis præsertim, qui in rei herbariæ cognitionem negligentiùs incumbunt. Plantam nos habere, atque etiam depingi curavimus (ea enim alioqui non est vulgaris judicanda) ut ex ejus imagine discant imperiti, cujus plantæ sint radices illæ. Hinc fortassè fiet, ut si illi imposturam hanc omnibus cognitam esse intelligent, eam desinant posthac facere. His addit in post. comm. cum mag. fig. Lat. & Ital. Pseudocosti radicem vegetam, esse crasso cortice, carnosóque vestitam, colore cinereo splendente. In hist. etiam Germ. cum addit. Camerarij Pseudocosti nomine, ut & in Epit. ejusdem, pingitur ac describitur, cognominatúrque Costus vulgaris, officinis Costus, sed perperam: Ital. *Costo bastardo & Coste di Puglia.* Olim autem Matthiolus nullam habebat descriptionem, sed figuram duntaxat, ad fictam fortè plantam factam: non placet in versione germanica folia dici **den gelben Ruben** similia, h.e. Carotæ luteæ, sive Pastinacæ Græcorum luteæ sativæ, cum qua nulla similitudo ejusmodi sit.

Impostura.

Pseudocostus describ.

Costus vulgaris offic. Matth. notatur.

Dodonæus in fine, sive Epilogo libri de floribus pro Panacis specie hanc pingit: In fol. lat. pro Panace peregrino, quod ubique describit, ac præterea dicit. Ex hujus vulnerato, præsertim circa radicem, quæ longa & candida est, caule, succus æstivis mensibus manat, sponte concrescens, Opopanaci colore similis, odoris quidem exigui, sed gustu excalfaciens. Non modò aut in Italiæ, aut aliarum calidarum regionum hortis, ubi quandoque seritur, succus è vulnerato caule exit, verùm & in Belgio observatum est, Æstate fervidâ, hujuscemodi quoque lachrymam inciso scapo effluxisse. Atque hic quidem succus Panaces genus hanc stirpem esse evidenter ostendit: Quod & semen confirmat in Panacis lachryma repertum, ex quo Petro Coudenbergo pharmacopœo Antuerpiensi hæc primùm in Belgio enata stirps est: Cùm autem Panacis multa existant genera, quodnam ex iis sit considerandum occurrit.

Panacis species Dodonæo. Panaces peregrinum.

Panaces genus concluditur

Non autem Heraclium Panacès, nec similiter Asclepion esse satis patet. relinquitur ergo, ut vel Chironium, vel Syriacum sit. Chironium autem Panaces folium habet Amaraco simile, florem aureum, radicem tenuem, non altè descendentem, gustu acrem, ut quidem Dioscorides. Cum quo & Apulejus convenit: Panaces chironium, ait, folia habet Amaraco similia, flores aurosos, radicem tenuem, non altam, acerrimam. Theophrasti verò descriptio ab horum multùm differens est. Chironium, inquit, folium habet simile Lapatho, majus ac densius, sive hirsutius, *δασύτερον*: flores verò auricolores: radicem longam: amat loca pinguia, *τὰ πίονα*. Eadem & Plinius lib. 25. cap. 4. nisi quòd radicem non longam, sed parvam tradat, facili lapsu ex *μακρὰν* in *μικράν*. Tertium, ait, Panaces Chironium cognominatur ab inventore. Folium ejus Lapatho simile, majus tamen ac hirsutius: flos aureus, radix parva. nascitur pinguibus locis. Nicandri interpres verba Theophrasti de Chironio adferens, non Lapatho, sed Amaraco simile tradit. Chironium, ait, simile Amaraco, majus tamen ac hirsutius: flos aurei coloris: radix longa, loca maximè amat aquosa. Ex his cognoscere est, veterum auctorum loca quædam esse corrupta, veluti Plinij & interpretis Nicandri: Deinde duo esse Chironia, ûnum folio Amaraci; alterum Lapathi. Prius Panaces humilis ac tenuifolia stirps est. Amaracus siquidem (cui simile esse scribitur) herba est ramosa, per terram serpens; folia habens hirsuta, ac rotunda, tenuifoliæ Calaminthes æmula, valdè odorata quæ coronis adduntur, ut Dioscorides sub sampsuchi nomine describens, testatur. Theph. l. 7. Amaracum inter urbana coronaria reponit. quæ lignosa, tenuifolia, & idcirco ad suffruticum naturam accedit. Alterum verò, quod folia habet Lapathi, majora ac hirsutiora non temerè Helenium esse videtur: Apuleio enim auctore, Panaces Chironium Inula campana quoque appellatur. Nec refert quod Dioscoridis adferens descriptionem folio ipsum esse tradiderit Amaraci. Non animadvertisse enim potuit aliter à Theophrasto, quàm à Dioscoride describi; ut multa valdè oscitanter à multis veterum, & observata & posteritati commendata, atque ab ipso Apuleio, sunt. Cum neutro autem horum, Panaces hoc peregrinum convenit, neque enim tenuifolio suffrutici Amaraco simile est, nec folium habet Lapathi majus; sed si particularia segmenta considerentur, multò minora. Iam & vulneratum æstivis mensibus (uti dictum) lachrymam istud effundit, qualem à Chironio Panace profluere, à nullo veterum memoriæ proditum reperitur. Ex quibus sanè constat peregrinum hoc Panaces, non esse Chironium, & iisdem de causis Syriacum illud esse, unde Opopanax colligitur, vel maximè apparet: Nullius enim alterius, præter enumerata, apud veteres memoria extat. Effluere autem ex Syriaco lachrymam Plinius lib. 12. cap. 26. apertè scribit: Theophrastus verò innuit, dum per messem ipsum secari (succi videlicet colligendi gratia) refert. Quòd autem succus hujus peregrini Panacis in Belgio, eo qui in officinis reperitur, minùs odore aut sapore præstet, regionis frigiditas in causa est: In calidis etenim regionibus omnia odoratiora & fortiora; in frigidis verò minùs odorata, ac viribus imbecilliora gignuntur. Hæc in longum Dodonæus, cujus figura & Lobelij, satis exprimit nostram plantam, si folia non essent ita acuta & serraturæ adessent, & non nimium Lapatho similia, saltem si eandem plantam, quam nos intelligit

Nec Heracleum, nec Asclepion Panaces est.

Plinij lib. error.

Chironium duplex.

Enula campana.

Chironium Panaces non est.

Panaces Syriacum est.

Item Dodonæus.

Panax altera Lobelii. Lob.adv.p.312. vocat Panacem alterá recentiorum Olusatri aut Pastinacæ facie, de qua ait. Venetorum quidam peritiores, etiamque Leo ille circulator, alebant & ostentabant quandam Panacis speciem, ferulaceo caule, binûm & ternûm & quaternûm cubitorum, multos in ramulos supernè diviso, *Descr.* ferulaceis autem folijs, squabris, asperiorib. in singulis petiolis, singulis prodeuntibus, amplis, tharsi instar plumatimque ex intervallis æquis, positu Pastinacæ, & folijs constantem multis in uno petiolo, oblongo, Africani fermè floris: floribus luteolis aut pallentibus, in umbellis Pastinacæ aut Baucia, quam etiam assimilat tota planta hirsutie incanâ, radice longiore, albida, nec ita dissimili. In Venetis & Flandriæ hortis hanc meminit Lobelius se degustasse gustu aromatico, calfaciente & digerente, gummeo, opopanaceum succum redolente: quare putavit hanc, ut si quam aliam, Panacem legitimam. Senensis [Matthioli] porrò in post.comm. plantam hanc insertam, Costi nomine ipsique sæpiùs ab Herbarijs Illyricis ostensam, quia nihil Costo dignum habet, sed potiùs facie Elaphobosci est, illuc rejiciendam censet Costum hunc spurium Matthioli. In obs. pingit p. 400. Panacis alterius titulo, ibique Costi hujus spurij Matthioli varietatem assignat folio rotundiore, hirsutiore, breviore, Pastinacæ vulgari, sive Elaphobosci, odore potiore. Idem Lob. in Icon. p. 702. appellat Panacem alteram recentiorum, Olusatri, aut Pastinacæ folio. Et nos in hac planta varietatem quidem observavimus non parvam. Vere namque quando provenit folia habet talia, qualia in Costo describit Lobelius, sed postea mutat.

Locus. *Panax legitima.* *Costus.* *Costus spurius.*

Herba Costa Cæsalp. Herba Costa vulgò appellatur, authore Cæsalpino, quia radices pro Costo in usum venerunt: folia sunt ab radice humi strata, initio lævia, sed procedente tempore horrescunt: caules fert bicubitales, pallescentes, hirsutos unde emanat lachryma, aurei coloris, odorata, acris. flores lutei, radices crassitudine baculi in diversas partes tendentes, nervosas, exteriùs subrufas, gustu fervente. Indicatur à quibusdam non immeritò Ferulæ genus esse, quod Sagapenum fert, de quo ante ex veteribus abundè satis diximus.

Ferula. Sagapenū.

Panax Chironium Dodonæi, Lugd. p.741. & Pseudocostus Matthioli, p.758. unam eandemque æstimamus plantam. Neque duas sequentes Tabernæmontani stirpes separamus, donec nobis meliùs constet, qua in re differant. De Panace Herculeo 2. quod Panax wurtzel aut Heylkraut vocat, veteres nihil scripsisse ait, videri tamen, sibi potissimùm, Opopanacum confici ex hac planta: eam peritos Medicos & se recepisse pro panace Herculeo: habere enim succum gravis odoris, ut Opopanacum: coluisse in horto Philippum Stephanum Sprengerum, ex qua curarit depingendum: vulgarem alioqui esse in Belgicis hortis. Alteram, Panaces Costinum nominat, Costen Heylwurtz/ affirmatque hujus radicem falsò pro Costo vero vendi, cum quo nihil habeat commune: Herbarijs Costum Illyricum & Costum adulterinum dici.

Lugd. & Tabern. notantur. Panax. Hercul. 2. *Opopanacū.* *Panaces Costinum.* *Costus Illyricus.*

Panax Heracleum majus Gerardo. Gerardo dicitur Panax Heracleum majus, Hercules great woondtwort. Bauh. phyt. & pin. Panax 1. (quasi πᾶσιν ἄκος, omnibus remedium adferens) Pastinacæ folio, an Syriacum Theoph. Sagapenum existimatum, Gesn.h. Panaces peregrinum, Dod. Panax altera recentiorum Olusatri aut Pastinacæ folio, Ad.Lob. Panax Chironium, Lugd. Herculeum 2. Tab. Herculeum majus, Ger. An Panacis Heraclei alterum genus, Cæs. Sagapenum Diosc. Item, Eid. Panax 2. costinum: Costus, Matth. Lon. vulgaris, Cam. ep. Costus spurius Matthiolj, Lob.obs.& Cam. Pseudocostus, Matth.Lugd. Herba costa, Cæs. Panax chironium Theoph. Cam. Panaces costinum & costus Illyricus, Tab. Unam enim non duas credimus plantas. Panacis Heraclei genus alterum Cæs. huc non referimus, sed mox seorsim tradimus.

An Panax Heracleum Gesn. An Gesn.hort. Panaces Heracleum, purcherrima planta, Ollingero, Kreichio, Coudenbergio: ex eo colligitur Opopanax dictus succus pharmacopolis. Vidit hoc aliquando in Italiæ hortis, aliqua cum Spondylio similitudine, uti narrat. An Cordo in Diosc. Panaces Herculeum, in Italia à quibusdam ostentationis gratia seri solitum?

An Panax Heracleum Cordi.

Locus & tempus. Montbelgardi in horto E.C. ex semine natum pertulit ab aliquot annis Hiemem & semen tulit, folia producens Martij principio, florens Iunio, seménque maturans Iulio, semen tamen suspicor non proliferum futurum, videtur enim medullâ destitui.

Vires. & usus. Excalfacit & siccat ordine secundo completo, authore Matthiolo. Aperit, abstergit, incidit, attenuat. Amara est & acris. Præstant (ut referunt, qui comportant) Pseudocosti radices ad omnes cerebri, & nervorum frigidos affectus, ad pectoris vitia, & ad ventriculi cruciatus, & viscerum omnium obstructiones, & ad renum, vesicæ, & uteri morbos. Ideóque auxiliantur diutino capitis dolore affectis, vertiginosis comitialibus, stupidis, veternosis, convulsis. resolutis, asthmaticis, tussientibus, ictericis & hydropicis. Eadem flatus pellunt, vermes necant, urinam ducunt, calculos pellunt, menses & partus cient. Infunduntur earundem decocta ad coli cruciatus & coxendicum affectus.

Affectus cerebri. Obstructiones. *Flatus. Vermes.* *Colica.*

PANAX SICULUM SEMINE hirsuto, folijs Pastinacæ sativæ.

Panax Heracleum alterum Cæsalp. Panacis Herculei alterum genus ex Sicilia ad nos (inquit Cæsalp. lib.7.cap.53.) translatum, folijs constat in terra stratis, initio quasi Pastinacæ sativæ, lævibus, sed procedente tempore in vastam amplitudinem dilatantur, simul & asperitatem induunt, segmentis amplis, se tangentibus, ut unicum folium integrū figurâ cruciformi ad amplitudinem cubitalem accedat; vere caulem attollit, anno secundo aut tertio, bicubitalem, rubentem, lævem, in quo lachryma concrescit colore flavo, idem procedente tempore subhirsutus redditur: umbellæ insident amplæ: flore candido: semine crasso & oblongo, candidâ lanugine hirsuto: radix non magna, candida, quæ perfecto semine exarescit.

Panax Diosc. Cæsalp. Dioscoridis descriptio huic magis congruit, quàm Spondylio majori, quæ quibusdam Panax herculeum dicitur.

SPONDYLIUM EX VETEribus & in genere.

CAP. LXVII.

Diosc. locus Sarca. Sphondylium [σφονδύλιον] ex Dioscoridis sententia, folia quidem habet Platano [πλατάνῳ. vulgatam autem hanc lectionem veram esse, ex Plinio facilè intelligi potest, Goup. tamen vet. quidam ad marginem μαράθῳ legit, sed perperam.] quadantenus similia, ad Panacis foliorum figuram

guram accedentia: caules verò cubitali altitudine, aut etiam amplius assurgentes, fœniculaceos, semen in cacumine Seseli simile, duplex, verùm latius, candidius, & magis acerosum sive palaceum, gravis odoris: flores albos [Ruell. addit, aut pallentos] radicem itidem candidam, Raphani similitudine. *Locus.* Nascitur in palustribus & aquosis. Semen ipsius [calidè, Ald.] potum pituitosa per alvum *Vires.* excernit, ac medetur etiam hepaticis, ictericis, orthopnoicis, comitialibus & vulvæ strangulatui. Profundiore verò somno captos suffitu revocat. Ex oleo commodè irrigatur in capita phreneticorum, lethargicorum, itemque caput dolentium. Cohibet & herpetes cum Ruta adhibitum. Radix autem regio morbo laborantibus ex hepaticis exhibetur. Circumrasa eadem & indita fistularum callos exedit. Recentis verò floris succus, exulceratis purulentisque auribus accommodatur. Cæterùm, reliquorum etiam succorum modo insolatus ad usum reconditur.

Spondylion Ferula est Plinio. Plinius l. 13. c. 26. ubi de Panace, Ferula sui generis egit, inquit. Ab hac Ferula differt, quæ vocatur Spondylion, folijs tantùm, quia sunt minora, & Platani divisura. Non nisi in opacis gignitur. *Silis.* Semen eodem nomine Silis speciem habet. *Vsus.* Idem l. 24. c. 6. usum medicum Spondylij, planè juxta Dioscoridem præscribit. Spondylion, ait, unà demonstratum, infunditur capitibus phreneticorum, & lethargicorum: item capitis doloribus longis. Cum oleo vetere bibitur, & in jocinerum vitijs, morbo regio, comitialibus, orthopnoicis, vulvarum strangulatione: quibus & suffitu prodest. Alvum mollit. Illinitur ulceribus serpentibus cum ruta. Flos auribus purulentis efficaciter infunditur. Sed succus, cùm exprimitur, tegendus est, quoniam mirè appetitur à muscis & similibus. Radix derasa & in fistulas conjecta, callum earum erodit. Auribus quoque instillatur cum succo. Datur & ipsa contra morbum regium, & jocinoris vitio & vulvarum. Capillos crispos facit peruncto capite. Nec plura Plinius.

Spondylion Galeno. Galeni juxta traditionem, Sphondylij semen acrem & siccandi vim habet. Quare ad anhelationem, & morbum comitialem, bonum est medicamentum. Prodest etiam morbo regio. Sed & radix similem vim habens in iisdem convenit. Insuperque callos ex fistulis aufert. Verùm derasam indere oportet. Sed & floris succus reponitur, ad diuturna aurium ulcera.

Nomenclaturæ Græca. Σπόνδυλος sive σφόνδυλος, & σφονδύλιον, sunt qui Araneum, qui Phalangium, qui Asterion, qui Spondylida, qui Chordanon, qui Oenanthen vocent. Ægyptij Apsapher, Magi Olyrida, Romani Herbam rutunalem dicunt. *Spondylus Vertebra.* In animalium autem dorso, Spondylos Græci primùm, privatimque in homine viginti quatuor vertebras, quibus tota eorum spina constat, appellaverunt, inquit Marcellus. Quarum septem in cervice numerantur. Scapulares duodecim sunt. Lumbares verò quinque: omnes, uti dictum, viginti quatuor, *Spondylus Os sacrum.* quas sacrum excipit os, quod ex spondylis simul concretis constare videtur. Quo nomine non tantùm os hoc ex concretis simul quasi Spondylis constans, appellatur, sed quod utrinque illi connatum est, latum & grande. Spondylorum huiuscemodi, quos latini vertebras dicunt, nota omnibus forma est, tereti structurà per media foramina à cerebro descendente medulla. *Spondyli muliebres.* Ab eorum figura & similitudine iidem Græci in muliebri lanificio & opere Spondylos vocaverunt pondera, quibus mulieres in ducendo ex colo in filum lino aut vellere aliquo fusos suos tam diu librant, donec multo filo graves alterius ponderis ope, ut ad rectos angulos descendant, non indigent. Ab his rursus ad plura translatum nomen hoc est, quæ brevitatis causa relinquimus, & à quotidiano notæ rei spectaculo multarum rerum descripta, signatáque forma & eventus est. Quod evenisse & factum ab antiquis in Spondylio hoc credimus, cujus semen Dioscorides Seselis semini simile dixit, quod in Peloponnesiaco Seseli latius cæteris & carnosius describitur, mox διπλοῦν, quod non est simpliciter duplex, sed latum & grande. Id enim in Græcis ea vox aliquando significat: quemadmodum in Latinis Maro etiam dixit in Georgicis suis.

------duplici aptantur dentalia dorso.

Nec multò post: *duplex per lumbos agitur spina.*

Vbique enim ea vox latum & grande significat. Quod ad Spondylos manifestè pertinet, multoque certiùs, quod Dioscorides ait, Sphondylion hoc à quibusdam Arachnen, Phalangium & Asterion vocari. Sunt enim in Phalangiorum genere decem ab antiquis privatim suis nominibus numerata. Inter quæ etiam est, quod acino uvæ simile ῥὼξ vocatur. Descripsitque id Nicander in Theriac. in media alvo ex inferiore parte os habere. versiculus ejus est.

Γαστέρι δ᾽ ἐν μεσάτῃ ὀλίγοις ἐχάλασσεν ὀδόντας.

Quod est, ut Plinius de eodem agens lib. 29. cap. 4. ait, Ore minimo sub alvo. Quæ acini rotunditas in ea, & in media alvo minimum os quasi pervium foramen muliebris verti, illi formam effingit. Eamque ob causam Arachne, Phalangium & Asterium vocatur. *Arachne, Phalangium & Asterium.* Totius enim generis prima illa duo nomina sunt: Asterium verò ex eodem genere ab eodem Nicandro privatim descriptum. ἀστέριον δ᾽ ἄλλο τιτάσκει, &c. Dictumque ab eo hoc est habere in tergo pingue quoddam splendens, discurrentésque in eo lineas quasdam fulgentes; à quorum non omnium similitudine, sed à priore illo quòd acino uvæ Dioscorides semen primum, mox ex semine plantam, Araneum, Phalangium & Asteritium Spondylion herbam vocari ait. Nec obstat quod alius & non ῥῶγι illi comparaverit. Ab imperitis enim, & qui tantùm in genere araneorum id esse scirent additæ appellationes hæ fuerunt. *Spondylion unde dictum.* Ex quibus non suspicari tantùm, sed ratiocinari licet non aliunde plantam hanc Spondylion, quàm à Spondylorum in spina & phalangij illius forma dictam fuisse. Siquidem rotunditate duo hæc similia inter se sunt, & ambo perviam concavitatem habent, quà muliebrium fusorum verticillis similia etiam sint. Eodem pertinet, & quæ fœminino genere Spondylias sequitur. Cæteræ appellationes incertam, Marcello referente, habent significationem: nec Græcæ magis, quàm Latinæ, ob quam causam nihil ultra de eis dicetur. Reliquum autem est, ut quibus plantis Spondylij, sive Sphondylij nomen adscribatur, annotemus.

Spondylium quorundam sive Branca ursina. Sphondylij igitur, sive Spondylij nomine sequentes donantur plantæ.

Branca ursina Germanica à plærisque & ferè omnibus censetur Spondylium veterum, de quo mox.

Spondylium majus sive Panax Heracl. Spondylium etiam dicitur præcedenti similis, alijs Panax Heracleum, de quo postea sub Sphondylio majore, sive Panace Heraclio.

Spond. crispum. Spondylium crispum, & aliud alpinum parvum C. Bauhini.

Spond. alpinum glabrum. Spondylium aliud alpinum glabrum.

Spondylio affinis Panax. Spondylio affinis Panax quibusdam, de quo jam ante diximus.

Pastin. germ. silv. Quidam, ut Gerardus, qui pro Spondylio posuit iconem Elaphobosci erratici, vocant Pastinacam Germanicam silvestrem Spondylium. de hac dictum ante.

Angelica. Non defuerunt, nec desunt adhuc hodie, qui Angelicam Spondylium existimant.

Imperatoria. Spondylium quidam putarunt Astrantiam vulgò dictam, de qua antè titulo Imperatoriæ.

Scolymi capita. Spondyli & Sphondyli sunt capita Scolymi de quibus H.n.g.lib.

Acer. Apud Galenum lib. 8. med. par. pro σφενδάμνου [Aceris] putat Cornarius fortè substituendam vocem σφονδύλιον.

Plures Spondylij significationes, paulò antè ex Marcello hic adduximus.

SPONDYLIVM QVIBVSdam, sive Branca ursina Germanica.

Spondylium caulem profert rectum, cubitalem & bicubitalem, striatum, hirsutum, geniculatum, intus concavum: folia Acanthi, altiùs plærumque laciniata, & ex pluribus foliis singularibus, in alam digestis, costæ adhærescentibus composita, tam pronâ, quàm supinâ parte, tenerâ lanugine obtecta, sapore dulci: flores umbellæ latioris orbem circinant: candidi, minimùm odorati, quorum singulares flosculi, quinque cordatis foliolis cõstant, hosce semen excipit geminum, oblongum, sapore acriusculo. radicem verò demittit altè actam, crassam, rugosam, carne albâ, succum remittentem subcroceum, fervido & subamaro sapore, linguam vellicantem. *Descr.*

GVAR.

Matthiolus ait semen Seseli non absimile, latius tamen squammosum, sapore injucundo, ut quod cimices fermè resipiat: radicem gustu non ingrato.

Bupleuron. Bupreſtis. Panaces Heracleū. Cordus in Diosc. l. 3. c. 19. testatur hanc vulgò vocari in Germania Brancam ursinam: à Nicandro & Plinio Bupleuron, & à veteribus Græcis etiam Buprestin. Capite verò 59. Italos quosdam Panaces Herculeum esse putare, nobisque Germanis semen ejus, ceu rei exoticæ mittere, cùm tamen apud nos nihil hac vulgari Branca ursina ex ferulaceis herbis inveniatur. Item cap. 90. ait Spondylium Latinos verticillarem vocare, hodie autem ignotam plantam esse. Ruellium tamen eam cognovisse, dixisseque à Gallis Panacem silvestrem appellari. Sed annotavit quidam apud Cordum, Ruellium procul dubio sentire de hac herba, quam multi imperiti apud Germanos Brancam ursinam falsò vocent.

Branca ursina Trago. Tragus l. 1. c. 145. Brancam ursinam inscribit, aitque Germanos non abs re ita dicere, cùm foliorum formâ, quæ grandia habet, aspera, nigricantia, & dissecta, anterioribus ursorum pedibus satis respondeat. Re ipsâ autem Pastinacæ genus aliquod mihi videretur (mox subjungit) nisi in præsentia Olus atrum (quod apud Dioscoridem Grielon, Apium agreste, & apud Columellam Smyrnion: Theophrasto verò ἱπποσέλινον, h.e. Equapium, Germ. Groß Eppich aut Roß Eppich cognominatur) vocare liberet. Hîc verò clamabunt adversum me Iac. Manlius & Matth. sylvaticus, dicentque Olus atrum, aut ut ipsi loquuntur, olixatrum esse Petroselinum Macedonicum & Alexandrinum, id quod lubens illis concesserim. Siquidem Petroselinum Alexandrinum à nostra Branca ursina haud multùm differt. Quam ob rem Brancam nostram ursinam modò Olusatrum, Hipposelinum Germanicum, aut saltèm Pastinacam erraticam nuncupabimus. Idem cap. 146. Branca ursina nihil aliud est, quàm erratica Pastinaca & Apiorum maximum genus: Pharmacopœi Germanici vocant Bauciam. Hæc Tragi mens est. Sed is apertè hallucinari deprehenditur. Nec enim ullam nomenclaturam ex veteribus, ab eo plantæ, de qua hic agimus, attributam quemquam intelligentem, veritatisque studiosum, approbaturum speramus, quod nulla conveniat. *Olus atrum. Grielon. Apium agreste. Smyrnion. Hipposelinum. Hipposel. germ. Pastinaca erratica. Apium maximum. Baucia. Tragus reprehenditur.*

Spondylij semine uti quosdam Seselis vice, quod alterum alterius effectus præstare existiment, refert Matthiolus. Ipse porrò Fuchius meritò non videtur Sphondylium novisse, quòd ipsum unà cum Acantho depingat, vocétque in hist. Acanthum germanicam, in Icon. Acanthum vulgarem. Huic autem facilè imposuisse officinas Germaniæ, quæ foliorum similitudine deceptæ, pro Branca ursina Sphondylium usurpant. *Spondyliū Matth. Fuchs. notatur.*

Apollo rad. 10. supra Martiaton scribit Manardum lib. 18. epist. 4. Brancam ursinam à Galeno 6. simpl. Bunion & Arction, nùnc Arcticum, vocari putare, in quem errorem quomodo delapsus sit, vix sibi fidere posse, ut quod Sphondilium aliquod silvestre pro Branca ursina à Germanicis officinis usurpetur. *Bunion. Arction. Manardi error.*

Dodon. gall. inscribit Brancam ursinam germanicam gall. *Branche ursine bastarde*, Pseudoacanthum, aitque hodie existimari esse σφονδύλιον Græcorum. Lat in fol. non amplius existimat, sed appellat ac facit σφονδύλιον, seu ut in Galeni exemplari legi ait, σφονδύλιον. Germaniæ autem ac Belgij Officinas taxat, quod Brancam ursinam olim (quòd ipse in Hist. gall. fecit) appellarint, & pro Acantho in decoctis ad enemata temerè acceperint: atque inde perperam Germani Berenclauw Brabanti Beerenclauw & Galli *Brance ursine* vocarint. Extare hujus inter spurias voces, hæc ejus nomina λάγγη, σελάγγιον, πένυγις, σπονδύλιον, σφονδύλιον, ἐπιχάιον, Herba rutinalis. Et sic etiam appellat Carol. Steph. in horto, qui cum Anguillara testatur Spondilium, sive Sphondylium, visam esse Panacem, aut ejus speciem. *Branca ursina germ. Dod. gall. Pseudoacāthus. Spondyliū Dod. lat. Officin. taxat. Appellat. spuria. Rutinalis herba. Panax.*

A Lobel. in Adv. appellatur Spondilium, Germanis falsò Acanthum. Nulli, inquit, non regioni sponte oritur, & pro Spondylio etiam vulgò nosfcitur: siquidem præter odoris gravitatem, à qua propter virôrem, Spondylium, qui itidem fœtet & radici similis est, dicta videtur: etiam nulla proriùm deest nota, aut adversatur descriptioni. Vniversæ nonnihil fœtidi olet; & ab Acantho vero non modò viribus, sed etiam toto genere differt: nec enim spinosa uspiam: aut perinde emolliens est. In Obs. pag. 401. in Icon. p. 793. vocatur Spondylium, Acanthus germ. Fuchsij. Acanthum autem Germanicum Fuchsij non esse Acanthum *Falsò Acanthum. Spondyle insecti genus graveolens. Ab Acātho differt. Spondilium est & non Acantho, contra Fuchsium.*

Acanthum sed Sphondylium perhibet Gesn. coll. Idem Hort. Sphondylium seu Spondylium vocat, ac majus quoddam in montibus commemorat. In cat. *Pastin. silv.* pl. ait aliquos vulgò Pastinacâ silvestri (sic namque eo loci inscribit) in Germania perperam pro Brancha ursina uti, à qua viribus longissimè distet, licèt *Fuchs. notatur.* neget hoc Fuchsius. Panacem, Ruellij conjecturâ, silvestrem esse.

Lugd. taxatur. Spondylium Matthioli compilator Lugdunensis malè diversum statuit, à Spondylio Lobelij & Dodonæi, quod Spōdylium vulgare p. 734. inscribit. Illud p. 733. pro Spondylio Matthioli pingit, quod Lobelij Panax Heracleum, heracleâ fronde Smyrnij, vel Imperatoriæ statuit, non absque errore uti dictum. Icones & descriptiones duas unius plantæ proponit. Pena & Lob. diversum faciunt à Spondylio Panax Heracleum.

Seseli Hipp. Quod Paulus scribit Spondylij radicem fistulis impositam earum callos eximere, hoc Alvarus Nonius in Arcæi de vuln. cur. l. 2. c. 2. Seseli Hippocratis radici tribuit.

Spondylium vocat Cam. hor. & Gerardus, qui *Gerard. notatur.* pro eo posuit iconē Elaphobosci erratici. Iconē verò Spondylij habet sub titulo Hipposelini l. 2. c. 384.

Bauh. phyt. & pin. Spondylium 1. vulgare hirsutum: Branca ursina (cum vitiola icone) Brunf. Trag. Cord. in Diosc. (cui & Bupleuron Nicandri) germanica, Dod. gal. Acanthus vulgaris, sive germanica, Fuchs. Sphondylium, Matth. Lac. Gesn. h. Lon. Cast. Cæs. & Tab. vulgare, Dod. 8. Spondylium. Ad. Lob. Dod. Variat ratione loci, prout in montosis & planis provenit, hinc duæ apud Tab. icones: aliquando ita ludit, ut in caule summo folia sint breviora quidem, attamen in ternas, & quaternas lacinias divisa: floribus est communiter albis, sed & purpureis, licèt rariùs, reperitur.

Spondylium, Cast. Hort. Lusit. Clus. & Turner. Spondylium & Branca ursina 1. Tab. in Icon. In *Error quorundam.* hist. Sphondylium secundum. Is de Spondylio hæc habet. Ab imperitis Medicis & pharmacopœis stirps hæc falsò pro Acātho Dioscoridis habita fuit & usurpata. Vocatur à Diosc. græcè σπονδύλιον, σφονδύλιον, *Nomina linguarum* σφονδύλιε, σπονδυλὶς, Ἀράγγη, φαλάγγιον, Νισυρὶς, χορόδανον: à Galeno σπόνδυλον, ab aliis etiam σπονδίλιον & σπονδίλιον: Lat. Sphondylium, Spondylium seu Spondylium, Spondylis & Sphondylis, Chorodanum, *Verticillarum.* Phalangium, Nisyris, Verticillaris, Herba Ruginalis, itemque Galeno Spondylum. Herbariis Chamæpla- *Chamæplatanus* tanus, Planta ursina. Branca ursina, Branca ursina *Ursi branca* germanica, & ut Herc. Saxon. ait Vrsi branca. A Ruellio Panaces silvestre, Guilielmo Rhegino Pa- *Platanella.* nacia silvestris: Ant. Fumanello Platanella, à Platani foliis. Arabibus, ut Serapione lib. simpl. cap. 253. Sachilios, & cap. 310. Sachidalion: Avicenna Sacundulion, ab aliis Micharia & Micaria. Germ. Berenklauw/ Berentatz/ Schweynkraut/ & wund scherletz Gesn. in cat. pl. wild Pasteney Turnero. Belg. Beerenclaeuw. Gall. *Brance ursine bastarde*, Dod. ad differentiam Acanthi, qui & ipse à pluribus Branca ursina cognominatur. Ital. *Sphondylio & Spondilion.* Hisp. *Sphondylio.* Anglis Bow Persnepe/ vel Middow Persnepe: Boh. Nedwedy Paznoth. Siles. Tadkarzin. Hung/ Mednetalp.

Locus. Rara admodum sunt prata, uligine madentia, quæ innumeras Spondylij plantas non habeant, etiam Matthiolo referente, eàque præcipuè, quæ in montibus potiùs, quàm in planitie virent. Circa agrorum & pratorum margines locis humidioribus ac palustribus apud Germanos ac Belgas Iunio *Tempus.* mense florere; semen Iulio ac Augusto ad perfectionem pervenire, testatur Dodonæus. Valdè vulgarem in Germania comprobat Tabernæmontanus in asperis hortorum pratis & aliis arenosis & clivosis vinearum locis. Pona in Baldo provenire scribit Sphondylium, ac etiam alterum laciniatis foliis. Ego passim in pratis observavi, præsertim autem Basileæ, qua itur Moutes & extra portam lapideam florens mense Iulio, ac etiam in fine Octobris, & Augusto semine maturo, Genevæ in horto virens Ianuario.

Trago authore, folia & radix Brancæ ursinæ *Temper.* calidum obtinent temperamentum, ideóque ad cibum & medicinam accommoda sunt. Folia qui- *In cibo.* dem in tenera sua ætate, necnon & radix in cibo usurpari possunt cum reliquis oleribus. Nonnulli *Ad clysteres.* autem radicem veluti Althææ decoctam imponunt ad emolliendos & deprimendos tumores, præsertim verò matricis, epatis & lienis. succus herbæ expressus unguentis emollientibus chirurgi *Ad unguenta* admiscent. Incîdit enim, digerit & aperit, teste Matthiolo: capiti inunctus crispos capillos *Capilli crispi.* facit. Lotionem sibi parant, inquit Saxonia de Plica, ex decoctione foliorum, quâ cùm abluunt caput, cirri erumpunt, magnâque vis pediculorum. Poloni & Lituani ex Spondylij foliis ac *Potus ex Spondylio.* semine cum aqua addito fermento potionem coquere feruntur, quæ pauperibus sit loco cerevisiæ, Dodonæus si vera recenset. Gratus cibus sunt *Cuniculorū cibus.* Spondylij folia cuniculis, ut Bessi... hæ observavi. *Temper. ex Fuchsio.* Acanthi veri mediocriter digerentem facultatem obtinere folia Acanthi germanici probat Fuchsius, quòd sint modicè amara. At radicem, ut ejus, exsiccatoriam esse, & leviter incisoriam & tenuium partium, siquidem subacris sit, refert. Etsi nostræ Brancæ ursinæ facies picturæ Acanthi non undequaque respondeat, inquit is, tamen ejus radicem eandem habere cum Acanthi veri radice facultatem, est evidentissimum. Cùm enim gustu subacris sit, necesse est, ut exsiccet, incidat & tenuium sit partium. Errant itaque Medici, *Error quorundam.* qui neglectâ prorsus radice, foliis tantùm utuntur, quæ quidem mediocriter discutere valent. Ab Acanthi veræ viribus longissimè distare placet Gesnero.

SPONDYLIVM MAIVS
sive Panax Heracleum
quibusdam.

Descr. QVANTUM ex herbæ partibus, quas fratris munere siccas habeo, possum conjicere, procera videtur herba, caule canaliculato, quem laxus utriculi instar complectitur foliorum pediculus: sunt ea verò duorum circiter palmorum longitudine, parique latitudine, circumscriptione ferè rotunda, nisi quinq; aut sex laciniis rotunditas interrumperetur, serrata, minùs aspera, minusque hirsuta, quàm Sphōdylij nostratis: flores veluti in Angelica utriculo comprehenduntur, quo durupto in umbellam ex-

plicantur latam, florum alborum, cordatorum, quos excipiunt ſemina noſtratis Sphondylij, niſi eſſent paulò majora, plana itidem, ut illa, duplicia alba, foris quatuor ſtriis nigricantibus, internâ faciê duabus donata, guſtu acri & aromatico, non tamen jucundo. Videtur à priore in eo potiſſimùm variare, quòd ſpecioſior & major.

Heracleũ. Patavio attulit frater Panacis Heraclei nomine: judicaſſem Sphondylium, ſi nomen non fuiſſet adſcriptum.

Panaces Heracleum an ſit Matthioli? An hoc intellexit paſſim in ſuis commentariis & Hiſtoria germ. itémque Epit. cum addit Camerarij, per Panaces Heracleum, de quo ait. Panax Heracleum in Apulia frequens naſcitur, quemadmodum in Apennini jugis, & in Argentario in noſtris maritimis Senenſibus. Habetur in quamplurimis Italiæ viridariis, ubi ſummâ diligentiâ colitur ab his, qui ſimplicium medicamentorum ſtudioſi, ad ſuum aliorúmque commodum innumera plantarum genera ſuis in hortis, ac viridariis ſerunt ac colunt. Verùm non ob id affirmaverim, ejus lacrymam, quam officinæ Opopanacum vocant, excipi in Italia. In Panacis hiſtoria apertiſſimũ aberravit Meſues, quippe qui initio capitis omnia ejus genera confundat. Quod omnibus jam notius eſt, quàm ut oſtendi debeat. πάνακες ἡράκλειον ut Græcis, ſic etiam Latinis Panaces Heracleum nominatur: Arab. Steuſir, Ieuſir, ſive Giauſir: Italis Panace Heracleo. Cæterùm, *Meſues reprehẽditur.* *Matth. notatur.* Matthiolus non deſcribit in comm. ſuis: deſcriptio verò quæ eſt in ejus hiſt. & epit. cum addit. Camerarij, ubi flore ait luteo, eſt ex Dioſcoride: ſi ei nota fuit planta, cur non deſcripſit? Conſiderandum etiam relinquo lectori, an non figura efficta ſit, ad Dioſcoridis deſcriptionem. An deniq; Spondylium majus intellexerit necne, me latet: intellexit certè gloſſator & patrocinator.

An de hac Anguill. ait epiſt. 12. Anno 1541. in Bononienſi Apennino in Alpibus Scalarum, inveni plantam foliis per terrã expanſis, in quinque partes diviſis, Fico ſimilibus, aſperis, caule albo, ferulaceo, in cujus ſummitate umbellæ ſeminis lati, cõpreſſi & albi: radicibus multis, craſſis. Tota planta odoris graviſſimi. *Locus.* Poſtea multis in locis, ut in Norſiæ montibus, & di Viſo, & in Abruzzo ſupra petram Camellà, ubi vocatur *Rampa d'orſo.* *Rampa d'orſo. An Pan. heracl.* An autem ſit Panax Heracleum dubito, quamvis multùm conveniat, cum deſcriptione: Opopanaci quod adfertur, non reſpondet odor: ſemen non acre, nec lanugo in caule, quam expetit Dioſcoridis. Hæc ille, quem miror, quòd non annotaverit colorem floris.

Panax Heraclium Herculea. Heraclia. An Lobel. adv. p. 311 Panax Heraclium, Herculea ſive Heraclia, fronde Paſtinacæ? De hac ait. Dixi Panacis nomenclaturam communem fuiſſe pluribus plantis, quæ neque inter ſe facie, nec planè viribus ſimiles eſſent, magnæ tamen celebritatis commendatione κατὰ τὸ πάνακες, ceu quemlibet morbum, dolorémve abigerent, dictæ fuiſſent. Hanc autem etſi Herculis nomine claram difficilè noſcitare ſit, quia quàm multis, quas novi, in noſtro cœlo oriundas, effluat nullus ſuccus, tamen non deſunt, qui quandam in hortis coli non ita diu cæptam, mihi etiam (commonſtrante doctore Aſſatio) ruri lectam, veram aſſerunt. *Deſcr.* Verùm permultæ ſunt aliæ huic nullà dote, aut notâ inferiores: radix exigua nimis videtur, duûm cubitorum, caule ferulaceo enim [Lob. in Obſ. p. 399. legit duûm enim cubitorum caule, lanugine quàdam incano] foliis quadantenus Smyrnij aut Imperatoriæ, ſed laciniis, ambitúque magis circinato, viridis, pallentiſque coloris, rigidis, & leviter hirſutis. Radix non perinde ſucculenta Liguſtici, vel Angelicæ, umbellâ latâ, floribus luteis. *Locus.* Crevit ſuâ ſponte in illo ſaxoſo colle, qui Fontignana redeunti Monſpelium ad lævam eſt, propè aut ponè Sacellum dirutum, ut me monuit Doctor & Profeſſor Monſpelienſis Aſſatius: ſed ſtudioſorum accurſu, qui avidè iſtam plantam in chartis ſervabant, deleta illic ferè fuit. His addit in Obſ. p. 399. (ubi vocat Panax Heracleum, ita etiam in Icon. Plant. p. 701. inſcribitur, Herculeam ſive Heracleam, fronde Smyrnij, vel Imperatoriæ) in Belgij hortis flores quidem albos promere meminit tamen ſe vidiſſe *Flore albo.* Venetus Panacem, facie non diverſam in Franciſcanorum Paradyſó floribus luteis. *Flore luteo.* Nos, ut verum fateamur, non intelligimus Lobelium: ſi ille Panax ſuum icone non exprimeret, aſſereretque Spondylium alterum eſſe Dodonæi, nos aliam intelligeremus plantam. Hiſt. etiam Lugdunenſis credidit eſſe Spondylium Matthioli, quæ eſt Branca urſina germanica.

An Panæ in Baldo Panax Heracleum Herbariorum in horto proveniens.

Cluſ. notatur. Cluſius apud Dod. gall. in fine Hiſtoriæ lib. de gummis cap. 9. figuram habet ex Matthiolo, quam nõ deſcribit, vocans ſolummodo πάνακες ἡράκλειον, & Panax Galeni.

Panax Galeni. *Spondyl. alterũ Dod.* Dod. lat. in fól. Panaces Heraclium, vel potiùs Spondylium alterum inſcribit, ac deſcriptioni Panacis Heraclei Dioſcoridis reſpondere ait, excepto ſolo floris colore in Belgij hortis ſubinde reperti, quem Heraclium Panaces vocant. *Panac. Heraclium.* Spondylio autem hoc adeò ſimile eſſe affirmat, ut majus, vel alterum genus eſſe appareat. Oſtendi hoc, uti dictum, pro Panace Heraclio, tametſi flos non luteus, verùm candidus ſit: Lobelium tamen ſe floribus luteis iſtud vidiſſe ſcribere: Matthiolum & tale aliquod picturà exhibere, quod in Apennini jugis, in Argentario promontorio &c. Sibi non conſtare Panaces depictum legitimum, ideò maluiſſe Spondylium alterum aut majus appellare. *Spondyliũ majus.*

Geſn. Geſneri in app. hort. Panaces Herculei planta, ſibi à Calceolario miſſa, fortè fuit Spondylium majus, de quo fortaſſe quoque ſcribit de hort. vocans Panaces Heraclium, viſum aliquando ab ipſo in hortis Italiæ, aliqua cum Sphondylio, dicto Branca urſina, ſimilitudine, majus. Videndum tamen an Spondylio affinem intelligat Geſnerus, de quo poſtea dicturi ſumus.

Panacea Italorum Cæſalpinus. Traditur à Cæſalpino pro Panace Herculeo, vulgò ab Italis Panacea vocato, Ferula in Alpibus. Is autem aſſerit Panacis Herculei Dioſcoridis deſcriptionem, præter floris colorem candidum, & caulis altitudinem in cæteris conditionibus huic convenire, ſed magis adhuc Panaci alteri ex Sicilia tranſlato, nempe Panaci Siculo ſemine hirſuto, de quo ſuo loco.

Lugd. duas icones ponit, quas ejuſdem plantæ exiſtimant Cam. & frater C. Bauhinus, mihi tamen adhuc non certò conſtat, an Panaces Heraclium Matthioli, quod Lugd. p. 736. pingit, idem ſit cum Panace Heraclio Lobelij, & Sphondylio altero Dodonæi; cujus iconem dedit Lugd. p. 740.

Panax 3. ſive Sphondylij folio (inquit C. Bauh. phyt.) quod Panaces Heracleum Matthioli & Lobelij, floribus eſt albis: luteis Dioſcoridis, quales ſe vidiſſe teſtatur Lobelius. Apud Matth. ait. Panax 1. Panaces Heraclium, Matth. Geſn. h. & ap. & Cordi in Dioſc. Hujus plantæ denſata lachryma ſeu liquor Opopanax dicitur. *C. Bauh.* Geſnerus autem an hanc plantam intellexerit, conſideratione dignum: fieri poteſt, ut eo modo quo dictum, contineatur ſub Panace. Cordum hanc plantam vocaſſe Panacem Herculeum non facilè crediderim: ex Spondylio colligi Opopanacẽ non video quomodo monſtrari poſſit. Panaces tandem Herculeum Matthioli Lugd. p. 739. & Panax Heraclium Lobelij p. 740. duas diſtinctas eſſe plantas in Animad. non agnoſcit, ſed Lobelij

figuram

figuram meliorem tradit, qualemque Lobelius describit, talem in viridariis Italiæ se legisse testatur. Eid.B.pin. Panax 3. sphondylij folio sive Heracleum: Panaces Heracleum, Matth. Ang. Gesn. h. Lac. Cast. Lugd. Panax Heracleum, Lob. Dod. Ger. Panax herculeum, Cæs. Primum, Tab. Sphondylium alterum, Dod. 8. Nobis tamen uti dictum, haud est apertum, an Matthioli Panaces idem sit, cum Lobeliano.

Tabern. dicitur tam in Icon. quàm in Hist. Panax Heracleum, aut Herculeum 1. Panax kraut oder wurtzel. Item in Icon. Sphondylium 2. Beerenclaw: *Tabern. taxatur.* In Hist. Sphondilium 1. speciosius, pulchrius & majus. Icon Sphondylij primi fortè facta est ad imitationem Panacis Heraclei Lobelij: miror autem eandem herbam duabus imaginibus diversis locis exprimi: descriptioni Panacis Herculei non respondet: mutatio in numero & transpositio est fortè ex errore Typographico.

Branca ursina alpina. Gerard. appellat Panax Heracleum Herculeo All-heale. Schvvenck. Panax Heracleum, Brancam ursinam alpinam, grosse Beerenklaw.

Locus. Hoc Sphondylium non est ita vulgare, ut prius: provenit in pratis humidis [in montibus herbidis locis fruticat, Schvv.] clivosis: meretur autem plátationem in hortis, ubi pulchrè evadit, in tertium usque annum durans, seménque proferens maturum.

SPHONDYLIVM CRISPVM.

Descr. SPHONDYLII Brancæ ursinæ dicti magnitudinem nō excedit, verùm folia paulò minora sunt, nec ita aspera, crispa, visu amœna: in cæteris, ut caule, flore & semine, itémque radice Spondylio respondet.

Locus. Nec ita frequens occurrit, Spondylium 3. sive crispum Tabernæmontani, quod mediocriter abundare tradit, ad Saræ fluvij ductum, inter Saralben & Sarbrucken in pratis.


An C.Bauh. pin. Sphondylium 2. hirsutum foliis angustiorib⁹: hoc in prod. pro primo sic descripsit: A vulgari foliis solùm differt: nā cum vulgare folijs sit amplis, plerumque ex quinque partibus latis subrotundis compositis hoc folium habet, in lacinias oblongas, angustas, acuminatas, hasque in alias, inordinatè tamen divisas, & per marginem crenatas, Hoc in pratis alpinis Rhæticis observavi: dein ex Lusatia à D. Franco accepi.

SPHONDYLIVM ALPINVM parvum, C.Bauhini.

EX radice caulis assurgit pedalis, qui in summo in alterum ramulum triūcialem, dividitur: quem folia cingunt pallidè virētia, longis pediculis donata, quæ in partes tres, vel etiam quinque alias subrotundas, alias acutas, per marginem crenatas & hirsutas dividūntur, vmbella flosculis candidis, latis tamen, summo cauli insidet, quibus semen plenum, latum ac tenue, succedit. Tota planta levissimis pilis pubescit. Ex Austriæ alpibus, D. Bursertus misit auctori C.Bauhino, qui secundum facit in Prod. & tertium in pin.

SPHONDYLIVM ALPINVM glabrum, Ejusdem.

Descr. RADICE est crassâ, e àque albâ, caule bicubitali, geniculato: folijs ficulneis, glabris, quæ absque



pediculo, palmum longa, duas lata sunt, communiter tripartitis, sed non vsq; ad pediculum divisis, per marginem crenatis: quorum inferiora pediculis palmaribus, hispidis & subasperis donantur: caulis summo, umbella flosculorum candidorum, sed quam in reliquis speciebus minorum, insidet: semen succedit subrotundum, planum, cujus summitati apex infigitur. Hoc solùm in monte VVasserfall & quidem ab anno 1595. usque ad præsentem annum 1618. Iulio mense & florentem & semine prægnantem, observavi inquit C. Bauh. qui in Prod. pro tertio Sphondylio describit, & quartum in pin. facit, & in phyt. sub 2. proponit.

TATARIA HVNGARICA Edulis, Panacis Heraclei folio, semine Libanotidis cachryoferæ.

NON vulgaris est planta, quę radicem habet crassissimam & longissimam: nam brachialis crassitudinis, & cubitalis longitudinis, aut etiam ampliores aliquot accipere meminit Clusius, hujus historiæ author, ab Ill. Dn. Balthasare de Batthyā, qui in ejus gratiā ex Vngaria trans-Danubiana adferri iusserat, ut in suum hortum Viennæ transferret. Illis autem folia emerserunt Rapi foliis non valdè dissimilia incisuris & laciniis, breviora tamen, & veriùs ad Panacis foliorum formam accedentia, rudi atque asperā lanugine prædita, ex viridi pallescentia, alia deinde paullò minoribus incisuris divisa, nec minùs aspera, inter quæ assurgebat caulis cubitalis aut amplioris longitudinis, pollicaris verò crassitudinis, striatus, concavus, & nodosus, perinde asper ac folia: quem lato pediculo amplectebantur minora folia & multifida, asperā etiam lanugine oblita: summus caulis in umbellam desinebat, Panacis Heraclei umbellis similem, in quibus flores & formā pares & colore, quibus evanidis, succedebant rara (nam singuli flores non sunt fœcundi) semina, valdè crassa, nec valdè absimilia semini illi magno & striato Libanotidis cachryferæ. Biennio quidem eas radices aluit Clusius, ante quàm una illarum & caulem & semen proferret: deinde corruptæ sunt, tamque fœtidum odorem exhalarunt, ut horto fuerint ejiciendæ. *Descr.* *Folia.* *Caulis.* *Flores.* *Semina.*

C.Bauh. pin. Panax 4. sive Panaci Heracleo similis Vngarica.

Hujus porrò radice Vngari Austriæ vicini, atque etiam ulterioris Daciæ confermini, in annonæ caritate & inopiā, vescuntur alterius panis in juriā, ut Clusio asserebant non modo Heros ille Illustris, sed etiam alij nobiles viri, qui in ea provincia vixerant. Quæ adeò res effecit, ut dubius esset, an eadem esset, cum Baltacran in Tartaria nascente, de qua mox agendum. *Vsus.* *Baltacran.*

Maximo est in usu apud Tartaros hæc planta: nam absque eā, per magnas illas solitudines, in qui-

ſcoridis & Plinij deſcriptione conferatur, nulla nota deeſſe deprehendetur, quæ huic non conveniat. *Nomina Varia.* Apud Dioſcoridem itaque nominatur ἐλαφόβοσκον, ἰνδάσικον, ὀφιογένιον, aut ὀφιγένιον, ὀφιοκτόνιον, νέφριον, aut ἐγγίζη & ἴκτιρον. Apud Latinos Elaphoboſcum (vel ut Heſychius & Varinus legunt ἐλαφόβοσκος, Elaphoboſcus in maſculino, nomine Oxytono) Elaphicū, Ophiogenium, aut Ophigenium, Ophioctonum, Nephrium & Cerviocellus. Apud Herbarios Paſtinaca domeſtica latifolia, ad differentiam Paſtinacæ Dioſcoridis tenuifoliæ, Paſtinaca cervina, Olus cervinum, Herba cervina, Pabulum cervi; & Matthæum ſylv. Cervaria; Turnerum Paſtinacam adulterinam. Quia autem ſponte hæc in agris naſcitur, eâque quælibet paupercula gens paſcitur, Lobelio Paſtinaca dicta videtur, quemadmodum etiam Staphylos à radicis rapo Bryoniç (quæ σταφυλὸς etiam vocatur) non ita abſimili appellationem traxiſſe potuit. A Germ. dicitur Paſtenachen / Peſtnaken & Paſteney / Moren / weiß Moren & Zam Moren / Dod. Hirtzmörchen / Hirtzaug / hirtz Paſtenach & hirtzkraut / Tab. Belgis Tamme Mooren. Brabantis Paſtinaken / heeſt Paſtenaken & Moren van die Hovenier. Gallis *Paſtinades & grand Chervy ſaulvage*, Dod. gall. Ital. *Elaphoboſco & Paſtinaca domeſtica*. Hiſp. *Canahoria blanqua*. Arab. Iezar, Gezar, ſeu Giezar. Ægypt. Chemis. Africanis Aſcaurau, Aſcaucau, & Aſdruachu. Angl. Perſenippe. Boh. Paſtrnak.

Locus. Paſtinaca Germanica ſativa flore luteo, vulgaris in hortis Mōtbelgardi, ut etiam in horto E. C. in quem hortulanus introduxit genus craſſiore radice. Genevæ meo tempore pauci habebant in hortis. *Satio.* Seritur hæc ſemine, & poſtquā exierit, ut major efficiatur radix, transfertur, altè tamen prius refoſſo atque ſtercorato Solo, atque rariùs ut cætera olera deponuntur. Dalechāpius alios ſecutus, quia planta à ſe deſcripta plures habebat radices, putavit atq; ſcripſit, non ſemine, ſed radice ſeri: ſed hallucinatus eſt, *Dalech. hallucinatur.* quia ſequi voluit Matthioli ſcripta, quæ à Marcello Virgilio, qui verbis tantùm Dioſcoridem commentatus eſt, ea tranſcripſit. Neque animadvertit verba illa Plinij [*Oculis ex radice excisis, ut Harundo ſeritur,*] Inulæ ſatum, inquit Columna, non Siſeris demonſtrare, de qua verba faciebat. Idemque poſtea Inulam, Siſer & Paſtinacam eodem tempore magnis ſeminum intervallis ſeri; Siſer verò transferri meliùs. Quod Neapoli quilibet Olitor facit, prius verò ſeminō ſerit, deinde opportuno tempore priùs altero Solo refoſſo & ſtercorato, ut meliùs convaleſcant, atque grandiora fieri poſſint, radices transfert. Lo- *Tempus.* cos amat pratenſes. Auguſto menſe ſemen perficitur. Paſtinaca latifolia ſativa Dodonæo Iulio aut Auguſto florem profert, ſemen deinde perficit, & altero ex quo vel ſata, vel enata eſt anno. Radix Autumno & Hieme uſque in proximum Ver eſui aptiſſima eſt. Qui Hieme colligunt radices caveant à Cicuta vel Cicutaria. *Cautio.* Dum ſum Montbelgardi vidi duas familias in quibus qui decepti edebant pro prædicta Paſtinaca penè extincti erant, ſed ſublevati vomitu, Theriaca & Saxonico pulvere, itémque purgantibus, ſalvi evaſerunt.

Vires & uſus. Hujus radicis ſapor eſt Paſtinacâ (veterum, intellige cum Columna) amarior atque odoratior, aromaticum quid ampliùs habens, guſtu gratior, quapropter etiamnum à multis ſeritur, & præſertim in Gallia Ciſalpina, ut ab illius provinciæ incolis amicis accepit Columna, in cibo aviditſſimè expetitur, atque ut palato gratior fiat, illam ita parare ſolent. *Coquendi modus.* Radicem adultam accipiunt lavántque, fibras parvas cultro excidunt, poſtea elixant, atque cum refrixerint, per longum dividunt, nervúmque eximunt, atque in fruſtra diſſectam, patellâ oleo ferventi plena, farina priùs obductam piſcium modo frigunt: eò evadere ſapore amnt, ut nec piſces bene conditos eâ menſâ deguſtare comedentibus placeat ampliùs. Non igitur mirum, ſi Tiberius princeps, ut à Plinio refertur omnibus annis è Germania afferri jubebat, cùm ſit ita palato & ſtomacho grata atque utilis. Ex his itaque notum eſſe ait Columna, plantam hanc antiquorum uſum Siſeris, atque vires ab illis tributas retinere, quare alias plantas ab alijs deſcriptas minimè Siſeris vires atque guſtum & uſum referre judicavit. Paſtinacam autem venire in cibos elixam exempto nervo plures alij teſtantur, dein frixam more fungorum verno tempore: refert quoque Cæſalpinus ex eadem cum ſaccharo Electuarium con- *Electuarium.* fici ad vires recreandas cōvaleſcentibus, & puerperis, communiſſimum ruſticorum remedium: appetentiam quoque præſtare. Tabernæmontanus inter vires multa recenſet imaginaria. Ego naturali antipathia aliquando abhorrui, cogente tamen patre p. m. Ioanne Bauhino Medico, tandem comedi & nunc ſapiunt, à jure tamen adhuc abhorreo, nec ſine nauſea aſſumo. Incidendi tandem, attenuandi, detergendi, obſtructiones aperiendi facultatem ineſſe ſapor, odorque demonſtrant.

DE SISERE VETERIBVS.

CAP. LXII.

Dioſc. DIOSCORIDES Siſer notum eſſe propoſuit, ut cujus radix cocta ori grata ſit, & ſtomacho cōmoda, & urinam cieat, & appetentiam ad cibum provocet.

Siſer duplex Plinio. Plinius Siſer duplex ſtatuit. Inter medica (inquit lib. 19. cap. 5.) dicendum Siſer & ipſum Tiberius princeps nobilitavit flagitans omnibus annis à Germania. Gelduba appellatur Caſtellum Rheno impoſitum, ubi generoſitas præcipua. Ex quo apparet frigidis locis cōvenire. Ineſt longitudine nervus, qui in decoctis extrahitur, amaritudinis tamen magnâ parte relictâ, quæ mulſo in cibis temperata, etiam in gratiam vertitur. Nervus idem & Paſtinacæ majori, duntaxat anniculæ. Et lib. 20. cap. 5. Siſer erraticum ſativo ſimile eſt & effectu, ſtomachum excitat faſtidium abſtergit. Ex aceto Laſerpitiato ſumptum, aut ex Pipere & mulſo, vel ex garo. Vrinam ciet, ut Opion credit, & Venerem. In eadem ſententia eſt Diocles. Præterea cordi convenire convaleſcentum: aut poſt multas vomitiones perquam utile. Heraclides contra argentum vivum dedit, & veneri ſubinde offenſanti, ægriſque ſe recolligentibus. Hicetius ideò ſtomacho utile videri dixit, quoniam nemo tres Siſeres edendo continuaret: eſſe tamen utile convaleſcentibus ad vinum tranſeuntibus. Sativi privatim ſuccus cum lacte caprino potus, ſiſtit alvum.

Galenus. Galenus de Siſere, quod inter alimenta omittit, 8. ſimpl. hæc tantùm tradidit. Siſeris radix cocta ſtomacho grata eſt, urinam movet: ſecundo ordine calfaciens, adjectam habens amaritudinem quandam, cum lævi adſtrictione.

Columella. Columella de hortorum cura agens ait, Paſtinaca convaleſcit altè paſtinato, & ſtercorato loco, ſed quàm rariſſimè ponenda, ut majora capiat incrementa. Palladius quoque velut de nota radice tradit. Iis, quæ ante ex Plinio adduximus, hæc adjungimus. Siſeris ſatus menſibus Februario, Martio, Aprili, Auguſto, Septembri, & Octobri. Idem paulo poſt. Seritur & Siſer, & Paſtinaca utroque tempore, Vere & Autumno, magnis ſeminum intervallis, nec minùs quàm ternorum pedum, quoniam ſpatioſè fruticant. Siſer autem transfertur meliùs.

Agriophoca. Erica. Sisari nomenclaturam variis adscribi plantis nos minimè latet. Ac primum quidem Sisarum dicitur de Erica H.n.g.lib.10.

Sisarum multis. Carota. De Sisaro multis dicto, quamprimum posthac pluribus dicturi sumus.

Alij Pastinacam tenuifoliam propriè Carotam appellatam ad Sisarum, vel Siser referunt.

Pastin. silv. Græcorum. Sisarum verò alij Pastinacam silvestrem Græcorum esse statuunt.

Pastin. sativa Germ. Pastinacam sativam latifoliam Germanicam luteo flore, quidam Sisarum esse contendunt.

Pastina. germ. sylv. Siseris tertiam speciem credidit esse Lacuna Pastinacam Germanicam silvestrem.


Rapunculum. Tragus non vult Rapunculum à Sisari appellatione excludi.

Bathades Indica. Bathades Indica seu Ges vocata ab Adversariis inter Sisarum refertur.

Oenanthe aquatica. Siser palustre. H. Lugdunensis an est Oenanthe aquatica?

SISARUM MULTIS.


Descr. RADIX propter majorem suavitatem cupediis magis expetita, quàm Pastinacæ latifoliæ Germanicæ, quæ non ut in ea unica, sed ex uno capite plures pendulæ, glandulosæ, teneræ & fragiles, rugosæ, cortice tenui, pallidoque obducta, pulpâ candidâ digitali crassitudine, pedales quædam, aliæ multò breviores, dulci & grato sapore, nonnihil aromatico; caulis surgit sesquicubitum altus, singularis, geniculatus, striatus: folia pinnatim disposita, Baucia minora, teneriora, acuminata, argutis per ambitum denticulis crenata, umbella candicat suaveolentium flosculorum, quorum singuli quinis foliolis, totidémque apiculis constant, semen in umbella producit Petroselini modo,



Icones. Figura nostra ex Fuchsianis minùs congruit, ac propterea aliam pingendam curavimus.

Pastinaca exigua. Commemorat plantam à nobis descriptam & icone meliore propositam Tragus lib.1. cap. 146. dicens. Summè mihi placet, quòd Pastinacas exiguas, quæ Germanis Gerlin dicuntur, ad Siser, seu Sisarum aliqui referant, hoc enim verum illud hortense est Sisarum; quo Tyberius Cæsar delectatus fuit. In Hist. germ. ait. Quæ Plinius lib.19.cap.5. de Sisaro dicit, quod Tiberius è Germania accersebat intelligo Pastinacam minorem, Germ. klein Moreslein/ Britzel Moren aut Gerlin vocatam. Alibi Sisarum Columellæ esse Rapunculum hortense docet. An autem Columellæ sit Sisarum dubito, quia me latet an bis in anno seri possit.

Sisarum Cordo. Siser seri solitum fuisse olim in Germania cibi causa, eamque quotannis à Germanis flagitasse Tiberium Cæsarem, vel Cordus in Diosc. quoque testatur, qui licet se ignorare fassus sit, quid sit, Brunfelsio tamen omninò subscribit, esse sc. illud olus, quod Germani Gierlen / vel Gerele & Girgele vocant: Hessi klein gel Moren/ alij Critzel Moren. In



Dispens. supra diacorum & in Triphera Sarracenica, Secacul, verum esse Siser, quod Germani Gritzelmoren, Bavari Uuckl/ Suevi Geycle vocant, concludit. Secacul autem non esse; negat Coldenbergius, & cum co Dodonæus, dicens: Serapionis autem Secacul, de quo cap. 89. ut nonnulli existimant, haudquaquam est: Secacul siquidem folio describitur Iulben, i.e. Pisi, interprete Matthæo Sylvatico: & fructum fert nigrum Ciceris magnitudine, humore plenum, ac sapore dulcem: qui granum Culcul dicitur. Pisi autem folium non habet Sisarum, nec fructum: nec granum fert nigrum, Ciceri simile. Unde satis constat, Sisarum à Serapionis Secacul plurimùm differre: tantum abest, ut idem sit. *Secacul Serapionis non est.*

Matth. in Diosc. est Sisarum alterum. In post. comm. cum mag. fig. Lat. & Ital. Siser primum, quod Dioscoridis, Plinij, Columellæ, Marcelli & Ruellij ait. Nec obstat unicus illi tantùm scrupulus, quòd in hoc nostrate Sisere nulla ferè percipiatur amaritudo, cùm tamen Galeno & Plinio Siser amarore non vacet. Verùm hoc à sua eum non deducit sententia, quòd regiones sæpè plantis immutent saporem, non tamen legitimum facit Siser. Epist. 3. ait, si huic nostro Siseri folia essent Pisi, non Pastinacæ; semen rotundum, nigrum, non latum ac foliaceum Lentis ferè instar, ut in Spondilio, cum Cordo sentirem esse Secacul, Serapionis sc. ut vult etiam Hieron. in epist. ad Matth. itemque Arnoldus referente Pœsio in Pharm. sect. 7. Cæterum si Matthiolus vidisset semen Siseris longum, non foliaceum, non diceret latum, ut in Spondilio: nec pictura ejus tale demonstrat: in Epit. meliùs dicit esse Petroselini modo. Mirum Tragum alioqui diligentem in descriptionibus dixisse latum: quê secuti fortè Cæsalp. & Dodonæus etiam latum scripsere. *Sisarum alterum Matthiolo.* *Matth. notatur.*

Fuchsius cum Matth. sib. comparatur. Tam Fuchsius, quàm Matthiolus duo Siseris genera proposuerunt: sed ut in secundo consentiunt, ita in primo dissentiunt. Cùm enim Fuchsius pro primo exhibet Pastinacam sativam Germanicam, Matthiolus Carotam pingit. Descriptio interim, quã subjungit, figuræ Sisaris minimè respondet: ita enim describit: Siser habet folia Olusatri, &c. Quæ descriptio non convenit primo Sisaro, non enim folia habet Olusatri, sed Carotæ. Neque etiam secundo, cujus radices non sunt dodrantales, sed vix palmares. Plinij auctoritati de Sisaro si standum sit, tum nec Pastinaca Germanica dicta, nec Carota Siser fuerit, inquit Turnerus. Utramque enim se gustasse affirmat, sed nullam unquam in illa amaritudinem deprehendisse, sive in matrice lignosa, sive cortice. In radice hujus Sisari levem quandam amaritudinem quidem persensisse, sed non quantam Plinius requirere videatur, acrioremque quàm amariorem deprehendisse, talibúsque facultatibus præditam, ut certò ausit Sisari genus pronunciare. At Pastinacam Germanicam quemadmodum Siser Plinij esse non posse contendit, ita se non videre ait, cur (hæc lego, ut Turnerus inter Sisarum non distinguat) Siser Dioscoridis esse nequeat, nisi quod

impediat ingens dulcedo: siquidem quæ insigniter dulcia sunt appetentiam nō excitare, sed prosternere consueverint. Et hæc Turnerus, qui Sisarum Dioscoridis, à Sisaro Plinij differre velle videtur, contra veritatem.

Cordus reprehenditur. Turpiori errore, inquit rad. 1. Apollo, Secacul ad veterum Siser revocat Cordus, mirum sanè quum Rheni accolis in Germania vulgatissimum sit & hortulanum folio Olusatri. Ex Plinio l. 19. c. 5. Geldubæ speciei est Pastinacæ, Gheldrap, sive Poten vocata.

Synonyma. Lacuna exhibens figuram Matthioli, vocat Sisarum alterum, Siseris secundam speciem, & Siser. Dioscoridis.

Sisari imagine exhibetur à Lobelio (qui quondā ambigit, an Hesiodi Asphodelus) in Obs. p. 498. in Ic. p. 710. Camer. hort. & Epit. Matth. Gesn. h. Dodgall. & Lat. in fol. itemque Tabernæmontano. A Camer. in hist. Matth. germ. Siseris alterius titulo. Siseris sativi minoris inscriptione à Fuchs. & Turnero. Siseris hortēsis à Gesn. de coll. stirpium. Ab H. Lugd. p. 723. Sisari majoris Matthioli. Sisarum hoc hortense Occo, hoc annotante Gesnero, non rectè Sesamum inscripsit.

Sesamum male.

Anguill. refutatur. Mirari itaque subit Anguillaram epist. 7. qua frōte eos errare dicere ausus sit, qui putarunt Sisarum pictum à Fuchsio cum radicibus Asphodeli esse illud quod proveniebat in Gelduba. Imò annotavit Gesnerus in suo Anguillara hoc verum esse Sisarum.

Siser germ. Cæsalpin. De Sisere germanico (ut vocat) hunc in modum scribit Cæsalpinus. Foliis constat Pastinacæ, tenuioribus ac minus hirsutis, Sio proximis: flore candido: seminibus latis: radiculis quasi acervatis bulbis, ut in Asphodelo subcroceis, quæ coctæ in cibos veniūt. Puto apud Dioscoridem Elaphoboscum vocari, quasi Cervi Pastinacam: nam græcè βόσκειν pascere est: unde Pastinacæ nomen derivatum videtur. In Dioscoridis descriptione flos luteus non convenit Siseri germanico. Sed Siser germanicum non solùm colore floris non convenit cum Elaphobosco, sed etiam semine, quod non latum, quod dicit Cæsalpinus, nec Anetho simile, ut tradit Dioscorides, vel Ferulæ ut Plinius: folia etiam non hirsuta, ut Cæsalpinus, vel aliquantulum aspera, ut annotavit Dioscorides. Patet itaque quam verè dixerit C. Bauhinus cum Elaphobosco Diosc. & Plinij Sisarum hoc multùm convenire.

Nomina linguarum. Σίσαρον autem Græci vocant: Latini pariter Sisarum, vel etiam Siser, aut Sisar, & Iac. Manlio auctore Sesarum: posteriores nonnulli Servillum, aut Chervillum, vel Servillam. Arabes, ut Avicenna l. 2. tract. 2. c. 940. Seisaron. alij Culcas, Seisacon, & Fisarum. Germ. Gierlin/Gierlen/Geyerlein/Görlin/Gerlin/Klingelrüblin/ Garten Rapuntzel/ Zam Rapuntzel/ klein Moreslen/ Klingel Möhren/ Girgele/ Girgelin & præter ante dictas appellationes Zucker wurtzel. Belg. Suycker wortelen & Serillen. Galli. Roberto Stephano referente, Eschervis, Chervits, Chervys, & Gyroles, Matth. Gyrotes, Tabern. Itali Sisaro. Hisp. Cherivias, Chirivias, & Chirimas. Angli Scyrret, Bohemi Merkew.

Satio. Sisarum hoc in hortis seritur semine, sed radice potissimùm: nam majoribus ac crassioribus sublatis, minores iterum in terram defiguntur, quod Martio & Aprili opportunè fit, priusquam caules assurgant: atque hoc tempore exemptæ radiculæ coctæ eduntur. Veteres autem & majores radices si quadragesimali tempore non adimantur, corrumpuntur, novæque juxta oculos radiculæ mense Martio quandoque folia protrudere observavi.

Usus. Cordus omnium radicum, quæ vescendo sunt saluberrimam Siseris radicem affirmat. Sisari autem radiculæ Dodonæo moderatæ calidæ sunt ac humidæ: facilè concoquuntur, non tardè descendunt: nutriunt mediocriter, nec pravi sunt succi: flatulenti autem quiddam etiam obtinent, venerem promoventes. Eduntur coctæ, & quandoque cum aceto, sale, & exiguo oleo, acetarij in modum: quandoque verò in oleo, aut butyro frixæ apparantur, & aliis modis. In Suevia, ait Hier. Heroldus, mulieres præparant maritis suis, atque usum norunt. Radicem autem primò decoquunt, dein butyro frigunt, piperque postremò addunt. Cibus est gratus, excitat maritos, promovet urinam, alvumque solvit. *Vsus ex Dod.*

PANACES VETERIBVS & in genere.

CAP. LXIV.

QVOD Græcis Panaces dicitur, ejus à Theophrasto sex species assignantur in universum. Primùm Syrium c. 10. hist. 9. de quo ait. Sunt verò quorundam omnia commoda, & radix, & fructus, & succus, ut Panacis. Et paulò post: Panacis quoque pleraque assignantur commoda, nec omnia ad idem fructus, sed ad abortus, & distentiones, & ejusmodi genera dolorum, item ad aures & vocis languorem. Radix ad partus, & mulierum profluvia, & ad jumentorum morbos, necnon ad irinum unguentum utilis, addit etiam suavem olentiam, sed fructus radice validior est. Nascitur circa Syriam, secatur per messem Tritici. Idem c. 11. Panacis quoque genus multiplex redditur. Panacem enim appellant primam, quæ in Syria nascitur, de qua jam ante retulimus [quæ qualis sit à Theophrasto non exprimitur] secundam Chironiam, tertiam Æsculapiam, quartam Herculanam [de Panace Chironio, Asclepio, & Heraclio privatim dicemus ex veteribus] Præter hæc verò & unum Latifolium [πλατύφυλλον] & alterum Tenuifolium [λεπτόφυλλον] Ex his constat Theophrastum sex Panacis species in universum assignasse Dioscorides autem trium tantùm meminit, Heraclei, Asclepij & Chironij, de quibus suo, ut promisimus, loco seorsim agemus. *Panacis sex species Theoph.* *Diosc. trium.*

Quamvis autem Theophrastus quale sit Panaces Syriacum, non expresserit, attamen Plinius l. 12. c. 26. foliis illud esse refert ampla magnitudine rotundis. Sed suspicatur Dodonæus hæc ex Heraclei Panacis descriptione translata esse. Idem l. 25. c. c. 4. Panaces unum Asclepion cognominat, alterum genus Heraclion vocat ab Hercule inventum: alij Origanum Heracleoticum silvestre, quoniam Origano simile est. Tertium Panaces Chironium, & quartum genus Panacis ab eodem Chirone repertum, Centaurion cognominatur. sed & Pharnaceum nominat, cujus genera duo fecēre, alterum levioris folij [crassioris legit Dalech. παχύφυλλον] alterum tenuioris. *Plinius.*

Theophrastus itaque sex agnovit Panacis genera, tria suis nominibus describens, quæ sola etiam Dioscorides delineavit, Chironium, Asclepium, Heraclium; duo nulla recta appellatione tradens πλατύφυλλον & λεπτόφυλλον, & unum Syriacum appellans. Plinius septem genera statuisse deprehenditur, Panaces Syriacum, Asclepion, Heraclion, Chironium, Centaurion, & duplex Pharnaceum. *Plinius septē.*

Gesn. in cat. Plant. Panaces communem esse pluribus herbis nomenclaturam, Centaurio, Ligustico, Tithymalo & Origano Heracleotico testatur; Dioscoridi tamen privatim sic nominari tria solùm genera, jam memorata πάνακες ἡράκλειον, cujus succus Opponax, ἀσκληπιεῖον, καὶ χειρώνιον, incognitam herbam. *Panaces nomen, de pluribus herbis.*

Ex

Panax Heraclion Ferrariæ. Ex his tribus Panacis generibus, Heraclion tantùm, quod meminerit Io. Agricola, se vidisse refert Ferrariæ in horto Iesuitarum, ex quo Opopanax manet, licèt Mesue alterius sit sententiæ.

Pineæ nuci similis Iaca. Pineæ nuci simili Iacæ Panacis nomenclatura à Canarinis adscribitur.

DE PANACE HERACLIO veterum.

Cap. LXV.

Diosc. varie illustratur. PANACES Heracleum [vet. inserit, οἱ δὲ ita ut legat πάνακες οἱ δὲ πάνακες] ex quo Opopanax colligitur, plurimum authore Dioscoride, nascitur in Bœotia, & in Psophide [vet. ψωφίδι. Plin. Phocide] Arcadiæ nascitur, ut etiam de industria in hortis colatur, ob accedentem ex liquore quæstum. Folia habet aspera, ad terram depressa, valde viridia ad *Fici folio. Ferula caulis.* Fici [vet. margo σικυὸς] folia accedentia, per ambitum quinque fissuris scissa: caulem ut Ferulæ altissimum, qui lanuginem habet albam [ἴχνγτα χνοῦ λευκὸν pro quo Ald. ὑπόλευκον. alias ὑπόλευκον ἐχεῖν. al. λευκὸν.] *Anethi umbella.* & folia circum se minora [vet. συμμέτρα.] Vmbellam in cacumine [vet. delet. neque habetur apud Oribas.] qualis Anethi est: florem melinum: semen odoratum & fervens, radices ex uno principio plures albas [vet. inserit καὶ ὑπόλευκας] graveolentes, crassum corticem habentes, eúmque gustu subamarum. Nascitur in Cyrene Libyæ, & in Macedonia. *Succus Opopanax.* Colligitur succus ex radice incisâ, dum recens adhuc germinant caules [fructus vet.] Remittit succum album, qui siccatus in superficie Crocum colore refert. Excipiunt ipsum effluentem substratis foliis in excavatam terram, & siccatum tollunt. Colligunt & ex caule succum incidentes ipsum per messem, & quod defluit similiter excipientes. Ex radici- *Radicum delectus.* bus meliores sunt, quæ extentæ sunt & albæ, aridæ, non corrosæ, & gustu ferventes ac aromaticæ. Se- *Semẽ quod idoneum.* men ex media Ferula idoneum est. Quod cum ex propaginibus prodit macilentum est. Ex succo præ- *Succi delectus.* stat, qui gustu amarissimus [amarior Orib.] est, intrinsecus quidem albus, & subfulvus [vet. delet.] extrinsecus Crocum referens, lævis, pinguis, friabilis [εὔθλαστος, vet. & qui facilè diluitur. & graveolet. Ni- *Adulteriũ.* ger & mollis vitiosus [σαμπὸς, vet.] est. Adulteratur enim Ammoniaco, aut Cerâ. Experimentum sumitur si digitis conteratur in aqua. Qui enim adulteratus non est, resolvitur & lactescit. Vim habet cal- *Vires.* faciẽdi, emolliendi, attenuandi. Vnde convenit ad febres per circuitum repentes, rigores, convulsa, rupta, laterum dolores, tusses, tormina, urinæ stillicidia, vesicæ scabiem cum aqua mulsa, aut vino [vet. caret] potus. Ducit & menses, & fœtus enecat, & inflationes in utero ac duritias discutit, cum melle dilutus. Illinitur & ex ipso coxendicum dolor. Miscetur quoque acopis & compositionibus capitalibus. Abrumpit & carbunculos. Et podagricis convenit cum uva passa impositus. Eximit & dentium dolores cavernis inditus. Visum acuit oculis illitus. Ad picem ammixtus emplastrum est optimum aduersus *Radix.* rabidi canis morsum. Quin & radix rasa ac utero apposita fœtus educit. Facit & ad ulcera vetera, & ossa denudata carne obducit, trita, inspersa, & cum melle illita. At semen ipsius, cum Absinthio acceptum, menses ducit. Cum Aristolochia verò adversus bestias, venenum ejaculantes convenit, & ad uteri strangulationes cum vino bibitur.

Panax Herculana Theoph. De Panace Heracleo Theoph. lib. 9. hist. ita scribit. Panax Herculana constat folio magno & amplo, ut quoquo versus tres palmos perficiat, radice crassitudine propè digiti, bifidâ aut trifidâ, gustu subamarâ, odoratu sincerum Thus redolente, utilis *Re...res.* contra morbum comitialem potâ, coagulo vituli marini admisto, ad quartam partem: & contra termina è vino dulci commoda etiam ad vulnera sicca, ex melle ad madida.

Panaces Plinii. Panaces, inquit lib. 25. Plinius ipso nomine omnium morborum remedia promittit, numerosum & Diis inventoribus adscriptum. Et mox tria genera, Heracleum sc. Asclepium & Chironium exponens, *Panax Asclepium.* Asclepio attribuit, quod Dioscorides Heraclio adscripsit. Ejus verba sunt hæc. Vnum quippe Asclepion cognominatur, quoniam is [Asclepius, vet.] filiam Panacem appellavit. Succus est coactus Ferulæ [succus ex eo cogitur, ut & Ferula, vet. Ex inciso Ferulæ caule Sagapenum fieri Dioscorides monstrat lib 3. Potest etiam lectio retineri, quandoquidem Plin. l. 12 c. 26. Panacem esse Ferulam sui generis *Error Plinij* tradit, si legamus, appellavit. Opopanax succus est coactus Ferulæ, &c. notando tamen errore Plinij, qui ex Asclepij Panace fieri tradat opopanacem, cùm is fiat ex Heracleo. Dalech.] qualem diximus, radice multi corticis & salsi [radicis cortice multo (crasso) & falso, Theoph.] Hac evulsâ scrobem repleri vario genere frugum [placenta mellita ex omni genere frugum. Theoph. c. 9. l. 9.] religio est, ac [ad Vet.] terræ piamentum. Vbi, & quo fieret modo, & quale maximè probaretur, inter peregrina docui- *Bucolicon.* mus. Id quod è Macedonia affertur, Bucolicon vocant, armentariis sponte erumpentem succum excipientibus: hoc celerrimè evanescit. Et in aliis autem *Plinij lectio probatur.* generib. improbatur [probatur CH. contra veritatem] maximè nigrum ac molle. Id enim argumentum est Ceræ adulterati. Alibi, lib. 5. c. 13. ita de Panace *Panax.* traditur, nulla appellationum distinctione facta. Panacem & unguentis eadem gignit, nascentem & in Psophide Arcadiæ, circaque Erymanthi fontes, & in Africa, & in Macedonia. Ferula sui generis quinque cubitorum, foliis primò quaternis, mox senis in terra jacentibus, amplâ magnitudine rotundis, in cacumine verò oleagineis, semine in muscariis dependente, ut Ferulæ. Excipitur succus inciso caule messibus, radice in Autumno. Laudatur candor ejus coacti. Sequens pallido statera.

Temper. ex Galeno. Ex Heracleo autem Panace fieri Opopanacem refert quoque Galenus, radicibus & caulibus ipsius incisis. Est verò utilissimus Opopananax, calefaciens, & molliens, & discutiens: & posuerit quis ipsum in calefaciendo ordinis tertij, in siccando secundi.

Aequivoca Spondylium majus. Cæterùm, Spondylium majus hodie quidam Panax Heracleum esse crediderunt, quod tamen nos affirmare non ausimus.

Angelica. Ab aliquibus, ut Trago, Angelica putatur esse Panax Herculeum Dioscoridis, Plinij, & Theophrasti.

Achillæa. Achillæam vocatam fuisse Panacem Herculeon scribit Plinius.


Millefoliũ Stratiotes. Millefolium Stratiotes nonnullos Panaces Heracleon vocasse refert Ruell. l. 4. c. 92.

Geranium sanguineũ. Panax Heracleum Anguillaræ, inscribimus nos H. n. g. lib. Geranium sanguineum.

Cornarius licèt omnia Panacis genera incognita esse asserat, tamen haberi hodie Opopanacem notissimum officinis haud negat. De hoc succo igitur posthac nobis agendum erit.

OPOPANAX.

Descr. PANACIS liquor Opopanax est, grumi sunt Pisi circiter magnitudine, aut fabuli crassioris, multò etiam aliquando utroque majores, coloris rufi foris, qui diffracti intrinsecus ex flavo albescunt, sape-



sum pinnatim subdivisas in folia Pastinacæ Germanicæ foliis similia, serrata, tres quatuórve uncias longa, binas lata, in obtusum mucronem desinentia, pediculo admodum hirto & aspero; caules aliquot cubitorum brachiati: umbellæ inæqualis longitudinis muscarijs Peucedani in morem constant florum luteorum. *Semina.* semina majora quàm Pastinacæ Germanicę, Spondylij seminibus paria compressa, lata, fimbriam albam habentia, cùm in medio nigricent, acria & linguas mordicantia.

Impostura. Non defuisse jam olim Matthioli temporibus impostores, qui ex Gargano Apuliæ monte quotannis ad Senenses advexerint Pseudocosti hujus radices, amari saporis, quæ facie quadantenus Rhodiam radicem repræsentarint, ipsemet passim suis in comm. conquestus est & contestatus. Has, inquit, pro legitimo Costo vendunt nostratibus pharmacopœis, iis præsertim, qui in rei herbariæ cognitionem negligentiùs incumbunt. Plantam nos habere, atque etiam depingi curavimus (ea enim alioqui non est vulgaris judicanda) ut ex ejus imagine discant imperiti, cujus plantæ sint radices illæ. Hinc fortassè fiet, ut si illi imposturam hanc omnibus cognitam esse intelligent, eam desinant posthac facere. His addit in post. comm. *Pseudocostus describ.* cum mag. fig. Lat. & Ital. Pseudocosti radicem vegetam, esse crasso cortice, carnosóque vestitam, colore cinereo splendente. In hist. etiam Germ. cum addit. Camerarij Pseudocosti nomine, ut & in Epit. ejusdem, pingitur ac describitur, cognominatúrque Costus vulgaris, officinis Co- *Costus vulgaris offic. Matth. notatur.* itus, sed perperam: Ital. *Costo bastardo & Costo di Puglia.* Olim autem Matthiolus nullam habebat descriptionem, sed figuram duntaxat, ad sictam fortè plantam factam: non placet in versione germanica folia dici **den gelben Ruben** similia, h.e. Carotæ luteæ, sive Pastinacæ Græcorum luteæ sativæ, cum qua nulla similitudo ejusmodi sit.

Panacis species Dodonæi. Panaces peregrinum. Dodonæus in fine, sive Epilogo libri de floribus pro Panacis specie hanc pingit: In fol. lat. pro Panace peregrino, quod ubique describit, ac præterea dicit. Ex hujus vulnerato, præsertim circa radicem, quæ longa & candida est, caule, succus æstivis mensibus manat, sponte concrescens, Opopanaci colore similis, odoris quidem exigui, sed gustu excalfaciens. Non modò aut in Italiæ, aut aliarum calidarum regionum hortis, ubi quandoque seritur, succus è vulnerato caule exit, verùm & in Belgio observatum est. Æstate fervidâ, hujuscemodi quoque lachrymam inciso scapo effluxisse. *Panaces genus concluditur.* Atque hic quidem succus Panaces genus hanc stirpem esse evidenter ostendit: Quod & semen confirmat in Panacis lachryma repertum, ex quo Petro Coudenbergo pharmacopœo Antuerpiensi hæc primùm in Belgio enata stirps est: Cùm autem Panacis multa existant genera, quodnam ex iis sit considerandum occurrit.

Nec Heracleum, nec Asclepion Panaces est. Non autem Heraclium Panaces, nec similiter Asclepion esse satis patet: relinquitur ergo, ut vel Chironium, vel Syriacum sit. Chironium autem Panaces folium habet Amaraco simile, florem aureum, radicem tenuem, non altè descendentem, gustu acrem, ut quidem Dioscorides. Cum quo & Apulejus convenit: Panaces chironium, ait, folia habet Amaraco similia, flores aurosos, radicem tenuem, non altam, acerrimam. Theophrasti verò descriptio ab horum multùm differens est. Chironium, inquit, folium habet simile Lapatho, majus ac densius, sive hirsutius, δασύτερον: flores verò auricolores: radicem longam: amat loca pinguia, τὰ πίονα. Eadem & Plinius lib. 25. *Plinij locus.* cap. 4. nisi quòd radicem non longam, sed parvam tradat, facili lapsu ex μακρὰν in μικρὰν. Tertium, ait, Panaces Chironium cognominatur ab inventore. Folium ejus Lapatho simile, majus tamen ac hirsutius: flos aureus, radix parva, nascitur pinguibus locis. Nicandri interpres verba Theophrasti de Chironio adferens, non Lapatho, sed Amaraco simile tradit. Chironium, ait, simile Amaraco, majus tamen ac hirsutius: flos aurei coloris: radix longa, loca maximè amat aquosa. Ex his cognoscere est, veterum auctorum loca quædam esse corrupta, veluti Plinij & interpretis Nicandri: Deinde duo esse Chironia, *Chironium duplex.* unum folio Amaraci; alterum Lapathi. Prius Panaces humilis ac tenuifolia stirps est. Amaracus siquidem (cui simile esse scribitur) herba est ramosa, per terram serpens; folia habens hirsuta, ac rotunda, tenuifoliæ Calaminthes æmula, valdè odorata quæ coronis adduntur, ut Dioscorides sub sampsuchi nomine describens, testatur. Theph. l. 7. Amaracum inter urbana coronaria reponit, quæ lignosa, tenuifolia, & idcirco ad suffruticum naturam accedût. Alterum verò, quod folia habet Lapathi, majora ac hirsutiora non temerè Helenium esse videtur: *Enula campana.* Apuleio enim auctore, Panaces Chironium Inula campana quoque appellatur. Nec refert quod Dioscoridis adferens descriptionem folio ipsum esse tradiderit Amaraci. Non animadvertisse enim potuit aliter à Theophrasto, quàm à Dioscoride describi; ut multa valdè oscitanter à multis veterum, & observata & posteritati commendata, atque ab ipso Apuleio, sunt. Cum neutro autem horum, Panaces hoc peregrinum convenit, neque enim tenuifolio suffrutici Amaraco simile est, nec folium habet Lapathi majus; sed si particularia segmenta considerentur, multò minora. Iam & vulneratum æstivis mensibus (uti dictum) *Chironium Panaces non est.* lachrymam istud effundit, qualem à Chironio Panace profluere, à nullo veterum memoriæ proditum reperitur. Ex quibus sanè constat peregrinum hoc Panaces, non esse Chironium, & iisdem de causis Syriacum illud esse, unde Opopa- *Panaces Syriacum est.* nax colligitur, vel maximè apparet: Nullius enim alterius, præter enumerata, apud veteres memoria extat. Effluere autem ex Syriaco lachrymam Plinius lib. 12. cap. 26. apertè scribit: Theophrastus verò innuit, dum per messem ipsum secari (succi videlicet colligendi gratia) refert. Quòd autem succus hujus peregrini Panacis in Belgio, eo qui in officinis reperitur, minùs odore aut sapore præstet, regionis frigiditas in causa est: In calidis etenim regionibus omnia odoratiora & fortiora; in frigidis verò minùs odorata, ac viribus imbecilliora gignuntur. Hæc in longum Dodonæus, cujus figura & Lobelij, satis ex- *Icon Dodonæi.* primit nostram plantam, si folia non essent ita acuta & serraturæ adessent, & non nimium Lapatho similia, saltem si eandem plantam, quam nos intelligit

 O

Panax altera Lobelio. Lob.adv.p.312.vocat Panacem alterã recentiorum Olusatri aut Pastinacæ facie, de qua ait. Venetorum quidam peritiores, etiámque Leo ille circulator, alebant & ostentabant quandam Panacis speciem, *Descr.* ferulaceo caule, binûm & ternûm & quaternûm cubitorum, multos in ramulos supernè diviso, ferulaceis autem folijs, squabris, asperiorib. in singulis petiolis, singulis prodeuntibus, amplis, tharsi instar plumatimque ex intervallis æquis, positu Pastinacæ, & folijs constantem multis in uno petiolo, oblongo, Africani fermè floris: floribus luteolis aut pallentibus, in umbellis Pastinacæ aut Baucia, quam etiam assimilat tota planta hirsutie incanâ, radice longiore, albida, nec ita dissimili. In Venetis *Locus.* & Flandriæ hortis hanc meminit Lobelius se degustasse gustu aromatico, calfaciente & digerente, gummeo, opopanaceum succum redolente: quare *Panax legitima.* putavit hanc, ut si quam aliam, Panacem legitimam. Senensis [Matthioli] porrò in post.comm. *Costus.* plantam hanc insertam, Costi nomine ipsique sæpiùs ab Herbarijs Illyricis ostensam, quia nihil Costo dignum habet, sed potiùs facie Elaphobosci *Costus spurius.* est, illuc rejiciendam censet Costum hunc spurium Matthioli. In obs. pingit p. 400. Panacis alterius titulo, ibique Costi hujus spurij Matthioli varietatem assignat folio rotundiore, hirsutiore, breviore, Pastinacæ vulgari, sive Elaphobosci, odore potiore. Idem Lob. in Icon. p.702. appellat Panacem alteram recentiorum, Olusatri, aut Pastinacæ folio. Et nos in hac planta varietatem quidem observavimus non parvam. Vere namque quando provenit folia habet talia, qualia in Costo describit Lobelius, sed postea mutat.

Herba Costa Cæsalp. Herba Costa vulgò appellatur, authore Cæsalpino, quia radices pro Costo in usum venerunt: folia sunt ab radice humi strata, initio lævia, sed procedente tempore horrescunt: caules fert bicubitales, pallescentes, hirsutos unde emanat lachryma, aurei coloris, odorata, acris. flores lutei, radices crassitudine baculi in diversas partes tendentes, nervosas, exteriùs subrufas, gustu fervente. Indicatur à qui- *Ferula. Sagapenũ.* busdam non immeritò Ferulæ genus esse, quod Sagapenum fert, de quo ante ex veteribus abundè satis diximus.

Panax Chironium Dodonæi, Lugd. p.741. & Pseudocostus Matthioli, p.758. unam eandemque æstimamus plantam. Neque duas sequentes Ta- *Lugd. & Tabernmontanus. Panax. Hercul 2.* bernæmontani stirpes separamus, donec nobis meliùs constet, qua in re differant. De Panace Herculeo 2. quod Panar wurtzel aut Heylkraut vocat, veteres nihil scripsisse ait, videri tamen, *Opopanacũ.* sibi potissimùm, Opopanacum confici ex hac planta: eam peritos Medicos & se recepisse pro panace Herculeo: habere enim succum gravis odoris, ut Opopanacum: coluisse in horto Philippum Stephanum Sprengerum, ex qua curarit depingendum: vulgarem alioqui esse in Belgicis hor- *Panaces Costinum.* tis. Alteram, Panaces Costinum nominat, Costen Heylwurtz/ affirmatque hujus radicem falsò pro Costo vero vendi, cum quo nihil habeat commune: *Costus Illyricus.* Herbarijs Costum Illyricum & Costum adulterinum dici.

Panax Heracleum majus Gerardo. Gerardo dicitur Panax Heracleum majus, Hercules greát woondwort. Bauh. phyt. & pin. Panax 1. (quasi πᾶσιν ἄκος, omnibus remedium adferens) Pastinacæ folio, an Syriacum Theoph. Sagapenum existimatum, Gesn.h. Panaces peregrinum, Dod. Panax altera recentiorum Olusatri aut Pastinacæ folio, Ad.Lob. Panax Chironium, Lugd. Herculeum 2. Tab. Herculeum majus, Ger. An Panacis Heraclei alterum genus, Cæs. Sagapenum Diosc. Item, Eid. Panax 2. costinum: Costus, Matth. Lon. vulgaris, Cam. ep. Costus spurius Matthioli, Lob.obs.& Cam. Pseudocostus, Matth.Lugd. Herba costa, Cæs. Panax chironium Theoph. Cam. Panaces costinum & costus Illyricus, Tab. Vnam enim non duas credimus plantas. Panacis Heraclei genus alterum Cæs. huc non referimus, sed mox seorsim tradimus.

An Gesn.hort. Panaces Heracleum, purcherrima planta, Ollingero, Kreichio, Coudenbergio: ex *An Panax Heracleum Gesn.* eo colligitur Opopanax dictus succus pharmacopolis. Vidit hoc aliquando in Italiæ hortis, aliqua cum Spondylio similitudine, uti narrat. An Cordo in *An Panax Heracleum Cordi.* Diosc. Panacos Herculeum, in Italia à quibusdam ostentationis gratia seri solitum?

Montbelgardi in horto E.C. ex semine natum *Locus & tempus.* pertulit ab aliquot annis Hiemem & semen tulit, folia producens Martij principio, florens Iunio, seménque maturans Iulio, semen tamen suspicor non proliferum futurum, videtur enim medullâ destitui.

Excalfacit & siccat ordine secundo completo, au- *Vires & usus.* thore Matthiolo. Aperit, abstergit, incidit, attenuat. Amara est & acris. Præstant (ut referunt, qui comportant) Pseudocosti radices ad omnes cerebri, & nervorum frigidos affectus, ad pectoris vi- *Affectus cerebri.* tia, & ad ventriculi cruciatus, & viscerum omnium obstructiones, & ad renum, vesicæ, & uteri *Obstructiones.* morbos. Ideóque auxiliantur diutino capitis dolore affectis, vertiginosis comitialibus, stupidis, veternosis, convulsis. resolutis, asthmaticis, tussientibus, ictericis & hydropicis. Eadem flatus pel- *Flatus.* lunt, vermes necant, urinam ducunt, calculos pel- *Vermes.* lunt, menses & partus cient. Infunduntur earundem decocta ad coli cruciatus & coxendicum af- *Colica.* fectus.

PANAX SICVLVM SEMINE hirsuto, folijs Pastinacæ sativæ.

Panacis Herculei alterum genus ex Sicilia *Panax Herculeum alterum Cæsalp.* ad nos (inquit Cæsalp. lib.7.cap.53.) translatum, folijs constat in terra stratis, initio quasi Pastinacæ sativæ, lævibus, sed procedente tempore in vastam amplitudinem dilatantur, simul & asperitatem induunt, segmentis amplis, se tangentibus, ut unicum folium integrũ figurã cruciformi ad amplitudinem cubitalem accedat; vere caulem attollit, anno secundo aut tertio, bicubitalem, rubentem, lævem, in quo lachryma concrescit colore flavo, idem procedente tempore subhirsutus redditur: umbellæ insident amplæ: flore candido: semine crasso & oblongo, candidâ lanugine hirsuto: radix non magna, candida, quæ perfecto semine exarescit.

Dioscoridis descriptio huic magis congruit, quàm *Panax Diosc. Cæsalp.* Spondylio majori, quæ quibusdam Panax herculeum dicitur.

SPONDYLIVM EX VETEribus & in genere.

CAP. LXVII.

Sphondylium [σφονδύλιον] ex Dioscoridis sententia, folia quidem habet Platano [πλατάνῳ *Diosc. loco Sarra.* vulgatam autem hanc lectionem veram esse, ex Plinio facilè intelligi potest, Goup. tamen vet. quidam ad marginem μαράθῳ legit, sed perperam.] quadantenus similia, ad Panacis foliorum figuram

guram accedentia: caules verò cubitali altitudine, aut etiam ampliùs assurgentes, fœniculaceos, semen in cacumine Seseli simile, duplex, verùm latius, candidius, & magis acerosum sive palaceum, gravis odoris: flores albos [Ruell. addit, aut pallentes] radicem itidem candidam, Raphani similitudine. *Locus* Nascitur in palustribus & aquosis. Semen ipsius [calidè, Ald.] potum pituitosa per alvum *Vires.* excernit, ac medetur etiam hepaticis, ictericis, orthopnoicis, comitialibus & vulvæ strangulatui. Profundiore verò somno captos suffitu revocat. Ex oleo commodè irrigatur in capita phreneticorum, lethargicorum, itémque caput dolentium. Cohibet & herpetes cum Ruta adhibitum. Radix autem regio morbo laborantibus ex hepaticis exhibetur. Circumrasa eadem & indita fistularum callos exedit. Recentis verò floris succus, exulceratis purulentisque auribus accommodatur. Cæterùm, reliquorum etiam succorum modo insolatus ad usum reconditur.

Spondylium Ferula est Plinio. Plinius l. 13. c. 26. ubi de Panace, Ferula sui generis egit, inquit. Ab hac Ferula differt, quæ vocatur Spondylion, folijs tantùm, quia sunt minora, & Platani divisura. Non nisi in opacis gignitur. *Silis.* Semen eodem nomine Silis speciem habet. *Vsus.* Idem l. 24. c. 6. usum medicum Spondylij, planè juxta Dioscoridem præscribit. Spondylion, ait, unà demonstratum, infunditur capitibus phreneticorum, & lethargicorum: item capitis doloribus longis. Cum oleo vetere bibitur, & in jocinerum vitijs, morbo regio, comitialibus, orthopnoicis, vulvarum strangulatione: quibus & suffitu prodest. Alvum mollit. Illinitur ulceribus serpentibus cum ruta. Flos auribus purulentis efficaciter infunditur. Sed succus, cùm exprimitur, integendus est, quoniam mirè appetitur à muscis & similibus. Radix derasa & in fistulas conjecta, callum earum erodit. Auribus quoque instillatur cum succo. Datur & ipsa contra morbum regium, & jocinoris vitio & vulvarum. Capillos crispos facit peruncto capite. Nec plura Plinius.

Sphondylio Galeno. Galeni juxta traditionem, Sphondylij semen acrem & siccandi vim habet. Quare ad anhelationem, & morbum comitialem, bonum est medicamentum. Prodest etiam morbo regio. Sed & radix similem vim habens in iisdem convenit. Insuperque callos ex fistulis aufert. Verùm derasam indere oportet. Sed & floris succus reponitur, ad diuturna aurium ulcera.

Nomenclatio varia. Σπόνδυλος sive σφόνδυλος, & σφονδύλιον, sunt qui Araneum, qui Phalangium, qui Asterion, qui Spondylida, qui Chordanon, qui Oenanthen vocent. Ægyptij Apsapher, Magi Osyrida, Romani Herbam rutinalem dicunt. *Spondylos vertebra* In animalium autem dorso, Spondylos Græci primùm, privatímque in homine viginti quatuor vertebras, quibus tota eorum spina constat, appellaverunt, inquit Marcellus. Quarum septem in cervice numerantur. Scapulares duodecim sunt. Lumbares verò quinque: omnes, uti dictum, viginti quatuor, *Spondylos Os sacrum.* quas sacrum excipit os, quod ex spondylis simul concretis constare videtur. Quo nomine non tantùm os hoc ex concretis simul quasi Spondylis constans, appellatur, sed quod utrinque illi connatum est, latum & grande. Spondylorum hujusmodi, quos latini vertebras dicunt, nota omnibus forma est, tereti structurà per media foramina à cerebro descendente medulla. *Spondyli muliebres.* Ab eorum figura & similitudine iidem Græci in muliebri lanificio & opere Spondylos vocaverunt pondera, quibus mulieres in ducendo ex colo in filum lino aut vellere aliquo fusos suos tam diu librant, donec multo filo graves alterius ponderis ope, ut ad rectos angulos descendant, non indigent. Ab his rursus ad plura translatum nomen hoc est, quæ brevitatis causa relinquimus, & à quotidiano notæ rei spectaculo multarum rerum descripta, signataque forma & eventus est. Quod evenisse & factum ab antiquis in Spondylio hoc credimus, cujus semen Dioscorides Seselis semini simile dixit, quod in Peloponnesiaco Seseli latius cæteris & carnosius describitur, mox διπλοῦν, quod non est simpliciter duplex, sed latum & grande. Id enim in Græcis ea vox aliquando significat: quemadmodum in Latinis Maro etiam dixit in Georgicis suis;

------duplici aptantur dentalia dorso.

Nec multò post: *duplex per lumbos agitur spina.*

Vbique enim ea vox latum & grande significat. Quod ad Spondylos manifestè pertinet, multoque certiùs, quod Dioscorides ait, Sphondylion hoc à quibusdam Arachnen, Phalangium & Asterion vocari. Sunt enim in Phalangiorum genere decem ab antiquis privatim suis nominibus numerata. Inter quæ etiam est, quod acino uvæ simile ῥὼξ vocatur. Descripsitque id Nicander in Theriac. in media alvo ex inferiore parte os habere. versiculus ejus est.

Γαστέρι δ' ἐν μεσάτῃ ὀλίγοις ἐχάραξεν ὀδοῦσι:

Quod est, ut Plinius de eodem agens lib. 29. cap. 4. ait, Ore minimo sub alvo. Quæ acini rotunditas in ea, & in media alvo minimum os quasi pervium foramen muliebris verut, illi formam effingit. Eamque ob causam Arachne, Phalangium & Asterium vocatur. Totius enim generis prima illa duo nomina sunt: Asterium verò ex eodem genere ab eodem Nicandro privatim descriptum. *Arachne. Phalangium & Asterium.* ἀστέριον δ' οὐκ ἄλλο ἀτάλαντον, &c. Dictumque ab eo hoc est habere in tergo pingue quoddam splendens, discurrentésque in eo lineas quasdam fulgentes: à quorum non omnium similitudine, sed à priore illo quod acino uvæ Dioscorides semen primum, mox ex semine plantam, Araneum, Phalangium & Asteritium Spondylion herbam vocari ait. Nec obstat quod alijs & non ῥωγὶ illi comparaverit. Ab imperitis enim, & qui tantùm in genere araneorum id esse scirent additæ appellationes hæ fuerunt. Ex quibus non suspicari tantùm, sed ratiocinari licet non aliunde plantam hanc Spondylion, *Spondylium unde dictum.* quàm à Spondylorum in spina & phalangij illius forma dictam fuisse. Siquidem rotunditate duo hæc similia inter se sunt, & ambo perviam concavitatem habent, quà muliebrium fusorum verticillis similia etiam sint. Eodem pertinet, & quæ fœminino genere Spondylias sequitur. Cæteræ appellationes incertam, Marcello referente, habent significationem: nec Græcæ magis, quàm Latinæ, ob quam causam nihil ultra de eis dicetur. Reliquum autem est, ut quibus plantis Spondylij, sive Sphondylij nomen adscribatur, annotemus.

Spondylium quorundam sive Branca ursina Sphondylij igitur, sive Spondylij nomine sequentes donantur plantæ.

Branca ursina Germanica à plærisque & ferè omnibus censetur Spondylium veterum, de quo mox.

Spondylium maius sive Panax Heracl. Spondylium etiam dicitur præcedenti similis, alijs Panax Heracleum, de quo postea sub Sphondylio majore, sive Panace Heraclio.

Spond. alpinum glabrum. Spondylium crispum, & aliud alpinum parvum C. Bauhini.

Spondylium aliud alpinum glabrum.

[*Spondylio affinis Panax.*] Spondylio affinis Panax quibusdam, de quo jam ante diximus.

[*Pastin. germ silv.*] Quidam, ut Gerardus, qui pro Spondylio posuit iconem Elaphobosci erratici, vocant Pastinacam Germanicam silvestrem Spondylium. de hac dictum ante.

[*Angelica.*] Non defuerunt, nec desunt adhuc hodie, qui Angelicam Spondylium existimant.

[*Imperatoria.*] Spondylium quidam putarunt Astrantiam vulgò dictam, de qua antè titulo Imperatoriæ.

[*Scolymi capita.*] Spondyli & Sphondyli sunt capita Scolymi de quibus H.n.g.lib.

[*Acer.*] Apud Galenum lib.8.med.par.pro σφενδάμνου [Aceris] putat Cornarius fortè substituendam vocem σφονδυλίου.

Plures Spondylij significationes, paulò antè ex Marcello hic adduximus.

SPONDYLIVM QVIBVSdam, sive Branca ursina Germanica.

[*Descr.*] Spondylium caulem profert rectum, cubitalem & bicubitalem, striatum, hirsutum, geniculatum, intus concavum: folia Acanthi, altiùs plærumque laciniata, & ex pluribus foliis singularibus, in ala n digestis, costæ adhærescentibus composita, tam pronâ, quàm supinâ parte, tenerâ lanugine obtecta, sapore dulci: flores umbellæ latioris orbem circinant: candidi, minimùm odorati, quorum singulares flosculi, quinque cordatis foliolis cōstant, hosce semen excipit geminum, oblongum, sapore acriusculo. radicem verò demittit altè actam, crassam, rugosam, carne albâ, succum remittentem subcroceum, fervido & subamaro sapore, linguam vellicantem.

GVAR.



Matthiolus ait semen Seseli non absimile, latius tamen squammosum, sapore injucundo, ut quod cimices fermè resipiat: radicem gustu non ingrato.

[*Bupleuron. Bupreftis. Panaces Heracleū.*] Cordus in Diosc.l.3.c.19. testatur hanc vulgò vocari in Germania Brancam ursinam: à Nicandro & Plinio Bupleuron, & à veteribus Græcis etiam Buprestin. Capite verò 55. Italos quosdam Panaces Herculeum esse putare, nobisque Germanis semen ejus, ceu rei exoticæ mittere, cùm tamen apud nos nihil hac vulgari Branca ursina ex ferulaceis herbis inveniatur. Item cap. 90. ait Spondylium Latinos verticillarem vocare, hodie autem ignotam plantam esse. Ruellium tamen eam cognovisse, dixisseque à Gallis Panacem silvestrem appellari. Sed annotavit quidam, apud Cordum, Ruellium procul dubio sentire de hac herba, quam multi imperiti apud Germanos Brancam ursinam falsò vocent.

[*Branca ursina Tragi.*] Tragus l.1.c.145. Brancam ursinam inscribit, aitque Germanos non abs re ita dicere, cùm foliorum formâ, quæ grandia habet, aspera, nigricantia, & dissecta, anterioribus ursorum pedibus satis respondeat. Re ipsâ autem Pastinacæ genus aliquod mihi videretur (mox subjungit) nisi in præsentia Olus atrum (quod apud Dioscoridem Grielon, Apium agroste, & apud Columellam Smyrnion: Theophrasto verò ἱπποσέλινον, h.e. Equapium, Germ. Groß Eppich aut Roß Eppich cognominatur) vocare liberet. [*Olus atrum Grielon. Apium agreste. Smyrnium. Hipposelinum.*] Hîc verò clamabunt adversum me Iac. Manlius & Matth. sylvaticus, dicentque Olus atrum, aut ut ipsi loquuntur, olixatrum esse Petroselinum Macedonicum & Alexandrinum, id quod lubens illis concesserim. Siquidem Petroselinum Alexandrinum à nostra Branca ursina haud multùm differt. Quam ob rem Brancam nostram ursinam modo Olusatrum, Hipposelinum Germanicum, aut saltèm Pastinacam erraticam nuncupabimus. [*Hipposel. germ. Pastinaca erratica.*] Idem cap. 146. Branca ursina nihil aliud est, quàm erratica Pastinaca & Apiorum maximum genus: Pharmacopœi Germanici vocant Bauciam. [*Apium maximum Baucia. Tragus reprehenditur.*] Hæc Tragi mens est. Sed is apertè hallucinari deprehenditur. Nec enim ullam nomenclaturam ex veteribus, ab eo plantæ, de qua hic agimus, attributam queinquam intelligentem, veritatisque studiosum, approbaturum speramus, quod nulla conveniat.

[*Spondyliū Matth.*] Spondylij semine uti quosdam Seselis vice, quod alterum alterius effectus præstare existiment, refert Matthiolus. [*Fuchs notatur.*] Ipse porrò Fuchius meritò non videtur Sphondylium novisse, quòd ipsum unà cum Acantho depingat, vocétque in hist. Acanthum germanicam, in Icon. Acanthum vulgarem. Hinc autem facilè imposuisse officinas Germaniæ, quæ foliorum similitudine deceptæ, pro Branca ursina Sphondylium usurpant.

Apollo rad. 10. supra Martiaton scribit Manardum lib. 18. epist. 4. Brancam ursinam à Galeno 6. simpl. Bunion & Arction, nùnc Arcticum, vocari putare, in quem errorem quomodo delapsus sit, vix sibi fidere posse, ut quod Sphondilium aliquod silvestre pro Branca ursina à Germanicis officinis usurpetur. [*Bunion. Arction. Manardi error.*]

[*Branca ursina germ. Dod. gall. Pseudoacāthus. Spondyliū Dod. lat. Officin., lapsus.*] Dodon, gall. inscribit Brancam ursinam germanicam gall. *Branche ursine bastarde*, Pseudoacanthum, aitque hodie existimari esse σφονδύλιον Græcorum. Lat in fol. non amplius existimat, sed appellat ac facit σφονδύλιον, seu ut in Galeni exemplari legi ait, σπόνδυλον. Germaniæ autem ac Belgij Officinas taxat, quod Brancam ursinam olim (quod ipse in Hist. gall. fecit) appellarint, & pro Acantho in decoctis ad enemata temerè acceperint: atque inde perperam Germani Berenclauw Brabanti Beerenclauw & Galli *Brance ursine* vocarint. Extare hujus inter spurias voces, hæc ejus nomina Ἀρκάγγελ, φαλάγγιον, νίσυρις, σπονδύλιον, χαμαιλέων, [illegible], Herba rutinalis. [*Appellat. spuria. Rutinalis herba. Panax.*] Et sic etiam appellat Carol. Steph. in horto, qui cum Anguillara testatur Spondilium, sive Sphondylium, visam esse Panacem, aut ejus speciem.

[*Falsò Acanthum.*] A Lobel. in Adv. appellatur Spondilium, Germanis falsò Acanthum. Nulli, inquit, non regioni sponte oritur, & pro Spondylio etiam vulgò noscitur: siquidem præter odoris gravitatem, à qua propter virōrem, Spondylium, qui itidem fœtet & radici similis est, dicta videtur: etiam nulla prorsum deest nota, aut adversatur descriptioni. [*Spondyle insectū genus gravis odoris. Ab Acātho differt.*] Vniversæ nonnihil fœtidi olet; & ab Acantho vero non modò viribus, sed etiam toto genere differt: nec enim spinosa uspiam: aut perinde emolliens est. In Obs. pag. 401. in Icon. p.793. vocatur Spondylium, Acanthus germ. Fuchsij, Acanthum autem Germanicum Fuchsij non esse [*Spondilium est & non Acanth. cotra Fuchsium.*]

Acanthum

Acanthum sed Sphondylium perhibet Gesn. coll. Idem hort. Sphondylium seu Spondylium vocat, ac majus quoddam in montibus commemorat. In cat pl. ait aliquos vulgò Pastinacâ silvestri (sic namque eo loci inscribit) in Germania perperam pro Brancha ursina uti, à qua viribus longissimè distet, licèt neget hoc Fuchsius. Panacem, Ruellij conjectura, silvestrem esse.

Pastin silv.

Fuchs. notatur.

Lugd. notatur.

Spondylium Matthioli compilator Lugdunensis malè diversum statuit, à Spondylio Lobelij & Dodonæi, quod Spōdylium vulgare p. 734. inscribit. Illud p. 733. pro Spondylio Matthioli pingit, quod Lobelij Panax Heracleum, heracleâ fronde Smyrnij, vel Imperatoriæ statuit, non absque errore uti dictum. Icones & descriptiones duas unius plantæ proponit. Pena & Lob. diversum faciunt à Spondylio Panax Heracleum.

Seseli Hipp. Quod Paulus scribit Spondylij radicem fistulis impositam earum callos eximere, hoc Alvarus Nonius in Arcæi de vuln. cur. l. 2. c. 2. Seseli Hippocratis radici tribuit.

Spondylium vocat Cam. hor. & Gerardus, qui pro eo posuit iconē Elaphobosci erratici. Iconē verò Spondylij habet sub titulo Hipposelini l. 2. c. 484.

Gerard. notatur.

Bauh. phyt. & pin. Spondylium 1. vulgare hirsutum: Branca ursina (cum viciola icone) Brunf. Trag. Cord. in Diosc. (cui & Bupleuron Nicandri) germanica. Dod. gal. Acanthus vulgaris, sive germanica, Fuchs. Sphondylium, Matth. Lac. Gesn. h. Lon. Cast. Cæs. & Tab. vulgare, Dod. 8. Spondylium. Ad. Lob. Dod. Variat ratione loci, prout in montosis & planis provenit, hinc duæ apud Tab. icones: aliquando ita ludit, ut in caulis summo folia sint breviora quidem, attamen in ternas, & quaternas lacinias divisa: floribus est communiter albis, sed & purpureis, licèt rarius, reperitur.

Spondylium, Cast. Hort. Lusit. Clus. & Turner. Spondylium & Branca ursina 1. Tab. in Icon. In hist. Sphondylium secundum. Is de Spondylio hæc habet. Ab imperitis Medicis & pharmacopœis stirps hæc falsò pro Acātho Dioscoridis habita fuit & usurpata. Vocatur à Diosc. græcè σφονδύλιον, σπονδύλιον, σφονδύλιος, σπονδύλιος, Ἀσάγγη, σπαλάγγιον, Νισύρις, χοιρίδανον: à Galeno σφόνδυλον, ab aliis etiam σφονδύλιον & σπονδύλιον: Lat. Sphondylium, Spondylium seu Spondylium, Spondylis & Sphondylis, Chorodanum, Phalangium, Nisyris, Verticillaris, Herba Rutinalis, itemque Galeno Spondylum. Herbariis Chamæplatanus, Planta ursina. Branca ursina, Branca ursina germanica, & ut Herc. Saxon. ait Vrsi branca. A Ruellio Panaces silvestre, Guilhelmo Rhegino Panacia silvestris: Ant. Fumanello Platanella, à Platani foliis. Arabibus, ut Serapione lib. simpl. cap. 253. Sachilios, & cap. 310. Sachidalion: Avicenna Sacundulion, ab aliis Micharia & Micaria. Germ. Berenklauw/ Berentatz/ Schweynkraut/ & wund scherlerz Gesn. in cat. pl. wild Pasteney Turnero. Belg. Beerenclauw. Gall. *Brance ursine bastarde*, Dod. ad differentiam Acanthi, qui & ipse à pluribus Branca ursina cognominatur. Ital. *Sphondilio & Spondilion*. Hisp. *Sphondylio*. Anglis Bow Persnepe/ vel Middow Persnepe: Boh. Nedwedy Paznoth. Silesi. Tadkarzin. Hung. Nedvetalp.

Error quorundam.

Nomina linguarum.

Verticillare. Chamæplatanus. Vrsi branca. Platanella.

Locus. Rara admodum sunt prata, uligine madentia, quæ innumeras Spondylij plantas non habeant, etiam Matthiolo referente, eáque præcipuè, quæ in montibus potiùs, quàm in planitie virent. Circa agrorum & pratorum margines locis humidioribus ac palustribus apud Germanos ac Belgas Iunio mense florere; semen Iulio ac Augusto ad perfectionem pervenire, testatur Dodonæus. Valdè vulgatem in Germania comprobat Tabernæmontanus in asperis hortorum pratis & aliis arenosis & clivosis vinearum locis. Pona in Baldo provenire scribit Sphondylium, ac etiam alterum laciniatis foliis. Ego passim in pratis observavi, præsertim autem Basileæ, qua itur Moutes & extra portam lapideam florens mense Iulio, ac etiam in fine Octobris, & Augusto semine maturo, Genevæ in horto virens Ianuario.

Tempus.

Temper. Trago authore, folia & radix Brancæ ursinæ calidum obtinent temperamentum, ideóque ad cibum & medicinam accommoda sunt. Folia quidem in tenera sua ætate, necnon & radix in cibo usurpari possunt cum reliquis oleribus. Nonnulli autem radicem veluti Althææ decoctam imponunt ad emolliendos & deprimendos tumores, præsertim verò matricis, epatis & lienis. succus herbæ expressus unguentis emollientibus chirurgi admiscent. Incidit enim, digerit & aperit, teste Matthiolo: capiti inunctus crispos capillos facit. Lotionem sibi parant, inquit Saxonia de Plica, ex decoctione foliorum, quâ cùm abluunt caput, cirri erumpunt, magnáque vis pediculorum. Poloni & Lituani ex Spondylij foliis ac semine cum aqua addito fermento potionem coquere feruntur, quæ pauperibus sit loco cerevisiæ, Dodonæus si vera recenset. Gratus cibus sunt Spondylij folia cuniculis, ut Besslerus observavit. Acanthi veri mediocriter digerentem facultatem obtinere folia Acanthi germanici probat Fuchsius, quòd sint modicè amara. At radicem, ut ejus, exsiccatoriam esse, & leviter incisoriam & tenuium partium, siquidem subacris sit, refert. Etsi nostræ Brancæ ursinæ facies picturæ Acanthi non undequaque respondeat, inquit is, tamen ejus radicem eandem habere cum Acanthi veri radice facultatem, est evidentissimum. Cùm enim gustu subacris sit, necesse est, ut exsiccet, incidat & tenuium sit partium. Errant itaque Medici, qui neglectâ prorsus radice, foliis tantùm utuntur, quæ quidem mediocriter discutere valent. Ab Acanthi veræ viribus longissimè distare placet Gesnero.

In cibo. Ad clysteres. Ad unguenta. Capillis crispis. Potus ex Spondylio. Cuniculorum cibus. Temper. ex Fuchsio. Error quorundam.

SPONDYLIVM MAIVS
sive Panax Heracleum
quibusdam.



Descr. QVANTUM ex herbæ partibus, quas fratris munere siccas habeo, possum conjicere, procera videtur herba, caule canaliculato, quem laxus utriculi instar complectitur foliorum pediculus: sunt ea verò duorum circiter palmorum longitudine, parique latitudine, circumscriptione ferè rotunda, nisi quinq; aut sex lacinias rotunditas interrumperetur, serrata, minùs aspera, minusque hirsuta, quàm Sphōdylij nostratis: flores veluti in Angelica utriculo comprehenduntur, quo dirupto in umbellam ex-

figuram meliorem tradit, qualemque Lobelius describit; talem in viridariis Italiæ se legisse testatur. Eid.B.pin, Panax 4. sphondylij folio sive Heracleum: Panaces Heracleum, Matth. Ang. Gesn. h. Lac. Cast. Lugd. Panax Heracleum, Lob. Dod. Ger. Panax herculeum, Cæs. Primum, Tab. Sphondylium alterum, Dod. 8. Nobis tamen uti dictum, haud est apertum, an Matthioli Panacès idem sit, cum Lobeliano.

Tabern. rotatur. Tabern. dicitur tam in Icon. quàm in Hist. Panax Heracleum, aut Herculeum 1. Panax kraut oder wurtzel. Item in Icon. Sphondylium 2. Beerenclaw: In Hist. Sphondilium 1. speciosius, pulchrius & majus. Icon Sphondylij primi fortè facta est ad imitationem Panacis Heraclei Lobelij: miror autem eandem herbam duabus imaginibus diversis locis exprimi: descriptioni Panacis Herculei non respondet: mutatio in numero & transpositio est fortè ex errore Typographico.

Branca ursina alpina. Gerard. appellat Panax Heracleum Herculeo Alheale. Schvvenck. Panax Heracleum, Brancam ursinam alpinam, grosse Beerenklaw.

Locus. Hoc Sphondylium non est ita vulgare, ut prius: provenit in pratis humidis [in montibus herbidis locis fruticat, Schvv.] clivosis: meretur autem plātationem in hortis, ubi pulchrè evadit, in tertium usque annum durans, seménque proferens maturum.

SPHONDYLIVM CRISPVM.

Descr. SPHONDYLII Brancæ ursinæ dicti magnitudinem nō excedit, verùm folia paulò minora sunt, nec ita aspera, crispa, visu amœna: in cæteris, ut caule, flore & semine, itémque radice Spondylio respondet.

Locus. Nec ita frequens occurrit, Spondylium 3. sive crispum Tabernæmontani, qui id mediocriter abundare tradit, ad Saræ fluvij ductum, inter Saralben & Sarbrucken in pratis.


An C.Bauh. pin. Sphondylium 2. hirsutum foliis angustiorib⁹: hoc in prod. pro primo sic descripsit: A vulgari foliis solùm differt: nā cum vulgare folijs sit amplis, plerumque ex quinque partibus latis subrotundis compositis hoc folium habet, in lacinias oblongas, angustas, acuminatas, hasque in alias, inordinatè tamen divisas, & per marginem crenatas. Hoc in pratis alpinis Rhæticis observavi: dein ex Lusatia à D. Franco accepi.

SPHONDYLIVM ALPINVM parvum, C.Bauhini.

EX radice caulis assurgit pedalis, qui in summo in alterum ramulum triūcialem, dividitur: quem folia cingunt pallidè viréria, longis pediculis donata, quæ in partes tres, vel etiam quinque alias subrotundas, alias acutas, per marginem crenatas & hirsutas dividuntur, vmbella flosculis candidis, latis tamen, summo cauli insidet, quibus semen plenum, latum ac tenue, succedit. Tota planta levissimis pilis pubescit. Ex Austriæ alpibus, D. Burserus misit auctori C.Bauhino, qui secundum facit in Prod. & tertium in pin.

SPHONDYLIVM ALPINVM glabrum, Ejusdem.

Descr. RADICE est crassâ, eáque albâ, caule bicubitali, geniculato: folijs ficulneis, glabris, quæ absque



pediculo, palmum longa, duas lata sunt, communiter tripartitis, sed non vsq; ad pediculum divisis, per marginem crenatis: quorum inferiora pediculis palmaribus, hispidis & subasperis donantur: caulis summo, umbella flosculorum candidorum, sed quam in reliquis speciebus minorum, insidet: semen succedit subrotundum, planum, cujus summitati apex infigitur. Hoc solùm in monte VVasserfall & quidem ab anno 1595. usque ad præsentem annum 1618. Iulio mense & florentem & semine prægnantem, observavi inquit C. Bauh. qui in Prod. pro tertio Sphondylio describit, & quartum in pin. facit, & in phyt. sub 2. proponit.

TATARIA HVNGARICA Edulis; Panacis Heraclei folio, semine Libanotidis cachryoferæ.

NON vulgaris est planta, quę radicem habet crassissimam & longissimam: nam brachialis crassitudinis, & cubitalis longitudinis, aut etiam ampliores aliquot accipere meminit Clusius, hujus historiæ author, ab Ill. Dn. Balthasare de Batthyā, qui in ejus gratiā ex Vngaria trans-Danubiana adferri jusserat, ut in suum hortum Viennæ transferret. Illis autem folia emerserunt Rapi foliis non valdè dissimilia incisuris & laciniis, breviora tamen, & veriùs ad Panacis foliorum formam accedentia, rudi atque asperā lanugine prædita, ex viridi pallescentia, alia deinde paullò minoribus incisuris divisa, nec minùs aspera, inter quæ assurgebat caulis cubitalis aut amplioris longitudinis, pollicaris verò crassitudinis, striatus, concavus, & nodosus, perinde asper ac folia: quem lato pediculo amplectebantur minora folia & multifida, asperā etiam lanugine obsita: summus caulis in umbellam desinebat, Panacis Heraclei umbellis similem, in quibus flores & formā pares & colore, quibus evanidis, succedebant rara (nam singuli flores non sunt fœcundi) semina, valdè crassa, nec valdè absimilia semini illi magno & striato Libanotidis cachryferæ. Biennio quidem eas radices aluit Clusius, ante quàm una illarum & caulem & semen proferret: deinde corruptæ sunt, tamque fœtidum odorem exhalarunt, ut horto fuerint ejiciendæ. *Descr.* *Folia.* *Caulis.* *Flores.* *Semina.*

C.Bauh. pin. Panax 4. sive Panaci Heracleo similis Vngarica.

Vsus. Hujus porrò radice Vngari Agriæ vicini, atque etiam ulterioris Daciæ contermini, in annonæ caritate & inopiā, vescuntur alterius panis injuriā, ut Clusio asserebant non modo Heros ille Illustris, sed etiam alij nobiles viri, qui in ea provincia vixerant. Quæ adeò res effecit, ut dubius esset, an eadem esset, cum Baltacran in Tartaria nascente, de qua mox agendum. *Baltacran.*

Maximo est in usu apud Tartaros hæc planta: nam absque eā, per magnas illas solitudines, in qui-

bus nihil edule reperitur, iter facere non possent: itaque eâ natâ suas peregrinationes instituere solent.

Tataria. A Tartaris fortè hujus radicis usum edocti sunt Vngari, propterea que Tataria nomen illi dederunt: Tatren enim, ut & Germani, vulgò appellant, qui nobis Tartari dicuntur.

Chara radix. An verò huic similis, radix Chara, quâ lacti admistâ, Cæsaris milites inopiam levasse legitur, indagandum proponit Clusius.

LIBANOTIS THEOPHRASTI quorundam, siue Seseli Æthiopicum Matthiolo, Cervaria alba.

CAP. LXVIII.

Descr.

GUAR.



RADICEM nigræ Cervariæ habet crassam, valdè longam, comatam, verùm albam: caulē nodosū duorum aut trium cubitorum: folia singularia quintuplo & decuplo majora, quàm Cervariæ nigræ, subrotunda, serrata, minùs tamē quàm jam nominatæ Cervariæ, glabra, inferiùs pene glauca, superius viridantia. totum autem folium longo pediculo hærens, in alas subdividitur oppositas, quæ rursum in folia ex adverso sita subdividuntur. umbellæ latæ. flores albi. semen gemellum, octo angulis donatum, cum quadam acrimonia & amaritudine.

Seseli Æthiopicum Matthioli Clusio. Clusius sic describit. Seseli Æthiopicum Matthiolo nuncupatum, uberrimè nascitur per omnes Vngariæ, Austriæ & Stiriæ silvas, ubi illius folia in tantam amplitudinem interdum evadunt, ut palmum æquare possint: habent verò magna ex parte singulæ foliorum alæ quina duntaxat folia, uno extremam alam occupante, per ambitum serrata, supernè *Folia.* atro-virentia, infernè subcineracei quodammodo coloris: caulis bicubitalis est, aut amplior, geniculis *Caulis.* interceptus, & supernâ parte in aliquos ramulos divisus, sustinentes exalbescentium flosculorum umbellas, qui in oblongiusculum & angulosum semen *Flosculi.* transeunt. Cuminum aut Sileris montani semen odore & sapore referens: radix pollicaris aut amplioris est crassitudinis, crassioribus aliquot fibris prædita, & crasso cortice, sapore initio dulci, deinde amaricante, supremo capite hirsuta (veterum foliorum, quæ marcida evanuerunt, fibris eam hirsutiem facientibus) perennis.

An Seseli genus 1. germ. Tragi. An est Trago Seselis genus, quod in silvis Germaniæ provenit, caulémque fundit procerum, eúmque non aliter, atque anethum in fastigio umbellas ferentem in quibus semen à maturitate videre est oblongum, & angulosum, gustanti acre veluti Gingiber. Radix hujus prælonga est, sicut Pimpinellæ magnæ, odoris gratissimi, gustûs verò acris. Seseli hoc secundum, quod oblongo prægnat semine, Dioscoridi σέσελι πελοποννησιακόν, h. e. Seseli Massiliense, & ἐπίγειον dicitur: Hippocrati Seli, & Sili appellatum. Hoc in Gallia Saxifragia major ab herbariis existimatur, teste Ruellio l. 3. c. 41. Germani Sesel/ aut Langen wald kummel / h. e. Cyminum silvestre oblongum vocarunt, inquit Tragus, cujus verba ut verum fateamur, de qua stirpe accipienda *Tragus notatur.* sint, aut possint, ignoramus! suspicamur eum de non bene nota planta dicta hæc tradidisse: nec existimamus appellatam esse Saxifragiam majorem.

Fuchs. notatur. A Fuchs. Ic. inscribitur Seseli Æthiopicum, weiß wurtz: In hist. Dauci alterum genus, ubi icon sine descriptione, præter quam ex Dioscoride proponit, quæ nullo modo convenit: nulla folia Apij, huic Dauco secundo Fuchsij.

Matth. censetur. Matth. in suis comm. etiam cum mag. fig. itémque hist. germ. & epit. cum addit. Camerarij sub titulo Seseleos Æthiopici ponit nudam figuram suo more, quasi nunquam viderit plantam, quam tractandam suscepit.

Gratia Dei Coparia Lonic. notatur. Lon. l. 5. c. 305. vocat weiß Hirtzwurtz/ Elaphoboscum Dioscoridis, Pabulum cervi, Ocellum cervi, Gratiam DEI & Copariam. Idem cap. præcedenti hujus aliam habet iconem sub inscriptione Seselios secundi, sive Seseleos Æthiopici, ita ut duas imagines unius plantæ diversis capitibus exhibeat.

Libanotis Theoph. Seseli Æthiopicum. Dod. gall. facit tertiam speciem Libanotidis, nominatque Libanotidem Theophrasti, quod sc. is hanc descripserit, eiúsque semen Canchryn aut Cachryn appellaverit. Lat. in fol. Seseleos Æthiopici herbæ titulum ei fecit, cognominatque Seselios hoc genus, Seseli herbaceum, quo nomine etiam describit, ac dicit: Depinxêre istud pro legitimo Æthiopico [Seseli sc.] Fuch. Trag. & quandoq; Matthiolus: at verum ac legitimum Æthiopicum, fruticans solummodo est. Herbaceum ad Theophrasti Libanotidem citiùs referendum, quod folia ait habere ἐλειοσελίνῳ, i. e. palustri Apio majora, caulem ad magnitudinem cubiti: fructum candidum, τραχὺν sive asperum, & oblongum, quale herbacei Seselios semen. *Dod. notatur.* Dod. gall. scripsit radicem albam: verùm ibi nulla descriptio, præterquam Dioscoridis, sed sola icon. Vbi Tragus hanc depinxerit nomine Seseleos Æthiopici me latet.

Matth. taxatur. Lob. adv. p. 313. non multum videtur abesse à Theophrasti Libanotide, quam Commentatorem, si vidit tamen haud rectè descripsisse ait, verùm suo pictori præcepisse, ut pro Æthiopico Seseli sculperet, qui perperam æmulatus sit iconem ex commentariis Dodonæi, cujus mentionem nuspiam cur non fecerit, facilè subodorari. Lobelius autem hîc ait Theophrasti Seseli herbam memoratam, sibi nunquam visam. Idem p. 281. de Seseli Æthiopico vero ad finem dicit adversus Matthiolum, quòd si verum Seseli Æthiopicū, ut falsum hoc in Dodonæo pictū, vivum in agro vidisset Commentator, lubens & volens suffecisset in locum hujus plantæ, cui videtur postposuisse: est enim hæc non frutex sed herba, quam recentiores Libanotidem Theophrasti prodiderunt, viribus & figurâ aliena à Seseli Æthiopico, quod fruticem, adeóque magnum, Dioscoridis correctior codex esse statuit. In obs. p. 402. in Icon. p. 704. Libanotis Theophrasti. Gesn. h. Libanotis ferulacea alba Dodonæo. Tab. ic. & hist. Libanotis Theophrasti alba major 1. Groß weiß hirtzwurtz. Item: Libanotis Theophrasti alba 2. Vna sufficiebat figura. Lugd. p. 748. Seseli Æthiopicū Matthioli. Item p. 765. Libanotis 3. Dodonæi. Et: Dauci alterum genus Fuchsij. Frustra tres figuras *Lugdunensis tres figura.* unius plantæ habet Lugdunensis: C. Bauh. una Dodonæi satis erat. Cam. h. Seseli Æthiopicum Fuchsij. Bauh. phyt. & apud Matth. Libanotis 3. sive latifolia altera, Seseli 1. Trago. Hujus verò haberi & alteram

speciem

speciem testatur frater in Baldo, latioribus foliis, nigrioribus, magisque incisis.

Thurnisius de hac fortè intelligendus lib. 1. cap. 29. cùm ait: Sardinisch aut Rott hirschwurtz: Cassimon & Timoleon: Cervaria: Iudaicè Zibi Zanab: Græcè ἐλαφίτης. Quidam existimant harum herbarum unam ἐλαφόβοσκον Dioscoridis lib. 3. cap. 8. Plinij lib. 22. cap. 22. alteram Pabulum Cervi, & Gratiam Dei, & walde Salbey: propter formam capillorum posset esse Zibi Zanab, quamvis forma & loci situs non ita manifestè, ut virtutes, id demonstrent. Non dubito herbam esse, de qua Plinius lib. 8. cap. 32. dicit Græcorum fœminas se purgare antè partum. Vandali vocant Jehlehnowij, posset vocari Hertzwurtz. In Syria vocatur Malz. ex hac herba fit Malzlach Turcis usitatum &c. Oleositas ejus vocatur Behalah aut ἐλαφέλαιον. Descriptio Turnisij videtur demonstrare plantam de qua hoc capite tractamus. Figura autem nihil tale ostendit. Quis quæso ex ejus figuris dignoscet plantas? Quale discrimen inter ejus Elaphurto & Tordilion, sive καυκάλιον ac alias similes. Planta de qua Plinius loco citato, dicitur ei Seseli.

Turnisij censura.

Locus & tempus.

Libanotim Theophrasti Dodonæi, sive Seseli Æthiopicum Matthioli inveni Burmij in Rhetia, Iulio mense florens, inter saxa. Basileæ in monte Moutez semine maturo Augusto. Lugduni, Genevæ & Mötbelgardi in hortis. In monte Baldo observavit Bechius & Pona. Cervaria alba, referente Clusio, floret Iunio, interdum etiam seriùs, semen Augusto maturat.

LIBANOTIDI THEOPHRASTI quorundam valdè similis, Costus amara dicta, semine crispo.


CAP. LXIX.

Locus.

Costus amara.

Folia.

ACCEPIMUS olim à Domino Agerio Medico Argentinensi clarissimo, & stirpium indagatore diligentissimo, stirpem collectam in Italiæ monte Sumano, cum inscriptione Costi amari. Erat hæc sanè valde similis Libanotidi Theophrasti quorundam, à nobis jamjam traditæ, quoad folia, in quibus, hoc discrimen observo, quòd minùs & rariùs serrata, & quædam vix serrata, nobis etiam videntur tactu crassiora: folia per caulem, quæ serratura omni penè destituta, habent pediculum caulem amplexantem, qualem etiam jam dicta: umbella ampla: semina oblonga crispa, nonnihil amaricantia, cum acrimonia.



Libanotis Theophrasti major.

Lobel. in Obs. p. 704. tradit Libanotidem Theophrasti majorem, cujus descriptionem, sequenti capite adscribemus, quæ non respondet iconi suæ. Ideo perpendendum an eâ descriptione hanc intellexerit, de quâ hic agimus: dubium nobis movet, quòd dicat folia ampliora, verùm cultura fortè in causa.

LIBANOTIS THEOPHRASTI quorundam, folio minùs rotundo.



Descr. Folia.

ANNO 1595. Heildelbergæ in horto D. Sprengeri insignis pharmacopœi & Botanici, collegi folio amplissimo, cubitali, tripartito, & tripartitis denuò brachiis, in terna quoque plerumque foliola desinentibus, sublonga, minùs rotunda, quàm in præcedenti, serrata, postremum etiam interdum trifidum, inferna parte magis candicant.

Descr. Lobelij.


Descripsit Lobelius herbam, quam in Obs. p. 402. in Icon. verò Plant. p. 704. titulo Libanotidis Theophrasti majoris imagine sculptam dedit, quæ plantæ huic nostræ optimè respondet. Descriptio autem ejus, nec cum nostra, nec cum ejus icone convenit. Ea talis est: Varietatem folijs magis carnosis, rotundioribus amplioribúsque nitentib. semine cristato, Lutetia missam alunt vireta Belgica: cætera similia & reipsa una.

Lib. latifol. major.

A C. Bauh. phyt. appellatur Libanotis altera latifolia major.

LIBANOTIS ALTERA QUORUNDAM, alijs dicta Cervaria nigra.

CAP. LXX.



Descr. Radices.

RADICES plures digitales, capite Mei instar capillato, in unam coëunt, quæ sensim attenuata pedes duos aut tres horsum illorsumque vagatur, altiùs humo depacta, foris nigricans, intus alba, lentâ mucaginem, vulnerata manans, sapore resinaceo, aromatico, grato, ad Pastinacæ Germanicæ accedens saporem: substantia teneriuscula: folia cubitalia quæ tum à radice, tū caule oriūtur lōgis, appēsa pediculis, aliquatenus Petroselini Macedonici divisurâ & effigie, rigidiora, glabra, glauci ferè coloris, crenata, sapore remissiore, quàm radix: caules autem ferulacei, striati, duos, tres, quatuorve cubitos alti & in alas divisi, umbellas sustinent amplissimas, flosculorum albicantium, foliolis quinis constantium, priusquam de-

Mucago.

Folia.

Caules.

Flosculi.

Semen. hiscant purpurascunt: semen latum ad Pastinacæ latifoliæ semen nonnihil accedens.

An Daucus secundus Tragi. An Trago lib. 1. cap. 148. Dauci secundum genus, cui in hist. germ. (ubi die ander Berwurtzel vocat) radicem assignat foris nigram, supernè hispidam, ferventem, acrem & odoratam, folia autem instar Petroselini vulgaris dissecta, sed majora. Audivit, ut refert, qui hanc nominarent Hertzwurtz: ipsi tamen videtur Peucedani species, aut Seseli Creticum. Idem paulo post, sibi non constans, inter Daucos, vel inter Tordyla referri posse putat. *Seseli 3. germ.* An eidē l. 2. c. 120. Seseli 3. sive Seselis genus alterum in Germaniæ silvis proveniens, lato instar Ciminum, aut Pastinacæ semine, πλατυκύμινον, latum Cyminum ipsi dictum, Dioscoridi verò Peloponesiacum nuncupatum, quod Germanos Breitenwald Kümel/ h. e. Cyminum silvestre latū nominare posse ait, ac sic describit: *Cyminum latum. Cym. Peloponesiacu. Cym. silv. latum.* Alterum [Seselis genus in silvis Germaniæ proveniens] caule & foliis evadit altius & crassius, ita quidem ut non rarò caules proferat bicubitales, digitúmque crassos, uti Cicuta, foliis paucis, iisque vulgare Petroselinum referentibus, sed majoribus, gustúque acrioribus, denique & nigricantioribus vestitos. Vmbellas hij ferunt, exiguis candidisque flosculis emicantes, qui in semen abeunt latissimum, perque omnia Pastinacæ simillimum, sed non ita scabrum, verùm acrius eadem. Radicem habet hoc Seseli admodum longam & teretem instar Fœniculi, hiemis patientissimum. Nascitur in altissimis silvis humo arenosâ. Hæc Tragus, qui nec Seselis sui tertij, nec Dauci secundi figuram exprimit. *Trag. taxatur.* Quò denique hoc ejus Seseli sit referendum, adhuc asserere non audemus, ideóque ejus descriptionem datâ operâ hîc adscripsimus.

Seseli Peloponesiacu Fuchs. notatur. Fuchs. ic. vocat Seseli Peloponesiacum, Schwartz Hirtzwurtz: in hist. (ubi iconem sine descriptione propria proponit: ea enim, quā habet delineationem, est Dauci tertij Dioscoridis) Dauci tertium genus, *Dauci 3. genus* quod ait in altis montibus provenire, quod nos non observavimus. Cornarius appellat Radicem *Radix cervinanigra* cervinam nigram, eámque quosdam Libanotidem secundam fertilem esse putare narrat. An Cordo *Ambrosia.* in Diosc. Ambrosia, quam falsò quosdam Hirschwurtz putare scribit?

Matth. taxatur. Matthiolus suo more hujus iconem proponit absque descriptione, quæ convenit cum planta, quam hoc capite proponimus. Inscribit autem eam in comm. cum mag. fig. lat. & ital. Daucum secundum. *Daucus 2.* in epit. etiam cum addit. Camerarij Daucum alterum, δαῦκον ἕτερον. Hic ejus Daucus, quem Coriandri foliis provenire tradit, & semine Cumino simili, in hist. germ. chalcographorum negligentiâ, dum Pragâ, grassante pestilentiâ abesset, secundum Peucedani genus, sive Cervariam repræsentavit. An eidem Elaphoboscum in Italia inventum, plurimum tamen à legitimo dissidens?

Libanotis altera Dod. gall. Dod. gall. iconem Fuchsij proponit, cui Libanotidis alterius titulum apposuit, semineq; lato, Angelicæ ferè simili tradit. Miramur autem eum hanc stirpem in fol. lat. omisisse, quasi ei non fuerit nota.

Syno. Gesn. Gesn. h. dicitur Libanotis ferulacea nigra Dodonæi. Item: Cervaria radix nigra, & Oreoselinum nigrum. Ego Gesnerum apud Cordum in Diosc. l. 3. c. 86. pro Seseli Æthiopico, Peloponesiacum voluisse dicere existimo. Libanotidem, inquit, secundam quidam putant Schwartz Hirtzwurtz quam *Seseli Æthiopicum mihi.* alij Seseli Æthiopicum faciunt. Idem in epist. ad Zwing. Seseli Peloponesiacum jam prius in horto habebam, abundat in saxis & collibus, circa Badam Helvetiorum, ego Oreoselini potiùs, quam αἰθιόπικον genus esse puto.

Lonicer. notatur. Lonicerus hujus imaginem pictam dedit sub titulo Schwartz Hirschwurtz quā Elaphoboscum Dioscoridis statuit, ac Pabulum cervi, Ocellum cervi, Gratiam Dei & Copariam latinè cognominat, diversa, meo judicio, confundens nomina.

An Daucus 2. Selinoides Lobelio. An Ang. ep. 5. hanc intelligit, per Rosmarini species à Theophrasto traditas, quas Dioscoridis esse negat. Theophrasti enim ait esse folio Apij palustris, quæ reperiantur in monte supra Conum, qui dicitur Generosus, ubi herbarij vocant Levistico salvatico, qui omnes habet notas.

An Lob. Adv. p. 321. Icon. p. 720. est Daucus secundus Selinoides? de hoc ait. Veneti pharmacopœi quam Mattheolus Daucum alterum facit, Saxifragam dicunt, illique vires consimiles frequenti experimento asserunt: nihil tamen obstat, quin sit Daucus alter Dioscoridis. Foliis namque Coriandri, aut Petroselini Macedonici veri, donatur. Semen illi in umbellis oblongum, angulosum, Fœniculi modo. Radix aromā olet, suavis gustanti, supernéque comata, Mei modo. Idem jam dicta repetit p. 323. An in Obs. p. 414. Daucus Selinoides secundus Advers. p. 321. Et p. 323. Rosmarinum, sive Libanotis prima Theophrasti, folio Apij palustris: Ital: Valdè bona vulgo & Saxifragia Venetorum? Item Dauci secundi Selinoidis varietas, persimilis, sed minor, exilior, in silvis Nervio proximis? Lobelium intelligere eandem nolumus plantam, asserere non ausimus: descriptio seminis non quadrat. *Lobel. taxatur.* Icon quam proponit, à Clusio pro alia planta exhibetur, nempe pro Seseli Pannonico secundo. Miror Lobelium non meminisse Libanotidis alterius Dodonæi, sive Cervariæ nigræ, nisi intelligat eam, per Daucum secundum Selinoidem.

Pona opinio explosa. Pona, ut paulò post dicemus, existimat Libanotidem minorem Lobelij, eandem esse, cum Dauci tertia specie Fuchsij, quæ opinio nobis non arridet.

An Levisticum alterum Cæsalp. An Cæsalpino Levisticum alterum omninò in incultis nascens locis, squalidis, montuosis, cui folia ab radice strata in terram, dura, & lenta, breviora altero, & ut plurimum subrubra, odoratáque: cauliculum fert levem, subrubentem, cubitalem, paucis ramis: umbellas subrubentes & semina nigra: radicem fert longam, pollicis crassitudine, non sine odore: hanc nigram Libanotidem appellare possumus, quamvis Theophrastus nigræ non meminit. Plinius hanc significasse videtur, cùm dixit, radicem habet Olusatri, nihil à Thure differentem.

Cervaria alba fœmina Turnis. Thurnisius de plant. l. 1. c. 30. vocat plantam nostrā Weiß teutsch Hirschwurtz fœminam, id quod ex descriptione ejus colligimus, licèt figura nullam talem demonstret stirpem. Quibusdam, inquit, Pi*Pinastellū. Meon Cordilion. Elaphursu.*pastellum appellatur & Meon, aliàs Cordylion aut Tordilion. Posset vocari Ayaletha & græcè ἐλαφοῦρος. Dioscorides hujus generis herbam vocat Tordylon, aut Cordylon: Paulus Ægineta Gordylon. Arabibus & Chaldæis Aithalibah: non malè dicetur κανδαυλα. Quidam voluerunt esse Harstrang, alij Ocellum cervi, alij Pedem porcinum. *Pes porcinus.* Vandalis est Mdliwossela. Iudæis Atunsaal, existimatur à quibusdam rote Hirtzwurtzell.

Lugd. taxatur. Lugd. p. 716. Daucus secundus Matthioli. Item p. 765. Libanotis secunda Dodonæi. Daucus tertius Fuchsij: eadem est planta, licèt utrobique describatur: quod verò addit, esse Libanotidem minorem Lobelij, fallitur, cùm hanc plantam Lobelius Daucum secundum Selinoidem nominet.

Seseli Pelopon. Fuchsii. Synon. C. B. Camer. h. nominat Seseli Peloponesiacū Fuchsij. Bauh. phyt. & pin. est Daucus (tertius apud Matth.) sive Montanus, Apij folio majore: Daucus 2. Trag (cui & Seseli 2.) Matth. Lugd. Dauci 3. genus. Fuchs. Libanotidis alterum genus, Dod. gall. Lugd. Libanotis nigra Dodonæj. Gesn. h. Seseli peloponēse, Fuchs. ic. Gesn. h. & Cam. Elaphoboscum nigrum, Lon. Saxifragia Venetorum, Adv. Daucus

cus selinoides 2. Ad. Lob. Seseli pannonicum 2. Clus.pan.ic.2. montanum, Eid.hist.ic. Libanotis nigra, communiter Cervaria nigra, Thal. Libanotis Theoph. nigra, Tab. Ger. Variat 1. folijs pallidè virentibus & splendentibus. 2. folijs latioribus, fortè ob culturam, quam Pseudocostum Cortusus nominabat. 3. folijs minùs divisis, supinâ parte dilutiùs virentibus & aliquantulum splendentibus, pronâ subcinereis, quàm Cervariæ nigræ nomine, Lipsiâ D. Iungermanus misit. Hæc C.Bauhinus. Matthiolus censuram merebatur, qui non descripserit. Lobelij descriptio non convenit, cum Libanotide 2.Dodonæi, cujus semina potiùs Pastinacæ latifoliæ Germanicę, quàm Fœniculi, quod Matthioli patronus annotasse debebat.

Locus & tempus. Libanotidem secundam Dodonęi, sive Dauci tertium genus Fuchsij inveni Basileæ in monte prope Moutez, mense Octobri cum flore & semine: in monte propè Krenzach, & juxta Leurach florentem Augusto: Genevæ mense Martio incipientem protrudere folia in monte Salevæ. Montbelgardi à la Chau juxta vineta florentem Iunio, & in pratis propè Columbier Savoreux & inter Raupach & S.Germain, unde transtuli in hortum. Frater Bauh. attulit ex horto Patavino nomine Totæ bonæ & Saxifragiæ majoris. is annotavit Cortuso dici Pseudocostum.

LIBANOTIS THEOPHRASTI minor Lobelio.

Synonyma

Descr.



LIBANOTIS Theophrasti minor (ut vocatur à Lobel. Obs. p. 402. Icon. p. 705.) sive Panacis species nonnullis, folijs exilioribus multò, Saxifragæ Venetæ proximis, gemino situ Panacis alterius ritu, sed oris tantillù crenatis & laciniatis: caulis bicubitalis & procerior. Semen Anethi, candidum: flores in umbellis albi. Radix aromatica, grati & jucundi odoris.

Considerandum an Libanotis hæc Lobelij minor, sit eadem cum præcedenti, quæ Cervaria nigra dicitur, estque Libanotis altera Dodonæj, & Dauci tertia species Fuchsij. Ea quidem *Ponæ opinio reprobatur* fuit opinio Ponæ in Baldo, sed nobis minimè probatur. Bauh. phyt. dicitur Libanotis 1. sive Apij folio. Eid. B. pin. Libanotis 4. minor apij folio: Daucus anguloso caule, Cord. hist. Libanotis alba minor, Thal. Libanotis panacea, Tab.

VALDEBONÆ NOMINE MISsa, Libanotidis secundæ quorundam, sive Cervariæ nigræ species

Descr. TOTA hæc plāta accedit ad Cervariam nigram, verùm foliorum color viret magis, nec ita glaucus: in folijs etiam pauciores conjugationes, sed eadem multò majora, amara, & acria nonnihil, quam




amaritudinem non percipimus in Cervaria nigra: flos luteus ex umbellis minoribus, quàm in Libanotide jam nominata, qui masticatus odorem reddit aliquantulum vinosum & aromaticum.

Anno 1600. à nobis satum est semē, communicatum ab E.C. VVirtembergico reduce ex Italia, cui Vlisses Aldroandus Valdebonæ, sive Dauci secundi inscriptione offerebat. *Dauci 2.* Sequenti primùm anno provenit, & tertio anno caulem produxit, aliquot cubitorum, florebat Iunio, & Iulio semina maturabat.

Veelguttæ Bononiens. D. Agerius siccam dedit nomine Veelguttæ Bononiensium & Valdebonæ nigræ, quæ prædictæ similis erat, quantum ex sicca colligere potui. Eam dicebat altitudinis Angelicæ, flore luteo collectam, in radicibus Apennini montis, seminibus ad Pastinacam Germanicam, sive latifoliam vel Anethum accedentem, duplicibus, fimbriâ albicante, sapore aromatico & acri. *Semina*

SESELI 2. CLUS 1.



Descr. Clusii. HANC nostram plantam, ni fallimur, sic describit Clusius: Brachiali interdum nititur radice, præsertim si planta vetusta sit (recentiores & juniores pollicarem habent) in aliquot ramos inferiore parte donata, crasso, rugoso, nigroque cortice septa, gummoso primùm lentóque sapore prædita, deinde acri & salivam cientе: quæ summo capite in multa capita exuberat villosa, quemadmodum ferè omnes ferulacei generis stirpes, unde exeunt magnæ & satis amplæ foliorum alæ, aliquot folijs per ambitum serratis & nonnihil incisis uni costæ inhærentibus, sed ex adverso nascentibus constantes, colore supinâ parte dilutiùs virente, & aliquantulum splendente, pronâ subcineraceo præditis: inter quæ sesquicubitalis nonnunquam emergit caulis, striatus, pollicaris interdum crassitudinis, geniculatus, in aliquot ramos divisus, quem ambiunt ad singulos nodos, sive genicula, minores foliorum alæ; summum caulem atque extremos ramos exornant umbellæ pallescentium flosculorum: quibus succedunt semina Sileris montani semini similia. Hanc Clusij descriptionem congruere speramus huic nostræ plantæ à nobis descriptæ, ceu etiam iconem, quam in Pannon. p. 692. Seseli secundum [addit in hist. montanum] Pannonicum inscribit, ac inter σεσέλεως genera posse referri existimat, plurimumque habere similitudinis, cum *Seseli 2. montanum Pannon. Clusio.*

Clusius emendatur. Libanotide altera Fuchsij (legendum puto Dodonæi) sive Dauco secundo Matthioli dicit, vocarique à quibusdam rusticis Petero wurtzel / tametsi alia umbellifera stirps etiam hoc nomine & frequentiùs donetur. Clusij porrò iconē Lobelius Obs.p. 414. & Ic. p.720. Dauci secundi Selinoidis titulo exhibet. Verùm an de Seseli hoc montano secundo Pannonico Clusij intelligat dicere non possumus: descriptio seminis & alia non conveniunt. *An Daucus Selinoides Lobelio?*

Seselios Clusij descriptionem Bauhinus in pin. refert ad Daucum suum 7. sive montanum apij folio albicantem, quem sibi D. Iungermanum misisse, ait. Seseli peloponensis Ienensium nomine.

Locus & tempus. Invenitur ferè in omnibus Pannoniæ & Austriæ inferioris montibus, aspero Solo, ventisque perflato, Iulio & Augusto floret, & subinde semen profert. Simile aliquando legere meminit Clusius ad Allobrogicarum Alpium radices.

SESELI ÆTHIOPICI MATTHIOLI genus aliud, Clusio.

SESELI Æthiopici Matthioli nuncupati (inquit Clus. in pannon. p. 694: & hist.) genus aliud est, satis vulgare, in Hungaria, Austria, & Stiria, quod nusquam tamen abundantiùs invenitur, quàm in Calenberg. *Locus.* Majores id habet foliorum alas, h.e. in plura folia, nempe bina & vicena plerumque, superioribus magnitudine longè cedentia divisas, quæ supernè splendentia minùs virent, & pronâ parte cineracei prorsus sunt coloris, omnia in ambitu non modo, ut Seseli Æthiopici Matthioli serrata, sed etiam laciniis dissecta: æqualem cum jam dicta habet caulem, nodis similiter interceptum, florum umbellas similes, semen par, radicem non dissimilem. *Descr.* Hoc Germani schwartz Hirtzwurtz/ h. e. nigram cervi radicem appellant. *Radix cervi nigra.*

SESELI ALPINUM SIVE MONTANUM, primum Clusio, folio splendente, flosculis albis.

CAP. LXXI.



Descr. AMPLA habet folia, humi sparsa, & in multas alas divisa, Seseli Peloponensi [an Matthioli] ferè similia, supernè viridia & splendentia, infernâ parte minimè, Ferulæ odore, acri, nec admodum grato sapore: caulem deinde sesquicubitalem, aut ampliorem, crassum, striatum, intus fungosum, nodosum, & multos ramos in ambitu ex singulis geniculis, seu nodis ferentem, per quem sparsa sunt folia superioribus respondentia, sed minora: extremi rami in magnas umbellas flosculorum quinque foliolis candidis constantium desinunt, odoris ferè sambucini: flori succedit semen gemellum, striatum, flavescens, aromatico & fervido gustu: radix crassa est, & foris nigra, quæ (ut in plerisque ferulaceis contingere solet) semine prolato perit, nec nisi altero aut tertio à satione anno flores producere solet.

Clusius, descriptionis autor, vocat in pannon. Seseli alpinum, sive montanum primum; in hist. Seseli 1. montanum Pannonicum, ipsique proximè accedere videtur ad Peloponense Dioscoridi descriptum, quod illi ordine tertium est. *Seseli mont. 1. Clusio.* Bauh. phyt. Seseli 2. sive montanum, Peloponensis folio nominat, quæritque an sit Ligusticum alterum Belg. Lobelij Obs. p.457. Icon. p.786. *Seseli Pelop. Diosc.*

Locus. Crescit in celsis Sneberg & aliarum Austriæ Alpium jugis, ubi lætiora sunt pascua: floret sub finem Iunij aut Iulio: semen verò Augusto, vel etiam seriùs maturescit. *Tempus.*

SESELI, SIVE SILER montanum vulgare.



Descr. HUMANAM superat altitudinem Sileris montani caulis. caulem ramósque ceu vaginâ laxiore amplectuntur foliorum pediculi palmares, aut sesquipalmares: ipsa verò folia in alas oppositas dividuntur: segmenta extrema terna ferè sunt, Cytisi Tragi foliis similia, oblongâ, latiuscula, mucrone leviter obtuso, umbellæ albæ, amplæ; semen magnum cum fimbria foliacea striatum, oblongum, sapore acri & subamaro, veluti corticis Aurantij, tandem ad Cymini saporem accedente. radix magnâ comâ infimum caulem ornat, rugosa, digitali crassitudine.

Icon, quæ proponitur à Trago pro Seseli, h.e. Silere montano 1. (ita enim cognominat) videtur esse Visnagæ: nos existimamus ei Sileris plantam incognitam fuisse, non enim describit. *Trag. notatur.*

Fuchsius apertè hallucinatus esse deprehenditur, eò quòd semen hoc, quod à Seplasiariis Sileris montani nomine venditur, Seselios Æthiopici, vel quod magis verò simile ab ipso creditur, Peloponesiaci Seseli semen esse dixerit. *Fuchs. hallucinatur.* Hujus siquidem plantæ semen est, quæ nec Seseli Massiliensis, nec Æthiopici, nec denique Peloponesiaci Dioscoridis delineationi quadrat.

Noverunt, inquit Cornarius, officinæ Seseli, sed corrupto ex Sili nomine, Siler appellant, & montanum insuper dicunt, ut sit ab aquatico differentia. Germani, quibus nulla Seselis est distinctio, Sesel vocant.

Monachi in Mes. dist. 1. cens. 25. manifesto in errore versantur. Nec est enim planta hîc à nobis exhibita Seseli aliquod Dioscoridis, ut ipsi somniant. Seseli, ajunt, sive Seseleos, sive Siseleos, vulgo Siler montanum, licèt non benè in omnibus convenire videatur, cum descriptionibus Dioscoridis de Seseli, tamen non est Cyminum silvestre, ut aliqui putant. Sunt nonnulli, qui exponunt Cyminum Carmenum esse Seseleos, quo utimur, quod quidem nobis non placet. Attamen non est magnum inconveniens, si pro Seseli, si fortè non sit ipsum Seseli, & pro Cymino silvestri, potiùs tamen pro Seseli ponendum. Musa in suo simplicium examine dicit quòd hoc Siler montanum convenit cū duabus Dioscoridis

coridis descriptionibus de Seseli, videlicet Massiliensis & Æthiopici. Et potest stare quod Seseli Massiliense Dioscoridis, sit Siler montanum vsuale. Erronea hæc est Monachorum opinio, etiam scribente Matthiolo, qui dicit in quamplurimis pharmacopolijs semen quoddam, Seseli vicem explens vendi quod nulli protius Seseli à Dioscoride descripto respondeat: quippe quòd amaritudine tantùm sit præditum & olfactui cimicum fœtorem repræsentet. Lapsum Matthiolum in Ligustico ait in Theone Guilaudinus, vt pro quo ineptè equidem, Siler montanum Herbariorũ pinxerit, plantam solo seminis odore, qui cimicum est, execrandam. Ligusticum autem, Matthioli in Allobrogum montibus frequens nasci, ac ab incolis, *Ser montan* dici, suo quoque ascripsit Matthiolo Dalechampius. Quare rem diligentiùs examinent periti. De Matthioli Ligustico suprà egimus.

Ligusticum verum Dod. Dod gall. sub Ligustici veri titulo etiam Ligusticum Matthioli & Lobelij pictum dedit nominatique græcè dixi: λιγυστικὸν,& Galeno, λιβυστικὸν: lat. Ligusticum, ac alijs etiam Panaces Dioscoridis, quo nomine cognitum ait adhuc Genuę in officinis: vocarique à Plinio Cunilam bubulam Lat. in fol. inscribit nostram hanc plantam, de qua nobis sermo est, Siler montanum, traditque in Liguria haud procul Genua in asperis montis spontè nasci, tum & alibi vulgò: nominare Gallos & Flandros nomine corrupto, *Sermontaine*, officinas nonnullas Seseleos. Non esse tamen Seseli, nec Seselios speciem, sed Ligusticum, quod Græcis, λιγυστικὸν à λιγυρία, siue Liguria nomen acceperit. Respondere Ligustici, quæ apud Dioscoridem, descriptioni: conuenire quoque natales, nam in Liguria plurimum nasci. *Is autem*, in Hist. gall. nihil habet de Ligustico, præter Dioscoridis & Matthioli verba & Iconem, quam in lat. mutauit. Sileris montani semen non respondet Dioscorideo Ligustico. Nos, vti dictum, latet an Matthiolus per suum Ligusticum intellexerit, Siler montanum. Camer. apud Matth. nouam dat Iconem, nomine Ligustici veri, quæ placet pro Silere montano, semina tamen particulatim addita videntur nobis minùs conuenire. *Dodonæi.*

Sed & Lugd. p. 744. Ligusticum ex Matthiolo pingit, Silerque montanum Officinatum esse ait. Hoc verò multos [ex horum numero est Georg. Pictor] in expl. herb. Æmilij: esse Seseli Massiliense existimare, sibi tamen cum Dodonæo magis placere pro Ligustico.

Genuinis plantis Seseleos cognitioni priscæ restitutis, in promptu est nosse, aliud ab istis esse Siler montanum officinarum [ita vocat in Adu. Lobelius p. 328. in Obs. p. 425. vbi dicit vocari à Matthiolo Seseli Massiliense, quod falsum: ibidémque hoc in Belgij hortis latiore semine variare tradit: in Icon. p. 737.] quod retinuerunt bono quidem consilio, vt Lobel. ait, qui Neotericis ansam errandi dederunt, atque sanciendi nihil aliud esse, quàm Dioscoridis Massiliense Seseli. Est quippe planta multò majoris acredinis & efficacitatis, quàm vllum Seseli, eoque menstruis ciendis valdè quàm commendatum: folia adhæc habet, non modò Fœniculo, vt Massiliente Seseli, majora, sed vel Peucedano latiora, ac paulò minùs Ligusticum vel Coronarium Rosmarinum æquantia, mollia: semen etiam saccharo conditum gustu acrius est quàm Æthiopicum: tantò magis quàm Massiliente, cui acrimoniâ præfert Dioscorides Æthiopicum. *Seseli non est.*

Cum nullo quidem Seselis apud Dioscoridem genere, Seseli vulgò Siler montanum appellatum conuenire, etiam Gesn. testatur, ac propterea vel ipsum Petroselinum Veterum, vel optimum ejus antiballomenum esse dicit: Idem antè, Ligusticum, seu Libysticum verum siue veterum Coldenbergij & Æmilij vocat Siler montanum vulgò dictum plerisque pharmacopolis, quod quidem si Sil, vel Seseli aliquod non sit, Petroselinum esse suspicatur: vtpote acrimoniâ & amaritudine insigne. Idem de Lunarijs sui oblitus Seseli quoddam genus constituit, cujus semen Pharmacopolæ Germani Sileris montani nomine vendunt pastoresque Suitenses Tauram, *Stinckkraut*, appellant.

Lonic. vocat Siler montanum, Seseli Massiliense, *Welschsteinbrech*, [Saxifragiam Italicam dixeris] & Saxifragiam majorem. *Sed* ignorat ille quid scribat, dicátve: figura etiam non est Sileris montani.

Ser montanum Italis vulgò appellatum semen, cum quadam grauitate odoratum, instar Cumini vulgaris, vnde quibusdam Platocyminum, i. latum Cyminum vocatur, Discorides Seseli Peloponense appellat, cujus Plinius quidem non meminit, sed notas, quæ huic conueniunt, Massiliensi tribuit, inquit Cæsalpinus; latum enim inquit granum est fuluum.

Quod Clus. in Pannon. & Hist. Siler montanum vocat, Castor verò Seseli Italicum: Hoc fortè Tab. in Icon. Ligusticum verum Dioscoridis inscribit; in Hist. Ligusticum verum i. *Welscher liebstockel.*

Gerard. ponit Iconem à Tab. ex Matthiolo propositam, quam Leusticum vulgare, *Lommon louage*, Ligusticum, & Siler montanum cognominat: germ. *liebstockel*, gall. *Liuesche*; sed nullibi legi Siler montanum ita germ. & Gall. denominari: videtur duas plantas confundere. Vocatur propriè germ. *Siler montan*, & *Sermontan*: It. & Hisp. *Silermontano*: Gall *Sermontaine*.

Bauh phyt. & apud Matth. vocant Siler montanum, Ligusticum Matthioli. *Nos contra*, nõ audemus asserere. Ligusticum Matthioli idem esse cum Silere montano, quamvis Icon accedere videatur: quia Matthiolus, vti dictum, ait Seseli hoc officinarum cimicum fœtorem repræsentare: Ligusti verò semen incolas Liguriæ passim in ciborum condimentis adhibere. Præterea Lobel separat: vellemus patrocinatores Matth. vel exposuisse, vel errorem apud eum demonstrasse, aliorum animaduersores sunt leuissimi, quæque carpentes, & interim grauissimos quosque errores in suis glossis non annotantes. *Si Matthiolus*, existimauit Ligusticũ idem esse cũ Silere montano, is sibi contradicere deprehenditur, & tanquam cæcus de colore scribere, licèt suo more nota jactet. Idem B. pin. Ligusticum i. quod Seseli officinarum nuncupat: Siler montanum Trag. Guil. Adu. Lob. & Dod. Ligusticum Matth. Lac. Cast. Lugd. verum Dod. gall. & Tab. Seseli Massilioticum Cord. in Diosc.

Geneuæ Siler montanum inueni in monte Thoiri florens mense Iunio, & semen maturans Iulio, plantam hominem æquantem longitudine. Frequens est montibus Austriacis, at nusquam abundantiùs crescere meminit Clusius, quàm in eo qui Badensibus thermis imminet. Sermontani planta in Pitanis Alpibus prouenit locis vliginosis propè riuulos. In Liguria haud procul Genua in asperis montibus sponte nascitur, tum & alibi: In Belgij hort *Locus & Tempus.*

tis satum prouenit, sed raro, & non nisi, vbi Æstas feruida, semen perficit.

Vires. Sileris autem montani seminis vis excalfactoria, atque resiccans ordine est tertio, Dodonæo autore. Vrinas & menses potu ducit: prodest ac intestinorum ex cruditate dolores: concoctionem promouet: flatus discutit: auxiliatur contra ventriculi inflationes ac tumores, serpentumque morsus. Radix eosdem præbet effectus, sed minùs efficaciter, vt pote minùs calida, siccáque.

SILER CRETICVM QVIBVSDAM, semine longo, crispo, incuruo.

Descriptio. SIleris Cretici nomine datum *semen* pulchrum & magnum, pediculo vnciali circiter pendet, semunciam longum, recuruum, crassum fuscum: gemellum, vnum è quinque aut sex costis asperis coagmentatum, alterum simplex, intertexto ad extremum mucronem à pediculi fine filamento: odor satis validus, nec injucundus, cum Cymino satiuo habet aliquid simile, sapore etiam aliquo modo afini.

Gener Cherlerus attulit ex Italia nomine Sileris Cretici, quod satum in horto E. C. prouenit, foliis Cicutæ, vt Camerarius in horto ait, sed latioribus & paucioribus, semine incuruo, grandi, hirsuto & fusco. Et propterea etiam C. Bauh. phyt. & pin. vocat Siler 2. foliis Cicutæ, & Siler Creticum Camerarij.

De hoc ait Bellus in epist. ad Clusium ex Grete Cydonia. Rosmarini folia Selino similia sunt, serrata, floresque in vmbellis albi; quibus succedunt semina oblonga, aspera: radice nititur crassâ, foris nigro cortice, eoque tenui, vestitâ, intus albâ, Thus maxime olente: ideo Libanotis legitima mihi videtur, quam Theoph. l. 9. c. 12. descripsit: licèt radix sit nigra, quia detracto cortice leui, spectatur maximè alba. Appellatur σκοτίοχρα, quod vertiginem inducere credatur. Et, ni fallor, Siler Creticum à quibusdam perperam appellatur.

Ligusticum 3. siue Siler montanum angustifolium C. Bauhini.

Caule est tenui, cubitali, in alas brachiato, quæ vmbellam paruam albam sustinent, *foliis* paucis, in segmenta angusta, oblonga, peucedani instar (sed longè breuiora, diuisis, quæ in alis, ferè capillacea: prope oppidum Stein Austriæ D. Burserus legit.

SILAVS VETERIBVS.

CAP. LXXII.

SIlai, quantùm nobis constat, solus meminit Plinius, qui l. 26. c. 8. Silaum nasci glareosis (glabriosis CH) & perennibus riuis ait, cubitalem, Apij similitudine. Coqui vt Olus acidum (Oxylapathum, Dal. Olusatrum vet.) magnâ vtilitate vesicæ.

Silaus Plinio.

Æquiuoca. Cæterùm, pro Silao sequentes depinguntur stirpes, vt latiùs suo quolibet loco dicetur. Aquatica Lobelij, quam Sium minus Dodonæi, quidam Silaum Plinij, esse putant. Phellandriō, aliis Cicutaria palustris, est Silaus Plinij, Cæsalp. Apium palustre, à nonnullis Silaus esse perhibetur. Seseli pratense Monspeliensium Lobelij C. Bauhinus Silaum suspicatur. Silaus confunditur cum herba Sion siue Lauer dicta, quæ & ipsa de pluribus prædicatur.

SILAVM QVIBVSDAM FLORE luteolo.

Descriptio. SIlaum quibusdā appellatur in pratis aliquib. obuia planta vmbellifera, cubitalis & sesquicubitalis, *caule* glabro, striato, alis concauo: *flores* vmbellati, albicantes: quos *semina* excipiunt, bina juncta, gibba, striata, sapore aromatico, vinoso: *folia* ampla, minutim dissecta, incisurâ ferè Sileris montani, sed segmentis longiorib. paullò, acutioribusq; qua neruulus secūdum longitudinem percurrit sapore acri: *radix* longa, digitali crassitudine, foris fuscâ, intus albâ, in capita diuiditur plerumque, penes terram comosa; sapore aromatico prædita.



An planta à nobis tradita, est Cordi in Obs. silua. Herba Cicutæ foliis & odore: radice crassâ, nigrâ, perenni, semine in vmbellis Caruo crassiore, quo in quibusdam Galliæ & Italiæ locis malè pro Ligustico vtuntur.

Hujus figuram Botanicum Francofurt. anno 1582 impressum, pictam dedit, quam Hippomarathrum, *Wildroß-fenchel* inscribit. Eandem assumpsit Lonicerus, cui *haarstrang* & Peucedani titulum adscripsit.

Fœniculum silüestre Loniceri H. Lugdunensi, p. 689. (quod Fœniculum silu. nominare ait officinas auctore Ruellio & Lonicero) & Seseli pratense p. 752. vna eademque est planta: quamvis apud Lonicerum 1557. editum, non pro Fœniculo, sed Peucedano pingatur. Quale autem Fœniculum officinarum siluestre intelligat Ruellius, neminem diuinare posse credimus. Ita enim breuis & obscurus est vbi de eo, vt ipsi eum nondum intelligamus. Lobel. Iconib. pag. 738. Obseru. pag. 415. & Aduers. p. 318. Seseli pratense Monspeliensium & Lutetianorum appellat. Clusius Pannon. p. 700. & hist. nominat Seseli hoc pratense, cui alata adscribit folia, ac abundè in totius inferioris Austriæ pratis nasci scribit.

Dodon. latin. in fol. Siler alterum, quod nonnullis perperam pratense aut Monspeliense nuncupari ait.

Tabern. Icon. sub Hippomarathri, Fœniculi siluestris, & Mei inscriptione pingit. In Hist. verò sub Hippomarathri primi.

C. Bauh. phyt. Seseli 10. pratense vocat: Hippomarathrum verò illud Tabernæmontani, Fœniculum 3. siluestre: & Fœniculum erraticum Matthioli: sic hoc ab illo separans & distinguens.

Obseruaui florens Iunio Basileæ, inter Besfordiam

diam & Than Septembri: Montbelgardi inter *Lisle* & *Longueuelle* in pratis. In nonnullis pratis ac humidis locis etiam in Gallia subindè gignitur. In Belgij hortis non infeliciter prouenit, authore Dodonæo. Clusius antè dixit in inferioris Austriæ pratis abundare.

Dubitatur de viribus. Tabernamontanus quia Hippomaratrum esse credidit, eius vires huic adscripsit, quæ an huic conueniant aliis comprobandum, & dijudicandum relinquimus.

Saxifragia Anglorum foliis Fœniculi latioribus, radice nigra, flore candido, semine Fœniculi, similis Silao.



Inscriptio *Descr.* AB eximia dote in frágendo calculo Saxifragam scitè dixerunt Angli plantam vdis familiarem: *foliis* Fœniculi latioribus, pratensis Seseli minoribus, *radice* odorâ, foris nigra, intus albâ, Peucedani facie: *floribus* in vmbellis candidis: *semine* Fœniculi: *caule* sesquicubitali & cubitali.

Synon. ling. Lobelius descriptionis author vocat Adu.p.352. Obs.p.456. & Icon.p.784. Saxifragiam Anglorum, facie Seseli pratensis Monspeliensium, h.e. Silai quorũdam. H.Lugd. p.713. Saxifragam vmbelliferam Anglorum. C.B.phyt. Daucum.4. siue Seseli pratensis facie. In pin. miscet cum Polygono suo secundo, angustissimo & acuto, vel gramineo folio, minore repente, quod nobis Polygonum 3. Dodonæi, siue tenuifolium est. Tab. ic. Hippomarathrum album, *Englischer Rosz fenchel*. Eid. hist. Hippomarathrum 2. Hippomarathrum album, Hippomarathrum Anglicanum, & Saxifragiam Anglicam, *vveisser Rosz fenchel, & Anglischer Steinbrech*.

Temper. Saxifraga Anglicana, si Tabernæmontano credendum, calida est in tertio gradu, & sicca in secundo. Vim habet aperiendi, attenuandi, discutiendi & dissoluendi. Et his facultatibus etiã Fœniculum superat. Easdem vires inesse ait & Silao quorundam.

CARVIFOLIA.

Descr. CAruifoliam voco herbam, *radicibus* singularibus, pluribus, valdè longis, satis tenuibus, intus forisque albis, sapore viroso Coriandri virentis, nixam: *caules* emittentibus bicubitales & altiores, Petroselini similes, tenues, striatos nonnihil, & glaucos, & angulosos, medullâ albâ fungosa plenos, ramosos: *folia* partim à radice statim, partim ex caulium geniculis, quæ membraneo striato pediculo obuoluunt, oriuntur, Cari foliis proxima, latiora, maiora, glabra, palmo longiora, etiam prima, diuisurâ Pastinacę siluestris, vel Petroselini vulgaris, longioribus tamen segmentis (per quæ neruus discurrens sulcum exarat) quæ ex interuallis cruces ramosas canaliculatæ rachi annexas æmulantur, sapore acriusculo & nonnihil aromatico: *flores* pediculis inæquali longitudine, canaliculatis, vmbellatim digesti sunt, parui illi quidem, & supernâ parte ex luteolo pallescentes & ferè albi, auersâ rubentes: quibus decidentibus *seminum* rudimenta purpurascunt, matura verò lata, striata, similia ferè Pastinacæ Germanicæ seminibus, glabra, aromatica, cum amaritudine & acrimonia, minora quàm Peucedani, pallida.

Siler. C.Bauh. in phyt. vocat Siler tertium, siue Caruifoliam Io. Bauhini: In pin. Carui 3. siue Caruifoliam: Cyminum equinum & sylu. Trag. Fœniculum erraticum alterum, Lon. Peucedanum Eid. Ic. sed hoc malè, vt & Hippomarathrum, Bot. Fran. & Fœniculum sylu. Loniceri, Lugd. Ea enim nos meliùs ad Silaum quorundam flore luteolo referimus. Caruifoliam præterea aliam latioribus, & aliam angustioribus foliis tradit, quod nos etiam in culta non animaduertimus.

An Cyminum equinum Trago? An eidem Dauci tertia species? An etiam eidem Cuminum siluestre?

Locus & Tempus. Cæterùm Caruifoliam in Montbelgardensi comitatu florentem inueni mense Septembri inter Blussans & S. Mauritium in dumetis: itidem inter Dampierre & pontem Vauiaucourt. Translata in hortum E. C. aliquot annos durauit, florens Iulio & Augusto mense, eodemque semina proferens, ac maturans.

SION VETERIBVS.

Cap. LXXIII.

Sion Diosc. SIon aquaticum, referente Dioscoride, inuenitur in aquis, *frutex* pusillus, rectus & pinguis, qui *folia* habet lata, Hipposelino [Olusatro Corn. quidam εὐζώμῳ: alius ἡδυόσμῳ] similia, sed minora & aromatici odoris: quæ quidem seu cocta, seu cruda esu calculos confringunt ac expellunt: vrinas quoque mouent, ac menses & partus extrahunt. Commoda etiam sunt dysentericis in cibo sumpta. De eodem Sio agens Crateuas, herbam esse tradit fruticis specie, exiguam, foliis prędítam rotundis [Corn. & Matth. legunt Herbam fruticosam, exiguam, habentem multa folia rotunda.] maiora quàm Menthæ, nigra [Orib. λιπαρὰ] pinguia, & ad Erucam accedentia.

Plinius. Plinius lib.22. cap.22. Sion latius Apio dixit, in aqua nascens, pinguius nigriusque semine, sapore Nasturtij [hæc postrema verba ad alterum Sion, quod Cardamine appellatur, pertinere notauit Cornarius:] Prodesse autem vrinis, renibus, lienibus, mulierumque mensibus, siue ipsum in cibo sumptum, siue ius decocti, siue semen è vino drachmis duabus. Calculos rumpere, atque iis quæ gignunt eos, resistere. Dysentericis prodesse infusum.

Temper. Galenus. Sion in quantùm saporem quodammodò aromaticum habere, in tantùm etiam calfaciente vi participare, scripsit Galenus 8. simplicium. Discutere autem, & vrinas ciere, & calculos in renibus confringere & menses ducere.

Locus & tempus. Cæterùm, fuerunt qui Sion aquaticam Anagallidem, qui Iuncum aromaticum, i.e. odoratũ, qui Daren & Lauet appellarint. Quare autem Anagallis aquatica dicta sit, indicat similitudo

quis paruis semen Sio tribuere: cùm omne Sion mihi in Italia, Germania & Anglia conspectum, semen in vmbella ferat, Apij modo. Verum itaque Sion ab illo propositum non existimo.

Lacuna pro Sio figuram habet Matthioli, quę sanè multùm differt summitatibus florum ab Amati Sio, cui vmbellæ, & non Nasturtij aquatici siliquæ.

Sium Gesn. Gesn. hort. vocat Sium juxta Basileam. Is in suo Anguillara epist. 12. annotarat, Silaum Plinij omninò ejus Sium esse. Apud Cordum in Diosc. refert Sion, quod Germani *Flein vvasser-merck* vocant, Romæ in acetaria venire, vocarique Ranellam.

Lauer Crateuæ Dod. Dod. gall. inscribit Lauer Crateuæ & *grande Berle* (h. e. Lauer magnum: assignat enim & minus Lauer, *petite Berle*, quam Oenanthen aquaticam vocamus.) Idem de frument. & in fol. nouam habet figuram ejusdem tamen plantæ, Sij titulo, de quo ait, Germanorum plerique *vvasser Eppich frosch Eppich* (Fuchs. in Icon.) *Bauren Eppich Brunnen Peterlin* & quidam *Bynenkraut* Trago: Belgico idiomate, *vvater Eppe* nominant, h. e. gall. *Persill* aut *Ache d'eauë* i. aquatile Apium, aut Hydroselinon quis dixerit: Galli quidam *Berle* & *Hache de maretz*, Fuchs. Itali *Sio* & *Gorgolestro*: Cæsalp. *Crescione* & *Herba Cannella* Hisp. *Rabaças*. Plinio ac Latinis Lauer: Dioscoridi σίον est: quod in vetustis ejus exemplaribus, Anagallis aquatica, & Iuncus quoque dici odoratus legitur: vnde occasionem sumpsisse videntur, qui Anagallidem vulgò dictam aquaticam, verum Sium esse perperàm existimarunt.

Nomina linguar.

Lob. Adu. pag. 71. & in Icon. p. 208. vocat Sion siue Lauer (ita etiam Obs. p. 105.) Dioscoridis, Olusatri folio, siue aquatica Pastinaca. Nulli dubitandum affirmat, quin sit verum Dioscoridis Sion, etsi Dodonæus hallucinans Crateuæ Sion fecerit, in Hist. sc. gallica. Lonic. appellat Apium palustre.

Dodon. carpitur. Lugdunensis carpit Dodonæum, quòd Sion hoc vmbelliferum, perperam Sium majus Crateuæ dixit, cùm non Crateuæ, sed Dioscoridis sit verum Sium. Id quod ipsum in Hist. aquatilium agnouisse refert. H. verò Lugden. tres figuras dedit vnius plantæ. Primam pro Sio vero Matthioli: alteram pro Sio Crateuæ, majore Dodonæi, p. 1092. & tertiam p. 701. pro Apio palustri Fuchsij. Sium autem nomen sibi asciuisse traditur ἀπὸ τ̃ σείειν, ait, h. e. à concutiendo, quia quatitur, vacillandoque perpetuò succutitur præterlabentibus vndis, atque semper alluentibus. Vnde etiam Laueris nomen Latinos deduxisse scribit, nisi quis malit ab vrinis calculisque ciendis & excutiendis dictum.

Sium minus Tab. Tabern. Sij quatuor species agnouit, quarum hoc, Sium primum & minus nominat, ejusque Dioscoridẽ & Plinium meminisse scribit, ac appellari græcè σίον, ἀναγαλλὶς ἔνυδρος & ἴαρισιον. Lat. Sium & Plinio Lauer, ac etiam Angallin aquaticam & Darenium à Dioscoride: ab Herbariis Sium odoratum ad differentiam Sij alterius, vel etiam quòd aliqui Anagallidem aquaticam ita nominare soleant. Vocari præterea Apium aquaticum, & fontanum: itemque Apium aquaticum seu fontanum minus, & Pastinacam aquaticam, ob hujus foliorũ similitudinem. Aliis dici Berulam, Ranellam & Lauerulam: Auicennæ Pupillam oculi, Sumium & Chare alhayn: aliis Arabibus *Rorcathalmi*, *Inhamelhanella* & *Hamehanelgâ*: Bohemis *Po tocnik*, Germ. *vvasserpeterlin vvassernoreslen*. Plura nomina vide antè.

Eleiosel. ... ad Diosc. C. Bauh. phyt. vocat Apium ... siue palustre alterum, foliis oblongis serratis, & Sion Dioscoridis: itemq; ἐλαιοσέλινον Dioscoridis, Theop. & Plinij quorundam Is apud Matthiolum pro Sio vero ejusdem, posuit iconem Sij medij Tabernæmontani. Notatis in animad. Lugdunensem quòd Apij palustris Fuchsij nullo verbo in contextu meminerit: quódque præterea vitiosam Mattholi figuram habeat cum descriptione ex Lobelio: itemque iconem Lobelij cum descriptione Dodonæi: tres denique figuras & duas descriptiones vnius plantæ.

H Lugd. not.

Sium vmbelliferum duplex Sij nostri vmbelliferi, duplex genus assignat Cęsalpinus: dum ait, alterum scilicet caule infirmo, alterum caule crassiore: &c. Crescionem & Herbam Canellam nuncupans.

Locus & Tempus. Sion vmbelliferum vocant Monspelij Berlam: ibi copiosè prouenit in aqua, vti Patauij, & inter Veronam & Castelfranc. Geneuæ inter pontem *Arue* & *Lanci*, & qua itur *Chastelaine*, aliisq; locis. Montbelgardi in fossis vrbis & prope *Dampierre* ad Dubim copiosè.

Vires & vsus Sion, vt vult Amatus, herba sic dicta, quòd excutiendi vires habeat, hanc crudam ex aceto mulieres & pueri ineunte Vere comedunt Nam post aduentum auis Cuculi dictæ, non ampliùs herbam esui aptam, mulieres Hispanicæ dictitant. imò illam inutilem, & tanquam ab aue dicta affectam prædicant. Est autem stomacho admodum grata, vrinam euocat, & vesicæ calculos expellit. De ejus viribus etiam scripsit Lobelius: sed tam ambiguè, vt non solùm in iis dicendis sibi parum constitisse, verùm etiam id vix cognouisse videatur.

Matth. not.

SIVM MEDIVM.



Descriptio. Caulibus, foliis, floribus & seminibus priori similibus est, singulis tamen multò majoribus: odor etiam grauis, nec ita gratus, vt prioris, Petroleum quodammodò resipiens, vel bitumen.

Synon. Tab. hist. vocat Sium 2. siue medium, *vvasser peterlin vveyerpeterlin*, & Pastinacam aquaticam mediam siue palustrem. In Iconibus ejusdem Sij medij imago, malè transposita est, sub hoc titulo: Sium majus latifolium, Apium palustre, *grosse vvasser Pastinach*. C. Bauh. apud Matth. ponit hanc Tabernæmontani figuram pro Sio vero Matthioli, & Tabernæmontani latifolio, nõ animaduertens in iconibus Tabernamontani, transpositum titulum.

Gerardus capite de Nasturtio aquatico, tertio loco ponit iconem Sij medij Tabernamontani: verùm confundit Nasturtium aquaticum cum Sio vmbellifero.

Abũdat in Germania, Gallia, Brabãtia & Gel-

horto priusquam caulem ferat, longa, pedalis, juniori Pastinacæ latifoliæ germanicæ similis, cortice tenui flauescente, carne candida, fungosâ, odoris grauis, sapore subdulci.

Myrrhidi autem caule & folijs similem esse Cicutam perhibet cum Dioscoride etiam Plinius, qui licèt & flore parem dixerit, sed minore tantum & exiliore, tamen alibi Myrrhin similem Cicutæ ait, folijs minutioribus & caule breuiori, rotundo.

De Cicuta inquit Dioscorides: caulem producit geniculatum, vt Fœniculum [μάραθρον] magnū: folia Ferulæ [νάρθηκι] similia, sed angustiora & graueolentia: in cacumine propagines & vmbellas: florem subalbum: semen simile Aniso, sed candidius: radicem cauam, non profundam.

Anguillara Dioscoridis textum corruptum esse existimat, & legendum pro νάρθηκι, cum Plinio Coriandri, & pro κοίλη, radice, λευκή, vt habet Crateua.

Iudicium de Iconibus. Nostra Icon. ex Fuchsianis minùs placet, folia enim nimis incisa. Gesnerus apud Cordum in hist. assumpsit figuram Tragi, non admodum laudabilem. Lobelij Iconem Cicutæ posuit Clusius pro Cicutaria vulgari.

Cicutam in solo pingui propè vrbes caule bicubitali tradit reperiri Cæsalpinus, flore graueolente, semine, candido, & crassiore Aniso. Eandem inueniri in Alpibus, breuiorem & odoratiorem, simili semine.

Cæterùm, auxerunt Cicutæ famam Athenienses, Philosophorum non contemptores modò, verùm etiam hostes, succo ejus ad mortem in publicis judicijs vtentes, vt suo damno vel Socrates testari potest, quem ad Cicutam hauriendam compulerunt. Alioquin indigna erat herba, quæ omnium Poëtarum carminibus, & sapientum commentarijs inueniretur. Sed hæc est omnium fortuna rerum, vt aliquando ex vsu, gentiū honorem, & quam possunt gratiam inuenerint. Factum id tunc in Cicuta est, quæ neglecta modò & incognita multis jacet. Mutatæ enim leges, & pœnarum in sceleribus rationes pecori herbam relinqui coëgerunt, quæ quondam malo hominis fato nascebatur.

Non erimus in hujus historia longiores. Quod enim satis est, ab herbarijs omnibus cognoscitur Fœniculi caule, folio Ferulæ, alijsque à Dioscoride descriptis notis. Aptiùs tamen Plinius, vt Maranthæ videtur, Coriandri folijs comparat, quàm Ferulæ angustioribus.

Appellationes nothæ. In Cicutæ capite plures à principio nothæ appellationes. Sunt enim quibus Æginos [Angynon Marcell. & alijs] quibus Ethusa, quibus Apolegusa, quibus Dolia, quibus Amaurosis, quibus Paralysis, quibus Aphron, quibus Creidion, quibus Cœten [Coiten, Marcell.] quibus Carhechomenion [Catheomenion Marc.] quibus Abioton [Abroton Marcell. sed malè nostro judicio.] quibus Apseudes quibus Ageomoron, quibus Timoron, quibus Polyanodynos, quibus Dardanis, quibus Catapyxis dicitur. Osthanes Babary nominat: Ægyptij Apemphi. Sed hæ appellationes quàm vetustæ sint, licèt pro comperto esse dicat Marcellus, paucasque ex tam multis facilem intellectum habere profiteatur. Attamen Tragus hæc sanè vniuersa ferè nomina Cicutæ inde imposita esse autumat, quòd & homines & pecora interficere possit immensâ suâ frigiditate, quod & experientia & Nicander in Alexiphar. testatur.

Nomina linguar. Græcis κώνειον, Latinis, vt Trag. Matth. Angl. Fuchs. Dod. Turn. Lac. Adu. Lob. Cast. Lugd. Cæs. Tab. & Germ. Cicuta planta à nobis exhibita, vocatur: Gesn. h. & Thal. Cicuta vera: Cordo hist. & Cam. Cicuta major: H. Lugd. p. 788. Cicuta Matthioli: C Bauh. phyt. & pin. Cicuta 1. major: Clus. hist. Cicuta vulgaris: Germ *Scherling*, *vvurgerling*, *Wueterich*, & *vvuet scherling*, itemque, *Zigerkraut*, Matth. & *kelber* Cordo in Diosc. l. 4. c. 116. Belg. *Dulle keruel*, *Scheerlinck*: Gall. *Cigue*, *Segue* & *Cocue* Matth It. *Cicuta*: Hisp. *Ceguta*, vel *Canabeia*, Angl. *homblocke Bolehlavv*: Hung *Beurok*.

Cæterùm Cicutæ nomen etiam plærúmque apud poëtas sumitur pro calamo pastorali vt patet ex Lucretio lib. 5.

Agrestes docuere cauas inflare Cicutas.

& ex Politiano.

Ecce Syracusias tentas inflare Cicutas.

Ex his autem colligere est, Poetas Cicutam cognominare, cauam, pastoralem, leuem, argutam, Syracusiam à Theocrito pastore Syracusano: tenuem, querulam, raucam & triuialem: itemque fragilem: Quia porrò herba est venenosa, ac priori seculo inusta, propter publicam Atheniensium pœnam, qui ad hauriendum Cicutam cogebant delinquentes, mortique deuotos: ideò mœstam, diram, sæuam, ac lethiferam dixere Poëtæ. Sic enim Laur. Lippius: *Epitheta.*

Rusticè lethiferam moneo vitare Cicutam.

Itémque gelidam. Nam qui eâ necantur, incipiunt frigere ab extremitatibus corporis. Et hinc Festus aiebat.

quem carcere caeco.

Sorbitio gelida rapuit porrecta Cicuta.

Detegendum hîc ex Angelo Politiano erratum in codicibus Plinianis, super Cicuta, vinóque. Quodque mendosè apud Macrobium [mendo fortè exemplarium, lubrico de Conio in Aconitum lapsu] Aconitum pro Conio. Verba itaque ex Epist. Androcidis ad Alexandrum Magnum, vitiosè posita in Plinianis codicibus reperiuntur hoc modo: Vinum potaturus rex, memento te bibere sanguinem terræ. Sicuti venenum est homini Cicuta, ita & vinum. Leuis profectò sententia nimisque violenta, & coacta: adde etiam insipida, falsaque, vinū esse homini venenum, sicuti Cicutam. Sed enim in vetustissimo Medicæ familiæ Pliniano codice, sic inuenias: Cicuta homini venum est, Cicutæ vinum. Nam vt hominem Cicuta, sic Cicutæ virus meri potus extinguit. Ex eoque persuadere Alexandro nititur Androcides, vt tanquam re potentissima parciùs vtatur vino, quòd veneni venenum sit: &c.

Et hæc de Cicutæ appellationibus dicta sufficiant, si tamen priùs monuerimus, nos æstimare Vitium Apij idem esse cum Cicuta: in eo tamen differre quòd Vere oriatur Vitium Apij, Cicuta Autumno, propter quod etiam formam mutare videtur. De hac tamen separatim mox dicemus, sub Cicutariæ Apij folio denominatione.

Circa pagos & Oppida Cicuta passim abundat, locis vmbrosis & pinguibus, propè fossas aggerésque agrorum, pratorumque sepimenta. Cum floribus Iulio; semine prægnantem Augusto ac seriùs videre est, & nonnunquam per totam Hiemem virentem folijs suprà terram expansis. *Locus.*

Dioscorides Cicutæ vim exitiosam & multum in Medicina vsum, sic declarat. Est & Cicuta ex

CICVTARIA VVLGARIS.

Descr. RAdix crassa longa, multis adnatis donata, alba, potissimùm internè, sapore acri & aromatico: *caules* profert cubitales, & altiores, inanes, hirsutos, nonnihil rubentes, cannulatos: *folia* Cicutæ foliis proxima, latiora, odorata, sapore aromatico, splendentia, auersâ parte subhirsuta: *flores* in umbella candidi, quorum singuli quinis foliis constant, supremo reliquis maiore: *semen* Chærefolii vel Antrisci quorundam, longum, striatum, tenue, spiceo colore lucens.

Chærefol. silu. Trago. Tragus vocat Chærtiam 2. & Chærefolium silvestre, iudicatque esse Cicutariam, quam Dioscorides Myrrhidem cognominat. Satiuo autem Chærefolio cor simile facit, nisi quòd caules gignat Pastinacæ respondentes. Cæterùm, magnitudine totius substantiæ, omniumque partium, odore etiam & gustu, satiuum superare ait & interdum in proceritatem Cicutæ assurgere, radicemque quotannis nouos emittere asparagos.

Myrrhis Fuchsio. Fuchsius hanc Myrrhidis titulo pinxit, dixitque vocari Græcis Μυῤῥὶς & Μύῤῥα: Latinis Myrrhin, vulgaribus Herbariis Cicutariam, quòd scaule & foliis Cicutæ simillima sit. Quâ similitudine quosdam deceptos veram esse Cicutam putasse, cùm tamen ab ea, viribus potissimùm diuersa sit. Germ. Wilder Korffel appellari: Gall. verò *Persil d'Asne*.

Lapsus quorundã. Dod.gall. Fuchsii figuram assumpsit, Myrrhidemque inscripsit, licet descriptio non quadret, neque nomina, quæ veræ Myrrhidis sunt. Aliam & meliorem iconem in fol.lat. pro Myrrhide exhibet.

Dod.gall. taxatur.

H.Lugd.p.751. uocat Myrrhidem Fuchsii.

Myrrhis Fuchsii H. Lugd. De hac ait Matthiolus in Diosc. Gignitur in quàm plurimis Italiæ locis planta quædam Cicutæ faciem repræsentans, minor tamen minusque graueolens, Cicutaria nonnullis vocata, quam quidam legitimam Myrrhim censent.

Cicutaria vulgaris Clusio. Clusius Cicutariã vulgarem appellat: verùm hoc nomine Cicutæ Lobelii iconem habet. Gesn. Cicutariam & Cicutæ similem herbam, innoxiam, quam imperitos pro Cicuta accipere ait. Bauh.phyt.est Myrrhis 4 siluestris:

Error quorundam.

An Myrrhis nonnullorum: An Corn. Myrrhis & Wilder Kerfel/ Kerbelfern Germanorum. An Cordo in Diosc. Herba minimè venenata, Cicutæ nomine in pharmacopolis prostans, semine longo & gracili: Item Myrrhis vmbellifera, Cicutæ valdè similis, nascens iuxta arbusta, Germ. Büschkörfen & nonnullis Felberfern appellata: An Amato Myrrhis, vulgò Cicutaria, vbique obuia, apud Salmanticenses abundans.

De hac Turnerus hæc scriptis mandauit. Doctis plerisque Myrrhis putatur Cicutaria dicta vulgò. Eosdem tamen dubitare video, aut perfectè nescire quæ planta sit Cicutaria, inter quos est Amatus, qui etsi affirmet Myrrham esse Cicutariam, tamen cùm professus sit Hispanica, Italica, & Gallica nomina docere, quod & facit passim, vbi nouit, hîc Germanico solo contentus est, perinde ac si diutiùs in Germania, quàm Hispania aut Gallia vixisset, aut locupletior esset lingua Germanica iam dictis, aut Germani Cicutariæ nomen inuenissent, reliqui nullum. Matthiolus quoque haud obscurè videtur ambigere; vtrum Cicutaria sit Myrrhis, necne? Inquit enim, planta est vulgo in Italia Cicutaria dicta, quæ Myrrhis putatur: & paulò pòst: si Myrrhis in Italia prouenit, &c. Ego hactenus nullam melius descriptioni respondentem inueni eâ quam hîc propono. Ex quo videtis nondum penitùs cognitam. Duæ sunt, de quibus dubito, vtra sit Myrrhis. Vnam Angli nuncupant Casshes: prouenit in pomariis inter gramina sub arboribus, Cicutæ persimilis, quam nusquam copiosiorem vidi, quàm in pomario aulæ Pombracēsis Cantabrigiæ. Altera parum à prædicta differt, nisi quòd in siluestribus proueniat circa sepes & in pratis, breuior præcedenti, foliis hirsutioribus, Chærephyllo similioribus: vnde Wilk Cherùel appello: adulta tamen Cicutæ similior est, adeò vt quantùm ex figura licet indicare, eadem sit cum Myrrhide Matthioli, Fuchsio wilder Kerffel dicta.

Amatus notatur.

Hallucinatur Matth.

Cicutaria duæ Turnero

An Cicut. Cæsalp. An de hac Cæsalp. ait, Cicutaria in collibus nascitur locis humectis Cicutæ simillima: sed breuiore caule, striato &c.

Locus & tempus. Montbelgardi passim abundat in hortorum pratis arboribus consitis, multùm se propagans radicibus, ac propterea extirpatu difficilis, gramenque multùm suffocans. In omnibus verò iis, quas Clusius adiit, regionibus spontè crescit, non modò graminosis hortis & pomiferis, sed & aridioribus quibusdam pratis, florens Maio.


Vires. Chærefolium siluestre ad ducendos menses Cherefolio efficacius esse in vino decoctum ac potû ac aduersus pestē aliaque venena epotū facere traditur à Trago. Nos autem non consulimus ulli, ut imitetur eum, qui Myrrhidem existimans, eam internè exhibeat, quia venenatam plantam suspicamur. Duas familias nouimus Montbelgardi, quæ existimantes se colligere Pastinacas Germanicas hiemali tempore, his fortè fortuna offenderunt foliis destitutas, ex quorum esu licèt pauco, inciderunt in grandia symptomata suffocationis, torporem, sic insaniam, ita ut ebrios uerius exprimerent. Horum autem unus per integrum diem non potuit excitari: qui vomebant, faciliùs liberabantur. Curaui verò hos uomitu primò, dein in os per cochlear argenteum, instar lagenulæ paratum, puluerem saxonicum &c. iniiciebam. Prima familia fuit intoxicata anno 1572. Mater quidem cum filia in iure comederat radices pro Sisaro maiore quorundam, siue Pastinaca Germanica; cui radices habet similiores, quàm Cicuta, ea etiam frequentior in hortorum pratis. Symptomata apparebant, qualia Dioscorides Cicutæ tribuit. Filia reiectis radicibus per vomitum, statim bene habebat. Sequenti die vocatus ad matrem ei Diaphonicon cum Mithridatio propinaui & conualuit.

Consilium autorum

Comprobatur hisce plantam esse venenatam

CICVTARIÆ QVODAMMODO SIMILIS vel Chærephyllo accedens.

Descr. BIcubitales & altiores sunt *caules*, glabri, in ramos diuisi, per quos *folia* Chærephylli, tenuiùs tamen dissecta, vel potiùs Phellandrii Dodonæi, verùm hirsuta: vmbellæ minimæ *floribus* albis compactæ: *semina* bina hispida, aspera, sublonga, longiora quàm in Antrisci specie altera, à cuius seminibus facilè discerni possunt, non enim ita aspera, minora, & acutiora: *radix* alba, fibrosa, odore & sapore aromatico, non tamen vsquequaque grato, seu & foliorum.



Hæc planta nô malè exprimitur per figuram Guarinianã, quæ apud Fuchsium posita est pro Cicutaria: quamque hic ponimus: radix tamen non ita longa.

An Daucoides minus Cordo? An Bauh. phyt. Caucalis 6. [7. pin.] semine aspero, flosculis subrubentibus?

Locus & tempus. Cicutariæ quodammodò similis nostras abundat iis locis Geneuæ, in quibus Cicuta prouenit: floret & semen fert Maio & Iunio. Beffordiæ iuxta muros arcis, caulescentem obseruaui Aprilis principio.

CICUTARIA LATIFOLIA HIRSUTA.



Desc. DUm cubitorum & altior est *caulis* striatus, concauus, pilis obsitus, ad genicula singula *folio* donatus quoquouersus sesquipalmari, trifariam primùm diuiso, cuius diuisiones deinceps singulares ad Myrrhidẽ accedunt, sed latiores, rariores hirsutie suprà subtusque potissimùm per neruos venulasque aspersę, veluti & per pediculos: vmbellæ magnæ in plures alias minores diuisę *flosculorum* candidiorum, aliquando suaue purpureorum, aut potiùs amethistinorum: sub quorum pedicellis foliola acuta quaquauersum radiata: flosculos singulos sequuntur *semina* bina iuncta, bicornia, longa, quæ relicto stylo medio facilè dissiliunt, deciduntque, odor & sapor aromaticus subacris, sed ille quàm hic gratior & suauior: *radices* crassæ, obliquæ, perpetuæ, aromaticæ.

An Cord. Hist. Pityospermon à resinaceo seminis odore saporeque nomine effiсto.

Meminit Gesnerus hanc herbam locis Heluetiorum montanis inuenisse & in horto plantasse, foliis Cicutæ, semine oblongo.

Pityosper-mon vnde dictum An Lob. Adu. p. 327. vocat Myrrhidẽ alteram? ac ita describit: Cicutariæ odore, siue Myrrhidis, affinis ea admodum est foliis & ramosis vmbellis minoribus, delicatioribus tamen, & semine oblongo, Dauci Cretici, exiliore, non hirsuto, nec ita absimili sapore: è Geneuæ & Saleuæ vicinis montibus Medicus Penninus Anglus Londini serendam curauit, mihique impertiuit. An idem vocat Obs. 423. Myrrhim alteram paruam Aduers. Daucoides minus Cordi? In Icon. p. 734. Myrrhum alteram paruam. Non potest autem esse Daucoides minus Cordi, Myrrhis altera Aduers. Cordi enim Daucoidi semina sunt Anisi minora, aspera. Myrrhidi Aduersariorum, Dauci Cretici non hirsuta: figura etiam Lobelii semina glabra demonstrat Chærephylli. *Non est Daucoides minus Cordi contra Lobel.*

H. Lugd. præter Myrrhidem hanc alteram paruam Lobelii, quam p. 761. pingit, ac de qua iam diximus, exhibet & aliam quam p. 789. Cicutariã albã inscribit. Sed & tertiam iconẽ dat H. Lugd. pag. iam dictã 789. quam Cicutariam rubram appellat. Cæterùm Cicutariam albam Lugdunensis eandem existimamus cum nostra. Eadem etiam à nobis obseruata est, flore vel purpureo, vel rubente, in qua præter colorem discrimen haud agnoui: stirpium diligentes indagatores perquirant diligentiùs an differat ab H. Lugdunensis siue Dalechampii rubra: & an non tres figurę vnius eiusdemque plantę. *Myrrh. alt parua Lobelii Lugd. Cicutaria rubra.*

Camerarius h. vocat Meum Silesiacum, foliis Cicutæ & penè caule, sed perpetuâ radice, & nonnihil aromaticum referente gustu, multiplici, nodosâ, & iuxta latera se propagante, non rectà descendente: vmbellis candidis, oblongo semine. Hoc ait Sebizium sibi communicasse. *Meum Silesiacũ Camer.*

Stirpium sanè peritus Doldius hanc plantam siccam nobis transmisit, pro Meo Silesiaco, quod scripsit esse Olsnicense, & Olsenichium dictum in Misnia, & in Saxoniæ officinis pro Meo haberi: à quibusdam verò pro Imperatoria, cùm radix vegeta aromaticitate non careat, quæ subamara sit & acris quodammodò, cuius in peste usus non contemnendus: semen ei esse longum, angustum, pectinum dentium æmulum, quale Chærefolii. Hæc ille. Diuersum tamen tradit Olsenichiũ Cord. ab hac Cicutaria l. 29. hist. c. 80. cui semina Anetho similia, & duplicia assignat. *Meum Silesiacum Doldii*

An Cęsalpino Silaus Plinii, Herba in riuulis nascens? An eidem Cæsalpino Cicutaria alia Alpina?

Bauh. phyt. videtur malè multiplicare entia, separando Meũ 5. Cicutæ foliis: Silesiacũ Cam. cuius non ampliùs meminit inter Mea in pin. & Cicutariam 6. (5. in pin.) palustrem latifoliam albam: Cicutariam albam, Lugd. Cicutariam palustrem subcandido, Cam. an Meum Silesiacum eiusd. Itemque Cicutariam 7. (6. in pin.) palustrem latifoliam rubram: Cicutariam rubram Lugd. Cicutariam palustrem flore purpureo, Cam. Considerent tamen stirpium periti, an vna planta, vel plures: & an duæ postremæ, ut iam antè monitum, solo colore floris varient, vel diuersæ sint, ut vult Lugdunensis. An etiam eadem cum dictis sit, Myrrhis eius secunda in phyt. & pin.]. vel minor: Cicutaria 2. Cæs. Myrrhis satiua minor, Cam. Myrrhis montana. Tab. Myrrhis altera parua, Lob. & Lugd. quam Pona in Baldo spontè, etiam in horto, prouenire ait, ac perperam Lobelium Daucoides Cordi fecisse concludit, ac tandem quosdam pro vero Seseli, alios pro Ligustico genuino in Seplasiis ponere, quàm autem congruè, tacet. *C. B. nod.: Meum Cicutæ foliis Cicutar. palust. alba & rubra* *An eidem Myrrhis minor.* *Seseli verum.*

Gesnerus cùm apud illum essem vocabat Seseli aquaticum. Cicutariam alteram Dalechampii, cuius figura non placet, Geneuæ prouenientem vidi: itemque prope Masmünster ad ri-

ad ripam fluminis, vnde transtuli in hortum E.C. Montb. Tiguri obseruaui: vt etiam in valle Griesbachiana, vbi fontes acidi. In montibus Helueticis circa Solodurum, iugis præsertim summis humidioribusque sat s obuia. Circa S. Vrsinæ florentem mense Maio conspiciebam flore albo & purpureo.

Tempus.

CICVTARIA BVLBOSA ODORATA

Descriptio.



Singulari assurgit *caule* hominis altitudinem excedēte, crassiusculo, purpurascente, vario, cauo, propter guttam hirsuto, palmetribus internodiis distincto: *folia* ex articulis prodeunt crassis, magna, in alas diuisa, easque in minora folia subdiuidendas, Cicutæ foliis similia, delicatiora, glabra, sapore non ingrato, nam & totius alioquin plantæ sapor est aromaticus, non fœtidus: vmbellas fert paruas, *flosculis* albis compactas: *semina* longa, Cicutariæ vulgaris pratorum, quibus maturis & decidentibus Autumno, perit & caulis, & radix, plantæque nouellæ ex semine natæ, totâ Hieme durant, vsque ad Ver, quo tempore folia terna, vel quaterna supra terram sese expandunt, ad Chærefolium accedentia, ex virore lucida, in tres lacinias præcipuè diuisa, tres circiter vncias longa, odore & sapore aromatico, quorum pediculi ad tres vncias longi procedunt à *radice* singulari, breui, turbinatâ crassiusculâ, Antitoræ radici simili, vel Napis minimis, rectâ cortice tenui, pullo, internè albâ, fungosâ, grati saporis, ad Staphylinum accedentis, desinente in paruas fibras longiusculas, paruas alias laterales habentes.

Sapor.

Radix.

An Cicutaria Pannonica quam describit Clusius?

Bulbocastanon coniophyllon Camer. Cicutar. Pann. Clusii

Hanc vocat Cam. Bulbocastanon coniophyllon, Cicutariam Pannonicam Clusius Pan. & hist. qui quo nomine hanc plantam donaret, diu ambiguus fuit; accuratiùs tandem notis eius perpensis, succurrit magis proprium (nostrâ etiam opinione) nomen dari non posse quàm Cicutariæ. Vulgus Austriacum Peperlin appellat: Hungari Magiaro salata/ quòd eius radice & teneris foliis in acetariis vescantur.

Cicut. bulbosa C.B.

Bauh. Phyt. Cicutariam 9. (8. in pin.) bulbosam: Myrrhidem Cicutariam Tab. Happen Körffell. Dubito autem an sit Myrrhis Cicutaria Tabern. suspicorque radicem eius non factam esse ad plantam.

Locus & Tempus.

Prope Entzhemiam Alsatiæ in sepibus & alibi prouenit itinere Basiliensi versus Milhusiam, mense Iunio florens & semen proferre incipiens, quo deciduo planta perit. In horto E.C. Montbelgardi sata, quotannis caulescit & perit, at semine deciduo mirè se propagat. Primus qui mihi plantam attulit, fuit insignis Medicus Petrus Turnerus, qui dederat pro Myrrhide collectam Heidelbergæ, obseruatamque Spiræ & infra Argentinam. Cicutaria Pannonica Clusii nouo Vere in hortis & herbidis Viennensis agri locis prodit: nascitur & quibusdam similibus Vngariæ locis: florens Aprili & Maio, Iunio semen plenè maturans. Bulbocastanum comophyllon, quod sic ob folia Cicutam imitantia rectè dixerit Camerarius, biennium solummodò durat, vel ad plurimùm triennium. Nam è semine quo per totam Hiemem iacuit intra terræ viscera, ineunte Vere demum pronascitur, foliis binis oblongis acuminatis, angustis, vt multæ huius generis plantæ, à quibus tamen hoc, discriminis obtinet, quòd alterum gerit non è medio horum, sed iuxta pediculum quo ambo nituntur, ex ipso bulbo, qui vix Olobi granum æquat, enascatur. Id si non eodem anno iustam magnitudinem assecutum fuerit, sine altero eadem proferre quanis causa prohibitum, quod vtrumque tamen rarò contingit, tertio demum anno floret ac semen perficit, & marcescente radice penitùs interit, semine interim sparso multipliciter se restaurans.

Myrrhis.

Nouo Vere radices firmiores & magis succulentæ cum nouellis suis foliis in Viennensi foro venales reperiuntur: coquuntur enim & cum oleo, aceto & sale, primis mensis istic vulgares, quà n salubri cibo, se nescire fatetur Clusius: frequentem tamen eius vsum non sine noxa esse, & capitis grauedinem, doloremque inducere, se expertum esse memoriæ mandauit.

In vsu Viennensi.

PHELLANDRION PLINII.

Cap. LXXV.

Phellandrion, cuius meminit Plinius l. 27. nascitur in palustribus folio Apii. Bibitur semen eius propter calculos & vesicæ incommoda. Cæterùm, qualis herba Phellandrium hodie sit, inter Authores nondum conuenit.

Aequiuoca.

Phellandrium suum habet Dodonæus, quod quibusdam Cicutaria aquatica dicitur.

Phelland. Vel Cicutaria aquatica

Petro Turnero Cicuta aquatica Gesneri dicebatur Phellandrium.

Phellandrium esse crediderunt nonnulli Apium siluestre Dodonæi.

Apium palustre

Phellandrium Plinii sunt qui eandem esse cum Helioselino, i. e. Apio palustri censeant. Testis est Gesnerus in cat. pl.

Phellandrium alii pro Lauere accipiendum putant, vt idem lib. iam citato refert.

Lauer.

Idem rursus ait suspicari Ruellium Siler aquaticū herbariis hodie dictum esse Phellandrium.

Seseli aquaticum

Phellandrium Plinianum dictitabant Lutetiani, referente Lobelio, Rutas pratenses, quas Thalictrum nigrum Cordi cognominamus.

Phellandrium Plinii est Guillandino Angelica siluestris, vt testantur Lob. & Pona.

Angelica silu.

Iidem tamen Phellandrium Plinii existimant potiùs esse Saxifragiam hircinam maiorem. Phellandrium tandem [inquit Gesn. cat.] aliis ea videtur esse, quam Filipendulam vulgus Herbariorum appellare consueuit.

Saxifr. hirc. maior.

PHELLANDRIVM, VEL CICVTARIA aquatica quorundam.

Aquas amat, extra quas *caule* extat bicubitali & altiore, pollicari, sæpè etiam brachii crassitiem adæquante, striato, inani, geniculis distincto, in ramos varios diuiso. *Folia* dodrantalia plùs mi-

Descriptio.



plùs inquis, diuisione Chærefolii, propemodum glabra, sapore satis grato ad Sium accedente, cum leui quadam acrimonia: vmbellas in ramis gerit pro plantæ proportione paruas, *flosculorum* alborum, cum exiguis in medio apicibus obscurè rubentibus: quibus delapsis succrescunt *semina* parua, oblonga, striata, nulla hirsutie vel asperitate donata: ex geniculis infimis demittit subinde capillares, longas, & numerosas fibras, quibus in imo radicatur.

An Ligusticum silue-stre Trago

An Trago Ligusticum 2. siue siluestre, in fossis, pratis, & lacubus, ac paludibus prouenient, radice cauâ & fungosâ, adeòque longâ, vt fundum aquæ attingere non possit, quare aquæ prorsus supernatat: caule & foliis plus habens cum Ligustico affinitatis, quàm cum Fœniculo, sed totâ suâ substantia minus & odore etiam ac sapore remissius, cæterà Leuistico simile. Cæterù. siluestre hoc Leuistici genus, Tragus erraticû Fœniculum esse existimat quod Dioscor. Hippomarathron, Marathrida, agreste Marathrû, Thimaricolinum, Myum, Sistrameor, & Fœniculû erraticum cognominet: Germani Wilden fenchel seu Roß fenchel / & Weyer fenchel / agreste seu siluestre Fœniculum, equinum Fœniculum, & palustre Fœniculum vocent: Serapio Othomarathrum (tertium nempe Fœniculum, semine Coriandro simili, quod quidem Tragus alterius generis esse putat, aut si idem cum hoc sit, Serapionem seipsum non intelligere, necesse esse) & alio loco Fœniculum montanum, quod Fabar dicatur, atque aliquantulùm Hippomarathro Dioscoridis respondere videatur. Quod porrò Tragus capite de Ligustico huius herbæ mentionem fecerit, id in causa fuit, quòd formâ, odore, & sapore ad Leuisticum magis, quàm Fœniculum accedere crediderit. Sunt autem quidam, qui Ligusticum hoc siluestre Tragi, Cordumenum, & Carui agreste dici volunt, & esse semen Peucedani. Sed nemini obscurum est, aliam esse & peculiarem plantam Peucedanum, quod Phrisius Fœniculum agreste nuncupauit. Sed credibile est bonum hunc virum Peucedanum non vidisse, sed ex Petro de Crescentiis, qui nomen Fœniculi agrestis huic adscribit, didicisse.

Hippomarathrum Diosc.
Marathris
Fœniculū erraticum

Othomarathrum Serap.

Cordumenum
Carui agreste
Peucedanum non est appellandum cum Phrisio
Phellandrium Dod. Sii 3 species

Dod. in Hist. frument. & in fol. Phellandriû inscribit, ac Sii tertiam speciem constituit, & ait. Apud nostros, quod sciam, nomen non habet: officinis etiam incognitum, sicuti & Sium: à Plinio Phellandrium nominatum videtur: potest autem & Sium illud esse, quod Pseusippus apud Athenæum in aqua nasci affirmat, foliumque habere palustri Apio simile, de quo Homerus:

Sium Pseusippi

Ἀμφὶ δὲ λειμῶνες μαλακοὶ σίου ἠδὲ σελίνου. h. e.

Aunt Apio atque Sio circum mollissima prata

Si modò hoc Pseusippi Sium non idem est cum priore loco descripto Sio, Oenanthe sc. [ut nos vocamus] aquatica.

Lob. Obs. 424. figuram Dodonæi habet [itemque in Icon. p. 734.] Cicutariæ palustris titulo, Dodonæi opinionem de Phellandrio non approbans.

Cicutaria palustris

H. Lugd. p. 1093. eandem iconé quoq; retinet, sed eam Phellandrium Plinii intitulat: Tab. autem & Ger. Cicutariam palustrem wasser schirling: Camer. Cicutariam palustrem aliam siue Phellandrium: Io. Vvierus, vt inter vires patebit, Cicutam aquaticam.

C. Bauh. phyt. Cicutariam 8. (7. in pin.) palustrē tenuifoliam, quod Phellãdrium Plinii constituit: itemque Ligusticum & Fœniculum siluestre Tragi: Cicutam palustrem Cord. in Diosc. Aquaticam, Gesn. h. & Thal. Silaum Plinii, Cæs.

Locis gaudet humidis & palustribus, & in fossis & scrobibus passim occurrit: floret Iunio ac Iulio in fossâ horti Montbelgardensis & suprascriptâ crassitie. Frater attulit mihi Patauio, vbi spontè prouenit, pro Cicutaria Petri Aponensis Guillandini. Phellandrium Dodonæi in perennibus cum Sio nascitur riuulis, & subinde in resedibus exit aquis, Æstate florens, Augusto semē maturás. Angliæ, Northmanniæ, Belgiique stagnantibus fossis, leuéque fluentibus aquis plerumque obuia Lobelio.

Locus & tempus

Quod autem ad facultates attinet, calidum & siccum erit, si Dodonæo credimus, ac Sio potentiâ ac temperamento simillimum. Qua etiam de causa vrinam & menses prouocare: ad vesicæ frigidos affectus vtile, & ad calculum, quem comminuere ac expellere posse ait, si naturâ suâ friabilis fuerit, scribit. Io. Vvierus Tract. de Varen sub finem: In hoc morbo, tendente in suppurationem tumore, vnguentum inducunt Ditmarsensés Chirurgi ex wasser Schirling (quod vernaculo nomine wadendüück indigitant) seu Cicuta aquatica concinnatum: radicem inuolutam, sub cineribus assam & contusam cum melle permiscent, quousque in vnguentum conformetur: taci dulcedine mellis forâs allectos vermes huius herbæ veneno enectum iri.

Temperamentum Dodon.

Vesicæ affectus Calculus Vermis Varen dictus

SESELI PELOPONENSE MATTHIOLI, siue Cicutaria quorundam.



CAulis est geniculatus & cauus, Cicutæ, *folia* longè maiora, in alas diuisa, quæ rursum in segmenta pinnatim, veluti Filix, digesta, profundè serrata, latiuscula, subsecantur, odore graui & viroso Cicutæ.

Folia in figura, quam ponimus, non placent: nec satis enim apparent plures eius partes.

Sic def-

Descr. Lobelio Sic describit Lobelius. Vniuersa planta simul ac tantillùm tangitur virus exhalat. Radice crassâ & totâ facie Myrrhidem odoram vestam quadantenus exprimit, sed folia latiora, longiora, nigriora, & semen breuius Angelicæ, vel maximæ Cicutariæ fatuæ par, in vmbellis latis excusso candido flore. Caulis alis brachiatus, sesquicubitum & duos cubitos æquans.

Seseli Peloponense Matth. forte nō visum Matth. passim & Lacuna Seselis Peloponensis solam exhibent iconem, quasi plantam ipsam nunquam viderint. Quis autem quæso huius plantæ virosum odorem cum Seseli Peloponensi Dioscoridis conuenire crediderit?

Lonic. taxatur Lonicerus Matthioli habet figuram, ac Seseli tertium. Peloponnesiacum vocat. Sed nec ipse plantam agnouisse videtur.

Seseli autem Peloponesiacum, quod Matth. pingit, idem videtur Gesnero, quod Rhætorum aliqui vulgò *Pidrie* vocant, vel *Pantegiam*.

Pidrie Rhætorum Gesnero Pantegia. Cicut. latifol. fœtidissima Lob. Error quorundam Lob. Obs. pag. 423. [itemque Icon. p. 735.] vocat Cicutariam latifoliam fœtidissimam, perperàm Seseli Peloponense quorundam. Herbarii tamen Septentrionales Belgæ [nondum inuento genuino Peloponensi Seseli, folio Cicutæ latiore & crassiore] Seseli Peloponense folio Cicutæ dixêre, sed facultates reclamant. Vniuersa namque planta, vti dictum à Lobelio, simul ac tantillùm tangitur, virus halat, quâ solâ etiam notâ à Peloponensi Seseli discernitur. Quare iure quodam *Cicutaria fœtida Tabern.* Tab. Cicutariam fœtidam, Germ. Stinckend Schirling inscripsit: Cicutam latifoliam fœtidissimam Ger. Cicutariam Cast. siue Cicutariam myrrhidem Thal.

Lugdun. Mirari subit Lugdunensem duas proponere icones, quum etiam Lobelius monuerit diuersa esse nomina eiusdem plantæ. Seselis enim Peloponensis Matthioli figura p. 750. posita, repetitur p. 790. Cicutariæ alterius latifoliæ fœtidissimæ *C. Bauh. reprehen.* Lobelii nomine, etiam fratre Bauhino hoc obseruante: qui tamen & ipse censurâ nostrâ dignus, vt qui non animaduerterit apud Matthiolum poni iconem aliam [quàm pro Seseli 5. Peloponensi exhibuit, quam in phyt. & pin. Cicutariam 3. latifoliam fœtidam nuncupat] eamque sine descriptione: erant monendi lectores, ipsum Matthiolum non describere, & periculum in eius opinione latere, qui fœtidam plantam pro odorata exhibuerit: quæ animaduersio erit magis necessaria, quàm ea in Histor. Lugdunensem.

Vires Seseli Peloponense Matthioli Tiguri in horto Gesneri vidi, è Rhætiæ montibus allatum.

THAPSIA QVORVNDAM, HIRSVTA & aspera, Cicutæ folio, flore luteo, semine lato, aliis Seseli Peloponesiacum.

CAP. LXXVI.

Descrip. HErba cubitali & altiore, ferulaceo, tereti, intusque fungoso *caule*, ramis multis brachiato: *folia* Cicutæ foliis quodammodò similia, crassiuscula, hirsuta multùm & aspera, in alas oppositas subiecta, quarum segmenta singularia semunciâ longiora, serrata: vmbella lata, lutea: *semen* magnum per extrema bifidum, ex rotundo oblongum, labiis foliaceis, simile Thapsiæ Gargani montis, sed minus: *radix* sesquipalmaris, crassa, solida, exteriùs nigricans, intus alba,

gustu amaro, acri & aromatico, terram versus capillata.



Lobelii descr. Seselis Peloponensis radix magna est, inquit in Adu. Lobelius, intus alba: foris nigricans, recta & altè porrecta, Ferulę, Thapsiæve modo, odorata & aliquantulùm acris. Caulis digitum æquat crassitie, sesquicubitū altus, ferulaceus, à quo promuntur alæ turione sue in ambitum sparsi, vbi folia multa, Cicutæ magnitudine, sed incurua, pilosa, & crispa, rugatáque. Vmbellæ multæ, Anethi, luteæ sunt: semen latum foliaceum, compressum, Angelicæ figura & magnitudine, sed multò minus, grauius: color illi ex pallore flauescit: odor suauissimus, Æthiopici adeò similis, vt statim odoratu, cùm primùm vidissem, Peloponense coniectarim. *Seseli Peloponense* Et coniecturam certiore exploratione notarum & virium, Præceptores Monspelienses fulcierunt, ita vt nullus illic ambigat de eius assertione: cùm tamen antea nonnulli Thapsiæ speciem suspicati fuerint. In Obs. à sola magnitudine differentiam addit dicens, in Belgii stirpium cultioribus & ditioribus hortis Hispano semine Peloponense Seseli ortum, altero tantùm maius, maioribus, latioribusque foliis & semine videri. *Seseli Peloponense folio Cicutæ Lobelio. Lob. taxatur.* In Aduers. p. 327. vocat Seseli Peloponense, folio Cicutæ (& sic etiam in Icon. p. 735.) huius autem figuram in Obs. omittit, recipiens pag. 424. iconem Thapsiæ 1. Clusii latifoliæ, pro Peloponensi Seseli eius maiore: sicuti etiam in Icon. p. 736. capite quidem de Thapsia latifolia 1. censuram ponimus ex Clusio, qui eum supinæ negligentiæ accusat, quòd Thapsiam suam quam nunquam viderit, eandem faciat cum Seseli Peloponensi, de quo hoc loco scribimus.

C. Bauh. reprehen. Sed & C. Bauh. in phytin eo versatur errore, vt Seseli suum 1. siue Peloponense, quod ex Lobelio maius & minus constituere videtur, & solâ magnitudine differre refert, cum Thapsia latifolia dicta Clusii, ignoranter confundat, cùm interim ipse Clusius differentes asserat, & doctos inter has distinguere se scire scribat.

Cautior sanè fuit Lugd. quæ p. 751. plantam nostrum Seseli Peloponense, folio Cicutæ Penæ vocat, & Seseleos maioris, solâ magnitudine discrepantis iconem Lobelii, esse Thapsiam latifoliam Clusii & quorundam admonuit.

Thapsia Camer. Camer. not. Tab. nominat Seseli Peloponnesiacum 1. Griechischer Sesel. Cam. apud Matth. Thapsia. Figura autem à Camerario apposita Matthiolo est ex Gesnerianis facta ad plantam meam siccam, quæ nihil simile habet cum Matthioli Thapsia, quam ait Ferulæ ita similem, vt non facilè dignosci possit. Ad eandem figuram appictum semen, sub

numero I. Cætera semina aliarum plantarum sunt, quorum descriptiones erant apponendæ: quæ addidit de Thapsia, & Turpetho, potius tenebras lectori adferunt, quàm lucem.

Locus & Tempus. Thapsiam, cùm essemus Monspelii, vocabant. Deferebatur nobis non longè ab Arelata ex Prouincia *di Sant Martin* à Leonh. Rauvvolffio. Audio prouenire in montibus circa Nemausum: florere mense Maio. Hanc plantam nobis etiam communicauit Iac. Rainaudetus Thapsiæ nomine. Semen aliquando misit Iac. Vt nhomius nomine Seseli Peloponnesiaci. Frater C. Bauh. attulit inuentam in monte Ceti.

THAPSIA I. CLVSII, LATIFOLIA, FLORE luteo, semine lato, similis Seseli Peloponnensi Lobelii.

Descriptio



FErulacea habet *folia*, viridia, villo, seu lanugine quadam obducta, humi veluti in orbem diffusa, ingrati saporis, inter quæ cubitalis, interdum etiam bicubitalis exilit *caulis*, digitalis crassitudinis, nodosus, intus cauus & fungosus, raris foliis praeditus, summo fastigio magnam & latam sustinens vmbellam luteorum seu flauorum *florum*, quæ dum maturuit *semen*, quod latum & acerosum est, germénque habet longum & angustum, sphæricam & orbicularem figuram quodammodò refert: *radix* crassa, longa, summâ parte capillata, vt pleræque ferulacei generis, crassiore libro vestita, foris subnigro, vel fusco, interiore parte candicante, lacteo succo plena, gustu amarissimo & acri, nauseam tamen mouente, adeò ingrata est, medius eius neruus fungosus.

Thapsia 1. Clusii Cæterùm, Thapsia hæc prima Clusii, à Murcianis & Valentinis *cumillo*, à succi, vt Clusius descriptionis author fallitur, abundantia dicitur: reliqui Hispani *Cannaheia*, appellant, quam vocem omnibus ferulaceis plantis [quarum summa varietas per vniuersam Hispaniam] tribuunt: nam Ferulæ & Libanotides illis etiam Canaheia dicuntur, quia videlicet harundinaceum caulem habent. *Supina quorundam negligentia* Mirari autem subit quosdam inueniri, qui adeò procliues sunt, vt non expensis probè stirpium singulis notis, sed ex leuibus duntaxat picturæ coniecturis, statim de illa iudicium ferant, quod vsu venisse iis videt author, qui huius suæ Thapsiæ iconem, ad Seseli Peloponnensis historiam accommodare non sunt veriti, & illi quidem, qui hanc nunquam crescentem viderunt, vt taceat vtriusque plantæ facultates esse dissimiles. *Lob. & C. Bauh. not.* Tab. Hist. Lugd. Lob. & C. Bauh. in Phyt. dicitur Thapsia latifolia Clusii. Verùm Lob. & Bauhinus cum Seseli Peloponensi confundunt. Id quod Clusius hîc conqueritur, & nos præcedenti titulo insinuauimus.

Locus Tempus Gaudet collibus petrosis, quales sunt non procul ab ostio Tagi supra Vlysipponem, & multis aliis Lusitaniæ, Hispaniæque locis editioribus & incultis. Floret Augusto, nonnunquam maturius.

Sinister & fus quorundam Granatenses imperiti Pharmacopœi, huius radice loco Turbith magno errore vtuntur: peritiores autem discrimen obseruare norunt.

THAPSIA II. CLVSII, FLORE LVTEO, foliis tenuioribus, Fœniculi penè instar.

Descriptio THapsiæ hæc genus cubitali donatur *caule* graciliore tamen quàm superioris, vmbellâ etiam simili *florum & seminis*, sed minore: *folia* illi multò tenuiora, quàm illius, Fœniculi pænè foliorum instar, nullam insignem qualitatem habentia: *radix* longa, digitalis crassitudinis, foris nigra, intus candida & fungosa, acris, summo capite villosa.

Bauh. pin. Thapsia 4. fœniculi folio: Thapsia Diosc. Aduers. Lob. & Lugd. Thapsia 2. vel tenuifolia, Clus. Hisp. & hist. Thapsia angustifolia Tab. tenuifolia, Gerardo.

Locus Thapsia hæc secunda Clusii, siue tenuifolia, iisdem cum Thapsia 1. siue latifolia locis inuenitur.

THAPSIA SALMANTICENSIS, SIVE III. Clusii, magna, flore luteo, semine lato.

Descriptio EST hæc longè maior superioribus, vtpote *caulem* habens trium aut quatuor digitorum crassitudinem æquantem, instar caulis Ferulæ, & sæpissimè humanam altitudinem superantem: *florem & semen* primæ Thapsiæ non dissimilia: *folia*, antè quàm planta in caulem assurgat, multò ampliora, in orbem tamen non secus, ac illa humi diffusa: *radicem* etiam crassiorem.

Cicutaria maxima & fœtidissima Lobelii non est Sed nec parum hallucinantur, qui Thapsiam hanc 3. siue Salmanticensem, Salmanticensibus vulgò *Cannaheia* dictam, Cicutariam maximam & fœtidissimam Lobelii esse censent, inquit Clusius, descriptionis author. Videant autem Lectores verba Lobelii cap. de Cicutaria maxima fœtida, simili Thapsiæ 3. Clusii.

Bauh. pin. Thapsia 1. maxima latissimo folio: Thapsia 3. Clusii hisp. & hist.

Locus Tertium hoc Thapsiæ genus, quod Clusius obseruabat in Hispanica sua peregrinatione, nascitur non solùm agro Salmanticensi, sed etiam circa Pinciam, vulgò Valladolid dictam, & tota vetere Castellâ, ad Pyrenæos vsque montes.

Vsus *Deiectiones molitur* Vetulæ Salmanticenses medicinam isthic exercentes, huius radice vtuntur ad prouocandos menses, aliasque deiectiones moliendas. Tantâ autem vi cùm supernè, tum infernè purgat, vt sumentes in maximum periculum sæpenumerò coniiciat.

THAPSIA IV. CLVSII, TVERO VOcata, foliis glutinosis, radice nigra foris.

Locus Descriptio EOdem Salmanticensi agro & vicinis locis nascitur hæc ferulacei generis planta, *foliis* Libanotidis, per terram similiter expansis, lento quodam & glutinoso rore semper aspersis, saturâ viriditate splendentibus: *radice* crassâ, longâ, tenerâ & fragili, foris nigra, intus alba, lacteo succo

succo plena, *caulem* nullum obseruabat author, sed eum ferre audiuit rectum, tenuem, & in eo vmbellam *florum* penè in globum coactam. Cæterùm totam plantam teterrimi odoris esse ait: vnde verisimile esse coniicit non minùs esse noxiam Thapsiam hanc quartam Salmanticensibus *Tuero* nuncupatam, quàm sit ipsa Thapsia, ad cuius genus ipso authore, referenda videtur.

Odor teterrimus

Bauh. phyt. vocat Cicutariam 4. latifoliam fœtidissimam alteram. In pin. Thapsiam 3. foliis Libanotidis fœtidissimam *Tuero*. Clus. hisp. Thapsia 4. Eiusd. hist.

Cicutar. latifol. altera

THAPSIA CAROTÆ FACIE.

Descr.

ET lata & longa sunt Thapsiæ huius *folia*, pediculo tam primario, quàm aliis minoribus segmẽ totum hirsuto, aspero, rubente: segmenta in aliis foliorum singularia non ex aduerso nascuntur, alioqui facie totâ Carotæ vulgaris folia satis referũt, hirsuta, venosa.

Carotæ facie

Quamuis autem hęc Herbariorum Thapsia vulgaris Carotæ effigie, ab officinis sit verior existimata, inquit Lobelius, & superiori Thapsiæ [Ferulæ facie Thapsiæ, siue Turbith Gallico] radice non parùm assimilis, tamen certum est, longiùs à descriptione Dioscoridis abesse: est enim foliis potiùs Carotæ, siue Dauci agrestis, quàm Ferulæ:

Non est Thapsia Dioscoridis

Eidem in Obseru. & Icon. Thapsia vulgaris Carotæ effigie: Matth. & Italis *Thapsia*. Gallis *Turbit gris*. Tab. dicitur Thapsia vulgaris, & Turpetum griseum:

Thapsia vulg. Carotæ effigie

Turpetum griseum

C. Bauh. phyt. Thapsia 2. (5. in pin.) Carotæ folio: dubitatque [vt & Lobelius] an sit Ferula Sagapenifera? Huius autem radice pro Turbith quosdam vti scribit. Apud Matthiolum huius iconem Thapsiæ titulo pictam dedit ex Tab. dixitque Thapsiam esse Matth. Ang. Lac. Lon. Cast. Lugd. & Cæs. cui & Turbith albũ Mesuei: esse item & Thapsiam maiorem, Cordi hist. Thapsiam veram & Turbith montis Gargani, Gesn. h. Thapsiã vulgarem & Turpetum griseum Tab. itemque Thapsiam vulgarem Carotæ effigie, Lobelii. *Sed non* dissimulandum est, fratrem C. Bauhinũ hîc turpiter esse hallucinatum. Cùm enim Matthiolo Thapsia adeò Ferulæ adsimilis sit, vt non facilè, nisi à rei herbariæ peritis, vna ab altera dignoscatur: præterea cùm ad Dioscoridis descriptionem referat, quam in epit. & hist. germ. posuit: quæ obsecro Carotæ foliis cum Ferula similitudo: taceo de cæteris, vt figura, quæ non similis Carotæ. *Idem* dico de Thapsia Lacunæ, Loniceri, Castoris, & Lugdunensis, qui omnes figuram Matthioli habent, diuersam a Tabernæmontani. Est autem illorum imago Ferulæ folio glauco. *Quomodo* præterea possit Cæsalpino esse, Thapsia Carotæ folio, non video: quum longè alia ei tribuat folia l. 7. c. 3. & semen crassius, & longius, quàm Ferulæ fœminæ. *Tandem* etiam absque ratione Cordi Thapsia 4. hist. c. 74. refertur ad Carotæ facie Thapsiã, cùm ille in Dioscl. l. 4. c. 157. Thapsiã dicat foliis ferulaceis & Fœniculo similibus. *Gesneri* Thapsiam denique ad Thapsiam Carotæ folio referendam minimè censeo, quia Gesnero dicitur latissimo semine, quod huic non conuenit.

Turbit

C. B. lapsus varis

Thapsia Cæsalpini

Thapsia Cordi

Thapsia Gesneri

Prouenit nobis Thapsiæ Carotæ facie Montbelgardi in horto E. C.

THAPSIA CÆSALPINI, SEMINE CANDIDO, crasso.

Descr.

CAulem fert non excedentem bina cubita, candicantem, veluti cinere asperso: *folia* proportione minora, sed latioribus segmentis, & subcandida: *florem* luteum in vmbellis: *semen* autem candidum, striatum, crassius & longius, in foliacea quædam labra desinens: *radix* subest candida, crasso capite, in ramos diuiso, succo lacteo, valde acri, ut tractantium & manus & facies intumescant.

Cæsalpinus, descriptionis author, vocat Thapsiam Pisis in silua nascentem, Ferulæ fœminæ similem, sed minorem & candidiorem: Quare eam ad Thapsiam Carotæ folio referendam cum C. Bauhino non puto: Carota namque & Ferula quantùm discrepent, non nisi in re herbaria valde rudem latet. Videtur autem Cæsalpinus statuere esse Thapsiam à Theophrasto & Plinio descriptam: Dioscoridem verò per Thapsiam non hanc stirpem, sed Ferulaginem, quam Ferulam fœminam [nos Ferulam glauco folio] appellat, intelligere.

CICVTARIA MAXIMA FOETIDA SIMILIS Thapsiæ tertiæ Clusii

CAP. LXXVI.

Cicutaria maxima Brancionis Lob.



LOb. Obs. p. 422. vocat Cicutariã maximã Brancionis, (itemque in Icon. p. 732.) ac quærit ã sit Thapsia Salmanticensium Clusio, vulgò Cañaheta dicta, annuum potiùs Cicutaria maxima fœtida? Sed mirari subit Lobelium, Cicutariã suã maximam fœtidam Brancionis non describere. An fortè non vidit plantam, sed tantùm iconem. Dicta sua hæc, *caule humanã proceritatis, crassitie*

quatuor digitorum, foliis, semine, & radice Seseli Peloponensis longè maioribus, quæ clinicis celebratur ad menses, vomitus & alias deiectiones ciendas, ex Clusio desumpta sunt, & mutata vocabula, ut dum vocat Seseli Peloponense, intelligit Thapsiam 1. Clusii.

Thapsia Clusii tertia non est. H. Lugd. p.790. vocat Cicutariam maximam fœtidam Lobelii. C. Bauh. phyt. Cicutariam 5. (4. pin.) siue latifoliam tertiam.

APIVM SILVESTRE DODONÆI, THYSselinum quorundam, planta lacteo succo turgens, locis humidis proueniens.

CAP. LXXVII.



Descriptio Duûm triúmue cubitorum *caules*, striati, angulosi, glabri, ramosi, inanes, unâ parte ex fusco rubentes, ex quorum geniculis rubentibus oriuntur pediculi dodrantales & cubitales, caulium ritu striati, angulosi, concavique, *folia* sustinêtes Carotæ, glabra, valdè incisa, atrovirentia, lacteum liquorem, si rumpantur, reddentia, sapore ingrato, mixtâ cum amarore acrimoniâ: umbellam gerit *flosculorum* Petroselini albidorum: *semen* rotundum, planum, Anethi simile, Dod. *radices* spargit complures, digiti minimi ferè crassitudine, longitudine aliàs palmari alias dodrantali, candidas, eodem cum foliis sapore.

Synon. Apium silv. Dodon. gall. inscribit Apium siluestre, appellatque Græcè σέλινον ἄγριον, ἢ ὀρεοσέλινον ἄγριον, Gall. *Persil aut Ache sauuage*, ger. Wilder eppich/ aut eppich. Belg. wilde eppe. Huius meminisse ait Theophrastum, ei adscribentem caulem rubeum l.7.c.4. Plin. verò suspicatur Thysselinum quamuis quidam eiusdem Silaum existiment.

H. Lugd. p.701. Apium siluestre Dodonæi.

Daucus palust. Gesn. C. Bauh. phyt. Apium 6. siue silvestre lacteo succo turgens, quod ad Daucum referri posse existimat, Gesnero forte autore, qui Daucum palustrem de hort. vocat.

Silaus Plinii Valerandi non est contra Lobel. Lobel. hanc pingit in Icon. p.711. Thysselini Plinii titulo, itemque in Obs. p.409. ubi præterea Silaum Plinii Valerandi vocat. Ast Silaus Valerando Dourez & Roberto Constantino, longè alia erat planta, ni fallimur, cui flos ex luteo pallescens, cùm huic sit albus in rotundis muscariis, etiam Dodonæo teste.

Meum. Hort. Lus. Cuminum Alni, Thysselinum Plinii. Gelbuite Ærlem & Cumich. Officinæ Belgii, & præsertim Botanici Antuerpienses, olim perperam Meum nuncuparunt, ac legitimi Mei loco in usu habuerunt. *perperam dictum.* A nonnullis verò apud Belgas, Apium sylvestre, h. e. wilder Eppe, dicitur: non defuerunt tamen alii, qui Hydroselinon, siue Apium aquaticum, i. e. water Eppe, nominarent. *Hydroselinon. Sium.* Hydroselinon autem, ut alibi scriptum, & Sium quandoque appellatur.

Olsenichium. Cordus in Diosc. l. 1. c. 2. & hist. itemque Thal. in Har. Olsenichium, Olsenick germ. nominarunt. *Phellandrium Plinii.* Alii demum Phellandrium Plinii Apium palustre Dodonæi existimarunt. Sed, authore Dodonæo, sylvestre Apium rectiùs dici potest.

Locus & tempus Iuxta lacus, inquit Dod. vliginosis ac humidis locis, in scrobibus aquas resides habentibus, quandoque etiam Alnorum iuxta veteres truncos reperitur. Iunio ac Iulio flores ac semen proferens. Reperi ego inter Masmunster Abbatiam & S. Germain pagum è regione Rottenburg, iuxta ripam stagni inter Alnos & Salices mense Iunio, transitu'i Montbelgardum in hortum Ill. E. C. vbi floret Iulio & Augusto. Locis humentioribus, sed rariùs, vt plurimùm tamen occurrit Thalio auf der laugen Harciniæ Saxonothuringicæ.

Temper. Est autem huius radix calida, authore Dodonæo, & sicca tertio ordine; *Pituitam ex ore elicit.* commanducata multam ex ore pituitam elicit, & dentium dolores sopit. *Diuretica vis* Non dubium verò est, quin & eadem extenuet, incidat, & aperiat: vrinas & menses moueat: & quæ Apii genera reliqua, eadem & nec segniùs, sed etiam efficaciùs præstet.

APIVM CICVTÆ FOLIIS, SELINVM alterum Clusii, semine lato.

CAP. LXXVIII.

Descr. Multa habet ab vna *radice* prodeuntia *folia*, Cicutæ foliis non dissimilia: sed quæ caulem ambiunt, minora sunt: *caulem* cubito maiorem, sæpè vnicum, nonnunquam plures, & in his vmbellas candidorum *florum*, quibus succedit *semen* latum, minùs tamen quàm Ferulæ: *radicem* digitalis etiam crassitudinis, albam, odoratam, & vtcunque acrem.

Selinum peregrinum 2. Clus. Clusius historiæ author, vocat Selinum peregrinum alterum. C. Bauh. phyt. Apium 8. siue peregrinum folio Cicutæ.

Locus. Prouenit apricis, & à Sole illustratis locis: Iulio floret, Augusto semen profert, in Salmanticensi agro.

Vis diuretica Mirum in modum vrinam ciere plantæ decoctum, aut aquam in qua radix macerata, Clusio Salmanticenses referebant.

SESELI PALVSTRE LACTESCENS, Acris, foliis ferulaceis, flore albo, semine lato.

CAP. LXXIX.

Locus. Seselis palustris vnicam plantam reperit Camerarius, vt videre est in eius Horto, in quadam palude sylvæ vrbi [Norimbergæ] vicinæ, *Descr.* prope piscinas amplissimas, iuxta putridos arborum truncos, foliis ferulaceis, *radice* longâ subfuscâ, & ingrato admodum gustu, ceu feruore non exiguo, fauces tentante: in hortum verò translata minùs vrens euasit & saporis fœditatem deposuit, & *caulem* protulit ramosum, tricubita-

cubitalem: *flores* candidos in vmbellis, & *semen* latum, foliaceum. Planta est lactescens, vt quædam aliæ vmbelliferæ, quales sunt Thysselium Dodonæi, Chærefolium, &c.

C.Bauh.phyt. meminit Seseleos palustris Camerarii, quod nono loco recenset.

OENANTHE VETERVM.

Cap. LXXX.

Diosc. delucidatur

OEnanthe [οἰνάνθη] alii Leucanthum [οἱ δὲ λευκάνθεμον: hæc non leguntur in Ald. Dioscoridis codice, nisi inter notha:] nominant: *folia* habet Pastinacæ (ὅμοια σταφυλίνῳ) flores albos, *caulē* crassū palmi altitudine [σπιθαμιαῖον] *semen* verò velut Atriplex (Ἀτραφάξυος:) *radicem* magnam, multa rotunda capita habentem. Nascitur in petris. Huius semen, & caulis, & folia bibuntur in vino mulso ad secundas eiiciendas. Radix cum vino ad vrinæ stillicidia, & regium morbum vtilis est.

Locus.
Vires

Dioscoridis hoc caput hisce expressit Plinius lib.21.cap.24. Oenanthe herba nascitur in petris, folio Pastinacæ, radice magna, numerosa. Caulis eius & folia cum melle ac vino nigro pota, facilitatem pariendi præstant secundasque purgant. Tussim è melle tollunt: urinam cient. Radix & vesicæ vitiis medetur.

Oenanthe cerui & canes inebriantur

Onagra

Apud Athenæum lib. 10. Aristoteles libro de ebrietate scribit, coruos & canum genus inebriari, si Oenanthem herbã [τὴν οἰνάνθην: sic enim legit Dalech. & non τὴν οἰνοῦτταν, quã voce quidã significari putant, Dioscoridis τὴν ὄναγραν, cuius radix vinum olet, & madefacta, potu feras mitigat, & cicurat.] depascantur.

Obseruandum autem est Oenanthen multarum rerum æquiuocum esse. *Nunc* enim herbam hîc descriptam significat, quæ tamen & ipsa de pluribus & diuersis dicitur, vt mox annotabimus. *Nunc* Labruscæ florem denotat. *Nunc* Oenanthe est Vitis domestica. *Nunc* Armerios flores siluestres designat. *Nunc* Nostrum Lilium conuallium, de quo lib. 31. H. n. g.

Æquiuoca Oenanthes herba Labrusca flos Vitis domestica Filipendula Oenanth. aquat.

Hodie etiam pluribus herbis Oenanthes nomen attribuitur. Sunt enim qui Filipendulam esse dicant. De hac & sequentib. ordine dicemus. Oenanthen siue Filipendulam Monspessulanam folio Apii, veræ Oenanthæ similiorem dixit Lobelius. Oenanthem, Staphylini folio aliquatenus accedētem, habere magnam similitudinem cum Oenanthe Dioscoridis testatur Tabern. Oenanthe siue Filipendula aquatica negatur esse legitima. Considerandum an à iam dicta diuersa sit Oenanthe, siue Filipendula Rutæ folio, vel varietas minùs bene picta à Tabernomōtano Oenanthem Myconi exhibet H. Lugd. quam ex Hispania missam ait. Est & Oenanthe succo Cicutæ facie Lobelio. Oenanthe Guilandini, vix duarum vel trium vnciarum plantula, inscribitur à nobis Flos cuculi flore multiplicato. lib. 29. Oenanthen siue Filipendulã alteram montanam, diximus Pedicularem alpinam. lib.28. Bulbocastanon pingit Matthiolus in Hist. germ. ac veram esse Oenanthen existimat. Spondylion apud Gesnerum in ascript. Dioscoridis cognominatur Oenanthe. Oenanthes generi referri posse Pimpinellam & appellari Oenanthillam putat Fracast. de contagios. morb. lib.3. cap.6. Oenantharia, de quibus Paulus lib. 7. cap.21. agit, non sic dicta sunt, quòd διὰ τῆς οἰνάνθης, h.e.è Labrusca fiant, sed quòd τὸ ἔλαιον ἐξ ἀνθῶν χεῖται, h.e. à vino & floribus Lilii.

Oenanthe Rutæ folio.
Oenanthe Myconi.
Flos cuculi flore multiplicato
Pedicularis alpina.
Bulbocastanon.
Spondylion.
Pimpinella
Oenantharia Pauli ab oleo & vnguento dicta.

Cæterùm ad Oenanthen redeamus. Alia hæc est, ab illa, inquit Marcellus, quæ in vitium genere Labruscæ flos est: hæc in herbarum censu à Theophrasto inter coronarias plantas, & flores qui secundi per Ver florent, numeratur. Illa primò & per se Oenanthe est, Vinum & florem ipso nomine indicans. Hæc, vt fit, deficientibus propriis, indicationem & nomen floris & odoris sui similitudine, ab illa facilè impetrauit. Nec ideò Oenanthe dicta est, quia Labruscæ flos sit; sed quòd candidus illi flos, racemi specie, vt in Labrusca, sit: & præter racemosum illum florem odor qualis in pubescente Vite, floreque eius sentitur. Amat hæc tepidiora loca, quondamque ad coronas in hortis etiam serebatur, in quibus non tantùm odore, sed longiore florum suorum vitâ placebat. Hanc Dioscorides ait Cerascomen vocari: quâ voce Staphylinum, i.e. Pastinacam, à quibusdam nominari dixerat. Cui, quoniam hæc folio similis est, ideò & nomine illius etiam indicabatur. Quid autem Cerascome significet in Pastinaca quærendum est. Eandem Leucanthum vocari hîc ait, manifesta à florum candore significatione. Neque enim alia eius vocis vis est. Hactenus Marcellus, qui quam plantam per suam Oenanthen intelligat, nos latet.

thino diuersa.
A Labrusca flore diuersa Oenanthe. Herba coronaria Theop. Vnde dicta Oenanthe.
Cerascom.
Leucant.

FILIPENDVLA.

Cap. LXXXI.



NOmen huic fecit *radicis* in latum magis sparsæ, quàm altè depactæ glandularum, oliuarum, aut longiorū, minusque ventriosarum, Asphodeli more; foris ex rubro nigricantium, intus albentium, acrimoniam quandam cum adstrictione dulcedine & leui amaritudine sapientium, per fibrarum fila pensilis connexio: *folia* Pimpinellæ seu Saxifragæ maioris, atro virore splendentia, angustiora, profundiùs laciniata; nullis pediculis alternatim costæ adnascuntur; quæ minima hederacea foliola intercedunt: *caules* cubitum vnum aut duos alti, solidi, teretes, læues, subrubentes, in alas diuisi, *flores* sustinentes in paniculæ modum sparsos, suaueolentes, albos, auersoque foliorum mucrone rubentes, in quorum medio magnus apicum luteorum plexus sese explicat: *semen* sequitur muscosum, squamosum, rotundum, Pimpinellæ.

Inscriptionis ratio.

An Molon à Plinio lib. 26.c.7. descriptum? Meliùs certè accedere videtur ad Oenanthes

Dioscoridis descriptionem, quamuis non desint qui Filipendulam, Oenanthen Dioscoridis esse negent, nullum ipsi aliam, aut saltem meliorem interim ostendentes.

Oenanthe Theoph. Ab hac quidem Filipendula, siue Oenanthe Dioscoridis nobis alia videtur Oenanthe Theophrasti 6. Hist. vltimo, flore commendata, vbi Vitisflorem Gaza uertit, Theophrasti descriptione consideratâ. *Marcelli, Cordi & Tabern. lapsus* Quare etiam à Marcello & Tabernamontano dissentimus, qui duo, duas has Oenanthes vnam eandemque facere deprehenduntur. Sed nec Cordi opinio nobis arridet, dicentis in Diosc. lib. 3. cap. 135. Oenanthen Gaza *Vitis flos.* Vitis florem apud Theophrastum interpretatus est. Satis huic respondet herba, quæ Filipendula *Glans terrestris.* iã vocatur, quòd glandibus similes radices à lõgis & tenuibus fibris ceu filis pẽdeant. Germani proprio vocabulo Erdeichen / quasi terrestrem glandem, à radicum similitudine appel- *Chamadrys.* lant. Videndum tamen est, ne cum hac Chamædrin confundamus, quæ nobis Erdeych/i.e. terrestris Quercus vocatur.

Quare ut terrestris Oenanthe aduersus Matthiolum. Filipendulã hanc & ex inquit Lob. eo Camerarius, radice & flore suaue quiddam halantem, præsertim quibusdam tractibus Linguagotticis & Aquitanicis, obesæ naris Commentator non respuisset, inquit Lobelius, nec doctiorũ (Corn. Tragi, Fuchs. Gesn. Tabern. Dod. & aliorum) sententiam spreuisset, si verba Dioscoridis pressius perpendisset: & locis aridis petrosisque plurimam eruisset. Siquidem flos candidus, semen muscosum, squammosum, caulis cubitum & sesquicubitum altus, itemque radix non altè infossa, sed latè sparsa & ampla è pendulis fibris multis pilularum, perbellè quadrant Dioscorideæ effigie &c.

Filipendulam hanc vulgò dictam Arnoldus Villanouanus à radicis similitudine, Antoræ speciem fecit: nos tamen cum Gesnero de Lunariis, toto genere differre asserimus.

Theod. Dorsth. Viscaginem & Scrophulariam turpi errore cognominat, eamque apud Laurentium Phrisium à Græcis Seseli vocari scribit, cum quo viribus conuenire quidem, sed formâ discrepare refert. Quod huic si concedamus, tamen rursus meritò hallucinari dicitur, vt qui non significet, quod Seseli intelligat. Ego quidem eo modo Seseli aliquod dixerim quo is Scrophulariam & Viscaginem appellauit.

Incertum est (inquit Cæsalp.) vtrum hanc Filipendulam foliis instar Millefolii, aut Tanaceti, an aliam inter Apii genera à nobis descriptam Recentiores intelligant, nomine Filipendulæ, cui vires ad calculum frangendum & vrinam pellendam tribuunt. Quicquid autem sit, huic quoque Filipendulæ easdem vires inesse, & efficaciores ob amaritudinem putandum est.

Synon. & Nomina ling. Medicis vulgò, vt Trago, Corn. Theod. Dorsth. Cordo. Matth. Dod. gall. & Lat. Anguill. (qui ait vocem esse vsitatam Trotulæ & Galeno, vocarique in Syria Antula) Gesn. hort. & de Lunar. itemque cat. plant. Lonic. Cast. Thal. Camer. Tabern. & Cæsalp. *Filipendula* dicitur. H. Lugd. p. 782. *Filipendula, Oenanthe multorum.* C. Bauh. *Filipendula vulgaris.* Cordo in Diosc. Fuchs. & Lac. *Oenanthe.* Lob. in Obs. p. 420 in Icon. Plant. p. 729. *Oenanthe, Filipendula.* C. Bauh. phyt. *Oenanthe 9.* Nic. Myrepso, *[illegible]*, Filipendula: Italis ac Hisp. *Filipendola*, Gallis *Filipende.* Germ. Root Steinbrech, id est, Saxifraga rubra: item & Wildgarben/ i.e. Millefolium silvestre: Boh. Tǎzebuyl.

Filipendulam obseruauit Burmii Rhætorum *Locus & Tempus* in pratis, Patauii in horto publico, D. Cortusi, & aliis. Ferrariæ in horto Cœnobii S. Dominici à l'Angeli, Geneuæ in multis pratis, vt pagi *Bourdigni*, florentem Maio, Iunio, & Iulio. Lugduni habebam in horto, itemque Montbelg. in horto Ill. E. C. vbi feliciter prouenit ex plantatione, & se multiplicauit, ac Hieme folia virentia reseruauit. In asperis, aridis, ac petrosis apud Germanos ac Britannos humilior exit, in hortis luxuriat ac altiùs attollitur, inquit Dodonæus: Iunio ac Iulio in flore est, succedente mox semine. In Anglia non procul Bristoia ad Vicentii rupes & caules deuexas, eodem tempore florens Lobelio. In montibus ab vtraque parte Rheni Filipendulam nasci scribit Tabern.

Cæterùm, Matthæus Syluaticus ac Simon Ianuensis puluerem radicis aduersus morbum *Vires & usus.* comitialem commendant: atque cibis frequenter mixtum valde vtilem, & efficacem referunt, & contra tormina, intestinorumque flatus conuenire, præsertim addito Fœniculi semine *Morb. comitialis.* quoque affirmant. Dodonæus Filipendulam, ac præcipuè eius radicem, manifestè calidam ac siccam esse, aperientem & abstergentem dixit, *Tormina intestinor.* cum nonnulla tamen adstrictione: ac Decoctum radicis vrinam & calculos pellere: dysuriæ ac vrinæ stillicidio laborãtib⁹ prodesse: & simile de Oenanthe Dioscoridem scriptum reliquisse. Alii Filipendulam proximè accedere qualitatibus ad Pœoniam scripsêre. Et hinc epilepticos, *Renibus & Vesicæ vtilis.* analepticos, atque vertiginosos, eximiâ quãdam prærogatiuâ magnoperè iuuare Filipendulæ radices retulit Lobelius. Bayrus tamen de *Pæoniæ qualitatibus.* morb. dist. 1. tract. 5. c. 3. ad epilepsiam succum Filipendulæ multùm commendauit. Fuchsius *Sputum* etiam in lotij stillicidio & vrinæ remoratu, neque non renum doloribus, atque lapide eorundem conuenire testis est: eadem stomachi in- *Inflationes stomachi.* flationes discutit, medetur & suspiriosis, & *Morbis frigidis.* anhelantibus, & omnibus morbis, quos causa frigida concitauit: farinam eiusdem cibis comi- *Farina.* tialium inspergunt. Quicquid sit, huic quoque Filipendulæ easdem cum sequenti vires inesse & efficaciores ob amaritudinem putauit Cæsalpinus. Puluis, inquit, radicis cum vino haustus dolores stomachi sanat, & iliacam ex frigida causa ex flatu: lapidem frangit, & vrinam impellit: idem præstat extrinsecus fouendo, inclusus sacculo, & in vino & oleo feruefactus: in *Asthma. Aqua Pestis.* cibis confert epilepsiæ & asthmati. Aqua totius plantæ distillata medetur pesti, & venenis, & calculo renum, & vesicæ. Plura de huius usu & facultatib⁹ scriptus prodidit Tabernamontanus.

OENANTHE, SIVE FILIPENDVLA Monspessulana, folio Apii.

CAP. LXXXII.

Descr. Perinde vt Oenanthæ vulgatiori, seu Filipendulæ, ita & huic glãdulosæ *radices* longis filis pendulæ latiùs quàm altius propagantur, tunicâ nigricãte contectæ, intus albæ, Pastinacæ germanicæ quodammodò sapore, gratiore tamen, dulci: huius *folia* plurim ùm ludunt, primâ germinatione lata, mox Petroselini vulgaris seu Apii hortensis (à cuius etiam sapore parum abludunt, nisi quòd plusculum adstrictionis habeant) ex virore penè lucida, supra terram ex-

panfa



pansa, deinum Peucedani effigiem induunt: *caules* plures surriguntur cæsii, angulosi, striati, cubitum & sesquicubitū alti, multis alis concaui: *flores* in vmbella muscosi, admodū minuti, vel ex albo purpurascentes: *semina* differūt à prædicto Petroselino, quo multò longiora, veluti capitulum habentia.

Videtur plantam in præsentia delineatam, Matthiolus in post. comm. cum mag. fig. Oenanthen 3. vocare, non tamen legitimæ Oenanthes speciem facere.

Gesn. hort. appellat Filipendulæ aliam speciem foliis ferè Apii hortensis, circa Monspelium.

An Cæsalpino Petroselinum siluestre vulgò appellatum, & à Recentioribus Filipendula?

An Oenanthe minor siue angustifolia Lobelii? An Lobelio dicitur stirps nostras in Adu. p. 326. Oenanthe minor & veræ Onanthæ [siue Filipendulæ vulgari] similior? An eidem in Obs. p. 420. Oenanthe angustifolia, exiliore folio à vulgata Oenanthe solùm diuersa? An in Icon. Plant. p. 729. Oenanthe angustifolia? An hæc inquam Oenanthe angustifolia Lobelii diuersa sit, vel tantùm variatio, aut summitas nostræ Apii folio, arefactis prioribus foliis, inuestigandum damus posteris.

An Oenanthes species Scrophularia dicta Historiæ Lugd. An eidem Histor. p. 783. Oenanthe 3. Matthioli?

Tabern. vocat in Hist. Filipendulam 3. & Oenanthen selinophyllon, præcedentibus similes habentem radices, nisi quòd paulò maiores & longiores sint: caules similes secūdæ; folia verò similia Petroselino Macedonico, sed multò minora: flores ex umbellis.

Camer. in Hist. Matth. Germanica in tabella Oenāthes alius hoc signo †, itemque in Epitome (duas enim icones in una tabella exprimit, quarum maior cum nostra Oenāthe folio Apii conuenit) figuram nostram pictura exhibuit, ac dixit, Matthiolum in lat. herbario plures Oenanthes species ponere, nullam tamen integrè describere solúmq; dicere, radicibus & umbella cum Filipendula conuenire. Se verò depingendam curasse, non quòd sit vera Oenanthe: sed quia nomine destituatur, maluisse sub hoc nomine ponere quàm sub alio.

C. Bauh. apud Matth. & phyt. vocatur Oenanthe 1. siue Apii folia: secunda Matthioli Lugd. Angustifolia Lobelii: Filipēdula Castoris, Filip. tenuifolia Tabernamontani. Item phyt. Oenanthe 2. siue Pastinacæ syluestris folio, semine oblongo: Oenanthe species Dalechampii, Scrophularia quorundam H. Lugd. p. 785.

Locus & tempus. Florentem circa Iunium Monspelii reperi inter *Perous* & lacum. Audio etiam in silua *Aigremont* prouenire. Eandem obseruaui in horto Gesneri & Ioh. Funckii florentem Septembri. In hortis quidem mutatur nonnihil hæc Oenanthe, sed non tantùm ut Pastinacam foliolis sub muscariis imitetur, vt exprimitur à Matth. Montbelgardi habeo in horto Ill. E. C. perennem, florentem Iunio, Iulio & Augusto. Martio mense autem obseruaui veteres radices putrescere, & nouas producere. Hanc etiam in Italia spontè nascentem, in horto D. Cortusi vidi. Prouenire tandē scripsit Camerarius in collibus & locis à Sole illustratis.

Vires Creditur iisdem esse viribus, quibus Filipendulam pollère diximus.

OENANTHE STAPHYLINI FOLIO aliquatenus accedens.

CAP. LXXXIII.



Descr. **F***olia* huius inferiora ad infima folia Oenanthes Monspeliulanæ accedunt, nisi tenuiùs essent dissecta: *pediculus* est plusquam spithamæus, cui æquales ex aduerso sitæ alligantur alæ in *folia* Petroselini subdiuisa, delicatiora vtcunque, & incisurâ concinniore, ad Staphylinum quodammodò accedente: reliqua *folia* ad caulium alas enata Peucedani foliis proxima, id quod etiam in Mōspessula Oenanthe obseruamus, cuius etiam cauli similis est, & huius caulis pulchrè striatus: alludit quoque *vmbella* densissimis muscariis albicantibus stipata.

An Oenanthe secunda Matth. An est Matthiolo in com. cum mag. fig. Lat. & Ital. Oenanthe secunda, quam ait à Cortuso missam, negátque legitimæ Oenanthes speciem. H. Lugd. p. 783. vocat Oenanthen Matthioli secundam.

An Tabern. in Icon. Filipendula tenuifolia, Rotter Steinbrech? An in hist. Filipendula secunda? Icon eius accedit ad Matthioli iconem, mutatâ tamen, prout apud eum consuetum, illâ nonnihil, an in meliùs ipse iudica: nobis non placent folia sub vmbellis.

Plantam à nobis descriptam vocat C. Bauh. phyt. Oenanthem tertiam, siue Pastinacæ syluestris folio, semine Atriplicis, itémque Oenanthes alteram speciem, qui nobis plantam ex horto Patauino attulit.

OENANTE SIVE FILIPENDVLA aquatica.

CAP. LXXXIV.

B*vlbilli* oliuares ex tenuibus pendent filis plures, quos nō nisi attentâ cautione euel-



las, abrumpũtur quippe facilè, sequentibus *caulem* duntaxat fibris: *caulis* cubiti & sesquicubiti altitudine, striatus, concauus, ramosus, geniculatus. *Folia* inferiora parciùs secta, reliqua longioribus & tenuioribus segmentis cæsa. Vmbellæ paruæ, albæ: *semen* oblongum in duas veluti cuspides desinit.

An est Matthioli in post.comm. cum mag. fig. Lat lib.3.cap.118.& Ital.cap.129. Oenanthe quarta quam in Compend. p.548. describit: nec saporem, nec odorem, nec colorem assignans.

Tabern. Tabern, omisit figuram Matthioli, & tantùm descriptionem ad iconem factam ponit pro Filipendula quarta.

C.Bauh. omissa Matthioli pictura, reponit Lobelii maiorem.

Lauer minus Dod. gall. *Iuncus odoratus aquatilis Lat. in fol.* Dod. gall. vocat Lauer minus, *Petite Berle*. Lat. in Hist. stirp.p.261.& in fol. 580 Iuncum odoratum aquatilem, facitque Sii speciem alteram. Quantùm autem ex Descriptione & icone licet coniicere, is in satiuo non obseruauit bulbos.

An Lob. in Adu.p.326. Filipendula Oenanthe non adeò dissimilis? In Obseru.p.421. picturam ex Dodonæo habet, hoc titulo: Oenanthe aquatica. In Icon. Plant.p.732.sub vno Oenanthes aquaticæ titulo duæ exhibentur figuræ: minor quæ in Obs.& alia maior postremò addita.

Oenanthe 4 Camer. Camer. not. eat. Camer. apud Matth. in Hist. germ.& Epit. vocat Oenanthen quartam, testaturque in paludibus nasci sponte sine tuberculis radicum, has verò in hortos translatam, aut in aridam deplantatam, sibi demùm adolescere. Is autem Matthioli figuram ponit nonnihil mutatam, ac aliam in eadem tabella iungit, minorem sc. Dodonæi sine tuberculis, locis aquaticis repertam.

An Hist. Lugd. duas habet figuras Sed & H Lugd.p.783.Oenanthen 4. Matthioli pingit, & fortè aliam ab ea non diuersa p.775. Bulbocastani fœminæ Dalechampii titulo. An autem Historia eandem quam nos per dictam Bulbocastani fœminam intelligat, adhuc afferere non audemus, multa licèt conueniant in descriptione.

Duæ plantæ Tabern. Filip. aquatica Tabern. in hist. dicitur Oenanthe 4.& Filipendula 4. Rotter Steinbrech sine icone. In Icon. Filipendula aquatica Wasser Steinbrech: Eadem hæc in Hist. Filipendula palustris prima Die erst wasser Filipendelwürtz & Saxifragia aquatica.

C.B. not. C. Bauh. phyt. & apud Matth. fecit Oenanthen quintam siue aquaticam, cognominatque Oenanthen quartam Matthioli H. Lugd.p.783.& Sium, siue Lauer minus Dodonæi sine icone.p. 1093. ac etiam Siser palustre p.724. dubitat præterea, an sit Petroselinum siluestre Cæsalpini. Cæterũ, in hortis adolescere, ex figura Matth. refert & folia terræ proxima Chærefolio similia acquirere. Nobis autem videtur Siser palustre Hist. Lugdunensis p.724. potiùs esse Oenanthe folio Apii, quæ loco palustri creuerit, ac diuersam ab Oenanthe 4. Matthioli, à qua etiam separauit Camerarius, cuius nullam videmus descriptionem ex Matthiolo in H. Lugdunensi, licèt id afferat in animad. C. Bauhinus. Quod verò ait in phyt. Bulbocastanum 3. siue radicibus multis simul iunctis, quæ est Bulbocastanum fœmina Dalechampii H. Lugdunensi, multùm cum Oenanthe aquatica conuenire, non improbamus, sed nec certò affirmamus.

Oenanthen aquaticam, vt pingitur à Dodonæo, Geneuæ in prato quodam copiosè inueni, ad fossas & riuulos. Repertam in pratis inter Bolweyler & werckthal plantaui in horto Ill. E. C. sed periit. Audio in palustribus Michelfeldensibus non longè à Basilea prouenire. Prouenit in Misnia (inquit Camer.) & aliis locis, circa palustria, radicibus omninò repentibus, si plantetur loco sicco omninò mutatur, & acquirit bulbulos in radice, quæ latè se spargit: si ramulus terrà operiatur, citò radicat. Iuncus odoratus aquatilis vterque Dodonæi æstiuis mensibus floret: Augusto semen, in hortis quidem, ad maturitatem peruenit. *Locus & tempus*

Cæterùm, Sium istud, authore Dodonæo, vt odore saporeque Sium refert, sic & viribus ac temperamento simile: calidum videlicet ac siccum, & vrinas ciens. Matthioli de viribus sententiam antè posuimus. Filipendulæ palustres [inquit Tabern. qui hoc nomine plantam de qua hîc agimus & sequentem, quam mox traditturi sumus, intelligit] sapore sunt amariusculo, cum leui adstrictione, calidæ & siccæ naturæ, aperientis & abstergentis facultatis. Mouent vrinam & arenulas, extrinsecus & intrinsecus vsurpatæ. Aperiunt obstructiones, expurgantque meatus vrinarios. *Vires & Temper.* *Aperit obstructiões.*

OENANTHE, SIVE FILIPENDVLA FOlio Rutæ.

CAP. LXXXV.


Descr. Radicem habet è multis fibris compositam ab uno capite prodeuntibus: *caules* Oenanthes aquaticæ: *folia* ab imo ad summum vsque Rutæ similia, inferiora tamen breuiora & minora, aliàs in duas aut tres partes diuisa, superiora longiora, bina semper opposita, quorum quædam non duabus aut tribus incisuris serrata conspiciuntur, *flores* in corona albidos, non aliter visu, ac si quælibet corona, flos unicus esset. Nascitur in paludosis, locisque inundantibus. Sapor illi amariusculus cum aliqua adstrictione.

Filip. palustris Ruta aquatica Tabern. huius Historiæ author, vocat in Icô. Filipendulam palustrem (secundam addit in Hist.) & Rutam palustrem, siue aquaticam, Wasser Filipendelwurtz / & Wasserrautẽ. Suspicamur nos ab Oenanthe aquatica, hanc non diuersam, sed varietatem duntaxat, minùs benè pictam. Lectores diligentiùs rem considerent.

OENANTHE MYCONI.
CAP. LXXXVI.

Perdoctus bonus Myconus Medicus Barcelonensis tot Oenanthes generum numerum

Descr.



merum quoque auxit, aliâ hac ex Hispania missâ, cuius nec nomen nec usus ante ipsum innotuit.

Hęc in montibus & petrosis nata, *folia* prope radicê per terram spargit, minuta, incisa, lęnia, quadantenus Hederæ modo, multò tamen minora, vt foliorũ hic pictorum magnitudinẽ vix excedant, inter se coniuncta & congesta, atque ideò Coriandri foliis aut Pastinacæ similia, è lõgis pediculis pẽdentia, *caule* enatis cubitali, ab imo rubescente, paucis geniculis cincto, tereti, lęui, ferè striato, & aliquantulũ cano. *Radices* subsunt multæ, ut in Asphodelo, septem aut octo, quandoque pauciores, coniunctæ, crassę, foris luteæ, intus candicantes, ex quarum extremis radiculæ tenues, & longæ producuntur. In summo caule *flores* velut in umbella pendent, candidi, ex quinque foliolis constantes, in medio muscosi, quibus pereuntibus in vasculis seu siliquis *semen* maturescit, foliorum & caulis sapor subdulcis, vt & radicum cum leui quadam adstrictione, corticis verò earum amarus.

Synon. Ab H. Lugd. p. 785. (vbi hæc descriptio legitur) inscribitur Oenanthe Myconi. A C. Bauh. phyt. Oenanthe 6. siue Hederę foliis iunctis.

OENANTHE SVCCO VIROSO, CICVTÆ facie Lobelio.

CAP. LXXXVII.

Locus.

Descr.



NOn admodum nota nisi Borealibus præsertim Angliæ erumpit riuulis, lutulentisque & riguis, vbi Paludapiũ, cui foliis non absimilis, vel Rutæ pratensi similior, multo pullulatu, virore tetro, colore & facie Cicutæ. *Caules* bicubitales spargit, è *radice* in pares Asphodeli albi bulbos multipartita, & quasi brachiata, nullius fibræ vinculo, aut interuentu (secus Matthioli) continuos, teneros, gustu acres & ingratos, succo lacteo primùm, deinde flauescente, viroso, & exulcerante prægnantes: *umbella* Cicutæ, cui affinem autumant, qui maleficio parem expertos se asserunt. Vsos namque in acetariis nihil factum fuisse propiùs, quàm vt interirent, aiunt: alios, qui esitassent, vertigine tenebricosâ palantes, nutantes, attonitos, inque gyrum versantes se vidisse. Et certè tam non est Oenanthe quàm ab ea distat Ruta pratensis, aut Cicuta. Et hæc Lobelius, qui vocat Oenanthen Cicutæ facie succó viroso crocante, (croceo in Icon. Plant. p. 730.) In Obs. 420. Oenanthen Cicutæ facie, eandem facit cum Olsenichio Cordi. An autem hæc, sit Oenanthe tertia Matthioli, vt videtur innuere Lobelius in descriptione sua, vt etiam asserit C. Bauhinus, nescimus. Olsenichium Cordi negamus, est enim Olsenichium idem cum Apio siluestri Dodonæi.

Vmbella Cicutæ

Olsenichium Cordi Lobel notatur

H. Lugd. p. 785. dicitur Oenanthe alia Penæ Cicutæ facie. Camer. apud Matth. germ. Oenanthe Penæ venenatis radicibus.

C. Bauh. phyt. & apud Matth. Oenanthe quarta [& non quartum] siue Chærephylli foliis, tertia Matthioli H. Lugdunensi, eidemque Oenanthe alia Penæ: Filipendulæ altera species Gesn. hort. Filipendula 3. & Oenanthe selinophyllos Tabernæmontani. Verùm si Matthiolus per suam Oenanthen tertiam, & Tabern. per suam Oenanthen selynophyllon, intelligunt eandem, quam C. Bauhinus Oenanthen Lobelii Cicutæ facie, insignis & periculosus erit Matthioli & Tabern. error, vt qui statuant salubrem esse plantam, quam tamen Lobelius venenatam dixit. C. Bauh. pro Oenanthe 3. Matthioli, posuit iconem præsentem Lobelii; an bene aliorum esto iudicium.

C. B. lapsus

CRITHMVM ET BATIS VETERIBUS.

CAP. LXXXVIII.

CRithmon, seu vt alii Critamon [κρίταμον vet. non leg.] herba est fruticosa (θαμνῶδες ἐςὶ δενδρίσκον) vndique foliosa, cubitali ferè altitudine, nascens in petrosis & maritimis locis. *Foliis* referta pinguibus [λιπαροῖς] & subalbicantibus; Portulacæ [τῆς ἀνδράχνης] foliis similibus, latioribus (πλατυτέροις, vet. cod. παχυτέροις, crassioribus Lac. ex Plinio suspicitur Anguill. superfluum vocabulum) tamen, & longioribus, & in gustu salsuginosis. *Flores* habet albos. Fructum veluti Libanotidis, mollem, odoratum rotundum, qui siccatus disparatur (dehiscit Sarrac. rumpitur Plin.) & *semen* intus velut Triticum (veteres & recentes Diosc. interpretes, ὡς πυρὸν legunt: conuerterunt enim, vt Triticum, Tritici modo & figura. Plinius tamen & πυρῶδες videtur legisse, reddidit enim semen feruens. Et si quis πυῤῥὸν legat, vt ferè Græca exemplaria habent, & fuluum semen accipiat, etiam sic ad Tritici semen similitudo aliqua fuerit, Corn.) habens. *Radices* autem crassitudine digitali, tres aut quatuor, odoratas, iucundas. Semen & radix & folia in vino cocta & pota auxiliari possunt vrinæ difficultati & morbo regio. Mouent etiam menses. Editur oleris modo coctum. Conditum quoque in muria seruatur.

Dioscor. illustratur.

Vires

Crethmi descriptio & pictura clarissima est apud Plinium lib. 26. cap. 8. Eadem vis [dolores vesicæ sedandi] Crethmo ab Hippocrate admo-

dum laudata [de nat. mul. item de morb. mul. ac etiã lib. 2. de d.ęta, vbi corruptè pro κρήθμον, κρίμνα legitur. Corn.] Est autem inter eas quæ eduntur syluestrium herbarum. Hanc certè apud Callimachum apponit rustica illa Hecale, speciesque (eius, addit vet.) est Batis hortensis. Caulis vnus palmum altus, semen feruens, odoratum, ceu Libanotidis, rotundum, siccatum rumpitur: habet intus nucleum candidum, quem aliqui cachryn vocant. Folia pinguia albicant veluti Oliuæ, crassiora & salso gustu. Radices digiti crassitudine tres aut quatuor. Nascitur in maritimis petrosis. Estur crudum, coctumue cum olere, odorati saporis & iucundi. Seruatur etiam in muria, præcipui vsus ad stranguriam, folio vel caule, aut radice ex vino. Colorem quoque corporis gratiorem facit, verùm largior inflationes. Aluum soluit decocto, vrinamque, & à renibus humorem trahit. Meminit idem Crethmi, quem Agrion i.e. siluestrem vocat, eiusdem libri capite decimo. Et rursus eiusdem libri cap. 15. dicens: Acoron vtile est interioribus fœminarum morbis, & Conyza vtraque, & Crethmos. Item lib. 25. cap. 13. ait, Crethmos agrios gramias [gremias C.H.. gramias Corn. τὰς λήμας, glamas Festus vocat] oculorum tollit impositus, tumorem quoque polentâ additâ. His itaque locis de Crethino marino loqui videtur, de quo etiam Diosc. egit. Sed idem Batim appellat, quæ est satiua Crethmus: quanquam & marinam & hortensiam Batim coniungat lib. 21. cap. 15.

Batis Crethm. satiua

Conditura ex Columella.

Columella lib. 12. cap. 7. de condienda Bati loquitur, & conditurae modum cap. 13. eiusdem libri docet his verbis. Sunt etiam quædam herbæ, quas appropinquante vindemia condire possis, vt Portulaca, & Olus chordum, quod quidam satiuã Batim vocat. Hæ herbæ diligēter purgantur, & sub vmbra expanduntur. Deinde quarto die sal in fundis fideliarũ substernitur, & separatim vnaquæq; earũ cõponitur, acetoque infuso iterum sal superponitur. Nam his herbis muria non conuenit.

Olus chordum

Ex his itaque colligitur, vt ait Cornarius, Crethmum esse eam quam officinæ quædam Cretham marinam, quædam Crethanum, velut etiam vulgus Italicum, appellant, & quam Ligures Baticulam vocant, diminutiua à Bati voce. Sunt quoque qui affirmant, sale & aceto conditam in Gallias deferri. Imo etiam translatam istic ab olitoribus ad quotidianos vsus seri, & ab ipsis Bacillam vocari: quanquam etiam Fœniculum marinum aliqui appellent.

Baticula

Bacilla Fænic. marinum

Dorsthen.

Dorsthenio Meerdistel Germanicè dicitur, in quo eius apparet imperitia, siquidem herba hæc vmbellifera nihil cum Carduis habet commune.

Galenus 7. simpl. de Crethmo ait. Est quodammodò salsuginosum gustantibus, verũ cum modica amaritudine. Quare etiam vim habet extergendi, simulque siccandi. Verùm in vtraque debilius est, quàm sunt amara.

Hippocrates lib. 2. de Diæta, Crethmi succum, inter eos, qui vrinam cient recenset. Exemplaria tamen græca κρήμνον vocem corruptè pro κρήθμον habent. Idem etiam aliàs Crethmum maximè Æthiopicum probat.

Cæterùm, Crithmi nomine hæ plantæ donatæ sunt. Crithmum siue Fœniculum marinum. Crithmum tertium Matthioli flore luteo. Crithmum quartum Matthioli vmbelliferum. Illegitimus ille Matthioli Tragus, Pena authore, Crithmi salicornii seu Kali congener est. De Trago Matthioli agetur H. hac g. lib. 35. Portulacam

Tragus Matthioli Portulaca marina

marinam, de qua diximus H. g. lib. 8. Crithmi Dioscoridis descriptioni meliùs congruere, quàm Fœniculum marinum, contendit Lobelius. Pastinaca marina, quibusdam Secacul, & Crithmum spinosum.

CRITHMVM MVLTIS, SIVE FOENICVlum marinum.

CAP. LXXXIX.



Descr.

SVcculenta admodum est herba, in latum diffusa, pedem circiter alta: *folia* latiora & breuiora, quàm Fœniculi, crassa, nec tam crebrò incisa, atro-virentia, sapore subsalso: *caulis* Fœniculi striatus, porracei viroris, vmbellæ luteæ.

Crithmũ Diosc. qui asserant.

Trago quoque referente, non desunt qui Fœniculũ hoc marinum, Discoridis Crithũ, seu Crithamon, quod & Batin vocat, esse putant. Inter hos est Cordus, Corn. Dorsthen. Matth. Anguill. Cast. Dod. H. Lugd. Cæsalp. Tabern. C. Bauh. & alii. *Negant* hoc Lob. itemque Tragus, cui videtur Batis hortensiana Plinii, genus esse Portulacæ verum, hodiè incognitum, illud nimirum, quod Olus chordum vocauit Columella.

Qui negant.

Coniectura mera est [inquit Marantha, qui in hoc contra P. Collinutium Matthiolo assentitur:] cùm nescio quis vult Empetron herbam, illam esse, quæ Fœniculus marinus vulgò appellatur, quam eandem herbam, S. Petri vulgus appellat, quasi corruptè Empetrum, in Sampetrum sit mutatum: non aduertens, nihil cæteris notis conuenire: neque enim deiiciendi vim habere: sed omnium consensu Crithmum esse. Totam porrò descriptionem Crithmi Dioscoridis, (dempto tamen vnico vocabulo, respondere plantę S. Petri, eidem tamen vocabulum πλατυτέρων ex Plinio superfluum videtur. Quin & Apollo hanc vocem Dioscoridi accreu ise suspicatur. Sed & auctor H. Lugdunensis Dioscor. dis veterem codicem Portulacæ foliis, non latioribus (πλατυτέροις, sed crassioribus (παχυτέροις) habere testatur, hancque lectionem maximè conuenire Fœniculo marino.

Lobelius contra in Aduers. negat hanc esse Crithmum, asseritque Portulacam marinam Crithmo meliùs congruere quàm Fœniculum marinum, quod neutiquam Portulacæ facie sit, vt Dioscoridi placeat.

Lobelii rationem refellit Cæsalpinus, qui dicit: Baticula vulgò appellatur, & corrupto magis vocabulo *Bacicco*, quæ latinè Batis dicitur, herbula fruticola in scopulis, quæ & seritur

ritur in ædificiis, oleris gratia. Dioscorides cùm herbulam vocat foliis Portulacæ, innuit nostram Baticulam [Crithmum multis siue Fœniculum marinum dictam] quasi paruam Batim: cùm verò cubitalem altitudinem tribuit, alterum genus [Crithmum, siue Fœniculum marinum grandius cui succus lacteus] significare videtur grandius. Plinius utrumque distinguit, tradens Batim hortensem diuersam à crithmo, quam Crethmon agrion vocat, i. e. siluestre. Nec plura de hac stirpe apud authores leguntur, præterquam quòd Rondeletius Empetrum Dioscoridis esse crediderit. Et licèt eandem vim & facultatem ferè cum Empetro Dioscoridis habere dicat Tabernamontanus, indeque Empetrum marinum cognominat, ad Empetri Dioscoridis differentiam, non tamen verum Empetrum constituit, ut suo loco fusiùs indicabitur, sed verum Crithmum Dioscoridis [quod huic κρῆθμον & κρίθμον, Galeno autem κρίθμος & κρῆθμος appellatur; Latinis verò Crithmus, Crithmum, Crethmum, & Crithamũ,] cum multis aliis asseruit.

Empetrũ Dioscoridis Rondeletio.

Emper. marinum.

Crithmũ Diosc.

Synon.

Crithmum dicitur Matthiolo. Dod. gall. Dorsth. Cordo & Corn. in Diosc. Lac. Anguill. Cast. & Tabern. in Icon. ubi & Fœniculum marinum. Crethamum marinum Cordo in Hist. cui & Crethmum Veterum. Crithmum marinum Dod. in fol. latino. Crithmus, Batis, Batis hortensiana Plinii, Crithmus marinus Coldebergii Gesn. de hortis: Item in Append. Crithmus vulgò Creta & Salsa marina. H. Lugd. p. 768. Crithmum Matthioli & Batis Plinii. Camer. Crithmum vulgo. C. Bauh. apud Matth. Crithmum 1. seu Fœniculum marinum & Batis hortensis Plinii. Phyt. Crithmum 2. seu Fœniculum marinum alterum. Lob. in Obs. p. 213. Icon. Plant. p. 392. Fœniculum marinum Empetrum & Calcifraga. Baticula, quasi parua Batis vulgò Cæsalpino, Creta marina Lonicero.

Cæterùm, esse scribit Tabernamontanus, qui Petroselinum marinum, Herbam D. Petri, Crethamum marinum, Sampetram, Batim marinam, Calcifragam marinam, Saxifragiam marinam, & Vnguem aquilæ vocent: Petrum verò Crescentium Rincum marinum: Arabes Ierain, Alhulaic: Germ. Meerfenchel / Meerbacillen & Meer Petterlin: Belg. & Brabant. Zeewenkel Zeepeterselie: Gallos *Bacilles, Sainct pierre, Fenouil marin, Cresle marin.* Ital. *Fenocchio marino, Herba di sant Pietro, Crithmo, Crithamo & Crethmo*: Hispan. *Perexil de la mar; Hinoio marino, Fenol mari, Funcho marinho, & Vnhas de agnula yerua* h. e. Vnguis aquilæ herba: Angl. Sampere / & Persibes pter: Boh. Stracyn̄o Jcka.

Nomina lingua.

Locus & Tempus.

Nascitur maritimis saxosisque locis, in lapidum rimis, ac commissuris, plurimumque maritimis Liburniæ partibus, ac non modò in omnibus Tyrrheni promontoriis, scopulis ac rupibus, præsertim Argentario monte in maritimis Senensibus, & vniuerso circum Italiam littore: sed etiam in Adriatico sinu, vbi scopulosa loca: quemadmodum Matthiolo contigit videre eo tractu, per quem à Timauo fonte Tergestum nauigatur: namque inibi illa scopulosa littora Crithmo referta sunt. Romæ & in vniuersa ferè Hetruria, ac aliis quàm plurimis Italiæ locis, à maritimis in hortos, ac viridaria transfertur. Vidi Patauii in hortis: Basileæ in horto Cælii florens & semina ferens nondum matura mense Nouembri: Lugduni in hortis: Monspelii & Bisantii, unde accersitum habemus Montbelgardi in horto, in quo repositum optimè conseruatur, copiosè florens, semen autem non maturans.

Qui Crithmum Veterum nobiscum statuunt, ii legant quæ antè circa vires & usum ex iis in medium attulimus. Narrat Amatus Romanum quendam meracioris vini potui indulgentem cum Crethami, i. e. Fœniculi aut Petroselini marini dicti, muria conditi, largiore victu usus esset, in diabetem lapsum fuisse, sed adhibitis remediis intra duodecim dies sanitati restitutum fuisse. In Rhætorum Veldinia aceto conditum aliquando comedi, valde sapidum, non tamen me purgauit, vnde non abs re Empetrum esse nego. In muria autem cõditum quandoque in Belgium inferri solitum scripsit Dodonæus, quod coctum, velut Cappares cum oleo & aceto edatur. Gratum quidem admodum ciborum condimentum esse: ventriculo bene facere: iocinori, lieni, renibus, ac vesicæ prodesse: vrinam moderatè prouocare: viscera ab obstructionibus expedire: appetentiamque ciborum excitare.

Vires & vsus.

Non purgat.

CRITHMVM SIVE FOENICVLVM MArinum grandius, cui succus luteus.

Baticulæ hoc alterum genus ex Sicilia habetur grandius: *foliis* tenuiùs incisis, odore Apii, sed sapore Baticulæ: *caules* fert cubitales in Autumno, ex lignosis ramis, in terra procumbentibus, crassis, *umbellis* candidis: *seminibus* iam dicto candidioribus, modicè oblongis, striatis, odoratis, & gustu feruentibus: è caulibus recentibus incisis, lacteo succo manans, in lachrymam subrufam concrescente: *radicibus*, vt prius ramosis & candicantibus.

Locus Descr.

Baticulæ alterum hoc genus, inquit Cæsalp. descriptionis author, per Crithmum cubitali altitudine intelligere videtur Dioscorides: Plinius vocat Crethmon agrion, Crethmon Hippocratis, & speciem Batis hortensis. C. Bauh. phyt. Crithmum 3. seu Fœniculum marinum maius, odore Apii.

Synon.

Efficacius est minore (priore) in mouendo vrinam: nam renes & vesicam miro modo purgat.

Vires & vsus.

CRITHMVM QVARTVM MATTHIOLI vmbelliferum.

CAP. XC.

Odiosum reptatu *radicum* est: sunt enim ea longissimæ, & vel minimâ fibrâ relictâ rediuiuæ, satis crassæ, albæ, Eryngii & gustu & similitudine: *folia* in quatuor, tria, plura, pauciorave segmenta oblonga diuiduntur, semunciali latitudine, aut ampliore, longa, circumquaque serrata, sapore cum radicibus communi: *caulis* fœniculaceus, striatus, farctus, nodosus, valdè ramosus: *umbella* satis magnæ minimis contextæ sunt flosculis, colore albido: *semen* gracile, sublongum, quod aiunt acre & odoratum.

Descr.

Tragus Crithmum hoc ad Triticum vaccinum refert, & tertio loco sub Crithami agrestis titulo describit, vocatque Germanicè Sichel Moren & Sichel kraut / quibus etiam nominibus Cordus in Dispens. vocauit

Crith. 4. Matth. Camer. notatur



Matth. in comm. cum mag. fig. Itemque in Epit. & Hist. germ. cum addit. Camerarius (vbi hic, nescio cur, Crithamum montanum vocat) Crithmum quartum fecit ac terrestre cognominauit. Crithmum autem hoc quartum Matthioli, Camerarius in Horto Sischelkraut à figura dixit, videturque ipsi *κρηθμίτις* illa Tralliani diuretica. Sed cùm Betonicæ Musæ dicatur Brionitis hæc fortè etiam Tralliani fuerit.

Tabern. in Icon. p. 101. huius iconem exhibet sub falso Crithmi Chrysanthemi titulo: itemque sub alieno in Hist. Crithmi sc. quarti, quod spinosum & Pastinacam marinam cognominat. Quare hæc nomina plantę, de qua hîc agitur, non conueniunt. Propria verò penitùs omisit in iconibus, quę in Historia, sub quinti Crithmi (cuius figuram pro quarto exhibuit) nomine dedit. Qualia sunt Crethanus aruensis Crithmus aruensis, Crithamus terrestris, & Falcaria herba. Ital. *Crithamo terrestre.* Germ. Sichelkraut / Sichel Möhren / Acker Bacillen & feldbacillen. Qualiter, ait, à Veteribus fuerit appellatum, nemini constat.

Falcaria herba Veterib. indicta

Lob. notatur

Lobelius in Adu. p. 168. Crithmum hoc 4. Matthioli nihil similitudinis habere dicit cum Crithmo Veterum, sed idem, meo quidem iudicio, malè Eryngium appellat, licèt & Dodonęus in folio Eryngiis adscribat, & quartum inter spuria constituat, odore & sapore fretus, quo non Crithmum sed Eryngium referre ait.

Locus & tempus

Crithmum Montbelg. in agris mense Iulio, Iunio, & Augusto, in Alsatia abundat, translatum in hortum Ill. E. C. suo reptatu ingenti redditum est valde odiosum, quamuis crassam habeat radicem. Circa Basileam intra D. Ioannis portam, & pagum Hünnigen prouenit in agris ad sepes. Nascitur in Bohem. copiosè, præsertim in agro Pragensi, non solùm inter segetes, sed in agrorum marginibus & secus vias. Copiosè prouenit etiam in Flandriæ sabulosis secus Blanquebergam Brugarum, referente Lobelio.

Vires

Aperit, digerit, excalfacit, siccat, & mediocriter incidit authore Matthiolo.

PASTINACA MARINA, QVIBVSDAM Secacul & Crithmum spinosum.

CAP. XCI.

Descr.

PAstinacæ marinæ herbæ *radix* crassa, tenera, alba, gustui gratissima, dulcis, & rugosa, vt Pastinacæ satiuæ Germanicæ latifoliæ: *folia* crassa, duos ferè palmos longa, spinosa, crebris diuisuris incisa, sapore acromatico cum quadā fastugi-



ne: *caulis* cubitalis, in multos diuisus ramos, quibus insidēt *vmbellæ* spinosæ *floribus* paruis albis donatæ.

Synon.

Plantā hoc capite à nobis pictam & descriptam, Pastinacam marinam Monspelienses dixēre, quidam Hippophaen Dioscoridis, cuius historiæ respondere videtur Dalechampio, diligentiùs tamen id disquirendum relinquit, alii Tribulum marinum.

Hippophaes Diosc.

Trib. marinus

Crithmum 2. Matth.

Matth. in comm. cum mag. fig. itemque Hist. germ. & Epit. cum addit. Camerarii (qui apposuit figuram ex Gesnerianis & mea planta, ni fallor cum pilis,) inscribit Crithmum secundum seu spinosum, à Cortuso missum.

Pastin. marina Lobelio

Lobelius vexat Matthiolum, ac de hac Pastinaca marina ait. Et sciunt exercitati, secundum Crithmum Commētatoris planè Pastinacæ aut Eringii gustum odoremque præ se ferre, vnde Arabum Secacul opinionem fecit, vulgus Pastinacam marinam vocat. Vtrumque littus superi inferique maris Italici hâc planta scatet, ne non putet Senensis se munus leuidense à Cortusiana Magnificentia accepisse, quod pueriliter solitus est iactare, & inculcare putidiuscula infantia. Hæc ille, qui immeritò Matthiolum taxat. Numquid ingenuum est fateri, per quos profecerimus? Tacuisset Matthiolus si Lobelii supercilio cōtectus fuisset, qui plures Historias clàm excerpsit, & ex autoribus descripsit. Lob. in Obs. p. 408. Ic. Pl. p. 710. Pastinacam marinam dixit, quam antè Dodonæus Chrithmum spinosum inscripsit, ac pro Crithmo 2. Pastinacæ albæ sapore & figurâ descripsit.

Matthiolus à nequitia Lobelii vindicatur.

H. Lugd.

Duas figuras & descriptiones vnius plantæ habet H. Lugdunensis. Eius enim Tribulus marinus p. 1367. & Pastinaca marina Penæ & Lobelii, ac Crithmum secundum Matthioli p. 1396. idem est.

Crith. spinosum Tabern.

Tabern. in Icon. vocat Crithmum spinosum & Pastinacam marinam. In Hist. pro Crithmo 3. pingit, ac pro quarto describit, ac dicit vocari Pastinacam marinam à dulci & grato sapore Pastinacæ, ob quem etiam in cibis usurpetur.

Secacul.

Anguill. epist. 5. dicitur Secacul: Apollini Rad. 1. supra diasatyrion, Secacul legitimum. Coldenbergius in Disp. Cordi, si genuinum Secacul non fuerit, in eius locum tamen commodè substitui posse arbitratur.

Monspelii obseruaui ad mare florentem Augusto mense, & Vere prorumpentem: Venetiis ad littus maris: Lugduni habui in horto, accersitum Monspelio. Iisdem prouenire locis in maris litoribus, in quibus Crithmum marinum Matthiolus prodidit.

Locus & tempus.

Eodem autore ea omnia præstare potest, quæ 1. Crithmi genus, nisi quòd vim aliquam incisiuam habere

habere videtur. In Narbonensi Prouincia radices erutas plebecula esitat.

SESELI ÆTHIOPICVM FRVTICOSVM, folio Periclymeni.

Cap. XCII.



Descr. Ramis aliquot cubitalibus, & altioribus fruticat, rigidis, lignosis, nigricante cortice intectis, in multos ramulos diductis, *folia* per ramos sublonga Periclymeni, angustiora, leuiter acuminata, breuiora quàm Laureola glabra, sapore & odore Iuglãdis, sed multò mitiore gratioréq; *umbellæ* pulchræ, fœniculaceæ: *semen* delapsis flauescentibus *floribus* gerũt oblõgũ, canaliculatũ, magnitudine seminum Fœniculi. An Tragiũ Creticum Cordi in Obs. Sylu.

Seseli Æthiopicum 2. Matth. Matth. in post. comm. cum mag. fig. solam dat iconem Seseleos Æthiopici secundi inscriptione. Nec existimarim repertam iri plantam, quæ descriptioni Dioscoridis meliùs illâ conueniat. Camerarium dixerim in Hist. germ. Matth. & Horto nostram plantam exhibere pro Seseli Æthiopico vero: in Epit. pro Seseli Æthiopico: Et sic etiam *Seseli Æth. verum.* vocant Castor, Lob. in Icon. Plant. p. 634. Tabern. in Icon. & H st. Anguill. epist. 12. & Dod. gall. qui præterea nominat Ægyptiorum *κύνος φρίκην*, h.e. Cyonum phrycen, sine icone. Latinus in fol. addit figuram, cui Seseleos Æthiopici fruticis titulũ apposuit, interpretatúsque est *κύνος* *Canis horror.* *φρίκην*, canis horrorem.

H. Lugd. p. 750. Seseli Æthiopicum verum. C. Bauh. apud Matth. Seseli 4. in Phyt. Seseli 5. siue Æthiopicum Herbariorum.

Locus. De Seseli Æthiopico differit Lobel. in Aduers. Matthiolum increpans his verbis. E Galloprouincia Massiliæ, circum atque prope Ceti montem, orâ Narbonensis maris, non procul Monspelio, nonnulli studiosi stirpem hanc deferendam curarunt Lutetiam, Antuerpiam, adeoque in Italiam, ubi nondum innotuerat vel doctis: *Matthiolum increpat Lobel.* Quin ne nunc quidem notam esse Senensi Commentatori, in postremis Imaginum recusis & mutatis sententiis, magnâ iniuriâ factâ Pharmacopœorum plebi, Medicisque ignauis: Et sanè multò maiore suæ dignitatis detrimento, id contigisse magis dolendum, quàm ridendum moderatis ingeniis. Qui norint non vulgari moderatione & certâ prudentiâ illum quâ tùm licuit lapsibus vno loco tam multis occurrere conatũ: cùm enim per opinionem tum fiduciæ, tum etiam emunctæ cognitionis, quam illis de se iam dudum excitarat, licuisset illi (si libuisset) non solùm picturis mendosis, sed etiam verbis subdolis persuadere, picturis tamen contentus fuit, & silentio suæ dignitati consuluit. Si quâ tamen usus est vafriculâ inuersiunculâ, est illa leuis ferenda: non enim nouerat aptiores: aut si norat, se tantopere deceptum fateri, eius dignitatis non erat. Igitur quas potuit, dono puta emendicatas, ideò nec recens animaduersas, aut descriptas, in paginas congessit, perperam quidem binas [diuersæ penitus formæ pro Æthiopico seseli] censitas, sed tamen earum unam fermè correctam istam, quæ est Seseli Æthiopicum verum: cuius effigiem mutuatus fuit à Dodonæo Medico multùm exercitato. Quod Seseli, si ut pictum in Dodonæo, ita viuum in agro vidisset Commentator, lubens & volens suffecisset, in locum illius plantæ, cui videtur postposuisse: est enim illa non frutex, sed herba, quam Recẽtiores Libanotidem Theophrasti prodiderunt, viribus & figurâ aliena, ab hoc Æthiopico, quem fruticem, adeoque magnum, Dioscoridis correctior codex statuit esse.

Locus & tempus Hunc fruticem vidi apud Clariss. Virum D. Cortusum, virentem mense Ianuario, qui etiam misit semina, quæ Montbelgardi sata prouenere, plantásque produxêre Hiemem perferentes, Iulio ac Augusto cum floribus ac seminibus in vigore existentes. Sed & Dodonæus hoc statu & eodem tempore, in saxosis, & maritimis, haud procul Massilia, tum & aliis Narbonensis Galliæ locis reperiri prodidit: Lobelius præterea etiam ad Ceti montis celsi radices, quà in lacum vergit, uberi prouentu fruticare scripsit. Bellonius author est semper virere, sponte nascens quibusdam locis apud Orgon & Salonem petræam.

Vires. Idẽ eximiarũ viriũ huius semen esse dixit, eiusq; copiâ se misisse Venetis & Lugdunensibus ad Theriacam, quòd scilicet, vti Dioscorides innuit Massiliensi Seseli multò odoratius sit & efficacius.

PERFOLIATA IN GENERE.

CAP. XCIII.

DE herba Perfoliata dicta, vt hoc capite verba faciamus, requirit ordo noster Botanicus. Siquidem & hanc ipsam vmbelliferam non nulli Seseli Æthiopicũ esse censent: Alii tamen *Seseli Æthiopicum an Caucalia ambigitur* ân Ca alia sit ambigunt: Nonnulli tandem, ni radix obstaret, Cotyledonem esse pronunciarent. Nostro autem iudicio, tam Dioscoridi, quàm aliis veteribus indicta est. Perfoliatam ex eo recentiores appellant, quòd caulis eius singula folia pertranseat, penetret, atque dissecet. *Nomina ling.* *Διάφυλλον* græcè dicitur Schvvenckf. quod nomẽ an aliquis ante ipsũ legerit, nos latet. Germani vocant durchwax/ Stopfloch & Bruchwurtz itemque Nabelkraut / quòd singulari vsus sit ad vmbilici rupturam, ac etiam genitalium membrorum. Quare autem Tragus concedat posse dici Löffelkraut, non video. Belgæ nominant Duerwas: Galli *Percefeuille*: Ital. *Perfogliata*: Angli Thorow Waxe: Boh. Pupkowa bylina.

Æquiuoca Perfoliatæ nomine sequentes donauimus plantas. Perfoliata simpliciter dicta, vulgaris, annua. Perfoliata crispa seu muscosa. Perfoliata annua longioribus foliis. Perfoliata alpina magna longifolia. Perfoliata minor foliis gra-

mineis. Et de his quidem ordine dicemus. Addit Perfoliatam rubram Gesnerus, aliis Vaccariam dictam, de qua H.n.lib.29. Itemque de Perfoliata lutea. Perfoliata siliquosa, cuius & alterum genus purpureum, tradita est H.n.g.lib.21. Perfoliata 3. C.Bauh. phyt. est Smyrnium perfoliatum.

PERFOLIATA SIMPLICITER DICTA vulgaris annua.



Descr. POllicari ferè crassitudine *radicem* habet vnicam, albam, paucis fibris capillatam, sapore Rapunculi, huius *caulis* cubitum & sesquicubitū altus, aut maior, læuis, teres, striatus, geniculatus, concauus, in multas alas diuisus odore nonnihil aromatico nares cùm discinditur tumpi... feriés: *folia*, quæ singulis singula apposita, ex rotundo sublonga, glauca, Dodon. dilutè virentia, læuia, glabra, transadigit caulis vel ramus, à quo ceu centro vndique in circumferentiam folii excurrunt obliqui, arcuati neruuli, sapore oleraceo, sed feruidiore: extremi ramuli in pediculos aliquot fatiscunt: *folia* tria, quatuor, aut quinque acuminata parua sustinentes, inter quæ emicant *flosculi* pusilli vmbellati, suis singulis pediculis innixi, colore luteo, vel subluteo Dod. Alchimillæ: *semen* iis succedit oblongum, altera parte acutius, pullum: [Dod. subnigricans] maius quàm Pulegii. Et hæc est illa perfoliata, cui primò & magis propriè paulò antè recitata linguarum nomina conueniunt, itemque vires de quibus mox infrà dicemus, licèt & aliis quoque attribui possint.

Synon. Perfoliata dicitur Brunfelsio apud quem non suâ effigie picta est. Cordo in Hist. Apollinari, Dod.lat.in fol. Gesn.hort. Cast. Lonic. H. Lugd. Tabern. Schvvenckf. & Matthiolo, cui hanc in mentem redegit planta, quam Personatam vocant. Egregia mehercle Matth. combinatio, qui non inuenit commodiorem locum introducendæ Perfoliatæ, licèt sit interpres Dioscoridis: is tamen satis laudabilem figuram habet: patrocinator verò deteriorē: sed & nostram sanè, quæ Fuchsiana, meliorem optarim.

Matth. repreh.

Icone

Fuchs. inscribit Perfoliatum, & Dod.gall. Perfoliatam maiorem & minorem Camer. hort. Perfoliatam veram Thal. Perfoliatum vulgatius flore luteo, folio vmbilicato Lob.in Obs.p.21.& in Icon.Plant.p.396. Cacaliam Lacuna.

Cacalia Lacuna C.Bauh.

C.Bauh. Perfoliatam 1. siue vulgarem qui apud Matthiolum iactat se in Phyt. septem assignasse Perfoliatas. Sed quod annotare oportebat, Perfoliata eius tertia, nihil aliud est, quàm Smyrnium perfoliatum. Quartam etiam & quintam eandem credimus, &c. Perfoliatam Alpinam magnam longifoliā, ita vt ipsi tantū n quinque nobiscum veræ & genuinæ superstites maneant Perfoliatæ.

Trag. notatur. Malè Tragus pro Cotyledone primo Dioscoridis aut vmbilico Veneris exhibet Perfoliatam. Nec placet Cæsalpinum Perfoliatā ad Seseli Æthiopicum reducere.

Locus Nonnullis locis in aruis, inter segetes spontè exit, nascitur & in pratis ac iuxta agrorum margines in Italia, Germania, Thuringia, Bohemia, & VVittembergia non infrequens, alibi in hortis seritur. Per me in hortum semine translata, semine deciduo satis se propagat. Reperit Perfoliatam etiam in vineis Matthiolus. Iulio &

Tempus Augusto præcipuè floret: stirps est annua, quæ semine perfecto intercidit.

Vires & vsus. Modicè calida, paulò verò amplius sicca hæc est: vt pote nonnihil amaricans & adstringens. Inter eas numeratur, quibus solidandi & ferruminandi vis est. Datur decoctum herbæ ex vino paratum, aut folia in puluerem trita, internis affectionibus, ruptis, & ex alto delapsis: ad ramices intestinorum præsertim puerorum commendatur: horum etiam prominentum vmbilicum, recens cum farina & vino tusa, ac cataplasmatis modo imposita, reprimit. Strumas etiam hoc modo adhibita resoluit, & contra ἰξίωμα, vulgò Vberbeyn efficax est. Ad fracturas etiam, hernias & erysipelata magni vsus esse perhibet Schvvenckf.

Interna affect. mies Ramices

PERFOLIATA ANNVA LONGIORIBVS folijs.



Descr. ANnua huic vita vt vulgari: *caules* non surrigit, sed per humum sparsos edit, ramosos, cubitales, crebris ceu geniculis interceptos: *folia* transadigentes, quæ vulgari longiora, modicè acuminata, quinis, septenisue per longum currētibus venis donata, quæ tamen à montana foliorum longitudine vincuntur: *flores* in summorum foliorum acetabulis sessiles, lutei, Auriculæ leporis similes. *Radix* tenuis gracilis, multis adnatis diuisa.

C. Bauh. phyt. vocat Perfoliatam 7. siue minorem ramis inflexis, quam refert me, Perfoliatam aliam minorem annuam non surrectam, vocare.

Anno 1595 mense Maio & Iunio Stutgardiæ in horto E.C. à me visa & descripta.

PERFOLIATA ALPINA MAGNA, LONgifolia.

MAior, maioribusque *foliis* donata est Alpina perfoliata, iis verò oblongis, palmaribus & ampli-



& amplioridus, ad Perfoliatæ siliquosæ folia accedentibus, quæ nec aliter *caulis* traiicit, pinnarum duntaxat alis caulem complexa: verùm superiora folia propiùs ad Perfoliatę vulgaris accedũt, ex oblongo nonnihil rotunda. *flos* paru*, luteus, foliis rotundis obuallatus: semen oblongum, striatum, maius quàm Perfoliatæ vulgatæ: *radices* crassæ, perennes.

Eandem H. Lugd. p. 1321. Perfoliatæ longifolię Dalechampii titulo describit: quę C. Bauhino quinta est, nostra verò quarta, eo sic illas perperàm separante.

Locus. & Tempus. Tossanus Carolus pharmacopœus misit nobis Perfoliatę Bupleuri folio nomine anno 1592. Ego eam semine colere incepi Mõtbelgardi in horto Ill. E. C. ubi semen maturabat Iulio & Augusto pluribus annis durans. Hanc postea communicabat Gesnerus Quingero.

PERFOLIATA MINOR FOLIIS GRAMINEIS.

Descr.



Perfoliata minor crassiusculam habet *radicẽ*, & terram versus comosam, ex qua *caules* pullulant plures, palmares, pedales, & cubitales, teretes, striati, perquos *folia* acuta, basi latiore caulem cõmplexa, vnciam vnam, aut alterã longa, sémunciam circiter lata, alia verò graminea, palmo etiam longiora, culmum lata: umbellæ inæqualibus constant muscariis *flosculorum* luteorum foliorum rotundorum, vallo munitorum.

Seseli Æthiop. paruum. Perfol. montan. minor. Cæsalp. vocat Seseli Æthiopici genus paruum, foliis gramineis. C. Bauh. phyt. Perfoliatam 6. siue montanam minorem folio acutissimo.

BVPLEVRON VETERIBVS
CAP. XCIV.

Meminit Bupleuri Nicander in Ther. ubi semina aduersus serpentum venena commendat. Demetrius Bupleurum arborem esse ait: sed hoc negat Scholiastes Græcus, qui Olus [λάχανον] facit, cuius mentio fiat apud Nicandrum in inscripto Hyacintho.

Bupleurũ arbor Demetrio.

Bupleuron autem in spontè nascentium numero Græcos habuisse prodidit Plin. lib. 22. cap. 22. ubi hæc præterea addit Caule cubitali, foliis multis longisque, capite Anethi (vel umbellæ tantùm figurâ, vel etiamnum floris colore Dalech.) laudatum in cibis ab Hippocrate: in Medicina à Glaucone & Nicandro. Semen contra serpentes valet. Folia ad secundas fœminarum, uel succum ex uino illinunt: & strumis folia cum sale & vino. Radix contra serpentes datur in vino, & vrinæ ciendæ. Idem lib. 27. cap. 8. repetit dari Bupleuri semen ad ictus serpentium, fouerique plagas decoctâ eâ herbâ, adiectis foliis Mori, aut Origani.

Bupleuron olus Græcorum Plinio.

Vsus.

Quæ Ruellius lib. 2. cap. 127. de Bupleurõ scripsit, cum Plinii verbis coincidunt. Eadem in Caroli Stephani prædii rustici Horto; itemquę apud Phauorinum, & Gesnerum de quadruped. leguntur. Sed hic quidem inter Pastinacas erraticas censeri vult, quibus & descriptione & facultatibus fauere scribit. Idem Bupleurum, bouis costam reddidit, & esse Dulbub Syluatici ait, sed quid sit Dulbub se nondum reperisse.

Pastin. erratica Gesn. Bouis costa. Dulbub Syluatici quid.

Plinius apud Dalechampium scriptum relinquit Bupleuron esse quibusdam Ammi vulgare. Iacob. autem Greuinus, qui specialia remedia aduersus omnia venena recenset, Bupleurũ tam incognitam nobis asserit, quã Pulibatęam. Gorręus tamen in carmine suo Bipleuro (itaenim vocat) eadem, quę Ideę Cupresso assignauit: ita enim canit.

Quibus addita dicti
Semina Bupleuri iuxta IdeaqueCupressi:
Omnia quandoquidem certæ sunt illa medelæ,
Inflictos quæ abigunt serpentum dente dolores.

Sed nec desunt, qui præter iam dicta, censeant Bupleurõ esse Auriculam leporis vmbellã luteã, quæ aliis, ut Lutetianis *Gratia Dei* dicitur.

Auricula leporis umbellã lutea.

Quin & Auricula leporis altera seu rigidior, à quibusdam Bupleuron existimatur.

Auricula leporis rigidior

Acanthum germanicam, Brancam vrsinam vulgò dictã, nobis autem Spondylium, vocari à Nicandro & Plinio Bupleuron, & à Veteribus Græcis Buprestin, videtur concludere Cordus. Sed hic non leui errore Bupleuron cum Buprestí confundere deprehenditur.

Spondyliũ Buprestis. Cordi error. Buprestis olus.

BVPRESTIS VETERIBVS.
CAP. XCV.

Theophrastũ hanc agnouisse, vel inde meritò quis coniectatur, quòd Buprestim [βούπρηστιν] primis imbribus, post equinoctium germinare dixerit.

Galenus in explicatione vocum obscurarum Hippocratis scripto testatus est, præter βούπρηστιν animal, Cantharidi assimile, esse βούπρηστιν, olus aliquod agreste [λάχανον ἄγριον] cuius meminerit Dioscorides partim in 7. libro salubrium, partim etiam in eo, qui de oleribus [περὶ λαχάνων] inscriptus sit.

De Buprestí Plinius hæc adfert lib. 21. cap. 22. Buprestim magnã inconstantia Gręci in laudibus ciborum etiam habuêre: iidemque remedia tanquam contra uenenum prodiderunt. Et ipsum nomẽ indicio est, boum certẽ uenenũ esse (igno-

Græcorum inconstantiam arguit Plinius.

Plinii error. tanter hęc Plinius. De Bupresti herba id non traditur, sed de Bupresti insecto, scarabæo longipedi non dissimili, à Plinio lib. 30. cap. 4. descripto, Dod.] quos dissilire degustatâ fatentur.

Plinius confundit Buprestim herbam & insectum Gesn. de quadr. in boue & vacca, Plinii verbis iam citatis hæc subnectit. Videtur autem animal Buprestin, quod bubus venenosum est cum herba eiusdem nominis confundere, ideoque Græcorum inconstantiam reprehendere. Cuius & ignorantiæ & confusionis Plinium etiam arguunt Rob. Constant. in Lex. Græco: Gorrhæus in defin. & Etymologici autor.

Æquiuoca Satis itaque superque patet ex dictis Buprestin herbam eiusdem esse nominis cum animali ex Cantharidum genere.

Sinapi similis Buprastis vel Buprestis Varino est genus oleris siluestris simile Sinapi, de hoc H.g. lib. 21.

Bupleuro Buprestin veterum Græcorum, Cordus indigitat Bupleuron Nicandri & Plinii, non sine lapsu. Idem Buprestim veterum Græcorum ait esse herbam vmbelliferam. Brancam vrsinam vulgo Germanico dictam nos Spondylium inscripsimus.

Buprestis tandem quibusdam est Auricula leporis quam duplicem agnouimus, & iam tractandam aggredimur.

AVRICVLA LEPORIS VMBELLA luteâ.

Cap. XCVI.



Descr. Auriculā leporis appellant vulgò plantam cui *radix* parua, rugosa, subuiridis, fibrata, sapore acris: *caulis* tenuis, teres, læuis, striatus, crebris geniculis donatus, intus inanis, altitudine cubiti vnius, aut duorū, ramis multis concauus, colore subrubente interdū, aliàs viridi: *folia*, præsertim quę in caulibus existunt, longiuscula, stricta neruis secundū longitudinē pluribus donata: inferiora autē latiora sunt [quæ tamen nostra figura Guariniana non exhibet:] *Flores* Fœniculi lutei in vmbella minùs patula: quibus *semen* succedit Petroselini acre.

Synon. Elaphoboscum Ocell. ceruis Gratia Dei Herba coparia. Hæc est illa, quam Ruell. lib. 3. cap. 48. Elaphoboscum vocat, itemque Romanorum Cerui ocellum, officinarum Gallicarum Gratiam Dei, & Suessionensis agri Herbam coparium.

Quam Tragus Herbam vulnerariam [wund-kraut] inscribit, ac Panaces Chironium esse suspicatur, eadem cum nostra est. Ipsi autem [vt & Lonicero] assentiri non possum, vt qui Panacem vocat, cùm Panax chironium, folia similia Amaraco, vel vt Lacuna legit, Origano, habeat, hæc autem longè diuersa.

Cordus in Hist. Isophylli nomine describit: Camer. in horto & Dod. gall. Bupleuri: lat. in fol. Bupleuri angustifolii. Lob. in Adu. Bupleuri quam non malè Bupleuri Hippocratis, ex Plinii historia, nomenclaturæ & effigiaturæ quadrare credidit. Sed quæ effigies quæso apud veteres Bupleuri habetur? In Obs. p. 243. vocat Bupleurum Dodonæi & Herbariorum. In Icon. Plant. p. 456. Herbariorum Bupleuron angustifolium. H. Lugd. p. 436. Bupleuron Dodonæi. *Isophyllum Cordi* *Bupleurum Lobelianus.*

An Anguill. epist. 11. Bupleuron Demetrii, inter Veronam & Brixiam inuentum, pulchrius montis Baldi.?

Catal. Francoford. & Helfrico dicitur Auricula leporis, ὠτίον λαγῶ Hasen öhrlin/ Gall. *Oreille de lieure*.

Locus & tempus. Montbelgardi variis in collibus copiosè prouenit, vt iuxta collem Rosse, nec non prope Arbouans florens Augusto, ac etiam Octobri, Basileæ circa molendinum ad Birsam etiam Iulio, semen autem maturans Septembri & Octobri: circa montem Krenzack in Marchionatu: Geneuæ in monte Thuiri. Isophyllum Cordi nascitur montanis locis, solum amat argillaceum, calcario lapidi mixtum: radice nititur perenni. Reperiturque variis Germaniæ, tum & Hispaniæ locis: Iulio ac Augusto florens deinde semina perficit.

Vires Quia porrò tota planta saporem habet subacrem, aliquantulùm amarum, & saliuam prouocantem, Perfoliatæ, Cordo teste, non dissimilem; ideò non abs re Dodonæus semen calidum, siccumque secundo ordine esse dixit.

AVRICVLA LEPORIS ALTERA SIVE rigidior



Differentia in folio est, quod non tantùm maius, sed etiam crassius, rigidius, neruosius, modicè in acumen desinens, introque flexis oris concauam carinam, aut potiùs leporinam surrectam auriculā referens. Et talem habeo inter meas siccas plantas.

Dalech. descr. Dalechampii descriptionem, quæ placet, hîc subiicere libet. Folio conspicitur longo, rigido, latiusculo in medio supernè in angustum desinente, ferè lanceolato, multis striis quasi distincto, nonnihil concauo & inflexo, vnde illi Auriculæ leporinæ nomen: caule procero, geniculato, in ramulos superiore parte diuiso, vmbellis in summitate pusillis, sparsis, luteolis floribus, semine Anisi aut Anethi, oblongo.

Dod. lat. in fol. Bupleurum alterum latifolium inscribit

Non est Isophyllum Cordi. inscribit, aitque Cordum Isophyllon vocare. Sed fallitur: nostra enim stat sententia, esse Bupleurũ angustifolium.

Elaphobosc. non est. Lobel. in Adu. p. 192. alteram Bupleurum cõgenerem latifoliam, Auriculam leporis dictam, Elaphoboscum esse negat. In Obs. p. 244. & Icon. Plant. p. 456. alterum Bupleurum latifolium.

H. Lug. reprehe. Hist. Lugd. duas & descriptiones & figuras habet vnius plantæ, ac planè similes, vt vna ex altera facta videatur. Harum prior est p. 436. hoc titulo: Bupleurum alterum latifolium Lobelii, cuius etiam descriptionem retinuit, ac officinas Monspelienses Auriculam leporis vocare ait: Lutetiæ nunc Gratiam, nunc Elaphoboscum: Quosdam Buprestum Plinii. Alteram, quã p. 741. Panaces Chironium quorundam Dalechampii inscripsit, alios Bupleuri speciem, Monspeliensibus Auriculã leporis dictam, vocare retulit: alios Elaphoboscum, quosdam verò Buprestum Plinii. Vides inanem repetitionẽ duarũ descriptionum & figurarum.

C. Bauh. phyt. vocat Bupleuron 2. siue folio rigido, & Bupleuron maius Gesnero.

Locus. Multi sunt anni ex quo habeo Auriculam foliis rigidis, vnde, non recordor. Gener Cherlerus attulit collectam circa Monspelium, iisdem in locis, in quibus prior occurrit, nõ procul Gramõtia silua, longè frequentiorem.

AVRICVLÆ LEPORIS AFFINIS, ODONTITIS lutea Valerandi & Dalechampii.

CAP. XCVII.

Descr.



DVrâ, lignosâ, albicante, simplice *radice* nititur, à qua statim *coliculi* aliquot surgunt dodrantales aut paulò maiores, Bupleuri similes, in multos *ramos* diducti: *folia* incõdita, Linariæ: *flosculi* lutei Perfoliatæ, vallo foliorum oblongorum, acutorũque circũdati: *semen* Polygoni Tragi ferè simile, quod Fneull vocant.

Cæterùm, magnam eam affinitatem cum Odontitide purpurea Plinii, quæ est Flos cuculi Tragi, ob quam à Dalechampio apud H. Lugd. 1068. nominata est Odontitis lutea, animaduertere non possum.

C. Bauh. Caryophyllus. Miror etiam C. Bauhinum hanc plantam referre ad Caryophyllos [Betonicas sc. coronarias] fecereque in phyt. Caryophyllum 40. siue flosculo minuto luteo.

Rantzius hanc quoque dedit collectã in Edganeis mõtibus. I. H. Cherlerus ex accliuibus versus Castellonouanum Monspelio attulit, sub nomine Bupleuri graminei. Locis humidis gaudet.

Vsus. Huius decocto si quis os colluat, dentium cruciatus sedari scripsit Dalechampius.

AVRICVLA LEPORIS MINIMA.

CAP. XCVIII.



Descr. PEdalis aut cubitalis est plãtula, quę ex *radicula* candida, dura, lignosaque, fibris aliquot exiguis prædita, *coliculos* surrigit graciles, teretes, multis ramulis, ab imo ad summũ brachiatos, in paruas veluti vmbellas desinentes, quæ exiguis *foliolis*, tenuibus, & rigidiusculis constant, & in eorum medio *semina* prominent ex breuissimis pediculis, tria, vel quatuor, striata, ad Petroselinum vulgare accedentia. Alas verò singulas, singulum ab ima parte inuestit *folium*, longitudinis vnciæ & semis, Odontitidi Valerandi & Dalechampii persimile, tribus aut quatuor per longitudinem neruis præditum, acuminatum. *Flos* mihi hactenus nõ visus. Sapor exsiccatæ euanidus & obscurus.

Basileæ inter Byrsam & syluam, quà Augustã itur crescere audio mihi data à Richnero.

NARDVS INDICA VETERIBVS

CAP. XCIX.

HÆc est illa Nardus, quam Theoph. hist. lib. 9. cap. 7. cum omnibus aliis, aut plurimis odoratis ex India aduehi narrat. Iis sc. quibus vtuntur ad vnguenta. *Nardus Theoph.*

Dioscorides duo Nardi huius genera tradit: vnum Indicum appellatum, alterum verò Syriacum: non quòd in Syria nascatur, sed quòd mõtis Indiæ, in quo reperitur, pars vna Syriam, altera Indiam spectet. Ac in eius quidem, quæ Syriaca dicitur genere præstantiorem eam censeri, quæ recens sit, læuis, comosa [πολύκομος, Vet. cum Ruell. φιλητύχομος,] colore flauo, perquàm odorata, quæque præterquam quòd odore Cyperum imitetur, breuem [μικρὸν, mauult vet. ...] habeat spicam, gustu sit amaro linguamque maximè siccante, ac in sua odoris gratiâ diutinè permaneat. Ex Indicæ verò Nardi genere esse Gãgeticam dictam, à fluuio quodã Gangete nominato, qui montem, ad cuius radices ea nascitur, præterfluit. Hanc viribus esse infirmioribus quòd in locis aquosis proueniat, esseque procetiorem, atque complures habere spicas ab eadem radice tum comosas, tum sibi inuicem circum-

volutas, virusque redolentes. At quæ in editiore montis parte legatur, odoratiorem esse [vet. addit ἢ μακαρτίας, cui lectioni adstipulatur Galenus 8. simpl. & Paul. cap. de Nardostachi: pusillasque habere spicas, iucundumque Cyperi odorem æmulari, ac cæteras habere in se dotes, quas & Syriaca cognominata. Esse quandam, cui Sampharitic æ nomen à loco inditum sit, admodum pusillam, attamen magnas habere spicas, inter quas medius interdum prorumpat caulis, candidior, & supra modum hircum olens. Hanc damnare in totum oportere. Vendi & madefactam: quod vitium ex eo deprehendatur, quòd candida sit spica, squallida, nullaque obsita lanugine. Adulterari inspirato Stibio cum aqua aut vino palmeo quò videlicet magis compacta, ponderosiorque appareat. Vsus tempore, si quid luti radicibus adhæserit, idipsum auferre oportere, vt & puluerem cribro secernere, ad aquam eluendis manibus dicatam accommodum. Vim habere excalfaciendi, exsiccandi, vrinasque ciendi. Quamobrem & aluum epotas sistere, & appositas ex vtero fluxiones, saniemque compescere. Ex frigida verò potas, nauseæ & stomachi rosionibus auxiliari: itemque iis, qui à flatibus exagitentur [ἐμπνευματώσεις. Vet. ἐμπνευματικοῖς] hepaticis, ictericis atque nephriticis. Aqua autem incoctas seu fotu seu insessu [coctas verò in aqua & pro fomento ad insessus adhibitas] vuluæ inflāmationibus adhiberi. Facere & ad superfluo humore redundantes oculorum palpebras, dum ipsa cilia adstringunt & condensant. Quin & siccas humentibus corporibus ad summouendam graueolentiam vtiliter inspergi. Misceri etiam antidotis. Porrò ad ocularia quoque medicamenta vsque ad summum læuorem tritas & cum vino in pastillos conformatas vase nouo non picato recondi. *Vires*

De folio Nardi plura dici par est, vt principali in vnguentis, inquit Plin. lib. 12. cap. 12. Frutex est graui & crassâ radice, sed breui ac nigrâ, fragilique quamuis pingui, situm redolente, vt Cyperi (ut Cyperum M. CH.) aspero folio, paruo, densoque. Cacumina in aristas se spargunt: ideò geminâ dote, Nardi spicas ac folia celebrant. Alterum eius genus apud Gangem nascens, damnatur in totum, Ozænitidis [Gangitidis Diosc.] nomine, virus redolens. Adulteratur & Pseudonardo herba [item luto siccæ radici permixto, ex Diosc.] quæ vbique nascitur, crassiore atque latiore folio, & colore languido in candidum vergente. Item sua radice permistâ ponderis causa, & gummi, spumaque Argenti aut Stibio, Cyperique cortice. Syncerum quidem leuitate deprehenditur, & colore ruffo, odorisque suauitate & gustu maximè siccante os, sapore iucundo. Pretium spicæ in libras x.c. Folia (Malabathri, subintelligi vult Dalech. quòd sc. de Malabathro verbis totidem & iisdem hæc referat Aetienus:] diuisêre annonam: [Annonam pretium mercis vocat] ab amplitudine Hadrosphærum vocatur maioribus foliis [pipulis CH.]. xxxx. Quod minore folio est Mesosphærum appellatur: emitur x.lx. Laudatissimum Microsphærum è minimis folium: pretium eius x.lxxv. Odoris gratia omnibus maior recentibus. Nardo color, qui [si M.] inueterauerit nigrior melior. In nostro Orbe proximè [primum Dal.] laudatur Syriacum, mox Gallicum, tertio loco Creticum [Ponticū Diosc.] quod aliqui agrium vocant, &c. Sunt autem ea omnia herbæ præter Indicum. Idem lib. 13. c. 1. *Nardi Ozænitis adulterium* *Nardi sinceri probatio* *Pretium* *Hadrosphærum* *Microsphærum* *Delibutus*

Nardinum siue foliatum [vnguentum] constat Omphacio, Balanino, Iunco, Costo, Nardo, Amomo, Myrrha, Balsamo. In hoc genere conueniet meminisse herbarum, quæ Nardum Indicam imitentur, species nouem à nobis esse dictas: tanta materia adulterandi est. Omnia autem [vnguenta : ergo etiam & hoc,] acutiora fiunt Costo. Amomo, quæ maximè nares feriunt: crassiora Myrrha, suauioraque: Medicinæ autem vtiliora Croco: acerrima per se Amomo. Lib. 16. cap. 32. inquit. Non ferunt Amomi Nardi delitiæ, ne in Arabia quidem ex India naue peregrinari. Tentauit enim Seleucus rex. Illud maximè mirum ipsas arbores plerunque exorari, vt viuant atque transmigrent: aliquando & à solo impetrari, vt alienas alat, aduenasque nutriat: cœlum nullo modo flecti. Tandem lib. 21. cap. 3. ait. Eò luxuria processit, vt non esset gratia [coronis] nisi mero folio: (Merum folium dicit aroma Indicum, non autem floris Rosæ folia, Dalech.) subtilibus mox petitis ab India, aut vltra Indos. Laudatissimum quippe habetur è Nardi folio eas (coronas] dari, aut veste serica versicolores vnguentis madidas. *Herbæ nouem spec. Nardum imitantes*

Nardi spica vocatur à Galeno, quo authore 6. simpl. excalfacit excessu primo, desiccat secundo completo. Composita est ex adstringente sufficienter substantia, at acri, calida non multa, & quadam leuiter amara: ex his constans facultatibus radix, & ad iecur, & ad stomachum rationabiliter conuenit, tum pota, tum extrinsecus imposita. Vrinam ciet, morsus stomachi sanat, in ventre ac intestinis consistentes fluxiones desiccat, ad hæc & eas, quæ in capite & thorace. Valentior est vocata Indica, quæ nigrior est, quàm Syriaca. *Spica Nardi Galeno* *Tempe.* *Vires*

Nardi sanè descriptionem & integram & euidentem proposuit Dioscorides nec ambiguum est vbi locorum mons sit, in quo nascitur. Clarè enim dixit in India ipsum esse, & alteram ipsius speciem Indicam, alteram Syriacam dici, prout altera montis pars ad Indos, altera ad Syros spectat. Declarat ampliùs ex eo quod alteram Indicæ Nardi speciem Gangitidem appellari dicit, vt quæ ad Gangem nascatur fluuium qui montem præterlabitur. Nec verò radices auferre Dioscorides iubet veluti mutilas & ad vsum damnatas, sed hæ solæ sunt quarum vsus expetitur ad medicamenta, in his affectionibus ad quas illas cōmodas præscribit. Quod autem radicum vsus sit, & hæ primo abscessu calidæ sint, secundo siccæ, Aetius & Paulus ex Galeno transcripserunt: *Mons in quo nascitur Nar. Indus est in India Gangitis*

Lapsus est hac in parte Manardus, cùm credidit id esse spicam, quod radix est. Cùm [Galeno 1. de Antid. autore] per similitudinem quam cum spica habet, hæc radix Spica nominetur, non quòd reuera spica sit: neque enim propriâ appellatione vtitur Diosc. aliique qui de ea loquūtur. Distinguit passim Demet. Constant. de cura accipitr. Spicam Indicam à Nardo spica, sed qua in re differant, non monstrat. Sed nec ipsi nos discrimen nouimus. Quare considerandum vobis relinquimus, quid sibi velit, ac etiam quid per Spicam simpliciter intelligat. *Demet. Constant.*

Est nobis Nardus Indica, Nardus vulgò recepta, de qua tamen dubitat Anguillara, qui sibi Sampharitidem Nardum incognitam ait. *Nard. Ind. vulgaris*

NARDVS INDICA VVLGARIS

Nardi Indicæ nomen particula dūtaxat plantæ hodiè obtinet, quæ & Spica ob figuram dici

dici meruit. Est autem nihil aliud, quàm comatum radicis caput, ex marcidorum foliorum neruosis filamentis conuolutis congestum, colore rufescente, sapore amaro, acrique & aromatico, odore Spicæ Celticę, validiori: adhęret hæc con a radici digitalis crassitudinis, saturatiùs rufæ, solidæ, sed fragili: est vbi folia quoque nondũ in neruos diuulsa albicantia inueniũtur, cauliculi concaui, striati, pluresque ex eadem radice capillatæ spicæ enatæ subinde conspiciuntur. *Descr.*



Cæterùm. Nardum hanc vulgarem officinarum, Anguillara non existimat esse verum Syriacũ Nardum, & adhuc multò minùs Indicum: sed Gangeticum, simili ratione persuasus. In Nardo vulgari officinarũ, nõ inuenitur odor, similis odori Asari, vel Cyperi, qualem requirunt in Nardo Dioscorides & Plinius: sed odor grauis & non gratus, qualem Gangitidi tribuit Dioscorides.: Ergo Nardus vulgaris offic. non erit Syriaca, nec Indica, sed potiùs Gangitis. Huic ex posteris subscribat, qui velit.

Nardus legitima Nos interim cum sanioribus, senioribus, & prudentioribus posteris credimus nos habere Nardum Indicam, licèt interdum, vel ob vetustatem, vel ob vliginem, maris humorem sibi ascitum, vel ob adulterium corrupta, situm contrahat, ac tũ odoris, tũ saporis suaueolentiã illã, quam Veteres desiderant, non referat, nec colorem genuinæ repræsentet, quibus omnibus ab initio prædita erat,

Nardi Vnicum genus est. Porrò, non sunt diuersa Nardi genera, sed vnicum duntaxat sibi notum testatur quoque Garcias, id sc. quod in monte quodam iuxta Gangen, fluuium prouenit, qui altera quidem parte Orientem spectat, altera Occidentem, ad quem sc. Occidentem sita est Syria, multis regionibus ab India discreta. Neque vna præstantior est altera, Spicamue habet alia altera multò lõgiorem. Nec est quod quis ex ingenti pretio, quo antiquitus, teste Plinio lib. 12. cap. 12. emebatur, inferre studeat, nostram Nardum non esse legitimam. Huic enim obiectioni respondet Garcias, cùm ait Indias nunc magis apertas & cognitas esse, quàm tempore Plinii fuerint, & ipsa aromata maiori copiâ ad nos adferri. Illud affirmare possum, inquit, multò plura aromata, maiorique quãtitate, & minùs adulterata adferri, viliorique emi, quàm antiquitùs fiebat: quòd nunc Lusitanorum nauigationibus Indiæ nobis apertæ sint, ipsæque regiones, quæ aromata gignunt, longè cultiores nunc sint, quàm Veterum tempore fuerunt. In eorum numero Nardum repono, quæ legitima & sine mangonio ad nos importatur. Inuenitur quidem interdum sordida & puluerulenta, villis ipsius plantę in pollinem redactis. Emitur tamẽ *Viliori emuntur hodie aromata.* *Nardus sordida.*

à mercatoribus Arabibus & Persis, quos eo puluere manus eluere intelligo. Id porrò genus, quod Sepulueda Satiech & Satiach appellat, id esse puto, quod ex Satiguam adfertur, celeberrimo regni Bengala portu & emporio ad fluuii Gangis ostia. *Satiech & Satiach Sepulueda*

Vocatur autem Incolis Cahzçata: Auicennę lib. 2. cap. 646 & omnibus huius tempestatis Arabibus çembul, quod est spica, & çembul Indi, i. e. Spica Indica. Quod autem corruptè Matthæus Siluaticus cap. 640. *Simibel* & *Sumbel* & Matth. in Hist. germ. & Epit cum addit. Camerarii *Strũbel* & *Senbel* protulerit mirum non est, cùm ii linguam Arabicam ignorarint: nisi malimus tempore paulatim corrupta fuisse vocabula: Latinis, vt Indis, Spica Nardi, & aliis Nardus Indica: Græcis νάρδος & ναρδοστάχυς. Germ. Indianischer Nardus & Spike Narden: Gall. *Aspic d'outre mer* Ital. *Spico & Spiganardo*: Hisp. *Azumbar aut Espigenil*: Angl. Spik Narde Boh. Nardus Indiansky. *Nomina linguas.* *Matthæus Syluat. & Matth. not.*

Videamus nunc Matthioli & aliorum de Spica opinionem. Cùm igitur simpliciter Nardi vocabulum (à Nardo vrbe Syriaca Euphrati conterminâ fortè nuncupatum, C. Bauh.) apud authores reperitur, semper Indicam intelligendam censet Cordus. Et licèt Dioscorides multas Nardi differentias proponat, loco tamen natali solùm differre credidit, siquidem omnes in vno monte proueniant, vtpote Syriaca in Occidentali eius parte, Syriam respiciente: Indica verò in Orientali parte ad Iudæam vergente. Rursus Indica in duas species diuiditur, quarum vna in monte, altera ad radicem montis prouenit, non procul à preterfluente Gange, quæ Gangitica, quæ omnes hodie indistinctæ adferuntur. *Nardi forte Etymon. Nardus simpliciter dicitur*

Nardum Officinæ Nardi Spicam appellant, inquit Matthiolus. Sed non desunt qui credant Indicam Nardum in nostras terras non aduehi, ob regionis distantiam, Syriacam opinantes esse quâ nostro æuo Seplasiarii vtuntur: tametsi (ut inquit Dioscorides) in Syria non oriatur, verùm ideò Syriaca dicatur, quòd ea montis parte proueniat, quæ flectitur ad Syrios. At cùm inter Indos & Syrios amplissimæ interponantur regiones, nempe Deserta Arabia, Persis, Carmania, Gedrosia, Darangia, aliæque nonnullæ quæ vltra quatuor millia milliariorum continent, nesciuerim profectò, quonam pacto fieri possit, vt mons ille ad Gangem positus, altera parte Syriam tam facilè respiciat, vt Nardus ea parte proueniens Syraca dici mereatur. Quo fit vt quandoque mecùm disquirere licuerit, eam potiùs à Syrastene regione, quę ad Indicum fluuium est, Syrii nomẽ sibi asciuisse, quàm à Syria, quandoquidem, si Ptolomęus vera refert, mõs in India visitur, qui à Gange fluuio ad Syrastenem extenditur. Cæterùm, Manardus Ferrariensis officinarum Nardum nec Indicam, nec Syriacam esse censet. In cuius sententiam non equidẽ pedib. eo. quippe quoniam Venetiis plurib. in locis Nardi ingentẽ copiâ vidi, nullis deficientib. notis, quib. optima ex Dioscoridis sententia explorari potest. Sed illud accidere quandoque non eo inficias, vt ascito sibi maris humore, dum per Indicum & Arabicum in Alexandriã defertur, & inde Venetias, vel situm contrahat, vel subputrescat [hoc namque facilè fieri posse concedo, quòd Nardus sit siccissima] vnde postea amissã suaueolentiã, grauiter oleat. Quo fit vt hac in re Manardum longè hallucinatum crediderim: &c. Hallucina- *Syriaca a Syrastene regione dicitur.* *Manardi lapsus.*

tus etiam Brassauolus, inquit præterea idem Matthiolus, vt potè qui Nardi Spicam, non modò non esse radicem censet, sed nullius vsus eam existimat: cuius doctrinã sequuti Hermolaus & Ruellius aberrarunt itidem. Rationes Senensis petat Lector ex eius Commentariis: Nos breuitati studentes eius sententiam Turnero examinandam committimus.

Matth. & Amatus censentur

Matthiolus, inquit ille, eumque secutus Amatus multùm laborant, vt probent spicam Nardi non esse spicam in caulis fastigio nascentem, sed radicem Nardi: contraque omnes aliter sentientes, grauiter inuehuntur, contra tres potissimùm viros clarissimos Hermolaum, Ruellium & Manardum, qui tametsi errarunt, propter magna tamen in vniuersam Europam merita clementiùs debebant à nouis istis Censoribus tractari. Ego quidem [inquit Turn. part. 2.] spicam hanc vel iuxta terram, vel partim etiam intra terram nasci existimo. Non tamen propriè radicem nominandam censeo. Quod autem ex Galeno de antidotis adducunt, aut intelligendus Galenus impropriè spicam Nardi vocare radicem, aut in aliis locis negent oportet authoritatem non tantùm Galeni, sed etiam Philonis, & Diosc. quoque, qui manifestè distinguunt inter Nardi radicem & spicam, aut planè negent spicam esse radicem. Galenus lib. 9. κατὰ τόπους in antidoto Philonis duos, inter alios multos, versus recitat, quibus clarè negatur Nardum esse radicem. *Et drachmam dicta falsò radicis* &c. Quæ verba Galenus ibi explicans inquit, Quin & Nardi ipsius drachmam vnam coniiciendam censet, quam radicem falsò dictam appellat, quãdoquidẽ spica Nardi verè nominatur. Dioscorides quoque in descriptione Nardi Gangitidis ait spicas multas ex vna radice prodire: ex quibus verbis patet Nardum non esse radicem Nardi. Ex quo sequitur spicam Nardi non propriè dici posse radicem, nisi quis Philoni, Dioscoridi & Galeno contradicat. Matthiolus multos grauiter erroris insimulans de Nardo parum abest ipsemet ab errore, nisi iam eodem inuolutus est. Videtur enim existimare Nardum caule penitùs carere, ideoque spicam in caulis [qui vel nullus est, vel certè nusquam reperitur] fastigio non posse oriri. Verba eius sunt, Ego enim tametsi, &c. Quid autem est hoc argumenti: Nihil vidit Nardi præter spicam, Ergo præter nihil habet? Quòd si hæc sit Matthioli ratio, vt eò saltem videtur tendere, tum videtur Nardus neque caulem habere, neque radicem aliam præter spicam, quod planè Dioscoridi, quem interpretandum suscepit, repugnat, qui Nardo & caulem tribuit, & radicem præter spicam. Et quanquam in Germania non est is simplicium delectus, qui Venetiis, hoc tamen anno 1577. in offic. Iacob: Dieter Pharmacopœi Wiseburgensis Nardum inueni cum caule digitalis longitudinis, concauo, straminis maioris crassitudine, quem vel hodie possum ostendere. Quod ad radicem Nardi, si eius nihil præter spicam Venetiis potuit reperire, miror vbi radiculam illam inuenerit, ex qua spicæ oriuntur, in figura quam in Comm. in Diosc. pingit. *Censet* etiam Amatus Spicam Nardi esse radicem. Apparet tamen ex eius verbis tum cap. de Meo, tum cap. de Nardo, velle eum Spicam Nardi esse radicis Nardi partem inferiorem: vtrobique enim radicem Nardi, cum Mei radice confert: vtrobique etiam ait capillatas radices Mei, quæ Nardo sint persimiles, in infima parte radicis nasci. Posteriore loco ita inquit: Quod dicit Dioscorides Nardum ex vna radice plures proferre spicas, pro nobis facit, cùm ex vna radice primaria, vt reliquarum matre, multæ radices veluti comosæ spicæ confertim nascentes prodeant, quemadmodum in radice Mei videre est, cuius infinitæ radices in spicas diuidebantur, vt quicunque viderunt, Spicam Nardi esse iudicarent. Et paullò pòst, Concludendum ergò nullam aliam in Nardo inueniri radicem quàm spicam. Si ita intelligit vt verba sonant, plurimùm fallitur. Præterquàm enim quod ego caulem immediatè ex spica prodeuntem vidi [caulis autem nunquam immediatè ex radicis infima parte prodit] ostendit Dioscorides multas spicas ex radice oriri vna. Quod autem cum Matthiolo negare videtur caulẽ, haud aliâ opus est cõfutatione, quàm quâ supra, contra Matthiolum vsi sumus. *Hæc igitur* Turneri est sententia de Nardo, habere radicem paruam, in terra, ex qua spicæ oriantur, caulemque [vt se vidisse semel ait] ex medio spicæ oriri, atro-purpurei coloris, gracilem, concauum.

Non est propriè radix

Radix falsò dicta.

Matth. redarguitur

Nardi caulis

Radix Nardi est alia, quàm spica

Error Matth.

Tantus igitur est labyrinthus, & tanta opinionum varietas & inconstantia iudiciorum, circa Nardum, vt tutiùs videatur iam in medium allatis acquiescere, quàm pluribus super hanc rem disserere. Illud tamen adhuc annotasse conueniat, Acostam dixisse, quosdam apud Dioscoridem Malobatrum esse folium arboris Spicę Nardi constituisse. Cæsalpino Spicam Nardi ex Algarum generi esse videri.

Malobatrum
Ex Algarũ genere

Cæterùm, nasci Nardum in Mandou & Chitor prouinciis, regnis Delli, Bengala, & Decam vicinis, iuxta fluuium Gangem, quem incolæ Ganga appellant, prodidit Garcias.

Locus

Sed & hic fabulosum omninò iudicat, quod And. Lacuna in Diosc. scribit, Nardi vsum apud Indos esse periculosum, quoniam ex ea fiat venenum quoddam genus mortiferum, quod non modò haustum, sed etiam cuti in sudoribus aspersum hominem illicò iugulet, idque toxicum Pisum vocari. Nam cùm multis in India annis Medicinam exercuerit, & non modò versatus sit cum omnis generis Medicis Asiaticis, sed etiam Regibus & Principibus familiaris fuerit: nunquam tamen hoc Pisum ipsi videre contigit, aut eius nomen audire. Fontanonus de morb. intern. lib. 3. cap. 18. in pesso ad fluxum sanguinis ex vtero præscribit Nardum: existimans sistere menses. Sed quum tutiora multa habeamus remedia, Nardo vti nolim odorato & calido, quin ipsemet lib. 2. cap. 16. de hydrope, in qua opus aperientibus, aperire perhibet. De Nardi viribus plura qui desiderat, legat quæ antè ex Veteribus adduximus. Ex eorundem tamen sententia, hoc loco pauca quædam de Nardino *vnguento*, de quo tunc dicere obliti sumus, adscribemus. Variè itaque præparabatur iam tum Dioscoridis ætate, tum cum Malabathrino folio, tum sine ipso. Plerumque verò ad Balaninum, aut Omphacinum oleum, ammiscetur spissamenti gratiâ Iuncus rotundus odoratus, ad odoris autem gratiam, Costus, Amomum, Nardus, Myrrha, Balsamum. Est autem bonum, quod tenue est, non acre, & Nardi siccæ, aut Amomi odorem habet. Vis ipsius attenuatoria est, acris, exterforia, & rarefactoria humorum, & calfactoria. Est autem liquidum, non strigmentosum, nisi resinam habuerit ammixtam. Præparatur etiam simpliciter ex oleo Omphacino, Iunco rotundo odorato, Calamo,

Lacuna
Lacuna cõfutatur

Vis

Defluuiũ capillor. Calamo, Costo, & Nardo. Galenus lib. 1. cap. 2. τῶν κατὰ τόπους, ad defluuium capillorum licere aliquando vnguentum Nardinum adhibere refert in ætate frigida, & tempore hiemali. Bonam autem pharmacum ad omnia est diuitum Fœminarum vnguentum, immò magis foliato commodum, quod Romę spicatum appellant.

NARDVS CELTICA

CAP. C

Locus.



CEltica Nard', vt inquit Dioscorides, nascitur in Liguriæ Alpibus [ἄλπεσιν, pro quo quidam ἄλπεσι] vernaculo sermone Gallica dicta, sed & in Istria prouenit Est verò pusillus, breuisque frutex, qui cũ radicibus in manuales fasciculos colligitur: foliis oblongis [vet. & Orib. ὑπεραυθοῖς] subflauis, flore luteo. Caulium & radicum duntaxat vsus est, & odoris suauitas. *Nard. Gallicã.* *Repurgat.* Quare pridie aspersos aquâ fasciculos, amoto terreni, si quid inhæserit, in humidiore solo suppositâ prius chartâ insternere oportet, ac postridie repurgare: siquidem vtile cum acerosо & alieno minimè propter humoris vim excutitur. *Adulteriũ.* Adulteratur autem herbâ persimili quę unà cum ea vellitur, quamque propter virosum odorem *Hirculus.* Hirculum nominant. *Adulterii dignotio.* Facilè verò est hanc ab illa internoscere: quandoquidem herba est sine cauliculo & candidior, minusque oblonga habet folia: quin neque radicem amaram, aut aromaticam, quemadmodum legitima Nardus. *Vt ad vsum præparetur.* Itaque abiectis foliis cauliculos radicesque seponito: ac siquidem ad vsum reponere volueris, tritos vino excipito, tandemque ex iis concinnatos pastillos fictili vase nouo ac diligenter operculato, refertia. *Delectus.* Optima verò censetur, quæ recens est, & odorata, radicosa, plena, miniméque fragilis. Iisdem quibus & Syriaca viribus pollet: sed & valentiùs urinas ciet, & stomacho est accommodatior. *Vires* Iecoris inflammationibus, suffusisque felle auxiliatur: itemque ventriculi inflationib cum Absinthii decocto pota. Eodem planè modo valet & ad lienis, vesicæ, renumque vitia itemque ex vino ad venenatorum morsus. Cæterùm, additur etiam in malagmata, potiones & vnguenta calfacientia.

Plinius. Memorat Plinius lib. 15. cap. 7. fieri ex Nardo Gallico oleum. Idem 24. cap. 16. ait factitatum è Nardo etiam Celtico vinum aromatites.

Integros, inquit Clusius, interdum cespites occupat serpendo *radix*, & latè summâ tellure sese inter muscum diffundendo: oblongi procumbentesque humi ramuli, tenues, plurimis ueluti foliolis, aut siccis squamis circumsepti, subinde fuscas & nonnihil capillatas fibras agunt, summâ parte in vnicum, aut bina, ternàue extuberant *capitula*, aliquot longis; secundum caput angustis, deinde in latitudinem paulatim sese laxantibus *foliis*, satisque crassis & succulentis plena; colore, dum primùm emergunt, viridi, deinde sub Autumni initium, aut Æstatis finem, flauescente, gustu amariusculo: palmaris aut dodrantalis, nonnunquam etiam maior, inter ista emergit *cauliculus*, satis firmus, vt in minutioribus Valerianis siluestribus geniculatus, bina ad singulos nodos inter se opposita habens exigua foliola, cui, circa summum, ex singulis alis enascuntur *pedicelli*, binos aut ternos *flosculos* coloris pallidi sustinentes, quibus succedunt *semina*, Valerianæ siluestri Alpinæ, saxatili præsertim (Valerianæ minimæ Nardi foliæ) proxima: paullò tamen minora. Tota plantula aromatica est & radicum Valerianæ silvestris odorem æmulatur. *Synon.*

Officinas ostendere hanc folio oblongiore, admodum angusto, & Florum S. Mariæ Magdalenæ nomine appellare; Spicam item Romanam ac Celticam, refert Cornarius, qui & Nardum Celticam, & Gallicam, itemque Saliuncam appellat. *Flos S. M. Magdal. Spica Romana. Saliunca Matth.*

Matthiolus cõtrà eos errare credidit, qui Nardum Celticam & Saliuncam eandem plantam existimant. Sed ipsemet in errore versari deprehenditur. *Non est Saliunca Vergilii.*

Non dubitat tamen Anguillara, quin Spica Celtica, quam Plinius vocat Saliuncam, non sit ea quæ prouenit in Hungaria & Carinthia, quęque adhuc Venetias inde adfertur. Saliũcam autem Virgilii aliam plantam esse ait, quòd Seruius Grammaticus exponens hunc locum dicat, sua ætate vocatam Orcitunicam, quod nomen apud Græcos significet Anemone, quemadmodum videatur intellexisse Virgilius in dicto versu. Huius autem Nardi Celtici caule, cui adhærẽt radices, & flore ex Galeni sententia, vtendum præcipit, perhibetque Dioscoridem, Serinem vocare: Scribonium verò Largum Nardum siluestrem. *Serine Diosc. Nard. silv. Scrib. Valeriana*

Clusius extra dubium hanc plantulam ad siluestrium Valerianarum classem referẽdam censet, quòd adeò illas odore, & nonnihil etiam formâ, præsertim minimam Nardifoliam referat. Cæterùm, Nardum Alpinam ipse inscripsit, aitque incolas Speick appellare, nomine è latina voce desumpto: Pannones autem Bechy fiu, h. e. Viennensem herbam nominare, quia Viennâ copiosè ad eos transferatur. *Nard. Alp. Clus. Viennen. herba.* Arabes referente Garcia & Acosta, Cembul Rumin & Rumi cognominant, i. e. Spicam Celticam. Germ. Celtischer Nardus / langer Spick / Magdalenens fraut / Marien Magdalenen blůmen. Angl. Celtick Nardus & french Spiknarde Celtika / Nardus. Galli *Nardus Gaulois*: Itali *Spica Celtica & Nardo Celtico*.

Cęsalpinus Nardum Gallicum & Spicam Celticam vocat, testaturque eam Diosc. & Plinium tradere: Plinium autem videri alibi quoque describere, sub nomine Saliuncæ, quam Aliungiam Dioscorides vocari dicat.

C.B. in phyt. Nardus Celtica quæ Spica Celtica, vel Romana officinis, Dioscoridi κελτικὴ νάρδος & ἀλιούγγια, siue Saliunca dicitur: itemque lib. 6. ἐπιτόμ.

De reliquo Lobelius in Adu. Lygusticã Nardum hodie potius nuncupandam autumat, Gen- *Vis.*

dum laudata [de nat. mul. item de morb. mul. ac etiā lib. 2. de d. eta, vbi corruptè pro κρῆθμον, κρήμνον legitur. Corn.] Est autem inter eas quæ eduntur syluestrium herbarum. Hanc certè apud Callimachum apponit rustica illa Hecale, specieique (eius, addit vet.) est Batis hortensis. Caulis vnus palmum altus, semen feruens, odoratum, ceu Libanotidis, rotundum, siccatum rumpitur: habet intus nucleum candidum, quem aliqui cachryn vocant. Folia pinguia albicant veluti Oliuæ, crassiora & salso gustu. Radices digiti crassitudine tres aut quatuor. Nascitur in maritimis petrosis. Estur crudum, coctumue cum olere, odorati saporis & iucundi. Seruatur etiam in muria, præcipui vsus ad stranguriam, folio vel caule, aut radice ex vino. Colorem quoque corporis gratiorem facit, verùm largior inflationes. Aluum soluit decocto, vrinamque, & à renibus humorem trahit. Meminit idem Crethmi, quem Agrion i.e. siluestrem vocat, eiusdem libri capite decimo. Et rursus eiusdem libri cap. 15. dicens: Acoron vtile est interioribus fœminarum morbis, & Conyza vtraque, & Crethmos. Item lib. 25. cap. 13. ait, Crethmos agrios gramias [gremias C. H., granias Corn. τὰς λήμας, glamas Festus vocat] oculorum tollit impositus, tumorem quoque polentā additā. His itaque locis de Crethmo marino loqui videtur, de quo etiam Diosc. egit. Sed idem Batim appellat, quæ est satiua Crethmus: quanquam & marinam & hortensiam Batim coniungat lib. 21. cap. 15.

Batis Crethmus satiua

Conditura ex Columella Columella lib. 12. cap. 7. de condienda Bati loquitur, & conditurae modum cap. 13. eiusdem libri docet his verbis. Sunt etiam quædam herbæ, quas appropinquante vindemia condire possis, vt Portulaca, & Olus chordum, quod quidam satiuā Batim vocāt. Hæ herbæ diligēter purgantur, & sub vmbra expanduntur. Deinde quarto die sal in fundis fideliarū substernitur, & separatim vnaquæq; earū cōponitur, acetoque infuso iterum sal superponitur. Nam his herbis muria non conuenit.

Olus chordum

Ex his itaque colligitur, vt ait Cornarius, Crethmum esse eam quam officinæ quædam Cretham marinam, quædam Crethanum, velut etiam vulgus Italicum, appellant, & quam Ligures Baticulam vocant, diminutiua à Bati voce. Sunt quoque qui affirmant, sale & aceto conditam in Gallias deferri. Imo etiam translatam istic ab olitoribus ad quotidianos vsus seri, & ab ipsis Bacillam vocari: quanquam etiam Fœniculum marinum aliqui appellent.

Baticula

Bacille Fænic. marinum

Dorsth. not. Dorsthenio Meerdistel Germanicè dicitur, in quo eius apparet imperitia, siquidem herba hæc vmbellifera nihil cum Carduis habet commune.

Galenus 7. simpl. de Crethmo ait. Est quodammodò salsuginosum gustantibus, vnà cum modica amaritudine. Quare etiam vim habet extergendi, simulque siccandi. Verùm in vtraque debilius est, quàm sunt amara.

Hippocrates lib. 2. de Diæta, Crethmi succum, inter eos, qui vrinam cient recenset. Exemplaria tamen græca κρήμνον vocem corruptè pro κρῆθμον habent. Idem etiam aliàs Crethmum maximè Æthiopicum probat.

Cæterùm, Crithmi nomine hæ plantæ donatæ sunt. Crithmum siue Fœniculum marinum. Crithmum tertium Matthioli flore luteo. Crithmum quartum Matthioli vmbelliferum. Illegitimus ille Matthioli Tragus, Pena authore, Crithmi salicornii seu Kali congener est. De Trago Matthioli agetur H. hac g. lib. 35. Portulacam marinam, de qua diximus H. g. lib. 8. Crithmi Dioscoridis descriptioni meliùs congruere, quàm Fœniculum marinum, contendit Lobelius. Pastinaca marina, quibusdam Secacul, & Crithmum spinosum.

Tragus Matthioli Portulaca marina

CRITHMVM MVLTIS, SIVE FOENICVLUM MARINUM.

CAP. LXXXIX.



Descr. SVcculenta admodum est herba, in latum diffusa, pedem circiter alta: *folia* latiora & breuiora, quàm Fœniculi, crassa, nec tam crebrò incisa, atro-virentia, sapore subsalso: *caulis* Fœniculi striatus, porracei viroris, vmbellæ luteæ.

Crithmū Diosc. qui asserant. Trago quoque referente, non desunt qui Fœniculū hoc marinum, Discoridis Crithū, seu Crithamon, quod & Batin vocat, esse putant. Inter hos est Cordus, Corn. Dorsthen. Matth. Anguill. Cast. Dod. H. Lugd. Cæsalp. Tabern. C. Bauh. & alii. *Negant* hoc Lob. itemque Tragus, cui videtur Batis hortensiana Plinii, genus esse Portulacæ verum, hodiè incognitum, illud nimirum, quod Olus chordum vocauit Columella.

Qui negent.

Coniectura mera est [inquit Marantha, qui in hoc contra P. Collinutium Matthiolo assentitur:] cùm nescio quis vult Empetron herbam, illam esse, quæ Fœniculus marinus vulgò appellatur, quam eandem herbam, S. Petri vulgus appellat, quasi corruptè Empetrum, in Sempetrum sit mutatum: non aduertens, nihil cæteris notis conuenire: neque enim deiiciendi vim habere: sed omnium consensu Crithmum esse. Totam porrò descriptionem Crithmi Dioscoridis, (dempto tamen vrico vocabulo, respondere plantę S. Petri, eidem tamen vocabulum πλατυτέρα ex Plinio superfluum videtur. Quin & Apollo hanc vocem Dioscoridi accreu sse suspicatur. Sed & auctor H. Lugdunensis Dioscoridis veterem codicem Portulacæ foliis, non latioribus (πλατυτέροις, sed crassioribus (παχυτέροις) habere testatur, hancque lectionem maximè conuenire Fœniculo marino.

Lobelius contra in Aduers. negat hanc esse Crithmum, asseritque Portulacam marinam Crithmo meliùs congruere quàm Fœniculum marinum, quod neutiquam Portulacæ facie sit, vt Dioscoridi placeat.

Lobelii rationem refellit Cæsalpinus, qui dicit: Baticula vulgò appellatur, & corrupto magis vocabulo *Bacicio*, quæ latinè Batis dicitur, herbula fruticosa in scopulis, quæ & seritur

ritur in ædificiis, oleris gratia. Dioscorides cùm herbulam vocat foliis Portulacæ, innuit nostram Baticulam [Crithmum multis siue Fœniculum marinum dictam] quasi paruam Batim: cùm verò cubitalem altitudinem tribuit, alterum genus [Crithmum, siue Fœniculum marinum grandius cui succus lacteus] significare videtur grandius. Plinius utrumque distinguit, tradens Batim hortensem diuersam à crithmo, quam Crethmon agrion vocat, i. e. sylvestre. Nec plura de hac stirpe apud authores leguntur, præterquam quòd Rondeletius Empetrum Dioscoridis esse crediderit. Et licèt eandem vim & facultatem ferè cum Empetro Dioscoridis habere dicat Tabernamontanus, indeque Empetrum marinum cognominat, ad Empetri Dioscoridis differentiam, non tamen verum Empetrum constituit, ut suo loco fusiùs indicabitur, sed verum Crithmum Dioscoridis [quod huic κρίθμον & κρίθαμον, Galeno autem κρῆθμον & κρίθμος appellatur; Latinis verò Crithmus, Crithmum, Crethmum, & Crithamũ,] cum multis aliis asserit.

Empetrũ Dioscoridis Rondeletio.

Emper. marinum.

Crithmũ Diosc.

Synon.

Crithmum dicitur Matthiolo. Dod. gall. Dorsth. Cordo & Corn. in Diosc. Lac. Anguill. Cast. & Tabern. in Icon. ubi & Fœniculum marinum. Crethamum marinum Cordo in hist. cui & Crethmum Veterum. Crithmum marinum Dod. in fol. latino. Crithmus, Batis, Batis hortensiana Plinii, Crithmus marinus Coldēbergii Gesn. de hortis: Item in Append. Crithmus vulgò Creta & Salsa marina. H. Lugd. p.768. Crithmum Matthioli & Batis Plinii. Camer. Crithmum vulgo. C.Bauh. apud Matth. Crithmum 1. seu Fœniculum marinum & Batis hortensis Plinii. Phyt. Crithmum 2. seu Fœniculum marinum alterum. Lob. in Obs. p.213. Icon. Plant. p.391. Fœniculum marinum Empetrum & Calcifraga. Baticula, quasi parua Batis vulgò Cæsalpino, Creta marina Lonicero.

Nomina linguar.

Cæterùm, esse scribit Tabernamontanus, qui Petroselinum marinum, Herbam D. Petri, Crethamum marinum, Sampetram, Batim marinam, Calcifragam marinam, Saxifragiam marinam, & Vnguem aquilæ vocent: Petrum verò Crescentium Rincum marinum: Arabes Iserain, Alhulaic: Germ. Meerfenchel / Meerbacillen & Meer Petterlin: Belg. & Brabant. Zeewenkel Zeepeterselie: Gallos *Bacilles, Sainctpierre, Fenoüil marin, Creste marin.* Ital. *Fenocchio marino, Herba di sant Pietro, Crithmo, Crithamo & Crethmo*: Hispan. *Perexil de la mar; Hinoio marino, Fenol mari, Funcho marinho, & Vnhas de agnula yerua*; h.e. Vnguis aquilæ herba: Angl. Sampere / & Persibe pier: Boh. [illegible].

Locus & Tempus.

Nascitur maritimis saxosisque locis, in lapidum rimis, ac commissuris, plurimumque maritimis Liburniæ partibus, ac non modò in omnibus Tyrrheni promontoriis, scopulis ac rupibus, præsertim Argentario monte in maritimis Senensibus, & vniuerso circum Italiam littore: sed etiam in Adriatico sinu, vbi scopulosa loca: quemadmodum Matthiolo contigit videre eo tractu, per quem à Timano fonte Tergestum nauigatur: namque inibi illa scopulosa littora Crithmo referta sunt. Romæ & in vniuersa ferè Hetruria, ac aliis quàm plurimis Italiæ locis, à maritimis in hortos, ac viridaria transfertur. Vidi Patauii in hortis: Basileæ in horto Cælii florens & semina ferens nondum matura mense Nouembri: Lugduni in hortis: Monspelii & Bisantii, unde accersitum habemus Montbelgardi in horto, in quo repositum optimè conseruatur, copiosè florens, semen autem non maturans.

Qui Crithmum Veterum nobiscum statuunt, ii legant quæ antè circa vires & usum ex iis in medium attulimus. Narrat Amatus Romanum quendam meracioris vini potui indulgentem cum Crethami, i.e. Fœniculi aut Petroselini marini dicti, muriâ conditi, largiore victu usus esset, in diabetem lapsum fuisse, sed adhibitis remediis intra duodecim dies sanitati restitutum fuisse. In Rhætorum Veldinia aceto conditum aliquando comedi, valde sapidum, non tamen me purgauit, vnde non abs re Empetrum esse nego. In muria autem cōditum quandoque in Belgium inferri solitum scripsit Dodonæus, quod coctum, velut Capparis cum oleo & aceto edatur. Gratum quidem admodum ciborum condimentum esse: ventriculo bene facere: iocinori, lieni, renibus, ac vesicæ prodesse: vrinam moderatè prouocare: viscera ab obstructionibus expedire: appetentiamque ciborum excitare.

Vires & vsus.

Non purgat.

CRITHMVM SIVE FOENICVLVM MArinum grandius, cui succus luteus.

Locus Descr.

Baticulæ hoc alterum genus ex Sicilia habetur grandius: *foliis* tenuiùs incisis, odore Apii, sed sapore Baticulæ: *caules* fert cubitales in Autumno, ex lignosis ramis, in terra procumbentibus, crassis, *umbellis* candidis: *seminibus* iam dicto candidioribus, modicè oblongis, striatis, odoratis, & gustu feruentibus: è caulibus recentibus incisis, lacteo succo manans, in lachrymam subrufam concrescente: *radicibus*, vt prius ramosis & candicantibus.

Synon.

Baticulæ alterum hoc genus, inquit Cæsalp. descriptionis author, per Crithmum cubitali altitudine intelligere videtur Dioscorides: Plinius vocat Crethmon agrion, Crethmon Hippocratis, & speciem Batis hortensis. C.Bauh. phyt. Crithmum 1. seu Fœniculum marinum maius, odore Apii.

Vires & vsus.

Efficacius est minore (priore) in mouendo vrinam: nam renes & vesicam miro modo purgat.

CRITHMVM QVARTVM MATTHIOLI vmbelliferum.

CAP. XC.

Descr.

Odiosum repetatu *radicum* est: sunt enim ex longissimæ, & vel minimâ fibrâ relictâ rediuiuæ, satis crassæ, albæ, Eryngii & gustu & similitudine: *folia* in quatuor, tria, plura, pauciorave segmenta oblonga diuiduntur, semunciali latitudine, aut ampliore, longa, circumquaque serrata, sapore cum radicibus communi: *caulis* fœniculaceus, striatus, farctus, nodosus, valdè ramosus: *umbella* satis magnæ minimis contextæ sunt flosculis, colore albido: *semen* gracile, sublongum, quod aiunt acre & odoratum.

Tragus Crithmum hoc ad Triticum vaccinum refert, & tertio loco sub Crithami agrestis titulo describit, vocatque Germanicè Sichel Moren & Sichel kraut / quibus etiam nominibus Cordus in Dispens. vocauit.

Crith. 4. Matth. Camer. vocatur



Matth. in comm. cum mag. fig. Itemque in Epit. & Hist. germ. cum addit. Camerarii (vbi hic, nescio cur, Crithamum montanum vocat) Crithmum quartum fecit ac terrestre cognominauit. Crithmum autem hoc quartum Matthioli, Camerarius in Horto Sichelkraut à figura dixit, videturque ipsi *ἀμμέστε* illa Tralliani diuretica. Sed cùm Betonicæ Musæ dicatus Brionitis hæc fortè etiam Tralliani fuerit.

Tabern. in Icon. p. 101. huius iconem exhibet sub falso Crithmi Chrysanthemi titulo: itemque sub altero in Hist. Crithmi sc. quarti, quod spinosum & Pastinacam marinam cognominat. Quare hæc nomina plantę, de qua hîc agitur, non conueniunt. Propria verò penitùs omisit in iconibus, quę in Historia, sub quinti Crithmi (cuius figuram pro quarto exhibuit) nomine dedit. Qualia sunt Crethanus aruensis Crithmus aruensis, Crithamus terrestris, & Falcaria herba. Ital. *Crithamo terrestre*. Germ. Sichelkraut / Sichel Möhren / Acker Bacillen & feldbacillen. Qualiter, aut, à Veteribus fuerit appellatum, nemini constat.

Falcaria herba Veterib. indicta

Lobelius in Adu. p. 168. Crithmum hoc 4. Matthioli nihil similitudinis habere dicit cum Crithmo Veterum, sed idem, meo quidem iudicio, malè Eryngium appellat, licèt & Dodonęus in folio Eryngiis adscribat, & quartum inter spuria constituat, odore & sapore fretus, quo non Crithmum sed Eryngium referre ait.

Lob. notatur

Locus & tempus Crithmum Montbelg. in agris mense Iulio, Iunio, & Augusto, in Alsatia abundat, translatum in hortum Ill. E. C. suo reptatu ingenti redditum est valde odiosum, quamuis crassam habeat radicem. Circa Basileam intra D. Ioannis portam, & pagum Hunnigen prouenit in agris ad sepes. Nascitur in Bohem. copiosè, præsertim in agro Pragensi, non solùm inter segetes, sed in agrorum marginibus & secus vias. Copiosè prouenit etiam in Flandriæ sabulosis secus Blanquebergam Brugarum, referente Lobelio.

Vires Aperit, digerit, excalfacit, siccat, & mediocriter incidit authore Matthiolo.

PASTINACA MARINA, QVIBVSDAM Secacul & Crithmum spinosum.

CAP. XCI.

Descr. PAstinacæ marinæ herbæ *radix* crassa, tenera, alba, gustui gratissima, dulcis, & rugosa, vt Pastinacæ satiuæ Germanicæ latifoliæ: *folia* crassa, duos ferè palmos longa, spinosa, crebris diuisuris incisa, sapore aromatico cum quadā salsugine: *caulis* cubitalis, in multos diuisus ramos, quibus insidēt *vmbellæ* spinosæ *floribus* paruis albis donatæ.



Synon. Plantā hoc capite à nobis pictam & descriptam, Pastinacam marinam Monspelienses dixêre, quidam Hippophaen Dioscoridis, cuius historiæ respondere videtur Dalechampio, diligentiùs tamen id disquirendum relinquit, alii Tribulum marinum.

Hippophaes Diosc. *Trib. marinus*

Matth. in comm. cum mag. fig. itemque Hist. germ. & Epit. cum addit. Camerarii (qui apposuit figuram ex Gesnerianis & mea planta, ni fallor cum pilis,) inscribit Crithmum secundum seu spinosum, à Cortuso missum.

Crithmum 2. Matth.

Lobelius vexat Matthiolum, ac de hac Pastinaca marina ait. Et sciunt exercitati, secundum Crithmum Commētatoris planè Pastinacæ aut Eringii gustum odoremque præ se ferre, vnde Arabum Secacul opinionem fecit, vulgus Pastinacam marinam vocat. Vtrumque littus superi inferique maris Italici hâc planta scatet, ne non putet Senensis se munus leuidense à Cortusiana Magnificentia accepisse, quod pueriliter solitus est iactare, & inculcare putidiuscula infantia. Hæc ille, qui immeritò Matthiolum taxat. Numquid ingenuum est fateri, per quos profecerimus? Tacuisset Matthiolus si Lobelii supercilio cōtectus fuisset, qui plures Historias clàm excerpsit, & ex autoribus descripsit. Lob. in Obs. p. 408. & Ic. Pl. p. 710. Pastinacam marinam dixit, quam antè Dodonæus Chrithmum spinosum inscripsit, ac pro Crithmo 2. Pastinacæ albæ sapore & figurâ descripsit.

Pastin. marina Lobelio *Matthiolus à nequitia Lobelii vindicatur.*

Duas figuras & descriptiones vnius plantæ habet H. Lugdunensis. Eius enim Tribulus marinus p. 1367. & Pastinaca marina Penæ & Lobelii, ac Crithmum secundum Matthioli p. 1396. idem est.

H. Lugd.

Tabern. in Icon. vocat Crithmum spinosum & Pastinacam marinam. In Hist. pro Crithmo 3. pingit, ac pro quarto describit, ac dicit vocari Pastinacam marinam à dulci & grato sapore Pastinacæ, ob quem etiam in cibis usurpetur.

Crith. spinosum Tabern.

Anguill. epist. 5. dicitur Secacul: Apollini Rad. i. supra diasatyrion, Secacul legitimum. Coldenbergius in Disp. Cordi, si genuinum Secacul non fuerit, in eius locum tamen commodè substitui posse arbitratur.

Secacul.

Monspelii obseruaui ad mare florentem Augusto mense, & Vere prorumpentem: Venetiis ad littus maris: Lugduni habui in horto, accersitum Monspelio. Iisdem prouenire locis in maris litoribus, in quibus Crithmum marinum Matthiolus prodidit.

Locus & tempus Eodem autore ea omnia præstare potest, quæ 1. Crithmi genus, nisi quòd vim aliquam incisiuam habere

habere videtur. In Narbonensi Prouincia radices erutas plebecula elixat.

SESELI ÆTHIOPICVM FRVTICOSVM, folio Periclymeni.

CAP. XCII.



Descr. Ramis aliquot cubitalibus, & altioribus fruticat, rigidis, lignosis, nigricante cortice intectis, in multos ramulos diductis, *folia* per ramos sublonga Periclymeni, angustiora, leuiter acuminata, breuiora quàm Laureola glabra, sapore & odore iuglãdis, sed multò mitiore gratioreq; *umbellæ* pulchræ, fœniculaceæ: *semen* delapsis flauescentibus *floribus* gerũt oblõgũ, canaliculatũ, magnitudine seminum Fœniculi. An Tragiũ Creticum Cordi in Obs. Sylu.

Seseli Æthiopicum 2. Matth. Matth. in post. comm. cum mag. fig. solam dat iconem Seseleos Æthiopici secundi inscriptione. Nec existimarim repertam iri plantam, quæ descriptioni Dioscoridis melius illâ conueniat. Camerarium dixerim in Hist. germ. Matth. & Horto nostram plantam exhibere pro Seseli Æthiopico

Seseli Æth. Verum. vero: in Epit. pro Seseli Æthiopico: Et sic etiam vocant Castor, Lob. in Icon. Plant. p. 634. Tabern. in Icon. & H st. Anguill. epist. 12. & Dod. gall. qui præterea nominat Ægyptiorum *κύνος φρίκην* h. e. Cyonum phrycen, sine icone. Latinus in fol. addit figuram, cui Seseleos Æthiopici fruticis titulũ apposuit, interpretatũsque est

Canis horror. *κύνος φρίκην*, canis horrorem.

H. Lugd. p. 750. Seseli Æthiopicum verum. C. Bauh. apud Matth. Seseli 4. in Phyt. Seseli 5. siue Æthiopicum Herbariorum.

Locus. De Seseli Æthiopico differit Lobel. in Aduers. Matthiolum increpans his verbis. E Galloprouincia Massiliæ, circum atque prope Ceti montem, orã Narbonensis maris, non procul Monspelio, nonnulli studiosi stirpem hanc deferendam curarunt Lutetiam, Antuerpiam, adeoque in Italiam, ubi nondum innotuerat vel doctis:

Matthiolum increpat Lobel. Quin ne nunc quidem notam esse Senensi Commentatori, in postremis Imaginum recusis & mutatis sententiis, magnâ iniuriâ factâ Pharmacopœorum plebi, Medicisque ignauis: Et sanè multò maiore suæ dignitatis detrimento, id contigisse magis dolendum, quàm ridendum moderatis ingeniis. Qui norint non vulgari moderatione & certâ prudentiâ illum quã tũm licuit lapsibus vno loco tam multis occurrere conatũ: cùm enim per opinionem tùm fiduciæ, tum etiam emunctæ cognitionis, quam illis de se iam dudum excitarat, licuisset illi (si libuisset) non solùm picturis mendosis, sed etiam verbis subdolis persuadere, picturis tamen contentus fuit, & silentio suæ dignitati consuluit. Si quã tamen usus est vafriculâ inuersiunculâ, est illa leuis ferenda: non enim nouerat apuores: aut si norat, se tantopere deceptum fateri, eius dignitatis non erat. Igitur quas potuit, dono puta emendicatas, ideò nec recens animaduersas, aut descriptas, in paginas congessit, perperam quidem binas [diuersæ penitus formæ pro Æthiopico seseli] censitas, sed tamen earum unam fermè correctam istam, quæ est Seseli Æthiopicum verum: cuius effigiem mutuatus fuit à Dodonæo Medico multùm exercitato. Quod Seseli, si ut pictum in Dodonæo, ita viuum in agro vidisset Commentator, lubens & volens suffecisset, in locum illius plantæ, cui videtur postposuisse: est enim illa non frutex, sed herba, quam Recẽtiores Libanotidem Theophrasti produxerunt, viribus & figurâ aliena, ab hoc Æthiopico, quem fruticem, adeoque magnum, Dioscoridis correctior codex statuit esse.

Locus & tempus. Hunc fruticem vidi apud Clariss. Virum D. Corrusium, virentem mense Ianuario, qui etiam misit semina, quæ Montbelgardi sata prouenere, plantásque produxere Hiemem perferentes, Iulio ac Augusto cum floribus ac seminibus in vigore existentes. Sed & Dodonæus hoc statu & eodem tempore, in saxosis, & maritimis, haud procul Massilia, tum & aliis Narbonensis Galliæ locis reperiri prodidit: Lobelius præterea etiam ad Ceti montis celsi radices, quà in lacum vergit, uberi prouentu fruticare scripsit. Bellonius author est semper virere, sponte nascens quibusdam locis apud Orgon & Salonem petræam.

Virium mentio rum. Idẽ eximiarũ viriũ huius semen esse dixit, eiusq; copiâ se misisse Venetis & Lugdunensibus ad Theriacam, quòd scilicet, vti Dioscorides innuit Massiliensi Seseli multò odoratius sit & efficacius.

PERFOLIATA IN GENERE.

CAP. XCIII.

DE herba Perfoliata dicta, vt hoc capite verba faciamus, requirit ordo noster Botanicus. Siquidem & hanc ipsam vmbelliferam non

Seseli Æthiopicum. An Cacalia ambigitur. nulli Seseli Æthiopicũ esse censent: Alii tamen àn Cacalia sit ambigunt: Nonnulli tandem, ni radix obstaret, Cotyledonem esse pronunciarent. Nostro autem iudicio, tam Dioscoridi, quàm aliis veteribus indicta est. Perfoliatam ex eo recentiores appellant, quòd caulis eius singula folia pertranseat, penetret, atque dissecet.

Nomina. *Διάφυλλον* græcè dicitur Schrvuenckf. quod nomẽ an aliquis ante ipsũ legerit, nos latet. Germani vocant durchwax/Stopfloch & Bruchwurtz itemque Nabelkraut / quòd sc. multi vsus sit ad vmbilici rupturam, ac etiam genitalium membrorum. Quare autem Tragus concedat posse dici Löffelkraut, non video. Belgæ nominant Deurwas: Galli *Persefeuille*: Ital. *Perfogliata*: Angli Thorow Waxe: Boh. Pupkowa bylina.

Æquiuoca. Perfoliatæ nomine sequentes donauimus plantas. Perfoliata simpliciter dicta, vulgaris, annua. Perfoliata crispa seu muscosa. Perfoliata annua longioribus foliis. Perfoliata alpina magna longifolia. Perfoliata minor foliis gra-



& amplioridus, ad Perfoliatæ ſiliquoſæ folia accedentibus, quæ nec aliter *caulis* traiicit, pinnarum duntaxat aliis caulem complexa: verùm ſuperiora folia propiùs ad Perfoliatę vulgaris accedũt, ex oblongo nonnihil rotunda. *flos* paru⁹, luteus, foliis rotundis obuallatus: ſemen oblongum, ſtriatum, maius quàm Perfoliatæ vulgatæ: *radices* craſſæ, perennes.

Eandem H. Lugd. p. 1311. Perfoliatæ longifolię Dalechampii titulo deſcribit: quę C. Bauhino quinta eſt, noſtra verò quarta, eo ſic illas perperàm ſeparante.

Locus & Tempus. Toſſanus Carolus pharmacopœus miſit nobis Perfoliatę Bupleuri folio nomine anno 1592. Ego eam ſemine colore incepi Mõtbelgardi in horto Ill. F.C. ubi ſemen maturabat Iulio & Auguſto pluribus annis durans. Hanc poſtea communicabat Geſnerus Quingero.

PERFOLIATA MIÑOR FOLIIS GRAMIneis.

Deſcr.



PErfoliata minor craſſiuſculam habet *radicẽ*, & terram verſus comoſam, ex qua *caules* pullulant plures, palmares, pedales, & cubitales, teretes, ſtriati, perquos *folia* acuta, baſi latiore caulem cõmplexa, vnciam vnam, aut alterá longa, ſemunciam circiter lata, alia verò graminea, palmo etiam longiora, culmum lata: umbellæ inæqualibus conſtant muſcariis *floſculorum* luteorum foliorum rotundorum, vallo munitorum.

Seſeli Æthiop. paruum. Perfol. montana minor.

Cæſalp. vocat Seſeli Æthiopici genus paruum, foliis gramineis. C. Bauh. phyt. Perfoliatam 6. ſiue montanam minorem folio acutiſſimo.

BVPLEVRON VETERIBVS
CAP. XCIV.

MEminit Bupleuri Nicander in Ther. ubi ſemina aduerſus ſerpentum venena commendat. Demetrius Bupleurum arborem eſſe ait: ſed hoc negat Scholiaſtes Græcus, qui Olus [λάχανον] facit, cuius mentio fiat apud Nicandrum in inſcripto Hyacintho.

Bupleurũ arbor Demetrio.

Bupleuron autem in ſponte naſcentium numero Græcos habuiſſe prodidit Plin. lib. 22. cap. 22. ubi hæc præterea addit Caule cubitali, foliis multis longisque, capite Anethi (vel umbellæ tantùm figurâ, vel etiamnum floris colore Dalech.) laudatum in cibis ab Hippocrate: in ᐩMedicina à Glaucone & Nicandro. Semen contra ſerpentes valet. Folia ad ſecundas fœminarum, uel ſuccum ex uino illinunt: & ſtrumis folia cum ſale & vino. Radix contra ſerpentes datur in vino, & vrinæ ciendæ. Idem lib. 27. cap. 8. repetit dari Bupleuri ſemen ad ictus ſerpentium, foucrique plagas decoctâ eà herbâ, adiectis foliis Moſi, aut Origani.

Bupleuron olus Græcorum Plinio.

ᐩVſu.

Quæ Ruellius lib. 2. cap. 127. de Bupleurô ſcripſit, cum Plinii verbis coincidunt. Eadem in Caroli Stephani prædii ruſtici Horto; itemque apud Phauorinum, & Geſnerum de quadruped. leguntur. Sed hic quidem inter Paſtinacas erraticas cenſeri vult, quibus & deſcriptione & facultatibus fauere ſcribit. Idem Bupleurum, bouis coſtam reddidit, & eſſe Dulbub Syluatici ait, ſed quid ſit Dulbub ſe nondum reperiſſe.

Paſtin. erratica Geſn. Bouis coſta. Dulbub Syluatici quid.

Plinius apud Dalechampium ſcriptum reliquit Bupleuron eſſe quibuſdam Ammi vulgare. Iacob. autem Greuinus, qui ſpecialia remedia aduerſus omnia venena recenſet Bupleurin tam incognitam nobis aſſerit, quâ Pulibatçam. Gorręus tamen in carmine ſuo Bipleuro (itaenim vocat) eadem, quę Ideę Cupreſſo aſſignauit: ita enim canit.

Quibus addita dicti
Semina Bupleuri, juxta IdeaqueCupreſſi:
Omnia quandoquidem certa ſunt illa medela,
Inflictos que abigunt ſerpentum dente dolores.

Sed nec deſunt, qui præter iam dicta, cenſeant Bupleurô eſſe Auriculam leporis vmbellâ luteâ, quæ aliis, ut Lutetianis *Gratia DEI* dicitur.

Auricula leporis umbellâ lutea.

Quin & Auricula leporis altera ſeu rigidior, à quibuſdam Bupleuron exiſtimatur.

Auricula leporis rigidior.

Acanthum germanicam, Brancam vrſinam vulgò dictã, nobis autem Spondylium, vocari à Nicandro & Plinio Bupleuron, & à Veteribus Græcis Bupreſtin, videtur concludere Cordus. Sed hic non leui errore Bupleuron cum Bupreſti confundere deprehenditur.

Spondyliũ Bupreſtis. Cordi error. Bupreſtis olus.

BVPRESTIS VETERIBVS.

CAP. XCV.

THeophraſtũ hanc agnouiſſe, vel inde meritò quis coniectatur, quòd Bupreſtim [βούπρηστιν] primis imbribus, poſt ęquinoctium germinare dixerit.

Galenus in explicatione vocum obſcurarum Hippocratis ſcripto teſtatus eſt, præter Βούπρηστιν animal, Cantharidi aſſimule, eſſe Βούπρηστιν, olus aliquod agreſte (λάχανον ἄγριον) cuius meminerit Dioſcorides partim in 2. libro ſalubrium, partim etiam in eo, qui de oleribus [περὶ λαχάνων] inſcriptus ſit.

De Bupreſti Plinius hæc adfert lib. 22. cap. 22. Bupreſtim magnâ inconſtantia Gręci in laudibus ciborum etiam habuêre: iidemque remedia tanquam contra uenenum prodiderunt. Et ipſum nomẽ indicio eſt, bouum certẽ uenenũ eſſe (igno-

Græcorum inconſtantiam arguit Plinius.

S 2

Plinii error. ranter hęc Plinius. De Buprefti herba id non traditur, fed de Buprefti infecto, fcarabæo longipedi non diffimili, à Plinio lib.30. cap. 4. defcripto, Dod.] quos diffilire deguftatâ fatentur.

Plinius confundit Bupreftim herbam & infectum. Gefn. de quadr. in boue & vacca, Plinii verbis iam citatis hæc fubnectit. Videtur autem animal Bupreftin, quod bubus venenofum eft cum herba eiufdem nominis confundere, ideoque Græcorum inconftantiam reprehendere. Cuius & ignorantiæ & confufionis Plinium etiam arguunt Rob. Conftant. in Lex. Græco: Gorrhæus in defin. & Etymologici autor.

Æquiuoca Satis itaque fuperque patet ex dictis Bupreftin herbam eiufdem effe nominis cum animali ex Cantharidum genere.

Sinapi fimilis Bupraftis vel Bupreftis Varino eft genus oleris filueftris fimile Sinapi, de hoc H.g. lib.21.

Bupleuri Bupreftin veterum Græcorum, Cordus indigitat Bupleuron Nicandri & Plinii, non fine lapfu. Idem Bupreftim veterum Græcorum ait effe herbam vmbelliferam. Brancam vrfinam vulgo Germanico dictam nos Spondylium infcripfimus.

Bupreftis tandem quibufdam eft Auricula leporis quam duplicem agnouimus, & iam tractandam aggredimur.

AVRICVLA LEPORIS VMBELLA luteâ.

Cap. XCVI.



Defcr. Avriculã leporis appellant vulgò plantam cui *radix* parua, rugofa, fubuiridis, fibrata, fapore acris: *caulis* tenuis, teres, læuis, ftriatus, crebris geniculis donatus, intus inanis, altitudine cubiti vnius, aut duorũ, ramis multis concauus, colore fubrubente interdũ, aliàs viridi: *folia*, præfertim quę in caulibus exiftunt, longiufcula, ftricta neruis fecundũ longitudinẽ pluribus donata: inferiora autẽ latiora funt [quæ tamen noftra figura Guariniana non exhibet:] *Flores* Fœniculi lutei in vmbella minùs patula: quibus *femen* fuccedit Petrofelini acre.

Synon. Elaphobofcum Ocell. ceruı Gratia Dei Herba coparıa. Hæc eft illa, quam Ruell. lib.3. cap. 48. Elaphobofcum vocat, itemque Romanorum Cerui ocellum, officinarum Gallicarum Gratiam Dei, & Sueffionenfis agri Herbam copariam.

Quam Tragus Herbam vulnerariam [wũndkraut] infcribit, ac Panaces Chironium effe fufpicatur, eadem cum noftra eft. Ipfi autem [vt & Lonicero] affentiri non poffum, vt qui Panacem vocat, cùm Panax chironium, folia fimilia Amaraco, vel vt Lacuna legit, Origano, habeat, hæc autem longè diuerfa.

Ifophyllum Cordi Cordus in Hift. Ifophylli nomine defcribit: Camer. in horto & Dod. gall. Bupleuri: lat. in fol. Bupleuri anguftifolii. Lob. in Adu. Bupleuri quam non malè Bupleuri Hippocratis, ex Plinii hiftoria, nomenclaturæ & effigiaturæ quadrare credidit. Sed quæ effigies quæfo apud veteres Bupleuri habetur? In Obf. p.243. vocat Bupleurum Dodonæi & Herbariorum. In Icon. Plant. p.456. Herbariorum Bupleuron anguftifolium. H. Lugd. p. 436. Bupleuron Dodonæi. Bupleurum Lobelianum.

An Anguill. epift. 11. Bupleuron Demetrii, inter Veronam & Brixiam inuentum, pulchrius montis Baldi.?

Catal. Francoford. & Helfrico dicitur Auricula leporis, *αὐτίον λαγώ* Hafen öhrlin/ Gall. *Oreille de lieure.*

Locus & tempus. Montbelgardi variis in collibus copiosè prouenit, vt iuxta collem Roffe, nec non prope Arbouans florens Augufto, ac etiam Octobri, Bafileæ circa molendinum ad Birfam etiam Iulio, femen autem maturans Septembri & Octobri: circa montem Krenzack in Marchionatu: Geneuæ in monte Thuiri. Ifophyllum Cordi nafcitur montanis locis, folum amat argillaceum, calcario lapidi mixtum: radice nititur perenni. Reperiturque variis Germaniæ, tum & Hifpaniæ locis: Iulio ac Augufto florens deinde femina perficit.

Vires Quia porrò tota planta faporem habet fubacrem, aliquantulùm amarum, & faliuam prouocantem, Perfoliatæ, Cordo tefte, non diffimilem: ideò non abs re Dodonæus femen calidum, ficcumque fecundo ordine effe dixit.

AVRICVLA LEPORIS ALTERA SIVE rigidior



Differentia in folio eft, quod non tantùm maius, fed etiam craffius, rigidius, neruofius, modicè in acumen definens, introque flexis oris concauam carinam, aut potiùs leporinam furrectam auriculã referens. Et talem habeo inter meas ficcas plantas.

Dalech. defcr. Dalechampii defcriptionem, quæ placet, hîc fubiicere libet. Folio confpicitur longo, rigido, latiufculo in medio supernè in anguftum definente, ferè lanceolato, multis ftriis quafi diftincto, nonnihil concauo & inflexo, vnde illi Auriculæ leporinæ nomen: caule procero, geniculato, in ramulos fuperiore parte diuifo, vmbellis in fummitate pufillis, fparfis, luteolis floribus, femine Anifi aut Anethi, oblongo.

Dod. lat. in fol. Bupleurum alterum latifolium infcribit

Non est Isophyllum Cordi. inscribit, atque Cordum Isophyllon vocare. Sed fallitur: nostra enim stat sententia, esse Bupleurũ angustifolium.

Elaphobosc. non est. Lobel. in Adu. p. 192. alteram Bupleurum cõgenerem latifoliam, Auriculam leporis dictam, Elaphoboscum esse negat. In Obs. p. 244. & Icon. Plant. p. 456. alterum Bupleurum latifolium.

H. Lug. repreh. Hist. Lugd. duas & descriptiones & figuras habet vnius plantæ, ac planè similes, vt vna ex altera facta videatur. Harum prior est p. 436. hoc titulo: Bupleurum alterum latifolium Lobelii, cuius etiam descriptionem retinuit, ac officinas Monspelienses Auriculam leporis vocare ait: Lutetiæ nunc Gratiam, nunc Elaphoboscum: Quosdam Buprestum Plinii. Alteram, quã p. 741. Panaces Chironium quorundam Dalechampii inscripsit, alios Bupleuri speciem, Monspelienses Auriculã leporis dictam, vocare retulit: alios Elaphoboscum, quosdam verò Buprestum Plinii. Vides inanem repetitionẽ duarũ descriptionum & figurarum.

C. Bauh. phyt. vocat Bupleuron 2. siue folio rigido, & Bupleuron maius Gesnero.

Locus. Multi sunt anni ex quo habeo Auriculam foliis rigidis, vnde, non recordor. Gener Cherlerus attulit collectam circa Monspelium, iisdem in locis, in quibus prior occurrit, nõ procul Gramõtia silua, longè frequentiorem.

AVRICVLÆ LEPORIS AFFINIS, ODONtitis lutea Valerandi & Dalechampii.

CAP. XCVII.

Descr.



Durã, lignosã, albicante, simplice *radice* nititur, à qua statim coliculi aliquot surgunt dodrantales aut paulò maiores, Bupleuri similes, in multos *ramos* diducti: *folia* incõdita, Linariæ: *flosculi* lutei Perfoliatæ, vallo foliorum oblongorum, acutorũque circũdati: *semen* Polygoni Tragi ferè simile, quod Fnaull vocant.

Cæterùm, magnam eam affinitatem cum Odontitide purpurea Plinii, quæ est Flos cuculi Tragi, ob quam à Dalechampio apud H. Lugd. 1068. nominata est Odontitis lutea, animaduertere non possum.

C. Bauh. Caryophylius. Miror etiam C. Bauhinum hanc plantam referre ad Caryophyllos [Betonicas sc. coronarias] faceréque in phyt. Caryophyllum 40. siue flosculo minuto luteo.

Rantzius hanc quoque dedit collectã in Euganeis mõtibus. I. H. Cherlerus ex accliuibus versus Castellonouanum Monspelio attulit, sub nomine Bupleuri graminei. Locis humidis gaudet.

Vsus. Huius decocto si quis os colluat, dentium cruciatus sedari scripsit Dalechampius.

AVRICVLA LEPORIS MINIMA.

CAP. XCVIII.



Descr. Pedalis aut cubitalis est plãtula, quę ex *radicula* candida, dura, lignosaque, fibris aliquot exiguis prædita, *coliculos* surrigit graciles, teretes, multis ramulis, ab imo ad summũ brachiatos, in paruas veluti vmbellas desinentes, quæ exiguis *foliolis*, tenuibus, & rigidiusculis constant, & in eorum medio *semina* prominent ex breuissimis pediculis, tria, vel quatuor, striata, ad Petroselinum vulgare accedentia. Alas verò singulas, singulum ab ima parte inuestit *folium*, longitudinis vnciæ & semis, Odontitidi Valerandi & Dalechampii persimile, tribus aut quatuor per longitudinem neruis præditum, acuminatum. *Flos* mihi hactenus nõ visus. Sapor exsiccatæ euanidus & obscurus.

Basileæ inter Byrsam & syluam, quà Augustã itur crescere audio mihi data à Richnero.

NARDVS INDICA VETERIBVS

CAP. XCIX.

Hæc est illa Nardus, quam Theoph. hist. lib. 9. cap. 7. cum omnibus aliis, aut plurimis odoratis ex India aduehi narrat. Iis sc. quibus vtuntur ad vnguenta. Nardus Theoph.

Dioscorides duo Nardi huius genera tradit: vnum Indicum appellatum, alterum verò Syriacum: non quòd in Syria nascatur, sed quòd mõtis Indiæ, in quo reperitur, pars una Syriam, altera Indiam spectet. Ac in eius quidem, quæ Syriaca dicitur genere præstantiorem eam censeri, quæ recens sit, læuis, comosa [ἁδρόκομος, Vet. cum Ruell. πολύκομος,] colore flauo, perquàm odorata, quæque præterquam quòd odore Cyperum imitetur, breuem [μακρὸν, mauult vet. ...] habeat spicam, gustu sit amaro linguamque maximè siccante, ac in sua odoris gratia diutinè permaneat. Ex Indicæ verò Nardi genere esse Gãgeticam dictam, à fluuio quodã Gangete nominato, qui montem, ad cuius radices ea nascitur, præterfluit. Hanc viribus esse infirmioribus quòd in locis aquosis proueniat, esseque proceriorem, atque complures habere spicas ab eadem radice tum comosas, tum sibi inuicem circum-

volutas, virusque redolentes. At quæ in editiore montis parte legatur, odoratiorem esse [vet. addit ἢ μελαντέραν, cui lectioni adstipulatur Galenus 8. simpl. & Paul. cap. de Nardostachi: pusillasque habere spicas, iucundumque Cyperi odorem æmulari, ac cæteras habere in se dotes, quas & Syriaca cognominata. Esse quandam, cui Sampharitice nomen à loco inditum sit, admodum pusillam, attamen magnas habere spicas, inter quas medius interdum prorumpat caulis, candidior, & supra modum hircum olens. Hanc damnare in totum oportere. Vendi & madefactam: quod vitium ex eo deprehendatur, quòd candida sit spica, squallida, nullaque obsita lanugine. Adulterari inspirato Stibio cum aqua aut vino palmeo quò videlicet magis compacta, ponderosiorque appareat. Vsus tempore, si quid luti radicibus adhæserit, idipsum auferre oportere, vt & puluerem cribro secernere, ad aquam eluendis manibus dicatam accommodum. Vim habere excalfaciendi, exsiccandi, vrinasque ciendi. Quamobrem & aluum epotas sistere, & appositas ex vtero fluxiones, taniemque compescere. Ex frigida verò potas, nauseæ & stomachi rosionibus auxiliari: itemque iis, qui à flatibus exagitentur [ἐμπνευματωμένοις. Vet. ἐμπνευματικοῖς] hepaticis, ictericis atque nephriticis. Aqua autem incoctas seu fotu seu insessu [coctas verò in aqua & pro fomento ad insessus adhibitas] vuluæ inflamationibus adhiberi. Facere & ad superfluo humore redundantes oculorum palpebras, dum ipsa cilia adstringunt & condensant. Quin & siccas humentibus corporibus ad summouendam graueolentiam vtiliter inspergi. Misceri etiam antidotis. Porrò ad ocularia quoque medicamenta vsque ad summum læuorem tritas & cum vino in pastillos conformatas vase nouo non picato recondi.

Vires

De folio Nardi plura dici par est, vt principali in vnguentis, inquit Plin. lib. 12. cap. 12. Frutex est graui & crassâ radice, sed breui ac nigrâ, fragilique quamuis pingui, situm redolente, vt Cyperi (ut Cyperum M. CH.) aspero folio, paruo, densoque. Cacumina in aristas se spargunt: ideò geminâ dote, Nardi spicas ac folia celebrant. Alterum eius genus apud Gangem nascens, damnatur in totum, Ozænitidis [Gangitidis Diosc.] nomine, virus redolens. Adulteratur & Pseudonardo herba [item luto siccæ radici permixto, ex Diosc.] quæ vbique nascitur, crassiore atque latiore folio, & colore languido in candidum vergente. Item sua radice permistâ ponderis causa, & gummi, spumaque Argenti aut Stibio, Cyperiue cortice. Syncerum quidem leuitate deprehenditur, & colore ruffo, odorisque suauitate & gustu maximè siccante os, sapore iucundo. Pretium spicæ in libras x.c. Folia (Malabathri, subintelligi vult Dalech. quòd sc. de Malabathro verbis totidem & iisdem hæc referat Arrienus:] diuisêre annonam: [Annonam pretium mercis vocat] ab amplitudine Hadrosphærum vocatur maioribus foliis [pipulis CH.] x.xxx. Quod minore folio est Mesosphærum appellatur: emitur x.lx. Laudatissimum Microsphærum è minimis folium: pretium eius x.lxxv. Odoris gratia omnibus maior recentibus. Nardo color, qui [si M.] inueterauerit nigrioti melior. In nostro Orbe proximè [primum Dal.] laudatur Syriacum, mox Gallicum, tertio loco Creticum [Ponticū Diosc.] quod aliqui agrium vocant, &c. Sunt autem ea omnia herbæ præter Indicum. Idem lib. 13. c. 1.

Nardi Ozænitis adulterium

Nardi syncera probatio

Pretium

Hadrosphærum Microsphærum Delectus

Nardinum siue foliatum [vnguentum] constat Omphacio, Balanino, Iunco, Costo, Nardo, Amomo, Myrrha, Balsamo. In hoc genere conueniet meminisse herbarum, quæ Nardum Indicam imitentur, species nouem à nobis esse dictas: tanta materia adulterandi est. Omnia autem [vnguenta: ergo etiam & hoc,] acutiora fiunt Costo. Amomo, quæ maximè nares feriunt: crassiora Myrrha, suauioraque: Medicinæ autem vtiliora Croco: acerrima per se Amomo. Lib. 16. cap. 32. inquit. Non ferunt Amomi Nardi delitiæ, ne in Arabia quidem ex India naue peregrinari. Tentauit enim Seleucus rex. Illud maximè mirum ipsas arbores plerunque exorari, vt viuant atque transmigrent: aliquando & à solo impetrari, vt alienas alat, aduenasque nutriat: cœlum nullo modo flecti. Tandem lib. 21. cap. 3. ait. Eò luxuria processit, vt non esset gratia [coronis] nisi mero folio: (Merum folium dicit aroma Indicum, non autem floris Rosæ folia, Dalech.) subtilibus mox petitis ab India, aut vltra Indos. Laudatissimum quippe habetur è Nardi folio eas (coronas] dari, aut veste serica versicolores vnguentis madidas.

Herbæ nouem spec. Nardum imitantes

Nardi spica vocatur à Galeno, quo authore 6. simpl. excalfacit excessu primo, desiccat secundo completo. Composita est ex adstringente sufficienter substantia, at acri, calida non multa, & quadam leuiter amara: ex his constans facultatibus radix, & ad iecur, & ad stomachum rationabiliter conuenit, tum pota, tum extrinsecus imposita. Vrinam ciet, morsus stomachi sanat, in ventre ac intestinis consistentes fluxiones desiccat, ad hæc & eas, quæ in capite & thorace. Valentior est vocata Indica, quæ nigrior est, quàm Syriaca.

Spica Nardi Galeno Tempes.

Vires

Nardi sanè descriptionem & integram & euidentem proposuit Dioscorides nec ambiguum est vbi locorum mons sit, in quo nascitur. Clarè enim dixit in India ipsum esse, & alteram ipsius speciem Indicam, alteram Syriacam dici, prout altera montis pars ad Indos, altera ad Syros spectat. Declarat ampliùs ex eo quod alteram Indicæ Nardi speciem Gangitidem appellari dicit, vt quæ ad Gangem nascatur fluuium qui montem prætetlabitur. Nec verò radices auferre Dioscorides iubet veluti mutilas & ad vsum damnatas, sed hæ solæ sunt quarum vsus expetitur ad medicamenta, in his affectionibus ad quas illas cõmodas præscribit. Quod autem radicum vsus sit, & hæ primo abscessu calidæ sint, secundo siccæ, Aetius & Paulus ex Galeno transcripserunt:

Mons in quo nascitur Nar. Indus est in India Gangetis

Lapsus est hac in parte Manardus, cùm credidit id esse spicam, quod radix est. Cùm [Galeno 1. de Antid. autore] per similitudinem quam cum spica habet, hæc radix Spica nominetur, non quòd reuera spica sit: neque enim propriâ appellatione vtitur Diosc. aliique qui de ea loquútur. Distinguit passim Demet. Constant. de cura accipitr. Spicam Indicam à Nardo spica, sed qua in re differant, non monstrat. Sed nec ipsi nos discrimen nouimus. Quare considerandum vobis relinquimus, quid sibi velit, ac etiam quid per Spicam simpliciter intelligat.

Demet. notatur

Est nobis Nardus Indica, Nardus vulgò recepta, de qua tamen dubitat Anguillara, qui sibi Samphariditam Nardum incognitam ait.


Nard. Ind. vulgaris

NARDVS INDICA VVLGARIS

Nardi Indicæ nomen particula dũtaxat plantæ hodiè obtinet, quæ & Spica ob figuram dici

dici meruit. Est autem nihil aliud, quàm comatum radicis caput, ex marcidorum foliorum nervosis filamentis conuolutis congestum, colore ruffescente, sapore amaro, acrique & aromatico, odore Spicæ Celticæ, validiori: adhæret hæc con a radici digitalis crassitudinis, saturatius ruffæ, solidæ, sed fragili: est vbi folia quoque nondũ in neruos diuulsa albicantia inueniũtur, cauliculi concaui, striati, pluresque ex eadem radice capillatæ spicæ enatæ subinde conspiciuntur.

Descr.



Cæterùm. Nardum hanc vulgarem officinarum, Anguillara non existimat esse verum Syriacũ Nardum, & adhuc multò minùs Indicum: sed Gangeticum, simili ratione persuasus. In Nardo vulgari officinarũ, nõ inuenitur odor, similis odori Asari, vel Cyperi, qualem requirunt in Nardo Dioscorides & Plinius: sed odor grauis & non gratus, qualem Gangitidi tribuit Dioscorides.: Ergo Nardus vulgaris offic. non erit Syriaca, nec Indica, sed potiùs Gangitis. Huic ex posteris subscribat, qui velit.

Nardus legitima.

Nos interim cum sanioribus, senioribus, & prudentioribus posteris credimus nos habere Nardum Indicam, licèt interdum, vel ob vetustatem, vel ob vliginem, maris humorem sibi ascitum, vel ob adulterium corrupta, situm contrahat, ac tũ odoris, tũ saporis suaueolentiã illã, quam Veteres desiderant, non referat, nec colorem genuinæ repræsentet, quibus omnibus ab initio prædita erat,

Nardi vnicum genus est.

Porrò, non sunt diuersa Nardi genera, sed vnicum duntaxat sibi notum testatur quoque Garcias, id sc. quod in monte quodam iuxta Gangen, fluuium prouenit, qui altera quidem parte Orientem spectat, altera Occidentem, ad quem sc. Occidentem sita est Syria, multis regionibus ab India discreta. Neque vna præstantior est altera, Spicãmue habet alia altera multò lõgiorem. Nec est quod quis ex ingenti pretio, quo antiquitus, teste Plinio lib. 12. cap. 12. emebatur, inferre studeat, nostram Nardum non esse legitimam. Huic enim obiectioni respondet Garcias, cùm ait Indias nunc magis apertas & cognitas esse, quàm tempore Plinii fuerint, & ipsa aromata maiori copiã ad nos adferri. Illud affirmare possum, inquit, multò plura aromata, maiorique quãtitate, & minùs adulterata adferri, viliorique emi, quàm antiquitùs fiebat: quòd nunc Lusitanorum nauigationibus Indiæ nobis apertæ sint, ipsæque regiones, quæ aromata gignunt, longè cultiores nunc sint, quàm Veterum tempore fuerunt. In eorum numero Nardum repono, quæ legitima & sine mangonio ad nos importatur. Inuenitur quidem interdum sordida & puluerulenta, villis ipsius plantæ in pollinem redactis. Emitur tamẽ

Nardi cur nunc hodie aromata.

Nardus sordida.

à mercatoribus Arabibus & Persis, quos eo puluere manus eluere intelligo. Id porrò genus, quod Sepulueda Satiech & Satiach appellat, id esse puto, quod ex Satiguam adfertur, celeberrimo regni Bengala portu & emporio ad fluuii Gangis ostia.

Satiech & Satiach Sepulueda

Vocatur autem Incolis Cahzçata: Auicennæ lib. 2. cap. 646 & omnibus huius tempestatis Arabibus çembul, quod est spica, & çembul Indi, i.e. Spica Indica. Quod autem corruptè Matthæus Siluaticus cap. 640. *Simibel* & *Sumbel* & Matth. in Hist. germ. & Epit. cum addit. Camerarii *Strũbel* & *Senbel* protulerit mirum non est, cùm ii linguam Arabicam ignorarint: nisi malimus tempore paulatim corrupta fuisse vocabula: Latinis, vt Indis, Spica Nardi, & aliis Nardus Indica: Græcis νάρδος & νάρδου στάχυς. Germ. Jndianischer Nardus & Spike Narden: Gall. *Aspic d'outre mer* Ital. *Spica* & *Spigonardo*: Hisp. *Azumbar* aut *Espigo* *fit*: Angl. Spik Narde. Boh Nardus Jndiansky.

Nomina linguas.

Matthæus Syluat. & Matth. etc.

Videamus nunc Matthioli & aliorum de Spica opinionem. Cùm igitur simpliciter Nardi vocabulum (à Nardo vrbe Syriaca Euphrati conterminã fortè nuncupatum, C. Bauh.) apud authores reperitur, semper Indicam intelligendam censet Cordus. Et licèt Dioscorides multas Nardi differentias proponat, loco tamen natali solùm differre credidit, siquidem omnes in vno monte proueniant, vtpote Syriaca in Occidentali eius parte, Syriam respiciente: Indica verò in Orientali parte ad Iudæam vergente. Rursus Indica in duas species diuiditur, quarum vna in monte, altera ad radicem montis prouenit, non procul à præterfluente Gange, quæ Gangitica, quæ omnes hodie indistinctæ adferuntur.

Nardi forte Etymon. Nardus simpliciter dicitur

Nardum Officinæ Nardi Spicam appellant, inquit Matthiolus. Sed non desunt, qui credant Indicam Nardum in nostras terras non aduehi, ob regionis distantiam, Syriacam opinantes esse quã nostro æuo Seplasiarii vtuntur: tametsi (ut inquit Dioscorides) in Syria non oriatur, verùm ideò Syriaca dicatur, quòd ea montis parte prouenit, quæ flectitur ad Syrios. At cùm inter Indos & Syrios amplissimæ interponantur regiones, nempe Deserta Arabia, Persis, Carmania, Gedrosia, Darangia, aliæque nonnullæ quæ vltra quatuor millia milliariorum continent, nesciuerim profectò, quonam pacto fieri possit, vt mons ille ad Gangem positus, altera parte Syriam tam facilè respiciat, vt Nardus ea parte proueniens Syriaca dici mereatur. Quo fit vt quandoque mecùm disquirere licuerit, eam potiùs à Syrastene regione, quę ad Indicum fluuium est, Syrii nomẽ sibi asciuisse, quàm à Syria, quandoquidem, si Ptolomeus vera refert, mõs in India visitur, qui à Gange fluuio ad Syrastenem extenditur. Cæterùm, Manardus Ferrariensis officinarum Nardum nec Indicam, nec Syriacam esse censet. In cuius sententiam non equidẽ pedib. eo. quippe quoniam Venetiis pluribus in locis Nardi ingentẽ copiã vidi, nullis deficientib. notis, quib. optima ex Dioscoridis sententia explorari potest. Sed illud accidere quandoque non eo inficias, vt ascito sibi maris humore, dum per Indicum & Arabicum in Alexandriã defertur, & inde Venetias, vel situm contrahat, vel subputrescat [hoc namque facilè fieri posse concedo, quòd Nardus sit siccissima] vnde postea amissã suaueolentiã, grauiter oleat. Quo fit vt hac in re Manardum longè hallucinatum crediderim: sic. Hallucinat.

Syriaca a Syrastena regione dicitur.

Manardus lapsus.

tus etiam Brassauolus, inquit præterea idem Matthiolus, vt pote qui Nardi Spicam, non modò non esse radicem censet, sed nullius vsus eam existimat: cuius doctrinā sequuti Hermolaus & Ruellius aberrarunt itidem. Rationes Senensis petat Lector ex eius Commentariis: Nos breuitati studentes eius sententiam Turnero examinandam committimus.

Matth. & Amatus coniectur. Matthiolus, inquit ille, eumque secutus Amatus multùm laborant, vt probent spicam Nardi non esse spicam in caulis fastigio nascentem, sed radicem Nardi: contraque omnes aliter sentientes, grauiter inuehuntur, contra tres potissimùm viros clarissimos Hermolaum, Ruellium & Manardum, qui tametsi errarunt, propter magna tamen in vniuersam Europam merita clementiùs debebant à nouis istis Censoribus tractari. Ego quidem [inquit Turn. part. 2.] spicam hanc vel iuxta terram, vel partim etiam intra terram nasci existimo. *Non est propriè radix.* Non tamen propriè radicem nominandam censeo. Quod autem ex Galeno de antidotis adducunt, aut intelligendus Galenus impropriè spicam Nardi vocare radicem, aut in aliis locis negent oportet authoritatem non tantùm Galeni, sed etiam Philonis, & Diosc. quoque, qui manifestè distinguunt inter Nardi radicem & spicam, aut planè negent spicam esse radicem. Galenus lib. 9. *κατὰ τόπους* in antidoto Philonis duos, inter alios multos, versus recitat, quibus clarè negatur Nardum esse radicem. *Radix falsò dicta.* *Et drachmam dicta falsò radicis* &c. Quæ verba Galenus ibi explicans inquit, Quin & Nardi ipsius drachmam vnam coniiciendam censet, quam radicem falsò dictam appellat, quādoquidē spica Nardi verè nominatur. Dioscorides quoque in descriptione Nardi Gangitidis ait spicas multas ex vna radice prodire: ex quibus verbis patet Nardum non esse radicem Nardi. Ex quo sequitur spicam Nardi non propriè dici posse radicem, nisi quis Philoni, Dioscoridi & Galeno contradicat. *Matth. redarguitur.* Matthiolus multos grauiter erroris insimulans de Nardo parum abest ipsomet ab errore, nisi iam eodem inuolutus est. Videtur enim existimare Nardum caule penitùs carere, ideoque spicam in caulis [qui vel nullus est, vel certè nusquam reperitur] fastigio non posse oriri. Verba eius sunt, Ego enim tametsi, &c. Quid autem est hoc argumenti: Nihil vidit Nardi præter spicam, Ergo præter nihil habet? Quòd si hæc sit Matthioli ratio, vt eò saltem videtur tendere, tum videtur Nardus neque caulem habere, neque radicem aliam præter spicam, quod planè Dioscoridi, quem interpretandum suscepit, repugnat, qui Nardo & caulem tribuit, & radicem præter spicam. Et quanquam in Germania non est is simplicium delectus, qui Venetiis, hoc tamen anno 1577. in offic. Iacob: Dieter Pharmacopœi Wiseburgensis Nardum inueni cum caule digitalis longitudinis, concauo, straminis maioris crassitudine, quem vel hodie possum ostendere. *Nardi caulis.* Quod ad radicem Nardi, si eius nihil præter spicam Venetiis potuit reperire, miror vbi radiculam illam inuenerit, ex qua spicæ oriuntur, in figura quam in Comm. in Diosc. pingit. *Censet* etiam Amatus Spicam Nardi esse radicem. Apparet tamen ex eius verbis tum cap. de Meo, tum cap. de Nardo, velle eum Spicam Nardi esse radicis Nardi partem inferiorem: vtrobique enim radicem Nardi, cum Mei radice confert: vtrobique etiam ait capillatas radices Mei, quæ Nardo sint persimiles, in infima parte radicis nasci. Posteriore loco ita inquit: Quod dicit Dioscorides Nardum ex vna radice plures proferre spicas, pro nobis facit, cùm ex vna radice primaria, vt reliquarum matre, multæ radices veluti comosæ spicæ confertim nascentes prodeant, quemadmodum in radice Mei videre est, cuius infinitæ radices in spicas diuidebantur, vt quicunque viderunt, Spicam Nardi esse iudicarent. *Radix Nardi est alia, quam spica.* Et paullò pòst, Concludendum ergò nullam aliam in Nardo inueniri radicem quàm spicam. Si ita intelligit vt verba sonant, plurimùm fallitur. *Error Matth.* Præterquàm enim quod ego caulem immediatè ex spica prodeuntem vidi [caulis autem nunquam immediatè ex radicis infima parte prodit] ostendit Dioscorides multas spicas ex radice oriri vna. Quod autem cum Matthiolo negare videtur caulē, haud aliâ opus est cōnfutatione, quàm quâ supra, contra Matthiolum vsi sumus. *Hæc igitur* Turneri est sententia de Nardo, habere radicem paruam, in terra, ex qua spicæ oriantur, caulemque [vt se vidisse semel ait] ex medio spicæ oriri, atro-purpurei coloris, gracilem, concauum.

Tantus igitur est labirinthus, & tanta opinionum varietas & inconstantia iudiciorum, circa Nardum, vt tutiùs videatur iam in medium allatis acquiescere, quàm pluribus super hanc rem disserere. *Malabatrum.* Illud tamen adhuc annotatile conueniat, Acostam dixisse, quosdam apud Dioscoridem Malobatrum esse folium arboris Spicę Nardi constituisse. *Ex Algarū genere.* Cæsalpino Spicam Nardi ex Algarum generi esse videri.

Locus. Cæterùm, nasci Nardum in Mandou & Chitor prouinciis, regnis Delli, Bengala, & Decam vicinis, iuxta fluuium Gangem, quem incolæ Ganga appellant, prodidit Garcias.

Lacuna. Lacuna cōfutatur. Sed & hic fabulosum omninò iudicat, quod Ard. Lacuna in Diosc. scribit, Nardi vsum apud Indos esse periculosum, quoniam ex ea fiat veneni quoddam genus mortiferum, quod non modò haustum, sed etiam cuti in sudoribus aspersum hominem illicò iugulet, idque toxicum Pisum vocari. Nam cùm multis in India annis Medicinam exercuerit, & non modò versatus sit cum omnis generis Medicis Asiaticis, sed etiam Regibus & Principibus familiaris fuerit: nunquam tamen hoc Pisum ipsi videre contigit, aut eius nomen audire. Fontanonus de morb. intern. lib. 3. cap. 18. in pesso ad fluxum sanguinis ex vtero præscribit Nardum: existimans sistere menses. Sed quum tutiora multa habeamus remedia, Nardo vti nolim odorato & calido, quin ipsemet lib. 2. cap. 16. de hydrope, in qua opus aperientibus, aperire perhibet. De Nardi viribus plura qui desiderat, legat quæ antè ex Veteribus adduximus. Ex eorundem tamen sententia, hoc loco pauca quædam de Nardino *vnguento*, de quo tunc dicere obliti sumus, adscribemus. Variè itaque præparabatur iam tum Dioscoridis ætate, tum cum Malabathrino folio, tum sine ipso. Plerumque verò ad Balaninum, aut Omphacinum oleum, ammiscetur spissamenti gratiâ Iuncus rotundus odoratus, ad odoris autem gratiam, Costus, Amomum, Nardus, Myrrha, Balsamum. Est autem bonum, quod tenue est, non acre, & Nardi siccæ, aut Amomi odorem habet. *Vis.* Vis ipsius attenuatoria est, acris, extersoria, & refrigeratoria humorum, & calfactoria. Est autem liquidum, non strigmentosum, nisi resinam habuerit ammixtam. Præparatur etiam simpliciter ex oleo Omphacino, Iunco rotundo odorato,

Calamo,

Defluuiũ capillor.

Calamo, Costo, & Nardo. Galenus lib. 1. cap. 2. τῶν κατὰ τόπους, ad defluuium capillorum licere aliquando vnguentum Nardinum adhibere refert in ætate frigida, & tempore hiemali. Bonum autem pharmacum ad omnia est diuitum Fœminarum vnguentum, immò magis foliato commodum, quod Romę spicatum appellant.

NARDVS CELTICA

CAP. C

Locus.



CEltica Nardus, vt inquit Dioscorides, nascitur in Liguriæ Alpibus [ἀλπεσιν, pro quo quidam ἄλπεσιν] vernaculo sermone Gallica dicta, sed & in Istria prouenit. Est verò pusillus, breuisque frutex, qui cũ radicibus in manuales fasciculos colligitur: foliis oblongis [vet. & Orib. ἐπιμήκεσι] subflauis, flore luteo. Caulium & radicum duntaxat vsus est, & odoris suauitas. Quare pridie aspersos aquâ fasciculos, amoto terreni, si quid inhæserit, in humidiore solo suppositâ prius chartâ insternere oportet, ac postridie repurgare: siquidem vtile cum aceroso & alieno minimè propter humoris vim excutitur. Adulteratur autem herbâ persimili quę unà cum ea vellitur, quamque propter virosum odorem Hirculum nominant, Facilè verò est hanc ab illa internoscere: quandoquidem herba est sine cauliculo & candidior, minusque oblonga habet folia: quin neque radicem amaram, aut aromaticam, quemadmodum legitima Nardus. Itaque abiectis foliis cauliculos radicesque seponito: ac siquidem ad vsum reponere volueris, tritos vino excipito, tandemque ex iis concinnatos pastillos fictili vase nouo ac diligenter operculato reseruа. Optima verò censetur, quæ recens est, & odorata, radicosa, plena, miniméque fragilis. Iisdem quibus & Syriaca viribus pollet: sed & valentiùs urinas ciet, & stomacho est accommodatior. Iecoris inflammationibus, suffusisque felle auxiliatur: itemque ventriculi inflationib cum Absinthii decocto pota. Eodem planè modo valet & ad lienis, vesicæ, renumque vitia itemque ex vino ad venenatorum morsus. Cæterùm, additur etiam in malagmata, potiones & vnguenta calfacientia.

Nard. Gallicã. — Repurgat. — Adulteriũ. — Hirculus. — Adulterii dignatio. — Vt ad vsum præparetur. — Delectus. — Vires.

Plinius.

Memorat Plinius lib. 15. cap. 7. fieri ex Nardo Gallico oleum. Idem 24. cap. 16. ait factitatum è Nardo etiam Celtico vinum aromatites.

Integros, inquit Clusius, interdum cespites occupat serpendo *radix*, & latè summâ tellure sese inter muscum diffundendo: oblongi procumbentesque humi ramuli, tenues, plurimis uiuti foliolis, aut siccis squamis circumsepti, subinde fuscas & nonnihil capillatas fibras agunt, summâ parte in vnicum, aut bina, ternáue extuberant *capitula*, aliquot longis, secundum caput angustis, deinde in latitudinem paulatim sese laxantibus *foliis*, satisque crassis & succulentis plena, colore, dum primùm emergunt, viridi, deinde sub Autumni initium, aut Æstatis finem, flauescente, gustu amariusculo: palmaris aut dodrantalis, nonnunquam etiam maior, inter ista emergit *cauliculus*, satis firmus, vt in minutioribus Valerianis siluestribus geniculatus, bina ad singulos nodos inter se opposita habens exigua foliola, cui, circa summum, ex singulis alis enascuntur *pedicelli*, binos aut ternos *flosculos* coloris pallidi sustinentes, quibus succedunt *semina*, Valerianæ siluestri Alpinæ, saxatili præsertim (Valerianæ minimæ Nardi foliæ] proxima: paullò tamen minora. Tota plantula aromatica est & radicum Valerianæ silvestris odorem æmulatur.

Synon.

Flos S. M. Magdal. Spica Romana. Saliunca Matth.

Officinas ostendere hanc folio oblongiore, admodum angusto, & Florum S. Mariæ Magdalenæ nomine appellare; Spicam item Romanam ac Celticam, refert Cornarius, qui & Nardum Celticam, & Gallicam, itemque Saliuncam appellat.

Matthiolus cõtrà eos errare credidit, qui Nardum Celticam & Saliuncam eandem plantam existimant. Sed ipsemet in errore versari deprehenditur.

Non est Saliunca Virgilii.

Non dubitat tamen Anguillara, quin Spica Celtica, quam Plinius vocat Saliuncam, non sit ea quæ prouenit in Hungaria & Carinthia, quęque adhuc Venetias inde affertur. Saliũcam autem Virgilii aliam plantam esse ait, quòd Seruius Grammaticus exponens hunc locum dicat, sua ætate vocatam Orciturricam, quod nomen apud Græcos significet Anemone, quemadmodum videatur intellexisse Virgilius in dicto versu. Huius autem Nardi Celtici caule, cui adhærẽt radices, & flore ex Galeni sententia, vtendum præcipit, perhibetque Dioscoridem, Sernem vocare: Scribonium verò Largum Nardum siluestrem.

Serine Diosc. Nard. silv. Scrib. Valeriana

Clusius extra dubium hanc plantulam ad siluestrium Valerianarum classem referẽdam censet, quòd adeò illas odore, & nonnihil etiam formâ, præsertim minimam Nardifoliam referat. Cæterùm, Nardum Alpinam ipse inscripsit, aitque incolas Speick appellare, nomine è latina voce desumpto: Pannones autem Bechy fiu, h. e. Viennensem herbam nominare, quia Viennâ copiosè ad eos transferatur. Arabes referente Garcia & Acosta, Cembul Rumin & Rumi cognominant, i. e. Spicam Celticam. Germ. Celtischer Nardus / langer Spick / Magdalenens kraut / Marien Magdalenen blůmen. Angl. Celtick Nardus & french Spiknarde Celtika/ Nardus. Galli *Nardus Gaulois*: Itali *Spica Celtica & Nardo Celtico*.

Nard. Alp. Clus. Viennen. herba.

Cęsalpinus Nardum Gallicum & Spicam Celticam vocat, testaturque eam Diosc. & Plinium tradere: Plinium autem videri alibi quoque describere, sub nomine Saliuncæ, quam Aliungiam Dioscorides vocari dicat.

C.B. in phyt. Nardus Celtica quæ Spica Celtica, vel Romana officinis, Dioscoridi κελτικὴ νάρδος & ἀλιούγγια, siue Saliunca dicitur: itemque lib. 6. σαρίτη.

Vis.

De reliquo Lobelius in Adu. Lygusticã Nardum hodie potiùs nuncupandam autumat, Gen-

t anellis admodum similem folii aromaticitate, ipsoque habitu, quam Selliga Vallesii vernaculè quasi S.l uncam dicunt: nec dubitat quin sit ea, quam Maronis versus innuit: foliis Gnaphalii montani, aut Gentianellæ minimæ: radicis propaginibus Asari odore, & modo in terrâ sparsis, acribus, amaricantibus, aromaticis, Spicam Nardi spirantibus.

Locus. Copiosè prouenit in Alpibus Germaniam ab Italia dispescentibus. Montosis gaudet Genuensibus, Lyguriæque Alpibus sterilibus, non procul à Sauona vrb. Authore Clusio copiosè nascitur in sûmo Iudenberg Stiriacarû Alpium iugo inter muscum, saxosis locis. Tempus. Mense Augusto floret sub ipsis ferè niuibus: folia deinde promit cûm illæ dissolui & diffluere incipiunt: tunc etiâ summam habet odoris gratiam, quâ caret dum folia primùm promit, & adhuc viridis est.

Vires & vsus. Galeno κατὰ τόπους eadem præstat Nardus Celtica, quæ Indica, sed imbecilliùs, præterquam ad prouocandâ vrinam. Siquidem calidior illa est, & minùs adstringit. Consultiùs itaque videtur Turnero, Celticâ vtendum esse, vt quæ recens haberi possit ex Italia & Germania, quàm Indicâ exoletâ. Pannonibus frequens eius vsus est, in capitis lotionibus. Vires & vsum ex Dioscoride, ex quo Plinius sua transcripsit vide antè.

NARDO CELTICÆ SIMILIS HIRculus.

CAP. CI.

Hirculus Clusii PLantula est Nardo Celticæ similis, candidior tamen, & veluti ex viridi cinerea, sine *cauliculo*, minoribus breuioribusque *foliis*, villosa admodum secundum radicem, & nigricans, nulla odoris iucunditate. Folia præmansa nullum aromaticum saporem reddunt, sed lenta & viscida sunt, cûm Nardi Celticæ folia calida sint, cum aliqua tamen adstrictione, odore saporeque iucunda.

Hirculus Diosc. Cæterùm, cum præcedenti capite de Nardo Celtica ex prof ſſo egerimus, facere non potuimus, ducti equidem autoritate Clusii, qu n hoc sequenti Hirculi meminissemus, vt pote cuius iconem etiam cum illa oculis lectorum subiecerimus, & quæ ad amussim quadr t cum Dioscoridis Hirculo, quem & ipse capite d Nardo Celtica describit dicens: Adultera u [Nardus Celtica] imposita herba simili, quæ Hirculus vocatur, ab odoris grauitate. Sed facil s cognitio: namque herba câdidior est, sine caule, minùs oblôgis foliis, radice neque amara, neque odorata, vt Nardum est.

Hircul. Gesnerû Clus. Inscribitur à Clusio, ex quo & Iconem & historiam desumpsimus, apud Garciam arom.lib.1 cap.33. Hirculus veterum: à Camerario in Hist. Matth.germ. itemque Epit. Hirculus, & sic vocatur etiam à Lob. in Aduers. p.133. in Obs. p.170 [vbi & Nardo Celticæ similis herba] in Icon. Plant. p.314. Tabern. [qui impropriè Germanicè Celtischen Nard vocat:] C.Bauh. Cæsalp. & Gesn. in cat. pl.

NARDVS SIVE SALIVNCA NEAPOlitana.

CAP. CII.

Saliuncæ genus SAliuncæ genus Neapoli missum in Apuliæ montibus nascitur, quidam Folium odoratum esse putant, à Malobathro diuersum. Cæterùm, eos fall. ex eo perspicuum est, quod & Folium & Malobathrum Indis peculiaria sint. *Lapsus quorundam* Pharmacopœi quidam Ital. eam pro Folio Theriacæ immiscer t, quàm rectè n viderint.

Descr. In tam exigua quidem planta conspicua est *radicis* crassities rugosæ, vtcunque flauescentis, fibris capillatæ, in nodos exuberantis, è quorû lateribus hinc inde folia prodeunt, vt ex ea figura serpere radicem, & æditis illis nodis sese propagare non abs re existimem. *Folia* illa oblonga sunt, angusta, Plantagini vtcunque similia, infernè arcta, supernè latiora. *Folii loco substitutum* Sapore & odore plantâ ista Valerianam refert, vt non dubitem ob odoris suauitatem, & saporis qualitatem egregiis aduers morbos variis facultatibus præditam esse, ac Folii loco substitui posse.



C. Bauh. phyt. vocat Nardum 5. siue Nardum ex Apulia.

VALERIANA MINIMA, NARDIFOLIA.

CAP. CIII.



Descr. PArua herba fragantis odoris sunt *radices* Nardi Celticę tenues, ex obliquo capite hirsuto, ex quo *folia* emergunt vncialia, oblonga, ad Plantaginis vel potiùs Nardi Celticę folia accedentia: inter quæ erigitur *cauliculus* vnicus, tenuis, palmaris circiter.

An Valeriana Alpina 2. Clusii An Clusio in Pannon. p. 513. Valeriana Alpina 2. In Hist. post. Valeriana silu. Alpina saxatilis. C.Bauh. Phyt. Valeriana 5. siue montana Bellidis foliis. An Tabern. Phu minus Alpinum?

NARDVS MONTANA VETERIBVS

CAP. CIV.

NArdum montanam [ναρδὸν ὀρεινὴν] quæ à quibusdam Thrylacitis [θυλακῖτις] & Neris [νῆρις] Gal.5.

Gal.8.simpl.legit πυρίτης] appellatur, in Cilicia et Syria nasci dixit Dioscorides *foliis & caulibus* Eryngio similibus, sed minoribus [τοῖς μαλακωτέροις] non tamen asperis & aculeatis [vet. hæc non agnoscit. Sunt qui pro τραχέα, ταχέα legant.] Radices subiacent nigræ, odoratæ, binæ plurésue, ceu Hastulæ regiæ [ἀσφοδίλου] sed graciliores longeque minores [addere videtur Orib. & candidiores.] Verùm neque caulem, neque fructum, neque florem diu sustinet. Valet ad eadem omnia radix, ad quæ & Celtica Nardus.

Diosc. lectio varia.

Radix Asphodeli.

Nardum montanam Galenus, Paulus, & Aëtius superioribus debiliorem esse fatentur, & in Cilicia plurimam nasci, itemque Thylacitin ac Pyritin: appellationum priorem etiam Dioscorides habet, pro posteriore verò Nerin vocari didicit: satis obscuris omnibus his appellationibus. Nam si quis Thylacitin inde appellari putarit, quod Thylacis, i.e. sacculis, è Cilicia ac Syria in alias regiones exportata sit, ei etiam aliarum appellationum Etyma exquirenda sunt, & ostendendum cur hæc priuatim inde nomen repererit, quum haud dubiè etiam alia medicamenta simplicia sacculis exportentur.

Thylacitis. Pyritis.

Porrò, quod attinet ad Nardum montanum, pugnantia esse in vulgari lectione Dioscoridis, certum est. Vidit enim Anguillara exemplaria vetusta, inter se discrepantia, quod effecit, vt certò crediderit totum caput corruptum esse & deprauatum. In vno enim exemplari legitur καυλὸν δὲ ἔτι καρπὸν ἔτε ἄνθος φέρει, in altero pro φέρει φυρει. Eidem præterea Anguillaræ dixit Excellentiss. D. Alexander Iustinianus ex Chio insula Doctor Medicinæ & Philosophiæ Venetiis, posse pro φέρει, legi συμφέρει, quam lectionem ipse approbauit, & multi sibi vsurparunt. Matthiolo etiam inclinat animus vt in fine capitis mendum subesse, illudque ex malo vnius vocis græcæ intellectu ortum esse arbitretur. Siquidem verbũ n φέρει non pro fert, sed pro συμφέρει, i.e. confert, accipiendum esse dicit. Itaque non οὔτε δὲ καυλὸν, οὔτε καρπὸν, οὔτε ἄνθος φέρει, ut vulgati codices habent, & legerunt interpretes, sed οὔτε δὲ καυλὸς, οὔτε καρπὸς, ἄνθος φέρει, h.e. Neque caulis, neque fructus neque flos confert, prodéstue legendum esse iudicat. Etenim radicis, vtpote odoratæ, vsum pręcipuè commendari, non aliarum partium, quas vt odore carere, ita etiam inutiles habendas esse censet. Et certè facilis potuit esse error librarii Græci imperiti, vel potiùs temerarii, casus nominum mutantis ad ineptam & incongruam huic loco verbi illius significationem. Et huic suæ castigationi cùm alios, tũ Fallopium, subscribere refert.]

Vide infra Pugnantia in Dioscoridis lectione.

Nard. montan. fere florem.

scitantia Matthioli.

Contra Matthiolum verò sic insurgit Guilland. in Theone. Quanta sit Matthioli in Nardo montano obcitantia, ne dicam summa Græcarum literarum, qua de re plurimi docti & eruditi amici sui, me quidem refragante, nunquam dubitarunt, valde miror, ignorantia, quando obliquos in rectos vertit, & verbũ φέρειν συμφέρειν [malum] accipit, quodque deteriùs multò est, φέρειν cum negãdi particula pro ἀχρεῖον εἶναι, eo in loco exponit, alii iudicent. Quis quæso Medicorum vnquam ita locutus? Adeone omnis doctrinę insignis ille Dioscoridis interpres expers est, vt formulam loquendi non Anazarbeo modò illi, sed etiam omnibus Medicis protritã, χρῆσιν αὐτοῦ ἐν ἰατρικῇ ἰδίαν ignoret. Sentire secum Fallopium illum purgatissimæ auris hominem, verisimile mihi non sit, qui si hæc vnquam ad eum perscripsit, ioco non seriò perscripsit.

Cæterùm, si quando syluestrem Nardum aliquam ingredi compositionem Marantha videt: dubitat ipse, debeatne Asarum, an Phu accipere, vtrumque enim siluestre Nardum propter odoris affinitatem appellari Dioscorides asserit.

Asarum. Phu.

VALERIANA BVLBOSA.

CAP. CV.



Planta hæc Valeriana bulbosa nobis dicta, à nemine quod sciam huc vsq; proposita. Prima emittit folia Hyosciami albi ęmula, sed paullò minora: At sequentia profũdè dissecta. *Flores* quales Valerianæ maioris. *Radix* subest singularis, bulbosa, Nardum spirans. Quapropter Nardo montano simillima, cùm formâ, tum odore. Aliqui inter species Nardi referunt. Incola est montium Liguriæ. Valerianam bulbosam sub Nardi montanæ genere reponi posse, Ferd. Imper. Hist. nat. lib. 81. cap. 1. concludit.

Descr.

VALERIANA TVBEROSA.

CAP. CVI.



Qvam exhibemus Valerianam tuberosam à nullo alio, quod nobis quidem constet, quàm Imperato proposita est. *Folia* producit effigie simillima Valerianæ minoris, sed crassiora: *flores* albos instar maioris, aliquantùm odoratos. *Radices* tuberosæ odorem referunt Nardi. Nascitur in montibus Liguriæ.

Descr.

CARPESIVM EX VETERVM SENtentia.

CAP. CVII.

Meminit Carpesii Galenus 7. simpl. med. his verbis, Carpesiũ simile est vocato Phu, h.

Vires. h.e. Valerianæ, non gustu tantùm, sed & facultate. Sed plùs habet tenuitatis: proinde magis eo etiam viscerum obstructiones extergit, & vrinā mouet, renesque calculis degrauatos expurgat.

Quintus vsus. Non tamen eatenus tenuium est partium, vt liceat loco Cinnamomi, si non ad manum sit, vsurpare, sicuti faciebat Quintus. Præstantius

Carpes. duplex. est Ponticum Carpesium Laërtio, non tamen vel ipsum Cinnamomi viribus vicinum est, immò non paruo deteriùs optima Casia. Nuncu-

Locus. patur vtrumque à montibus quibusdam Pamphylıæ in quibus nascitur. Ingensque eius prouentus est in Syria. De eodem 1. de Antid. cap 14. hæc habet. Quinti sententiam, quam de Carpesio habui, commemorare tempestiuum. Ipsam namque non solùm à Satyro, sed ab aliis etiam

Cinnamo. substituit Quintus. Quinti discipulis accepi. Impōebat igitur Quintus, vt aiunt, quoties Cinnamomum deerat, Carpesium, perinde atque uiribus optimæ Casiæ non inferiorem: egoque Carpesium idcircò multum mecum attuli ex ea peregrinatione, quā Orientis prouincias adii, diligenterque repositum nunc vsque plurimum seruo quod odorem etiamnum & saporem, si non qualem priùs habebat, certè nondum extenuatum retinet. Est autem Carpesium herba Phu appellato genere similis, validior tamen, atque aromaticum quiddā

Plurimum in Sida Vrbe Pamphiliæ. plus spirans. Plurimùm hæc in Sida vrbe Pamphiliæ nascitur. Emituŕque propterea illic vilissimo pretio. Quocirca si quis vestrum illuc accesserit Carpesii multùm emat, cùm id sibi longo tempore duraturū nouerit. Tenuia autem quædam Carpesii sarmenta Cinnamomi virgultis

Laertium. similia sunt. Eius duo genera reperiuntur. Vnum quod Laertium, alterum quod Ponticum nominatur, à monte in quo nascuntur vtraque nomē

Ponticum. Delectus. Phu. adepta: sed Ponticum melius est. Quod cùm plurimum haberem permultis medicamentis admiscui in quibus Phu vocata imponi debuerat. Est enim Carpesium, vt dixi, Phu simile, validius tamen, & qualitatem quandam aromaticam, gustu, odoratuque remittens.

Cubeba Auicenna. Galeni Carpesium hoc Auicennam cap. 137. Cubebas facere autor est Dodonæus, qui hoc quoque à Rusco, seu Myrto agria Serapionis, quam eandem cum Cubebis esse sentit, multùm differens ostendit, ex iis, quæ de Carpesio Gal. 1. de Antid. scripta reliquit, ac propte-

Serapio hallucinat. rea Serapionem hallucinatū ait, qui tale aliquid suspicatus fuerit.

Cæterùm, quid hoc tempore sit Carpesium Galeni, arduum admodum explicatu duxit Matthiolus. Et hinc nescitur, inquit Brassauolus, quid sit Carpesium. Siquidem Galenus 2. de comp. med. κατὰ τόπους Carpesium pro Asaro conjici

Asaro substituitur. Pro Cinnamo. Pro Phu. Cubeba non sunt. docet. Et Quintus pro Cinnamomo in penuria vtitur. Ac tandem Galenus pro Phu vocata medicamentis imposuit.

Sed & Garcias Matthæum sylvaticum falli testatur, vt qui ex Serapione & Arabum authoritate, Cubebas nihil aliud esse crediderit, quām Carpesium Galeni.

Matthiolus epist. lib. 3. ad Io. Hessum Medicū ait nihil per ıtıls argumenti sibi sese offerre, cur siliquas, quas pro Carpesio miserit, legitimum Carpesium probet: Esse namque Piper Æthiopicum. Huius etiam opinionem refellit in post. comm. cum mag. figuris.

Bē album & rubrū. Quid sibi velit Garcias lib. 1. arom. cap. 43. ubi minùs audiendos esse ducit, qui Ben album & rubrum, Carpesium esse volunt, videndum est.

Caryophyll. surculi. Carpesium pusillos Caryophyllorum surculos Scaliger somniasset, nisi in Ponto & Pamphylia nasci prodidisset Galenus: quam Scaligeri opinionem amplecti videtur Cæsalpinus lib. 5. cap. 51. & 4. cap. 21.

Valeriana A. Carpesium, vel ei cognata herba, videtur Gesnero de hort. Phu petræum, quod Valerianam Alpinam inscribimus, déque qua mox agemus.

Valerianam, quam optimam [nos Valerianā maiorem odoratā radice vocamus] appellant, Galenus ex opinione Cęsalpini Carpesiū dixit.

VALERIANA ALPINA. CAP. CVIII.



Valer. maior odorata radice. Valeriana Alpina *radice* lōgā, odoratā, subdulci, scopulorū rimis se infigit, altè impacta: *caules* profert aliquot, crassiusculos, geniculatos, sapore resinoso, acrinsculo, nonnihil rubentes, infima parte lignescētes, & cortice cinereo vestitos, multis ramis brachiatos: *folia* inferiora hederacea, si-

Descr. nuata, penè rotunda, nonnunquam alis duabus aucta, pediculis longis appensa, quæ postea in festucas abeunt, vt solent Alpinæ perennes: quædam Alsines similia sunt minima, alia magna, non sinuata: superiora autē oblonga, mucronata, laciniata, & triplici aliquando diuisura, ad costam

Valer. 1. Alpina Clusii. vsque incisa: *flosculi* in vmbellam digesti plurimi, minuti, purpurascentes, vt Valerianæ siluestris minoris.

Clusius, ni fallor, in Pann. p. 512. itemque Hist. post. Valerianam 1. Alpinam vocat, & Valerianam siluestrem Alpinam primam latifoliam, palmari cauliculo assurgentem, radice odorata, cum aliqua adstrictione amariuscula.

An Valeri. inodora 1. Cæsalp. An Cæsalp. lib. 4. cap. 5. Valerianarum inodoratarum è tribus prima, in vmbrosis montium iugis, radice gustu subdulci, non fine aliqua suauitate.

An Valeriana media Tabr. An Tabern. Hist. Valeriana 3. Herbariorum?

Locus & tempus. Valerianam Alpinam Montbelgardi plantatam habui in horto Ill. E. C. collectam in transitu Harciniæ syluæ. Reperi Geneuæ in monte Salenę & aliis locis folia producentem mense Martio, ostendentemque etiam florum rudimenta, & tandem florentem Aprilis principio.

VALERIANA ALPINA FOLIO SCROphulariæ.

CAP. CIX.

Ex *radice* oblonga, nigricante, nodosā prodit *caulis* vnicus, cubitalis & sesquicubitalis, canus stria-

Descr. unus, striatus, viridis, quem *folia* cingunt multùm Scrophulariæ foliis similia, pauca, oblonga, bina semper iuncta, quorum inferna pediculis breuibus, superna nullis donantur. Verùm ad radicem ad caulis exortum vtrinque prodit quasi alius caulis, ex quo tantùm folia sena, septena longis pediculis prodeunt, quorum quædam subrotunda, quædam oblonga, quædam leuiter sinuata: caulis in summo brachiatur, vt flores sustineat Valerianæ siluestri similes, sed minores, pallidè rubentes.

Valer. mont. altera. Hanc in monte wasserfall collegit C. Bauh. qui in phyt. Valerianam 6. siue montanam alteram appellat, ac multùm similitudinis cum Valeriana montana H. Lugdunensis habere ait, non tamen eandem statuit.

PHV VETERIBVS ET IN GENERE. Cap. CX.

Nard. silu. Locus Dioscor. illustratus. Phu [φοῦ] quod & ipsum aliqui Nardum syluestrem νάρδον ἄγριον appellant, authore Dioscoride in Ponto nascitur, *foliaque* profert Elaphobosco, aut Hipposelino [Oleri atro, Sarrac.] similia: *caulem* cubitalem, aut etiam maiorem, læuem, mollem [τρυφερὸν tenerum Corn.] purpurascentem, in medio cauum, geniculis interceptum: *flores* ad Narcissi flores accedentes, sed & maiores (μείζω: minores tamen reddiderunt Sarracenus & Columna, fortè legendum, cum Ruell. & Fuchsio ἥττονα similes. Quidam ἥττονα vel ἧττα, & teneriores, & in albicante colore purpureos: *radicem* superiore quidem sui parte digiti paruuli crassitudinem fermè æquantem, sed ex obliquo radices paruas agnatas [capillamenta Sarrac.] Iunci, aut Veratri nigri instar, inter se perplexas, subflauas, odoratas, atque adeò odore Nardum æmulantes, cum quadam tamen odoris virosa grauitate.

Nardum Creticum Plinio. Ponitur autem φοῦ inter Nardi genera etiam à Plinio, libro sc. 12. cap. 12. vbi inquit: Nardo color qui inueterauerit nigrior melior. In nostro orbe proximè laudatur Syriacum, mox Gallicum, tertio loco Creticum, quod aliqui agrium vocant, alii Phu, folio Olusatri, caule cubitali, geniculato, in purpura albicante, radice obliquâ, villosaque & imitante auium p[illegible]

Phu Dioscoridis [illegible] Græcorum, nostras Valerianas p[illegible] exprimere diceret Syluius, nisi florum, qui in muscario pusilli sunt, magnitudo desideraretur.

Valeriana minor non est Phu. Pro Phu officinæ Valeriana vtuntur. Sed duas habent, minorem, cui Dioscoridis descriptio non conuenit, inquit Cornarius, etiamsi quædã notæ ad ipsam detorqueri possint: maiorem autem Valerianam iam ferè consensum est, verum Dioscoridis Phu esse, vt cui ex toto respondeat descriptio.

Et sanè non videtur nobis Valerianam maiorem odoratâ radice, quod Phu hortense & magnum vocant, minùs descriptioni Dioscoridis cõuenire, quàm Valerianam vulgarem siluestrem. De his igitur & aliis Valerianæ speciebus deinceps nobis agendum erit.

VALERIANA MAIOR ODORATA radice.



Descr. Bicubitales & altiores tollit *caules*: fistulosos, geniculatos, alis donatos: *folia*, alia integra, alia Centaurii maioris modo profundè dissecta, nullo eximio odore, aut sapore: *flores* in vmbella suaueolentes, ex albo purpurascentes, quorum singuli quinis foliolis constant, apicibus productioribus concoloribus: *semen* cum lanugine quadam papposa auolat, *radix* subest transuersim posita digiti crassitudine, rugosa, multis fibris donata, albicans, sapore & odore aromatico, ad eum ferè Asari.

Valeriana vera Tragi. Calamus aromat. Phu Diosc. Martinella Genicul. Herba benedicta Amantilla Potentilla Sistra. Spica silu. Phu magnum Matth. Hæc est illa, quam Tragus Valerianam veram seu Nardum agrestem & φοῦ græcè vocauit: itemque primum maius ac nobilissimum Phu, quod haudquaquam vulgare ait, siquidem in hortis seri & plantari necesse habeat: Mulierculas verò Argentoratenses pro Calamo aromatico venditare solere, non alio iudicio quàm si Basilicon loco Vrticæ exhibeant: In Diosc. dici φοῦ & ἄγρια νάρδος: Hieron. Braunschweig Martinellum, Genicularem Herbam benedictam & Valerianam: Autori Luminis maioris supra vngt. Alabast. Amantillam & Potentillam: Serap. cap. 62. & Razi cap. 44. Sistram & Spicam siluestrem.

Nomina linguar. Appellatur autem præter ea, quæ ex Trago adscripsimus nomina, φοῦ à Dioscoride, & quibusdam ἄγρια νάρδος, i. e. siluestris aut rustica Nardus, & Nardus Cretica à Plinio, hac ætate ab aliquibus Valentiana & Theriacaria in offic. Valeriana domestica: Theoph. Paracelso Terdina: Germ. Groß Baldrian: Belgis groote Valeriane / Speercruyt / S. Joris: Gall. *Valeriane*: It. *Valeriana* Hisp. *Terua benedette*: Angl. Setwal: Boh. Koßlyk Polon. Koslek. Cæterùm per φοῦ simpliciter nominatum, Gesnerus latifolium hoc Dodonæi intelligit. Valeriana autem dicta videtur eò quòd facultatibus plurimis prædita sit: Phu verò à putore, graui odore mixto Nardeæ suauitati, quem Phu siue Phy aduerbio admirantis & abhorrentis auersentur subodorati.

Valeriana maior est Phu Diosc. Phu igitur plerique, siue eorum qui hodie, siue superiore sæculo scripserunt, putatur esse Valeriana maior. Nec sanè quidquam inuenire se testatur Turnerus, quod descriptioni repugnet, nisi quòd folia sint planè Smyrnio similia, nec flores Narcisso. Sed cùm candidâ interpretatione tum folia Smyrnio, tum flores Narcisso possint assimilari, reliqua autem omnia satis conueniant, Valerianam maiorem sine piaculo arbitratur pro Phu posse accipi.

Dioscorides porrò duas plantas, Valerianam sc. maiorem, quam optimam: & alteram, quam siluestrem cognominant, Phu vocat, sed vnica descriptione, inquit Cæsalpinus, videtur duas prædictas significare: Nam folia Olusatri, priori magis conueniunt: similitudo Elaphobosci secundæ magis: radicis descriptio priori quadrat:

floris color secundæ. Quod autem de flore inquit esse Narcisso proximum, maiorem ac teneriorem puto pro Narcisso Nardum legendum esse. Nardi enim Celticæ flos luteus traditur: Phu autem ex candido purpurascens, qui & maior ac tenerior est: ponitur autem Phu inter Nardi genera, tum à Dioscoride, tum à Plinio Nardum siluestrem & Creticum vocantibus. *Diosc. corrigitur*

A Trago igitur, Matthiolo, Dodonæo, Turnero, Cæsalpino & Lobelio, vt ex eorum dictis apparet, Valeriana maior pro vero Phu recipitur. His consentiunt Monachi in Mes. Corn. Sylu. Cronemb. Bacchan. & Cordus in Diosc. vbi quædam reprehendit in Fuchsio, nempe, quod voluerit secundam speciem (Valerianam silu.) esse Phu Antiquorum, vt postea fusiùs ex eo dictum fuimus. Nobis autem videtur Fuchsius dubitare de Phu Dioscoridis, & vtramque Valerianam esse concedere. Sed dubitant & Camer. in horto, & Anguillara, dicés: Difficultas quæ est in dignoscendo vero Hipposelino & Elaphobosco non finit me asserere, quæ planta sit Phu. Cum prioribus tamen concludunt Phu esse Valerianam maiorem. Io. Agricola, H. Lugd. Gesn. Tabern. Gerard. Schvvenckf. & C. Bauhinus. *Negat* autem Fabius Columna, Phu Valerianam siluestrem esse concludens. *Qui Valerianam Phu esse dixerint qui dubitarint: quique penitus negarint*

Synon. Cæterùm stirps quæ hoc capite à nobis traditur, Phu hortense, à Gesn. de hort. inscribitur, Phu maius ab eodem de coll. stirp. Phu magnum à Fuchs. in Hist. & H. Lugd. p. 927. Phu verum à Fuchs. in Icon. & Tabern. in Hist. Phu à Dod. gall. Gerardo. Brunfels. Bacch. Apoll. ac Rob. Stephano. Valeriana maior à Lob. in Obs. p. 411. in Icon. Plant. p. 714. Turn. Schvv. & Camer. hort. eui & Phu vulgare. Phu Ponticum & Valeriana Pontica à Tab. in iconibus: Valeriana 1. siue hortensis à C. Bauh. phyt. Cætera Synonyma ex iam dictis colligere licet.

Locus & tempus Valeriana maior odoratâ radice vt plurimùm in hortis colitur, vt Florentiæ in horto & Ferrariæ florens Aprili: Bononiæ in horto S. Salu. al Burgo di S. Catharina: Patauii: Monspelii, & Lugduni florens Maio: Basileæ virens adhuc Octobri, vt & Monthelgardi. Reperitur etiam in quibusdam altis montibus in filuis.

Vires & vsus Vim habet calefaciédi & ciendi vrinas radix arida trita & potui data: sed & decoctũ ipsius idẽ efficere potest. Facit etiam ad lateris dolorem, & menses ducit, & antidotis miscetur. Adulteratur autem Rusci radicibus ammixtis: sed facilè est illas dignoscere: sunt enim duræ & frangi contumaces, citra gratiam odoris vllam, referente Dioscoride. Phu herbæ radicem odoratam quodammodò esse, testis est Gal. lib. 8. simpl. Nardo viribus similem, sed tamen ad pleraque infirmiorem, vrinas mouere plùs, quàm aut Indicam, aut Syriacam Nardum, perinde vt Gallicam. Phu autem radicem dari potui tritam, vel decoctam ad strangulationes vel pectoris dolores, vel laterum, perhibet etiam Plinius, & menses quoque ciere: bibi cum vino. Folia & radices ad oris quoque & gingiuarum cum inflammatione exulcerationes decocta & gargarisata prodesse feruntur. Excalfacit autem Phu legitimum [Valeriana hortensis Dodonæi:] sed tamen non intensè, neque ipsa recens radix, sed arescens tantùm. Recentem siquidem exiguum omninò caloris habere facilè deprehenditur: arescer tem verò calidiorem esse, & gustus & odor, vterque intensior, ostendunt. De facultatibus Phu hæc prodidit Matthiolus: Radix calida & sicca secundo gradu est: aperit, attenuat, concoquit, & prouocat: hausta flatus pellit, auxiliatur lateris compunctionibus. Præstat quoque aduersus stranguriam, veterem tussim, & asthma, cum dulci radice, vuis passis & aniso decocta. Miscetur Antidotis, vt Theriacæ & Mithridatio, aliisque medicamentis præseruatiuis à veneno, quod venenatis sc. bestiis & pesti ipsi resistat. Additur quoque in potionibus internorum vulnerum. In vino aut aqua decocta, & in oculos guttatim instillata, oculorum claritatem adiuuat. Confert etiam ad eorum ruborem & dolorem. Et virens cum radicibus contusa capitique adhibita dolorem eius sedat. *Strangulationes Pectoris dolores* *Oris vlcera* *Temp. ex Dod.* *Ex Matth.* *Flatus Compunctiones lateris Tussis*

VALERIANA SYLVESTRIS MAGNA aquatica.

Descr. **R***adix* ex pluribus composita est fibris, albis, gustu aromaticis, reptatu subinde sese propagantibus: *caules* ad humanam altitudinem exsurgunt, recti, fistulosi, longis internodiis intercepti, striati, modicè hirsuti: quorum genicula amplexantur basi suâ *folia* Valerianæ satiuæ, maiora pinnata, saturatiusque virentia, nonnihil auersâ parte hirsuta: *flores* in vmbella satiuæ similes, quinquefolii, ex albo purpurascentes, hircum olent, tandemque in pappos facessunt.

Hanc Columna Phu nomine pingit, ac Phu Dioscoridis esse contendit.

Brunfels. quoque Valerianã siluestrẽ pro Phu Dioscoridis sub nominibus Baldrian/Dennenmarck/Katzenkraut exhibet. Quin & Fuchsius huius quoque cõsilii fuisse deprehéditur, dicens, Φοῦ ἢ ἀγρία νάρδος, Græcis Phu & Nardus siluestris, Latinis Valeriana officinis & Herbariis, Germanis aut etiam Katzenwurtzel appellatur quòd sc. catti odore radicis eius, quo eorum oculi roborantur, impensè delectentur. Hoc alio nomine Valeriana vulgaris, Gemein Baldrian dicitur, & à pictura Dioscoridis non abhorret: quòd omnia ferè sicilli respondeant, vt prorsus nulla reclamare nota videatur, &c. *Nardus silu.*

Contra Columnam, Cæsalpinum, Brunfelsium & Fuchsium se opponit Cornarius, qui Valerianam minorem officinarum [illegible] quibus solis error hic remansisse [illegible] tioni Phu Dioscoridis conuenire [illegible] quidem radices, vt ipse etiam Marantha obiicit, ex obliquo villosæ sunt, capillamentis inuicem commixtis, vt planta ipsa ostendit, quod in hac Valeriana non cernitur. Phu nostrum, inquit Eur. Cordus, non respondet historiæ Phu apud Dioscoridem, imò alia quædam magis, quæ Theriacaria in Hessia nominatur. Vocatur autem hæc ab officinis, quæ pro Phu ostendunt, Herba cattorum & parua Dania. An Buphtalmum & Ælurum Gesnero?

Synon. Inscribitur à Trago Valeriana vulgaris, de qua ait: Alteram verò Valerianam, Germani appellant Katzenwurtzel/& Wendwurtzel, ea nimirum vera est Serpentaria herba, aut Serpyllum. Sunt enim qui eò, quòd hinc inde serpat seque conuertat, Serpillum maius vocitent. *Serpentaria Serpillum maius*

A Dod. gall. Valeriana siluestris maior, Belg. wilde Valeriane. Gall. *Grande Valeriane sauuage.* Lat. in fol. itemque Lobel. in Adu. p. 319. Obs. p. 411. Icon. Plant. p. 715. Valeriana syluestris. Clus. in Hist. post. Valeriana siluestris prima. C. Bauh. phyt. Valeriana 2. siue siluestris maior. Tabern.

Taber. in Icō. Valeriana maior, herba benedicta, Grosser Baldrian: in Hist. Phu vulgare. Gerardo Valeriana maior silvestris, great wilde Valerian. H. Lugd. p. 1044. Valeriana silu. maior Dodonæi, Phu paruum Matthioli. Gesn. de coll. stirp. Phu minus vulgare, & Phu siluestre. Fuchs. in Icon Phu vulgare, gemein Baldrian.

Locus & tempus. Valeriana aquatica maior passim prouenit in Comitatu Montbelgardensi, etiam in horto Ill. E. C. Geneuæ vidi folia protrudentem mense Martio, florentem Maio & Iunio ac Iulio, Vidi etiam Lugduni, Monspelii, Patauii, Bononiæ, Florentiæ, Basileæ: Vulgaris Clusio in Pannonia, Austria, Stiria, vicinisque prouinciis. Lobelio in Northmanię & Angliæ humentibus. Nasci ait Fuchsius in humectis locis & prope aquas, hancque ad mirandam altitudinem surgere: Prouenire etiam in lucis & cæduis siluis, sed hanc in tantam procerita͞tem non emergere. Hanc Valerianam, ruptis, conuulsis, ex alto præcipitatis vtilem censent: sed & folia huius, vt & satiuæ, ad Oris exulcerationes. oris & gingiuarum cum inflammatione exulcerationes, aphtas, decocta & gargarizata prodesse feruntur. Nec desunt, qui radices aridas, tusasque, drachmæ pondo cum vino sumptas, infrà, supraque purgationem moliri affirment. Columna huius radicis puluerem ad Epilepsiam commēdat, vtilem etiā esse ictibus à muscis venenatis illatis autopsia me docuit, administrante Rondeletio: Ad visum acuendum & conseruandum commendat etiam Hieronymus Brunschuuig Purgat radix. Valerianę vulgaris radicem, vel collo suspensam, vel in media vola compressam, insigniter corroborare congredientem cum muliere narrat Agricola. Contra febres, maximè verò tertianas, non semel, sed multoties expertus est Iohan. Schvvab plurimùm valere.

VALERIANA MINOR PRATENSIS, VEL aquatica.



Descr. Valeriana siluestris minor *radice* tenui serpit, quaq; terrā attingit ex geniculis demissis fibris radicatur, sapore amaro: *caulis* dodrantalis, āngulosus, striatus, cauus, geniculis aliquot interceptus, ūbellam sustinet *florum* ex candido rubescētium, vt in Valeriana silvestri maiore, minùs tamen magnā: quorū singulorū ore in quinque lacinias minutas reflexas diuisæ, apice altiusculo tricipite: sed & vmbella interdū ex foliorū cauliculi alis prodit: *folia* alia integra, subrotūda, parua, pediculo longiusculo, vt ea plerūque, quæ in caule conspiciūtur, bina opposita, pediculorum expertia, imâ parte laciniata, & quasi pinnata, superiore integra & oblonga, sapore nonnihil amaro & viscido.

Locus & tempus. Obseruaui hanc Lugduni florentem Aprili in pratis & in horto meo: Geneuæ cum flore Maio, & semine maturo Iunio: vt & Basileæ in pratis.

VALERIANA RVBRA LATIFOLIA & Angustifolia.

CAP. CXI.



Descript. Digitali circiter *radice* nititur, lignosā ferè, sapore Valerianæ: è qua *caules* surgunt cubitum & sesquicubitum alti, teretes, læues, colore cæsio, fistulosi: ad quorum singula genicula *folia* bina aduersa, ex lata basi, caulem amplexantia, in acumen desinentia, laciniis quibusdam subinde donata, pinguia, glauca, quorum quæ minora sunt, plurimùm referunt Papaueris spumei vulgò dicti folia: sunt autem sapore subacri: *flores* in muscariis dependent perquàm conferti amœni, colore purpurascēte, quorū singuli quinquepartiti, oblongo, sed admodum tenui tubulo, virenti pedicello agglutinantur, corniculum insuper calcaris instar protendentes: *semen* papposā crista Valerianæ modo succedit.

A Dod. gall. pingitur pro Polemonio, quod ab aliis dicatur Chiliodynamis h. e. centū viriū: officinis, Herba tunica, ab Herbariis modernis Behen & Been album: A Lat. in fol. pro Valeriana rubra.


Inscripsit hanc Lob. in Adu. p. 144. Ocimastrum Valerianthon. In Obs. p. 184. iam dicta inscriptione pingit [ac etiam in Icon. Plant. p. 341.] & præterea vocat Behen rubrum Belgarum, Saponariam alteram, & Struthion Vlyssis Aldroandi, quæritque an sit Condurdum Plinii lib. 26. cap. 5.

Tabern. in Icon. & Hist. appellat Valerianam rubram, C. Bauh. phyt. dicitur Lychnis 22. siue rubra. Sed ad Lychnides cur referenda sit non video: cùm nec flores, nec vascula conueniant. H. Lugd. p. 1187. vocat Polemonii speciem Dodonæi.

Sata hæc Valeriana Montbelgardi prouenit in horto E. C. vbi primo anno flores non protulit: altero verò floruit Iunio & Iulio, hiememque pertulit.

Valeriana rubra angustifolia.

VAlerianæ rubrę latifoliæ similis est quod ad flores suaue rubentes: calcari donatos, in pappum abeuntes: *caulis* quoque bicubitalis: persimilis, at quæ per eum conspiciuntur *folia*, plurimùm differunt, sunt quippe palmi ferè longitudine, latitudine verò culmi, Synoni



C.Bauh.phyt. Lychnis 22.siue rubra, Valerianæ rubræ dictæ genus alterum, oblongo & angusto folio.

Locus & tempus. Valerianam rubram angustifoliam reperi florentē mense Iulio Nantuæ Sabaudorum in colle extra Portam quà itur Geneuam ad dextram.

VALERIANA GRÆCA QVORVNDAM colore cæruleo & albo.

Cap. CXI.



Descr. PYxidatâ *radice*, tenui, fibrosâ, albicante, euidenter amarâ proserpit: *caules* rectos surrigens, bicubitales, tenues inanes, aliquâtulùm angulosos & pilosos: quibus adnati pediculi, sesqui-palmares & pedales, *foliis* Valerianæ syluestris, minimè dentatis atro-virentibus, subhirsutis infrà, pinnatim vtrinque, pulchrâ serie stipatis, sapore fœdo & lento: ex quorum alis & caulis fastigio *flores* confertim multi emicant, Campanularum specie, non continui tamen, verùm è quinque foliis compositi, magis coloris cærulei, vel albi gratiâ quàm fœtidi odoris, quem olfacienti afflant, commendati: è quorum medio præter tricipitem stilum violaceum productiorem, *stamina* quoque concoloria apicibus croceis procedere solent.

Dod.gall.& lat.in fol. Gesn.hort. Phu peregrinum. Lobel. in Aduers. Obs.p.412. Icon. Plant.p.716. Valeriana, peregrina Belgarum & Herbariorum. Sed & Tabern. in Icon.cum Gerardo Valerianam græcam vocat: in Hist. autem Valerianam adulterinam. C.Bauh.phyt. Valerianam 10.siue peregrinam, cœruleo flore, rariùs albo. In Rhætia spontè prouenientem inueni in filuis. In hortis Franciæ, Belgiæ, & potissimùm Angliæ familiaris Lobelio. Plurima Æstatis parte floret.

Valer. adulterina.

Nulliusest vsus, nisi quòd hortorum exornet margines, vt testatur Dodonæus.

VALERIANA PEREGRINA, SEV Indica.


Cap. CXII.



Descr. DOdrantalis & cubitalis est planta, cui multa sunt similia Locustæ herbæ quæ S. Claræ quibusdam dicitur, ac de qua sub finem lib. 28. *radice* nixa tenui, breui, candidâ, multis fibris capillatâ, sapore amaricante, non sine acrimonia aliqua aromatica: *caulis* ferè repandus, supinusue magna ex parte, partim erectus, longitudine dodrantali, læuis, concauus, teres, inanisue, subrubens, alternis aduersisque coniugationibus, serie quadam sæpiùs bipartitus: alarum diuaricationibus incipienti præsertim apposita *folia* bina priora ex aduerso sita, Plantaginis latifoliæ ferè minora, vberiore neruorum diuisurâ, tenera, pinguia, sapore aromatico, quorum quæ superiora, sunt minora & denticulis obiter crenata, priora quidem Valerianæ fatuæ similia: *flores* quasi in vmbella, inodori, suauè rubentes, ex longo, tenuique corniculo, in quina folia dissecti, Ocymastri Valerianthos, sed sine calcari: quibus delapsis succedunt *vascula* oblonga, fungosa, articulis distincta, foliolis quibusdam obsepta, crassa, concaua, in calyces plures diuisa, in quibus vasculum latitat, velut in foliaceum corniculum bipertitum, in quo *semen* longiusculum. Vascula sem.

Semen acceptum à Casabona, satum Montbelgardi in horto Ill. E.C. prouenit, & Iulii principio & Augusto floruit. Floret interdū etiā Maio & Iunio maturiùs sata, teste Clus. subinde tamē in Hiemem vsque flores & semen proferre visa.

FINIS LIBRI VIGESIMI SEPTIMI.



HISTORIÆ VNIVERSALIS PLANTARVM LIBER XXVIII

VERTICILLATÆ ET FLORES GALEATOS FERENTES, hisque affines pleræque aromaticæ.

Ipsa, quæ nunc dicitur, herbarum aromaticarum claritas, medicina tantùm gignente eas tellure in admiratione cura Priscorum diligentiaque animum agit. Nihil enim intentatum inexpertumque illis fuit; quos ipse adeò Plin. eos ditat honore: nihil deinde occultatum, quod non prodesse posteris vellent. Hinc ab ipsis pleraque nobis innotuêre aromata, & inter ea odoratarum aromaticarum stirpium præstantissima quæque. Et nos nobis oblata vel negligere, vel abscondere atque supprimere cupimus, & fraudere vitam etiam propriis bonis? Ita certè recondunt, qui pauca aliqua nouêre, inuidentes aliis, nihil noui perquirunt, nihil discunt, nihil docent: & quod Plin. iam suo æuo conquerebatur, neminem docere, vel ea quæ scimus, in auctoritatem scientiæ est. Tantùm ab excogitandis nouis ac iuuanda vita mores absunt: summúmque opus ingeniorum diu iam hoc fuit, vt intra vnumquemque rectè facta Veterum perirent. At, hercule, paucorum hodie cura, & aliqua etiam nostra, odoratarum herbarum familia accreuit, quanquam iamdudum benignè largiente natura, eiúsque æterno moderatore Deo Opt. Max. vt nobis etiam hodie aromata præ foribus, in hortis & agris nasci, indubiè affirmare ausimus, tam benignā gratiā diligentiá referente. Non æquè cura eorum mira esset in his, quæ satu blandiuntur, aut odore inuitant: sed culmina quoque montium inuia, & solitudines abditas; omnisque terræ fibras scrutati inuenêre, quid quæque radix polleret, ad quos vsus herbarum folia pertinerent, quæ salubritas ex florum odoratu resultaret, etiam quadrupedum pabulo intacta ad salutis vsus vertentes.

Verticillatas dicimus, quia flores caulem articulatim, veluti verticilli amplectuntur. Flores galeatos, quòd galeam quodammodò repræsentent.

MENTHA EX VETERIBVS ET IN GENERE.

CAPVT I.



Hediosmon esse refert Marcellus qui Mintham, qui Calaminthen, qui Nepetā, qui Perxo, qui Macetho, qui Perithromundo vocent: Esse Ægyptios qui Tis, & esse Romanos qui Mentham, quo solo nomine, inquit, in Grecis Mentha commendatur: nec quisquam est qui eo audito suauitatem odoris in notissima omnibus herba non amet, id enim Hediosmus Græcis est: quod ambitiosè nescio an molliter ab eis factum fuit. Qui antiqua Minthes appellatione, quę hominis in eam conuersę honorem haberet, parum contenti, nouo & quod vitæ tantùm delitias indicaret, vliginosis locis fœliciter prouenientem herbam nomine ornauerunt. Quo secuta ætas, voluptatis suæ magis quàm alieni nominis ambitiosa, libentiùs & frequentiùs quàm antiquiore illo vsa est. Theophrastus enim non alio quàm Minthes nomine pluribus locis Mentham indicauit: & ante eum tota Grecia: præsertímque Arcadia in qua non procul à Pylo nobilis Minthes cognomine mons fuit: Quam Plutonis pellicem & à Proserpina, vt solent pellices semper odisse vxores, in hortensem Mentham transformatam fuisse narrant Poëtarum fabulæ: æterno in æterna planta hominis monumento. Quam vocem Romani magis amantes quia in ea malè habitæ ob amorem puellę memoria seruaretur: vnā tantùm & alterā mutatis literis, Græcorum Minthen Mentham suam fecerunt, quotidiani in sanitate vsus & præsentis in medicina contra tot mala remedii. Quam cum Calaminthe quæ Nepeta est miscere non decet. Sui enim generis Calaminthe herba est à Mentastro pòst à nobis dicenda: quæ ab imperitis aliis Menthę appellationibus importunè adiecta est. Nec desunt qui illi voci aliam tribuant originem, inter quos Dalechampius: cui μίνθη Grecè dicitur ἀπὸ τῦ μίνθε, à stercoris fœtore, per ἀντίφρασιν, quòd minimè fœtida sit.

Κωκυτὶς δὲ νύμφη Oppianus 3. *ἁλιευτικῶν* vocat, quòd Mintham Cocyti filiam, Plutonis amicam, aduentanti Proserpinę infensam & minitantem,

Ceres in ἡδύοσμον mutauit. Eadem ferè leguntur apud Strabonem lib. 8. de monte Minthe. Improba herba. Improbam herbam vocat Oppiani interpres, quòd ante coitum apposita mulierum genitalibus, conceptum impediat, vulnera si inferatur, curari cohibeat, lacti mixta ante coagulum, densari non patiatur, quæ Florentinus libro 12. Geoponicon tradit.

Theophrastus Hediosmon inter olera recenset ruralia: miratur autem Cæsalpinus Gazam Mentastrum conuertere non Mentham: At id fuit erroris causa, quòd alibi Theophrastus Græcè Mintham vocat herbam, in quam degenerat Sisymbrium cùm negligitur, putauit enim Gaza hoc Mentam esse domesticam, cùm potiùs significetur syluestris herba esse, vt alibi dicetur. Putat autem Cæsalpinus Mentham apud Theophrastum significare ipsum Mentastrum: non quidem quòd species in alteram speciem conuertatur, vt notauit Theophrastus, sed odor tantùm.

Dioscorides Mentham notam plantam dicit, nec describit: genera autem duo facit Satiuam & Siluestrem quam Mentastrum Latinis dici Interpretes secuti Plinium volunt.

De Mentha autem Plinius inquit lib. 19. cap. 8. Eodem tempore [quo Apium] seritur Menta plãta: vel si nondum germinat, spongia. Minùs hæc humido gaudet. Aestate viret, hieme flauescit. Nomen suauitas odoris apud Græcos mutauit, cùm alioqui Mintha vocaretur: vnde Veteres nostri nomen declinauerunt. Grato Mentha mensas odore percurrit in rusticis dapibus. Semel sita diutina ætate durat. Congruit pulegio, hæc quoque seruatur simili genere. Eodem lib. cap. 10. Ferro quoque non expedire tangi Mentam author est Sabinus Tyro in libro Cepuricôn, quem Mecœnati dicauit.

Galenus 6. simpl. duplicem habet Mentham, Odoratam quæ Dioscoridis satiua est, & alteram quam dicit non odoratam, Calaminthen vulgò dictam.

Mentha cùm hortensis tum etiam siluestris, quam Hetrusci nostri Latinum nomen retinentes, vulgò *Mentastro* appellant, inquit Matthiolus, adeò omnibus vulgaris notaque, vt sine vitio eius delineationem silentio prætermitti posse putauerim. Et quamuis plures, quàm describat Diosc. in hortis sint Menthæ species [una enim breuioribus & crispioribus constat foliis, alia rubenti caule & flore, alia verò albicante] huiusmodi tamen specierum differentiæ non sunt meo iudicio plurimi faciendæ. Venereis voluptatibus Mentha commendata est, etsi Plinius non sine errore lib. 20. cap. 14. planè contrarium scriptis tradiderit, vt mox patebit. Græcis ἡδύοσμος dicitur, Latinis pariter & Italis Mentha, Nabanaba Arabibus *Nabanabo* & *Nabanaba*: Germ. Müntz. Hisp. *Hierua buena*, Gall. *Menthe*. *Hac ille*, qui dicit non plurimi faciendas differentias Mentharum, quia non nouerat eas, ideoque non poterat distinguere, quod satis indicant eius icones, & omnia quæ scribit de Sisymbriis & Mẽthis. *Nos* cum Posterioribus plures differentias, de quibus singulis separatim dicemus, agnoscimus.

Tempestiuum est vt Menthæ vires declaremus: itaque vt à Dioscoride ordiamur: Mentha, inquit is, ἡδύοσμος, ab odoris suauitate Græcis dicta, (ἡδὺς enim idem est quod suauis ὀσμὴ verò odorem significat, quam alii Mintham vocant, cognita herbula est. Calefaciendi, adstringendi, atque exsiccandi vim habet: quamobrem sistit sanguinem poto ex aceto succo: tineas in ventre teretes enecat: Venerem stimulat. Singultus, vomitiones, cholerasque sedant terni ramuli cum acidi granati succo poti. Suppurationes discutit, si cum polenta illinatur. Imposita fronti [vet. κατὰ τὸ μέτωπον] capitis dolores mulcet: mammas si tendantur, aut Lacte turgeant compescit: cum sale canum morsibus illinitur: aurium doloribus cum aqua mulsa subuenit: vuluæ ante coitum admota conceptioni resistit: linguæ scabritiem confricta læuigat: lac coire densarique in caseum non patitur, si folia [aliàs κλωνάρια, id est, ramuli] potionibus Lactis immergantur. In summa stomacho vtilis est, & in condimentis peculiarem gratiam habet. Et hæc Dioscoridis verba de Mentha satiua intelligenda sunt, quam tanquam notam non describit.

Menthæ ipsius odor animum excitat, inquit *Plinius* l. 20. c. 14. & sapor auiditatem in cibis, ideoque embammatum mixturæ familiaris. Ipsa acescere aut coire densarique lac non patitur. Quare lactis potionibus additur, ne huius coagulati potu strangulentur. Datur (Data M. & CH.) in aqua aut mulso: eadem vi resistere & generationi creditur: cohibendo [prohibendo] genitalia densari. Æquè maribus ac fœminis sistit sanguinem, & purgationes fœminarum inhibet. Cum amylo ex aqua pota, cœliacorum impetus. Syriation & vomicas vuluæ curauit. Ille & iocinerum vitia ternis obolis ex mulso datis. Item sanguinem excreantibus in sorbitionem. Hulcera in capite infantium mirè sanat. Arterias humidas, siccas, adstringit. Pituitas corruptas purgat in mulso & aqua. Voci [Musicorum & φωνασκῶν. Iuuat autem, quia fluxionem sistit in fauces euntem, & raucedinem efficientem.] succus sub certamine vtilis duntaxat, qui & gargarisatur vuâ tumente, adiecta Ruta & Coriandro ex lacte. Vtilis & contra tonsillas cum alumine, linguæ asperæ cum melle. Ad conuulsa intus per se vitiisque pulmonis. Singultus & vomitiones sistit cum succo granati, vt Democritus monstrat. Recentis succus narium vitia spiritu subductus [subducto. Vet.] emendat. Ipsa trita choleras, in aceto quidem pota. Sãguinis fluxiones intus. Ileum etiam imposita cum polenta: & si mammæ tendantur. Illinitur & temporibus in capitis dolore. Sumitur & contra Scolopendras, & Scorpiones marinos, & ad serpentes. Epiphoris illinitur, & omnibus in capite eruptionibus: item sedis vitiis. Intertrigines quoque: vel si teneatur tantùm, prohibet. Auribus cum mulso instillatur. Aiunt & lieni mederi eam in horto gustatam, ita ne vellatur: si is qui mordeat, dicat se lieni mederi, per dies nouem. Aridæ quoque farinam tribus digitis apprehensam & stomachi dolorem sedare in aqua: & similiter aspersam in potionem, ventris animalia expellere. Magna societas cum hac ad recreandos defectos animo Pulegio, cum fasciculis suis in ampullas vitreas aceti vtriusque deiectis. *His Plinius* partim plures virtutes Menthæ quàm Dioscorides tribuit, partim Dioscoridi apertè refragatur, tradens eam Veneri officere, adducta etiam cur id faciat causa: Sicut Florentinus in Geopon. ineptam ac incommodam rebus Venereis habei dicit.

Dioscoridi etiam Hippocrates & Aristoteles aduer-

aduersantur, vterque diuersam rationem secutus. Sic enim Hippocrates, Mentha calfacit, vrinam ciet, & vomitus sistit. Et si quis sæpe comedat, semen genitale colliquefacit vt diffluat, arrigere prohibet, & corpus debile facit. Aristoteles in Problematis sic proponit. Cur dicitur Mentham belli tempore, neque edendam neque serendam esse? Num quia refrigerat corpus? Indicat autem id seminis corruptio. Hoc autem contrarium est fortitudini atque audaciæ, sicut ipse ostendit alio problemate, cùm ait, eos qui natura sunt frigida formidolosiores esse, contrà qui calida, audaces. At Hippocrates immodicum Menthæ esum veneri resistere intelligit, quòd caliditate sua sanguinem extenuet & semen genitale colliquet, eámque ob causam arrigere prohibeat: Galeno, Dioscoride, Paulo, aliísque quamplurimis Mentham calidam siccam esse cum eo statuentibus: Aristoteles verò, Mentham corpus ex accidente refrigerare, atque debilitare, quòd Semen corrumpat.

Conciliator anxius est & verè fatetur esse calidam & siccam ac Venerem excitare Mentham. Addit tamen: Mentham per se quidem calidam, per accidens autem frigidam: ac idem docet Hermolaus Barbarus corollar. 165. Demum verò Conciliator aliam problematis solutionem affert, cùm inquit. Potiùs dicendum Mentham in bello neque edendam, neque serendam, quòd calefaciẽdo homines ad Venerem incitat, propter quam milites debilitãtur & redduntur timidi, quam quidem responsionem admittendam censet Massaria. Quamobrẽ quod nequeo dissimulare, inquit, legi aliquando cum stomacho Montanum Veronensem, qui de affectibus vterinis hunc locum tractans, cum totum peruertit, scribens ad hunc modum. Hac in re Aristoteles errauit in problem. vbi volens reddere caussam, docet, esse frigidam, quod falsum est. Hæc Montanus. Quæ ab Aristotele & Conciliatore adeò sunt aliena, vt certissimum sit hũc hominem neque Aristotelem neque Conciliatorem legisse, sed potiùs, quod alii quoque hoc tempore faciunt, hæc ex aliis transcripsisse.

Non abs re autem erit etiam huius loci facere hos Reusneri versus:

Mentham ne comedas: neque plantes tempore belli:
Sic equidem Veterum regula sancta monet.
Cur? an quòd timidas facit, imbellesque cohortes
Frigida? sic magnus censet Aristoteles.
An quòd delitiis facit indulgere, gulaque
Cum condimentis hac, & odore places?
An quòd & hac metuit ferrum, si credere fas est:
An quòd dissidiis tunc vetat esse locum:
Quando semel longo durat sata tempore Mentha
Fertilis, & damnis ditior vsque suis?
An potiùs Venerem quòd iners remoratur amicam?
Nec reparat damnum Martis ab ense datum?

Galenus Menthæ facultates, & causam cur ad Venerem incitet, exponit his verbis. Hediosmos alii verò Minthem odoratam vocant. Est enim & alia quædam Mentha insuauis odoris, quam Calaminthen vocant. Vtraque gustu acri, & facultate calida est, ex tertio ordine calfacientiũ. Infirmior tamen est Mentha odorata quàm Calaminthe, & minùs calefacit. Vt enim in vniuersum dicam hæc seu siluestris quædam est, illa seu domestica. Quamobrem ob eam quæ ex cultu accedit humiditatem, mediocriter ad Venerem excitat. Id quod omnibus accidit quæ humiditatem semicoctam & flatuosam continent. Ob talem ipsius herbæ temperaturam in abscessibus eâ quidam cum polenta mixta vtuntur, id quod in Calaminthe facere nequeas, propterea quòd valentiùs tum excalefaciat, tum desiccet quàm id genus medicamenta poscant. Habet vero etiam quiddam amarum in se & acerbum. Illo quidem lumbricos interficit: acerbitate verò si cum oxycrato bibatur, recentes sanguinis eiectiones reprimit. Substantia est, si quę alia herba, tenuium partium.

Nec omittenda sunt quæ Simeon Sethi de ea prodidit. Iuuat iecur frigidum, ac ventrem corroborat ac stomachum, coctionem facit, vomitum sedat, ac singultum. Prodest etiam ad cordis morsus, & appetitionem suscitat. Flatus discutit, & lumbricos interimit, potissimùm siluestris Menthæ ius. Venerem stimulat, & iecoris obstructiones tollit. Verùm hac vesci ad satietatem non oportet: quoniam sanguinem extenuat, & serosum facit, & ipsum in flauam bilem mutat. Dein efficit vt sanguis, qui maximè est tenuium partium, discutiatur, & crassus ac melancholicus relinquatur. Quare oportet bilosos ab ea obstinere. Contrita cum sale & rabiosi canis morsui imposita, medicamentum fit salubre. Arida verò trita & post cibum sumpta ad concoctionem facit, & lienosos iuuat. Cum vino pota difficulter parienti succurrit. Ferunt etiam quod mansa lippientibus imposita fiat remedium: quodque eius decoctum absorptum confestim sanguinem ex faucibus eiicientes sanet. Huius semen ventrem purgat, & pulmonem lædit. *Noxa*

Scribit Matthiolus aquam à tota planta Menthæ distillatam, quatuor vnciarum pondere epotam sistere sanguinem è naribus profluẽtem. Succum etiam ad idem præscribunt alii, nec non ad hęmorrhoidas. *Ego autem* cùm multa habeamus optima remedia quæ sanguinem cohibent manifesta qualitate, nolim vti hac herba acri, quæ etiam sternutationem odore & acrimonia mouere potest. *Matth. not.*

Hic porrò videndum quare Galenus in Elect. de Aromat. potiùs posuerit Mentham siccam, quàm vrentem; Respondent Monachi, quia istud electuarium est stomachicũ, & non recipit nisi medicinas stomachum confortantes. At quia Mentha virens est ventosa, & stomachi conturbatiua non recipit ipsam. Cùm autem siccatur, amittit ventositatem illam, & restat illi pars confortatiua, quam quærit author in præsenti electuario, ideò recipit siccam. Vnde notandum, quòd herba aut flos, vel simile, cùm siccãtur, tripliciter operatur. Aut amittit virtutem, vt sunt Borrago, Buglossa, Cymbalaria, & similia multa: aut acquirit virtutem, vt Mentha, Hyssopus, & similia: aut transit de virtute in virtutem vt Viola & similia. Item nota, quod cùm in aliqua compositione petitur Mentha humida, non intelligitur virens, vt dicatur humida ad differẽtias siccæ. Sed illa quæ in pingui, vel humida, vel aquosa humo nata est. Vt pùta, illa est humida, quæ irrigatur &c. vnde cùm non specificatur de virenti, vt puta pro excipiendo succo ipsius Menthæ &c. vel legitur Mentha simpliciter, vel Mentha humida, semper sicca intelligitur. Et similiter Hyssoppus & alia plura.

MENTHA CRISPA VERTICILLATA folio rotundiore.

Repatrix *radix* huic cum reliquis speciebus communis existit, nec non *caules* quadrati,

qui huic cubitos binos altitudine superant, rigidi, recti, propter terram purpurascentes, hirsuti, multis alis cõcaui: *folia* odorata ex ramorum & caulium geniculis enascuntur atro-virentia, subrotunda, rugosa, crispa, per ambitum serrata, glabra, aut minimùm hirsuta, *flores* ex foliorum alis verticillatis, Pulegii, in cæruleum languẽtes.

Descriptio



An Cordo in Diosc. dicitur ἡδύοσμος, siue μίνθη, quiã Germani ipso referente, krauß Müntz appellãt, Saxones verò krauß minthen/ & Pharmacopolæ Mẽtham crispam. Hanc satiuam appellat, & nisi sæpe trãsferatur Sisymbrio similem fieri scribit.

An Trago Mentha prima, Mentha domestica, Mentha rubea, Sisymbrium?

Dod. Gall. hanc exhibet sub titulo Menthæ satiuæ, [sic etiam Lat.] primæ, quam gallicè vocant *Menthe crespue*, Germ. deyment & krauß dyment [fortè malè legitur in his vocabulis d pro B.] Belg. Bruynheylische.

Fuchs. & Histor. & Icon. Mentham satiuam primam inscribit. Et sic etiam Lacuna, qui eius figuram assumpsit. Sed & Lonicerum per Mentham satiuam primam die erst zam Müntz/ Rott Müntz/ Mentham rubeam, aut deyment, hanc intelligere suspicor, quamuis figura displiceat.

Rob. Const. apud Amat. in Diosc. lib. enarr. 39. figuram hanc Menthæ satiuæ nomine inscribit, quam è Fuchsio assumpsit. An Amatus verò de ea locutus fuerit, nescio.

Matthiol. lib. 3. cap. 35. an huius Menthæ Mentionem fecerit me latet, saltem nullam eius figuram exhibet, nec integram descriptionem, considerent lectores quæ scribimus sub Mentha crispa spicata, & sub Mentastro folio rotundiore hirsuto rugoso: descriptio Germanica non demonstrat plantam de qua hoc capite agimus, spicatam enim dicit.

De hac Lobel. in Aduers. pag. 218. ait: Mentha vulgaris serpens, rotundifolia, Pulegii flore, verticillata, seu Fusca, sacra minimè dicta Mentha fuit, quia mentem percellat: quum potiùs spiritus oblectet, gratia odoris, vndè ἡδύοσμος vocatur. Nec de odore, qui non semper suauis est, vt Galenus etiam notauit, aut illius contrario sensu, sed potiùs quia μινθω esset concolor, aut hirsuta, dicta videtur μινθα vel μίνθος, vt legitur apud Theophrastum. Est enim μίνθος Lanugo muscidáue pubes humentibus & putrescentibus penè cunctis sub dio apertis obduci solita, qualem cernere est in succis & decoctis herbarum diutulè seruatis & passim in oleis & sterquiliniis: cui haud absimilis tenera illa hirsuties pulla, quæ in Mentha. In Obseru. pag. 271. vocat Mentham vulgatam serpentem rotundiore folio, flore coronato. In Icon. Plant. figura eius est pag. 507. sub transposito titulo nẽpe Cruciatæ Menthæ. Titulus autem verus est pagina 506. qui talis est. Mentha vulgata siue Fusca sacra, & Mentha satiua prima Dodonæi.

H. Lugd. pag. 671. Mentha satiua crispa, Dodon. prima. Obscurè de Menthis scribit Gerardus, ita vt nesciam an per Mentham satiuam rubram, hanc nostram crispam intelligat. Icon eius est Calaminthæ montanæ vulgaris primæ Tabern. quæ est Calamintha vulgaris magno flore.

C. Bauh. phyt. Mentha 2. siue crispa verticillata. Apud Matthiolum, Mentha tertia siue crispa verticillata, Mentha cruciata Lobel. in Obs. quoad iconem puta, non autem titulum.

Schvvenckf. Mentha crispa: Mentha vulgata seu fusca sacra Adu. Mentha 2. (legendum puto 1.) Dodonæi: Mentha simplex officin. ἡδύοσμος Dioscoridis: Μίνθη Græcorum: Sisymbrium hortense. Garten Müntz, krauß Müntz/ krauser Balsam.

Hæc à Cæsalpino ita traditur. Mentha hortensis quæ rotundo folio constat, odoratior est: Mentham Romanã vocant: germinat incipiente hieme: cauliculis humi repentibus, subrubris: foliolis rotundis: quo tempore vsque in Ver tenella germina odoratissima, & gustui suauia expetuntur in cibis cruda ex oleo & aceto: aduentante æstate caules eriguntur, foliis grandioribus circumserratis, odore non adeò grato, sapore subamaro, rotundis crispis, & subnigris: flores summis ramulis fert spicatos, purpurascentes, aut candicantes: radices summa tellure serpentes, tenues, Graminis modo, viuaces admodum; vnde copiosæ germinationes erumpunt.

Mentha hortensis rotundo folio Cæsalpi

Puch primam & suauissimi odoris Mentham verticillatam à me plantatam & florentem in horto Ill. E. C. mense Augusto ex Entzhemia attuli, collectam in horto nobilissimi viri D. Io. Henrici à Reinach Entzhemiæ: hanc etiam vidi Argentinæ in horto D. Friderici Meier. Stutgardiæ in horto Ill. E. Wirtemb. Augusto floret, omnibus ferè hortis nota.

Locus & tempus

Authore Schvvenckfeldio, tenuium est partium. Excalefacit & exiccat in fine secundi ordinis. Attenuat, digerit, resoluit, aperit, incidit, prouocat. Flatus & lumbricos pellit, vomitum compescit. Cœliacis & Ventriculi vtrique doloribus à flatu prouenientibus competit.

MENTHA VERTICILLATA, MINOR acuta, non crispa, odore Ocymi.

A Reliquis Menthæ speciebus conspicuum suauissimi odoris Ocymi saporisque Melissæ discrimen hanc facilè dispescit: siquidem *radices* multiplex reptatus illi cum aliis communis est, perinde vt & *caules* quadrati, ramosi, hirsuti cubitales, *folia* autem primùm Ocymo medio similia, nonnihil hirsuta, quæ denique acutiora euadunt, ex geniculis aduersa: ex quorum alis flores verticillati dilutiore purpurâ tincti emergunt: minores, quam in Mentha aruensi.

Trag. in Hist. germ. & lat. lib. 1. cap. 5. hanc inter siluestres Menthas recenset, primamque facit: Figuram autem eandem habet cum ea quam exhibuit pro Nepeta agresti, de qua loquimur sub Mentha aruensi verticillata.

Dodon.

Dodon. Gall. & Lat. in fol. Mentha satiua quarta, *Herbe du cœur*. Germ. Hertz kraut, quasi Cardiaca & Cardiaca Mētha, Germ. nonnullis Balsamkraut, vt Fuchsius tradit, vocatur.



Gesnero hort. Mentha tertia minima, rubicunda, suaui admodum odore ad Sisymbrium & Ocymum accedēs. In Catal. pl. Sisymbrium hortense vulgò Balsamita.

Acinos Cornarii. Cornarius in Diosc. vocat Acinon qui secundū Dioscoridem & Paulum menses sistat, iuxta Plinium verò cieat. Hunc officinas Ocimastrum incognita ipsis Acini appellatione vocare scribit: Alios Ocymum siluestre. Germanos Kleine oder wilde Basilien / hoc est, Basilicum paruum vel siluestre. *Ocimastrum.*

Camer. in histor. German. Matth. lib. 3. Menthę alia species, species Menthæ Cardiacæ, vt vulgò vocatur, Hertz kraut, aut Hertz müntz. Item hort. Mentha Cardiaca: In Epit. Mentha altera, It. *Menta minore* siue *Gentile*. Non existimo Matthiolum sua Mentha 2. hanc intellexisse, pictura monstrat spicatam non verticillatam.

Hist. Lugd. pag. 673. Mentha satiua quarta Dodonęi.

Tab. not. Tabernę Icon. & Hist. Calamintha Ocymoides, Basilien Müntz. *Compilator* non benè describit, existimo ipsum nesciuisse quid scriberet. C. Bauhin. Phyt. Mentha prima siue hortensis verticillata.

Schvvenckf. not. Schvvenckfeld. Mentha vulgatissima, Mentha vulgaris serpens rotundifolia. Mentha hortensis verticillata Ocymi odore. Cruciata Mentha Lobel. Mentha Rubea, Balsam Müntze / Rote Müntz Balsam vulgò. *Nos non* possumus intelligere Schvvenckfeldium, Mentha quę est Ocymi odore non est rotundifolia, nec etiā cruciata Mentha Lobel. is enim dicit spicatam: nescio cur nomina germanica Hertz balsam & Hertz müntze, & Cardiacę, alteri Menthę tribuat, ac contrà vocet hanc Mentham rubeam, & Rote mūtze & Balsam müntze, cùm hęc ita vocari non soleat.

Cæsalpino Mentha hortensis folio oblongo, candidiorique.

Locus & Tempus. Mentham verticillatam minorem ocymi odore habeo in horto Ill. E. C. attuli Basileā ex horto patris Ioh. Bauh. medici, quam primò colui in hortulo meo, Geneuæ etiam in hortis obseruaui: Mentha autem hæc floret Iulio & Augusto.

Vires. Hanc ea omnia posse, quæ Mentha spicata folio longiore acuto, glabro, nigriore, præstet, infrà dicetur ex Matthiolo Camerarii.

MENTHA ARVENSIS VERTICILLATA hirsuta.



Descriptio. Menthę aruēsi nomen fecerunt natales, vt quę aruis frequentissimè innascatur, reptando se longiùs propagās, *caulibus* quadratis, albâ lanugine villosis, ramosis: *folia* aduersa, Clinopodii Matthioli, per ambitum leniter serrata, lanuginosa, odore grato Calamenthæ, sapore acriusculo non insuaui: *flores* verticillati, Menthæ Sisymbrii, minores, dilutiùs rubentes & in albidum propemodum pallescentes: *radix* repens admodum.

Apud Brunfelsium in Herb. Germ. ex Hieron. Brunsch. Menthastrum dicitur.

Tragi not. Tragus lib. 1. cap. 4. vocat Nepetam agrestem, Acker Nept, Nepetam quartam: atque quosdam velle Pulegium siluestre, wild Poley: sed horum errorem esse manifestum. Huius einsdē figuram repetit capite 6. hoc titulo: Mentha aquatica exigua, klein bach Müntz / quam Pulegium siluestre Dioscoridis esse statuit. *Ne autem* lectores decipiantur, fatemur nos non intelligere Tragum, nec nouisse discrimē, nec scire cur duas similes figuras exhibuerit.

Dod. gall. Calaminthæ alterum genus (sic & Fuchsius, qui hoc genere solo pro Calamentho officinas vti scribit.) facit, ac gall. *Pouliot* [*Pulege* Fuchsii] *sauuage*, græcè γλήχων ἄγριον, Lat. Pulegium siluestre & Nepetā, Germ. korn müntz / wild Poley / Belg. wilde Pelage & Veld müntz appellat.

Nepeta altera, Latinis particulariter Nepeta dicta, inquit Lonicerus, Pharmacopœi vtuntur, vocántque Pulegium siluestre.

Amati not. Amatus [qui Calaminthā tertiam facit ac Calamentum pharmacopolarum vocat] huius plantæ nomen cum Calaminthę nominibus miscet.

H. Lugd. duas icones vnius plantæ proponit hist. pl. pro diuersis plantis, pag. sc. 906. & 907. titulis Calaminthæ aquaticæ Matthioli & Nepetę 4. Tragi.

C. Bauhin. Phyt. pag. 432. Calamintha 6. siue aruensis verticillata hirsuta, Brunfels. in 4. pag. 210. Menthastrum. Sunt qui πολύκνημον Dioscoridis esse velint. Apud Matthiolum Calamintha aquatica Matthiolo. Tabern. Icon & Hist. Calamintha aruensis.

Locus & Tempus. Mentham aruensem verticillatam & hirsutam habeo à me plantatam in horto Illustriss. C. W. repertam suo odiosam, alioqui passim in agris prouenit.

MENTHA SPICATA ROTVNdifolia crispa.
CAP. II.

Descriptio. FAcie Rotūdifoliæ crispæ spicatæ, qualis verticillatæ, radices reptantes se propagantes: caules quadrati, hirsuti, infima parte subrubētes: folia è geniculis aduersa, crispa, rugosa, vix hirsuta, serrata, ad Verticillatam odore & sapore accedentia: at florum positus multùm diuersus, licèt singularium flosculorum non aliùs sit vultus aut color: siquidem in spicas vnciales & sextantales digesti sunt.

Plantam a nobis hic delineatam vocat Tragus lib.1.cap.9 Mentham satiuam seu crispam. Dodon.gall. Mentham satiuam secundam: Gall. *Baume crespu*: Germ. **Kraußmüntz**, & **kraußbalsam**/ Belgis **Kruysmunte**, & quibusdā **heylighe**. lat.in fol. Mentham alteram hortensem quam alias satiuam dicit. Germ.autē **Kraußmüntz**, id est, vt ait, Mentham cruciatam, Bohemis **Mata**. *Sed* Germanicè **krauß** significat crispam, non cruciatam.

Lonicero dicitur **die andere zam Müntz**/ Mentha crispa. Gesn.hort. Mentha altera nobilior, rotundioribus & rugosis seu crispis foliis: Sisymbrium hortense Matthiolo.



Dodon. not. An Matthiolo in Dioscoridem Mentha simpliciter, Mentha Crispioribus foliis, Mentha crispa Cordi in vnguento Marciato. In histor. germ. **Gerten müntze** aut **beymüntz**: Mētha prima, græcis *ἡδύοσμος*? Fuchs.histor. Mentha satiua secunda, **kraußbalsam**. Iconum Mentha satiua altera. Lobelio Adu.p.218. Mentha altera, **Cruyemuntz** siue Cruciata Mentha dicitur, flore spicato. Obs. pag.27. Mentha rotundifolia altera flore spicato, siue cruciata. Mentha, Mentha secunda Dodonæi. In Icon. Plant. pag.506. titulo inuerso pro Mentha vulgata posita icon. *Quæ* Lobel. scribit de Sisymbrio folio 272 ita dubia videntur, vt nesciam an hac referenda figura, sanè quam ibi ponit possét non minùs conuenire Menthæ crispæ spicatæ quàm ea quam iam posuit, potest item exprimere meo iudicio Mentastrum rugosum satiuum: lectores tem perpendant.

Lobel.not.

An Amato *ἡδύοσμος ἥμερος* Mentha vbique nota quæ semper in hortis reperitur, Hortulana ab Hispanis nonnullis appellata?

Monachis in Mesuem dist.6.cens.178. Mentha altera rotundioribus foliis, quam fœminam cognominant.

Luminari maiori Mentha domestica quæ propriè hortulana, & Mentha communis vel odorifera.

H.Lugd. p.672. Mentha altera satiua.

C.B. not. C.Bauh.phyt. Mentha 5. siue rotundifolia crispa, spicata prima: Trago crispa: Lobelio rotundifolia altera siue spicata. Item apud Matth. in Diosc. lib.3.c.35. Secunda Mentha altera Matth. Mentha satiua 2. Lacun. Mentha minor Castori. *Quam* iconem & quam plantam proponat Frater pro Mentha altera me latet, eius icon videtur facta ad imitationem Menthæ Dodon. alterius, siue Lobelii Menthæ rotundifoliæ alterius, melior tamen illorum: cur non annotarit se eam intelligere, si intellexit, miror: Si Mentham aliis indicem intelligit, cur icon eius ita accedit ad iam dictam?

Locus & tempus. Mentha rotundifolia crispa, flore spicato nostrâ operâ nunc Montbelgardi in Horto Ill. E.C. abundat, florens Augusto & Septembri. Vidi etiam Basileæ & Colmariæ in hortis.

Vires. Ad dolores capiti sæpè recurrentes Wirtembergicus madefacit lintea, triplicata aut quadruplicata, in aqua Menthæ crispæ, vtrique tempori ea applicans. Mentham spicatam commendat Horstius ad dysenteriam pestilentialem.

MENTASTRVM SPICATVM CVLTVM, folio rotundiore, rugoso.



Descriptio. IN hortis colitur, odioso reptatu tandem hortulanis parum gratum: *foliis* pluribus quàm Menthæ crispæ spicatæ, nigrioribus, hirsutis & mollioribus quàm Menthæ Crispæ verticillatæ: *flores* spicatim digesti, minimi, albi, odor gratus. Nostra icon est exemptis iconibus.

An Matth.in Diosc. Sisymbrium hortense? Et in hist.Germ. **Krauserbalsam**/ Sisymbrium domesticum? An Anguill. epist.7. Sisymbrium primum? An Camer. apud Matth. & Epit. Sisymbrium domesticum, Balsamita, **Krauser Balsam**. Mentha crispa siue Balsamina?

Lob.obs.pag.271. Sisymbria Mentha agrestis [ita quoque inscribitur in Icon.Plant.p.508.] satiuæ cruciatæ Menthæ congener aut eadem. Italis etiam Balsamita seu Mentha Crespa, Sisymbriū satiuum Matthioli. *Figura* à Lobelio posita non malè exprimit nostrum Mentastrum folio crispo: verùm non parum differt à Mentha satiua cruciata, folia multò hirsutiora & molliora.

An Lacunæ in Diosc.lib.2.cap.117. Sisymbriū hortense, Barbaris Balsamita, aut Mentha Romana, Sisimbrium primum, Græcè *ἑρπυλλος ἄγριος*, Lat. Serpillum siluestre, Arab. Sisnabar. Castel. *yerua buena aquatica*. Gall. *Mente aquatique*. Lacuna habet figuram Matth. an verò intelligat hoc Mentastrum rugosum, vel Mentham crispam spica-

spicatam asserere non ausim, viderint alii.

Hist. Lugd. pag. 677. Sisymbrium hortense, cuius Theophrastus mentionem fecit, quod Matthiolus & periti Herbarii eam esse putent quam officinæ Balsamitam appellant, vulgus Mentham Romanam siue Crispam. Galli *Baulme crespu*: Nos non eandem plantam facimus Sisymbrium hortense & Mentham crispam. Icon autem ex Matthiolo placet, & meliùs quàm Lobelii, ac etiam ea quæ à nobis proponitur.

Turnero parte 2. Mentastrum, Mentha siluestris, Græcis Hediosmos agrios, nobis Horse mint.

C. Bauh. Phyt. pag. 419. Mentha 4. rotundifolia, crispa, spiculata Matthiol. Sisymbrium hortense. Lob. Sisymbria Mentha agrestis. Apud Matthiol. Mentha rotund. crispa spicata Matth. Lacun. Cast. Lugd. Sisymb. hort. Gesn. Mentha hortensis 2. siue crispa Lob. Sisymb. Mentha agrestis.

Locus & Tempus. Menthastrum hortense crispæ Menthæ spicatæ simile fœliciter mihi prouenit Montbelgardi in horto Ill. C. W. florens Iulio, quod vt Mentha crispa serpit: ac idem etiam obseruaui Tubingæ apud Fuchsium: vt & Stutgardiæ & Argentinæ in hortis.



Menthastrum niueũ Anglicum Penæ & Lobelii.

Partim album, partim cinereum genus Menthastri pulcherrimum habemus Montbelgardi in horto Ill. C. W. ac variis in Burgundiæ Comitatus locis obseruaui: ac id etiam cultiores horti in Anglia alunt.

Balneis & compositionibus officinarũ vt pulueribus Diacalaminthę & Diacymini, hunc, vtpote grauiorem, nec minùs efficacem, præstaret indere.

MENTASTRVM SPICATVM MINVS.

CAP. III.

LOb. Obs. pag. 273. Mentastrum minus Spicatum, odoratum, mitius, minúsque graue, folio Heliotropii tricocci. H. Lugd. p. 674. Mentastrum minus spicatũ folio Heliotropii tricocci. Pro hoc Mentastro H. Lugd. ponit Iconem Lobelii positam pro Calamintha 3. Dioscoridis Mentastrifolia aquatica hirsuta. Considerandum proponimus an Lobelii Mentastrum sit nostrum Menthastrum spicatum folio rotundiore rugoso, de quo antè.

C. Bauhin. mr. C. Bauhin. in Animaduers. in hist. Lugd. pag. 33. Menthastrum minus spicatum Lobelii. Perfectè hoc loco [pag. 674.] Descriptio non ponitur: reperitur Descriptio pag. 906. sub Menthastrifolia aquatica hirsuta Penæ & Lob. sed sine icone. *Hæc frater.* Perfectè descriptionem qualem Lob. concinnauit posuit H. Lugd. Sed iconem non benè adaptauit quæ alterius plantæ.

MENTHASTRVM SPICATVM, FOLIO crispo rotundiore, colore partim albo, partim cinereo, vel virente.

Descriptio. PErinde vt huius generi aliæ, *radix* Menthastri, quo de Sermo nobis est, reptat: *caules* quadrati, hirsuti, subrubentes, *folia* aduersa, subrotunda, serrata, tomentosa colorum varietate in eadem planta mirè ludentia, modò tota candida: modò ex albo in herbidum languentia, aliàs dimidia parte alba, alterà viridi, aliàs vtróque hoc colore variè maculosa, odore minùs graui quàm vulgare Menthastrum, sapore satiuæ crispæ, acri, non ingrato: *flores* spicati albicãt odore suaui, non vehemente.

Lobel. in Aduers. pag. 219. Menthastrum cinereum & niueum in Anglia cultum. Obs. p. 273. & Icon. Plant. p. 510. Menthastrum niueum Anglicum. Dodon. Lat. in fol. pag. 96. Menthæ siluestris species quædam foliis subinde partim virentibus partim niueis. H. Lugd. pag. 674. Menthastrum niueũ Anglicum Penæ & Lobelii.

MENTHASTRVM FOLIO RVGOSO rotundiore, spontaneum, flore spicato, odore graui.



Descriptio. COrdus sic descripsit. Menthastrum *caules* erigit cubitales, quadrãgulares & hirsutos: *Folia* ex interuallo in contrariis lateribus, alterno ordine & cruciformi positu proferentem, longitud. bessis, latitudine autem vnciam quarta aut tertia parte excedentia, rugosa, atque lanuginosa pube obducta: ramulos supra medium plerumque caulis è foliorum sinu producit, vere & æstate numerosis vndique *floribus* in candido rubentibus & hiantibus, Denticulatis calicibus insidentibus, & positu quãdam spicę imaginem referentibus circumdati: quibus exiguum nigrúmque *semen* succedit: *radice* nititur multis capillamentis fibrata, laterales viticulas propagationis caussa in terra spargente & perenni. Saporem habet amarum, acrem & adstringentem, odorem verò grauem & acrem, satiuâ Mentha multò iniucundiorem. *Hæc Cordus* in Hist. (vbi Mentastrum vocat, & in Dioscor. Mẽtham agrestem cognominat, quam G. Pferdemüntz exponit) cui figura ex Trago apposita, quæ mihi non placet quia mala, & prętereа nõ huius plantę videtur. Nemo autem, quod sciam, Menthastrum folio rotundiore meliùs Cordo describit, quę occasio vt eius descriptionem hic assumpserimus.

An Anguillara epist.7. Sisymbrium & *Sesembr* sponte proueniens in Italia.

Monachi in Mesuem dist.1. cens.15. vocant Mentastrum verum, folia habens rotundiora.


Tab. not. Tabern. Icon. & Hist. Mentastrum, **Wilden Balsam/ Wilde müntz & Roßmüntz** nominat. Verùm compilator Tabern. nihil distinctè de hac planta scribit. Gerard. Angl. sub Mentha aquatica **Walde mint** iconem Mentastri dicti Tabern. proponit, verùm de hac etiam indistinctè scribit. Casp. Bauh. phyt. Mentha 7. siue sylu. rotundiore folio dicitur, & Cordi Mentastrum.

Camer. not. Schvvenck. Menta siluestris 1. ἡδύοσμος ἄγριος Diosc. Mentha caballina folio rotundiore, Mentastrũ Tragi. Mentha alba officin. **Wilde müntze/ wilder Balsam/ Roß müntz.** Sapore est amaro acri & adstringente. *Ast non* placet dici albam Mentham offic.

Locus & tempus. Mentastrum folio rugoso flore spicato spontè passim prouenit Montbelgardi, vt eundo ad Molendinum & Domum leprosorum. Hoc etiam Mentastrum folio rugoso rotundiore, ni fallor multùm obseruaui Basileæ propè Sanctum Iacobum ad flumen Mense octobri. Geneuæ passim *au plein palais.* Monspelii secundum aquas. Mentastrum Cordi nascitur secus gelidos riuulos, solo pingui, interimque saxoso: arenoso autem nunquam.

MENTHA SPICATA, FOLIO LONGIORE acuto, glabro, nigriori.

Descriptio NOn secus ac aliæ Menthæ, *radicum* longo reptatu, subinde fibris demissis se promouet, *caulibus* bicubitalibus, subrubentibus, quadratis: ex quorum nodis per certa interualla gemini aduersi *rami* exeunt, ita vt inferioris semper cum superiori cruciformis sit positus: qualis & *foliorum* est alternatio, tam in caulibus quàm in ramis: sunt ea verò oblonga, acuta, atrouirentia, minimùm hirsuta, per ambitum serrata: *florum* autem pusillorum exalbidorum punctulis rubẽtibus guttatorum verticilli longiuscula serie spicam effigiant.



Variorum lapsus. Brunfels. in herb. germ. & Hieron. Braunschvveig. itemque Dorsth. cuius icon non placet, Balsamita & Mentha Sarracenica, Germ. **Balsammüntz, aut Unnser frawen Müntz.** Sed hi plures plantas confundere videntur, præsertim Dorsth. qui & Sisymbrium vocat.

Tragus not. Plantæ sanè à nobis descriptæ videtur Tragus lib.1. cap.5. duas habere figuras: vnam nomine Menthæ rubeæ siue Sisymbrii **Rote müntz**, alteram [quod tamen lectoribus diiudicandum relinquimus] titulo Nepetæ aquaticæ. **Spitzer Balsam: Spitzmüntz**: Calaminthæ alterius de qua Diosc. lib.3. locutus sit. Puto autem figuram sub Menthæ rubeę vel **rote müntz** malè positam, ac non loqui de Mentha cuius ibi figura: Obscurè meo iudicio de Menthis scripsit Tragus. *Trag. not.*

Dodon. Gall. dicitur Mentha satiua tertia, Mentha Sarracenica, & Mentha Romana: Gall. *Menthe de nostre Dame & Menthe Romaine.* Germ. **Balsam müntz/ unser frawen Müntz/ Spitzbalsam.** Belg. **Roomsche munte & Balsam munte.** Lat in fol. Saluia Romana, Mentha tertia aut Herba S. Mariæ.

H. Lugd. pag.671. Mentha satiua Matthioli 1. Dod.3.

C. Bauh. phyt. Mentha 5. siue angustifolia spicata: Brunfels. in 4°. pag.200. Mentha secunda angustissimo longissimoque folio in horto Montbelgardico visa. Apud Matthiolũ, Mentha Matthioli. Mentha hortensis prima Gesn. Satiua 3. Fuchs. Dod. Mẽtha Romana officinarum angustifolia Lob. hortensis oblongo folio Cæsalp. Satiua Cast. Lugd. odorata angustifolia Cam. acuta Tab. Frater proponit Iconem Tabernæ: Verùm an Matthiolus eam intellexerit dubito.

Monachi in Mesuem dist.1. cens.5. de hac fortè loquuntur cùm dicunt: Multi pro Mentha Florentina, intelligunt Mentham communem, id est, Hortulanam. Item dist.6. cens.78. Mentha communis & vsitatior. Mentha hortulana quam Græci Hediosmum satiuum cognominant longioribus foliis quæ à nonnullis masculina vocatur. Mentham meliùs putamus scribi cum aspiratione quamuis communiter scribatur sine ea. Item Mentha dicitur Arabicè *Nababana* vel *Nabanna* &c.

Coldembergo apud Cordum in Disp. supra Marc. Nicol. Mentham Sarracenicam, vocatam quoque Romanam, quam in suis de Stirpium libris imagine & scripto depinxerit Dodonæus, hoc loco intelligendam ait, quicquid Fuchsius ex suo corruptissimo Nicolao in medium proferat. Dicitur autem Fuchsio hist. cap.3. Mentha satiua tertia, siue Romana, vel Sarracenica. Lobel. in Aduers. pag.218. Mentha Romana officinarum siue præstantior angustifolia (ita etiam inscribitur in Icon. Plant. pag.507. Germ. **Spitzmüntz**/ spicata, cuius differentias duas assignat. Quia autem folia albiora, hirsutiora habeat, & efficatiora, inde Romanam & Balsaminam appellat. Obser. p.271. Mentha Romana officinarum præstantior. Mentha prima Matthiolo. Quędam in Lobelii descriptione conueniunt, quædam non respondent, sc. albedo & hirsuties: Icon verò eius optimè placet: is fortè à glabra non distinguit hirsutam.

Matth. ponit duas figuras penè similes Menthæ, quas spicatas facit, & folio longo acuto: non autem indicat qua in re differant, nec meo iudicio ritè describit: neutra enim figura respondet descriptioni primæ Menthæ quam in Histor. Germ. ait folio rotundo, molli & rugoso nonnihil: Secunda icon fortè Menthæ spicatæ foliis longo acuto, descriptio tamen non in omnibus conuenit: Sanè existimo nullam Mentham ritè cognitam fuisse Matthiolo. *Matth. not.*

Camer. apud Matth. germ. lib.1. cap.34. Mentha acuta **Spitzmüntz**: An eidem hort. pag.100. Mentha odorata angust. folia? In Epit. Menthas Græcis ἡδύοσμοι: Arabibus, *Nabanah*: Germ. **Müntz:**

Müntz: Hisp. Hierra buena, & Ortolana: Gallis *Menthe*.

De Mentha spicata folio acuto hæc inter alia prodidit Turnerus parte 2. fol. 83. Dioscorides Mentham non describit, & satiuæ vnicum duntaxat facit genus. Quare cùm satiuę Menthę hodie plura sint genera, difficile est statuere, quæ sit Dioscoridea. Fuchsius quatuor facit Menthæ satiuæ genera, eaque accuratè describit. Matthiolus tria, quæ ieiunè & leuiter describit &c.

Tab. not. Tabern. Hist. & Ic. Mentha acuta, Spitzmüntz, non benè describit, nec ab aliis distinguit.

Gerard. Gerard. Angl. Mentha cruciata. Icon est Tabernamontani non conueniens cum Mētha crispa quam cruciatam vocat: verùm nihil distinctè scribit de Menthis, & confusè ponit figuras.

Schvvenck. Mentha Cardiaca, Mentha angustifolia Lobel. Mentha 2. Matth. Mentha acuta Tab. Hertzbalsam/ Hertzmüntze, spitzmüntze. Minùs vulgata ac prior.

Gesn. Mentha hortensis prima communis & maior. Lonic. Mentha acuminata & Mentha Romana.

Locus & Tempus Mentha spicata folio acuto, non crispa, nigrior abundat Montbelgardi in hortis, nec non Patauii, Geneuæ & Basileæ, vbi in hortis etiam obseruaui.


Vires Gustu est acris, calidaque facultate prædita, ex tertio quadamtenus exca facientium ordine, sed minùs excalfacit quàm Calamyntha. Habet & in se quiddam amarum, & acerbum, substantia est tenuium partium. Adstringit quoque ac siccat, Dioscoridi. Succus ex aceto potus sanguinem sistit: teretes ventris tineas necat: Venerem stimulat. Terni rami cum acidi mali punici succo poti singultus, vomitiones, choleramq; sedant: Folia cum farina hordacea illita, suppurationes discutiunt. Mammas item tensas, aut lacte turgentes compescit. Cum sale canum morsibus illinitur: vuluæ ante coïtum admota, conceptum impedit. Lac coïre non patitur in ventriculo, si folia lacti immergantur. In summa stomacho vtilis est, & in condimentis peculiarem gratiam habet. Aqua stillatitia è tota Menthæ plāta puerperarum mammis cum linteolis admota lactis concretionem inhibet, animum olfactu excitat, vlcera manantia infantium capitibus mirè sanat. *Matth. in Epit.* Camer. Turn. Odor Menthæ cerebrum roborat, memoriam conseruat & auget, lacti indita coagulari ipsum nō sinit, hæmorrhoidas sistit. Colicis cruciatibus confert cum gigartis mali Punici.

MENTHASTRVM SPICATVM FOLIO longiore candicante.

Descriptio EA Menthæ agrestis species quam hic tradimus duos cubitos alta est, aliquando procerior: *radicibus* geniculatis reptantibus fibratis: *caules* item quadrati sunt toti hirsuti: quorum geniculis apposita *folia* oblonga, acuminata, per ambitum serrata, molli lanugine canescentia, magis tamen infernà quàm supernà parte, odore satis grato, minùs multò vehementi quàm Menthæ satiuæ spicatæ verticillatæ, sapore item simili sed remissiore: *flores* ex rubore in album pallescunt. *Icon* quam proponimus à nobis empta cum aliis non vndique placet.

An Cordo in Dioscoridem Menthastrum, agrestis Mentha, Pferd Müntz.

Schvvenckf. Mentha silu. 2. Mentha equina acutioribus foliis, Menthastrum Lobel. Menthastrifolia aquatica, hirsuta Mentha. wilde krauß Müntz/ Spitzige Roßmüntz, tischmüntz.



Camer. apud Matthiol. Germ. Mēthastrum Wildemüntze aut Roßmüntze. In Epit. Menthastrum siue Mentha siluestris, Græcis ἡδύοσμος ἄγριος Ital. *Menthastr.*, German. wilde muntz. Gall. *Menthe cheualine*. Nullam prouinciam, inquit Clus. in post. histor adire memini, in qua non conspexerim Menthastrū, siue sylu. Mentham spōtè secundum aquas & riguis locis nascentem.

Fuchs. hist. cap. 11. Mentha siluestris Menthastrum vocatum & vulgò Equina Mentha. Ic. Menthastrum. Mentha silu. Matthiolo quam Hetrusci retinentes Latinum nomen vulgò Mēthastro appellant. German. Wilde Müntz aut Roßmüntz.

Trag. German. & Lat. Mentha altera siluestris, (die andere wilde Müntz, verum Bachmüntz) propriè dictum Menthastrum, Mentha campestris Dioscoridis & Apuleii.

Dod. gall. Menthastrum, *Menthe cheualine*; Mentha prima siluestris, ἡδύοσμος ἄγριος Diosc. latinè Menthastrum Plinio, *Menthe sauuage* gall. Katzenbalsam/ Roßmüntz/ wilderbalsā/ wildemüntz/ vide Polemonium Absyrthi. Lat. in fol. pag. 96. Mentha 5. Dioscor. ἡδύοσμος ἄγριος. 1. Mentha silu. lat. Menthastrum Plinio authore. Offic. alba Mentha. Germ. wilde müntz. Italis *Mentha siluatica*, Hisp. *Mentastro*. Angl. Horse minte, Bohem. Plana Mata.

Lobel. in aduers. Obs. & Icon. Menthastrum. Gall. *Menthe sauuage*: Anglicè Horse & wilde Minte.

Lonic. hist. lib. 5. cap. 101. die wilde müntz/ roßmüntz aut wild Balsam.

Gesn. hort. Mentha siluestris, Menthastrum uocata. Lacunę ἡδύοσμον ἄγριον, Menthastrum, Castiliensibus *Mastrantes*, Cat. *Mentastro*, Portug. *Mestrantes*.

An Monachis in Mesuem dist. 6. cens. 25. Calamenthum fluuiale siue aquaticum, Menthastri species.

C. Bauh. Phyt. Mentha 8. siue silu. longiore folio: varias foliis longioribus & nigrioribus, minúsque incanis.

Menthastrum folio longiore, candicante, flore spicato abundat circa vrbem Montbelgardi iuxta riuos. Existimo me etiam Geneuæ vidisse: vidi etiam Lutetię in horto D. Robini hortulani regii. Menthastrum Matthioli in Epit. Camerarii nasci scribitur plerunque vliginoso solo & prope riuos aquarum.

Vires Excalfacit authore Matthiolo, attenuat, adstringit, incidit & aperit. Suffiti vapor fœminas à partu purgat: datur eius decoctum vtiliter anhelosis & ægrè spirantibus, quin etiam mulcendis torminibus qui à flatu oriuntur. Substratum vel accensum serpentes fugat. Instillatur succus verminulosis auribus. Item tum potus tum testibus illitus, nocturnas pollutiones prohibet. Auxiliatur potus regio morbo affectis: strumosos illitus iuuat: ex aceto potus ventris animalia pellit: folia tam pota quàm illita, præstant aduersus venenosorum ictus.

MENTASTRI AQVATICI GENVS hirsutum spica latiore.

CAP IV.

Descriptio QVadratos promit *caules*, duum vel trium cubitorum altitudine, hirsutos: *folia* Menthæ spicatæ folio acuto, vel Mentastri albi, oblonga, serrata, lanugine multa subtus canescentia, minùs tamen quàm Mentastri vulgaris rotundiore folio, vel candidi, sapore insigniter acri feruidoque, odore ferè Sisymbrii: siue Menthæ aquaticæ rubræ, caulium *scapus* trifariam partitur, totidemque gerit velut spicas latiusculas [non angustas vt in Menthis & Mentastris spicatis] non multò vnciâ longiores, in quibus *flores* subpurpurei, quinque partiti, ex *calycibus* hirsutis, striatis, rubentibus, in apices quinque fissis: *radice* est reptrice.



An Lob. in Adu. & Obs. & Icon. pl. Mentastrifolia aquatica, hirsuta, Calamintha tertia Dioscoridis? &c.

C. Bauh. phyt. pag. 431. Menta 12. siue palustris oblongiore folio.

H.Lugd.pag.674. Mentastrum minus spicatum Lobelii. Item pag. 906. Pena & Lob. Mentastrifoliã aquaticam hirsutam Calaminthan tertiam Dioscorid. esse censent &c.

H. Lugdun. not. Quidam silu. Sisymbrium Diosc. esse putant. Hanc videtur Tragus nomine Nepetæ quartæ agrestis depinxisse. *Primo* loco H. Lugd. non bene posuit iconem sub titulo Mentastri, cùm ponenda fuisset secundo loco pro Mentastrifolia: quæ cùm Lobelio dicatur spicatos habere flores non potest esse Nepeta agrestis Tragi 4. cui flores verticillati.

Locus & tempus. Reperi duobus milliaribus à Montbelgardo in Ioncerey pago ad ripam fluuii, florebat autem principio Septembris:

SISYMBRIVM ANTIQVIS ET in genere.

CAP. V.

SIsymbrio, inquit Theophr. 4. caus. 7. nocet cultus. Id enim quasi effœminatur, & amisso sui odoris acore, transit in Mentham: quippe alimenti, neglectusque caussa, syluestris habitus prouenit: & 2. de Causs. c. 22. Sisymbrium si transit in Mentham, odorem tantùm Menthæ recipit, proprio amisso, quia cultura caruerit: Speciem verò non recipit, sed quasi Nepetæ redditur simile. Omnia namque in simile sibi quicquam mutantur, non in remotum penitus transeunt. Cultus autem & translatio naturam propriam retinet, atque seruat.

Sisymbrium (quod referente Diosc. lib. 21. alii Serpillum siluestre [ἑρπυλλον, ἄγριον, a'γρίαν Ald. μίνθα Orib.] vocant.) in solo inculto nascitur, Menthæ hortensis similitudine, sed latioribus foliis atque odoratis (εὐωδέστερα, εὐώδη Orib. quod quidem in coronas recipitur. Calefaciendi vim habet: ac Semen quidẽ cum vino [σὺν οἴνῳ & vet. omittit] potum ad vrinæ stillicidia calculos cõmodum est: & tormina ac singultus sedat. Folia verò contra capitis dolorem fronti ac temporibus imponuntur. Item ad vesparum & apium ictus. Cæterùm vomitiones quoque potu cohibent. Quidam autem vetusti codices caput hoc Diosc. de Sisymbrio in libro tertio locant. Alii prorsus excludunt, & cap. de Sisymbrio altero tantùm retinent cum titulo simplici περὶ σισυμβρίου de Sisymbrio. De Sisymbrio autem altero Cardamine dicto egimus H.n.g. lib. 21.

Galenus prius hoc Sisymbrium in vsu medico tenuium partium, discutientem, calefacientem, ac siccantem tertio ordine vim habere, ac temperamentum tradit. Semen eius item tenuium partium & calidum esse. Vnde cum vino quosdam exhibere ipsum singultientibus & his qui tormina sentiunt.

Lætissimum nasci tradit Plinius Sisymbrium in puteorum parietibus, & circa piscinas ac stagna. Quod in riguis nascitur, simile Nasturtio est (gustu Diosc.) vtrumque (prius Dioscor.) efficax aduersus aculeata animalia, vt crabones & similia. Quod in sicco ortum odoratum est, & inseritur coronis angustiore folio. Sedant vtraque [prius Diosc.] capitis dolorem. Item epiphoras. Sanat & Epinyctidas, cutisque vitia in facie mulierum. Vomitiones, singultus, tormina, stomachi dissolutiones cohibet, siue in cibo sumptum, siue succo potum. Non edendum grauidis, nisi mortuo conceptu. Quippe etiam impositum eiicit. Mouet vrinam cum vino potum, siluestre & calculos. Quos vigilare opus sit, excitat infusum capiti cum aceto. Diximus lib. 21. Plinium hoc Sisymbrium cum altero Dioscoridis, Cardamine vocato, siue Nasturtio aquatico confundere.

Non cessat natura, inquit Cornar. quotidianis & in omni sui parte in peius mutationibus quàm grauis & facilis negligentiæ iactura sit homines monere: & quod poëta cecinit degenerare omnia & in vitium ruere ni vis humana quotannis instíterit: honoremque & bonitatem suam rerum semina & genera seruare coegerit: vt contraria ratione disceremus nihil tam asperum, rude, difficileque & incultum esse quod non labore & ope-

& opere humano meliorescat: & assidua cultura ad honestiorem suauioremque vsum mitescat: in quo non minùs facilem sequacémque homini quàm ad vitium natura se præbuit. Multa sunt ad vtramque partem naturæ mutationis exempla, sed longè plura in peius degenerantis. Facile enim & lubricum ad vitium iter est: degenerátque Triticum in Lolium, Populus alba in nigram: Ocymum in Serpillum: dulcia in amara, & satiua in siluestria. Habentque omnia quæ id patiuntur mutationis suæ diuersas causas: Sisymbrium tamen vt odore in Mentham, figurà in Nepetam degeneret, præcipuam à culturæ negligentia: nisi enim assidua cultura coërceatur, & translatione nouos veluti natales quotannis accipiat, in eas quas dicimus plantas quamprimùm diuersa sui parte degenerat. Testantur id rei rusticę, & plantarum historiam tradentes, scriptores omnes. Theophrastusque præsertim &c. *Quibus* ostendit Cornarius prius Sisymbrium esse illud quod officinæ Balsamitam vocant & Mentham rubram, hocque Sisymbrium, etiamsi siluestre sit, in Calaminthan degenerare docere Plinium, Theophrastum verò modum quo id fiat. Alterum autem Sisymbrium esse id quod Sisymbrium Cardamine dicatur, de quo egimus H.n.g.l.21.

Tametsi, inquit Matth. porrò prodiderit Dioscorides Sisymbrium in solo inculto nasci, Theophrastus tamen lib.6.cap.7. de plantarum historia, & lib.5.cap.8. de earum causis, satiuum etiamnum Sisymbrium in hortis reperiri posteritatis memoriæ cõmendauit. Quod sanè eam herbam esse crediderim, quæ hodie in omnibus ferè hortis prouenit, quã nostrates officinæ Balsamitam; vulgus verò Mentham Romanam, vel crispam appellat.

Sisymbrium tandem dici putat Varro à Sisymbrio, quæ fuit veteribus comediis meretricula. Coronam etiam Veneris nonnulli dixerunt, vel quòd ob odoris suauitatem quam præ se fert eo iuuentus quæ amoribus gaudet, coronata, in comessationibus suis blando odoris oblectamento suas illecebras commendaret: Vel potiùs quòd Sisymbrii caulis articulatim per internodia verticillato florum ambitu concinnè coronetur.

Aequiuoca — Cæterùm, Sisymbrium vrbanum apud Theophrastum, & Acinon apud Dioscoridem vnius esse stirpis nomina Guillandino aliquando annotauit Iacob Zuingerus.

Acinos

Mentha aquatica — Mentha aquatica siue Sisymbrium videtur *Sisymbrium alterum* Dioscoridis C.Bauh. & aliis quibusdam quod tamen aliqui negant.

Mentastri aquat. genus — Mentastri aquatici genus, esse dicunt aduersaria Sisymbrii speciem quandam Recentiorum. Ea vocant Mentastrifoliam aquaticam hirsutam Calaminthan Dioscoridis.

Mentha crispa — Mentham Crispam esse Sisymbrium satiuum Theophrasti credidit Matthiolus. Is vocat Sisymbrium hortense & Domesticum.

Mentastrũ liberis Fuchsii. — Sisymbrium cuius meminit Plinius lib.19.cap.8. quidam existimarunt vulgare Mentastrum.

Sion — Plinius vt attestatur Maranta lib.1.cap.8. Sii & Sisymbrii aquatici facultates confundit.

Barbarea — Barbarea vocatur Sisymbrium hibernum & Pseudobunion ab Harchio in Enchit. Sisymbrium aut Serpillum turpiter implicuisse Arabes author est Apollo Radic. 1. Confec. ex Aloë ligno.

Serpillum Ocymum — Sisymbrio, Ocimum substituit Tractatus quid pro quo: Idem Sisymbrio florem Syriacum

Malua — i.e. Maluam.

MENTHA AQVATICA SIVE SISYMbrium.

Cap. VI.



HVmidioris soli amans ex *radice*, reptrice, crebris fibris donata *caules* aliquot emergunt quadrati hirsuti, aut intus concaui; aut fungosa medulla farcti multis alis concaui: *folia* ex articulis, Menthæ crispæ verticillatę paria, minimè tamen crispa, quanquam perinde vt illa per ambitum serrata, inque obtusum mucronem desinentia, odore vehementi Pulegii, colore ex nigro rubente. *flores* verticillati, dilutà purpurà rubescunt quadrifidum calathum imitati, staminulis emicantibus exalbidis apices rubellos sustinentibus.

An Tragus lib.1.cap.4. in Hist germ. Wild Katzenkraut. *Miror*, aliàs diligentem, circa figuras & descriptionem Mentharum negligentiorem fuisse, nullam figuram habet quæ benè hanc plantam exprimat.

An Anguillaræ epist. 12. Calamintha tertia quam ait aliquos sumere pro Sisymbrii prima specie, & multùm commendari in Nicandri Theriaca?

An Lonic. lib. 5. cap.101. Alterum siluestris Menthæ genus?

An Monachi in Mesuem dist.1. Cens.5. Hanc intelligunt, cùm dicunt: Sisymbrium, alterum videlicet genus Menthæ quam nonnulli Balsamitam, & Mentham aquaticam appellitant, & alii (vt Brassauolus scribit) Mentham florentinam nominant. Verùm etiam multi pro Mentha Florentina intelligũt Mentham communem, id est, hortulanam. Alii autem, teste Dioscoride, Hoc Sisymbrium vocant Serpillum, & herbam Veneriam vel Veneream. Arabicè autem dicitur Nemam seu Nemem, vel Nemen, quo nomine etiã & Serpillum vocant Arabes. Et hoc genus Sisymbrii dicitur terrestre, quoniam in terrenis & campis nascitur quamuis etiam iuxta riuos aquarum plurimùm reperiatur. Vnde & Mentha aquatica nominatur. Et dicitur etiam terrestre seu campestre ad differentiam alterius Sisymbrii quod est aquaticum: quoniam semper in aquis oritur &c.

Menthę aquaticę (quam Matth. in post. comm. in Diosc. pro Sisymbrio siluestri pingit) figura nõ placet: in Hist. quidem Germ. satis commodam habet: descriptionem autem non exactam.

De hac Sisymbria Mentha egisse crediderim Turn. part.2. fol.149. dicentem: Duo facit Dioscorides Sisymbrii genera, vnum terrestre, alterum aquaticum. Ex eadem colligere est Sisymbrium

Pulegio simile esse, aut tum folio, tum serpendi, crescendique modo aut certè serpendi similitudine: nec non folia debere esse Menthæ satiuæ foliis maiora. Mentastri minora. Matth. posteriore editione Sisymbrium ait germ. vocari **Bachmüntz**, **wassermüntz**: quod conuenire minimè potest descriptioni Sisymbrii hortensis, quam tradit. Quomodo enim Mentha aquatica (**Wassermüntz** aut **Bachmüntz**) fuerit Sisymbrium hortense: Quomodo etiam Sisymbriū rectè dici hortense possit, cùm Dioscorides incultis gaudere dicat, cùm horti colantur. Dubito igitur an Matthiolo verum Sisymbrium notum fuerit, nec ne. Ego Sisymbrium opinor Menthæ Balsamitæ [Angl. **Baum mint**] speciem esse. Siue autem in siluestribus crescat, siue in hortos transferatur, mediæ inter Mentastrum (**Hous mint**) & Mentham hortensem (**fyne garden mint**) magnitudinis est.

Apollin. & Dorsth. not. — Apollinaris lib. 2. fol. 115. nomine **Bachmintz**/ videtur intelligere Sisymbrium, quamuis figura nullius sit momenti. Theod. Dorsth. plures plantas confundens titulo Mentastri, ponit iconem Menthæ aquaticæ.

Planta à nobis exhibita dicitur Brunfels. in 4°. p. 100. sine icone Mentha rubra. Eidem in fol. pag. 80. Tom. 2. Rapsf. 21. Mentha: Cordo in Diosc. lib. 2. cap. 155. Sisymbrium primum, [& sic etiam Thalio] & Menthæ species, nigricantem habens caulem: Eidem lib. 3. cap. 42. Mentha aquatica: Lumin. maiori Balsamita. Corn. in Diosc. Sisymbrii primi species prima. Fuchs. Dod. gall. & lat. itemque Camer. hort. Sisymbrium. Matthiolo & H. Lugd. itemque apud Matth. Camer. Sisymbrium siluestre. Gesn hort. Sisymbriū agreste aquaticum. Lobel. in Aduers. p. 218. in Obseru. p. 272. in Icon. Plant p. 509. Aquatica siue Sisymbria Mentha rubro folio & flore nigræ Menthæ, Balsamine officinarum. Cæs lp. Mentha siluestris prima & Sisymbrium terrestre Dioscoridis & Theophrasti: Tabern. Calamintha aquatica.

C. Bauh. phyt. Mentha 11. (2. apud Matth.) siue rotundifolia palustris, σισύμβριον Diosc. varians foliis, aliquando maioribus, aliquando minoribus, aliquando tota rubens, aliquando magis [vt pictura ostendit] minusque hirsuta.

Schvvuenckf. Mentha sylu 3. Σισύμβριον Diosc. Mentha aquatica & Balsamine palustris.

Nomina linguarum — Σισύμβριον Græcis. Lat. Sisymbrium, siue Mentha aquatica Ger. **Wassermüntz**/ **Bachhmüntz**/ **fischmüntz** / **wild katzenkraut**: Trago **Roßmüntz**: Dod lat. **wasserpoley** & **Roßpolei** Silesiis: Schuuenckf. Belgis **watter müntc** / Gall. *Menthe aquatique*. Dod. gall. *Menthe sauuage*. Dod. Lat. Italis *Sisembro* & *Mentha Romana* Matth. Italorum *Balsamita* Lob. Hisp. *Hierua buena de aqua*. Boh. plany **Balsam**. Sisymbrium Hungar. **Fekete mentha**, h. e. nigra Mentha, Arab. *Sinasbarion* seu *Sinasbar*: Damagerani *Scimbrom* teste Constantino Imperatore.

Locus & tempus. — Mentha aquatica siue Sisymbrium prouenit Mōtbelgardi passim secundum riuos, & in horto E. C. à me plantarum. Tubingæ cùm essem Fuchsius præceptor meus vocabat Sisymbrium Recentiorum, ac dicebat potiùs reponendum inter Mentastra, Geneuæ & Basileæ etiam annotaui. Mentha syluestris 3. Schvvuenckfeldii riguorum ac humentium alumna est, secus aquas labentes & piscinas multa, Iulio florens, ac Vere reuirescens.

Vires. — Cæterùm, Sisymbrium, Menthæ syluestris species, inquit Dodonæus, calidum ac siccum facultate est, non minùs quàm Mentha: odore verò etiam vehementius. Commendatur ad eadem, ad quæ Mentha, tum & ad apum & vesparum ictus. Vsus autem eius in medicina nullus est, non deficiente Mentha, quæ suauior ac naturæ humanæ gratior apparet. Dodonæo consentiens Schvvuenckfeldius, Hæc tradit: Tenuium est partium, digerentis, excalfacientis, exsiccantis temperaturæ. Mouet vrinas & calculos pellit cum vino pota. Vomitiones, singultus, tormina, stomachi dissolutiones cohibet. Folia in capitis dolore fronti aut temporibus illinuntur, Item contra vesparum apumque ictus. Lentigines & cutis à Sole nigritiem & asperitatem exterit illita: Aqua huius stillatitia, authore Camerario, multùm confert contra difficultatem spirandi & pulmonum infarctus & angustias. Antigonus in congerie mirabilium narrationum Aristotelem ait scripsisse ex putrefactis Sisymbriis scorpios nasci: quod de Ocimo alii memoriæ prodiderunt. Nouit quendam Bruyerinus de re cibaria (lib. 8. cap. 43.) non ignobilem, qui cùm Sisymbrio liberaliter vesceretur, genituram per somnos effunderet.

MENTHA AQVATICA SIVE Sisymbrium hirsutius.



Descriptio. — NOn solùm *caules* quadrati, & *folia*, sed etiam ipsi *florū* calyces densâ lanugine pubescūt, adeò vt canescant: folia vncialia & sescūcialia, subrotūda, per ambitum obiter serrata: è quorum sinu prodeuntes pediculi flores sustinēt conglomeratos, veriùs quàm spicatos.

Hanc esse illam credimus, quam Cordus in Diosc. lib. 2. cap. 155. vocat Sisymbrium, **fischmüntz** / Et Menthæ speciem alteram facit hirsutioribus foliis. Balsamita à pharmacopolis nominatur. Confunditurque ab imperitis cum alia Sisymbrii specie. Et hæc est foliis rotundioribus quàm Mentastri aquatici genus à nobis descriptum, fibræ etiam & pili colorque differunt.

An Tabernæ Calamintha aquatica, Calamenthum aquaticū, **wassermüntz**/ **wassernept**: Caulem pingit hirsutiorem, nec benè describit, neque distinguit à congeneribus.

Gerard. Angl. lib. 2. cap. 217. Sisymbria Mentha **werte water mint**. Imitatur Tabernam, cuius figuram habet. Et vulgatius omittit cum illo Sisymbrium.

C. Bauh. apud Matth. iconem Tabernæ proponit pro Sisymbrio silu. sed eam etiam sub Mentha aquatica.

Ante-

Antequam verò ad Mentham catariam deueniamus, enumerabimus breuiter omnes plantas ab Aeluro, Cato, siue Fele denominatas earúmque æquiuocationes. Buphthalmum itaque Dioscorides Aeluron dici meminit. Aelurum alii Valerianam vulgò dictam vocant: Alii Buglossum: Alii Nepetam: Aeluri sanguinem, Stratioten aquaticum vocarunt Magi. Germani tertium Sedi genus acrimonia insigne, minimum, floribus luteis, katzentreubel, id est, vuam Catti nominant.

Menthastrum apud Germanos nomen à fele katzenbalsam habet, quasi Balsamum felinum.

Sic quoque Lagopus trifolia à fele nomen Germ. katzenklee, Cati trifolium traxit.

Sic quoque felis fumariæ nomen, Germ. Katzenkerfól, Cati Chærephyllon fecit. Sed & Hippuris à fele Germ. katzenschwantz vel katzenwädel, Cati cauda vocatur.

Catus agrorum quod Germ. Feldtkatzen vel Kätzle à fele dicitur, & Gnaphalium Fuchsii & Impia Plinii multis.

Catulos à fele, Germ. Kätzle, Arborum quarundam, Salicum præcipuè, flores molli lanugine pubescentes nominamus. Nec parum felis vrinam Ribes nigra redolet.

MENTHA CATTARIA.
Cap. VII.



Nepeta ex lignosa *radice caulem* surrigit bicubitalem & tricubitalẽ, quadratum, hirsutum, propter terram subrubentẽ, alioqui incanum, articulatum, multis alis concauum, iisque binis semper aduersis: quo etiam ordine, (licèt non pari semper numero) *folia* ferè ad genicula emicant, grauiter odorata, Melissæ paria, in ambitu serrata, acuminata, cana lanugine pubescentia, sapore feruido. *flores* verticillatim nodos ambiunt, Melissæ, exalbidi, labio raris punctis guttato: *apices* è rictu promicant, pulli, staminulis albicantibus insidentes. Icon nostra ex Fuchsio omnino displicet.

Ex hac descriptione liquet Marantham lib. 2. cap. 11. meritò Ruellium damnasse, eò quòd herbam Gattam vulgo dictam pro tertia Calaminthæ specie substituerit: quia licèt foliorum cum Menthastro, cui illam Dioscorides comparat, similitudo tolerari possit: id tamen quod addit longiora esse debere, in illa planta non adest, immò depressiora sunt. Idem lib. dicto 2. cap. 11. iustè negat Calamintham 2. non esse herbam Gattę sed illud consideratione dignum cur herbã Gattę dicat Melissophillo similem. *Ruell. not.*

Brunfelsio in herb. Germ. ex Hieronymo Brūsch. dicitur Mentha non odorifera. Cordo in Dioscor. lib. 3. c. 43. Nepeta 3. fruticosa & procera: Notat que hic malè priuatim Nepetã dici. Monachis dist. 1. cens. 25. Calamentum siluestre Mesue, seu etiam dist. 6. cens. 186. vbi hoc Calamentum secundo loco descriptum dicunt à Dioscoride. Gesn. hort. Calminthi species quorundam; Eidem in Catal. plant. Calamintha tertia. Clus. Calamintha vulgò Cattaria vocata. Lobel. in Adu. pag. 219. (vt etiam in Icon. Plant. pag. 511. & in Obs. pag. 276.) Cattaria siue Mentha Catti. In Obs. pag. 276. Mentha cattaria. Lonic. Mentha montana. Huius pictura non placet, & multò minùs descriptio, non respondens figuræ & nomini katzen müntz. Fuchsio Calaminthæ primum genus, & propter montes, quos amare dicit, Calamintha montana. Eius figura omninò displicet, ideóque aliam pingendam curauimus. Dod. gall. Calaminthæ 3. genus. Et Nepeta officinarũ Lat. in fol. Cattaria herba. Turn. part. 1. & Thal. in Harc. Calamintha 3. siue Nepeta. Camer. hort. Nepeta Germ. & Gattaria vulgi. Tabern. Icon. & Hist. Mentha felina [Non bene describit nec bene distinguit:] itémque Gerardo. C. Bauhinus Phyt. Mentha 14. siue Cattaria. Apud Matthiol. Herba Gattaria. Hist. Lugdun. pag. 908. Herba felis Matthioli. Negat hist. esse Nepetam Antiquorum, aut aliam Calaminthæ speciem: esse autem hortensem & agrestem, ambas tamen similes. *Lonic. not.* *Fuchs. not.*

Matthiol. in prior. com. Herba Gatta dicitur. Ait is hallucinari Brassauolũ existimantem Calaminthanı secundam Dioscoridis esse: neque etiam putandum eandem esse tertiam, vt crediderit Ruellius. In post. comment. ait errare Monachos dum censent herbam Gattam esse Calaminthanı 2. Æquiuocare eos, qui in Lombardia Neteda vocent.

Tragus vocat Nepetam, Nepetam 1, ac vulgarem, eius autem figura non placet.

Mentha cattaria dicitur offic. Nepeta, Græcis nonnullis ϰαλαμινθη, German. Stein oder katz müntz/ katzen Nept. Belgis Catten cruyt. Flandris Nepta, Gall. *Calament & herbe au chat*, It. *Gattaria*, Hispan. *yerua Gattera*, Angl. Cattes mynte/ Boh. kocurnick. Nomencl. Pannon. qui Nepethæ genus facit, vocat cattariam, Matra fiu, h. e. matricis herbam. *Nomina linguarum*

Antiquis fortè ignoratam hanc plebecula cattariam vocat, peramœni spectaculi argumento: vixdũ enim conspectam vbi olfactarit catus, amplexatus & dissuauiatus fuerit, lasciuiendóque illi iam accedendo, iam recedẽdo sese vtrisque pedibus diu & multùm affricuerit, colludẽdo tãdem miris gestationibus vniuersam auidè ligurit, sed auidiùs si ea ex agris in hortos fuerit trãslata: tenerior námque tunc est, odoréque non perinde vehementi, alioqui agresti similis.

Nascitur aliàs circa margines hortorum, secus aggeres, scrobes ac vias: humidum & vliginosum solum amat. Variis in locis obseruaui, ac habeo etiam Mõtbelgardi ex Alsatia accersitam. *Locus & Tempus.*

Strenua calefaciendi & attenuandi dote prædita est, sed eximia prærogatiua ad conceptus facilitandos, prolificumque vterum reddendum, authore Lobelio. Calefacit ac admodum siccat (inquit Matthiol. in hist. Germ.) attenuat, penetrat, promouet: habétque omnes facultates, quas Calamintha, cuius loco hæc vsurpari potest. Idem in Epit. cùm addit. Camerarii ait. Feruida quidem gustu herba est, cum amaritudine haud obscura, excalfacit & siccat Calamintæ modo. Valet ad omnes capitis, pectoris, ventriculi, ac

vteri morbos, à pituita genitos, menses elicit tam pota quàm in desessionibus addita. Herbæ vsus steriles prolificas facit, vbi causa fuerit humida frigidaque intemperies: succus naribus inditus, pituitam valenter trahit, ac visum acuit: In sũma, vbi excalefacere opus sit, Gattaria plurimùm præstat: valet ad omnes [dixerat in prior. comm.] capitis, pectoris, ventriculi, & vteri morbos, à pituitosis excrementis aut flatu genitos. Ideò diuturno capitis dolore affectis, vertiginosis, stupidis, resolutis, comitialibus, asthmaticis & suspiriosis auxiliatur. Item medetur ventriculi torminibus à flatu prouenientibus. Plerasque ex iis viribus illi etiam tribuit Dodon.

MENTHA CATTARIA HISPANICA olim mihi Sideritis altissima flore subcæruleo & albo.



Descriptio

MVltis rectis assurgit *caulibus*, quadratis, canaliculatis, fugosâ medullâ farctis, subinde inanibus, glabris, cubitos tres altis & maioribus, multis alis concauis, in ramos sibi oppositos diuisis: *folia* Mentastri vel Nepetæ vulgaris, sed longiora, pollice latiora, glabra, supernè atro-virentia, infernè magis candicantia, rugosa, in ambitu serrata, odore graui, ad genicula ex aduerso nascuntur: ex pediculis duobus *flores* verticillis crebris, spicam quodammodò æmulantur, colore carneo, intusque punctis saturatè rubentibus guttati: *semina* bina aut terna oblonga russa. Sapor foliorum ingratus. Summitates purpurascunt.

An Lobel.obs.p.276.& Icon.plant.p.50. Mentha Cattaria peregrina latifolia?

An H.Lugd.p.909. Mentha cattaria peregrina latifolia Lob.? Tabern. icon. & Hist. Mentha felina 2. satiua latifolia. Breit blättreicht zam Katzenmint. Mutauit figuram Lobelii, non descripsit, nec benè distinguit. Gerard.hist. Angl. lib.2.cap.216. Mentha cattaria altera Great Catmeint. C.Bauh.phyt. Mentha 16. siue cattaria latifolia.

Mentham Hispanicam quibusdam dictam aliquando quum nullum scirem nomen, denominaui Sideritim altissimam quæ in horto Ill.E.C. Montbelgardi multùm durat, florens Iunio & Iulio ad Septembrem vsque.

MENTHA CATTARIA HISPANICA angustioribus foliis.

A Præcedenti duntaxat angustioribus minoribusque foliis variat, vnde an separatum sit genus à præcedenti asserere non ausim.

Lobel.Obs.pag.276.& Icon.pl.pag.512. Mentha angustifolia, & Mětha cattaria peregrina angustifolia: Tabern.Icon.& Hist. Mentha felina satiua angustifolia. Schmal zam Neptenkraut. Non describit, nec bene distinguit. Gerard. Angl. Saluia Romana, Mentha Sarracenica, Mentha Romana, Herba S.Mariæ. Mentha angustifolia. duarum plantarum nomina confundere mihi videtur & preterea iconẽ Tabernę propositã pro Mentha felina angustifolia ponit nomine Saluiæ Romanæ. C.Bauh. phyt. Mentha 17. siue Cattaria angustifolia Hist. Lugd. p. 909. Mentha Cattaria angustifolia Lobel. Dodon. lat. in fol. Cattaria longiore folio angustioreque in Hispaniis reperta ac spõtè nata.



Tab.not. Gerard.not.

MENTASTRVM MONTANVM folio coloris viridis.



CVbitali aut ampliori assurgit *caule*, quadrãgulo, medullâ pleno, multis nodis constãte, ex quibus bini semper ex aduerso oriuntur *ramuli* similiter quadranguli, circa quorum extremas partes oblongæ *spicæ*, verticillatim compositis caliculis constantes, in quibus *flores* Menthæ siluestris, aut illius potiùs Calaminthæ, quam vulgò Cattariam vocant, floribus similes, exalbidi, grati odoris: *folia* aduersis inter se pediculis caulem & ramos ad singulos nodos ambiunt, Mentastro ferè similia, sed magis ad Cattariæ folia accedentia, colore tamen minùs albicante quàm illa, aut Mentastri, sed potius viridi, Mentastri odorem referentia, acri & calefaciente sapore: *radix* dura, & lignosa ex lateribus propagines spargit, vt reliquæ congeneres plantæ.

Clus. Pann. & Hist. post. Menthastrum montanum 1. & Menthastrum montanum 2. C.Bauh. phyt.

phyt. Mentha 13. siue montana verticillata.

Locus & Tempus. Sponte nascentem hanc plantam inueniebat Clus. ad Austriac. Alpiũ radices Augusto florẽtẽ: deinde maximâ copiâ in Vngariâ ad radices scopuli, in quo extructa est munitissima arx Nemethvvyvvar, tum etiam alibi Iunio florentem; quo tempore similiter, in hortos translata, flores producit.

MENTHASTRVM TVBEROSA RADICE.

Descript. CVbitales habet *caules*, quadrangulos; rectos, frequentibus, vt superior nodis cinctos, sublirsutos: *folia* longiuscula rugosa, in ambitu nonnihil serrata, superioris Menthastri foliis non dissimilia, magis tamen incana, non suauis odoris, amari & acris saporis, singulos nodos æquali, sed apposito inter se situ ambiunt: summi rami cum extimo caule, in molles, canescentes, exilium foliorum *spicas* desinunt, & inter ea verticillorum ritu cõpositi nascuntur *calyculi*, è quibus prodeunt *flosculi* candidi, Cattariæ florum æmuli: his marcidis succedit *semen* illi par, exile, nigrum: *radix* crassa, succulenta, raphano ferè æqualis, foris aliquantulùm fusca, in multos hinc inde ad latera quasi paruos adnascentes napos exuberat, aliisque longiusculis fibris donata est, perennis, & plures singulis annis caules proferens: imò ipsi etiam napi à matre abrupti, & terra obruti, nouas interdum plantas, procreant.

Clus. Pannon. pag. 585. Menthastrum 2. tuberosa radice ex Hispanico semine Calaminthæ tertiæ nomine misso. In H. post. loco citato. Mentastrum (tertium quoad iconem, secũdum quoad descriptionem) tuberosa radice.

C. Bauhin. Phyt. Mentha 10. siue tuberosa radice, quam magnitudine variare scribit. Camer. hort. Mentastrum tuberosa radice maiore & minore.

Hanc Clusius sibi Viennæ semine natam fuisse perhibet, & aliis quibus id communicarit, accepto ex Hispaniis.

DE PYCNOCOMO FLORE OCYMI RAdice rotunda: Veterum sententiæ.

CAP. VIII.

Erucæ folia. Ocymi flos. PYcnocomon [ἡ πυκνόκομον, addit Ald.] *folia* habet Erucæ (ὡς εὔζωμα, add. Lac. ex vet.) similia, sed aspera & crassa & acriora: *caulem* quadrangulum: *florem* Ocymi flori similem: *semen* velut Marrubii [πρασίου pro quo Lac. ex vet. cod. πράσου sic etiam Oribas.] *radicem* nigram, rotundam, [intus legit Sarracenus] pallidam, (ὠχρὰν Ald. μικρὰν) velut paruum malum, terram olentem. Nascitur in locis petrosis. Vim habet semen drachmæ pondere potum, turbulenta & grauia [multa vet.] insomnia inducendi. Discutit etiam tumores impositum cum polenta: & aculeos ac spicula infixa extrahit. Sed & folia imposita, tubercula & furunculos discutiunt. At radix ipsius aluum soluit & bilem euacuat. Datur drachmarum duarum pondere in aqua mulsa, vt memoriæ prodidit Dioscorides. Marrubii semen.

Galeno Pycnocomi & radix & semen & folia, discutiendi & attrahendi vim habent, & ad gustũ acria sunt. Folia itaque & tubercula, furunculos discutiunt. Semen autem robustius est. Sed & spicula & quæ huiusmodi sunt, ad summam cutem extrahit. Radix autem ad prædicta quidem deterior est ac debilior, bilem tamen flauam purgat.

Sunt Plinio, inquit Marcellus; & Dioscoridi de Pycnocomo ferè omnia eadem: tantùmque non iisdem verbis cuncta Latinus scriptor ex Græco genti suæ reddidit. A foliorum conferta densitate nomen illi fecerunt græci, neque enim aliud Pycnocomon indicat quàm quod densa & conferta coma est. Herbarum autem comæ folia sunt. Discrepare etiam videtur in radicis colore Plinius & Dioscor. Ille lutei coloris tantùm, hic nigram primùm, mox ὠχρὰν i. e. pallidam: quod idem luteo colori est, descripsit: Suspicari multa in varietate hac licet aut deesse Plin. aut abundare. Certè quotquot græcos vidimus omnes nigrũ & luteũ colorem illi assignant. Eâque ob causâ inclinat animus nobis vt credam diuersos colores illos ad diuersas referri oportere partes. Animaduertendũ etiam illud in viribus & potestate radicis dicere Plinium exinanire aluum: bilem (bilem extenuare malè habetur apud Barbarum) & pituitam. Hunc autem & reliquos græcorum medicos, bilem tantùm.

Hanc etiam inter Dioscoridem & Plinium conuenientiam sic notat Cornarius. Plin. [inquit] consonè admodum cum Dioscor. nisi quod x. II. id est denarios duos, pro duobus drachmis habet: non ita magno discrimine, cùm in vncia denarii septẽ, drachmæ verò octo habeãtur, &c.

CALAMINTHA VETERIBVS & in genere.

CAP. IX.

CAlamintham Menthæ congenerem aliqui, aliqui verò tantùm similem è Græcis fecerunt. Subscribitque illorum sententiæ, nomen quod coniunctum sibi habet Menthæ. Triplicẽ hanc Dioscorides ait, diuersisque notis ab inuicẽ separat, sed non facilè cognoscendis, tanta trium generum similitudo est. Calamintha, inquit, *quædam* montana (ὀρεινοτέρα, Vet. ὀρεινοτέρα) est, habens *folia* similia Ocymo, subalbida (ὑπόλευκα vet. ὑπόξηρα καὶ λευκάζοντα,) *ramulos* & surculos angulosos, florem purpureum (πορφυροῦν Vet. add. ἡ δὲ μέλαινα.) *Altera* [Vet. his vsque ad ἡ δὲ τρίτη caret] Pulegio similis est, sed maior, vnde quidam syluestre Pulegium nominatum ipsam, quod & odore illi similis est: hanc Romani Nepetam vocant. *Tertia* verò similis est Menthæ syluestri (Vet. vocem ἀγρίᾳ delent foliis oblõgioribus, cau-

le & ramo, prædictis maior, sed minùs efficax. Nascitur in Campestribus & asperis ac prçhumidis [καὶ ταθώδεσι Vet. τραχέσι] locis.

Plin. not. Licet autem Dioscorides Calaminthæ tria proponat genera, Plinius tamen lib.20.cap.14.vnum tantum constituit, prima duo in vnam Mentastri speciem confundens, & falsò colore Pulegii, pro odore habens, velut eius verba clarè docent, vt postea inter vires intueri licebit, vbi etiam Nepetæ vires seorsim exponit.

Nicander in Theriacis duo quidem, sed aliter, Calaminthes genera cognouisse videtur, aquaticum sc. palustréque alterum: alterum verò montanum: haud sanè quia Montanam Calaminthem ille dicat.

Galenus Calaminthem non in genere distinguit, sed velut siluestrem quandam Mentham, satiuę opponit, velut locus habet, quē de Mentha ex 6.simpl. adscripsimus. Sed postea l.7. de Calamintha idem egit, cui duplex est, domestica, & eo efficacior môtana, quam ab Andromacho minorem miratur Nepithâ voce Romana, potiùs quàm Calaminthen Græca, vocari in sua Theriace, cùm cætera græce appellarit. Galeni verba de Calaminthæ facultatibus infrà recitanda.

Apuleius Nepetham hanc ait Mentham Montanam à Græcis dici, à Magis Sanguinem Hammonis, ab Italis Nepetam montanam. Quæ voces scrupulum & suspicionem Marcello iniiciunt an in capitis huius Dioscoridis principio desideretur aliqua huiuscemodi appellationum.

Cæterùm, Ruellio quidem vel Syluio dictatore, Calamintha prima videtur Calamenthum vulgare, secunda Pulegium siluestre, tertia herba Cattaria. Musæ contra, Tertia vulgare Calaménthum: Secunda, Cattaria putata. Turnero prima Clinopodium Matthioli: Secunda, Calamintha aruensis: Tertia, Nepita siue Mëtha Cattaria. Brassauolus vt videtur Matthiolo, apertè hallucinari deprehenditur, quòd pro certo existimet Calaminthem secundo loco à Dioscoride descriptam, illam herbam esse, quam, eo quòd Catti magna eius capiantur voluptate, Gattaria quidam vulgò nominant. Error hinc Manifestè proditur, quod Gattaria sit herba foliis Vrticæ, similibus, quæ quantùm à Pulegii foliis dissideat, non modò cæteris notis, verum etiam odore, in quo Brassauolus nititur, ii diiudicent, qui has differentias norunt rectiùs &c.

Aequiuoca Ex hactenus dictis patet tam ob Calaminthærum imperfectam historiam quam ob sententiarum circa eas varietatem, quænam vnaquæque sit, difficile esse iudicare. Calaminthæ enim Nepitæ, Melissæ, Menthæ & Balsamitæ species & nomina veteres soliti sunt miscere, teste Trago. A nobis autem & aliis quidem plures Calamintha cognominantur & describuntur, vt Calamintha flore magno vulgaris. Calamintha montana flore magno, ex calice oblongo. Calamintha flore minore, odore Pulegii. Calamintha flore minore odore iucundiore. Calamintha folio & flore paruo, incana. Inter Calaminthæ species etiam numerant alii Mentham Cattariam: alii Mentastrum tuberosa radice: alii Mentham aruensem: alii Mentham aquaticam: Monachi Mentastrum candidum: alii Mentastrifoliam aquaticam: alii Mentham spicatam angustifoliam: alii Mentham verticillatam odore Ocymi: alii Melissam Fuchsii & Dodonæi: alii Clinopodium Matthioli: alii Scordotin: alii Masthichinam herbam Gallorum: alii, sed malè, Acinum: alii Conyzam mediam Matthioli. Nô placet Pulegium dici Calaminthem. Calaminthæ vice Tractatus qui pro quo substituit Vrticam.

CALAMINTHA FLORE magno vulgaris.

CAP. X.



Descriptio. PEr caules ramósque quadratos *folia* ex aduerso sita nascuntur, vnciam aut sescunciā longa, serrata, pilosa, odore satis grato, à medio ad summum vsque ramorum ex foliorum alis *pediculi* duo in plures minores dissecantur, quibus *flores* insident è caliculis barbatis striatisque, semunciales aut paulo longiores, [maiores enim sunt quàm in ea quæ Pulegium redolet] hiantes, colore purpurascente, odore iucundo præditi.

An Anguill. epist. 12. Calamentum montanum? An Cordo in Disp. supra Syr. de Calam. Calamintha sylu. & Calamintha montana? An Aretio in descr. mont. Stockornii, Calamintha montana? Dod. gall. sine pictura Calaminthæ species 1. Calamintha prima offic. Calamenthû montanum, Gall. *Calament de montagne*: Germ. Stein vel Bergmüntz. Lat. in fol. Calamintha montana, de qua ait: Καλαμίνθη à Græcis dicitur, quasi elegans aut vtilis Mentha: Latini nomen seruant.

Lobel. Obs.p.274. Icon. Plant. pag.513. Calamintha montana vulgaris.

Camer. hort. Calamintha vulgaris, Calamintha flore rubro circa Francofurtum ad Mœnum sponte prouenicns. Apud Matth. Germ. wilder Poley, Kernemüntze, Calamenthum vulgare, vera Nepeta. In Epit. Calamintha, Græc. καλαμίνθη. Arab. & officin. Calamentum, Ital. *Calamento*, Hetruscis *Nipetella*, Germ. wilder Poley, Hisp. *Neueda*: Gall *Pouliot sauuage*. Icon Camer. apposita non displicet pro Calamintha nostra vulgari, verùm non placet pro Nepeta & pro descriptione Matthioli. An Thalio Calamintha secunda quæ aliàs etiam vbiuis ferè existens in agris montanis?

C.Bauh phyt. Calamintha 4. siue vulg. offic. Calamintha montana vulgaris Lobelii. Apud Matth. Calamintha 1. vulg. officin. Figura est Tabernæ Matthiolinam exprimens.

Tabern. hist. & Icon. pag.350, Calamintha môtana, vulgò Gemein bergmüntz / aut Steinmüntz. An bene fuerit nota Tabernæ planta de qua scribit hæreo, figura est ex Matthiolo.

Gerard.

Gerard. Mentha satiua Rubra, Rod garden mintz. Gerad. non bene Calaminthæ Tab. iconē ponit pro Mentha.

Locus & Tempus. Calamintha flore magno prouenit circa Mõtbelgardũ in collibus, & in horto Ill. nostri Principis, iucundè florens Augusto, & Septembri: Geneuæ passim prouenit: Lugduni obseruaui florentem Octobri. Calamintha montana Dodonæi montes amat, atque in ipsis vmbrosos & saxosos cliuos: Italiæ, Galliæ, & Hispaniæ compluribus locis, vt & alibi reperitur, transfertur quoque ad hortos, in quibus feliciter adolescit, ac seipsam facillimè serit. Viget Aestate, ac ferè toto anni tempore: à Iunio in Autumnum flores, seménque perficit.

Vires & Vsus. Est autem Calamintha hæc (inquit Dodonæus) in montibus proueniens gustu feruens, & acris, calida ac tenui essentia, siccáque ordine quadammodò, vt Galenus ait, tertio: Tenues humores digerit: crassos verò extenuat, ac incidit. Proinde intra corpus assumpta, cùm ipsa per se, tum cum Melicrato perspicuò excalfacit, sudorem cit, omnéque corpus & digerit & exsiccat: febrium rigores per circuitum repentes tollit: quod & præstat oleum in quo incocta, toto corpore cum hoc inuncto, adhibita frictione haud segni. Decoctum eius potum vrinas cit, menses pellit & conceptum eiicit: quod & admota facit. Ruptis, conuulsis, orthopnœę (Galenus asthmaticis) torminibus ac choleræ, Dioscoride auctore, auxiliatur. Ictericis prodest: vtpote Iecinoris, ac fellis obstructiones aperiens & expurgans. Præsumpta in vino venenis resistit: pota aut imposita demorsis à serpente opitulatur: accensa aut substrata serpentes fugat. Sugillata tollit, & atris cicatricibus candorem restituit: sed ad talia recentem magis quàm resiccatam (inquit Galenus) adhibere præstat. Lumbricos & ascaridas cum sale & melle pota enecat: eadem ratione & aurium vermes succus infusus. Plinius succũ naribus supinis instillatum sanguinis profluuium sistere ait: & radicem [quę Dioscoridi inutilis] cum Myrthi semine in passo tepido gargarisatã anginis mederi. Ischiadicis imponitur: humorem siquidem ex alto euocat, & articulum totum excalfacit. Paulus Aegineta etiam ad coxarum dolores ab inferioribus iniici refert: Bonum etiam Elephanticorũ elixata remedium est. [si quod Diosc. ait] postea serum lactis bibant. Apuleius folia inquit frequenter commanducata elephãtiacos sanare certum esse. Componitur autem ex hac Antidotus ab ipsa nomen habens, à Galeno lib 4. de sanitate tuẽda descripta, quæ non modò maximè digerit, sed & virginibus quibus muliebria non succedunt, vtiliter exhibetur, vacuationibus præmissis, temporis siquidem successu citra omnem violentiam aut vllam modestiam menses promouet.

CALAMINTHA MONTANA FLORE magno ex calyce longo.

Descriptio. Folia aduersa, semuncialibus pediculis nixa, sescunciali longitudine, longiora enim quàm in vulgari, paulò minùs lata, subhirsuta, profundè in ambitu serrata: è quorum vniuscuiusque sinu pediculus exit vnus semũcialis, quinos quaternósue peculiaribus pedicellis gestans *flores*, patulo hiatu purpurascentes, vnciali, suprà fimbriatum, striatum, longum calycem, longitudine prominentes: *radix* sanè multò longior quàm in vulgari.

Hanc Calaminthan, ni fallimur, sic describit



Lobel. Quasi elegantior aspectu odoréque delicatiore esset quàm Mentha, Calaminthe vocata fuit: certè hilariore nitidioréque habitu esse nullus inficiabitur, qui Vicentinam & Veronensem viderit, Vtinam cætera etiam perindè & scitè expediisset Dioscor. atque Calaminthæ differentias signauit. Non obuium istud Calamentum montanum, nisi Narbonensis Seuenæ vmbrosis, saxosis cliuibus, & in Romano atque Patauino agro, vnde meminimus quosdam medicos Taurinenses curasse quotannis magna vi accersendum, cuius aquâ stillatitia ad menstrua cienda vterétur, ipserato successu: est enim gustu & olfactu suauiter acri. Etiam dum est viride plurimi fit apud Italos: arefacto non aliud ad Theriacam præstantius, virgis riget quadratis, nitidis, cubitum altis & quàm Menthæ gracilioribus: folia edentibus Ocymi aut Melissophylli, sed minora, speciosiora, hirsutiora: flores item Melissæ sed purpureos, semine Portulacæ minuto, odore Amaracino, Mentha suauiore.

C. Bauh. Phyt. Calamintha quinta (apud Matthiol.) magno flore: an prima Dioscor. Calamintha montana præstantior Lobel.

Camer. hort. Calamintha montana aliis præstātior. Tabern. Icon. & Hist. Calamintha 2. præstantior, Edel Bergmüntz.

Genev. Cherlerus attulit nescio vnde, similem autem omninò vidimus Heidelbergæ in horto Domini Sprengeri florentem Iunio. Copiosè nascitur in montibus Euganeis propè Patauium in Vicentinis, vnde nactus est Camerarius. Facilè in hortis Norimberg. sese propagat, etiam in surculis. Locus & Tempus.


CALAMINTHA FLORE MINORE, odore Pulegii.

Descriptio. ALtè consurgit rigidis quadratis *caulibus*, in frequentibus alas diuisis, hirsutis, subrubẽtibus, *folia* ex interuallis opposita, raris crenis incisa, hirsuta, odore graui Pulegii vel ferè Sisymbrii, saporis acris, vegeti: *flores* verticillatim coacervantur, parui, purpurascentes pediculis longiusculis hęrentes.

An Cordo in Hist. libr. 5. cap. 22. Calaminthe montana serrata?

De Calamintha hac vt existimo loquũtur Monachi in Mesuem dist. 1. cens. 25. & dist. 6. cap. 178. & 187. vbi inter alia hæc: Calamintha Campestris & montana Mesue est Nepeta, vel Nepita (vtroque inquiunt modo scribitur apud authores) & propriè illa, quæ vulgò dicitur Mentucia & Nepitella.

An Angill. epist. 12. de hac dicit: Crediderim



potiùs Nepitellam esse Pulegium Dioscoridis? de hac idem dicit postea Calamentum secundum, hodiè suum adhuc nomen retinet Nepitellę.

Matthiol. in Dioscor. vocat Calaminthám alteram & Calamentum frequĕtioris vsus. Nepitam vocatam & secundo loco à Dioscoride traditam, Nomen hanc apud Hetruscos retinere ait, ac Italos vulgò appellare Nipotellam. Nepitam itaque Dioscoridi nil aliud vnquam fuisse, quàm vulgarem Calaminthám, quâ officinæ vtuntur, quamque Itali vulgò vocent Nepitellã: quæ Dioscoridis testimonio à quibusdam siluestre Pulegium vocetur: etenim non odore tantùm [vt Brassauolus velle videatur] Nepetam Pulegium imitari, sed & foliis & caule.

Dod. gall. quoad descriptionem & titulum Calaminthæ alterum genus, Græcè γλήχων ἄγρια vocatum: lat. Pulegium siluestre, & Nepita: Germ. Fornmuntz/wild Poley: Gall. *Pouliot sauvage*: Belg. wilde polaye & wilt Munte. Lat. in fol. Pulegium siluestre, siue Calamintha altera.

Lob. Aduers. pag. 219. Calamintha altera foliis maculosis: odore graui Pulegii: Dioscoridis. Nepita, antiquis Pulegium siluestre: Perperam Matthiol. Icon. 677. Calamenthum montanum. Obs. p. 275. Calamintha altera, Angl. Calamente. Ital. *Nipotella montana*. Item Icon. Plant. Calamintha altera odore graui Pulegii. Icon ex Matthiolo non vndique placet, nec etiam nostra ex Fuchsianis, non enim satis sunt verticillatæ.

Camer. hort. Calamintha secunda. *Nipotella* in Italia. C. Bauh. phyt. & apud Matth. Calamintha 3. siue Pulegii odore fortè Diosc. 2. Calamintha montana Matth. lat. lib. 3. cap. 39. Calamintha odore graui Lobel.

Tabern. icon. & hist. Calamintha aruensis 2. Ackermüntz. *Tab.* existimo nesciuisse quid scriberet, cur separat ab aliis Calaminthis cùm icon sit ex Matth.

Gerard. lib. 2. cap. 218. Calamintha montana præstantior. The mare excellent Calament. Iconi Tabernæ cur titulum præstantioris apposuerit Gerardus nescio, quæ præstantior à Lobelio dicitur & ipsa à Tabern. diuersa est.

Locus & tempus. Montbelgardi in horto E. C. mihi prouenit: reperi variis in locis in agris vbi seges demessa est, uel cùm requiescunt, & alibi contingit locis apricis, ac Soli expositis, quibus gaudet. Aestiuis mensibus viget & floret hæc Calaminthæ species; ac sub Autumnum colligi potest.

Vires. Facultate autem & calida quoque, ac sicca, & hæc Calaminthes species est. Eadem quæ Calamintha flore magno vulgaris præstat. Est tamen hæc minùs potens quàm Mõtana. Galenus veluti efficaciorem reliquis Montanam etiam prætulit.

CALAMINTHA FOLIO ET FLORE paruo incana.

Descriptio. Caules hirsuti cubitum excedentes, *ramuli* oppositi, in summitate *flosculi* hiantes, albidi, grauis odoris, ex binis longiusculis pediculis bini, *folia* Maioranæ, quædam multò minora, potissimùm superiora, vix crenata: aut rariùs, valdè hirsuta inferiori potissimùm parte, penè incana.



Lobel. Obseru. pag. 275. Icon. Plant. p. 514. Calamintha 2. incana. Camer. hort. Calamintha Cretica exiguis foliis incana. Quandoquidem nõ describit Camer. & pauca verba eius cõueniunt cum nostra, nos non separamus in præsentia.

C. B. nom. C. Bauh. phyt. Calamintha prima siue Ocimi siluestris foliis non crenatis, Calamintha 2. incana Lobelii. Item Calamintha 2. siue minor, Cretica Camerario. An Calaminthæ secundæ incana alia species Lobel. obseru. pag. 275. sine icone? *Lobelius* non tradit duas Calaminthas incanas: si vnam eò loci traderet sine icone, prior esset sine descriptione.

Gerard. nut. Tabern. icon. & Hist. Calamintha montana vulgaris. Calaminter mauntaine mint. *Tabern.* nec quisquam alius iconem quam proponit, posuit pro Calamintha montana vulgari.

Locus & Tempus. Hæc nobis obseruata in hortis insignium virorum D. Doctoris Melchioris Sibitzii & Domini Friderici Meier Argentinæ cum copioso flore Iulio & Octobri.

Vires. Omnium Calaminthárum radix inutilis, authòre Dioscoride: folia gustu impensè feruentia & acria potu aut illitu demorsis à serpente opitulantur. Decoctum eorum potu menses & vrinas expellit: ruptis, conuulsis, orthopnϾ, torminibus, choleris, horroribusque auxiliantur: regium morbum expurgant: præsumpta in vino venenis resistunt: tineas, cæteraque interaneorum animalia, cum sale & melle pota, enecant: nec secus cocta crudáue, si terantur. Elephanthicos esitata adiuuant, si postea serum lactis ebibatur: folia detrita si in vellere subiiciantur, menses extrahunt, & partus enecant: accensa aut substrata, serpentes fugant: nigris cicatricibus candorem reddunt: in vino cocta & illita, sugillata tollunt. Calamintha ischiadicis imponitur, vt ex alto humores euocet, summam cutem exurens: vermes necat succus auribus instillatus. Et hæc Dioscorides lib. 3. prodidit. lib. verò 5. ait E Calamintha vinum fit, eodem quo Thymites modo. Prodest stomachicis & cibum auersantibus: ac valet etiamnum ad morbum regium propterea quòd vrinas ciet. *Quorum*

rationes deducit Galenus lib.7.simpl. facult.quo authore Calamintha est essentiâ tenui & calidâ, siccâque temperie,ex tertio quodammodò ordine vtráque qualitate,horum manifesta sunt indicia, partim gustu apparentia, partim experientia cognita: gustu siquidem acris & palàm calida est,ac paullùm omninò amaritudinis obtinet. Igitur incidendi ei quidem vis adest propter calorem eius, tenuitaté & amaritudinem: abstergendi verò propter vnicam amaritudinem.Nunc Plinii qui vt suprà admonitum Mentastri duo prima genera à Dioscoride tradita in vnam speciē confundit,& post Nepetę vires seorsim exponit. Mentastrum [inquit lib.20.cap.14.] siluestris Mentha est, differens specie foliorum quasi figura Ocymi(Dictamni, Rondel. Nam Dictamno, vt Mēthastro,folia tomentosa, cana, alba: Pulegio verò minimè talia. At cùm Dioscorides hæc de secundo Calaminthes genere ad verbum scripserit,& de trium Calaminthes specierum facultate in vniuersū tradiderit,quę Plin.de Mēthastri virib. prodit, rerum ignoratione Menthastrum cum primo Calaminthes genere, quod foliis est Ocymi, & cum secundo quod foliis ex Pulegii, confudisse arbitror Plinium,vocibus *ωκίμου* & *γλήχωνος* deceptum. Dalechamp.) Pulegii colore [odore Diosc.] propter quod quidam siluestre Pulegium vocant. Iis commanducatis & impositis sanari elephantiasim, compertum est. Potum fœminas purgat à partu: sed partus necat. Orthopnoicis, torminibus cholericis, efficacissimum: Item lumbis, podagris impositum. In regio morbo bibitur. Strumis illinitur. Somnia Veneris inhibet. Tineas pellit ex aceto potum. Contra porriginem ex aceto infunditur capiti in Sole. Nepeta quoque vires contra serpentes habet. Fumum ex ea nidorémque fugiunt, quam & substernere in metu obdormituris vtile est. Tusa ægilopis imponitur & capitis doloribus recens cum tertia parte panis temperata aceto illinitur. Succus eius instillatus naribus supinis, profluuium sanguinis sistit. Item radix quæ cum Myrthi semine in passo tepido gargarizata anginis medetur. Plinius lapsus.

Dist.1.tract.1.cap.4.commendat Bayrus Calament. infusum & decoctum ad tingendos capillos, ita vt eorum etiam radix tingatur, quod eius experientiæ relinquimus.

MELLISSOPHYLLON VETERIBVS & in genere.

Cap. XI.

Habet authore Dioscoride, *folia & caules* Ballotæ similes,maiores tamen & tenuiores [ita Corn. Sarr. & alii, malim tamen ego cum Ruellio vertere,folia similia, maiora & tenuiora] non ita hirsutos, Citrium malum olentes. Folia cum vino pota atque etiam imposita, prosunt contra Scorpionum ictus, necnon & phalangiorum, canisque rabidi morsus. Eorundem decoctum fotu ad eadem valet. Conuenit etiam num fœminarum desessionibus ad ciendos menses. Colluitur & in dentium doloribus,atque etiam dysentericis infunditur. Folia quoque addito nitro bibita, iis auxiliantur qui à fungis strāgulantur, necnon torminosis: orthopnoicis verò, in Eclegmate sumpta. Cæterùm imposita cū sale,strumas discutiunt,itemque vlcera purgant: sed & articularios dolores illita sedant.

In Coronamenta, inquit Plinius l.21.cap.9.folio venit Melyssophyllon quod Apiastrum est hoc nomine græco indicandum,quia nostris maiori ex parte huius nomenclaturæ defuit cura.Et cap.20.iam dicti libri eiusdem vsum medicum sic tradit. Melissophyllo siue Melitide (Mellittæna Diosc. & CH.) si perunguantur aluearia, non fugient apes. Nullo enim magis gaudent flore. Copia illius (Scopis eius. CH.) examina facillimè continentur. Idem præstantissimum est contra ictus earum, vesparumque & araneorum, item Scorpionū. Itē contra vuluarum strangulationes, addito nitro: contra tormina, è vino. Folia eius strumis illinuntur,& sedis vitiis, cum sale decocta. Succus fœminas purgat,& inflationes (inflammationes CH.) discutit, & vlcera sanat. Articularios morbos sedat,canisque morsus. Prodest dysentericis veteribus, & cœliacis, & orthopnoicis,lienibus, vlceribus thoracis.Caligines oculorum cum melle inungi eximium habetur.

Melissophyllum Marrubio facultate simile esse scribit Galenus, sed plurimùm ab eo vinci: quamobrem nec eo vti quemquam. Superuacuum enim foret præsente Marrubio, cuius tantus vbique terrarum prouentus, velle vti Melissophyllo. Cæterùm si cui fortè ad manum Marrubium non fuerit, illo licebit vti ad eadem, modò quantùm ab hoc superetur cognitum habuerit.

Sed Melissæ alias facultates easque excellentiores tribuunt Mauritani. Scribit enim Serapio Melissophylli proprium esse animum hilarē reddere, humenti ac frigido ventriculo auxiliari,concoctionem adiuuare,cerebri obstructiones reserarę deficientem animum reuocare, cordis imbecillitatem roborare, eámque præsertim quā somnus frequentiùs noctu intercipi solet: quin & eius tremorem reprimere,animi sollicitudines fugare,ac sollicitas imaginationes tollere, quæ tum ab atra bile,tum ab exusta pituita gignūtur. Quibus assentitur Auicenna, scribens Melissophyllum excalfacere siccaréque ordine secundo, exhilarare, vitalésque facultates roborare odoris fragrantia,saporis austeritate, partiúmque tenuitate. Quibus facultatibus cæteris etiam visceribus competere. Vires adiectorias habere, nec adeò imbecilles, quin atrabilarios vapores à spiritibus & à sanguine,qui cordi & arteriis inest,educere queat,quod in cæteris corporis partibus,ac etiam in toto corpore efficere nequit.

Plinius porrò non agnouit Apiastrum & Melissophyllon vnam & eandem esse plantam. Siquidem seu differentes ac diuersas plantas, primò quidem Apiastrum ac deinde Melissophyllon aluecariorum & apum causa serere oportere l.21. cap.12.præcipit. Eadem autem esse Varro apertè demonstrat l.3.c.16.

Inter nothas Dioscoridis appellationes, sunt, authore Marcello,qui Melissophyllon, Melittęum,Melittænam,qui Meliphyllon, qui Erithram qui Demelen (Temelen, Sarrac. *τεμελῆν*.) appellent. Galli Meritemorion (Merisimorion Sarrac.*μερισιμόριον*) vocant. Romani Apiastrum siue Citraginem. Omnibus autem his in græcis appellationibus mellis aut apum ratio & significatio coniuncta est: nisi Apiastrum ab apibus quibus gratissimum est,Latinis dictum sit: Citraginem autem ab odore Citri, quod si nares consulas Citrium malum oleat & cordi prosit.

Officinis dicitur Melissa: Arab. *Baderangies Bedarings, Bedarenzeum, Turingens*, siue *Trun-* Nomina linguarum

giam, & *Marmator*. Hodie Græcis μελίσσια, & μελισσόβοτανον, teste Anguill. epist. 12. Germ. Melissen / Melissenkraut, Honigblum / Imenblat / Bienfaugen, Binenkraut, Mutterkraut / frawenkraut / hertzkraut / & Pfaffenkraut: Belg. Consilie de grein / & Melisse. Dod. Gallis *Melisse* & *Pomme cirade*: Ital. *Melissa, Cedronella, Arancia-ta, Naranzata*, *Meladelia, Melisserno* & *Allegracuore*, Camer. *Citrona* & *Basitchia*, Aug. Gall. Hispan. *Torongil. Hierua cidrera* Matth. Dod. *Yerua cidreira, & yerua auegata*, Hadr. Angl. Baume / id est, Balsamum, Boh. Melisse: Hungaris Mézganchy.

Fuchsius cum Dod. gall. Melissæ duo genera facit, vnum verum, tam grato odore, vt in ædibus stratum eas gratissimo odore compleat. Et hæc est Melissa adulterina quorundam, & non Calamintha montana præstantior Lobelii, vt falsò contendit Dalechampius. Alterum adulterinum Melissæ genus, quo perperàm officinas, pro vera, vti censet: est Melissa nostra vulgaris odore Citri, quam cùm permultis Melissophyllum Dioscoridis esse credimus. Hæc locis frigidis graueolentior est, calidis autem odoratior & hinc Camer. apud Matth. Melissam vulgarem duplicem tradit: vnam in hortis cultam, & alteram in syluis ac montibus vel aliis neglectis sponte natam.

Dalech. not.

Dod. Lat. in fol. distinguere deprehenditur Melissam in vulgarem & peregrinam siue Moluccam quæ duum generum est, vna læuis, & altera asperior fœtida, siue vt ipsi vocatur Molucca spinosa, quam [nisi pictura fallat] Matthiolus Constantinopolitanum Melissophyllon appellat.

Habemus nos, quandam Melissam nigriorem & hirsutiorem à nemine celebratam. Extat præter hanc alia Melissa, multis Turcica siue Moldauica appellata flore purpureo & albo. Nūc Melissa siluestris Tragi, non est Cardiaca, vt voluit Gesnerus, sed potiùs Melissa adulterina quorundam. Melissæ speciem existimat esse Mentham cattariam Tragus lib. 1. cap. 4. Selinum vocat Melissophyllon Lonic. in Diosc. lib. 3. cap. 67. Rosmarinum siluestrem vocat Melissam solitudinū Schvvenckf. quā ratione a. non video. Apuleius cap. 45. tradit quosdā vocare Melissophyllon Marrubium. Melissophyllon dicitur de Marrubio fœtido siue Ballote. De quibus omnibus suo agetur loco. Ocymum citratum non est Melissa, inquiunt Monachi, licet tamen altero pro altero vti. Iidē dist. 6. cent. 178. Scribunt Melissam à nonnullis Mentham Apum vocari.

Rosmarinus silu.

MELISSA VVLGARIS ODORE Citri.

Cap. XII.

Descriptio

Apibus gratissima Melissa, ex argumento nomen nacta, *caulibus* adolescit cubitalibus & altioribus, quadratis, læuibus ferè & nitidis, in plures alas ex aduerso sitās diuisis, solidis, duris: *folia* è geniculis opposita pediculis circiter vncialibus appenduntur, Calamenthæ æmula, cum splendore atrouirentia, breui lanugine hirsuta, per ambitum serrata, odore Citri, sapore acrimoniā aliquā linguam vellicante, ex quorum alis verticillati *flores* emicant, albidi pallidiue rubentes, suprema lacinia bifida, labello lateralibúsque duabus laciniis saturatiore, ex calyce hirsuto Marrubii. *Radix* subest lignosa, multifida, teres, obliquo actu per terram lata, fibrosa.



Vulgaris hæc Melissa omnium doctiorum iudicio, vel Clusio teste, verum Dioscoridis & antiquorum Melissophyllon censetur: tamē cùm nonnullis locis lectam quiddam pedoris, aut cimicum odoris ascitū habere contendant multi, idcircò dubitant veráne sit, an alia eius species, nostras hæc, Melissæ nomine etiam mulierculis nota & omni regioni in hortis frequentissima. *His respondetur* Melissam nostratem duplicem inueniri. In hortis quidem sæpe Melissam coli: & in siluis, montibus, ac aliis neglectis spontè quandoque nasci. Et hanc in locis præsertim frigidis graueolentiorem esse, quam quidam odoris distinctione capti, cimices referre vo[illegible] Illam verò odoratiorem.

Tragus nullis [illegible] obscuras in hist. Melissæ dum ait vulgò dictam non esse Melissam & tamen ei attribuit nomina Dioscoridis & vires: præterea nō intelligit quid velit, cùm ait in descriptione, flos alius purpureus alius subluteus: an flore subluteo usa fuerit, dicant qui viderunt, ego non vidi.

Matthiolus facit Melissam quidem satiuam & siluestrem, verùm qua in re differant, non demonstrat.

Theod. Dorsth. Melissæ iconem exhibet sub titulo Eupatorii pag. 117. Eandem verò describit pag. 186.

Melissa hæc vulgaris odore Citri, vocatur à Matth. Cordo in Diosc. Lac. & Lob. in obser. pag. 277. in Icon. Plant. & Aduers. *Apiastrum*, & sic quoque Sarrac. apud Dioscorid. & Camer. apud Matthiolum. A Brunfelf. Dod. lat. in fol. Anguill. & Cæsalp. *Melissa*. Camer. hort. *Melissa nostras*. Trago *Melissa domestica*. Dod. gal. Gesn. [cui & citrago] hort. & Clus. *Melissophyllum*. Brunfels. Matth. Clus. in Icon. Castori & Tabern. *Melissophyllum vulgare*. H. Lugd. pag. 957. *Melissophyllum Matthioli*. Fuchs. in Hist. *Melissophyllum adulterinum* C. Bauh. in phyt. & apud Matth. *Melissa prima* siue hortensis, vbi Melissam ab apibus, quas Græcè μελίσσας dici scribit: & Apiastrū, quòd apes eâ delectentur, denominari refert. Plura nomina vide antè.

Melissam vulgarem odore Citrii Mali, & non Cimicum, Geneuæ vidi spontaneam in sepibus pag. *Bernay* & *Throsnay*. præterea inter Basiliam & Wallenburg. Colitur autē passim in hortis, vt [illegible] lex. Lugduni, Monspelii, Patauii, vbi virebat Ianuario, Ferrariæ, Montbelgardi & in Masmunster. Floret autem Iunio, Iunio, & Augusto: sub hyemem tota marcescit radice restibili, quæ prima vere noua folia, atque inde cauliculos promit.

Locus. & tempus.

Veteres

Vires Veteres de viribus Melissæ, si eos consultum velis, lege quæ antè ex iis retulimus. Melissa, inquit Tragus, calefacit exsiccat, discutit, sanat & conglutinat: internis enim & externis corporis partibus adhibita magni est vsus. Vino albo quidem decocta, & per aliquot dies pota, pectus purgat, asthmaticis prodest, cor confortat, tristitias à Melancholia profectas tollit, morbum comitialem, & omnes prope morbos internos curat, quamobrem clysteres ex ea rectè conficiuntur. Minutim concisa perque noctem vino albo optimo macerata, ac deinde in vino distillata, inprimis commendatur, nam non tantùm ad mulierum tormina, & vuluarū strangulatus seu præcipitationes mirè conducit, mensurâ trium, vel quatuor coclearium pota, verùm etiam Cardiacæ & fungorum strangulatibus auxiliatur. Oris exulcerationes si cum illa abluantur, sanat, oculorum claritatem adiuuat. Herba cum floribus Camomillæ lineo sacculo imposita aquâue decocta, deinde expressa, ac calida matrici inquietæ, & suo loco motæ, imposita, præcipitationem eius cohibet, inque locum suum reponit. In defessionibus mulierum ad ducendos menses perutilis est, lumborum dolores sedat. Viridis cum sale illita cataplasmatis instar strumas discutit. Aqua Melissæ omni scabiei, ac pustulis medetur, quemadmodum & scorpionum, & aranearum ictibus, ac canis rabiosi morsibus, si cum illa colluantur. Aqua vino turbulento infusa, pristinæ illud claritati restituit. Eadem carnibus aspersa, à muscarum & vermium iniuria ipsas vindicat.

Fernelius lib.6.m.m.c.6. scribit Melissam sanguinem melancholicum & atrabilarium purificare, ac partim purgare omnem tristitiam, ac timorem à melancholia profectum depellere: sōnia procreare læta, sensúsque acuere. Hinc commendatur à Rondeletio in melancholia capitis, paralysi, morbo caduco, vertigine, aliisque cerebri frigidis affectibus, cum vino cocta, aut macerata, & bibita. A Grataroło in confortanda memoria, & ingenio acuendo, hominémque, quocunque modo comedatur herba, industrium faciendo, animi tranquillitate præstanda, saporem capiti iucundum inducendo. Conferre etiā in lotione pedum: in ablutione capitis. Sic etiam debilitatibus cordis subuenit, & animi deliquia præcauet, maximè si à causa frigida proueniant, noctúque molestent, & somnum impediant. Medetur frigido & humido ventriculo. Muliercule in Gallia teneros turiones tusos, ouis, saccharo & rosaceo excipiunt, placentulasque pinsunt parturientibus, puerperis & enixis, quibus vires impendio deiectæ fuerint, ac secundæ non probè eductæ. Orthopnœà laborantibus parari potest ex hac Electuarium, Conserua, Syrupus & Extractum cum aliquo liquore sumendum, quibus etiam ad supra dicta vsus esse potest. Stillatitiæ ad Cardiacas confectiones multus vsus. E floribus fit acetum, vt Betonicæ coronariæ, cōfortando cordi idoneum.

MELISSA ADVLTERINA QVORVNDAM amplis foliis & floribus non grati odoris.

Descriptio. Fibrosa *radice*, subacri, & amarâ nititur: *caules* quadrati, hirsuti, geniculati, multâ medullâ farcti: *folia* Galeopsis, oblonga, rugosa, hirsuta, è geniculis enata, opposita, in ambitu serrata, odore parum grato: ex quorum alis, *flores* verticillis oblongis, laxis, hirsutis, emicant purpurei, candidi, vel carneo colore prædití, oblongi floribus Antirrhini similes, labello in tres lacinias diuiso, casside surrecta, promicantibus ex rictu staminibus. Eius aliquot species nouit Clusius.

De hac loquitur Tragus lib.1.cap.2. dicens. Nicander in Theriacis scribit Marrubiū à pastoribus μελίφυλλον vocari, quod quidam propter apes Melittęna n interpretantur, quæ sanè verba ego de Vrtica G. Binsaug dicta, intelligo, quæ dubio procul vera est Melissa, neque enim quæ vulgò dicitur, Melissa est.

Fuchsius hanc Melissophyllum siue Apiastrum verum cōstituit, ac per consequens ei veri nomina adscripsit in Hist.

Gesn hort. dicitur Melissa vera Rurpodii, & Melissa Fuchsii, de quâ mox ait. Melissophyllon quod pro vero exhibuit Fuchsius, copiosè in siluis nostris nascitur: & in hortos translatū aliquot annis manet. Lamium siluaticum dixeris, quanquam à cæteris Lamiis nonnihil differt: à Melissa quidem vulgò dicta, toto genere distat.

Euchar. Rœss. vocat Melissam. Lobel. Obs. pag. 277. Melissophyllam Fuchsii, Cordi, & Tragi, Herbam sanam Agrippę, & Lamium Plinii quorundam. In Icon. Plant. pag. 515. Melissam Fuchsii. H.Lugd.p.958. Melissophyllum Fuchsii & Dod. (gall. scilicet.) Camer. hort. Melissa Fuchsii passim in Germania occurrens. C. Bauhin. Phyt. Lamium 8. siue montanum, folio Melissæ.

Clusius huius plantæ duas icones proponit. Vni quidem titulus est Lamium Pannonicum 1. versicolore flore. Alteri Lamium Pannonicum 1. albo flore, de quibus ait. Fuchsius & Tragus hanc plantam Melissophyllon appellarunt, cùm tamen exiguâ odoris gratiâ prædita sit, nec apes eius floribus valdè delectentur: & haud scio an

p... lita sit, nec apes floribus valdè delectentur: & haud scio an apta sit ad aluearia intus confricanda, all ciendarum aut retinendarum apum gratia, vt est vulgaris Melissa, quibusdam Citrago, ab odore Citrii mali, dicta, quæ omnium doctiorum iudicio verum μελισσόφυλλον censetur. Ego ad Lamii genera potiùs referendam arbitror.

Locus & tempus. Melissam Fuchsii minùs odoratam magno folio & flore vidi Monspelii, si bene recordor, Geneuæ in monte *Salene* incipiebat florere Aprili, in colle *la Bastie* flore albo florebat Maio & Iunio: Lugduni obseruaui *au bois du bon Alemand* florentem Maio mense. Basileæ abundantem in monte Moutetz, Montbelgardi prouenit in monte *la Chau* flore purpureo & albo, transtuli in hortum E.C. vbi floret Maio, quidam commendant ad affectiones vteri. Reperi & in aliis locis plurimis.

MELISSA TVRCICA MVLTIS dicta.



Descriptio. ODor & sapor Melissam arguunt, at *folia* in caulibus, ramosis, quadratis, subrubentibus cubitum altis, sescunciam longa, vix semunciam lata, per ambitum serrata ad articulos ex opposito sita: suprema autem vtriusque tenuissimis barbulis donata: *flores* verticillatim geniculis circumnascuntur, cærulei vel albi, labello bifido, bifidoque cucullo breuiore, binisque alis exiguis constant.

Melissophyllum Turcicum dicitur planta à nobis tradita Aduersariis quam describunt & depingunt. Lobel.in Icon.Plant.pag.515. Melissophyllum Turcicum. Fuchsio lib.1. compos.med. Melissa altera vulgaris, purpureis floribus, Turcica discriminis gratia nominata: Gesnero hort. Melissa vel Cedronella, id est, Citrago Turcica à quibusdam cognominata: Bizantio vt audit, allato semine, odore multò grauiore & magis ad cineres accedente, quàm vulgaris, floribus purpureis. Camer. apud Matth. hist. germ. Melissa Moldauica [ita etiam in Epit.] siue Turcica Turckisch melissen/ floribus cæruleis & albis Hort. Melissa Turcica siue Moldauica. C.Bauh. phyt. Melissa 2. siue peregrina, Turcica dicta: Melissa Moldauica Matth. icon. 4. pag. 515. in fol. lib. 3. cap. 101. Variat magnitudine & paruitate.

Hanc duabus distinctis figuris H. Lugd. pag. 960. expressit. Et quidem maiorem Melissæ Moldauicæ Matthioli, & minorem Melissæ Turcicæ alterius Dalechamp. nomine. Matthiolus non describit, licet in variis editionibus eius meminerit.

Locus & Tempus. Seritur in hortis, sed ex Muldauia primùm ad nos delata est, vbi spontè per se prouenit. Obseruaui Geneuæ in horto meo florentem adhuc Nouembri, vt & Lugduni: Montbelgardi in horto E.C. flore purpureo ac albo, ac eam secundo anno prouenientem ex semine deciduo, æstiua planta est.

vsus Vires. Viribus non differt à Melissa & potissimùm odoratum semen existimatur, vt refert Camerarius. Excalfacit, siccatque ordine secundo, aperit, attenuat, & incidit, Matth.

MOLVCA.



PEregrina planta Moluccæ nomine donata, *caulem* habet rectum, sesquicubitalem vel maiorem, glabrum, subrubentem, ferè quadratum, satis robustum, paucâ medullâ farctum, in ramos multos satis diffusum, eosque binos oppositos: *folia* subrotunda, per ambitum serrata, longis pediculis appensa, foliis Marrubii nigri similia, verùm non ita nigra, planè glabra, neruosa, bina ex aduerso posita: in caule ramisque à medio ad summum vsque ex interuallis calices magni, patuli calathoides, cutanei, neruosi, seni verticillatim digesti: *flosculos* comprehendunt Galeopsecos ex albo purpurascentes, galea hirsutâ, apicibus in medio: tandem seminibus succedentibus, in singulis calycibus quaternis triangulis: cæterùm vnicuique verticillo folia bina adhærent longo interueniente pediculo inferioribus similia, ad pediculorum ipsius exortum spinulæ aliquot longiusculæ prosiliunt. *Radix* lignosa est & fibrosa. annua herba cui folia amara [amara tota Matth.] flos ferè insipidus. Huius plantæ odor mihi gratus.

Gesn. in epist. ad Occonem de hac loquitur. Molucca vel Constantinopolitana herba mihi ante biennium nata, & probè depicta est. Videtur autem ad Lamium vel Vrticam mortuam quodammodò accedere, seminis tamen [vnde ego maximè cognationes stirpium iudicare soleo] figurâ differt, utpote triquetra.

Matth. in Diosc. cum magnis figuris vocat Melissophyllon Constantinopolitanum, è Constantinopoli allatum, foliis Melissophylli similibus: verùm haudquaquã Citreum pomum olentibus. In Hist. Germ. cum addit. Camerarii, itemque Epitome Moluccam, siue Constantinopolitanã, Cardiacam, & Moluccam læuem, & sic etiam appellat eam Dod. lat. in fol. Lobel. autem in Aduers. pag. 221. Cardiacam Melcam, siue Molucam Syriacam, Melissophyllo congenerem Melinum & Molucam quidem appellat non ab Oceani trans Tropicum nostrum insulis Moluccis : sed nomine

nomine cum planta misso è Syria Venetias Martinelli Sequini opera. Obs. pag. 278. Cardiacam Meliccam, vti & pag. 279. vbi prætereà Moluccá minùs asperam, ceu etiam in Icon. Plant. p. 516.

Hist. Lugd. pag. 959. Moluccam siue Melissam Turcicam Dalechampii: item Melissophyllum Constantinopolitanum Matthioli. *Vnius* plantę duæ proponuntur icones ab Hist. Lugd.

C. Bauhin. Phyt. p. 434. Melissam tertiam siue Molucanam odoratam: apud Matth. Melissam Constantinopolitanam. Tab. Ic. & Hist. Cardiacam Siriacam vocat.

Locus & Tempus. Molucam primùm vidi in horto clarissimi præceptoris mei D.D. Gesneri, postea curaui seminandam Basileæ, & Lugduni: vbique prouenit copiosè, in horto meo florens Maio, Iunio, Iulio, & Augusto. Geneuæ vt & Montbelgardi habui florentem: & semine abundantem adhuc mense Nouembri.

Herba contra venena magni fit, succus eius capitis vulneribus apprimè conferre creditur, & ad cordis affectus.

MOLVCA ASPERIOR FOETIDA.



Descript. Longis nituntur pediculis *folia* circumscriptione ferè rotunda, laciniata, neruosa, fœtida: *flores* è calycibus verticillatim caulem ex interuallis amplectentibus erumpunt: sunt autem calyces minùs patuli quàm in Moluca priore, neruosi, laciniati, quorum laciniæ in longas, rigidas, infestas spinas desinunt.

Camer. apud Matthiol Hist. Germ. Dodó. lat. in fol. dicitur Moluca aspera. De hort. Moluca altera, dicta fœtida potiùs quàm odorata, non ita facilè ad maturitatem perueniens. Lobel. in Aduers. pag. 221. In Ic. Plant. pag 217. Melica siue Molucca asperior Siriaca. In obseru. pag. 279. Mascluc Turcarum, & Molucca aspera.

Hist. Lugd. pag. 959. Molucca spinosa Dodonæi à Clusio pro Galeni Alysso picta. Fallitur cópilator, Alysso Clusii folia sunt Marrubio similia, magis incana, inodora, hæc & alia nullo modo conueniunt cum Moluca.

C. Bauhin. Phyt. pag. 425. Melissa 4. siue Molucana fœtida, quam ait Alysso Galeni congenerem aliquos velle.

Tabern. Icon. & Hist. Cardiaca Syriaca altera Rauch Syrisch hertzgesper.

Molucam asperiorem & fœtidam Geneuæ habui in horto pulchrè virētem adhuc in fine Nouembris, Lugduni etiam & Montbelgardi in meo etiam & Ill. C. Wirt. aliquoties: nunquam autem semen maturuit.

DE ORIGANO VETERIBVS & in genere.

Cap. XIII.

Ὀρίγανος pluribus plantis conuenit, id quod ex eius generibus seu rectiùs cognominibus ostenditur. *Primum* Dioscoridi nuncupatur ὀρίγανος ἡρακλεωτική, quam refert nonnullos κονίλην vocare. Quæ tamen & ipsa pluribus conuenit, vt ostendemus cùm de Cunila propriè dictà agemus. Et hæc etiam à Galeno Heracleotica vocatur, à Plinio autem Cunila gallinacea & Origanum Heracleoticum. *Secundum* genus est Onites. Sic & *tertium* ἀγριορίγανος, siluestre Origanum.

Origanum verò siue Origanus quòd montibus gaudeat appellationem apud Gręcos inuenit, ἀπὸ τοῦ ὄρους id est, monte, & gaudio. Herodianus quòd visum exacuat nomen duxisse testatur, ab ὁρᾶν videre, & γανῶ clarifico, quasi aciem oculorum illustrans. Theodorus grāmaticus, nomē ex aduerso ductū putat, à ῥιγῶ, & quod est algeo, fieri ῥίγανον, quasi algens, cenſet, & tandem adita litera principe, o, in Origanum esse confictum, contrario tamen sensu, quòd minimè refrigeret.

Arabicè dicitur Origanū *Faudenegi*, *Futlenegi*, seu *Faudenigi*, *Fandenigi* Trago: cui & Heracleothica & Azaba: Hebræis, *Karinth*: vocatur teste Aruch Monsteri, tametsi species Hyssopi ibidem quoque tradatur. Germ. dosten / wolgemuth [quasi dicas animi bonitatem, aut lætitiam] Costentz (Costum) & Bergmüntz (Menthā montanam:) Gall. *Origan* & *Mariolaine bastarde* (Maioranam spuriam:) Ital. *Origano*: Hisp. *Origan*: Angl. Origane. Boh. Dobramisl.: Hung. Fekete gyopar.

Cæterùm per Origanum simpliciter dictum, videtur & plurimùm intelligendum Heracleoticum, de quo hoc loco primùm agendum, quod ab Heraclea Ponti nomen desumpsit, quòd illic potissimùm nasceretur.

Præter quod autem Dioscorid. Origanum Agerato frutici maximè simile dicit, & Papaueri Rhæadi eius folia comparat, rursus particulatim hæc de eo scribit. Origanum Heracleoticum, quod nonnulli cunilam appellant, folium habet Hyssoppo non dissimile: vmbellam autem non in rotæ speciem orbiculatam, sed veluti diuisam, & semen in summis virgis haudquaquam densum.

Plinius in Origani tum nomine, tum Historia ambiguus admodum est, qui hanc Cunilam gallinaceam latinè appellat, Græcè, Origanum Heracleoticum: Optimum autem Creticum, nam & iucundè olet: proximum Smyrnæum: deinde Heracleoticum quod Onytin vocant &c.

Origano autem esse genera complura suimis differentiis discreta author est Theophrastus 6. Hist. cap. 1. ex quo Plinius sua transcripsit. Idem cap. 2. ait Origani genus nigrum sterile esse: candidum verò manifestè fructuosum. Lib. 7. cap. 11. Germine Origanum desigitur. Lib. 1. de Caus. c. 15. suffruticem esse, semperque virere 4. c. 3. ægrè germinare. Et 7. cap. 1. Origano dies plus quàm triginta dari, antequam nascatur.

Palladius cap. 13. Mense Septembri circa Aequinoxium serendum præcipit, stercorandum ac rigandum donec conualescat: amare loca aspera & saxosa.

Priusquam autem ad alia progrediamur, con-

sulendæ & considerandæ veniunt variæ circa Origanum Neotericorum opiniones. Hæ enim ad oculos ponēt difficultates, quas Veterū breuitas peperit & obscuritas.

Marcellus inter alios hæc scripsit: Duo statim à principio sexti de plantarum hist. voluminis Origani genera Theophrastus fecit: Nigræ quā sterilem: & candidæ quam fœcundam & seminis feracem nominauit: quod manifestum multoque certiùs in Satureia videatur: hinc inde, & post eum Columella: Plinius deincépsque alii multa diuersis nominibus & historiis tantaque cum varietate & incertitudine Origani genera tradiderunt: vt non facilè nunc sit eligere quod dicat aut quos potiùs auctores sequatur aliquis. Nec quicquam, si inuenisse id liceat, obtandum magis, quàm animal quadrupédemue aliquam, quæ certiùs saluti suæ consulere à natura docta, dum sibi in periculo necessariam Origanum quærit, & inuentā vtitur, tam multas eius species & earum discrimina nobis ostenderet: quod facere à diligentioribus deprehensa Testudo est: quæ cùm venenatis carnibus pasta fuerit, Origanum quærit & inuentam venenis aduersantem deuorat. Difficillimum enim est cōcordem tot veterum Scriptorum Origani historiam facere. Nec nos profiteri id pollicerique audemus. Liceret sanè quæ ab eis tradita sunt omnia, aut saltem plura repetere hoc loco: sed nos nunquam pro bonarum artium studiis id genus laboris amauimus: simulque iniquum visum semper est ab antiquorum scriptorum lectione & laude deuios in admirationem sui tam mala ratione posteros agere: translatisque in sua commentaria eorum monumentis laboris sui fructu omni posthac eos priuasse. Agemus ad eam causam rem nostrā &c.

Varia, inquit itidem Matth. ac confusa est apud Antiquos rei herbariç authores Origani historia. Quandoquidem Theophrastus lib. 6. c. 2. de plantarum historia duo tantùm constituit Origani genera, nigrum sterile & candidum fructuosum. Plinius verò lib. 20. cap. 17. post Onitidis Origani, & Tragorigani mentionem, Heraclium Origanum subiunxit, quod tria habere genera prodidit. In quibus verbis Plinius deprehenditur non sine errore Tragoriganum cum Origani generibus confudisse, quòd Heraclii nomine, quod constat Origani genus esse, duas illas Tragorigani species, quæ à Dioscoride redduntur, huius ferè imitatione expresserit: licèt tertium quoque addiderit ex alio fortè authore, nisi dixerimus, quod & hanc pro aliquo Origani genere sumpserit, & simul confuderit. Sed demissis aliorum placitis, & Dioscoridem quem nobis ducē, & authorem proposuimus, duntaxat secuti, dicimus tam Heracleoticum quàm Onitim appellatum Origanum aut in Italia non oriri, aut inibi hactenus, quod sciam, à nemine repertum fuisse. Etsi Brassauolus Ferrariensis medicus nostræ ætatis clarissimus asserere videatur, Heracleoticum illud herbæ genus esse, quod in Italia passim nascitur, quodque perperàm Origanū vulgo ab omnibus vocitatur. Verùm huic [pace eius dixerim] nunquam assentiri potui: qui potiùs eam plantam Origani siluestris genus esse semper existimaui, quòd sua sponte in campestribus, asperis cliuosisque locis & montibus proueniat, purpurascente admodum vmbellā.

Aliter verò statuit Anguill. dicens, Origanum in Italia notissimum, sed excellentius nascitur in Apulia & Calabria, quàm in alio loco. Prouenit præterea in Illiria & Sclauonia, & in Græcia, vbi vtuntur vice aromatum ob acrem saporem. In Creta, inquit Bellonius, inueniuntur tres species Origani quæ florent in principio Iunii, Onitis autem propriè prouenit inter rupes in colliculis à parte sicciore quæ meridiem respicit. Heracleoticum autē locos amat humidos quòd verò siluestre vocatur, neutrum locum amat, prouenit libentiùs iuxta sepes & agros quàm locis detectis. Non longè à Betlehemo in ruderibus quibusdam reperitur Onitis & Origanum Heracleoticum. Præstantius & verius siluestre est, inquit Amat⁹, quod nullibi quàm in Hispania hucusque mihi videre contigit: in Gallia verò & Germania ac Italia, genere quodam vtuntur, non adeò tamen potente ac bono.

Vnde meritò Cronemburgius, vbi quæ alii dixerunt recensuit, dicit: Quum parum inter Græcos, minùs inter Latinos, omnium minimè inter vtrosque, circa Origanum conueniat, haud imperitiā quispiam indiscretam inarticulatamq; Origani delineationem miretur.

Origani Heracleotici nomine donantur hæ plantæ, à diuersis quidem authoribus. Origanū vulgare spōtaneum, cuius tres sunt species flore differentes Trago, duæ Dodonæo. Origanū Heracleoticum Ruellii siue Maiorana maior. Origanum Heracleoticum Matthioli, & Dodonæi, vocatum Hispanicum, aliis fortè Creticum. Onites Matth. & Dodonæo, Tragoriganum Matth. Tragoriganum Dodonæi. Maiorana Anglica Dodonæi de quibus suo loco. Hyssopus vulgaris. Clinopodium Dodonæi. Origanum Creticum. Geranium. Agrimonia. Acinos. Clinopodium Matthioli. Chrysogonum. Eryngium. Satureia. Thymus. Pulegium plebeculæ Anglicæ est Origanum. Plinius pluribus locis confundit cum Origano Conyzam. Anguillara. Plin. mr.

Cæterùm in tanta nomenclationum varietate cùm non facilè sit certi quicquam statuere, lubet de omnibus suo loco disserere & hic quidem Heracleotici Origani æquiuoca, & ad ea aliquo modo facientia, specialiùs pertractare, adiicientes in fine, facultates, quæ Origano Heracleotico Veteres adscripsēre. Nec in re admodum incerta, multùm operæ aut laboris temerè insumendum esse, necessarium putauit Fuchsius.

ORIGANVM VVLGARE spontaneum.



ORigani vulgaris *radices* tenues illæ quidem & lignosæ, obliquè aguntur, frequentibus Capillamentis fibratę, sic vt ramulorum pars infima horū ope denuò radicetur: surgunt autem complures *caules* cubitum vnū aut duos cubitos alti, duri, quadrati, hirsuti: ad quo-

quorum nodos aduersa oriuntur *folia*, Calaménthæ aruensis, hirsuta, & ex horum alis minora alia, maioranæ foliorum æmula: sapor autem tū his, tum illis acer, aromaticus, odor suauis: *flosculi* tanquam in vmbella foliolis rubescentibus obuallati emicant, colore carneo aut candido, pusilli, vnum foliolum bifidum sursum reflectentes, infimum maius trifidum, ceu labellum demittentes, staminibus in medio flori concoloribus: *semen* minimum, Maioranæ semini simile.

Huius autem Origani esse, quoad florem attinet, tria genera, attestatur Tragus. Horum aliud phœniceum, aliud ex candido rubicans: postremum verò planè candidum.

Fuchsius autem Tragoriganum, aut saltem eius speciem quandam esse ait. A Matth. Cronemb. Lacuna & Dodonæo existimatur Origanum siluestre Dioscoridis. Amatus ad nullam speciem certam reducit, sed tātùm Origani quoddam genus facit. Cornarius simpliciter Origanum vocat: ceu & Monach. dist.1. cens.40. vbi dubii hærent an sit recipienda opinio Brassauolæ, asserentis esse Origanum Heracleoticum. Tragum quod rursus attinet, sentit is Origanum nostrum esse Dioscoridis Hyssopum. Camer. in Epit. Matthiol. hanc plantam Pseudoriganū magis appellandum censet quàm siluestre Origanum, vt quidam credidere. Huic enim flores candidos, non purpureos ait.

Vocatur planta à nobis descripta; Fuchsio, Dod. gall. & lat. in fol. Gesn. hort. Cast. Tabern. Camer. Matth. in Hist. germ. & C. Bauh. (4. apud Matth. 1. phyt. vbi Cunilam bubulam Plinii facit) *Origanum siluestre*. Ruepodio *Tragoriganum*. Cordo in Dioscor. *Origanus siluestris*. Brunfels & Trago *Origanum*: Matth. Lonic. Gesn. hort. Lacunæ, Thalio & Camer. in Epit. *Origanum vulgare*: H. Lugd. pag. 887. *Origanum vulgare siluestre*. Lobel. in Aduers. pag. 211. Obs. pag 263. Icon. Plant. pagin. 492. *Agrioriganum siue Onitis maior*. Cæsalp. *Origanum Italicum*, cui & Tragoriganum Dioscoridis. Origanum Onites in Lombardia proueniens Anguill. epist. 12. Camer. hort. Origanum siluestre flore albo. Et ita quidem vulgò vocatur, ait, quod passim crescit, & potiùs ad Heracleoticum est referendum. Nā siluestre quod secundum Nicandrum Dioscorides describit, cum vmbella Anethi instar, alba tamen, Anguillara dicebat in Italia sibi non visū. Origanum siluestre, esse Cunilam Bubulam dictam Ruellius probare conatur.

Cæterùm, Origanum vulgare mirè variat, interdum enim folio est rotundo, interdum longo & magno, interdum flores spicati, plærunque nō spicati. Monspelii passim prouenit, florens Augusto, coloris purpurei. Vulgare Geneuæ abūdat virens principio Ianuarii. Basileæ copiosè prouenit etiam flore albo. Montbelgardi frequēs & circa Blaumontium Castellum E.C. licet videre flore purpureo, rubente cum albedine, & albo, vnde transtuli album in hortum E.C. Montbelgardum. Nascitur in inculto solo secus itinera, in collibus & apricis. non modò in calidioribus regionibus sed & in Germania, æstiuis mensibus florens: semen deinde perficiens.

Locus & Tempus

Vires

Origanum Heracleoticum à Veteribus descriptum hanc esse plantam qui nobiscum sentiunt, vires si requirant, videant antè. Hæc quidem particulatim trademus. Excalefacit, inquit Matthiolus, quòd gustu subacris sentiatur, & siccat quoque similiter, sed haud strenuè. Aperit, digerit, incidit & resoluit, sed longè mitiùs quàm præscripta Origani genera. Perdices, Ciconias, & Palumbos vulnere accepto, Origanum imponētes ad sanitatem redire, neque hominum vlla medicina habere necesse, narrat Ælianus: Inspersum piscibus, carnibus & aliis abigere muscas tradunt alii. Huius decocto Vngaricas mulierculas ad filum lanámue pullo colore inficiendam vti, autor Nomencl. Pannonicus. Ad arcendum pediculos & pulices Origanum præscribit Iac. du Fouilloux. Arnold. de morb. cur. ad dolorē capitis à pituita in gargarismo Origani semen commendat: Ego pluris facerem folia.

ORIGANVM HERACLEOTICVM Ruellii, siue Maiorana maior.

Descriptio

MAioranæ alii, alii Origanis accensent plātam quadratis, hirsutis, subrubentibus, cubitalibus, ramosis *caulibus* fruticantem: cuius *folia* ex aduerso posita, bina pluráue, Maioranę foliis maiora, Origani vulgaris ferè paria, cinerea, hirsuta, venosa: extremi ramuli in *spicas* duorum versuum squammatas semunciam aut vnciam longas abeunt, è quarum imbricatis foliolis *flosculi* emicant.

Ad inarticulatam Heracleotici Origani, quod alii Cunilam vocant, Dioscoridis delineationē magis accedere, nullam scio (inquit Ruellius l.3. cap. 25.) quàm quæ vulgò degeneris Maioranæ cognomento seritur in hortis, frutice Hyssopi, foliis eidem vel Serpillo siluestri proximis, minoribus tantùm, vmbraculis non in orbem coactis, sed diuisis, florum plenis. Tradunt olitores neglectum Sampsucum in eam degenerare, frutice Serpilli plerumque humi reptante, cauliculis punicantibus, foliis Sampsuci, flore purpureo, in vmbella cineritia in qua semen: vnde multis Galliæ locis *Cendree* nominatur.

Hanc intelligit Tragus lib.1. cap.9. per Maioranam siluestrem, siue alteram foliis, caulis cacuminibus, nec non & florum crassitudine, longitudine & magnitudine, Maioranę satiuæ maiorē, eiusdem tamen ferè cum satiua odoris & tēperamenti. Is nisi stultæ temeritatis argui se posse vereretur, affirmaret Maioranam siluestrem ad Caput Dioscoridis de Maro pertinere.

Gesner. hort. vocat Amaracum & Sampsuchū siluestrem, Maioranam maiorē. Camer. hort. Amaracum silu. perennem. Harch. in Enchir. siluestrem Maioranam: Item Anglorum peculiare Origanum, quo vti posse putat in aliorum inopia. Lob. in Aduers. pag. 212 Hyssopum, Maioranam Anglicam, Origano similem plantam. Lacuna Marum Dioscoridis & Origanum. Dod. gall. Marum quorundam inscribit, & *Mariolaine d'Angleterre* gall. vocat, Belg. Engelsch Marjoleyne / Maioranam Anglicam. Hanc describit pro Origani tertia specie. Non placet autem nec descriptio, nec figura, quamuis Lacuna eandem habeat.


C. Bauh. Phyt. Maioranam secundam siue siluestrem perennem vocat.

Montbelgardi vbi in hortis abundat, *grosse Marjolaine* nuncupatur: ididem hiemem perfert.

ORIGANVM HERACLEOTICVM MATthioli, aliis fortè Creticum.

HOc nomine mihi visum & collectum Origanum, cubitali *caule*, quadrato, hirsu-

Descriptio



to, vulgaris instar Origani: *folia* ex geniculis minora, modicè hirsuta, odore & sapore acriore: *flores* albi aut subpurpurei in squammatis capitulis, minimè spicatis, & in vmbellæ ferè modum sparsis.

Lob. in Aduers. p. 211. Obseru. pag. 262. & Icon. Plant. pag. 492. Origanum Heracleoticū. Camer. hort. Origanum Heracleoticum, flosculis ex albo purpurascentibus & nonnunquam candidis. In Epit. Matth. Origanum. In Hist. Germ. Origanum Heracleoticum, Origanum verum 1. Casp. Bauh. phyt. Origanum 2. siue Heracleoticum: Origanum 1. vel 6. Tragi: Cunila Gallicaria Plinii: esse ait flosculis ex albo purpurascentibus, & etiam candidis.

Tale habebat Fuchsius in horto quod vocabat Tragoriganum tenuifolium. Habemus & Montbelgardi in horto E.C. vbi fert hiemem nisi admodum sæuierit.

ORIGANVM CRETICVM.

Descriptio



PErtinacissimè odoris gratiā habet, adferūtur autē potissimùm cymæ, Maioranę similes spicis, aliæ breues, lōgæ aliæ, quadruplici serie squammularum, striatarum, densè cōpactarum, imbricatę, sapore acerrimo, odore aromatico iucundo: *folia* rariùs adferūtur quæ mihi aliquando videre cōtigit, hirsuta, minora quàm vulgaris Maioranæ, minimèque rotunda.

Anguill. epist. 5. & 12. vocat Origanum album, nihilque aliud esse ait, quàm Hyssopum Cilicium à Dioscoride descriptum.

Matth. dicitur Origanum Onites [ita & Lacunæ & Cam. in Epist. & Hist. germ. qui & Origanum verum 2. vocat] è Creta allatum & à Luca Ghino missum. Trago Origanum alterum pulcherrimum peregrinum. Lobelio in Aduers. pag. 211. Origanum silvestre Syriacum, quod optimum sit, è Syria aut Creta allatum, hocque vti Venetos pharmacopœos & medicos. In Obseru. pag. 263. Origanum siluestre: Hyssopum Dioscoridis Cilicium Anguillaræ: Ital. *Origano biancо*. C. Bauh. phyt. Origanum 5. siue Onitis alterum.

An à Fuchsio de compos. med. lib. 1. cap. 5. Origanum Creticum appellatur?

Origanum Creticum cum longiusculis corymbis spicas æmulantibus, flore albo & rubello Gœppingæ in horto Ill. E.C. & in horto Admirab. balnei, obseruaui. Locus & Tempus

ORIGANVM MONSPELIENSE pulchrum Camerarii.

SImilimum est Oniti à Matthiolo depicto (Origano sc. Cretico nostro,) sed non idē: ab Origano vulgari, nō multùm differt, nisi quòd habeat multas, pulchras & oblongas quasi *spicas*, purpureas, *caulis* etiā totus purpurascit, *semen* gignit ruffum, pusillū, vt reliqua Origani genera. Crescit in Gallia, prope Monspelium.



Synonima

Est hoc C. Bauhin. phyt. Origanum 6. Nobis autem idem videtur cum eius Origano 4.

Origani vires in genere.

Origanū Heracleoticum, authore Dioscoride, vim habet calefaciendi. Vnde decoctum ipsius cum vino potum, commorsis à bestiis venenatis conuenit: cum passo verò his qui Cicutam aut Papaueris succum hauserunt: cum aceto mulso his qui gypsum aut Ephemerum biberunt. Cæterùm ad conuulsa & rupta ac hydropas, editur cum ficu. At aridum potum acetabuli mensura cum aqua mulsa, nigra per aluum ducit. Idem cum melle delinctum, menses mouet, & tusses curat. Ad pruritus & scabiem & morbum regium, decoctum ipsius in balneo prodest. Succus ipsius dum adhuc viridis est, & tonsillas, & columellas, & feruida oris vlcera sanat: & si cum oleo irino ipsis infundatur per nares ducit. Cum lacte verò aurium dolores mitigat. Paratur & vomitorium ex illo medicamentum, additis Cepis, & Rhoë qui obsoniis inspergitur, omnibus in ære Cyprio, sub canis ardore, ad dies quadraginta, insolatis. Herba ipsa substrata, reptilia & serpentes fugat.

Origanus Heracleotica quidem efficacior est Onitide: sed agrestis, quam quidam Panaces Heracleum, alii Conylem cognominant, valentior vtraque est, inquit Galenus: Omnes verò incidendi, extenuandi, exsiccandi, calefaciendi facultatem possident: hæcque tertio excessu

excessu obtinet. Porrò ea quam Tragoriganum appellant assumpsi etiam astrictiorus quippiam. Idem in lib. simplic. med. ipsi attributo, ait. Origanum & ipsum omnibus notum est, & habet vires acres & excalfactorias & relaxantes, & euaporantes: vnde & suspiriosis & tussientibus prodest. Et serpentes fugat item biles & ventrem detrahit. Sed vrinam & menstrua prouocat.

Apuleius ad tussim potenter auferendam Origanum in puluerem mollissimum terit, & melle vsque ad tertias decocto miscet, & exinde figurat trochiscos & dat ad bibendum in aqua calida.

Nunc ad Plinium deuenimus, qui lib. 20. cap. 16. ait. Est alia Cunila gallinacea appellata nostris, Græcis Origanum Heracleoticum. Prodest oculis trita addito sale. Tussim quoque emendat & iocinorum vitia. Laterum dolores cum farina, oleo & aceto in sorbitionem temperata. Præcipuè verò Serpentium morsus: de quo etiam plura habet eiusdem libri c. 7.

Aristoteles Origanum musto iniectum efficere vinum dulce prodit: quia partes aquosas auferat ad sese, quemadmodum Sol ab vuis, quæ passę dulciores fiant. Origanum verò acrimonia sua non tam attrahere ad se vini acrimoniam, quàm eius partes coquere dilutiores.

Auicenna Origanon commendat in doloribus dentium, quòd sc. omnem putredinem arceat, vnde prouerbium ὁ σαπρὸς ταρίχης τὸ ὀρίγανον φιλεῖ i. e. putre salsamentum Origanum amat. Origano adhuc in Illyria & Græcia vtuntur propter, acrem saporem in ferculis loco aromatum.

Antigonus in farragine memorabilium narrationum scribit Testudinem vbi serpentem adit, Origanum insuper edere & quodam tempore accidisse, qui hac re obseruata Origanum eo loco abstulerit, & tum testudinem eo orbatam perisse. Idem author Græcus addit palumbes percussas Origanum vulneri indere, & hoc remedio sanari. Item si Origano & Sulphure formicarũ acerui obturentur, statim illas aufugere, quod etiam tradit in Homil. D. Basilius. Decoctum Origani cum Caryophyllis & Sacharo paratum plurimùm singultui prodesse constat. Huius etiam puluis cum pauco sale nitro vulgari & melle instar eclegmatis mistus vtiliter dentibus infricatur, & reddit candidiores ac firmiores. Origanum intueri, prouerbium est apud Suidam ex Aristophane sumptũ, ab acrimonia herbæ, & dicebatur de eo, qui robur & maximum animũ præ se ferebat. Cæterùm vinum Origanites ex Origano Heracleotica parari similiter vt Thymites, testatur Dioscorides: facere & ad eadem.

De Origano Onite.

De Origano Oniti Dioscoridi dicto, quod nomẽ retinent etiam Galenus & Plinius, variæ sunt opiniones: tradit enim Hermolaus ornithin h. e. gallinaceum quibusdam dici: alii Buglen Ruellius. Nicander quoque meminit Origani, cuius folium, quòd Asinis pabulo gratum esset Onopetalium vocauit Origanum, quodque Onitim inde secuta ætas ab eo didicit appellare, Onitis quid sit ex Dodonæo colligere non possũ, nihil enim addit præter ea quæ à Veteribus dicta sunt, addens tantùm hac in regione incognitum esse genus.

Matthiolus verò depingit quidem plantam pro Origano Onite sibi missam à Luca Guino ex Creta allatam, vt suprà ostendum, sed non describit. Nisi multùm fallor hoc Origanum Onitis Matthioli nihil aliud est quàm Hyssopus Anguillaræ, vt videre est capite de Hyssopo.

De Onitide autem hæc dicit Anguillara cùm locutus est de Origano. Onitis est species Origani quę tantùm minor est acrimonia, odore & facultatib⁹, vt dicũt Galẽ. & Diosc. Nec aliud est quã Origanũ quod reperitur in Lõbardia. Quod verò non sit vsque adeò album in causa est locus quia in locis calidis albidius est & violentioris saporis ac odoris. Hæc Anguillara.

Galenus easdem tribuit vires Onitidi quas Origano Heracleotico, nisi quod imbecilliores.

De Origano siluestri.

Ἀγριορίγανον, πάνακες, ἡράκλειον & κώνιον Diosc. iisdem etiam nominibus insignita Galeno. Plinio recensetur inter Panaces, ac vocat Panaces Heracleum ac Origanum Heracleoticum siluestre. Siluestre autem cognominatum quòd sine cultura & sponte sua proueniat.

Dicitur Germ. costen wolgemüt, quasi dicas animi bonitatem aut lætitiam, Brauudosten / vel Berguüng / Wilder maioran. Flandricè Graue-Marioleine. gallicè *Origan & Mariolaine bastarde*.

Eius tres species facit Tragus, duas Dodonæus. Meminit verò cuiusdam Origani Hispanicæ Amatus, quę, ni fallor, Origanum Heracleoticum Matthiolo, & Dodonæo. Tragoriganũ siluestre esse Origanum volunt etiam nonnulli. Alii Panaces heracleum, aut Cunilam, inter quos Nicander & Diocles. Siluestris Origani non meminit Plinius, Cunilę ta nen bubulæ vocabulo comprehensum iri putamus. Nec per Cunilam aliud intellexere Columella & veteres veterinariæ artis Scriptores quàm siluestre Origanum.

Id autem Origanum siluestre se non nouisse scribit Anguillara, nec vllam plantam prouenientem in Italia quæ dici possit verum Origanum siluestre. Amatus dicit se nossibi quàm in Hispania siluestre Origanum vidisse: & in Gallia & Germania quadam vti non adeò potente ac bona. Hanc autem speciem Hispanicam videntur Dodonęus & Matthiolus existimare esse Heracleoticum, vt patet ex superioribus, quandoquidem vna & eadem figura Matthioli & Dodonæi. Suam autem cum Amato vult Dodonæus ex Hispania afferri: Suam ex Creta Matthiolus.

Priuatim autem folia siluestris Origani & flores cum vino bibuntur, & commorsis venenatis bestiis opem ferunt. Galenus huic easdem vires tribuit quas Origano Heracleoticę & Onitidi, nisi quod valentiores. Vires.

DE SAMPSVCHO SIVE AMARACO Veteribus & in genere.

CAP. XIV.

THeophrastus amaracum vocat, non Sampsuchum, licèt Theodorus modò Samsuchum, modò Sampsuchum vertat: aliquando Amaracum inter suffrutices coronarios perpetuè vires, prouenit & semine, & auulsione; præstat seminis copia, & iucundi odoris semen est, & quidem molliores odoris: nec non & planta eius transferri potest: radices in summo terrę hærent, mul-

tifidæ, torridæque: Æstate floret, recipitur in vnguentis odoratis. Et rursus 1. de caus. plant. (vbi tamen eum aliam intelligere statuit Cæsalp. licèt quænam illa sit, non determinet) ait. Amaracum recens radicem succi bonitate & carnis ad serendum habet, inter ea quorum radix crassa & carnosa est.

Appellationes spuriæ. Sampsuchum [sunt qui in nothis Trifolium, qui Agathides, Agethides Marcell. qui Cnecium, qui Acapnon: Pythagoras Thramben, Ægyptii Sopho, Armenii Myuron, Magi Hecigonon, siue genituram Isidis, & Iehrei asinum, Romani verò Maioranam dicant] in Cyzico laudatissimũ: *Delectus à loco petitus.* secundum ab hoc locum sibi vendicat, Ægyptiũ. Vocatur autem à Cyzicenis & Siculis Amaracũ.

Descriptio Calaminthæ folio. Herba est ramosa, per terrã repens, *foliis* hirsutis, ac rotundis, tenuioris folii Calaminthę æmulis, vehementer odorata, & excalfaciens (quidam, ...) nexilibusque coronis inseritur. *Vires* Decoctum ipsius potu incipientibus hydropicis vtile, vt & iis, quos vrinæ difficultas, aut tormina excruciant. Illita ex melle arida folia, sugillata tollunt: mensesque subdita in pesso trahunt. Contra scorpionis ictum ex aceto & sale illinunt. Luxatis autem cerato excepta imponuntur, itemque œdem tis. Sed & ad oculorum inflammationes cum polline polentæ illinuntur. Cæterùm acopis & malagmatis excalfaciendi gratiã commiscentur, autore Dioscoride, apud quẽ in veteri codice, teste Goupylo, Sãpsuchi loco inuenitur caput ... ipsis met dictis verbis. Amaracum autẽ Dioscoridi idem esse cũ Sampsucho, manifestè ostenditur ex vnguentis sampsuchino & amaracino, licèt hæc diuersis capitibus prosequatur, vt apud ipsum videre est.

Ex Plinio. Amaracum genti Siculæ, Sampsuchũ Ægypto & Syriæ. Plinius de Sampsucho, siue Amaraco pluribus in locis disseruit. Ait enim lib. 21. cap. 11. Amaracum Diocles Medicus & Sicula gens appellauêre, quod Ægyptus & Syria Sampsuchum. Seritur vtroque genere & semine & ramo, viuacius prædictis (Origano, Thymo &c.) & odore melius. *Semen.* Copiosum Amaraco æquè quàm Abrotono semen. Idem cap. 22. Sampsucum siue Amaracum in Cypro laudatissimum & odoratissimũ, scorpionibus aduersatur, ex aceto & sale illitum. Menstruis quoque multùm confert impositum [trahendis in pesso subditum, Diosc.] Minor est eidem poto vis. Cohibet & oculorum epiphoras cum polenta. Succus decocti tormina discutit. Et vrinis & hydropicis vtile: mouet & aridum sternutamenta. *Oleum sampsuch aut amaracinum.* Fit ex eo oleum, quod sampsuchinum vocatur, aut Amaracinum, ad excalfaciendos emolliendosque neruos: & vuluas calfacit. Et folia sugillatis cum melle, & luxatis cum cera prosunt.

Amaracum à Sampsucho videtur distinguere Galenus, siquidem de simpl. lib. 6. Amaracon excalfacere non instrenuè, non valdè autem desiccare, sed in caliditate tertii esse ordinis, in siccitate verò secundi tradit. Et rursus simpl. 8. Sampsycon vocat, ac tenuium partium, & digerentis esse facultatis ait: desiccare enim & excalfacere ordine tertio. Plura ex Galeno de Amaraco trademus mox capite de Maro.

Sãpsuchus & Amaracus idem. Sed Sampsuchi & Amaraci vocibus eandem rem significari, testatur præter Dioscoridem & Plinium, etiam Marcellus, cuius verba hæc sunt. Nota omnibus in quotidiano sanitatis vsu Amaracus est. Eam communi appellatione Græci Sampsuchum neutro genere vocant. Et ex hoc *Sampsuchũ* Columella in hortulo suo dixit:

Grataque iam veniant hilari Sampsucha Canopo:

cùm tamen Lucretius & Maro alteram illam vocem, magis amauerint: Plinius eandem manifestè dixit esse Sampsuchum & Amaracum: nec certè differunt nisi diuersis diuersarum gentium nominibus. Vnum idemque ergo olus, Sampsuchum & Amaracus est: non idem tamen omnibus locis nomen, neque eadem vbique bonitas & vnguenti ex eo confectio. *Cæterùm* Amaracus Siculorum linguã à Cynarę Cyprii regis eiusdem nominis filio dictum, quem in hanc herbam cõuersum fuisse, fabulis proditum est. Seruius autem in primum Æneidos

(*vbi mollis Amaracus illum*

Floribus, & dulci aspirans complectitur vmbra.)

scribit Amaracum puerum fuisse regis vnguentarium, qui casu lapsus, dum ferret vnguenta, maiorem confusione odorem creauit: vnde & optima vnguenta, amaracina dici cœperint: hunc postea in herbam Amaracum fuisse conuersum. Hæc clariùs ita retulit Rauisius Textor. Amaracus, inquit, vt Pœtæ fingunt, filius fuit Cynaræ regis Cypri, qui quum vnguentarium Alabastrum quod ferebat, lapsus fregisset, tanto dolore intabuit, vt Deorum commiseratione in odoriferam eiusdem nominis herbam sit commutatus. *Sed* relinquenda Poëtis sua figmenta, dicendaque alia, in quibus præfari illud inutile non fuerit. Magni in plantarum historia referre, quos scriptores, & quibus temporibus scribentes aliquis sequatur, & quæ diuersis locis, iisdem aut aliis nominibus appellentur, obseruasse. Nisi enim id fiat, geminari aliquando & augeri in numerum continget, quæ vnum sunt, & quod idem natura, aut paulò diuersum vbique fecit: aliud videri, eaque ratione confundi intellectum, & misceri rerum historiam. Quod in Sampsucho hac fit, in qua si Galenum, Dioscoridemque & Æginetam aliquis sequatur, aliud ab Amaraco videbitur. Siquidem omnes seorsum de vtraque egerunt, aliasque in medicina alterutri vires assignarunt. *Confusio authorum de Sampsucho scribentium.* Si Theophrastum, Plinium, Poetasque Latinos, Lucretium, Maronem, & Columellam, eandem cum Sampsucho Amaracum esse, omnes intelligent, nec esse inter hæc nisi appellationis discrimen.

Cornarius Sampsuchum & Amaracum apud Dioscoridem, eandem quidem herbam esse concedit; sed non item apud Galenum, Aëtium, ac Paulum. Diuersæ omninò herbæ sunt, inquit, Galeno & posterioribus Græcis, Sampsuchus & Amaracus: &c.

E contrà verò etsi Galenus & Paulus Sampsuchi & Amaraci diuersis capitibus meminerint, Matthiolus tamen Sampsuchum & Amaracum idem esse sequentibus ostendit. Quanquam ex Theophrasti, Dioscoridis, & Plinii sentẽtia idem esse constat Sampsuchum & Amaracum: cùm tamen Gal. & Paulus de his diuersis capitibus seorsim scripserint, eorumque temperamenta per gradus dissidere tradiderint, non abs re credidere nonnulli aliud esse Sampsuchum, aliud verò Amaracum. Quorum opinionem auxit etiam Dioscorides, quòd in vnguentorum compositionibus Sampsuchinum & Amaracinum diuersis capitibus digesserit. Quod facilè plerosque ad credendum induxit, has stirpes tum facie, tum viribus differre, hac ratione fretos, quòd si alterum ab altero non distaret, omninò præter rationem de his variis in locis scripsisset Dioscorides, alterum vnguentum Amaracinum, alterum

rum verò Sampſuchinum appellans. Porrò vt huiuſmodi controuerſia tollatur, ſciendum eſt ſtirpem eam, quæ Galeno & Paulo Amaracum appellatur, id ſanè Amaracũ non eſſe, quod Theophraſtus, Dioſcor. & Plinius Sampſuchum vocauêre, ſed potiùs, vt ego exiſtimo, Marum. Namque Mari nec Galenus, nec idẽ Paulus quicquam prorſus in ſimplicium medicamentorum libris meminerunt. Quare non deeſt ſuſpicio, quin librariorum culpa in Galeno Mari titulus in Amaracum abierit: quandoquidem in eius tũ gradibus, tum facultatibus aſſignandis Galenus à Dioſcoridis Maro non longè receſſerit. Cęterùm, licèt Dioſcorides Sampſuchini & Amaricini diuerſis capitibus per ſe meminerit: non obſtat propterea, quominùs idem eſſe poſſint Sãpſuchum & Amaracum. Siquidem duabus de cauſis vt alterum ab altero diſtingueret, Dioſcorides facilè impulſus fuit: quarum altera eſt, quòd ſi diligenter animaduertantur veterúmque compoſitiones, vtique Amaracinum tum multò odoratius, tum Sampſuchino pretioſius iudicabitur. Ideóque Dioſcorides, eò quòd nolebat vnguentum hoc apprimè nobile intactum relinquere, quódque ob eius claritatem id particulari deſcriptione dignum cenſebat, vt præſtantiæ diſcrimẽ faceret, vtque etiam minùs probatum à probatiſſimo dignoſceretur, homonymiam immutauit: ipſúmque non quidem Sampſuchinum, ſed Amaricinum appellare voluit: nam ſi id nõ feciſſet, quodnam altero præſtantius eſſet, diſcerni non potuiſſet. Huc accedit alia ratio, quâ alterum Sampſuchinum, alterum verò Amaracinum Dioſcorides appellauerit: quòd in Cyzico Sampſuchum Amaracum appellabatur, vnde hoc vnguentum inſigne petitur. Et quoniam à Cyzicenis ex eorum more Amaracinum vocabatur, talem nomenclaturam Dioſcorides haudquaquam permutandam cenſuit. Quare ipſum in eadem reliquit appellatione, qua ſecum ex Cyzico attulerat. *Hactenus* Matthiolus cuius opinio de Amaraco Galeni & Pauli, ſecuti etiam Cornarii, omninò reprobanda videtur.

Controuerſia ſoluta.

Dioſc. illuſtratur.

Matth. & Cornarii opinio reprobata. Mari.

Quandam demum ex Sicilia in Italiam allatã ſub nomine Mari, ſimilem Serpillo recto: ſed ramulis humi procumbentibus: foliis breuioribus, candidioribus inſtar Maioranæ: flores inter foliola ferentem non racemoſos, ſed raros, Calamenti modo purpuraſcentes: odore totius plantæ valido, ac ſuaui, ſapore feruenti cum quadam amaritudine, putat Cæſalpinus Sampſuchum eſſe apud Dioſcoridem. Noſtrâ autem ſententiâ Sampſuchum, quod & Amaracum vocatur, nihil aliud fuerit, quam Maiorana duplex, de qua poſthac dicturi ſumus.

Cæſalpini.

MAIORANA, VNA TENVIOR ET LIgnoſior, altera maiori folio ex ſemine nata.

Deſcriptio

ADonidis hortis, quos hæc ætas penſiles aut in fictilibus tranſlatitiis excolit, notiſſima, fragrantiſſimi odoris Maiorana, *fruticulus* palmum, aut etiam dodrantem altus, alis creberrimis concauus, iiſque lignoſis, plærumque quadratis, ſubhirſutis, & tantillùm rubeſcentibus: *folia* ex aduerſo poſita ſunt, Origani vulgaris formâ, ſed longè minora, [illegible]canâ lanugine obducta, odore fragranti, ſapore acriuſculo & ſubamaro aromatico & grato: circa caulis ramorúmque faſtigium ex foliorum alis, adeóque & in ramulorum extremis imbricatæ *ſpicæ* oriuntur, quarum hirſuta ſquammatim compacta folia è ſinu promunt *floſculos* puſillos, albicantes, hiulcos, labello quadrifido, demiſſo, cui folium ſurrectum imminet, bifidum, & rictu ſtilum albidum proferentes.

Dodonæus & Lobelius duplicem Maioranam hortenſem aſſignarunt, maiorem ſc. & ſubinde tenuiorem, ac minorem, odoréque præſtantiorem, quam Itali Dodonæo teſte *Perſam gentilem* nominãt: Lobelius autem in Adu. Amaracum aliam tenuiorẽ gentilem, & minutam plebeculæ: in Obſ. pag. 265. Amaracũ tenuiorem [& ſic etiam in Icon Pl. p. 498.] & Maioranam tenuifoliam, delicatiorem.

Maioranæ duplex ſpecies.



Anguillara quoque epiſt. 12. Maioranam vulgò cognitam ait, eiuſque duo genera tradit: nobiliorem: alteram illuſtrem: ambas in Græcia & Italia notas. Nos autem credimus Maioranam ſilueſtrem Anguillaræ ad Origanum aliquod eſſe referendam. Maior vocatur à Lob. in Adu. Amaracus vulgatior, ſiue Maiorana noſtras (ita etiam in Icon. Plant. pag. 498.) non Dioſcoridis Sampſuchus repens, ſed eius ſpecies: in Obſ. p. 265. Sampſuchus ſiue Maiorana.

Sylueſtris.

Creditur autem eſſe Veterum Sampſuchum à Fuchſ. Corn. Harc. Lonic. Cordo in Dioſc. Geſn. hort. Matthiol. Amato, Roberto Conſt. apud Amatum, Turn. Brunfelſ. Ruell. & aliis plerique.

Sampſuchũ Veterum.

Negat contrà Marantha, qui dicit: Si Sampſuchum Dioſcoridis ea planta ſit, quam Maioranam vulgus appellitat: quis non videt falſum id eſſe, quod de ea legitur, herba eſt per terram repens? aut ſi quis ſerpentem plantam pro Sampſucho quærat, quando eam adinuenturus eſt? Eiuſdem etiam opinionis eſt Dodonæus: ob eaſdem rationes: iiſque ſubſcribit Matthiolus cuius verba antè recitauimus.

Sampſuchũ eſſe Veterũ probatur.

Apollinem quod attinet, is, Rad. 1. in Conf. Aloes, non admittit apud Galenum Amaracum idem eſſe cum Maro, imò Matthiol. reprehendit, & contradictione Braſſauolum ſeipſum implicare credidit, quod fusè & doctè demonſtrat, vt ex illo ipſo loco videre eſt. Tandem concludens, non eundum inficias, duplicem nobis adeſſe Sampſuchum, primam nobilem, ſuauiùs fragrantem, minutioribus foliis, tenuioribus, crebrioribuſque cymis: ſecundam rudem, nullâ lege excultam, hirſutiorem, minùs odoratam: per quam rudem Maioranam diuerſam à Maiorana plantam, nempe Origanum Heracleoticum Ruellii, videtur intelligere.

Græcis vocatur σάμψυχον, & ἀμάρακος, Lat. Sampſuchum & Amaracus, officinis & vulgò Ma-

Nomina linguarum

iorana. Arabicè autem *Mezenius*, vel *Mercentus* nuncupatur, vt in Pandectario, vel *Merzanziũ*, vt est in 1.cap.11. tractatus libri primi. *Abumeron* Auenzoar: vel *Marcanzus*, vt est in Antid. eiusdem Abumeron, Monachis. Germ. Mayoran & Meyran. Belgic. Maryoleyne. Gall. *Mariolaine* & *Marone*. Ital. *Maiorana*. Hisp. *Marrana*, *Moradux* & *Almoradux*. Angl. Marieron. Boh. Marianka.

Etymon. Sampsuchum deduxit Mich. Neander phys. part.1. ἀπὸ τὸ ψύχειν ... , quòd sc. blandiatur grato odore animæ, quam mirificè suauitate temperati odoris reficere dicitur.

Locus & tempus. Maioranæ sunt mihi notæ duæ species, vtræque hortenses, vna quæ semine prouenit, qualem ferunt Lugduni, Geneuæ, Basileæ, in Burgundia, vt Clareuallæ, & Montbelgardi, quibus omnibus in locis satam obseruaui, semine allato ex Gallia Narbonensi, vel Prouincia. Hæc quidem Maiorana folia habet latiora, & nihilominus quotannis ferè perit, ea tamen si conseruari possit, tandem in arbusculas euadit, & surculosior, robustiorque fit, folia etiam minora, ni fallor, & candidiora redduntur: conseruanda autem in calidioribus regionibus in hortis, in frigidioribus reponenda. Quæ Montbelgardi surculis plantat[ur], & tenuior est, Hiemem perfert. Maioranam virentem vidi Patauii mense Ianuario & Martio adhuc in horto D. Muscari: Bononiæ etiam in horto di S. Saluator al burgo di S. Catharina. Libauius de vniuers. lib.4. credidit leui occasione transire posse Maioranam in Origanum & vicissim. Sed hanc metamorphosin nobis obseruare nondum licuit, quin harum similitudine, quæ multos decepit eum illudum fuisse potiùs crediderim.

Libauii lapsus.

Vires & vsus Excalfacit autem Maiorana & reficcat, authore Dodonæo, & in vtraque qualitate secundi est ordinis: auxiliatur cerebri & capitis frigidis morbis, quouis modo assumpta. Puluis herbæ siccæ naribus inflatus, sternutamenta ciet, & pituitam euocat, cerebrumque corroborat: sed idem etiam præstat foliorum succus naribus infusus. Valet ad pectoris vitia: stomacho præterea vtilis est, ac iocinorosos, & lienosos iuuat quouis modo assumta: sed & ad vteri flatus, ac cæteros eiusdem frigidos morbos confert. Vrinas & aquosos humores in potu sumpta ducit, & menses mouet: dentium dolores lenit commansa, aut apposita: admiscetur Antidotis. Oleum eius calfacit & corroborat neruos. Sampsuchi loco Tractatus quid pro quo semẽ Satureię indit. Et nunc cingunt tempora folia & flores Amaraci suaue-olentis.

Morbi capitis frigidi. Sternutamenta ciet.

MAIORANA CRETICA ODORATISSIMA, quibusdam Marum.

Similis est Maioranæ vulgari, nisi quòd *folia* minora, candidiora, odoris & saporis vegetioris, pertinacis, nec nisi longo tempore exolescentis, per ramos tenuiores, quadratos, nullo digesta ordine: *capitula* hirsutiora, & candidiora, quàm in vulgari.

Descriptio

Marum Creticum. Maioranæ huius Creticæ albæ semen habuimus ab hortulano Ducis Florentiæ, pro Maro Cretico exhibitum, quod satum Montbelgardi in horto Ill. E.C. plantam, qualem descripsimus, produxit.

Hæc est Maiorana illa, ni fallor, quam Bellon. Obs. lib.1. cap.17. spontè prouenire ait in Creta circa montem Ida, quæque incolis rusticis Matherina dicitur.

Locus, Matherina.

Vires & vsus Maioranam Creticam albam assumpsit Lugduni Valerandus Dourez in suam Theriacam. Nec dubium est, quin ea omnia præstare possit, de quibus in præcedenti diximus genere.

DE MORO VETERVM.

CAP. XV.

Marum Diosc. Marum etiam olim herbam notam fuisse, patet ex Dioscoride, qui sarmentosam esse ait, *flore* Origano similem. *Folia* tamen huius multò candidiora, & florem odoratiorem. Vim habere Sisymbrio similem, subadstringentem, & leniter calfacientem. Vnde impositam nomas sistere, & in calida vnguenta admisceri scripsit. Nasci plurimam, iuxta Magnesiã à Tralleis.

Plinius. De Maro Plinius breuiter lib.12.cap.24. ita tradit. In Ægypto nascitur & Maron, peius quàm Lydium, maiorib. foliis ac variis. Illa breuia ac minuta & odorata. Nec dubitandum sanè Plinium & Dioscoridem de eadem herba loqui: contrà quàm falsò sentiat Ruellius.

Ruellius.

Galenus. Galenus ac Paulus & Aëtius in simplicium censu Marum prætererunt. In Hedichroi verò compositione Mari drachmas duas recipit Galenus: Et lib.1. de Antid. cap.10. quales sint herbæ Marum & Amaracus aliquo modo declarat: easque ab inuicem distinguit.

Ex prædictis itaque cognoscimus qualis sit herba marum, nimirum peregrina, apud Lydos iuxta Magnesiam & Tralleis nascens, imò etiam in Ægypto, sed deterior. Cuius ne nomen quidem ad officinas prouenit, & hactenus saltem doctis cognita est.

Clinopodium Dodonęi, siue Mastichina, Marum dicitur, cum quo tamen nulla in re, vel ipsius Dodonæi iudicio, conuenire videtur.

Clinopodio veriùs siue Mastichinæ affinis planta, Matthiolo à Cortuso missa, in omnibus descriptioni Mari respondet.

Maioranã multi legitimum esse Marum contendunt, sed neutiquam par est id asserere.

Origanum Heracleoticum Ruellii est Marum Dioscoridis Lacunæ.

Clinopodium quorundam, siue Mastichinam Gallorum, sunt qui Marum esse contendant.

Hermolaus in Dioscor Coroll.473. Melissam esse constituisse deprehenditur.


MARVM CORTVSI.

CAP. XVI.

Descriptio Thymi durior siue Mastichinæ instar densè fruticat, lignosis *virgulis* & incanis, quas vestiunt *folia* crebris geniculis, Serpylli foliis paria, Thymi foliolis maiora, subtus incana, superiùs virentia, sapore amaro & acri, odore grato. Chamædryos veræ *floribus* par, nec figura quoque abludens, multifido demisso labello, galeæ locum supplentibus tortilibus staminulis, calyce quoque Chamædryos pari [illegible]lolo, incano.

Planta à nobis præs[e]nti loco proposita videtur Matthiolo in omnibus respondere historiæ Mari, quam sententiam improbandam nefas duci-

ducimus. Meminit autem huius primò in post. tō.cum mag.fig.Hist.germ.& Epitome, flores ei adscribēs subpurpureos, odore eximio fragrātes Camer. quoque apud Matth. Marum inscribit, ac in Histor. ait, autoris[Matthioli] Mari pulchrum genus, ex calidis regionibus, potissimùm ex Syria adferri, & hoc posse esse Maioranæ genus. Et hinc figuram habet ex Matthiolo, cui adiunxit ramum plantæ, quā miseram Gesnero, quæ multùm differt à Maiorana. Sed & Tab. in Icon. & Hist. Mari Matthioli titulo plantam hanc expressit.



Marum hoc Cortusianum, Tragoriganum alterum facit Lobelius. Apollo tertiam Maioranę speciem. Ferrariæ mihi denominauit Anguillara pro Helenio Crateuæ, sed sine ratione. *Helenium Crateua.*

Locus. Huius descriptionem aliquando cum planta sicca misi Gesnero Mari nomine, quo etiam mihi ostendit Cortusus Patauii, fruticosam plantā in olla exculta m.

Usus Is referebat hâc herbā summè delectari feles, vixque ab eis tutam manere, ac eâ comestā circumcirca illos semen genitale effundere.

MARINVM SVPINVM.
CAP. XVII.

LObel.in Obs.pag 266.vocat Marum supinum non absimile [Maro dicto Mastichina] sed cauliculis repentibus. In Icon. Plant. pag. 500. Marum. Tabern.Icon.& Hist. Marum repens. C.Bauhin.Phyt. Maioranam repentem verticillatam.

MARO PLANTA PEREGRINA odoratissima.
CAP. XVIII.



Descriptio ATriginta iam annis plantę fragmenta habemus missa Valerando Dourez ex Italia, non meminimus à quo. Lignosi sunt *caules*, densā lanugine obsiti, in ramos oppositos diducti, *folia* è geniculis bina ex aduerso sita proferentes, tota tomentosa, Maioranæ satiuæ foliis paria, aut etiam paulò maiora, cinerei coloris, crassiuscula, odore fragranti, sapore vegeto, ad Camphoram accedente, sed cum gratia aromatica, acri, & subamaro.

CLINOPODIVM QVIBVSDAM, Mastichina Gallorum.
CAP. XIX.



Descriptio MAIoranæ instar fruticat, imò interdum in bicubitalem excrescit altitudinem, multis ramis brachiatum, per quos *folia* ad Mari Cortusiani folia accedentia, minùs cādida, paullò maiora, inter Thymi & serpylli media, sapore acri prędita, minútque vt mihi videtur amaro: ad nodos & in extremis ramulis ex muscosis verticillis emicant *flosculi* albi: *radix* subest lignosa. Odor gratus cum aliqua grauitate.

Tragoriganum Dioscoridi, & Heracleum Origanum Plinio collatis vtrinque delineationib^9, in neutro satis exactè designatis, ea erit herba, quam vulgus nostrum (inquit Ruell.) Mastichinæ herbæ cognomēto serit in hortis, frutice Serphylli vel Origani, coliculis ramísque non dissimilibus, foliis Sampsuci, flore paruo odorato in vmbella, in qua propendent incani hircorum villi, vnde dictum Tragorigani nomen existimo, odore Sampsucho non cedit. Studioséque nuper in hortis nostris cœpit seri, & vt nouæ rei, nouo officinis indito nomine, quoniam lentore quodā interdum madescit, Mastichinam herbam cœperunt vulgò nominare, aut quòd iucūdum Mastiches spiret odorem. Quod pinguibus locis vbertate soli lætiùs assurgit, latiore, glutinosóque folio vestitū, tunc Sampsuchi folium repręsentat. Si ieiuno prodeat situ, tenuius, foliis & colibus Serpyllum potiùs videtur æmulari. Alterum syluestrius, quod propter sepes nascitur, folio Sampusci, multo maiore, caule sesquipedali, comante supra cacumen muscario, in quo flores emicant purpurei. Vtrumque iucundo odore placet & coronis inseritur. Sed hæc loci potiùs, quàm naturæ discrimina sunt. Hæc Ruellius de Mastichina Gallorum, quæ si noua res est & Tragoriganum, velim cum annotasse, vbinam locorum Alterum siluestrius prouenit, cuius discrimen potiùs loci, quàm naturæ. *Tragoriganum Diosc. Orig. Heracl. Plinio. Mastichina. Mastichina cur dicta. Tragorig. alterum. Ruell. cai natur.*

Dodonæus Marum esse negat, & Clinopodiū decernit. Clinopodium Dodonæi vocat Gesn. hort.itémque Maron Ollingeri. In cat.pl. Tragoriganum Dioscoridis. Rob. Const. apud Amatum Galeni & Pauli Amaracum, quam linguā gallicā Masti dici, ab aliis verò Marum esse Dioscoridis credi, refert, quorum tamen opinionem non approbat. *Clinop. Dodonæi Gesnerō. Amaracū Galeni.*

Marum Lobelio. Marum tamen esse contendit Lobelius. Ait enim in Adu. p. 213. Marum, est *Mastic* Gallorum & Anglorum. Regi Thraciæ, cui nomen Maroni esset, sunt qui Mari herbæ appellationem acceptam tulerint: verùm tamen potuit etiam ab Amaraco per apocopen dici: vtpote cùm Amaraci species videatur Marum, adeoque tantoperè affine sit vt multi hodie Maioranam legitimum esse Marum in literis miserint: iidemque *Contra Dodon.* ausi sint Marum receptum, siue Mastic Gallorum decernere Clinopodium: quæ tamen herba parum Clinopodio congruit: odor, sapor, & color Marum fatentur: eoque Galli vocant *Mastic*, quia odoratior & gratior est, quàm Origanum aut Sampsuchum, vti Galenus vult Marum, libro de Antidotis. Idem in Obs. p. 265. in Icon. Plant. p. 499. vocat Marum, quæritque an sit Helenium odorum Theophrasti. Figura autem eius est Dodonæi.

Huius meminit Clus. in Hisp. lib. 2. cap. 64. vbi ait: Tragorigani duo genera statuit Dioscorides, quibus persimiles duas plantas vidisse memini. Vnam, Tragoriganum 1. [Mastichina Gallorum intelligit] quod Castellani Sarilla vocant, *Sarilla.* incanam omnino. Eadem in Hist. post. vbi figuram ex Lobelio proponit, hæcque præterea addit. Non desunt etiam qui Clinopodium nominent: plerique tamen pro Maro habeant, aliqui Helenium Theophrasti esse augurantur, &c. *Helenium Theoph.*

Apud H. Lugd. p. 884. planta nostra pingitur & describitur pro Maro vero quod Gallos præsertim *Andes*, & Cenomanos *Mastic* appellare perhibet. Ac denuò describitur, sed sine icone p. 889. pro Tragorigano primo Clusii, siue Tragorigani Dioscoridis persimili planta prima.

Vindicatur H. Lugd. ab iniuria C. Bauhini. C. Bauhini censura in H. Lugdunensem, iniqua quidem, vindicanda ac ostendenda. Marum, inquit, Matthioli p. 884. Tragoriganum Dodonæi p. 888. vtrobique describitur. Tragoriganum primum Clusii, describitur denuò, sed sine icone p. 889. nulla nisi in floris colore differentia: hoc candidis, illud subpurpureis, vel purpureis. Item Mari huius Matthioli descriptio reperitur p. 889. sine icone sub Tragorigano altero Penæ. En vnius herbæ figuræ duæ & descriptiones quatuor. Sed en iniustam animaduersionem in H. Lugdunensem. Ecce duplicem lapsum seueri censoris *C. Bauh. duplex lapsus.* C. Bauhini. Marum Matthioli p. 884 itemque Tragoriganum alterum Penæ, est Marum Cortusi. Tragoriganum verò Dodonæi, est Tragoriganum nigrius. Satis ita credo censorem, Leonem stimulasse.

Maiorana Mastichem redolens. Varietas. C. Bauh phyt. dicitur Maiorana 5. siue Mastichem redolens. Et hanc Sampsuchum Dioscoridis & Theophrasti credidit. Ludit foliis modò longioribus, modò rotundioribus, modò angulosis hederaceis, quemadmodum Lutetiæ in horto Robini hortulani Regii se obseruasse scribit. Item: Tragoriganum 9. siue angustifolium pri- *C. Bauhin.* mum. *Cur* separat Frater?

Maru Tab. Tabern. vocat tam in Icon. quàm in Histor. Marum, Amberkraut.

Locus & tempus Clinopodium Dodonæi Lutetiâ Mastich nomine mihi misit frater C. Bauh. Multis annis autem durauit Montbelgardi in horto Ill. E. C. ramulis propagatum, florens Augusto & Septembri, semen nondum maturuit apud nos. Lugduni colui in horto & Geneuæ: Monspelii & Lutetiæ, ac etiam Bisantii magnos frutices obseruaui. Floret autore Clusio, cum Thymo & Stœchade multis Hispaniæ locis: prouenit solo arido & petroso: nunc inquilina facta multorum hortorum, cùm in Gallia, tum in Anglia, & Belgio.

FABREGVE.

CAP. XX.

Fabregue Gallis dicta, autore Oliuerio de Serres, odore quodammodò accedit ad Thymum, Satureiam duriorem, & Serpyllum. Sed delicatior est, quàm vel Thymus, vel Satureia, ideóque non nisi culta in hortis prouenit: seritur semine: tum plantulæ nouellæ Hieme translactâ, sempérque Lunâ crescente transplantantur. Hoc peculiare in hac obseruatur, quòd valdè gaudeat aquis. Nam & euulsa radicitùs & in phialam vitream aquâ plenam immissa, radices spargit & emittit in ipsa aqua, ac haud secus nutritur, quàm in terra, sed eâ lege ac omine, vt phiala interdum Soli exponatur non aprico: Ita miraculo videas hanc plantulâ in humidissimo Elemento viuere ac nutriri, & radice ten' per vniuersa aquâ, ceu per terram diffundi tantâ tenuitate, vt eas vix per vitrum sit videre. *In aqua viuit.*

Nobis nondum constat quam plantam intelligat Oliuerius: lectores considerent, num conuenire possit cum herba Mastichina (siue Clinopodio) Dodonæo olim dicta.

OCYMVM VETERIBVS ET IN genere.

CAP. XXI.

Theophrastus sparsim de Ocimo inter cætera hæc habet. Sementes hortensium, quibus seri singula solent, tres certè notantur, vna hyberna, alia æstiua, tertia quæ inter eas cadit post hybernum solstitium, siue brumam, ac Ianuario incipit: quas ita appellant, non ratione satûs, sed ortûs, vsûsque cuiusque. Tertia verò, quam æstiuam appellant, mense Martio agitur, quâ Ocimum, Satureia, &c. seruntur: germine etiam defigitur: nam hoc quoque transfertur, cùm ad palmum, aut plùs quoque altitudinis venerit, dimidio abscisso: radix huic, vt Betæ, vnica data est, quæ crassa esset, altéque descenderet: cæteræ verò quę de latere prætenues orerentur, admodum prolixè adhærerent: hæc quidem omniū radicum lignosissima est, sicut etiam caulis. Particulatim verò primum inferiùs, deinde cùm ea defloruerit parte, florère superiùs incipit: vnde fit, vt diutiùs istud floreat, vt Faba: semen cortice continetur: Lactucæ lanugine obducitur. Omnia seminis germinisque largè fœcunda: sed fœcundissimum omnium Cuminum [Corn. vult legendum ὤκιμον.] est. Peculiare etiam quod de hoc dicunt: imprecari namque & maledicere serendo oportere affirmant, quò lætiùs, copiosiusque proueniat. Soli expositum transit in Serpillum, quod superaccedente siccitate fit, &c. *Tempus serendi. Defigitur seu transfertur. Florendi tempus. Maledicta serendo.*

Ocymum non describit Dioscorides. Ex aliis tamen locis colligi potest foliorum eius forma. Ocymoidi namque, Mercuriali, Heliotropio, Solano hortensi (huic tamen maiora & latiora) & Erino (cui minora & parte supernâ diuisa) *folia* tribuit Ocymi. Ergo qui vel Ocymoidem, vel Mercurialem, vel Heliotropion maius, vel Solanum hortense,

num hortense, vel Erinum nouerit, facilè etiam Ocymi folia, qualia esse debeant, nouerit. Sed & Acino simile dixit, ita vt etiam hinc colligi queat eius forma & qualitas. *Floris* tandem effigiem Pycnocomi flores, quibus illos comparat, apertè declarant.

Ex Plinio.

Ocymi quoque Plinius diuersis in locis mentionem fecit. Inquit enim lib.17.cap.22. quod in vinea seri Cato iubet, antiqui appellabant Pabulum, vmbræ patiens, quòd celerrimè proueniat.

Pabulum.

Idem lib.19.cap.17. Nihil, inquit, Ocymo fœcundius. Cum maledictis & probris serendũ præcipiunt, vt lætiùs proueniat. Satum etiam pauitur terrâ adactâ, & qui serunt, precantur ne exeat. Et sic quidem Cornarius hunc locum legendum putat. [ὤκιμον scilicet, non κύμινον, vt falsò voluêre nonnulli: id etiam declarãtibus Theophrasti ipsius verbis: quæ quamuis in contrariũ trahantur sensum: præcipuè tamen id demonstrant hæc verba apud ipsum Theophrastum repetita: πολυχοώτατον γὰρ τὸ ὤκιμον.]

Maledictis serendum.

Esse refert Fuchsius qui significantiùs per z scribendum ducant Ozimum ab ὄζω quod redolere denotat, quoniam herba tota suauissimum spiret odorem. Ab eodem odore quòd Basilicâ & regia domo dignum sit, Basilicum hodie nuncupari solitum Ocymum garyophyllatum. Latinè autem & Græcè rectiùs Ocimum quàm Ozimum legi volunt Monachi: deriuantes fortè à Græco verò ὠκύς, quod valet citò, quòd celeriter proueniat: vel propterea quòd citet aluum bubus, cùm scilicet illis datur, vt purgentur: quod genus Pabuli sunt segetes virides sectæ antequam gerant siliquas.

Ocymi duo diuersa genera.

Vnde duo constat esse diuersa Ocymi genera, alterum pabuli genus, alterum in hortis nascens: de quo ait Palladius lib.5.cap.3. Nunc Ocymum seritur, citò nasci dicitur, si statim quum seueris, aqua calida perfundas.

Rem miram de Ocymo Martialis affirmat, quòd modò purpureos, modò albos flores, modò roseos pariat. Et si ex eo semine frequenter seratur, modò in Sisymbrium mutetur. Theophrastus 5. de caus.pl. hoc, vt dictum, aliter narrat, & causam ad Solem refert.

Sunt autem Ocymi species multæ Cornario. Nam & magnum & paruum, & medium ostẽdit: & quoddam etiam siluestre. Et de hoc Ocymo Dioscoridem agere, & Galenum 8. simpl. dicit.

Ocymi quatuor genera Serapionis.

Serapio quatuor Ocymi genera videtur agnouisse: Videlicet, *Stexabram* cap.73. de temp. simpl. quod Ozimum Carmenum & Basilicum garyophyllatum Simon Ianuensis interpretatur: estque Ozimum paruum. 2. *Berengemisch* cap.156. quod Ozimum garyophyllatum transfertur, Isaac Eben Amram autore: 3. *Berendarog* c.157. i.e. Ozimum non garyophyllatum, sed aliud cõmune, cuius meminerit Dioscorides in capite de Solatro domestico, cùm dixit: folia habet coloris nigri, similia foliis Berendarog, sed maiora & latiora. 4. *Hamechim* cap.175. quod etiam Amechim, & Amachim nuncupatur, & apud Romanos Selichi, & dicitur esse Ozimum domesticum, habens lata folia, nominarique in Seni Ozimum Nabathi: habere verò ramos virides quadrangulatos: colorem floris esse album: semen Ocymi.

Nomina linguarum. Ocimi ab Ocymo differentia.

Cęterùm, ὤκιμον, & per ω prima syllaba ὤκιμον Græci appellant: nonnulli etiam ὤζιμον: Latini Ocimum. Differt ab Ocymo, pabuli genere, quod ad differentiam huius per υ secundâ syllabâ scribendum monet Dodonæus: sed & per υ etiã hoc, & maximè odoratum scriptum reperitur. Recentiores βασιλικὸν, i. e. Latinè Regium & Basilicon: itémque Herbam basilicam & Herbã regiam quoque nominant. Germ. Basilien & Basilgen. Belgæ Basilicom. Galli *Basiliq.* It. *Basilico.* Hispan. *Albahaca.* Angli Basil. Boh. Bazalika. Hung. Bosolicom. Germani præterea alicubi Blümlein der lieb. h.e. Florem amoris appellant: & rursus alicubi corruptâ hâc latina appellatione, Flormor ac etiam Floramor, quo tamen nomine propriè Amaranthum Viennenses Austriaci vocant.

Basilicum.

Aequiuoca.

Ocimi demum & Ocimastri nomine sequentes plantas exhiberi nouimus. Ocimum odoratũ siue Basilicum, cuius aliquot genera recensentur. Ocimum magnum, citratum communiter appellatum, & garyophyllatum. Ocimum medium vulgatius album & nigrum, Ocimum non garyophyllatum. Ocimum minimum, Ocimum Carmenum Monachis dictum, Serapionis paruum. Ocimum Sancto-Mauritanum, latum, crispum, maximum, maculatum. Ocimum Indicum maius, album, crispum, circinatum. Ocimum Indicum Clusii. Ocimum Aegyptiũ longioribus, angustioribusque foliis, Rihau dictum. Ocimum garyophyllatum Monachorũ; siue Acinon Columnæ. Acinon Fuchsii. Mẽthã verticillatã aquaticã. Melissa quibusdam dicitur Ocimum citratum & Ocimum fluuiale. Ocimum etiam dicitur Sisymbrium. Nasturtiũ aquaticum. Ocimum aquatile quorundã Herbariorum, aliorum Herbam Lactoris, hoc eodẽ libro Scrophulariam maximam radice fibrosâ inscripsimus. Ocimum etiam dicuntur hæ: Chamæmyrsine. Scrophularia maxima. Hieracium Sabaudum. Esula dulcis. Noli me tangere. Et Ocimastrum verrucosum.

Planè verò explodenda videtur Loniceri opinio, quòd non sine errore ridendo Fagotriticum, Ocimum esse firmiter existimet, cùm pabuli genus sit, vt cap. de Fagotritico fusiùs hac de re disseruimus.

OCIMVM ODORATVM SIVE Basilicum.

Cordus in dispens. supra diamoschum dulcè Mesue, vocat Ocimum quoddam citratum, non Melissam, sed speciem quandam Ocimi, siue Basilici, odore Melissæ, aut Citrei mali, cuius defectu Garyophyllatum hoc Ocimum sumi posse ait.

Ocimum citratum.

Ocim. garyophyll.

Tragus hunc in modum de eo disseruit. Tria sunt genera Ocimi, quorum duo satiua sunt, vt quæ in hortis quotannis in Maio seri oporteat: tertium siluestre nobilissimum atque pulcherrimum, folia Amaraco similia, paullò tamen maiora, odoris suauissimi, prestantissimique. Itẽ alibi: Ocimum quod odoratissimum est & garyophyllatum cognominatur, Basilica est satiua, seu nobilis, & à nobis capiti Dioscoridis ascribitur, quicquid dicat Marcell. Virgilius, qui Epimetron, quo de Theophrastus lib.8.cap.8. & Acinum, vnam & eandem plantam esse indicat. Ac tandem concludit Basilicam nostram diuersissimam esse ab Ocimo veterum.

Ocimum nobilissimum.

Carol. Stephanus de re hortensi libellum conscripsit, in quo inter cætera Ocimum partim ad Lenticulam, partim ad Viciam referre videtur,

quã rectè ipse viderit. Suspicamur, inquiunt post fusam dissertationem Monachi in Mesuem, hoc Basilicum gariophillatum esse Ocimastrum Dioscoridis, quod 3. lib. describit, quodque Acinos, siue Aconos & siluestre Basilicum ab aliis dicitur. Diximus autem quod est in 3. libro, quoniam in 4. aliud tradit, quod est alterius herbæ genus.

Ocimi Etymon. Esse refert Fuchsius qui significantiùs per Z scribendum ducant Ozimum, ab ὄζω, quod redolere denotat, quoniam herba tota suauissimum spiret odorem. Ab eodem odore quod basilicâ & regiâ domo dignum sit, Basilicum hodie nuncupari Ocimum gyryophyllatum.

Satio & cultura. Ocymum, inquit Cæsalp. quod vulgò Basilicum appellatur quotannis semine seritur post æquinoctium vernum inter æstiua: nam Hyeme perit: gaudet Sole & aqua: herba admodum odorata: gustu subacris: recipitur inter olera cruda & cocta & in condimenta: eius tria genera magnitudine differentia communi omnium consensu habentur, vnum latifolium, alterum tenuifolium, & tertium medium. Dioscorides Ocimum tanquam vulgò notum non describit, ex attributis tamen videtur intellexisse solùm illud genus quod lato folio constat, vt patet in Ocimoide, Heliotropio maiore, Mercuriali, Solano hortensi, quorum folia Ocimo comparantur. Theophrastus cùm ait Ocimum transire in Serpyllum, videtur genus Ocimi pumilum innuere. Plinius præter satiuum siluestre quoque tradit, sed cùm neutrum describat incertam est quod siluestre apud ipsum sit, nisi Acinum intelligat, quod Ocimastrum appellari ait. Arabes quatuor plantas ostendunt, quas interpretes Ocimum vocant. Vnum Ocimum garyophyllatum, quod colligitur mense Iunio. Hoc pumilum dicerem, nisi tempus collectionis seminis obstaret: propagatur enim in Autumnum, vt cæterorum semina. *Hæc ille.* Considerandum autem an collectio intelligatur de semine, an de herba: si de herba tempus nihil impedire videtur in locis calidis, Iunium mensem existimamus.

C.B. not. Gesn. hort. Ocimi, quod vulgò Basilicum nominant, id est, Regium, maioris, aliud garyophyllatum & aliud citratum dicit.

Inquirendum quod vult C. Bauh. in phyt. an Varronis Ocimum idem sit cum nostro Basilico.

OCYMVM MAGNVM.



Descriptio DVplo triplóue maius huic folium, quàm vulgari, oblógum, raris crenis serratum, pallido virore præditum, aut rubrum, ododore suaui, Citri vel Garyophylli, flores spicati, albi vel rubri.

An est hæc Basilica maior Tragi. Quod quidem iconem attinet, ea non malè quadrare deprehenditur. Descriptio autem eius, quam antè posuimus, videtur esse Basilici medii. Monachis in Mesuem commentantibus est Ocimum citratum siue Basilicum, quod paucis notum esse dicunt. Fuchsio verò & Tabernæmontano dicitur Ocymum Magnum.

Ocimum maius Dodon. gall. Dodon. gall. eandem cum Fuchsio iconem habet [sub Ocimi maioris titulo, cui flores purpureos, ac etiam albos concedit.] Ocimum inquit Matthiolus, quemadmodum odoratissimum, ita & omnibus notissimũ est. Namque perraræ sunt vbique ędiũ fenestrę, perraráque cœnacula, ac viridaria, quæ Ocimo non redoleant, vtpote quòd frequens seratur, & foueatur in figulinis vasis. In Italia hoc æuo Ocimi tria habentur genera. Quorum primum (magnum) foliis assurgit Amarantho longè maioribus, latis, longis, ac crassis, citreæ malo similibus, à quorum effigie ipsum facilè vocauerunt Arabes Ocimum citratũ, quo modo ipsum Mesues nominat. Lat. verò in fol. hoc titulo pingit Ocimum tertium maximum.

Cultura & quadam miranda lectu. Lobel. in Adu. vocat Ocimum maximum Caryophyllatum ac Citratum: Itemque Obs. p. 268. in Icon. Plant. p. 503. (quibus in locis figura Dodonæi:) Rarius istud ait, & regionum calidarum amantius, cuius folia, cunctaque planta quadruplò maiora, odora, Caryophylli cum Citro confusa iucunditate, semine, nec vlla sui parte alioqui diuersa.

Cùm pleræque plantæ noctu vtiliùs irrigentur, Ocimum tamen affusa aquâ interdiu & sub Solis æstu proficere plurimùm solet, vnde contra aliarum plantarum naturam magis gaudet calidâ irrigari, quàm frigidâ, cuius rei doctissim. Costæus hanc affert causam: An, inquit, quia imbecilla sit planta? imbecillitatem enim id prodit, quòd nisi frequenter irrigetur, tabescit. At contra tepor laxando corpora, imbecillitatem potiùs auget, quàm minuat. Neque Ocimi imbecillitas ob caloris esse penuriam potest, in quo caliditatem vigere insignis odor persuadet. An ergo potiùs Ocimi imbecillitas ob laxitatem est substantiæ, cuius causa, quia profusior fit innati humoris dissipatio, propterea celeri quoque & assiduâ opus illi est alimenti penetratione, hæc autem fit beneficio teporis. Non est hoc profectò à vero dissimile. Sic ille lib. 2. de natura stirpium cap. 9.

Idem perhibet Ocimum Æstate tota in aqua non secus ac in terra, virere, florere, & semina quoque interdum proferre, quod sanè admiratione non caret. Refertur apud Cardanum, Ocimum primâ lunâ tritum, & in ollam nouam inditum, sub plenilunio ab altero capite flores emittere: quòd si duplicato tempore sub terra defodiatur, strisiones generare, cùm aliàs dictum sit scorpiones.

Libet hic inserere lepidam historiam de hac planta Augustini Iustiniani Genuensis lib. 6. Frãciscus Marchio Iurisconsultus missus à Genuensibus Orator ad Ducẽ Mediolanensem, cùm eum non vellet audire, nec pactis conuentis cum Republ. Genuensi stare: Captatâ occasione obtulit Duci manipulum herbæ Basilici. Qui admirabundus, quid sibi hoc donum vellet quæsiuit. Cui ille respondet: Eiusmodi proprietatem huic plantæ inesse, vt leniter & suauiter contrectata præbeat gratum odorem, nimis autem duriter compressa & attrita, tandem produceret scorpios: atque ita simile esse ingenium Genuensium.

Dux

Dux ingenuoso hoc responso admodum delectatus, & sententiam priorem mutauit, & Legatum honorificè dimisit. Scorpiones autem sub fictilibus, in quibus Basilicum colitur, libenter stabulari, sæpiùs Venetiis obseruatum. Ocimum incipiens putrescere fœtet, inquit Bodinus, absolutâ verò putredine bene olet.

Locus & Tempus. Ocimum siue Basilicum magnum Montbelgardi in horto Ill.E.C. prouenit duplex, rubrum & album. Ex Italia nobis attulit siccas plantas C.Bauhin. hoc titulo: Ocymum variabile Italis: in eo apparebant maculæ purpureæ. Cum summitatibus albicantibus & rubentibus vidi Monspelii in hortis, & Geneuæ florens Iunio: Basileæ adhuc Septembri.

OCIMVM MEDIVM VVLGATIVS & nigrum.



Descriptio. Dodrantalis est planta, pluribus *ramis* stipata, quadratis, nonnihil rubentibus, subhirsutis: *folia* Parietariæ, minora, glabra, aliàs per ambitum incisa, alias minimè, ortu è geniculis aduerso, odore fragranti, sapore nullo excellente: *flores* verticillati, in spicam longiusculam digesti, suaueolentes, colore albo purpurascentéue, labello longiusculo, angusto, cui ex aduerso respondet sursum vergens in quatuor lacinias diuisum folium, prominentibus è rictu staminulis albidis cum stilo purpureo: *radix* lignosa, nigra, fibrata.

Synonyma. Existimamus apud Tragum Ocimum hoc de quo agimus hoc loco, dici Basilicum secundum, quamuis icon videatur demonstrare magnum, de quo antè.

Matthiolus vocat Ocimum secundum, siue medium, & Ocimum à Dioscoride descriptum, Ocymum non garyophyllatum Serapionis.

Duplex Lobelio. Lob. in Adu. describit duplexque tradit, hoc modo. Quamuis antiqui excusi, tum calamo exarati, codices, vbique Ocimum, non Ocymum aut Ozimum habeant: tamen quia herbula hæc eximiè odora cerebrum feriret, & sternutamenta cieret, eam primulùm Ozimum vocitatam i. e. odoram fuisse, naturæ & doctis assentiri par est. Mirum enim quantæ fragrantiæ sit Ozimũ Troglodyticum, & quantæ syluestre nascatur iamdiu notum est. Nec ocyùs cæteris quamplurimis oriri certum: quare id Ocymum farragini leguminum tribuendum fuit. Ocymi autem vel Ozimi, cuius varietates tres notissimæ vel muliercculis, quas odoris & oleris gratia in figulinis vasculis colunt aut in puluillis areolisue viridariorum: frequentissimum autem Ocymum vulgare, siue medium dictum, quod quidem duplex odore habetur: vnum quippe vilius & abiectius, odorem quidem spirat suauem, sed Apiastri mistum: radicem & cauliculos pedales & folia Mercurialis, Parietariæ, vel Agriorigani, sed nigriora mittit: flosculis è caliculis verticillatim caulem ambientibus: semine pusillo nigricante, quadantenus Thlaspi. Alterum nullatenus distat, prætterquã odore gratiore, & cordi amabiliore, qui corticem Citrii mali redolet: idcircò citratum vocitat vulgus, non à Citri folio, vt falsò scribunt quidam. Hæc ille, qui in Obs. pag. 268. in Icon. Plant. pag. 50. Ocimum medium vulgatius pingit.

Ocim. medium duplex Lob.

Ocimum hoc, quod Olitoribus medium est, tertium facit Cæsalpinus idque Acinum esse non dubitat.

H. Lugd. not. H. Lugd. vnius plantæ duas proponit icones. Vni titulus p. 680. Ocimum medium Fuchsii. Et huic sunt caules hirsuti: alteri Ocimum medium Matthioli.

C.Bauhin. Phyt. vocat Ocimum 4. siue vulgatius, & Basilicum Brunfelsii.

Locus. Ocimum medium album & rubrum habemus Montbelgardi in hortis, etiam Ill.E.C. itémque Basileæ: est passim in Gallia & Germania vulgare.

OCIMVM MINIMVM.



Descriptio. Palmaris aut paullò maior est planta, *ramulis* creberrimis lignescentibus densè fruticans: per quos *folia* Serpylli aut Maioranæ foliis paria, ex oblongo rotũda, viridantia, aut rubra, sapore vegetissimo & suauissimo Garyophyllorum: *flosculi* exigui, verticillatim per ramorum scapos disponuntur: *radix* fibrosa.

Icon. Nostra icon quæ sculpta empta minùs placet, vt & aliæ plures. Fuchsius Ocimum exiguum inscribit.

Synonyma. Cordus in Dioscor. nobis videtur hanc intelligere per herbam suo tempore, vt ait, omnimò incognitam, quam Germani Kraus Basilien vocant, quámque Acinon, si non Ocimum garyophyllatum fuerit, ipse adstruxerit.

Trago, vt existimamus, in Hist. germ. dicitur Basilica minor & Baccharis germanica, de qua antè: Icon tamen non placet. Eidem in H. Lat. Ocimum primum, de quo vide antè.

Baccharis germ. Autor est Robert. Stephanus Acynum multis putari, quosdam verò Ocimastrum dicere, h. e. *Basilic sauuage*, herbam hanc, quæ in quibusdam Galliæ locis Ocymum minutum appellatur. Ast nomen siluestris Ocimo minuto non conuenit.

Est hæc Basilicum illud aliud, siue Ozimum leptophyllum Monachorum in Mesuem commentantium, quod vulgò Basilicum minutum appellant: quandoque multi tenent esse Basilicũ

Basilicon garyophyllatum ex eo, quòd Serapio titulo de Ocimo gariofilato dicit: Et folia eius sunt parua &c. sed hi errant, & est potiùs Ocimum eius carmenum, &c. vide titulum, de Ocimo odorato, siue Basilico.

Errorum multorum. Ocim. carmenum. Acinos non est.

Sunt aliqui, inquit Matthiolus, qui Acinum eam Ocimi speciem existimant, quam vulgò [nos Itali] vocamus *Basilico gentile*: sed horum opinioni refragatur Plinius lib. 21. cap. 15. & cap. 27. ex quo palam fieri potest, Acinum non esse Ocimum tenuifolium. Idem rursus Ocimú tertium, quòd foliis constet minutis atque angustis, sitque cæteris odore fragrantius, Italis vulgò appellatur *Basilico gentile*. Huius [sicut & cæterorum] meminit Serapio, vocauitque garyophyllatum, quòd cæteris tum minutius, tum odoratius habetur. Idcirco videant quæso Patres illi reuerendi, qui in Mesuem commentarios scripsêre, quo iure, quáue ratione in El. de gemmis se iactent Ocimum garyophyllatum hac tempestate primos adinuenisse, cùm hoc Serapioni foliis exeat paruis, & caule quadrangulari: Monachis verò foliis Melissophyllo maioribus, per ambitum serratis, & caule minimè anguloso. Qua in re eos pace sua, apertè hallucinatos putauerim. Nec equidem credendum arbitror, quòd de alio Ocimi genere intellexerit Mesues, quam de tertio illo genere in deliciis habito, de quo dicimus. Nam cùm cæteris odoris fragrantiâ præster, nulli dubium est, quin in roborandis cordis ipsius viribus cæteris sit longè aptius, atque etiam præstantius, vt quod in electuarium de gemmis addatur ad cordis affectus.

Ocim. garyophyllatū Serap. Monachi taxantur. Monachi hallucinantur.

Acinos Diosc.

Amatus credidit Basilicon minutis foliis ornatum [ita vocat] Acinon esse. Cuius opinioni refragatur Rob. Constantinus.

Sed & Gesnerus eiusdem cum Amato sententiæ esse deprehenditur. Vocat enim in cat. pl Ocimastrum, Acinon, & Ocimoidem ex quorundam opinione, quam non damnat. Idem de hort. Ocimi siue Basilici paruum genus, crispum, & globosum.

Matth. taxatur.

Lobel. in Aduers. Ocimi minimi Amaraci figurâ, caryophyllati titulo describit (eodemque in Obs. p. 269.) & postea capite de Acino dicit: Quum Acino florem non negasset Dioscorides, Ruellius Ocimum, siue minus Basilicum, posse esse Acinon, ni obstaret Theophrasti Pliniique mutila historia, dixisset: Senensis hæc accipit, & quasi sua obstrudit, exprobatque doctis, nec interea lectori quidquam commodi molitur: exploso Ocimo illo minimo. In Icon. Plant. p. 504. appellat Ocimum minimum Garyophyllatum.

Crediderunt ergo, vt patet, recentiorum pleríque tenuius Ocimum Acinum siue Aconum esse: sed cùm non hirsutius Ocimo solùm, quin etiam glabrescat, Acinum esse nequaquam poterit. Id verò quum Ocimum garyophyllatum existimant esse Monachi, suam profectò non agnoscunt inscitiam. Quare caryophyllati vice, minutius Ocimum, succedaneum omnibus fiat: ne nos ipsos hisce implicantes, Brassauolo, ac Matthiolo similes, maius flagitium perpetremus.

Ocim. minimum. Ocim. garyophyllatū minus.

Ocimum minimum vocat Camer. hort. album & nigrum. Tabern. Ocimum caryophyllatum minus. C. Bauh. phyt. Ocimum 5. siue minimum. H. Lugd. duas figuras habet p. 681. vni titulus est, Ocimum caryophyllatum. Et hæc nobis valde placet: alteri titulus, Ocimum paruum. An Cæsalpini Basilicum nanum siue pumilum?

Locus.

In horto Ill. E. C. Montbelgardi habuimus Ocimum minus, ac alibi sępiùs etiã obseruauim^.

Vires & Vsus Ocimi Dioscoridis.

Traditis ita vulgatioribus Ocimi speciebus, superest vt earundem vires & vsum adscribamus. Ocimum, vt tradit Dioscorides, copiosiore cibo oculorum aciem hebetat, aluum mollit, flatus mouet, vrinam pellit, lac euocat: ægrè tamen conficitur. Illitum cum polline polentæ, aceto & rosaceo, pulmonum inflammationibus auxilio est [græci cod. pulmonum vocem non habent, nec etiam Cornarius in versione sua expressit, sed eam redundare ait ad inflammationes additam.] Draconis marini & scorpionis ictibus per se prodest, & cum vino Chio oculorum doloribus (quæ aliter ex græco sunt intelligenda, Draconis ictibus, per se autem in vino Chio, &c.) Succus visûs caliginem abstergit: destillationes exiccat. Semen potum conuenit atram bilem gignentibus, difficili vrinæ, inflatisque naribus haustum subinde mouet sternutamenta, quod idem herba efficit. Sed oculos premi necessum est, cùm sternutamentum vrget. Sunt qui in cibis abdicandum censeant: quandoquidem manducatum, & in Sole positum vermiculos creat. Aphri autem adiiciunt, si feriantur à Scorpione qui Ocimum ederunt, nullo conflictari dolore.

Diosc lect. in deprauata. Ex Plinio.

At non solùm vt noxium in cibis, sed & vt in medicina inutile & perniciosum, Veterum quidam grauiter repudiarunt, quod declarat Plinius his verbis. Ocimum quoque Chrysippus grauiter increpuit, inutile stomacho, vrinæ, oculorum que claritati. Præterea insaniam facere, & lethargos, & iocinoris vitia: ideoque capras id aspernari. Hominib. quoque fugiendum censet. Addunt quidam tritum si operiatur lapide scorpionem gignere: commanducatum & in Sole positum vermes afferre. Aphri verò, si eo die feriatur quispiam a scorpione, quo ederit Ocimum, seruari non posse. Quinimò tradunt alioqui manipulo Ocimi cum cancris decem marini, vel fluuiatilibus trito, conuenire ad id scorpiones ex proximo omnes: Diodotus in Empiricis, etiam pediculos facere Ocimi cibum. Secuta ætas acriter defendit id esse capras, & scorpionum terrestrium ictibus, marinorumque venenis mederi ex vino, addito aceto exiguo. Vsu quoque compertum deficientibus ex aceto odoratum salutare esse: item lethargicis & inflammatis refrigerationi. Illitum capitis doloribus cum rosaceo, aut myrteo, aut aceto. Item oculorum epiphoris impositum ex vino, stomacho quoque vtile, inflammationes & ructum ex aceto dissoluere sumptum. Aluum sistere impositum, vrinam ciere. Sic & morbo regio, & hydropicis prodesse, choleras eo, & distillationes stomachi inhiberi. Ergo etiam cœliacis Philistio dedit, & coctum dysentericis, & colicis Plistonicus. Aliqui & in tenesmo, & sanguinem excreantibus in vino, duritia quoque præcordiorum. Illinitur mammis, extinguitque lactis prouentum. Auribus vtilissimum infantium, præcipuè cum adipe anserino. Semen tritum & haustum naribus sternutamenta mouet, & destillationes capiti quoque illitum. Vuluas purgat in cibo ex aceto. Verrucas misto atramento sutorio tollit. Venerem stimulat, ideò etiam equis asinisque admissuræ tempore ingeritur.

Auicenna eiam in libro de viribus cordis à Dioscoride dissentire videtur: scribit enim Ocimum sanguinem turbidum & melancholicum generare: quoniam supervacua humiditas quæ in ipso

in ipso est, parit inflationem in venis.

Nec aliter videtur sensisse Galenus, cùm ait. Ocimum ex secundo est ordine excalfacientium, habet autem recrementitiam humiditatem, proinde nec commodum est, quod in corpus sumatur. Cæterùm foris illitum ad digerendum, & concoquendum vtile est. Et 2. de alim. Ocimo plerique vt obsonio vtuntur, ex oleo & garo esitâtes. Vitiosi autem est succi, quod impulit quosdam, vt falsa de eo prodiderint, affirmâtes quàm celerrimè paucis diebus scorpiones generare, si tritum in ollam ad Solem calefactũ fuerit, quod falsum est. Verè autem dixeris olus stomacho esse noxium, prauique succi & concoctu difficile.

Error quorundam.

A parte Dioscoridis videtur stare Simeon Sethi. Basilica Ocima, inquit, olfacta cor & caput. Si aqua irrigantur, humidiora fiunt, & somnum conciliant. Semen eorum cardiacis affectibus succurrit. Animi mœrorem ex atra bile ortum, in hilaritatem & lætitiam mutat.

Simeon Sethi.

Ex sua & aliorum sententia ferè ad omnia ea ad quæ Dioscorides, commendat Serapio. Hæc inter alia habens. Quando reperit Hunain aliquos ex antiquis Physicis dicentes, quod stringit ventrem, & aliquos qui dicunt, quod laxat, videtur ex hoc quòd habeat in se duas virtutes contrarias, sicut caules. Quando ergo inuenit virtutem expulsiuam fortem in corpore, adiuuat ad fluxum. Sed quando inuenit virtutem retentiuam fortem, adiuuat ad retentionem, ideò quia in eo sunt duæ virtutes, sc. virtus laxatiua, & stiptica, sed fit sicut dictum est.

Scribit Brassauolus tantam de Ocimi viribus inter Plinium & Dioscoridem esse controuersiã, vt alterum ipsorum errasse dicendum sit. Quippe ex Aphris tradit Dioscorides, quod si à scorpione feriantur qui Ocimum ederint, nullo dolore affici. Contrà verò Plinius ait, si eo die feriatur quispiam à scorpione, quo ederit Ocimum, seruari non posse. Qua in re lectionis impatiẽs deprehenditur Brassauolus, inquit Matthiolus, Plinius refragatur eorum placitis, qui Ocimum tam acriter damnant. Præcipitem ergo Brassauolum appellat Matthiolus: quia tantam de Ocimi viribus, inter Plinium & Dioscoridem controuersiam esse scribit, vt alterum ipsorum errasse dicendum sit, propter eos qui à scorpione icti sunt: quod si patienter vniuersum Plinii caput expleuisset, cognouisset vtique Plinium illorum sententiam refellere, quam in capitis initio proposuerat. Quantùm autem impatiens, ne dicam temerarius (Apollinis verba sunt) eò magis caligauerit Matthiolus, Brassauoli verba penicculatiùs expendentes facillimè diiudicabunt, &c. Vides ergo, addit, in referendis Ocimi facultatib. non parum inter se dissentire Dioscoridem, Galenum & Pliniũ, ita vt vix pugnantes illorum sẽtentias conciliare possis. Quare consultum erit vt hic, quemadmodum in aliis etiam, Galeni amplectaris opinionem, qui quodammodò inter hos medius interiectus, commendat exteriorem eius vsum in iis, quæ πέψεως καὶ διαφορήσεως, i. e. cõctionem & discussionem desiderant: damnat verò internum, ob excrementitium humorem, quo grauat & lædit interanea. Et ad hunc etiam scopum respiciens plæraque alias Dioscoridis & Plinii contradictiones tollere poteris.

Brassauolus notatur.

Brassauoli tutela ab incuria Matthioli.

Ocimi vulgò dicti vires Tragus ita perstringit. Duæ nobiles & odoratæ Basilicæ hortenses vitio & inquitate scriptorum indoctorum penè in cõtemptum deuenere, idque eo nomine, quòd (vt illi affirmabant) non solùm inutiles, sed & vtentibus noxiæ sint. Quæ sententia minimè recipi debet, quippe quæ erroris plena sit: nam qui ita sentiunt, Ocimum Catonis, cum hoc nostro confundunt, atque ita decipiuntur. Nostra enim Ocima garyophyllata, siue Basilica, temperaturę sunt calfacientis, quamobrem facultatem obtinent resoluendi ac discutiendi, viscosos lentósq; pulmonis & matricis humores; quare vtiliter vtrinque adhiberi queunt. Basilici herba viridis fronti alligata, capitis dolores sedat, idem præstat aqua eius distillata: siccata non aliter atque Amaracus & Rosmarinus in cibis vsurpari potest. Eadem musto imposita quousque deferbuerit, vinum odore & sapore iucundissimo commendat, vtque Apianum, seu vt vulgò vocant, Muscatellinum referat, efficit. Basilicon vino decoctum, suspiriosis medetur, pellit inueteratam tussim, humoresque crassos discutit, mane & vesperi potum, vrinam ciet, menses prorita, vti Pulegium. In dessessionibus & fomentis muliebribus Pulegii & Menthæ facultates obtinet. Semen per noctem aquâ rosaceâ maceratum in succum album seu gummi quodnam resoluitur, quod præsentaneo est remedio, inflammationibus, exulcerationibus, & aphtis oris, nec non labiorum scissuris & verrucis mammarum illitum. Sed & aqua non tantùm omnibus inflammationibus oculorum, capitisque, igni etiam sacro, qui tumori mammarum & pudendis adesse solet, auxilio est. Semen & aqua distillata sumpta, cor confortant, & aduersus Lipopsychiam faciunt.

Ocimi vulgò dicti vires.

Error quorundam. *Dolor capitis.* *In cibis.* *Vinum odore & sapore commendat.* *Tussis inueterata.* *Pulegii facultas.* *Aqua.*

Ex eorum genere quæ sanguinis è naribus profluuiũ sistunt, inquit Vesalius, est succus Ocimi maioris, in quo Camphora læuigata sit, & naribus ita immissus. Sunt qui tradant Ocimi substantiam adstringere, succum verò laxare. Non autem videtur verisimile quod asserit Hollerius cuidam Italo ex frequenti odoratu Basilicæ herbæ natum scorpionem in cerebro vehementes & longos dolores ac mortem denique attulisse. Sed vermes in cerebro generari Ocimo etiam non odorato apud omnes in confesso est.

Succus. *Scorpio in cerebro natus.*

OCYMVM SANCTO MAVRITANVM, latum, crispum, maximum.



Ad cubitalem altitudinem crescit, quadratis *caulibus*, raris pilis vestitis C. Bauh. quos aduersi rami diuidunt: *folia* ex longis pediculis ad articulos circinatâ circumscriptione, ampla crispa, fimbriata, atro-uirentia, aut rubro admisto maculosa, fragrantis odoris: *flores* Ocimo vulgari similes, verticillati, in spicam digesti, qui autore C. Bauhino ex candido rubescunt: semen paulò maius, nigrũ, ex rotunditate oblongum, foliaceis capitulis inclusum.

Descriptio

Synon. Est hoc, illa Ocymi differentia, sub nomine Basilici Indici, vel potiùs Hispanici ad Camerarium, vt ipse in horto testatur, ex Italia missa, serratis & crispatis foliis, subcæruleis, vnde crispum Basilicum meritò cognominatur.

Columna vocat Ocimum exoticum foliis purpureis maculis infectis simbriatisq;. C.Bauh. apud Matth. Ocimum latifolium maculatum, vel crispum, à nemine pictum, elegantissimum, primũ. C.B.not. Præterea in phyt. Ocimum latifolium Cæsalpini. *Nos quidem* existimamus Cęsalpino hoc Ocimum Indicum incognitum adhuc fuisse.

Locus & Tempus. Primò nobis Vesuntii visum vt & Argentinæ anno 1593. antequam aliquid de eo à quoquam scriptum obseruauerim. Ex India autem in Hispaniam, inde in Italiam & Germaniam semen transmissum.

OCIMVM ÆGYPTIVM LONGIORIbus foliis, Rihau dictum.

CAP. XXIII.

Descriptio. OCymus, inquit Prosper Alpinus, in Ægypti Alexandriæ viridariis copiosissimus crescit ad altitudinem trium & plùs cubitorum, *foliis* nostratis longioribus, tenuioribus, colore rubro suffusis, odoremque eximium spirantibus. Suauitate enim odoris nostris omnibus præferendus meritò videtur, ob quem illi hanc plantam *Rihau* appellarunt, quod idem est, ac si dixeris, odorem, ita vt hic Ocymus præ odoris iucunditate eximiã odor per excellentiam ab iis vocetur. Rihau.

Vsus. Ocymi garyophyllati plantã odoris causã ii vtuntur: medicos vero vsus apud eos ipsa paucos habet, qui aliis multis præditi sunt. C.B. phyt. vocat Ocimum 2. siue garyophyllatum maximum.

Ocimum Indicum. Describit etiam ac depingit Ocimum Indicum Clusius, quod Germaniç primùm anno 1590. innotuerit, ac reliquorum magna sit varietas.

CLINOPODIVM VETERIBVS.

CAP. XXIV.

Ex Diosc. CLinopodium frutex est paruus, sarmentosus altitudine duorum palmorum. Nascitur in petris. *Folia* Serpyllo similia: *flores* similes lecti pedibus, ex interuallis, Marrubio [*ὀριγάνῳ*] similes. Bibitur herba & decoctum ipsius, aduersus venenatarum bestiarum morsus, conuulsa, rupta, vrinæ stillicidia. Ducit etiam menses & fœtus. Pensiles quoque verrucas excutit per dies aliquot potum. Aluum [vltima hæc in hoc capite secundum quosdam abundant, pro quibus in Veneta interpretatione hæc leguntur. Multis experimentis confessum super hoc frutice est ramulos eius ad tertias decoctos, ex vino albo mederi correptis furore:" In quo non parum dissident :] sistit idem ad tertias decoctum & potum, non febrientibus in vino, febrientibus in aqua.

Clinopodium, vt legimus apud Plin. lib. 24. c. 15. alii Cleonicium [*κλεόνικον*, Corn. inter suppos.] alii Zopyron, alii demum Ocimoides appellant, Serpyllo similem, surculosam, palmi altitudine plantam. Nascitur petrosis, orbiculato florum ambitu, speciem lecti pedum præbens: Bibitur ad conuulsa, rupta, strangurias, serpentum ictus. Item decoctæ succus.

Clinopodio Galenus 7. simpl. excalfaciendi vim adscribit, sed nondũ adurendi esse verò ait essentia tenuium partium, ponitque ipsam in tertio ordine tum calfacientium, tum resiccantium.

Æquiuoca. Plantæ quibus Clinopodii nomenclatura appropriatur, sunt hæ. Clinopodium quorundam Origani facie, Clinopodium Matthioli alterum. Ocimois Fuchsii: Acinos multis. Clusii Clinopodium Austriacum; nobis pulchra Acini species. Clinopodium quintum C.Bauh. quod inscribimus Ocimo similem Acinon Columnæ. Clinopodium Dodonæi, siue Mastichine Gallorum. Tragoriganum Matthioli. Satureia. Thymbra S.Iuliani. Poligonum tertium Cordi. Heliotropium. Herba orbiculata. Guiland. in Theone lapsum asserit Matthiolum in Clinopodio, vt qui perperam Ægynetæ Betonicam exhibeat.

CLINOPODIVM QVORVNDAM, Origani facie.

CAP. XXV.

Descriptio. EX *radice* fibrosa plures emittit *caules* quadratos, lanuginosos, cubito altiores, ad quorũ nodos *folia* nascuntur opposita, Origani vulgaris, minùs odora, sapore quodãmodò Saluiæ remissiore: *flores* denso stipatu verticillatim caules ambiunt, purpurantes, interdum albi, Calaminthæ, ex oblongis, gracilibus, villosis calyculis, odore longè minùs vegeto, quàm Calaminthæ.

Lobelio in Aduers. & in Icon. plantar. Acinos. In Obs. p. 269. vocat Betonicam Pauli quorundam, Germ. wild Basilic/ Belg. wilde Basilicon/ Gall. *Basiliq sauuage*, Hisp. *Albahaca saluage*, Angl. wild Basill/ quæritque an sit Clinopodium Lacunç.

An Cordo in Diosc. Cornar. & Riffio Clinopodium, Germanicè wirbeldost, quod hic Herbam orbiculatam & Pulegium montanum vocari refert?

Matthiolus passim Clinopodium vocat, ac ait in editione anni 1554. & 1559. Nascitur vbique frequens, foliis non modò Serpyllo proximis: sed etiam montanç Calaminthæ, quam maximè repræsentat. In comm. cum mag. fig. Duæ plantæ à quibusdam rei indagatoribus pro Clinopodio ostenduntur. Prima foliis exit Serpillo haud absimilibus, latioribus tamen, caulibus quadrangulis, tenuibus & hirsutis: floribus purpureis, caulem verticillatim ambientibus: Hæc longè magis quàm altera Clinopodium refert. Credidi legitimum esse Clinopodium. Verùm degustatã herbã mihi à sententia recedendum fuit. Idem in Epit. Cùm Clinopodium adeò tenuium esse partium (scribit Galen.) vt ex tertio calfacientium siccantiumque ordine habeatur, atque operæ pretium esse, vt quæ in huius censu sunt plantæ, aut gustu acres, aut admodum amaræ percipiantur: cumque neutra qualitas in Clinopodio, cuius imaginem dedimus, reperiatur, non ausim ego ipsum legitimum facere Clinopodium: Sed potiùs alterum. *Ex his* Matthioli dictis satis apparet, quomodo sibi constet cum suis iconibus sine descriptionibus: eius contrarietates erant olim in diuersis editionibus: nunc iunctæ sunt in editione Casp. Bauhini, qui apud illum

illum scribit Origano simile Clinopodium.

Lectipes. Lacuna in Dioscor. Clinopodium & Lectipeda vocat, notatq; confudi in quibusdã cum Pulegio montano, cui similem ait, ferreque in singulis geniculis quatuor flosculos tenues, similes pedi lecti: prouenire locis siccis & sterilibus: calefacere & siccare tertio gradu. *Lacuna taxatur.* *Sed quale* quæso est Pulegium montanum, cui confert Lacuna: eius sanè descriptio non videtur respondere cum icone quam ex Matthiolo proponit: existimamus illum tunc temporis nesciuisse, quid scripserit.

Matth. reprehen. Turnerus Matthiolum reprehendens dicit eius Clinopodium esse Calaminthæ speciem. Verba eius hæc sunt. Clinopodium Matthioli est Calamintha prima: folia enim habet Ocimi, subtus incana, caules quadratos, florem purpureum, & in montibus vt plurimùm nascitur. Non est autem Clinop. siquidem folia non possidet Serpylli, vt ex Matthioli icone Serpylli probari potest. Ait quoque Matthiolus plantam suam non tantùm Serpyllo esse similem, sed etiam Calaminthæ montanæ: id quod verum esse non potest: Calamintha namque mõtana, quæ foliis est Ocimi, nullatenus Serpyllo similis est, cuius rei argumentũ esto Serpylli figura, ab ipso Matth. proposita, collata cum foliis Heliotropii maioris Ocymo similibus auctore Dioscoride. Fallitur ergo Matthiolus, plantam vnam duabus inter se dissimilibus similem faciens.

Polycnemũ. Gesn. hort. Clinopodium ac etiam Polycnemõ appellat, cognatámque Origano dicit.

Lonic. not. Lonic. duas ponit figuras, priori loco Matthioli, pro wirbeldost/ Clinopodio officinarum, & Pulegio montano: Secundo Tragi, nomine klein dosten: quasi diuersæ essent plantæ.

Orig. silu. Trag. Trago est Origani genus aliud siue quartum, syluestre, siue Origanum minus, klein wolgemut.

Camer. in Epit. dicitur Clinopodium. In Hist. Germ. Clinopodium 1. In horto, maius & minus, & maius Matthioli flore candido.

An Cæsalp. lib. 11. cap. 37. Herba Origano vulgari similis, orbibus per interualla Marrubii, seu Pulegii: flosculo subrubente: &c?

Hist. Lugd. eandem repetit figuram. H. Lugd. pag. 912. Acinon, siue Clinopodium siluestre inscripsit: ac iterum pag. 931. Clinopodium peius Matthioli. Eadem penitus figura.

Clinop. vulgare Clusii. Clus. in Hist. Clinopodium vulgare inscripsit, ac Matthioli primum siue maius cognominauit.

Clinop. Origano simile. C. Bauh. Phyt. facit Clinopodium 4. siue Origano simile, hoc duplex, elatius, maiore folio, & alterum humilius minore, statuit, & tertium foliis Teucrii modo incisis in monte Krenzachio Iac. Cargillum Scotum sibi obtulisse refert: flore esse ait communiter purpurascente, reperiri & albo: Huic autem quarto Clinopodio pulchrè conuenire Clinopodium Dioscoridis & Plinii.

Thal. vocat Origanum verticillatum, testatúrque falsò quosdam pro Clinopodio exhibuisse. Schvv. Clinopodium maius. Clinopodiũ Matthioli primum considerent lectores an possit esse Alysson Galeni & Aëtii.

Locus & Tempus. Hoc passim iuxta sepes prouenit Montbelgardi, Geneuæ, Lugduni, Monspelii & Patauii, vt Obseruaui, flore purpurascente & albo, Iulio florens. Passim in cæduis siluis aut inter fruticeta, aut ad siluarum margines per Pannoniam prouenire refert Clusius: Sic in Silesiæ montosis Schvvenckf.

Vires & vsus. Odoratum autem est, vt Schvvẽckf. perhibet, nonihil gustanti siccius, tantillo caloris subadstringens vt Betonica. Calefacit, siccat, digerendo modicè repellit. Caput & viscera roborat. Additur insessibus. Menses sistit, & partes imbecilles confortat.

CLINOPODIVM MATTH. ALTERVM

Descriptio. Foliis est Serpilli modo oblongis, in cacumine mucronatis, *floribus* inter folia subpurpureis, Balaustii effigie, *caulibus* exilibus, angulosis, è quibus folia per interualla exeunt vtrinque bina: sapor illi acutus.

Camerarius retinens iconem Matthioli vocat in Epit. Clinopodium alterum: in H. Germ. Clinopod. secundum. C. Bauhin. apud Matthiol. Clinopod. siue Ocimum siluestre, & Pseudoclinopodium. *Matth. inconstans.* *Putamus* autem nos Matthiolum nesciuisse, cuius plantę iconem exhiberet: ac meritò olim scripsit propriâ manu Casp. Bauhinus miram esse Matthioli inconstantiam, vt qui in cõm. Ital. dicat hanc minùs conuenire cum Clinopodio: in Icon. verò se non dubitare, quin legitimi Clinopodii faciem referat. Addimus nos has & alias huiusce modi contrarietates Matthioli satis demonstrare quantùm tribuendum sit eius iconibus & cognitioni botanicæ.

Error Schvvenckf. Schvvenckfeldius verò Pseudo-Clinopodium hoc Matthioli, Stachyn aquaticam Tabernamontani esse statuit: in quo illi assentiri non possumus.

DICTAMNVM ET PSEVDO-DICTAMnum Veteribus & in genere.

CAP. XXVI.

Dictamni genera tria Theophr. Grauis scriptor Theophrastus l. 9. Hist. c. 16. Dictamni duo primùm genera numerat, Dictamnum sc. & Pseudodictamnum, quibus vnam naturam esse ait, quódque in eis discrepet, natale solum tantùm esse: & quoniam feraciore & pinguiore solo altera nascatur, ideò viribus deteriorem esse: quemadmodum pleraque alia huiuscemodi. Amat enim Dictamnus aspera loca. Mox tertiam addit nomine tantùm Dictamnum, quæ nec figuram, nec vires easdem habet sed Sisymbrii folia & ramulos.

Dictamni triplex Diosc. Iis autem quæ habet Theophrastus nihil ad triplicem Dioscoridis Dictamnum constituendam aptiùs adferri vnquam potuit. Sunt enim in vtroque eadem omnia. Dictamnum, inquit, quod siluestre Pulegium aliquibus appellatur, herba est Cretensis (κρητικὴ: pro quo δικτικὴ Cat.) acris, læuis, Pulegio [γλήχωνι] similis: sed maioribus lanuginosisque foliis, ac lanosa quadam veluti pube obductis. At neque florem neque semen profert. Quod Pseudo Dictamnum vocant, multis in terris nascitur, antè dicto simile, at minùs quàm illud acre. Defertur & è Creta alterum Dictamni genus, folio Sisymbrii: at ramis maioribus, in quibus flos emicat siluestris Origani, niger ac mollis. Odor foliorum inter Sisymbrium & Saluiam iucundissimus. Et ita vertit Sarracenus. Codex meus Basileensis verba illa, Pulegio similis, &c. ita reddit: ὅμοια γλήχωνι, μείζω δὲ, καὶ γναφαλοειδῆ τὰ φύλλα ἔχει, καὶ ἐριώδη τινὰ ἐπίθεσιν: sed maiora & Gnaphalii specie folia habet, & lanuginosam superficiem. Haec her-

molita conuertit : pulegio simile, maioribus foliis & mollibus, fomenti (tomenti legendum) modo, & lanugine quadam circumdatis. Marcellus: Similis Pulegio est maioribus tantùm foliis, tomentosis, lanosaque pube obductis. Legebat γναφαλώδη Ruell. Pulegio similis, maioribus foliis, quæ tomento quodam, spissaque lanugine pubescunt. Corn. Pulegio similis, sed maiora & tomenti specie folia habet, & in ipsis lanuginosam quandam excrescentem propaginem. Rob. Constantinus legit γναφαλώδη φύλλα, folia tomentosa, seu tomentitia, tomento quodam pubescentia, mollia tomenti modo. *Authorum lectio.* Nos verò retinendum censemus nomen Gnaphalii,& vertendum Gnaphalii specie, vel formâ, monitu industrii & diligentis Botanici Siluerii Thedeschini Pharmacopœi in Candia Cretæ, vt copiosiùs dicemus cap. de Dictamno adulterina quorundam siue Gnaphalio Dioscoridis. Per ὀπισμὸν autem videtur Dioscorides hîc idem intelligere, quod Theoph. per ὄψιν. Vulgatã porrò lectionem illã ὅτι ἀνάνθης, ὅτι κάρπον φέρει, neque florẽ, neque fructum fert, deprauatam ait, putatque veram esse, si legatur οὔτι δὲ ἄνθος, ὅτε κάρπος συμφέρει. i.e. neque verò flos, neque semen confert : Sarrac. scribit vetustum codicem habere ἐκφέρει, exportatur, quæ lectio meliùs nobis placet.

Appellationes spuriæ. Ascriptitia Dioscoridi nomina, quæ Hermolaus & alii retinuerunt, sunt: Embactron, Beloacon, Artemidesium, Cretica herba, Ephemeron, Eldia, Belotoce, Dorcidion, Elbunion,& vt Romanis dicitur, Vstilago rustica. Apuleius cap. 62. Artemedion, Creticen, Labrum Veneris, Emenypsen iuxta Ægyptios, Eubolion, sc. pro Elbulion,& Dipsacon nominat.

Ex Plinio. Dictamnum memorat Plinius lib.8. cap.27. Herbam, inquit, extrahendis sagittis cerui monstrauêre, percussi eo telo, pastuque eius herbæ eiecto. Idem lib.25. cap.8. Dictamnum ostendêre vulneratæ, statim decidentibus telis. Non est alibi quàm in Creta, ramis prætenue, Pulegio simile, feruens & acre gustu : foliis tantùm vtuntur. Flos nullus ei, aut semen [apud Dioscoridem legendum, neque semen exportatur,] aut caulis. Radix tenuis ac superuacua. Et in Creta autem non spatiosè nascitur : miréque capris expetitur. Pro eo est & Pseudodictamnum, multis in terris nascens, folio simili, ramulis minoribus, *Chondrilis.* à quibusdam Chrondris vocatum. Minoris effectûs statim intelligitur. Dictamnum enim minimá portione accendit os. Qui legêre eam, in Ferula, vel Harundine condunt, præligantque, ne potentiâ euanescat. Sunt qui dicant vtramque nasci multifariàm, sed deteriores in agris pinguibus, veram quidem Dictãnum non nisi in asperis. *Plin. taxat.* Est & tertium genus Dictamnum vocatum, sed neque facie, neque effectu simile, folio Sisymbrii, ramis maioribus : procedente persuasione illâ, quicquid in Creta nascitur infinitò præstare cæteris eiusdem generis alibi genitis. *Et hæc Plinius,* qui sua ferè ad verbum transtulit : verùm hoc mirum videtur Cornario, quòd duobus productis locis ceruis attribuat, quod Theophrastus de capris,& hoc etiam Aristoteles lib.9. Hist. cap.6. & Valer. lib.1. cap. vltimo capreis tribuũt, Dioscorides verò & Virgilius capris : Nisi huius rei de capreis fidem illud ei sustulit, quod aliàs depascentes Dictamnum, sagittis ictæ ad ipsam festinare, & priuatim ictus medelam quærere debere non videantur : aut alium autorem *Corn. redarguitur.* sequutus, sit, qui de ceruis hoc prodiderit. Sed ipsum Cornarium mirari subit, qui ipse potiùs meritò ridendus est, quòd de capris auctorum dicta intelligi credat,& non capreis, quæ sagittis & telis peti hodie adhuc solẽt vt antiquitùs, teste Martiali lib.13.

Pendentem summa capream de rupe videbis:
Casuram speres, decipit illa canes.

Et hæ siluestres sunt capræ, ob similitudinem quidem aliquam sic dictæ, quas Plinius non absque omni penitùs ratione ceruis forsan annumerandas esse non negabit : vt etiam inferiùs ostenditur. Cornarii porrò argumentum illud non probatur, *Corn. refut.* Dictamnum Virgilii esse Dictamnum tertium, eò quòd Dictamni primum genus nec florem, nec semen, nec caulem habeat, cùm etiam nostro seculo constẽt flos, semen & caulis, licèt seminis non meminerit etiam ipse Virgilius, vt cuius versus 12. Æneidos dilucidè testantur.

Tum Venus indigno nati concussa dolore
Dictamnum genetrix Cretæá carpit ab Ida,
Puberibus caulem foliis,& flore comantem
Purpureo, non illa feris incognita capris
Gramina, quum tergo volucres hæsere sagittæ.

Et hinc mendum in Dioscoride adesse, quod plantæ huius cognitioni impedimento est sequẽtibus ostendit Marantha lib.2. cap.16. Historiam de Dictamno Cretico mendosam esse, non leui quidẽ argumẽto suspicati sumus : falsũ enim proculdubio est, quod dicit Dioscorides florem nullum aut semen profert: videmus enim in planta, quæ pro Dictamno Cretensi ab omnibus ostenditur, tum flores tum semina inesse : nam quanquam florum fructuumque varietatem ob regionum naturas, posse euenire concedimus : tamen magis ad credendum inducimur locum in Dioscoride deprauatum esse ita, vt illa negatio non tam partes, quàm partium facultates auferat, atq; ita restituatur locus : flores & semen nullum usum præstant ; vt velit Dioscorides idem cum Theophrasto dicere, qui 9. Hist. cap.16. ita habet: vsus foliorum, non ramorum, nec fructûs est: nam cùm Theophrastus Dictamno ramos,& fructus tribuat : neque possint fructus esse, nisi flores etiam præcesserint [vt magnâ ex parte in plantis fieri cernimus] videtur & flores tacitè ei velle inesse. Cur igitur negauerit Dioscorides, quod Theophrastus affirmat, si vterque eandem plantam, non diuersas describit ? Hoc Dioscoridis mendum, tantùm valuit apud nonnullos, vt crederent Creticum adhuc esse incognitum; plantamque quæ floribus & seminibus careret, esse quærendam. Verùm ii non rectè sentiunt: nam quòd multa in Dioscoride superaddita sint, multa deficiant, multa etiam vera ac genuinâ lectione exuta, alienam falsamque induerint, omnibus ferè concessum est : quæ omnia quamuis magna ex parte Librariorum incuriâ euenire soleant, aut temporis iniuria ; vt cùm vel caries, aut tale aliquid paginæ partem corroserit, sensumque è medio abstulerit : tamen aliæ sunt causæ, nempe quorundam curiosorũ superstitiones; qui nonnunquam addere, nonnunquam & demere à Dioscoridis scriptura aliquid ausi sunt. Quin etiam interpretum vitio idem sæpiùs accidit : quippe qui græcæ phrasis energiam, ac vim in quibusdam non satis assequantur. Hactenus Marantha, qui cum Matthiolo ἀναφέρει apud Dioscoridem legendum censet. Quæ lectio licèt non omninò reprobanda sit, meliùs tamen placet ἐκφέρει legi. Quia olim fortè [inquit Sarrac.] Dictamni folia sola cum radicibus è Creta exportabantur, semine ac flore ca-

re carere ipsum Diocorides existimauit. Quod si non in eundem errorem Plinium lapsum fuisse constaret, probabilior foret vetusti codicis illa lectio : ὄυτε δ' ἄνθος, ὄυτε δ' καρπὸν ἐκφέρει, neque flos, neque semen exportatur. Sed ne quid temerè ausi videremur, vulgatam lectionem retinere maluimus. *Stante* demum Matthioli, Marantheque lectionis Dioscoridex correctione, in vtroque eadem omnia deprehenduntur.

Plinii lapsus.

Ad appellationes quod pertinet addendum adhuc est: *Artemidion* sc. dici dictamnum à venatrice Dea Diana, quam Græci Artemidia vocant, quoniam vulneratæ ab ea in venatione capreæ & ceruæ eius herbæ pastu sanarentur. Quod erat numini in primis gratum sine maleficio & naturæ iacturâ studium, & voluptatem suam amanti. Eadémque de causa *Dircadion*, quasi ceruulem : dorcada enim Græci hinnulum, & in ceruorum genere minores vocant : quod animal Plinius ait Dictamnum hanc ostendisse, vulneratis eo pastu statim decidentibus telis. *Cretice*, vel Cretica dicta est, quia propria Cretæ insulæ est & non alibi nascitur. *Ephemeron*, i. e. Diarium, h. e. vnius diei. Pro *Eldia* Humelbergii exemplaria, *Aelaa* scriptum habent, vnde suspicatur aliquibus immutatis literis legendum potius esse *Idæa*, quoniam in Idæ monte Cretæ plurimû nascatur. *Embolion* dictum est, quòd extrahendis telis sit conueniens & bonum medicamentum. *Dipsaci* appellatio huc importunè translata est. Similiter & ea quæ inter Latinas refertur, *Labrum veneris*. *Vstilago* dicta est, eò quòd feruens & acri gustu minimâ portione os accendit. Verùm exemplaria quędam non Vstilago, sed *Tussilago* scriptum habent.

Fœminino genere Dioscorides veluti herbam: Theophrastus, pluresque alii neutro tradiderût. Quæ generis mutatio multa in plantis est, non tam quia sexu aliquo à Veteribus discretæ fuerunt quàm quia alterutro genere eas antiquissimis appellare placuit. Interposita siquidem n literâ Dictamnus non Dictamus dicenda est. Indicantibus id Græcorû codicibus, aliorúmque omnium qui fortè Dictamni meminerunt. *Dictamni* vocem deriuat Cornarius ἀπὸ τοῦ τίκτειν : alii ἀπὸ τοῦ δίκτειν nos verò à monte Cretæ *Dicte* & θάμνος.

Dictamnus.

Dictamni Etym.

Arabibus dicitur *Mescatremsir, Anegen Araba*, siue *Bari*, vt refert Serapio capite de Pulegio. Germanis & Belgis Diptam, nec recipienda est nomenclatura Golii, qui wilden Poley vocat. Gallis *Dictam & Diptam real* nec placet dici, *Gingembre de iardin*. Italis *Dittamo & Dittamo di Candia*: Hisp. *Diptamo*. Angl. Frensch Diptammer/ i. e. vt vult Lobelius, Gallicum aut Francum, non secus ac Germani welscher, exoticas & raræ inuentionis plantas vocitant. Boh. Trewdawe. Officinæ pro Dictamno per c primâ syllaba Diptamnum per p legunt, leuis momenti errore.

Nomina linguar.

Quod reliquum est, Dictamni & Pseudo-Dictamni æquiuocationes & substituta, ad amussim quoad fieri potest posthac trademus.

Aequiuoca & Substituta.

Et quia antè ex Veteribus recensuimus, quæ fuêre Dictamna & Pseudo-Dictamna à Veteribus memorata, hic primo loco statuimus Dictamnum Creticum ab omnibus penè approbatum & receptum, de quo primo loco mox agemus, quodque in Creta nascitur, esse verum & genuinum.

Dictamnus vera.

Dictamnum Creticum, vbi aliis locis prouenit, dicitur Pseudodictamnum, vt apparet ex antè allegatis.

Pseudo-Dictamnum.

Dictamnum adulterinum, siue Pseudo-Dictamnum Matthioli & aliorum, quod meritò improbatur ab Anguillara & Camerario, Gnaphalium Veterum existimamus.

Pseudo-Dictamnum, quod non modò in Creta, sed aliis etiam locis nascitur, vulgò, authore Bellonio Obs. lib. 1. cap. 18. *Cromidi filo* nuncupatur.

Cromido filo.

Dioscoridis Dictamnum tertium non existimamus spurium & diuersum à Theophr. tertio, vt diximus antè.

Pseudo-Dictamus, quam Hispani autore Amato, vocant Pulegium ceruinum, quænam est? Eius verba posuimus capite de Dictamno Cretica, seu vera.

Puleg. ceruinum.

Dictamnus Cretica altera, cuius folia Cressionis, & flores odore Narantii, inquirendum quid sit : de ea vnà cum præcedenti.

Parum abest quin Serpyllon suum alterum Tragus Dictamno accenseret, neminem tamen secum in errorem deducere vult. Quale hoc Serpyllum sit nos latet. Dictamni Cretici alterum genus, quod flores Origani siluestris gerit, qui dixerit esse agrestem Hyssopum, quam describit Tragus, videtur ipsi nequaquam à scopo veritatis aberrare.

Hyssop. agrestis.

Mentham verticillatam videtur Lonic. lib 5. c. 105. Pulegium siluestre appellare, & hoc cum Dictamno turpiter confundere.

Loni. not.

Fraxinellam, Polygonatum, Helleborum album, & Trifolium bituminosum sunt qui Dictamnum cognominent, sed perperàm.

Dictamno deficiente substituunt Pulegium, Syluius, Fuchs. & Coll. Florentinum : Syluius etiam Elelisphacum, (Saluiam vocat Fuchsius.) Radicem Gentianæ Placotomus. Partem mediam Sabinæ Thad. Dunus ep 10. *Verùm* non placet hoc substitutum : præferrem Pulegium.

Substituta

DICTAMNVS CRETICA, SEV VERA.



Superiore sæculo desiderata Dictamnus Cretica, nostro demùm innotuit rursus: Est autem *caulibus* hirsutis, nonnihil purpurascentibus, ex quorum geniculis aduersi oriuntur rami, & ex his eodé ordine alii : *foliorum* situs quoque aduersus, circumscriptio ferè circinata, interdum oblongior, vncialis, substâtiâ canescente tomento vndique obducta, aliquando in hortis glabra, odoris validi, saporis acris : *capitula* ramulorum extremis insidentia spicam mentiuntur longiusculam, è foliis Maioranę ferè paribus squammatim compacta : quorum è sinu promuntur *flores* purpurascentes, tubuli patuli forma, prominentibus ex

Descriptio

hiatu ftaminulis, calyci infidentes ftriato.

Error officinarum. Iamdudum à doctis deprehenfum eft, nos verâ Dictamno carere, & diuerfiffimam ab ea radicem (Fraxinellam autor verborum horū Cordus intelligit) in eius locum recepiffe, quam magno errore Dictamnum nominamus. Conftat vera Dictamnus Pulegii foliis, noftrâ verò quâ pro Dictamno vtimur, Fraxini folia habet, quæ longè à Pulegii foliorum fimilitudine recedunt. Vera Dictamnus etiam foliis tantùm medicinam facit, radices enim lignofæ funt, propterea rarus illarum vfus fuit. In noftra verò folæ radices medicam vim habent. Dictamni præterea folia denfa lanugine vtrinque veftita funt: noftræ autem folia omnino glabra cernuntur. Quapropter in Dictamno hac valdè erramus. Ne autem calumnias & conuicia audire cogar, quòd à communi perfuafione recedam, indicabo vbinam vera fit Dictamnus: Georg. Agricola primus in Germaniam Dictamnum veram attulit, cum ex Italia rediret. Vidit hic viuam Dictamnum cum Scordio in fictilib. vafculis Venetias ex Creta allatam. Poft hunc magnam illius copiam Olingerus Norimbergam Venetiis aduexit. Nunc autem quotannis magnæ eius farcinæ ex Creta Venetias, & Venetiis Francofordiam afferūtur. Et tam graphicè ab omnibus defcriptâ hiftoriâ exprimit, vt nō poffit meliùs. Verùm minimè caule caret, vt Theoph. fcribit. Minimè etiam flore, vt Diofcorides putat. Habet enim purpureum florem. Quapropter hac in parte potiùs Virgilio, quam Theophrafto & Diofcoridi crediderim, qui caulem, & flores purpureos Dictamno tribuit. Sed veniâ dignos pronuncio, cùm multæ herbæ quibufdam temporibus & locis neque caulem neque flores habeant. Non tamen id à proprietate illis ineft. Hæc a Cordo de Dictamno proferuntur. Fit autem meo iudicio iniuria Theophrafto, quod apparet confideranti verba eius. Ibo Diofcoride opponitur à Matthiolo pro οὐ legendum effe συμ..., i. e. confert, & per confequens deprauatum effe locum in Diofcoride, ita vt illa negatio non tam partes, quam partium facultates auferat, atque ita reftituatur locus: flores & femen non conferunt, feu nullum vfum præftant: vt Diofcorides idem cum Theophrafto fentiat.

Theoph. & Diofcorides notantur.

Theoph. excufatur.

Dictamnum vidi (inquit Turn.) in Anglia in horto D. Richeni: alioqui in Creta duntaxat fponte prouenit. Negat ei femen & florem Diofcorides: fortè quia tum vidit, cùm femine & floribus careret: palàm enim eft utrumque ferre tam in Anglia, quàm in Germania, locis Cretâ longè frigidioribus. Theophraftus Diofcoride antiquior, & Virgilius femen & fructum ei tribuunt. Damocrates ei quoque florem affignauit, vt in Galeno legitur lib. 5. de comp. med per genera cap. 10. in emplaftro ex Dictamno: Plinio Dictamnum non modò flore & fructu caret; fed etiam caule, quod tamen planè falfum deprehenditur.

Matth. taxatur. Nefcit etiam Matthiolus qua authoritate fcripferit Diofcorides nec florem, nec femen proferre, nifi dicamus locum eius effe corruptum, vt antè declaratum. Cur quæfo in com. Ital. cum mag. fig. omiffa eft correctio Diofcoridis?

Dubitarunt vt refert Anguillara multi an Diptamnum quod adfertur è Candia fit Diofcoridis, quia florem & femen ferret, quod opinioni Diofcoridis refiftit, verùm illum defcripfiffe teftatur vt inuenerit. Quod ad Pfeudo-Dictamnum attinet, cùm de eo nihil fciat, plura non dicit. Quod de tertia fpecie fcriptum in Diofcoride eft, adulterinum, nihil commune habere ait cum Theophrafti tertia.

Braffauol. not. Braffauolo incognitum fuiffe verum Dictamnum fatis oftendit id quod abfurdiffimè fcribit: Folia habere fimilia Elleboro.

Amati lapfus. Quum alteram Cretenfem Dictamnum, inquit Apollo, folio Creffonis, & ad feneftras frequentem, Aurentiorum odore depingit Amatus, amentiâ fe oppreffum fignificat.

Dod. notat. Dodonæus, qui in Hift. gall. defcriptionem Diofcoridis tantùm ponit, & iconem Dictamni adulterinæ, ait Diofcoridem contra omnem veritatem, flore & femine carere fcribere.

Palmarius taxatur. Veri Dictamni radices an fint longo in vfu, vt vult Palmarius de feb. peft. cap. 18. hactenus nō obferuaui: radices enim quæ paffim exhibentur pro Dictamno funt Fraxinellæ, cuius non vidi exhiberi aut præfcribi folia, vt ille ait: quid fi confundit duas plantas?

Diofc. not. Videtur iniequi Diofcorides Theophraftum eodem ordine & iifdem ferè verbis, de primo Dictamno, Pfeudo-Dictamno & altero Dictamno loquens, paucis quibufdam immutatis, quæ oppofitam fententiam fignificant tefte Cæfalpino. Forte autem Diofcorides plantarum partes exficcatas, vt deferri folent, defcripfit: & tanquam diuerfum genus tradidit, quod Hieme collectum eft antequam fructum ferat, & quod Æftate & Autumno facie diuerfum, vt plerifque contingit.

Synonyma Dictamnus Creticus, feu Cretenfis Dod. gall. Lonic. Gefner. in cat. pl. Euchar. Roflin. Collegio Colonienfi, Cafp. Bauhin. Cluf. in Exot. & Camerario. Dictamnum Creticum Cæfal. Dict. Cretenfe Matthiolo. Dictamnus Brūfell. Caft. & Lacunæ. Dictamnum Matth. & Lobel. atque Columnæ. Dictamnum verum Dod. in fol. lat & H. Lugd. Dictamnus vera Cordo in Cordo in Diofcor. & Gefn. hort. Pfeudo-Dictamnum Matth. Dodon. Lacunæ. Caft. Hift. Lugd. & Camer. Pfeudo-Dictamnum florib. verticillatis Lob. Hic duplex inodorus & odoratus C. Bauh. qui Pfeudo Dictamnum verticillatum vocat.

Locus. In Creta folummodò prouenire Dictamnum Veteres tradiderunt, vt antè ex eorum verbis apparuit, id quod etiam afferuit Bellonius. Nunc autem quoque feritur in Italiæ hortis feminibus è Creta allatis. Quin Camerario aliquoties creuit, & florem produxit copiofum. Nifi verò pangantur plantæ, raro, etiam diligenter afferuatæ per Hiemem, durant. Satiùs igitur eft vt furculis propagetur, qui in alterum annum florem producunt.

Vires & Vfus. Dictamnum Creticum, vt inquit Diofcorides, præftat omnia quæ fatiuum Pulegium, fed efficaciùs multò. Nam non potum modò, fed & appofitum ac fuffitum, partus emortuos eiicit. *Partum* Aiunt & in Creta capras tela, quibus ictæ funt, huius herbæ paftu excutere. *Purgat.* Porrò purgandi vim habet illitus, aut cum polenta affrictus. Impofita verò herba plantæ pedum reliquóque corpori impactos aculeos refigit extrahitque. Eft & efficax ad lienis dolorem: fiquidem ipfum imminuit. Legitur autem Æftate & Autumno. Radix guftu excalfacit, nec non & partum accelerat. Sed & fuccus cum vino potus contra venenatorum morfus auxilio eft. Herbæ verò tan-

ta vis est, vt ictu venenato sæuientes bestias & olfactu abigat, & contactu perimat. Cæterùm expressus ex ea succus, vulneribus ferro illatis aut venenatis morsibus instillatus præsentaneo est remedio, si preterea in potu assumatur. *Pseudo-Dictamnum* minùs quàm illud acre, eosdem præbet effectus, at inefficaciùs. Alterum Dictãni genus ad eadem, ad quę & antè dictum efficax, sed minùs nares ferit. Miscetur & emplastris ac theriacis compositionibus. *Et hæc Dioscorides.*

Temperã. Hipp. Dictamnũ, Galeno auctore, tenuiore essentiã constat, quàm Pulegium, cæterà illi simile. Hippocrates ad secundas remorantes, inter præstantes quas nouit medicinas, ponit Dictamnum. Eũdem propinat ex vino ad molam expellendam. Quin & ad duos obulos tritum ex aqua calida ad accelerandum partum bibere iubet.

Strangurias Plinio autore strangurias discuti Dictamno certum est. Sed & potum sagittas pellit, & alia tela extrahit illitum. Bibitur ex aquę cyatho foliorum obolus. Proximè Pseudo-Dictamnum. Vtraque etiam suppurationes discutit. Et aliquãtò post ait. *Menses.* Sed præcipua Dictamni vis est, menses ciet, partus mortuos vel transuersos eiicit. Bibitur ex aqua foliorum obolus: adeò adhæc efficax, vt ne in cubiculum quidem prægnantium inferatur. Nec potu tantùm, sed & illitu, & suffitu valet: proximè Pseudo-Dictamnum. Sed menses ciet cum mero decoctum pondere denarii. Et in fine cap. 15. lib. 26. Dictamni folia præclarè dantur ex aqua. Constat vel oboli vnius pondere: vel si mortui sint in vtero infantes, protinus reddi sine vexatione puerperæ. Similiter prodest Pseudo-Dictamnum, sed tardiùs.

Bonaciol. reprek. Lud. Bonaciolus nimiùm extollit Dictamni vim Plinium secutus: quis enim credet transuersum fœtum posse expelli eius facultate, vel abortum ciere, si in cubiculum inferatur?

Historia. Thadæus Dunus mulieri, quam morituram omnes arbitrabatur ex fœtu mortuo post alia medicamenta, in balneo sedenti, dedit pulueris foliorum Dictamni Cretici obolum ex aqua fontana: quibus peractis sperauit illa, vt ait, rem ex voto successuram: omnia enim ad imum ventrem vergere videbantur. Eã nocte satis commodè habuit, sed non dormiuit. Ante diluculũ mortuum fœtum fœliciter expulit. *Facilè sumetur.* Et facilè quidem Dictamnum sumitur, cùm alia, quæ fœtus mortuos expellunt, vel nimis amara, vel fœtentia, vel nimis acria, vel stomacho inimica sunt, & aliquo modo nocere possint.

GNAPHALIVM VETERIBVS.

CAP. XXVII.

Gnaphal. Diosc. GNaphalii foliis albis, mollibúsque pro tomẽto vtuntur. Efficaciter autem ad dysenteriã in vino austero propinantur, inquit Dioscorides.

Inter spuria sunt qui Iren, qui Ampetocon, qui Anaxiton, qui Anaphalida, appellent: Aegyptii Semeon, Galli Gelasinen, Romani Centunculum, siue Centuncularem herbam & Marcellus Tomentum vocat.

Antequam, inquit ille corruptis amplioris fortunæ veneno moribus cœpissent homines molliter & lasciuè agere, non auium plumis, aut ouium lanis strato cubili dormiebant. Sed, quod Lucretius ait, & frutices inter condebant squallida membra, circum se foliis & frondibus inuoluentes, erantque illis pro culcitrarum tomento,

quas Aestas & Autumnus herbas & frondes passim strauerant, præsertimque Gnaphalion hoc, Græcis ab eo vsu sic appellatum. Græci enim γνάφαλον inter cætera tomentum vocant: sic ipse in Dictamno dixit, folia γναφαλώδη, quasi tomẽtitia. Sed de voce Gnaphaloide, Gnaphalio simili vide plura cap. de Dictamno.

Chamæzelon Chamæzylon. Plinius lib. 27. cap. 10. Gnaphalion aliis Chamæzelon [Chamæxilon Lob.] vocari author est: folia tomento similia esse: dari in vino austero ad dysenteriam, ventris solutiones, mensésque mulierum sistere. Infundi autem tenesmo: illinique putrescentibus vlceribus.

Gnaphaliõ idẽ sic nominatum esse, quòd foliis eius mollibus ἀντὶ γναφάλων, h.e. pro tomentis vterentur, perhibet etiam Galenus, qui ex candida & mediocriter adstringentia dixit.

Gnaphalia plura. Multas plantas Gnaphalia, Latinis Centunculos vel Centanculares herbas dicta, Herbarii nuncuparunt, quòd molli lanugine, seu lana, vel tomento essent obuolutæ: (γνάφαλον enim est tomentum.) Et quidem primò Dictamnus, & Pseudodictamnus. Gnaphaliũ marinum: Gnaphalium pulchrum Alpinum: & id genus quod Leontopodium dicitur. Gnaphalium Germanicum & ei affine. Pseudo Leontopodium. Gnaphalium minimum quorundam, minus Tab. & Hort. Lutic. Filaginis species tertia Dodonæi. Stæchas citrina altera inodora. Gnaphalium vnico cauliculo. Gnaphalium vmbellatum minimum. Gnaphalium Americanum. Gnaphalio congener Hosteoclon B nomentiũ. Pilosella minor: Bombax: Alga: Scorba: Siliqua Syriaca.

DICTAMNVM ADVLTERINVM QVIbusdam, verticillatum, vel potiùs Gnaphalium Veterum.



Descriptio Cæsalp. PLacet Cæsalpini descriptio quæ sic habet. Quædam ex Creta ad nos allata est pro Pseudo Dictamno: *est* amplius, virgis numerosioribus, altioribus & candidioribus Marrubio: *foliis* rotundioribus, minoribus, similibus, Dictamno Cretensi, obsitis candidiori lanugine, gustu subamaro, odore exili, non iniucundo: *verticillos* inter folia fert molles, in quibus flosculi sunt purpurascentes.


Calicoimotheia. Cæterùm, planta quæ nunc vulgò Græcis καλικουμοθεία dicitur, non potest esse Pseudo-Dictamnum, vt aliqui volunt: reclamant enim odor & sapor, vt rectè annotat Anguillara, cui lubentes assentimur.

H. Lugd. not. Dodonæum aliud à Pseudo-Dictamno Matth. depinxisse & descripsisse vult H. Lugdunensis. Et

quamuis icon & descriptio Dodonæi nonnihil variet à Matthiolo, non propterea aliud statuimus, sed varietatem à loco & cultura dependere dicimus. Atque Matthioli Gnaphalium, Dioscoridis Gnaphalium non esse cum Siluerio Tedeschino insigni botanico & Honorio Bello statuimus.

Locus. Pseudo-Dictamnum vidi Patauii Februario & Martio mense in horto publico; Ferrariæ in horto Monasterii S. Dominici à l'Angeli plantas varias. In horto E.C. Montbelgardi per Hiemem reponere solebam multis annis durans florensque, sed semen non maturans: surculis facilè propagatur. Lobelius audiebat à quibusdam Italis in monte Nigro dicto, Pisæ & Liburniæ contermino, & aliis locis maritimis nullo satu oriri.


ZATARENDI HERBA.
CAP. XXVIII.



Descriptio foliorum. HErba parua, quam Ægyptii Zatarendi vocant, quòd ex India illuc comportetur, Alpino autore foliis est crassis, rotundis, albis, succo plenis, odoratis valde.

Vires & vsus. Multi vt Origanum siccatum pro obsonio comedunt. Audiuit author Alpinus multis ad tussim, spirandique difficultatem & ad prouocandam vrinam ac menstruas purgationes in vsu esse.

PVLEGIVM. CAP. XXIX.



Descriptio. IMportuno reptatu quacunque terrã attigit è caulium quadratorum hirsutorum dodrãtalium geniculis demissis fibris radicatum luxuriat, longè lateque subiectum solum opacans: foliorum ex articulis est exortus, ad Origani folia accedentiũ, minorum, odore cum suauitate graui, sapore feruido: quadripartitorũ florũ verticilli purpurascentes breuibus interuallis longã spicataque serie caules & ramos coronant subiecta vsque foliorum coniugatione vna.

Pulegium. Pulegium, vt herbam vulgò notam, non describit Dioscorides. At cùm Dictamno iam satis noto, folia tribuat Pulegii, sed maiora: ac rotunda sint Dictamno folia, eiusmodi quoque fuerint Pulegii. Etsi autem Pulegium vulgare florem gerat purpureum, alterius tamen meminit Plinius flore albo: illud fœminam appellat, hoc marem, de quo pòst agemus.

Vulgatum hoc Pulegium, regium nominatum immeritò respuunt publici Censores, & rationis ne micam quidem addunt. Dubitauerunt etiam Recentiorum nonnulli verum vulgare Pulegium legitimum sit Pulegium, nec ne; quòd, vt dictũ, ob eius vulgarem notitiam nullis foliorum florũmue notis eius faciem tradat Dioscorides: Non desunt tamen rei herbariæ periti qui velint Pulegium vulgaris vsus, Dioscoridis Aliorumque Antiquorum esse Pulegium. Hocque argumento nituntur: quòd non modò experientia compertum sit, uulgare pulegium omnibus iis viribus esse præditum quas suo tribuit Dioscorides, sed quòd etiam Plinianæ Historiæ maximè respondeat. Quapropter eos apertè hallucinari vel Matthiolus crediderit, qui Pulegium communis vsus, vnam vel alteram Calaminthæ speciem esse contendunt. Quin & illud Pulegium nostrum legitimum esse ostendit, quòd folio sit Cretensi Dictamno simile, cui folia Pulegio similia reddidit Teophrastus, vt etiam Dioscorides, qui tamen illa maiora fecit.

Gerardi error. Gerardus nescio cur pro hoc Pulegio iconem proponat Pulegii Massiliotici Tabernæmontani, siue ceruini, quasi ei incognitum sit Pulegium vulgare.

Nomina linguarum. Græcis dicitur γλήχων, γλήχων, βλήχων, ἡ βληχώ & ...χων, Latinis Pulegium. Sunt tamen qui Blechona, qui Ansenicanthon, qui Galioplin vocent, Poludon & Henithon in Nothis. Aliis Pantagathon [omnibona] dicitur, aliis Dimoron, Ciceroni & Columellę Puleium. Martiali Pulleũ: Aphri Apuleũ, Galli Aluolum (Abuolũ Lonic.) Mauritani *Ainam*, *Alnegen*, seu *Alnegen*: Germani Poley / & Hertz poley: Belgæ Paleye: Galli *Poulior* & *Pulege*: Itali *Puleggio*: Hisp. P. *leo*, & *Poleio*: Angli Peny royall / Puliol royall podaing grasse / & Organye: Hung. Chombor, Bözueny menta / h.e. Podagraria Mentha.

Podagraria Mentha. Pulegium pulegis dictum. Blechon. Pulegium autem dicitur à pulicibus, quòd flos eius recens incensus, eos nidore suo fuget & interficiat: Blechon græcè quasi balans herba, eò quòd vt tradit Apuleius, balantum animalium floris sui tempore sit pascuola. Plinius tamen & Dioscorides aliam reddunt rationem, vtpote, quòd gustatum à pecore, quum floret, acri & peramaro gustu, ei balatum quamprimùm conciter & extorqueat. Vnde quidem Græci literas mutantes Blechon, quasi Glechon vocauerunt. Hinc igitur Βλήχων nomẽ factum illi: nisi etiam, vt vult Lobelius, sit, quia è pulmonibus pituitam crassam farctámque extrudat.

Locus & Tempus. Locis gaudet palustribus, & quæ hybernis mẽsibus rigantur, incultis tamen. Iulio & Augusto floret, & tunc quidem colligendum. Pulegium germanicæ mulieres in hortis serunt, ac etiam in figulinis vasis fouent diligenti admodum cura, suis affectibus eo consulentes. Vbi lætiùs totã comã conspicitur, & secũdo Calaminthæ generi [hanc

(hanc enim illi assimilauit Dioscorides) folio simile: acerrimo gustu, quadantenus amaro.

Tota planta odorata est, & gustu acris, non sine quadam amaritudine. Quo magis mirum vulgare istud Pulegium à quibusdam pro legitimo respui & secundam Calaminthes speciem haberi, cùm omnibus facultatibus, iisdémque efficacissimis præditum sit, quas Dioscorides Pulegio suo tribuit. Extenuat, inquit, calfacit concoquit: potum menses, secundas, fœtus eiicit, educit & ea, quæ in pulmone hærent, cum Aloë & & melle potum (non μετ' ἀλοης sed μετ' ἁλὸς hîc legendum vult cum Plinio Cornarius:) & conuulsis auxiliatur. Nauseas etiam & stomachi rosiones siue morsus cum posca potum mitigat. Atrã bilem per Aluum educit. Cum vino potum venenatorum morsibus succurrit: defectos animo cum aceto naribus obiectum recreat. Siccatum & in puluerem tritum, crematúmque gingiuas firmat. Illitum cum polenta inflammationes omnes mitigat. Podagris per se confert, vsque dũ rubescat cutis. Cum cerato varos tollit. Lienosis cum sale vtiliter illinitur. Decoctum eius prurigines, si eo lauentur, sedat. Inflationes, duritias, & conuersiones vuluæ in desessionibus sedat. Eundem vsum ei cum Diosc. tribuit Plinius.

Ex Galeno Pulegium, inquit Galenus, cùm acre sit & subamarum, valde tum calefacit, tum extenuat. *Calefacit* Porrò quod calefaciat abundè, magnum est testimonium, quod illita rubore tingit, & si quis diutiùs toleret: exulcerat quoque. *Extenuat.* Extenuare satis indicat, quòd humida, crassa, lenta, & ex thorace & pulmone excreatu facilia reddit, & mẽses mouet.

Simeon Sethi. His assentitur Simeon Sethi, dicens: Pulegiũ attenuat & calfacit vehementer: quapropter in humidis & crassis auxiliatur, & in pulmone humida glutinosaque detergit, &, vt excreentur, efficit. Cum vino albo coctum & calidè potum, mẽses prouocat. Extrinsecus illitum ischiadicis, & aliis partibus frigore affectis auxiliatur. Io. de Monte. Exper. Pulegii puluerem sæpiùs sumptũ ieiuno ventriculo, cum æqualibus partibus aceti, mellis & aquæ, repurgare vẽtriculũ ac oculos *Oculos clarificat.* clarificare refert. Pulegium existimatur apud Bapt. Cõdronchium, ex aceto tepido potatum, & naribus etiam appositum, loquelam amissam statim restituere. *Loquelam restituit.*

PVLEGIVM MAS PLINII. Cap. XXX.



Forma. Foliis vt illud Sisymbrii, aut Origani, toto caule ex interuallis cum floribus verticillos alterius planè modo constãtibus: vires, odor prorsus eadẽ. In via quà Riuolo Taurinum itur ad agrorum margines obseruauit Matthiolus.

Hoc est Pulegium illud masculum flore albo, quod Apuleius Leucanthõ, Albiflorium vocari ait. Est Pulegium mas Plinii Lobelio in Icon. Plant p. 501. C. Bauhin. Phyt. Pulegium 2. siue latifolium alterum. Castori p. 381. Pulegiũ. Gerardo Pulegium mas. Cur autem is proponat iconem Pulegii Cretici Tabernamontani, siue ceruini pro mare hoc, nos latet. *Gerardi error.*

PVLEGIVM CERVINVM ANgustifolium. Cap. XXXI.



Frequentes profert *virgas*, teretes, tenues, subrubẽtes, geniculatas pedem longas & maiores, modicè erectas: *folia* ex geniculis aduersa exeunt, Satureiæ, nonnunquam tantillùm dentata, odore efficaci vulgaris Pulegii, sapore feruido & mordaci: *florum* verticillati globuli, eis virgultorum fastigia ad nodos oriuntur, colore dilutè cæruleo, quorũ singuli quatuor foliis constant, è quibus staminula emicant floribus concoloria: *radix* adultior lignosa, multis tenerioribus, albicantibus, Gratiolæ radicum asparagis aucta, fibras summo cespite vagantes promittit.

Pingitur planta à nobis descripta à Lobelio in Adu. & 501. hoc titulo: Pulegium angustifoliũ, siue ceruinum Monspeliensium odoratius. Ab H. Lugd. pag. 892. Pulegium ceruinum. C. Bauh. Phyt. Pulegium 3. siue angustifolium.

Tabern. Pulegium Creticum, Roßmarin Poley. Compilator ponit duas figuras, vt & Gerardus, quod non placet in plantis quæ, vt in descriptionibus earum habetur, magnitudine sola differunt.

Monspelii spontè prouenit, florens Autumno prope Aigremont & quà itur Perous. Basileæ florens vidi in horto Felicis Plateri mensis Iunii principio. Montbelgardi in horto Ill. E. C. Augusto: Tiguri in horto Gesneri Iulio. Facilè autem crescit, si sub Hiemem ramuli in terram curuentur & obruantur. Tametsi Narbonæ Monspelii sit vbique obuium, & nulli non cognitum, in luco Gramontio pone cœnobium, & in primo aditu ad lutosas scrobes, inquit Lobelius, tamen haud temerè facilè occurrit in Italia, Germania, aut aliis Galliæ regionibus. *Locus & Tempus*

Hoc etiamsi magna vulgaris Pulegii copia suppetat, pharmacopœis Regii & Monspelienses Professores accipiendum imperabant, quòd viribus, sapore & odore, multò quàm alterius, gratioribus, vehementioribus & probatioribus esse dixerint. De viribus Pulegii Cretici & Massiliotici nihil particulare scripserunt authores, verùm eius vsum esse, qualem Rosmarini Tabernamontanus voluit. Sed si cõpilatori notum fuisset hoc Pulegium, non tribuisset vires plantæ valdè differentis. *Vires & vsus*

ACINOS VETERIBVS ET IN genere.

CAP. XXXII.

Acinos. Aconos. QVod hactenus legerim nulla Theophrasto Acinos est. Dioscorides ἄκινον & ἄκινον appellat, atque herbam esse tenuibus surculis, coronariam, & admodum similem Ocimo: hirsutiorem verò atque bene olentem: apud aliquos in hortis plantari solitam. *Vires.* Hanc aluum & menses potam sistere. Panos [φύγεθλα] praeterea & erysipelata [sacros ignes alii,] impositam sanare. *Basil. silu. Ocimastrū.* In reiectaneis quidam siluestre Basilicum, Romani verò Ocimastrum dicunt.

Plinius diuersis in locis Acini meminit, & modò Acinon, modò mutatis aliquibus literis Acinoen, librariorū culpâ, legit. *Acinoe corrupte. Epipetron.* Acinos, inquit l.21.c. 15. Acinos quam Epipetron vocant, quae nunquā floret. Sed his certiora, à Dioscoride accepta, tradidit cap.27. *Plinius variat a Dioscoride.* Sed hoc illi non est cum Dioscoride idem quod Menses & vrinas ciere dicit, cùm sistere tradat Dioscorides, cui subscribit Paulus Aegineta.

Acinos ab Aconos differt. Differt autem Acinos ab Acono, inquit coroll. 474. Hermolaus, quòd Acinos Ocimastrum, siue Ocimi siluestris genus; Aconos spinosa breuis & lata herba, Eryngio à quibusdam contributa, spinis latioribus. Acinos sponte nascitur Aequinoctio, hanc & Acinoen & Acinean Plinius appellat, *Acinea.* & Epipetron nunquam florentem, & Achinen, & Chenopam.

Ruell. not. Ruellius asserit Epimetron Theophrasti, esse Epipetron Plinii, & Acinon Dioscoridis: at non demonstrat quam plantam intelligit.

Matthiolus dum propter florem Manardi Acinon reiicit, ostendit se intelligere Acinum siue Epipetron Plinii, idem esse cum Acino Dioscoridis.

Acynos. Non tantùm persimilis, ait Lobelius, sed & congener Ocimo videtur ἄκυνος, ac per y proferenda, quod sterilem infoecundámque signat plantam, vti etiam Plinius fortè interpretatus fuit, qui hanc herbam Epitreton vocari, aut potiùs Epipetron (vt Theophrastus habet, qui hanc inter ἀκαρπα censet) scribit. Quare cùm illi florem non negasset Dioscorides, & Ruellius Ocimum, siue minus Basilicum, posse esse Acynon, ni obstaret Theophrasti, Pliniique mutila historia, dixisset: *Matth. taxatur.* Senensis candor consuetus haec arripit, & quasi sua obtrudit, exprobrátque doctis, nec interea lectori quidquam commodi molitur. Quare fieri potuit, vt quod Plinio in Bechio, & Dioscoridi in Dictamno contigit, idem vsu venerit Theophrasto: nempe vt nullum agnosceret florem in Acyno; quem postea Plinius sequutus sit, apud quem tamen legunt nonnulli Acynon non penitùs flore carere: sed in hortis non florere. Et si coronaria fuit, verisimilius est, flores habuisse. Sed quemadmodum Bechio & Petasitidi, quia praepropere florent, & citissimè deflorescunt, deesse florem quidam putarunt: sic fortè isti quia obscuriùs & seriùs flores promit, ac saepiùs interdum emersos amittit intempestiua Autumni qualibet minimâ saeuitia: sicuti videre est in nonnullis pusillos & serotinos flores edentibus. Aut aliud fortè sit Theophrasti Acinos, à Dioscoridis.

Acini Etymon. Ἄκινος dicta fuit planta haec ab a litera, quae nota est priuatiua, & verbo κινέω, quod significat moueo, incito, cieo; vnde κινεῖ κοιλίαν ἐ ἔμμηνα dicitur apud Dioscoridem, ciet aluum & menses: haec autem quia contrariam habet facultatem, sc. quod menses & aluum pota sistat, Dioscoridis sententiâ, ideo ἄκινος dicitur, quia ἀκινεῖ, vel ἵστησι κοιλίαν, ἐ ἔμμηνα πινομένη.

Aequiuoca. Acini nomine plures donantur plantae: scilicet: Calaminthae genus. Acinos multis. Acini pulchra species. Acinus Anglica. Ocimum garyophyllatum siue Acinos Columnae. Ocimum. Clinopodium 1.Matth. Origani facie. Menthae species in Graecia. Lunaria minor siue botrytes. Pes anserinus. Oleaster. Agnus.

ACINVS MANARDI MATTHIOLI Calaminthae folio.

CAP. XXXIII.

REcordatur huius plantae passim Matthiolus. Manardus[inquit in prior.comm.] nil aliud *Acinus Manardi.* Acinum esse putauit quàm quandam quae in omnibus incultis prouenit locis, sed praecipuè & agrorum & viarum aggeribus, Ocimo hirsutior ac suauiter olens, quae quòd Ocimum admodum aemuletur, *Ocimum silu.* a quibusdam siluestre Ocimum appellatur, &c.


De hoc Manardi secundum Matthiolum Acino ita disserit Apollo. *Acinus Manardi.* Vulgaris notitiae plantam, rusticanis Basilicum siluestre dictam, in areis camporum & viarum marginibus, odoratam, Acinum credidit Manardus, nec ab eius opinione abhorruit vulgaris Matthiolus: at latinè, se à veritatis semitâ deuiasse deprehendit, quòd Acinum nunquam florere Plinius testetur: ideò quum huiusmodi herbam florere animaduerterit, Acinum esse nequaquam voluit. Verumtamen quum in Dictamno florem negarit Plinius, *Plinii error.* praeter experimentum, eum veriùs quàm Manardum errare suspicari debuerat: quum praesertim siluestri illo Ocimo ad menses & aluum sistendam non efficaciter vti assueuerit rustica plebs nostra, vt ad quae Acinos ex Dioscoride potissimùm cōmendetur. Ast Apollo hîc male irradiat, *Apollo taxatur.* quandoquidem eius plebi nota Acinus Manardi, & non descripta à Matthiolo, ab eo debebat describi vt alii docerentur, isque innotesceret. Haec verò de eodem habet Lobel. in Adu. Senensis [Matthiol.] explosō Ocimo minimo, Calaméthum inodorum viarum, vbique frequens & cōtemptum, à Manardo iam diu deductum profert, *Matth. censura.* illique nulla probatione praefert. Sed enim qui acrius, menstruisque ciendis aptum Calamenthum istud norit, neutiquam assentietur. Et aliae sunt plantae quae multò aptiùs quadrarent, ni aduersarentur vires, nempe sistendi menstrua, & igni sacro medendi, si congruerent etiam folia, & rami floribus vidua, ex Theophrasti & Plinii historia, quod nusquam tradit Dioscorides. *Lobel. refutatur.* Haec Lobelius. Nos autem latet quid vocet Calamenthum inodorum: illud praeterea notandum nullum Calamenthum inodorum posse esse Acinum Manardi: eius enim planta erat odorata, vt apparet ex eius verbis quae posuimus capite de Ocimo garyophyllato Monachorum siue Acino Columnae.

H. Lugd. reprob. H.Lugd.transcribit praescripta Lobelii verba: verùm non docet quale sit illud Calamenthum inodorum, vel Acinos Manardi & Matthioli: proponit quidem iconem, cui hunc titulum fecit, p.

cit p.912. Acinus Matthioli: & aliam sub hac inscriptione: Acinus, siue Clinopodium siluestre: Hanc eandem figuram etiam exhibet p. 931. pro Clinopodio priore Matthioli: diuersæ admodum plantæ à Matthiolina Acino: est enim Acinus H. Lugd. p. 912. Clinopodium Matthioli Origani facie.

ACINOS MVLTIS.
CAP. XXXIV.

Descriptio



HVnc ita describit Lobelius in Aduersariis p. 217. In Clinopodio, ait, siue Lectipede, propter lectipedum, quorū surculis delineat effigiaturam notissimā, hodie eodem nomine, vel Pharmacopœorum vulgo apud Monspelienses & Lugdunenses, dicto, vix est quod ad veri Clinopodii expressionem optes. Aridos namque & glareosos occupat tractus, *surculis* plusculis, sesquipalmum longioribus, *radicis* exiguæ foliis paruis Serpyllum æquantibus, cui & similia vel Calaminthi montani, vel Ocimi minimi, nonnullis leuiusculis in ambitu crenis apparentibus: *cauliculi* complures sarmentosi, præduri, crebris ab imo summo tenus geniculantur verticillis, & alabastrulis Lamii quaternis, sed multò minoribus, crusculа totidem exprimētibus, purpureis *flosculis* Calamenthæ. Calida planta, calorem non ita magnum gustanti præbet, sed siccitatem: odorem suauem spirat Serpylli quadantenus. Hanc si propiùs figuram intueare, quæ meliùs Clinopodium exprimat, inuenies nullam. Hactenus Lobel. qui in Obs. pag. 270. vocat Clinopodium vulgare (ita etiam Ic. Plant. pag. 506.) odore Pulegio iucundiore, wilder Birch Isop. Is autem taxat Tragum, quòd perperam Calaminthăm montanam fecerit: cuius Kyberus taxandus erat, non verò Tragus.

Lobel. not.

An est Cornario in Dioscor. planta illa, quam ignorā Acini appellatione officinas Ocimastrum vocare narrat: alios Ocimū siluestre, Germanos klein/aut wild Basilien/ h. e. Basilicum paruum siue siluestre?

Basil. paruum siue siluestre.

Fuchsius Ocimastrum concludit, ac Ocimoides græcè haud alia ratione dici, quàm quòd Ocimo, suis potissimùm foliis, simile sit. Ocimastrum autem Latinos, quasi siluestre Ocimū appellare, officinis inusitatum atque incognitum. Caules autem in figura Fuchsii ac etiam nostra Guariniana nimiùm hirsuti videntur, vti etiam in fig. Dod. gallici.

Ocimastrū Fuchsii.

Icones.

Lonicerus acinon pingit, nec distinguit ab Ocimo siue Basilico. Riffius acinon & Aconon vocat, ac ab Acano separat. An Serpillum maius Trago?

Lonic. not.

Pulegium petræum vocari potest, inquit Gesnerus de hort. Germaniei nominis Steinpoley imitatione, herba aliquibus Clinopodium existimata, quæ sponté apud nos in muris & locis siccis, saxosísque & apricis collibus crescit. Hanc puto Calaminthæ montanæ nomine non rectè exhiberi à Trago (Kybero.) Eadem fortè est, de qua Car. Stephanus sic scribit: Aquatico Pulegio similis quædam planta in montibus & siccis locis crescere solet, quæ Gallis *Poulior sauuage*, quibusdam Polium montanum appellatur: folio Serpylli, sed paulò latiore, flore cœruleo: apud eum collem Lutetiæ vicinum frequens, qui Ericius dicitur.

Pulegium petræum Gesn.

Tragus falsò accusatur.

Polium montanum

Dodon. gall. hanc inscribit Acinon & gallicè *Basilic sauuage*, h.e. basilicum siluestre. Lat. de Florib. & in fol. Ocimum siluestre, Acinos. Is autem & Ocimum siluestre & Clinopodium negat, esse Acinon sentiens.

Acinos Dod.

Rob. Const. Apud Amatum capite de Acino, Fuchsii Ocimastri iconem exhibet, licèt Amatus ibi de eo non scribat.

H. Lugd pag. 912. de Clinopodio quorundam Origani facie (Acinum siue Clinopodium siluestre vocat:) & hoc Acino multorum (cuius solam delineationem ex Lobelio sine figura tradit) confusè scribit: ac sibi minimè constat. Pingit enim & describit cap. de Acino Clinopodium quorundam Origani facie, statuitque esse Acinon multorum, quod falsum est. Huius autem iconem pag. 682. Ocimastri Fuchsii titulo dedit, quod Dodonæum Acini nomine pinxisse fatetur.

Chaos Hist. Lugd.

Anguill. nullam nouit plantam quę Clinopodio respondeat, quàm Ocymoides Fuchsii. Tabern. Icon. & Hist. Clinopodium 2. Stein Poley / wirbeldost. Schvv. Clinopodium minus, & Polium montanum officinarum nonnullarum klein Bergmüntz. Clus. Pann. & hist. post. Acinos Fuchsii, Clinopodium vulgare. Thal. Clinopodium vtrúmque, maius & minus. Hoc rarius, illud crebrius: Gesneri Pulegium petræū, ac Dodonæi Ocimum silu. seu Acinos.

Clinop. duplex.

C. Bauhin. apud Matthiol. Clinopodium 1. siue Ocimum siluestre: Acinos Dioscoridis: Basilicum 3. Tragi: Pseudo-Clinopodium Matthioli, & Clinopodium alterum in Epitome: Calamintha quędam Ocimi ferè foliis Cordi in Dioscor. variat foliis modò latioribus, modò angustioribus: sic tota planta modò erecta, modò repens: aliquando hirsutissima, aliquando penè læuis: quæ res facit vt Clinopodium alterum Matthioli dissimile videatur: reperitur etiam floribus albis. *Nobis quidem* Basilicum tertium Tragi huc referēdum non videtur: quod Trago ita dicitur, potiùs est Mentha verticillata minor Ocimi odore. Ostendimus præterea Acinum Matthioli, non esse Acinum siue Ocimastrum Fuchsii, vt opinabatur C. Bauhinus.

Ocim. siluestre. Acinos Diosc.

C. Bauhin. not.

An Cæsalpin. Betonica alia, Cestron Dioscoridi dicta?

Acinon Dodonæi Beffordiæ collectum plantatum in horto Ill. E. C. Wirt. non periit. Obseruaui Basileæ florens Octobri variis in locis, vt itinere versus Moutetz, & in ipso monte: item intra & extra vrbis muros. Lugduni cum flore Maio. Geneuæ *au plain palais* florens adhuc Nouembri, & virens mensis Februarii principio: item in muris domûs senatoriæ cum flore mense Maio: Monspelii Aprili & Maio quâ itur Castelneuf in regione domus leprosorum, & in colle prope vrbem; In Pannonię, Austriæ,

Locus & Tempus.

vicinarúmque regionum locis aridis collegit Clusius: in incultis & apricis petrosis in alto itris Schvvenckfeldius. Id etiam sæpiùs in Germania obseruauit Turnerus.

Vires & vsus

Authore Schvvenckfeldio, calefacit, siccat tertio recessu. Aperit, prouocat, discutit, roborat. Tenuium est partium. Menses & partus pellit. Ex vino potum melancholicos restituit. Dodonæus facultate aliquantulùm calidam & siccã dixit, non absque tamen adstringendi vi ac potẽtia.

ACINI PVLCHRA SPECIES.

Descriptio



Folia non admodum vulgaris Acini foliis absimilia, bina ex aduerso posita, acuminata, crenata: *flores* ad articulos ex foliorum sinu bini aut terni, duplò, triplóue, quam in Acino vulgari, maiores, patuli, purpurascentes.

C. Bauhin. phyt. vocat Clinopodium 3. siue latifolium, notatque in figura Clusii crenulas esse omissas. Is verò fusè describit & eò quòd non alibi obseruauerit, Clinopodium Austriacum nuncupat.

Crescit in montibus Badensibus thermis imminentibus, & cæteris vicinis ad Danubium procurrentibus, & variis prætereà aliis locis. Floret Maio, semen Iunio maturum.

OCIMVM GARYOPHYLLATVM Monachorum siue Acinos Columnæ.
CAP. XXXV.

Descriptio



EST Ozimũ siue Basilicum gariofillatum, quod extra regnum Apuliæ omnibus ferè erat incognitum, cuius primùm Romã attulim⁹ semẽ, aiunt Monachi. Nunc Romæ pluribus Medicis & Pharmacopœis ac aliis cognoscitur, quum paucis antè annis incognitum esset. Quicunque vident fatentur verum esse. Planta autem eiusmodi est. *Folia* sunt Melissæ, longiora tamen, nonnihil serrata: *caulis* sesquicubitalis, aliquando altior, quadratus, pilosus, non hispidus tamen, ramosus, colore viridis, vt foliorum, quæ pilosa & plana, ex peciolis longis, inter folia & alia folia spacium trium digitorum, vel circiter: *flos* ei & spica seminis, vt cæteris Ozimis: qualibet Spica habet quosdam alios veluti adnatos spicarum ramulos. *Semen* eius aliis minutius est, & rotundius, subrussum, nigricans. Tota planta præter radicem habet odorem & saporem acutissi num Gariofillorum: folia linguam vellicant, vt Gariofilus. Quò senior plãta eò odoratiora & acutiora folia.

An Acinus Manardi? Hallucinantur autem Monachi se primos Ocimum garyophyllatum adinuenisse existimantes: id enim pro Acino veriore & *Vrtichella* affert, icone exprimit, & describit Fab. Columna.

C. Bauh. apud Matth. meminit Acini Columnæ: eam autem siccam vnà cum seminibus Neapoli ad eum misit Fer. Imperatus.

DE TRAGORIGANO VETERIBVS & in genere.
CAP. XXXVI.

TRagoriganum Græcis pariter ac Latinis dictum, frutex est, authore Dioscoride, Origano aut Serpyllo siluestri, & foliis, & ramulis similis. Et quædam sine reperitur in quibusdam locis speciosior, & latis foliis, multùm glutinosa. Quædam tenui sarmento, & tenuibus foliis, quã & Prasion quidã vocãt. Optima est, & quę in Coo & Chio, & Smyrna, ac Creta prouenit. Calefaciunt omnes, vrinam cient, & ventri commodæ sunt, si decoctum ipsarũ bibatur, deducunt enim biliosa. Prosunt & splenicis potæ cum aceto, & his qui Ixiam biberunt, cum vino. Quin & menses ducunt: & ad tussim ac peripneumonias cum melle dantur in eclegmate. Est & potio ipsarum lenis. Vnde nauseabundis, & stomacho malè affectis, & acidum ructantibus, & in quibus anxietates, & nausea ac calor præcordiorum comitatur. Discutit insuper tumores Tragoriganus in cataplasmate imposita cum polenta.

Diosc. *Latifolia.* *Tenuifolia* *Prasion.* *Delectus.* *Vires.*

Tragoriganon, inquit Plinius, simile est Serpillo siluestri. Vrinam ciet, tumores discutit, contra viscum [Ixiam Diosc.] potum viperæque ictum efficacissimum, stomachoque acidè ructanti, & præcordiis. *Plinius.*

Galeno adstringit: Celso verò discutit Tragoriganus.

TRAGORIGANVM MATTH.

Descriptio



TRagoriganum, cuius plantam exhibet, frequens nasci in Foroiuliẽsi agro affirmat Matthiolus, foliis Serpylli æmulis, seu gustu Pulegii. Vnde non abs re statim post ipsum, Pulegii meminisse ait Dioscoridẽ. In Hist. germ. vocat Tragedosten / Gall. *Grosse Marjolaine*, atque abũdare in collibus

bus saxosis & veteribus muris Foroiuliensibus, in vrbe Anstia dicta, quæ sita est octo miliaribus Italicis ab Vtina: ei verò tenues tribuit *ramulos*, *folia* paruis, oblongis, siue longiusculis, stellæ modo dispositis, saporis ferè Pulegii: *floribus* paruis carnei coloris onustos, à media parte caulis. *Radicem* paruã, multis fibris donatam, eiusdem odoris cum foliis. Difficile autem est certò affirmare de qua planta intelligat Matthiolus, nisi nos aliquis Foroiuliensis doceat, quæ planta apud eos iconi Matthioli respondeat: in comm. & Epit. non demonstrat plantam quam intelligit, nisi sola icone. In Hist. germ. descriptionem ponit, quæ non respõdet nomini gallico, nec germanico: nec nobis constat an ea descriptio facta sit ad propositam aliquam plantam. Matthioli glossatores & patroni ac imitatores nihil certi de Matthioli hoc Tragorigano scribunt.

Lacuna in Dioscor. iconem Tragorigani Matthioli proponit sine descriptione, quod abundare tradit in montanis Tibuli & Subiaci. H. Lugd. p.888. eandem figuram sub Tragorigano Matthioli pingit. Hoc autem Lobel. non Tragoriganum, sed Calaminthæ speciem alteram esse ait, Serpylli & Clinopodii figura.

Tragorig. 1 Tab. — Tabern. vocat Tragoriganum primum (Bos⁊endosten 1.) caulibus pedem & semis longis, albis, quadrangulis, in ramulos paruos ligneos diuisis: foliis Hyssopo similibus, paulò tamen latioribus: floribus similibus Pulegio petræo: odore grato, sapore acri.

Tab. not. — *Tabern.* quidem Matthioli imaginem assumpsit, in qua tamen summitates cur mutarit & magis verticillatas pinxerit, causam non reddit. Illud etiam non constat cur Matthioli descriptionem ex Hist. germanica, vnde figuram suam desumpsisse deprehenditur, omiserit?

C. Bauh. not. — C. Bauhin. apud Matthiol. pro eius Tragorigano ponit figuram ex Tabern. quæ an melior deteriórue quàm Matthioli, iudicent quibus nota planta: si Camerarius veram iconem posuit, deterior multò est.

TRAGORIGANVM TENVIORIBVS foliis, flore candido.



Descriptio — Minores sũt huic *surculi* & candidiores, tenuiora, longioráque *folia*, aliquantulùm incana, acris gustûs: odor minùs iucundus, quàm in Tragorigano primo Clusii, siue Clinopodio quorundã, Mastichina cognominato: *flores* etiã verticillatim circa summos ramulos nascuntur ex verticillis prodeuntes, maiores aliis & galeati, candidi: *semen* non obseruauit descriptionis auctor Clusius: *radix* iam dictæ similis, lignosa, dura, multifida.

Synonyma — Inscribitur autem Tragoriganum alterum à Clusio, qui Hispanicum 2. & Prasion nonnullorũ vocat. A Dod. lat. in fol. Tragorig. Clusii alterũ. Lob. Obs. p. 264. Tragoriganum flore albo Clusii. In Icon. Plant. p. 494. Tragoriganum Clusii. H. Lugd. p. 590. Trag. 2. Clusii. Tabern. H. & Icon. Trag. secundum, Bos⁊dosten.

Tab. not. — Quid venit in mentem Compilatori, vt Tragorigani Clusii, cuius iconem assumpsit, flores dicat purpureos, præter autoritatem Clusii: cur quæso non adscribit, vbinam tales viderit? C. Bauh. Phyt. Trag. angustifolium secundum.

Locus & Tempus — Solo Valentino agro Martio florentem & spõtè nascentem obseruabat author.

TRAGORIGANVM QVIBVSDAM nigrius, folio duro, flore purpureo.

Descriptio — Virgultis fruticat dodrantalibus & longioribus, aduerso plærumque ramorum frequẽtium positu brachiatis, lignosis, rubicundis, quadrangulis, hirsutis: *folia* ex aduerso nascuntur per modica interualla, oblonga, Satureiæ foliis quodammodò similia, latiora, magísque rotunda, interdum in hortis nostris & Maioranæ foliis nõ minora, stigmatis punctata, nigricantia, tactu dura, gustu acri & aromatico, odore suaui, ex quorum sinu alia minora folia quoque emicant: *flores* verticillati, duobus subiectis foliis, ad scapi nodos, Satureiæ flores æmulantur ex purpura pallescentes, rictu hianti apiculos exserentes calyculis hirsutis, in quinque aculeos desinentibus: *radix* lignosa exteriùs rubet, intus albet, ac in surculos aliquot abit, capillaribus fibris donatos.

An est hæc Cam. hort. Tragoriganũ Neapoli missũ? An Thymbra Cretica Cæsalpino? An Theoph. Helenium Anguillaræ? An Bellon. Obs. l. 1. c. 18. Origanũ siluestre, neutrius naturæ (Origani Onitidis & Heracleotici:) particeps: nam libentiùs circa sepes crescit, quàm apertis locis.

Tragoriganum Dodon. à Matthioli diuersum — Dod. gall. huic titulum hunc fecit: Tragoriganum alterum. Lat. in fol. Tragorig inum, de quo ait: In Foroiuliensi agro, Tragoriganum nasci Matthiolus tradit: verùm an illius cum nostro, foliis asperis, flosculis verticillatis idem sit, in tanta ipsius breuitate incertum relinquitur. *Sed* icones solæ demonstrant satis diuersas esse plantas. Gesnerus de hort. Dodonæi verba de hoc Tragorigano recitat.

Tragorig. Cretense Lob. — Lobel. in Aduers. appellat Tragoriganum Cretense apud Venetos (ita etiam in Icon. Plant. p. 495.) & Origanum hircinum, itémque Thymum Creticum, ex recentiorum sententia.

H. Lugd. lapsus. — H. Lugd. p. 888. Tragoriganum Dodonæi. Itẽ p. 889. Tragoriganum prius Cretense apud Venetos: Item: Tragorigani Clusii alterius genus alterum. Tres descriptiones vnius plantæ, vniúsque figuræ.

C. Bauh. not. — C. Bauhin. Phyt. Satureiam 4. siue Creticam appellat, apud fratrem [me] Montbelgardi prouenientem, & Thymbram Cretensem Alpini, quam esse nos in dubium vocamus. In animad. in H. Lugd. Tragoriganum prius Cretense, cuius descriptionem ab Historia poni, figuram verò omitti ait, & petendam ex iconibus Lobelii, qui Trag. Cretense apud Venetos nominari tradat.

Tragorig. 2. genus alterum. Cluſ. dicitur Tragorigani ſecundi genus alterum, ſiue ſpecies altera, & Tragorig. Hiſp. tertium. Cluſii icon ab aliis variat nonnihil.

Locus. Prouenit mihi Montbelgardi ex ſemine miſſo Stutgardia nomine Thymi Cretici aculeati, & Thymbræ veræ Candiæ. Lugduni in horto habui florentem Septembri; Baſileæ in horto Cœlii Iulio & Auguſto. In Valentino agro Martio floret & ſponte naſcitur. In Belgicis verò hortis etiam conſpicitur & quibuſdam Germaniæ, ſed iſthic vix Hiemem perfert.

THYMVS VETERIBVS.

Cap. XXXVII.

PRima Thymo laus in antiqua plantarum Hiſtoria Græcis à Theophraſto eſt, quia à principio ſtatim ſexti de plantarum Hiſtoria voluminis longiore deſcriptione totam eius naturam fortunámque complexus eſt, his verbis capite ſecundo. Thymum candidum nigrumque reddunt: ſerò id admodum floret: nam circa æſtiuum Solſtitium incipit. Mel apes hinc capiunt, & hoc augurio apiarii conſtare affirmant, an probè melletur, nec ne: etenim ſi aliter defloruerit, mellatio minùs probè ſuccedet: deſtruitur, peritque flos, ſi imber inceſſit. Semen fœcundũ Thymi nullum oſtendi poteſt, ſed floribus quodam permiſcetur modo: flores enim ſerunt, itaque oritur Thymum. Qui tamen Athenis deportare deſiderant, quærunt atque inueniunt. Peculiare tam præ iis ipſis, quàm præ reliquis omnibus, vel ex locis ſortiri Thymum autumant: nam quo flatus è mari nequeat peruenire, illic naſci, duraréque poſſe omninò negant. Et hæc Thophraſtus, qui Thymum alibi ſucco acri conſtare teſtatur.

Thymum duplex Theoph.

Poſt Theophraſtum ex Latinis à Plinio & ante Plinium pleriſque aliis, qui Romanorum Italiæque hortos & mellationem inſtruxerunt: Omnium maximam & æternam æterno carmine Maro illi fecit, cùm in Georgicis ſuis cecenit

Virgilii Thymus.

Redolentque Thymo fragantia mella:

Romana breuitate & poëtica dignitate omnem plantæ huius honorem & vſum in ruris & apium diſciplina complexus.

Quæ ad Thymi hiſtoriam, factíque ex eo mellis bonitatem pertinent, Plinius à Theophraſto accepit. Hæc verò habet Dioſcorides. Cæterùm, Thymos ab omnibus cognoſcitur, *frutex* paruus, ſarmentoſus, *foliis* multis & anguſtis circumdatus, habens in ſummo capitula *floris* purpuram referentis. Naſcitur maximè in petroſis, & tenuis terræ locis.

Thymus Plinii. Thymus Dioſc.

Etſi porrò Dioſcorides vnius tantùm Thymi meminerit, tamen capite de Epithymo duo videtur genera agnouiſſe: vbi ait: Epithymum eſſe durioris Thymi Saturejæ ſimilis florem. Et videmus, inquit Turnerus, Thymum Venetiis & è Creta allatum alterius eſſe generis, à Thymo Anglicano.

Dioſcorides duo genera agnouit.

E nothis Thymi appellationibus ſunt Epithymis & Thymion ſolo declinationis genere diuerſæ, antiquæ & ipſæ, inquit Marcellus. Siquidem Theophraſtus genere neutro Thymon dixit: ſic fœminino genere alii, herbam Epithymida ſc. intelligentes. Ægyptij accepta à Græcis voce, quoniam fortè eo coronarentur, Stephanem, i. e. Coronam appellarunt. Sic & Græci Thyrſion, quoniam Bacchicas haſtas, quas in orgyis eius dei thyrſos vocabant, pro hederis cramulis Thymi fortè inuoluerent. Suſpiciones tamen, ſeu, ſi malis dicere, coniecturæ hæ ſunt. Quod porrò eſt κεφαλωτὸν, quod capitatum ſignificat, certam ex figura floris, capitulorúmque eorum, in quibus Dioſcorides florem Thymi purpuraſcere dixit, rationem habere poteſt. Sunt tandem, qui addito colore album Thymum appellant: vt Daci Mozulam.

Epithymis. Thymion. Stephane. Thyrſion. Cephaloton

Thymi verò nomine ſequentes donantur plãtæ. Thymum Creticum. Thymum vulgare. Thymum latiore & viridiore folio. Serpillum. Satureia. Tragoriganum nigrius. Hyſſopus. Sampſuchus. Marum. Calamintha. Cepa. Porrum.

Aequiuoca

THYMVM CRETICVM, SIVE ANtiquorum.

THymo Cretico [quod legitimum Antiquorum cum multis, ſtatuimus] plantæ fruticoſæ, cubitali, *virgulæ*, duræ, totæ ferè albicant, ſubhirſutæ: in quibus ad genicula veluti, modicè diſtantia, *folia* ex aduerſo poſita plura, alba, hirſuta, quædam paulò noſtratis Thymi maiora, aliqua etiam minora: ſinguli ramuli in capitulum deſinunt oblongum, vix vnciale, multis foliis lõgiuſculis & mediocriter latis, multùm piloſis, ſquammatim compactis, conſtantes: Huius plãtæ ſapor valdè acris. Deſcriptio hæc eſt plantæ ſiccæ magnæ Creticæ datæ Patauii ab inſigni pharmacopœo Io. à l'Aquila. Anno 1586. Lutetiæ menſe Auguſto obſeruaui quoque Thymum Creticum in horto Robini, inſignis Botanici regii, capitulis, ac etiam foliis ſuperioribus, paulò maioribus, ac in ſingulis demum geniculis foliis duobus longioribus, & aliis minoribus.

Deſcriptio

Thymi noſtri Cretici meminit Bellonius lib. 1. Obſer. cap. 2. Gallica gens, inquit, & magna pars Gentis ſubiectæ Romanæ Eccleſiæ hactenus ignorauit Thymum, quod enim in hortis colitur, non eſt Thymum, nec Thymi ſpecies, ſed Serpylli. Herbam Thymum, teſte Dioſcor. & Theophraſto, oportet habere parua capita, ſimilia Stœchadi & verrucis in nare & pudendis prouenientibus, quæ dictæ Græcis Thymea, vt teſtatur Celſus. Verum Thymum ita frequens in tota Græcia, vt nulla herba in montibus faciliùs proueniat, vbi pro loci diuerſitate florem profert omninò album, vel cæruleum aut purpureum, vel mixtum. Vti autem Thymus nomen dedit verrucarum generi, ita etiam piſci, qui dicitur Thymus, aut Thymalis & in Lõbardia Themero aut Themolo. Idem cap. 18. in Thimo prouenire ſcribit in Creta Epithymum. Hanc etiam intelligit cap. 76. per Thymum Græcum. Et lib. 1. de Conif. vbi Galliam atque Septentrionalem regionem Thymo prorſus carere ſcribit.

Thymum Bellon.

Matthiolus non videtur diſtinguere Thymum Creticum album à Thymo Monſpelienſi. Thymum in Italia, inquit, notiſſimum: [An Creticum Thymum in Italia ſit notiſſimum dubitamus.] Præſtat autem quod ex Apulia fertur: quãquam laudatiſſimum eſt, quod è Creta inſula, aliiſque nonnullis Græciæ locis aduehitur. Θύμος Theoph & Dioſc. Lat. Thymus & Thymum dicitur: Mauritanis, *Haſce*: Germ. Kömiſcher Quendel & welſcher Quendel: Gallis *Thym*, ſeu *Mariolaine d'Angleterre*: Hiſp. *Tomilho ſalſero*; Bohem. Thym: Polon. Dziecielina.

Anguillara epiſt. 11. Thymum notiſſimum in Græcia

Grecia dixit, & prouenire etiam in Apulia, sed nigrius Cretico: Venetiis cognitum iis, qui herbas Orientales vendunt. Sanior multò opinio, quàm Matthioli, Anguillaræ.

Thym. Creticum. Thym. cephaloton. Dodon. gall. Thymum Creticum vocat. Lat. in fol. Thymum cephaloton, θύμον κεφαλωτὸν Græcè, id est, capitatum. Clusius Thymum Hispanicû suum [quod fusè describit] legitimum existimat.

Lob. aut. An Creticum Thymum folia habeat Thymbræ aut Hyssopi, vt statuit Lobelius, non affirmauerim: ego talia in eo animaduertere nô potui, sed multò minora.

Apollo ineptus. Apollo Rad. 1. in Diacumino Nicolai meminit Thymi Cretici, Brassauolum ac Matthiolum reprehendens: sed ipsemet omnibus ineptior.

Thym. capitatum Camer. Thymum verum capitatum annuum Norimbergæ habuit Camerarius in horto, quem in Italia circa Neapolim reperiri scribit & imprimis in Sicilia.

Thymi Etymon. C. Bauhin. in phyt. vocat Thymum 3. siue capitatum, & Thymum Dioscoridis. Deduci refert θύμον ἀπὸ τ̃ θυμ̃, quia adhibeatur iis, qui patiûtur animi deliquium: alii quòd eo Veteres primùm vsi sint in sacris, quæ accenso igne fiebant, ἀπὸ τ̃ θυμιάσεως ἢ τ̃ θύειν desumunt, vt videre est apud Rhodoginum lib. 3. cap. 23.

Locus. In Creta Insula copiosum nascitur, vnde illi Cretici cognomen datum est. Dioscorides gracili solo & petroso prouenire scripsit. Sed & Melitæ rupes magna ex parte Thymo scatét. Clusius non modò circa Hispalim copiosè nasci dixit, sed Gadibus etiam, quà parte insula ponte iungitur continenti, & totâ insuper Bœtica in maritimis collibus meridiei obuertis. Thymum obseruauit Bellonius Herosolymis. Thymum colligi oportet in flore & in vmbra siccari.

Vires & vsus ex Diosc. Dioscoride autem teste, Thymum cum aceto & sale pituitam per aluum detrahit: eius decoctii ius prodest orthopnoicis, & anhelatoribus, tineas ventris exigit, menses, partus & secundas pellit, atque vrinas ciet: cum melle in eclegmate faciliores efficit exscreationes: recentes tumores discutit, cum aceto illitum: concretum sanguinem dissoluit: verrucas pensiles tollit cum aceto: ischiadicis cum vino & polenta impositû subuenit, hebetibus oculis in cibo prodest. Est enim & sanitatis tempore ad vsum idoneus loco condimenti.

Pares illi facultates tribuit Plinius, & insuper addit, dari comitialibus, quos correptos olfactus excitat Thymi: viris côtra inflationes cum melle & aceto, & si venter turgeat, testésue, aut vesicæ dolor exigat: articularibus morbis & luxatis, tritum ac lanæ inspersum ex oleo imponi: dari & potionem articularibus morbis trium obolorum pondere in tribus cyathis aceti & mellis.

Vsus ad dolia. Thymum quia gratissimi odoris, illo in aqua decocto vtuntur Hispalenses, Clusio referente, ad dolia, quibus vinum asseruatur, clueda, & repurganda: non minoris etiam vsus est ad conciliandam odoris gratiam iis vasis, quibus conditæ vuæ asseruari solent.

Temp. Galeni. In excalfaciendo autem, vt Galenus tradit, exsiccandóque in tertio statuendum est ordine, incidit & calfacit vehementer: ob id & vrinam & menses prouocat, fœtum euellit, viscera expurgat, educendis ex thorace & pulmone confert.

THYMVM VVLGARE RIGIDIVS, folio cinereo.

Cap. XXXVIII.

Odoris iucundi commendatione culturam multis locis meritum est, quod hodie plerique omnes Thymum vocamus, lignosâ *radice*, satis numerosis filamentis donatâ. *Ramuli* teretes, itidem lignosi, subhirsuti, *folia* Serpylli, angustioribus, incanis, cinereisue, sapore acri præditis, verticillatim per interualla vestiuntur: *florum* verticilla breuiore interuallo spicæ figurâ est vbi mentiâtur: sunt autê in colore purpurascente vel albo, labellum veluti promittentes trifidû, vnicâ laciniâ surrectâ, è medio stylum purpurascentem exserentes, calyculis Serpylli hirsutis, striatisque. *Descriptio.*



Nomina linguarum. Et hęc hodie τ̃ θύμου nomen apud Græcos obtinuit. Et hinc à Germanis Thym / thymian / Römischer & welscher quendel, h. e. Serpyllum Romanum, & Italicum appellatur: item Demut/ Humilitatem dixeris, ac Gerin alibi Camer. teste. Belg. thymus / & ghemein cleyn thymus. Gallis *du Thyn & Thym*, & quibusdam *Marjolaine d'Angleterre*: Geneuæ *de la Mignotise*: Montbelgardi *du Citron*: It. *Thymo*. Hisp. *Tomilho*: Angl. *tyme*: Vocatur autem θύμος Græcis ab excitando, quod θύειν dicunt.

Icon. Nonnullis potiùs hoc placet etymum, vt Thymos quasi Thyæmos, h. e. sanguinem impellens dicatur, inquit Fuchsius, cuius figura non placet, licèt & nos eam exhibeamus paratam emptam: sed planè eadem est Tragi & Dod. gallici, itêm Amati. Plura de Thymi Etymo diximus præcedenti capite.

Hissop. siluest. Mesue. Coll. Florent. Thymum vulgare, Thymbræ speciem facit, syluestréque Hyssopum Mesue, in montibus nascens asserit. Tragus Thymum inscribit ac Argentoratenses id meritò Romanû Serpyllum vocare ait.

Thymum in hortis cultum, nec Thymum, nec Thymi speciem esse, sed Serpylli, contendit Bellonius Obs. lib. 1. c. 2.

Thym. nigrum Aëtii. Thymum vulgare Dalechampius in 6. librum Aeginetæ cap. 58. Thymum nigrum Aëtii, & Serpyllum Zygis Dioscoridis pronunciat, diuersum à Cretico.

Matthiolus Thymum in Italia notissimum, nô distinguit à Cretico: eius verò speciem ponit pro Satureia, de qua mox sub capite Thymi vulgatioris folio latiore.

Thymum 1. siue vulgarem tenuiori folio variare tradit foliorû colore C. Bauh. in phyt. quòd alteri sint virentia & suaue odorata: alteri candi-

da & graueolentia, quæ verba de odore sunt Dodonæi, quæ dixit de suo Thymo duriore, in Hist. Lat. in fol. vbi figura hoc titulo: Thymum durius.

Thym. vulgatum pusillum Lob. Lobelius in Adu. vocat Thymũ vulgatum pusillum, folio & flore Serpylli rigidiore, passim Epithymi cincinnis & capillamentis delicatissimis obuolutum, Norbonæ in maritimis collibus natum. Vide caput præcedens. Figuram quam ponit in Obs. Belg. p. 508. & Icon. Plant. p. 425. hoc titulo: Thymum durius Plinii, non placet.

Thym. vulgare Clus. Thymum vulgare, quod nonnulli durius cognominant, quoque teste etiam Plinio, lapidei campi in Norbonensi Prouincia referti sunt: & mediterraneis, quemadmodum & Salmanticensi agro, & aliis Hispaniæ locis spontè crescere gracili & salebroso solo, testatur quoque Clusius. Et id quidem nunc purpureo, quale in Narbonẽsi Gallia, & Aquitanica, nunc albicante flore.

Locus & tempus Thymon hoc Monspelii passim spontè copiosissimè in montibus & locis saxosis prouenit, acrius multò eo quod in Germania in hortis seritur. Floret copiosè mense Martio & tota Æstate ac Autumno. Basileæ in hortis Hiemem difficulter tolerat, nisi recondatur: Lugduni verò facilè. Montbelgardi ex semine ex Gallia Narbonensi allato facilè prouenit.

THYMVS REPENS PISANVS. CAP. XXXIX.



Locus. Descriptio surculi Thymi repentẽ variantem hanc speciẽ in horto Pisano lectam exhibuit Nic. Agerius Medicus Argentinensis. *Surculis* fruticat plusculis, lignosis, pedalibus, cubitalibus ad terram repandis. Quos ex vnciali interuallo breuissimis ramulis glomeratim adaggesta foliola viridia, rigidula, angusta, albidis, sed breuibus per ambitum pilis hirta, stipant: flosculi rubelli, vt idem perhibet: siccæ sapor aliquantò aromaticus.

DE EPITHYMO VETERIBVS & in genere. CAP. XL.

QVum grauium authorum grauis controuersia de vero veterum Epithymo inueniendo, constituendoque sese offerat, placuit ac necessariò debuit singulorum audiri opinio. Nec enim cuiuis datur tantas componere lites. Epithymum itaque & ex authoritate Dioscoridis, Thymi durioris, & Thymbræ similis, flos est. Habet capitula tenuia, leuia, caudas velut capillos habentia. Epithymi semen vt Alypi. Eadem Oribasius lib. 11. habet. *Epithymũ Thymi durioris flos Diosc.*

Plinio lib. 26. cap. 8. Epithymon est flos è Thymo, Satureiæ simili. Differentia autem, quòd hic herbaceus est, & alterius Thymi albus. Quidã Hippopheon vocant. Quidam aliter Epithymum tradunt, sine radice nasci, tenui similitudine palliolí, rubens: siccari in vmbra. *Flos Thymi Plinio est Epith. Hippopheon*

Mesues Epithymum Thymo, Thymbræ, cuidam speciei Origani, supercrescere Cassutæ modo voluit: duplexque id ait, Creticum, idemque præstantius, præcipuè capitulis florulentis, subrufum, acre etiam, odoratu absolutum, graue. Alterum Syriacum, minùs rufum, ignobilius, vt etiam pallidum & subcitrinum. Hæc ita apud Serapionem leguntur: Ex Epithymo melius est graue, cuius color est propinquus rubedini, acuti odoris, & illud quod defertur ab Insula Cretensi, & à domo sancta. *Epithymũ in Thymo. Duplex. Creticum. Syriacum.*

Paulus Epithymbrum, vt arbitratur Ruellius, vocat, quod Epithymi modo supra Thymbram increscat.

Sic parum hactenus inter auctores conuenit. *Alii* Thymi florem esse dicunt, è capitulis leuibus, quasi crines dependentem, quibus & Dioscorides & Plinius astipulantur. Florem tamen putauerit appellari Ruellius, quòd crinium, vel cincinorum modo capitula Thymi comat, quadam florum imagine. *Alii* in Thymo sine radice succrescens nasci produnt, quadam capillamentorum specie. *Epithymi delectus. Epithymum Ruellio.*

Videtur autem Manardo (quem sequitur Tagaultius) Epithymum Mesue ad secundum Plinii referendum, sicuti & id quod in vsu nunc est, & vel ex Apulia, vel ex Orientalibus locis affertur.

Epithymum Arabum velut Cassutam Thymi esse, vt etiam Hyssopi, Satureiæ, & Sampsuchi sæpè se vidisse testatur Syluius. Epithymum autem Græcorum & quid reuera sit nondum planè compertum haberi. Quanquam hoc ab illo diuersum existimet. E contrà verò Epithymum Græcorum & Arabum vnum & idẽ esse contendit Fuchsius. *Epith. Arabum est Cassuta Thymi Syluio. Arabum & Græcorum Epithymũ diuersum.*

Vnum etiã & idẽ statuunt esse Monachi Epithymũ: tum apud Diosc. tum apud Mesu. & Plinium ac alios authores: sed, cùm, vt ipsimet fatentur, quãtò magis legerent de Epithymo apud authores, tantò magis mens eorum vexaretur, & confusionem maximam inuenirent: Phantasticãtur, machinãtur, fabricantque suo modo vaniloquia.

In ea opinione, inquit Matthiolus, versantur Brassauolus & complures alii, vt credant, Dioscoridis, aliorumque Græcorum Epithymum, magno discrimine ab eo diuersum esse, de quo scripserunt Mauritani, præsertimque ab illo, cuius meminit Mesues. Quippe qui asserant, nil aliud Arabicum Epithymum esse, quàm capillaris Cassuthæ genus quoddam, quod Thymo circumuoluitur. Græcum verò idem esse volunt, cum proprio flore durioris Thymi Satureiæ similis. Suam autem sententiam hoc argumento comprobare videntur, quòd si vulgaris vsus Epithymum, Arabicum scilicet illud esset, de quo differit Dioscorides, is non dixisset, Epithymum florem esse durioris Thymi, sed alterius plantæ Thymo adnascentis, eique sese conuoluentis. Id quod etiam Plinii auctoritate confirmant, vt qui eorum opinioni, ex eo maximè adstipulari videatur, quòd duo Epithymi genera prodiderit, quorum alterum illi ad Græcos, alterum ad Arabes referunt, & ita suam tuentur sententiam. Horum certè iudicio ego quoque facilè subscriberem, nisi quædam sese nobis offerrent, quæ apertè reclamare videntur, atque etiam ostendere, Plinium *Matth. de Epith. Multorum opinio reprobatur.*

nium ipsum Dioscoridis codicem, vnde illa mutuatus est, deprauatũ habuisse, vel aliũ autorẽ in hoc minùs graue secutũ fuisse, vel alio modo deceptum, vt in aliis pluribus euenisse adnotauimus. Palam enim faciunt, quantùm equidem reor, nostri vsus, & Dioscoridis Epithymum, vnum & idem esse medicamentum, quæ de eo Aëtius, & Actuarius, Dioscoridem & Galenũ secuti, concordes posteritatis memoriæ prodiderũt. Quorum sanè verba liquidò ostendunt, quod nõ secus Epithymum in Thymo prosilit, atque Epithymbrum in Thymbra, & Epistœbe in Stœbe nascitur. Hoc idem præter Aëtium & Actuariũ longè antè testatus est Paulus. Ex quibus non dubitauerim asserere, vnum tantùm esse Epithymũ, non autem plura. Quandoquidem si Paulus, Aëtius, & Actuarius pro certo non habuissent, legitimum Epithymum esse illum Thymi florem, de quo scribit Dioscorides, putassentque duo eius genera reperiri, nulli dubium est, quin & ipsi explicassent duplex in Thymo nasci Epithymum. &c. Eorum autem qui contrarium tuentur fundamenta quod attinet, ita illa reiicit idem Matthiolus. Quod autem Dioscorides Epithymum florem Thymi dixerit, haud ineptè dictũ putauerim: nam cùm is sciret Epithymum Thymo innasci, nullà radice propriâ, sed Thymi adminiculo fultum, floresque per se albos ferre, qui cùm in Thymo sunt, huius plantæ proprii videntur: ideò non absurdum fore duxit scribere, Epithymum esse florem durioris Thymi. Præterea Plinius cùm & deprauatum Dioscoridis codicem habuerit, nec eius mentem rectè perceperit, nõ affirmatè sed dubiè duo Epithymi fecit genera, & aliorum potiùs opinionem, quàm suam retulit: Nisi omninò concludendũ, quod satis perspicuum est, tam confusè & inconstanter de Epithymo & Thymo tractasse Plinium, vt nihil certi in hac re ex eius verbis elici possit.

Epistœbe.

Cornarius in Diosc. de hisce difficultatibus nihil omninò asserit.

Epithymon quid Amato.

Amatus de Epithymo hæc prodidit. Est igitur Epithymon, siue Epithymus, crinis tanquam palliolum Thymum ambiens, vel potiùs flores Thymi. Nascuntur autem potissimùm capilli isti, tãquam inuolucrum super Thymo, qui easdem floribus Thymi vires habent, & ea de causa authores nonnunquam per Epithymum flores Thymi intelligunt, nonnunquam verò crines supercrescentes in eo cum suis floribus. Nascitur Epithymus iste Salmanticæ (vt cæteros sileam locos) ad ripas fluminis Thormidis, & si rectè memini prope Sacellum S. Mariæ dicatum. Est & alius Epithymus rubens, qui capillorum modo absque radicibus crescit, & aliis obuoluitur, circumligatúrque plantis, precipuè Lino, & ea de causa Podagra lini appellatur, quam Plinius Cussutam aliquando nominare non dubitauit, quàmque etiam inter Epithymi genera commemorat.

Locus

Contrarium statuens Anguillara, Dubitandũ non ducit, Epithymum plantam esse separatam à Thymo & Cuscuta, consistentibus etiam Dioscoridis verbis. Malus autem, inquit, quorundam intellectus, quibus incognitæ erant plantæ Epithymi & Alipi, efficit, vt Dioscoridis res duæ diuersæ in eodem subiecto intelligantur. Dioscoridis verbis patet eum voluisse vocare plantam Epithymũ, licet sit Thymus, qui similis est Thymbræ. Dicendum igitur, reperiri duos Thymos, quorum vnus cognomento Epithymus, & alter simpliciter vocaretur Thymus &c.

Epithymũ planta separata à Thymo & Cuscuta Anguillara

Thym. duplex. Thym. simpliciter. Thymbroides.

De duello Brassauoli & Matthioli, si liceat, & mihi integrum fuerit [Apollinis verba sunt] impunè loqui. Matthiolo honoris manubias offerendas iudicamus, vulgatumque Epithymum id esse, de quo Dioscorides scripserit, nec scire quid dicat Brassauolus, si quæcunque capite de Thymo, in eum, vt etiam Matthiolum reiecta sunt, diligenter examinentur, duplici tantùm existente Thymo, eóque Satureiæ simili, è quo Epythymon lib 4. idem cum Thymo lib. 3. descripto, quod etsi è durioris Thymi genere sit, cui Epithymum insurgat, non ideò diuersa in specie appellanda: propterea si quæ aduersus eum obtorqueri possunt, animo agitentur, iure cadit Brassauolus, tametsi Matthiolus nihil ferè aduersus eum opponat, &c.

Matthioli argumenta contra Brassauolum lenta.

Porrò Tragus pro Epithymo, si deficiat, vtiliter sumi refert Cuscutam nascentem in vrtica. Gesnerus verò Cuscutam nascentem in Hyssopo nostro vulgari. Fallopius Cuscutam in Thymbra nascentem subornat, vt infrà dicemus de viribus. Apud Euch. Rœsl. confunditur Epithymon cum Trifolio acetoso, vt cuius icon pro illo malè ostenditur.

Substituta.

Potum igitur cum melle Epithymum, purgat deorsum pituitam, & bilem atram, priuatim cõueniens in melancholicis, & inflatis, acetabuli mensura ad pondus drachmarum quatuor, cum melle & sale, & modico aceto, author est Dioscorides. Thymi facultatem habere Epithymum testantur, Galen. 6. simpl. Oribas. lib. 15. Paul. 7. Aet. lib. 1. sed ad omnia efficaciùs: exiccare & excalfacere in tertio gradu. Aluum purgat ex aqua mulsa etiam Epithymon, inquit Plinius: stomacho minùs vtilis, uomitiones minùs mouet (stomacho inutilis, vomitiones mouet Corn.) sed tormina & inflationes discutit. Sumitur & eclegmate ad pectoris vitia cum melle, & aliquãdo Iride. Mesues Epithymum calidum & siccũ secundo dixit gradu, duplici substantia compositum, terreâ paucâ parùm adstringente, & igneâ acri, melancholiam preter cætera, tanquam prærogatiuâ quadam, facilè & citra molestiam purgante, ob id affectus melancholicos, potissimùm capitis melancholiam, epilepsiam, delipientiam, tumorem, vertiginem, cephalalgiam melancholicam, syncopen quoque cardiacam, cordis tremorem, & affectus alios cordis melancholicos, Obstructionem lienis, & morbos inde ortos sanat, & melancholiam hypochondriacam, obstructiones renum, cancrum, lepram, vlcera nigra, quartanam, vsu multo sanat: nam tenuat, resoluit, obstructiones aperit, viscera roborat. In calidis & siccis naturis non vtendum: quia calorẽ immodicè auget, ac inde sitim excitat. Imbecilliùs & tardiùs purgat, nisi largiùs sumatur, aut cum Myrobolanis Indis, aut pauco Elleboro nigro, aut mulsa, cum pauco sale aut vuarum passarum decocto, cum sale præsertim gemmeo, vel Indo, vel Naphthico, aut sero lactis caprini, vel Pipere aliquo, Zingibere, vel alio acri: sic enim citò & facilè purgat. Sumendum autem omninò est, vel cum oleo Amygdalarum dulcium, vel decocto vuarum passarum purgatarum, vt leniendã aluum magis subducat, & ne substantia nitrosa partes lædat, quas permeat. Parum diu coqui sustinet. Datur decocto à drachmis quinque, ad drachmas viginti: puluere à drachmis tribus ad drachmas septem: cauendo Aestatem. Epithymum [inquit Aët. tetrab. 1. serm. 3. cap. 29.] atram bilem infernè purgat. Dantur ex ipso con-

Vires & vsus, ex Diosc.

Galeno.

Plinio.

Calidis & siccis non conuenit.

Cum quibus sumẽdum & promptiùs purget.

Decocti dosis.

tuso ac cribrato scrupuli 12. cum passo & aceto mulso ac modico sale.

Cæterùm, Mesuem dosin nimiùm auxisse asserunt Manardus & Tagaultius. Syluius autem cum Mesue, ob imbecillitatem à drachmis quatuordecim ad drachmas viginti dandum censet. Tagaultius contrarium asserit, dicens neminem esse, præter vnum Mesuem, qui ad septem vsque drachmas progredi audeat. Proinde consulit, vt quinque tantùm, vel sex ad summum drachmas, idque paucissimis concedamus. Potio verò ipsius Epithymi infusi seu macerati offerri potest, Tagaultii quidem opinione, ab vncia vna, vsque ad vncias duas. Galenus idem pondus exhibet in sero lactis, vel mulsa m.m.lib.14. Oribasius in suo compendio vix drachmas tres transcendit. Auicenna potionem Epithymi quatuor esse aureos præcipit.

Fallopii de Epithymo opinio. Fallopius putabat Epithymum Dioscoridis, & Galeni differre ab Epithymo Pauli, Aetii & Arabum: sed postea reperit Epithymum Græcorum & Arabum idem esse. Cuscutam sc. supra Thymū nascentem, quæ si supra Thymbram nascatur, vocat Epithymbram: si verò supra Origanum, aut Tragoriganum, Epioriganon. De Cuscuta autem Mesuem agere perlubet, eiusque tria genera esse, sc. Epioriganon, Epithymum & Epithymbram Pauli, siue Epithymum officinarum, quam in vsu esse perhibet loco Epithymi, easdemque habere vires, licèt aliquantò debiliores: supra alias verò plantas, præter iam dictas, natam non habere vim purgandi. Propriū enim esse plantarum orientium supra alias, vt exsugant alimentum à plantis, in quibus proueniunt vnde sicut illa planta attrahit succum à terra, quo alitur: ita planta supra ipsam producta trahere succum ex se pro sui nutritione, & sic illam absumere, eiusque puriori & tenuiori succo nutriri: & hinc esse, quod Cuscuta orta supra plantam habentem vim purgatoriam, non solùm & ipsa purget, sed & magis etiam ipsâ plantâ, quia succo subtiliori nutritur. *Si Cuscuta Epithymbra.* Epithymbram tandem fugiendam ait illam, quæ Thymbræ adnexa & implicata folia atque flores non habeat, quia nihil aliud sit, quàm capillamenta, quæ aliquando non soluant ventrem, quæque Seplasiarii acceperint ex plantis, quæ non habent vim purgandi: siccat Epithymum validè, & calefacit: & ideò fugiatur ipsum in siccis habitibus: quod etiam vult Fallopius esse dictum de aliis Cuscutis, ortis supra plantas purgandi facultatem habentes.

CASSVTA SIVE CVSCVTA.

CAP. XLI.

Descriptio. CVm Epithymum, Cuscutam nobis in memoriam reuocet, hic locus postulat, vt deinceps de ea disseramus. Alienæ quadræ assecla nunquam non parasitatur Cassitha, ingrata hospes; quippe quæ herbas fruticesque, quos semel arripuit, longissimis stamineis clauiculis rubentibus tàm arcto nexu complectitur, vt eorum genium defraudet, subductoque alimento eos penitùs enecet, nullis postquam in altum conscendit nixa *radicibus*, quibus tamen primulùm erumpens haudquaquam destituitur: *flores* per capreolorum mæandros nullo ordine subnascuntur glomerati; quorum singulares flosculi rubescentes, albicantésue, quatuor foliolis radiatis constant, fibrillis purpurantibus medium obsidentibus, sapore insigniter acri: capitulis succedentibus insunt *semina* rotunda, Papaueris magnitudine paria.

Ruellius. De hac nihil veteres Græci, quòd adhuc inuenerim (inquit Ruellius) memoriæ prodiderunt. Plinius in calyce decimi-sexti voluminis, cuiusdam consimilis herbæ meminit, quæ vt viscum in aliena stirpe viuit: hæc in Siria vocatur Cassytas. Hæc, vt testatū reliquerunt authores, si calidæ insidet herbæ arborisue, calidam sortietur facultatem: & si decubuerit frigidæ, vim sibi frigidam vendicabit: sic suæ parentis ingeniū referens, nec à conditione materna degenerans.



Androsace. Tragus Androsacen facit, ac duplex eius genus constituit, candidum sc. ac rufum, præfertque omni reliquo in medicina Vrticis adnatum. *Podagra lini.* Illud præterea negari non posse contendit, eam in hortis nequaquam vtilem, sed damnosam esse, ac propterea à quibusdam Podagram, & Anginam Lini appellatam fuisse, & rectè quidem, cùm vitiis herbarum accenseri possit. Adhæc Orobancham Dioscoridis meo iudicio non ineptè negat, sed non sine periculoso lapsu illam in Dioscoride Androsacen appellari dicit, Antoniū Musam & Euritium Cordum secutus. Cum porrò cum Epithymo similitudinem aliquam habeat, Epithymum hanc nostram herbam appellandam censet, ac sororem Epithymi esse indicat, ac etiam pro Epithymo vtiliter vsurpandam censet.

Anguillaræ. Anguillara Epithymum esse negat, ac Androsacen, si apud Dioscoridem ἄνθεμον legatur, esse comprobat, non absque temeritate.

Dodonæus Cassutham in fol lat. duplicem tradit, his verbis. Reperitur, inquit, Iunio, & Iulio & Augusto mensibus, in Rubo, Vepribus, Lupulo & Lino, maior, crassior, & candidior: in Thymo verò, Thymbra, & aliis humilioribus, ac durioribus, vt Eryngio, Genista, & aliis, tenuior ac rufior. Maiorem, crassioremque Officinæ passim Cuscutam appellant: nonnulli quòd Linum amplectatur, podagram Lini: doctiores Cassutham aut Cassytham, Gesnerus de hort. Linodesmon: Arabes *Kessuth*, aut *Chassuth*: Illyrii nonnulli *Poplith*, German. filtzkraut/ Todtern/ dotternkraut / Seiden Todtern/ Seidenkraut/ & flachsseyden: Brabanti & Belgæ Schorfte/ wranghe/ & Veldtcruyt: Galli *Goute de Lin* & *Angure de Lin*. Ital. *Cuscuta*: Angli doder: Boh. Kokotiicen: Hung. Oöreny fü. *Minorem* ac tenuiorem, quæ duriori Thymo, Thymbræque se implicat, Dioscorides ἐπίθυμον nominat, Officinæ nomen seruant. Alii inter quos

quos Actuarius folius Thymi Epithymum: quod verò Thymbræ Epithymbrum: simpliciter quod Strœbæ innascitur Epistœben nominauêre, singularem cuique generi appellationem tribuentes. *Hæc inter alia Dodonæus*, qui præterea negat Cassutham, quod quibusdam visum est, eandem esse cum Cadyta, quam Theophrastus Syriacam herbulam tradit arboribus, vepribus,& aliis quibusdam innascentem.

Epithymbra *Epistœbe.*

Fuchsius eos errare refert, qui Dioscoridis Androsacen esse putant: Plinium eius meminisse placet ipsi, ac propterea Cassythas apud Plinium etiã Hermolao admonẽte,legendũ iudicat, & nõ Cadytas. Et sic iã memoriã Plinii Cassythã herbã nomine Syriaco venisse in Latinum,quod multis postea seculis vsurpantes tam Pœni, quàm Arabes, suis scriptis protriuerint. Quod autem Plinius sine spiritu protulerit, id librariorum culpa factum esse suspicatur, qui inuertentes mutasse Cassytha in Cassytas.

Sunt, inquit Matthiolus, qui putent admirabile hoc plantæ genus Plinio Cassytam appellari. Ex cuius equidem verbis, quòd reperiantur Pliniani codices, in quibus Cadytas, non Cassytas legitur, quódque hæc arboribus tantùm, & spinis se circumuolat, nostra verò Cassutha duntaxat herbas & frutices, non arbores complectatur, & irretiat, non ausim affirmare vulgarem Cuscutam esse Plinii Cassytam: præsertim cùm in Syria tantùm nasci scribat ipse Plinius. Hæc Matthiolus, cuius vltima verba hęc, veritati cõtrariantur: Plinius non dicit tantùm in Syria prouenire,sed herbam Syriç esse, & non tantùm arboribus, sed & ipsis etiam spinis sese circumuoluere.

Matth. refutatur

Cordus in Dioscor. ait Epithymum, quo nos hodie vtimur, verum Epithymum esse, id tamen infirmis argumentis negare Musam Brassauolã: verum enim Epithymum in pharmacopoliis haberi,& nihil aliud esse,quàm Cuscutã in Thymo nascentem: adnasci etiam Thymbræ Cuscutam, quæ Epithymbrum appelletur: Cuscutam aliarum herbarum accidens esse: Bene legi apud Plinium Epithymum sine radicibus nasci: nam proprias radices minime in terram agere,&c. *Nobis* tamen Cuscuta non omni radice caret.

Epithymũ verum Cordo

Cord. not.

Cassutham copiosam obseruaui Montpelii supra Thymum, eam autem vocant Epithymum: itemque supra Aspalathum secundum, pluresque plantas alias: Basileæ copiosè extra portam lapideam in superiore parte ad dextram mense Iulio & Augusto: Montbelgardi copiosè in horto Ill. E. C. supra Vrticam,in horto Nosodochii supra Lupulum in suo adhuc vigore Octobri: in agris versus patibulum Septembri. Cuscutam supra Ebulum luxuriantem obseruauit Ioannes Schvvab in pago Stilenfrid ad fluuium in finibus Austrię. Non in terra, inquit Fuchsius,sed in herbis arboribúsque passim nascitur Cassytha, quas tam spisso sæpiùs irretit contextu, vt tentorii modo herbosum cespitem à Sole vindicet. Nonnunquam cacuminibus impendens stirpes humi deturbat, propriamque parentem suis laqueis strangulat,aut continuò materni alimenti suctu producit ad tabem. Æstate Iulio potissimùm & Augusto mensibus, maximus illius in Germania prouentus esse solet: hoc enim tempore tanta eius est luxuria, vt mole suâ stirpes onerataе ferè procumbere videantur. Et hæc Fuchsius,qui radicem temerè nimiùm è medio tollit. Planta hæc, inquit Tragus, viridis adhuc radicem habet prælongam, quam non multi, quod sciam, obseruarunt. Solet autem è terra prodire Androsaces Iunio mense,ac in fine eiusdem rotundos proferre acinos, semine perexiguo, Argemonæ, seu erratici papaueris simili, ex quo vbi in terram deciderit, quotannis sponte sua repullulascit,referros. In Belgio planta lubẽter prouenit in Rubo, Lupulo & Lino, ac in aliis etiam herbis, maximè locis calidis, vt in Thymo, Thymbra, Tithymalo, Chamædri & Eryngio, sed valde parua & tenuis est: at locis siccis, in Genista parua, & Absynthio.

Locus & Tempus.

Fuchs. reprob.

Serapio Cuscutam tradit calidam esse in primo gradu & siccam in secundo: abstergit, aperit obstructiones hepatis,renum, folliculi fellis, humores expurgat crassos & biliosos, robur addit vẽtriculo & iecinori. Ventriculo tamen visus eius nimius aduersatur propter adstrictionem immodicam: corrigitur tamen Aniso & semine Apii: purgat bilem, idque efficaciùs quàm Absinthium: propinatur decoctionis selibra cum sacchari boni drachmis decem. Sunt in ea sententia quidam, vt pro plantarum, quibus innascitur, temperamento, iam calidam, iam frigidã esse putent. Tragus magno experimento aquam destillatam Cuscutæ laudat ad sudores ciendos, & sanguinem purgandum,& obstructiones hepatis & lienis, & luem Veneream. Cæterùm iis, qui Cassytham parentis suæ facultatem aliquam sibi quoque adsciscere autumãt, subscribit etiam Dodonæus, sic vt quæ Genistam superat, vrinas potentiùs moueat, & ad alui deiectiones magis efficax sit: humidior quæ Lino implicatur: adstringendi facultatem admixtam habeat, quæ Rubio inhæret, quæ & propter hanc potentiam adiunctam, aliis ad iecinoris, lienísque affectus meritò præfertur: cùm enim expurgandi, adstringendique facultates simul habeat, visceribus istis imprimis vtilissima est: talia enim iecinoris lienísque oportere esse medicamẽta, Gal. l. 13. m. m. abũdè docet. Lob. tamen etsi plantæ cui innascitur, vires quadantenus referre concedat: è Lino tamen Practicis & officinis præferri scribit, quòd citra calorem minùs adstringit,magis emolliat, leniat, extergeat, & ad eductionem & decussionem præparet: in Vrtica verò natam vrinis potentiùs eliciendis & obstructionibus soluendis efficaciorem. Manipulus huius herbæ vino decoctus & potus obstructiones epatis & lienis soluit, morbum regium sanat. In fomentis, desessionibus & balneis sudatoriis ad quasuis melancholicas affectiones, regiúmque morbum inueteratum præstantissima habetur Cuscuta.

Vires & vsus *Obstructiones*

Correctio.

Temperamento variat.

Ex Vrtica

In decoct.

SERPYLLVM VETERIBVS ET in genere.

Cap. XLII.

Ambagibus cunctis relectis, Serpylli pluribus in locis meminit Theophrastus, in genere tamen ait. Ex herbis viret perpetuò Serpyllum (ἕρπυλλος) videtúrque ex superioribus oriri. Sunt enim qui omninò fructu carêre asseuerent. Sæpè enim exsiccatum, tritúmque seruisse se inquiunt, sed nunquam germen erupisse: nam huius quoque periculum se fecisse affirmant: attamen & florem & semen fert. Neque desunt qui vel hæc experti fuerunt, & natura ipsa siluestrium planè attrectari videtur: Serpylli etenim siluestre etiam genus est, quod deferentes ex montibus serunt, vt apud Sycionem fieri solet, atque etiam

Serpilli Theoph.

Satum

Athenis ex monte Hymetto: apud alios verò, vt in Thracia, montes & plana omnia Serpyllo scatent: apud nonnullos etiam Thymo figura, folio, rectis virgulis, flore, odore, viribus & facultatibus simile [θυμώδης enim legitur in græco textu, pro quo Gaza perperam transtulit, Thymum penitus redolet.] Constat ergo quod sui ortûs primordium ex semine capit: in summo terræ adhæret, radice multifidâ, torridaque, & lignosa: Ramulorum proprium quoddam est incrementum. Quippe cùm possit in quantamlibet longitudinem produci, attrepto pedamento aliquo, aut si propè sepes plantetur, aut ex altiore loco demissum, auctu facillimum. Species autem

Vrbanum vrbani (sc. Serpylli) tenere non est (facile sc. fieri nequit, vt quis eius species recenseat:) Syluestris verò [sc. Serpilli.] aiunt esse [sc. certas species & dictu faciles:] Hoc enim in montibus (sc. prouenit) Thymbræ odore simile, acrimoniaque. Illud verò odoratum & mollius [sc. odore non acri.] Serendi verò opportunum ipsius tempus, vt plurimùm est Autumnus, in quo pro-

Cultura. perant inter prima conserere. Cæterùm, Vere nonnulli quoque serunt: & cùm cætera vmbram, aquas, fimumque ament vnicè, hoc squalorem patitur, atque in totum aquæ paucæ indigum est: sed fimo præcipuè gaudet, & iumentorum potissimùm: Transferendum quoque id sæpiùs censent vt meliùs reddatur. Serpyllo, inquit Pli-

Plin. not. nius, lib. 19. cap. 8. sub finem: [cætera quæ alibi de Serpyllo tradit parum distincta: nec bene dixit Serpyllum suis innasci adminiculis:] montes plerique [planaque Theoph.] scatent, sicut in Thracia, vbi aquæ (vbi quidē Theoph.) desunt ex iis auulsos ramos, feruntq; Item Sicyone ex suis mõtib' & Athenis ex Hymetto, &c. lętissimũ nascitur in puteorum parietibus, & circa piscinas ac stagna. Lib. 20. cap. 22. Serpyllum à serpendo putant dictum. Quod siluestri euenit, in petris maximè. Satiuum non serpit, sed ad palmi altitudinem increscit. Pinguius voluntarium & candidioribus foliis, &c.

Serpyllum duplex Dioscoridi Dioscorides Serpyllum vnum agnouit hortense, odore Sampsuchum referens, & coronarium. Nomen item habere à serpendo, & quòd prout quæque ipsius pars terram contingit, radices agat. Habere folia & ramos Origano [πηγάνῳ legendum arbitror ὀριγάνῳ Clus.] similes, sed candidiores. Verùm ad sepes demissum, auctiùs assurgere. Alterum siluestre statuit, quod & Zygis appellatur, non serpens, sed erectum: ramos emittens tenues, sarmentosos, foliis plenos, similibus Rutæ, angustis tamen, & oblongioribus ac durioribus: flores gustu acres: odore iucundum: radicem inutilem.

Appellationes notha. Polium. Herpillon. Et hæc ex Dioscoridis authoritate, apud quem Serpillum quidam agrestem Zygida, alii verò Polium, Ægyptii Meruopnon [Meronopũ alii] Romani Cicer erraticum appellant. Herpillon autem Græcorum, & inde Serpyllum Latinorum, dictum quidem est à serpendo, tum quia per terram, qua illam contingens radicatur, serpit: tum quia iuxta sepes plantarum, aut ex altiore loco deorsum demissum, adiecto illi pedamento, in longum protrahitur & serpit, autore Theophrasto, Dioscoride, & Plinio. Zygis appellatum est siluestre genus, idque vt videtur à trutina, quę Græcis Zygon dicitur, eò quod in rectum, instar trutinæ, ramulos suos erigat: Seu quia ramulis eius ad vinciendum & ligandum, iugandumque præcipuè vires, quod Græci ζυγοῦν aliquando dicunt, antiquiores vterentur. Cicer erraticum ac rusticum appellatum est à foliorum similitudine, conuenitque syluestri generi hæc appellatio, quod stat, & Ciceris modo ramulos suos erigit, inquit, Humelbergius apud Apuleium, qui floribus esse ait Serpillum agreste omnibus in virgis constitutis, in summitate purpureis, remordentibus linguam, odore iucundo: nasci præterea in petris, vehementiorem autem esse quàm rubeam, seminalem siue hortualem appellatam. Cætera eadem tradit quæ Dioscorides.

Serpyllum Nicandri. Nicander in Ther. commendat Serpyllum ad arcendos serpentes: νομαῖον appellans, quòd continuè in anteriorem partem progreditur, eorum modo, quæ aut in armentis & gregibus, aut in corporibus nostris pascendo progrediuntur & serpunt: & φιλόζωον, quòd vitam amet, ideoque ipsum seipsum noua continuò sobole, & propagatione radicet, & ῥιζοβόλον, id est, radices agentibus foliis, quod Dioscorides ait: quâ parte ter-

Serpyllum pascens. ram contigerit, seipsum radicat. Vocatur itaque Serpyllum pascens, quòd vitæ cupidum, madidā depascitur herbam: Aut quòd radices agens hirsutis semper foliis, seipsum in altum suspendens, pascat. ἕρπυλλον etiam dici perhibet Scholiastes Græcus, eò quòd vt plurimùm radices ipsius serpant, ac propterea etiam νομαῖον vocari, quòd subinde vlteriùs pascat.

Hermol. not. Hermol. transcribit multa de Serpyllo ex Theophrasto eo non citato: deinde ait, satiuum non serpere Plinio, sed ad palmi altitudinem increscere; voluntarium i.e. siluestre serpere in petris maximè: Dioscoridi contra serpere satiuum, non autem siluestre.

Marcell. taxatur. Marcellus nihil scribit, quod multam lucem afferat Serpyllo à Veteribus tradito: Tam suaui, inquit, quem ex se mittit, odoris halitu delectat omnes Serpyllum: tamque vno hoc bono vbique sese commendat, & amabile facit, vt in delitiis vitæ homines id sibi semper fecerint, & adhuc

In conuiuiorum coronis. faciant coronis in conuiuiorum lætitia, & si lignosum sit, adiicientes rusticis pulmentariis, licèt multo calore ferueat in ore: nouerunt id quę vrbes & agros incolunt gentes omnes, pauci tamen siluestre à satiuo discernere didicerunt. &c.

Aequiuoca Serpylli æquiuoca traditur, dicimus Serpyl-

Serpyll. vulgare. lum vulgare esse Serpyllum antiquorum: inuenitur autem flore maiore, & minore, colore purpurascente, & aliud albo. Serpyllum maius. Serpyllum Citrii odore. Serpyllum angusto folio odore Nucis Iuglandis, vel nullo. Serpyilum angusto, lanuginosoque folio. Serpyllum longifolium hispidum. Serpyllum Thymi folio Narbonense. Serpyllum siluestre Zygis Clusio, Thymo vulgari rigidiori simile. Tragus auctor est Thymum Germanos Serpyllum Italicum vocare.

Serpylli prætetea nomine apud Authores sequentes donantur Plantæ. Thymus latiore & viridiore folio. Acinos multis. Serpyllum alterum Tragi. Tragoriganum Matthioli. Origanum. Sisymbrium. Valeriana siluestris maior. Artemisia. Veronica fœmina Dodonæi.

Serpyllum Tralliani quale sit considerandum.

SERPYLLVM VVLGARE.

TAm græco, quàm Latino nomini originem dederunt serpentes *ramuli*, duri, lignosi, quadrati,

dratis, subrubentes, modicè hirsuti, qui vbi terram attingunt, nouas subinde *radices* agunt: primæ autem lignosæ sunt, satis crassæ & frequentes, fuscæ, plurimis fibris capillatæ: ad ramulorum nodos singulos *folia* plura, Thymi vulgaris latiora, subrotunda, neruosa, sapore acri & aromatico: *flores* in capitulis Thymi interdum candidi, plerumque tamen purpurascentes.

Descriptio

Varietas

Eius duplex habetur genus. *Primo* flos est media parte minor, apice in medio interdum bifido: colore vt plurimùm purpurascente: folia, vt sequentis, odore nónihil ad Melissam accedéte. *Secundo* flos maior duplò, in medio quinque apices, color remissior & minùs purpurascens: in foliis non differt à præcedenti, nisi odore, qui nobis suauior videtur. Serpyllum interdum degenerat in capitula tomentacea, candicantia, quæ florum loco sunt. Est nobis præterea genus aliquod, foliis & caulibus præcedentibus simile, sed hirsutum valde.



Nomina linguarum

Nota vulgo est herba, & Græcis quidem ἕρπυλλος ἢ ἑρπύλλον dicitur: Latinis autem Serpyllus & Serpyllum: Germ. Quendel/ kümel/ kundel/ kyenlein/ hünerköl/ hünerklee/ wild Poley/ vnser frawen betstro/ hünerkerb: Belgis Quendel/ wilden thymus/ & vnser vrouwen bedstroo: Gallis *Serpolet* & *Pillolet*, Dod. It. *Serpillo*, seu *Serpollo*: Hisp. *Serpoll* & *Serpillo*, Dod. *Serpollio* seu *Serpam*, Camer. apud Matth. Angl. wild tyme: Boh. Materii Dausska: Sclauon. Babadusska: Hung. Kakuk fiu h.e. Cuculi herba. Arab. *Hamen*, Serapioni autem *Arelas*.

In serpylli descriptione Diosc. & Plin. non conueniunt.

Porrò tam Dioscorides, quàm Plinius, duo faciunt Serpylli genera: in descriptione tamẽ non conueniunt, quorum alter Serpyllum syluestre negat serpere, alter affirmat: difficile hinc est dicere, cui sit adhærendum. Auctoritas Dioscoridis ad se trahit Turnerum: sed experientiâ nonnullâ adducitur, vt in Plinii sententiam penè faceffat. Quemadmodum enim nullum vnquã vt ait vidit Serpyllum, etsi ex siluestribus translatum, serpere, & ex cacuminibus, caulibúsque radicari denuò, ita nullum unquam, rectum surgere obseruauit, præsertim adultum, sed semper in terram caducum: fatetur tamen Serpyllum etiam siluestre, cùm capitula florésque producit, coliculum tollere, sex circiter vnciarum: & hinc fieri posse, vt Dioscorides Serpyllum syluestre, quo tempore floret, contemplatus, alio tempore non perpendens, pronunciarit Serpyllum siluestre non repere, hortense autem serpere, & ex geniculis denuò radicari, quod obseruationi Turneri repugnat, nisi de siluestri intelligatur in hortos translato.

Tragus in Hist. germ. Serpyllum penè Dictamnum Dioscoridis existimarat, nolebat tamen suâ opinione quemquam decipere, ac ideò in lat. tanquam erroneam omisit.

Serpyll. hort. Matthiol. Syluestre duorum generum.

Serpyllum hortense in Hetruria haud negligitur: sed in hortis seritur, & magnâ admodum diligentiâ colitur, quod etiam inibi (vt Dioscor. inquit) in coronamenta additur. Siluestre duorum est generum vnum flore candido, odore citrei Mali: alterum verò flore purpureo, gustu perquàm acri. Satureiæ simili: vtrumque copiosissimè nascitur apud Goritienses Saluatico monte, quo mihi (inquit Matthiol.) hactenus lætius nusquam videre contigit, nec item odoratius. Serpyllum Theophrasti hortense nil aliud esse censeo, quàm siluestre in hortis satum.

Pulegium montan.

Dodon. in fol. lat. Serpyllum vulgare pingit & describit, ac dicit: Officinæ Serpillum: pleræque verò etiam Pulegium montanum nuncupant. Et passim quidem Serpyllum Veterum existimatur: non tamen tam Serpyllis, quàm Saxifrangæ Dioscoridis respondens. Si etenim diligenter, & ad Serpilli vtriusque & ad Saxifrangæ descriptionẽ expendatur, exiguum Serpillis, plurimùm verò Saxifrangæ simile esse comperietur.

Saxifranga Diosc.

Serpyll. duplex.

Varietatem in flore Serpylli perhibet Lob. in Adu. cùm ait: Serpillum hodie quoddam satiuũ quod habitius & grandius: quoddam verò siluestre, incultis marginibus, sterilibus, & collibus gaudens: facies vtrique Thymi nostratis vulgaris: flosculi purpurantes, nonnunquam & albẽtes. In Obs. pag. 230. in Icon. Plant. p. 423. huius figuram habet inscriptione Serpilli & Saxifrangæ Dodonæi. Clus. Serpyllum vulgare repens vocat.

Saxifranga Dod.

Tab. not.

Tabern. Icon. & Histor. Serpillum minus flore albo: Item Serpillum minus flore purpureo. *Frustra* duas figuras ponit, herbæ solo colore floris variantis.

Camer. hort. Serpyllum maius flore purpureo, & aliud candido. Thal. Serpill. passim, sed rariùs florib. candidis. Hort. Lusit. Serpill. vulgare: item album: ac Serpill. minus.

C. Bauhin. not.

C. Bauhin. Phyt. Serpyll. 2. siue vulgare maius: Camer. Serpill. maius flore purp. & candido: Tabern. Serpill. album, qui & alteram habet figuram, Serpilli albi 2. nomine. Item Serpill. 3. siue vulgare minus: Brunfels. Serpillum: Lobel. Serpill. & Saxifranga Dodonæi: Apud Matth. Serpyll. satiuum 1. Serpill. vulgare minus 2. *Duo hæc* Matthioli Serpilla cur Frater separet, & duas figuras ex Tabern. sc. priorem eius & postremam assumat, credimus excusationem adferre eum vix posse: nec Matthiolus duo hæc Serpilla ab inuicem seiunxit.

Locus

Nulli porrò sunt, authore Clusio, nudi colles, gramineiue campi, aut sicciora prata, viarúmque margines herbosi qui vulgare Serpillum in Pannonia non alant: in omnibus Europæ prouinciis occurrit, passim locis siccis, testante Gesnero, asperis & apricis luxurians: & pro diuersitate locorum ac cœli odorem mutat. Serebatur olim in hortis, idque surculo, non semine. Serpillum hortense in Aprilis initio florens conspexit Marantha: sed Iunio & Iulio mensibus florere scribit Fuchsius. Ego Serpillum obseruaui Monspelii, Patauii, & Basileæ florens mensibus Iulio & Augusto. Geneuæ florens passim mense Maio & Iunio. Montbelgardi in horto Ill. E. C. vnum flore minore, & alterum maiore.

Vires & vsus

Serpylli Vires & facultates ex Dioscoride & Plinio Poëmate hoc describit Macer:

Serpillum veteres dixerunt quòd quasi serpat
Terra vicinum, huic feruida siccaque vis est,
Acri cum vino cœtum contundis Oliuo,
Cui Rosa dat nomen, hoc vngine perlue frontem
Ægroti, capitis solet hoc sedare dolorem:
Nidor combusti serpentes effugat omnes,
Et quoduis animal infundens ore venenum,
Hoc ideò miscere cibis messoribus est mos,
Vt si fortè sapor fessos depresserit illos,
Vermibus à nociuis tutò requiescere possint.
Pestiferos morsus bibitum iuuat, appositumque
Prouocat vrinas, compescit tormina ventris:
Splen iuuat admixto si sæpè sumatur aceto:
Si mel prædictis iungatur, sputa cruenta
Lactantes, mire potus solet ille iuuare.
Haustum cum vino iecoris sedare dolorem
Dicitur, hicque solet producere menstrua potus.

Oculor. caligo.

Serpillum autore Galeno, vsque adeò excalfacit, vt & menses & vrinas moueat, gustu multùm acre. Serpyllum cum melle & aquâ coctum, ad caliginem oculorum, si eo lauentur, commendat Arnoldus Villanouanus. Anton. Roiet è Serpillo cum Sacchаro parat Electuarium pro pauperibus à peste præseruandis, quos antè ientaculum nucis Castaneæ quantitate accipere iubet. Serpillum refrigerare putatur corpora æstu Solis feruida, nô secus atque Allia, Cæpe, cæteraque acria vesca. Rationis quædam vestigia videre est in diuini Maronis Bucolicis.

Testylis & rapidi fessis messoribus æstu
Allia, Serpillumque herbas contundit Olentes.

Facultate Serpillum vulgare calidum & siccum esse perhibet Dodonæus, tertio penè ordine, tenuium partium & incidens: menses euocare; vrinam ciere, calculos expellere; & in balneis ac fomentis adhibitum, sudorem euocare.

SERPYLLVM CITRII ODORE.



Serpyllum hoc ab aliis non obseruatum ait Clusius, qui sic describit: Admodum, vt opinor, simile est vulgari, in omnibus Europæ prouinciis occurrenti: crassiora tamen & magis atra habet *folia*, quæ trita, Citrii mali, vel Melissophylli odorem referunt, & *capitella* paullò maiora, magisque purpurascentia, similibus tamen *flosculis* prædita: crassiores *ramulos*, quadrangulos, palmares, per terram fusos, ad singula internodia fibras agentes: *radicem* verò lignosam, multifidam, fibrosamque, numerosos proferentem cauliculos, summâ tellure in orbem sese spargentes.

Locus & tempus

Clus. in Pann. p. 626. & Hist. post. vocat Serpyllum Pannonicum 1. & Serpyll. Citrii odore. H. Lusit. Serpyllum citratum. C. Bauh. phyt. Serpillum 4. siue foliis Citri odore, & Serpyll. citratum Tabernamontani.

In Pannonia mixtim cum vulgari prodit, cum eo etiam florens Iunio. Ego prope Dornach Serpillum Citrii odore mense Augusto obseruaui.

SERPILLVM ANGVSTO, LANVGINOSOQUE FOLIO.

Descriptio



Latè serpit, & magnos cespites nonnunquam occupat. Nam licèt duram & lignosam habeat radicem, vt præcedentia genera: tenues tamen, quos in circuitū spargit, cauliculi, subinde fibras agunt, quæ têporis successu, in radices non minùs duras, & lignosas euadût, quàm sic primariæ, atque alios deinde fundunt in ambitu cauliculos foliis non minùs quàm proximè præcedentis, oblongis, & iis quidem angustioribus præditos: incana, mollique lanugine pubescentibus: longa in summis cauliculis capitella à Serpilli longo glabróque folio capitellis non differunt, & similibus flosculis plena sunt: semina in villosis rufescentibus vteiculis parua, rotunda, fusci coloris. Tota stirps pineum quodammodò siue resinaceum odorem trita refert, & calido gustu est.

Synonyma

Clusius descriptionis auctor in Pannon. p. 627. itemque in Hist. post. Serpyllum Pannonicum tertium inscribit, ac Serpillum angusto lanuginosoque folio cognominat. Idem etiam ibidem aliud describit Serpyllum: Angusto scilicet folio, odore nucis iuglandis, vel nullo: nec non etiam Serpyllum longifolium hispidum, cuius figura etiam exstat in tabella huius Serpylli ang. lanuginosoque folio. C. Bauh. phyt. Serpyllum 7. siue angustifolium hirsutum: illud verò quod odore est iuglandis 6. angustifolium glabrum.

Locus & Tempus

In Pannonia, Austria, & vicinis prouinciis cū vulgari nasci ait, & florere Iunio. In hac porrò tabella exhibemus ramum Serpilli longifolii hispidi, quod hîc subiicimus.

Serpillum Thymi folio Narbonense.

Descriptio

In Ericetis Egidii pagi vulgò S. Gilles agri Monspeliensis, Thymi angustifolii facie rarior Serpilli species lignosis & durioribus surculis repit, cuius radix & flores similes nostrati. Huius ramulos nobis communicauit Franciscus Peninus.

Pingitur à Lob. in Obs. p. 230. in Icon. Plant. p. 423. sub hac inscriptione: Narbonense Serpillum foliis & facie perpusilli angustifolii Thymi nostratis. C. Bauh. phyt. vocat Serpyllum 1. siue Thymi folio. An Camer. hort. Serpyllum minus

nus folio Thymi, sed virentiore, angusto?

Tab. not. Tabern. dicitur in Icon. & Hist. Serpyllum Creticum. Illi vel eius Succenturiato placuit in hac planta fingere, quæ libuit: Figura ex Lobeliana mutuata & mutata: falsus titulus appositus, descriptio facta ad malè consideratam figuram.

SERPILLVM SILVESTRE ZYGIS Clusio, Thymo vulgatiori rigidiori simile.

Serpyllum siluestre Zygis appellatum, quale Dioscorides describit, obseruabam, ni fallor, (inquit Clus.) in Castella veteri, iisdem locis cum Thymo duriore, siue nigro, cui perquam simile est figurâ, *ramis*, altitudine, & *radice*: *folia* verò paullò latiora habet quàm Thymū, minùs odorata, sed grauiùs nonnihil olentia; vt potè quorum odor ferè sit inter Abrotonum & Stœchadē medius: in virgis item ramulos,

Descriptio



qui *floribus* verticillatim nascentibus vestiuntur, coloris ex albo purpurascentis: quâ florum dispositione & odore, à Thymo discerni penè duntaxat potest. Minor est prætereà eius acrimonia quàm Thymi; quippe quæ aliquid adstrictionis admistum habeat.

Synonyma Clusius author huius historiæ in Hisp. vocat ἑρπυλλον ἄγριον & ζυγὶς Dioscoridis, id est, vt in H. post. (vbi figura) ait, Serpyllum siluestre Zygin Dioscoridis. Est autem hæc Clusii imago apud Lobelium pro Narbonensi Serpyllo: cogitandū igitur, an eandem plantam vterque intelligat [ac cum his etiam Dodonæus, qui in fol. lat. eandem pingit Serpylli alterius titulo.] Vel si non eādem omnes tres pingunt, quis meliùs adaptarit iconē suæ descriptioni: quum verò Clusii descriptioni respondeat, nos etiam ei appoluimus.

CVNILA VETERIBVS. Cap. XLIII.

Cunila genera Plinio Meminit Cunilæ Plinius lib. 20. cap. 16. eiúsque præter satiuam plura statuit in Medicina genera. Est enim quæ Bubula appellatur, Est quæ Cunila gallinacea appellata, Græcis Origanum Heracleoticum dicta. Est quæ à Græcis mascula, à nostris Cunilago vocatur: è contrario est quæ *Mollis* vocatur: est quæ Libanotis: & præter satiuam est etiam montana. Commendantur à Plinio Cunilæ species contra serpentes, tussim, iecinorum vitia, & laterum dolores, vt & ac mouēdas vrinas, ac ducendā mulierū lochia. Masculæ verò dictæ vires vehementissimæ in omnibus generibus.

Cunila bubula est Orig. silu. Bubula vnde dicta Cunilam bubulam Origanum siluestre Græcorum esse, Ruellius conuincere nititur lib. 3. c. 25. placétque hæc opinio, etiam Dalechampio. Gesnerus Bubulam appellatam coniicit, quòd inter boum remedia fortè olim in vsu fuerit, quàquam apud Scriptores in Hippiatrica solùm mētio eius inuenitatur.

Aequiuoca Cunilæ nomine sequentes plantæ passim apud autores occurrunt. Satureia hortensis. Satureia siluestris. Origanum Heracleoticū Matthioli. Origanum vulgare. Clinopodium Matthioli primum. Ligusticum. Conyza. Origanum siluestre. Encensaria. Serpyll. silu. Siler montanum. Acinos. Conyza. Conyza maior Matthioli. Conyzæ mediæ minor species. Conyza media Matthiol.

THYMBRA VETERIBVS. Cap. XLIV.

Thymbra Diosc. Thymbram Dioscorides notam ait, prouenientem in tenuis terræ & asperis locis, similem Thymo, minorem tamen & teneriorem, ferentem spicam flore plenam, viridem. Posse eadem, quæ Thymum, si similiter sumatur. Et in sanitate ad vsum idoneam esse. Nasci & satiuam Thymbram, per omnia minorem sylustri, sed vtiliorem in cibo, eò quòd non ita intentam habeat acrimoniam.

Thymb. satiua silustris Thymbra siluestris quidem, inquit Paulus, eadem quæ Thymus potest: satiua verò per omnia debilior est, sed ad esum melior. Si mola ex crassa genitura, intus adhærescente, generatur, Satureiam [θύμβραν] ex aceto ex aqua tenuiter tritá, potui exhibendam præcipit Hippocrates.

Thymbra appellationes notha Cæterùm, habuisse se antiquissimum & probatissimæ fidei Dioscorideum codicem refert Marcellus, in quo plures Thymbræ à principio appellationes, præter Cunilam & Satureiam, hę legerentur: Clinopodion, Probation, Agrestium, Origanus agrestis: & post barbaras, nullúsque intellectus plerasque alias, à Romanis Cunilam rusticam appellari.

Cunila rustica

Marcelli opinio reprobatur. Marcelli sententię quâ Thymbram, Cunilam & Satureiam vnam eandemque herbam facit, contrarius esse deprehenditur Cornarius, vbi in hæc verba prorumpit: Plinius eandem herbam Thymbram, Cunilam & Satureiam facit. Columella verò, inter Thymbram, & Cunilam, quam Satureiam vocant, distinguit. Quòd verò inter Thymbram & Satureiam sit differentia, in carmine docet:

Satureia quid Cornario. *Et Satureia Thymi referens Thymbræque saporem.*

Mihi itaque mangonio parata fuisse videtur Satureia, & ex Thymo ac Thymbra composita, vt non simpliciter Thymbra, Satureia dici possit. Galenus in simpl. tractatu Thymbram præteriit, nisi excidisse putandum est.

Cornario subscribit inter alios etiam Dodonæus, dicens: Græcis θύμβρα est, nec aliud Latinis nomen verè habet. Nam quod Satureiam interpretes dici velint, Columellę Latino scriptori repugnat, qui inter Thymbram & Satureiam manifestum discrimen ostendit. A vulgo autem in officinis Thymbra nullum nomen accepit.

Confundi tandem tres diuersas plantas vna appellatione, testatur Marcellus. Vtinam, inquit, agrestem Origanum, Thymbram, & Thymum non simul miscerent Herbarii.

De Thymbra in Lex. Rob. Constant. hæc scribit: θύμβρα Dioscoridi, dicitur θυμβραῖα Hippocrati, & θύμβρον Theoph. histor. 7. 1. Plinio Thymbra, Cunila, & Satureia: Columella tamen inter Thymbram & Satureiam distinguit. Aetius etiam τὰ θύμβρα dixit in plurali.

Cæterùm Virgilius 4. Georg. Thymbræ grauē odorem esse perhibet:

Serpilla, & grauiter spirantis copia Thymbra.

Phauorinus verò Thymbron, olus esse acre & amarum statuit.

Thymbræ demum species prima Dioscoridis Anguillaræ, videtur nobis Thymbra Græca.

Thymbræ nomine donatæ plantæ. Thymbra vera Dodonæo, est nobis Satureia durior.

Thymbram hortensem multi faciunt Satureiam satiuam, de qua mox agemus.

SATVREIA SATIVA.

CAP. XLV.



Descriptio. Lignosâ nititur *radiculâ* & simplici, ex qua *virgulta* surgunt, pedem aut cubitum alta, teretia, rubescētia, subhirsuta, geniculis certis distincta, ad quorum singula *folia* nascuntur Hyssopi vulgaris, nonnihil hirsuta, & crebris foraminulis, non tamen peruiis, erosa, odore Thymi vulgaris, mitiore, sapore æquè acri: ex eorundem alis *flosculi* exeunt in quatuor laciniolas diuisi, ex albo purpurascentes: *semen* paruum, Chelidonio conferendum æstimat Tragus, tametsi illo magis sit incanum, & colore subnigricans.

Post Serpyllum, inquit Tragus, atque Thymū, sequitur Satureia, seu hortensis Hyssopus, & iure quidem, quod enim ad formam & temperamentum attinet, consimiles penè apparent commemoratæ plantæ. Est autem hæc inter illas statuenda differentia, quòd Satureia, maior & & magis fruticosa, & quæ instar arbusculæ multis ramulis brachiatæ, quotannis increscit.

Thymbra Diosc. Multi, vt Fusch. Trag. Corn. Lacuna, & alii Satureiam satiuam, Thymbram esse concludunt, quibus adstipulari videntur Matthiolus & Dodonæus. Et hinc quoque Cordus in dispens. supra diahyssop. & diacurcuma Nicolai in defectu Thymbræ, siue Satureiæ siluestris, sumit satiuam Thymbram, h. e. Satureiam hanc nostram.

Hist. Lugdunensis contrà neutram Dioscoridis Thymbram, nostratem Satureiam dici voluit: cuius fuit etiam opinionis Bellonius.

Descriptio. Cæterùm, Latinis Satureia appellatur, Trago sc. Corn. Matthiol. in prior. comm. Lacunæ, Turn. Dodon. Camer hort. & Tabernamontano: Satureia satiua Fuchs. Satur. siue Thymbra satiua Cordo in Histor. Satureia hortensis Lob. in Adu. p. 181. in Obs. p. 232. in Icon. Plant. p. 426. Satur. vulgaris hortensis Matthioli H. Lugd. p. 898 Satur. altera Matth. in comm. cum mag. fig. in Epit. cum add. Camerarii; in Hist. German. eiusdem Satur. prima. Gerardo Satur. hortensis altera: C. Bauh. phyt. Satur. 1. siue hortensis; apud Matth. Satureia altera: Brunfels. Hyssop. agrestis. Dodonæo inter nomina Cunila Columellæ. Gesn. hort. Thymbrā hortensem vocat; in Cat. pl. Thymbram herbam: Cæsalp. Satureiam herbulam.

Nomina, linguarum. Si igitur alia est Thymbra Dioscoridis, & alia Satureia hæc satiua seu hortensis, meritò hanc appellabimus Arabicè *Sahater*, seu *Shatar*, & cū Rhaze *Carohon*: Germ. Saturon/Saturey/Sadaney/Sergenkraut/Funell: Zwibelhysop/Garten hysop/Josephe & hünerfüll: Belg. Keülen/nomine vt apparet à Cunila detorto, item Saturey: Gall. *Sariette*, *Sarriette*, *Sadrée*, *Sauorée*: It. *Sauoreggia*, *Cornicla* & *Peuerella*. Hisp. Cast. *Axedrea*; Cat. *Sagorida*; Port. *Saturagen*, *Segurelha*, Brab. *Timbria*, & *Saturegia*: Angl. Saverye/& Sommer Sauorie: Boh. Saturege: Polon. Fymbr: Hung. Bore fiu.

Satureia vnde dicta. Satureia autem à saturando fortè dicta, quòd eduliis frequenter indatur & incoquatur, id quod germanicum illud nomen hünerfüll innuere videtur, quòd ad gallinaceum genus farciendum non rarò adhiberi consueseat. Prouinciales quidam, vt nobis relatum, vocant *Pebre d'an*, vel *Pebre d'aze*.

Locus. In hortis vbique ferè seritur, quotannisq; moritur. Planta enim est æstiua, quæ per Hiemem durare non potest. Non solùm autem in hortis seritur, sed spontè per se nascitur in apricis collibus, & in torrentium alueis, si fides Matthiolo haud neganda. Eodem quo prouenit anno floret, Tempus. semen facit, ac deinde perit.

Vires & Vsus. Porrò Satureia calida & sicca tertio ordine, sed minùs quam Thymbra (Satureia durior) quā mitior est, atque idcircò etiam vt Dioscorides ait, in cibis commodioris vsûs: Attenuat autem & flatus insigniter discutit, proinde vnà cum Phasiolis (Fabis cum Selino incisa & infrixa edulium gratum Belgis frequens habetur, Lob.) & aliis leguminibus flatuosis vtiliter coquitur ac editur: imo ventri calens in fomento apposita, vteri ex flatu strangulatus mox sedat, authore etiam Dodonæo. Thymo suis in qualitatibus similis est, inquit Matthiolus, proinde excalfacit, aperit, incidit, & digerit. Satureiam planè easdem cum Serpyllo vites obtinere ait Tragus, (sed illo odore suauiorem ac remissiorem, gustu autem & naturâ calidiorem esse, proindéque condimentum pauperum: nam omnibus eduliis tam carnium, quàm piscium concoqui: inducere enim appetentiam ciborum, stomacho conferre, venereḿque stimulare. Alia, si quæ sint, Satureiæ iuuamenta, in historia Serpylli & Thymi declarata esse. Vnum hoc addere libet, consuetudinem nimirum esse pauperibus, in nostra Germania, vt hac herba Brassicas, quas vulgò vocant capitatas, condiant, quì fit, vt illæ iucundissimum odorem, ac saporem gratissimum inde accipiant.

SATVREIA DVRIOR.

CAP. XLVI.

Satureia durior *folia* habet minora, C. Bauhino, aliquando latiora; multóque duriora, dilu-

dilutiùs virentia, quàm satiuâ, numerosa in *ramulis* breuioribus, multis statim è *radice* lignosâ, perenni, pullulantibus: ex foliorum alis spicę vtrinque emicant breues, Hyssopi quodammodò similes, *flosculorum* candidorum.



Synonyma. Hanc Bellon. Obs. lib. 1. cap. 62. commemorat, ac vocat, Tragoriganum circa Hierosolymâ in montibus repertum.

Anguill. speciem Thymbræ facit, & quidem siluestris, quæ in Tuscana vocatur *Tomo*, *Tombl*, ac etiam *Tumo*, quòd sc. folia habeat similia Thymo, sed maiora.

Thymbra Græcorum differt à Satureia. Dodon. Columellæ authoritati innixus, inter Thymbram & Satureiam discrimen statuit: ideòque Thymbram præsentem plantam inscripsit, Thymbramque Græcorum asserit, vulgo ac officinis incognitam. Satureiam autem non esse, etiam ex Plinio concludit.

Lobel. in Aduers. itemque Icon. Plant. p. 426. dicitur Satureia siue Thymbra altera: in Obs. p. 232. pingitur sub falso Satureiæ hortensis titulo. Dicit totam gustu esse Piperis, eòque vulgo Piperellam appellari. *Piperella. Saxifraga 2.* Camer. in Epit. Matthioli itemque Hist. eiusdem germ. Saxifragiam secundam inscribit.

H. Lugd. plantes nomen. Non dubitandum quin H. Lugd. vnius plantę plures proponat figuras: & primæ quidem p. 897. hanc esse inscriptionem, Satureia durior: alteri verò hanc, pag. 898. Thymbræ effigies Dodonæi: fortè & tertiam habet p. 898. sub hoc titulo, Thymbra Dodonæi, quę figura inepta videtur, nec dum eam apud Dodonæum reperi: prior adhæc icon & secunda describitur: tertiæ nulla fit mentio. Indagandum denique quantùm ab hac differat Hyssopus Fuchsii nomine posita p. 934. *An & c.* Et an eandem cum Hyssopo Bellonii.

Tabern. repreh. Tabern. in Icon. & Hist. Thymbra 1. Römisch saturey 1. Item Satureia Romana 2. Pro hac Satureia Romana 2. ponit Compilator iconem, quæ Linariam Beluidere potiùs exprimit, quàm vllam Satureiæ speciem. Quam itaque plantam intelligat nos fugit, & forsan ipsemet ignorat quid scribat.

Locus & Tempus. In Germania ac Belgio temerè fuerit alibi, quã in hortis quærere. Fertur in montosis & saxosis Narbonensibus & Pedemontanis, asperis quibusdam & incultis vbertim prouenire. Nos variis in hortis eam obseruauimus florentem Vere ac etiam Autumno. Montbelgardi in horto Ill. C. Hiemem interdum perfert, nec quotannis perit: nimio tamen frigore existente reponendam curauimus.

Vires & Vsus. Facultatem autem Thymbrę [Satureię durioris] Dodonęus calidam & siccam tertio excessu assignat: attenuare, incidere, meatus expurgare: breuiter, omnia quę Thymum posse & pręstare. Ex opinione Camerarii apud Matthiolum, vrinã cit, calculos in renibus frangit & eiicit, visúmque, si edatur, acuit Saxifraga secunda, cuius titulo Satureiam hanc duriorem exhibet.

THYMBRA GRÆCA.
Cap. XLVII.

Descript. Multis ea *ramis* statim à radice fruticat, Thymi instar, quadrangulis, subasperâ lanugine obductis, purpurascentibus, quibus innascuntur alternatim semper ex aduerso ramuli, *foliis* eadem serie digestis onusti, Thymi genuini foliis pænè similibus, subhirsutis, odoratis, medii quodammodò inter Cunilam & Thymum odoris, acriusculíque saporis: summos ramos verticillatim ambiunt aliquot capitula multis foliolis constantia, inter quę caliculi, è quibus emergunt suauiter purpurascentes *flosculi*, Thymi flosculis similes in quatuor lacinias diuisi quarum infima latior est & repanda, suprema etiam lata, sed breuior, reliquæ duę minores, prodeuntibus è medio quinque staminulis candicantibus, quorum apices fusci coloris, & medio stilo bifido: è *semine* hęc planta nata pusillo, nigro, Thymi semini non absimilis: *radix* dura, lignosa, quam in Belgio perennem futuram, vix sibi persuadere potest Clusius, licèt rami procumbentes fibras egerint.

Clusius legitimam Thymbram statuit, quam etiamnum hodie Cretenses θύμβρι & θρύβι appellent. Arabes, si Rauvvolfio credimus, *Sathar* dicunt. *Sathar Arabum.* Insulę Sio incolis [illegible] dicitur, vt vult Anguillara. Cretensibus τράγ vt scribit Bellonius.

Locus & Tempus. Primùm Clusio conspecta fuit & exactè nota anno reparatę salutis humanę 1595. vt quę illi illo ipso anno in Belgio nata fuit, semine à Bello è Creta vsq; misso. Octobri autem & Nouēbri dũtaxat flores protulit: eamque ob causam nullum semen præbere potuit.

Clusius easdem illi facultates tribuit, quas Thymbrę Diosc. & Paulus.

SATVREIA FOLIIS TENVIBVS, SIVE tenuifolia S. Iuliani quorundam.
Cap. LXVIII.



Descript. Satureia, siue Thymbra vera S. Iuliani, siue Satureia vocata, in Icon. Plant. p. 425.) vt referunt Aduersaria, in Tyrtheni maris asperis & salebrosis S. Iuliani Hetrusci, magno prouentu oritur, aspectu perquàm elegans herbula, quam nullus non fatetur Satureiam veram, quàmque Pisani etiam

vernaculo sermone *Tymbra di S.Iuliano* dicunt, *virgultis* exilibus, palmum altis, sarmentosis, lignosis: *foliis* ab imo crebribus, Thymi Cretici, sed angustioribus, longiusculis, spicam teretem summo gerentibus, *flosculo* copioso intextam: gustu acri & odoro, vniuersa ex obsoleta purpura albicat, Thymo maiore minori fermè par.

Clinopodiũ Cæsalpini. Tabern.dicitur Thymbra vera; Gerar. Satureia S.Iuliani; H.Lugd.p.897.Thymbra genuina Penæ, C.Bauh.phyt.Satureia 3.siue spicata. Is apud Matthiolum duplicem esse ait, in Italia foliorum latitudine solùm differentem: *Nos* Thymbram S.Iuliani eandem existimamus cum Clinopodio Cæsalpini montis S.Iuliani, quòd ait à quibusdam vocari Hyssopum montanum.

SAXIFRAGA VETERIBVS ac in genere.

CAP. XLIX.

Contraria opinio de Saxifragæ capite. CAput Saxifragæ in impressione Basiliensi itemque in comm. in Diosc. Cornarianis est inter reiectanea, vt etiam cum Marcello plurimi sentiunt alii: Hermolaus tamen retinet, videtur etiam approbare Matthiolus, qui variis impressionibus de hac verba faciens, ac sibi minimè, vt ferè nusquam, constans, varia de ea scriptis mandauit. Textus autem Diosc. sic habet.

Saxiphages Pauli. Saxifraga (sunt qui σαξίφραγον, alii σαξίφραγγον, alii ἔμπετρον, Romani σαξιφράγγαν dicunt) furculosus frutex (θάμνος φρυγανώδης) est, in petris & asperis nascens, *Epithymo similis* (ita Ruell locum ab Hermolao vacuum relictum reddit:) Coctus in vino, mox potus, *febricitantibus opitulatur* (hæc Marcell. non adscribit:) stranguriæ prodest, singultum sedat, calculos vesicæ frangit, & vrinam ciet.

Saxifragam autem vrinam mouere, & calculos conterere perhibet etiam Ægineta, qui Saxiphagen (Sarxiphagen Andern.) appellat.

Cestron. Quod porrò genus Sarxiphagi habendum fuerit Galeni 5.de san. tuenda, cap.5. quod calculo laborantibus commendat, & Cetron vocari, ac in Galliis nasci tradit, indagandum proponit Iul. Alexandrinus, nec immeritò. Sunt enim plures Saxifragiæ, de quibus paulò pòst fusè enarrandum.

Saxifraga cur dicta. Cæterùm peregrina Græcis & aliena vox Saxifraga est, indicantque id quæ ad compositionem eius coaluerunt, simul nomen & verbum, Romanæ voces: & quæ non aliter, quàm in Ossifraga aliquotque aliis Romanorum huiuscemodi vocibus, herbam significent, quæ saxa frangat. Nec disputandum modò, dictáne sic fuerit, quia in petris nascens suo ortu eas disrumpat: an quia hominis calculos in vesica frangat. Illud potiùs monendum, legi in hoc capite voces græcas latinasque eiusdem propè soni, sed diuersæ Etymologiæ. Sarxiphagon enim, quasi quod carnes exedat, dixeris.

Saxifragæ æquiuocæ. Saxifragæ autem nomine sequentes donantur Plantæ. Saxifraga vera Diosc. folio Thymi Matth. Saxifr. Matth. foliis Cunilæ. Saxifragia tenuifol. vmbellif. Matthiol. Saxifrag. alba multis rotundifolia. Satureia durior. Serpillum. Saxifr. Antiquorum quibusdam. Polygonum 6.Dodonæi. Daucus glauco folio. Pimpinellæ germanicæ & Italicæ. Visnaga. Visnaga minor. Seseli Massiliense. Saxifraga Pannonica multifido folio. Libanotis altera Dodonæi. Crithmum. Talictrum radice lutea. Sanicula alpina. Polemonium petræum. Saxifr. alba petræa. Tridactylites flore albo. Milium Solis. Filipendula. Halicacabus. Adianth. rubrum. Saxifr. aurea. Erysimum alterum Matthioli. Betonica. Polium. Herniaria. Saxifragiæ Cæsalpini. Saxifr. Bauarica. Anthemon Plinii. Garyophyllus coronarius. Adianthum. Trichomanes. Ruta muraria. Asplenon. Tragopogon. Tormentilla. Coralloides. Melilot. vulgaris. Trifol. pratense luteum. Cali geniculatum. Ononis. Perchepier Anglorum.

Saxifragiæ cuiusdam miraculosæ meminit Adamus à Bodenstein in Onom. Paracelsico, quæ humilis sit & rubra, floribus Centaureæ similis, ac si vitro vino repleto per noctem indatur, vitrum disrumpi, eandemque lapides in homine comminuere. Hæc qualisnam sit tunc dicemus, vbi eam videbimus, aut similem talia miracula præstantem.

DE HYSSOPO VETERVM SENTENTIÆ,

CAP. L.

HYssopus ex Diosc. herba nota, duplex est: altera montana, altera hortensis. Optima est quæ in Cilicia nascitur. Hyssopum siue Hissopum siue Hysopus, Hermolao etiam referente, præfertur Hippocrati Cilicium quidem, sed è Tauro monte: dein Pamphylum & Smyrnæum. Cæterùm, quale sit folium Hyssopo declarat Diosc. cap. de Origano Heracleotico, cui folium adscribit simile Hyssopo. Sed & Origanum Onitis appellatum, albidius foliis est, & magis simile Hyssopo. Comam habere corymboidem apparet ex Chrysocomes capite, vbi sic legitur. χρυσοκόμη ῥάβδον ἐστὶ σπιθαμιαῖον, ἔχει κόμην κορυμβοειδῆ ὅμοιαν ὑσσώπῳ &c. Baccas habere ex Plinii verbis infrà de virib. positis, colligere licebit.

Porrò Hyssopum alii Lauer, alii Cassialam vocant, Ægyptii Pesalem.

Hyssopi demum nomenclatura diuersis attribuitur plantis. Sunt primùm quidam, qui inter Hyssopum Græcorum, & Hyssopum Arabum seu officinarum, quem Symphytum petræum Dioscoridis esse contendunt, distinguere conantur, non sine occasione. Hyssopum verò Græcorum quodnam sit non ostendunt, relinquentes rem summè dubiam, inter tot Hyssopi species, de quibus posthac agemus.

HYSSOPVS VVLGARIS SPICATVS angustifolius, flore cæruleo, rubro, & purpureo.

CAP. LI.

EX *radice* lignosa: dura, crassitudine digitali, *virgæ* surgunt plures, quadratæ, subhirsutæ, geniculatæ, dodrantem longæ, ramosæ, ad quarũ nodos *folia* oriuntur verticillatim posita, foliis lauendulæ similia, sed duplò breuiora, sapore acriusculo, odore non ingrato: *flores* in spicam longam digesti sunt ad ramorum articulos, in vnam partem ferè spectantes, quorum supremum foliolum bifidum sursum reflectitur, bifidum labellum

bellum binis alis superioris parte donatum demittitur, colore cæruleo sæpiùs, albo aut rubro rariùs: *semen* minutum in vasculis oblongis. Odore nonnunquam grato Moschi differens reperitur.

De iconibus iudicium. Cæterùm an pro tribus hisce Hyssopi varietatibus, tribus opus sit iconibus, vt quidam crediderunt, iudicent lectores. Lobel. in Icon. Pl. tres habet. 1. est p.433. hoc titulo: Hyssopus Arabum, Mesuæ & officinarum: secunda est p.434. Hyssop. Arab. flore rubro: tertia p.435. Hyssopus albis floribus. Sed & Gerard. tres dat imagines: Duas verò Tabernamontanus & totidem Hist. Lugd.

Hyssopi differentia C. Bauh. C. Bauhin. cæteris oculatior in inueniendis & obseruandis plantarum differentiis, ita de iis disseruit. Hyssopus 1. siue vulgaris cærulea communiter ex vna parte floret, aliquando ex vtraque, vt expressit Lobelius. Est & odore tantùm differens, moschum redolens. Hæc etiam spicâ breui, & rotundâ aliquando variat. Hyssopus 2. siue cærulea folio dissecto, aliàs à vulgari non discrepans, quare tantùm ramum (cum vulgari vt & nos) apud Matthiolum exprimi curauit. Hyssopus 3. albo. vel rubro flore, flores habet sæpiùs vno tantùm ordine digestos, aliquando vtrinque.

Præter Hyssopum vulgarem, aliam quoque agnouit Gesn. hort. moschatam sc. quę pro Cilissa à Dodonæo describitur, & cum iconibus stirpiũ primi tomi Fuchsii Antuerpiæ excusis cum nominibus & descriptionibus Hispanicis sub libri finem depingitur.

Facilè existimamus Euch. Rœsslin. intelligere Hyssopum vulgarem, quamuis descriptio non correspondeat. Apollinaris etiam lib.2. fol.128. vires sub his nominibus Jsen Ephew, adscribit, huiúsque figuram habet, itémque aliam fol. 100. pro Eppich, i. e. Hedera, sed malè.

Fuchsius malam exhibet iconem: quin & Porta phyt. lib. 2. cap.31. ineptam vulgaris Hyssopi figuram habet.

Cæterùm, non immeritò controuertitur ab autoribus An Hyssopus Græcorum, cum hac Arabum idem sit, nec ne. Et quidem pro Dioscoridis Hyssopo recipitur à Fuchsio, Cordo, Matthiolo, & Amato. Negatiuam verò tuentur sententiam Monachi, Anguillara, Turnerus, H. Lugdunensis, Lobelius, Hort. Lusit. Gerardus, Syluius, Clusius, Bellonius in Obseru. & C. Bauhin. & alii: quorum argumenta refutando nobis minimè satisfaciunt Fuchsius, Cordus, Matthiolus & Amatus: Vnde nos vulgarem nostram Hyssopum Dioscoridis & Plinii esse asserere nondum audemus. Illud interea negare haud possumus Hyssopũ nostram vulgarem non infelici cum successu eius loco in medicamenta venire.

Origanum Dioscoridis Trago. Cæterùm quod nos Hyssopum dicimus, Tragus Origanum Dioscoridis esse sentit, quam verò doctè, ipse iudicato.

Symphytũ petræum Cæsalp. Quia autem Cæsalpinus non audet asserere Hyssopum vulgi floribus cæruleis esse Hyssopum antiquorum ob saporem. Ideò magis ipsi videtur cum Symphyto petræo Dioscoridis conuenire, quod Plinius Alum vocari testatur. Illud solùm ambiguitatem facit, quòd capitula Thymi tribuuntur: non enim cum Thymo Cretico, sed potiùs cum Italico similitudinem gerit cacuminibus.

Nomina linguar. Hyssopum hanc passim officinæ & vulgò appellant: Serap. cap.160. *Halcusa Cyse*: Hebræi 3. Reg. 4. Leuit. 14. *Esof*, & *Osesun* vocant: Thalmudistæ *Schomaschok*: Germ. ysop / hysop / kloster hysop / & kirchen ysop, ob vsum, vt nonnulli crediderunt, quem in Ecclesiis ac monasteriis præbuit, vt populus cum ipsa respergeretur. Vnde & illud esse aiunt Psalm.50. Asperges me Domine Hyssopo, &c. supra quem textum D. Augustinus de Hyssopo quædam monet. Verùm Hyssopus qua vtimur, si Zefiriel in fulm. credimus, nõ est Hyssopus de quo Salomo loquitur. Non desunt, inquit, qui plantam illam, quæ in Hebræo dicitur *Esof*, seu *Esob*, quod Rosmarinum interpretatur, seu Libanotis, Hyssopum transtulerint, vocabulorum vicinitate decepti. Sed, nostrum non est præsentes componere lites. Theologis disceptandum hac de re fuerit. Institutũ nostri ratio requirit, vt nomina linguarum câ fidelitate, quâ fieri poterit, recenseamus. Belgæ Jsopen aut ysope dicunt. Galli *Hyssope* & *Hisope* Lob. Itali & Hispani *Hissopo*, & *Isopo* Dod. Angli hisope. Boh. hyssopo. Nomencl. Pann. Jsop.

Locus & Tempus. Hyssopum angustifolium spicatum vulgarem, flore cæruleo, albo, & purpureo copiosè colui Montbelgardi in hortis: floret in Germania ac Belgio, Iulio ac Augusto mensibus. Geneuæ vidi in hortis Nouembri, interdum Hieme folia retinentem. Tiguri & Tubingæ apud D. Gesnerum & Fuchsium obseruaui Hyssopum moschatam, quam illi montanam quoque vocabant: nobis creuit postea in horto Ill. E. C. Collibus asperis Romaniæ & Veronensi tractui, præsertim secus Athesim, quę Imperatoriam, à Venetorum ditione discriminat, è regione montis Baldi, spontè fruticare hanc refert Lobelius, cum nusquam alioquin nisi in hortis inuenisse dicat.

Vires in genere. Vires quod attinet, *Dioscorides* suo Hyssopo vim tribuit attenuandi ac calefaciendi. Decoctum cum ficubus & aquâ, melléque ac Ruta, & potum, peripneumonicis, anhelosis, tussi diuturnę, destillationi, & erectę ceruicis spirationi auxiliari, itémque lumbricos occidere, scripsit. Et si cum melle delingatur, idem facere. Decoctum eius crassa per aluum ducere, cum aceto mulso potum. Edi & cum ficubus viridibus tritis, ad aluum subducendam. Sed vehementiùs purgare admixto Nasturtio aut Iride, aut Irione. Inducere item bonum colorem. Eandem ad splenem & hydropem, in cataplasmate imponi, cum ficu & Nitro: cum vino verò ad inflammationes. Discutere etiam sugillata, cum aqua feruente impositam. In anginis commodissimè gargarisari, cũ ficuum decocto: dentium quoque dolorem mitigare cum aceto coctam, si colluatur. Soluere & aurium inflationes eiusdem decocti vaporem. *Galenus* Hyssopum tenuium partium esse dicit, & tertio ordine calefacere ac siccare. *Hippocrates* 2. de diæta [Greek] esse statuit. De Hyssopi viribus *Plinius* sparsim hæc annotauit. Anginę medetur Hyssopum cum vino decoctum & gargarizatum. Faciles præstat vomitiones tritum cum melle, vtilius præsumpto Nasturtio, aut Irione. Manipulus huius decoctus ad tertias cum sale, pituitas trahit illitus, vel contritus cum oxymelite & sale, pellítque ventris animalia. Ad lienem prodest cum fico decoctum. Comitiales sanant baccę ternę contritę, & in aqua potę diebus sedecim. Hyssopus, inquit *Mesues*, (qui pleraque ex Dioscoride & Galeno transscribit) calidus & siccus est ordine secundo, vel potiùs tertio. Pituitam etiam crassam purgat, sed minùs quàm Thymus confert præsertim partibus respirationi dicatis, & cerebri affectibus &

viscerum tumoribus,lumbricos necat & prodest aurium tinnitui.

Notandum verò apud veteres authores, non leui sed ob communitatem vocum facili errore pro ὑσσώπῳ supponi οἰσύπῳ: & pro Cardamo Cardamomū vt apud Diosc.scitè annotat Cornarius.

Ex herba Hyssopi Tragus fomenta, epithemata,& balnea rectè confici testatur: clysteribus item in passione colica vtiliter adhiberi. Aquam in qua Hyssopus decocta fuerit, omnes psoras, scabies: & mentagras sanare,si ex illa colluantur. Hyssoppum nostrum flore spicato iis omnibus pollere viribus,quas Hyssoppo reddidit Dioscorides, experientiam comprobare asserit *Matthiolus*: aduersari serpentium morsibus, cum sale & Cumino admotum: ex oleo illitum pediculos necare & capitis pruriginem tollere: comitiales iuuare quouis modo sumptum. *Dodonæo* præter alia Obstructiones aperit, crassa incidit: lenta attenuat, & vt faciliùs expuantur,præstat. Cum carnibus bubulis decocta,non insuauiter ex iure editur,ori ac ventriculo grata: vrinas verò etiam mouet,& ad vrinæ stillicidium vtilis est. Eius Syrupum ad calculum valde commendat *Mizaldus*. *Euchar.Rorßlin* Aquæ varias tribuit vires inter alias contrarias,nostro iudicio, dum scribit aperire venas & postea utilem mulieribus laborantibus copiosioribus menstruis. *Fuch notat.*

Præter aquam verò Hyssopi hodie quoque vtimur succo,syrupo,conserua,vino,& oleo,ad iam dictos vsus,de quibus plura in medium adducere non statuimus. *Præparationes variæ.*

HYSSOPVS SPICA BREVI, LATA.



Descriptio HYssoppū aliā præter vulgarem non immeritò quidam reperiri ferunt apud Dodonæū, *cauliculis* breuioribus, & plurimâ parte humum versus reclinatis: *foliis* paullò nigrioribus ac crassioribus: *flosculis* verò in cacumine in breuis spicæ modum digestis, colore quoque pulchrè cæruleis,& vulgaris formâ similibus. Verùm hæc species rarissima.

HYSSOPVS PARVA ANGVSTIFOLIA.

Locus. ALuit aliquando Belgica hoc genus humilius & tenerius, hispanico semine natum, alioqui formâ non multùm differens à vulgari, cæruleis *floribus*, quod *ysopillo* vocabant, quia nimirum semen, ex quo natum tali nomine inscriptum fuisset. An verò Hyssopus hic Hispanicus minor Clusii istic etiam nunc alatur me latet. Hissopum hanc tenui folio attulit ex Anglia *Hyssop Hispanicus minor Clus.*



Doct. Thomas Platerus,folio angustiori, quam in vulgari, odoris grati.

Lob. in Ic. Plant. p.434. vocat Hyssopum paruam, angustis foliis. In Belg.Hissopum vulgari omninò similem,sed multò minorem angustifoliam.

An est Gerardo Histor. Angl. Hyssopus 4.tenuifolia,thin leas sed hyssope.

HYSSOPVM GORITIENSE FLORIBVS verticillatim ambientibus.



HYssopi ex agro Goritiensi ramum pedalem dedit D.Agerius, rectum, firmiusculum, folia producētē glabra,per geniculos bina, vnciam circiter longa, culmum lata, Satureiæ duriori similia, alia inter illa multa, sed minora, odoris grati & suauis, sapore nonnihil acri,cum leuissimâ amaritudine: spicam vnciis duabus longiorem,angustam,siue tenuem, tenuiorem multò quàm in vulgari,multis paruis constantem verticillis, & secundum vnumquodque verticillum foliola duo floribus longiora: flores non vergentes in vnam partem vt in vulgari,sed ambientes,paruos, multis apicibus donatos,quos cæruleos fuisse coniicio. *Descriptio*

An Matth. Hyssopus montanus Goritiensis agri?

HYSSOPVM MONTANVM MACEDOnicum Valerandi Dourez.

DOdrantalis est *ramus*, lignosus, quadratus asperiusculа incana lanugine hirtus: breuibus surculis adnatis fissus : *folia* ex interuallis verticillatim disposita, Satureiæ vulgaris foliis nonnihil similia, breuiora, rigida, nigricantia, aspera, angusta, acuminata, lanugine candida ciliari per margines ornata, sapore acri, aromatico, ad Satureiæ saporem accedente : *flores* eodem modo ex foliorū sinu,per ramorum summitates, *Descript.*



tates, vertigillatim digesti, Satureiæ vulgaris floribus similes, hiantes, staminae rictu promunt, calycibus oblongis purpurascentibus multifidis, subhirsutis: à triginta annis hanc ad seruo, vnà cum aliis plantis Valerandi Dourez, nomine Hyssopi montani Macedonici.

An Abs, Abes, aut Gusen Arabū Anguillaræ?

HYSSOPVM MONTANVM
Cilicium quibusdam.



Synonyma

IN Fuchsii Epitome Hispanica nominatur ὕσσωπος ὀρεινὴ κιλικία, Hissopum mótanum Ciliciū, *El Verdadero Isopo, que lleua tiene la flor e l. rada.* In Hist. Lugd. pag. 934. Hyssopus montana Fuchsii. In Phyt. Casp. Bauhini, Hyssopus 5. siue mótana Lugdunensis.

HYSSOPVS FOLIO ORIGANI DAL.



Descriptio

HYssopus Dalechāpii, folio rotundo Origani Heracleotici nihil odore, sapore, floris spica cærulea, diuersum à vulgari, sed ea re tantùm, quòd folium maioranæ, Pulegióue simile ac rotundum in longum non porrigitur vulgaris modo.

Hyssop. genuina Diosc. Hist. Lugd.

Et hāc Hyssopum genuinam Dioscoridis statuit ex Dalechampio H. Lugdunensis. Et hinc relicit communem illam Maioranam (Origanum nimirum Heracleoticum Ruellii) quam Pena & Lobelius pro Hyssopo genuina Græcorum assumpsit.

Hyssop. foliis Pulegii C. Bauh.

Cæterùm, an Hyssopus hæc 6. siue foliis Pulegii, sit Hyssopus Dioscoridis non immeritò hæret C. Bauh. in phytopinace.

STOECHAS ARABICA VVLGÒ DICTA.
Cap. LI.

Diosc.

VTilis iuxta ac pulcher est frutex, *radice* lignosà, crassiuscula, virgulas emittente lignosas, cubitales & bicubitales in ramos aliquot diuisas, *folia* per geniculos Lauendulæ bina & ex alis alia minora plura, incana, odore & sapore aromatico: singuli *ramuli* quadranguli, plerumque foliati vti obseruamus in *spicas* fastigiantur, crassiusculas, vnciales, aut longiores, pilosis squamulis imbricatas, in quibus *flosculi* purpurei: præterea ex cacumine emicant foliola aliquot purpuromolacea, visu grata, qualia fere in Hormino Matthioli. *Icones* nostræ sunt ex Fuchsianis & Clusianis respondent.

Icones.



Stœchas Diosc.

Hanc asserimus esse illā herbam, quam Dioscorides Stœchadem appellat, tenuibus surculis, comà Thymi; sed folio longiore, gustu acri, & aliquātulùm subamaro. Plinius odoratam herbam ait, comà Hyssopi, amarā gustu. Serapio Dioscoridis verba recitat, vt & Galeni, quæ infrà de viribus adscribemus. Mesues Arabicam extollit, herbam foliis tenuibus, oblongis, stipite gracili, cinericeo, cubitali, flore spicarum Siliginis æmulo, breuiore, sine semine: calidam recessu &c.

Comà Hyssopi.



Ruellii verò opinionem quā Arabicam Stœchadem distinguit à Græcorum Stœchade, quam citrinam facit, recipiendam non existimamus.

Curaui, inquit Cordus, Arabicum Stœchada, nostro orbi peregrinam plantam mihi adferri, alterumque ex Narbonensi Gallia, semen terræ mandaui aliquoties: & è semine prodiit planta ramulis, foliis, odore, sapore, & ramulorum, foliorumque positu spicæ Lauendulaceæ per omnia similis. Porrò Mesue vehementer errat, quòd scribit Arabicam Stœchada semen non habere, cùm illi satis manifestum & perspicuum sit.

Mesue lapsus.

Stœchadem etiam exoticam facit Syluius: ex Creta enim habitiorem & meliùs nutritam, ob id meliorem peti scribit: multam tamen nobis domesticam ex insulis Stœchadibus esse non negat. Prouenire etiam multam in Arabia, quam inde Arabicâ cognominant, & quę à Mesue præfertur, flore præsertim, pòst foliis: spicâ ex purpureo cærulea, odorata.

Stœchas Massiliensis.

Cæterùm, Massiliensis pelagi Stœchadem plærumque Arabicæ vicem explere testatus est Matthiolus. Stœchadem, inquit, officinarum vulgus Sticados appellat. Nascitur hæc non modò in Gallia (vt Dioscorides scribit) ex aduerso Massiliæ in insulis, quas Stœchadas vocant: sed & in Arabia, vnde cum aliis mercimoniis, quæ ex Alexandria aduehuntur, Venetias comportatur. Quapropter tam à Medicis, quàm à Seplasiariis, indito ab Arabia cognomento, hodie Arabica nuncupatur: etsi Massiliensis pelagi Stœchas plerumque Arabicæ vicem expleat. Prouenit prætereain nonnullis Italiæ locis, verùm ea cæteris in Italia præstat, quæ ex Gargano Apuliæ monte aduehitur: quanquam omnium probatissima est peregrina, quæ ex Arabia defertur, hanc deinde sequitur, quæ in Stœchadibus insulis nascitur, à quibus primùm nomen adinuenit.

Stœchas montis Gargani præstat.

Synon. Lobelius in Obs. p. 234. Icon. Plant. p. 429. sub Stœchadis, siue Stichadis titulo, pingit Clusii Stœchada breuioribus ligulis, vel vt ipse ait in in Obs. summis cauliculis vt plurimùm foliis stipatis. In Obs. dicta pag. in Ic. Plant. p. 430. Stœchadem nudis cauliculis summis. Illam vocat H. Lugd. p. 918. Stœchadem Matthioli; Hanc, stœchad. capitulis foliatis, quam Clusius longioribus ligulis appellat.

Tabern. & Gerard. nutantur. Compilator non apposuit Stœchadis Arabicæ, vt vocat, figuram. Gerardus verò pro Stœchade ponit iconem à Tabernamontano pro Spica hortulana exhibitam, flore albo. Ipsemet autem quasi duas confundat plantas, titulum facit, Stœchas, siue spica hortulana.

C. Bauh. phyt. Stœchadis primæ, siue purpureæ titulo, dubio procul intelligit Stœch. cauliculis foliatis: secundam siquidem, stœch. cauliculis non foliatis appellat.

Nomina linguarum Στοιχὰς & Στιχὰς Græcis, Lat. Stœchas, Stœchas, Sticas, Stichas, & vulgo officinarum Stœchados & Stichados. Arab. *Astochodos*, *Astuhrados*, siue *Astuchudes*. Germanic. Stichaskraut & Stöchaskraut. Gall. *Stœchados*. Ital. *Stecbados*, seu *Steca*. Hisp. *Tomani*, *Cantuello*, *Cantueſſo*, *Tomillo*. Angl. french Lavender.

Stœchas verò nomen accepit à Stœchadibus ex aduerso Massiliæ (vt ex Matth. dictum) sitis Galliæ insulis, in quibus prouenit. Sunt tamen qui existiment Stœchadem rectiùs Stachim quasi spicam dici.

Amatus hallucinatur. Quàm congruè Amatus herbam fruticosam dicat, in vniuersa Hispania admodum frequentem, Lusitanique Rosmarinum appellent, non video.

Locus & Tempus Herbarios in multis Germaniæ hortis Stœchadem seminare, & magna cum diligentia colere prodidit Fuchsius. In plurimis Hispaniæ, Lusitaniæ, & Galliæ Narbonensis locis, Aprili, Maio, nonnunquam etiam Autumno florere scripsit Clusius. Galenus Stœchada multam vbique terrarum nasci dixit, Sed plurimam in Creta, & insulis Stœchadib' in Iberico mari sitis. *Stœchades verò insulæ* non è regione Massiliæ, vt perperàm scripsit, annotante Lobelio, Dioscorides [bidui enim itinere & litore inde absunt:] Sed è regione Olbiæ sitæ sunt, vulgò *Hyeres*, oppidulo olim tam lauto, quàm nobili, à quo etiam hodie insulæ Stœchades nomen retinent. Non solùm verò Stœchades insulas, sed etiam colles Narbonæ, asperosque tractus Gallo-prouinciæ tanto prouentu Stœchade scatêre legimus, vt etiam clibanis calfaciendis satis suppetant. In quibusdam Italiæ montibus quoque prouenire affirmauit antea Matthiolus, & Camerarius in monte S. Iuliani, prope Pisam. Nobis Stœchas Arabica in horto Ill. E. C. sata sæpè prouenit, sed non tantùm non floruit, sed nec Hiemem etiam repositа pertulit.

Diosc. fallitur.

Vires & Vsus. Stœchadis decoctum, auctore *Dioscoride*, quemadmodum Hyssopi, ad pectoris vitia efficax est. Antidotis commodè miscetur: [quæ sequuntur, desunt in exemplari græco Basiliensi.] Liberat ab obstructione, attenuat, extergit, & corroborat viscera omnia, & totum animantis habitum. Menses ciet potu, inquit *Plinius*, pectoris dolores leuat. Antidotis quoque miscetur. Ischiadicos dolores & spinæ leuat Stœchadis farina ex aqua mulsa pota. De Stœchadis viribus *Galenus* hæc prodidit. Stœchadis gustu quidem qualitas amara est, & mediocriter subadstringens. Cæterùm, temperies composita, nempe ex terrena essentia frigida, exigua, vndè sanè adstringit: & extenuat altera terrena copiosiore, à qua amara est, & mediocriter subadstringens: ob vtrorumque verò conuenientiam & coitum, obstructione liberare, extenuare, extergere, roborareque tum viscera omnia, tum totum corpus ea potest.

Temper. ex Galeno.

Vires ex Mesue Mesues plures & insigniores vires eidem assignat. Tenuat, inquit, terget, purgat, resoluit, aperit hepatis & lienis, & aliorum viscerum obstructa, putredinem prohibet, omnes internas partium intemperies, præsertim cum materia, corrigit: cerebrum, neruos, cor, & alia viscera, partesque omnes internas vi parum adstringente roborat. Purgat autem bilem atram, & pituitam etiam ex cerebro, neruis & sensuum instrumentis, easque partes roborat: omnibus frigidis affectibus est salubris, Fotu, balneo, potu. Oleum quoque Stœchadis cerebrum & neruos calfaciendo, ceu vitam illis restituit. Syrupo, vel aliâ formâ Stœchas sumpta, quartanis & reliquis diuturnis febribus præsertim pituitosis succurrit. Calidis, siccis, biliosis, præsertim quibus multa bilis flaua in ventriculo redundat est noxia, quia turbat ventriculum, & sitim, vomitum, ardoremque molestum excitat: ac quoniam imbecilliùs purgat, ipsi additur pars sexta salis communis & salis gemmæ: additur & Myrobolanus nigra, aut Cæpula, vt valentior eius fiat vacuatio (item Scilla, præcipuè in capitis affectibus. Eadem sero lactis macerata, vel incocta fit potentior: cum vino autem, passis purgatis, succo pomorum dulcium cocta innocentior. *Oleum* verus Stœchade & pauca spica imbutum, est magnarum virium.

Oleum.

Delectus partium. Pars Stœchadis potior flos, paucam decoctionem sustinet, longiorem verò eius folia floribus igno-

ignobiliora. Potatur Stœchadis decoctum ab vnciis quinque ab v[ncii]s septem: pulvis autem à drachmis tribus ad drachmas quinque.

STOECHAS VIRIDIS.



Stœchas viridis Dalechampii à Bauhino missa, tota iucunda viriditate nitet, *foliis* per interualla in caules multis duobus longis, aliquot aliis multo breuioribus, capitulo in caulis summitate longo, rotundo, cum duobus in summo foliolis, ex quo lutei *flores* exeunt.

Elichryson. C.Bauh.phyt. vocat Stœchadem viridem à I. B. Lugduno missam, facitque Elichryson vndecimum.

STOECHAS SERRATO ET CRISPO folio.



Descriptio. Stœchadis genus hoc valdè rarum Clusio obseruatum, eiusdẽ cum Stœchade Arabica altitudinis, lignosis, fragilibus, tenuibus, quadrangulis *ramis*: *Foliis* etiam olongis, angustis, omninò serratis & crispis, parte supernâ virentibus, infernâ candidis, calidi & amari gustûs: eius extremi quóque ramuli desinunt in dodrantales *virgulas*, nudas, quadrangulas, incanas, quæ *spicam* sustinent Stœchade longiorem & rariorem, ad Lauendulæ minoris spicam prope accedentem, è multis similiter veluti membranaceis squamis congestam, cũ eminentibus in summo quibusdam latiusculis foliolis è purpura cæruleis, vti in Arabica: *flores* ex singularum squamularum sinu copiosi, purpurei, vt in præfata: *semen* etiam simile, quemadmodum & *radix*.

Sucus Auicennæ Hist. Lugd. Stœchas serrato folio, ab Hist. Lugd. p. 1200. *Sucuds Auicennæ Myconi* titulo pingitur & describitur. Tabern. Hist. & Icon. dicitur Stœchas serrata. Lob. in Obs. p. 235. in Icon. Plant. pag. 430. itémque Gerardo Anglo Stœchas folio serrato, Angl. Toothed Sticadour. C. Bauhini phyt. Stœchas 3. siue serratifolia.

Locus & Tempus. Stœchadem crispo folio non nisi in summa Hispaniæ Calpe nascentem, & suis floribus onustum Februario mense inueniebat Clusius, primùm ipsi conspectum Scintræ in Regiæ arcis hortulo, quatuor supra Vlyssiponem leucis, floribus & semine plenum. Sucudum H. Lugdunensis quóque in Hispaniæ incultis aridis, montosisq; locis nasci, & in hortis etiam coli refert.

Vires. Facultates eædem huic insunt quæ Stœchadi Arabicæ.

CAPVT AQVILÆ, HYSSOPI FOLIO, summitate Stœchadis.
CAP. LII.

Descriptio. Herbæ Capitis aquilæ nomine ab Amato descriptæ *caulis* est subtilis, quadratus, dodrãtalis altitudinis, in quo *folia* stricta, oblonga, Hyssopi modo sunt, quibus a latere alia duo folia à caule orta hærent, summitate verò caulis *flores* Stœchadis modo plures sunt, in quorũ [med]ia parte alij flores nascuntur, cum albedine rubricantes, per medium diuisi, vt vnusquisq́ue illorũ *flos*, serpentis caput referre videatur, vel potiùs Achillis [fortè legendum aquilæ] vnde nomen traxisse videtur.

Hæc autem adstrictoria herba est, & vt sapore percipitur, frigida temperaturâ.

TRAGIVM ALTERVM DIOSCORIDIS quibusdam folio Trichomanis.
CAP. LIII.



Descriptio. Radice est albicante, lõg usculâ, gracili. Ex qua *surculi* emergũt lignosi, vix minimum digitũ longi: quibus *folia* adhærẽt lõgiuscula, pulchra serie disposita, aduersa, haud secus ac in Trichomane digesta, iis tamen longiora, vt in Asplenio, quibus & colore similia: nam supernè pulchrè virent, infernè verò cinereo tomento obsita, minora præsertim & ab imo primùm pullulantia. Inter hos surculos alii prodeunt *cauliculi*, nudi, purpureos flores spicatos sustinentes.

Rauvvolfius descriptionis auctor vocat Tragium alterum Dioscoridis, Incolæ verò Halepi *Secudes*, quo nomine & Arabibus, præsertim Auicennæ cognitum fuisse suspicatur, ac ideò parte 4. Icon. n°. 123. Tragii Dioscoridis, Secudes & Secudi Auicennæ titulo pinxit: itémque H. Lugdun. in append. pag. 29. licèt aliam plantam, Stœchadem sc. serrato & crispo folio, Secudes Arabum esse cum quibusdam aliis potiùs existimet.

Sed & C.Bauhin.Phyt. Tragium alterum Dioscoridis constituit. Hoc tamen negat Fab. Columna, qui in Tragio hirci odorem requirit,quē plantam hanc exoticam habere non referunt. Considerandum igitur quantùm differat à Succude H. Lugdunensis,de quo antè sub Stœchade serrato folio. *Aequiuoca* Tragii & quæ veteres de eo scripserunt,legenda erunt lib.29.

Locus. Cæterùm,in agris circa Alepum & montibus vicinis, copiosè obseruatum Tragium hoc alterum Dioscoridis Rauvvolfio,vbi præsertim locis,vt ad fontium riuulos ex alto scaturientium.

Est & aliud Tragium secundum Dioscoridis quod Anguillara Epist 14.& Lobelius Tragium alterum Scolopendri folio nuncuparunt:Vid.loc. Anguill.

PSEVDO NARDVS, QVÆ VVLGO SPICA.
CAP. LIV.



Etymon. ODORIS Nardi affinitas Pseudo-Nardo nomen imposuit, non item facies, Stœchadi similior:

Descriptio *virgis* autem cubitalibus,& sesquicubitalibus, quadratis, duris, iisque multis ex lignosa *radice* ortis fruticat: *folia* infima quidem incondita, superiora ex aduerso bina per interualla longiuscula, incana, culmum, aut etiam secunciam lata, duarum, triumue vnciarum longitudine, neruo medium percurrente, odore vehementi grato, sapore amaricante: summis ramulis *spicam* gestat longam, verticillatis calyculis cæruleis constantem, è quibus *flosculi* emicant cærulei seu violacei.

A Cordo in Hist. Lauendulæ maioris titulo describitur, ex qua sc. oleum Spicæ. Illi autem apposita figura ex Trago, & annotatum Lauandulam maiorem, vulgus Spicā Nardi nominare, Dodonæum verò Lauandulam marem. *Ol. spica. Spica Nar. Lauand. mas.*

Trago hæc spica, est Nardus Germanica, quā reponit sub libanotide prima Dioscoridis. Gesner. hort. vocat Nardum vulgarem, Stœchadiq; veterum cognatam ait, ex Cordi sententia. In eat. tamen Nardum & Spicam appellat,& Pseudo Nardum statuit. *Nardus germ. Trago. Libanotis 1. Diosc.* *Stœchas.*

Ψευδόναρδος græcè & latinè nominatur, inquit Fuchsius,quòd sc. non sit vera & genuina Nardus, cuius Dioscorides & alii Veteres meminerunt. Duūm cernitur generum, mas & fœmina. Mas vulgò Spica cognominatur: fœmina verò, Lauendula nuncupatur. Mas procerior est,& maiorem spirat odorem, nec minùs quàm Nardus placet. Frutex est folio crassiore, carnoso, angusto, colore languido, in candidum vergente, piloso, frequentibus spicis in aristas sparsis: flosculis in spica ferè cærul[eis]. Hoc nos Pseudo-Nardum marem diximus. Officinæ & vulgus herbariorum Spicam, à spicatis floribus nominant. Spicanardi / itemque lauender: Galli *Narde & Aspic*,Aspicum Gesner. Itali vulgari lingua *Spigo* nuncupant. Hisp. *Nardo al Espliego, Alhuzema, & Lauandula.* Angli frensche Spick Narde: Boh. Spikanarde domaci: Nomencla. Pannonicus Lauendulam maiorem Spikinard vocat. Et haud abs re nomen Spicæ latinū & tritum ad Stœchadem allusit, idem enim signat Stœchas græcè,quod Spica latinè; nempe propter similitudinem totius, primùm faciei, deinde saporis & loci. *Genera duo*

Cæterùm, Spica à Lauendulæ specie non est diuersa, sed hoc tantùm discriminis interest; spicæ, vti dictum, fragrantia odoris maior, & grauior: folia maiora & latiora Stœchadis, & spicæ longiores & inflexæ: Lauendulæ aromatici & gratiæ plusculùm, folia breuiora & tenuiora, spicæque breuiores, & rectæ. *Inter spicā & Lauendulam discrimen.*

Porrò, Pseudonardum hunc marem vocat Matthiol. Nardum Italicam: Lobel. in Aduers.Spicam, in Obs.p.235. [itemque Icon.Plant. p.431.] Spicam recentiorum, & Nardum Italicam, Stœchadem Arabicam Mesues, & Spicam Siliginis Mutoni: Dodon. Lauendulam: Clus. Lauendulam spicam; item Lauendulam longiorem habentem spicam inflexam, longioraque folia, flore cæruleo, siue purpureo. Hist.Lugd.p.920. Lauendulam marem: C.Bauh. phyt. Lauendulam 1.siue latifoliam, flore cæruleo. *Synon.*

Compilator Tab. in Hist. & Icon.cur Spicam albam inscribat, scire haud possum. Ille minùs diligenter descripsit & depinxit Pseudo-Nardi species. *Tabern. reprob.*

Gerard. proponit iconem Tabern.titulo Lauendulæ hortensis minimæ, The Schmallest lavander, an bene iudicent Lectores. *Gerard. not.*

Lauendula in genere existimatur esse Casia, odorata illa herba, cuius Virgilius subinde meminit. Sed horum opinionem tanquam erroneam damnamus. De Casia egimus Histor.n.g. libr.4. *Casia.*

Qui tandem Lauendulam hanc, Cneorum album esse contendunt, omninò hallucinantur. Nequaquam enim crassā est, vt Cneoron,radice, nec altè descendente, ramulis non lentis,& non Autumno, sed Æstate florens: proinde Cneori species aliqua esse non potest. *Hallucinātur qui Cneoron volunt.*

Vestiuntur in Hispania & Narbonensi Gallia plerique montes & campi deserti Lauendula mare.In reliqua Gallia,apud Germanos & alibi in hortis seritur, Iunio, ac Iulio flores exerens. Monspelii inter saxa spontè proueniens floret etiam Autumno. In vitibus plantata feliciter etiam prouenit. *Locus & Tempus.*

Pseudo-Nardus qua Spica flore albo.

Hæc quia solo floris colore albo à præcedenti differt, superfluum esse duximus propriâ imagine eam exprimere, contrà quàm statuit Tabernamontanus, qui Spicæ hortulanæ flore albo titulo inscriptam dedit. Eandem penitùs iconem Gerardus Stœchadis, siue Spicæ hortulanæ, inscriptione pictam exhibuit, licèt Stœchadi non conueniat. Deprehenditur itaque Gerardus con- *Tab.fallit.* *Gerard. lapsus.*

confundere Stœchadem cum Spica Tab. alba.

Vocatur hæc à Lob. in Adu. Spica alia flore Viticis albo: à Dodon. Lauendula flore albo: à C. Bauh. Lauendula latifolia flore albo: à Clus. Lauenda longiore folio & spica, flore albo, in Hispania spontè proueniens.

PSEVDO-NARDVS, QVÆ LAVENDula vulgò.



Descript. Totâ quidē facie, vti dictum, Spicæ vulgò dictę, seu Pseudo-Nardo mari proxima est fœmina, siue Lauendula vocata, minor vtcunque, nec *foliis* adeò albidis, minoribus, nec odore adeò vehementi prædítis, spicati *fl. sculi* nō dissimiles, sed spica breuiori & erectiori.

Lauendula offic. Pseudo-Nardum hanc amplitudine & odore minorem, fœminam appellat Fuchsius: Officinæ & herbarii recentiores Lauandulam, vel Lauendulam: eò quòd balneis & hominum lauacris expetatur, elotáque omnia, si permisceatur, odoris commendet suauitate. Germani ad hoc nomen alludentes, lauendel & lafander nũcupant: Belgæ & Angli lauender: Galli *Lauande*: Itali *Lauanda*.

Lauend. vulgaris minor Cordo. Hanc Cordus in Dioscor. vulgarem Lauendulam appellat, & ex maiore illa in hanc degenerasse scribit. In Hist. Lauendulæ minoris titulo describit. Ei autem figuram ex Trago adaptauit Gesnerus, qui Lauandulam vulgò dici & Stœchadi Veterum cognatam esse contendit. Tragus quidem Cassiam germanicam vocat, & sub Libanotide prima Dioscoridis reponit.

Lobel. in Obseru. pag. 236. & Icon. Plant. p. 431. Spicam Lauendulam vocat. Clus. inscribit Lauandam vulgarem breuiore folio & spicâ: Tabern. Ic. & Hist. Lauandam primam. Gerard. Lauandam flore cæruleo: Hist. Lugd. pag. 419. Lauandulam fœminam: C. Bauhin. Lauandā 2. siue angustifoliam: Dodon. Lauandulam alteram: alii Lauandam & Lauandulam minorem, itémque fœminam.

Locus & Tempus. Gaudet apricis & petrosis, vbi perpetuâ comâ exitu Veris canescit, & Iunio & Iulio mense spicatur, floribúsque prægnans fit. In Hispania quidem & Gallia Narbonensi spontè prouenit. In Germania verò & Belgio non rarò in hortis, locis à Sole illustratis, seritur: sed etiam in vinearum collibus lęta fronde nascitur.

Pseudo-Nardus quæ Lauendula flore albo.

Lauendulæ albæ Lobel. in Ic. Plant. p. 432. itémq; Compilator Tab. tam in Ic. H. ponit iconem particularem, quasi differat a pręcedenti: si cognouerat differentiam aliam, præter colorem, cur non de ea admonuit? Iam si color solam facit differentiam, vt nos equidem existimamus, quid opus erat icone illa, quam Gerard. quoque hoc titulo expressam dedit: Lauendula florę albo, withe flored lauender spike.

LAVENDVLA MVLTIFIDO FOLIO.



Descrip. Cubitali interdū altitudine assurgit, quadrangulis & hirsutis *ramulis*, quos multifida, tenuitérque incisa ambiunt *folia*, lanuginosa, cineriíque coloris, acris gustûs, & iucundi odoris: *flores* in summis virgulis quadrangulis, nudis & lanuginosis, spicæ instar, vt in Lauendula, cōgesti, cæruleo colore prædíti, odorati: *spica* autem aliquantulùm contorta est, & in quatuor veluti versus aut ordines digesta, alia interdum ex alia nascens: radicē habet duram lignosam, & multis ramulis donatam, quam viuacem esse facilè sibi persuaserit, descriptionis author Clusius.

Synonyma. Lobel. in Obs. p. 236. Icon. Plant. p. 432. & H. Lugd. p. 920. inscribunt Lauendulam multifido folio Clusii: C. Bauh. phyt. Lauendulam 3. siue folio dissecto: Gerard. Stœchadem multifidam: Taber. Lauendulam secundam.

Locus & tempus. Nascitur circa Malacam Bœticæ vrbem, vbi illam primùm inueniebat Clus. colle quodā illi vrbi vicino, Februario mense florērē: deinde circa Murciam mense Martio, nec vsquam alibi. Excalfacit & siccat ordine tertio completo, inquit Matthiolus; aperit, attenuat, resoluit & concoquit. Confert omnibus frigidis cerebri affectibus: ventriculum roborat, & iecur ab infarctu liberat. Lienosos iuuat, vterum calefacit, & menses ciet. Flores ex vino decocti, & illiti vrinam pellunt, & flatus dissoluunt. Eorundem decoctum ictericis, auxiliatur, à iocinoris infarctu affectis, additis Marrubio, & Fœniculi radicibus. Stillatitia florum aqua pota, amissam reddit loquelam: præstat eadem ad animi deliquia cùm pota, tùm naribus, & arteriis admota. Oleum à florib. Oleum, quod è floribus distillatur, illinitur vbi excalfacere est opus. Matth.

Est Dodonæo Lauandula, potentiâ ac viribus calida siccáque, & ordine quidem tertio: tenuium item partium, est ex multis aëreis spirituosísque partibus constans: frigidis ea de causa capitis morbis quouis modo adhibita confert, & pręsertim iis, qui non ex copioso humore, sed ex sola potissimùm qualitate originem ducunt. Proinde & stillatitius eius liquor odoratus, & temporibus ac fronti illitus, catalepsi, leuiori hemiplexiâ, ac subinde comitiali morbo, ac non rarò syncope laborantes reficit. Sed vbi humorum copia adest, præsertim sanguini commixtorum, non satis tutus huius vsus est: caput enim implet & morbum intendit: *Dodon.*

tudine, eas simul relinquimus, pro maiore tamen iconem Fuchsianam proponimus, vt quæ iã sculpta erat, & ei satis accedat. Figura quoque Clusii maioris angustifoliæ non malè exprimit nostrã maiorem. Minorem quidem curauimus pingendam de nostris plantis siccis, licèt, vti dictum est, eandem putemus cum maiori.

Maiorem C. Bauhin. vocat Veronicam 2. siue spicatam angustifoliam: minorem, Veron 3. siue spicatam minorem.

Veronicę porrò rectæ vulgaris duas species inter se discretas inueniri affirmat quoque Clusius. Nam alteram maiorem esse, latioráque habere folia, & longiorem florum spicam animaduertit: alteram minorem, graciliorem caulem, angustiora folia, breuiorémque spicam. Sed considerandum an easdem Clusius nobiscum intelligat.

Compil. Tab. err. Si compilator Tabern. per Veronicam rectã primam: itémque Veron. rectam minorem, easdem nobiscum intelligit plantas, non multùm placet pictura rectæ minoris, in qua minùs feliciter assequitur iconem Lobelii.

An Auricula muris 4. Cæsalp. An est Cæsalpino lib. 8. cap. 27. Auricula muris quarta, hirsutior tertiã: Veronicã vulgatiori?

Locus & Tempus Vtramque etiam obseruauimus Geneuæ, & in Sabaudia florentem Iulio. Circa montem Saleuę non longè à Geneua Februario, sed siccam. Mõtbelgardi prouenit in agris prope Audincourt. Insignis Medicus Petrus Turn. aliquando detulit collectam inter Heidelbergam & Spiram: is asserebat prouenire in Angliæ Bristoia. In Pannonia & Austria infra Onasum, nullæ sunt cæduæ siluæ, nulli aridiores colliculi & aggeres, qui non alant vulgarem supinam Veronicam, teste Clusio, maximã copiã.

Vires & vsus Recentiores huius vsum vnicè commendant. Tragus, qui Teucrium vocat, totã suã substantia amarum ait easdémque cum Betonica & Chamędri facultates obtinere. Si quid verò de præstantia eius dicendum sit, hoc vnum affirmat, Teucrium vino maceratum ac distillatum mirabili & efficacissimã vi aduersus aëris pestilentem intemperiem ac quasuis pestilentes febres pollere, adeò quidem, vt ea in re multas alias plantas longo post se interuallo relinquat. Ad eadem cõmendat herbam in vino decoctam. Teucrium, inquit prçterea, vitiis lienis opitulatur, lienẽ ipsũ potenter absumit, per aliquot ex ordine dies potum. Aqua Teucrii stillatitia per aliquot dies binis vnciis pota, vertigini auxiliatur, lentam incidit pituitam, sanguinem purgat, stomachum excalfacit, meatus iecoris aperit, pulmonis & lienis vitia emendat, venas purgat, thoracis crassos humores discutit, nec non matricem & vesicam, sudorem & venenum expellit, regiúmque similiter morbum, & calculum renum, & si quæ sunt aliæ corporis totius pestilentes affectiones. Pecoribus tussientibus pastores herbam in puluerem redactam, cum sale exhibent. Folia cum aceto, vel tusa, vel cocta, per aliquot dies imposita, induratum lienem discutiunt & absumunt.

Vlcera putrida Scabies. Vncia Vitrioli in puluerem redacta ac in aqua Teucrii liquata, collutione putrida vlcera, lichenas, serpigines, papulásque, & alias quasuis scabies purgat, sanatque. Idem succus herbæ prçstat, vel per se, vel cum alumine. Et vt paucis omnia dicat, Teucrium non solùm hominibus, sed & iumentis, ad internas & externas affectiones, vtilissimum prædicat.

Fuchsius ex amaritudine quadam & vehemẽti adstrictione, quam in gustu præ se fert, calidam & siccam esse coniicit. Mirificè ad cruenta ac vetera vulnera & vlcera sananda conferre, Scabiei denique & omnibus cutis vitiis mederi. *Vlcera cruenta. Cutis vitia. Elephantiasis* Latum est quondam huius herbæ adiumento Rege Galliç elephantię morbo correptum, à quodam venatore sanatum esse, cùm is ceruum à lupo vulneratum eius herbæ comestione, & assiduã in illa volutatione, curasse se ipsum animaduerteret. Quisquis igitur, inquit, vsum Veronicæ verum tenuit, is certè ad grauissimas affectiones corrigendas non duntaxat vtilissimum, sed necessarium deprehendet, &c. Is autem præsertim ad pulmonum quæcunque vitia, pestem, discutiendos tumores, & expurganda quæ in vesica, renibus & vtero sunt summè prædicat: atque ad aperiendas omnes obstructiones.

Extractum Veronicę extracto contra pestem multùm tribuebat Io. Crato trium Imperatorum Archiater. Veronica autem optima quę ad radices Quercuũ crescit: colligitur Iulio.

VERONICA MAIOR LATIFOLIA FOliis splendentibus & non splendentibus.



Descr. CVbitales profert *caules*, interdum etiam ampliores, non valdè ramosos: certè quàm rarissimis alis, sed multis nodis, prçditos: *folia* contrariis inter se petiolis, ad singulos nodos nascẽtia, duas aut tres vncias longa, vnam lata, crassa, ex atro viridia splendentiáque, raris & vix conspicuis crenis serrata, gustùs admodum adstringentis & exsiccantis, deinde acris: summo caule spicatim crescunt multi conferti *flosculi*, Veronicæ rectę dictę floribus formã similes, sed colore paullò dilutiores, ab infima parte spicarũ explicare se incipientes, quemadmodum Teucrii flores, & alii plerique qui spicę in modum congesti nascuntur: *semen* in planis vasculis continet, exile, fuscum: *radix* crassa est, multísque fibris donata, singulis annis nouos ex lateribus caules producens.

Est & alia huius species, cubitalem altitudinem non excedens, multísque in summo caule ramis prędita, cuius folia superioribus non minùs ampla & crassa sunt, sed neque splendent, neque adeò atra sunt.

Conspicitur & tertia species, secundæ non valdè dissimilis, cuius folia euidentioribus crenis serrata sunt ramulique oblongiore florum spicã prçditi, in reliquis conueniunt: vtrique sapor idem, qui in priore, authore Clusio.

Inuenitur genus hoc cum suis speciebus, in multis Pannoniæ siluosis montibus, gaudetque

umbra: sed & Stiriacarum & Austriacarum Alpium radices hanc alunt. Floret Iulio, aliquando etiam Iunio, in hortis præsertim: semen Augusto & Septembri maturum est.

VERONICA MAIOR ANGVSTIFOLIA, caulibus viridibus.

Descriptio



Fibrosa *radix* lateribus se propagat, nouos singulis annis stolones promens, cubito non minores, rectos, virides, veluti nodis aut geniculis distinctos: *folia* in singulis nodis bina, ex aduerso nascentia, oblonga, eius Lysimachię, quæ cæruleum fert florem, penè similia, sed crassiora, & in ambitu minùs serrata, gustu adstringente, & ingrato, postea acriusculo: summi rami in *spicas* desinunt cæruleorum flosculorum, quatuor foliolis constantium, in quorum vmbilico duo staminula cum exiguo stilo: *semen* in bifidis vasculis, planis quidem, sed aliquantulùm tumentibus & puluinatis, exile admodum & rufum.

Habet etiam hoc genus alteram speciem, cui media sunt inter vtrumque genus folia, h.e. illo paullò latiora, illo (præcedenti) tamen angustiora, caules minùs ramosi, dilutiorque florum spica: sapor quidem adstringit & exiccat, sed non adeò vehementer, vt in prima specie, autore Clusio.


Cæterùm, Veronica hæc secunda Clusii, siue maior angustifolia, multùm conuenit cum nostra Veronica spicata recta.

Locus & Tempus — Iisdem locis quibus latifolia prouenit, & cum eadem eodem tempore floret, & semen perficit.

VERONICA SPICATA RECTA, profundè serrata, quam Lysimachiam cæruleam quidam vocant.

Descriptio — Cubitalis, teres, glabra, ex certis interuallis terna, aut plura *folia* ad nodos habet, Ptarmicæ Fuchsianæ foliis similia, vncias duas aut tres longa, culmum lata, valdè serrata, glabra: spica longa *floribus* densè congestis constat, cæruleis, quibus deciduis remanent longa staminula. Flores dicit Lobelius nitidos, Teucrii, Germandreę, aut Lauendulæ longiores; plura exigua succedere marsupiola, in quibus *semen* minutum: exiguâ & & fibrosâ *radice* niti.

Lysimachia cærulea hortensis. — Inscribit autem in Adu. Obs. p. 186. & Ic. Plant. p. 344. Lysimachiam cæruleam hortensem, Veronicam rectam quorundam: Dod. Gall. Lysimachium cæruleum: Lat. in fol. Pseudo Lysimachium cæruleum: nonnulli Lauendulam siluestrem vocant



sed malè: vt Gesnerus etiã perperàm Anagallidis aquaticam speciem dicendã existimauit.


Synon. — Clusius & H. Lugd. Lisimachiam cæruleo flore quoque vocant, C.B. phyt. Lysimachiam 14. siue spicatam cæruleam. An Camer. hort. Veronicam Spicatam cæruleam? An Tabern. Icon. & Hist. Veronicam rectam secundam?

Vbi nasc. — Rarior hæc in hortis; Londini Iunio & Iulio floruit in horto Morgani: Belgicis autem siluis dicitur crescere spontè. In hortis verò apud Belgas facilè luxuriat Soli expositis locis, non omninò aridis: vmbrosis non proficit, aut ægrè: tota Æstate flores gignit Dodonæo authore. In Pannonia, & vicinis Austria atque Stiria regionibus, vel secundum riuos, vel in montanis pratis spontè nasci narrat Clusius.

Rarior omninò & parcior huius vsus. Nam facultates eius explorare nondum cuiquam curæ fuit.

VERONICA SAXATILIS.

CAP. LVI.



Descriptio — Foliis vestiũtur *cauliculi* lignosi palmares, crebris, binis, ex aduerso sitis, Serpylli foliis paullò longioribus, obiter subindè crenatis, glabris, per extremum rotundis; summos caules ornant *flores* maiusculi, cærulei, Chamædrios spurię vulgaris floribus similes: *radix* lignosa, satis longa: tota planta valdè amara est.

An Veronica minor alpina Serpylli folio Ponæ? C.Bauh. phyt. dicitur Veronica 7. siue fruticens.

Locus. — Reperi plantam in Valle Telina Rhætiæ, & in Wesen in muris: Geneuæ in Monte Thuiri. Prouenit in Sneberg & alpestribus Stiriæ iugis, vbi Iunio floret: at, teste Clusio, etiam in hortis Maio, semen Iunio ad maturitatem perducit. In altioribus


tioribus verò summitatibus Baldi Orientem versus floret Iulio mense: semen Augusto maturitate perficitur. Cęterùm, perennis naturę planta est: licèt frigore depereant comę.

Tota planta, & semen gustu adstringente deprehenditur, nullà percepta acredine, aut mordacitate: vnde in fluxibus, & in quibus adstringere sine caliditate opus est, aptum esse medicamentum iudicauit olim Pona.

VERONICA FOEMINA QVIBVSDAM, aliis Betonica Pauli, Serpillifolia.

Cap. LXII.

Descrip.



Radice tenui infirmâ per terram serpit: quà terram attigit, propagatis fibris se radicás: *coliculi* attollũtur aliquot semipalmares, tenues, geniculati: ad singulos articulos *folia* bina opposita, Serpilli, oblonga, subrotũda, nõnihil interdum crenata: *flosculi* ex foliorũ supremorum alis tenui & breui pediculo pulchelli, inodori, quatuor foliolis constantes quorum tria cærulea, aut albicantia, striata, quartum reliquis minus, albidum, nullis striis pictum: *stamina* in medio alba, apicibus cæruleis: succedunt *vesicula* Veronicæ similia.

Veron. fœmina Dod. gall.

Euphragia dicitur Brunfelsio, sed falsò: Trago Sedum agreste. Dodon. gall. Veronicã fœminã vocat, gall. *Veronique femelle*, germ. Erenpreiß weiblin / Belg. Erenprys wyffen. Lat. in fol. Veronica pratensis, Veron. tertia. Lobel. in Adu. Obs. p. 250. Ic. Pl pag. 472. Veronica minor Serpillifolia. Gesn. hort. Betonica Aeginetæ secundum Turnerum. Thalio dicitur Veronica fœmina. Hort. Lusitan. Alsine palustris. C. Bauh. phyt. Veronica 6. siue pratensis Serpillifolia, glabra & hirsuta: Mysotidis species apud Dioscoridem quibusdam, Alyssum Dioscoridis Columnæ. Ast Alyssum Columnæ alia est planta de qua sub Alsine: neminem prætera nouimus qui Veronicam serpillifoliam hirsutam aut dixerit, aut pinxerit, vt frater voluit.

C. Bauh. not.

H. Lugd. not.

Descriptio Veronicæ fœminæ Dodonæi apud H. Lugdunensem est duarum plantarum simul confusarum: nempe huius de qua agimus, & Elatines quæ quibusdam etiam Veronica fœmina dicitur.

Locus & tempus

Veronica fœmina Dodonæi in pratis ac humentibus exit: Iunio & Iulio floret, ac viget, reliquis anni mensibus etiam viret. In siluis sub Quercubus, locis arenosis, montibúsque ac collibus & agrorum limitibus nasci author est Tragus. In horto Sionis & siluis plerisque non procul Sione, flore albo, mixto cæruleo: semine Bursæ pastoris obseruata à Turnero Montbelgardi in horto Ill. C. W. & aliis locis abundat. Basileæ non longè à Castello Hermes floret Maio: Lugduni Martio: Geneuæ in segetibus Aprili.

Eadem pollicetur quæ Veronica mas, sed inefficaciùs: radix nonnihil calida & desiccans ad Serpilli gustum insipidiorem accedit Lobelio, licèt à Dodonæo ignaua & nullius vsûs habeatur.

Facultatibus Veronica.

CHAMÆDRIS SPVRIA ANGVSTIFOLIA.

Cap. LVIII.

Descript.



Mvltas ab vna *radice* tenui, sed lõgâ, repente, lignosa, fibrosâ, *virgulas* per terrá diffusas, interdum nonnihil humo delatas profert, teretes, & hirsutas, itidémq; lignosas, tenues, longitudine palmari & dodrantali in quibus bina per interualla *folia* opponuntur, oblonga, in ambitu serrata: virgulæ in ramulos aliquot circa extremum diuisæ, *flores* sustinent in spicam digestos, non simul se expandentes, cùm inferiores existant, cæruleos, singulos quatuor foliolis constantes: staminulis concoloribus & stilo tenuissimo, quorum pedicellis breuibus & tenuibus appositum est foliolum tenuissimum oblongum viride.

Teucrium non est, nec Chamædrys legitima.

Hanc autem non esse Teucrion, nec legitimã Chamædrin, notius est quàm refelli opus habeat. Nihilominus tamen ante notam Chamædryn, vel etiam Teucrion, huic Chamædrios in officinis nomen accesserat, ac pro Chamædri in medicamentorum compositionibus admittebatur: nostro quidem iudicio non sine errore.

Brunfels. falso vocat Chamæpityn.

Brunfels. Rhaps. 10. Tomi tertii malè huius herbæ figuram sine descriptione, Chamæpityos titulo pingit. Nec multò meliùs in Herb germ. Chamædryn & Querculam minorem appellat.

Fuchsius inscribit Chamædryn vulgarem marem, sed hanc ab aliis Chamædryos speciebus suâ descriptione non distinguit. Tragus in eius descriptione obscurus est. Matth. in comm. cum mag. fig. solam imaginem proponit Teucrii secundi titulo. Sed & Cast. Dur. ineptam dat iconem Chamædryos alterius inscriptione. Dorsth. quoque pro Chamædry Pseudo-Chamędryn hanc exhibet.

Dod. gall. Verbenacæ annumerat, eámque Hieræbotanes fœminæ, *Veruaine basse femelle*, titulo ostendit. Lat. verò in fol. proprio capite pro Chamędry siluestri describit, & depingit.

Cęterùm, Dodonęus lat. vnicam dat figuram & descriptionem nempe angustifolię, cum gall. duas proposuisset figuras ex Fuchsio (maris Ic. de qua hîc agimus, & quam is fœmellam cognominat: & fœminę, de qua postea dicemus, & quam

is marem inscribit.) & duas descriptiones, quæ placebant: cur autem Lat. alteram reiiciat, nobis haud constat.

Facilè crediderim Chamædryn angusto folio, & sequentem lato, intelligere Gesn. hort. per Chamædryn falsam, insipidam flosculis cæruleis, suæ spontis vbique, Schaffkraut; & alteram eius speciem in siluis & montibus nascentem: de collo. stirp. Chamædryi affinem, flore cæruleo duorum generum: Clusium per Teucrii primi genus Chamædryos nomine à vulgo nuncupatum in Pannon. In Histor. per Teucrii quarti tertiam speciem. Lobel. in Obs. 259. per Teucrium pratense alterum, Herbam sacram, & Verbenacam supinam fœminā Dodonæi. Ic. Plant. per Veronicam supinam facie Teucrii pratensis. *Cur autem* supinam dicat, rationem non adfert: in Aduers. non separabat à sequenti. Teucrium 2. Tabern. Auricula muris 5. Cæsalpino: Chamædris 9. siue spuria maior 3. C. Bauh. phyt. Eidem apud Matth. Teucrium alterum, Chamædrys altera Tragi.

Libel. nor.

Locus & Tempus Nascitur pluribus locis in pratis iuxta flumina, riuulos, scrobes, ac fontes, subinde & in nemorosis: Et Iunio, Iulio ac Augusto cum floribus viget.

CHAMÆDRYS SPVRIA LATIFOLIA.



Descriptio PRo Chamædry vera receperat iam olim vulgus plantam numerosis fibris radicatam & reptatu subinde sese propagantem, è quibus exeunt *coliculi*, spithamam aut etiam cubitum alti, lanuginosi, ex nodis subinde fibras radicis vicem subpleturas producentes: vnde etiam aduersa *folia* oriuntur, Chamædryos veræ foliis similia, latiora quàm Chamædryos adulterinæ maris, vtrisque molliora, tristiùs virentia, hirsuta, similiter tamē serrata, sapore amaricante prædita, qualia, sed proportione minora, per ramos, qui oppositi sunt, nascuntur, & quidem tam hæc quàm illa, sine pediculo, caules ramosque amplectuntur: *flores* in thyrsum digesti per aduersos ramos hilari cæruleo nitent, è quatuor foliolis cōpositi, non ita frequentes vt in adulterina mare: in quorum medio apices violacei: singulorum autem florum pediculo ligula apposita est.

Locus. Chamædryn vulgarem fœminam lato folio obseruaui Ferrariæ in Monasterio S. Dominici à l'Angeli, Basileæ etiam & Montbelgardi frequētem in hortis, spontè quoque nascentem.

Vires. Caloris & siccitatis cum amaritudine participem esse, ac Tussi, incipienti hydropi, indurato lieni, stranguriæ, viscerum obstructionibus, Cacochymiæ & virginum fœdis coloribus conferre tradunt Tragus, Lobelius & Dodonæus.

CHAMÆDRYS FALSA MAXIMA, AN Teucrium 1. siue maius Pannonicum, Clusio.



Descriptio COngener Chamædryi vulgari, verùm multis numeris eâ maior: *folia* longa, acuminata, serrata, per hirsutos *caules* bina: *rami* itidem ex aduerso positi longam sustinēt *florum* spicam, Chamædryos vulgarę similem, maiorem, succedentibus compressis, bifidis, capsulis. Florentem reperi Geneuæ mense Iunio in colle *la Bastie*: Clusius verò in collium omnium & montium Pannoniæ petrosis herbosis locis.

t

Chamædrys falsa supina atro-virente folio.

Lobelius è Teucrii familia esse existimauit, docereque id flores cæruleos spicatim prodeuntes, & foliola; sed angustiora, longiora, minusque serrata; Polio montano paria, atro-virentia, in cauliculis dodrantalib. humi fusis, ideoque Teucrium paruum supinum appellauit. Oritur in Frisia iuxta Deuenteriam & Ouerissel.

CHAMÆDRYOS FALSA SPECIES. Teucrium 2. aut 5. Clusii.



Descriptio HVmi procumbunt huius *rami* dodrantem longi, per quos ex opposito bina semper *folia* Chamædryos foliis similia, serrata, in obtusum mucronem desinētia: *flores* magnam ramulorum partem occupant, spicati, Chamædryos adulterinæ cæruleæ floribus similes: bifidæ succedunt compressæ *capsellæ*, *semen* comprehendentes russum: *radix* subest fibrosa.

Hanc etiam describit Clusius, eius tres faciēs species: ratione scilicet caloris vel cærulei saturatissi-

ratissimi, vel dilutioris & quasi cineracei, vel ex carneo candicantis.

Synonyma Clus. in Pannon. vocat Teucrium Pannonicum minus, Teucr. 2. In Hist. post. Teucr. 5. Tabern. Teucrium Pannonicum Vngerisch Bathengel. C. Bauh. phyt. Chamædryn 11. siue spuriam minorem latifoliam secundam.

Locus. Nascitur omnibus ferè siccioribus agris incultis, herbosísque aggeribus & colliculis, secundum vias publicas inferioris Austriæ præsertim Viennensi agro, & apud Neapolim vicinam vrbem loci natura munitissimam. Floret Maio.

CHAMÆDRYS SPVRIA MINOR angustifolia.



Descriptio Chamędrin hanc siue spuriam minorem angustifoliam, prædictæ valdè similem, sed ramosiorē, altiorem, *foliis* duplò, triplóue angustioribus in agris Rauracis siccioribus incultis, vt circa balneum Brüglingen copiosè obseruare est, authore C. Bauhino. Talem mihi dedit Thomas Platerus Basileę collectam: eādem flore albo reperi in hortis quibusdam circa Montbelgardum.

CHAMÆDRIS SPVRIA TENVISSIME laciniata.



Descriptio Sanè quàm elegans hæc est Chamædryos species. *Caules* erigit pedales, altiores, teretes (prꝫterquam crassiores, qui ab ima parte quadranguli videntur) firmos; ramosos, lanugine quâdam modicâ obsitos: *folia* secundum genicula singulis vtrinque plura hærent, tenuissimè ac profundis segmentis laciniata. Ramulorum extrema *vascula* ex longiusculis pediculis gerunt singularia, cordata, Chamædryos vulgaris, foliaceo caliculo compressa, in quibus *semen* exiguum coloris spadicei, compressum. *Radix* crassiuscula multis nigris fibris donata.

In Goritiensi agro D. Ageriuslegit, nobísque pro figura & descriptione elegātes aliquot plantas exhibuit.

CHAMÆDRYS VETERIBVS & in gen ere. CAP. LIX.

Chamædryos falsæ vulgatioribus speciebus traditis, reliquum est, vt ad genuinam ex Galeno, Theophrasto, Plinio, & Dioscoride tradendam nos accingamus, iuniorúmque in corū sententiis explicandis opinionem intelligamus.

Chamędryn igitur sunt qui Chamæropa, qui Lynodryn, qui Trixaginem dicunt. Sunt etiam qui & hanc propterea, quòd aliquam cum Teucrio similitudinem habet, Teucrion pariter appellent: Nascitur in asperis & petrosis locis. Est autem *frutex* palmi altitudine: *folia* habens parua, figurâ & fissurâ quercus similia, gustu amara: *florem* subpurpureum, & ipsum etiam exiguum. Colligere oportet suo semine prægnantem herbam. Vim habet viridis decocta cum aqua, & pota auxiliandi conuulsos, tussientes, liene indurato laborantes, difficultatéque vrinæ oppressos, ac hydropicos in principio. Ducendi etiam menses & fœtus. Lienem quoque liquandi cum aceto pota, & imposita. Trita verò & in catapotia efformata ad eadem efficax est. Potest & vlcera vetera repurgare cum melle. Tollit etiam caligines oculorum cum oleo trita ac illita. Natura autem ei est calefaciendi, vt Dioscoridis scripta testantur. Chamædrys [inquit Plin. lib. 24. cap. 15.] herba est quæ Latinè Trissago dicitur. Aliqui eam Chamędropem, alii Teucrion appellauere. Folia habet magnitudine Menthæ, colore & diuisurâ Quercus. Alii Serratam, & ab ea serram inuentam esse dixêre, flore penè purpureo, Carpitur pregnans succo in petrosis, aduersus serpentium venena, potu illitúque efficacissima. Item stomacho, tussi vetustæ, pituitę in gula cohęrenti, ruptis, conuulsis, lateris doloribus: lienem consumit, vrinam & menses ciet. In plerísque is cum Dioscor. consentit.

Ex Diosc. Chamæropa. Chamædrys. Linodrys. Trixago. Collectio. Vires. Conuulsi. Hydropici. Est diuretica. Oculorum caligines. Ex Plinio. Serrata. Serpent. venena. Tussi. Lateris dolores.

Theophrastus tamen lib. 9. c. 11. Hist. aliam vim foliis, & aliam semini assignat, similibus verbis. Chamędryos quidem folia ad rupta & vulnera in oleo trita valent, & ad vlcera: fructus autem purgat bilem. Oculis quoque prodest. Folium verò ad albugines tritum in oleo confert. Habet folia, &c. Sed partes quidē omnes herbę eiusdem minimè ad idem vtiles fore haud quicquam absurdum fortasse. Radicis verò eiusdem partem vnam superna: alteram inferiora purgare profectò mirabilius.

Ex Theoph.

Ex Galeni authoritate Chamędrys vincentem habet qualitatem amaram: est & quodammodò acris. Quocirca meritò lienes colliquat, & vrinas ac menses prouocat, crassitudinem humorum incidit, & viscerum obstructiones purgat. Ponátque eam quispiam in tertio ordine excalfacientium & desiccantium: plus tamen calfacit, quàm desiccat.

Temper. ex Galeno.

Chamædryn porrò nihil aliud quàm humilem & terrestrem Quercum exponit Marcellus, ac ab eiusdem coacta breuitate aliud Chamęropis nomen illi ab aliquibus factum esse narrat. Sic enim ex veterum Græcorum & Latinorum fide legendum existimat, etsi Dioscorides Chamædropa

vocari tradat. Plinii quoque codices omnes ante Barbari castigationem Chamæropem vocari Trixaginem dicebant.

Aequiuoca Ad Chamædryos æquiuocationes quod attinet: Sciendum est Chamædryos eius, quæ verior existimatur, & procul dubio non multis officinis in Germania nota est, nec etiam visa, quatuor esse differentias Clusio, sicuti etiam Lobelio. Eodem nomine præterea sequentes donantur plantæ. Chamædrys arborea. Teucrium. Chamæd. spinosa. Chamædrys montis Sumani. Chamædrys saxatilis Baldi. Clinopodium alpinū Ponæ. Chamædrys alpina flore Fragariæ albo. Chamædrys vulgaris officinarum quarundam, Chamædrys maxima. Chamædrys spuria minor angust. folia. Chamædrys spuria tenuissimè laciniata. Botrys altera siue verticillata. Scordium. Veronica. Radix Lapathi acuti. Chamædrys vulgaris spuria latifolia, folio rotundiore.

CHAMÆDRYS VVLGO VERA existimata.

CAP. LX.



Descriptio Reptatricium classi accensenda, *radiculas* lignosas obliquè agit, fibrisque tenuissimis subinde rursum radicatur: *virgultis* donata dodrantalibus, rubentibus, lanuginosis: quibus *folia* ex interuallis adnascuntur, bina ferè, opposita, Quernorū diuisurâ, longitudine vnciali & maiore, latitudine semunciali, rigida, neruosa, hirsuta, sapore subamaro, subdulci, & aromatico, *flores* in folia spicatim quodammodò exeunt purpurascentes, labello scutellato, alis duabus acutiusculis ad angustam ceruicem appositis, supra quas surrecta ceu spicula: pro galea verò, quâ destituuntur, purpurantia *stamina* surriguntur.

Matth. not. Matthiolus, qui non describit, picturam habet quæ non in omnibus placet, nec in comm. post. cum mag. figuris meliorem exhibet: Præstat autem Camerarii in Hist. germ. itemque Epit. Trissaginis & Chamædryos titulo.

Dod. not. Dod. lat. in fol. Chamædryn repentem vocat, ac in minorem, vt Clus. quoque, & maiorem distinguit, duasque figuras pingit, quamuis in descriptione vnius tantùm plantæ meminerit: In icone autem, quæ maior inscribitur, nihil repentis apparet, ac propterea displicet.

Lonic. lib. 5. cap. 14. huius Chamædryos figuram absque descriptione dedit, his nominibus, quæ inter se confundit: Chamædrys vulgaris mas, Bathengel Mänlin/Erdt weyrauch.

Synonyma Chamædrys porrò dicitur planta, de qua hîc agimus, Fab. Columnæ, Gesn. hort. Turn. Cast. Dur. (cuius icon non placet) Matth. Anguill. & Cornario. Chamædrys vera (ita etiam Cord. in Diosc.) itemque Chamæd. 1. siue nobilis Trago. Cham. vera mas Fuchsio. Chamædr. vulgò Querculæ, Cæsalpino. Cham. mas maior & minor Hort. Lusit. Chamædrys 2. siue maior repens, 1. Tragi C. Bauhino in phyt. Item Chamædr. 3. siue minor repens: vera mas Fuchsii, maior Lob. Ic. Chamæpytis Brunfelsii. *Quam ob rem* quæso separat frater Tragi 1. Chamædryn, à vera mare Fuchsii; similes cùm sint icones: Brunfelsii Chamæpityn diuersam admodum esse, nempe Pseudo-Chamædryn, asserimus, in quo etiam lapsus est Cordus. C.B. not.

Græcis hæc planta χαμαίδρυς, ἢ χαμαίδρυψ (Marcell. tamen χαμαίζωψ legendum censet:) ἢ λινόδρυς, quibusdam etiam Τρίξαγο: Lat. Trixago, aut Trissago dicitur, iuxta nostri seculi Medicos: Chamædrys in Hetruria. Senensibus præsertim; vulgo Quercinola (aliis Querciuola) Quercula minor & humilis Quercus: Plinio lib. 24. cap. 15. ob incisuras quas retinet, Serrata, & aliis Serratula: Insubribus & Manlio Calamandrina: nonnullis Febrifuga & Herba febrium; Apuleio Drys, Drysites, Barbaris & Arabibus (vtentibus genitiuo pro nominatiuo) Camedreos, Camedryos, Damederios, Chamedrius & Kemadrius: Laurent. Phrysio Kamel & Trizaoga appellatur. Germanicè Erdeiche / Gamanderlin/ Germanderlin/ Bathengel/ klein Bathengel/ & Bathonien: *Chesnettes, petit Chesne*, & *Germandree*: Italis *Quercinola*: Hispan. *Camedreos*: Angl. Germander, & in Agro Cantabrigiensi Englische Triacle, h.e. Theriaca Anglorum. Boh. Ozanka meussy. Nomina ling.

Chamædryn & Chamædropa Guilland. in Theon. vnam eandemque credidit, ac propterea Galenum & Paulum, de hac planta in diuersis locis sub diuersis nominibus pertractasse sentit.

Vbiuis locorum præsertim apricorum adolescere autoritas est præcipuorum Scriptorum. Vidimus nos copiosè Lugduni vigentem mense Martio, & Aprili *a la Roche*; Geneuæ passim; Montbelgardi prope *la Crote*, & ad vites: Patauii in horto quodam virentem Ianuario: Monspelii florentem Aprili prope Castelneuf: Basileę in monte prope Moutets, & alibi mēsibus Iunio, Iulio, & Augusto.

Chamædryn repentem tenuium esse partium, ac incidendi facultatem habere dixit Dodonęus, calidam & siccam propemodum ordine tertio; veluti de Teucrio Galenum scribere testatur, quamobrem & lienosis conferre: recentem cum oxycrato, vt Diosc. aut aridæ decoctum, potenter lienem absumere. Imponi verò lienosis cum aceto & ficubus: serpentum verò morsibus cum aceto solo: Posse autem omnia, quæ & assurgens, siue fruticans (Chamædrys falsa, siue spuria) proinde & citra errorem pro Chamædry accipi & vsurpari posse. Pestilentię, Lumbricis, Sanguini concreto, Podagræ, Hemorrhoidum doloribus, Capitis morbis frigidis, Ictero, Auribus verminculosis, suppressis Vrinis & Febribus tertianis fœliciter adhiberi scribit Matthiolus.



CHA-

CHAMÆDRIS SPINOSA. Cap. LXI.



Descriptio

HAnc, quã C. Bauh. in phyt. itémq; apud Matthiol. Chamædryn 4. siue spinosam ex horto Bembi nuncupat, anno 1594. Basileæ inter eius siccas plantas, obseruaui: nusquam verò alibi: Icõ quam damus ex sicca planta depicta.

VERONICA PETRÆA SEMPER VIrens Ponæ, ad Chamædryn vulgarem falsam accedens. Cap. LXII.

EX scissuris simplicis & omninò nudi saxi Baldi, hæc nascitur, quinque, sex, vel pluribus etiam *caulibus* rotundis, non ramosis, altitudinis sesquipalmaris, è quibus *foliola* bina exeunt [licet aliqua magna reperiantur] æquali ordine disposita, vti Chamædrys, tamen non sic profundè incisa, admodũ crassa, splendida, supernè virentia, & lanugine quãdam donata, infernè verò albicantia: fert in sũmitate multos *flores* ad instar spicæ, quaternis, quinis, & septenis foliis, cęruleo colore, aliquantulùm albicantibus: quibus cadentibus relinquitur calyx, in quo *semen* continetur, vt in aliis Veronicis fit. Habet *radices* paruas fibrosas ac nigricantes, quę ita saxis illis horridis paucissima commixta terra includuntur, & adhærescunt, vt difficilimè etiam ligonibus euelli possint. Acerbi & amari saporis planta esse gustu percipitur.

Descriptio



Synonyma

Veronicam hanc petræam Ponæ, siue vt Casp. Bauh. in phyt. vocat, Chamædryn 6. siue saxatilẽ Baldi, Clusius Hist. post. Teucrii 6. (3. in Pannon.) pumili titulo delineauit.

Ex scissuris simplicis & omninò nudi saxi Baldi nascitur, florens initiò Iulii, testibus Pona & Clusio, & circa finem maturans semen; semperque virens.

CHAMÆDRIS MONTIS SVMANI. Cap. LXIII.



Descriptio

SAnè quàm elegans aspectu plantula videtur: *cauliculis* est palmaribus, dodrantalibus, firmiusculis, teretibus albicantibus, quibusdam breuissimis pilis obsitis: quibus *folia* hærent aduersa, quædam rotunda, alia oblonga, medio ambitu serrata, sed ima supremis multis numeris minora, lanugine item prędita: supremis fastigiis *flores* in spicam fastigiantur, qui hiare videntur, vti etiam pictori videbatur, quod tamen asserere non audemus: cuius porrò coloris ex sicca certò definire nolumus, candicant tamen. Hos *vascula* excipiunt quadripartita, in pyramidem exacuta, perangustis quibusdam foliolis pilosis, densè obsepta: *semen* quod intus est, minimum est, & penè araneosum, sed quod longius, quàm crassius, ruffum: *Folia* sicca amaricant, cum modica adstrictione. Hæc planta magnam habet similitudinem cum Veronica petræa semper virente Ponæ.

D. Agerii liberalitate ad nos peruenit nomine prædicto, lecta in monte Sumano.

CHAMÆDRI VVLGARI FALSÆ ALIquatenus affinis Alpina, & Clinopodium Alpinum Ponæ. Cap. LXIV.



Descriptio

EX aduerso sita sunt per caules *folia*, Chamædryos paria, acuminata, rugosa, hirsuta, per ambitum serrata: ex quorum alis per caulium partem superiorem bina ex aduerso quoque oriuntur *vascula* Pedicularis Alpinę in binas carinas, singulas totidem diuisas loculis, sese aperientia, *semine* plena paruo, nigro: *caules* dodrantales, & pal-

mares, firmi, multi, è radice lignosa, nigricante, multis capitibus diuisa.

Locus. Hæc planta collecta est in Alpibus Allobrogicis, cùm Geneuæ degerem, quam tunc ex sicca sic delineaui.

Io. Pona industrius Botanicus transmisit anno 1690. plantam minorem, pluribus capitibus è radice repente fibrosa exeuntibus donatam, quam eandem cum nostro ramulo esse statuimus. Ei autem in monte Baldi Clinopodii Alpini titulum attribuit.

CHAMÆDRYS ALPINA FLORE Fragariæ albo.



Descriptio. DVra lignosa *virgulta* palmaria aut dodrantalia crassiuscula per terram spargit, colore rubente prædita: per quæ *folia* nullo nascuntur ordine Chamædryos verioris foliis similia, minora, duriora, rugosiora, serrata, infernè incana, supernè atro-uirentia, gustu adstringente: *pediculis* tenuibus, palmaribus, hirsutis insident singulis *flores*, singuli, candidi, Fragariæ, duplò maiores, foliis [illegible] aut pluribus constantes, quorum medium occupant cirrhi staminum numerosi, quibus delapsis succedit plumatum Pulsatillæ *capitulum, semine* oblongo, ruffo: totius autem floris basin fulciunt folia hirsuta, oblonga, angusta: *radix* longè lateque serpit, crassa, lignosa, ex ruffo nigricans.

Synon. Vocat eam Lobel. in Adu. Chamædryn montanam frutescentem duriorem. Dod. lat. in fol. Chamædryos aliam speciem. Clus. in Pannon. Chamædryn 3. [s. C. Bauh. in phyt.] siue Alpinam, Cisti flore: in Hist. post. Cham. 3. siue montanam. Camer. hort. Cham. Alpinam, Leucadem quorundam, & Heluetorum hirtzwurtz, h.e. Herbam cerui.

Locus & Tempus. Geneuæ in monte Thuyri floret mense Iunio & Iulio, itemque in Rhætiæ monte Braulio, & montibus Ingadinæ. Frequens est, authore Clusio, in summis Austriacarum & Stiriacarum Alpium iugis: floret Iunio.

Vires & vsus. Chamædryn montanam ad ventris profusiones, mensium abundantiam, sanguinis effluxiones, & vomitiones immodicas Alpini commendant, sed ad dysenterias præcipuè, huiusque frondes damas auidissimè carpere narrãt in locis huius plantæ feracibus degere consuetas.

TEVCRIVM VETERIBVS. CAP. LXVI.

Ex Diosc. TEucrion, aliis ob similitudinem Chamædrys dicta herba est, inquit Dioscorides, virgæ speciem præferens, similis Chamædryi, tenuia folia, & Ciceri simile folium habens. Nascitur plurima in Cilicia, iuxta Gentiadem & Cissadem appellatam. Vim habet viridis cum posca pota: aut arida feruefacta pota, lienem fortiter liquandi. Imponitur etiam cum ficubus & aceto in splenicis. Verùm in his qui à venenatis bestiis commorsi sunt cum aceto solo, absque ficubus.

Plinius. Teucrium à Teucro Aiacis fratre inuentum, sic tradit lib. 25. cap. 5. Plinius. Inuenit & Teucer Teucrion, quam quidam Hermion (vt Matthiol. Hemionitin Corn. Hemionium Dalech.) spargentem Iuncos tenues, folia curua, asperis locis nascentem, austero sapore, nunquam florentem: neque semen gignit. Medetur lienibus, constatque sic inuentam. Quum exta super eam proiecta essent, adhæsisse lieni, eumque exinanisse. Ob id à quibusdam Splenion vocatur. Narrant sues qui radicem eius edunt, sine splene inueniri.

Teucrium, inquit Galenus, vim secandi & tenuium partium habet. Vnde & lienibus medetur. Et posuerit quis ipsam in tertio ordine siccantium, in secundo calefacientium.


Teucrii autem nomine apud Autores sequentes donantur plantæ: Teucrium multis. Teucr. Bœticum. Chamædrys. Chamæd. vulgò vera. Teucrium foliis Scorodoniæ. Chamæd. falsa maxima. Cham. falsa angustifolia. Cham. vulg. fœmina. Cham. vulg. nas. Chamædryi aliquatenus affinis. Chamædrys falsa supino folio atro-uirente. Veron. petræa semper virens Ponæ. Veron. saxatilis. Veronica. Veronica fœmina Dodonæ. Hemionion. Asplenium silu. Hemionitis. Scolopendria. Lingua ceruina. Faba grossa. Teuthrium. Pimpinella. Alceuero Occonis. Teucrium Creticum.

TEVCRIVM MVLTIS. CAP. LXVII.



Descriptio. COgnatum Chamædryi Teucrium, altiùs tamen fruticat, rectis, lignosis, quadratis, hirsutis *virgultis*: in quibus ex breuibus interuallis cernere est aduerso posita *folia* bina, vtrinque hirsuta, superiùs atro uirore splẽdentia, inferiùs nonnihil canescentia: & inferiora quidem formâ & magnitudine Chamędryos spectantur, serrata, ex oblongo rotunda (iucundi, inquit Clusius, si terantur, odoris) quæ verò virgularum fastigia ornant, ad Hormini folia quodammodò accedunt, nequaquam per ambitum incisa, & circa basim latiora

tiora in acumen desinunt: *flores* porrò ex foliorum superiorum alis emicant plures iuncti, pediculis satis longis hærentes, calyce hirsuto canescente, Chamędryos florum formâ, labello quidem longiori dimisso, sed cucullo vidui, cuius loco *stamina* luteola exeunt, quo colore flos quoque ipse est præditus, Clusio ex albo pallescente: *sapor* herbæ est acriusculus cum amarore non ingrato.



Fuchs. tacetur. Fuchsius Teucrii huius nullam proponit notam, præter Dioscorideas quasi nō vidisset plantam.

Matthioli opinio reprobatur. Matthiolo Teucrium hoc non notum fuisse existimo, vt qui id Trissagini adeò simile dicat, vt sæpe ex tempore visum oculos decipiat. Non est sanè tanta similitudo, quantam sibi imaginatus est Matthiolus. Discrimen inter Teucrium & Trissaginem ille tandem deprehendet haud exiguum qui non rarò vtramque vigentem decerpet, ac inter se conferet.

Lob. hallucinatur. Sed & Lobelio incognitum fuisse coniectamur, ex eo quidem, quòd in montibus obseruari dicat, nec tamen locum particularem adscribat.

Synonyma Teucrium dicitur Gesn. hort. Matthiol. in priorib. com. H. germ. & Epit. cum addit. Camerarii, Fuchs. Lob. Dod. gall: Teucrium primum Matthiol. in comm. cum mag fig. & Tabernamontano. Teucrium vulgare Camer. hort. & Clus. cui etiam fruticans, sine primum in Hist. Hisp. & post. Teucrium alterum Matthioli H. Lugd. p. 1165.

C. Bauh. Phyt. Teucrium 1. siue alterum Matthioli fol. lat. lib. 3. c. 95. p. 544. Item: Teucrium 4. siue Bœticum Camerarii: Apud Matthiol. Teucr. 1. Matthiolo (verùm in penultima editione figura posita sub 2.) Cordo Teucrium.

Locus & Tempus. Licèt Dodon. hoc vt Lob. in petrosis & asperis nasci, montesque, ac loca arida & aprica amare dicat, tamen ego non nisi in hortis obseruaui, vt Basileæ in Zvvingeri, virens adhuc Octobri: Lugduni in meo perferens Hiemem: Patauii virens Decembri: item mense Martio in horto Triuesani: Bononiæ in horto S. Saluatoris al burgo di S. Catharina. Geneuæ superueniente frigore corruptum: satum in horto Montbelg. prouenit.

TEVCRIVM BOETICVM ET Creticum Clusii.

CAP. LXVIII.

Descriptio Lignescit Teucrii Bœtici *ramus*, candidissimus totus, lanuginosus, quadratus: ad cuius genicula aduerso situ nascuntur *folia*, Teucrii vulgatioris (è quorum tamen sinu alia minora prodeunt) supernè atrouirentia, infernè admodum alba & neruosa, & lanugine densiore obsita: *flores* per rami summa ex foliorum alis cādidi labrum longum demittunt, pro galea, quam nullam habent, *stamina* longa exerunt: calyces candidi, striati in quinque mucronatas lacinias diuiduntur.



Tabern. reprehen. Teucrium Bœticum Tab. tam Icon. quàm Hist. Griechischē Batengel germanicè nominat, quòd, vt ait, in Græcia prouenire soleat. Sed in qua parte quæso Græciæ cōpilator Tabern. hoc Teucrium obseruauit? Bœtica regio mihi ex Strabone Hispaniæ pars est.

Synon. H. Lugd pag 1166. Teucrium Bœticum Clusii appellat: C. Bauhin. phyt. Teucrium 2. siue peregrinum sinuoso folio. Hoc variare refert floris colore candido, & purpurascente ex cæruleo.

Locus Ex semine, dato à D. Zvvingero, in horto Montbelgardensi Ill. C. prouenit. Montibus autem circa Calpen, ad Herculeum fretum, & Bœticæ maritimis, in sepibus & inter alios frutices inueniebat Clusius: tum etiam Gadibus, eâ parte quâ Continenti recens coniuncta tum erat insula à ponte admirabili, vulgò *Puente de Cuaco* dicto, sed humiliorem, quam commemoratis locis. Florebat Februario.

Tempus. Eidem Clusio mittebatur Teucrii semen è Creta Chamædryos maioris appellatione: vnde ei natum Teucrium vulgari fruticanti non valde absimile.

TEVCRIVM SCORODONIAE FOLIO.

CAP. LXIX.

Teucrium verum. Planta hæc ex Italia Camerario missa Teucrii veri nomine, foliis fuit penè Scorodonię vulgò dictæ, sed minoribus. Florem eius non obseruauit. Cauliculos verò per Hiemem cum summis foliis durare scripsit. Non autem ipsi videtur congruere Dioscoridis descriptioni.

Diosc. descriptioni non conuenit. C. Bauhin. Phyt. est Teucrium 2. siue alterum Scorodoniæ folio.

SCVTELLARIA TEVCRII FACIE.

CAP. LXX.

Descriptio Cubitalis est planta, *caule* quadrato, hirsuto in ramos oppositos brachiato: per quem ex aduerso posita *folia* bina, quorum superiora ad Teucrium accedunt, quæ verò in imo sunt ex oblongo rotunda, maiora, omnia per ambitum serrata, hirsuta, ex pediculis longiusculis. Ramorum extrema ex toto ferè spicati *flores* occupant magni, Galeopseos, colore aliàs rubro, aliàs albo præditi, subhirsuti, in vnam ferè partem vergentes, ex breui villoso calyce: foliis subiectis



parvis, latiusculis, subrotundis, acuminatis, lanuginosis, & obscurè rubentibus.

Gener Cherlerus attulit lectam in horto Patauino Scutellariæ Cortusi nomine, mense Maio florentem.

SCORDIVM. CAP. LXXI.

Descriptio



PRæsentis ad venena remedii commendatione, Scordium inter reptantes plantas reponimus; *caules* palmares ac maiores interdum, ramosi, geniculatim progredientes demissis fibris Pulegii modo terram comprehendunt, partim surriguntur, plures ex *radiculis* capillaribus, hirsuti, quadrati, inanes; ex quorum geniculis *folia* exeunt aduersa, Chamædryos, subionga, rugosa, serrata, tactu mollia, hirsuta, albicantia, odore Allii, sed remissiore & gratiore, sapore amaro: ex eorum alis ramuli etiam pronascuntur: *flores* indidem quoque vndique per caulem, quaterni, Chamædryos floribus persimiles, colore rubentes, scutellatum labellum dimittentes, quatuor *ansis* superiore parte donatum galeæ loco, quæ huic, vt Chamædryi, nulla, *staminula* prosiliunt purpurascentia; emicant autem flores ex folliculo in quinque mucrones partito, lanuginoso, pediculo breui, rubescente: delapsis floribus *semen* in vasculis reperitur minutum.

Icon.

Nostra Fuchsiana icon non placet, nec etiam Matthioli in prior.comm. ideò in post.eum mag.fig itemque Hist.germ melius depingendū curauit.

Scordium Diosc.

Nunc Scordium folia habere similia Chamædryi, sed maiora, & non ita incisa per ambitum, Allium quodammodo odore referentia, in cauliculis quadrangulis, in quibus flos fit rubicundus, attestatus quoque est Dioscorides.

Licèt autem Dioscorides, vnius tantùm meminerit Scordii, Plinius tamen lib.25. cap.6. duplex assignat his verbis. Ipsi Mithridati Crateuas adscripsit vnam Mithridation vocatam. Alteram [Mithridatiam] Lenæus Scordotim siue Scordion, ipsius manu adscriptam magnitudine cubitali, quadrangulo caule, ramosam, Quercus similitudine, foliis lanuginosis. Est & alterius generis, latioribus foliis, Mentastro similis, plurimosque vtraque ad vsus per se, &c, & inter alia, in antidotis.

Scordium duplex Anguill.

Anguill.ep.12.sequutus Plinium Scordium duplex quoque commemorat. Commune, inquit, hodie per totam Italiam optimè notum. Secundum reperitur iuxta ripas Pescaræ fluuii in Abruzzo, cum foliis latis, similibus Melissæ, aut Calamenti primæ speciei: idem videtur etiam in Candia, & per Græciam & aliis locis: non est dissimilè a primo, odore & qualitate.

Scordium, quod in Creta Italia, & Gallia nascitur, eandem cum Germanico figuram habere perhibet Cordus, ac in Norico solo luxuriare, cui assentitur Tragus: vnde nemini obscurum post hac esse debet, Scordium æquè in Germania nasci, atque Cretensibus in Creta, aut Gallis & Italis, in Gallia, Italiáue.

Scordium ab Episcopo Monspelii inuentum.

Scordium, quod penè perierat superiori sæculo, primùm Academiæ Pharmacopœisque Monspeliacis innotuit opera Episcopi Guillielmi Pelisserii, qui, dum cum Rondeletio in herbidis & amœnis maritimis Monspeliaci, animi causa spatiaretur, inibique Allium subodoraret, illicò herbulam vixdum arreptam, & eminùs conspectam Scordium esse vnâ deprehenderunt, idemque variis plantis in Galliam & Italiam missis, verum esse Scordium monuerunt, id annotante Lobelio, qui Scordio tribuit folia aspera, quæ diligens inspectio haud concedit.

Lob. redarg.

Nomina ling.

Σκόρδιον apud Græcos vocatur etiam σκόρδιον, μιθριδάτιον, χαλκιτικὸν ἄγριον, χαμαίδρυς, μονόκαυλον, αἷμα πόδιτος, & ἄγρ.

Scordion autem Græcis ab Alliis dicta est herba hæc, quòd nimirum eius folia attricta, Allii (quod Græcis Scordion vocatur) odorem referant. Ab eodem mali & ingrati odoris sensu, iisdem etiam [Greek] appellata fuit. Vt verò palustris Trixago dicta sit, tum similitudo fecit, tum natalium locus. Trixagini enim [quæ Græcis Chamædrys dicitur] similis est, & in humentibus ac paludibus nascitur. Voluit Tragus allusione quadam ad latinam Trixaginis palustris) appellatione m, Lachen / & wasserknoblauch / q.e. Allium palustre & aquaticum appellare: Fuchsius verò wasser Bathenig oder Bathengel: Gallicè *Germandrée d'eau*, quibus tamen & Scordion, & Chamaraz quoque dicitur: Ital. *Chalamandrina palustre*: Hisp. *Camedreos de arroyos*: Angl. water Germander: & Garlike mander, Lobelio auctore, qui ab omni memoria celebre fecisse Scordium, Allii tetrum odorem, & allexiteriacum nomen, testatur.

Synon. Scordium.

Plantam, de qua præsens extat caput, è Recentioribus simpliciter Scordium plurimi dixére, vt Manardus, Corn. Carol. Steph. Cordus, Tragus, Lobel. Dodon. Anguill. Fuchs. Cæsalp. Camer. Tabern. Histor. Lugdun. pag.910. quæ non tamen Matthioli cognominat: Gesn. hort. Scordium verum: Casp. Bauh. phyt. Scordium 1. quod variare magnitudine affirmat, & inde maius, medium, & minus à Tabern. pingi memorat. Fabr. Hild. Obs.Chir.93.

Scor-

Scordii speciem primam, & Scordium verum: quod non vbique & copiosè reperiri posse purat.

Aequiuoca. Scordii tandem nomine aliæ quoque donatæ sunt plantæ. Scorodotis siue Scordium folio Saluiæ. Scorodotis tomentosa Cretica. Stachys Fuchsiana. Gallitrichum. Alliaria. Allium vrsinum. Personata.

Substituta. Quidam (vt ab Aequiuocis ad Substituta fiat progressio) malè Allium siluestre pro Scordio vsurparunt, cuius diuersa genera H.n.g.lib.19.de Alliis prosequuti sumus. Gesnerus scribit Iuâ aruensem, vt vocat, siue Botrym alteram sibi videri substitui posse, paullò minùs efficacem. Fabr.Hildan. Obs. Chir. cent. 2. Obs. 93. Scordio vero subministrat Scordii 2. duplum: Obs. verò 94. Alliariam Veterum quorundam imitatione Scordio vero etiam substitui posse censet.

Locus. His ita absolutis reliquum est, vt natales perlustremus. Scordium nasci in montanis & palustribus locis nouit etiam Dioscorides: in Ponti campis pinguibus humidísque Plinius. Nec inter se pugnât Dioscorides & Plinius, dum hic in campis humidis, pinguibúsque, ille autem in mõtanis nasci scribit. Vterque enim verum dixit: in campestribus siquidem & montanis, non tamen omnibus, prouenit, sed [quod Dioscorides etiam adducit] humentibus tantùm. *Scordium* olim à Mercatoribus è longissimis regionibus sumptibus magnis afferebatur, vnde quidam, quòd vltramarinum hoc nouissent, excellentissimi Doctores appellari voluerunt, licèt nunquam eo in loco subolfecerint, aut collegerint. Et hos quidé, dum extera côtemplantur, in fossam reprehensionis illapsos, Thaletis ancilla iure eam eos pati dixerit, quòd sc. patria, & iuxta pedes posita ignorent, & in longè dissitis regionibus quærant. Annon in Germania nasci compertum est Scordium excellentius, nostrísque Germanis vtilius, eiusdem specificæ formæ, cuius illud est Barbarũ & extraneum. *Scordium*, inquit Cordus, in multis Germaniæ locis nascitur. Ego Scordium in comitatu Montbelgardensi obseruaui inter vrbẽ & pagum Souchaut ad fossas quasdam: inter Dalle & Audincourt locis paludosis, florens mẽse Augusto: in paludibus prope S. Mauritium, ad viam lapideam illic stratam. Monspelii vidi in vicino prato florens Maio & Septembri: Circa Lugdunum abundè: Geneuæ copiosè multis in locis *au pré l'euesque*, in pratis propè *Arue* florens

Quorundã grauis oscitantia.

Tempus. Iulio. Fuchsio & Dodonæo Iunio & Iulio mensibus floret, flos tamen non nisi diem vnum durare videtur, sic continuò vnus alium sequitur.

Plantatio. Plantatum autem Scordium non difficulter in in hortis nascitur, & possunt de vno duntaxat ramo, siue surculo complures prouenire, modò solo humido & vmbroso committantur: semine quoque si seratur, celerrimè germinat. Tráslatum in hortos facili negotio perit.

Vires & vsus. Viribus & vsu more nostro sermonem hûc de Scordio absoluamus. Diosc. itaque auctore vim habet herba calefacientem, cientem vrinas, viridis [χλωρὰ] trita, itémque arida cum vino decocta contra serpentum morsus & lethalia medicamenta bibitur. Item ad stomachi rosionem (pro δηγμὸν, legit Lacuna δηγμὸν ἢ χολῶδες ἀνάδοσιν) & dysenteriam, & vrinæ difficultatem, duarum drachmarum pondere cum aqua mulsa. Purgat & crassa purulenta è thorace. Facit ad tussim veterem, rupta, conuulsa, si arida cum Nasturtio, & melle, ac resina mixta, in eclegmate delingenda exhibeatur. Præcordia diu inflammata cerato excepta lenit. Facit & ad podagram cum aceto oblita, aut cum aqua imposita. Eadem apposita menses mouet. Glutinat & vulnera, & vlcera vetera repurgat, & ad cicatricem perducit cum melle. Arida verò excrescentem carnem reprimit. Bibitur etiam succus ex ipsa expressus ad relatas affectiones. Efficacissimum autem est Scordium Ponticum [legit Lac. λυκιακόν.] ac Creticum.

Temper. ex Galeno. Ex Galeni sententia, ex vàriis tum saporibus, tum facultatibus constat, nam & amari quid obtinet, & acerbi, & acris. Maximè autem Scorodo, h.e. Allio, adsimilis eius est acrimonia: vnde sanè nomenclaturam sortitum est: Expurgat igitur simúlque excalfacit viscera: tum menses vrinámque prouocat. Præterea conuulsa, ruptáque, & laterum dolores ab obstructione, & frigore natos sanat epotum: denique viride quidem illitum magna vulnera conglutinat: sed sordida purgat, & contumacia ad cicatricem perducit illitum aridum. Et hęc de simpl.med facult. habet. Libro autem 1. de Antid.cap.12. ait: Scordiũ quoque pulcherrimum Creta mittit. Quanquam in aliis regionibus etiam minimè contemnendũ Scordium reperias. Literarum quippe monumẽtis traditum est, à quibusdam celebribus viris, cùm in prælio interemptorum cadauera multos dies insepulta iacuissent, quæcunque supra Scordion fortè fortunâ ceciderant, multò minùs aliis computruisse, ea præsertim ex parte, quà herbam attigerant. Ob quam rem sanè persuasum est omnibus, tam reptilium venenis, quàm noxiis medicaminibus, quæ corpus putrescere faciunt, Scordium aduersari. Plinius passim hæc de eo tradit: Contra venena omnia, magicásque artes Scordotis, ex vino priuatim ad angues pota & illita, siue succo, siue folio, siue decocto, &c. quæ habet Dioscorides.

Delectus. Memorabilis historia. Ex Plinio.

Aegineta Galeni verbis conformia recitat. Matthiolus vermes necare scribit.

Scordium [inquit Camer. in Horto] quamuis in locis humidioribus & palustribus frequentiùs inueniatur probatur tamen magis quod ex montanis locis irriguis defertur: quale est Pannonicum, quod odore caput ferit, & cæteris est acrius. Commendatur quoque Creticum lanuginosum.

SCORDOTIS, SIVE SCORDIVM folio Saluiæ.

CAP. LXXII.



Descr. RAdice nititur flexuosa, lignosâ, & fibrata cirris, quę autore Cordo, inutilis & singulis annis perit, ex qua *caules* plures eriguntur, cubitales & triticubitales, quadrati, hirsuti, purpurascentes vel nigricantes, maiores, medullâ albâ farcti: ad quorum



genicula *folia* exeunt ex interuallis gemina opposita, Saluiæ vel Betonicæ, nisi acutiora essent, ad Vrticam quodammodò accedentia, rugosa, atro-uirentia, scabra, squallidaque, pilosa, per ambitum serrata, sapore amaro: summus caulis in surculos aliquot diuiditur, in quibus spicatim digeruntur *flores* in vnam partem vergentes, Chamædryos, sed colore herbaceo, vel candido, pallido, ad Saluiæ flores accedentes, ex quorum rictu loco galeæ, stamina emicant purpurascentia: *semina* calyculis continentur fusca, Ocimi granis similia, amaricantia; rotunda & fusca, tradente Lobelio; plærumque terna in singulis Florum calyculis, Chamædryos seminum quantitate, Cordo. Huius odor nobis aromaticus, ac Allium aliquatenus olens.

Polemonion Ruellii. Hæc Scorodotis est illa stirps, quam Ruell. l. 3. cap. 81. Polemonion & Polemoniam, à certamine regum inuentionis appellari refert; ab aliis verò Philetærion & Philetæriam; à Cappadocibus autem à multitudine vtilitatum, Chiliodynamin. Non defuisse porrò dicit, qui eam esse crediderint, quam omnes gallicè cum suis herbariis pro ambrosia demonstrant, licèt perperam: rura Boscisaluiam, i. e. nemorensem Saluiam appellare.

Ambrosiam habent officinæ & Herbarii, omninò à Dioscoridea diuersam, quam Germani wild Saluey, i. e. Saluiam siluestrem appellant, inquit Cordus in Diosc. qui in Hist. Scorodoniæ siluestris titulo eam describit. Ei Gesnerus addidit figuram, quam Scorodoniam inscribit, ac Scordium montanum Odi esse concludit.

Error Tragi. Hanc, quam Germanos ait wild Salwey i. e. Saluiam siluestrem nuncupare, Scorodoniæ siluestris titulo describit Cordus: Scorodoniam verò vocat Gesn. Errorem autem autem non paruum committit Tragus, Scordium hoc Nepitam existimans. Quare vires etiam ab ipso appositæ, meritò suspectæ esse debent. *Nepeta.*

Apollin. nomine wild Salbey & Alpenkraut, vires huius perstringit, sed figuram malâ exhibet.

Lonic. tax. Lonic. stirpium peritus duplicem exhibet figuram lib. 5. Et primam quidem cap. 100. Alteram 114. his nominibus, wild Salbey, Alpenkraut, & Bulckskraut, qui adscribit flores cæruleos, ac Sphacelum Theophrasti esse posse concedit. At postremo hoc loco ineptam habet figuram, quâ fortè confundit Gallitrichum siluestre cum Scordio nostro, folio Saluiæ.

Gesn. notat. Lobel. carpitur. Gesnerus autem Ambrosiam hanc officinarum, Stachyn esse pronuntians, quod pace eius dixerim, à vero non parum declinat. Nimis securè Lobel. in Adu. p. 210 Obs. p. 262. Icon. Plant. p. 497. Scordium alterum Plinii pronuntiat, officinarum Saluiam hanc agrestem, & Saluiam bosci, Belgarum wilde Sauie, Angl. wood sage. Sed & Camer. hort. Scordium secundum Plinii facit, eadem quâ Lobelius temeritate.

Gesn. infel. figura. Thalius, qui Scorodoniam & Scordium montanum Cordi vocat, notat apud Cordum pro hac stirpe falso poni iconem Vrticæ Heracleæ Tragi, sicuti & in adiecto ibi scholio errorem admissum esse ait, in nomine Odi, quod & aliàs aliquoties in Cordi de stirpium historia libris factum dicit. Nam pro Odo, vult semper Cordum esse legendum: Scholia autem illa subiuncta, quæ præfixâ stellula notantur, Æmilii esse, ab ipso subscripta in autographo, qui quoties Cordi nomen scriberet, veluti priores tres literas abbreuiaturus, cordis humani effigiem pinxerit. Quod cùm ignoraret ille qui autographum in exemplum prælo typographico committendum describeret, accidisse vt perperâ Odū legerit, transcripseritq;.

Scorodotim negat Bellus. Honor. Bellus Scorodotin hanc vt notham & spuriam reiicit, vt quæ Allii non spiret odorem, nec viribus à Plinio attributis respondeat: quæ duo argumenta non mihi satisfaciunt. Scorodotis siquidem nostra, non solùm nobis, sed etiam aliis, vt Hild. Cordo, Lobel, & Camerario, Alliū olet: ac viribus præferendâ Scordio putatur Gesn.


H. Lugd. p. 880. Saluiam agrestem, & Sphacelum Dodon. vocat. Tab. Ic. & ... Saluiam siluestrē. Compilatorem autem nesciuisse quid scriberet, satis indicant subiectæ vires, quas dicit minores, quàm in Saluia hortensi.

C.B. err. C.B. phyt. Saluiam 7. siue siluestrē, vocat quā aliquādo foliis Melissæ instar amplis reperiri narrat. Mihi autē nunquā visa Scorodotis folio Melissę: huic enim sunt subrotūda nō Saluiæ modo longa.

Locus. Nasci refert Cordus editis incultis inter arbusta, & syluis [Germaniæ & Angliæ frequentē Lob.] lucidioribus: solum amare aliquatenus arenosum, vel alioquin asperum, non tamē omninò siccum: prouenire iuxta sepes & agrorū margines addit Dodonæus. Ego Monspelii obseruaui florens Octobri in montibus circa Esperon: Lugduni *au bois de la bonne Alemande* prouenieñs Martio: Geneuæ in horto virens Ianuario.

Vires & Vsus. Gesneri iudicio ad remedia Scordio præferenda fuerit Scorononia folio Saluię. Fabr. Hildanus hanc miris laudibus in vlceribus gangrænosis celebrauit, & duplicatâ dosi Scordio substituit.

SCORODOTIS TOMENTOSA CRETICA.
CAP. LXXIII.



Scorodonia Cretica. A Fratre Casparo ad nos missa planta hæc pro Scorodonia Cretica, quæ pulchrè exprimitur supremâ parte Ocymastri Valētini Clusii, cuius figuram exhibemus.

Pona in Baldo vocat Scorodotim legitimam Plinii Belli, qui, nec præter rationē, negat Stachym vel Gallitrichum esse.

C.B. phyt. Stachydem 4. siue Creticam.

Vires. Vires & facultates huic eædem quæ Scordio, teste Plinio, de quibus antè.

VINO-

VINOSA HERBA, SIVE VINACEA RVTA, Gallis rusticis pueris Minone dicta. CAP. LXXIV.

Ambrosia inuenitur apud nos (inquit Ruell. lib.3.cap.61.) copiosa inter exiles & madidas segetes, quâ messores se coronant, vt insolata diu capita iucundo & vinoso simul odore recreent, & vt frondosâ comâ sese vindicent ab æstu. Pueris rusticis optimè cognita, qui vertices racemosos lanugine molli per initia vestitos, *Minones* vocent: Vinosa herba rusticis dicitur. Audio à quibusdam vinaceam Rutam, quòd folio Rutam, & odore vinum imitetur, nominari. Dodrantali verò surgit *frutice* ramoso, *foliis* rutaceis, circa imum caulem minoribus. *Cauliculi* seminibus racematim collectis grauidi, nunquam *florem* pariunt, fœtu in vertice racemoso, & odore vinoso, *radice* tenui nec sesquipalmo longiore. Superior [Scordium alterum] longâ radice nititur, hæc breui: illa floret, hæc minimè: illa ramis riget, hæc invalida sese, vt fertur, adminiculis quibuscunque inuoluit: hæc vinum, illa herbaceum virus olet. *A Scordio altero quid differat.*

CHAMÆPITYS VVLGARIS ODORATA flore luteo.
CAP. LXXV.

Descriptio CHamæpitys plantula est palmaris, nonnunquam vix vnam, aut duas vncias alta, *radicula* satis longa, simplici & dura: *coliculus* teres, hirsutus propter terram rubescens, cęterà ex herbido in luteum vergens, quemadmodum & *folia*, quæ ex breuibus interuallis ad nodos gemina, opposita nascuntur, hirsuta, auiculæ digitatos pedes, siue tridentem, imitata, sapore & odore picis aut resinæ: ex quorum alis *flores* emergunt luteoli, labello latiore bifido, superiore parte punctulis rubris guttato: galeæ verò vice *stamina* promunt dilutè purpurascentia: succedunt capitula in quatuor torulos turgentia, totidem *semina* triquetra continentia: duas ponimus hîc Fuchsianas figuras, quæ vnius plantæ, sed neutra placet.

Iudicium de Iconibus Variorum lapsus. Chamępitys vulgaris ineptam iconem exhibet Ryffius in Dioscor. lib.3. cap. 105. Polii titulo. Matthiol. in prior. comm. ponit solam figuram, sine vlla descriptione, quasi plantam non viderit, nisi pictam, nec valdè affabrè. Sed & Fuchs. contentus malâ figura suâ, quam ex eo proponimus, nihil addit in Histor. præter Diosc. verba, quasi ei planta ipsa nûquâ visa. Lonic. lib. 5. c 13. Chamæpityos alterius inscriptione imaginem habet Fuchsianâ non meliorẽ. Cap. 187. vocat *Feld Cypress*: tandem c.15. verâ Chamædryn fœminam, vbi descriptio est Botryos alterius, & figura apposita pro Chamæpityi prima, quæ nô conuenit: sic solet stirpium ignarus omnia confundere.





Chamæpitys triplex Diosc. Cæterùm, Chamæpitys, quam refert Dioscor. in Ponto Holocyron vocant, Athenis Ioniã, in Eubœa Sideritin, herba est per terram serpens subincurua. *Folia* habet similia Semperuiuo paruo, sed multò tenuiora, & pinguiora & hirsuta, circum ramos frequentia, odorem Pini habentia: *flores* tenues, melinos aut albos: *radicem* velut Cichorium. Est & altera Chamæpitys, ramos habens cubitales, in anchoræ speciem incuruatos, tenui sarmento: comam autem prædictæ similem: florem album, semen nigrum: redolens ipsa Pinum. Et tertia quædam est quæ mas appellatur, herba exigua, foliola habens tenuia, alba, hirsuta: caulem asperum, album: flores melinos: semen iuxta alas: redolet & hęc Pinum.

Plinio Abiga dicunt. Chamępitys latinè Abiga (aliis Aiuga) appellatur, si Plinio credimus, diciturque propter abortus: ab aliis Thus terrę, cubitalibus ramis, flore Pinûs & odore. Altera breuior, & incuruæ similis. Tertia eodem odore, & ideò nomine quoque, paruulo cauliculo, crassitudine digitali, foliis scabris, exilibus, albis, in petris nascens.

Appellationes nothæ. Tragus paullò meliorem nostrâ habet figuram pro Chamępity tertia, die trett feld Cypres/quã exiguam ait, Seplasiariique Iuam appellant, asserentes ad proprium genus referendum, quod & ipse dat, ac propterea Chamæpityn vocat, lib. 1. cap. 25. Eius autem appellationes pręcedenti capite 24. has enumerat. Dioscorides, ait, Chamępytin, Cupressinam, Bryoniam siluestrem, Pitysorysin, Crizelon, & Olocyron, Ioniam, Sideritin, Dochelam, Sanguinem Palladis, Aiugam, seu Abigam appellat: Apuleius cap. 25. Orozelô, Holocryton, Bryon agrion, Hæma Athenas, Abigam, Rapam, Cypressum nigram, Spiculam, Mammalem, Nemenepa. Anthyllida alii putant. *Anthyllis.* Anguillara epist. 5. Peristereon Crateuæ, Iuam, i.e. Chamępityn vulgarem esse credit. Gatinaria cap de paralysi, Iuam vocat, atque dici à Sim Ianuensi speciem Chamępitys, & vocari à Mesue Ziniam, ita exponentibus Nicolao & Antonio Guainerio. *Zinia.*

Pręter Chamępityn hanc, vulgò Iuam vocatam, Cęsalpinus alteram quoque tradit, maiorẽ appellatam, peregrinam apud Pisanos, ramosam: foliis & floribus rarioribus: in cęteris similẽ prędictę: Huic descriptionem Chamępityos 1. Dioscoridis conuenire ait, at flore candido non-

dum esse visam. Tertiam verò siue marem optimè Iuæ vulgari quadrare. At incertum esse quæ ostendi possit pro secunda.

Synonyma. Chamæpitys prima dicitur Matthiolo, Dod. & Cordo in Hist. Chamæpitys vera in Diosc. Aiuga siue Chamæpitys mas Dioscoridis Lobel. in Adu. Obs. p. 207. & Ic. Plant. p. 382. Chamæpitys tertia Trago. Vulgaris Aiuga, siue Chamæpitys flore luteo, Clusio. Champitys maior Tabern. Chamæpitys 3. siue foliis in tres partes fissis, C.B. phyt. Chamæpitys 1. apud Matth. Aiuga Castori. Fuchsius pingit Chamæpityn 1. & 3. omittitque secundam.

Nomina linguarum. Χαμαίπιτυς Græcè, Chamæpitys Latinè: item Iua, Iua arterica & moscata, Aiuga, Abiga, & Ibiga, quod nomen Hermolao teste ferè seruant Illyrici. Hinc abiectis duabus literis i. & gi Iba: & ab Aiuga abiectione literarum a & g. Iua manauit in vulgi nomenclationem. Chamæpitys autem dicta est, quasi humilis & breuis humique depressa Picea: nam eius folia Piceam [Pinum alii] olent, inquit Fuchsius. Mauritanis dicitur Hamesitheos, seu Chamesithius: Germ. Erdpin, Erdtyfel / Schlagkrautlein, & quibusdam Je lenger je lieber: Trago feld Cypressen: Belg. Veld Cipres/hee langher hee liever. Gall. *Iue muscate*, & *Arthetique*. It. *Camepitio* & *Iua*. Hisp. *Pinillo*, *Iua artetica*: Boh. *yiwa*.

Locus & Tempus. Chamæpityn vulgarem odoratam flore luteo obseruaui Monspelii florentem Martio, & in ponte Iuuo; Lugduni copiosè Septembri & Octobri, Geneuæ Nouembri, Aprili, Maio & Iunio, variis in locis, vt circa pontem *Arue*, & iuxta Rhodanum versus *la Bastie*: Basileæ quà itur Dornacum, & prope Haltingen Augusto. Tota Austria, adeoque Pannonia, frequentissimam collegit Clusius in agris & gramineis campis.

Vires & Vsus. Folia primæ Chamæpityos, teste Dioscoride, septem diebus in vino pota, regio morbo medentur: & quadraginta diebus ex hydromelite, Ischiadicos sanant: dantur peculiariter vrinæ difficultatibus, iocinoris & renum vitiis: torminosis prosunt: & apud Heracleam Ponticam, perinde atque antidoto contra Aconitum vtuntur, bibentes decoctum: ad antè dicta illinitur, cum polenta iure decocti subacta: trita in farinam & cum ficubus in pilulis sumpta aluum ex cepta melle cum æris squamma & resina purgat: apposita ex melle, vuluæ vitia extrahit: mammarum durities discutit: vulnera glutinat: vlcera quæ serpunt, cum melle illita cohibet: Secunda & tertia vim habent prædictæ similem, non tamen ita efficacem. *Galenus*, saporem habet amarum validiorem quàm acrem, effectu verò expurgat abstergitque viscera plusquam calfacit: proinde auriginosis, & omninò quibus facilè iecur obstruitur, bonum est remedium, quin & menses ducit, tum pota, tum apposita cum melle: sed & vrinæ mouendæ medicamen est: sunt autem etiam qui eam exhibent decoctam in melicrato iis qui coxendicis doloribus torquentur: herba porrò ipsa viridis vulnera magna conglutinat, & vlcera putrescentia sanat: præterea vberum durities discutit: est enim in siccando ordinis tertii, in calefaciendo verò secundi. Quibus addit

Temper. *Matthiolus*, omnibus frigidis cerebri, neruorum & artuum morbis conducere, cuiusmodi sunt apoplexia, epilepsia, arthrytis, si herbæ puluis cum oximelite bibatur.

CHAMÆPITYS SIVE IVA MOSCHATA Monspeliensium.

CAP. LXXVI.



Descriptio. Complures ab *radice* crassiuscula lóga fundit *caules* lignosos, palmares aut dodrantales, hirsutos: per quos *folia* crebra uillosa albicantia, duas tréssue vncias circiter longa, vix semunciam lata, qua cauli hærent angustiora, vna aut altera circa medium apophysi Coronopi instar, donata, aliquando circum circa integra, sibique similia, vnico neruo per longum decurrente: *flores* satis magni, purpurascentes, hirsuti patulo rictu hiant: *semen* nigrum, crispum, sublongum, vermiculi instar aliquantulùm incurvum, in capitulis rotundis lanuginosis. Tota planta odorata est & nonnihil amara.

Synon. An est Dioscorid. lib. 3 & Plin. lib. 26. cap. 8. Anthyllis altera: Lum. maiori in pil. arthet. Arterica? Castori & Clusio dicitur *ἀνθυλλὶς ἑτέρα*: lat. Anthyllis altera: Lusit. *Herua crina*: Monspellianis yua moschata, Gesn. hort. Chamæpityos alia species Monspelio allata. C. Bauh. phyt. Chamæpitys 2. siue Monspeliaca foliis serratis. 3. apud Matth. vbi Chamæpityn alteram & maiorem Cæsalpini esse statuit. An verò Cæsalpinus per maiorem & 2. hanc nostram Monspeliacam intelligat, ambiguum admodum est: folia siquidem Monspeliaca non tripartita habet, aut similia Chamæpity vulgari: flores etiam non luteos.

C. B. not.

Locus & Tempus. Iuam porrò moschatam Monspelii vago hoc nomine vocatam (pluribus enim plantis id competit) prouenire in montibus prope Castelneuf locis valde petrosis, florentem mense Septembri obseruaui. In Oliuetis & aridis aruorum marginibus Narbonæ ac Galloprouinciæ fruticat, inquit Lobel. nec alibi temerè nota, Moschata hæc vulgo vocata, contrariæ fragrantiæ significatu (ironice nempe) est enim odora, sed olfactu minimè grata, nec Pinum redolente, veræ & odoratæ Chamæpitydi cognata, vnde proximus illi locus datus est. Nasci læto solo ad Tagum flumen in Lusitania, Granatensi etiam regno, & Gallia Narbonensi dixit Clusius: florere autem Æstate & Autumno, Granatensi tamen agro maturiùs.

Anthyllis altera si sit hæc, bibitur, teste Plinio, in duritia vuluarum, & in torminibus, in comitiali similiter morbo, cum melle & aceto, quatuor drachmis. Lusitani & Granatenses (ut illio referebant, eius decoctum ad repurgandum sanguinem impurum propinari.

CHA-

CHAMÆPITYS ORIENTALIS.
Cap. LXXVII.

Descriptio PLusculis *stolonibus* palmaribus, crassis, quadratis, tomento multo candido oblitis fruticat: *foliis* ad nodos confertis, vncialibus circiter, luæ moschatæ Mõspeliensium, lanuginosis, crassis, per extrema denticulatis, gustu amaris: ex quorum alis ab imis ramis ad fastigium vsque *vascula* erumpunt hirsuta in quatuor carinas dehiscentia.



Preteriere triginta anni, ex quo hanc plantam pro Chamæpity Orientali habeo, vnde non recordor.

CHAMÆPITYS FOLIO NON laciniato.
Cap. LXXVIII.

Descriptio RAdice fibrosâ Sôchi, aut Dentis leonis minore: *ramulos* profert palmum altos, humi stratos, & *foliolis* septos. Semperuiui minoris, aut potiùs Vermicularis, minùs carnosis, sed incanis & hirsutis: in quibus *flosculi* ex melino albidi: suauiorem spirat odorem, interdum vliginosum, vt vsnea, muscúsue quernus, aut cedrinus. Minùs nota & paucis locis obuia, magis tamen odora, collibus aridis & aruis editioribus Nicæ Sabaudę, & Genuæ Ligusticę, circum vrbem Penem in Italia fruticat, vt quidam affirmant. Quin etiam eandem vireta nonnulla Belgii sedulò colunt, inquit Lobelius in Aduers. vbi[sicuti etiam in Icon. Plant. p.383.] Chamæpityn primam Dioscoridis odoratiorem inscribit: Pinum redolentem in Obs. pag. 208. itémque alteram Matthioli, & tertiam Dod. luteolis floribus. Figura autem à Lobelio proposita pingitur sine pilis, quæ apud Dodon. ex Fu- *Lob. not.* chsio cum pilis.



Fuchs. hallucinatur. Chamæpytis 1. dicitur Fuchsio: Germanicè *ye lenger ye lieber weible/* quam etiam in Icon. pingit, *Sed si* nota fuit, cur solam recitat descriptionem Dioscoridis, nihil addens de suo, nec locum vbi viderit: cur etiam nomen adscribit Germanicum quod Amarę dulci potiùs competit, vt rectè notat Ryffius.

Dodon. gall. pro Chamępity tertia, *yue musquee masle* assumpsit figuram Fuchsii: Lat. in fol. autem eam habet quam Lobel. de ea ita scribens, vt existimem ab eo nunquam fuisse gustatam, nec etiam visam. *Dodon. reprehe.*

Ryffius in Dioscor. lib.3. cap. vltimo, vt stirpium ignarus ponit figuram Fuchsianæ similem, quam non describit, nec vbi viderit annot. *Ryffius taxatur.*

Chamępityos 1. Loniceri lib.5. cap. 187. figura est qualis a Fuchsio proposita, sed descriptio longè diuersa, nempe eius quam Botrym alteram vocamus. *Lonic. not.*

Matthiol. in Diosco. Chamępityn alteram & postremam vocat, non adeò omnib. notam, quam sæpiùs se vidisse refert: mediam autem hactenus sibi quidem aspicere non licuisse. Eadem repetit in comm. cum mag. fig. Latin. & Ital. vocans Chamępityn tertiam: Et hanc in Hist. germ. omisit. Figuram autem quam in prior. comm. ponit Matthiolus, est sine pilis, quam in postremis nonnihil immutat: dicit mediam quæ secunda, sibi non visam, & tamen ponit figurã sine quidem descriptione. Postremam quæ tertia, quam ait sibi sæpiùs visam, nobis inuidet, nec describit, nec depingit, nec locum vbi reperiri possit, assignat. Si eius figura secundo loco posita, est tertiæ, cur in post. comm. non indicat suum vel typographi errorem in pręcedentibus. *Cham. altera Matthiol.* *Matth. taxatur.*

De Chamæpity folio non laciniato hæc Casp. Bauhin. in phyt. Chamæpitys 1. siue foliis non incisis: Aiuga siue Chamæpitys altera Matthiol. icon. 4. p. 612. (in Ital. 3. & Dod. 1. Fuchs. &. Lobel. addit apud Matthiol.) Alii foliis hirsutis, alii glabris pingunt: (quare nostra vtrumque exprimit, inquit aud Matthiol.) nondum vidi: non desunt qui existimant Echium scorpioides hac exprimi: alii Chamæpitydem vermiculatam: nisi sit Anthylloides Thalii, quid sit ignoro. *Hæc frater*, in cuius figura, quam Matthiolo apposuit, nihil hirsuti obseruo & ob id nullam demonstrat differẽtiam. In Anthylloidis Thalii descriptione, quę est in Harcinia, nihil quoque inuenio, quod cõueniat cum Chamępity Lobelii I. quinimò suspicor, Anthylloidem Thalii, longè diuersam plantam, nempe Spergulam. *C. Bauhin. not.*

BOTRYS VETERIBVS.
Cap. LXXIX.

BOtrys à Dioscoride herba esse dicitur tota lutea, fruticosa, diffusa, multas habens alas: *semen* circa totos ramulos enasci: *folia* Cichorio similia esse: & tota multùm odorata. Quare etiam vestibus interponi. Nasci maximè circa fossas, & torrentes. Vim habere cum vino potam, erectę ceruicis spirationis leniendi. Et hanc Ambrosiam Cappadoces vocare: quosdam verò Artemisiam.

Botyrs à Plinio lib.27. cap.8. ita describitur, vt ex Dioscoride transcripsisse videatur: Galenus Botryn pręteriit. Paulus verò ex Dioscoride eam commemorat. *Ex Plinio.*

Cæterùm, officinis ignota est Botrys, sed plerique Botanici agnoscunt, ipsamque ad Græcæ

vocis imitationem Botrym herbam appellant. Gale etiam vel Gagel: Amomum: Artemisiam & Ambrosiam Botryn vocari testes sunt Ruellius, Fuchsius, Plinius & Dioscorides.

BOTRYS PLERISQVE BOTANICIS.

CAP. LXXX.

Descriptio

RAdix ex albo subrubra est, lignosa: *caulis* dodrante altior, hirsutus, multis alis concauus: *folia* Senecionis, latiora, quercinorum æmulâ diuisurâ, colore viridi, in luteum languente, odoris grati & vegeti, subhirsuta: *flosculi* vndique numerosissimi, ex foliorum alis, in ramulorũ summitatibus & lateribus, primulùm erumpentes, Vitium botros æmulantes, qui expansi ex minutissimis fibris ochreis compositi conspiciuntur.

Synon. cũ nominibus linguarum

Græci *βότρυν* appellant. Latini (vt Trag. Cord. Fuchs. Dod. Gesn. hort. Lonic. Lobel. in Adu. Obs. p. 115. Ic. Plant. p. 228. Matth. Anguill. & alii,) eâdem appellatione vtuntur: C. Bauh. phyt. (qui Plinium Botrym cum Artemisia confundere perhibet) Botrym 1. siue ambrosioidem vocat. Hort. Lusit. Chamædrim fœminam & Chamæpitym 3. Dodonæi. Germani Traubenkraut/h.e. Herbam botri, Krottenkraut/ i.e. Bufonum herbam, Turckischen Beyfus/ h.e. Artemisiam Turcicam, Gewand/ & Mottensamen: Belgæ Puntene/ & druyuenkruyt: Galli *Pymen*, & *Pimens*. quidam alii *Millegrains*; nonnulli etiam *de la Patience*: It. *Botry*, & *l'esae*, vt Cremonenses: Hisp. *Bien granada*: Angli Oke of Hierusalem.

Locus

Botrys Montbelgardi sata in horto Ill. E. C. facilè prouenit, & quotannis semine deciduo se propagat. Circa Geneuam spontaneam offendi, item Monspelii prope Gangen aliquot miliaribus ab vrbe. In Oliuetis Nemausensibus, cæterisque tepidioribus & apricis aruis agri Narbonensis, & Nitiobrigum spontè fruticat. In Flandria, Anglia, & Germania, quod Fuchsius equidem sciat, non nisi sata crescit. Augusto & Septembri ad maturitatem peruenire consueuit.

Vires & vsus

Quæ veteres de Botryos viribus & vsu memoriæ prodiderunt, antè ascripsimus. Existimat autem Tragus herbam in puluerem redactam eclegmati admisceri, & ita ad orthopnœam vsurpari posse. Matth. Botryos herba in puluerem redacta, melleque in electuarii formam excepta, præstat contra pulmonum vomicas, quo remedio multos ego curaui, qui pus screabant. Non parui momenti est remedium contra vteri dolores, si super candentem laterem Botrys calefiat, asperso vino generoso, aut Cretico, atque ita calida hypogastrio inducatur: Multi tandem aduersus blattas commendant, ideoque in hortis magnâ curâ seminant, reponẽdâ inter vestes Suffiuntur eiusdem herbæ vapore vtiliter fœminæ ad menses ciendos & emortuos fœtus eiiciendos.

BOTRYS VERTICILLATA.

CAP. LXXXI.

TOto vultu hilarior est Botry satiua, sed staturâ contractiore, palmari, *ramis* qua-



dratis, hirsutis: in quibus *folia* Botryos, sed lanuginosa, saturatiusque virentia ex geniculis ramorum orta, odore suaui, sapore amaro: *flores* indidem verticillatim emicant purpurascentes, labellum productius imitati, intortis eiusdem coloris staminum cincinnis comitati, ex calycibus inferna parte turgidulis, supernâ angustioribus, in quorum singulis *semina* latent quaterna nigricantia: *radix* lignosa, gracilis, paucis fibris donata.

Descriptio

Clus. in Pannon. & Hist. post. vocat Chamæpityn tertiam multifidis foliis & rubescente flore, multis Pannoniæ locis incolam: Item tertiam (sc. Chamæpityn) Fuchsio & Dodonæo, quo tamen nomine apud eos eam nondum inuenio. Chamædrin fœminam vocat Lonicerus: Chamædrin alteram Matthiolus: Chamædrin fœminam & Chamædrios speciem Camerar. hort. Chamædrin fœminam Dodonæi Historia Lugd. Chamædrin minimam Lobel. in obseru. & icon. plant. Chamædrin laciniatis foliis: Chamæpytin alteram Aduers. tertiam Dodonæi, in quo Lobelius titubat: est enim ipsi Chamæpytis secunda.

Lobel. ...

C. Bauh. in Phyt. & apud Matth. Botrys 2. siue chamædryoides. Ambrosia Platero: Heraclea Cordo: Chamæcyparissus agrestis Trago: Sideritis Turnero: Rysio verò plures plantas simul confundenti Chamæpytis fœmina & Polium montanum dicitur.

Locus & Tempus

Botrys altera passim Montbelgardi prouenit inter segetes: in horto Ill. E. C. satam habui, virentem Nouembri; Geneuæ in aruis obseruaui & in horto adhuc virentem Ianuario: Monspelii circa montem Esperon. Floret mense Octobri in agris Basileæ. Nasci tradit Cordus in vineis & earum muris, caluisque apricis, & editis locis, nonnunquam etiam in aruis: ac solum amare pingue, calcario lapidi mixtum, cui & nos subscribimus.

Vires & Vsus.

Quia verò saporem habet amarum, odorem etiam acrem & grauem, veluti si quis vinum & Lupulum commisceat, teste Cordo: ideò non abs re ordine secundo calidam & siccam eam quis statuerit. Facultatibus hanc cognationem habere cum Chamædryi author est Matthiolus. Cùm adeò amara non sit, inquit, vt Chamædrys, ea quidem minùs calida, siccaque fuerit, itaque ad omnia munia imbecillior, non tamen multò.

ÆGIPYRVS, VEL ÆGYPYRVS Veteribus.

CAP. LXXXII.

AEgypiri nominis authorem Theophrastum agnoscimus, lib. 2. Hist. c. 9. Plant. dicentem:

φασὶ δ' ἐρινάζειν καὶ τὸ πόλιον, ὅταν αἰγίπυρος ᾖ πολύς. i.e. nostra quidem interpretatione, Aiunt verò caprificare Polium quando Aegipyrus multus fuerit. Gaza sic reddit: Quin & Polium culices reddit, cùm copiosè fruticat. Scaliger contra Theod. apud Theophrastum αἰγίπυρον Polii fructum esse contendit.

Hanc plantam Anguill. epist. 8. existimat eam esse, quam Ononidem & Restam bouis vocamus.

Polium. Αἰγίπυρος Theophrasti, Scaligero est fructus Polii, quæ opinio præ cæteris, quæ sequuntur, nobis arridet, Anguillaræ verò, Rob. Constantino & Dodonæo est Ononis. Gesnerus propter florem purpureum Glauci Dioscoridis conuenire credidit: ac malè αἰγίπυρος pro αἰγίπολος apud Hesychium legi docet, Grammaticis plantarum imperitis diuersas confundentibus.

POLIVM ANTIQVIS.

Cap. LXXXIII.

Theophr. THeophrast. Polio tribuit folia carnosa: quia pulpa constant, perpetuè virentia: valere contra vermiculos noxios vestimentis interpositum, culices gignere, cùm copiosè fruticat: ad omnem rem etiam, & magnifaciendam, & famam, effodi noctu tabernaculo structo Hesiodo & Musæo auctoribus.

Diosc. duo Polii genera. Dioscorides duo Polii generа tradit: Montanum (ὀρεινὸν πόλιον) quod Teuthrion (τεύθριον) dicitur, & cuius est vsus: tenuis *frutex* est, candidus, dodrantalis, semine refertus, capitulo in cacumine quandam corymborum speciem præ se ferente, paruo, similis cano hominis capillo, grauiter olente, non sine quadam suauitate. Alterum magis fruticosum, non ita validi odoris, & viribus inefficacius. Decoctum horum potum commorsis à bestiis venenatis auxiliari potest. Hydropicis item & morbo regio. Splenicis autem cum aceto. Inducit & capitis dolorem, & stomacho incommodum est. Ducit quoque aluum & menses. Quin & substratum & suffitum venenatas bestias fugat. Idem impositum vulnera glutinat.

Plinius. De Polio Plinius lib. 21. cap. 7. ita scribit. Vt Saliuncam vestibus interponi gratissimum, Si apud Græcos Polion herbam, inclytam Musæi & Hesiodi laudib⁹, ad omnia vtilem prædicantiú, supérque cætera ad famam etiam, ac dignitates, prorsúsque miram, si modò vt tradunt, folia eius (hîc Plinius Polium cum Trifolio confundit) mane candida, meridie purpurea, Sole occidente cærulea aspiciuntur. Duo genera eius, Campestre. Siluestre. campestre maius, siluestre quod minus est, &c. quæ Dioscor. habet.

Galenus. Galenus Polium amarum esse dixit gustantibus, & modicè acre. Quare obstructione liberare viscera omnia vrinámque & méses ciere, ac cætera plæraque præstare quæ antè ex Diosc.

Nicander. Meminit Polii & Nicander in Ther. quod cómendat ad arcendos serpentes à grabato.

POLIVM MONSPESSVLANVM.

Cap. LXXXVI.

F*Olia* ex certis interuallis multa eodem loci ex opposito nascuntur, angusta, oblonga, denticulata, candida, tomentosa, saporis acris, & amari, per *ramos* dodrantales aut palmares, firmos, rotundos, incanos, ex radice lignosa, paucis fibris donata: *capitula* glomerata, alba, tomentosa, calyculis constant oblongis, è quibus *flores* emicant hiantes, candidi. Descriptio Huius virgulis intertexi solēt Epithymo similia *stamina*. Odor totius plantæ gratus etiam post triginta annos, nec inclusæ tamen. Culta minùs incana & latiora quædam emittit folia.



An Polium secundum albo flore Clusio? An Ruellio lib. 3. c. 60. Polium montanum, Narbonensis Prouinciæ?

De Polio eiúsque specieb⁹ Matthiolus hęc inter alia memoriæ mandauit. Seplasiarii illi qui pro Polio herbam quandam vsurpant, quę numerosos profert cauliculos, tenues, rectos, rotundos, semine vndique refertos, errant. Verúmque Polii genus, quod nulla reclamante nota legitimo respondeat, in pluribus Italiæ locis prouenit. Primum vulgus herbariorum Iuam muscatam appellat, à quo secundum effigie non longè distat, quamuis non adeò sit odoratum. Iua muscata. Secundi generis Polium, cuius etiam picturam adieci, viret Venetiis in horto Maphæi. Et hanc in prior. comm. habet, quibus in poster. cum mag. fig. sequentia addit Polium montanum planta est Polium montanum candicans, foliis oblongis, per ambitum serratis caules habet copiosos, rectos, rotundos, lignosósque albicantes, & qui in cacumine capitula edút, florida, candicantia, Thymi figura. Tota planta odorata est, odore tamen acuto & subgraui. Est & alterum, quod Herbariorum quidam Iuam moschatam vocant. Id ego inter Polii genera recensendum volui, quòd capitulis, foliis, caulibus, odore, facultatéque Polium referat &c. In Hist. germanicè [etiam cum addit. Camer.] vocatur Berg polium, Polium montanum, Teuthrion: Item, Feld polium, Polium campestre, wild Roßmarin. In Epit. cum addit. Camer. Polium: Item, Polium alterum, Herbariis nonnullis Iua muschata, Martenkraut / wild lauandel. In comm. cum addit. Casp. Bauhin. Polium 1. Polium 2.

Pol. maritimum erectum C.B. C. Bauh. apud Matthiol. Polium maritimum erectum, Matthiol. Polium 1. [in maior. fig. in minoribus enim transpositæ sunt figuræ, & pro altero positum] in littore Mediterranei maris, Mõspessuli etiam cum Epipolio obseruatú. Epipolium. In phyt. Polium 3. siue maritimum erectum Monspelien. Matthiol. & Clusii primum. *Clusius* autem in Hisp. asserit Polium suum habere cauliculos humi sparsos: In Hist. autem poster. imaginem exhibet, quæ non repręsentat Polium Monspeliense, quod fruticat, nec humi spargit ramos. C. Bauhini err.

Gesn. hort. Polium 1. siue montanum Dioscori-

dis vocat, & recentiorum quorundam Polium maius. In append. Polium Italicum.

Dod gall. Polium, Pol. montanum Teuthrion (sic etiam vocat Tabern.) An Lat. in fol. quoad descriptionem Polium 1.?

Lobelio in Adu. Πόλιον ὀρεινὸν, Polium maritimum montanum: Angl. poleye dicitur.

Locus & Tempus.

Polium 1. Monspelii apud mare prouenit copiosè, odoratius multò montano altero, quod depingitur apud Cordum, florens mense Maio & Augusto, acre valdè & amarum. Cultum multùm degenerat, minùs candidum euadit, foliáque redduntur latiora, vt Geneuæ in horto obseruaui ex semine satum, virens Ianuario. In Belgio sponte non prouenit, sed in hortis magno labore cultum, Iulio verò floret. Locis maritimis & deuexis collibus & arenosis litoribus obseruatum à Lobelio, cuiusmodi ad Ceti montis insulam & Magalonam Narbonensis Galliæ.

Polii ramulo propagatur.

De illo porrò rei herbariæ studiosi obiter admonendi sunt, omnis generis Polii ramulos in terram vmbroso loco depactos, sine difficultate radices agere, modò ipsa terra bene subacta, & repurgata sit, vt in aliquot eius generibus Clusius periculum fecit.

POLIVM VENETVM.

CAP. LXXXV.



Descriptio

POlium è Lio Venetorum per fratrem C. Bauh. allatum, quod si conferatur cum eo, quod Monspelii prouenit, diuersum videtur. Tota namque planta minùs candida, folia latiora, paullò, & plus crenata; coma etiam magis diuulsa.

Polium Venetum (Monspeliensi) multò minus Lobel. crescere meminit in insula Lyo Venetæ ditionis & clientelæ, nec ita incanum: vocatque Polium montanum purpureum.

Polium supinum (ita vocat apud Matthiolum) in litore Adriatici maris apud Venetos legit C. Bauhinus. Is in phyt. appellat Polium 4. siue maritimum supinum Venetum; Dodon. gall. Polium 1. Lobel. Polium montanum purpureum.

POLIVM CYPRIVM CANDIDVM.

CAP. LXXXVI.

Descriptio

LIgnosum Polii Cyprii nomine ramum palmo longiorem attulit frater, quod Monspessulano candidius totum, magisque tomentosum, odoris iucundi & fragrantis, sapore præditum est amaricante: folia perpusilla, per quorum margines crenæ vix tantillùm apparent.

An Lobel. Aduers. Polium Creticum, Veneto magnitudine par: lanugine & habitu maritimo Monspeliaco simile? An Polium minus Cordo, in Hist.

POLIVM CANDIDVM TENELLVM, tomentosum, flore purpureo albo

CAP. LXXXVII.



Descriptio

PRorsus tenellum est, exilibus *ramis* humi fusis, dodrantalibus, multâ lanugine candidâ tectis, qui subinde ad nodos *radices* agunt: *folia* illi sunt mediæ inter primum & secundum (Polium Apenninum nostrum existimo, & Monspeliense) genus magnitudinis, breuiora tamen, denticulata, valdeque tomentosa, quæ adeò causa est vt in tenellis foliis nulla dentium vestigia conspiciantur, nisi à diligenter obseruantibus: *capitella* superioribus paulò minora, totaque tomentosa, in quibus *flos* purpureus.

Varietas flore albo.

Inter iam descriptum, describendumque nunc Polium, sola teneritas stirpis, & floris varietas discrimen facit, quod albis floribus est præditum. Vtrumque enim genus nihil ferè nisi tomentum sunt, & odoris suauitate reliqua genera superant. Vtrumque suis floribus onustum Martio reperiebat descriptionis auctor Clusius; nec differentiam animaduertisset, nisi floris color, diligentiùs conferendi singulas plantas, ansam præbuisset.

Synon.

Priùs inscribit in Hist. postr. Polium montanum quintum purpureo flore: In Hisp. Polium 4. flore purpureo. Alterum in Hist. postr. Polium 6. albo flore: In Hisp. Polium 5. albo flore. Lob. in Icon. Plant. p. 487. itemque Obs. p. 257. Polium montanum purpureum: Polium repens supinum, χαμαιπίτυν Clusii, & quintum flosculis albis. Dodon. lat. in fol. Polium repens, & Polium tertium, χαμαιπίτυν. C. Bauh. phyt. Polium 5. siue maritimum supinum secundum. H. Lugd. p. 929. Polium 4. Clusii.

Locus & Tempus.

Incolæ Murciani regni Chamæpityn esse putabant, apud quos vulgare nomen erat *çamarilla*. Murciano regno duntaxat inter Lorca & Velez el rubio in accliuitatibus tumulorũ arenoso solo obseruabat author, florens Martio. Icon quã proponimus desumpta est ex Clusio, quam nec pictor nec sculptor bene adumbrauit.

Polii

Polii appellationes notha, Aequiuoca & Substituta.

Polii appellationes notha. Cæterùm, quòd superiùs adnotādū erat, sunt qui Polium Teuthrion, qui Pheuxastidiō, qui Achamenida, qui Ebeniten, qui Melosinon, qui Beliō, qui Leonthocaton vocent: Mauritani Cahade, Iahade, seu Giade. Est autem Polio nomen à canitie canisue capillamentis, & tomento hirsuto, quæ non modò capitula corymbacea, vt ait Dioscorides, sed etiam vniuersam plantam incanam reddunt, perinde ac Gnaphalium.

Aequiuoca Præter autem hactenus recensita Polia (nam & æquiuocationes annotasse conueniat) Polii nomine sequentes donantur plantæ. Serpillū. Satureia. Pulegium ceruinum. Acinos. Impia Plinii. Stœchas citrina. Tripolium. Vinum album. Periclymenum. Guacaton herba. Chamæpitys.

Substituta Polio in extractione vermium & prouocatione vrinæ & menstruorum, pondus æquale de Ligni Granati viridis, & duas tertias ponderis corticum lignorum Casliæ ligneæ supponit Tractatus qui pro quo. Fuchsius in Antiballom. pro Polio semen Erucæ recipit: Alii Chamæpityos specie in Seplasiis pro Polio vtuntur teste Fuchsio, qui id improbat, etiamsi odore atque sapore concurrant.

BETONICA VVLGARIS PVRPVREA.

Cap. LXXXVIII.



Descriptio Betonica *caulibus* surgit numerosis, cubitalibus & altioribus, quadratis, ex longo interuallo nodosis: *folia* alia ad caulium genicula gemina, aduersa, alia humi sparsa, incondita, pediculis palmaribus circiterdonata, per ambitum laciniata, rugosa, aspera, hirsuta, sapore aromatico prædita: *flores* spicati verticillatim genicula circūstāt purpurascētes, galeà reflexā subrotundā, labello trifido demisso, è medio rictu stamina flori concoloria exferuntur: *semen*, Trago, oblongum, angulosum, in spicis quibusdam Marrubii instar occultatum: *radix* pollicem crassa crebris longisque fibris capillata.

Cestron Diosc. Cestron, inquit Dioscorides, quod Psychotrophon vocatur, quoniam in locis frigidissimis reperitur, & quod Romani Betonicam vocant, herba est caulem habens tenuem, cubiti altitudine, aut etiam maiorem, quadrangularem: folia longa, mollia, quernis [δρυὶ] similia, per ambitum fissa, odorata, ad radicem maiora. In summis caulibus semen est Thymbræ modo spicatum.

De Betonica Plinius ait. Vetones in Hispania inuenerunt eam, quæ Betonica dicitur in Gallia, in Italia autem Serratula, à Græcis Cestron aut Psychotrophon, ante cunctas laudatissimam. Exit anguloso caule cubitorum duorum à radice, spargens folia ferè Lapathi, serrata, semine (stamine, Ruell.) purpureo. **Serratula.** **Lapathi folia.**

Galenus lib. 5. de sanit. tuenda, Betonicā herbam à Celtis σαξίφραγον vocatam refert: Dioscorides autem omninò aliam Sarxiphagon describit. Galenum tamen loco citato distinguere vult Cornarius inter Cestrum & Betonicam: & Cestrum quod apud Gallos nascitur, Saxifragam vocare, testémque adducit Aëtium, calculosis Betonicam admitcentem & Cestron, Saxiphragon dictum: sicut etiam Paulus duplicem facit Betonicam. **Sarxiphragum Cestrum Gal.** **Cestrum gallicum est Saxifraga Corn.**

Multi verò ancipites fuerunt in visuali hac Betonica, non esse eam existimantes quæ à Dioscoride describitur propterea quòd folia non videantur aliquem retinere odorem, quem tamen inesse debere vult Dioscorides. Atque ex his multi suspicati sunt veram Betonicam esse plantam illam quæ quibusdam locis Mentha Romana, Neapoli Mentha francesca vulgò appellari solet: capti solùm ex odoris fragrantia. Sed hi dum odorem quærunt, multas alias notas se amisisse non considerant, ac præsertim flores, & radices, quæ nullo modo Dioscoridis descriptioni conueniunt.

Betonica purpurea duplex. Betonicam hanc vulgarem duorum generum obseruauit Clusius. Nulli, inquit, in Pannonia, Austria, viciniisque prouinciis montes herbosi, nullæ siluæ, nullæue prata sunt, in quibus non abundantissimè proueniat Betonica vsitata flore rubro, siue purpureo: quæ duorum generum est. Vna enim breuiorem florum spicam habet, & maturiùs floret. Altera autem longiore, molliore, & magis fuscā est florum spica, illáque etiam seriùs flores suos explicat: solet prętereà hæc postrema in maiorem altitudinem excrescere, quàm prior, licèt eodem modo vtraque sponte nascatur, vel eodem pulmino excolatur.

Nomina Cestron. Betonica Græcis, vt Dioscor. & Galeno, κέστρον vocatur, à floris spicata & mucronata acutie, veruculum, seu, vt apud Plinium in vulgatis exemplaribus legitur, viriculum pręferente, sic enim ille Cestrum interpretatur. Dicitur etiā ψυχότροφον, quoniam, vti dictum, frigidis in locis reperiatur: itemque βεττονική. Latinis Cestron Betonica, *Vetonica* (Plinio auctore) ab inuentoribus Vetonibus Hispaniæ populis, & Serratula: Recentior tamen ætas aliam comprobat Serratulam, de qua suo dicemus loco. Antonio Musæ, referente Trago, Britannica, Prionites, Pyrines, Adianthos, Thyariza, Seropodion, Pandiona, Hierobotane, Serrata, & Rosmarina. Arabibus, Herb. antiquo Io. Cubæ, Bastaren vel Castaron, aut Chastara: Serapioni denique cap. 312. Rastata, Auerrhoi Alchiston & Beragnes. Manlio Lingua bubula, & Lingua equi appellatur. Germanis Bethonien & Bathonien / Bethonienkraut & Bathonienkraut: itémque Betonick. Gallis *Betoisne* & *Betoine*. Italis *Betonica* seu *Brettonica*. Hisp. *Brettonica*. Anglis Betony / & Betonye. Sclauonis Serpar. Anguill. Buckwey seagere seele. Hort Lusit. Bok fu / h.e. Hirci barba Nomencl. Pannonico. Boh. Buckwice. **Serratula.**

Eam verò quę purpureo est flore (conspicitur enim & albo, de qua mox:) Germani propriè Braun betonien cognominant. Latinè verò apud plerósque, vt & in officinis solum Betonię

tate conglutinat. Præstat id tamen efficaciùs, si tertio quoque die iterum atque iterum imponatur. Aiunt præterea tam valentis esse facultatis, vt ossa quoque fracta extrahat. Radicũ ex aqua decoctum ad tertias, fotu, oculorum doloribus medetur, quod item præstant contrita folia, & fronti superimposita. Succus à foliis per se tritis expressus, aut priùs aqua maceratis, aurium dolores mulcet, si addito rosaceo in aures egelidus instilletur. Idem drachmæ pondere haustus in aquæ calidę cyathis quatuor sanguinem illum per inferna trahit, cuius redũdantia caliginem oculis offudit, quo fit vt etiam visum acuant comesa folia. Eadem cum salis momento contusa, naribúsque immissa sanguinem inde fluentem sistit. Betonicæ decoctum ex vetere vino, aut ex aceto dentium dolores finit, si eo os sæpiùs colluatur. Herba ipsa ex tepẽte aqua pota suspiriosis & anhelosis maximè proficit, folia melle excepta tabidos iuuant, præsertim qui purulenta extussiunt. Eadem tribus diebus continuis deuorata drach. quatuor pondere, aut ex frigidę aquæ cyathis quatuor ebibita, ventriculi dolores mulcet, iocinoris verò, si ex calida hauriatur. Ex vino decocta lienis vitiis medetur. Sanat & renum vitia ex mulso bibita duarũ drach. põdere: ex vino autem vetere triũ drach. pondere, additis Piperis granis septẽ & viginti: ad lateris lumborúmque dolores vtilissimè bibitur. In duobus aquæ calidæ cyathis sumpta, alui & intestinorum tormina remouet, si tamen à crudis non fiant succis, foliorum quatuor drachmis in aquæ mulsæ cyathis octo epotis, commodè citatur aluus, sanantúrque iis ex vino sumptis coli inflammatione vexati. Betonica in eclegmate ex melle sumpta nouem diebus tussim sedat. Pota in aquæ calidæ cyathis quatuor duarum drachmatum pondere, additâ Plantaginis drachma, febres quotidianas expellit, quod tamẽ in accessionibus tantùm fieri debet. Idem pręstat etiam in tertianis, si cum pari Pulegio assumatur. Sanat ipso quoque ordine, etiam quartanas in quatuor aquę calidę cyathis hausta, quatuor drachmarum pondere: additâ mellis vncia calculi franguntur. Betonica ex tepente aqua fœliciter bibitur hydropicis: Pariendi celeritatem adfert, vterique cruciatus à frigitate conceptos mulcet. si ex calida aqua, aut mulso duarum drach. pondere propinetur. Contrita folia & illita præcisos glutinant neruos, & resolutos iuuant. Eadem trium drachmarum pondere ex caprillo lacte sumpta tribus diebus, sanguinem ore reiectum cohibent: pari vini veteris mẽsura, medentur ruptis, & ab alto deuolutis. Præsumpta ebrietatem arcet. Ex vino frequenter hausta ictericos sanat: suillo adipi admista carbunculos curat. Pota ex aceto mulso vniusdrachmæ pondere viatoribus longo itinere defatigatis vires mirificè reficit: fastidia abstergit, & stomachicos recreat. Aduersatur venenis, & serpentium, & venenosorum, rabidorúmq; quorumcũque animalium morsibus, non modò intus sumpta, sed etiam extra emplastri modo imposita. Cuniculosa sinuosáque sanat vlcera cum sale indita. Ex vino hausta menses ciet. Potu dolores podagricos lenit, præsertim radicum decoctum potum, idémque præstant contrita folia imposita. Hæc Antonius Musa.

Ossa fracta. Oculorum dolores. Aurium dolores. Caligo oculorum. Dentium dolores. Viscerum morbi. Renum vitia. Intestinorũ tormina.

Betonicæ quantùm ad duas potiones satis est, in aqua decoquendum, & decocti tepentis duas heminas ad colluendum vterũm præscribit Hippocrates. Radicem Fontanus ad choleram cõmendat. Post purgationem Betonica in aqua Rosarum, vel vino decocta reparat omnes spiritus (vt habetur apud Arnoldum lib. 1. cap. 17. de cur. morb.) inque cõseruatiõne visus, & augendo aciẽ oculorum iam obtenebratam multùm iuuat. Aquam Betonicæ expellere febres legitur apud Io. de Monte Exper.

Ceterùm in hac herba id obseruandum, radicum facultates longè dispares à foliorum & florum viribus, vtpote quæ multùm stomacho, orique ingratæ, nauseam, rugitus vomitúmque cieant, folia contrà odora, aromatica, & grato sapore, nonnihil roborante, cibo & medicamento naturæ amica. Et hinc non temerè eam tantopere laudauit rustica & vrbana plebs omnis: nunquam non in extollenda boni alicuius multiplici potestate & vsu *Betonicã vestitus* dicere solita. Idque à tam multis & tam sæpè factitatum fuit, vt cæperit iampridem non secus quàm in prouerbio aliorum bonorum formula & exemplar quoddam Italicę genti herba hæc esse: Quotiescunque enim aliquem laudibus familiariter extollere volunt, vulgari prouerbio. *Tu hai piu virtu, che non ha la Betonica.*

Obseruatio. Prouerbiũ.

BETONICAE FOLIO ALOPECVROS quorundam.

CAP. LXXXIX.



EST *radice* nigrà, tuberosa, fibratà: *caulibus* multis, cubitalibus, rotundis, imà parte vestitis, corticis quibusdam extantibus veluti laciniis, partim è nigro rufis, dẽsiùs congestis, in cuspidem desinentibus: *foliis* Betonicæ, rotũdioribus, breuioribus, latioribus, venosis, quà medius neruus protenditur, nigris, ad extremam oram marginem valdè crenatis, magnis interuallis per caulem prodeuntibus, geminis ex aduerso positis: in caulium vertice ex geminorum foliorum tanquam ala *caput* exoritur, oblongum, metæ figura, innumeris villis hispidũ, dẽsissimè stipatis, candicantib. eleganti prorsus huius congeriei figura, emicanti omni ex parte illa pilorum cæsarie, ordo, & densitas, vtcunque vulpinæ caudæ speciem æmulatur, vnde nomen impositum est, Alopecurus montana ab Herbariis, à fructus sc. villosi quadam similitudine cum eius animalis cauda.

Descriptio. Alopecur. montana.

Nascitur in altorum montium opacis conuallibus, arborum frequentia vmbrosis, & illapsu aquarum vdis.

Locus.

Quâ facultate prędita sit & ad quas ægritudi-

nes valeat, nobis cum H.Lugdunensis authore, qui p.1358. Alopecuri genus inscribit, compertum nondum est.

SALVIA LATIFOLIA.

CAP. XC.

Salubris medicinę nomē meritò indepta est Saluia: cuius species vna maior & est & dicitur, viuaci & lignosa

Descriptio *radice* perennis: ex qua *surculi* attollūtur complures lignosi, quadrati, hirsuti, incani, aut viridantes: *folia* Menthæ foliorum formâ acuminata, retorrida facie pumicosa, colore vel incano, vel viridāti, spadiceo, odore eximio aromatico, sapore cum aromatica amaritudine, acriusculo & calido: *flores* in spicam digesti, ex foliorum quorundam alis cærulei, aut ex albo purpurascentes, Lamii, cucullo hirsuto, labello bifido, ex calycibus oblongis, fimbriatis, striatis.



Hanc sic descripsit Dioscorides. Saluia frutex est oblongus, ramosus, virgas quadrangulares, & subalbicantes habens: Folia Malo Cotoneæ similia, longiora tamen, & asperiora ac crassiora, latenter velut detritæ vestes hirta, subalbida, vehementer odorata, graui odore. Semen in summis caulibus Hormini siluestris modo habet. Et sic etiā delineatur à Serapione, qui tamen legisse videtur, ἀραιότερα, addit enim strictiora, pro asperiora & crassiora.

Saluia genera duo Theoph. Et licèt Dioscorides solùm hanc Saluiam agnouisse deprehendatur, Theophrastus tamen duo eius genera prodidit. Differunt autem (inquit lib. 6. cap. 2. Hist.) Spacelos & Elelisphacos, quòd altera satiua, altera sterilis est: habetque Sphaceli folium maiorem læuorem [minorem asperitatem, alius:] breuius illo est, & minùs squalet. Elelisphacos grauiore odore sentitur. Hæc sic legit Gaza: Sphacelus & Saluia inter sese distant, quasi alterum vrbanum, alterum genus siluestre dixeris. Sphacelo folium læuius, contractius, minusque squalens: Saluiæ scabrius. Verùm vera lectio magis conueniat, ipse iudicato.

Illud obiter monemus, nos plures Saluias tradere, sed in præsentia duntaxat de maiori agere.

Plinii lapsus. Plinius vocis φακοῦ, lentem significantis affinitate deceptus Elelisphacum Lentis siluestris genus facit. Est Elelisphacos, inquit, dicta Græcis, ab aliis phacos. Est ea satiua Lente læuior, & folio minore & sicciore, & odoratiore. Est & alterū genus eius siluestris, odore graui, hæc mitior. Folia habet Cotoneæ Mali effigie, sed minora & candida. Et mox post hæc verba, quasi alia esset Veterum, alia sui temporis Herbariorum Elelisphacos, subdit hæc verba. Nostri qui nunc sunt Herbarii, Elelisphacum græcè, latinè Saluiam vocant, Menthæ similem, canam, odoratam.

Saluia sylu. Cæterùm, Matthiolus præter vulgaris notitię Saluiam hortensem, habet & ipse Saluiam siluestrem, foliis domesticæ similibus. Quam autem siluestrem appellat, ea ipsi non est, quæ in Hispaniæ campestribus & asperis locis ac in Massiliēsi agro nascitur, quandoquidem hæc non siluestris Saluia est, sed ea ipsa quam domesticam vocant. Porrò genera Saluiæ, quæ à Theophrasto reddūtur, in Italia quoque in hortis quàm plurimis inueniri asserit: in eaque est sententia, vt existimet Sphacelum marem esse, Saluiam verò fœminam. Et quia Græci Elelisphacon Saluiam vocarunt, inde factum esse perhibet, vt Plinius vocabulorum cognatione deceptus, crediderit Elelisphacon Lentis speciem esse.

Diosc. textus corruptus. Dioscoridis textum esse corruptum, testatur Anguillara: folia non esse Malo Cotoneo similia, sed Menthæ: legendum enim cum Crateua ὅμοια ἔχει φύλλα τῷ ἡδυόσμῳ, fidemq; facere Plinium. Dioscoridis allegatum locum quóque reprehendit Lobelius.

Hist. Lugdunensis attestatur nota esse vulgò duo Saluiæ genera (licèt Dioscorides vnam tantùm describat) Saluiā sc. maiorem, Gallicè *grande Sauge*, & Saluiam minorem siue nobilem, *Sauge franche*, & *Sauge menue* vocatam. Addit Theophrasto totidem esse genera.

Clusius, qui Saluiæ multa genera obseruauit, latifoliam inueniri scripsit folio viridi, eóque crispo, vel non crispo, purpurascente. & versicolore: itemque in Austria floribus candidis, cuius semen istinc in Belgium amicis misit: è quo natæ plantæ.

De Saluiæ generibus Camer. in Hort. hæc annotauit. Saluia latifolia & altera eiusdem formæ cum auriculis: item tenuifolia auriculata, & eiusdem generis Hispanica à frigore munienda, sicuti quæ flore albo, cuius meminit Anguillara, Hæc non fimo pingui, sed luto veteri cum terra debet stercorari. Lixiuii etiam cinere muniunt olitores & sic lætiorem prouenire testantur.

Synonyma Saluiam hanc nostam latifoliam, inscribit Matthiol. passim in suis comm. itemque Hist. germ. Saluiam maiorem. Et ita quoque Dodon. gall. (qui 2. facit, & quorundam agrestem cognominat) & Lat. [qui tamen primo loco eam describit:] H.Lugd.p 879. Lobel. in Obs. p. 299. (& sic quoque in Adu. & Icon Plantar. addens tamen scabriorem Dioscoridis.) Tabern. & C.Bauh. in phyt. Saluiam latifoliam Tragus, itemque Brunfels. in 4. pag. 280. sine icone: figura enim adposita, est Eupatorii cannabini. Cæsalp. Saluiam domesticam floribus cæruleis, vel candidis. dis.

Apollinaris lib. 2. Saluiæ species non separat, easdem omnibus vires adscribens. Ego tamen maiorem infirmiorem minore existimo. Matthiol. in Epit. cum addit. Camer. Saluiam inscribit, & Saluiæ genus vrbanum Theophrasti pronunciat.

Cuius porrò ex imperita multitudine nota est non solùm facie, sed etiam certissimi remedii herba Græcis Ἐλελίσφακος vocata: Latinis & officinis *Saluia*: Arabibus *Aelisphacos*, & *Elinbacos*: Mesue *Brai*: Germanis Salbey: Belgis Sa-

tiæ: Gallis *Sauge*: Italis & Hisp. [his & *Salua*] *Saluia*: Angl. Sage: Boh. Ssalwieg: Polon. Szalwea: Hung. Salya/ & Zorany irom, h.e. agninum Absinthium. Hæc autem cum retorrida semper & exucca videatur, factum est vt Græcis Elelisphacon siue Elelisphacos, quasi in tabem redacta, vel in syderationem flaccescens dicta sit, ἐλελίζειν & σφάκος vocibus in vnam coalescentibus appellationem. Est autem ἐλελίζειν, intorquere, contrahere, & σφάκος, seu potiùs σφάκελος malum in plantis, quum per Æstatem, & ardentissimum canis æstum, vi Solis altiùs penetrante, humoréque, quo nutriuntur, deficiente, languent & arescunt: Latini Siderationem nominant. Potuit tamen æquè scitè dici (inquit Lobel.) à medendis Sphacelo penè demortuis partibus, quibus calorem natiuum robúrque insitum reuocaret, quà pollet familiari facultate nostræ vitæ primordiis beneficâ, vnde Saluia dicta, quòd saluos homines & incolumes efficiat. Aut quòd præsertim ad fœcunditatem salutaris sit. Hanc namque sæpè vsurpantes steriles, grauidæ redduntur. Quare Agrippa Sacram herbam vocauit, vt author est Aetius. *Elelisphacon.* *Saluia.* *Herba sacra.*

Inter nothas verò appellationes & hæc nomina occurrunt. Elsphoboscon, Phagnon, Phacon, Ciosmis, Ciosmite, & Beccon, quod nomen apud Apuleium quoque legimus. Græcè autem sonant hæ voces ἐλασφόβοσκον, σφάγνον, aut φάγνον, φάκον, κίοσμις, & Ciosm. Et Galenus in confectionibus dolorem sedantibus, quæ tabescentibus & sanguinem reiicientibus sunt commodæ, *bitin botane* meminit, & *bitis* simpliciter, quam herbam Cornarius Saluiam conuertit, & βηχὶς pro *bitis* substituendum censet, vt sit βηχίον vna aliqua appellatio ἐλελισφάκου, quam nos Saluiam dicimus. Et Plin. altera Bechii speciem Salmiam appellari testatur. Omnibus his appellationibus Apuleius cap. 101. Cissïon addit. Sed & Corsalutum quibusdam dici refert Dod. gall. Tragus verò monet Latinos Tussilaginem Saluiam appellare. Apuleius, inquit, c. 102. vocat suam Tussilaginem & Bechion Saluiam: vbi igitur in Apuleio scribitur Tussilago aut Bechion, intelligenda Saluia. *Nothæ Voces.* *Beccum.* *Corsalutū.* *Tussilago.*

Porrò, Saluia hæc latifolia, siue maior dicitur Germ. grosse/ auch breyte Salbey/ Edel Salbey: Belg. Groue siue groote Sauie. Gallicè *Sauge grande*. It. *Saluia maggiore*. Angl. Great Sage.

Locus. Hâc subinde locis asperis & ruderatis in Germania reperiri refert Dodonæus. Camerarius testatur eam in Gasconia, Gallia Narbonensi & Pedemontio in vineis luxuriare: in hortos verò translatam pulchriorem euadere. Monspelii & Lugduni floret Maio: seriùs in Germania Iunio sc. ac Iulio, vel etiam Augusto. Martio verò, vt & aliæ Saluiæ, commodè transfertur ac plantatur.

Saluia nigra vel rubra.

Descriptio Ex genere Saluiæ maioris est, *foliis* magnis, sed plærisque ex atro rubentibus, potissimùm antequam caulescat, vel florescat, alioqui florida folio parum differt à maiore vulgari.

Synon. Est Dod. gall. Saluiæ maioris tertia species, dicta rubra: gall. *Sauge rouge*. Lat. in fol. Saluiæ maioris species alia, foliorum pediculis ac neruis, tum & recens enatis foliolis rubentibus. C. Bauh. Phyt. Saluia 2. siue nigra. An Clus. Saluia folio purpurascente.

Locus & Tempus. Nusquam hanc vidi nisi in Castello Beuuge, vnde transtuli in hortum Ill. E. C. florentem Iunio.

Saluia albis foliis.

Ex genere Saluiæ maioris & hæc est, quæ *folia* quædam tota, quædam verò media ex parte cādore niueo prædita habet. Hâc vocat Dodon. gall. Saluiæ maioris alteram speciem. Saluiam albam dictam, gall. *Sauge blanche*. Lat. in fol. Saluię maiori speciem nonnullis foliis vel totis, vel partim albidis: C. Bauhin. Phyt. Salu. maioris speciem foliis albidis. An Clus. Saluiam latifoliam versicolorem, quam in Austria flore albo obseruauit? *Descriptio* *Synonyma*

Saluiam huiusmodi Lutetiâ misit Robinus hortulanus regius: itémque Cargillus Londino ramum cum hac inscriptione, Saluia versicolor ex albo viridi & rubro.

Saluia serrata crispa.



Idem Cargillus Scotus Medicinæ Doctor huius Saluiæ misit duo folia, ad tactum leuia, tenuia, breuia, lata, serrata, nonnihil hirsutie albicantia, Saluię saporem habentia, collecta Londini in Lobelii horto. Horum inscriptio erat hæc: Saluia serrata & crispa folio latiore. Cæterùm an Clusio Saluia latifolia folio crispo?

Saluia minor auriculata



Descriptio Minorem Saluiam, quę minora capiat in *foliis* incrementa dixerunt: Frutescit ea tamen, contractior interim maiore, quadratis stolonib. & hirsutâ canitie lanuginosis: *folia* aduersa Maiori magnitudine cedunt, odore vehementiore, saporéque vegetiore vincunt, magis candicantia, quibus ad imum pinnulæ duę appositę, aliquando vna, est vbi nulla: spicatos cęruleos *flores* ex Maiore promptum est discere.

H. Lugd. pag. 880. hanc pingit Sphaceli veri Theophrasti titulo. Sed & Matth. [qui Saluiam

minorem inscribit, vt & Tabern. itemque Dod. gall. qui primam cognominat, & Lat. qui secundam] ac Lobel. Sphacelum esse asserunt. Hic in Aduers. Saluiam minorem pinnatam vocat. Clus. Saluiam angustifoliam. C. Bauh. phyt. Saluiam 4. (2. apud Matth.) siue minorem, & Saluiam nobilem Brunfelsii in 4. p. 280. Hanc autem aliquando pinnatam esse, & aliquando non, vnâ figurâ expressit Tabernamontanus. Foliis verò nonnunquam eam reperiri Lauendulæ concoloribus, sed latioribus & grauioris odoris; rariùs etiam luteolis variare, & flore albo esse monuit C. Bauhinus.

Synon.

Linguarum nomina. Germanicè dicitur Spitz Salbey / Creutz Salbey / Klein : Edel : & Krecht Salbey : Belg. Cruys Sauie, & Orkens Sauie : Gall. *Sauge frâche, Sauge menue* : Ital. *Saluia minore* : Angl. litle Sage.

Locus. Hæc Saluia est lignosior maiore, nec ita facilè multiplicatur. Qualis pingitur à Fuchsio & Matthiolo Monspelii prouenit. Geneuæ cum auriculis, quæ in in eo affinitatem habet cum gallifera Cretica. In Galliæ & Italiæ quibusdam locis ita abundat potissimùm in terra aspera, vt eâ calefiant clibani, Matthiolo authore. In campestribus Hispaniæ in Massiliensi agro spontanea occurrit, cùm tamen in Germania non nisi culta in hortis habeatur.

Vires. Nos minorem hanc Saluiam cum Trago maiori præferimus, à Lobelio dissentientes quidem, qui nullum in sapore discrimen esse ait, cum tamen eo sit magis amaro & aromatico ac acriori. De viribus in genere plura infrà dicemus.

SALVIA TENVIFOLIA.



Descriptio. SALVIAM foliis minùs spissis, angustioribus; itemque paruis auriculis donatã, mihi verò Bisantii in horto Clariss. D. à *Belle fontaine* à S. Mauritio demonstratam, sic describit Clusius. Multos statim à radice profert *ramulos*, lignosos, ex fusco subrubentes, quos alternis bina semper ex aduerso ambiunt *folia*, longè angustiora, quàm in vllo Saluiæ genere, in ambitu nonnihil interdum crenata, seu crispa: è quorum sinu alii pusilli ramuli prodeunt: medius *caulis* in spicam purpureorum *florum* desinit, nullis intermixtis foliolis: *radix* dura, lignosa, in ramos diuaricata. Quo tempore floruerit, & an semen retulerit, nihil Clusio à Iac. Plateau, qui eius iconem viuis coloribus depictam ad ipsum misit, significatum fuit. Ramis aliorum Saluiæ generum instar, illam pangi posse, putat Clusius.

Synon. Clusius porrò, qui nascentem non conspexit, Saluiam Creticam angustifoliam appellauit. C. Bauhin. phyt. Saluiam 6. siue tenuiore folio, Camerarii Hispanicam & Tabern. Indicam.

SALVIA GALLIFERA CRETICA.

Descriptio. TOTA denso villo obsita canescit; infernâ potissimùm parte, tam *caules* lignosi quadrati, quàm *folia* partim auriculata, partim mutila, crassa, in mucronem obtusum desinentia: obseruauimus in iuuene planta ternas & quaternas pinnas: ad iuncturas pediculo sescunciali gallæ insident rotundæ, pilulis Querneis, in folio nasci solitis.

Dodon. Lat. in fol. videtur non galliferam, sed tuberosam cognominare, itemque Matthiolus. Anguillara epist. 12. non tuberculum, sed fructum appellandum censet. Clusius eam Saluiæ Creticæ non pomiferæ titulo donauit. Lobel. in Adu. Saluiæ cocciferæ siue baccatæ Cretensis: Ic. Plant. p. 554. & H. Lugd. p. 381. vbi figura quæ non placet, Saluiæ bacciferæ Cretensis. Tabern. Saluiæ cum gallis. C. Bauh. phyt. Saluiæ 5. [3. apud Matth.] nuc bacciferæ, à Io. Bauhino communicatæ. Creuit enim mihi Montbelgardi in horto Ill. E. C. Wirtembergicę.

Vires et vsus in genere. Foliorum & ramorum Saluiæ decoctum, inquit Dioscorides, potu vrinam ducit, menses & fœtus extrahit, pastinacæ marinæ ictibus auxiliatur, capillos denigrat. Vulneribus herba vtilis est, sanguinemque compescit, tetra vlcera purgat. Pudendorum pruritus foliorum & ramorum decoctum, cum vino, si eo abluantur, sedat. Nescio quid humani Plinio acciderit, qui Elelisphacon Lentis syluestris genus fecit: Et rursus, alterum eius genus tale, quale omninò Diosc. describit. Verba eius supra adscripsimus. Est syluestris & Elelisphacos dicta, &c. Alterius generis folia cum ramis decoquuntur. Menses ciet & vrinas, & pastinacæ marinæ ictus sanat. Torporem autem obducit percusso loco. Bibitur cum Absinthio ad dysenteriam. Cum vino eadem commorantes menses trahit, abundantes sistit decocto eius poto. Per se imposita herba, vulnerum sanguinem cohibet. Sanat & serpentium morsus. Et si in vino decoquatur, pruritus testium sedat. Et mox, quasi alia sit Veterum, & alia sui temporis Herbariorum Elelisphacos, subdit: Nostri qui nunc sunt herbarii Saluiã mēthæ simili appositã partus emortuos extrahunt: item vermes aurium, vlcerumque: Ad muliebre profluuium compescendum, & procurandum conceptum eius vsum commendat Ætius: Hollerius ad sanguinis sputum, quod minimè probamus, alii ad Lac augendum eâ vtuntur.

Cæterùm, virosa & pestilens ea maximè censetur esse, quæ foliorum pinnas, veluti carbunculatas præ se fert, estque toto habitu, nedum foliis, retorrida, emaciata, & languidula. Post hanc summè periculosam & noxiam, adhuc etiã viridem & bene habituatam, esse coniicit Ioh. Schvvab Feldkirchensis Rhætus, quæ cœmiteria incolit, quòd non rarò in iis, non tam frequentes quàm prægrandes & virosos bufones offenderit, vt loco cadauerum corruptioni dicato & generationi bufonum, serpentum, omnisque generis vermium, insectorumque obnoxio. Est siquidem vt Philosophorum norunt filii, corruptio, unius, alterius generatio.

In cuius etiam venit probationem notus ille duorum amantiũ lugubris casus qui ambo cùm in horto essent labiis leuiter affricta Saluiã subitò occubuerunt, vnde Io. Boccatio occasio hunc scribendi versum.

Cur

Cur moriatur homo cui Saluia crescit in horto? Idem Feldkirch. Rhetus Adagii haud inelegantis. nobis author fuit: illotâ Saluiâ non temerè esse vtendum, h.e. Viro incognito nec antè bene experto.

SALVIA ABSINTHIVM REDOLENS.

Cap. XCI.

Descript.



Flore est satis magno verticillato, purpurascente: obseruandû an ab albo differat, vel solo colore ludat: *folio* Saluiæ minoris pari, nunc pinnato, nunc mutilo, Absinthiû obolente, quem tamen odorem siccata vix reseruant folia.

C. Bauhin. phyt. vocat Saluiam 3. siue odore Absinthii, flore rubente, cum vulgari minore conuenientem. An Camer. hort. Saluiam latifoliam alteram cum auriculis: Item Saluiam flore albo?

Locus. Stutgardię in horto Ill E. C. itémque Montbelgardi vtramque flore rubente & albo obseruauimus: Adhæc Argentinæ Iulio & Augusto in horto Frid. Meieri.

VERBASCVM SILVESTRE SALVIFOLIVM exoticum folio rotundiore.

Cap. XCII.

Descriptio



Hæc foliis rotundioribus, candidioribus, densioribúsq; ,minùs tamen lanugine canis, sed Saluiæ æmulâ concretione: alioqui lignosa, fibratáque *radice, caule* & facie non ita dissimilis: iisdem gaudet Syrię natalitiis, quibus Verbascum Lychnites Syriacû: *flores* descriptori Lobelio videre non contigit, quia vt refert, iam marcidi erant.

Synonyma Is in Obs. p. 302. Verbascum syluestre Saluifolium exoticum intitulat: itémque in Icon. Plant. H. Lugd. p. 1302. Verbascum silu. exoticum Lob. C. Bauh. phyt. Verbascum 4. siue exoticum subrotundo folio Saluiæ.

VERBASCVM SYLVESTRE MONSPELIense, flore luteo hiante.

Cap. XCIII.

Descript.



A Verbasco siluestri Matthioli diuersum est Monspeliense, quippe cuius *folia* duplò aut triplò angustiora, lanuginosa, & incana, potissimùm parte inferiore, superiùs enim colorem Saluiæ referunt: *caules* quadrati, villosi, in ramos diducti, in quibus ex interuallis breuibus, longâ serie verticillati calices, pinnatis cristis insignes, *flores* proferunt luteos, galeatos, Verbasci siluestris Matthioli, quibus bina subiecta folia calyces omnes vndique ferè complexa, latiuscula.

An Matthiol in Hist germ. plantam nostram intelligit per Verbascum siluestre minus, cuius in descriptione obiter meminit?

Synonyma Lob. lapsus. Lobel in Aduers. appellat Verbascum silu. Saluitenuifolium Narbonensium: In Obs. pag 301. Phlomon Lychnitidem inscribit. *Sed* huius inscriptionis effigies reducenda ad præcedentem titulum, Verbascum siluestre foliis Saluiæ tenuifoliæ: & contra huius inscriptionis imago, ad sequentem titulum, Phlomi Lychnitidis: transpositæ enim sunt figuræ: In Ic. Plant. Verbascum hoc, vero titulo expressit p. 558. Verbasc. silu. foliis Saluiæ tenuifolię, Narbonense, Hispanicum, Illyricum aut Syriacum. Dixerat enim in Obs. plantam esse non modò Narbonensem, sed Hispaniæ, Syriæ & Illyriæ indigenam: quæsierátque etiá in Adu. an Phlomos Lychnitis Dioscoridis: ac paullò post Saluiam siluestrem plebi dici, Dioscoridisque Phlomon Lychnitin videri.

Sic licèt non ignarus Clusius, alias stirpes pro Phlomide Lychnitide à variis rei herbariæ scriptoribus proponi: nullam tamen ad Dioscoridis descriptionem propiùs accedere iudicauit, quàm quæ à nobis proponitur, & ab illo Phlomidis Lychnitidis titulo pulchrè pingitur; & à quibusdam φλομίς appellatur: à Monspelianis Verbascum siluestre: Castellanis *Candilera*: Granatensibus *Menchera*, eâdem propè ratione, quia sc. eius folia, non modò sicca, sed etiam recentia oleo imposita, ellychnii vicem supplere possint, si accendantur, quod etiam Dioscoridis Lychnitidi & Thryallidi tribuit.

H. Lugd. repreh. Non benè tres figuras eiusdem plantæ, quasi diuersarum proponit Hist. Lugdunensis: Verbascum silu. Dodonæi, p. 1301. Phlomidem Lychni-

ri idem Penæ p. 1303. Item Phlomidem Lychnitidem Clusij.

C. Bauh. phyt. vocat Verbascum 2. siue angustæ Saluiæ foliis, dubitatque an sit Verbasc. silu. foliis Saluiæ Dioscoridis: Anagarthi aliquibus dici refert.

Locus & Tempus. Ad miliare quà itur Monspelio Frontignan inter saxa vidi florentem Vere. Frater C. Bauh. annotauit florere Maio & Iunio, ac dici Verbascum Saluifolium, & Saluiam spicatam in Hispania. Sata à Gesnero Tiguri prouenit, & in vase Hyeme domi vixit: sed iniuria quadam postea ante florem periit. Exit collibus, sicciori-búsque & petrosis locis, per vniuersam Hispaniam & Lusitaniam: obseruauerat & antea Clusius in Narbonensi Gallia. Semen subrufum Verbasco syluestri Matthioli ferè simile in vasculis Iulio profert.

Aequiuoca Saluiæ agrestis. Saluiæ agrestis nomine donantur sequentes plantæ: Scorodotis. Gallitrichum satiuum. Gallitr. siluestre. Mentha Sarracen. Stachys. Stachys Fuchsii. Stachys Matthioli. Cistus fœmina. Tussilago. Ruta muraria. Saluia syluestris Tragi adulterina Lobelio quid?

HORMINVM EX VETERVM sententia, & in genere.

CAP. XCIV.

FRugum generi adnumerauit aliquot locis, de de plant. Histor. Theophrastus Horminum, quod Gaza Geminalem vertit.

Theoph. Geminalis.

Dioscorides Horminum in genus satiuum & siluestre partitur. *Satiuum*, inquit, herba est Marrubio similis: caule quadrangulo, semicubitali; circa quem eminentiæ siliquis similes prodeunt, ad radicem nutantes; in quibus semen diuersum includitur: nam in syluestri rotundum, fuscumq; inuenitur: in altero oblongum & nigrum, cuius & vsus est ad venerem stimulandam cum vino poti. Purgandi autem cum melle oculorum albugines, eorumque vlcera, argemata Græcis vocata. Ex aqua emplastri modo impositi tumores discutiendi, & surculos extrahendi. Quin & & herbæ ipsius eodem modo impositæ eadem præstandi. *Siluestre* autem efficaciores habet vires: eamque ob causam vnguentis miscetur, musteoque præsertim, Gleucino vocato.

Vsus.

Plinius Hormini meminit & Horminii: per Horminium, Cæsalpino authore, intelligens Asparagum siluestrem: vtrumque nomen inditum quia venerem stimulant. De Hormino, inquit lib. 22. cap. vltimo, semine vt diximus Cymino simile est, & in reliquis Porro [malè. Scribendum erat Marrubio] dodrantali altitudine. Duorum generum, alteri semen nigrius, & oblongum. Hoc ad venerem stimulandam, & ad oculorum argema, & albugines: alteri candidius semen, & rotundius. Vtroque tuso extrahuntur aculei ex corpore, per se illito ex aqua. Folia ex aceto imposita, panos per se, vel cum melle discutiũt: item furunculos priùs quàm capita faciant, omnesque acrimonias. Libro 18. cap. 10. Theophrastum sequutus inter fruges numerat post Erysimũ & Sesamum. Quanquam ambigat inter fruges & medicamenta. Eiusdem naturæ (cum Erysimo) & Horminum, à Græcis dictum, Cumino simile: seritur cum Sesama & Irione inter æstiua: nullum animal vescitur virentibus.

Galenus quoque inter fruges numerat lib. alim. 1. Hormino, inquit, vtuntur, torrentes, vt farina fiat. Ammiscent ipsis etiam mel. Habet autem in se alimentum, naturam mediam habens, inter Erysimum & Cuminum, tenuium est partium, attrahendi detergendiq; potentiam habẽs. Galenus.

Plinium Hormini folia Porri tradidisse, Græcorum nominum vicinitate deceptum, testatur Matthiolus. Qui & aliud Hormini genus esse falsò credidit, à Theoph. Galeno, & Plinio inter fruges annumeratum. Hormini, inquit, de quo hic nobis sermo, meminisse Galenum in libris simpl. med. non reperio, quamuis eius mentionem fecerit Paulus, qui tamen illa tantùm refert, quæ à Dioscoride mutuatus est. Hæc ille. Et verum quidem est, teste Cornario, Plinium errasse, πράσου pro πρασίου legentẽ, & Porro pro Prasio, i. e. Marrubio, conuertentem. Sed maior est error eius & aliorum, qui tamen de diuersis produnt, alterum Horminum cereale facientes: & alterum herbarum genus: quum Theophrastus, Plinius, Galenus, & omnes veteres, vnum Horminum nouerint, de vno omnes prodiderint, quod tamen tum siluestre, tum satiuum sit: & hoc etiam inter alimenta retulerint. Et hinc, Dioscorides, inquit Marantha, Horminum satiuum & siluestre depingit: in nulla re, quantùm ad formam attinet, sibi inuicem differre per hoc nobis significans: sed in semine solùm differentiam ponit: siquidem in siluestri rotundum, fuscumque; in altero nigrum & oblongum inueniri tradit. Iam quis non admiretur eos, qui duas plantas, floribus foliis, magnitudine, caulibusque inter se multùm distantes, pro duabus Hormini speciebus depingũt, cùm Diosc. nullam, nisi in seminibus, ponat discrepantiam. Plin. error.

Cæterùm, quod Matthiolus Hormini Galenum in simplicium Pharmacorum numero meminisse cum Cornario & aliis quibusdam negat, id cum doctioribus, vt Guillandino, Phorbion esse iam olim Gesnero notante, didicisse poterat. Si dubitat Paulum adeat, vtroque sub nomine eadem verba referentem. Lapsus aliis quibusdam.

Quia porrò non desunt, qui Gallitrichum Horminum Dioscoridis esse contendant, fortè non abs re fuerit, de vtraque sic differentem Turnerum audire. Diu, inquit, in ea hæsi opinione in qua etiam est Ruellius cum aliis multis, Horminum esse Gallitrichum, Barbaris Sclareã dictum. Sed accuratiùs perpensâ Dioscoridis descriptione Hormini, deprehendi eum Sclarea non conuenire, nuper etiam comperi eiusdem esse sententiæ Matthiolum. Itaque aliud Horminum exhibet (hoc nos duplex agnoscimus; 1. comâ purpuro-violaceâ; & alterum comâ rubrâ, de quibus mox agemus.) sed, pace eius sit dictum, nimis ieiunè descriptum. Sed præstat vtramque plantam ad descriptionem Dioscoridis expendere. Sclarea in multis videtur à descriptione discrepare, atque etiam in vno etiam Horminum Matthioli: folia Sclareæ multùm differunt magnitudine, nonnihil etiam formâ, à foliis Marrubii. Caulem habet duos cubitos altum, at Hormini caulis cubitum semis altus est: quæ in caule Sclareæ apparent, sursum spectant, in Hormino deorsum. Quare Sclarea nostra Hormini descriptioni non respondet. Dioscorides in suo Hormino vnius tantùm caulis meminit: at Horminum Matthioli, vt minimùm septem habet caules: quare cùm Diosc. nõ soleat tales insignes notas prætermittere, verisimile est, si tot caules Horminum est Gallitrichum.

haberet

haberet horminum, non fuisse silentio prætetitum &c.

Hormini Aequiuoca

Gallitricha tandem quibus hormini nomen adscribitur hæc sunto: gallitrichum satiuum. Gallitrichum exoticum. Gallitr. silu. vulgo. Gallitr. silu. flore maiore albo. Gallitr. glabrum folio Saluiæ. Gallitr. silu. versicolore folio. Gall. silu. comâ virescente. Gallitr. folio rotundiore. Gallitr. tenuifol. Gallitr. fl. minore. Gallitr. fl. minimo. Gallitrichis affine Maru. Gallitricho affine Horminum. Galiopsis species lutea. Asparagus silu. Corruda.

Quæ sint illa Hormina campestria, quæ Tragus Betonicas siluestres dicit, inquirant lectores. Hormino deficiente, vt & hoc obiter moneamus, substituitur auctore Fuchsio de compos. med. in antiballom. semen Lini.

HORMINVM COMA PVRPVREO-violacea.



Descriptio

MVltâ habet Horminum cum Saluia similitudinem: *caules* subrubentes, multis alis cócaui, quadrati, copiosâ lanugine hirsuti, pedales & maiores: ad quorũ genicula *folia* Saluiæ bina aduersa, non ita retorrida & squallida, sed affatim hirsuta, odore nullo excellente, sapore amaricãte: at verò foliorum, quæ in extremis sunt ramulis, densior est phalanx, quorum summa purpuro-violacea facilem ad huius plantæ cognitionem viam monstrant: *flores* ex foliorum alis, Saluiæ minores, partim purpurei & albicantes, ex caliculis verticillatis, Marrubio similibus, foliaceis, hirsutis & striatis, sursum vergentibus, dum flores gestant, deorsum nutantibus, *semine* onustis: *radix* lignosa & fibrosa. Herba est annua.

Matthiol. carpitur.

Matthiol. apud Dioscor. ex sola effigie Pisis ad ipsum missa à Luca Ghino, iudicat suum Horminum, verum satiuum repræsentare, omittẽs

De Iconibus sententium.

nouæ plantæ descriptionem, eique folia valdè rotunda appingens. Eandem Matthioli figuram proponit & Dod. in H. gall. foliis rotundis. In postremis nouam assumpsit iconem, foliis non ita rotundis. Considerandum igitur fuerit an

Foliis rotundis.

huius duæ species. Olim ipse in horto publico Patauii Horminũ foliis rotundis obseruaui, quale deinceps videre non memini: à me culta & ab eo tempore obseruata, non solùm minùs multò rotundis erat foliis, sed etiam ramis longioribus. Icon Tabernamon. & alia Camerarii,

Nomina & Synonyma

multùm quóque differunt. Placet præ cæteris, quæ apud Dod. & Lobelium.

Græci ὅρμινον, Latini, vt Matthiol. Anguill. Lob. in Aduitémque Obs. pag. 300. & Icon. Plant. p. 555. Dod. Tab. & Camer. in Epit. Matthiol. Horminum vocant: Horm. Matthioli H. Lugdunen. pag. 964. Horm. satiuum Camer. hort. Horm. satiuum & hortense Camer. apud Matth. in Hist germ. & Dod gall. Satiuum 1. Schvvenckf. 1. siue satiuum C. Bauh. phyt. Domesticum & satiuum idem apud Matth. Geminalem nonnulli. Hormini pulchram speciem, & Orminum sine aspiratione nonnullorum, itémque Pformium Galeni, Gesneri hortus. Germani Garten scharlach & Römischen scharlach/ itéque welsch tag vnnd nacht: Itali *Hormino*. Dictum autem & Horminum, ἀπὸ τοῦ ὁρμᾶν impetu agi instinctúque ferri & cieri in venerem, quòd πρὸς τὴν συνουσίαν παρορμᾷ, vt loquitur Dioscorides, ad Venerem stimulet.

Locus.

Copiosè crescere dixit Camerarius in agro Senensi, sed copiosiùs in Apulia, Illyrica, & in Lesena insula, atque vniuersa Græcia. Nusquam nisi in hortis cultu herbariorum à me visum verum Horminum, Geneuæ, Lugduni & Basileæ, vbi in horto publico mense Februario virebat, cuius folia cùm nascerentur, mense Martio, erant rotunda. Montbelgardi floruit Iunio & Iulio.

HORMINVM COMA RVBRA.



Descriptio

SImilis est Hormino comâ purpuro-violacea, *caulibus* suis quadrãgulis, tripartitis, hirsutis: *foliis* prioribus ex longis pediculis, Saluiæ accedentibus: itémque per caules verticillis: Ast *floribus* differt minoribus, summitatibúsque caulium rubris, ac odore nullo insigni.

Locus & Tempus.


Visa mihi primùm hæc planta in horto cultiss D. Friderici Meier Argentinæ, florens Iulio.

GALLITRICHIVM SATIVVM. CAP. XCV.

Descriptio

SAtiuum Gallitrichum ad cubitum alterumexcrescit, & altiùs, *caule* quadrato, minimi ferè digiti crassitudine rigido, hirsuto, medullâ albâ pleno, in oppositos ramos ex interuallis cóiugatim fisso: quà etiam serie & rami in alios minores deinceps abeunt: *flores* spicati ex multis compositi verticillis, Saluiæ floribus persimiles, cucullati, colore cœruleo in album vergente, ex striatis pyxidulis, tactu glutinosis, quaterna *semina* claudentibus lubrico læuore perpolita, alterâ facie gibbosa, alterâ angulosa, coloris rufescentis: *folia* ex aduerso bina sita, rugosa, Aethiopidis, minùs villosa: *radix* lignosa. Odor totius plantæ vehemens, sapor amarus.

Varia de Gallitricho opiniones.



Quodnam huic plantæ in Diosc. propriũ sit nomẽ, haud dum conuenitur inter auctores. Tragus, persuadet sibi Gallitrichum hoc nostrum, eam esse herbam quã Dioscorides Sideritidem Heracleam, seu Herculeam appellat. Trago & Dodonæo gall. inscribitur Gallitrichũ: vt & Gerardo, & Camer. hort. Gallitricum siue Sclarea H.Lugd.p.966. quę cum cunctis aliis cæcutit, qui semẽ huius nigrũ esse cõtendunt. Galli centrum officinarum & Herbariorum vocatur à Cornario: Gallitrichon Tagault.l.2.cap.19.de Purg. Gallitrichum hortulanum à Constant. Plateat. & multis ex Neotericis scriptoribus: Horminum satiuum officinis & Herbariis, notum a Corn. horm. satiuum 2. & Saluia Turcica transmarinã Ruellii à Schwenckf. Horm. 3. siue Sclarea dictum à C. Bauh. phyt. Hormini Oldingeri, Sclareæ vulgò dictæ, species satiua à Gesn. hort. Hormin. silu Scarlea vulgò nuncupata à Clus. Pann. sine icone: ab eodem in Hist. post. Horm. silu. cum icone. Orminum à Lonic. qui duas figuras habet: Orm. satiuum à Fuchs. qui de co... p. med. lib 2. *Tuderi* Auicennæ voc... Orminon hortense, ... , Garten Scharlach à Gesn in cat. pl. Orminum sat. malè Gallitrichum appellatum a Cordo in Diosc. Slarea à Matth. (qui etsi sciat Dioscoridis Horminum non esse, tamen Horm. maius & odoratum cognominat) Anguill. Camer. in Epit. Aloif. supra exam. Brass. Turn. & Tabern. in Ic. & Hist. Sclarea Matthioli à C.Bauh. apud eundem: Sclarea à Lob. in Adu. ac Obs. p.300. & Ic. Plant. p. 556. Oruala a Dod lat. de flor. & in fol. (cui & Orualia dicitur) ac Gesn. in cat. pl. Oruala, aut Tota bona olitorum, & Sclarea Italorum à Ruellio: Sideritis Heraclea odorata hortensis, à Fracast de morb. contag. itemque Herba S. Ioannis Alectorolophos à Gesn. in cat. pl. Bezomo à quibusdam, referente Trago: à Germ. Scharlach/ gemein Scharlach/ Gartẽ Scharlach & Scarlag: à Belg. Scharleye: ab Ital. *Sciarla*: à Gallis *Orvale* & *Toute bonne*: Ebrodunensib. *du l'Orue*: ab Angl. clarye: ab Vngaris Zent Janos fiue, h.e. S. Ioannis herba, vocatur.

Syn. — *Nomina linguarum* — *S. Ioannis herba.*

Locus & Tempus. Seritur in hortis & viridariis: translatum recens, aut satum primo anno caulem non fert, & secundo à satione maturato semine, interit: Iunio ac Iulio florens: Basileæ & Geneuæ adhuc Nouembri, & virens Ianuario: ceu etiam Patauii Lugduni & Monspelii, obseruaui.

Vires & Vsus. Cæterùm, calidæ & siccæ est temperaturæ, authore Trago, & resoluendi, extenuandi, expellendique vim obtinet. *Vinum.* Vinum Gallitricho imposito, si efferbuerit, & decoctum fuerit, apprimè stomachi frigiditati conuenit, nam phlegmata incidit, & consumit: idem potum frigidis & infœcundis ac albis mensibus laborantibus mulieribus subuenit. Sunt qui Gallitrichon capiti, ob odorem quem habet grauissimum, noxium esse dictitent, id quod facile concesserim, sed ita demùm cùm quis intemperantiùs hoc vini genere vsus fuerit. Sed certè sulphurata illa vina longè magis nocent, quàm omnia alia ex quibuscunque herbis confecta. Id licèt experientia testetur, nemo tamen non vinis sulphureis detestando suffitu infectis vtitur, neque quisquam, quæ est humani iudicii prauitas, his deliciis carere vult. Gallitrichum in puluerem redactum, & naribus inditum, sternutamẽta prouocat, catarrhum tollit & cerebrum purgat. In aqua decoctum in desessionibus mulierum vtile ad trahendos menses, secundinas & alia id genus non aliter atque Dictamnum. Folia ex aceto imposita, panos per se, vel cum melle discutere dixit Matthiolus: item furunculos antequam acuminentur. Dodonæus calidam & siccam ordine tertio statuit, ac menses modo quouis sumptam mouere, ac secundas eiicere: Orualæ ac Hormini quàuis specie, calore & viribus potentiorem esse: Schwenckf. mederi epilepsiæ & suffocationi matricis. Cato inter alia sua ... commendabat, in suffocationibus vteri & similibus affectibus vnguentum ex Sclarea, cum butyro coctum, cui adiicitur aliquid gummi exotici Takamacæ, quod vmbilico imponendum. Nunc testibus Ant. Mizaldo, Ambros. Paræo, Fab. Hildano, & aliis, semen Gallitrichi satiui vtile traditur, ad excutiendam oculorum caliginem, & educenda corpuscula ea, quæ in illos inciderunt, vt sunt arenæ, festucæ, tegmenta, & similes sordes: in oculum siquidem immissum granum vnum (tria imponit Paræus) & multâ reuolutione circa bulbum eius circumductum, tandem humore prægnans, & sordibus onustum, non sine fructu, modò non adhæreat vehementer membranis, elabitur, id quod experientiâ multoties comprobatum est, & non omni penitùs ratione destituitur. Similis enim in oculo lubricitas id mucilaginosum reddit, & extranea illa ei adhærere facit.

Fertur si semen in puluere sumatur, cum aliquo potu aut cibo, ad recuperandam memoriam mirabiliter conducere, teste Grataroło. Semen, inquit Lobelius, *καρηβαρίαν*, capitisue grauitatem inducit, odore, quem etiam vniuersa spirat planta, non tamen ingrato: eoque magni vsûs quibusdã Septentrionalium ad Zyti, Bieræque confectionem. Lupuli namque vel penuriâ, vel vegetioris potionis faciendæ causa, cortinis feruentibus addunt; fitque temetum, quo non multis deple-tis poculis temulenti fiunt, hilaritate propemodum insanâ: in nonnullis tamen, miseratione quàm risu magis digna. Venerem stimulat.

GALLITRICVM EXOTICVM FLORE magno albo.

Cap. XCVI.

Descriptio. Exotica planta Bilermas, nostram Sclaream satiuam totâ facie egregiè refert, *caulibus* quadratis, pilosis, nonnihil tactu asperis, in frequentes alas aduerso situ coniugatim positas diuisis: *folia* Sclareæ nostratis, infima priora parua, oblonga, sequuntur deinde ampla, rugosa & hirsuta, odore suaui Ocymi, potiù Scla-

ra Sclareę; qualis etiam est situs *florum* in spicis longiusculis per interualla verticillatorum, quibus bina sẽper subiecta similiter folia acuminata & cõcaua, coitu labrum efficientia: cæterùm flores ex lõgis, striatis, lanuginosis calycibus emicant suaueolẽtes, Sclareę, sed colore lacteo, labello punctulis paucis introrsum guttato, prominentibus sub galea staminibus incuruis, vno coccineo reliquis duobus argenteis, ochreos sustinentibus: *semen* simile Gallitrico satiuo, sed paulò maius, vna parte gibbosum, alterà ferè triangulare, coloris varii, ex nigricantibus & rubentibus maculis oblongis.



Bisermas. Bisermas Hormino nostro vulgari, vel Sclareę dictæ congener facit Camerarius hort. Horminumque Syriacum vocandum censuit, eò quòd ex Syria per D. Bernh. Paludanum primò delatũ sit. Et hinc C. Bauhin. apud Matth. & in phyt. Horminum Syriacum quoque denominauit, & 2. Horminum fecit.

Camer. autem nomine Bisermas semen communicauit, quod satum Montbelgardi in horto Ill. E. C. feliciter prouenit, & Iulio, Augusto & Septembri floruit. Idem aliquando mihi iuuenem plantã Stutgardiæ in horto D. Gerardi Vicecancellarii demonstrauit, & Aman Syriacam cognominauit. Aman etiam nomine, sed Aegyptii nominati, semen dedit Zvvingerus. Ab Agerio habui Hormini Cretici titulo.

Aman Syriacum. Aman Aegyptium. Horm. Creticum.

GALLITRICHVM SILVESTRE VVLGO, siue silu. Sclarea, flore purpureo, cæruleóue magno.

CAP. XCVII.

Descriptio. HAnc plantam videre est interdum cubitos duos adæquantem, *caule* quadrato & hirsuto, inani, in alas diuiso: *folia* quàm Hormino satiuo veriori maiora, squallida & veluti siderata, quædam nonnihil sinuata & serrata potissimùm prima, quæ breuiora, ex longioribus pediculis, alia ad Saluiæ magis accedentia, odore graui, sapore aliquantulùm aromatico: flores in longa spica gestat cæruleos & purpureos, magnos, Saluiæ florum formà: semen nigrum: *radix* lignosa, odorata. Flores Scarleam redolere ait Lobelius: Icon est ex Clusianis.

Synon. Gallitrichum vulgò vocat Cæsalp. ac Alectorolophon Plinii credit, multósque Veronicam rectam putare scribit. Gallitrichum silu. Corn. & Lonic.

Centrum gallinæ aut Galli centrum appellat Ruell. taxatque idem officinas, quòd perperam Gallitricum appellent, aliqui verò etiam Saluiam transmarinam, vel Romanam: sed Alectorolophõ dici penitùs non mereri testatur: asserit enim esse Orminum siluestre.



Gallitrichi varietas.

Sed & Cord. in Dioscor. quoque credidit recentiores inexcusabili errore Callitrichon vocasse, ac ideò Orminum siluestre malè Gallitricum appellatum nominauit. *Error recentiorum.* Orminũ silu. Lonic. Orminon silu. Gesner. in cat. Pl. Orminum alterum silu. Fuchs. Horm. silu. Camer. in Epit. & Hist. germ. Matthiol. flore cæruleo in horto: Hormin. silu. Matthioli & Lobelii Schvvé. Horminum silu. maius flore cæruleo & rubicundo Thal. in Harc. Horm. silu. à Patauinis pro Betonica vsurpatum Anguill. *Betonica.* Horm. silu. & Oculum Christi, Gerard. qui ponit iconẽ Tabernamont. & quam posuerat Tab. pro Sclarea siluestri, dat Gerard. pro Colo Iouis. *Oculus Christi. Gerard. not.* Histor. Lugd. proponit quidem duas icones, pag. 965. non tamen diuersarum plantarum ait, Horminũ silu. Matthiol. & Horm. silu Fuchsii. Ad Hormini siluestris classem, Gallitrichum hoc silu. nostrũ, cum nonnullis aliis stirpibus, de quibus post hoc scribendum erit, Clusius quoque referendum censet.

Lobel. in Aduers. p. 240. Obs. p. 300. Icon. Plant. p. 556. & Hist. Belg. p. 617. pro suo Hormino silu. ponit figuram Clusii folio non laciniato, licèt in Adu. dicat foliis aliquantùm laciniatis oris, Blattariæ similitudine. An Dodonæo Gallitrichum flore minore? *Icon Lobl.*

C. Bauhin. phyt. Horminum 6. siue siluestre alterum caule purpurascente. *Horm. silu. alterum. C. Bauh. not.*

Et hi sunt, quod mihi quidem constat, qui Gallitrichum, Horminum siluestre pronuntiant. Sed horum sententiam minùs probat Matth. in prior. com. qui tamen & ipse in post. com. hác suá censuram omittit, ac Horminum syluestre vocat, fo-

lio Sclateæ ferè simili: caule sesquipedali, aspero, quadrangulo, leuiter hirsuto, striatoque: flore Saluiæ, colore purpurascente: siliquis pluribus, in humum reflexis, semine rotundo, fusco colore, Gallitricho passim vocato, haud longè absimili prægnantibus. Icon autem eius proponit Gallitrichum siluestre folio non laciniato flore maiore. Longè denique aberrare vult eos, qui pro siluestri Saluia, agrestem Sclaream vsurpant. Sclaream statuit esse Sideritin Heracleam pratensem Fracastorius. Et hoc quidem contra Ruellium negantem & volentem esse Horminum. Sclaream siluestrem dixit quoque Marcell. Ficinus, Cæsalp. & Tabern. qui & Matri-Saluiam cognominauit: Sclaream silu. flore cæruleo Thal. Sclaream alteram siluestrem flore cæruleo Gesn. hort. Saluiam denique agrestem cum Brunfels. aut siluestrem cum Trago [qui etiam Callitricon agreste, & Ambrosiam quorundam appellat,] qui interpretatus fuerit, habeo neminem.

Icon Matth. *Error quorundam* *Sideritis Heraclea Sclarea silu.*

Nomina ling. Græcè dicitur ὅρμινον ἄγριον multis: Germanicè Wilde Scharlach Fuchs. Gesn. Wilde Salbey i. e. Saluia siluestris, Brunfels. & Trago: Türckisch aut Römisch Salbey, i.e. Turcia aut Romana Saluia Schvvenckf. Gall. *Toute bonne sauuage*, i.e. Tota bona siluestris: Ital. *Schiarea*, ni fallitur Anguillara, saluatica, & *Hormino saluatico*: Angl. wilde Clarie.

Tota bona

Locus Secus itinera in agrorum limitibus, in collibus iuxta cultos agros sitis, & cāpestribus prouenit, vel Trago teste. *Tempus.* Fuchsius passim omnia prata exornare scribit, Iunio mense floribus & semine prægnans.

Vires & Vsus. Iners, & nullius facultatis esse videtur Dodonæo. Matthiolus tamen omnia ea præstare credidit, quæ de domestico scripta perhibentur.

Gallitrichum siluestre flore maiore albo.

Descriptio HÆc Gallitricho siluestri, flore purpureo, cæruleóue, magno, similis quidem est, sed floris colore variat, qui prorsus niueus est, folia etiam incana, non virentia, in reliquis conueniunt.

Synonyma Gesn. hort. dicitur Sclarea altera syluestris albo flore. Tabern. Icon. & Hist. Sclarea sylu. flore albo. Huius iconem proponit Gerard. pro Hormino siluestri. Thal. Horminum siluestre maius, flore nonnunquam candido, sed rariùs. Camer. hort. Horminum silu. flore albo. Clus. Pannon. p. 580. Horminum silu. quartum niueo flore: In Hist. post. Hormini silu. quarti species altera. C. Bauh. phyt. Horm. 6. siue siluestre alterum, caule purpurascente, flore albo, foliisque incanis.

Locus & Tempus Et sic Camer. frequens in Sueuiæ quibusdam pratis, absque vllo ferè flore per Æstatem, sed Hieme cæruleo, Lupuli odore, obseruauit. Clusius inuenit Maio mense in siccioribus pratis, Sopronio Pannoniæ vicinis, vnicam plantam, quam erutam Viennam deferebat, in D. Aicholzii hortum, vbi aliquot annis permansit, & deciduo semine multiplicata est, atque aliis communis facta. Ego reperi in pratis itinere l'Isle inter Longeuelle & Bauans: in Tigurina ditione prope Katzensee florens Maio: Nos Montbelgardi non longè à molendino obseruauimus.

GALLITRICHVM GLABRVM, FOLIO Saluiæ, flore purpureo CAP. XCVIII.

SYlueſtri Gallitricho vulgari est persimile: *folia* ex opposito ad caulium nodos nascuntur,



minora multò & angustiora quàm vulgati Gallitrichi syluestris, aliquatenus ad Saluiæ accedentia, nisi quòd in ambitu serrata, & veluti circumrosa, sine pilis, quamuis parte inferiori sint albidiora paullò, quàm in superiori: *florum* crebri verticilli spicam efformant, purpuro violacei, minores quàm iam dicti syluestris Gallitrichi: subiectis vnicuique verticillo, binis breuibus, latiusculis foliis, nonnihil etiam cæruleis.


Icon Icon ex planta sicca pictori delineanda fuit. Non placet autem ab eo hîc adiuncta radix, & caulis racemosus ex imagine Clusii huc non pertinente.

Lobel. in Aduers. Verbascum nigrum Saluifolium purpureo flore: vt & in Obseru. vbi illis addit 3. Matthioli. Clus. in Pannon. p. 581. vocat Horm. silu. quintum Saluiæ folio, refertque p. 584. rhizotomas mulierculas Austriacas, wild salbey, h.e. Agrestem Salviam appellare, vulgoque venalem proponere. In Hist. post. Hormini silu. quinti speciem priorem.

Locus & Tempus Vbique circa Viennam Austriæ nascitur, totaque Pannonia, secundum vias, in agrorum, vinetorumque marginibus, integrâ Æstate florens, & subinde semen proferens.

GALLITRICCVM SYLV. COMA VIRESCENTE.

CAP. XCIX.



Descriptio QVàm Gallitrichum silv. flore magno maiori altitudine excrescit, caule quadrangulo vt reliquæ species, & foliis ad singula genicula ex aduerso nascentibus: sed eius extima pars non purpurascit, verùm virescens est: flores tametsi formâ similes, dilutioris sunt coloris: folia inferiora maiores habent incisuras, vt nonnihil laciniata

Synonyma laciniata videantur, reliquæ notæ conueniunt.

Clus. descriptionis author in Pannon. p.180. appellauit Hormini silu.quarti alteram speciem, & Horminum silu.4. dilutiore flore: In H.post. Hormini silu.4. speciem tertiam.

Icon Clusii C.Bauhin. phyt. Horm. 7. siue syluestre 3. caule virescenti: Horm. silu. 4. Clusii, sine icone. Ego in Hist.post.Clusii iconem sub titulo Hormini silu.quarti specie prima exhibitam huius esse speciei puto,& per Typographum transpositam.

Locus. Passim in siluis cæduis, montanis pratis, viarúmque marginibus sponte nascitur cum prima [Gallitricho silu.flore magno]non modò in Pannoniis & Austria: sed in Bohemia, Morauia, tota Germania, & aliis plerísque prouinciis, florens Maio, interdum etiam Iunio. Tempus.

GALLITRICHVM FOLIO ROTVNDIORE flore magno violaceo.

Cap. C.



Descript. Hormini flore violaceo nondum descripti nomine, dedit nobis Argentinæ D. Ageri⁹ pulchrum Gallitrici genus. Huic erant *folia* quædam breuissimo pediculo appensa, vngue inferiore minora, alia longioribus pediculis dependentia, maiora, maxima verò vnciæ ferè duas lata, & tres penè longa, oualem formam non malè repræsentantia, quædam etiam rotundiora, in circuitu serrata, Betonicæ modo, glabra: *caules* quadranguli: *flores* magni, violacei, hiantes: calyces deorsum nutantes, verticillati.

In montium Tyrolensium pratis altis expandere folia indicabat D. Agerius.

GALLITRICHVM FLORE MINORE purpurascente & rubro.

Cap. CI.

Descriptio. VIuaci radice multos perdurat annos, syluestri Gallitricho affinis planta, odorata, facie non ita dissimili, caule, foliis, crescendíque modo: at flores ita parui, vt vix extra calycem promineant, purpurascentes, nonnihil hiantes, cùm in vulgari flores magni sint, galeáque magnâ prominentes apices multos condant: calices deorsum nonnihil reflectuntur, breuiores quàm Hormini verioris. Idem Gallitrichum floribus purpureis minoribus: foliis profundè satis laciniatis, diuisisue, nonnihil hirsutis.

An Dod. H. flor. & lat. in fol. Oruala secunda? An Lobelio in Aduers. Verbascum purpureum Erucæfolium?

Locus & Tempus. Basileæ in horto D. Felicis Plateri florebat mense Iunio. Nobis Montbelgardi viuaci radice multis perdurauit annis, florere incipiens Maio, semen maturâs Iunio & Iulio. In Italia vix aliud obseruauit D. Agerius.



GALLITRICHVM FLORE MINImo albo.

Cap. CII.



Descr. PLura humi spargit folia, longo pediculo donata, crassa satis & rigidiuscula, Betonicæ æmula, sed ad pediculum nullo sinu prædita, obtusa, crenata, pilis albis per venas obsita, inodora. Caules modò singulares, alias plures, quadrangulares, hirsuti ex longo interuallo in ramulos oppositos diuisi: ad quorum exortum folia quoque bina opposita longo pediculo enascuntur infernis planè similia. Flores verticillatim digesti per interualla summitates occupant, odorati, exigui, & vix ex calycibus prominentes, albi. Quorum verticilla singula sustinent foliola parua, in acutissimum apicem terminantia: radix oblonga, exiguis fibris donata, nullo gustu notabili prædita.

An Horminum minus Supinum Creticum Clusii?

Ex semine à genero Cherlero ex Italia allato in horto Ill. E. C. satum Vere, floruit Iunio, & deciduo semine se propagauit. Perit vbi caules protulit.

GALLITRICHIS AFFINE MARV, SI NON genus aliquod, Sclarea Hispanica Tab.

Cap. CIII.

ANno 1595. Iulii principio demonstrauit D. Höchsteter Pfortzhemiæ in hort. D Soceri

herbam nomine Maru celebrem, foliis spissis, sine manifesto sapore. Incipiebat autem tunc floridam comam depromere. Clusius, cuius iconi, quã proponimus, folia optimè respondent, sic describit. Hormini silu. quarti quinta species, Hispanico semine Viennæ Austriæ nata, illi [Gallitricho flore paruo rubro] non valdè dissimilis: etenim caules habet non minùs altos, quadrangulos, nodis cinctos, villis quibusdam obsitos, & folia in singulis nodis ferè similia, paulò tamen duriora, læuiora, angustiora, angulosa quodammodò, mucrone magis obtuso, & laxioribus dentibus prædita, præsertim quæ secundum radicem nascuntur: è cauliculis, in extremo caule summisque ramis verticillatim nascentibus, & veluti in spicam desinentibus, emergunt flores reliquis speciebus longè minores, Lauendulæ florum ferè æmuli, nec colore ab illis valdè differentes: quibus decidentibus succedit semen nigrum: radicem habet superioribus similem: & tota planta simili cum reliquis odore prædita.

Synonyma Vocat Clusius in Pannon. p. 580. Horminum silv. 4. Lauendulæ flore: p. 582. hormini 2. speciem tertiam: p. 584. Horminum semine ex Hispaniis Baccharis nomine misso natum. In Hist. post. hormini silu. 4. quintam speciem.

Sclarea Hispanica Tabern. Tabernomontani Sclarea Hispanica, Sclareæ Romanæ similis, paucioribus ramis, caulibus quadrangulis, foliis magis glabris, & magis acutis, firmioribus, floribus Lauendulæ quodammodò similibus; Maru nostro foliorum firmitate respondet, licèt icon nonnihil diuersa videatur.

C. Bauh. phyt. vocat Horminum 8. siue silu. quartum Lauendulæ flore: Clusii Hormini 2. speciem tertiam (in Pannon. sc.) sine icone. Sed cur

C. B. not. C. Bauh. dicat esse sine icone, me latet: est enim p. 582. vt iam annotatum.

Nascitur sponte in Anglia satis frequens ad regiæ arcis Grenvvicii hippodromum Septembris initio cùm florens, tum semine onusta. Hispanico semine Clusio Viennæ Austriæ nata, florebat Iunio.

GALLITRICHO AFFINIS PLANTA, Horminum silu. latifolium Clusio.
CAP. CIV.



Descriptio EX radice pollicari, plurimis fibris longiusculis donata, ex qua plura capita, caules edit prociduos, quadratos, copiosâ medullâ albâ farctos, insigniter hirsutos: cuiusmodi etiam sunt folia, quæ ex caulium geniculis bina ex aduerso oriuntur Marrubii, subrotunda, in mucronem exiguum mox desinentia, rugosa, & ad pediculi vncialis, vel sesquiuncialis commissuram falcata: inferiorum cęterùm foliorum pediculi multò etiam longiores: Ad foliorum verò exortum auriculæ quædam velut fœturæ adnascuntur, modò vnica, modò duæ: flores in caulis fastigio sæpè rubentes & in paucis breuibusque alis similiter rubentibus verticillatim sine vllo foliorum intercectu, breuibus interuallis dispositi spicam deformant, perquam numerosi, Lamii parui, cæruleopurpurei, galericula exigua apicem album occulente, labello in binas lacinias diuiso, è calyculis oblongis, subrubentibus, hirsutis, striatis prominuli, pediculis atropurpureis hirtis: decidentibus flosculis in calycibus sunt semina quatuor oblonga subrotunda. Sapor plantæ nullus notabilis.

Synonyma Clus. in Pannon. p. 577. & p. 578. Horminum silu. 1. siue latifolium alterum vocat: in Hist. post. Horm. silu. tertium: Horm. Scarleæ foliis minùs incanis & odore minùs graui, floribus purpureis, Lauendulæ vix maioribus. C. Bauh. phyt. Horminum 5. siue silu. latifolium. Schvvenckf. Horm. silueſt. 2. murale Silesiacum, wilder maurer Scharlach.

An Camer. hort. horm. silu. ferme absque vllo per Æstatem: flore sed in hieme paruo cęruleo, Lupuli odore, simile secundo, quod Clus. in Pannon, depinxit.

Prouenit mihi Montbelgardi in horto Ill. E. C. florens Iunio Iulio & Augusto: hiemem pertulit, & semine se propagauit: multis etiam annis durauit. Inuenitur, inquit Clusius, passim Viennensi agro iuxta vias, in montanis pratis circa Mariæ cellam, & S. Crucis Abbatiam, supra Badenses thermas, & plerisque Alpestribus Austriæ atque Stiriæ locis.

GALIOPSIS SPECIES LVTEA, VISCIDA, odorata, nemorensis.
CAP. CV.



Descriptio INsigniter fibrosâ radice nititur, multos inde caules surrigens bicubitales, & altiores, quadratos, hirsutos, fungosâ medullâ farctos, in alas brachiatos: folia è geniculis exeunt opposita, longis pediculis hirsutis appensa, Ari modò alata, sed Lamiorum instar rugosa & hirsuta, etsi multò maiora, in ambitu serrata, nonnulla interdum per margines aspersâ saturâ rubedine: flores in longis spicis verticillatim ramos ambiunt: foris hirsuti, intus glabri, labello tripartito, mediâ laciniâ fimbriatâ & crispâ, colore foris ex albo luteo, intus obsoletis notis maculoso: superius verò folium, seu galea, foris guttatum, intus luteum: è rictu medio prodeunt stamina alba: insident autem flores calycibus oblongis striatis, viscidis: in quibus succrescit postea semen: tota planta tactu viscida est, odorata, sapore nullo insigni.

Varias

Synonyma — Varias hæc adepta est appellationes. Nos quidem, quia apud Dodonæum de Florib. à Dalechampio propria manu legimus annotatum, esse Galiopsim luteam, viscidam cognominauimus, & maximè vt amphibologiam vitaremus: alia siquidē est præter hanc Galiopsis lutea nūcupata. Propter viscositatem verò quidam Pulicariam nominarūt. Dod. de Flor. & H. lat. in fol. Orualam tertiam, Horminum luteum, & Horm. Tridentinum à plerisque appellatum. Lobel. in Adu. Colum Iouis folio Vrticæ, aut Hormini, Galeopsin recentiorum. In Ic. Plant. pag. 557. & Obs. p. 301. Colum Iouis, Horminum silu. pingue quorundam. Clus. in Pannon. p. 576. Horminū silu. 5. In Hist. post. secundum. Cæsalpin. Melinum vulgò, aliis Meligo. Gesn. lib. 3. epist. ad Zvving. Orminum luteum, Herbam pinguem flore luteo, Italorum quorundam Cerinthen, & Germanorum Flöhkraut h. e. Pulicariam, quòd foliis per cubicula sparsis, cùm pinguia & viscosa sint, pulices adhæreant, & facilè simul euerrantur.

Tab. & Gerard. err. — An huc sit referenda Saluia alpina Tabern. me latet: descriptioni ieiunæ, in qua ei tribuit flores purpureos pauca fides tribuenda. Gerard. ponit pro Colo Iouis iconem Sclareæ silu. Tab. quæ non respondet Colo Iouis.

C. Bauh. phyt. Horminum 4. siue luteum glutinosum, Staphis Plinii quibusdam. Item Saluia 8. siue Saluia alpina Tabern. ex Lonicero: Hormini species. In animad. in H. Lugd. Galiopsis lutea Dalechampii p. 1146. dicitur esse Lamium luteum: ego verò suspicor esse Colum Iouis, inquit C. Bauhin. Hist. Lugd. Colus Iouis Lobelii: Galiopsis lutea Dalechampii: Phlomis Lychnitis altera Syriaca Lobelii.

Galiopsis lutea.

Locus & tempus — Monspelii circa montem Esperon reperi florentem mense Octobri: in Rhætia non longè à balneo Fidris Iunio: propè Wallenstat Iulio: in montibus prope Basileam Octobri: Geneuæ germina protrudentem principio Aprilis in colle La batie. Per vniuersam Pannoniam ad radices montium obuiam dicit Clusius: in hortis apud Belgas seri Dodonæus. Scaturigines, vdósque siluarum margines Galliæ, Germaniæ & Italiæ amare Lobelius.

Vires — Facultates eius nondum à quoquam exploratæ sunt, præterquam quod Gesnerus eam calefacere, emollire ac discutere crediderit.

ÆTHIOPIS VETERIBVS ET IN GENERE. CAP. CVI.

Descrip. — AEthiopis, auctore Dioscoride, folia habet Verbasco similia, sed valde hirsuta, & densa, in orbem circa radicis imum: caulem quadrangulum, crassum & scabrum, similem Apiastro aut Arctio, multis alis concauum: Semen Erui magnitudine geminum in vno conceptaculo: radices ab eodem cespite multas, longas, crassas, gustu glutinosas. Quæ siccatæ nigræ ac duræ fiunt, cornibus similes. Plurima nascitur in Messenia ac Ida. Radix cocta ac pota ischiadicis, pleuriticis, sanguinis sputo, arteriæ asperitati auxiliatur, sumitur etiam cum melle in eclegmate.

Plinius — Eadem prorsus Plinius habet, vt ex Dioscoride transcripsisse videatur. Galenus in simpliciū censu Aethiopidem præterit. Quæ Paulus de ipsa retulit, ex Dioscoride transcripsit. Quin & Ruellius recenset, quæ Diosc. & Plinius scripserunt.

Magicæ Vanitates. — Aethiopidi porrò herbæ nomen dedêre magicæ vanitates, teste Plinio, quòd sc. amnes ac stagna siccari huius coniectu, tactu clausa omnia aperiri, somniarit Asclepiades. Somniarit, inquā, nam si vera sunt, vt Plinii verbis vtar, nonne satiùs fuisset Aemilianum Scipionem Carthaginis portas herbâ patefacere, quàm machinis claustra per tot annos quatere? Siccentur hodie Aethiopide [Meroide] Pontinæ paludes, tantùm agri suburbanæ reddatur Italiæ. Verisimilius itaque erit Latinos Græcum Aethiopidis nomen seruasse, ab Aethiopia sc. regione, in qua nasci gloriabatur: Vel quòd fuliginosa & veluti cinere aspersa sit: αἶθοψ enim fuligo est, siue fauilla adusta.

Aequiuoca — Cæterùm, Aethiopidem quamuis ignotam dixerit Cornarius, non desunt tamen, vt Matth. Anguill. Dodon. Lobel. Amat. Cæsalp. Castor. Schvvenckf. C. Bauhin. & alii, qui eam agnouisse videntur.

Hesperis — Hesperim, Violam albam, Persicam Hermolai, si radicem haberet nigram, & instar cornu duram, facilè dixerit Aetiopida Tragus.

Eorum opinionis esse non vult Anguillara, qui in insula Candiæ Callitrichum satiuum Aethiopidem vocant.

AETHIOPIS MVLTIS. CAP. CVII.



Descriptio — FOlia per terram primò spargit palmo latiora, haud multò longiora, tenerâ lanugine ceu carptâ suprà infràque vbertim obducta, alioqui Sclareæ satiuæ non multùm dissimilia, sinuosa, quædam etiam laciniata: inter hæc caulem profert foliis consimilibus, sæpè minoribus, stipatum, quadratum, pariter villosum, multis alis concauum: in quibus ad nodos, flores verticillati, duorum foliorum acuminatorum complexu Hormini modo obuallati, candore niueo, vno folio cuculli instar surrecto, compresso, apices luteos, stilúmque argenteum è sinu proferente, labro Cotulæ instar concauo, ex calyce oblongo quinquepartito, quem circumquaque tam densa obtegit lanugo, vt vix conspici possit: odore est fœtido, Lamii vel Galeopsis: radix fibrosa: semina in singulis vasculis quatuor Hormini seminibus similia, fusca, lubrica, triangula.

Matthiol. (qui Roberto Constant. teste olim scripserat incognitam, in postr. verò comm. eius ostendit effigiem) Amato, Anguill. Dodon. Gesn. Cast. Lob. in Adu. Obs. pag. 304. & Ic.

Plant.p.566.Lac. Lonic. Camer.in hort.& apud Matth. Tabern.& Hist.Lugd.p.1306. Æthiopis: Schvvenckf. Αἰθιοπὶς Dioscoridis: C.Bauh.Æthiopis 1. siue foliis sinuosis. Æthiopidis verò eius secundæ, siue foliis in profundas lacinias diuisis, qui meminerit, non habeo vllum. Æthiopidem Monspessulani Coronariam vocant: Germ. Mohrenkraut : Itali *Etiope & Etiopide*.

Coronaria.

Locus & Tempus

Copiosè prouenit in Græcia & Illyria, vnde ad nos primùm delata. Nobis Montbelgardi in horto Ill.E.C.ex semine Sutgardiæ in horto Ducis collecto nata fuit : semen maturabat Iulio & Augusto. Primo anno caulem non ferebat, secundo autem semine deciduo se propagabat, & peribat. Patauii obseruaui virentem in horto publico mense Februario.

MARRVBIVM IN GENERE. CAP. CVIII.

Marrubiũ duplex Diosc. & Theoph.

Marrubium Dioscorides duplex assignat: Album quod πράσιον dicitur, & Nigrum, quod βαλλωτὴ ἢ μέλαν πράσιον nominatur.

Sed & Theophrastus duo quoque genera tradit. Aliud, inquit, folium herbidum [ποῶδες] habet magis serratum, incisurasque profundiores, valdè manifestas, quo vnguentarii vti ad nonnulla consueuerunt: Alterum verò rotundius, & squallens [ἀχυρῶδες] vehementer, vt τοῦ σφακέλου, incisurasque habens obscuriores, minusque serratum.

Cæterùm, Ruellius primum Theophrasti Marrubium folio herbaceo, officinas Prassion viride nominare testatur, comâ herbaceâ serratiori, crenisque profundioribus, reliquâ parte candido simile, eiusdemque naturæ. Alterum verò folio rotundiore, candidum interpretatur, quamuis non desint, qui hoc Balloten, illud candidum appellent.

Prasion Linostroph. Philopæda. Philochares.

Marrubium inter primas herbas plerique commendauere, quod Græci πράσιον vocant, alii Linostrophon, nonnulli Philopæda, aut Philochares, notius quàm vt indicandum sit. Huius folia semenque contrita prosunt contra serpentes, &c. inquit Plinius, qui & ipse duo genera Marrubii, ex Castoris sententiâ proponit nigrum, & quod magis probat, candidum, quanquam eius sententiæ parum memor, nigrum Marrubium postea in Porrum nigrum commutauit.

Plin. notatur.

Prassium, inquit Amatus, Marrubium est. Prassum verò Porrum, cuius inaduertentia Plinius sæpè in errorem labitur. Plinium itaque consummatæ lectionis & eruditionis authorem, perpetim (vt eius verbis vtatur Constantinus) aut vt Varronis, indesinenter vellicat Lusitanus, cæsim quidem & punctim petens, nequaquam tamen feriens, vt malus gladiator veteranum militem.


Æquiuoca

Nunc & hoc obiter indicandum recentiores Medicos quatuor Marrubii genera constituere *Primum* Marrubium album, siue Prassion. Ad quod reuocamus Marrubium candidum folio subrotundo: Item, Marrubium Hispanicum odore Stœchados Lobelii, Ocymastrum Valentinum Clusii. Et tertium Marrubium album angustiore folio. *Secundum* Marrubium nigrum siue Ballote quod duplex habetur: alterum foliis maioribus, alterum minoribus. *Tertium* aquaticum, quod, ni fallor, quidam pro Sideritide exhibent. Postremum campestre, vel agreste quod à nobis Stachys Fuchsii intitulatur.

Marrubii præterea nomine sequentes etiam donantur plantæ. Cardiaca. Herba Venti. Meliphyllon. Vrtica. Melissa. Tragoriganum. Eupatorium. An Galeopsis angustifol. fœtida. An Galeopsis minor folio caulem ambiente?

MARRVBIVM ALBVM. CAP. CIX.

Descriptio



Caulibus assurgit cubitalib. quadratis, canâ lanugine pubescentib. tubulo peruiis: ad quorum nodos folia nascuntur bina ex aduerso sita, perquàm rugosa, subrotúda, in ambitu serrata, ex viridi albicantia, hirsuta, sapore acri & amaro: ex quorum alis flosculi numerosi verticillati : oriũtur, bifidam cristam surrigentes, labello vtrinque alati demisso, in calyculis albis lanuginosis. semen subrotundum asperiusculum: radix fibrosa, nigricans. Tota herba Dod. suauis & grati est odoris, & nonnihil moschum redolet, præsertim hybernis mensibus.

Est Mar. Dioscoridis

Marrubii, seu Prasii Dioscoridei delineatio ad amussim huic nostro respondet. Frutex est, inquit, ab vna radice multorum ramorum, subhirsutus, albicans, quadrangularibus virgis: folium pollici æquale, subrotundum, hirsutum, rugosum, gustu amarum: semen per interualla in caulibus est: flores velut verticula, asperi.

Est secundũ Marrubiũ Theo. Est prius.

Quodnam autem sit Marrubium hoc apud Theophrastum, authores non conueniunt. Ruellius & eum secutus Cæsalp. volunt eum hoc pro secundo genere describere. Dalechampius contrà id eum intelligere credidit per prius: per alterum verò Dioscoridis Balloten, hoc ab illo discrepantem, quòd plusculum ad virorem fuscum porraceum vergat, unde Marrubium nigrum vocetur, & odorem grauem, fœtoremque vibret. Cornarius primum Theophrasti Marrubium narrat officinas quidem viride Prasion vocare: attamen Prasii huius, genus alterum esse ait, & non id quod Ballote, nigrumque Prasion dicitur. Et certè D. Agerius huius Marrubii varietates communicauit. Dedit namque Marrubium in Marca Anconitana collectum, Germanico candidius, foliisque minoribus & ramosiorib. Et aliud maius, odoris suauis, Romanorum agrum inhabitans.

Prasium viride.

Græci, vt Diosc. Theoph. & Galenus πράσιον appellãt. Latini, vt Matthiol. Lobel. in Aduers. Cæsalp. & Dodon. Marrubium ; Marrub. album Matthiol. in Epit. & Histor. german. cum add. Camer. Lobel. in Obs. pag.275. & Ic. Plant. p.517. H.Lugd.p.961.& Gerardus : Marrub. cãdidum alterum & vulgare Tragus. Vulgare Clus. in Pannon. legitimum vulgare in H. post. Tertium & album vulgare C.Bauhin. Marrub. notius

potius quàm vt indicandum: itémque candidū Castori magis probatum Plinius. Marrub. siue Prassium album Tabern. candidum Schvvenckf. Marr. fœminam Brunfelf. Prassium Anguill. & officinæ. Videtur autem, inquit, Pena, prasinus vitor, aut certè virosus odor appellationem dedisse Marrubio, tam nigro illi fœtido, quod Ballote dicitur, quàm albo huic & odoro. Inter nothas voces & apud Apuleium eius & hæc nomina extant, Εὐπατόριον, φυλλόφανες, πρασιον, ..., Labeo, Labeonia, Asterion, Asterope, Asteriope, Atyrbesia, Vlcetaria, Marua Iantusa Serap. Tauri sanguis, Horu genitura, Melittæna & Meliphyllon. Dicitur quibusdam Hebraicè, vel potiùs Chaldaicè *Tamcha*: Maurit. *Farasio* siue *Frasium*: Germ. Weisser Andorn/ Marobel/ Gottes vergiß/ helfferkraut/ lungenkraut/ & wilder taurant Silesiis Schvv. Belg Malrone/ Malruevie/ & whitte Andorë: Gall. *Marrubin* & *Marochemin*. It. *Marobi*: Hisp. *Maruuio* & *Mar. lbo*: Angl. horehounde: Boh. Jablecnik: Hung. Feyer pózerezę.

Prassium unde dictũ

Locus & Tempus

Multis locis frequens spontè crescit, vt Monspelii passim, vt etiam Burmii in Rhetia: itémque circa Colmariam, Horburgum E.C. castellum, & Entzisheimiam, aliísque Alsatiæ locis: propè Beffordiam paucas plantas vidi, ac etiam inter Ferrariam & Bononiam. In Silesia oriri propter ædificiorum ruinas & rudera perhibet Schvvenckfeld. dicitque in areis pagorum vulgò notum. At in Austria & Pannonia rarum est, & certis duntaxat locis, iísque paucis spontè nascitur, authore Clusio. Colligitur Aestate, Iulio potissimùm mense, cùm semine prægnans est.


Vires & vsus

Huius folia arida, inquit Dioscor. cum semine decocta in aqua, aut viridium succus expressus datur cum melle Asthmaticis, tussientibus & tabidis. Crassa è thorace, cum Iride sicca, ducunt. Datur mulieribus quæ non purgantur, vt menstrua & secundas pellant: item difficilè parientibus, & iis qui à serpentibus morsi sunt, & qui lethale quid biberunt. Vesicę tamen & renibus nocent. Folia cum melle illita sordida vlcera purgant, pterygia, nomásque cohibent: dolores laterum mitigant. Ad eadem pollet ex foliis contusis succus, & Sole coctus. Cum vino & melle illitus oculorum claritatem exacuit. Morbum regium per nares expurgat. Aurium doloribus per se, aut cum rosaceo instillatus prodest. Marrubium plerique inter primas herbas commendauêre, inquit Plinius, eadem tradens quæ Dioscorides: ac præterea aluum soluere, vrinam ciere: strumis, gangrænis, & laterum doloribus conferre. Ad eadem commendat etiam Galenus addens in caliditate esse quidem secundi ordinis iam completi, in siccitate tertii medii, aut completi. Marrubii decoctum, inquit Matthiolus, datur commodè iocinorosis, & aqua intercute laborantibus: eo quoque foliorum puluere necantur interaneorum vermes. Recentia folia cū veteri axungia trita & illita canum morsus persanant, & mammarum tumores persoluunt. Lichenas purgant, sanántque ex aceto illita. Ad viscerum obstructiones commendat præterea ex Marrubio parata decocta, vina, eclegmata, syrupos, & alia eiusmodi.

MARRVBIVM CANDIDVM FOLIO subrotundo. Cap. CX.

Descriptio

Caules, quos ex radice vulgari Marrubio simili cōplures profert, cubitales & bicubitales sunt, quadrati, lanugine incanâ obtecti, multis alis cōcaui: ad quorū singulos articulos, folia ex aduerso bina oriuntur mollicello holosericj tactu, villosa, intensiúsque quàm in vulgari enascētia, latiusculo pediculo appensa, in ambitu serrata, longiora, quam latiora, obtusa, odore nullo excellente, sapore calidiusculo, non tamen ingrato: flores ad genicula verticillatim caulem amplexantur Marrubii vulgaris, ex oblongis, incanis, mollicellis calycibus.




Synonyma

Clus. in Pannon. & hist. post. vocat Marrubiū alterum Pannonicum, quæritque an sit Marua Iantusa Serapionis? Eius autem delineatio non malè conuenit cum Marrubio iam descripto, nisi quòd ait esse odore iucundo. Lob. in Ic. Plant. p.518. Marrubii candidi alterius Hispanici titulo, eandem habet iconem quam Clusius: itémque in Obs. pag. 279. Tab. inscripsit Marrubium cādidum Hispanicum: Gerard. candidum. C. Bauh. phyt. 4. siue album latifolium peregrinum.

Adeò vulgare est toto Viennensi agro, vt vinetorum agrorúmque margines, sicciqué & graminei campi eo abundent, imò in ipsius vrbis (quæ ab aquis sunt liberæ) fossis nascatur: floret Iulio. Habemus nos Montbelg. in hort. Ill. E.C.W.

Nullo tamen apud Viennenses, quod Clusius sciat, in vsu est.

MARRVBIO ALBVM ANGVSTIORE folio. Cap. CXI.



Descriptio

Candidius nostrati Marrubio, caulibus tamísque quadratis tenuioribus: folia ex geniculis aduerso situ oriūtur impensè candida, oblōga, serrata nervosa, sed neruis plærísque rectà secundùm longitudinem decurrentibus: flores in ramis, subiectis binis paruis foliis,

verticillatim positi, interdum & in spicæ formam digesti, parui, candidi, bifido foliolo surrecto, labello demisso è candicantibus striatis calyculis.

Synonyma

Lobel. porrò in Aduers. & Icon. Plant. p. 519. vocat Marrubium Creticum angustiore folio: H. Lugd. p. 962. Marrub. Creticum Penæ: [Existimauit autem compilator hoc à Marrubio candido Hispanico non differre: sed errat: diuersum est & vtrumque mihi notum:] Camer. hort. Marrub. Creticum aliud, à Lobelio & antiquis depictum: Tabern. & Gerardus Marrubium Creticum: C. Bauh. phyt. Marrub. 5. siue album angustifolium peregrinum: Apud Matth. Sideritidem 2. Matthioli & Castoris.

Locus

Ex semine per fratrem C. Bauhinum Marrubii albi veri nomine Lutetiâ misso prouenit mihi Montbelgardi in horto Ill. E. C. vbi Hiemem perfert.

Hoc Creticum Marrub. qui cum Schvvenckf. opinantur, id cæteris præstantius credunt.

MARRVBIVM NIGRVM SIVE Ballote.

CAP. CXII.

Descriptio



Sesquicubito altius est, caulibus quadratis, hirsutis, nonnihil rubentibus, inanibus: ad quorum genicula sesquiuncialibus pediculis oriuntur folia Melissæ arrouirentia, rugosa, fœtida, in ambitu serrata, ex eorundemque alis surculi alii foliis consimilibus minoribus donati: flores Lamii rubri, verticillati ex calycibus oblongis striatis: radix Vrticæ fibrosa.

Balloten, inquit Dioscorides, quod nomine alio Marrubium nigrum vocant, caules edit quadrangulos nigros, subhirsutos, complures ex vna radice: folia hispida, vel vt alii, densa per interualla in caule disposita, quàm Marrubii maiora, subrotunda, graueolentia, Apiastro proxima: vnde aliqui Apiastrum eam vocauerunt: candidi flores vniuersi verticillato ambitu caulem coronant. Plinius similiter depingit.

Synonyma

βαλλώτη autem dicitur Græcis & μέλαν πράσιον, & in quibusdam exemplaribus μέγα πράσιον: Latinis *Ballote*, Marrubium nigrum, Marr. magnum, Marr. spurium, Marr. fœtidum, Marr. nigrum fœtidum, Marrubiastrum, & & Prassium fœtidum: Itemque inter nothas appellationes Nophthan, Notianosœmin, Nospraiion, Nothera, Nochelis, Nostelis, Nophrys, Gnothiris, Gnotera: Ægyptiis Asphos, aut Esce: Prophetis sanguis Ixionis: Romanis Apnium aut Medara, aut Vlceraria, aut Marrubium, aut Cantherinum. Marrubium quidem à foliorum similitudine, nigrum à colore, qui ad colorem fuscum magis vergit, quàm in Marrubio, Prasium fœtidum ab odore graui & fœtore. Germ. Schwartz Andorn/ Stinckend Andorn/ & Andorn weible: Gall. *Marrequin puant Marrubin noir*: Ital. *Marrubio bastardo*: Hisp. *Marruuio negro & bastardo*: Angl. Stincking & black horehound scheke pozereze.

Gerardus pro Marrubio aquatico ponit iconem Tabernamontani Marrubiastri, & pro Marrubio nigro iconem Lamii albi eiusdem.

Marrubium nigrum alterum haberi foliis maioribus & alterum minoribus obseruauit C. Bauhinus.

Locus & Tempus


Monspelii florens intuebar Aprili & Maio mensibus: Basileæ Octobri. Frequens in agrorum marginibus Geneuæ, Lugduni, Montbelgardi, & alibi, passim etiam secus vias, parietes & sepes vmbrosis locis florens Æstate.

Huius folia, inquit Dioscorides, cum sale trita canis morsibus medentur. Feruenti cinere flaccescunt, vt condylomata reprimant: sordida vlcera cum melle purgant. Plinius eadem iisdem ferè verbis retulit. Vis eius efficax aduersus canis morsus ex sale foliis tritis impositis: item ad condylomata, coctis cinere, in folio oleris. Purgat & sordida vulcera cum melle. Galenus Ballotes ne meminit quidem in simplicium medicamentorũ censu.

MARRVBIVM AQVATICVM QVORVMdam.

CAP. CXIII.

Descriptio



Altitudine cubitali, aut sesquicubitali, caule rigido, quadrato, subhirsuto, in ramos oppositos diuiso: folia bina semper ex aduerso sita, Betonicę foliis paria, profundè serrata, interdum laciniata, in singula segmenta exporrecto neruo obliquo, in acumen desinentia, inferiùs nonnihil hirsuta, superiùs glabra, breuiusculo pediculo hærentia, sapore amaricante: ad quorum exortum verticillati globuli sunt flosculorum candidorum, punctis rubentibus aspersorũ ex calyculis asperiusculis & veluti spinosis vix tantillùm prominentium: radix fibrosa, albicans, modicè adstringens.

Quidam, vt Matthiolus, Sideritim primam facit, quã alii, vt Dodon. & C. Bauh. rectiùs Marrubium palustre vocant: aquaticum Thalius & Schvvenckf. Marrub. 4. aquaticum & palustre Tragus, qui Sentum Auicennæ statuit: Marrub. aquat. vulgi Lob. in Aduers. & Obs. p. 283. & Ic. Plant. p. 524. (vbi malè Sideritin secundam vocat:) & Hort. Lusit. Sideritim Matthioli, Lanceam Christi Gesneri, & Ægyptiacam herbam quorundam, Camer. hort.

Germ. wasser Andorn/weysser Andorn: Gall. Marrubin aquatique: Angl. water horehound: Hung. Vizi pôzercze.

Locus & Tempus. Marrubium aquaticum Tragi floret Basileæ ad ripam fluminis Birse intra vrbem Iunio & Octobri. Montbelgardi spontè Augusto locis humidis. In Silesia viget & floret, referente Schvvenckfeldio, æstiuis mensibus ad riuulorum margines & secus fossas, ac scrobium extremitates aquas habentes: rigari etenim postulat: in aridis autem non prouenit.

Cæterùm, refrigerandi, atque vnà validè adstringendi facultatem habere videtur: & nonnullis succus eius colore tingere nigro creditur, quod indagandum proponimus.

ALYSSVM IN GENERE, VETERIBVS, & Neotoricis.

Cap. CXIV.

Alyssum Diosc. VAria est apud auctores Alyssi historia. Et quidem ex Dioscoridis sententia ἄλυσσον est frutex paruus (θαμνίσκον. Ruell. addit vnicaulis:) subaspera folia habens, rotunda, circa quæ fructus, duplicis scuti figurâ: in quo semen est aliquantulùm latum. Nascitur in montanis & asperis locis. Eius decoctum singultus, qui sine febre sunt, potu soluit: idem efficit, si quis eam, aut teneat, aut naribus odorandam admoueat: at cum melle trita lentigines & maculas Solares [vitia cutis in facie] emendat. Contusa in edulio rabiei canis mederi putatur. Sed & in domo suspensa salutaris esse creditur, tum hominibus, tum aliis animalibus, ne fascino lædantur. Quin & purpureo linteo, seu puniceo panniculo alligata, pecorum morbos abigit.

Alyssum Plinii. Ab hoc, vt quidam opinantur, Alyssum Plinii discrepat: is namque videtur Rubiam minorem Alyssum facere.

A Dioscorideo alienum quoque est Aetii Alyssum quod Heracleam Sideritidem esse statuere videtur. Aegineta libri 5. capite 23. cum Aetio de Alysso conformia scripsit. Ab illis verò omnibus circa Alyssi historiam dissentit Galenus Ex cuius verbis palam est, Alyssum ab eo ex Asclepiade descriptum, potiùs primam, quàm vltimam Sideritim referre.

Siue porrò frutex sit ille Dioscoridis exiguus, hactenus non satis cognitus: Siue alicuius plantæ (quæ eam habeat proprietatem, qualem ex Asclepiade voluit esse Prassii speciem Galenus: Sideritidis, Heracleam sc. Paulus, ait Baccius de venen. & Antid.) cognomen Alysson, sic tamen dicitur à proprietate sanandi morsus canis rabidi. Et hæc Etymologia potiùs Alysso conuenit, quàm Melanthio, quod Arabes à græca voce ἀπὸ τῆ λυσσ͂, sic dictum testantur.

Anquinota Cùm igitur varia admodum sit de Alysso authorum sententia, cùmque eius historia tam varia, incertáque habeatur, difficilè quidem fuerit asserere, quænam planta Alyssum legitimum, aut Dioscoridis, aut Plinii, aut Aetii, aut Galeni, vocari possit & debeat. Magnus enim numerus plantarum occurrit, quæ pro Alysso à rei herbariæ studiosis passim & certatim ostenduntur, inculcanturque. Quas licèt Matthiolus, quòd forMatthiol. taxatur. rassis earum nullam legitimum Alyssum referre crediderit, potiùs supprimendas, quàm declarandas existimarit. Nos tamen contrà eas hîc nominandas, & suo quoque loco pingendas, fusiúsque pertractandas esse, consultum duximus. Illud nobis saltem indicasset sciolus, quodnam Alyssum illud foret à Galeno ex Asclepiade repræsentatum: quodnam & illud, cuius meminit Aetius: siquidem ambo hæc in Italia prouenire non amplius inficiatur. Cur bonus ille vir aliis diiudicandum relinquit, quid Ruellius per Cannabin rusticam, quam ipse Dioscoridis Alyssum esse putat, aut saltem ad ipsum propiùs accedere ait, intellexerit, [& tamen carpit? Cur non Cristam galli pronunciauit?

Cæterùm Alyssi nomine sequentes apud Authores donantur plantæ. Alsine fol. serrato hirsutiore. Veronica. Veron. pratensis serpillis. fol. Alysson siliqua latâ, &c. Alyssum Anguillaræ. Thlaspi minus. Thlaspi maritimū. Clinopodium quorundam Origani facie. Alysson Galeni. Moluca asperior. Moluca. Cardiaca. Ladan. segetum fl. albo. Lad. seget. fl. purpureo. Syderitis glabra. Syder. Alysson Columnæ. Sideritidi affinis. Sclarea. Betonica. Consolida media. Costus annuus Ledi folio. Cynoglossa topiaria fortè Plinii. Cynoglossæ pulchra species. Aparine. Rubia minor. Alysson Plinii, &c. Gallium secundum Tragi. Rubiis affinis Asperula Dodonæi. Rubia cærulea elatior. Rubia parua fl. cæruleo. Geranium Robertianum. Lilium Martagon. Lilialis. Cyanus. Alysson Cytisi facie. Periclymenum. Numularia. Aequiuoca

STACHYS VETERIBVS ET IN GENERE.

Cap. CXV.

STachys Dioscoridi frutex est Marrubio similis, Sed longior (quæ vox in Crateua deest, Anguill.) folia ferens plura, sed rara [φύλλα ἀραιὰ Crateua legit: φυλλάρια Anguill.] hirsuta, dura, odorata, incana: virgas ab vna radice plures, Marrubio candidiores. Nascitur in montibus & asperis. Vim habet excalfactoriam & acrem. Vnde [ὅθεν quæ vox in aliquibus omittitur:] foliorum decoctum potum menses & secundas ducit. Marrubio similis.

Plinius l. 24. cap. 15. de Stachyde Laconicè loquutus est. Ea quoque, inquit, quæ Stachys vocatur, Porri similitudinem habet, longioribus foliis, pluribúsque & odoris iucundi, colorísque in luteum inclinati: pellit menstrua. Sed & hîc vocum vicinitate deceptus Plinius, πράσῳ pro πρασίῳ agnouit. Non enim Porri similitudinem habet Stachys, sed Marrubii, vt Dioscorides dixit πρασίῳ ἐμφερής. Plinius lapsus.

Quin & Galenus quoque Marrubio similem fruticem Stachyn esse dixit, gustu acrem & amarum, qui tertii ordinis sit calefacientium, vt menitò non solùm menses moueat, & secundas eiiciat, sed etiam abortus procreet. Temperat.

Stachydis nomine donatæ sunt sequentes plantæ quàtùm quidem nobis constat. Stachys Fuchsii. Stach. Cordi. Stach. candidior & minor Matthioli. Stach. Lusitan. Pseudonardus quæ Spica vulgò. Sideritis spinosa. Scorodotis tomentosa Cretica. Scorod. folio Saluiæ. Stœchas. Galiopsis lutea glutinosa. Galiopsis. fœtida angustifolia. Aequiuoca

STACHYS FVCHSII.

Cap. CXVI.

REdiuiuam Stachydis radicem numerosæ fibræ vbertim circumquaque productæ co-



ronant: *caules* autem promit plures (sæpè vnicum) cubitum altos, aut paulò prociores, quadratos, lanugine incanâ villosos, fungosâ medullâ farctos: ex quorum geniculis folia ex opposito sita prodeunt, Marrubii foliis longiora, lanuginosa, mollicella, per ambitum serrata, sapore citra omnem morsum siccante: flores ex foliorum alis verticillatim ex longo veluti spica caules summos ambiunt, foris hirsuti, intus glabri, purpurascentes, ad Lamii flores quàm proximè accedentes, labello trifido subinde guttato, galeâ item saturatiore, dilutioreque purpurâ versicolore, ex calyculis oblongis villosis: semen rotundum & nigricans: odor totius plantæ grauis.

Stachys Cordo

Cord. in Diosc. Stachydem spicatam herbam esse ait, & Marrubio similem, candidiorem tamē, & ob eam causam Germ. weissen Andorn, h.e. Marrubium album, & Stein Andorn Marrubium petræum, appellat.

A Trago pro Marrubio tertio describitur, appellaturque Marrub. agreste siue campestre feld Andorn, fitque genus Gallitrichi siluestris, ac ideo germ. Feld scharlach nominatur. Hoc ipsum tam suaue olens Marrubium, Stachyn Dioscoridis esse existimat. Is autem odorem totius plantæ gratissimum ait, qualem nos non obseruauimus.

Stachys.

Stachydem appellat Fuchs. quòd verticillato florum ambitu & orbiculis spicarum caules cingentibus coronetur: germ. riechenden Andorn/ gall. *Sauge sauuage*. Is autem more suo Dioscoridis verba pro descriptione repetit, nihil addens præter florum purpureorum verticillatum ambitum: odorem & folia dura non obseruauit.

Sphacelum esse statuit Guillandinus, sed perperàm, reclamant enim folia. Gesn. in cat. pl. Stachyn Marrubio similem rura Tygurensia rusticam, vel montanam, vel mollem Saluiam: Herbarios Nauiculam, alios Coronatam herbam appellare, ex Ruellio, ni fallor, perhibet.

Lobel. in Obs. p. 285. (itemque Icon. Plant. p. 530.) Stachydem Dioscoridis inscribit ac Scordotin Plinii constituit: alibi Marrubium agreste Tragi, & Pseudostachyn Matthioli vocat.

H. Lugd. carpitur.

H. Lugd. p. 963. duas habet icones: vni titulus Pseudostachys Matthioli: alteri Stachys Fuchsii: descriptiones etiam duas habet, quasi diuersæ essent plantæ. Vna est Fuchsii ex Dioscoride petita, altera Lobelii.

Synonyma

Stachys dicitur Castori, itemque Lonic. & Tabern. qui trium plantarum, quas pingit, nomina confundit in Hist. Stachydis, Pseudostachydis & Saluiæ montanæ, quæ quænam ei sit, iam non occurrit. Stachys maior germ. Camer. hort. Floribus purpurascentibus C. Bauh. phyt. Stachys Fuchsii Dod. lat. in fol. Marrubii tertia species Dod. gall. Marrub. montanum alterum, generis secundi Thalio. Marrub. campestre Hort. Lusit.

Scorodotis non est. Lob. reprob.

Honor. Bellus ait Lobelium pro Scorodoti Plinii secunda, stachim Dioscoridis describere: sed eam stirpem notham, spuriamque esse: nam neque Allii odorem spirare, neque viribus à Plinio attributis respondere. Ego Stachydem vulgarem non esse Scorodotim Plinii Bello quidem cedo: sed hoc ipsi non do, nec etiam Lobelio quod Stachys sit Dioscoridis: haud enim respondet odor, qui, Plinio teste, iucundus: nec color consentit, qui in luteum inclinans, esse dicitur: sapor etiam contrariatur, hic enim Galeno teste, amarus & acris esse debet: neque calefacit tandem, vt docet Dioscorides.

Locus & Tempus

Asperis locis, montibus ac collibus prouenit: floret Iunio & Iulio mensibus: Basileæ etiam Iunio, extra portam lapideam Iulio & Augusto: inter Basileam & Leurach versus Moutetz Octobri.

CARDIACA.

Cap. CXVII.

Descriptio Lycopodis

Hanc sub Lupi pedis nomine sic describit Ruellius. Lupi pes, quam Græci Lycopoda nominant, herba est Marrubio syluestri similis, folio Lupini pedis effigie, dissecto, grauis odoris, caule anguloso & geniculato, fungosâ intus medulla, radice frequenti capillamento fibratâ: Galli nunc Patam lupinam, nunc Herbam pectoralem: nunc Manum S. Mariæ nominant.

Pata lupina. Herba pectoralis. Manus S. Mariæ

Hæc itaque herba Lycopous Ruellii est, quam multi in Germania Cardiacam vocant: nimirùm quòd cardiæ (sic etiam stomachum siue os ventriculi veteres appellabant) imposita medeatur. Quod verò Ruellius ait græcè Lycopodem dici, nusquam reperitur, vt author est Gesnerus quadr. de lupo, apud Græcos, neque apud Plinium: quare confictam ab eo ad imitationem gallicæ vocis, græcam esse coniecit, & pro Galeni Lycopersio admisit: huius enim & nomen à lupo, & odoris insignem grauitatem, leuiter tamen aromaticam &, ni fallitur, etiam colorem conuenire dixit, præsertim maturo iam semine prægnanti herbæ. Hæc Gesnerus qui in cat. pl. Cardiacam opinatur dictam, quòd folia trita præsentaneo remedio dissoluto stomacho imponantur.

Καρδιακή βοτάνη Nicolai dicitur Fuchsio: Sideritis prima Heraclea Dodonæo: Euricius Cordus Marrubii, vel Melissophylli speciem esse putat, quia non aliter, quàm Melissophyllon apibus gratissima sit, scribitque se propterea ipsam ad aluearia plantasse, neque credi posse quanto examine, ac quàm sonoro murmure circum hanc florentem densæ apes susurrarent.

Marrubium & quidem primum Cardiacam vocat C. Bauh. phyt. dubitatque an sit primum Theophrasti. Quidam Alysson Galeni & Aetii esse volunt. Sunt etiam qui Marrubium mas Brunfelsii faciant, vt C. Bauh. & Schvvenckf. qui Palmā Christi à Parisiensibus appellari testatur. Brunfels. quidē Tom. 2. ante rhapsodiam 25. p. 158. iconem habet sine nomine: & aliam quoque sine titulo pag. sequenti 159. & sequitur Rhapsodia vigesima quinta: prior autem icon est Cardiacæ, secunda Marrubii. Vbi verò Cardiacam Marrubium

bium mas vocarit, vt annotarunt C. Bauhin. & Schvvenckf. non mihi constat.

Lycopsis. Lycopsyn tandem Cardiacam vocat Anguill. epist. 12. Aliam demum esse Cardiacam à Ballote perhibet Fuchsius.

Nomina linguarum Quo igitur nomine herba hæc à Veteribus sit appellata, adhuc sub iudice lis est. Herbarii nostræ ætatis vulgò Cardiacam appellare cõsueuerunt haud dubiè quòd cordis palpitationi, quam multi perperam καρδιακὴν appellant, mirificè conferre videatur: germ. Hertzgespeer / hertzgespan / & Hertzkraut: Schvvenckf. nonnullis wolffsfotze vocari ait, i.e. Patam lupinam. Belg hertesghespan: galli *Agripaulme*, testibus Fuchs. Dod. & Lob. Quâ autem ratione Agria palma dicatur, haud scit glossator Fuchs. in impress. Lugdunensi, nisi fortè à rudi foliorum fissura tanquam in digitos à qua, sed perfectiore, Ricinus vulgò etiam Palma Christi nuncupatur. Angli Mothermorte: Boh. Srdecnik: Hung. Ziu fiu.

Pata Lupina. Agria Palma.

Locus Passim ruderibus, lapidosis, ac aliis incultis & asperis gaudet: iuxta sepes & veteres muros subinde inuenitur: in hortis nimis facilè calescit. A Iunio in multum vsque Autumnum viget, & floribus (præsertim Iulio) abundat, seménque perficit. Caules Hieme intercidunt: radix viuax est, Dodon. Prouenit etiam in pagorum areis, iuxta semitas, & propè vrbium mœnia, vt etiam Basileæ vidi florentem Octobri.

Vires & vsus Fuchsius ex amaritudine insigni sumpto argumento, calidam statuit in secundo ordine & siccam in tertio: rectè à recentioribus scriptum, contra cordis palpitationem, conuulsionem, & resolutionem conducere: posse enim cùm amara sit herba, suâ caliditate & siccitate crassos humores, qui in venis & aliis partibus, neruosis potissimùm, sunt, incidere, extenuare, & discutere: hac etiam ratione morbo comitiali conferre, vrinas mouere, & menstrua educere, aliásque facultates, quas Galenus lib. 4. de simpl. med. facult. cap. 17. amaris tribuit, obtinere. Hisce subscribit Matthiolus, addens eam in puluerem cõtritam, & cochlearis mensura ex vino haustam, difficilè parientibus mirum in modum opitulari: obstructiones aperire, quas caussa frigida induxerit: pectus à pituita detergere, & lumbricos necare. Cum expurgandi, adstringendi quóque facultatem habet, inquit Dodonæus. Ad cordis affectus à nonnullis commendatur, & tantùm valere existimatur, vt ab effectu nomen inuenisse putetur. Fertur & conuulsis ac quoque resolutis mederi, obstructiones viscerum aperire: ventris tineas ac lumbricos interimere, & puluerem herbæ cum vino exhibitum, non modò vrinam & & menses euocare, sed & difficulter parientibus prodesse. Ad cruenta eadem quoque laudatur. Medetur & quibusdã boum morbis, ac à rusticis ea de causa subindè expetitur.

Partum promouet.

GALIOPSIS VETERIBVS.
CAP. CXVIII.

Diosc. lectio illustrata. GAliopsis, quam authore Dioscoride, aliqui Galeobdolon vocant, frutex (θαμνίον) est totus cum caule & foliis, similis Vrticæ: sed folia læuiora sunt, & dum teruntur valdè grauem odorem reddunt: flores tenues (λεπτὰ) purpurascentes [πορφυρίζοντα:] Nascitur ad sepes & circa vias, ac domorum areas vbique. Vim habent folia, succus, caulis, & semen, dissipandi duritias, carcinomata, strumas, parotidas, panos. Verùm cum aceto bis in die imponere oportet, & cataplasma tepidum facere. Sed & decoctum ipsius vtiliter in fomentum affunditur. Facit etiam ad nomas, gangrænas & putredines, cum sale imposita. Dioscoridis verba habet Plinius. Paulus vires eius ex Dioscoride quoque habuit. Galenus verò Galiopsios mentionem non fecit.

Notha Dioscor. Galeopsis inter nothas, aliis oalephos. Aegyptiis Aethiopis, Romanis verò Vrtica Labeo dicitur.

Galeopsis. Græcis Γαλίοψις vel Γαλήοψις, & Γαλεόβδολον. Dicitur autem Galiopsis, si cum i scribatur, à florum effigie galeata, quòd eius flores galeæ aspectum referant. At quoniam inusitatum fuit græcis præsertim veteribus, Latina nomina cum græcis componere, γαλήοψις potiùs per η scribendum erit, vt & multa exemplaria habent, & Plinius ita legendu testatur, qui Galeopsin nominat, à florum figura mustelæ faciem & rictum quadantenus exprimente. Id quod etiam videtur innuere τὸ γαλεόβδολον nomen i.e. mustelæ fœtidæ: quo quænam sit herba indicatur, nulla videlicet descriptioni aptiore, quàm Galeopsis siue vrtica fœtida mortua, Corn. Cordo, Trago, Fuchs. Matthiol. H. Lugd. Clusio & Schvvenckf. autoribus.

Galeopsis est Vrtica fœtida.

Multorum opinio de Galeopsi reprobata. Hanc tamen opinionem tanquam falsam reprobauit Marantha. Odor, inquit, qui in Galeopsis descriptione proponitur, nisi nonnullis consideratis intelligatur: eius cognitionem impedit. Et hinc colligitur error (quod eorum pace dixerim) volentium Galeopsin esse, quam vulgò Vrticam fœtidam appellant, inter alias notas eius herbæ grauecolentiam in medium afferentes: non enim animaduerterunt grauecolentiam Galeopsidis foliis Diosc. assignasse, si terantur: non autem integris: at in Vrtica fœtida, etiamsi non confricentur, grauissimum longiùs emittunt odorem. Huic subscribit Clusius, cui nullus recentiorum satisfacit in icone Galeopsis historiæ addita: nam vel Lamii genus aliquod, vel Scrophulariam vulgarem eos substinere perhibet, cùm ad illarum nullam Dioscoridis descriptio aptari possit.

Aequiuoca Nos Galeopsis nomine sequentes denominauimus plantas, quarum quænam sit legitima, iudicium penes lectorem relinquimus: Galeopsis siue Vrtica iners flore purpurascente maior folio maculato & non maculato. Galeopsis siue vrtica iners floribus albis. Galeopsis siue Vrtica luteo flore. Galeopsis siue Vrtica iners folio & flore minore. Galeopsis siue Vrtica iners minor folio caulem ambiente. Galeopsis siue Vrtica iners magna fœtidissima. Galeopsis siue Vrtica fatua incana reptilis. Galeopsis siue Vrtica fatua maxima flore magno rubro. Galeopsi fœtidissimæ affinis. Galeops. fl. paruo atropurpureo. Galeops. angustifolia fœtida. Galeops. lutea viscida Dal. Scrophularia maior. Scroph. maxima. Scroph. 3. Dod. Pulegium.

GALEOPSIS SIVE VRTICA INERS flore purpurascente maiore, folio non maculato.
CAP. CXIX.

Descriptio RAdice nititur hæc Galeopsis fibrosâ numerosâ, repente, perenni, ex qua caules plures surriguntur, lõgi, quadrati, concaui, purpurei, modicè hirsuti, geniculis inferiùs crebrioribus, medio caule internodiis longioribus: ad radicem

Kk 3

folia subrotunda, ad Marrubium fœtidum accedentia, ex satis longis pediculis, superiora ad singulos geniculos purpureis semuncialibus latiusculis appensa, Vrticæ similia, pilis hirsuta, sed inertibus, rugosa, atrouirentia, atróue purpurea, serrata, fœtida: ad quorum alas flores fimbriatis loculis rubentibus insident, seni vel deni verticillatim caulem coronantes, purpurei, pilosi, inodori, rictum ostentantes, foliolo concauo, ceu galea, sursum reflexo, bifido, labello punctis carneis & sanguineis notato, deorsum reflexo: ex medio hiatu stamina profert quaterna recurua alba, capitulis atrorubentibus, nec non stilum album tenuem bifidum: semen in caulibus per interualla copiosum & nigrum.

Synon. & Nomina linguarum



Vulgò Vrtica iners & mortua appellatur, quòd foliis non mordentibus sit, mitissima. Sunt qui Albam Vrticam nominent, & Archangelicam: Ger. binsaug, stinckend Nessel/ Todtnessel & taub nessel: Belgæ Dooue netelen: Galli *Ortie morte*: Itali *Ortica morta*: Hisp. *Hortica mauerta*: Angli Deadnetel Hung. Bot chalan

Vrtica non mordax, & Galiopsis vulgaris purpurea, Lamium Plinii, itemque Archangelica vulgi dicitur Lobel. in Aduers. Vrtica labeo & Lamium Nomenclatori Pannonico: Vrtica mortua & alba Corn. Vrtica fœtida Apollinari: Vrtica fœtida floribus purpureis Matth. Schvvĕckfeld. appellauit Lamium purpureum vulgatius, γαλίοψιν Dioscoridis, & Vrticam labeonem, fœtidi & grauis odoris: Fuchs. Lamium 3. fl. purpureis: Tabern. Lamium 3. purpureum: Item, Galiopsin 1. (in Hist. 2. in Icon.) Lamiis similis, exceptis foliis paullò rotundioribus, & albis maculis aspersis: Ego duas plantas nondum facio. C. Bauh. phyt. Lamium 2. siue purpureum folio oblongo, non solùm à priore ratione formæ foliorum differens, sed etiam odore: hoc enim non fœtet. Lamium purpureum à nobis semper fuit obseruatum fœtidum. Gerard. Lamium rubrum Item Lamium Pannonicum siue Galeopsis. A Gerardo non bene pro Lamio Pannonico Clusii ponitur icon Tabern. Galeopsis primæ.

C. B. not.

Lam. rubrum Gerardo not.

Camer. in Epit Matth. itemque n. Germ. hanc figurâ exprimit titulo Galiopsis. Cur verò Lamium Euch. Rœsl. germ. Vnser frawen schülin vocet, rationem non habet.

An Thal. Galeopsis rubra? An Anguill. Lamium Plinii, Bononiensibus Milzarella, quasi *piccola Milza*. Milzadella Cæsalp. vulgò dicitur, quia lienosis egregiè opitulatur.

Locus & Tempus.

Galeopsim purpuream in Italia inter Vicentiam & Villanouam vidi florentem Martio, Geneuæ Nouembri, Basileæ Octobri, Monspelii toto anno floret. Montbelgardi frequens est etiam in horto Ill. E. C. sponte, florens Aprili: Amat ædificiorum areas, plateas & hortorum sepes.

Vires & Vsus.

Fœtidi est & grauis odoris. Eius calorē & siccitatem sapor arguit, inquit Schvvenkf. qui ex Dioscoride eius folia duricies, strumas, & carcinomata discutere, itemque ad putrescentia vlcera, gangrænam, & nomas vtiliter cum sale illini perhibet.

Galeopsis folio maculato.

Vrtica lactea

Est alia planta Vrticæ fœtidæ non absimilis, quæ à lacteis, maculis singula folia in longum procurrentibus, Vrtica lactea, à Senensibus vulgò cognominatur, quam rectiùs fortè quis Galeopsin dixerit, si à γάλα dictam esse statuat, quod ex Dioscoridis ordine coniecturâ quadam colligi posset: hanc legitimam esse Galeopsim, quasi affirmare non dubitarem, inquit Matthiolus, nisi Plinius eam Lamium appellari prodidisset, laudibusque extulisset album, quod medio in folio habet. Quibus sanè Plinii placitis decernere cogimur, primam, quam Vrticam fœtidam diximus, esse Galiopsin: alteram (hanc) verò Plinii Lamium. Sed si sustinere velimus hanc secundam esse veram Galiopsim, dicere nobis liceat, Plinii non cognouisse Galiopsin: neque id fortasse temerè diceretur, quòd in multis aliis Plinius euidenter errasse deprehendatur. Hæc ille. *Ego* facilè crediderim eandem esse hanc cum præcedenti Galiopsi purpurea, & in solis foliorum maculis consistere differentiam

Camer. in horto vocat Lamium Plinii, & Milzatellam Italorum, in foliis albas maculas proferentem, in locis humidis & opacis circa fossas. And. Spieg. Lamium verum Plinii. Schvvenckf. Lamium pictum. C. Bauh. phyt. Lamium 3. maculatum, & Milzadellam Cæsalpini, de qua vide plura cap. præced.

vsus

Solenander tradit eius vsum esse crebrum in Hetruria, exhibendo puluerem foliorum in ouo sorbili in lienis obstructionib⁹: atque asserit solum puluerem istum in vino feliciter se in iisdem affectibus exhibuisse.

Galiopsis siue Vrtica iners floribus albis.

Tragus huius meminisse videtur Vrticæ quintæ neque pungentis, neque vrentis, floribus albis titulo. Fuchs. vocat Lamium 1. siue florib. albis, Lamium Plinii propriè. Camer. hort. Lamium Tragi flore candido. Lobel. in Adu & Obs p. 280. itemque Icon. Plant. Lamium siue Archangelicā flore albo: perperàm Galeopsis Herbariorum Matth. Lacunæ. Tabern. Lamium 1. album. Iconē Tabernam. Lamii albi malè pro Marrubio nigro ponit. C. Bauh. phyt. Lamium 2. siue folio oblongo flore albo. Schvvenckf. Lamium candidum.

Tab. not.

H. Lugd. p. 1246. Lamium Fuchsii vocat; Lamiū Plinii putatum, vrticam inertem & mortuam floribus albidis, seu pallentibus, vulgò Archangelicam, ab eximiis viribus: Lamium fortassè à florum figura, veluti cucullo laruatam Lamiam quandam repræsentante: Italorum Milzatellam, & Herbam *de la Milza*, ab insigni eius aduersus splenis obstructionem & duritiem efficaciâ, qui splen illis Milza vocatur: Galeopsin Matthioli Lobelii. Falsò autem ita vocat: reiicit enim Lob. eorum opinionem, qui Galeopsim Matthioli statuunt.

Turnero

Turnero dicitur Lamium, siue vrtica iners aut mortua alba. Cordo in Diosc. Galeopsis flore candido. Thal. Galiopsis Matthioli, seu vrtica vulgaris mortua, flore verticillato candido passim, grandiore nonnunquam folio locis pinguiorib. Dod. lat. in fol. vrtica iners siue Lamium primū. An Cæsalp. Leucas montana flosculis candicantibus, nullam albam maculam habens in folio?

In Italia vidi florentem Martio inter Brentellam, & Vicentiam; Lugduni mense Aprili, & in Sabaudia circa Mirebel; itemque Montbelgardi in horto Ill. E. C. frequentem spontaneam. Humida & opaca occupat loca fossas & areas, Iulio flores ostendens, Schvvenckf.

Vires & vsus. Calidum siccumque est Lamium, id quod ex facultatibus eius & amaro constat gustu. Ex vino potum iecinoris adimit obstructiones. Flores Lamii candidi menstrua muliebria alba absumere [sistere Dodon.] fœminarum experimento celebrantur, paratúrque à nonnullis in eum vsum ex floribus istis cum saccharo (vt vocant) conserua, quam singulis aliquot diebus sumendam præcipiunt. *Menstrua alba.* Herba tusa authore Schvvēckf. cum sale plagis & contusioni vtilis, nec non vlceribus putridis & vulneribus, vlcera sperpiginosa, vulgò **den wurm**, imposita sanat. *Contusiones.* Recentiores Vrtica hac mortua vtuntur (id quod legere est apud H. Lugd.) sistendo ruentis è naribus sanguinis impetu imæ ceruici, vel scapulis alligando: nam inde sperant in aduersum trahi cruoris manantis impetum. *Hæmorrhagia.*

GALEOPSIS SIVE VRTICA INERS flore luteo.

CAP. CXX.



Descriptio. A Superiore Galeopsi alba differre non videtur, nisi proceriore caule, nigrosiore, hirsutiore folio: flore pereleganti luteo toto, labello saturatioribus punctis & striis croceis notato: aliàs modò vnicoloribus, aliàs labelli modo picturatis.

Synonyma Galeopsis Tragi. Tragus hanc Galeopsios nomine pingit, ac Vrticam sextā facit floribus croceis. Fuchs. Lamii genus alterū. Dod. gall. Lamium luteum. Hi tres vna icone & descriptione, Galeopsim purpuream, albā & luteam complexi sunt, colore tantùm ab inuicem distinguentes, ignoranter quidem, quicquid dicant: picturā autem hanc potissimùm exprimere videntur.

Cord. vocat Galeopsin flore luteo. Dod. lat. in fol. Vrticam inertem tertiam, siue Lamium luteo flore. Tabern. Lamium 2. luteum, Casp. Bauh. phyt. Lamium 2. siue folio oblongo luteo flore. Schvvenckf. Lamium luteum, & Archāgelicam luteam, **gele wald Nessel / geeler hanenkopff.**

Locus. Tempus. Nascitur ad riuos, ad piscinas, in montibus opacioribus, & aliàs locis humidioribus. Florentiæ vidi in horto. In siluis opacis floret Maio mēse potissimùm, & tota ferè Aestate. Apud Quados, Marcomannos & in Pannonia superiore notior est.

Vires. Non dissimilibus quoque viribus illo, sed multò efficacioribus esse perhibetur ad vulnera, vlcera, tumores.

Galiopsis, siue Vrtica iners folio & flore minore. Hæc quamproximè accedit ad Galeopsin flore purpurascente maiorem.

Locus & tempus. Iuxta sepes, parietes, vias, in ruderibus, secus agrorum margines, ac in ipsis quoque aruis obseruaui Geneuæ, aliisque in locis florentem magna ex parte tota Aestate. In hortorum areis parum excultis non rarò occurrit, & valdè molesta est, vt Montbelgardi, florens ibi Februario, Martio, Aprili, ac etiam Septembri.

De Galeopseos viribus in genere, & de nonnullis aliis Galeopseos speciebus, cæterisque plantis illi affinibus.

Descrip. Vrticas inertes omnes eandem cum vrentibus vim habere, plus tamen posse in externis vlceribus, & tumoribus dissipandis credidit Tragus: quapropter illis in balneis ad vaporationes & emolliendum vterum vti consuluit, præsertim siluestri, quam Heracleam dixit, nos Galeopsim magnam fœtidissimam. Experientia proditū de certa de olentibus Vrticis, quæ in vetustis areis & sepibus proueniunt: illæ enim si virentes adhuc contundantur, carúmque succus cum foliis cataplasmatis instar, phagedænæ, quam Ger. **den wurm** vocant, imponatur, breui eam enecabunt. Amb. Paræus Galeopsis cuiuscunque generis succum ad hæmorrhoidas commendat. Plura lege antè in specie, & de Galeopsi veterū.

De cæteris Galeopseos speciebus, Lamio, Cannabi siluestri, cæterisque affinibus Plantis, consulat lector huius Tomi Appendicem: Nos enim tibi de iis: nec hic præterquàm Locustæ herbæ superest Locus, cuius historiam ad huius Libri calcem traditum iri superiori promisimus.

LOCVSTA HERBA. CAP. CXXI

Locusta herba prior.



Descrip. Herba Locusta dicta, parum interdum palmū superat, aliàs dodrantalis & maior, etiam cubitalis, *radice* donata tenui, ad imum fibrosa, gustu subdulci & ferè insipido: *folia* tenera & delicata, lōgitudine semunciali, vnciali, aut sextantali, colore herba-

ceo latitudine trientem vnciæ parum excedentia subrotunda, nullo pediculo appensa, interdum serrata, superiora sapore ferè eodem cum radice, à qua vnica *caules* plures, angulosi, tenues, brachiati, binaque ramulorum coniugatione semper diuisi: inter foliola summorum ramulorum *flosculi* simul aliquot pulchelli, albidi, aut diluta purpura languentes, oblongi, in quinque lacinias dissecti, apices amplectuntur tenuissimos, obturum ferè fugientes *semen* obseruare non licuit.

Icones. Iam, antequam ad alia deueniamus, figurarum nostrarum reddenda ratio. Est autem prior ex ipsa herba virente, cui appingi curauimus Oleris albi ramum Agerii. Altera ex Icone Plantiniana Phu minimi alterius p. 717. foliis nempe serratis, qualis inter nostras herbas siccas Locusta reperitur.

Locusta altera foliis serratis



Sacrarum literarum Locusta herba. Hermolao. Cæterùm, meminit Locustæ herbæ Hermol. Coroll. 156. dum inquit: In sacris certè literis sunt quibus Locustæ mandi solitæ, non animal insectum, sed herbam hoc nomine significent. In qua sententia magnus auctor Chrysosthomus & prior eo Athanasius fuisse creduntur, quasi pro animali acceptæ, vescendo non essent. Cùm tamen in Africa vt Dioscorides commeminit, ad Leptin cibo etiam frequenti commendentur, & hodie quoque vulgò eas comedant Ægyptii. Plinius etiam gentem quandam & Æthiopum quoque partem Locustis tantùm viuere fumo & sale duratis in annua alimenta prodidit post Diodorum Strabonemque, vt ob id Acridophagi [Acridas enim Locustas Græci vocant:] nomen habeant. *Acridophagi. Pes locustæ. Rapunculus Napunculus.* Locustam igitur, siue Pedem locustæ pro herba sumptam interpretantur, quam vulgò Rapunculum, siue Napunculum vocamus [H.n.g.lib.23.] folio angusto, desinente in mucronem, cauliculis vertice torulos habentibus, vt in Asparago & Salictario lupo cernitur. Itemque multi lateris. Ex quibus minores alii, alterno semper inguine prosiliunt. *Blitum.* Radicula vel diuitum, lautorumque mensis petita: Rapistri quidem sapore: non tamen ad ructus illiberali, ac fatuus omninò gustus, sed cum aceto, & sale non iniucundus: semen ei tam exiguum, vt discerni ferè aliter non possit, quam grana sabuli. *Atrip.* Alii Pedem locustæ pro Blito aut valdè simili herba capiunt in Arabicis scriptoribus. Sunt etiam qui vocabulo Acridis non herbam vnam aliquam, sed summatim omnes, quibus victitarit homo sanctus in solitudine, intelligi velint. Dioscoridis certè paniculas Auenę dependentes Locustas appellauit.

Locusta Oleæ fol. Gesn. Phu minimum alterum Lobelii. Gesnerus de hort. vocat Locustam herbam foliis ferè Oleæ: Oliui etiam sapore quodammodò, insipidam alioqui. Lobel. in Icon. Plant. p. 717. Phu minimum alterum inscribit, vti etiam in Obs. p. 412. vbi ait vocari Gallo-Belgis *Salade de Chanoine*, Dele troppen verò Belgis: quasi dicas Lactucam campestrem, quia folia primo pullulatu habet Lactucis aut Seriolis adhuc tenellis similia.

Icones & descr. duæ H. Lugd. Phu minimi alterius Lobelii imaginem & descriptionem assumpsit H. Lugd. p. 1117. Cuius tamen & aliam figuram & delineationem antè p. 554. Polypremni titulo dedit: addens vulgò appellari *de la Blanchette* & *Poule grasse*.

Lactuca agnina duplex Tabern. Tabern. tam in Icon. quàm Hist. duplicem exhibet picturam, Lactucæ scilicet agninæ primæ & secundæ titulo.


C. Bauh. phyt. dicitur Valeriana 11. siue campestris inodora maior, quæ Bupleuron, Hippocratis apud Plinium lib. 22. cap. 22. ipsi videtur; Itemque Phu minimum alterum Lobelii Obs. p. 412. & Icon. Plant. p. 717. Eidem vocatur Valeriana 12. siue campestris inodora laciniata, & Herba S. Claræ Monspeliensium, ac etiam Phu minimum Aduersar. p. 319. & Lob. Icon. Plant. p. 716. *C. Bauh. Album olus Dod.* Dod. lat. in fol. huius meminit nomine Albi oleris.

Locus & Tempus. Locusta herba Montbelgardi in horto Ill. E. C. ex semine Stutgardiâ misso, nomine Sonnens wirbell, sata mense Ianuario & Februario, frequens prouenit. Huius verò semina quidam mense Septembri terræ committere solent, quò hybernis mensibus in acetariorum vsum venire queat. *Vires & Vsus.* Locusta herba, Pinguicula aliis dicta, aliis Lactuca agnina: Germ. hasenorlin / Rebens kressig: Geneuæ *Rampon*: Burgundis *oreille de Lieure*, frequens est in agris, vineis, & hortis, teste Tabernam. *Tempor.*

Quam porrò Hermolaus in Corollario, si benememini, ait Gesn. in epist. ad Cos. Holtz locustam appellat, aliqui eas esse Locustas negantur, quibus in deserto Io. Baptista pastus sit. Refrigerans est hæc herba, & nonnihil humectans, facultate ac temperamento Lactucæ haud dissimilis; cuius loco hybernis & primis Veris mensibus infertur, ac cum aceto, sale & oleo iucundè editur, veluti alia acetaria: inter quæ haud postremum locum obtinet. *Emollit aluum.* Ambæ Lactucæ agninæ, Tabernomontano id referente, grati sũt saporis, aluum emolliunt, præsertim si cum iure carnis bouinæ aut veruecinæ coquantur, atque calidè coctarum ius absorbeatur. *Febricitantium cibus.* Frequens earum vsus in cibis potissimùm per totam Hiemem niue liquescente & Vere, vsque ad mensem Aprilem donec caules ferat. *Agnorū pastus.* Salubriter exhibuit gratum hunc & sanum cibum febricitantibus, qui ab esu carnium abhorrent, Spinachiorum modo concisum & in iusculis cum omphacio decoctum. Agni demum huius pastu multùm delectantur, & iuuantur, impinguanturque.

FINIS LIBRI VIGESIMI OCTAVI.

HIS-



HISTORIÆ VNIVERSALIS PLANTARVM


LIBER XXIX

CORONARIÆ SEMEN IN VASCVLIS ET CALYCVLIS GERENTES, ET QVÆ FLORVM FOLIORVMQVE, AC TOtius adeò Plantæ, forma nonnihil accedunt.

Coronariarum vel per se tantùm immensa contemplatio, si quis æstimet varietatem, numerum, flores, odores, coloresque & succos, ac vires earum, quas varietatis studiosissima natura, salutis, aut voluptatis gratia gignit. Est sanè, vt Plinius ait, inenarrabilis florum maximè subtilitas, quando nulli potest facilius esse loqui, quàm rerum naturæ pingere, lasciuienti præsertim, & in magno gaudio fertilitatis, tam variè ludenti. Quippe reliqua, vsus alimentique gratia gignit: ideóque secula, annósque tribuit iis. Flores verò odorésque in diem gignit: magna (vt palàm est) admonitione hominum, quæ spectatissimè floreant celerrimè marcescere. Sed ne picturâ quidem sufficiente imagini colorum reddendæ, mistūrarum varietati, siue alterni atque multiplices inter se nectantur, siue priuatis Generum funiculis in orbem, in obliquum, in ambitum quædam coronæ per coronas currunt. Coronarias porrò omnes hoc vno libro complecti nec volumus, nec possumus: nam nec ipsa natura vnico horto, vnicâ tribu, complecti potuit, alias in fruticum, alias in herbarum, & harum rursus in non nihil diuersis familiis collocauit. Dicemus autem potissimùm vascula ferentes post florem, & his faciei specie accedentes, vt Linifolias, Alsinefolias, &c.

DE BETONICA CORONARIA SIVE CARIOPHILLEO flore in genere: & specialius de vulgari satiua flore pleno.


Capvt I.



Duo fastigia summa

VIX in omni genere stirpium vlla existit quæ tantâ colorum varietate flores suos commendet, atque Betonica coronaria, cuius duo fastigia summa: Alia enim syluestris, alia satiua: Hęc rursus nunc simplici foliorum in floribus ordine contenta est [minor Dod.] nunc duplici prædita [maior Dod. qui & Armenios flores in Gariophyllorum numerum recipit:] de quâ pręsens instituitur sermo.

Ex Gariophyllis itaque plenis [etiamque simplicibus plerique *foliis* sunt è singulis geniculis, binis, angustis: alii penè teneris, at breuioribus magisque exiguis (porraceis Ruell.) duris, per extremum acuminatis, cæsio quasi, siue glauco, colore: *caulibus* læuibus, teretibus, cubitalibus, rarò altiorib. geniculatis, nodosis: in quorū fastigiis lōgiusculis spectantur *calyces* teretes, orbiculo superiore denticulati Ruell. quib. dehiscētibus paulatim diuersi apparent *florū* genera, candida sc. ex cādido purpurea, coccinea, nigricantia, vermiculata, diuersoque colore variegata, idque non vnâ, sed variâ ratione. Inuenias siquidē in quib.



candidus, & coccens, color ita misceatur, vt in alio candida, in alio rubra folìola numero superiora euadant. Quid? quod nonnullos videas ita candidos, vt minutissimis rubris puncttulis sint redimiti, contrà qui rubent, lacteis notis aspersi videantur. Postremò ex vno & eodem caule nó rarò duo florum genera, quod ad colorem attinet, hoc est, partim candidi, rubrisque maculis notati, partim

candidi, rubrísque maculis notati, partim verò coccinei, prosiliunt, &, quod mirũ magis videri possit, sæpè vno pediculo diuersi coloris flores suffultos, deprehendas, quod ipsum non semel se obseruasse testatur Tragus, in florum medio stamine emicant gemini *apices* candidi: *semen* in vasculis oblongis, paruum ac nigrum Dodon. latum Cæpæ simile Trago: *radices* fibrosæ: simplices, geniculatæ Ruellio.

Nomina linguarum

Quam Betonicam coronariam magis propriè appellandam censemus, Cariophylleum florem ab odore Cariophyllorũ Recentiores nominant, licèt sint alij odoratiores mãgonio, alij minùs, & alij etiã inodori: Dicũt Germ. Negelin, Negelsblumen/& Graßblumen: Belgæ/Genoffel blumẽ & Groffels bloemẽ: Galli *Oeillets*, & *Oeuillets*: Itali *Gar foli*, & *Garofoni*: Hispani, *Clauel*: Angli, Geliflowres & Gelouers. Bohem. Karaffilft, Hung. Zeck fiu.

Beton. coronaria indicta Veter.

Ioh. Ruell. (& post eum Eur. Cord. itémque Matth.) Cariophylleum florem incognitum Veteribus existimauit; cuius optimum iudicium videtur. Mirum creditu, ait, vt tam celebris flos tàmque iucundus fuerit à Veteribus silentio prætermissus, qui amplitudine, pulchritudine, varietate, Rosâ non inferior videri possit, imò cum eâ de principatu certet; quando nec colore superatur purpureo, candido, vermiculato: nec odore, nisi quòd à longinquo plùs olet recens Rosa. Iam nihil Rosa fugacius, longissima nàmque decerptæ mora dies: illi in quatriduum & ampliùs vita vigórque durat, aliquibus potissimùm Damascenis. Tanta magnitudo olitorum curâ, vt orbem vtraque manus, complecti ferè nequeat. Non defuere qui Baccarem id genus esse floris existiment, sed syluestris, toto herbæ habitu apertissimè reclamante. Alij Caltham Veteribus fuisse putant. Sed cùm Virgilius luteolo colore nobis tinctam cecinerit, nec Plinius à Virgilio dissentiat, non video quî possit ita statui. Vetonicam hanc coronariam, Galli à specie floris, vt arbitror, Ocellum: ab odore Gariophyllum nominant: vulgus verò Ocellum Damascenum appellari existimat, quòd fortassè è locis quorum gentilitiũ nomen refert, ad nos venerit. Sunt qui Oenanthem quasi Vitifloram putant dictam Theophrasto. Sed cùm flos Oenanthæ racematim cohæreat: huic autem in pulcherrimas Rosas, nec vsquam vnà videantur in racemosam speciem colligi, sed vertices surculorum coronare, certè altilem hanc Betonicam Theophrasti ætas non nouit.

Turnerus contra Fuchsium (qui Vetonicam siue Betonicam inter notha Dioscoridis, esse voluit) negat Cariophylleum florem esse Betonicam, (quâ de re tamen dubitet Lobelius) asserens Cantabricam Plinij. Sed nec Tragus vllum ex Gariophylleæ generibus ad Betonicam pertinere testatur, ac propterea genus hoc Cariophylleam altilem & Narcissum Germanicum vocauit.

Ocell. Barbaricum. Barbarica.

Quam Recentiores Caryophyllos, & nonnulli etiam Ocellum Barbaricum & Barbaricam nuncupant, Gesner. hort. Betonicam & Vetonicam, altilem aut coronariam cognominat [Matthiol. Vettonicum Coronarium dicere maluit Dod.] ad differentiam sc. alterius Betonicæ, quæ Græcis *κέστρον ϗ ψυχότροφον* dicitur: atque hinc etiam, Tunici flores dictos, vel etiam Tunicam herbam cum plerisque hanc esse existimat: licèt Bernardus Gordonius herbam Tunicam Dioscoridis Polemonium esse tradat. Cæterum, Iphyum apud Athen. lib. 15. quidam esse voluerunt annotante Dalechampio. Alij Iphyum Theophrasti 6. Hist. 2. & 7. Hist. 12. sed malè, Bulbosam enim esse plantam vel ex Theophrasto liquet. Aliqui tandem inter Saxifragias numerarunt, & præsertim syluestre genus, teste Casp. Bauh. de quo infrà dicemus.

Iphyum Athen.

Saxifragia

Synon.

Betonica coronaria satiua flore pleno, dicitur Cariophyllea Trago: Matthiolo & Camerario Cariophylli domestici: Lonicero, flos Caryophyllorum: Cæsalp. Gariofilus quem alios Violam Damascenam vocare ait. Dod. Lat. in fol. appellat Caryophylleum florem maiorem. Lobel. Obs. pag. 241. Icon. Plant. pag. 441. & Taberna Icon. & Hist. Caryophyllum multiplicem. Gesn. hort. Betonicam altilem Fuchs. Vetonicam altilem: Dodon. gall. Betonicam coronariam: Lacuna Cantabricum Turneri. Casp. Bauh. Phyt. Cariophyllum 2. siue altilem vulgatum. Schvv. Caryophyllum satiuum, item alibi Cariophyllos domesticos plenos. Cur Gerardus Cariophylli siluestris multiplicis titulo, iconem Tabernæmontani Betonicæ satiuæ proponit?

Gerard. err.

Locus & Tempus.

Betonica coronaria satiua flore pleno Basileæ colitur diligenter in hortis & sæpe flores magni venduntur: floret Maio, Iunio & Iulio, & plerunque toto anno colore albo, rubro, nigricante, rubro minùs obscuro, cæruleo, mixto ex albo & rubro: Monspelij, rubro, purpureo, rubello, vel incarnato, vt vocant, Aprili, Maio, Iunio & Iulio: Lugduni frequens flore variegato mense Septembri: Geneuæ copiosè florens Nouembri: Montbelgardi in horto Illustris. Excell. Celsit. variorum colorum etiam ex semine flore pleno, multæ species ferunt hiemem non repositæ: quibusdam tamen infesti sunt mures, teneras summitates, si non reponantur, rodentes, quod mihi sæpè euenit. Pulcherrimi sunt illi Caryophylli maiores foliis latis, partim rubri, partim albi, & punctis rubris notati, quos Germani vocant Juncker blumen. Vbiuis in Silesia in fenestris, pensilibus vasis, necnon in hortorum torulis spectantur vt nihil vulgatiùs. Florent diutissimè tota quidem æstate, & autumno, etiam interdum fauente loci tepore, hieme tametsi rigidâ Schvvenckfeldio referente. Habentur in hortis inquit Dodonæus: sed speciosissimi ferè in fictilibus vasis.

Cultura.

Seruntur frequentiùs auulsis exiguis cum foliis surculis, seminibus rariùs: Nam è semine nati flores, ad agrestem naturam redeunt: minúsque odorati, vt simplices, etiamsi priùs multiplices, redduntur. Adiguntur subinde surculis plantarum fissis Caryophylli, quò illorum odorem flores alliciant, & iucundam eorum suauitatem naribus abundantiùs repræsentent. Viuax est planta, & multis durat annis, si hybernis mensibus à frigoris iniuriâ tuta, in cellis vinariis, aut aliis similibus locis tepidis asseruetur.

Insitio.

Annotat Camerarius singulare huius esse floribus, vt Iasminis & Rosis, quod interdum primò tabescente flore, similem alium in eodẽ pediculo producant: Insitione quoque propagatũ vidisse se aliquando ad tantã crassitiẽ in lõgæuis plantis caulem

tis caulē siue stipitem peruenisse vt brachii mediocris æquaret crassitudinem. Florem variegatum efformari, si semina plantarum diuersorum colorum in calam › scriptorio includantur, terræque committantur.

BETONICA CORONARIA RARA flore phœniceo pleno.



Descriptio

PErelegans hæc & rarior Betonicæ coronariæ species, *caules* emittit rectos, longos, subgraciles. *Folia* glauca cæsiave, canaliculata, firmiuscula, subangusta. In *flore*, elegantia & varietas præcipua est. Hic antequā emergat, cornicula terna præmittit pallidè rubentia: succedit *flos* mediocris inter huius generis Betonicas magnitudinis, color puniceus est, peregrinus quasi, dilutior, vnde vulgò lutei dicuntur, cùm tamen floris Anagallidis phœnicei colorem non malè exprimant, ac etiam ad coccineum colorem accedant. Folia floris eleganter secta, veluti cristata videntur, raris subindè maculis aspersis. Etiam panso flore tria prædicta cornicula eminent semunciali longitudine plùs minùs, Odor gratus vt in cæteris.

Caryophyll. multiplex miniatus. Betonicam hanc Coronariam Caryophyllum pleno flore Silesiacum miniatum vocat. Clusius. Schvvenck. Caryophyllū multiplicem miniatū, Caryophyllum domesticum plenum Arantii pomi colore, Pomerantzfarbe Negelin.

Locus & tempus. Duo genera habemus Montbelgardi in horto E. C. vnum flore simplici alterum pleno: vidi etiam Stutgardiæ in horto Principis: floret autem Iunio & Iulio.

Vsus. Præ cæteris ob colorem elegantem ad corollas in Silesia expetitur, verùm odore minùs fragrat.

BETONICA CORONARIA SIVE Caryophyllus maior flore vario.

Descriptio. BEtonicæ huic *folia* lata, *flores* magni, valde pleni & odorati, colore vario, multis lineis & punctis rubris, quædam folia semirubra, & quædam ferè totaliter, interdum in eadem planta flores omninò rubri, cæteræ partes floris albicantes.

Synonyma. Lob. Icon. Plant. pag. 442. dicitur hortorum Caryophyllus multiplex maior & minor rubro striatus, versicolor, peramœnus. Casp. Bauh. phyt. Caryophill. 3. siue multiplex variegatus.

Icon. Figura nostra facta ex ipsa planta virente, cui appinximus folium vnum iuxta suam latitudinem & longitudinem. Flores ex Plantino huic



appictos nolimus: Lobelii enim icon fortè melior est pro maximo Tabernæmontani, licet tamen pro vario non malè conuenire possit, quamuis in eo aberratum.

Montbelgardi in horto Ill. Cels. Wirt. abundant ii flores ex Burgundia eò delati: habuimus etiam ex semine Stutgardiano minores. Basileæ exellunt vbi vocant Juncker blumen.

BETONICA CORONARIA FLORE pleno maxima, punctis rubris variegata.



Descriptio. CAriophyllum hic depictū apud Tabernā non descriptum vidi Argentinæ apud Dom. Fredericum Meierum, maximum, volam manuum penè inplentem, albicantem, & stigmatibus rubris aspersum, plenum, sed paucioribus foliis quàm vulgaris maior varius.

Synonyma. A Tabern.icō & Hist. pingitur hoc titulo. Caryophyllus multiplex maximus, Groß gefült Neglein blumē/oder Graß blumē. C. Bauh. phyt. dicitur Caryophyllus 1. siue altilis maximus. Lobel. maior. Tabern. maximus. Lob. Obs. Belg. pag. 528. Grootte dobele roodtachtige ende witachtighe pespicket Ginofflen. Caryophyllus maior rubeus, & albicans, flore pleno punctulis rubentibus fortuitis aspersis. Gerardo, Caryophyllus maximus multiplex, The groat double Carnation. Dod. lat. in fol. Caryophylli floris multiplicis solam iconem sine descriptione habet.

Locus. Elegantiæ amœnitatisque pariter ac magnitudinis spectatas nobiliores Galliæ Narbonensis ciuitates alere obseruauit Gener H. Cherlerus, Nemausii præsertim, vbi dum ibi sub regio militaret stipendio Professor, non paucæ eidem à studiosis auditoribus oblatæ iustam Rosæ rubræ magnitudinem æquantes. Florent Iunio Iulioque, Tempus. tūis aut tardiùs etiam pro cultorum industria.

BETONICA CORONARIA, SIVE Caryophyllus flore simplici satiuus.

Descriptio. TOtâ facie satiuæ siue domesticæ densifloræ similis foret, si *folia* angustiora, & *flores* è quinis vt plurimùm foliolis simplices responderent, qui nunc rubri, nunc albi, nunc ex rubro fusci, nunc rosei siue rubelli, nunc ex rubro & albo variegati, striis vel punctis distincti conspiciuntur, odore etiam suaui, & odoratos Indicos Caryophyllos nonnunquam referentes.

Synon. Dod. de flor. & Lat. in fol. Caryophyllei florem simplicem vocat, & sex vt plurimùm foliolis constare dixit. Autopsia tamen nostra aliter rem habere testatur: Inscribitur autem in Icon. Plant. pagina 440. Caryophyllus sylu. maior vulgatior.

Tab. icon. & Hist. Caryophyllus hortulanus, Betonica coronaria, Klein Zame Negelin. Cas. Bauh. Phyt. Caryophyllus 5. simplex flore maiore. Gerard. Caryophyllus syluestris simplex suaue rubens.

Schvvenck. Caryophylli domestici maiores simplices rubri, albi, miniati, purpurei variegati, Einfache oderbole Negelin/ rot weiß/ leibfarbe/ Pomerantz farbene/ ringesprengte. Ex semine facilè nascuntur & hiemis frigora perferunt in Silesia.

Locus. Betonica coronaria flore simplici satiua eodem tempore floret cum domestica plena, ex cuius etiam semine vt plurimùm pronascitur.

BETONICA CORONARIA SYLV. flore simplici laciniato rubro.



LObel. Icon. Plant. pag. 443. Caryophillum syluestrem flore simplici laciniato rubro inscribere videtur, licèt icon non in omnibus titulo respondeat. Casp. Bauh. Phyt. Caryophyllum 7. siue simplicem minorem.

BETONICA CORONARIA ARBOREA Cretica.

Descriptio. DVris *stipitibus* & nodosis fruticat, crassiusculis & ramosis: *folia* glauca, sesquiunciam circiter longa, angusta, rigida, in acutum & pungentem mucronem desinentia, in stolonum & surculorum extremis duntaxat confertim posita conspiciuntur, vt muscaria totidé videre videaris, nam in reliqua ramorum parte, caduca, vestigiis relictis nodosam illam asperediné efficiunt *calyculi* antequam in *flores* explicentur, exigui Echini instar spinulis hærent, ipséq; adeò eius mucro pungit: cæterùm manentibus iisdem spinulis calix productior redditus *florem* exhibet simplicé circinatæ rotunditatis, è quinque foliis conflatum



quem noster pictor non benè expressit in nostra icone, per extremam oram incisis, colore dilutè purpureo præditis, striatis, paulò vltrà mediũ lineola guttata saturatiùs rubente pictis, ex quarũ omniũ concursu circulus describitur, infrà qué lanugo quædã apparet: mediũ occupant stamina florum concoloria.

Locus & tempus. Quartus iam est annus quod Semen Stutgardiam à Iosepho Casabona hortulano ducis Florentiæ, nomine Caryophylli arborei Candiæ missum accepi. Floret mense Iunio & Augusto, hieme in hypogæum reponendus: multis anni mihi durauit.

BETONICA CORONARIA SIVE Caryophyllea repens, rubra & alba.



Descriptio. DOdrantales huic sunt *cauliculi* teretes, geniculati: *folia* in singulis geniculis bina inter se opposita, oblonga, angusta, dura, mucronata, colore quasi cæsio, *flos* è calyculo rubente emergens, singulis cauliculis vnicus plerumque insidet, (interdum bini) quinque foliis constans, lentè fimbriatis, coloris in dilutâ purpura rubentis, circa vmbilicum hirsutus, & saturatiore purpurâ nitens, atque odorus ex vnius medio vmbilico duo breuia staminula prominent: *semen* in calyculis paleaceum, fuscũ: *radix* longa, tenues fibras spargens, ex cuius capite plures cauliculi latè in ambitu, & confertim sese diffundunt, fibrasque subinde agunt.

Synon. Clusius descriptionis author, tam in Pannon. quàm in Hist. post. caryophylleum siluestrem primum inscribit, narratque esse qui Vetonicam appellare malint. Non desunt tamen qui ad Plinii cantabricum referẽdam putent. Germ. Wilde negelin, Steinnegelin vocant. Vngari Zef fuu.

Gesn. hort. & Lob. in Obs. Syluestrium vetonicarum species floribus albis. Ruell. Betonicũ voluntariũ: Betonica posterior. Taber. icon & Hist. caryophyllus virgineus, Jungfrawen negelin. Dod. lat. in fol. Armerius flos tertius non nihil odoratior, colore vt plurimùm eleganter rubens. An Camer. caryophylli silv. odorati & inodori

sanguinei

sanguinei coloris flore pleno. Arido & inculto solo, quandoque iuxta margines aruorum in plerisque Germ. Bohem. Silesiæ & Morauiæ locis frequens reperitur. In multam æstatē floret & viget, autore Dodonæo. Geneuæ habui, & etiam nunc Montbelgardi habeo florentem Maio & Iunio.

BETONICA CORONARIA SIVE Caryophyllea Corolla purpurea insignis.

Descriptio



NOn sic assurgit & hæc Caryophylli species, Rami supra terram sparsi vt in Betonica coronaria repente, denso *foliorum* stipatu muniti, minùs cæsiorum: qui ima parte duriusculi & ferè lignosi, *caules* in duos aut ad summum tres alios ramulos diuisi, quorum quilibet singularem sustinet *florem* elegantissimum, quinquepartitum, in ambitu pulchrè dissectum, & in medio amœna corolla saturatiùs purpurascente decoratum. Cuius odor suauissimus gratissimusque.

An Lob. Obs. pag. 241. Armerii floris varietas?

Locus & tempus

Eleganter prouenit Stutgardiæ & Montbelgardi in hortis Ill. Ducis Wirtembergici ex semine. Præcox est, & reliquos anteuertit: floret cum coronaria repente antè dicta Maio. Iunii medio penitus defloruerat.

BETONICA CORONARIA SIVE Caryophyllea ex rubello albicante & crispante flore cum corolla.



BEtonica hæc coronaria obseruata Stutgardiæ in horto Ill. s. c. florens Maio, similis est nostræ repenti foliis: ea tamen paulò citiùs floret: flos autem simplex, quinquefolius, ex rubello albicans, corollâ striis purpurascentibus & fimbriâ nonnihil crispa.

BETONICA CORONARIA MINIMA micis aureis aspersa.



LOb. in Obseru. Belg. pag. 530. sub hoc titulo pingitur: Alder cleynste recht op Gaende Seer aerdighe ghepleckte mits de Ginofflen/ Caryophyllus alter minimus flore simplici micis aureis asperso: Et hac inscriptione habetur etiam in Icon. Plant. p. 444. C. Bauh. phyt. nominat Caryophyllum 8. siue simplicem minorem alterum. Nec plura de hac Betonica legere memini.

BETONICA CORONARIA SIVE Caryophyllus minor folio viridi, nigricante, repens, flore argenteis punctis notato.

CAP. II.

Descriptio



FOliorū huius Caryophylli raritas descriptionem promeruit: ea enim tam sunt Hyssopi *foliis* toto vultu similia, colore, figurâ, nō item odore & sapore, vt legenti imponant: cæterùm *caliculi* palmares, Caryophyllorum siluestrium instar geniculati, nonnihil asperi, subhirsuti, *flores* sustinent Caryophylli siluestris, quinquepartitos, supinâ parte hirsutos, suaue rubentes, argenteis punctis guttatos, quorū singula *folia* lambdoeides linea coccinea saturatior pingit, oræ autem crenatæ sunt: porrò autem pronâ parte color est ex luteo virescens, leui rubore perfusis marginibus: reptatrix est planta.

An Lob. Icon. Plant. pag. 444. Caryophyllus minimus pulcellus supinus, maculis aureis argenteisve aspersus?

Clus. Hist. post. Caryophyllei silv. 7. inscrip-


ptione pingit & supini cognomento describit.

Locus & Tempus. Nobis Mõtbelgardi floret Maio & Iunio: Clusius verò crescere audiuit in mõte illo non procul à Niclaspurg Morauiæ dissito & vmbrosis locis delectari.

BETONICA CORONARIA MINIMA rubello flore pleno, repens.

CAP. III.

Descriptio. BEtonicam coronariam minimam repentem *caulibus* in aliquot ramulos diuisis, in eorúmque extremitate singularibus *floribus*, paruis, plenis, rubellis, foliis breuibus, latiusculis, florentem vidi Iunio Heidelbergæ apud Dom. Sprengerum, Spiræ apud Do. Tengnadel, & Argentinæ apud Dom. Frid. Meier.



An Tabern. Icon. & Histor. Caryophyllus 15. montanus multiflorus, gefült ficin neglein.

An Gerardo Caryophyllus montanus purpureus wild Purple iagged Pinkes?

BETONICA CORONARIA FOLIO æruginoso latiori, flore rubro laciniato, repens.

CAP. IV.

HVic *cauliculi* paulò maiores crassioréſque [Betonicâ coronâ paruâ folio viridi, flore magno.] Pedali plerumque altitudine assurgunt, geniculati, singula genicula ambientibus binis *foliis*, primo genere (Beton. coron. repente, flore rubente & albo) longioribus & latioribus, æruginei quodã modò coloris: ex summis alis bini, terni, singulatim autem nascentes *flores*, priori nominatæ nõ multùm absimiles, quinque foliis per oras laciniatis, atque circa vmbilicũ carneâ lanugine pubescentibus, constantes, rubri coloris, nullis corniculis inflexis præditi, odorati, qui è caliculis primùm emergentes, candidi futuri videntur: floribus succedunt cornicula satis crassa, *semen* nigrum, planum, vt cæteri Caryophyllei, continentia: *radix* oblonga, fibrosa, à capite plures surculos in orbem diffundit, qui plerumque fibras agentes, adeò se propagant, vt breui totas areas occupent.

Semen. Radix.

Synon. Clusius descriptionis autor vocat Caryophylleum tertium: C.Bauh. Phyt. Caryophyllum 26. siue siluestrem Pannonicum, laciniatum, rubrum.

Locus. Tempus. Vnde autem primùm illatus, ignorat: sed in omnibus Austriacis, Vngaricis, Bohemicis, etiam Germanicis plerisque hortis coli refert, & Maio mense cum reliquis florere.

Vires & Vsus. Temperaturâ mediâ præditos esse Caryophylleos flores voluit Tragus. Sunt qui ex iis Conseruas, vt vocant, conficiant, quemadmodum & Rosæ, Buglossa, & Violæ sacchato condiri consueuerunt. Eiusmodi confectio imbecillitati cordis præsertim in ardentibus febribus apprimè conducit: alij aceto imponunt flores Garyophylleæ rubros, quod iucundo odore commendant: hoc acetum dolorib. capitis olfactu & illitu temporibus, opitulatur. Flores Garyophylleæ campestris, *qui* naturâ cæteris calidiores existunt, destillantur. Ea aqua singulari experimento ad pellendum, calculum mensurâ duûm aut trium cochlearium bibitur. Calidâ, siccáque pollere facultate hosce flores perhibet etiam Matthiolus. Et sanè indicio esse potest odoris fragrantia & saporis amarulentia quædam. *Qui* purpureo colore nitent, præstant ad omnes cordis affectus, ad vertiginem, apoplexiam, paralysim, & conuulsionem, ex Betonicæ, aut Amaraci decocto poti. Asseruantur sacchato, non solùm ad prædicta omnia vtiles, sed etiam aduersus venena, venenosorúmque animalium ictus. Dantur contra pestilentiæ contagia. Id quod valentiùs operatur succus, ex vniuersa planta expressus. Haustus enim quatuor vnciarum pondere, vbi morbus inuaserit, liberat. Præstant syluestres quoque ad ea omnia, ad quæ satiuas siue altiles præstare diximus, verùm longè remissiùs operantur. Fuchsius siluestris succum calculo atterendo, ac educendo, necnon comitiali morbo laborantibus à recentioribus vtilem credi, scriptum reliquit. Præstant (inquit Schvvenckf.) purpureo nitentes colore, Caryophyllos aromaticos redolentes: roborant ventriculum, cerebrum, cor, & iecur, vnde commendantur ad omnes prædictorum viscerum affectus, antidotísque inseruitur. Succus haud inferior eo, qui ex granis tinctoriis Kermes dictis colligitur. In cordis affectibus, palpitatione, lypothymia, in capitis malis, vertigine, apoplexia, paralysi & conuulsione, cephalalgia, &c. ventriculique imbecillitate, cardialgia, &c. præstantissimũ remedium. Commodissimè etiam in febrib. malignis propinatur. Acetum florum Oxyrrhodinis vtiliter permiscetur. *Aqua* ad eosdem vsus vitreis organis elicitur. Iulepis cordialibus & epithematibus hepaticis & cephalicis non sine fructu miscetur. Radix inodora, insipida, cur floribus in compositis sit præferenda, non videt Schvvenckfeldius. Plura qui volet de Garyophyllorum florum viribus & vsu, legat Tabernamontanum, qui ex iis, & vinum, & syrupum, atque oleum fieri commemorat. Gesnerus pro Been albo & rubro flores Garyophyllorum eiusdem coloris, id est, albos & rubros sacchato conditos substituit.

BETONICA CORONARIA TENVISSIME dissecta, siue Caryophyllea superba elatior, vulgaris.

CAP. V.

Descriptio. CAules huic sunt multi, cubitales & bicubitales, ramosi, geniculati, *foliis* inferioribus pluribus, latiusculis, dodrantalibus, virescentibus, superioribus cæterarum Betonicarum coronariarum similibus, binis, geniculos amplectentibus, saporis amari: *flores* sparsi ex pediculis longioribus



ribus, quinque foliolis, nunc albis, nunc purpurascentibus constantes, longissimè & tenuissimè dissectis, vmbilico virescente, hirsuto, odore suauissimo: *ascula* succedunt duas penè vncias longa, tenuia, superiore parte in quatuor partes crenata, extra calicem eminentia, qui tunica constat & aliquot breuibus foliolis iuxta principium: *semine* abundant nigro, compresso.

Synon. Superba. Trag. in Hist. germ. vocat Mutwille & hochmüt, i.e. Superbam: in lat. Caryophylleam siluestrem alteram, flore odorato, ex candido leniter purpureo: Anguill. epist. 12. Diosanthon Theophrasti: Gesn. hort. Vetonicam tertiam: Fuch. Betonicam silv. alteram.

Diosanthos Theoph.

Clus. in Pann. p. 323. inscribit Caryophylleum 6. cognominatque siluestrem 2. tenuissimè laciniato & albo flore: In Hist. post. Caryophyll. silu. sextum: Caryophylleorũ florum sextum genus, Austriacis mulieribus ob odoris fragrantiam in delitiis habitum.

Tabern. dicitur Caryophyllus silu. plumarius albus, Weiß feder aut Pflaum Negelein, wilder mütwillen: Gerard. white wilde, iagged Pinkes.

Lobel. in Adu. Superba Recentiorum, phœniceâ purpurâ insignis, Centaurio minori concolor: in Obs. p. 241. Superba Fuchsii & Recentiorum, Italorum *Fior d'amor* & *Balsamin*: in Ic. Plãt. p. 451. Superba Austriaca Clusii.

Schvvenckf. Caryophyll. silu. 2. colore varians, candido aliquando, interdum purpurascente.

Dod. gall. Betonica altilis minor, tertia Vetonicæ species, Vetonica altilis, aut coronaria. Lat. in fol. Caryophylleus minor alter, Vetonica altilis siue coronaria minor, aut altera nonnullorũ, Belgis à flosculorum foliis fimbriatis & plumarum similitudine dissectis Pluymkens klein Ginoffelen, h.e. Caryophylleus minor appellatus.

C. Bauh. phyt. Caryophyllus 20. siue altilis flore tenuissimè dissecto: Superba Tragi: Vetonica altilis minor Dod. gallici: Superba alba, medio corolla purpuro-violacea obsoleta cincta: Item, Caryophyllus 22. siue siluestris alter flore laciniato odoratissimo, Caryophyll. 6. Clusii, flore nunc candido, nunc purpurascente: Superba Austriaca Clusii.

Locus & tempus. Betonica coronaria, siue Caryophylleus superbus elatior vulgaris, tenuissimè dissectus Basileæ floret Iunio & Iulio: Geneuæ colitur in hortis: in Sabaudiæ siluis copiosè reperitur, item in Sundtcouia circa arcem Mõspurg diuersorum colorum, Montbelgardi in horto Ill. a. c. floret in fine Iulii & Augusto: semen maturat Septembri. Clusio authore sponte nascitur in humidioribus Viennensis agri pratis, atque etiam ad cæduarum siluarum, pratis vicinarum, decliues margines, plerisque Austriæ locis: seriùs reliquis floret, nempe Iulio & toto Augusto, interdum etiam seriùs. Apud Belgas hortensis est.

BETONICA CORONARIA, SIVE Caryophylleus flos, folio tenuissimè dissecto, flore pleno purpurascente.

CAP. VI.



Descriptio. Duplex est hæc Superba plena: vna enim intensiùs purpurascit, & speciosior videtur, altera paullò minor, minùs purpurascit, & plures albas ferè partes habet: *folia* vtrique angustiora, & non ita glauca, vt aliis Caryophyllis plenis. Noster pictor folia paulò latiora pinxit.

Synon. Inscripsit hãc Lobelius in Icon. Plãt. p. 442. in Obs. Belg. p. 519. Caryophyllum purpureum flore multiplici profundè laciniato. C. Bauh. phyt. Caryophyllum 4. siue multiplicem profundè laciniatum.

Locus & tempus. Superbæ plenæ duplicem differentiam obseruaui primò in Plumberg apud nobilem Ioh. Christophorum à Pfirt: pòst Stutgardiæ in horto Ill. a. c. florentem Nouembri: Montbelgardi floruit Iulio.

BETONICA CORONARIA, SIVE Caryophyllea, flore tenuiter laciniato, maiore albo & dilutiùs rubente.

CAP. VII.



Descriptio. Firmioribus & longioribus est *cauliculis* [Betonica coronaria minùs ramosâ, &c.] maiore etiam *flore*, licèt non minùs profundè per oras laciniato, nec odorato, aut lactei candoris omninò, aut dilutiùs rubentis & quodammodò carnei coloris, breuibus villis purpureis vmbilici circumferentiam in


vtraque ſpecie occupantibus, nullis ſimiliter corniculis, ſed decem ſtaminibus, vt in Betonica cor. minùs ramoſa, &c. prominentibus, alioqui *foliis*, *radice*, & florendi tempore conueniunt.

Synon. Cluſ. in Pannon. pag. 322. & Hiſt. poſt. vocat Caryophyllei quinti ſpeciem 3. ſiue genus tertium. Lobel. in Icon. Plant. pag. 449. itémque in Obſ. Belg. p. 538. Superbam maiorem flore albo, **white groote Pluymkens mit gheeroldе hayckens in de middel.** C. Bauh. Phyt. Caryophyllum 21. ſiue ſilueſtrem flore laciniato albo inodoro. Et hunc Caryophyllum haberi ait flore albo, & ſuaue rubente, ac propterea Lobelium in Icon. Plant. duabus expreſſiſſe imaginibus pag. 449. & 450. ſic & Tabernamontanum lib. 2. ſect. 1. c. 1. p. 5. & in Icon. p. 289. Caryophilli 16. ſilueſtris plumarij albi duas dediſſe effigies. Tabernomontani verò effigiem eodem titulo propoſuit Gerardus.

Locus. Cluſius hanc inueniebat ad radices montis oppido Medeling imminentis, tertio ferè à Vienna miliari.

BETONICA CORONARIA MINVS ramoſa, flore tenuiter fimbriato, albo, corniculis duobus emergentibus.

CAP. VIII.



Deſcriptio. CRaſſa huic & nigra *radix* eſt, dura, lignoſa, multos *ramulos* humi ſparſos fundẽs, nigros item illos lentóſque, & ſubinde fibras agentes: ex ijs *cauliculi* exeunt dodrantales, geniculati, infimâ parte gramineis quibuſdam, breuibus, anguſtis, colore cæſiis folijs, binis ſemper ex aduerſo inter ſe oppoſitis, deinde ſecundum genicula, aut nodos alijs rarioribus onuſti: extremis cauliculis inſident longi calyces, vt in alijs Caryophylleis ſilueſtribus, *florem* continentes album odoratum, quinque folijs valdè laciniatis conſtantem, è quorum vmbilico bina emergunt ſtamina longiuſcula, corniculorum papilionis inſtar inflexa: *Semen* deinde in longioribus capitulis planum, quale reliquorum Caryophylleorum.

Synon. Cluſius deſcriptionis author inſcripſit hanc Betonicam cor. minùs ramoſam in Pannon. pag. 320. Caryophylleum quintum, cognominàtque Caryophylleum ſilueſtrem 1. albo flore & laciniato: In Hiſtor. poſt. Caryophylleum ſilu. quintum.

Caſp. Bauhin. Phyt. Caryophyllum 24. ſiue ſilueſtrem 3. flore laciniato, ſtaminulis corniculatis.

Locus & Tempus. Prouenit ſpontè in Hamburgenſi monte inter ſaxa, quà Auſtriam & Septentrionem ſpectat: floret Maio, Iunio & Iulio in horto Ill. E. C. Montbelgardi.

BETONICA CORONARIA MINVS ramoſa flore tenuiter fimbriato planè albo, ſine corniculis.

CAP. IX.



Deſcriptio. BEtonicæ coronariæ prioris genus eſt, longioribus cauliculis, & plures flores proferens, ſuperiori quidẽ formâ & candore ſimiles, ſed inflexorum corniculorum expertes, verùm eorum loco decem ſtaminula ipſius floris ſuperficiẽ paululùm exuperantia habentes: capitula etiã in quibus ſemen continetur, oblongiora, Cluſio teſte.

Synon. Betonicam hanc cor. minùs ramoſam ſine corniculis Cluſius vocat in Pannon. pag. 322. & Hiſt. poſt. Caryophyllei ſilu. quinti ſpeciem alteram. An Superba alba altera & ſuaue rubens Lobelio? An Caryophyllus Armerius 2. Schvvenckfeldio?

BETONICA CORONARIA MINVS ramoſa, flore tenuiter fimbriato, albo, cum corolla purpuraſcente hirſuta.

CAP. X.

Synon. LObel. in Icon. Plant. pag. 450. dicitur Superba alba medio corolla purpureo violacea obſoleta cincta: Cluſio in Pannon. p. 322. & Hiſtor. poſt. Caryophyllei quinti genus, ſiue varietas floribus circa vmbilicum purpuraſcente lanugine hirſutis: Dod. Lat. in fol. Caryophylleus minor quoad iconem. Eandem enim habet cum Cluſio & Lobelio, licèt deſcriptione plantam hanc non diſtinguat à Superba quam olim poſuerat ex Fuchſio pro Caryophylleo minore, & cuius in fol. lat. nouam dedit figuram ex Cluſio & Lobelio pro Caryophylleo minore altero: deſcriptio Dodonæi non conuenit cum icone, quam ponit, ſed cum Superba alba altera & ſuaue rubente Lobelii in Ic. plant. p. 450. Dod. notat.

Locus & Tempus. In horto Ill. E. C. hoc Betonicæ coronariæ genus parùm ramoſum, flore albo, cum corolla rubente, floret Iunio & Iulio.

BETONICA CORONARIA FLORE tenuiter fimbriato purpuraſcẽte, cum corolla fuſca & penè rubente, ſine hirſutie.

CAP. XI.

ESt nobis in horto Ill. E. C. Betonicæ coronariæ ſpecies hæc, vbi floret Auguſto.

An Tabern. in Icon. & Hiſtor. Caryophyllus plumarius

plumarius purpureo cæruleus, brun balaw wild feder Näglein. An Gerard. Caryoph. plum. albus, Purple iagged Pinkes?

BETONICA CORONARIA LATIFOLIA petræa, flore punctulis albis notato.

CAP. XII.



Descriptio. Lignosa radix caules emittit cubitũ vnum aut alterum altos, læues, teretes, geniculatos, inanes: ad quorũ singula genicula folia liliacea, atro-virentia flores in cauliũ & alarum extremis, sitãhenlentes, multi simul in vmbellæ formam iuncti, ex oblongis rubentibus calycibus, quinque foliis constantes, coccinei, crenati, circulum è punctis albis, saturisque purpureis, citra imam foliorum partem efficientes.

Synon. Lobel. Icon Plant. p. 447. Armeria altera, multis in latum orbiculum congestis floribus ornata, punctulis in gyrum aspersis, foliis quàm superior latioribus. Gesn. hort. Vetonica, vel Betonica silv. alia in petrosis collibus, & asperis, sabulosis, apricisque locis nascens: Scarlata quibusdam dicta: tanquam à coccineo floris colore. Idem in append. Violam Marianam vocat.

Altera Armeriorum species. Dodon. Hist. flor. & lat. in fol. Altera Armeriorum species quam Germani Stein Negele vocant, aliqui Scarlatam à rubeo floris colore coccum referente.

Camer. hort. est inter Armerios flores ille, qui eleganti flosculum stipaturâ vmbellam conficit, colore rubro & albo variegato, Carthcüser blümlin/ i.e. Flos Carthusianorum. Clus. fortè huius meminit, sed obscuriùs nomine Armerii floris, cuius verba paullò pòst ponemus.

Flos Carthus.

Caryoph. Armer. Tabern. in Ic. & Hist. dicitur Caryophyllus Carthusianorum 1. Scharlach blümen. C. Bauh. phyt. Caryophyllus 15. siue barbatus latifolius, & Lychnis Monachorum Gesneri de hortis: Gerardo Armeria suaue rubens, Narrow leafed swеete williams. Schvvenckf. Caryophyll. Armerius, folio latiore & breuiore Saponariæ. An H. Lugd. p. 810. Viola barbata latifolia.

Locus & tempus. Betonicam coron. petræam latifoliam obseruaui florentem Iunio, Iulio, & Augusto diuersis Germaniæ in hortis: dum ex semine prouenit, primo anno caulem non fert.

Vsus. Vsum huius introduximus Montbelgardi, ad panni sc. lanei maculas tollendas. si, cuiuscunque generis is fuerit, huius herba fricetur, deinde limpida aqua abluatur.

BETONICA CORONARIA LATIFOLIA, angustiore caliculo, foliis fastigiatis cincto; suaue rubente flore Lobelii, & Armerius simplex flos Pannonicus Clusii.

CAP. XIII.

Synon. Lobelio Ic. Plant. p. 448. dicitur Armeria altera suaue rubenti flore, sed angustiore calyculo, foliolis fastigiatis cincto: Casp. Bauh. phyt. Caryophyllus 16. siue barbatus hortensis angustifolius. Dod. lat. in fol. Armerius flos alter, quoad iconem: descriptio enim est Betonicæ latifoliæ petrææ, flore punctis notato. Clus. Caryophylleis florib. congener Armerius simplex, & Armerii genus simplici foliorum serie præditis floribus: cuius quinque tradit differentias.

BETONICA CORONARIA LATIFOLIA petræa pleno flore rubro, vel ad purpureum accedente & albo.

CAP. XIV.



Descriptio. Hvic folia inferiora lata, vt in petræa simplici dicta, minùs tamen: flores rubri, vel ad purpureum accedentes, vel, quod rarius, albi, pleni.

Armerii pleni duplex differentia. Clus. in Pann. p. 327. itemque Hist. post. dicitur Armerius pleno flore, duplici, triplicive foliorum textura constans.

Synon. Lobel. in Ic. Plant. Armeriã rubram multiplicem vocauit: Tabern. in Icon. & Hist. Caryophyllum Carthusianorum 3. Gerard. Armeriam rubram latifoliã, broad leafed sweete williams: C. Bauh. phyt. Caryophyllum 11. siue siluestrem pleno flore.

BETONICA CORONARIA MINVS latifolia, flore profundè dissecto.

CAP. XV.

Descriptio. E Radice alba fibrosa plura prodeunt capita foliorum vnciam ferè latorum, palmum longorum, atro-virentium, similium quodammodò Plantagini angustifoliæ, in quibus duo nerui exigui iuxta costam secundum longitudinem extenduntur. caules sesquicubitales, recti, glabri: in plures ramos diuisi, per quorum genicula gemina folia alterno positu discrepantia, angusta, surrecta. Summitates ramulorum flores stipant suauiter olentes, accedentes quadantenus ad Su-



perbæ dictæ florem, minùs tamen profundè atque tenuiter secti, sed profûdiùs multò quàm in Betonica alia latifolia, purpurei potissimû circa foliorum media & vmbilicum, extremitatibus atque segmentis ad albedinê tendentibus, in quibusdam etiâ saturatiùs candicantibus, in quibus apiculi eminent gemini, candicantes, exigui: sapor radicis & foliorum amarus.

Caryoph. Carthusianorum 2. Tabern. Extat huius imago apud Tabern. in Icon. & Hist. Caryophyllei Carthusianorum secundi intitulatione, sed sine vlla descriptione. In eius etiam effigie desunt folia lata, per capita dispofita, quæ etiam præter nostram mentem à pictore nostro omissa: maluissemus quoque flores paulò profundiùs in nostra icone fuisse pictos. Gerardo dicitur Armeria rubra. *Armer. rubra.*

Floret Iunio & Iulio in horto Montbelgardensi, egregio naturæ coronariæ specimine, ob florum copiam & elegantiam. Vnde nacti simus non recordamur.

BETONICA CORONARIA LATIFOLIA, flore picturato Vesuntina.

CAP. XVI.



Locus & Tempus. VEsuntio Montbelgardû tulimus propter insignem venustatem quâ pollet. Nam & ibi elegantiæ gratia in hortis coluntur, florêntque Iunio & Iulio mêsibus, & Montbelgardi Augusto, in horto Ill. E. C. Vvirt. D. Cargillus Scotus misit nobis Lôdino cum hac inscriptione: Armerius flos versicolor, albus, ruber, carneus, guttatus in eodem ramulo.

BETONICA CORONARIA SYLV. siue Caryophyllus flore albescente, striato.

CAP. XVII.

Descriptio BEtonicæ coronariæ sylu. similis *foliis* & multis simul florib., pulcherrimus, albicantib., striâtq; purpurascentib. Reperta in syluis à D. Tengnagel assessore Spirensi, qui eam in hortum transtulit, ibidémque floruit Iunio, cubiti altitudinem excedens. *Locus & tempus*

BETONICA CORONARIA, SIVE Caryophyllus silu. vulgatissimus.

CAP. XVIII.

HVic *caules* plures, & diuersis capitibus, recti, rotundi, strigosi, nunc palmares, nunc pedales, ac etiam cubitales, non ramosi, nisi interdû in summitate: *folia* graminea, viridia, ad genicula bina, propter terram numerosiora: *radix* longa & satis crassa, colore foris fusco, intus albo, sapore subamaro: *flores* modò singulares, modò plures simul, suaue rubentes, odore nullo excellente, per obtusum marginem crenati, quinque foliis constantes, ex vasculo oblongo, tereti, atro-rubente, cui ad basin foliola acuta calyci æqualia, sæpè breuiora, apposita. *Descriptio*

Hæc est illa Caryophyllea siluestris, siue tertia Tragi, flosculis, radiculis, calycibus, Caryophylleæ satiuæ, sed longè minutissimis: flosculis quidem senis, interdum octonis, rubore nigricante quasi, nonnunquam & dilucidiore tinctis, iisque exilioribus magis, quò caules proceriores extiterint. *Synon. Caryophyllea sylu. Tragi.*

A Fuchsio Betonica siluestris inscribitur, ac ad Betonicam alteram dioscorideam cum satiua refertur.

Matthiolus in prior. comm. vocauit caryophyllum florem siluestrem, plantam spontè nascentem, traditque in post. comm. alteram floribus rutilis, & alteram candidis. In Histor. germ. & Epit. florib. dilutè rubris, aut valdè rubris, inter Caryophyllos omnium minimis, penè inodoris. *Caryoph. flos silu. Matth.*

Camer. apud Matthiol. nouam posuit iconem, quæ an sit caryophylli, de quo hîc agimus, dubitamus. *Icon Cam.*

Dodon. gall. appellat Vetonicam secundam veram, & Herbam tunicâ quorundam, floribus vt plurimùm rubris, interdum punctis notatis, duobus, tribus, nonnunquam nouem aut decem simul foliis angustis. Lat. in fol. Armerium florem primum, & Armeriorum florum speciem primam, foliis aliquantulùm, quàm maioris Caryophyllei latioribus, colore herbaceo virentibus: flosculis paruulis, pluribus simul in quandam veluti vmbellam congestis, semper ferè cocci colore rubro splendentibus, punctis interim candidis, circa medium variegatis: rarissimè candidis. Ornare ait hunc flosculum Belgicorum hortorum areas: apud Italos & alibi locis incultis, & aridis exire: Gesnerum circa Gryphij lacus rimas in Heluetia à se repertum scribere: prouenire & alicubi in Belgio locis desertis, iuxtàque aruorum & pratorum margines ac scrobes, sed multò quàm in hortis minorem & tenuiorem: maturè & Aprili sæpè mense, aut Maio florere, Caryophylleos flores antecedentem: plurima inde Æstatis parte vigere: Cæterùm, hunc florem nihilò magis, quàm Caryophylleum satiuum, cum Vetonica altera, aut Polemonio conuenire. *Vetonica 2. vera & Herba tunica Dod. gall. Armerium flos 1.* *Vetonicam alterâ esse negatur: itemque Polemonium. Lobel. notat.*

Lobelius in Adv. remittit ad iconem Dodonæi, quæ olim erat Fuchsiana: in Obs. p. 241. & Ic Plant. pag. 446. Armeriæ siue minoris Caryophylli siluestris, minùs odori [in Obs. hæc duo nomina non leguntur.] foliis latioribus titulo proponit

proponit eandem figuram, quam Dodonæus in postremis, quæ flore pleno, ac indistinctè de Caryophylleis floribus scribit.

Caryophyllus montanus primus Tabern. in Icon. & Hist. an ab eius Caryophyllo 13. siue mõtano albo secundo colore tantùm differat, & an iidem cum nostra Betonica vulg. siluestri, asserere non audemus, quia non describit. Easdem icones & Gerardus assumpsit, & Armeriam albam, white Johns, lib. 2. cap. 174. & Caryophyllum mõtanum album, white mountaine Pinke cap. 178. inscripsit, an autem has intelligat, me latet.


Nomina linguarum. Schvvenckf. Caryophyllum silv. primum vocat, & Garyophylleam siluestrem Thalii: Germani Sonder Negelin / Stein Negle / feld Negelin / wild Negelin blůmen / wild graß blůmen, heydenblůmlin / & bluts tropffle / : Belgæ Cuyderelles / quasi dicas fasciculum florum enim fasciculum propriâ linguâ nominat. Gallo-Belgæ Cuyderelles: Galli *Armoires & Armoiries*: Itali *Garofani & Garofali saluatichi*.

Locus & tempus. Basileæ floret adhuc Octobri quà itur Moutets & inter portam Stein & Eschsen extra vrbem, & quà itur Krenzack Iunio, Iulio, Augusto, & Septembri: Geneuæ in pratis Maio. Gignitur etiam in syluis cæduis, deinde & arenosis aridis & incultis campis, teste Trago. In pratis, montibus, nitidisque locis nascitur in Æstate magna copia, Fuchsio referente. Vbiuis spontè prouenire ait Schvvenckf. in petræis, montosis & siluosis marginibus.

Vires & Vsus. Sativâ calidior censetur. Succus cum aqua Ononidis, & florum Lilii conuallii calculum atterit & comitialibus prodest. Plura lege antè.

BETONICA CORONARIA squammosa siluestris.

CAP. XIX.



Descriptio. Rectos cõplures emittit *caules*, læues, geniculatos, dodrantales, interdũ cubito longiores, ad quorum singulas iuncturas bina graminea *folia*, angusta: summo cauli, extremisque ramulis calyx insidet squammas habens albas, *florem* promens paruum pallidè rubẽtem, quo marcescente alius quoque flos, subinde plures suis singuli calyculis obuoluti subnascuntur, tanto numero, vt tandem prægnanti calyci, qui reliquos iuniores cum suis flosculis complectitur, aliùs sobolis multitudine rumpatur.

Synonyma. Inscribitur hæc à Lobel. in Ic. Plant. p. 449. & Obs. Belg. p. 534. Armeria prolifera, kinderkens: C. Bauh. phyt. Caryophyllus 18. siue siluestris prolifer. Tabern. in Icon. & Hist. Caryophyllus silv. minimus, klein wild Negelin. Gerardus inepto Viscariæ titulo huius iconem dedit, cum qua Viscaria nihil commune habet. Thal. Lychnis 4. dicitur.

VIOLA BARBATA ANGVSTIFOLIA Dalechampii.

CAP. XX.



Descriptio. Caulibus est spontanea non multùm palmũ excedentibus, culta cubitalibus & altioribus, teretibus, tenuibus, hirsutis, geniculatis, ramosis, sæpè vnicaulis: *folia* ex articulis bina aduersa, basibus coëuntib. caulẽ amplectuntur, culmũ lata, palmũ circiter longa, pilosa, obscurè virentia, sapore quodammodò viscoso: *calyculi* in extremis ramulis modò singulares, modò plures, nullâ ferè vmbellæ formâ, tenues, vnciali longitudine, striati, foliolis acuminatis, æqualibus, aut etiam altioribus obuallati, è quibus *flosculi* emicant Armeriæ hortensis, sed longè minores, quinque foliolis non vt illic rotundatis, sed mucronatis, & per extrema modicè crenatis, colore foris ex viridi rutilo, intus suaue rubente, punctulis argenteis guttato, qui facilè conuoluuntur, ac quibus superueniunt vascula longa, *semen*, vbi maturum, compressum, latum, & nigrum continentia: *radix* lignosa, tenuis.

Synon. Lobel. in Ic. Plant. pag. 443. inscripsit Armeriam siluestrem alteram. H. Lugd. pag. 810. Violam barbatam angustifoliam. Figura autem Plantiniana nobis arridet, displicetque Dalechampii, ac etiam nostra ex Fuchsianis emptis, vtpote quæ minùs bene exprimant flores.

Locus & Tempus. Floret Maio & Iunio circa Montbelgardum: in horto Ill. t. c. Iulio & Augusto: in monte Rolsberg prope Malmunster etiam adhuc Octobri.

APHYLLANTES MONSPELIENSIBVS.

CAP. XXI.

Descriptio. Multos iunceos enodes *caules* bipalmares emittit, quorum singulis *flos* satis magnus insidet vnicus in summo, quatuor denticulatis cæruleis foliis constans, ex calyce oblongo erumpens, gustu dulci: *radix* fibris multis longis contortis, lignosis, duris, albis constat: circa quam *folia* multa graminea, celeriter marcescentia.

Synon.



Lob. in Adv. Aphyllanthis Herbariorum Monspeliēsium titulo depingit, & describit. Sed in Icon. Plant. p. 454. Aphyllanthes Monspeliense vocat: Taber. Ic. & Histor. Caryophylleum cæruleum. Casp. Bauh. Phyt. Caryophyllum 13. siue cæruleum Mõspeliensem.

Locus & Tempus

Mõspelij prope Castelneuf in mõte, & quà itur Frõtignianum ex Monspelio, locis saxosis floret Aprili: In cacumine montis Ceti in fine Maij & Iunio.

GARYOPHYLLEVS FLOS APHYLLOcaulos, vel junceus, minor & maior.

CAP. XXII.

Descriptio



GAryophylleum florem vocamus aphyllocaulon minorem, qualem accepimus ex Anglia, *foliis* Serpētinæ priusquam floreat, breuib. duarum vnciarum, vbi verò caulis excreuit & floret, quatuor, vel etiā quinque vnciarum, & paulò latioribus: *radice* crassâ, non breui, vt vult Dod. in planta sicca rubēte, vbi *folia* protrudit, in aliquot capita diuisa, ex reliquiis veterum foliorum quasi capillata: *caulis* primò aliquot vnciarum, deinde palmaris, teres, capitulo Scabiosæ ouinæ accedēti, vaginâ longiuscula: exterior facies capituli constat foliolis mēbraneis, exteriùs viretib., interiùs, argenteo colore lucentib.: totū capitulū scatet membraneis foliolis lucentibus: inter ea exoriuntur *flores*, quos subsequuntur *semina* aliquantùm longa, cum membraneo vmbilico, vt in Scabiosis.

Descriptio Maioris. Caules

Maior eadem vel valdè similis Iunceo *caules* dodrantales & cubitales emittit, rectos, enodes, quorum vniuscuiusque cacumini (quod vncialis & longior vagina membranea obuoluit) *flos* insidet item glomeratus, Schœnophrassi ferè similitudine, ex albo purpureus, foliacearum squammarum vallo circumdatus: *radix* longa, lignosa, teres, crassiuscula, in multa capita diuiditur, vnde terram proximè magna seges foliorum emergit, gramineorum, glaucorum, latitudine paulò subinde variantium.


Flos

Radix

Dod. notat.

Cur radicem tenuem huic assignet Dodonęus non video, nec prior, nec posterior talem sortita est. Is etiam in Hist. gall. vocat Gramen marinum, ac etiam Pseudo-Moly, licèt non Moly speciem, sed potiùs Graminis faciat in Histor. lat. in fol.

Moly marinum. Holostium.



Lob. in Adv. hunc in modū præsentē, stirpem commemorat: Caryophyllus marinus omnium minimus, quē Belgæ Moly marinū indigitarūt, alij Holostium, propter folia graminea, rigidiuscula, colore glauco, similia Caryophylleis, &c. Hac arearum margines ornant Belgæ & Angli, apud quos in maritimis frequens oritur: calidis & mediterranei maris litoribus, non perinde occurrit. Sed conuallibus Calcaris Seuenæ montis, passimque alibi in Gallia Lugdunensi, locisque à mari dissitis, prorsus eadem reperitur, nisi plures funderet cauliculos pedales: folia item quadruplò maiora, & reliqua grandiora. Hæc Lobelius, qui in Obs. pag. 242. itémque Ic. Plant. p. 452. Caryophyllum marinum inscripsit priorem: posteriorem verò Caryophylleum montanum alterum. Et hanc perperam Cantabricam Plinij cognominari ait, creditque potiùs esse Staticen eiusdem. Testatur autem hanc Louanij flore albo variare in horto D. Io. Limoges, aliàs Nonnij.

Varietas.

Priorem H. Lug. p. 1594. Pseudo-Moly Dodonæi: posteriorem pag. 1190. Staticem.

Staticen hanc H. Lugdunensis vocat Clus. in Pannon. p. 716. Caryophylleum, vulgò Gramen maius cognominatum, foliis Graminis montani spicati. In Hist. post. vtriusque meminit. Ad Armerium florem, inquit, procul dubio referendæ sunt duæ hæ plantæ, quæ à rei herbariæ studiosis Belgis Graminis marini maioris & minoris nomine vocantur, tametsi plerisque aliis procul à mari dissitis locis etiam spontè prouenniant, &c.

Armerius flos.

Synon. minoris.

Garyophylleum aphyllocaulon minorem vocat Tabern. in Icon. & Histor. Gramen marinum minus, germ. Klein meergraß: Belg. Zeegraß, Zeeginoflen: Gerard. Caryophyll. marinum minimum Lobelij: C. Bauh. phyt. Caryoph. 38. siue montanum minorem, vel marinum: Schvvenkf. Caryophyll. silu. 7. Klein graß Negelin. *Maiorem*. Tabern. Gramen marinum maius, groß Meer graß: Gerard. Garyophyllum mediterraneum. C. Bauh. phyt. Caryoph. 37. siue montanum maiorem, radice longissimâ: Schvvenckf. Caryoph. silu. 6. groß Meer Negelin.

Locus tempus.

Caryophylleum aphyllocaulon minorem delatū ex Anglia dono accepi à Turnero anno 1571. anno

anno verò 1599. à Do. Vurstisio collectū in horto Reginæ Angliæ. Sed ex Anglia quoque transmisit Cargillus Caryophylli graminei marini nomine: Tabern. collegit in superioris Germaniæ comitatu Katzenelenbogen locis humidis, arenosis, graminosis, ibique copiosè: Schvvenckf. in aggeribus secus itinera frequentem, Augusto cum flore. Maiorem nos collegimus Lugduni & circa Lutetiam an. 1586. Augusto cum suis capitulis. Staticen Dalechampius in aridis & petrosis, quin etiam ex lapidum saxorumque rimis integram euellere volens, saxum diffregit. Gramen polyanthemum reperiri in pluribus per Germaniam, Bohemiam & Silesiam locis in agris, ac non rarò iuxta Rhenum ac Mosam, atque vno quidem loco maius ac altius, alio verò minus ac humilius, auctor est Dodonæus: exire & in palustribus nonnullis, haud procul à mari in Zelandia. Quæ de loco Clusius & Lobel. scripserunt legenda antea.

Vires & Vsus. Cæterùm, licèt Dodonæus vsum in medicina nullum habere testetur, sed flosculos in coronis solùm gratiam aliquam obtinere dicat, Dalechampius tamen saporem totius Statices plantæ adstringentem perhibet, ac facultatem habere ad miraculum vsque desiccandi, & erumpentium humorum impetum cohibendi, siue trita admoueatur, siue succus eius bibatur. Dysenteriis succurrere, mensium abundantiam, sanguinis è naribus profluuium sistere, sanguinem excreantibus opitulari. Denique vulnerariam esse, & maligna vlcera ad cicatricem perducere.

Erumpentium humorum impetus. Vulnera Vlcera.

BETONICA CORONARIA, QVÆ Caryophyllus pumilio Tauricus Clusio.

CAP. XXIII.

Descriptio



Longiusculâ *radice* squammosâ figitur, in capita aliquot diuisâ, ex quibus exeunt *pediculi* vnciales & sescunciales vno aut altero nodo articulati, binis gramineis ad singula genicula *foliis* vestiti, *florem* sustinentes purpurascentē magnum, è quinque foliis compositum, ex calyce vnciali, striato, hirsuto, in quinque lacinias diuiso, quē non ineptè cum Gentianellæ Heluetícæ flore compares.

Synon. Clus. in Pannon. facit Caryophylleum 8. cognominatque pumilionem Tauricum: in Hist. postea inscribit Caryophyll. silv. octauum. Tabern. in Icon. & Hist. Caryoph. montanum tertium, Stein Negelin. C.Bauh. Caryoph. 29. siue alpinum calyce oblongo, hirsuto. Gerard. Caryoph. mont. Clusii.

Locus. Tempus. Prouenit in Tauro Carinthiæ monte solo tenui & arenâ splendente referto: floret sub finem Iulii & Augusto.

BETONICA CORONARIA SIVE Caryophyllus gramineus pusillus.

CAP. XXIV.


Descriptio Multorum capitum est *radix*, mediocriter crassa: *folia* conferta rigida, dimidio Hyssopi foliis minora, *acutiora*, viridantia: *caules* crebri, palmares, graciles, geniculati, *foliis* binis ad nodos donati, indiuidui aliquando, interdum in pauculos breues surculos diuaricati, calyces singulares, vel geminos gerunt semunciales, vel penè vnciales, è quibus *flores* emicant.

An Caryoph. silv. humilis fl. maiore gemino C.Bauh.? An Caryoph. silv. Tauricus Clusii?

Geneuæ collegit Genet Cherlerus, & inde attulit.

BETONICA CORONARIA SIVE Tunica minima.

CAP. XXV.



Descriptio Betonicæ siue Tunicæ minimæ *radix* pro plantulæ modo crassiuscula, multorū capitum, *coliculi* numerosi, palmares & altiores, ramosi, ad quorū singula genicula sunt *folio*la bina ex aduerso posita, perangusta, vnciam circiter longa: extremis ramulis *flosculi* maiusculi, singulares supernascuntur, ex albo purpurascentes, è quinque foliolis compositi, in quibus stria purpurea, calyce ambiente ex squammis oblongis lineis viridantibus striatis. Figura hæc Fuchsiana non benè exprimit nostram Betonicam, & potissimùm radicem.

C. Bauhini. H. Lugd. pag. 1191. dicitur Tunica minima, & Holostium quorundam, radice candidā, flore gustu austero: C.Bauh. phyt. Caryoph. 19. siue silv. flore minimo, aliquādo maior, aliquando erecta, aliquando repens, ramosa, Saxifragia Lobelii, & Tunica minima Lugdunensis. *Sed fratri* assentiri non possum existimanti Lobelii Saxifragiam eandem esse cum Tunica minima Lugdunensi.

Locus tempus. Tunicam minimam inueni inter Lugdunum & Moluellam Sabaudiæ: Geneuæ florentem Maio in muris, è regione domus Senatoriæ, & passim *au Plain palais* mense Iunio. In sabuletis, aridis locis, & murorum subgrundiis Galliæ & Italiæ nasci perhibetur.

Vsus ad hæmorrhoidas. Aldroandum ad hæmorrhoidas fluentes hac vti retulit Agerius Med. Argentinensis.

BETONICA SIVE TVNICÆ MINIMÆ similis planta.

Cap. XXVI.

Descriptio. DOdrantalis est plantula, aliquando pedalis, gracilis, plurimâ ramulorum diuisurâ stipata, haud secus ferè ac Alsine angustifolia, à quâ tamen pluribus notis manifestè differt, quemadmodum à Betonica minima quoque. *Foliola* rara & ad singulos ramulorũ geniculos bina, angustissima, lõgiora, quàm in Alsine dicta. Extremis ramulorum *flosculi* appensi subpurpurei, pulchelli, Betonicæ supra dictæ aliquatenus similes, calyce folioso, qui & vascula sequentia flosculos sustinet, quæ nullis striis prædita sunt vt Alsines tenuifoliæ. *Semina* continent exigua, valde nigricantia. *Radix* exigua tenuisque alba, sed dura ac lignosa, in aliquot diuisuras secta. Annua est.




Locus & Tempus. Florebat & semen gerebat mense Augusto in agris montis Rosberg prope Masmunster: Montbelgardi Iulio supra muros. Frater reperit in monte prope tres pontes dictos Gab in Gallia Narbonensi florentem Verè.

SAXIFRAGA ANTIQVORVM QVIBVSdam & de Gypsophyto, siue Symphyto petræo, maiore & minore Thalij.

Cap. XXVII.

Descriptio. DIgiti parui magnitudine siue crassitudine obseruauimus *radicem* lignosam, palmo lõgiorem, in numerosa capita diuisam, vnde stolones pullulãt innumeri, palmares & longiores, geniculati, *foliis* ad iuncturas binis, ex aduerso positis, Hyssopi similibus, minorib. amicti: *flos* vnicuiusque stolonis cacumini insidet vnicus; multis in medio staminibus, ex calyce albido, semunciali, striis viridantibus virgato, inferiùs angustiori.



Matth. in Diosc. Saxifragum tertium maius vocat, à forma & ab effectu: In post. verò comm. cum mag. fig. Saxifragiam magnam inscribit. — *Saxifragũ tertiũ maius Matth.*

Lob. in Adv. Saxifragiam, siue Saxifragam Antiquorum sine tergiuersatione intitulat, monétque Saxifragæ vocem apud authores esse multiuocam, nec vnius cuiuspiam stirpis indicem, sed omnes vulgò Saxifragas vocatas esse ob insignes vires, efficaciamque quâ præditæ sint. In Obs. p.235. Itémque Ic. Plãt. p. 428. pro Saxifraga magna Matthioli & Italorum, nouam habet iconem. Idem etiam meminit Saxifragiæ Aduers. p. 183. exhibétque eorundem effigiem in Ic. Pl. Saxifragiæ antiquorũ inscriptione. *Cæterùm* obscurus nobis videtur Lobelius, vt qui in Adv. non distinguat suam Saxifragiam antiquorum, à Saxifraga Italorum, secus quàm in Ic. Plant. & Obs. vbi, quasi diuersæ essent, duas icones & descriptiones proponit: nec annotat an eędem vel diuersę sint, aut saltem varient: ita vt dubius hærere videatur: prior quidem descriptio Lobelij non malè conuenit Saxifragiæ Matthioli, si radix non adscriberetur parua: verùm accidit forsitan illi vt cùm delinearet vnicam haberet ad manum plantam iuuenem aliquam aut variantem. — *Saxifr. antiquorũ Lob.*

Camerarij apud Matth. Saxifragæ magnæ noua icon (cui in H. st. germ. flores paruos pallidè luteos, vascula verò rotunda paruo semine plena assignat) non in omnibus consentit cum Saxifragia Matthioli magna, quinimò multa habet similia cum Betonica coronaria siue Tunica minima, licèt color floris pallidè luteus non respondeat: Matthiol. etiam florem album asserit, & Camer. in Epitome, ita vt in floris colore etiam sibi contradicat. C. Bauh. Caryophyllo suo in phyt. 36. siue Saxifrago appinxit iconi Matthioli flosculos ex sex foliolis constantes. H. Lugd. p. 1113. inscripsit Saxifragiam magnam Matthioli: Castor Saxifragiam quintam.

Huius magnam copiam Italiæ, Galliæ, Delphinatus, Angliæ, quam plurimque aliorum tractuum arida, cretacea, montosa, saxosa, sterilia & sabulosa fundere prodidit Lobelius. Nobis verò attulit Gener Cherlerus ex Gallia Narbonensi.

Miris laudibus hanc plantam Matthiolo commendauit Calzolarius ad calculos renum educendos in potu.

Thalij Gypsophyton, seu Symphytum petræum, maius & minus quod attinet, vtrumque sibi ignotum fatetur Frater C. Bauhin. quod & nos, id, quousque meliùs innotescat, ad Antiquorum Saxifragam referri posse existimantes.

SAXIFRAGIA BAVARICA.

Cap. XXVIII.

Descrip. IN admirabili montis Baldi corona, Pona teste, ex rimis cautis prodit Saxifragia Bauarica, primùm ibi locorum à D. Ioach. Iungermano obseruata: fruticat ex subtili *radice*, albáque, frequentibus *caulibus*, teretibus, nodosis, coloris diluti: *foliis* oblongis, crassis, atque æquali ordine, sed ad opposita latera alternato situ bina distincta, in quorum summitate frequentes *flores* lactei coloris afferunt, quinque foliis compositos: quorum in medio

ordine, sed ad opposita latera alternato situ bina distincta, in quorum summitate frequentes *flores* lactei coloris afferunt, quinque foliis compositos: quorum in medio quædam staminula pallida conspiciuntur. Huius *semen* planum est, coloris nigri splendescentis. Planta perennis est, prorsusque fabacei saporis. Plantulam icone minorem misit diligentiss. Botan. Io. Pona Veronâ anno 1609. Iunii principio floret, eiusque semen eodem mense ad maturitatem peruenit.

DE LYCHNIDE CORONARIA AC sylueſtri, ex Veteribus & in genere.

CAP. XXIX.

Dioscor. Lychnidis coronariæ [λυχνίδος στεφανωματικῆς] florem esse similem Leucoio ait Dioscorides sed purpureum [ἐμπόρφυρον] & qui in corollas nectatur: cuiusque semen cum vino potum ictis à scorpione auxilietur: vel vt legit Marcellus, cuiusque semen & flores cum vino bibantur: & per se vtrumque contra Scorpionum ictus. *Vires. Diuersa lectio.*

Notha appel. Sunt qui hanc inter nothas Dioscoridis Athanaton, i.e. immortalem, quòd longissimè à prima Æstate ad extremum Autumnum floreat: qui Acylonium, qui Ballarion, qui Gruis pedem, qui Corymbum, qui Taurium, qui Sceptrum, & qui Maloion appellent. Magi Apocathemenes sanguinem, Ægyptii Semeon, Romani Genicularem siue Bellariam dicunt, & Bellaryon, quæ vox licèt incertam modò habeat in Græcis significationem, antiquam tamen fuisse in Lexico suo Hesichius indicat, Billarin Trifoliam herbam esse dicens, nec vltra quicquam de ea testatus est. Cæterùm, quo argumento nautis in mari sæpe visum piscem, *Lucernam* veteres Romani appellauerunt, igneâ per os exertâ linguâ tranquillis noctibus relucentem: eodem, inquit Marcellus, in humidis nascentem magnitudine Violæ, sed figurâ Rosæ, florem Lychnida, vt fertur, Veteres Græci dixerunt. Noctibus enim hic etiam fulgêre creditur, & vt nomen ex re illi factum indicat, ignis fulgore quodam videntium oculos in se cõuertere. Non aliter quàm & Felium oculi flammarum modo in tenebris fulgent, & putres in tenebris caudices eodem tempore ignium speciem quandam videntibus afferunt. Quorum etsi diuersa materia sit, communis tamen omnibus causa, humoris copia est, nisi fortè in felibus, quod ab Ægyptiis obseruatum fuerat, non in humore, sed in Lunæ luminibus lucis eius causa sit: ad quorum quotidiana incrementa augeantur, dilatenturque in eius animalis oculo papulæ: & cùm toto orbe mortalibus fulget id Sidus, tunc etiam copioso lucis fulgore intra domesticos parietes animalis eius nobis oculus splendeat. Verumtamen alterius quæstionis est, horum causas & rationes inuenisse.

Vernula Gaza. Lych. flammea, & Rosa græca Plinii. Apud Theophrastum Gaza Vernulam vertit, inter flores æstiuos & coronarios. Sic Plinius Lychnim flammeã (ex eo quod diximus argumento,) & Rosam Græcam (à gente) vocat, non nisi in humidis prouenientem, nec vnquam excedentem quinque folia, Violæ magnitudine, odore nullo. Ex quo demiretur aliquis, quod coronarius flos sit factus, & coronarii nominis honore ab agresti distinctus, & deficiente odore ob solam floris speciem in coronis amatus, inque tam magno nominum & appellationum ambitu in gentibus sit habitus.

Lychnis siluestris à Dioscoride non describitur, sed omni ex parte satiuæ similis traditur. Nec Plinius aliter decreuisse creditur, & ante eum Nicander in Theriacis. Quod denique per omnia similem satiuæ, Lychnidem siluestrẽ Dioscorides dixerit, eundemque vsum ac vim attribuerit, inde factum putat Cornarius, quod Galenus 7. simpl. huius non meminerit seorsim, de ea quoque intelligendum relinquens, quod de coronaria dixit, nempe semen calidum & siccum esse ordine secundo, aut etiam tertio, modò non obliuiscamur syluestria omnia esse satiuis fortiora. *Lych. silu. Diosc.*

Iam non parum eos errasse constat, Dictatore Maranthâ, qui diuersas plantas pro coronaria Lychnide ostendunt, floribus vel subpurpureis, vel ex purpureo rubris, vel rufis constantes: cùm sciamus à Dioscoride purpureum colorem ei tribui: qui cum in floribus sit perfectus quæri debet, ac propterea Senensis opinio in hac planta ad veritatem magis accedit: quam ob rem si Lychnidis florem (si veram adinuenire optemus,) non purpurascentem, non ex purpureo ad alium quemuis colorem vergentem, sed verè purpureũ quærere oportet. *Error yarrandum.*

Constat igitur Lychnidis nomine antiquo herbas alios alias ostendere. Et hinc Lychnis coronaria vulgò dicta, sitne Dioscoridi descripta, controuertitur. Est & Lychnis coronaria altera flore pleno. Sunt qui Pseudo-Melanthium siluestrem Lychnidem faciunt, atque horum placitis subscribendum haud censet Matth. Ocimoides rubrum, Lobel. Camer. Clus. Schvvenckf. H. Lugd. & alii multi Lychnidem silv. purpuream vocant. Est & altera Lychnis agrestis multiflora, nobis Ocimoides purpureum pleno flore. Ocimoides nostrum flore albo vocat Lychnidẽ siluestrem Dodon. & Lob. qui tamen alibi Ocimoidis nomine describit. Lychnis alba siluestris multiflora à nobis appellatur Ocimoides flore albo pleno. Extat & Lychnis agrestis abortiua multiplici viridi flore Lob. in Ic. Plant. p. 163. Ocimoides album non speciosum vocauit Lychnidem siluestrem albam noctifloram Schvvenckf. Lychnis Neapolitana prolifera Frider. Meieri flore purpureo. E Lychnidis generibus dicitur esse Chalcedonica siue Constantinopolitana miniata, nobis Flos Constantinopolitanus. Inter Lychnides reposuit Saponariam C. Bauhinus. Muscipulam siue Viscariam Lychnidem siluestrem quartam [Lobelio, Taber. & H. Lugdunensi teste,] vocabat Clusius: vt & Muscipulam alteram: atque etiam Muscipulæ maioris species aliquot. Habet idem & Lychnidem silv. (1. in Hisp. 8. in Hist. post.) foliis angustis pluribus ex singulis geniculis. Habetur & Lychnis quædam plumaria Tabern. dicta. Lychnis siluestris viscosa alba latifolia, an Polemonium petræum? Lychnis silv. latifolia alia est cognominata Viscaria Auriculæ facie Cretica. Lychnis silv. lanugine canescens flore maiusculo rubescente. Lychnis, vel Ocimoides repens montanum Casp. Bauhini, inscribitur à nobis Saponaria minor quorundam. Lychnidem silv. Creticam nominamus Ocymoides flore minore rubello Candiæ. Lychnis repens folio viridi flore albo, Viscosa alba angustifolia maior Casp. Bauh. Lychnis repens folio & flore albo minore, Viscosa alba angustifolia minor Casp. Bauh. An Lychnis minor, Lychnis silv. hirta minima, *Acquisitorum. Flos Constantinopolitanus Saponaria.*

Lobel. H. Lugd. & Hort. Lusit. lanuginosa palmaris C.Bauh. Ocimoides siue Lychnis semper virens, appellatur a nobis Been albo officinarum similis planta semper virens. Been album officinarum dici Lychnidem siluestrem patebit hoc libro. Lychnidibus syluestrib. affinem dixit Lobelius Lychnidem Anglicanā marinam. Lychnidis elegās genus describit Fab. Columna, quod Ocymoiden Lychnitin cum Clusio appellare placuit. An stirps illa quam aliqui Lychnidem putauerunt siluestrem, est Centaurium minus adulterinum? Quam Lychnidem quidam vocant, nonnulli Perfoliatam rubeam, aliqui Lychnidem Monachorum, nos cum Dodonæo Vaccariam nominamus. Siluestris Lychnidis appellationem quoque assecutæ sunt sequentes plantæ. Flos cuculi: Betonica coronaria Germanis feld Negelin dicta: Alsine corniculata Clusio dicta: Valeriana rubra latifolia: Cyanus: Campanula Lychnida Myconi: Lutea Plinij: Leontopetalum: Corneola Ruellij, nobis Flos tinctorius dicta: Filius ante patrem: Hippoglossum Ruta capraria: & Candelaria Gallorum de qua Ruellius l.3.c.57. & Gesnerus in cat.pl.

Cornarius postquam apud Æginetam lib. 3. c.24. de sanguinis eruptione è naribus cohibenda, legisset: ὁ τὴν χαλκουμένην λυχνίδα ἐνθεὶς τοῖς μυκτῆρσι (quod Andernacus interpretatur, vel funiculum lucernarum in nares conjicito) nullámque Lychnidis speciem sanguinis sistendi vim habere crederet, de corrupta lectione hæsitauit, & aliquando λυχνίτιδα legendum esse suspicatus est. Est autem Lychnitidis vox æquiuoca, nunc enim denotat Cyanum alpinum, nūc Digitalem purpuream, nunc Verbascum vulgare, & nunc Verbascū Monspeliense. Sed & Matthiolus Lychniten Verbasci speciem constituit, de qua nullus apertè tradit, quod sanguinis eruptionem sistat, nisi quis ex eo quod Paulus lib.7. de Verbasci generibus tradit, quod acerba sint, id colligat, &c. Tandem in eam sententiam adductus est, vt Lysimachiam legendum esse crediderit.

LYCHNIS CORONARIA VVLGO.
CAP. XXX.

Descriptio



Ex *radice* multùm fibrosa, *caules* exeunt recti, cubitales & sesquicubitales, teretes, incanâ lanugine pubescentes in alas aliquot diuisi: ad quorū singula genicula *folia* oriūtur bina ex aduerso posita, Saluiæ paria, aut paulò maiora, oblonga, obtusa, crassiuscula, mollia, supra infráque denso villo canescentia: *flores* ex calycibus oblongis, canaliculatis, villosis, emicant, parum odorati, coloris rubri, albi, & ex carneo candidóque mixti, ex foliis quinis latiusculis constantes, Rosulam exprimentes: singulis autem foliis ad exortum appositi apices, bini, acuti, rigidi: reperitur & flore multiplici rubro, de qua pòst seorsim verba facienda.



Matthiol. in Diosc. commemorat duplicē Lychnidē coronariam: vnā hortensem flore purpureo, & alterā eiusdem generis frequentissimam apud Ananienses siluestrem, satiuæ per omnia similem, quam meritò Lychnidem siluestrē appellari posse putat. *Lychnis hortensis & silu. Matth.*

Camerarius in eius Epit. & Hist.germ. nouam dat figuram, additque in Hist. flore esse albo, rubro, & rubello, nonnihil odorato. In Horto tamen, vbi ambigit sitne Dioscoridi descripta Lychnis, flore variare dixit solùm albo & rubro. Velim autem Patrocinatorem indicasse, vbinam siluestrem satiuâ odoratiorem viderit. *Lychnis flore variat.*

Lonicerus inter Verbasca reponit, sextúmque facit, depingit & leuiter describit. Cord. in Dioscor. Verbascum coronarium appellat, flore purpureo, & candido, vocaríque refert græcè Lychnitida & Thryallida: Huic subscribere videtur Dodonæus. Lychnis coronaria, inquit, à Gaza Lucernula [λυχνίδα] conuertitur. Videtur eadem & λυχνῖτις, ἢ λυγνῖτις per γ esse Verbasci species, quæ & θρυαλλίς.

Conradus Gesner. hunc Iouis florem, & græcè διὸς ἄνθος nuncupari existimat. Sed Theophrastus inter Lychnida, & Iouis florem, lib.6. distinctionem facit: æstiua sunt, ait, λυχνὶς, διὸς ἄνθος, &c. & similiter Plinius, lib.21. c.11. hæc Theophrasti verba referens.

An Corymbe Columellæ Ruellio de qua hæc Columella:

Nunc veniat quamuis oculis inimica Corymbe.

C.Bauh. phyt. Lychnidem 3. satiuam facit, & coronariā Dioscoridis, Theophrasti & Plinij Lychnidem censet, licèt non desint, quibus Διὸς ἄνθος Iouis flos, apud Theophrastum 6. Hist.1. & 6. dicatur: sed vbi quæso minuta folia, quæ Theophrastus requirit? Alij Ocimoides faciunt.

Tragus attestatur in ea Gesnerum esse sententia, vt putet ad Iouis florem Plinij referendam esse Rosam Marianam floribus rubeis & candidis: aliis verò quibusdam λυχνίτιδα & θρυαλλίδα dici, sed quàm rectè se nescire. *Rosa mariana Gesn.*

Schvvenckf. triplicem Lychnidem coronariā adscribit, rubram sc. quàm propriè λυχνίδα στεφανωματικὴν Dioscoridis, & Διὸς ἄνθος, ac Lucernulā appellat: alteram albo flore, Rosam marianam 2. & Lychnidem albam maculis rubris aspersam Eingesprengkte Veilrosen & Lychnidem 3. subpurpureo flore, bleich rote Veilrosen. Et ob hāc floris colorum varietatem, duas exhibuit figuras Tabernamontanus, Lychnidis coronariæ albæ & rubræ, sed frustra, vna enim suffecisset ipsi, ceu & nobis, verùm quum paratæ fuerint, datā opera apposui. *Lychnis cor. triplex Schvvenckf.* *Tabern. reprob.*

appoſuimus: fatemur etiam noſtras meliùs pingi potuiſſe. Sed & Lobelius abſque neceſſitate effigies duplicauit, vnam inſcribens in Ic. Plant. pag. 314. Lychnidem coronariam, Obſ. pag. 181. alteram pag. 335. Lychnidem candidam & rubram. Caſtor Dur. eiuſdem plantæ duas ponit figuras: vnam pag. 255. Lychnidis titulo: alteram pag. 256. Lychnidis ſilueſtris inſcriptione.

Nomina linguarum. Græcè λυχνὶς & λυχνὶς στεφανωματική dicitur: Latinè ſimiliter Lychnis, Lychnis coronaria & ſatiua: Germ. Margen Röslen / Margen Röslin, frawen Röſlin, hoc eſt, Dominarum Roſula, *Roſa dominarum.* Samet Roſen, Damoſk Roſen / Lampel Roſen / Marien Roſen / id eſt Roſa mariana, *Roſa mariana* himel Röſlin Roſula cæli: himel blümen, Flos cæli: *Roſa & Flos cæli* Veil Roſen / Summer Roſen, Æſtiua Roſa: *Roſa æſtiualis.* Belg. Chriſtus oogſen / Oculus Chriſti: *Oculus Chriſti* Gall. *Oeillets*, & *Oeillets de Dieu*, Oculus Dei, *Oculus Dei.* Pariſienſib. *Paſſeroſes*: It. & Hiſp. *Lychnide coronaria*: Angl. Roſe campion: Boh. Swate Marie. Propter flores roſeâ purpura rutilos ac nitore flammantes, oculorumque aciem perſtringentes, Pyropi aut lapidis Lychnidis modo, nomen adepta.

Locus & Tempus. Seritur in hortis & fictilibus, Iunio, Iulio, ac Auguſto æſtiuis menſibus florens, & Baſileæ etiã Nouembri: apud Ananienſes, vti Matthiolus refert, ſilueſtris, ſponteque exit.

Vires & Vſus. Bilem per aluum trahere, vulneraque recentia glutinare dixit Schvvenckf. Radicum porrò ſuccum attractum naribus ſternutamenta ciere, cerebrumque efficaciter purgare: Mirum verò in modum ruralibus, vrbaniſque virginibus ad coronas factitandas experi tradit Matthiolus.

LYCHNIS CORONARIA FLORE pleno.



Deſcriptio. Caule, foliis & florum calycibus à vulgari coronaria minimè differt: at flos rubens denſo foliorum ſtipatu multiplex ſpem ſeminis omnem præripit.

Synon. Eſt hæc illa quam Lobel. in Icon. Plant. Lychnidem alteram rubram cognominat: Camer. in Horto, & Matth. Hiſt. germ. Lychnidem flore pleno Belgii & Angliæ: Dod. lat. in fol. Lychnidem coronariam floris foliolis multiplicatis: Caſp. Bauhinus phyt. Lychnidem 4. ſiue coron. ſatiuam multiplicem: H. Lugd. pag. 815. ex Lobelio. Lychnidem omnium pulcherrimam: floribus adeò confertis & multiplicibus vt ſemine orba relinquatur, exhauſtâ nimirum formæ vi, & pabulo in florum commodum abſumpto.

Locus. Eſt nobis Montbelgardi in horto.

PSEVDO-MELANTHIVM.

CAP. XXXI.



Deſcriptio. Simplici & albâ *radiculâ*, nititur: *caulis* cubitalis & ſeſquicubitalis, teres, lanuginoſus, incanus, ramoſus, inanis, geniculatus: *folia* culmum plùs minùs lata: longitudine palmari & ſeſquipalmari, piloſa; bina ex geniculis oppoſita: *Flores* oblongo, canulato, villoſo calyci, in quinque ſegmenta anguſta fiore altiora diuiſo inſident, Lychnidis coronariæ, purpurei quinque foliolis conſtantes, apicibus obſoletæ purpuræ: quibus oblongum ſuccedit pericarpium, *ſemine* nigro, amaro refertum.

Nomina linguarum. Germani Raden / Ratten / Kornroſen / Korn negelbloemen. Galli *Nielle vulgaire* & *Nielle des bleds*, & Iurea appellant: Itali *Githone*, *Githone* & *Gittone*: vnde plerique ſimilitudine vocis inducti, verum ac legitimum *gita* ſiue Melanthium, in officinis Nigella nuncupatum, eſſe crediderunt: ſed hos à veritate receſſiſſe notiùs eſt, quàm vt refelli debeat. A verò ſiquidem Melanthio non ſolùm foliis, & ſemine, ſed & aliis proprietatibus differt. Et hoc iam olim probè animaduerterunt Hermolaus & Ruellius, qui aſſeruerunt omninò hallucinari eos, qui putent hanc ſtirpem, legitimum Melanthium eſſe, quæ inter ſegetes in aruis paſſim naſcitur in quo Braſſauolus & cum eo Brunfelſius manifeſtè cæcutiuerint.

Non deſunt [inter quos eſt Tabern.] etiam qui velint hanc plantam ſilueſtrem Lychnidem coronariam eſſe, quibus, qui vtramque nouerint, ſubſcribere nequeunt.

Sed longè minùs id fuerit Lolium [Trago, Cordo Corn. Lacunæ, & Matthiolo teſtibus,] vt aperiſſimè hallucinatus credidit Fuchſius. *Fuch. error.*

Synon. Hippocrates Gith ſiue Melanthium à ſeminis nempe nigredine appellaſſe videtur, verùm non ſimpliciter, ſed cum adiectione aliqua, ad differentiam legitimi Melanthii, ſc. μελάνθιον ἐκ τῶν πυρῶν, hoc eſt, Melanthium ex Tritico. *Melanthi. Triticeum Hipp.* Octauius Horatius Gith quod in ſegete naſcitur ipſum nominauit: *Gith ſegetũ Oct. Horatio* & eandem ob cauſam ab huius ætatis doctis [vt Ruell. Matth. Dod. Gall. Lobel. in Adv. Obſ. pag. 23. Ic. Plant. pag. 38. Lonic. Caſt. H. Lugd. pag. 438. & Thal.] Pſeudo-Melanthium dicitur: *Pſeudo-Melanthium.* Nigellaſtrum Dod. lat. *Nigellaſtrũ* Nigella vulgò dicta Corn. & Lacunæ. Trago, qui pro ſexto Marianæ Roſæ genere deſcribit, *Mariana Roſa.* Githago [ſic etiã Ruell.] *Githago* & Lolium multorum Germanorum [vt Fuchſ.] ſed perperàm. *Loliũ perperam* Nigella Brunfelſio, verùm non ſine errore. *Nigella* Lychnis aruenſis Tabern. *Lychnis*

Lychnis alia inter Triticum Cæsalp. Lychnis segetū Schvvenckf. Lychnis (6. in phyt. 5. apud Matth.) segetū Mutoni. Ruellius à Gallis *Nielle* & florem M cancalum (sic & Gesn. in cat. florem vocat) appellari refert, & Theophrasti ἄνθεμον φυλλῶδες (Anthemon foliosum appellat Gesn. nulla mentione facta Theophrasti) esse iudicat. Sed Anthemon Theophrasti, Anthemis est apud Dioscoridem, teste Dodonæo, & ἄνθεμον φυλλῶδες Anthemidis species, cum Nigellastro parùm conueniens.

Anthemon foliosum.

Locus & tempus. Pseudo-Melāthium obseruatur passim in agris inter segetes: Maio ac Iunio mense cum flore viget. Monspelij etiam Aprili: vidi etiam Basileæ florentem Octobri, virénsque Geneuæ mensis Februarij principio.

Cæterùm, autore Dodonæo, Nigellastri semen, calidum & siccum secundo est ordine satis intenso: in pesso cum melle subditum menses enocat: vt Hippoc. in lib. de m. m. testatur. Octauius Horatianus, semen frictum & tritum ad auriginem bibendum exhibet. Lonij facultates huic etiam herbæ, Germanis Ratten nominatæ, Recentiores tribuere refert Fuchsius: Et hinc mirificè eam in sanandis impetiginibus, aliísque scabiei generibus commendare: Item vulneribus glutinandis, ac fistulis curandis, compescendóque sanguine, eius esse vsum tradere.

OCIMOIDES VETERIBVS ET in genere.

Cap. XXXV.

Descriptio QVo siluestre ad satiuum discrimine Mentastrum, Apiastrúmque Latini veteres dixêrunt: eadē naturæ & natalīū analogiā Ocimoides ab iisdē Ocimastrū dictū fuisse verisimile est. Ocimoides siquidem, seu, vt alij, Philetærium [ὠκιμοειδὲς, ἢ οἱ φιλεταίριον. In alio hæc est inscriptio: ὤκιμον ἄγριον, ἢ ὠκιμοειδές.] *folia* habet Ocymo [ὠκίμῳ] similia: *ramos* palmi altitudine [κλωνάρια δὲ σπιθαμιαῖα, dodrantales, Sarrac.] hirsutos: *Siliquas* [λοβοὺς] similes Hyoscyamo, *semine* refertas nigro, simili Melanthio.

Vires. Vim hanc habet semen in vino potum, vt viperarum, cæterarúmque serpentium morsibus medeatur. Datur & ischiadicis cum Myrrha (vet. caret) & Pipere [Marcell. & Corn. & Aldinam nothis, addunt, *& vino*. Ruellius, *cum melle & vino*. Sed illud, *& vino*, quid opus fuit ex præcedenti periodo repetere, cùm satis per se subintelligatur?) Cæterùm, radice nititur tenui [λεπτῇ: vet. albâ, λευκῇ] & superuacuâ, inquit Dioscorides.

Notha appellationes. Sunt porrò qui & hanc Echion appellent inter notha: alij Scorpiuron, alij Sparganon [Sparganion leg. Marcell.] alij Althæam, alij Amaranthida, alij Probatæon [Probathæam Marcell.] alij Elaphion, alij Antimimon, alij Porphyrida, alij Augion, alij Nemesion, alij Hyenopsolon, alij Thyrsitin, alij Thermutin (Thermitin scribit Marcell.) alij Misopathon, & Romani Ocimastrum. In magno autem honore veteribus fuisse Ocimastrum ex tam multis eius appellationibus colligi potest, quarum plures ex alicuius partis ad alias herbas similitudine illi à gentibus per tempora accreuerunt.

An Ocymū siluestre Plinio. Plinius tantùm siluestre Ocimum contentus dixisse paucis medicinam & historiam eius absoluit. Sed quum parùm consentiant ea quæ Plinius de Ocimo siluestri tradit, cum his quæ Dioscorides de Ocimoide habet, ambiguum est an de eadem herba Plin. lib. 20. c. 13. loquatur. Syluestri Ocymo, inquit, vis efficacior ad eadem omnia: peculiaris ad vitia, quæ vomitionibus crebris contrahuntur, vomicisque vuluæ, contráque bestiarum morsus, radix in vino efficacissima. Hæc ille.

Ocimoides Galeno. Dioscoridi ac æquè Galeno 8. simpl. Ocimoidis radix inutilis est: semen autem tenuium, & desiccantis citra mordacitatem facultatis est.

Aequiuoca Ocimoidis & Ocymoidis, siue Ocimastri & Ocymastri nomen plures obtinuerunt plantæ. Et quidem Cornarius, & Gesn. in cat. pl. wilde Basilien germ. Matth. verò *Basilico saluatico*, Ital. *Basilic sauuage* gallicè, & Baufelsius in Lex. Basilicon siluestre vocant, non sine hallucinatione. Existimamus hos ignorasse quid vocarint Basilicon siluestre.

Idem nomen obtinuere præterea sequentes plantæ. Acinos Dodonæi. Ocimum medium. Botrys altera. Ocimastrum Valentinum. Scrophularia maxima. Scroph. vulgaris maior. Ocimoides album multis. Ocimoid. album flore pleno. Ocimoides purpureum multis. Ocimoides, purpureum polyanthes. Ocimoides non speciosum. Saponaria minor quibusdam. Flos Constantipolitanus. Ocimoides minus Creticum. Reseda minima. Ocimoides lychnitis reptante radice. Caryophyllus angustifolius. Valeriana rubra quorundam latifol. Ocimastrum verrucarium. Cucubalum quibusdam. Clinopodium. Erinos: & Chamæleon niger.

OCIMOIDES ALBVM MVLTIS.

Cap. XXXVI.



Descriptio PErenni nititur *radice* cubitorū duorum aut trium lōgitudine, interdū brachiali ferè crassitudine, multifidâ, alba, acri, & subamarâ, quæ antequā è terra emergat in numerosa capita pollicaris crassitudinis, aut minora, dodrātalia, aut palmaria diuiditur: *caules* emittit crebros, cubitales & sesquicubitales, vel etiam maiores, hirsutos, geniculatos, ramosos: ad quorum singulas iuncturas *folia* bina aduersa, oblonga, acuminata, pilosa, ex sinu ramulos emittentia: *flores* summis hærent ramulis, Ocimoidis rubri similes, sed colore niueo radiati, è calyce hirsuto, canaliculato, turgidulo: *semen* vasculo turbinato, Nicotianæ æmulo, in crenatum denticulatúmve orificium dehiscente, sed inuolucro exteriore striato, continetur copiosum, Hyoscyami par, rotundum, compressum nonnihil, coloris cinerei.

Synon. Germani hanc Gliedweich: Gliedkraut Margen Röslin

Roslin, wild Margen Roslin / tauben kropff/ wider stoß, Spley spettel, & Lydwich appellant: Belgæ Jenettekens: galli Oeillets sauuages. Latinum & græcum quodnam acceperit nomen apud Veteres, inter authores non conuenit, aliis aliter eam appellantibus. Aliis enim Ocimoides siue Ocimastrum esse videtur, vt Matthiolo: H. Lugd. pag.682. inscribit Ocimoides maius Matthioli: Ocimastrum & Ocimoides Ruellius (qui & albam Iaceam:) Tabern. Icon.& Hist. Lob. in Adv. pag.143. [vbi & Iaceam albam Monspeliensium, & Herbam tunicam Gordonii] & Obs. pag. 184. Ocimoidem maiorem flore candido Cæsalpinus: Ocimoides album duplex Gesn. hort. marem sc. cui apices in medio adscribit, & fœminam, quam sine apicibus ait vesperi odorem spirantem tanquam Hesperidem Theophrasti. Idem de coll. stirp. Ocimoides album duplex: vnum in medio apicem exerens minùs odoratum: alterum (sine apicib. puta) odoratius, eodem die marcescens.

Ocimoides siue Ocimastrum. Iacea alba. Herba tunica. Ocimoides duplex Gesnero Mat.

Et hi præcipuè sunt quibus Ocimastrum esse videtur: *at Ocimastrum* Ocimo foliis simile est, ramosque habet breues dodrantales modò, radicemque tenuem & superuacuam. Præsens verò hæc planta caules promit cubito longiores, folia oblonga, Ocimo nullatenus similia, & radices longas, crassasque, quæ manifestam contradictionem, & euidentem huius cum Ocimastro differentiam ostendunt.

Ocimoides non est.

Non desunt porrò ex recentioribus, qui cum inferioris Germaniæ Pharmacopolis Saponariam hanc esse dicant: est tamen & alia Saponaria, de qua inferiùs.

Saponaria.

Plerique Lychnidem siluestrem pronunciant: sed cùm Lychnidem siluestrem satiuæ omni ex parte similem fecerit Dioscorides: hæc verò à satiua Lychnide caulibus, foliis, floribus & radicibus multùm differat, Lychnis siluestris esse nequit. Hallucinatur ergo inter alios Dodonæus, qui Lychnidem siluestrem statuit, & nomenclaturas, quas inter nothas & reiectitias retulimus, huic adscripsit. Camer. hort. & Schvvenckf. itemque Lob. in Icon. Plant. pag.336. Lycnidem siluestre albam appellarunt.

Lychnis sil. Dodon. hallucinatur nominibus.

C. Bauh. phyt. dicitur Lychnis nona, siue simplex silv. alba, & Saponaria hirsuta: Clus. Lychnis silv. flore albo: Dubitat autem an sit Melandrium Plinii: Lonic. Lychnitis silv. flore albo. Fuchsius cùm Tubingæ apud ipsum essem vocabat Iouis florem album. Tragus Polygonati titulo pingit, & tamen inter Rosas marianas reponit.

Sapon. hirsuta. An Melandrium? Lychnitis silv. Iouis flos albus. Polygonatū Trago. Rosa mariana silv. Trago.

Ocimoides vulgò dictum obseruaui Monspelii florens Martio & Aprili: Basileæ Iunio, Septembri & Octobri, ac etiam Nouembri inter portam cineream & lapideam extra vrbem, & quà itur Krenzack, & quà descenditur ad molendina papiracea: Geneuæ passim in sepibus virens principio Februarii, duplex, cum & sine apicibus, quasi sit mas & fœmina. Passim copiosè nasci in Italia, præsertim inter segetes prope septa & agrorum margines, perhibet Matthiolus: In Silesiæ dictis locis florere Iunio & Septembri author est Schvvenckfeldius: Passim in Austria, Stiria & Pannonia cùm in siluis, tum montanis pratis Clusius: plurimâ Æstatis parte, & in Autumnum vsque florere Dodonæus.

Locus & tempus.

Vascula pueri Senenses colligunt, vbi exaruerunt, & semen excidit, vt intus insufflantes acutissima edant sibila.

Vsus.

Ocimoides album flore pleno.

Hirsuta per ramos ex aduerso sita *folia* possidet, adeoque totâ facie cum eo quod simplice est flore conuenit, solo excepto *flore*, qui tam multiplici foliorum stipatu luxuriat, vt Rosam albam imitetur.

Descriptio.

Clus. vocauit Lychnidem silv. flore albo, pleno, odorato, in cultis. Lob. in Adv. p.142. Lychnidem silv. multifloram albo flore. Angl. Doble Rose Campion. C. Bauh. Lychnidem 9. siue siluestrem albam multifloram, vel Saponariam hirsutam.

Synonyma.

Ocymoides album longo cultu aliquando florum folia multiplicare, & polyflorum reddi, perhibet Dodonæus.

Locus.

OCIMOIDES PVRPVREVM MVLTIS.

Ocimoides rubrum ex *radice* minimi digiti crassitudine, alba, sapore subacri & subamaro, fibris multis donata, *caules* emittit aliquot cubitales & bicubitales, geniculatos, hirsutos, concauos, nonnihil subinde rubentes: ad quorū singula genicula, *folia* bina oriuntur opposita, foliis Plantaginis aliquatenus similia, oblonga, lata, acuta, tactu mollia, hirsuta: *flores* simul aliquot in caulium summitate fert inter folia simul iunctos, sed non simul se expandentes, è quinque foliolis suaue rubentibus bipartitis, cordatisue compositos, stamina quinque alba flore altiora ambientes, calyce striato, lanuginoso, partim rubente, partim virente, pediculo breui, villoso, in quo *seminis* conceptaculum oblongum.

Descriptio.

Gesn. de hort. vocat Ocimoides purpureum, vel roseum, duplexque ait, marem cum, & fœminam sine apicibus. De coll. stirp. Ocimoides rubrum duplex, purpureum dilutum, albo cognatius, odoratiusque Alpino, etiam die se claudens: Item, Ocimoides purpureum: vnum in medio apicem exerens, minùs odoratum: alterum non odoratius, eodem die marcescens. Thalius Ocimoides rubrum: Matth. Ocimastrum purpureū: Camer. apud Matth. in Hist. germ. Ocimastr. flore simplici rubro: Tabern. Ocimastrum rubrum.

Ocimoides purpureum vel roseum.

De hac, ceu & alba ante dicta, Lobel. in Adv. pag.142. ait: Lychnoides siluestres affines passim secus satorum sepes exeunt, radice non ita magnâ, gracilioribus ac paucioribus, tum cauliculis, tum foliis, & mollioribus, nec perinde tomentosis, sed ex pallido herbaceis: Alteri flores rubelli dilutiorisue Rosæ, alteri verò niueo candore renident.

Lychnis sil.

Dodon. dicitur Lychnis silv. flore rubenti: Lobel. in Obs. pag.181. Ic. Plant. p.335. Lych. silu. rubello flore: an Hesperis Theophrasti? Camer. hort. Lychn. silu. rubra. Schvvenckf. Lych. silu. purpurea: C. Bauh. phyt. Lych. 8. siue aquatica purpurea simplex: Clus. Lych. silv. flore rubro & dilutiùs rubente & subalbescente. Lonic. vocat Lychnitidem flore rubeo, negatque meritò esse Polemonium & Been rubrum. Tragus Rosam marianam flore rubeo, traditque de hac eadem, quæ de 3. siue alba: Fuchs. quondam Iouis florem cæruleum.

Synonyma. Polemoniū non est. Rosa mariana. Iouis flos carul.

Geneuæ in monte Thuiri vidi florentem mense Maio: Basileæ & Montbelgardi multis in locis prouenit. In Austriæ, Stiriæ, Pannoniæ & Silesiæ

Locus & Tempus.

herbulis & humidis montium tractibus, autore Schvvenckfeldio, plurima Æstatis parte in Autumnum floret.

OCIMOIDES NON SPECIOSVM.

Cap. XXXVII.

Descriptio.



Ocimoidis genus haud speciosum, Ocimoidi albo simile, planta est annua, pedalis vel cubitalis, vbi sua sponte natum est, in viridariis culturâ maior adolescit *radice* satis crassâ, albâ, breui: *foliis* Ocimoidis albi, atro-virentibus, lanuginosis, ex nodis aduerso situ positis, oblongis: *flore* minore quàm in Ocimoide iam dicto, parte supinâ albo, ac etiam dilutè rubente: pronâ ex languido luteo pallescente, quinque foliolis bifidis constante, quæ mane expansa, vesperi circumflectuntur, vt in Polemonio Petræo Gesner.: calyces longi, villosi, canaliculati, æquales, viscidi, cum tota plantæ summitate, qui succrescente *semine* cinereo, minuto, Papaueris, turgescunt, à pericarpio glabro distenti.

Synon. Camer.hort.vocauit Lychnidem silu.viscidam vel noctifloram, annuam, noctu tantùm flosculum odoratissimum explicantem, coloris albi & nonnihil punicantis: Item, Ocimoides noctiflorum Autumno & ingruente Hyeme inodorum: Casp.Bauhinus phyt. Lychnid.12. siue Lychnidis speciem, flore noctu tantùm in Æstate odoro: Schvvenckf. Lych. sylu. albam noctifloram, wild Nacht Margen roselun.

Locus & Tempus. Prouenit in agris circa Boll & admirabilem fontem floret Augusto & Septembri, & adhuc Octobri.

SAPONARIA MINOR QVIBVSDAM.

Cap. XXXVIII.

Descriptio. Radices habet crassas, longas, multifidas, fibratas, in multa capita diuisas, molles, exteriùs nigras, intùs albas: *caules* per terram supini procumbunt, hirsuti, rubentes, geniculati, ramosi, quorum nodis adnascuntur ex aduerso posita *folia* bina, Polygoni aliquatenus figurâ, hirsuta: *flores* purpurascentes, Saponariæ minores, ex calyce oblongo, hirsuto, rubente, quinque & foliis & apicibus in medio constantes.

Mathiol.in post.comm.figuram Cneori Theophrasti titulo pingit, quæ videtur exprimere Saponariam hanc minorem quorundam. Lobel. Adu.vocat Ocimoides repens polygonifolium: Gesn. Ocimoides paruum.



Ex his patet H. Lugdunensem huius effigies multiplicare. Primam enim proponit p.823.titulo Saponariæ minoris Dalechâpij. Alteram habet p. 1365. Cneori alius Theophrasti Matthioli, inscriptione. Tertiam dat p. 1429. Ocimoidis repentis Polygonifolio, inscriptione. H. Lugd. notatur.

Et hinc ait C. Bauh. in anim. In Histor. Lugdunensem, Saponariam minorem Dalechampij pag.823.& Ocimoides repens Polygoni folio p.1429. vtrobique describi, & figuram posteriorem meliorem esse. Eandem p.1365. pro Cneoro alio Theophrasti Matthioli, sine vlla descriptione, & vitiosâ figurâ extare. *Sed censura* hęc de Cneoro, meritò aduersus Matthiolum effundenda erat, ex quo desumpsit compilator H.Lugdunensis. Is enim quamvis Romæ se accepisse dicat, nullis delineantibus notis, non tamen descripsit, nec addidit sitne candidum an nigrum. Verùm hoc non foret patrocinari Matthiolo, Cneorum Theophrasti (ait apud Matth.) nobis non videtur aliud quàm Lychnis aut Ocymoides repens: Noluimus Matthioli figuram amouere, meliorem exhibituri cùm in Appennino legerimus. In phyt. vocat Lychnidem 33. siue Ocimoides repens montanum. An eidem Ocimoides minus Herbariorum, Vreeolaris Plinij? An Cam.hort. Ocimoides repens, itémq; angustifoliũ flore rubello? An Cæsalp. Ocymoides paruũ? *Lychnis repens montana C. Bauh. An Vreeolaris Plinij?*

Locus & Tempus. Delectatur locis ad meridiẽ sitis, arenosis & collib. iuxta Rhodanũ & *Arve* Geneuæ. Aliquãdo Curiæ Rhętor. reperi florẽtem Maio, Iunio & Iulio. Sub finem Aprilis prope S. Hippolitũ Burgũdiæ.

FLOS CONSTANTINOPOLITANVS MInatus albus & varius. Cap. XXXIX.

Descrip.



Numerosis fibris *radicatur*, gustu subacri: *caules* tollens, cubitũ & sesquicubitum circiter altos, teretes, hirtos, inanes, crebris geniculis interceptos: ad quorũ singula bina *folia* coniugatim, alternante coniugiorum situ, adnascũtur pediculo nullo, sed latiore basi caulem amplectentia,

ctentia, Lychnidis syluestris æmula, verùm nigriora, rigidiora, magisque asperâ lanugine obsita, priora cum Caryophyllis latifoliis magnam similitudinem habentia, gustu acri: *flores* in ramulorum extremis vmbellam deformant, odore suaui quanquam obscuro, sed colore perquàm amœno, miniato, aut cinnabaris factitii, aut carneo, quorum singuli è quinque foliis constant, oblógis, bisulcis, vtrinque cis medium alatis, & ad exortum binis appendicibus incumbentibus auctis, sic vt integrum & explicatum folium papilionem occultato corpore exprimere posse videatur: inter hæc, stamina purpurascentia apiculos violaceos sustinent: emicat autem flos ex calyce oblongo, hirsuto, viridante: in quo postea est semen pullum exiguum. Figura nostra Fuchsiana minùs placet.

Flos Constant. Dod. — Flos Constantinopolitanus inscribitur à Dodonæo, qui Gesnero authore, duplicem facit, bicubitalem sc. floribus, in latis vmbellis, multis simul congestis: & cubitalem aut paulò altiorem, rariores, ac primo anno flores proferentem, de quibus ait: Nostri vulgò Constantinopolitanum appellant florem: Germani verò Hierosolymorum: Aldroandus Creticum cognominat: alius Lychnidem coronariam. Sunt qui velint Lanariam nuncupatam Latinis radicem esse, quæ Græcis στρύθιον, Arabibus *Condisi* dicitur, quà ad purgandas lanas, qui eas eluunt, olim vtebantur: quos veritatem minùs assecutos esse euidentius est, quàm vt refelli debeat. Gesnerus hort. Ocimoides peregrinum dixit flores quos ab Hierosolymis denominant, croceo colore splendente longè pulcherrimos, odore carentes, Soleque nô marcescentes. Idem in append. vocauit Ocimoides croceum, aliquot annis durans, licèt primo anno floreat.

Flos Hierosymorum. Flos Creticus. Lych coronaria. Struthion.

Ocimoides peregrinum itemque croceum Gesnero.

Lych. Chalcedon. — Tabern. in Ic. & Hist. dicitur Lychnis Chalcedonica, Zinober Röslin: Lobel. in Adv. pag. 143. Obs. p. 185. & Ic. Plant. p. 340. Lychnis Chalcedonica siue Constantinopolitana miniata: Camer. hort. Lych. Constantinop. vel Cretica. Clus. Lychnis Byzantina miniato albo, & versi-colore. Schvvenckf. Lychnis peregrina miniata, πυθ... Theoph. türckisch Negelin/ h. e. Caryophyll. Turcicus, Jerusalem blümlin, Flosculus Hierosolymitanus, Spornblümen, & Vngerisch Röslin/ Rosula Hungarica.

Lych. Constantinop. vel Cretica Lych. Byzantina.

Locus & tempus. — Peregrinus est flos: seritur in hortis: Iunio & Iulio altero à satione anno floret, deinde pluribus sequentibus aliis. Radice etenim constat viuaci: diuque durat: Hiemis & frigoris patiens. E Dacia florem hunc allatum narrat Gesnerus.

Vsus in coronis. — Cæterùm, Flos Constantinopolitanus præter eam, quam in hortis & coronis gratiam assecutus est, nullum, quod sciamus, medicum vsum habet: facultas eius ea de causa incomperta est. Radicem tamen, quæ gustu aliquantulùm acris est forsan haud ineptè quis calidam in primo gradu statuerit.

STRVTHIVM, RADICVLA, SEV Lanaria herba veteribus, & Condisi.

Cap. XL.

Ex Dioscor. — Dioscorides quamuis Struthiũ non descripserit, tanquam vulgò notum, vt quo fullones ad purgandas lanas vtantur, foliorum tamen similitudinem indicauit in Papauere spumeo, id, est, Herculano, vt Theophrastus vocat, & in Phyteumate. Eius radicem verò acrem esse ait vrinamque ciere: auxiliari iocinorosis, tusis & orthopnœæ, sumptam cum melle cochlearis mensurâ, & aluum quoque subducere. Eandem cum Panace & Capparis radice calculos frangere, & cum vrina expellere, lienemque in scirrhũ induratum liquare. Subditam verò menses trahere, & partus efficaciter enecare. Cum polenta autem & aceto illitam, lepram emendare. Discutere & panos cum farina hordeacea & vino decoctam. Misceri præterea collyriis exacuendis oculorum aciei dicatis, itemque malagmatis. Sternutamenta etiam facere, atque per os purgare tritam cum melle ac naribus infusam.

Vires

Appellat. nothæ. — Hæc inter nothas Dioscoridis appellationes à quibusdam *Cadre*, ab aliis à purgando *Catharsis* vocatur. Sunt qui & *Struthocamelon*, qui *Chamæryton*, i. e. humi sparsam appellent. Magi denique *Challyrriton*, Ægyptii *Aeta*, Aphri *Sirin*, Romani *Radiculam*, siue *Herbam lanariam* vocant, à radicis tanquam præcipuæ partis vsu.

Vnde autem Græci Struthion nominauerint, non satis nunc patet, nisi fortè à foliorum positura, quæ auium alas quadantenus imitantur, nomen illi fecerint: στρουθὸς enim & στρουθίον, ea gens passerem, & minores alias appellat aues. Quod si in cibos radix huius transiret, crederet Marcellus ob caliditatem quam in quarto ordine habet authore Galeno, venerẽ stimulare, & ob id Struthion dictam. Græci siquidem στρουθὸν passerem dicunt, & ab eius auis salacitate, στρουθοὺς quasi passeres, ad Venerem procliuiores homines: & ex ea ratione id facientem herbam Struthion etiam dicere potuissent. Sed nihil horum pro comperto est.

Hanc Dioscorides ait in nares coniectam sternutamenta excitare: in quem vsum Celsus lib. 5. cap. 22. eam quoque recipit.

Galeni — Struthii radice [inquit Gal.] maximè vtimur, quæ gustu quidem acris est, temperamento verò calida & sicca ex quarto ordine. Vim habet extergendi & irritandi: propterea etiam sternutamenta mouet, similiter vt alia, quæ sapore acria, & temperamento calida existunt.

Hippocr. — Hipp. de nat. & morb. mul. radicem Struthii [στρουθίου ῥίζαν] læuiter tritam & contusam ad pugillum vnum, melléque subactam, & in pessario subditam, menses & puerperia purgare, aquasque educere, author est: Produci autem in Andei [Andri alibi] insulæ præcipuè litoribus.

Plinius. — De hac ita Plinius lib. 19. cap. 3. At quæ vocatur Radicula, lauandis demum lanis succum habet, mirum quantùm cõferens candori mollitiæque. Nascitur satiua vbique, sed spontè præcipua in Asia Syriaque, saxosis & asperis locis. Trans Euphratem tamen laudatissima, caule ferulaceo, tenui, & ipso cibis indigenarum expetito, & tingenti quicquid sit, cum quo decoquatur, folio Oleæ: Struthion Græci vocant, floret Æstate, grata aspectu: verùm sine odore, spinosa, & caule lanuginoso. Semen ei nullum (Plinio repugnat hic Columellæ versus.

Plinio contradicitur.

——à Syriòque venit quæ semine radix.)

De eius verò vsu pleraque ex prædictis habet lib. 25. cap. 5. & lib. 24. cap. 11. Malè autem in Struthio ramulos appellat, quod radices debuisset dicere: cùm excepta radice Struthion nihil sit, rectè annotante Marcello, vnde etiam, seu ex potiore radicum vsu, Romanis Radicula dicebatur.

Sed an Struthiũ in Italia nascatur asserere noluit

Matthiolus, quippe quòd ipsum non viderit, nec qui illud cognosceret, animaduerterit.

Struthion [inquit Marantha] est planta, quæ alio nomine Radicula & Lanaria appellatur: sed & Struthion etiam est Mali Cotonei genus quoddam.

Marantha.

Goropius in Vertumno Herbam lanariam duplici ratione nomen Struthij accepisse credidit: semel vt moneamur tam puram coniugij castimoniam esse debere, quàm sit lana radice fullonia emendata: rursus quòd eadem Radicula libidinē etiam exciter. Vulgò pro Struthio ab Herbariis sumuntur Plantæ sequentes. Saponaria vulg. Flos Constantinopolitanus. Ocimoides purpureum Valeriana rubra quorundā latifolia. Been albū. Fraxinella. Cruciata. Lutea herba. Imperatoria. Alterantia. Elleborus.

Æquiuoca.

SAPONARIA VVLGARIS.

Cap. XLI.

Descriptio

TEnues Saponariæ *radiculæ* vario implexu vagantur: *caules* plures ferè recti surriguntur, cubitales & altiores, subrubentes, hirsuti, crebris geniculis articulati: *folia* ex nodis bina aduerso positu nascuntur, Gentianæ cruciatæ, colore minùs hilari, rigida, neruis communiter ternis, secundùm longitudinem decurrentibus, sapore nitroso: *flores* tum in scapis summis, tum ex foliorum supremi scapi alis exoriuntur in vmbellam digesti Floris Constantinopolitani, albicantes aut ex albo tantillùm purpurascentes, odorati, quinque foliis constantes, staminibus candidis medium occupātibus, ex calyce tenui, vnciam longo, hirsuto: *Semen* copiosum, paruum, penè rotundum, compressum, spadiceum.



Struthium qui faciant

Inter alios, qui vulgarem Saponariam Struthium faciunt, occurrūt Genuēses, Botan.hær. Egen. Gesn. in cat.pl. Fuchs. Tragus & Ruellius.

Car Steph. repreh.

Car.Steph.in colle huius Clymeni & Saponalis siue Saponariæ meminit, plures plantas confundens ex malè intellectis verbis Ruellij.

Struthium Fuchs.

Tragus quidem Saponariæ nomine depingit & describit, adque Violam agrestem [Ocimoides fortè purpureum] referendam esse censet, & tamen Struthium Dioscoridis [cuius nothas appellationes adscribit] facit, & Cōdes Serapionis cap. 352. itémque Condisi officinarum.

Gesn. sibi contrarius

Fuchs. in Hist. Struthium inscribit [in Icon. Struthium satiuum] ac de eius appellatione eadem legit, quæ ex Marcello antè præcedenti capite adduximus: Saponariam autem & Herbam fullonum recentiores vocare, ex Ruellio docet: sed nec huius, nec illius mentionem facit.

Quam Gesn. de Hort. Saponariam vulgò dici refert, eam in cat.pl. Struthium vocat: sed malè, vel ipso de coll. stirp. monente, subscribentibúsque Corn. Matthiol. Dodon. Lobel. Lacunâ, Camer. H. Lugd. & C. Bauhino.

Saponaria potest dici Struthium.

Licèt autem Saponaria hæc ab extergendi potestate, quâ saponis ritu pannos eluit, purgátque, Struthium, ceu & aliæ quædam, vocari possit, à verbo στρουθίζεσθαι, quod Græcis, lanas purgare & candidas facere significat, tamen nostram Saponariam antiquorum Struthium, Arabum Condisi, siue Latinorum Radiculam aut Herbam Lanariam (hæc enim nomina eandem designant plantam) non esse, tum ex Theoph. & Plinio liquet, tū ex iis quæ sequuntur, ostenditur. Struthium Græcorum, siue Radicula Latinorum in Syria vbiuis colitur, ideóque Columella Syriacam radicem, ac eius semen Syrium vocat, Gaza Lanariam herbam. Gignitur & ibidem in asperis & saxosis locis, radice magna [longa & tereti addit Serap. ex Diosc. quæ in nostris exempl. desiderantur.] gustu acri, & feruidâ, sternutationes irritante: folio Oleæ, spinoso: caule lanuginoso, tenui, ferulaceo, indigenarum cibis expetito, & quicquid tingente, cum quo decoquitur: flore aspectu grato, inodoro, æstiuali. Ab hoc igitur Struthio multis notis, ac præsertim facultatibus Saponaria nostra differt, teste Lacuna.

Herba tunica.

Cæterùm nonnulli Herbam Tunicam appellant: non est tamen Vetonicæ coronariæ, multò minùs Polemonij aliqua species, quas pro Tunicis herbis haberi, de Caryophylleis scripsimus.

Alisma.

Videri citiùs posset Alisma, siue Damasonium, nisi caulis ei crebrò, non simplex, sed subinde in alas quasdam diuisus; & radices essent quàm Veratri nigri crassiores: *folia* siquidem habet Alismatis descriptioni conuenientia, & globosam florum in summo caulium congeriem. Sed Alismatis tenuis est caulis & simplex, & radices similiter tenues: quæ differentiam Saponariæ huius & Alismatis ostendunt, inquit Dodonæus, qui Saponariam cum Lobel. in Obseru. pag. 170. in Icon. Plant. p. 314. inscripsit: Lacuna & Camer. Saponariam vulgarem: Cæsalp. Saponariam vulgò: Lob. in Adu. Saponariam vulgi, foliis plantagineis aut Gentianæ, flore Ocimoidis: Schvv. Saponariā Herbam fulloniam & Lychnidem fulloniam: Germ. Seiffkraut/ weschkraut/ Speichelwurtz Silesij Hundsnegelin/ Madenkraut/ & alibi Spatzenwurtzel/ autore Trago.

H. Lugd. duo Saponaria figura.

H. Lugd frustra vnius huius plantæ duas dedit icones: primæ titulus est p. 822. Saponaria maior; alteri p. 823. Struthium Fuchsij.

Lychnis leuis.

C. Bauh. phyt. vocat Lychnidem 10. siue Saponariam læuem, floris colore ludentem, communiter dilutè purpureo, aliquādo ex roseo rubente, nonnunquam candido: item caule leuiter hirsuto, foliis verò læuibus (qualē Tragum & Fuchsium exprimere refert) nonnunquam etiam caule & foliis læuibus, qualem Lob. & Dodonæum pingere testatur. In hac & abortum se obseruasse ait, vt pro floribus sint copiosiores ramuli foliacei paucis floribus intermixtis. Idem & Vrceolarem Plinij esse negat meritò. Anguill. epist. 14. est Ocimoides Ghini.

Locus & tempus

Apud Belgas in hortis colitur: alibi, ceu in Germania iuxta fluuios, torrentes, & stagna locis apricis & arenosis spontè nascitur, florens Iunio, Iulio, Augusto, Septembri & Octobri: Geneuæ in colle

in colle *la Bastie* viret Aprili. In hortis diu durat & vitæ est pertinacis. Reptatu in hortis odiosa est.

Vires & V-sus. Porrò, Saponariam, calidam quidem & siccam esse temperie attestatur Dodonæus: facultate autem abstergendi non exiguâ præditam. Pressu (inquit Schvvenckf) nitrosum extergentemque remittit succum, vnde vi pollet abstersoriâ, adeò vt etiam pituitam è capite eliciat, ac sternutamenta moueat tantâ violentia, vt partum mortuum excutiat: Rustica gens puluere alcarides puerorum expellit: abstergit scabiem & omnes cutis fœditates. An autem hæc experientiâ habeat Schvvenckf. ipse nos docebit. In coronas ob floris tum suauissimum odorem, tum summam pulchritudinem, venit. Maculas vnctuosas vestium tolli, si cum Saponaria herba lauentur, extra controuersiam verum est.

LANARIA SIVE STRVTHIVM Dioscoridis Imperato.

Cap. XLII.

Descriptio. Lanariæ Dioscoridis nomine ex Italia ad Fratrem missa planta cubitalis, *caule* & ramis subinde angulosis: ad genicula *folia* nascûtur bina ex aduerso sita, vncialia aut sescuncialia, angusta, Garyophylli holosthi foliis similia: è quorum sinu rami exeunt itidem geniculati, foliis eodem situ amicti, quorum extrema nescio quid *flosculorum* gerunt: inferiora folia ad Luteæ vulgò dictæ folia accedunt, longitudine ferè palmari, semunciam lata. De eadem planta aliquot annis pòst ita proditum ab Imperato inuenimus, Lib. 28. Hist. nat. cap. primo: Lanaria paganis dicta prouenit in Calabria, & in regione Basilicata vicina Regni Neapolitani prouinciis. Dicta autem est Lanaria, quòd huius radice ramisque commodè vtantur ad mundandas lanas. Exortus similis Saponariæ. Ortus huius plantæ similis ferè Saponariæ vulgaris, aut Lychnidis, sed ramis tenuioribus minutioribusque: quorum extremis flosculi hærent parui, albi. Ipsi alioqui rami subtilissimi articulatim ferè in ramulos subdiuisi. Semina minimis inuolucris continentur nigra, magnitudine grani Milii, saporis amariusculi.

STRVTHIVM SPINOSVM, SIVE Condisi Bellunensis.

Cap. XLIII.

Descriptio. Bellunensis radicem esse scribit plantæ foliis spinosæ Carduorum modo, crassitie pollicis, intus subflauam, nigram foris, odore & gustu acrem: eius decocto lanas, laneosque pannos sordidos abstergi. Damascenos Seplasiarios eius decoctum immiscere confectionibus paratis è melle ac sapa, idque candoris tantùm conciliare, vt ex amylo & saccharo purissimo constare videantur: quin etiam sic durare, vt tenaciores sint, & vix morsu diuellantur. Constat eius radice in globos coactâ, Syros vestium, linteorum, & indusiorum sordes ac inquinamenta eluere, saponis aut lixiuii modo.

POLYCNEMON VETERIBVS.

Cap. XLIV.

Hippocr. Hippocrates m. m. πολύκνημον (vel vt Fœs. in œcon. πολυκνήμον) nominat, ac fotu & suffitu vtero malè habenti adhibet, lib. περὶ ἀφόρων.

Diosc. lectio illustratur. Dioscorides fruticem ait sarmentosum, *folia* habentem Origano similia, *caulem* verò multis geniculis præditum [suspicatur Corn. hîc interponendum ex Plinio, τὸν δὲ καυλὸν πολυγόνατον, ὥσπερ δὲ ὥσπερ γλήχωνος] velut Pulegium. Non tamen *vmbellam* habet, sed paruos in cacumine corymbos, cum acri quadam odoris iucunditate. Seu recens, seu aridum (χλωρὸν ἢ ξηρὸν, vet. ξανθὸν) ex aqua impositum efficaciter vulnera glutinat: sed quinto die solui debet. Ad stranguriam itidem & rupta ex vino bibitur. Cætera quæ huic capiti accreuerunt, vt adulterina cum Marcello reiicimus.

Plinius. Non habet Polycnemon certam in Latinis historiam: Plinius lib. 26. cap. 24. Cunilæ bubulæ, quæ inter Origana numeratur, similem tantùm dixit: cætera ex Dioscoride iisdem verbis ab eo reddita sunt.

Galenus. Galeno Polycnemon siccat, & calefacit secundo ordine, vt propterea etiam vulnera glutinet.

Nicander. Nicander in Theriac. contra venenata eam laudauit: ἐν δὲ τ' ὀλίζωνα ... πολύγνημον, &c. quo loco transmutatione literarum, vt solent Poëtæ, vsus est, Polygnemon dicens.

Apollon. Meminit eiusdem Apollonius in comm. de herbis, nec dissimilem Origano fecit.

Apellationes spuria. Hanc inter spurias appellationes Clinopodio, Iouis colum, Echeonymon à Romanis Pucealogin, & à quibusdam Polygonaton dici audimus. Non quia verè Polygonato similis sit, sed quoniam geniculato per totum caule est. Quam credit Marcellus etiam fuisse causam vt Polycnemon Græci eam vocarint, quasi frequentibus suris: κνήμας enim furas illi vocant, quæ in surculis herbæ huius interualla sunt, quibus folia inter se distant.

Plin. repreh. Plinius lib. 20. cap. 16. de Cunila bubula obliuiosè eascripsit, quæ de Polycnemo lib. 26. c. 14. prodidit: ita vt cum historia Cunilæ bubulæ, Polycnemi descriptionem confuderit.

Aequiuoca. Cæterùm Polycnemonis appellatione sequêtes donantur plantæ. Tricnemon. Consolida media. Prunella. Polygonum tertium Dodonæi. Polycnemon Dalechampii. Mentha aruensis. Clinopodium. Polycnemon Origano simile. Alsine minor Thalii.

POLYCNEMVM DAL. FOLIIS hirtis, vasculis longis.

Cap. XLV.

Descriptio. Gignitur *radice* breui, fibratâ, nigricante, *cauliibus* palmum altis, surculosis, crebrò geniculatis, *foliis* Tragorigani, hirtis, odoratis, acribus, eximium ac suauem quendam odorem spirantibus, *flore* non vmbellæ specie, sed in summis caulibus oblongo, ac ex vasculo longo, & herbaceo emergente. Polycnemum hoc Dalechampii H. Lugd. pag. 932. sibi ignotum fatetur C. Bauhinus.

Ex aridis & æstuosis Corsicæ montibus ad Dalechampium allata fertur.

FLOS CVCVLI, ODONTIS QVIBVSDAM.

Cap. XLVI.

Descriptio. Svbinde reptante, fibratâque *radice* se propagat Flos cuculi dictus, *caules* tollens cubitales

& altiores, inanes, hirsutos, geniculatos, striatos: in quibus *folia* ad genicula, bina, stricta, oblonga, acuta: *flores* Garyophylli superbi dicti, rubête, carneóve colore, rarius albo, fimbriati, apicib. cineteis, ex calyce oblongo, purpurante, striato, & quasi cannulato. Huius ex flore pleno suaue rubente petita varietas.

Flos cuculi vulgò appellatur teste Clus. in Pannon. pag. 33. itémque Hist. post. (vbi Odontitidis Plinij simplici flore, titulo eam donauit.) & Lonicero: Trago cuculi flos pratensis, qui respectu floris Armor es speciē faciendam censet: Gesn. hort. Odontis Plinij Kreichio: Eidem in cat. pl. Odontides Fœni genus: Ruellio Odontides fruticosa. à Plinio inter Fœni genera, Fœnaria rustica: Camer. hort. Odontis quorundam. Sed huic non omnes Odontitis Plinij notas respondere in Harc. perhibet Thalius, qui ἐξεχύθες alterum, siue ἐξεχύθες speciem alteram vocat: Casp. Bauh. phyt. dicitur Caryophyllus 29. siue pratensis, flore simplici, communiter rubello, rarius candido: Schvvenckf. Caryoph. silu. tertius: Dod. de Flor. Caryophylleorum, vel Armeriorum species quarta: Hist. lat. in fol. Vetonicæ 4. species, & Vetonica silueftris: Lobel. in Adu. Armoraria silu. pratensis, & Armoraria silu. nonnullorum practicorū, Tunix Arabum: Icon. Plant. p 451. Armoraria pratensis silu. Flos cuculi Lob. in Append. Teut. 536.


Nescimus quā occasione Tabern. huius plantę duas figuras dederit, vnam nimirum pro Flore cuculi, alteram pro Caryophyllo pratensi, quam in Hist. 18. fecit.

Nomina ling. Germani vocant Gauchblum/ Kuckucblumen/ Pechblumen/ & Pechtnegelin: Belgæ Craye bloemkens, i. e. Cornicis florem & Koeckoecrnes bloemkens: Galli *fleur du coquu*, h. e. Florem cuculi.

Prata communiter ornat Maio, Iunio, Iulio & Augusto. Ad venena commendatur.

FLOS CVCVLI FLORE MVLTIPLICATO purpureo, & altero albo.

Descriptio



TOssanus Carolus ex Champagnole surculos misit, detractos in Burgundiæ montib. humidorū locorū ex ipsis plantis, quarū vnam inscripsit Florem pulchrè incarnatum, valdè multiplicatū, alteram albū: priorem verò cognominabat Armerium aquatilem polyanthum, alterum Armerium aquatilem flore albo.

Armer. aquat. Polyāthes.

Clusio est in Hist. post. Odontitis Plinij pleno flore: Venetiis *Margarita* nomine habuerunt Camerarius & C. Bauh. Floret adhuc Augusto: facilè verò perit, nisi surculis propagetur.


Odontitis Plinij flore pleno.

Locus & Tempus

ODONTIDI SIVE FLORI CVCVLI affinis Lychnis syluestris 1. Clusij in Pannon. 4. in Hist. post.

CAP. XLVII.

Descriptio



CAulem tollit cubitalem, rectum, cauum, longis internodiis distinctum, tactu circa cacumen glutinosū: ex singulis geniculis bina folia ex aduerso sita Floris cuculi, oblonga, acuminata, crassiora, saturatiúsque virentia: ad eadem genicula à medio ferè caule ad summū fastigium, pediculi à foliorum sinu exorti lōgi *flores* crebros sustinent, pulchrè purpurascentes quinis foliis constantes, Saponariæ floribus accedentes, ex calice oblongo: *semen* ruffum sequitur in vasculis ex principio angusto paulatim dilatatis: *radix* crassiuscula, nigra, multas fibras spargit, & singulis annis nouos, eósque numerosiores caules profert.

Synon. Clus. in Pannon. p 328. vocat Lychnidem silu. primam [4. in Hist. post.] Tabern. Lychnidem silu. purpuream in Icon. [7. in Hist.] C. Bauh. phyt. Lychnidem 29. siue viscosam rubram angustifoliam. Schvvenckf. Caryophyllum silu. 4. viscosum. Thalius ἐξεχύθες rubrum, propter florum colorem & Hesperidem, quorundam aliorum verò Viscaginem.

Locus & Tempus. In omnibus ferè Pannoniæ & Austriæ inferioris montanis syluis, editísque & herbidis locis inuenitur, atque etiam syluis Francofurto vicinis: floret Maio, semen Iunio maturescit. Clusio: apricis & aridis delectari dicit cautib. Schvvenckf. Vbiuis in Harcinia locis aridis frequentem perhibet Thalius. Mihi verò ostensa Argentinæ flore conspicua Maio.

LYCHNIS SILV. FOLIIS ANGVSTIS & pluribus ex geniculis singulis, Clusio 1. in Hispan. 8. in post.

CAP. XLVIII.

Descrip. GEniculatos habet *caules*, tenues, in plures alias diuisos, pedales, aut maiores: *folia* in singulis bina, ternáve, interdum plura, angustiora quàm iam dictæ, viridis candido perfusi & quasi cæsij coloris: *flores* in summis ramulis nascentes, quinis foliis bifido mucrone præditis constantes, internâ parte candidos, externâ aliquantulùm purpurascentes, &, antea quàm omninò tabescant, sese contrahentes & circumuoluentes: *calices* admodum duros, breues, subrotundos: *semen* paruum, rotundum, Papaueris rhœadis, cineracei



racei coloris continentes: *radicem* satis crassam, albam multifidam, altero anno pereuntem.

Synon. Est hæc Clusio in Hisp. Lychnis silv. 3. in Hist. post. 8. Behen album Salmanticensiū & vulgo Colleias. Lobelio in Icon. p. 338. & Obs. (vbi & Behen album Salmanticum vocat, ipsique minimè animaduersū ait.) p. 182. itemque H. Lugd. p. 817. ac Tabern. in Ic. & Hist. Lychnis siluestris Clusii prima. Casp. Bauh. phyt. Lychnis 18. siue silv. pluribus foliis simul iunctis. Suspicor me hanc habere collectam Argentinæ in horto D. Georgii Obrechti foliis latiusculis ob culturam.

LYCHNIS SILV. LANVGINE CANESCENS, flore maiusculo rubescente, Clusio 5. CAP. XLIX.

Descriptio




MVltos habet ex vna radice *caules*, rotundos, longiusculos, cæteris infirmiores, in terrā procumbētes; geniculatos: *folia* in singulis geniculis bina, longa, mollia, & lanugine quadam canescentia, inter quæ *flores* alternatim secūdùm ramulorū longitudinem enascuntur Odontidi affini Lychnidi silv. formâ similes, maiores & dilutiore colore rubescentes, vel, vt ita dicat Clusius, incarnatos: *semen* illi in vasculis par, subrusum: *radicem* crassam & fibrosam, quæ tamen plerumque alterum annum non superat.

Synon. Pingitur à Clusio in H sp. & H. post. Lychnidis silue stris 5. titulo, itemque à Tabern. in Ic. & Hist. vbi Lychnidem 12. silv. Grawe wilde Marien Rößlin/cognominat. C. Bauh. phyt. vocat Lychnidem 15. siue silv. lanuginosam incarnato flore: H. Lugd. pag. 818. Lychn. silv. Clusii, hirtam Lobelii: Lob. in Ic. Plant. p. 337. & Obs. p. 18[?] Lychnidem siluestrem hirtam.

Locus. Clusius author est hanc subamaro esse sapore & in marginibus quorundam Castellæ agrorum inueniri.

MVSCIPVLA VISCARIA, SIVE Lychnidis species. CAP. L.

Descriptio.




CRebris statim à *radice* fruticat ramis multis, *caulem* ipsum cubitalem altitudine æquantibus, geniculatis, solidis, rotundis, per quos ad genicula nascuntur *folia* aduersa duobus plura, oblonga, acuminata, quibus latiora & obtusiora sunt infima, ad Bellidis accedentia, viridia, glabra: *flores* tum extremis ramulorum, tum è foliorum sinu prodeunt rubelli ex calyce simili Polemonio petræo, oblongo, stricto, qui delapsis floribus à pericarpio & vasculo in ventrem turgente distenditur; semine subnigro: *radix* lignosa, alba, multifida. Sunt nobis plantæ aliæ paruæ huius generis dodrante minores.

Muscipula siue Viscaria Lobelii. Muscipula siue Viscaria, Lobelio in Obs. pag. 242. [vbi Lychnidē silv. 4. Clusii. & Silenen Theophrasti Aldroandi quoque vocat.] & Ic. Plant. p 453. Spontè nascitur in aruis, inquit Clusius, & inter segetes pingui solo, plerisque Castellæ veteris locis: in hortis culta, floret eodem quo sata est anno, à Maio mense vsque in Autumnū: spontè etiam seritur, & ante Hiemem prodit.

Synon. Hanc Lychnidem silv. 4. Clusii pingit H. Lugd. p. 818. & Tabern. in Icon. & Hist. vbi & Lychnidē 11 siluestrem appellat. C. Bauh. phyt. dicitur Lychnis 25. siue viscoso caule, & Muscaria Adv. An Viscago vulgò vocata Cæsalpino?

MVSCIPVLA MAIOR CALYCE turgido ventrioso.

Descriptio



VIscaria maior cubitalem emittit *caulem* rectum, statim à radice ramosum, crassiusculum, hirsutum striatum, fragilem: *folia* Ocymoidis non speciosi, hirsuta, mollia: ex ramorum diuaricationibus, foliorum sinu, extremisque *flores* ex pediculo satis longo appensi, quinque foliis bifidis purpurascentibus, orto Sole

flaccescentibus constant, apicibus in medio albis, ex calyce oblongo, hirsuto, pulchrè striato, quem in immensum distẽdunt seminũ vascula è lata sessilique basi ventriosa in mucronem desinentia, *semen* continentia pulchrum, nonnihil ad papauerinum accedens, sed maius, compressum, striatum, cinereum: *radix* robusta est, recta, ex lateribus fibras producens: Tota planta ad tactum viscida: foliorum sapor glutinosus.

Synon. Hæc est illa, quam Clus. in Hisp. Lychnidem silu.3. in Histor. post.2. inscripsit. Lobel. verò in Obs.p.183. & Icon. Plant. p.339. Lychnidem silu.3. Clusij.

H. Lugd. & Tabern. notantur. H. Lugd. p.818 hanc itidem pingit, titulo Lychnidis silu. 3. Clusij: cauliculis [calyculis legendum. Compilator Hug. Lugdunensis errorem apud Lobelium à typographo commissum ignorauit: vt & Tabernam. qui itidem etiam inscripsit:] striatis, ponitque eius descriptionem p.819. & aliam p.816. Melius C. Bauh. phyt. dixit Lychnidem 20. siue silu. latifoliam calyculis duris striatis.

Locus & Tempus. Muscipula siue Viscaria maior floruit mense Maio Geneuæ ex semine eodẽ anno sata in horto meo: annua est herba: Montbelgardi sæpiùs prouenit ex semine deciduo. In aruis & inter segetes pingui solo, plerisque Castellæ veteris locis collegit Clusius: & in hortis Belgij florentem, eodem quo sata anno, à mense Maio in Autumnum vsque.

MVSCIPVLÆ MAIORI CALYCE ventrioso, similis.

CAP. LII.



Descriptio. MVltùm similitudinis habet hæc herba cum precedenti: *radix* alba, crassiuscula, fibris paucis donata: *caules* crassiusculi, rigidi, pedales, purpurascẽtes, geniculati: ad genicula *folia* bina, caulem amplectentia, superiora vnciã longa, angusta, hirsuta, candicantia: cauliũ supremæ partes diuiduntur potissimùm in ternos breues ramulos, in quorum extremis *calyces* turgentes, magnos, breuiores multò quàm in præcedenti: in iis vascula breuiora, tunicis diuisa, *semina* Papaueris modo, parua, cinerea, continentia. Et sic quidem siccam descripsimus.

C. Bauh phyt. vt iam annotatum, dicitur Lychnis 19. siue silu. angustifolia caliculis duris striatis.

H. Lugd. p.817. & 819. Lychnis silu. altera Clusij, Papauer spumeũ quorundam: *Figura* Lychnidis silu. alterius Clusij posita apud H. Lugd. p.817. titulo non correspondet, inquit C. Bauhin. est enim figura Lychnidis silu. alterius incanæ cauliculis striatis Lobelij, quare non huic figura descriptio Clusiana addenda: Clusij enim descriptio, quæ hoc loco habetur, est eius figuræ, quæ Muscipulæ, siue Armeriæ alterius nomine p.809. ponitur & describitur. Quare hæc figura p.817. referenda est in pag. 819. vbi ex Lobelio, Lychnis silu. altera incana describitur. Dicitur pag.819. videri Lychnidem quartam Clusij. Nego quia Clusius suæ tribuit folia intenso virore ferè nigricantia: ex Lobelio verò vniuersam plantam albicare tradit.

Locus & Tempus. Monspelij secus vias obseruauit gener Cherlerus præsertim quà Castelnouanum pergitur: siccam etiam plantam dono nobis dedit D. Iacobus Zvvingerus.

MVSCIPVLA MVSCOSO FLORE, SIVE Ocymoides Belliforme.

CAP. LIII.



Descriptio. OCymoides belliforme à *foliis* primùm pullulantibus Bellidis folia vel Globulariæ referentibus, satis densis, fibrosis, obscurè virentibus, sapore nullo insigni: licèt reliqua per caules folia oblongiora, angustioráque conspiciantur, & ad genicula multò breuiora & tenuiora enascentia: *caules* sæpè excedunt cubitos duos, teretes, hirsuti, inanes: à caulis medio ferè ad summum *flores* aliquo modo racemosi ex longiusculis pediculis, spicam longam mentiuntur, pluribus ad genicula ortis muscariis, singulares autem parui, ex luteo herbacei, calyculo striato insidentes, quos vascula excipiunt turgidula *semine* cinereo, papauerino ferè simili, insipido, plena: *radix* longa, mediocriter crassa, alba: tactu glutinosa est herba potissimùm circa superiora. Totam amaram scribit Clusius: ego tamen in culta Basileæ non obseruo amaritudinem.

Synon. Est Muscipula seu Viscaria altera flore muscoso, Lob. in Aduers. Muscipula altera flore muscoso, Papauer spumeum quorundam, & Sesamoides magnum Salmanticum Clusij, in Icon. Plant. p.453. & Obs. p.242.

Viscago quædam. Cæsalp. vocauit Viscaginem quandam, racematim tanquam in spica, flores exiles, & subpallidos ferentem. H. Lugd. pag.684. Muscipulam alteram flore muscoso Penæ. Tabern. Odontidem siue Lychnidis silu. genus: Item, Sesamoides Salmanticum magnum. C. Bauh. phyt. Lychnidem 26. siue Viscosam alterã flore muscoso, multis cum Papauere spumeo Dioscoridis conuenientem, si spumeum ob viscum inhærens sit appellatũ. Frater postrema hæc verba ex Cæsalpino desumpsit.

descripsit: an autem conueniant huic potissimùm. vel Viscagini priori Cæsalpini potiùs, aliis iudicandum relinquo.

Ocimoides minus siue album, non est Sesamoides magnum Clusii, vt videtur H. Lugdunensi p.685. Ocimoides enim minus florem habet album instar Been albi, oblongum: Clusii verò Ocimoides magnum flosculos racematim coaceruatos exiguos ex pallido herbaceos: & hoc Clusii Ocimum sequenti p. 684. Muscipulæ alterius flore muscoso nomine positū est, rectiùs tamen fecisset, si figuram Clusii, quæ melior est, Compilator assumpsisset, teste C. Bauhino.

Locus & Tempus. Burmii in Rhœtia inueni florentem Iunio: Tiguri Gesnerus in horto alebat, vti ego Geneuæ, vbi nonnihil culturâ formam mutabat. Eandem postea Basileæ obseruaui florentem & semine abundantem Iulio in horto D. Zvvingeri, vbi à pluribus annis ea se conseruarat radice perenni.

LYCHNIS PLVMARIA.
Cap. LIV.

Lychnidem plumariam, Pflaum Margen Rößlin/ siue Lychnidem 4. Tabernomontano ita dicta à globulis albicantibus, rotundis, striatis, in quibus flos lanæ, vel plumæ similis, plantam caule firmo, recto, binis foliis ex nodosis geniculis, incognitam sibi esse fatetur C. Bauh. phyt. vbi Lychnidē 24. facit. Mihi verò suspecta est ieiuna hæc descriptio, fortè per Compilatorem Hist. Tabern. facta ad figuram: mirum quod non annotetur locus, tempus, & sapor: vereor etiam ne figura minus sit artificiosa: quædam habet similia cū Muscipula muscoso flore, siue Ocimoide Belliformi: perquirant lectores.

C. Bauh. ignota.



An Muscipula muscoso flore?

POLEMONIVM PETRÆVM
Gesneri.
Cap. LV.

Descriptio. Radix longa, crassiuscula, lignosa, alba, subacris, ex pluribus radiculis in vnam coëuntibus, composita, à qua *folia* infima nullo ordine nascuntur numerosa, vnciam circiter lata, tres, quatuorue vncias longa, pediculo satis prolixo, atro-virentia, hirsuta, sapore subacri & subamaro, pediculis rubentibus, hirsutis: *caules* cubito & sesquicubito non unquam longiores, tenues, rubentes, hirsuti, lento succo obliti, geniculati, binis foliis oppositis, hirsutis, oblongis, acutisque ad singulos articulos: *flores* è calyce, qualis in flore cuculi conspicitur, rubente, striato, oblongo emicant, albi, ex quinque foliis bifidis inque spicam reflexis compositi: ex quorum meditullio exeruntur *stamina* terna, toto calyce longiora, rubentia: *semen* in vasculis bullatis, læuibus, orificio patulo in tres loculos distinctis, minutum, pullū, ferè orbiculatum, crispum. Figura nostra ex Fuchs. non placet.




An Trago Floris cuculi genus siluestre flore albo? An Tabern. Icon. & Hist. Lychnis silu. wild frawen Rößlin/wild Margen Rößlin / Lych. silv. 6. flore albo, ac etiam rubello? Hic si eandem nobiscum intelligit, non placet ieiuna descriptio. An Cæsalp. Viscago flore candido?

Locus & tempus. Geneuæ & Tiguri in muris abundat, sicuti & Basileæ: floret mense Aprili & Maio. Plantatum in horto E. C. semen maturat Augusto & Septembri: prouenit etiam *à la thau* florens Maio & Iunio: abundat in rupibus iuxta Mormontium. Gesnerus, qui Tiguri in horto colebat, me præsente Polemonium petræum, vel saxatile denominabat, & Ceruicalem Val. Cordi: Dalech. Saxifragiam, Ocimoides minus, & Perdicium alterum Plinii cap. 17. l. 12. Cæterùm, authore Clusio nona (falsò legitur octaua) non modò in cęduis siluis, sed etiam ad restibilium agrorum margines, nascitur per vniuersam Austriam intrà Onasum. Morauiam, Bohemiam. Pannoniam, vltraque Murā & Drauum, abundè etiam in siluis Francofurto vicinis. Meminit idem & in Belgica videre Lutzelburgensi Ducatu: Schvvenckf. in Sil. fit petrosis & asperis, florens Iunio in Güßmanßdorf.

Polemon. petræum. Ceruicalis Val. Cordi Perdicium alterum Plinii.

VISCAGO AVRICVLÆ FACIEC RETICA, & variæ aliȩ Clusii Lychnides.
Cap. LVI.

Descriptio. Radices agit fibrosas, Primularum Veris instar, è quarum capite *folia* promit satis ampla, Auriculæ vrsi vulgò appellatæ flauo flore foliis non valdè dissimilia, candidiora tamen & lanugine pubescentia, etiam illis crassiora, densiora, & succo abundantia: altero demum à satione anno *caulem* producit duorum aut trium cubitorum altitudine, firmum, rotundum, succo quodam lento & glutinoso oblitū, quo muscæ & alia minuta insecta insidentia detinentur magno numero: in summis ramis plurimos profert *flores*, veluti in vmbellam congestos, etiam ad centesimum interdum numerum, satis tamen exiguos pro plantæ magnitudine, quinque foliis



bifidis constantes, coloris ex viridi flauescẽtis. Huius *semen* ad se missũ meminit Clusius ex Italia, à Iosepho de Casa bona, quum ex Creta redux esset, Muscipula Auriculæ vrsi facie cognomine. Iconem verò, quam hac tabella expressam damus, ad ipsũ mittebat Iacobus Plateau, quã Clus. Lychnidẽ silu. latifoliam inscripsit.

Sunt verò illi & alia varia Lychnides quas describit, verbi gratia:

Lychnis silu. Clusio è semine nata, folio lanuginoso 1. flosculo niueo, viuiradix, Muscipula Italorum.

Lychnis silu. Clusio è semine nata folio lanuginoso 2. flore foris ex fuligine purpurascente, intus albo, viuiradix.

Lychnis silu. Clusio è semine nata, folio lanuginoso 3. flore carneo, annua.

LYCHNIS PARVA.

Cap. LVII.

Descriptio. HOc nomine ad me misit Frater Lychnidis plantam annuam, dodrante paulò maiorem, vncialem, rectam, *radice* singulari, lignosâ, fibratâ, satis tenui: *folia* infima propter terram, vngue non multò longiora: at superiora longiora & latiora paulò existunt, Polemonij petræi foliis similia, minora, magis hirsuta, ad caulis hirsuti & teretis genicula nascuntur: à caule medio, summo tenus tenuia foliola & *flosculi* conscendunt oblongi, tunicâ striatâ, rubente, longis pilis obsitâ inuoluti, eo ferè modo quo Polemonij petræi flores: *vascula* tandem oblonga, turgidula, superiùs crenata alternatim per caulem ex breui pediculo, tunicâ iam dicta obuestita.

Synon. Inscripsit hanc Lob. in Obs. p.183. Icon. Plant. p.339. Lychnidem silu. hirtam minimam: H. Lugdun. p.819. Lychnidem silu. minimam 6. Clusij: Tabern. in Ic. & Hist. Lych. silu. minimam, Kleinest wild Rame himmels Röslein; Lychnidem 14. C. Bauh. phyt. Lych. 16. siue silu. lanuginosam palmarem.

LYCHNIS MINIMA RIGIDA Cherleri.

Cap. LVIII.

Descriptio. RIgidula est planta, duûm triúmve vnciarum altitudine, rarò palmum attingit, *coliculis* duris, rigidis, ramosis; *folia* ad nodos bina ex aduerso posita, semunciâ breuiora, perangusta, pilosa, è quorum alis nascũtur *calyces* semunciales, bimuli, perquàm graciles, æquabiles, hirti & asperi: è quorum apice *flosculus* prosilit, quem præ exiguitate vix visus capit, purpureus: *radix* dura lignosa: collecta per Generum Cherlerum prope Nemausum iuxta molendinum.



OCYMOIDES FLORE RVBRO, minus, Creticum.

Cap. LIX.




Descriptio. EX semine Cretico, Ocimoidis minoris flore rubro Candiæ nomine à Casabona misso, nata est planta, *caulibus* pedalibus, hirsutis, tenuibus, pluscculis ex *radice* tenui pullulantibus: ad quorum articulos conspiciuntur bina *folia* oblonga, mucrone obtuso, ex quorũ alis ramuli duo aduersi germinant, fastigio *flores* rubros sustinentes longos, tunicâ longâ striata obuolutos, quemadmodum Lychnis silu. 4. & 6. à Clusio depingitur: subsecutus est *calyx* longus.

Hanc esse Lychnidem syluestrem 7. Clusij asserere non dubitamus. Caspar. Bauhinus in phyt. Lychnidis decimæ-nonæ speciem facit, sed foliis breuioribus, floribus minoribus, in ramulorum summitatibus sitis, ac nomine Ocimoidis minoris flore rubro Cãdiæ à me accepisse ait. Anno enim 1594. ex semine à Casabona accepto mihi prouenit. Ego autem non possum hanc ad Lychnidem 19. Fratris, siue incanam Lobelij, quæ ab illa non parum differt, referre. Locus & Tempus. Accepi Stutgardiâ semen, quod satum, Aprili prouenit, & floruit Iunio, semen maturauit Iulio: ad pedis autem altitudinem peruenit.

* * *

OCYMOIDES LYCHNITIS reptante radice.

CAP. LX.



Elegans hoc Lychnidis silu. genus depingit Fab. Columna dicto Ocymoidis Lychnitidis reptante radice titulo, sicque describit. Media est planta hæc inter Ocymoidem & Lychnidem coronariam: Ocymoidi verò, quia foliis sit paruis ab radice statim binis singulis geniculis hærentibus: at Lychnidi quia incana, pilosa, atque carnosa folia habeat, non minùs quàm Lychnidis folia ad ellychnia formanda apta, similis videtur. Spontè ac frequens oritur in monte D. M. Virginis appellato, locis humentibus petrosis.

Descriptio

Radice tenui admodum firmatur, parum sub terra descendente, atque circum reptante, ex qua plures fruticant *viticuli* rotundi, incani, hirsuti, bina *foliola* singulis geniculis hærentia habentes, quæ in imo minora sunt, deinde maiora in medio viticulo, quod contrà euenit in plantis, ab radice statim foliatis, ante caulis eruptionem, vt in Theophrasto legitur, hirsuta, carnosa, incana, Lychnidi similia, sed magnitudine & formâ Ocymoidi, Polemoniæ Belgis dictæ. Cuius etiam, sicuti & aliarum congenerum ritu *flores* edit Aprili atque Maio mense candidos, quinque foliolis constructos, *stamina* intus quinque lutea habentes, atque singula folia in summo quo latiora sunt, diuiduntur vti folliculi Thlaspi: Iunio *semina* in oblongis pericarpiis mollibus, cartilagineisque perficit, fulua, angulosa, hirsutaque. Pericarpii verò non vesica vti in superiore Ocymoide (Ocimum silv. intelligere puto:) obducti sunt, sed tantùm basim quinque foliolis constructam, vt in planta, Gallinæ morsus appellata. Huius radix viuax admodum est, ideoque multùm fruticat, atque perennat, terramque ipsius coma operit.

Vires & Vsus

Sapor plantæ dulcis est, quare non ineptè Herbariorum, fœmellarumque vulgus ad eliciendum lac copiosum vtitur, atque plantam sicuti cætera olera iusculis admixtis intus ouis disruptis decoquunt, non sine Piperis, atque Amaraci modico, vel, vt alii solent, in placentam efformant, cuius esu magnam lactis copiam prouenire experimento se habere asserunt, atque hodie vtuntur. Ex his igitur, calidam atque humidam, nec adeò terrenæ substantiæ participem esse censeri potest. Hanc Herbarii Neapolitani, *Herba lattaria* vulgò appellant, à lactis eliciendi facultate ipsis nota.

Lactis copiam generat.

CENTAVRIVM MINVS FLORE purpureo & albo.

CAP. LXI.

Obliquè radicem agit gracilem, lignosam, exuccam, insipidam: *caulis* vnus (plures nonnunquam) angulosus dodrantalis circiter, læuis: *folia* per terram al a sparguntur, alia in caule, bina ex aduerso sita, Hyperici foliis maiora: *flores* in extremo cau e, ramulisque plures simul iuncti, ex oblongo viridante calyce suaue rubentes, quinque foliis constantes, apicibus totidem luteis, quibus delapsis succedunt longa *capitula*, strigosiora; pulusculo farinaceo plena: sút autem tum folia, tum flores, insigni amarore prædita.

Descriptio



Centaurium paruum (& tenue addit Lacuna ex vet. κενταύριον τὸ μικρὸν καὶ λεπτόν) quod aliqui, authore Dioscoride, Limnæũ [λιμναῖον Corn. λιβάδιον, quo modo habetur apud Plin. quòd circa λιβάδας, id est, locos irriguos nascatur:] vocant, quòd humecta amet loca, herba est Hyperico aut Origano similis, caulem habens palmum excedentem (dodrante altiorem: Sarrac.) angulosum: flores ad Lychnidis florum similitudinem accedentes, è puniceo sc. colore ad purpuram inclinantes: folia minuta, prælonga [ὑπομήκη, vet. tamen ἐπομήκη,] velut Ruta. Semen simile est Tritico: radix parua, læuis, & superuacua. *Plinius* eadem ferè transcribit.

Dioſc. lectio illustratur.

Quamuis, inquit Theophrastus, Centaurii folia, caulesque amara sunt, vtilia tamen planè sentiuntur. Huic cultus minimè adhiberi potest. Hoc enim imminutis viribus hebetatur, atque effeminatur, & aquosum redditur. Quærit loca algentia. In Elio agro fœcundum: quod montuosis æditur, infœcundum: quod planis, flore tantùm gaudet: quod concauis ne floret quidẽ, nisi improbè. Cæterùm, quantùm colligere licet, Theophrastus distinguit inter κενταυρίδα & κενταύριον. Κενταυρὶς enim ei est *Centaurium maius*, vt lib.9. Hist. cap.9. & 14. Item cap.1. vbi legendum censeo pro κενταυρίς, κενταυρίδα, facili errore, cùm Plinius ita legisse videatur, ac id Centaurio maiori competat. Κενταύρειον etiam Hippocrati est Centaurium maius, vt videre est in principio lib. de aff. internis. *Centaurium* verò *minus* à Theophrasto simpliciter κενταύριον vocatur, vt patet ex lib.3. cap.1. lib.4. cap.6. lib.7. cap.9. Hist. Item de caus. lib.6. cap.4.

Gaza autem in versione sua Centauridem & Centaurium sub nomine Fellis terræ confundit, vt lib.7. cap.9. Hist. Item lib.3. cap.1. & lib.6. cap.4.

Gaza notatur.

Cauſ. quo loco Centaurion vertit Fel terræ. Lib. autem 9. cap. 14. Hiſt. idem rurſus κενταυρίδα etiam Fel terræ reddit: libro autem 6. cap. 6. item 9. c. 9. hiſt κενταυρίδα Febrifugam interpretatus eſt.

Varia nomina. Herculis ſanguis. Amaranthus. Febrifuga. Centaurium minorẽ à Græcis Elleboriten vocari refert Apuleius, à Prophetis Hæmaheracleõ quaſi Sanguinem Herculis, Ægyptiis Amaranthum, quòd non facilè marceſcat, Dacis Surlozilam, Italis, eò quod febres fugat, & procul à corpore pellit, Febrifugiam, aliis Multiradicem. Earum autem nothatum appellationum difficilis, Marcello teſte, eſt cõiectura: nihil enim inter eas tam proprium & ſimile eſt, vt miſceri & communicari cum diuerſarum plantarum nominib. non poſſit.

Nomina ling. & Synon. Græci κενταύριον μικρὸν appellant: item λεπτὸν καὶ λιμναῖον, quòd videlicet circa paluſtria naſcatur: Latini communiter Centaurium minus, paruum Lob. & alij tenue cognominant: Plinius, vti oſtẽdimus, à loci occaſione Libadion (ſi integra eſt lectio) ac propter ſummam amaritudinẽ Fel terræ dici affirmat. Arabibus *Kanturion, Chanturion*, & *Katarion fege. fegir*, ſeu *ſages* dicitur, ac Limuſcum eo teſte, qui de Cẽtaurea libelli cõſcripſit. Germ. Tauſendguldenkraut/Erdtgall/fel terræ fieberkraut/Febrifugam, biberkraut/Belg. Santorie, & Kleyn Santorie: Gall. *Petite Centaure*, ſiue *Centaure poulet*, & *Repeveret*: It. *Centaurea minore*: Hetruſcis *Biondella*: Hiſpan. *Cintoria* & *Fel de tierra*: Angl. Centory: Boh. Zenteluc menſsy: Polon. Centurzja: Hung. Ku *Centaurea*, *ez* ... *fü*.

Tabern. reprch. Tabern. in Hiſt. hunc titulum fecit Cẽtaurium minus flore luteo perfoliatum, geel tauſentgülden: Item, Centaurium minus album, weiß tauſent gulden. *Sed qua* cognitio ſtirpium Tabern. vel eius cõpilatoris? ponit duas figuras Cẽtaurij minoris ſub falſo titulo, nulla addita deſcriptione, ac facit Luteum Centaurium ſimilius purpureo quàm album, quod ſanè nulla in re differt à purpureo quàm colore albo: luteum autem perfoliatum plurimùm diſcrepat.

Varietas C. Bauh. apud Matth. & in phyt. vocat Centaurium minus flore è puniceo colore in purpura rubente, perhibétque aliquando eſſe albo & ferrugineo: in humidis bicubitalis altitudinis: in aridis vix duos tranſverſos digitos adæquare.

Centaurij minoris vires & deſcriptionem cum Gratiolæ deſcriptione & facultatib. à Theophraſto & Plinio permixtas fuiſſe cenſet Dodonæus.

Centaurium minus nullis ferè non cognitum, quod paſſim in officinis habetur, verum & legitimum eſſe, omnibus, vt arbitratur etiam Matthiolus, exploratius eſt, quàm vt hîc multis oſtendi debeat. Quippe quod nullus in vniuerſum notis Centaurij minoris hiſtoriæ refragetur. Quo fit, vt non parum aberrauerint inter Mauritanos Meſues, Auicenna, & Serapio, vtpote qui Cẽtaurij minoris vires cũ maiori turpiter confuderint. Inter alios dubitat Anguill. epiſt. 12. Difficile eſt, inquit, affirmare, Centauream minorem, quæ oſtenditur eſſe eam, de qua locutus eſt Dioſcorides. Verba enim eius cùm dicit plantam ſimilem Origano aut Hiperico, oſtendunt eſſe ſimilẽ tũ foliis, tũ ramis, quod non appareat in noſtra.

Locus & tempus. Loca amat herboſa, aratro non proſciſſa, aliquantulùm, ſed tamen non omninò, rigua. Eſt non modò in Italiæ prouinciis, verùm & in Germania ac Belgio alibi undè frequens in collibus riguis. Iulio & Auguſto vnà cum florib. ac ſiliquis legitur. Baſileæ prope Leutach in monte, & circa Dornacum in ſyluis Auguſto florens obſeruaui: in ſiluis circa Geneuam pulchrè virens locis humidis menſis Februarij principio. Albo flore multis locis reperitur, potiſſimùm circa Auguſtam.

Vires & Vſus. Magni, multique vſûs herba Centaurium minus. Herba ipſa virens contuſa & impoſita, vulnera glutinat, vetera vlcera purgat, & ad cicatricem perducit. Decocta eadem & pota [legendum enim ποθεῖσα, & non καταποθεῖσα deuorata, vt legit Sarrac.] bilem, humoréſque craſſos per aluum ducit. Decoctũ ipſius iſchiadicis conuenientiſſimè infunditur, trahit enim ſanguinem doloréſque leuat. Succus ad oculorum medicamẽta perquàm vtilis eſt: quippe qui quæ pupillis caliginem effundunt, vnà cum melle diſcutiat. Vuluæ ſubditus menſes & partus extrahit: peculiariter verò neruorũ vitiis epotus prodeſt. Galenus ob ingentes, miráſque eius facultates, de ipſius viribus integrum librum conſcripſit, Papiæque dicauit, eiúſque lib. 7. quoque ſimpl. meminit, ſic inquiens: Centaurij minoris radix planè inefficax eſt: ſed caulis eius extremus & potiſſimùm folia, quæ illi inhærent, & flores vtiliſſima ſunt. Vincit in eis qualitas amara, paululùm habens & adſtrictionis, atque ob eiuſmodi temperamentum admodum exſiccatorium eſt medicamen, expers mordacitatis, &c.

Tragus. Manipulus, inquit Tragus, herbæ vnà cum floribus, dimidiâ menſura vini albi vel aquæ ad dimidias decoctus ac potus, bilem craſſóſque humores per aluum exigit: qua de cauſa, vtiliſſima eſt hæc decoctio iis qui morbo regio, continuiſque febribus laborant: eadem potio veſperi ac manè per aliquot dies ſumpta iecoris lieniſque obſtructiones ſoluit, omnia corporis vitia expellit, tineas ventris enecat, menſes, fœtúſque emortuos euocat: eodem modo vſurpata tormina, colicam paſſionem, aliáſque ventris affectiones perſanat, maximè eas cum quibus nulla eſt coniuncta alui adſtrictio: aquæ ex herba & floribus facilior vſus, ſed non perinde efficax: quare delicatorum ac puerorum eſto remedium, qui lumbricis infeſtantur, quos ſi commodè pellere velint, ſingulis vicibus menſurâ trium vel quatuor cochlearium haurient illam: quidam herbam in puluerem redactam è vino ad omnia ea quæ diximus bibunt, nonnulli pilulas conficiunt ex ea, quæ quidem iſchiadicis, neruorum vitiis & podagricis adhiberi poſſunt: quin & clyſteribus haud inutiliter adiicitur. Auctor eſt Matthiolus in Hetruria Biondellam nuncupari, quoniam abſtergendis dealbandiſque mulierum capillis ex lixiuio plurimùm præſtet. Detrahit hoc bilem & pituitam, quâ ſanè facultate Cẽtaurium maius planè carere deprehenditur. Datur eius decoctum vtiliter tertianariis, quòd bilem per inferna deiiciat, quo factum eſt, vt quidam hanc Febrifugam vocauerint. Idem, ac pariter ſuccus, iocinoris ac lienis obſtructiones & duritiestollit. Alui tineas pellit, ex melle drachmæ pondere potus, tum vmbilico illitus. Herbæ comæque decoctum, lentigines, varos, alphos, & cæteras cutis infectiones exterit, infectis particulis adhibitum. Inſtillatur ſuccus vermiculoſis auribus, quinetiam illinitur contra papulas, & manantia capitis vlcera. Camerarius exhibet in apoplexia, paralyſi, epilepſia, ſimilibúſque morbis, quòd ad inteſtina validè reuellat. Cæterùm, quod Dioſcorides & poſt eum Galenus ſcribit, Centaurium minus bilem & craſſa per aluum ducere, iſchiadicíſque infundi de co-

decoctum: nos, inquit Dodonæus, tametsi frequenter ac feliciter hoc vsi, per aluum tamen expurgationem vllam facere, obseruare non potuimus. Quamobrem nullam huic Centaurio minori commouendæ aut expurgandæ alui vim ac potentiam adesse existimamus: quas quidem virtutes Gratiolæ, cuidam Italis *stanca cauallo* dictæ, & Centaurio minori amaritudine non cedenti, inesse non vnus inficias.

PERFOLIATVM CENTAVRIVM luteum.

CAP. LXII.

Descriptio



Inutili fibrosà, multifidaque albâ *radice* nititur: *caulem* tollens modò simplicem, modò ramosum, teretem, glabrum, dodrante longiorem, vel sesquipalmū, qui *folium* ad singula geniculа gemellū mucronatum traiicit, haud secus atque calidarum regionum Periclymenon: cæteroqui circa radicem, proximeque terram folia sternuntur multa in orbem, Centaurii minoris rubri (Clus. Saponariæ vulgari non dissimilia, minora tamen & candicantia) summis autem caulibus, ramulisque è foliorum sinu enatis *flores* insident maiores quàm Centaurii iam dicti, Hyperici pares, intenso auri fulgore nitentes, quos magna excipiunt vascula *semen* minutissimum [Clusio nigrū] copiosissimumque claudentia. Monspelii flores abundant succo luteo.

Synonyma Gesn. hort. Perfoliatam Achilleam appellat: Idem de coll. Perfoliatam hanc aliquos ineptè Centaurium maius vocare refert. Lobel. in Adv. Centaurii lutei titulo pingit. In Obs. pag. 219. & Icon. Plant. pag. 401. inscribit Centaurium floribus luteis siue citreis pallidis Mesuei. Clus. in Hisp. Centaurium luteum: In Hist. post. Centaureum paruum flauo flore. *Suspicamur* iconem Clusii & Lobelii ad siccam plantā paratam, & ab eis foliorum formam negligentiùs obseruatam.

H. Lugd. censura. Centaurium luteum prius, H. Lugd. p. 1290. & Centaurium luteum alterum p. 1291. (quod ab illo discrepans fecit, quòd nullos surculos edat, vt illud, quibus flores insideant, sed in summo caulis fastigio florem singularé mittat, Chrysanthemo similem:) non sunt duo, sed vnum. Et postremum quidem nihil aliud est, quàm primò proueniens, quod cùm vnum habet florem, vnumque caulem, ad latera plures producit. Iisdem locis reperitur, eodemque est gustu.

C. Bauh. var. C. Bauh. phyt. dicitur Centaurium 3. siue luteū perfoliatum ramosum: Item, Centaurium 4. siue luteum perfoliatum non ramosum. Eidem apud Matth. Centauriū 3. siue luteum perfoliatum ramosum, floribus aliquando pallidè, aliquando intensè luteis & planè aureis, vel croceis: seminibus minutis nigris: Duplex, alterum angustioribus foliis & non perfoliatis, alterum latioribus multò, & caulem ambientibus. Centaurium 4. siue leteum non perfoliatum. *Diximus* nos antè esse Centaurium luteum vnicum non duplex, & quidem cùm primum oritur ramosum non esse; sed successu temporis tale fieri. Propter errorem verò, vt puto, pictoris, qui figuram à Clusio & Lobelio exhibitam pinxit, nolim facere genus particulare Centaurium luteum non perfoliatum, quum etiam Lobel. dicat idem cum suo, quod in Adu. tradit.

Tabern. vel eius compilator in Hist. non describit Centaurium luteum, sed titulum solùm et imponit, qui non competit, sc. Perfoliati lutei montani quorundam. Tabern. notatur.

Camer. apud Matth. vocat Centaurium minus luteo flore perfoliatum: Cæsalp. Achilleon in incultis nascentem, Centauream maiorem vulgi, & Centauream florum colore citrino paleari Mesuei.

Genevæ & Monspelii obseruaui florens mense Maio. Tiguri in collibus reperitur, non frequēs tamen: Quamplurimis tum Galliæ tum Angliæ locis: Monspelii, Basileæ in pratis humidioribus Michelfeldensibus Autumno floret: sic in agro etiam Bononiensi & Monspeliensi, in pratis vdis versus *Latte* & Lupum montem: prouenit læto solo in collibus iuxta Tagum, ac aliis etiam Hispaniæ locis: vbi obseruauit Clusius. Locus & tempus.

Iisdem pollet facultatibus quibus Centaurium flore puniceo. Vires & Vsus.

CENTAVRIVM MINVS ADVLTERINVM quibusdam Lychnidis viscidæ genus.

CAP. LXIII.

Tenuis est huic *caulis*, proceritate cubiti vnius, aut sesquicubiti, rotundus, læuis, geniculatus nonnihil rubescens, præsertim propter terram, superiùs cæsius, paullóque sub geniculis, visco tenaci obductus, in *ramos* diuisus: ad singulos nodos *folia* immediatè cauli adnascuntur, bina opposita, plurimùm surrecta, Been albi officinarum, sapore ferè oleraceo, magis nitroso, colore glauco: in ramulorum summitatibus, veluti vmbellæ *florum* ad Centaurium minus accedentium, suaue rubentium, quinquepartitorum, ex oblongis sed tenuibus, striatis, rubentibus calycibus, in quibus succedunt *vascula* longa ex tenuiore principio sensim crassescentia, *semen* minutum continentia, cineracei coloris: radix singularis paucis fibris donata. Spontanea in quibusdam locis dodrantem assequitur, & paucos fert flores. Descriptio.

C. Bauh. phyt. dicitur Lychnis 27. siue viscosa altera purpurea latifolia, atque eandem esse cum Lychnide silu. 2. Clusii in Hist. pag. 337. & Muscipula siue Armoraria altera Lob. in Obs. p. 242. in Ic. Plant. pag. 454. Idem in Animad. in Hist. Lugdunensem dicit Muscipulam primam Penæ H. Lugd. pag. 684. sine icone, putare Historiam esse idem cum suo Ocimoide minore siue albo pag. 683. sed falsum hoc esse. Penæ namque Muscipulam primam, eam esse, quam Historia p. 809. Synon.

Muscipulæ siue Armotatiæ alterius nomine pinxerit, & pag. 817. Lychnidis silu. alterius Clusij titulo, apposita figura non conuenienti, descripserit.

Cæterùm, H. Lugdunensis sub titulo Lychnidis silu. alterius Clusij malè posuit iconem plantæ, Muscipulæ maiori calyce vetrioso similis, quæ non respondet descriptioni. Eademque Histor. eiusdem plantæ tres diuersas habet descriptiones, S. Muscipulæ siue Armeriæ alterius p. 809. Altera descriptio est Alsines purpureæ pag. 1235. Tertia Lychnidis silu. alterius Clusij p. 817. Sed & duas icones habet Muscipulæ alterius & Alsines purpureæ: tertia alterius est plantæ.

Gesn. hort. vocauit Caryophyllatam siluestrem & Lychnidem quorundam: Tabern. Ic. & Hist. Viscariam satiuam, & Muscariam, Zam leimkraut. Authore fratre Casp. Bauhino. Cortuso dicebatur Centaurea 2. & Euaginata Anguillaræ Centauriũ minus existimanti. Montbelgardi se propagat semine deciduo, vbi Augusto mẽse florebat: Monspelij etiam obseruaui: Spontè nasci ait Clusius in aruis & inter segetes pingui solo plerisque Castellæ veteris locis: in hortis culta floret eodem anno quo sata, à Maio vsque in Autumnum: spontè seritur & ante Hiemem prodit.

POLEMONIVM VETERIBVS.
CAP. LXIV.

Diosc. illustratur. POlemonion [πολεμώνιον enim genere neutro Græci, quamvis non desint quibus genus fœmininum Polemonia placeat] quod alij Philetærion [φιλεταίριον: Philetæriam legunt nonnulli.] Cappadoces Chiliodynamin [χιλιοδύναμιν à multiplici potestate dicunt. Ald. tamen χιλιοδύναμιν. Marcell. vt fusiùs dicetur, χελιδόνιον,] appellant, *ramulos* habet tenues, vtrinq; pinnatos: *folia* paulò quàm Rutæ maiora [sequentia ascititia suspicatur Dodonęus, quoniam neque in Crateuę fragmentis habentur:] at longiora ad Polygoni, aut Calaminthæ folia accedentia. In summo verò veluti corymbi sunt, in quibus semen est nigrum. *Radix* cubitalis [πηχυαία: Vet. πηχυία, & sic quoque Lacuna.] albicans, Struthio seu Radiculæ similis. *Diosc. lectio suspecta.* Nascitur in montosis & asperis. Radix ex vino bibitur contra venenatas bestias ac dysenteriam: *Vires.* & ex aqua aduersus vrinæ difficultatem & ischiadem. Datur autem ex aceto drachmæ pondere lienosis. Eadem contra scorpionis ictum amuleti instar adalligatur. Tradunt porrò, qui radicem eam gestauerint à scorpionibus minimè feriri, aut si ab ijs icti fuerint, nihil mali passuros. Dentium quoque dolores mitigat commanducata, inquit Dioscorides.

Polymoniam, inquit Plinius, alij Philetæriam à certamine Regum inuentionis appellant [certarunt enim ob id olim reges, tradente Marcello vt aliquarum insignium virium plantarum, & accedentis ab illis humano generi beneficij Authores dicerentur:] Cappadoces autem Chyliodynamin [i. e. mille vires habentem, quidam pro Chyliodynami Chelydoniam legunt, Marcellus:] radice crassa [cubitali Dioscorides:] in reliquis eadem tradit quæ ille.

Galen. Galeno Polem. tenuium partiũ est, & siccantem facultatem habet: Vnde quidam ad ischiadas, & dysenteriam, & induratum splenem, radicem bibendam dant cum vino.

Pro Polemonio, autem siue Polemonia diuersæ plantæ proponuntur: scilicet Been album officinarũ. Polemon. Siciliæ hirsuta, &c. Beton. coron. satiua. Beton. coron. silu. Saponaria. Ocimoides. Vaccaria. Valeriana rubra angustifolia. Valer. rub. latifol. Scordium alterum. Mentastrum. Fraxinella. Polem. petræum.

BEEN ALBVM OFFICINARVM.
CAP. LXV.



Descriptio. LIgnosa *radix* crassa & alba *caules* emittit cubitũ & sesquicubitũ altos, tenues, teretes, læues, geniculatos, in alas circa summum diuisos: ad singulos articulos *folia* bina opposita nascũtur, Lychnidis formâ, sed penitùs glabra, cũ dulcedine quâdã, acria aff. tim & obscurè amara: *flores* ex laxis vtriculorũ instar habentibus calycib. quinque partitis, rubro, herbidóque & albo versicoloribus, glabris, parũ prominent, vel albi, vel ex albo purpurascentes, ex quinque folijs bifidis compositi, staminibus purpurascentibus medium occupantibus: calyces postea pericarpia continent Lychnidis *semine* plena.

Polemonium non est contra Fuchs. & Dodon. Been album officinarum, Fuchs. lib. 1. de comp. med. itémque Dod. gall. & lat. in fol. Polemoniam esse putant, sed ab ijs planè dissentit Matthiolus, quòd hoc ramulis non sit vtrinque pinnatis: ac quòd corymbos nullos proferat, sed calycem Ocimoidis modo: quòd denique non solùm in mõtibus & asperis proueniat, sed vbique, præsertim in pratis. Licèt autẽ officinæ vulgò Behen album nuncupent, non est tamen id, de quo Mauritani scripsere. Struthion nõnulli coniectarunt, verùm plurimùm discrepat. *Struthium non est Tunica herba.* Nonnullis practicis vt Gordonio Tunica herba dicitur. Appellatur verò & à nonnullis, vt Lobel. in Adu. p. 143. Obs. p. 184. & Ic. Plant. p. 340. Papauer spumeum, cum quo similitudinis habet nihil. Clusius, qui eandem iconem cum Lobelio habet, Melandryum Plinij quorundam inscribit: Dodon. in fol. lat. Been album siue Polemonium, *Cæterùm*, eorum figura minùs placet, nec etiam nostra, quaterna folia exprimens in flore: semper enim quina & bifida obseruauimus. Tabern. Herbam articularem: Casp. Bauhinus Lychnidem 21. siue siluestrem Been album siue Polemonium dictum: Schvvenkf. Lychnidem silu. candidam 2. & Μήκωνα ἀφρώδη.

Genera. Duorum verò generum esse obseruabat etiam Clusius: Vnum enim in montanis nascens, altius adolescit, crassiores habet caules, qui cum laxis folliculis florem amplectentibus ex viridi purpurascunt: Alterius autem quod in omnibus etiam Germaniæ pratis obuium est, dilutiores & quasi albicantes

albicantes sunt. Sic & Gesn. in app. hort. Polemonium pratense [ita enim vocat, & Been albū] duplex assignat, aliud apicibus florum albis, aliud purpureis. Sed C.Bauh. alteri florem candidum, alteri rubeum, & alteri virescentem adscribit.

Locus & Tempus. Obseruauit Monspelii, Lugduni & Geneuæ in siluis, aruis, & parietinis, florens mense Maio: Basileæ in pratis Iulio & Augusto. In Austriæ, Bohemiæ & Silesiæ herbosis ac lætis collibus multa exit.

Vires & Vsus. Etsi porrò Been albi vulgò dicti [si Polemonium non sit] facultates incompertas Dodonæus crediderit. Tragus tamen commendat ad fomenta & balnea sudatoria, quibus induratos neruos & articulos emollire consueuimus, vtiliter parari dixit. Succus ophthalmiam calidam tollit, docente hoc Schvvenckfeldio, & dolores oculorū mulcet: Semen pituitam purgat, & comitialibus datur. Suppositū ęgris nescientibus crisin moliri vulgus credit. Quercetanus in phar. rest. in suo extracto Bezoardico cur præscribit Been album & rubeum, radices officinarum, quæ nihil habent Bezoardici, vt norunt vel mediocriter docti? Estne restituere assumere reiecta ab illis?

BEEN ALBO OFFICINARVM SIMILIS planta semper virens.

CAP. LXVI.

Descriptio. HVic multi ab eadem *radice* prodeunt rami palmares, crassiusculi, lignosique quidem, sed fragiles, in quibus nascuntur bina semper aduersa inter se *folia*, Bellidis folio non maiora, ab imo paulatim in latum expansa, sed summo mucronata, viridia admodum & splendentia: è summis aliquot ramis alii enascuntur dodrantales, aut pedales interdum *ramuli*, geniculati, graciles, binis inter se oppositis angustioribus foliis ad singula genicula donati, & summo in alas contrario situ vtrinque nascentes diuisi, quibus insident membranaceis pinguibus caliculis inclusi *flores*, quinque bifidis foliis constantes, coloris quodammodò carnei, è quorum medio terna gracilia, incuruaque prodeunt stamina: *radix* candicat, paucisque fibris prædita est, perennis tamen: Floret Iunio nouum hoc & elegans genus Melandryi Plinii quorundam [Been albi officinarum:] quod Clusio, semine ex Italia misso Ocimoidis arborei semper virentis appellatione, natum fuit, quodque Lychnidis silv. semper virentis titulo traditā descriptione delineauit.

Camer. hort. vocat Ocimoides arboreum vel fruticosum potius, foliis Myrti, splendidis, flore rubro. Casp. Bauh. phyt. dicitur Lychnis 13. siue frutescens myrtifolia.

LYCHNIS MARINA ANGLICANA.

CAP. LXVII.

Descriptio. BEen albo officinarum apprimè similis est planta, vt haud à quoquam ita facilè discerni queat. Nam, vt in illa, bina quoque geniculis hærent *folia*, multò tamen minora, crassiuscula, glabra, glauca, per oras ceu pilis breuissimis albis serrata: *cauliculi* teretes, dodrantales, & longiores, glabri, humi sparsi: *flores* ex turgidis folliculis prodeunt speciosis, striatis, & Auellanæ magnitudinem ferè adæquantibus, pauciores, foliis constantes quinis bifidis, niueis, quàm illo latioribus, & ita geminatis, vt flos plenus illius respectu videatur: in medio stamina totidem sine apiculis, & plura quoque cum capitulis geminis, ex fusco luteolis, sapor nullus insignis. Ad hunc modum in horto Montb. satam atque cultam descripsimus.



Synonyma. Huius ramulum Lobelianæ figuræ appinximus, ob eam quam suprà diximus, rationem. Nostræ enim Lychnidis Anglicanæ, hoc nomine exhibitæ figuram non damus, quippe quæ ex Lobeliana iam erat parata, licèt minùs feliciter picta videatur.

Lychnidem marinam Anglicam pingit Tabern. in Ic. & Hist. vocatque germ. Englisch Margen Röslin: Lobel. in Adv. & Ic. Plant. p. 337. H. Lugd. p. 1361. C.Bauh. phyt. vocat Lychnidem 17. siue marinam repentem.

Locus & Tempus. In aggerib. maritimis Vectis insulæ Angliæ, totóque illo littore frequentem, nō nisi inter silices & Brassicas marinas, quà ferinè vndæ alluunt, enasci author est Lobel. Floret mense Iunio, Iulio, Septembri. Lychnid. Anglicanæ marinæ nomine missum semen per Robinum hortulanum Regis Galliæ, satum Martio, florē protulit Iulio, aliquot annis durauit in horto t. c. Montb. Existimo tandem periisse suffocatam vmbrâ maiorū plantarū.

VACCARIA.

CAP. LXVIII.



Descriptio. VAccaria *caule* surgit singulari, cubitali & altiore, læui, terete, concauo, qui circa fastigium in oppositos diuaricatur ramos, atque hi in alios, situ semper contrario: *folia* ad caulis genicula, bina ex aduerso nascuntur, ex glauco pallentia, oblonga, acuminata, aliis suis ita caulem

amplectentia, vt ab eo transfadigi videantur: singulorum extremis *flos* insidet dilutè rubescens, quinque constans foliolis, paulùm è calyce prominens, qui canaliculatus, glaber, strias habet virides, cæteroqui pallet: pericarpium eodem obuoluitur, turbinatum, *semine* pleno nigro, rotundo, Sinapios magnitudine: *radix* lignosa, candida, recta, fibras à latere spargit.

Tamecnemon Cordi. A Cordo in Histor. Thamecnemi titulo describitur. Gesnero autem, qui figuram addidit, videtur ad Polemonij vel Perfoliatæ species pertinere, ac græcæ linguæ peritum fortè Thamoocnenum potiùs dicere siue à θαμινὸς, siue à θαμινῶς, quod est creber. Idem de coll. stirp. Cantabricam quorundam nominat, sed non est. De hort. Lychnidem silu. quorundam, herbam in aruis nascentem, Perfoliatam rubeam nonnullorum. & Lychnidem Monachorum [Carthusianorum] farthüser blümle. Anguill. epistol. plantam hanc pro Glasto primo vero describit. Sed hallucinantur (teste Dodonæo lat. in fol. qui Vaccariam nominat, & Oenoides suspicatur,) qui Glastum, siue Isatidem esse, aut eius aliquam speciem indicant: ad tincturam, siquidem inutilis est. Lob. in Ic. Plant p.355. in Obs. pag. 190. Isatidis silu. Vaccariæ dictæ titulo hanc pingit, ac in Adu. eandem cum Myagro Matthioli esse contendit, sed falsò, vti capite de Myagro dicemus.

Thamoocnenum.

Lob. lapsus.

C. Bauh. phyt. Lychnidem 21. siue segetum rubram foliis Perfoliatæ, variare scribit foliis nunc latioribus nunc angustioribus: totamque plantam modò maiorem esse, modò minorem & hinc tres apud H. Lugdunēsem extare icones. Harum prima est p.500. Isatidis siluestris Lobelij: Vaccariæ pallidæ titulo. Altera pag. 515. Vaccariæ rubræ maioris inscriptione, ibidemque tertia vaccaria rubra minor.

Vaccariam plantam vocāt Herbarij, quòd eam libenter vaccæ depascantur, rubram & pallidam à floris colore. Quidam Códurdum Plin. esse volunt. Cæsalpino verò Rapū syluestre dicta est, & genus Polemoniæ læuis, i. e. Been albi officinarū.

Locus & Tempus. Gignitur Montbelgardi, Geneuæ & Monspelij, ac etiam florens Iunio & Iulio, quo etiam mense semine maturo obseruatur.

LYCHNIS REPENS FOLIO VIRIDI, flore albo Clusij.

CAP. LXXV.



Descriptio Singulis annis ex eadē *radice* noui prodeunt *cauliculi*, per terram sparsi, & subinde circa internodia radices agentes, deinde sursum denuò sese erigentes palmari altitudine, graciles, geniculati, bina folia in singulis geniculis ex aduerso opposita ferentes, longiuscula, angusta, obtuso mucrone, viridia, prominulo dorso: *flores* in summis cauliculis & lateralibus ramulis elegantes, candidi, quinque laciniatis foliolis constantes, inodori: quibus succedunt obtusa *vascula*, exigua, nigricante, planóque semine [quâ notâ quandam affinitatem cum Armeriis floribus habere videtur,] referta: fibrosam habet *radicem*, quam facilè pangere liceat. Vbi adoleuit lento quodam & glutinoso humore, superiore parte, illita videtur.

Synon. Clusio descriptionis authori est in Pannon. p.330. & seq. Lychnis 3. siue albo flore 2. In hist. post. Lychnis silu. 10. Casp. Bauh. phyt. Lychnis 31. siue silu. viscosa alba angustifolia maior [minor verò ac Lychnis 32. C. Bauh. phyt. quæ Clusio folio & flore est minore.] Lob. in Ic. Plant. p.443. Caryophyllus minimus humilis alter exoticus flore candido amœno.

Locus Prouenit ad Stiriacatum Alpium & Snealben supra cœnobium Neuberg radices: abundantiùs tamen in Etschero sæpiùs commemorato.

AVRICVLA MVRIS, SIVE Myosotis Veteribus.

CAP. LXXVI.

Descriptio QVā Dioscorides Muris auriculā [μυὸς ὦτα, alii verò Myosotida [μυὸς ὠτίδα] vocant, *caules* promit ab vna radice plures, aliquatenus infernè rubentes, & concauos: *folia* verò oblonga & angusta [φύλλα δὲ ὁμοίως κτλ. Matth. tamen legit λεπτὰ καὶ μικρά, h. e. tenuia & parua, non absque errore fortè] dorsi spinam elatam & eminulam habentia, nigricantia, per interualla assiduè geminata, & in mucronem desinentia. Prodeunt verò ex alis tenues cauliculi, in quibus *flosculi* cærulei, parui, vt Anagallidis. *Radix* digitali est crassitudine, multis fibrata capillamentis. Est denique herba similis Scolopendrio, sed læuior ac minor (vet. hanc partem non legunt: alij continuè legunt, Sarr.) Huius radix imposita ægilopas sanat. Sunt & qui Alsinen [Helxinen quidam legit] Myosotida vocitent.

Myosota, siue Myos otis, inquit Plin. læuis herba, *caulibus* pluribus ab vna radice, aliquatenus rubentibus, concauis ab imo: foliis angustis, oblongis, dorso acuto, nigris, per interualla assiduè geminatis: & tenuibus cauliculis ex alis prodeuntib. flore cæruleo: radix digitali crassitudine multis capillamentis fibrata. Vis eis septica & exulceratrix, ideòque ægilopas sanat.

Galenus Galenus secundo ordine siccare, nullam autem manifestam caliditatem habere dicit.

Aequiuoca Auriculæ muris nomine donantur etiam sequentes plantæ: Anagallis. Auric. muris Matthiol. Aur. muris 2. Veronica. Veron. Spicata. Aur. muris quibusdam. Auricula muris pulch. fl. albo. Polemonium petræum. Botonaria Anguill. Pilosella maior, Pulmon. Gallorum. Pilosella maior Fuchsio. Pilos. altera Tragi. Pilos. minor Fuchs. Stoech. citrina germanica. Maiorana. Pyrola. Pulmonaria Italorum. Aur. muris Camerarij leguminosa. Asperula Dodonæi. Matrisilua. Alsine-folia Ladrensis. Bursa pastoria minima.

Alsine etiam vulgaris non solùm Recentioribus, sed etiam Antiquis Auricula muris vocitata fuit: nec desunt, qui eius historiam huius capitis apud Dioscoridem cum marcello præfigunt: Alij verò

verò vt Cornarius & Sarracenus ceu supposititiã remouent, & lib. 4. reponunt.

AVRICVLA MVRIS MATTHIOLI.

CAP. LXXVII.


Auricula muris locus ex Matth. PAssim mense Maio floribus ornata visitur, nimirum in pratis, in campis, in hortis, secus vias, & vbique ferè locorum: vocatur germ. wald Mangolt mit blaüwen blůmen. Auriculæ muris Matthioli meminit Dod. gall. sed lat. in fol. eam præteriit.

Compilator Hist. Compilator H. Lugdunensis satis demonstrat se parum in stirpibus versatum. Ex sola siquidem icone [quam falsam credimus] Auriculæ muris Matthioli iudicat omnia, quæ Dioscorides & Plinius scripserunt, aptissimè competere plantæ ei, quam ex Matthiolo pingit p. 1317. Inconsideratè tandem eâdem pagina eandem Matthioli effigiem repetit pro Dodonæi Auricula muris secunda, quam tamen Dodon. in Hist. gall. posuerat pro prima: descriptio etiam ex Dodonæo non conuenit.

Auricula muris Matthioli quæ sit se ignorare fatetur C. Bauh. nisi sit, quam Echium scorpioides aruense vocat, & Lobel. in Ic. p. 461. Alsinem Myosotin appellat.

AVRICVLA MVRIS QVORVNDAM flore paruo, vasculo tenui longo.

CAP. LXXVIII.



Descriptio. CApillaribus *fibris* radicatur: *cauliculi* palmares aut dodrantales, partim erecti, partim supini, tenues, teretes, hirsuti, inanes, ad quorum singula genicula bina *folia* opposita, musculorũ aures acutas, hirsutasque ad vnguem exprimunt, sapore nullo: *flosculi* exigui, colore albo, quos excipiunt loculi longi, lucidi, in quibus *semen* copiosum.

Synon. Dodon. gall. Auricula muris quibusdam. Auricula muris 2. *Aureille de souris vulgaire.* Eidem in H. Lat. in fol. Alsine spuria tertia.

Dodonæus in Hist. gall. [inquit Lugd. p. 1318.] alteram pinxit Auriculam, quæ plerisque Auricula muris videtur: Hanc periti quidam Herbarii veram Elatinem esse suspicantur, satis congruente historiâ. Tertiam adiicit, sed non depingit Dodonæus. Et hæc est Ocimoides minus albũ à nobis p. 683. descriptum. *nec* H. Lugdunensis,

H. Lugd. notatur. quæ pro Auriculæ Dodonæi alterius icone ponit effigiem eius primæ, quæ ex Matthiolo. Neminem verò noui qui ex Auricula muris prima à Dodonæo icone exhibita Elatinem faceret. Si tertia Dodonæi Auricula est Ocimoides minus album, multùm discrepat Dioscoridis descriptio. Auricula muris altera Dodonæi non est figura illa apud H. Lugdunensem p. 1317. eo titulo posita [inquit C. Bauh.] cùm longè alia sit quàm in Hist. sua gallica nomine Auriculæ muris quorundam pictam dedit, & in suis Iconibus p. 59. Myosotidis nomine exhibet, cuiusque figuram in post. edit. latina omisit.

Auricula muris 1. 2. & 3. C. B. Nos ad hoc caput referimus Auriculam muris 1. siue magno flore, Alsine hispida dictam Fratri C. Bauh. phyt. Item, Auriculam muris 2. siue Alsinem alteram hispidam viscosam, cum Auricula 3. siue Alsine hispida minore. Quid autem frater sibi velit per Auriculam suam 1. siue flore magno, non intelligo: Dodonæus enim ait hanc flosculos ferre, & non florem magnum.

An Alsine hispida Thalii. An Thalio Alsine hispida passim, locis præsertim humidioribus?

Locus & Tempus. Geneuæ passim in hortis Auricula muris quibusdam flore paruo albo, siliquâ tenui longâ, viret mense Ianuario, floretque etiam in agris Februarii principio. Montbelgardi & Basileæ viret in hortis tota Hyeme, & passim floret Martio ac etiam Iunio & Iulio: spontè ad fontem mirabilem Augusto, Septembri & Octobri.

ALSINE CORNICVLATA Clusii.

CAP. LXXIX.



Descriptio. PAlmaris hæc est herbula, vnico *caule*, qui in aliquot ramos diuiditur, constans, eoque geniculato, tenero, subhirsuto, vt Alsine vulgaris: *folia* Alsines foliorum æmula, paullò longiora, subhirsuta etiam, inter se opposita, & ex interuallis gemina: alarum cauis insident pusilli *flores*, candicantes, quibus succedunt membranacea & transparentia cornicula gallinaceorum calcarium formâ, quæ lento quodam compersa humore à tangentibus deprehenduntur: *semen* in illis exiguum, maturitate nigrum: *radix* inutilis & annua. Tota insipida est, authore Clusio.

Synon. Lobel. in Icon. Plant. pag. 462. Alsinem corniculatam Clusii inscribit, eamque in Obs. pag. 246. Nigellastri genus facere videtur. Gasp. Bauh. phyt. Lychnidem 7. siue segetum minorem vocat. Ego nec Lychnidi, nec Pseudo-Melanthio subiungendam dico, quòd eis non similis, vt satis constat ex figura & descriptione.


Locus & tempus. Inter segetes frequens Salmanticensi agro

vbi Maio mense flores producit, & semen maturum præbet.

AVRICVLA MVRIS PVLCHRO flore albo.

CAP. LXXX.

Descriptio



RAdice tenui vario reptatu vagãte, fibrarúmq; è geniculis demissarum ope rursus terram apprehendéte constat: *caules* autem teretes, hirsuti, geniculati, in ramulorum fastigio *flores* habẽt amœnos, lacteos, quinq; foliis in medio aliquousq; vnicâ diuisurâ incisis & striatis cõpositos, quos foris ad basim totidem hirsuta viridantia foliola sustinẽt, in medio verò stamina & stilus colore luteo: *folia* ad genicula bina ferè, opposita, interdum plura, hirsuta, semunciã longiora, ex latiore basi sine pediculo, sensim in acumen desinentia.

Synon. Placet figura Tabernamontani nomine Holostij Caryophyllei, weiß Negelin graß.


Locus. Non est autem vulgaris hæc planta: Geneuæ tamen abundat & Montbelgardi: itémque ad Rhenum in montium cespitibus & colliculis.

Vires & Vsus. Siccæ est naturæ, in caliditate temperata. Affectibus cordis medentur flores, maximéque caduco morbo succurrunt. Nonnulli conseruam parant, alij è floribus aquam distillant, quam infantibus epilepsiâ correptis propinant. Extrinsecus ad paralysin & resolutionem neruorum extollitur.

AVRICVLA MVRIS PVLCHRO FLORE folio tenuissimo.

CAP. LXXXI.

Descriptio




FOlia habet per genicula tenuia, laricea: *ramulos* multos, dodrantales, ligneos à radice crassa dura & perenni emittit: *flores* magni sunt & albi, non differentes ab Auricula muris flore pulchro: *calices* satis magni.

Locus. Prouenit in montib. circa Geneuam, vt Thuiri.

AVRICVLA MVRIS ALPINA GLABRA, siue Lychnis glabra minima, aut Cariophyllei minima species flore albo.

CAP. LXXXII.

Descrip.



DVriusculis, & pro plãtulæ modo etiã crassiusculis *radicibus* nititur, albis, nõ admodum fibrosis, sapore nullo manifesto, *coliculi* plusculi palmares, tenues, læues, inferiùs rubẽtes: *folia* oblonga, glabra, acuminata: *flores* surrecti, candidi, foliolis quinque per extremum denticulatis, in medio apiculis: *calyculus* in Lychnidum syluestrium moré formatus, striatus, superiùs nonnihil fimbriatus. Vascula succedẽtia, vbi dehiscũt, denticellis sectas habent oras, in quib. *semina* tenuia. Herba perennis est.


Alsine pratẽsis glabra C. Bauh. C. Bauh. phyt. Alsine 21. siue pratensis glabra: An porrò ab alio descripta sit, nondum mihi constat.

Locus & tempus. Inueni eam in rupib. ad meridiem sitis in monte Rofsberg prope Masmunstér vbi florebãt Iunio & semina maturabat Octobri.

CARYOPHYLLVS HOLOSTEVS tomentosus.

CAP. LXXXIII.

Descrip.



TOtus candido molli densóque *tomento* est obsitus, vt vix aliud quàm tomentũ esse videatur: *coliculi* geniculati dodrantales è singulis nodis bina proferunt *folia* ex aduerso sita, Caryophylli holostij siue Auriculæ muris specioso flore paria, nec formâ dissimili, si solùm excipias cũ mollitie tomentũ, ex quorum sinu subinde *ramuli* propagantur: *caulis* superior in ramulos plures abit, quorum vnicuique *flos* innascitur candidus, Auriculæ muris specioso

ſpecioſo flore : horum calyces tomentoſi quoque, internè verò membranei argenteo ſc. ceu Margaritarum ſplendore lucent : ſecundùm ramulorum diuiſionem ſunt etiam breuiſſima folia argenteo colore micantia.

Locus. Elegantiſſimam hanc plantulam Romæ primùm in horto Coruini Belgæ, Pharmacopœi Romani : poſtmodum etiam Florentiæ in horto Magni Ducis obſeruauit & legit G.Cherlerus.

CARYOPHYLLVS ARVENSIS vmbelliferus.

CAP. LXXXIV.

Deſcrip. TAbern. Holoſtium Caryophyllæū aruenſe vocat, germ. weiß acker Nägelin graß/ & à nullo deſcriptum ait, ſicque delineat. Secundum genus [Holoſtii] aſſimilatur Holoſtio Caryophyllæo [Auriculæ muris flore] durâ *radice*, eiuſque fibris : folia verò ſunt craſſiora, latiora & duriora, nec ita acuminata : *cauliculi* tenues, parui & rotundi, ſpithamei, tribus aut quatuor geniculis diſtincti, è quibus enaſcuntur oppoſita bina *folia*, inferioribus, quæ à radice protuberant, æqualia. Summitatibus inſident ſex aut ſeptem ac etiam plures & pauciores longis pediculis ſurrecti *flores*, albi, illius floribus ſimiles : hos decidentes ſequuntur *capitula* parua longa, paruum *ſemen* includentia, terram verſus ſpectantia.



C.Bauh. in phyt. dicitur Caryophyllus 31. aruenſis vmbellatus folio glabro : caule aliquando virente : flore communiter albo, aliquando ſubpurpuraſcente.

Locus. Baſileæ in agris aliquando reperitur, extra portam Blaſianam, quà ad Viſam flumen itur : item copioſè intra Vuormaciam & Gembachs.

GRAMEN FVCHSII SIVE Leucanthemon.

CAP. LXXXV.

Deſcriptio TEnui & infirmâ *radiculâ* ſummo ceſpite geniculatâ reptat, demiſſis tamen altiùs fibris : *colyculi* inanes, quadrati, dodrantales & cubitales geniculis diſtincti, ad quorum vnumquodque bina *folia*, graminea, acuta & rigida : ex quorum alis *pediculi* exeunt, tenues, hirſuti, quibus inſident *floſculi* amœni, candidi, è quinque foliis profundè fiſſis & ſtriatis compoſiti, in quorum medio apices crocei : dehiſcentia autem calycis quina folia vireſcentia flori toti ſubſunt, *capitulum* ſuccedit rotundū, *ſemen* continens.



Quibuſdam etiam Seplaſiariis Euphraſiam dici, authores ſunt Tragus & Dodonæus : hic autem Gramē Leucanthemū inſcribit : ille Gramen nodoſum cognominat : aliis etiam Euphraſiū candidam & Noticam, Vaſconis verò Teuffels blümen/i.e. florem Diaboli, dici ait.

Gesn.de hort. Gramen à Fuchſio exhibitum appellat : Lobel.in Adv. Holoſteū Dioſcoridis floribus albis, & ὁλόστεον Æginetæ : in Obſ. p.26. Holoſtium Ruellii (& ſic etiam in Ic.Plant.p.46.) herbariorum & Lutetianorum, Chamæciſſos Oribaſii Italorum, & Gramen alterum floridū Matth. Tabern. Gramen floridum, blümen graß, Gramē virgineum, Euſraſiam virgineam, Jungfrawen graß/ Stichwurt Anglorum, Oogentroſt graß Flandriæ & Brabantiæ. C.Bauh.phyt. Caryophyllum 32. ſiue aruenſem glabrum flore maiore, & Gramen floridum. Synon.

Locus & tempus. Geneuæ florebat Maio : Lugduni Martio & Aprili *au bois de la bonne Alemande* : inter *Sardon & S.Iean le vieux* itinere Lugdunenſi menſe Aprili : abundat alibi in ſepibus.

Vires & Vſus. Refrigerandi vi pollet & ſiccandi. Quare inflammationibus oculorum adhibetur recens cōtuſum, & emplaſtri loco impoſitum. Idem ſuccus præſtat, ſi lintea in eo madefiant & applicentur. Aliud ad dictas oculorum inflammationes aquam è floribus diſtillant.

GRAMINI FVCHSII LEVCANTHEMO affinis & ſimilis herba.

CAP. LXXXVI.

Deſcriptio SEnſim hoc floret, tenuioribus, quadratis *viticulis* : *floſculis* ex longis pediculis, lacteis, è bis quinis foliolis, priore illo minoribus, apiculis rutilantibus : *capitula* minora oblonga : *folia* breuiora, repanda, bina : *radix* ſimiliter fibroſa, ſerpens. Multùm habet hæc planta cum Alſine noſtra longi-



folia, quæ quamuis humilior, latiora ei folia.

Synon. Lob.Ic. Plant. p.46. Diuersitas Holostij Ruellij. Tabern. Gramen floridum minus, klein blumen graß. C.Bauh. phyt. Caryophyllus 33. siue aruensis glaber flore minore.

Locus & Tempus. Obseruauimus Geneuæ in dumetis: Tiguri florentem Maio mense, ceu etiam prope Masmunster in monte Rolsberg. Montbelgardi sponte in horto Ill.E.C.

ALSINE VETERIBVS ET in genere.

CAP. LXXXVII.

ALsinen quidam Myos ota dicunt, inquit Dioscorides, ex eo quòd folia Auriculis muris similia habeat. Alsine verò dicta est, quòd opaca [lucos, quos Græci ἄλση vocat] nemorosaque loca amat. Herba est Helxinæ similis, at humilior [ταπεινοτέρα] longioribúsque *foliis* [καὶ μακρο-φυλλοτέρα : Orib. ἤ, μακροτέρα. Vet. tamen μικρο-φυλλοτέρα.] & non hirsuta: & cùm teritur (*Διατρι-βόμενόν τε*, Vet. caret:) odorem Cucumeris reddit. Varia Dioscor. lectio. Vires. Vim porrò refrigerandi adstringendíque (*σταλτι-κήν*, Vet. caret,) obtinet: quam ob rem oculorum inflammationibus commodè cum polenta illinitur, auriúmq; dolori succus infunditur: deniq; ad eadem omnia, ad quæ Helxine valet. Et hoc Dioscoridis caput, rectiùs nostro iudicio lib.4. post Helxinem, quàm lib.3. ante Auriculam muris collocatur, vertúsque Alsine, quam Myosota inscribitur.

Herba appellationes. Sunt autem qui & Myoton, qui Anthyllion, qui Myottocon, qui Myotosplenon vocent: Aphri *Labatholabat*: alij à murium auribus, quibus similia folia habet, muris auriculam dicunt. Eadem quæ Diosc. habet & *Plinius* lib.26.c.4.

Alsine (inquit *Galenus* lib.6. simpl.) aut Myosota similem facultatem Helxinæ obtinet, nempe refrigerantem & humectantem: est enim essentiæ aqueæ, frigidæ: quare & citra adstrictionem refrigerat. Quocirca ad feruentes phlegmonas & mediocria erysipelata competit.

Synonoca. Quamvis porrò Dioscorides, Plinius & Galenus vnius tantùm Alsines mentionem fecerint, tamen recentiores multò plura eius adinuenerunt genera, vt est Alsine maior repens perennis. Alsine maxima Histor. Lugdunensis. Alsine vulgaris, siue morsus gallinæ. Alsine Plantaginis folio. Alsine marina Dodonæi. Alsine pelagica & littoralis Clusio. Alsine minima. Alsine tenuifolia nostra. Alsines species aliquot Thalij. Alsine muscosa quorundã. Alsine longifolia in vliginosis prouenieus locis. Alsine fœtida. Alsines fœtidæ quodammodò similis laciniata. Alsine serrato folio glabro. Alsine serrato folio hirsutiore. Alsine oblongo folio serrato, flore cæruleo.. Alsine folio profundè secto, flore purpureo siue violaceo. Alsines genus Fuchsio, folio Hederulæ hirsuto. Auricula muris Alpina glabra. Alsine nodosa, semine globoso. Alsine corniculata Clusij. Alsine Bœtica eiusdem. Auricula muris quorundam calyce oblongo. Auricula muris quorundam flore pulchro albo. Auricula muris pulchro flore, folio tenuissimo. Polemonium petræum. Alsinefolia Myagri capitulis. Tridactylis muraria flore albo. Saxifragia alba petrea. Androsaces alterum Matthioli. Bursa pastoris minima. Anagallis. Anagallis lutea. Pilosella maior. Echium scorpioides minus. Alsine viscaria. Centaurium minus adulterinum. Erinos Columnæ. Herba trientalis. Asperula. Parietaria. Cacubalum quorundam. Periclymenon. Melampyrum luteum Dalech. Galiopsis minor folio caulem ambiente. Helxine cissampelos. siue Conuoluulus, qui etiam Helxine dictus est.

ALSINE MAIOR REPENS PERENNIS.

CAP. LXXXIX.



Descriptio. ALsine de qua hîc agimus, ex *radice* perenni repente fibrosa *caules* profert plures, qui latè se diffundunt, cubitos aliquot longi, teretes, subrubentes, lanuginosi, & ramosi: ad quorũ singulos nodos *folia* ex aduerso sita nascuntur quorum maiora Parietariæ folia æquant, formâ eâdem, secundum neruos & per oras hirsuta, minora verò vt Alsines vulgaris, pediculo aliàs nullo, aliàs mediocriter longo, piloso, sapore fatuo: *flores* speciosi, Graminis leucanthemi, quinque foliolis constant, singulis ad imum vsque fissis, candidis, striatis, staminulis niueis, medium occupantibus cum capitulo viridi è cuius summo quinque reflexæ fibræ emicant, totidémque toti flori sustinendo subijciuntur folia viridantia, villosa, quæ vascula subsequentia obuoluunt, Hyperici vasculis similia, turbinata, in quibus *grana* continentur Papauerinis paria, russa, circa clauam racematim cohærentia.

Synon. Brunfels. Morsum gallinæ maiorem, Groß vogelkraut vocat. Casp. Bauh. phyt. Alsinem 20. siue altissimam. Dodon.gall. Alsinem Latinsol. Alsinem maiorem, plerisque Hippiam maiorem appellatam: incognitam tamen multis, ac etiam (quod admiratur) diligentibus de stirpium materia scriptoribus.

Alsine maior. Hippia maior. Alsine major Lobel. Lobelium, qui Dodonæi gall. figuram assumpsit tam in Ic.Pl.p.466. quàm in Histor.Belg.pag. 445. pro Alsine maxima, Alber meeste Muer suspicamur in Aduers. non cognouisse Alsinem maiorem, vt etiam vocat Camer. in Horto, & apud Matth. germ. vbi figuram addit: itémque Hort. Lusit. & H.Lugd. p.1232. vbi ramulos humi repentes negat, sed contra quotidianam obseruationem. Thalius Alsinem mediam vocat. H Lugdun. Tabern. Alsinem maiorem appellat in Icon. & secundam facit in H. flor. ibidémque primæ (i.e. vulgari) omninò similem ait, exceptis foliis, quæ maiora perhibet. *Sed satis* apparet Alsines species Tabernæmontano, vel eius Compilatori, non notas fuisse, vt qui non distinguat maiorem hanc à vulgari nisi foliorum magnitudine: Et qui præ- Tabern. taxatur.

terea tam in Ic. quàm Hist. eiusdem plantæ aliam ponat figuram Alsines palustris titulo, nullâ annotatâ differentiâ.

An morsus Gallinæ gentis secundum Tragum?

Locus & tempus. Inter vepres, in dumetis, sub rubis, locis opacis & aliosis, itemque prope fontes & defluentes aquas exit. Floret Æstate & Autumno, hocque tempore semen maturat.

ALSINE MAXIMA H. LVGDVNENSIS.

CAP. XC.

Descriptio. Radice est supernè crassiuscula, paulatim gracilescente, innumeris fibris capillatâ: *caulibus* multis, pedalibus, foliis Alsines primæ [vulgaris] per interualla sæpè quaternis, interdum singulis, interdum binis, ramulis multis, breuibus, copiosum *florem* producentibus, antequam hiet oblongo, & acuminato capitulo inclusum, cùm apertus est, candidum, exiguum, radiatum, sex foliolis constantem, ac totidem filis tenuissimis. In opacis gignitur (inquit H. Lugd. p. 1233.) aliorum Herbariorum Alsine maior, siue maxima. Sed miror cur dicatur maxima inter Alsines, cùm Historia ei caules attribuat pedales & folia Alsines vulgaris.

H. Lugd. hortatur. Als. oblongo folio C. B.

C. Bauh. vocat Alsinem 16. siue oblongo folio.

ALSINE VVLGARIS SIVE Morsus gallinæ.

CAP. XCI.

Descriptio. NOn multùm dissimilis maiori est, aliosis locis perinde gaudens, *radiculis* capillaribus: humi stratis, tenellis, hirsutis, subrubentibus, geniculatis viticulis: *folia* Anagallidis, minora quàm in maiore, subhirsuta, ex geniculis similiter aduersa, gustu fatuo: *flosculi* candidi, stellati, minores: *semen* in pericarpiis non dissimile.



Synonyma Anagallis negatur. Quanquam autem hæc, quæ vulgò Morsus gallinæ dicitur, Anagallidi quadantenus, maximè quod ad folia attinet, affinis esse videatur, non tamen ad illam referri potest, sed ad proprium ac peculiare genus pertinet. Quare minùs probanda eorum sententia, qui cum Hier. Brunsch. hanc herbam, mediam vocandam contendunt. Tragus quoque Anagallidem negat, & Telephium Dioscoridis, Plinii & Serapionis esse iudicat, cuius iudicio quoque quominus acquiescamus, vtriusque descriptio necnon temperamentum & vires nos vrgent.

Tragi opinio improbatur.

Error quorundam. Errant & ij qui cum officinis quibusdam, Auriculæ muris, & qui Pilosellæ nomine vocant, diuersas siquidem plantas confundunt.

Agricolæ & Apollinaris lapsus. Agricola turpiter commiscet Anagallidem Dioscoridis cum Morsu gallinæ. Sed & Apollinaris recensendo nomina & vires eundem errorem committit.

Lobelio in Aduers. Alsine: Hippia. Alsine minor Recentiorum seu Hippia minor. In Obseru. & Icon. plant. Alsine. In Hist. Belg. Alsine, Hippia maior. Et rursus Alsine minor Recentiorum: & Hippia minor. *Obscurus* est Lobelius.

Synon. Alsine dicitur Turn. Gesn. hort. (cui & Morsus gallinæ vulgò fœmina) Anguill. Lonic. Matth. in Hist. germ. & Tabernæmontano. Alsine vulgatissima Hort. Lusit. [an eidē Alsine media?] Alsine Matthioli H. Lugd. p. 1232. Alsine media, siue 12. C. Bauh. in phyt. Alsine media à Fuschio exhibita Camer. hort. Alsines primum genus & Alsine maior Fuchsio, qui malè apud Dioscoridem cap. de Alsine per Helxinen intelligit Cissampelum. Hippia minor Cordo in Hist. Morsus gallinæ officinis, Lonicero, & Trago. Dod. lat. in fol. Alsine minor.

Nomina linguarum. Germani vocant Vogel kraut/ Auium herbā: Hünerbiß/ Morsum gallinæ, Hünerdarm / Intestinum gallinæ: Hünerserb. Genß kraut, Anserum herbam, & Meier. Belg. Muer & Voghels kruyt. Gall. *Mouron & Morgelaine*, q. e. Morgelina. Itali *Cantocchi, Centone, Gallinella, Panerina*, & Pauarina, *Paparina, Pizza gallina*, *Budello di Galline*, & *Centoucce*. Ruellius ab Italis Passerinam etiam dici refert. Angl. Chickweede. Bohem. Kurimor: & kurrsitrewce. Hung. Tik hur. Sclauis Musch.

Locus & Tempus. Lucos, & humentia etiam amat, sed tamen in hortis inter olera, ac in vineis enascitur. Viret etiam Hieme: Vere floret, ac semen perficit.

Vires & Vsus. Morsus gallinæ, vt inquit Tragus, refrigerantem & humectantem, quemadmodum Portulaca obtinet facultatem. Aqua distillata easdem habet vires, sed & hoc illi experientia tribuit, quod iis qui diuturnis morbis & magnitudine ægritudinum consumpti sunt, viribusque deficiunt, & macrescunt, vtilissima sit, vel per se, vel in vino pota. Eadem infantibus in summis caloribus & ægritudinibus exhiberi debet, nam non solùm internas inflammationes restinguit, sed & impedit, qui accidere possint morbi, vt sunt Spasmi. Herba ipsa, succus & aqua distillata non secus atque Portulacæ & Semperuiui minoris, vulneribus calidis & vlceribus vtilissima sunt, imposita, illita, & si ex illis colluantur. Ex succo vnguenta refrigerantia confici possunt, inflammationibus iecoris, aliorumque vulnerum, commodissima, non minùs quàm Populeon. Auiculæ caueis inclusæ, cùm escam fastidiunt, huius herbâ recreantur. Pauerinæ puluis, Solenandro præceptore, fluentibus hæmorrhoidibus inspersus, vel illitus fluxum & dolores compescit: Alii cum theriaca dant gr. ad Epilepsiam: ad tormina puerorum All. dicta, propinant alii Aquam Alsines per aliquot dies.

ALSINE PLANTAGINIS FOLIO.

CAP. XCII.

Descriptio. ALsinæ vulgari persimilis: *radix* fibris staminois capillata: *ramuli* conformes, pilosi,



quemadmodû & *folia* longiusculis pediculis ex nodis appēsa, subrotunda, hirsuta, nigriora, in eo tamen differentia notabilis, quòd per longum nerui plantaginei decurrant: *flosculi* parui, albi, Alsines iam dictæ.

An Alsine hirsutior & nigrior? An Gesn. hort. Alsine hirsutior & nigrior? An Alsine siue Hippia maior Lobelio? An Alsine marina Dodonæo?

Tab. reprch. Tabernamontanum nesciuisse quid scriberet, cùm exhibuit figuram titulo Alsines, mihi persuadeo, eam nonnihil aliter pinxit, quàm Dodonæus suam. Figura autem illa, quam pingit pro Alsine tertia media, Steinvogelkraut / (quam vulgari paruæ Alsinæ omninò similem, sed in eo tantùm differentem ait, quòd in saxosis prouenіat locis) nonnihil accedit ad nostram Alsinem Plantagini similem: meliùs tamen conuenit cum Alsine vulgari. *Quæ* obsecro scientia botanica ponere figuras plantarum diuersas non aliter quàm loci ratione differentium?

An Camer. Hort. Alsine hirsuta, mediæ similis, sed nigrior, hirsutior ac durior spontanea? An Horto Lusit. *Alsine* hirsuta mediæ seu vulgari similis, sed hirsutior? An Thalio Alsines minoris alia species, foliola edens rotunda, sed diuersæ inuicem magnitudinis, ita vt maiora foliola per totos coliculos, minimis subinde intercursentur?

Locus. Alsinem Plantaginis folio obseruaui in *l'Isle* in Burgundia in vineis, & in Rosberg prope Masmunster.

ALSINE MARINA DODONÆI.

CAP. XCIII.

Descrip. ALsine marina siue quarta Dodonæi lat. in fol. secundam eius (vulgarem) referret, nisi *caules* crassiores essent, & breuiores, crebrisque geniculati: *folia* item similiter crassiora: *capitula* non in rotunditate oblonga, sed latiuscula: in quibus semina terna, quaternave. Alsinem autem maritimam natales appellandam requirunt. Siquidem frustra alibi fuerit, quàm in maritimis expetere. Et hæc ex Dodonæo, qui an exhibuerit figuram suæ Alsines marinæ dubitamus. Siquidem imago, quæ pro Alsine marina ab illo ostenditur, à Lobelio pro Alsine maiore, ac passim nascente recipitur: Suspicor ego eam conuenire posse cum Alsine nostra Plantaginis folio: exprimendam tamen curaui eius portionem in præcedenti tabella.

Tabern. Alsinem marinam, Meer Vogelkraut / vocat, de primo genere [Alsine vulgari] planè similem ait, & in eo solùm differentem, quòd prope mare proueniat. Sed si Alsine marina solo situ differt, cur figuram apponit vix differentem ab Alsine vulgari ac paulò aliter pictam, quàm in Dodonæo, vel Lobelio, qui easdem habent imaginem sub diuersis titulis, vt antè quoque monuimus.

ALSINE MINIMA.

CAP. XCIV.



Descriptio. NIsi totius plantæ paruitas obstet, media Alsine esset, ita totâ facie effigiatúraque adsimilis est, verùm per omnia minor, tenellis *ramulis* & hirsutis donata, magnâque ex parte simplicibus: *foliis* minimis, Alsines mediæ minorib. nigricantibus, paulùm hirsutis, pediculo breuissimo nixis, & *flore* similiter albo: *semen* in pericarpiis, minutissimum, ruffum.

Synon. Fuchsio dicitur Alsine minor & Alsines tertiũ genus. Dod. gall. Alsine minor. Lat. in fol. Alsine minima, & sic etiam Lob. in Adv. Obs. p. 246. Ic. Plannt. pag 461. Camer. hort. Alsine minima à Fuchsio exhibita. H. Lugd. p. 1185. Alsine minor siue minima Dodonæi. C. Bauh. phyt. Alsine 17. siue minor multicaulis folio oblongo.

An Morsus gallinæ quarta species Tragi. An Trago Morsus gallinæ quarta species? An Hort. Lus. Alsine minor? An Thalio Alsine minoris tertia species minimis prædita foliolis, subrotundiusculis, ac in mucronem excrescentibus?

Locus & tempus. Monspelij spontè in cœnobiis mense Aprili florere animaduerti. Geneuæ viret tota Hyeme.

ALSINE TENVIFOLIA.

CAP. XCV.



Descriptio. RAdices habet numerosas, albicãtes, lignosas, multifidas: ex quibus surgunt *cauliculi* palmares & sesquipalmares, teretes, ramosi, ad quorũ nodos *folia* bina nascuntur Tunicæ minimæ, longa & tenuia: *flosculi* fastigiis hærent ramulorum, pediculísque longiusculis ex foliorum sinu

finu ortis, Alsines tertiæ Fuchsii, minores, candidi, stellati. Sapor huic plantæ nullus conspicuus.

Locus. Monspelii in agris florens Aprili occurrit.

ALSINE MVSCOSA QVIBVSDAM.
Cap. XCVI.

Descriptio. 

Tenella admodum & infirma est plantula, veluti musco terræ superficiem operiens, palmaribus & bipalmaribus *cauliculis*, interdum duas, aut tres vncias longis, prætenuibus, ramosis, quorum nodis *folia* adnascuntur vncialia, & sescuncialia, aliquando vix semuncialia, fili instar tenuia, læte virentia, *flores* minimi, ex quatuor foliolis cōstantes, albi, Spergulæ facie & formâ, quorum media apiculi albissimi nodulo viridanti insidentes occupant: *flosculos* sequuntur caliculi exigui, spadiceo, aut atro-rubente semine, Portulacæ ferè, farcti: *radix* gracilis, inutilis, articulatim fibrata. In hac plantula tantillùm amaricantis saporis percipimus.

Synon. Apud H. Lugd. pag. 1235. Alsines muscosæ titulo pingitur. C. Bauh. in phyt. Alsinem 14. facit, & tenuifoliam muscosam cognominat.

Locus & tempus. Montium summis aditibus vmbrosis vdisque ferè gaudet. Vidi verò in monte *Saleue* non longè à Geneua.

ALSINE LONGIFOLIA VLIGINOSIS prouenien͂s locis.
Cap. XCVII.

Descriptio. 

In vliginosis montis Rosenberg inuenta est nobis, florens Octobri, *radiculis* tenuibus, serpentibus: *caules* pedales quadrati, infirmi, ad quorum genicula, *folia* bina Gratiolæ foliolis paria, minora, nec per ambitum serrata, in acumen desinentia, glabra, neruo vnico medium decurrente, circa medium latiora, quàm in Graminis Holostii Ruellii varietate, cui tamen *flores* satis similes, aut Alsines vulgaris, extremis hærent ramulis, stellati albi. Viscidus & fatuus herbæ sapor. Cæterùm, foliola florem ambientia, quinque sunt viridia, alba autem decem, & præterea apices.

Synon. Apud Tabern. in Ic. & hist. inscribitur Alsine fontana, Brunnenvogelkraut. A C. Bauh. phyt. fit Alsine 14. siue aquatica. An à Lob. in Icon. Plant. pingitur pro Anagallide aquatica quarta? An Hort. Lud. Alsine fontana?

ALSINE FOETIDA, FABIO Columnæ Dioscoridea.
Cap. XCVIII.

Descriptio. 

Ex *radiculis* fibrosis & frequentibus, *caules* complures enascuntur, cubito longiores, humi repentes, teretes, crebris nodis intercepti, læues, inanes, fragiles vt Portulacæ: ex geniculis prodeunt *folia*, non illa quidem vt plurimùm vtrinque, sed altero duntaxat latere (licèt sit etiam vbi coniugatim aduersa, vbi etiam trigemina emicent) plura simul iuncta, quorum vnum productiori pediculo appensum coniugii expers multis numeris reliqua, quæ & aduersa & contrario situ posita, indidem oriuntur, magnitudine superat, Hippicæ maximæ paria, pinguiora, atrouirentia, attritu putidum quid redolentia: ex opposito foliorum coniugii expertium, cæteroqui ex alis, semper tamen ad genicula *flosculi* muscosi plures ex albido in herbaceum colorem languent, ex duobus aut tribus foliolis, subacta bracteolarum tenuitate nitentibus, & oris plærumque extrorsum reflexis: quibus delapsis succedunt *semina* cannabinis minora.

Nostro autem iudicio hæc minùs, quàm nostra vulgaris, cum Alsine Dioscoridis conuenit. Et hoc vel odor fœtidus comprobat, qui non est Cucumeris, vt voluerunt Columna & Cæsalpinus.

Quam porrò Fab. Columna nomine Alsines facie plantæ nouæ expressit, eius ab Antonio Cortuso semen Cynocrambes Dioscoridis inscriptione se accepisse apud Matthiolum refert C. Bauhinus, quæ occasio vt Cynocramben tertiam siue Dioscoridis fecerit. In Phytop. verò Alsinen 13. statuit, & Parietariæ foliis cognominat. Sed & Pona in Baldo Cynocramben legitimam esse voluit. Cæterùm, minùs nobis probatur opinio Cortusi, Honorii Belli, & C. Bauhini existimantium Cynocramben: quęnā enim similitudo cum Mercuriali? vbinam reperitur mas & fœmina?

Locus & tempus.

Loca videtur amare eadem, quæ Helxine, atque ex insula Capreis, vbi frequens spontè oritur, habuit aduectam Columna: Octobri mense exit, Verè floret, atque Aestate perficitur. Cæsalpinus semen ferre Hyeme & Vere tantum, prodidit. Casp. Bauhin. Monspelluli, locis vmbrosis spontè ortum legit. Mihi verò Montbelgardi prouenit in horto Ill. E. C. ex semine fratri C. Bauhino Neapoli à D. Imperato misso nomine Plantæ nouæ Alsines facie.


Vires & Vsus.

Gustu insipido aqueo sunt folia, in semine verò aliquid inest tenuium partium, quo extergi lingua largè manso percipitur, non autem calorem imprimit. Ex quibus colligitur, extergere, adstringere, atque humectare posse, sicut Helxine.

ALSINES FOETIDÆ QVODAMMODO similis laciniata.

CAP. XCIX.

Descriptio



Palmaris est, & ex frequentissimis *cauliculis*, geniculatis, alicubi purpurascentibus, *folia*, quib. breues pediculi, exerit quodammodò serrata, coniugata, è quorum combinatione & cauliculi alij, & minora foliola alia subnascuntur. Indidem & *flosculi* verticillatim oriuntur, parui, muscosi, ex herbido pallidi. Quib. succedunt *semina* parua, ex rotundo oblonga, cannabinis minora, sed supernè pulchrè cristata. *Radix* albida, crassiuscula, flexuosa & longiuscula. De odore nihil pronuntiamus, quia siccam accepimus. Sapor herbidus. Monspelio attulit D. du Vernoy.


PARONYCHIA ANGVILLARÆ QVIbusdam. Et Paronychia, siue Alsinefolia incana.

CAP. C.

Descripti. Radix. Folia

Simplici nititur *radice*, duriusculà & crassiusculà: *ramuli* per terram sparguntur, quinque vel sex circiter pollicum longitudine, variè diuisi: *folia* Alsinæ tertiæ ferè similia, nigriora, minùs mollia, & paulò maiora, primò rotunda, pediculis breuibus nixa: *flores* quoque non multùm dissimiles, sed numero & positu dissimili, multi simul, vmbellæ simulachrum faciunt, gustu est viscido. Vti autem nunc descripsi, ita obseruaui Monspelij. Similē attulit mihi ex Italia C. Bauh. Et quoque similis quā gener Cherlerus Monspelij collectam communicauit, ac cuius hic iconem damus ex sicca paratam. Hæc humi spargit numerosos *coliculos* palmares, subrubentes, crebrò geniculatos, subinde in ramos diuisos: quorum articulos *folia* verticillatim coronant, Alsinæ minoris, per extremum rotunda, glabra, incana, bina & etiam quaterna, breuiora quàm præcedentis, foliolis membraneis lucentib. subiectis: flosculi albi copiosissimi, extremis cauliū, ramulorúmque aceruatim congesti hærent, pusilli: *radix* simplex, breuis.

Flores



Paronychia, Alsinefolia incana.

Anguill. epist. 12. vocat Gramē secundum Plinij, & Paronychiam, ei assignans folia Peplo paulò latiora, flores vmbellæ modo, coloris albi, & radices capillares. Qui Paronychiam alterā (sic appellat in post. comm. lat. & ital.) legitimā Dioscoridis Paronychiam faciunt, eorum sententiam nec probare, nec improbare voluit Matthiolus.

Gramen 2. Plin. & Paronychia Anguil.

Maximæ incanæ Anthyllidis Alsinefoliæ Narbonensium Lobelij in Ico. Plant. p. 468. picturā, quæ Matthioli figuræ satis similis, placet. Caspar. Bauhinus in phyt. dicitur Anthyllis 3. siue maritima Alsine-folia. An Dalechampio Loti pratensis genus?

Locus & Tempus.

Monspelij, quà itur in Aigremont, prope filtuam inueni florentem Septembri & Aprili mensibus, Maio verò Cherlerus. Supra petras prouenire, & copiosam esse in horto Patauino testatur Anguillara.

TRIFOLIVM PARVVM QVODDAM, siue Lotus pratensis purpurea Dalechampij, fortè Paronychia altera Matthioli.

CAP. CI.

Descriptio. Radix. Cauliculi. Folia. Flores.

Lotus purpurea pratensis *radicem* gignit gracilem, candicantem, parum capillatam: *cauliculos* multos, ferè pedales, surculosos: *folia* Loti nunc terna, nunc quaterna, exigua: *flores* in ramulorum vertice copiosos, purpureos.

In phyt. vocauit C. Bauhinus Trifolium septimum siue pratense minus flosculis purpureis.

Locus.

In pratis & humidis locis nascitur, vt apud H. Lugdunensem p. 510. descriptionis author Dalechampius perhibet.

Considerent stirpium periti an eum Paronychia 2. Matthioli comparari possit.

ALSINE SERRATO FOLIO GLABRO.

CAP. CII.

Descriptio

Alsine serrato folio, pumila est, pilata è radice albe, fibrosa, *caules* aliquot surrigēs, rubētes nonnihil



nonnihil hirsutos, articulatos, ad quorum singula genicula oriuntur *folia* parua, bina semper aduersa, neruis rubentibus intersecta, longiora quàm latiora, serrata vt Chamædryos vulgaris, glabra, breuissimis pediculis appensa: ex alis pediculi semunciales foliolis quatuor glabris circumseptum sustinent *flosculum* ex quatuor foliolis cæruleis, raris albis, infernè continuis, staminula pauca & stylum tenuem circumstantibus: floribus decidentibus succedunt loculi bipartiti, in quibus *semen* rotundum.

Synon. Trag. tertiam Morsûs gallinæ speciem vocat: Dodo. gall. Elatiorem alteram: Lat. in fol. Alsinem spuriam alteram: Fuchs. Alsines alterum genus & Alsinê mediam: Camerarius hort. Alsinen flore cæruleo, interdum spontè prouenientem lacteo aut dilutè purpurascente flore: Tabern. Lobel. in Ic. Plant. pag. 464. & Hort. Lusit. Alsinen foliis Tussilaginis, hünerdarm mit Germanderle blettern. C. Bauhinus phyt. Alsinen Chamædryfoliam. H. Lugd. pag. 1239. Elatinen alteram Dodonæi, & pag. 1232. Alsinen mediam siue minorem Dodonæi. Cur bis Hist. eandem plantam proponat. An Cæsalp. Antirrhinon?

H. Lugd. not.

Locus & Tempus. Passim in hortis florens Martio prouenit, & adhuc Iunio & Iulio & aliquando tota Hieme & Vere.

Eiusdê cum vulgari facultatis esse dixit Fuchs.

ALSINE SERRATO FOLIO HIRSVTIOR, floribus & loculis cauliculis adhærentibus.

CAP. CIII.

Descriptio



Radice nititur tenui, fibrosâ: *caules* fert multos dodrantales maiores ac minores, rectos, parùm ramosos, in principio rubentes, hirsutos: *folia* longiuscula, minùs profundè serrata, nonnihil hirsuta, per longitudinem caulium alternatim crebra foliola Thymi, quæ loculos bipartitos ambiant, immediatè hærentes, non ex longis pediculis, vt in Alsine serrato folio glabro: *flores* paruos, quadripartitos, purpurascentes, striatos, plerùmque occlusos: sapor plantæ amaricans.

An Tabern. Alsine foliis Veronicæ, floribus cæruleis, hünerdarm mit Ehrenpreiß blettern? Fab. Columnæ Alyssum Dioscoridis appellatur. An C. Bauh. phyt. Alsine prima?

Locus & tempus. Obseruaui in Malmunster & S. Hippolito Burgundorum florens Aprili in agris & circa hortos. Sed & Columna Aprili mense florere incipere testatur: Maio perfici fructum: In editis locis & Sole illustratis, saxosis, non cultis, pinetibusque, Neapoli oriri, & etiam vallibus, pratensibusque, sed non ita frequentem.

Vires & Vsus. Ad cruenta & vetera vlcera, & vulnera sananda mirificè confert. Scabiei & omnibus cutis vitiis medetur. Tumores discutit potissimùm in ceruice: contra tussim, & vitia pectoris pulmonisque datur stillatitia aqua potandi: iecinoris & lienis obstructiones aperit: vterum, renes, & vesicam expurgat. Ad febres, contagiososque morbos, trium drachmarum puluis epotus cum Theriacæ drachma ex vino commendatur. si statim operiatur vt sudet æger. Dioscoridis Alyssum facie refert, vt & viribus, si modò vt illud rabiem etiam sanaret.

ALSINE OBLONGO FOLIO SERRATO, flore cæruleo.

CAP. CIIII.

Descriptio



Angulosos *caules* emittit, palmares & sesquipalmares, hirsutos, satis validos, ramosos: per quos alternatim *folia* oriuntur, semunciam, aut vnciam longa, latitudine semunciali, per ambitum serrata, hirsuta, gustu glutinoso: *flores* parui, cærulei, quibus subjecta folia maiuscula, pilosa: succedunt capsulæ, paruum *semen* continentes: *radix* lignosa, alba, multifida.

C. Bauh. phyt. vocat Alsinen 3. siue foliis profundè incisis.


Locus & Tempus. Florentem vidi prope Monspelium mense Aprili: Frater Maio & Iunio.

ALSINE FOLIO PROFVNDE SECTO, flore purpureo siue violaceo.

CAP. CV.

Descriptio

Aliquando duarum aut trium vnciarum est plantula hæc, rarò palmaris: *cauliculis*



supinis ferè & pilosis, in quibus *folia* opposita in aliquot profundas lacinias cęsa, alia integra, potissimùm inferiora, pinguiuscula: ex quorum sinu orti pecioli *flosculos* gestant purpureos, qui bifidas post se relinquunt capsellas, aliàs inter folia sedent *flores*: *Radix* parua, fibrosa.

Tragus, ni fallor, hendelkraut inscripsit, Thal. Dactylobotanon appellauit: H.Lugd. p.1214. Elatinen triphyllon: Lobel.in Ic.Plant. Alsinen paruam rectam folio Alsines: Hort. Lus. Alsinen rectam Ruthæ-foliam. hunerrauten. C.Bauh. phyt. Alsinen 4.siue tridactylitem cæruleam.


Locus & tempus. Florentem in segetibus inueni mense Martio circa Geneuam: in agris versu *Chastelaine*: videtur nonnihil variare, foliis non diuisis, sed ex rotunditate oblongis.

Vires & Vsus. Vim habere refrigerantem & humidam auctor est Tragus, posséque citra noxam vtrinque corpori aduersus inflammationes vsurpari, quemadmodum & Anagallides. Esse autem facultatibus Portulacæ similem.

ALSINES GENVS FVCHSIO, FOLIO Hederulæ hirsuto.

Cap. CVI.

Descriptio. ALsines genus istud *radicem* habet superiùs singularem & glabrã, rubentem, sine vllis adnatis, inferiùs verò quã plurimis fibris tenuissimis albicantibus capillatam, sapore terrestri: *ramulos* per terram spargit dodrantales & longiores, infirmos, angulosos, lanuginosos, nonnũquã in alios ramulos subdiuisos, neruulo medio separabili farctos: in quibus *folia* alternatim sita semuncialibus pedicellis hirsutulis appensa, prima germinatione rotunda, mox in Hederacei folij modum angulata, sed crebriùs incisa, in tres, quinque, septémve portiunculas, carnosa, supernã parte atrouirentia, infernè dilutiora, admixta interdum obscurã purpura, vtrinque hirsuta: ad vniuscuiusque folij exortum pedicelli fusci, aut purpurascentes, vnciales ferè, in aduersam partem intorti, sustinent quatuor foliola cordata, glabella, margine lanuginoso, quæ complectuntur *flosculum* cæruleum quaternã diuisurã insectum, infernè continuum, striatum, staminulis binis tantillùm cæruleis donatum, qui facillimè excidit: succedunt didymæ capsellæ per transuersum suturã commissæ, in quibus *semina* bina, terna, quaterna, aliquando vnicum, oblonga, gibba foris, intus concaua, nauiculæ instar, in cuius meditullio tuberculum prominet, malum cymbulæ ęmulans.



Flosculus

Synon. Est Alsines 4.genus Fuchsio. Alsine hederacea Tabern. & Hort. Lusitano. Alsine 7. siue Hederulæ folio, varians foliorum magnitudine & paruitate, flore purpurascente, aut dilutè purpurascente, interdum lacteo Casp. Bauhin. phyt. qui & Centumculum quorundam vocat. Ego colorum varietatem hanc non huic tribuo, sed illi cui folia serrata glabra, id quod fecit Camerarius in Horto (vbi Alsinen flore purpurascente, & Alsinen tertiam Fuchsii statuit. Sed legendum quartam, vti Fuchs. in Icon.) ex quo hæc varietas desumpta videtur. Lobel. in Adu. Obs.pag.247.& Icon. Plant. p. 463. Morsus gallinæ folio Hederulæ. Dodon.gall. Elatine: Lat.in fol. Alsine spuria prior, siue Morsus gallinæ. Anguill. epist.11. Lappago Plinij.

Locus & Tempus. Geneuæ florentem collegi spontaneam mense Ianuario, Februario & Martio, ceu & Montbelgardi in horto meo.

ANDROSACE MATTHIOLI altera.

Cap. CVII.

Descriptio. NOn est fabulosa, vt putarunt Aduersariorum auctores, Matthioli Androsace altera, cuius *radix* singularis, tenuis, fibrata, caules emittit septem, plures aut pauciores, viginti interdũ, vt ego obseruaui, palmares aut dodrantales, nudos, enodes, teretes, hirsutos, quorum fastigium in sex septémve abit pediculos vnciales & longiores, *vmbellam* mentientes, ad quorum coitum & exortum radiata foliorum septem corona, oblongorum, pilosorum, paucis subinde crenis incisorum, cæterùm singuli pediculi calycem gestant maiusculum, in quinque lacinias acutas, foliorum instar habentes, diuisum, quorum vmbilicum, cum globulo *flos* obsidet albus paruus, quo marcescente globulus in Pisi molem grandescens *semen* continet copiosum, triangulum, oblongum, rufum: *folia* frequentia per terram in orbem sparguntur, vncias duas circiter longa, semunciam lata, hirsuta, Plantaginis instar neruosa, & per ambitum subinde crenata.

Lob. & compilator H. Lugd. notantur. Auctoribus Aduers. Lobel. & Penæ, itemque compilatori Hist. Lugdun. qui pagina 1182. Androsaces alterum Matthioli [& sic Camerarius in Horto vocat, ac in Historia Matthioli, german. eiusdemque Epitom. optimam & pulchrã plantam exprimentem figuram habet] inscribit, non fuisse notam Matthioli Andro-

Androsacem alteram (Wahe harnisch vocat germ. Tabern.) satis apparet, dum Alsines speciem esse contendunt, cùm tamen planta sui generis sit, & ab Alsines speciebus longè diuersa.

Androsaces alterius Matthiolum duntaxat iconem, & eam quidem non admodum scitè expressam, nullà insuper historià traditâ edidisse perhibet Clusius, qui cur Matthiolus ex Syriæ maritimis eam accersiuerit, non videt, quandoquidem Austria in qua vixit, abundè subministrasset, si diligens Austriacarum stirpium scrutator fuisset: etenim copiosè nascitur inter segetes circa Badenses thermas sæpiùs memoratas, atque adeò locis Viennensi vrbi vicinis. Nullum porrò vulgare nomen illius intellexit Clusius.

Locus & Tempus. Locis dictis floret Aprili, semen verò Maio & Iunio maturat. Basileæ prouenit in horto patris sata per Fratrem C. Bauhinum: deinde Montbelgardi in horto Ill. E. C. ex semine à Cortuso & fratre misso: semine maturo Augusto perit planta.

ANAGALLIS PHOENICEA ET cærulea.

CAP. CVIII.

Descriptio ALbam multumque fibrosam *radicem* habet: ex qua *ramuli* palmares, sæpè supini, quadrati oriuntur: quibus *folia* ad nodulos adnascuntur Alsines mediæ, ex aduerso posita, sapore feruido: totidemque ex alis *flores*, longis, tenuissimis pediculis insidentes, ex quinque foliis radiatis colore phœniceo præditis compositi, apiculis staminum purpureorum luteis: *capitulum* succedit Alsines, *semine* minuto refertum. Fœminam dicunt, huic cætera similem, flore tamen cæruleo.

Anagallis phœnicea, mas.

Anagallidis duo genera Diosc. & Plinio Anagallidis autem duo genera, siue duplicem speciẽ esse, flore tantùm distantem tradit Dioscorides. Quæ enim cæruleum florem habet, fœminam [θήλειαν:] quæ puniceũ, marem (ἄῤῥεν) dici ait: esse verò frutices paruos, per terram fusos, folia habentes in quadrangulis caulib. parua, subrotunda, ad Helxines similitudinem: fructum rotundum.

Sed & Plinius Anagallidis duo genera facit, marem flore phœniceo, fœminam cæruleo, non altiores palmo, frutice tenero, foliis pusillis, rotundis, in terra iacentibus.

Anagallis cærulea, fœmina.



Nomina linguarum. Porrò Herbariis neotericis nota est vtraque Anagallis, quam Græcè similiter ἀναγαλλίδα vocant, germ. Gauchheyl / Gochheyl / Jochheyl / Grundtheyl / & Colmarkraut: Belg. Guychelheyl / Gall. *Mouron.* Ital. *Anagallida.* Hisp. *Muruges.* Angl. Pimpernell. Hung. Tik tará.

Γάλλος, inquit Lobelius, græcè Hyacinthus dicebatur, vnde à colore hyacintheo Anagallis nuncupari potuit. Fortè dixit antiquitas Anagallidem, quia superbula floribus venustis vias passim ornat, colore oculis grato & amico. Plinius tradit Anagallidem quibusdam Corchoron (quæ vox etiam inter suppositititias habetur,) vocari. An autem accipiendum sit de Corchoro Theophrasti vt videlicet Corchorus sit Anagallis, ambigit Cornarius, cui cõtrariatur Trag.

Auricula muris malè. Malè quidam Anagallidem & Auriculam muris confundunt, naturà diuersas herbas. In horum censu sunt Pandect. Mor. cap. 43. & Santes Arduinus de venen. lib. 6. cap. 1. itemque Hier. Brunsch. qui in editione anni 1595. posuit ineptam Anagallidis figuram, quam & pro Veronica primò, & pòst pro Numularia exhibuit.

Indoctè appellatur Morsus gallina. Indoctissimè tandem nonnulli, vt Toxites, Euchar. Santes, Hortus cap. 31. & Iac. Manlius, ac etiam officinæ nonnullæ, Anagallidem Hünerbiß / hoc est, Morsum gallinæ, Alsinen, Pauarinam Morgelinam, Hippiam & Centonem quoque vocant. Et hoc in errore Car. Steph. in vineto,

Car. Steph. error. versari deprehenditur, cùm ait, Anagallidem Græcis dici, sed vulgò Morsũ gallinæ: quia eius semẽ (quod Coriandro simile ait) non priùs decidat, quàm à gallinis & auibus demorsum sit, & earum rostro concussum.

Dorst. notatur. Sed & Dorsthenius se parum peritum Herbarium ostendit, vt qui & ipse pro Anagallide pingat Alsinem, & cum eius viribus etiam confundat, licèt ipsemet hunc errorem sub Auricula muris annotarit.

Quin & Senensis suo more planè hallucinatus queritatur (queritatur & Hermol. & Ruell. Trag. Fuchs. Brûfels. Turn. & Lacuna) qui herbã vocitatã Pauarinam Barbaris Insubribus, Hetruscè verò *Centone*, Anagallidem tradunt: atqui si sciret vtramq; harum Pimpernell plebi pharmacopœorum & muliercularum in Anglia dictitari, næ ille multò grauiùs sibi ferendum putaret. Quasi verò non vulgi sit peruertere nomenclaturas, veteres delere, nouas suo, non nostro (aiunt Aduersaria) arbitrio, cudere, & commutare: si seipsum intueatur, iamiam & vulgi decipulâ captum dicet. Nam Morsum gallinæ, qui est Alsine, Ana-

gallidem hanc vulgi more hallucinatus fecit.

Variorū locplus notatur. Non minùs culpandi sunt ij, qui Anagallidē Cichoream esse dixerunt. Sed & eorū dānatur opinio, qui Anagallidē Maioranā esse statuerūt. Nec defuerunt qui Portulacam siluestrem affirmarēt, non sine hæsitatione. Anagallidem pro Matrisylua interpretans Razes, decipitur. Pandect. Moreti nescio quā datā occasione Anagallidos, semen Myricæ transtulerit. Plurimùm etiam ij hallucinantur, qui Moronem vulgò dictum, florem candidum ferentem, huic Anagallidi connubio retulerunt.

Anagall. phœnicea nomina. Cæterùm, Anagallidis phœniceæ, & cæruleæ (quæ neutiquam effigie diuersæ sunt, sed duntaxat colore, atque vt quidem Dioscorides ex aliorum historiis infrà recensebit, effectu) plures appellationes annotantur. Quæ phœnicei est floris, mas habetur, & à Serapione Xantala nuncupatur, ab aliis Aetitis, Ægitis ab aliis; ab aliquibus Sauritis, quod nomen cum facultate, quam habet extrahendi spicula, conuenit, vt testatur Marantha. Prophetæ siue Magi Oculi sanguinē vocant, aut Chelidonium; Romani, vt Marcellus Maciam, Thusci Matatipon, Galli Sapanam, Daci Cercetaphron Corn. seu vt Trag. habet, Cerceraphon. Eidem Phœnicion & Corallion dicitur Æginetæ, vt opinatur Hadr. Iunius, quòd Corallium flos puniceo, vel purpureo colore mentiatur. Cæterū à Germani Gauchheil Männlein / aut Gauchheyl mit rotten blumen nominat: Belgæ Guychheyl Rooden: Angli Pimpernell the male. Galli *Mouron rouge*.

Altera, cærulei floris, fœmina vocatur, & à Serapione Cardabella nuncupatur, & Anagallidis cōmunis nomine spurio dicta reperitur; ab aliis etiam Corchori, Halicacabi, & Zeliauri voce nothâ donatur: Prophetis siue Magis Nycteritis dicitur: Ægyptiis Mecii Trago, siue vt vult Corn. Miciei: Romanis Aneciaton, siue Mecraton: Aphris Asirrisæ, siue Asirrisi: German. Gauchheyl weiblin & Gauchheil mit blawen blumen: Belgis Blau guychelheyl: Angli Pimpernell the femal.

Mirum autem, quod Plinius commemorat: fœminam Anagallidem pecora vitare, at si deceptâ similitudine (flore enim tantùm distat) degustauère, statim eam in remedio quærere, quæ Asyla vocatur, à Romanis Ferus oculus.

Icones Porrò, Fuchs. & Lobel. in Obs. p. 247. & Ic. Pl. p. 465. duas habent figuras: verùm sufficiebat vna: ponimus tamen & nos duas, quòd iam sculptæ erant, & plures alij vtramque pinxerint.

Anagallides, autore Plinio, nascuntur in hortis & aquosis. In aruis etiam, iuxta semitas, ac vineis non rarò prodeunt: tota Æstate, potissimùm tamen Augusto mense, florem faciunt.

Locus Dioscorides vtramque mitigandi vim habere, inflammationes arcere, adactos corpori aculeos extrahere, & nomas cohibere tradit: succum itē caput gargarisatu purgare: naribus infusum dolorem dentium lenire, si in aduersam narem iniiciatur; argema cum melle [Attico addunt quidam] emendare; retusæ oculorum aciei auxiliari: contra viperarum morsus, iocinoris, ac renum vitia si ex vino bibatur, prodesse: addit dici eam, quæ cæruleum florem profert, procidu͂am sedem reprimere. quæ verò Phœniceum, impositione [illitu aliis] euocare. Plinius ad eadem etiā commendat. Galenus omnia clariùs & *μεθοδικωτέρως* tradit. Anagallis vtraque, inquit, & quæ cæruleum florem habet, & quę puniceum, multùm extersoriam vim habet, insuperque quid subcalidum, & attractorium, vt etiam spicula infixa attrahat. At succus ipsarum ex naribus purgat caput, ob eandem causam. Et in summa siccantem citra mordacitatem vim habent: vnde etiam vulnera glutinant, & vlceribus putrescentibus opem ferunt.

Tragus. Anagallis, vt ait Tragus, vino decocta, medetur ictibus serpentum, & viperarum, si bibatur, aut si ex decocto vulnera colluantur & herba imponatur. Propter hāc ipsam causam, aduersus pestem Anagallis vtraque mirificè conducit, ita vsurpata, vt posteaquam ex illa mediocrem haustū acceperis, in lectum te componas, probè contectum, & sudes, tum enim omne venenum per sudores expelletur. Quędam mulier Lutetiæ aqua è phœnicea Anagallide distillata multos suffusione laborantes curauit. Potest autem distillari, teste Hollerio, cum melle.

ANAGALLIS LVTEA, NVMVLARIÆ similis.

Cap. CIX.

Descriptio NOn, vt Numularia, serpit terræ appressa, sed Anagallidis phœniceæ & cæruleæ modo, infirmis tametsi *ramis*, erigitur, per quos *folia* acutiora quàm Numulariæ, Anagallidum iam dictarum bina aduersa; quibus & *flos* assimilatur, sed colore tinctus luteo.

[Anagallidem] luteam vocat Lobel. in Adv. & Obs. p. 248. ac Ic. Plant. p. 466. itémque Camer. apud Matth. in Hist. germ. & Tabern. qui huius & alteram figuram habet titulo Hirundinariæ siue Numulariæ maioris. H. Lugd. pag. 1237. Anagallidem luteam Lobelij, à qua haud diuersam existimo, Alsinen luteā, quā Hist. p. 1235. antè pinxit. Anagallidē luteo flore Camer. hort. & Clus. in Pannon. p. 492. Idem in Histor. post. Anagall. flauo flore: Schvvenkf. Anagallidem luteam montanam: C. Bauh. Anagall. 3. siue luteo flore nemorensem: Thal. Anagall. luteam foliis Numulariæ: Gesn. de coll. stirp. Numulariæ genus minus acutius, erectum in siluis: Idem de hort. Numulariæ speciem aliam, siluaticam, aut marem.


Reperi in siluis le Chesnois, vnde habeo à me plantatam in horto E. C. Virentem vidi mense Februario in silua inter Mompelgardum & Dell. Floret Iunio, Iulio, & Augusto. *Locus & Tempus.*

NVMMVLARIA SIVE CENTIMORBIA.

Cap. CX.

Descrip. LOngis, sed tenuibus *viticulis*, angulosis proserpit, quorum geniculis ex breuioribus interuallis *folia* bina opposita nascuntur, Anagallidis, rotundiora, & nonnihil crispa, gustu vehementer citra morsum siccante, adstringentéque: ex quorum alis *flores* plærumque bini, rariùs terni, Anagallidis luteæ, eodem quoque colore præditi, sed sapore adstringente, quinque foliis constantes, quæ totidem *calyculi* viridantia folia minora sustinent: capitulum & *semen* Anagallidis luteæ.

Huic herbæ nomen aliud imponere haud licuit,



cuit, quàm, quo vulgò hodie à plerisque appellari solet, Nummulariæ, & Centimorbiæ, vel Centummorbiæ. Haud dubiè autem Centimorbia à Chirurgis qui illâ quotidie vtuntur, à mirificâ sua aduersus multos morbos, plurimaque vlcera, medendi facultate & efficacia, dicta existimatur. Nummulariam verò à foliorum forma, quâ nummi similitudinem refert, nuncupatam credimus: Germani Pfenningkraut dicunt, Belgæ Penningkruyt. Quia porrò serpentes vulnerati, hâc sibi mederi feruntur, Serpentariæ nomen quoque accepit, indeque Germani Egelkraut (Belgæ Egelkruyt) & klein Naterkraut vocant. Sic & Ruell. lib. 2. c. 11. Colubrorum herbam vocat. A nonnullis Hirundinaria, quòd passim terræ Hirundinis instar affixa sit, dicitur.

Æquiuoca. Nummulariæ nomine sequentes, sed malè, donantur plantæ, Gramen Parnassi: Lunaria crassula dicta: Elatine: Helenium Ægyptium. Echios Plinii altera dicitur Gesn. de coll. fl., Anguillaræ verò Erestedanum Theophrasti, quod Gaza Rusiam vertit, & quod in Italia sub Dinariæ vel Dineratiæ nomine notum ait. Fuchsio Herba agnos necans, *l'herbe qui tue les brebis.*


Locus & Tempus. Iuxta scrobes & fluenta, aliaque rigua loca prouenit, subinde & in humidis reperitur siluis. A Maio mense in multam Æstatem floret.

Temper. Secundi aut tertii ordinis exsiccantium esse herbam sapor eius gustu admodum adstringens ostendit: est verò & simul modicè refrigerans.

Vires & Vsus. Et hinc flores & folia trita & imposita, vulnera & quæuis vlcera glutinare valent: eadem cum vino sumpta dysenterias, ventris imbecillitates, fluxusque ac humiditates sanant. Conducunt & ad sanguinis reiectiones, profluuia muliebria, & ad omnia interaneorum vulnera & vlcera, potissimum pulmonis. Vinum in quo herbæ folia decocta, vlceribus summè confert, si hoc lauentur & abstergantur. Folia cataplasmatis ritu illita vlcera putredinosa iuuat, auctore Leonh. Fuchsio. Sed & succus quoque foliorum, ceu & herba ipsa, illitu recentia vulnera glutinat. Præcipuam autem vim eius esse dixit Matthiolus, ad puerorum enterocelas, cùm illita, tum in puluerem hausta.

NVMVLARIA RVBRA.

Descriptio. LOngiusculis tenellis *ramulis* coniugatim ex breuibus interuallis adnascuntur *foliola*, Chamæsyces foliis paria, latiora ferè quàm longiora, mollia, glabra è quorum sinu pediculi prodeunt tenues, longi, singulares, *florem* gerentes



maiusculum, rubrum, Anagallidis phœniceæ similem; floris infimum cingentibus foliolis viridantibus acuminatis. Monspelii iuxta montem Calcaris collegit Gener Cherlerus.

An Anagallis purpurascente flore Clusii?

ELATINE VETERIBVS ET IN GENERE

CAP. CXI.

QVæ Græcis ἐλατίνη, Latinis Elatine, Arabibus Athin dicitur, describitur à Diosc. *folia* habere Helxines, at minora [Oribas. tamen μακρότερα, maiora, pro μικρότερα legit.] rotundioraque, & pilosa [vel vt alii, densa:] tenues & dodrantales *ramulos*, quinis senisve à radice statim foliolis [vel vt alii, tenues & dodrantales ramulos à radice prodeuntes, foliorum plenos:] gustu acerbis. Nasci in segetibus & cultis. *Folia* cùm polenta imposita, inflammatis, fluxioneque infestatis oculis auxiliari. Coctam verò herbam sorbitionis vsu dysenteriam sistere. Eadem Plinius lib. 27. cap. 9. habet. Elatinen modicè tum refrigerare tum adstringere prodidit Galenus 6. simplicium. Quænam verò hodie genuina Elatine sit, inter Herbarios controuersia est. *Diosc. diuersa lectio.* *Vires.* *Plinius.*

Quam enim Fuchs. & Matthiolus Veronicam fœminam faciunt, eam Lobelius Elatinen Dioscoridis esse asserit. Ego verò hanc Elatinen marem voco, folio subrotundo, flore cucullato. *Elatine mas folio subrotundo.*

Quæ Elatine fœmina, siue cucullata altera, folio anguloso à nobis inscribitur, ea à Castore ἐλατίνη Græcorum, siue Athin Arabum asseritur. *Elat. fœmina fol. angulosa.*

Elatines nomen quoque obtinuere sequentes plantæ: Numularia. Helxine semine triangulari. Hedera terrestris. Alsine folio Hederulæ. Auricula muris quorundam, &c. Auricularia. Echium scorpioides minus. Cynoglossa minor. Pilosella. Sanguisorba minor. Rapistrum. Elaterium. Vicia. Alsine serrato folio glabro: Alsine serrato folio similis Elatine chamædryfolia: Alsine oblongo folio serrato, flore cæruleo. Et Alsine folio profundè secto, flore purpureo siue violaceo. *Æquiuoca.*

ELATINE DVPLEX, MAS ET FOEMINA flore cucullato.

CAP. CXII.

MAs ex *radice* parua, alba, lignosa, crebros per terram expandit *cauiculos*, vel nihil, vel *Descriptio.*

Elatine mas folio subrotundo.



Elatine fœmina folio anguloso.



nihil, vel minimum humo se tollentes, tenues, villosos, & subinde nonnihil rubentes: *folia* quàm Veronicæ minus acuta, rotunda ferè, mollia, lanuginosa, sapore amaricāte: ex quorum vniuscuiusque ala *pedicellus* rubescēs, villosus, semuncialis & longior, enatus *florē* sustinet foliolis virentibus hirsutis consitū, Linariæ quodammodò similem, calcari, labellóque ex herbido flauescente, superiore aduersa lacinia bifida purpu, sub qua latent apiculi, partim nigri: *semen* in vasculis rotundum conclusum.

Descrip. Fœmina magis sessilis tota, humo non attollitur, viticulas longissimas spargēs, *folijs* Helxines Cissampeli sagittæ mucronis alati formâ, minoribus quàm iam dictæ Elatines, & magis acuminatis: *flores* consimiles, sed minores.

Synon. Elatine prior siue mas folio subrotundo, flore cucullato, dicitur Anguill. epist. 13. itémque Fuchsio, qui sinuatam pinxit & malè ad Veronicam reduxit. & Matth. passim in Diosc.lib.3. itémque Hist.germ.& Epit. Veronica fœmina: Gesn. hort. Veronica fœmina Fuchsij.

Sed recentiorum quidam, iidémque periti, & admodum in re botanica exercitati, meliùs veram ac legitimam antiquorum Elatinen viribus & figura consentientibus esse credunt. Ex horum numero est, Lob. qui Veronicam fœminam Fuchsij & Matthioli, in Obs.pag.249.& Ic.Plant. p. 470. Elatinen Dioscoridis inscribit, & Tabern. qui Elatinen 1. appellauit. Sic etiam in phyt. C. Bauh. Elatinen 1. siue folio subrotundo nominauit, & Dioscoridis Elatinen quoque constituit.

Malè tribus distinctis capitibus H. Lugd. Elatines maris eandem iconem sub diuersis etiam nominibus proposuit. Veronicam enim fœminam Matthioli p.1050. (vbi eam in descriptione cum Veronica fœmina, vel pratensi, siue Serpillifolia Dodonæi confudit) inscripsit: & p.1303. (vbi & Heliotropium minus Dodonæi in Epit. facit) Verbasculum quorundam.

Elatine fœmina. Elatines fœminæ, siue cucullatæ alterius, folio anguloso, Matthiolus lib.4. in post.comm. Lat.& Ital. cum magn. fig. solam imaginem sine descriptione Elatines titulo dedit: In hist.germ. Elatinen veram per Cortusum Paduā missam ait, & ad plantam, delineationem concinnat: In Epit.cum addit. Camerarij, Dioscoridis descriptionem assumpsit. Vides hominem varâ delectari varietate.

Synon. Cæterùm, Elatine fœmina, dicitur Cast. Durant. Elatine: Tabern. Elat. secunda: Lob. in Icon. Plant. p.470. Elatine altera: Elatine 2 siue folio acuminato C. Bauh. in phyt. Elatine Matthioli folio acuminato Thalio: Camer. hort. Elatine Matthioli longè glabrior in horto & latiùs virens spontaneâ aruensi: Horto Lud. Elatine Dioscoridis altera Tabernæmontani.

Locus & tempus. Marem primò inter Stutgardiam & Tubingam in agro quodam obseruaui: Monspelij dein frequentem: Basileæ etiam abundantem in segetibus circa Leurach: item in agris circa Ganteldinguen, florentem mense Augusto, ibidémq; Octobri. Montbelgardi in planitie, quæ est inter Arbouans & Audincourt ac Vites crescere incipiebat Iulij principio, florere Augusto. Plurimā est in segetibus Narbonæ Gallo-prouinciæ, Delphinatus, Germaniæ & Italiæ quibusdam locis, rariùs in Belgio, & Angliæ comparere, testatur Lobel. *Fœminam* vidi mense Octobri in agris cum præcedenti: Montbelgardi spontè prouenientem, & Iulio florere incipientem.

Vires & Vsus. Matth. haud considerans suam Veronicam fœminam non diuersam genere à sua Elatine scribit illam virib. & facultate à Veronica mare minimè differre, sed ad omnia imbecilliorem esse. Veronicam autem marem, à qua fœmina hæc plurimùm formâ discrepat, ait calidam & siccam, gustu adstringentem & amaram, &c. Elatinæ verò [fœminæ sc.] Dioscoridis vires adscribit.

ANAGALLIS SERPILLIFOLIA aquatica.

CAP. CXIII.



Descriptio. HErbula facie Glaucis exiguæ Lobelij, sed longè diuersa, quæ pro natalib. habet vuidum & paludosum solū. *fibris* radicatur numerosis gracilibus, quas & ex coliculorum geniculis subinde consueuit demittere lōgiusculas, sed fili instar tenues & capillares: *coliculi* lupini per terram repunt palmares, aut

res, aut etiam dodrantales, interdum paullò longiores, striati, crebris geniculis intercepti, quorum singulis bina ex aduerso posita adnascuntur *folia*, Serpylli similia foliis, magnitudine quoque pari: nonnunquam tamen maiora, acutiora, & penè vncialia, pediculo sublongo ex angusta ceruice sensim dilatata, perque extremum rotunda, glabra, viridia, nonnunquam rubentia, neruo secundum longitudinem vnico donata: ex quorum alis cauli adnascuntur proximè totidem *flosculi*, cærulei, sublongi, in medio apices quaternos, flori penè concolores, continentes, singulique vasculum seminis Milii magnitudine relinquentes, in quo copiosum minutum ruffi coloris, *semen*: sapor in hac planta nullus manifestus, nisi herbaceus, cum leui acrimonia.

Trago est Sii odorati genus: An Tabernæmontano, Alsine fluuiatilis foliis Serpilli, repens supra terram, flußvogelkraut? An Alsine aquatica altera C.Bauhino?

Locus & Tempus. Florentem mensis Augusti principio obseruauimus anno 1584. in paludosis propè Lutram vrbem Principis Murbacensis. Eadem mihi inuenta sub finem Augusti prope stagnum post Raupe versus Rotenbourg siue Rougemont inter Malmunster & Beffort.

GLAVX EXIGVA MARITIMA.

Cap. CXIV.

Descriptio. PVsillis & gracilibus est *coliculis*, subinde reptantibus, & illi instar tenuium fibrarum, è geniculis propagatione radicatis: *folia* per articulos, Herniariæ, bina contrario situ, ex quorum vniuscuiusque sinu *semen* perpusillum, nudum, fuscum.

Synonyma. In Adv. vocatur Glaux exigua Dod. effig. 38. in Obs. pag. 217. Glaux exigua marina: & sic & in Ic. Plant. pag. 415. vbi quæritur an sit Glaux Dioscoridis. Camer. hort. Glaux, paruula herbula, ex salso lacu prope Islebium: Doldio epist. ad me exarata, Glaux, paruula herbula, subsalsa, foliis vtrinque Alsines, flore luteo: C. Bauhinus phyt. Glaux maritima, Hamburgo missa, ibidemque proueniens: Dod. gall. γλαὺξ ἢ γάλαξ ἢ γλάξ: Latinè Glaux & Glax: Gall. *Herbe au laict*: Germ. Milchkraut: Belg. Melckcruyt.

Locus & Tempus. Zelandiæ & Angliæ plerisque mari contermini salsis lacustribus conuallibus reperitur, Lobelio: Sic & Dodonæus locis nasci maritimis & depressis, aquaticisque ad mare dixit, prope toto litore Zelandico: florere Iunio & Iulio. Nobis siccam communicauit Frater C.Bauhinus.

Vires & Vsus. Vsurpata in cibis, & iusculis lactis copiam auget: quare nutricibus lactis penuriâ laborantibus vtilissimam esse Dodonæus perhibuit.

ANTHYLLIS DVPLEX VETERIBVS, & in genere.

Cap. CXV.

Anthyllis duplex Dioscor. ANthyllidem duûm esse generum author est Dioscorides: ait enim quandam foliis esse mollibus, alioqui Lenticulæ (φακῷ) simillimis, & ramulis palmi altitudine, rectis: radice tenui & parua. Nasci in sabulosis [salsuginosis legit Corn. vt mox patebit.] apricis, subsalsam gustanti. Alteram esse foliis ramusculisque Chamæpythyi similem, hirsutiorem tamen, breuiorem & asperiorem, flore purpureo, & odoris admodum grauis, radice Cichorii. Hanc drachmis quatuor bibitam, vrinæ difficultate laborantibus & nephriticis plurimùm prodesse. Tritas verò [ambarum radices] vteri inflammationes emollire, cum rosaceo & lacte subditas, ac vulneribus quoque mederi. Quæ autem Chamæpityos similitudinem refert, præter alia etiam comitiales sanat cum aceto mulso pota. Vires.

Appellationes nothæ. Inter nothas Dioscoridis appellationes, sunt qui Anthyllon, qui Anthemida, qui Eranthemō, qui Leucanthemon, qui Soranthes, qui campestrem Florem vocent: Romani quoque, vt legitur apud nonnullos Salastrum vocant. Sed & Galeno Anthyllis duplex est. Ambæ, inquit, moderatè siccant, vt etiam vlcera glutinent. Verùm altera quæ Chamæpityi similis est, magis tenuium partium est, quàm altera, ut etiam comitialibus conueniat. Maiorem quoque extergendi vim habet quàm altera.

Quænam hodie sint Anthyllides inter autores non conuenit. Ryffius in Diosc. Anthyllidis primum genus incognitum ait. Ruellius hoc posteritatem Salsolam vocare credidit, itemque Bacchanellus. Salaginem vulgò appellari scripsit Harchius. Alterum genus, Antonius Musa Kali potiùs suspicatur: sed Anthyllidem alteram nec Kali, nec eius speciem aliquam esse author est Dodonæus: Ryffius contra Iuam moschatam constituit. Ruellius Salsolæ nomine appellandam censuit. Qui porrò Kali speciem faciunt, rursus vel ad Kali maius, vel ad Kali minus, vel tandem ad Kali Arabum, de quibus lib. 30. dicendū, referre coguntur.

Æquiuoca. Antyllidis autem nomine sequentes donantur plantæ. Vermicularis marina arborescens. Crithmum marinum. Chamæpitys. Camphorata. Linaria. Vulneraria. Lotus siliquosa. Trifolium candidum. Medica marina. Paronychia. Tripolium. Aster atticus. Tanacetum. Matricaria. Chamæmelum. Auricula muris. Alsine. Plures Anthyllides lectores reperient apud Apollinem Rad. 1. quas ipsimet ad sua capita reducent si poterunt.

Castor Durantes duas Anthyllides describit, & vnam pingit, quam autem intelligat, aliis discernendum relinquimus.

Anthyllis constans primùm veluti Tritici granis, cacumine sibi insertis, salsis locis, non procul à lacu salsiusculo Stasfurti nascens Cordi in Obs. silua quid? Quid & altera eiusdem ibidem Anthyllis humi sparsa, minori Aizoo similis, salsa? Quid & Anthyllis latiusculis oblongisque foliis, salso gustu [quod Cordus Telephium salsum opinatur] ibidem? Quid tandem Anthyllis altera Cordi in Diosc. lib. 3. cap. 15. Germ. Saltzkraut/ à manifesto sapore, dicta? Notat Cordus Aristotelem atque Plinium, aitque eos minùs rectè sensisse, quod scribant omnes sapores plantis inesse, præter salsum. Securidaca quædam gracili solo nascens Cæsalpini lib. 6. cap. 35. quam quidam Anthyllidem primam putarunt, quid? Anthyllis lentifolia, Peplios effigie maritima Lobelii quid?

ANTHYLLIDIS SPECIES QVIBVSDAM

Cap. CXVI.

Descriptio. DOdrantalis aut altior est planta, propaginibus frequentibus brachiata, ad ramorum



atque propaginum exortũ nodosa, *foliis* minimis aceruatim congestis circa nodos vestita, multò Serpylli foliis minorib. per extremum latioribus & subrotundis: *surculi* lignosi sunt, firmi, teretes, repandi, humique sparsi, variéque quaquauersũ brachiati: *radix* singularis.

Anthyllis Valentina Clusij. Anthyllidẽ hanc Valentinam Clusij Placa ἀνθυλλίδα vocabat, eámq; ad primum genus Dioscoridi descriptum referebat. Et si autem inter Anthyllides procul dubio recensendam admiserit etiam Clusius, primam tamen esse negauit, vtpote quæ rectis ramulis assurgat, hæc autem repentes habeat, totáque facie Chamæsicen propemodum referat.

Synon. Lobel. in Icon. Plant. huius plantæ duas imagines dedit, quarum melior ex Clusio (qualem & nos habemus) mutuata extat p. 421. Anthyllidis Valentinæ Clusij & Placæ titulo. Peiorem dedit p. 768. pro Anthyllide marina Narbonensium altera [admodum falso-acida, interponitur in Aduers.] Chamæsicæ facie.

Peplium. Dodon. de purg. & in fol. lat. pro Peplio siue Peplide, cuius descriptione n proponit, Anthyllidem hanc pingit. Sic Tabernamontanus pro Chamęsyce quam in Hist. describit, Anthyllidem hanc picturâ demõstrat. Casp. Bauh. in phyt. Anthyllidem 1. siue maritimam, Chamęsycæ similem vocat. Is apud Matthiol. pro Chamæsyces figura, quam à Matthiolo omissam, & à se appositam esse ait, Anthyllidem Valentinam ex Tabern. proponit, qua in re apertè hallucinari deprehẽditur.

Locus & Tempus. Gener Cherlerus obseruauit in montis Ceti litoralibus, eique confinibus arenosis: Clusius nusquam alibi conspexit, quàm ad fossas vrbis Valentiæ in Hispanus. Florebat Aprilis mensis initio.

PARONYCHIA HISPANICA CLVSII, siue Anthyllis niuea. Cap. CXVII.

Descrip. Aspectu pulcherrima est planta, sparsis per terram dodrantalibus, aut vix palmarib. in adolescentiore herba *caulibus* iunceis, è quorum nodis alternatim prodeunt *propagines* vnciales, glomeratis squammulis argenteis confertissimis odustæ, præque glomerulorum dẽsitate vix conspicuæ, emicantibus ex scandularum commissura hinc inde raris *foliis* viridantibus, Herniariæ paribus: *radix* subest lignosa, alba, crassiuscula, longa, multifida.

Clusio nihil aliud est quàm Polygoni maris genus peculiare: Lobelius verò in Adu. vocat Polygonum montanum minimum, niueum & sericeum.

Polygonum 3. siue minus candicans (inquit C. Bauhin. in Phyt.) est Paronychia Hispanica Clusij, siue Polygonum montanũ niueum minimum

Lobel. in Obseru. & Ic. Plant.



An porrò H. Lugd. pag. 1124. Polygonũ montanum niueum Penæ bene separet à Polygoni Hispanici genere Clusij p. 1125. ac idem cum Polygono Herniariæ facie constituat, alijs diiudicandum proponimus.

Tabern. dicitur Berg weggraß. Polygonũ 4. montanũ.

Locus & tempus. In maritimis inter Belleiucanas thermas & Agdam Galliæ Narbonensis oppidum obseruauit & collegit Iohan. Henr. Cherlerus Maio. Clusius nusquam abundãtiùs, quàm in collib. petrosis & siccis Salmãticæ vicinis, trans flumẽ Thormim: item circa Valentiã & Murciã obseruare meminit, ac etiam lapidoso illo cãpo supra Arelaten, non procul à Diui Martini diuersorio, quà Massiliã iter est, sed multò minorem, & vnciam vix excedentem. Floret Maio & Iunio, & semen profert.

ANTHYLLIS LENTIFOLIA PEPLIOS effigie maritima. Cap. CXVIII.

Locus. In Angliç insulis Australibus, inquit Lob. ea præsertim quæ Portlandia vocatur, litore Northmaniæ obuerso, plurima quam hîc, hîc damus, pusilla prouenit in sabuletis & arenosis vadis depressis, & apricis: *geniculis* & *ramulis* palmũ tréfve vncias longis, angulosis, pallentib. & *foliis* Lenticulã, Alsinẽ minorem, vel Peplin referẽtib. *Flosculi* summis insunt ex buxeo herbacei, dentatim stellati, Sedi minoris, Iunio & Iulio: *semen* Tythymali in perexiguis Chamælycæ triquetris thecis alit: prolixiore, exili, geniculata *radice*, sabulo altè infossa, Soldanellę modo: tota salsa, gustanti amaricat & parum quiddam calfacientis indicat.



In Ic. Plant. p. 468. vocatur Anthyllis prior lentifolia Peplios effigie. In phyt. c. Bauh. Anthyllis 2 siue marina lentifolia.

DE POLYGONO SIVE CENTINODIA. Cap. CXIX.

Descriptio. Ad multas stirpes, vocabuli vim si spectes, extendi posset Polygoni nomenclatura, ex fre-



ex frequẽtium geniculorum, aut, vt alii volunt, feminum multitudine deducta: quam in primis tamen meruit passim obvium in viis Polygonum gramen, ex *radice* dura, lignosa, contorta, multis fibris capillata *viticulas* suas emittens cubitales, ramosas, teretes, striatas, frequentissimis geniculis interceptas: *folia* ex geniculis solummodò exeunt, Oleæ foliorum figura, tenera, gustu viscido: *flosculi* fecundum caulem ad nodos pusilli, colore ex albo purpurascente: quibus *semina* succedunt nigricantia, triquetra, Lapathi similia.

Icon alias



Synon. Dioscoridi lib. 4. πολύγονον ἄῤῥεν dicitur, hoc est, vt Marcell. reddit, Sanguinalis mascula. Sunt qui in nothis Dioscoridis, Polygonaton, qui Cynochalen, qui Herachan, id est, herculeam, qui Asphaltion, i.e. Trifolium bituminosum, qui Chiliophyllon, h. e. Millefolium, qui Clema, hoc est, Viticulam, qui à copia feminis Polycarpon, qui Carcinethron, qui Teuthaliden, qui Myrtopetalon, h.e. folium myrteum, qui Cnopodion, qui Pedalion, qui Stemphin, qui Muris vnguem, qui Proserpinacam vocent: Magi Herois sanguinem Ægyptii Thephin, Aphri Cuculum dicunt: Græci quidem à feminis copia, vel, vti dictum, geniculorum, quos habet, frequentia, cognosci eam voluerunt. Vtrumque enim Polygoni vox significare potest. Siquidem genti illi γόνος, genituram & semen sonat: γόνυ verò genu, & diminutiuâ formâ, geniculus est. Et huc pertinet, quæ in nothis adiecta illi appellatio Polygonaton fuit, ab eadem geniculorum frequentia, & densitate factâ. Nobis tamen, ceu & Marcello, in alteram partem magis inclinat animus, credimusque à copia feminis quondam sic appellatam fuisse. Plinius, qui lib. 27. cap. 17. Sanguinariam interpretatur, aliquot quoque ex his, quæ inter spurias recensentur Dioscoridis appellationes, numerauit, addens vocari etiam Halmada, vt Marcellus quidem ex Apuleio Stopinacam, legens Proserpinacam.

Guido reprob. Guidoni Tract.2. cap.1. Polygonum idem est, quod Virga p. Eidem Tract.7. Virga pastoris frigida in tertio, sicca & temperata: Ex quibus malè sultis, maléque inter se cohærentibus, haud absurdè quispiam nostro iudicio collegerit, ignorasse Guidonem quid esset tum Polygonum, tum Virga pastoris.

Corrigiola. Bau. fell. Tom.2. p.18. in Coroll. Corrigiola & Virga pastoris. Vgoni Lingua passerina: Arnoldo de villa noua, Polygonia, Virga pastoris, & Lingua passerina.

Polygonum mas. Cord. in Dioscor. lib.4. cap.4. Polygonum mas, Latinè Sanguinalis mascula, & Proserpinaca, pharmacopœis Lingua passerina. Ruell. Polygonon Græcis: Latinis Sanguinaria, herba Sanguinalis & seminalis, quam Ætius Heliobotanon h.e. Solis herbam vocat.

Matth. in Diosc. lib.4. cap.4. Polygonum mas Italis vulgò *correggiola & centinodia*, Proserpinaca Apuleio: Arab. Basialrahagi: Gallis *corregiole*. Idem in Dioscor. lib.4. cap.11 Virgam pastoris Serapioni & Auicennæ dictam, Polygonum esse asseuerat, Matthæumque Syluaticum cum Dipfaco confudisse. Edem cap.11. in post. comm. Ital. Virga pastoris est Centinodia vulgaris & Polygonum Dioscor. In Historiæ verò germ. libro 4. cap.5. maius appellat Polygonum, Bohemiceque trasstawec.

Dipsacus. Monachi id M t. Dist.8. cens. 257. Pandectarum erroris meritò infimulant, quòd Dipfacum c.251. cũ Virga pastoris seu Polygono confuderit.

Nomina linguarum. Polygonum etiam statuunt & Polygonum mas. & Polygonum maius. Apollo, Cæsalpinus, Fuchsius, Car. Stephanus, & Tabernamontanus. Camer. [quo nullus pulchriorem dedit figuram in Hist. germ. Matth. & Epist.] in horto vulgare Polygonum appellat. Anguillaræ epist.17. dicitur Polygonum mas, Centinodia, Lingua passerina, & Corezola. Dod. gall. figuram dat, additis nominib. Polygoni & Polycarpi. Gall. *Renouée & corrigiole*: Belg. weg gras werkensgras/ & duysent knoop mannekén [Quibus addit in fol. Lat. vbi Polygoni maris nomine pingit] kruepel gras: It. *Polygono*: Angl. knotgrasse. Lob. & Penæ Adu. p. 179 Polygonum mas. Nec-non Obs. pag 229. quo loco figura est exhibita, quæ in Ic. Plant. p.419. sub Polygoni maris vulgaris, Sanguinariæ, Centumnodiæ titulo habetur. Gerard. Polygonum mas vulgare. Thal. in Harc. Turner. & H. Lugd. p.1123. Polygonum mas: C Bauh. phyt. Polyg.1. siue latifolium, mas Diosc. & Plinii. Fernelius m.m. l.6. c.1. & c.12. recep. tum Polygoni nomen retinuit, vt & Fab. Columna p.30. Bauder. l.1. sect.2. Cast. Dur. pag.368. [qui tamen & Polygonum maius vocat] Gesn. de coll. stirp. cui de Hort. & in cat. pl. Polygonum mas herba quoque dic tur. Hort. Lus. Polygonum alterum vulgatius, gemein wegdritt/ denngras.

Aequiuoca. Sed alias præter Polygonum mas, siue Centinodiam, habemus stirpes, quibus ob nonnullam conuenientiam Polygoni nomen imposuimus, vt, Polygonum angustifolium duplex: Polygonum marinum: Polygonum tertium Dodonæi, siue tenuifolium: Polygonum masculum fruticosum: Polygonum pusillo vermiculato Serpilli folio: Polygonum Polonicum cocciferum: Polygonum paruum flore albo verticillato, & Polygonum Herniariæ foliis & facie, peramplâ radice.

Locus & Tempus. Centinodiæ autem natales quod attinet, vbique locorum nobis obseruata Basileæ, Monspelij & Lugduni. Octobri in Muteto monte florens. Dodonæo prouenit locis incultis, vias ac semitas latè subindè occupat; non rarò & iuxta riuulos serpit: omni ferè anni tempore viret, Hieme exceptâ, ac semina facit.

Vires & vsus. Quibuscunque porrò ab auctoribus insigniatur nominibus Polygonum, haud tamen vulgaribus ab iisdem virium encomiis celebratū innotuit; vt cuius succus epotus Dioscoridi spissat ac refrigerat: prodest cruentæ excreationi, cholerę, alui fluxionibus, & vrinæ stillicidio: nam vrinam apertè ciet. Cum vino potum, contra serpentium morsus auxiliatur: datur in febribus per horam ante significationes: fœminarum profluuia impositu sistit. Idem succus aurium doloribus, iisdémque purulentis instillatur: facit eximiè ad genitalium vlcera cum vino adiecto melle decoctus: stomachi feruori, sanguinis reiectionibus, vlceribus quæ serpunt, ignibus sacris, collectionibus, tumoribus, & recentibus vulneribus folia illinuntur. Polygonum, authore Galeno de simpl. lib. 8. vti adstrictionem quandam obtinet, ita sanè vincit in eo aqueum frigidum, vt videlicet secundi sit ordinis medicaminum refrigerantium, aut etiam quodammodò in initio tertij. Proinde sanè quibus stomachus feruet æstu, foris frigidum illitum prodest: velut etiam erysipelata, & calidas phlegmonas iuuat. Porrò tale cùm sit, & fluxiones repercutit, & hac ratione videtur esse exsiccatorium. Quare cùm herpetum, tum vlcerum, aliorumque bonum est remedium: efficacissimum autem inflammatione & fluxione laborantium partium. Est & cruentorum vulnerum glutinatorium. Sed & aurium vlceribus prodest.

Plin. dilucidatur. Succus Polygoni (inquit Plin.) infusus naribus supprimit sanguinem, & potus cum vino, cuiuslibet partis profluuium excretionésque cruentas inhibet. Quocunque hæc [Polygoni genera] modo se habeant, vis earum est spissare ac refrigerare. Semina aluum soluunt, largiùs sumpta vrinam cient, rheumatismos cohibent [succus aluum sistit largiùs sumptus, vrinam ciet, rheumatismos cohibet, &c. non prodest, Diosc.] qui si non fuere, non prosunt. Stomachi feruori folia imponuntur, vesicæ dolori illinuntur, & ignib. sacris. Succus & auribus purulentis instillatur, & oculorum dolori per se. Dabatur & in febribus ante accessiones duobus cyathis in tertianis, quartanísve pręcipuè: item cholericis, dysentericis, & in solutione stomachi.

Scribit Tragus calculos renum potenter pellere [frangere vt & Herniariam, H. Lugd.] Aquam distillatam seu succum herbæ auribus purulentis instillari, putrescentibus & gangrænosis gingiuis prodesse. Sed quandoquidem Galenus dubitat an vrinam moueat, maior inde exsurgit occasio dubitandi, an calculos frangat & pellat. Polygonum vulgare in fluxu sanguinis, vt Brassauola quoque annotauit propriâ experientia, efficacissimum Camerarius quoque expertus in Nobilissimo quodam viro, aliis remediis frustra adhibitis contra vomitum sanguineum cum pauco vino styptico hunc succum maximè profuisse. Illud scire gauderem quâ facultate Polygonum lumbricos interimere queat, id quod Matthiolus, scriptis prodidit. Aqua (inquit) vtilis est aduersus lumbricos tam iuuenum, quàm senum. Certum idem iactat experimentum, aduersus vomitum, profluuium alui & disenteriam, quod multus profuisse affirmat. Accipit duos manipulos Polygoni, coquit in libra vna & semis aceti, linteum duplicatum madefacit in decocto, imponit supra ventriculi regionem, & vmbilicum, ac supra posteriorem partem. Polygonum ab effectûs præstantia Sanguinariæ nomen obtinuisse perhibet Fernelius, quòd eo siue integro, siue tunso stillanti parti inducto, sanguis sistat, & in grumos concrescat, vt non ampliùs effluat. De Polygono eiusque aqua plura si voles, Tabernamontanum leges.

Dioscoridem contra Galenum defendit Marantha, in eo quod Polygonum vrinæ stillicidio prodesse is affirmat, quòd vrinam apertè cieat: concludens tandem à quibusdā, ceu Galeno, Dioscoridem non rectè in crimen vocari, quòd presse nimis, angustéque, & nullâ adhibitâ distinctione simplicium facultates docuerit. Sed ad Polygoni historiam reuertamur. Car. Stephanus valdè nocuam herbam ouibus, si eâ vescantur, asserit. Ait enim totum earum ventrem inflari, easque humorem subtilem & valde fœtidum excernere. Ouibus noxia.

POLYGONVM ANGVSTIFOLIVM duplex.

CAP. CXX.



Descrip. Polygono vulgari perquá simile duplex hoc Polygonū *radiculā* habet teneram albam, *ramulos* admodū multos longè latéque supra terrā reptantes fundentem, *folia* quoque Centinodiæ similia, sed minora, acutioráque, eadémque nunc breuiora & latiora, nunc longiora & angustiora.

Icon. Polygoni angustifolij duplicem varietatem Tabernæmontani vna tabella expressimus, alterius ramulum duntaxat separatim pingentes.

Synon. Tabern. Polygonum 2. & 3. inscripsit: Caspar. Bauhinus phyt. Polygonum 2. siue oblongo angusto folio, Item Polygonum 3. siue breui angustóque folio. Gerard. Polygonum minus mas, Small common knot grasse.

POLYGONVM MARINVM.

CAP. CXXI.

Descriptio. Polygonum marinum prolixas habet *radices*, lignosas, crassiusculas, contortas, nigras: *viticula* supinæ, crassiores quàm Polygoni vulgaris, fre-



ris, frequentioribus, breuioribusque internodiis interceptæ, non tantùm foliis vestitæ maioribus candidioribus, verùm etiam squammis tenuibus pellucidis albicantibus: *flores* pulchri, numero & magnitudine vulgaris flor. vincunt: *semen* nigrum, triquetrum, Oxalidis semini simile.

Synonyma. Lobel. in Adu. dicitur Polygonum marinum maximum: itemque in Icon. Plant. p. 419. Camer. in Epit. & Hist. germ. Matth. Polygonum marinum. H. Lugd. pag. 1386. Polygonum marinum prius Dalechampii, gustu in maritimis salso, alioqui adstringente: Herbariorum quorundam Polygonum quartum. Et Aizoum marinum nonnullorum Dod. lat. in fol. Polygonum prope littora marina, veluti Adriatici maris, speciosius & amplioribus foliis. C. Bauh. phyt. Polygonum 5. siue maritimum latifolium. Maranthæ Polygonus marina.

Locus & tempus. Florens apud mare vidi mense Septembri: Frater Iunio in littore maris ad montem Ceti. Abundare dixit Camerarius iuxta Adriaticum mare, ac etiam circa Narbonam.

POLYGONVM TERTIVM DODONÆI siue tenuifolium.

CAP. CXXII.

Descriptio. TOta planta cineraceo colore prædita, ex *radicula* lignosa, fractuque contumaci, albicante, *coliculos* complures emittens, partim supinos, partim erectos, palmares, fili instar tenues, hirsutos, propter terram aliquando paulùm rubentes, crebris nodis geniculatos: ad quorum singulos folia plura apposita tenuissima, quorum longissimum vnciam non æquat, *flosculi* numerosissimi, tum ex foliorum alis, tum in extremis coliculis, stellati, muscosi, quibus *semina* pusilla succedunt, dura, vmbilicata, striata, medullam albam continentia: sapor plantæ est subamarus, & nonnihil tandem acris.

Io. Morhardo insigni Medico Hallensi in Indice plurimarum suarum plantarum dicitur Canaria seu Polygonum Tragi. Dod. gall. Polygoni tertia species, Polygonum 3. à Plinio descriptum. Et fortè. Lat. in fol. Polygonum quoddam montanum minimum, sine icone. Tabern. Ic. & Hist. Polygonum minus Polycarpum, Klein fritchter wegtritt/Polygonum 3. flore albo: Item, Polygonum minus alterum, Klein wegtritt. Sed

Tabern. err. cur Tabern. vel eius compilator Polygonum minus alterum separauit à Polyg. minore Polycarpo, cuius videtur tantùm varietas.

Gerardus appellat Polygonum polycarpum Tabernamontani, Polygonum 3. selinoides, ac ineptè pro Anthyllide Valentina Clusii pingit iconem Tabern. Polygoni minoris alterius. *Gerard. err.*

C. Bauh. phyt. Polygonum minus 1. siue gramineo folio repens, Anglica saxifraga Aduers. Item Polygonum 2. siue gramineo folio maius erectum.

Locus & tempus. Passim in segetibus, Geneuæ, Lugduni, & Mótbelg. occurrit: item Basileæ in agris, quà itur Binzę florens Iulio & adhuc Octobri. In horto Ill. F. C. vsque adeò vnicâ plantâ se propagauit, vt vix extirpari potuerit, Hiemem etiam ferens.

Vires & Vsus. Easdem vires & vsus, intus & extrà vsurpata possidet, quas Polygonum vulgare. Quoslibet ardores extinguit, fluxus ventris sistit, dysenterias & vteri profluuia, ac etiam hæmorrhagiam narium. Lapides pellit, calculum & vrinam ciet, Tabern.

POLYGONVM MASCVLVM fruticosum.


CAP. CXXIII.

Descriptio. RAdice tenui, multifidâ, lignosâ, fibrosaque, superuacanea: *cauliculis* tenuibus, brachiatis, lignosis: *foliolis* multis, Hyperici minoris, sed multò tenerioribus, aut Serpilli tenuifolii. *Flores* eius non obseruauit author Thalius. Reperit aliquando non longè à Stolberga secus vias. Non est autem Polygonon alterum serpillifolium Anglorum. C. Bauh. phyt. vocat Polygonum 4. siue fruticans angustifolium.

POLYGONVM PVSILLO VERMICVLAto Serpilli foliolo.

CAP. CXXIV.

Descriptio. RAra & indicta hactenus planta nobis industria Iacobi Reinaudeti Massiliensis pharmacopœi primùm innotuit, inquit Lobelius: *Ramulis* & *cauliculis* surculosis, prolixis, gracilibus, Serpilli, humi sparsis luxurians, è geniculis *folia* pusilla, teretia, succulenta, Aizoi, vel Illecebræ, Thymo paruo nostrati æqualia & similia.



Radix prælonga, lignosa, sapore amaricante, calidiusculo.

Synon. Lobel. in Aduers. ac etiam Ic. Plant. pag. 422. inscribit Polygonum alterum pusillo vermiculato Serpilli folio. Hist. Lugd. pag. 1124. Polygonum alterum Serpilli folio Penæ. Cas. Bauh. phyt. Polyg 5. siue minus foliolis Serpilli. Semen se accepisse ait, Herniariæ ex Candia nomine, à Laurentio Rosenau indedo pharmaco-

pœo, radice tamen non lignosâ, sed tenui, inutili, foliolis non teretibus, sed Serpilli minoribus.

Locus. In collibus maritimis Gallo-prouinciæ, non secus ac Herniaria multa luxuriat.



POLYGONVM POLONICVM coccíferum.

Cap. CXXV.

Descriptio. 

TEnuissimis prodit *foliis* & mucronatis, *cauliculis* nodosis exalbidis, & *flosculis* in summitate candidis inter squamas virescétes: ad radices ipsi coccū adnascitur, elegantissimo rubore ad Chermesina tingenda commendatum, inquit Camer. in Epitome Matthioli, qui stirpē hāc in eiusdem Hist. germanica Polygono Trago fnamel dicto [Polygono tertio Dodonæi, siue tenuifolio] valdè similem ait, & à Polonis, apud quos in arenosis locis reperitur, Kosmaczek vocari scribit. Hinc C. Bauh. phyt. Polygonum 7. siue Polonicum cocciferum nominauit.


POLYGONVM PARVVM FLORE albo verticillato.

Cap. CXXVI.

Descriptio. 

PAlmaribus aut sesquipalmarib. constat *surculis*, gracilib. rigidulis, geniculatis, & in alios minores diuisis. Ex quorum geniculis vnciam ferè à se inuicem distātibus bina emergunt *foliola*, Herniariæ ferè, sed Chamæsyces instar rotunda, minora. Inter quæ *flosculi* exigui, cādicantes, verticillatim in tenuissimas apiculas fastigiati: *radicula* exigua fibrata. Siccæ sapor nullus manifestus, nec eius vsus in medicina, quod sciam, vlus.

In scrobibus, fossis, & agrorum marginibus luxuriat: vidi autem Bizantij.



POLYGONVM HERNIARIÆ FOLIIS & facie, peramplâ radice.

Cap. CXXVII.

Descriptio. NEc hæc despectui futura erit discendi cupidis: Est enim perquàm parū nota, perpusilla quidem herbula & humi accumbens, cespiti semimersa, *ramulis* creberrimè geniculatis: *foliolis* & seminulis albidis, prorsum Herniariæ: tota incana quàm exiguo, muscoso *flore*. *Radice* ampliore quà in pro plantæ modo, durâ, surculosâ, implexâ, & in se reticulatim conuoluta, auulsu difficilis, gustu præsicco, calidiuscula.

Lob. in Adu. & Icon. Plant. Tom. 2. p. 85. vocauit Polygonum Herniariæ foliis & facie, perampla radice Astragaliti. H. Lugd. p. 1124. iungit & idem facit Polygonum hoc Herniariæ foliis cum Paronychia Hispanica Clusij, an bene, considerandum.

In futissima Cretæ Salonensis Galloprouinciæ planitie, media via inter Arelaten & Solonam ad diuersorium D. Martini à Lobelio repertum.



HERNIARIA.

Cap. CXXVIII.

Synon.

Herniaria glabra.



Locus. LAtè subiectum solū opacat, luxurie lætâ complurium *ramulorū*, quos ex pusilla *radicula* fundit, hinc inde sparsos, teretes, creberrimis geniculis interceptos:

Descriptio. ad quorū singula, aduersa *foliola* serpilli, minora, ex viridi lutea, gustu acriteodēs, locis erumpūt mirum in modum numerosi *flosculi*, ex apiculis luteolis compositi.

Camerarius hort. prior dicitur Herniaria: H. Lugd. pag. 1126. Herniaria siue Herba Turca, quibusdam Lithontribon ab effectu, vt & Herniosa vocata: Herniaria Gallorum Gesnero hort. & apud Cordum in Histor. vbi figuram addidit, & Herba carent mirer. Idem in ep. ad Io. Carun Bataruum Med. Veterum Ellebortnen esse iudicat, ac Theophrastum in eis dùs herbulam, quàm Dioscoridem *ἐρπυλλον* paruum appellasse concludit.

Lobel.

Herniaria hirsuta.



Lobel. in Adv. & Obs. pag.230. ac Ic. Plant.pag.421. Herba Turca siue Herniaria. Anguill. ep.14. Epipactis, Turcarum Herba viperarum, *dalle vipere*, & Alphela Græcorum.

Tabern. notatur.

Miror quid Tabernamontanum, vel eius succenturiatum mouerit, vt Herniariam gallico idiomate Boutonnet, quod non herbam, sed herbæ locum denotat, cognominarit.

Empetron Trago & Lonic.

Tragus, qui, si non fallor, Herniariam glabram pingit, Empetron inscribit, quod *quosdam*, & Galenum Praloides appellare contendit. Sed & Lonic. græcè Empetron, Latinè verò Calcifragam, gallicè Persoripetram, Rumpipetram, & quibusdam Cristam marinam vocari ait. Ast turpiter duas plantas confundit. Quis obsecro Herniariam, cuius picturam dedit, Cristam marinam vocauit: conuenit hoc vocabulum Fœniculo marino, quod vulgò Crithmum dicitur.

Millegrana Cordo Polygonum minus

Cordus in Hist. Millegranæ vocabulo describit: Matth. hist. germ. polygoni minoris.

Est Polygoni genus dicta Herniaria vulgo herbariorum Clusio: polygonum minus Matthioli Ponæ in Baldo: Cas.Bauhin. phyt. polygonum 5. siue minus, & Millegrana maior.

Holerius lib.1. de morb. intern. cap.59. ad herniam hanc herbam commendat, sine nomine tamen proprio describit, appellans tantùm Herbulam in sabulis nascentem. Et hinc ab aliis Herba Holerii, *Holeriana, Fallopia*, & *Herniola* dicta quoque est. Germani vocant harnkraut/Sternkraut, klein wegtritt, & tausentkörner: Galli *l'herbe au Turc.* Itali *centograna & Millegrana.*

Locus & Tempus

Est mihi Montbelgardi in horto Ill. i. c. non longè à Beffordia prope pagum Danieutin circa solo arenoso collecta Herniaria: item prope pagum S.Susannæ dictum Montbelgardi. Obseruaui præterea Tiguri in Gesneri, Basileæ in Plateri, & Patauii in Cortusi horto, semine turgentem mense Nouembri: Geneuæ, Lugduni & Monspelii copiosè locis siccis mense Aprili, Maio, Augusto & Septembri: C.Bauh. Basileæ inter segetes vidit: Camer. circa Norimbergam frequentē Augusto in locis sabulosis: In aruis, oliuetisque Narbonensibus ad rus Boutonet altero à Monspelio lapide Lobelius. Semel in hortis sata quotannis periens testibili semper fœcunditate redit, authore Gesneto.

Vires & Vsus

Epipacti siue Millegranæ insignes tribuit facultates tres Anguillara. Succus, ait, potus, aut herba esitata, vel etiam emplastri modo plagæ imposita, morsis à vipera auxiliatur. Secundò emplastrum ex ea herniam mirè restituit. Postremò iecori prodest & ictero: aqua enim distillata ac pota curat intra octo dies. Camerarius aquam distillatam optimam prædicat in calculo. Polygoni Herniariæ appellati decoctum feliciter calculosis propinari refertur apud Clusium. Ipsum verò exsiccatum & in puluerem tritū, boum, & equorum vulneribus atque vlceribus inspersum, vermes in iis natos abigere & enecare: præter facultatem verò quā calculosis prodest aduersus hernias etiam vtilem esse. De eorum vsu ad descensum intestini ex Hollerio dictum antè.

POLYGONI, VEL LINIFOLIA PER terram sparsa, flore Scorpioides.

Cap. CXXVII.



Descriptio

EX *radice* quę tenuis, singularis, interdū multifida, alba, *folia* emergunt Lini, vel Linariæ, *caules* anteuertentia, at illi vbi prodierint, per terram sparguntur palmares aut etiam dodrantales, ramosi, foliis nullo ordine positis vestiti, Polygoni, minores, cæsii coloris, sapore nullo euidenti: in extremis ramulorum aceruatim congesti *flosculi* numerosissimi, Polygoni floribus similes, minores, extrinsecus purpurascentes, intus albi, caudam Helietropii, vel Scorpioidis aquatici circumflexu imitantes: *semina* parua, albis, virentibusque striis variata.

Synon.

Casp.Bauh. qui aliquando sine nomine nobis misit, in phyt. Polygonum 7. siue minus, & Millegranam minorem vocant: Lobel. cuius icon in Ic.Plant.pag.422. minùs placet, Millegranam minimam.

Locus.

Anno 1590. medio Septembri plantam reperi spontaneam copiosè prouenientem in loco culto.

CAMPHORATA MONSPELIENSIVM.

Cap. CXXVIII.

Descriptio

CAmphorata *radicem* habet pollicaris ferè crassitudinis multorum capitum, *caules* emittentem lignosos, crassiusculos, cubitales, aut breuiores, ramosos, subhirsutos, albicantes, per quos visuntur nodi alternatim positi, è quorum singulis confertissima prodeunt *foliola*, trientem vnciæ non excedentia, tenuia, pilosa, mediocriter rigida, odore aromatico, sapore aliquantùm acri.

Lobel. in Adv. non admodum fœliciter depingit, & satis adumbrare credidit Chamæpeucen, siue humilem Piceam Plinii, Camphoratam Monspeliacam, vt vocat in Obs. pag. 221. in Ic.



Plant. pag. 403. Tabern. vocauit germanicè Gamsserkraut von Monpelier. An Anguil. ep. 12. Chamæpeuce Plinij lib. 24. c. 15? An du Choul in descr. montis Pilati Herba deserta?

H. Lugd. dua figura. H. Lugd. duas habet figuras & descriptiones. Harum prior est p. 1179. sub Chamæpeuces Plin. Champhoratæ minoris Dalechampij titulo: Altera pag. 1201. Selaginis, siue Camphoratæ inscriptione.

Locus. In squallidis & arenosis locis gignitur in via Frontignana, & Montbelgardi in horto Illustr. E. C.

HYPERICVM VETERIBVS.

CAP. CXXIX.

Descriptio. COmmunes Hyperico, tribúsque aliis deinceps numerandis & delcribendis plantis, Ascyro, Androsæmo, & Cori, notæ & partes aliquæ, cor generes & in aliquibus scriptoribus cognomines sibi inuicem plantas eas omnes fecerunt, priuatímque huic, aut illi debitas appellationes adeò misceuerunt, vt non secus, quàm Romæ quondam in adoptionibus, quibusdam factū est, vt seruato antiqui & proprij generis nomine, adoptione quæsitum alterum illud adijceretur: sic seruatâ Hyperici appellatione, Hypericon Ascyron, & Hypericon Androsæmon aliquando congeneres illi hæ plantæ à quibusdam vocatæ vocatæ fuerint. Nec aliter posteriores Latini de his tradiderunt. Græci tamen omnes, priuatímque Dioscorides seorsum de singulis docuêre, certiore disciplinâ vsi, quàm, si vno capite, simúlque de cunctis tradidissent. Quod enim genera rerum & species dispescit exiguum semper est: quod verò coniungit multum, docétque in his Professores omnes natura exemplo vti, nec miscere simul quæ discreta ea voluit esse. Quæ autē communia quatuor his plantis, quæ itidem propria singulis sint, facilè ratiocinari & colligere erit ex earum historiis mox seorsim tradendis.

Hypericum igitur alij Androsæmon, alij Corion, alij, quòd semen eius odore pineæ resinæ sit, Chamæpytin vocant: *Frutex* est surculaceus, dodrantalis, rubescens, *folia* habens Rutæ [πηγάνῳ] similia [ὁμοιόφυλλα:] *Florem* verò luteum [μήλινον] Violæ albæ similem [vet. quidam totâ hâc periodo caret, vt & Oribas. vsque ad χλωράζει] qui quidem inter digitos contritus sanguineum succum remittit: qua ex causa etiam Androsæmon appellatum est. *caliculos* [χλωράζει. pro qua vet. χλωάζει] subhirsutos: *fructus* in rotundo oblongos, Hordei magnitudine, in quibus *semen* nigrū & resinosi odoris. Gignitur locis cultis & asperis.

Vires. Vrinam cit, subditúmque menses trahit: ex vino autem bibitum, à tertianis, quartanísque liberat. Medetur & semen ischiadicis, quadraginta diebus haustum. Sed & foliis cum semine impositis ambusta sanantur. Et hanc legitimam Dioscoridis lectionem esse credimus.

Eadem præstat Hypericum, quam alij Chamæpityn, alij Corion, appellant, oleraceo frutice, tenui, cubitali, rubente: folio Rutæ, odore acri, semine in siliqua nigro, maturescente cum Hordeo. Natura seminis spissandi. Aluum sistit, vrinā ciet. Ad calculos vesicæ cū vino bibitur. Et hæc Plinius l. b. 26. c. 8. non omninò cōsonè cum Dioscor. de tradit, etiamsi de eadem herba agat, inquit Cornarius.

Galeno Hypericum calefacit, & siccat, tenuiurū partium essentiam habens, vt menses & vrinas prouocet. Ad hæc autem totum fructum capere oportet, non semen solum. Idem fructus viridis cum foliis impositus, ad cicatricem perducit vlcera, tum alia, tum ambusta. Si verò siccatum contusum insperseris, humida & putredinosa vlcera sanabis. Quidam etiam ischiadicis ipsum bibendum exhibent.

Hippocrates de morbis mul. in potu vterino, & colutione ad vlcera fœtida ὑπερικὸν præscribit. *Hippocrat.*

Cordus in Dioscoridem fatetur primam Hyperici speciem priuatim Hypericum dictam, sibi incognitam esse, pharmacopolasque eius loco Ascyro vti, quod altera est Hyperici species.

Hyperici nomen sequentes plantæ obtinuêre. *Hyperici nomen agnoscunt.*

Hypericum vulgare, siue Perforata caule rotundo, foliis glabris.

Hypericum Ascyron dictum, caule quadrangulo.

Hypericum Andræsemum dictum.

Hypericum pulchrum Tragi, siue montis Balon.

Hypericum elegantissimum non ramosum, folio lato.

Hypericum Syriacum & Alexandrinum.

Hypericum Ascyrum Creticum.

Hypericum minimum supinum.

Hypericum tomentosum.

Symphytum petræum, Onobrichis, & Ruta siluestris Hyperici nomina etiam insigniuntur.

ASCYRON VETERIBVS ET IN GENERE.

CAP. CXXX.

Descr. ASCyron siue Ascyroides, aliis Androsæmon, etiam Hyperici genus est, magnitudine distans: siquidem *ramos* habet maiores [vet. ἀκρεμόνας, ὀρθρυωδέστερα] ac fruticosius est: *foliis* interim tenuibus, puniceo colore rubentibus: *flores* luteos profert, & fructum Hyperico similem ac resinosi odoris: cuius attritu digiti veluti cruentantur: qua de causa Androsæmon [quasi humanum sanguinem dixeris] vocauêre. Est & huius fructus ad ischiadicos efficax potus in hydromelitis heminis duab. Nam biliosâ recrementa, plurima aluo detrahit. Sed dari frequentiùs oportet, donec sanitati restituti fuerint. Illinitur & ambustis efficaciter.

Ascyron & Ascyroides similia sunt inter se, & Hyperico. Sed maiores habet ramos quod Ascyroides vocatur, ferulaceos, omninò rubentes, capitulis paruis luteis. Semen in calyculis pusillum, nigrū resinosum. Comæ tritæ velut cruentant. Qua de causa quidam hanc Androsæmon vocauêre. Vsus seminis ad Ischiadicos, poti duab.

drachmis in

drachmis in hydromelitis sextario. Aluum soluit, bilem detrahit. Illinitur & ambustis.

Galenus. Galenus Ascyri vt eiusdem cum Hyperico speciei, non meminit suo loco, sed de Androsæmo agens, vt mox sequenti capite adducemus. Paulus Hypericum duplex esse ait, alterũ quod Androsæmum & Ascyron appellatur: alterum de quo capite præcedente egimus. Lonicerus in Diosc. Ascyron tertiam Rutæ agrestis speciem esse ait. Harchius in Ench. Hypericum, Ascyrum, & Androsæmum eiusdem generis statuit.

Ascyri æquiuoca. Ascyri nomenclaturam communem habent sequentes plantæ. Hypericon vulgare, siue Perforata caule rotundo, foliis glabris:

Hypericum Ascyron dictum, caule quadrangulo.
Hypericum Androsæmum dictum.
Hypericum pulchrũ Tragi, siue montis Balon.
Hypericum Ascyrum Creticum.
Hypericum Ascyron supinum itidem lanuginosum. Atractylis authore Dioscoride.

ANDROSÆMVM VETERIBVS & in genere.

CAP. CXXXI.

Descriptio. ANdrosæmon, quod alii Dionysiada, alii etiam Ascyron appellant, ab Hyperico & Ascyro differt authore Dioscoride: *frutex* verò est ramulis gracilibus, surculosus, virgultis puniceo colore rubentibus, *foliis* triplò, quadruplóve (vet. delet) maioribus, quàm sint Rutæ folia, quæque trita vinoso succo manant. Habet autem alas in cacumine complures, vtrinque expansas pinnatasque: circa quas *flosculi* pusilli lutei, & in calyculis *semen* Papaueris nigri, veluti punctis notulisve distinctum. Huius coma contrita resinosum odorem reddit. Sed & semen tritum drachmis duabus potum, excrementa biliosa trahit: prodest verò maximè ischiadicis, verùm à purgatione aquam insuper sorbere oportet. Cæterùm illita herba medetur ambustis, & sanguinem cohibet. Plinii verba declarant Dioscoridem, & præsertim vsum medicum diligenter & exactè exponunt.

Galenus. Androsæmon, authore Galeno, fruticosa planta est, duplex naturâ: Altera quæ Ascyron & Ascyroïdes nominatur, & Hyperici species est: Altera quæ à quibusdam Dionysias appellatur. Est autem semen ipsorum purgandi vt prædictum. At foliorum facultas siccat, & moderatè exterget, vt etiam ambusta sanare credatur. Cocta verò in vino austero, vinum efficit, vt magna vulnera glutinet.

Ab his non multùm euariat Paulus. Quin & Pandectarium Moreti haud dissona habet, vocans Androsæmum alterum Alkita seu Alkaydes, & alterum Dionysia.

Monachi taxantur. Monachorum in Meluem scribentium [pace tamen eorum id dixerimus] ineptias detegit Matthiolus: quippe qui asserant nullam ferè esse differentiam inter Rutam siluestrem, & Androsæmum, siue Hypericum, vt quæ in alterius locum substitui possint.

Ryffius in Diosc. ait officinas & gallicum vulgus Androsæmum cum Hypericone confundere. Sed ipsemet Ryffius non demonstrat verum discrimen, nec figurâ, nec descriptione. Androsæmum enim hirsutum, Ascyrum & Hypericum vulgare non hirsuta sunt: Ascyro præterea caulis quadratus, Androsæmo verò rotundus.

Æquiuoca. Plures hodie occurrunt herbæ quæ Androsæma vel cognominantur, vel appellantur, vt Hypericum Androsæmon hirsutum caule rotundo: Hypericum: Hypericum Ascyron. Hypericum tomentosum. Hypericum elegantissimum non ramosum, folio lato. Ciciliana. Alcea Veneta. Atractylis.

CORIS VETERIBVS ET IN GENERE.

CAP. CXXXII.

Descriptio. COris, quod aliqui etiam Hypericum appellant, frutex est *folio* Ericæ, sed minore, pinguiore, & rubente, dodrantalis, ori gratus, acris & odoratus. Huius *semen* potum vrinas Vires. mensesque ciet. Est & auxilio ex vino potum à phalangio demorsis, ischiadicis & opisthotonicis: itemque rigoribus addito Pipere. Sed & eo vtiliter opisthotonici cum oleo perunguntur. [Sequentia habet Ald. cod. in nothis: eadẽ Gaupylus in vtroque vetusto codice reperit in capitis calce.] Radix in vino decocta, potaque resolutis egregiè opitulari creditur: sed laborantem inter potandum bene circumquaque operiri decet: siquidem corpore toto sudorem ciet, qua ex re agilitas pristina recuperatur.

Plinius. Plinius de Hyperico agens lib. 26. cap. 8. hæc de Cori habet. Est aliud, inquit Plinius Hypericon, quod alii, ita etiam Paulus Corin appellant, folio Tamaricis (Ericæ Diosc.) & sub ea nascitur, sed pinguioribus foliis, & minùs rubentibus (& minoribus ac rubentibus, vet.) odoratum, palmo altius [non altius Diosc.] leniter suaue, aculeatum (acutum Dioscor.) Vis semini calfactoria, & ideò inflationem facit enterocelis: sed stomacho non inutile, præcipuum ad stranguriam, si exulcerata non sit vesica. Medetur & pleuriticis ex vino potum. Idem cap. 11. Semen Hyperici, quod Coris [Caros, vet.] hydropicos sanat. Hactenus Plinius, Plinius confusus. ex cuius confusione [quod Tamaricis folio dixit, pro Ericæ folio] factum est, vt quidam Erycam & Myricam confundant, vtramque Tamaricen appellantes.

Galenus & Paulus. Galenus Corin sub Hyperico comprehensam omisit.

Aequiuoca. Pro Coride autem variæ exhibentur plantæ: nempe Coris Cretica Belli. Coris hypericoide quorundam. Hyper. minimum supinum. Hyp. Ascyron Creticum. Coris Monspess. Coris lutea. Kali paruum. Erica baccifera Matthioli Chamæpitys.

HYPERICVM VVLGARE SIVE PERFORATA caule rotundo, foliis glabris.

CAP. CXXXIII.

Descriptio. EX *radice* lignosa, multifariam diuisa, buxeo cortice intecta, *virgulæ* surgunt complures, rigidæ, lignosæ, rotundæ, subrubentes, in ramos diuisæ, cubitum vnum, aut etiam duos altæ: *folia* Maioranæ, glabra, vel Centaurii minoris Lobelio, neruis per longum excurrentibus donata, innumeris foraminulis Soli obiecta pertusa esse videntur, sapore sicco & adstringente cum aliquo amarore: *flores* in extremis ramulis copiosi, lutei, ex quinque radiatis foliis compositi, apicibus multis concoloribus: *semen* paruum ex nigro ruffum, pingue, in capitulis oblongis, granum Hordei imitantibus, sapore resinoso, Lobelio amaro & ingrato: atque tam flores, quàm capitula semine grauida sanguineum succum reddunt.

Nomina linguarum *Millefora.*

Vt Græcis ὑπερικὸν, sic quoque Hypericum Latinis & *Perforata* dicitur vel Millefora, quòd folia obuersa Soli, innumeris ferè poris, acu quasi traiectis, aciem tum nostram, tum Solis transmittãt radios: itémq; *Fuga dæmonum*, quòd plurimi in ea sunt opinione, vt asserant, eam dæmones fugare, non aliter atque veneno alexiterium aliquod resistat. Et hac superstitione vetulæ mulierculæ fascinatæ, versiculos subscriptas patriâ linguâ recitare consueuerunt.

Dost/ harthaw/ vnd weisse heidt/
Thut dem Teuffel vil leidt: Hoc est, Origanum, Hypericum, & Erica, multùm dæmonibus aduersantur. Ex quibus sanè versiculis satis apparet, quid maiores nostri cùm adhuc gentiles essent, de his plantis senserint, & ad quos illas vsus adhibuerint. Sed relictis superstitionibus, ad linguarum nomina redeamus. Arabs Serapio *Resfricon*: Auic. *Albarib & Vuam dæmonis*; Auerrh. *Hesfericon, Nelsfricon, Mellisigon & Cordial* nominat: Hebræi *Alarif*: German. S. Johans kraut, hoc est, Herbam sancti Ioannis, Harthaw/ waldthoff/ & Vnser frawen bettstro: Belgæ S. Jans Cruyt: Galli *Mille pertuis*: It. *Hyperico*, & *Herba rossa*: Hisp. *Corazoncillo*: Angli S. Johans worte: Boh. Zwoŭcezk czerwecy: Hung. Chengo verég/ hoc est, Sonantem florem.

(*Sol sonans.*)

Locus

Tempus.

Vbique vulgatissima & vsu tritissima Medico & Chirurgo Hypericũ dicta, margines satorum, areas desitas, & rus. osa sectans, ex ámque littora loca. Monspelij obseruaui florens Maio: Basileæ inter portam Stein & Eschen Iulio & Augusto: in Marchionatu circa Bintzen Octobri: Geneuæ virens adhuc Decembri.

Vires & vsus. *Apoplexia. Febris tertiana & quartana. Semen.*

Quidam referente Trago, Hyperici aquam distillatam contra apoplexiam & morbum comitialem bibendam exhibent. Hypericum decoctum & potum febri tertianæ & quartanæ medetur, excreationes sanguinis finit, vulneribus & erosionibus internis auxiliatur. Semen in pericarpiis ad vulneraria balsama nulli secundum, multo Chirurgorum peritissimorum Monspeliensium experimento, vbi etiam oleum vernaculè *de Tresealen* vocatum, quotannis paratur longè optimum, ad hunc modum: Accipiunt summitatum Hyperici & olei communis singulorum libras duas. Myrrhæ & Gummi Elemi an. Vnc. duas: Terebinthinæ Vnc. quatuor: Aloes Vnc. vnam: Thuris & Mastiches an. Vnc. semis. Infundantur, bulliántque in diplomate ex arte. Ad icterum etiam & calculum vtilitas conspicua.

Oleum.

HYPERICVM ASCYRON DICTVM, caule quadrangulo.

Cap. CXXXIII.

Descriptio

Ascyron dictum ex *radice* reptante, fibrata, rubente, *caules* emittit Hyperico vulgari pares, quadratos, rubescentes, ramosos: *folia* ortu & magnitudine foliis respondent iam dicti Hyperici, vtcunq; tamen latiora, & neruosiora, nullis poris pertusa (Lobelio verò pũctim poros peruios habet) odore illo Hyperici resinoso, quo & *flores* lutei, eius floribus pares & consimiles, prædita sunt, sanguineum succum digitorum attritu reddentes, quibus similia quoque succedunt semine pusillo prægnantia *vascula*: figura Fuchsiana, quam hîc ponimus, displicet. Hanc autem caulem habere quadratum, foliaque paucis foraminibus pertusa obseruauit Turnerus, quod in Hyperico non animaduertit.

(*Icon.*)



Nomina & Synon.

Ἄσκυρον, ἢ ἀνδρόσαιμον Græcè, Ascyron Lobel. in Obs. p. 216. Ic. Plãt. p. 399. & Turnero latinè nominatur: Ascyrũ Fuchsio, Matth. in Epit. & Hist. germ. cum addit. Camerarij, Lonicero (quorum figuræ non respõdẽt) & Horto Lusitano: Hypericum 2. & Ascyrum notissimum Lob. in Adu. Hypericum in dumetis nascens Trago: Cordo in Diosc. ἀνδρόσαιμον & ἀσκυροειδὲς caule quadrãgulo.

An Gesn. in cat. Ascyroides, S. Johans kraut mit grossen blettern, h. e. Herba S. Ioannis foliis magnis?

Officinis ignotum. Germ. Harthew i. e. durum Fœnum appellatur. Gallicè Fuchsio *Trucheran* dicitur: veteribus autem Gallis *Iaunette* dicta est. Græci à contrario, huic herbæ nomen imposuisse videntur: σκῦρος enim illis asperitatem significat. Pulchrè igitur ad græcam appellationem germanica alludere videtur. Anglicè vocari potest, great S. Johans grasse, vel wurt.

Locus & tempus.


Ascyrum notissimum omnium, & riguorum, riuulorúmque pratensium amans valde. In viuario Sionis sæpè Turn. obseruauit: Ego Monspelij, Basileæ & Geneuæ: Montbelgardi frequens eundo ad Vites maximum loco humido inter frutices. Floret Iulio & Augusto.

Vsus.

Ascyrum haud disparis cum Hyperico sed infrequentioris vsus est, autore Lobelio.

HYPERICVM ANDROSÆMVM DICTVM.

Cap. CXXXIV.



Descriptio

Duos cubitos altitudine superat Androsæmi dicti *caulis*, rigidus, teres, lanuginosus, cuiusmodi sunt & *folia*, adeò vt in inferiore parte canescant, Ascyri foliis proxima, quippe neruosa, sed lõgiora, & Hyperici instar foraminulenta, posita sunt autem ex aduerso, ad caulis articulos, ex quorum alis ramuli enascuntur.

enascuntur: caulis circa fastigium in crebros surculos fatescit, in quibus *flores* Hyperici vulgaris consimilibus succedentibus vasculis, *semen* continentibus resinosum: *radix* rectà non agitur, sed in latus, frequentibus fibris donata.

Icones. Figura apposita ex Fuchsianis non multùm placet. Nec arridet Androsæmi Matthiolini in Epit. & Hist. germ. cum addit. Camerarii, quia angulosa picta. Imago quoque apud Lonicerum pro Androsæmo vulgari expressa non conuenit, est enim Hyperici parui.

Lobel. in Obs. p. 217. & in Icon. Plant. p. 399. Androsæmon. Fuchs. in Hist. ἀνδρόσαιμον, quod germ. Funrath vocat, & gall. *Mille-pertuis large*, vel *Truchoran large* depingit & describit: verùm nec figura nec descriptione, ritè eam exprimit. Idē in Epit. Hisp. vocat Androsæmon è specie de *Yerua de Sant Iuan*. Gesn. de coll. Androsæmon caule rotundo, & Androsæmon Fuchsii: & sic quoque Horto Lugd. dicitur. Anguillir. epist. 13. Androsæmon.

Locus & Tempus. Montbelgardi abundat in vicinis collibus, florens Iulio & Augusto: sic etiam in monte Rosberg prope Masmunster obseruaui, itemque Basileæ circa Dornacum, & in monte Leurach, Geneuæ, & Monspelii.

HYPERICVM PVLCHRVM TRAGI.

Cap. CXXXV.

Descriptio.



QVod Hyperici pulchri nomine pingit Tragus *radice* nititur lignosâ, rubescēte: *caulibus* dodrantalibus, & maioribus, teretibus, glabris imâ parte rubentibus, ramosis, non tamen perpetuò: *folia* ex geniculis gemina aduerso situ posita, solidiora, rotundiora & minora quàm in vulgari, non minùs crebris tamen foraminulis pertusa, glabra, auersâ parte nonnihil interdum purpurascentia, valdè concinna, & caulem concu su suo veluti complectentia: *flores* lutei consimiles, sed pauci, breuibus hærent pediculis, binis, plærumque aduersis, è foliorum sinu ortis.

Hypericum montis Balon. Hoc genus Hyperici reperi in cacumine montis Balon Augusto.

HYPERICVM ELEGANTISSIMVM NON ramosum folio lato.

Cap. CXXXVI.

Descriptio. EX *radice* lignosa, multifida, fibrata, tortuosaq; *caules* duo, tresue pullulant cubitales & altiores,



teretes, glabri: per quos ex interuallis, inferiùs quidem breuibus, paullò vncia maioribus; superiùs longis, palmaribus & amplioribus, bina semper *folia* ex aduerso posita adnascuntur, ita vt inferior coniugatio cū proximè superiore decussatā crucem deformet: folia infimæ quidem Hyperici vulgaris foliis paria, superiora verò, sensim crescente semper cum loco magnitudine, duplò maiora, oblonga, acuminata, nullis foraminul s (vt Hyperici vulgaris) peruia, membranea, glabra, à neruo medio in mucronem excurrente productis, sinuatis in arcum venulis: per margines punctula apparent rubra: *flores* vmbellæ simulachrum efficiunt, summum caulis fastigium occupantes, cùm in ramos Hyperici modo non findatur, alioqui Hyperici floribus similes, quibus nondum explicatis punctula rubra aspersa comparent.

In horto Tossani ex montibus Geneuensibus allatum floret Iunio. Virens inueni in monte Rolsberg prope Masmunster mense Octobri: Montbelgardi in colle versus Audincourt & in monte *la chau*. Basileæ in siluis obseruauit Frater. Locus & Tempus.

HYPERICVM SYRIACVM ET Alexandrinum.

Cap. CXXXVII.



QVadruplò minora quàm nostri Europæi, quæ summis cubitalibus virgulis confertim tanquam in verticillis exeunt, profert *folia*: *flores* luteos nostrati persimiles. Descriptio.

Lobelius in Obs. pag. 216. & Ic. Plant. pag. 398. dicitur Hypericum Syriacum & Alexandrinum. Tabern. Hypericum Alexandrinum. C. Bauh. phyt. Hypericum 6. siue folio breuiore. Synonyma.

Elatine mas folio subrotundo.



Elatine fœmina folio angulosa.



Descrip. nihil, vel minimùm humo se tollentes, tenues, villosos, & subindè nonnihil rubentes: *folia* quàm Veronicæ minùs acuta, rotunda ferè, mollia, lanuginosa, sapore amaricante: ex quorum vniuscuiusque ala *pedicellus* rubescens, villosus, semuncialis & longior, enatus *florē* sustinet foliolis virentibus hirsutis constitū, Linariæ quodammodò similem, calcari, labelloque ex herbido flauescente, superiore aduersa lacinia bifida pulla, sub qua latent apiculi, partim nigri: *semen* in vasculis rotundum conclusum.

Fœmina magis sessilis tota, humo non attollitur, viticulas longissimas spargēs, *foliis* Helxines Cissampeli sagittæ mucronis alati formâ, minoribus quàm iam dictæ Elatines, & magis acuminatis: *flores* consimiles, sed minores.

Synon. Elatine prior siue mas folio subrotundo, flore cucullato, dicitur Anguill. epist. 13. itémque Fuchsio, qui sinuatam pinxit & malè ad Veronicam reduxit. & Matth. passim in Diosc. lib. 3. itémque Hist. germ. & Epit. Veronica fœmina: Gesn. hort. Veronica fœmina Fuchsij.

Sed recentiorum quidam, iidémque periti, & admodum in re botanica exercitati, meliùs veram ac legitimam antiquorum Elatinen viribus & figura consentientibus esse credunt. Ex horum numero est, Lob. qui Veronicam fœminam Fuchsij & Matthioli, in Obs. pag. 249. & Ic. Plant. p. 470. Elatinen Dioscoridis inscribit, & Tabern. qui Elatinen 1. appellauit. Sic etiam in phyt. C. Bauh. Elatinen 1. siue folio subrotundo nominauit, & Dioscoridis Elatinen quoque constituit.

Malè tribus distinctis capitibus H. Lugd. Elatines maris eandem iconem sub diuersis etiam nominibus proposuit. Veronicam enim fœminam Matthioli p. 1050. (vbi eam in descriptione cum Veronica fœmina, vel pratensi, siue Serpillifolia Dodonæi confudit) inscripsit: & p. 1105. (vbi & Heliotropium minus Dodonæi in Epit. facit) Verbasculum quorundam.

Elatine fœmina. Elatines fœminæ, siue cucullatæ alterius, folio anguloso, Matthiolus lib. 4. in post comm. Lat. & Ital. cum magn. fig. solam imaginem sine descriptione Elatines titulo dedit: In hist. germ. Elatinen veram per Cortusum Paduâ missam ait, & ad plantam, delineationem concinnat: In Epit. cum addit, Camerarij, Dioscoridis descriptionem assumpsit. Vides hominem varia delectari varietate.


Synon. Cæterùm, Elatine fœmina, dicitur Cast. Duranti Elatine: Tabern. Elat. secunda: Lob. in Icon. Plant. p. 470. Elatine altera: Elatine 2. siue folio acuminato C. Bauh. in phyt. Elatine Matthioli folio acuminato Thalio: Camer. hort. Elatine Matthioli longè glabrior in horto & latiùs virens spontaneâ aruensi: Horto Lugd. Elatine Dioscoridis altera Tabernæmontani.

Locus & tempus. Marem primò inter Stutgardiam & Tubingam in agro quodam obseruaui: Monspelij dein frequentem: Basileæ etiam abundantem in segetibus circa Leurach: item in agris circa Gontelsdinguen, florentem mense Augusto, ibidémq; Octobri. Montbelgardi in planitie, quæ est inter Arbouans & Audincourt ac Vites crescere incipiebat Iulij principio, florere Augusto. Plurimâ in est in segetibus Narbonæ Gallo-prouinciæ, Delphinatus, Germaniæ & Italiæ quibusdam locis, rariùs in Belgio, & Angliæ comparere, testatur Lobel. *Fœminam* vidi mense Octobri in agris cum præcedenti: Montbelgardi spontè prouenientem, & Iulio florere incipientem.

Vires & Vsus. Matth. haud considerans suam Veronicam fœminam non diuersam genere à sua Elatine, scribit illam virib. & facultate à Veronica mare minimè differre, sed ad omnia imbecilliorem esse. Veronicam autem marem, à qua fœmina hæc plurimùm formâ discrepat, ait calidam & siccam, gustu adstringentem & amaram, &c. Elatinæ verò [fœminæ sc.] Dioscoridis vires adscribit.

ANAGALLIS SERPILLIFOLIA aquatica.

CAP. CXIII.



Descriptio. HErbula facie Glaucis exiguæ Lobelij, sed longè diuersa, quæ pro natalib. habet vuidum & paludosum solū, *fibris* radicatur numerosis gracilibus, quas & ex coliculorum geniculis subinde consueuit demittere lōgiusculas, sed fili instar tenues & capillares: *coliculi* supini per terram repunt palmares, aut

res, aut etiam dodrantales, interdum paullò longiores, striati, crebris geniculis intercepti, quorum singulis bina ex aduerso posita adnascuntur *folia*, Serpylli similia foliis, magnitudine quoque pari nonnunquam tamen maiora, acutiora, & penè vncialia, pediculo sublongo ex angusta ceruice sensim dilatata, perque extremum rotunda, glabra, viridia, nonnunquam rubentia, neruo secundum longitudinem vnico donata: ex quorum alis cauli adnascuntur proximè totidem *flosculi*, cærulei, sublongi, in medio apices quaternos, flori penè concolores, continentes, singulique vasculum seminis Milii magnitudine relinquentes, in quo copiosum minutum rufi coloris, *semen*: sapor in hac planta nullus manifestus, nisi herbaceus, cum leui acrimonia.

Trago est Sii odorati genus: An Tabernæmontano, Alsine fluuiatilis foliis Serpilli, repens supra terram, flußvogelkraut? An Alsine aquatica altera C. Bauhino?

Locus & Tempus. Florentem mensis Augusti principio obseruauimus anno 1584. in paludosis propè Lutram vrbem Principis Maurbacensis. Eadem mihi inuenta sub finem Augusti prope stagnum post Raupe versus Rotenbourg siue Rougemont inter Malmunster & Beffort.

GLAVX EXIGVA MARITIMA.

Cap. CXIV.

Descriptio. PVsillis & gracilibus est *coliculis*, subinde reptantibus, & filis instar tenuium fibrarum, è geniculis propagatione radicatis: *folia* per articulos, Herniariæ, bina contrario situ, ex quorum vniuscuiusque sinu *semen* perpusillum, nudum, fuscum.

Synonyma. In Adv. vocatur Glaux exigua Dod. effig. 38. in Obs. pag. 217. Glaux exigua marina: & sic & in Ic. Plant. pag. 415. vbi quæritur an sit Glaux Dioscoridis. Camer. hort. Glaux, paruula herbula, ex salso lacu prope Islebium: Doldio epist. ad me exarata, Glaux, paruula herbula, subsalsa, foliis vtrinque Alsines, flore luteo: C. Bauhinus phyt. Glaux maritima, Hamburgo missa, ibidemque proueniens: Dod. gall. γλαὺξ ἢ γάλαξ ἢ γλαξ: Latinè Glaux & Glax: Gall. *Herbe au laict*: Germ. Milchkraut: Belg. Melchkruyt.

Locus & Tempus. Zelandiæ & Angliæ plerisque mari conterminis salsis lacustribus conuallibus reperitur, Lobelio: Sic & Dodonæus locis nasci maritimis & depressis, aquaticisque ad mare dixit, prope toto litore Zelandico: florere Iunio & Iulio. Nobis siccam communicauit Frater C. Bauhinus.

Vires & Vsus. Vsurpata in cibis, & iusculis lactis copiam auget: quare nutricibus lactis penuriâ laborantibus vtilissimam esse Dodonæus perhibuit.

ANTHYLLIS DVPLEX VETERIBVS, & in genere.

Cap. CXV.

Anthyllis duplex Dioscor. ANthyllidem duûm esse generum author est Dioscorides: ait enim quandam foliis esse mollibus, alioqui Lenticulæ (φακῷ) simillimis, & ramulis palmi altitudine, rectis: radice tenui & parua. Nasci in sabulosis [salsuginosis legit Corn. vt mox patebit.] apricis, subsalsam gustanti. Alteram esse foliis ramusculisque Chamæpythyi similem, hirsutiorem tamen, breuiorem & asperiorem, flore purpureo, & odoris admodum grauis, radice Cichorii. Hanc drachmis quatuor bibitam, vrinæ difficultate laborantibus & nephriticis plurimùm prodesse. Tritas verò [ambarum radices] vteri inflammationes emollire, cum rosaceo & lacte subditas, ac vulneribus quoque mederi. Quæ autem Chamæpityos similitudinem refert, præter alia etiam comitiales sanat cum aceto mulso pota. Vires

Appellationes nothæ. Inter nothas Dioscoridis appellationes, sunt qui Anthyllon, qui Anthemida, qui Eranthemõ, qui Leucanthemon, qui Soranthes, qui campestrem Florem vocent: Romani quoque, vt legitur apud nonnullos Salastrum vocant. Sed & Galeno Anthyllis duplex est. Ambæ, inquit, moderatè siccant, vt etiam vlcera glutinent. Verùm altera quæ Chamæpityi similis est, magis tenuium partium est, quàm altera, vt etiam comitialibus conueniat. Maiorem quoque extergendi vim habet quàm altera.

Quænam hodie sint Anthyllides inter autores non conuenit. Ryffius in Diosc. Anthyllidis primum genus incognitum ait. Ruellius hoc posteritatem Salsolam vocare credidit, itemque Bacchanellus. Salsaginem vulgò appellari scripsit Harchius. Alterum genus, Antonius Musa Cali potiùs suspicatur: sed Anthyllidem alteram nec Kali, nec eius speciem aliquam esse author est Dodonæus: Ryffius contra suam moschatam constituit. Ruellius Salsolæ nomine appellandam censuit. Qui porrò Kali speciem faciunt, rursus vel ad Kali maius, vel ad Kali minus, vel tandem ad Kali Arabum, de quibus lib. 30. dicendũ, referre coguntur.

Æquiuoca. Antyllidis autem nomine sequentes donantur plantæ. Vermicularis marina arborescens. Crithmum marinum. Chamæpitys. Camphorata. Linaria. Vulneraria. Lotus siliquosa. Trifolium candidum. Medica marina. Paronychia. Tripolium. Aster atticus. Tanacetum. Matricaria. Chamæmelum. Auricula muris. Alsine. Plures Anthyllides lectores reperient apud Apollinem Rad. I. quas ipsimet ad sua capita reducent si poterunt.

Castor Durantes duas Anthyllides describit, & vnam pingit, quam autem intelligat, aliis discernendum relinquimus.

Anthyllis constans primùm veluti Tritici granis, cacumine sibi insertis, salsis locis, non procul à lacu salsiusculo Statfurti nascens Cordi in Obs. silua quid? Quid & altera eiusdem ibidem Anthyllis humi sparsa, minori Aizoo similis, salsa? Quid & Anthyllis latiusculis oblongisque foliis, salso gustu [quod Cordus Telephium salsum opinatur] ibidem? Quid tandem Anthyllis altera, Cordi in Diosc. lib. 3. cap. 15. Germ. Saltzkraut/ à manifesto sapore, dicta? Notat Cordus Aristotelem atque Plinium, aitque eos minùs rectè sensisse, quod scribant omnes sapores plantis inesse, præter salsum. Securidaca quædam gracili solo nascens Cæsalpini lib. 6. cap. 33. quam quidam Anthyllidem primam putarunt, quid? Anthyllis lentifolia, Peplios effigie maritima Lobelii quid?

ANTHYLLIDIS SPECIES QVIBVSDAM

cap. CXVI.

Descriptio. DOdrantalis aut altior est planta, propaginibus frequentibus brachiata, ad ramorum



atque propaginum exortû nodosa, *foliis* minimis aceruatim congestis circa nodos vestita, multò Serpylli foliis minorib. per extremum latioribus & subrotundis: *surculi* lignosi sunt, firmi, teretes, repandi, humique sparsi, variéque quaquauersû brachiati: *radix* singularis.

Anthyllis Valentina Clusii. Anthyllidē hanc Valentinam Clusij Placa ἀνθυλλίδα vocabat, eámq; ad primum genus Dioscoridi descriptum referebat. Et si autem inter Anthyllides procul dubio recensendam admiserit etiam Clusius, primam tamen esse negauit, vtpote quæ rectis ramulis assurgat, hæc autem repentes habeat, totáque facie Chamæsicen propemodum referat.

Synon. Lobel. in Icon. Plant. huius plantæ duas imagines dedit, quarum melior ex Clusio (qualem & nos habemus) mutuata extat p. 421. Anthyllidis Valentinæ Clusij & Placæ titulo. Peiorem dedit p. 768. pro Anthyllide marina Narbonensium altera [admodum salso-acida, interponitur in Aduers.] Chamæsicæ facie.

Peplium. Dodon. de purg. & in fol. lat. pro Peplio siue Peplide, cuius descriptione n proponit, Anthyllidem hanc pingit. Sic Tabernamontanus pro Chamęlyce quam in Hist. describit, Anthyllidem hanc picturâ demõstrat. Casp. Bauh. in phyt. Anthyllidem 1. siue maritimam, Chamęlycæ similem vocat. Is apud Matthiol. pro Chamælyces figura, quam à Matthiolo omissam, & à se appositam esse ait, Anthyllidem Valentinam ex Tabern. proponit, qua in re apertè hallucinari deprehēditur.

Locus & Tempus. Gener Cherlerus obseruauit in montis Ceti litoralibus, eique confinibus arenosis: Clusius nusquam alibi conspexit, quàm ad fossas vrbis Valentiæ in Hispaniis. Florebat Aprilis mensis initio.

PARONYCHIA HISPANICA CLVSII, siue Anthyllis niuea. Cap. CXVII.

Descrip. Aspectu pulcherrima est planta, sparsis per terram dodrantalibus, aut vix palmarib. in adolescentiore herba *caulibus* iunceis, è quorum nodis alternatim prodeunt *propagines* vnciales, glomeratis squammulis argenteis confertissimis odustæ, præque glomerulorum dēsitate vix conspicuæ, emicantibus ex scandularum commissura hinc inde raris *foliis* viridantibus, Herniariæ paribus: *radix* subest lignòsa, alba, crassiuscula, longa, multifida.

Clusio nihil aliud est quàm Polygoni maris genus peculiare: Lobelius verò in Adu. vocat Polygonum montanum minimum, niueum & sericeum.

Polygonum 3. siue minus candicans (inquit C. Bauhin. in Phyt.) est Paronychia Hispanica Clusij, siue Polygonum montanũ niueum minimum Lobel. in Obseru. & Ic. Plant.



An porrò H. Lugd. pag. 1124. Polygonũ mõtanum niueum Penæ bene separet à Polygoni Hispanici genere Clusij p. 1125. ac idem cum Polygono Herniariæ facie constituat, alijs diiudicandum proponimus.

Locus & tempus. Tabern. dicitur Berg weggraß. Polygonũ 4. montanũ.

In maritimis inter Bellelucanas thermas & Agdam Galliæ Narbonensis oppidum obseruauit & collegit Iohan. Henr. Cherlerus Maio. Clusius nusquam abundãtiùs, quàm in collib. petrosis & siccis Salmãticæ vicinis, trans flumẽ Thormim: item circa Valentiã & Murciã obseruare meminit, ac etiam lapidoso illo cãpo supra Arelaten, non procul à Diui Martini diuersorio, quà Massiliã iter est, sed multò minorem, & vnciam vix excedentem. Floret Maio & Iunio, & semen profert.

ANTHYLLIS LENTIFOLIA PEPLIOS effigie maritima. CAP. CXVIII.

Locus. In Anglię insulis Australibus, inquit, Lob. ea præsertim quæ Portlandia vocatur, litore Northmaniæ obuerso, plurima quam hîc, hîc damus, pusilla prouenit in sabuletis & arenosis vadis depressis, & apricis: *geniculis* & *ramulis* palmũ trésve vncias longis, angulosis, pallentib. & *foliis* Lenticulã, Alsinẽ minorem, vel Peplin referẽtib. *Flosculi* simis insunt ex buxeo herbacei, dentatim stellati, Sedi minoris, Iunio & Iulio: *semen* Tythymali in perexiguis Chamælycæ triquetris thecis alit: prolixiore, exili, geniculata *radice*, sabulo altè infossa, Soldanellę modo: tota salsa, gustanti amaricat & parum quiddam calfacientis indicat.



XX

In Ic. Plant. p. 468. vocatur Anthyllis prior lentifolia Peplios effigie. In phyt. C. Bauh. Anthyllis 2. siue marina lentifolia.

DE POLYGONO SIVE CENTINODIA. Cap. CXIX.

Descriptio. Ad multas stirpes, vocabuli vim si spectes, extendi posset Polygoni nomenclatura, ex fre-



ex frequētium geniculorum, aut, vt alii volunt, seminum multitudine deducta: quam in primis tamen meruit passim obuium in vias Polygonum gramen, ex *radice* dura, lignosa, contorta, multis fibris capillata *viticulas* suas emittens cubitales, ramosas, teretes, striatas, frequentissimis geniculis interceptas: *folia* ex geniculis solummodò exeunt, Oleæ foliorum figura, tenera, gustu viscido: *flosculi* secundum caulem ad nodos pusilli, colore ex albo purpurascente: quibus *semina* succedunt nigricantia, triquetra, Lapathi similia.

Icon alia.



Synon. Dioscoridi lib. 4. πολύγονον ἄῤῥεν dicitur, hoc est, vt Marcell. reddit, Sanguinalis mascula. Sunt qui in nothis Dioscoridis, Polygonaton, qui Cynochalen, qui Herachan, id est, herculeam, qui Asphaltion, i.e. Trifolium bituminosum, qui Chiliophyllon, h. e. Millefolium, qui Clema, hoc est, Viticulam, qui à copia seminis Polycarpon, qui Carcinethron, qui Teuthaliden, qui Myrtopetalon, h. e. folium myrteum, qui Cnopodion, qui Pedalion, qui Stemphin, qui Muris vnguem, qui Proserpinacam vocent: Magi Herois sanguinem Ægyptii Thephin, Aphri Cuculum dicunt: Græci quidem à seminis copia, vel, vti dictum, geniculorum, quos habet, frequentia, cognosci eam voluerunt. Vtrumque enim Polygoni vox significare potest. Siquidem genti illi γόνος genituram & semen sonat: γόνυ verò genu, & diminutiuâ formâ, geniculus est. Et huc pertinet, quæ in nothis adiecta illi appellatio Polygonaton fuit, ab eadem geniculorum frequentia, & densitate facta. Nobis tamen, ceu & Marcello, in alteram partem magis inclinat animus, credimusque à copia seminis quondam sic appellatam fuisse. Plinius, qui lib. 27. cap. 17. Sanguinariam interpretatur, aliquot quoque ex his, quæ inter spurias recensentur Dioscoridis appellationes, numerauit, addens vocari etiam Halmada, vt Marcellus quidem ex Apuleio Stopinacam, legens Proserpinacam.

Guido reprch. Gu doni Tract. 2. cap. 1. Polygonum idem est, quod Virga p. Eidem Tract. 7. Virga pastoris frigida in tertio, sicca & temperata: Ex quibus malè fultus, maléque inter se cohærentibus, haud absurdè quispiam nostro iudicio collegerit, ignorasse Guidonem quid esset tum Polygonum, tum Virga pastoris.

Corrigiola. Brun. fess. Tom. 3. p. 18. in Coroll. Corrigiola & Virga pastoris. Vigoni Lingua passerina: Arnoldo de villa noua, Polygonia, Virga pastoris, & Lingua passerina.

Polygonum mas. Cord. in Dioscor. lib. 4. cap. 4. Polygonum mas, Latinè Sanguinalis mascula, & Proserpinaca, pharmacopœis Lingua passerina. Ruell. Polygonon Græcis: Latinis Sanguinaria, herba Sanguinalis & seminalis, quam Ætius Heliobotanon h. e. Solis herbam vocat.

Matth. in Diosc. lib. 4. cap. 4. Polygonum mas Italis vulgò *correggiola & centinodia*, Proserpinaca Apuleio: Arab. Basialrahagi: Gallis *corregiole*. Idem in Dioscor. lib. 3. cap. 11 Virgam pastoris Serapioni & Auicennæ dictam, Polygonum esse asseuerat, Matthæumque Syluaticum cum Dipsaco confudisse. Eidem cap. 11. in post. comm. Ital. Virga pastoris est Centinodia vulgaris & Polygonum Dioscor. In Historiæ verò germ. libro 4. cap. 5. maius appellat Polygonum, Bohemiceque trasstawec.

Dipsacum. Monachi id M. l. Dist. 8. cens. 257. Pandectarium erroris meritò insimulant, quòd Dipsacum c. 151. cū Virga pastoris seu Polygono confuderit.

Nomina linguarum Polygonum etiam statuunt & Polygonum mas. & Polygonum maius. Apollo, Cæsalpinus, Fuchsius, Car. Stephanus, & Tabernamontanus. Camer. [quo nullus pulchriorem dedit figuram in Hist. germ. Matth. & Epist.] in horto vulgare Polygonum appellat. Anguillaræ epist. 17. dicitur Polygonum mas, Centinodia, Lingua passerina, & Corezola. Dod. gall. figuram dat, additis nominib. Polygoni & Polycarpi. Gall. *Renouée & corrigiole*: Belg. weg gras werkeusgras/ & duysent knoop manneken [Quibus addit in fol. Lat. vbi Polygoni maris nomine pingit] kruepel gras: It. *Polygono*: Angli knotgrasse. Lob. & Penæ Adu. p. 179 Polygonum mas. Nec-non Obs. pag 229. quo loco figura est exhibita, quæ in Ic. Plant. p. 419. sub Polygoni maris vulgaris, Sanguinariæ, Centumnodiæ titulo habetur. Gerard. Polygonum mas vulgare. Thal. in Harc. Turner. & H. Lugd. p. 1123. Polygonum mas: C Bauh. phyt. Polyg. 1. siue latifolium, mas Diosc. & Plinii. Fernelius m. m. l. 6. c. 1. & c. 12. recep tum Polygoni nomen retinuit, vt & Fab. Columna p. 30. Bauder. l. 1. sect. 2. Cast. Dur. pag. 368. [qui tamen & Polygonum maius vocat] Gesn. de coll. stirp. cui de Hort. & in cat. pl. Polygonum mas herba quoque dic tur. Hort. Lus. Polygonum alterum vulgatius, gemein wegdritt/ denngras.

Aequiuoca. Sed alias præter Polygonum mas, siue Centinodiam, habemus stirpes, quibus ob nonnullam conuenientiam Polygoni nomen imposuimus, vt, Polygonum angustifolium duplex: Polygonum marinum: Polygonum tertium Dodonæi, siue tenuifolium: Polygonum masculum fruticosum: Polygonum pusillo verniculato Serpilli folio: Polygonum Polonicum cocciferum: Polygonum paruum flore albo verticillato, & Polygonum Herniariæ foliis & facie, perampla radice.

Locus & Tempus.

Centinodiæ autem natales quod attinet, vbique locorum nobis obseruata Basileæ, Monspelij & Lugduni. Octobri in Muteto monte florens. Dodonæo prouenit locis incultis, vias ac semitas latè subindè occupat; non rarò & iuxta riuulos serpit: omni ferè anni tempore viret, Hieme exceptâ, ac semina facit.

Vires & Vsus.

Quibuscunque porrò ab auctoribus insigniatur nominibus Polygonum, haud tamen vulgaribus ab iisdem virium encomiis celebratū innotuit; vt cuius succus epotus Dioscoridi spissat ac refrigerat: prodest cruentæ excreationi, cholerę, alui fluxionibus, & vrinæ stillicidio: nam vrinam apertè ciet. Cum vino potum, contra serpentium morsus auxiliatur: datur in febribus per horam ante significationes: fœminarum profluuia impositu sistit. Idem succus aurium doloribus, iisdémque purulentis instillatur: facit eximiè ad genitalium vlcera cum vino adiecto melle decoctus: stomachi feruori, sanguinis reiectionibus, vlceribus quæ serpunt, ignibus sacris, collectionibus, tumoribus, & recentibus vulneribus folia illinuntur. Polygonum, authore Galeno de simpl. lib. 8. vti adstrictionem quandam obtinet, ita sanè vincit in eo aqueum frigidum, vt videlicet secundi sit ordinis medicaminum refrigerantium, aut etiam quodammodò in initio tertij. Proinde sanè quibus stomachus feruet æstu, foris frigidum illitum prodest: velut etiam erysipelata, & calidas phlegmonas iuuat. Porrò tale cùm sit, & fluxiones repercutit, & hac ratione videtur esse exsiccatorium. Quare cùm herpetum, tum vlcerum, aliorumque bonum est remedium: efficacissimum autem inflammatione & fluxione laborantium partium. Est & cruentorum vulnerum glutinatorium. Sed & aurium vlceribus prodest.

Succus

Vbi dilaudatur.

Succus Polygoni (inquit Plin.) infusus naribus supprimit sanguinem, & potus cum vino, cuiuslibet partis profluuium excretionésque cruentas inhibet. Quocunque hæc [Polygoni genera] modo se habeant, vis earum est spissare ac refrigerare. Semina aluum soluunt, largiùs sumpta vrinam cient, rheumatismos cohibent [succus aluum sistit largiùs sumptus, vrinam ciet, rheumatismos cohibet, &c. non prodest, Diosc.] qui si non fuere, non prosunt. Stomachi feruori folia imponuntur, vesicæ dolori illinuntur, & ignib. sacris. Succus & auribus purulentis instillatur, & oculorum dolori per se. Dabatur & in febribus ante accessiones duobus cyathis in tertianis, quartanísve precipuè: item cholericis, dysentericis, & in solutione stomachi.

Scribit Tragus calculos renum potenter pellere [frangere vt & Herniariam, H. Lugd.] Aquam distillatam seu succum herbæ auribus purulentis instillari, putrescentibus & gangrænosis gingiuis prodesse. Sed quandoquidem Galenus dubitat an vrinam moueat, maior inde exsurgit occasio dubitandi, an calculos frangat & pellat. Polygonum vulgare in fluxu sanguinis, vt Brassauola quoque annotauit propriâ experientia, efficacissimum Camerarius quoque expertus in Nobilissimo quodam viro, aliis remediis frustra adhibitis contra vomitum sanguineum cum pauco vino styptico hunc succum maximè profuisse. Illud scire gauderem quâ facultate Polygonum lumbricos interimere queat, id quod Matthiolus, scriptis prodidit. Aqua (inquit) vtilis est aduersus lumbricos tam iuuenum, quàm senum. Certum idem iactat experimentum, aduersus vomitum, profluuium alui & disenteriam, quod multis profuisse affirmat. Accipit duos manipulos Polygoni, coquit in libra vna & semis aceti, linteum duplicatum madefacit in decocto, imponit supra ventriculi regionem, & vmbilicum, ac supra posteriorem partem. Polygonum ab effectûs præstantia Sanguinariæ nomen obtinuisse perhibet Fernelius, quòd eo siue integro, siue tunso stillanti parti inducto, sanguis sistat, & in grumos concrescat, vt non ampliùs effluat. De Polygono eiusque aqua plura si voles, Tabernamontanum leges.

Dioscoridem contra Galenum defendit Marantha, in eo quod Polygonum vrinæ stillicidio prodesse is affirmat, quòd vrinam apertè cieat: concludens tandem à quibusdā, ceu Galeno, Dioscoridem non rectè in crimen vocari, quòd presse nimis, angustéque, & nullâ adhibitâ distinctione simplicium facultates docuerit. Sed ad Polygoni historiam reuertamur. Car. Stephanus valdè nocuam herbam ouibus, si eâ vescantur, asserit. Ait enim totum earum ventrem inflari, easque humorem subtilem & valde fœtidum excernere.

Ouibus noxia.

POLYGONVM ANGVSTIFOLIVM duplex.

CAP. CXX.

Descrip.



Polygono vulgari perquā simile duplex hoc Polygonū *radiculā* habet teneram albam, *ramulos* admodū multos longè latéque supra terrā reptantes fundentem, *folia* quoque Centinodiæ similia, sed minora, acutioráque, eadémque nunc breuiora & latiora, nunc longiora & angustiora.

Icon

Polygoni angustifolij duplicem varietatem Tabernæmontani vna tabella expressimus, alterius ramulum duntaxat separatum pingentes.

Synon.

Tabern. Polygonum 2. & 3. inscripsit: Caspar. Bauhinus phyt. Polygonum 2. siue oblongo angusto folio, Item Polygonum 3. siue breui angustóque folio. Gerard. Polygonum minus mas, Small common knot grasse.

POLYGONVM MARINVM.

CAP. CXXI.

Descriptio.

Polygonum marinum prolixas habet *radices*, lignosas, crassiusculas, contortas, nigras: *viticula* supinæ, crassiores quàm Polygoni vulgaris, fre-



tis, frequentioribus, breuioribusque internodiis interceptæ, non tantùm foliis vestitæ maioribus candidioribus, verùm etiam squammis tenuibus pellucidis albicantibus: *flores* pulchri; numero & magnitudine vulgaris flor. vincunt: *semen* nigrum, triquetrum, Oxalidis semini simile.

Synonyma. Lobel. in Adu. dicitur Polygonum marinum maximum: itemque in Icon. Plant. p. 419. Camer. in Epit. & Hist. germ. Matth. Polygonum marinum. H. Lugd. pag. 1386. Polygonum marinum prius Dalechampii, gustu in maritimis salso, alioqui adstringente: Herbariorum quorundam Polygonum quartum. Et Aizoum marinum nonnullorum Dod. lat. in fol. Polygonum prope littora marina, veluti Adriatici maris, speciosius & amplioribus foliis. C. Bauh. phyt. Polygonum 5. siue maritimum latifolium. Maranthæ Polygonus marina.

Locus & tempus. Florens apud mare vidi mense Septembri: Frater Iunio in littore maris ad montem Ceti. Abundare dixit Camerarius iuxta Adriaticum mare, ac etiam circa Narbonam.



POLYGONVM TERTIVM DODONÆI siue tenuifolium.

CAP. CXXII.

Descriptio. TOta planta cineraceo colore prædita, ex *radicula* lignosa, fractuque contumaci, albicante, *coliculos* complures emittens, partim supinos, partim erectos, palmares, fili instar tenues, hirsutos, propter terram aliquando paulùm rubentes, crebris nodis geniculatos: ad quorum singulos folia plura apposita tenuissima, quorum longissimum vnciam non æquat, *flosculi* numerosissimi, tum ex foliorum alis, tum in extremis coliculis, stellati, muscosi, quibus *semina* pusilla succedunt, dura, vmbilicata, striata, medullam albam continentia: sapor plantæ est subamarus, & nonnihil tandem acris.

Io. Morhardo insigni Medico Hallensi in Indice plurimarum suarum plantarum dicitur Canaria seu Polygonum Tragi. Dod. gall. Polygoni tertia species, Polygonum 5. à Plinio descriptum. Et fortè. Lat. in fol. Polygonum quoddam montanum minimum, sine icone. Tabern. Ic. & Hist. Polygonum minus Polycarpum, Klein früchter wegtritt/Polygonum 3. flore albo: Item, Polygonum minus alterum, Klein wegtritt. Sed


Tabern. err. cur Tabern. vel eius compilator Polygonum minus alterum separauit à Polyg. minore Polycarpo, cuius videtur tantùm varietas.

Gerardus appellat Polygonum polycarpum Tabernæmontani, Polygonum 3. selinoides, ac ineptè pro Anthyllide Valentina Clusii pingit Gerard. err. iconem Tabern. Polygoni minoris alterius.

C. Bauh. phyt. Polygonum minus 1. siue gramineo folio repens, Anglica saxifraga Aduers. Item Polygonum 2. siue gramineo folio maius erectum.

Locus & tempus. Passim in segetibus, Geneuæ, Lugduni, & Mötbelg. occurrit: item Basileæ in agris, quà itur Binzæ florens Iulio & adhuc Octobri. In horto Ill. E. c. vsque adeò vnicâ plantâ se propagauit, vt vix extirpari potuerit, Hiemem etiam ferens.


Vires & Vsus. Easdem vires & vsus, intus & extrà vsurpata possidet, quas Polygonum vulgare. Quoslibet ardores extinguit, fluxus ventris sistit, dysenterias & vteri profluuia, ac etiam hæmorrhagiam narium. Lapides pellit, calculum & vrinam ciet, Tabern.



POLYGONVM MASCVLVM fruticosum.

CAP. CXXIII.

Descriptio. RAdice tenui, multifidâ, lignosâ, fibrosaque, superuacaneâ: *cauliculis* tenuibus, brachiatis, lignosis: *foliolis* multis, Hyperici minoris, sed multò tenerioribus, aut Serpilli tenuifolii. *Flores* eius non obseruauit author Thalius. Reperit aliquando non longè à Stolberga secus vias. Non est autem Polygonon alterum serpillifolium Anglorum. C. Bauh. phyt. vocat Polygonum 4. siue fruticans angustifolium.



POLYGONVM PVSILLO VERMICVLATO Serpilli foliolo.

CAP. CXXIV.

Descriptio. RAra & indicta hactenus planta nobis industria Iacobi Reinaudeti Massiliensis pharmacopœi primùm innotuit, inquit Lobelius: *Ramulis* & *cauliculis* surculosis, prolixis, gracilibus, Serpilli, humi sparsis luxurians, è geniculis *folia* pusilla, teretia, succulenta, Aizoi, vel Illecebræ, Thymo paruo nostrati æqualia & similia.



Radix prælonga, lignosa, sapore amaricante, calidiusculo.

Synonyma. Lobel. in Aduers. ac etiam Ic. Plant. pag. 422. inscribit Polygonum alterum pusillo vermiculato Serpilli folio. Hist. Lugd. pag. 1124. Polygonum alterum Serpilli folio Penæ. Casp. Bauh. phyt. Polyg 5. siue minus foliolis Serpilli. Similem se accepisse ait, Herniariæ ex Candia nominе, à Laurentio Rosenau industrio pharmaco-

pœo, radice tamen non lignosâ, sed tenui, inutili, foliolis non teretibus, sed Serpilli minoribus.

Locus. In collibus maritimis Gallo-prouinciæ, non secus ac Herniaria multa luxuriat.



POLYGONVM POLONICVM coccíferum.

Cap. CXXV.

Descriptio. Tenuissimis prodit *folijs* & mucronatis, *cauliculis* nodosis exalbidis, & *flosculis* in summitate candidis inter squamas virescẽtes: ad radices ipsi coccũ adnascitur, elegantissimo rubore ad Chermesina tingenda commendatum, inquit Camer. in Epitome Mattholi, qui stirpẽ hãc in eiusdem Hist. germanica Polygono Trago fnamel dicto [Polygono tertio Dodonæi, siue tenuifolio] valdè similem ait, & à Polonis, apud quos in arenosis locis reperitur, Kolmaczek vocari scribit. Hæc C. Bauh. phyt. Polygonum 7. siue Polonicum coccíferum nominauit.




POLYGONVM PARVVM FLORE albo verticillato.

Cap. CXXVI.

Descriptio. Palmaribus aut sesquipalmarib. constat *surculis*, gracilib. rigidulis, geniculatis, & in alios minores diuisis. Ex quorum geniculis vnciam ferè à se inuicem distãtibus bina emergunt *foliola*, Herniariæ ferè, sed Chamæsyces instar rotunda, minora. Inter quæ *flosculi* exigui, cãdicantes, verticillatim in tenuissimas apiculas fastigiati: *radicula* exigua fibrata. Siccæ sapor nullus manifestus, nec eius vsus in medicina, quod sciam, visus.



In scrobibus, fossis, & agrorum marginibus luxuriat: vidi autem Bizantij.



POLYGONVM HERNIARIÆ FOLIIS & facie, peramplâ radice.

Cap. CXXVII.

Descriptio. Nec hæc despectui futura erit discendi cupidis: Est enim perquàm parũ nota, perpusilla quidem herbula & humi accumbens, cespiti semmersa, *ramulis* creberrimè geniculatis: *foliolis* & seminulis albidis, prorsum Herniariæ: tota incana quàm exiguo, muscoso *flore*. *Radice* ampliore quàm pro plantæ modo, durâ, surculosâ, implexâ, & in se reticulatim conuoluta, auulsu difficilis, gustu præsicco, calidiuscula.

Lob. in Adu. & Icon. Plant. Tom. 2. p. 85. vocauit Polygonum Herniariæ foliis & facie, perampla radice Astragaliti. H. Lugd. p. 1124. iungit & idem facit Polygonum hoc Herniariæ foliis cum Paronychia Hispanica Clusij, an bene, considerandum.

In fusissima Cretæ Salonensis Galloprouinciæ planitie, media via inter Arelaten & Solonam ad diuersorium D. Martini à Lobelio repertum.



HERNIARIA.

Cap. CXXVIII.

Herniaria glabra.



Synon. Locus. Descriptio. Latè subiectum solũ opacat, luxurie lætâ complurium *ramulorũ*, quos ex pusilla *radicula* fundit, hinc inde sparsos, teretes, creberrimis geniculis interceptos: ad quorũ singula, aduersa *foliola* serpilli, minora, ex viridi lutea, gustu acri: eodẽq; locis erumpũt mirum in modum numerosi *flosculi*, ex apiculis luteolis compositi.

Camerarius hort. prior dicitur Herniaria: H. Lugd. pag. 1126. Herniaria siue Herba Turca, quibusdam Lithontribon ab effectu, vt & Herniosa vocata: Herniaria Gallorum Gesnero hort. & apud Cordum in Histor. vbi figuram addidit, & Herba cancri minor. Idem in ep. ad Io. Carum Britannum Med. Veterum Elleborinen esse iudicat, ac Theophrastum nobis herbulam, quàm Dioscoridem *ἐλλεβορίνην* paruum appellasse concludit.

Herniaria hirsuta.



Lobel. in Adv. & Obs. pag.230. ac Ic. Plant.pag.421. Herba Turca siue Herniaria. Anguill. cp.14. Epipactis, Turcarum Herba viperarum, *dalle vipere*, & Asphela Græcorum.

Tabern. notatur.

Miror quid Tabernamontanum, vel eius succenturiatum mouerit, vt Herniariam gallico idiomate Boutonnet, quod non herbam, sed herbæ locum denotat, cognominarit.

Empetron Trago & Lonic.

Tragus, qui, si non fallor, Herniariam glabram pingit, Empetron inscribit, quod φακοειδὲς quosdam, & Galenum Praloides appellare contendit. Sed & Lonic. græcè Empetron, Latinè verò Calcifragam, gallicè Persoripetram, Rumpipetram, & quibusdam Cristam marinam vocari ait. Ast turpiter duas plantas confundit. Quis obsecro Herniariam, cuius picturam dedit, Cristam marinam vocauit: conuenit hoc vocabulum Fœniculo marino, quod vulgò Crithmum dicitur.

Millegrana Cordo Polygonum minus

Cordus in Hist. Millegranæ vocabulo describit: Matth. hist. germ. polygoni minoris.

Est Polygoni genus dicta herniaria vulgo herbariorum Clusio: polygonum minus Matthioli Ponæ in Baldo: Cas. Bauhin. phyt. polygonum 5. siue minus, & Millegrana maior.

Holerius lib.1. de morb. intern. cap.59. ad herniam hanc herbam commendat, sine nomine tamen proprio describit, appellans tantùm Herbulam in sabulis nascentem. Et hinc ab aliis Herba Holerii, *holeriana*, *Fallopia*, & *herniola* dicta quoque est. Germani vocant harnkraut/Sternkraut, klein wegtritt, & tausentkörner: Galli *l'herbe au Turc.* Itali *centograna & Millegrana.*

Locus & Tempus

Est mihi Montbelgardi in horto Ill. a. c. non longè à Beffordia prope pagum Danieutin circa solo arenoso collecta Herniaria: item prope pagum S. Susannæ dictum Montbelgardi. Obseruaui præterea Tiguri in Gesneri, Basileæ in Plateri, & Patauii in Cortusi horto, semine turgentem mense Nouembri: Geneuæ, Lugduni & Monspelii copiosè locis siccis mense Aprili, Maio, Augusto & Septembri: C. Bauh. Basileæ inter segetes vidit: Camer. circa Norimbergam frequenté Augusto in locis sabulosis: In aruis, oliuetisque Narbonensibus ad rus Boutonet altero à Monspelio lapide Lobelius. Semel in hortis sata quotannis periens restibili semper fœcunditate redit, authore Gesnero.

Vires & Vsus

Epipacti siue Millegranæ insignes tribuit facultates tres Anguillara. Succus, ait, potus, aut herba esitata, vel etiam emplastri modo plagæ imposita, morsis à vipera auxiliatur. Secundò emplastrum ex ea herniam mirè restituit. Postremò iecori prodest & ictero: aqua enim distillata ac pota curat intra octo dies. Camerarius aquam distillatam optimam prædicat in calculo. Polygoni Herniariæ appellati decoctum feliciter calculosis propinari refertur apud Clusium. Ipsum verò exsiccatum & in puluerem tritú, boum, & equorum vulneribus atque vlceribus inspersum, vermes in iis natos abigere & enecare: præter facultatem verò quâ calculosis prodest aduersus hernias etiam vtilem esse. De eorum vsu ad descensum intestini ex Hollerio dictum antè.

POLYGONI, VEL LINIFOLIA PER terram sparsa, flore Scorpioides.

Cap. CXXVII.



Descriptio

Ex *radice* quę tenuis, singularis, interdū multifida, alba, *folia* emergunt Lini, vel Linariæ, *caules* anteuertentia, at illi vbi prodierint, per terram sparguntur palmares aut etiam dodrantales ramosi, foliis nullo ordine positis vestiti, Polygoni, minores, cæsii coloris, sapore nullo euidenti: in extremis ramulorum aceruatim congesti *flosculi* numerosissimi, Polygoni floribus similes, minores, extrinsecus purpurascentes, intus albi, caudam Helietropii, vel Scorpioidis aquatici circumflexu imitantes: *semina* parua, albis, virentibusque striis variata.

Synon.

Casp. Bauh. qui aliquando sine nomine nobis misit, in phyt. Polygonum 7. siue minus, & Millegranam minorem vocant: Lobel. cuius icon in Ic. Plant. pag.422. minùs placet, Millegranam minimam.

Locus.

Anno 1590. medio Septembri plantam reperi spontaneam copiosè prouenientem in loco culto.

CAMPHORATA MONSPELIENSIVM.

Cap. CXXVIII.

Descriptio

Camphorata *radicem* habet pollicaris ferè crassitudinis multorum capitum, *caules* emittentem lignosos, crassiusculos, cubitales, aut breuiores, ramosos, subhirsutos, albicantes, per quos visuntur nodi alternatim positi, è quorum singulis confertissima prodeunt *foliola*, trientem vnciæ non excedentia, tenuia, pilosa, mediocriter rigida, odore aromatico, sapore aliquantùm acri.

Lobel. in Adv. non admodum fœliciter depingit, & satis adumbrare credidit Chamæpeucen, siue humilem Piceam Plinii, Camphoratam Monspeliacam, vt vocat in Obs. pag. 221. in Ic.



Plant. pag. 403. Tabern. vocauit germanicè Gamsserkraut von Monpelier. An Anguil. cp. 12. Chamæpeuce Plinij lib. 24. c. 15? An du Choul in descr. montis Pilati Herba deserta?

H. Lugd. dua figura. H. Lugd. duas habet figuras & descriptiones. Harum prior est p. 1179. sub Chamæpeuces Plin. Champhoratæ minoris Dalechampij titulo: Altera pag. 1201. Selaginis, siue Camphoratæ inscriptione.

Locus. In squallidis & arenosis locis gignitur in via Frontignana, & Montbelgardi in horto Illustr. E. C.

HYPERICVM VETERIBVS.

Cap. CXXIX.

Descriptio. Communes Hyperico, tribúsque aliis deinceps numerandis & describendis plantis, Ascyro, Androsæmo, & Cori, notæ & partes aliquæ, cor generes & in aliquibus scriptoribus cognomines sibi inuicem plantas eas omnes fecerunt, priuatimque huic, aut illi debitas appellationes adeò miscuerunt, vt non secus, quàm Romæ quondam in adoptionibus, quibusdam factû est, vt seruato antiqui & proprij generis nomine, adoptione quæsitum alterum illud adiiceretur: sic seruatâ Hyperici appellatione, Hypericon Ascyron, & Hypericon Androsæmon aliquando congeneres illi hæ plantæ à quibusdam vocatæ vocatæ fuerint. Nec aliter posteriores Latini de his tradiderunt. Græci tamen omnes, priuatimque Dioscorides seorsum de singulis docuêre, certiore disciplinâ vsi, quàm, si vno capite, simúlque de cunctis tradidissent. Quod enim genera rerum & species dispescit exiguum semper est: quod verò coniungit multum, docétque in his Professores omnes natura exemplo vti, nec miscere simul quæ discreta ea voluit esse. Quæ autê communia quatuor his plantis, quæ itidem propria singulis sint, facilè ratiocinari & colligere erit ex earum historiis mox seorsim tradendis.

Hypericum igitur alij Androsæmon, alij Corion, alij, quòd semen eius odore pineæ resinæ sit, Chamæpytin vocant: *Frutex* est surculaceus, dodrantalis, rubescens, *folia* habens Rutæ [πηγάνῳ] similia [φύλλα:] *Florem* verò luteum [μήλινον] Violæ albæ similem [vet. quidam totâ hac periodo caret, vt & Oribas. vsque ad καλυκια] qui quidem inter digitos contritus sanguineum succum remittit: qua ex causa etiam Androsæmon appellatum est. *caliculos* [καλύκια. pro qua vet. χλώνες] subhirsutos: *fructus* in rotundo oblongos, Hordei magnitudine, in quibus *semen* nigrû & resinosi odoris. Gignitur locis cultis & asperis.

Vires. Vrinam ciet, subditúmque menses trahit: ex vino autem bibitum, à tertianis, quartanisque liberat. Medetur & semen ischiadicis, quadraginta diebus haustum. Sed & foliis cum semine impositis ambusta sanantur. Et hanc legitimam Dioscoridis lectionem esse credimus.

Eadem præstat Hypericum, quam alij Chamæpityn, alij Corion, appellant, oleraceo frutice, tenui, cubitali, rubente: folio Rutæ, odore acri: semine in siliqua nigro, maturescente cum Hordeo. Natura seminis spissandi. Aluum sistit, vrinâ ciet. Ad calculos vesicæ cû vino bibitur. Et hæc Plinius l. b. 26. c. 8. non omninò côsonè cum Dioscor de tradit, etiamsi de eadem herba agat, inquit Cornarius.

Galeno Hypericum calefacit, & siccat, tenuium partium essentiam habens, vt menses & vrinas prouocet. Ad hæc autem totum fructum capere oportet, non semen solum. Idem fructus viridis cum foliis impositus, ad cicatricem perducit vlcera, tum alia, tum ambusta. Si verò siccatum contusum inspersoris, humida & putredinosa vlcera sanabis. Quidam etiam ischiadicis ipsum bibendum exhibent.

Hippocrates de morbis mul. in potu vterino, & colutione ad vlcera fœtida ὑπερικὸν præscribit. *Hippocratis*

Cordus in Dioscoridem fatetur primam Hyperici speciem priuatim Hypericum dictam, sibi incognitam esse, pharmacopolasque eius loco Ascyro vti, quod altera est Hyperici species.

Hyperici nomen sequentes plantæ obtinuêre. *Hyperici nomen æquiuocum.*

Hypericum vulgare, siue Perforata caule rotundo foliis glabris.

Hypericum Ascyron dictum, caule quadrangulo.

Hypericum Androsæmum dictum.

Hypericum pulchrum Tragi, siue montis Balon.

Hypericum elegantissimum non ramosum, folio lato.

Hypericum Syriacum & Alexandrinum.

Hypericum Ascyrum Creticum.

Hypericum minimum supinum.

Hypericum tomentosum.

Symphytum petræum, Onobrichis, & Ruta siluestris Hyperici nomina etiam insigniuntur.

ASCYRON VETERIBVS ET IN GENERE.

Cap. CXXX.

Descr. Ascyron siue Ascyroïdes, aliis Androsæmon, etiam Hyperici genus est, magnitudine distans: siquidem *ramos* habet maiores [vet. ῥάβδους χλωρὰς, ἐρυθροειδεῖς] ac fruticosius est: *foliis* interim tenuibus, puniceo colore rubentibus: *flores* luteos profert, & fructum Hyperico similem ac resinosi odoris: cuius attritu digiti veluti cruentantur: qua de causa Androsæmon [quasi humanum sanguinem dixeris] vocauêre. Est & huius fructus ad ischiadicos efficax potus in hydromelitis heminis duab. Nam biliosâ recrementa, plurima aluo detrahit. Sed dari frequentiùs oportet, donec sanitati restituti fuerint. Illinitur & ambustis efficaciter.

Ascyron & Ascyroides similia sunt inter se, & Hyperico. Sed maiores habet ramos quod Ascyroides vocatur, ferulaceos, omninò rubentes, capitulis paruis luteis. Semen in calyculis pusillum, nigrû resinosum. Comæ tritæ velut cruentant. Qua de causa quidam hanc Androsæmon vocauêre. Vsus seminis ad Ischiadicos, poti duab. drachmis in

drachmis in hydromelitis sextario. Aluum soluit, bilem detrahit. Illinitur & ambustis.

Galenus. Galenus Ascyri vt eiusdem cum Hyperico speciei, non meminit suo loco, sed de Androsæmo agens, vt mox sequenti capite adducemus. Paulus Hypericum duplex esse ait, alterū quod Androsæmum & Ascyron appellatur: alterum de quo capite præcedente egimus. Lonicerus in Diosc. Ascyron tertiam Rutæ agrestis speciem esse ait. Harchius in Ench. Hypericum, Ascyrum, & Androsæmum eiusdem generis statuit.

Ascyri æquiuoca. Ascyri nomenclaturam communem habent sequentes plantæ. Hypericon vulgare, siue Perforata caule rotundo, foliis glabris:

Hypericum Ascyron dictum, caule quadrangulo.
Hypericum Androsæmum dictum.
Hypericum pulchrū Tragi, siue montis Balon.
Hypericum Ascyrum Creticum.
Hypericum Ascyron supinum ixoδes lanuginosum. Atractylis authore Dioscoride.

ANDROSÆMVM VETERIBVS & in genere.

Cap. CXXXI.

Descriptio. ANdrosæmon, quod alii Dionysiada, alii etiam Ascyron appellant, ab Hyperico & Ascyro differt authore Dioscoride: *frutex* verò est ramulis gracilibus, surculosus, virgultis puniceo colore rubentibus, *foliis* triplò, quadruplóve (vet. delet) maioribus, quàm sint Rutæ folia, quæque trita vinoso succo manant. Habet autem alas in cacumine complures, vtrinque expansas pinnatasque: circa quas *flosculi* pusilli lutei, & in calyculis *semen* Papaueris nigri, velutì punctis notulisve distinctum. Huius coma contrita resinosum odorem reddit. Sed & semen tritum drachmis duabus potum, excrementa biliosa trahit: prodest verò maximè ischiadicis, verùm à purgatione aquam insuper sorbere oportet. Cæterùm illita herba medetur ambustis, & sanguinem cohibet. Plinii verba declarant Dioscoridem, & præsertim vsum medicum diligenter & exactè exponunt.

Galenus. Androsæmon, authore Galeno, fruticosa planta est, duplex naturâ: Altera quæ Ascyron & Ascyroïdes nominatur, & Hyperici species est: Altera quæ à quibusdam Dionysias appellatur. Est autem semen ipsorum purgandi vi præditum. At foliorum facultas siccat, & moderatè extergit, vt etiam ambusta sanare credatur. Cocta verò in vino austero, vinum efficit, vt magna vulnera glutinet.

Ab his non multùm euariat Paulus. Quin & Pandectarium Moreti haud dissona habet, vocans Androsæmum alterum Alkita seu Alkaydes, & alterum Dionysia.

Monachi taxantur. Monachorum in Meluem scribentium [pace tamen eorum id dixerimus] ineptias detegit Matthiolus: quippe qui afferant nullam ferè esse differentiam inter Rutam filuestrem, & Androsæmum, siue Hypericum, vt quæ in alterius locum substitui possint.

Ryffius in Diosc. ait officinas & gallicum vulgus Androsæmum cum Hypericone confundere. Sed ipsemet Ryffius non demonstrat verum discrimen, nec figurâ, nec descriptione. Androsæmum enim hirsutum, Ascyrum & Hypericum vulgare non hirsuta sunt: Ascyro præterea caulis quadratus, Androsæmo verò rotundus.

Æquiuoca. Plures hodie occurrunt herbæ quæ Androsæma vel cognominantur, vel appellantur, vt Hypericum Androsæmon hirsutum caule rotundo: Hypericum: Hypericum Ascyron. Hypericum tomentosum. Hypericum elegantissimum non ramosum, folio lato. Ciciliana. Alcea Veneta. Atractylis.

CORIS VETERIBVS ET IN GENERE.

Cap. CXXXII.

Descriptio. COris, quod aliqui etiam Hypericum appellant, frutex est *folio* Ericæ, sed minore, pinguiore, & rubente, dodrantalis, ori gratus, acris & odoratus. Vires. Huius *semen* potum vrinas mensesque ciet. Est & auxilio ex vino potum à phalangio demorsis, ischiadicis & opisthotonicis: itemque rigoribus addito Pipere. Sed & eo vtiliter opisthotonici cum oleo perunguntur. [Sequentia habet Ald. cod. in nothis: eadē Gaupyl s in vtroque vetusto codice reperit in capitis calce.] Radix in vino decocta, potaque resolutis egregiè opitulari creditur: sed laborantem inter potandum bene circumquaque operiri decet: siquidem corpore toto sudorem ciet, qua ex re agilitas pristina recuperatur.

Plinius. Plinius de Hyperico agens lib. 26. cap. 8. hæc de Cori habet. Est aliud, inquit Plinius Hypericon, quod alii, ita etiam Paulus Corin appellant, folio Tamaricis (Ericæ Diosc.) & sub ea nascitur, sed pinguioribus foliis, & minùs rubentibus (& minoribus ac rubentibus, vet.) odoratum, palmo altius [non altius Diosc.] leniter suaue, aculeatum (acutum Dioscor.) Vis semini calfactoria, & ideò inflationem facit enterocelis: sed stomacho non inutile, præcipuum ad stranguriam, si exulcerata non sit vesica. Medetur & pleuriticis ex vino potum. Idem cap. 11. Semen Hyperici, quod Coris [Caros, vet.] hydropicos sanat. Plinius confusus. Hactenus Plinius, ex cuius confusione [quod Tamaricis folio dixit, pro Ericæ folio] factum est, vt quidam Erycam & Myricam confundant, vtramque Tamaricen appellantes.

Galenus & Paulus. Galenus Corin sub Hyperico comprehensam omisit.

Aequiuoca. Pro Coride autem variæ exhibentur plantæ: nempe Coris Cretica Belli. Coris hypericoide quorundam. Hyper. minimum supinum. Hyp. Ascyron Creticum. Coris Monspess. Coris lutea. Kali paruum. Erica baccifera Matthioli Chamæpitys

HYPERICVM VVLGARE SIVE PERFORATA caule rotundo, foliis glabris.

Cap. CXXXIII.

Descriptio. EX *radice* lignosa, multifariam diuisa, buxeo cortice intecta, *virgulæ* surgunt complures, rigidæ, lignosæ, rotundæ, subrubentes, in ramos diuisæ, cubitum vnum, aut etiam duos altæ: *folia* Maioranæ, glabra, vel Centaurii minoris Lobelio, neruis per longum excurrentibus donata, innumeris foraminulis Soli obiecta pertusa esse videntur, sapore sicco & adstringente cum aliquo amarore: *flores* in extremis ramulis copiosi, lutei, ex quinque radiatis foliis compositi, apicibus multis concoloribus: *semen* paruum ex nigro russum, pingue, in capitulis oblongis, granum Hordei imitantibus, sapore resinoso, Lobelio amaro & ingrato: atque tam flores, quàm capitula semine grauida sanguineum succum reddunt.

Nomina linguarum *Millefora.*

Vt Græcis ὑπέρικον, sic quoque Hypericum Latinis & *Perforata* dicitur vel Millefora, quòd folia obuersa Soli, innumeris ferè poris, acu quasi traiectis, aciem tum nostram, tum Solis transmittat radios: itémque *Fuga dæmonum*, quòd plurimi in ea sunt opinione, vt asserant, eam dæmones fugare, non aliter atque veneno alexiterium aliquod resistat. Et hac superstitione vetulæ mulierculæ fascinatæ, versiculos subscriptas patriâ linguâ recitare consueuerunt.

Dost/ harthaw/ vnd weisse heidt/
Thut dem Teuffel vil leidt: Hoc est, Origanum, Hypericum, & Erica, multùm dæmonibus aduersantur. Ex quibus sanè versiculis satis apparet, quid maiores nostri cùm adhuc gentiles essent, de his plantis senserint, & ad quos illas vsus adhibuerint. Sed relictis superstitionibus, ad linguarum nomina redeamus. Arabs Serapio *Resfricon*: Auic. *Alharib* & *Fuam dæmonis*; Aueth. *Heuferiton*, *Nelufricen*, *Mellifigon* & *Cordial* nominat: Hebræi *Alarif*: German. S. Johans kraut, hoc est, Herbam sancti Ioannis, Harthaw/ waldthoff/ & Vnser frawen betstro: Belgæ S. Jans Cruyt: Galli *Mille pertuis*: It. *Hyperico*, & *herba rossa*: Hisp. *Coraçoncillo*: Angli S. Johans worte: Boh. Zwoñecžk cžerwcucy: Hung. Chengo verág/ hoc est, Sonantem florem.

-hec sonans.

Locus

Vbique vulgatissima & vsu tritissima Medico & Chirurgo Hypericũ dicta, margines fatorum, areas desitas, & ruinosa sectans, et âmque latiora loca. Monspelij obseruaui florens Maio: Basileæ inter portam Stein & Eschen Iulio & Augusto: in Marchionatu circa Bintzen Octobri: Genenæ virens adhuc Decembri.

Tempus.

Vires & vsus. *Apoplexia. Febris tertiana & quartana. Semen.*

Quidam referente Trago, Hyperici aquam distillatam contra apoplexiam & morbum comitialem bibendam exhibent. Hypericum decoctum & potum febri tertianæ & quartanæ medetur, excreationes sanguinis finit, vulnerib. & erosionibus internis auxiliatur. Semen in pericarpiis ad vulneraria balsama nulli secundum, multo Chirurgorum peritissimorum Monspeliensium experimento, vbi etiam oleum vernaculè *de Trefealen* vocatum, quotannis paratur longè optimum, ad hunc modum: Accipiunt summitatum Hyperici & olei communis singulorum libras duas. Myrrhæ & Gummi Elemi an. Vnc. duas: Terebinthinæ Vnc. quatuor: Aloes Vnc. vnam: Thuris & Mastiches an. Vnc. semis. Infundantur, bulliántque in diplomate ex arte. Ad icterum etiam & calculum vtilitas conspicua.

Oleum.

HYPERICVM ASCYRON DICTVM, caule quadrangulo.

Cap. CXXXIII.

Descriptio

Ascyron dictum ex *radice* reptante, fibrata, rubente, *caules* emittit Hyperico vulgari pares, quadratos, rubescentes, ramosos: *folia* ortu & magnitudine foliis respondent iam dicti Hyperici, vtcunque tamen latiora, & neruosiora, nullis poris pertusa (Lobelio verò pũctim poros pertusos habet) odore illo Hyperici resinoso, quo & *flores* lutei, eius floribus pares & consimiles, prædiri sunt, sanguineum succum digitorum attritu reddentes, quibus similia quoque succedunt semine pusillo prægnantia *vascula*: figura Fuchsiana, quam hic ponimus, displicet. Hanc autem caulem habere quadratum, foliaque paucis foraminibus pertusa obseruauit Turnerus, quod in Hyperico non animaduertit.

Icon.



Nomina & Synon.

Ἀσκυρον ἢ ἀνδρόσαιμον Græcè, Ascyron Lobel. in Obs. p. 216. Ic. Plāt. p. 399. & Turnero latinè nominatur: Ascyrũ Fuchsio, Matth. in Epit. & Hist. germ. cum addit. Camerarij, Lonicero (quorum figuræ non respōdēt) & Horto Lusitano: Hypericum 2. & Ascyrum notissimum Lob. in Adu. Hypericum in dumetis nascens Trago: Cordo in Diosc. ἀνδρόσαιμον & ἄσκυρον caule quadrangulo.

An Gesn. in cat. Ascyroides, S. Johans kraut mit grossen blettern, h. e. Herba S. Ioannis foliis magnis?

Officinis ignotum. Germ. Harthew i. e. durum Fœnum appellatur. Gallicè Fuchsio *Trucheran* dicitur: veteribus autem Gallis *Iannette* dicta est. Græci à contrario, huic herbæ nomen imposuisse videntur: σκῦρος enim illis asperitatem significat. Pulchrè igitur ad græcam appellationem germanica alludere videtur. Anglicè vocari potest, great S. Johans grasse, vel wurt.

Locus & tempus.

Ascyrum notissimum omnium, & riguorum, riuulorúmque pratensium amans valde. In viuario Sionis sæpè Turn. obseruauit: Ego Monspelij, Basileæ & Geneuæ: Montbelgardi frequens eundo ad Vites maximum loco humido inter frutices. Floret Iulio & Augusto.


Vsus.

Ascyrum haud disparis cum Hyperico sed infrequentioris vsûs est, autore Lobelio.

HYPERICVM ANDROSÆMVM DICTVM.

Cap. CXXXIV.

Descriptio



Duos cubitos altitudine superat, Androsæmi dicti *caulis*, rigidus, teres, lanuginosus, cuiusmodi sunt & *folia*, adeò vt in inferiore parte canescant, Ascyri foliis proxima, quippe neruosa, sed lōgiora, & Hyperici instar foraminulenta, posita sunt autem ex aduerso, ad caulis articulos, ex quorum alis ramuli enascuntur.

enaſcuntur: caulis circa faſtigium in crebros ſurculos faceſſit, in quibus *flores* Hyperici vulgaris conſimilibus ſuccedentibus vaſculis, *ſemen* continentibus reſinoſum: *radix* rectà non agitur, ſed in latus, frequentibus fibris donata.

Icones Figura appoſita ex Fuchſianis non multùm placet. Nec arridet Androſæmi Matthiolini in Epit. & Hiſt. germ. cum addit. Camerarii, quia angulosa picta. Imago quoque apud Lonicerum pro Androſæmo vulgari expreſſa non conuenit, eſt enim Hyperici parui.

Lobel. in Obſ. p. 217. & in Icon. Plant. p. 399. Androſæmon. Fuchſ. in Hiſt. *ἀνδρόσαιμον*, quod germ. Hünrath vocat, & gall. *Mille-pertuis large*, vel *Tuſchoran large* depingit & deſcribit: verùm nec figura nec deſcriptione, ritè eam exprimit. Idē in Epit. Hiſp. vocat Androſæmon è ſpecie de *Terua de Sant Iuan*. Geſn. de coll. Androſæmon caule rotundo, & Androſæmon Fuchſii: & ſic quoque Horto Luſit. dicitur: Anguill. epiſt. 13. Androſæmon.

Locus & Tempus Montbelgardi abundat in vicinis collibus, florens Iulio & Augusto: ſic etiam in monte Roſſberg prope Maſmünſter obſeruaui, itemque Baſileæ circa Dornacum, & in monte Leurach, Geneuæ, & Monſpelii.

HYPERICVM PVLCHRVM TRAGI.

Cap. CXXXV.

Deſcriptio.



QVod Hyperici pulchri nomine pingit Tragus *radice* nititur lignoſâ, rubeſcēte: *caulibus* dodrantalibus, & maioribus, teretibus, glabris unâ parte rubentibus, ramoſis, non tamen perpetuò: *folia* ex geniculis gemina aduerſo ſitu poſita, ſolidiora, rotundiora & minora quàm in vulgari, non minus crebris tamen foraminulis pertuſa, glabra, auerſâ parte nonnihil interdum purpuraſcentia, valdè concinna, & caulem concuſſu ſuo veluti complectentia: *flores* lutei conſimiles, ſed pauci, breuibus hærent pediculis, binis, plærumque aduerſis, è foliorum ſinu orti.

Hypericum montis Balon. Hoc genus Hyperici reperi in cacumine montis Balon Augusto.

HYPERICVM ELEGANTISSIMVM NON ramoſum folio lato.

Cap. CXXXVI.

Deſcriptio EX *radice* lignoſa, multifida, fibrata, tortuoſaq; *caules* duo, tres ue pullulant cubitales & altiores,



teretes, glabri: per quos ex interuallis, inferiùs quidem breuibus, paullò vncia maioribus, ſuperiùs longis, palmaribus & amplioribus, bina ſemper *folia* ex aduerſo poſita adnaſcuntur, ita vt inferior coniugatio cū proximè ſuperiore decuſſatā crucem deformet: folia infimæ quidem Hyperici vulgaris foliis paria, ſuperiora verò, ſenſim creſcente ſemper cum loco magnitudine, duplò maiora, oblonga, acuminata, nullis foraminulis (vt Hyperici vulgaris) pertuſa, membranea, glabra, à neruo medio in mucronem excurrente producta, ſinuatis in arcum venulis: per margines punctula apparent rubra: *flores* vmbellæ ſimulachrum efficiunt, ſummum caulis faſtigium occupantes, cùm in ramos Hyperici modo non findatur, alioqui Hyperici floribus ſimiles, quibus nondum explicatis punctula rubra aſperſa comparent.

Locus & Tempus. In horto Toſſani ex montibus Geneuenſibus allatum floret Iunio. Virens inueni in monte Roſsberg prope Maſmünſter menſe Octobri: Montbelgardi in colle verſus Audincourt & in monte *la chau*. Baſileæ in ſiluis obſeruauit Frater.

HYPERICVM SYRIACVM ET Alexandrinum.

Cap. CXXXVII.



Deſcriptio QVadruplò minora quàm noſtri Europæi, quæ ſummis cubitalibus virgulis conſertim tanquam in verticillis exeunt, profert *folia*: *flores* luteos noſtrati perſimiles.

Synonyma Lobelius in Obſ. pag. 216. & Ic. Plant. pag. 398. dicitur Hypericum Syriacum & Alexandrinum. Tabern. Hypericum Alexandrinum. C. Bauh. phyt. Hypericum 6. ſiue folio breuiore.

speciosi, maiores, lutei, stellati, quinque foliis constant, quibus totidem viridantia subiecta, apicibus numerosis luteis: capitula per maturitatem nigra, *semen* continent pusillum fuscum, gustu, vt & folia, resinoso.

Caciliana. Androsæmũ. Bellonius Sicilianam, vel Cæcilianam Italis vulgò dictam, Androsæmon interpretatur, spontè natum in Ponto sibi visum scribens. Androsæmon Veterum Fuchsio quoque videtur itemque Fab. Columnæ. Sed & C. Bauh. in phyt. Androsæmon statuit, & maximum frutescens cognominat, ac Centeriam Theophrasti suspicatur. *Centeria Theoph.*

Androsæmũ non est. Clymenon Italor. Clymenum Plinii. Lobel. cum Dodonæo Androsæmon negat, & in Aduers. itemque Obs. pag. 557. & Icon. Plant. pag. 632. Clymenon Italorum inscribit. Anguill. epist. 5. non per S sed per C Cæciliam scribit, & Clymenum Plinii, non verò Dioscoridis, interpretatur. Et huius sententiæ est quoque Camer. hort. qui Androsæmon maius vocat. Quæ Dioscoridi est Androsæmon, & Pharmacopœis Anglicanis Agnus castus, Turneri sententiâ est *Tontsan*, hoc est, Tota sana, quòd omnia sanet, dicta: differens ab Hyperico & Ascyro, quòd ramos multos habeat, &c. *Agnus castus. Tota sana.*

Gesnero Anguillaræ opinio non placet, nec fortè etiam Fuchsii, quamuis de hort. Androsæmon quoque nominet. Galli vocant: *Toute saine*.

Locus & tempus. Primum vidi Eslingæ in horto Volmarii, baccas habentem mense Septembri. In Anglia abundare dixit Turnerus: in Ilua insula Camerarius. Montbelgardi in horto Illust. E. c. semen maturat Iunio, Iulio, Augusto & Septembri, ac baccas etiam Decembri: Hiemem perfert.

TRAGIVM PRIMVM ET SECVNDVM Veteribus & in genere.

CAP. CXLII.

Descriptio TRagium [τράγιον] in Creta tantùm nasci dixit Dioscorides, Lentisco simile, foliis, semine ac ramis, singulis tamen minoribus. Liquorem verò proferre gummi similem.

Vires & vsus. Folia, semen, & lachrymam impositione ex vino spicula omniaque corpori impacta euocare, Pota eadem drachmæ vnius pondere stranguriæ mederi, calculos vesicæ comminuere, & menses trahere. Dici & siluestres capras sagittis ictas huius herbæ pabulo spicula excutere. *Alterum* [τράγιον ἄλλο] folia Scolopendrii habere, & radicem tenuem, candidam, siluestris Raphani similem. Hanc seu crudam, seu coctam comestam, dysentericis esse auxilio. Cæterùm folia per Autumnum hircini virus odorem emittere, vnde & herbam Tragii nomen obtinuisse. Prouenire (hęc ex Ald. codicis nothis huc transferre visum est, Sarrac.) in montibus & præcipitiis.

Tragii alterius appellationes notha Tragium alterum in nothis Dioscoridis aliqui Tragon, alii Tragoceratô vocant, alii Scorpiô alii Garganon. Latini Cornulacam seu Bituensã: Daci Saliam: Ægyptii Sopher: Aphri Achiosim.

Galenus Galenus 8. simpl. Tragium hoc Lentisco itidem simile facit. Tragii, inquit, folia, fructus, lachrymaque, trahentis digerentisque sunt facultatis. Est verò & tenuium partium, & facultate in principio tertii iam quoquo modo ordinis calida: stipites & hærentia corporibus extrahit, lapides frangit, menses mouet, drachmæ pondere potum. Porrò in Creta sola nascitur, Lentisco adsimile. Cæterùm alterum Tragium hoc minus multis in locis prouenit.

Plinius notatur Plinius parum sibi constat, dum lib. 13. cap. 21. Tragium, quod alias Tragonin vocat, fruticem esse scribit foliis Cretæ insulæ Terebintho similem, & semine, quod contra sagittarum ictus efficacissimum tradunt. Libro verò 27. cap. 13. eundem ipsum Iunipero similem facit, (quod reprehendit Gesnerus tum quia Iuniperus multùm absimilis Lentisco, cui Dioscorides Tragium comparat, tum quia Tragium nihil nisi herba est vt docent Hesychius & Varinus, & semine, & folio, & ramis. Trachinia, ait [Trachynia Dal. Gesnerus autem legit Tragonia.] herba qualis sit, non traditur. Credo & falsum esse promissum Democriti. Portentosum enim est, adalligatam triduò absumere lienes, &c.

Cæterùm, hinc fortè aliquis Tragion dictum coniiciat, quòd hircis & capris siluestribus medeatur.

Aequiuoca Tragii autem nomine sequentes donantur plantæ. Ruta hypericoides. Poterion. Tragacantha. Seseli Æthiopicum. Fraxinella. Diptamum album. Saxifr. hircina. Sanguisorba. Lunar. botrytis. Succudus. Ptarmica quorundam. Atriplex fœtida.

RVTA HYPERICOIDES QVIBVSDAM Sicilianæ affinis siue Tragium.

CAP. CXLIII.



Descriptio HOc nomine plantam donauit Sprengerus Seplasiarius *caule* tereti, læui, ramoso, *foliis* ad articulos aduersis, duplò Hyperici maioribus, glabris, neutiquam pertusis, fœtidis, sapore [vt nobis videtur] acidulo *floribus* magnis, Sicilianæ proximis, luteis, densa cirrhorum luteorum, tenuissimorum, longorumque intortis apiculis segete, medium occupante, capitulo sequente è cuius summo emicant *stamina* longa.

Androsæmum minus Camerario: Androsæmum fœtidum C. Bauhino phyt. Sicilianæ congener Fabricio Columnæ: An Tragium Græcum Anguillaræ?

Locus & tempus. Basileæ in horto Io. Heitzman copiosè Iunio mense florentem obseruaui, perferreque Hiemem etiam non repositam. Reposita in horto Ill. Princ. Stutgardiæ, & Durlaci in horto Ill. Princ. Georgii Friderici Marchionis Badensis florebat Augusto. Camerario autore licèt hybernum frigus difficulter ferat, copiosè tamen se ex semine propagat.

galon Dioscoridis esse coniicio, maximè eamque candidos fert flores, nam quæ purpureo & cæruleo emicat, eam ad Glaucem refero, quam Plinius ab abundantia lactis, quam facere ait, Engalacton nominat. Sed fallitur Tragus, de aliis Plinius loquitur.

Ab opinione Cornarii & Tragi aliena est Dodonæi lat. in fol. dicentis: Nomen accepit apud Germanos Ramsel & Creutzblum. i. e. Ambarualis flos: appellari autem sic contingit, quòd festis Ambarualium diebus præcipuè vigeant, ac rusticæ virgines, ex his, plerisque locis, tunc coronas sibi nectant. *Ambarualia* autem festa sunt, quæ Romana Ecclesia dies appellat Rogationum: Germanis Creutzdagen: tunc enim arua à sacerdotibus & populo lustrantur. Hieronimus Tragus Polygalon esse existimat: nec fuimus quandoque olim in Hist. gall. ab hac sententia alieni: sed cùm apud Dioscoridem & Plinium breuissima huius extet descriptio, quid affirmandum? præsertim cùm ad lactis abundantiam facere hanc non constet.

Polygala recentiorũ Lobelio. Lobel. in Aduers. vocat Polygalam recentiorum floribus purpureis, pallidis & interdum albidis. In Obs. pag. 228. Polygalam Recentiorum coloris purpurei, sanguineiue, diluti punicei. 2. Albi. 3. Violacei. 4. Albi rubore consusi: Onobrychim veram Dioscoridis. In Ic. Plant. p. 416. Polygala recentiorum: p. 417. Polygala rubeis floribus.

Onobrychis. H. Lugdunensis, meo iudicio, duas habet figuras & descriptiones vnius plantæ: p. 491. Onobrychis tertia purpurea Dalechampii.

Camer. hort. intitulat Polygalon Tragi: Thal. & Pona in Baldo Polygalam Tragi: Clus. Polygalam plerorumque recentiorum: Lonic. Polygalam Græcorum & Latinorum: Gesn. in duab. epist. ad Bened. Aret. Amarellam: C. Bauh. Polygalam 2. siue vulgarem floribus cæruleis, purpureis dilutioribus seu albis, rariùs niueis.

An Glaux Cordo. An Cæsalp. fruticulus quidam, &c. An est Cordo in Diosc. Glaux? An Cæsalp. vt suspicamur planta, quam lib. 5. cap. 14. sic describit: Quidam fruticulus in collibus saxosis nascitur, arido solo & inculto ramulos tres aut quatuor ab radice spargens, simplices, dodrante longiores, humi procumbentes: in quibus pauca folia, ceu Lini, breuia, colore aliquando viridi, aliquando ex rubro nigrescente: supra folia pendent flores ex vno tantùm latere vsque ad cacumina, spectantes ad terram, purpurei, vel pallescentes, ex rotundis foliolis regentibus: fructum compressum & rotundum, qui in summo scissus est: semine in vtroque latere oblongo, gustu subamaro: Non abhorret ab hac Osyris Diosc. sed quoniam apud Plinium coloris mutatio non foliis tribuitur, sed fructui, idcirco aliam ostendo Osyridem.

Locus & tempus. Multis in locis à me reperta est, vt passim Montbergardi etiam in horto Ill. E. C. quò transtuli minorem albam collectam inter Malmunster, & S. *Germain*. Geneuæ in pratis Maio florens; virens circa montem *Saleue* Februarii principio: Basileæ propè Leurach Augusto: itemque in mõte Mutensi. Monspelii, Tubingæ & in Italia flore purpureo & albo. Flore luteo siccam plantam demonstrauit Fuchsius. Flore minuto, dilutè cæruleo inueni florentem mense Aprili satis copiosè ad pontem Dubis. In siccioribus Austriæ & Pannoniæ pratis tribus florum coloribus discretam, ferè passim obuiam perhibet Clusius. In collibus herbosis, vt refert Dodonæus, qui nec aratro proscinduntur, nec pedibus atteruntur, in pluribus Germaniæ ac Belgii regionibus læto ac mediocri solo spontè gignitur. Maio mense præcipuè cum flore reperitur.

Vires Polygalon Tragi à sapore à Gesnero Amarella vocata cærulea præsertim, præamara est. Si verò manipulus eius per noctem in vino maceretur, idque bibatur, bilem per aluum mirè deiicit, nullo periculo quidem: experientiâ Gesneri.

POLYGALA VVLGARIS MAIOR duplex.

Cap. CXLVII.



Descriptio Ex eadem interdum *radice* prodeunt quinque aut sex *virgulæ* duriusculæ, pedales, graciles: lentæ & obsequiosæ, *foliis* nullo ordine dispositis obsitę, angustis, floris Tinctorii, aut vulgaris Hyssopi angustifolii & minoris, quod ab Hispanis *Yssopillo* vocatur, foliorum æmulis: *flores* conferti & spicatim nascentes, summas virgulas occupant, Fumiterræ floribus non multùm absimiles, longiores tamen, & dilutioris purpurei coloris elegantissimi, siue dilutiore rubore pulcherrimo nitentes: his succedunt penduli loculi plani, Bursæ pastoris valuulis ferè similes, quos membranaceæ quædam veluti alæ integunt, *semina* bina plerumque continentes, nigricantia, hirsuta, longiuscula, quæ aperientibus sese ad latera maturitate bursulis, decidunt: *radix* crassiuscula, breuis, dura, lignosa, viuax, aliquot fibris donata est: tota planta amaricat.

Polygala vulg. maior. Clus. descriptionis author vocat in Pannon. p. 314. & 315. Polygalam vulgarem maiorem purpurei coloris, variantem albo & cæruleo: In post. Hist. Polygalam vulg. maiorem 1. Item, Polyg. vulg. maiorem secundam: variantem etiam quibusdam vmbrosis & humidioribus locis, floris colore aut cæruleo, aut albo, non secus ac minor vulgaris, & perinde assurgentem vt modò descripta, sed minùs venustam. Ponit autem pro secunda iconem à Lobelio pro Polygala albis floribus demonstratam.

Compil Tabern. notatur. Pro suo more frustra Compil. Tabern. tres figuras exhibet solo colore differentes, nec vllam trium laudabilem: Polygala 1. maior alba, Groß weiß Creutzblumen: Polygala 2. maior cærulea, Groß blaw Creutzblumen: Polyg. 3. maior purpurea Groß Purpurrot Creutzblum.

C. Bauh. phyt. Polygala 1. siue maior, flore varians.

Locus

Frequens est ad nodum in Leytenberg supra Manderstorf, circa Medeling, totáque illâ montium serie, quæ à Calenberg Danubio supra Viennàm imminenti ad Austriacas vsque Alpes excurrit. Nusquam non occurrit similiter per Pannoniam, etiam interamnem, vltra Drauum flumen. Floret Maio & Iunio. Aliquoties illam ob florum venustatem Clusius in hortum transtulit, & cicurare voluit, sed operam lusit.

Tempus

POLYGALA VVLGARIS COLORIS obsoleti, foliis angustissimis.

CAP. CXLVIII.

Descriptio



PAucis aliquot adsurgit *cauliculis*, aliquando etiam singularib. pedalibus, altioribus, magna parte nudis: circa ima ferè *foliolis* vestitis quàm in reliquis Polygali speciebus angustioribus, acuminatis, prope terram tamen existentibus latiusculis & breuioribus. Ramorum extremis quoque *flosculi* coloris obsoleti, & post hos *vascula* membranea, binis foliis lucentibus obducta, lineisq; virentibus notata hærent, sed rariore stipatu, eáque serie, vt alterum post alterum ritè positum esse videatur. Tota spica palmum ferè adæquat: *radicula* simplex, duriuscula, alba, nullis penè fibris prædita. Facies plantulæ, hoc est, partium figura & color, facilè eam à reliquis Polygali speciebus distinguit.

Locus & tempus

In Galliæ Narbonensis locis saxosis, collibus præsertim sterilibus propter Monspelium Æstate primùm protumpentem obseruauit Gener Cherlerus, qui inde attulit: sat alioqui frequês loco suo natalitio, qui tamen rariùs occurrit: Fit enim vt vnico quodam loco frequens obueniat, multâ postmodum ab ea distantiâ nuspiam amplius appareat.

POLYGALA VVLGARIS LVTEA.

CAP. CXLIX.

Locus

POlygala 3. siue lutea C. Bauhin. in phyt. *foliis* est circa *radicem* rotundioribus, *flore* luteo, per reliqua similis vulgari, quæ prope Aquapendentem intra Florentiam & Romam prouenit. Gener Cherlerus attulit nobis collectam prope littus Maris Adriatici, in qua nullum discrimen apparebat, præter colorem floris luteum: in vulgaribus enim folia etiam cum primùm exoriuntur, rotundiora obseruantur. Cur Polygalam Anguillaræ negemus, colligere est ex capite de Polygala quorundam. Pona in Baldo vocat Polygalam Tragi floribus luteis à Iacobo Zvvingero inuentam.

Anguillaræ Polygala negatur.

FINIS LIBRI VIGESIMI NONI.





HISTORIÆ VNIVERSALIS PLANTARVM

LIBER XXX.

CORONARIÆ ETIAM PLERÆQVE, VT PAPAVERA, ANEMONES, GERANIA, RANVNCVLI, VERBASCA ET AFFINES: ADHÆC SCROPHVLARIÆ: SIderitides: Anthirrhina: Melampyra: Viticæ: Cannabis: Lini & Linariæ species variæ.

VIDES quantâ lasciuiâ Natura in Coronariarum societatem vel floris, vel foliorum, vel faciei tantùm similitudine asciuerit eas, quas nihil minùs, quàm Coronarias dicas, & quas vtique Cato in hortos, serere non præcepit. Deinceps dicendas plerasque etiam Coronarias aut certè non multùm alienas vno agmine cõprehendemus, ne librorũ magnitudo, vel multitudo in immensum propemodum excrescat. Nam & compendio interdum studendum, vbi multitudine obruimur, vt naturam tantopere luxuriantem arte quadã coërceamus.

PAPAVER SATIVVM ET SILVESTRE VETERIBVS.

CAPVT I.

Papauer antiquis.



NON sentiebat quondam rustica plebs, quantùm sato totis agris Papauere segetibus suis, & futuræ annonæ officeret: Sed religionis fortunæque Cereris rustici numinis ignara, quæ cereale à Poëtis suis vocari aliquod Papauer audierat, gestaréque manu Deam Papauer in templis quotidie videret, facilè credidit propitium sibi rusticum fore numen, si, quò coli & ornari Dea posset, copiosum sibi in aruis cresceret. Eamque ob causam nullâ fruge magis quàm Papaueris consitos agros & hortos suos habuit Antiquitas. Nec priùs desiit in tam multos vitæ vsus malam frugem serere, seminéque eius in cunctis ferè secundæ mensæ dulciariis vti, quàm rusticæ rei perita frugis eius maleficium cognouerit, & poëtam nostrum ex meliore rutis disciplina inclamantem omnibus audierit.

Dea in templis manu Papauer tenebat.

Vrunt lethæo perfusa Papauera somno.

Hisque non ad cibum, sed ad leuandum somno pro amissa filiâ dolorem Deam vsam fuisse: & in luctus fortunæ suæ memoriam mortalib. semper ea subinde ostẽdere. Poëtam verò non in hoc tãtùm, sed totius naturæ peritissimum hominem, lethargici somni vim illis & potestatem assignasse. Neque enim læthæos obliuiosos simpliciter, aut ab inferis repetitos potestate Papaueris factos somnos vocasse eum credimus: sed quod in plerisque aliis idem fecerat concinnâ breuitate, quæ fiat à liquore Papaueris, malam quietem significasse. Nos primùm de Papaueris generibus, eorúmq; viribus & facultatibus dicturi sumus, quàm de liquore verba fecerimus. Dioscorides itaque quatuor Papaueris genera proposuit. Μήκων ῥοιάς, Papauer erraticum, à flore protinus deciduo, flore puniceo, interdum albo: de hoc post. μήκων ἥμερος, Papauer satiuum, quod semine candido est, & θυλακῖτις vocatur: huius alterum genus siluestre nigro semine quod πιθῖτις nominatur: quibusdã ῥοιάς, quoniam eius scapo lacteus succus emanat: huius & tertium maius siluestre & ad medicinas valentius. De his in præsentia agimus, ideóque eius verba adiungimus.

Diosc. 4. Papaueris genera.

Satiuum 1.

Papauer [μήκων] quoddam satiuum [ἥμερος] est hortense [κηπευτή] cuius semen in sanorum vsum ad panes adhibetur: eo etiam ex melle pro sesama vtuntur: Thylacitin [θυλακῖτιν] quasi folliculosum vocant. Capitulum id habet oblongum, & semen candidum. Alterum & siluestre Papaueris genus, sessili caliculo, & semine nigro [oblongo vet.] Nonnullis & ipsum Rhœas [ῥοιάς] ex eo dicitur, quòd ab eo liquor emanet: Quod Pithitis quasi doliare nominatur. Est & tertium agrestius, ac medicatius, hisque longius [Dodon. legit, minus] oblongo capitulo: omnibus in commune vis est refrigerandi: proinde, si folia cum capitib. ipsis in aquã decocta fuerint, somnum fotu con-

Tertium agrestius, sed medicatius

ciliant: bibitur & decoctum contra vigilias. Calyces verò triti & cum polenta cataplasmatis admisti, inflammationibus ac erysipelatis prosunt. Verùm ex ipsis dum adhuc virent tusis fingi trochiscos oportet, eosque siccatos ad vsum recondi. Ex iisdem quoque calycibus per se in aquâ decoctis ad dimidias, iterumque deinde cum melle ad iustam spissitudinem percoctis, eclegma conficitur, quod in tussi, arteriæ fluxionibus, cœliacisque affectibus doloris leuamentum præstat. Efficacius tamen redditur, additis Hypocistidis succo & Acaciâ. Papaueris autem nigri semen tritum cũ vino vix potui datur contra fluxionẽ alui fluoremque muliebrem. At in peruigiliis fronti temporibusque ex aqua imponitur. *Additur* & 3. μήκων κερατῖτις ἢ γλαύκιον, Papauer corniculatum, à calyculo in corniculorum modum inflexo, aut marinum. 4. μήκων ἀφρώδης, Papauer spumeum, quia tota herba est spumea, quibusdam ἡράκλεια Heracleum. De his suo loco.

Theoph. Theophrastus Papaueris satiui 1. hist. 14. & 18. & 19. & lib. 9. cap 8. meminit: Siluestris verò genera 9. hist. 13. plura notauit: quoddam enim Corniculatum, quoddam Nigrum, aliud Erraticum flore ruffo, aliud Herculanum nuncupatum folio Struthii. De satiuo autem loquens inquit: succus inest lacteus: è capite lactisuccatio fieri solet, quod huic soli est peculiare.

Plinius. Plinius lib. 19. c. 8. tum nigrum, tum candidum inter satiua numerat: Papaueris satiui tria genera inquit, *Candidum* cuius semen tostum [Cocetum id bellarium vocat Festus & Tertullianus contra Valent.] in secũda mensa cum melle apud antiquos dabatur, (ededatur, M.) Hoc & panis rustici crustæ inspergitur (inspergunt, Dalech.) affuso ouo inhærens, vbi inferiorem crustam [quę furnum attingit] Apium Githque cereali sapore condiunt. *Alterum* genus est Papauer nigrum, cuius scapo inciso lacteus succus excipitur. *Tertium* genus Rhœam vocant Græci, id nostri erraticum, &c. Plinius hæc non satis distinxit, vt capite de Papauere erratico annotauimus, Idẽ rursus lib. 20. cap 18. satiui, albi, & nigri meminit, ac c. 19. inter satiua & siluestria medium genus constituit, Rhœas siue erraticum: Syluestrium vnum genus ceratitin vocant, inquit, nigrum, quidam Glaucium, alii παράλιον vocant, interdum è siluestribus Heracleum vocatur, ab aliis Aphron. Tertium genus est Tithymalon, Mecona vocant, alij Paralion.

Quæ Galenus de Papauere scripsit, legantur postea inter vires. Fuisse Papauera in honore apud Romanos semper, sunt indicio, 1. Tarquinius superbus, qui legatis à filio missis decutiendo Papauera in horto altissima, sanguinariũ illud responsum [nempe principum virorum Gabianorum capita præcidenda esse, quò vnius eius tyrannis stabiliretur] hac facti ambage reddidit, Plinio lib. 19. c. 8. teste. 2. Pausanias qui commemorat in Corinthiacis extare Veneris simulachrum altera manu tenens Papauerum capita. 3. Poëtę à quibus celebrata fuisse comperimus. Papauer enim illis dictum scimus. Cereale, Lethæum, Vescum, Soporiferum, Fœcundum, Granidum, Plenum sapore, Agreste, Frigens, Medicatum, Luteum, Candidum, Purpureum, Capitosum, & Graniferum, vt ex variis colligi potest autoribus.

Notha appellationes. Mecona porrò satiuum, sunt qui Chamæsicen, qui Papauer rhœada, qui Oxygonon dicunt: sed Ægyptii Nanti, & Romani satiuum Papauer vocant. Μήκων autem à μὴ κορεῖν. non ministrando; quòd vescentes suis muniis fungi non possint, dictum legitur.

Papaueris hodie genus multiplex. Est enim satiuũ, quod ipsum aut album, flore vel simplici, vel pleno amplissimo: item semine luteo, cum vngue rubro: & capitulis apertis semine cinereo: Aut purpureum flore vel simplici, vel pleno maximo. Ambo rursus, album sc. & purpureum flore fimbriato: Aut rubrum: Aut nigrum: Aut denique flore multiplicato diuersorum colorum. *De his mox dicturi sumus.* *Papauer multiplex.*

Est & siluestre Rhœas nominatum, maius, flore pleno, & albo, itemque minus, Argemone exigua Tragi, Papauer erraticum alterum Matth. de quibus postea. Papaueris erratici speciem existimat Tragus Anemonem tenuifoliam: Est & Papauer corniculatum luteum, & phœniceum alterum, ac tertium violaceum. Papaueris etiam nomine insigniuntur. Glaucium Diosc. Hypecoum Clusii. Melanth. flore maiore. Ficus infernalis Papauer spumeum. Cyanus Columnæ. Papau. spumeum Cæsalp. Muscipula altera. Been album officinarum. Saponaria. Lychnis silv. Gratiola. Tithymalus minimus angustifolius. Peplum. Centaurium maius. Malus punica. Piper album. Melanth. flore minore. Nymphæa lutea. Sunt tandem qui Legumen esse velint Papauer, sed in eo errant, cùm Papauer non habeat grana in siliquis. *Siluestre.* *Æquiuoca*

PAPAVER SATIVVM.

Papauer quod in hortis seritur, digitali crassitudine circiter *radicem* habet, amaro lacte, sicuti & tota planta, turgentem. *Caulis* surgit cubitum vnum aut duos altus, in alas diuisus, lęuis plurimùm, nonnunquam modicè hirsutus: cui *folia* adnascuntur Lactucæ, oblonga, laciniata, crispa, colore glauco: *flores* aliàs simplices, aliàs multiplices, fimbriati & nõ fimbriati, colore albo, rubro, carneo, variegato: quibus *codia* succedũt, globosa, ventriosa magis, magisve oblonga, aliàs pugno paria, aliàs iuglandi, stellato operculo intecta, septis membraneis *semen* nunc atrum, nunc fuscum, nunc album, disclusum continentia: odorem spirat virens planta virosum & καρηβαρικὸν: at hæc in genere, species enim ex synonymis facilè est elicere. *Descriptio.*

Papauer album



Fuchsius Papaueris satiui duplex genus, album videlicet, cui florem & semen candidum ascribit. Et nigrum quod semine nigro constare ait, vnâ pi- *Fuchsio genus duplex.*

Papauer fimbriatum flore purpureo & albo.



nâ picturâ complectitur. Castor album & nigrum pingit. Acosta Ital. de Aromat. memorat opium fieri ex lacrymis maximorum capitum incisorum Papaueris albi in India, rarissimè ex nigro: Meconium verò ex succo totius plantæ: Hier. Brunsch. meminit Papaueris nigri, quod *Rœmischen Magsot*, & communis semine cinereo, quod *vveiß-grauv Magsot* appellat.

Trago sept. Tragus Papaueris satiui septem genera, herbâ quidem, caule, radice & succo admodum similia, at flore & semine satis differentia prodidit. I. Vulgatissimum flore supernè candido, infernè verò purpureis maculis notato, semine incano, capitibus apertis. II. Flore planè candido, capite oblongiori, &, vt in sequentibus quinque, clauso, semine itidem candido. III. Flore similiter candido, infernè rubris maculis infecto, semine flauo. IIII. Flore prorsus rubeo, semine prægnans fusco. V. Flore roseo, purpureis infernè punctis maculato, semine præditum nigro. VI. Floribus candidis, iisque per ambitum supernè incisis, semine albo. VII. & vltimum floribus rubels, ac ijs quoque per orbem supernè dissectis, semine fusco.

Lobelio octo. Lobel. in Aduers. tritæ admodum cognitionis omne Papaueris genus esse ait, sed difficilis ab Amenone [cui tanta similitudine Rhœas coniungi scribit, vt planè eadem iudicio multitudinis côstituatur] dignotionis. *Papaueris verò satiui has differentias assignat.* I. Papauer album. II. Papauer fimbriatum [aut cristatum, addit in append.] album, capitis corollâ radiolis argutioribus & dentatim crenato ambitu donatâ: III. Papauer nigrum satiuum flore Maluę hortensis, aut Pæoniæ sanguineo saturo, semine nigro. IV. Satiuum nigrum cristatum: in append. Papauer fimbriatum aut cristatum nigrum. V. & VI. Papauer patulum album & rubrum, officinis etiam notum, nec vlla in re à superiore albo & rubro vulgari discrepans, nisi foraminulis in superna capitis parte patulis. VII. & VIII. Papauer spontaneum hortense & syluestre semine interdum nigro, aliàs albo, floribus dilutè rubentibus, obsoleto aspectu, capitulis triplò minoribus, quandoque hiulcis osculis, quandoque occlusis.

Dodon. tria. Dodonæus de Purgant. Satiua Papauera tria agnouit, album, & nigrum, ac vtrumq; magnum, & minus tertium. Duorum autem priorum quandoque florum folia pluribus incisuris dissecta scribit. *In hist. Lat. in fol.* his plura addere videtur: ac quatuor facere, quæ Veterum speciebus etiam accommodare conatur.

Papauera Gesn. Papauera satiua hæc numerat Gesner. hort. Papauer minus nigro semine, nigrum, vel commune in hortis abundans, de quo alicubi agri obseruntur, quodque alicubi siluestre nascitur. Papauer album satiuum flore & semine candidis. Huius & altera species, florum folijs dissectis. Papauer rubrum, capitibus Dodonæo rotundioribus, &c. Huius species folijs crenatis, &c. *Item in append.* hort. Papauer Memphyticum floribus magnis multifidis, album & purpureum, & medij coloris: quod idem cum eo putat Gesnerus, quod aliqui recentiores Papauer Opij vocant, semine coloris albi, ad roseum vergentis. Papauer nigrum dissectis floribus, albis, roseis & rubris. Papauer flore multiplici. *In cat. plant.* Papauer satiuum, *μήκων ἥμερον, Garten Magsot, du Pavot blanc.* Papauer nigrum [vnde Meconium expressione, & Opium vulnere fiunt] *μήκων ἡ μέλαινα, schvvartzer Magsamen, du Pauot noir.*

Taber. frustra 9. figuras exhibet. Tabern. frustrà nouem figuras ponit: has enarrans species. Papauer satiuum siue hortense. Papauer flore niueo. Papauer polyanthes. 1. Papauer polyanthes. 2. Papauer Polyanthes 3. Papauer polyanthes 4. Papauer album polyanthes minus: Papauer multiflorum niueum: Et Papauer multiflorum purpureum.

H. Lust. 8. sunt differentia. Hort. Lust. hæ sunt Papaueris satiui differentiæ, Papauer satiuum album. Papauer spontaneum: Papauer nigrum satiuum flore Pœoniæ simplici: Papauer fimbriatum rubrum: Papauer multiflorum niueum: Papauer fimbriatum carneicoloris flore: Papauer multiflorum rubrum: Papauer Polianthes purpureum.

C. Bauh. totidem. Casp. Bauh. in phyt. hæc recenset: Papauer I. siue hortense semine albo, satiuum, Dioscoridis, album plinij: II. siue hortense nigro semine, siluestre Dioscoridis, nigrum plinij: III. siue vulgare, capitulis foraminibus hiantibus, semine incano, *ἀγριώτερον ἢ φαρμακῶδες* Dioscoridis: IV. siue flore rubro, semine fusco: V. siue cristatum album floribus & semine. VI. siue cristastatum, floribus rubris, semine nigro. VII. siue polyanthes nigrum.

Camer. Camer. in horto Papaueris satiui varias differentias comprobat, inter has autem potissimùm Papauer flore pleno elegantissimi coloris, albi, rubri, purpurei, & ex his mixti.

Cæsalp. Cæsalp. Papaueris satiui species tres constituit præcipuas. Satiuum scilicet, cui capitulum est longum & semen candidum: siluestre, quod caput habet depressum & semen nigrum: & siluestrius, quod albo constat semine, multò illis longius, productioréque capitulo, vt habet Dioscorides. Cætera verò siluestria, inquit idem Cæsalpinus, nominauit Dioscorides, non quòd spontè, & per se nascantur [seruntur enim omnia] sed quòd asperiora, hirsutioráque proueniant, tum caule, tum capitibus, tum etiam folijs: quòd præterea nigrum, asperúmq; proferant semen: quòd denique serantur in campestribus segetum & leguminum modo. Rem autem se ita habere testari videtur plinius lib. 19. cap. 8.

Nomina linguarum. Græcis *μήκων*: Lat. Papauer: nonnullis *ἥμερον*: Germ. *Magsamen* & *Olmag*. Belg. *heul* & *Mancop*: Gallis *Pauot*: Italis *Papauero domestico*: Hisp. *Dormideras* & *cascall*: Anglis *Poppy* aut *Chesbowle*: Boh. *Mak*.

Locus & Tempus. Vere seruntur papauera in hortis, ac etiam non rarò in ipsis aruis: frequentissimum tamen illud, quod caule, folijsque, floribus item & capi-

tulo minus est, cuiusque flos è cæruleo ac purpureo obsoletum & dilutum quendam colorem refert, quod crebrò non satum pluribus quoque reperitur locis, præsertim tamen in hortis. Album viret ex semine deciduo, mense Ianuario in horto meo Geneuæ, vbi hyemem pertulit, floruitque Iunio. Papauer flore albo densissimo & amplissimo folio, suffulto, spectatu pulcherrimû, vt sambucus roseus, floruit in horto Illustr. E. C. mensis Maij principio, & Iunio. Diuersorum colorum denso & suffulto flore primùm vidi in horto Canonici D. du Tartre florens Iunio Stæ. Hippolitæ. Montbelgardi in horto Principis flore suffulto subcæruleo: item rubro, phœniceo & cinereo, vnguibus albis ornato, calycibus oblongis: semine albo punctis rubentibus aspersо. Nigrum siue vulgare. Monspelij, Geneuæ, & Lugduni floret Maio. Geneuæ Papaueris floribus dissectis aliquot species obseruauimus, quarum meminit Dodonæus: Hyemem pertulerunt plantæ ex semine deciduo, vna flore albo in inferiore parte, in superiore incarnato: alia flore purpureo infrà, suprà rubro: florent mense Iunio. Papauere candido passim abundat Hetruria. Vtrisque verò nigris scatet vniuersa Insubrium tellus: sed præcipuè apud gentes quæ Tridentinas incolunt valles, vbi Papauera hæc copiosè feruntur in campis, & inter legumina, præsertim inter Fabas.

Vires & Vsus. Seminis papaueris albi vires & vsum in cibis ex Dioscoride antè diximus: Opij & Meconij vires postea perstringemus: Quæ verò Plinius & Galenus de papaueris viribus prodiderunt, legenda postea ex ijs cap. de Opio. Addemus hîc tantùm: Plutarchum memoriæ proditum esse narrare spiritum à papauere defluentem non cautè obseruatum ab ijs qui succum colligunt, subuertere homines. Omnia verò papaueris genera frigida & sicca esse ad quartum gradum, vt author est Dodonæus: atque ex Æliano, animalia apibus nocua, viridi papauere locum antè alueos sternendo, depelli. *Spiritus à Papauere defluens cautè obseruandus.*

OPIVM ET MECONIVM.

CAP. II.

Papaueris liquoris vires & vsus. PApaueris liquor refrigerat magis [quàm papaueris nigri semen] incrassat exsiccátque. Sumptus Erui magnitudine, dolores sedat, somnum conciliat, & concoctionem adiuuat: tussi cœliacorúmque affectibus auxiliatur. Verùm si copiosior hauriatur, accersito lethargo etiam mortifer est. Est & ad capitis dolores efficax, si cum rosaceo irrigetur: vti & ad aurium dolores, si cum Amigdalino, Myrrha, & Croco instilletur. Oculorum inflammationibus cum oui luteo tosto & Croco proficit: erysipelatis ac vulneribus, cum aceto: podagris, cum lacte muliebri & Croco: denique sedi pro balano subditus somnum facit. In eo liquoris genere præstantissimus censetur qui densus & grauis est] Lacuna legit ex vet. cod. ὁ συνεστηκὼς καὶ βαρύοσμος] odoratu soporifero, gustu amarus, quique facilè aquâ diluitur, læuis, candidus, neque asper, neque grumosus, quique inter colandum non vti cera coit densatúrue, sed Soli expositus diffunditur, & ad lucernam accensus, minimè atrâ obscuráue lucet flammâ: qui denique, postquàm extinctus fuerit, suam odoris vim etiamnum conseruat. Ipsum porrò admixto Glaucio, aut Gummi, aut siluestris Lactucæ succo adulterant. Verùmtamen qui Glaucio fucatus est, dum diluitur colorem Croci reddit, qui verò agrestis Lactucæ succo, exili & euanido est odore, asperiorque spectatur: qui denique Gummi vitiatus est, inualidus est, inodorus, atque pellucidus [Addit Lacuna ex vet. cod. καὶ ἄοσμος.] Nec desunt qui eò dementiæ deuenerint, vt & adipem illi admisceant. Porrò ad oculorum medicamenta fictili nouo torretur, dum mollior, fuluiorque appareat. At Erasistratus, Diagoram testatur illius vsum damnasse in aurium doloribus & oculorum lippitudinibus, quoniam & visus aciem hebetaret & soporifer esset. Addidit Andreas protinus excæcatum iri qui eo illineretur, nisi adulteraretur. Mnesidemus præterea duntaxat vsum olfactandi probauit ad conciliandum somnum, alioqui seu noxium damnat. Quæ quidem omnia commentitia esse experimento deprehenditur, siquidem effectus virium huiusce medicamenti fidem facit. Quare non abs re fuerit liquoris illius excipiendi rationem subtexere. Nonnulli capita foliáque ipsius tendunt & prælo exprimunt, mox terentes in mortario, pastillos effingunt: id Meconium vocatur, multùm Opio ignauius.

Porrò Opij faciendi ratio hæc est: Cùm ros exaruerit, stellulam [quæ in summo capite Papaueris visitur] cultello intra scarificare oportet, vt ne penitus intrò adigatur, & à capitis lateribus per directum summam cutem incidere, & erumpentem lachrymam digito in conchulam abstergere, ac non ita multò pòst eò redire: tum enim rursum & alia densata reperitur, atque etiam postero die. Tandem in pila teri & in pastillos coacta reponi debet. Verùmtamen interea dum inciditur, retrocedendum est, vt ne liquor vestium affrictu deradatur.

Papauerum & Opij vires Galenus pluribus locis exposuit, libro sexto, simplicium medicamentorum, sic inquiens. Papauer alterum Rhœas nuncupatur, quòd scilicet celeriter flos eius defluat. Alterum domesticum, quandoquidem colitur. Quin & alteræ duæ sunt præter has species siluestris Papaueris: alterum velut incidentem calycem sustinens: alterum longiorem quàm illud calycem obtinens, totum autem procerius, ac squalidius. Ab hoc succus defluit, atque hinc est, quòd hanc speciem quidam Rhœa nominent. Porrò omnium facultas refrigeratoria est. Cæterùm satiui semen, quod & Thulacite cognominant, mediocriter somnum conciliat, visu candidum: proinde panem ipsum inspergunt, ac melle maceratum edunt. At eius quod primo loco recensuimus, cuius florem celeriter decidere posuimus, validiùs semen refrigerat, ita vt nequaquam eo quis innoxiè solo vti possit, siue satiuo siue domestico melli admiscens. Admodum verò si ita sumptum sit, somnum conciliat. Cæterùm, pusillum eius inspergunt ijs, quæ ex melle conficiuntur, bellarijs, ac placentis, panibúsque. Porrò tertio loco dicti semen atrum, etiam medicamentosum est: admodum refrigerans. At quod quarto loco positum est, omnium medicatissimum, tum in semine, tum in calyculis, tum in folijs, tum in succo. Validè enim frigiditatis vehementiam retundunt. Est enim ex quarto & vltimo refrigerantium ordine. Porrò quo pacto maximè ex methodo mistionem facere oporteat, non est præsentis tractationis proprium. Et lib. 2. de compositione medicamentorum secundum locos, de dolore capitis agens citra manifestas causas

festas causas oborto, ita de Opio disserit. Rarò, inquit, cogimur Pharmacis ex Opio vti, cùm videlicet præ doloris vehementia homo de vita periclitatur. Quanquam & tunc solidæ partes ex eius vsu offẽdantur, adeò vt post hæc correctione opus habeant. Sic & ex Opio collyria multis detrimenta fuerunt, adeò vt debilem oculum reddiderint, & visus hebetudinem, anbliopiam Græcis appellatam, induxerint: velut etiam auditûs grauitatem inducunt quæcunque ad vehementem aurium dolorem ex Papaueris succo sunt composita: at verò ob capitis dolorem vehementem nemo vnquam animi deliquio comprehensus mortuus est, neque se ipsum occidit.

Cautela. Ex quibus sanè omnibus admoniti debent esse Medici, ne temerè, aut inconsultè ad vsum Opij se conferant. Sed ratio quâ id corrigendum, administrandúmque sit, ex ipso Galeno colligi potest lib. 8. de compositione pharmacorum secundum locos, vbi scripsit Calefacientia misceri, quæ refrigerantium stupefactionem deducere possint, Castoreum, Piper &c.

Ætius de viribus tractat lib. 1. serm. 1. verùm cùm omnia iam sint dicta ex Galeno de simplic. ea hîc non repetimus,

Plinius. Plinius lib. 20. cap. 18. hæc de Papauere & Opio memoriæ prodidit: Papaueris satiui diximus genera: & spontè nascentis alia promisimus. Sed satiui albi calix ipse teritur, & è vino bibitur somni causa. Semen Elephantiasi medetur. E nigro Papauere [e nigro potiùs, quàm albo Papauere, Opium fieri nusquam Dioscorides scribit. Valentius à nigro verisimile est, imbecillius ex albo.] *Plin. duplex error.* sapor [saporis vocabulo τὸν χυλὸν Græcorũ Plin. voluit exprimere, duplici errore: altero, quod liquoris ὀπὸς sit, id est, manans spontè lachryma, non autem χυλὸς, id est, succus herbâ tritâ expressus: altero quòd ad id papaueris albi, non nigri scapus inciditur] gignitur scapo inciso, vt Diagoras suadet, cùm turgescit [grãdescit & ad florẽ properat] vt Iollas, cùm deflorescit horâ diei sereni, hoc est, (circa meridiem) cùm ros in eo exaruerit. Incidi iubent sub capite & calyce (sub capite ante florem, sub calice post florem) Nec in alio genere ipsû inciditur caput. Succus & hic, & herbæ cuiuscunque, lana excipitur: aut si exiguus est, vngue pollicis, vt Lactucis, Constantinus legit, aut conchis, in dictione ὀπὸς. Ego nihil muto. Glaucio enim & siluestribus Lactucis succum detrahi solitum Dioscorides prodit, quo verum Opium adulteraretur,) & postero die magis quod maruit. Papaueris verò largus densatur, & in pastillos tritus in vmbra siccatur, non vi soporifera modò, verùm si copiosior hauriatur, etiam mortifera per somnum: Opion vocant. Sic scimus interemptum Licinij Cecinnæ prætorij viri patrem in Hispania Bauli, cùm valetudo impatibilis odium vitæ fecisset: item plerosque alios. Qua de causa magna concertatio extitit. Diagoras & Erasistratus in totum damnauere, vt mortiferum, infundi vetantes. præterea quoniam visui noceret. Addidit Andreas, ideò non protinus excæcari eo, quoniam adulteraretur Alexandriæ. Sed postea vsus eius non improbatus est medicamento nobili, quod Diacodion vocant. *Semen.* Semine quoque eius trito in pastillos è lacte vtuntur ad somnum: item ad capitis dolores cum rosaceo. Cum hoc & aurium dolori instillatur. Podagris illinitur cum lacte mulierum. Sic & foliis ipsis vtuntur. Item ad sacros ignes & vulnera ex aceto. Ego tamen damnauerim collyriis addi: multóque magis quas vocant lexipyretas, quasque pepticas & cœliacas. Nigrum tamen cœliacis in vino datur. Satiuum omne magis rotundat capita. At siluestri longum & pusillum & ad omnes effectus valentius. Decoquitur & bibitur contra vigilias, eadémque aquâ fouent ora. Optimum in siccis, & vbi rarò pluit. Cùm capita ipsa & folia decoquuntur, succus Meconium vocatur, multùm Opio ignauior. Experimentum Opij est primùm odore: sincerum enim perpeti non est, mox in lucernis, vt pura luceat flamma, aut extinctum demum oleat: quæ in fucato non eueniunt. Accenditur quoque difficiliùs, & crebrò extinguitur. Est sinceri experimentũ & in aquâ, quia nebula innatat: fictum in pustulas coit. Sed maximè mirum, æstiuo sole deprehendi. Sincerũ enim sudat, & se diluit, donec succo recenti simile fiat. Mnesicles optimè seruari putat Hioscyami semine adiecto: alij in Fabâ. *Idem, vbi lib. 20. c. 19.* *Asseruatio.* locutus fuit de Papauere ceratite, addidit sequentia. Alterum è siluestribus genus Heraclion vocatur, *Heraclion.* ab aliis Aphron. foliis (si procul intuearis) speciem passerum præsectantibus, radice in summa terræ cute, semine spumeo. Ex hoc lina splendorem trahunt Æstate. Tunditur in pila comitialib. morbis, acetabuli mensura in vino albo: vomitiones enim facit, &c.

Ex Trago. Prodest Papauer, Trago referente, & iis qui vertigine laborant, experientia hoc testãte, quietem inducit, somnũque cõciliat, tam iuuenibus quàm senibus, quo ũque modo assumere libeat, Quin & infantibus, quãdo inquieti & insomniis laborauerint, in lacte vel pulte concoctum exhiberi potest hoc semen. Omne Papaueris genus, tam syluestre quàm satiuum, & non solùm herba eius expressúsque succus, sed & *Aqua* distillata *Aqua è Papauere.* Phreneticis, & his qui insomniis laborant, vtilissima sunt, emplastri modo fronti vel temporibus imposita. Si Erthinon in succo herbæ Papaueris intinctum naribus indas, somnum quamprimùm induces. Aqua in quâ capita papauerum decocta fuerint, easdẽ facultates obtinet, sacris etiam ignibus imposita, opitulatur. Aurium dolori cũ oleo Amygdalino vtiliter instillatur. Aqua ex herba floribus & capitibus papauerum distillata ad eadem omnia efficax est. *Oleum* papaueris circum- *Oleum.* circa tempora inunctum allicit somnum, vt Clem. Clementinus perhibet.

Gentes, quæ Tridentinas incolunt valles, teste *Placentulis semen miscetur.* Matthiolo, papaueris semine vescuntur, misto placentulis quas ex pasta foliosa multiplici inuolucro conficiunt. Comedunt illi quidem hasce placentas ad saturitatem vsque: nec ob id tamen vnquam (quod mirum alicui fortè videbitur) diuturniore somno capiuntur, neque veternosi fiũt, Quin nec illi etiam, qui Stiriam, superiorémque Austriam incolunt in veternum incurrunt: etsi oleum è nigri papaueris semine expressum in cibis continuò assumant, Oliuarum olei vice. Ea denuò experientia fecit, vt intrepidè quandoque ausus sim papaueris seminis cremorem, Hordei decocto expressum in ardentissimis febribus ad sitim extinguendam, somnúmque conciliandum etiam longiùs exhibere. Hinc præterea factum est, vt eum metum excusserim, & deposuerim, quẽ mihi olim præceptorum meorum graues admonitiones incusserant & ingesserant. Hæc Matth. *Papauer germanicum non ita noxium.* addit in hist. Germ. Sciendum, inquit, Germanicũ papauer, non ita refrigerare vt Veteres de suo scripserunt, id in causa proculdubio regionis &

aëris proprietas. Deinde in commentariis suis de Opio hæc dicit. Quamuis Opium quarto excessu frigidum statuatur: tamen si ex sapore, & affectu rerum temperamenta & qualitates cognoscuntur, Opium nostri vsus [quantùm equidem deprehendere potui] non modò gustui amarum percipitur, sed etiam acre, adeò vt paululùm in ore detentum linguam & palatum exulceret. Vnde haud dubiè colligi posse putauerim, calidissimas illi inesse qualitates. Cuius rei fidem augere potest, quæ ex eo prodit odoris grauitas. Verumtamen ne impudentis, atque arrogantis nomen subeam, quòd in hoc omnium ferè medicorum sententiam destruere velim, eorum iudicio rem hanc æstimandam relinquam qui antè nos Opii tum qualitates, tum facultates diligentissimè expenderunt. Sed fortè ea acris, amaráque facultas in Opium facilè inuehitur ex Glaucii adulteratione, quod illi sæpiùs admiscent, vt Dioscorides annotauit. Illudque argumento esse potest, quòd aqua colliquatum croceum colorem reddat. Adde quod Opium quod hodie ad nos conuehitur non est illud verum & legitimũ è lachryma, quæ ex inciso Papaueris capite exierat, concretum: sed potius hoc è foliorum & capitum contritorum succo confectum est: idque Meconium vocatum erit, Opio longè deterius. *Hæc Matth.* Sic etiam Amatus, Quod ex Apulia hodie Venetias afferunt, inquit, reuera Meconiũ potiùs, quàm Opium appellari meretur.

Hispanicum Opium nonnulli aliis præstare existimant: inquit Cornarius, Aëtius aliquando Asianum, aliquoties etiam Achaicum probat. Alii Thebaicum præferunt. Scribonius Opium laudat quod ex lacte ipso siluatici Papaueris capitum fit, & non ex succo foliorum eius, vt pigmentarii institores eius rei compendii causâ faciunt. Illud enim cum magno labore exiguum conficitur, hoc sine molestia & abundanter teritur. Quod ipsum etiam Plinius l.20.cap.18. dixit his verbis. Quum capita ipsa & folia decoquuntur, succus Meconium vocatur, multùm Opio ignauior, &c. Nam eadem Diosc. etiam lib.4. tradit. Galenus tamen & authores qui ab ipso in his libris citantur, indifferenter modò μηκώνιον, modò ὄπιον dicere videntur, & nos μηκώνιον succum Papaueris, ὄπιον itidem, vt Græci, Opium reddidimus. Officinæ nostræ vno ore Thebaicum prædicant, emuntque Antuerpiæ & Francofurti, sed vbi paratum sit, prorsus ignorant. Dicitur verò indifferenter Opium, succus, lac, & lachryma: si quis autem vulgare nostrum ratione atque experimento [quæ firma sint artis nostræ, ac veritatis præsidia] agnoscere laborat, merè adulteratum reperiet. Addendum hic quæ obseruauit Bellonius Obser.3.cap.15. Opium nunc fit in Turchia, maximè in Achara, Carachara, Spartada, Emetelinda, & aliis vrbibus vicinis Paphlagoniæ, Cappadociæ, & Ciciliæ. Conserunt agros Papauere albo vt nos Tritico. Serendo obseruant vt vnusquisque rusticus tantùm serat, quantùm putat se habiturum homines qui colligant, vbi Papauer capita produxit, leuiter dissecant, vnde effluunt aliquæ lactis guttæ, quas concrescere sinunt: nullus autem est Turca qui non coëmat, etiam pauper, & secum circumferat, tum tempore pacis, tum belli. Mercator quidam Iudæus ex Natolia, certò nobis affirmauit nullum elabi annum quin efferrentur ex Paphlagonia, Cappadocia, Galatia, & Cilicia onera quinquaginta Camelorum, vt transferrentur in Persiam, Indiam, & Europam, & in alias regiones longinquas, ac etiam in vniuersum dominium Magni Turcæ. Quod vix credidissemus nisi particulatim recensuissem quid possit efferri ex vno quoque pagorum vicinorum Caracharæ, & aliis vrbibus Paphlagoniæ, Cappadociæ, Armeniæ minoris, & Gallogræciæ. Dicebat præterea maiori in vsu esse adhuc apud Persas, quàm Turcas. Semel experiri voluimus quâ dosi exhiberi posset vnâ vice sine nocumẽto, inuenimus quendam consuetum quotidie comedere, qui nobis præsentibus comedit pondus drachmæ dimidiæ, sequenti die dedimus ei comedere vnâ vice drachmam vnam, nec vllum ei detrimentum euenit, nisi quod quasi ebrius videretur. Turcæ commendant, qui sibi persuadent se magis strenuos & minùs timidos periculorum belli reddi, ita vt Turcâ exercitum colligente ita consumatur, vt regio vacua eo remaneat. Solent interdum se mutuò conuiciari dicentes, *Opium comedisti*, sicuti nos dicimus ebrius es. Americus Christianus apud quẽ diu viximus, nobis præsentibus sæpiùs vescebatur.

Nos Opium experti sumus, verùm nullum symptoma animaduertimus, nisi quod excalfaceret pectus, & nonnihil caput turbaret, & insomnia pareret. Credimus quod si in Europa, vt Gallia, Germania, & Italia ea diligentiâ adhibeatur in colligendo, quam adhibent, posset etiam fieri sicuti in Asia. Natoliæ clima est æquè frigidum atque Galliæ. Eadẽ a ratione fit, quâ authores scripsêre. At si habemus in Europa, fortè permixtũ: Mercatores enim multiplicãt priusquàm ad prouincias distribuatur. Quum animaduerterimus quibus notis sit dignoscendũ hic subiiciemus. Optimum valdè amarum est; gustu calidum, ita vt os inflammet. Coloris est lutei, inclinantis in colorem pilorum Leonis, simul coaceruatum, massa veluti ex multis paruis granis diuersi coloris. Odor grauis est & vehemens: licèt tribuatur ei vis refrigerandi, nihilominus os accendit. Opium in ipsa Natolia compingitur in massas non excedentes pondus vnciarum quatuor, aut ad summum semilibræ: Verùm mercatores vt plus lucrentur, multiplicant dimidium addentes, ita vt massæ quæ Venetias afferuntur ponderent ferè libram vnam. Hæc Belonius.

Antidota Opium recipientia & narcotica sunt hæc, Theriaca, Diacodium Galeni quod Quercetanus in pharmac. non improbat, Diacodium compositum Actuarij: Diacodium Montagnanæ, quod laudat: pilulæ Cynoglossæ Nicol. præpositi apud Quercetanum: Requies Nicolai, apud eundem: Philonium Tharsense Galeni, Philonium Romanum Nicolai, philonium persicum, Philonium Mesuæi Quercetani qui descriptionem ponit, & Laudana siue Nepenthes.

Luminare maius descriptioni emplastri contra rupturam adiungit Opium, quam multi sequuntur, & cæcus cæcum ducit. Opij autem Alexipharmacum dicebat Rondeletius esse vinum. Adreas Baccius verò Balneum aquæ temperatæ. Opium autem in colica non conuenire ostendit Petrus de Abano.

OPIVM OFFICINARVM.

CAP. III.

PApauerum lachryma quam scarificata capita plorant, vt ad nos adfertur atque in officinis afferuatur, placentis constat mutuò incumbentibus

bus, non penitus vnciam crassis, interiectis folijs, fortè Papauerinis: substantiâ illi compacta sed ductilis, ponderosa, colore fusco vel è fusco rubente. Commansum dentibus adhærescit, saporémque amarum repræsentat. Odore est viroso χαρυϐαρικῷ, & candelæ admotum in lucentulam flammam exardet.

De Opij qualitatibus contrarias acutissimorum nostri seculi virorum sententias, huc referre non est animus: cùm & integri super hac materia scripti fuerint libri, & ex antè dictis satis superque ea elucescere videatur.

Autoris de Opio opinio. Addemus tantùm nos non posse animaduertere quomodo præparatio Opij vel Meconij apud Quercetanum melior sit Veterum præparationibus, nisi quatenus minori quantitate exiberi possit miseris ægris, qui pauca deglutire possunt: præparatione suâ an tollat fœtorem considerandum, Veteres vt & ille mixtione aromatum minuunt, sed non tollunt: suâ præparatione non præstant vt minùs nocens sit venenum: tantùm hoc agit, vt faciliùs sumi possit: si exhibeat eâ quantitate suum præparatum Opium vel Meconium quo Turcæ suum non præparatum assumunt, profectò peribit is qui eius Opium vel Meconium præparatum assumet: eius igitur præparatio non facit vt nocentissimum venenum, vt ait, æstimatum, non maneat tale, vel transformetur in vtilissimum & saluberrimum remedium, idem fecerunt veteres quod ille. Digestiones itaque Meconij minuere aut tollere malignitatem aut separare nunquam concessimus, corrigi quidem accessione aliorum medicamentorum non negamus: præterea etiam intendi illius vires faciliùs existimamus, nec terrestres partes quæ separantur, minuunt venenatam aut soporiferam qualitatem. Per Hyacinthos, Corallia, terram sigillatam, Puluerem Bezoardicum, & Vnicornu, non censemus minui Opij malignam qualitatem: Probamus tamen in magnis doloribus cum fluore aliquo magno, non item in colico dolore à causa frigida à flatibus & obstrictione alui.

PAPAVER ERRATICVM VETERIBVS.

Cap. IV.

Descriptio. Papauer erraticum Rhœas nominatum est Græcis [inquit Diosc.] eo quòd florem breui abiicis. Nascitur in aruis Vere, quando etiam colligitur: *Folia* similia sunt Origano, aut Erucæ, aut Cichorio, aut Thymo, fissa, sed longiora & aspera: *caulem* habet iunceum, rectum, asperum, cubitalem: *florem* Puniceum, quandoque etiam album, similem siluestri Anemonæ [Tragus legit Argemone,] caput est oblongum, minùs tamen quàm Anemones: *semen* fuluum: *radix* oblonga, *Vires* subalbida, parui digiti crassitudinem habens, amara. Huius capita quinque aut sex, cum vini cyathis tribus cocta vt ad duos deueniant, bibenda præbe ijs quibus somnum inducere voles. At semen acetabuli mensura cum aquâ mulsa potum, aluum leuiter mollit. Ad idem præstandum mellitis placentulis, & dulciarijs libis admiscetur. Cæterùm, folia cum capitum calycibus imposita, inflammationibus prosunt, Sed & decocto [ἀπόζημα Bas. cod. ἀφέψημα vet. cod. Lat.] ipsorum si quis perfundatur, somnum inducit.

Sciendum autem est in hoc Dioscoridis contextu improuidè comparari huius Rhœadis Papaueris folia Origani & Thymi folijs, non posset dissimilior esse horum proportio. Habet enim Rhœas Erucæ siue Cichorij modo incisa folia, à qua similitudine longissimè recedunt folia Thymi & Origani. Abundant igitur, & ab aliquo malè adiecta sunt vocabula ista. *Diosc. locus corruptus.*

Plinius Plin. pro Rhœada Rhœam dixit, ait enim l. 19. c. 8. Tertium [Papaueris genus] Rhœam vocant id nostri erraticum. Sponte quidem sed in aruis cum Hordeo maximè nascitur, Erucæ simile, cubitali altitudine, flore ruffo, & protinus deciduo. Vnde & nomen à Græcis accepit. Idem lib. 20. c. 18. & 19. Inter satiua & syluestria medium genus, quoniam in aruis spontè nasceretur, sed Rhœam vocauimus & erraticum. Quidam id decerptum cum toto protinus calyce mandunt. Aluum exinaniunt capita quinque decocta in tribus vini heminis pota somnum faciunt. Hoc & Dioscorides habet, sed cum vini cyathis tribus, falsò vt opinatur Cornar. voce κυάθων pro κοτύλων suppositâ, ex vtriusque scripturæ decurtatione.

Galenus Galeno quoque Rhœas hoc genus Papaueris appellatum est, qui semen ipsius vehementiùs frigefacere dicit, vt quis ipso solo vti non possit citra læsionem, sed melle admixto: quo modo acceptum somnum inducit. Quare modicum ex ipso placentis ex melle, & libis, & panibus inspergunt: Sic Plinij verba dicentis mandi Papauer erraticum solum contrariantur Galeno qui eo solo nequaquam vti posse prodidit.

Theoph. Theoph. lib. 9. Histor. Rhœada Cichorio syluestri assimilem dicit, vnde etiam edatur. Nasci verò in aruis, maximè inter Hordeum. Habere florem rubrum: calycem vel caput, vnguis digiti magnitudine. Colligi ante Hordei messem, sed adhuc viridiorem. Purgare aluum deorsum.

Vehementer tandem errant, qui hoc Papauer, cornutum Papauer, & Memithen, i.e. Glaucium esse putant. Est enim quælibet illarum ab alijs diuersa & proprij generis herba, teste Cordo in Dioscoridem.

PAPAVER ERRATICVM RVBRVM campestre.



Descriptio. Toto vultu Papauer exprimit, in eâdem familiam accensendum ac eo argumẽto Fluidum nuncupatum, quòd *flos* postquam è biualui viridanti hirsutóque inuolucro perquàm caduco se explicuit, & ipse quoque, puniceo colore insignis, vnguibus atrorubentibus, quadrifolijs, nõ ita multò pòst decidit, relicto capitulo Papaueraceo, stellato vmbilico, quod stamina circum-

ftant purpurafcentia, apicibus ochræ colore, *femē* continens minutum fufcum aut nigrum: pedem verò & fefquipedem longus eft *caulis*, hirfutus, cui folia appofita Burfæ paftoriæ modo incifa, nec mul ò latiora, fuccum fundentia lacteum, Papaueraceum, pariléq; odorem virofum: *radix* exigua eft. Dodonæus Papauer erraticum duplex agnouit, & fic defcripfit: Erratico Papaueri cauliculi & folia nigriora hirfutiora: àque folia vtrinque altis incifuris, inftar Cichorij aut Erucæ diuifa: flores è faftigijs cauliculorum pulchro ac rubente phœniceo emicant colore, ftaminibus nigricantibus capitulum medium ambientibus: quod adultum minus eft, fed tamen oblongioris formæ quàm tertij fatiui: fe nen exiguum nigricat. Huius & alia minor fpecies, folijs minoribus, oblongis, non Erucæ per margines diuifura fed tantummodò ferratis, reliquis priori fimilis.

Synonyma cum nominibus linguarum. Diofcoridi eft [illegible]: Lat. Papauer rhœas, fiue erraticum: Gazæ Papauer ftatiuum: Wirtemb. & officinis Papauer rubrum, fiue rubeum, i[n] cinque Lolium: Germanis *Clapper Rofen, korn Rofen, feldmagfamen, hirnfchal, wilder Mahn, feldt Mah, klatschen, Schmalbluemen, Roter Magfade, Roter kornbluemen, & kindtmagen*: Belg. *rooden bueel, wilden bueel, Colfbloemen*: Gallis *Pauot fauuage, Coquelicoc, Confanons & Ponean* Tabern. Burgundis *Rofe au ladre*: Ital. *Papauero faluatico & Rofolaccio*: Hifp. *amapolas Rofella. & Papoul*: Angl. *wild rede paper*, Boh. *Makvvolcy*.

Locus & Tempus. Papauer Rhœas obferuaui Monfpelij florens menfe Martio & Aprili: Lugduni Maio: Geneuæ virens menfis Februarij principio, florens Iunio: Bafileæ Maio, Iunio & Iulio: Montbelgardi frequens in agris, florens Augufto. Vnà cum Tritico, inquit Dodonæus, Zea, Secali, Hordeo, Auena reliquifque frugibus in agris erraticum gignitur Papauer: non rarò quoque inter olera, ac ficcos margines hortorum. Bellè colorati flores Maio & Iunio pulchritudinis venuftatisq; quandam gratiam agris conciliant.

Vires & Vfus. Vires Papaueris erratici ex veteribus antè pofuimus. Tradunt Recentiores facro igni mederi. Mulierum menftrua profluuia compefcere: fanguinemvè naribus fluentem iecori impofitum fiftere. Linguâ decocto eius lotâ, ardorem fitientium fanat. Pudendorum tumores per id leniri mefcere. Temporibus illitum phreniticis fomnum conciliare: calidos oculorum dolores linteo impofitum mitigare: ac Pleuritidi: Febri ardenti, & dyfenteriæ conferre.

ARGEMONE VETERIBVS ET IN GENERE.

Cap. V.

ARgemone in totum Papaueri filueftri fimilis eft, inquit Diofc. *Folium* autem Anemonæ fimile habet fiffum: *florem* puniceum: caput fimile Papaueri Rhœadi, fed oblongius & latum circa fuperuas partes: *radicem* rotundam. Succum autem remittit crocei coloris, acrem. Purgat argema & nubeculas, & inflammationes mitigant folia impofita.


Galenus. Galenus Argemonem vnam nouit, cuius herbæ vis eft, vt ait, extergoria ac difcufforia. Nec in veteribus Græcis & Latinis codicibus reperiri alteram Argemonem pleríque afferunt. Itaque & altera Argemone, vbi quædam de priore leguntur, inter fuppofititia remouenda fuerit.

Plinius l. 25. cap. 9. de Argemonia fic habet, ex veteris codicis fide. Folia, inquit habet qualia Anemone, diuifa Apij modo, caput in cauliculo Papaueris filueftris: item radicem. Succum Croci colore acrem & acutum. Nafcitur & in aruis apud nos. Tria eius genera faciunt, & id demum probant, cuius radix thus redolet.

Hermol. Argemonen & Argemonida dictam putat Hermolaus à Diofc. vbi de Anemone loquitur. Pandect. verò varias plantas Argemoniæ nomine commifcet. Cornario, Trago, Rob. Stephano, Theoph. Golio in Onom. Rhegino, Matthiolo, Frifchlino & alijs, Argemone eft quam cum multis Papauer erraticum appellauimus.


Æquiuoca. Argemones nomine donantur etiam: Pap. corn. rubrum & violaceum. Glaucium. Chamæmelum Eranthemum. Alcæa folifequa. Pentaphyllum. Argemone radic. thus olente. Agrimonia. Tagetes. Iul[i]cus & Lunaria.

ARGEMONE CAPITVLO BREVIORE hifpido.



Defcriptio. PApaueracei generis haud abfurdè quis exiftimauerit Argemonem Recentioribus proditā, *folio* Adonidis aut Papaueris corniculati violacei, tenuiter diffecto, pilofo: *caulibus* ex radice fimplice gracili multis, pedalibus & maioribus, tenuibus, hirfutis racemofis: flores fūt punicei, valdè caduci, paulò Adonidis floribus maiores formâ Papaueracea, *capitula* turbinata nucleo Auellanæ parua, rigidulis fpinulis vndiquaque, denticulatâ ftellâ operculata, *femine* farcta fpicio minutiffimo, rotundo, nigro. *Capitula* in icone noftra minùs bene expreffa. Monfpelij & Heidelbergæ obferuaui.

ARGEMONE CAPITVLO LONGIORE fpinofo.



Defcriptio. FOliorū diuifio minuta Nigellæ citrinæ, pilis afperis obfitorum, tum per caules, tū per ramos afperos hirfutofque nafcentiū. *flores* admodum caduci, purpurei, decuplò minores quàm Papaueris Rhœadis: *capitula* verò poft fe relinquunt breuibus confertis fpinulis mitiufculis hifpida, oblonga, canulata, ftellato operculo tecta. *Radix* longiufcula, fimplex.

Circa Mōfpel. & Nemaufiū collegit Cherlerus.

GLAVCIVM VETERIBVS ET NEOTERICIS in genere.
CAP. VI.

Diosc. variè illustratur. *Plinii lapsus.*

GLaucium Dioscoridi succus est herbæ ad Hierapolim Syriæ nascentis: cui *folia* cornuti Papaueris similia sunt, sed pinguiora (λιπαρώτερα) & humilia (χαμαίζηλα) siue in terram sparsa, graueolentia [βαρύοσμα] seu tetro odore, ac gustu amariora [πικρότερα. Marcello simpliciter amara] queque crocei coloris succum copiosum [χυλὸν πολὺν κροκίζοντα habent. Incolæ folia in ollam [fictile] coniecta, semifrigidis clibanis calefaciunt vsquedum flaccescant [in furnis non adeò calentibus vsque dum calore inarescant] deinde contusis succum exprimunt. Est porrò eius vsus ad oculorum affectus circa principia: quippe quod refrigerandi vim habeat: vel vt Corn. legit, vsus huius est ad medicamenta ocularia, vt qui in principio refrigeret.

Galenus Glaucium cum iniucunditate quadam adstringere ait, & adeò manifestè refrigerare vt solum sæpè ignes sacros, non ita vehemen. curet. Esse verò temperamentum ipsius compositum ex aquosa & terrea essentia: quæ ambæ frigidæ sunt, non tamen summè, sed ita vt fontana aqua.

Sunt Plinio & Dioscoridi in Glaucii medicina & & historia eadē ferè omnia, vt ex hactenus dictis colligere licet. Sed quod hic sordidius pinguius dixit, ille sordidius magno discrimine pronuntiauit. Diuersitatis autem ea potuit esse causa quòd quod nunc legitur λιπαρώτερα certa pinguedinis significatione: tunc ῥυπαρώτερα i. sordidiora legeretur, facillimo & lubrico in vnius literæ figura, & sensu ad contrariam & adulteratam significationem lapsu.

Plinii error alius Porrò quod Plinius dixit, lactis quoque vbertas, &c. Dioscorides de Glauce prodidit. Quare Glaucium cum Glauce confundit.


Glauci nomine sequentes insigniuntur Plantæ. Papauer Spinosum. Papauer erraticum. Papauer corniculatum luteum. Papauer corniculatum flore Phœniceo. Papauer corniculatum violaceum. Papauer erraticum Germanis Forn rosen dictum. Chelidonium maius, sed malè. Mala aurea, perperàm etiam. Citysus. Sadethz Turcicum: itidem malè vt monet Matthiolus. Si Lobel. quandoque optaret tutum & vtile ἀποκρουστικὸν initiis fluxionum, malit è Soncho, siue Cicerbita, aut Chondrillis succum elicere, & impermixtum admouere, ad ea quæ Dioscorides Glaucio sanat, non minori, sed, vt inquit, certiori commodo. *Sonchus. Cicerbita. Chondrilla*

PAPAVER SPINOSVM.

CAP. VII.

Descr.

EX omnibus Papaueris generibus, nullum est cui aptiùs spinosum compares, quàm corniculatum: siquidem *folia*, consimiliter laciniata sunt, succo luteo prægnantia, palmum aut sesquipalmûm longa, vtrinque glabra, mollia, & laciniarum mucrones in flauentes spinas exeunt acutas, parte supina folii virorem intercipiunt, vt in Carduo Mariano, maculæ lacteæ, postica parte neutiquam conspiciendæ, vbi tamē nerui acutis spinulis horrent, sicuti & costa, quæ supinâ parte innocens, *tan*



tem versus nonnihil rubescit, inde ad mucronem vsque albet: *caulis* vnicus minacibus spinis armatus, dodrantalis, eundem illum succum luteum virosum è vulnere reddēs, capitula sustinet aliquot Papaueracea, senticosa, in tria cornicula aculeata desinētia, quæ dehiscentia *flores* ostentant Papaueris corniculati luteos, concoloribus fibris de more medium occupantibus, quos *vascula* excipiunt vndique aculeis armata, oblonga, canaliculata, *semine* referta, supra vulgarem sortem magno, nigro, rotundo.

Papauer spinosum. Ficus infernalis

Cæterùm, Papaueris huius spinosi plantam in Italiam fuisse delatam nomine *Figo del inferno*, hoc est, Fici infernalis, author est Ferd. Imperatus. Gerard. Anglus vocat Carduum Chrysanthemum Peruanū, The Golden thistle of Peru.

Locus & Tempus

Ex semine Norібergā à D. Ioachimo Camerario seniore misso, excreuit mihi in horto Ill. E.C. qui Montbelgardi colitur, planta eâ formâ quam icone & descriptione delineatam exhibemus, florens Augusto: semine deciduo sequenti anno prouenit.

DE PAPAVERE CORNICVLATO EX Veteribus & Recentioribus in genere.

CAP. VIII

Pap. cornic. Diosc. Paraliū.

COrniculatū Papauer [Μήκων κερατῖτις] quod alii Paralium (παράλιον) alii marinum θαλάσσιον] quasi in maritimis nascens, & alii agreste vocant, Aphri Simacha, Romani Fabiolum marinū, *folia* habet alba, hirsuta (hirta Sarrac.] Verbasco (φλόμῳ] similia, serrata in ambitu, silvestris Papaueris modo, & *caulem* non dissimilem, *florem* pallidum (ex luteo pallescentem, Sarrac.) *Fructum* [siliquam Sarrac.]longum (ita legunt Cordus, Corn. & Sarrac. μικρὸν breuem Marcell. & Basil. codex) in corniculi modum inflexum, ceu Fœnugræci (τήλεως. Ald τηλίδος) vnde & nomen habet: *semen* exile, nigrum, simile Papaueris semini: *radicem* per summa cespitum nascentem, nigram, crassam. Gignitur in maritimis & asperis. Radici ea vis inest, vt decocta in aqua ad dimidias coxendicum & iecinoris vitia potu sanet, iisque prosit qui crassa & araneola quædam cum lotio reddunt. Semen acetabuli mensura ex aqua mulsa potum, leniter aluum purgat. Illita ex oleo folia, floresque, crustas emarginant: argemas & nubeculas iumentorum inunctione depurgant. Cæterùm non desunt qui ex hoc Papaueris genere factitari Glaucium fieri putarunt, ob similitudinem foliorum, inquit Dioscorides.

Galeno Papauer corniculatum est à fructu

Vires.

breuem curuitatem habente, quemadmodum Fœnum græcum, vt bouis cornu similis sit. Appellatur ab aliquibus Paralium: quoniam plerunque prope mare nascitur. Vim habet secandi & extergendi. Quare radix herbæ in aqua ad dimidias hepaticis affectionibus prodest. Folia & flores sordida valdè & maligna vlcera repurgāt.

Affectus hepatici. Cautio.

Sed vbi vlcera pura facta sunt, ab ipsorum vsu desistere oportet, in tantùm enim extergent, vt etiam de ipsa pura carne quid absumāt. Ob hanc certè vim non solùm sordes, sed etiam crustas ab vlceribus auferunt.

Theophr.

Porrò, vnus satis Theophrastus est, vt corniculatis Papaueris historiam & tot nominum eius in Græcis rationē intelligamus. Huius, inquit, *folium* nigro Verbasco simile, minùs tamen nigrum est. *Caulis* altitudo cubitalis. *Radix* breuis & in summa terra hærens. *Fructus* inflexus, siliquis, quas Græci Ceratia vocant, similis. Carpitur per messem. Aluum purgat. Pecoris albugines folium extergit. Nascitur ad mare petrosis locis.

Dubium de nomine Papau. Ceratitis.

Ex his dubitauerit meritò, quæsieritque aliquis, Ceratiténe hoc Papauer à cornuum figura simpliciter, vt Diosc. & Galenus voluerunt: An, vt in Theophrasto auditur, à Ceratiis quas Latini Siliquas dixerunt, quæ & ipsæ inflexæ sunt, & cornuum si utrà per longitudinem incuruantur. Multi facienda Dioscoridis auctoritas, aliorumque omnium, qui, eum secuti, corniculis fructum eius compararunt. Non spernendus etiam Theophrastus grauis auctor, in cuius sententiā noster inclinat animus, etsi nullum in re discrimē sit. Nec si cornibus, aut Ceratiis compararerit Papaueris huius fructum aliquis, diuersam rem ostenderit.

Ceratia.

Ambo enim cornua sc. & Ceratia in longitudinem producta inflectuntur: nec siliquę illæ aliunde quàm à cornibus Ceratia à Græcis dictæ sunt. Ex eodem Theophrasto nouerit aliquis etiam, *agreste Papauer* hoc rectè dici, communi tantùm agrestibus aliis appellatione.

Papauer agreste.

In eorum enim censu est. Nec minùs quàm ad mare nascitur *Paralion*: id enim ea vox significat.

Paralion.

Et hanc naturæ nataliumque eius notam secuti Latini *Fabiolum* marinum vocauerunt, quoniam ad mare nasceretur, fabaceisque siliquis in longitudine similia vascula sua ferret.

Fabiolum marinum. Hermol notatur.

Habere hoc Dioscorides ait folia λευκὰ i.e. candida. Hermolaus verò quasi λεπτὰ legeret, tenuia dixit. Nescio ego (inquit Marcell.) an ex suorum codicum lectione sic verterit: an potiùs à Plinio in ea re monitus candorem ad tenuitatem transtulerit. Ego communem omnium quotquot vidi, Græcorum codicum fidem secutus, candido colore folia eius esse dixi &c:

Papau. corniculata triplex.

Cæterùm nos triplex Papauer corniculatum, luteum sc. phœniceum, & violaceum agnoscimus. De his autem nunc dicturi sumus.

PAPAVER CORNICVLATVM LVTEVM.

Descr.

Digiti crassitudine est *radix*, longa, nigricans, luteo succo, sicut & tota planta, eoque virioso prægnans, & amaro: *folia* crassa & hirsuta, spithamam longa, digitos verò quatuor lata, Verbasci Monspeliensis foliis similia, per ambitum serrata, & profundiùs incisa & sinuata, ac veluti crispa, glauca, & pinguia. Humi autem procumbunt, & Hiemis iniuriam contumaciter perferunt, quæque ad radicem oriuntur crassos pediculos habent, potissimùm primo anno cùm *caule* destituitur, quem sequenti Æstate primùm fert robustum, solidum, glabrum, geniculatū, & in multos ramos diuisum, foliis è geniculis prodeuntibus prædictis minoribus, & parciùs incisis, quò summitati propiora sunt, aliqua hederaceorum similitudine: è cuiusque autem sinu bina plerumque erumpunt germina, vnum indiuiduum, *florem fructumque* ferēs, alterum iuxta alterius folii sinū rursus in bina prædicto modo diuiditur: eaque diuisio vsque ad summitatem ramulorum ab hac herba seruatur: minora igitur & indiuidua germina seu pediculi singulos ferunt *flores*, colore luteos, Papaueris satiui floribus ęquales, quatuor latis tenuissimisque foliis cōstantes: in quorum medio eiusdem coloris numerosa stamina capitulum constituunt, ex quo deinde incurua, gracilis, corniculatáue *siliqua*, tangenti aspera, digitali longitudine erumpit, Fœnugræci siliquæ æqualis, non tamen adeò in acumen desinens, & in summitate nigricans, capitulum alatæ sagittæ quandam similitudinem præ se ferens habet, sed obtusa acumine siliqua vtrinque lineā profundam ceu incisam per longitudinem habet, quæ commissuræ eius sunt, quibus matura aperitur: *semina* intus continentur Papaueri similia, colore admodum nigro.



Est hæc μήκων κερατῖτις Græcorū, παράλιον Aetii & Oribasii: Papauer cornutum Cordi in Diosc. & Hist. Dodon.gall. Lonic. H.Lugd. Tabern.& Camerarii: Papauer corniculatum Matth. Cast. Lobel.in Adu.& Obs.p.141.& Icon.Plant. p.270. Cæsalp. & Lacunæ: Papauer corniculatum luteum Fuchs. Turn.& C.Bauhini: Papauer cornutū & corniculatum flore luteo Gesn. hort. & Monachorum, quibus & Papauer corniculatum flore croceo dicitur. Papauer vulgare corniculatem flauo flore vocat Clusius: Tragus Papauer siluestre corniculatum: Papauer luteum Catullus: Plinius Papaueris syluestris genus, Ceratitis vocatum: Quidam Papauer siluestre, h.e, μήκων ἄγρια: Alii Papauer marinum, i.e. θαλάσσιον, & Plinio teste, Glaucion & Paralion: nonnulli porrò Fabulum marinum: alii Sisimacam Trago: olim Officinæ Memitham: Serapio verò Alnuchatam appellabat. **Synon.**

Ger. gehornter Magsamen/wilder gehörnter Magsamen/& geel: Magen: Belg. geelen huel: Itali *Papauero cornuto*: Galli *Pauot cornu*: Hisp. *Dormidera marina*: Angli horne Poppie: Bohemi Makügko Rmaty. **Nomina linguarū.**

Nisi verò monuisset Dioscorides quosdam deceptos foliorum similitudine ex isto Papauere fieri Glaucium putasse, putassem & ego (inquit Lob.) è Papauerum hoc genere esse Glaucium, quod Plinius congener Rhęadi seu erratico fecit, eorum fortè persuasus lectione, quos Dioscorides hallucinatos dixerat. Nec absurdè Verbasco nigro *Error quorundā.*

nigro comparantur folia à Theoph. & Plinio, nam adulta nigriora redduntur, quæ initiò candida sunt, vt Diosc. testatur.

Locus & tempus. Primâ, quâ seritur, Æstate, neque caulem, neque florem, neque fructum producit, sed tantùm folia: quotannis regerminat: apud nos [Norimbergæ] seritur in hortis: in calidioribus verò regionibus spontè in asperis maritimis exit: ac in multos annos durat, inquit Cordus. Obseruaui ego Monspelii spontè prouenire prope Castelneuf & Nemausum, ibidemque florere mensibus Aprili, Maio & Iunio. In hortis si seratur in Autumno, prouenit Vere, floretque Iunio & Iulio, siliquas verò maturat Augusto. Idem etiam in variis Germaniæ & Italiæ locis itidem obseruaui.

Vires & vsus. Par fuit vires ex Dioscoride, Plinio, Galeno & Theophrasto antè in genere recensuisse: siquidem & sequens Papauer cornutum à quibusdam pro veterum genuino Papauere obtrudatur. *Temper.* Calidum autem & siccum esse vsque ad tertium gradum, ex sapore & facultatibus fortè non ineptè colligitur. Siliquas huius nullo modo esculentas esse Scaligerum habemus authorem.

PAPAVER CORNICVLATVM PHOENICEUM, folio hirsuto.

Descr. Alterum corniculati Papaueris genus *caules* ramosos priori pares habet, repandos in humum, teneros: *folia* minora, altioribus laciniis incisa, hirsuta: *flores* multò minores quoque, colore punicante, vnguibus intentiùs rubentibus: corniculatæ *siliquæ*, longa præpilatæ *semen* claudunt nigrum: *radix* crassiuscula, oblonga.



Synon. Tragus huius meminit nomine Papaueris corniculati flore rubeo. Clusius describit & depingit Papaueris corniculati (alterius in Hisp. in Hist. post. 1.) rubro flore inscriptione, aitque hanc plantam minimè croceo succo turgere, vt quidam falsò crediderint. Lobelius qui eandem cum Clusio figuram habet, inscribit in Adu. itemque Obs. p. 141. & Ic. Plant. p. 271. Papauer cornutum flore phœniceo. Papaueris corniculati rubri titulo Dodon. de purg.

Glaucium Gesn. hort. vocat Glaucium Papaueri corniculato simillimum, radice succo luteo prægnanti: In Append. Glaucium Basileense Theod. Zvvingeri.

Varietas C. Bauh. phyt. Papauer. 12. siue corniculatum phœniceum hirsutum, varians colore floris, interdum intensè rubeo, interdum languido, nonnunquam pallido.

Math. Papauer corniculatum alterum foliis

minus asperis, atque minoribus, flore rubeo.

Montbelgardi in horto Ill. E. C. ex semine misso, terræque mandato, floruit & siliquas produxit Augusto & Septembri, eodem quo satum anno, semine deciduo quotannis se propagans. In Morauia & Bohemia copiosum etiam obseruauit Matthiolus: in agro verò Salmanticensi & in Belgica Clusius. Qui etiam Papauer corniculatum Phœniceum folio glabro describit: pallescente scilicet flore, & quod Lobelio Papauer corniculatum phœniceum alterum: Casp. Bauhino verò Papauer 13. siue corniculatum phœniceum glabrum dicitur: quodque à priori siue hirsuto non nisi senio differt, ætate enim flos languidior pallidiorque euadit, ac ramis & caulibus glabrum redditur. *Locus & tempus.*

PAPAVER CORNICVLATVM VIOLACEUM.

Clusius sic describit: Papaueri corniculato cæruleo, siue violaceo flore, *folia* sunt multò minora, teneriora, valde minutim dissecta non candicantia, sed viridia: *cauliculi* tenelli, subhirsuti: *flos* superiore non minor, quatuor etiam foliis constans, coloris ex purpureo cærulei exsaturati, & nigræ Violæ penè æmuli, fugax admodum, & qui leuissimâ aurâ excutitur: huic succedunt *cornicula* digitali duntaxat longitudine prædita, plerumque etiam breuiora, exilia, duriuscula, rigidioreque hirsutiâ prædita, in quibus continetur *semen* valde exile, coloris ex cineraceo nigricantis: *radix* tenuis est, & inutilis, nec supra annuum spatium perdurat. *Descr. Pap. corniculatum cærulei siue violacei flor. Clus.*



Lobel. in Aduers. dicitur Narbonensis Anemone maior corniculata: sed perperam, vt in Obs. p. 141. fatetur, ideoque Papauer corniculatum violaceum cum Dodonæo inscribit. Florem etiam in Adu. minus benè expressum ait.

Castellani, authore Clusio, *Rosettam* vocant: nonnullis verò *Amapolas* Moradas, i. e. Papauer flore purpureo, à succi Mororum colore, dicitur. Idem testis est Monspelianos quondam inter Anemones genera retulisse. *Rosetta* *Amapolas*

Gesn. hort. est Papauer cornutum purpureo flore: Item Papauer corniculatum minus flore violaceo Monachorum, à Dodonæo exhibitum. An eidem, Glaucium floribus purpureis?

C. Bauh. phyt. Papauer 14. siue corniculatum violaceum, floribus cæruleis & nigræ Violæ æmulis. *An glaucium Gesn.*

Montbelgardi in horto Ill. E. C. ab aurora ad vesperam vsque floruit, siliquasque Augusto & *Locus & tempus.*

Septembri mense produxit. Inuenitur, inquit Clusius, multis Hispaniæ locis, sed non nisi inter segetes: Maio mense floret: Apud Belgas satum, multò serius. Meminit etiam olim Clusius colligere agro Narbonensi in agris auena consitis.

PAPAVER SPVMEVM IN GENERE.

CAP. IX.

Pap. Heraclium

HEraclium vocari Papauer Theophrastus in Histor. testatus est. Ignoratur autem ab Herculéne sic vocatum fuerit, an ex tam multis, quæ toto Orbe aliquando fuerunt vrbes, Heraclia aliqua, ad quam frequens, aut speciosum Papauer hoc nasceretur, nomen illi fecerit. Plures alii à candore & raritate spumæ, quas habet notas, spumeum nominauerunt.

Theoph.

Theophrasti historia de eo hæc est. Aliud verò Papauer Heraclium [μήκων ἡράκλεια] vocatur, folium habens Strutho [Lanariæ Marcell.] quo lintea dealbantur [quo splendorem linteis tribuunt, Cæsalp.] simile: radicem candidam (λευκὴν omittit Cæsalp.) in superficie terræ: fructum itidem candidum. Purgare per superna radix eius nata est: non desunt qui ad comitialem morbum eâ in aqua mulsa (vino mulso, Cæsalp.) vtuntur.

Vires

Diosc. illustratur

Dioscoridi Papauer spumeum [μήκων ἀφρώδης] *caule* est dodrantali, *foliis* admodum paruis, Struthio [στρυθίῳ, Lanariæ Marcell. Radiculæ Sarrac. vet. inserit τευτῷ.) simil bus: fructum (καρπὸν. Semen Sarrac.) inter ea habens album atque spumeum: ita vetus legit, ἀφρώδη.] Sed & herbula tota candida est atque spumea [his vet. caret] radice alba in summa terra nascente. Legitur Æstate fructus [semen Cæsalp.] cū integrè adoleuerit, aridumq; decidit. Acetabuli mensura sumptum in aqua mulsa [σὺν μελικράτῳ] vomitione purgat, priuatimque huiusmodi purgatio comitialibus prodest.

Galen.

Papauer Herculeum, inquit Galenus, vocatur & Aphrodes, h.e. spumosum: eò quòd totum candidum est & spumosum: exile autem semen habet pituitam expurgans.

Plin.

Plinius, vbi libro 20. cap. 19. de Papauere Ceratite loquutus fuit, sequentia de spumeo hoc tradit. Alterum ait, è siluestribus genus Heraclion vocatur, ab aliis Aphron, *foliis* [si procul intuearis] speciem passerum præsentantibus, radice in summa terræ cute, semine spumeo. Ex hoc Lina splendorem trahunt Æstate. Tunditur in pila comitialibus morbis, acetabuli mensura in vino albo, vomitiones enim facit. Medicamento quod Diacodion & Arteriace vocatur vtilissimum. Fit autem (ex) huius Papaueris aut cuiuscunque silu. capitibus centum, &c. Reliqua lege inter vires Opii.

Plinii error triplex

Cordus in Diosc. ait ignotam esse omnibus herbam, nec Plinium ipsum cognouisse, vt qui duplicem errorem commiserit: Primum quòd Struthon verterit passerem: Alterum verò quòd dixerit Papauere lina candorem trahere. Arteriaceque porrò mox sequentis lectionem corruptam esse apud Plinium, Cornarius primum, quòd sciam obseruauit: eumque locum ita legendum esse monuit, vt vox copulatiua (&) omitteretur, sicque restitueretur. Medicamento quod Diacodion & arteriace vocatur.

Æquiuoca

Gesnerus in suis annotationibus Been album Arabum Papauer spumeum esse suspicatur. Intelligit autem per Been Polemonium primum Dodonæi, h.e. Been album officinarum. Plures Papaueris spumei æquiuocationes legantur in huius libri capite primo.

ANEMONE IN GENERE.

CAP. X.

Anemones genera Diosc.

ANemones genera duo fecit Dioscorides, vnum siluestre alterum satiuum: Huius rursum plures agnouit species. Anemone [ἀνεμώνη] duum est generum, inquit, Siluestris quidem vna, satiua altera. Et in satiuæ quidem genere est quæ phœniceos *flores* habeat, altera quæ candicantes, aut lacteos, aut purpureos. Harum *folia* Coriandro similia, sed proximè terram scissa tenuiùs, *Cauliculi* lanuginosi tenues, in quibus flores Papaueris, & in medio capitula nigra aut cærulea: *radix* longa Oliuæ magnitudine, aut maior, veluti geniculis distincta. At siluestris hæc & sequentia vsque ad vires vet. non legit.] amplitudo prorsus maior, quàm satiuæ, foliisque est latioribus ac durioribus: capite oblongiore, flore phœniceo, tenuibus ac pluribus radiculis. Est & quædam foliis nigris, quæ quidem acrior est. *Vis* vtriusq; acris: qua de causa ipsius radicis succus naribus infusus valet ad purgandum caput. Commanducata verò radix, pituitam trahit. Decocta autem in passo & imposita, medetur oculorum inflammationibus: sed & cicatrices eorundem ac hebetudines emendat, sordidaque vlcera expurgat. Cæterùm, folia & caules, si cum ptisana decoquantur, & in cibo sumantur lactis fœcunditatem præstant: subdita autem in pesso menstrua ciunt. Illita quoque lepras eximunt. Sunt [vetus quidem putat hæc ad finem vsque illegitimè ascripta, & expositionem quandam esse] qui nescientes ab Anemone siluestri distinguere Argemonem dictam, & Papauer rhœas, propter florum in puniceo colore conuenientiam, Eupatorium errore ducti Argemoniam appellent. Veruntamen tum Argemone, tum & Rhœas minùs saturato puniceo colore visuntur, & vtraque seriùs floret. Quin etiam Argemone croceum, gustuque admodum acrem liquorē reddit: Rhœas verò candidiorē & acrem. Insuper vtrique intermedia sunt capitula sylnestris Papaueris similia, nisi quod Argemones quidem capitulum supernè latiusculum est, Rhœadis autem aliquantò angustius. At Anemones genera neque capitula, calicesue, sed velut Asparagi cacumen. Denique & in aruis cultisue illa plerumque nascuntur.

Satiua

Siluestris

Vires Purgat

Appellationes quædam

Anemonē sunt qui agreste Papauer appellent, non minùs tamen spurio nomine, quàm qui nigrum Papauer, qui à colore Phœnicida, qui à vento Anemion, qui Meconion, i.e. Papauerculum, qui Tragocerota, qui Gosparimen, qui Barbilen vocant. Osthanes Benhon, Pythagoras Atractylida, Magi agrestem Cnicum, Aphri Cussit, Romani Occitunicam dicunt.

Ἀνεμώνη Dioscoridi fuit dicta ἀπὸ τοῦ ἀνέμου à vento, quòd flos nunquā se aperiat nisi vento flante, autore Plinio lib. 21. cap. 23. Duo, inquit is, eius genera. Syluestris prima, Altera in cultis nascens, vtraque sabulosis. Huiusque plures species: Aut enim phœniceum florē habet, quæ & copiosissima est, aut purpureum, aut lacteum. &c Prosunt Anemonæ capitis doloribus, & inflammatio-

mationibus, vulnis mulierum, lacti quoque. Et menstrua cient cum ptisana sumptæ, ac vellere appositæ. Radix commanducata pituitam trahit, dentes sanat: decocta oculorum epiphoras & cicatrices: phœniceæ radix contrita expurgandis vlceribus adhibetur. Magi multum quiddam his tribuêre, quamprimùm aspiciantur eo anno tolli iubentes, dicique colligi eas tertianis & quartanis remedio.

Galenus Galenus testatur omnes Anemonas acrem, extersoriam, attrahentem, et aperientem uim habere, indeque radicem commanducatam pituitam prouocare, & succum ex naribus purgare, & cicatrices in oculis attenuare. Sordida etiam vlcera Anemonas purgare, & lepras remouere, appositasque menses prouocare, & lac attrahere.

Adonidis flos Ouidio Ouidius Adonidis florem describens Anemonem videtur adumbrare lib. 10. Metamorph. vbi hæc.

——————Sic fata cruorem
Nectare odorato sparsit, qui tactus ab illo
Intumuit sicut fuluo perlucida calo
Surgere bulla solet: nec plena longior hora
Facta mora est, cùm flos de sanguine concolor
ortus &c.

Poëtæ fabula Bion Smyrneus Poëta vetus in Adonidis epitaphio, Anemonem ait natam ex lachrymis Veneris Adonidem deflentis.

Nicander Coronariam autem plantam apud veteres fuisse ex Athenæi Dipnosoph. Hist. lib. 15. apparet. Nicander enim lib. 11. Georg. flores coronarios apud eum recensens, Anemonidis meminit, his verbis.

Et Anemonides fulgentes ipsa, antea quàm contrectentur.

Et Cratinus in Effeminatis, apud eundem,

Chamamelis omnigenis ornatur mihi caput,
Liliis, Rosis, Leiriis, Cosinosandalis, Violis, Sisymbriis,
Anemonarum vernis calicibus, Serpillo, Croco, Hyacintho.

Quin & Theocritus in bucolicis è lachrymis Veneris Adonidem lugentis prodiisse finxit, eique Epitaphium hoc dicauit:

Quotque cruoris agit guttas hic casus Adonis
Tot Venus effundit lachrymas, quæ singula flores
Cespite demittunt: lachryma pariunt Anemonem:
Sed cruor ille Rosam creat.

Anemones nomen æquiuocum Nicander contra Anemonem ex Adonidis cruore natam prodit.

Vagum itaque communeque multis & plantis & floribus Anemones fuit quondam nomen ac bifariam ab Antiquioribus diuidebatur totum hoc genus, in coronarias sc. & medicas Anemonas. Dictaque nonnullis Anemone Limonia: aliis Othona: aliis sed perperam, Papauer rubrum: aliis Orcimunica: aliis Phænion: aliis Fremium, aliis Anemolia: aliis Adractylis: alis Anemochorta.

Nomina linguar. Germani vocant Anemone Röslein & Windt Röslin: Belgæ Anemone Resken Ruellio teste, Galli *Coquelourdes, Coclès, & Passe fleurs* appellant. Scit autem etiam Clusius postrema duo nomina Papaueri erratico nonnullis Galliæ locis tribui. Idê Coquelourdes vocem Pulsatillæ, quæ Siluestris Anemones genus est conuenire suspicatur. Non desunt tamen, qui simili appellatione Pseudonarcissum pallido flore donent. Italis *Anemone* dicitur, Hisp. *Hyerua viento*: Boh. Magsolky: Hung. Anemone siluestris Keserhen/ Feyer veragu/ Eikeliti fit.

Anemonidum caules singulares Omnia porrò Anemonidum genera, singulares caules, interdum duos, aut tres vel etiam plures, prout magnæ & amplæ vel vetustæ sunt radices, proferre solent, & nullis ramis præditos: non candidè igitur agunt, qui eas multifido & ramoso caule expressas proponunt. Non tamen inficias ibit Clusius, quin interdum naturæ luxuriantis lusu côtingere possit, vt vnus ramulus, interdum & alter, inter superna illa folia summũ caulem amplectentia enascatur, vt aliquoties obseruauit. Flos tandem Anemones, vt est pulcherrimus, sic leui ventorum impetu, aut Solis calore languescit & decidit, eiusque semen pariter facilè in pappos abit.

Omissis porrò Neotericorum specificis differentiis, Anemones nobis cognitas tempestiuum est vt oratione prosequamur.

ANEMONE TRAGI HORTENSIS.

CAP. XI.

EX *radice* recta, læui, & digitum minimum crassa, *caulem* habet teretem, & instar Been albi [vt vulgò vocant.] geniculatum, *foliis* herbacei coloris, iisque plurimùm dissectis, instar Chamomillæ vulgaris seu Cotulæ, ad fastigium vsque, quod *flore* rutilo, & quasi aureo, formâ Argemonem planè referente, vestitum.

In horto quodam fortè fortuna repertam vidit Tragus, qui Anemonem inscribit, & Anemones genus esse existimat, quod à Dioscoride describitur. Turnero tamen non videtur Anemone Dioscoridis, sed Papaueris erratici species.

Tabern. est Argemone tertia: C. Bauh. phyt. Adonis 1. siue hortensis, & [vt etiam H. Lugd. p. 844.] Anemone hortensis Tragi: Apud Matth. Anemonẽ alteram vocat & Anemonem 5. Matthioli in edit. secunda, in aliis verò editionibus Anemonem hortensem Tragi. *Synon.*

ANEMONE LATIFOLIA FLORE FLAVO, 1. Clusii.

CAP. XII.



SAtis amplis *foliis* circinatæ ferè rotunditatis, per ambitum serratis, duris & firmis, longóque pediculo fultis, supernè intensiùs virentibus, infernè verò plerumque purpurascentibus, vt Cyclaminis flore odorato folia propemodum, feruidissimi gustûs: tuberosâ, & oblongiuscula, Tormentillæ *Descr.*


vulgaris æmula, fibris aliquot dependentibus, foris nigra, intus alba, solida, ingrati admodum saporis, quæque nauseam mouens quodammodò strangulet, deinde linguam aliquantulùm vellicet.

Synon. H.Lugd p.846. dicitur Anemone latifolia prima Clusii: Et sic in Obs.p.247. & Ic. Plant.p.279. In Lobelii vero Obs. figura est transposita. Gerardo & Tabern. in Icon. Anemone latifolia Clusii: Eidem Hist. Anemone 8. latifolia siue Lusitanica, Portugalisch Anemone Rößlin: Angl. Brande Leafed winde flower. C.Bauh.phyt. Anemone 16. siue latifolia foliis serratis.

Locus & Tempus. Lapidosis quibusdam Lusitaniæ collibus iuxta Tagum, atque etiam inter vepres erucbat Decembri anno 1564. Clusius, & insequente Ianuario, qualis in Hisp. expressa est, & nos depinximus, nullum enim florem tum temporis ipsi obseruare licuit. Sed multos deinde post annos semine è Lusitania delato, similem apud Hollandos natam monebat Ioannes Moutonus, siccumque cum caule & foliis florem è Batauia acceptum communicabat Clusio, qualem in Hist. post. exprimi curauit.

Is autem plurimas id genus alias proponit & describit, quas, breuitati studentes, hic tantùm notabimus, ampliorem delineationé ex eiusdem Clusii Historiis petendam relinquentes.

Anemone latifolia duplo flore flauo, 2. Clusii.



Tempus. HÆc Clusio serius aliis Anemones generibus & germinabat & florebat, semen verò Iunio maturabat.

Anemone Italica latiusculis spinosis foliis, 3. Clusii.

CLusius in Hisp. describit pro Anemone latifolia altera, foliis inferiore parte nonnihil purpurascentibus, flore diluto rubore purpureo. In Hist. post. pro Anemone hortensi latifolia 3. simplici flore, eamque Herbariorum vulgus apud Belgas Anemonem stellatam siue stelligerá nunc cognominare scribit, miraturque nonnullos pro Geranio primo reponere non veritos.

Synon. Dodon. de Florib. in Epilogo, & Hist. in fol. lat. vocat Anemonem primam: Camer. ad Hist. Matth. germ. & Epit. Anemonem secundam:



C.Bauh. phyt. Anem. 10. siue Ranunculi rotundo folio purpurascens.

Anem. tuberosa Bulbocast. rad. Lobel. in Icon. Plant. p. 279. inscribit Anemonem tuberosam Bulbocastani radice: Et sic etiam in Obs. p.247. vbi florem dilutâ purpurâ rubere, nonnunquam candicare, ait: quæritque an sit Anemone lutea Gallorum. Sed

Error typographicus. tyographico errore mutata figura, quæ proin occasio suspicandi Luteam Galeni. Non video hanc ferre luteum florem, nec vllus, quod sciam, affirmauit.

Lobel. notatur. Ad Aduersariorum paginam 124. hanc cur referat Lobel. in Obs. nondum percipio. Siquidem huius Anemones nulla fit mentio in Aduers. Negligentiæ ergo accusandus quòd eo loci non descripserit. Præterea in Aduers. de germanica, in Obs. de exotica scribit.

Tabern. dicitur in Iconib. Anemone stellata purpurea, & alba, Stern winde Rößlin: In Hist. Anemone tertia: Item Ic. Anemone papaueracea, Mon winde Roßlin: Hist. Anemone 12. flore purpureo, sex foliis magnitudinis Papaueris silu. conspicuo. *Duæ figuræ* planè similes sub diuersis titulis: descriptio præterea 12. non respondet iconi: quam verò intelligat, diuinare haud possumus. Tabern. notatur.

Gerardo Anemone 5. Bulbocastani radice. Chesnut winde flower: Item, Anemone 10. papaueracea, Poppe winde flower. Easdem cum Tabern. icones ponit: sed descriptiones alias.

H.Lugd. tres figuræ. H.Lugd. Anemones 1. Dodonæi p.845. Flos cum superiorib. foliis infra p.1036. rursus pingitur Ranunculi purpurei nomine. Sed eadem repetitur p.1175. sub Geranio 1. quorundam Dalechampii: *ac sic vnius plantæ tres icones.*

Locus & Tempus. Obseruaui florentem Aprili & Maio in hortis Patauinis, Veronensibus, & Bononiæ, vbi etiam in montibus copiosè habetur. Eam quibusdam Germaniæ locis secundum Rhenum, inter Moguntiam & Andernacum inter vepres in aprico florentem Martio conspiciebat Clusius.

Anemone latifolia, ex purpura dilutiore albicante flore, 4. Clusii.

Synon. CLusius in Hisp. Anemonem latifoliam alteram inscripsit, eique præcedentis effigiem apposuit: In H post. icone illá priuauit, vocauitque Anemonem hort. latifol. 4. simplici flore: eam autem paulò seriùs priore florêre tradit.

Anemone latifolia flore ad carneum colorem tendente, albicantibus vnguibus, 5. Clusii.

CLus. in Pannon. ni fallimur, est Anemone latifolia Bizantina carneo flore: In Hist. post. Anem.

Anem. hort. latifol. 5. simplici flore: C. Bauh. phyt. Anemone 14. Eam autem folia ante hyemẽ proferre tradit idem Clusius.

Anemone latifolia purpurei ferè coloris Vnguibus albicantibus, Byzantina, 6. Clusii.



ANemones latifoliæ simplici carneo flore genus hoc, Anemonem sc. hortensem latifol. 6. simplici flore, habuit generosa Domina de Heusenstain Byzantio allatam, quæ Aprili & Maio anni 1584. ipsi, referente Clusio, primùm flores protulit: foliorum formâ, colore, radice, à superiore parùm differens.

Anemone colore saturatiùs ex purpureo rubens, oris coccineis, vnguibus albis, magnis, Byzantina, 7. Clusii.

HOc Anem. genus etiam habuit Clus. Constantinopoli emptum Anno 1587, quod inde Francofurtum ad Mœnum delatum florem tulit cum reliquis Anemones generibus sub Maii initium. Eius autem duas varietates à se obseruatas tradit & describit.

Anemone latifol. flore coloris purpurei saturi, vnguibus magnis, albis. infima parte purpureis: 8. Clusii.

Anem. latifol. purpur.

INter latifolias, quę purpureum florem habent mittebat ad Clusium N. V. Ioh. Boisot genus quoddam, ipsi semine natum, cuius flos ipso referente elegans esset, sed Clusio biennio duntaxat pòst florem dedit. Florebat cum aliis Anemonum generibus extremo Aprili & Maio.

Anemone latifol. flore ex purpura violaceo, ad vmbilicum albicante orbe, 9. Clusii.

FLorebat Anemone hæc hortensis latifol. 9. simplici flore, Clusio authore cum aliis Aprili.

Anemone latifol. violacea, maculis albis notata: 10. Clusii.

Descr.

DEcimum hoc Anemones latifoliæ genus à Clusio obseruatum, licèt tota quodammodo facie nouo simile esset, & floris folia coloris essent etiam violacei: internâ tamen parte notis quibusdam erant discreta, nam albis maculis erant insignita. Et certè initiò Anemonem hanc hort. latifol. 10. simplici flore, vitium aliquod contraxisse existimabat Clusius, cuius causâ maculæ illæ in flore apparerent. Sed quum radicem incorruptam offendisset, & sequente anno flores similibus maculis notati conspicerentur, diuersum genus esse rectè censuit.

Anemone latifol. flore violaceo, vnguibus magnis, candidis Byzantina: 11. Clusii.

FLores violaceos paullò saturatioris coloris, 11. habebat genus, non cedens elegantiâ ei, cuius vngues maiores magisque candidi erant, propiùs quodammodò ad octaui generis flores accedentes. Illud Constantinopoli allatum Clusiusque ab Illustris Viri Dauidis Vngnad vxore communicatum. Anemonem hort. latifoliam 11. simplici flore appellauit. Descr.

Anemone latifol. violacea, vnguibus argenteis 12. Clusii.

ANemonidi huic, inquit Clusius, hortensi latifoliæ 12. simplici flore, non valde dissimilis erat ea, quæ semine nata Porreto, primùm florem tulit anno 1600. Hæc florebat Maii initio. Anem. hort. latif. 12. simpl. flore.

Anemone latifol. flore ampliore, duodenis foliis, violaceo-purpureis, vnguibus albis: 13. Clusii.

ANemone hort. latifol. 13. simplici flore, Clusius Porreto semine natam esse dicit ac florere Maio. C. Bauh. phyt. est Anemone 11. siue violacea rotũdo folio. An porrò sit Anemone latifol. flore simplici violaceo magno Camerarii hort. dubitamus, licèt Frater id asserat. Synon.

Anemone latifol. flore veluti carneo, vnguibus albis: 14. Clusii.

IAm dictis Anemonibus, adiicit Clusius eas latifolias, quę flores quidem purpureo colore præditos habent, sed multò dilutiore & veluti carneo. Omnes autem, radicis & foliorũ formâ, non sunt dissimiles superioribus, præsertim tertiæ: caules etiam habent teretes, & breui lanugine obsitos, atque ex viridi purpurascentes, vt illius, ad quorum fastigium nascuntur vncialis longitudinis folia, quorum vnum, vt plurimùm, paucis laciniis sectum, inter quæ exilit triuncialis pediculus, ex viridi etiam purpurascens, sustinẽs florem octo plerumque foliis constantem, quorum externa pars nonnihil purpurascit, interna coloris est ferè carnei, eiusque vel saturatioris, vel dilutioris, vnguibus item vel amplioribus, vel minoribus, omnium tamen albis, & capitellũ medium obtinentibus nigrum & villosum, quod ambiunt multa albicantia stamina apicibus cæruleis prædita. Flores autem sunt vel maiores, vel minores pro terræ ratione & vbertate. Descr. latifol. veluti carnearum

Florent omnes eodem tempore, quo superiores, aut interdum paullò seriùs, pro loci, in quo repositæ, situ. Quædam florem habent nonnihil odoratum, aliæ minimè. Hæc Clusius, quibus particulariter Anemonem hortensem latifol. 14. flore simplici delineauit. Tempus.

Anemone latifol. colore Orengens dicto: 15. Clusii.

ANemonem hort. latifol. 15. simplici flore habuit [inquit Clusius] munere Io. Boisot. Aliud eius genus etiam mittebat, iam descript-


per omnia minus, cùm foliis, tum caulibus, & & flore, cuius color licèt ferè idem, mihi tamen paullò dilutior videtur, in vtroque tamen nulla odoris gratia. Floret vtrumque genus cum superioribus: & pro soli, in quo repositæ, vbertate, ampliores, vel minores flores proferunt. Non dubium est, quin plantæ earum semine natæ, etiam interdum varient, & flores proferant, vel saturatioris, vel dilutioris coloris. Tempus

Anemone latifol. flore coccineo: itemque vnguibus: 16. Clusii.



Descr. SImilem quidem habet cum Anemone latifolia pleno flore [de qua postea] radicem, sed eius folia quæ etiam multa ex illa oriuntur, non erant adeò ampla & crassa vt illius, neque adeò dilutè virebant: caulis, dodrantalis vel etiam pedalis, satis gracilis, viridis floris color idem qui plenæ latifoliæ flore, h.e. elegantissimo coccineo internâ parte nitens, similes etiam vngues pallescente orbe illos ambiente, externâ autem quâdam lanugine pubescens: medium florem occupabat capitellum villosum cinctum staminulis purpurascentibus, quorum apices nigricant.

Anemone latifol. coccinea sine vnguibus Byzantina: 17. Clusii.



Locus. ANemones genus hoc 17. simplici flore latioreque folio habuit Constantinopoli allatum generosa D. de Heusenstain, quod anno 1587. mense Aprili in eius horto floribus onustum conspiciebat Clusius, cuius fragmentum sequête Iulio accipiebat, & amicis in Belgio communicabat. Id autem, inquit, similibus superiori erat, foliis paullò tamen rudioribus, &c. Tempus

Anemone latifol. ex coccineo phœnicei coloris, vnguibus paruis subpallidis: 18. Clusii.

ANno 1600. obseruabam, inquit Clusius, apud N. V. A. vander Duyn elegantem hanc

Anemonem hort. latifol. 18. simplici flore. Florebat duntaxat Maio, quia is annus valdè serotinus fuit, propter præcedentem asperrimam Hiemem qualis totis 35. annis non fuerat conspecta. Tempus.



Synon. Clus. in Pannon. p. 394. vocat Anemonem latifoliam Byzantinam coccineo flore: C. Bauh. phyt. Anemonem 13.

ANEMONE LATIFOL. FLORE PLENO variegato.
CAP. XII



Descript. NIhil in hac Anemone flore speciosius, qui Rosæ magnæ par, densissima foliorum fœtura, Pœoniæ ferè modo luxuriat, *foliis* oblongis, acutis, rubentibus striatis: exterioribus verò quadruplò, quintuplóue latioribus, rubro, viridique confusis, variegatis.

Synoni Clus. in stirp. Hispanicarum appendice Anemones latifoliæ flore multiplici titulo pingit & describit p. 523. Lobel. in Obs. p. 146. Ic. Pl. p. 278. dicitur Anemone maxima polyanthos Chalcedonica. Figura, vt Clusio, duplex: vna radicis, altera floris. Malè apud H. Lugd. p. 847. in Anemones latifoliæ flore multiplici Clusii figura, flos adaptatur radici.

Tabern. in Icon. est Anemone Chalcedonica maior: In Hist. Anemone 7. Chalcedonica: Camer. hort. Anem. latifol. flore pleno rubro elegantissimo: C. Bauh. phyt. Anemone 15. siue rotundifol. maxima: Gerardo, Anem. max. Chalc. polyanthos, The great Double Winde flower of Bithinia. Germanis Anemone Rößlin von Constantinopel. Constantinopoli allata fuit. Aprili vel paullò etiam serius florem expandit. Flos in Germania rarissimè ad frugem peruenit, frequentissimè enim, antequam sese explicet, vitium contrahit. Certè licèt multis annis aluerit Clusius, vltra ternos aut quaternos eius flores explica-

explicatos videre non memini: Casselliis autem in horto Ill. Princ. Hassiæ Landgrauii, maximum & amœnissimum protulerat. Nobis Venetiis attulit Cherlerus, ac Argentinæ ostendit Meierus.

ANEMONE LATIFOL. PLENO FLORE coccineo, siue Pauo maior 1. & 2. Clusii.

Cap. XIII.

Anem. latif. Descr.



NOmine Ranunculi Constantinopolitani generis Cherlerus secum ex Italiæ Patauio ab Ill. Pinello, nobili Genuensi acceptum, attulit pulcherrimum rarissimumque Anemones genus. *Ramus* erat dodrantalis, vnico *folio* circa medium donatus, quod sine pediculo *caulem* amplectebatur, circumscriptione ferè circinata diuisurà profundà & crebrà superiorum quorundam foliorum Ranunculi auricomi: supra quod ramus nudus paullatim attenuatur, summo fastigio *florem* gestans Anemones multiplicis flori parem, fœcunda foliorum fœturâ luxuriantem, vt nullus planè compareat vmbilicus, saturatâ purpura tinctum: externa cuius *folia* vnciâ longiora, semunciâ latiora, obtusa, venosa, interiorum alia dimidium, alia ne quadrantem quidem eius magnitudinis attingunt. Est hic flos, ni fallor, idem cum Clusii Anemone hortensi latifolia 2. pleno flore, vt & cum eiusdem Anemone hortensi latif. Pauone maiore 1. atque etiam cum eiusdem Anemone hortensi latif. Pauone maiore 2.

Locus & Tempus

In Belgicis hortis inquit Clusius, Aprili vel paullò etiam serius florem expandunt. Earum etiam radices, perinde ac latifoliarum simplici flore, præsertim quæ crassæ & globosæ sunt, temporis diuturnitate plerumque cariosæ fiunt, & vitio deinde ad extremos nodos serpente, tandem penitus corrumpuntur, nisi alternis ad minimùm annis, in fragmenta diuulsæ, tellurique commissæ pangantur.

ANEMONE GERANIFOLIA.

CAP. XIV.

Descr.

MUlta habet *folia* nouo Vere, quum prodire incipiunt, purpurascentia, deinde ex viridi pallentia, multifida, Coriandri referentia, vel Limoniæ potiùs Anemonidis foliis similia, trigemina plerũq; simul pediculis cõnexa, hirsuta, & in terram, vt Dioscorides rectè ait, inclinantia: inter quæ *caulis* exilit nudus quidem, sed quem terna foliola, trifariam profundiùs incisa, media parte amplectuntur, quæ aliquamdiu florem



occultãt, donec Solis calore ex iis sese explicãs & emergens, expandatur in quatuordecim aut quindecim foliola mucrõata, minora quã in latifoliarum generibus, coloris vel cærulei vel albi, vel vtroque mixti h. e. ex ternã parte subcærulei, internã albi, staminulis albis, quorum apices pallidi, medium florẽ occupantibus: decusso flore, apparet *capitellum* penè Ranunculi, conflatum ex *seminibus* eius semini etiam similibus: non tomentosum vt in latifolia Anemonide: *radix* digitalis plerumque longitudinis & crassitudinis, in aliquot ramos diuisa, & tuberculis obsita, fibras quasdam hic illac spargens, foris nigra, intus alba, quæ similiter fragmentis seri & pangi potest.

A Clusio nominatur in Hisp. Anemone tenuifolia 3. In Hist. post. Anem. hort. tenuifol. 1. simplici flore: A Dod. in fol. lat. Anemone 2. A Lobel. in Obs. p. 148. In Ic. Plant. p. 280. Anemone tuberosa geranifolia: A Tabern. Anemone Rupertiana. C. Bauh. phyt. Anem. 6. siue Geranii Rupertiani folio: Schvvenckf. Anem. Ropertiana flore nunc albo, modò cæruleo, klein blattlechte windt rößlin. Gerardo Anemone Geranii folia, Storkes winde flower: H. Lugd. p. 845. Anem. 2. Dodonæi, tenuifol. 3. Clusii, siue Geranifolia Lobelii. Synon.

Locus & tempus.

Hanc primùm ex Italia habuerunt Belgici horti, in quibus Vere floret: semen Maio maturescit, aut paulò seriùs. Radicis fragmentis seritur ac pangitur.


ANEMONE ITALICA TENVIFOLIA purpurea, foliis floris orbiculatis

Cap. XV.

Descr.

ANemone Italica tenuifolia *radice* nitebatur subrotunda, capillarium fibrarum non experte: *foliis* Coriandri foliis similibus, multùm diuisis, haud secus ferè quàm Apii hortensis, sed crebriùs incisis, *pediculis* dodrantalibus appensis statim à radice orientibus, infirmo & tenui principio pediculi, crassiori in adultioribus: inter folia surrigebatur *caulis* tenuis, cubitalis, nonnihil hirsutus, citra cuius fastigium, aliquot digitis sub flore erant folia sine pediculis caulem ambientia, minutim dissecta. Cauli insidebat *flos* vnus, magnus, purpureus, quinque foliis constans, latis, rotundis, in acumen desinentibus, exteriùs multùm hirsutis: vmbilicum floris occupabant *apices* multi.

An Anemone prima Matthioli? Camer. hort. de hac ait: Anemone tenuifolia flore purpureo frequens in Italia circa Romam & Neapolim atque in Hetruria. Hæc tantùm potest regio vt



gio, vt flores quarto anno pro purpureis, albos proferat. Apud Matth.in Epit.& Hist.germ.vocat Anemonem 4. foliis frequenter laciniatis, floribus purpureis, &c.

Montbelgardi in horto, ni fallor, Maio florebat, sed tunc eam depingere neglexi.


Camerarius author est, acrem esse plantam, eiusque succum naribus infusum plurimùm cerebrum expurgare.

Anemona tenuifolia Species variæ.

Eleganter pingit & graphicè describit Clusius tum in Hispan. tum in post. hist. plurimas Anemones tenuifoliæ species, quas breuitati studentes, vt in latifoliis factū, hic tantùm notabimus, pleniorem earum historiam ex ipsius Clusii scriptis petendam relinquentes, additis tamen præcipuarum nonnullarum iconibus. Considerandę igitur veniunt præter iam descriptas Anemones.



I. Anemone tenuifolia purpurea, foliis floris in acutū desinentibus 2. Clusii: *cuius hic traditur Icon.*




II. Anemone tenuifolia coccinea, vnguibus ex pallido fusco & albo colorib. mixtis: tenuifol. 3. Clusii.

III. Anemone tenuifolia coccinea, vnguibus albis: 4. Clusii.

Florem sustinebat amplum [præter istius generis Anemonidum morem] foliis constantem coloris interiore parte coccinei elegantissimi, vnguibus albis, exteriore quidem etiam coccineis, sed tenui lanugine pubescentibus & splendentibus: vmbilicum occupante villoso nigricante capite, multis staminibus cincto, quorum apices ex nigro purpurascebant.


IV. Anemone tenuifolia flore magno coccineo vnguibus albis orbiculatis: 5. Clusii: *cuius icon in hac pagina tertio loco posita est.*



V. Anemone tenuifol. flore amplo [foliis florū in cuspidem ferè desinentibus] sāguineo, vnguibus albis magnis: 6. Clusii: *cuius hic traditur icon.*

VI. Anemone tenuifol. flore minore coccineo vnguibus exalbidis, purpureis venis distinctis: 7. Clusii.

VII Anemone tenuifolia coloris sanguinei coccineo permixti, vnguibus eiusdem ferè coloris: 8. Clusii.



VIII. Anemone tenuifol. flore pluribus foliis constante carnei quasi coloris, 9. Clusii.

IX. Anemone tenuifolia duplex: Vna ex albido virescens, vnguibus albis: Altera prorsus ferè alba, vnguib. & venis ex albo paullulùm virescentibus, 10. & 11. Clusii.

Clus. in Pann. p. 395. priorem tradit sub Anemonidis tenuifoliæ carneo flore nomine, siue Byzantinæ secundæ.

Et hæc est quam Anemonidis hort. tenuifoliæ 11. simplici flore titulo describit.

C. Bauh. phyt. vocat Anemonem 4. siue angustifoliam



stifoliam tertiam.

An est Tabern. in Hist. Anemone 11. siue rapacea propter radicem, flore ex purpureo albicante.

X. Anemone tenuifolia candida, exceptis vnguibus, externâ parte nonnihil virescentibus, 12. Clusii.

XI. Anemone tenuifol. prorsus niuea præter vngues, in quibus aliquid carnei coloris, 13. Clusii.



XII. Anemone tenuifolia exalbida, venis carnei coloris: 14. Clusii.

XIII. Anemone tenuifolia præcedenti candidior, 15. Clusii.

XIV. Anemone saguinea, vnguibus venis albicantibus distinctis, foliis floris orbiculato mucrone, 16. Clusii.

XV. Anemone tenuifolia Kermesina, 17. Clusii.

XVI. Anemone tenuifolia coloris coccinei valdè diluti, vnguibus amplis & albis, 18. Clusii.

XVII. Anemone tenuifol. cochinillea, vnguibus magnis albis, foliis florum extrema parte orbiculatis, 19. Clusii.

XVIII. Anemone tenuifol. sanguinea albicantibus vnguibus, 20. Clusii.

Et illæ sunt Clusio Anemonidis tenuifoliæ florem simplici foliorum serie gerentis species: qui non dubitauit quin plures aliæ aliis fortè innotuerint: confidens etiam quotidie deinceps plures exorituras, vel foliorum numero, vel aliis notis flores discretos habituras.



XIX. Anemone tenuifolia, flore polyphyllo coccineo.

ANEMONE FOLIO ACONITI, RADICE Rapunculi, flore ex purpura albicante: Et Altera folio Coriandri, radice Oliuæ flore purpureo. Tabern.

CAP. XVI

Descr. Anem. rapacea

Radice prior est longa, Rapunculi, crassitudine mediocris digiti, fibris donata pluribus, odoris acris: *foliis* profundè dissectis, instar Aconiti: *caule* spithameo, & longiori, crassiusculo, tomentoso, canaliculato, recto, intus cauo: *flore* ex purpura albicante.

Anem. papaueracea

Altera radicem habet Oliuæ, rotundam, odoris acris & vehementis: folia Coriandri, profundiùs tamen & magis incisa: *caulem* pilosum, tenuem, canaliculatum: *florem* sex foliis constantem, purpureum, papaueraceum: *capitulum* in medio foliorum nigrum.

Locus.

Ambæ [11. sc. siue rapacea, & 12. siue papaueracea] abundant Vvasconiæ montibus planis, Soli expositis.

An aliquis meminerit Anemones radice Rapunculi nondum occurrit. Quæ verò sit Anemone papaueracea Mon Windt Röslin foliis & flore magnitudine Papaueris nobis non satis constat. Icon sanè quæ pro hac proponitur à Tabern. non respondet descriptioni. Videtur autem nobis haud diuersa, ab eius Anemone 3. quam nominamus Italicam latiusculis foliis spinosis.

ANEMONE FOLIO MVLTIPLICATO, hirsuto, flore quadrifolio, rubro, albo cæruleo.

CAP. XVII.

Anem. Athenæi Anguill.

Habemus [inquit Anguill. ep. 12.] Anemonem Athenæi in montibus altis, *foliis* multifidis, & lanuginosis, cuius *flos* quatuor duntaxat foliis constat, Papaueris modo, aut ruber, aut albus, aut cæruleus. Reperitur in Italia, in siluis altorum montium supra Castellum in Marsis dictum Piscina, & montibus Sclauoniæ, siue Illyriæ, & Moreæ.

Clusio dicitur Anemone Anguillaræ: C. Bauh. phyt. Anemone 1. siue lanuginoso folio

flore albo,rubro,cæruleo. Sed quæ sint hæ Anemones prænominati non explicant. Nec quis è genere Pulsatillæ eas esse contenderit. Habent enim Pulsatillæ plura quàm quatuor in flore folia.

ANEMONE ANGVILLARÆ LVTEA, quadrifolia,foliis multifidis.

Anem. lutea ... Anguill.

Refert idem Anguillara epist. 11. in Apulia Anemonidis genus illud reperiri, quod Galen.lib.de comp.med.sec.loc. floris colore luteo esse scribit, atque illic notissimum esse,& à cæteris figura non differre, sed colore. An autem Anguillara de Pulsatilla lutea scribat considerandum. Dubium in eo consistit, quod non sit quadrifolia. Clusius dubitat an non sit latifoliæ Anemones genus illud, quod secundo loco describit. Sed quomodo possit ea esse Anemone Anguillaræ, quæ quatuor tantùm floris foliis constat, cùm latifolia Clusii magno sit floris foliorum numero. C.Bauh.phyt.vocat Anemonem 12.siue luteam. Nec plura.

ANEMONE LVTEA RAVWOLFFII.

CAP. XVIII.

Locus

Commemoratur hæc cum aliis à Rauvvolffio Itinerarii sui part. 1. cap. 9. Circa Halepum occurrunt aliquæ Anemones species, plurium colorum,rubri,purpurei,lutei, &c. quas omnes communi nomine *Sakaick* appellant,cognomē addētes *Sakaick achmar*, *Sakaick alsar*, *Sakaick aserach*,i.e. Anemone rubra,lutea,purpurea. Luteam verò pingit parte 4. numero 15. titulo pulchræ Anemones roseæ,floribus luteis, Anemones luteæ *Sakaic assar* Arabibus dictæ.

Sakaick

Sakaick alsar.

H. Lugd. append. p.26. Anemones genera *Arab. Sakaick*. C. Bauh. phyt. Anemone 17.siue varia peregrina,radice fibrosâ.

ANEMONÆ MATTHIOLINÆ.

CAP. XIX.

Anemonides legitimæ Diosc.

Matth. redarg.

Legitimam vtriusque generis Anemonem se legisse gloriatur Matthiolus in Diosc.in anni 1559. editione, idque in Ananiensi agro,quæ vt arbitratur,Dioscoridis descriptioni nihil prorsus reclament. Postea verò Venetiis in horto Medici Maphei à Mapheo conspexisse. Sed si collegit, cur non descripsit? cur præterea falsas exhibuit figuras,ad descriptionem factas, maleque intellectas. Appingit enim vascula,& calyces Papaueris, quorum non recordatur Dioscorides. Cur non monet suas icones non respondere visis plantis,si nouit? Si veras proposuit imagines in priorib.comm.cur in postremis eas mutauit,nec falsas fuisse priores admonuit?

Anem. genera 5. Matth.in comm.post.

Anemones [inquit in comm. It.cum mag.fig. impressis anno 1568. & Lat.impressis anno 1583.) quinque genera obseruaui: Horum *primum* folio prouenit Coriandro simili,sed frequentibus incisuris,caulibus lanuginosis, tenuibus,striatis, in quibus tenuiora per interualla sunt folia,floribus siluestris Papaueris magnitudine,senis circum distinctis foliis,purpurascentibus, capitulo vmbilico tenui emergente,nigro colore, nigrisque capillamentis stipato,perinde ac in Papauere. Radix illi Oleæ magnitudine, subrotunda fibrataque & sapore acri. *Secundum* foliis assurgit minoribus,& frequentius laciniatis, cynoctoni Aconiti modo, caulibus alteri similibus,sed aliquantò crassioribus inanibus, & in rectum spectantibus,quibus flores insunt, dilutiore purpurâ nitescentes,capitulo circũquaque comato: perinde ac alterum. Radicem habet breuem, Rapunculi ferè figura,fibris adnatis multis,acri etiam gustu. *Tertium* folus crescit Ranunculo primo æmulis, caulibus tenuibus,sesquipalmaribus:rotundis,in quorum cacumine flores exeũt albi, quinque tantùm folioli s distincti, Rosarum magnitudine, & nonnunquam tenui quadam purpurá respersi,inferiore præsertim sede. Radicem habet fibratam ac tenuem: Nascuntur in collibus. Habentur quoque Anemonis,*genera alia duo*,foliis laciniatis, & floribus in altero purpureis, in altero aureis. Omnia genera Maio mense florent. *Non desunt*,qui credant Anemonem, & siluestre Papauer idem esse: sin minùs, saltem eiusdem esse generis. Sed ii, meâ quidem sententiâ,falluntur, & prorsus aberrant à Dioscoridis proposito. Quandoquidem si hoc idem sensisset Dioscorides,alterum ab altero diuersis capitibus non distinxisset, neque,vt legitur in eius capitis calce, differre Anemonem à siluestri Papauere tradidisset. Verùm vt non diu nec multùm in Matthioli erroribus retegendis laboremus,rem Camerario committimus,qui apud Matth.in eius Hist.germ.dicit se coniectari haud posse,quænam sint Anemones à Matthiolo in suo herbario pictæ,quandoquidem de iis nullus scribat, nisi de tertia. Ipse etiam se ramosam vidisse negat,& alias descriptionibus Matthioli respondentes effigies habere affirmat quas tradit.

Tempus

Silu. Papauer.

Lapsus multorum

Anemone, silu.Papauer non est.

De Matthioli iconib. iudicia Camer.

Tabern.in Icon. Anemones ramosæ purpureæ; Et, Anemones ramosæ luteæ titulo, ambas Matthioli fictas imagines habet, & eum imitatus cudit descriptiones. In Hist. Anemonem 13. & 14. inscripsit.

Icon.Tabern.

Matthiolum autem in commentar. priorib. duo proposuisse Anemones genera, quæ nec in Germania,neque Anglia,nec etiam in Italia proueniunt,testis est Turnerus, qui nunquam illa videre meminit.

A partibus verò Anemonarum Matthioli stat Frater C.Bauh.Matthiolus, inquit,quinque proposuit Anemones,cuius figuras mutare non volo.

H.Lugd. p. 842. & sequentibus Anemones Matthioli quinque proponit,nec quales sint,indicat. Anemones autem secundæ Matthiolinæ titulo pingit Ranunculum flore globoso, vt fusiùs hoc titulo dicemus.

H. Lugd. taxatur

ANEMONE RANVNCVLI FACIE LVTEA.

CAP. XX.

Descr.

Foliis prouenit Ranunculi ferè,sed tenerioribus, floribus aureis, radice paruę Fabę magnitudine, inquit Camerar. qui in Epit. & Hist. Matth.germ. Anemonen quintam inscribit. Sed in Epitomes eadem tabella pinguntur icones duarum plantarum: in vtraque autem est radix maior



maior Fabæ I: Quæ porrò sub numero 1. proponitur, est quæ hoc capite describitur.

Quæ verò numero 2. notatur, ea accedere videtur ad Ranunculum, cui flos in medio folio. In H. germ. nudam proponit iconem sine descriptione.

PVLSATILLA PVRPVREA, CÆruleaue.

Cap. XXI.

Descript. TEnuia *folia* sic satis Pastinacę syluestris foliis similia sunt, nisi ab iis magnitudine vincerentur, tenui diuisurâ pilisque respondentia, ex pediculo longiore, palmari circiter, admodum villoso & propter terram subrubente, appensa: *caulis* teres, cauus, densâ lanugine obductus, dodrantalis, delapso flore pedalis & maior, nullis vel ramis, vel foliis donatus, vnico excepto folio, quod paullò infra florem nascitur, denso, mollique tomento comatum, circumcirca labri instar, aut acetabuli profundiusculi caulem augens, sibique inferiore parte continuum, quod mox in lacinias numerosas tenuesque finditur: caulis summo fastigio *flos* sedet vnicus, magnus, è sex foliis acuminatis compositus, purpurascens, foris hirsutus, intus glaber, leuem sed suauem odorem aspirans: medium obsidet ex oblongo rotundum *capitulum* fibris apicibusque luteis cirrhatum: postquam autem delapsus est flos, caulis supra folium supra dictum, quintuplò, aut altiùs excrescit, próque flore succedit comosum capitulum staminum hosericeorum mollitie, argentei splendoris: appenso vnicuique stamini *semine* oblongo, tereti: delapsis porrò caducis seminibus vnà cum staminibus appensis caput relinquitur rotundum: *radix* crassa, longa, nigra, in plura





capita interdum diuisa, superiùs ex reliquiis marcidorum foliorum comata, sapore nonnihil amarescente, & tandem acrimoniâ linguâ vellicante. Descrip.

Icones. Duas figuras proponimus, nò quòd sint diuersarũ specierum sed quòd si quid in vna requiratur, ex altera fortè suppleatur: ni fastas emissemus, meliorem dedissemus.

Herba venti Trago. Tragus Herbam venti intitulat, incognitamque ait & quasi peregrinam: Mulierculas verò Argentinenses herbarias küchen schell vocare, vel küschell, q.e. si interpreteris, Campanula vel Nola culinæ, siue culinaria: Campanula vaccæ, aut vaccaria. Videtur autem ipsi Ranunculi genus Sardonium, de quo Dioscorides lib. 2 scripsit, quamuis non desint qui Oreoselinon esse contendant.

Ranunculi species Cordo. Cordus in Hist. pro Decima Ranunculi specie describit, ac leptophyllon & comatum cognominari posse concedit.

Pulsatilla Italor. Cauda vulpi. Gesnerus hic figuram ex Trago posuit. Idem de hort. vocat Pulsatillam vulgi Italorum, Caudam vulpinam Amati, Ranunculi Dioscoridis secundam speciem, Herbam Sardoam, & Heluetiorum Bitzwürtz. Item Anemone Aretii, floribus cæruleis, maioribus tamen, pallidioribus, & & nonnullorum das wilden mans kraut.

Turnero pingitur the common Anemone titulo.

Herba Sardoa & Apium risus Dod. gall. Dod. gall. inscripsit Herbam Sardoam & Apium risus, delineauitque pro Ranunculi auricomi (Ranunculi dulcis folio rotundo) specie altera, floribus purpureis. Hanc incognitam scribit, ac postea inter nomenclaturas ita appellandam censet: Herbam sc. Sardoam, Apium siluestre, Apium rusticum, Apiastrum, & Apium risus, vt quo nomine in aliquibus officinis cognita sit, vt in aliis Pulsatillæ Gallicè Passefleur, Belgicè Cneckenscelle: Sed aliter sentit Dodon. in fol. lat. vbi Pulsatillam vocat. A nonnullis, inquit, Apium risus dicitur. Non est tamen Herba Sardoa, quæ propriè Apium risus videtur appellanda. Non est etiam Ranunculi, neque etiam Anemones species: vtrisque tamen & pręsertim facultatibus accedit. Nec Apium risus nec Ranunculus etiam Anemone est. Colore est plurimùm Violæ nigræ purpureo, quandoque candido, aliàs luteo, rariùs rubente. Belgæ in hortis habent: apud Germanos satis frequens locis asperis & lapidosis, & subinde in ipsis rupibus, & quidem flore purpurei ex cæruleo coloris: qui pro locorum ratione aut intensior, aut remissior. In siluis siquidem ac vmbrosis dilutiore colore quasi inalbicat flos: in apricis coloratior est: Albidi floris Aueraiæ & Narbonensis Galliæ montes suppeditant: lutei Taurienses Allobrogum: rubri floris ex Alepo Syriæ vrbe habetur.

alpinam, radice nigra &c.

Pulsat. alba Lob. Fortè Lobelii Pulsatilla albida pallens in Aduers. non eadem est cum nostra, quam in Obs. p. 149. Icon. Plant. p. 281. Pulsatillam albam inscribit.

Pulsatilla alba Tabern. Tabern. in Ic. & Hist. habet Pulsatillam albam siue 3. quam Lean fetorchin Hungaricè, h.e. Virginis Pulsatillam vocat. Habet & in Hist. Pulsatillam 4. flore albo prouenientem in montibus Lotharingiam separantibus ab Alsatia, potissimùm inter Espinal & Fontenoi inter rupes, vnde quod difficulter euellatur, Pulsatillam petræam, vocandam existimat.

Synon. Gerardo dicitur Pulsatilla flore albo white Passeflower: Schvvenckf. Puls. niuea alpina. Puls. petræa, Schneeblůmen Schneehenlin / & wild Mauskraut. C. Bauh. phyt. Pulsatilla 3. siue flore albo. Clus. in Pann. p. 382. Anemone silu. 2. montana Pulsatillæ folio.

Locus & Tempus. Geneuæ mense Iulio in monte Thuiri copiosè floret. Crescit in celsioribus Etscher & Durrenstein Stiriæ iugis, inter scopulos tenui & leui terra tectos: plerumque verò in ipsis scopulorum fissuris & commissuris adeò altè radices agit, vt summâ difficultate, & vix vnquam, nisi auulsis ferreo instrumento scopulorum fragmentis integras Clusio eruere licuerit. Floret autem illic Iulio, interdum etiam duntaxat Augusto, pro Æstatis maturioris aut serioris incipientis natura, solutis videlicet niuibus: nam è primis floribus est. Semen plerumque maturitatem adquirit sub extremum Augustum. Difficulter cicurari posse tradit idem Clusius.

PVLSATILLA LVTEA.

Descript. PVlsatilla lutea palmaris erat planta, *radice* crassâ, *foliis* cæruleæ modo diuisis, sed segmentis latioribus, valdè hirsutis: *caulis* singularis, vnicum summo fastigio sustinens *florem* colore luteo præditum, foris hirsutum, intus glabrum, obsidente medium apicum magno numero.

Camerarius ait florem luteum subrubentem, & subsequi semen papposum barbatumque: figura autem quam proponit facta est ad plantam meam siccam Gesnero missam.

Synon. An Anemone siluestris tertia Clusii? An Gesn. hort. huius meminit, Anemones & Pulsatillæ flore luteo nomine? Pulsatillam luteam vocat Camer. in Matthiol. Gäle Bizwurtz, h.e. Radicem contra morsus venenatos luteam: in eiusdem verò hist. Gelb küchenschel, i.e. Campanulam, siue Nolam culinariam luteam. *An Pulsatilla lutea Lob.* Commemorat Pulsatillam luteam Lobel. in Adu. & Pulsatillam lutei floris Dodon. in fol. lat. Qui an nostram intelligant, ambigimus. Siquidem eam à vulgari colore tantùm distinguunt. Pulsatillam luteam sibi è Pedemontio siccã missam ait Tabern. indeque Pulsatillam Pedemontiam cognominat.

Dalechampius apud H. Lugd. tria Pulsatillæ genera luteo flore conspicua produxit: hanc autem inscripsit p. 850. Pulsatillam 1. Alpinam Dalechampii, radice crassâ, nigrâ, exesa, foliis Apii modo dissectis, inter hæc tria genera latissimis, hispidis.

C.B. vos C. Bauh. phyt. vocat Pulsatillam 5. siue luteo flore: Pulsatillam luteam Camerarii: Pulsatillam verò 6. siue luteam Apii folio, primam Dalechampii. *Sed cur* Dalechampii Pulsatillam luteam 1. separet à lutea Camerarii non video.

Locus & tempus. Reperi florentem Iulio in Rhetii monte Braulii, Gener Cherlerus sub finem Iunii in monte Gotthardi.

PVSATILLA LVTEA APII HORTENSIS folio 2. & 3. Dalech.

Pulsat. 2. alpina Dalech. descr. PVlsatilla 2. alpina Dalechampii siue luteæ 2. genus apud H. Lugd. p. 851. *radice* est tenuiore, breuiore, minùs atra, *foliis* hortensi Apio similibus, paullò latioribus, hirsutis, radicem ambientibus, multis in caule dodrantali, lanuginoso, mediâ sui parte villoso glomo pubescente e quo prodit *floris* aurei pediculis.

Puls. 3. alpina Dal. descr. Pulsatilla 3. alpina Dalechampii, siue luteæ tertium genus, *radice* est, quàm in superioribus gracilior, *folio* Pastinacæ siluestris, apicibus in medio flore coaceruatis luteis, quos in *seminis* conceptaculum tandem formatos spissa lanugo vestit. hæc tria genera, inquit, in monte Muræ, Allobrogum oppidulo vicino, reperiuntur.

C. Bauh. phyt. vocat Pulsatillam 7. siue luteam Apii hortensis folio, Puls. 2. Alp. Dalechampii: Tertiam verò Puls. 8. siue luteam Pastinacæ silu. folio. Pulsatillæ luteæ secundum genus vidi apud Fratrem. Quod sit tertium nos latet. Icon nobis quidem inepta & falsa videtur: nec putamus reperiri Pulsatillam ramosam, nisi fortè monstrosam, qualem hactenus non vidimus.

ANEMONE MAGNA ALBA PLVRIMA parte anni florens.

Descri- RAdix minimi digiti est crassitie, plurimis fibris donata, multùm se multiplicans, Hellebori nigri vulgaris modo, sapore subamaro: *caulis* dodrãtalis, tenuis, rigidus, densâ lanugine canescens, subinde circa summitatem rubescens, concauus: *flos*, in singulorum caulium sũmitate, priusquam dehiscat, hirsutus, postea magnus, nonnihil odorus, quinis, senis, septenisue foliis constans, cuspide orbiculatâ, internâ parte penitùs albis & glabris, externâ verò hirsutis, vnguibus purpurascentibus: in medio, staminum croceorum corona ambit *capitulum* tuberosum, ferè herbidũ, quod maturo *semine*, paruo, plano, in lanuginem albam resoluitur: *folia* Ranunculi ferè, triplici diuisura profunda ad pediculi vsque extremitatem, inferiùs hirsuta & albicantia, supernè glabra, saturo virore tincta: atque horum quidem alia incerto numero radix statim emittit, pediculis palmaribus & bipalmaribus: terna verò in caule pediculis vncia-

libus, & sesquiuncialibus caulem amplectuntur.

Folia Clusio ingrati initiò saporis, postea acris: Flos vnicus, rarissimè bini: Radix ingrati & acris saporis

An *Cocles*, *Coclourdes ou Coquelourdes blanches* Ruellio?

Ranunculi 2 species Cordo. A Cordo in hist. describitur pro Ranunculi 2. specie. A Matthiolo verò exhibetur in post. comm. It. & Lat. cum mag. fig. & hist. germ. Anemones tertiæ nomine, licèt pictor, etiam Clusio teste, iconem negligentiùs expresserit. Pingitur à Dod. in fol. lat. pro Anemone Pannonica. A Lobel. in Obs. p. 148. in Ic. Plant. p. 280. pro Anem. 3. Matthioli flore albo. A Gerardo pro Anemone Matthioli. A Clus. in Pannon. p. 381. pro Anemone silu. Ranunculi folio prima: In hist. post. pro Anemone silv. prima. Ab hist. Lugd. p. 843. pro Anemone 3. Matthioli.

Camer. hort. dicitur Anemone silu. flore candido. Thalio Anemone fl. candido, amplo, folioso, palmari, foliis hispidis, latè expansis, variéque dissectis. Schvvenckf. Anemone maior alba, *ἀνεμώνη* Theophrasti, weisse wind Rößlin: Angl. white windeflower.

Tabern. in Ic. & hist. Anemone maior alba, vnguibus interdum veluti purpurascentibus. Groß weiß Anemone Rößlin. Item, in hist. Anemone 15. Anem. silu. alba. Et, Anemone 16. solo flore purpureo à præcedenti varians: Anem. silu. purpurea.

Hort. Lus. Anemone siluestris flore grandi, foliis Ranunculi, durioribus tamen, locis montanis inter Ericas proueniens. Item, Anem. 3 Matthioli, siluestris, Ranunculi folio, prima Clusio. Considerandum quæ sit illa Anemone grandi flore Horti Lusatiæ, an solo flore à Matthiolina differat.

C.Baut. C. Bauh. phyt. Anemone 18. siue alba, radice fibrosa, Matth. Icō. 356. Anemone 3. Apud Matth. præterea, Anem. alpina Gesneri in monte Fracto, Aconito cognata. *Diximus* nos Anemonem Gesneri non posse esse eandem cum Matth. Anem. 3. Gesneri enim Anemone lanuginem habet instar Vitis siluestris caustica, lanugo autem Anemones 3. Matthioli plurimùm differt: meliùs in phyt. p. 317. ponitur pro Pulsatilla 3. flore albo. Planta tandem, quam Gesn. hort. Aconito cognatam affirmat, videtur nobis Ranunculus mōtanus, albus, hirsutus.

Locus & Tempus. Primo Vere, & Æstate, ac etiam Autumno floret, multumque radice se propagat, culta quidem in horto Ill. E. C. spontanea verò ad Rhenum in Brisgouia inter Bürcken & Offenbürg, vt etiam circa Heidelbergam, & in Bohemiæ collibus, ac copiosè quoq; ad loca montana quatuor miliaribus à Norimberga, vicinisque Francofurto ad Mœnum pratis. Quin & Broccenbergi cacumini familiaris, Sed & vicinis vrbi Viennæ pratis, & plerisque Austriç, Pannoniæ superioris & inferioris, tum interamnis vltra Drauum flumen, mōtanis locis nascitur.

ANEMONE TRIFOLIA FLORE ALBO

CAP. XXII.

Descr. Properat huc & alia quædam, tametsi foliis differens. Neque hæc enim Coriandro, aut Ranunculo *folia* gerit similia: sed instar Trifolii



potiùs: cohærent siquidem terna non magna, lata, acuminata, indiuisa, margine tantummodò crenato: *cauliculus* palmùm altus, cui *flos* indidet candidus, aut ex albido purpurascens, formâ Ranūculi florum æmulatus, qui marcescens nonnihil purpurei coloris cōtrahit: *radix* etiā obliqua, in propagines quasdam extuberat, non absque capillamentis fibrosis subnatis.

Dodon. qui in fol. lat. pro 7. Anemone dicto modo descripsit, Anem. trifoliæ titulo pinxit. H. Lugd. p. 847. Anemonem trifoliam Dodonæi inscripsit. Gerard. Anemonem trifoliam, Three leafed winde flower. Tabern. in Ic. Anem. trifoliam Klee wind Rößlin: In hist. Anem. 9. trifoliam. C. Bauh. phyt. Anem. 19. siue trifoliam. Lobel. in Obs. p. 150. Icon. Plant. p. 281. Alabastritem siue Dentariam albam D. Brancionis. Synon.

Cæterùm, Lobel. tam ignotas vires perhibet, quàm raram plantam ait, minusque obuiam, nec nisi in vireto D. Brancionis ipsi visam.

RANVNCVLVS PHRAGMITES, ALBVS & purpureus vernus.

CAP. XXIII.



Descr. Ranunculus phragmites vernus *radicem* habet crassiusculam, longam, obliquè proserpentem, foris purpuream, aut fuscam, intus albam, sapore cum leui adstrictione acrē, nescio quid empyreumatis ceu spinarum piscium crematorum resipientem, à qua fibræ capillares demittūtur: surrigitur *cauliculus* tenuis, mollisque, purpurascens, sesquipalmaris & maior, citra cuius fastigium vno & eodem loco enascūtur *folia* terna Ranunculi ex semuncialibus rubellis pediculis, hirsuta, nunc virentia, nunc

nunc purpurascentia: coliculo summo *flos* insidet vnicus lacteus, aliàs cum vnguibus colore carneo, rariùs totus purpureus, foliis constans senis, nunc oblongis, nunc breuibus & subrotúdis, in medio stamina plurima crocea.

Ruellio Ranunculus 4. flore lacteo quem rura gallica *Senicle*, quasi Saniculam vocant. Brunfelf. Saniculæ altera species agrestis. Cordo in Hist. l. 2. cap. 1. (vbi Gesnerus figuram Tragi addit, ac insuper monet huius Ranunculi flores esse vel albos, vel roseos, vel luteos] sub Ranunculi quarta specie, cognata tertiç describitur. Vocatur autem eodem lib. cap. 184. Ranunculus Chelidonius. A Fuchsio pingitur in Hist. pro Ranun. 4. specie, sed non describitur. In lib. Ic. pro Ranunculi 4. Dioscoridis specie lactea: quin & Dodon. gall. sub titulo Ranunculi 4. generis eam pingit ex Fuchs.

Synon. Trago dicitur Ranun. 3. siue candidus cum rubore, weiß Aprillen blümen: Gesn. hort. Ranunc. phragmites fl. lacteo, Mertzen blumen. Ranunc. phrag. fl. albo, vel roseo, Anemonis adnumerandus: In cat. 1 l. (vbi verba Ruellii allegat) Ran. 4. de coll. stirp. Ranunculi genus 4. Fuchsii, quod vulgò vocat Martios flores, albos & purpureos. Lob. in Aduers. Ranunc. nemorosus fl. albo: in Obs p. 384. & Ic. Plant. Nemorosus Ranunculus. Hort. Lusit. Ranunc. nemorosus albus, weiß waldt henlein: itē, Ranunc. nemoros. purpureus, liebs ret waldt henlein. C. Bauh. phyt. Ranunc. 1. siue nemoros. albus, flore communiter candido, aut ex purpura rubente, sed modò dilutiori, modò intensiori colore, vel carneo, imò & roseo, & duplis floribus. Est & qui in dorso, frequentibus punctulis protuberantibus exasperatur. Est maior, media, & maior species. Hinc Thalius in sua Harcynia Ranun. tertij quinque genera enarrat.

Tabern. tonatur Tabern. in Icon. cur tres figuras, Ranunculi nemorosi albi, purpurei, & ex rubro purpurei 2. nomine, ponit, quum colore tantùm differre videantur. Ranunc. octauus [inquit in Hist.] est Dioscoridis 4 tus lacteus, quem Germani quidam Augen mürtz vocant. Nonus & decimus sunt etiam species Ranunculi quarti Dioscoridis, quia florum duntaxat colore differunt.

H. Lugd. repreh. Turpiter H. Lugd. duas historias & duas icones eiusdem plantæ diuersis libris & capitibus ponit: p. 847. Anemonem 5. Dodonæi, Ranunculum nemoros. 4. Fuchsii: p. 1030. Ranunculum lacteum Fuchsii, Ranunc. album nemorensem Dodonæi.

Schvvenckf. vocat Ranunc. præcocem candidum. Ranunc. præcocem purpureum. Turn. Ranunc. album siluis & vmbrosis gaudentem, ac Aprili florentem. Dodon. lat. Anemonu 5. Sunt, inquit qui, Ranunculum phragmitem vocitent. Flores eius aut lutei, aut candidi, aut purpurei.

Locus De Ranunculo phragmite albo & purpureo verno, hæc Clusius scribit: Vulgares sunt in Pannoniæ & Austriæ siluis illæ stirpes, quæ toti Germaniæ, & multis aliis Prouinciis communes, à nonnullis Siluarum Ranunculi nuncupantur, Anemones tenuifoliæ cæruleo flore pænè foliis, & inter siluestres Anemonides procul dubio numerandæ: imò à quibusdam siluestris Anemone, Theophrasto λειμωνία dicta, æstimatæ. Solent autem illæ nouo Vere florem proferre, cumque aut lactei prorsus candoris, aut purpurascentem,

Ranunc. siluarum Anem. silu. Leimonia Theoph.

aut cui in candore leuiter aspersa sit dilutior purpura, siue carneus [liceat mihi hoc vocabulo vti] color. Est etiam quæ flauum habeat: &c.



ILle autem Ranunculum siluarum inscribit: variasque alias Ranunculi nemorosi tradit & describit species verbi gratia *Ranunculi nemorosi* genus I. Anemone λειμωνία peregrinâ I. ipsi dictum. Ranunculi nemorosi genus alterū, Anemone λειμωνία peregrina 2. ipsi dictum. Ranunculus nemorosus flore pleno albo & purpurascente cuius hîc iconem damus.

Reperitur Lugduni flore lacteo mense Martio *au bois de la bonne Alemande*: Geneuæ albis & carneis, vt & Monthelgardi, in siluis & dumetis florens adhuc etiam Aprili. Primo Vere in Silesiæ siluis frigidiusculis montosis vbertim cum flore luxuriat, Schvvenckf. *Locus & Tempus*

RANVNCVLVS PHRAGMITES LVTEVS nemorosus.

Descr. LVtei nunc phragmitæ Ranunculi *radix* præcedenti vulgari albo & purpureo formâ, colore, sapore, fibrisque persimilis, *cauliculo* item & foliorum numero conuenit, sed *folia* virentiora, longiora, breuioribusque pediculis, ita vt iis quasi destituta, concursu suo quasi cotylam purpurantem efficiant, in cuius medio præter duo folia oblonga minimeque dissecta, crenataue, coliculi scapus nonnihil pilosus, *florem* sustinet nonnunquam singularem, aliàs geminum, Ranunculi, aureum, quinque foliis, latiusculis & obtusis constantem: in cuius medio *staminula* crocata plurima.

Tabern. flos minor est quàm albi: herba tota sapore acri & vrente.


Huius Ranunculi Thalius genera duo facit. Alterum cuius flores deprehendere nunquam potuit: alterum verò cuius flores sint citrini & species duæ.

Synon. Clus. in Pann. p. 385. vocat Anemones siluestris genus totum luteum, plerumque aliis minus & præcocius. In hist. post. Ranunculum siluarum flauum, foliis ab albo & purpureo nonnihil differentem, plerumque humiliorem & præcociorem. Lobel. in Icon. Plant. p. 674. Nemorosum Ranunculum luteum. C. Bauh. phyt. Ranunc. 2. siue nemorosum luteum, flore communiter vnico, aliquando duobus, aut tribus. Tabern. in Icon. Ranunc. nemor. luteum. Geel Wald Hänlein: in hist. Ranunculum 7. Dioscoridis tertium, & Batrachium Diosc. tertium, Ranunc. phagmitem luteum, *Ranuncolo saluatico giallo* Italorum, Jelowe Wood Crowefoot An-

glorum Geele bosch Hanenoet Belgar. Schvv. Ranunculi præcocem luteum, gelbe wald Weilichen. Dod. gall. Ranunculi 4. genus, *Grenouillette de bois*, Ranunc. paruum: Idem de purg. p.302. & in fol. lat. Anemonem sextam, foliis tantummodò, floreque minorem, eóque luteo. Fuchs. in Hist. Ranunculi quartam speciem luteam: in Icon. Ranunculi apud Diosc. speciem tertiam. Tragus [qui portionem huius alteri adhærentem pingit] Ranunculum tertium. Cord. in Hist. Ranunculi tertiam speciem. Gesn. hort. [cui Anemonibus adnumerādus cum albo videtur] Ranunc. phragmitem flore luteo.

Ran. phrag. lut. Locus & tempus. Geneuæ florentem Martio reperi. Basileæ in Munchenstein obseruauit C. Bauhinus. Montbelgardi in silua *Chesnoi* occurrit.

RANVNCVLVS CVM FLORE IN MEdio folio, radice tuberosâ.
CAP. XXIV.



Descr. RAra est elegantia huius Ranunculi quippe qui nullum producit *caulem*, sed ex *radice* tuberibus si adultior, sit, Anemones modo inæqualibus articulata, aliàs Staphylodendri nucem magnitudine duntaxat adæquante exteriùs nigra, acri admodum gustanti Dod. feruente Camer. fibris nōnullis capillata: [Cæsalpino radices sunt candidæ, breues, multæ, aceruatæ, similes minori Chelidonio] vel, vt ait Camer. pluribus tuberculis aut granis compositâ, *pediculos* aliquot promit, palmares, vel etiam dodrantales, teretes, cauos, nudos, præterquam quod extremum in vmbilicum inseritur folii, quod pediculo singulare insidet, rotundum ferè, sed ad pediculi vsque commissionem multifidum, in radios stellatos subdiuisos sectum, glabrum, splendidum, saturo virore tinctum: Camer. folia explicat rotunda, in rotæ modum: C.Bauh. folium rotundum circumscriptione vnicum quidem, sed in plures partes Geranii Columbini, aut Napelli figura, in profundiores minusque profundas lacinias diuisum: è cuius medio sessilis, sine pediculo *flos* vnicus emicat, Ranunculi, luteo auri fulgore, vel ad virorem declinante, Vel, vt ait Camer. si minor fuerit, flauior est, sin maior, aut longiusculus, obscurioris est flauedinis, senis longiusculis foliis constans, medium obsidentibus numerosis fibris apicibusque luteis: horum delapsum excipiunt corniculatæ *siliquæ* Aconiti, vel Hellebori nigri, quatuor, aut quinque erectæ: C.Bauh. *semen* in lusum siliquis, rotundum, compressum, flauescens, Milii instar Cæsalp.

Dodon. in Hist. purg. & in fol. lat. pinxit Aconiti lutei minoris titulo, descripsitque pro Aconito Lycoctono luteo minore, hæc de eo subdens verba: In Belgii hortis non rarò ipso Ianuario floret, præsertim vbi clementior Hyems est. Et hinc Aconitum hyemale, siue hybernum dici cœpit. Aconiti autem speciem esse, & formâ foliorum, siliquarumque, cum & ipsa perniciosa herbæ facultas ostendit. Ad Theophrasti autem Aconitum multùm accedit, quod ab ipso lib.9. c. 16. describitur: &c. *Aconitum luteum minus Dod. Acon lycoctonum luteum minus*

Lobel. in Aduers. vocauit Ranunculum bulbosum vnifolium batrachoidem, Elleboraceam herbulam. Sed in Obs. p.386. [vbi Aconitum hyemale Belgarum, Ranunculum monophyllon, & Anemonem Bononiensem vocat, & p.385. etiam inscripsit) hunc titulum corrigendum præcipit, legendumque voluit esse Bulbosam vnifoliam, batrachioidem elleboraceam plantulam. In Icon. Plant. p.676. Aconiti hyemalis Belgarum, Aconiti batrachoidis elleboracei titulo, habentur duæ effigies, sc. Obseruationum quæ erat retinenda, & Aduersariorum, quæ vt imperfecta erat repudianda. *Ranunci bulbosus vnifol. Aduers. Acon. hyemale Belg. Ranunc. monophyllos Anem. Bononiens.*

Cæsalp. Ellebortinæ nomine describit, ac Elleborinam Theophrasti esse, & Epipactim Dioscoridis & Plinii, statuit. Ponæ in Baldo dicitur Aconitum Lycoctonum batrachoides Lobelii. C.Bauh. phyt. Aconitum 1. siue vnifolium luteum bulbosum: apud Matthiolum suspicatur esse Aconitum Theophrasti. *Elleborina Cæsalp. Acon. lycoct. Pona.*

Si planta, de qua hîc nobis sermo est, Compilatori H. Lugdunensis fuisset nota, eius aut non tres figuras dedisset, aut saltem diuersorum librorum capitibus, titulisque non sciunxisset, ponendo p.1505. Bulbum paruum vnifolium Penæ: p.1742. Aconitum lycoctonum luteum minus Dodonæi: Item, Aconitum aliud Dalechampii. *Compilat. turpe peccatum*

Euganeis in montibus inter montem Gemulam & Vidam Februario mense florentem reperi: Bononiæ in agris & montibus Apenninis semine maturo, Aprili. Montbelgardi ferens Hiemem in horto Ill. E.C. floret Februario. Locus & Tempus.

Radicem cum magna prudentia exhibitam purgare perhibet Camerarius: sin verò non ritè, aut nimia quantitate vsurpetur, esse valde nocuam. Vires

RANVNCVLVS FOLIO RVTACEO.
CAP. XXV.

ALiquot, inquit Clusius, à *radice* (singulari, crassiuscula, producit *folia* multifida, Rutæ foliis non valdè dissimilia, molliora tamen & magis viridia: *flores* autem habet amplos, ante ipsa folia emergentes, forinsecus dum initiò emergunt, ad suaue rubentem colorem tendentes, internè candidos, duodenis aut pluribus foliis constantes, vmbilicum occupante capitulo viridi, vt in reliquis Ranunculis, cincto multis albicantibus staminulis quæ flauos apices habent, sine odore: hos sustinet *cauliculus* teres & initiò purpurascens, deinde ex viridi pallescens, quem ambit vnicum plerumque folium [rarò plura) exiguum duabus aut tribus laciniis diuisum, latâ basi cauliculum amplectens: floribus deciduis succrescit illud capitulum, & in *semina* crassiuscula euadit, Thoræ Valdensium, siue Ranunculi grumosâ radice tertii, semini pænè similia.

Clusre-

Clus. verò dicitur Ranunculus præcox 1. Rutę folio: C. Bauh. phyt. Ranunc. 4. folio rutaceo: Ponæ in Baldo Ranunc. alpinus Coriandri folio, flore sex foliis composito, albis, subpurpurascentibus, ac venulis sanguineo colore percurrentibus.

Locus. Nascitur in inferioribus Sneberg iugis, & vicinis montibus, inquit Clusius: nos verò Aprili florentem Heidelbergæ apud Sprengerum obseruauimus.

RANVNCVLI EX ANTIQVORVM ET Recentiorum sententia in genere.

Cap. XXV.

Diosc. 4. Ranunculi species. Dioscorides Ranunculi plures proponit species, sed vim vnam, acrem, & valde exulcerantem. Habet, inquit, *vna* ex ipsis, folia similia Coriandro, sed latiora, subalbida, & pinguia: florem luteum[μήλινον] quandoque purpureum (πορφυροῦν) caulem non crassum, sed cubitum altum: radicem paruam albam, amaram, quæ propagines Veratri modo habet. Nascitur iuxta fluenta. Est & *altera* species lanuginosior & longiori caule, quæ plures habet foliorū incisuras, & plurima in Sardonia nascitur, acerrima, quam sanè & siluestre Apium vocant. *Tertia* species valde parua, & grauis odoris est, flos eius similis auro. Est *quarta* huic similis, flore lactei coloris.

Easdem etiam quatuor Ranunculi species facit Plinius: totidemque Galenus.

Veterum, præsertim verò Galeni, Ranunculos nostris accommodat Cordus: quod etiam facere annititur Cæsalpinus: Ranunculos appellans plantas, aut in aquis, aut prope aquas nascentes.

Marantha Ranunculis 10. Marantha decem Ranunculi genera obseruauit, floribus, radice, foliis, acrimoniaq; Ranunculorū naturam præ se ferentia, licèt aliud ab alio differat, quòd acrius sit. *Eiusdemque lapsus.* Artificiosa Maranthæ distinctio, si Diis placet, ab acrimonia Ranunculorum desumpta.

Ranunculos posterioris obseruationis in duo prima diducit genera Dodonæus, ita vt vnus sit hortensis: reliqui autem siluestres. Horum autem nonnulli vulgares, alii verò externi.

Nos Ranunculorum differentiam petimus tum à radice, ita vt alius dicatur Ranunc. tuberosâ, racemosâ & grumosâ radice. Alium à caule & foliis cognominamus rectum, repentem, læuem & hirsutum: Item, tenuifolium, latifolium, rotundifolium. Diuersitas & in flore est. Est enim Ranunc. flore simplici & pleno: rursum luteo, albo, & phœniceo. Ludunt & natales. Et hinc obseruatur hortensis, aruensis, palustris, siluaticus, siue montanus & alpinus. Alius vulgaris. Exoticus alius, Asiaticus, Constantinopolitanus, Lusitanicus, &c. Tempore quoque variant, Hiemalis, Vernus, & Autumnalis.

Nomina linguarū. Ranunculus in genere *Græcis* dicitur βατράχιον, σέλινον ἄγριον, σέλινον ὑδατικόν, βάτραχις, γελωτοφυή, σάρδιον(?), κατασάλιον(?), ... & Epigram. λυκόπους. *Latinis* etiam Batrachium, Batrachis, Clonum, Hephæstium, Rhuselinum, Lycopsus, ac etiam vt antiqua Apulei exemplaria legunt, Herba scelerata, Clorephis, ...tium, Rhoselinum, Apiastellum, Dentaria, Mileum, siue Nileum, & Auricomum: Plinio Herba strumea: ab Herbariis appellatur Herba vulneraria, Herba caustica, Apium raninum, Vulcania, Herba Vulcani, Herba ranina: Arnoldo Villanouano, Ranunculus lupinus: Vulgo Herbariorum Pes corui & Pes galli, sed perperam: Ab aliis, eodem tamen lapsu, Pes coruinus, & Pes gallinaceus: A nonnullis Apium siluestre, Apium rusticum, & Apium aquaticum. Hermolaus hæc nomina subdit: Apiastrum, Strumen, Polyanthemos: Horatio Sardea herba: Apuleio Gelotophye: Coriannon, Corion, Synechion, Carcadana, Nemecon, Apium risus. Ab *Arabibus* præsertim Serapione lib. de simpl. cap. 296. nominatur *Borathion*, quod dubio procul nomen à græca Batrachii voce deriuatum est. Ab Hali Abbate *Verdelheb, Vardelheb, Quemgeum & Quegenum: & passim Kebikengi, Lelelach, Madasm, Maserus, Nodalfar, Rebicheg, Michesol, & Kimisol.* Germanis Hanenfüß / hunerfueß froschkraut / fröschpfeffer / Rappenfüß Schmaltzblum / Brennender hanenfüß / Gleyßblum / Butterblum / Blatterkraut / Brenkraut / Bubenkraut / Spiegelblum, & alicubi in Sueuia Glitzer pfanlein. Belg. Hanenuoet / & Boterbloem. Gallis *Bassinet, Bacinet, & Grenoille.* It. *Ranoncolo, Ranunculo, Pie coruino, & Apio riso.* Hispanis *Yerua belida & Hieruabelida.* Anglis Crowfoot. Bohem. Pryskyruilk. Hung. Befa fiu. Ægypt. *Synechon & Carcadana.* Et hæc sunt nomina Ranunculi in genere Linguarum nominatarum.

Sardonia herba. Cæterùm, miserabili maledicto inter gentes quondam infamis Ranunculus ille fuit, qui in Sardinia nasci dicebatur, idemque Sardonia à Poëtis & aliis vocabatur. Ea siquidem in cibo potuque sumpta mentis alienationem & cum labrorum contractione eiusmodi conuulsiones facit, vt risus speciem præbeant. A quo deindè affectu tristi & amaro nimis Sardonius risus inter homines dicterio iactabatur. Huius Cicero meminit dicens: Sed heus tu τὸν γέλωτα σαρδόνιον rideamus. Et Poëta cecinit.

Immò ego Sardoniis videar tibi amarior herbis.

Hoc porrò versu, & saporem, quem radix habet, ac infelix & lamentabile mortis genus vnâ amaritudinis notâ descripsit.

Herba scelerata. Apuléium sceleratam herbam Ranunculum appellasse credit Marcellus, quoniam nimis malo euentu constat risum ab eo fieri, comestumque noxium esse. Dalechampio autem magis arridet sic dictam esse, quia validi sceleratique mendicantes sibi crura ac lacertos dilaniant, quò possint impudentiùs stipem extorquere, atque hàc impostura pecuniolam aucupari.

Strumea. Nostri herbarii, inquit Plinius, Strumeam vocant, quoniam strumis & panis medeatur: vel ideò forsitan quòd strumosâ conspiciatur radice. *Apium agreste.* Sunt qui Apium agreste seu Apiastrum, quòd folio Apium æmuletur vocent. Alii quòd prope aquas nascatur, Apium aquaticum cognominant. *Apium aquaticum. Chelidonia.* Marcellus ex antiquorum codicum fide Chelidoniam i.e. Harundinariam herbam appellandam censet, quòd illi similis sit, & Dioscorides in Harundinaria dicat eam Ranunculo similia folia habere: esse autem similium naturam, vt similitudinem suam inuicem communicent. Dicitur Ranunculus, quòd limitibus humidis, opacisque marginibus, ranarum more lætetur: Aut quòd aquis, vbi ranæ degunt, potissimùm gaudeat: Aut quia inter eius frutices ranæ fre-

Grenuillette Baßinet quenter inueniuntur. Eadem de causa *Grenuillette* à Gallis nominatur: *Baßinet* verò à floribus, quòd vasis æneis tonstrinarum, in quibus barbas emolliunt, similes videantur colore ac figura. Vulgus Herbariorum Apium risus vocat, ab effectione quam inducit.

Vires in genere. Vim habent Ranunculi folia & caules teneri impositi exulcerandi, & crustam cum dolore inducendi. Vnde & scabros vngues & Scabiem remouent, & stigmata & puncta delent, fornicarias item ac pensiles verrucas & alopecias ad breue tempus imposita tollunt. Foliorum verò decocto tepido perniones perfunduntur. At radix arida trita naribus admota, sternutamenta mouet: & adalligata dentium dolores leuat: frangit tamen ipsos authore Dioscoride. Ranunculis omnibus [ita Plinius vertit] vis caustica, si cruda folia imponuntur, pustulasque, vt ignis, faciunt. *Lepra Alopecia.* Ideò ad lepras his vtuntur, & ad tollenda stigmata, causticisque omnibus miscent. Alopeciis imponunt, celeriter remouentes. Radix in dolore manducata diutiùs, rumpit dentes. Eadem sicca concisa, sternutamentum facit. Nostri Herbarii Strumeā vocant: quoniam medetur *Struma Panus* strumis & panis, parte in fumo suspensa, creduntque eā rursus sata, rebellare quæ curauit vitia. Quatuor habet speciatim Ranunculus differentias, inquit Galenus. Sed omnes vehementer acrem facultatem possident, adeò vt *Temper.* cum dolore exulcerent &c. Omnium tum radicem, tum vniuersam plantam vehementer calidam & siccam esse testatur quoque Fuchsius. Primi tamen generis siluestris lutei [Ranunculi rotundifolii] non perinde ac reliquorum acris admodum esse facultatis.

RANVNCVLVS RECTVS, NON REPENS flore simplici luteo.

Descript.



AD duos cubitos interdum videas recto læui *caule* hunc assurgere ex *radice* fibrosa albaque: *folia* ex longis pediculis reptantantis Ranunculi foliis similia accedunt interdum ad Aconitum luteum, vt me pene fefellerint, interdum purpureas habent maculas, parum hirsuta sunt, acria: *flos* luteus, cumque subsequens echinatum *seminum capitulum*.

Synon. Lobel. in Aduers. pratensis Ranunculi varietas: in Obs. p. 379. figuram ex Dodonæo habet, surrectis cauliculis pratensis Ranunculi titulo.

Ranunc. 1. Tabern. & Ran. silu. Tabern. in Hist. vocat Ranunculum 1. gemeinen Hanenfuß: Item, Ranunc. 2. siluestrem: in Icon. Ranunc. siluestrem. Vna figura, duæ descriptiones.

Gerard. notatur. Gerardus pro Ranunculo surrectis cauliculis ponit iconem, quod non placet, à Tabern. pro Ranunculo dulci exhibitam: Pro Ranunculo verò batrachoide, Ranunculum siluestrem Tabernamontani. *Ran. vulg. pratensis causticus Schvv.* Schvvenckf. est Ranunculus vulgaris pratensis causticus: 2. Matthioli: 1. Tabern. Ranunc. siluestris pratensis surrectis cauliculis.

C.B. nib. C.Bauh. phyt. Ranunc. 6. siue pratensis erectus læuis: Item, Ranunc. 7. siue pratensis erectus maculato folio, Calthæ alterum genus Tragi, Chrysanthemum Fuchsii.

An Anguillaræ Ranunculus Sardonicus?

Locus. Geneuæ spontè prouenit & Montbelgardi in pratis: Basileæ in syluis: In valle Grielbachiana copiosè prouenit foliis nigris maculis notatis: In Kirchen Ducatùs Vuirt. foliis magnis ad Aconitum accedentibus. In Silesiæ pratis plùs quā notissimus, vt cuius flores sæpe integra prata operiunt.

Vsus. Hoc Ranunculo se aliquoties vsum pro vesicatorio asserebat D. Rentzius Med. Fontis admirabilis.

RANVNCVLVS RECTVS NON REPENS pleno flore.

Descriptio. RAnunculo recto præcedenti cæterā similis, atrorubente rigido *caule* ramoso præditus: *folia* iam dicto proxima, maiora, crebriùs incisa, acutiora: *flos* paruus auricomus, non, vt illius, simplex, sed quod fortassis culturæ mangonio debetur, denso foliorū stipatu multiplex.

Polyanth. multiplex Dod. Dodon. gall. vocat Polyanthemum multiplex, *Baßinet double*, simplici planè simile. Brunfels. *Cruris galli species domestica.* tom. 1. Rhapſ. 23. Cruris galli speciem domesticam & hortulanam foliatis & repletis floribus: Camer. hort. Ranunc. tertium flore pleno erectum, Bauarorum klein Buck hertzu, Misnensiū gelb tausentschön. C.B. in phyt. Ranunc. 8. siue hortensis erectus multiplex, Pes corui flore pleno Brunfels. tom. 1. rhapſ. 23. Coronopus eidem in 4. p. 132.

An est Trago Ranunc. 2. multiplex, gefülter Hanenfüß. An Gesn. Ran. sardous flore multiplici? An Cordo quod figuram attinet, quæ eadem cum nostra, Ranunc. multiplex? An Lobel. in Aduers. Polyanthemos multiflorus siue holeraceus?

Syn. C.B. C.Bauh. in Pinace, Ranunc. luteus vel 3. flore multiplici Tragi, Ranunc. multiplex Fuchs. tertiùs Turn. quartus Lonic. Ranunculi 7. species coronaria Cordi Hist. Ranunc. silu. 2. Dod. Lugd. Ran. polyanthemos Lob. polyanth. 3. erectus Camer. ac 2. epit. Ran. erectus hortensis flore pleno luteo Eyst. Maior & minor habetur: & ille dicitur Ran. multi florus Tabern. Ran. max. multiplex Gerardo. Flores Bellidum plenarum orbiculos imitantur, sæpiùs geminatim combinantur, ac quandoque sobolem aliam ex se mittunt.

RANVNCVLVS TENVIFOLIVS MONtanus luteus.

CAP. XXVI.

Descr. P[...]ilaris hæc Ranunculi species est. *Radix* ex capitulo denso tenuium fibrarum longa-

rum



rum nigricantium agmine constat. Ex qua ima statim *folia* singularia longis pediculis oriuntur, Geranii gruinalis, siue quarti Fuchsii, tripartita, sed minutiùs dissecta parte singula in minores diuisuras. *Cauliculi* plures, sesquipalmares, graciles quibus adhærent *folia* sine pediculis, sed in angustiores quàm priora multò partes diuisa & verè digitata. In quorũ sũmo *flores* singulares, lutei, splendẽtes quinquefolii: Quorũ media numerosi apices concolores, sed obsoletiores occupant: inter quæ crassius quidam globulus futurorum *seminum*, vt in reliquis Ranunculis, rudimentum.

Locus. An aliquis eius meminerit, nondum mihi constat. Obseruatus Geneuæ in montis Iuræ præalta parte Thuiri.

RANVNCVLVS MAGNVS VALDE HIRsutus, flore luteo.

Descr. Ex *radice* oblonga ex qua veluti capillamenta sursum feruntur ad modum Dauci alterius Fuchsii, *caules* prodeunt cubitales, striati, caui, hirsutie asperi, & ex ruffo flauescentes, qui in ramos brachiantur: *foliis* quinis, seniíue palmaribus & sesquipalmaribus pediculis [caulis formâ & colore] è radice prodeuntibus, quæ densa sunt, lata, in ternas profundas lacinias diuisa, quæ denuò incisa sunt, per ambitum serrata, colore ex viridi nigricante, vel potiùs rufescente, quę propter lanuginem & hirsutiem splendent: in caule folia parua & quidem breuioribus pediculis habentur: in summis caulibus *flores* parui, aliorum Ranunculorum more quinque foliis donati, pallidè lutei: *semen* in capitula congestum succedit.



Synon. C.Bauh. phyt. vocat Ranunculum 15. siue montanum lausolium hirsutum alterum. An Thalio Ranunculus Cordi sextus, seu Fammula.

Locus, tempus. Prouenit in monte Basileensi Apollineo, Mutecto dicto, locis vmbrosis, vbi vt plurimùm reperitur Iunio florens: eundem etiam in Roßberg monte prope Tubingam collegit descriptionis author C. Bauhinus.

RANVNCVLVS RECTVS FOLIIS PALlidioribus hirsutis.

Descr. Radicibus figitur multis fibrosis, albis, nequaquam reptantibus: vnde *caules* pullulant, complures pedales vel cubitales, caui, molles hirsuti, in varios ramulos diuisi, quorum extrema *flores* sustinent paruos, luteos, quinis foliis, rarò pluribus constantes, apicibus medium occupantibus, crebris luteis: quibus succedunt *capitula* aspera, vt in plerisque Ranunc. folia multò minora quàm in Reptante, vel Recto, hirsuta, longis nixa pediculis quoque, in tria primaria segmenta diuisa, quorum vnumquodque deinceps in profundas lacinias subsecatur, quorum color subpallidus minúsque virens quàm in reliquis Ranunculi speciebus: At verò, priora nec profundè, nec in tot lacinias diuisa sunt, vt supremi, figurâ etiam sunt rotundiore. In gustu nullam percepimus acrimoniã manifestam.



An Ranunculus 19. Casp. Bauh.

Locus & Tempus. Circa Mõtbelgardum & Beffordiam, locis potissimùm humidioribus & lutosis abũdat: floretque Maio, Iunio & Iulio.

RANVNCVLVS TVBEROSVS MAIOR Cap. XXVII.

Descr. Quemadmodũ inter vulgares Ranunc. hunc quoque est reperire, ita quoque *folia* iis habet similia, similiterque subsecta, pilosa, maculis albescentibus notata: *flore* aureo, cauleque hirsuto, vulgari Ranũculo respondet. *radix* subest alba, bulbosa, Fabæ vulgaris mediocris magnitudine, quæ



facilè separari potest, multis fibris circumdata. Et talem reperi in Italia: Geneuæ obseruaui in Ranunculo simili hirsuto bulbū dependentem, vt Matthiolus pingit.

Minor. Iam descripto accedit Ranunculus paruus, si non idem, à me sæpiùs obseruatus, verticillato tubere non admodum altè acto donatus [qui non facilè separatur à caule & foliorum pediculis] fibras satis crassas demittente ex inferiore bulbi parte, quique *caulem* erigit subhirsutum, *floribus* vulgaris Ranunculi recti simplicibus, quos excipit similiter capitulum, Fragis, vel Pentaphyllo simile: cui succedunt *semina* parua compressa, duplici pelliculâ vnaquæque inuoluta: *folia* non admodum magna, in tria segmenta potissimùm dissecta, hirsuta. Hic Ranunculus interdum valdè paruus cum caule singulari, vix dodrantali, interdum maiore, ramoso.

Icon. Crus galli. Coronopus silu. Figura ex Fuchsianis apposita non in omnibus satisfacit. Brunfelsii figura, Tom 1. chap. 23. Cruris galli, des kleinen hanenfüß / & Coronopi siluestris titulo donata, respondet Ranunculo tuberoso minori hic descripto.

Ran. minor Ranunculi 9. spes Ran. 1 exiguus idemque sceleratiss. Fuchs. in Hist. (vbi describere neglexit) & Icon. dicitur Ranunculus minor. Cordo Hist. Ranunculi 9. species, cognomento rotunda, germ. Drüeßwürtz. Cum Batrachio picto à Matthiolo, & à nobis priore loco descripto conuenit descriptio Tragi Ranunculi primi exigui eiusdemque sceleratissimi solio nigricante, leuiterque hirsuto, parte sui auersâ ranam viridè referente.

Batrachi Apuleii Ran tuberosus. Dod. gall. vocat Βατράχιον Apuleii, Belgarum Sint Anthônis raep. In Hist. purg. & lat. in fol. inscribit Ranunculum tuberosum: ait autem Dioscoridem huius non meminisse: Apuleium verò ab aliis separasse, seorsumque de isto egisse & peculiariter Batrachion appellasse: & hinc Apuleii Batrachion dici, vulgóque Rapum D. Antonii nominari. Figura Dod. gallici erat eadem

Rapum D. Antonii. quæ Fuchsii: Latini alia est, qualis apud Lobelium.

Bulbosum Ranunculum Lobelii in Icon. Plant. p. 667. fuisse malè in Aduers. ab hirsuto muricato semine denominatum, monet in Obs p. 380.

Ranunc. bulbosus, siue quintus Matth. in Diosc. & Hist. germ. respondet Ranunculo priori descripto.

H. Lugd. duas habet figuras: Ranunculum 5. Matthioli. p. 1029. Ranunc. tuberosum p. 1034.

Lonic. dicitur Ranunc. 5. Officinarum Pes columbinus, Taubenfüeß / quod nomen non placet. Camer. hort. Ranunc. radice bulbosâ vel tuberosâ potiùs, flore simplici. Thal. Ranunc. bulbosus Apuleii à Dod. ascriptus. Cæsalp. Ranūc. aliud genus, tum foliis tum caulibus lanuginosum, radicem ferens Verticilli modo rotundam, priuatim Pes coruinus vocatum. Tabern. in Ic. Ran. minor: in Hist. Ran. 4. minor, Ran. rotundus, Ranunculus Vulcani, & D. Antonii, Flammula minor, rotunda Vulcani, Brennkraut / Nußbenhanenfuß. Gerard. Ran. bulbosus, Roond rooted. Crowfoote.


Ran. bulb. radice vert. C. Bauh. phyt. Ranunc. 12: siue bulbosus radice verticilli modo rotundâ. In siluestribus flo-

Varietas. re est simplici, in hortos translatus non modò flores multiplicat, sed ex vno & alterum promit. Reperitur etiam locis arenosis & saxosis ita paruus, vt vix trium vnciarum sit. Item, Ranunc. 13. siue minimus saxatilis hirsutus, cauliculo triū vnciarum, hirsuto.

Tempus. In montibus Bononiensibus obseruaui florere Aprili, nec non inter Veronam & Castelfranc: Geneuæ cum tubere ex tenui folio pendente virentem mensis Februarii principio. Minor Ranunculus, cui fibræ à tubere dependent abundat Montbelgardi loco valdè sicco ad Meridiem sito in Vitium monte, talis etiam in monte arcis Beffordianæ.

Vires & vsus. Scribit Tragus Batrachium exiguum adurere & exulcerare efficacissimè, non secus atque ea, quæ corrosiua vocant, nec nisi externis corporis partibus adhiberi debere, pustulas excitare, quare erodendis & exulcerandis duris tumoribus mirificè conducere, verrucas formicantes & pensiles, & id genus vitia, citra incisionem, seu adustionem, succum illitu tollere. Radix, vt ait Matthiolus, tuberosa pendens nucis Iuglandis magnitudine, acris & exulcerans, per Hiemem, arescentibus iam foliis, à quibusdam, vbi exulcerare

Radix tuberosa caustica sicca dulcis. partem aliquam volunt, vsurpatur. Herbam Batrachiō tusā cū sua radice mixto aceto impones, authore Apuleio, his qui habent cicatrices nigras: excedit enim eas & similem corpori reliquo reddit colorem. Camerarius de Ranunculi bulbosi flore pleno & simplici facultatibus hæc subdit: Radix bulbi instar rotunda, si recens sit caustica est, ac admodum vrit: exiccata verò post vnum mensem dulcis efficitur: vtimur hac radice tusâ, & emplastri modo imposita tempore pestis ad rumpendos abscessus. Nebulones mendici quidam, quò faciliùs nobis imponant, eâ sanguine Draconis macerata suras aut femora illinunt.



RANVNCVLVS MAXIMO TVBERE, flore magno pleno.



Descr. Iucundi spectaculi oblectamento, omnium Ranunculorum primas, amœno *florum* incremento: qui colore aureo non tantùm denso foliorum stipatu luxuriant, sed & è medio flore alius assurgit minor, hirsutis suis foliolis quinis non minùs quàm inferior obuallatus, numerosaque foliorum congestione multiplex, pediculo inferiorem transadigente: *folia* rugosiora quàm pratensis, siue surrecti, siue repentis, maiora, rotundiora, inque minùs acutos angulos diuisa: *radix* subest tuberosa verticillata, Cyclamini magnitudine.

Et hic vocatur à Lob. in Adu. Ranunculus polyanthemos Anglorum: in Ic. Pl. p. 666. Ran. magnus Anglicus polyanthos. A Dod. de purg. Ran. tuberosus flores multiplicans: in fol. lat. Ran. tub. flore

flore multiplici. A Camer.hort.Ran.radice bulbosâ, vel tuberosâ potius flore pleno. A C.Bauh. phyt.Ran.11. siue radice tuberosâ pleno fl. habetur & simplici: in Pin.Ran.hort. flore pleno quintus, siue Ran.rad. tuberosa fl.pleno & prolifero, Ran.3. Camerarii in Epitome. Solum florem appictum habet. A Tabern.in Hist. Ran.24. omninò similis quarto minori tuberoso, radice & foliis, nisi quod maior est, & flores pleni: Ran. tuberosus aut bulbosus multiflorus, Germ. gefült Drüß würtz / & gefülter fleiner hanenfüß: Item, Ranunc.25. prædicto similis: sed flos duplex, aut triplex.

Locus. Montbelgardi colui Ranunculum amplissimo flore pleno, radice valdè tuberosa, plurimùm se multiplicantem. In Belgii hortis reperitur, eò primum ex Anglia delatus, & tandem in Germaniam.

RANVNCVLVS FLORE GLOBOSO, quibusdam Trollius flos.

CAP. XXVIII.



Descr. Ranūc. *flore* globoso dictus, *radicem* nigram, fibrosam que Helleb. æmulam habet: *folia* ferè Aconiti, in quinq; segmenta diuisa, idque ad ipsum vsque pediculum dodrante longiorem, nisi quòd folia in caule, nullo pediculo cauli adnascūtur, cō. similiter tamē diuisa: *caulis* sesquicubitalis læuis, inanis, ramosus, *flores* sustinet vulgari Ranunculorum forte maiores, iis tamen concolores, sed minùs micantes, denis, aut vndenis foliis constantes, intrò modicè reflexis, vt sessilem globum imitentur: [qui minùs bene nostrâ figurâ exprimitur] fibræ luteæ medium occupant.

Ranunculus globoso flore duorum generū Clusio. Ranunculi huius Clusius duo in Austriacarum Stiriacarumque Alpium pratis obseruabat genera: *Maius* vnum, ampliore flore, & quasi aureo: *Alterum*, humilius, flore paullò minore, & colore, vt plurimùm, ex viridi pallescente: aliàs, foliorum formâ, capitulis, semine nigro, & radice inter se conueniebant hi duo Ranunculi glomerato flore, vt in post. Hist. author vocat, vel vt in Pannon.p.372. Trollius flos.

Synon. Matthiolus Aconitis adnumerat hunc Ranūculum, licèt ad Aconiti genera non pertineat. Lacuna in Diosc. Aconiti tertii inscriptione solam iconem ponit, nam in annot. vbi Aconiti tertii meminit, hoc non intelligit. Thalio dicitur Aconitum 3. Matth. flore Ranunculi luteo magno.

Tabern. duæ fingit. Tabern.in Icon.Ran.alp.luteus: in Hist.Ran. 11.montanus. [illegible] Item, in Ic. & Hist. [vbi ei quintum] Aconitum Matthioli tertium. Hæ duæ figuræ non sunt diuersarum duarum plantarum sed vnius, quod Compil. nō animaduertit.

H. Lugd. tres effigies. Peius apud H. Lugd. triplex imago ponitur. p.1029. Ranunculus 6. Matthioli: p.1033. Ranunc. flore globoso: p.1759. Aconitum lycoctonum 3. Matthioli. Priori & posteriori loco non describitur.

Syn. Gesn.hort. Trollius flos, Anemone montana luteo & in globum collecto flore, & Ran. montanus. Dodon.Ran.externus quir tus Ran. fl. globoso, & sic etiā Eyst.Lob.in Obs.p.385. Ic. pl. p.675.Ran.mont.Alp.glomeratus.Gerardo Ran. globosus.Schvv.Ran. Alp.lut. globosus.C.Bauh. phyt. Ran.44. siue montanus globoso flore luteo, & [secundùm Tabern. qui Ranunculum 12. Alp.album nominat] albo: Eidem in Pin. Ran. mont.9. siue Aconiti folio, fl.globoso, Ranun. mont.alter folio altiore quasi Napelli, Cæsalpini.

Locus & tempus. Proferunt hunc alti montes Harciniæ, & Heluetiorum Alpes: itemque Silesiæ vallis Gigantum ad Oupæ cataractam, florentem Iulio: Geneuenses, vt mons Thuiri, copiosum etiam Iunio: Non diu durat in hortis, nisi loco vmbroso & frigidiusculo plantetur.

Matth. notatur. Notandum Matthiolum tribuere suo Aconito flore Ranunculi, vsus & vires lycoctoni quas nostro inesse Ranunculo globos. flore vix credimus. Potest tamen in animalibus fieri periculum. Schvv.quidem cæteris Ranunculis hunc minùs acrem ait, ac propterea minùs calefacere & siccare.

ACONITVM 5. MATTHIOLI EFFIGIE alicuius Ranunculi vel Anemones.

CAP. XXIX.

Aconit.5.fl. purpureis Matth. quid. Cuius plantæ icon à Matthiolo in Epit. anni 1571. pro Aconito quinto floribus purpureis sit proposita, hactenus præsentire non licuit, quia nullam addidit descriptionem: *folia* quidem referunt Ranunculi genus aliquod, sed *caules* ita picti, vt singulares & non ramosi videantur, *flores* autem quinquefolii. An potiùs ad Anemonē aliquam sit referendum, fatemur nos ignorare. Camer.in Epit. sic describit: Aconito quinto flores insunt crocei: folia virgineis aut ficulneis accedunt magnitudine ac figurâ seu diuisione, maculis verò albis & lucescentibus venis deformātur, radix nigrat. Eius autem inuenitur copia in monte Baldo.

RANVNGVLVS REPENS, FLORE LVteo simplici.

CAP. XXX.

Descriptio. Fibrosâ *radice* reptante, quæ non bene exprimitur figura apposita ex Fuchsianis, albidaque nititur, ex qua *caules* oriuntur aliquot fistulosi, purpureo & viridi, instar Serpentariæ, versicolores, nonnihil hirsuti, brachiati, supini, humi sparsi, quam attingentes fibris productis denuò radices agunt: *folia* atrouirentia, subinde maculis nonnullis albis notata, hirsuta, Apii diuisurâ quodammodò sapore herbaceo: *flores* aurei, quinque foliolis splendentibus compositi: fibræ & apices crocei, *capitulum* echinatum.

Ran dulcis seu pratensis Trago. A Trago pro Ranunculo pratensi primo, siue



dulci rectè describitur, sed malè pro Ran. siluestri pingitur, transpositis figuris. huius enim imago posteriori loco p. 98. pro silu. Ranunculo posita, debebat priori p. 97. poni pro Ranunculo dulci seu pratensi: & è contrà quæ p. 97. pro dulci extat, ponenda erat p. 98. pro siluestri.

An Fuchsio Chrysanthemum, germ. Wasserhanensüß?

Polyanthemum simpl. Dod. gall. Dodon. gall. vocat Polyanthemum simplex à Plinio lib. 27. cap. 12. descriptum, minùs calidum & siccum Ranunculo, vt quod, teste Trago, cibis admisceatur. Breuiter & ambiguè describit, nec figuram in omnibus respondentem, Fuchsii subiicit, assumpsit. Ea autem, quam in purg. hist. & lat. in fol. Ranunculi hortensis primi titulo exhibuit, nobis satisfacit. Ranunculi porrò speciem esse, non modò florum, verùm & ipsâ totius herbæ facie, & facultate ostendi posse credidit.

Synon. nonnulla Lobel. in Adu. vocat Ranunculi differentiam & varietatem vulgatissimam vbique pratensem à Brabantis ritè Boterbloem (quasi Florem butyri) vocatam, vt quâ tenerâ floribusque onustâ multùm pastæ vaccæ, quum ad mulctrum veniunt, vberiùs lac dant. In Obs. p. 379. Ic. Pl. p. 664. Ran. pratens. etiamque hortensem reptante cauliculo. Gesn. hort. Ranunculi genus per terram magis repens, & acrimoniâ carens, Coronopodem quorundam, & Ranunculi speciem similem luteam flore simplici: Idem de coll. stirp. Ranunculum plurimum habentem, & interea serpentem, floribus maioribus, iuxta semitas. Cæsalp. Ranunculi genus humi serpens non mordens. Turn. Ran. tertium, vulgari similem per omnia, sed dulcem, Monguntinensibus Schmaltwort Sunß hanensüß nuncupatum. Hort. Lul. Ran. vinealem repentem weingarten hanenfüß: Item, Ran. dulcem pratensem, Süssen wissen hanenfüß. Tabern. in Icon. Ranunc. dulcem, Batrachium saluuiferum: Item, Ran. holeraceum maiorem, grossen süssen hanenfuß/Butterblüm: Et, Ran. vinealem, Batrachium vineale, wingart hanenfüß: In Hist. de his ait: Ranunculum dulcem quidam docti imprudenter miscent cum Coronopo Dioscoridis: dicitur græcè Βατράχιον γλυκύ, Batrachiũ dulce, aut saluuiferum, Ran. dulcis pratensis, vulgò herbariis holeraceus, quibusdam salutiferus, Mußhanenfuß: dimittit cauliculos repentes, Fragariæ modo Ran. dulcis 3. siue holeraceus maior, aut pratensis maior, germ. groß Schmaltzblum/groß Butterblum: folia habet priori dulci similia, maiora, minùs laciniata, caulem maiorem, ac etiam flores maiores. Ran. dulcis 6. doctis πλευριδ. Ictinopodium, Lat. dictus Pes milui-nus, Batrachium vineale, Ran. repens dulcis & vinealis priori (dulci) foliis similis foret, nisi crassiora & obscuriùs viridia essent, caules item crassiusculi & fusci: repit & se renouat. Descriptio Ranunc. 1. dulcis Tabern. conuenit cum nostro Ranunculo, non item icon, quæ non respondet descriptioni, vt in qua nulli caules repẽtes. An 3. dulcis sit repens non indicat Tabern. nec icone demonstrat. Ranunculi 6. icon facta videtur ad iconem Lobelii. *Nomen Tabern. quod*

Gerardus pro Ranunculo pratensi etiamque hortensi, Common Crowfoote proponit iconem Ran. repentis dulcis sexti Tabern. Item, pro Ran. auricomo, golde harte Crowfoote eiusdem Ran. dulcem tertium.

Ranunculum dulcem Schvvenckf. Tabernomontanum secutus, triplicem constituit: Ran. dulcem pratensem, oleraceum: Ranunc. dul. prat. maiorem: &, Ran. dul. prat. maculosũ, serpentẽ.

An Ranunculus secundus Matthioli?

Ran. hort. prior Dod. H. Lugd. Historia certè Lugd. præter Ranunculum secundum Matthioli, quem p. 1028. exhibet, pro repente alium Ranunculum, sc. hortensem priorem Dodonæi p. 1031. demonstrat. Et hunc nostrum pulchrè exprimere dicimus, quamvis alterius sit opinionis Dalechamp. qui eum ad quartum Matthioli accedere suspicatur.

An Brunfels. Coronopus & Crus galli silu.?

An est Anguill. epist. 11. Ranun. tertia species?

Thalio est Ranunc. polyanthemus 1. Dodonæi, Ranunc. pratens. 1. Anglorum, Ranunculi 8. species Cordi: Item, Ran. auricomus, seu 3. Ran. species Dod. gallici, Ran. dulcis siue pratensis Tragi. Ego Ran. octauum Cordi huc non refero, sed ad Ran. surrectum acrem, licèt Thalio assentiatur C. Bauh. in phyt. vbi ei est Ranunc. 9. siue pratensis repens hirsutus simplici flore.

Locus & Tempus Basileæ in pratis florentem adhuc Octobri obseruaui, & Geneuæ Nouembri & Martii principio, Aprili Monspelii, ac passim Montbelgardi. Locis vmbrosis, & nonnihil humentibus, non prorsus aridis, secus vias & in locis hortorum incultis sponte exit: in pratis quoque, & non rarò iuxta agrorum margines occurrit. Nec enim quod in hortis tantummodò gignatur, Dodonæo hortensis dicitur, sed quia ferè præ cæteris hortis sit familiarior, atque in his creberrimè gramini permistus reperiatur. Maio ac deinde serius multò vigent flores.

Vires & vsus Ranunculum maiorem siue pratensem dulcem minimè acrem perhibet Tragus, ac propterea citra periculum & noxam vtrinque corpori adhiberi posse ait: folia quidem quacunque in corporis parte ortos tumores imposita discutere ac resoluere. Refert Lobelius, herbam teneram, floribusque onustam, nec non semen, minùs vrente gustu, nec insuaui odore lactis copiã impertire credi: pasci enim hanc præ cæteris armẽta, ceu gratiorẽ, & pratis pinguioribus vsq; cũctis copiosissimam. Tabern. scribit Ranunculum 1. dulcem Aprili & Maio collectum in pultibus oleraceis esse valdè gratum, sicuti & dulcem tertium Maio collectum, ac eum insuper cum sexto bobus & vaccis gratum & salubre pabulum præbere, iisque lac augere.

RANVNCVLVS REPENS FLORE pleno.

Descrip. ET huic quoque fistulosi caules, maculosi, subhirsuti, humi fusi, qui vbi terram attigerunt demissis fibris eam denuò subeunt: folia Repen-

Reliquam Ranunculorum historiam petat Lector ex huius Tomi Appendice pag. 857

SCROPHVLARIA VVLGARIS & major.

Cap. XXXI.

Descriptio.



FOetidi odoris tota est. Radix obliquè agitur, alba, crassiuscula, & tuberibus inæqualibus strumosa: caulis firmus, rectus, quadratus, cauus, purpurascens, ad binos cubitos excrescit, in alas diuisus: folia Galeopsis, maiora, acuta, serrata, ex caulis geniculis aduersa, atrovirentia: flores ex hirsutis pediculis, caulycibus quinque-foliis insident, Antirrhini minimi, hiantis oris instar habentes, suprema lacinia intus atro-purpurea, extrà nonnihil virescente, lateralibus duabus cum infima extrorsum reflexa magis ex viridi pallescentibus, prominulo è rictu stilo virente, altè reconditis tortuosis staminibus cum apicibus ochreis.

Nomina linguarum.

Passim Scophulariam vocant, cognomento maiorem, ad differentiam minoris, quæ Fabarola & Chelidonium minus quoq; nuncupatur. Appellant verò & Millemorbiam, Ficariam, Ferrariam & Castrangulam: Germani Braunwurtz/ Sauwurtz/Seuwurtz/Feigwartzenkraut/Feigwurtzen kraut/ & groß feigwartzenkraut: Belgæ groot speenkruyte sceenkruyt & helmcruyt: Galli *Scrofulaire*: Ital. *Scrofolaria*: Angli water betonye / broune wurt: Hung. Scrofulariam appellant Corofgiif fiu: Fekete, bozza, h. e. nigrum Ebulum.

Radix in empta sculpta figura minùs placet: tubera enim inæqualia strumosa non satis exprimit.

Fuchs. Cordo, Dod. gal. & Gesn. opinio de Scrophularia reprobata.

Fuchs. Cordus, & Dod. gall. itémque Gesn. in cat. pl. Scrophulariam hic à nobis traditam pro Galeopside demonstrant, & describunt. Quorum sententiam reprobant Matth. & Dod. lat. in fol. In Scrophularia vulgari grauem odorem, quo Galeopsim præditam esse volunt, frustrà desiderantes: Vnde odoratûs sensum eos [præsertim verò Matthiolum] perdidisse facilè quis crediderit.

Galeopsim esse non posse dicimus, inquit Marantha, quòd præter alia, tota planta fœtidi & grauis sit odoris, licèt omninò nullam contritionis violentiam sit perpessa: Galeopsos autem folia non nisi trita odorem grauem reddant.

Cæcutiunt & illi, qui cum Trago Ocymastrum faciunt. Nec minùs aberrant qui cum Rob. Constant. Clymenum Plinij esse contendunt. Quidam herbam Chrysippeam Plinij esse putant, quæ cum Ficis strumis medetur. Sed in tanta verborum Plinij breuitate, quod concludam non occurrit. Tigurenses vocant Schwartze Nachtschat, i.e. Solanum nigrum, impropriè tamen: nec desunt qui wurmkraut/hoc est, Vermiũ herbam, aut Vermicularẽ vocitent, sed quam ob causam, nondum patet. Gesn. in cat. pl. cur Agripalmam cognominarit, haud video. Geneuę vocant *L'herbe du siege*, à parte cui remedio est. Summo enim emolumento radice vtuntur, in hæmorroidibus abigendis.

Synon.

Cæterùm, Matth. passim in comm. suis, Hist. germ. & Epit. etiam cum add. Camerarij, Lac. & Dod. lat. in fol. vocant Scrophulariam: Brunfels. Cast. Dur. Gesn. quadr. Lon. Turn. Lobel. in Adu. Obs. p. 289. Icon. Plant. p. 533. Thal. Camer. & Tabern. Scrophulariam maiorem: H. Lugd. pag. Scroph. maiorem Matthioli: C. Bauh. phyt. Scrophulariam 1. [2. apud Matth.] siue nodosam fœtidam. Gesn. hort. Scrofulariam maiorem: Item, Clymenum nodos seu scrophulas in radice habens, & Clymenum marem: Cæsalp. Scrofulariam maiorem recentiorum Medicorum. Galeopsim Fuchs. Cord. & Dodon. gall. itémque Gesner. in cat. pl. Galeopsim minorem Fuchs. in Icon.

Locus & tempus.

Scrophulariam vulgarem maiorem obseruaui Basileæ Octobri ad fluuium Birse extra & intra vrbem: item florentem extra portam Basileæ minoris Riemerthor, mense Iunio: Geneuæ passim: Lugduni quoque, & in Italia inter Veronam & Castelfranc. Secus agrorum margines, in scrobibus siccis non rarò prouenit, ac in syluis. Iulio ac Augusto cum flore viget; semen indè maturescit.

Vires & vsus.

Cæterùm, quamuis satis sit, Scrophulariam non esse Galeopsim: ea tamen viribus pollet non contemnendis, namque eius radix strumas, & hæmorrhoidas sanat. In quem vsum radix effoditur autumnali tempore, & repurgata tunditur cum recenti butiro, operculatóque fictili in vliginoso loco reponitur, vbi dimittitur per quindecim dies. Deinde lento igne butyrum illud liquefit, & percolatum asseruatur, quo prædicti morbi itémque scabies, vtilissimè illinuntur, referente Matthiolo, Solenandro cons. med. 20 sectiõ. 4. & Dodonæo. Scrophularia radicem habet tuberosam (inquit Porta phyt. lib. 5. cap. 23. vbi figura) vlceribus strumosis cauernosis, carcinomati, aut depascentibus sideratis, satis oportunam: tuberculis item ab humore frigido glaciatis emolliendo opitulantem. Facultate autem calida & sicca est, & propterea desiccat, extenuat, discutit, abstergit: est enim gustu amara, & subtilium partium. Et hinc ad duros glandularum tumores quos Græci χοιράδας, Latini strumas, & vulgò Scrofulas appellant, & hæmorrhoidum cum dolore tumores prodesse fertur.


Superstit.

Nonnulli vel collo appensam, vel aliàs gestatam ad sanitatem conferre temerè prædicant. Siccæ radicis puluis impositus hæmorrhoidas siccat: Idem drachmæ pondere potus, lumbricos ventris pellit. Aqua è radicibus distillata, faciei ruborem illita tollit.

SCROPHVLARIA MAXIMA radice fibrosâ.

Cap. XXXII.

QVadratis caulibus ad cubitos aliquot altis excrescit: per quod folia Scrophulariæ



vulgaris, vel Betonicæ, serrata, nigricantia, fœtida: flores & vascula ad maioris vulgatæ Scrophulariæ accedunt: verùm radix non, vt illi, strumosa, sed ex innumeris fibris contexta.

Hoc est Ocimastrum illud maius Tragi, quod Ocimastro minore [Scrophularia vulgari] caule & foliis viridioribus esse perhibet, & ad proceritatem sæpè viri assurgere.

Eandem plantam cum Trago fortè intelligit Cordus per Ocimum in aquosis nascens, quod Herbarios pro Erino Dioscoridis, & Erineo herba Plinii agnoscere ait, & Germanos pro wasser Basilien. Hoc non describit, & fortè nomen germanicum fingit.

An Ocimum aquatile Gesnero?

Lobel. in Obs. Scrophulariam maximam sub sequentibus nominibus pingit pag. 288. Betonica aquatica Septentrionalium an Clymenum Dioscoridis? Galeopsis siue Scrophularia altera Dodonæi vernaculæ editionis [gallicæ, intelligo.] Clymenon Turneri [eius verba præc. cap. adscripsi:] Sesamoides minus fortè Solimano. Terpentaria D. I. Dilsii à Terebinthinæ dote simili. Ocimastrum alterum Tragi. Belg. Beeck Crüym & cruyt, S. Antheunis crüyt. In Icon. Plant. pag. 533. intitulauit Betonicam aquaticam Septentrionalium: Dodonæus Lat. Betonicam aquatilem. Camer. apud Matth. vocat Scrofulariam fœminam, & vulgo germ. weissen Nachtschatten/hoc est, Solanum album.

C. Bauh. phyt. Scrophulariam 2. siue palustrem non fœtidam. Item. Scrophulariam 3. siue aquaticam folio Betonicæ: Ocymastrum maius Trago: Beton. aquat. Septentrionalium Lobelio. Apud Matth. Scrophulariam palustrem radicibus fibrosis, caule & foliis prorsus viridibus, in palustribus Basileensibus minimè fœtentem. *C. B. not.* Secundam & tertiam Fratris Scrophulariam nondum separauerim.


Locus & Tempus Variis in locis prouenit Montbelgardi. Monspelii floret mense Maio & Iunio ad fossas aquarum. Iuxta aquas profluentes emicat, inquit Dod. colecus scrobium ripas: in aridis vix reperitur. Iulio ac Augusto cum flore viget, semen inde maturescit.

Vires & Vsus. Facultate calida & sicca est: folia abstersoria vi prædita, ad praua, & fœtida vlcera plurimùm prodesse feruntur: & cum melle succus horum decoctus. Curant autem vlcera & contusa, si manè & serò continuis diebus in foco calefacta & contrita folia imponantur.

* * *

SCROPHVLARIA FLORE RVBRO Camerarii.

Cap. XXXII.




Scroph. sine tuberculis Scrophularia altera sine scrophulis siue tuberculis, cuius flosculos & folia Scrophulariæ vulgaris maioris elegantiora esse ait author Camerarius, in cæteris fermè conuenire, nescit an ab aliis descripta, nisi sit Galeopsis Anguillaræ. Semine quotannis sua sponte propagatur.

Icon. Scroph. peregrinæ. Huius iconem quadragesimo tertio loco, Scrophulariæ peregrinæ titulo pictam dedit. In hac autem imagine flosculi è suo conceptaculo euulsi, parte anteriore & posteriore, & vnus eidem adhuc inhærens, denique semen cum suo vasculo distinctè notari possunt. Sculptor noster malè capitulorum apices ademit, & ea nimis rotunda repræsentauit.

C. Bauhinus, cui à Doldio ex horto Camerarij transmissa, vocauit in phyt. Scrophulariam quartam, siue flore rubro. An est Clusio Scrophularia Cretica 2. cuius delineationem infrà eadem inscriptione dabimus?

SCROPHVLARIA LVTEA MAGNA amplis foliis.

Cap. XXXIII.



Descriptio Caules profert plures bicubitales circiter, quadratos, nonnihil pilosos: folia superiora acuminata, neruosa, profundè per ambitum serrata, infima quidem quatuor vncias longa, totidem lata, pediculo quaternis vnciis longiore: quæ his superiora sunt, per caulem veluti ad genicula opposito situ nascuntur

nascuntur, alia trium, alia duarum vnciarum & semuncialibus tandem pediculis hærent, decrescente pariter foliorum magnitudine: ex vniuscuiusque ferè folij sinu pediculus emergit palmaris circiter, cuius circa fastigium foliola bina exigua conspiciuntur, supra quæ extremo pediculi cacumine *flores* hærent complures, lutei, Pisi minimi magnitudine, concaui, hiantes, apicibus itidem intus luteis, quos extrinsecus amplectuntur foliola quædam lutea: subsequuntur *seminum* conceptacula turbinata, capitulis hyperici similia. Nullum mihi manifestũ odorem halat planta. Sapor autem tam florum, quàm foliorum nonnihil dulcis mihi videtur.

Lamium Pannonicum 2. siue exoticum Clusio.

Locus & tempus. Montbelgardi in horto Ill. E. C. pluribus annis durat se quotannis semine renouans, Aprili & Maio florens. Clusius florentem obseruauit primùm Viennæ Austriæ in hortulo suo ad parietẽ natã, nescit quo semine. Eam subsequens Hiems auferebat quidem, sed deciduo semine prognatæ sunt insequente anno aliquot plãtæ, quæ demùm altero Vere flores protulere. Floret Maio, semen Iunio maturum est: deinde tota planta radicitus perit: nonnunquam tamen ex radice etiam repullulat.

SCROPHVLARIA INDICA CAPITVLIS maximis, & de Creticis Syluij Scrophularijs.

Cap. XXXIV.

Semen Indicæ. Calyces. SCrophulariæ Indicæ nomine accepi *semen* quoddam, cuius calyces sunt ex breuibus inæqualis lõgitudinis pediculis quinque simul iunctis, formæ ferè & magnitudinis Ciceris arietini rotundi, qui bipartiti in acumẽ desinunt, quos folia ambiunt breuia: semẽ in capitulis, siue calycib. minutũ, nigrum. Hanc Caspar. Bauh. in phyt. vocat Scrophulariam 6. siue Indicam capitulis aliquot iunctis, sed quadruplò quàm in alijs maioribus.



Scrophulariæ autem Creticæ genera duo tradit & describit Clusius: 1. quidem quod Francofurti natum ex semine Cretã accepto, Rutæ siluestris appellatione: ac 2. quod folio vrticæ esse dicit; ac de quo meritò quæri & dubitari possit, vtrũ sit Scrophularia peregrina Camerarij necne.

SCROPHVLARIA TERTIA DODONÆO tenuifolia, Ruta canina quibusdam vocata.

Cap. XXXV.

Descriptio. SCrophulariæ tertiæ nomine exhibita à Dodonæo planta, *radicem* habet longam, simplicem, mediocriter crassam: *caules* cubitales striatos, teretes, ferè nigricantes, medullà fungosà plenos, ramosos, per quos *folia* oblonga, angusta, profundè laciniata, grauiter odorata: *flores* eo ordine dispositi quo in Scrophularia maiore vulgari, copiosiores, parui, nigri, quos vascula excipiunt Scrophulariæ minora, acuminata, in duas carinas dehiscentia.



Scroph. 3. Dodon. Scrophulariæ suæ tertiã speciem Dod. gall. pro Galeopseos specie sumi posse admittit. Lobel. in Aduers. huius mẽtionẽ facit nomine Rutæ caninæ [sic in Obseru. pag. 588. & Ic. Plãt. Tom. 2. pag. 55. quoque inscribitur.] & suspicatur Hypecoum esse. Clus. in Histor. post. vocat Scrophulariam, siue Rutam caninam primam.

Ad Sideritidem reducitur à Cæsalpino & Camerario. Gesnerus tradit in pede montis circa Glaronam locis saxosis nasci, Monspelij Rutam caninam vocatam.

An Cordo Herba folijs Pyrethri? An Herba Mora Italorum H. Lugdunens.

Montbelgardi in horto Ill. E C. per multos annos floruit adhuc Octobri, radice perenni. Eam autem primùm obseruaui Eslingæ in horto cl. D. Ioan. Volmarij, qui Sesamoides nominabat: dein Monspelij & Lugduni, itémque Brisaci ad Rhenum. Locus & tempus.

CHAMÆROPS.

Cap. XXXVI.



Chamærops Plinij. Descriptio. CHamærops Plinij hæc videtur esse Historiæ Lugdunensi pagina 1339. quæ in filuosis gignitur, radice crassã & multiplici, caulibus multis & cubitalib., folijs Myrti circa caulem geminis: flore copioso; è foliorum finibus nascente, semine in oblongis vasculis.

Eosdem verò effectus

lateris doloribus habet Chamærops, inquit lib. 26.cap.7. Plinius, myrtes circa caulem geminis foliis, capitulis Græculæ rosæ ex vino pota. Quisquis ille fuerit apud H. Lugdunensem, qui Chamæropem Plinii ita ieiunè delinearit, nec natalē adscripserit, authoritati suę non consuluit. Meritò cum Casp. Bauhino, quænam hæc sit, aliquis petierit.

H. Lugd. not.

DE SIDERITIDE IN GENERE, ET particulatim de Heraclea.

Cap. XXXVII.

Sideritidis Etymon.

Μιδηρῖτις Gr. Latinis quoq; Sideritis dicitur ἀπὸ σιδήρου, à ferro, quasi Ferruminatrix, quòd vulnerib. ferro factis perutilis sit, vel quoniam glutinandis vulnerib. apta, præcipuū in bello habeat vsum, quod sæpè ab eo metallo in græcis scriptoribus indicatur. Sed enim permultæ sint plantæ, diuersi etiam generis, eæque insignes, quæ ferro sauciatis partibus, vel vulneribus quomis modo acceptis, opem polliceantur, ac ob id Sideritides nuncupentur, haud immeritò hîc eę commemorandæ veniunt. Sed enim studiosis bene consultum fore speramus, si eæ, quæ à veteribus, & maximè à Dioscoride, descriptæ sunt, illis primò innotescant.

Sideritidis tria genera Dios. lectio illustratur.

Dioscorides itaque tria facit Sideritidis genera, quorum primum est Sideritis, quam aliqui Heracleam vocant [hanc solùm describit Byzant. cod. Sarrac.] herba folia habens parua multa & tenuia, similia Marrubio [φύλλα πρασίῳ. Vet. ἐμφερῆ ἐχούσα πρὸς τὰ τῆς δρυός.] sed oblongiora [ἐπιμηκέστερα.] ad Saluiæ [ἐλελισφάκῳ] aut Quercus [δρυὸς] folia accedentia, minora quidem & aspera. Caules verò edit quadratos, pedales [dodrantales, Sarrac. σπιθαμιαίους græc. cod. πηχυαίους vet.] & maiores, non iniucundi gustûs [οὐκ ἀηδεῖς. ἀηδεῖς Dal. ἡδεῖς vet.] & quodammodò leuiter subastringentis, in quibus ex interuallo verticilli spectantur rotundi, vt in Marrubio, & in iis semen nigrum. In locis sub quibus petræ latent, nascitur. Folia imposita vim habent glutinandi vulnera, & ab inflammatione vindicandi. Sideritis altera ramos habet binûm cubitorum, exiles: folia longis hærentia pediculis, ceu Filicis, in extrema sui parte incisuris diuisa, vtrinque numerosa: è superioribus autem alarum cauis nouos erumpentes surculos longos, tenues, capitulis in cacumine globosis & asperis, in quibus semen continetur, ceu Betæ, verùm aliquantò rotundius atque durius. Huius etiam foliorum vis vulneribus vtilis est. Traditur & tertia Sideritis, quam etiam Crateuas Heracleam vocat. In maceriis vinetisque nascitur, foliis ab vna radice multis. Coriandro similibus, circa cauliculos dodrantales, leues, teneros, cum rubore candicantes: floribus puniceis, paruis, gustu amaris & lentis. Huius etiam impositæ ea vis est, vt cruenta recentiaque vulnera glutinet.

Panax Heraclea. Millefoliū.

Panacem Heracleam, alii Sideritim, & apud nos Millefolium vocant, cubitali scapo, ramosam, minutioribus quàm Fœniculi foliis vestitam ab imo. Alii fatentur quidem illam vulneribus vtilem, sed veram Achilleam esse scapo cæruleo, pedali, sine ramis, ex omni parte singulis foliis rotundis eleganter vestitam. Alii quadrato caule, capitibus Marrubii, folio Quercus. Hanc etiam præcisos neruos glutinare ferunt. Alii Sideritim in maceriis nascentem, cùm teritur, fœdi odoris: Etiamnum aliam similem huic, sed candidioribus foliis & pinguioribus, tenerioribus cauliculis, in vineis nascentem. Aliam verò bi... ûm cubitorum, ramulis exilibus, triangulis, folio Filicis, pediculo longo, Betę semine, omnes vulneribus præcipuas. Nostri eam quæ est latissimo folio, Scopas regias vocant. Medetur anginis suûm.

Achilleas seu Sideritides sex statuit & describit Plinius, ac satis quidem indistinctè, ita tamen vt agnosci & intelligi possit [inquit Dalech.] primam Achilleon eius, Dioscoridis Achilleam esse: secundam, Achilleon veram, scapo cæruleo, &c. esse Myriophyllon Dioscoridis. Tertiam quadrato caule, &c. esse Sideritin Heracleam Dioscoridis primam. Quartam in maceriis nascentem, &c. esse Heracleam Crateuæ, apud Dioscoridem. Quintam superiori similem, sed foliis candidioribus, &c. esse tertiam Sideritin Dioscoridis. Sextam, Dioscoridis Sideritin secundam.

Galenus vnius duntaxat Sideritidis meminit. Sideritis [inquit 8. simpl.] habet quidem etiam abstergendi facultatem quandam, sed plurima eius pars humida est, & mediocriter frigida: pauca verò inest adstrictio, quare phlegmonem sedat & glutinat.

Sideritis vna Galeni.

Clausimus vno eodemque capite veterum codicum lectione & fide per Marcellum moniti, tres ab aliis seorsum tractatas Sideritides, nec satis certà à veteribus etiam historià descriptas. Quominus miretur aliquis nostra ætate incertas earum notas: & inter similes herbas & eiusdem potestatis vagos Medicorum vsus, miscentibus earum genera Herbariis, & inuicem commutantibus. Factum hoc iampridem est, quodque Plinii ætate incertum erat, ignorari sęculo nostro nullus mirabitur. Nos quidem ingenuè fatemur in tanta veterum & iuniorum diuersitate nihil habere, quod pro comperto tradere valeamus.

Sideritis nomine sequentes insigniuntur plantæ. Sideritis hirsuta vulgaris. Sider. Clus. capitato flore. Sider. Monspessul. Sider. Hisp. hirsuta Clusio. Sideritis flosculis vix ex vasculis prominentibus luteis. Sideritis quarta Clusii ramulis procumbentibus. Sideritis folio rotundiore. Sideritis glabra aruensis. Sideritis Valerandi Dourez breui spica. Sideritis lignosa. Sideritis glabra angustifolia speciosis verticillis. Sideritis cruciata. Sideritidis genus spinosis verticillis. Sideritis spinosa. Sider. foliolis Oleæ. Ladanum segetum flore albo. Ladanum segetum flore rubro. Cannabis siluestris quorundam. Cardiaca. Marrubium Tragi palustre. Marrubium Pannonicum. Marrub. album angustum. Herba venti. Melissophyllon Fuchsii. Galeopsis angustifolia fœtida. Galeopsis, latifolia fœtida. Gallitrichum siluestre. Gallitrichum satiuum. Gallitricho affine Maru. Galeopsis lutea. Ternionaria. Coris lutea Monspeliaca. Euphrasia 2. Dod. purpurea. Botrys altera. Chamæpitys. Senecio hirsutus fœtidus. Parietaria. Millefolium stratiotes. Achillea. Fumaria minor. Geranium sanguineum. Geranium Robertianum. Scrophularia tertia Dodonæi. Sanicula vulgaris. Sanguisorba minor. Barbarea. Filix floribus insignis. Tanacetum album. Verbenaca supina. Pulmonaria gallica. Virga aurea. Erice. Eruum.

Aequiuoca

SIDERITIS

SIDERITIS VVLGARIS HIRSVTA.

CAP. XXXVIII.



Descrip. EX lignosa radice caules emittit pedales & bipedales, quadratos, hirsutos, ex albido virore flauescêtes: ad quorum genicula folia exeunt aduersa, rugosa hirsuta, vnciali, aut sextantali longitudine, semunciã circiter lata, in ambitu crenata, sapore exsiccante & adstringente cum calore aliquo: flores verticillati genicula amplectũtur, galericulati, ex albido lutei, labro sanguineis punctis guttato, ex calyculis hirsutis, in quinque mucronata segmenta abeuntibus: relinquunt post se singuli flores quaterna semina.

Ex Clusio. Clusius de sua dicit, folia grauiter odorata, gustûs amaricantis & acriusculi: flores galeatos aliquantulùm, candidos, odoratos, hiatum, siue rictum sanguineis notis conspersum habentes: semen in pentagonis vasculis inæquale, nigrum.

Lob. descr. Lob. sic describit. Virgultis pedalibus, iam surrectis iam depressis, quadratis, duriusculis, ternis, aut quaternis, verticillis crebribus donatis, pungentibus, floribus albicantibus ex diluta purpura. Iuxta quos & subter, folia sunt longiora, angustiora, incana, & vt totus caulis, scabra, & crispa, ambitu laciniato, vt Chamædrys, aliquando laciniosa diuisura obscuriùs apparet in quibusdam foliis, quæ causa fuit, vt Dioscorides iam quernæ frondi, iam Saluiæ & Marrubio contulerit. Radix lignosa Marrubij, minùs fibrosa.

Synon. linguarum. Sideritim appellat Ruellius: Sider. Heracleam Euch. Roesl. & Lobelius: Sider. heracleam Dioscor. Tabern. Sideritidem primam Fuchs. Sideritim 1. Dioscoridis Turn. Sideritim Fuchsij Cord. in Hist. & Camer. Hort. Sideritim 1. Dodonæi [gall.] & Fuchsij Hort. Lusit. & Thalius. Sideritim 1. Fuchsij Gesn. hort. Sideritim 1. Marrubij folio in cat. pl. Sider. 1 florib. albis de coll. stirp. Sideritim vulgarem Camer. in Hist. germ. & Epit. Matthioli. Sideritidem quartam Lonic. Sideritim Pannonicam spicato flore Clus. in Pannon. Hist. Sid. 1. vulgarem in Hist. post. Sid. 2. siue vulgarem hirsutam C. Bauh. phyt. Aliqui veram Achilleam cognominant. Sed & Alysson Galeni vocat Presburger. Recentiores Herbarij & officinæ nonnullæ Iudaicam herbam, & Tetrahil aut Tetrahit barbaro nomine inscribunt: Germani wundkraut. i.e. herbam vulnerariam, & gliedkraut, h.e. Artuum, & Zeißkraut. Galli *espece de Tetrait*, Fuchs. & Lob. Hung. *Tizros fu*, h.e. Nobilem herbam. Magna officinarum pars, ac nonnulli recentiorum pro Chamæpity veterum ostendunt, eáque non sine errore, vt bene docet Fuchsius Sideritidem 1. inscribens, pro Chamæpity vtuntur. Fuchsio in eo aduersatur Matthiolus, à cuius è contrà stat partib. in adu. Lob. Vocabulo, inquit, quod ferro sauciatis partib. opem promitteret, nobilitarunt primi mortales complures plantas, Sideritidesq; vocarunt, potiùs virium consimiles effectiones sequuti, quàm vultuum affinitates, genericásve differentias. Quare Sideritidem hanc Heracliam, siue Ferruminatricem Herculeam, docti Barbari illam multo experimento compertam & vocatam Tetrahil, siue Iudaicam esse sanxerunt: non modò propter vires efficacissimas, & planè Herculeas, sed etiam quia quàm proximè delineationem Dioscoridis, si quæ alia, repræsentat. Quo magis dolet peritis & candidis plantarum arbitris, Commentatorem Senensem eò securitatis ignauæ progressum, vt cùm quænam esset, vel Italicis Iudæis Iudaica herba, se nescire quereretur, quam scitè, vt sêper omnia Ruellius, & ex eo Fuchsius expressisset, tamen in vtrumque inscitiæ calumniam impegerit, & sensu studio planè deprauato plausum è triuio captarit. Huicque herbæ de sua classe pulsæ, sibi missas, vt semper iactat, nec tamen nisi mutilè descriptas, aliàs suffecerit, sc. Marrubium aquaticum vulgi. Hæc Lobel. in Aduers. vbi plantam minùs felici picturâ expressit. Eandem imaginem in Ic. Plant. p. 523. pro Sideritide siue Ferruminatrice, & Sideritide Herculea Diosc. Cordo, Clusio & Herbariis dedit: Itémque ibidem aliam pro Tetrahit Herbariorum pinxit. *Lobel. not.* Is autem in Obs. p. 282. pro Tetrahit Aduersariorum, siue Heraclea Sideritide Dioscoridis Cordi & Clusij, aut pro Sideritidis vulgaris figura, ponit iconem Clusij Sideritidis Hispanicæ, quasi putarit eandem cum vulgari Fuchsiana. Libro etiam Iconum, plantæ, quam exhibuerat pro vulgari hac Sideritide, titulum iam scriptum adaptauit, ibidémque iconem Clusij à vulgari non separauit. Et hæc occasio vt Lobelij descriptionem nostræ subiecerimus: Clusij autem Sideritis Hispanicæ capite proprio.

Sed & H. Lugd. primam Dioscoridis Sideritim Tetrahit esse pronunciat. Ait autem inter cætera. Matthiolus Ruellium & Fuchsium erroris insimulat, quòd primam Sideritidem dixerint herbam esse, quæ hodie nostris herbariis & officinis barbaro nomine Tetrahit, aliis herba Iudaica nominatur. *Matth. notatur.* At periti & exercitati Herbarij, tum Ruellio, Fuchsióque ætate superiores, tum inferiores multis rationibus inducti Tetrahit siue Iudaicam herbam, primam, siue Heracleam Sideritidem esse censuerunt: &c. Eadem verò historia huius plantæ duas proponit figuras p. 1119. Vnam quidem habet hoc titulo: Tetrahit, Herba Iudaica, Sideritis prima Fuchsio: alteri titulum fecit, Tetrahit, Sideritis Heraclea Dioscoridis. Et hanc Clusius & Lobelius quoque pictam dederunt; quæ meo iudicio eiusdem plantæ cum Sideritide prima Fuchsij: nec meminit Historia duarum discrepantium Herbariorum Dioscoridis Tetrahit.

Camer. notatur. Camerarius in Epit. & Hist. germ. Matth. ait se apposuisse Sideritidem vulgarem, propter vires celebrem, tamen glabram & serratis foliis pinxit, quæ non respondere videtur vulgari, sed potiùs nostræ Sideritidi cruciatæ, de qua paulò post.

Locus & Tempus. Monspelij florentem obseruaui mense Iunio, ac etiam Geneuæ & Basileæ quà itur Moutets, & inter portem cineream & lapideam, circa castel-

lum Hermes: Item extra portam Riemerthor. Iunio & Octobri. Montbelgardi copiosè prouenit. Clusius passim in Gallia, Germania, Pannonia, & Austria siccioribus agrorum & siluarum cæduarum marginibus obuiam perhibet. Collib. apricis & merediano Soli obiectis, in promontoriis præcipuè circa Ilseldam, Vvernigerodam: versus Northusam obseruauit Thalius. Lobelius in maritimis,& montosis Italiæ, Insubriæ, & ad Apenninos montes, Venetiis ad Lio, inque Gallus Narbonensi & Lugdunensi reptantem, strigosaque vel sabulosa arida perpetuò amantem, ïque Autumnum perdurantem: Iulio & Iunio florentem.

Vires & Vsus. Iam diu valdè magno emolumento cognita practicis quibusdam Iudæis & Maranis cursoribus, qui hàc enterocelas & alba menstrua curant. Vehementer exsiccat, nonnihil odora adstrictione insigni, nec ingrato sapore, ad vulnera nata & prorsum tanto Herois nomine digna. Hanc in vsum desiccatam adseruant rhizotomæ mulierculæ: Nam præterquam quod aduersus capitis dolorem, quem Suti fûee peer appellant [vnde herbæ nomen, inquit Clus.] ipsum decocto illius lauari vtile censent, ab aliquo indocto empirico edoctæ: earundem etiam decocto pedes & alios artus defatigatos, aut alioqui rigentes, vtiliter foueri prædicant. Quidam ad crurum Erysipelata [Belgæ de roose/Germ. die Röte appellant] curanda, recens collectæ & adhuc virentis decocto, non sine felici successu vsi sunt, crura fouendo, aut decocti fumo leniendo.

SIDERITIS SECVNDA CLVSIO, capitato flore.

Descriptio. HVmilior priore, neque pedalem excedit altitudinem, in raros diuisa ramulos, foliis priori similibus, mollioribus tamen: flores ampliores albi, pallescente labro, & paucis rubris punctis asperso, verticillatim in vtriculis caulem supremosque ramulos ambientes, breuiorem quàm in iam dicta, & quasi mutilatam spicam conficiunt, vt in Prunella vulgò dicta, authore Clusio qui Sideritim secundam Pannonicam capitato flore in Hist. Pann. vocat, & Sideritim 2. in post.

Locus. Nusquam non occurrit in agris, & inter segetes in multis Pannoniæ & Austriæ locis: circa tribotwinckel autem frequentissima. Floret Iulio.

SIDERITIS MONSPESSVLANA.

CAP. XXXIX.

Descriptio. SIderitidi Monspessulanæ radix subest crassiuscula lignosa, raris fibris donata: caules à radice mox plures, subinde ramosi, dodrantales, valdè hirsuti, albicantes: folia breuiora, rotundiora, magisque hirsuta, quàm Sideritidis vulgaris, serrata, amara: flores verticillati, forma quidem & magnitudine similes, sed coloris ex luteo albescentis, odore est graui. Amaricante exsiccanteque gustu præditi sunt flosculi, inquit Lobelius, ac nonnihil aromatici suauisque halant, [quod Chamædryn aut Betonicam referat.

Synonyma. Lobel. dicitur in Adv. Sideritis Monspeliaca Scordioides, siue Scordii folio. In Obs. pag. 285.



& Icon. Plant. pag. 525. Sideritis Monspeliaca Scordioides floribus luteis, Tragoriganum Prassoides Francisci Pennini. H. Lugd. pag. 1122. Sideritis Mõspeliensis Penæ. C.Bauh. phyt. Sideritis 5. siue hirsuta Monspeliaca.

Locus & Tempus. Florentem mense Aprili & Maio vidi prope patibulum Monspessuli vbi abundare annotauit Monspeliensium Schola.

SIDERITIS CLVSIO HISPANICA hirsuta.

CAP. XL.

Descriptio. LOngiore est folio quàm Marrubium, satis ad Saluiæ folium accedente, minore tamen, querni ferè folii diuisurâ, scabro, villis quibusdam prædito, nec iniucundi gustûs, nec odoris: caules fundit quadrangulos, palmum vt plurimùm excedentes, interdum procumbentes, duros, hirtos, candicantes, quorum summitates per interualla verticillati orbes coronant, vt in vulgari Sideritide, orbes vasculis constant, in quibus flos priori par, ex candido nonnunquam purpurascens, quo euanescente, semen in vasculis nigricans reperitur: radix dura, lignosa, viuax, authore descriptore Clusio.

Lobelius in Obs. & in Icon. pl. assumpta Icone Sideritis Hispanicæ Clusii, eandem fecit cum vulgari, vt iam antè annotauimus. Dodonæus etiam proponit iconem Sideritidis Hispanicæ Clusii, quam à vulgari non distinguit. An verò Sideritis vulgaris sit, de qua scribit, iudicent lectores.

C.Bauh. phyt. ait Sideritim suam 3. siue hirsutam alteram esse Sideritim Heracleam Clusii Hisp. & Tetrahit Herbariorum Lobelii, differreque à vulgari, quòd illa altior: hæc caules habeat procumbentes, magisque hirsutie candicet. Ego autem ferè dicerem Sideritim Hispanicam Clusii eandem esse cum Monspeliensi, nisi Lobelius & Casp. Bauh. eam ab illa separarent. Posteri hanc rem diligentiùs perquirent.

An Sideritis 1. Schvvenckfeld.?

Locus & tempus. Nusquam ferè non occurrit hæc arido & petroso solo per Hispaniam, Galliam, Germaniam, floretque Æstate, & quibusdam etiam locis in Autumnum vsque florens spectatur, vt refert Clus. in Hisp. Idem in Hist. post. ait frequentem occurrere aridis & petrosis Castellæ veteris locis, Æstate florentem, quibusdam etiam locis in Autumnum vsque floribus onustam conspici.

SIDERITIS

SIDERITIS FLOSCVLIS VIX EX VAS culis prominentibus fuscis.
CAP. XLII.

Descriptio CVbitalis est, vel paulò minùs planta, caule quadrato, hirsuto, foliis donato ad articulos ut in Sideritide vulgari, diuersis nequaquam per marginem serratis (in planta quã habemus) vncialibus & sescuncialibus hirsutis: rami in quos diuiditur oppositum habent situm: per quos longã serie flores verticillati, pusilli, inter ipsos calyces prominentes, fusco colore in ... in ... calyces ... adm... hirsutis, in quinque a... in spinulam desinentes sectiones diuisis: porrò vnicuique verticillo bina subijciuntur adueria folia, multò inferioribus minora, magis tomentosa, neruis secundùm longitudinem donata, equabili marginum circumscriptione ad Serpillum accedentia.

Icon. Iconem nostram ex sicca pictor minùs fœliciter delineauit.

Locus Clus. in Pannon. p. 600. dicitur Sider. Pann. 3. In Hist. post. Siderit. 6. Pannon. C. Bauh. phyt. Sideritis ... Pannon. Rh... Viennensib. ...

Ex plantis Agerij habui Sideritidē Pannonicā hanc antè ... Frequentissima autem est in Pannon ... & Austria ... satis aruis & inter segetes, macro & sterili solo. Floret Iunio & Iulio,

Tempus semen subinde maturum etiam Iulio.

Vires Huius vires ad...ptæ sunt ex Clusio capite de Sideritide vulgari.

SIDERITIS QVARTA CLVSII, ramulis procumbentibus.
CAP. XLIII.

Descriptio ALiquot habet ramos procumbentes, quadrangulos, tenues, villis quibusdā obsitos, quos per interualla contrario semper situ bina cingūt folia, vulgari, ferè similia, paulò tamen minora, à medio ad extremū serrata, nonnihil etiam villosa: summos ramos verticillatim ambiunt vasculis in quibus flores prioribus formā similes, qui ... ex delineatione colligere potuit author Clus. propterea nihil de colore pronunciat, neque de semine, quod superiorum semini par esse verisimile est: radix non videtur viuax, sed eo anno, quo planta flores protulit, perire.

SIDERITIS FOLIO ROTVNDIORE.
CAP. XLIV.

Descriptio MEdium caulem habet surrectum, quadrangulum: deinde, statim à radice, multos in terra spargit ramos, humi fusos, quadrangulares, quibusdam villis pubescentes, geniculatos, quos bina semper inter se opposita, ad singulos nodos, amplectuntur folia, præcedentis folijs penè similia, minùs tamen serrata, inter quæ, ab imo ad summum vsque, verticillorum ritu nascuntur in vasculis flores, superioribus etiam formā similes, (quorum color, ni fallitur author Clusius, nam in ... Belgicæ illam olim obseruasse putat:) albus: nec huius radix viuax esse videtur: Iconē ad Clus. mittebat Iac. Plateau, eleganter expressam.

An Thalio Sideritis Cordi?

SIDERITIS GLABRA ARVENSIS.
CAP. XLV.

Descriptio SIderitim vulgarem refert, tum caule quadrato, tū foliorū ... simili positu, serratis, verùm ... tū hæc glabra sunt & atro virore splendentia, folia et à latiora: florum verticilli spicam effigiantes patulo rictu, subiecta habent singuli bina: flores ipsi maiores videntur, candoris niuei, subinde pilosi, veluti & calyx: radix simplex, gracilis.

Hæc est illa stirps, quam Tabern. in Hist. Alyssum maius: C. Bauh. phyt. Sider. 6. siue aruensem glabram, flore pallido. Non est autem Sideritis altera Matth. vt alicui facilè concesserit C. Bauh.

Locus. Tempus. Montbelgardi obseruaui in aruis inter Arbonans pagum & Audincourt, & eundo ad vites florentem Iunio & Iulio ac Augusto: Basileæ etiam frequentem.

SIDERITIS VALERANDI DOVREZ breui spicā.
CAP. XLVI.

Descriptio MInimum digitum crassitudine fermè æquat radix, lignosa, non sine adnatis fibris, Lobelio flexuosa, pulla, amaricāte gustu, præsicca, nec ingrata: quæ ex se innumeras promit virgas lignescentes, dodrantales, oppositis ramis paulò supra radicē brachiatas, hirsutas, per quas folia ad jun-

ćturas bina oblonga, angusta, per extremum nonnihil serrata, minora quàm Sideritidis Fuchsianæ: desinunt autem singuli ramuli in spicas Betonicæ, vel Phalaridis spicarum æmulas, vnciam aut sescunciam ferè longas, pulchris calycibus in quinos aculeos desinentibus, maioribus quàm vel Fuchsianæ, vel Monspessulanæ Sideritidis, minusque hirsutis densè stipatas, adiacentibus foliis barbatis at ferè spinosis: florum color quis fuerit, non dixerim certò, præsertim cùm iam olim à Valerando Dourez reposita planta, quam habeo, propemodum exoleuerit.

Sideritis montana Lobel. Sideritim montanam (ita namque vocat Lobel. in Aduersitemque Icon. Plant. pag. 525 pessimam exhibens effigiem) satis bellè quadrare arbitraretur Heracleæ Sideritidi, ni folia angustiora multò essent, vique efficaciore carerent. H.Lug l.pag.1122. inscribit Sideritim montanam Penæ: Casp.Bauh.phyt. Sideritim 9. siue montanam.

SIDERITIS GENVS SPINOSIS verticillis.

Cap. XXVI.



Descriptio Sideridi affinem plantam vocamus, cui caulis est quadratus, hirsutus, & ad singulos nodos verticillatim circumnascuntur flores, Sideritidis vulgaris floribus similes, candidi, hiantes, non ita exerti, calycibus laxis, duris, in quinque lacinias rigidas spinosas, supremam omnium longè maximam, diuisis: vnicuique autem verticillo, ab imo ramo ad summum vsque fastigium, duo sunt subiecta ex aduerso otta folia, modicâ hirsutie obsita, serrata vt Teucrii, sed nonnihil oblongiora, angustiora. Hanc Cherletus collegit prope Romam.

SIDERITIS SPINOSA.

Cap. XXVII.

Descriptio MOntbelgardi in horto Ill. E.C. nobis prouenit ex semine, si bene recordor, Cretico, planta, cui nomen dedimus Sideritidis spinosæ, propter quandam cum vulgari Sideritide similitudinem. Est autem hæc vulgaris foliis vnoá longioribus, in acumen desinentibus, hirsutis, candicantibus, sibique oppositis: caulibus aliquot dodrantalibus, ramis itidem contrario naturæ vinculo ornatis, in spinas desinentibus non admodum rigidas, etiam hirsutis: plantæ nouellæ radix pedalis, simplex, exiguis fibris conspicua.

An Gaidarothymo Belli in epistola ad Clusium? An Clus. Stachys spinosa?

PRVNELLA FLORE MINORE, vulgaris.

Cap. XXVIII.



Descriptio EX repticiũ censuest & hæc, quæ subinde à caulũ angulosorum, subhirsutorum, purpurascentiumque geniculis, demissis fibris radicatur: folia ferè bina, ad articulos opposita, nonnihil rubentia, hirsuta, Origani vulgaris, sapore nonnihil viscido, subdulci, subamaro: flores verticillati, duobus semper hirsutis rubentibus subiectis foliis, spicam deformant; quorum singuli colore ex cæruleo purpurascente, Lamii floribus non absimiles, ex calyce hirsuto purpurascente prodeunt cucullati.

Solidago Ex Solidaginum genere Brunellam esse auctor est Brunfelsius, vnam ex primis herbis verno tempore germinantium, foliis Ozimo similibus, coloris herbacei, cum quodam acumine: flore quadantenus Sthœchadis Arabicæ, coloris violacei. Hæc ille qui suâ figurâ non laudabili & descriptione denotat Prunellam, de qua hîc agimus, verùm dum vernam facit plantam, cum ea confundere videtur Consolidam mediam.

Symphytum petræum non est. Hallucinantur Matthioli iudicio, qui Symphytum petræum putant hanc esse plantam, quam is cum officinis Consolidam & Solidaginem minorem vocat, & Prunellam, germanico nomine (vt ait in Hist.germ.) ex latino deriuato, vel à morbo linguæ, dicto Breüne/aut à florũ colore Braũne. Camer. apud Matthiolum refert herbam hanc describi in lib. de Dynamidiis, falsò Galeno adscripto: Quin & Herb. ant. Io.Cubæ de Prunella citat Hippocratem & Dioscoridem, neuter tamen indicat quomodo nominarint.

Varietas Prunellæ C.Bauh. C.Bauh.phyt. vocat Brunellam 1. siue maiorem folio non dissecto, flore communiter purpureo, vel cæruleo punicante: aliquando ex diluto albo: caule glabro aliis, aliis ac rectiùs hirsuto: foliis etiam aliquando integris, aliquando leuiter crenatis. Clusius Prunellam vulgarem foliis subrotundis. Trag. Prunellam 6. flore minore, Prunellam vulgarem. Lobel. in Adv. Prunellam & Consolidam minorem: In Obs. p. 251. Brunellam, Symphytum petræum: In Icon. Plant. p. 474. Symphytum petræum & Consolidam minorẽ Matth. Cast. Durant. Consolidam minimam. Quidã Polycnemon Dioscoridis: Valer. Dourez Perssiercõ Præpositi: Guilland. Britannicam.

Cæterum

Cæterùm vulgus Medicorum & Herbariorum, Prunellam aut Brunellam: Germ. Braunellin/ & **Nomina linguar.** Gottesheil ab efficacia insigni: nobilis enim est vulneraria: Belg. Braynelle: Galli, Herbe au Charpentier: Itali Consolida minore, Morellam, & Herbam Moram: Boh. Czernoblawek: Hung. Terz fiu.

Vires Prunellam flore minore purpureo Argentinæ & Basileæ, quà itur Moutets, florentem obseruauimus Octobri, ad fluuium Birsæ intra vrbem, & circa montem propè Krentzach, & in monte Leurach, itémque Montbelgardi passim in pratis Iunio, Iulio & Augusto; Lugd. & Monspelij Maio: Geneuæ sparsim vnerntem Februarij principio.

Locus & Tempus. Brunellam more reliquorum Solidaginum, omnibus ferè cognitam: et Brunfelsiidque ob eximiam eius virtutem esse incõmodis faucium & linguæ atque gutturis accommodatissimam, ardorem eorum extinguendo, quem Germani die Breune vocant, si ex illius decocto, aut aqua distillata colluantur & gargarizentur: Aquam [succum alij] eius aceto & oleo rosato mixtam, vehementes capitis dolores sedare, si ex ea tempora inungantur. Huic mixturæ autem posse & aquam rosatam addi. Aphthas & oris vlcera sanare, faucúmque vitia succum eiusdem, addit Fuchsius, qui herbam calidam & siccam esse ex gustu concludit: Laudatur Prunella ad vulnera sclopetorum in potione & lotione: succus cum vino sumptus ad morsus venenatorum. Sal eius vt fiat, docet Querc. in pharm. rest.

Prunella flore magno, folio non laciniato.



Descriptio Habet caulem quadrangulũ molliter hirsutum, geniculatum: folia in singulis geniculis bina, ex aduerso sita, nonnihil villosa, vulgaris Prunellæ foliis fermè respondentia, gustu amaricante: capitula in summis caulibus crassiora, cuá in vulgari: flores illius floribus forma quidem similes, sed longè maiores, nec ingrati odoris, ventre laxiore, galeaque saturatiùs plerúmque purpurascente, tametsi inueniantur aliquando dilutiores, & quasi exalbidi, interdum etiam subcinerei coloris: semina in singulis vasculis, vt plurimùm quaterna: radicem nigram: multis crassiusculis & candicantibus fibris præditam, nouísque propaginibus sese, annis singulis, augentem.

Icones Quamuis Fuchsiana nostra figura videatur differre à Clusij Prunella 1. siue non vulgari, eiusdem tamen plantæ existimamus: ac propterea eius descriptionem hic adnoximus. Nec etiam à Clusiana icone separamus Prunellam tertiam Tabernæmontani, quamuis eius compilator suo more nihil distinctè scribat.

Locus Eadem quoque est Prunella 6. Tragi, siue vera, pulcherrimo, magno & purpureo flore, foliis Menthastrum imitantibus.

Tempus. Eam primùm in Vngaria & Austria, deinde etiam multis aliis Europæ prouinciis nascentem inueniebat Clusius, editioribus & gramineis locis, minùs tamen vberem & luxuriantem, quàm quæ in Austria crescit. Floret Iunio, Iulio & Augusto, & subinde semen profert. Circa Montbelgardum copiosè luxuriat.

Prunella flore magno albo, folio laciniato.

Descriptio Tota planta vix quatuor digitos excedit, foliis superioribus admodum dissectis, hirsutis, flore magno albo, alioquin vulgari similis.

Locus C. Bauh. phyt. Prunella 5. siue minima alba, An Prunella 7. siue candida altera Tragi? Montbelgardi prope Arbouans & in planitie prouenit quà itur Audincourt, in agris ad Dubim: Geneuæ circa Rhodanum versus *la Bastie.*

Prunella laciniata, flore magno purpureo.



Descript. Caule est palmari, hirsuto, cuius singulas iuncturas ornant bina ex aduerso posita folia, inferiora quidẽ vnciali pediculo nixa, superiora pro portione minori, tandem etiã nullo, vnciam & sescũciã ferè longa, subhirsuta, in aduersas lacinias dissecta: flores inter spicæ vncialis squámata folia subrubentia, emicant magni, tres vnciæ quadrantes æquantes, hiatu patulo stamina emittentes, purpurascentes.

Varietas Locus & tempus. Obseruata Prunella hæc, folio etiam non laciniato, flore maiori purpureo, Montbelgardi iuxta hortum Ill. E. C. florens Iulio & Augusto: item à la Chau vbi Vites, & inter pontem Vauiaucourt à Dampierre.

Prunella flore albo paruo, folio laciniato.



Descr. Offerebatur nobis à D. Thoma Platero, Medico insigni, elegãtiq;. Ei folia erant multa à radice fibrosa, ex longis pediculis, quædã palmaria, oblonga, vnciã digiti angustiora, pilosa, vltra medium caulis pedalis duo, magnis laciniis dissecta, cornu ceruinum repræsentantia, téq.

alia duo iuxta florum caput vnciam & semis longum, latum vnam, paucioribus laciniis prædita: flores inter squamas conspiciuntur hiantes, albi, & nonnunquam rubelli, mediocriter eminentes.


Synon. Lobel. in Obs. p. 251. in Ic. Plant. p. 475. effigiem nostrâ pinxit pro Symphyto petræo: Dod. lat. in fol. pro Brunellæ altera icone. Quamuis autem nostra descriptio non in omnibus conueniat cum figura hac nostra ex Lobelio desumpta, eandem tamen plantam putamus, quam cùm pingendam curauimus, non erat nobis ad manum Plateriana.

Compilator Tabern. Prunellæ suæ albæ secundæ ineptam descriptionem subnectit in Historia. Casp. Bauh. phyt. dicitur Prunella 3. siue minor folio laciniato, aliquando non solùm superiori, sed & inferiori. Clusio dicitur Prunella 2. non vulgaris.

Gaudere autem herbosis & gramineis locis, itemque aliis, quæ à fluminibus nonnunquam mundantur, saxosis, testis est idem Clusius Floret maturiùs Prunellâ flore magno, nempe Maio, tametsi etiam Iunio. Obseruauimus autem Monspelii & Geneuæ.

PRVNELLA ANGVSTIFOLIA.

CAP. L.



Descriptio. NOstrę vulgaris notitiæ Prunellæ similis caulis, dodrantalis, angulosus, nonnihil rubescit, pilis hirsutus, sicuti & folia ex geniculis aduerso situ nata, sextantalia aut etiam quadrantalia, culmo latiora, ex quorum alis alia suboriuntur vt longitudine, ita & latitudine multùm illis cedentia: flores in spicam digesti rubescunt, forma & magnitudine Prunellæ vulgaris. Talis est quæ à Genero nostro Cherlero nobis delata ex Gallia Narbonensi: quæ verò à D. Thoma Platero communicata angustifolia etiam, minor fuit, quatuor & quinque vnciarum, satis aspera & rigida, sapore nullo insigni: radice fibrosâ, crassiuscula, nonnihil amarescens: floribus maiusculis.

C. Bauh. in phyt. vocat Brunellam 2. siue minorem folio rigido integro: floribus obscurè purpurascentibus. Hanc figuram Prunellæ albæ 2. apud Tabern. satis conuenire diceret, si folia essent media parte angustiora, & etiam longiora.

PRVNELLA ITALICA.

CAP. LI.

Descriptio. PLantula hæc palmaris, caule rotundo, striato, leuiter hirsuto, foliis paucis profundè in aliquot lacinias diuisis cincto, quorum inferiora minora, & in ternas lacinias diuisa sunt, flores habet in summo, tanquam ex spica (quam foliola etiam laciniata cingunt) prodeuntes galericulatos, ex purpura nigricantes, ramùs enim infra spicam flores profert: radix exilis, nigricans.

Brunella Italica. Casp. Bauh. descriptionis author vocat in phyt. Brunellam 6. siue Italicam, testaturque Vlyssem Adroandum Bononiensem Botanicum Euphrasiæ speciem facere.

Locus. Romæ in monte Testaceo & etiam in via Romana reperiri scribit author.

CONSOLIDA MEDIA, QVIBVSDAM Bugula.

CAP. LII.





Descriptio. QVadrato, inani, hirsuto, & aliquâtulùm cyaneo assurgit caule: foliis Anagallidis aquaticæ maioris, nonnihil serratis, binis oppositis, per interualla nascentibus, colore vel violaceo, vel purpurascẽte, vel virente, sapore primo occursu subdulci, mox amarescente & adstringente, inferioribus ex satis longis pediculis, ad Bellidem accedentibus: clematibus longè se spargentibus: flores ex foliorum alis calyci insident sessili, breui, hirsuto, cyaneo, quinquepartito, cærulei variati, labello Orchidis alicuius similes, in quatuor segmenta, duo lateralia productiora, inferiora totidem, minùs alta, sed magis lata, abeuntes, nullâ galeâ, alisue vt Orchides & Lamia: apicibus & stylo cyaneis: sapore melleo, si caudiculam, qua calyci hæret, suxeris: radix tenuis, fibrosa, maiore adstrictione, quàm folia, gustum mouet.

Duas has Fuchsianas icones exhibemus non quòd eiusdem plantæ esse ignoremus, sed quòd huius herbæ frequentem demonstrent varietatem

tem & naturæ lusum.

Consolida media C. Bauh.

Prunellam vocat Tragus, eiúsque, aliquot recenset & describit species. C.Bauh.phyt.vocat consolidam mediam 1.[5.& apud Matth.]siue cæruleam pratensem, Consol. mediam Brunfelf. fol.p.95. Tom.1. Rhapſ.14. & in 4.p.153.cæruleam vel priorem Tragi sine icone, Chamæcisson spicatam Plinij, eiusdémque Anonymon aliorum: flore communiter cæruleo,aliquando albo,cinereo:foliis vel solùm leuiter incisis,vel sinuatis,latioribus, angustioribus: Item Consolidam mediam tertiam siue purpuream pratensem;Brunellam purpuream vel 4. Tragi, Consol. med. purp. Fuchsij. Consolidam mediam i.e. Symphytum, inquit,in Adu.Lobel. Chirurgi vocarunt,seu Solidaginem & Bugulam. Is verò in Obseru.& Ic. Plant. Prunellam & Herbam sacram Cordi vocat.

Bugula Dod.

Dod.gal'.& lat.in fol.pingit & describit sub Bugula. Inter appellatas, ait, Solidagines siue Consolidas à recentioribus numeratur: Consolida media à quibusdam horum dicitur, officinis nostratibus Bugula. Ruellius Buglum nominari à Gallis refert. Sunt qui existiment Symphyti illud genus esse, quod à Dioscoride πετραῖον cognominatur. Verùm hi non parum falluntur. Symphytum siquidem petræum ramulos tenues habet Origani similes: capitula verò veluti Thymi, & totum lignosum & odoratum est, at talis quidem non est Bugula, quæ nec lignosa,nec odorata, & caules promit differentes ab Origani,& capitula nequaquam habet Thymi æmula. Hæc Dodonæus, qui eius duntaxat Bugulæ meminit, quæ floribus est cæruleis.

Haud statuendum censet etiam Matthiolus Symphytum petræum eam esse herbam,cuius folia auersâ parte purpurascunt, quæ ab Herbariis vulgò Consolida media nuncupatur, ab aliquibus verò Laurentina, & à Senensibus Morandula. Cæterùm, rectiùs fortè Prunellam à Germanis dici posse putat à foliorum colore,indictam Græcis & Mauritanis.Is olim in prior.comm.contentus fuit solâ figurâ minùs exactâ,sed in post.edit. breuem addidit delineationem, in qua non meminit saporis, nec clematum, quæ nostræ duæ figuræ vnius plantæ exprimunt,quarum vna suffecisset,si non plantæ huius lusum aliquem naturæ ob oculos ponerent.

Consol med. multis.

Camerarius etiam ad suam Hist. germ. & Epit. Matthioli longè diuersam posuit iconem sine clematibus: Quin & Tabern.huius Consolidæ mediæ duas effigies dedit, quarum prima flore cæruleo, sine clematibus non placet: secunda, quam priori similem ait, sed foliis maioribus, hirsutioribus, minùs serratis, Verbasco maiori similibus, an bona sit, te iudicem exspectamus.

Herba sacra.

Nomina linguarum.

Quam cum aliis, etiam Fuchs. Cast. Durantes & Thalius Consolidam mediam dicunt, Lonic. Prunellam & Symphytum medium vocat, Anguill.epist.13.Arteticam Pandectarum, H.Lugd. p.1309. Chamæcissum quorundam, Cæsalp.Chamæcissi alterum genus, Gesn.in cat.pl. Verbenacam supinam, Herbam sacram,& *ἱερὰ Βοτάνη*: German. Guntzel / gulden Guntzell / Belg.Seniegroen / Zingroen / Galli *Consolide*,quidam *Bugle moyenne*:Quercetanus in Sclopet.*Consyre moyenne*, & cum nonnullis *Sophie*: Itali, vt antè diximus, *Morandola, Consolida Mezzana*, & Herba, *Lorenza* & *Laurentina*: Boh. Gualuyſ proſtreduy.

Saxosis, non rarò quoque humidiorib. pratis: apricis & apertis vineis, quàm opacis locis gignitur: translata ad hortos luxuriat: compluribus regionibus familiaris, Aprili, sed copiosè Maio ac posteriùs florens. Patauij virentem memini in quodam horto Ianuario: Basileæ in vineis propè Moutets ad montē flore purpureo Octobri: Montbelgardi flore albo in horto Illust.E.C. *Locus tempus.*


Vires vsus.

Aquam Prunellæ scribit Tragus (sic enim Bugulam vocat, vnà cum ea quæ aliis vulgò Brunella dicitur:)internis corporis affectionibus mederi, doloresque ex calida intemperie profectos sedare: eadem omnia tam inueterata quàm recētia vulnera mundari & sanari comodè posse, maximè tum quando ardor siue inflammatio aliqua illis accesserit.Eandem hodie ardori gulæ &exulcerationi oris, faucium que vitijs,quam Germani die breune appellant,duntaxat adhiberi remedio sanè præstantissimo, si gargarizetur,adiecto pauxillo mellis rosati: flores,vel folia, vino,vel melle decocta (pro ratione ægritudinis) oris & faucium commemoratis vitijs subuenire. Hæc ille tam de Prunella vulgò dicta, quàm de Bugula,de qua sermo, coniunctim. *Fuchsius* verò priuatim Bugulæ has vires attribuit: Vulnera glutinat, sanguinis grumos ex casu, vel cōtusionib. coactos in corpore disicit & dissoluit,præsens remedium est aphtis & vlceribus in ore serpentibus, decoctum huius tumoribus illitum, eos dissipat! vsus etiam eius ad intertrigines, & ad vlcera pudēdorū & intestinorū exulcerationes prodest.At *Matthiolus*, tametsi nec hanc, nec Prunellam recentioribus dictam,veteribus siue Græcis,siue Mauritanis cognitam fuisse existimet,eas tamen refert mirum in modum existimari vtiles disruptis, fractísque internis, & externis corporis partibus: idcircò vtiliter dari potandas ab alto deuolutis, ac etiam iis,qui interna intestináve vulnera acceperint: námque illa, mirificè sanare tradidêre nonnulli, qui rerum experimenta profitentur, Consolidam mediam vocatam potu sanguinis grumos in ventriculo, vel in alia corporis parte concretos disiicere & dissoluere: illita verò folia, vel eorum succum efficax medicamentum esse prædicant vlceribus in ore manantibus exedentibúsque, ac etiam testium,pudendorúmque virilium & muliebrium. Addit *Camerarius* contra icterum prodesse, & infarctus iecoris & lienis expedire, vrinas mouere, succum ad aphthas & putrescentia oris vlcera vsurpari: quibus subscribit *Lobelius*, nisi quòd regio morbo & ictero nigro mederi docet,vesicâ felleâ,hepate & liene ab obstructione liberis. Camerario tamen adstipulatur *Dodoneus* ad iocinoris languores scribens mederi, nam præterquam quòd obstructiones aperiat, viscera etiam ipsa roborare. Calidi verò temperamenti admodum exigui particeps est: resiccat manifestè cum nonnulla adstrictione. Quare commendatur ad disrupta, fracta, conuulsa, cæsáque: idcircò & potionibus vulnerariis additur, in quibus tanta eius facultas commendatur, vt sanguinem concretum resoluere ac discutere valeat. *Ruellius* tandem in Gallia vulgò dici refert, eum vulnerario Medico, aut Chirurgi operâ non egere, qui Bugulam & Saniculam habuerit: nec enim sumptam tantummodò vulneribus mederi, sed & ipsis foris impositam.

* * *

Consolida media Geneuensis.

Descriptio.



A Vulgari antè scripta nobis hæc diuersa videtur, caules siquidem habet ab vna radicé plures, hirsutiores: folia etiam minora, oblongiora, & superiora profundiùs crenata: flores modò purpureos, modò rubellos, modò albos: an clematis habeat non obseruauimus.

An Prunella quædam Trago?

Locus & Tempus.

Geneuæ virebant Martio, vbi etiam quædam florebant & Aprili, alba quidem rarior, circa Nosodochium in prato dictum *la coul.*

Consolida media cærulea Alpina.

Descriptio




EX radice fibrosa caulis cubitalis [omissa hæc vox in phyt.] quadratus, striatus, leuiter hirsutus, inanisque consurgit, quem folia oblongis pediculis donata, angusta, trium vnciarum longa, per ambitum incisa, leuiter hirsuta [ex his errorē in phyt. commissum deprehendis, vbi legitur, folia oblongis donata pediculis, qui angusti sunt, trium transuersorum digitorum longi, per ambitum incisi, leuiter hirsuti, sursum spectantes,] cingunt: flores galericulati, cærulei (in caulis summitate flores tanquam in spica cærulei, in phyt.) è quorum medio filamenta quædam prodeunt, in cacumine quasi spica congesti sunt, inquit descriptionis author Casp. Bauhinus, qui Consolidam mediam [secundam in phyt. sextam apud Matth.] siue cæruleam alpinam vocat. Cæterùm, figura à Camerario apud Matthiolum in Hist. germ. & Epit. exhibita, similia quædam habet cum Consolida hac à Fratre C. Bauhino hîc proposita: nos damus effigiem à Fratre p. ... & iuxta eam, quæ ab eo nobis communicata. Videtur autem fratris Consolida in eo à Geneuensi differre, quòd minùs hirsuta, & folia per caules longiora, & magis, ordinatiusque serrata.

In monte Italiæ Baldo prouenit.

EVPHRASIA.

Cap. LIII.

Descriptio



PAlmaris plantula est, tenuibus, subhirsutis virgulis surgens: folia denticulata Chamædryos, sed triplò maiora, crispa & auersa parte hirsuta, bina ex aduerso posita, sapore pingui & subamaro: ex quorum alis flosculi emicant pulchelli, lactei, purpurantibus striis picti, aspersâ nonnullâ flauedine, labello in tres bifidas lacinias diuiso, superiore folio sursum reflexo, tripartito: radix tenuis, lignosa.

Synonyma

Cum Euphrasia hac eandem statuo, quam Tragus Euphrasiæ titulo pingit, quamque Euphrasiam alteram, nobilem, & Argentinensium cognominat, licèt ille diuersam à vulgari faciat, semperque omnium præstantissimam iudicet.

Lobelius huius effigiem exhibet sub inscriptione in Obs. pag. 261. Euphrasiæ Aduers. pag. 210. In Ic. Plant. pag. 496. pro Euphrasia, siue Euphrosine oculari. Brunfels. Eufragia alba: Schw. Euphrasia candida: Casp. Bauh. phyt. Euphragia 1. siue officinarum: H. Lugd. pag. 1167. Eufrasia Matthioli.

Euphrasiæ Dalech.

Cæterùm, Euphrasiæ nomen græcam sapit originem, inquit Dalechampius: videtur namque εὐφραίνειν appellata fuisse, quia oculos iuuet & delectet, quam vocem imperiti linguæ græcæ deprauantes, in Euphrasiam verterunt, eamque sic corruptam officinæ & plurimi alii retinuerunt. Alii quoque Eufrasiam & Eufragiam. Etsi autem græco & eleganti donata fuisse videatur Dalechampio hæc herbula nomine, nihil tamen de ea, quod sciam, apud veteres Græcos & Latinos, nempe Dioscoridem, Galenum, & Plinium, adde etiam apud recentiores, Actium Paulum, & Actuarium scriptum reperitur: sed à ducentis tantùm vel paullò plùs annis posteritati Euphrasiæ nomine innotuit, ad oculorum caligines & morbos pituitosos peruagatæ commendationis. Vnde Germanis Augentrost, hoc est, Oculorum solamen, siue solatium, ab effectu, dicta fuit, nonnullis hâc quoque ratione motis, Ocularis, Ocularia, Ophthalmica [ὀφθαλμικὴ] Oculorum lumen, ὀφθαλμοφωτία, & Anguill. teste Luminella, Germ. Augendienst / weisse leuchte / tagleüchte, & wegenleuchte. Belgæ Ooghen troost: Galli *Eufraise*, & *Eufrase*: It. & Hisp. *Eufragia*, & *Eufrasina*: Angli Eyebright: Boh. Ambrozka: Hung. Effrasia. Non est igitur quod posteriores εὐφροσύνην, Euphrosynen nominent. Aliud siquidem est εὐφρόσυνον, ipsum videlicet Buglossum. Eur. Cordus putat esse *Adhil* Arabum, de qua tamen Neoterici

varias

varias habent sententias, aliis Euphragiam Cassi laginem esse putantibus, aliis Herbam Verulam interpretantib. Vide Nicol. & Manliũ de confect.

Locus. Nascitur locis herbosis, non omninò aridis, sed nonnihil humentibus & pinguibus, sed incultis, vt pratis, secus agrorum margines & vias,

Tempus. nec rarò in ipsis quoque viis passim, vt vel hac ratione facilè agnosci queat. Floret autem Æstate & Autumno: colligitur Augusto ac Septembri potissimùm, totáque resiccata deinde reponitur.

Vires & Vsus. Euphrasiæ inflammationibus, & caligini oculorum adhibentur, tusæ ac impositæ, aut succo eius oculis indito: præstat tamen aquã ex illis distillata aduersus affectiones prædictas vti. Ego certè, inquit Tragus, Argentinensem Euphrasiam morbo arquato vtilissimam comperi, vino decoctam, ac calidam ægro propinatam. Memoriam etiam, teste Fuchsio, oculorũ que aciem redacta in puluerem, & in vino albo pota, mirifi è roborat, amissámque reparat. Dari ad prædictos affectus commodissimè scribit Dodonæus in puluerem tritam: addique non rarò Fœniculi semen pari pondere & nonnihil Macis, & sacchari tantũ m, quantum est omnium simul pondus: huius mixturæ cochlear aut per se, vel cũ exiguo vino exhiberi manè corpore jejuno, & quidem per continuos non modò dies, sed & menses quandoque posse & solam, & quouis modo assumptam, videndi potentiam conseruare, adaugere, debilem ac deprauatã restituere. Eufragiam per se solam masticando, & in ore tenendo, ac postea deglutiendo expertus est Arnoldus mirabile iuuamentum. Idem auctor est fieri & ex Eufrasia vinum vindemiæ tempore, cuius vsu senum etiam oculi rejuuenescere feruntur, auferrique omne oculorum impedimentum, visúsque delectionem, præsertim pituita, crudisque humoribus redundantibus. Dum autem efferuescit mustum, Euphrasia injicienda. Calida autem & sicca est herba, sed tamen magis sicca quàm calida.

EVPHRASIA PARVA PVRPVREA.

Descriptio. TOta palmarem non assequitur altitudinem, coliculo alias singulari, tereti, hirsuto, alias à radice statim duobus minoribus spicâ vnciali aut longiore summum ornante, flosculis stipata purpurascentibus, alternante cum foliis imbricatis situ, cuiusmodi & alia foliola circa imum caulem conspiciuntur, sed supernis latiora summo tenus, serratim secta, pro radicibus sunt multifidæ, duriusculæ, pili instar tenues fibræ: secundam Dodonæus fecit, inquit Lobelius in Obs. pag. 22. qui postea p. 261. eam pro Euphrasia 2. Dodonæi (sic etiam in Icon. Plant. pag. 496. inscripsit) siue Cratægono altero quorundam pinxit.

Describitur bis apud H. Lugd. binisque iconibus exprimitur, priori p. 1121. pro Sideritide pratensi rubra: posteriori p. 1167. pro Eufrasia secunda Dodonæi, quæ icon melior.

C. Bauh. phyt. vocat Euphrasiam 2. siue pratensem rubram: Thal. Ericoides rubrum, vulgò Triticum leporinum.

Montbelgardi abundat in agris florens Iulio, Augusto, & Septembri. Huius varietatem flore niueo, totámque candidiorem reperi Septembri inter Villarluxel & Grammont in Burgundia.

De temperamento, aut facultatibus aliis nihil attulit Dodonæus.

CORIS MONSPESSVLANA LVTEA.

CAP. LIV.



Descrip. SImplex & lignosa est radix caulis singularis cubitalis, lignosus, teres, ramis aduersis diffusus, duris, lignosis: folia inferiora quidem Hyssopi foliis similia, vtcunque angustiora, acuminata, caduca, superiora verò tenuia, Ericæ arborescentis æmula: ramuli longas gestant spicas hiantiũ flosculorum luteorum, cum multis apicibus, flosculis singulis subiectum foliolum, sapor acris cum amarore: Folia & caules interdum omninò rubent.

An Cæsalpino Crista altera ad Euphrasiam reducenda? An Lobel. in Adu. Sideritis odora pusilla? Thalio dicitur Ericoides luteũ pro Cori ostensum: H. Lugd. pag. 1121. Sideritis pratensis lutea: Camer. hort. Euphragia flore luteo, à Lobelio descripta; item apud Thal. Euphrasia lutea Dodonæi: C. Bauh. phyt. Euphrasia 3. siue pratensis lutea.

Locus & Tempus. Monspessuli mense Augusto floret in monte prope Castelneuf loco sicco & saxoso, tota rubella: Basileæ lutea in monte Marchionatus prope Leurach Augusto: Frater etiam in pratis prouenire ait.

SYMPHYTVM PETRÆVM veteribus.

CAP. LV.

SYmphytum petræum nascitur in petris: ramulos habet Origano similes, tenues, capitula veluti Thymus [κλωνία δὲ ἔχει ὅμοια ὀριγάνῳ, λεπτὰ, φυλλάρια κεφάλια δὲ ὡς θύμου: & ita legit Oribas. neq; vulg. Sed Sarr. ex Ald. addit post λεπτὰ vocẽ, φύλλα cod. vt lectio sit, ramulos Origano similes, tenuia folia, capitula verò, &c. Matth. cõtra legẽdũ suspicatur, κεφάλια δὲ καὶ φύλλα ὡς θύμου, hoc est, capita & folia Thymi: Anguil. tandem legendum vult, φύλλα καὶ κεφάλια: nos communem sequimur, quam etiam Ruell. & Marcell. approbant] Totum verò lignosum, odoratũ & gustu dulce est, saliuamque ciens [πτυέλου προσκλητικόν. Sic & Plin. & Apuleius. Et hac certè ratione ἄδιψον esse crediderit Sarrac. attamen pro his vocibus apud Oribas. legitur στύφον, quæ lectio Matthiolo in prior. comm. probatur, in post. tamen lectionem Dioscoridis, non Oribasii retinet:] radice nititur longâ, subsuluâ [ὑπόπυρρον, Orib. ὑπόκιρρον, Plin. rutilam describit, Apuleius fuluam:] digitali ferè crassitudine. **Diosc. lectio varie illustrata.** Decoctum in aqua mulsa & potum, quæ pulmoni

hærent excrementa repurgant: sanguinem reiicientibus ac nephriticis cum aqua exhibetur. Bibitur & ad dysenteriam, rubentemque fluorem muliebrem in vino decoctum, vti ad conuulsa, ruptaque cum aceto mulso. Quin & commanducatum sitim sedat: faucibus asperis subuenit, illitum recentia vulnera glutinat, & enterocelas cohibet. Quin & carnes, dum coquuntur, conglutinat additum.

Symphyton petræum contrariis viribus Galeno. Symphyton petræon ex contrariis constare viribus lib. 8. simpl. dixit Galenus: habet siquidem siccandi vim quampiam, quâ collectum in thorace pulmoneque pus expurgare potest: habetque etiam quandam contrahendi vim, quâ eiectionibus sanguinis auxiliatur: & tertia insuper inest humiditas quædam non immodicè calida, per quam gustantibus dulce apparet, & odoratu iucundum. Mansum sitim extinguit, & arteriæ asperitates sanat.

Hermol. coroll. 618. proponit descriptionem Symphyti petræi ex Plinio, quasi propria esset: addens Venetos Cotoneam appellare ex Plinio: rosæ radicis, alibi albæ, alibi nigræ. Hic notandum Hermolaum in prima edit. Ital. & in Coloniensi legere, rosæ, vbi Plinius noster habet raræ.

Cornarius, qui & ipse raræ legit, in comm. med. in Galeni librum 1. caput 5. τῶν κατὰ τόπους, ab ipso scriptis per Cydoniam herbam Alum & Symphytum petræum intelligit, eò quòd Plinius Cotoneam appellare Venetos Alum prodidisset.

Cæterùm Symphyti, Solidaginis & Consolidæ nomina plurimæ habent plantæ. Symphyt. petræum Matth. Coris cærulea Monspessulana. Coris lutea Monspessulana. Gypsophyton. Saxifraga maior Matth. Symph. petræum Cordi. Trachelium minus. Trachel. album. Hyssop. vulgare. Polium vulgare montanum. Sanicula. Prunella. Consol. media. Virga aurea. Centaurium. Flos Solis. Bellis maior. Symphytum magnum: Radice tuberosâ. Pumilum repens. Pulmon. Italica. Ceralloides. Helenium. Nicotiana. Tragus verus. Glycyrrhiza.




CORIS MONSPESSVLANA, purpurea.

CAP. LVI.

Descriptio MOnspessulanis Coris appellatur concinna planta, quæ ex *radice* crassa, lignosa, nigricante, quamplurimas per terram sparsas emittit virgulas, vt vix vtraque manu coactas omnes possis interdum complecti, palmares aut bipalmares, tenues, rubentes: per quas folia densissima, Thymi foliis quodammodò similia, sed longiora, æquabili vsque latitudine, & Thymi foliis minùs nigra, summæ virgulæ spicas sustinent vncias circiter duas longas, Thymi vulgaris vel Serpylli, crassiores, confertissimis floribus stipatas, immortali purpurâ cæruleoue arridẽtibus, hiantibus, è quatuor foliis compositis, bifidis omnibus: quibus succedunt calyces parui, in aculeos exeuntes, semen continentes paruum, nigrum: nullum ego in vlla parte plantæ, siue odorem, siue saporem manifestum sentio.

Coridis huius Monspeliensis figuram de meis



plantis siccis Gesnero communicatam, apposuit Camerarius in Epit. capiti Symphyti petræi Matthioli, itemque apud Matth. in Hist. germ. vbi Symphytũ petræum, Cõsolidam petræam, & Alũ Plinii cognominat, germ. Steingünsel.

Mompelliani referente Clusio Corim hanc quorundam, Gallorũ sc. & Hispanorum [sic namque is inscribit] eam esse existimabant quam Græci κόριν τοῦ ὑπερικοῦ appellant, cuius sanè descriptioni multùs notis respondere credit.

Lobelius [qui in Obs. pag. 220. itemque Ic. Plant. p. 402. figuram Clusii habet, ac aliam ex Aduersariis] Corim suam Monspeliacam, nisi aptissimè quadraret, Ericam minimam putasset, aut mediæ cuiusdam inter Hypericum & Augam naturæ. Iam non aliò quàm ad Corim referri arbitratur, posseque nos adducere ad Symphyti persuasionem, verùm moreosis non omnia penitùs quadrare videri. An autem Coris Dioscoridis sit, vt voluit Lobelius, affirmare nondum ausim, nec etiam Symphytum petræum asseruerim.

Eandem Monspeliacam, vt Tabern. quoque inscribit, vocat germ. Erdkiffer von Mompelier: C. Bauh. phyt. Corim 3. siue cæruleam maritimam cum Symphyto petræo Matthioli, exceptâ radice lignosiore, optimè conuenientem. Apud Matthiolum Frater longè alterius est opinionis: ait enim Symphytum Matthioli minimè cum Coride cærulea maritima confundendum esse, siquidem Coris amara sit: flores purpuro cærulei rariùs purpurei. Coridis quin potiùs à Dioscoride & Plinio propositæ notas plures habere credidit.


Florentem copiosè vidi Monspelij apud littus maris, Vere, itémque Venetiis: C. Bauh. ad montis Ceti radices, Maio. Floret Maio, inquit Clusius, nonnunquam etiam Martio mense, siccis quibusdam circa Salmanticam & Mompelium locis maritimis, item Valentinæ & Galliæ Narbonensis, vbi tota maior, crassior & succulentior nascitur, vt ferè solent omnes maritimæ stirpes, si cum eis, quæ macro & arido solo proueniunt, comparentur. *Locus & Tempus*

GRATIOLA.

CAP. LVII.

VBertim luxuriant huius *radices*, pennæ anserinæ crassitudine, obliquè reptantes, albæ, crebris geniculis nodosæ, à quibus plurimæ demittuntur fibræ, albæ: *caules* plures dodrantales surgunt, teretes, propter terrã rubentes, superiùs *Descriptio*

ex albido



sex albido virescentes, creberrimis geniculis distincti, ad quorum singula *folia* bina Saponariæ minora, nonnihil in ambitu crenata, nascuntur, & ex eorũ alis, modò surculi foliis Hyssopi minimè crenatis donati, *modò* flores singulares, striati, oblongi, colore quà pediculo semunciali & lõgiori committuntur subflauo, per reliqua albo, excepto folio, ex quatuor quæ habet, supremo sursum reflexo, quod interna parte lanuginem luteam ostentat, insidet autem totus flos calyculo quinque partito, cui bina foliola Hyssopi apposita: porrò autẽ pericarpium ex rotundo oblongum est, semen continens minutum: Tota planta insigniter amara est, & inodora, quadam cum obscura adstrictione.

Matth. reprehe. Matthiolus, si Ruellium intellexisset, facilè ex eius Gratiæ Dei descriptione collegisset, eùm de planta à nostra aliena, Elaphobosco scil. scribere. Crediderunt nonnulli [inquit Commentator] herbam hanc quæ vulgò ab aliquibus Gratiola vocatur, ab aliis Gratia Dei, quibusdam etiam, vt à Foroiulienfibus, *Stama cauallo*, quòd equi eius pabulo mirè defatigentur, esse Hyssopum illud montanum, de quo Mesues in suis scriptis mentionem fecit. Sed ij omnium ferè iudicio, euidentiùs hallucinati sunt, quàm pluribus demonstrare sit opus. Qui verò [cum Quercet. & Cordo] Mesues Eupatorium esse contendunt, omninò cæcutiunt. Sed & Ruellij sententiam explodendam putauerim, si per Gratiam Dei, eam plantam intelligit, de qua disserimus. Hæc Matth. qui passim gratiolam vocat: Nos dicimus Ruellium Elaphoboscum per suam Gratiam Dei intelligere. Et hec occasio est, cur Amatus in Diosc. in Italia longè aliam herbam, quàm in Gallia pro gratia Dei indicari dicat.

Lymnesium Cordo. Cordus plantam nostram Limnesij siue Centaurdis titulo describit in Hist. vbi pulchra figura à Gesnero addita. Dodonæo videtur species Centaurij minoris. Anguill. epist. 14. proponit discutiendum, an Gratiola, Semen vomitiuum hodie in Syria dictum, sit Papauer spumeum: oilbenech Auicennæ eius nuncupans semen.

Gratiola. Lobel. in Aduers. & Obs. p. 238. itemque Ic. Plant. pag. 425. Gesn. hort. Gerard. & Tabern. vocant gratiolam, germ. wild Aurin/heyde hyssope:

Gratiola cẽtauroides Varietas C. Bauh. C. Bauh. phyt. gratiolam centauroidem, variantem flore purpurascente, albo, rariùs luteo: foliis aliquando integris, frequentiùs tamen crenatis. *An frater* hanc floris varietatem, itẽmque foliorum ipsemet obseruarit, suo tempore monebit. Matth. sanè florem in purpura albicantem perhibet, Dod. verò album.

Locus & Tempus. Ego flore subcæruleo copiosam inueni Geneuæ secus viã, & in prato inter Bourdigni & Thuiri florẽtem Iulio: abundantem in prato Wattwillen, & Bolwillen. Nascitur Ebroduni in locis humidis, præcipuè in pratis palustribus, Iunio, Iulio & Augusto florens. Prouenit quoque sponte vliginosis & palustribus locis Germaniæ, nec non Italiæ: Belgis hortensis est, eodémque tempore cum flore reperitur.

Vires & Vsus. Excalfacit, siccat, incidit, attenuat, aperit, deiicit, abstergit, aluum vehementer purgat, tam recens, quàm sicca sumpta, bilem pituitámque trahit: vulneribus celeriter medetur, ea glutinando, trita & imposita, authore Matthiolo. Est autem, vt amarissima, ita etiam temperie excalfactoria & resiccans, eximiam simul expurgandi, cùm per superiorem, tum per inferiorem ventrem potẽtiam obtinens, teste Dodonæo: Educit verò non modò lentam pituitam, verùm & crassam flauam bilem. Prodest aduersus diutinos coxendicis dolores, & aduersus inueteratas febres, siue tertianas, siue erroneas: iecur & lienem expurgat, ab obstructionibus liberat, ventris lumbricos pellit; putredinibus aduersatur: Dosis maceratæ aut decoctæ est à drachma vna, vel una & semis, ad duas vel amplius paulò.

Bouius ad quartanæ febris curationem mirè extollit eius decoctum. Gesnerus Gratiolæ succi vsum in Noxuor elaterio futurum arbitratus est. Herbæ verò tritæ scrupulum vnum & scrup. i. & semis cum Rob acinorum Sambuci post horas quinque, copiosè suprà infraque, mirè phlegma & aquas detrahere retulit, sed non sine molestia: Et hinc in pilulis cum Zingibere, sale gemmæ, & Cinnamomo; vt citiùs agat, & minùs offendat ventriculum, Gratiolam propinandam suadet. Rulandus ad ischuriam pro potu exhibet decoctum eius. Cordus affirmat eam purgare egregiè bilem & pituitam, nihil interanea lædentem: quoniam horribili isto ac ingrato odore, quo cætera purgantia medicamẽta prædita sunt, careat. Recitat Bouius in Flagello, historiam de pane, quo multorum alui commotę, quia fornax repurgatus & mundatus Gratiolæ fasciculo fuerat, & in eo combustus. Medicus quidam haud vulgaris, non contemnendo consilio, loco pulueris Gratiolæ, eiusdémque decocti, salem extrahendum consulit, eóque prædictis in morbis vtendum.

GRATIOLA ALPINA.


CAP. LVII.

Descrip. VIx sescunciam excedit coliculus, qui singularis, supernâ parte vbi aliquot flosculi, bifidus, per quem folia, duo aut tria oblõga, inferiora latiuscula, vnciam circiter longa, sapore nullo euidente, multis tenuibus fibris radicatur. Florentem inuenimus mense Iulio in monte Braulio Rhætorum. *Locus & Tempus.*

TERTIONARIA ALIIS LYSIMACHIA galericulata.

CAP. LVIII.

Descriptio. EX Lysimachiarum classe, vt voluerunt quidam, earum magnitudinem vix vnquam assequitur, contractioribus *caulibus* breuioribúsque, quadratis, rigidulis, articulatis, in crebras alas diuisis: *folia* ad genicula ortum habent, gemina aduersa, Betonicæ æmula, minora, perinde rugosa, rariùs per ambitum serrata, sapore insigniter amaro: ex quorum alis *flores* fere



coniugi surrecto tubulo emicant, ex violaceo in pallidum languentes, labello punctulis saturatioribus picto, galeâ alatâ fibras argenteas occultante, ex calyculo breui, gibboso: *radix* tenuis serpit, adeoque & caulis ex geniculis demissis fibris denuò radicari solitus.

Tertionaria nomen vnde adepta.

Turnerus insignis Medicus nobis coram affirmauit, Heidelbergæ (vnde attulit à se ibi collectam) in officinis ob eius vsum ad tertianas vsurpatam, Tertionariam cognominari.

Nos eandem planè credimus cum Lysimachia galericulata Lobelii in Icon. Plant. p.344. & Obs.p.186. de qua ait. Riuulorum & fluminum ripas & depressos agrorum margines Londinensis & Antuerpiani agri sequitur hæc: plures emittit quadratos sesquipedales & bicubitales geniculatos pediculos: in quibus folia Lysimachiæ purpureæ similia, Scordii æmulatione atrouirentia, ex geniculis gemina, è quibus instar galericuli flores cæruleo-punicantes: radice variè diuaricata repit, vt nullidum hactenus descripta aut depicta, sic vsu neglecta, aut incognita. Hæc ille, qui Lysimachiam suam galericulatam cæruleo-purpuream ad Aduersariorum paginam 144. refert, licèt ibi nihil penitùs legatur, quod ei conueniat. Huius demum Lobelianæ galericulatæ Lysimachiæ bini flores ex foliorum contrario situ in cauliculis quadrangulis nascentium, sinubus prodeuntes, semper in anteriorem partem propendent adeò æqualiter, & contigui, vt ex eodem sinu orti videantur, quod pictor in eius icone teste Clusio, in vnico duntaxat nodo & geniculo obseruauit, plantam delineando.

Lobel. not.

Lysim. cærulea galer. C. Bauh.
Terzolla.

C. Bauh. phyt. vocauit Lysimachiam 15. siue cæruleam. Reform. Worm. Tertianariam, Tersollam, siue Terzollam, fieberkraut.

Locus & tempus.

Tertionariam obseruauimus propè Montbelgardum eundo *Sochaux* loco humido prouenientem cum Scordio, & florentem Iunio mense. Ea enim aquosis & palustribus plurimùm gaudet. Nec minùs feliciter in hortum Montbelg. translata floruit Iunio Iulioque, vbi tandem septatu suo Hortulano valde odiosa facta, difficulter extirpata fuit. C. Bauh. collegit non longè à Basilea Michelfeldensib. humidis locis. Clusius nasci ait copiosè in Vngaria, Austria, Stiria, Morauia, Bohemiaque, secundum riuos è montibus defluentes.

CRISTA GALLI MAS ET FOEMINA. CAP. LIX.


Descriptio.

CRista galli Herbariis dicta, duplex mihi obseruata, mas *radice* est exili, *caule* pedali & sesquipedali & recto, tenui, quadrato, inani, in

Crista galli mas.



Crista Galli fœminas.



ramos aliquot diuiso, quos aduerso sita posita bina semper ambiût *folia* sine pediculo, ad exortum latiuscula, sensim in mucronem desinentia, altiùs crenata, galli cristam æmulantia, circum plantæ summitatem magis quàm in fœmina albicantia, sapore nullo insigni: in summo ramorum aut caulis, ex foliorum alis *flores* vnà cũ folliculo compresso hirsutóque & lacinato, è quo prorumpunt, gallinam glocientē incubantē æque exprimũt: quorum superius folium caput gallinaceũ deformat luteũ, rostro cæruleo, in quo occultantur apices hirsuti quatuor, duab. laciniis excauati: inferius verò intensiùs croceũ in tres lacinias abit stigmatis nigris guttatas: vtriculi foliacei modicè protuberantes, hirsuti, ... continent membranea, lucida, in quibus *semen* rotundum, compressum, sinuatum, cum membraneo margine, colore fusco, sapore nullo effato digno.

Fœmina.

Fœmina humilior est, *caule* minùs robusto, *foliis* angustioribus, *floribus* multò minoribus, summitatibus minùs albescentibus, vtriculis glabris.

Icones

Figura nostra Fuchsiana minùs acurata, marem potissimùm exhibet: altera verò ad plantam virentem delineata fœminam demonstrat.

Pedicularis pratensis lutea C.B.

C. Bauhino excepto haud dum aliquem scio, qui Cristæ galli aut sexum, aut varietatem saltem obseruarit. Pedicularis 4. siue pratensis lutea (inquit in phyt.) variat magnitudine & latitudine foliorum: item caulium numero: altera enim est pluribus caulibus donata & angustioribus foliis, quæ rarior. Floribus est luteis, rariùs candidis: semen nigrum aut subluteum.

Vtramque Cristam, marem & fœminam exprimere videtur Lobelius in Obs.p.285. itémque Ic. Plant.

Plant. p.529. per Cristam galli Herbariorum, de qua in Aduers. quærit, num sit Ἀλεκτορόλοφος Plinii? an num potiùs Alliaria recentiorum?

Pedicularia lutea Tabern. Tabern. in Icon. & Hist. Pedicolariæ luteæ picturâ marē Gallinaceę cristæ proponit. Tragus pro Pedicularia campestri secunda describit, eámque modò pecori nociuam, modò innocuam ait, non sine hallucinatione. Schvvenkf. Fistulariam luteam vocat.

Ruellio (& post eum Anguill. & Tabern.) Crista gallinacea propiùs ad Plinianam Alectorolophi picturam accedere videtur. Haud quoque dubitat Clusius quin Alectorolophi genus sit ea planta, cui Cristæ gallinaceæ nómen indiderunt recentiores. Alectorolopho, inquit Dodonæus, similior, quàm Mimulo, Crista galli nostra videtur. Alectorolophon. Plin.

Nomina linguar. Germani *Roelrodel* aut *leusz kraut* nominant: Belgæ *Ratelen* & *geele Ratelen*, & plerique *hanecammekens*: Itali referente Anguil. *Cresta di gallo & Centro galli*.

An porrò Ruell. lib.3. cap.55. dicitur Cannabis rustica Herbariorum? An Cristatum genera duo in montium pratis Cæsalp.?

Exit passim in aruis, & non rarò in pratis etiam siccioribus, vtrobique inutilis & vitiosa; plurima Æstatis parte floret, Dod. & Clusio testibus. Nos in valle Griesbachiana, vbi fontes acidi, vtramq; obseruauimus. Locus & tempus.

Quâ autem Crista galli facultate aut potentiâ prædita sit, nulli adhuc curæ fuit, cognoscere, cùm inutilis vel Dod. dictatore habeatur. Demetrius tamen Pediculariæ grana tria cribrata, tribus carnis adiectis partibus accipitri dat per quadraginta dies, vt nunquam destillatione laboret, neque gestatus, neque inclusus. Vires & Vsus.

CRISTÆ GALLI AFFINIS PLANTA Romana, siue Crista galli maior Italica.

CAP. LX.




Descriptio. Geniculis per *caulem* ramósque hirsutos bina adnascuntur ex aduerso sita *folia*, Sideritidis aut Cristæ galli, longitudine sescunciali, latitudine semũciali, hirsuta in acumen desinentia, serrata, longis neruis distincta, à quibus in diuisurarum lacunas venulæ excurrunt: ex vniuscuiusque folij sinu *flos* exit vnus luteus, patulo rictu staminа proferens hirsutis apiculis donata, è calyce longo, vnciali ferè, striato, hirsuto, per extremam oram laciniato.

Locus & Tempus. Circa Romam secus vias copiosam obseruauit I. H. Cherlerus Maio florentem, cuius ramum secum attulit.

ANTIRRHINVM ALBVM SERRATO folio.

CAP. LXI.


Descriptio. HÆc planta, quam Antirrhinum albu.n serrato folio vocare libuit, donec vel melius nomen occurrat, vel apud aliquem autorem eius mentionem inuenero, vnico, recto, ad cubitum, interdum duos alto *caule* assurgit, in quo *folia* eo ferè ordine quo Lini disposita cernuntur, satis dura & aspera, pulchrè serrata, longa satis & angusta: *flores* albi ferè similes sunt maiori Antirrhino, satis magni proportione plantæ: calycib. vituli narium æmulis succedentibus.



Monspelij in prato quodam, in quo species duæ Narcissi nascuntur, prouenit, Vere florens.

PEDICVLARIS, QVIBVSDAM CRISTA galli, flore rubro, & albo.

CAP. LXII.



HAbet hæc planta in florum forma aliquid cum Crista galli vulgò dicta simile: emicant enim vt in illa ex vesiculis laxis glabris, verùm non ita compressis, canaliculatis, tantillũ cum multo virore rubescentib.: colore sunt rubro, aut carneo, aut albo, folio superiore rostrato, apices luteos quatuor binâ cauitate, vt in Crista galli vulgari flaua insculptos, stilúmque purpurascentem sinu suo occultante: inferiore in tres lacinias circinatas profundè inciso: *folia* cum Filipendula nonnihil habent simile, at longè minora, minutiúsque incisa, colore viridi, vel spadiceo, in caulibus angulosis, concauis, palmaribus, dodrantalibus & cubitalibus: *radix*, nonnihil amaricat, alba, rugosa, forma radicis

Petroselini vulgò dicti, minimi digiti crassitudinẽ vix attingens, in crassiusculas fibras diuisa. Ex summa porrò radice folia exoriuntur lata, crassa, in mucronem desinentia, per ambitũ serrata, ex quorum sinu reliqua folia cum caule emergunt. Sic & primogenitæ plantæ folia prima Dryopteris æmula formâ & laciniis, vt etiam aliquos fallere possit. Cæterùm, *semen* fuscum, rotundum, in vasculis magnis falcatis, in rostra desinentibus.

Pedicularis Lob. Ped. Alectorolophos. Lobel. in Icon. Plant. pag. 748. Pedicularem inscribit, in Obs. verò pag. 431. Pedicularem Alectorolophon, eam in Aduers. Pliniano Alectorolopho minùs quadrare, repetit: & inter Filipendulas, aut Millefolium reddendam censuit.

Quod porò Pedicularẽ vocari ait, quòd facultatibus sit virosis, pratis infesta, & pediculis hostis, à Dodonæo dissentit, qui hanc pediculos generare tradit. Fistulariam (inquit in Histor. frum. & Lat. in fol.) Germanorum plerique *braun Rodel*, alii *Leusz kraut*, *Braun leusz kraut*, Græcè *φθίριον*, Latinè Pedicularem ab effectu nominãt, quòd pecori ac iumentis, quæ in pratis vbi hanc prouenit, pascuntur, pediculorum copiam gignat: Belgæ *Roode Ratelen* appellant: Et hęc Dod. qui in Hist. gall. Alectorolophon inscripsit, ac gallicè *l'herbe aux pouls* appellauit.

Tragus Pedicularæ campestris titulo pinxit, ac prioris cognomento delineauit: H. Lugd. *Pedicularis campestris Tragi.* pag. 1074. Cristæ galli alterius, seu Phthirii. Gesn. in descr. mont. Fracti lib. de Lunar. Pediculariam Tragi vocauit. Clusius in Hist. post. Alectorolophon 3. & tertii genus alterum inscribit, ac Fistulariam à caulis cauitate vocari opinatur. Casp. Bauhin. Pedicularia 1. siue pratensis purpurea.

Locus & Tempus. Geneuæ flore albo sed crebriùs purpureo obseruaui, pedalem, altiorem & ramosam, florentem Maio iuxta *Arue*. Prouenit quoque in Michelfelden, inter Montbelgardum & Basileam aliquibus in locis, in valle Griesbach & aliis pluribus locis aquosis circa Montbelgardum, semine maturo Iunio. Nascitur, inquit Dodonæus, in vliginosis pratis: herba non solùm parùm vtilis, sed & noxia, ac pratorum ipsorum vitium: Maio ac Iunio mensibus cum flore ac valuulis reperitur.

Vires & Vsus. Creditur, eodem Dod. referente, ad fistulas & sinuosa vlcera vtilis esse, nec non menses & aliunde profluentem sanguinem, in vino austero decocta potaque sistere. Quis autem Medicus propter virosam facultatem intus sumendã præsentib. suauioribus medicamentis suaderet.

PEDICVLARIS MAIOR DAlechampii.

Descriptio PLantam siccam ab ipso Dalechampio habemus, quam sic descripsit. Filipendulæ Alpinæ affinis est: *radice* foris nigra, Napi modo gracilescente, rugosa, nonnihil surculosa: *caule* fermè cubitali, virgato, vnico: *foliis* Filicis in longo pediculo, ordine collocatis, per ambitum crenatis, exeunte per caulem alternatim vnoquoque foliorum pediculo: *flore* pallido, spicatim in summo caule congesto: *semine* copioso, in latis corticosis vasculis concluso, Alyssi modo.


Pedicul. maior alpina. Inscribitur apud H. Lugd. pag. 1138. Pedicularis maior Alpina: apud C. Bauh. in phyt. Pedicularis 2. siue Alpina maior folio Filicis. An Alectorolophi I. alterum genus Clusio.



An est Clusio in Pannon. pag. 707. & Hist. post. Alectorolophi primi alterum genus? de hoc mox capit. de Pediculari bulbosa.

Locus. In vertice montis Aurei Gergobiæ Aruernorũ propinqui gignitur Dalechampio perhibente. Nemauso so misit Cherlerus C. Bauhino.

PEDICVLARIS BVLBOSA.



Descriptio COmplures emittit *caules*, pedales, concauos, in quorum cacumine *flores* multi aceruatim cõgesti, cucullati, Pedicularis, maiores: *folia* palmaribus nixa pediculis, pinnata, Filipẽdulæ diuisurâ, statim ex radice prodeunt, qualia per caules, pauca, præterquam in summitate vbi *florum* spica incipit, quo loco satis sunt frequentia: *radices* capillaribus fibris intertextæ, multæ, principio angusto, sensim extuberantes, multùm Filipendulæ radicibus cedentes: vestigia veterum caulium demonstrant non esse annuam stirpem.

Lobel. Ic. plant. pag. 730. Oenanthe siue Filipendula altera montana.

H. Lugd. lapsus. H. autem Lugd. huius plantæ duas & descriptiones & figuras dedisse credimus. Et earum quidem primam p. 784. pro Oenanthe siue Filipendula altera montana Penæ: Alteram p. 786. pro Oenanthe alia Myconi, quam Filipendulæ genus esse iudicat ex foliorum & radicum similitudine, eodemque sapore.

Clusio Alectorolophus Alpinus maior siue 1.

An Gesnero Herba foliis Aspleno similis?

Locus & Tempus. In altissimorum montium verticibus vt Norbonæ ad Veganium. in Dei paradyso vocato Calcari contermino eruta à Lobelio. Iulio florentem in Gothardo eualsit gener Cherlerus. Clusius vtrumque genus in summis Alpibus Durrenstain, Etscher, aliisque celsis & herbosis iugis nasci obseruauit: posteriùs etiam in inferioribus vliginosisque pratis. Meminit & in Flandriæ pratis humidioribus, etiam Gentilly pago vicinis, non procul Lutetiâ Parisiorum.

PEDICVLARIS

PEDICVLARIS ALPINA FLORE luteo, radice nigra.



Descriptio

HÆret *radi ce* crassa, nigrâ, multifida. folia ex radice profert longo pediculo nixa, quæ foliolis multis constant, toto ambitu minutissimè incisis, ex aduerso sitis, vt in Filipendula, quæ causa nominis fuit: *caulis* pede altior flores luteos spicatim ferè congestos in vertice sustinet, quibus dilapsis vascula succedunt oblonga, Anthirrini loculis similia, minuto *semine* plena.

Apud Hist. Lugdunensem pag.1158. Filipendulæ Alpinæ titulo habetur. C. Bauh. phyt. Oenanthe 11. siue Filipendulæ similem alpinam luteam cognominat.

Locus.

Eam gignũt summa Alpium iuga, pascuis pratis, & vberrimo fœni prouentu greges innumeros atque armenta saginantia, indeque rusticos ditantia.

MELAMPYRVM VETERIBVS ET in genere.

CAP LIII.


DE Melampyro veteres obiter duntaxat & obscurè nimis egerunt. In genere Frumẽtorum (inquit Theophr. lib.8. cap.5.) Siculum satis purum, & præcipuè Agrigentinum fine Lolio exit. Siculo autem, quod priuatim Melampyrum vocant, proprium datur, quòd innocuum sit, nec sicut Lolium graue & capitis dolores faciens: Idem c.8. Lolium ex Tritico & Hordeo corruptis nascitur: Vel si id minus, nasci quidem inter Triticum solitum esse, nulli dubio est: vt etiam Ponticum illud, Triticum atrum [μελάμπυρον] cognominatum.

Sed & Galenus simile quid de Melampyro memoriæ prodidit, ita vt à Theophrasto sua mutuasse deprehendatur. Sic namque Alim.2. ait: Ex Tritici mutatione nascitur Melampyron, vt ex melino nigrum fiat, & tamen tale, multò minus malignitatis quàm folium habeat. Item Alim. 1. cap. vlt. Melampyron dictum, fit ex mutatione Frumenti, sed prauitate quàm plurimùm à Lolio relinquitur.

Æquiuoca

A Melampyro hoc Theophrasti & Galeni diuersum dicimus Melampyrum quorũdam, quod Dioscorides Myagrum appellauit. Sed fortè illo loco cum Paulo legendum Melampycnon. Melampyron etiam de quo hîc agimus, Stelephuros Plinij quibusdam esse videtur lib.21. cap.16. Aliis eiusdem Alopecuros lib.21. cap.17. sed malè, referente etiam Casp. Bauhino. Hic autem eius Aëram lib.18.cap.17 esse credit, quamuis hoc nomen Lolio meliùs fortè tribuatur. Melampyrum multis hodie videtur esse Triticum vaccinum, de quo iamiam sermo instituendus.

MELAMPYRVM MVLTIS, SIVE Triticum vaccinum.



Descriptio

LIgnosâ est & exiguâ *radiculâ*, aliquot consimilibus fibris donatâ: ex qua surgit *caulis* singularis, quadratus, hirsutus, purpurascens, multis alis concauus: *folia* ex interuallis, ex aduerso posita, Linariæ alia, alia lata & profundè lacinata, aspera, atro-virentia, at quæ in supremo thyrso sût, crebriora exiitunt, breuia, latiora, digitata, hilari purpurâ tincta: ex quorum alis galeati *flores* exeunt subhirsuti, casside purpurâte, labello luteo rubore confuso, ceruice penitùs luteâ, reliquo tubulo purpurascente: quibus succedunt in capsella oblonga turgida, tegmine membraneo in aristas desinente breuiusculas obuolutâ, *semina* duo aut tria triticeis minora, nigriora.

Tritic. bouinum flore albo.

Triticum vaccinum siue bouinum flore purpureo, candido interdum, sed rarissimè, conspiciendum se præbere legitur apud Tragum, qui narrat semina purpureo colore tincta, Tritico, vel Speltæ admixta (quod apud Mediomatrices, frequenter solet) panem reddere purpureum. agricolas verò *kuvveitzen* à semine Triticum referente, vocare: quomodo verò in Dioscoride appelletur, sibi non constare.

Tritic. vaccinum.

Gesn. de coll. stirp. Triticum vaccinum à Trago descriptum inutile perhibet Medicinę, vocatque Vitium Tritici, germ. *Brand*: non desunt tamen qui *Braunfleischbluemen* & *Mohren vveitzen* appellent: Belg. *Peertzbloemen*: Galli *Blé noir, Blé de vache, Blé de bœuf & rouge herbe*, Atrebatib. h.e. Herba rubra, a comæ colore.

Tritic. vitium.

Herba rubra.

Triticum vaccinum vocat Dodon. gall. lib.2. cap. 14. eius figuram quoque habenti lib. 4. cap. 16. Melampyri titulo) & lat. de frum. & in fol. & Hist. Lugd. p.419. itemque Cordus. Melampyrum Lob. in Adu. Obs. p.23. & Ic. Plant. p. 37. ac etiam Tabern. Melampyrum 1. siue purpurascente comâ, Melãpyron Galeni & Theophr. ac etiam Aeram Plinii, Casp. Bauh. in phyt. Melampyrum Belgarum & στελέφουρον Plinii Lobel. in Aduers. dicens: Melampyrum Dodonęi cognominauit Camer. hort. & Thalius, qui varias passim eius obseruari species prodidit. Quas eo non nominato ex eo sic recenset C. Bauh. Variat floris colore, flos enim infernè candidus, super-

Melampyri

Melampyr. Galeni & Theophrasti

Melampyr. Belg. Stelephuros Plin.

Varietates Thal.

nè luteus: sic ex albo viridique mixtis: item floribus luteis, in summo albicantibus: sic infernè puniceus, supernè luteus, foliis minoribus, & tādem flos infernè superneque puniceus, medio candicans, foliisque laciniatis.

Clus. in Pannon. p. 603. appellauit Parietariam siluestrem purpurante comâ: In Hist. post. Parietariam silu. tertiam. Quo autem nomine veteri donari debeat, se ignorare fatetur. Trifolium maius dicitur Brunfels. tom. 1. Rhaps. 14. pag. 47. Et tom. 2. Rhaps. 16. pag. 59. *Braunfleischbluym*, quam vocem Casp. Bauh. Trifolium purpureum reddidit, quàm rectè tu videris. Schvvenckf. Melampyrum purpureum, & Parietaria silv. comâ dilutè rubescente, Germ. *Vvachtel vveitzen.*

Locus & Tempus. Geneuæ, & Montbelgardi, ac in Alsatia inter segetes prouenit, læto potissimùm, pingui, ac restibili agro, cum frugibus florens & ad maturitatem perueniens in omnibus ferè prouinciis: negligi mauult quàm in hortis coli. Si tamen alicubi expetatur ob floris elegantiam, Autumno seri necesse fuerit: annua est planta, quæ maturo semine perire solet.

Vires & Vsus. Nullum quod sciamus in medicina vsum obtinuit, sed plerumque negligi solet. Scribit Clusius eam in Occidentali Frisiæ seu Flandriæ parte [vbi copiosissimam ait] panem vitiare & atriorem reddere: quinimò eos, qui eo vescuntur, plerumque capitis grauedine tentari solere, non secus ac si Lolio victitassent. *Ego semine* huius sæpiùs quidem panem tinctum obseruaui, sed nullum prauum saporem ei adferre deprehendi, nec insalubriorem à rusticis ideò haberi animaduerti, nec eam vllo modo separare student. Quin & Tabern. qui admodum sapidum panem ait, se sine vllo nocumento sæpè comedisse testatur. Gratus pastus bobus & vaccis saginandis, vt non incongruè forsan Pabulum bouinum aut vaccinum quis nuncupare posset.

MELAMPYRO AFFINIS, PARIETARIA cærulea quorundam.

Descriptio



QVadrangulo assurgit *caule*, pedali, nodoso, villis quibusdā hirto: in quo alternatim ad nodos bina semper ex aduerso nascuntur longa *folia*, secundùm pediculū lata, & sensim in mucronem desinentia, aliquantulùm villosa: summus caulis & rami desinunt in foliorum comam superioribus minorum, ad pediculum laciniatorum, mollique lanugine pubescentium, coloris purpurei, nunc dilutioris, modò saturatioris elegantissimi & violacei: inter quæ bini semper inter se oppositi *flores* nascuntur, longiores, concaui, aliquantulùm hiantes, superiore labro nonnihil reflexo & villoso, inferiore latiusculo & deorsum propendente, coloris initiò lutei, deinde omninò aurei, omnes tamen, licèt alternis contrario situ nascentes antrorsum exporrecti & spectantes, quod pictor in hac Clusii icone delineanda tunc non obseruauit: *radix* candicans, quam subsequens Hiems corrupit.

Clus. in Pannon. vocat Parietariam siluestrem primam cæruleâ comâ: In Hist. post. Parietariam siluestrem (quorundam, addit ad descr.) primam.

Camer. hort. Parietariam siluestrem vulgò vocari, quod miratur Clusius, refert, elegantissimam herbam hanc, foliorum comâ cæruleâ, vel dilutè rubescente, vel penitùs candidâ: flosculis quâ parte suo conceptaculo tenentur, sanguineis, priore verò flauis.


C. Bauh. phyt. nominat Melampyrum 2. siue cæruleâ comâ, Parietariam Lipsiensium Tragi. An verò sit Parietaria tertia Tragi, quam à Lipsiensibus Medicis veram Parietariam existimari tradit, dubitamus.

Schvvenckf. Melampyrum purpuro-violaceum, Triticum vaccinū 2. *Blangeel tag vnd nacht*, & *Ringelscheis* vulgò corruptè, cum potiùs dicendum *Rinder vveitz*.

Agerius obtulit in Austriæ pratis collectam nomine Parietariæ silv. comâ cæruleâ. In Silesiæ siluis & aggeribus montosis Iunio & Iulio frequens. Crescit etiam in Hungariæ, Austriæ, Morauiæ, Bohemiæ, ac quoque Germaniæ sepibus & siluarum marginibus, vmbrosisque locis. Ob insignem elegantiam & colorum varietatē hortis inserendam censet Camerarius, sed locis fruticosis, & circa sepes. Non vult enim in areis coli. Semen maturè colligendum, antequam exiliat è vasculis & statim reddendum telluri, vt spontè excidat. Nudum enim si contrectetur fœcunditatem perdere existimatur.

Quidam vulnera sanare & liuores discutere arbitrantur. Sapore est subdulci, & nonnihil acri, simulque astrictionis alicuius particeps. Vires & Vsus.

MELAMPYRVM CRISTATVM FLORE albo & purpureo.



Descriptio

TOrtuosâ nititur *radice*, parum altè demissâ, lignosâ, aliàs simplici aliàs apophysibus adnatis multifida: *caulis* singularis, pedalis & procerior, aliàs teres, aliàs angulosus, potissimùm parte superiore, in ramos plurimùm aduersos, inæquali interdum ortu, diuisus: folia plærumque opposita sæpè incondita, oblonga, angusta, acu-

minata, Melampyri vulgaris: flores hiantes, eiusdem floribus respondent, coloris vel albi cum rictu luteo, vel purpurei, quos complectûtur duo folia latiuscula, figurâ Lunæ falcatæ, arcu minutis denticellis concinnè crenato cristatóque.

An Melãpyrii lutei angustifol. C.B. An Melampyrum 4. siue luteum angustifolium Casp. Bauhini in phyt?

Locus & Tempus Illud, cui flos albus cum rictu luteo, Iulio mense florens inueni inter *Schorndorff* & fluuium *Filtz*, versus *Forndorff*. Alterum eodem mense florens inter Balneum admirabile & Nurtingam.

MELAMPYRVM SYLVATICVM flore luteo, siue Saturea lutea siluestris.

Descript. MElampyri vulgatioris segetum *radices* habet, strigosius plærumque, *coliculis* dodrãtalibus, & cubitalibus, quadratis, subhirsutis, iu frequentes ramos coniugatim diuisis: *folia* geniculis adnectuntur bina opposita, atro-purpureo colore maculosa, interdum culmum lata, interdum duplò latiora, vncias duas plùs minùs longa (ingrati & aliquantùm acris saporis, Clus.) quorum quę suprema floribus apposita sunt, vulgatioris Melampyri segetum modo laciniata existunt: cæterùm tubuli formâ *flores* hiantes alterius Melampyri, toti lutei sunt, conspectiores, bini & in vnam ferè partem vergentes: quib. compressa succedunt rostro adunco pericarpia, *semina* tria, alterius non dissimilia, oblonga, comprehendentia. In hac planta obseruaui interdum colorem cęruleum, vel dilutè rubentem.

Icon. Lobelij mãca. In Cratæogoni Lobelij figura, quæ extat in Obs. p. 22. in Icon. verò Plant. pag. 36. flores requiruntur.

Pariet. silu. luteo flore, siue 2. Clus. Clus. in Pannon. dicitur Parietaria silu. flore luteo: In Hist. post. Parietaria silu. (quorundam, addit. in marg.) secunda, Cratæogonum:

Melampyrum luteum latifol. C.B. C. Bauh. phyt. Melampyrum 3. siue luteum latifolium, Cratęogonũ Dioscoridis. Schvvenckf. Melampyron luteum, Triticum vaccinum 3. flore nonnunquam candido, sapore acri ac vehementi: *vvild tag vnd Nacht.*

Tres descriptiones & duæ figuræ Lugdun. H. Lugdun. huius plantæ, ni multùm fallimur, duas descriptiones habet & duas figuras: Cratæogoni scil. 420. & Satureiæ luteæ Dalechampij p. 899. Et Hyssopi nemorensis & luteæ p. 936. descriptionem tertiam sine figura: quod etiam animaduertit Frater: qui tamen etiam perperam apud Matthiolum duas figuras solo colore differentes tradit. Nec placet apud Tabern. in Icon. itémque Hist. Milij siluatici, siue Alsinę siluaticę (huius sc. plantę) duas poni figuras, colore tantùm distinctas.

Locus & Tempus. Crescit in sepibus, & siluarum marginibus, vmbrosísque locis Vngariæ, Austrię, Morauię, Bohemię, atque etiam Germanię: floret Maio & Iunio, annua planta, Clusio. In siluosis collibus & dumetis, vmbrosis, Norbonæ, Anglię, & Sabaudię, Pedemontísque passim multâ Æstate fruticantem obseruauit Lobelius. Abundat circa Montbelgardum in siluis: Geneuę in colle *la Bastie* floret Iunio, & Tiguri, ac Basileæ in segetibus.

Temper. Tabern. Milium vaccinum censuit calidum vsque ad 4. gradũ Tabern. Quę si hoc temperamento pollet, existimarim haud temerè eam vsurpandam.

Semen in folliculo exiguo Milio non dispari, cuius odor & sapor acre nonnihil testantur, vti & folia siccata. Ac tametsi ortum in loco lacunoso & hiante, tamen semen in pollinem pultémque ductum, esse Veneris incentiuum, & seminis genitalis quasi fermentum quoddam & cotem non abs re retur Lobelius.

PERISTEREON, VERBENA, ET HIErobotane, siue Herba sacra ex veteribus & in genere.

CAP. LXIV.

Descript. QVamuis ὀρθὸς ἐριστερεὼν, h. e. Verbenaca recta, & ἱερὰ βοτάνη, h. e. Herba sacra, seu Verbena supina, passim ab auctoribus, figurâ, viribus, & nomenclaturâ discernatur, tamen quia Plinius diuersum videtur innuere, & breuitatis studio vtramque vnà inuoluere, visum nobis fuit ambas vno capite comprehendere. Verbenaca recta (περιστερεὼν) in aquosis nascitur: nomen autem gręcum ex eo duxisse videtur, quòd libenter circa eam [ἐνδιατρίβειν ἐν αὐτῇ pro quib. vet. ἐνδιατρίβειν αὐτῇ, in ipsa:] columbę commorentur. Herba est palmi altitudine, aut etiam maior, foliis incisis, subalbidis, è caule prodeuntibus: singulari plerumque ramo [μονόκλωνος ἐκ τοῦ ... Vet. μονόκαυλος. Samb. μονόκλαδος] & radice vnicâ reperitur. Folia cum Rosaceo, aut adipe suillo recenti subdita, vuluę dolorẽ adimere creduntur. Ipsa quoq; herba imposita cum aceto erysipelata reprimit, putridáque vlcera cohibet: vulnera etiamnum glutinat, veteráque cum melle ad cicatricem perducit, auctore Dioscoride.

Verbena recta appellationes. Sũt autem qui Peristereona rectum, qui Peristerion, qui Trigonion, qui Bunion, qui Sacram herbam, qui Philtrodotem vocẽt: Ægyptij Pempsempte: Magi Iunonis lacrymam, siue Mustulæ sanguinem, aut Mercurij iisdem sanguinem: Romani, Cristam gallinaceam, Feriam, Trixalim, Exuperam, & Herbam sagminalem.

Herba sacra historia Dioscoridea. Sed & Herba sacra [ἱερὰ βοτάνη] quam etiam nonnulli Peristereona vocarunt, ramulos emittit cubitales, aut etiam maiores & angulosos, circa quos folia sunt ex interuallis, quernis similia, sed angustiora, minoráque [καὶ ἐλάττω vet. caret] diuisuris incisa per ambitũ, & colore aliquatenus glauco: radicem longiusculam & gracilem, flores purpureos ac tenues. Huius folia cum radice ex vino, illitáve, aduersus serpentes [πρὸς ἑρπετά. Lac. legit ex antiq. exempl. πρὸς ἑρπετὰ καὶ ἰοβόλα.] pollent: eadem illa [φύλλα] contra morbũ regium drachmę vnius pondere ex vini veteris & calidi hemina vna quaternis diebus ieiuno ventriculo bibuntur. Sed & œdemata diuturna, inflammationésque imposita mitigant, sordidaque vlcera purgant. Tota verò herba in vino decocta, tonsillarum crustas abrumpit, & oris nomas gargarizatu cohibet. Aiunt si aquâ spargatur triclinium, quâ maduerit, lætiores, hilarioresve cõuiuas fieri. Datur & potandum tertianâ laborantibus, tertium à terra geniculum vnà cum foliis circumdantibus; vti & quartanâ, quartum. Cæterùm [vet. caret sequentib.] Sacram herbam ideò vocant, quod in expiationibus sit ad amuleta perutilis.

Vires Diosc. libris diuersis.

Capitis huius varia inscriptio. Porrò capiti huic, de Hierobotane [περὶ ἱερᾶς βοτάνης] Goupili vterque codex hũc titulum, περὶ περιστερεῶνος ὑπτίου, habet: Antiquus, verò manuscriptus codex ὑπτίου legit. Sunt etiam qui Periste-

reona supinum nominent inter nothas appellationes: sunt qui & Erigenion, qui Chamæleucon, qui Sideritim, qui Curitim, qui Persephonion, qui Iouis Colum, qui Dichromon, qui Callesin, qui Cipariſſon, & qui Demetriada appellent: Ægyptii Pemphremplitham, Pythagoras Erysisceptrum, Romani Cincinnalem herbam dicunt.

Sagminalis. Sagminalis appellationis [quæ vox inter supposititia Dioscoridis habetur] ratio, ex Plinio manifestè declaratur, vbi lib. 22. cap. 2. ita legitur. Sagmina in remediis publicis fuêre, & in sacris, legationibusque Verbenæ. Certo vtroque nomine idem significatur, hoc est, gramen ex arce cum sua terra euulsum: ac semper & legati cùm ad hostes clarigatumque mitterentur, id est, res raptas clarè repetitum, vnus vtique Verbenarius vocabatur. Nulla tamen (pergit idem lib. 25 c. 9.) Romanæ nobilitatis plus habet, quàm Hierobotane. Aliqui Peristereon, nostri Verbenacam vocant. Hæc est, quam legatos ferre ad hostes indicauimus. Hâc Iouis mensa verritur, domus purgantur, lustranturque. Genera eius duo sunt: foliosa, quam fœminam putant: mas, rarioribus foliis. Ramuli vtriusque plures, tenues, cubitales, angulosi. Folia minora, quàm Quercus, angustioraque, diuisuris maioribus, flos glaucus, radix longa, tenuis. Nascitur vbique in planis aquosis. Quidam non distinguunt, sed vnum omninò genus faciunt, quoniam eosdem effectus habeat. Vtraque sortiuntur Galli, & præcinunt responsa. Sed Magi vtique circa hanc insaniunt. Hac perunctus impetrare quæ velint, febres abigere, amicitias conciliare, nulliique non morbo mederi, Colligi circa canis ortum debere, ita vt ne Luna aut Sol conspiciat, fauis antè & melle terræ ad piamentum datis. Circumscriptâ ferro effodi sinistra manu, & in sublime tolli. Siccari in vmbra, separatim folia, caulem, radicem. Aiuntque, si aqua spargatur triclinium, quâ maduerit, lætiores conuictus fieri. Aduersus serpentes conteritur ex vino. Idem & hæc sparsim habet. Verbenaca cum Plantagine, in collo suspensa, comprimere dicitur strumas. Insanabilis Podagræ non est credendus morbus: quippe quoniam & sponte desiit, & in pluribus curâ. Medetur Verbenaca cum axungia trita, & illita: aut si pedes macerentur in eius decocto. Iumentorum febribus in vino medetur: sed in tertianis à tertio geniculo incisa quartanis à quarto. Fasciculo manus plenæ decocta in aqua ad dimidias, hydropicos sanat. Morbo regio dysenteriæ & calculis confert. Tandem radix eius ex aqua pota, ad omnia in partu & ex partu mala præstantissima est.

Galenus. Peristerecona non modò œdemata antiqua & tumores sistere, & mitigare, sed & tonsillarum crustas abrumpere & exsiccare, nimirum calfaciente vi, quâ etiam capitis dolores chronicos discutere ait, ex frigiditate & crassis humoribus ortos, tradidit Galen. 2 de comp. med. sec. loca, his verbis: Omnium verò maximè discutit & perfectè corroborat Verbenaca recta [περιστερεὼν ὀρθὸς] maximè viridis, imò & arida cum radicibus & simul cum Serpillo oleo incocta. Idem de simpl. Peristereon nominatus est, quòd columbæ in ipsa versentur. Vim habet in tantùm exsiccantem, vt vulnera glutinet.

Verbenacæ, quæ & vltimâ detractâ syllabâ nunc communiter Verbena dicitur, inquit Humelbergius, historiam satis succinctè tradit Apuleius. Quare copiosiùs de illa dicendum, præsertim quia nulla in toto herbarum censu Romanæ nobilitatis plus habet, vtpote quæ vna auctoribus Romani imperii, conditoribusque immensum quiddam dedit. Sunt autem duo ipsius genera, diuersis tamen notis, ceu fusiùs indicatum antè est, discreta. Græci, vt Dioscorides, quem sequutus Apuleius, à plantæ habitu illam in rectam & supinam diuidentes, de iisdem diuersis capitibus agunt, qui mos & circa alias herbas non infrequens est Apuleio. Capite enim tertio sub Hieras botanes & Verbenacæ nomine de supina cognominata agit: de recta verò dictæ cap 65. sub Peristerei titulo. Plinius porrò cum Latinis in marem & fœminam distinxit. Cæterùm quod nominis rationem concernit, Verbenaca dicta est, quòd sola & per se verbenas faceret. Præterea quæ illi adiecta sunt specierum discrimina, supina & recta, hanc rationem habent. Hæc quòd recto caule rigeat: illa quòd humilioribus, & deiectis in terram ramulis quasi iaceat. Adduntur autem ambabus per tempora & ex aliis causis aliæ ab aliis gentibus appellationes. Hiera botane, id est, Sacra herba, enim vocatur autore Dioscoride, quòd in lustrationibus suspensa, alligatáue, felicem habeat vsum: Vel autore Plinio, quòd ad Iouis mensam verrendam, præparandamque ad sacrificium adhiberetur. Peristerecona hyption, hoc est, Columbina supina quoque nuncupatur: ὕπτιος enim Græcè idem est, quod supinus Latinè: ἡ περιστερὰ verò Columba, à qua tum apud Latinos, tum apud Græcos nomen adepta est, eò quòd, vti Apuleius ait, columbis esca sit admodum iucunda & familiaris: seu vt Dioscorides dicit, quòd columbæ inter eam versentur. Plinius id nec ad cibum, nec ad conuersationem refert, sed simpliciter columbis familiarem esse ait, ideoque nomen id indeptã. Dioselacate verò dicta quasi Iouis Colus. Διὸς enim idem est quod Iouis: & ἠλακάτη colus dicitur. Vocata est etiam Panchromon, quasi tota speciosa & nitida: πᾶν enim Gr. omne & totũ significat: χρῶμα verò eisdem color est & nitor. Colletis dicitur quasi conglutinatrix ab effectu, quia vulnerum sit conglutinatiua, à verbo κολλάω, q. e. conglutino. Aristereon appellata est quasi glutinata vulnera firmans ac solidans, à verbo στερεόω, quod est, firmo ac solido, & à dictione ἀρι, quę quamuis per se nihil significet, in compositione tamen aliis dictionibus addita, illis augmentum addit, & valde significat. Cyparyllos dicta est, quòd folia illi sint per ambitum secta, quemadmodum in Cyparisso. Demetrian, hoc est, Cerealem nonnulli appellarunt: Δημήτηρ, id est, Demeter, enim Ceres est, à qua & nomen inuenit, quòd vt Ceres inuentò frumento & traditis legibus homines feros cicurauit, & mitiores ciuilioresque reddidit: ita, ceu Magorum vanitas perhibet, & Plinius refert, hac perunctos amicitias conciliare, nullique non morbo mederi, & si aqua eius spargatur in triclinium, lætiores conuiuas fieri creditum esse. Siue quòd in agro iuxta fruges quas Ceres inuenit, ac etiam quarum Dea habita est, lubens etiam ac frequens nascitur. Æsclepij nomen ab Aesculapio vetustissimo medicinæ inuentore, ac plurimorum valetudini hominum vtilium autore, adinuenit, propter multiplicem vsum & virtutem. Sic & Alceam, id est, Medicam, & contra morborum iniurias validam & efficacem auxiliatricem

liatricem dixerunt, ἀλκὴ enim vis est & efficacia, auxilium & remedium: vnde & hæc herba præ aliis nomen hoc sibi asciuit. Erysisceptron appellata est à calathis & virgis. Nam Græci ἔρυον calathum vocant & sportam: σκῆπτρον verò sceptrum & virgam. Sicque dicta est, eò quòd caulis & virgæ ipsius virides lentore suo in calathos, sportas, tegetes, & id genus alia, texi & in nexus circumagi possint, quemadmodum & Cyperus & Aspalathus (quib. Erysisceptri nomē etiam commune & peculiare est) & Tiliæ & vtilia alia texēdis calathis, & corbibus, fiscellisque sunt idonea. Quæ ratio etiam fecit vt Licinia dicta sit Latinis, à verbo Licio, quod est implico, vel à nomine Licium, quod est filum, quo textrices stamen in tela implicant. Nisi Lucinia legere, quis maluerit, eò quod oculorum luci & visui prosit, à Lucina quæ Iuno est. Heras dacryon, i. e. Iunonis lachrymam sunt qui nuncupent. Ἥρα, i.e. Hera enim Iuno dicitur; δάκρυον verò lacryma: sicque fortassis dici potuit, quòd oculos & visum iuuet, illorúmque illachrymationibus destillationibúsque prosit. Iuno enim à iuuando dicta est, & quia oculis lucique præest, Lucina vocata est. Lustrago dicitur, quòd lustrationibus adhiberetur. Nam, quod Plinius testatur, hac domus purgabantur, lustrabantúrque. Lustrare autem expiare, purgare & purificare est, sic dictum à luendo, i.e. soluendo & liberando. Et inde lustratio, i. e. expiatio, purgatio, solutio, & liberatio purificatióque. Militaris vocata est, quòd hâc coronati feciales ad hostes legati mitterentur ad bellum indicendum, pacem componendam, clarigatúmque repetendum. Siue quòd herbæ Achilleæ, quę Militaris etiam appellatur foliorum formâ sit aliquo modo similis. Verripedium dicta est, quòd virgis eius domus & pauiméta verrerentur, purgarentúrque. Verrere enim trahere est & mundare, quòd sordes trahendo mundentur: Pedum verò pastoralis baculus est & virga. Crista gallinacea nuncupata est, quòd folia illa sint serrata & incisuris diuisa, ceu cristatus galli apex. Trygonion, i.e. Turturina, quasi Columbina, à turture, quæ græcè τρυγὼν dicitur, è genere columbino, dicta est, & eâdem ratione quâ Peristereō & Columbina, vtpote quòd turtures sicut & columbæ libenter inter eam versentur, aut ipsâ vescantur. Chamęlygos dicta est à caulis & virgarum ramulorúmque in terram deiectione, & eorundem ad ligandum aptitudine, de qua in Erysisceptri nomine iam dictum est: χαμαὶ siquidem humile & humi depressum; λύγος verò vimen significat. Dicta etiam est Sideritis, hoc est, Ferraria, à foliorum forma & similitudine quadam cum Sideritide herba, cui peculiare & proprium hoc nomen est. Siue à ferro, quod Græcis σίδηρος est, quòd glutinandis vulneribus ferro factis in bello vsum præberet, vnde etiam teutonicè *Isenkraut*, h. e. Ferraria nuncupata videtur. Ad eundem modum & Curitis, quasi Hastaris, ab hasta, quæ Sabinorum linguâ curis vocatur, appellari potuit Humelbergius tamen nomen hoc inuenisse narrat ab eo, quòd quemadmodum olim hasta, quam sceptrum Græci dixerunt, regij fastigij insigne diadematis loco fuit: sic etiam herba hæc, quæ multùm laudis ac plurimùm Romanæ nobilitatis habuit, & quâ semper legati ad hostes missi coronabantur & ornabantur. Nominata est & Phersephonion ab infernali numine Proserpina, quæ græcè Phersephone dicitur. Nominis autem causa est, quòd cōtra ipsius veneficiorū maleficia vim habeat & amuletum sit. Credebatur enim antiquitùs Phersephone pueris & aliis veneficiis suis nocere. Herbam sagminalem dixerunt, quòd inter sagmina primum hæc honorem haberet. Et hæc de nomenclaturis Hieras botanes, h.e. Herbæ sacræ, siue Verbenacæ supinæ.

Peristereon orthion, i. e. Columbina recta, etiā Trigonion, quasi Turturina nuncupatur, quorum nominum, vt & Hieras botanes, Heras dacryos, Cristæ gallinaceæ, Columbinæ & Ferrariæ, ratio reddita est iam antè. Alij etiam Herculaniam, Ægyptij Thiophenges, Hæmagales alij, i.e. sanguinem mustelæ, alij Hæma hermu, h.e. sanguinem Mercurij, Punici Zimicum, alij Azirgozol vocarunt: nonnulli Bunion, si non potiùs legendum sit Bomion, à dictione βωμός, quę aram significat, cuius nominis ratio fuisse potuit, quòd herba hac Iouis mensa & ara ad sacrificiū verrebatur. Philtrodotes appellata quoque est, quoniam lustrationibus adhibebatur feliciter, & philtris amoliendis erat accommoda. Exupera matricalis etiā dicitur. Exupera quidem, quòd omnes alias dignitate antecellat. Nulla enim quæ Romanæ nobilitatis plus habeat quàm ista: Matricalis autem quòd muliebrium locorum & matricis indolentiam faciat apposita: siue ad discrimen Heracleæ Sideritidis, quæ Exupera etiam dicitur, sed cum adiuncto matricalis, vt Apuleius tradit c.72. cui & hæc nonnihil folio assimilatur: quæ ratio & causa etiam fuit, vt Herculanea sit dicta. Plura nomina inter Dioscoridis nothas appellationes antè adscripsimus. Sunt tandem qui Petonomon à volucrum pastu nomineut. Item Ferrariam, non Feriam, vt malè inter nothas Dioscoridis legitur, teste Hermolao.

Verbenæ tandem, siue Verbenacæ, Peristereonis, Hierobotanes, siue Herbæ sacræ nomine sequentes plantæ donatæ sunt. Verbena vulgaris. Verbenaca supina. Verben. odiflora. Verb. Peruana. Euphrasia purpurea Dod. Verbesina flore minùs speciofo. Chamædryos falsæ species, Erysimum Tragi. Senetio. Scabiosa. Consolida media. Gallitrichum. Marrubium paluftre Tragi. *Æquiuoca*

VERBENA VVLGARIS.
CAP. LXV.



Vulgaris Verbena pluribus ab vna *radice* minimo digito tenuiore, fibrosâ & subamarâ caulibus cubito longioribus assurgit, quadratis, subhirsutis & subinde purpurascentib.: *folia* ferè opposita, oblonga, incisurâ quodammodò foliorum Quercûs, infimis duabus incisuris profundioribus: sunt ea autem vtrinque *Descriptio*

hirsuta, sed colore saturatiore superiùs quàm inferiùs virescunt: *flosculi* in thyrsulis exigui, quinqueparti ex pallido purpurascentes.

Varia nomina. Περιστερεὼν & ἱερὰ βοτάνη vocatur græcè. Verbenaca, Verbena, Columbaris seu Columbina, Herba sagminalis & Ferraria, quorum nominum rationem, præcedenti capite ex Humelbergio adscripsimus. Verbenaca supina Dioscoridis, & fœmina Plinii, Romanorumq; Cicinnale: Blattaria Plinii, Columbaris, Lucinia, Lustrago, Militaria, Peronomos, Panchramos & Verminaca Hermolai. Tragus vocat Verbenam, & Verbenam 1. siue rectam: Brunfelf. Verbenam masculam, Corn. Verbenam officinarum: Verbenam vulgarem Cæsalp. Verbenam 1. siue communem, flore cæruleo & albo C. Bauhin. phyt. Verbenam communem, Clus. Verbenam communem siue sacram 1. proceriorem rectam Lob. in Aduers. Verbenam Gesner. hort. Idem de coll. stirp. Verbenam albam in locis vmbrosis: Item Verbenam rariorem, pulchriorem & maioribus floribus è Prouincia: Verbenacam Matth. Lac. & Cast. Verbenacam rectam, & Verb. marem Tab. Verbenacam rectam Dodon. gall. & lat. in fol. Verbenacam rectam Dodon. Hist. Lugd. p. 1336. Verbenacam rectam, siue Peristereon Dioscoridis & Verbenacam marem Plinii Corn. Verbenacam supinam, siue fœminam Fuchsius: Hierobotanem siue Herbam sacram Dioscoridis, eiusdemque Peristereon supinum quorundam, & Verbenacam fœminam Plinii Cæsalp. Herbam sacram Anguill. & Turn.

Romanorũ Cicinnalis Blattaria Plinii.


Nom. ling. Germ. *Eisenkraut*, *Eisenhart*, & *Eiserich*, h. e. Ferrariam, a ferri duritia appellant: itemque *taubenkraut* h. e. Columbinam, pro qua voce malè Apollinaris *taubenkropff* legit, quæ Fumariæ propriè debetur: Belgæ *Ysercruyt*, & *Iserhart*: Galli *Veruaine*: It. *Verminacula*, *Berbena* & *Berbenaca*: Hisp. *Verbena*, *Vrgebaom*: *vverbena*.

Communem Verbenam vbique secus pagorum viarúmque margines & vrbium areas, ac non rarò in ipsis etiam ruderibus nascentem, florentemque mensibus nunc æstiuis, nunc autumnalibus, ac quandoque Nouembri, virereque incipientem vidi mensis Februarii principio. Locis incultis, inquit Dodonæus, sed tamen decliuibus ac humidioribus, in vtraque Germania, Gallia, alibique iuxta sepes, semitas, & scrobes frequenter reperitur: Iulio ac Augusto floret. Sunt alii qui ad hydropem puluerem foliorum exhibeant felicissimo successu, Cæsalpinus. Cæterùm, validè desiccantem facultatem habet, adest & adstringendi ac refrigerandi mediocris vis: Commendant Recentiorum plerique teste Dodonæo eius decoctum vel succum ad pestem: puluerem verò ad hydropem.

VERBENACA SVPINA.

Cap. LXVI.

Descript. HVic quaterni aut quini sunt *caliculi*, anguloli siue quadranguli, vti in vulgari Verbenaca, tenuiores tamen (& complures Dodon.) supini & in terram procumbentes: *folia* quoque ex viridi cæsia, vulgari similia, sed magis incisa & multifida, Dodon. profundioribus incisuris diuisa: *flos* in summis virgis vulgari similis, ex cæruleo purpureus, minor tamen: Dodon. flosculis in summis alis paruulus, eodemque modo ac ordine digestus: *semen* idem: *radix* tenuis (oblonga, Dodon.) & vulgari similis, authore Clusio, cui ἱερὰ βοτάνη, i. e. Sacra herba & περιστερεὼν ὕπτιος, i. e. Verbenaca supina dicitur.



Synon. Clusii iconem & descriptionem habet Hist. Lugd. p. 1337. hoc titulo: Verbenaca supina & tenuifolia Clusii: Lobel. in Obseru. pag. 290. in Icon. Plant. p. 535. inscripsit Sacram Verbenam Hispanicam minorem: C. Bauh. phyt. Verbenam 2. siue tenuifoliam Hispanicam. Dod. lat. in fol. Verbenacam 2. & supinam.

Locus. Tempus. Agro Salmanticensi frequens, florens Iulio & Augusto: Belgis ac reliquis Germanis hortensis est: & quidem Hispano sata semine.

Vires. Eiusdem est cum vulgari temperamenti, quare ad eadem vtilis, & aliquantò efficacior.

VERBENACA NODIFLORA.

Cap. LXVII.



Descriptio VErbenacę nodifloræ nomine ad fratrem meum C. Bauh. ex Italia missa planta, quam supra terram spargi existimamus, *foliis* est Ageratí, ex aduerso sitis, vncialibus & breuioribus, paulò quadrante vnciæ latioribus: *flosculi* perpusilli, aceruatim congesti è glomere emicant ramo extremo hærenti.

VERBENA PERVANA PERPETVO virens.

Cap. LXVIII.


Locus. SCripsit Nicolao Monardo nobilis quidam vir ex Peru, secundũ flumina è montibus eorum regno-

regnorum delabentia plurimam Verb. crescere, illi quæ in Hispania nascitur similem, perpetuò virentem, quâ Indi in multis morbis curandis vtantur, præsertim ad omnis generis venena, & in his, qui in cibis toxicum, aut simile aliquid hauserint. Sed & nobilis quædam matrona ex Peru rediens eidem Manardo asseruit, sed multis annis ægram fuisse, cúmque plurimorum Medicorum operâ vsa fuisset, Indum tandem quendam accessisse, qui in plantarum scientia celebris habebatur, quique inter Indos Medicum agebat; Verbenæ succum depuratum illi propinasse, seq; ab eius vsu post paucos dies lumbricum eiecisse [colubrum ipsa nuncupabat] hirsutum, pede longiorem, crassum, caudâ bifidâ, deinde omninò conualuisse: Ipsam porrò Nobili cuidam viro in Peru, qui continuè ægrotabat, singulis dieb. manè eundem succum saccharo permistum vt sumeret, persuasisse [ita enim ipsa hauserat ab amaritudinem] illum deinde plurimos lumbricos reiecisse, longos, tenues, atque inter cæteros, vnum albi cinguli instar, longissimum, & tum demum integram valetudinem recepisse. Id postea consilium plurimis aliis, qui malè affecti erant, & quos lumbricos habere suspicio erat, se dedisse, ac omnes sumpto Verbenæ succo, multas ventris tineas eiecisse, & sanatos fuisse. Illud porrò remedium adeò certum affirmabat, vt vnum è suis famulis ostenderet, qui ob morbi grauitatem philtrum aut medicata pocula hausisse diceretur, quique epoto Verbenæ succo, vomitu multa variis coloribus distincta ex ventriculo reiecisset, quæ medicata pharmaca esse afferebant, deinde conualuisse, &c. de quib. prolixiùs Hist. Lugd. Clusio etiam duo miri Verbenæ effectus exempla referête, quæ hic breuitati studêtes prætermittimus.

Synon. C. Bauh. phyt. vocat Verbenam 3. siue Peruanam, Hispanicæ similem.

VRTICA ROMANA SIVE MAS cum globulis.

CAP. LXIX.



Descrip. PRimæ inter Vrticas cõmendationis est, quam Romanam à seminis prærogatiua indicant, quod in vtriculis glomeratim conjunctis mordacibus reclusum continetur, quod & compressâ laterum formâ & lubricâ superficie semen Lini æmulatur, *flosculis* præcedentibus fibrosis luteolo puluisculo plenis, pediculo vnciali aut longiore appensis: *radix* non alia quàm Vrticæ vulgari: *caulis* verò rigidiorib. pungentibus spinulis, pro vrida vulgatæ lanugine, donatur, perinde vt & *folia*, quæ quàm in illa altiùs multò incisa sunt: tota planta hominis altitudinem interdum multùm superat.

Synon. Hæc est illa Dioscoridis Vrtica, aliis Cnide dicta, & quidem agrestior (ἀγρία vet.) asperior, latior, nigriorque foliis, semine Lini, at minore.

Plin. Vrticam siluestrem fœminam facit, & mitiorem esse refert. Tragus vocat Vrticam Romanam quartam, peregrinam, & elegantissimam: Fuchs. Vrt. græcam siue romanam, & asperam Diosc. Bayrus. Dod. gal. & Lob. in Adu. (vbi & romanam officinarum, semine Lini.) Vrticam siluestrê. Idê in Obs. & Ic. Plan. Pl. Vrt. Romanâ & Vrt. siluestrê semine Lini: & sic etiam inscribit Taber. Matth. Vrticam primam: H. Lugd. p. 1243. Vrticâ 1. Matthioli: Don. lat. in fol. Vrticam vrêtem priorem: Vrticarum vrentium maiorum primam: Vrt. marem nonnullorum: Vrt. silu. asperiorem Diosc. & Vrt. silu. fœminam mitiorem Plin. C. Bauh. phyt. Vrt. 4. siue pilulas rotundas ferentem.

Vrtica vrentis cõmunia nomina. Ἀκαλήφη, auctore Athenæo lib. 3. Deipn. dicta est bono omine per antiphrasin, neque enim tactu suauis & mollis, sed aspera & iniucũda: Vel, quod iniucundo sit tactu, pruriginem ciente. *Knide* autem quòd lanugine noxiâ vellicet, pungat, & suo morsu sensum lacesset, à verbo κνίζειν, quod pungere & vellicare significat. Vrtica ab vrendo, quòd pruritum, postulasque igni similes excitet; vnde, & Macer ait:


— Nec immeritò nomen sumpsisse videtur,
Tacta quòd exurat digitos Vrtica tenentis.

Nomina linguarum. Præter iam dicta vrentium Vrticarum generica nomina, sunt & hæ linguarum appellationes: germanica *Nessel*: Belg. *Netelen*: Gall. *Ortie*: Italica, *Ortica*: Hispan. *Hortiga*. Angl. *Nettel*: Boh. *kopriwa*: Ægyptia *Selepsio*, vel *Selepsion*: Arab. *Humure vraith*. Dacica *Dyn*.

Particulariter verò Vrticam præsentem Germ. vocant *Welsch Nesselen*, Italicam Vrticam, & *Romisch Nessel* Vrticam Romanam: Belgæ etiam *Roomsch Netelen*: Galli *Ortie Grecque*: quòd rarior sit, neque vbique occurrat, at semine aliunde misso, subinde spectaculi causâ, in hortis seratur, vnde & hortensem cognominauit Tragus.

Locus & Tempus. In densis siluis nõ rarò apud Belgas reperitur. Æstate vigens, & semen Iulio & Augusto maturans, Dod. Ego Vrticam globulis celebrem Monspelij passim in sepib. obseruaui, florentem & semina ferentem mensib. Aprili, Maio & Iunio. Basileæ in pratis, Geneuæ & Montbelgardi in horto meo proueniebat, sed Hiemem non perferebat.

VRTICA VVLGARIS MAIOR.



Descrip. VRtica maior, vridâ lanugine, quâ *caules* quadrati cubitales, *foliaque* acuminata serrataque atro-virentia aut subflauescentia obsita sunt, notissima, rubentib. nonnihil radicibus nititur: *flores* racematim in ligulis ex foliorum alis proferens, lanuginis incanæ instar: *semen* perquàm minutum.

Tragus duas habet figuras, non tamen duas, ſed vnam hanc Vrticam denotantes, Vrticarum vrentium vulgarium inſcriptione: prior florentem & vigentem, poſterior verò iam declinantem deſloreſcentemque demonſtrat: non eſt itaque verum, quod quidam ineptiunt, eum duas figuras ſolo foliorum, nunc ſpadiceorum, nunc nigriorum, colore variantes exhibuiſſe. Ipſemet enim duas has Vrticas, quas magnas & vrentes appellat, vnius generis eſſe ſcripſit.

Eius fruſtra duas figuras expreſſit Tragus vtpote ſolo colore differentes: quod non monuit Frater, nec fortè animaduertit. An etiam hæc ſit Dioſc. altera illa ἀκαλύφη, quam Cniphen vocant, Romani verò Vrticam mollem, minuto ſemine [fructu, Ald.] non æquè aſpera, vt vult frater, aliis diiudicandum relinquimus. Fuchſius refert eam ſe nunquam videre potuiſſe: noſtram autem Vrticæ maioris titulo pingit, ac paſſim in Germaniæ dumetis ac ſepibus gigni ſcribit. Lobel. in Adu. Obſ. pag. 281. & Ic. Plant. pag. 521. appellandam duxit Vrticam ſilueſtrem aſperiorem, ſiue Vrticam communem, ſiue maiorem, aut Vrticam fœminam. Pro Vrtica pingitur ab Apollinari: pro Vrt. maiore à Brunfelſ. & Dod. gall. ad differentiam minoris: pro Vrtica vrente altera à Dod. lat. in fol. qui vulgò fœminam cognominari refert. Germanis dicitur *Gemein Neſſel gemein brennend Neſſel, groſz Neſſel, gros brennend Neſſel*, & *heytter Neſſel*: Belg. *Groote Netten*: Gall. *Ortie commune*: Angl. *Nettel*.

C. Bauh. not.

Locus & tempus. Exit locus incultis: frequentior autem eſt iuxtr ſepes, dumos, vetereſque parietes ſpontè: naſcitur quandoque etiam neglectim in hortis, odioſa nimis ſuo reptatu, & viuida radice. Viget præſertim Æſtate: ſemen Iulio & Auguſto maturum legi poteſt.

VRTICA MINOR annua.

Deſcript.



TOta eſt hæc minor: neque enim pari altitudine vnquam exſurgit, neque folia Vrticæ maioris molem aſſequuntur: vrentior tamen eſt, folio atrouirente & rotundato ferè: flores racemoſi, albi: radix non diſſimilis, niſi quòd minor.

Falsò maioris Vrticæ titulo donatur à Trago, id quod ex ſequentibus eius verbis colligere quilibet poteſt. Tertia vulgaris Vrtica, inquit, quàm *heyter Neſſel*, hoc eſt, cauſticam, ſiue ardentiorem Vrticam, Germani dicunt, admodum exiguæ quantitatis eſt, rarò enim ad altitudinem trium palmorum aſſurgit, caulis eius rotundus, radix breuior, folia anguſtiora, ſemen verò maius. Vrtica eſt alſioſa, hyemis impatiens: quare ſingulis annis, ex ſemine deciduo repullulaſcit, hortorum omnium ſingularis peſtis. Hæc ille. Tu verò ex his colliges, tertiam hanc ſuam vulgarem Vrticam, minorem inſcribi debere, præſertim quòd rarò ad altitudinem trium palmorum aſſurgat, prior verò colore foliorum ludens ad trium cubitorum altitudinem excreſcat.

Synony. cum nominibus linguar. Fuſch. Cord. Tabern. Dod. gall. & Lob. in Adv. (vbi tamen & Caniam Plinij acriorem vocat) itemque Brunfelſ. Vrticam minorem appellant. Lobel. in Obſ. pag. 522. Vrticam minorem acriorem: H. Lugd. pag. 1244. Vrticam 3. Matthioli: C. Bauh. phyt. Vrt. 3. ſiue vrentem minorem. Dod. lat. in fol. Vrticam vrentem minimam, & Vrt. vrentem tertiam: Tragus Vrticam maiorem inſcribit, ſed falsò, vt ex deſcriptione conſtat. Germani *Heyter Neſſel*: Belgæ *Heyte Netelen*: vtrique à mordaci eius contactu appellant. Illi etiam *Haber Neſſelen*, quod nimirum in Auena naſci multùm amet. Galli *Ortie greſle*. Sitne autem hæc, quam Plinius Caniam nominat, vel potiùs prior, ſtudioſi obſeruent: Eſt in ſilueſtri, inquit, quæ Cania, acrior, caule quoque mordaci, fimbriatis foliis.

Locus & tempus. Vrtica hæc minor annua quamquam à maioris natalibus haud abhorreat, tamen & ad hortos, & humidiora arua deſcendit: eodem tempore quo illa & viget & floret, & etiam alibi, vt Geneuæ, citiùs.

Vires & Vſus Vrticarum omniũ. Quælibet vrentium Vrticarum innatam malitiam infinitis commodis & vtilitatibus penſat. Vtriuſque (Vrticæ aſperioris, & mitioris) enim folia impoſita cum ſale canis morſus ſanant, inquit Dioſcorides, gãgrænas, carcinomata, ac ſordida vlcera, & cacoethe: item luxata, tubercula, parotidas, panos, abſceſſus. Eadem lienoſis cum cerato imponuntur. Faciunt & ad ſanguinis è naribus eruptiones folia cum ſucco trita indita. Menſes cient trita cum Myrrha ſubdita. Vterum prolapſum reſtituunt folia recentia admota. Semen ex paſſo potum ad venerem concitat, & vterum aperit. Idem cum melle delinctum Orthopnœæ, pleuritidi & peripneumoniæ prodeſt. Educit & quæ in thorace hærent. Admiſcetur quoque erodentibus medicamentis: at folia cum conchis cocta aluum emolliunt, vrinas mouent, inflationes diſcutiunt, verùm cum ptiſana cocta, quæ in thorace hærent, educit. Decoctum foliorum cum modica Myrrha menſes mouet. Succus gargarizatus vuluam inflammatam reprimit [malè exprimit vertit Ruellius.]

Plinius. Plinius Vrticæ vires & vſum medicum exponit planè ex Dioſcoridis ſententia, ſed fuſiùs, vt Dioſcoridi intelligendo non parum lucis adferat. Vrtica, inquit, quid eſſe inuiſius poteſt? At illa præter oleum, quod in Ægypto ex ea fit, vel plurimis ſcatet remediis, &c.

Galenus. Galenus euidentiùs & vires & effectus Vrticæ tradit, tanquam de vno genere loquens. Vrticæ herbæ & ſemen & folia [nam hæc potiſſimùm ſunt vſui] admodum digerentis ſunt facultatis, adeò vt & phymata, & parotidas ſanent. Sed & quiddam flatuoſum obtinent, quo & venerem extimulent, maximè ſi cum paſſo ſemen bibatur. Porrò quod non vehementer excalfaciat, ſed multùm tenuium ſit partium, teſtimonio eſt craſſorum viſcoſorumque humorum ex pectore, pulmoneque eductio, tùm quod partes quas contigerit, pruriant. Porrò flatuoſum eius, cuius eſſe particeps dicta eſt, dum concoquitur,

naſcitur.

nascitur. Non enim actu flatuosa est, sed facultate. Ventrem autem subducit modicè, ipsâ duntaxat abstersione, ac veluti titillatione, non purgatione. Et gangrenosa & cancrosa, & in totum quæ exsiccari citra mordacitatem postulant, ea conuenienter sanat: nimirum cùm subtilium sit partium, & temperaturæ siccæ, non tamen tantùm habens caliditatis, vt mordicet. De Vrtica apud Macrum extat pœma:

Græcus Acalephen, nos Vrticam vocitamus,
Feruida non modicè vis illi dicitur esse,
Vnde nec immeritò nomen sumpsisse videtur,
Talia quòd exurat digitos Vrtica tenentis.

Iuniorum dogmata. His ita traditis ex veterum sententia, reliquum est, vt & Iuniorum nostri sæculi Medicorum de vrentium Vrticarum facultate & vsu dogmata annotemus. Omnes tres, inquit Tragus temperaturâ suâ siccæ sunt, quamobrem resoluunt, discutiunt, & incidunt duros tumores ac pustulas, & si quæ alia à pituita deriuantur, idque tam in internis, quàm externis corporis partibus efficiunt. Minor verò, quam Germani *Vester Nessel* vocant, viribus duabus reliquis inferior est extrinsecùs adhibita, nisi recens adhuc illa fuerit. Omnium itaque folia vino decocta & pota, aluum emolliunt, discutiunt flatus, cohibent tormina; maximè ea, quæ non à constipatione ani orta sunt, vrinam cient, purgant lumbos, Venerem stimulant. Tusa, & cum sale, ritu emplastri, imposita, vulneribus & canis rabidi morsibus medentur, experientia id attestante: Pari ratione sordidis, putridis, gangrænosis ac malignis vlceribus auxiliantur. Quin & talia cataplasmata incidunt collectiones omnes, & duritias, abscessus, frigidósque tumores, siue ij sint in articulis, siue in liene, aut secundum aures. *Semen.* Semen in ijs morbis, quibus folia ex vino decocta conueniunt, efficacius est, si sapâ decoquatur, aut ex illo cum melle eclegma fiat. Sed aqua destillata in memoratis ægritudinibus vsu commodior est, & aliquantò mitior: purgat enim & abstergit omnia vulnera tam interna, quàm externa, si bibatur, vel si ex illa abluantur. Radix magnæ pungentis vino & melle decocta, haud vulgare medicamentum est contra frigidas tusses, & orthopnœas: purgat namque fistulas spirituales pulmonis, & quæ in thorace sunt educit, pectorísque vitia emendat, discutit pleuritides, & vuæ affectiones curat, aliósque morbos, qui ex viscoso humore suboriuntur, mensura trium, vel quatuor ligularum pota ac gargarizata.

Temper. Dod. Temperamento autem Vrticam siccam quidem Dodonæus quoque statuit, calentem verò exiguum, & vix primo ordine; vim tenuium partium simul obtinentem. Neque enim ex eo vrere, aut mordicare nouit, quòd impensè calida sit; sed huius causam esse admisit lanuginem eius rigentem ac duriusculam, aculeorum instar pungentem, cutímque vellicantem: siquidem flaccida facta ac decocta Vrtica, haudquaquam vrit, lanuginis nempe remisso rigore.

Vrtica frigida. Sed & Langius libro secundo epistola 33. virtutem Vrticæ adurentem superficie tenus manere testatus est: intus verò tantùm frigoris latere, vt ea contusa arterijs metacarpij ac temporum applicata, febris feruorem extinguat in corde.

Cæterùm, Vrticis bene contusis, emplastri vice ventri impositis, neque citò inde dimotis, se matricem & retrahere, & reductam vsque continere, quidam certo experimento iactant, vt videre est libro 6. cap. 9. de conceptu apud Iacob. Rueff. Baytus de morb. distinct. 1. tract. 5. cap. 3. Vrticam cum vino potatam epilepsiæ conferre scripsit. Quin & apoplectico loquelà destituto, vt quamprimùm sermo redeat, Vrticæ semine linguam fricandam præcepit Emp`r. Wittembergicus. Bonius ad arthritidis dolores mitigandos, & humorem peccantem per euaporationem resoluendum reprobat narcotica, laudatque potissimùm fotum cum decoctione Vrticarum viridium, aut siccatum, vel etiam radicum. Corpus hominis Vrticis perfricare, melancholiam non parum iuuare scribit Cardanus. Nunc si velis manus simul atque faciem teneram, albámque efficere: cape, authore Fallopio, Vrticæ folia & radices, decoque in aqua, iisque manus faciémque ablue, tum pulchram reddes, albam, tenellámque. Vrticæ radicibus deraso cortice virente vtuntur Chymici ad purificandam aquam vitæ, imponúntque eas in cucurbitam cùm secundò distillant.

Ille tandem, qui semel Vrticæ comederit, oris, linguæ & gutturis excoriationem patietur (referente Petro de Abano de remed. venen. cap. 50.) itemque arsuram & ardorem in mictu: Horum autem malorum curam esse ait, oleum Amygdalarum dulcium epotum, Bezoar, & grana Citoniorum trita & pota cum aqua calida.

Nouimus iuueni cuidam ab adultera & lasciua meretrice semen Vrticæ propinatum, quo tardior aliàs ad actum venereum excitaretur. Vnde Iuuenalis: Irritamentum Veneris languentis, & acres Vrticæ.

Præter prædictos illos vsus, autor est Alpinus, mulieres Ægyptias nihil habere quo valentiùs vterum calefaciant, mundent, atque ab obstructionibus liberent, quàm vrticam, ex qua ad mouendos menses seminis decocti atque suffiti vsus est apud ipsas frequentissimus: maximéque addita myrrha.

Cæterùm æstum & pustulas ab Vrtica excitatas restinguit & sanat oleum Rosarum, itémque Oliuæ. Sed & Nicotianæ succus, aut spissamenta, aut folium viride ex fricatione madens confestim læsionis dolorem amouet & prorsus tollit, si quis loco ex Vrticæ contactu adusto, horum vnum applicauerit. *Vrticæ morsus medela.*

CANNABIS MAS ET FOEMINA.

CAP. LXX.


Dvum generum Cannabis passim obseruatur culta, mas videlicet & fœmina, siue fœcunda & sterilis: surgit vtraque homine altior (licèt fœmina mari altitudine cedat) *caule* quadrato, cauo, cortice in fila ductili tecto, singulari, interdum superiùs diuiso: *folia* in quatuor, quinque aut plura segmenta ad pediculum vsque subdiuiduntur, serrata, atrouirentia, aspera, odore caput tentanti: *flores* vui muscosi luteoli in pulusculum leui concursu abeunt, nullo post se relicto *semine*: altera species nullo præeunte flore *semen* copiosum fert, nudum, secundùm caules, ramósque, oleaginosum. *Descriptio*

Icon nostra, quæ ex Fuchsianis est, fœminam demonstrat. *Icon.*

Cannabim satiuam marem Dioscorides folia Fraxini [τῆς μελίας, pro qua voce malè interpretatus est Marcellus τῆς μηλέας, Mali:] gerere *Cannabis satiua Dioscor.*

ſcripſit, ſed fœdi odoris, caules proceros, inanes, ſemen rotundum. Galenus ſimilem Vrticæ facit non ſolùm figurâ, ſed & facultate. Plinius inter Cannabin hanc ſatiuam & ſiluſtrem minùs ingenioſè diſtinguit, & vires vtriuſque miſcere videtur.

Cannabis fœmina.



Quoniam porrò in ſylueſtris Cannabis mentionē incidimus, meritò quoque eam ex Dioſcoride conſideramus. Syluestris Cannabis, inquit, virgas fert Althææ virgis ſimiles, ſed nigriores, aſperiores & minores, cubiti altitudine: folia ſatiuæ ſimilia, aſperiora tamen & nigriora: flores ſubrubicundos, Lychnidis ſimiles: ſemen & radicem Althææ ſimilia. Radix cocta & impoſita vim habet inflammationes mitigandi, & tumores diſcutiendi, & tophos in articulis diſſoluendi. Sed & ex hac cortex eſt idoneus ad funes texendos. Et hanc Dioſcoridis Cannabim ſiluestrem nobis adhuc ignotam ingenue fatemur, illud nobis liquidò conſtat quoſdam Vrticæ ei affinem plantam feciſſe: alios verò Chenopodij alterius Matthioli genus album conſtituiſſe: ſed nec deeſſe, qui Alceam vulgarem maiorem credant: reperiri tandem nonnullos, qui Alceam Pentaphylli folio eſſe ſibi perſuadeant. Et hæc de Cannabe ſiluestri hic nobis dicta ſunto.

Siluestrem Cannabim, Hidraſtinam & Terminalem cognominatam, nos non habemus inquit Tragus, niſi per illam ſubintellexerit vnam ſatiuæ ſpeciem Dioſcorides, aut certe, quod puto, caput illud redundet. Nam ſylueſtrem Cannabē primò cōtra cōſuetudinē ſuam pouit loco, deinde ſatiuam. Sed & Pliniū tria Cannabis genera deſcribentē, quarū primam & optimam Meſiam, Mileſiam alteram, tertiam Roſeam nūcupat, de ſatiua dūtaxat Cannabe loqui, vel hinc licuet, quod ſiluestris nuſquam mentionem faciat. In libro quidem 20. cap. 20. rem paucißimis attingit verbis. Sed de noſtra vulgari intelligi ea verba commode poſſunt.

Sed relictâ Cannabe ſiluestri, ad ſatiuæ hiſtoriam redeamus. Duorum itaque naſcitur generum ex vno eodemque ſemine, Mas & fœmina, quæ vtraque pingitur apud H.Lugd.p.49·. Marem inſcripſit Lobel.in Obſ.pa.284.in Ic. Plant. pag. 526. Cannabem 2. ſiue maiorem, ſemen ferentem, maſculam, & Cannabem Dioſcoridis: Dod. lat.fol. Cannabem fœcundam, flore non conſpicuo: C.Bauh.phyt. Cannabem 3.ſiue ſatiuam: Fœminam Lobel. modò citatis locis, Cannabem erraticam paludoſam ſiluestrem, ſed falſo titulo: Tragus Cannabem ſatiuam inſcripſit, ac primā ſiue fœmellam, tenuem, & ſemine deſtitutam vocauit: Dod. in fol. lat. Cannabem ſterilem, flores inutiles & vaneſcentes proferētem: Caſ. Bauh. phyt. Cannabem 2.ſiue erraticam: Miror autem Fratrem non meminiſſe Cannabis fœminæ, quā ſub falſo titulo Lobelius exhibuit. Vtramque etiam vnâ icone Cannabis inſcriptione cur comprehendat Tabern rationem non video: is ſæpiùs ſolo colore differētes iconibus ſeparat. Sed & Camer. apud Matthiolum iconem nodam ex mare & fœmina compoſitam, Cannabis titulo dedit. Cord. Corn. & Brunfelſ non diſtinguunt.

Κάνναβις καννάβιον, ἀσ́τριον, & σχοινοτόνησφον, à texendis ex ea funibus, Græcis dicitur: Hebræis ſeu Thalmudiſtis græcam vocem imitantibus, teſte Elia in Nomencl. *Kannaſos* vocatur: Arabibus *Canab* & Sphedenegi appellatur: Medici tamen differentiam cōſtituūt inter Scehedenegis, quod eſt ſemen Cannabis, & inter Scedenegi, qui eſt Æmatites lapis, qui ſanguinē ſiſtit, & inter Scehetenegi, qui eſt Fumus terræ, vide Auicē. lib.2.cap. 174. & 665. Latini *Cannabē* dicunt: officinæ nomen retinent: Sunt autem Græcis κάνναβοι fonticuli, ſparſæq; ſcaturigines, quibus locis cum iubens ſponte & ſata luxuriet, videtur id nominis Lobelio indeptæ: Germanis *Hanff* Beig. *kemp*: Gallis *Chanure* & *Cheneue*: Ital. *Canape*: Hiſpan. *Cannamo*: Angl. *Hemp* & *Hemp*.

Porrò ambæ Cannabes, ex vno, vt diximus, ſemine procreantur, ſed quā ratione hoc intra terrā perficiatur, vt altera ex illis fructifera, altera verò ſterilis ſit, nemo eſt qui ſcire poſſit, ideoq; cum alia multa, tū etiā hoc ipſū naturæ eſſe miraculum neceſſe eſt vt dicamus. Vtraque autem quotannis Vere paſſim in agris & hortis plantari conſueuit, nec vnquā ſua ſponte ſiluestrem obſeruare nobis contigit, & pluribus alis luxuriantem, qualem Dodonæus commemorat. — *Miraculum naturæ.*

Solum, vt Columella ſcribit, pingue, ſtercoratumque & riguum, vel planum atque humidum & alte ſubactum depoſcit. In quadratum pedē feruntur grana ſex eius ſeminis Arcturo exoriente, quod eſt vltimo menſe Februario circa ſextum aut quintum Calendas Martias. Nec tamen vſque in Æquinoctium vernum, ſi pluuius cœli ſtatus, imprebe feretur. Fœmina prior matureſcit, meliorque ac prẹſtantior eſt ad pannos conficiendos: mas verò apta ad ſui generis conſeruationē. Fœmina matura Iulio vellitur. Maris ſemen fine Auguſti, vel Septembri menſe, maturum legitur. — *Locus.*

Cannabis plantam in vita admodum vtilem pronunciauit Dioſcorides, ad robuſtiſſimos funes texendos: Semen verò ſi copioſius edatur, extinguere genituram: ſuccum è viridi ſemine expreſſū ad aurium dolores commodè inſtillari. Cannabis autem ſemen olim in cibo homini fuiſſe, docet Galenus 1.Alim.his verbis. Non quemadmodū plāta ipſa Cannabis Vitici quodammodò eſt ſimilis, ita ſemen ſemini facultate eſt ſimile, ſed plurimùm ab eo diſſidet, vt quod concoctu ſit difficile, ſtomachoque ac capiti noceat, prauique ſit ſucci. Sunt tamen qui eo quoque frixo cū alijs tragematibus veſcuntur. Tragemata autem voco ea quæ poſt cœnam voluptatis inter bibendum excitandæ gratia mandūtur. Multùm autem calfacit, ideoque ſumptum paullò — *Vires & vſus.*

paulò largiùs caput ferit, vaporem sursum ad ipsum mittens calidum simul ac medicamentosum: Semen (addit 7. simpl.) flatus extinguit, adeóque dissipat, vt si plusculum edatur, genituram exsiccet. Sunt qui ex eo viridi succum exprimentes, ad aurium dolores, ab obstructione, vt opinor natos, vtantur.

Simeon Sethi. Non est silentio prætereundum, quod de semine Cannabis Simeon Sethi prodidit. Comestum, inquit, idem nocumentum quod Coriandrum affert: immodicè enim si estur, vt illud delirium facit: folia verò arida in potu sumpta farinæ modo, ebrietatem quandam hospitalem & innoxiam faciunt, quæ ab hauriente non sentitur. Apud Arabas pinsitur, subigitúrque pro vino, & inebriat. Desiccat vero semen genitale, vt Caphura.

In cibos venit. In Francia Orientali, referente Trago, aliisque nonnullis regionibus semen Cannabis quotidie inter cæteros cibos decoquitur, non aliter quam Hordeum, sed reuera qui continuò hujusmodi semine in cibo vsus fuerit, is non parum læditur, namque semen Cannabis stomachum frigidum & debilem reddit, & genituram extinguit. Idem semen lacte decoctum & calidum potum, aridam calidamque tussim emendat & expellit.

Matth. Gallinæ feraciores. Cannabis semen in gallinis contrarium, ac in nobis, efficere, tradit Matthiolus, siquidem gallinas ouorum feraciores reddit, experientiáque sese comperisse ait, gallinas, quæ Hieme seguiète, quo tempore oua rariùs pariūt, Cannabis semine pascantur, oua frequentiùs multò ponere. Cannabis recentis decoctū expressâ validè herbâ, terrestrium lumbricorum cauernulis inspersum, statim eos euocare idem affirmat, quod piscatoribus acceptum referendū est, qui hac arte vermiculos capiunt suis hamis affigendos, vt rectè scripserit succum ejus vermiculos ex aurib. ejicere. Ex his etiam colligi potest, ejus vires ad interaneorum vermes haud imbecilles fore. Equorum etiam sedi hærentes tænias, succus aut decoctum ejicit. Sunt etiam qui foliorum puluerem dysentericis propinent. Quod Plinius de radice dixit ambustis sæpiùs admouenda, & amouenda, commodiùs præstabitur, si recens in mortario tundatur, cum recente butyro & subinde applicetur.

Rustici Belgæ apud H. Lugdunensē, seminis contusi medullam liquore aliquo expressam ictero laborantibus initio ipsius mali exhibent, & sæpe non sine successu, si quando ex sola obstructione & citra febrem exoritur. Aperit enim fellis meatum, & bilis per corpus digestionem promouet. Empirici quidam asserunt sanguinē ex quacunque parte corporis fluentem sisti, si qui exit sanguis cum foliis Cannabis minutim concisis, frigatur, & ægro pro cibo detur.

Cunctis populis denique Lobelio teste, penuriam Lanæ, Lini, Xilique resarcit, ad vestium stragula, velorum, papyrum, quamlibet denique supellectilem. Mas robustior rudentibus & capistris torquēdis nata habetur, muliercculis adagio iocantibus dicentibusque esse fœminam potiorem mari. Hujus autem semen est non parum ad multa proficuum: ex eodem oleum pressum tumoribus & scirrhis opitulatur, lucernis alit lychnia & lucem. Lac etiam vel pultes ejusdem macerati, aut jusculis decocti, fluxiones sistit diuturnas, dolores, repentinósque flatuum vortices, & humorum fluctuationem compescit: somnum conciliat. Vsus tamē nimius molesto sopore perfundit, tritum capiti, vel pedib. imis admotum, haud abs re icteri humores, vaporésque tenues à centro auertere & euocare putatur. Radices podagricis tophis proficuæ. Odorem grauem & nonnihil virosum eructat, & vel capitis in eo decubitu temulentos facit. Succus verò foliorum certa pernicies insectis interaneis, & vulnerum putridorum alumnis: non quā facultate idem foliorum Persicæ, aut Iuglandium putaminis succamentum efficit: sed vapido, tetroque situ, odore & exsiccandi vi, quā alimentum præripit illis & populatur excrementis dissipatis: multùm alimoniæ suggerit gallinis, cortalibusque: sed Hyeme fœcundiores, postea steriles, & quasi pinguedinis mole obrutas reddit. Auiculis etiam cibus est, ac tantum saginæ adfert, vt aut enecet, aut cantillandi adimat alacritatem & facultatem, vt carduelibus, linottiis. Lacunis aut scrobibus aquæ plenis merguntur vtriusq; sexus fasces & manipuli, vbi macerantur, eluuntúrque multùm & diu: deinde siccantur in Sole, vt tundantur, ac demùm cortices staminei tundendo velluntur, vt Lino fit ad filum & telas. Sed lacustris aqua, cui intabuerit, tantopere viru nocet, vt epota præsentissimo sit sitientibus exitio, cuique antidotis præstantissimis, tempestiuè etiam datis, occurri non possit. *Noxæ.*

BANGVE CANNABI SIMILE.

Cap. LXXI.

Bangue planta est Cannabi haud absimilis, nisi quòd hujus semen cānabino minus est, nec ita cādicans vt illud: deinde hujus stolones lignosi, nullo ferè cortice vestiri, contrà quàm cannabini, auctore Garciâ, qui ab Acosta in quibusdam discrepat: Bangue simile ferè est, ait hic, Cannabi: caulem habet quinque palmorum altitudine, quadrangulum, colore dilutiùs virente, fractu contumacem, nec adeò concauum, vt cannabinus caulis, cujus cortex non minùs quàm illius in fila diduci potest: folia cannabina supernè virentia, infernè incanâ lanugine pubescentia, gustu terrestri & insipido. Nos à Thoma Platero semen accepimus nomine Bangue, quod ad Strammoniæ primæ semen aliquatenus accedit, rufum, ac ferè spadiceum, compressum, acuminatum. *Descript. Garcia Semen.*

Nonnulli in ea opinione fuerunt, vt Bangue Indorum, authore Garciâ, ab Opio differre non putarent. Acosta tamen dici refert Arabibus Axis, Turcis Asarath, Persis, Decan, plurimarum aliarum regionum Incolis Bangue, quod plurimam affinitatem habere videtur Clusio cum Turcarum Constantinopoli degentium Maslac, quo ad varios affectus vtuntur, nonnulli etiam vescuntur excitandæ veneris gratiâ. Dubitat tandem Fragosus, an herba hæc ab Indo allata, illa sit, cujus meminit Theoph. lib. 9. cap. 20. pl. Hist. sed quam aptè, nescit ipse Clusius. H. Lugd. pag. 1914. Bangue inscribit: C. Bauh. phyt. Cannabem 3. siue Cannabi similem exoticam. Huc autem reducitur propter foliorum cum Cannabi, & corticis in fila ductilis similitudinem, alias enim auctores contrarias facultates huic tribuunt, videlicet, quod genitale semen multùm iuuet. *Nomina.*

Vires, & Vsus. Indi, inquit Acosta, semine & foliis vescuntur, cùm vt validiores in re venerea fiant, tum ad

excitandam cibi appetentiam. Fit ex hoc Bangue compositio vulgaris admodum vsûs, in ijs regionibus, ad varios effectus: etenim magnates & militiæ præfecti, vt laborum obliti securiùs & liberiùs dormiant, seminis & foliorum in puluerem redactorum, quantùm videtur, sumunt, illique addunt Arecam, siue Auellanam Indicam viridem, & Opij nonnihil pro arbitrio: omnia sacharo excepta deuorant: si verò in somno varias rerum species sibi obuersari cupiunt, addunt selectissimam Camphoram, Caryophyllos, Nucem moschatam & Macis: si verò hilares esse volunt & faceti, & præsertim in venerem procliuiores, Ambaro & Moscho additis sacchato excipiunt, & electuarium faciunt. Multi autem affirmarunt, hujus semen & folia ad libidinem ciendam miræ esse efficaciæ: vnde colligere licet, nihil affinitatis habere cum Cannabi, licèt illi admodum similis sit: quandoquidem auctore Dioscoride, Cannabis calida & sicca est, & genituram extinguit.

TOCCON, HERBA BRASILIANA, cortice cannabino.

Cap. LXXII.

Descriptio. Brasilianorum herbæ Toccon cortex, Cannabis modo detrahitur, cannabino fortior, filo, cui spinam subjungant ad piscandum, parando accommodus. Ex eodem arcuum funes fiunt, qui licèt tenues sint, equis tamen ad sua pondera vehenda, fortitudine sufficiunt, Lesi authore, cap. 12. & 14.

CARBASVS VETERIBVS.

Cap. LXXIII.

Antequam de Lino verba faciamus, Laconicam de Carbasa tractationem instituere placuit. Et Hispania citerior habet (inquit Plin. lib. 19. cap. 1.) splendorem Lini præcipuum, torrentis in quo politur natura, qui alluit Tarraconem. Et tenuitas mira [magna M.] ibi primùm Carbasis repertis.

Lini genus. Carbasum autem esse Lini genus miræ tenuitatis palam fit ex jam relatis Plinij verbis. Quin & Dalechampio Carbasus est Lini genus quo texebatur vestis magni pretij, antiquis in delitijs habita. Et confirmatur hoc authoritate plurimorum scriptorum. Carbasina enim vela primus in Amphitheatrum duxisse traditur Lentulus Spinter in Apollinaribus ludis, mox Cæsar Dictator, teste Plinio. Verres, vt Cicero perhibet, Æstate summâ tabernacula carbaseis intenta velis in littore collocari jussit, vt totos dies cum impudicis mulieribus perpotaret. Virg. 11. Æneid.

---tum croceam chlamydemq; sinusque crepantes.
Carbaseos, fuluo in nodum collegerat auro.

Item 8. Æneid.

---eum tenues glauco velabat amictu,
Carbasus, & crines vmbrosa tegebat arundo.

Lucanus lib. 3.

Fluxa coloratis astringunt Carbasa gemmis.

Propertius.

Exhibuit vinos Carbasus alba focos.

Ex quibus locis, atque etiam ex Quinto Curtio lib. 8. de Indis loquente, intelligi potest, hoc quoque virile esse vestimentum. Sed & muliebre esse satis constat ex Val. Maximo, loquente de Æmilia virgine Vestali lib. 1. cap. 1. quâ adorante, cùm Carbasum, quam optimam habebat, foculo imposuisset, subitò ignis emicuit.

Xylon. Nunc & Linum candidissimum ex Ægypto, Cottonem nonnulli & Carbasum per conjecturam vocant, &c. Vide Xylon, siue Gossypium.

Tela prisca. Carbasum quidam id genus linei panni esse putant, quod Telam Baptistæ, & Telam Holandicam, & Telam Cameracensem vocant. Hæc postrema aduehitur ex Hispania.

Pallium. Carbasus est pallium, quo quis amicitur opulentiæ causa, vt ex Serico, aut tenui Lino. Vide Andr. Tiraquellum comm. de leg. connubialibus leg. 3. gl. 1. part. 3.

Velo. Carbasus tandem de velo, instrumento nautico, habetur, vt ex locis hîc annectendis colligitur. Virg. 3. Æneid. *------& auræ,*

Vela vocant, tumidoque inflatur Carbasus Austro,

Item 4. Æneid.

------vocat iam Carbasus auras:
Puppibus & læti nautæ imposuêre coronas.

Ouid. 11. Metam. *Totaque malo.*
Carbasa deducit.

Item 13. Metam. *Mota secundo flatu sonant Carbasa.*

Epist. *Præbere ventis Carbasa.*

Fast. 3. *Torto subducere carbasa Lino.*

Statius 4. Silu. *Aurâ ventilantur Carbasa,*


Martial. lib. 12. epig. 29.

Festinant trepidi substringere Carbasa, nautæ.

Carbasus Carbasi penultimâ correptâ est fœminini generis secundum Priscianum: masculini secundum Phocam. Probus verò & Caper dicunt esse masculini & fœminini in singulari: in plurali verò neutrius. Græcè dicitur, κάρπασος καὶ κάρπασον, ὁ, τὸ, velum.

LINVM.

Cap. LXXIV.



Descriptio Vulgò notum Linum tenui, *radiculâ*, nititur, *caule*, tereti, plurimùm simplici, inani, cubitum, aut sesquicubitum alto, alis circa summum diuiso: *folia*, acuminata, culmum lata, vncias duas plùs minùs longa, alternatim cauli apposita: *flores*, cærulei, quinque partiti, striati, quos *capitula*, excipiunt rotuda, in quibus, *semen* fuscum, lubricum, latum.

Synonyma cum nominibus linguarum. Λίνον, Græci vocant, Linum Latini & officinæ: Linum germanicum Tragus: Linum satiuum vulgare cæruleum Lobel. in Adu. & Ic. Plant. p. 42. In Obs. pag. 225. Linum Aduersariorum: C. Bauh. phyt. Linum 1. siue satiuum. In Dioscor. Annon, Pænis, & Zeraphoes cognominatur.

Quemadmodum

Quemadmodum autem linguâ latinâ & græca Tela linea, & ipsa Lini herba communi nomine λίνον & Linum dicitur, ita apud nos Germanos Linum siue in agro, siue domi ad texturam, & telam apparatum commune nomen retinet *Flachs*. Tametsi non desunt, qui Linum nondum cultum, Linum agreste, & Linocalamum; contrà verò telam ex Lino textam, Linum domesticum seu vrbanum vocitent. Belgæ nominant *Vlachs*, Galli *Lin*, It. *Lino*, Hisp. *Lino*, Angli *flax*, Bohemi *Len*, & vt Hungari. Arabes seminis tantùm meminere, vocantes illud *Bizerbichutum*, seu vt Serap. placet, *Bazarubichim*: Hebræi *Pistah*, Chaldæi *Chisna*: Exod. 9. Onkeli: Græci λινόσπερμα & λινοσπέρμα: Germani *flachs Linsamen*.

A Lino varia ducuntur adagia, v.g. *Linum lino connectis*, cuius duplicem apud Græcos interpretes sensum inueniri perhibet Erasm. Roterodamus: Horum alter est: infirmis infirma copulas, friuola friuolis. Alter: eadem non iisdem rationibus facis, aut dicis. *Vltra Linum* dixit Lucianus in Ioue redarguto, pro eo, quod est extra decretum fatale. Est & tertium prouerbium *Candidum Linum lucri causa ducis*, quod in eum quadrat, qui

Locus. dotis causa ducit vel deformem, vel anum. Est & quartum: *Qui canem alit externum præter Linum nihil habet*, i.e. præter funiculum ei nihil sit reliqui. Qui beneficium collocat in ingratum, perdit operam. Nam canis alienus relicto fune, quo alligatur, pristinum dominum repetit.

Theophrasto visum fuit, Linum degener factum, in Lolium abire. Nostrates coloni sibi visum pernegant, aut auditum.

Pinguissimum, vt Columella ait, locum & mo-

Ratio. dicè humidum poscit. Aliqui, inquit Palladius macro solo spissum serunt, atque ita assequuntur, vt Linum subtile nascatur. Plinius scribit seri sabulosis, maximè vno sulco, nec magis festinare aliud, vreréque agrum, & deteriorem ipsum facere, quod & Virgilius in Georg. attestatur:

Vrit Lini campum seges, vrit Auena,
Vrunt lethæo perfusa Papauera somno.

Seritur linum Vere: Maio & Iunio mensibus floret. Linum (inquit Crescent.) desiderat aërem temperatum, & terram solutam & pinguem, & quantò pinguior fuerit, tantò ipsius stuppa erit grossior, quantò verò macrior, tantò eius stuppa subtilior erit. Sed ex eo parum & breue in tali terra nascetur. Huius autem seminatione terram satis macrari & lædi creditur, ideoque auxilio letaminis eget, si tale semen recipere assuescit. Eius terra ante Hiemem debet arari, vt glebæ propter gelu sequentis Hyemis in puluerem reducantur: deinde post Hiemem, cùm primùm poterit, secundâ vice arabitur, deinde aspergatur &

Quantitas seminum. iterum aretur quinque vel sex vicibus, in tantum, vt in puluerem redigatur, ita tamen quòd primâ vice profundiùs aretur, secundâ minùs profundè, & sic semper profundatio vsque ad vicem vltimam minuatur: deinde à medio Aprilis vsque ad finem eius satio ipsius est optima, satioque in summo terræ sit minùs vno palmo, terrâ super semen aratro reuolutâ.

Tres corbes huius seminis, vel parum plus sufficiunt iugero, cui multùm proderit si talis ager expexetur postquam fuerit seminatus, quod si tempus fuerit magnæ siccitatis, ei valdè proderit, si poterit irrigari. Potest etiam seri ante Hyemem in locis calidis, in quibus Linum natum frigore non læditur, & tunc meliùs prouenit in terra mediocriter cretosa, quàm nimis soluta, nec est necesse quod sit pinguis, & quod vltra duas vices aretur, dummodo terra puluerisetur, & cùm fuerit seminatum, meliùs est quod cum expexe solummodò de quibusdam spinis facto semen operiatur, meliùs etiam est quod homo vnus cum fune trahat expexem, quam boues, propter nocumentum, & hoc est cuilibet homini facile.

Hæc verba bis mundanda est cùm maximè suffocetur, ideoque extirpandum est noxium antequam circa Linum inuoluatur, licèt per ipsum ambulando lædatur cùm magnum est, & ideò mundatur, & debet ante se manibus aperire, & ire per eum optimè eleuatis pannis. Sed cùm primâ vice mundatur, quia tunc paruum est, & conculcatum releuatur, non læditur ambulando per eum.

Colligitur autem cùm maturo colore flauescit, & eodem die ne rore tangatur, sub tecto ponatur in fascibus, deinde malleolis ligneis excutiuntur semina, & ipsum Linum ad maturandum in aqua ponitur, in qua quatuor vel quinque diebus, si putrida sit, sterilis sufficiat, si autem aqua non sit corrupta, vsque ad septem dies stare in eadem oportet, vt putrefiat caro herbalis, & cortex ex quo fit stuppa.

Erit autem signum temperatæ maturationis, quando maceratur in aqua, cùm tactu mollescit, adeò quòd omnem rigiditatem amiserit, cognoscitur etiam si ex eo aliquid extrahatur de aqua & siccatum probetur, si caro herbalis à stuppa facilè separatur. Veruntamen si minùs, quam expedit, maceretur, erit stuppa fortior & albior, sed non perfectè separabitur caro herbalis, & erit durior ad filandum.

Deinde optimè lauatur & in aqua excutitur, concutitur malleolis ligneis, vt eius caro rumpatur, & deinde ad Solem calidum ponitur, & cum fuerit calefactum in pannis calidis in domo simul ponitur, & cùm per aliquas horas sic steterit, gramolatur, hoc enim modo mundatur optimè, nec stuppa rumpitur gramando, quod fieret si statim gramarentur cùm eleuarentur de Sole. Quod si tempus fuerit humidum cum multis pannis madefactis ad ignem præparatur gramen, deinde spatulis eius mundificatio completur, deinde pectinatur, & filatur.

Lini semen, inquit Dioscorides, eandem vim habet, quam Fœnum græcum, discutiens ac molliens omnem internam & externam inflammationem, cum melle & oleo & modica aqua coctum: aut cocto melle exceptum. Tollit maculas solares crudum, & varos cum nitro & Ficubus impositum. Cum lixiuio verò parotidas, iuxta aures abscessus, & duritias discutit. Herpetas, & duritias discutit. Herpetas, atque vlcera, cum vino coctum expurgat. Scabros quoque vngues remouet, cum pari Nasturtio & melle. Educit Plin. etiam ea quæ in thorace hærent, cum melle ecligmatis vice acceptum, & tusses mitigat. Stimulat item ad venerem, si mixtum melli & Piperi placentæ modo largiùs sumatur. Sed & decoctum ipsius infunditur ad intestinorum & vteri rosiones, & excrementa educenda. Commodum est etiam ad insessus, quemadmodum Fœnumgræcum, ad vteri inflammationes.

Velorum ex Lino in nauibus vsum in mari, velut admirans Plinius, decimi-noni libri principio ait: Atque vt à confessis ordiamur vtili-

excitandam cibi appetentiam. Fit ex hoc Bangue compositio vulgaris admodum vsûs, in ijs regionibus, ad varios effectus: etenim magnates & militiæ præfecti, vt laborum obliti securiùs & liberiùs dormiant, seminis & foliorum in puluerem redactorum, quantùm videtur, sumunt, illique addunt Arecam, siue Auellanam Indicam viridem, & Opij nonnihil pro arbitrio: omnia sacchara excepta deuorant: si verò in somno varias rerum species sibi obuersari cupiunt, addunt selectissimam Camphoram, Caryophyllos, Nucem moschatam & Macis: si verò hilares esse volunt & faceti, & præsertim in venerem procliuiores, Ambaro & Moscho additis sacchara excipiunt, & electuarium faciunt. Multi autem affirmarunt, hujus semen & folia ad libidinem ciendam miræ esse efficaciæ: vnde colligere licet, nihil affinitatis habere cum Cannabi, licèt illi admodum similis sit: quandoquidem auctore Dioscoride, Cannabis calida & sicca est, & genituram extinguit.

TOCCON, HERBA BRASILIANA, cortice cannabino.

CAP. LXXII.

Descriptio. BRasilianorum herbæ Toccon cortex, Cannabis modo detrahitur, cannabino fortior, filo, cui spinam subjungant ad piscandum, parando accommodus. Ex eodem arcuum funes fiunt, qui licèt tenues sunt, equis tamen ad sua pondera vehenda, fortitudine sufficiunt, Leri authore, cap.12. & 14.

CARBASVS VETERIBVS.

CAP. LXXIII.

ANtequam de Lino verba faciamus, Laconicam de Carbasa tractationem instituere placuit. Et Hispania citerior habet (inquit Plin. lib.19. cap.1.) splendorem Lini præcipuum, torrentis in quo politur natura, qui alluit Tarraconem. Et tenuitas mira [magna M.] ibi primùm Carbasis repertis.

Lini genus. Carbasum autem esse Lini genus miræ tenuitatis palam fit ex jam relatis Plinij verbis. Quin & Dalechampio Carbasus est Lini genus quo texebatur vestis magni pretij, antiquis in delitijs habita. Et confirmatur hoc authoritate plurimorum scriptorum. Carbasina enim vela primus in Amphitheatrum duxisse traditur Lentulus Spinter in Apollinaribus ludis, mox Cæsar Dictator, teste Plinio. Verres, vt Cicero perhibet, Æstate summâ tabernacula carbaseis intenta velis in littore collocari jussit, vt totos dies cum impudicis mulieribus perpotaret. Virg.11. Æneid.

---tum croceam chlamydemq; sinusque crepantes.
Carbaseos, fuluo in nodum collegerat auro.

Item 8. Æneid.

---eum tenuis glauco velabat amictu,
Carbasus, & crines vmbrosa tegebat arundo.

Lucanus lib.3.

Fluxa coloratis astringunt Carbasa gemmis.

Propertius.

Exhibuit vinos Carbasus alba focos.

Ex quibus locis, atque etiam ex Quinto Curtio lib.8. de Indis loquente, intelligi potest, hoc quoque virile esse vestimentum. Sed & muliebre esse satis constat ex Val. Maximo, loquente de Æmilia virgine Vestali lib.1. cap.1. quâ adorante, cùm Carbasum, quam optimam habebat, foculo imposuisset, subitò ignis emicuit.

Xylon. Nunc & Linum candidissimum ex Ægypto, Cottonem nonnulli & Carbasum per conjecturam vocant, &c. Vide Xylon, siue Gossypium.

Tela pista. Carbasum quidam id genus linei panni esse putant, quod Telam Baptistæ, & Telam Holandicam, & Telam Cameracensem vocant. Hæc postrema aduehitur ex Hispania.

Pallium. Carbasus est pallium, quo quis amicitur opulentiæ causa, vt ex Serico, aut tenui Lino. Vide Andr. Tiraquellum comm. de leg. connubialibus leg.3. gl.1. part.3.

Vela. Carbasus tandem de velo, instrumento nautico, habetur, vt ex locis hîc annectendis colligitur. Virg.3. Æneid. *------& aura,*
Vela vocant, tumidoque inflatur Carbasus Austro,

Item 4. Æneid.

------vocat iam Carbasus auras:
Puppibus & læti nautæ imposuêre coronas.

Ouid.11. Metam. *totaque malo.*
Carbasa deducit.

Idem 13. Metam. *Mota sonunde flatu sonant Carbasa.*

Epist. *Præbere ventis Carbasa.*

Fast.3. *Tortaque subducere carbasa Lino.*

Statius 4. Silu. *Aurâ ventilantur Carbasa.*

Martial. lib.12. epig.29.

Festinant trepidi substringere Carbasa, nautæ.

Carbasus Carbasi penultimâ correptâ est fœminini generis secundùm Priscianum: masculini secundum Phacam. Probus verò & Caper dicunt esse masculini & fœminini in singulari: in plurali verò neutrius. Græcè dicitur, κάρπασος καὶ κάρπασον, ὁ, τό, velum.

LINVM.

CAP. LXXIV.



Descriptio VVlgò notum Linum tenui, *radicula*, nititur, *caule*, tereti, plerumque simplici, inani, cubitum, aut sesquicubitum alto, alis circa summum diuiso: *folia*, acuminata, culmum lata, vncias duas plùs minùs longa, alternatim cauli apposita: *flores*, cærulei, quinque partiti, striati, quos *capitula*, excipiunt rotunda, in quibus *semen* fuscum, lubricum, latum.

Synonyma cum nominibus linguarum. Λίνον, Græci vocant, Linum Latini & officinæ: Linum germanicum Tragus: Linum satiuum vulgare cæruleum Lobel. in Adu. & Ic. Plant. p. 42. In Obs. pag. 225. Linum Aduersariorum: C. Bauh. phyt. Linum 1. siue satiuum. In Dioscor. Anbon, Pænis, & Zeraphoes cognominatur.

Quemadmodum

Quemadmodum autem linguâ latinâ & græca Tela linea, & ipsa Lini herba communi nomine λίνον & Linum dicitur, ita apud nos Germanos Linum siue in agro, siue domi ad texturam, & telam apparatum commune nomen retinet *flachs.* Tametsi non desunt, qui Linum nondum euulsum, Linum agreste, & Linocalamum; contrà verò telam ex Lino textam, Linum domesticum seu vrbanum vocitent. Belgæ nominant *Vlachs,* Galli *Lin,* It. *Lino,* Hisp. *Lino,* Angli *flax,* Bohemi *Len,* & vt Hungari. Arabes seminis tantùm meminere, vocantes illud *Bizr. hichitum,* seu vt Serap. placet, *Bazarichichen*: Hebræi *Pisćah,* Chaldæi *Chisna*: Exod.9. Onkeli: Græci λινοσπέρμα & λινοσπέρμα: Germani *flachs Linsamen.*

A Lino varia ducuntur adagia, v.g. *Linum lino connectis,* cuius duplicem apud Græcos interpretes sensum inueniri perhibet Erasm. Roterodamus: Horum alter est: infirmis infirma copulas, friuola friuolis. Alter: eadem non iisdem rationibus facis, aut dicis. *Vltra Linum* dixit Lucianus in Ioue redarguto, pro eo, quod est extra decretum fatale. Est & tertium prouerbium *Candidum Linum lucri causa ducis,* quod in eum quadrat, qui dotis causa ducit vel deformem, vel anum. Est & quartum: *Qui canem alit externum præter Linum nihil habet,* i.e. præter funiculum ei nihil fit reliqui. Qui beneficium collocat in ingratum, perdit operam. Nam canis alienus relicto fune, quo alligatur, pristinum dominum repetit.

Locus.

Theophrasto visum fuit, Linum degener factum, in Lolium abire. Nostrates coloni sibi visum pernegant, aut auditum.

Ratio.

Pinguissimum, vt Columella ait, locum & modicè humidum poscit. Aliqui, inquit Palladius macro solo spissum serunt; atque ita assequuntur, vt Linum subtile nascatur. Plinius scribit seri sabulosis, maximè vno sulco, nec magis festinare aliud, vrereque agrum, & deteriorem ipsum facere, quod & Virgilius in Georg. attestatur:

Vrit Lini campum seges, vrit Auena,
Vrunt lethæo perfusa Papauera somno.

Seritur linum Vere: Maio & Iunio mensibus floret. Linum (inquit Crescent.) desiderat aërem temperatum, & terram solutam & pinguem, & quantò pinguior fuerit, tantò ipsius stuppa erit grossior, quantò verò macrior, tantò eius stuppa subtilior erit. Sed ex eo parum & breue in tali terra nascetur. Huius autem seminatione terram satis macrari & lædi creditur, ideoque auxilio lætaminis eget, si tale semen recipere assuescit. Eius terra ante Hiemem debet arari, vt glebæ propter gelu sequentis Hyemis in puluerem reducantur: deinde post Hiemem, cum primùm poterit, secundâ vice arabitur, deinde aspergatur & iterum aretur quinque vel sex vicibus, in tantum vt in puluerem redigatur, ita tamen quòd primâ vice profundiùs aretur, secundâ minùs profunde, & sic semper profundatio vsque ad vicem vltimam minuatur: deinde à medio Aprilis vsque ad finem eius satio ipsius est optima, satioque in summo terræ sit minùs vno palmo, terrâ super semen aratro reuolutâ.

Quantitas feminis.

Tres corbes huius seminis, vel parum plus sufficiunt iugero, cui multùm proderit si totus ager expexetur postquam fuerit seminatus, quod si tempus fuerit magnæ siccitatis, ei valdè proderit, si poterit irrigari. Potest etiam seri ante Hyemem in locis calidis, in quibus Linum natum frigore non læditur, & tunc meliùs prouenit in terra mediocriter cretosa, quàm nimis soluta, nec est necesse quod sit pinguis, & quod vltra duas vices aretur, dummodo terra puluerisetur, & cùm fuerit seminatum, meliùs est quod cum expexe solummodò de quibusdam spinis facto semen operiatur, meliùs etiam est quod homo vnus cum fune trahat expexem, quam boues, propter nocumentum, & hoc est cuilibet homini facilè.

Hæc herba bis mundanda est cùm maximè suffocetur, ideoque extirpandum est noxium antequam circa Linum inuoluatur, licèt per ipsum ambulando lædatur cum magnum est, & ideò mundatur, & debet ante se manibus aperire, & ire per eum optimè eleuatis pannis. Sed cùm primâ vice mundatur, quia tunc paruum est, & conculcatum releuatur, non læditur ambulando per eum.

Colligitur autem cùm maturo colore flauescit, & eodem die ne rore tangatur, sub tecto ponatur in fascibus, deinde malleolis ligneis excutiuntur semina, & ipsum Linum ad maturandum in aqua ponitur, in qua quatuor vel quinque diebus, si putrida sit, sterilis sufficiat, si autem aqua non sit corrupta, vsque ad septem dies stare in eadem oportet, vt putrefiat caro herbalis, & cortex ex quo fit stuppa.

Erit autem signum temperatæ maturationis, quando maceratur in aqua, cùm tactu mollescit, adeò quòd omnem rigiditatem amiserit, cognoscitur etiam si ex eo aliquid extrahatur de aqua & siccatum probetur, si caro herbalis à stuppa facilè separatur. Veruntamen si minùs, quam expedit, maceretur, erit stuppa fortior & albior, sed non perfectè separabitur caro herbalis, & erit durior ad filandum.

Deinde optimè lauatur & in aqua excutitur, concutitur malleolis ligneis, vt eius caro rumpatur, & deinde ad Solem calidum ponitur, & cum fuerit calefactum in pannis calidis in domo simul ponitur, & cùm per aliquas horas sic steterit, gramolatur, hoc enim modo mundatur optimè, nec stuppa rumpitur gramando, quod fieret si statim gramarentur cum eleuarentur de Sole. Quod si tempus fuerit humidum cum multis pannis madefactis ad ignem præparatur gramen, deinde spatulis eius mundificatio completur, deinde pectinatur, & filatur.

Lini semen, inquit Dioscorides, eandem vim habet, quam Fœnum græcum, discutiens ac molliens omnem internam & externam inflammationem, cum melle & oleo & modica aqua coctum: aut cocto melle exceptum. Tollit maculas solares crudum, & varos cum nitro & Ficubus impositum. Cum lixiuio verò parotidas, iuxta aures abscessus, & duritias discutit. Herpetas, & duritias discutit. Herpetas, atque vlcera, cum vino coctum expurgat. Scabros quoque vngues remouet, cum pari Nasturtio & melle. Educit etiam ea quæ in thorace hærent, cum melle ecligmatis vice acceptum, & tusses mitigat. Stimulat item ad venerem, si mixtum melli & Piperi placentæ modo largiùs sumatur. Sed & decoctum ipsius infunditur ad intestinorum & vteri fotiones, & excrementa educenda. Commodum est etiam ad insessus, quemadmodum Fœnumgræcum, ad vteri inflammationes. Plin.

Velorum ex Lino in nauibus vsum in mari, velut admirans Plinius, decimi-noni libri principio ait: Atque vt à confessis ordiamur vtili-

foliorum gracilitate, tenuitate, *foliorúmque* formâ & *radice*: in florum duntaxat colore est differentia, qui niuei non sunt, sed cærulei in candidum languescentes, & quasi cineracei: capitula etiam floribus succedentia longè ampliora, nec minora quàm in satiuo.

Locus. Lini siluestris quinti, angustifolij secundi varietas hæc in Austriacis Alpibus præsertim verò Sneberg inuenitur: Tempus. Floret verò isthic sub finem Iunij, semen extremo Iulio & Augusto maturum.

LINVM SILV. ANGVSTIFOLIVM.



Descript. DVram lignosamque possidet *radicem*, satis crassam, ex qua germinant multi simul *caules* tenues, qui ad cubitalem altitudinē ascēdunt, *foliis* stipati cōfertissimis, tenuissimis, lōgitudine ferè Lini satiui: ex calycibus lōgiusculis Flores. *flores* extremis ramulorum breuium nascuntur, magni, albi, vel quasi cinerei, fortuitis cæruleis striis sublucentib., tam caduci vt vix attingi possint, quin delabantur, vascula minora quàm Lini satiui, quadripartita, *semine* Leni, minore. Figura Fuchsiana non satisfacit.

Icones. Lini silu. tenuifol. Camer. hort. dicitur Linum silu. tenuifolium, flore albo, cæruleo intensè, & dilutè purpureo. Et aliud pusillum candicantibus floribus spontè vbique occurrens, circa vineta Franconiæ. Gerardo Linum silu. tenuifol. 1. & 2.

An Linum silu. angust. Clus. An Clus. Hispan. Linum silu. 2. siue angustifolium?

An Trago Linariæ species quarta?

Linar. foliis capillaceis. Caspar. Bauhinus phyt. Linaria 14. siue foliis capillaceis, tenuifolia H. Lugdunensis. Item, Linum 7. siue silu. angustifolium, flore minore primum.

Locus & Tempus. Variis circa Viennam Austriæ locis spontè nascitur, præsertim in gramineis accliuitatibus, & iuxta vias. Floret Maio & Iunio, interdum etiam tota Æstate: semen verò maturum est Iulio.

LINVM FRVTESCENS FLORE omninò candido.

CAP. LXXVI.


Descript. FRuticosum atque dodrantalibus pedalibúsque fermè ramulis semper virentibus præditum est, quos numerosa *folia* exornant, mediæ inter Thymi & Psyllij magnitudinis, subalbida, *flores* deinde superiori paulò maiores, quinque foliis vt illi constantes, omninò niuei, summis ramulis insident, quibus succedunt capitula *semine* plena: *radix* dura & lignosa est.

Clusio descriptionis authori dicitur in Hispan. Linum 3. siue silu. fruticans: In Hist. post. Linum silu. 7. fruticosum.

Locus & Tempus. Exit desertis quibusdam Hispaniæ locis, Sole illustratis: floret Iunio & Iulio, atque subinde semen profert. In Belgio satum, tertio duntaxat à satu anno seriùs floruit, nec semen tulit.

LINVM SILV. ANGVSTIFOL. ALBVM, lineis in vmbilico purpureis.

CAP. LXXVII.



Descript. DOdrantales, nonnunquam etiā pedales habet *cauliculos*, graciles, firmos, rectos: *folia* satiui Lini, angustiora, dura, mucronata, virentia, amaricantia: *flores* in summis cauliculis multos, magnos, quinque foliis albis præditos, circà vmbilicū quinque purpureis lineis distinctos, totidem staminibus, & quinque separatis apicibus ex medio vmbilico prodeuntibus, odoratos: *semen* in rotundis vasculis planum, nigricans, splendens, satiuo Lino simile: *radicem* candicantem, duram, aliquot fibris donatam, perennem, & singulis annis nouos cauliculos proferentem, authore Clusio, qui in Synonȳ. Pannon. p. 303. & 304. Linum silu. 4. siue angustifolium flore albo cognominat: In Hist. post. Linum silu. 5. angustifolium secundum: flore ex diluta purpura candicante, & quasi carneo.

Linum silu. florens obseruaui Monspessuli mense Aprili & Septembri: Basileæ prope Krenzach Octobri: prope Leurach in monte Augusto: Linum silu. 6. angustifolium Clus. in Hist. post. primùm obseruatum in anteriore Madritianæ siluæ parte, quæ secundo ab vrbe Lutetia lapide distat, inter gramina, loco aperto, & nullis arboribus obsito, florens Iulio, maturum semen proferens Augusto: deinde agro Viennensi aridioribus gramineis locis.

LINVM SILVESTRE LATIfolium hirsutum flore cæruleo.

CAP. LXXVIII.

Descript. RAmus nobis datus Argentinæ anno millesimo quinquagesimo nonagesimo quinto, ex plantis Agerij, cubitalis, satis crassus, firmus, hirsutus, in quo *folia*, semunciam circiter lata, paulò longiora, acuminata, pilosa,

venosa: *flores* extremis ramulorum, in quos superiore parte caulis diuiditur, hærent simul multi, Alceæ floribus pares, coloris cærulei, aut ex cæruleo pallescentis, quorum imum obuoluit foliaceus calix hirsutus: supremæ partes Heliotropii modo flectuntur. Anno 1600. nobis dati alii rami singulares, cubitum excedentes, sub inscriptione Lini siluestris latifolii floribus rubentibus, foliis & caule viscosis ex Sumano monte prope Bassanum oppidum & circa Bononiam. Huic Lino *caules* & *folia* hirsutiora, vnciâ longiora, acutiora, *flores* magni quidem, sed minores, purpurascentes, saturatioribus lineis insculpti: in foliis sapor nullus manifestus.

Synon. Clusio Pannon. pag.298. Linum silu. latifolium flore cæruleo: item pag.299. ad figuram Linum silu.1. In Hist. post. Linum silu.1. latifolium: Lobel. Obs. pag.226. Linum latifolium, foliis hirsutis, Tithymali Heliotropij paribus: Num autem hæc eadem sit planta cum Latifolio Clusii siluestri Lino Ascyri folio, affirmare dubitat. Icon. Plant. pag.414. Linum silu. latifolium. C. Bauh. phyt. Linum 4. siue silv. latifol. flore cæruleo magno.

Locus. Frequens est multis Pannoniæ superioris & Austriæ inferioris locis editioribus & siccioribus, gramineis tamen. Floret Iunio & Iulio: semen maturum Augusto. Rantzius, qui Lini latifolii alpini purpurei titulo portionem nobis communicauit, in Baldo prouenire retulit.

Linum silu. latifolium lanuginosum, flore candido, purpureis lineis striato.

Descriptio. PEdales, graciles, lanuginosos, ternos, aut quaternos ab vna radice promit *caules*, in quibus Lini latiuscula *folia* trineruia, ad Ascyri formam ferè accedentia, nec multùm à prioris foliis discrepantia, lanuginosa: extremi cauliculis in binos, aut ternos ramulos diuisi, & Heliotropii maioris quodammodò instar circumflexi, pleni sunt *floribus*, qui ab imo aperiri incipiunt, Lini florum diuisurâ, sed maioribus, superiori æqualibus, candidis, quos multæ purpureæ venæ interscindunt: *semen* & capitula Lini similia *radix* perennis est, crassiuscula, longa, candicans raris fibris septa.

Synon. Clusio, descriptionis auctori, est in Hisp. Linum silv.1. siue latifolium: In Pannon. pag.295. Linum silu.1. Hispanicum. Hist. post. Linum silv. latifol. secundum, sine icone.

Locus & Tempus. Apud Colibriam Lusitaniæ vrbem hanc stirpem duntaxat obseruare meminit Clusius, ad desertum quoddam & solitarium templum mense Nouembri repullulantem, è cuius cauliculis semen collectum in Belgicam attulit, quo terræ commisso, vnica planta nata est, cubitalem excedens altitudinem, & latioribus natali solo foliis, quæ singulis annis sub Æstatis finem quidem floruit, sed nullum semen præbuit.

LINVM LATIFOLIVM luteum.

CAP. LXXIX.

Descript. LInum latifolium luteum *caulibus* adolescit angulosis, firmis, cubitum altis, pluribus ex vna radice ortis, & superiùs in ramos breues diuisis, quos *folia* vestiunt alternata, glabra, vnciâ longiora, semunciam lata, in obtusum mucronem desinentia, sapore amaro prædita: *flores* numerosi extremis ramulis innascuntur, magni, è quinque foliis compositi, lutei coloris, quinque staminibus, totidemque villis luteis, medium obsidentibus: *semen*, teste Clusio, in capitulis compressioribus, reliquis paullò minus, nigricans quidem, sed non splendens, quemadmodũ illorum: *radix* satis crassa, contorta, albicans, aliquot fibris donata, singulis annis repullulans, nouosq; caules producens.



Synon. Clus. in Pãnon. pag.300. vocat Linum silv. latifolium flore luteo: pag.301. Linum silv.2. In Histor. post. Linum silv.3. latifolium.


Tabern. Icon. & Hist. (vbi primum) Linum silv. Pannonicum: Cas. Bauh. phyt. Linum 5. siue silv. latifolium flore luteo magno.

Gerardi lapsus. Gerardus ineptè pro Lino satiuo posuit iconem Lini silu. Pannonici Tabern.

Locus. Exit abundè in monte Badensibus Austriæ thermis imminenti, locis gramineis secundum sepes, & plerisque aliis in montium illa serie ad Danubium vsque excurrente, locis: ad siluulam item Lachn. pago vicinam: Floret Iunio & Iulio: semen maturat Augusto.

LINVM LVTEVM NARBONENSE.

CAP. LXXX.



Descript. AB vna *radice* caules surgunt plures, cubitales, qui superiùs in ramos diuiduntur, per quos *folia* mollicella, latiuscula, breuiora quàm Lini satiui, insipida: *flores* extremis hærent ramulis, Lini, sed coloris lutei, amaricantes, quibus succedunt capitula minora quàm Lini satiui, satis amara, *semen* continentia.

Monspelij

Monſpelij iam deſcriptum Linum à nobis obſeruatum, florens Septembri. Verùm ibidem in maritimis Autumno aliud longè maius obſeruauimus, ad duos cubitos excreſcens & vltra, ramis craſſioribus, firmioribus: foliis longioribus & latioribus, ſalſi ſaporis: floribus luteis, facilè decidentibus: capitulis amaris, ſine ſalſugine.

Simile nobis prouenit Montbelgardi in horto Ill. E. C. excedens dûos cubitos. Qui ſtirpium diligentes indagatores haberi volunt, Monſpelij obſeruent, an ſit differentia aliqua, vel varietas tantùm ratione loci.

Lin. glu. Matth. & Dodon. Matthiolo in poſt. comm. vti exiſtimo, eſt Linum ſilueſtre. Sed & Dod. lat. in fol. Linum appellat ſilueſtre, quòd non ſatum, ſed ſponte exeat, & Marinum Linum, quòd maritimis gaudeat, in ſtamina diduci & illud poſſe credidit. *Linum marinum.* Lobelio in Adu. dicitur Linum marinũ luteum, quibus in Obſ. pag. 225 & Icon. Plant. pag. 512. vox Narbonenſe additur. Caſp. Bauh. phyt. Linum 3. ſiue maritimum luteum. Camer. hort. Linum ſilu. Matthioli latifolium flore luteo, in agro Bononienſi vbique proueniens. Haud procul à mari (inquit Dod.) in pratis ac herboſis locis, in nonnullis regionibus gignitur, veluti in Narbonenſi Gallia.

LINVM PVMILVM FOLIIS SEMPER binis, albo flore, vel luteo pallente.

CAP. LXXXI.

Deſcriptio



Exili, rotũdo, dodrantalique, aut paulò maiore aſſurgit *cauliculo*, quem aduerſo ſitu, vt in Hyperico, bina ſemper amplectũtur *foliola*, Lini ſatiui foliis ferè paria: ſupremus cauliculus in aliquot ramulos diuiditur, qui in oblõgis pediculis exiguos *floſculos*, quinque foliolis albis conſtantes, proferunt, luteis intus ſtaminulis: floſculis ſuccedunt parua capitula, Lini vaſculis non abſimilia, minora tamen, in quibus *ſemen*: *radix* tenuis, aliquot exilibus fibris donatur, ſed an perennis & rediuiua ignoratur à deſcriptore Cluſ. qui in Pann. p. 305 & 306. Linum ſilu. 5. ſiue Chamælinum Pannon. vocauit, & in Hiſt. poſt. Linum ſilu. 8. Chamælinum, & ſilu. 8. anguſtifolium. Lobel. in Icon. Plãt. pagina 413. nomine Chamælini eandem cum Cluſio habet iconem, quæ occaſio, vt non ſeparemus, quamuis in Obſeru. pag. 227. ei alium colorem adſcribat.

C. Bauh. phyt. Linum 9. ſiue ſilu. minimum flore & candido & luteo vidit.

Locus & Tempus. Prouenit in herboſis collibus & montanis Auſtriæ atque Pannoniæ: floret verò Iunio & Iulio. Similem aliquando ad Cluſium Machliniam, è Tornacenſi vrbe Ioannes Moutonus miſit.

ALSINE VERNA GLABRA, FLOSCVLIS albis, vel potiùs Linum minimum.

CAP. LXXXII.



Deſcript. Radix. Cauliculi. Ex *radicula* tenui, ſed rigidula, exiguis, ſed multis filis capillata, *cauliculos* emittit nonnihil reptantes, mox humo ad palmũ, aut altiùs ſeſe attollentes, faſtigio ſurſum ramoſo, nutante, teretes, tenues, geniculatos, propter terram rubeſcentes: *foliola* infima Alſines mino- *Folia.* ris ferè rotundata ſuperiora, quæ in caulibus bina oppoſita ad articulos naſcuntur, paulò longiora, ſapore ſubamaro & ſubacri: *floſculi* candidi, è quinque fo- *Floſculi.* liolis compoſiti, apicibus intus luteis: vaſcula ſuccedunt Lini, parua, canaliculata, in quibus *ſemen* lucidum & lubricum, Lini, compreſſum & oblongum.

An Linocarpus Thalio? Camer. Linum ſilu. exiguum in hortorum areolis ſæpè prorumpens. H. Lugd. pag. 1254 Alſine verna: C. Bauh. phyt. Alſine 10. ſiue pratenſis glabra. & *Bel-vedere* quorundam.

Locus & Tempus. Alſine verna Dalechampii circa Geneuam in ſegetibus floret menſe Martio: Montbelgardi in prato ſicco vbi olim fuerunt horti ferarum, ante pontem & paſſim Maio, Iunio, Iulio & Auguſto.

PASSERINA LOBELII.

CAP. LXXXIII.



Deſcript. Foliis eſt per caulem dodrantalem confertis, Lini ſimilibus, viridantibus, acuminatis, vncialibus, circa ſuperiora rarioribus: *floribus* in ſummis ramulis breuibus, aceruatim congeſtis, luteis, quos excipiũt vaſcula exigua, turbinata, Lini, dimidiò, aut triplò minora, foliolis quibuſ-

dam acutis vndique obuoluta, *semine* plena lubrico, lucido, fusco, multò Lini seminibus minore: radix satis longa, tortuosa, alba, lignosa.


Synon. Lobel. in Icon. Plant. pag. 411. vocat Passerinam Linariæ folio, & sic etiam in Obseru. pagina 224. vbi & Chrysocomen alteram Mutoni.

G. Bauh. phyt. Lithospermum 7. & Passerinam alteram Monspeliacam, non semper vno caule exsurgentem.

Locus. Basileæ anno 1594. vidi plantam siccam apud C. Bauhinum, quæ ei missa fuerat per D. Paschalem. Gener Io. Henr. Cherlerus attulit Monspelio. Meminit Dom. Schvvartz Passerinæ cuiusdam arborescentis Candiæ cuius semen ei missum per Casabonam. Nos nondum vidimus.

PASSERINA TRAGI.

CAP. LXXXIV.



Descript. LInguæ passerinæ nomen fecerunt *foliola* acuminata auiculæ iam dictæ linguam imitantia, alternatim, rariùs aduersa, *cauli* dodrantali & altiori recto, tereti, sæpè simplici, interdum ramoso, sine pediculis adnata, sapore viscido prædita, ex quorum alis *flosculi* plures pusilli oriuntur, calathisci formâ, ex herbaceo flauescentes, oris in quatuor lacinias diuisis: *semina* parua, turbinata, nigra, Lithospermi seminibus multò minora.

Passerina Tragi. Tragus Passerinæ nomine depingit & describit, ac tertium Lithospermi, vel Milij Solis genus facit, indeque germanicè *vvilden Meerhirs* vocat, & Dyospyron Theophrasti esse somniat.

Lobel. in Adv. Passerinam Herbariorum appellauit: Camer. hort. Passerinam Tragi: H. Lugd. pag. 1152. Passerinam, Linariæ folio Lobelij. Tabern. Icon. & Hist. linguam passerinam *Spatzen zung*: Dodon. gall. Lithospermum minimum Tragi, *Gremil sauuage fort petit*: Casp. Bauh. Lithospermum 6. siue minimum Passerina dictum.

Locus & Tempus. Prouenit Montbelgardi in agris, Augusto semine maturo: item inter Taillecourt & Audincourt, versusque Matthai castellum. Inter segetes Basilienses obseruauit Casp. Bauhinus: In agris Franconiæ inter Herbipolim & Francofurtum copiosè Camerarius: Inter oppidum *Altzeim*, & montem tonitrui post messem in agris frumentariis Tragus.

LINARIA LVTEA VVLGARIS.

CAP. LXXXV.



Descript. PRiusquam *flores* producat Linaria, adeò Tithymalum cypatissiam mentitur, vt nisi lac deesset Tithymali, difficile futurum esset indicium: tanta est foliorum similitudo: at *flores* in thyrsum digesti, vt vel primo intuitu ab errore prohibeant, qui huic posticâ parte corniculum Consolidæ regiæ proferentes, anticâ parte Anthirrini rictum imitantur, colore luteo præditi, apiculis concoloribus: reperitur interdum flore albo: *semen* in capitulis rotundis latum: *radix* lignosa, dura, alba: varias hinc inde fibras emittit, ac suo reptatu in hortis odiosa sapor plantæ amaricat.

Linariæ herbæ plura sunt genera, quæ singula seorsim recensenda. Vulgatissimam autem hanc Linariam à vulgari exigua Esula, cui plurimùm propinqua, vel sequens discernit versiculus:

Esula lactescit, sine lacte Linaria crescit.

Exiitimatur a multis esse Osyris: sed Osyris ab hac differens est stirps, ex qua videlicet κορήματα, h. e. scopas hac ætate, in Italia componunt: vt & olim Galeni seculo: quam vulgò Itali *Beluedere* nuncupant. Osyris non est.

Tragus Osyridis & Linariæ titulo eam donauit, & primo loco pro vulgari Linaria descripsit. Videtur autem ei hæc planta rectiùs Cynocephalia dici posse, quæ in Ægypto (vt prodidit Apion Grammaticus) Osyrites cognominatur, & aduersus veneficia à Magis vsurpatur. Osyris quibus dicatur.

Sed & Lobelius, qui in Ic. Plant. pag. 406. Osyridem, Linariam & Vrinariam (vt & in Obs. pag. 222. vbi etiam Chrysocomē Gesneri Dalech. vocat) inscribit, in Adu. Plinii Antirrhinum facit. Dodonæo etiam gall. & lat. Antirrhini species videtur, licèt in Hist. gall. eam Osyridis: & in lat. Linariæ primæ titulo pingat. Fuchsii quoque constans est opinio Linariam esse Osyridem Hunc tandem Adrian. Spieg. Isag. lib. 1. cap. 23. sequitur: itemque Eur. Cordus, cui Herba vrinalis est hæc ipsa Linaria, contra vulgares Herbarios, qui has quasi duas distinguunt.

Synon. Clusio dicitur Linaria vulgò nota, & omnibus ferè prouinciis familiaris: Camerario hort. Linaria vulgaris. Hist. Lugd. pagina 1151. Linaria vulgaris flore subluteo: Casp. Bauhino phyt. Linar. 1. siue vulgaris lutea flore maiore: varians floris colore, luteo-pallido, magis luteo, aliquando albo.

Ponit

Compil. notatur. Ponit Compilator Tabern. tam in Icon. quàm Hist. figuras duas, Osyridis maioris vnam, alteram minoris, nullo apposito discrimine, quàm magnitudinis.

Gerard. lapsus. Gerard. ambas assumpsit, sed præter rationem exhibet pro Linaria Valentiæ, eam quam Tabern. pro Osyride minore ostendit.

Dorst. reprob. Dorst. Osyrim, Linariam, quam Esulam adulterinam vocat, & Herbam vrinalem confundit, & commiscet. Non probamus autem eum p. 149. ponere duas icones pro Herba vrinali & Osyride: & postea p. 173. easdem locare pro Linaria & Osyride, vbi etiam non bene germanicè, *vvild vvolffs milch*, hoc est, Esulam silu. & *Scheissfkraut*, hoc est, Cacariam vocat, siquidem non purgat.

Nomina linguar. Linariam Germani appellant *lynkraut*, *flachskraut*, *vvald*: & *vvild flachs*, h.e. Linum siluestre, vel etiam Pseudo-Linum: *harnkraut*, i.e. Vrinalem, quæ vox magis propriè aliis plantis debetur. *Vnser frauven flachs*, vel *harr*, i.e. vt Pannoniæ mulierculas rhizotomas interpretemur, Diuæ Virginis Linum, vel capillū. *Nabelkraut* Herbam vmbilici, aut vmbilicalem. Multi *Gal Ritter sporen*, h.e. Consolidā regalem luteam *krotten flachs*, h.e. Linum bufonum. Belgæ *vvilt vvlas*. Galli *Linaire & Lin sauuage*. Angli *tode flar*. Boh. *len mirtky bozij*. Hung. *Vad len* & *Vad fravv*, Itali & Hispani Linaria.

Linariam autem dixerunt recentiores à foliis quæ Lini faciem referre videntur.

Locus & Tempus. Nascitur passim in Germania ac Belgio secus agrorum margines, & aliis locis. Floret Iulio ac Augusto, ac etiam seriùs, vt Septembri & Octobri.

Vires & vsus. Vulgaris Linaria, alui turbatrix est, inquit Tragus, temperamenti humidi & calidi. Extrinsecus maiorem habet vsum, in iis quæ refrigerationem potiùs, quàm calefactionem requirunt. Aqua enim in linteolis imposita id præstat. Aquæ quantùm vitrum exiguū capit, admixta drachma corticis ebuli in puluerem redacti, sumpta potio, vrinam potenter cit, quare hydropicis tantùm id medicamenti exhibendum erit. Eadem aqua distillata ac pota, aluum laxat, morbum discutit regium, aduersus quem herba ipsa vino decocta ac pota inprimis facit, sicut & iecur obstructionibus liberat. Aqua distillata aut succus oculis inditus, inflammationes eorum & ruborem tollit. Linaria, aqua eius, & succus, quæuis vlcera mundant, cuiusmodi sunt cancer, & fistulæ, linteolis imposita, & si cum aqua loci affecti colluantur. Succus idem maculas & vitia faciei emendat, quare superbis mulierculis, quæ puram & immaculatam faciem affectant, conuenit. Fuchsius vehementer errare eos scribit, qui Linariam frigidā & humidam esse asserunt. Et certè vel hoc vno argumento erroneam illorum sententiam confutare omnium maximè licebit. Cùm etenim Linariæ vrinam mouendi facultatem inesse scribant vulgares etiam herbarij, colligitur illam non esse frigidam & humidam: quādo Galeno lib. 5. simpl. c. 12. attestante, omnia quæ vrinam ducunt ex acrium atque adeò calidorū & siccorum sint genere. Est igitur Linaria calida quidem & aliquantulùm sicca temperie, & aperiendi potentiā prædita, teste Dodonæo. Quod verò multi regio morbo laborantibus eam prodesse dicant, id ab Osyride huc translatum esse perhibet.

* *

Linaria vulg. lutea, flore minore.

Descript. & Synon. Alterum hoc Linariæ genus, iam descripto per omnia simile est, nisi quod flores habet multò minores, subluteos, autore Trago. Et hinc C. Bauh. in phyt. nominauit eam Linariam 2. siue vulgarem luteam flore minore.

Hæc in agro VVormatiensi è regione oppidi *Altzen* inuenitur.

LINARIA LVTEA PARVA SERPENS.

Cap. LXXXVI.

Descript. Virgula. Folia. Flores. Palmaribus exit virgulis, frequentibus, humi sparsis, quas vestiunt folia vulgaris foliis similia: extremos ramulos occupant multi flores flaui, vulgari minores, veluti in spicam congesti, quibus succedunt capitula minora quàm in vulgari, exiguo semine nigro plena: *Radix.* radix tenuis est & candida, vulgaris modo serpens.

Synon. Clusis, cuius descriptionem assumpsimus, in Hisp. nuncupat Linariam pumilam: In Hist. post. Linariam Hispanicam quintam. Hanc, quia valde amara est, & plerumque cum Chamæpiti nascens reperitur, adeòque pumila est, Salmanticenses Chamæpityos genus esse censebant. Lobel. p. 223. vocat Linariam pumilam Clusij minorem, sed non absimilem: In Icon. Plant. p. 410. Osyridem flauam siluestrem: C. Bauh. phyt. Linariam 3. siue luteam pumilam supinam.

Locus & Tempus Salmanticensi agro, aridis locis hoc genus pumilum inuentum ab authore, vbi tota ferè Æstate florebat.

LINARIA LVTEA PARVA ANNVA.

Cap. LXXXVII.



Descriptio. Radix. Caulis. Folia. Magnitudine varia mihi creuit, aliàs sesquipalmari, aliàs plusquam dodrantali, ex radicibus paruis, albicantibus, pluribus: sunt autem caules, qui tenues & numerosi existunt, & folia quæ teneriora, angustiora, crassioráque quàm in vulgari Linaria, colore glauco, terna, vel quaterna, aut quina, ex certis interuallis, aliàs verò incondita, subamaro sapore: *flosculi* in ramulorum fastigiis, Linariæ forma, crocei, sed quadruplò minores, odore nullo, quos excipiunt globuli oblongi *semen* continentes paruum, orbiculatum, compressum: *radix* tenuis est & annua.

Linaria Morauica Clusius vocat Linariam Pannoniæ & vicinarum regionum secundam, & Morauicam primam.

Locus & tempus. Montbelgardi in horto Ill. E. C. prouenit ex se-

mine Heidelbergæ in horto Sprengeri, vbi deciduo quotannis se propagat, collecto! Lutetiæ extra portam Honorii in arvorum marginibus & colliculis collegit Gener Cherlerus Iulio: Clusius verò in variis Moraviæ collium accliuitatibus: Floret quasi tota Æstate, etiam in Autumnum vsque.

LINARIA PANNONICA FLORE LVTEO minore quàm in vulgari.

Cap. LXXXVIII.

Descript.



Ex plãtis ab Agerio missis ex Pannonia mihi delata pulchra hęc species *floribus* aureis, minorib. quàm in vulgari: *foliis* quinque ab illa differentibus, latioribus & breuioribus.

Synon. Clusio, qui describit, est in Pannon. & Hist. post. Linaria Pãnonica 1. (sic etiam Tabern. in Icon. & Hist. inscribit) siue maior. Gerardus ineptè Tabern. iconem Linariæ Pannonicæ 1. quæ lutea est, pro Linaria purpurea altera pingit. C. Bauh. phyt. vocat Linariam 7. siue pallidam minore flore.

Locus. Crescit in montium decliuibus secundum publicas vias, & gramine nudis locis, supra Posoniũ ad Danubium, Gumpostkirchen, Leytenberg, atque etiam in Moravia. Floret Iunio & Iulio, ac interdum etiam Augusto, & subinde semen profert.

LINARIA MAXIMA FOLIIS LAVRI Dalmatica.

Cap. LXXXIX.

Descript.



Folia maxima hęc profert, & ad foliorum formam accedentia, vncias duas, aut etiam tres longa, vnciã quædam ferè lata, in summitate cauliũ semper breuiora & angustiora, omnia autem in acutum desinentia: *caules* multos, cubitales ac bicubitales, ramosos: *flores* luteos: magnitudine Anthirrini maioris.

C.Bauh. phyt. Linaria 19. siue Americana. An Camer. hort. Linaria altera flore maiore & magis luteo?

Locus. Montbelgardi in horto Ill. E.C. & meo ex semine mihi prouenit.

LINARIA TRIFOLIA.

Cap. XC.

Descript.



Nihil minùs quàm Linariæ *folia* habet, quæ per ramos pedales & longiores, crassiusculos, succulentos teretes, inferiore parte rubescentes superiùs viridãtes, ex certis interuallis pulchrè disposita, ex eodem loco terna *caulem* amplexantia, potissimùm parte inferiore, circa fastigium enim sparsim nullo ordine digeruntur: accedunt ea verò nonnihil ad Fabæ inuersæ folia, quibus minùs crassa, succulẽta, minimè tamen per ambitum incisa, circa exortum latiuscula, in obtusum desinentia, pari ferè latitudine cum longitudine, sinuatis neruis, ad modum ferè Plantaginis, posticâ parte minimè apparentibus, donata, acetabuli instar concaua, cælestemque aquam exceptam continentia, sapore amaricante: Verùm *flores* serie longâ dispositi, Linariæ vulgaris similes sunt, lutei, tinctiori tamen labello & rictu lanuginoso, corniculo purpurascente extra folia visidantia, quæ floris basin ambiunt, porrecto: *floribus* succedunt capitula rotunda, in quibus semen, quod nobis videre non contigit: *radix* subest singularis, crassiuscula, caules plures emittens.

Clus. in Hisp. inscripsit Linariam Valentinam: In Hist. post. Linariam Hispanicam 1. Lobel. in Obs. p. 213. & Icon. Plant. p. 408. Linariam Valentinam Clusii.

C. Bauh. Casp. Bauhini in phyt. Linariam 4. siue luteam folio Centaurii, & Linariam 5. siue luteam latifoliam peregrinam, Linariæ latifoliæ Valentinæ Clusii nomine à Doldio missam: *duas non* facio distinctas, sed vnam, culturâ tamen variantem.

Locus. Circa Valentiam Hispaniæ in pratis & locis vmbrosis Martio florentem obseruauit Clusius. Montbelgardi verò in horto Ill. E.C.VV. prouenit, florens Iulio & Augusto, semen verò maturans Septembri.

Tẽperamentum. Linariæ nomen huic idem indidit, non à foliorum similitudine, quę non conueniunt, sed quia eius flores vulgari formâ similes, & eiusdem fermè temperamenti sunt, nam commanducata manifestam acrimoniam, cum quadam amaritudine coniunctam exerit ipsa planta.

LINARIA

LINARIA ODORATA Monspessulana.

Cap. XCI.



Descript. Rectis & rigidis stat *caulibus*, bicubitalibus, iuxta terram rubescentibus, quos Linariæ vulgaris *folia* angustiora, denso stipatu ornant, sapore amaricante: summum caulis fastigium in surculos aliquot abit, qui *flores* sustinent eodem quo in Linaria vulgata dispositos ordine, calcari longè breuiori, & parum apparente, quâ in re differunt à planta Linariæ aliquatenus simili, sicuti & in eo quod flores sunt maiores, odore gratissimo, superiore folio pallido, purpurascentibus striis variegato, inferiore in tres lacinias albidas diuiso, rictu lanuginoso, amethystino croceóque colore picto: *semina* parua in vasculis subrotundis, herbæ Linariæ iam dictæ similibus, sed maioribus, sapore, vt mihi videtur, adstringente: *radix* viuax in latus serpit, colore candida. *Flores* in figura hic exhibita minùs bene expressi sunt.

Caryophyllata. Camer. in horto vocat Linariam flore albicante, & ob odorem, quem spirat, Caryophyllatam, aitque radicibus admodum se propagare, & diu durare in hortis.

Lin. odorata H. Lugd. H. Lugd. pagina 1151. Linariam odoratam vocat flore ex cæruleo albicante, suauissimè olentem.

Clus. notatur. Clus. in Hisp. & Histor. post. Linariæ odoratæ nomine pingit, & describit tantùm flores: cætera sunt alterius plantæ, nempe Linariæ folio Bellidis: miror eum in Hist. post. non emendasse errorem illum, & veram Linariæ odoratæ figuram posuisse.

Locus & Tempus. Ex semine à Zvingero misso Linariæ albæ nomine prouenit Montbelgardi in horto Ill. E. C. insigniter repens: reposita Hiemem perfert, floréque Iulio, Augusto, & Septembri: minùs verò odorata est, quàm Monspelij prouenjens.

LINARIA ALBA, VEL ALBICANS INODORA.

Cap. XCII.

Descript. Osyridis albæ, vt Lobel. in Icon. Plant. p. 408. inscribit, descriptionem nullam adscribimus: quia eam nondum apud quemquam reperimus, nec ipsi etiam plantam, quantùm recordamur, obseruauimus. C. Bauh. phyt. vocat Linariam 6. siue albo flore. An Camerar. hort. Linaria flore albicante, inodoro, sed eleganti, & penè æqualis magnitudinis, &c. vide antè.

LINARIÆ ALIQVATENVS SIMILIS, folio Bellidis.

Cap. XCIII.



Ex vasculorú & superiorú foliorú argumento in Linariarú classem refero: *radix* subest crassiuscula, lignosa, alba, contorta, simplex, interdum multifida: ex qua germinant multa per terram sparsa *folia*, ferè Bellidis maioris aut Agerati, profundè in ambitu serrata, glabra, amara, reliqua per ramos tenuia, angustissima, longiuscula: *caules* ex radice statim plures oriuntur, cubitales, teretes, multùm ramosi: quos ferè totos vnà cum ramis ornant longâ serie *flosculi* ex foliorum sinu prodeuntes, exigui admodum & quodammodò hiantes, partim cærulei, partim albi, nullo calcari donati: vascula delapsis floribus succedunt, multa, parua, subrotunda, & veluti bipartita, quibus *semen* clauditur copiosum, minimum, subruffum, amarum. *Descript.*

Compilator Tabern. non contentus assumere figuram Osyridis odoratæ purpureæ, *vvolriechend purpur harnkraut*, compositam ex duabus plantis, confundit cum tertia. Gerardus quoque imitatus Tabern. habet figuram falsam ex duabus compositam, confundens cum duabus plantis etiam tertiam. *Compil. notatur.*

Descriptio Clusij Linariæ odoratæ conueniret plantæ à nobis descriptæ, si non diceret florem habere hamulum incuruum: sed & flores in calcaribus non conueniunt, nec etiam titulus odoris. Quare existimo vnâ descriptione & vno titulo duas plantas esse ab ipso traditas. Miror autem, eum in Hist. post. meliorem iconem non exhibuisse. *Clus. reprehend.*

Vnius nostræ plantæ H. Lugd. duas habet figuras, quarum vna extat pag. 1151. Linariç cæruleæ Dalechampij titulo, cui folia adscribit proximè radicem Bursæ pastoris, caulem verò vestitum foliis Linariæ similibus, angustioribus, florem ex cæruleo albicantem. Alteram ibidem inscripsit Linariam odoratam Dodonæi, cui folia Bellidis. Hæc autem figura ex duabus diuersis composita est: folia enim inferiora Bellidis forma rectè pinguntur, superiora verò non item, quæ oblonga esse debent, angusta, Lino similia, vt in descriptione nostra habetur: flores etiam in viua planta corniculis destituuntur: quare ex planta viua Monspelij collecta nouam figuram damus. Et hic error à Clusio priùs commissus à me obseruatus, quod indicare debebat Frater in Animaduduis in H. Lugdunensem: Is eius in phyt. non meminit: nec etiam ostendit Linariam cæruleá Dalechampij esse summitatem Linariæ odoratæ Dodonæi: & vicissim, Linariam odoratam Dodonęi esse in- *H. Lugd. duas figuras, vtraq; imperfecta.*

feriorem partem Linariæ cæruleæ Dalechampii, sed malè duas diuersas plantas constituit. Linariam odoratam Clusii, siue Dodonæi vocat Linariam 8. siue purpuream Bellidis folio: Linariam cæruleam Dalechampii, Linariam 13. siue cæruleam angustifoliam. Frater igitur qui secutus est meam opinionem, non animaduertit in H. Lugd. vnius plantæ duas dari icones.

Lobel. reprob. Lobel. in Icon. Plant. p. 407. inscribit Linariam purpuream odoratam. Miror autem eum hanc figuram incommodam assumpsisse: præterea purpuream odoratam cognominare, ac in Obs. p. 222. ad Aduersaria referre, cùm ibi non fiat vlla mentio Linariæ odoratæ: & Clusius loco proximè citato addat, in calidis regionibus aliquantulùm duntaxat esse odoratam, in Germania verò & Belgicis hortis inodoram, & Linariæ purpureæ florem nonnihil æmulari: Sesamoides maius Salmanticenses nuncupare, quamuis descriptioni non conueniat.

Locus & Tempus. Monspelluli florentem & semina matura ferentem reperi mense Octobri in montibus circa Esperor. & Gangen. Eadem mense Iulio mihi occurrit in agris inter Valentiam & Lugdunum. Gigni in aridis, squallentibus & apricis: florere Maio desinente in H. Lugd. perhibetur.

Refertur apud eandem H. Lugd. vlcera sordida purgare, lumbricos interficere, obstructiones expedire.

LINARIA PVRPVREA MAGNA.

Cap. XCIV.



Descrip. SEsquicubitalem è lõga, nigra, contorta, lignosa *radice caulem* emittit, eumque teretem, glabrũ, firmũ in ramos prælongos diuisũ, *foliis* ornatum longioribus, latioribusque quàm Linaria lutea, sapore nullo euidente: *flores* longâ serie per ramos nascuntur, antrorsum hiantes, posticâ parte calcar promittentes, colore purpureo præditi, minores multò quàm Linariæ luteæ: *semen* in vasculis paruis bifidis continetur.

Linaria altera Dod. Dodon. in Hist. lat. Linariæ alterius nomine describit, dicens in lib. de Florib. flores habere in cæruleo purpureos: in fol. verò lat. purpureos: viderique sibi speciem Antirrhini: sed nullibi depingit. Lobel. in Adv. Linaria purpurea, vt fruticosior sic elegantior multò & rarior. Eidem in Obs. p. 223. & Icon. Plant. p. 407. Linariæ purpureæ varietas.

C. Bauh. phyt. vocat Linariam 9. siue purpuream maiorem, Osyridem alteram Dodonæi, & Linariæ purpureæ varietatem Lobelii, variantem flosculis purpureis, purpuro-violaceis, albis & cæruleis: foliis item latioribus & angustioribus: Item, Linariam 13. siue cæruleam angustifoliam, & cæruleam Dalechampii. An verò Dalechampii separanda sit à Lobeliana considerandum. An Camer. hort. est Linaria flore cæruleo?

Geneuæ florebat in horto meo Iunio, Montbelgardi Iulio: Stutgardiæ in horto Ill. C. Linaria violacea magna Iunio. *Tempus.*

LINARIA PVRPVREA PARVA.

Cap. XCV.



Descript. SVbest *radix* tortuosa cũ fibris longiusculis: *caules* cõplures, palmares & maiores, in terram reclinati, ramosi, *foliis* amicti veluti ex geniculis, modò singularibus, modò ternis aut quaternis, vix quadrantem vnciæ æquantibus angustis: extremis ramis *flores* multi congesti hęrent Linarię vulgaris, minores, longis calcaribus prędití, cerulo-purpurei, folio superiore bifido, apicibus in rictu luteis, concolori etiam labelli portiunculâ penitiore: succedunt *vascula* penè rotunda, calyce ex quinque foliolis excepta, quę continent *semina* longiuscula compressa; qualia sunt Alyssi Dodonæi.

Clus. in Pannon. pag. 307. & 309. vocat Linariam Pannonicam 2. siue Alpinam pumilam: In Hist. post. Linariam 3. Stiriacam. Tabern. Linariam Pannonicam. 2. *Vngerisch Linkraut.* Gerard. Osyridem albam *vvhite toue flaxe.* An verò iconem Tabern. legitimè albam faciat, considerent lectores. Imago apud H. Lugd. pag. 1151. Linarię minoris Dalechampii, quod folia inferiora attinet, non in omnibus placet: C. Bauhin. phyt. est Linaria 10. siue pumila ex violaceo purpurascens. An Gesn. hort. Linaria Alpina minor? An Camer. hort. Linaria flore cæruleo, in aruis reperta, fermè Antirrhino minimo similis, & vt existimat, tantùm annua?

Geneuę circa fluuium *Arue* floret mense Maio: in monte Thuiri loco arenoso & decliui ad meridiem sito, mense Iunio. Reperi eandem in Narbonensi Gallia apud tres pontes inter Nemausum & Auinionum. Clusius inter saxa & præcipitia montium Austrię collegit, ac in horto coluit. *Locus & Tempus*

LINARIA PARVA PVRPVREA, foliis sine ordine dispositis.

Cap. XCVI.

Descript. TEnues & humi diffusos habet *cauliculos*, valdè frequentibus, angustioribus, sine ordine

dine dispositis, crassiusculis, & coloris cæsii *foliolis* obsitos, in plures alas nonnunquam diuisos, quarum fastigium occupant multi, spicæ instar confertim nascentes, *flosculi*, colore superiori ferè similes, sed multò minores: quibus succedunt parua *capitula semine* plena, de cuius forma & colore nihil asserit Clusius, quandoquidem florentem, & capitulorum rudimenta duntaxat præbentem in Morauiæ collibus inueniebat: *radix* multis fibris constat, & perennis apparet.

Synon. Clusius, cuius descriptionem damus, intitulat Linariam 4. & Morauicam secundam. Lobel. in Adu. & Icon. Plant. p. 410. Osyridem purpuro-cæruleam repentem. C. Bauh phyt. Linariam 11. seu purpuro-violaceam repentem.

Meminit idem Clusius Linariæ tenellæ ex purpura nigricantis, vt & Linariæ paruæ carnosis foliis, floribus cæruleis ad cinereum tendentibus.

Loci & Tempus. Linariam Hispanicam quartam Clusii, siue Linariæ Hispanicæ quartum genus Clusio primû videre contigit anno 1590. in cultiss. horto Illust. Principis Cattorum Vilhelmi: semine peregrè misso natum Cassellis, Augusto mense suo flore onustum, & maturum semen in vasculis continens: Semine inde accepto authori data sequenti anno, totâ Æstate & Autumno floruit, & maturum semen tulit.

LINARIA CÆRVLEA, CALCARIBVS longis.

CAP. XCVII.



Descriptio. RAdix tortuosa, dura, alba, fibrata: *caulis* singularis, simplex, pedalis, glaber, teres, gracilis: *folia* alia aduersa, alia alternata, vncialia, angusta, acuminata, læuia: *flores* per summum scapum eo ordine quo in Linaria vulgari, eademque formâ, dimidio minores, calcari ferè longiore, cærulei, quinque, herbacei coloris, angustis, longisque foliolis basin suffulcientib. *vascula* minora, quàm Lini vulgaris.

Gener Cherlerus attulit collectam in Italia in viis prope Viterbam.

LINARIA ODORATA MONSPESsulana minor cærulea.

CAP. XCVIII.

Descriptio. DOdrantalibus & breuioribus ex *radicula* fibrosâ mox ortis *caulibus*, tenuibus, rigidis, quos *folia* vestiunt rara, alternatim ex longis interuallis, fili instar tenuia, semiúcia longiora, *flores* in cacumine serie quadã sibi inuicẽ succedũt Linariæ odoratæ maioris, cærulei, calcari longo præditi. Icon est in præcedenti tabula.

LINARIÆ SIMILIS.

CAP. XCIX.



Descriptio. RAdice nixa lignosâ, satis crassâ, modò simplex, modò in capita plura diuisa: *caules* statim è radice plures emittit, palmares, aut etiam cubito longiores, ramosos, & non ramosos, angulosos: per quos *folia* Lini, glauca, longa, angusta: ex quorum sinu in ramulorũ summitate *flosculi* emergunt parui, quos sequũtur *vascula* parua.

Anonymus Lini folio Clusii, descriptio. Huic similis admodum est, si non eadem, Anonymos Lini folio Clusii, quam sic describit: Pedales habet *ramulos*, duros, ex viridi pallescentes, & in his multa folia temerè sparsa, nulloque ordine disposita, dura, angusta, lõgiuscula, Lini foliorum æmula, eiusdẽ cum ramulis coloris, qualis in Ruta montana elucet, h. e. ex viridi pallescente. gustu nonnihil acido primùm, deinde amaricante: extremi cauliculi in multos ramulos siue pediculos diuiduntur, qui *flosculos* albicantes sustinent, quinque foliolis stellatim decussatis, constantes, cum aliquot interioribus staminulis, qui tandem in singularia *semina* efformantur, pentagona, duro corio siue putamine medullam albam continentia: *radix* candicans, multifida, perennis & viuax, annuatim nouos ramulos, siue virgulas producens: nonnunquam etiam serpens, Linariæ repentis instar.

H. Lugd p. 1150. figuram proponit plantæ, quã intitulat Anthyllidem montanam, quæ multa habet communia cum nostra planta.

Caspar Bauhinus phyt. Anonymon linifoliam Clusii, Linariam 15. siue montanam flosculis albicantibus cognominauit, & eandem cum Anthyllide montana Historiæ Lugdunensis fecit, qua de re nihil certi pronunciamus, sicut neque

an eædem sint cum nostra Linariæ simili.

An Tabern. in Icon. & Hist. dicitur Linaria adulterina, Falsch Linkraut: An Gerardo Linosyris nuperorum Busch tode flare.

Locus & Tempus.

Linariæ similem variis in locis obseruaui, vtpote Geneuæ, Basileæ, in monte prope Bireck, & Montbelgardi. Anonymos Lini folio Clusii copiosè nascitur editioribus herbosisque locis agri Viennensis: tum etiam herbosis collibus Posonio vicinis, in accliuitate Hamburgensis montis, quà Altenburgum spectat, aliisque præterea plurimis Austriæ & Pannoniæ montibus, etiam interamnis vltra Drauum. Floret Maio. Meminit & Clusius Madritianâ siluâ, secundo ab vrbe Lutetiana miliari colligere, sed longè exiliorem.


LINARIA BELVIDERE DICTA.

CAP. C.

Descriptio.

MVltùm fibrosam *radicem* habet, & perquàm surculosa planta, rigidula, sed fragilis: *folia* quàm vel Lino, vel Linariæ vulgatæ longiora, frequentiora, incondita, sapore subamaro: *flosculi* secundùm caulem & alas herbacei, obtutum præ paruitate propemodum fugientes, vel etiam purpurei, quibus succedunt exigui loculi, in quibus *semen*.

Linaria Beluedere dicta.



Icones.

Beluedere altera icon.



Tres figuræ, quas ponimus, sunt ex iis, quę paratę erant, quasque emimus.

Dodon. de Floribus huius Linariæ meminit, cùm ait Campanulam hortẽsem maiorem [Cãpanulam cęruleã Rapunculo similem, vel angustifoliam] plerique Beluedere nuncupant: sed Italis Beluedere, Græcorum est Osyris, cum qua Campanula nihil omnino habet similitudinis. In fol. lat. pingit & describit Osyridis titulo, camque à Linaria, quam multi Osyridem faciunt, distinguit, vt ex qua videlicet *σαρώματα*, hoc est, scopæ hac ætate in Italia componantur, ceu & olim Galeni seculo. Apud Italos *Beluedere*: in Græcia modò *ἀυζύρις* dicitur, voce corruptâ, teste Anguillarâ: nam olim *ὄσυρις*: Latinis quoque Osyris nominabatur.

Belle videre.

Hanc, quam Dodonæus Osyrim esse existimat, Ges. hort. *Belle videre* Ital. & *Beluidere* Italorũ vocat: item Scopariam aliquorum, ac aliorum Herbam studiosorum.

Osyris non est.

Lobel. in Adv. cap. de Osyride, ostendit descriptioni Osyridis minùs conuenire Scopariam, *Belueder* Italorum [ita in Adv. proprio capite, inque Obs. p. 225 inscribit.] in Icon. Plant. p. 409. Scopariam & Osyridem Græcorum Dodonæi inscribit: Tabern. in Ic. & Hist. Herbam studiosorum, Studenten kraut: C.Bauh. phyt. Linariam 18 siue Scopariam: Gerard. Scopariam siue Osyridem Græcorum: Item Hyssopum albis floribus. Quamuis autem Gerardus aliquam in floris colore differentiam assignet, tamen Linariam Beluidere repræsentat. Tabern. quoque licèt pro Satureia Romana 2. eam iconem dederit, tamen nec vlli Hyssopo, nec vlli Satureiæ competit.

An Linaria Beluidere effigies 3.?

Locus & Tempus.

Geneuæ in horto ex semine deciduo prorumpit Aprili, vegeta Maio. Lugduni & Montbelgardi Iunio & Iulio in vigore. Plerisque Græciæ locis spontè gigni: Æstate virere ac vigere: sub Autumnum semen maturare, author est Dodon. Non perinde bellulam hanc aut speciosã re, atq; Italico nomine, propter raritatem exoticam apud Italos in hortis & pensilibus figulinis vasis ali solitam, hodie perquàm vulgatam pronunciat Lobelius.

In Arborem formatur.

Beluidere in arborem formatur altitudinis hominis, cuius pulchritudini iungitur gratus color viridis: folia similia Hyssopo: ex India retulerunt: propagatur semine & radice: à frigore facilè lęditur, ideo serenda ad meridiẽ, vt tuta sit ab Aquilonio vento, & tutiùs in vasis terreis, aut cistis. Et hæc in Theatro Agr. de Serres scripta reperiũtur. Ego tamẽ haud crediderim radicib. posse propagari: annua siquidem herba est, quæ ad radicem nullos oculos habet ad propagationem aptos: itaque potiùs ex solo semine deciduo se propagat, vt etiam Montbelgardi experti sumus.


ANTIRRHINVM VVLGARE.

CAP. CI.

Descriptio.

NVllam ferè humum spernit Antirrhinũ, & ex parietinis siccisque maceriis in cultius solũ descendens, & hinc illuc translatũ, de fœcũditate haudquaquã remittẽs: *radice* lignosâ, albâ:


caulibus



caulibus pluribus, cubitalib. sesquicubitalibus & altioribus, intus iūceâ medullâ farctis: *folia* ferè alternatim exeunt, Leucoij lutei, quod Cheiri vocant, sapore subacri: *flores* in summis scapis in thyrsi morem dispositi colore carneo albóve, oblongi, rictum leoninū exprimentes, bifido folio surrecto labello trifido antequam in lacinias diuidi incipiat nonnihil luteo, fimbriáque villosâ donato: pericarpia simiæ aut vituli caluariam egriè mentiuntur, in quibus *semen* pusillum nigrum.

Anthirrinon Dioscoridis Lychnis silu.

Icon. 2.



Anthirrinon siue Anarrhinon, quod aliqui etiā Lychnida siluestrem vocauerūt, Dioscoridi herba est cauie, foliisq; Anagallidi similis: floribus Leucoij, minoribus tamen, purpureis, ideò etiam siluestris Lychnis nominata est. Fructum verò gerit vituli narium similem, aspectu russeum.

Antirrhinon Plin.

Antirrhinon vocatur (inquit Plin. lib. 25. c. 10.) siue Anarrhinon, siue Lychnis agria, similis Lino, radice nullâ (minimâ, Gaza apud Theoph. l. 9. Hist. cap 21.) flore Hyacinthi, semine vituli narium.

Anthirrini vulgaris Icon. 3.



Dioscoridi & Plinio dictū Antirrhinū, Theophr. loco proximè citato, Antirrhizum nominatur, vtilis herba ad gloriam comparādam, Aparinę similis: radice nullà. fructui insunt tāquā nares vituli, quo perūcto gratiā, vitaeq; gloriam consequi creditur. Verū Dioscoridi cum Plinio cōuenit in nomine, ita ille in descriptione, dissentit tū à Plin. tū etiam à Theophrasto. Plin. namq; tribuit Anthirrh. folia Lini, rectiori similitudine, quàm Diosc. Anthirrh. folia & caules Anagallidi comparat. Hermolaus autē corruptè apud Plinium pro Aparine, Linum eo loco scribi putat. At verò quæ affinitas Anagallidi, vt Dioscorides comparet, cum Aparine, aut Lino?

Anthirrhinum Plinij Turnero.

Quod à Plin. describitur copiosè in Anglia, authore Turnero, nascitur in segetib. primo aspectu Lolio simile est, quoad florē, partim etiā folij colore accedit, quod maius & longius est Lini foliis, formâ tamen non ita absimile. Hæc herba posset Angl. dici Calfs Snoute. Antirrhinō autem à Dioscor. descriptū, in Anglia non prouenit, quod quidē Turnerus viderit, nec vllā adhuc plantā se vidisse ait cui Diosc. descriptio cōueniat, nullāq; etiā quę Theophr. descriptioni possit accōmodari.

Bucranion. Lychnis silu. Ametis, flos. Pithecion.

Græcis igitur ἀντίῤῥινον, ἢ ἀντίῤῥιζον, si non vitiosū Theophr. exemplar. & ἀνάῤῥινον dicitur Latinis similiter Antirrhinum. Auctore Galeno etiā βουκράνιον, & Lychnis agria siue siluestris, λυχνὶς ἀγρία nominatur. Apuleius etiā [illegible], κυνοκέφαλον, Canis cerebrū, Herbam Siminiam, Venustā minorem, & Opalim gratā appellari refert. Creditur quoque esse Leo herba. quem inter flores Columella lib. 10. refert, sic scribens:

Leo.

Narcissique comas, & hiantis sæua Leonis
Ora feri. Item & infrà: *Oscitat & Leo.*

Os leonis. Cæsalp.

Et huius sententiæ videtur fuisse Cæsalpinus, qui Anthirrinū, Os leonis vulgò, appellari prodidit, herbam foliis Linariæ, florib. capitulis effigie canini capitis, in mœnibus Florentiæ copiosam: Et quandā in præruptis scopulis, foliis breuiorib. latiusculis, subhirsutis, florib. pallescentib. Aliam in montib. similiorē Linariæ, recticaulē, flore cæruleo: In vineis quoq; recticaulē, flosculis purpureis. Et has omnes Pliniū intelligere credit, appellantē herbā Cynocephaliam, quasi caninū caput, quā in Ægypto Osyritem vocari dicit, diuinā herbā, vt Appion Grāmaticus asserebat, & contra omnia veneficia: Meminisse & Canini capitis in Psyllio. Dioscoridē eam quæ roseo flore constat, Chamæpeucem appellare quasi humilem Laricem, quo in loco deprauati quidam codices legunt Chamaleucen: Plinium tamen Chamæpeucen quoq; legere. Esse qui ad Antirrhinon has referāt, quod à Plinio tribuantur folia Lini Antirrhino: Osyritim dictam videri apud Ægyptios: quia ob similitudinem capitis vitulini dicata sit eorum Deo, vt bos.

Leo Columellæ est Aquileia Gesner.

Gesnerus contrà, Leonem Columellæ, Aquileiam esse existimauit, quam ea de causa Leontostomium nuncupauit: sed hoc nominis Antirrhino maiori (cui de hort. flores luteos, albos, rubros & roseos adscribit) magis conuenire, quàm Aquileiæ, Dodonæo videtur. Nam Antirrhini hians flos, leonis rictum citiùs, quàm Aquileię refert. Est verò & alius Leo, qui [illegible] & leguminum Leo dicitur, alio nomine Orobanche: de quo suo loco egimus. Est & alia Amethystos herba, cuius Plutarchus meminit, [illegible] videlicet: de qua alio loco agetur.

Nomina *Leontostomos. Caput canis. Caput vituli. Nasus vituli.*

Antirrhinum quod à floribus rictum vitulini vel Leonini oris æmulantibus, potiùs Leontostomos nominandum censuit Marantha, Germani Sterelkraut/ Brantenhaupt: Hundskopff, hoc est, caput canis, Kalbskopff/ id est, Caput vituli, Kalbsnase Nasum, vel Nares vituli, Lowenmaul Os leonis, & Orant/ cum Belgis appellant, quàm aptè consule Turnerum:

Galli *Mouron violet*, & *Oeil de chat*. Itali *Antirrino*: Hisp. *Veserra yerua*, & *Cabeza deternera*: Angli Calfes snowte / vel Snap dragon : Bohemi hledyk.

Synon. Lobel. in Icon. Plant. vocat p. 401. Antirrhinum, vulgò Caput canis, & Caput vituli Apulei, Cynocephalin : Item Anthirrinum floribus luteis. Hort. Lus. Antirrhinum maius purpureum satiuum, Schvvenkf. Antirrh. maius, *a ντίρριον* Dioscoridis flore varians, incarnato, candido, luteo.

Icones. Figuræ Fuchsianæ quas posuimus non multùm placent, verùm iam sculptæ emptæ erant. Matth. in post. comm. & Hist. germ. picturas duas Antirrhini exhibet, nempe primi & secundi, quæ qua in re differant ab inuicem, ex figuris colligere non possum, nec etiam ex eius verbis, cùm omnia Antirrhinorum suorum genera distinguat tantùm coloribus.

Camer. in Matthioli Hist. germ. & Epit. duas habet Anthirrini figuras, nomine primi & secundi, cui flores ex purpura albicantes, seu incarnatos, & rictum luteum adscribit. Idem in Hort. vocat Antirrh. maius flore roseo, in agro Monspeliensi & Nemausensi. Item Antirrh. flore incarnato, luteo, candido: Adhæc, Antirrh. pulcherrimum flore luteo grandi, spontè inter Sauonam & Genuam.

Lobel. in Adv. Antirrh. florib. purpureis, ex rubro violaceis, vel roseis & albis : Item Antirrh. luteum foliis latiorib. breuioribus.

H. Lugd. 3. icones. H. Lugd. pag. 1340. huius plantæ figuram habet sub titulo Antirrhini 1. Matthioli. Alteram pag. 1341. sub inscriptione Antirrhini magni Dodonæi. Et tertiam pag. 330. pro Cynocephalo Plinij.

Tabern. 3. icones. Tabern. in Icon. & Hist. Antirrhinum : Item, Antirrh. album : Et Antirrh. luteum.

Antirrh. ignotum. Antirrhinon quid sit, fatetur se ignorare Bacchanellus, Sed & Anguillara Antirrh. Diosc. non nouit: Theophrasti verò & Plinii in Italia nomine *Cazzugelli* passim notum affirmat. Quamuis autem vnius tantùm meminisse videantur Veteres, Recentioribus tamen plures sunt differentiæ.

C. Bauhini not. C. verò Bauhini in phyt. Antirrhinum 1. siue maius rotundiore folio: Et Antirrh. 2. siue maius alterum folio longiore, quod flore roseo haberi ait, rubente, aliquando maculato, ex candido dilutè purpurascente, & candido: Itemque Antirrh. 3. siue luteo flore: ad vnum hoc vulgare Antirrhinum referimus.

Cæterùm inter Antirrhina numerantur, & Antirrhini nomine sequentes insigniuntur plantæ. Antirrh. angustifol. siluestre. Antirrh. minimum. Antirrh. fol. serrato. Linaria. Linar. purp. maior. Linar. odorata. Linar. Valentina. Lutea. Alsine fol. serrato. Hyppoglossum. Cyanus. Hippuris.

Antirrhini vulgaris locus & tempus. Cæterùm, planta quæ solet Antirrhinum vocari copiosè prouenit in via quâ itur ad syluam Aigremont, & aliis in locis: Basileæ in horto D. Plateri & patris mei floret Augusto, & Septembri semen maturat. In horto Ill. E. C. mihi prouenit purpureo, vel roseo, albo, & luteo, ac etiam mixto colore. Ex his purpureum Antirrh. occupauit muros, & Hiemem perfert: præterea deciduo semine, quamuis non annua herba sit, se propagat, florens Iunio & Augusto. In aruis & collibus Matthiolus reperit: Camer. in Italiis & Galliis, præsertim Prouinciali & Narbonensi inter Olivieta. In hortis, inquit Dodonæus, apud Belgas, Italos, Grmanos & alibi seritur, & Maio mense, quod Hiemem superauit, & reliqua deinde Æstate, floret: seriùs verò & sub Æstatis finem, eiusdem anni Vere satum. Hiemem alteram nisi clemens admodum fuerit, aut in cellis vinariis repositum, absque iniuria in Belgio non sustinet, Dodonæus.

Antirrhini semen inutile in medicina, vt Galenus ait, est: herba verò ipsa assimilis cum Bubonio facultatis, sed multò minoris: ex qua de hac coniiciendum, quod in Dioscoridis libro fortè periit. Apuleius radicis in aqua decoctum, fotu epiphoras oculorum, celeriter lenire refert. Narrant, inquit Dioscorides, appensum veneficiis aduersari: & gratiam conciliare, si quis eo perunctus sit, cum oleo Liliorum, aut cyprino. Tradunt alij huius semine perunctos ex oleo venustiores fieri, nec vllo medicamento lædi posse, si quis appensum gestet. Quinetiam Principum gratiam sibi conciliari posse putant, hoc tantùm amuleto. Vires & vsus.

ANTIRRHINVM ANGVSTIFOLIVM syluestre.

Cap. CII.



Elegantula est plantula, tenui albicantéque *radice*: *cauliculis* palmaribus, aut cubitalibus, teretibus, hirsutis, quos alternatim ornāt *folia* Hyssopi paria, simul plura, inferiùs nonnunquam rubescētia, pinguia & nonnihil acria, subamara: *flosculi* ex foliorum alis bicolores, partim albi, partim purpurascentes, Antirrhini maioris, sed multis numeris minores, quorum basin obuallant quinque, vel septem folia viridantia, hirsuta, quædam longa, quædam breuia: pericarpium caluariam catelli egregiè refert, ac oculorum fossas, naresque corniculo inductas, in quo *semen*. Descriptio.

Nonnullis hanc plantā Pliniano Antirrhino eandem esse visum fuit. Agricola autem eandem cum Cynocephalia esse suspicatus fuit. Matthiolus contrà istud Antirrhinon pro legitimo olim exhibuit. Habet autem Antirrhini figuram fictam, quod flores attinet: folia etiam videntur nimis ad Linum accedere. In post. comm. cum mag. fig. & Hist. germ. priorem effigiem omisit, & meritò aliam substituit, sub titulo Antirrhini quarti, quod non describit, nec ostendit qua in re à cæteris suis Antirrhinis differat. Neque mirum si in prioribus comm. de Antirrhino, eiusque foliis dubitauerit, siquidem tunc non nisi vna tantùm Antirrhini planta ad manus ipsi fuit, vt in epistola ad Heroldum perscripsit. Antirrh. Plinianum.

Lacuna

Lacuna habet figmentū Matthioli primò exhibitum. Sed nec figura Loniceri multùm placet.

H. Lugd. tres habet figuras. Harum prima est p. 1340. Anthirrhinum Matthioli, fictitia vti dictū. Altera p. 1341. Antirrh. 4. Matth. Tertia ead. pag. Anthirrinum paruum Dodonęi, siue Orontium.

Euch. Roesslin sub nominibus Orant/teufelsbaud/sterckraut/kalbsmaul/ Osiris, Antirrhinon, Lychnis siluestris, pingit Antirrhinum minus, & præterea Luteam sub nomine Sterckkraut, confundit.

Dodon. gall. dicitur Antirrhinum alterum, & Antirrhinum minus. [Et sic etiam Gesnerus hort. & de coll. stirp. vbi & Antirrhin. foliis Hyssopi, itemque Tabern. in Icon. & Histor. vbi quartum facit.] Eidem de Florib. Antirrhinum silu. siue minus: Hoc Lat. in fol. Antirrhinum siluestre inscribit, meliorémque figuram, quàm in gall. Hist. habet, describitque etiam.

Synonyma. Lobel. in Adu. Obs. p. 221. & Icon. Plant. p. 405. Antirrhinum minimum appellauit: Camer. in Matth. Hist. germ. & Epit. Antirrh. quartum: In Horto Antirrh. medium, & Orontium aliorum: Castor, qui plus habere similitudinis affirmat cum Phyteumate quàm satiuum, cum Pona Antirrh. siluestre vocat: Thal. Antirrh. rubrum aruense: Schvvenckf. Antirrh. medium, Antirrh. silu. maius; Antirrh. Plinij, & Orontium Archigenis: Hort. Lus. Antirrh. medium siluestre: C. Bauh. phyt. Antirrh. 5. siue aruense maius, vno loco procerius altero breuius: Honor. Bellus Phyteuma.


An Cæsalp. Os leonis, similius Linariæ, recticaule, flore cæruleo, in montibus? An Turn. Anthirrh. Plinij?

Locus & Tempus. Monspelij reperitur mense Octobri semine maturo: inter Viennam & Valentiam florens Iunio: Basileæ etiam Maio, Iulio Augusto & Octobri: Geneuæ iuxta Rhodanum versus castellum *la Bastie* florens Iunio: Montbelgardi in agris prope Audincourt virens & florens Octobri. Vbiuis tandem hortorum, incultorúmque marginibus sponte plurimùm innascitur.

Vires. Anthirrhinum porrò hoc siluestre nullius qui dem est vsûs: si autem verum Phyteuma fuerit, ad amores profuerit.

ANTIRRHINVM MINIMVM.
CAP. CIII.

Descriptio. TOta minor est hæc plātula Antirrhino minori dicto, *radice* paruâ, durâ, fibratâ: *caule* crebris alis concauo: in quib. *folia* haud multò minora iam dicto, sapore non dissimili: *flos* corniculatus posticâ parte, anticâ hians, dilutè violaceus: capsellæ oblongæ, ventriosæ, septi crassiusculi beneficio in duos loculos dispes-



cuntur, *semen* continentes copiosum, minutum, atrum.

Nisi hoc sit Antirrhinum 3. Matthiolo, nescio quale intelligat, pingit tantùm & non describit in post. comm. cum magn. fig. lat. & Ital. itémque Hist. germ. Camerario apud Matthiolum in Histor. germ. & Epit. est Antirrhinon tertium, floribus albis pusillis: H. Lugd. pag. 1340. Antirrh. 3. Matthioli: Camer. hort. Thalio, Schvvenkf. & Hort. Lus. Antirrhinum minimum: Gesn. de coll. stirp. Anthirrhinum aruense foliis perangustis. Antirrhini genus paruis foliis. C. Bauh. phyt. Antirrh. 6. siue aruense minus, Lob. in Icon. Plant. p. 405. Antirrh. alterum minimum repens. Sed cur dicitur repens? figura eius siquidem repentem plantam haud repræsentat. Nostra autem *figura* ex emptitiis non placet.

Basileæ copiosè in agris prouenit: Montbelgardi abundat florens Iunio & Augusto, in aruis & vineis. Locus & Tempus.

LVTEA PLINII QVIBVSDAM.
CAP. CIV.

SEcus vias & in ruderibus nascitur Luteola, *radice* lignosâ, minimi digiti crassitie, interdū plusquam pollicari, albâ, sapore Nasturtij acri: *caulibus* compluribus, & admodum ramosis, viridantibus, striatis, arctiori tubulo pertusis, ad cubitum vnum aut alterum excrescit: *folia*, antequā caulescat, humi in orbē pòst in caulibus & ramis nullo ordine crebra nascuntur, atro-virētia, semunciā circiter lata, palmum longa, interdum crispa, aliàs æquabili superficie nitentia, sapore subacri cum lentore: *florum* thyrsi longi magnam caulium & ramorum partem occupant, luteis apiculis constantes, quibus setacea succedunt *vascula*, hiulca, ternis intrò inclinantibus prominulis punctis, extrinsecus crispa, *semen* continentia pusillum, rotundum, nitidum. Locus & Descriptio.



An ruellio lib. 2. cap. 15. Herba nostræ ætatis, quæ cortinis suffectoriis indita luteum lanis prębet colorem? *Gaudum* nostra rura vocant, vel Gaisdum ex colore, quem siccata præfert, quæ ex decocto, quod lanæ resorbentes imbibunt, Lutea meritò vocari potest.

Lutea Gesn. Reseda Plinij. Gesn. hort. authore Lutea, vel Luteum Vitruuij eruditis quibusdam existimatur hæc, quam aliqui Resedam Plinij voluerunt.

Marcelli lapsus. Herbam luteam apud Dodonæum gall. aliqui Florem tinctorium vocant, & Belgæ nonnulli Orant, sed nō sine errore: Alia enim est Orant, cui nihil cum hac planta affine est. Lat. in fol. Lutum Herbam inscribit, ac Plinium eius lib. 33.

cap.5.obiter meminisse,& Luteam appellasse tradit: Vitruuium verò lib 7.Luteum: sed Virgilium in Bucolicis Æcloga 4. Lutum nominasse;

Ipse sed in pratis aries iam suauè rubenti
Murice, iam croceo mutabit vellera Luto.

A Luto autem luteus color & Lutea dicuntur, veluti à Croco crocea,& à purpura purpurea Belgæ hanc vulgò wouwe nuncupant.

Marcell. Virgilius Vitruuij libri 7. locum inferiùs allegandum omninò mutilum adducit, existimans eandem cum Isatide Lutum, siue Luteum herbam esse, atque eâ cæruleum tingi: in quo à vero recessit: Differt siquidem Lutum herba ab Isatide, & nequaquam cæruleo sed luteo, aut viridi colore, vt dicemus, inficit.

Lobelius, qui in Icon. plant. p. 353. & Obs. p. 190.[vbi Gallobelgis waude,& Germanis, quod nomen tamen non conuenit, Ackerpfrimen vocari ait.] Luteolam pingit, & in Aduers. tertiam Glasti speciem rectè constitui posse putat. Sed quæ Luteolæ cum Glasto intercedit similitudo?

Lobelij lapsus.

Camerarius in Hort. vocat Luteam Plinij, & χύμολιν Græcorum modernorum. Ad Epit. Matthiol. eiusdemque Hist. germ. posuit figuram, quę arridet, cui adiecerbit [illegible] Pseudo-Struthium aut Lanariam nominant, sed non conuenit cum Theophrasti lib.6.cap.3.de Hist. plant. Struthio, nec etiam cum Plinij: quidam Theriacariam vocant: vt rectè annotat Matthiolus. Præterea Struthion non esse, ac multò minùs Ptarmicen manifestius est quã vt referri debeat: Folia siquidem huius magnitudine Oleę folia superant: at Ptarmice à Dioscoride, & Struthion à Theophrasto Oleæ similia folia habere traduntur.

Tragus reprehe.

Tragus lib. 1. cap. 118. haud rectè Antirrhini nomine pingit ac describit: vnde Thalio dicitur Antirrhinum Tragi. Alij Phyteuma esse contendunt. Herbarum icones Egenolphi p.69.in edit. 1551.& Lonic. in Dioscor. vocant Catanancen.

Sed & Tabern.in Ic.inscribit Catanancen, Arcopodiũ & Leuteolã Streichkraut, Sternkraut Errant (inquit in Hist.) qui Antirrhinum volunt: A solo Dioscoride & Plinio describitur & græcè dicitur κατανάγκη, ἀκτιναυδιν, aliis Iouis radius, Datisca & Crepula: Vitruuio Luteum, Plinio Lutea, & lib.27.cap.8.Catanance, Herbariis Luteola, Vnguis miluinus,& Vnguimiluia: It. *Vnge de Gatto herba.* Hisp. & Port. *Vnhas de Gato yerua*, Sclauon. Carophitta Anglicè Dierwede.

Locus & Tempus.


Basileæ copiosè floret mense Iunio: Monspelij & Lugduni Maio: Geneuæ viret Ianuario. In Belgio magna copia, tametsi aliis etiam plerisque locis Galliæ & Anglię ruderibus & similibus occurrat. Lobelius. Seritur pingui ac restibili gleba, pluribus in Belgio locis nascitur, & spontè non modò in Belgio, verùm & in Pannonia, Bohemia, tum & alibi. Maio mense floret: semen deinde adfert: postea collecta herba siccatur in vsum tinctorium, Dodonæus.

Vsus.

Hoc apud nos Mediomatrices (inquit Tragus) non nisi linamentis lectorum luteo colore tingendis vsurpatur, & si quid iudico, calidæ & humidæ temperaturæ est. In exterioribus tantùm corporis partibus vsum suum hodie habet. *Et paulò post*: Mulierculæ hanc herbam siue sicca sit, siue recens, in aqua cum alumine decoquunt, tingendis linamentis. Magno vsui & emolumento, Lobelio in Adv. assentiente, est Luteola, recentioribus tantùm cognita, ad colorem fuluũ aureúmve pannis conciliandum valdè expetita, præsertim in Belgio, vbi magna copia. Inficiuntur [pergit Dodon.] hac Luto herbâ panni lanei, aliáque ex lana opera, & lineæ telæ colore luteo & virenti: luteo quidem candida, & nullo alio priùs imbuta: virenti verò cæruleo antè tincta: Nam Luti herbæ color cæruleo superinductus viridem efficit: Id quod & Vitruuius cognitum habuit lib.7.de architect.cap.14. Qui nõ possunt ait, Chrysocollâ propter caritatem vti, herbâ quę Luteum [aut potiùs Lutum] appellatur, cæruleũ inficiunt, & vtuntur viridissimo colore. *Camerario* apud Matthiolum referente, aduersus venena & morsus venenatos præstantissima creditur, inde quibusdam Theriacaria dicta: verùm nihil certi habet, cùm eius nullum fecerit periculum, acer radicis sapor arguit calfacere, rarefacere, dissipare, aperire, vrinas & sudores citare. Lanarum porrò infectoribus vsûs magni esse testatur quotidiana praxis: rudes enim & albas cum alumine decocta colore luteo tingit: cæruleas autem viridi, idque magis minusve intenso, quò saturatior dilutiorue fuerit color cæruleus. Ita panni bicolores vno eodemque tempore, vno eodemque decocto ex eadem cortina extrahuntur.

LVTEA MAXIMA CRETICA HONORII Belli.

Cap. CV.



Descriptio.

LVteam Creticam maximam à Cl. D. Honorio Bello, viro tum in arte medica, cuius nomine in Candia clarus excellit Medicus, tum in omnibus disciplinis, potissimùm verò in studio Botanico versatus, cum aliis multis creticis ad nos misit, adiunctá hac descriptione, in data ad nos epistola. *Lutea Cretica maxima*: planta pulcherrima est: neminique cognita: ea namque vnico tantùm loco inuenitur, qui vocatur ὀψιδόκρυα tertio ab vrbe Cydonia lapide inter montes. Nascitur in aquis & locis humentibus: ibi enim riuulus quidam è fonte scaturit, qui per angustam vallem discurrit in quo inuenitur, & etiam iuxta eius ripas: an alibi nascatur, ignoro. *Radicem* maximam profert, lignosam, in multas diuisam, crasso & lento cortice vestitam. *Stolones* plures ab vna radice nascuntur, brachiali crassitudine, qui ad quinque, sex, atque etiam ad decem vsque cubita attolluntur, qui hieme exsiccantur. *Folia* fert magna, pinnata; ex multis foliis magnis constantia, longis, serratis, vt Cannabis, alterno positu hærentia, sine tamen ordine certo. *Flores* minimi ex viridi pallescunt.

Trunci pars superior in marinam spicam fastigiatur, duos & ampliùs cubitos longam, ex vasculis quibusdam longis & angustis, densisque conflatam, similibus eis, quæ Reseda vulgaris gerit, semine plenis ad russum tendente. Procùl *Cannabis.* intuentibus Cannabis esse videtur. Tota herba *Sapore Aloës.* & radix ita amara est, vt Aloëm etiam & Colocyntidem ipsam, meo iudicio, superet. Colore *Lutea cur dicta.* luteo inficit Autumno, ideóque Luteá vocauere. Antiquis ignotam puto, & nemini cognitam, quàm Siluerio Todeschini Fundano Cydoniæ Pharmacopæo, viro in cognitione stirpium exercitatissimo, vestrique nominis studiosissimo, qui primus his diebus inuenit, mihique ostendit. Huius tam raræ stirpis eiconem à me delineatam mitto, vt vestræ historiæ generali [si lubet] adnectere possitis. Hæc Belus. Nos huius plantæ semina terræ concredidimus Montbelgardi in horto Ill. E. C. verùm non prouenit.

RESEDA LVTEA.

CAP. CVI.

Descriptio. TEnuem quidem, sed longam satis *radicem* habet Reseda nuperis dicta, lignosam, notabili acrimonià præditam: à qua *caules* procedunt fistulosi sesquicubitales, striati subhirsuti, ramosi: *folia* Cakiles Serapionis diuisurâ profundâ, inordinata, crispa seu vndulata, sapore oleraceo: *flores* in thyrsulum spicámve digesti longam, lutei seu herbidi, foliolis ex vmbilici oris extantibus, in tria segmẽta (quorum duo lateralia latiora mediũ fili instar tenue & breuius vtrinque stipant) partitis, intra quorum septa apices multi selliles, luteoli, & stilus triceps: capsulæ seminum effigie vrceoli inferiùs hiant, *semen* continentes paruum, nigrum.



Reseda vnde dicta. Reseda, à sedandis doloribus dicta censetur: collectiones namque & inflammationes omnes *Plinius.* discutere ipsam Resedam scribit Plinius.

Lobel. in Icon. Plant. p. 222. Resedæ maximæ titulo pingit, itemque in Obs. p. 110. An verò eam ab alba rectè distinguat, videât alii. Lucas Ghinus, Gesnero de hort. teste, Sesamoides maius nuncupat: Resedam luteam Dalechampius: *Eruca peregrina.* Resedam Plinii, & Erucam peregrinã, welschen Rauken. Schvveckf. quem miramur hanc inter hortẽses recensere: Resedas C. Bauh. Erucis subjecit, propter saporem Erucæ similem, deinde etiam eò quòd à quibusdam Erucæ dicantur, & ex *An Reseda latifolia Tabern.* Erucarum siluestrium genere censeantur. An Reseda latifolia Tabernamontano?

Locus & Tempus. Geneuæ in muris florentem maio vidi, itémque in horto meo Hiemem etiam perferentem.

Montbelgardi copiosè prouenit iuxta segetes in planitie inter *Becban & Audincourt*, florens Iunio, Iulio, & Augusto, ac etiam vltra pontem Vauiaucourt.

RESEDA ALBA.

CAP. CVII.

Descriptio. MInùs frequens est Reseda alba, cętera Luteę frequentiori similis, nisi maior paullò videretur, id quod fortè culturę tamen imputes: *Flores.* verùm florum thyrsi albicant, quorum singuli quinis fimbriatis foliolis candidis contexti, apices tamen luteo os possident.

An Reseda Plinii Neoter. Lobel. An Lobel. in Icon. Plant. p. 222. Reseda Plinii Neotericorum? Fuchsius Sesamoides maius satiuum vocabat: Resedam candidam Dalechampius: Resedam 2 siue albam C. Bauh. phyt. vbi reperiri narrat foliis simplicioribus, & in vnoquoque pediculo. An Tabern. in Icon. & Hist. Reseda tenuifolia, Eruca Cantabrica, Spanischer Rauken?

Locus & Tempus. Mense Iulio Basileæ in horto D. Iac. Zvvingeri florebat, & semine deciduo se propagabat. Ego colui Montbelgardi in horto Illustr. E. C. sed plerumque periit, semine ad maturitatem non perueniente.

CHELIDONIVM MINVS VETERIBVS, & in genere.

CAP. CVIII.

Descriptio. Tritic. silu. CHelidonia igitur minor, quã siluestre Triticum πυρὸς ἄγριος [Ald. πυρινον.] aliqui nũcuparũt, ex Dioscoridis authoritate, herbula est pediculis ab radice pendens, sine caule, *foliis* hederæ figurâ, sed multò rotundioribus ac minoribus, mollibus & subpinguibus circumdata. *Radices* habet ex eodem callo complures, pusillas, in granorum tritici modum aceruatim congestas, quarum tamen tres quatuórve in longitudinem *Locus. Vires.* protenduntur. Cæterùm, iuxta aquas palustriáque loca nascitur. Vim acrem obtinet, & Anemones modo [Limonii modo, alius] summam cutem exulcerat: psoras item & scabros vngues eximit. Succus verò radicibus expressus, addito melle ad purgandum caput naribus vtiliter infunditur. Similiter & huius decoctum cum melle gargarizatum, strenuè caput, cunctáque pectoris vitia purgat.

Aëtius. Chelidonium paruum maiore acrius Aëtius tradit. Et hinc in cataplasmate impositum cutem exulcerare ait, & vngues leprosos exterere: succum eius per nares fortiter purgare: esse enim quarti ordinis calefacientium ac siccantium. Vbi porrò in frigida hepatis intemperie, calefacientibus, ac firmitatem addentibus vtendum est, Capnium, quum & Chelidonium herbam circa sepes enatam appellat, probat.

Plinii lectio luxata. Luxatam autem esse Plinii lectionem (in Chelidonia minore) quis facilè deprehẽdet, cùm majori Chelidoniæ reddatur colos albicans, flos luteus: minori folia Hederę, rotũdiora, minùs candida, succus Croci, mordax, semen Papaueris: cũ hæc duo postrema de maiore tradantur à Dioscoride. Namque minor acrem possidet succum, non tamen vllo pacto luteum, nec Papaueris semen, imò florem putat Ruellius sine semine proferre, radicibus potiùs quàm semine nasci. Sic


ergo in sedem restituetur luxata pars: Maiori colos albicans, flos luteus, succus Croci mordax, semen Papaueris, nisi quis ea quæ breuiter de minori Chelidonio scribuntur, parenthesi censeat interiecta.

Plinius notatur. Plinius [inquit Corn.] Chelidonio minori succum & semen attribuit, quæ Dioscorides maiori adscripsit. Quin & tota Chelidonii parui descriptio conuenire videtur herbæ, quam officinæ hodie Scrophulariam vocant. Nostri varia indunt nomina. Nam & Feigwertzenkraut/ i.e. Herbam hæmorrhoidum vocant, & Scharlachkraut & Pfaffenhödlein. Biberhödlein, h.e. Castoris testes vocāt, à radicum similitudine. At verò quod herbulam pediculis absolutam reddidi, in græcis legitur βοτάνιον ἐστὶν ἐν μόσχῳ ἀπηρτισμένον. Significat autē ἀπαρτίζω, absoluo, perficio, ita vt tota herba ferè ex pediculis constet, quum nullum caulem habeat, quod ipsum voce ἀπηρτισμένος significatur. Geranium Robertianum dici de Chelidonio minore, infrà patebit. Sed & de Geranio Batrachoide habetur.

SCROPHVLARIA MINOR, SIVE Chelidonium minus vulgò dictum.

CAP. CIX.

Descriptio. Chelidoniū minus, plātula est vt plurimū palmaris, aliàs paullò maior, minórve, quæ teste Trago quotannis nouâ *radice*, *foliis*, & *flore*, sicut Satyriones & *Aron*, reuiuiscit, ea nobis insipida est, partim bulbulis aliquot, modò pyriformibus, modò longis, ferè tereti-bus, aut ventriosis, vtrinq; acutis, modò



rotundis: Trago, torosæ sunt, ac instar grani Hordei olongæ, plerumquè ternæ, aut quaternæ, aceruatim multis capillamentis, quibus humi hærent, fibratæ: foris pallidis, intùs albis, partim fibris multis candicantibus, constantes: vnde exsurgit *coliculus*, secundùm terram albicans, supernè dilutè purpurascens, circa medium ferè aut paullò inferiùs, geniculo donatus, ex quo oriuntur *folia* bina, opposita, longis pediculis, ex lato principio coloris carnei, sensim in angustum virescens desinentibus, aliquatenus hederacea, sed molliora, minora, rotundioráque, neruosa, glabra, splendentia (sicuti & bina illa, quę statim à radice exoriuntur) indidemque ex alis foliola minora, magis angulosa, simili colore & splendore nitentia, Trago herbaceo, viridique colore conspicua, reliqui caulis folia profundiùs incisa, Hederæ helicis repentis foliis proxima, alterno, plerumquè situ, breuioribus pedicellis virentibus appensa: summo fastigio insidet *flos* vnus, Ranunculi æmulus, ex octo aut nouem foliolis aureo fulgore radiantibus, vnguibus chloris cōpositus, in medio habens staminula multa crocea ex tenui latescentia, auersâ parte sulcata: succedit *capitulum* Ranunculi echinatum, ex viridi luteolum, *semine* stipatum: Dodon. capitulum veluti Ranunculi, exiguum, ex seminibus cōgestum, verùm minus. Floris & foliorum sapor herbaceus.

Chelidonium minus à nullis ostensum esse suo tempore vel Herbariis, vel Medicis, demiratus est Ruellius, præsertim cùm nulla verno tempore frequentior occurrat, precipuè Hirundinū aduentu. Demiratus est, quòd longè dissidenti nomine, (proprio ignorato) officinę Scrofulariā, quòd multis granorum frumenti grumis radix coaluisse videatur, vocauerint, putantes inditam fuisse appellationem, quòd strumis [quas vocant grecá imitatione, non latinâ, scrofulas] medeatur: Non audiendos esse Arabicę factionis authores testatur, qui Glaucium putant esse, quod ipsi Memithen vocant. Si quidem horum error apertior sit, quàm vt refutari desideret.

Cordus in Diosc. eādem cum Amello Virgilii Geor. 4. descripto facit, ac aurei splendoris flore, & foliis purpureis maculis, quas Dioscorides descripsit, insignito. *Amellus Virgilii.*

Fuchs. Chelidonium ideo hanc herbam vocatā esse pronunciat, quòd, vt habet Theoph. l. 7. c. 14. hirundinum aduentu florem excitet. Videtur ipsi Discoridis delineatio Chelidonii minoris herbæ huic, quam Scrofulariam minorem vulgò nominant, prorsus conuenire. Descriptioni subscribere ait locum, tempus, vires, & alia, quæ singula ad amussim quadrant, vt nemo hanc Chelidonium minus esse, inficias ire, sine magna impudentia, possit. *Chelid. minus Diosc.*

Dioscoridi autem χελιδόνιον μικρόν dici testatur quoque, licèt non desint qui exiguum quoddam Scrophulariæ genus esse statuant. *Scrophularia genus.*

Omnes ferè rei herbariæ periti Chelidonium minus appellant. Hetruscis eam vulgò vocari *Fauoscello* putauerim (inquit Matth.) quòd Fabarum modo folia subpinguia proferat. Verùm an hæc sit Chelidonium minus, cuius meminere Dioscorides & Galenus, non parua videtur esse dubitatio: quòd nullam prorsus nec foliis, nec radicibus præ se ferat acrimoniam, cùm tamen acerrima & mordax esse deberet, longéque magis quàm Chelidonium maius: quandoquidem, Galeno teste, Chelidonium minus cutem exulcerat, & excalfacit ordine quarto. Id quod satis manifestè ostendere posset hanc non esse Chelidonium minus: nisi quis in hoc illud dixerit, quod de Aro scriptum reliquit Galenus lib. 2. de alim. facult. Nam facilè contingere potest, quòd quēadmodum Arum Cyrenis minimùm medicamentosi, minimúmque acrimoniæ possidet, adeò vt in cibis vel Rapis vilius habeatur: In Italia verò, ac minori Asia contrà adeò acre, vt medicamentis dūtaxat expetatur: ita & Chelidoniū minus, quod in Italia nascitur, minimū acrimoniæ sortiatur: quod verò in Gręcia prouenit, acre admodum sentiatur. Siquidem, exceptâ acrimoniâ tantùm, nostrati nihil præterea deesse videtur, quin legitimum Chelidonium minus dici queat. Ex quo facilè adductus sum, vt credam, quòd quamuis in Italico desideretur acrimonia; non tamen id esse Chelidonium minus diffitendum est: tametsi inficias ire non liceat, nostrum

Chelidonium

Chelidonium minus, quòd omninò acrimoniæ sit expers, iis morbis haudquaquam conuenire posse, quibus illud conferre, quod in Græcia gignitur, tradiderunt Dioscorides & Galenus. Nam hac deficiente qualitate, necesse quidem est, vt & vires, quæ illam consequuntur, deficiant & pereant. Hinc igitur fit, vt non possim ego subscribere judicio Fuchsij, qui in lib. de compos. med. quem auctum secundò excudit, Chelidonium minus censet alteram Malacocissi speciem. Quinimò eius opinio mihi refellenda videtur, quòd planta illa nullis ferè notis aliquam mollem Hederam referat. Ea quidem foliis Hederam quodammodò æmulatur, sed quod magis attendendum erat, viticulas nō pro fert, quibus humi repat, id quod Hederæ cuique naturâ tributum est. Quidam nugator contendere nobiscum non erubuit hanc plantam non esse Chelidonium minus, sed Virgilij Amellum. Hucusque Matthiolus. Lobelius in Aduers. nimis morosos ait, qui Chelidonium minus ob ignauam acrimoniam rejiciunt.

Dioscoridis esse χελιδόνιον μικρὸν aut πόρον ἄγριον cōcludit etiam C. Bauh. licèt vires non respondeant. Hanc enim diuersitatem ratione soli obuenire, nostro judicio, non malè suspicatur. Plinij lib. 25. c. 13. Strumean censeri refert, quo loco de Ranunculis agit. Huius folia aliquādo purpureâ maculâ notari, flore esse luteo simplici, aliquando & pleno reperiri.

Synonyma et nominibus linguarum. Χελιδόνιον μικρὸν græcè dicitur, latinè Trago Matthiol. Fuchs. Hist. Dod. Angu ll. epist. 11. Cordo in Diosc. & Hist. Gesn. hort. Turn. Lac. Lonic. Guiland. Lobel. in Adu. Obs. p. 321. Ic. Plant. p. 593. H. Lugd. p. 1048. [an eidē p. 1036. Ran. latifol.] Cast. Thal. Tabern. Ger & Eyst. *Chelidonium minus*: Casp. Bauhin. Plin. Chelidonia 2. siue [vt etiam in phyt.] rotundifolia minor: offic. Chelidonia minor, & Hirundinaria minor: Brunfels. Ficaria & Scrophularia minor, & secunda: Malacocissus minor Fuchs. Icon. Testiculus sacerdotis Syluatico, *Fauagello* Cæsalp. Germ. feigwartzenkraut/ klein Schölkraut/ Schorbockskraut/ Erdgersten/ Blaternkraut/ Bibenhödlein/ Pfaffenhödlein/ Schwalbenwurtz/ feigblattern & Eppich/ Meyenkraut: Belg. Speenkruyt/ klein Gouw: Gall. *Esclere, ou petit Basinet, & Couillons de prestre*: It. *Fauafello, Coglie di prete*: Hispan. *Celidonia menor*: Angl. Pilewoorte/ or figworte: Celidony menor: Arab. *Memiten & Chelidemon.*

Locus & Tempus. Hirundinum aduentu floret, nec longo pòst tempore marcescit, sic vt irrigui limites, qui largo foliorum, florúmque stipatu pubescunt, confestim iis spoliati glabrescere videantur, quâ de causa Chelidonium, i. e. Hirundinariam dici, nullum est Ruellio dubium. Author est Tragus Martio mēse prosilire, sub finem Februarij erumpere ad humectos vinearum & pratorum quorundam colles: Maio marcescentem euanescere, folia floresque amittentem, radiculis interim vsque ad principia Februarij anni sequentis humi latitantibus. Marantha vidit ineunte Februario flores protulisse, licèt Dioscorides eam aduentu hirundinum [qui Martij dimidio esse solet] exoriri scribat. Omnibus Italiæ locis, verno duntaxat tempore, frequēs gignitur. Matthiolo, vliginosis, præsertim Solo, & in scrobium fossarúmque marginibus. Fuchsius in palustribus prope aquas & limitibus humidis, omnibúsq; vliginosis ac hortis passim gigni scripsit, Maio mense. Nascitur [inquit Dod.] in pratis, secus vias ac scrobes fossasque, locis riguis ac humentibus passim vulgare: circa Martij Calēdas exit, paulò pòst floret, Aprili deficere incipit, Maio integrè perit, pòst difficile fuerit, vel radiculam eius reperire, nisi locus, vbi prouenit, particularis notetur. Monspelij & Lugduni floret Februario & Martio: Geneuæ quoque Aprili notatur.

Magnam præ se ferre acrimoniam, gustúmque acerbè vellicantem narrat Ruellius. Sed non existimo eum Chelidonium minus vnquam degustasse, nec obseruasse, quod subdit, argumento Galeni & sectatoris eius Pauli, pueros sæpiùs probasse, illitam celeriter cutim exulcerare. Sic quoque non placet Tragum in tradendis viribus non citare Dioscoridem, sed ex ipso non degustato suo minori Chelidonio, ei tribuere acrimoniam Ranunculi linguam vellicantis, quâ nostra planta destituitur. Acrimoniâ autem deficiente caput non videtur posse purgare nec humorem trahere. Naturam habet, inquit, calidam cum acrimonia coniunctam, quare linguam, vti Ranūculus, vellicat, solétque potiùs externis corporis partib. adhiberi, quàm intrò sumi. Herba Chelidonij minoris vnà cum radice in vino decocta, melle admixto, caput purgat, & glutinosos ac lētos humores trahit, gargarisata. Idem efficit succus radicis cum melle tritus & naribus inditus. Proinde herba ipsa, radice, succóque, puluere, & aqua distillata, in exterēdis ficub. marisc. siue, magnâ vtilitate & experientia Medici nostræ ætatis vtuntur, nam impositu, & inspersu, mirificè ficos & mariscas sanant, herba, aqua distillata, & puluis. Alia huius plantæ juramenta & vires ex commemoratis animaduerti possunt. His addit Fuchsius: Chelidonium minus, Galeno teste, quarti ordinis absoluti est in calefaciendo & desiccando, ideóq; magnam præ se fert acrimoniam, gustum erodentem. Nostrum autem vsque adeò acre non est, vt commanducando sæpè nullam prorsus sencias acrimoniam potissimùm in eo quod in humido loco natum sit. In eo autem quod locis siccis pronenit sentics & amaritudinem & acrimoniā. sensim tamen gustū erodentem. Cæterùm, cum Matthiolo suprà citato loco statuimus & nos Chelidonium minus Italicum, quod omninò acrimoniæ sit expers, iis morbis haudquaquam conuenire posse quibus quod in Græcia gignitur tradiderunt Diosc. & Galenus: calidis siquidem & siccis qualitatibus penitùs destituitur. Licèt autem etiam Turnerus non consulat vtendum hac pro Chelidonio minori Dioscoridis, ad ea vti tamen licebit, ad quæ recentiores experti sunt. Dodonæus quidem non videtur degustasse Scrophulariam minorem. Ranunculis enim potentia proximam esse scribit, ac posteriorem ætatem ad hæmorrhoides radicibus vnà cùm adhærentib. granulis vti, vt quæ huius succo cum vino aut laborantis vrina permixto sæpiùs abluta contrahātur, ac dolore sopito resiccentur. Lobelius vt refutet opinionem eorum qui Scrophulariam rejiciunt ob defectum acrimoniæ ignauum, tribuit in Aduers. acrimoniam, quinimò in Obs. acrius maiore ait. Sed hac parte sibi contrarius nobis videtur, ei modò ignauam acrimoniam concedēdo, modò verò acrius maiore Chelidonio tradendo.

Vires & Vsus.

Acrimonia nulla.

Ego adhuc adolescens, inquit Solenander, vidi Tarquinium Schnellenbergium Medicum Empiricum, omne vitium hæmorrhoidum curantem Chelidonio minore. Is secretè herbam integram, siccatam, in manipulos collectam, inje-

Solenander. Hæmorrhoides.

ctamque cereuisiæ macerabat, eamque propinabat. Et aquam eius exstillatam, adhibebat lotione & fotu exteriùs per linimenta. Postea illâ herba ego multis modis ad hunc affectum feliciter vsus sum. Succus frequenter illitus expeditiùs id facit, quâ aqua. Herba tusa apposita medetur. Noui, qui sanarunt, quos nimium profluuium ferè confecerat, vt hydropis periculum adesse videretur, exhibitâ huius herbæ aquâ destillata: sed quia acris est admodum, libentiùs vtor herba ista, vt antè dixi, cereuisia, vel etiam vino suo loco, macerata. In pila tusæ radices incoquuntur oleo, eiusque est ad tumentes & dolentes hæmorrhoides vsus. Flores quidam, alij herbam commiscent oui vitello, coquunt, & in placentula manè edunt. *Huic herbæ ego ad hæmorrhoidum vitium mirabilem efficaciam tribuo.* Nam naturæ characterem in radice, cum exuberantibus hæmorrhoidibus habet. Sed illud diligentiùs examinabunt periti, quomodo verisimile sit, aquam Chelidonij minoris acrem admodum esse, quandoquidem hæc planta, teste Matthiolo omninò acrimoniæ expers sit.

CHAMÆLEVCE ET CHAMÆPEVCE ex veteribus.

Cap. CXI.

Diuersitas librorum in hoc capite.

MAlè & infeliciter cum Chamæleuces plantæ historia ex multo tépore actum est. Vix enim è græcis Dioscoridis codicibus duo saltem concordes reperiuntur. Nam Chamæleucen alius tractandam in hoc capite proponit: alius pro ea Chamæpeucen habet: in aliis nullum est hoc caput: in quibusdam cum Buglosso miscetur. Et præter id alij breuissimè rem in hunc modum absoluunt: Chamæpeuce [χαμαιπεύκη: alij χαμαιλεύκη] lumborum doloribus propitia est, si trita ex aqua bibatur. Qui longiùs eius historiam referunt, ista quæ sequuntur ad finem vsque ex Ald. codicis nothis cum Sarraceno adjiciunt. Est autem herba tota viridis, herbaceiue coloris, foliolis, ramulisque incuruis, floribus rosaceis.

Plin. inter Chamæleucen & Chamæpeucen distinguit.

Galenus & Paulus χαμαιλεύκης itidem mentionem faciunt. At Plinius seorsim Chamæleuces & Chamæpeuces meminit: & Chamæpeucæ quidem eadem tribuit, quæ Dioscorides Chamæleucæ. Chamæleucen verò eam esse tradit, quæ alio nomine Farranum seu Farfugium, aliàs Bechion nominetur: vt etenim & inter Bechij synonyma in Dioscoridis nothis vox illa reperitur.

Porrò, quid in tam confuso intellectu, & rei inconstantia reddendum esset, Marcellus diu dubitauit: Accessit tandem anxio Plinius, monuitque in ancipiti Chamæpeucen potiùs legendum esse, quàm Chamæleucen: quoniam quod Dioscorides ait πινεὶ πρὸς ὀσφύος ἀλγήματα, ἐν ὕδατι λεία ποθεῖσα, Plinius dixerit lumborum & spinæ doloribus propria est, eodem rei sensu & verborum ductu. Verisimiléque est ex his quæ Plinius eadem Dioscoridi reddidit, hunc Chamæpeucen legisse, & hanc fuisse eius ætate capitis huius lectionem. Chamæleuces enim aliæ vires & alia remedia sunt, descripsitque Plinius Chamæpeucen Laricis folio. Suspendit animo Marcellum tamen Ægineta & Aëtius, qui, nullibi tractatâ Chamæpeuce, Chamæleucen describunt. Vnde fit, ne pro comperto constituere aliquid audeat. Multis enim, iisdemque magnis indiciis & auctoribus pugnatur, atque in tanta varietate id elegit, quo Latini scriptoris, deficiente Græcorum, auctoritate se tueretur. Non videtur autem ipsi esse integrum hoc Dioscoridis caput. Chamæpeucen autem potiùs, quàm Chamæleucen, Valerij Cordi exemplo quoque legendum existimat, vt qui ita in emendatioribus quibusdam Dioscoridis codicibus scriptum reperisse se asserit. Huc & illud accedit, quòd cùm herbam hanc Dioscorides ἰσόχλωρον esse profiteatur, ei minùs aptè conuenit χαμαιλεύκης appellatio: quippe quæ indubitanter humilem Populum designet: Populi verò albæ folia altrinsecus incanâ lanugine vestiri, nedum ἰσόχλωρα conspici, vnicuique constet.

Diosc. caput rejiciendum.

Quæ Plinius de Chamæleuce scripsit, ea Hist. Lugd. de Chamæleuce Dioscoridis intelligi posse haud censet, sed potiùs secundùm alios, quæ is de Chamæpeuce scripsit, ad Dioscoridis Chamæleucen pertinere contendit. Sunt tamen qui breuem apud Dioscoridé Chamæleuces descriptionem in totum rejiciendam sentiunt, & Galeni Chamæleucen diuersam à Bechio statuunt. Quidam enim esse Bechion (inquit Plin. lib. 26. c. 6.) & alio nomine Chamæleucen putant, &c.

Amatus de Chamæleuce scribens, ait Latinè dici Chamæpeucen: promiscuè legi caput hoc de Chamæleuce, vel Chamæpeuce, Plinium tamé vt differentium meminisse. Sed quæro ex Amato [inquit Turn.] ex quo veteri scriptore, legatur caput hoc de Chamæleuce, promiscuè de Chamæleuce & Chamæpeuce? Quod si nullus veterum id facit, quis tandem ex recentioribus ita legit, qui Plinio non debeat cedere, Chamæleucen & Chamæpeucen distinguenti: &c.

Turn. contra Amatum.

Nunc reliquum est, vt Chamæleuces & Chamæpeuces æquiuocationes inquiramus. Chamæleuce igitur Cordo eadem est herba cum Bechio, id est, Tussilagine. Chamæleuce etiam dicitur Petasites, Cæsalpino. Caltha palustris, Turnero. Hedera terrest. Trago. Rosm. siluestre, Cordo. Anthirrhinum, Cæsalpino. Pinus Mugho, Dodonæo. Camphor. Monspeliensium, Lobelio in Aduers. Muscus terrestris, sed perperàm Cordo. Chamæpitys. Rosmar. silu. Gesnero. Erica altera Matth. Asparag. marinus Clusio.

Æquiuoca.

CALTHA PALVSTRIS.

Cap. CXII.



Descriptio.

MInori Chelidoniæ similis, per omnia tamen maior, minùs rubent huius coliculi: *folia* item profundiore circa pediculum sinu constant, & purpureis maculis carent; est etiam alia differentia, quòd minoris Chelidoniæ coliculi sine ramulis nascantur: hoc verò circa singula in coliculo folia binos emittit ramulos, cùm in minore

nore Chelidonia bina semper folia singulares coliculos vestiant. *Flores* in summitatibus singulorum coliculorum singulos producit luteos, paucioribus tamen, rotundioribus, multoque maioribus foliis, quàm illius, constantes: in quorum medio stamina eiusdem coloris visuntur: *radices* verò subsunt minori Chelidoniæ dissimiles, Hellebori radici cum fibris similes, foris nigræ, intus candidæ, longæ, graciles & insipidæ: *folia*, florésque similem minori Chelidonio saporem habent: *capitulum seminum* est echinatum.

Synon. Valerius Cordus, descriptionis author Chelidoniam palustrem nominat. Sed Tragus Caltham vocari posse putat, cuius in Alexi meminit Virgilius. Lonic. ait græcè vocari Chrysanthemum, sed toto cœlo aberrat: Dioscoridis Chrysanthemi descriptioni minimè respondet. Gesn. hort. refert aliquos Ferrariam vocare, fortè quòd folium ferream equi soleam videatur referre.

Epimedium temerè. De Caltha palustri hæc Dodonæus scribit: Flores huic rarò, vel nunquam apparent, quamobrē Epimedium esse aliquando visum fuit, sed temerè. Non est autem Chamæleuce aut Tussilaginis species aliqua. Ineptè quoq; Farfugium & Farranum habetur. Chamæleuce siquidem, quam à Plinio Farfugium ac Farranū dici prodi betur, à similitudine foliorum ... Populi albæ appellationem accepit. V... autem Leuces folia superiùs quidem, at inferiùs tenui candi... lanugine incanescun... Calthæ verò huius ne... incalbescunt parte: nec formā eorum respondet Hier. ..., qui Calthæ palustris, & alteram effigiem dedit, sc. absque flore in aquis prouenientis.

Humilis incana non est, Lob. Caltha palustris recentiorum (inquit Lob. in Adu.) non est Chameleuce Plinij folio Populi, siue humilis incana. Est Dotterbloemen Belgarum, & Farfugium Recentiorum quam Cas. Bassus ex Geoponicis Malacocyssum maiorem vocat, & Matthiolus ex suo cerebro Tussilaginem alteram facit, confictis triuialibus, & descriptionem ex Dodonæo, & aliis recentioribus scriptoribus emendicatam, inculcando, suppressis nominibus, & mutatis classibus, quasi scopas dissolutas: hæc enim multò magis Chelidonium ipso toto vultu præfert, nisi quòd vniuersa maior: Flores neutiquam papposi, quinimò diu admodum & particula... flores, aureis Ranunculi, aut Chelidonij minoris floribus: neq; folia ortu, vt Tussilago, anteuertunt, & Nymphææ luteæ colore, vel Chelidonij minoris nitore fulgent, & similes sunt adeò, vt in Angliæ vdis, vbi vberrima, sæpè pro Nymphæa minore Pharmacopœi & Clinicæ mulierculæ mihi attulerint, & ostentarint. Folia non subter incana, non angulosa, non caulis tomentosus, sed potiùs atro virore polito, vti Asarū, Nymphæa. Radix fibrata quidem capillamentis, acris gustu est, sed moderatè. Nunc si Nymphæa inde sit dicta, quia Lymphis, Nymphísve est conuiktrix & accola, potuerunt Serapione antiquiores Caltham palustrem dictam Nymphææ congenerem fecisse: natales quippe, folia, & flores similitudine haud vulgari, etiamnum persuadent idem quibusdam pharmacopœis, qui nostris medicamentis non semel subdiderunt hanc, illarum [Nymphææ vtriusque] loco, vocabantque Nymphæam luteam. Quin mihi forent notæ Nymphææ, certè hanc legitimam Nyphæam agnoscerem, quoties potiores vel rationes, vel plantæ accommodatiores me deficerent. Et hæc Lobelius. *Et alibi:* Chamæleuce siue Populus humilis quænam sit, vix nisi de nomine coniectari licet,

adeò ignotis notis prodidit eam Dioscorides &c.

Contrà, plantam hanc circa riuos aquarum & vliginosis pratis nascentem, quam Clus. Caltham palustrem vulgarem, & nonnulli Chelidonium aquaticum nominat, Anguillara Opinionū lib. 12. Chamæleucen Plin. esse existimat, iisdemq; adhuc nominibus cognitam dicit Patauino agro, quibus Plinius eam donat, nempe Frani [Plin. Farrani] & Farfugij, cuius opinioni Matthiolus assentitur, assentiuntur & alij.

Hist. Lugd. notatur. Apud H. Lugd. p. 1049. Caltha palustris describitur: verùm repetitur descriptio ad quibus mutatis sub altera Tussilagine Matthioli p. 1052. Sed nulla apponitur figura. Meminit eadem Calthæ palustris p. 1015. sub alia Nenupharum specie Serapionis.

Brunfels. inepta figura. Hier. Brunfels in edit. anni 1550. ineptam figuram ponit, ... h. e. Nymphææ nomine.

Mas & fœmina. Marē & fœminā facit Gesn. de coll. stirp. Marē ramulis rubē... flore magis tincto: Fœminā minorē albioribus ramulis, & flore min⁹ tincto, tradēs.


Maior & minor. Tabern. & Gerar. maiorē & minorem agnoscunt. Et huic apud Tabern. nomine Populaginis maioris & minoris duæ sunt figuræ, apud Ger. verò nomine Calthæ palustris maioris & minoris.

Boutomon Constant. C. Bauh. phyt. (vbi primatim Chamæleucen Plin. vocat; item quorundam Caltham Pœtarū, & Boutomon Constantini.) & Plin. [vbi Chameleucen Anguill. & Turneri statuit, Epimedium Dodonæi, Thal. & Ameil. in Virgil. putatum eiusdem appellat, & Farfugium Cast.] dicitur Caltha 9. siu palustris flore simplici.

Nomina german. Germ. nuncupatur Dotterblum, Flos vitellinus, ... Flos prat. luteus, ... Flos pratensis aureus, ... Flos butyri, ... & ... luteus Maij flos.

Locus & Tempus. Humidis palustrib. locis, veleti riguis pratis gaudet: subinde ab ipsis aquis exit: cuius folia superemmentia longiorib. nituntur pediculis, quæ aliàs breuiorib. insistūt. flores huic rarò, vel nūquā apparent. Illa vnà cum Ranunculis Vere floret, & serius, subinde quoq; Æstate: toto autem anno ipsa viret herba. Lugduni obseruaui florentem Martio, Geneuæ Aprili, & Maio siliquas ferentē: item prope ... florentem Augusto.

CALTHA PALVSTRIS FLORE multiplicato.



Descript. MVlta habet *folia*, circinatæ ferè rotunditatis, succulenta, venosa, in ambitu nonnihil, vulgaris foliorum instar, serrata: prodeunt inter illa palmares *caules*, interdum etiā [luxuriante pingui que Solo natali] pedales & maiores, obliqui, in aliquot alas diuisi, quæ vt plurimùm, vulgaris more, ex summo geniculo binos pro-

Amat. notatur.

Meminit huius Amatus sub secundi generis Geranij Plinij folio Maluæ altera specie, à multis Momordica dicta. Verùm non describit, nec se satis explicat. Apollo Rad. 10. p. 193. facit Geranij Dioscoridis secundi speciem primam, à quibusdam Momordicam vetam nuncupatam. Lobel. in Ic. p. 662. & Obs. p. 378. Geranium Malacoides inscribit.

Geran. Malacoides Lobel.

Tabern. opinio reprobatur.

Tabern. Ic. Geranium Mompeliacum siue Maluaceū, Papetschnabelkraut: Hist. Geran. 9. γεράνιον μαλαχοειδές. Geranio secundo Dioscoridis iungendum præcipit, quamuis à veteribus nō descriptum putet, qua in re multùm fallitur. Est enim ipsum Dioscoridis Geranium secundum.

H. Lugd. notatur.

Geranium secundum aliud Matthioli describitur apud H. Lugd. p. 1176. linea vltima: at figura habetur p. 1280. sub Geranio sexto Matthioli, ex quo denuo describitur. Illud à vero alienum est, quod ibidem dicitur, Matthiolum Momordicam pro secundo Geranio pinxisse. Existimo huius nouam & descriptionem & iconem Maluæ maioris tertiæ Matthioli inscriptione pag. 586. apud Hist. huius Geranij extare.

Gerar. reprob.

Gerard. cui Geranium Malacoides, spurium Creticum, Bastard Candie Cranes bill appellat: Dodonæo in fol. lat. dicitur Geranium, Matthiolo a Calceolatio missum, ad Pedem columbinum referendum. Cast. Geran. Matthioli. Camer. hort. Geran. althæodes, Matthioli 6. vel vltimum. Cæsalp. Pedis columbini vulgò appellati tertia species folijs Althææ.

C. Bauh. not.

C. Bauhini Geranium 2. in phyt. 9. apud Matthiol. 3. in Pin. folio Althææ, & Maluam 3. phyt. 5. siue montanam apud Matth. 4. in Pin. folio hederaceo, vnam non duas statuo plantas. *Nec separo* ab his eius in Pin. Geranium Maluæ folio quartum, siue malacoides minus, quod 1. in ipsius Prodromo.

Locus & Tempus

In hortis Brabantiæ & German. colitur: floret mense Martio & Septembri. Monspelij abundat: item prope Florentiam & in montibus ad Arque.

GERANIVM FOLIO ROTVNDO, MVLtùm serrato, siue Columbinum.

Descript.



Viticulis multis, rubentibus, parū erectis, geniculatis donatur: *folia* Maluæ rotunda, nunc magis, nunc minùs incisa: *flores* quoque magnitudine variant, purpurei, quinq; foliolis aliorum more constantes: quibus acus succedunt Robertiani Geranij: *radix* tenuis, sed longa, rubescens, sapore adstringente.

Genus duplex.

Duplex est genus Thal. & C. Bauhino, maius & minus: maiori sunt caules maiores, & folia paulò molliora: minori omnia minora, & folia asperiora. Sic folia modò in profundiores, modò in breuiores & latas lacinias diuisa sunt: floris etiam magnitudine differunt: flore triplò maiore & cærulei elegantioris coloris ex horto Dei habuit Frater.

Synon.

Quem vulgò Eur. Cord. Ruell. Hermol. Tagault. Brunf. tom. 2. p. 290. (habet descriptionem Manlij) Fuchs. Corn. Trag. Matth. Turn. Amat. Lonic. Lac. Cast. Cronemb. Apollo, Lob. in Adu. Obs. p. 376. Ic Plant. p. 658. Cæsalp. Tabern. Ger. Thal. Camer. hort. & Clusius *Pedem Columbinum* vocant, iidem omnes [excepto Eur. Cordo, qui Herbam Rupertianam malè quidem, & Gruinæ herbæ speciem cognominat, Brunfels. & Camerario, qui etiam Geranium Maluaceum siue Balsaminum appellat] Geranium alterum (γεράνιον ἕτερον) folio Maluæ Dioscoridis [& Plinij, addit Amat.] esse statuunt.

Gesn. hort. Geranij species folio Maluæ: Cronemb. Geranij altera species Fuchsij: Dod. Tabern. & Ger. (cui & Pulmonia, & Gruina) Geran. columbinum: C. Bauh. phyt. Geran. 1. siue fol. Maluæ, Eid. in Pin. Geran. Maluæ folio rotundo, primum. Matthiol. Histor. german. Geran. tertium.

Error quorundam.

Sunt qui [Serapionis interprete decepti] aberrantes, maximo errore Amomum (secundùm verò Tabern. Cardamomum) esse existimant, & in Amomi locum substituant, nullam de his historiam inquirentes.

Alius Brassau. lapsus.

Nec meliùs Barbarus Herbam Roberti nuncupat. Fallitur & Brassauolus asserens nullo modo iis esse assentiendū, qui Pedem columbinum vocatum, Geranium esse contendunt, quòd Geranium folijs exeat maioribus, Anemones incisuris. Sed is ignorasse videtur, quòd secundum Geranij genus, non autem primo generi à Dioscoride assignatum, est illud, quod Pes columbinus censetur. Vel fortasse dum hæc scriberet, alterum genus Geranij non animaduertit in Dioscoride.

Non est venenum contra Card.

Secundam hanc Geranij speciem, Pedem columbinum vocatam, venenum esse, Apolline rad. 10. teste, non sine lapsu tradidit Cardanus in lib. de malo medendi vsu, pro colombino miluinum forte, vel coruinum accipiens Ranunculi genus, exulcerans scilicet, & vesicas excitans, vel deceptus, quia in Geranij specie folijs Ranunculo similibus, in quinta specie, à Fuchsio numeratur secunda hæc minoribus folijs.

Nomina linguar.

Germ. Taubenfuß, Pes columbæ, & schartenkraut: Belg. Duyuenvoet: Gall. *Pied de pigeon*: Ital. *Geranio colombino*: Cast. *Pico de cieguenna*: Portug. *Pico de grou*: Angl. Doues foote, or Cranesbill: Poll. Golebia noga: Hung. Golya torōmi h. e. Ciconiæ vnguis, h. e. Storcken klauwe.

Locus & Tempus.

Floret tota ferè Æstate: prouenit secus vias, in agris incultis, in cœmeterijs, & hortis: quotannis se renouat semine deciduo: Hiemem enim non perfert.

Vires & Vsus.


Pedem columbinum præscribit Rondeletius in enemate ad Hydropem. Experientiâ constare ait Tabernamontanus esse herbam valdè vulnerariam potionibus additam, aut etiam in puluere sumptam. Eidem vtui inseruire & aquam distillatam. Herbam vino vel aquâ decoctam, purgare vulnera. Idem præstare emplastris, balsamis & vnguentis quouis modo additam. Fotu quoslibet articulorum dolores sedare.

GERANIVM TVBEROSVM MINIMVM.

Deſcript. EST *folio, floſculo*, & totâ facie vulgaris Malua-ceæ, ſiue Balſamini, aut Pedis columbini, attamen multò minus: *radice* Auellanæ magnitudine, rotundâ, tuberosâ, nullis fibris, ſed veluti acetabulis, aut oſculis ex parietibus alimentum hauriens. Ex murorum rimis, in quibus naſcitur, in hortum tranſlatum, Geranium tuberoſum minimum penitùs contabuit.

Synon. C. Bauh. phyt. Geranium 13. ſiue tuberoſum minus folio maluaceo: Eid. Pyn. Geranium Anemones folio rotundo 10. ſiue Ger. tuberoſum minus Camerarij.

GERANIVM GRVINALE, FOLIO tenuiter diuiſo.



Deſcript. RAdice nititur ſingulari, paruâ, intus foriſque rubente: *caules* admodum numeroſi, plurimùm ſupini, dodrantales, interdum bicubitales, ramoſi, ſanguineo rubore perfuſi, hirſuti, geniculati: *folia* Pedis columbini, rotunda, ſed tenuiter diſſecta, ſubhirſuta, & nonnihil ſubinde rubentia: *flores* Geranij Robertiani, paullò maiores, purpurei, folliculo laxiore, minuſque rubente obſiti: *ſemina* roſtrata, quàm Robertiano habitiora.

Cæſalp. Geranium 3. & Collum gruis, fratrum [illegible] Germanorum Fuchſ. Lonic. [cui & Gruina] Lat. Dodon. [cui & Gruinalis, & Geran. gruinale] Geran. quartum: Lobelio in Adv. ni fallor, Geran. Robertianum 2. ſiue Robertiana ſecunda: Camerario hort. Geran. ſupinum paruum ſiue vulgatius, & maius, non ita paſſim obuium & notum: H.Lugd.pag. 1278. Gruinalis Dodonæi: Caſp. Bauh. phyt. Geran. 18. ſiue Robert. ſecundum: apud Matth. Geran. Robert. 2. Matth. 5. Tabern. violaceum: Eid. Pin. Geran. Anemones fol. rotundo 7. ſiue batrachoides, Collum gruis dictum. Sed Matthioli quintum non eſt gruinale, vt eo capite demonſtratum: Geranium quoque violaceum Tabernæmontani eſſe non poteſt, ſi vel ſolùm figuram conſideres, quæ eadem cum ipſius Geranio Rupertiano.

Locus & Tempus. Monſpelij & Geneuæ obſeruaui virens Februarij principio, Montbelgardi etiam in horto Ill. E. C. ſponte florens Iulio & Auguſto: circa fontem admirabilem in ducatu Wirtemb. ſine caulibus Octobri.

GERANIVM ARGENTEVM montis Baldi.



Deſcript. GEranium argenteũ palmâ altius paulò: ex *radice* craſſiuſcula rubente, mediocris longitudinis *folia* exeunt longis ac trium quatuórve vnciarum pediculis hærentia, parua, & quæ pollicis articulo tegas, in quinq; lacinias præcipuas, ſingulas ruſus diuiſas, profundè ad vſque pediculum fiſſa, pilis infrà ſubtúsque albis, luculentibus vt in Heptaphyllo montano, lanuginoſa, ad Geranij gruinalis formam accedentia: caulis tenuis, palmaris, in ramos abit, quorum ſingulis inſidet *flos* purpureus, quantùm ſicca demonſtrat, in medio ſtaminulis longiuſculis, quem calyx excipit magnus foliaceus è quo tandem emergit roſtrum gruinum, vnciam plùs minùs longum: perennis herba eſt, vt ex reliquiis plurimorum foliorum veterum, quæ radicem quaſi ſquammatam faciunt, colligere eſt.

C. Bauh. not. Hoc C. Bauh. in phyt. videtur intelligere per Geranium 8. ſiue argenteum, & cum Geranio ſaxatili Thalij & Camerarij, quod idem eſt cũ meo lucido, ſiue eius decimo, turpiter confundere. In Pin. vocat Geranium Anemones fol. rotundo 14. ſiue argenteum alpinum.

Locus & Tempus. Naſcitur alpinis rupibus maioris montis Baldi (ex quo petitum, mihi Bechius miſit) Orientem aſpicientibus, ac ibi paſſim Floret initio Iulij, ſemen Kalendis Auguſti perficitur. Perennis eſt planta. Radix amariuſcula, ac quadam ſubadſtrictione donata.

GERANIVM TVBEROSVM.



Deſcript. GEranium tuberoſũ dictum, nomen inuenit à *radice* tuberoſa, ſubliuida, inſipida: cuius *folia*, ſemipalmari & palmari ſubhirſuto pediculo donata, lata ſunt, diuiſurâ octonâ, nouenâve ad ipſum vſque pediculum, ſingulis ſegmentis minutiùs diſſectis, colore ex viridi caneſcente: *floribus in*

res in petiolis teretibus subrubrisque ac hirsutis, pulchri, purpurascetes, ex quinque foliis in summa diuisis aliquantùm, intensiore purpura striatis, & circa imum marginem nonnihil hirsutis, fibris purpurantibus: circumtecta autem sunt flori quina itidem folia acuminata, intus nonnihil rubescentia, glabra, foris virescentia, & lanuginosa. Floribus decidentibus succedunt *rostra*.

Synonyma. Dioscoridis est γεράνιον foliis Anemones, diuisionibus longioribus, radice subrotunda, dulci. Plinij Geranium alterum Græcorum. Pauli Geranion folia habens Anemonæ similis.

A Dioscoride autem primo loco descriptum esse testatur inter alios Matthiolus, qui in priorib. comm. pro Geranio 1. pingit, & in post. pro eo etiam describit. Mirum proinde eum in Hist. germ. Geranium quintum statuere. Geran. 1. Diosc.

Pro Geranio primo, scil. Dioscoridis recipitur quoque ab Anguill. Lob. in Adu. & Obs. Cam. hort. Tabern. Cast. Gerardo, & Cæsalpino: cui & Pancasceolus dicitur. Pancasceolus, inquit is, vulgò appellatur in montibus nomine conficto ex pane & caseo, quorum vicem in cibis expiet radix: Geranium Dioscorides vocat, & Plinius similiter.

Synon. Gesn. hort. dicitur Geranium subrotundâ radice Dioscoridis, ab Anguillara allatum. Lob. in Adu. Obs. p. 337. Ic. Plant. p. 66. Geranium bulbosum. Cam. hort. Geran. tuberosum maius, admodum viuax & copiosè se propagans. Gerardo Geran. tuberosum. C. Bauh. phyt. Geran. 11. siue tuber. maius: Eid. Pin. Geran. Anemones folio rotundo nonum, siue tub. maius.

H. Lugd. icones binæ. H. Lugd. p. 1275. Geran. 1. Matthioli: Et p. 1276. Geranium tuberosum Dodonæi. Vtraque figura est Geranij bulbosi: sed prima id proponit, vt Matthiolus expressit: secunda Dodonæi, quæ melior, sufficiebat.

Tabern. notatur. Tabern. Ic. Geran. tuberosum siue Illyricum, windisch schnabelkraut/ &, Geran. bulbosum Matthioli, turckisch schnabelkraut: Hi ft. Geran septimum, Pelonitis: Geranogeron. Trica, Herba gruina, Echinastrum, Vchinastrum, Pulmonia, Rostrum gruinum, Rostrum ciconiæ, & Permonia: Arab. *Geramon.* It. *Geranio, Aco de pastori*, Hispan. *Bico de ciguenha*, Gall. *Becq de cicoigne.* Afric. *Jeste*, Hüg. Darnulab/ Boh. Czapinusck/ Angl. Storckes bill of Illiria/ Belg. knobelachtig Cranebeck/ Germ. Schlovonisch Schnabelkraut/ Schlauonischer Storchen schnabel windisches storchckenschnabel: Item, Geranium decimum, primo Dioscoridis annumerandum, γεράνιον βολβῶδες, Geran. bulbosum, & rotundum à radice nücupatum, Geran. Byzantinum, Geran. Turcicü, German. Zwibel schnabelkraut/ Constantinopolitanischer Storcken schnabel/ & turckischer storckenschnabel/ quia primò Constantinopoli in Germaniam delatü. Has duas non separamus, quin potiùs easdem esse statuimus.

Locus & Tempus. Montbelgardi Solum commodè perfert, florens in horto Illust. E. C. Iunio & Iulio. Vires ex Veteribus lege ante.

GERANIVM ASPHODELI RADICE.


Descript. Radicem habet ex multis paruis & longis bulbis constantem, versus summum fibratam: *caulem* cubitalem geniculatum, juxta radicem & genicula parum rubentem: è singulis geniculis duo *folia* longiusculis pediculis nitentia, in quinque præcipuas partes dissecta, quarum singulæ in ambitu inæqualiter incisæ sunt: è singulis junctutis, juxta foliorum exortum quinque folia mucronata exoriuntur: *flores* in summis ramulis conjugatim paruis pediculis insistentes rosei, ex quinque foliolis constantes, colore ex purpureo rubescentes, Geranij cærulei floribus similes, sed paulò minores.

Clusius descriptionis author facit in Pannon. p. 419. Geranium 3. in Hist. post 4. cognominatque Geran. bulbosum Pennæi. Dicit autem foliorum similitudine secundum Geran. Batrachoides aliud folio Aconiti nitente [referre. C. Bauh. in phyt. est Geran. 12. siue radice ex multis bulbis constante: Eidem in Pin. Geran. Anemones folio rotundo 11. siue radice grumosâ. Synon.

In Dania prouenit agro Hafniensi, vnde Turnerus Clusio attulit & dono dedit. Locus.

GERANIVM BATRACHOIDES.

Radix pollicari est crassitudine, foris rubra, intus buxea, multis fibris donata, sapore vehementer adstringente: *caules* cubitum aut sesquicubitum æquant, tenuis, fungosi, subhirsuti: *flores* speciosi, magni, cærulei, quinque foliis purpura striatis constant, in quorum medio apices atropurpurei: *folia* Aconiti, magna, rugosa, profundè incisa, & quasi in orbem nonnunquam acta. Descriptio.



Camer. hort. & C. Bauh. duplex est: grandius floribus cæruleis, aut albis, & quidem eodem loco: minùs rubris.

Synon. Trag. vocat Geran. 4. ordine postremum, Sanguinariæ radicis speciem: Corn. & Matthiol in post. comm. & Hist. germ. Geran. quartum: quintum Fuchs. Lac. & Lonic. qui malè quoque Chelidonium minus appellat: sextum Turn. Dod. gall. ac etiam cum lat. in fol. Geranium Batrachoides à Ranunculi similitudine, vnde & vulgò Ranunculum cæruleum appellant. Lat. præterea & alterum Geran. batrachoides pingit, aliam Geranij Batrachoidis speciem nuncupans & describens.

Plura Syn. H. Lugd. p. 1280. & Cast. Geranium 4. Matthioli: Gerardo Geranium batrachoides: Clus. in Pan. sine icone pag. 419. Geran. batrach. primum, Geran. batrach. cæruleo flore Belgicum, Hist. post. Geran. 3. βατραχοειδὲς maius. Thal. Geran. βατραχοειδὲς Dodonæi fl. purpureo magno. Camerar. hort. Geran. batrachoides maius & minus. Lobel. Adu. Geran. batrachoides, siue magnum, cæruleum odoratum, Obs. pag. 376. Geran. batr. siue gratia Dei, Ic. Pl. p. 659. gratia Dei Germanorum. Cronemb. gratia Dei, Geranij 5. species Fuchsij, Tabern. Ic. Geranium siue Batrachiū cæruleum, blaum storchenschnabel. Hist. Geranium sextū, Ranunculus cæruleus, gratia Dei cærulea. Hoc

quamuis neque à Dioscoride, neque ab aliis Græcis describatur, tamen ad primum Dioscoridis referri posse putat.

C.Bauh.phyt. Geran.3. siue (ceu etiam apud Matth. vbi figuram Geranij sanguinei Tabern. assumpsit) Geran. batrachoides. Eidem in Pin. Geranium Anemones fol.rotundo 5.siue batrachoides, Ger. sanguinarium Tabern. maius Eystett.


An Geran.alterum, Geran.maiori Aconiti folio simile Gesn.?

An Balsamina vulgò Cæsalp.?

Geneuæ quidem mihi florebat in horto mense Maio ex proximis montibus allatum. In Belgicis hortis quosdam aluisse etiam obseruauit Clusius:ac spontè prouenire variis in Germaniæ, Bohemiæ,& Austriæ pratis.

GERANIVM BATRACHOIDES ALBVM & ex albo cum cæruleo colore varium.

Descript.



Foliis est similib⁹ Batrachoidis vulgaris, aut certè vix notabili differentiâ variantibus, quorum pediculi cubitum longitudine excedunt. Tota planta lanugine quadam albicante obtecta. *Caules* sunt bicubitales. *Flores* albi lineis cæruleis striati, quidam etiam medio cærulæi, sex foliolis constantes. *Calyx* hirsutus, quinque constat foliis, è quo, flore decidente, rostrum emergit notabili hirsutie donatum, vnciam plùs minùs longum, desinens in apicem tenuem, qui in extremitate per siccitatem in tenuissima quædam filamenta capreolorum instar contorquetur. Tandem dissiliens rostrum *semina* ostendit quina, imis rostri costis hærentia, & in folliculo membraneo contenta, oblonga, sinuata, colore pallo, exteriùs viridi, sapore dulci, grato. In foliis autem nullus sapor effatu dignus.

Gerardus pro Geranio 2.Batrachoide albo assumpsit iconem à Tabern. propositam pro Geranio 13.siue sanguineo, quod non displicet: figura enim Tabern. non conuenit cum sanguinei descriptione. C.Bauh. Pin. vocat Geranium Anemones fol.rotundo 6. siue Batrachoides flore variegato, Anglicum variegatum Eystett.


Locus & Tempus

Ex semine Argentinæ collecto in horto Frid. Meteri prouenit nobis Montbelgardi: secundo anno floret & semine deciduo se propagat.

GERANIVM BATRACHOIDES ALIVD folio Anconiti nitente Clusij.

Descriptio.

Prodeuntibus à *radice* frequentibus longóque pediculo nitentibus foliis præditum est,



Ranunculi platyphylli, aut Aconiti lycoctoni pallido *flore*, folio respondentibus ferè, rugosis, subhirsutis, in aliquot profundas lacinias diuisis, deinde in ambitu serratis, quæ gustata initiò adstringere, & linguam exsiccare, deinde nonnihil calfacere deprehenduntur: *caule* cubitali vt plurimùm, firmo,rotundo, geniculato, in multas alas diuiso, quibus supernascuntur *folia* superioribus minora, paucioribúsque laciniis diuisa, perinde tamen in ambitu serrata: summi rami in oblongis pediculis *flores* gestant quinque foliis constantes, Geranij batrachoidis quod in Belgicis hortis alitur, floribus formâ pares, paullò tamen minores,nec,vt illi,cæruleos, verùm ex purpura rubentes, decem staminulis cum stilo ex vmbilico floris prodeuntibus: deinde oblonga, erectaque *rostra*, non inflexa, aut inclinata, quinis vtriculis ad eorum basim turgentibus, & *semen* continentibus, quod maturitate exilit, aliorum Geraniorum more: *radix* superiori [Geranio phæo siue pullo flore] ferè respondet, & summâ tellure in plura crassa, interneque rubentia capita,extuberat, quæ fibras etiam agentia, singulis annis augentur.

Author Clus. in Pannon. pag.417. & Histor. post. describit, Geranij batrachoidis alterius titulo: inscribit verò ibi pag.418. Geranium secundum: hîc autem Geran. 1.βατραχιῶδες minus. Synon.

C.Bauh.phyt.Geran.6. siue batrachoides maximum, Batrachij speciem tertiam Gesn.hort. & Geranium βατραχιῶδες alterum, vel montanum primum Clusij videtur appellare. Cur autem maximum cognominat, cùm Clusius minus esse scribat? Ei est in Pin. Geranium Anemones folio rotundo 2 siue batrachoides folio Aconiti, Geranij species tertia Gesn. hort. Geranij maioris species prima. Eid.app. Geran. batrachoides Gerardi. Variat, inquit, flore cæruleo, albo, lineis cæruleis variegato: est & flore cæruleo duplici, sed duplò majore, & dicitur Geranium batrachoides cæruleum, & Geran. batrachoides flore albo, Eystett. C.Bauh.

Crescit in Pannonicis, Stiriacísque Alpibus, nusquam tamen abundantiùs, quàm supra Gamingam, in illo ascensu ex Herrenalben jugo ad sublimes scopulos Durrenstain, in quibus floret Iulio & Augusto: in hortis autem Maio. Locus & Tempus.

GERANIVM

GERANIVM BATRACHOIDES maximum minùs laciniatum, folio Aconiti.

Descriptio. EST ex eadẽ Batrachoidis Geranii familia aliud, eo maiꝰ, *folijs* ad Aconiti lutei folia accedentibus, ea verò quinque laciniis incisa, iisq; latioribus, quàm in primo Batrachoide, & per extrema serrata, hirsuta: *caules* magni, hirsuti, geniculati, in ramos divaricati, in longos desinentes pediculos bifidos, qui sustinent magnos *flores* duos, ex purpureo rubentes, quos excipiunt *rostra* breuia.

Synonyma. De hoc ait Gesner. hort. Geranii tertia species ferè similis montanæ (i.e. Ischęmo) maioribus & latioribus foliis, quibus Aconitum luteum repręsentat, flore rubente. Item, Append. Geranii maioris species foliis magnis, figurâ ferè & magnitudine Aconiti lutei, hirsutis, asperis.

An Clus. Pannon. pag 422. & Hist. post. Geranium αἱματῶδες alterum?

Locus & Tempus. Nascitur in humidioribus pratis in quibus ferè Bistorta. In hortum Ill. E. C. Montb. ex monte Balon translatum diu durat.

GERANIVM BATRACHOIDES LONgiùs radicatum, odoratum.



Descriptio. SPectabili *florum* amœnitate nulli Geranio cedit, qui ex calyce globoso, striato, rubente hirsutoque, odorati emicant purpuro-violacei, è quinque foliis compositi, surrecto staminum purpurascentium altiore cincinno, in *caulibus* geniculatis, dodrantalibus, cubito altioribus interdum, & hirsutis: *folia* diuisurâ quodammodò Saniculæ, ex virore incana, pilosa, odorem spirant non ingratum. *Radix* obliquè acta serpit, longa, minimi digiti crassitudine, fibris & geniculatis tuberibus donata, foris rubens, intus alba cum adstrictione valida, nescio quid aromatici gustui offerens.

Synon. Lobel. in Obs. p. 376. Ic. Plant. p. 661. vocat Geranium Batrachoides alterum longiùs radicatum. Camer. hort. Geranium macrorhizon, Gallorum Banaticam, grauissimi odoris; Staticẽ quarundam, septem floribus roseis, ventrem sistentem à Plinio descriptam. H. Lugd. p. 1280. Geran. Batrach. alterum long. radicatum Lobelii. Casp. Bauh. phyt. Geran. 6. siue Batrachoides odoratũ: Idem in Pin. Geran. Anemones folio rotundo 3. siue Batr. odoratum, Geran. montanum Gesn. coll. Geran. Batr. alterum Dod. Ger. macrorhizõ. Eystett. Pedem columb. in siluis nascentem alterum Cæsalpini.

Locus & Tempus. Frater mihi retulit nomine Momordicæ ex horto Patauino. Obseruaui ego Stutgardiæ in horto Illust. Princ. vnde Montbelgardum in hortum Illustr. E. C. transtuli, in quo se crassâ suâ & repente radice multùm propagat, ac diu perennat.

GERANIVM PHÆVM FLORE reflexo.




Descriptio. SPeciosum est apprimè hoc Geranii genus, *foliis* amplioribus, quàm Batrachoidis, in octo plùs minùs segmenta, angusta, sed lata, diuisa, subhirsuta, nigricantib. maculis aspersa, per ambitum latiusculis crenis cõspicua, nullo odore prædita. *Flos* summitatibus insidet purpureus & penè fuscus, satis magnus, accedens ad florem Geranii folio odorato, qui inuersè contorquetur atque reflectitur, in medio apices, floribus decidentibus *rostra* oriuntur vnciam longa.

Synon. Lobel. in Obs. pag. 377. Icon. Plant. p. 660. Geranium fuscum intitulat. Tabern. Ic. Geran. maculatũ flecken schnabelkraut. Hist. Geran. phyt. Geran. 9. siue montanum fuscum, Eidem in Pin. Geran. Anemones folio rotundo 8. siue montanum fuscum, Geran. mont. Dodon. Geran. fuscum Lobelii, Lugd. & Eystett.

Locus. Colitur in Germaniæ hortis, vt Frid. Meieri Argentinensis florens Maio, & Ill. C. Wirt. Stutgardiæ florens Iunio.

Geranium phæo siue pullo flore Clusii.



Descriptio. AVthor Clusius vocat in Pann. p. 415. Geranium montanum 1. siue Geran. φαιὸν, aut pullo flore. Histor. post. Geran. 1. pullo flore, Geranium *folia* habens Lycoctono flore luteo non dissimilia.

C. Bauh. phyt. Geran. 5. siue Batrachoides hirsutũ flore atrorubente, Geran. mont. 1. Clusii, Geranii maioris species secunda, Gesneri in Appendice.


Ego, vt verũ fatear, facilè crediderim, Geraniũ

phæum à nobis descriptum & Lobelii fuscum, ac hoc Clusii pullo flore, easdem plantas esse, aut saltem valdè similes. Hoc tamen diuersitatem forsitan demonstrat, aut naturæ lusum, quòd Clusius scribit florum folia laciniata esse, quod non demonstrat tamen icon. Neque nos florum foliorum lacinias vnquam obseruauimus. Si non in post. Hist. folia adhuc laciniata scripsisset, suspicaremur legendum esse folia reflexa, aut tale quid simile, & hac in parte errorem esse commissum.

Locus & Tempus. Inuenitur in Stiriæ Alpibus, vbi sylvæ desinere solent: & floret Iunio: in hortis verò, in quibus felicissimè prouenit & luxuriat, Maio.

GERANIVM MAGNVM FOLIO trifido.

Descriptio.



ELegans Geranium, cuius aliquot *ramos* habemus cubitales, brachiatos, glabros, quibus *folia* per ramos ex dodrantali plùs minùs distantia, & non multò breuioribus pediculis, hærent tripartita, principio tamen quo pediculo hærent, vnciali latitudine integra, nonnihil hirsuta, per ambitum serrata, plurimis fibris se mutuò contingentibus & intersecantibus intertexta. Summa *flores* occupant purpurascentes.

A Doldio nobis missum est pro Geranio montano, neque descripto, neque depicto. An Pes columbinus in siluis nascens &c. Cæsalp.

Icon. Icon nostra desumpta est ex Clusii Geranio quinto nodoso I. Platean, & ramo Geranii 6. tuberiferi eiusdem. Hæc enim duo Clusii Gerania vnum sunt, & à nostro non differunt.

C. Bauh. notatur. C. Bauh in Pin. vocat Geranium Anemones fol. rotundo 11. Geranium nodosum, quęritq; an sit Geran. cęruleum Tabern. & Batrachoides Gerardi, sed frustra, concluserat enim antè eorum Geranium esse Geran. Anemones folio rot. primum, siue Batrachoides folio Aconiti.

GERANIVM SANGVINEVM SIVE hæmatodes crassâ radice.

Descriptio. CRassâ hæret *radice*, multis longis crassiusculis appendicibus auctâ, rubrâ, gustu admodum adstringente: *caules* emittit plures, cubitum altos, rubentes, hirsutos, geniculatos, in multas alas diuisos: ad singulas iuncturas bina nascuntur *folia*, circumscriptione rotunda, sed in quinque lacinias, trifidas plurimùm, profundè ad pediculum ferè dissecta, hirsuta, supernè virentia, subtus canescentia, sicco & adstringente sapore prædita: *flos* pediculis singularibus ex superiorum foliorum sinu pronatis vnicus insidet, Rosulæ æqualis, coloris purpurei, quinque magnis foliis constans pulchrè explicatis, quæ totidem nervosis, hirsutis, viridantibus foliolis subtus natis suffulciuntur, medium verò occupant stamina: *rostra* suboriuntur quinque thorulis seu granis firmata, quibus dissilientibus acus rostrorum reflectûtur.



Synonyma. Trago hoc Geranium minimè ignotũ fuit, sed ab eo Geranium tertium vocatum, & Sanguinariæ radicis titulo pictum. Fuchs. Lonic. Lac. & Turnero dicitur Geran. sextum: Corn. & Dod. gall. quintum: Gesn. hort. Geranii altera species maior montana, & Ischęmon: Dod. gall. Camer. hort. Thal. H. Lugd. pag. 1279. & Clus. Pan. p. 411 [p. 419. quartum.] Geran. hæmatodes: Hist. post. Geran. 7. αἱματῶδες. Lob. in Adv. pag. 296. Geranii Robertiani varietatem tertiam constituit.

Geran. sanguinar. Gerardo Geran. sanguinarium bloudiſ Cranes bill. Cęterum Geranii sanguinarii titulo duę habentur apud Tabern. icones & descriptiones: posterior autem figura in Ic. p. 774. in Hist. part. 2. p. 447. meliùs placet priore, quæ in Ic. est pag. 61. in Hist. part. 1. p. 151. quam C. Bauh. apud Matthiolum meliùs Geranio 7. siue Batrachoidi accommodauit. Hic vocauit in phyt. Geran. 7. siue sanguineum maximo flore: In Pin. Geran. Anemones fol. rot. 4. sanguin. max. flore, sanguinar. Eystett.

Compilator notatur. Compilator porrò Tabernamontani imperitiam suam stirpium summam detegit, eandem herbam bis tradendo, etiam quidem vulgò notam. Geranium tandem hæmatodes, siue sanguineum dicitur tum à radicis sanguineo intus & foris colore, tum à mirifica eius in sistendo sanguine facultate.


Locus & Tempus. Tossanus Carolus anno 1590. mense Iulio mihi transmisit ex Champagnole Burgundiæ nomine Geranii alpini, inibi in iugis altissimorũ montium collectum. Monspelii floret Aprili: Geneuę Maio: Basileæ iuxta Leurach Iulio & Augusto. Nascitur in omnibus Pannoniæ & Austriæ infra Onasum cæduis montanis siluis, editioribusque gramineis locis. Mons præterea arci Greben imminens vltra Drauum in Pannonia Interamni, totus ferè eo Geranii genere consitus, qua parte Occidentem spectat. Siluæ etiam Francofurto ad Mœnum vicinæ eo abundant. Floret Maio & plerumque totâ subsequente Æstate.

Vires. Sclauonicæ mulieres huius decoctum ex profluente aqua, mirificè commendant in capitis grauedine, si sinciput, vbi dolor est, eo abluatur, deinde herba decocta superimponatur: postremò, (quod superstitione non caret) in profluentem, vnde aqua hausta, abiiciatur. Ad sanguinem vndique manantem compescendum in primis commendatur.

GERANIVM

GERANIVM MOSCHATVM FOLIO AD Myrrhidem accedente maius & minus.

Geran. moschatum minus.



Descriptio. SVpinos plurimùm *caules* profert, eosq; plures, & satis crassos, nodosos, teretes, & pilis hirtos, per terram supinos: *folia* è geniculis vtrinque exeunt, palmum plùs minus longa, & pluribus foliolis ad costam rubescentem hirsutámque adnexis composita, quorum singularia ad Chamædrios folia accedunt, diuisura profundiore, sapore insuaui & subastringente: ex foliorum alis pediculi singulares oriuntur quadrantales & trientales, tenues, rigidi, villosi, rubentes, qui in pedicellos minores quatuor, quinque aut sex fissi, *flosculos* in vmbella gestant, Pedis columbini dicti Geranij ex cæruleo purpurascentes, quibus rostratum semen succedit: *radix* simplex crassiuscula, fibrata, alba, sapore eodem cum foliis.

Huic affinis & illa species, inuentu rarior, tota maior, odore Moschi, foliis non ita altè incisis, & nonnunquam tantùm serratis.

Geranion. Est Geranion quod aliqui Myrrhin, alij Merthryda apud Plinium appellant. Ruell. vocat Acum pastoris Herbariorum, suspicatúrque esse Geranium primum folio Anemones apud Dioscoridem & Plinium. An Cord. Hist. Geran. supinum majus?

Brunfels.tom.2.rhaps.11.pingit sub titulo Herbæ Roberti, vocátque Geran. Rostrum ciconiæ, Robertianam, Gratiam Dei. Quomodo autem describat, certò mihi non constat, nisi id faciat quarto loco.. De hoc Geranio pauca admodum

Gratia Dei. Brunsch.in priore editione(vbi nulla figura)nomine Gratiæ Dei: in edit.autem anni 1550. eam pingit. Tragus Geranium primum [sc.Dioscor. facit, & pro minore pingit, sed pictura non multùm valet, Apollinaris Geraniorum genera non distinguit: pingit tamen, sed satis ineptè, Geranium quod Rostrum ciconiæ dicitur & moschatum.

Geran. Plin. Matth. Matth.non dubitandum existimat, quin Geranium Plinij, Myrrhis & Myrrhida dictum, illa sit herba quam quidam Rostrum tum gruis, tum ciconiæ appellant, quidam verò cum officinis Acum moschatam. Ruellium hallucinatum credit, quòd Acum moschatam dictam, quam ipse Herbariis etiam Acum pastoris appellari ait, primi generis Geranium Dioscoridis esse opinetur. Ex quibus patet eum in prior. comm. malè Geraniũ primum inscripsisse, ac propterea in post.meliùs Geranii tertii nomine pinxisse. Quin & Amatus, licèt huius figuram Geranii primi titulo exhibeat, falsò Ruellium primum Geranii genus apud Dioscoridem putasse refert.

Geranium primum vocant Cornar. Dodon. gall. Turn. Lonic. Cast. Fuchs. & Lacuna. Anguill. verò ep.13. describit pro Herba moscata, Gruaria, Herba Ruberti & Acu muscata.

Cronemb. lacessit. Cronemb. supra empl. Gratia Dei, deprehenditur contraria scribere. Nunc enim Ruellium ideò reprehendendum ait, quòd Rostrum gruis primam Dioscoridis speciem putarit: Nunc verò Geranium Dioscoridis primum, Roberti cognomine assignet. Per Ruberti autem herbam hoc ciconiæ Rostrum intelligit, & passim Acum moschatam vocari ait, quod ipsum haud placet.

Indicta Diosc. Lob. indictam ait Diosc. vocatq; Myrrhidam Plinii in Adu. Obs.p.376. Icon. Plant.p.658. vbi & Geranium moschatum. Item pag. 659. Myrrhida Plinii, & Rostrum ciconiæ inodorum, vulgatum. Cæsalp. Acum moscatam folio Pimpinellæ, & Pectinem Veneris Plinii. H. Lugd.p. 1277. Geranium tertium Plinii. Camer.hort. Geran. moschatum.

Tabern. Ic.p.57. vocat Geran.minus, Geran.aruense[kleins Storckenschnabel]alterum flore albo. Item, p.58. Geran.myrrhinum. Hist. Geran. 3.inodorũ, ein Schnabelkraut/Acker Schnabelkraut: Geran.4.aruense album: Geran.quintũ, Geranii primi speciem Dioscoridis, Geran.cicutarium, Rostrum gruinum, Gruinam, Gruariam, Herbam gruinam siue gruariam, & Acum pastoris similem præcedenti, maiorem, odoris grati. *Frustra* Tabern. ponit duas icones Geranii minoris quandoquidem solo colore differunt.

Gerard.aut. Gerar. Geran.moscatũ, Myrrhidam Plinii: Item Geran.moschatum inodorum, Plinii Myrrhidam inodoram, Vnsauorie musk Cranes bill. Et, Geran.inodorum albũ, white flowed Vinck needle. *Cur.* Ger. separauit album à priore cæruleo purpurascente? cur quoque prius & posterius non reliquit vno & eodem capite?


C.Bauh.phyt.Geran.14.siue Cicutæ folio moschatum & primum Plinii: Item, Geran.15.siue Cicutę folio inodorum, Geran.supinũ maius Cordi: Et, Geran.16.siue Cicutæ folio supinum. Idem in Pin. Geran. Cicutæ fol. 1.moschatum & inodorũ, Acum moschatam Columnę, Ger. *anapsoidhes φυλλον* Thal. & moscatum Eystett. Item, Geran. Cicutæ folio 4.siue minus & supinum, Geran. 7.siue gruinum Dod. moschatum inodorum Eystett. Flos communiter Bresilici coloris: aliquando albus est: hinc duæ figuræ apud Tabern.

Locus & Tempus. Geran.moschatum minus Monspelii obseruaui: Basileæ floret Octobri in itinere Moutensi: Geneuæ passim *au plain palais* virens mensis Februarii principio & Martio: Patauij florens medio Februario. Maius hortense est. Maius, inquit Tabern. solet prouenire in agris cultis, arenosis minus autem locis macris & arenosis, & ruderibus.

GERANIVM SPECIOSVM ANNVVM, longissimis rostris, Creticum.

Descriptio. LAtè terram obumbrat *ramulorum* hirsutorũ, nodosorũ cõgerie, *foliis* præditorum longis, hirsutis, nonnihil rubentibus, sinuosis & serratis, sapore acido & adstringente: *flores* cærulei amœni, quinquefolii, quos circumstant calycis dehiscentis folia quina, è striatis filis media membranula pellucida alba commissis composita: *acus* plusquam palmari longitudine ad basin crassiusculæ.


Viret & Visus. An Lobel.Obs.p.377. Geranium Creticum an-



nuum; Ic. Plant. Geran. Cret. annuum hæmatodes. Camer. hort. Geran. Creticum lógissimis rostris à Lobelio descriptum. Clus. Gerar. & Taber. Ic. Geraniũ Creticum: Tabern. Hist. Geran. 8. Candiacum, Veteribus indictum. Cas. Bauh. phyt. Geran. 19. siue maximum latifolium longissima acu. Eidem in Pin. Geran. folio Cicutæ 7. siue latifol. longiss. acu. Nobis aliunde missum est titulo Herbæ Roberti Hispalensis.

Locus & Tempus Montbelgardi in horto Ill. E. C. floret Iulio & Augusto, Septembri verò maturat semen: se ipsum seminat & Hiemem perfert. Mompeliano agro, Clusio teste, sponte prouenit.

GERANIVM ROBERTIANVM mutale.



Descriptio. Obuium vbique in ruderibus Geranium Robertianum, *radice* tenui, colore buxeo: quæ *caules* surrigit dodrantales & cubitales, hirsutos, geniculatos, rubentes, maximè circa articulos & propter terram, ramosos: *folia* partim à radice, partim ex geniculis, hirsuta, pediculo rubête hirsuto, Matricariæ ferè diuisurâ, segmentis primariis duntaxat tribus, odore vbi teruntur Pastinacæ, sapore adstringente, per oras aliquantùm rubentia, interdum tota: *flores* purpurei, dilutiore purpura striati, foliis quinis constantes è calyce hysuto, atrorubente, quinquepartito emicant, apicibus in medio croceis: succedunt *rostra* mucronata *semen* appensum habentia.

Flore candido. Sideritis 3. Ruell. Geranium Robertianum candidissimo flore in monte Wasserfall non rarò occurrit.

Ruell. ni fallor, vocat Sideritidem tertiam: Dioscoridis. & vulgò ait vocari Acum pastoris. dicit esse Myrrhin Cicutæ foliis. & inde à nonnullis Cicutariam dici. Tragus pro altero Chelidonii genere describit, ac Gratiæ Dei titulo pingit: Eorum autem opinionẽ planè improbat qui Pedem columbinum vocatam hanc plantam velint: Chelidonium minus esse statuens: Eius autem opinionem reprehendit Cronemburgius, cuius verba paulò post adscribemus.

Matth. Apud Matth. Figura in priorib. comm. sub Geranii alterius inscriptione designans Geranium, Robertianũ, melior est, deterior in post. comm. tituli etiam diuersi: descriptio nulla bona: Camerarius pro ea ponit Geranii Robertiani nouam imaginem: C. Bauh. pro tertio pingit Geran. Robertianũ ex Tabernamontano, ac præterea ineptam addit Matth. picturam, quam præter nostrã sententiam, ac etiam, vt suspicamur, Matth. facit Geranium 4. Fuchsii, siue gruinale. Porrò, Matthiolus in prior. comm. Sideritidem postremam Diosc. eam planè referre plantam scripsit, quam vulgus Herbariorum Rubertã appellat. Sed præsentia verba silentio præterit in comm. cũ mag. figuris. Quemadmodum tandem non descripsit Geraniũ, ita solâ picturâ passim in comm. suis & Hist. germ. exhibet Sideritim tertiam. Quum autem figura Matth. nonnihil repræsentet Geraniũ, & ipse olim dixerit Sideritim Rupertam referre: existimo figuram esse partim ad descriptionem, partim ex Geranio effictam. Hinc fortè in comm. post. omisit verba, de Ruperta in prior. tradita, vt suum tueretur figmentũ. Et hæc fortassis quoque occasio fuit, vt Camer. in Hist. Matt. germ. & Epit. eius iconem quoque neglexerit: C. Bauh, meam ante multos annos annotatam sententiam amplexus est. Sideritis quartę figura inquit, videtur voluisse Geranium aliquod exprimere Matt. quoad folia maximè cum Geranium Rupertianũ Sideritidis nomine donetur: flores verò nõ Geranio, sed Alchimillæ conueniunt. Inscribitur hæc à Lugd. Sideritis quarta à Cast. & Tabern. tertia, à C. Bauh. quinta.

An Cronemburgius hoc Geranium à Moschatoritè distinguat, ex his eius verbis percipies. Tragus Chelidonium minus appellare voluit, herbam vulgo dictam Gotts gnad, h. e. Gratiã Dei, improbans eos qui Geranion, qui Roberti herbam, qui Acum moschatam, qui Pedem colũbinum esse contendunt: in quorum tamen catalogo habentur quotquot simplicis Medicinæ artem tradunt doctissimi. Notandus Ruellius quòd Myrrhin Dioscoridis statuit herbam Roberti, sicut & Io. Tagault. de pot. vulnerariis.

Lonic. confusus. Lonic. suo more omnia confundens pingit pro Geranio tertio, ac secundò pro Chelidonio minore, pluribus plantis eadem nomina tribuens priori loco.

Si Valeriolæ de peste, Herba Roberti est eadem cum aliorum, non placet adiunctum Rostri ciconiæ nomen: id etiam perpendendum fuerit, an in carbunculis pestiferis vsus eius conueniat.

Panax Heracl. Anguill. Scio Lobel. aliò referre Panacem Heracleum Sideritidem Anguillaræ, quem epist. 5. eundem cũ Sideritide Crateuæ & tertia Dioscoridis facit. Verùm meliùs placet Tabernamontani opinio.

Tabern. Tabern. Ic. & Hist. vocat Geran. Rupertianum, & Geran. primum, ac ait Tragum non sine errore Chelidoniam minorem vocare: esse Dioscoridi Sideritim Heracleam Crateuæ: Anguillaram existimare esse Panacem Heracleon Diosc. sed longè aberrare: Doctos vocare Geranium Rupertianum, muschatum, & vulnerarium, item Gratiam Dei, Herbam rubeam, Rubeam muschatam, Rupertianam, Rupertianã, Herbam Roberti aut Ruperti, aut diui Ruperti, & Rubertã: & has nomẽclaturas ferè omnes à rubro caule & foliis rubris

Nomina linguarum. et impositas esse appellarialias ... Acù muschata. It. Aco muschata & Ruberta: Gall. l'herbe Robert: & Bec de cicogne sentant le musc: Angl. hierb Robert. Belg. Robrechts kruyt / Roberts kruyt / & Ooyuaers bek die naher N Museus riect: German. Ruprechtskraut / S. Ruprechts kraut / Sichtkraut / Gottes gnad / Rottlauffkraut / q erysipelatibus medeatur, klein Schöllwurtz / & klein Schwalbenkraut / quòd cum Chelidonio, aut aduentu hirundinum floreat, & hinc Turnerum Geranium Chelidonium, & Geran. hirundinarium nominasse. Item, Geran. violaceum, Ger. duodecimum, Geran. batrachoides minus, & gratiam Dei minorem.

Hist. Lugd. bis eadem reperitur. H. Lugd. pag. 1276. Geran. 1. Dioscoridis, 3. Matthioli, Pes columbinus: p. 1276. Herbæ Roberti, Geranii quarti genus Matthioli. *Cur tandem* figuram posuit duobus locis, sub diuersis titulis, quorum prior non conuenit?

Hier. Brunsch. Apud Hier. Brunsch. in edit. anni 1505. bene pingitur figura Herbæ Ruperti, & meliùs quidem quàm in poster. anni 1550. vbi alterius generis icon exhibetur.

Dorst. nat. Dorst. habet iconem Geranii Robertiani siue muralis pag. 147. quod à cæteris minùs diligenter distinguit.

Fuchs. Dodon. gall. Brunfels. Lac. Turn. & Thalio dicitur Geranium tertium: Lob. in Adu. (vbi & Sideritis Achilleadon, aut congener) Obseru. p. 375. Ic. Plant. p. 657. & Camer. hort. Geran. Ropertianum: Rubertiana vulgò Cæsalpino.

C. Bauh. phyt. Geran. 17. siue Robertianum primum: Apud Matth. Geran. Robert. primum: item, Geran. 5. Matthioli. *Cur autem* Geranium Matthioli diuersum facit à Robertiano? Eidem Pin. Geran. folio Cicutæ 5. siue Robert. 1. Duplex est: alia omnino viridis, quam fœminam faciunt: alia rubens, quæ præfertur, teste Camerario.


Locus & Tempus. Solet prouenire in veteribus muris, in cæsis arboribus, locis frigidis, humidis & vmbrosis: Aprili floret & totâ penè Æstate, teste Tabern.

Fuchs. vim adstringendi & siccandi tribuit. Tragus videtur ei Chelidonij minoris vires adscribere. Raro, inquit, intrò sumitur propter nimiam quam obtinet frigiditatem: efficacissimè erysipelatis imponitur herba tusa: succus & aqua distillata quibusuis exulcerationibus oris, mammillarum & pudendorum, tam muliebrium, quàm virilium medetur. Succus marisças mundificat, sanatque: tumores deprimit, duritias mammillarum, aliorúmque membrorum, si fortè conquassata fuerint, discutit. Ioannis de monte experimentum parui facimus, qui multos oculorum morbos, appensâ modo collo radice, certo anni tempore collectâ, Nicolaũ quẽdam Magistrũ curasse scribit. Geranium Robertianum, aliàs Sanguinariam dictam, rubens præferunt pastores, aquæ incoquentes & potui dantes pecori, armentisve cruenta mingentibus.

GERANIVM LVCIDVM.

Descriptio. Geranium nostrum lucidum *folia* habet Momordicæ siue Geranii batrachoidis longiùs radicati formâ, sed minora quàm illa, Geranii columbini, in quatuor profundas lacinias ferè semper tripartitas diuisa, ex virore obscuro pulchrè lucentia, nonnihil hirsuta, pediculis hærentia, palmaribus aut vnciâ duntaxat longioribus: *caules* multi sunt, lucidi, rubentes, in varios ramos diuisi, interdum ferè cubitales: *flores* Geranii Robertiani floribus similes & pares: *rostra* breuia.

Synonyma. Cur C. Bauh. in phyt. Geranium suum 8. siue argenteum, Geran. saxatile Camer. hort. Geran. sax. ... Thal. à Geranio suo decimo, siue lucido nostro separauit. *Si diuersa sunt*, cur in Pinace vnum fecit? Vocat Geran. Anemones folio rotundo 15. siue lucidum saxat. rotundifolium Columnæ.



Locus & Tempus. Geneuæ copiosè abundat ad lacum extra portã *de Rive* in muris. Item inter Lugdunũ & Geneuam *à Chastillon* florens Maio. Ex semine prouenit Montbelgardi in horto meo, postea periit.

CHELIDONIVM MAIVS VETERVM.

CAP. CXVI.

Hirundinaria Theoph. QVam apud Theophrastum Gaza Hirundinariam interpretatus est, eam Dioscorides sic delineauit. Chelidonium magnum [χελιδόνιον μέγα] *caulem* producit cubitalem, aut etiã maiorem, gracilem, qui propagines habet foliis plenas. *Folia* similia sunt Ranunculi, teneriora tamen, & colore subglauca. Iuxta singula verò folia *flos* est, velut Viola alba. *Succus* autem croceus, acris, mordax, aliquo modo subamarus, & graueolens. *Radix* supernè quidem vna est, infernè verò plures. *Fructus* est velut Papaueris cornuti, tenuis, longus velut Pineæ nucis conus, in quo sunt semina Papauere maiora. Huius succus melli admixtus, & in æreo vase ad prunas coctus, ad acuendum visum commodus est. Exprimitur autem succus è foliis, & radice, & fructu, sub initiũ Æstatis, siccaturque & in pastillos efformatur. At radix pota cum Aniso ex vino albo, morbum regium curat. Herpetas item cum vino imposita. Et dentium dolores sedat commanducata. Videtur autem Chelidonium nomen

Hirundinaria. reperisse, quòd simul atque hirundines, quæ Chelidones vocantur, apparent, è terra prodeat, earumque discessu emarcescat, vel quòd si quis pullus hirundinum excæcetur, matres ipsorum herbam illis exhibere narrentur, & cæcitati ipsorum mederi.

Appellat Nothæ. Plinii. Chelidonium inter spuria quidam Pæoniam [παιωνίαν] vocant, alij Crateam [κραταιάν] quasi egregiis pollentem viribus, alij Aubion [...] alij Glaucion [γλαύκιον:] alij Pandionis radicem [πανδίονος ῥίζαν:] alij Philomedion [φιλομήδιον:] alij Othonion [ὀθόνιον:] Romani Fabium [φάβιουμ:] Galli Thona [θῶνα:] Ægyptij Mothoth [μωθώθ:] Daci Crustanen, h.e. κρουστάνην

Chelidoniam (inquit Plin. lib. 8. cap. 28.) visui saluberrimam hirundines monstrauêre, vexatis pullorum oculis illâ medentes. Et rursus lib. 25.

cap. 8. Animalia quoque inuenire herbas, in primisque Chelidoniam. Hac enim hirundines oculis pullorum in nido restituunt visum, vt quidam volunt (hoc ridet Cels. lib. 6. Aristoteles verò cap. 6. lib. 4. de ortu animalium caussam reddit: nempe eos renasci si pungantur ac euellantur, cùm adhuc fiunt, non autem vbi perfecti fuerint) etiam erutis oculis. Genera eius duo: Maior fruticosa caule, folio Pastinacæ erraticæ amplio re, ipsa altitudie duûm cubitorum. Color albicans, flos latens. Minori folia Hederæ rotundiora, minùs candida. Succus Croci mordax, semen Papaueris. Florent aduentu hirundinum, discessu marcescunt. Florentibus succus exprimitur, & in æreo vase cum melle Attico leniter cinere feruēti decoquitur, singulari remedio contra caligines oculorum. Vtuntur & per se succo in collyriis, quæ Chelidonia appellantur ab ea. Et *hæc* de duplici Chelidoniæ genere Plinius, quæ cùm inuicem commisceat, atque confundat, alibi de iis agere non placuit, licèt figurâ multùm differant.

Plin. err.

Galen.

Galeno 8. simpl. med. Chelidonium extergentis admodum & calidæ facultatis est, sed & succus eius ad acuendum visum commodus est, vtique in quibus crassum quiddam in pupillis colligitur digestione atque discussione indigens. Vsi sunt radice eius quidam ad auriginem ab obstructione jecoris proficiscentem, in vino eam albo potui exhibentes. Similiter mansa confert dentium doloribus. Porrò, Chelidonium minus, cùm acrius sit maiore, celeriter illitum cutem exulcerat, vnguesque scabros exterit. Succus eius per nares purgat, vtpote admodum acer. Itaque hæc herba quarti ordinis fuerit (calfacientium incipientis. Majus autem Chelidonium tertii est ordinis) absoluti iam, idque tum in calfaciendo, tum in siccando. Aëtius, qui eundem vsum Chelidonio magno adscribit, extersoriam & calidam vim abunde possidere ait.

Chelidonii nominis appellationem quod attinet, duplicem eius rationem cum Diosc. tradit Marcellus: reliquas verò dicit non satis certum habere intellectum. Fuchsius Chelidonio auem hirundinem nomen indidisse perhibet, vel quòd primùm hanc inuenerit, vel quòd eius aduentu floreat, discessuve commarcescat, id quod de minore verè dici putat. Sed Chelidonium minus longè ante discessum hirundinum marcescit. Dictum verò scribit Dodonæus Chelidonium maius non quòd aduentu χελιδόνων, i. e. hirundinum proueniat, aut abeuntibus illis pereat, cùm toto anno reperiatur, sed quia excæcatis pullis hac herba matres restituere visum in opinione sit. Hanc tamen opinionem ceu vanam & à veritate alienam, authore Celso, tanquam fabulam, ad græcas ablegat calendas.

Fuchs. refutatur.


Æquiuoca.

Chelidonii nomine sequentes plantæ passim ab authoribus donantur: Chelid. maius. Chel. fol. laciniato. Cucurma, de qua lib. 19. Fumaria Split. Fumaria bulbosa. Aquilegia. Clymenum.

Chelidonium verò minus, Scrophulariæ minori, vnanimis ferè authorum consensus, competere ait. Chelidonium minus dicitur etiam de Geranio batrachoide, quàm bene autem facilè iudicabunt lectores. Nec meliùs Chelidonii speciem minorem Geranium Robertianum esse contendunt. Gesn. in ascr. Diosc. Chelidonion micron Fumariam appellari refert. Scrophulariam flore pleno Camer. hort. cognominat Chelidonium minus flore pleno. Chelidonium minus palustre Cordi, est nobis Caltha aquatica. Lonic. in Diosc. lib. 2. cap. 167. Ranunculum & Chelidoniam turpi errore confundit. Chelidonium dici de Anagallide ostendunt ex Dioscoride Tragus, Lonic. & Gesnerus. Idem Gesnerus in ascript. Diosc. refert dici Chelidonion de Vite alba, siue Bryonia de qua libro 15. Sunt Chelidoniæ Ficus ἰσχὰς ἐκ χελιδόνιος, Atticæ scilicet quæ & Chelidones vocantur: Pollux. Commendantur eædem ab Athenæo lib. 14. De purpureis Chelidoniis Columella inter Ficus. Nouissima sub Hieme maturatur Chelidonia Ficus, inquit Plinius. Eas Grammatici quidam à Chelidoniis populis in Britannia dictas coniiciunt, nescio quàm rectè.

CHELIDONIA.

Cap. CXVI.



Descriptio.

PAssim in parietinis & maceriis occurrit Chelidonium maius, cuius *radix* minimo digito crassior, fibrosa rubra, rubrum croceúmve succum, vt & folia caulesque fundit: aliquot *caules* producit, teretes, hirsutos, propter radicem & genicula tuberosos, vt in ea planta quā Noli me tangere vocant, russum mordacémque in ingratum illum succum fractos remittentes: *folia* cum Aquilegiæ foliis similitudinem aliquā habent, vtcunque tamen maiora, longiora [Lobel. ait tota facie ad Plinianum Capnum, vel Aquilegiam, comparatam, foliis cæsiis] numeroque plura, ad costam ex interuallis adnexa, vt plurimùm sena, septimo alam claudente: singularia folia Quercinorum æmulam diuisuram habent, Trago tenera, colore herbaceo, altera verò parte ex cæsio viridi. *Flores* crocei quatuor foliis constant, multisque staminibus concoloribus: *siliquæ* oblongæ *semen* continent: Trago siliquæ oblongæ ceu corniculati Papaueris semen pallidum recludunt: folia, caules, & flores croceum stillant lac, in primis radix, quæ & ipsa aureo planè prædita est colore, succo simili, lento, gustu amaro, grauissimique odoris: Lobel. succo croceo fuluiore, virosiore quàm Papaueris cornuti.

Synonymacum nominibus, linguarum.

Χελιδόνιον μέγα Græcis: Latinis, vt Ruell. Trago, Fuchs. Cordo in Dioscorid. & Histor. Matth. Lac. Cast. Dod. Lob. Adu. Obs. & Ic. Plant. Gesn. hort. Cæsalp. Thal. Tabern. & Gerardo, Chelidonium maius: Brunfels. Chelidonia. Anguill. Chelidonia maior: Turn. Hirúdinaria: Lob. Adv. Hirúdinaria maior. C. Bauh. phyt. Chelid. 1. siue mai9, vulg. in Pin. & Clus. in Hist.

Apuleio


Apuleio Hirundinina, aliis etiam Herba lucis, Herba impetiginaria, Herba hirundinis: offic. Celidonium, & Celidonia, etiam vulgò in Hetruria. At ab imperitis, præsertim Chymistis, qui multorum stultitiâ Poëtas facilè imitantur, quod græci nominis vim ignorent, quod latinè nil aliud quàm Hirundinariam significat, *Cœli donum* corruptè nominatur. Serap. de simpl. cap. 296. *Kaurech*, *Curcuma*, & *Chelimonthoma*: Bellunensi *Chalidunium* & *Memiran*: Glossographo Auicénæ *Algurduene*, *Haurocb*, *Hauroc*, *Chilidomon*, & *Memitesis*: Apud Auic. cap. 199. *Raucbum*, *Aluardachale*, *Aluardachule*, & *Alxardabune*. Germ. Schellwurtz/ Schellkraut/ Schwalbenkraut/ Goldtwurtz & Gilbkraut. Bel. Schelcrunt/ Goudtwortel/ groote Gouwe/ stinckende Gouwe: Gall. *Esclere ou Esclaire* (quòd caligantibus oculis aciem vidédi restituat.) *Chelidoine*, & *Felongne*: Ital. *Chelidonia maggiore*, *Herba donna*, & *Cedrogna*: Hisp. *Chelidonia*, *Yerua de las golondrinas* aut *golondrinhas*, *Celiduena*, & *Celiduenha*: Angl. Celondine: Boh. Celidony & Celdonia wietssi: Hung. Cynadonia/ & Fecskefiu.

An Virga tinctorum Auicennæ. Lobel. indagandum proponit, num sit Virga tinctorum Auicennæ? Est Alberto Magno Herba quarta, à Chaldæis Aquilaris dicta quòd tempore quo Aquilæ suos nidos faciunt, nascatur, à Græcis Valis, à Lat. Chelidonia.

Locus. Locis gignitur incultis, in vepribus, propter sepes, inter cætera herbarum vitia, inter rudera, in scrobium ripis, in vetustis citiùs, quàm in apricis. *Tempus* Toto anno viret: ab Aprili mense in multam Æstatem floret, siliquæ interea perficiuntur, semináque maturantur.

Vires & vsus. Vires quas tribuunt Chelidonio suo Diosc. Plin. Galen. & Aëtius, itémq; fabulâ per Celsum reiectam, videre licet antè. Radix Chelidonij maioris, quantum eius manus capere possit, purgata, in sextario [quem Germani Ein halb maß exponunt] rosacei aceti decocta, ita vt deinceps percoletur, decoctóque adjiciatur theariacæ Vncia cum dimidia, cyathíque vulgaris mensura exhibita, à peste correptos (attestante id certâ experientiâ, inquit Trag.) liberabit, si postquam biberunt in lectum se composuerint, & sudauerint. Aqua eius distillata oculis indita: claritatem iis adfert, maculas eorum rubras emendat, sicut & faciei si inde colluantur: eodem modo anthraces pestilentes sanat: serosi humoris ad articulos vulneratos decurrentis fluxum sistit, quem Germani das glidtwasser vocāt. Aqua distilata per aliquot dies pota, obstructos meatus hepatis adaperit morbóque regio medetur. Herba cum radice tusa ac vmbilico [cum oleo chamæmælino feruefacta] imposita torminibus & vteri doloribus opitulatur. Eius puluis vlcera & vulnera purgat, sanátque inspersus. Chelidoniam tritam cum axungia verrucas absumere refert Rondeletius. Lobel. rariùs intrò sumendam censet, sed commodiùs foris vtendam ad impetigines & psoras puerorum, necnon metallorum chymicas medicationes. Succus Chelidoniæ [inquit Paracels.] colore suo imponit oculis, ac si doratum esset auro: verùm Chymistæ, qui animam vel quintam essentiam, vnde coagulantem ac permutantem tincturam efficerent, venati sunt, nihil præter fatuum errorem assecuti sunt. Chymistæ [addit Matth.] Cœli donum appellitant, quâ nominis præstantiâ freti, ex hac herba quandam quintam essentiam fieri prædicant, non modò suis vanis alchymicis imaginationibus accommodatissimam, sed ad tuendam etiam sanitatem hominum, morbósque quàm plurimos profligandos vtilem. Herba in calceis delata si nudis pedibus teratur, ictericos sanare creditur: eadem mensium abundantiam sistit, mammis mulierum admota. Succus cauis dentibus inditus eos frangit & eiicit. Hanc herbam, si Alberto credimus, si quis cum corde talpæ habuerit deuincet omnes hostes, omnes causas, & omnes lites amouebit. Et si prædicta ponantur super caput infirmi, si debet mori statim cantabit altâ voce, si nō, lachrymabit. Sed mittamus aniles fabulas, vndéque digressi sumus, redeamus. Succus ad oculorum maculas, argemas, nubeculas, & cicatrices plurimùm commendatur. Verùm cùm acerrimus sit, adhibendus non est, nisi iis additis, quæ eius acrimoniam retundunt, cuiusmodi dicitur esse lac muliebre.

CHELIDONIVM FOLIO LACINIATO.



Descriptio. QVi vulgatius illud Chelidonium maius nouit, facilè oblatam hanc eius varietatē discet: cætera similia, *folia* minora, cōcinniùs crebriúsque incisa: *florum* itidē folia aliquib⁹ incisuris secta, & veluti fimbriata, accedētia ad flores plantæ, quæ quibusdam dicitur Cuminū siliquosum & Hipæcoum Clusij.

Synon. Dicitur Spreng. hort. Chelidonia maior foliis & floribus incisis: Clus. Hist post. Chelidonium maius laciniato flore, siue maius multifido folio. C. Bauh. apud Matth. Chelid. maius alterum: Eidem in phyt. & Pin. Chelidonium 2. siue maius foliis quernis.

Locus. Vidi primò Heidelbergæ in horto Sprengeri spontè natam. Ex seminibus ab illo oblatis à pluribus annis Montbelgardi coluimus in horto. Ill. E. C. vbi ex deciduo semine quotannis repullulat.

AQVILEGIA IN GENERE.

CAP. CXVII.

Descriptio. AQuilegiā subjicimus, cùm quibusdā Chelidonia siluestris dicatur, & foliis aliquomodò conueniat, nisi quòd sint paulò rotundiora & molliora. Videtur autem dicta quasi Aquilina, ob florum mucrones aduncos, vt sunt aquilini vngues. Veteribúsne fuerit nota, ambigitur. Costæus quidem & Aldroandus Pothon [Desiderium Gazæ,] veterum, Theophrasti scil. esse contendunt: Cæsalpinus verò eiusdem Theoph. Iasionem credit: Dalechampio contrà apud A-


Iouis flos. thenæum Theophrasti Διὸς ἄνθος est, Iouis flos: Gesnero tamen Leontostomon Theoph. dicitur, *Leo herba.* & Leo Columellæ; Leo herba Dodonæo. Alii Ægilopa Græcorum credunt, omnesque facultates eidem tribuunt, sed non parum aberrant. Tragus Centaureum Germanicum siue maius esse autumat, eiusque illi vires, sed temerè & citra omnẽ rationem tribuit. Sunt etiam, referente Matthiolo (qui flori inter alios colores aureum adscribit, qualem nos nunquam obseruauimus) qui Chelidonium maius nuncupent. Gesner. in cat. pl. Cantabricam opinatur; Ruell. cæruleas Violas, aut quæ sint se nescire fatetur. Sed eis minùs conuenire deprehenditur. Dodon. in gall. hist. antiquis incognitam ait. Fabius Columna eam Aquilinam quæ simplici flore est, Ἰσόπυρον Dioscoridis esse cẽset, cuius iudicium Clusio valdè probatur. Lobelius tamen Columnæ opinionem Aquilegiam pro Isopyro Dioscoridis ponentis in suis plantarum illustrationibus rejicit atque damnat.

Gesnerus de Aquila annotat, aliquos herbam hanc, quam plerique Aquilegiam, aut cum Matthiolo Aquilinam nominant, Angelicam, & Amorem perfectum vocare: Germ. Obickelen/ *Angelica. Amor perfectus.* viaclen/ & vualen: Belg. akeleyen: Galli Ancholies: Itali Aquileia, & Celidonia saluatica: Angli Columbine.


Locus & Tempus. Aquilegia flore simplici in montium pratis luxuriat, ea scilicet quæ cæruleo est flore: seritur etiam in hortis: caulescit mense Iunio. In hortis quidem diuersorum colorum conspicitur: itémque multiplex.

AQVILEGIA FLORE SIMPLICI.

Figura tres Fuchs.



Descriptio. PLusquam pollicari crassitudine est *radix*, candida, sapore subdulci: *folia* ex longis, rigidis, hirsutis pediculis terterna, Chelidoniæ maioris, infrà glauca, suprà viridiária, cum obscurâ acrimoniâ exsiccantia, relictâ tandem dulcedine effatu dignâ: *caules* tenues, sed rigidi, hirsuti, geniculati, ramosi, amœnos *flores* sustinent, corniculis rostratis compositos, vt passis alis columbam (si cum lateribus alternatim interjectis foliis vnum ex corniculis exemeris) egregio naturæ artificio deforment: atque hi quidem vel siluestres, vix alterius coloris, quàm punicei, vel hortenses, colore cæruleo, rubro, candido, carneo, herbaceo, versicolore, infinitam pariunt varietatem: omnibus tamen *semen* Consolidæ regalis, nigrum, lubricũ, in corniculis surrectis Aconitorum continetur.



Syluestris. Aquilegia siluestris dicitur, Aquilegia simpliciter Trago, Fuchs. H. Lugd. p. 810. Lonic. Cæsalpin. & Gerardo: Aquileia Fuchs. Gesner. hort. & Dod. syluestris Thalio: Aquileia simplex Camer. Aquilina Matth. Lobel. Adv. Obs. p. 440. Ic. Plãt. 761. Cast. & Tabern. Aquilegia 1. siue simpliciter Trago, Fuchs. H. Lugdun. pag. 810. Lonic. Cæsalp. & Gerardo: Aquileia Fuchsio, Gesner. hort. & Dod. syluestris Thalio: Aquileia simplex Camer. Aquilina Matth. Lobel. Adv. Observ. p. 440. Ic. Plãt. 761. Cast. & Tabern. Aquilegia 1. siue simplex siluestris.



Hortensis. Synonyma. Aquilegia hortensis, simplex secunda C. Bauh. Aquilina rubra Lob. Icon. p. 761. Aquilina Cast. alba Tabern. Ic & Hist. quoad iconem, quoad ordinem 1. 2. 3. & 7. siue niuea, purpurea & rubra.

Aquilegia montana magno flore C. Bauh.

Descriptio. AQuilegia montana magno flore, 3. in Pin. in Aquilegię vulgaris altitudinẽ excrescit quidem, sed foliis primùm differt, cùm in lacinias tenuiores, easque non obtusas, vt in aliis, sed acutas diuidantur, & *folia* penè subrotunda sint: sic & *floribus* est cæruleis, vulgari similibus, sed multò maioribus. *Locus.* In monte prope Thermas Fabarias copiosè prouenit.

Aquilegia montana paruo flore, Thalictri folio.

Descriptio. EX *radice* paruâ, *folia* Thalictri formâ, sed exigua, pallidè virentia, prodeunt: inter quæ *cauliculus* tenuis, palmo minor, duobus, tribúsve foliolis breuibus, oblongis, minimè diuisis, exsurgit, *florem* vnicum cæruleum sustinens, formâ quidem vulgari similem, sed quintuplò minorem.

In Helvetiorum Alpibus reperitur: in Morauia prope vrbem Trebis, sub arce Smilo, in pratis vernali tẽpore copiosissimè reperiri relatum est C.

est C. Bauhino, qui in Prod. secundam facit, & in Pin. quartam.

AQVILEGIA FLORE PLENO, siue multiplici.

Descript. OB floris elegantiã in hortis culta hæc stirps modò pluribus, densioribus, & nitidiorib⁹ corniculis obseruatur: *floribus* etiam vberiore fœturâ multiplicibus, qui vel cærulei prorsus sunt, vel violacei, vel cineracei, vel blandè rubentes, vel saturè rubri, vel albi, vel ex albo & cæruleo, violaceóve multifariam commixti, vel alterius coloris, quis enim omnes enumeret? cætera similia.

Synon. Aquilegia multiplex Hort. Lus. flore pleno cæruleo, albo, incarnato, purpureo, rubro, siue 1. 2. 3. 4. & 5. Eyst. multiflora variegata Lob. Ic. p. 762. (ibidem & Aquilegia multiplici vario colore flore:) Aquileia multiplex Gerard. multiplici flore Dod. Aquilina multiplex Tabern. Ic. & Histor. quoad iconem; quoad ordinem 4. 5. 6. & 8. siue cærulea, alba, purpurea & variegata. Aquilina pleno flore Clusij hist.

C. Bauh. phyt. Aquilegia 3. siue hortensis multiplex: *Pin.* Aquilegia pleno flore 1. siue hortensis multiplex flore magno, Aquilegia flore rubro 5. Eyst. fl. variegato duplici Svver. Aquileia 6. siue variegata Bry. Aquilina fl. rubro Bry. Svver. Item, Aquilegia pleno flore 2. siue hort. multiplex fl. paruo.

AQVILEGIA FLORE PLENO INVERSO.

Descript. NOn tãtùm fœturâ vberiore hi multiplices flores & colore diuersitatem patiũt multifariam, sed & figurâ discrepare iidem quotidie deprehenduntur, & diuersas interdum sortiri facies, siue naturæ lusu, siue artificio quodam, vt inuersi flores propemodum videantur.

Synon. Clus. hist. Aquilina pleno inuerso flore. Lobel. Ic. p. 763. (ibidem & Aquilina inuersa multiplici albo colore) Aquilina plenis multiplicibus floribus: Obs. p. 440. Aquilina plenis & multiplicibus aspectu suauissimis floribus inuersis cum hortensi multiplici eadem: Tabern. Histor. Aquilina 9. prorsus niuea flore magno & lato sursum reflexo: H. Lugd. pag. 811. Aquilina plenis & multiplicibus floribus Lobelij: Aquilina carnei coloris Bry. Aquilegia inuersa Camer. C. Bauh. phyt. Aquilegia 4. siue hortensis multiplex inuersis floribus. *Pin.* Aquileg. pl. flore 3. siue hort. multiplici flore inuerso, Aquileg. cærulea inuerso flore, Eyst.

AQVILEGIA FLORE SIMPLICI ET pleno, non corniculato.

Aquilina ros. flore. AQuilegiam floribus non corniculatis, sed Nigellæ citrinæ instar foliosis, vocamus, quã Clusius pro Aquilina roseo flore pleno pingit, & describit.

C. Bauh. pin. Aquilegia pleno flore 3. siue flore roseo multiplici, colore communiter cæruleo, rariùs albo, rarissimè carneo, siue blandè rubente: vel albo nigris punctis asperso: hinc Aquilegia stellata flore purpureo, rubescente, violaceo, & albo minutissimis nigris punctis ornato, siue 1. 2. 3. & 4. Eyst. Aquilegia stellata cærulo-violacea Svvertij.

AQVILEGIA DEGENER.

CAP. CXVIII.

Descriptio. ITa nonnunquam degenerat Aquilegia, vt sæpiusculè flores proferat strigosiores, & tum quidem aut colore languidiore, & quasi dilutiore appareant, aut prorsus virorem induant, Camer.



Aquilina degener. Aquilinam degenerem cõspicere meminit Clusius exiguæ Rosæ formam æmulantes flores ferentem, coloris vel omninò viridis, vel ex viridi purpurascentis, mutatâ videlicet pristinâ formâ, siue potiùs vitio contracto, ex stirpium intempestiua ex vno loco in alium translatione.

Synon. Lobel Icon. pag. 674. & Hort. Lusat. Aquilegia degener. C. Bauh. phyt. Aquileg. 5. [in Pin. fl. pleno] siue degener virescens: Aquilina 10. herbacea rubro variegata Tabern. Hist. Aquilina degener Bry: Aquilegia stellata rosea Svver.

Vires & Vsus. Aquilegiæ semen tusum ac pondere drachmæ cum croco nummi pondere è vino bibitum, præstantissimum est medicamentum aduersus morbum regium [experientiâ certâ id attestante Trag.] si postquam sumpseris, in lectum te composueris, probè contectum, ac sudorem elicueris: eodem modo vsurpatum meatus iecinoris obstructos, vnde multæ ægritudines oriuntur, aperit. Aqua florum Aquilegiæ distillata, pota eadem efficit, præstátque leuamentum aduersus syncopen. Abscessus proinde internos discutit, venenum quodq; ui's expellit, ac tormina mitigat.

Cæterùm, quæ de Aquilinæ facultatibus Clusius accipiebat à Rapardo, libet hîc subscribere: nimirum Aquilinæ vulgaris semen tenuissimè contusum, & ex vino propinatum, mulieribus in partûs difficultate cum optimo successu exhiberi: si prior tamen haustus minùs fuerit efficax, alium similem propinandum esse.

THALICTRVM VETERIBVS.

CAP. CXIX.

Thalictrum. Thalietrum. FEcit in hac herba vnius literæ ambiguæ similitudo, vt authorum exemplaria partim Thalictrum, θαλίκτρον, partim θαλίετρον Thalietrum legerent, prout κ pro ε apud Græcos, apud Latinos verò postea c pro e litera fuit agnita.


Diosc. Sunt autem Plinio & Dioscoridi, paucis exceptis, de Thalictro eadem omnia. Thalictrum, ait hic libro quarto, folia Coriandri habet, at pinguiora, cauliculum Rutæ crassitudine, in quo folia, quæ trita imposita, vlcera diuturna

ad cicatricem perducant, nascitur præcipuè in campestribus. Ille lib. 27. cap. vlt. Thalietrum folia Coriandri habet, pinguiora paullò, caulem Papaueris. (Sed Coriandri legit quoque Galenus sequutus Dioscoridem. Et fieri potest, vt Plinius græcâ lectione deceptus κωνείου pro κορίανου legerit) nascitur vbique in campestribus: medentur vlceribus folia cum melle. Æginera cum Galeno siccandi vim sine erosione habere ait.

Annotat Goupylus in veteribus Dioscoridis exemplaribus hoc loco caput esse de Typha. Sed de Typha priori libro tertio egit.

Æquiuoca. Thalictri nomen sequentes adeptæ sunt plantæ. Thalictrum nigrius caule & semine striato. Thalictrum folio saturatiùs virente, cauliculo nō striato. Thalictrum speciosissimum glaucum, semine & caule striato. Thalictrum montanum album Clusij. Thalictrum maius folliculis angustifolium C.Bauhini Clusij. Thalictrū pratense angustissimo folio C.Bauhini. Thalictrum minus, siue Rutæ pratensis genus minus, semine striato. Thalictrum minimum fœtidissimum. Aquilegia ab Heroldo, sed malè. Pimp. saxif. minor Rondeletii, à Lobelio & H.Lugd. Seriphium germ. Chamæmel. fœt id. à Gesnero. Potentilla à Ruellio, sed falsò. Consol. regalis Trago, sed etiam falsò. Phelandr. Plinij à nonnullis, sed magno errore.

THALICTRVM NIGRIVS CAVLE ET semine striato.



Descript. PVlchrè virentibus *foliis*, licèt saturatiùs tinctis, splendentibus tamen, longis, angulosis donatur: *caules* rigidi, striati, inanes, virescunt, & ad viri altitudinem & maiorem aliquando excrescunt: *flosculi* perquàm exigui, muscosi, herbidi, obtusum ferè in orbem glomeratis staminulis herbidis, aut ex herbaceo flauescentibus constant: *radix* fibrosa buxei coloris, ingrati amaricantis saporis.

Cordus in Diosc. verum Thalictrum facit, ac germ. heplblat, hoc est, Folium sanum appellat, quòd rustici Saxones hâc maxima curent vulnera, sine aliquo adiutore medico: ait tamen aliquos widerthon vocare, sed hoc vocabulum latè patere. In Hist. verò Thalictri nigri nomine describit.

Gesn. hort. Saxifragam luteam appellat à colore florum vel radicis luteo, ac Rutæ pratensi cognatam ait: alibi Barbam caprinam minorem vocat.

Dod. gall. ad Barbam capri refert, ac pro secunda siue minore specie describit, & pro Pigano pingit. Ignaros pharmacopœos pro syluestri Ruta, non sine magno errore vti scribit, & mulierculas Belgicas Rhabarbarum spurium vocare. Doctorum quorundam opinionem, Thalictrum existimantium, veritati haud consentaneam videri. Icon quidem à Dodonæo proposita respondet huic nostro Thalictro nigriori. Sed parui folliculi, quorum in descriptione meminit, siliquarum instar, conueniunt Thalictro, nobis à folliculis denominato. Quas verò radices nigras tribuit, Tragus Barbæ caprinæ vulgari adscripsit, qualem ipse pro prima specie pingit: nobis igitur videtur Dodonæus diuersas plantas confundere. Dod. not.

Lobel. in Adn. author est industrios quosdam Thalictrum Dioscoridis opinari, Saxifragam pratensem, quam Rutam fœtidam siue luteam, & pòst Rutam pratensem Herbariorum, commodiore vocabulo appellat, ac etiam in Icon. Plant. tom.2. pag.56. & Obs. pag.508. eodem titulo donat.

Icon Tabernæmontani Rutæ pratensis maioris quidem conuenit cum nostro Thalictro nigriore. Verùm in descriptione non conueniunt quæ scribit de triangularibus folliculis. Rutam pratensem maiorem primam, contra doctos negat esse Thalictrum Dioscoridis, concludens esse Phelandrium Plinij, cognominans Rutam vulnerariam, & Rhabarbarum adulterinum, germ. wundtkraut, & groß wysen Rauthen.

Schvvenckfeldius plura Thalictra inuicem confundit: videtur autem eius Thalictrum pratense, Thalij Thalictrum maius folliculis angulosis: Eius verò Luteum, nostrum nigrius: ad quod etiam referendum censemus Alpinum. Schvvenck. not.


Synon. Clus. in Pann. p. 80. & Hist. post. vocat Thalietrum 5. siue pratense 1. elatius, longioribus & magis atris foliis, & quodammodò splendentibus. C. Bauh. Pin. Thalictrum 1. siue maius siliqua angulosâ aut striata, Thalietrum nigrum Thalij, secundum siue latifol. germanicum Camerarij, Rutam syluestrem Cæsalpini: Ei autem adscribit florum muscosa stamina è pallido candicantia, rariùs purpurascentia. Quæ occasio vt hoc etiam referat Thalictrum flore incarnato, & albo, Eystett.

Locus. Abundat in collium pratis itinere Monbelgardensi quà itur l'Isle & Velontium, in multis etiam Germaniæ locis, vt inter Electorales vrbes Oppenheym & Meyntz, in campis.

Vires & Vsus. Dodonæo Thalietra maiora temperatè calida ac vna resiccantia apparent: Folia eorum oleribus admixta, aluum nonnihil commouent: Radicis decoctum idem potiùs præstat. In Histor. gall. plures vires tribuebat quas in Lat. omisit. Lutetiani nonnulli ad calculum laudabant Lobelio. Thalictris quibusdam in locis in Italia, teste Camerario, vtuntur contra pestem: in Saxonia contra ictericiam. Non autem placet Dodonæum & alios, ceu Tabern. easdem vires omnibus Thalictrorum generibus adscribere, quum ipsis non fuerint bene nota.

THALICTRVM SPECIOSISSIMVM glaucum, semine & caule striato.

Descript. HOminis interdum proceri staturam adæquat, vel etiam superat, *radice* flaua, multas fibras




fibras à latere obliquas circumquaque spargente, sapore amaro: *caulis* autem rectus, singularis, nullis alis, ramísve brachiatus, purpurascens, inanis, crassitudine digitali, perquam longis internodiis interceptus: *Folia* ex articulis nascuntur, quos vaginâ amplectuntur, Thalictri maioris nigrioris latiora, si singularia spectes, colore vtrinque subcæruleo, vel glauco, sapore amaro, & acri, odore graui: summum caulis fastigium in surculos aliquot abit, quibus *flores* insident muscosi, ex meris fibrillis luteis compositi: *semen* tegitur tunica tenui, non angulosо folliculo.

Dodon. in purg. append. & Hist. in fol. lat. Thalietrum maius tertium facit, Camer. hort. Thalietrum 1. Italicum vulgò. Casp. Bauh. Pin. Thalictrum 3. siue maius flauum, staminibus luteis, vel glauco folio, Thalietrum maius Ger. Thalietrū in Hetruria vulgò *Verdemacum* Cæsalp. Clusius Pann. pag. 380. & Hist post. Thalictrum 1. siue Hispanicum. Lobel. Obs p. 509. Ruta pratensis siue Thalictrum longè maius & multò speciosissimū. Tabern. Ruta pratensis maior quarta, Phelandrium Hispanicum, Groß wysen Rauth Spanisch benebnat: An Pes milui Anguillaræ?

Locus & Tempus. Ex Hispaniis in Belgium venit, & deinde operâ Clusij Pannonicis Austriacisque prouinciis vulgare factum est. Nobis ex S. Lupo Burgundiç missa planta fuit nomine Rutæ capratiæ. Excreuit in horto Ill. E. C. ad altitudinem hominis florens Iunio & Iulio.

THALICTRVM MAIVS FOLLICVLIS angulosis caule læui.



Descript. QVod D. Gesnerus Thalictrū maius appellare solitus est, in cubitalem, vel sesquicubitalē altitudinem excrescit, ramosis, rigidis, politis, læuibus'que & concauis *caulibus* donatū: *folia* Aguilegiæ, læuia eiusdem penè coloris, & fermè inodora, amaricantia cū acrimonia: *flores* ceu muscaria, cōferta, exradiatis staminulis in orbem actis, dilutam Violæ nigræ purpuram referentibus, apicibus tamen obsoleto colore luteóve præditis, compacti. *Radices* fibrosæ, multiplices, tenues, externæ nigricantes, internæ albæ, sapore non ingratæ, quatuor veluti costis constant: *semen* in folliculis angulosis tenue, longum, fuscum.

Synon. Lobel. Adu. Ruta triangulo pericarpio: Tabern. Histor. sine icone, Ruta pratensis maior tertia. Dodon. Thalietrum magnum quartum: Clus. Pann. pag. 380. Thalietrum 4. siue montanum 3. à priore [montano albo 1. & 2.] solo floris colore differens. Thalictrum 5. flore purpureo Camer. hort.

Locus & Tempus. In monte Saleuæ Geneuæ obseruaui florens Iunio & Iulio semine maturo; in Sabaudia florens Autumno: Montbelgardi ad Dubim itinere versus L'Isle inter dumeta Iunio. Ex semine in horto prouenit.

Thalictrum pratense angustifolium.

Synon. Clusio est in Pann. p. 380. & Hist. post. Thalietrum sextum, siue pratense secundum, humilius, flore candicante: Thalict. 3. angustifolium Camer. Thalict. 4. siue pratense angustifolium C. Bauh. Pin. Ruta pratensis maior 5. Tabern. in Hist. sine icone.

THALICTRVM MINVS, SIVE RVTÆ pratensis genus minus, semine striato.



Descript. THalictrō maiori cum folliculis similis, non ea tamen vt plurimùm huic proceritas: *caules* tenuiores, non minùs tamen rigidi: *folia* consimilia, crassiuscula, sed minora, siue sit spontanea siue culta, situ & dispositione eadē: *radix* tenuis, fibrosa, lutea, repens: *flores* ex radiatis staminibus componuntur, capitulis minoribus, colore ex fusco ad luteum vergente: *semen* itidem respondet.

Synon. Dodon. gall. Barbæ capræ tertia species, fortè Hypecoum Dioscoridis, quod etiam ὑπήκοον: Eidem in Purg. app. & Histor. Thalietrum paruum, Thalietri quintum genus minimum, Thalietrum minus, vt etiam Gerardo: Thalictrum 4. paruū Camer. hort. Thalictrum tenuifol. Cordo hist. Thalictrum Cordi tenuifolium Lobel. in Adu. & Ic. Plant. p. 56. tom. 2. & Obs. p. 508. Clusio Thalietrum 7. siue omnium minimum, foliis minoribus, cineracei coloris, pallido floris colore: radice omnium maximè flaua & serpente, subindéque noua germina producente: Thalict. 8. siue minus C. Bauh. Pin.

Hypecoum H.Lugd pag. 1082. Cæsalp. Ruta pratensis alia minor, Cicuta Atheniensium quorundam. Ruta pratens. minor Tabernæmont.


Locus. In campestribus maritimis locis apud Belgas reperitur, alibi etiam in montosis, vel in Baldo Italiæ monte prouenire fertur.

Thalictrum minimum fœtidissimum C. Bauhini.

Descript. Caule est pedali, rotundo, in ramulos diuiso: *foliolis* pluribus in tres lacinias diuisis, anterius duabus incisuris denticulatis, supernè atrouirentibus, infernè pallescentibus: in ramulorum fastigiis *flosculi* parui, muscosi, ex plurimis staminulis cōpositi quibus succedunt exiguæ valuulæ, oblongæ, senæ, septenæ, striatæ, apice incuruo donatæ, ibiq; se inuicem iunctæ, capillaceo oblongo pediculo insidentes, *semen* exiguum includentes. Tota planta odorem fœtidissimum spirat: in Valesia reperitur.

BARBA CAPRI.

Cap. CXX.



Descript. Radicem fortiora est mediocriter crassā, fibrosam, cortice intectam crassiusculo, ad ruffedinem declinante, cui subest ligni sa substantia cum copiosa medulla alba, fatua: *caules*, duos, tres cubitos alti, & maiores, multis alis concaui, læues, teretes, medullosi, arcto tubulo (qui in aliis nullus est) perforati: *folia* Castaneæ, oblonga, acuminata, serrata, plura ad costam alligata, nullis intercedentibus minoribus foliolis vt in Vlmaria, à qua & *flores* huius plurimùm differunt, in ligulis videlicet racematim collocati, perpusilli, candidi.

Acetarium olus. Hermolaum in Dioſc. hanc per Acetarium olus, quam quidam Tragopogon falsò esse voluit, & vulgò Barbam petræ, & in Gallia Cispadana Barbulam hircinam vocant, intelligere puto.

Tragus Barbulam capræ inscribit, proque Barba caprina 2. siue syluestri delineat, ac cum Vlmaria ad Pycnocomon Dioscoridis refert. Sed hanc opinionem improbat Fuchsius. Patauij alibique in Italia Christophorianam (*Crosfosanatam* Anguill. epistol.14.) æquiùs vocari ait Gesnerus, qui quondam Asparagum siluestrem vocabat.

C.Bauh.Pin.Barba capræ 1.siue floribus oblōgis. Melandryon Plinij, Barba capri Fuchs. Dodon. gall. capræ H. Lugd. Eyst. caprina altera Lonic. Potentilla 2. Anguill. Drymopogon 1. Tab. Nobis quidem iudicibus H.Lugd. p. 1081 pingit Barbam capræ, verùm in descriptione cum ea confundit Vlmariam.

Locus. Geneuæ copiosè prouenit in monticulo *la Bastie*, : Basileæ ad Rhenum prope domum ru-
ram. Alunt Vngariæ, Austriæ, Stiriæ, vicinarúmque prouinciarum montanæ siluæ Barbam caprinam Fuchsij & Tragi, ab Vlmaria diuersam, referente Clusio.

VLMARIA.

CAP. CXXI.



Synon. Lugd. ...
Locus.
Descript.

Caule recto, angulofo, rubente, concauo, firmo, ad duos aut tres cubitos adolescit, *folia* læto virore nitentia, quina aut septena, ad costam connexa, in excedentibus compluculis minoribus: singularia folia, segmentum folij Imperatoriæ referunt, serrata & nonnihil sinuata: interdum verò crispo contextu plicatum ad Vlmi folia accedunt; sapore citra morsum strenuè siccante: *flores* suaueolentes positu & formâ Filipendulæ vulgaris, albidi, quinque foliis constant, apicibus crebris similiter albis, aut in luteum vergentibus: succedunt capitula parua acuminata ex contortis oblongis seminulis composita: *radix* digitalis, infinitis fibris rubentibus capillata. Trago, longa, fibrisque multis capillata, foris nigra, intus subfusca, grauissimi odoris, amari simul & adstringentis, non aliter quàm glandes.

Synon. Cordo Histor. Medesussium, Argentilla maior quorundam, Krampffkraut. Tragus describit pro Barba capræ prima, refértque cum secunda ad Pycnocomon Plinij & Dioscoridis. Nobis autem opinio Tragi planè displicet, nec vlla nota nobis cōuenire videtur cum Pycnocomo. Quin Cortusus, cùm Patauij essemus, Chrysocomen faciebat. Gesner. verò nobis Apum herbam, Inbenkraut, denominabat, quia eâ apes summoperè delectentur, si aluearia illinantur. Rupellæ in Gallia vocant *Vignette*. Anguill. epist. 17. dicitur Potentilla libro de dynamis Galeni laudata. Barba caprina 1. Lon. itémque Dod. gall. quoad descriptionem: figura enim non respondet, ideóque eam in fol.lat. mutauit, depinxitque sub titulo Reginæ prati, vocauitque germ. Geißbart/ Belg. Remeete, Gall. *Barbe de cheure*. Cum Rhodera Plinij similitudinis aliquid obtinere ait. Sed tamen eandem esse, affirmandum, contra C.Bauhinum, haud censet.

Gesn. hort. Christophoriana, Barba capri maior, Regina prati (sic dicitur etiam Gerardo) & Vlmaria quorundam. Barbicapra & Vlmaria vulgi Lob. in Adu.& Obs.p.209. H.Belg.p.869. Icon.Plant.pag.711. Vlmaria Car. Steph. Hort p.65. H Lugd.p.1081. Gesn. cat. Camer.hort. & Tabern.

C.Bauh.Pin.Barba capræ altera, siue florib.com-

pactis, Potentilla 1. Anguill. Argentilla maior Thalij.

Locus. Alunt Vngariæ, Austriæ, Stiriæ, vicinarúmque prouinciarum prata humidiora, & torrentium ripæ, Vlmariam ab vlmaceis folijs dictam, temperamento, atque etiam odore Pimpinellæ maiori Italicæ quodammodò respondentem, referente Clusio. Non rarò in vliginosis pratis, sæpè etiam inter spinas, & in collibus quibusdam, quotannis nouos caules emittit, floréque Iunio mense, authore Trago. Montbelgardi passim circa aquarum riuos abundat; Basil. æ in itinere, quo itur Leurach, & Geneuæ in pratis vltra Arue florens

Tempus. Maio & Iunio; copiosè lusso inter Durlacem & Eslingen.

Vires & Vsus. Calidam & siccam indicat Tragus. Mulierculæ autem verno tempore tenera folia legunt, oleribúsq; suis adiungunt. Si in vino rubro & quasi nigro decoquatur radix & bibatur, disenteriæ vtilis est. Eadem verò vino & melle decocta & pota aluum soluit, bilem extrahit. Semen in cibo commanducatum, capiti noxam adfert. Herba cum farina tusa & imposita, tumores discutit, surculos præterea extrahit, cuspides & tela, tusa & imposita. Folia adultiora pustulas excitant, quemadmodum Ranunculus. *Ego contra* Tragum, iudico hanc plantam potiùs frigidam, quàm calidam, & posteriores vires, quas ponit Tragus (quæ potiss. Pyconocomi Dioscoridis) non conuenire sed planè contrarias esse iis, quas ex eo primo loco recensemus. Præterea Dioscorides ait Pycnocomon constare Erucæ foliis acrioribus, non tamen pustulas Ranunculi modo excitare scribit. Tragus in sua descriptione nullius acrimoniæ meminit, sed tantùm amari & astringentis saporis. Rupellensis Renatus dicit hydromeliti ex eius flore conciliari gratum odorem, & ita parari vt æmuletur vinum Creticum quod Maluaticum vocant: se etiam vidisse qui Lutetiæ aduersus pestem commendarent.

LEONTOPETALON IN GENERE EX antiquis & recentioribus.

Cap. CXXII.

Diosc. Leontopetalum caulem profert dodrantalem [σπιθαμιαῖον vet.] aut etiam altiorem, plurimis alis concauum, in quarum cacuminibus siliquæ sunt cicerum modo [quidam carent his vocibus, ὅμοιοι [sc. λοβοὶ] ἐρεβίνθοις.] ac in his duo triáve minuta *semina, flores* punicei, Anemonæ similes, *folia* Brassicæ, Papaueris foliorum diuisura: *radix* nigra, Rapo similis [ῥίζα μέλαινα ὥσπερ γογγύλη: hæc vet. parenthesi includit.] quæ eminentias ceu nodos quosdam habet. Nascitur in aruis, ac inter segetes. Radix ex vino pota commorsis à serpente auxiliatur, dolorem omnem celeriter eximens. Miscetur & ischiadicorum clysteribus, Diosc.

Sunt qui inter spuria Leontopodion, qui Leucetion, qui Leontion, qui Dorida, qui Doricterida, qui Lychnidem agrestem, qui Pardalium, qui Therybetrum, qui Rapeium, qui Papauer cornutum, qui Anemonem vocant. Romani Papauerculum, alii Semen leoninum dicũt. Ex quibus cõstat nomen à ferocissimo & generosissimo omnium animali quondam inuenisse. Quid autem illi cũ leone conueniat, non satis certum est. Si nominis origo expendatur, nihil Leontopetalon erit, annotante Marcello, quàm leonis folium. Sed quũ leonis partem, verbi caula, pedem, aurem, linguam, aliamve huiuscemodi, folium referat, non satis mihi compertum est, præsertim variantibus aliis nominibus, Leontio, Leontopodio & Leonino semine, quæ quidem omnes à leone causam nominis, sed non eodem modo habent: Siquidem Leontion leunculus est, Leontopodion autem leonis pedẽ significat, & Leoninum semen causam nominis in semine non in folio esse ostendit. Cur autem agrestis Lychnis diceretur, floris figura in causa est, quæ Anemonem & siluestre Papauer dici etiã Leontopetalon fecit. Omnes enim hi flores magnitudine, colore, totaque figurâ similes, aut saltem non multùm dissimiles inter se sunt.

Descripsit Leontopetalon lib. 27. c. 11. Plinius iisdem verbis: Rhapeion aliis vocari dicens, folio Brassicæ, caule semip dali, alis multis, semine in cacumine in siliquis Ciceris modo, radice Rapo simili, grandi & nigra: nasci eam in aruis: & omnium generum serpentibus in vino potam radicem aduersari, nec quicquam celeriùs perficere: dari & ischiadicis.

Maximè autem, authore Galeno, radice vtimur, quæ discutiendi vim habet, siccatque & calefacit in tertio ordine.

Æquiuoca. Leontopetalon quidam eam herbam esse volunt, quam sequenti capite describemus. Alij Fumariam bulbosam Leontopetali genus esse existimant. Alij, teste Gesnero, Helleborum nigrum. Garyophyllatam aquaticam Tragus, Alchimillã Cornarius, sed non sine magno errore.

LEONTOPETALON QVORVNDAM.

Descriptio. Radix pugnum implet, rotunda, tuberibus multis inæqualis, cortice cinereo, pulpa virente in luteo, sapore amaro: hinc exeunt *pediculi* pedales, trifariam diuisi, quorum singulæ diuisiones bina aut terna gerunt *folia* circinatæ ferè rotunditatis, alia integra, alia laciniata, & veluti crispa, colore ex glauco flauescente, venosa: *flores* in vncialibus pediculis, foliis oblongis interiectis, in caulibus spicatim congesti, lutei Ranunculi florum magnitudine, quinque striatis oblongis foliis constant, apicibus luteolis vmbilicum circumstantibus, quibus marcescentibus prolongantur pediculi in palmarem longitudinem, in extremo vesicu um venosu n Halicacabi sustinentes: *semen* nigru m Cannæ indicæ semini persimile.



Synonima. Leontopetalum M. t h. Gesn. hort. & Camer. Leontopetalon Lobel. in Adu. Obs. pag. 91. Ic. Plant. p. 685. Cast. Lonic. Rauvvolff. Lac. Cæsalp. & H Lugd. 1628.

quit Diosc.) fœminis à partu non purgatis exhibetur: ciet quoque menses nucis græcæ magnitudine pota: ventris etiam doloribus in vino bibita auxiliatur. Prodest arquatis, & iis qui renum aut vesicæ cruciatibus infestantur. Eadem decocta in vino potaque aluum sistit. Seminis autem granula decem, duodecimve rubentia in vino nigro & austero pota, sanguinolentum fluorem muliebrem [ῥοῦν ἐρυθρὸν dixit, ad differentiam τοῦ λευκοῦ. Enimuerò ῥοῦς γυναικεῖος etiam ipsi Dioscoridi pro coloris varietate duplex fuit, alius λευκὸς, hoc est, albus, alius ἐρυθρὸς, i.e. rubens. Hunc porrò Sarac. cum Scribonio Largo fluorem sanguinolentum vertit: Plinius rubentes menses reddidit] sistunt: stomachicisque, qui erosiones ventriculi sentiunt, comesta opitulantur. Quin & à puerulis pota e-sitatáve initia calculi eximunt. Quæ verò nigra sunt grana, suppressionib[us] nocturnis, quas ephialtas [Incubotum suffocationibus, Faunorum in quiete ludibriis, Plin.] vocant, vuluæque strangulationibus, ac vteri doloribus, numero quindecim, in aqua mulsa aut vino pota auxiliantur. Cæterùm [hæc Goupylus in antiquo vtroque codice sine capitis adscripta reperit, quæ Ald. codex vt notha reiecit] nascitur Pæonia in altissimis montibus, eorumque verticibus.

Ad eadem commendat libri 25. cap. 15. & libri 27. c. 10. Plinius: & ad melancholiam, & contra serpentes.

Galenus. Ex authoritate Galeni, Radix Pæoniæ menses ciet, ex mulsa Amygdalæ quantitate pota. Expurgat etiam iecur obstructum & renes. Sed hæc efficere nata est, quà acris & subamara est, quà verò quiddam etiam adstrictorium obtinet, fluxiones ventris sistit. Oportet autem tunc in austerorum vinorum quopiam eam decoctam bibere. Est omninò resiccatoria vehementer, vt non desperauerim eam ex collo pueris suspensam, meritò comitialem morbum sanare. Equidem vidi, inquit, *Morbus comitialis.* puellum quandoque octo totis mensibus morbo comitiali liberum, ex eo quo gestabat radicem tempore. Vbi autem forte fortunâ quod à collo suspensum erat, decidisset, protinus morbo correptus est: rursusque suspenso in illius locum alio, inculpatè posteà se habuit. Visum verò est mihi satiùs esse denuò id certioris experientiæ gratia detrahere: id quum fecissem, ac puer iterum esset conuulsus, magnam ac recentem radicis partem ex collo eius suspendimus: ac deinceps prorsum sanus effectus est puer, nec postea conuulsus. Sic succus Cyrenaicus Columellam phlegmone affectam iuuat: Sic Nigella fricta ac odorata destillationes & grauedines deficcat. *Addit Leuin. Lemnius* lib. 8. cap. 5. de occult. nat. miraculis: Pæonia Galeno nō minùs decantata, quàm Brassica Catoni, non solùm à qualitate elementari, sed totius substantiæ vi ac proprietate specifica *Epilepsia.* hunc morbum [epilepsiam.] expugnat. Pueros autem in quibus vis morbi minùs valida, etiam à collo gestata hoc morbo collapsos erigit. Discutit enim, consumitque humorem pituitosum, qui huius morbi est seminarium. Intus verò exhibitæ eius baccæ etiam in adultis efficaciùs id præstant. Siquidem flatuosum, imbutumque veneno humorem absorbent, ac corpus ad temperamentum calidius, sicciúsque perducunt. Hoc autem semen præstantissimum nonnulli asserunt, quod à Pæoniæ, quam masculi nomine designant, primus fœtura emergit: Dio enim stolones, h.e. inutiles frutices, culmosque effœtos ac semine destitutos profert. Vbi verò perfectè adoleuit, siliquis dehi-

scentibus, hinc baccas atro colore politas, hinc acinos, coccineo, fragrantique rubore nitidos, ostendunt, nigricans semen in vsum reseruandum, non tamen eâ vanitate, ac superstitione, vt sequentis anni semen credatur inefficax, cùm à decimo partu etiam qui emersit fœtus, præsentaneam vim habeat, modò ne cariosus sit & euanidus. In confesso est (inquit Montanus lib. 1. cap. 8. Halosecos *Montanus.* febrium) Pæoniæ radicem de collo pendentem, epilepsiam arcere, quod manifestauit *Galenus minimè omnium mendax.* Egoque subinde expertus sum ad sonticos & lunaticos plurimùm valere. Pæoniam masculam infantium collo subnexam, comitialem morbum sanare, verissimum esse comperit Fernelius. Quin & Apollonius Menabenus libello de Alce cap. 7. Pæoniæ maris radicem decrescente Lunâ collectam, & recentem collo appensam, puerum epilepticum, illicò sanitati restituisse, nonnullis experimentis in Suecia vidit: Fœminam autem hoc præstare non solere, multorum experimento compertum esse testatur. Nonnulli Sole Leonem occupante, die item & horâ solaribus, decrescente etiam Lunâ colligendam præcipiunt. Bifariam eiusmodi sanatio contingere potest, vel deficcatione, vel è totius substantiæ proprietate. Cæterùm, quacunque tandem ratione ista contingant, successus huius spe frustramur (verba sunt Iulij Alexandrini à Neustain in suis Galeni de simplicium medic. facult. librum notis) hodie. Vel igitur tam efficax non est nostra hæc Pæonia, quàm aliarum fortassè regionum aliquarum: vel leuiora erant illius temporis mala hæc, quàm nostri huius sint, ob immutatam in deterius, fortè victûs rationem. Quam ego afferre hoc loco causam non dubito, quum videam eiusdem rationis allatam à Galeno alibi super aliis morbis quibusdam, Hippocratici temporis victûs rationem multò magis commendante quàm sui.

Mirari subit Tragum, illam ex Plinio fabulam *Tragus mirus.* de Lemuribus & Faunis, quasi planta hæc malignis spiritibus aduersetur, approbare, & non potiùs ex Dioscoride ad ephialtas, qui morbus naturalis est, facere, scribere.

Fuchsius Pœoniæ radicem tribuit leuiter adstringentē, cum quadam dulcedine. Si verò plusculùm dentibus mandatur, acrimoniam quampiam subamaram percipi ait, in radice præsertim nostratis Pœoniæ, quam fœminam esse dicit. Pœoniæ verò in vniuersum temperamentum te- *Temperam.* nuium esse partium, exiccatorium, haud tamen insigniter calidum, sed aut symmetrum, aut paulò calidius.

Aquam stillatitiam sic parat Wirt. Empiricus: Pœoniam floribus abundantem eruit, in tenues particulas conscindit, in cantharo benè obturato & lutato in cellam frigidam supra fundum reponit, ibique per quatuordecim dies relinquit, ac pòst distillat. Hanc autem aquam caput valdè im- *Caput imbecille.* becille corroborare affirmat, si æger, quum in stuphis fuerit, aut caput lauerit, stillatitium liquorem tepefactum capiti affuderit, manúque à parte anteriore ad posteriorem deductâ, affricarit. Idem quum ab Epilepsia timet, arreptas Pœoniæ radices abluit, in tenues rotulas conscindit, quarum drachmas duas in vino albo macerat, de eo per biduum bibit, & epoto aliud affundit. Altero quoque die nouas immittit radices, per quatuordecim dies crescente Lunâ in continuando. Si demum sibi valdè metuat, mane per biduum aut triduum ipsius radicis duas aut tres rotulas co-

medit, per duas horas à cibo abstinens: similiter iturus cubitum.

PÆONIA MAS, VNA PRÆCOCIOR, & altera tardior.

Descriptio.



PÆonia mas præcocior vt rarior, ita notabili foliorum & radicis differentiâ à fœmina dispescitur. Ea siquidem, quàm fœmina, videtur altiùs adsurgere, ad sesquicubitalem, aut bicubitalem altitudinem, pluribus *caulibus*, nonnihil rubentibus, in aliquot ramos diuisis, foliis vestitis Nucis Iuglandis ferè positu & figura, sed latioribus, costis ... bus, lanugine quadam auersâ parte pubescentibus, ternis, quaternis, quinis, rariùs septenis, saturè virentibus glaucoque obductis, caulium extremis ad commissuras parte interna rutilis, ex longis rubescentibus pediculis pendentibus. *Flores* supremis insident fastigiis singulares, patuli, quos carinata quędam folia fulciuent, similes ferè floribus Pæoniæ fœminæ, sed dilutiores, non sine purpuræ tinctura, neruis reliqua floris parte saturatioribus, in quorum medio stamina purpurantia apices croceos sustinent. Succedunt *corniculà* alba, villosa in principio, atque lucente lanugine pubescentia, rariùs terna, sæpiùs quina aut circiter, crista sanguinea incurua supernè donata, iuxta cornicula stamina multa, apicibus luteis farinaceis constituta. Cornicula verò quæ terna, quaterna, quina, rariùs plura hirsuta, incana iam grandiora reddita, atque per maturitatem dehiscentia, recuruantur, elegantissimamque granorum ostentant seriem vtrinque ordine positam, primum acinis Granati colore similium, mox atro-cæruleorum, tandemque nigrorum, rotundorum, crassiorumque quàm in fœmina, colore & substantia alioqui similium, quemadmodum & sapore. Huius flores Maij initio explicantur, moxque decidunt. *Radix* ceu palus altè depangitur, recta, nonnunquam in adnata pauca diuaricata.

Eadem huic quæ priori proceritas: idem foliorum situs, sed numerosiora sunt, quippe quina aut septena impari aliquando bifido: dilutiùs quoque virent & auersâ parte cum prædicta foliis collata pallent, quã & alba quadam lanugine donata sunt. Non caulium modò extrema, sed ipsæ quoque foliorum costæ ex puniceo interna seu aduersa parte rutilant. Floris corniculorumque eadem forma & ratio quæ præcedentis. Sed tardiùs erumpunt, nec citiùs quàm prioris decidunt. Radix tum huius tum præcedentis pollicari crassitudine aliquot diuisuris constant rectis, altiusque depactis, foris rufis, intùs candidis, gustu à granorum sapore haud notabili diuersitate prædito. Floret hæc sub finem communiter Maij.

Lob. & H. Lugd. not.

Lob. Obs. p. 390. Ic. Plant. 684., Pæonia mas: Item, p. 685. Pæonia mas cum semine. H. Lugd. p. 856. Pæonia mas Matthioli, & Pæonia mas Dalechampij. Duas figuras vnius plantæ habent.

Synon.


Pæonia mas Cordo in Diosc. Matth. Anguill. Lob. in Adu. Dod. Cæsalp. Tabern. & Gerardo Pæonia pulchrior, siue nobilior, vel. 2. Trago: Pæonia mas foliis Nucis Gesn. hort. Pæonia 1. siue folio nigricante splendido, mas C. B. phyt. & pin. vbi ait: Variat floris colore purpureo, incarnato: & huius herbæ folia latiora segmenta habent, quæ subtus exalbida, hinc Eyst. Pæonia mas fl. purpureo: item Pæon. mas fl. incarnato: Et, Pæon. mas maior: itemque Pæon. mas maior fl. incarnato. Floris amplitudine reliquas superat: & herbæ folia in latiores & pauciores virescentes particulas diuiduntur.

Locus.

Gesnerus in Generoso dicto Heluetiæ monte reperiri audierat. Nos non nisi in hortis cultam obseruauimus. Si seminetur Vere, vt plurimùm per annum latitat, & pòst singulis annis foliorum diuisurâ augetur. Non se multiplicat vt alba, vel fœmina, vel ea quæ pleno flore est: radix enim subest crassa, profundè descendens. Pæoniæ autem effodiendę commodissimum tempus est Lobelio, sub Caniculæ sydere.

PÆONIA FOEMINA VVLGATIOR.

Descriptio.



VVlgaris notitiæ est hæc Pæoniæ fœminæ species, omnibusque hortis familiarissima, quæ *Radices* glandulosas, fibris quibusdam interceptas habet, vt Asphodelus, à quibus denuò & aliæ nonnunquam propagantur simili modo glandulosæ: *caulis* viridis, vix, nisi ad pediculi foliorum exortum, rubedinem vllam ostentat: *folia* variè & inconditè dissecta, modò trifida, modò bifida, (de singularibus foliis intellige) aliàs etiam integra, supernè virentia, infernè albicantia aliquantùm, & nonnihil hirsuta: *flos* qualis in mascula cum staminibus & apicibus consimilibus: perinde vt & siliquæ: at *semen* oblongum, per maturitatem nigrum.

Hanc Latini, inquit Tragus, Pæoniam, & Hastam regiam nuncupant. Ego verò Pæoniam fœminam Dioscoridis esse existimo: quam ille nomenclaturis inter notha relatis, & de quibus antè, describit.

Pæon. mas P. iny.

Pæonia fœmina Dod. gall. Altera in fol. lat. vbi Pæoniam marem Plinij & Dioscoridis suspicatur. Huius inquit, Plinius folia Myrrham

redolere

redolere ait: Sed euidens est suspicio ἀντὶ τῆ σμυρνίου, σμύρνα. eum legisse, & pro σμυρνίῳ, Myrrham aptum rectè reddidisse.

Nomina linguarum. Græcis Παιωνία ἢ γλυκυσίδη: Latinis similiter, Pæonia & Dulcisida dicitur: Officinis Pæonia: Germ. Peonien blume / Peonie Rosen / Gichtwurtz / Kunigsblumen / Pfingst Rosen / & Streisam Rosen: Belgis ferè Pioenen: Flandris tamen Mastbloemen: Gallis *Pivoine*: Italis *Peonia*: Hisp. *Rosa del monte*. Angl. Peonye: Boh. Piwonka: Hung. Basi rosa. Præter autem iam recensitas tum legitimas tum nothas appellationes, dicitur etiam Rosa asinorum, Rosa fatuina: Herba casta, vt & Aglaophotis, i. e. lucidè splendens, à granis scilicet cocci colore splendentibus. *Aglaophotides* autem duæ, apud Ælianum lib. 14. descriptæ reperiuntur: vna marina cap. 24. altera terrestris cap. 27. *Marina*, fuci species est, quæ in profundis nascitur petris, magnitudine Myricæ, fructu Papaueris, qui æstiuo Solstitio dehiscens, noctu igneum quendam, & veluti scintillantem splendorem emittit.

Terrestris. Cynospastus. *Terrestre*, quę alio nomine Cynospastus dicitur, per diem ait idē inter cæteras herbas delitescere, nec vllo modo agnosci: nocte verò stellæ instar lucentem, & igneo splendore coruscantem, facilè in conspectum venire. Et hæc quidem terrestris Aglaophotis, siue Cynospastus, Pæonia est. Pæonię enim grana rubentia, Apuleius ait, noctu lucere tanquam lucernam: & plurimùm noctu à pastoribus inueniri ac colligi. Præcipi etiam vt Pæonia noctu colligatur, Theophrastus & Plinius referunt. Quæ de Aglaophoride Ælianus quoque affirmat. Appellatur verò terrestris hęc Aglaophotis à Iosepho belli Iudaici scriptore l. 7. cap. 25. Baaras, à loco in quo reperitur de qua antè.

Synon. Cæterùm, dicitur Pæonia Trago, Turn. & Lonicero: Pæonia fœmina Brunfelf. Fuchsio Anguill. Cordo in Dioscor. & Histor. (vbi Tragi pictura addita) Gesner. hort. Lobel. in Adu. Obs. p. 38. Ic. Plant. p. 682. & Camer. hort. Eidem apud Matth. in Epit. & Hist. germ. Pæonia mas. H. Lugd. p. 811. Pæonia fœmina altera Dodonæi. Clus. Hist. Pęonia vulg. fœmina. C. Bauh. phyt. & Pin. Pæonia 2. siue communis: Eyst. Pęonia rubra flore simplici.


Locus & Tempus. Hac ætate passim in hortis habetur: floret mense Maio: semen Iulio ad maturitatem peruenit: multúmque se reptatu multiplicat.

PÆONIA PROMISCVA STRICTIORE FOLIO.

Descriptio. MVlta tam cum mascula, quàm cum fœmina vulgari Pæonia, communia habet. *Radix* glandulosa vt fœminæ vulgari, sed crassioribus glandibus: at *folia* propiùs ad masculæ folia accedunt, magis tamen incondita, singulatiáque longiora & strictiora, supernè vt masculæ saturè virentia, infernè verò magis albicantia, minùs tamen quàm fœminæ vulgaris, quibus etiam auersâ parte multò minùs sunt pilosa: *flores* saturatiùs sanguineo coccineóve colore rubent, septem, aut nouem foliis constantes: apices, & stamina, ac siliquæ vt in aliis.

Synonyma. Est Pæonia fœmina Matth. Lac. Cast. & Camerario: Pæonia fœmina prior Dod. Pæonia promiscua seu neutra Lobel. in Adu. Obseru. pagina 390. Icon. pag. 679. Pæon. altera, vel fœmina Dioscoridis, Cæsalp. Pæonia 3. siue fœmina altera C. Bauh.

PÆONIA PROMISCVA VORMARII folio latiore.



Descriptio. PVlchrè hæc variat à reliquis Pæoniæ speciebus. *Folia* siquidem, quæ imis ramis hærent, latiora sunt, quàm cæterarum, rotūdioráque, auersâ parte glauca, hirsuta, aduersâ saturatiùs virentia, itidémque pilis obsita, sed paucioribus quàm in opposita. Foliū in terna aut quaterna, aut etiā quina segmenta diuisum est, nullâ diuisione certa, sed temerè variante. *Flos* à reliquarum flore haud absimilis. *Siliquæ* verò retortæ hirsutie albâ totæ contectę.

Locus & Tempus. Floruit Eslingæ in horto D. Sebast. Volmarij Iunij fine, cùm reliquarum siliquę iam grandiores essent.

PÆONIA FLORE PLENO RVBRO.

Descriptio. OMnium Pæoniæ specierum longè pulcherrima est polyanthes, specioso *floris* sanguinei saturi incremento, tam denso foliorum stipatu luxuriantis vt fidem ferè numero superet, sementisque spem plerumque ferè omnem præripiat. Folia sanè floris sunt plurima, magnitudine & formâ inter se discrepātia, diuersáq;: Extrema.n. caulem proximè amplectentia reliquis omnibus maiora sunt, & ad instar reliquarum Rosarum odoratarum circinatæ rotunditatis, reliqua interiùs sita mirè variant: sunt enim quędam illorum graminea ferè, oblonga nempe & angusta, intérque hæc aliquando colore albo tincta conspiciuntur, cum leui rubore, quędam verò fistulosa inferiùs, & quasi tubulosa, arcto satis peruia meatu, quędam paulò maiora, & ad latera vtraq; mirâ varietate, modò magis minusque profundè incisa, dissecta, & aliubi serrata, quædam adhuc maiora latioráque, maioribus quoque incisuris dissecta, quędā etiā, & quod obseruatu dignū, referūt suâ secturâ & forma ea omnia folia, quę viridia sūt. In medio floris duo assurgūt *calyces*, albi, hirsuti, oblongi, inferiùs latiores, in medio ventriosi, in summo denique acuminati, cum inflexa quasi galli cristam referente substantia rubra, seminum futurorum rudimenta intra se continente. *Folia* multùm similia promiscuæ Lobelij foliis, breuiora tamen, & vtcunque latiora, nec vel tenui illa promiscuæ lanugine prona parte do-

nata, sed instar masculæ glabra & virentia.


Synonyma. Pæonia fœmina multiplici flore Gesn. hort. Tabern.& Gerardo: Pæon.fœm.polyanthos Lobelij (in Obs.p.391.Ic.Plant.p.684.)H.Lugd.pag. 85. Pæoniæ fœminæ multiplex flos Dod. in fol. lat. Pæon. flore pleno 1. siue fœmina flore pleno rubro maiore C.Bauh pin. polyanthos fl. rubro Eyst. πολυφυλλάνθης Clus. Hist. post. cuius varietates aliquot obseruauit.

Pæonia flore pleno rubro, minor.

Paeon. pleno rubro flore minor. PÆonia pleno flore saturi rubri coloris aliud genus inuenitur, cuius *folia* alterius foliis haud absimilia, supernè viridia & splendentia, infernè cæsij quodammodò coloris, & lanuginis expertia: *flos* alterius flore minor, nec adeò plenus, illi pænè qui carnei coloris plenus est, par, non minus tamen saturi rubri coloris quàm maioris, sed cuius folia interiora venis quibusdam nigricantibus aspersa conspiciuntur: medium florem occupant *corniculæ* nullis *staminibus* obsita.

Synon. Clus. Pæonia pleno rubro flore minor: Camer.hort. Pæonia altera fl. pleno dilutiore & minore: C.Bauh.Pin. Pæon.fl.pleno 2.siue fl.pleno rubro minore.

PÆONIA ALBO FLORE PLENO, SIVE polyanthos alba fœmina.
ATQVE DE NONNVLLIS ALIIS PÆONIÆ speciebus.



Synonyma. QVam Tabern.in Ic. & Hist. Pæoniæ fœminæ polyanthos flore albo, weiß gefüllt Peonien Ros sen/ inscriptione pingit, & C.Bauh. in Pin. Pæoniam flore pleno tertiam facit, ac fœminam flore albo pleno cognominat, eam vidimus Basileæ in horto D. Fel. Plateri anno 1605. Iulii principio florentem, & folia vtrinque glabra ferentem, seminumque capita hirsuta, dum apparere incipiebant.

Præter autem huc vsque recensitas Pæoniæ species nonnullæ & aliæ traduntur: verbi gratia, Pæonia Byzantina prior Clusij quam C Bauhinus Pæoniam 9. vocat, siue peregrinam flore saturè rubente. Bysantinam maiorem Eystet. Pæonia altera Clusij, C.Bauhino Pęonia 10 siue peregrina flore saturè rubente. Byzantinam maiorem Eystet. Pæonia altera Clusij, C. Bauhino Pæonia 10. siue peregrina flore dilutè rubente dicta. Pæonia foliis per oras nonnihil crispis, cineracei ferè coloris, quę tertia Clus. inscribitur: & à C. Bauh. Pin. Pæonia 7. siue Pomi Arantij colore: Eystettero verò peregrina flore coccineo. Pæonia foliis Aquilegiæ, supernè virentibus, infernè pubescentibus Clus. quæ C. Bauh. Pæonia 6. siue Aquilinæ foliis inscribitur. Pæonia flore variegato: quæ Pæonia 5. Clusio: C. verò Bauhino octaua est, siue flore variegato. Pæonia simplex, niueo flore, vel Cretica Clusij C. Bauhino. Pæonia simplici flore cum aliquo rubore. Pæonia alba promiscua Cretica, eidem C. Bauhino 5. dicta. Et Pæonia exalbida plena minor & major, quæ 6. siue exalbida plena Clusij inscribitur: flore pleno incarnato Eystett.

FRAXINELLA, OFFICINIS DICTAMNVS.

CAP. CXXIV.



Descriptio. NOtissimæ sunt officinis Fraxinellæ *radices*, Dictãni albi nomine: candidæ enim sunt, varióque implexu multifidæ: *scapi* aliquot sesquicubito proceriores, hirsuti, rubescẽtes, medullâ multâ farcti, thyrsum sustinent longum *florum* pulcherrimorum ex interuallis positorum odore graui, foliis quinque ex albo purpurascentibus, striis saturatioribus notatis, auersâque parte nonnihil hirtis constantium, fibris longis recuruis, denis numero, purpurascentibus, subque apicibus luteolis ex purpureo herbidis, minutis micantibus granulis atro-purpureis respersis, medium obsidentibus: vnà cum stylo pentagono pericarpio insidente. *Semen* in siliquis nigrum, lucidum, paullò maius quàm Milij Solis. *Folia* septena, vndena ad costam ligata Fraxini more, supernè atro-virentia, infernè dilutiùs splendentia, lauri nis æqualia, crenata. In officinis radicum cortices prostant graciliores candidiorésque quàm radices siue Mandragoræ, siue Capparis, quibus sunt similes sapore amaricante.

Ruell. vocat Dictamnum tertium, aitque hunc Virgilium 12. suæ Æneidos expressisse. Verùm decipitur Ruellius. Virgilius enim suis senariolis haud tertiam Dictamni faciem designat, sed primam. Fallitur & Syluius dum Pseudo-dictamnũ Dioscoridis esse contendit. Nunc quis non Tragi erroneam damnabit opinionem, concludentis esse veram Peoniam aut Pioniam Dioscoridis? Quin & ij meritò à Matthiolo refutantur, qui Tragium primum Dioscoridis esse putant.

Non solùm porrò apertissimè constat, veram non esse Dictamnum, & non sine manifesto errore Dictamnum vocari, sed eius etiam radice pro Dictamno pharmacopœos quosdam abusos esse, non absque ægrotantium incommodo. Nullum autem Cretensis Dictamni genus repræsentare, *Dictamnus vera non est.*

tare, sed ab omnibus tribus diuersam esse testantur Cornutus, & Tragus.

Struth. siln. Pinxit Botan. Hær. Egenolphi p. 101. Fraxinellam sub inscriptione Struthij siluestris, wild Seyffenkraut / & Sprenckelkraut.

Dorsthen. Dorsthenium nesciuisse quid scriberet, id demonstrare videtur, quòd iuxta nomen Dictamni, Eipwurtz / Eichwurtz / & waldillik posuerit Fraxinellam, & ab altera parte Polygonatum: ex descriptione, quam habet, apparet eum nomina prædicta confundere. Si præterea iutuimus, vt ipse ait, germana Dictamno, quis docuit ipsum tempus colligendi ad distillationem? In Germania, Gallia, & Italia, non prouenit vera seu germana Dictamnus, quæ distillari possit.

Brunsch. taxat. Apud Hieron. Brunschvveig in edit. anni 1505. malè Polygonatum pingitur sub his nominibus, weiß wurtzel / græcè Baris aut Diptamus, germ. Diptum / aut weißwurtz nomine falso Schwartz Diptam / Eipwurtz / Edele luminadi / vel potiùs lumbart, vt habet impressio anni 1530. in qua meliùs Fraxinella exprimitur. Quin & Apollinaris in vna editione Polygonatum, & in altera Fraxinellam pictam proposuit.

An natrix Plinij Anguillaræ?

Synonyma. Dictamnus pictatus est Brunfelsio. Dictamnus vulgaris dicitur Trago, Gesner. hort. (cui & Fraxinella Italorum, & Rurpodij Chamæmelia, h. e. Fraxinus pumila, & Tragium Coldenbergij.) Camer. Lonic. [cui & Pæonia mascula] & Officinis. Dictamnus nostra Cordo in Diosc. Dictamnus albus Matth. Lac. Cæs. & Castori Diptamnum album Bello. Tragium Dodon. gall. Tragium Creticum, Guil. theone. Polemonium Tabern. Fraxinella Cordo hist. Dod. lat. Hist. Lugd. p. 872. Clus. Pan. p. 54. & Hist. Ger. & Eyst.

Locus In Italiæ ac Germaniæ montibus ac collibus lutoso ac saxoso reperitur folio. Illius passim in Pannonicis siluis, saltibúsque Viennensibus inueniuntur duo genera. Apud Belgas hortensis est. Floret Iunio: post semen prouenit.

Tempus.

Vires & vsus. Iisdem cum vulgari Pæonia pollere viribus, Tragi authoritate concludimus. Venenis omnibus aduersatur. Radix, inquit Matthiolus, cuius vsus est, amara est: valet aduersus venena, & venenosorum animalium ictus. Necat interaneorum vermes drachmæ pondere hausta: datur contra frigidos vteri morbos, nam & menses & vrinas mouet, partus adiuuat, secūdas & emortuum fœtum educit, tum suppositā, tum cum Pulegio suffita, tum ex vino meraco duarum drachmarum pondere pota. Valet quoque ad alui torsiones, & ad ejiciendos renum calculos. Additur quoque vtiliter in potionibus internorum vulnerum. Datur comitialibus, & in aliis cerebri affectibus. Præstat contra pestilentiæ contagia, quoquo modo sumatur. In summa ad multa radix vtilis est: Siliquæ & flores contactu pruritum faciunt, & in calidioribus regionibus cutem exulcerant. Dodonæo radix excalfacit & siccat ordine secundo, digerentis, attenuantis & aperientis est facultatis: conferre & stomachis & anhelosis fertur, & aduersus lethalia medicamenta antidotis vtiliter permisceri.

PRIMVLA VERIS ODORATA FLORE luteo simplici.

Cap. CXXV.

Descriptio. PRimula Veris hæcce odorata è *radice* modicè crassa, inæquali, rubente, sapore subastringente, odore suaui, aromatico, fibris albis longis donata: *folia* profert per terram sparsa, oblonga, subrotunda, rugosa instar Betonicæ, sed maiora: in quorum medio *caulis* fastigitur palmaris aut dodrantalis, vnus pluresve, leuiter hirsutus, teres foliis nudus, in cuius fastigio *flores* quini, septeni, aut etiam duodeni ex oblongis calycibus in viridi flauis, lutei, odorati, simplices, in quinque lacinias diuisi, vel multiplices aliquando, in quorum medio apices crocei, ac stylus viridis: quibus marcescentibus succedunt *semina*, quæ Tabernæmontano parua & nigra dicuntur.

Arthritica prior Ruell. Cuculi brachula Primiuería Viola Tuscul. Ruellio est Arthritica prior, à floribus primo Vere statim emicantibus, officinis Primula Veris dicta, Ruri Cuculi brachula aut Primiuerla. Luteæ Violæ genus quoddam is esse credidit, suspicatúrque esse eã Violam Tusculanam, quòd ea cùm cælum silet, & tempus serenat, exitu Hiemis necdum exactis frigoribus, erumpat, & vt prima vernas texat corollas, ita confestim fugax euanescens, vt in medium Ver vix decorem suum prorogat: Vita ei complurimùm menstrua, nec temerè ad summum sesquimensem excedit. Necdesunt qui Phlomides coronarias esse contendant, sed notæ tam memoratæ non consentiunt.

Herba Paralysis Brunfels. Brunfelsius multa subinde apud autores de Paralysi herba [sic enim vocat tom. 1. Rha. pl. 15.] se vestigasse iactat, & plurima cum Herbariis contulisse, verùm nec quicquam compertisse, quod ad stomachum fecerit suum. Nomen ignotum Veteribus ait, & Barbaros tam inscitè, tam ineptè, confusaneeque omnia miscuisse, vt maius etiam negotium fecerint, &c.

Quod in Dioscoride & Plinio, Herba paralysis nomen habeat, Trago non constat. An verò Britannica sit Plinij, aut Bertanich Auicennæ doctioribus discutiendum relinquit, ab illis enim erudiri de veritate cupit. Apud Phrisium Chelidio, Taxifilon: Opiperam, Chelidium, & Germanicâ voce fastenblumen, h. e. Quadragesimalem florem nominari refert.

Et quamuis sint qui putent, vt Ruellio, Fuchsio, & recentiorum aliis placet, hanc vulgaris notitiæ plantam, quæ in quibusdam Bracha cuculi, officinis Primula veris, Germanis Clauis sancti Petri appellatur, esse Dioscoridis Phlomidem, eorum tamen sententiæ haudquaquam adstipulandum censet Matthiolus: Siquidem huic folia non insunt hirsuta, nec etiam rotunda, sed rugosa & oblonga. Addendum putat quòd florum, quos hæc proferat, nusquam meminerit Dioscorides, neque è Veteribus alius. Id quod, eius quidem iudicio, silentio inuoluendum non fuerat. Matthiolus eadem hæc de Primula Veris caulifera, pallido flore inodoro intelligit, quam infrà describemus.

Matth. taxatur. Sed cùm in eos inuehitur, qui inter Verbasci species numerant duas illas plantas (Primulam Veris odoratam & inodoram) colore florum differentes, quæ primæ omnium Vere florent: quæque Herbæ paralysis vulgò vocantur: non rectâ reprehensione [vt Maranthæ videtur] vtitur, dum inquit, si Verbasci essent species, eius flores essent omninò à Dioscoride descripti, quamuis [vt Maranthæ in hac re sententiam profitemus] in aliis notis eorum placitum non ex omni parte acceptandum existimet.

Neoterici prima Phlomidum genera Dioscoridis, censent eam herbam (inquit Spieg. Isag.

lib.1.cap.15.) quæ Paralytica & Arthetica vulgò dicitur, cuius multæ sunt species. Verùm non vident Dioscoridem his folia tribuisse hirsuta, quæ in nostra Paralysi desiderantur. Sunt enim aut læuia, aut crispa Lactucæ modo, hinc La Ruca silv. in regione Parauina vocatur.

Dorsth. error. Dorsthenius graui errore, deceptus vt puto lectione Brunfelsij, Margaritæ nomen adscribit Herbæ paralysis, licèt postea dicat Margaritam esse Bellidem.

Dod. taxatur. Dodonæus, vt nobis videtur, minùs distinctè scribit de Primulis Veris: oportebat eum inter alia indicare eam quæ flore eleganter est luteo, jucundè odorato cuius iconem omisit Primulas, cum Matthiolo & Spiegelio, non hirsutas ait, contrarium tamen asserit Lobel. & quasdam hirsutas esse pronunciat. Nominantur, inquit, arteticæ, & Herbæ paralysis, quòd ad artuum & neruorum dolores conferre existimantur. Quæ maior est, à nonnullis Herba S. Petri dicitur. Altera Primula Veris minor appellari consueuit. Ad φλόμιδας, Latinis Verbascula dicta, à plerisque referuntur, sed cùm folia eius nec hirsuta, nec rotunda, æg. è cò pertrahuntur, &c.


Synon. Cæterùm, dicitur Herba paralysis Brunfels. Cast. deter. H. ba paralysis vulgaris Trago, altera Cæsalp. Primula Veris Matth. H. Lugdi p.834 Tabern. hortensis Thal. Primula Veris maior fl. luteis odoratis Dod. Primula Veris flauo flore elatior Clus. Pann. & Hist. post. Primula Veris flore luteo Eyst. Primula pratensis Lob. in Obs. p.305. Ic. Plant. p.567. odora lutea in Aduers. Gerardo. Verbasculum odoratum Fuchs. Dod. gall. Verbasculum flore simplici 1. siue pratense odoratum. Arthritica Gesn. hort. simplex luteo flore Camer. hort. Alisma pratorum Columellæ. Dodecantheon Anguill.

Locus & Tempus. Vbique in pratis vliginosis & riguis, præsertim regionum minùs calidarum, vt Sabaudiæ, Flandriæ, Galliæ, Northmanniæ & Angliæ primo Veris tempore florent, referente Lobelio. In Austriæ Stiriæ, Pannoniæque pratis & herbosis montanisque locis atque siluis Primulę Veris Herbariorum genera nascuntur, elatior vtraque atque humilior, auctore Clusio. Basileæ, Geneuæ, & Lugduni floret Martio & Aprili.

Vires & vsus. Recentiores duobus Verbasculis hos effectus assignant. Trita imponuntur efficaciter articulorum doloribus. Radicis decocto vesicæ renumque obstructiones soluuntur. Ius herbæ propinatur & illinitur aduersus rupta, luxata, & liuentia. Quod verò hæc eadem possint, temperamentum eorundem palam docet: parum enim adstringunt: si gustaueris, amara & modicè acria sunt: vt hoc nomine desiccandi & detergendi facultatem, quam illis Galenus adscribit, habere nemo dubitare debeat. Nostri etiam temporis Herbarij calida & sicca esse statuunt. Et mulieres formæ studentes, succo è floribus illorum expresso faciem illinunt, quòd maculas, rugasque, & alia eiusdem vitia mirificè detergeant. Folia gustu non ingrato, in olere, placentulis & acetariis, admodum vtilia capiti, neruis, & humorum ex decubitu putredini, aut inflammationi, eoque vulneraria habetur. Esse Primulas Veris facultate quidem reficcantes, sed calidas exiguum, aut nihil, prodidit Dodonæus.

PRIMVLA VERIS CAVLIFERA PROLIfera odorata.

Locus ARgentinæ in horto Frid. Meieri Primula Veris flores in caule geminos aut trigeminos proferebat, altero alteri innato: *folia* inferiore parte erant valdè hirsuta.



Synon. Tabnot. Tabern. Primula Veris prolifera. Gefülte Schlüssel blumen mit nes ben blümlin. quasi stirpium ignarus separat à Primulis Veris & alio capite reponit.

Lobel. in Ic. p.264. flore gemino altero alteri innato.

C. Bauh. Pin. Verbasculum 4. (7. phyt.) flore multiplici, siue proliferum, Primula Veris flore geminato Ger. Eyst. H. Lugd. pag. 835. figuram Lobelij habet priori loco sub Siluarum Primulæ Veris flore multiplici inscriptione.

PRIMVLA VERIS CAVLIFERA, FLORE luteo pleno, odorato.

Primula Veris densifolia Gesn. DE hac Gesnerus hort. scribit: Primulæ Veris species magis colorata & odoratior, quę Vere floret: cuius genus dasypodium seu densifolium habeo, inquit, quod semen non profert.

Synonyma Tabern. in Icon. & Hist. pingit eam sub titulo Primulæ Veris multiflore, gefült Schlüsselblumen.

C. Bauh. Pin. Verbasculum, flore multiplici 1. [5. phyt.] siue hortense multiplex. Primula hortensis Anglica Lobelij. Hanc nos aliam statuimus.

Locus & Tempus. Frequens in variis Germaniæ hortis occurrit: floret maio. Flore maiore obseruaui Argentinæ magis luteo & odorato apud D. Frid. Meierum.

PRIMVLA VERIS CAVLIFERA PALLIDO flore, inodoro, aut vix odoro: Et alia maxima flore pleno.



Descriptio. PRimula *flore* pallido radice conuenit cum ea quam in initio descripsimus, vt & *caule*: at *folia* aliquando majora: flores laciniati, pallidi, nullo odore commendabiles, similes floribus Primulæ Veris odoratæ cum singulis pediculis, colore, & magnitudine: semen & loculamenta, vt in illa.

Herba

Synonyma. Herba paralysis alba, Brunfels.tom.1.chap.15. Secunda & syluestris, Trago: Verbasculum non odoratū siue alterum, wild Schlusselblumen/ wey schlüssel/ himelschlussel/ Fuchsio. Verbasculum album, Dod.gall. Primula Veris maior, floribus pallidis ac dilutius coloratis, quasi albidis Dod. lat. Antè diximus Dodonæum minùs distinctè scribere de hac Primula Veris cuius iconem exhibet, qualem Lobel. habet, vel etiam iconem eius quæ pleno flore est. Arthritica, Primula Veris, Herba ad paralysim, Herba Petri Nic. Myrepsi, in fine Hiemis erumpens, pallidior & minùs odorata, Gesn.hort. Primula Veris, Herba Paralysis elatior pallido flore, Clus.Pan. & Hist. Primula Veris floribus pallentibus & foliis grandiorib. odoris nullius Lob. in Adu. Primula pratensis luteo pallida inodora in Obs.p.305. Ic.Pl.p.568. Primula silu.5.vel [in ordine] 5. Tabern. Primula Veris, Paralysis silu. Thal. Alismatis siue Damasonij genus alterum Plinij: secunda species Fab. Col. Verbasculum flore simplici 2. siue pratense inodorum C.Bauh.phyt. & Pinace.

Primulæ Veris flos multiplex, Dod. Primula veris elatior polyphyllos ex Anglia in Belgium allata, Clus. Primula Veris pallida, in hortis Anglicis & Northmannicis culta, florum maiorum prouentu & fœtu multiplici, triplò aut quadruplò omnium Primularum magnitudine & elegantià prima, Lobel. in Adu. Primula hortensis Anglica omnium maxima & serotina florib. plenis, Obs.p.305.Ic. Plant.pag.567. Primula Veris multiflora siluestris, Primula 3. vel silu.1. Tabern. Arthritica pleno flore, Camer. Primula hortensis Anglica Lobelij, H.Lugd. p.384. Prim. Veris Anglicana fl. pleno Eyst. C.Bauhin. in Pin. Monuimus antè nos dissidere à Casp. Bauhino in eo quòd putet Primulam Anglicanam Lobelij eandem esse cum odorata flor.pleno: Belgæ & Angli diiudicent.

Locus & Tempus. Iisdem ferè locis quibus lutea odora prouenit pallens inodorata. In pratis circa Tigurum abundat. In Austriæ, Stiriæ, Pannoniæq; pratis reperit Clusius. Montbelgardi in dumetis & siluosis floret Aprili.

PRIMVLA VERIS FLORIBVS EX SINGVlaribus pallidis maioribus simplicibus & plenis. Item alia flore albo.

Descriptio. RAdix longa, fibrosa gustu adstringente, Anisum redolente, promit multos *pedunculos*, hirsutos, teretes, exalbidos, radicem versus leuiter purpurantes, semipalmares & palmares, quorum fastigio insident è calyculo oblongo pentagono, angulis hirsutis prædito, colore herbaceo, quinquepartitò diuiso, *flores* ex languescente luteo palliduli, vnguibus croceis, quinque foliis cordatis constantes, odore ferè euanido, in quorum medio reconduntur altè staminula lutea, pistillo herbaceo *capitellum* viride proferente: In singulis pediculis singuli *flores*, similes Primulæ Veris inodoratæ, cui etiam similia folia rugosa, neruis hirsutis pronam partem percurrentibus, oblonga, obtusa, supinà parte glabra, sapore non adeò adstringente atque radix.

Varietas. Luderè in horto Ill.E.C. Montbelg. obseruaui florem duodecim foliis cordatis stipatum. Ex eodem etiam calyce prodiit flos geminus suo quisque corniculo nixus: vni quidem folia septena, alteri quina: ipseque adeò calyx totidem constabat pinnatis cæsuris, quot simul vterque flos foliis. Flore etiam pleno accepi Argentinâ.

Synonyma. Trago dicitur Herba paralysis syluestris. Gesn. hort. Primula Veris, siue Herba ad paralysim, circa Curiam Rhætorum nascens, peculiaris, flore singulari, non in corymbis: Eidem in ep. ad Fab. Cur. Arthriticæ species rara, floribus singularis, non in corymbis: item, Arthriticæ species, singulos flores singulis petiolis sustinens: In epist. ad Zvving. Arthriticæ hybernæ. Dod.gall. Verbasculum minus, officinarum Primula Veris minor: lat. Primula veris minor, floribus pallidè luteis, pediculis tenuibus.

Herba paralysis humilis. Primulam Veris, Herbam paralysis humilem flore pallido, siue κασκάκ, Vngaris Kacha virag/ hoc est, pultis ex Panico & Milio cōfectæ [quam illi Kacha vocant] florem dictum, Clusius in Anglia flore omninò niueo conspexit.

Syluarum primula [Lobel. in Obs. pag.305. & Ic. Plant. pag.568. inscribitur.] Tabern. vocat Primulam silu.2. Columna, Alismatis siue Damasonij genus alterum Plinij.

C.Bauh. phyt. & Pin. Verbasculum 3. siue siluarum maius singulari flore, Primulam Veris siluestrem flore pallido. Eyst. Herbam paralysis Cæsalp. Arthriticam caule exiguo, vel nullo, Camerarij. Eidem in Pin. Verbasculum flore multiplici 2. [6. in phyt.] siue siluestre magno plenoque flore. Primula Veris syluarum fl. pleno specioso Eyst. flore multiplici H.Lugd. Primula Veris multiflora silu. Tabern. Prim. Veris fl. pleno Ger.

Locus & tempus. Circa Curiam Rhætorum tota Hyeme floret, si nix sinat. Maxima copia in Vngaria cæduis siluis, & in Anglia flore albo etiam in cæduis siluis abundè lactei candoris obseruabat Clusius & in Belgium mittebat. Lubentiùs hæc nemorosa, vmbrosasque conualles sectatur: vt in Anglia, Delphinatu & Sabaudia. Flandris & Gallis hortensis. Bononiæ, Veronæ, Ferrariæ, & Patauij passim floret in hortis mense Februario, Martio, & Aprili.

PRIMVLA VERIS FLORIBVS PLENIS ex singularibus pediculis.

Descriptio. DE hac antè mentionem fecimus sub hoc titulo: Primula Veris floribus ex singularibus pediculis, &c. Hanc pingit Lobel. in Icon. Pl. pa.265. tom. 2. pro siluarum Primula Veris flore pleno specioso.



Locus. In horto Illustr. E.C. dono D.Frider. Meieri habui, qui Argentinæ aliam ostendit flore, albo pleno, vnguibus luteis, quæ defloruerat Mensis Maij 14. die.

PRIMVLA VERIS FLORIBVS OBSCVRÈ virentibus fimbriatis.

Descriptio



Silluarum Primula fimbriatis *floribus*, rugosisq; plicis, & coloris obscurè virētis, Lōdini hortis frequēs, alioqui assimilis cæteris authore Lobelio Adv. qui in Obs. p.306. Ic. Plant. p.569. titulo pręposito donatur. Tabern. dicitur in Ic. & Hist. Primula silu. flore viridi, Primula sexta: Gesn. hor. Arthriticæ gen° odoratum flore virenti: Dod. lat. Primulæ Veris minoris species floribus herbaceis, obscureque virentibus, & quandoque foliis multiplicatis. Icon quæ proponitur à Lob. & Tabern. pro Primula Veris floribus obscurè virentibus flores habet plenos. Quare mirari subit Lobelium non annotasse plenos esse. Ea icon optimè repræsentat Primulam Veris cum floribus plenis ex singularibus pediculis: vereor ne Lobelius viderit siccos flores, in quibus color facilè deperditur, alio successu temporis apparente, si in siccandis non summa diligentia adhibeatur. Summa fuit opera Clusij in annotandis Primulæ Veris differentiis, verùm viridium colore non meminit. C.Bauh. phyt. Verbasculum 4. siue siluarum minus flore singulari, quandoque multiplici: Pin. Verbasculum flore multiplici, 3.

Lobel. not.

PRIMVLA VERIS MINOR purpurascens.

Descriptio.



Fibrosis Primulę vulgaris *radicibus* hæret, è quarum capite *folia* pullulant numerosa terræ incumbentia, sextātali lōgitudine, latitudine vnciali circū circa serrata, subtus incana & neruorum viridārium discursa, virgata, superiùs virentia: inter hæc *caules* surgunt plures dodrantales & breuiores, nudi, enodes, in quorum cacumine vmbella sedet florum numerosorum semuncialibus pediculis hęrentiū, floribus Auriculæ visi respōdentiū, coloris purpurascentis.

Icon alia.



Huic per omnia similis minor species, caule trium, quatuórve vnciarum, foliis penè Æ sines vulgaris & etiā dimidio minoribus, vix apparētibus crenis: floribus paucis, vno sc. duobus, vel tribus.

Varietas

Cùm autem in figura nostra Fuchsiana flores minùs benè exprimantur: paruam plantam ex nostris curauimus pingendam, simulque maiorem ex Clusio assumpsimus.

Icones.

Coronarii puniceíque flores, foliis ad perennem radicem oblongis, inferiùs candicantibus, Cordo in Obs. silua. Arthritica, Primula Veris minor cæruleis flosculis, Gesn. hort. Paralytica alpina, Sanicula angustifolia maior, floribus rubore & candore confusis: primula Veris foliis Gnaphalij montani longioribus: floribus purpurantibus, aut ex roseo & albo confusis micantibus, Viennā Austriæ à Clusio missa: Item, Sanicula alpina minor, siue media, folio minore tantillùm crenato, floribus non disparibus, Lobel. Obs. pag. 307. Icon. Plant. pag. 570.

Synon.

Compilator Tabern. Primulam Alpinam me diam, siue secundam: itemque Primulam Alpinam angustifoliam, siue tertiam, confusè ponit cum Auricula visi.

Compil. calu.

C.Bauh. phyt. Verbasculum 8. siue cæruleum vmbellatum: Item, Verbasculum 9. siue Alpinum angustifolium maius: Et, Verbasculum 10. siue Alpinum angustifol. minus. *Eidem in Pin.* Verbasculum Alp 1. siue vmbellatum Alp. minus Maiele, Cordi Obs. Lerchenblümle Gesneri, monente Camerario: Verbasculus Alp. siue cæruleus H.Lugd. pag.1126. Sanicula Alp. minor siue media Lobelij H.Lugd. Primula Veris flore rubro, Gerardi: Arthritica flore purpureo, Camerarij: Primula Veris angustifolia rubra & alba, Eyst. Item: Verbasculum alp. 2. siue vmbellatum maius: Keyserlin Simleri: Paralitica Alpina, Sanicula angustifolia maior Lobelij H. Lugd. Primula Veris albo flore Gerardi, varians floris colore, albo, rubro, & rubore & candore confuso.

Clusio videtur Gesneri Keyserlin: & Cæsar, inter herbas aut Regulus: Austriacarum rhizotomarū Freunblümen, & klein rot schlüsselblumen: Rusticorum Anglorum Birdeein, hoc est, Auium oculi, teste Pennæo.


Spontè magna copia prouenit in vliginosis & humidis

Tempus. midis pratis. Floret verò sub finem Aprilis & toto ferè Maio. Habuit etiam in horto Clusius: in hortis tamen breui euanescit.

Facultas. Quantùm ex gustu deprehendere licuit Clusio, iisdem facultatibus esse præditam collegit, quibus aliæ Primulæ Veris pollent.

CORTVSA.

Cap. CXXVI.



Descriptio. Cortusæ *folia* pediculis à radice mox natis hærent, sextantali quoquouersus latitudine, aut maiore, circumscriptionéque rotundâ, æquabilitatem intercipientibus profundiusculis cæsuris: *caules* nudi & enodes foliaceũ in cacumine gerunt *calicem* ex quo seni aut plures prodeũt *pediculi*, semunciales, singuli *florem* vnum gerentes Auriculæ vrsi floribus respondentem, quinque purpureis constantem foliis, vmbilicum obsidentibus luteis apicibus, è quo etiam stylus longiusculus extra florem prominet: *radix* subest è fibris numerosis contexta.

Synonyma. Hanc in Pin. demum agnouisse videtur Casp. Bauh. reponẽs eã inter Saniculas Alpinas, cognominánsque Saniculam rotundifoliam, siue mõtanam latifoliam laciniatam; Cortusam Matth. Cast. H. Lugd. & Camerarij, Caryophyllatam Veronẽsium fl. Saniculæ Vrsinæ Lobelij in Adu. & Obs. p.397. Ic. Plant. p.699. Saniculam montanam Clusij Hist. alteram in Pann. Saniculam Alpinam Tabern. & Gerardi. Duplex, inquit, figura apud Clusium, Tabern. & Gerardum 1. Sanicula montana Clus. Hist. Sanicula alpina Clusij II. Cortusa Matthioli, Clus. Hist & cur. post. Saniculæ alpinæ icon verior. Tabern. Cortusæ rarior icon, Gerardo: In figura Saniculæ Clusij, qui fusè describit, malè auersâ parte puncta aspersa sunt. Hæc ille.

Figura duplex apud Clusium.

Cortusa Matth. De Cortusa hæc scribit Matthiolus. Sed de Caryophyllatis hactenus. Quarum gratissimus odor aliam mihi plantam reuocauit in mentem non minoribus fortasse viribus insignitam. Cortusam hanc appellare libuit, quod à Cortuso Viro optimo primùm hæc planta reperta sit. Prouenit hæc foliis ferè vitigineis, sed longè minoribus, subrotundis atque subasperis, stringenti quadantenus sapore, & longis nitentibus pediculis. Caules edit tenues, rectos, foliis nullis refertos, sed qui in cacumine magno naturæ artificio flores gerant, extima parte purpureos, intima verò aureo fulgore splendentes, aureísque staminibus intus refertos. Radicibus nititur numerosis tenuibus ac prolixis. Est etiam quę violaceos, & quæ candidos flores gerat, sed prima frequentior. Nascitur locis vmbrosis nunquam à sole illustratis, cretaceo & albicante solo. Nusquam hæc planta ab eius inuentore Cortuso visa est, præter quàm in agro Vicentino, in eo tantùm tractu, quem vulgò appellant *Valle-stagna*. Tota plena dum recens est gratissimo spirat odore, melleis fauis ferè simili, sed longè admodum gratiori ac vehementiori. Sed in sicca euanescit. Expertum est valere hanc plantam ad mulcendum neruorum & articulorum cruciatus a quacunque causa exortos. Nam ipsius floribus in amygdalino oleo recenter presso & rosaceo, quod completum vocant, pari pondere commistis diu insolatis, fit ad hoc medicamentum prętantissimum, vbi egelidum illinatur. Nec ambigo quin tota planta adstringere ac roborare, & ulnera, vlceráque sanare valeat. Eã recentiores vtũtur potã ad thoracis interna vulnera. Quin & eius succum, admistâ ęrugine cuniculosis, contumacibũ que vlceribus vtiliter iniiciunt. Eadem olfactu spiritus recreat, & frigidum roborat cerebrum. Epota prodest cæliacis, dysentericis, fœminarum profluuiis, & cruẽta expuentibus. Tam intus sumpta, quàm foris illita enterocelis auxilio est. Temperamentum ei excalfaciens & exiccans, vt manifesto sunt indicio eius radices: quippe quæ gustu odoratæ, adstringentésque deprehendantur. Quibus qualitatibus, non modò attenuare, discutere, & adstringere valent, sed etiam roborare.

Locus.

Odor. Vires.

AVRICVLA VRSI FLORE LVTEO.

Cap. CXXVII.



Descriptio. Maior est quàm rubra: foliis per terrã sparsis, non paulò maiorib., palmaribus, sextante latiorib. crassis, per extremum rotũdis, modò leuiter serratis, modò minimè, sapore nõ nihil amaro: *caules* sesquipalmares, *flores* in cacumine gerunt positu & figurâ Auriculæ vrsi rubræ, sed colore luteo insignes: *radix* crassitudine digitali, fibras longas multásque è lateribus profert.

Clus. descr. Non dubium est, inquit Clusius, qui Auriculę vrsi primę inscriptione pictam & descriptam exhibuit, quin ad Primularum classem referenda sit venusta hæc planta, adeò similes sunt & formâ, & temperamento.

Sanicula. Matth. in Diosc. Saniculę genus Germanorum, & aliquorum Herbariorum Auricula vrsi. Gesn. hort. Arthriticæ genus alpinum, Sabaudis quibusdam Lunaria nominatum. Eid hort. Lunaria arthritica. Item de Lunar. p.21. & 24. vbi figura, herba Iuliana, Sabaudis dicta. Circa Bergamum in Italia Folium montanum: quibusdam mõtium

Banariæ incolis, Motsus Diaboli. De coll. stirp. Arthritica montana, quam aliqui Lunariam, aut Folium montanum vocant. Arthritica Alpina lutea. Arthritica montana saxatilis: Arthritica montana petræa.

Paralyticam Alpinam, [ita in Icon. Plant. pag. 569. & in Obs. p. 306. vbi etiam Saniculam Alpinam, & Auriculam vrsi luteam vocat,] interdum frequentiorem & maiorem vidit Lobelius, foliis, cauliculo, & flore, qui tamen non purpureus, sed luteus, aut albus, & fuscedine pullus est. In montibus arduis calidarum regionum cauliculos & folia emittit maiora, & interdum longè minora: specie tamen aut naturâ non diuersa. Luteo pallentis Saniculæ eadem ratio maioris & minoris, inquit ille in Obs. vbi Britannicam Anguillaræ esse contendit, absque tamen sufficienti ratione.

Tabern. Icon. & Hist. Primula alpina latifolia (floribus sc. purpureis) groß alp Schlüsselblůmen. Et Ic. Auricula vrsi floribus pallidis, Bleich beer Sanickel: Hist. Auricula secunda. Item, Ic. & Hist. Auricula floribus, luteis, gelbberg Sanickel. Rursus Ic. & Hist. Auricula vrsi floribus aureis, golt gelb beer Sanickel. Tandem, Ic. Auricula vrsi Beer Sanickel: Hist. Auricula vrsi 7. flore luteo. Compilatorem Tabernæmótani oportet stirpium penitùs ignarum fuisse, vt qui vnam eandem plantam tribus diuersis tradit capitibus, interpositis aliis plantis. Præterea quam vocat Primulam Alpinam, est figura Matthioli, cui tribuit flores purpureos. Ponit quinque figuras non differentes.

Compil. not.

Auriculam vrsi, flosculos ferentem plerisque locis luteos, aut albidos, alibi purpureos, aut dilutè rubentes, ad Primulas Veris pertinere testatur Dodonæus. Recentiores tamen in Solidaginum numerum adscribunt.

Alisma ac Damasoniũ Plin. & Diosc. Columnæ.

Columna Alisma atque Damasonium Dioscoridis & Plinii facit, sicque cognominat à vi pro pulsandi venena, & non vt Lobelius, à voce ἅλισμα, maris allisionem sonante. Alceam præterea nuncupari refert, floresque ex albo lutescentes habere, haud multùm odoriferos. Rectiùs autem Neoterici à forma foliorum Auriculam vrsi vocant. Columnæ tamen Auriculas vrsi ad Alisma siue Damasonium Dioscoridis, referentis sententiæ valdè acquiescit Clusius. Austriacarum Stiriacarumque Alpium incolis Crassivater-kraut & Schwindelkraut ab effectu dicitur. Cómendant enim eius radicis vsum, ad roborandum caput, ne vertigine in præcipitiis tentetur, cuius rei causa, caprearum & ibicum venatoribus non minùs familiaris quàm Doronici radix. Medlingenses apud quos copiosè nascitur, wolschmeckend: Schlüsselblůmen / i.e. Primulam odoratam appellant.

Synonyma quædam.

H. Lugd. pag. 836. Primula Veris pachyphyllos. Cæsalp. Auricula vrsi seu lupi: Cast. Auricula vrsi. Camer. & Eyst. Auricula vrsi floribus luteis: C. Bauh. phyt. & pin. Sanicula Alpina 1. siue lutea, Sanicula Alp. foliis serratis.

Locus.

Copiosè nascitur in agro Goritiensi monte Saluatino, vt & in variarum Austriæ & Stiriæ alpium iugis, vbi obseruauit Clusius florentem Iunio, interdum Iulio & Augusto duntaxat, videlicet statim post solutas, in iis iugis, vbi crescit, niues, nonnunquam etiam sub ipsa quasi niue, & concamerata niuis induratæ crustâ, reliquâ, quæ subtus erat, Solis radiorum rupes ferientium repercussione solutâ. In hortos verò translata Aprili floret, & aliquando iterum Autumno, si aura sit temperatior, illis exceptis, quæ vel contabuerunt, vel nullâ diligentia, aut cultura ad florem ferendum induci potuerunt.

Vires & Vsus.

Cæteris Saniculis præfertur ad enterocelas, & thoracis vulnera, si quotidie in potu sumatur: quin & ad alia vulnera, tam intus sumpta, quàm exteriùs illita: Frigida & sicca est & adstringit, teste Matthiolo & Dodonæo. Gesnerus libro de Lunariis herbis, radicem vinum suo odore commendare scribit, manducatam verò, dentium dolores, præsertim à frigida defluxione obortos iuuare, capiti frigido & partibus neruosis prodesse, putrida vlcera emendare, scissuras in cute hiantes, ventorum, frigoris, aut alta quapiam iniuriâ, succum eius instillatum breuissimè sanare. Istic vbi nascitur, Soli, vt dixit Clusius, montani venatores eius radice ad corroborandum caput, ne vertigine tententur, vtuntur: à reliquis negligitur, præterquam mulierculis, quæ ex eius floribus serta & corollas conficiunt. Columna huic nostræ plantæ, vires Primulæ Veris & Alismatis Dioscoridis adscribit.

Supererant aliquot Auriculæ Vrsi species, nonnullaque alia capita, quæ pro Instituti nostri ratione superioribus in hocce Libro subnectenda erant, quæ cùm lapsu quodam typographico loci huius esse non possint, in Appendicem huius Tomi relegantur: Inibi igitur habebit Lector *Reliquas Auriculæ Vrsi species, vt & Chamæcistos Alpina: Saniculaque itidem Alpina minima pilosa C. Bauhini, necnon Verbascorum & Blattariarum ac Chrysogonorum historiam.*

FINIS LIBRI TRIGESIMI.



HISTORIAE VNIVERSALIS PLANTARVM LIBER XXXI.

NERVIFOLIA, VT PLANTAGINES, GENTIANÆ, POLIGONATA, HISQVE NONNIHIL SIMILES.

PEralla sanè magna ex parte Coronariarum natura est, quarum ineffabiles varietates non minùs ostendendo nos placuisse speramus, quàm naturam eas prebendo, cùm hunc gentium nobis largitus sit D. O. Max. vt à se largitas indagaremus curiosiùs ipsi, vt ostenderemus aliis. Nunc aliò gressus dirigendus. Est vbi ex fructu, est vbi ex flore, est etiam vbi ex radice stirpium classes meliùs æstimes: nunc ad folia maximè respicere lubet. Ergo, hercle, has nunc, o lustremus, quarum folia ceu parallelis costis atque neruis nobiliter instructa sunt, & his affinitate proximas. Quanquam si & aliò respicere lubeat, est vt spicati aut caudati culminis similitudinem in plerisque contempleris.

PLANTAGO VETERIBVS.

CAPVT I.



THEOPHRASTVS simpliciter Arnoglossum vocat, aliquando Stelephuron, vtrumque verbum à Theodoro Plantago vertitur. De Arnoglosso inquit: Ab radice tantùm foliata est: prorogat suos prouentus èx singulis floribus: alibi Stelephuros, inquit, spicosa, quæ Agnina lingua à quibusdam vocata est. & ab aliis Coturnix (Conturnix Cæs.) similis caudæ vulpinæ, nisi quòd florem non particulatim edit, sed per totam spicam, Tritici modo: flos lanugineus, vt Frumenti: Genere autem conuenit cum Oculo canis, & Bibinella, & Cauda vulpina, quæ spicam gerunt, non acutam, neque aristatam totâ formâ cum Tritico similia, sed latiore folio.

Plinius seorsum de Plantagine & Stelephuro agit: nam Stelephuros, inquit, proxima est Caudæ vulpinæ, nisi quòd illa particulatim floret. Alibi duo genera Plantaginis tradit, minorem & maiorem. Verba eius lib. 25. cap. 8. sunt hæc: Celebrauit & Themison Medicus vulgarem herbam Plantaginem, tanquam inuentor, volumine de ea edito. Duo eius genera, minor angustioribus foliis & nigrioribus, linguæ pecorum simillimis, caule anguloso, in terram inclinato, in pratis nascens. Altera maior, foliis laterum modo inclusa: quæ quia septena sunt, quidam eam Heptapleuron [ἑπτάπλευρον, h.e. Septineruiam] vocauêre. Huius & caulis cubitalis est & angulosus. Nascitur in humidis multò efficacior. Vis mira siccando densandoque corpore, cauterij vicem obtinens. Nulla res æquè sistit fluxiones, quas Græci rheumatismos vocant. Ita habet vetus Plinij codex, qui Dioscoridem, miras huius herbæ facultates tradentem variis aliis in locis sequitur & declarat.

Cæterùm, caput Dioscoridis [quod nonnulli codices περὶ ἀρνογλώσσου ἢ ἑπταπλεύρου inscribunt, alius verò codex πολυπλεύρου] sic habet. Plantago (ἀρνόγλωσσον. Orib. αἱ δὲ ἑπτάπλευρον, αἱ δὲ πολύνευρον:) duûm est generum: minor enim vna est, maior altera. Ac minor quidem foliis prædita est angustioribus, minoribus, mollioribus: cauliculis verò angulosis, ad terram inclinatis: floribus autem pallidis, ac semine summis caulibus emicante. At maior (τὸ δὲ μεῖζον. Sunt antigrapha, in quibus periodus à τὸ δὲ μεῖζον, vsque ad γίνεται, h.e. nascitur, deest: sed teste Sarraceno, retinenda sunt omnia:) & amplior lætiorque est. & latifolia, in oleris vsum apta [λαχανῶδες: Ald. λαχανεύεται:] Caulis huic angulosus, subruber, cubiti altitudine, à medio ad verticem tenui semine circumdatus. Radices subiacent teneræ, hirsutæ, candidæ, digitali crassitudine. Nascitur in paludibus, sepibus, ac locis vliginosis. Maior (μέγα vet.) porrò efficacior est. Vim habent folia exsiccatoriam & adstringentem. Quare omnibus malignis, elephantiasin comitantibus, fluxioni opportunis, sordidisque vlceribus illita conueniunt. Cohibent & sanguinis eruptiones, nomas, carbunculos, herpetas, & epinyctidas, vetera quoque & inæqualia vlcera cicatrice obducunt.

albicantium, Lobelio obscurè purpureorum & pullorū proferunt: *semen* sublongum, obsoleti coloris, Lob. Portulacæ pusillum fuscū aut rugineū.


Synonyma. Trago, Fuschs. Corn. Turn. Matth. Anguill Dodon. gall. & lat. Lon Camer. hort. Tabern. Schuuenkf. & Castori dicitur *Plantago maior.* Brunfelsi.& Trago Plantago rubea. Plantago latifolia Cordo in Diosc.& Gerardo. Arnoglossa & Plantago maior latifol. Lob. Plantago vulgò Cētinerua Cæsalp. Plantago πολύνευρος maior seu rubea, Thalio. Plātago 1. siue latifol. maxima sinuata C.Bauh. phyt. Eidem Pin. Plantago latifol. 2. siue sinuata. Schuuenckf. ἀρνόγλωσσον Dioscoridis. Ab omni memoria peruagatæ notionis, ex vtilitate & feracitate vbiuis gentium penè immensa.

Locus. Plurima humectis locis, in aruis, hortis, secus itinera, & sepes.

Tempus. Iunio floret, semen Augusto dat.

Vires & Vsus. Mistæ est temperaturæ, inquit Schuuenkfeldius. Habet enim quiddam aqueum frigidū, quiddam verò & austerum, quod terreum & siccum. Refrigerat & desiccat ordine secundo. Olus coctum estur. Dysentericis & cœliacis benefacit. Comitiales & asthmaticos iuuat. Cum Lente Alicæue sorbitione stomachū roborat.& hydropicis, qui leucophlegmatia laborant prodest. Vulneraria est herba, vlcera & fistulas sanat. Succus aurium doloribus, & lippitudinibus oculorum vtilissimè instillatur. Gingiuis sanguinolentis,& sanguinem reiicientibus potus confert, phthisicis & tabidis salubris. *Radix* crassiorum est partium, minùs refrigerat, siccat & nonnihil abstergit. Dentium dolores mulcet collutione. Iocinoris obstructiones tollit. Renum & vesicæ vlcera sanat. *Semen* siccioris est facultatis & minùs frigidæ, subtiliumque partium. Alui fluxus, dysenterias& vteri hæmorrhagiam sistit. Liquor stillatitius calidas podagras in primo impetu mirificè lenit: Hydropicis vtiliter bibitur.

PLANTAGO ROSEA.




Descriptio. PLusquam pollicari *radice* perennat: *folia* per terram spargens Plantaginis latifoliæ, pilosa & neruosa, inter quæ *caules* surrigit satis crassos, hirsutos, in quorum fastigio folia crebra, inferioribus dimidio minora, interiore orbita, Altinæ, admodum parua virescentia, Rosam deformāt.

Cæsalp. vocauit Plantaginem foliato caule, frequentem in Germania. Dod. Plantaginē cum spica Rosæ instar. Plantaginem roseam spicatam Ger.& Eyst. Plantaginem multiplicem Tabern. Ic.& Hist. Plantaginem roseam Lob. in Adu. Plātaginem roseam vulgarem sine icone & descrip. Clus. Hist. post. Plant. roseam Penæ H.Lugd.p. 1256. Plantaginem 2. siue latifoliā maximā roseo flore C.B.phyt. Idem Pin. Plantaginem lati[illegible] siue roseam, floribus quasi in spica dispo[illegible].

Basileæ Iunio mense florentem vidi in va[illegible] tam à Theod. Zvvingero. In horto Ill.E.C.[illegible] viret Augusto.

PLANTAGO MAIOR PANNICVLA sparsa.



Descriptio. SOla differētia Belgicis agris & hortis, in pannicula spicatim sparsa, onusta innumerà herbaceorum flosculorum, racematim cohærentium, fœturà.


Dicitur Lob. Obseru. p. 162. Plantago rosea pannicula sparsa: Sarathrodes & Corematophora, siue Scoparia Gemmæ: Roseæ Plantaginis varietas. Ic. Plant. p. 305. Plantago panniculà sparsa. Dod. gall. Plantaginis primæ siue maioris species alia. Lat. in fol. Plantago maior spicà multiplici. H.Lugd.p.1256. Plātago rosea Lob. C.B.phyt. Plātago 4. siue latifol. maior spica multiplici. Eid. Pin. Plā. lat. 6. siue spica multipl. sparsa.

Plantago marina magna.

Spithamæis pediculis nituntur *folia*, pari cum pediculis longitudine, palmum lata, acuminata, crassa, septem neruis donata, sapore cum Plantagine septemneruia terrestri eodem, nisi admixta esset salsedo quædam: *caules* cubitales, nudi, thyrsis longis *florum* insignes, quos *semina* sequuntur, iam dictæ Plantaginis similia: Hanc situs loci fortè diuersam facit videri à vulgari Plantagine maiore glabra.

Apud mare florentem vidi mense Maio, semenque proferentem Augusto.

PLANTAGO ROSEA, FLORE EXPANSO.



Descriptio. HVius florem addidit Camerarius apud Matthiol. in Hist. germ. & Epit. Plantagini maiori. In horto vocauit Plantaginem roseam. Sic quoque Lobel. in Icon. Plant. p. 304. appellauit, & Eyst. Plantag. roseam exoticam Gerard. Plant. latifoliam 4. siue roseam

C. Bauh. nos. flore expanso C. Bauhin. in Pinace. *Apparet* C. Bauhinum loco citato non parum titubare, dum Plantaginem roseam Aduersariorum ad hanc refert: dúmque rursus eandem [Plantaginem roseam Penæ, H. Lugd. p.1256.] ab hac nobiscum separat. Ipsum eadem Icon, eadémque verba satis redarguunt.


Eandem cum prædicta, aut certè valdè similem Clusius describit vocátq; Plantaginem 2. siue latifoliam exoticam, Plantaginem peregrinam latifoliam Gareti.

PLANTAGO MAIOR HIRSVTA, MEDIA à nonnullis cognominata.

Icon. Guarin.



Icon Lobel.



Descriptio. MInimi digiti crassitudo est *radici* fibratæ, rectæ, adstringenti: *folia* lata, neruosa, vtrinque lanugine tenui canescunt: *caules* recti, cubito altiores, teretes, hirsuti, inanes, spicam gestant, muris maioris caudæ quadantenus similem, *calyculorum* agmine denso compactilem, qui in quaterna foliola subpurpurea explicati stamina concolaria, apicibus autem albis, ostentant.


Synonima. Brunfelſ. tom.1. chapſ.1. Lonic. & Camer. Plantago maior. Hist. Lugd. p.1254. Plant. maior Matth. Fuchs. Gesner. hort. Dod. Schvv. & Matthiol h. germ. (vbi figura transposita, & posita sub titulo maioris.) Plantago media. Thal. Pl. media Dodonæi. Trago Plantag media vel 2. & latifolia: Eid. Hist. germ. Plant. media vel alba, Dioscoridi & Plinio fortè non nota. Cordo in Dioscor. Plantago 3. latifoliæ similia habens folia multò tamen minora & leuiter hirsuta. Tab. Ic. & Hist. Plantago minor Dioscoridis: Plant 4. Lingua ouina. Lobel. in Adu. & Ger. Plantago incana. Lobel. in Obs. p.162. Icon. Plant. p.304. & Clus. hist. Plantago maior incana. Turn. Plant. minor. C. Bauh. phyt. Plantago 3. siue latifolia 3. siue incana: Eid. pin. Plant. latifolia 3. siue incana: Cynoglossa quorundam, Lugd.

Matt. not. Plantago minor.

Ἀρνόγλωσσον μέσον, Plantago quinqueneruia, mittel wegerich/ wegebreit/ wegetrit (inquit Schvvenckf.) in hortis & secus vias, vt maior glabra, nascitur, eiusdem facultatis. In Germania abundè frequens. Æstatis tempore, vt cæteræ, conspicua, atque vnà cum spica reperitur: Hyeme quoque, vt aliarum, sola restat radix, haud facilè periens, teste Dodonæo. Locus.

Vires & vsus. Quum Plantagines refrigerent, repellant, adstringant, & glutinent, haud consuluerim applicandam commorsis à cane rabido, aut à serpentibus, licèt multi Neotericorum ad eos morsus cōmendent. Morsibus canis [inquit Schvvenckf.] ambustis, inflammationibus, calidis podagris, folia conueniunt. Tusa addito salis modico luxatis dolores & tumores tollunt.

PLANTAGO QVINQVENERVIA CVM globulis albis pilosis.



Descriptio. NVmerosa per terrā spargit *folia*, quinqueneruia, hirsuta, coëuntibus pediculis in caput radicis, ita vt propter tomētum coïtus vix appareat: latitudo iis semūcialis, longitudo sextantalis: *caules* multi, alij erecti, alij supini, palmares & spithamæi, capitula gestant, tomento albo villosa, iulos Salicis imitata.

C. Bauhin. phyt. vocauit Plantaginem 8. siue Plantagini similem alteram. Pin. Plant. angustifoliam 8. siue panniculis Lagopi. Synonyma.

Floret mense Aprili ad ripam lacus Aluensis, montem Seti, & Balneum Baleructi, vbi obseruaui cùm essem Monspessuli. Tempus.

Plantago incana & lanuginosa minor.

Vulgari minor foliis incanis, multáque lanugine obductis, humi stratis, maxima anni parte caule vidua, & floris expers: inter multas tamen plantas, nonnullas animaduertebat Clusius Maio mense ferentes exiguam spicam Plantaginis instar, minorem, plenam florum pallescentium. eius radix tenuis, longa & nigra erat. Descr.

C. Bauhin. phyt. Plantago 6. siue Salmāticensis: Eid. pin. Plantago latifolia 10. siue villosa, seu incana lanuginosa. Tempus.


In collibus Salmanticæ vicinis, aliis item Castellæ locis aridis obseruabatur à Clusio. Locus.

PLANTAGO

pula vinum discutere, mentémque restituere author est Scrib.Largus.

PLANTAGO LANCEOLATA.

Descriptio. PLantago quinquenervia longiusculam & fibrosam *radicem* demittit: caules Maiori pares, profundè striatos, subhirsutos: *florem* Maioris æmulum: *folia* verò plurimùm differentia, lanceæ mucronem referentia, longis pediculis appensa, oblonga, stricta, raris crenis leuiter serrata, hirsuta, quinque neruis longitudinem folij percurrentibus, auersa parte conspicuè elatis: sapor subdulce quid mandenti offert, cum adstrictione. Πεντάνευρον græcè, Quinquenerviã latinè cognominare solent, eò quòd eius folia, fibris quinque tanquam neruis, distincta sunt: Officinæ quoniam folium arctiùs desinit in acumen, & veluti in lanceæ mucronem fastigiatur, Lanceolatam; vulgus autem Lanceolam appellat. Germani Klein oder Spitz-Wegerich vocant, quia sic acuminatior & longior est: & ad equinæ costæ similitudinem Rosripp: Galli *Petit Plantain.*



Brunfelsij figura Plantaginis minoris tom. 1. rhaps. 1. non placet. Fuchsius pro minore mediam pingit.

Synon. Dod.gall.& lat.Gesn.hort.Schvv.Lon.& Lac. Plantago minor. Cast..Plantago media.H.Lugd. p.1155. Plantago minor, longa Matthioli: Item, Plantago minor Dod.Corn.Lob.Adu.Obs.p.163. Ic.Pl.p.305.& Gerardo Plantago quinquenervia. Cordo in Diosc. Plantago angustis oblongisque foliis. Trago, Plantago lanceolata, Plant.3. vel minor, & Lanceola, Quinervia Manlij, Herlatum, Megebora & Herba Martis Phrysij. Matth.germ. Plantago longa, vulgò lanceolata. Anguill. Plantago altera dicta Lanciuola. Tab. Ic.Plant.Lanceolata: Eid.Hist.Lanceola & Lanceolata, Costa canina. C.Bauh.phyt. Plantago 9.siue angustifolia maior: Eid.pin. Plantago angustifolia 1.siue maior, Lanceola Maior Cæsalp.


Duplex Thal. Plantaginem πεντάνευρον, minorem, seu lanceolam, Thalius duplicem facit. Maior, inquit, folia profert bipalmaria, sæpe duarum vnciarum latitudine ferè, quæ quandoque in ambitu vel pinnulis quibusdam paruis exornantur, vel omnino sine illis existunt. Altera minor folia breuiora habet & strictiora. C.Bauhinus variare ait, spicis aliquando bifidis: aliquando loco spicarum, capitulis mirè variantibus.

Locus. Passim prouenit locis & viis incultis. Floret in tio Æstatis, semen Augusto legitur.

Sicciore est & commendatiore dote ad vulneratias potiones, vnguenta & hernias, etiam vulgi experimento. Ebrio datam copiosam in cra-

PLANTAGINIS LANCEOLATÆ species minima.


RAdice prædita est parua, ad foliorum exortum valdè villosa: *folia* gramineæ angustię, duûm aut triũ vnciarum lógitudine: caulium palmo longiorum cacumini capitulum breve & veluti glomeratum insidet. Descriptio.



Hanc esse æstimamus, quã Tabern. in Ic. & Hist. itemque Gerard. Plantaginem angustifoliam minorem inscribit: Cæsalp. Lanceolam minorem: C.B. phyt. Plantaginem 12. siue angustifoliam minorẽ: Idem pin. Plantaginem angustifoliam 6. Facilè crediderim à Lanceolata magnitudine tantùm differre, idque ratione loci. Monspessuli Septembri mense floret.

PLANTAGO LATIFOLIA MINOR.

PLantagini maiori in omnibus similem fecit Tabernamontanus, qui cum Gerardo Plantaginem latifoliam minorem inscribit. C.B. phyt. Plantagidem 5. siue latifol.minorem, & mediæ genus minimũ Thaliit Idem pin.Plantag. latifoliam 11. siue glabram minorem. Descriptio.



Dubium mihi est an Thalius & Tabern. de eadem Plantagine scribant. Tabern. suam refert ad rubrã, quam nos latifoliam glabram maiorem vocamus: Thalius verò suam videtur ad eam referre quam mediam Dodonæi vocat, & nos latifoliam hirsutam inscribimus. C.B. sent.

PLANTAGO ANGVSTIFOLIA MAIOR, caulium summitate foliola: & alia spicata.

ANno 1612. Augusto mense Io Lamandus Delphinas perquirens plantas horti Ill. Re-

C. Mont. reperit Plantaginem maiorem angustifoliam luxuriantem in dicti horti prato.

Icon Gerardi.



Icon Clusij.



Descriptio — *Radix* autem lignosa erat & insipida, fibrisque valdè tenuibus nixa: *folia* multa cubitali longitudine, duos pollices quædam lata: costæ vel nerui elatiores quinque, ad pediculos apparent rari quidã pili, alioqui ipsa folia tota virore prædita sunt, quæ quum gustantur, sapor nullus notabilis aut insignis sentitur, subsequente tamen pòst acrimonia: *caules* plures, non ramosi, angulosi, sesquicubitales, &, qua parte radici adhærebãt, purpurascentes in summitate veluti spicæ, vnciam circiter longæ, in quibus *flosculi* cum apicibus longiusculi: in capitulis albis *semina* longiuscula, russa, tunicis paruis inuoluta.

Gerard. [cuius Iconem proponimus] Plantago quinqueneruia rosea differt à nostra quam descripsimus, in eo quòd nostra tot foliola in supremo caule non habeat, & in eo quòd ex foliolis prodeant duo cauliculi spicati. Quam ob rem Clusij Plantago exotica nostræ similior.

Quam C. Bauhinus in Phyt. Plantaginem 10. siue angustifoliam maiorem in caulem excrescẽtem vocat, eam in prod. & in Pin. Plantaginem 2 siue quinqueneruiam caulium summitate foliosam cognominat, ac sic describit: à vulgari in eo differt, quòd cauliculi spicam florum sustinentes, in caulem palmarem excrescunt, in cuius summitate, folia plura, eo modo quo ad radicẽ disposita: spicis non oblongis, sed rotundis, breuissimis pediculis lanuginosis insidentibus. In Pinace etiam vocat Plantag. angustifoliam tertiam siue proliferam.

Plantago angustifolia minor spica hirsuta alba, foliis ex atro virentibus valdè villosis.

Radice est tenui, fibrosâ, albicante: *foliis* aliquando vncias quinque longis, strictissimis, atrouirẽtibus, tribus neruis distinctis, per marginem potissimùm pediculis, pilosis: inter quæ *cauliculi* exurgunt, alij cubitales, alij pedales, alij palmares, aliquando triunciales, ad exortum aliquando villosi, glabri nonnunquam, quibus spicæ breues, oblongæ & subrotundę insident.

Hanc descriptionis author. C. Bauhinus, facit in phyt. Plantaginem 11. siue angustifoliam alteram, vel minorem angustissimo folio. In prod. Plantaginem 3. siue trineruiam angustiss. folio. Pin. Plantaginem angustifoliam 9. siue trineruiam fol. angustissimo. — Synon.

Sæpiùs hanc Plantaginem ad vias, maximè ad rudera author notauit. — Locus

PLANTAGO ANGVSTIFOLIA ALPINA



Descriptio — E *radice* crassiuscula, longa, parum fibrata, circa caput crassescente, *folia* oriuntur ad lanceolatæ Plantaginis folia accedentia sed multò angustiora, & circiter trientem vnciæ lata, sesquipalmaria, quinqueneruia, parum hirsuta, nigricantia, solidiuscula: *caules* ad radicem hirsuti, foliis longitudine æquales, capita gerunt semuncialia, plantagineis nigriora.

An Gesn. hort. Lanceola montana. H. Lugd. Holosteum quorundam. C. Bauh. phyt. Holosteum 4. (3. Pin.) siue hirsutum nigricans. — Synon.

Geneuæ in monte Thuiri.

Plantago Indica, Payco acris.

Herbæ Payco nuncupatæ, Monardi ex Peru missæ, tribuuntur (ex versione Clusij) *folia* Plantaginis foliis cùm formâ, tum colore simillima, siccata quidem admodum tenuia, & gustata valdè acria, calidáque. — Descriptio

H. Lugd. pag. 1919. meminit in Peru Payconis. C. Bauhin. phyt. vocauit Plantaginem 7. siue Plãtagini similem Peruuianam. In pin. Plantaginem latifoliam 7. siue Indicam. — Synon.


Eius puluis ex vino sumptus, nephriticum dolorem è flatibus, aut frigida causa prouenientem tollit: ipsa verò planta cocta, & emplastri in modum dolenti loco imposita, eundem effectum præbet: quod certissimum esse ipsâ experientiâ didicisse Monardes testatur.

PLANTAGO VMBILICATA.

Radix ei Plantaginis vulgaris simillima, spithamum longa, creberrimè fibrata: è cuius nodulo

nodulo siue basi, digitalis crassitudinis, plantagineum, latum, vnicum, admirabili naturæ opificio, expansum *folium*, paulatim propagando in latum gyrum vmbilicatum excrescens, & Coclidis instar per circuitum ascendes, in spiras duas tantùm, aut semiternas conuolutum, ac veluti ex pluribus coniunctis in vnum contiguisque Plantaginis maioris foliis conflatum, spithameæ, altitudinis aut pedalis ferè, cuius summum folium Plãtaginis latifoliæ seruat figuram, sinuosam tamen & rugosiorem, sapor illi prorsus plantagineus. E medio conuoluto siue vmbilicato, imo centro, foliorũ quędam rudimenta conspiciuntur, è quibus caulem erumpere verisimile: De cæteris Lobelio qualiscũque descriptionis authori nondum constabat: In Aduers. autem vmblicum montanum Herbariorum vocat. C. Bauh. dicitur in Pin. Plantago latifolia 8. siue peregrina sinuosa.

Descriptio



Monspelio Londinum semine misso Lobelio à D. Casparo Pelliterio, in horto I. Nasmyth. Chirurgi & Archibotanici miræ & raræ elegantiæ hæc orta planta.

PLANTAGINI ANGVSTIFOLIÆ similis Habbures.

Descriptio

PLanta, quam Frater pro Habbures Camerarij misit, magnã habet cum Holostio Monspeliensium similitudinem: *folia* sunt vncias tres circiter longa, angusta, in acumen desinentia, neruosa, hirsuta, sapore nullo insigni: *caules* aliquot eiusdem longitudinis cum foliis, rotundi, capitula plantaginea, longitudinis vnguis, latiuscula.

C. Bauhin. in phyt. vocat Holosteum 3. siue hirsutum albicans alterum, addens D. Camerarium ab Alpino nomine Ootne albi cathartici accepisse. In Pin. Holosteum 5. siue Creticum alterum, Leontopodium Creticum aliud Clusij hist. Dubitat au sit Plantagini similis planta H. Lugdunensis. Ex Oriente secum detulit D. Bern. Paludanus.

PLANTAGINI AFFINIS BIBINELLA Siciliæ herbula.

THryallis Theophrasti & Plinij, Bibinella Theodori, authore Cæsalpino, herbula est ex Sicilia habita, minor Lanceolà ac viridior: *folium* medio quodam modo se habet, inter Lanceolam & Plantaginem: paruis circumquaque apicibus, vt Coronopo, frequentioribus: *cauliculos* fert palmares, plenos *semine*, vt Plantago: Herba assumitur inter olera.

Synonima

Casp. Bauhin. pin. Coronopus 3. siue maritima maior, Plantago marina Dodon. gall. Lobel. in Adu. Obs. p. 163. Ic. Plant. p. 306. Tabern. & Gerardi. Plantago maritima Gesn. hort. & H. Lugdun. p. 1359. Plantago angustifolia Dod. & Coronopus marinus Camerarij.

PLANTAGINI SIMILE ANTIPHARmacum, siue Contrayerua.

MOnardes de Ind. Occid. parte 1. in epist. Petri Osmæ meminit perniciosi cuiusdam toxici, quo in bello & venationibus incolæ vtantur, cui aduersari dicitur planta *foliis* latis, Plantagini Hispanicæ haud absimilibus, si teratur & vulneribus imponatur. Sic enim venenum extinguere, & à Symptomatibus illis, quæ toxicum generare solet, liberare aiunt. Pro magno thesauro existimant Hispani, eam plantam se inuenisse: nascitur eadem regione, vbi Toxicum.

Locus

Eandem esse cum iam dicta credimus, quam idem Monardes libro simpl. medicamentorum ex nouo Orbe delatorum, cap. 17. sequentibus delineauit.

Ex Charcis prouincia Peruana radices quædam venenis aduersantes aduehuntur, Iridis radicibus valde similes, sed minores, & ficulnei folij odore. Hispani Indias inhabitantes Contrayerua appellant, quasi dicas Alexipharmacum, quoniam earum puluis ex albo vino sumptus, aduersus omne venenum, cuiuscunque tandem sit generis, præsentissimum est remedium (vno sublimato excepto, quod solâ lactis potione extinguitur,) vomitione illud reiicere faciens, aut sudores evacuans. Sed & amatoria pocula, eo puluere hausto, educi ferunt. Ventris etiam animalia pellit. Gustata radix, aromaticum quiddam sapit cum acrimonia coniunctum: quare calida videtur secundo gradu.

Huc quoque referenda herba quædam (vt Gomarà hist. gen. cap. 71. perhibet) indis nota, cuius radicis succus alexipharmacum est pestilenti & pernicioso toxico, quo ipsi sagittas illinunt.

C. Bauh. pin. dicitur Plantago latifolia 11. siue Plantagini Hispanicæ similis.

HOLOSTIVM VETERVM. Cap. II.

HOlostium (ὁλόστεον ita editio Parisiens. alij tamen ὁλόσιτον, quasi totum esui aptum, teste Cæsalp.) Dioscoridi parua est herba, tribus aut quatuor digitis eminens supra terram, *foliis* & viticulis Coronopo aut Gramini proximis, gustu adstringentibus: *radice* prætenui, vsque in capillamenti speciem (pili instar alius. Cæterùm, error hic notatur in Dioscoride, capillamenti similitudinem tribuenti radici, cùm potiùs herbę conueniat, Cæsalp.) alba (vulgares codices habent λευκὴν τῷ εἴδει, i. e. albam, fibrosam. H. Lugd.) Nascitur in editioris terrę locis. Potest & ipsa si simul coquatur, carnes cogere & conglutinare. Bibitur & ad rupta cum vino.


Plinius non Holostium, sed Holosteon vocat, quasi totum osseum, ex aduerso tamen appellatam à Græcis herbam, quæ sine duritia, sicut fel dulce [fortè Holostium ob duritiem fruticis dictum est, nõn vt Plinius statuit:] tenuis vsque in capillamenti speciem, longitudine quatuor di-

gitorum seu Gramen, foliis angustis, adstringens gustu, nascitur in collibus terrenis. Visus eius ad conuulsa [vulsa Corn.] rupta, in vino pota. Vulnera quoque conglutinat. Nam & carnes cogũtur (quum coquuntur, Corn.) addita.


Galenus siccantem cum adstringente vim Holosteo attribuit: vnde ad rupta commodè bibatur.

Cæterùm Holosteon Cornarius Graminis speciem esse arbitratur mollioris sc. illius, quale in editioribus locis nasci tradit. Ac Holostij nomine sequentes apud Authores donantur plãtæ: Dens canis primus, seu Plinij Phalaris. Gramen Luzulæ. Holostium Iunci foliis Matthiol. Myosuros quorundam. Filix saxatilis. Holostium Plantagini simile. Plant. angustifol. alp. Serpentina. Gramen Fuchsij dictum, eique affine gramen. Tunica minima. Pilosella maior Fuchsij. Pilosella minor eiusdem. Herniaria. Tragos Diosc.

HOLOSTIVM PLANTAGINI SIMILE.



Hostium Monspessulanum.



Descriptio

HOlostij Monspeliani *radix* longa, crassa nigricans, lignosa, plurium capitum: *folia* per terram sparsa, tota albida, hirsuta, & tomentosa, palmaria quædam, quædam multò minora, non totã semunciam lata, quinq; neruis per longũm distincta, gustu adstringente: exsiccata conuoluuntur & in acumen desinunt: *caules* spithamei, aut breuiores: reperiuntur etiam cubitales, similiter hirsuti, thyrsum gerũt longum, aliquot vnciarũ, interdũ vnius, Plantagini & Cornu ceruino *floribus* & *seminibus* similes.

Idem est cum Holostio Salmanticẽsi Clusii, quod ei duplex. Vocatur autem à Lobel. in Obs. p. 166. Holost. Salm. maius Clusij: itémque in Icon. Plant. pag. 107. Ab Hist Lugd pag. 187. & Camer. hort. Holost Salm. Clusij. A Gerar. Holost. Salmanticense Clusij: Tabern. Holost. maius: Camer. apud Matthiol. in Hist. ger. & Epit. Holostium & Holosteum quorundam: C. Bauhin. phyt. & pin. Holosteum 1. siue hirsutum albicans maius, & Plantago angustifolia albida Dodonæi. Holosteum Salmáticense alterum Clusii, vocat Holosteum paruum Monspeliense. *Ego diuersæne* sint species, Holostium maius & minus Clusii, asserere non ausim.

Monspelii obseruatur florens Aprili & Maio: itémque Autumno in aridis Oliuetis & non procul ab arvis, viàque Boutoneti proximâ frequẽs. In hortis floret primo anno, sed rarò semen maturat. Frigoris impatiens est. Locus & Tempus

CORONOPVS VETERIBVS.

CAP. III.

Descriptio

DIoscoridis Coronopus (κορωνόπους) oblonga herbula est, humi strata, *folia* habens incisuris diuisa (hirsuta, cap. de Psyllio. Plura vide cap. de Holostio.) atque hæc quidem oleris quoque modo cocta estur. *Radicem* porrò habet tenuem, adstringentem, quæ cœliacis in cibo præclarè facit. Cæterùm, prouenit locis incultis, in aggeribus, & secus vias.

Meminit huius Plinius lib. 21. cap. 16. Aculeatarum [hanc vocem Plinium referre ait Cæsalpinus ad præcedentes plantas, de quibus Plinius iam dicto capite priùs locutus sit:] caules aliquarum, inquit, per terram serpunt, vt eius quam Coronopum vocant. Et rursus lib. 22. cap. 19. Coronopus oblonga herba est cum fissuris. Seritur interim, quoniam radix cœliacis pręclarè facit in cinere tosta.

Et hunc vsum eius medicum etiam Galenus & Aëtius habet. Sed in Paulo κωλικεὺς ἀσιλεῖν legitur, pro κωλιακούς. Nec librarij est hic error, ex vocum affinitate decepti, sed ipsius authoris Pauli: qui quum alaudam colicis opitulari antea scripsisset, mox subiunxit, κορωνόποδος ἡ ῥίζα καὶ αὐτὴ πινομένη κωλικοὺς ὠφελεῖν ἱστόρηται.

Theophrastus lib. 7. cap. 9. inter ἐπιγειοφύλλα, quæ folia à radice ad terram habent, κορωνόπουν recenset. Alibi inter aculeatas & spontè nascentes herbas. Itémque lib. 2. caus. cap. 7. inter amaras. Apud Theophrastum Gaza Silaginem & Selaginem vertit.

Inter reiectanea siue notha aliis dicitur Ammonos (ἄμμωνος:) aliis Astrion (ἄστριον:) Aphris Atirsipte (ἀτιρσίπτε:) Romanis Caciatrice [κακιατρικὴ:] aliis Stilagine (στιλάγινε:) aliis Sanguinaria, σαγγουινάρια.

Coronopus autem cornicis pedem significat, & refert quoque, foliis ita fissis & dispositis, vt cornicis pedem repræsentent. Nec ignota herba est, inquit Cornarius, & nostri nomine græcam vocem exprimente appellant.

Porrò Manardus his adstipulandum esse indicauit, qui volunt Coronopum Dioscoridis eam esse herbam, quæ vulgò dicitur Herba stella. Nos Coronopum siue Cornu ceruinum vulgò, Spicã Plantaginis vocamus. Refert Cæsalpinus & alteram Herbam stellam, quam nos Coronopum serpentinam, alij verò siluestrem, cognominant. Est præterea Coronopus Massiliensis Lobelij, Serpentinæ fortè varietas. Coronopus serpentina omnium minima. Coronopus maritima Rainaudeti. Coronopus maritima nostras. Coronopus Ruellij, siue repens: Eodem nomine etiam

etiam insigniuntur: Plantago marina. Catanance quorundam. Ranunculus. Caltha aquatica. Gramen dictum Dens canis ;. Capriola, Sanguinaria. Galiopsis maior. Atractylis. Carduus stellatus. Cedrus lycia.

CORONOPVS SIVE CORNV ceruinum vulgò, spica Plantaginis. CAP. IV.

Descriptio. VT plurimùm tenuis est *radix*, adultior tamen digitali crassitudine reperitur, alba: vix vllo excellenti sapore, exceptâ adstrictione: *folia* statim à radice, crebra, longa, angusta, hirsuta, neruosa, in lacinias aliquot laterales, ceu ceruini cornu ramos, vnde nomen, diuisa, sapore non nihil adstringente: inter hæc *caules* surriguntur Plantaginis, rigiduli, tenues, teretes, hirsuti, dodrantales & cubitales, thyrsulum plantagineum sustinentes, *flores* & *semen* Plantaginis proferentem.



Qui spontè prouenit, folia per terram spargit numerosa, in orbem, Coronopi vulgaris modo diuisa, & lacinijs crebrioribus, longioribus, rigidis pilis hirta, eoque nomine ferè incanam vmbilico ad foliorum velut radiorum in centro concursum multa lanugo mollis candida: caules complures palmares & dodrantales, rigidi, aspeti, hirti, spicam gerunt Coronopi vulgaris spicæ similem: radix singularis, fibrata, crassiuscula, mediocriter longa, lignosâ matrice farcta.

Tabern. Icon. Coronopus, Pes cornicis & Stella maris. Gesn. hort. Coron. verus, Herba stella Italorum. Anguill. Coronop. in multis Italiæ locis vocatus Herba Stella. Lob. in Adu. Coronopus [sic etiam in Obs. p. 239. in Ic. Plant. p. 437.] Cornu ceruinum. Cordo in Diosc. Coronop vera: Eid. in Hist. Coronop satiua.

Fuchsius Coronopum vocat, ac inter alia hæc addit: Κορωνόπους, ἢ ἄστριον Græcis, Pes cornicis & Sanguinaria Latinis dicitur. Officinis incognita herba: Germanis commodè *kraen*: aut *Rappenfues*: Gallis *Capriole*, ou *Sanguinaire, ou Dent au chien* appellari potest. Coronopus autem non alia ratione dici cœpit, quàm quòd cornicis pedem effigie repræsentet. Sanguinaria verò, Sanguinalisue vocata est, quòd sanguini sistendo apta sit herba. Sunt qui Herbam stellæ nominant, alludentes haud dubiè ad græcam appellationem Astrion. Nonnulli quòd folium eius multipartitò consectum, in ceruini cornu imaginem effigietur, Ceruinum cornu vocarunt. Ex Dioscoridis descriptione, etsi concisa admodùm, satis liquet, herbam hanc esse Coronopum &c. In editione autem eius gallica Lugdunensi annotatum legimus nomina *Capriole, Sanguinaire, ou Dent au chien* ad hanc herbam non pertinere.

Dodonæus [qui in hist gall. ob dissimilitudinem veterum Coronopi, Pseudocoronopon vocat, gall. *corne de cerf*, & quibusdam in locis, *herbe de la comtesse*] Fuchsio cōtrariatur his verbis: Herba stella, siue Cornu ceruinum ad Plantagines accedit, nascitur que locis incultis, aridis, arenosis, secus vias: In Italia, Germania vtraque, Gallia, tum & alibi frequens reperitur quandoque in hortis, vbi ampliter luxuriat. Spicæ eius eodem, quo Plantaginis, tempore conspicuæ. Herbam stellam non pauci nominant: sunt & qui Stellariam nuncupent; stellaria tamen & Alchymilla à recentioribus dicitur: est & Aster Atticus stellaria. Dicitur verò à Bel. *Hertzhooren*, & alicubi *Grauwnne* & *Grauwnne cruyt*, i. e. Comitissæ herba: Hisp. *Guitabelha*: Germ. *Crayenfus*, quod illi nomen à Leonha do Fuchsio putatur inditum, quòd Coronopum Dioscoridis esse indicauerit, veluti & non nulli post eum alij. Κορωνόπους siquidem Cornicis pedem, i. e. *Crayenfus* sonat; non tamen hæc Dioscoridis κορωνόπους est. Neque enim oblonga herbula est, nec vllo modo repit, viticulosis cauliculis destituta, quibus serpat: folia tantummodò per terram sternuntur. Coronopus autem herba exigua, oblonga & serpens, vti Dioscorides & Plinius testantur. Atque hanc ob causam Herba stella nequaquã pro Coronopo haberi poterit. Sunt tamen inter resectaneas Coronopi appellationes, quæ non perperam Herbæ stellæ conueniunt, vt sunt ἀμμωνος, siue Arenaria, quòd arenosa amet loca: ἄστριον quòd stellæ siue astri modo per terram spargatur: & Sanguinaria, quòd arenosa aduersus sanguinis quasdam profusiones perutilis habeatur. Sed nomina hæc pluribus stirpibus communia, quales, præsertim inter nothas voces Dioscoridi ascriptas, haud rarum est reperiri, in quibus minimè sunt facienda.

Manardus tamen ijs adstipulandum iudicauit, qui volunt Coronopum Dioscoridis esse hanc herbam, quæ vulgò Herba stella dicitur. Quin & Matthiolus huius opinionis sectatores non solùm, nihil falli existimauit, sed eò adductus fuit, vt crediderit Coronopum tam Theophrasto, quàm Dioscoridi idem esse; vocarique Italicè *Coronopo*, quod tamen in comm. Ital. non ait. Existimat præterea Coronopum speciem esse Plantaginis. Non placet autem nomen gallicum *Capriole*, quod in Epitome cum Camerarij additionibus adeptum, & repositum, *Corne de serf ou Sanguinaire*, quod ipsum postremum non probo.

Camer. hort. vocat Coronopum satiuum, in acetarijs vtilem, *hirschenhorn Salatt*. Turn. Coronopum aut Coronopudium, Angl. *Crowve foote Plantayne*, & Silaginem Gazæ.

C. Bauh. phyt. & pin. Coronopum 1. siue hortensem, Coronopum Tragi, Anguill. Lac. Lon. Tabern. & Eysteттensis, satiuum Cæsalpini, Cornu ceruinum Gerardi. Item phyt. Coronopum 2. siue syluestrem, hirsutiorem, Coronopum sylu. Coronopum sylu. Cæsalpini, Coronopum Prochytæ, Columnæ.

Castor huius Coronopi duas habet figuras quarum vna malè posita est pro Coronopo syl-

uestri, vt ipsemet Castor in fine libri annotauit.

Locus & Tempus

Coronopum spontaneum Monspelij tantùm obseruaui, vbi passim prouenit. Lugduni in hortis seritur, floretq; Maio. Gener Cherlerus circa Gramontium maritimi tractûs collegit. Copiosè nascitur circa Shene iuxta semitas & in aggeribus maritimis. Meus Dioscor. Græcus (inquit Turn.) habet δώμασι. Ruellius videtur legisse χώμασι, quod magis placet: nunquam enim circa domos, sed in aggeribus, quos Græci vocant χώματα, frequentissimè vidi. Seritur in hortis, & sponte nascitur in incultis & secus vias, teste Cæsalpino. Quæ autem seritur, angustiore folio constat, mollior, & rarioribus appendicibus gratior: syluestris hirsutior, folijs profundiùs laciniatis, Erucæ similitudine.

Vires & vsus

Quia folia sapore dulci & adstringente, ideò cruda in cibis recipiuntur. Modus autem apparandi, & post leuem coctionem in acetaria indendi, durat etiamnum in Gallia & quibusdam Angliæ locis. Prodest nephriticis in olere, aut cibo sumpta: non tamen calculum atterens aut expellens, sed renes debiliores roborans, caloremque eorum contemperans: sanguinis verò ex his eruptiones cohibet etiam ac sistit. Cæterùm herba manifestè adstringens, frigida & sicca, Plantagini facultate accedit.

CORONOPVS SERPENTINA.

Descriptio



Insignis crassitudinis & longitudinis est *radix*, in capitula aliquot sub inde diuisa: ex qua *foliorum* seges magna pullulat, longitudine Coronopi esculenti, sed latitudine trientem aut quadrantem non adæquantium: *caules* inter ea plures palmares & altiores, nudi, enodes, thyrso Coronopi insignes.

Icones

Quæ à nobis pingitur desumpta est ex planta Cherleriana. Variè autem videtur herba ludere, eiúsque lusus exhibitos nostrâ ac Lobelij tabellâ, itémque Matthiolinâ.

Synonyma

Lobelio in Adu. pag. 17. Serpentina vernaculè vocata Matthiolo Holostium putata, p. 186. Serpentaria Matthioli, Holostij species. p. 187. Serpentina, nô Coronopus, sed potiùs Holostium. Est enim folijs gramineis aut Veronicæ siluestris humi procumbentibus: radix lignosa Veronicæ Caryophylleæ, semine & spica Holostij Monspeliaci, aut Coronopi vulgaris: prouenit in montibus Galloprouinciæ, Aruerniæ & passim in Italia. Huic altera, tota similis, nisi habitioribus folijs, flosculis, cauliculis incanis & hirsutis foret: Apenninis montibus & in Delphinatu repertu facilis. *Hæc ille* qui mihi videtur obscurior. Cur ad Holostium refert plantam p. 187. quam pag. 17. cum Holostio non conuenire dixit. Cur etiam Serpentinam, ei plantæ, quam Coronopum vocat, demptis lacinijs, simillimam facit, posteàque longè disparem ait?

Lobel. reprehe.

Serpentina Matth.

Matthiol. in prioribus comm. Serpentinam depingit, sed nô describit, in Epit. verò cum addit. Cameratij Coronopum siluestrem, & *Herba stella saluatica*, Italicè nominauit. Dodonæus in fol. lat. figuram habet nomine Serpentinæ Matthioli, describitque pro Herba stella altera.

Synon.

Gerardo Coronop. siluestris: Gesn. hort. Lob. in Obs. p. 240. Coronop. silu. Serpentina Tab. Coronop. silu. siue Serpentina H. Lugd. pag. 669. Coronop. silu. siue Serpentina Matthioli Lob. in Ic. p. 439. Coronop. in montibus nascens inter saxa: & altera in ædificijs, simplicior, Cæsalpino. C. Bauhin. phyt. & pin. Holostium 6. siue strictissimo folio maius.

Castor.

Figuram satiuæ Coronopi Castor malè posuit pro Coronopo siluestri, Herba stella syluatica, & Serpentina, quod ipsemet in fine Herbarij annotauit.

Locus & Tempus

Matthiolo teste Serpentina prouenit in Goritiensi agro diluto extenuatóque solo, non longè à Sontij fluminis ripis, & alijs etiam in agris. Geneuæ habui in horto delatam ex propinquis montibus, florentem Maio & Iunio. Frequens in Etruriæ *Montacuto*.

Vires & vsus

Matthiolus Coronopo suo eximiam tribuit vim contra ictus & morsus venenatos serpentum: dantur autem eius puluerati drachmæ 2. ex vino albo: hoc remedij genere multi euaserunt subitò, ab eiusmodi virulentis animalibus vulnerati, quemadmodum ego ipse certò obseruaui. Eiusdem radix in vino albo decocta, hydropicis vtiliter propinatur, diebus aliquot continuis manè, & sudoribus postea vacandum: Semen ex vino austero aut aqua Portulacæ haustum, omnem alui fluxum sistit ac hæmoptysin: consueuit etiam herba in vino rubro aut aceto coqui, & ius calidum in ore teneri, contra immensos dentium cruciatus.

CORONOPVS MASSILIENSIS LOBELII
Serpentinæ fortè varietas.

Descriptio.



Densissimo sparsóq; *foliorum* stipatu luxuriat, Sedi minimi saxei montani, vel Pinastri ritu, positu, & rigiditate, innumera etiam sobole *cauliculorum* dodrantalium, *semẽ* pusillum, Plantaginis aut Serpentinę vulgaris, spicis includentium: *Radix* longiuscula, lignosa, crassior, gustu nonnihil calida, aromatica.

Coronopi & Sedi montani mediam plantam Massiliensium [vt vocat Lob. in Adu. p. 187. Obs. Belg. p. 525. Ic. Plant. p. 438.] nouam antiquis & neotericis

neotericis indictam, visum fuit subdere, cùm propter nonnullam inter se similitudinem, tum propter eosdem natales maritimos. *Mihi sanè* videtur iconem ex Lobelio hîc appositam esse lusum Coronopi Serpentinæ, & non respondere descriptioni Lobelij, quæ videtur conuenire nostro Coronopo maritimo.

Tabern. Coronopus Massilioticus, *Marsilischer krabenfuss.* C.Bauh.phyt.& pin.Holosteum 8. siue Massiliense. Coronopus Massiliensium Hist. Lugd. Coronopus siue Serpentina minor Gerardo.

Collibus & cautibus Massiliæ vicinis ad maris allisiones, inter Tragacanthum passim luxuriat.

CORONOPVS SERPENTARIA omnium minima.

Descriptio.



COronop⁹, cuius figuram hîc damus, factam ad plantam siccam, à nobis Iunio mense Burmij Rhætorum collectam, *radice* est crassa: *caulibus* verò & *floribus* Coronopi serpentinæ: sed foliolis latioribus. Repræsentatur sanè figura Lobelij, in qua tamen non placent foliola cauliculis appicta quæ in nulla harum plantarum vidimus.

Serpentinam omnium minimam (vt vocat Lobel. in Obs. p. 240. in Ic. Plant. p. 439. nullatenus à superioribus distare ait, præterquam exilitate; coliculis enim vix vnciam æquare & sesquiunciam.

Tabern. dicitur Coronopus minor, Serpentina minor, *kleiner kraenfuss, klein schlangen-Grass.*

C. Bauh. phyt. & pin. Holosteum 7. siue strictissimo folio, Serpentina omnium minima Lobelij, Dodonæi & Lugd. Coronopus siue Serpentina minima Gerardi. Coronopus altera in ædificijs Cæsalpini. Quod verò Lugdunensis censeat, inquit, nullatenus à Coronopo Serpentina distare præterquam exilitate, dubito: quod verò opinetur eam esse, quam Pena pingendam curauit, & quam Monspelienses Holostium sunt suspicati, omninò fallitur, cùm tres distinctas plantas habeant, *Hæc frater* in phyt. Dubitamus nos an tres plantæ, quas figuris exhibet Lobelius, ab inuicem sint distinguendæ, vel non potiùs varietates. Quæ de exilitate dicit Lugd. desumpta sunt ex Lobelio, nec ideò culpandus. An Cæsalpinus eandem tradat cum Lobeliana, dubito: dicit enim lanuginosam, Lobelius verò hirsutam.

In celsis montium iugis sterilis Seuenæ in Gallia Narbonensi copiosè prouenit.

CORONOPVS MARITIMVS Rainaudeti.

Descriptio.



COronopi maritimi nomine misit ex Prouinciæ *Aix* ad nos Rainaudetus Pharmacopœus plantam, cui *radix* sesquipalmaris, crassa, fusca, sicca, insipida: è qua innumeræ oriuntur radiatorum foliolorum stellæ, tali verò ferè dispositione, quam in Phyllo Dalechampij videmus, vel Erica Matthioli, confertiorum, repandorum, semunciâ breuiorum, angustiorum, quàm Serpentinæ Matthioli: radiorū vmbilicus totus villosus, Lupini latitudine, è quo coliculus exit vncialis, nudus, hirsutus, thyrsulo ferè totus obsesus.

Coronopus à nobis nunc descriptus optimè conuenit cum descriptione plantæ, quam Lobelius in Adu. pro Coronopi & Sedi montani media planta Massiliensium proposuit.

CORONOPVS MARITIMA NOSTRAS.

Descriptio.



RAdix breuis, nigricans, crassa, fibris aliquot donata: *folia* quàm in Coronopode vulgari strictiora sunt, longeque crassiora & succulentiora, interdum penè iuncea, quadrantalia, ac etiam palmaria, sapore salso: flos purpureus, spicatus, vulgati, vt semen.

Cam. hort. Coronopus marinus: Lobel. in Adu. Plantago marina: Dod. gall. Tabern. & Ger. Plantago maritima. Gesn. hort. & app. itemque H. Lugd. Plantago maritima. C. Bauh. phyt. Plantago 13. siue angustifolia maritima. Eid. pin. Coronopus 3. siue maritima maior: Bibinella Cæsalp.

Monspelij iuxta mare mense Augusto floret; inde verò delata Montbelgardum, floruit Iunio & Iulio: semen maturuit Augusto. Terrâ gaudet salsâ, aggeribus & littoribus salsis Zelandiæ & Bergis ad Zoom copiosa.

MYOSVROS.
Cap. V.

Descriptio. Fibras numerosas pro *radicibus* habet, vnde *folia* germinant multa graminea, trium quatuórve vnciarum, angusta admodum: *cauliculi* vix altitudine folia excedunt, enodes, teretes, nudi, *flosculos* in cacumine gestantes, muscosos, herbacei coloris, paulatim sese explicantes, succedente clauâ duarum triúmve vnciarum, tereti, mucronata, granulis multis compactili, caudam murinam affabrè mentiente.



Synonima. C. Bauhin. in phyt. & pin. Holosteum 9. siue Holosteo affinis, Cauda muris: Coronopus siluestris Tragi: Myosuros Dod. gall. [qui Holostium negat, & Denticulam canis Ruellij:] Myosuros, cauda muris. Lobel. Adu. & Ic. Pl. p. 440. Myosuros cauda murina Tab. Myosuros quorundam Thalio. Cauda muris Dod. lat. Lob Obs. pag. 241. Camer. & Gerardo. Holostium Botan. Francofurt. Holostium Dioscoridis, Denticula canis Ruellij, & Gramen molle Lonicero. Holosthium Loniceri H. Lugd. p. 1189. Eid. p. 1268 Cauda muris.

Nomina, linguar. Perappositè autem a recentioribus μυὸς οὐρὰ ἢ μυὸς οὐρὸς vocatur herba, Latinè Cauda muris, vel murina: germ. *Mausschwantzlin, tausentkorn.* & *Meuszoaff* Belg. *Muysensteerkens*, Gall. *Queue de souris* Anglis *Blod strange*.

Locus. Pinguibus agris & pratis gaudet. Aprili mense floret: Maio semen maturum est.

Vires. Refrigerat, nec multum à Plantagine viribus differt. Gustu Plantaginis esse scribit Pena, Lobelius legit gustu Hydropiperis.

CYNOPS, CONOPS, CVLIX HERBA Veteribus.
Cap. VI.

Theoph. Cynops apud Theophrastum lib. 7. hist. c. 8. numeratur cum spicatis: germinat post æquinoctium primis imbribus. Theodorus modò Oculum canis vertit, modò Canariam. Hermo-

Oculus canis. Canaria. Conops. Culex. laus legendum esse suspicatur Conopa, & non Cynopa, vt intelligatur herba Culex appellata: nam Græcè Conops culicem significat, de qua herba reperitur apud rei rusticæ scriptores [Plinium l. 19. cap. 5. Cassianum lib. 12. cap. 19. Hermolaum lib. 2. Coroll. 366. Othonem Brunsfelt in Onomast. med. Constantinum Lex. græco. Gesn. in cat. pl. Idem lib. 1. Quadr. de cane agens per integrum ferè folium tractat de Conopo Theophrastique Psyllion esse probat, plurimis adductis rationibus, contra secus sentientes:] Cucumeres nasci sine semine, si farinâ eius herbæ macerentur semina.

Cynops Plinio. Apud Plinium quoque lib. 21. c. 15. & 17. inter easdem spicatas Cynopis mentio reperitur, Culicis verò herbæ lib. 19. cap. 5.

Coniza. Cæsalpinus Culicem herbam censet Conizam, deriuato nomine à Conope, quoniam culices abigat, vt Dioscorides testatus sit.

PSYLLIVM VETERIBVS.
Cap. VII.

Descriptio. Psyllium [ψύλλιον vet. add. ἢ κυνοκεφάλιον] Dioscoridi folio est Coronopidis, hirsuto, at longiore [μακρότερα: addendum hoc annotauit Goupylus ex vtroque antiquo, quod in vulgato exempl. desiderabatur:] ramulis dodrantalibus, totáque herbula Fœni modo tenuis ac minutula. Coma verò ipsius à medio caule ducit initium, capitulis duobus tribúsve [aut pluribus, addit vet.] conglobatis: in quibus semen pulicibus simile, nigrum atque durum. Nascitur in aruis & incultis. Vis ei refrigerans: articulorum morbis, parotidibus tuberculis, œdematis, luxatisque, & capitis dolori cum rosaceo, aut aceto aquáve impositum auxiliatur. Infantium quoque enterocelis ac eminenti vmbilico illitum ex aceto medetur. Acetabuli verò mensuram tritam in duabus aquæ heminis macerari oportet, ac vbi sese aqua densauerit, lentorémve contraxerit, illini. Siquidem vehementer refrigerat: sed & in feruentem aquam immissa calorem reprimit: denique & contra erysipelata est efficax. Fama est, si virens herba domum importetur, pulices arceri. Tusa porrò cum adipe, sordida malignaque vlcera repurgat. Succus fluxione infestatis ac vermiculosis auribus ex melle prodest: idem de lethalibus autor est potum totius corporis frigiditatem inducere, & torporem cum exolutione & mœrore: contra hoc auxiliari omnia, quæ contra potum Coriandrum.

Galen. Psyllij semen maximè in vsu est, inquit Galenus, ex secundo ordine existens frigidorum. Verùm in siccando & humectando medium quodammodò est & moderatum.

Plinius. Psyllion [refert ex re Plinio lib. 25. cap. 11.] alij Cynoides, alij Crystallion, alij Sicelion, alij Cynomon appellant, radice tenui, superuacuâ, sarmentosum, Fabæ granis in cacuminibus, folijs canino capiti non dissimilibus, semine autem pulici, vnde & nomen: hoc in baccis: ipsa herba in vineis inuenitur. Ei vis ad refrigerandum & discutiendum [ita ἀποκρουστικὴν δύναμιν reddidisse videtur, id est vim repellendi: aliqui enim διαφορητικὴ, est vis discutiendi: & hæc per calida fit, ista per frigida] ingens: semen in vsu. Fronti imponitur in dolore & temporibus, ex aceto & rosaceo, aut posca. Ad cætera illinitur acetabuli mensura, sextario aquæ densat ac contrahit. Tunc terere ac crassitudinem illinire oportet cuicunque dolori, & collectioni, inflammationique, tenesmo in aqua cum radicibus medetur. Omnibus articulorum morbis salutare est huius semen madefactum in aqua, admistis in heminam seminis duobus resinæ colophoniæ cochlearibus, thuris vno.

Psyllium inter nothas Dioscoridis appellationes ab aliquibus Cataphysis [καταφυσις] ab alijs Cynocephaliō [κυνοκεφάλιον, quasi caninū caput:] alijs Chrystalliū [κρυστάλλιον:] alijs Cynomuya [κυνόμυια, quasi Canina musca:] alijs Psylleris [ψυλλῆρις] alijs Sicelioticon [σικελιωτικόν, quasi Sicula

la herba] nuncupatur. A Siculis Conidiis] *κονύζιον*:] Romanis Silbacium [*σιλβάκιον*] seu Herba pulicaria, Aphris Vargugum appellatur. Crystallij porrò nomenclatura à viribus notisque eius facta est: quâ indicarunt, qui eâ vsi sunt, crassescendi densandique vim, quam ea habet: Crystallum enim glaciem Græci vocant, quæ in lapidis duritiem concreta densatáque frigore aqua est. Illi simile aliquid Pulicaris huius herbæ liquor habet, vt ex Dioscoride & Plinio patet.

PSYLLIVM MAIVS ERECTVM.

Descriptio. MVltis fruticat *ramis*, hirsutis, teretibus, variè diuaricatis, per quos *folia* incondita, graminea, tomentosa, summus *caulis* ramorúmque extrema crebros producunt pediculos, vmbellam quodammodò mentientes, quorum singulis capitulum insidet imbricatum, Plantaginis, crassius, breuius, squamnis maioribus, floribus similibus: *semen* lubricum, lucidum, nigrum, pulicis effigie, mansu aut maceratione mucilaginem abundè reddens: *radix* exigua, fibrosa. Est exilius & habitius.

Synon. *Ψύλλιον* Græcis, *Psyllium* Latinis, vt Trago, Matth. Fuch. Turn. Cordo in Diosc. & Hist. [vbi annuam hanc speciem describit. Ei autem vt existimo, incuriâ typographi addita figura Conyzæ: quamobrem quicquid scribat Lobelius, particulare Psyllium non habet hoc loco Cordus.] Dodon. Gesn. hort. Lob. in Adu. Obs. p. 239. Cast. & Gerardo. *Psyllium minus* Cæsalp. secundum Anguill. primum Tab. *Psyllium alterum* C. Bauh. phyt. Eid. pin. Psyllium 3. siue maius erectum. *Pulicaris herba* Lob. Ic. Plant. pag. 436. Psyllium Matthioli H. Lugd. p. 1172.


Nom. lingu. Germanis *Psyllenkraut, flohe samen oder kraut*: item *flohsamenkraut*. Belgis *Vlooycruyt*. Gallis *Herbe aux puces*, i. e. Herba pulicum siue Pulicaris herba. Italis *Psilio*. Hisp. *Zargatoni*. Angl. *fleewurte and fleesede*. Boh. *Chmeleyck*. Arab. Serap. Bazara chatona, Auerrh. Belcarcoton seu Bezercothume. Ægypt. *Chetum*.

Locus Spontè Narbonensia & Gallo prouinciæ veruacta proscissáque arua operit & insternit: Ac etiam inter oliueta, sabulosaque scrobes Monspeliani agri prouenit, exilioribus ramis: Littora verò sabulosa maritima lubenter sectatur marinum, habitiore sed non dissimili aspectu, referente Lobelio. In campis aut incultis locis subinde exire scribit, seri & quandoque semel satum facilè aliquot deinde annis recurrere: Pro loci natura non rarò lætius, præsertim circa maritima, gigni, alibi minus. In Germania & Anglia obseruauit Turnerus, verùm semper hortense. Monspelij florentem vidi in Autumno & Vere: in Italia inter Bononiam & Florentiam, itémque inter Vincentiam & Villanouam, Aprili. Geneuæ abundat vigens Iunio, & virens adhuc Ianuario, & perferens Hiemem cum floribus. Lugduni cum semine Septembri & Octobri à *Ainay* & ad Rhodanum propè ædes. Psyllium copiosissimè prouenire in Ægypto author est Alpinus.

Vires & Vsus. Psyllij semen vsui in medicamentis arteriacis, & bilem siue præparantibus, siue educentibus. Seminis & herbæ muccaginosus & lactei cremoris similis succus ad purgandam choleram etiamnum à Lobelio commendatus. Expertus sum ego muccaginem seminis in penem iniectâ, ardorem eius sedare. Aqua, inquit Dodonæus, in qua semen Psyllij quassatum, siue agitatum, maceratú neque fuerit, donec lentorem contraxerit, omnes inflammationes sedat: ardentium febrium calores mitigat: sitim restinguit: & in ore detenta asperitates linguæ lenit: Intraneorum ex acrimonia humorum dolores tollit: dysentericis, & quibus intestina, aut vesica, exulcerantur, vtilis, vtilior verò etiam ex semine antea tosto. Aluum & hæc mollit, clementérque subducit, præsertim Sacchato aut Iulepo ex violis addito, vel potiùs ex infusione frequenti dilutè rubentium Rosarum, quo modo in ardentissimis febribus vtiliter exhibetur. Verùm non nimis crebrò hac muccagine vtendum admonet Serapio, & post eum Fallopius, stomachum siquidem offendit, frequentíque ac nimio vsu subinde syncope aut animi deliquium etiam succedit, vnà cum mortis periculo: quia nimium eius venenosum, vt ait, est: quod non modò Græci, sed & Auicennâ testatur. Seminum apud Ægyptios vsus est, præsertímque mucilaginis ab ipsis paratæ cum aqua rosacea in omnibus febribus biliosis, ardentibus, inflammationibúsque pectoris, vti in pleuritide, & peripneumonia, sed extrahunt cum aqua Hordei, & cum Sacchato candido exhibent: In aqua rosacea extracta Psyllij mucilagine ij vtuntur in biliosis diarrhœis & dysenteriis, atque omnes externas inflammationes, emplastri aut fomenti modo, tum ex viridis plantæ foliis, tum ex seminibus Psyllij: tota planta vtuntur. Noxa.

Psyllij mucilaginem commendat Gatinaria in dolore capitis calido, malè existimans exteriorem partem admodum frigidam, interiorem calidissimam & vesicatoriam. Cornarius itidem Psyllij substantiam medullæ interioris calidam & siccam in quarto gradu pronunciauit: itémque venenum esse. Sed quâ ratione sit venenum non docet. Arabes quidem ponunt in Psyllio duas substantias diuersas, vnam in cortice, alteram in medulla, sed de ea diuersa substantia nihil dicunt Græci, quamvis ipsi frequenter vsi sint & cortice & medulla. Gatin. not. Corn. not.

PSYLLIVM MAIVS SVPINVM.



Locus Descrip. IISDEM in tractibus, sed maginibus & squallidis Oliuetorum incultis collibus, sarmentosius lignosiúsque prolixa foliorum & surculorum caudata, compositáque fœturâ densissima implexa fruticat, & reptando cæspitem ornat lætiore aspectu, sed hirsutie ex viridi albicante. *Semine* haud dissimili: sed maiore fuscóque, siue Castaneæ corticis colore: *radices* ligno-

sâ durâ, fibrarum procursu prolixâ.

Synon. C.Bauh. phyt. Psyllium 1. siue maius: Eid. pin. Psyllium 2. siue maius supinum: Psyllium alterum Matthiol. Cast. H. Lugd. p.1173. & Tabern. Psyllium perenne Gesn. hist. Obs. p.239. Ic. Plant. p.417. Psyllium 3. Anguillaræ, maius Cæsalp. Psyllium semper virens Gerardi.

Psyllium Indicum foliis crenatis.

Descriptio Radice est oblonga, tenui, fibris capillata: caule circa radicem lignoso & rufescente, rotundo, subaspero, pedali, in frequentes ac foliosos ramulos diuiso, qui capitula plura, duodena, squammata sustinent, è quibus flosculi pusilli, pallidè lutei, lanuginosi relucent: semen nigricans, paruum, splendens, succedit: folia habet oblonga, angusta, acuta, crenata, instar foliorum Coronopi, nonnihil laciniata: hirsuta: ex semine Psyllij Indici nomine sato in horto aliquoties florẽs, enatum autori C.Bauh. qui in prod. Psyllij primi nomine describit. In pin. vocat Psyllium 1. Psyllium Dioscoridis, Psyll. Indicum crenatis foliis, & Psyllium primum Anguillaræ: κυνῶπα Theophrasti: Oculum canis & Cauariam Gazæ.

PSYLLIO ACCEDENS GOTNE, Rubium quibusdam dictum.

Cap. VIII.



Descrip. VBi adoleuit, patula magis quàm alta est plantula, gracilis, lignosa *radice* firmata: *cauliculi* palmares, quorũ plerique nonnihil reclinati, *foliis* vestiti paucis, vncialibus, Psyllij angustioribus. Iidẽ verò rursus in aduersos diuiduntur ramos, quorum diuaricationi subiecta sunt folia prædictis similia: capitula Psyllij, multò breuiora, imbricata, non tantùm fastigio ramulorum insident, sed etiam in coïtu ramulorum sessilia, vt in Gnaphalio vulgari: *flosculis* ex apicib. luteis succedit *semen* paruum relucens. Annua est planta meo quidem iudicio: nam quo anno sata est, floret, vt ipse vidi, licet alij aliter sentiant.

Psyllium minus. C.Bauh. not. Gotne rubrũ & album. Fratri C.Bauhino phyt. [vbi tertium facit] propter totius plantæ cum Psyllio similitudinem, Psyllium minus appellari placuit. Ei Zvvingerus Gotne rubri & albi nomine misit. Is tamen differentiam statuere videtur inter Gotne album & rubrum. Siquidem Alpinus hoc Gotne rubri nomine ad Camerarium miserit: at nomine Gotne albi eam quam sub Holosteo tertio [Plantagini angustifoliæ simili] proposuit. Idem in prod. sensit & sub Psyllio secundo siue minore descripsit.

In pin. vocat Psyllium 4. siue minus, Gotne rubri & Botrij rubri nomine acceptum, quæritque an sit Kally tertium Alpini, minùs rectè pictum? Cæterùm, quam C Bauhinus in prod. pro Psyllio minore pingit, descriptioni non respõdet. C.B.not.

KALLI TERTIVM ALPINO.

Cap. IX.



FOliis constat paucis Aiugæ foliis proximis, longioribus multò, *caule* singulari, non recto, ex quo tres quatuórue *cauliculi* qui rectâ sursum feruntur, in singulorum cacumine caput ex quinque aut pluribus foliis Chamæpity similib. deorsum inclinantib., & in arcum recuruatis: in quorum medio *flosculi* multi, Rosarum flosculis similes. Herba salsa, atque acri sapore linguam vellicante. Descrip.

Descriptionis author vocat Kalli tertiam speciem, censétque reponendum sub Anthyllide secunda Dioscoridis. Locus

Kalli tertium in Ægypto proueniens, vt aiunt multi, in puluerem redactum, ac per os sumptum, phlegma atque bilem exustam purgat: idem ex foliis succus expressus facit. Ex hac primò & secundò exsiccata & combusta cineres parantur, qui ad vitra atque alia conficienda, conferunt, testibus iis, qui ex Ægypto Venetias conuehuntur. Vires

LEONTOPODION VETERIBVS atque Cemos.

Cap. X.

DIoscoride authore Leontopodion [λεοντοπόδιον] duorum digitorum herbula est, *foliola* habens arcta [στενά: Vet. non legit] robusta, quaternũm ferè, aut etiam ternũm digitorũ longitudine, hirsuta, quęque radici sunt proxima lanatiora [εὐώδεστερα: Ald. odoratiora: *capitula* in summis caulib. quasi perforata [secta vet. & Marcell.] in quib. flores nigri [lutei vet.] Semẽ verò vsque adeò spissa lanugine obuolutum [cõuersu difficile] est, vt ægrè deprehendi possit. *Radix* subiacet parua: quam etiam tradunt amuleti ratione alligatam ad amatoria prodesse, tubercuĺaque discutere. Diosc. variè illustratur.

Leontopodium Plinius ait lib. 26. cap. 8. alios Leuceoron, alios Dorypetron, alios Thorybetron vocare: radicem eius aluum sistere, bilémque purgare, in aqua mulsa, addito pondere denariorum duûm. Nasci in campestribus & gracili solo. Semen eius potum, lymphatica somnia facere dici. Cap. 12. Semen in aqua tritum cum polenta, omnia infixa corpori extrahere. Cap. 14. Semen in aqua tritum & cum polenta illitum, spicula sagittarum extrahere. Libro verò 27. capite 8. silendam

silendam censet Cemon [Ecremon CH.] propter vanitates magicas. *Hoc autem* apud Plinium valdè alienum Leontopodion bilem purgare & aluum sistere. Mirum & illud, quod historiam hujus plantæ à Dioscoride prolixè tractatam ne Plinius quidem attigerit. Cum Cornario & Sarraceno Leontopodion Plinij multùm discrepare à Leontopodio Dioscoridis existimimauit Dalechăpius, idq; vtriusq; vires collatas ostendere. Placet & hæc opinio C. Bauh.

Galenus neque posteriores Medici Leontopodij meminerunt. Sed & quod Aetius & Apulejus Leontopodium nominant, non aliud quàm Leontopetalon esse palam est.


Sarracenus Cornarium secutus λεοντοπόδιον Dioscoridis, Cemon Plinij esse suspicatur, tum quia vox ea in Dioscoridis nothis etiam inter Leontopodij synonyma reperitur, tum quia & Cemon ad amatoria prodesse innuit Plinius: quæ opinio etiam Marcello placet: non refragante Dalechampio.

Leontopodium verum hactenus non solùm sibi; sed alijs quoque ignotum esse arbitratur Matthiolus. Sed ab omnibus in Italia ignorari falsò definiit authore Guillandino.

Æquiuoca. Cæterùm Leontopodij nomine sequentes donantur apud varios authores Plantæ. Pentaphyllon montanum. Pes leonis. Leontop. Candiæ. Gnaphal. Alpin. Gnaphal. aliud. Gnaphalio affinis Gnaph. Fuchsij. Gnaph. virgatum. Pilosella phlomoid. Scorpioides aquat. Caltha. Leontopetalo . Cyclaminus. Aquilegia.

LEONTOPODIVM CANDIÆ quorundam Psyllio affine.
CAP. XI.

Descriptio. RAdix nigra est, duriuscula, fibrata: ex qua *folia* emergunt pluscula, pedalia ferè, Plantaginis Alpinę angustifolię, vel potiùs Sesamoidis minoris, sine tamen lacinijs tota villosa. Ad radicem verò recuruis pediculis ligneis *flores* hærent villosi, quos capitula itidem sequûtur villosa, Psyllij similia, *semen* rotundum, oblongum, cinereû, Psyllio aliquantò majus continentia.



Leontopodiû 2. [vt vocat C. B.] phyt. & 3. inter icones, Creticum cognominatum, Holosteum 4. in pin. accepit nomine Leontopodij ex Candia rarj.

Leontopodium, quod tradimus, est Imperato planta Candię propria, quę in omnibus respondet descriptioni Dioscoridis, inde Leontopodium legitimum inscripsit. Quidam Catanancen existimant.

Bellus tamen in Epist. ad Clusium contrarium tenet. Cùm arescit, inquit, capitula in se contrahuntur ad speciem vnguium milui exanimati, vt in Catanance prima Dioscoridis: sed Catanance non est: nam folia Coronopi non sunt, neque semen Orobo simile habet. Si autem hæc duo haberet, legitima esset Catanance.

Dubitat Clusius an ad Plantaginis angustifoliæ, similiumque classem, hæc planta sit referenda, quam ex Italia Francofurti diuersâ appellatione insignitam accipiebat. Cortusus enim ipsi mittebat eam adhuc tenellam, vestigia tamen capitum adhuc retinentem, vnà cum icone, ipsam stirpem satis scitè referente, addito Catanances nomine. Iosephus verò à Casabona ipsam plantam maturam & aridam, ac recens è Creta delatam, Leontopodij appellatione. Clusius autem diligenter conferens vtramque cum Leontopodij & Catanances descriptione, animaduertit notas aliquot habere satis inter se conuenientes vt fusè enarrat.

Iconem ex virente planta in horto D. Iacobi Zvvingeri cum suis capitulis Septembri visa pingi curauimus.

Vntuntur hac vulgariter ad soluendos quos putant ex maleficio Venere vti non posse: nam herbâ super prunas positâ, ter patientem nudum per fumum transire faciunt, & totidem vicibus indusium eius fumigant: & sine dubio liberum à maleficio fore prædicant: Bello referente. Vsus.

ELLEBORINE, EPIPACTIS, ET Damasonium in genere
CAP. XII.

EPipactis, quam alij Elleborinem [ἑλλεβορίνην] & Borien vocant, frutex est pusillus [θαμνίσκος μικρός, pro quo vet. quidam πόα μικρά] perquàm exigua foliola [φυλλάρια. Ald. φύλλα] habens. Contra venena & jocinoris vitia pota prodest, authore Dioscoride.

Peregrina Italiæ auctore Plinio Epipactis est: qui inter Græciæ & Asiæ frutices eam lib. 10. cap. 20. numerauit.

Non satis autem descripta est, vt nostra ætate cognosci possit: nec cur Elleborinen vocauerit eam antiquitas, constat. Si nomen ipsum tamen expendatur, non abs re fuerit Elleboro similem aut congenerem credere.

Si contra, Theophrastum aliquis audiat lib. 9. hist. pro candido Veratro de ea sic tradentem: Miscetur autem in Ellebori poculo, vt vomitiones adjuuet Elleborines semen. Herbula autem hæc est. Si quis, inquam, hæc dicentem Theophrastum audiat, suspicari poterit, non tam quia Elleboro congener sit, Elleborinen dici: sed quòd Ellebori vim augeat, conjunctaque illi faciliores vomitiones faciat. Vtramque enim ex Theophrasto colligi causam arbitratur Marcellus.

Cæterùm, vbi Theophrastus Elleboro albo, Elleborines herbulæ semen admisceri scribit, aliquam Saraceno suspicionem mouet, Theophrastum hoc loco per Elleborinem, Sesamoides intelligere.

Elleborinen suam Matthiolus non describit, sed tantùm pingit, nec etiam Epipactidem aut Elleborinen astruit.

Gesnerus de Lunar. ait alios etiā errare, qui aliam Ellebori nigri speciem [cui folia plerum-

que bifida aut trifida] Elleborinem appellant. Quibus quid intelligat, videant lectores. Elleborines nomine intelligi Elleborum nigrum syluestrem vulgarem putat idem de hortis. Idem rursus de Lunar. illos errare scribit, qui Consiliginem Elleborinen appellant.

Elleborinen quandam pingunt recentiores & Belgæ, quam Elleborinen Dodonæi inscribimus.

Inter Elleborines præterea consideranda veniunt: Damasonium alpinum siue Elleborines species floribus albis. Damasonium purpureum dilutum est Elleborine sexta Clusij. Damasonium alpinum floribus luteis. Elleborine ex albo sublutea. Elleborine siue Damasonium montanum quorundam angustifolium, flore violaceo. Elleborine ferruginea Dalechampij, quæ nobis est Damasonij species quorundam, siue Galceolus D. Mariæ.

Ac pro Elleborine à nonnullis traduntur sequentes plantæ: Bifolium. Gentianula. Buphthal. Dodon. Lunaria botryites. Herniaria. Centaur. minus.

ELLEBORINES SPECIES VARIÆ. Cap. XIII.

ELLEBORINE DODONÆI.

Descriptio.



Nvmerosis fibris radicatur, albidis, quàm Hellebori habitioribus, & ad Rusci radices, accedentibus, sapore amaricante: caulis modò vnicus, modò plures pedales, aut etiam cubito altiores, nullis ramis donati, teretes, & farina quadam aspersi: quibus sine pediculo adnascuntur folia, Hellebori albi instar neruosa, sed multis numeris minora, & vix ad foliorum Polygonati magnitudinem pertingentia, sapore itidem amaro: caulis à medio ferè ad summum vsque fastigium per interualla alternatim floribus ornatur, Orchidum floribus non multum dissimilibus, quos constituunt folia bina albida, terna, herbacea, vtraque expãsa, quorum medio ceu exenteratum muscæ cadauerulum ex albo purpurascens conspicitur: flori subest canaliculatum capitulum pediculo inhærens breui, quo aucto semen clauditur minutissimum & puluisculi instar.

An Damasonium calliphyllon Cord. in hist?

Camer. apud Matth. germ. ponit figuram cum inscriptione Elleborines, dicens flores variare, & quosdam virentes esse, alios albicantes, alios rubellos, siue incarnatos, & rubentes, præsertim in Austria & Vngaria. In Epit. pingit sub titulo Epipactidis siue Elleborines. Quænam autem sit Helleborine Dioscoridis, difficile conjectu arbitratur.

Hæc herba appellata est à Dodon. gall. græcè ἑλλεβορίνη quòd Helleboro albo figurâ similis sit: latinè Helleborine & Epipactis. Quidã existimãt quòd Helleborine sit herba quæ Helleboro viribus duntaxat assimiletur, & nõ figurâ. Sed horũ opinio falsa cognoscitur, quòd huic nec vnicam vim Hellebori Dioscorides attribuit. Idem in fol. lat. Helleborinen inscribit, ac ait: Helleborinen non impropriè dici ac nominari posse, ipsa cum Veratro albo similitudo testatur: &c.

C. Bauhin. phyt. & in pin. Helleborine 1. siue latifolia montana: Helleborine Dodonæi H. Lugd. pag. 1312. Helleborine recentiorum secunda, Clusij. Helleborine Gerardi. Epipactis latifolia, Eyst. Sigillum Salomonis, Cæsalpini: Foliorum amplitudine [& quod altera folijs oblongis acutis, altera verò subrotundis est] & floris colore euarians.

In montibus passim occurrit Augusto, Septembri & Octobri mense florens. Clusio prouenit in opacis Galliæ, Germaniæ, Austriæ, & Vngariæ locis, etiam in Pannonia interamni inter Drauum & Sauum flumina. Præcocior est reliquis & Maio plerumque florere solet.

DAMASONIVM ALPINVM SIVE Elleborine, floribus albis.

Descriptio



Adsimilis est Helleborinæ: radices fibrosæ, tenues: caulis modò dodrãtalis, modò maior, modò minor, gracilis, foliis alternatim amictus, Plantaginis lanceolatæ, angustis, alias etiam vnciã latioribus, sed Hellebori albi more striatis, nitidis: flores per caulis summa spicatim & velut Orchidum modo dispositi: è sinu foliorũ exiguorum singulares, maiusculi, lactei, longi calyces capitulo impositi, tribus in ambitu foliis prædıti, intra quæ duo alia minora, his verò oppositum tertium hians, & labellũ luteum velut alis quibusdam munitũ. Ex huius hiatu pistillus albus, nitidus, breuis, capitulum sustinet nitidissimum, tenerrimum, oblongum, sũma parte per lõgitud. hyli impressione notatũ.

C. Bauh. phyt. & pin. Helleborine 5. siue flore albo, vel Damasonium montanum latifolium: Tabern. & Ger. Helleborine albo flore: Eyst. Epipactis angustis foliis: Cordo hist. Alisma cymbalianthemon.

Reperta mihi in montibus ad S. Vrsinũ florẽs Maio. Eadémque etiam olim obseruata Tiguri. Genero Cherlero in syluaticis & vmbrosis littoribus maris Adriatici frequẽtissima & speciosissima obseruata.

Damasonium purpureum dilutum, siue Elleborine IV. Clusii

Cvbitali caule, rotundo, geniculato, quem in singulis geniculis alternatim ambiunt angusta-

Descriptio




sta *folia*, Secundi generis [Elleborines Dodonæi]foliis nō dissimilia eruere meminit Clusius : cuius summus caulis desinebat in *spicam* sex, octo, aut plurium interdum *florum*, quinis foliis elegantissimi dilutiq; purpuræ coloris cōstantem, inter quæ latebat quędam veluti galeola muscarum proboscidi similis, labrū inferiore parte adnexum habens, æqualis ferè cum foliis longitudinis, candicans, intus striatum : sustinebantur flores anguloso, tortili, hirsutoque nonnihil capitulo : *radix* illi fibrosa,sparsa,subrufescentis coloris.

C.B. not. C.Bauh.phyt.& Pin.Helleborine 7.siue montana angustifolia purpurascens : Helleborine 5. Clusij pann.6.eiusdem hist.Damasonium tenuifoliū Cordi hist.Damasonium alpinum H.Lugd. p.1058. Alisma tenuifolium Thalij. Sigillum S. Mariæ 3.Cæsalp. Helleborine angustifolia Tabern.& Gerardi. *Nos Damasonium* H.Lugd.huc non referimus,flores siquidem inter alia conueniunt.

In Pannoniæ quadam silua, magno miliari ab arce munitissima Nemethvvivvar,aliisque Zolnok vicinis locis abundantissimè nascitur. Floret hoc genus Iunio,nonnunquam etiam Iulio.

DAMASONIVM ALPINVM floribus luteis.

Descriptio **R**Adice est nigra,modicè fibrata, altiùs descēdente: *foliis* oblongis,angustis,neruosis,lanceolatæ siue Plantagini minori similibus, aliquantò lōgioribus, acuminatis: *caulibus* pedalibus: *flore* luteo: *seminibus* oblongis, angulosis, quaternis simul sic conjūctis, vt hiante medio spatio fenestrata quædā meta appareat, apice nigro supereminēte, eleganti sanè figurâ, laternæ, quæ nondum cornu,chartaue obducta, est, clausaq; simili, & huic plantæ peculiari.



Damasonium alpinum montanum Herbarij vocant : quidam Clymenum, folio Plantaginis minoris, folliculis Iridi similibus, fructu oblongo, cirris polyporum non dissimili. Sed cur Damasonij nomen huic plantæ indiderint, haud constat. Quare liberum cuique aut id retinere, aut aliud verius sufficere : H.Lugd.

In Alpium vmbrosis conuallibus gignitur.

Elleborine ex albo sublutea.

Caule surgit recto, sesquicubitali, plùs minùs. *Foliis* vestitur pluribus,alterno situ positis, perfoliatis,latioribus quàm Helleborinę flore albo, venosis & striatis, vt Hellebori albi, sed multis numeris minoribus, saturè virentibus. Caulis summa thyrsus occupat *florum* ex albo luteorum galea alba labello luteo & subcroceo præditorū: è quorum sinu pistillus firmus, crassus cum apiculis farinaceis : Ad quorum pediculos semunciam longos singula extrorsum conspiciuntur *foliola* parua, angusta, acuminata : *Radix* fibrata, ad Elloborum accedens, valde profundè radicata. Sapor amarus admodum in foliis & floribus.

An Damasonium alpinum H. Lugd.p.1057. & 1058.?

Obseruaui florentē mense Majo in limitibus Montbelgardensis ditionis versus *Mathai* arcem in vepribus,& in monte dicto *Montbar*.

Elleborine siue Damasonium montanum quorundam flore violaceo angustifolium

Damasonium hoc montanum,quod Dalechampius olim Clymenum denominabat, floribus est violaceis,cæteroqui Elleborinę Dodonæi affinis planta, sed foliis angustioribus. Prope Geneuam in colle *la Baltie* obseruauimus : item in monte Rolsberg prope Masmunster mense Octobri Helleborines flore violaceo meminit Lobel. in Obs.

Elleborine βοτρυώδης seu Alisma racemosum.

Sesquidodrantalis est planta, *caule* geniculis discreto,ex quibus continuo ordine *folia* sua exerit, Plantaginem maiorem ferè imitantia,sescūciam lata: *flores* verò racematim quasi in longo recuruoque scapo dependent plurimi rubicundi.

Thalio descriptionis authori dicitur Alisma βοτρυώδης seu racemosum: C.Bauh phyt. & pin. Helleborine 2. siue atro-rubente flore : variat foliorum amplitudine : florum colore atrorubente,rariùs candido.

Frequens est multis in locis, opacis tamen & montium jugis.

Damasonium flore herbaceo,intus non nihil candicante

Pari est cum Helleborine Dodonæi magnitudine,paulò latioribus foliis, minoribus floribus, qui etiam quinque foliis constant, & galeolam cum prominente labro amplectuntur, colorisque sunt herbacei. interiùs nonnihil candicātis, nullius odoris,quibus torosa contortaque capita subsunt:radix nominatæ similis.

Clus.pann. Elleborine 2. Eid.hist. Helleborine recentiorum 3.C.B.phyt.& pin. Helleborinum

ne 3. angustifolia palustris siue pratensis.

Locus. Inuenitur in quibusdam Austriæ & Pannoniæ siccioribus pratis, & in Norimbergensi silua vbi vicina ad Latomias.

Ellebotine flore carneo.

Huic minor est altitudo, similia interdum folia, nonnunquam multò latiora: flores aut omninò purpurascentes, aut omninò, aut propè carnei, Elleborines Dodonæi floribus prorsus similes: nec radix differt.

Synon. Elleborine 3. Clus. pann. 4. Eid. hist. Helleborine 4. siue flore carneo C. Bauh. phyt. & pin. Sigillum S. Mariæ alterum Cæsalpino.

Locus. Crescit in montanis pratis & cæduis siluis Austriæ.

Elleborine montana angustifolia spicata.

Elleborinæ 4. Clus. pann. 5. Eid. hist. Helleborine 6. siue montana angustifolia spicata cubitalem altitudinem superat, & amplissima omnium sunt illi folia, atque oblonga purpurascentium florum spica.

Locus. Nascitur in multis Pānoniæ & Austriæ siluis, & ad montanorum pratorum margines: sed nusquam frequentiùs, quàm in ea silua, in qua Damasonij species, Calceolus D. Mariæ abundat.

Elleborine tenella, tribus in caule foliis prædita.

Descriptio. Non inelegans est Elleborines recentiorum hoc tenelli genus, quod Gulielmus de Meta, Medicus ex Italia rediens, obseruabat, & Clusio Francofurti donabat. Erat verò pedalis ferè altitudinis, gracili caule, tribus foliis prædito, Elleborines vulgaris foliis formā similibus, & quinque neruis per longitudinem eorum excurrentibus, sed longè minoribus, vt quæ circiter vnciam lōga sint duntaxat, semunciam lata: summus caulis in spicam florum desinit Elleborines vulgaris flores imitantium, sed minorum: radix summâ quasi tellure sparsa, crassiusculas succulentásque fibras egerat.

Elleborine 7. Clus. h. 8. C. Bauh. phyt. & pin.

DAMASONII SPECIES QVIBVSDAM siue Calceolus D. Mariæ.

Cap. XII.



Damasonij speciem faciunt quidam Helleborines affinem herbā, foliis alternatim per caulem pedalem, illarum similibus, venosis, subhirsutis: flos summo cauli insidet plerumque singularis quatuor foliis atropurpureis decussatis acuminatis, vtrem magnum ex luteo pallentem, ligni pedū Franciscanorum calopodia imitatum, supernè aliquousque patulū sustinentibus: siliqua puluisculo, vt in Helleborinis & Orchidibus plena succedit: radix obliqua sub terra agitur, numerosis fibris capillata, subinde caulium emarcidorum vestigia impressa gerens.

Orchidi bus cognata. Elleb. recentiori. Clus. Calceolum D. Mariæ spuriis Orchidibus cognatam plantam determinauit Clusius, Elleborines recentiorum primæ titulo, eam describens & depingens. Germani Marienschuch / Pfaffenschuch appellant: Hungari Ezerch aymfu, i.e. Milleb onam he bam, quasi χιλιοβοτάνην dicas. *Millebona.*

Gesnerus in epist. lib. 3. frequentem apud Heluetios inueniri subscribit, luteúmque florem illi tribuit, Cosmosandalónque Pausaniæ suspicatur, *Cosmosandalos.* quòd & sādalij formam referat flos, & punctis ceu literis quibusdā notetur, etsi Pausanias Hyacinthum esse conjicit, sed huic cum Sandalio nihil. Quidam vir doctus Lonchitim primam esse putat. Gesnerus verò de veteri nomine dubitat, & tamen ad Alismatis species refert. Fructus, inquit, semen, odor, sapor cum succo glutinoso & subacri, τοῖς ὄρχεσι λογχώδεις cognatā esse arguunt, etsi radix testiculata non sit. De coll. stirp. vocat Cacaliam luteam: item postea, Calceolum D. Mariæ foliis Ellebori. De hort. Alismatis speciem quorundam, & Calceolum D. *Cacalia lutea.* Virginis vulgò dictum. Simlerus & Aretius, Ancken ballen / Damasonij aliquam speciem. Dod. hist. Flor. Damasonium nonnullis existimatum, Damasonium nothum: Lat. in fol. Calceolum marinum, cuius inscriptione duas exhibet *Calceol. marinus. Calc. sacerdotis.* figuras, & vulgò Calceolum sacerdotis, germ. Pfaffenschuch & Papen schoe appellari refert: Existimari verò & à nonnullis Alisma siue Damasoniū esse: sed minùs quàm Saponariam cum eo conuenire. Folium quidem Plantaginis satis respondere: sed desiderari capitula thyrsi: florem tenuem, inalbicantem, & radices Veratri nigri similes.

Recentiorum Calceolus Mariæ. Crepida sacerdotis. De recentiorum Calceolo Mariæ (vt vocat in Adu. & Obs. pag. 126.) siue Calceolo Mariæ & Sacerdotis crepida, Damasonio notho (vt in Ic. Plant. pag. 312. inscribit) hæc prodit Lobel. Priscis etiam prætèrita videtur illa floris larua perquàm spectabilis, etiam plantagineis foliis, aut Bifolij, quam nonnulli Alisma opinati sunt, vulgus Septentrionalium vnser vrowe schoen, vel Papen schoen, i.e. Virginis calceum, vel Sacerdotis crepidam vocitat à floris effigie, quæ quatuor cōstat foliolis dilutè purpurascentibus, & rubētibus, sui è medio promentibus vtriculum quendam purpureum, luteus vacuum, rotundum, fuci, aut asylonis cadauer, vel vnedonis caliculos florum nonnihil referens, sed supernè, aut latere vno patulum, instar crepidæ oræ patulæ, qua inseritur pes: foliis Plantaginis, aut Alismatis in longitudinem venosis: radice transuersa, nec altè depacta, nec multùm fibrosā.

Apud Amatum lib. 3. c. 158. ponitur ex figuris Dalechampij pro Lonchitide prima, quamuis Amatus scribat Lonchitidem vtramque sibi incognitam. *Amati hallucinatio.*

Camer. hort. Damasonium nothum Dodonæi: Thal. Alisma ἀνάνθεμον aut χαλκάνθεμον H. Lugd. p. 1146. Elleborine ferrugine Dalechampij.

C. Bauhin. phyt. & pin. Helleborine 9. siue flore rotundo, siue Calceolus: Alismatis species flore ferrugineo Gesn. hort. Lonchitis prior Dalechamp. in Dioscor. Damasonium nothum Dodo. gall. Pseudo Damasonium Clus. pann. Calceolus Mariæ Eyst. Flore est lutheo, sed folia ad

lia adiuncta ferruginea: reperitur & albo, & vtriculo purpureo: apud Heluetios flore est duplò maiore, quàm apud Noricos.

Tempus. Vires. Intellexi, inquit Clusius, in Hercinia silua, præterea circa Fuldam, alijsque Germaniæ siluosis locis copiosè nasci. Ego Tiguri florentem obseruaui Maio: In montibus Geneuæ propinquis Iunio.

De Calceoli autem Mariani facultatibus licè nihil occurrerit Dodonæo ad scribendum: vtpote non modò veteribus, sed nec recentioribus satis cogniti: Vulnerariam tamen herbam esse, plagasque recenter illatas sanare aiunt non pauci.

ALISMA TOSSANI CAROLI. CAP. XIII.



Descriptio. Caule surgit singulari, cubitali, angulo so, glabro, fusco: cuius scapus in alas aduersas atque hæ rursum in alias fissectas omnes & in thyrsum fastigiatas diuiduntur: flores singuli in sidere stellati, quinque radiatis folijs [rarissimè quatuor] constantes, ijsque acuminatis, internè ex diluriore cæruleo in albidum pallescentibus, strijs saturatioribus longitu lineis percurrentibus, quæ externa parte paululùm admodum apparent, in herbaceum declinant: e in medio flore surrigitur vētricosus nonnihil stilus, & quina stamina, Viola leuiter tincta, quæ nonnunquam repanda in foliorum interst ria sese insinuant: porrò autem singulis flosculi folijs ad basim binæ ceu pusillæ verrucæ violaceæ adnascuntur: tori denique flori foliola viridantia radiata subijciuntur: folia per terram sparguntur, plantaginea, media inter Plantaginis maioris & Quinquenerutæ folia, alia cauli sine pediculo adnascuntur, angustiora, ex opposito sita, magisque acuminata, singulisque adeò thyrsi diuisionibus folia, sed minora, subjiciuntur, ex aduerso posita: sunt ea verò pinguiuscula, atrouirentia, glabra, per quorum longitudinem neruus decurrit rectus, alis vtrinque sinuatis: sapor gustanti amarus.

Synonyma. C. Bauhin phyt. eius meminit, vt apud nos viso, nomine Alismatis primi, siue folio glabro. An autem eadem sit cum Gentiana Pennæi, flore punctato subcæruleo, vt idem voluit in Pinace, ambigimus.

Locus & Tempus. Pulchram hanc plantam nobis jam descriptam ante annos plures ab insigni pharmacopœo Tossano Carolo accepimus, in Burgundiæ Champagnole locis aquosis collectam, quæ in hortum translata pluribus annis durauit, & quotannis floruit, & semen maturauit mense Augusto & Septembri.

GENTIANA VETERIBUS. CAP. XIV.

Periisset tota Gentidis antiquissimi Illyriorum regis jampridem cum nomine fama, nec esset regiæ eius fortunæ monumentum aliquod, nisi renascens quotannis Gentiana, gratâ inter homines memoriâ, honorem illi identidem augeret, amareque hominem & laudare, posteros cogeret, qui vt generi humano prodesset, in frigidissimis regionis suæ, ventosisque montibus, neglecto regiæ potestatis honore, herbas quærere, & inuentas nobis indicare, veritus non fuerit. Tam innocenter sibi, vtiliter verò alijs, tunc reges imperia tractabant, gaudente, vt par est, matre omnium terra, augentibusque vires suas herbis, quæ regum manibus foderentur. Gaudente etiam Medicina, quæ reges haberet auctores, eorumque dignitate suum & ipsa honorem & gloriam augeret. Quantò Illyriorum regi honestius hoc in laudibus suis audire, quàm Cæsari centum & nonaginta duo millia hominum occisa prælijs, qui maximus fortunæ & gloriæ eius cumulus est, in honorem suum fecisse? Et quos bello alij perdiderunt, inuentæ à se Gentianæ remedijs ad sanitatem instruxisse.

Nota igitur omnibus semper Gentiana fuit. Et Dioscorides ab inuentore Gentio Illyriorum rege Gentianam appellatam scribit: folijs proximè radicem (ab radice, Cæsalp.) Iuglandi Plantagini siue similibus, subrubentibus, à medio autem caule, & maximè circa cacumen paulùm dissectis: caule inani [concauo] læui, digiti crassitudine, ac binûm cubitorum altitudine, geniculis distincto, & maioribus ex interuallis folijs circumdato: semine in calycibus lato, leui [sine pondere] acerofo (paleaceo) ad Spondylij semen accedente: radice longâ, Aristolochiæ longæ simili, crassâ & amara. Nascitur in celsissimis montium jugis, locis vmbrosis, aquosisque. Vis radici excalfactoria & detergens. Cōtra venenatarum bestiarum morsus duabus drachmis cum Pipere & Ruta ex vino pota auxiliatur. Extracti succi drachma ad laterum dolores, & casus è sublimi, ac rupta & conuulsa prodest. Hepaticis quoque & stomachicis pota cum aqua subuenit. Radix collyrij modo subdita partus ejicit: impositaque vt lycium vulneraria est, & cuniculatim depascentibus vlceribus medetur, præcipuè verò succo, qui quidē oculis etiam inflammatione laborantibus illinitur. Miscetur & succus acrioribus collyrijs pro meconio [hoc loco μετὰ (cum) pro ἀντὶ [pro] legendum esse ipsa res monstrat. Non enim medicamenti frigidissimi loco substituitur, quod calidum & siccum est, H. Lugd.] Sed & radix vitiligines, al hos dictas, absterget. Porrò extrahendi ratio hæc est: Contusa radix ad dies quinque aqua maceratur: postea in eadem tantisper decoquitur, dum extent, emineantque radices: ac vbi refrixit aqua, linteo excolatur, moxque decoquitur ad mellis crassitudinem, fictilique vase reconditur. Hactenus Dioscorides, in cuius nothis aliqui Centauream radicem, alij, Aloem gallicam, alij Narcen, alij Chironium, Dardani Aloetin, Romani Gentianam seu Cicendiam, alij Cyminalem vocant.

Plinius lib. 25. cap. 7. scribit Gentianam vbique nasci, in Illyrico tamen præstantissimam, folio Fraxini, sed magnitudine Lactucæ: caule tenere, pollicis crassitudine, cauo & inani, ex inter-

vallis foliato, trium aliquando cubitorum, radice lentâ, subnigra, sine odore, aquosa, montibus subalpinis plurima. Vsum esse in radice & succo. Radicis naturam esse excalfactoriam, sed prægnantibus non bibendam. Hæc hoc loco. Sed & reliqua à Dioscoride tradita, sparsim idem Plinius habet.

Galen. Galenus omnem vim Gentianę radici ex amaritudine attribuit. Gentianæ (inquit 6. simpl.) radix multùm est efficax, cũ opus extenuatione, abste sione, purgatione, obstructionis liberatione. Nec mirum si hæc possit, cùm impensè amara sit. Hæc Galenus.

Auicenna. Auicenna Gentianam calidam esse scribit ordine tertio, siccam verò secundo. Componitur ex hac apud Mesuem, & alios plerosq; Medicos, theriaca diatessaron. i.e. ex quatuor rebus, sc. addita Aristolochia rotunda, Myrrha, & baccis Lauri, æquali portione, quæ vicem explet Theriacæ magnæ. Diosc. alio modo diatessaron facit, exhibens percussis à serpente radicis Gentianæ drachmas duas cum Pipere & Ruta & vino.

Cæterùm, Gentianam Centaurio similem, Centaurium radicem aliqui nominauerunt, & ex eo Narcem, quoniam Narce Centaurium etiam dicatur. Fuerunt qui Aloëm gallicam nulla foliorum, sed radicis & rectitudinis & amaritudinis similitudine aliqua, quam vtrumque genus amaram rectâ sub terram agit. Chironia à centauro Chirone dicta itidem est, quoniam & Cẽtaurium ab eodem Chironia pariter nominetur. Credidit præterea Marcellus, quoniam Aloë diceretur Gentiana, à Dardanis Aloitim pariter nominatam fuisse.

Porrò licèt Veteres vnius duntaxat Gentianæ meminerint, recentiores tamen cognouerunt plures, & scriptis publicarunt. Et C. Bauhinus inter Neotericos doctè inter Gentianas sic distinxit. Aliæ sunt radice perenni, aliæ fugaci: illæ, flore & semine prolato, interire non solent, sed singulis annis ex eadem radice, noua germina producunt: hæ verò, flore emarcido, & semine disperso Hyeme intereunt, & ex semine renascuntur.

GENTIANA VVLGARIS MAIOR Ellebori albi folio.



Descriptio. FOlia Hellebori albi foliis paria, circa radicẽ multa, per caules ex aduerso sita, eosdem pediculis connatis amplectentia, neruis tribus aut quinque plantagineis distincta, glabra, polita, lucida, hisque notis ab Hellebori albi foliis distincta: caules cubitales, bicubitales, ac etiam interdum hominis altitudinem assurgentes, singulares, leues: ex foliorum superiorum minorum sinu flores verticulorum modo dispositi erumpunt, calycibus inclusi primùm, postea intumescentes explicantur, qui singuli longiusculi & lutei: sequuntur vascula oblonga, in duas se partes aperientia, in quibus semen numerosum, leuiter rubens, ad Leucoij semen accedens, leuius: radix crassa, lõga, multifida, intus flauescens, sapore insigniter amaro. Quæ cùm sit fungosa, siccata insigniter corrugatur, ac externè rufescit.

Fuch. cum Cordo reprehensione dignus, quòd folia per ambitum leuiter incisa Gentianæ attribuant, non obseruantes Dioscoridem esse corrigendum. Helleboro enim albo foliis adeò proxima est vt minùs exercitatum eminus eludat. *Fuchs. & Cord. not.*

Theod. Dorsth. ineptam, nescimus cuius plantæ iconem exhibet, jam antè pro Galanga quoque positam. *Theod. not.*

Gentiana dicitur Brunfelf. tom. 3. chapf. 77. Cordo in Diosc. & Hist. Fuchs. Anguill. Gesn. hort. & de coll. stirp. Matthiol. Euch. Rœsl. Corn. Hatch. Io. Agric. Lon. Rob. Const. Cæsalp. H. Lugd. pag. 1258. Lac. Dod. Turn. & Castori, qui germ. Kreützwurtz vocat, quod nomen non conuenit. Gentiana magna floribus luteis Gesn. in descr. mont. fr. Gentiana maior florib subcæruleis, Gesn. in app. hort. Gentiana maior vulgata, Aret. in descr. mont. Stoeck. Gentiana maior fl. luteo Camer. hort. Gentiana maior. Lob. in Adu. Obs. p. 165. Ic. Plant. p. 308. Gentiana floribus luteis Simlero de Alp. Gent: magna fl. luteo veteribus descripta. Gentiana veterum Clus. pann. & Hist. Gentiana alpina maior C. Bauhin. pin. & [vt etiam phyt.] Gentiana 1. siue maior lutea. *Synon.*

Γεντιανὴ Græcis, Latinis & officinis omnibus Gentiana. Mauritanis Gentiana, Centiana basilica, seu Basateca: Sclauonibus & Turcis Sersenicha. Germ. Gentian/ Bitterwurtz/ & in Alpibus Heluetiæ Berlach: Belg. & Angl. feltworte & Gentiane, vt & Gallis. Itali latinum nomen retinent, vti & Hispani. *Nomina linguarum*

In montium pratis ac pascuis variis in locis obseruaui, florentem Iunio ac semen maturantem Augusto. Copiosam ait Turnerus in Alpibus inter Germaniam & Italiam: Matthiolus frequentissimam in excelsis Tridentinis montib. præterimque in Ananiensibus, in quorum cacuminibus effodi refert radices brachiali longitudine. Augusto & Septembri colligitur radix, & siccatur in vmbra. Singulis annis regerminat: cùm verò semine se propagat, rarò altero & vix tertio anno caulem producit, nata in Sueuiæ & Brisgoiæ montibus, Cordo. In hortis difficulter vltra triennium durat: in iis quidem floret, sed facilè postea perit, nec ex semine facilè prouenit. *Locus & Tempus.*

Commendatur radicis puluis ad canis rabidi morsum. Hepaticis & stomachicis, qui cibum sumptum retinere non valent, Gentianæ radicis puluis è vino potandus exhiberi debet, quod qui fecerit, authore Trago, auxilium præsens sentiet. Euporiston medicamentum in febribus, quod etiam testatur Horatius Augerius in suis epistolis. Simlerus in descriptione Alpium, refert pastores vti Gentianis ad vbera vaccarum si à muribus araneis aut aliis bestiis venenatis lædãtur. Putredinis Gentiana hostis infestissima, & veneni mors, inquit Lobelius. Pesti adeò remedium præsens, vt non modò homini, sed etiam brutis incolumitatem tueatur: & amissam restau- *Vires & vsus.*

restauret, eò que solita Heluetia istam cum flammula porcis, & olim Monachis propinare, ne anima in viuo cadauere puteret. Gentianæ aqua, persertim quę vase duplici balnei vapore, vitreis organis elicitur, febres (vt Matth. se sæpiùs expertum ait) ab infarctu tum viscerum, tum vasorum excitatas mirificè pellit. Alui tineas necat maculasque in facie qualescunque detergit, si eâ frequentiùs maculæ abluantur. Succum Gētianę magnitudine Castaneæ aut Nucis Iuglandis dimidium eius vno die, alterum postridie, commendat deglutiendum, contra febres, non solùm tertianas longas & nothas, sed & quartanas.

GENTIANA MAGNA FLORE purpureo & albo.

Descriptio



A Vulgari maiore, luteo flore nihil formâ differt: etenim ampla habet folia, Ellebori albi folijs haud multùm absimilia, sed teneriora, & saturatiore viriditate splendentia: caules digitali aut pollicari interdum crassitudine præditos, rotundos, cubitales, nonnũquam bicubitales, geniculatos, quos ambiunt similia folia, aliquantulùm tamen angustiora, ex aduerso sibi opposita: extremos caules ambiunt binæ aut ternæ confertorum florum coronæ, qui non sunt lutei, aut stellati, vt in vulgari maiore, sed purpurei, maiores, concaui, in senas aut plures lacinias obtusas extremis oris secti, & purpureis quibusdam punctis, inferiore & interiore, quà candidiores & dilutiores sunt, distincti, odoris expertes, totidem, quot sunt laciniæ, staminibus longum & bifidum vasculum internè ambientibus, in quo cõtinetur copiosum semen, planum, paleaceum, minus quàm in illa flaua maiore stellato flore, subrufum: radix crassa, longa, foris plerumque flaua, intus alba, impensè amara, digitalibus fibris subinde prædita est, singulis annis noua germina (quemadmodum maior flaua) proferens, & multos caules ex eodem capite producens, pręsertim cùm adoleuit, sed qui alternis duntaxat annis, vt plurimùm floriferi esse soleant, interquiescente nimirum vno anno à partu matre. Aliud genus inuenitur nihil quidem à dicta aut formâ, aut magnitudine differens; sed cuius flores, qui in illo sunt purpurei, in hoc omninò lactei colori conspiciuntur, authore Clusio.

Trago Gentianæ alterum genus, multò magis exiguum, vulgare per omnia referens, excepto flore subcæruleo, & gustu amariore. Gesner. in monte fracto, Gentiana punicea, radice lutea, amariore: Eid. coll. stirp. Gentiana punicea, radice luteâ, amariore. Eid. coll. stirp. Gentiana minor, alpina, floribus magnis puniceis, caule cubitali, radice pollicis, vel duorum. Simlero Gentiana altera minor floribus puniceis. Harch. Gentianæ species paulò maior, subcæruleo flore. Dod. gall. Gentiana 2. siue flore cæruleo Tragi, maiori efficaciâ. Camer. apud Matth. in his germ. Gentiana cærulea maior, in Heluetia frequens à Gesn. descripta. Eid. in Epit. Gentiana maior alia: Item hort. Gentiana maior flore purpureo. Et sic etiam Clus. pann. 277. & 278. itemque hist. cui & Gentiana Pannonicarum & Noricarum Alpium maxima, Gentiana maior albo flore. C. Bauh. phyt. & pin. Gentiana 2. siue maior purpurea. Lobel. Obs. p. 165. Gentianam purpureis floribus à Clusio sibi transmissam memorat, iconem tamen non exhibet.

Purpuream Gentianam collegi Bormij Rhætorum florentem Iunio. Gentiana maior purpureo flore exit sponte in Pannonicarum Noricarumque Alpium iugis abundè: Floret Augusto: semen Septembri maturescit, nouâ niue in eas iuga cadere incipiente. Varietas flore albo in Stiriæ superioris alpibus: Verùm neque hoc genus, neque illud purpureo flore cicurare vnquã potuit Clus. aut vllâ diligentiâ & culturâ efficere vt in hortis permanere vellet, nedum flores proferre. Quin culturæ beneficio deterior euadit.

Quoniam autem gustu amarior quàm vulgaris, ideò in Medicina efficacior habetur, vehementiusque & soluere, & purgare creditur. Frequens huius vsus ad morsus animalium venenatorum. Hęc magnitudine & formâ dictæ planè similis, eius tamẽ flores paullo (vt ex sicca à Cromero missa planta, Clusio deprehẽdere licuit) minores, colorem habent pallidum siue, vt Cromerus scribebat, obsoletè luteum, quàmplurimis nigris maculis, intus & foris aspersum. Idem addebat, ab eo, qui ipsum in montana illa loca deduxisset, sibi relatum, in alio quodam præalto monte, aliam formâ non dispari reperiri quæ cæruleo flore esset. Synonyma

Gentiana maior pallida punctis distincta & cærulea Clus. pann. p. 280. Eid. hist. Gentiana maior pallido flore punctis distincto: Et, Gentiana maior cœruleo flore. C. Bauh. phyt. Gentiana 3. siue maior pallida. Eid. pin. Gentiana 3. siue maior flore punctato.

In Silesiæ montibus eruit Achilles Cromerus Nissensis.

GENTIANA FOLIO CONVOLVTO.

PLanta est elegans *radicibus* fuscis, crassis, longis, lentis, repentibus, fibellis paucissimis adhærentib. vnde *caules* exurgunt cubitales, rotundi, striati, glabri & albi, geniculis distincti, in terram reclinati, & concaui: circa quos *folia* viridia, glabra, subrotunda, neruosa, vncias duas lata, paulò longiora, rariùs ex singulis geniculis bina, sed ex quolibet geniculo vnum tantùm, nullo Descriptio



certo ordine vel numero enascitur, quod antequam exeat datur, fistulæ instar caulem complectitur. *flores* in summo cauliculorum, ex fenestrarum foliorum sinu, tenerrimis pedicellis subnixi, ex cauliculis oblongis, nonnihil hispidis prodeunt, Saponariæ vulgaris formâ ex quinque folijs per oras crenatis commissi, qui colore albi sunt, leui carneo colore aspersi, in quorum medio staminula quædam exigua.

Gerardo Gentiana concaua, Angl. Hollow felwoort or English Gentian. Sed impropriè à Gerardo Gentianam folio côuoluto vocari concauam scribit in epist. ex Anglia ad nos Lobelius. C. Bauhin. phyt. in prod. (cuius descriptionem assumpsimus, ex missa ei icone concinnatam) dicitur Saponaria concaua Anglica: item pin. vbi & Saponaria 2.

Locus & tempus. Hæc Aestate media floret in Anglia, in Comitatûs Northampton nemore quodam Sipanie dicto, authore Gerardo.

GENTIANA MINOR, SEV VVLGI Cruciata.



Descriptio. Repant cum *radice* rami sesquipalmares, & dodrantales subrubentes: quos crebra ambiût *folia*, bina semper aduersa, vel potiùs vnum contrarium ad geniculatanquam vagina caulem inuoluens, cuius vtrinque exit segmentum Gentianæ, ieiunio ferè minus, leue, pingue, amarum: *flores* in ramulis extremis ex foliorum alis conferti, cærulei, quinquepartiti: *semen* copiosum, minutum, oblôgum, fuluum, insipidum, vasculis continetur oblongis bipartitis, folliculo membranaceo obuolutis.

Synonyma. Brunfels. Herba fullonum. Corn. Gentianæ Herbariorum altera species. Anguillaræ Cruciata in Apennino copiosa, nomine Gentianellæ. Gesnero horto: Gentiana cruciata. Cam. horto Gentiana media, siue Cruciata, libentiùs horto assuescens: Eid. apud Matthiol. Gentiana minor. Et sic etiam ipsi Matthiol. Tabern. Gerardo, Lobel. Obs. pag. 166. Icon. Plant. pag. 309. & Adu. quibus & Cruciata recentiorum. H. Lugd. p. 259. Cruciata siue Gentiana minor Matthioli. Cast p. 203. γεντιανὴ μικρὰ, non Pettimborsa, sed Mettimborsa vocanda. Et sic etiam pag. 154. Sed cur Durantes eandem plantam duobus locis tradit? Nonne hoc factum ignorantiâ stirpium? postremo enim loco substituit τὸ γεντιανὴ μικρὰ, Cruciatæ & Pettimborsæ malè pingit Cruciatam stellatam.

Cruciata Fuchs. (cui & Gentianæ species) Matthiol. Lacun. Lon. & Eyst. Cruciatæ Gentianæ species Hatch. Cruciata gentianella Thalio. Vincetoxicum alterum Cæsalp.

Hæc planta germanis vulgari vocabulo Mosdelgheer & Creutzwurtz, quasi Radix cruciata (σταυρίτης) appellatur. Et hanc à radice ita dictam putant, sed folijs potiùs cruciatim cauli incumbentibus nominis etymon debetur. A radice amara Bitterwurtz, Radicem amaram, appellaris. Alij Saponariam & Isatin agriam, germ. Seiffenkraut/ & wild weidkraut/ sed perperâ vocant. Qui Rhenum habitâ: Germani, S. Peterskraut h. e. Herbam S. Petri: nónulli propter vulnera quæ sanare dicitur, Sperenstich nominât: Alij heil allen schaden/ quasi Chiliodynamin: Belgæ Modelgheer: Angli Crosse woort Gentian. Intelleximus à sagi, gallicè nominari *l herbe du cry*. Ital. *Gentiana minore*: Boh. Prostrelene forom. Hieron. Braunsch. putat eam esse herbam, quæ Hebræis dicitur Borith. Nomina linguarum

Cruciatam dictam plantam, testimonio Matthioli, non paruam cum Gentiana cognationem habere confirmatur. Anauniensa rura Cruciatam vulgò vocant *Pettimborsa*, sed corrupta Italicâ voce, pro *Metti in borsa*, quòd ingentibus viribus commendetur, vt perinde ac gemma, crumenis asseruari mereatur: aut quòd tantùm viribus excellat, vt Medici eâ vtentes ingentem argenti & auri copiam crumenis sint reposituri. Matthiolus in comm. lat. cum mag. fig. videtur nomen Pettimborsæ alteri Gentianæ tribuere. Ab Vngaris vocatur szent Laslo/ Kiralo fue/ h. e. S. Ladislai Regis herba. *Pettimborsa.* *Metti in borsa.*

Porrò Gentianæ tertiæ vulgò Cruciatæ vocatæ (vt vocat) Clusius duas differentias obseruauit: vnam ramis humi procumbentibus & minorem: alteram firmis & erectis caulibus, eamque maiorem: flore item alterius magis cærulei spectantur, atque illarum altera radicem in foramina sectam minime habet. *Differentia dua Clusij.*

C. Bauhin. qui in phyt. Gentianam quartam facit, & in pin. Gentianam pratensem 1. & Gentianam cruciatam vocat, triplicem differentiam constituit, Vnam procumbentem & minorem: alteram erectam & maiorem: Et tertiam radice non pertusâ. *Differentia triplex C. Bauh.*

Nascuntur verò eæ per vniuersam Pannoniam cùm in collibus, montibusq; apertis & gramineis, tum siccioribus pratis, & herbosis, secundùm publicas vias, locis. Sed obseruantur etiam Viennæ Austriæ in pratis Dornacêsibus, siluæ adiacêtibus. Item prope Wernigerodam. Locis nô ita arduis, hęc Gêtiana multa & passim oritur, vt prope Basileam, & Matisconum Burgûdiæ Galliæ, depressis collibus, Lobelio. In collibus & montibus, inquit Dodonæus, nec non in alijs incultis agris & asperis locis [& iuxta itinera, Trag.] reperitur, & in Germania quidem frequêter. Septembri quidê in Germaniæ agris, Iulio mense in Belgij hortis floret. Ego vidi florentem Basileæ extra portam S. Albani in colle Iunio & Iulio: mense Augusto prope Leuram, & in montibus Wasserfal. Geneuæ mensis Februarij principio inueni in proximis montibus, vt Saleuæ, cum reliquis foliorum & caulium præcedentis Æstatis. Locus

Huius Radices recentioribus magnis laudibus efferuntur contra pestilentiam & venenosorum animalium ictus. Matthiolus quidem illud se experientiâ compertum habere scribit, quòd radice tusâ, & ventri emplastri modo imposita, vermes, qui in intestinis fuerint, procul dubio necêtur: & vlceratæ strumæ sanentur, si ijs eodem modo contrita, quæ nuper effossa sit, vel sicca & in puluerem contrita adhibeatur. In summa non Vires & Vsus.


non desunt, qui asserant, hanc ea omnia præstare posse, quæ Gentiana. Cæterùm amara & foliis est & radice; temperiem calidam & siccam obtinet: præstat quæcunque amara possunt. Pastores pecorum apud Mediomatrices miris superstitionibus hanc plantam fœdant (inquit Tragus, qui hanc plantam φίλτρα esse existimat) nam vbi pestis porcorum ingruerit, illius herbam ac radicem minutim concisas cum aliis quibusdam pulueribus, in cibo ac potu exhibêt, adiunctis quibusdam preculis, planè sibi persuadentes quotquot huiusmodi escas degustauerint porci, eos à pestilentia tutos fore.

Temperam.

Superstitio.

GENTIANA FOLIO ASCLEPIADIS vulgò creditæ.

Descriptio



CAules plures ex radice, ad cubitum altos tollit, graciles, articulatos, quorum singulis iuncturis bina ex aduerso posita *folia* adnascuntur, Asclepiadis foliis formâ & magnitudine, respondentia, quinque secundum longitudinem neruis: è quorum singulorum sinu *flos* nascitur vnus, magnus, oblongus, calathi formâ, quinque laciniis per extremum diuisus, cæruleus, totidem in medio flaminibus: *Siliqua*, inquit Clusius subsequitur bicornis, quæ per maturitatem dehiscens, *semen* ostendit planum, paleaceum, colore cinereo, *radix* digitali crassitudine, lutea, multas oblongas eiusdem coloris in latum spargit, singulis annis augescens, & noua germina proferens, gustu impensè amaro. In nostra icone malè picta radix.

Icon.

Gesn.fr. Gentianæ species foliis ferè Asclepiadis [Hirundinariæ Simler.de Alpib.] florib. cærulæis. Item, hort. Gentiana foliis Hirundinariæ seu Asclepiadis quorundam Gifftwurtz/ Schelmenkraut: quæ copiosa vbique apud Tigurenses locis montanis circa semitas alibique apparet.

Gentiana folii Asclepiadis.

Aret. in descr. mont. Stockhornij & Nessi, Bitterwurtz ptior, cæruleos habens flores, Campanulæ figura: foliis Asclepiadem referens: caule rubescente: radice bifidâ, luteâ, longâ, amarâ: semine compresso: Gentianæ species.

Gent. spec.

Dodon. lat. in fol. Cruciatæ siue Gentianæ minoris species Gesneri & Tragi, foliis Hirundinariæ, floribus confertis in Germania secus semitas. Velim Dodonæum indicasse, vbi Tragus Gentianæ folio Hirundinariæ meminerit. Gentianam porrò eam in Germania secus semitas obseruare non memini, sed neque confertos flores obseruaui. Vereor ne Dodonæus diuersas plantas confundat.

Gent. minoris species. Dod. taxat.

C. Bauh. pin. Gentiana alpina maior 4. siue Asclepiadis folio (sic etiam cognominatur in phyt. vbi sexto loco ponitur) Gentiana 5. Tragi, & Dodon. gall. Gentiana 2. Clusij Tabern. Gentiana minor altera Dodon. lat. Vincetoxicum primum Cæsalpini. *Quicquid* dicat C. Bauhinus, ex sententia etiam Clusij & Dodonæi, hanc apud Tragum non comperio. Est ea mihi alia.

Synon. C.B. not.

Copiosè in Pannonia, Stiria, Austriaque inferiore prouenit ad montium radices, vmbrosis collibus, nusquam verò in summis & apertis iugis in Rhæticis montibus Schlickius Medicus eruit.

Locus.


Floret Augusto: semen maturescit Septembri. Fertilis hæc est, nec interquiescit, sed singulis annis, vetustior videlicet, multos caules floribus onustos producit. Pertinax autem est, & ferè mitiora loca respuit, interdum tamen curâ & diligentiâ effecit Clusius, vt in hortis comprehenderet, & singulis annis repullularet & flores ferret: attamen quasi natiuo aëre & pabulo priuata, atque tanquam compedibus vincta, lugere videbatur, ac pristini vigoris & elegantiæ plurimùm amittere.

Tempus

De Vincetoxico Matthæus Sylu. scribit valere contra venenum: ingredi in Theriacam Diatessaron, quasi hæc pro Gentiana accipiatur. Nam vt Cæsalpinus monet, apud Mesuem & reliquos authores non Vincetoxicum legitur, sed Gentiana. Celebrantur radices huius in febribus pestilentibus, & ad vermes enecandos singulari remedio. Sclauonici rustici, huius radicis decoctum fœliciter calculosis propinari, experimentò se compertum habere affirmant. Aretius & Iosias Siml. tradunt eâ pastores vti ad vbera vaccarum, si à muribus, araneis, aut aliis venenatis bestiis lædantur, curandâ. Amara & hæc foliis & radice est; temperie calida & sicca.

Vires & Vsus.

GENTIANA ALPINA MAGNO FLORE.



GRaciles habet *radices*, longiusculas, plures cohærentes, flauescentes, propagines ex lateribus producentes. *Folia* humi fusa in orbem, crebra, duplò triplóve Hippii maiora, vnciis duabus interdum longiora, semunciam aut vnciam ferè lata, in acumen desinentia, crassiuscula, vnico nonnunquam, aliâs tribus per lõgum neruis donata, amara: pediculi vnciales, binis ex aduerso positis foliis ornati, ex calyce dimidio breuiore, quàm Hippio, *florem* eminentem sustinent magnum, Violæ Mariæ parem, calathoide, duarum, triúmve vnciarum longitu-

Descriptio.

ne, vnifolium per oras supremas in quinque lacinias diuisum, quarum spatia intercedit appendix, auriculæ instar, continua: color foris e albo subcæruleus, laciniarum tamen spacia cærulea sunt: qui color vegetior & cyaneus hilaris lacinias intrinsecus tingit, penitùs autem si inspicere, striis picturatæ ad fundum vsque ex cæruleo purpureis, aspersa hinc inde eiusdem coloris punctulis: è fundo emergit turbinatus stylus, angulosus, puluisculo luteo circiter circunspersus, in summo tandem cacumine bifidus florem, teste Clusio, consequitur oblongum acuminatum *capitulum*, quod sese in duas æquales partes aperiens, *semen* ostēdit exiguum, striatum, terrei coloris.

Synonyma. Trago Gentiana postrema, siue quarta. Gesn. hortto Gentianula, siue Gentianella alpina: Et cat. Gentianella pumila. Aret. Gentiana 4. minima. Clus. Pann. p. 284. & 285. itemque in Histor. post. Gentianella 5. siue Gentianella maior verna. Lob. in Adu. pag. 130. Gentianella.

Amato addita est figura Dalechampij, in fine posita pro Elleborine. An autem Amatus hanc intellexerit, ignoro, quia à se visam in horto Magnifici Azaioli Ferrariensis, Epipactim non describit. Hist. Lugd. p. 828. inscribit Gentianellam minimam latifoliam, atque quondam esse Helleborinem, siue Epipactim, posse verò & Thylaciten maiorem dici: Allobroges *Repetret* nominare.

C. Bauh. not. C. Bauhin. Gentiana 15. siue Gentianella alpina angustifolia magno flore: Item Gentiana 16. siue Gentianella Alpina latifolia magno flore. Has diuersas esse plantas perperàm statuit Frater.

Locus & Tempus. Crescit in Schneeberg & Etscher abundantissimè aliisq; alpibus continuâ serie productis, perpetuáque quasi niue obsitis: vbi Iunio & Iulio h. e. primo istic Vere, floret: sub Iulij verò finem & Augusto semen maturitatem adipiscitur: at mitioribus locis, in quibus authore Clusio rariùs inuenitur, atque in hortos translata, Aprili & Maio. Inueni ego in monte Rhætorum Septimo dicto florentem Iunio. In altissimis Dioecesis Curiēsis alpibus in tractu prope Cœnobium [illegible] appellatum quo loco thermæ sunt decantatissimæ, primùm Trago sese obtulit. Lobelius in Patauinis collibus & decliuibus, vbi viperæ capi solitæ sunt, obseruauit. Hist. Lugd. crescit in aridis, niuosis, perflatis, montosis: floret mense Aprili.

Amarissimus est totius plantæ sapor, ideóque iocinoris vitiis nempe regio morbo, & obstructionibus auxiliatur, pari cum Gentiana facultate, cui amaritudine non cedit.

GENTIANÆ SPECIES, CALATHIANA quibusdam radice perpetua siue palustris.

Descriptio. VDos amat pratorum margines, singulari, aliàs multiplici supra cubitalem altitudinē, recto *caule* assurgens, per quem æqualibus spaciis aduersa contendunt *folia*, palmari nonnunquam altitudine, calmum lata, superiùs attenuatentia, infernè dilutiora, è quorum sinu à medio ferè caule, summo tenus, *flores* iā singulares, iam duo aut plures, cærulei, quinquepartiti, calathi forma, Gentianellæ Heluet. cæ pares, vel etiam minores: *radices* plures longæ, luteæ, amaræ, quæ non bene exprimuntur in nostra Fuchsiana figura, quæ causa cur aliam pingi iusserimus.



Gent. 3. Trago. Trago Gentianę tertia species radice longa & admodum amara, cauliculis tenuibus, teretibúsque, foliis acutis, angustis, Campanulæ, oblongis, cæruleis.

Matthiolus in prior. commeminit duarum Gentianarum minorum, quibus in comm. It. cum mag. fig. tribuit radices albas, figuram vnam tantùm exhibens, titulo Gentianæ minimæ. In Lat. adscribit caules humi plerumque accubantes, vocátque Ananiensium rurum genus vltimum Pettimborsa vulgò dictum. *Considerent* autem lectores an fuerit ritè nota hæc Gentianula Matthiolo, describendo radicibus albis, & caulibus humi accumbentibus. Matthiol. taxatur.



An in figura folia non sint penè maiora, quàm in ipsa herba, licèt graphicè descriptam dicant Aduersaria. Figura Gesneri meliùs mihi placet. In com. lat. cum mag. fig. circa nomen Pettimborsæ sibi contradicere videtur: id enim nomen olim Cruciatæ tribuebat.

Figuram habet Cast. Dur. p. 203. pro Gentiana minima, Italicè Gentianella & Pettimborsa vocata, flore ex cæruleo purpureo, quæ repræsentat aliquatenus Violam Calathianam.

Calath. Viola Dod. gall. Dod. gall. lib. 2. cap. 21. Calathiana Viola, Calathiana Plinij, & Viola autumnalis, *Violette d'Autõne*, Belgis blaw lilielens, & [illegible]. Eid. lib. 3. ca. 12. Gentiana tertia, sine icone. Idem de Flor. ait vulgò apud Belgas nomen non habere, esse tamen qui cæruleum Lilium nuncupent.

Gesn. hort. Calathiana Viola autumnalis, amara, humidioribus pratis proueniens, profundioribus radiculis, cærulei coloris saturati flore: Gentianæ genus. Item, Gentianæ species pulchra, Pichris dicta Kreichio, fortè Plinij Calathianę species, Dodonæo propter floris figuram, Calathiana vocata. *Sed nec* Gesnero, nec Dodonęo assentiri possum, Gentianæ enim minori, quam pictura exhibet Dodon. & Gesnerus pro Pneumonanthe

monanthe, radices non sunt annuæ, quales dicit Cordus esse Pneumonanthes. An Gesn. coll. Calathianas, autumnales Violæ cæruleæ, ex quarum genere Petilium florem Plinii dixerit, radicibus amarissimis? An rursus, Gentiana palustris, florens Augusti medio & fine?

Pneumon. Cord. Lob. Pneumonanthe [sic in Icon. Plant. Lobelius p.309.] Cordi. Gentianæ minoris species [Calathiana Viola Plinii Dodon. additur in Obs. pag. 166.] Germ. Lungen blum. Cruciatæ similis, aut eadem, quæ in pratis etiam montosis oritur, foliis angustioribus, minoribus, flore cæruleo, Calathi modo, radice fibrosâ, neutiquam incisâ: à Matthiolo graphicè descripta. Vnam duntaxat, & huic similem sed floribus albis alit hortus professoris in Academia Louaniensi Petri Brugheli.

Lob. notat. Iam antè diximus, Pneumonanthen Cordi differre à Matthioli Gentiana minore & à Calathiana Dodonæi. Præterea, tantam similitudinem haud animaduertimus cum Cruciata, quantam perhibet Lobelius.

Gentianæ quartæ siue angustifoliæ procul dubio genus est illa, quæ à Dodonæo Campanula autumnalis nominatur, & quòd Augusto floreat atque Autumno, à Ruellio Calathiana Viola appellata est, à Cordo Pneumonanthe: *Miror* Clusium cum aliis eandem facere istam Calathianā cum Pneumonanthe Cordi multùm differente.

Gilb. Lugd. 3. notat. H. Lugd. huius plantæ tres figuras habet: p. 824. Calathiana Viola. Item, Campanula pratensis: pag. 1259. Cruciata siue Gentiana minima Matthioli.

Gentia. palustris Taber. Gentianella palustris, de qua hoc loco agimus, proponitur à Gerardo & Tabern. pro Pneumonanthe. Thalio dicitur Viola Calathiana tertia.

C. B. not. C. Bauh. phyt. Gentiana 7. siue palustris: Apud Matth. Gentiana minima Matth. & Castoris, quoad descriptionem, non iconem, Viola Calathiana 2. Thalii, Pneumonanthe humentium ericetorum Lobelii. Non mihi verò videtur Violam Calathianam Thalii secundam cum hac conuenire. Pneumonanthen ericetorum Lobelii suspicor esse Gentianellam quadrifolio flore. Eid. pin. Gentianella palustris 1. siue angustifolia, flore cæruleo, violaceo, & purpureo.

Locus & Tempus. In Ducatûs Vuirtembergici loco humido circa Aichelberg obseruaui florentem Septembri: Lob. in Pedemontanis pratis prope Susam & Riuoli multam testatur. Reperit Dodonæus in pratis, frequenter in aliis incultis, & iisdem quibus Erica humidioribus locis. Clusio authore crescit in Austriæ pratis ad montium radices sitis. Floret Augusto. Aliquoties à Gesnero fuit plantata, paulò pòst tamen periit. Quamuis autem radix ei non simplex sit, locum tamen desiderat palustrem.

Vires. Ont. Viribus iisdem quibus Cruciatam præditam ait Matthiolus. Dodonæus qualitate calidam statuit, Gentianæ facultate quodammodò similē, multò tamen imbecilliorem. Efficax à recentioribus aduersus pestilentes morbos habetur, & ad virulentorum animalium morsus & ictus. Alii præclaras ei vires in sanandis pulmonum affectionibus ac hepatis adscribunt.

GENTIANVLA LANVGINE AD SINGVlorum foliorum floris lacinias donata, flore quadripartito.

Descriptio R*Adix* tenuis quasi repens, albida, amaricans: *caules* sæpè singulares, aliquando plures, dodrantales & minores, quadranguli, in ramos aliquot diuisi: *folia* ex aduerso posita ad nodos oriuntur, inferiora quidem vnciâ breuiora, superiora verò longiora, culmum lata, neruo vnico secundùm longitudinem decurrente: *flos* in vniuscuiusque ramuli extremo singularis, calathi formâ, longus, colore cæruleo, in quatuor partes duntaxat profundas diuisus, non mucronatas sed rotundas modicè & crenatas, quarum latera vtrinque barbitio donata cæruleo, nec vllam



habent ad imum laciniæ intrinsecùs lanuginem; medium occupant *apices* quatuor obsoleto minio tincti, staminibus albidis insidentes, nec non calycis vasculum longum quadrangulum in duos apices albicantes desinens, in quo *semen* continetur minutissimum, puluerulentum, ad instar Orobanches, aut Helleborines: ex radice Autumno euulsa, præter floriferos caules, oculi in sequentis anni germinationem apparebant. In tota planta gustu nullum saporem percipio præter paucam amaritudinem in foliis.

An Dodon. in fol. lat. Campanula autumnalis, in ericastris tenuior ac minor? Thalius vocat Violam Calathianam seu autumnalem primam. Gesn. hort. Calathiana Viola autumnalis alia minor, flore dilutiori, radice inutili. An eid. coll. stirp. Gentiana pumila flosculo cæruleo, radiculis albis? An Camer. hort. Gentianella pratensis Bauarica minutissima, Autumno florens? An Lob. Obs. p. 166. Gentianella siue Pneumonāthes varietas, strigosior tota, humentium Brabantiæ ericetorum? An Clusio in Pann. p. 284. & Hist. post. Gentianæ quartæ, siue angustifoliæ varietas? Viola Calathiana Thal.

C. Bauh. phyt. Gentiana 8. siue angustifolia autumnalis, Pneumonanthe Cordi & Lob. Calathiana Viola autumnalis minor Gesn. flore cæruleo, dilutiore, nigro, rariùs albo. Apud Matthiol. Gentiana minor Matthioli, quoad descriptionem: Calathiana Viola Lugd. Dodon. in 8. Campanula autumnalis in fol. Viola Calathiana siue autumnalis Thal. Gentiana angustifol. 2. Clusio. *Ego separo* Gesner. Calathianam minorem à Pneumonāthe, nec ei tribuo colorem nigrum, ac miror neminem annotasse, flore esse quadrifolio tantùm.

C. Bauh. pin. Gentiana pratensis 6. siue angustifolia autumnalis maior, Pneumonanthe Lob. Calathiana Viola autumnalis minor Gesn. hort. Calathiana autumnalis Gesner. cat. Campanula autumnalis Dodon. Eyst. Gentiana 4. siue angustifolia 2. Clus. Pannon. & Hist. flore cæruleo dilutiore: est nigro: rariùs albo. Item. Gentiana pratensis 7. siue angustifolia autumnalis minor floribus ad latera pilosis, Pneumonanthe Cordi Hist. des. Ad. Viola Calathiana

autumnalis prima, Thal. Gentianella autumnalis foliis Cētaureæ minoris flore cæruleo, Eyst. C. Bauhin. hîc separat, quæ in phyt. coniunxerat

C. Bauhinus notatur. Locus & Tempus. Gentianulam quadrifolio flore vidi eundē Montbelgardo à l'Isle, vbi vltra Montenoy iuxta dumeta floret Octobri. Inter Vauiaucourt & Dampierre supra fontem in colle Septembri. Itē prope Blaumontium, S. Hippolytū & Basileā, in monte Mouters in pratis descendendo ad sinistra versus Augustam. In Hausbergo Ienæ crebertimè legit Thalius.

GENTIANA ANNVA CLVSII I. FLORE ex cæruleo purpureo exiguo.

Descriptio. CVbitalem habet *caulem*, firmum, geniculatum: per quem ad singulos nodos sparsa sunt bina semper *folia*, sibi ex aduerso opposita, trineruia, latā sede & sine pediculo cauli inhærentia: sensimque in longum mucronem desinentia: ab imo ferè caule ex foliorum alis nascuntur dodrantales & palmares ramuli, tenues, minoribus foliis septi, quinos, septenos aut plures *flores* foliis cinctos, proferentes, in quinque mucronatas lacinias diuisos, exiguos pro plantæ magnitudine, purpurascentis ex cæruleo coloris: iis succedunt longa & angusta vascula, tenui *semine* plena: *radix* singularis est, exigua, paucissimis fibris prædita.

Synonima. Clus. pann. & Hist. Gentiana fugax siue annua 1. vel Gentiana septima, & Tab.

C. Bauh. phyt. Gentiana 10 siue pratensis folio quasi triangulo: Eid. pin. Gentiana pratensis 2. siue autumnalis ramosa. Viola Calathiana altera siue polyanthemos Thalii, Gentianella multiflora autumnalis è cæruleo purpurascens, Eyst. flore rariùs candido. *Nos* referimus Thalii Violā, ad Gentianam fugacem 2. Clusij.

Vires & vsus. Nascitur in pratis herbidisque locis ad montium radices sitis, montiúmque cliuis, Iulio & Augusto flores proferens.

GENTIANELLÆ SPECIES QVIBVSDAM, An Cordo Pneumonanthe, aut Gentiana fugax altera Clusii?



Descriptio. ESt vbi vnico, est rursum vbi pluribus donatur *caulibus*, vix vnciā altioribus, vel dodrantalibus, ac etiam interdum cubitalibus, angulosis, ex viridi saturatè rubentibus, fractu contumacibus & multùm ramosis: *folia*, infima quidem ex angusto principio sensim dilatantur, superiora verò latiore principio caulibus adnascuntur paullatímque in mucronem acutum facessunt obscurè virentia, & in atrum nonnúquam vergentia, neruis aliquot secūdùm longitudinem donata, sapore subamaro, ortu opposito: *flores* ex foliorum alis, itémque in ramulorum extremis copiosi, purpurascentes, calathi formā, sescunciam circiter longi, in quinque semunciales mucronatas lacinias abeunt, quarum singulis internā parte (non ad latera) pili, barbulæve purpurascentes adnatæ, quarum coitus tubulo inclusa quinque stamina cum stylo viridante occultat: sunt autem sapore luculentiùs amaro quàm folia, non sine acrimonia, calyx longus *semen* continet rotundum, Papaueris semine minus: *radix* subest lignosa, dura, modò vnica fibrata, modò plures. Annua est herba.



Fuschsius, cùm Tubingæ degerem, vocabat Gentianam cæruleam quartam. An Cordo hist. Pneumonanthe, i. e. [illegible]? An Aret. [illegible]? An Clus. pann. pag. 289. & 290. itémque hist. Gentiana 8. siue fugax, aut annua altera?

Gesn. hort. Calathiana Viola autumnalis tertia, Gentianæ genus, radice inutili, calathis florum puniceis, multis, confarctisque: subacris.

Thal. Viola calathiana altera, seu πολυάνθεμος, floribus coloris ex pallidiore cæruleo subrubentis veluti leniter, odoris nauseosi seu virosi. Rariùs flore prorsus candido.

C. Bauhin. phyt. Gentiana nona. Eid. pin. Gētiana pratensis 3. siue flore lanuginoso: Gentiana 8. siue fugax altera Clusii. *Fortè* Frater non intelligit eandem, quam nos: quia Violam calathianam πολυάνθεμον, ad aliam Clusij refert, nempe fugacem primam.

In Alpibus Rhæticis, & montibus Geneuæ propinquis, itémque Basileę in pratis, floret Augusto & Septembri. Montbelgardi abundat supra *la Crote*, & circa Blaumontium, passim locis cliuosis sub Autumno. Locus & Tempus.

Gentianella fugax tertia Clusij, flore virescente & subcæruleo, breuiore & maiore.

Pari fermè excrescit altitudine, nec minùs frequentibus ramis est prædita: *caulis* etiam quadrangulus, terni aut plures in singulis ramis *flores* superiori similes, sed breuiores, amplioresque virescentis initiò coloris, deinde subcærulei: quibus longa cornicula seu mucronata membranacea vascula *semine* plena, vt in superiore succedunt: *folia* in singulis nodis multò latiora, mucronata, trineruia, ex aduerso inter se sita, viridis saturi & quodammodò nigricantis coloris: *radix* superiori similis, inquit descriptionis author Clusius, qui Gentianam 9. siue fugacem aut annuam tertiam, impensè amaram cognominat. Descriptio.

C. Bauh. phyt. Gentianam 11. vocat. Idem pin. Gentianam

Gentianam prat. 4. siue flore breuiore & maiore.

Locus & Tempus. Obuia hæc est in omnibus pratis in sublimi sitis, & montium iugis, floretque Augusto.

GENTIANELLA FVGAX QVARTA CLVSII flore dilutè purpurascente & cæruleo elegantissimo.

Descriptio. DOdrantem non superat, *cauliculis* & ramulis exilibus, minoribus etiam foliis, Centaurij minoris flori penè paribus: *flores* minores habet, licèt formâ superioribus non absimilis, qui aut dilutè purpurascunt, aut cærulei coloris elegantissimi sunt: cornicula subflauo exili *semine* plena sunt: *radix* licèt tenuior, à duabus præcedentibus non valdè differt, authore Clusio, cui dicitur Gentiana 10. siue fugax aut annua quarta. Ei similis videtur, quam Lobelius Gentianæ minimæ nomine describit.



Gent. fugax. 4. Clus.


Syno. An Lob. in Adu. Gentiana minima, omnium speciosissima, in montibus arduis fruticans.

C. Bauh phyt. Gentiana 17. Eid. pin. Gentiana alpina minor 6. siue Gentianella breui folio: Gentiana minima Lob. Cost. cui & Vulneraria herba, in Icon. p. 485. *Sed figura* Lobelij demonstrat non eandem, nec æmulam floribus.

Locus & Tempus. Crescit iisdem quibus altera locis: meminit Clusius & in Britannia obseruare. non procul Douera, mense Septembri, partim dilutiore colore florentem, partim semine prægnantem.

GENTIANELLA FVGAX QVINTA Clusij flore cæruleo colore elegantissimo.

Descriptio. LOngè exilior [quã quarta fugax] vix trium vnciarum altitudinem æquat, licet multis alis prædita: *foliola* Centaurij minoris in singulis geniculis, aliarum more sita habet: *flores* minori Gentianellæ vernæ persimiles venustissimo cæruleo colore præditos: corniculа qualia superior, admodum exili & nigro *semine* plena: *radicem* quàm in superioribus minorem, sed frequentioribus fibris donatam. Impensè amara est.



Synon. Gentianam hanc suam 11. siue fugacem aut annuam quintam, Clusius eam suspicatur, quam Simlerus comm. de Alpibus, himmelstengel appellat. In tabula proposita minor icon videtur conuenire posse cum Gentiana dicta Clusij. An autem sit Aretij himmelstengel, pusilla herba, floribus cæruleis, radice amara, ambigo.

C. Bauh. phyt. facit Gentianam 11. Idem pin. Gentianam alpinam minorem 5. siue Gentianellam alpinam æstiuam Centaureæ minoris foliis, Gentianam minorem Tab. Calathianam vernam Dalechampij, Hist. Lugd. pag. 825. quæ nobis est diuersa.

Locus. Floret in Etscheri iugis Augusti initio.

GENTIANELLIS AFFINIS, CALATHIANA verna Dalechampij, cum albis staminibus.


Descriptio. RAdice donatur breui, gracili, candidâ, parum fibratâ: *caule* singulari, palmum alto, nodoso: *foliis* paucis, Centaurio minori similibus, paulò longioribus, binis semper caulem ex aduerso complectentibus, veluti cauo alarum sinu, Anagallidis modo, ex interiore sinu pediculus vnus, interdum geminus prodit, *florem* sustinens, calatho, vel folliculo similem, è cæruleo purpurascentem, albis intus staminibus.

Ex Dalechampio Calathianam vernam vocauit H. Lugd. & Thylacitin à floris figura, θύλακον, i. e. saccum, culeum, folliculúmve referente. Similitudinem autem aliquam habet cum Gentianella fugace quinta Clusii

Locus. In pratis editissimorum iugorum Iuræ montis pronenit: floret Maio & Iunio mensibus.

GENTIANVLA QVÆ HIPPION.
CAP. XV.

Descriptio. TOtum obumbrat cespitem pulchella ista perennis herba, fibris hinc inde repandibus fœcunda, *foliis* per terram sparsis, interdum Lenticulæ non maioribus, interdum semuncialibus aut longioribus, neruosis: *pediculi* surgunt vnciales aut paulò maiores, vno aut altero foliolorum pari vestiti, quorum vnicuique *flos* insidet vnus, vncialis aut sescuncialis, calatho angusto è calyce pinnato exilieníe, multò minore quam Gentianellæ Helueticæ, oris cæruleis amœnis quinquépartitis. *Semen* (inquit Clusius) exile, durum, rotundum.



Hippion Cordo.

Cordo Obs.sil. Hippion i.e. Viola equina, Leucoio æquales flores habens in quadrantali pediculo, cæruleos, pulcherrimos, profundo colore.

Calath. Verna.

Gesn.hort. Calathiana verna, Violæ genus equinum à Sueuis cognominatum, Hippion Cordi, Gentianella dulcis. Item, Viola Hippion à Cordo cognominata, diuersi generis herba à Gentiana, carens amaritudine. Rursum, Viola equina Sueuis dicta. Demum, de coll. Calathiana verna, Brendelblümle / Blaw Jünckhers blum.

Clus.pann.& Hist. Gentiana 6. siue (vt etiam in Hisp.) Gentianella verna minor. Lob. Obs. p. 67. Gentianella alpina, verna Clusij, Cantabrica quorundam (sic etiam in Icon. Plant. pag. 310. inscribitur) folio, ortu & gustu Centaurei lutei.

C. Bauhin. Tab. Ger.

Tab. Gentianella. Ger. Gentianella alpina.

C. Bauhin. phyt. Gentiana 13. Item, Gentiana 14. siue Gentianella alpina verna minor Clusij. & Gentiana angustifolia Hist. Lugdunensis. Nos vnam statuimus plantam cum Lugdunensi, & nô duas cum Fratre, qui se diuersas habere ait, & Lugdunensis & Clusij figuræ respondentes. Correxit autem in pin. errorem in phytopinace commissum.

Locus & Tempus.

Aliquot à Geneua miliaribus in monte Thuiri inueni florentem mense Iunio: in Rhætiæ verò monte Braulio, Iulio. Celsis montium iugis gaudere, & Vere florere perhibet Lobelius: Nasci in pratis inter Vlmam & Augustam, Cordus. Pratorum humidiorum herbam annuam adstruit Gesnerus: in hortis facilè nasci aut durare: cum cespite plantatam Vere per Æstatem manere.
In Cantabris & Pyrenæis hanc primùm obseruabat Clusius, ad angustias illius petrossi montis, quem Hispanorum vulgus D. Adriani portum nuncupat, initio Maij florentem. deinde prouenientem in celsissimis Schneeberg, Schnealben, Etscher & Durrenstein iugis herbido solo, vbi sub Iunij finem floret: at mitioribus vicinis collibus & sicciotibus pratis, Maio, semenque sub extremum Iunium profert. Omnem culturam respuere videtur.

Vires.

Eadem huic vis & facultas, quæ Gentianæ alpinæ magno flore: ad colicos enim dolores, ad tormina, regium morbum, & cacheхiam à rusticis laudatur.

Gentianella omnium minima C. Bauh.

Descriptio.

Ex *radicula* oblonga, tenui, albicante, *foliola* oblonga, angusta, viridia, plurima simul instar capitis coniuncta, prodeunt, inter quæ *pediculi* breuissimi [tota enim planta, radice excepta ad vnciam non excedit] quibus singulis *flosculus*, pro plantulæ ratione magnus, pallidè cæruleis staminulis donatus, calyculo inclusus, insidet. Hæc Gentianella 2. siue omnium minima, vel, vt in pin. vocatur, Gentiana alpina minor 8. nisi summè amara esset, Muscus aliquis floridus censeri posset, inquit author. In summis Alpium Helueticarum iugis reperitur.

Synonima.

Locus.

GENTIANA PVNCTATO FLORE subcæruleo Pennæi.
CAP. XVI.

Descriptio.

C*Aulem* habet geniculatum, cubitalem, supra radicem aliquantulùm rubentem, *folia* Gentianæ similia, ex interuallis bina, sed multo minora, venosa, quorum inferiora maiora sunt & longiora, pediculos rubentes habentia, superiora verò cauli sine pediculis adhærent, eúmque ferè amplectuntur: à medio penè caule è foliorum cauis oriuntur *flores* pentaphylli, striati, vtrinque tres, rariùs bini, nisi circa summum caulem, quinque subcæruleis constantes, nigricantibusque punctis elegantissimè notati [vnde nomē] quinq; staminibus, quorum apices lutei, præditi: *floribus* succedunt vascula cum *seminibus* Gentianæ similia, sed minora: *radix* parua, multis fibris prædita, ex fusco lutea.

Taberm. Gentianam 7. Clusij vocat, non animaduertens apud Clusium errorem typographicum, numerum sc. septenarium (VII.) pro duodecimo (XII.) poni.

C. Bauhin. phyt. Gentiana 5. siue flore subcæruleo punctis nigris notato: Eid. pin. Gentiana palustris 2. siue latifolia flore punctato, Alisma folio glabro phytopinacis: floribus subcæruleis, purpureis, & violaceis, punctis asperis. *An Alisma* hoc huc sit referendum, dubitatur.

Prouenit copiosè in Bokemuto Suitensium monte: floret Augusto. Ex radicis pictura coniecturam fecit Clusius, semine maturo planè perire, eóque deciduo renasci.

Tab. not.

Locus & Tempus.

POLYGONATVM VETERIBVS.
CAP. XVII.

Descriptio.

POlygonatum (πολυγόνατον) Dioscoridi in môtibus nascitur, frutex cubito altior *foliis* Lauri latioribus & læuioribus, sapore quodammodò malum Cotonæum, aut Puniceum redolentibus, siquidem gustanti astrictum saporem resipiunt: *flores autem* per singulos foliorum exortus promit candidos, foliolis ipsis numerosiores, incœpta à radice supputatione: *radicem* verò habet albam, mollem, longam, crebris nodis ceu geniculis cinctam, densam, graueolentem, ac digitali crassitudine, quę vulneribus efficaciter imponitur, ac maculas etiam in facie delet.

Galen.

Galeno Polygonatum mixtæ facultatis & qualitatis. Habet enim quid adstrictionis, & acrimoniæ, & amaritudinis, & cuiusdam inexplicabilis iniucunditatis. Eapropter neque in multo vsu est, sed eo solùm quòd radicem quidam vulneribus imponunt. Sunt & qui maculas in facie per ipsum deterunt.

Inter Polygoni genera, quæ à Plinio plura, ex aliquorum historia numerantur, Polygonatos hæc refertur, Marcello tamen toto genere differre hęc ab illa videtur. Iacet enim (quod præcipuum inter eas discrimen est) & Graminis modo per terram spargitur Polygonum, Polygonatum autem cubitali & ferè semper proceriore caule erigitur. Quod quartum Polygoni genus syluestre Plinius facit, cum hoc Dioscoridis Polygonato nulla parte consentit, quàm quòd Mali Cotonei saporem & spissandi naturam habet. Itaque aliud illud ab hoc esse minimè dubitandum putat etiam Cornarius.

Æquiuoca.

Licet autem Dioscor. vnius tantùm Polygonati meminerit, attamen Recentiores, sequentes differentes plantas eo nomine donarunt. Polygonatum Dioscoridis quod quidam esse dicūt Sigillum Salomonis: Sed nescit Tragus quo pacto esse possit, dubitátque Anguillara. Polygonatum maius, vulgari simile. Polygonatum floribus ex singularibus pediculis. Polygonatum cum singularibus floribus, prope Basileam.

Polygona-

Polygonatum amplitudinis foliorum Ellebori albi. Polygonatum ramosum latifolium. Polygonatum angustifolium. Polygonatum ramosum angustifolium. Lilium conuallium (Heroldus & Aloif.) Been album. Oenmoides [Tragus.]

POLYGONATVM, VVLGO SIGILLVM Salomonis.

Cap. XVIII.

Descriptio. SVmmo capite transuersa vagatur Polyg. *radix*, digiti crassitudine, pyxidata commissurâ inæqualis & tuberosa, cãdore marmoreo, dẽso fibrarũ agmine capillata, sapore subdulci: *caulis* cubitales & sesquicubitales, teretes, odore si frangantur, dissecentúrve, nauseoso: in quibus alternatim disposita sunt *folia*, Lilij conuallium, neruosa, supernè in atro virore splendentia, infernè cæsia: ex quorum alis *flores* exeunt ex pediculo semunciali aut vnciali, in pedicellos breues subinde subdiuiso, singulares, bini, terni, cylindracei, albidi, oris herbidis, in sena segmenta diuisis, quibus totidem adnascuntur apices crocei, stylo albo intus vnâ cum apicibus latente: hisce decedentibus baccæ oriuntur virentes, mox glaucæ, corymbis hederaceis pares, aut paulò etiam maiores, tribus zonulis à summo ad imum pictæ, in quibus *semina* sena vel septena, dura, magnitudine Viciæ.



Sigillum Salomonis. Sigillum Salomonis dicitur Brunfelf. tom. 3. rhapf. 32. & in 4. pag. 146. Ioan. Agricolæ & Eur. Cordo. Sigillum Salomonis latifolium Trago. Polygonatum Matth. Turn. Cordo in Diosc. & hist. Lonic. Lac. Cast. Lob. in obs. p. 361. Icon. Plant. p. 631. & Wirsung. Polygonatum vulgare Gesn. hort. & Camer. hort. Is ad Historiam Matthioli ger. & Epit. ponit duas figuras (1. Polygonati titulo, cui adscribit baccas rubentes & quandoque purpureas. Secundam inscribit Polygonatum vulgatius, baccis nigris,) quæ an diuersarum specierum, iudicent lectores, perpendantque an cultura & situs mutationem non faciant.

Synonyma.

Icon Cam.

Polygonatum vulgare omnibus prouinciis familiare, Clusio. Polyg. maius Lob. in Aduerf. Polygon. latifolium Fuchs. Dodon. gall. & Tabern. Polygon. maius seu vulgare aut latifolium Thalio. C. Bauh. pin. Polygonatum 1. (3. phyt.) siue latifolium vulgare, Polygon. vulgatius Eyst. Polygon. 1. Gerard. Fraxinella Anguillar. & Cæsalpini. Variat baccis rubentibus, purpureis, quandoque nigris, vt Camer. in Epit. monet.

Nom. ling. Græci πολυγόνατον, Latini similiter Polygonatum appellant, quòd radix crebrò geniculata sit. Officinæ vulgò Sigillum Salomonis, haud dubiè à vestigiis, radici sigilli instar impressis. Germani weißwurtz / h. e. Albam radicem & Gelenckwurtz: Belgæ Salomons segel: Galli *Signet ou Seau de Salomon*: Itali *Ginocchietto*: Hetrusci *Frasinellam & Fraxinellam*: alij Geniculatam aut *Genubellam*: Angli Scala celi / & white wurt. Hung. Salomon pöcsétt.

Locus & Tempus. In syluis, locis vmbrosis & iuxta margines nascitur, necmodò in mõtosis, sed & in planis. Maio ac Iunio flores, Augusto fructus colligi possunt.

Vires & vsus. Hodie quoq; mulieres Sigillo Salomonis sibi faciem extergunt & fucant, vt planè nullum sit dubium, quin Polygonatum esse constanter credamus, inquit Fuchsius. Matthiolus è Polygonati radicibus aquam elici refert, quâ ad faciem abstergendam mulieres Italæ vtantur. Quidam tamen radicem crematam facto lixiuio ad eundem vsum exhibent. Agricola aquam distillatam concretum sanguinem inter cutim & carnẽ discutere asserit, si in ea intinctus pannus imponatur, sique næui totius corporis ex ea lauentur, delere posse.

POLYGONATVM MAIVS VVLGARI simile.

Descriptio. POlygonatum vulgari planè simile, nisi quòd in duplò maiorem excrescit altitudinẽ, crassioresque habet *radices* & *caules*, ampliora *folia*, longè plures *flores*, maioresque *baccas*.

Synonyma. Clus. pann. p. 263. Polygonatum maius: Eid. Hist. Polygonatum latifolium primum. Camer. hort. Polygonatum Pannonicum. C. Bauh pin. Polygonatum 2. (1. phyt.) siue latifolium maximum, Polyg. maius Eyst.

Locus. Spontè nascitur, vulgari permixtum, in quibusdam Austriæ & Pannoniæ vmbrosis locis.

POLYGONATVM FLORIBVS EX SINgularibus pediculis.



Descriptio. PEdales huic sunt *caules* striati, firmi, non valdè inflexi, sed recti fermè: *folia* vulgari similia, eodemque modo, h. e. alternatim, circa caulem disposita, breuioribus tamẽ quàm in illo spatiis, minora etiam, firmiora, ingrati gustûs: ex singulis alarum sinibus, duo aut tres exeunt *flores*, breuibus, magnaque ex parte singularibus petiolis inhærentes, vulgari cum formâ tum colore similes, verùm maiores, & odore (qui in vulgari

nullus est,) floris spinæ Appendicis, siue Oxyacanthæ vulgò creditæ: *bacca* deinde virides initiò, & sphæricæ, quemadmodum in vulgari, maiores tamen, postea nigricantes, semen continẽtes osseum, durum: *radix* longa, obliqua, geniculata, candida initiò dum recens eruta, deinde pallescens, nonnũquam etiam purpurascens, pręsertim circa germina, vulgaris radici ferè par, tãetsi etiam aliquantulùm tenuior inueniatur, interdum verò amplior, vbi videlicet pingue & bene subactum solum nacta est.

Clus.pan.pag.263. &264. Polygonatum pannonicum 1. siue flore odorato. Eid.h. Polygonat. 2. latiore folio & Polygonat. latifoliũ secundum. Tabern. Polygonatum latifolium minus. Casp. Bauhin. phyt. & pin. Polygonatum 4. siue latifolium flore maiore odoro, Polygonatum Gerardi, an angulosum Cordi hist.

Frequens est in nemorosis illis montibus, vulgò Leytenberg nuncupatis, supra Manderstorf, Bruterstorf, & in plerisque aliis Pannoniæ montib. trãs-Danubianis inter saxa, atque etiam vltra Drauum in Pannoniæ interamnis montibus, pręsertim ad arcem Greben. Sed nuper admodum abundè nascens reperiebat Clusius in silua Quercubus consita ad læuam Mœni fluuii, paullò infra vrbem Imperialem Francofurtum: Floret Maio: baccæ maturæ sunt Augusto: interdum etiam multâ Hieme, atque ipsâ penè brumâ, è caule pendentes conspiciuntur.

Polygonatum amplitudinis foliorum Ellebori albi.

Descriptio. Polygonato floribus ex singularibus pediculis similem habet *caulem*, eiusdemque vel maioris etiam altitudinis, nõ adeò tamen rectum, sed magis inflexum: *folia* duplò ampliora quàm reliquorum, ad Ellebori albi foliorum amplitudinẽ nonnunquam accedentia, dura, neruosa, læuia, dilutiùs virentia, neque subtus incana, nonnihil acidi gustûs initiò, deinde paullulùm acris: *flores* alteri similes, inodoros tamen, neque ex singularibus petiolis singulos, sed binos aut plures ex oblongiore pediculo dependentes, vt in vulgari, qui etiam similem fructum habet: *radicem* albam, longam, obliquam, geniculatam, dicto Polygonato magnitudine parem.

Synonima. Clus.pann. p.265. Polygonatum pannonicum alterum siue πλατύφυλλον: Eid.hist. Polygonatum 3. latiore folio. C.Bauhin.pin. Polygonatum 5. (2. phyt.) siue latifolium foliis Ellebori albi, Polygonat. latifolium Dod. post.

Locus & Tempus. Crescit copiosè vmbrosis locis inter Brũnam & Weyspach, aliisque vicinis montanis siluis supra Viennam Austriæ: floret Maio.


Polygonatum latifolium perfoliatum Brasilianum.

Caulis est bicubitali, striato, *folia* Perfoliatæ modo transeunte: *foliis* pallidè virentibus, tenuibus, neruosis, vncias duas latis, quatuor longis: † composito, qui ex longo, tenuissimo pediculo dependet.

† *flore magno, albo, ex foliis quinque angustis, binas vncias longis.*

Polygonatum hoc C.Bauhino sextum in pin. secundum in prod. siue latifolium perfoliatum Brasilianum, autori à Bursero communicatum, in Brasilia apud Toupinambaultios creuit.

POLYGONATVM LATIFOLIVM ramosum.



Descriptio. Folia huic per caulem cubitalem ramósque, Polygonati foliis similia, æqualiáque, acutiore mucrone, venosa, mollia, alternato positu, imâ parte Perfoliatæ modo cõplectuntur: è quorum vniuscuiusque sinu, longus exit pediculus, vnicus, nutabundus, tenuis, cui inhæret *flos* maiusculus, Lilij conuallium, laciniatis oris extrorsum reflexis, quem inferiore parte scribit Clusius nigricantibus quibusdam maculis aspersum, odore propemodum Oxyacanthæ: *fructus* Polygonati minoris siue angustifolij fructui similis, trigonus initiò & viridis, per maturitatem verò oblongior & rubescens, paruáque corna interdum æquans, in quo multa grana albicantia congesta sunt: *radix* à Polygonati vulgaris radice differt: nam neque crassa est, neque adeò candida, sed exilis & nodosa, siue in frequentes nodos extuberans, pluribus crassis fibris constat, vti Thalictri quædam genera.

Matthiolus vocat Zapffenkraut / hauchblat / Auffenblat & Keelkraut in Hist. germ. h.e. Idæam Vuulatiam, Bonifaciam, & Paganam, & linguam: In comm. Ital. *Lauro Alessandrino*: In Lat. Laurum Alexandrinam, veram sc. & legitimam. *Sed turpiter* confundit Matthiolus historiam Hippoglossi cum planta hac quam exhibet pro Lauro Alexandrina: malè etiam nomina germanica ei tribuit Hippoglossi. Solerius olim meritò quidem Laurum Alexandrinam veterum, negabat, sed minùs rectè Perfoliatam ementiri annotabat, aut genus esse Lauri Alexandrinæ veteribus indictum. Nec meliùs Dalechampius quondam verum Hippoglossum suspicabatur. *quorundam lapsus.*

Synon. Polygonati tertia species Clusij Obs. pann. (inquit Camerarius in Hist. germ. Matthioli lib. 4. cap. 6.) non rectè missa Matthiolo pro Laureola Alexandrina, vt satis demonstrat descriptio. Idem cap. 151. repetit Laurum Alexandrinam à Matthiolo exhibitam esse extra omne dubium speciem πολυγονάτου: ibidem nouam iconem proponens. Sed nec ipsa Matthioli figura pro Polygonato ramoso displicet, quanquam illam taxet Clusius vt minimè scitè expressam & mutila descriptione adumbratam.

Synonyma. C.Bauh phyt. pin. Polygonatum 7. (6. phyt.) siue latifolium ramosum: Laurus Alexandrina Matthiol. Dodon. gall. Camer. Hippoglossum Hist. Lugdun. pag. 207. Rusco affinis tertia Cæsalpin. Polygonato affinis planta Lobel. Obs. pag. 362. Polygonatum latifolium 3. & 4. Tab. Polygonatum ramosum & acutum Gerardi.

Locus & Tempus. Florentem vnam aut alteram huius generis plantam in vmbrosis montis Wechsel siluis, deinde in Dürrenstein inter saxa & frutices mẽsib. Iunio & Iulio anni 1576. inueniebat Clusius,

quæ

quæ in hortum translatæ, fructum ad maturitatem perduxerunt: frequentiorem biennio pòst magnámque, & in multas alas diuisam, vmbrosis quibusdam scrobibus inter filicis stirpes, in descensu Durrenstein, paulò supra mapalia à montanis pastoribus habitata æstiuis mensibus, florentem Augusto. Rami verò cum fructu ex Silesia vsque (vbi frequens nasci dicitur) Clusio priùs communicabantur: deinde etiam aliquot radices illinc transmissæ. Persistit in hortis, vmbroso loco reposita, floréſque & ſemina ſuo tẽpore profert.

POLYGONATVM ANGVSTIFOLIVM.



Descriptio. Alba *radix* geniculatim incedit haud secùs ac prioris Polygonati: *caules* cubito altiores, similes: sed in his *folia* multis numeris angustiora, Rubiæ foliis paria, læuia, venosa, quaterna, aut quina, radiatim ex caulium geniculis enascuntur, ceu & herbacei *flores* Polygonati vulgaris, succedentibus *baccis* minoribus: Clusio, fructu initiò versicolore, qualis est Graminis Parnassi quorundam, siue Vnifolij fructus, deinde per maturitatem rubro.


Synonyma. Polygonatum angustifolium Fuchs. Dodon. gall. Turn. & Eyst. Polygonatum angustifolium Fuchs. Hist. Lugd. p. 1623. Polygonatum minus Herbariorum Clus. Pann. p. 263. Polygonatum 5. angustifolium 1 Clus. Hist. & sic etiam Tabern. Polygonatum tenuifolium Cordo hist. & Camer. hort. Polygonatum tenuifolium maius Thalio. Polygon. erectum Gesn. hort. & de Lunar. itémque apud Cordum. Polygon. alterum Dodon. in fol. lat. Polygonati genus erectum Simlero. Polygonato similis in alpibus Cæsalp. Sigillum Salomonis angustifolium: Sigillum Salomonium alterum, putatq; cum Mutono esse Chamædaphnen Dioscoridis, quæ opinio non recipienda.

C. Bauh. pin. Polygonatum 8. (7. phyt.) siue angustifolium non ramosum, Polyg. minus foliis Rubiæ Lob. in Adu. Ephemeron quorundam Diosc. & Plinij.

Locus. In montanis quibusdam Stiriæ pratis, circa frutices & in vmbra abundè nascens obseruabat Clusius. In editis & montanis vmbrosis locis, veluti in Bohemiæ ac Morauiæ densis syluis reperiri testatur Dodonæus, ac Maio & Iunio flores; Tempus. Augusto fructus colligi posse. In saltibus Harciniæ frequens Geneuæ in monte prope Thuiri copioso fructu mense Iulio, in Wassertall autem Augusto obseruabam.

POLYGONATVM ANGVSTIFOLIVM ramosum.

Descriptio. Habet *caulem* cubitalem, angulosum in multas tenues alas diuisum, quæ æqualiter ex singulis angulis exoriuntur, quaternæ interdum, nonnunquam & quinæ, pro angulorum, qui in caule, numero: *ramuli* tenues, longis & angustis foliis obsiti sunt, binis ternis aut quaternis, æqualiter in circuitu prodeuntibus, in quibus *flores*, Polygonato proximè descripto similes, paulò tamen minores, breui petiolo dependentes inter foliorum alas sparsi sũt: quibus succedit *fructus* rotundus, ruber pulpâ plenus, aliquot ossea grana continens: *radix* vulgari similis est, candida, nodosa, propagines ad latera fundens, & candicantibus fibris obsita.



Synon. Polygonatum 4. siue ramosum angustifolium Clus. Pann. p. 268. Polygonatum 6. angustifolium 2. Clus. hist. & sic Tabern. angustifolium Ger. Polygonatum tenuifolium minus Thal. Polygonatum 9. in pin. 8. phyt. siue angustifolium ramosum.

Locus. Clusio anno 1580. communicatum elegantissimum hoc Polygonatigenus ab Achille Cromero Silesio, quod iisdem quibus saxatilem Rubum locis eruisse asserebat.

LILIVM CONVALLIVM VVLGO.

CAP. XIX.



Descriptio. Radice tenui & albâ, fibratâ, summo cespite reptante, donatum *coliculum* profert palmarem circiter, angulosum, à cuius medio ad summum *flores* pulchri in vnam ferè partem vergentes per interualla penduli & nutantes in pediculis tenuibus curuisque nascuntur, par-

uæ nolæ effigie, oris in ſex lacinias diſſectis, totidem ſtaminibus ex herbido luteis, fundo adnatis, ſtylum triquetrum circumſtantibus, odore ſuauiſſimo, ſapore amaricante: quibus ſuccedunt rubra *ſeminum* conceptacula globoſa, vt in Aſparagis: *folia* bina aut terna, oblonga, Orchidis foliis ſimilia.

Oenanthe Athenæi.

Dalechampius apud Athenæum interpretatur Oenanthen. Anguillara verò, Camerario apud Matthiolum referente, Theophraſti πόθον eſſe, ſcriptum relinquit. Fuchſius pro Ephemero non lethalj deſcribit & depingit, dicens Iridem ſilueſtrem cognominari. Ephemerum autem dictum fuiſſe, non quòd eâdem die iugulet [nullam enim ei vim mortiferam ineſſe ait] ſed quòd flos illius confeſtim marceſcat, nec longiùs vno & altero die commoretur. *Sed hoc* argumento infinita non lethalia Ephemera ſtatuenda forent. Ac præterea, non ſine errore Fuchſius putat Lilium conuallium, Ephemerum Dioſcoridis eſſe, cùm nihil ſit in Ephemeri deſcriptione, quod huic noſtro Lilio conuenire videatur.

Fuchſ. not.

Lil. conualliũ & ſilueſtre Brunſelſ.

Brunfelſius, qui tom. 1. thapſ. 36. & in 4. p. 81. Lilium conualliũ, & Lilium ſilueſtre vocat, Hemerocallida Dioſcoridis eſſe putat. Quia verò Hemerocallis bulboſam radicem habere à Dioſcoride traditur, non conſtat quo pacto Hemerocallis ad Lilium conuallium, quod ſerpentẽ hinc indè habet radicem, referri queat. Sed vel indè eorum errorem euidentiſſimè deprehendi poſſe arbitratur Matthiolus, qui Lilium conuallium vulgò dictum Hemerocallim eſſe exiſtimant. Siquidem illud foliis conſtat ferè Plantaginis, tenuioribus tamen, minúſque ſtriatis: cauliculis iunceis, tenuibus, ac mollibus: in quibus cacumẽ verſus plures prodeunt flores albicantes, Balauſtii, & Arbuti effigie, odore perquàm iucundo: Radices demittit laxas, longas, fibris capillamẽtiſque refertas, nullis adjacentibus bulbis. Hemerocallis verò, Dioſcoride teſte, folia & caulem profert Lilio ſimilia: flores colore admodùm pallido: radicem magnam bulboſámq; Quæ ſanè notæ, ſi diligenter conferantur, maniſeſtiſſimè indicabunt, eos hallucinari, qui Lilium Hemerocallim eſſe contendunt.

Hemerocallis non eſt.

Cacalia Lonic.

Lonicerus in ea fuit opinione vt crediderit à Græcis Cacaliam & Leonticen vocari.

Lobelius de Lilio Conualliũ, vel verno Theophraſti (vt in Obſ. p. 87. & Ic. Pl. p. 171. inſcribit) ait in Ad herbam eſſe antiquis Græcis indictam, putaréque quoſdam Lilium inter ſpinas in Salomone memoratum. Mirum autem in titulo eum addere nomen Theophraſti, & in textu dicere, herbam eſſe antiquis Græcis indictam.

Lil. inter ſpinas.
Lob. taxatur.

Dod. gall. refert ad Lilium conuallium à Theoph. pro Lilii verni prima ſpecie deſcriptum. Sed Latinus videtur ſententiam mutare, eam ſolùm Lilium conuallium noſtræ ætatis vocans. Tragus non primum, ſed ſecundum Lilium Theophraſti Vere apparens Theophraſti facit.

Lil. vernum 1.

Lil. vernum 2.

Rob. Conſt. in Lex. prodidit quoſdã exiſtimare Damaſonii alterum genus, à Plinio lib 25. c. 10. deſcriptum, nigrius ſc. eſſe herbam, quam vulgò *Muguet* vocant Galli, Germani Meyenblümlin h. e. Florem Maii. Belgæ Meybloemkens, Latini vulgò Lilium conuallium, quòd in opacis & lucis naſcatur.

Damaſonium nigrius Plin.

Callionymũ.

Lilium conuallium vulgò dictum, ſi libet, Callionymum appellamus, iuſtiori ratione, authore Geſn. hort. quàm Anonymon olim quidã, ignoto ſibi nomine, plantam vocitarũt, vel Chamæcytinum: vulgò Meyenreyß. In cat. appellat Ephemeron, vulgò Lilium conualliũ & Muſchetum majus. C. Bauhin. phyt. Lilium 23. ſiue conuallium: Idem pin. Lilium conuallium 2. ſiue album.

Locus & Tempus.

Inter nymphas locum natalem ſibi delegit. In ſiluis enim & locis vmbroſis ſpontè exit. Aprili menſe noua germina protrudit, gemina ſc. folia, vnico pediculo ſuffulta, in initio complicata, quæ vbi primùm à ſe inuicem diſcedere cœperint, tum è medio illorum pediculus emergit, qui mox quinis aut ſenis globulis ornatur, qui Maio menſe panduntur, inq; floſculos euadunt, quibus pereuntibus Iulio menſe appropinquante fructum profert rubrum. Monſpelii floret Aprili in hortis.

Temperam.

Calidæ & ſiccæ qualitatis flores & fructus participes eſſe ſtatuit Dodonæus: Flores excalfacere, attenuare, digerere, & prouocare Matthiolus. Tragus autem quamuis dixerit flores calidi temperamenti eſſe, & laudet particulatim ad reuocandam amiſſam vocem, commendétque aduerſus morbos frigidos, nihilominus tamen ait aquam ſtillatitiam ex eo paratam, omnem oculorum calorẽ refrigerare. Apollinaris verò non ſolùm refrigerare ait Lilium conualliũ, ſed & humectare ſecundo gradu. Vtra porrò opinio de temperamento probabilior ſit & amplexanda, iudicabis ex odore ſuauiſſimo, ſaporéque amricante, quicunque Philoſophiam Medicam vel primis labris deguſtaſti.

Vires & vſus

Cæterùm, inquit Fuchſius, recentiores eius ſuccum, aut decoctum, ſyncope, vertigine, morbóque comitiali correptis, attonitis & phreneticis exhibent. Sunt etiam [addit Dodon.] qui velint decocto aut ſucco, oculorũ caligines diſcuti. Feruntur flores aduerſùs apoplexiam, neruorum reſolutiones, ac alios cum cerebri frigida humidáque intemperie morbos, auxiliares eſſe. Sunt etiam qui velint flores iſtos cor roborare, ac cardiacis quoquo modo aſſumptos prodeſſe. Incipienti porrò elephantiæ, ne latiùs ſerpat & altiùs radices agat, viam præcludere ſcribunt. Quin & ictis (pergit Matthiol.) ſeu commorſis à venenoſis animalibus præbent. Itẽ, ægrè parturientibus maximo eſſe auxilio prædicant. Magnus in ſumma Lilii conualliũ apud Germanos in medicamentis eſt vſus, ad varios corporis morbos. Aiunt enim eo roborari omnes principes facultates. Conficiunt autem ex floribus per æſtatem ſiccatis vinum vindemiarũ tempore, ipſos calcatis vuis admiſcentes, quo poſtea vtuntur ad prædicta. Sunt & qui recentiores flores vetere vino macerent, & in vitreo vaſe diu inſolẽt, admiſtis Lauendulæ vocatæ, & Roriſmarini floribus, additiſque odoramentis nonnullis: deinde ex eis ſtillatitiam aquam in calentis aquæ balneo vitreis organis eliciunt, eáque aureis, argenteiſque vaſculis reponunt. Hãc *aquam auream* appellant: quâ vtuntur ad omnes prædictos corporis affectus. Quinimò eam iamiam animam expirantis ori infundunt, rati ex eius aſſumptione homines morientes in vita retineri poſſe per pluſculum temporis ſpatium. Sed quàm vana iſti ferantur opinione, Matth. quidẽ ſæpenumerò experimẽto deprehenſum eſt. Quod etſi iis quoque irritum comperiatur: ea tamen eſt huiuſce aquæ apud omnes authoritas, vt plerique ab eius exhibitione abſtinere nequeant, etiam in morbis calidiſſimis. Concludit tandem

Aqua ſtillatitia.

Came-

Camer. Radicis, inquit, quæ dulcis ac aromatica, odorataque est puluis naribus attractus pituitam elicit & sternutationes mouet sine vehementia. Floribus vas impletur bene obturatū, & in aceruum formicarū reconditur per mensem. Liquor inde collectus instar olei sedandis doloribus podagricis & similibus affectibus exteriùs adhibitus perutilis. *Puluis sternut.*

Lilium conuallium latifolium.

Quod C. Bauhinus in pin. Lilium conuallium 1. siue latifolium cognominauit, id in prod. sic descripsit. *Descriptio* *Radicibus* est tenuibus, longis, repentibus: *caule* pedali, foliis ternis, viridibus, neruosis, subrotundis, læuibus, palmaribus, vncias quatuor latis, basi suâ caulem, fistulæ modo ambientibus: *floribus* magnis, albis, rotundis, hiantibus, reflexis, & odoratis, quibus *fructus* rotundus rubeus, *semen* durum continens, succedit. *Locus* In hortis quibusdam colitur.

Lilium conuallium cum pluribus florum ordinibus.

Descriptio Non alia huic *folia*, quàm vulgari siluestriq; Lilio conuallium: at *coliculus* inter ea surgens, non tantùm contentus est florum ordine, sed vtrinque producit *flores*, vncialibus & semuncialibus pediculis, pendulos & nutabundos, vulgari similes, quorum vnicuique ad exortum pediculo ligula albicans, paris cum eo longitudinis, apponitur.

Lilium conuallium magnum.

Descriptio Foliorum dispositio fibrosa striatáque textura cum nitido virore, respondet foliis Lilij conuallium vulgaris: duplò tamen aut triplò maiora.

An Lilium conual. 2. alp. Cam. Hoc putamus esse, quod Camer. hort. Lilium conuallium alterum alpinum, flore maiore & odoratiore nominat, quódque apud Matthiolum in montibus Tyrolensibus prouenire scribit.

An Lilium flore maiore C. Bauh. An C. Bauh. phyt. Lilium 24. siue conuallium flore maiore, An eid. pin. Lilium conuallium 3. siue alpinum, Lilium conuallium flore albo, Eyst.

In horto Frid. Meyer Argentinæ, mense Maio obseruaui.

LILIVM CONVALLIVM Flore rubente.



Descriptio HVius è flore petita est quædam differentia, cæteroqui Lilio conuallium albo vulgari per omnia respondens: flos solummodò ex albo rubet, colore pictus carneo.

Synonyma. Cæterùm, hoc est illud, quod appellatum est à Lobelio in Icon. pag. 87. Lilium conuallium agri Louaniensis propè Thenas Brabantorum vrbem, floribus candore & rubore confusè mixtis, siluosis gaudens: in Icon. Plant. p. 173. Lilium conuallium floribus suaue rubentibus.

A Camer. hort. Lilium conuallium 3. rarum admodum, flore subrubro à Sebizio missum. A Tabern. Lilium conuallium rubrum. C. Bauh. Lilium 25. siue Lilium conuallium flore rubente: Eid. 4. in pin. & Lilium conuallium flore incarnato, Eyst. Montbelgardi in horto E. C. Vvirtemb.

BIFOLIVM MAIVS SIVE OPHRYS maior quibusdam. CAP. XX.



Descriptio QVin ex Orchidū sit familia Bifolium ambigi vix posset, nisi *radices* multiplices fibrosæque obstarent, siquidem *flores* eleganti thyrso dispositi, quàm proximè accedunt, herbacei, culicum ferè formam exprimente bifido labello, galeâ lateralibus foliolis incumbente, quibus in caule singulari, tereti, modò vix sesquipalmum alto, aliàs pedali, aut etiam cubitali, hirsuto, vtriculi succedunt, vt in Orchidibus puluisculo referti: *folia* verò duo solummodò habet, Plantaginis latifoliæ, opposita, altero ex alterius sinu prodeunte. Sapor radicis subamarus cum aliqua acrimonia, non sine visciditate: *Caulis* vero & foliorum sapor viscidus.

Tragus Bifolium cap. de Cotyledone syluestri, secundo loco describit & depingit, aitque wilden durchwachs nonnullos, h. e. Perfoliatam siluestrem appellare, vt etiam Brunfelsius testatum reliquerit, sed plùs cum Satyrio affinitatis habere, quàm cum Perfoliata. Esse qui wasser wegerich, h. e. Plantaginem palustrem nominent. Euricium Cordum in ea esse sententia, vt statuerit Alisma Dioscoridis esse. Hoc tamen verisimile ei non fieri. *Bifol. Trag.*

Lobel. in Adu. Alisma negat, Ophrinq; Plinij adstruere videtur. Obs. p. 161. Bifolium inscribit, eiusque titulo in Icon. Plant. duas imagines pingit, vnam p. 302. Alteram tom. 2. p. 161.

Matth. Ophris recentiorum. Anguill. Ophris Plinii, à Fuchsio & Matthiolo bene depicta. Anglus Gerar. intitulat Gramen Parnassi maius, sed Tabern. imitatus Bifolii minoris malam Matthioli iconem proponit.

Dodonęus Pseudoorchis & Bifolii inscriptione pingit, & veram Plinii Ophrim, denticulato oleri similem esse posse negat, nec cum Alismate conuenire concedit, sed nouam aliquam stirpem esse & à veteribus præteritam asserit. *Pseudoorchis Dodon.*

Tab. Ic. & H. Ophris: item Ophris trifolia. Schvv. Bifolium maius, Ophris Plinij: item Bifolium 3. Ophris trifolia.

Ophris 1. phyt. C. Bauhin. phyt. Ophris 1. siue vulgata & minor. Satirion 10. Tragi, sine icone: Item bifoliū eiusdem, & Lobelij. Ophris 2. siue bifolia maior, Perfoliata mascula Brunfelf. tom... rhapf. 31. p. 182. & Perfoliata syluestris mas eiusdem in 4. p. 101. sine tamen descriptione: foliis & floribus illâ duplò triplóque maioribus, formâ priori respondentibus: caule minore. Et Ophris 3. siue trifolia maior, Perfoliata fœmina Brunfelf. dicto tomo & rh. p. 183. & Perfoliata sylu. fœmina in 4. p. 10?. in eo solùm à proxima, 2. lc. differens, quòd tribus donetur foliis: duobus quidem ex oppositio sitis: tertio verò ex coitu foliorum duorum orto, non tamen pari magnitudine. Tandem, Ophris 4. siue trifolia minor, à priori differens, vt bifolia minor à maiore. *Eid. pin.* Ophris 1. siue bifolia, Perfol. sil. mas Brunf. Satyrium 10. & Bifolium Tragi, Alisma Cordi, Gesn. hort. & in cat. pl. Ophris Matth. Fuchs. Ang. Gef. cat. Cast. Tab. Cam. Cæs. Thal. Franco. Bifolium Dod. gal. Ad. Lob. Lon. Cam. Pseudoorchis seu Bifolium Dod. Ophris bifolia Gerardi: Maior & minor, tam in hac, quam in trifolia. Item, Ophris 3. siue trifolia, Perfol. silu. fœmina Brunf. Ophris trifolia Tab. & Gerardi.

Locus & Tempus. Fuchsio teste nascitur in montibus, & nullibi maiori copia, quàm Tubingæ in pede mótis Austriaci prouenit: Maio & Iunio mense floret, quo tempore potissimùm colligenda. Ego in monte Wasserfal reperi florentem Augusto: in monte verò Saleuæ prope Geneuā In Silesiæ montib. & conuallibus, vdis & opacis locis collegit Schvv.

Vires & vsus. Gustanti hæc herba glutinosa esse apparet, & quodammodo dulcis, ideóque calidam & siccam esse coniecit Fuchsius: contrahendi porrò constringendíque facultate præditam esse non dubitat, hinc est quòd ad rupta & vulnera conglutinanda hac herba commodè vti recentiores scribat, secundùm Matthiolum, ad denigrandos capillos. Schvvenck. tamen calidæ & humidæ esse naturæ prodit.

Vnifolium, siue Ophris vnifolia.



Descriptio. Reptando *fibrillas* profert tenuis *radicula*, subdulcis, candida: vnde *coliculus* palmaris exsurgit, tenuis, folio vno aut altero, rariùs tribus donatus, formâ ad folia Sigilli B. Mariæ dictæ proximè accedentibus, minoribus, per longitudinem, neruosis, auersáque parte hirsutis: *flosculi* candidi, odorati, quatuor foliolis totidémque staminibus concoloribus cum stilo constant: *bacca* succedunt Lilij conuallium per maturitatem rubentes.

Vnifolium Trag. Cotyledon Silu. Tragus vnifolium (sic enim docendi gratiâ fingere vocabulum necesse duxit) Cotyledonis primi, siue silu estris nomine descripsit, censuitque Germanicè, wild burtzbwarcha appellandam esse, quòd caulis eius folium ex parte penetret: Et ab vnico folio, Ceratia, nisi radicem adeò exiguam haberet. Sed hæc opinio non placet.

Apud Amatum in Diosc. pro Cyclamino vnico folio malè ponitur icon Vnifolij, quandoquidem eius non meminit.


Dodon. lat. in fol. eiusdem cum Lilio conuallium generis esse putat Vnifolium, vulgò Einblat, græcè μονόφυλλον, nuncupatum, nec apud veteres nomen habere, nisi tertia Plinij sit Cyclaminos, cui similis videtur, si modò in exemplaribus error non est.

Synonyma. Gesn. in cat. pl. Folium herba: altera mas ἀρρενόγονον, altera fœmina θηλύγονον: Item postea Marifica herba. Lobel. in Adu. Monophyllon recentiorum, & Obs. pag. 161. vbi & Gramen Parnassi Cordi & Leoniceri: Icon. Plant. pag. 303. Monophyllum, Vnifolium recentiorum. C. Bauh. phyt. Monophyllum Vnifolium dictum, eò quòd cùm primò prodit, vnico sit folio, nam cùm cauliculum acquirit, folia bina habet, rariùs tria, qualem Richterus ex monte fracto attulit: propter similitudinem cum Lilio conuallium, Liliis subieci conuallium, ac ideò etiam (inquit in pin.) Lilium conuallium minus appellare lubuit: Sunt qui Cyclaminum tertium Plinij lib. 25. cap. 9. velint. Vnifolium Brunfelsius tom. 2. rhapf. 18. (cuius figura, vt & Camerarij apud Matthiolum nomine Graminis Parnassi, reliquorum melior est.) Dodon. Hist. Lugd. pag. 1260. & Eyst. Gramen Parnassi Hist. Lugd. p. 423. Gramen Parnassi maius Germ. Henophyllum vel Monophyllum Gesn. hort. Cyclaminum vnico folio Dalech. in Diosc. Monophyllon Lobel. Thal. Ger. Bifolium primum Lonic.

Locus & Tempus. Montbelg in siluis, ac etiam in monte prope Clareual oppidum Ill. E. C. floret Maio & Iunio. In monte *Saleue* solet cum Lilio conuallium prouenire.

Vires & Vsus. Vulnerariam esse plantam iudicat Tragus, vt quæ recentibus vulneribus vtrinque adhiberi commodè possit.

BIFOLIVM MINIMVM.



Descriptio. E *radice* subflauescente fibrosa & Orchides redolente, *cauliculus* simplex trium, quatuórue vnciarū: sub foliolis prodit, cui foliola duo Ophris vulgaris modo apponuntur, quæ parua sunt, glabra, splendentia, coloris Vnifolij & nonnihil in cordatam effigiem è rotundiuscula figurâ discedentia, quibus

quibus cauliculi alterâ pars, similiter trium, quatuórve vnciarum supereminet, cuius summo *flosculi* parvi herbacei insident, ab Ophris vulgaris floribus, exilitate solâ recedentes, quibus vascula exigua succedunt, teste C. Bauh. phyt. qui in prod. Ophrin minimam vocauit, & in pin. quartam fecit.

AD. Fureo Ophridii seu Bifolii Broccenbergici minoris nomine accepit frater, qui iis in locis, opacis sc. muscosisque siluis Broccio & Olfinannino vertici dicto, interuenientibus. vbi spontè prouenit, Iulio potissimùm mense, florere ait: at in hortos cum gleba soli natalitii translatam, citiùs.

PYROLA.
CAP. XXI.



Descriptio

Pyrolæ tenui rubéteque serpunt *radices*, subindéque ex caule demissis fibris radicantur. Vulgatior ea est quæ quinque aut sex *folia* humi spargit subrotunda, Pyraceis paria, crassa, atrouirentia, glabra, nitidáque facie supernâ, pediculis palmaribus ferè inhærentia: inter quæ *caulis* nascitur dodrantalis, angulosus, paruis & acutis foliis aliquot donatus, nullam ramorum diuisionem agnoscens, thyrsum gerens amœnorum *florum*, quinque foliolis constantium, albidorum, Orchidum ferè modo, supernis duobus galeam, imo verò labellum bifidum referentium, multis vmbilicum obsidentibus apicibus croceis, ex quibus pistillus recuruus prodit & ima versus reflexus, & quandam velut proboscidem referens: Flores capitula sequuntur angulosa, puluisculo minuto plena. Sapor totius plantæ amarus, non sine insigni adstrictione. Minùs fœliciter figura hæc facta est.

Lim. Fuchs. Beta silu. Tintinnab. Pyrola.

Fuchsius Limonium inscribit, ac latinè Betam syluestrem dici testatur, quòd in siluis & locis muscosis, hortensi Betę primùm erumpenti haud dissimilis prouenit, Tintinnabulum verò à floribus eius tintinnabulo simillibus: Et, Pyrolam, quod eius folia arboris Pyri folio similia sint. Limonium quoque statuit cum Cornario Turnerus. Sed eorum sententiam haud esse approbandam, qui Pyrolam herbam, Limonium genuinum faciunt, authorem habemus Matthiolum. Quare Tragus nobis magè satisfacit eam inscribens Limonium siluestre, statuensque nihil aliud esse, quàm *Beta* siluestris quandam speciem.

Limon. silu.

Trag.

Pyrolæ Dioscoridem non meminisse testatur quoque Cordus in Dioscor. siluestris Betæ genus eam cognominans.

Amati err.

Amato cap. de Limonio malè addita est figura Pyrolæ quum de ea sub Limonio non scribat.

Fuchs. err.

Fuchsius Pyrolam Limonium existimans, Germanicè holhmangolt & waldmangolt, h.e. Betam silucstrem, nominauit, inquit Dodonæus: Sed Limonium non in montibus ac siluis, sed in pratis palustribus nascitur, nomenque ab ipsis accepit, λειμῶνας siquidem prata Græci appellant. Non defuerunt, teste Lobelio, qui Britannicam diuinarint.

Synon.

Pyrola Brunfels tom. 3 rhaps. 30. & in 4. pag. 92. Camer. apud Matth. Cast. H. Lug. p. 841. Gerar. & Eyst. Pyrola vulgò dicta Gesn. hort. & coll. Pyrola alia campestris Cæsalp. Pyrola vulgatior (vulgaris in Pann.) 1. satis amplo, molliique folio. Clus. hist. Pyrola maior siue Beta silu. Thal. Pyrola 1. vulgata rotundifolia C. Bauh. phyt. rotundifolia maior pin. Pyrola pro Limonio picta Anguill. Pyrola, Limonium germanicum Lob. in Adu. Pyrola, Limonium Cordi & Germanorum, Eid. in Obs. p. 157. Pyrola à Pyri folio, in Ic. Plant. p. 294. Limonij & Pyrolæ species altera Harch.

Variet.

Est & altera Pyrola vulgaris, folio, vt inquit Clusius, minore & duriore, Soldanellæ alpinæ minutiore folio, fermè æquali. Thal. Pyrola minor foliis breuioribus, Pyri foliis respondentibus, vnde & vulgus ad differentiam prioris, Pyrinam cognominat.

Nom. ling.

Germani wintergrün appellant, i. e. Virorem Hiemis, aut Viride hiemale: Belgæ similiter wintergroen: Bohemi chrušticka.

Locus & Tempus.

Locis gaudet montanis ac vmbrosis, in multis, per Germaniam, Bohemiam ac Morauiam syluis occurrit, authore Dodonæo: Cum floribus autem Iunio ac Iulio viget: toto anno viret: Hiemis & frigoris patiens. Æterno virore penè atro aduersum Brumæ rigores perstat (inquit Lob.) montosis, siluosis, & frigidis vdis, præquibus tepidos hortorum recessus, locáque vrbana & mitiora viridaria spernit, inque illis quasi inuita ægrotat, ac tandem emoritur.

Vires & vsus.

Recentiores Medici nonnulli hanc herbam in tertium gradum calidorum & siccorum, & vltra locant. Brunfelsius verò Peruincæ naturæ similem existimat. Decoctum eius, aut aqua distillata, interna & externa vulnera sanat pota, & vulneribus ex ea lotis. Similiter & fistulas cum aliis malis vlceribus sanat. Ex tota plantæ substantia, cum Sanicula & Pede leonis ex oleo vtile faciunt cataplasma. Huius vnguentum cum flore æris & Aristolochia longa, viridis euadit coloris, carnémque malam exedit. Quod si album habere velis, Cerussam & cancri oculos puluerisatos adde, tum lenit & sanat. Si rubrum esse velis, Bolum adde, cum Sanguine Draconis, tum refrigerat & sanat. Dodonæus Pyrolam recentem tusam & applicatam commendat vulneribus, vlceribus & vstionibus, aut puluerem inspersum. Coctam cum pauco Symphito in aqua plurimùm in purulentis renibus conferre scribit Camerarius. Chirurgi prænominati principem vnam è vulnerariis potionibus esse existimant. Pyrolæ folia & semen gustu vehementer adstringunt, quæ occasio vt quidam herbam exsiccatam ac in puluerem redactam inueteratis ac fluentibus vlceribus, quę exsiccare intendunt, aspergere soleant. Pyrolæ verò minori maiorem efficaciam in glutinandis vulneribus & rupturis attribuit vulgus, quàm maiori.

Vnguentum

PYROLA FOLIO SERRATO.



Descriptio


TEnerior est altera, *radice* repente, *caule* breuiore, infirmiore, *foliis* circa imum ornato dimidio minoribus, tenuioribus, oblongis, acuminatis, tātillùm in ambitu crenatis: *flores* per caulem thyrsoëides, præcedenti similes, minores, capitula relinquunt angulosa, stylum ex vmbilico proferentia. Flores non placent in icone nostra quæ nobis absentibus facta ad imaginem Clusij.

Ambrosia. Apud Amatum in edit. Lugd. malè ponitur huius plantæ figura nomine Ambrosiæ. Sed & H. Lugd. eam Ambrosiæ montanæ titulo p. 1148. pictam dedit, eodem errore.

Synonyma. Clus. Pann. p. 505. & h. Pyrola 2. tenuior. C. Bauh. pin. Pyrola 3. [2. phyt.] siue folio mucronato serrato, Pyrola minor Thalio, Pyrola Pannonica 2. Camer.

Locus & Tempus Crescit in Alpium Austriacarum & Stiriacarum iugis, loco vmbroso inter frutices, muscúmque terrestrem, sed vberrimè in silua illa acri Entzestorf vicina. Meminit etiam Clusius olim colligere in iugis Lausannæ Allobrogum ad Lemannum lacum proximis. Floret Iunio & Iulio, interdum etiam Augusto.

PYROLA FRVTICANS.



Descriptio. ELegantissimum pyrolæ genus, interdum quodammodò fruticans: nam nouelli breuésque *ramuli*, singulis annis succrescentes, aliquot annos firmi, viridésque permanēt, & supra tellurem eminent, donec tandem pondere suo depressi, humi procumbant, & musco se cōdant, fibrásque interdum agāt: *folia* vt plurimùm ad singula internodia, vbi noui ramuli succrescunt, bina, terna, aut quaterna habet, carnosa, supernè saturatiùs virētia, & splēdentia, Chamædaphnes (quam vulgus Laureolā vocat) foliis, formâ, & magnitudine propè similia, in ambitu tamen serrata, gustu admodum exsiccante, deinde amaricante, vt reliquarum Pyrolarum folia: ex horum medio solent Aprili noua germina prodire, quæ foliolis veluti squamulis prædita, in virgulas tandem desinunt, quibus terni, quaterni, interdum etiam quini insident *flores*, vulgaris Pyrolæ floribus similes, paullò tamen maiores, ex albo purpurascentes: quibus excussis, succedunt pentagona *capitula*, tenui *semine* instar scobis plena, quæ cum suis virgulis Hieme exarescunt: *radix* siue potiùs cauliculi sub musco latentes, longè latéque summâ tellure sparguntur, & subinde fibras agunt.

Synonima. Clus. Pann. pag. 505. & hist. Pyrola 3. fruticans: Camer. hort. Pyrola Pannonica secunda. Casp. Bauhin. phyt. Pyrola 3. fruticans: Eid. pin. Pyrola 6. siue frutescens Arbuti folio.

Locus. Abundè prouenit in siluis Entzestorf vicinis aliisque, vulgari & primo permixtum interdum. Camerario referente horti cultum altero anno respuit.

PYROLA MINIMA ALPINA.



Descriptio MInima Pyrola ex *radice* reptante folia emittit quatuor aut quinque vncialia ferè, rotunda, in ambitu serrata: *caulis* vnicus nudus, palmaris, *florem* in cacumine fert vnicum maiusculum, Pyrolarum aliarum floribus similem, succedente *capitulo* maiore anguloso, è cuius medio prodit *stylus* præpilatus.

Synonyma. Clusio in Obs. Pannon. 508. & Hist. post. est Pyrola 4. minima: C. Bauhin. phyt. Pyrola 4. siue minima flore vnico Graminis Parnassi: Eid. pin. Pyrola 2. siue rotundifolia minor: Pyrola minima Eyst.

Locus Nascitur vmbrosis locis in Alpibus Sneberg, Hochbergerin, Durrenstein, & aliis vicinis, circa radices summorum illorum iugorum. Floret

Tempus sub finem Iunij & Iulio: semen Augusto maturum. Obseruatur in monte Pilati, vnico flore incarnato.

Vires Non dubium autem est quin omnes hæ plantæ similibus cum vulgari Pyrola facultatibus sint prędite, quandoquidem, teste Clusio, easdem qualitates habent.

HERBA TRIENTALIS.

COliculo adsurgit simplici, tenello, gracili, palmū plùs minùs alto, tereti, nudo, glabro, qui summo tenus velut in vmbella *folia* sustinet ex breui pediculo sex, septémue pallidè virentia,

ouata,

ouata, vncia vix longiora, latitudine proportionata ad figuram ouatam, quædam etiam minora, nonnulla maiorum vix mediam aut tertiã partem æquantia. E quorum costa venulæ eminentiores alterno positu exeunt ad ambitum. Sed & minimum quoddam vnum aut alterum Serpilli folij facie & magnitudine cauliculo adnascitur. Porrò è medio foliorum exortu *pediculi* communiter bini surriguntur, sescunciales, aut duarum vnciarum, ac ferè capillares, subrufi, *flosculos* sustinentes singulares, stellatos, albicantes, quos foliola prædictis foliis concoloria, & stellam pulchrè positu exprimentia, ambiunt octona plùs minùs.



Synonima. Cordo obs. silu. Herba trientalis, foliis oblongis, veluti Neriadij minoris, flore candido, stellatoque. Auctori horti Lusatiæ Herba pusilla trientalis cauliculo singulari. Thal. ἀλσινάνθεμος & ἀστεράνθεμος. Camer. apud Thalium Peculiaris quædam Pyrolæ species, folio Arbuti potiùs, quàm Pyri. C. Bauh. prod. Pyrola Alsines flore, Europæa, Alsine alpina Schvv. Alsinanthemos maior & minor Helmstadij, Pyrola Bohemica maior & minor Doldij. Minorẽ verò, nomine Anonymi Betulæ folio, in Betuletis Scotiæ natam Cargillus misit. Eid. pin. Pyrola 4. siue Alsines flore Europæa, maior & minor. Habet idẽ C. Bauh. etiã Pyr. Alsines flore Brasilianam, cuius figura extat in prodr. p. 100.

Locus. Nascitur inter vallem D. Ioachimi & Bisentalum, metallica oppida, in montibus non ita herbosis, solo neque nimis madido, neque nimis arido, nec syluoso: addit H. Lusatiæ inter Ericas. Alsinanthemum Thalij familiare est Broccenbergo ac montibus vicinis vligine perpetuã irriguis. Pyrolæ hanc speciem in syluis Franconiæ quoque & potissimùm circa Greuenthalium obseruauit Camerarius.

GRAMEN PARNASSI DODONÆO, quibusdam Hepaticus flos, Cap. XXIII.

Descriptio. GRamen Parnassi hodie dictum, *radicem* habet modicè crassam, fibratam, ex albo rubentem, cum vestigio leui caloris adstringentem: vnde *folia* prodeunt satis frequentia, longis pediculis rubescentibus appensa, Hederaceis non angulosis similia, multò minora, crassiuscula, sinuatis à pediculo neruis excurrentibus, non ignaua adstrictione prædita: inter hæc *caules* surgunt angulosi, sesquipalmares, indiuidui, inferiore parte rubentes, folio vt plurimùm vnico, eoque amplixicauli donati: quorum vnicuique *flos* vnus insidet, candidus, Leucoij bulbosi Theophrasti flori par, sed calatho cælum spectãs, foliis quinque cõstans, quæ liræ altiusculæ formã exarant: medium obsidet conicum *capitellum* purpurascens, quinque radiatis staminibus albis apicibusque concoloribus circumdatum, quibus totidem interiecta alternatim staminum flauescentium muscariola: totum verò florem sustinent quinque folia viridantia: tandem conicum illud capitellum paullatim in Ciceris maiusculi molem excrescit, quod in quatuor carinas dehiscens, *semen* ostendit copiosum, minutum, rufũ.



Synon. Cordo hist. Hepatica alba. Gesner. coll. Enneadynamis Polonorum: Eid. hor. Gramen Parnassi non verum. Lobel. Obs. p. 330. & Adu. Gramen Parnassi hederaceum recentiorum. Hist. Lugd. p. 1005. Gramen Parnassi Dodonæi. Clus. Pann. & Histor. Gramen Parnassi vulgò. Tabern. Icon. & hist. Gramen hederaceum, flos Hepaticus: Gramen Parnassi minus, Gerard. Gramen Parnassi 1. siue albo simplici flore C. Bauh. phyt. & pin.

Locus & Tempus. Nascitur macris & putridis pratis, quę nunquam omninò siccantur: in quibus variis in locis obseruaui.

Roborat hepar & obstructiones tollit cum flore cocta in vino aut aqua: puluis in cibo aut potu conducit hepati. Vtilis in alui fluoribus & potionibus vulnerariis.

BRITANNICA VETERIBVS. Cap. XXIV.

Britannica Dioscoridi. BRitannica seu Vettonica Dioscoridi herba est *foliis* siluestris Lapathi [similibus, vet.] at nigrioribus ac pilosioribus, gustu adstringentibus: *caulem* verò promit non ita magnum: radice autem tenui, breuique nititur. Foliis exprimitur succus, qui Sole aut igne cogitur & inspissatur. Vim porrò habet adstrictoriam, priuatim oris ac tonsillarum depascentibus vlceribus accommodatam. Valet etiam ad reliqua, quibus adstrictione opus est.

Britannicam ex Oceani insulis extra terras positis, rerum naturam ostendisse, ait libri 27. initio Plinius: ac de eadem antea lib. 25. cap. 3. disserit. Galeno Britannicæ herbæ folia adstringunt & vulnera glutinant, similia foliis Lapathi siluestris, præterquam quòd nigriora & hirsutiora apparent. Est autem & succus ex ipsis similiter adstringens. Quare & coctum ipsum quidam reponunt, velut efficacissimum stomaticum medicamentum. Videtur enim

ſanare etiam iam putreſcentia. Hermolaus Plinii ſimia eadem quæ ille habet. Ruellius verba Dioſcoridis, Plinii & Hermolai repetit ſuo more pro ſuis.

Officinæ, inquit Cornarius, Britannicam non nouêre: nec Herbarii, niſi quod quidam de Biſtorta appellata conjectant. Ac quanquàm, ait Matthiolus, Ruellius tradat Britannicam eſſe plantam Italiæ cognitam, atque ibi vulgò *Piatamano* appellari: mihi tamen hactenus non ſolùm nomen illud incompertum eſt, ſed nullum etiam inuenire obtigit, qui Britannicam oſtenderet.

Plin. error. Erraſſe Plinium ait Goropius illo in loco, vbi citra hæſitationem de nomine aſſeruerit Britannicam ex Oceani inſulis, extra terras poſitis, afferri.

Æquinoca Sed ad Britannicę æquiuocationes diligentiùs animaduertendum. Pro Britannica itaque Dioſcoridis Ruellius perhibet plantam, Italis Piatamanã dictã. Quæ autem hæc ſit, nec nobis hactenus conſtat. Aliàs Britannica dicitur Biſtorta. Conſol. media. Prunella. Betonica. Herbaparalyſis. Auricula vrſi. Pulmonaria Italica. Aſter luteus. Pyrola. Perſicaria. Cochlearia. Damaſonium. Beton. coron. Caryoph. marinus Halimus. Eryngium marinum.

BISTORTA MAIOR RVGOSIORIBUS FOLIIS.

CAP. XXV.



Deſcriptio. CVbitum nonnunquam altitudine ſuperant Biſtortæ *caules*, tenues, glabri, geniculati: in quorum faſtigio ſpica *florum* coloris carnei, Perſicarię, quorum ſinguli explicati quinque foliolis conſtãt oblongis, apicibus in medio, flori concoloribus: quibus ſuccedit *ſemen* ruffum & ferè nigricans, triquetrũ Lapathorum modo. Folia Rumicis ſeu Lapathi acuti, minora, supernè in atro virentia, infernè glauca, pediculo vtrinque foliaceas appendices anguſtas largientia: *Radix* articulum digiti refert in ſe contortum, rubra, ſapore adſtringente ſtrenuè.

Biſtortam fuêre, qui ſecundam Catanances ſpeciem apud Dioſcoridẽ eſſe putarent, ſed, Agricolà teſte, repugnant radix & folia. Alii minorem Lappam, alii minorem Bardanam vocant. Errant qui radicem Been rubri putant. Quidam Aſtragalum exiſtimarunt, ſed erroneè. Qui Serpentinam putant, frigidum pro calido ponunt

Lappa minor. Bardana minor. Aſtragalus.

Apollinaris pingit quidem Biſtortam, verùm adſcriptis viribus nullus fidat, quas confundit cum viribus Ari & Dracunculi maioris.

Britannica quo nomine vocetur ſibi haud cõſtare ait Cordus, niſi quis Biſtortam ſeu Herbam paralyſeos eam eſſe dixerit, quorum neutrum neque affirmat, neque negat. Ruellium errare, quòd Biſtortam, alteram Catanancen eſſe crediderit, ait. Item Dracunculum magno errore Biſtortam eſſe hactenus crediidiſſe totam ferè Medicorum & Pharmacopolarum multitudinem. Ab illo in H. Biſtorta doctè *deſcribitur*.

Ruellii error. Medicorum error.

Dodo. gall. figuram Fuchſii Biſtortæ maioris titulo exhibuit. Lat. in fol aliam Biſtortæ inſcriptione pingit, ac ait ab intortis & conuolutis radicibus nomen habere: Belgas Hertongh/ Germanos Naterwurtz/ Gallos *Biſtorte*, Bohemos hadyforeny. Colubrinam & Serpentariã à germanica voce etiam dici, & à quibuſdam Dracunculum. Sed à Dioſcoridis Dracontio multùm differre. Plinianorum autem Dracunculorum aliquam fortaſſe ſpeciem aſſe, ſecundã ſcilicet. Eſſe tamen ex recentioribus, qui Biſtortam omnino aliam eſſe velint. Matthiolum quidem in epiſt. medic. Behen rubrum eſſe ſcribere. Geſnerum ad Limonium referre. Aliis placere Britannicam eſſe: ſed omnes eos inualido niti fundamento, vt fusè demonſtrat.

Biſtorta maior. Dod. gall.

Lobelius in Adv. eorum tuetur opinionem, qui Britannicam putant. Vocat autem Biſtortam majorem: In Obſ. pag. 155. Icon. Plant. pag. 292 Biſtortam Britannicam. Fracaſtorius de contag. lib. 3. cap. 3. Biſtortam Bulapathon eſſe ſuſpicatur. Biſtortæ loco, cornutum quid coralloides Pet. Creſcentius exhibet.

Britannica.

Synon. Fuchſ. Colubrinam & Serpentariam fœminã vocat. Tragus Colubrinam, ac Biſtortam 1. majorem. Anguillaræ Biſtorta magna. H. Luſ. Biſtorta maior alpina. Geſn. hort. Limonium Biſtorta: Eid. coll. Biſtorta maior rugoſioribus foliis: Et Limonium vulgò Biſtorta. Brunfel. in Herba. germ. pag. 72. Serpentaria: p. 78. Hermolai Dioſcoridis Catanance.

Molybdena Plinii. C. Bauhinus Molybdenam Plinii lib. 25. cap. 13. id eſt plumbaginẽ, quòd plumbum (vitii genus) ex oculo tollat, arbitratur. Vocatur in phyt. & pin. Biſtorta 1. ſiue maior, radice minùs intortã, Colubrina & Dracunculus maior Brunſ. Biſtorta fœmina, Eiuſd. Biſtorta maior, Thal. Tabern. Ger. & Cluſ. hiſt. Biſtorta Matth. Cęſalpin. Caſt. & Hiſt. Lugd. pag. 1285. vbi duæ figuræ, Biſtortæ Matthioli & Biſtortæ maioris. Non autem monet quænam harum ſit.

Nobis eſt Britannica maior. Serpentariam herbarii & officinæ appellant, quòd vbi primùm è terra erumpit, linguæ ſerpentis tenui pelle veſtitæ formam obtineat.

Reperitur Biſtorta locis humentibus, in opacis ſiluis, pingui ac lutoſo ſolo. Matthiolus in montibus exire refert. Adoleſcit etiam fœliciter in hortis: perenni radice nititur. Monſpelii reperi in montibus circa Gangen, Geneuæ in monte Thuiri. Ad Auſtriacarum & Stiriacarum Alpium iuga, accliuibus locis & circa ſcopulorum radices ſpontè naſcitur.

BISTORTA MEDIA FOLIO minùs rugoſo.

TRagus, qui Biſtortam ſecundam facit & pro Colubrina minore deſcribit, non autem depingit, teſtatur radicem habere capillatam, non minùs quàm altera.

Dod.

Bist. minor.



Dod. gall. Fuchsij imaginem inscribi: Bistortam minorem, facitque secundã.

Synonyma.

C. Bauhin. phyt. & pin. Bistorta 2. siue maior radice magis intorta: Bistorta Lon. minor Gesn. hort. Lacun. Lob. in Adu. & Tabern. media Anguill. Latifolia Gesn. maior Eyst. mas Brunf. Colubrina & Dracunculus minor, Eid.

A priori differt foliis minoribus & læuibus, radicéque magis intorta. Rependo multùm se multiplicat. In monte Iura reperitur.

Bistorta Alpina maxima C. Bauhin.

Descriptio

Ex *radice* quadruplò quàm in vulgari maiore, contorta, geniculata, fibris capillata, foris nigricante, intus alba, *caules* bicubitales, nodosi, striati, maiori ex parte nudi exurgunt, quorum quilibet spicam *florum* subpurpureorum, venciarum quatuor, sustinet: *folia* habet oblonga, in acumen desinentia, venosa, supernè virentia, infernè cæsia, vel etiam incana: quorum quædã ad cubiti altitudinem accedunt, sed angusta, vncias tres lata, inquit author, qui Bistortam tertiam in pin. facit.

Locus.

In altissimis Silesiorum montibus reperitur vt in Sudetorum iugis, velut ad Gigantæum, ac ad Albis fontes Schneegruben.

BISTORTA MINIMA.

Descriptio.



Bistorta minima *radicem* pollicari habet minorem, cõtortam, breuem, exteriùs albam, fibris capillatam: *caulis* surgit dodrãtalis, vel palmari paulò maior, aut etiam minor, tanta est varietas, *foliis* vestitus paucis angustis, oblongis, acutis, nullo pediculo hærentibus, alia verò ex radice orta folia, vncialia, aut sextantalia, vnciam plùs lata, infernè glauca, supernè viridantia, spica vnciam longitudine superat, *floribus* comata albicantibus, sequente dein *seminе*, non triangulo, vt in primis duabus, sed rotundo, ruffo.

Synonima.

Apud Gesn. hort. Aretius in descript. montis Stockh. vocat Bistortam minimam: Lobel. in Adu. Bistortam minorem & minimam, Britannicæ speciem: Anguill. paruam: C. Bauhin. phyt. Bistortam 3. siue minorem, pin. Bistortam 4. siue alpinam mediam, Limonij speciem minorem Gesn. hort. Bistortam minorem seu alpinam Camer. apud Matth.

Geneuæ in monte Thuiri floret Iunio & Iulio.

Pyrola omnes iisdem facultatib.

Certũ est iisdẽ facultatibus esse præditam cum aliis quibus maior: de qua varia varij scripserũt. Radix, inquit Tragus, in puluerem redacta, ac drachmæ pondere in potu sumpta, veneno pestilentiæ resistit, ac illud per sudores expellit. Eisdem viribus pollet aqua distillata, & radicis in vino decoctio ad eadem valet. Radix Colubrinæ, nec non aqua distillata & radicis decoctũ sanguinis eruptiones, dysenterias, aliasque id genus fluxiones cohibet. Radix in puluerem redacta, ac cum aqua distillata temperata, grumos sanguinis ex casu, contusione, aut alia quauis causa concreti discutit, nec non morbum quoque regium. Radix Colubrinæ, Pyrethrum & Alumen adustum, æquali pondere in puluerem redacta, melle temperata, ac magnitudine Pisi, cauis dentibus indita, fluxiones ac destillationes à capite fluentes sedant, & caput purgant: ad cancrum dorsi, polypos, & maligna vlcera, quæ cacoëthe vocant, aqua [è radice & herba] & puluis conducunt apprimè, si cum aqua abluantur, & puluere aspergantur: puluis Pari ratione vsurpatus, sanguinem è vulneribus abundanter manantem cohibet.

Torm. facult. eaedem.

Herbarij compertum habent (scribit Matth.) iisdem pollere facultatibus Bistortam & Tormẽtillam. Quamobrem vtraque abortum prohibent bibitæ, ac ventri, renibusque ex aceto illitæ: vrinæ incontinentiam supprimunt, cum succo Plantaginis potæ: sistunt menses, si in earum decocto ad vmblicum vsque consederint fœminæ: Idem præstant [de radicibus tamen intellige] si tritæ, & ex melle atque Spica subactæ, ventri ac pubi illinantur. Sanguinem è vulneribus manantem cohibent, superasperso earum puluere: qui item potus biliosas coercet vomitiones, si ouorum albo exceptus super fictili tegulâ inassetur, moxq; comedatur: aqua quæ ex his duplici organo elicitur, siue è radicibus decoctum, venenis omnibus remedio est: vtræque dysentericos sanant, & vulnera glutinant, præsertim quæ intestinis & visceribus fuerint illata, non modò ipsis vulneribus illitæ, sed & in potionibus haustæ. Puluis radicis Bistortæ cũ conserua Rosarum assumptus egregiè compescit sanguinis sputum, dysenteriam, aliásque fluxiones, menses nimios sistit: potest idem puluis ex succo Cydoniorum bibi. Abortum prohibet pulueris drachma semis, cum pari Succini portione, ex ouo sorbili, diebus aliquot continuis vsurpata. Præter quæ omnia, tonsillarum (inquit Dod.) faucium & oris inflammationibus succurrit: eandemque cũ radice vim tribuit foliis & seminibus, sed tamen minùs efficacem.

LIMONIVM VETERIBVS. Cap. XXVI.

Limonium Diosc. Limonium [λειμώνιον] aliis Neurodes dictum, *folia* habet Betæ, verùm tenuiora, & minora (vulg. longiora) decem aut plura: *caulem* tenuem, rectum, Lilio æqualem, rubro *semine* refertum, quod gustu adstringit. Semen tritum & ex vino acetabuli mensura potum, dysentericis, cœliacisque prodest, ac rubentem fœminarum fluorem cohibet. Nascitur in pratis (ἐν λειμῶσι) & palustribus, authore Dioscoride.

Beta silu. Plin. Plinius Betam siluestrem vocari tradit. Est & Beta siluestris [inquit lib. 21. cap. 8.] quam Limonium vocant, alij Neurodes, multò minoribus, tenuioribusque ac densioribus foliis, vndecim sępè caulium. Huius folia ambustis vtilia, guttantia adstringunt. Semen acetabuli mensura dysentericis prodest. Aquâ & è radice cocta, maculas vestium elui dicunt, itémque membranarum. Quod autem vulgati codices, *vndecim sæpè caulium* habent, ex veteris codicis vestigiis non est: nam, teste Cornario, voces, *vndecim sæpè*, ad folia præcedentia pertinent: & *caulium* vox ex caule Lilij corrupta est. Vtrumque ex Dioscoride clarum est, qui pro vndecim δέκα ἢ πλείω habet: καυλὸν ἰσομήκη κρίνου addit.


Galen. Limonij semé quod austerum est, inquit Galenus, cum vino dant cœliacis, & dysentericis, & hæmoptoicis. Prodest etiam ad fluxum muliebrem. Satis autem est dare acetabuli mensura.


Æquiuoca. Inter Limonia recensentur sequentia: Limonium Dioscoridis, nullis reclamantibus notis; authore Matthiolo, Seplasiis falsò Behen rubrū dicitur nobis: Limonium maius multorum. Limonium Matthiolinum, quod nec nouimus, nec scimus, an vsq am ipse viderit. Limonium Maranthæ cui siliquas Antirrhini attribuit. Limonium Narbonense siue Oleæ-foliū, quod Limonium minus inscribimus. Limonium rarum quorundam, Imperatus Cichoriam globularem vocat. Limonium peregrinum aliud Clusij.

Eodem nomine insigniuntur etiam sequentes plantæ: Bistorta maior rugosiorib. foliis, a Gesnero. Ab Anguillara Plantago aquatica: lib. 38. Alisma Monsp. siue Doria. A Lobelio Sanguis Draconis. A multis Pyrola: quod non conuenit, licèt non errarit qui eâ pro Limonio vsus fuerit. Ab aliis Valeriana rubra latifolia, quæ tamen non respondet. Ab aliis Dentellaria Rondeletij sed falsò. A Germanis quibusdam Trifolium palustre referente Cordo, de quo H. nostræ l. 17. Ab Aetio Cynoglossum, de quo etiam H. n. l. 33. A Rondeletio Glastum siluestre. A Plinio Carduus siluestris, teste Dod. Ab aliis Carduus dictus Spina lutea. A Gesnero Intybi sylvestris genus in pratis nascens [à quibus Limonium nomen] vt & Hieracium. A nonnullis Odontis teste Dodonæo: cui tamen non placet ea opinio. Gesn. hort. Limonij nomine videtur miscere duas plantas, nempe Polemonium Dodonæi, & Polemonium fruticem (Trifolium fruticans luteum, H. g. l. 11.) cuius meminit sub Ruta capraria Gallorum Monspelij. Tandem audiendi non sunt Medici illi, qui contendunt Limonium apud Æginetam esse fructum vulgò Limonem dictum, siue Citrium malum de quo lib. 1.

De Limonio plura & quidem speciatim in huius Tomi Appendice.

FINIS LIBRI TRIGESIMI PRIMI.





HISTORIAE VNIVERSALIS PLANTARVM LIBER XXXII.

ROTVNDIFOLIÆ ET COGNATÆ.

REstant rotundifolia atque his cognata, vno fasciculo comprehendenda, quando aliò commodiùs referri hactenus non potuerint.

DE ἴον, ID EST, VIOLA, VETERVM.

CAPVT I.

Theoph.



QVandoquidem variæ circa ἴον in Theophrasto, & circa Violam in Plinio, acceptiones occurrunt, maluimus omnes locos adducere, vt liberum habeât iudicium Lectores. Viola [ἴον] nigra, flos odoratus; vsui est, & naturâ magna ex parte suffruticea est, sed annuâ non diuturnior. Hæc enim ramulis caret, sed ab radice foliata constat, & perpetuò viret: vtque aliqui ferunt, etiam florem semper promere potest, si modo quodam colatur. Ex floribus verò nulla parte discerni potest; namq; differentiam nullam habere videtur, quãquam albã haberi concedatur: colorem eius variari liquidò constat. Apud Cyrenam huius floris odor syncerus præcipuè sentitur: semine exit. Nam & ipsa, & eius radix ligno constat, authore Theoph. lib. 6. hist. cap. 6. Florum prima Viola alba se ostendit (ait cap. 7.) emicat enim vbi cælum clementius statim, etiam nondum Hieme exactâ, vbi verò inmitius postea, Vere sc. exit: & cum ea, quæ Viola flammea vocatur, siluestris duntaxat. Hæc ceteris omnibus, quibus coronarij vtuntur, longè præcurrunt, & inter vernos flores tam siluestres, quàm vrbanos plurimùm durant. Vita Violę albæ anni maximè tres, senescens diminuitur, candidioresque assiduè flores fert. Ad iucundam autem Violarum olentiam solum cælumque accommodatum plurimùm confert. Videtur & annus [vt dictũ] ad bonam olentiam referre, cùm sc. talis aut talis incesserit: non imbrium squallorumque tantùm ratione, sed etiam quum tempus certum, & aquæ, & flatus, & in totum cæli commodæ mutationes accessere. Montibus autem [vt & hoc simplici transigam ratione] & Violæ, ceu & reliqui omnes flores, odore longè deteriore emergunt. Hoc mirum, Violæ florem, odorem suauissimum reddere: cùm eius nulla alia pars bene oleat, vt lib. caus. 6. cap. 15. prodidit. Cæterùm, eius flores distantes odoratiores quàm proximi sentiuntur, ibid. cap. 25. Sed nec locis admodum sitientibus atque tenuibus τὸ ἴον τὸ λευκὸν odoratum est, nec vbi cælum vehementer feruidum æstuosumque est. Quia supra modum resiccatur.

Ramulis caret.

Tempus.

Mirum de Viola.

Plinius Violarum infrà scriptis locis meminit. Lib. 21. cap. 6. Violis honos [Lilio] proximus. Earum plura genera. Purpureæ, luteæ, albę: plantis omnes (lutea & alba semine purpureæ plantâ, Dal.) vt olus satæ. Ex iis verò, quæ spontè apricis & macris locis proueniunt purpurea, latiore folio statim ab radice carnosâ exeunt, solæque græco nomine à cæteris discernuntur, appellata Ia [μελάνια Theoph. Dal.] vt ab his Ianthina vestis. Sed è satiuis maxima authoritas luteis. Genera iis Tusculana, & quæ marina appellatur, folio aliquantò latiore, sed minùs odorato. In totum verò sine odore, minutóque folio, Calathiana, munus Autumni, cæteræ Veris. Eodem lib. cap. 11. Florum prima Ver nunciantium Viola alba (λευκόιον Theoph. nempe bulbosum, Dal. 7. Tepidioribus verò locis etiam Hieme emicat. Postea quę appellatur purpurea, proximè flammea, quæ & Phlox vocatur. Vita longissima Violæ albæ est bimatus. Ab eo tempore degenerat.

Plinius.

Hippocrates agnouit Violę duo tantùm genera, nigrum & album: Nicander in Georg. pallidum & luteum. Dioscorides Violam albam à purpurea non tantùm capite, sed & libro separauit. Viola purpurea (ἴον πορφυροῦν) inquit, folium habet minus & tenuius quàm Hedera, sed nigrius, & non dissimile: cauliculum medium à radice, in quo flosculus est valdè odoratus, purpureus. Nascitur in vmbrosis & asperis locis.

ἴον inter spuria Dioscoridis vocatur Φασωνὲ

ἴον, πορφυροῦν ἄγριον, τοβίλες, Romanis πετιάλες, μυρμία, βιόλα πυρπούρεα.


Ionia. *Ion Græcorum.* *Loripes.* *Viola sarrana.* *Vaccinia.* *Hyacinth.*

Violam Græci Ion pro flore Violarum: Ioniam pro frutice appellant, inquit Marcellus. *Cùm* Ion Græci dicunt, inquit Hermolaus, nigram siue purpuream ferè intelligunt: humilis hæc & latiore folio statim ab radice multa carnoso exeunte sine ramis: ob id vulgò Loripedem voco. Violas sarranas à colore cum purpureis easdem esse apud Columellam arbitror: purpureas Vaccinia & Hyacinthum dici Seruius Grammaticus existimat. Dioscorides quoque Hyacinthum latinè Vaccinium appellari scribit. Admonendi sunt, qui hæc legunt, purpureas Violas, duorum generum haberi: alias inter Loripedes siue sessiles, de quibus hic ago, alias inter Leucoia, odoratasque omnes esse. Sed & candidarum quoque gemina hæc discrimina cernuntur. Aliç Loripedes, aliæ Leucoia. Leucoia intelligo, quas Mauritania Cheiri appellat. Loripedes, *Viola clauda.* quæ vulgò Claudæ nominantur, & Mauricè Semphigi. Horum nonnulla recepit Ruellius, quæ repetere haud est opus.

VIOLA MARTIA PVRPVREA
Cap. II.

Descriptio.

IN primis Veris muneribus sunt Violæ Martiæ purpureæ, ex *radicibus* fibrosis aliquando in plura capita diuisis, *folia* emittentes ex rotundo nonnihil oblonga, serrata, longis pediculis appensa: inter quæ *petioli* è radice quoque enati alij, singuli *florem* sustinent ex cæruleo purpurascentem odoris suauissimi, calcari donatum, è quinque foliolis compositum quo euanescente, ex aliis pediculis ad radicem oriuntur rotunda capitula, in tres carinas dehiscentia *semine* plena paruo, rotundo.



Synonyma.

Hermolao Viola Martia purpurea: Viola Græcis simpliciter Ion vocata, Viola Loripes sessilis, & clauda vulgò. Monachis in Mes. Viola absolutè descripta, Viola purpurea, Mamula. Trago Viola nigra seu purpurea, Viola 1. odorata purpureis prædita foliolis, Viola Martia, & quadragesimalis quorundam, ἴον πορφυροῦν vocata à Virgine Io, in vaccam à Ioue conuersa, & Leucoium nigrum Hippocratis. Gesn. hort. Viola simpliciter dicta vel nigra cognomine H. Lugd. p. 797. Viola purpurea Matthioli. Tabern. Viola Martia purpurea. C.Bauh. phyt. Viola Martia 1. siue purpurea odora simplex: Eid. pin. Viola Martia rotundifolia 1. siue purpurea flore simplici odoro. Viola satiua Brunfelf. tom. 1. rhapf. 22. p. [illegible] ,. p. 48. Viola purpurea Fuchs. Matth. Lac. Lob. in Adu. Cæsalp. & Cast. Viola nigra Dod. Cordo in Diosc. Ges. & Clus. hist. Viola Lon. Viola Martia præcox purpurea Lob. Ic. p. 608. Violæ Martiæ flos simplex Obs p. 334. Flos communiter coloris in cæruleo subnigro purpurei: qui culturâ grandior fit: quandoque foliis latioribus Calthæ æmulis, quæ Viola matronalis flore purpureo Eyst.

Violam autem Græci ἴον & ἴον πορφυροῦν, i.e. Violam purpuream nuncupant. Theophrastus verò & ἴον μέλαν & μελάνιον, h.e. nigram Violam: à nigricantis purpuræ florum colore. Plinius solam hanc græco nomine, à cæteris Violis discerni, appellarique ἴον, & ab his Ianthinam vestem dici refert. Officinæ latinum nomen seruant: at herbam Violariam nominant & Matrem Violarum. Germani florem Blaw oder braun Veiel/ blaw oder braun Mertzen Violen: Galli similiter *Violette de Mars*, h.e. Violam Martiam: Itali *Viola Mammula*: Hisp. *Violeta*: Belgæ Violetten dicunt: Angli Violet: Bohemi Fialy: Hung. Viola: Arabes *Senessigi, Senefrig*, siue *Benefsegi*. Nom. ling.

Ἴον autem Grçcis vocatum in Geoponicis Nicander credit, vt perhibet Hermolaus, quòd Nymphæ quædam Ioniç, florem eum Ioui primum dedêre muneri. Alij ἴον dictum affirmant, quòd cùm Io puellam adamatam Iupiter in vaccam conuertisset, terra florem hunc pabulo eius produxerit: qui propter ipsam factus, ab ipsa nomen accepit. Atque inde etiam Latinis Viola quasi Vitula, extritâ litera t dici putatur. Seruius Violam Latinis etiam Vaccinium eâdem etiam occasione dici refert, locum enarrans Virgilij in Bucolicis: *Etymon.* *Vitula.* *Vaccinium non est.*

Alba ligustra cadunt, Vaccinia nigra leguntur.

Virgilius tamen Æcloga 10. Vaccinium à Viola differre ostendit.

Et nigra Viola sunt, & Vaccinia nigra.

Vitruuius etiam Architecturç lib. 7. Violam à Vaccinio distinguit. Nam ex Viola Silis Attici colorem: ex Vaccinio purpuram fieri elegantem memoriç prodidit. Tinctores, inquit, cùm volunt Sile Atticum imitari, Violam aridam coniicientes in vas cum aqua conferuescere faciunt ad ignem: deinde cùm est temperatum, coniiciunt in linteum, & inde manibus exprimentes, recipiunt in mortarium aquam ex Violis coloratam, & ex ea Erethriam infundentes, & eam terentes efficiunt Silis Attici colorem. Eâdem ratione Vaccinium temperantes, & lac miscentes, purpureum faciunt elegantem.

Ad Violam nigram reuertimur, quæ Hyeme pariter ac Æstate viret, frigoris patientissima. Locis opacis, iuxta dumos, muros, agrorum hortorumque margines, pingui solo plurima frequensque emicat. Flores vt plurimùm Martio, vbi seriùs, Aprili prodeunt mense. Flores Martio potissimùm mense colliguntur: Semina verò in Æstate, & nonnunquam Aprili. Monspelij ego obseruaui florentem Ianuario. Geneuç Februario & Octobri: Basileç in monte circa Dornack Augusto, Montbelgardi in Dumetis Octobri. *Locus & Tempus.*


VIOLA MARTIA PVRPVREA FLORE multiplicato maiore.

Descriptio.

HOrtorum fragrantes puluillos ornat foliis ferè minoribus quàm insilueſtri, floribus odoris fragrantissimi purpureis, siluestris paribus,

bus, sed numeroso foliorum agmine multiplicibus.

Synonyma. Camer.hort. Viola Martia pleno flore biflora, purpurea: quam [apud Matth.] non transplantatam loco calido simplicem euadere ait. Hist. Lugd. p. 797. Viola purpurea satiua, in hortos translata: maximè loco aprico insolata, floréque sæpiùs vulso, alioque cultu, denso foliorum stipatu, globosa facta, ideóque duplex. Gallis dicta, *Violette de Mars double*, olitoribus in delitiis habita. Dodon. gallic. & lat. Viola cùm purpurea, tum candida, hortensis vtraque, florum foliola multiplicans. Gesn hort. Viola simpliciter dicta, vel nigra, cognomine, Dasypodium, vel potiùs Dasyphyllum, h. e. multiplici flore, cognominatum. Lob. in Adv. Viola duplex: in Obs. p. 334. Viola Martia purpurea, Tabern. multiplex.



C.Bauh pin. Viola Martia rotundifolia 4. [2. phyt.] siue multiplici flore; Viola nigra flore pleno, Dod. Viola purpurea & alba multiplex Tabern.Ger.Eyst. Viola flore multiplici Dod.fl. pleno Cast. Cam. Viola cærulea floribus numerosis foliis constantibus Cæsalp. Variat floris colore purpureo, rubello, candido, ex purpureo & albo variegato.

Locus & Tempus. Non nisi hortensis à me fuit obseruata florens Montbelgardi mense Septembri; Geneuæ Octobri.

Viola Martia intensè purpurea, flore minore pleno.

Descriptio. *Radix* prolixa, crassiuscula: clemata Violæ Martiæ vulgaris: nec dissimilia *folia*: *flores* autem multiplici foliorum fœturâ pleni, minores, saturatioréque purpurâ tincti.

Nescio vnde Illustriss. Principissa nacta sit Violam hanc Martiam alibi non conspectam, flore multiplicato minore, colore intensè purpureo. Locus. Colitur in horto Ill.E.C.

Viola flore pleno maximo.

Hoc est illud Violæ purpureæ genus, quod Costæus in suis comm. in Mesuem, Constantinopoli reperiri scribit, flore pleno, magnitudinis Rosæ paruæ Moschatellinæ, odoris suauissimi, cuius flores duos ante cibum comesos aluum soluere narrat. Huius meminit Camerarius in Horto, & apud Matth. in Hist. germ.

Viola Martia, flore ex albo & cæruleo mixto, multiplicato, odoratissimo.

Descriptio. Serpit & hæc, & subinde clemata demissis fibris radicatur, *folia* non alia, quàm vulgatioris Violæ: *flores* eodem modo pediculis longis nituntur, statim è radice ortis, odoratissimi, multiplici foliorum agmine farcti, albo cæruleoque mistis versicolores.

Dodon. lat. Viola foliola multiplicans candida. Camer.apud Matth.germ. Viola alba & rubella H.Lug.p.797. Viola candida globosa. Tabern. Viola alba multiplex.

Hanc attuli Bisantio, & Clarquallii vidi florētem adhuc mense Septembri, & postea Aprili.

Viola Martia flore albo odorato, & non odorato.

Longissimis serpit *radicibus*, & subinde nouas demittitit fibras: *folia* iuxta pediculum falcata, minora, quàm Violæ Martiæ purpureæ, magis hirsuta, concinnè crenata: *flores* formâ quidem & odore purpureæ persimiles, sed minores, coloris albi & planè niuei, odoratissimi, interdum calcaria purpurascunt.

Hæc aliquando foliis est gracilioribus, floribusque nullo aut languido odore donatis.

Sunt in Violarum genere non modò purpureæ (inquit Matth.) sed etiam candidæ, frigidis & vliginosis locis nascentes, prorsus tamen inodoræ, de quibus nihil, quod extet, memoriæ prodidit Dioscorides. Hæ numerosæ proueniunt in Ananiensi agro supra Tridentum, vbi mense Aprili adeò copiosè florent, vt si longè prospiciantur, oculos fallant, & extensa lintea videantur. In Hist. Germ. ait Violas albas non ita suauiter olere vt purpureas, quòd locis frigidis proueniant.

Lob.in Adv. Flores albæ vbique vulgatiores, nullo, aut sanè languido odore. H.Lugd.p.797. Violæ albæ nullo aut languido odore. Trago, Viola candido flore & odorato. Viola alba vt nix: Eid. Viola candidis floribus. Gesn.hort. Viola Martia flore albo. Tabern. Viola Martia alba Monach. in Mes. Viola mamula alba in montibus prope Brixam.

C.Bauh.pin. Viola Martia rotundifolia 3. siue alba; Viola alba Brunfels. Condida Dod. Cæs. flore albo Ger. Viola Martia cādida Trago, alba Tab. Eyst. Viola silv. albo flore Gesn.Hor. Viola Martia alba hort.& campestris odora Lob.Ic. Plant. p.608.


An Hermolao in Diosc. Violæ loripedes siue sessiles, candidæ, vulgò Claudæ nominatæ, & Mauricè Semphigi?

Geneuæ prope *la Bastie* florentem vidi mense Martio & Aprili. Frater inuenit eam in silua circa Augustam Rauracorum, plerumque in dumetis prouenientem. In sepibus circa Valentiam & Decan in Delphinatu passim obseruatur copiosissima. Montbelgardi ex siluestribus translata in hortum Ill. E. C. acquirit calcaria purpurascentia.

VIOLA CÆRULEA MARTIA inodora siluatica, in cacumine semen ferens.

Descriptio. *Radice* est sarmentosâ, tenui, lignosâ, & longâ, vario reptatu hinc inde penetrante, densâ & longâ fibrarum comâ per interualla præditâ: *folia* circinatæ ferè rotunditatis, nisi in mucronem acutiorem definerent, supinâ parte leuiter hirsuta, viridantia, pronâ verò glabra, dilutiùs virentia, & ferè luteola, interdum subpurpurea, in ambitu serrata, gustu viscido, *pedi-*

culis tenuibus, quadrantalibus: *cauliculi* pauci, quos ad alas inuolucra foliosa, acuta, in ambitu hirsuta complectuntur, *flosculos* in ramulorum summitate proferunt, Violæ Martiæ odoratæ similes, ex quinis foliis constantes, quorum supremum longiùs protensum reliquis, calcar deformat, purpuram vtrinque secante fasciâ albâ, quâ ipsâ albedine reliquorum quatuor foliorum saturatâ purpurâ tinctorum vngues colorantur, nullâ odoris gratiâ: in medio stamina lutea, cum stilo virente: *caules* subinde cubitalem nanciscuntur longitudinem, inque ramos diducti foliis vestiuntur: flores, vt mox diximus, gerentes, quos subsequuntur siliquæ longæ, in tres carinas dehiscentes, *semine* farctæ copioso, ex rotunditate oblongo.



Icon. Nostra figura minùs accurata partes omnes non exprimit: quare eò accuratiorem dedimus descriptionem.

Synonyma. C.Bauh.pin.Viola Martia rotundifolia 2. siue Viola Martia inodora siluestris: Et sic in phyt. vbi tertia est. Viola siluestris Brunfels. in 4. p. 48.& Anguill.inodora Dodon. Viola 2.siue purpurea silvestris, Violæ nigræ alterum genus cæruleo & inodoro flore: & p.seq. 558. Viola caninà seu silvestris, Trago. Violæ nigræ silv.species Gesn. hort. Viola canina Lon.& Tab. sylv.Ger. Viola canina cærulea inodora silv.serotina Lob. Ic. Plant.p.609. Viola Martia silv.Thal. Martia canina, Eyst.

Varietas. Flos cæruleus, aliquando pallidus: duplex est, altera maior, foliis maioribus & rotundioribus: altera minor foliis mucronatis oblongis ac strictioribus: Gesner. in monte fracto meminit montanæ, quæ solùm foliis minoribus & solidioribus à vulgari differat: est & Viola Martia flore rubro purpurascente, Eyst. Dalechampius olim vocabat nostram plantam, *Matrem Violarum*.

Locus. Obseruatur passim ad macrorum & siccorum agrorum ac pratorum margines: item in dumetis & siluis, florens eodem tempore, quo purpurea vulgaris, sed multò diutiùs illâ perdurás.

VIOLA MONTANA FOLIO multifido.

Descriptio. Rarum Violę genus mihi in monte Nombres Rhætorum propè balneum Würms inuentum, simplici ferè *radice* hærebat: *folia* pediculis longiusculis nitebantur è radice statim ortis, in decem longiuscula & angusta segmenta [singula Linariæ folium referentia, neruo secundùm longitudinem decurrente] ad pediculum vsque dissecta, gustu glutinoso, reliquarum Violarum more: *florem*, qui tum deciderat, non obseruaui, superstitibus adhuc siliquis in tres carinas hiantibus, quas pediculi breuiores quàm foliorum sustinebant.



Synonyma. C. Bauh. pin. Viola Martia rotundifolia 5. siue Viola Alpina folio in plures partes dissecto.

VIOLA MONTANA PVRPVREA, SOLIDIORE FOLIO.

Locus. Descriptio. Exit hęc in summi Sneeberg iugi vertice, perquàm exiguis *foliis*, & quasi circinatæ rotunditatis, in ambitu leuiter serratis, crassiusculis, longiusculo pediculo inhærentibus: *cauliculus* assurgit è medio foliorum, duas vncias longus, vnicum *florem* sustinens purpureum, vulgari similem, sed longè maiorem & inodorum: cui succedit triangula siliqua: *radix* nonnihil serpit, & aliquot fibris donata est. Floret sub finem Iunii.

Synonima. Hanc nonnulli Melanium [fortè restituendum Melanthium:] montanum appellare videntur, inquit author Clusius, qui in Pann. p.356. Violam montanam 2. [ita quoque in hist.] siue montanam purpureo flore vocat. C.Bauh.pin. Violam Martiam rotundifoliam 6. siue Violam Alpinam purpuream exiguis foliis.

VIOLA MARTIA LVTEA.

Descriptio. Admodùm fibrosa est *radix*: *folia* circinatæ rotunditatis ferè, ad pediculum longum, tenuem falcata, parua, cæterarum Violarum foliis delicatiora, tenuiora: *flores* pediculis è radice mox ortis insident, exigui, lutei.

Synon. Matth. Viola aureo colore. Monach.in Mes. Violæ mamulæ luteæ seu croceæ.Gesn.hort. Violæ flore luteolo. Aret. Viola lutea, & Lob.Ic.p. 609. Eid. Obs. p. 33. Viola Martia cauliculis ramosis, floribus luteis. Clus. pann.p.356. Viola 1. montana (sic etiam p.357. & Hist.) flore luteo. Dalechampius olim Paronychiam vocabat.

C. Bauh. phytt. Viola 4. Eid. pin. Viola Martia rotundifolia 7.siue Viola alpina rotundifolia lutea: Viola luteola minore flore Gesn. hort. Viola lutea Cæsalp.Cast.Viola Martia lutea inodora alpina Camer. Gramen Parnassi aliud H. Lugd. p. 1005.

Locus & Tempus. Semina circa Geneuam in montibus collecta, terræque in horto Ill. E. C.mandata plantam dedêre, quæ Aprili & Martio florebat. Reperta quoque vltra citráque montem Gotthardi,& in Apennino,qui vulgò Cornea dicitur, inter Italiam & Prouinciam. Abundanter nascitur in omnibus Austriæ & Stiriæ Alpibus: Iunio atque Iulio


que Iulio florens, in cultis autem Aprili. In Borealis etiam Angliæ montibus inueniri intelligebat Clusius.

Vires & vsus. Cæterùm Viola refrigerandi vim habet, Dioscoride auctore. Folia eius per se & cum polenta illita stomacho æstuanti, oculorum inflammationibus, sedisque procidentiis auxiliantur. Præterea id quod in flore purpureum est, cum aqua potum angina correptis, & comitiali in pueris morbo mederi affirmant. Quam postremam sententiam quidam hinc excludunt, tanquam suppositititiam, nec eam Ruellius conuertit, quod eadem capite de Altere legatur. Alij contrà, Plinium & eos auctores, ex quibus illa descripsit, sequendos indicant, idque de Viola purpurea rectè legi, & à Dioscoride scriptum esse censent, capitique de Altere Attico falsò adiecta, quòd neque Plinius neque Græcus aliquis auctor ea de Altere memoriæ prodiderit.

Sedis procidentia Angina.

De Viola verò hæc Plinius. Violæ siluestres sunt & satiuæ. Purpureæ refrigerant, contra inflammationes illinuntur, stomacho ardenti imponuntur, & capiti in fronte. Oculorum priuatim epiphoris, & sede procidente, vuluaue, & cōtra suppurationes. Crapulam & grauedines capitis impositis coronis olfactuue discutiunt. Anginas ex aqua potæ. Id quod purpureum est ex iis, comitialibus medetur, maximè pueris in aqua potum. Semen Violæ scorpionibus aduersatur, contrà flos albæ suppurata aperit vel discutit. *Hæc Plinius.* Et sanè hoc ex Violis purpureis auxilium videtur non manifestis ipsarum qualitatibus aut facultatibus, sed *occultis* & cæco effectu anginis & epilepsiæ mederi.

Crapula.



Violæ folia [inquit Galen. 6. simpl.] aqueam & subfrigidam substantiam superantem possident. Quare tum per se, tum cum polenta illita calidas phlegmonas mitigant. Imponuntur & ori ventriculi æstuanti, & oculis.

Temper. Mes. Mesues multò accuratiùs Violæ vires declarat his verbis. Viola recens, frigida est & humida, siccata minùs tum frigida, tum humida. In recente enim excrementosa in superficie humiditas purgatrix lubricando, caliditatē obtundit, ipsius perfectionis & formæ causam. Hæc cum siccando resoluta fuerit, caliditas primò obrupta, & ab ea sapor amarus, fitque purgatrix trahendo. Viola recens refrigerat, narcoticorum ritu dolores calidos sedat, inflammationes omnes extinguit, asperam arteriam & thoracem lenit, expurgat bilem flauam, & ab ea calorem extinguit, & cephalalgiam à causa calida: somniferæ sunt, conferunt vuæ, cynanchæ, præter cæteras verò pleuritidi, & cæteris tumoribus thoracis: phlegmonen hepatis, obstructionem eius siccam, icterum valde iuuant, & febres symptomaticas, seu inflammatorias: sitim sedant, sed coryzam excitant. Melior est Viola matutina, cuius virtutem neque Solis calor resoluit, neque pluuia dissipauit. Succus Violarum & syrupus leniendo soluit. Violæ melle conditæ magis tergent, minùs refrigerant, cum saccharo contrà. Oleum fit omphacinum aut amygdalinum, in quo oleum Violarum fiet. Nec Violæ, nec harum succus multam coctionem sustinent. Acetum Violarum febrium ardorem mirè sedat. Dantur potu expresso ab Vnciis iiij. ad Vncias viij. Succus ab Vncia vna, ad Vncias duas. Syrupus violaceus ab Vnciis duabus, vsque ad Vncias quatuor. Conditum Violarum ab Vncia vna & semisse ad Vncias tres. Hactenus Mesues. Flores Violarum bibiti cum aqua destillationis, vel decoctionis florum Violarum, conferre à proprietate Epilepsiæ puerorum, & propriè illi quæ dicitur Mater puerorum, & in qua febris est acuta, legimus apud Bayrum.

Delectus. *Dosis.*

Aiunt siccatâ humiditate, quæ in superficie continetur, gustu amaritudinem deprehendi, à calido ic. prouenientem: & hinc fieri vt exsiccatæ magis calidæ, minusque humidæ habeantur: Ego autem [inquit Matth.] nullam sanè amaritudinem, nec in siccis, nec in virentibus obseruaui: foliola quidem florum sunt ita acria, vt fauces vellicent: quamobrem Violas nec frigidas simpliciter nec narcoticas existimarim dicendas. Semen certè scrupuli pondere ex iure gallinaceo sumptum, purgat. Aqua, oleum, & acetum violaceum cephalalgias ardentissimas vel per se, vel cum linteo impositæ compescunt. Nec minùs calidæ hepatis intemperiei auxiliatur. Succus herbæ tumores calidos reprimit. Aqua oculorum dolores cum linteo inducta mitigat. Ad dysuriam præstans medicamentum est oleum violaceum vmbilicali regioni illitum. Semen calculosis vtilissimum. E Violis igitur nigris seu purpureis, vt vocant, Acetum, Oleum, Conseruæ, Zulapia, & Serapia conficiuntur. Ad quasuis calidas affectiones adhibere, præsertim verò pueris, qui morbo comitiali & ardentibus febribus, non rarò infestantur, cōmendat Tragus, iteratam violarum macerationem in aqua fontana factam addito saccharo propinans. Serapium Violarum, mensura duûm, aut trium cochlearium sumptum, ardores febrium acutarum tollere idem testatur: laxam præterea aluum conseruare, emollire aposthemata, cor roborare: pleuritidi mederi breuiter omnibus calidis affectionibus summè conducere. Esse qui Serapium Violarum aqua fontana misceant, sitque restinguendæ exhibeant, quam sanè potionem ægrotantibus gratam esse fatetur. Additque postremò, id quod in medio residet Violæ luteum punctum, negligi non debere, sed diligenter asseruari, nam decoctum in aqua & potum anginæ auxilio esse, & comitialibus maximè in pueris, iuxta Dioscoridis præceptum. Tandem Violarum oleum, aquam distillatam, & acetum, dolorem capitis sedandi vim habere illitu, nec non inflammationibus hepatis foris, impositu, opitulari. Hæc inter alia Tragus, quem miror, vt & Dodonæum eum sequutum, tribuere luteę parti Violæ, quod Dioscorides & Plinius purpureæ.


Seminis dosis. *Serapij Viol. dosis.*

Simeon Sethi ait prodesse ad intestinorum dolores, cor verò offendere: Dolores capitis à

flauâ bile factos sopire, potas & odoratas: Ventriculum irritare, & flauam in eo inuentâ bilem: caput siccum humectare, calidúmque refrigerare suo odoratu: Somnum inducere: humida capita destillationibus obnoxia reddere.

PINGVICVLA GESNERI.
CAP. III.

Descriptio. HOc nomine appellabat Gesnerus *foliorum* argumento, quæ per terrę superficiē sparsa, quinque aut sex, & plura interdum, pinguiuscula sunt & nitida, binas vncias longa, vnciam circiter lata, per extremum nonnihil obtusa: inter hæc surgunt *pediculi* aliquot, palmares, aut altiores, quorum vnicuique in summo fastigio hæret *flos* vnus purpuroviolaceus aut alb', hians, longo calcari donatus, facilè pediculum relinquens: *radix* fibrosa.




Gesnerus reprehenditur. Miror Gesnerum dicere Pinguiculam [vt vocat in monte fracto, & de hort. vbi Liparim vocandam censet] folia Oleæ habere. Sanè ea similitudo videtur longè petita: multò enim latiora sunt, nec dura, sed tenera & breuî euanescentia: color quoque diuersus.

Pinguiculæ nomine depingitur & describitur à Clusio in pann. & hist. placuit enim id illi relinquere quo à Gesnero donata est. An verò Lingua, vel Lingulaca Plinii sit, quam lib. 24. cap. 19. & lib. 25. cap. 11. circa fontes nasci tradit, non asserit, sed inquirendi duntaxat causâ proponit. Pinguiculam & Saniculam Eboracensem, h.e. Yorkshire Sanicle nominat, Quibusdā Κρινὸς Apuleii putatur. H. Lugd. p. 1106. Cuculatam inscribere maluit.

Dodecatheon Plinij. C. Bauh. phyt. dicitur Pinguicula Dodecatheon Plinii quorundam: Eid. pin. Sanicula rotundifolia 5. siue Sanicula montana flore calcari donato: Pinguicula vel ἰόυγρον, Viola humida & palustris: Dodecatheon Plinii, Gesn. & Camerarii. Sunt qui Oleosam appellant.

Varietates & Locus. Quæ albo est flore spontè prouenit non modò in Schneeberg, Durrenstein, aliarūque Alpiū iugis, in locis à soluta recèns niue adhuc madentibus: sed etiam illa quæ purpureo est flore permixta in omnibus ferè pratis vliginosis, in quibus Maio floret, & Iunio semen profert: in Alpibus verò seriùs, Clusio authore. Altissimis autem & niuosis montibus gaudere, èque saxis prosilire, riuulo quopiā præterfluente madentibus, & florere Iunio etiam antequam niuibus liquatis montium cacumina detecta appareant, annotatum est in H. Lugdunensi. Obseruaui ego in monte Thuiri flore purpureo & albo, & vltra Gothardum ad radicem montis. Reperit Ioh. Schvvab copiosam flore purpureo in Iuræ montis tractu illo, non tam variis, quàm raris stirpibus refertissimo, cui rupes & falcones Falconum rupes nomen dedêre. Referebant ei eius loci pastores, se plagas sibi illatas feliciter curare, foliis eius contusis & impositis: eiusque succo pingui & butyroso fissuras in vaccarum vberibus litu curare.

IACEA TRICOLOR SIVE TRINITATIS flos.
CAP. IV.



Descriptio. PVlcherrimi *flores*, eorumque varietas effecit vt in hortos translata cultu digna iudicaretur: quos quinque *foliis* constantes, delicias suas aduersâ facie spectatori offerre videas: modò totos purpureos, modò luteos, cæruleo, purpureo variegatos: aliterque etiā versicolores, in pediculis longis, concauis, ex foliorum alis quæ modò Hederæ terrestris instar rotunda, modò oblonga, in ambitu serrata, in *caulibus* repentibus, ramosis, ex *radice* tenui & fibrosâ exortis: *semen* in pericarpiis turgidulis, ferè triangulis, minutum, splendidum, copiosum. *Minùs* bona est nostra figura ex Fuchsianis. An hæc sit Iacea illa, quam ad intestinorum ramices magni faciunt recentiorum quidam, dubitat Matthiolus. In post. comm. addit quosdam vocare Herbam trinitatis, ac duas statuit species, minorem & maiorem.

Camer. apud Matthiolum germ. demptâ figurâ Matthioli, alias duas exhibet [vni titulus, Iacea, Viola trinitatis: alteri, Iacea siluestris] quarum vna sufficere posset.

Viola Sarrana. Tragus Herbæ Trinitatis duo tradit genera, satiuam & siluestrem. Hanc vitium frugum & hortorum vocat. Porrò ambas has Violas, eas esse credit, quas Columella Sarranas nominat. Nec dubitat quin per Flammeam & Phlogen, eas intellexerit Plinius, ita vt Phlogion dicatur satiua, Phlox verò siluestris. Tandem non sine errore Herbarios Iaceam appellare sibi pertinadet, & Iasmen potiùs dicendam arbitratur, & cum nonnullis Violam Albefet.

Viola hæc tricolor Dodonæo quoque conuenire videtur cum Phlogio Theophrasti, quam Gaza Violam flammeam interpretatur. Sed hāc opinionem improbat Gesnerus.

Lobel. in Adv. scribit errare Senensem, vt qui Iaceæ nigræ facultates, Violæ flammeę attribuat, & hanc à scabiosis discernere nesciat: sed decepisse illum nomenclaturam Iaceæ vtrique communem. Quare hanc tricolorem Iaceam mavult dictam ἀπὸ τ' ἴα, à Viola, vt etiamnum vocatur, quam

quàm quòd plurimùm humi iaceat, vt quidam autumant.

Violæ nigræ persimilis flos (inquit Gesn.) quẽ aliqui Trinitatis cognominant. A colorum numero septenario, vulgari nomenclaturâ Heptachrum nostri appellant: inodorus, solùm colorum elegantiâ & varietate placet. Aliqui non rectè Antoram vocant.

Iaceæ tricolori adscribit Dorsthenius caulem instar Lauendulę, acutis & paruis foliis. Sed non video, quomodo conuenire possint, quæ scribit de caule & foliis. Videndum etiam an Ruellius alicubi Ocimoides nominauerit, & Tragus Polygalon Dioscoridis, quod vult Dorsthenius. Ruellius Violæ inodoræ genus esse dixit, quam vulgus gallicum Panseam vocat.

C.Bauh.phyt. Viola 8 siue tricolor hortensis, repens, φλὸξ ϗ φλόγινον, i.e. Viola flamma & flammea (vtroque enim modo Gaza vertit) Theophrasti. Eid. pin. Viola martia foliis oblongis s. an φλὸξ Theophrasti: Herba Trinitatis Brunf. tom. 2. rhaps. 17. & in 4. p. 65. Fuchs. Lon. satiua Trago: Iacea maior, siue Viola tricolor Cast. Viola flammea Dod. gall. Cęsalp. Viola tricolor Dod. Clus. Ger. Viola flammea colorata Lob. Obs. p. 335. Ic. Plant. p. 611. calida in Adu. Viola flammea seu tricolor maior H. Lugd. Viola Trinitatis 1. Tabern.


Flos colore & magnitudine variat: & flore purpureo & cæruleo: albo & luteo: cum pallido cæruleo, purpureus & luteus etiam permiscetur, quandoque lituris quibusdam notatur: rarò flore penitus albo reperitur, quæ est Viola Trinitatis 2. Tabern. Datur quæ duplò maiore flore est, coloris vnius, nigræ purpuræ, & instar holoserici nitente, vel pallido, hinc Flos Trinitatis maior. Eyst.

Nomina linguarum. Germanis dreyfaltigkeit blůmen/ freissam/ freisamkraut, & Rheni tractum incolentibus, vnnützlorg: Belgis drevvaldichheit bloemen: Gall. *De la Pensee*: It. *Iacea*: Angl. hartys ease/ Loue idle Dames.

Locus & Tempus. In Aruis pluribus locis exit: nascitur & in hortis, & crebrò quidem sua sponte, siluestri speciosior & elegantior. Vere vnà cum Viola nigra aut paulò pòst emicat, Æstate dein totâ, & maximâ Autumni parte ac subinde etiam Hieme, floret, vt Geneuæ mense Octobri. Decembri, Ianuario, & Februario. Montbelgardi in agris obseruaui luteam inter Arbouans & Audincourt; in agris versus *La Chau* flore albicante & subluteo, à satiua non diuersam, nisi minorem: eiusmodi etiam vidi in agris inter Masmúster & S. Germain, Septembri & Octobri.

Vires & vsus. Aqua distillata puerorum inflammationibus & torminibus ventris auxilio esse quandoque pota traditur: hodie apud mulieres in vsu est: eadem (vti testantur plerique apud Tragum) pus in pulmone & thorace collectum purgat, si continuò bibatur, eâque vinum misceatur. Herba anginæ suùm medetur: flores præcipuè virginum sertulis nati sunt. Quum verò acrimoniæ ratione incidendi vim quampiam habeat, ideò (inquit Fuchs.) rectè recentiores asthmatis, pulmonisque inflammationibus prodesse tradunt: hac ratione puerorum etiam comitialibus morbis auxilio esse solet: cæterùm, non parum ad pruritum & scabiem confert, omniáque cutis vitia emendat, idque mediocris acrimoniæ & siccitatis ratione: vlcera etiam, quia viscositatem obtinet, glutinare potest. Ad calorem & siccitatē inclinare authorem habemus Matthiolum, qui multâ experientiâ compertum ait, aquam stillatitiam ex ea sudores potenter mouere. Matthiolum declarat Camerarius: Stillatitius liquor, inquit, ex herba, caulibus, & floribus exhibetur bibenda laborantibus lue venereâ per nouem dies aut plures, & mouetur eis sudor. Qualitatem herba habet Dodonæo, frigidam quidem obscuram, sed humidam manifestiorem, lenti, glutinosique succi, vti Maluæ, particeps: emollientis ea de causa quoque facultatis, verùm minùs quàm illa.

IACEA TRICOLOR SVRRECTIS caulibus quibusdam arborea dicta.



Descriptio. Viola arborea quibusdam dicta, surrectis est caulibus, cubitum altis ac etiam altioribus, angulosis: folia priora vulgaris Violæ tricoloris similia, subrotũda, cætera longa ad vncias quinque, alia longiora, vel breuiora, angusta, quæ cultu variant, & latiora reddita Violæ Martiæ folia æmulantur, ad quorum genicula foliola alia emicant, modò parua, modò maiora, quædam etiam laciniata, & per ambitum serrata, colore Iaceæ vulgaris: flores quoque dictæ Iaceę, quinque foliolis constantes in ambitu dilutè violaceis, longis insident pediculis, è foliorum sinu ortis, quorum folia duo lateralia interna parte albis villis obsita, & cum imo pulchellis striis decorata. Quibus succedunt siliquæ longę in ternas carinas dehiscentes, semen continentes album, paruum: radix tota fibrosa est ac perennis.

Tota planta sapore viscido est, & multa communia habet cum Viola siue Iacea tricolori. Sed cur arboream dixerint nonnulli non video.

Arborescentem Violam è Baldo monte allatam, odore perquàm iucundo, sibi dono datam ait Matthiolus à Calzolario, floribus Consolidę regalis persimilibus: plantam duorum cubitorum altitudine, pluribus ab vna radice sublatis caulibus. In post. comm. cum mag. fig. (vbi eadem verba allegat) huius figuram dedit Iaceę siue Floris trinitatis inscriptione: In hist. germ. Iaceæ Violæ trinitatis titulo. Sed figuram hanc abstulit Camerarius in Hist. germ. Ea sanè non malè conuenit arboreæ multis dictæ quam nos hoc capite exhibemus.

Camer. apud Matth. germ. [vbi Violam fruticosam inscribit] & in eiusdem Epit. [vbi Violam arborescentem vocat] Violam erectam potiùs, quàm arborescentē nuncupandam scribit. abundantem in monte Baldo, flore ex purpureo albescente, sine odore, in hortis ex semine deci-

duo multùm se propagantem. Et licèt alicui figuram Camerarij Matthiolo appositam consideranti, ea diuersa videri possit, à Viola Martia surrectis caulibus, aliam tamen non existimo, sed naturæ lusum, cùm semina profert.

An Lobel. in Obs. p. 314. Icon. verò Plant. p. 610. Viola Martia surrectis cauliculis?

Figura Matris Violarum Dalechampij, H. Lugd. p. 798. videtur Iaceæ surrectis caulibus, quæ Matthiolo arborea dicitur, licèt minùs feliciter expressa, descriptio tamen non mihi videtur in omnibus competere: vereor ne confundantur duæ plantæ. Melior figura est, quæ pingitur p. 800. sub Violæ flammeæ siue tricoloris maioris Matthioli inscriptione.

Violam arborescentem Matthioli, & Violam Martiam surrectis cauliculis Lobelij, C. Bauh. in phyt. sub vna, nempe Violâ 7. siue tricolore erectâ, quam Iouis florem Theophrasti arbitratur comprehensus est. At in pin. mutatâ sententiâ, à se inuicem dinstinxit. Viola Martia foliis oblongis 2. siue arborescens purpurea, est, inquit, Viola arborescens Matth. Cast. Tab. vel potiùs recta Camerarij: Viola fruticosa Gesn. hort. Mater Violarum Dalech. Lugd. Viola elatior Clusij: Viola erecta flore cæruleo & albo Eyst. Flore est ex cæruleo purpurascente vel ex cyaneo albescente. Viola Martia foliis oblongis 3. siue Viola tricolor erecta, an Iouis flos Theophrasti 6. hist. 6. Viola assurgens tricolor Dod. Ger. Violæ purpureæ varietas Lob. in Aduers. Viola Martia surrectis cauliculis in Obs. & Icon.

Locus & Tempus. Spontanea occurrit inter vepres in limitibus Montbelgardensibus, itinere versus Matthai arcem, florens Maio: eodem hoc mense florentem vidi Eslingæ in horto Volmarij, & Argentinæ Frid. Meieri, ac etiam Lutetiæ in horto Robini Augusto, & Stutgardiæ cum seminibus & foliis valdè latis, quasi Violariæ Nouembri.

Iacea tricoloris siue Floris trientalis genus flore luteo & purpureo magno, repens, non annuum.

Synon. Clus. Pann. p. 358. Viola 4. siue tricolor odoratissima p. 359. Viola montana 3. siue tricolor 1. Eid. hist. Item pann. Violæ 3. siue tricoloris odoratissimæ aliud genus, ei per omnia simile, floris colore excepto: Eid. hist. Viola montana tricolor 2. primæ per omnia similis floris colore excepto, omninò flauo, purpurascentibus radiis ex vmbilico emicantibus: fertur & alia varietas coloris reperiri (flore scilicet toto purpureo) quam seminio accidere putat Clusius.

Camer. apud Matth. Germ. Iacea flore maiori luteo valdè odorato: alia huius generis flore purpureo.

C. Bauh. pin. Viola Martia foliis oblongis 4. siue Viola montana tricolor odoratissima (11. phyt.) Viola flâmea maior violaceo colore mixta, Eist. Eid. Viola Martia foliis oblongis 7. siue Viola montana lutea grandi flore (12. phyt.) & Camer. Violæ nigræ persimilis montana lutea Gesn. hort. Viola flammea lutea H. Lugd. Viola Martia arborescens lutea Tabern. Viola flammea maior, pallido colore mixta Eyst. Flore est luteo, sed magna ex parte lineis purpureis intermistis, aliquando sine lituris: rariùs flore albo reperitur.

Locus & Tempus. In montibus Rheticis mediis in niuibus flore purpureo magno: floribus minùs speciosis in cacumine montis Roßberg. prope Masmunster.

Luteo flore in diuersis hortis florens Aprili & Maio, at nisi transplantetur, facilè perire solet. Sponte in Helueticis montibus nasci, pæneque totâ Æstate florere fertur.

Iacea bicolor, Frugum & hortorum vitium Tragi.


Descriptio. Herbam Trinitatis secundam, siue siluestrem (vt vocat) quæ sponte in hortis & frumentis nascitur, Vitium frugum & hortorum meritò censuit Tragus, latiuæ per omnia similem nisi quod flosculos magis exiguos procreat, candidos & luteos, interdum etiam cæruleos & luteos.

Iacea, siue Herba Trinitatis altera, cum Iacea tricolore vulgari iisdem pariter locis nascitur, & seritur in hortis, minoribus tamen ac breuioribus tum foliis, tum floribus, qui tamen non tribus, sed duobus tantùm constant coloribus, candido videlicet, & lutescente, inquit Camerarius in Epit. Matth. vbi figura. Italis dicitur Iacea seu *Menuti pensieri minori*. Germ. wild Freysamkraut/Stiefmütterlin.

Synonyma. C. Bauh. pin. Viola Martia foliis oblongis 6. siue Viola bicolor arvensis (9. in phyt.) Iacea minor Cast. Violæ nigræ similis arvensis minor, Gesn. hort. Viola siluestris Lob. Icon p. 611. Viola flammea minor Hist. Lugd. Viola Trinitatis minor petræa Tabern. Viola tricolor petræa Gerardi. *Hactenus* trium colorum non obseruaui, sed candido & luteo, cæruleo & luteo, cæruleo & candido: aliquando tamen totus luteus vel totus albus occurrit: Alia est valde parua Augusto florens.

ASARVM.

CAP. V.



Descriptio. NOn immeritò Nardis Asarum accensuit antiquitas, tanta est in radice tenui, reptatrice, fibratâque odoris affinitas: folia verò Cyclamini, circinatæ rotunditatis, læto virore supernâ parte splendent, rigida, infernâ autem magis albent, tenerâ lanugine pubescentia vtrinque, magis tamen infrà quàm suprà: inter folia proximè terram, in breuibus pediculis hirsuti sexanguli cytini purpurascentes hiosciami, in tres lacinias diuisi, oriuntur, internè atro-purpureas, externè ex virore rubescentes, medium occupantibus staminibus purpureis: semen sex distinctis loculis comprehensum continetur, acinis vuarum simile quoad formam externam, tunicula fuscâ, quæ interiùs medullam albam continet, acriusculum est gustu.

Asarum

Asarum[ἄσαρον]quod alij Nardum silvestrem [νάρδον ἀγρίαν] vocant, Dioscoridi hæc est odorata & coronaria [vt Par.addit, πόα ὁμοία ϛεφανωτική.Cat.pro πόα habet βοτάνη.] folia habens Hederæ κισσῷ. Quidam addit(ἢ ἀρισολοχία] similia,sed densiora [πυκνότερα.Par.μικρότερα.]& multò rotundiora: florem inter folia iuxta radicem cæruleum[κυανοῦν. Paril.ἄνθη,πορφυρᾶ ὅμοια.Cat. πορφυρᾶ , λευκὰ ὅμοια.] Hyoscíami cytinum referentem, in quo semen acini nucleo simile [Addit hic alter codex,ἔχει καυλία γονατώδη ὑποτραχέα, at neque Oribasius,neque Serapio ita legerunt.] Radices subiacent numerosæ,geniculatæ,tenues, obliquæ Gramini similes,longe tamen graciliores & odoratæ, linguam excalfacientes, valdéque mordentes.

Vocatur inter notha , à Magis Sanguis Martis (αἷμα Ἄρεως :) ab Osthane Thesam [Θέσαν:) Ægyptiis Cercera [κερκερα:]Romanis Perpensa. ab aliis Baccaris [βάκχαρ] Hetruscis Succinum (σούκκινου:) aliis Nardus rustica(νάρδος ῥούστικα:) Gallis Baccar.

Multorum sententia circa textum Diosc. In Dioscoridis textu verba hæc πόα ὁμοία ϛεφανωματική quidam relinquunt, alij tollunt. Tagaultius ea Bacchari potiùs, cui hanc naturâ, viribus & effectu proximam esse ait, conuenire putat. Baccharem ,Inquit, Plutarchus coronis esse dicatam concedit,cuius sententiæ accedit & Virgilius, inquiens:

& Bacchare frontem.

Cingite,ne noceat vati mala lingua futuro.

Itaque quod herba coronaria dicatur Asarum Dioscoridi, id errore cuiusdam scioli,docti putant accidisse, qui Baccharem Asaro commiscuit. His Tagaultij rationibus,adde , Serapionem omisisse coronariam esse,& Plinium dicere coronis addi.

Exemplaria autem Dioscoridea deprauata esse testatur Fuchsius,ita disserens: Habent exemplaria πυκνότερα vel μικρότερα,cùm potiùs scribendum sit μαλακώτερα ; id quod partim Plinij testimonio, partim etiam judice sensu ipso comprobari potest.Plinius habet molliora.Sensu judice,Asari certè folia,neque densiora,neque minora Hederæ foliis sunt:sed maiora multò,& longè Hederæ molliora. Ego considerandum propono an non legi possit μικρότερα ?

Plinius. Plinius lib.12. cap.13. scribit Asarum, quod & ipsum aliqui Nardum sylvestre appellant, Nardi vim habere, foliis Hederæ, rotundioribus, mollioribusque , flore purpureo, radice gallicæ Nardi : semine acinoso, saporis calidi ac virosi: Montibus in vmbrosis bis anno florere : Optimum in Ponto , proximum in Phrygia , tertium in Illyria reperiri : fodi cùm folia mittere incipit : & in Sole siccari, celeriter situm trahens ac senescens : Inuentam & in Thracia herbam esse , cuius folia nihil ab Indico Nardo distent. Lib.21. cap.6. eorum errorem corrigendum esse monet, qui Bacchar Nardum rusticum appellauere. Esse enim aliam herbam sic cognominatam , quam Græci Asaron vocent, quoniam in coronis addatur.

An Bacchar is sit inquirit-tur. Constant. autem in annot.in Amatum licèt Baccar siue Baccarin Plinij lib.21.c.6.& 19. Item lib.12.cap.12. Asarum esse dicat,ac eo nomine à nonnullis Nardum falsò vocari , Baccarimue Dioscoridis aliam à Pliniana esse herbam , nominumque affinitate falli , quotquot rei herbariæ recentes scriptores vnam faciant : Ego tamen contrarium assero , dicoque cum Amato Plinium iis in locis de planta ab Asaro diuersa loqui.

Brassauolus [verba sunt Matthioli] immeritò in Plinium spiculum contorsit, vbi dicit, ipsum eo etiam in errore versari,vt Asarum Baccharim esse existimarit. Plinius enim lib.21. eos arguit, qui Baccharem & sylvestrem Nardum idem esse contendunt. Id autem quod dicit libro 12. Baccharim vocari Nardum rusticum,non propterea ait idem esse, sed malè ita dici, etiamsi ita vocetur.

Si quis porrò à me inquirat, quid de Bacchare sentiam, & an idem sit cum Asaro , vel diuersum , ei respondeo me non inuenire Dioscoridem sub nomine Baccharis vllam herbam agnouisse , sed caput illud in Dioscoride adulterinum esse,& ab aliis additum. Multæ autem sunt rationes , quæ ad id credendum me induxerunt. Et in primis videtur hæc vox Baccharis latina potiùs quàm græca. Nec inuenitur vllus author ex iis,qui Dioscoridem præcesserunt , vel eodem tempore vixerunt , aut pòst sequuti sunt,qui vllius plantæ sub hoc nomine meminerit , quemadmodum in Galeno & Aëtio videri potest , qui ne vnico solùm verbo Baccharem nominauerunt. Nec refert appellasse Athenæum vocem Baccarim, siue Pancarim : non est enim planta, vt errantes quidam existimant, sed vnguentum. Si quis autem institerit , in Ægineta & Oribasio inueniri caput de Bacchari separatum à capite de Asaro : inficias non ibo hæc duo capita apud Paulum reperiri. Verùm affirmabo satis longo tempore post Galenum venisse apud Græcos in lucem hoc nomen Baccharis. Cùm igitur inueniam Paulum , qui de simplicibus Galeni scribit, agere de Bacchari, de qua nulla fit mentio in Galeno,necessariò sequitur vnum ex his duobus , vel deesse in Galeno, vel additum à Paulo,neutrum tamen credendum est , sed certò concludendum hoc additum in Paulo à librorum corruptore aliquo. Idem in Oribasio accidisse dico. His addo apparere totum caput de Bacchare in Dioscoride , excerptum esse à principio ad calcem ex capite Asari, ferè de verbo ad verbum, vt animaduertet is,qui vtrumque conferet caput. Ideò nonnulli videntes fortè hæc duo capita similia esse , qui certò sibi persuadentes Dioscoridem scripsisse de Bacchari,cùm Paulus & Oribasius de hac tractarint , nescientes qua ratione rem componerent, sibi imaginati sunt bonam partem capitis de Asaro (nempe eam quæ inserta capiti de Bacchari) spuriam esse , quam ideò vt abiectam ab aliis , abstulerunt à reliqua parte. Atqui error nimis magnus est , demere legitimo capiti, quod à Dioscoride totum ac integrum & non truncatum fuerit traditum,& defendere adulterinum. Dioscorides autem scribens de Asaro , desumit partem vnam ex capite Crateuæ, qui minùs exactè, vt oportebat, de Asaro tractauit,& in suum inseruit, reliquum vt non necessarium omisit, subnectitque huius herbæ,tam suas, quàm Crateuæ facultates, addens in fine capitis, Crateuam herbarium ita scribere ad verbum. Rem autem ita se habere testantur fragmenta variorum autorum Græcorum manu scriptorum , quæ apud me habeo in quibus omnia leguntur , quæ Crateuas de Asaro scripsit.Et hinc colligere licet totum caput de Asaro in Dioscoride legitimum esse.Et hæc æqui lectores consulant, & de nostra controuersia iudicent : collatis quidem iis , quæ *Autoris opinio.*

hac de difficultate, Matthiolus, Cordus, Dodonæus, Lobel. & Cæsalpinus præ cæteris memoriæ prodiderunt.

Ex quorum scriptis constat Matthiolum, Cordum, Dodonæum, Lobelium & Cæsalpinum præ cæteris Asarum & Baccharem ab inuicem distinguere, nullum inter Baccharim Dioscoridis supposititiam, & Plinij genuinam, discrimen agnoscentes.

Angullara epist. 1. ostendere conatur Dioscoridis caput de Bacchari esse spurium, vti & in Paulo & Oribasio: Item ex Dioscoridis capite de Asaro nihil demendum: Baccharis caput desumptum esse ex capite Asari: Baccharim verò Plinii differre à Dioscoridis existimat.

Synon. C. Bauh. phyt. & pin. Asarum 1. Asarum Brunfels. tom. 1. rhaps. 8. & in 4. pag. 6. Trago, Matth. Fuch. Dod. Lac. Cordo in Diosc. & hist. Turn. Gesn. hort. Cæsalp. Cast. H Lugd. p. 913. Thal. Tabern. Lobel. Obs. p. 328. Ger. & Eyst. Asarum Bacearis siue Baccarus Lob. in Adu. & Ic. Plant. p. 601.

Varietas. Quandam Asari speciem diuersam, vulgari multò maiorem & odoratiorem in Heluetiis Alpibus circa Eremum D. Virginis Zum Ensidel reperiri aiunt, testibus Camerario & Gesnero, qui quàm verùm sit, dubitat.

Nomina linguar. *Ἄσαρον* & *νάρδος ἀγρία* Græcis, Asarum & Nardum siluestre aut Nardus agrestis Latinis, Asaron Arab. Germanis Haselwurtz. Belg. haselwortel / & ausoorcn. Gall. *Cabaret, Oreille d'homme*, & aliis *Oreillette*: Montbelgardi quibusdam *Girard rouffin*: & Burgundis nonnullis *Rondelle*. *It. Asaro*: Hisp. *Azara baccara*: Angl. folefoote (quòd folium habeat rotundum, pulli equini pedi simile) [illegible] barca. Boh. Kopytnyk. Hung. Kapotnock.

Locus. Amat montium opaca ac vmbrosa loca, & plerumque sub Corylis, vt Cordus refert, inuenitur. Plurimùm autem, auctore Dioscoride in Ponto nascitur, & Phrygia, & Illyrico, & Iustina Italiæ. Haresease est Anglis. Germanis subinde spontaneum. Aspera macráque & sicca loca amare, in siluis etiam nasci & sepibus, apud Fuchsium proditum est. Perpetuò viret herba, noua tamen vnà cum flosculis folia Vere promit: interdum tamen & Autumno floret. Colligendum in fine Augusti, à die decimo quinto eius mensis vsque ad octauum Septembris. In montium conuallibus inuenitur in siluosis Allobrogum, Sabaudorum, Gallo-prouinciæ, & Pyrenæorum Lob.

Vires & vsus. Dioscorides vim tribuit Asaro calefactoriam, & vrinam cientem, conuenientem hydropicis, & coxendicum morbo diutino. Scribit præterea menses cum aqua mulsa potas radices pondere drach. sex ducere, & velut Veratrum album purgare: misceri etiam vnguentis. Hoc cognitu dignum est, quod Galenus radicibus Asari similem vim attribuit, ei quam Acori radices habent, & magis etiam intensam, & proinde ea quæ de Acoro dixit, etiam ad Asarum referenda esse. Plinius Nardi vim habere Asarum scribit. Mesues laudat radicē amplam, spissam, odore tenui, sapore acri & parum styptico. Asari radix, inquit, calida sicca ordine tertio, vel potiùs cum Dioscoride calida secundo sicca tertio [vbi hoc dixerit Dioscorides, nondum inuenio, tenuat, resoluit, obstructa aperit hepatis & lienis, & horum duritiem soluit, & affectus alios inde natos, febres putridas & diuturnas, icterum, hydropem, præsertim vinum infusum. Purgat vomitu & vrinis bilem, sed pituitam manifestiùs; etiam ex iliibus, ischio, & aliis articulis: ob id harum partium dolores mitigat, præsertim infusum, vel aliter exhibitum. Oleum Asari cum Ladano spinæ illitum sudores mouet, & rigorem febrilem inhibet, vrinas mouet, semen auget. Valentiùs agit cum sero lactis, Spica & hydromelite. Mustum his radicibus conditum, post tertium mensem hydropes & splenem sanat. Mediocriter coqui & teri potest: & quò tenuiùs est tritum, eò magis vrinas mouet, minùs autem aluum ducit. Datur infuso ab aureis duobus ad drachmas quatuor: puluere autem à Drachma vna ad aureos duos.

De Asari virtutibus Æmilij Macri elegantissima Poësis extat:

Est Asarum græcè, Vulgaga dicta Latinè: Temper.
Has calida & sicca virtutis dicitur esse,
Tertius est illi gradus, vt dicunt, in vtroque:
Prouocat vrinam potatáque menstrua purgat,
Hocque modo iecoris medicatur sumpta dolori.
Hydropicosque iuuat, sciasim fugat hausta frequenter,
Et vuluæ morbis decoctio subuenit eius.
Dicitur ictericum potata repellere morbum,
Helleborique modo vomitu præcordia purgat,
Sed non est huius purgatio tam violenta.
Hæc metuenda quidem, si fiat taliter illa,
Ætatem & vires eius circumspice primùm,
Quem purgare voles, & tempus quale sit anni
Et si sit regio feruens, vel frigida valde,
Aut si temperiem mediā tenet inter vtramq; &c.

Ex Asari lixiuium. Fuchsius lixiuium, in quo Asarum decoctum est, si eo caput lauetur, cerebrum roborare refert, & memoriam: succum autem eius cum Pompholige, caliginantibus oculis conferre. Syluius de comp. med. scribit Asarum valēre, foliis, flore & semine, sed efficacissimum esse radice. Subdit Tragus, Asari foliis carpo admotis vti mulierculas Argentoratenses ad febris ardorem depellendum, cum tamen tota planta aromatica sit, & gustu mordax, quod insignis caliditatis indicium est. Ardores febrium. Cæterùm, cùm folia adstringendi naturam habeant, calorem ipsum febrilem sic admota ad interiora retrudunt, atque ita morbum adaugent.

Amati opinio de Asari dosi reprobatur. Amatus Asarum à semuncia ad integram consultò propinari posse sibi imaginatur. Sed hoc consilium impugnat Rob. Constantinus, his verbis: Perniciosum consilium: siquidem experientia constat valentem esse vim Asari, etiam Dioscoride teste, cuius Vncia sumpta Amati suasu *τὴν ὑπερκάθαρσιν*, inducet. Consultius igitur multò infrà subsistere, quàm ita temerè periclitari. Certum quidem Dioscoridem Asari drachmas senas exhibere: sed hîc etiam codex impressus corruptus est: nam in vetustissimo manuscripto, pro ς. legitur ε quinarij nota. Adde quod vires nostræ ætatis hominum, antiquorum viribus nequaquam respondeant, vt innoxiè ferre possit complurium pharmacorum præscriptum pondus à maioribus, quod quia in confesso est, existimamus multoties potiùs, quàm multum vnà vice, in purgando securius esse. Hæc Constantinus.

Matthiolus Galeno contradicit. Matthiolus, qui vnciam semis in infusione non excedit, nec pulueris vltra drachmam dat, à Galeni sententia maximè dissentit. Cùm nulla, inquit, in Acoro deiectoria sit facultas, & Asarum, vt Dioscorides ait, & Mesues fatetur, & mihi experimento compertum est, Veratri modo expurget, non video sanè cur Acoro in omnibus suis facul-

suis facultatibus tam facilè à Galeno comparari possit. Galenus autem non dicit omnibus facultatibus respondere, quinimò intensioribus esse præditum Asarum. Verissimè quidem ait radices Asari facultatibus Acoro similes: vix enim vllæ à Dioscoride attribuuntur Acoro, quæ in Asaro reperire non liceat. Interea tamen non ita potest comparari Acorus Asaro, vt Asarum Acoro. Nec etiam ob id sequitur facultates non esse similes Acoro, etiamsi plures habeat Asarum.

Feb. quartanæ. In hist. germ. commendat Matthiolus rusticis ceu optimum in febribus (maximè quartanis, Camer.) medicamentum, si manipulum foliorum sumant, in vino aut aqua decoquant, & melle dulce reddant, bibántque per aliquot dies mane: hoc enim euacuare per aluum pituitam & bilem, ac etiam interdum per superiora: sed cùm assumere volunt, iubet illos aliquid Macis, vel Cinnamomi, aut similium aromatum addere. Mulieribus autem grauidis non sine detrimento tum proprio, tum alieno, fœtûs scilicet, exhiberi testatur. *Mulierib. grauidis. noxium.* Rondeletius in coxendico dolore vtitur Asari seminis vel radicum decocto ad vomitum ciendum, fœlici, vt ait, successu. Ad verrucas in facie Asarum temperat in aqua Rosarum per biduum, & illinit. Si Asarum absolutè dicitur, Camerarius radicem sumendam intelligit.

Quod denique Asarum si tenuissimè teratur, potu lotium: sin negligentiùs, aluum & vomitum ducere asseritur, id sanè contingere putat Lobelius, quia tenuissimarum partium decoctum celerrimè per ventriculi fundum & duodenum transuehitur, ac illicò in hepatis venas & mesaraicas rapitur vix dum collutis ductibus, aut leuiusculâ impressione inibi relictâ: at subest ratio argutior: hydropotæ non pauci, præsertim splenetici, etiam referto cibis ventriculo, mox quàm frigidam hauserunt, rugitum, grauitatémque in splene præsentiunt, nullo ventriculi aut hepatis percepto fastidio. Nempe venæ, quæ superiores mediásque stomachi partes à liene trajiciunt, suis ramis hauriunt illicò maximam liquoris copiam, rapiúntque in splenis maiores venas, vnde flatus, grauitas, murmurilli. Et hæc Lobelius.

ASARVM MVRI.




Etymon. ASarū muri Herbarij vocant, quòd Asarum foliis imitetur, & *Locus.* quòd nusquam alibi, quàm in muris gignatur. *Descriptio.* Ex parietum fissuris prosilit, *radice* crassiusculâ, nodosâ, è rufo nigrescente, Polipodij ferè colore, in plurimos villos diuisâ: *folia* paucis, Asaro similibus, venosis longo pediculo subnixis: nec *semen*, nec florem se vidisse tradit author H Lugdunensis p. 1134. ex qua cum icone præcedentia desumpta sunt.

H Lugd. temer. Temeraria autem valdè est descriptio, non ostendens qualis planta, an glabra vel pilosa, aut quali sapore: nec monstrans quò loci in muris obseruetur, aut qui Herbarij Asarum muri vocent.

HERBÆ A SVE SIVE PORCO nominatæ. Cap. VI.

NOn penitùs à proposito nostro nos declinaturos speramus, si antequam vlteriùs progrediamur, & ad Cyclaminum, (qui ipse apud Germanos & Gallos præsertim, à porco denominationem suam accepit) describendum nos accingamus, plantas à sue vocatas, hîc nomine tenus solùm, ceu propriore loco fusiùs quamlibet seorsim tractaturi, commemoremus. Sunt autem hæ, teste Gesnero de Quadr. Fungorum tertium genus, suillum Plinio dictum, Germanis fortè Morrhelen H.g. lib. 40. Hypochœris. Hyosiris Intubo similis, sed minor Plinio, Tigurensibus Sodistel. Rostrum porcinū, aliis Dens canis, Heluetiis Sublitmen dictum. Panis porcinus. Scinos. Astrabos, i.e. Pes porcinus, Adianthum, aliquibus Capillus porcinus. Milium Solis, i.e. Cauda porcina Syluatico. Peucedanum. Scrophularia, quæ alio nomine Milleborbia: vel Faba inuersa. Hyoscyamum, Trago germanicè Sawbonen / dictum, i. e. Suilla Faba. Chenopus, german. Schweintod / i.e. Porcorum mors, & Sewplag. Solanum siluaticum cui baccæ nigræ, germ. Sewkraut.

CYCLAMINVS FOLIO rotundiore vulgatior. Cap. VII.



Descriptio. ORbiculatâ nititur *radice* Cyclaminus fibras circū circa emittente, è cuius parte superiore capita exoriuntur, quæ plura fundunt *folia*, palmaribus plùs minùs pediculis hærentia, rotunda ferè, aut ex rotundo aliquantùm oblonga, inque acumen desinentia, crassiuscula, superiùs atrouirentia, aspersis subinde maculis lacteis, inferiùs purpurascentia, nonnihil per margines sinuata: *flores* inter folia ferè latent violacei coloris quinque foliis constantes sursum reflexis, producto ex vmbilico stylo.

Cyclamino Dioscorides folia tribuit Hederæ similia, purpurea [πορφυρᾶ vet. caret.] infrà suprâque maculis albicantibus distincta, caulem verò

quaternûm digitorum, inanem ac nudum: in cuius summo flores emicant Rosarum effigie purpurascentes. Radicem nigram, Rapo proximam, & aliquantulùm latam.

Plin. fortè errat. Cyclaminum folia habere minora [maiora fortè legendum] quàm Hedera, nigrioráque & tenuiora, sine angulis: in quibus albicant maculæ: caulem verò exiguum inanem: flores purpureos: radicem latam, vt rapum videri possit, cortice nigro: nasci in vmbrosis, & à Romanis Tuber terræ vocari prodidit lib. 25. cap. 9. Plinius.

Barbaros, Arabes, & Mauritanos duas Cyclamini species, Ic. Arthanitam, & Buthormarien confundere, refert Cornarius. Verùm Rhasis eas tanquam diuersas ad infusum per Clysterem immittere. Appellatur, inquit, Cyclaminus, Latinis græcam vocem vsurpantibus, item Tuber terræ, & Rapum, & Vmbilicus terræ, officinæ vocant Cyclamen, & Panem porcinum, & Panem terræ, & Arthanitam, omnibus appellationibus à similitudine ductis. Verùm Barbari, Arabes, ac Mauritani Medici vtramque Cyclamini speciem confundunt, Cyclamen, & Arthanitam, & Panem porcinum, & Bothormarien, eandem, priorem videlicet speciem appellantes: quum Buthormarien propriè secunda species appelletur, i. e. Tuber Mariæ, quam postea officinæ Sigillum Mariæ dixerunt. Atque hæc distinctio rectè facta acerrimùm prodita est à Ruellio. Rhasis tamē lib. 9 c. 4. & Bothormarien, & Arthanitā, tanquam diuersa, ad infusum per clysterem immittit. Cornarij opinionem improbat Matthiolus vnum & idem faciens contra Ruellium.

Anguillaræ Cyclamini variæ species fortè referendæ sunt ad Cyclaminum angulosum, de quo suo capite. Est autem quædam florens Autumno, quædam flore odorato, quædam inodoro, quædam flore purpureo [rosso,] alia albo, alia luteo, qualis videtur in regione Bosnæ: verùm omnes habent folia Hederæ, & radicem rotundam, Rapo similem, inquit epist. 11. Idem rursus ait Petilium florem Plinij, nihil aliud esse, quàm *Petilius flos.* Cyclamini speciem florentem Autumno, flore odorato.

Cyclamini nostri speciem habet Coudenbergius, radice instar capitis arietis: Volmarius au- *Radice instar capitis arietis.* tem orbiculatam, nec oblongam, qualem Rhæticam ait Gesnerus.

Cordo in Diosc. Cyclaminus, & Panis porcinus: Dod lat. Cyclaminus orbicularis rotundifolius, floribus anguloso Cyclamino similibus, odoratioribus, radice aliquantò minore.

Cyclam. odorato flore 2. Clus. Pann p. 252. refert Cyclamini odorati, siue Cyclamini, non nisi Autumni initio flores suos producentis, & statim folia, quæ postquam tota Hyeme perstiterunt, sub Aprilis finem, aut Maio euanescere solita, in Pannonicis prouinciis duas obseruari differentias. Primam in Hist. post. Cyclamini odorato purpureo flore titulo *Synonyma.* pingit: Alteram speciem vocat Cyclaminum odorato flore secundum, primo planè similem, pauciora tamen semper folia proferentem, eaque non purpurascentis vt illius subtus coloris, sed albicantis quodammodò, aut pallescentis, cui viridis mistus, vt in Asari auersis foliis.

C. Bauh. phyt. & pin. Cyclamen 1. siue orbiculato folio infernè purpurascente: Cyclaminus minor, & vmbilicus terræ Trago: Cyclaminus, Matth. Dod. gall. Cordo in Diosc. & hist. Gesn. hort. Lac. Tur. Lon. & Tabern. Cyclaminus maior Cast. Cyclaminus rotunda Fuchs. Cyclamen vulgare Eyst. officinarum orbiculato folio, Panis porcinus & Arthanita Lob. Icon. p. 604. Cyclaminus flore odorato Clus. Pann. & Hist. Cyclaminus vulgaris & Cyclaminus prior cum icone Matth. & Lobelij H. Lugd. Cyclaminus æstiuus vulgaris Camer. Cyclamen orbiculato folio, Gerar. Cyclamen 2. siue orbiculato folio infernè ex viridi pallente Gesnero. Cyclamini odorati altera species Clus. Pann. Cyclamen odorato flore 2. Ei 1. hist. Camer. in Hist. germ. vocat Cyclamen radice oblongâ: Κυκλάμινος μακρόῤῥιζος Eidem in Epitom. Matthioli.

C. Bauhin. pin. Cyclamen 10. [5. phyt.] siue *C. B. not.* oblongâ radice: Cyclaminus radice oblongâ malo in fine adnexo Gesn. hort. Cyclaminus oblongus Eid. app. Cyclaminus longiùs radicatus. Item pin. Cyclamen 3. [7. phyt. siue Cyclamini species radice instar capitis arietis Gesn.] radice maxima foliis infernè rubentibus, Cyclamen Romanum Eyst. An Cyclamen à Mutono, Clus. hist? *Camer. not.*

Nos Cyclamini longiùs radicati picturam hîc damus, quamuis diuersam non statuamus, ab ea quæ orbiculato est folio siue Asari. In hoc enim Cyclamino nullam differentiam obseruamus, nisi quòd caput longiùs excrescat, & in duo alia iterū partiatur, qualia habere solet Cyclaminus Asari folio, modò breuia, modò longa, quæ minùs benè in figura nostra Fuchsiana exprimuntur.



Nolim igitur cum Camerario apud Matthiolum particular. genus constituere, & pon post Cyclaminum Hederæ folio, sed potiùs post Cyclaminum folio orbiculato, cum quo idem. Et quamuis Camer. dicat esse Hederæ folio, tamen effigies monstrat, Gesnerianum illud Cyclaminum fuisse folio non anguloso: variant etiam Hederæ folia. Nolim quoque particularem facere speciem ex Cyclamino capitis arietis instar, quod intelligo de figura quodammodò arietis caput imitante, non de magnitudine. Nec difficile fuerit in ea radice tale quid sibi imaginari, quandoquidem non semper orbiculata existit, ac non raró supra tuber veluti cornua producit, quæ Herbarij radicis capita vocare consueuerunt. *Nothæ appellat.*

Κυκλάμινος Græci appelant: dicitur & Cissanthemon [κισσάνθεμον] aliis Cissophyllon [κισσόφυλλον, ab hederaceis flore & folio: aliis Chelonion (χελώνιον:) aliis Ichthyotherā (ἰχθυοθήρας, quòd sit venandis & inescandis piscibis aptū:) Zoroastri Chelona (χελώνη:) seu Triumphalites [τριυμφαλίτης:] Osthani Aspho (ἀσφώ) Magis Miaspho (μιασφώ:) Ægyptiis Theske (θέσκε:) vt inter nothas voces reperitur: item Tuber terræ, & Rapū terræ, aut Vmbilicus terræ, à Marcello Orbicularis, ab Apuleio similiter Orbicularis, & Palalia: Rapum porcinum *Nom. ling.*

porcinum, Terræ malum: In offic. Cyclamen, Panis porcinus, Arthanita: German. Schweinbrodt / Sewbrodt / Erdtscheiben / waldrüben / Erdtrüben / Erdtwurtz: Belgis Verckens broot / uieghen broot: Gallis *Pain de porceau*: Italis *Pan porcino*: Hisp. *Pan de puerco* & nonnullis *Macan de porco*: Angl. Sowbrede: Boh: worech Schwinsky: Dizno repa, quod porcinum Rapum significat.

Nomina linguar.

Geneuæ copiosè prouenit in Mõte *Saleue*, & in Rhæticis montibus Iunio & Iulio florens. Nulli sunt in Pann. & Austria siluosi montes nulli saltus aut in montium accliuitatibus vda prata, quæ Cyclamino odorato Clusij non abundent, vbi variæ magnitudinis radices eruuntur, tantę interdum, vt manum implere queant. Nasci in editis montanis & stirpibus non farctis locis testatur Cordus: solum item amare lutosum quemadmodum Alatum. In Arduena silua ac vicinis locis apud Belgas reperiri scribit Dodonæus.

Locus & tempus.

CYCLAMINVS PARVA RADICE.



Nos hîc proponimus iconẽ Cyclamini cũ paruâ radice, qualem inter Fuchsianas sculptam emisimus, quam nescimus an eadẽ vel diuersa à nostra priore non angulosa. Quæ autem de Cyclamino paruâ radice dicuntur, huic figurę subjicimus, donec aptior plãta, vel à nobis, vel à te pro Cyclamino paruâ radice demõstretur. Hũc Mesues videtur intellexisse per Cyclaminum minorem paruâ radice, magnitudine Nucis Auellanæ, Cicerumque. Matthiolus hunc se vidisse refert solùm in Tridentino agro, in vallis Ananiæ montibus copiosè nascentem. Anguillara eam esse existimat Cyclaminum Mesues, quæ in monte S. Iuliani Lucę reperitur, radice omnium minimâ, Martio florens.

Cyclam. parua radice.

Reprehendit meritò Lobelius Senensem Doctorem Matthiolum, ex Mesue maiorem Cyclaminum referentem, dicentemque vno solùm tractu se minorem vidisse: eam tamen neque verbo, aut icone docuisse: Docuisse tamen illum indicasse, quænam ista esset radix, & an à Cyclamino folio mucronato differret.

Matthiol. reprob.

Κυκλάμινος ἑτέρα, siue exigua Cyclaminus, superiori per omnia respondet, nisi quòd non perinde acris est, & feruida, vt illa. Nascitur & hæc in vmbrosis siluis. Eam ego (inquit Trag. lib. 2. cap. 134.) in Rhætia superiori non procul à Curia oppido primùm vidi. Dicebatur mihi tum Hermodactylum eam esse, sed falsò, nam Cyclamini exiguæ veræ species est.

Cyclam. altera siue exigua Trag.

C. Bauhin. pin. Cyclamen. 9. (. phyt.) siue radice exigua: Cyclamini exiguæ veræ species H. Lugd. Cyclaminus æstiuus Clus. hist. Cyclam. minore Castori.

Cyclaminus flore albo.

Anguill. Cyclaminus flore albo. Gesn. hort. Cyclaminum foliis subrotundis albo flore circa Neocomum Sabaudiæ repertum. Clusio scribebat Iosephus Casabona è Candia Cretæ insulæ vrbe se Nouembri Cyclaminum albo flore obseruasse. Gallus quidam Rhyzotomus Galliam, Italiam, Germaniam peragrare solitus adferebat in Bataniam Cyclamini radices, quas albos flores dare referebat.

Synon.

Cyclaminus vernus flore luteo.

Anguil. Cyclaminus flore luteo, folio Hederæ in regione Bolnæ: Lob. in Adu. Cyclaminus luteo flore: folio mucronato, verno tempore, in Narbonæ montibus: Eid. hist. Belg. Cyclamen flore luteo, in Lombardia circa Bononiam. Cyclaminum quem Lobelius apud Insubres flore luteo obseruasse scribit, Clusio videre non contigit.

Locus.

C. Bauh. phyt. Cyclamen 8. siue luteo flore: Eid. pin. Cyclamen 11. siue vernum luteum, Cyclamen luteo flore H. Lugd.

Cyclaminus folio anguloso.



Orbiculatis huic vt priori *radix*: *folia* sesquipalmaribus nixa pediculis, crassa, superiùs purpurea, albidis maculis notata, inferiùs dilutè virentia, triquetra, Hederaceis similia, longiora quàm latiora, circumrosa: *flores* alterius floribus respondent, inuersi, colore albo (in sicca planta.)

Descr.

Gesn. hort. Cyclaminus foliis angulosis cucumeraceis ferè, Cyclaminus folio quadrato. Antè diximus huc fortè referendam Anguillaræ Cyclaminum flore odorato & inodoro, folio Hederæ.

Clusij sequentes Cyclamini species ad hoc caput referimus de quibus in Hist. hæc scribit: Cæterùm, duas Cyclamini species se habere ad me scribebat Io ab Hoghelande, ab ipsius fratre Theobaldo in montibus quibusdam erutas dum ex Italia rediret. Illas verò non Autumni initio sed ipso Solstitio æstiuo florere incipere: perseuerareque ad autumnale vsque Æquinoctium: eius item semine natas plantas idem otiùs sui tempus obseruare: eam ob causam æstiuum Cyclaminum potiùs dicendum, quàm autumnalem: *Priorem* habere folia albis maculis obscurè notata, auersâ parte rubentia, aliorum coriùm angulosa, flores saturatiùs purpurascentes: *Alteram* folia promere auersâ parte viren-

Cyclam. odorati duplex varietas Clus.

partum appensa accelerat: contra venena præsertim leporis marini, ex vino bibitur: illita contra serpentium ictus, remedio est: immista vino inebriat: regium morbum discutit, tribus drachmis pota cum passo aut diluto mulso: sed oportet eum qui ebibit, multis vestibus contectum, loco calido, & à perflictionibus tuto, recumbere, quò faciliùs exsudet: eiecti autem sudores fellei colore inueniuntur. Succus eius ad purgandum caput, naribus infunditur: ad deiicienda quoque alvi excrementa, in vellere sedi subjicitur: illito vmbilico & imo ventre coxarum tenus, alvum emollit & abortum efficit: suffusionibus, & retusæ oculorum aciei, oblitus cum melle succus prodest. Medicamentis abortum inferentibus admiscetur. Cum aceto illitus, procidaam sedem restituit: exprimitur tusâ radice succus, & ad mellis crassitudinem decoquitur. Radix cutem purgat, eruptiones papularum reprimit. Vulneribus ex aceto per se aut cum melle medetur, lienem absumit, vitia cutis in facie, & alopecias emendat: eius decocto laxata, podagras & capitis vlcuscula, pernionesque foueri congruum est: ipsaque in oleo veteri feruefacta, illito oleo, vlcera ad cicatricem perducit. Cauata radix oleo expletur, & cineri feruenti imponitur, adiecto interdum Tyrrhenicæ ceræ momento, vt strigmenti crassitudinem vnguentum contrahat, cumprimis vtile pernionibus. Radix Scillæ modo concisa reponitur.

Dosis. Varias habere vires ait Galenus: nam & absterget & ora venarum aperit, & attrahit, & digerit, clarum id est ex particularibus operibus: nam succus eius hæmorrhoidas reserat, violenterque ad secessum prouocat in crocide siue floccis appositus: sic etiam facultatibus phymata, strumas, aliasque durities digerentibus commiscetur, ac suffusis cum melle illitus competit: adhæc quoque per nares expurgat: adeò vehemens eius facultas est, vt abdomine illito ventrem subducat, & fœtum interimat: nam & alioqui validum Mesues. interimendo fœtui medicamen est, in passo additus: tota autem radix succo imbecillior est, quanquam & ipsa vehemens sit, nam & menses siue Temper. epota, siue apposita euocat, & aurigini prodest, non modò ipsum viscus expurgans, sed etiam quæ in toto corpore bilis fuerit, eam per sudorem eiiciens: proinde sanè post eius potionem omnibus modis sudoris adiuuanda prouocatio est, modus eius bibendi est drachmarum trium, siue cum melicrato, siue cum passo. Cutem detergit cùm in aliis, tum quòd alopecias, ephelidas, omniaque exanthemata siue efflorescentias curet: lienem quoque induratum iuuat emplastri modo illita tam recens, tum arida: Sunt qui radicem siccam asthmaticis & anhelantibus exhibeant.

Illa Mesueus quoque in suum librum transtulit, cuius testimonio calidus & siccus est initio tertij ordinis: pituitam lentam & crassam sumptus, & vicinis partibus illitus, purgat: obstructiones viscerum, præcipuè splenis aperit, maximeque ex oximelite: & sumptus & emplastri modo admotus colicum dolorem à pituita aut stercore suppresso sanat, caput & oculos insigniter expurgat, scilicet errhino ex ipso in nares recepto, præsertim post purgationem per hieram, aut theodoricon, aut catapotia fœtida, aut similia: quapropter vitiì imbecillo, & aquis in ipsum ruentibus, hemicraniæ, cephalalgiæ, torturæ, paralysi, & cæteris cerebri affectibus frigidis confert, errhino, vt dixi, attractus: icterum sanat experientiâ certâ præsertim succo cum oxymelite, vel œnomelite sumpto, & operto deinde diligenter corpore: nam sic sudore longo materia etiam in vaporem versa, bilioso excremento exonerabitur: duro lieni confert quovis vtendi modo, & tumoribus aliis, vt etiam strumas iuuet. Eius radix collo mulieris appensa, conceptum prohibere dicitur. Sedis procidentiam illitu iuuat. Corrigitur vt Dracunculus & Bryonia. *Vnguentum* præterea est Alexandri ex Cyclamino, quod ventri, femori, ilibus inunctum, aluum deiectione purgat: stomacho autem vomitu vacuat aquas serosas, idoneum hydropicis, & à medicamento abhorrentibus: *Vnguentum* quoque alterum ex Cyclamino fit ad resoluendam duritiem splenis etiam lapidosam, & strumas. Correctio. Vnguentum. Vnguentum.

Ex Matthi. Drachmæ duæ, auctore Matthiolo, succi cum pari portione mellis rosati, addito momento Nucis Myristicæ, & Mastiches, assumptæ, aluum soluunt, obstructiones iecoris & lienis expediunt, eaque ratione conferunt hydropicis & ictericis: femori parturientis alligata partum accelerat: Ad tinnitum & sibilum aurium singulare est remedium, quod recipit Cyclamini radicum lib. dealbatarum & minutim incisarum, affuso Oleorum Chamæmelini, Rosati & Amygdalarum ana. ℔. ß. coquantur ad mediam, pòst per pannum colentur: huius olei tepentis quatuor aut sex guttulæ auri affectæ instillantur, sub somni tempus: radix autem decocta calida toti auri imponitur, & ne excidat, fasciis ligatur: manè aufertur, & auris vino generoso eluitur, hoc remedio continuis decem diebus vtendum. Aliud ad aures expertum, ℞. radicis Cyclamini repurgati & concisi Vnc. ß Aquæ Vitæ Vnc. iiij. Nucleorum Persicorum & Amygdalarum ana n°. iiij. Contusi nuclei vnà cum radice, tribus diebus continuis in aqua vitæ macerentur: postea per pannum colata aqua, reseruetur: efficacissima est: sub tempus somni duæ aut tres guttæ tepentes auri instillantur, quæ dein xylo occludenda: huius remedij per dies aliquot continuos vsus certò iuuat: posset etiam radix excauari, inque eam oleum Amygdalarum amarum infundi, occlusoque rursus foramine, in calidis cineribus torreri, pòst verò succus exprimi, & in calidis cineribus torreri, & in aurem, vt dictum, instillari. Succus radicis per nares attractus sternutamenta ciet, caput repurgat, sed validum est remedium ideoque vehementiam eius sunt qui addito lacte vaccino aut caprino temperent: idem cum pari mellis portione aphthas efficaciter curat, & linguæ vlcera: eodem remedio possunt dentes dolentes inungi. Succus cum aqua Prunellæ, gargarisatu ad faucium vlcera facit. Herniosis si non potest intromitti intestinum, vtiliter eo sæpè illinitur: aqua stillatitia radicis in nares attracta, mirificè sanguinem sistit: id quod præstat hoc quoque, quod recipit, succi radicis Cyclamini & Plantaginis ana partes æquales, adde parum Thuris, Aloës, Myrrhæ, in hanc miscellam turunda ex xylo aut lineo tincta in nares inditur: fiant & anacollemata ex eadem mistura fronti applicanda.

Plinij verba quædam coronidis loco subscribere placuit. Cyclaminus, inquit, in omnibus serenda domibus, si verum est, vbi sata sit nihil nocere mala medicamenta (amuletum vocant:) narrantque & ebrietatem repræsentari, addita in vinum radice.

DE ARISTOLOCHIIS IN GENERE.

CAP. VIII.

ARistolochia [ἀριστολοχία] vocata est à Græcis, Theophrasto, Dioscoride, & Galeno: itemque Latinis, vt Plinio, qui tamen & Malum terræ, quòd radicem habeat instar Mali rotundam, latiùs vocari testatur. Barbaris & officinis corrupto nomine Aristologia dicitur: aliis Adrathyza, aliis Melocarpon, aliis Ephesia, aliis Clematitis, aliis Pyxionos, aliis Dardanos, aliis Iontitis, aliis Tocites, aliis Teuxinos, aliis Chamæmelon, aliis Operis, Ægyptiis Sopoep [alias Sophosph.] Italis Terræ malum, Dacis Absinthium rusticum, aliis Scordian, vt apud Apuleium cap. 19. scriptum habetur. Videtur autem diuersarum Aristolochiarum nomina confundere. Siquidem inter nothas Dioscoridis appellationes, longa duntaxat Aristolochia, Melocarpon, & Teuxinon nominatur: Clematitis verò, & Aratiza, & Melecaprum, & Ephestios, & Lestitis, & Pyxionyx, & Dardanon, & Iontitis: Hanc Galli vocant Teximon, Ægyptij Sophœph, Siculi Chamæmelum, Itali terræ Malum, Daci Absinthium chorticum. Arabibus porrò in genere dicitur *Zaraund Mafinocra* seu *Zaraued*. Germ. Hosterluccy/Biberwurtz/Hirschwurtz: &, non tamen sine errore, holwurtz: Belgæ Sarasyn cruyt: Gallis *Sarasine & Feterne*: Angl. hauwurt vel Birthwurt.

Etymos. Cæterùm, dicta est Aristolochia, quòd puerperis egregè opituletur, & vt Dioscorides ait, quoniam esset ἀρίστη ταῖς λοχευομέναις (λοχείαις alij) i. e. optima, non grauidis, vt malè interpretatus

Plinius. est Plinius, sed puerperis: ἀρίστη enim idem est quod optima: λοχευομέναι verò, seu λοχεῖαι, sunt quæ jam pariunt, aut paulò antè pepererunt, & non grauidæ, quæ vterum gerunt: λοχεία verò sunt partûs dolores, partus ipse, & post partum secundæ, purgationesque aliæ omnes, quæ tunc

Adratiza. fiunt. *Adratiza* dicta est à radicis crassitudine, quasi crassi-radix: ἁδρὰ enim crassum, robustum, & magnum significat: ῥίζα verò radix est. *Aristo-*

Melocarpon. *lochia rotunda* (inquit Humelbergius) Melocarpon appellata est, à mali seu pomi quod Græcis μῆλον dicitur forma globosa: Et quia sub terra

Terra malum. latet, Ladini etiam, præsertim Itali *Terræ malum*,

Chamæmelon. & Græci Chamæmelon vocant. Et *Opetin* quòd

Opetis. in terræ cauerna sublateat, quæ Græcè ὀπὴ dicitur. *Ephesia* dicta est à Diana, quæ Ephesi colebatur, eò quòd quemadmodum Dea illa puerperis & parturientibus opitulari credebatur, sic etiam herba hæc iisdem adiumento & auxilio esse soleat. *Clematitis*, i. e. Sarmentaria dicta est propriè tertia species, à sarmentis eius, quibus vnguentarij vti solent. *Pyxionos*, id est buxea à colore buxeo, quem vtriusque radix intus habet: πύξος enim Buxus est. *Dardanos* si herbæ appellatio est, vt omnia, quæ videre licuit, exemplaria prætendunt, à loco sic dicta erit, eò quòd illic forsitan copiosior, speciosior ac melior nasceretur. Iontitis, vel vt quædam habent exemplaria Iocites etiam dicta fuit, atque Teuxinos, seu potiùs vnâ dempta literâ Texinos, sic scilicet eadem ratione & causâ, quæ dicta est ab initio in dictione Aristolochiæ, quoniam parturientibus vtilis sit, quòd memoratos menses, hærentes secundas, & reliquias omnes à partu expellat. Iontitis verò à Viola, quæ ἴον dicitur, cui flos purpureo colore similatur. Et hæc secundo generi conuenit appellatio. Aristolochiam Dactylitim requirit Galenus libr. de comp. med. secundum locos 7. cap. 2.

Theophrastus lib. 9. Hist. cap. 13. scribit Aristolochiam esse olfactu suauem [εὐώδης] at gustatu valdè amaram: colore verò nigram: nasci in montibus optimam: folium habere simile folio Alsines, sed rotundius ad multa vtilem. Capite verò 21. vbi eadem repetit folium ei simpliciter rotundum tribuit.

Porrò quamuis Theophrastus inter Aristolochias non distinxerit. Dioscorides tamen & posteri Græci Aristolochiæ tria genera esse statuerunt. Vnam rotundam fœminam dictam: alteram longam, masculam: & tertiam Clematitim appellatam. Plinius his tribus generibus quartum addit, ac Pistolochiam & polyrrhizon vocat.

Tria genera sic describit Dioscorides. Aristolochia ex eo nomen accepit, quòd puerperis optimè auxiliari videtur. *Est* autem quædam rotunda fœmina appellata. Folia hæc habet hederacea, odorata cum acrimonia, subrotunda, tenera iuxta multa germina, in vna radice: surculos [κλήματα] autem oblongos: flores albos, veluti pileolos. Quod verò in ipsis rubicundum est, graueolens est. At *longa* Aristolochia mas vocatur. Eadem etiam Dactylitis folia habet oblongiora quàm rotunda: ramulos tenues magnitudine dodrantali: florem purpureum graueolentem, qui vbi defloruit, Pyro similis euadit. Radix autem rotundæ quidem globosa, Rapo similis: Longæ verò radix digiti crassitudinem habet, dodrantalis, aut etiam maior. Ambæ autem plerumque intus buxeum colorem habent: suntque amari saporis ac virosi. Est & *tertia* quædam longa, quæ Clematitis vocatur. Ramulos habet hæc tenues, Clematitis. folijs subrotundis, paruo Semperuiuo similibus refertos: flores Rutæ similes: radices longiores, tenues, quæ corticem habent crassum & odoratum [ἀρωματίζοντα] & priuatim commodæ sunt ad spissanda vnguenta. Cæterùm pro ἀειζώῳ μικρῷ ἐοικότα, vt habent vulgata exemplaria, id est, Semperuiuo minori similibus, legendum annotat Dodonæus, ἀσάρῳ ἐοικότα μικρὰ, id est, Asaro similibus paruis.

De iisdem & Pistolochia sic scribit Plinius lib. Plinio 4. genera 25. cap. 8. Inter nobilissimas Aristolochiæ nomen dedisse grauidæ videntur, quoniam est ἀρίστη λοχευομέναις. Nostri Malum terræ vocant, & quatuor eius genera seruant. *Vnam* tuberibus radicum rotundis, folijs inter Maluam & Hederam nigrioribus mollioribusque. *Alteram* masculæ, radice longâ, quatuor digitorum longitudine, baculi crassitudine. *Tertium* longissimæ tenuitatis, Pistolochia. Vitis nouellæ, cui sit præcipua vis, quæ Clematitis vocatur, ab alijs Cretica. Omnes colore buxeo, caulibus paruis, flore purpureo. Ferunt bacculas paruas vt Capparis. Valent radice tantùm. *Est* & quæ Pistolochia vocatur, quarti generis, tenuior quàm proximè dicta, densis radicis capillamentis, Iunci plenioris crassitudine. Hanc quidam Polyrrhizon cognominant. Odor omnium medicatus, sed oblongæ radici tenuiorique gratior. Carnosi enim est corticis, vnguentis quoque nar- Locus. dinis conueniens. Nascuntur pinguibus locis & campestribus. Effodere eas messibus tempestiuum, ita desquamato terreno seruantur. Maximè tamen laudatur Pontica, & in quocunque genere ponderosissima quæque medicinis aptior. Rotunda contra, &c.

Diuer-

Diuersitatem vetustatis ratione in Plinij Pistolochia, quæ vbertimè in Neapolitano tractu prouenit) accidere posse, se obseruasse ait Marantha. Depingit, inquit, Aristolochiæ radicem Plinius Iunci pleniotis crassitudine: quod quidem in omnibus pulchrè quadrat; sed nonnullas digitum æquare adinueni, quod non aliunde effectum esse, quàm ex eius vetustate non leui coniecturâ credidi: erat enim in plantis illis cespes radicibus connatus, satis crassus, ex quo viticularum prope infinitus exortus, quæ in aliis non videbantur. Videmus & Aristolochiam longam in Germania, aliisque quibusdam regionibus frigidis multò tenuiorem esse eâ, quam Dioscorides describit: neque enim digiti crassitudinem æquat, quam ob rem multi non obscuri nominis viri duorum generum lõgam Aristolochiam statuere coacti sunt: alteram crassam, alteram tenuem appellantes: &c. *Maranthæ* *Maranthæ aut.* autem miramur scribere Aristolochiam longam, veram scilicet in Germania prouenire. Ea enim quæ in Germania reperitur, à vera longa plurimùm differt. Sunt etiam plures Aristolochiæ, quàm numeret Marantha.

Ex verbis Dioscoridis Sole clariùs fieri, Aristolochiam rotundam officinarum, quam Germani Rundeholwurtz vocant, qua communiter omnes vtuntur, non esse eam quam Dioscorides atque alij veteres pingunt, contendit Fuchsius varius nec leuis momenti rationibus, quæ hic longum foret recensere: is autem censet vulgarem Aristolochiam esse longam, non Clematitim.

Tragus. Cùm Aristolochiæ secundæ vulgaris historiam absoluisset Tragus, peruenit ad manus eius vera Aristolochia rotunda, quam omni ex parte Dioscoridis descriptioni respondere ait. Radix siquidem eius rotunda sit, rugata, pulla, ac vndique impressiones quasdam referens, in superiori parte, quâ caulem ex se mittit, in acumen quoddam turbinata, ita vt Rapulam marcidam representet, gustu amara, sicut & longa Aristolochia, intus subcrocea. Hanc in montanis Montis Pessulani prouenire, ac Lugduni venundari refert Gesnerus.

Cordus. Aristolochiam tenuem, Cordus in Theriacam ait esse illam quæ longa cognominatur, cuiusque radices gracilitate sua & longitudine sarmenta vitium imitentur. Aristolochiam verò rotundam negat esse illam radicem in Diaceslaro, quam Germani Holwurtz vocãt, sed aliam multò majorem, & tuberosam, intus solidam, colore Buxi flauo, odore & sapore similem Aristolochiæ longæ: Afferri ex Italia & Heluetia.

Sylvius. Aristolochiæ Clematitis longa radix nobis est (inquit Sylu. de med. simpl. nat. lib. 1.) perfrequens, longa, rara, Rotunda verò in agro Nemausensi plurima, etiam hîc excrescit. Effodienda est messibus, & desquamato terreno seruanda. Legendam vtramque Plenilunio, vt alias prope omnes quidam contendunt: sic enim pleniores cùm sint, siccando minùs flaccescunt, alio tempore lectis magna sui parte siccando vaporantibus & marcescentibus. Eligenda vtraque benè habita, & si est sicca, minùs altè rugis striata, carne multa, firma, odore & sapore vegeto, non puluerulenta dum frangitur, nec situ obruta, nec carie aut teredinibus exesa. Quæ bonitatis notæ reliquis propè plantarum partibus sunt communes. Pontica autem & Cretica est præstantior.

De Aristolochia in genere hæc scribit Matthiolus: Aristolochiæ tria statuuntur genera, *Matthiol.* nempe rotunda, longa & Clematitis. Hæc rara admodum & paucis nota: illæ verò omnibus ferè herbarum studiosis notissimæ. Quæ rotunda vocatur, etsi non vbique in Italia proueniat: in agro tamen Goritiensi plurima, pulcherrimaq; te nascitur, præstanti odore, vtraque flores edit in toto ferè caule oblongos, & ex paruo capitulo in auriculæ modum desinentes, subluteo colore, & internè quadantenus ex atro purpurascentes, è quibus oriuntur fructus: qui in longa Pyri imaginem referunt, suntque Iuglandibus longè majores: in rotunda verò rotundiores, pauloque minores spectantur. Qui in re non potui non maximè Plinium admirari, quòd lib. 5. c. 8. vtramque ferre baculas paruas veluti cappares tradiderit: nisi quis illud dixerit, quòd Plinio contigerit, Aristolochię vtriusque fructus vidisse, priusquam ad summum adoleuissent. Sed certè is eodem in loco excusari, meo judicio, non potest, quin manifestè hallucinatus, & græci sermonis non admodum peritus deprehendatur, cùm Aristolochiæ nomen dedisse grauidas tradat. Quandoquidem non ab re vero gerentibus mulieribus, sed à puerperis Aristolochia [vt Dioscorides scribit] id nominis sibi comparauit. Cuius rei non modò indicium præbet nomen ipsum ἀριστολοχία, quod nihil denotat, quàm optima puerperis, non [vt Plinius] grauidis: sed etiam ipsius facultas, quæ ad remorantes à partu secundas, mensesque ciendos, magnopere commendatur. Quapropter fuerit hæc prægnantibus, proculdubio exitiale, potiùs, quàm salubre medicamentum, cùm ea fanè omnia quæ secundas & menses educunt, fœtum etiam trahant, & quandoque interficiant, præsertim amarâ, Aristolochiæ modo. Nec minùs præterea Leonicenum satis admirari possum quòd dum de Cyclamino, & Aristolochiis Plinium accusat, in eandem, in quam Plinius, foueam ceciderit, asserens cum Plinio Aristolochiam à prægnantibus sibi nomen adinuenisse. Quod ne sine auctore pronunciasse videretur, Dioscoridem quidem adducit, sed eius historiam quantùm equidem sentio, corrumpit ac peruertit. Sunt è recentioribus Cordus, Lonicerus, & Monachi illi, qui in Mesuem commentaria edidêre, qui sibi certò persuadent, eam esse Dioscoridi Aristolochiam Clematitim, quæ officinis omnibus passim longa cognominatur: argumento, quòd hæc radices proferat admodum longas, & sarmentorum modo prætenues. Quin *Alia opinio refutata.* & vt suam tueantur, ac magis roborent sententiam, hoc in loco Dioscoridis codicem omninò depratuatum esse contendunt: & vbi vulgata lectio habet κλωνία ἔχουσα λεπτὰ, φύλλα ἐπιστρόγγυλα ὡς ἀείζωον μικρῷ ὅμοια. hoc est ad verbum ramulos habens tenues foliis subrotundis Semperuiuo paruo similibus, non ἀειζώῳ μικρῷ: sed ἀσάρῳ μικρῷ, quod Asaro paruo similia sint folia legendum esse censent. Horum sanè sententiam nunquam probare potui, neque probandam arbitror, pluribus cùm rationibus, tum auctoritatibus adductus [eas ex ipsius Matthioli Commentariis petendas relinquimus.] Sunt præterea recentiorum quidam rei herbariæ & studiosi & periti, quibus persuasum est, non tamen sine aliqua ratione, quod Aristolochiæ longæ præter Clematitim duo habeantur genera: quarum altera sit radice [vt Diosc. inquit] digiti crassitudine & Dodrãtis longitudine: altera verò tenui & lõgiore, quæ [vt

Aristol. tenuis.

sunt] ab Andromacho & Galeno lib. 1. de Antid. ἀριστολοχία λεπτὴ, hoc est Aristolochia tenuis appellatur: quin & hanc affirmant eam longam esse, cuius hîc imaginem exhibuimus, eu usque passim est vsus. Quo fit vt pro certo existiment haud esse eam Aristolochiam, quæ in Andromachi Theriacam addi debeat, Andromachi iunioris & Democratis testimonio innixi, quòd ij in Theriaces compositione huiusce tenuis tantùm meminerint. Id quod (vt dicunt) præ se ferre videtur, alterum etiamnum ipsius Aristolochiæ longæ genus esse præter Clematitim, radice constans tenuiore & longiore. Hoc autem comprobatum fuisse putant à Galeno libro antè citato, vbi docens quomodo nonnulla, quæ ab Andromacho seniori obscurè tradita sunt, explicari debeant, ita scribit. Si quid adhuc aliud superest, quòd minùs dilucidè ab Andromacho Seniore elegiacis versibus dictum, planum fiet Theriacam legentibus ab eius filio solu â oratione descriptam. Quod enim ille Cecropium mel obscuriùs appellat, id Atticum apertè nominat. Centaurium ille nullâ adhibitâ distinctione in carmine pronunciat, hic verò in prosa tenue apponit, eò quòd aliud quoque Centaurium extet, crassum appellatum. Idem & in Aristolochia fecit, cùm præter tenuem Aristolochiam, alia quoque reperiatur, quæ crassam radicem habeat, & rursus tertia, quæ rotundam. Hactenus Galenus.

Aristol. tenuis & Clematitis idem.

Quibus nimirum verbis illi credunt suam satis firmasse sententiam. Sed ego quidem aliter sentio, vt qui putem, Aristolochiam tenuem non aliud Andromacho & Galeno fuisse, quàm Clematitim cognominatam. Etenim, vt omittam, quod Dioscorides & Galenus non plura, quantum inuenerim, quàm tria Aristolochiæ genera commemorant, nempe rotundam, longam, & Clematitim: Clematitis priuatim à Dioscoride Aristolochiæ longæ subscribitur, & quodammodò eius species constituitur, ramulis tenuibus, radicibus etiam tenuibus ac longioribus. Vt hinc facilè nobis liceat conjicere, Andromachum & Galenum, non aliud suprà dicto loco per tenuem Aristolochiam intellexisse, quàm Clematitim. Adde quòd si ad omnium qualitates & facultates spectes, sanè Clematitis dignior est, quæ in Theriacam recipiatur.

Clematitis in Theriacam recipienda.

Hæc enim radicem habet, Dioscoride teste, cortice odorato vestitam, vnguentorum spissamentis conuenientem. Plinius deinde libro 25. cap. 8. Clematitim cæteris prætulit his verbis. Tertium longissimæ tenuitatis, Vitis nouellæ, cui sit præcipua vis, quæ Clematitis vocatur, ab aliis Cretica. Et paulò pòst idem ait. Odor omnium medicatus, sed oblonga radice tenuiorique gratior, hæc ille. Quibus vtique adstipulari videtur etiam Gal. libro 6. Simpl. med. vbi de Aristolochiarum viribus disseruit, vt infrà patebit in earum commentatione. Quare non est, meo quidem judicio, asserendum, quod ἀριστολοχία λεπτὴ Andromacho & Galeno sit aliquod quartum Aristolochiæ genus ita vocatum: quandoquidem λεπτὴ hîc nullum facit per se genus: neque solùm tenuem indicat, sed etiam minorem: atque certè in longarum genere huiusmodi est Clematitis: &c.

Aristol. tenuis per se genus non facit.

Atque colligendum esse arbitror, quod Aristolochia tenuis dicta ab Andromacho, non sit genus distinctum ab aliis, sed eadem cum Clematitide & quod sub Aristolochiæ tenuis nomine Clematitim intellexerunt Andromachus & Galenus. &c.

Aristol. tenuis Andromachi non distinguitur à Clematitide Dioscor.

Circa montem Idâ in Creta inuenîri scribit Bellonius lib. 1. Obs. cap. 17. quartam speciem Aristolochiæ differentem à tribus aliis descriptis ab antiquis, arbores scandentem ac opprimentem, vt Ephedram & Smilacem: intereà foliis, floribus, semine, radice, sapore & odore cum Clematide conuenientem.

Aristolochia arbores scandens Bellonij.

Antidot. Florent. Aristolochiæ tria genera Dioscoridi agnouisse videtur. Rotunda, inquit, hodie notissima, radicem habet rotundam, Rapi modo, reliquasque notas, quas illi tribuit Diosc. Longa autem paucis adhuc cognita, quandoquidem ea quæ hodie pro longa exhibetur vulgo, quibusdã est tertia species Clematitis dicta, quòd non habeat radices quaternos digitos longas, velut longa Dioscoridis, sed longissimas & graciles, quales Clematitidis describuntur, tametsi (si Dioscoridis textus non est mendosus, vt aliqui existimant) folia Semperuiui minoris non illi conueniant. Itaque quænam sit Aristolochia longa & Clematitis dubitatur.

De tribus Aristolochia generibus. Antid. Florēt.

Cùm verò rotunda sit omnium efficacissima, eius vsus esse debet, quotiescunque Aristolochiæ nomen absolutè reperietur: imò etiam longæ & Clematitidis loco vsurpari potest. Vulgaris lõga omniũ imbecillima est.

Clematitis & longa Aristol. quid.

Tragus corrigens Dioscoridem capite de Aristolochia longa, pro flore purpureo ponit candidum, quâ correctione non est opus: cùm vera longa purpureum florem habeat, non candidum. Erat Tragus in ea opinione, in qua Matthiolus, scilic. vulgarem Aristolochiam esse longam, ideóque pro longa depinxit & descripsit. Ejusdem etiam fuit opinionis Cornarius. Tragus autem agnouit Radicem cauam nõ esse Aristolochiam, vt dicetur suo loco: verùm cùm exhibet rotundam, miror eum applngere capreolos, cùm nullos ferat. Quæ autem de ea dicit ponentur proprio capite: de aliis Aristolochiis nihil ait.

Trag. notatur.

Radicem illam cauam miror Contrarium dicere esse rotundam, cùm id jam ostensum fuisset manifestè à Trago & Fuchsio. Hic eandem longam cum Trago exhibet, & insuper Pistolochiam, quam meritò rejicit Matthiolus.

Corn. hallucinatur.

Matthioli opinionem circa Aristolochiam præsertim verò Clematitim vt examinemus, inprimis eum dicere miror, longam suam Aristolochiam habere flores ex atropurpurascentes, quum ea quam picturâ exprimit, eiusmodi flores nunquam proferat, quod vnquam obseruare meminerim. Secundò, errorem in Plinio haud fuisse commissum animaduerto, id quod sibi persuadent Marcellus, Matthiolus, & Humelbergius. Nec enim asserit Aristolochiam [vt falsò etiam ab Aloisio Mundella accusatur] optimam esse grauidis. Sed nec hoc affirmat, id significare Aristolochiæ vocabulum: Ast videri grauidas nomen id dedisse, quoniam esset ἀρίστη λεχώναις, id est optima puerperis. Itaque mulieres grauidæ videntes eam esse bonam λεχώναις, vocarunt Aristolochiam. Qua in re haud contrariatur Dioscoridi. Perinde etiam est, siue dicas mulieres grauidas nomen dedisse, quòd sciebant eam vtilem fore sibi puerperis, siue eam inde denominatam quòd bona esset ταῖς λοχείαις. Meæ, herclè, opinionis fuisse videtur Cornarius, qui Plinium erroris haud insimulat, ast Plinium de appellatione idem quod Dioscoridem sentire scribit. Nunc Cordum errasse, vt Matthiolus, non ausim asserere, siquidem Matthioli rationes non sufficientes videntur. Primùm quod ad Oribasium attinet, concedere quis poterit fieri posse vt corruptum Dioscoridis ex-

Matthioli argumenta, quædam sunt valdè imbecillia.

dis exemplar habuerit. Quod ad Serapionem & Auicennam; dico Matthiolum eos in sua lingua scriptos non legisse,& ideò Matthiolum, Arabum interpretes secutum, Dioscoridis versione fuisse vsum. Quod ad folia Asari attinet, quum sæpè pro diuersitate locorum Asarum maxima habeat folia,vel parua,quid quæso in eo absurdi,si dicatur folia esse similia Asaro paruo,& non magno ? Flores porrò similes sunt Rutæ, melini quippe, quanquam Plinius dicat omnes esse flore purpureo, quod à Dioscoride non affirmatur. De authoritate ex Nicandro desumpta , conceditur quidem pro diuersitate locorum variari multa: sed necesse esse , vt in latitudinem & profunditatem lusus ille locorum protendatur, quem non semel autopsia notauimus in suo nostræ stirpis genere: nec quòd eam sortiatur transmutationem,vt ex breui,dodrantali,& crassa,fiat longissima,trium cubitorum,& tenuissima. Cortex tandem admodum crassus esse non potest, habitâ ratione radicum longiorum , vel longissimarum ac tenuium. Vltimò, quicquid dicat Matthiolus de odore,videtur mihi aromaticus & gratior. Et sanè si conferatur cum reliquis Aristolochiis,nullam inuenio odoratiorem Hæc itaque videns , quod ad me attinet , donec mihi ostendatur Aristolochia , quæ melius conueniat descriptioni Clematitidis, hanc pro ea retinebo. Si quintam à Bellonio visam inspexissem,inspectámque examinassem , iudicarem an melius descriptioni quadraret. Nostræ opinionis fautorem habemus Dodonæum, qui vulgarem depingit , & describit pro Clematitide: Rotundæ

Repositio. etiam figuram exhibet, alias solùm cōmemorans.

Aristolochiam vtilem ait Theoph. lib.9. hist. cap.14. annis quinque aut sex : anno autem in vmbra seruari Plinius lib.27.cap.11. dixit. Nascitur, vt inter notha Dioscoridis habetur, in locis montanis, & calidis ac planis : aut asperis & petrosis : & cultis Apuleio. Bellon. in Obseru. libro 1. capit.66. longam in Thraciæ agris frequentem inueniri scribit : Dodonæus longam

Locus. & rotundam testatur prouenire in multis locis Italiæ : item in quibusdam Galliæ,vt in Prouincia & *Languedoc* circa Monspelium , vbi & quartam abundare refert speciem , indéque adferri Antuerpiam rotundam vendendam : Tertiam lubenter prouenire in vineis & multis locis Brabantiæ,circa elatos agros. Florent Aristolochiæ

Tempus. Maio & Iunio.


ARISTOLOCHIA ROTVNDA.

ARistolochia rotunda multa fundit è *radice* sarmenta cubitalia,imbecilliora quàm Clematitidis vulgaris, quibus alternatim adnascuntur *folia* , admodum breui pediculo hærentia, *caulem* aliis suis penitùs complexa , omnium maximè rotunda, mollia , pallescentia : ex quorum

Descript. alia *flores* exeunt semunciali pediculo hærentes, tubulo ex luteo pallescente in palam ex rubro nigricantem desinentes: *vtriculi* sequuntur turbinati, striati, qui in partes sex dehiscentes *semen* ostendunt nigrum, copiosum : *radix* tuberosa & rotunda,à cuius imo longæ dependent fibræ colore pallido, tristi amarore gustum afficiens.

Figura Fuchsiana cùm nihil valeat,aliam imaginem dare erat necessum. Proponit Euch. Rœsl.pro Aristolochia rotunda, Fumariam bulbosam,sed malè. Eundem errorem commisit e-





tiam Hier. Brūschvvig, & Dorsthem, qui præ cæteris summè ineptit , dicit enim Aristolochiam rotundam vocari holwurtz: flores producere puniceos aut candidos, & radicem habere concauam:sed deterius & crassâ nimis ignorantiâ folia eius Hederæ terrestris foliis cōparat. Talia enim folia suę iconi,quę Fumariæ bulbosæ est ; haud competunt. Quin & Lonicerus pro Aristolochiæ rotundæ figurâ , figmentum exhiben Sed & Tragus effictam imaginem proponit : siquidem Aristolochia rotunda nullos capreolos producit. Vidit , vt existimo , radicem tātùm,& non folia, flores & fructus. *Lonic. notatur & Tragus.*

Synon. C.Bauh.phyt.& pin. Aristolochia 1.siue rotunda, flore ex purpura nigro : Aristoloch.rotunda vera Trago, Lonic. Cam. Aristol.rotunda Matth. Dod. Anguill. Cordo in Diosc. Gesn. h. Turn. Lac. Lobel.in Adu.Obs.p.131. Ic.Plantar.p.606. Cast. & Eyst. Arist. rotunda 1.Clus. hisp. & hist. Aristolochia 1. Cæsalp. Aristolochia fœmina siue rotunda H.Lug. p.977. Eid. p.978. Aristolochia rotunda Dodon. & Clusij. *H.Lugd. not.*
Vnius herbæ duæ figuræ.

Locus & Tempus. Monspelij frequens est,fructum ferens Iunio. Spontaneam reperi inter Mediolanum & Barlausone. Aristolochia rotunda 1. Clusij crescit pingui solo, in pratis & humidioribus agrorum marginibus Hispaniæ, Narbonensis Galliæ, & etiam Italiæ. Floret calidioribus regionibus ineunte Vere : in Germania & Belgica non nisi Maio & Iunio.

Aristolochia rotunda altera Clusij.

RAmulos seu *palmites* habet prioris , sed frequentiores & breuiores : *folia* longæ qui-

dem formam & colorem æmulantia, sed majora, longioréque pediculo quàm superioris fulta: *florem* ex albo purpurascentem, interiùs fuscum, longæ flori penè similem: eius *fructus* priore longior, pyri in modum turbinatus, graciliore quàm in illa metâ: *semen* planum, minus priore & ruffum: *radix* superiori similis, cortice tamen magis flauo.


Descriptio.

Synon. C.Bauh. phyt. & pin. Aristolochia 2. siue rotunda *flore* ex albo purpurascente: Aristolochia rotunda altera Clus. hisp. & hist.

Anguillara plures species inuenire scribit: verùm hæc non solùm colore floris, sed & fructu à priore differt.

Locus & Tempus. Floret paullò maturiùs superiore, omnéque semen ferè abjecit quando prioris maturescere incipit. Hanc non nisi campestribus, & inter segetes sponte nascentem conspiciebat Clusius. Superiori firmior est & injuriarum Hiemis tolerantior.

ARISTOLOCHIA LONGA.



Descript. LOngæ *sarmenta* per terram funduntur cubitali circiter longitudine, quadrata, aliíque multis concaua: per quæ *folia* nascuntur falcata, acutiora quàm rotundæ, longioribusque pediculis hærentia; ex quorum sinu *flores* longi, Rotundæ similes, oriuntur, minùs flaui, *fructu* succrescente pyriformi, *semine* farcto, vt in Rotunda diximus: *radix* pollicari aut brachiali crassitie, pedem circiter longa, amarore Rotundæ.

Synon. C.Bauh. phyt. & pin. Aristolochia 3. siue longa vera: & Anguill. & Camer. Aristolochia longa Dod. Cord. in Diosc. Gesn. hort. Lob. Obs. & Ic. Plant. pag. 606. & Clus. hisp. & hist. Aristolochia longa Fuchsij. Cæsalp. Aristolochia altera radice pollicis crassitudine.

Locus & Tempus. Prouenit campestribus locis inter segetes, & quibusdam vineis in Narbonensi Gallia: meminit & Clusius nouo Vere florentem eruere in insula mediis in stagnis sitâ, vbi templum Magalona nuncupatum, olim Episcopi Mompelliani sedes, circa oppidulum Villa noua nominatum secundo à Mompelio miliari.


Aristolochia longa altera Clusij.

Aristol. longæ differentia. QVædam etiam differentia in Aristolochia longa notatur: nam illius, quam in Hispania Clusius obseruabat (tametsi Gallicæ ferè per omnia similem) flos à diligentiùs inspicientibus nonnihil differre deprehendetur, quippe cujus extima pars interiore parte purpurei coloris sit, qui in alia herbaceus: Hispanicæ item radix extima parte non est gracilis in nouellis plantis, vt altera, sed plerumque obtusior, & ipsa radix 6 tenior.

Synon. Aristolochia 4. siue longa Hispanica C.Bauh. phyt. & pin. Aristolochia longa altera, Clus. hisp. & hist.

Locus & Tempus. Nascitur in Hispaniis inter Vites, regno Valentino frequentissima, vbi Martio florentem, & jam semen perficere incipientem eruebat Clusius: Vtraque autem cùm in Germania, tum in Belgica frigoris est impatiens, & diligenti curâ adseruari debet. Aliquoties Viennæ periculum facere voluit author, an Hiemem in horto ferre posset, etiam Abietis frondibus tecta, vt reliquæ, quas hac ratione conseruare solebat, plantæ: sed operá lusit, & semper corruptę sunt. Itaque accepto damno prudentior factus, in vasis fictilibus postea semper aluit.

ARISTOLOCHIA CLEMATITIS vulgaris.



Descript. TEnui *radice*, multisq; fibris capillata, odore non ingrato, sapore amaro, adeóque tenuium partium vt statim gustata fauces eo imbuat, serpit: *viticula* pedales, infirmæ, striatæ, geniculatæ: *folia* ex geniculis singulis singula, Hederacea, rugosa quà pediculo longo annectuntur, anchoræ in formâ curuata: ex eorundéque alis oriuntur *flores* oblongi, lutei, palæ effigiaturâ, canali intus lanuginoso, cui pro basi subjicitur orbiculatum, capitulum in quo seni sessiles apices colore herbaceo: *fructus* pyriformis striatus, Iuglandis magnitudine.

Anguill. Aristolochia vsualis Italica, Aristolochia Italica cõmunis, Aristolochia vulgaris longa, fortè Clematitis. Cordo in Diosc. Aristolochia Clematitis, simpliciter longa vocata. Trago [qui frustra textum Dioscoridis mutat, vt hanc suam longæ accommodet] Aristolochia longa, mascula, Dactylitis: Et sic etiam Lonicero dicitur.


Dorsth. pro Aristolochia longa malè exhibet eam cui flores lutei, & radices longissimæ.

C.Bauh. pin. Aristolochia 5. siue Clematitis recta (1. phyt. pro recta.) Aristolochia Brunfels. in 4. p. 73. longa Trago, Matth. Fuchs. Turn. Lac. Lon. & Castori. Aristolochia longa altera, & Clematitis veterum Cordo in Diosc. Aristolochia longa vulgaris, Ang. Cam. ep. & hort. Eyst. Aristolochia Clematitis Dodon. gall. Ang. Gesn. hort. Lob. Obs. p. 332. & Ic. Plant. p. 606. Tab. & Gerardo. Aristolochia Clematitis 1. Clus. hisp. Clematitis vulgatior, Eid. hist. Aristolochia Clematitis, siue longa vulgaris, *Farkas alma*, hoc est, Lupinum malum, seu pomum. Eid. in stirp. nomencl.

menclat. pannonico. Aristolochia Saracenica Dod. in fol. lat. Aristolochia altera radice tenui Cæsalp. Aristolochia longa Matthioli, Clematitis Penç & Lob. H. Lugd. p. 977. Aristolochia Sarracenica Dodonæi, Clematitis prior Clusij Eid. p. 979. Eiusdem figuræ duæ imagines. *Hist. Lugd. notatur.*

Locus. Obseruatur in variis hortis, in quibus suo reptatu valde molesta: Monspelij, spontanea crescit. Passim in agris Austriacis infra Onasum ad Morauiam sitis prouenit: ac plerisque aliis Galliæ, Hispaniæ, Vngariæ, Germaniæ superioris & inferioris locis. Floret cum reliquis.

ARISTOLOCHIA CLEMATITIS NON vulgaris.



Descriptio. HÆc longa, ramosa, tenuia, striatáque habet *sarmenta*, quibus vicinas sepes, & interdum arbusculas superat, iis se conuoluens & implicás Conuoluuli aut Lupuli modo. *Folia* illi reliquarũ Aristolochiarum foliis similia, seu potiùs generis illius Apocyni, quod in maritimis nascens, Mompeliani Scammoneam olim appellabant, extremo mucrone acuminato, supernè læuia & viridia, infernè ex purpura albicantia, longo pediculo innixa: *flos* Aristolochiæ longæ incuruus, oblongus, ex purpura nigricans, intùs tenui lanugine plenus, longissimo omnium pediculo insidens: *fructus*, vt ex illius rudimento Clusio colligere licuit, reliquarum Aristolochiarum fructui similis, tale etiam esse *semen*, ex eo quod Simon de Touar ei miserat, obseruauit, fructus verò æquè magnus, ac in Clematitide vulgata, & à pediculo dehiscens: *radix* prælonga, sarmentitia, Smilacis asperæ instar (cum cuius crassioribus fibris magnam habet affinitatem) nunc per summa serpens, mox altè sub terra se condens, pallidi coloris, non ingrati saporis; gustata enim, aliquantulùm adstringens deprehenditur, & manifestæ acrimoniæ. Tota planta odorata est.

Huius neminem facere mentionem scripsit Clusius, cùm Hispanicarum quarundam stirpium historiam publici iuris faceret, præter vnum Bellonium, qui eam Obs. lib. 1. cap. 17. in Creta se obseruasse scribit. Idem in hist. denuò asserit: nec ipsum mouet, quòd qui generalem illam plantarum Historiam Rouilianis typis Lugduni expressit, scribat, Dodonæum eandem Clematitidis nomine depinxisse. Fatetur imò Clusius eam Dodonæum icone dedisse, sed à se acceptam, & totam adeò Aristolochiarum historiã, cùm Purgantium historiam meditaretur Dodonæus, ipsi liberaliter [vt & pleraque alia] communicasse ait. *Hist. Lugd. not.*


Synon. Dicitur Aristolochia Clematitis Dod. in fol. lat. & Cast. describenti. Aristolochia Clematitis altera Hispanica Lobel. Obs. p. 333. Icon Plant. p. 608. Aristolochia Clematitis Dodonæi H. Lug. p. 980. Aristolochia 6. siue Clematitis [altera interponitur in phyt.] serpens.

Locus. Circa Hispalim itinere Olyssiponensi, plurimis Bæticæ locis, ac etiam circa Cordubam, pingui solo, in dumetis, vepribus, & vetustis quibusdam Oleis spontè nascens Aristolochiæ hoc genus obseruabat Clusius.

ARITOLOCHIA POLYRRHIZOS.

Etymol. ARistolochia polyrrhizos ex *radicis* argumento nomen inuênit, quæ ex plurimis longis iunceæ tenuitatis, buxei coloris, radiculis in vnum tandem caput coëuntibus est composita: *viticulæ* dodrantales, graciles, ramosæ: *folia* longæ foliis similia, longioribus hærent pediculis, minora, fortuitò per margines sinuata: *flores* ex earum alis pronati, aliarum similes, herbacei aut per extremum ex herbaceo nigricãtes: *fructus* turgidus, *semine* plenus, vt in prioribus diximus.

Synonyma. Lobel. in Adu. Aristolochia polyrrhizon, siue Pistolochia Plinii, gratiore odore multò & aromaticitate: Polyrrhiza Aristolochia, indicta Dioscoridi, & incognita commẽtatori, sed in vsum à Rondeletio reuocata. Pistolochia Dodon. Gesner. hort. Clus. hisp. & hist. Camer. epit. & Castori. Pistolochia & Polyrrhizon Plinii Lobel. Obs. p. 333. sine tamen icone. Aristolochia altera plures radices spargens Cæsalp. Aristolchia 7. siue Pistolochia dicta C. Bauh. phyt. & pin.



Hist. Lugd. 2. figura. H. Lugd. p. 980. Pistolochia Clusii: item, Pistolochia Dodonæi: Duæ vnius herbæ effigies. Adrianus Spieg. Isag lib. 1. cap. 9. perperam Fumariam bulbosam vocat Pistolochiam.

Locus & Tempus. Oritur in oliuetis, & petrosis Hispaniæ, Galliæque Narbonensis locis. Seriùs floret reliquis Aristolochiarum generibus: ac hoc peculiare eius fructus habet, vt, dum maturuit, eã, qua pediculo adhæret, parte, dehiscat, vt in Bœtica Clematitide: longæ verò, & reliquarum, ab extrema.

Vires & Vsus. Cæterùm, Aristolochia iam olim Theophrasto multiplici vsu excellere videbatur. Sic enim lib. 9. hist. cap. 13. scriptum reliquit. Vsum eius ad multa commendant. Sed optima ad capitis eruptiones & ad reliqua tamen vlcera satis valet: & contra serpentum morsus, & ad somnum, & ad secundas modo passi, partim aquâ subacta & illita, partim in melle, oleoque derasa: Sed contra serpentes è vino acescente pota, & vulneri [morso Gaza, qui non Aristolochiam, sed Malum

terræ interpretatur] inspersa. Ad somnũ v. in vino nigro austero trita. At si vuluæ pciderint, ex aqua colluere conueniet. Idem antea c.13. Aristolochia [Malum terræ, Gaza.] olfactu odorata, gustatu vehementer amara: perutilis ad caput, & reliqua viscera, & ad serpentes, & ad somnum, & ad alia multa: vlceribus capitis adhibere præcipiunt in in aqua subactam, reliquis rasam in melle & oleo: contra ictus serpentum ex vino acido bibi debet, atque inspergi morsui: ad somnum in vino nigro austero pertrita datur. Si vulua prociderit decocto abluisse juuabit.

Theoph. not. Ex illis constat Theophrastum bis eadem de Aristolochia scribere, nec inter illam distinguere, *Rotunda.* contrà quàm Dioscorides faciat. Rotunda, inquit, ad alia quidem venena facit: sed aduersus *Longa.* serpentes & lethalia medicamenta, longa drachmæ pondere bibitur cum vino, & imponitur. Eadem pota cum Pipere & Myrrha, omnia in vtero consistentia partûs purgamenta, & menses, & fœtus ejicit. Sed & in pessto apposita eadem facit. At rotunda ad eadem quidem facit, sed ex abundanti auxiliatur anhelationi, singultui rigori, spleni, ruptis, conuulsis, lateum doloribus, pota cum aqua. Educit etiam aculeos & spicula. Et ossium squamas in cataplasmate imposita remouet: & putrefacta circumscribit, & vlcera sordida repurgat, & caua [*σαρκοῖ* Lac. ex vet. cod.] explet cum Irine & melle. Extergit etiam gingiuas & dentes. Putatur & Clematitis ad eadem *Clematitis.* facere, verùm viribus inferior est prædictis.

De Aristolochiis Galen. 6 simpl. med. hæc pro-*Delectus.* dit. Aristolochiæ radix multò est ad medicationes vtilissima, amara & subacris. Sed ex illis omnium subtilissima est rotunda: aliarum verò duarum quæ Clematitis appellatur fragrantior est: itaque eâ ad vnguenta vtuntur vnguentarij: sed ad sanationes infirmior. At longè minùs quidem tenuitatis obtinet quàm rotunda: sed nec ipsa inefficax est, verùm abstergendi atque excalfaciendi potentiam possidet, minùs quidem quàm rotunda abstergens & digerens, sed non minùs calfaciens, imo forsan plùs quoque. Ita in quibus vsus est modicæ abstersionis, commodior est longa putata in vlceribus in carne explendis, & fomentationibus vteri. At in quibus crassum humorem validiùs extenuare oportet, illic vsus est rotundæ. Proinde dolores ab infarctu aut crassitie crudorum spirituum natos magis curat rotunda & spicula extrahit, & putredines sanat, & sordida vlcera expurgat, dentes & gingiuas candidas efficit. Auxilio est & Asthmaticis, singultientibus, comitialibus & podagricis, si cum aqua bibatur: tum ruptis & conuulsis, vt si quod aliud medicamentum, auxilio est.

Apuleius quoque testatur Aristolochiam herbam pisatam & cum mero potui datam vim veneni vincere: siccam verò suffumigatam febricitantem hilariorem facere: fugare & dæmonia: Radicem fistulis insertam celeriter expurgare & ad sanitatem perducere: *Medicos* quoque sine ea nihil feliciter curare posse: Herbam ex oleo vsque ad calefactionem in frigore exustis vim habere cum porcina: Radicem pondere denarij vnius in vini hemina sæpiùs bibitam serpentium & hominum morsuum venena discutere: Herbâ *Dæmonia fugat.* suffumigatum infantem, si contristatus fuerit, fugato dæmonio, hilarem fieri & conualescere: eandem cum Cypero & Draconteæ semine tritam & cum melle impositam, canceromata, quæ in naribus nascuntur, emendare. Plinius lib. 25. cap. 8. Aristolochias radice valere tantùm scripsit: odo-*Radice valere.* rem omniam esse medicatum, sed oblongæ radici tenuiorique gratiorem, vnguentis nardinis conuenientem. Maximè tamen laudari Ponticam: & in quocunque genere ponderosissimam quãque, medicinis aptiorem. Rotundam contra serpentes. Oblongam tamen in summa gloria esse, si modò à conceptu admota vuluis in carne bubula, mares figurat, vt traditur: Reliqua quæ sparsim habet cùm ex aliis hîc recenseantur studio prætermittimus: Is verò tandé lib. 25. concludit plurimis modis Aristolochiã prodesse: nam & menses & secundas ciere: vuluas quoq; procidentes inhibere fotu, vel subjectam maximè tenuem.

Mesues omnes quidem calidas esse concedit in *Temper. ex Mesue.* principio ordinis tertij, siccas secundo: longam tamen calidiorem judicat, quamvis terreæ in ea substantiæ plus sit, quàm in rotunda, quæ ob id tenuioris est substantiæ, & ad omnia efficacior. Vtraque tamen obstructiones aperit, resoluit, attrahit, spinas extrahit, & lignorum fragmenta carni infixa, tenuat: sed hæc omnia rotunda magis ob dictam priùs causam: pituitam purgat, & quorundam sententiâ etiam bilem: thoracem quoque & pulmones pituitâ etiam putri expurgat insigniter: quapropter tussi humidæ & asthmati etiam antiquo maximè prodest quouis vsûs modo, vt etiam si suffiatur &c. Aristolochia quoque, præsertim rotunda, cerebrum expurgat, ob id epilepsiæ confert: stomachum etiam eadem juuat, singultu à flatibus conflictatum. Hos enim non modò à stomacho, sed liene & aliis visceribus dissipat, horúmque obstructiones liberat, & natos inde dolores sedat, præsertim cum oxymelite radicato. Omnis autem Aristolochia vterum à partu expurgat, menses mouet, abortum facit. Rotunda præter hæc vlcera maligna, fistulas mirè juuat, quia terget, & carne implet. Podagram quoque & musculos contusos cum melle & pauco sale emplastri modo admota juuat: cum hydromelite verò curat aurium vlcera & auditum roborat. Acetum denique cui incocta est, gingiuas adstringit, & putredinem ab his aufert: dentes quoque cõfricatu deterget. Rigori etiam febrili remedium est singulare. Purgando non nocet, sed visceribus confert. Quod ad alia attinet, vt Dracunculus corrigenda. Coqui terique plurimùm potest. Datur à drachma vna ad aureum vnum.

Vinum, in quo decocta fuerit Aristolochia, mundificat vlcera putrida & sordida præsertim genitalium, si ex illa decoctione colluantur, quod vt fœlicius exequatur, radicem in puluerem redactam inspergere oportet. Idem vinum admixto modico mellis, calidum auribus inditum, parotidas earum sanat, dolorémque mitigat, inquit Tragus. De electuario Aristolochiæ vide Clementem Clementinum de med. met. cap. 6.

Rotundæ radix (addit Lobel.) jam valdè nota Italiæ & Galliæ Narbonensi: sed non perinde in vsum deducta, ac potiùs Chirurgis, quàm Medicis, magno sanè dedecore artis, & incommodo ægrorum: iis enim maximè commendantur Indiæ merces, plerumque tempore victæ, aut cariosæ: hæc autem nostratia recentissima ignorare non pudet. Tam efficaces quippe sunt longa, & polyrrhizon præsertim, vt radices vtriusque pari momento, partim intrò datæ, partim in pessario admotę, elicuerint fœtum, jam sesquidiê frustra *Fœtum elicit.* erumpere conatum, fœtusque inuolucra lacerata, ac enixam puerperam, tridui cruciatibus penè enecatam: eóque *multum omnium vsu apud Monspelienses*

pellitur. Polyrhizæ quidem Aristolochiæ, indictæ Dioscoridi, & incognitæ Commentatori, radices, in vsum Rondeletius reuocarat, propter plantæ ignorationem jamdiu desitum, & tamen præferendum reliquis duabus, tum suaui aromaticitate, tum medicatâ efficaciore facultate, cuius causâ meritò Andromachi & Galtheriacis aptiorem præ rotunda & longa præceperant : at vtrumque de odore & sapore exploranti, multò ignauior comperitur Clematitis, quàm falsò tenuem apud antiquos Theriacæ scriptores vocatam putabant Itali.

Ex Macri poëti de Aristolochiæ viribus liceat etiam coronidis loco hîc aliquid addere.

Aristolochie species tres dicimus esse:
Longa prior, radix est cuius longa vocatur:
Dicta Rotunda sequens, quòd sit radice rotundâ:
Tertia Clematitis graco sermone vocatur:
Viribus hæc penè par dicitur esse rotunda.
Omnes vim calidam, siccamque leguntur habere.
In prime vi sicca gradu, feruensque secundo est:
Pellifero [illegible] *cum vino sumpta rotunda*
Curat, & assumptis prodest si hausta venenis:
Hocque modo tardas educit sumpta secundas,
Cum pipere & Myrrha putredine mundat ab omni: &c. quæ suprà in aliorum tum Veterum tum Recentiorum soluta oratione fuêre proposita.

ARISTOLOCHIA PISTOLOCHIA altera.

Descriptio.




MVlta è summo radicū capite proferre scribebat Iacob. Plateau (qui anno 1600. illius aliquot ramulos cum icone ipsius manu delineata, additis quibusdā notis, descriptionis huius authori Clusio mittebat:) tenuia *sarmenta* pedem aut plùs vel minùs longa, angulosa, striata, ramosa lenta, fractu contumacia, humi sparsa, & ex atro virentia, in quibus incondito ordine nascuntur *folia* neruosa superiori similia, magis tamen mucronata, & ad Smilacis asperæ foliorum formam quodammodò accedentia, minora, attamque & immarcescibili viriditate prædita, oblongis *pediculis* nitentia, è quorum sinu nascuntur longi cauique *flores*, Aristolochiæ longæ floribus formâ similes, saturâ tamen rubedine foris magis distincti, interiùs verò aliquantulùm flauescentes, oblongisque pediculis inhærentes: his succedit *fructus* Aristolochiæ longæ fructui non dissimilis, sed minor: numerosas autem hoc genus habet *radices*, instar præcedentis [Pistolochiæ, siue Polyrrhizæ] vel Smilacis asperæ: verùm graciliores, & fibris quibusdam tenuibus donatas, odoratas. Flores proferre monebat Iulio & Augusto.

C.Bauh.pin. Aristolochia 8. siue Pistolochia Cretica : Pistolochia altera semper virens Clus. hist.ap.1. Cretico semine nata.

ARISTOLOCHIIS SIMILIS RHASVT & Rumigi Maurorum.

ALiquem spirat odorem sed ingratum. Ex *radice* surculi prodeunt plærúque quatuor albicantes, fili modo tenues ad radicem, ex quibus parte supernâ hærent *foliola* vtrinque septem aut octo, cinerea ; oppositâ verò magnitudine, & situ foliis Filicis floridæ respondentia: nisi quòd versus ima aurita sint ad instar Saluiæ minoris. Inter quorum ima, superioribus magis aliquantò inter se distantia, *flores* hærent Aristolochiæ similes, paulò maiores, colore magis fusco, longioreque pediculo. *Radix* altè depacta, est qualitate sicca calidáque, vt amaritudinem eius docere putat Rauuolffius in Itin. part.1. cap.9. vbi ait incolas Halepi vocare *Rhasut* & *Rumigi* : Item part.4. icon. N°. 121. Peregri. a incognita herba, Mauris Rhasut & Rhumigi. Hist. Lugd. p.29. append. Maurorum Rhasut & Rhumigi non incommodè ad Aristolochias referri posse existimat. C.Bauh. phyt. Aristolochia 8. siue Aristolochiæ similis : Eid. pin. Aristolochia 9. siue Maurorum: Aristolochia peregrina Rauvolffii. Clus. hist. — Descriptio / Synon.



TVSSILAGO. CAP. IX.

Descript.



DIoscorides Tussilagini (βηχίῳ) folia tribuit Hederæ [κισσῷ : κισσώδη , hederaceis vet.] similia, maiuscula, sena, septenáue, à radice prodeuntia, infernè subalbida supernè verò virentia, pluribus angulis prædita : caulem palmi altitudine : florem ex luteo albicantem, qui verno té-

pore prodit, at quàprimùm vnà cum caule amittitur. Ex quo factum vt nonnulli herbam hanc sine caule ac sine flore esse existimauerint. Radicem tenuem, nec superuacuam. Natales circa scaturigines aquarum, & irrigua loca.

Plinius. Tussim sedat Bechion [inquit Plin. lib. 26. cap. 6.] quæ & Tussilago dicitur. Duo eius genera. Siluestris vbi nascitur, subesse aquas credunt: & hoc habent signum aquileges. Folia sunt majuscula, quàm Hederæ, quinque aut septem, subalbida à terra, supernè pallida, sine caule, sine flore, sine semine, radice tenui. Quidam eandem esse Bechion [Arcion M. & CH.] & alio nomine Chamæleucen putant. Huius aridæ cum radice fumus per arundinem haustus & deuoratus, veterem sanare dicitur tussim: sed in singulos haustus passum gustandum est. Altera à quibusdam Salvia (Quam volunt hic describi Sphacelon Theoph. quidam Stachim vulgarem: alij Horminum vulgare: quidam Æthiopidam pectoris morbis vtilissimam, Dalech.) appellatur similis Verbasco: conteritur ea, & colata calefit, atque ita ad tussim laterisque dolores bibitur: contra scorpiones eadem & Dracones marinos efficax. Contra serpentes quoque ex oleo perungi ea prodest.

Hermol. notat Plinium. Hermol. Coroll. 153. Bechion siue Bechicon quoque duo genera habere ait, & siluestre Plinium aliter, quàm Diosco. idem describere folia eius tradendo supernè pallida, subalbida à terra, sine flore, sine semine. Alteram à quibusdam Salviam dictam, à Dioscoride Verbascum siluestre dici putat. Priorem verò quosdam Arcion, & alio nomine Chamæleucen ab Italis Farfugium appellatum, folio Populi, sed ampliori, nascens juxta fluuios, vnde ab iisdem Populago dicta sit. Sed hanc & Farfariam vocari, Dioscoridem testem esse, à fluuio fortassis Farfaro, quem Virgilius in Sabinis Fabarim appellat. Plautus, dissipabo, inquit, te vt folia Farfari.

Ruell. De Bechio Ruellius hæc scripsit: Latinis Tussilago, aliis Farfaria, nonnullis Populago dicitur: florem verè pallidum sustinet, breui cum suo caule deciduum: atque hinc data credentibus occasio, sine caule atque flore hanc herbam nasci. Quare obseruandum diligenter, caulem & flores Tussilaginis esse fugacissimos, iisque enatis breui vigor vitaque durat, longissimáque mora biduum: post quod illicò tempus flaccescentes euanescunt, & caduci marcent. Quare non nisi iis, qui medio Vere sese fortunâ ferunt obuiàm, & flos & caulis cernitur: namque die vno locum vniuersum caule & floribus pubescere videre licet, postridie prorsus eos contabuisse, frondéque solâ virescere, quapropter sine caule & floribus nasci plerisque, qui tam citam caulis jacturam non conspexerunt, creditum est [impudenter naturæ negantibus quod obseruatum non fuerat, inquit Marcellus.] Plinius porrò duo Tussilaginis, siue Bechij genera facit siluestre sc. & alterum Saluia dictum, quod à Dioscoride Verbascum siluestre dici puto. Dioscorides autem vno Tussilaginis tantùm genere contentus est. Tussilago herbariis & officinis Vngula caballina dicitur, vulgò Pata equina, à foliorum cum vngula caballina similitudine. Hallucinantur itaque (ait cap. 123. (qui Vngulam caballinam vulgò dictam Arction esse sentiunt, Ruellium sequuntur Ryff. Dodon. & H. Lugdunensis.]

Arction non est.

Porrò ait idē Marcellus, corruptè legi credo in nothis appellationibus Richion (ῥίχιον) & pro eo legendum Bechicon [βήχιον] ab eadem tussi facto nomine. Sunt & aliæ Appellationes nothæ quarum nondū reddita ratio. Sunt enim qui Petrinam seu Petrinē [πετρίνην] qui Peganō [πήγανον, h. e. Rutam] qui Pithion [πίθιον] qui Pagonathon [παγόναθον] qui Procheton [πρόχετον] qui Acrophyllō [ἀκρόφυλλον Sarrac.] vocēt. Ægyptij Saartha (σαρθά, Saartha legit Marcell.) Romanis Tussilago (τουσιλάγω) seu Farfaria [φαρφάρια] aut Pustulago (πουστουλάγω: sic picatur legendum Populago, Sarac.) Bessis Asa [ἀσά] dicitur.

Humelbergius videtur Tussilaginem [Roßhöff vocat] Arction facere, ibidemque obscurè omnia tradere, vt fusiùs in capite de Personatia dicetur. Humelberg. notatur.

Sibi contradicendo hallucinari deprehenditur Brunfelsius. Ait enim tom. 1. chap. 4. Personatiam & Lappam, vocari Vngulam caballinam. Postea verò dicit Ianuensem & Pandectarum scriptorem ignorasse Vngulam caballinam, & impositum illis à Plinio: quoniam alicubi Lappam vocet Personatiam. Addit se opinari illos non legisse quodnam esset Arction apud Dioscoridem: Hoc ad vnguem prorsus quadrare descriptioni Vngulæ caballinæ: ac secum habere Barbarum. Brunfels. hallucinatur.

Cornarius scribit Plinium esse ex eorum numero, quos Dioscorides redarguit, tum hoc de Bechio capite, tum in totius operis præfatione, vt qui falsò opinatus sit, Bechion sine caule, sine flore, sine semine esse. Addit præterea in Dioscoride errorem subesse, esse manifestissimum: Et pro ῥίζα λεπτὴ ἔχουσα, legendum esse ἔχουσα. Cuius correctionis asseclam habet Fuchsium. Bechion notam esse & officinis & vulgo, non tamen græco Bechij, nec latino Tussilaginis nomine, sed Vngulæ caballinæ appellatione. Plin. redarg.

Tussilaginem Petasiti quoad folia in initio adeò similem asserit Tragus, vt discerni vix possint, nisi quis diligenter animaduertat, & consideret flores, & substantiam vtriusque, quæ ex vtrius descriptione petenda. Germani, addit, hanc plantam Brandt lattich quasi ambustorum Lactucam, quòd ambustis & inflammationibus quibusuis medeatur: & Roßhub, hoc est Vngulam equinam, à foliorum cum vngula equi similitudine: & nonnulli Brandtlettichen, h. e. Arcion, & Personatiam (sed quàm rectè ipsi viderint) appellant. Plinius Tussilaginem, Cacaliam, Farranum, & Farfugium cognominat, quibus vocibus maximè duabus posterioribus errorem subesse puto, rectiùs enim Farfarus legeretur. Vides igitur vnam & eandem herbam quamplurimas obtinere nomenclaturas, &c. Petasiti similis Trago.

Bechium & Chamæleucen diuersas esse plantas, Turnerus sic ostendere conatur, Chamæleuce, dicta etiam Populago, Farfugium, & Farranū, non eadē est planta Aëtio & Diosc. Videtur enim Aëtius Chamæleucen Bechio eandem facere: in reme illis enim contra tussim, easdem tribuit vires Chamæleucæ, quas Dioscorides Tussilagini seu Bechio: cumque Galenus & Paulus duobus distinctis locis de Bechio & Chamæleuce scribant, Aëtius Bechij penitùs non meminit, sub Chamæleuce, vt mihi videtur, complexus. Plinius quoque suo tempore ait, fuisse qui Chamæleucen & Tussilaginem pro vna eademque habèrent. Et in spuriis Dioscoridi, Tussilago Chamæleuce dicitur, etsi apud Dioscoridem duæ diuersæ sint plantæ, agit enim de iis duobus distinctis libris & capitibus. Chamæleucæ quidem folia tribuit introrsum reflexa, atque ramis esse prædicam: Tussilaginem autem folia habere plana & recta

recta, nullisque ramis donatam esse, singulis foliis è radice, non autem caule, exeuntibus. Scribit Dioscorides Chamæleucen Plantam esse virentem, foliis intrò reflexis, ramis quibusdã donatam, flore Rosam imitante: Ex quo sequitur, cùm Tussilago folia habeat albida & directa, nullis autem ramis sit prædita, nec florem habeat Rosæ similem, non posse vnam eandemque esse plantam.

Cæterùm, non defuerunt, qui Tiphium Theophrasti lib. 7. cap. 12. asseruerint, quod ante foliorum & caulium ortum floret.

Synon. Brunfelf. & Trago dicitur Vngula caballina: Eur. Cordo, Vngula asinina, & Lactuca vstularia Germanorum: Matth. Anguill. Fuchs. Turn. Cordo in Diosc. (cui & Farfarella) Lac. Gesn. hort. Lon. Dod. Lob. in Aduers. & Obs. 320. Icõ. Plant. p. 589. (cui & Farfara) Cæsalp. Cast. & H. Lugd p. 1050. Tussilago: Camer. Tussilago vulgaris: Dod. gall. & Cordo hist. Bechion. Chamæleuce Plinij; Bechion; Tussilago, vulgi Vngula caballina, & Farranum vel Fartogium Gesner. cat. Tussilago 1. siue vulgaris C. Bauhin. phyt. & pin.

Nomina linguarum. A commodo compertissimo quod præstat anhelosis & tussi afflictis dicta βήχιον, Bechium Græcis, Tussilago Latinis, vel Vngula Caballina recentioribus: Germ. Roßhüff / Roßhub / huflattich / Brandlattich / & Eselshub: Bel. hoefbladeren: Gallis *Pas d'Asne, Herbe de pates, Pate de Cheual*: Ital. *Farfara, Vnghia di cauallo*: Hisp. *Vnha de asno*: Angl. Fole foote / & Colter foote: Boh. [illegible]: Hung. fodi tök / eodem vide icet nomine, quo Bryonia: Nonnullis tamen Lo korom, h. e. Vngula caballina, etiam applicatur.

Locus & Tempus. Secus fontes, & riuulorum fluuiorumque ripas, scrobiũ ac fossarum margines, aliisque humentibus & aquosis locis spontè nascitur. Sub finem Martii & circa Aprilis calendas fugacissimi flores conspicui sunt, qui citò vnà cum pediculis marcent, inde folia progignuntur totã Æstate in vigore futura, Dodonæo teste. Vda fata, crepidinesque fluminum amare, & Februario & Martio nondum egressis foliis florere perhibet Lobelius. Ego etiam Ianuario mense flores in pappos euanescere obseruaui. Et quanquam arenosa loca quoque amet illa, quippe quibus aqua subest, nasci tamen etiam in hortis, & aliquot annis durare potest locis vmbrosis.

Vires & vsus. Cæterùm, Bechii folia, Dioscoridis quidem testimonio, trita & cum melle imposita, ignes sacros & omnem inflammationem sanant. Eadem arida suffita per infundibulum, vt hiantes fumum ore suscipiant ac deuorent à tussi sicca, & erecta ceruicis spiratione vexatos curant. Rumpunt & abcessus in thorace. Idem facit & radix suffita. Et in aqua mulsa cocta pota mortuos fœtus eiicit. Bechium (inquit Galenus 6. sim.) inde adeò nuncupatum est, quòd bechas, h. e. tusses & orthopnœas iuuare sit creditum, si quis folia arida, aut radicem in prunis vrens, ascendentem inde fuliginem inspiratu attrahat. Est autem modicè acris, vt sine molestia, noxáve omnes thoracis abcessus credita sit rumpere. Sanè folia virentia partes crudã phlegmone obsessas illitu extrinsecus adiuuant, nempe ob aqueæ substantiæ admistionem, quã omnia viridia teneráque participant, alia plùs, alia minùs. Nam sicca Bechii folia acriora sunt, quàm vt phlegmonis conueniant.

Quæ Dodonæus de Bechii siue Farfaræ (vt vocat) vsu & facultatibus scripsit, Dioscoridis & Galeni verba clariora reddunt. Bechii, inquit, recentia & adhuc virentia folia refrigerandi nonnullam vnà cum reficcandi potentia vim obtinent: vlceribus calidis, & partibus inflammatione laborantibus imposita prosunt. Arida verò folia calida sunt & sicca, & modicè acria; horum in prunas candentes iniectorum fumus per infundibulum aut harundinem patente ac hiante ore receptus, orthopnœæ & tussi siccæ medetur: præstant idem radices aridæ recepto quoque earum fumo. Auxiliantur verò & eadẽ in tabellis ex saccharo, aut eclegmate permixtæ aduersus tussim veterem & respirandi difficultatem. Recentium verò foliorum & radicum decoctum, vel ex his Serapium, recenti & ex tenui destillatione tussi medetur. Virtembergicus ad epilepsiam dat aquę Tussilaginis puero ante & in paroxismo cochleare vnum: adultis autem bonum haustum, ait q; optimum remedium & certum. Ad Thoracicos plurimùm etiam commendatur Tussilaginis conditura, cuius præparandi modus, tum ab aliis tum præsertim à Iouberto traditur.

TVSSILAGO ALPINA MINOR folio rotundo.

Descriptio. QVinque aut sex, interdum duodecim *folia* humi fusa, crassa, rugosa, circinatæ rotunditatis, nisi leui sinuum vestigio inæqualia essent, supernè cum saturo virore splendentia, infernè tomento albo obducta, magnitudine semunciali, aut plusquàm vnciali, longiusculis hirsutis pediculis nixa: *caulis* purpurascens, vnicus, palmaris aut cubitalis, lanuginosus *florem* in summo gestat singularem, magnum, purpurascentem, alioqui Tussilaginis similem, in pappos facescentem, *semine* affixo lõgo gracili: *radix* villo obuoluta, satis crassa, longis fibris capillata.



Synonyma. Duo Bechii Alpini genera tradit & describit Clusius: Is verò in Pann. p. 497. Tussilaginem 1. pingit, & p. 495. pro Tussilagine alpina canescente folio describit. Et hęc est illa quam in hist. secundo loco pro Tussilagine alpina 1. euanido flore, pictam exhibet. Quam Porrò in Pannon. pag. 498. inscribit Tussilaginem alpinam secundam, & pag. seq. pro Tussilagine alpina glabro folio delineat, in histor. Tussilaginem alpinam 1. flore aperto intitulat, & titulo Tussilaginis alpinæ primæ canescente folio describit, secundæque Tussilaginis alpinæ loco nouam effigiem proponit sine caule & flore, & Tussilaginem

alp. 2. glabro folio cognominat. Et hæc, illo ipsomet teste, à Tussilagine alp. 1. flore aperto in hist. (2. in Pann.) folio glabro, ceu & altera flore euanido (1. in Pann.) haud parum differt. Quæ occasio vt vnicam demus imaginem, ex plantis Tussilaginis tomentosæ, quas habemus.

Lob. duas habet vnico titulo. Lobel. etiam in Ic. Plant. p. 590. pingit vtramque Tussilaginem alpinam Clusii in hist. hoc est, primam & secundam: siue folio canescente, & glabro: siue cauliferam & caule viduam, vnâ solâ, Tussilaginis sc. mõtanę minimę inscriptione.

Cætera synonyma. Quæ *caulibus* destituitur, dicitur à Lobelio in Obs. p. 321. Tussilago montana minima foliis Soldanellæ alpinæ, auersâ parte tomentosa. H. Lugd. p. 1052. Tussilago montana minima Lobelij. C. Bauh. pin. Tussilago 2. siue alpina rotundifolia (ferè addit in phyt. vbi quartam facit) glabra. *Caulifera* vocatur apud H. Lugdunensem p. 1051. Tussilago altera alpina Clusii (sic & Cam. hort.) in Pann. quippe Obseruationibus. Est enim ei in hist. Tussilago alpina 1. vna flore aperto, & altera euanido, & non candido, vt legit C. Bauh. in pin. vbi vocat Tussilaginem 5. (5. in phyt.) siue alpinam rotundifoliam canescentem, Tussilaginem diuersam à vulgari, foliis minoribus, & solidioribus, Gesn fr. *C.B. not.*

Locus & Tempus. Tussilago alpina canescẽte folio Clusij oritur in summis Austriæ & Stiriæ iugis, & totos interdum cespites occupat. Sub Iunij finem vt plurimùm floret, interdum verò tantùm Augusto mense, pro aëris ratione & constitutione, in hortis maturiùs, Aprili videlicet, in quibus etiam cauliculus magis adolescit. Tussilago alpina glabro folio inuenitur in superiore collis parte post monasterium Neuberg ad radices celsissimi iugi eiusdem nominis. Obseruatur etiam in inferioribus iugis aliarum Alpium, gramineis locis. Maio floret in hortos translata & Aprili, vbi formam non immutat, quemadmodum nec superior. Huius autem cauliculus paulò longior est superiore. Ego in Rhætiæ monte Braulio adolescens inueni florentem mense Iulio: postea Geneuæ in Allobrogum monte Thuiri Iunio. Ibidem in hortum translata folia producebat Martio, & florem Maio. Iunio semen in pappos abibat.

Clusius tribuit vires Tussilaginis.

ASARINA MATTHIOLI FLORE ANthemidis, subnectenda Tussilagini alpinæ

CAP. X.



Descriptio. EST planta in Bohemiæ montibus nascens, quam Asarinam vocare libuit Matthiolo, quòd Asaro congener videatur: Repit hæc humi *folio* Asaro rotundiore ac scabriore, leuiter circùm serrato: *cauliculis* pilosis: *floribus* melinis Anthemidis modo, sed longè minoribus, haud inodoris: *radicibus* tenuibus, longisque, summâ tellure repentibus, acuto gustu, quadam cum leuicula amaritudine.

Miror Matthiolum passim in comm. non clariùs indicare, quales sint flores: ait quidem esse melinos Anthemidis, sed non indicat, an in totum, vel solo disco, quod cuperem intelligere ab Herbario perito. *Matth. taxatur.*

Cæterùm, dicitur Asarina Matth. Cast. Tabe. & Gerardo: Asarina Matthioli H. Lugd. p. 915. & Clus. pan. & hist. Asarum 2. siue Asarina foliis Asari C. Bauh. phyt. apud Matth. & pin. *Synonyma.*

PETASITES VVLGARIS RVBENS rotundiori folio.

CAP. XI.



Descriptio. CAules primò omnium erumpunt dodrantales plùs minùs, concaui lanuginosi: *foliis* angustis, acuminatis vestiti, qui in thyrsum fastigiantur *florum* purpurascentium, in pappos tandem euanescentium, quorum delapsui succedunt marcescente caule folia Petasitis magnitudine, ad pediculum falcata, rotunda ferè, & in ambitu duntaxat serrata, non angulosa vt Petasitidis albæ: infernè lanugine incanâ pubescentia, supernè obscurè virentia, nec penitus tomenti expertia: *radix* crassa amarescit.

Hermolaum hallucinari manifestè colligitur ex iis quæ sequuntur. Arcion [inquit Coroll. 711.] siue Prosopites, Personaciam quidem in latino sonat. Sed pro Petasite capitur à Plinio, dicente: folio Personariæ nullum est latius, grandes lappas ferentis: quas non in Arcio, sed in Petasite cernimus. Petasiten interpretor, quam vulgò Bardanam & Lappam maiorem vocant: Arcion, quam Vngulam caballinam dicunt. Plinius differentiam in nomine tenus constituit, Petasitem, Personatam; Arcion, Persolatam appellando: &c. Animaduertis, credo, Hermolao non probè perspectam fuisse differentiam inter Petasitem vocatam plantam, & Personatam, quæ Lappa maior dicitur. *Hermol. hallucinatur. Prosopites. Bardana. Plin. notatur. Hermol. notat.*

Tragus refert hanc herbã Germanos Roßpappel, h.e. Malvam equinã, vocare propter amplitudinem foliorum, & Pestilentz wurtz, h.e. Pestilentialem radicem, propterea quòd experientiâ comprobatum sit mirificè pestilentialibus febribus conferre: Latinis posse Galeritam dici. Is si foliorum amplitudinem intuetur, *πετασίτην* quidem Dioscoridis esse suspicatur. Sed cùm vires & odorem exactiùs considerat, Costi genus esse affirmat. At hanc Tragi opinionem Cordus in Diosc. omnino improbandam censet. *Pestilent. radix. Galerita.*

Matthio-

Matthiolus pingit in prioribus comm. libro 4. cap. 101. Personatæ alterius inscriptione, sine caule tamen. Fuchsiumque & nonnullos alios Recentiores reprehendit qui Petasitem esse hoc Personatæ genus existimant: Ipse Persolatam Plinij esse volens. In post. comm. Ital. lib. 4. cap. 109. mutauit omninò sententiam Matthiolus, nec hanc ampliùs Plinij Persolatam facit. Cap. verò 110. Petasiten [vti & olim] negat, dicens vanam eiusmodi opinionem, à se demonstratam tom. 1. epist. Et repetit tom. 3. Petasiten hanc esse Plinij Personatam, ac maiorem Tussilaginem potiùs existimat, ibidemque ἄρκιον. Dioscoridis existimare videtur. Lib. 3. in Dioscorid. cap. 110. in com. Ital. picturam exhibet cum flore & describit, vocans Tussilaginem maiorem. In histor. germ. inscribit Tussilaginem maiorem, Petasiten vulgò dictam non Dioscoridis appellandam, sed Tussilaginem magnam, imò maximam.

Camer. ad Hist. Matthioli germ. pulchram habet figuram. Eidem in horto dicitur, Petasites flore purpureo, & odorato, quem marem vocant.

Patrocinium Ruellij contra Matthiolum suscipit Turnerus. Matthiolus, inquit, absque omni ratione de hac plāta carpit Ruellium & Fuchsium. Amatus Lusitanus Matthioli simia, ita doctiùs & mendaciùs ipso Matthiolo scribit in hunc modum. Quid Petasites sit ignoramus, nisi fungi genus sit. Ruellius in Gallia nasci refert, &c. Non nouit Amatus Petasiten, nisi fungi genus sit, & tamen germanicè vocat Pestilentzwurtz/ perinde ac si nosset. Scilicet, dignus qui in Dioscoridem commentetur. Fuchsius pro Petasite non proponit Lappam maiorem, vt falsò ei imponit Amatus. Proposuerat enim ἄρκιον, verum, seu Personatam, vocans Großkletten, multisque, modis à Petasite distinguit. Probet Matthiolus, & qui eum sequitur Amatus, Dioscoridem duo facere Personatæ genera. Quod si nequeunt, quemadmodum certò scio minimè posse, irrita quæcunque contra Fuchsium declamant. Citat Plinium Matthiolus, vt probet duo esse Personatæ genera. Sit ita. Non sequitur tamen Petasiten Fuchsij esse Personatam alteram Plinij, neque etiam Dioscoridem duo facere Petasitidis genera: Sæpè enim Plinius plura facit herbarum genera quàm Dioscorides. Porrò quàm injustè duo faciat Arcij genera, non solum Leonicenus, sed etiam omnes viri docti vident, ac nullam eiusmodi caussam ei à Dioscoride præbitam. Quàm rectè Plinius à Matthiolo contra Leonicenum defendatur, facilè perspicient quicunque sine affectu judicabunt, quàm parum honestè & prudenter faciat Matthiolus. Sed esto, age, duo sunto Arcij genera. Primum non potest esse Petasites Fuchsij, quia lappas habet in cacumine, cuiusmodi non habet Petasites Fuchsij, cùm Arcion Plinij, vt in eo perspicuè videre est, maiora habeat folia, quàm Cucurbita: at Petasites Fuchsij longè habet candidiora folia, præsertim parte inferiore. Petasites ergo Fuchsij [quæ vera est Petasites Dioscor.] Ruellij, Dodonæi, & mea, non est Arcion alterum Plinij, quicquid blaterent Matthiolus & Amatus.

Matthiol. redarguitur.

Amatus tax.

Lobelius.

Sed & vtrique similes sui negotium ex negotio ferunt studiosis, authore Lobelio: Qui Tussilaginem asserunt, Petasiten negant, plantam illam in pratis palustribus primo Vere crescentem, atque nondum foliis ortis caulem erigentem. Commentatori silentium indixeris, qui dum nihil habet quod illinat paginis, in minutiis istis obstrepit bonis viris, nec quid quóue modo scribat, de facultatibus notisue certioribus quicquam pensi habet. Leuiusculo argumento deceptus fuit, qui rebatur propter communia natalitia & florum antè foliorum egressum esse easdem Petasiten & Tussilaginem, quasi non idem contingat Trifolio hederaceo, Croco syluestri, Ephemero, & aliis.

Hermolaum per Vngulam caballinam Petasitem accipere testatur Cæsalpinus, qui Chamæleucen Plinij, siue Farfugium à Tussilagine haud differre scribit, suspicatúrque esse Nenufarum apud Auicennam, cuius flos similis Eupatorio ab eodem traditur. Sed Eupatorium Auicennæ habet flores luteos vt Nymphæa, Petasites autem hæc floribus conspicitur purpurascentibus. Illos præterea cum Turnero errasse statuere videtur, qui Petasiten cum Persolata Plinij, siue Græcorum Arcio, eandem significari volunt, vtpote herbam ab vtroque Arcio longè diuersam.

Chamæleuce est Tussilago.

C.B. Chamæleucen Plinij & Petasiten Diosc. ad hoc caput reduxit. *Malo tamen* ego cum Hermol. Trago, Cordo, Gesnero, Lob. & Cæsalpino Chamæleucen Plinij ad Tussilaginem referre, cui folia similiora Populo, qualia requirit Plinius, quàm Petasiti. An verò cum Petasite Dioscoridis eadem sit, jam non affirmo.

C.B. not.

Petasites vulgò credita planta, inquit Clusius, doctiorum omnium judicio, inter Tussilagines referenda, & à foliorum amplitudine Tussilago maior nominanda. Eam albo flore variantem aliquando videre memini.

Lobel. Obs. p. 321. Petasites, Tussilago maior Matthioli; Et, Petasites sine flore. Ic. Plant. pag. 591. & Dodon. Petasites, Et Petasites sine flore. Tabern. Petasites: Tussilago maior, Item, Petasites cum flore. C. Bauh. phyt. Petasites 1. siue flore punicante: Eid. pin Petasites 1. siue maior vulgaris: Petasites Trago, Fuchs. Ang. Turn. Dod. Cordo hist. Gesn. hort. Lac. Lon. Cæs. Lugd [H. Lugd. p. 1053. Petasites magnus, perperam Tussilago maior Matth.] Tab. Ger. Clus. hist. Petasites flore punicante Thal. mas Cam. Tussilago maior, Matth. Cast.

Synon.

Πεταείτης ab amplitudine folij, πέτασος siue galerum referente, vnde & Galerita. Germanis Pestilentzwurtz, quòd, vti dictum, eius radix præsentaneum sit contra febres pestilentes remedium: Belg. Dockebladern. Pestilence wortteln: Gall. *Herbe aux tigneux, & Espece de Napolier:* Ital. *Cappellazi*: Hisp. *Sembereira*: Angl. Butter burre.

Nomina linguar.

Cæsalpino referente, Petasites in alpibus nascitur, locis riguis, copiosè in valle vmbrosa Hetruriæ, quæ pratum magnum vocatur. Abundè in Pannonia, Austria & Stiria spontè nascentem reperit Clusius: In humidis propè fluuiorum ripas, juxta lacuum & stagnorum margines ac vicinos aggeres Dodonæus. Circa Calendas Aprilis spica cum floribus viget, sequuntur inde folia in Hyemem vsque permansura, nouis subinde subnascentibus. Lugduni etiam Februario, &, vti quoque Geneuæ, Martio florebat.

Locus & Tempus.

Petasites albus Angulosa folio.

PEtasites leucanthemos *radicem* habet validam, crassitudine pollicari aut maiore, lon-

Descript.

gam, proserpentem, geniculatam, nonnihil ad calami officinarum radices accedentem, corttice rubro tectam, cui alius subest lignosus, & in medio cartilaginea matrix alba, gustu calido, aromatico, acri, subamaróque, cui adnatæ fibræ multæ, mediocriter crassæ & longæ colore albo: *caules* profert sesquipalmares, striatos, molli lanugine incanos, crassos, concauos, in quibus *folia* eâdem lanugine pubescentia, striata, oblonga, mucronata, sena septenáve aut plura, alternato situ, sine pediculo vaginæ instar caulem fouentia: in summo caule *flores* aute folia multi simul congesti, albi, quorum singuli constituuntur ex flosculis plurimis quinquepartitis, in medio fibrillâ pallidâ donatis, multis foliolis viridantibus circumdantibus: folia angulosa, infernè densiore lanugine quàm supernè tecta, albioráque, ex pediculis longis lanuginosis, albis, statim à radice exortis appensa.



Hunc quem Petasitem 2. siue minorem flore albo vocat in pin. nescimus cur Casp. Bauh. in phyt. contra Camerarii sententiam inodorum vocet. Est Petasites flore candido Clus. hist. & Thal. Petasitæ odorati flos, H. Lugd. p. 1054. H. Lug. not. Hæc videtur nobis in app. p. 16. sub titulo Aconiti Pardalianches primi describere Petasiten album, ac flores folia præuenientes figuræ Matthioli appingere, in qua folia Doronici & radix fictitia.

Montbelgardi in horto Ill. E. C. se multiplicat rependo: floret Martio & Aprili.

Locus & Tempus Vires & vsus

Radix Petasitidis dubio procul sicco & calido est temperamento, ideoque aduersus omne venenum vtrisque corporis partibus adhiberi efficaciter potest. Hæc verò posse, amaritudo eius euidentissimè demonstrat: huius enim saporis amari est abstergere, sicuti Galenus lib. 4. de simpl. facult. cap. 17. alibi docet. Pestilentialis radix dicitur, propterea quòd experientia comprobatum sit radicem hanc mirificè conferre pestilentialibus febribus, quòd sudorem vehementer moueat, si in puluerem redacta in vino (vt decet) sumatur. Nec minori efficaciâ bibitur à mulieribus, quas vteri tormina & præfocationes exercent. Facit & ad latos ventris vermes, qui semina Cucurbitarum referunt, ex vino decocta & pota: succurrit iis qui spiritus difficultate laborant: vrinam & menses ciet. Radix siccata in puluerem redacta, efficax est ad quæuis fluenta & præhumida vulnera. *Oleum* ex hac radice confectum, si illo inungantur febricitantes ante accessionem febris, apprimè conducit. Idem & ad reliquas cutis fœditates facit & perfrictionibus neruorum & membrorum vnicè prodest. Non desunt etiam veterinarii quidam, qui eiusmodi radice vtuntur aduersus vermes, qui equos molestant, & alios ipsorum, tam interiores quàm exteriores morbos.

Vermes equorum.

Petasites Indica.

Descript. Tametsi Petasitidem adumbret, ortu & ambitu exactè circinato, vægrandis *folii* galerum ferè æquantis: nihilominus cespite radicis amplexo, multa sobole lateratim repullulante, & *caules* fundente, aut potiùs fol. pediculos bicubitales, culmosos, medullosos, singulis singulo folio hærente, anfractuosum, lunatum sinum pediculus fulcit, vti in Bardana: fungoso *cespite*, carioso, & supernè densè circum caules, vti Meum comante, maximam Osmundam æquante, lorulis vimineis subtus latè fusis, gustu sicco adstringente: annulam hanc ex annosa arbore, ni fallat memoria, dicebant Lobelius & Pena.

CACALIA SIVE LEONTICE VETERIbus & in genere.

CAP. XII.

Diosc. Cacalia siue Leonticè (κακαλία οἱ δὲ λεοντικὴ) *folia* profert candida, prægrandiaq; : è quorum medio *caulis* emicat rectus, albus: *florem* ferès Bioniæ similem [ἰουλώ, quæ vox in antiquo non legitur, Lac. Quin & vulg. exempl. pro βρυωνίᾳ legunt ἐλαίᾳ.] Nascitur in montibus. Huius radix in vino macerata ceu Tragacantha, & delincta, commanducatave per se, tussi & arteriæ scabritiei medetur. Grana verò quæ post excussum florem subnascuntur trita & cerato excepta illitáq;, extendunt cutem in facie, eamque à rugis vindicant, id tradente Diosc.

Plin. Aliter hæc Plinius recitat quàm Dioscorides. Cacalia [inquit lib. 25. cap. 11.] siue Leontice vocatur: semen Margaritis minutis simile, dependens in er folia grandia, in montibus fere. Huius grana xv. in oleo macerantur, atq; ita aduerso capillo caput vngitur. Radix [addit lib. 26. cap. 6. Cacaliæ commanducata, & in vino madefacta, non tussi tantùm, sed & faucibus prodest. Cap. 15. Cacaliæ grana mista ceræ liquidæ, extendere cutem in facie, erugareque scribit. Et hæc magna ex parte consona sunt his, quæ Dioscorides habet.

Galenus notatur. Galenus Cacaliam non habet, sed Cacanum eandem appellare videtur, Cacaliæ voce suppressâ, quod mirum est, quum alias vnam atque alteram appellationem, teste Cornario, libenter adiiciat. Quòd autem Cacanum legendum sit in Galeno, & non Cancanum, velut exemplaria vulgata habent: & quòd Cacalia eadem sit, quæ Cacanum, ex Paulo patet, qui apertè habet Cacani vocem, & Cacaliam expressè dicit: quum tamen eandem esse dicere debuisset, siquidem eandem Galenus facit, in eo, quòd eadem de Cacano, quæ Dioscorides de Cacalia prodit, nisi locus sit mendosus. *Galeni verba hæc sunt*: Cacani radix vim habet mordacitatis exortem, & moderatè siccantem: substantiam verò crassarum partium meatus abducentem. Vnde in vino macerata, velut Tragacantha, & delincta, arteriæ asperitates sanat. Nec minùs etiam si quis manducet ipsam: defluens ab ipsa succus arteriæ similiter velut Glycyrrhizæ succus prodest. Quòd porrò Bacani vox, pro Cacani supposita sit, aliquot locis apud Paulum & Aëtium lib. 3. cap. 46. Dolabellarum in Paulum abundè ostendit Cornarius. Et tamen neque sic satis constat de Cacalia, siue Cacano *Bacani vox supposita.*


cano

cano, quæ sit hodie herba censenda, quæ visum illum exhibeat.

Galenum & Paulum de eadem planta, diversis locis, sub diversis nominibus, Cacaliæ sc. & Cancani pertractasse, perhibet Guilandinus in Theone. Quin & Eur. Cordus Cacaliam eandem cum Cancano statuit, & non diversam vt Æginetam putasse ait.

Æquiuoca Cæterùm, quæ Acacali, de qua lib. 12. H. n. actū est, conueniunt, Cacaliæ Plinium tribuisse, falsò sibi persuadet Amatus. Cacaliam Lithospermum nigrum malè statuit Tragus: Lilium conuallium Lonic. & Rheginus. Persoliatam alij perperàm, teste Anguillario. Perperàm etiam alij Agreste Carui, teste Cord. in Diosc. Cacaliam dici de Tussilagine apud Pliniū, author est Tragus. Rob. Constantinus in Lexico, κακαλὶν interpretatur Narcissum. H. n. lib. 19. Galenum de Cacalia sub Cancano tradidisse refert Amatus. Sed non demonstrat quam per Cacaliam intelligat.

CACALIA QVIBVSDAM.



Descript. VVlgò Cacaliam vocant in summis montium iugis, & ad eorum torrentes nasci solitam plātam, *caule* cubitali, & bicubitali, in ramos circa cacumen aliquot diuiso, striato, hirsuto, medulloso; *flores* summis ramulis confertim cohærent in muscarij modum, purpurascentes, quaternis foliolis constantes, stilo longiusculo prominente, qui in pappos abeunt, *semine* appenso paruo, oblongo: *folia* plerumque multò minora, quàm Petasitidis, interdum ferè paria, non multùm tamen absimilia, ad pediculi insertionem falcata, circumscriptione rotunda, serrata, sed & angulosa, infrà tomentosa, candicantia, suprà verò glabra: *radix* minimo digito suppar plurium capitū fibris longis capillata.

Alterum Cacaliæ genus, læuiorem tollit *caulem*, *folia* similia, sed vtrinque viridantia, nec vllo tomento obsita: *flores* iidem forent, ni dilutiore purpurâ niterent.

Apud Amatum lib. 4. cap. 124. Cacalia pingitur, & in fine operis eadem figura ponitur ex Dalechampii figuris. *Amatus* tamen Cacaliam hanc non tradit, annotante propriâ manu Casp. Bauhino.

Anguill. est Petasites montana, in monte Baldo proueniens: Vnde etiam se habere ait C. Bauh.

De hac Clusius in pann. & hist. Ad Tussilaginis genera haud dubiè referenda est planta illa, quæ à nonnullis Cacalia appellatur, cuius duo genera obseruantur, sc. Cacalia 1. vulgaris incano folio, saporis ingrati, amariusculi & calidi, floris odore admodum tenui, sed non ingrato. Cacalia 2. glabro folio, magis cutaneo & duriore, supernè saturatiùs virente, nec subtus incano, nec anteriore parte simul cōīūcte, vt in priori, pediculóve strato innitente, sed rotundo & læui, non minùs tamen venoso, & in ambitu serrato. Obseruabam & aliam quandam plantam in montanis pratis nascentem, secundum villarum stabula, cuius folia postremæ Cacaliæ foliis valde erant similia: neque radix etiam erat dissimilis. Verum ἄκαυλον illam semper deprehendi: nec vnquam ab illis montanis hominibus intelligere potui, florémne ferat, an non. Tametsi porrò dubitari possit, an quæ Cacaliæ nomine vulgò agnoscitur, cum Cacalia Dioscoridi descripta, & Pliniana conueniat: facultates tamen vterque suę Cacaliæ tribuit, à Tussilaginis (cuius haud dubiè hæc Cacalia genus est) facultatibus non alienas. Hactenus ille, qui duas icones habet Cacaliæ incano folio & Cacaliæ glabro folio.

Cacaliæ duo genera Clus.

H. Lugd. p. 1052. iconem proponit cum hac inscriptione: Tussilago alpina, siue montana Dalechampij, addens alios herbarios duo alia Tussilaginis genera facere, & à natalibus Tussilagines alpinas vocare.

Cacaliam [vt vocat Lobel. in Ic. Plant. p. 592.] multùm Petasitidi assimilari, foliis præsertim, eamque etiam odore quadantenus imitari, dixit Lobelius. An verò Cacalia sit, ambigit.

Io. du Choul. descr. mont. Pilati p. 71. Cacaliæ species; & p. 87. Cacalia Ghini passim in nemore Pilatino, foliis latissimis, altera parte cādicantibus.

An sit Cacalia veterum quærit & dubitat C. Bauhinus: atque Cacaliæ tres facere videtur species: Cacaliam scilicet tomentosam, Cacaliam hirsutam, Cacaliam glabram, & Cacaliæ congenerem plantam Clus. Pann. & hist. Rectè autem in pin. Tussilaginem alpinam Dalechampij, Cacaliæ iunxit, & à Tussilagine, quod in phyt. non fecerat, separauit.

In omnibus Austriacis, Stiriacisque iugis ad siluarum margines, inter frutices & vmbrosis locis obuia Cacaliæ genera Clusij. Cacaliam Lobelius in Galliæ Narbonensis celso monte Calcaris nuncupato primùm vidit, prope illius montis verticem, qui DEI paradisus à plebe vocitatur. In Delphinatus & Allobrogum finibus montes, qui Pilati monumento è regione visuntur, istam habent. Geneuæ, ex vicinis montibus petita, & plantata, in horto meo florebat mense Maio, & Iulio ac Augusto semen mutabat. Locus & tempus.

ARCION VETERIBVS.

CAP. XIII.

ARcion, quod alij Prosopida, aut Prosopion, quasi Personatam [ἄρκιον, οἱ δὲ προσωπίδα, οἱ δὲ προσώπιον] vocant, *folia* habet Cucurbitæ, maiora tamen, duriora, nigrioráque & hirsuta: *caulem* albicantem [ista non habet nisi inter notha Ald. codex: vt neque vetus manuscriptus & Oribas.] quanquam & interdum herba hæc vidua caule reperiatur: *radix* grandis est, & intus quidem alba, foris verò nigra. Hæc drachmæ vnius pondere pota cum pineis nucleis, cruenta expuentibus, purulentaque excreantibus auxiliatur. Trita quoque articulorum dolores ex contorsionibus contractos illitu sedat. Folia Diosc.

denique antiquis vlceribus vtiliter imponuntur authore Dioscoride.

Plinius Quidam Arcion Personatam vocant, cuius folio nullum est latius, grandes lappas ferentem. Huius radicem decoctam ex aceto dant potui. Ita Plinius lib. 25. cap. 9. Et non longè inferiùs: *Error in Plinio.* Personata (vulgata tamen exemplaria falsò Persolata habent, inquit Corn.) quam nemo ignorat, Græci Arcion vocant, folia habet maiora etiam Cucurbitis, & hirsutiora, nigrioraque & crassiora: radicem albam & grandem. Hæc ex vino bibitur denariorum duorum pondere.

Arction alterum Galeno. Galenus hanc non Arcion, sed Arction alterum vocat, & Prosopida, cuius folia Cucurbitæ foliis similia sint, nisi quòd maiora & duriora: atque discutiendi & siccandi vim habere. Habere etiam quid quod moderatè adstringat, & propterea folia eius antiqua vlcera sanare. Plura seq. capite.

ARCTION VETERIBVS.

Cap. XIV.

Descript. ARction, inquit Diosc. aliqui Arcturum vocant, *folia* habet Verbasco similia, nisi quòd hirsutiora, rotundioráque sunt: *radicem* teneram, dulcem, & albam: *caulem* mollem, longum: *semen* *Lectio varia.* Cumino paruo simile] vel καυλὸν μαλακὸν, μικρὸν· καρπὸν δὲ κυμίνῳ ὅμοιον, μικρόν, hoc est, caulem mollem, paruum: fructum verò Cumino similem, paruum.] Radix cum semine in vino decocta dentium dolores mulcet, si quidem ore decoctum contineatur. Ambusta, pernionesque eodem fouentur. Bibitur & propter ischiada, vrinæque difficultatem è vino, vt Dioscorides nobis author est.

Diosc. sententiam planè reddit Plinius lib. 26. c. 12. & lib. 27. c. 5. Tenuiũ partium esse tradit Galenus, & propterea siccantem & moderatè extergentem esse, cætera quæ habet eadem sunt cum iis quæ Diosc. & Plinius.

Marcell. errator. Animaduertisse, docuisseque jampridem Leonicenum, Plinium vicinitate nominis deceptum Arction cum Arcio miscuisse, Personatiamque appellasse, refert Marcellus: cùm tamen Arcij, non Arctij propria sit Personatiæ appellatio, id quod ex Dioscoridis historia nouisse facillimè omnes possunt. Diuersæ enim plantæ sunt diuersis notis & viribus descriptæ. Ideoque Græcorum Medici & Herbarij omnes priuatim, seorsumque vtramque descripserunt: & alteram folio Cucurbitæ, alteram Verbasco similem fecerunt. Vtebantur autem Arcio siue Personatia quondam ad personas in tota Græcia & Italia gentes omnes, quoties in theatris, aliisue locis, qui cognosci populo nollent, egisse quidpiam volebant, facilè, sed non toto anno (hyeme enim non suppetebat) ad eam rem ex incultis & pinguibus locis apparatu. Caussaque hæc est cur Græci etiam ab eodem eorum vsu Prosopida & Prosopion vocauerint: neque enim voces illæ aliud quàm Personam indicant. Neque immeritò Dioscorides Cucurbitarum foliis comparauit. Figura enim illis respondent, & si pinguiore loco nascantur, magnitudine etiam superant. Fuerunt præterea qui Arcion in Græcis Aparinen, in Latinis verò Lappam vocauerint. Sed, teste Marantha, stupiditas est credere Personatam esse Aparinem.

Arctij nomen vnde. Demum, Arctij & Arcturi, ab Vrsa, Vrsæque custode nomina esse ducta, à similitudine forsan aliqua foliorum suspicatur Lonicerus.

Arcij genera duo Galeno. Lappæ siue Arcij, inquit C. Bauhinus, genera duo Galeno 6. simpl. Primum Verbasco simile, quod Dioscorides Ἄρκτιον καὶ Ἄρκτουρον vocat, & Plinio lib. 27. cap. 5. Arction dicitur. Alterum, foliis Cucurbitæ, quod Dioscoridis est Ἄρκιον, siue προσωπὶς aut προσώπιον (i. e. Personata quasi Larua) & Plinij Persolata, & etiam Personata. At vulgò alia est maior, quæ Arcium & Arctium est Dioscoridis: alia minor, quæ Dioscoridi Ξάνθιον [quòd flauos capillos reddat dicitur &] χοιραδόλεθρον, quasi strumarum pernicies: hinc quibusdam Strumaria nominatur.

Cornarius ait officinas Arction Lappam minorem vocare. Sed quid velit, non intelligo: Suspicarer eum Xanthium tradere, nisi hoc alibi Fabam inuersam vocaret. Lappa minor dicitur de Xanthio, vt apparebit suo capite.

Ryffius in Diosc. ἄρκιον græcum vocat Prosopion maius, vel Arcturum, officinarum Lappam siue Bardanam maiorem, germ. Klein Kletten/ gall. *petite Bardane & Gletteron.* Videtur autem is ignorasse quid scriberet, & confundere diuersarum plantarum nomina. Nomen germanicum & gallicum sunt qui Xanthio adscribunt. Verùm id post ea exhiber. Cætera competunt plantæ, quam pro Personata proponit. *Ryffii ignorantia.*

Arcij, ἀρκίου, ac etiam Arctij nomine insigniũtur etiam Sequentes plantæ: Personata. Persalτera. Tussilago. Person. hirsuta. Arction capitulis mollibus hirsutis. Xanthium. Conyza maior. Acanth. siue Branca vrsina. Bunion

PERSONATA SIVE LAPPA MAIOR, aut Bardana.

Cap. XV.



DVos cubitos alta & procerior aliquando, *radice* longâ, crassâ, foris nigrâ, intus alba, sapore subdulci: *caules* recti, striati, lanuginosi, rubentes, ramosi: *folia* Verbasci aut Helenij, breuiora, rotundiora, supernè atro-virentia, infernè canâ lanugine pubescentia: *capitula* echinata recuruis ad obuias vestes & similia pertinaciter adhærescentibus vncis horrida, *flores* sustinent purpurascentes, singulares: stilum è vaginula atro-purpurea emittit colore carneo præditum. *Descriptio.*

Personatasiue Xanthii Diosc. Trago. Nisi reprehensio quædam Trago timenda foret, affirmare non dubitaret, Lappam maiorem, primo & secundo anno, antequam excaulescit, seu Lappas suas profert, Germanis non Kletten/ sed Grosskletschen/ Personatiam, de quâ Dioscorides lib. 4. egit, vocandam: rursus eandem cùm caules & fructus produxerit, Germanis non ampliùs kletschen, sed Kletten/ i. e. Lappam appellari, & ad Xanthion Dioscoridis pertinere.

Gorræus hallucinatur. Gorræus statuit Lappam maiorem esse herbam palustrem, sed quàm verè, demonstrant natales

natales. Ryffius, ceu iam monui, & eum sequutus Rheginus, Lappam hanc maiorem à minore non ritè distinguit. Toxites quoque in Onom. philosph. p.27. Arcij titulo distinctas confundit plātas. Videtur Amatus lib.4. cap.107. & seq. eandem plantam tradere, in qua re aberrasse deprehenditur. Displicet autem, Amato Dalechampij figuram appositam esse, quum Amatus de ea stirpe non loquatur.

Leonic. contra Plinium. Leonicenus de error. med. apud Brunfelf. tom. 1. rhapf. 4. vbi pro Arctio apud Plinium lib. 25. errore codicis Echion legi arbitratur, itemque pro Personacia, vitiosè Persolata, de Bardana seu Lappa hac maiore, loquitur. Tomo verò 2. p.103. Plinium in suo libello notandum putauit, quod lib.25. eodem capite, bis Personaciam descripserit, altero tamen loco Personatiam, & altero Persolatam dici insinuauerit. Sed Leonicenus (inquit Pandulph. Collinutius) Plinium taxat, quòd duplicem Personatam esse crediderit. Nulla ratione Echion pro Arctio positum dicit. Non ideò duplicem Personatam esse credidit Plinius, quia quosdam Echion Personatam dicere & ex aceto radicem dare scripsit. Arction Græci duplicem esse tradiderunt, quorum 1. Plinius 27. & alterum 25. pinxit, ego ambas Personatam & Lappam voco.

Agricola notatur. Non placet Agricolam, Lappam maiorem Vngulæ speciem constituere. Euch. Roesl. Bardanæ maioris plura assignat genera, quę ait eiusdem ferè naturæ, calida & sicca tertio gradu: vni adscribens acuta folia, quam meliorem facit; alteri verò rotunda, quæ non æquè bona; tertiæ lata & magna, quam esui inutilem scribit: Quartam vocat Lapatium acutum, quam Acetosam vocant multi. Sed quid obsecro commune habet Acetosa cum Lappis & Bardana, vel forma, vel viribus. Bardanæ picturam habet, verùm non indicat, quæ ea sit ex suis Lappis.

Synon. C.Bauh. phyt. & pin. Lappa 1. siue maior, Arcium Dioscoridis: Lappa maior Brunfelf. Trago, Turn. & Cæsalp. Personata Lac. Lon. Lob. Obs. p.318. Ic. Plant. p.58. & Lugd. p.1055. Personata maior Matth. Cast. Personacia Fuchs. & Fracast. Bardana siue Lappa maior Dod. Arcium Anguill. Dodon gall. Cordo in Diosc. Arction Personata, Thalio.

Nom. ling. Germanis dicitur Grooß kletten: Belg. Grootte Clessen. Gall. *Gletteron ou Napoliere.* It. *Lapolla maggiore.* Hisp. *Bardana, Pegamacera mayor.* Angl. great burre. Hung. Nagy lapu.

Vires & vsus. Quæ Dioscorides & Plinius atque Galenus de Personatiæ facultatibus memoriæ prodiderūt antè annotauimus. Personatiæ herbæ succus vino veteri in potionem datus, omnes morsus serpentum mirificè sanat. Eiusdem foliis cingit febricitantem Apuleius, & statim febrem mitigat, caloremque sanat. Vulnus, etiamsi cancer sit, cū aqua decoctionis foliorum eius fouet: deinde ipsum cum nitro & axungia cum aceto terit & panno inducit & imponit. Ad canum rabidorum morsus, radicem cum modico sale tritam morsui indit & statim ægrum liberat: succum foliorum cum melle propinat, ad vrinam prouocandam, & vesicæ dolorem tollendum. Puluerem seminis eius cum vino optimo per quadraginta dies dat, & ischiadicos mirabiliter sanat. Foliis tritis cum albumine oui & ischiadicos mirificè curat. Holerius in pleuritide, radicis Lappæ siccæ, quæ purpureum florem gerit: aut floris eius drach. duas è mulsa propinat. Bardanæ maioris folium summo capite gestatum, matricem sursum tollere, sub planta verò pedis deorsum, memorat Mizaldus. Et hoc remedium præstantissimum habetur aduersus suffocationes, præcipitationes, ac dislocationes matricis. Folia capiti imposita, eius dolorem mitigare scribit Vittembergicus. Personatiæ caules, primo Vere erumpentes, deraso cortice, crudi coctique prima mensa mandi cœpêre: aliis ex solo sale, aliis ex oleo, acetoque placet: in tantùm receptâ gratiâ, vt largissime à quibusdam manducetur, errore manifesto (si Bruyero credimus,) quem refellere interest vitæ. Est enim [vt cætera olera agrestia] succi improbi. Aiunt calculis renum prodesse, vrinæque ciendæ idoneam.

PERSONATA ALTERA CVM capitulis villosis.



Descriptio. Vix aliud inter hanc & priorem vulgatiorem discrimē animaduerto, quàm in echinis, quorum spinæ aduncæ lanugine incanâ ceu aranearum telis intertextę sunt: cęteroqui *flos* huic quoque purpureus: *folia* item non absimilia.

Synonyma. C.Bauh. phyt. Lappa 2. siue maior lanuginosis capitulis, quam mihi siccam acceptam refert, & à Lappa sua 3. siue maiore montana, Arctio Dioscoridis, vt vocat, & Personnata altera Matthioli, Arctioue montano seu Lappa minore Galeni Lobelij, separat, quam opinionem probare non possum donec diuersæ demonstrentur plantæ.

Locus. Beffordiæ extra portam superiorem obseruaui.

ARCTION CAPITVLIS MOLLIBVS hirsutis. CAP. XVI.




Descriptio. Hac forma depingitur Arction in vetusto Cæsareæ bibliothecæ codice, authore Dodonæo, *foliis* videlicet latis, in ambitu crenatis: *caule* tenero erecto: *capitulis* aliquot in fastigio mollibus ac lanuginosis, vt primi Cymini siluestris.

Arction ex codice Cæsareo [vt inscribitur apud Dod. & H. Lugd. p.1307.) siue Arction quintum, C.B. phyt. & pin. quidā

XANTHIVM SIVE LAPPA MINOR.

Cap. XVII.



Descriptio.

Xanthium *caule* est cubitali circiter, hirsuto, punctis rubris guttato, ramoso: *folia* alternata pediculis nituntur vncias tres longis, cauli concoloribus, Tussilaginis foliis quodammodò similia, sinuata & crenata, colore [id quod nomen ipsum loquitur] xantho, vtrinque hirsuta, sapore acriusculo & quodammodò aromatico: quà foliorum pediculis est ortus, plura simul capitula se promunt bulbata, *flosculos* stamineos emittentia, quibus delapsis *echini* succrescunt lappacei, vestibus adhærentes, oblongi, in duos acutos rigidosque mucrones desinentes, qui duobus distinctis loculis totidem grana condunt, hordeacea: *radix* parua multas vndique fibras profert.

Diosc.

Xanthium Dioscoridi caule est cubitali, pingui, anguloso, & prodeuntibus ex eo alis compluribus: folia verò habet Atriplicis incisuras habentia, Nasturtium odore imitantia: fructum teretem, grandis Oliuæ instar, & Platani pilularum modo spinosum, qui quidem contactu vestibus adhærescit.

Appellationes notha Cœradolethron.

Hanc aliqui Phasganon seu Phasganion, alij Antithesion, alij Chascanon, alij Chœradolethron, quasi Strumarum pernitiem, aliqui & Aparinen vocant, & Philantropon, addit Paulus. Et sanè (inquit Corn.) Philantropi appellatio, rectiùs Aparinæ conueniret. Nam de hac scribit Dioscorides quòd axungiâ tritâ excepta strumas discutit. Hoc autem significat vox cœradolethron strumarum nimirum pernitiem. Videtur itaque & Xanthium ex Lapparum genere esse, velut etiam Aparine: officinæ Lappam inuersam vocant. Xanthium quidem nomen ab effectu inditum esse concludit Ryffius, quòd rutfet capillum. Phasganon porrò dici, i.e. ensem, à similitudine aliqua caulis & foliorum: χάσκανον verò ab hiatu foliorum: Aparinen denique & Lappam à formę quadam imagine qua nonnihil huic cum Aparine & Lappa conuenit. Cęterùm qui cum Ruellio credunt Arction hanc esse plantam, quam vulgus Lappam seu Bardanam minorem vocat, falluntur. Aliud non est quàm Xanthium testibus inter alios Trago, Fuchs. Matth. Dod. Lob. Lac. Amato, C. Bauh. & Apolline. Dorsthenius ignoranter Lapathum minus klein cletten/ vocat, & cum Lapatho confundit. Plinius huius non meminit.

Synonyma

Lappa minor Brunfels. tom. 3. Rhaps. 16. Trago [qui & Tribulum terrestrem nuncupat,] Eric. Cordo, Euch. Röß C. Bauh. phyt. & pin. cui & Lappa sexta. Xanthium Matth. Anguill. Dod. Fuchs. Turn. Cordo in Diosc. & hist. Gesn. hor. Lac. Lon. Thal. Cęs. Cast. Tabern. Lobel. Obs. p. 319. Ic. Plant. p. 588. & Hist. Lugd. p. 1056. Xanthium siue Strumaria Lob. in Adu. Bardana minor Gerardo. Arction vel Arcturus Gesn. cat.

Nom. ling.

Ξάνθιον & φάσγανον Græcis, Germ. Bettlers läüß/klein kletten & Spitz kletten: Belg. kleine Clissen: Gall. *petit Gletteron*. It. *Lappola minore*. Hisp. *Lappa, seu Bardana menor*: Angl. Lowse burre Lesser/ burre.


Locus & Tempus.


Læto & pingui solo; ac in scrobibus & lacubus vbi exaruerunt, facilè gignitur: Iulio & Augusto vigent Xanthij lappæ seminibus prægnantes mense Octobri.

Vires & Vsus.

Fructus antè collectus quàm perfectè siccescat, deinde tusus & fictili vase reconditus, flauos facit capillos: si quidem, cùm vsus exigit, eius sextarij semissem aquâ tepidâ diluas, moxque eo caput, nitro ante perfrictum, illinas. Sunt & qui in vino tundant, itàque asseruent. Cæterùm, commodè quoque œdematis imponitur. Plura addit Aetius: fructus, inquit, discutiendi vim habet: decoctum verò corticis potum, lienes consumit: & dentes motos firmat eiusdem decoctum ex vino collutum. Cùm autem discutiendi vires habeat, facilè colligitur, ait Ryffius, temperamento esse calido & sicco præditum, id quod ex sapore etiam, qui amarus est & subacris, deprehendi potest.

FINIS LIBRI TRIGESIMI SECVNDI.





HISTORIÆ VNIVERSALIS PLANTARVM

LIBER XXXIII.

ECHIA, BVGLOSSA, CYNOGLOSSÆ, HELIOTROPIA, ET SIMILES.

Proxima nunc cura habenda earum, quas nec ipsas temerè misceas aliis, aut à se inuicem diuellas. Estque præcipua affinitatis nota in semine, & quòd folia pleraque habeant aspera, pilisque hirta.

BVGLOSSVM VETERIBVS.

CAPVT I.

BVGLOSSVM Verbasco (Βούγλωσσον φλόμῳ) simile est, *folio* in terra sparso, verùm aspero, nigriore, bubulæ linguæ simili, quod vino inditum animi voluptates augere, hilaritatemq; afferre creditur [εὐφρόσυνον δοκεῖ εἶναι, pro quo Codex vet. δοκεῖ θερμὸν εἶναι ὁ φλοιὸς τῆς ῥίζης πρὸς ἰσχυρίαν ποιεῖ. Videtur calidum esse: cortex radicis facit ad Ischuriam] inquit Dioscorides: Qui antè Buglossum Circio folijs simile esse scribit, modicè hirsutis, & longioribus [μακρότερα. Vet. μικρότερα minoribus. Idem rursus cum Symphyti secundi folijs comparat, cùm ait. Symphyto secundo, quod aliqui Petron vocant, circa caulem ex interuallis haud ita magnis folia exeunt hirsuta, angusta [Vet. subangusta & subexigua] longiuscula, ad Buglossi foliorum similitudinem. Hilaritas, Euphrosynon

Buglosson in vinum iniectum aiunt voluptates augere, quod perhibent quoque Galenus, Paulus, Plinius, Simeon Sethi, Apuleius, Serapio, Auicenna, & Quintus Serenus. Galenus quidem sic scribit. Buglossum humidæ calidæque temperei est. Itaque vinis iniectum lætitiæ ac hilaritatis caussa esse creditur. Sed & ijs qui ob gutturis asperitatem tussiunt, coctum in melicrato conuenit. Et *Paulus* his verbis, Buglossum humidum est & calidum temperamento, quamobrem vino immissum lætitiam ac animi voluptates efficere dicitur. *Iungitur*, inquit l.25.c.8. Plinius huic [Plantagini] Buglossos, boum linguæ similis, [similitudinem hanc ad figuram pariter & asperitatem refert Gesnerus] cui præcipuum, quod in vinum adiecta animi voluptates auget, & vocatur Euphrosyon. Et lib.26.cap.11. Buglosso inarescente si quis medullam è caule eximat, dicatque ad quem liberandum febre id faciat, & alliget ei septem folia antè accessionem, aiunt è febre liberari. Buglossum vrinam, inquit *Simeon Sethi*, & sitim sedat. Caules eius cocti, & crudi comesti, iecoris affectibus prosunt. A viatoribus ex eo conficitur Zulapion, & est vtile.

Nascitur, inquit Apuleius locis cultis & sabulosis. Buglossa dicta est eò quòd folia aspera in modum linguæ bubulæ habeat. Folia habet aspera, obscura terrestria. Hæc in vino mixta hilaritatem conuiuis facit: in cibum etiam cocta pro olere sumitur, vel trita pro condimento. Herbæ Buglossæ quæ treis thyrsos seminis mittit [Eadem hæc Dioscorides Buglosso: Plinius vero loco suprà primò citato Cynoglosso tribuit] radicem totam cum aqua decoque, ipsam aquam decoctam potui dato, remediabis tertianas: quæ autem quatuor thyrsos habet, faciet ad quartanas, dabis autem vt suprà. Alia item herba similis est ei, quæ folia Lapathi fert minuta, eius radix potata ex aqua, rauis & serpentibus aduersatur. Herbæ Buglossæ succum cum melle dabis bibere, miserabiliter suspirium tollit. Herbam cum melle & pane contritam vice malagmatis impones, mirificè rumpit apostema. *Etymon. Vires ad Hilaritatem. Superstitio.*

Lingua Bouis, inquit Auicenna lib. 2. Canon. tract. 2. cap. 116. Lingua Bouis quid est? Herba lata, habens folia sicut Almaru & aspera ad tactum, & rami eius asperi sunt sicut pedes locustarum: & color eius est ex viridi & Citrino. Oportet vt administretur illa quæ est Corascent, grossa habens folia, super quorum faciem sunt puncta, quæ sunt radices spinarum & pilorum exeuntium ab ea. Quæ autem in hac terra reperitur, & quâ vtuntur medici, plurimum eius est genus Almaru, & non est lingua Bouis, & neque confert vt iuuamentum illius est. Proxima

est æqualitati in calore: ad caliditatem enim declinat paruam, & est in fine primi in humiditate: & quæ sicca est, est minoris humiditatis. Et dixerunt aliqui, quod est frigida & humida in fine secundi: sed illud est longinquum. Virtus eius quæ adusta est, remouet alcola quæ sunt in infantibus. Et sedat inflammationes, & similiter ipsamet: sed ipsa est debilior. Est lætificatiua, confortatiua cordis, bona melancholiæ ex solicitudine, & tremori cordis, in vino, & dispositionibus melancholicis: & quidam in potu eam tribuunt ad tremorem cordis, cum luti Armeni ponderi 2. drach. & confert tussi & asperitati cannæ, & propriè cum coquitur cum hydromelite & Zuccaro. Idem de med. cor. tract. 2. Lingua Bouis calida est & humida in primo: cuius proprietas est lætificare, & confortare ipsum magnificè, & adiuuat ipsum illud quod in ea est de solutione melancholiæ subtilis. Quare per illam mundificatur sanguis cordis, & substantia spiritus. Melior tamen est quæ de regione Corasceni affertur, habens spissum folium, velatum plurima lanugine: quod, inquam, post exsiccationem nec contrahitur, nec est siccum: quæ autem in his partibus reperitur est ex genere Maru, & vtitur pro lingua Bouis, propter similitudinem illius ad illam, cùm tamen non sit illa. Etiam aggregatur in hac medicina victus proprietatis cum natura propinqua temperamento, quare non eligatur alia super eam.

Temperã.

Serapioni *Lisen Althaur* dicitur, & est Planta quæ assimilatur herbæ quæ dicitur Caromas: vires verò quod attinet, is pleraque ex varijs tradit quæ suprà ex Auicenna retulimus.

Æquiuoca. Cæterùm Buglossi hæ recensentur species, Buglossique nomine sequentes donantur plantæ: Borrago. Borrago siluestris tenuifolia. Buglossum folio Borraginis Hispanicum siue semper virens. Buglossum vulgare maius flore purpureo & albo, cultum & spontaneum, Buglossum angustiore folio & flore minore, purpureo & albo. Buglossus minor annua. Buglossus rubra. Bugloss. siluestre, Echium multis. Bugloss. silu. pharmacopolarum. Bugl. silu. Pulmonaria dictum. Buglossum peregrinum radice multifida, Pulmonaria Penæ & Lobel. Aduers. pag. 147. & Lob. Obseruation. Buglossæ siluestris species Thalio, quæ nobis est Cynoglossa topiaria fortè Plinij. Cynoglossum quod à Plinio alijsq; nonnullis cum Buglosso confunditur. Buglossum Echioides Anglorum Penæ & Lob. Aduers. p. 24. de quo H.n.g.l.24. hoc titulo, Hieracium capitulis Cardui benedicti. βούγλωσσον μέγα, de quo l. H. nostr. lib. 26. Buglossum magnum siue Carduus Pratensis Tragi, de quo lib. 26. Buglossum Antarcticum quibusdam, Petum Teueti H. Lugd. 18. cap. 118.

Cæterùm, quia Borrago à quamplurimis Buglossum censetur, sciendum est ipsiusmet etiam Borragini vocabulo plures & diuersas plantas inueniri, vt: Borrago vulgaris trium quatuorve colorum. Borrago siluestris tenuifolia. Borrago hiemalis siue Buglossum folio Borraginis Hispanicum. Borraginis siluestris species Buglossa Simoni Genuensi, Buglossum vulgare maiori & minori flore. Borrago siluestris quorundam, siue Echium Fuchsij, secundum nostram inscriptionem. Borrago minima herbariorum siue Symphytum pumilum. Borrago montana flore flauo de qua Gesnerus de collat. stirp. pag. 63. quæ qualis adhuc nos latet.

Borragine deficiente sumit Chichorium Tractatus qui pro quo. Borragini etiam substitui potest, secundum eundem tractatum qui pro quo, Scariola.

BORRAGO FLORIBUS CÆRULEIS & albis.

CAP. II.



INfirma est planta, & quæ ægrè se humo tollat: *radix* alba, digitali crassitudine, mansu viscida: *folia* lata, subrotunda, aspera, rugosa ac plicata, per terram sparsa, eminentibus pullis tenuissimisque aculeis: *caulis* hispidus, teres, inanis, cubitalis, ramis brachiatus: *flores* amœni, stellati, radiatâ quinque foliorum acuminatarum serie explicati, vmbone medio, in quo stamina, circumposito, facilè à quinque foliorum hirsutorum calyce cui insident, cedentes, colore cæruleo purpurascentéve, vel albo. *Semen* illi nigrum, striatum: [Anchusæ aut Lycopsis Lobel.]

Simon Genuensis in lit. B. Borraginem vocat, ac notam ait, aptá nque medicinæ & flore & folio, & semine: Buglossámque dici speciem eius siluestrem: se verò non reperire aliquem autorem authenticum facientem capitulum de vtraque: si scribat de vna non scribere de altera. *Pandectarius* tamen cap. 2. Scribit alterum de Borragine, in quo allegat Dioscoridem: Et alterum de Buglossa, in quo citat Serapionem, ex eiusdem Dioscoridis auctoritate de Buglossa loquentem. Borrago. Buglossum.

Borraginem cum Buglosso Hermolaum miscere, patebit infrà, vbi de Buglosso agetur. Is porrò videtur Cirsion statuere. Sed audiendi non sunt, inquit Ruellius, qui esse putant Cirsion herbam quam Borraginem olitores vocant. Quam Buglossam, linguam Bouis Romani appellant, ea est quæ hodie officinis Borrago dicitur. Sed ipse quoque Ruellius Buglossum & Borraginem inter se confundit. Herm. not. Ruell. not.

Leonicerus de err. med. Borraginem veterum Buglossum esse concludit. Descriptio, inquit, Buglossi apud Diosc. potiùs Borragini conuenit &c. In Borragine capitula cærulea non purpurea conspiciuntur. In authore de simplici medicina leguntur hæc verba: Buglossum Romani Linguam Bubulam, Lucani Corago, nascitur locis cultis & sabulosis. Fortè autem pro Borrago verbo Corago vitiosè scribitur, aut nomen Coraginis vnâ literâ variatâ est in Borraginem versum. Pandectarius quoque si qua est huius hominis authoritas in litera L. Lisen althaur, quod nomen apud Arabes significat Linguam

Bouis

Bouis, ipse Borraginem interpretatur. Quare fortè meliùs fuerit cùm Buglossam de qua Dioscorides, Galenus, & Authores Arabes vtrumque allegantes ad vsum medecinæ adhibemus, Borraginem potiùs quàm illâ quæ passim Buglossa nuncupatur recipere. Atque ita falsum erit quod Mótagnana existimauit, Auicẽnam nihil de Borragine dixisse. Nam nisi me fallit opinio, caput de Buglossa, seu Lingua Bouis, apud Auicennam est caput de borragine, sicuti etiam apud Serapionem. Falsum etiã erit, id quod Simon scribit, qui putauit neminem authorem de vtraque herba simul scripsisse. Negari non potest quin Borrago sit alterum duorum apud Diosc. aut Cirsion, Buglossum magnum dictum, aut Buglossum, ab iis præsertim qui Borraginem Buglossæ, vel Bugossam Borraginis speciem confitentur: Si Borrago sit Cirsium apud Græcos: verum erit quod à Montagnana scribitur, tam multa de Borragine à iunioribus medicis temerè prædicari: Nam Dioscorides hoc tantùm de Cirsio retulit &c. Quare medici iuniores verum velint accepreni, aut quod Borrago sit vera Buglossa, vt nos opinamur, aut quod eius herbæ vsus non sit ad omnia illa vtilis ad quæ ipsi arbitrantur.

Montagnan. vid. *Auicenna Lingua bouis* *Contra Simonem.* *Cirsium.*

Marcellus Virgilius lib. 4. cap. 119. in Dioscoridem innuit ad imitationem Leoniceni Borraginem esse Buglossum Veterum, idque pluribus rationibus contendit. Et huic sententiæ adstipulatur Monardes lib. 5. epist. Syluius de comp. med. lib. 1. Cordus in Dioscor. lib. 4. cap. 128. & 129. Item Hist. lib. 2. cap 71. vbi 78. Brunfelf. in Herbario germ. Fuchs. Hist. cap. 51. & de error. Med. errore 6. Corn. in Dioscor. lib. 4. cap. 110. Euchar. Rœsslin. Ryff. in Dioscor. cap. 112. Matthiol. in Dioscor. cap. 123. Leonic. l. 3. c. 157. Io. Agric Medic. Herbar. Humelbelg. in Apuleium cap. 41. Lacuna in Dioscor. cap. 118. Amatus cap. 129. Cast. Durantes, qui flore cæruleo tradit & albo. Textor lib. 1. cap. 70. de peste, Apollo rad. 1. Rhegin in exerc. Rob. Const. in Lex. & apud Amat. Gesnerus in cat. pl. Dod. gall. & Lat. Lobel. Io. Bapt. Port. Villæ lib. 10. & phyt. lib. 4. cap. 16. Hist. Lugd. lib. 5. cap. 19. atque alii rei herbariæ periti.

Qui diligenter buglossi historiam expendunt, inquit Matthiolus, omnes herbam borraginem vulgò vocatam, in horto aliisque locis nascẽtem, potiùs legitimum buglossum esse censent, quàm illam, quæ buglossa vulgò nominatur, cuius in officinis communis est vsus. *Quorum* equidem iudicio non dubitauerim subscribere: siquidem Borrago dicta foliis est in vniuersum verbasco similibus, nigrioribus tamen, & asperioribus: quibus etiam hæc symphytum alterum æmulatur, quod folia buglosso proxima ferre alibi prodidit Dioscorides. *Adde* præterea quòd folia borraginis in terram procumbant, & bubulas linguas, tum forma, tum asperitate imitentur. Contrà quæ buglossi nomen sibi falsò vendicauit, folia habet longa, echio similia, non vsque adeò lata, vt bubulas referant linguas, minúsque humi depressa, quæ potiùs à toto fermè cespite sursum aspiciunt, nec aliqua ex parte verba scumant symphytum alterum repræsentant. *Quod* insuper borrago sit facilè legitimum buglossum, Auicẽnę testimonio comprobari potest, qui lib. 2. sui canonis ita scribit. Lingua bouis herba est lata, habens folia sicut Almaru, & ad tactum aspera, & rami eius asperi, sicut pedes locustarum. Oportet autem, vt illa administretur, quæ est in Corasceni, crassa habens folia, super quorum faciem sunt puncta, quæ sunt radices spinarum & pilorum exeuntium ab ea. Quibus notis adeò nostram borraginem expressit Auicenna, vt nemo non intelligat esse Linguam bubulam. Eam præter morem descripsit Auicenna, quòd suo quoque tempore non deessent, qui veri buglossi loco aliam quandam substituerent plantam, vt apertè eius verba declarant, dum subdit. Quæ autem in hac terra reperitur, & qua vtuntur medici plurimùm eius est genus Almaru, & non est lingua bouis, & neque confert, vt iuuamentum illius est. *His omnibus* illud denique accedit, quòd apud Apuleium in eo libello, qui de herbarum medicaminibus inscribitur, inuenio Buglossum Lucanis Corraginem nuncupari, prioris tantùm literæ mutatione, quòd cordis affectibus quàm maximè opituletur. *Quæ sanè* omnia, ni fallor, clarissimè ostendunt, borraginem esse verum ac legitimum Buglossum.

Et hinc meritò ait Hist. Lugdunensis. Rei herbariæ periti, Buglossum Veterum, eam procul dubio herbam esse putant quam borraginem vocamus, non illam quæ vulgò buglossa nominatur, & cuius in officinis communis est vsus, nec id temerè, ac sine iudicio. Descriptio etiam buglossi à Dioscoride tradita borragini ita conuenit, vt nulla prorsus nota ab illa discrepet. buglossum, inquit, Verbasco simile est, folium in terra sparsum, nigrius, asperum bubulas imitans linguas. Quis nisi planè amens ex ipsa inspectione non iudicet borraginem foliis esse Verbasco similibus, nigrioribus tamen, & asperioribus? Cùm igitur euidenter demonstratum sit borraginem nostram Veterum esse buglossum; in posterum medici pharmacopœique sicubi buglossum ab antiquis in medicamentorum compositiones adhibitum legerint, borraginem nostram, non vulgare buglossum vsurpent: &c.

Sic Theod Dorst. Quæ ab Empyricis & Herbariis iam buglossum appellatur, inquit, borrago est, & Clusius de plant. Hisp. Maru siue Almaru Auicennæ lib. 2. tractatu 2. præsertim tertia, ejus species. nihil aliud mihi videtur quàm vulgare nostrum Buglossum aut borrago. Ac etiam Raimundus à Vinario de peste ex correct. Dalechampii lib. 2. pag. 1. buglossum nominat, ibidemque borraginem intelligit, licet posteà sui oblitus buglossum diuersum faciat à borragine, cùm ait: borrag. buglossæ, &c.

An borrago sit buglossum dubitat Cæsalp. lib. 11. cap. 3. borrago inquit, vulgò appellatur olus, quod in hortis seritur: putant recentiores huic plantæ potiùs conuenire buglossi descriptionem quàm suprà dictæ (buglossæ vulgari) cùm tamen neque spontè oriatur in sabulosis, neque folia longa & angusta sint, vt in Symphito Dioscorides tradit, & vt ostendit similitudine linguę bouis: neque thyrsi tres vel quatuor insint. Tandem buglossa tota cum radice & semine colligi præcipitur mense Iulio: At borraginis radix perfecto semine exarescit, neque collecta seruari potest incorrupta. Sed forte Auicenna hanc intelligit, cùm describit herbam latam habentem folia Almaru & aspera ad tactum. Existimo autem borraginem in Italia quondam fuisse peregrinam, cùm de ea nulla fiat mentio ab antiquis inter olera.

Videtur sibi contraria scribere Anguillara & modò Borraginem Buglossum asserere modò negare. Sic enim epistola quinta ait: Quidam volunt confectum fuisse Nepenthem Homeri ex radice borraginis, eámque Galenum per Enopiã *Nepenthes.*

tradidisse, cui attribuit easdem vires quas Homerus Nepenthe. Intellexissem autem Galenum Borraginem non mihi manifestum, quandoquidem earum plantarum separatim meminit. Buglossa. Fuerit itaque Borrago, Buglossa optimè nota. Epist. verò 14. dicit: veram Buglossam esse Borraginem non ausim affirmare, in Græcia eam etiam Borraginem vocant.

Borraginem esse Buglossum Antiquorum negant Monachi dist.6. cens. 146. in Mesu. Quid certè sit Borrago vulgò dicta, à nemine priscorum describitur. Iuniorum autem plurimi firmissimè tenent esse Buglossum antiquorum. Nos autem (aiunt illi) diligenter examinatis omnium descriptionibus, Buglossum antiquorum non esse Borraginem statuimus.

Apollo quid sibi velit cum suo Buglosso Hispanico, quod pluribus hortis familiarissimum esse ait, & omnibus notis legitimum referre scribit, ac propterea Borraginem nostram esse statuit, considerent lectores. Monachi separant Buglossum Hispanicum à Borragine & à vulgari Buglosso. Monachis se opponit Turnerus, licet interim ei inclinet animus Borraginem nostram esse Cirsium. Guillandinus in Theone Borraginem à Dioscoride Echion vocari auguratur, contemnendâ penitùs coniecturâ. Non desunt tandem qui Borraginem Homericam Nepenthen esse statuant. Cuius sc. succo Homerus vino immisso tristitiam discuti, ac malorum omnium obliuionem induci scriptum reliquerit.

Buglossum siue Borrago dicitur omnibus iis quibus Borraginem hanc flore cæruleo & albo Buglossum Veterum esse diximus. Buglossum verum Dodon. gall. & Cordo. in Diosc. Eidem in Hist. Buglossa vrbana. Lobel. Buglossum Latifolium. Tabern. & Gesner. hort. Borrago floribus cæruleis & albis: In append. Borrago albis floribus. Hort. Lusitano Borrago cæruleis floribus, & Borrago albis floribus. Gerard. Borrago hortensis. C. Bauh. apud Matth. & phyt. Buglossa 1. siue latifolia, Borrago dicta flore cæruleo, aliquando candido: sic & ex pallescente roseo. Amatus nomine Buglossi quod Borraginem facit, falsam habet iconem. Harchius cui Italicè Buglossa dicitur, Gallicè *Bruynage* aut *Borage* [quæ quidem nomina vbi inuenerit nescio:] videtur Historiam eius confundere cum Buglosso. Officinis Borrago dicitur: Borrago. Buglossum. Libanium. Corago. Germanis *Burretsch*, Italis *Borragine*. Hisp. *Borraces*, Bohemis *Boraci*, Hungaris *Dinye zaguszin* à nonnullis Porrago: Veterum est βούγλωσσον, quod Latinis Lingua bubula, Lingua bouis, Buglossus & Libanium dicitur, Apuleio & Corago: vnde fortassis Borraginis nomen C in B mutatum nisi apud Apuleium Borrago pro Corago legendum sit. A Plinio verò εὐφρόσυνον siue Euphrosinum quòd hilaritatẽ excitet: quod & antiquus versiculus testatur.

Dicit Borrago gaudia semper ago

Bugl. vera. Borraginis radix, Si Lonicero lib.5.cap.157. non sit fides deneganda, dulcis est, Rapo accedens: flores stellati, cærulei, cani, niuei, & pallidi: cærulei vino impositi ob eius acrimoniam redduntur ex rubro purpurei: semen nigrum, dulce, nota herba in hortis & in culina, vsus foliorum Bugl. flo. est viridium non siccorum. Eandem floris permutationem refert etiam Io. Bapt. Porta villæ l. 20. dicens: Dioscoridis βούγλωσσον, Plinij Euphrosinon & Buglossum, Latini bubulam Linguam, Neapolitani Borraginem vocant, quasi borraginem dicas, versa ac peruersa voce ex buglossa. Flos cæruleus in Apulia in purpureũ & rubrum vertitur nimii caloris vi, quod idem euenit, si in acetariis aliquantisper immoratum fuerit. Borrago.

Locus & Tempus. Dioscorides campestribus & sabulosis locis nasci scripsit inquit Porta. Nos pingue, subactum, humidũ solũ in hortis damus, & in vineaũ hortorumque torulis plantamus, quibus semel sata importuna fœcunditate luxuriat, & ex seipsa seritur. Riguis in toto anno seri potest. Semine seritur Aprili & Maio, vt æstate fruamur. Vel Augusto & Septembri pro hieme. Transplantatur quum quinque foliorum esse cœperit, aut meliùs Octobri ac Nouembri. Semina ne decidant, colligantur immatura, ac triduò in fasces colligata resiccentur Sole, vbi maturuerint, substratis linteis decutiantur: biennio semen asseruatur: ne hieme gelu adurantur, lætamen aspergatur, hoc munimento aduersus frigora se tuentur. Borrago hiemis frigora minimè ferre potest additur ex Trago nisi ea quæ non ita pridem è terra enata fuerit, nullumque adhuc fructum procreauerit, deinde vt summo studio contegatur necesse est Quæ caules emisit planè alsiosa est, cum æstate enim in qua excaulescere cœpit, perit, neque alteram attingere potest. Iunio mense floret. E semine deciduo quotannis repullulascit, ita vt cùm semel occuparit locum, non facilè in posterum deserat, neque enim extirpari se vnquam patitur. Potest autẽ semel humi per hiemem illæsum delitescere, nisi à muribus deuoretur, qui propter dulcedinem, quam cum radice & floribus commũnem possidet, illo plurimùm delectantur. Borrago Monspelii floret tota hieme, Basileæ vidi florentem Octobri, Lugduni Maio, Geneuæ florentem Maio & Aprili, habui flore albo in horto meo Nouembri, vt etiam Patauii. Montbelg. prouenit & sæpe hiemem perfert: in horto E.C. habemus flore cæruleo & albo.

Vires & Vsus. Vires & virtutes Veterum de Buglosso antè annotatæ sunt. Aquæ distillatæ, necnon & conseruæ ex flosculis tribuunt vim roborandi cor (apud Tragum recentiores) lypopsychiam remouendi, lætitiam melancholicis excitandi, ac sanguinem purgandi, breuiter in omnibus febrium caloribus & animi deliquiis, tam aqua distillata quam flores sacch aro conditi vsurpari tutò possunt: Semen tusum ac in vino potum, mulieribus lactis copiam restaurat: mihi aqua Temperam. distillata & flores Sacch aro conditi probantur in omnibus febribus & vtiles: Humidi euidenter est temperamenti Borrago (authore Dodonæo) calidi non item: Sed in calore frigoréque medii esse apparet: Nostra ætas non modò herbam, sed præcipuè flores subinde in vinum conicit, vel acetariis aspergit, lætitiæ ac hilaritatis excitandæ caussa: conduntur & in hunc vsum cum sacch aro flores: tum & alia ex iis parantur, quibus ab cordis corroborationem, tristitiam pellendam, & animi lætitiam augendam Medici passim vtuntur, folia cum aliis oleribus decocta ad aluum molliendam nonnihil cõferunt, Herba radix, & semen, per se singula, aut simul omnia in vino cocta, potáque venenũ à corde arcet (inquit Matthiol.) sanguinémque mundum reddit. Semen contusum ex vino sumptum lac mulieribus reuocat, herba elixa comesta ad hepatis imbecillitatem facit. Eius etiam combustæ

bustæ cinis, cum melle rosato mixus in oris collutiones vtiliter assumitur contra linguæ inflammationem, faucium excoriationes, necnon linguæ ac gingiuarum: Demorsis aut pũctis à serpentibus aliisque animalibus succurrit Buglossi succus aut liquor stillatitius potus, eodémque locus affectus eluitur, superpositis foliis. Aquâ Borraginis madens linteum oculis impositum rubentibus & calentibus, dolorem sedat & ardorem extinguit: herba, radix, & semen simul omnia, aut quæ haberi possint, contusa in vino cocta, tepida coxæ superdata, dolorem ischiadicum mitigant. Radix cum oleo oliuarum & hordeacea farina in cataplasmatis formam cocta sphacelum corrigit & herpetem esthiomenum (Germanis est *Kaiter brand vnd vild feuer* dictum.)

Si collegeris (inquit Iohan. Heller D. Iuris Ven. lib. pisc. cap. 8.) mense Iunio Buglossum herbam, & radicem redegeris in puluerem & miscueris cum pauco succo Nepetæ, manus illiniueris & piscaueris, ad tuas manus venient pisces. Aut, Accipe Buglossum & calcem non extinctam, pisces morientur. A Ioan. Porta, cibo gratissimo flos acetariis spargitur & folium tenerum, quòd proprium odorem suboleat, vetustiora verò folia in quotidianis obsoniis peculiarem habent gratiam. Condituram Buglossi tradit P. Platina Cremonensis lib. 4. de tuenda valetudine & popinæ scientia. Holler. de morb. intern. lib. 1. cap. 54. ad promotionem menstruorum, secretum esse dicit quarundam mulierum, vti conserua Borraginis, dissoluta in vino albo tenui. Borraginem calidam dicit Lonicerus in principio primi gradus. Herbam eius cum Blito decoctam deuoratámque notabilem esse corroborationem debilium infirmorum, si interim de floribus bibant. Herbam in cinerem redactam, cum aqua mulsa contemperatam, salutarem esse medicinam contra omnis generis affectus, oris & linguæ, si sæpiùs eo lauentur. Borraginem cum Buglosso eandem habere virtutem, vnam pro altera vsurpari, ac earum nomina inter se confundi. Herbam in vino decoctam & bibitam bonum sanguinem facere. Succum cum saccharo mixtum propinatúmque vertiginem depellere. Syrupum de Succo Borraginis cum saccharo & puluere ossis cordis Cerui tremori cordis auxiliari. Succum cum Syrupo de Sena commixtum, haustúmque mane & vesperi, rationem augere, melancholiámque depellere. Florum crudum mansum sanguinem bonum generare, & tremorem cordis emendare. Ictero Syrupum mederi itemque cor & spiritus vitales recreare. Aquam florum, seu etiam herbæ & radicis in fine mensis Maii distillatam mane & vesperi Vnciæ pondere propinatam, ad eadem omnia prodesse.

BORRAGO SYLVESTRIS TENVIFOLIA.

Borragines siluestres præcipuam habent differentiam in *foliis*: quæ vel angustiora sunt, quàm in satiuis, vel Tabernamontano authore à quo planta hic à nobis proposita tam in Icon. quàm in Hist. vocatur Borrago siluestris floribus albis [*Wilder Borres*. Item Borrago tenuifolia *Barretsch mit schmalen Bletteren*.

Gerardo Angl. Lycopsis Anglica, *Vipers Buglosse & vnall Buglosse*. Item Borrago flore albo, *wbite flevven Borrago*. Is ponit iconem



Tabern. Borraginis tenuifoliæ, quàm bene indicare poterunt lectores.

BVGLOSSVM FOLIO BORRAGINIS Hispanicum.



Buglossa Hispanica bicubitales & altiores attollit *caules*, fistulosos, angulosos, hispidos, asperósque, nec in ramos diuisos: *folia* Borraginis, rugosa & aspera, spinis mollioribus quàm in Borragine & Buglosso, interdum longo, aliàs nullo pediculo donata, acuta, præsertim in caulib., quæ verò propter terram infima sunt, magis rotunda existunt, albisque punctis maculosa: multò latiora & non ita breuia vt in Buglosso vulgari maiori, ex quorũ alis *pediculi* hirsuti sextantales aut quadrantales surriguntur, duobus foliis circa fastigium donati, inter quæ *flores* emicãt cærulei, Buglossi æmuli, sed calyce breuiore & veluti sessili non vnà sese explicantes, quinque partiti. *Radix* crassa, adnatis donata, cortice nigro dei suiculo obtecta, intus alba, sapore lento & viscido.

De Buglosso à nobis hic descripto loquuntur Monachi in Mesuem Dist. 6. cens. 48. cùm dicunt. Buglossam Dioscoridis indubiè tenemus quam in Hispaniis inuenimus. Flores producit lanugineos, paruos, floribus nostræ Buglossæ penè similes &c. Hanc etiamnum pro domestica Buglossa accipiendam esse non dubitamus.

An Matthiolus in Dioscoridem huius meminerit sub nomine Buglossi Hispanici perpendant lectores, non describit nec depingit, tantùm mentionem facit.

Lobelius in aduersariis pag. 247. & Icon. Plant. pagin. 575. Buglossum semper virens appellat.

Cam. horti etiam Buglossum semperuirens. Cæsalp. lib. 11. cap. 4. Buglossa Hispana, cui conuenire dicit descriptionem Licopsis apud Dioscoridem. Hist. Lugd. Buglossæ genus quod hodie ex Hispania allatum in hortis seritur. Tabern. Icon. & Hist. Buglossum Hispanicum, *Spanisch Ochsenzung*. Non placet icon ex aduersariis Penæ & Lobelii desumpta. Catal. Franc. Buglossum Hispanicum, Borrago hiemalis. Dodonæo latino in fol. Anchusa prior, ὀνόκλεια appellata: à nonnullis κάλυξ: à nonnullis in Belgio Buglossa Hispanica.

Licopsis.


Locus & Tempus.

Buglossi Hispanici nomine ex horto Patauino attulit mihi Frater, vidi etiam Argentinæ in horto Friderici Meier vnde habui semina, nunc Montbelgardi se non parum multiplicat semine deciduo, tota hieme viret, nec annua est planta: in horto E.C. tota æstate floret ac etiam autumno.

Vires & Vsus.

Cæterùm Anchusæ Onocliæ radix refrigerat & resiccat, auctore Galeno (vt refert Dodonæus) & vna adstringit: & quia subamara biliosos etiam extergit humores: folia imbecilliora, adstringunt tamen quoque & resiccant. Dioscorides ad ambusta & vetera vlcera ex oleo & cerato efficacem radicem ait: erysipelatis cum polenta mederi: lepris & vitiliginibus cũ aceto imponi partus extrahere genitali impositam: decoctum [illegible] hiberi Ictericis, nephriticis, & spleniticis, febricitantibus cum melicrato: ad vnguentorum spissamenta à pigmentariis vsurpari: folia in vino pota aluum sistere.

BVGLOSSVM VVLGARE MAIVS ET minus, flore vtrumque duplici.



Descriptio.

Buglossum vulgò & officinis dictũ *folia* habet oblonga, sed asperitate senticosa, Borraginis appellatæ vtcunque mitiora, atrouiréntia & splendida: *caules* cubitales & sesquicubitales, itidem asperi & hirsuti in ramos plures fissi: *flores* per ramos serie quadam solitarii, tum in fastigiis confertì, Borraginis floribus dimidio minores, colore dilutiore, cærulei o(interdũ & albo,) in quinque lacinias obtusas abeunt, quarum singulis ad basim fimbria adnata villosa ex purpura albescens, totidémque subiecti apices nigricantes, in floris tubulo longiusculo, quem quinque ambiunt acuminata & hispida folia [Trago flores radiati instar rotulæ, partim candidi, partim purpurantes antè Solis ortum, qui si radiis suis violas percusserit, pulchrè cæruleo inficiuntur colore.] Floribus decussis in vasculis tria vel quatuor *semina* coniunctim posita, oblonga, rugosa, veluti sem. n Consolidæ maioris & maiora, sapore Amygdalino prædita: *radix* Symphyti instar, foris nigra, intus albet, gustu lento. (Trago quandoque cubitum longa, recta, pulla foris.) Magnitudine verò differt altera huius species illa, foliis similiter longis, hispidis, sed contractioribus, floribus minoribus albis vel purpurascentibus, interim caulis altitudine parum aut nihil cedit interdum. Trago breuior, angustior, acuminatior, ac quoad omnia magis exigua est, semine præsertim, quod & magis nigricat, flores similes, iique nonnulli cærulei, alij planè purpurei perpetuò.

In tanta authorum de Buglosso discrepantia operæ prætium nos acturos æstimamus si separatim cuiuslibet opinionem adscribamus, nec enim facili negotio discordes eorum mentes quis conciliabit.

Simoni itaque Genuensi, Buglossa dicitur Borraginis species syluestris. Syluio de comp. med. lib. 1 Buglossum magnum, Cirsium Dioscoridis dictum Buglossis vulgaris videtur: notas tamen Dioscoridis quasdam tradit desiderari. Hermolaus lib. 4. coroll. 33 Cirsion potiùs quàm vt quidam [Leonicenus] Cirsion legendum testatur, huicque herbæ similem esse Hircinam linguam vulgò dictam. Sed caule rotundo non angulóso vt Cirsion.

Marcus Virgilius in Dioscor. lib. 4. cap. 120. Buglossum omnibus notum ait, non tamen Antiquorum. Contra ait Guil. in Theone. Non videre satis queo, quæ causa sit. Cur vulgare officinarum Buglossum antiquorum esse Buglossum non possit. Ego profectò Bubulam priscæ ætatis linguam, Græciæ, Italiæ, Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ, & in summa omnium gentium vnanimi consensu, vulgare Buglossum esse defendo.

Ruellius lib. 3. cap. 116. ait: Circium alii Buglossum magnum, Romani Spinam mollem nominant &c. Cirsion herba est quam rustici, simul & officinæ, nec non Herbarii vocant linguã bouis vel Buglossum. An verò de minore vel de maiore loquatur Ruellius dubito, crediderim tamẽ de maiore loqui, quicquid ad eũ dicat Cordus, qui eius verba de minori Buglosso intellexit.

Cirsium Buglossum magnum.

Considerandum de quibus Buglossis hæc tradat Corn. in Diosc. Officinæ Anchusam Onocliã, Buglossum rubrum appellant, & perinde nostri *Rote Ochsenzung*. Idem lib. 4. cap. 101. Cirsion & officinæ & vulgus herbariorum Buglossum vocant. Nostri *Ochsenzung*. An etiam Apollinaris l. 2. nomine *Ochsenzung* maiorem intelligat vel minorem asserere non possum.

Brunf. in hort. Germ. pag. 41. *Vuild Ochsenzung*. pag. 42. videtur tradere pro Buglosso vulgari. Textor de peste lib. 1. cap 4. Buglossum silu. & cap. 7. Buglossum vulgare vocat. Helfricus in nomencl. cap 21. his nominibus Buglossum, Borrago, *Ochsenzung, Burretsch, Βούγλωσσον: Buglosse, Bourrache*, diuersarum plantarum nomina permiscet.

Helfr. not.

Herbarium antiq. Cubæ cap. 54. pro Buglossa, *Ochsenzung*, ineptam habet iconem eam non demonstrantem.

Tragus lib. 1. cap. 77. pingit hoc titulo, Buglossa Italica, *Welsch Ochsenzung*; describit verò nomine Buglossæ domesticæ maioris: Cæterùm apud eum secunda figura Buglossæ maioris superflua videtur, aut titulus mutandus, nec apud eum inuenimus figuram quæ benè exprimat minorem Buglossam siue angustifoliam.

Bugloss. dom. maius

Fuchsius

Fuchsius Icon. p.150. Echium Italicum spinosum, *Vuelsch Ochsenzung*. Item pag.151. Echium lanuginosum primum *Gemein Ochsenzüg*. Quam autem Fuchsius in Hist. cap.51. de buglosso [Borragine sc.] buglossam vulgi vocat, de ea cap. 130. hisce agit. κίρσιον Græcè, spina mollis, buglossum magnum, Officinæ necnon Herbarii buglossum & Linguam Bouis vocant. Germ. *Ochsenzung*, nos duo damus genera, quorum vnum Germanicum, alterum verò Italicum est, in quo omnia sunt maiora: Priùs Gallis *Buglosse sauuage* aut *Langue de Beuf*: alterum *Langue de beuf*, officinis Barba Hircina nuncupatur.

Barba Hircina.

Buglossum vulg. maius.

Matth. in Diosc. l.4.c.124. figuram habet Buglossi maioris, hoc titulo Buglossum vulgare, deinde dicit. Buglosso vulgò &c. Buglossi nomen sibi falsò vendicauit. Non tamen negare ausim quin vulgare Buglossum in campestribus nascens iisdem cum Borragine polleat viribus &c. Atque facie non multùm dissidere ea inuenias, si illud genus spectes, quod hodie in hortis seritur ex Hispaniis allatum &c. Non desunt qui asserant vulgare Buglossum Echij genus esse. Alij Cirsium existimant. Idem cap.114. Credidere recentiores quamplurimi rei herbariæ periti, nil aliud esse Cirsium quàm vulgare Buglossum. Sed mihi planè hæc Sententia, pace eorum dixerim, refellenda potiùs, quam probanda videtur: quòd Buglosso caulis triangulus non insit, sed rotundus: quòd ab imo foliola per ambitum aculeata rosæ speciem non referant, sed longa & continua prodeant: quòd deniqne Buglosso flores non euanescant in pappos, sed languescentes integri decidant, relicto in folliculis semine. Cirsij autem, nusquam quod legerim, meminerunt in simplicium censu Galenus & Paulus.

Cirsium.

Anguill. epist. 14. Lirofis nihil aliud est quàm vulgaris nostra Buglossa, quam postea ait hodie in Græcia etiam Buglossam dici.

Lacun. in Dioscorid. libro 4. capite 129. statuit officinas pro Buglosso exhibere plantam quæ non sit Buglossum, non neg. tamen quin deficiente Borragine possimus vti hoc vulgari Buglosso quod existimatur Echij species.

Amati error

Amatus in Dioscor. lib 4. enarr. 29. capite de Echio vocat buglossum vulgare, ibique appositam figuram, sed malè nomine Echij syluestris in impressione Lugd. Idem lib.1.cap.27. Cirsium siue Buglossam nominat. Et rursus lib.4.cap.120. officinarum Buglossum & vulgare in annot. Roberti Constantini. Idem lib.1. cap.27. per νηπενθὲς Homeri quoddam Cirsium Buglossum intelligere dicit. Et l.4. cap. 120. Cirsium nostræ vulgaræ Buglossæ respondet vt fatendum sit eandem herbam esse. Ruellius quoque patrocinatur & meritò. Matthiolus minùs benè Cirsium aliam plantam in Buglossa esse contendit. Contra Robertus Constantinus apud Amatum ait. Officinarum Buglossum species est Echij, etiam Fuchsio teste. Nimis pertinenter Lusitanus Matthiolo & rationi refragatur dum Ruellium sequitur.

Nepenthes

Castor Durantes vocat buglossam & buglossum vulgare, traditque hortense & syluestre, maius & minus.

Gesn. in append. dicitur Buglossus albis floribus. De hort. Buglossus minor vel communis, & Italica vel Gallica maior. De Collectione stirp. Buglossus maior. Item Buglossus vulgò dicta minor, quam alij Cirsion esse coniiciunt, Buglossus Italica.

Confusè Occo Buglossam, ἑλξίνην vocat Echium.

Ponit Euch. Rœsl. in herb. buglossum angustiofolio, cum hoc titulo, *Groß zam Ochsenzung*: alteram verò vulgarem, latiore folio, hoc, *zam Vuelsch Ochsenzung*: Cur autem *Vuelsch* dicat nescio, in agris Germaniæ prouenientem sæpè vidi.

Ruffus in Dioscor. lib.4.cap.22. Echium. Buglossa vulgaris *Gemen Ochsenzung*. Hac, inquit, Officinæ ferè omnes pro vera Veterum buglossa vtantur.

Theophrast. Golio buglossa dicitur. Harchio in Ench. Buglossum quo hactenus vsæ sunt officinæ, Cirsium Dioscoridis quibusdam. Rhegino in exerc. pag. 49. Buglossum magnum Cirsium dictum. *Cirsium.*

Lacuna lib.4.cap.120. in Dioscor. ait quosdam sibi persuadere ferè vulgarem buglossam aut Linguam bouis esse Cirsium, sed ratione carere eorum opinionem. *Cirsij negat.*

Lonic. lib.5. cap. 152. *Gemein oder groß Zam Ochsenzung*. Græcis Echion, Lat. Alcibiacum offic. Buglossum, Gallis *Langue de beuf*, Pharmac. assumunt pro Buglosso, folia sunt angusta & acuta, flores ex cæruleo purpurei: prouenit iuxta vias & aspera loca. *Lonicerus* iconem habet buglossæ folio angusto, flore minore: verùm facile est videre ex ei adsc. iptis eum diuersas plantas confundere, nec scire quid scribat, magnum & domesticum Buglossum estne foliis angustis? vbinam prouenit iuxta vias, & in asperis locis Buglossum quod pingit? Præterea proponit alteram iconem sub titulo, *die andere vvild Ochsenzung* id est, Buglossum alterum silu. quæ videtur esse Buglossi angustifolij flore minori: nec id benè distinguit ab Echio vulgari eodem capite posito. Dicto l.cap.155. addit *das groß Vuelsch Ochsenzung*, id est, magnum Italicum Buglossum dicitur apud Dioscor. Cirsion & Crission. Latinis Buglossum Italicum &c. Sic Cirsij descriptionem cum Buglosso latiore folio & flore maiore confundens. Is tandem iam dicto lib. cap. 157. non absque graui errore Borraginem esse ait legitimum buglossum: vulgare autem hoc buglossum siue Echion (vt ait) officinas malè nominare buglossum scribit. Sed rursus malè buglossum cum Echio confundit. *Buglossum Italicum.*

Nos, aiunt Monachi dist.6. cens.148. negamus Cirsion vel Crission esse communem atque vulgarem buglossam. Item buglossum Dioscoridis non esse buglossam nostram firmissimè asserimus. Pro sylu. buglossa Mesue accipienda quam communiter vocamus buglossam. *Non Cirsiū.*

Maxima ac manifesta, inquit Cron. de comp. med. non videre extremæ inscitiæ est: ægrè tamen diu confusam de buglossa opinionem deserunt quidam Herbarij, sed ij dicant eam Dioscoridis Cirsium esse, attestantibus Ruellio, Hermolao, Leoniceno, Monardo, Syluio, Fuchsio, viris summis & rei herbariæ peritissimis. Vnus tamen Hyeronimus Tragus cap. 77. lib.1. Nicandri ac Dioscoridis authoritati confidens, Echion decernit, quamuis plerique syluestrem buglossam eo nomine verissimè intelligant. Reuera indecorum est, & detrimentosum tamen ad hæc vsque tempora extitisse buglossi ac Borraginis ignorantiam, quam Medicinæ initiati, haud sine pudore & dispendio negligere possunt. Nam quâ facie, quóve prætextu, artem medicā profitebuntur, si res tam necessarias ignorare conuincentur? Nisi turpe non sit alicui, id profiteri quod nesciat. Floribus præcipua venustas ac gratia, qui hoc loco Zac-

charo condiri debent: Herba autem vnico & singulari dono prædita creditur, ad animi lætitiam augendam, & suboleat nescio quid iucundi folia. Hæc Cronemburg. qui lib. 2. Nepenthen fieri è Buglossa multis ita suspicantibus notis existimat.

Robert. quoque Steph. de arb. p. 19. Buglossum siue Buglossam nostram vulgarem esse Cirsium Dioscoridis credit.

Quæ, inquit, Apollo Rad. prim. Buglossi nomen falsò sibi vendicauit, siluestre, seu erraticum Buglossum appellari poterit, quidam Echij genus putarunt, alij perperam Lycopsim cum Anguillario: verùm Herbariorum bona pars, vt etiam Dessennius cum Fuchsio Cirsion: obstat tamen caulis rotundus, qui in Cirsio triangularis est: sicut nec foliola, ab imo rostrum specie, spinosis angulis producit, verùm longa & continua, obstat & capitulorum [etiam itidem purpureorum] forma &c.

Dodon. gall. duas habet figuras dicitque. Buglossa aut Lingua Bouis officinarum. Gall. *Buglosse* aut *langue de bœuf*. Germ. *Ochsenzung*. Belgicè *Buglosse & Ossenzunge*, quamuis non sit verum Buglossum. Prima species λυκοψὶς, Latinè Lycopsis, officinis huius regionis Buglossa & Buglossa domestica maior. Secunda species est Anchusæ genus, videtur ἄγχουσα, ἀλκιβιάδιον & ὀνοχειλὲς, Latinè Anchusa, Alcibiadion, Onocheles. Lat. in fol. Buglossa vulgaris, Posterior ætas Buglossam & Buglossam vulgarem appellat, ac pro vero Buglosso in vsum recepit. Hæc autem veteribus Lycopsis est dicta quam Galenus inter Anchusæ species numerat: à quo Dioscorides quoque haud alienus est, Lycopsim à nonnullis Anchusam vocari referens. Nec temerè inter Anchusas habetur, cùm omnibus partib. ipsas referat. Esse hanc Lycopsim veterum, dubitare non poterit, qui ipsam cum huius descriptione conferre voluerit &c. Audiendi minimè sunt illi, qui Buglossam vulgarem Cirsium esse existimant: Cirsion siquidem ex Carduorum est generibus cuius flos in pappos abit, in Buglossa neutiquam.

Aduersar. p. 246. Buglossum vulgare angustifolium. Hæc planta diuersa à Buglosso minùs vera retinuit nomen Buglossæ. Huius radix foris nigra, perennis, prolixa, glutinosa, edendo medendóque vti Borrago nata, & flores concolores, Primulæ veris modo aut Anchusæ, ferè maius quàm Borraginis, minùs nigrum, folia longiora, angustiora, Echio aut Lycopsi toto habitu, tam propè accedentia, vt ni defuisset rubellus radici color Lycopsim domesticam facturi fuissemus, qui quia nigricat potiùs Echium indicat, aut vtriusque anceps naturæ. Lobel. icon. pl. pag. 576. obs. p. 310. Figuram habet hoc titulo, Buglossum angustifolium Aduers. 246. Cirsium Italicum Fuchsio. Germ. *Vvelsch Ochsenzung*: deinde dicit Buglossi vulgaris varietas. Altera folio habiliore, flore cæruleo, rariùs albo. Altera strigosior, folio angusto, flore purpureo rubello, hortensis.

Cirs. Italic.

Camer. horto Buglossum Italicum vel Hispanicum grande, cæruleis, & interdum albis, interdum variegatis floribus. Cæsalp. lib. 11. cap. 2. Buglossa floribus cæruleis aut purpurascentibus: Buglossum Dioscoridis in campestribus nascens, Euphrosinon Plinij. Idem c. 3. hanc veram adstruit Buglossam à similitudine Symphiti: Auicennam de Buglosso agere scribit, quando dicat: putare se esse linguam Bouis Persicæ, cuius proprietas sit lætifi.... & tristitiam remouere

Hort. Lugd. Buglossum vulgare floribus rubris *Ochsenzung mit roten blumen*. Item Buglossum vulgare floribus cæruleis. *Ochsenzung mit blawen blumen*. Thal. Buglossa siluestris nigra, florem nigrum obtinens vulgaris Buglossæ, sed minorem.

Georg. Pict. apud Macrum in annot. vocat *Ochsenzungen*, & Dioscor. βούγλωσσον, pro quo figuram apposuit ineptam potiùs Cariophillatam exprimentem.

Tabern. icon. & hist. Buglossa vulgaris, *Ochsenzung*: & Buglossa Italica mas. *Vvelsch Ochsenzung Manlein*. Item Buglossa Italica fœmina: *Vvelsch Ochsenzung Vveiblein*. An Tabern. Buglossa vulgaris est Buglossa angustifolia? An eiusdem Italica eadem cum Buglossa maiore latifolia, quæ eadem in Germania spontè prouenit vt obseruaui sæpiùs, abundat sanè in agris Bolvvil ad Brissacum: fœmina fortè illa est.

Maior domestica Buglossus in quibusdam regionibus, vt in Lotharingia in agris optimis prouenit, authore Trago, aliàs in hortis plantari consueuit, folia mense Aprili profert, Maio mense caules emittit. Floret vt refert Dodon. à Maio aut Iunio vsq; in æstatis finem, folia hieme pereũt, vere verò noua erũpunt. Montbelgardi in horto E.C. mihi prouenit Buglossũ maiori folio & maiori flore cæruleo: obseruaui propè Monspeliũ & prope Frontignan spontè prouenientem, necnon in Rhætia: & Lugduni in agris florentem Maio, in Alsatia etiam in agris inter Brissacum & Entiesheimiam: Basileæ in hortis florentem Maio & Iunio: Patauij in hortis. In Burgundia in Abatia trium regum vnde transtuli in hortum E. C. & meum: Geneuæ in pratis florens Maio. Eiusdem generis aliud creuit in horto E.C. flore albo, cum aliqua rubedine: Idem vidi Stutgardiæ in horto Ducis & folio & flore maiore. Tubingæ cùm essem Clarissimus meus præceptor Fuchsius in horto habebat duo genera Buglossi parua: vnum vocabat Echium album ob flores: alterum Echium lanuginosum purpureum. Hæc eadem habeo in horto E.C. voco Buglossum angustiore folio flore minore. Vnum est purpureum colore violæ aut Anchusæ: Alterum est flore albo. Buglossum angustifolium vidi Viennæ in cœnobio S. Dominici à l'Angeli. Buglossum flore minore albo & purpureo Gœppingæ in horto Ill. E. C. & in *Vvisensteig* in horto Ill. Com.

Locus & Tempus

Qui sibi persuadent Buglossam vulgarem esse verum Buglossum, legant antè vires attributas ei ab antiquis, nos facilè concedimus ad Ischuriam facere, & ad asperitatem gutturis. Si Cirsium est vt alij existimant, videant caput de Cirsio: concedimus Buglossæ vulgaris radicem posse conuenire ad sedandos dolores varios. Lobelius & Pena tribuunt Buglossæ vulgari similitudinem in viribus Borragini. Errare Medicos ait Ferrer. cùm Buglossi radicem, crasso, tenaci, lentóque succo præditam, apozematis aperientibus inserant. Buglossum autem cùm sit viscidissimum, vt succus extrahatur, contusum debet in pelui sensim calefieri: sic enim statim spontè fundit succum, cùm expressio frustrà aliàs tentaretur.

Vires & vsus

***

ECHIVM

ECHIVM FVCHSII SIVE BORRAGO siluestris.

Descriptio

Digitali *radice* donata est, longiuscula, raris filamentis fibrata: ex cuius capite plures prodeunt *caules* dodrantales & cubitales aut etiam altiores, hirsuti, asperi, ramosi, fragiles: *folia* Echij, magis hispida, sinuosa, sapore fatuo: ad Borraginem accedente: *flores* purpuro-uiolacei, Buglossi minores, quinquepartiti, ex calice totidem folijs constante, *semina* quatuor Echij continente.



Fuchsij hist. cap. 103. huius figuram Echij titulo habet, quo nomine etiam describit. Tragus syluestre Borraginis genus facit: Dod. Gall. figurã Fuchsij proponens Lycopsim siluestrem nominat. Latino in fol. dicitur. Buglossa syluestris, Buglossæ minoris species, folijs asperis ac oblõgis, sed multò minoribus: flosculis quoque cæruleis sed exiguis: radice tenui & albida, quæ Lycopsis quædam minor est, aut potiùs Anchusæ quoddam spurium genus, vulgò Buglossa siluestris nuncupata.

Pen. & Lobel. Aduers. pag. 247. Erraticum Buglossum asperum Echioides. Est & hæc perquàm similis qualibet sui parte superiori, & penè par, macilentis & sabuletis Antuerpiæ vicinis passim spontè, vt etiam in hortis prouenien: Vtuntúrque Buglossi penuriã Pharmacopœi, quibus siluestre Buglossum creditur: admodum horrent, hispidáque sunt folia, setaceis pilis rigidis & pullis prominulis, tantúmque & simili differt modo à superiore, quantùm Labrum Veneris à Dipsaco hortensi. Radix gracilior, lignosa.

Locus & Tempus.

Reperitur in hortis inter olera, frequenter etiam in agris frumentum ferentibus, altiùs mẽsibus vigens. Echium Fuchsij Monspelij prouenit. Montbelgardi inueni florens in segetibus prope *Courselle*, mense Iulio: transtuli in hortum E. C. vbi quotannis se renouat, semine deciduo, florens Iunio & Iulio. Geneuæ in horto è regione domus Senatoriæ cum flore Maio: Limitibus agrorum Scotiæ luxuriat, non parum segeti damnosum, referente Gargillo.

Tragus hac Borragine siluestri, pro satiua, vbi id necessitas postulabat sæpenumerò vsus est.

ANCHVSÆ VETERIBVS IN GENERE. CAP. III.

Dioscorides tres Anchusæ species tradit, his verbis: Anchusa, quam nonnulli calycem [κάλυκα:] alij onocleam [ὀνοκλείαν] appellant, *folia* habet Lactucæ quæ folio visitur acuto proxima, hirsuta, aspera, nigra, numerosa, vndecunque [πανταχόθεν] ab radice velut affixa, spinosa: *Radix* illi est digitali crassitudine, colore quodammodò sanguineo: quæ æstate vel eo agnoscitur, quòd manus inficiat: Læto solo prouenit. Radici vis astrictoria, ad ambusta veteráque vlcera efficax, si in oleo addita cera decoquatur. Erysipelatis cum polenta imposita medetur: itémque vtiligini & lepris ex aceto illita. Vuluæ quoque subdita, partus extrahit. Datur & eius decoctum bile suffusis, nephriticis ac splenicis, si febris sit ex aqua mulsa. Folia verò sistunt aluum in vino pota. Vtuntur & vnguentarij radice ad vnguentorum spissamenta.

Altera quam aliqui alcibiadion seu onochiles [ἀλκιβιάδιον, ἢ ὀνοχειλές] vocauêre, à priore distat, quòd minora habeat *folia*, quanquam simili modo aspera, & ramulos tenues, in quibus *flos* purpureus in puniceum [Orib. ἢ φοινικοῦν] vergens: *radices* autem rubras, prælongas, quæ messibus sanguineo succo turgent. [V. ἀγχίζα αἱματώδη:] In sabulosis nascitur. Tum ipsa radix, tum & folia contra venenatarum bestiarum, maximéque viperarum, morsus efficaciter auxiliantur siue cibo, siue potu, siue etiam amuleto. Quin & si quis iis commanducatis ad venenatæ bestiæ os exspuerit, eam enecabit.

Hanc in nothis aliqui Cathanchusam vocant, alij Lybicam, alij Archibellion, alij Alcibiadion, alij Onophillon, alij Phorphyrida, alij Miydusan, alij Salycem, alij Noneam, alij Buinesach. Spuria Diosc.

Est & alia tertia, huic similis [videlicet secundæ] ac minore semine côque puniceo, quo commanducato si in serpentis os inspuatur ea morietur. Radix autem acetabuli mensura cum Hyssopo & Nasturtio pota latas ventris tineas pellit.

Hippocrate lib. 1. De morbis mulieribus χειλιάδα τὴν μικρὴν, & χειλιάδα τὴν μεγάλην habet, quam Galenus in Glossis τὴν ἀγχοῦσαν exponit, atque sic etiam appellari dicit: lib. verò 6. inter vteros purgantia Anchusæ [τῆς ἀγχούσης] folia ad pugillos duos in vino, pari aqua temperato, bibendum præcipit.

Paulus lib. 3. cap. 42. Anchusam quæ spinosum, & latum, & nigrum folium habet χοιροσπέλεθρον appellari dicit: & lib. 7. c. 17. in emplastro ex herbis, Anchusam chœrospelethron, Onocleam esse ipse exponit. Significat autem hæc vox lugetum porcinum. Meminit eius etiam lib. 7. dolabellarum suarum in Paulum Cornarius.

Theophrast. lib. 7. hist. plant. cap. 9. Proxime quidem terram foliatam esse [ἄγχουσαν] Anchusam tradit. Scalig. verò in hunc locum, se in Anchusæ stipite foliola animaduertisse notat.

Anchusam commemorat Plinius. Et quidem lib. 22. cap. 20. ait. Et Anchusæ radix in vsu est, digitali crassitudine. Finditur papyri modo, manúsque inficit sanguineo colore, præparat lanas prætiosis coloribus. Sanat vlcera in cerato, præcipuè senum, item adusta. Liquari non potest in aqua, oleo dissoluitur, idque synceræ experimentum est. Datur & ad renum dolores drachma eius potui in vino: aut si febris sit in decocto Balani. Item Iecinorum vitijs. & Lienis, & bile suffusis, Lepris & Lentigini illinitur ex aceto: Folia trita cum melle & farina luxatis imponuntur. Et pota drachmis duabus in mulso aluum sistunt. Pulices necare radix in aqua decocta traditur. *Capite verò* sequenti 21. eiusdem libri, de altera Anchusa sic tradit. Est & alia herba proprio nomine onochiles [onochilion Cu.] quam

aliqui Anchusam vocant, alij Arcebion, alij Onochelim, aliqui Rheziam,[Archibellion, alij Onocleam, alij Alcibiadion, alij Onocheiles. Diosc. Arcebion, alij onocholin: CH.] multi Enchusam, [enichrisam CH.] paruo frutice, flore purpureo, asperis fol js & ramis, radice messibus sanguinea, cætero nigra, in sabulosis nascens, efficax contra serpentes, maximéque viperas, & radice & folijs, æquè cibo ac potu. Vires habet messibus. Folia trita[de Alci..es folijs, id Diosc.] odorem cucumeris reddunt. Datur in cyathis tribus vulua procidente. Pellit & tineas cum hyssopo:] De radice Anchusæ tertiæ, quæ posthac describitur, id Diosc. tradit.] Et in odore renum aut iecinoris ex aqua mulsa, si febris sit: sin aliter ex vino bibitur. Lentigini [vitiligini Diosc.] ac lepris radix illinitur. Habentes eam à serpentibus feriri negantur. Et *mox* viribus his aliundè transcriptis, addit etiam de tertia. Est & alia inquit, huic similis [Anchusa tertia Dioscoridis] flore rubro & ipsa ad eosdem vsus. Tradúntque commanducata ea, si inspuatur, mori serpentem.

Galenus quatuor Anchusæ genera agnoscit, Onocliam, Lycópion, Alcibiadion, & quartum paruum, quod ferè nomine carere ait: Alcibiadio tamen persimile esse, quamuis amarius, & magis medicamentosum.

Onochilem. Herm. Barb. in Plinium lib. 22. cap. 21. Onochylon, Dioscoridem & vetustos codices, Onochiloni, id est, ὀνόχειλον, quasi labrum asini vocasse notat: Archebion, verò vetustiores codices Archelion. Archelion. Dioscoridem Anchusæ genus vnum appellare archibelion: quod & melius. Esse enim Anchusas multiplices, vagarique per eas eadem vocabula, vt Alcibiadion & Onochelen, Cùm Alcibiadion videatur propriè esse Echium. Alcibiad. Echion. Esse qui Alcibion quoque à Nicandro in Theriacis dictam pro Alcibiadio, quæ sit Echios, accipiendam putent. Esse item qui Plin. reprehendant, qui 27. libro dicat: Alcibios qualis esset, apud authores non reperi.

Raram nec facilem inuentu herbam nostræ ætatis herbarij Anchusam referunt: [inquit Marcellus in Dioscoridem] quod mirum ... miretur aliquis, cùm lenocinio formæ quondam inseruierit: vtebantur que radice eius antiquæ mulieres contra pallorem: bonitatem rosei coloris radice eius vultibus suis inducentes. Quod tam quotidianum illis fuit vt ab Anchusa verbum Græcis ἀγχουσίζειν in affectatione formæ fucari & colorari adhuc significet. Numerauit coniunxitque eam Theophrastus coronopodi & plerisque alijs quæ ἐπιγειόφυλλα ille vocat i. folia per terram spargentia: quod ait ἐπιγειοφυλλα τῇ γῇ, quod est per terram sparsa. Nicander Lactucæ similem ostendit. Plinius inter aculeatas numerat à cæteris in foliorum positura discrepans.

Quod Diosc. dixit, Vnguentarios vti radice Anchusæ ad spissanda vnguenta: hoc Plinius lib. 13. cap. 1. ad colorem retulit, inquit Cornarius. Plinius lib. 22. cap. 20. Dioscoridis sententiam planè sequitur, nisi quod vlcera senum, dixit τὰ παλαιὰ ἕλκη, id est, vlcera antiqua. Deinde Balani decoctum habet, pro aqua mulsa: Mox lentigini vox supposita est pro vitiligini. Habet enim Diosc. ἀλφοὺς καὶ λέπρας, id est vitiligines & lepras. Postea cum mulso dixit, pro vino: & reliqua aliunde transcripsit. Atque hæc de prima Anchusa Plinius loquutus.

Enchusa. Phauorinus lex. Gr. ἐγχοῦσα, Enchusa, species plantæ quæ etiam per α dicitur Anchusa, Attici verò per ε efferunt. Et ἐγχουσίζειν, de mulieribus dicitur, Enchusa faciem suam illinentibus, &c.

Anchusa Caput Gal. Anchusæ caput duplicatum ait Iulius Alexandrinus vnumque supe... λύκαψον Lycopsim vocasse Diosc. radicémque rubram tribuisse & adstringentem: Cæterùm ex hac vnguentum sibi parare Germaniam, potabile quod dicunt. Et quidem bibi ex humore aliquo ad rupta & conuulsa, casúmque ex alto, vsus frequentissimi.

Fuco pigmentísue illinere, Græcis ἀγχούσειν erat [inquit Lobel.] vnde ἀγχοῦσα dicta à radicis illustri cruore, coloréue florido, cui plantæ totius cognitionem debemus: vix enim alioqui innotuisset, tum propter cum Echijs Lycopside & Buglossis similitudinem, tum etiam ob versionem minùs conspicuam: Quatuor animaduertimus differentias ex floribus, folijs & magnitudine. Tertiam Anchusæ speciem non meminit se vidisse Turnerus. Lycopsim Anchusæ congenerem facit Gesnerus lib. 1. quadrup. titulo de lupo: miratúrque quomodo ab aspectu lupino nomen tulerit. Asini Lact. Ruellium Linguæ Canis hodie vulgò dictæ hoc nomen adjudicare refert. Idem ait Onophyllon eandem Anchusæ esse, quæ Arabicæ linguæ authoribus etiam asini lactuca vocatur. Anchusam ipsam quoque Græci Onocleam vocant, & folijs Lactucæ describunt. Lycopsis à nonnullis Anchusa vocatur. Lactucæ folijs &c.

Æquiuoca. Cæterùm, quænam hodie sit Anchusa propriè dicta, non satis conuenit inter autores: Etenim Anchusæ nomine variæ donantur Plantæ, v. g. Buglossum vulgare maius. Buglossum vulgare minus. Anchusa Monspeliaca. Anchusa lutea. Anchusa minor. Onosma. Echium vulgare. Echium Fuchsij. Lithospermum nigrum, flore albo, semine Echij. Cynoglossum. Pulmonaria Matthioli & Cæsalpini. Amaranthus. Dipsacus. Hyacinthus.

ANCHVSA MINOR SIGNOSIOR.



Descriptio. OLim nobis attulit C. Bauhin. Patauio plantam longitudinis Palmi vel paulò lógiorem, Anchusæ minori similem, vel Lythospermo nigro, loquor de folijs ramulorum [inferiora non vidi,] quæ asperas, hispida, flores Buglossi vulgaris vel Anchusæ: Eandem habueram siccam à Valerando Dourez, exibuit autem frater Anchusa minor. titulo Anchusæ minoris Galeni & quartæ Dioscoridis.

An Lobel. in Adu. p. 248. & Icon. Plant. pag. 578. Anchusa lignosior angustifolia? H. Lugd.

pag. 1102. Anchusa lignosior Penæ. C. Bauhin. phyt. Anchusa 5. siue Angustifolia seu Pseudo-Anchusa. Dicit C.Bauh. in animadu. in H. Lugdunensem, Anchusam Lignosiorem Penæ Hist. Lugdunensi pag. 1102. in eadem hist. antè pag. 889. sub Tragorigano notho Dalechampii haberi, ac vtrobique describi. *Ego quidem* quænam sit Anchusa lignosior Penæ nondum asserere possum. Color floris à Gesnero obseruatus dubium mihi mouet, cætera videntur satis conuenire & potiss. locus: quicquid tamen sit non potest esse eadem planta cum Tragorigano notho Dalechampii fruticoso lignoso, interdū ſesquicubitali, qui pauca habet quæ conuenire possint Anchusis, flos speciosus purp. Dalechampii Anchusæ verò Adu. pusilli flores cærulei. Icon quam proponimus est ex Fuchsianis nescimus cuius plantæ, quodammodò exprimit Anchusam nostram minorem.

ANCHVSA LVTEA.



Descriptio. Sanguineo succo plenā habet *radicem* perinde vt Onochiles, *caulem* hispidum, pedalem vel etiam maiorem, tenuiorem, *folia* per ramos breuiora, pari tamen latitudine, *flores* in cacumine congestos & spicam ferè imitatos, concauos, Symphiti maioris, exiliores, luteos: *semen* Echio simile, nitidū, cinereum, punctulis nigris notatum, ferè triangulum & mucronatum, rostelli auiculæ formâ.

Lobel in Aduers. pag. 248. Lutea Anchusa: rarior & elegantior. Dodonæus lat. in fol. vocat Anchusam quartam, foliis asperis hirsutis ac pungentibus, ac non rarò humi orbiculariter procumbentibus: Eam etiam illam esse posse putat quæ à Plinio lib. 22. cap. 10. Pseudo-anchusa appellatur: & à quibusdam Enchusa ac Doris.

Matthiol. Anchusam tertiam: Item H. Germ. & Epit. *Ochsenzung*. Anchusa tertia, cuius figura non displicet: placet etiam Camerarii ad nostram plantam olim facta & apposita h. Germanicæ & Epit. Matthioli. C. Bauhin. phyt. Anchusa 2. siue maior luteis floribus: Anchusa Gesn. hort. An Lonicer. Anchusa tertia?

Locus & Tempus. Anchusam quartam luteam non rarò in Bohemia occurrere scribit Dodonæus. Ego Anchusam luteam florentem vidi mense Iunio inter Viennam & Lugdunum, nec non Lugduni & in montibus Euganeis, ex quibus locis etiam Frater se accepisse refert.

Anchusa lutea minor.

Anchusam luteam minimam Monspel. ager spontè dat, sed rariùs multò. Floribus luteis in pusillis pediculis in se conuolutis Echii ritu cau-

dam Scorpionis aliquantùm æmulantibus: cuiusmodi scitè meminisse industrium pharmacopœum Franciscum Penninum Antuerp. testatur Lob. in Obs. pag. 312.

Anchusa C. Bauhino phyt. Anchusa quarta siue minor Patauina, quam Anchusam minorem Galeni, & Anchusam quartam Dioscoridis Guillandinum nominasse refert, quámque Camerarium in Epit. Matthiol. pag. 736. Anchusæ tertiæ (Anchusæ luteæ) nomine exprimere putat.

ANCHVSA FLORE ALBO AVT pallido Clusij.

Descriptio. NVmerosa huic sunt *folia*, palmaris longitudinis, valdè angusta, & pungente lanugine hirsuta: è quorū medio *caulis* assurgit secūdo anno (primo enim ἄκαυλος est) pedalis, interdū etiam cubitalis, crassiusculus, firm⁹ hirtus, in multos ramos diuisus, in quibus breuiora multò, hispidáque folia: extremis ramis prodeūt, è vaginulis hirsutis, & asperis *flores* Symphiti maioris florib. quodammodò similes albi aut ex albo nonnihil pallescentes, siue ὠχρόλευκοι, in angulos quinque diuisi, quibus discussis, *semen* vaginulis conspicitur viperino capiti aut Echii semini simile: *radix* minimi digiti crassitudinem æquat, nigráque cute tecta est, qua sublata, omninò rubet, & elegantissimo colore inficit: adeò autem carnosa est, vt radicum Buglossi vulgaris instar condiri possit, dulcis tamen & insipida.



Clusio Pannonico & hist. post. Anchusa exalbido flore. Casp. Bauhini phyt. Anchusæ secundæ siue maioris varietas, floris colore albo, aut ex albo pallescente. An Lobel. Obser. pag. 312. Anchusa latifolia Buglosso angustifolio par, radice cruento inficiente & flore albo? An Lonicerus lib. 5. cap. 153. *Rot Ochsenzung*, Anchusa prima copiosa arenosis locis propè Moguntiam, &c?

Nascitur arido & salebroso solo, vt in monte Badensib. thermis imminente, & aliis vicinis, apud Carnuntum præterea, Pannoniæ olim amplissimam vrbem, nunc autem vile oppidulum, Petronella vocatum, maximâ copiâ, tum plerisque aliis Pannoniæ, Austriæque siccis ac aridis locis. Floret Maio & semen Iunio profert: deinde perire arbitror: vt Echii genera.

Anchusa maxima Galliæ & Angliæ, floribus Echij non dissimilibus, cæruleis ad puniceum vergentibus.

Traditur hæc à Lobelio in Aduers. cùm dicit: Quæ Calys seu Onocleia vocatur, maxima, fre-

quentiſſima, Galliæ, & Angliæ aruis lætis, ſed glareoſis, vel argilloſis. *Radix* intus ligneo corculo, libro corticéque craſſiore amicta, ſanguineo ſucco ſandalinóue digitos inficiente: digitum æquat, ſeſquipalmum longa, guſtu Bugloſſæ. *Folia* copioſa Echij aut Bugloſſi anguſtifolij, lanugine ſpinoſa, incana, ceſpiti incumbentia: *Caulis* plurimùm ſingularis, rotundus, ſquaber, cubitalis, tirſulis florum cæruleis ad puniceum vergentibus, Echii non diſſimilibus: *ſemen* exiguum, oblongum, pullum.


Locus.

C.Bauh. phyt. Anchuſa prima. ſiue foliis floribus Echii: Anchuſa Adu. pag.247. ſine icone.

An Turnero part.1.pag.39.(41.) Anchuſa prima Dioſc. in multis Germaniæ locis naſcens, adeò Bugloſſo hortenſi ſimilis, vt non facilè quis alterum ab altero poſſit diſtinguere, exceptâ ſolâ radice intensè foris rubente, non autem intrinſecus. Poſſet Anglis nominari, Gallico nomine, *Orchanet*, aut *Rede Bugloſſe*.

ANCHVSA MONSPELIANA.

Deſcriptio



Anchuſa Monſpeliaca craſſam longámque habet *radicem*, lignoſam, rubram, roſeo colore tingentem: *caules* dodrantales, hirti, per quos *folia* Echii, rigidis pilis obſita, vnciam vnam aut alteram longa: *flores* extremis hærent ramulis, conferti, purpuraſcentes, longiuſculi: *ſemen* ſequitur ſublongum, cinereum.

Alcibiadion. Onochiles. Locus.

Anchuſa minor ſeu Alcibiadion vel Onochilos. Notiſſima hæc & copioſiſſima in Nemobrigum agro, vnde Pharmacopœi Monſpelienſes & Lugdunenſes Lugdunum ad nundinas quotannis accerſunt: eos è vineis & ſabuloſis aridiſque collibus Gramuntiæ ſyluæ, propè doctoris Aſſatij prædium, eruendam curabamus, prolixior námque & carnoſior pleniorque eſt radice cæteris. Cætera tota minor, anguſtiora folia, multò numeroſiora, viridantia, Bugloſſi. Complures fundit cauliculos teneros, graciles, floribus minoribus, Bugloſſi minoris anguſtifolij, puniceis. Semen cinereum, oblongum, paruum, ſapor Bugloſſi, non ingratus, acrior tamen & ſiccior. Hæc Lob.in Adu.qui eam pingit in Icon.Plant.p.578. hoc titulo, Anchuſa parua Ad.248.

An Dodon. Hiſtor. ſtirp.lib.1.cap.11. Anchuſa tertia foliis quàm Alcibiadion minoribus, anguſtioribus, nihilominus aſperis & hirſutis: floſculi in alis cærulei. Galli cùm hanc tum aliam *Orchanette* appellant, Hiſpani *Sangem*, Itali *Anchuſe*. *Quam* Dod. intelligat vt verum fatear ignoro, appingit enim iconem Bugloſſi vulgaris anguſtiori folio. An Lonicer. Anchuſa ſecunda, Alcibiadion Onochelos, & Onochelis à quibuſdam nuncupata? C.Bauhin. phyt. Anchuſa tertia ſiue altera puniceis floribus.

Locus & Tempus.

Anchuſa altera ſiue Alcibiadion ſiue Onochiles, depingitur à Matthiolo quæ cùm ſatis ſit deſcripta tum à Dioſc. tum à Matth. plura de ea non dicam. Florentem vidi menſe Martio & Aprili, dum floret minùs tingit. Prouenit non longè à Monſpelio loco ſatis ſicco.

LYCOPSIS VETERIBVS.

Cap. IV.

Lycopſis quam & ipſam aliqui Anchuſam vocauerunt, hoc perhibente Dioſcoride, *folia* habet Lactucæ. [θρίδακι] ſimilia, at longiora, craſſiora [μακρότερα καὶ παχύτερα, pro quo vulgata Exempl. μακρότερα καὶ τραχύτερα, aſperiora legunt:] latioráque, aſpera, & circa radicis caput ad terram decidua: *caulem* longum, rectum, ſcabrum, adnatis multis cubitalibus, & aſperis, in quibus *flores* parui purpuraſcentes: *radix* rubra eſt & adſtringendi vi prædita. Naſcitur in campeſtribus. Radix cum oleo impoſita, vulneribus medetur. & cum polenta, eryſypelatis illinitur.


Priuatim licet ſeorsúmque à reliquis Anchuſis Plinius de Lycopſide hæc egerit, nihil tamen illi tribuit quod à Dioſcoride acceptum non fuerit. Idem & Nicander in Theriacis ſuis fecit, poſt Anchuſam Lycopſidem, cum pleriſque aliis numerans. Antiquiores autem Græci Anchuſæ congenerem fecerunt: Secundámque in eo cenſu numerabant. Dioſcorides vltimam docuit licétque Anchuſam eſſe non dicat ſed ab aliquibus vocari: Hiſtoriæ tamen ordo & quæ illi tribuuntur notæ Anchuſis aliis congenerem meritò faciunt.

Æquiuoca

Lycopſeos Æquiuoca hæc recenſentur: Echium noſtrum vulgare. Echium Germanicum ſiue Borrago ſylu. Borrago. Bugloſſum vulg. maius. Bugloſſum Hiſpan. Pulmonaria Italorum non maculata. Cardiaca. Amaranthus. Cynogloſſum vulgar. Lycopſis Rauvvolfij.

LYCOPSIS DIOSC. QVIBVSDAM.

Deſcriptio



Lycopſi Dioſc. apprimè ſimilis planta, *radice* nititur rubra, ex qua *caulis* ſurgit rectus cubitalis: Ex cuius parte ima plurima prodeunt *folia* rugoſa, rigidáque, Bugloſſi ſylueſtris, nullo ordine in ambitu extenſa, quæ ſumma verſus minora ſenſim euadũt in cacumen vſque. In viginti aut plures diuiduntur ramulos, quibus minora rurſus adhærent foliola vt in Echio. Ex quorum ſinu floſculi

flosculi emergunt tenelli, purpurei, inferiori parte integri, in ambitu verò in sex angusta foliola Gariophyllorum syluestrium instar dissecti.

Rauvvolff. Itin. parte 1. cap. 9. Lycopsi Diosc. omninò similis. Item parte quarta. Icon. N°. 20. *Ochsenzung* seu Buglossi species quæ vera Dioscoridis Lycopsis existimanda.

H. Lugd. append. pag. 28. Lycopsis Dioscor. Planta rara Cynoglossi genus, & vt arbitror vera Lycopsis Dioscoridis.

ECHIVM VETERIBVS IN GENERE.

CAP. V.

ECHion, vt testatur Dioscorides, aliqui Dorida [οἱ δ᾽ ἀειδὰς Paulus vocari scribit] Romani Alcibiacum siue Alcibiadion (Alcibion legendum putat Sarracenus, vt sit ea quam Plinius apud authores non reperiri scribit) appellant: *folia* habet oblonga, aspera, aliquantulum tenuia [ὑπόλευκα: subalbida, ὑπέλευκα Cæsalp. ex Oribasio,] Anchusæ proxima, aut minora & pinguia [sunt qui addant hoc loco, ὑπέρυθρα rubra, λεῖα,] tenui spinosâ lanugine vestita [hæc vet. delet:] *cauliculos* graciles numerosos, vtrinque verò minuta folia expansa, pinnataque, nigra, ac minora quidem proportione quò summo cauli propiora sunt: *flores* autem secundum folia purpureos, in quibus & *semen* viperæ capitulo simile. *Radix* est tenerior digito [λεπτοτέρα δακτύλου vet. δακτύλια ἀπὸ μέσου μέλανα] & subnigra: quæ quidem non modò demorsis à serpentibus in vino pota auxiliatur, sed & eos à quibus præbita fuerit à serpentibus feriri minimè patitur. Folia & semen idem ipsum præstant. Sed & radix lumborum dolorem sedat, lactisque vbertatem facit: in vino aut sorbitione sumpta.

Echij itaque vnius duntaxat meminit Dioscorides, Plin. verò duorum eius generum his verbis. Echios vtriusque generis: pulegio similis, folijs coronata, drachmis duabus ex vini cyathis quatuor datur. Item altera quæ lanugine distinguitur spinosa, cui & capitula viperæ similia sunt. Echium verò prius lib. 27. cap. 5. etiam Alcibium vocat, inquiens: Alcibion [Alcibiadion legit Corn.] qualis esset Herba apud authores non reperi. Sed radicem eius & folia trita, ad serpentis morsus imponi & bibi iubent: folia quantùm manus capiat trita cum vini meri cyathis tribus: aut radicem drachmarum trium pondere, cum vini eadem mensura.

Cornarius tandem Pseudo-anchusam Plinij lib. 22. cap. 20. non aliam, quam Echion esse putat, de qua ita tradit. Est & alia similis, Pseudo-anchusa ob id appellata, à quibusdam verò Echion aut Doris. & multis alijs nominibus, lanuginosior & minùs pinguis, tenuioribus folijs & languidioribus. Radix in oleum non fundit rubentem succum: & ab hoc Anchusa discernitur. Contra serpentes efficacissima potu foliorum, vel seminis. Folia ictibus imponuntur. Virus serpentes fugat. Bibitur & propter spinam. Hæc est veteris codicis lectio, & recta mea quidem sententia, inquit Cornarius. Quod itaque dicit, radicem in Oleum nō fundere rubentem succum, eius contrarium antea de vera Anchusa protulerat, sanguineum videlicet fundere succum, & oleo dissolui, aqua verò non posse liquari. Quod verò ait, virus serpentes fugat, hoc ego de odore eius dum suffitur accipio. Sed quod dicit, Bibitur & propter spinam, videtur id esse quod Dioscorides ait, Sedat item lumborum dolorem, hoc est ῥαχίν ἢ ὀσφύος ἄλγημα. Porrò quòd Alcibiadion seu Alcibion eadem sit, quæ Echion & Echis, Nicander in Theriacis testatur. Galenus in Simplicium censu prætertijt. Sed Paulus ex Dioscor. vt apparet, hoc de ipso prodidit. Echion aliqui Dorida, alij etiam hanc Alcibiadion vocant, spinosa herba est, quæ non solùm commorsis à reptili bestia, cum vino pota auxiliatur, sed etiam præpota: commorsos illæsos conseruat. Quum autem & Paulus & Plinius Dorida vocari Echiō testentur, haud dubiè in Dioscor. ἀειδὰς vox corrupta, in Δωρίδα commutanda est. Decantata hæc apud Nicandrum qui posthac nobis, & vt credo legentibus, certior in Echio dux erit, quàm tot seculis fuerit Plinius: Qui longiùs tractata Echij historia, paulòpost, Alcibion qualis herba esset apud authores non reperisse se dixit. Cùm non Diosc. tantùm sed omnium apertissimè Nicander, eandem duobus nominibus dictam fuisse quondam ostendant: Altero à viperis quas Græci Echis vocant, aut quia earum morsibus medetur, aut quia semina viperinis capitib. similia habet: Altero ab inuentore primóq; remedij huius ex ea authore: quem Nicander aliiq; Alcibion vocarunt: scribentes fuisse quendam nomine Alcibiū, qui secus aream dormiens à vipera dente sub genu ictus fuerit: excitatúmque à somno ex herba hac succum commanducando expressisse, expressúmq; bibisse, mox quod reliquum erat expressæ herbæ vulneri imposuisse contra dolorem. Quod posteriores græci latiniq; à Nicandro Dionisióq; accipientes Echion à viperis quibus medetur & à remedij auctore possessiua forma Alcibiacum, & diminutiua Alcibiadion pariter dixerunt. Ageremus de his longiùs nisi multò antè hæc tempora Nicolaus Leonicenus inter cætera errata hoc etiam numerasset: qui in nominibus magis quàm rebus occupatus, Quæ in diuersis scriptoribus diuersis nominibus alioquin eadem legebantur diuersa credens, multa in medicæ materiæ disciplina miscuit. Nihil autem Nicandri in hac re historia certius audiri potest. Nunc age, radices dicam [inquit in Theriac.] Serpentibus adiutrices. Tum duo Echia [ἔχιον] recensebo. Hoc quidem alibi Anchusæ [Ἀγχούσῃ] assimile videtur spinoso folio, pauco siquidem alicubi paruóque & in terra fundum, id est radicem, extendit. Altera verò folijs, & in calycibus flos sublimis, pauco verò circum purpurascit flore. Germine sicut viperæ, hirsutum verò supernè caput. Ab his quidem partem proscindens, aut cauato in ligno, aut mortario, aut lapidea pila scil. contunde: &c. *Leonic. lapf.*

Cæterùm, Echios, vti dictum, duplex est Plinio. Prior quidem Folijs Pulegij quæ à nobis inscribitur Numularia libro 29. Echium dicitur de Ocimoide: Et nobis Echium vulgare quod Alcibiadium & siluestre Buglossum quibusdam dicitur. Echium flore albo vulgare. Echium flore albo maius. Echium tenuifolium. Echium flore pullo. Echium flore rubro. Echium Candiæ flore pulchrè rubente. Echium Germanicum Fuchsij siue Borrago syluestris. Buglosſ. fl. minore angustifolium. Buglossum minim. cum folliculo. Buglossum latiore folio &c. Anchusa Monspessulana. Lythospermum. Lythosperm. syluestr. Dod. Pulmonaria. Borrago. Alopecuros montana quibusdam. Echium scorpioides siue palustre. Chamæpitys folijs non *Æquiuoci*

incisis. Personatia. Scropularia maior. Stachys Matthioli.

ONOSMA VETERIBVS.

Cap. VI.

ONosma, teste Dioscorid. alij Osmadem, alij Phlonitim, alij denique Ononin vocant: *folia* habet ad similitudinem Anchusæ, oblonga, mollia, quatuor digitorum longitudine & vnius latitudine, in terra iacentia, denique Anchusæ foliis quàm simillima. Est autem sine *caule*, sine *semine*, sine *flore*. *Radicula* verò subest longiuscula, infirma, tenuis, ac modicè rubescens. Gignitur in asperis. Folia in vino pota partus extrahunt, Sed & prægnans si herbam (ῥίζαν Lacuna legit in vet. cod. ῥίζαν) eam supergradiatur, abortum facere creditur.

Phlonitis. Ononis. Galenus lib. 8. de simpl. tradit [& ex eo Paulus] Onosma vel Osmada, vel Phlonitin, vel Ononin, ex acri & amara constare substantia: proinde quoque credi fœtus necare & ejicere, foliis eius in vino potis.

Plinius lib. 27. cap. 12. Onosmati longa folia tribuit ferè ad tres [quatuor Diosc.] digitos in terra jacentia, tria, ad similitudinem Anchusæ incisa, sine caule, sine flore, sine semine. Prægnans, inquit, si edat eam, aut supergradiatur, abortum facere dicitur. Notat tamen Dalechamp. in Diosc. hist. nec tria legi, nec incisa. Hippocratem eam ῥίζαν vocare. Galenum in voc. obsol. explicatione eam describere, & habere tria folia tradere, non animaduertentē eandem esse cum Onosmate. Dioscor. idem vocari etiam ὄσμάδα, ὄνωνιν. & φλονῖτιν, non, vt vulgò legitur, φλονῖτιν authorem esse.

Anch. similes. *Rhiza Hip.* *Phlonitis*

Eadem Guillandinus suis in Diosc. Græcum ma nuscriptis annotationibus habet. Prædictum Galeni lapsum etiam annotauit Robertus Constantinus, cui subscribit Lobelius in Aduers. pag. 177. dicens: Plantam Onosma, Radicem absolutè Hippocrates cùm vocasset, & descripsisset, magnus ille interpres Pergamenus nec Onosma esse suspicatus est, sed seorsim duobus in locis, quasi duo fuissent, vnam eandem bis, & iisdem planè verbis, de Hippocrate mutatis, describit plantam, sine caule Anchusæ similem.

Id Amatus in Dioscoridem videtur sequētibus delineasse ὄνοσμα Græcè, Onosma Latinè. Nascitur plerumque inter Rapunculos sua sponte in aruis nascentes, ita illis similis, vt sæpè (interdū passus est) pro illis eradicetur, postquam verò adulta est, & illi folia maiora facta, hirsuta aliquātulùm apparent, quam nos Ferrariæ in horto magnifici Azzioli Scholasticis indicauimus, humi enim serpit, nec aliud propter folia emittit.

Æquiuoca. Onosma autem existimant nonnulli esse Buglossum siluestrem siue Echium, de quo mox agemus.

ECHII SPECIES VARIÆ.

Cap. VII.

Echivm Vvlgare.

Descriptio PAssim obuium est Echium, *caulibus* interdum sesquicubito altioribus, hispidis, punctis nigris notatis, ab imo vsque ad summum ferè fastigium *floribus* onustis, atque iis, pulchrè cæruleis vel ex cęruleo purpurascētib², vel carneo, interdū albo colore præditis, staminib² & apicib² cōcolorib²: *folia* aspera, hirsutaque, oblonga, angusta, fatua: *Radix* longa pollicari crassitudine, lignosa, gustu nullo eximio.



Echium vulgare Hermol. in Diosc. coroll. 713. Hircinam linguā vulgi vocat ac Circio simile facit, caule tamē esse rotundo ait, non anguloso vt Cirsion. Caule etiā rotundo esse tradit Ruellius. Hic longè eos hallucinari qui Cirsion arbitrentur esse.

Cordus in Diosc. lib. 4. cap. 26. dicit Lycopsin à florum figura dictam esse, qui [scilicet flores] hiante suo rictu patulas luporum fauces imitantur. Et ideò malè hanc ab aliquibus Cynoglossam appellari. Cap. verò 110. vocat etiam asperam Anchusam quam similiter malè Cynoglossum vocari ait. *Lycopsis* *Cynoglossa malè.*

Brunfels. tom. 1. Rhaps. 17. habet figuram sub titulo Buglossæ syluestris, *Wild Ochsenzung*. Sed & Tragus lib. 1. cap. 77. hist. German. *Wild Ochsenzung* vocat, quam cum cap. Dioscoridis de Lycopsi conferendam putat. Ille autem eius figuram non habet hoc capite, sed fortè mala eius figura posita pro Cynoglosso cap. 76. Sic quoque Hist. Latina lib. 1. cap. 77. hanc vocat syluestrem Buglossam & Lycopsim, eiusque descriptionem tantū ponit. figura enim quæ apponitur alterius est plantæ: fortè transposita est, videturque esse cap. 76. malè sub titulo Cynoglossi *Hundszung*: Hæc fortè occasio vt Fuchsius olim in historia confuderit duas plantas: Echij enim titulo cap. 101. pingit Borraginem siluestrem, Cynoglossi verò cap. 156. Echium hoc vulgare, quod ibidem Cynoglossum officinarum vocat, & κυνόγλωσσον Græcè, Latinè Linguam caninam, Germanicè *hundszung*. Gallicè *Langue de chien ou espece d'orchanette*. Ast vti dictum confundit Fuchsius Cynoglossum vulgare cum Echio vulgari, vt satis apparet ex descriptione & figura, quæ eadem cum Tragi, quam Echium vulgare aliquatenus exprimit: ideò Fuchsius errorem fortè agnoscens in iconibus pag. 264. eam figuram Lycopseos nomine donauit, ac Germ. *falsch hundszung* appellauit.

Harchius fortè in Enchiridio Echium Buglossam syluestrem vocat viperinam, Gallis *herbe aux Viperes*. Brabant. *Wilde Bugloss*: Germ. *Walds Ochsenzung*: Iudicent lectores: Nomen Germanicum non conuenit ex titulo fortè figuræ malè adaptatæ in Trago vt existimo.

An Matth. in Diosc. lib. 3. pro Dioscoridis Onosmate, Echium exhibet, quod quidem pingit sine caule, quale primo anno prouenit. Planta, inquit, quædam ex collibus, quos variis herbis refertos

refertos circa Goritiam natura collocauit, in asperis nata iampridem ad me allata est, quæ folia habet minoris Anchusæ, radices verò eius ita rubescunt vt quasi rubræ videantur. Ex his notis, quæ quidem pulchrè Onosmati respondent, non potui non adduci, vt eam verum onosma non putarem. Sed certè, vt verum fatear, mihi adhuc incompertum est, an hæc caulem, flores & semen proferat: siquidem eam hactenus non nisi caule, & reliquis viduam videre mihi licuit.

Sed & Echij titulo eandem (sed annosam,) pingit lib. 4. ac dicit: Echion à viperis omninò nomen adinuenit (vipera enim Græcis ἔχις dicitur) vel quòd semen proferat capitibus viperinis simile, vel quòd viperarum morsibus præstantissimum sit medicamentum &c. Ignorasse Plinium Alcibion & Echium esse, satis manifestum est, quòd scilicet Plinius non satis accuratè Nicandrum legerit. Galenum non inuenio vllam Echij mentionem fecisse in libris, quos de simplicium medicamentorum facultatibus edidit: Paulus tamen eius vires describit Dioscoridem secutus libro 6. *Hæc Matthiolus*, qui passim Echij titulo solam dat iconem sine propria descriptione more solito. Quam enim hoc loco ponit ex Dioscoride desumpsit. Sed & tertio Echij imaginem proponere crediderim Matthiolum eodem lib. 4. pro Cynoglosso Dioscoridis, quod à vulgari distinguit. Facilè, inquam, crediderim Cynoglossum legitimum depictum à Matthiolo esse Echij nostratis, priusquam caules producat, figura, licèt descriptio Matthioli non respondeat. Nec quis miretur folia esse latiora, quàm in figura Onosmatis: sæpe enim in nostro Echio hanc varietatem obseruaui.

Amatus testatur Echium multos Syluestrem Buglossum appellare: Et inter hos Brunfelsium graphicè eam pro siluestri Buglosso depingere. Echium eandem esse herbam cum Alcibiadio idque ex Dioscor. percipi, quanquam Plinium hoc ignorasse satis pateat.

Lonicer. lib. 5. c. 151. titulo *vvild Ochsenzung*, (id est Buglossi syluestris) Iconem exhibet non demonstrans quomodo differat à Buglosso suo vulgari quod Echium dicit: nec etiam qua in re diuersum sit à Buglosso quod alterum silu. dicit: ex eius icone tamen differentia manifesta est, quia in Buglosso siluestri eius flores hiant. Idem rursus c. 156. vocat *Falsch handszung* [Cynoglossum falsum, quòd diuersum ab aliis sit:] eiusque tertium genus Cynoglossi dicit, cui folia similia vulgari Buglosso flore purpureo. Mala icon, qualis Tragi, quæ repræsentat Echium quod antè exhibuit pro Buglosso siluestri.

Dod. Gall. lib. 1. cap. 4. describit satis commodè, figuramque addit, ac vocat ἔχιον & ἀλκιβιάδιον, Latinè Alcibiacum, atque Apuleium nominare ὀνοχειλὲς, ἐχίδνιον Græcè viperinam & Serpentariam Latinè. *Miror* autem Dod. in Hist. gall. ca. 5. Vsurpasse Tragi & Fuchsij figuram pro Cynoglosso altera Plin. ac Cynoglosso tribuere caulem asperum: perpēdant lectores an non confuderit cum Cynoglosso vulgari Echium vulgare, Fuchsium imitatus: Habet igitur Dodonæus duas Figuras Echij vulgaris non multùm probandas. In Hist. lat. pro Echio iconem habet Matthioli, quemadmodum & Lobelius: præterea pro Echij altera specie, iconem quæ à Lobelio ponitur pro Lycopsi altera Anglica.

Lobel. in Aduers. pag. 249. dicitur Lycopsis, vel Lycapsis, degener Anchusa Æginetæ, Matth. Cynoglossum, de qua ait. Nihil hæc habet Anchusæ, præterquam radicis fuscum ex purpureo colorem: à quo Lycopsis deriuata fuit, id est, fuscedo obscuritásue quæ sub crepusculum, quibusdam, inter canem & lupum dictum, visitur: nisi sit ab hispida caulis, foliorum, & florum, impexáque hirsutie, pedem imitata lupinum &c. Dicitur & ἔχιον, Echium, Buglossum agreste eidem Lobel. Germ. *vvilde Ochsenzung*. Gallis *Buglosse sauuage*. Belg. *vvild Osse tonghe*. Angl. *vvild Buglosshe besser*. Is in Obseruat. p. 312. duas habet figuras: Vni hunc titulum fecit: Lycopsis altera Anglica, perperàm Cynoglossum Matthiolo. Alteram, quæ est Matthioli, ita inscripsit: Echium floribus purpurantibus rubellis. In Icon. Plantin. pag. 598. easdem habet figuras, sed alteram Echium siue Buglossum siluestre inscripsit. *Figura* ambæ nostrum Echium vulgare referunt: quæ quidem Echij nomine proponitur similis est Echio Matthioli. Et à Dodonæo exhibetur pro Echio. Prior autem à Lobel. posita pro Lycopsi altera Anglica, dicitur Dodonæo Echij altera species.

C. Bauh phyt. Echium 1. siue vulgare. Anchusæ species quibusdam: Echium colore floris ex purpura rubente: Et Onosma Matthiol. Lac. Cast. Lonic. Hist. Lugd. pag. 1107. Et Tab. Hos vnam & eandem figuram habere ait. Esse autem Lycopsi cognatam: Plantam autem se non vidisse fatetur. Item Lycopsis prima: Cynoglossum Dioscoridis Matthioli: Lycopsis altera Anglica. Hanc aliquando caule carere scribit, vt Matthiol. pingit, aliquandò verò caulem habere, quemadmodum vtrumque Lobel. sua figurâ expresserit. *Nobis non tres* sed vna eadémque planta videtur Echium vulgare, Onosma Matthiol. & Cynoglossum Dioscor. Matthioli, vt pluribus antè monuimus, & posthac dicemus.

Sic Echium Matthioli Historiæ Lugd. p. 1105. Itemque Onosma Matthioli pag. 1107. Et Cynoglossum Matthiol. pag. 1261. eandem plantam statuimus.


An Turner. Anchusa 2. Dioscoridis in Anglia alicubi vocata *Catteß tagles*, aliàs *vvild buglosse*? An Cæsalpino Echion passim iuxta semitas nascens locis aridis, candidior Anchusa & lanuginosior &c?

Passim prouenit Echium Monspelij: Montbelgardi etiam prouenit & viret tota hieme priusquam caulem ferat, perit enim postquam altero anno protulit: floret Iunio & Iulio passim in muris, etiam in horto E. C. Patauij vidi & Lugduni, ac Geneuæ florens mense Maio passim in viis & muris. Frater annotauit Guillandino dici Anchusam primam Dioscoridis. Fuchsius cùm Tubingæ apud illum essem vocabat Lycopsim Germanicam purpuream. Obseruaui Basileæ florentem Octobri itinere versus Mouteтz, ad fluuium Birse intra vrbem, ad Portam *Stein* & *Tollenberg*, & quà itur *Krentzach* cum flore Iunio: flore albo Montbelgardi supra murum vidi. Secus viam & semitas, necnon agrorum margines, ac in desertis agris prouenit. Lætum pinguéque solum amat: Locis gaudet apricis, totáque æstate floriferum est. Semen interea maturatur: hieme folia restant, vt author est Dodonæus. Locus & Tempus.

Dictis talibus, non ducimus esse necessarium multis prosequi vires & vsus, tam Echij quàm Onosmatis. Hæc annotasse breuiter sufficiat.

Echiona inquit [Ioh. Fabr. de prouidentia Dei contempl.] habere semen instar viperini capitis, maculosum præterea caulem instar cutis serpentinæ: ex floribus autem serpentinæ linguæ modo, seu lingulas multifidas porrigere, ideóq; ad viperarum morsus valere. De Buglossæ (Echij intelligo) radice experimento constare indubitato scribit Ioh. Agricola, quod si animali fuerit appensa, cuius vlcus aliquod vermibus scateat, per se & sua sponte vermiculos illos deciduos futuros atque vlcus relicturos. Vidi ego in Lutrensi diœcesi versus Belfort mulierem, Echium (quod *Rebouam* vocabat) colligentem, vt pedi equi applicaret ad extrahendam spinam. Vvirtemb. ad Epilepsiam & feruorem Echij [*vvild Ochsenzungen vvurtz*] radicem sumendam præcipit, siccandam & in puluerem redigendam, puluerémque drachmæ semis pondere cum vino aut Cereuisia propinandum, Syluestris Buglossa, quam Lycopsim appellari Trag. [illegible] ximus, recentibus vulneribus, morsu vel percussione ortis medetur. Radix cum farina hordeacea trita, oleóque decocta, & emplastri modo imposita, sacris ignibus auxiliatur.

ECHIVM ALBO FLORE MAIVS.




Echium hoc albis floribus hiantibus præcedenti simile est, sed multò maius & asperius ferè, robustum, rectū, in alas valdè diuaricatum, nusquam autē id vidi nisi Monspelij. Echij flore albo, vt vocat Camer. in Ep. descriptio tota mea est olim missa Gesnero, figura est facta ad plantam meam siccam: additum & transferri solere in hortos: quis transtulerit hactenus nescimus: flores picti in inferiore parte tabellæ non sunt Echij albi, sed Anchusæ luteæ. *Anchus. lut.*

C. Bauh. phyt. Echium flore albo maius & asperius: Echij primi siue vulgaris varietas, cuius caulis aliquando duorum triúmve transuersorum digitorum latus inuenitur.

ECHIVM TENVIFOLIVM.

Descriptio. Densis *ramis* præditum est, tenuissimis illis quidem, & Satureiæ ramulos crassitudine vix superantibus, multò tamen hispidioribus, Echij vulgaris, hoc est, & longioribus & rigidioribus, & crebrioribus, veluti spinulis horrentibus: *folia* satureiæ foliis paria, multa etiam tenuiora, asperitate maiore quàm Echij nostratis: *flores*



recuruis ramulorum scapis hærentes, satis magni, patuli, cærulei: dedit Dominus Doctor Räzius collectum apud Volmam in foro Iulio.

ECHIVM PVLLO FLORE.



Descriptio. Pedalem habet *caulem*, striatum, villosum, *foliis* Echij, aut Buglossi syluestris, molli lanugine præditis, & inæquali situ ipsum ambientibus ornatum, superiore parte in multas alas diuisum, quæ deinde in breues ramulos sese findentes, multis *flosculis* concauis, extrema parte in quinq; crenulas diuisis, coloréque ex atro purpurascente præditis, onustæ sunt, qui è vasculis molli lanugine hirsutis & inter folia latentibus prodeunt: *semen* vt in eiusmodi generis plantis, viperino capiti simile: *radix* oblonga, minimi digiti crassitudinem æquat interdum, foris fusca, paucisque tenuibus fibris prædita, capita vnde caulis prodit ex uberante, & præcedentis anni caulis vestigia seruante: præmansa folia, nullum initiò manifestum saporem peculiarem præbent: sed póstea nonnihil acrimoniæ habere videntur.

Synon. Clusius Pann. pag. 679. & Hist. post. Echium primum & Echium pullo flore. C. Bauh. phyt. Echium 3. siue syluestre lanuginosum.

Locus & Tempus. Crescit multis locis Viennæ vicinis, tota etiam inferiore Austriæ & Pannoniæ parte, siccioribus pratis, & gramineis locis ad Collium radices, atque in ipsis collibus nudis & tenui duntaxat gramine obsitis.

Flore Maio.

* *
*

ECHIVM

ECHIVM RVBRO FLORE.

OBlonga & angusta habet *folia*, villosa, vulgaris Echij ferè similia: paulò tamen latiora, humi strata: *caulem* modò pedalem, aliquando cubitalem, firmum, striatum, lanuginosum, maculisque purpureis conspersum: quem incondito ordine multa ambiunt *folia*, internis breuiora & angustiora, non minùs tamen hirsuta: summum caulem exornant multi breues ramuli in se veluti conuoluti, atque Scorpiuri instar inflexi, pleni *florum* vulgaris Echij floribus similium, sed colore rubro eleganti præditorum, qui proximè caulē primùm aperiri incipiunt: excusso flore, *semen* vt in aliis Echij generibus apparet in calculis nigrum, viperino capiti simile, sed minus: *radix* satis longa, dura, & lignosa, nigro cortice tecta summo capite multos interdum caules promens, sed maxima ex parte duntaxat vnicum.



Synon. Clus. Pannon. pag. 680. & 681. & Hist. post. lib. 4. cap. 50. Echium rubro flore, Echium secundum C. Bauh. phyt. Echium 4. siue siluestre secundum maculatum, colore floris nunc intensiore, nunc dilutiore.

Locus & Tempus. Abundè admodum siccis pratis suprà & infrà Soproniam Vngariæ vrbem, nusquam verò alibi, hanc plantam obseruabam, Maio florentem, nunc saturatè rubentem, modò dilutiore colore præditam.

Echium Candiæ, flore pulchrè rubente.

Anno 1595. dedit mihi Dom. Sprengerus Heidelbergæ plantam siccam nomine Echij Candiæ, eadem mihi prouenit Montbelg. in horto E. C. Montbelgardi ex semine misso Sturgardiam per Casabonam sub titulo, Anchusæ rubræ Creticæ. Tota planta candidior erat Echio vulgari, magis ramosa, flores forma similes nempe hiantes: sed colore diuerso pulchro, scilicet rubente: florebat Iulio & Augusto.

C. Bauh. phyt. Echium 2. siue rubrum Creticum: Echio vulgari minus, sed ramosius, paucioribus floribus, eleganter rubentibus: tota facie Lycopsim alteram Anglicam Lobelij [Echium vulgare] plurimùm referens. An Clusio h. post. Echium 3. Echium Creticum primum: Echium Candiæ, flore dilutè rubente.

ECHIVM SCORPIOIDES SOLISEQVVM, flore minore, & aliud maiore, cæruleo & albo.

EX *radice* nigra fibrosa, *cauliculi* tenues hirsuti aliquot assurgunt, ramosi, dodrantales, quibus sine pediculis adnascuntur *folia* vnciam circiter longa, trientem pollicis lata, in obtusum mucronem desinentia, hirsuta, murinis auriculis similia, sapore fatuo. *florum* series agminatim instar caudæ Scorpionis se contorquet, minimorum, cæruleorum, fundo luteolo, in quinque lacinias diuisorum.

Descriptio. Congener superiori & hæc species, ex ea quoque cognoscenda: folia longiora, multò minùs hirsuta, vt ferè glabra esse videantur, vt & caulis: flores paulò maiores, cærulei vel albi, eodem modo se contorquent, vmbilico croceo, sed plusquā triplò maiores, æqua superficie se explicātes, radiato stellæ positu.

Brunfelsius Tom. 1. Rapsodia 28. Cynoglossam minorē, *klein hunds-zung* vocat plātam à nobis primo loco descriptam.

An Trago Auricula muris minor?

Hanc Apollinaris l. 2. *vergiss mein nit & Gamandern* vocat. Figura autem eius respondet priori nomini, non item Chamædri, cuius tamen vires recitat, ita vt duas plantas confundere videatur: in alia tamen editione alia est figura nempe Chamædrios adulterinæ.

Matth. err. Matthiolo in Dioscor. lib. 4. capit. 186. est fortè Heliotropium minus quod in Tridentino agro in palustribus quibusdam locis legit, non quidem quod pinxit, picturam enim existimo ad descriptionem Dioscor. factam, & nunquam visam vt pictam meliùs alioqui descripsisset. In post. com. cum magnis figuris eandem figuram retinet.

Lonic. lib. 4. cap. 335. pingit ac vocat *Vergiss mein nit*. Item *Fravven biss oder bolffe* quam dici ait Græcis Leontopodium Latinis pedem leonis: item Cemos Græcis & Rhapeion Plinij Ruellio: qui vocari refert Gallis Cruciatam. Lonicerus autem non mihi videtur intellexisse Ruellium, cuius Cruciata & Leontopodion alia planta videtur: nec descriptio à Lonicero posita respondet figuræ quam ponit, nec plantæ quæ dicitur *Vergiss mein nit*.

Gesn. hort. nominat Scorpioides aquaticum, *Vergissmein nit*, aitque: Huius generis marem & fœminam Dodonæum lib. 1. iconum pinxisse, quæ passim ab herbarijs Scorpioides appellabantur.

Humelb. apud Apul. cap. 96. Alteram Cynoglossam appellat sine caule, vti Diosc. tradiderit, hancque Teutonicè *Vergiss mein nit* vocari putat. Ast hæc herba habet caules.

An Lobel. in Aduers. pag. 193. Myosotis hirsuta reptans? An hanc in Obs. pag. 245. pingit dicens: Myosotis hirsuta reptans Adu. pag. 193. an Elatine Dioscoridis quibusdam? An ei dicitur in Icon. Plant. pag. 461. Alsine Myosotis, siue Auricula

muris. Item p.461. Myosotis Scorpioides partim repens,partim erecta.

H.Lugd.p.1360. Heliotropium alterum Matthioli. Item Heliotropium minus Matthioli: Quod histor.pro primo exhibet:quid sit nescio. nisi fortè Echium Scorpioides,non benè pictum: minus Heliotropium est figmentum Matthioli.

C.Bauh.phyt. Echium Scorpioides 1. siue aruense magnitudine varians.Trago Auricula muris 3. & Euphrasia 4. Euphrasia cærulea Cynoglossa minor Brunf. in 4.p.83.Lobel.icon.Myosotis,Echium Scorpioides 2. siue palustre.

Locus & Tempus

Echium minus quibusdam alijs Scorpioides minus, herba est gaudens locis aquosis, cuius folia hirsuta mollia. Flores parui intorquentur vt solent Echia & Heliotropium magnum. Floret Aprili & Maio ad ripam fluminis Monspelsuli propè Castelneuf. Basileæ vidi florens Maio & Iunio,& circa montem Kreutzak. Lugduni, vt & Geneuæ in monte Thuiri pulcherrimo flore copioso. Montbelgardi passim abundat: florens Iunio & Iulio: vt & in horto Illustr. E.C. Fuchsius cùm apud illum essem Tubingæ vocabat Echium Scopioidem flore rubello.

CYNOGLOSSA FORTE TOPIARIA Plinio, siue Echium Lappulatum quibuspam.




ANNO 1561.mense Iunio, in Rhætia Burmil prope Balneum ad fontem aquæ dulcis inuēta mihi planta hæc bicubitalibus *cauliculis*, culturâ etiam longè altioribus, angulosis brachiatis, concauis, vncinulis rigidis,asperis, ad vestes adhærētibus, per terram se spargentibus, nisi in propinquo sit quod scandant: *folijs* binis, aut ternis, duas vncias longis, vtrinque reductis & angustis,quorum infima superioribus obtusiora,subrotunda, *flosculi* ex viola purpurascente ex foliorum alis breuibus pediculis donati, paruuli, quinquepartiti, corollam in medio ex foliorum appendiculis deformantes, sub qua occultantur apices lutei, quibus succedunt iisdem inclusa *semina* fusca sesamoideis paulò maiora: *radix* recta, minimi ferè digiti crassitudine, fibris aliquot donata, odor & sapor totius plantæ qui Borragini.

Lobelio obseru. p.466. Alysson Germanicum Echioides. Hist.Lugd.pag.1143. Alysson Germanicum Echioides Lob. C.Bauh.phyt. Cynoglossum 7.Cynoglossa topiaria seu repens:quibusdam Apatine Plinij lib. 27. cap.5. alijs eiusdem lib.22. cap. 7. Parthenium, cui potiùs Cynoglossos topiarijs operibus gratissima eiusdem.

Primùm vidi in Rhætia vt dictum: Habui Geneuæ in horto. Vidi etiam Basileæ florentem & semina habentem matura mense Iulio. Habebam etiam Lugduni in horto. Montbelgardi, in horto Illustriss. E.C. mihi prouenit sæpiùs & abundè.

LYTHOSPERMVM SIVE MILIVM SOLIS. CAP. VIII.



POllicari circiter crassitudine est *radix*, lignosa, fibras aliquot à latere fundens: à qua surgunt *caules* complures, partim erecti, partim procidui,albidi, tactu asperi, in alas diuisi: *folia* modò alterna, modò opposita, longa, stricta, hirsuta, sapore vix alio quàm herbaceo: *flosculi* albi, parui, quinquefolij, in calycibus oblongis,hispidis, quibus *semen* succedit cinereum, inuictæ duritiei, læuitatis eximiæ.

Lithospermon authore Dioscor. propter seminis duritiam: à qua & Lithospermi nomen accepit folijs est oleæ, longioribus tamen, latioribus atque mollioribus, & ijs quidem quæ in imo à terra exiliunt humi iacentibus; ramulis rectis, tenuibus,acuti iunci crassitudine,firmis,lignosis: ξυλώδη [Orib. χυλώδη] in quorum acumine bifida propago cauliculorum speciem exhibet, folijs longis [μακρά. Lacuna legit in vet.cod. μικρά Sic & Orib.] inter quæ semen [vet. addit ὑπόλευκον] Lapideæ duritie, rotundum, candicans [λευκόν Sic etiam Orib. & vet. codex. Lacun. verò λίθινον, vulgata exemp. μικρῷ ὀρόβῳ ἴσον] erui parui magnitudine. Nascitur in asperis & editis locis. Vim habet semen cum vino albo potum calculos frangendi, vrinasque pellendi. Inter omnes herbas inquit lib. 27. cap. 11. Plinius, Aliqui Ægonychon vocant, alij Diospyron, alij Heracleos. Herba quincuncialis [quinque caulibus M.] ferè, folijs duplò maioribus quàm Rutæ [oleæ Diosc.] ramulis surculosis, crassitudine iunci: gerit iuxta folia singulas veluti barbulas, & earum in cacuminibus lapillos candore & rotunditate margaritarum, magnitudine ciceris, duritia verò lapidea. Ipsi quà pediculis adhærent [Hæc postrema verba Herbarius Anglus intelligenda putat de Lithospermo arundineo, quod lachrimam Iobi officinæ vocant] cauernulas habent, & intus semen. Nascitur & in Italia, sed laudatissimum in Creta. Nec quicquam inter herbas maiore quidem miraculo aspexi. Tantus est decor, velut aurificum [aurum emicans, M. fortassis,auro emicante, & alternis] arte,alternis inter folia candicantibus margaritis: tam exquisita difficultas lapidis ex herba nascentis. Iacere atque humi serpere authores tradunt [Lithospermon secundum describi hîc volunt]

Ego

Ego vulsam; non hærentem vidi. Iis lapillis drachmæ pondere potis in vino albo calculos frangi, pellique constat, & stranguriam discuti. Neque in alia herbarum fides est visus[visu] statim, ad quam medicinam nata sit. Est autem eius species, vt etiam sine authore visu statim nosci possit.

Galenus & Ætius Lithospermon in simplicium censu omiserunt. Lithospermon, inquit Paulus, quod alij Liosporon, alij Heraclium vocant, herbæ Ætonychi dictæ semen est. Lapidosum, album: hoc in vino albo potum, calculos atterit, & vrinas ducit.

Sunt præterea, inquit Marcellus, qui Leontion, vel Leonticam herbam, qui Tantalitim vocent. Daci vero Gonoletam, Romani Columbam appellant: quæ appellationes suo quæque modo indicant Lithospermi seminis duritiem.

Nostrum Lithospermon, inquit Fuchsius, multò minus quàm Dioscor. & Plinius tradiderunt semen profert, quod soli diuersitati acceptum referendum erit.

Tragus pro milio Solis describit & depingit, dicitque tantâ diligentiâ historiam illius persecutum esse Dioscoridem, vt vel cæcus Milium Solis solo tactu agnoscere posse videatur. Plinium semen ipsius Ciceri conferre, & rectè quidem quantùm ad figuram attineat, at si magnitudinem spectes non item. Nam milium Solis non multò maius esse milio satiuo, quod inter fruges & legaria refertur. Eius porrò iudicio, hæc herba rectè Saxifragum album [h. e. *vveiss Steinbrech*] diceretur, licèt Officinæ Milium Solis, Granum Solis, Semen lapideum & lapidosum vocarint, alij verò præter hactenus recensita nomina, etiam Leonium lapidem, Diopsyron, Heraclium & Vnguem aquilinum appellarint. Mauritani *Kulb.* [Serapio semen ita vocauit, herbam verò Astonchon, Trag.] *Culb, Colt*, seu *Cult. Calt, Calab*: Hebræi *Dochan*, Chaldæi *Armel* teste Frisio, nuncuparint. Germani *Meer* & *Steinsamen*. Belgæ *Peerlencruyt* & *Steinsaet*: Gall. *Gemilet, Herbe aux perles*. Ital. *Lithospermo* & Milium Solis: Hisp. *Mijo del Sol, hierua Milhart*. Angl. *Gromell*. Boh. *vvraby*.

Quod itaque Græci λιθόσπερμον, Latini quoque Lithospermum vocant, hodie Seplasiarij & omnes ferè medici Barbaros secuti Milium Solis nominant. Licèt rectiùs fortasse, teste Lobelio & Matthiolo, Mauritanorum imitatione, *Milium Soler* vocaretur. Quandoquidem [vt scribit Serapio] frequens nascitur in montibus Soler: vnde illi aptiùs fortè à loco, quàm Sole cognomentum imponeretur.

Videtur porrò Amatus Lithospermon vocare Lachrimam, Lachrimam Mariæ: vulgò Lachrymam simientem, & Germanicè *Marientrhen*. Negat is & pertinaciter quidem Miliū Solis esse Lithospermon, quod Phalaridem esse concludit, magno errore.

Fuchsium quoque Lithospermum Dioscoridis non cognouisse arbitratur Matthiolus, quòd pro vero Lithospermo Milium Solis minus officinis appellatum depinxerit. Verùm ipsemet Matthiolus non nouit, ceu & Amatus, qui Lithospermum nigrum [de quo mox] quod maius cognominat, genuinum credit, sed fidens suæ figuræ falsæ Lithospermi maioris immeritò reprehendit Fuchsium.

Turn. part. Lithospermon Herbarijs vulgò & off. Milium: Germ. *Steinsamen*, Gall. *Gremil*. Angl. vocari debet *Graymil* [i. milium griseum] non vt vulgò fit *Grummel*. Putat Matthiolus Fuchsio ignotum Lithospermō verum Dioscoridis, quòd [ait] Milium Solis minus pro Lithospermo proponat. Debebat tamen Matthiolus ex Dioscoridis descriptione probare Milium Solis Fuchsij non esse Lithospermon verum, tum demum potuisset Fuchsium erroris insimulare. Verùm meo quidem iudicio minùs notum est Lithospermon Matthiolo ipsi, quàm Fuchsio. Nam quod ille proponit Lithospermon, nec Plinij nec Dioscoridis descriptioni respondet: &c.

Synonyma. Planta à nobis depicta & descripta dicitur Milium Solis, Milium Solis primū, siue satiuum Trago. Lithospermum minus Matth. Dod. gall. Gesn. de hort. Lacun. Lobel. Castor. Lugd. Lithospermum Fuch. fol. Cord. in Dioscorid. & hist. Lonic. Lithospermum satiuum Fuchs. icon. Lithospermum legitimum Clus. h. Pann. Lithospermum aruense, Tab. Lithospermum vulgare minus, Cam. Saxifraga tertia, Brunfels. Saxifraga alba & Cauda porcina. Euch. Rœsslin. Lithospermum minus Camer. in Epit. & Hist. Matthiol. germ. Græcis λιθόσπερμον μικρόν. It. *Lithospermo minore, Miglio saluatico*, seu Milium Solis. Germ. *klein Meerhirse* seu *Steinsamen*.

H. Lugdun. not. H. Lugd. duas habet figuras vnius plantæ. Vnam pag. 1176. cui titulus est, Lithospermum minus Matthioli: alteram pag. 1176. quam sic adscripsit, Lithospermum Fuchsij: minus Dodonæi. Apud Dorsthenium pro Milio Solis malè ponitur icon Polemonij petræi Gesneri.

An Thalio [quod affirmat C. Bauh.] Lithospermum alterum fruticosum in Harciniæ vicinis quidem montibus non infrequens versus meridiem sitis: in ipsis vero Harciniis nondum visum.

C. Bauhin. not. C. Bauhin. apud Matthiolum [vbi hocce Lithospermum 2. siue maius erectum vocat] promittit sex Lithospermi genera. Est, inquit, maius, minus, & minimum, illud vel foliis oleæ, vel arundinaceis: minus vel latifolium, vel angustifolium: minimum Passerina dictum, quod vel Germanicum, vel Monspeliacum. *Sic hic* quinque solummodò declarat, sextùmque tanquam sibi ignotum silentio inuoluit. In Phyt. [vbi septem quoque genera statuit, licèt primum & secundum malè separet] Lithospermum hoc quarto loco recenset. *Puto* eum parum considerasse quæ scripserit.

Locus & Tempus. Ex semine mihi prouenit in hort. E. C. In varijs locis prouenit spontè, vt circa Arbouans pagum Monbelgardensem, & non longè à Leprosorum Domo, Geneuæ iuxta monticulum *la Bastie*. Lugdun. vidi florens Maio, Basileæ cum semine Octobri inter Birsam & S. Iacobum, & in itinere versus montes, copiosè etiam inter Basileam & Ormattzum: Prope Patauium in Italia & inter Veronam & Castelfranc. Passim pluribus Italiæ Galliæ, Germaniæ, ac etiam Britanniæ locis exit. A Solstitio æstiuo ad Autumnum vsque floret: interea & semen perficit.

Vires. Semen cum vino albo potum, calculos frangit & vrinam ducit, authore Dioscoride. Ego quidem non existimo nec hoc semen, nec vllum remedium calculos frangere. Pituitam vel crassos humores ac viscidos arenulas vel calculos glutinantes dissolui & pelli hoc semine non dubito. Datur id vtiliter potandum diebus pluribus sesqui drachmæ pōdere, addita Asplenii semidrachma, & succini scrupulis duobus ex succo planta-

ginis aut portulacæ aut lactucæ ad gonorrhœam cohibendam: peculiariter autem iuuat fœminas ægrè parturientes, si seminis drachmæ duæ in puluerem contriti ex humano lacte propinentur.

LYTHOSPERMVM NIGRVM quibusdam flore albo, semine Echij.

Lithospermum nigrum *radicem* habet lignosam rubentem, mediocris crassitudinis, ex qua plures surgunt *caules*, pedales & longiores, hispidi, ramosi, *folijs* vestiti, ad milij Solis vulgaris folia accedentibus, mollioribus, minoribus, asperis, nigricantibus, de quorũ magnitudine quò superiorem locum obtinent, eò plus decedit: per ramos longa serie ex interuallis *flores* cernuntur Milij Solis, parui, albi, quibus subiecta sunt folia oblonga, angusta: *semina* succedunt terna vel quaterna coniuncta, nigra, Echij aut Buglossi vulgaris seminibus similia.

Tragus plantam à nobis descriptam vocat Milium Solis secundum, & Lithospermum siluestre, *wilden Meerhirss*. Cacaliam Plinij esse præterea existimat, at ita describit. Siluestre Milij Solis genus, in quibusdam hortis apud Mediomatrices reperi, folio, caule, flosculo & semine iam dicto per omnia simile, nisi quod semen profert, non adeò læue & glabrum, sed rugosum aliquantulùm, ad vulgarem Buglossam eatenus prope accedens. Semen huius similiter Iulio mense maturum conspicitur.

Dodon. gall. Camerarij hort. Epit. & Hist. Germ. Matth. Lithospermum siluestre, aruense vel nigrum, Græcis λιθόσπερμον ἄγριον, Germ. *wilder Meerhirsen*.

Gesn. de hort. vocat Lithospermon minus Worselli. Id nimirum quod à Matthiolo pingitur & in aruis spontè exit: quod ipsum etiam in hortulo Tiguri in fine Iunij ferè defloruit. Idem verò in append. pro Echio maiore describit.

Hanc eandem de quadrup. [ni fallor] facit Lithospermi alterum genus, parua & inutili radice folijs & granis minoribus, locis cultis nascens in aruis.

Lob. in Icon. Plant. pag. 459. Anchusa degener facie Milij solis, semine Buglossi aut Iuæ rotundiore, radice rubra.

Thalio in Harc. dicitur Anchusa aruensis alba. Echium minus Gesn. in Append. Lithospermum sylu. Tragi. Anchusis autem annumerat propter radicem Anchusæ modo rubentem. Hort. Lusit. Anchusa siluestris aruensis alba. C. Bauh. phyt. Matthiol. Lithospermum, siue aruense, radice rubra. Lithospermon siluestre Trag. Fuchs. Dodon. gall. Camer. in Matth. Lithospermum tertium. Dodon. fol. Lithosp. nigrum, Lugd. Anchusa degener facie Milij Solis, Lob. Anchusa tertia Lithospermo similis, Cæsalp. Anchusa aruensis minor facie Milij solis, Tabern.

An est Anchusa minima Cordi in Hist. lib. 1. cap. 23. An Matth. Lithospermum maius, legitimum, omnibus propè, excepto Fuchsio, nunc compertum? An Amato in Diosc. lib. 3. cap. 155. Lithospermum maius? Huic qui figuram apposuerunt faciunt ei iniuriam quia eius non meminit in contextu. Fortè vnius plantæ duas habet figuras, ac duas plantas confundit. Gerardo Lithospermum secundum minus, *Smal* *Gremell*. An eadem quoque Lithospermum optimum maius? videtur enim intricatus Tabernamontanum diuersas confundere plantas. An Anguillaræ epist. 13. Lithospermum alterum? An R. Const. in Lex. Melampyrum semine verticillato, tribus vel sæpiùs quatuor granis? An Cæsalp. lib. 11. cap. 8. Anchusa alia, Anchusæ tertiæ [minorem intelligimus] similis, iisdem locis nascens, fruticosior, seminibus non scabris, sed lætibus, initiò subrubentibus, postea albescentibus, specie Lithospermi.

Sæpiùs habui in horto E.C. Montbelgardi ex semine quotannis se propagantem. Floret Monspelij verè: Burmij in Rhætia cùm peregrinaremur Gesnerus & ego inuenimus in segetibus, cùm apud illum essem habebat Tiguri in horto & Echij faciebat speciem. Dalechampius verò Myagrum, quod placebat. Geneuæ prouenit in segetibus, habebam verò in horto vbi ex semine deciduo tota ferè hieme florebat & virebat. Basileæ inueni mẽse Octobri in itinere versus Krẽtzach vltra Renum, & Maio florens in segetibus. Patauij etiam vidi, & Veronæ in Theatro, ac inter Veronam & Villanouam florens Maio.

LYTHOSPERMVM MAIVS DODONEI flore purpureo, semine Anchusæ.



Surculis procidnis pluribus donatum est, pedalibus & cubitalibus, tenuibus, nigricantibus, hispidis; quos *folia* vestiunt vncias duas circiter lõga, semunciam lata, in acumẽ desinentia, ex saturo virore nigricantia, hirsuta, aspera: *flores* extremis hęrent ramulis conferti, maiores quàm Anchusæ alterius, violacei: *semina* Anchusarum vel Echiorum, albicantia, rugosa: *radix* longa, crassa, lignescens, tortuosa, nigra. Descriptio.

Dodon. gall. & lat. Lithospermum maius, *Grand Gremil*, vocat. Hoc quidem in Italia, sed laudatissimum in Creta nasci ait: reperiri verò & spontè natum in Narbonensi Gallia, in Germ. hortense, ast officinis incognitum esse.

Lob. in Adu. p. 192. Lithosp. maius Dod. Epit. 339. *Miror* hanc referri ad Lithosp. quum potiùs semina habeat Anchusarum vel Echiorum seminib. similia, vix etiam maiora quam in Milio folijs, vti nec folia, nisi fortè cultura reddatur maius: quamobrem nec mihi placet quod maius dicitur ab Aduersarijs. Hoc Lob. in Obs. p. 245. in Ic. Plant. p. 458. pingit, vocans Lithosp. maius. An verò id quod Lob. dictis in locis exhibet pro Lithos. Anchusæ facie non sit idẽ alijs iudicandum relinquo. Lithosp. vulg. maius florib. cæruleis. An Thalio in Harc. Lithosp. virgatũ repens florib. in cæruleo eleganter purpurascẽtibus? Clus. in Pan. pag.

Lobel. not. Synonyma. Lithosper.

pag.684. & itémque in Hist.post. Lithospermum repens maius vulgò vocatum. Hist.Lugd.p.1177. H.Lugd.aut. Lithospermum maius Dodonæi. Item pag.1178. Lithospermon Anchusæ facie Lobelij. Ad hæc pag.1328. Pulmonaria minor Dalechampij, Aliis Echium primum Plinij. *Habet* ni multùm fallor Hist.Lugd.tres figuras vnius plantæ. Gesn.hort. in append. Cynoglossus minor, ni fallitur, appellanda planta.

C.Bauhin.phyt. Lythospermum primum siue minus repens: flore partim rubente, partim cæruleo. Ad Echium, vel ad Anchusas referri potest. Hoc Lithospermum Dioscor. & Plinij esse aliqui volunt. Lithospermum Anchusæ facie Lobelij. Multùm cum primo conuenit, discrepat tamen in eo, quod non vt prius repit cauliculis, C.Bauh.not. sed erigitur. *Nobis non duæ videntur Plantæ*, sed vna, varians solùm solo natali. Lithospermum verò secundum, siue minus erectum videtur apud Matth. C. Bauhinus Lithospermum frutescens angustofolio nun nupare.

Locus & Tempus. Lithospermum maius Dodonæi copiosè prouenit circa montem vitium dictum *la Chau* in dumetis, iuxta meas vites. Frater Casparus Bauhinus inuenit Basileæ in sylua eundo Dornacum. Geneuæ florens obseruaui mense Maio in Colle iuxta *Arue* fluuium, quà itur in *Champet*, iuxta cataractam aquarum: Cùm essem Monspelij reperi florentem Vere circa Castelneuf inter dumeta, non longè à montibus.

SYMPHYTVM MAIVS VETERIBVS.
Cap. IX.

Dioscorides de Symphyto altero inquit: Symphytum alterum, quod aliqui Pecton vocant, *caulem* emittit bicubitalem [Vet. legit hirsutum. bicubitalem] aut etiam altiorem, leuem, crassum, angulosum, & seu Sonchi inanem: (V. caret & Orib. circa quem ex interuallis haud ita magnis *folia* exeunt hirsuta, angusta, [V. subangusta & subexigua] longiuscula, ad Buglossi foliorum similitudinem: habet verò caulis eminentias quasdam secundum angulos porrectas. [Al. extensas, alius tensas ad locum cuiusque alæ] [Apul. adnationes secundum genicula] adiacentibus ac velut annexis foliis tenuibus [Ald. foliũ tenue] quæ è singulis prodeunt alarum sinibus: sunt insuper *flores* lutei [huius florẽ nigrum perperam dixit Apuleius, pro μήλινα legens μέλανα: Ald. addit in nothis, rotundi vt Rutæ] & semen circa caulem seu Verbasci. Totus autem caulis [V. semen] ac folia quoque ipsa subaspera lanugine horrent [V. addit, subalba] tactúque pruritum excitant. Radices demittuntur foris nigræ, intus candidæ glutinosæ, quarum etiam est vsus [V. epit. ex contrariis constat facultatibus.] Tritæ & potæ sanguinem excreantib. ruptisq; proficiunt, & recentia vulnera impositæ glutinant: Carnium quoque frusta quibuscum coquuntur cogunt, ita vt coalescant. Cæterùm inflammationibus præsertimque sedis, cum senecionis foliis vtiliter illinuntur.

Temperā. Galenus 8. simpl. ait Symphitum magnum, siue Symphytum alterum, similem dicto [sc. petræo] vim habere: non tamen gustantibus dulce esse, nec odorantibus odoratum. Sed his sanè à modò scripto diuersum. Cæterùm quatenus viscositatem quandam & mordacitatem obtinet, scillæ simile esse, vtique ad omnia, ad quæ petræum.

Symphyti maioris Plinius pluribus in locis meminit. Ait de hoc lib.26. cap.7. Symphyti radix illita Enterocelas cohibet. Idem lib. eodem cap.15. Symphytum ad cicatricem celerrimè perducit cap.15. Symphytum tritum in vino nigro euocat [reuocat Dal.] menses.

Illi etiam has vires tribuit Apuleius: Herbæ Consolidæ puluerem mollissimè contritum potui dabis in vino, mox restringet profluuium. Radicem in cinere tepido coquito, & ex melle ieiuno dabis vt conuulsus & intus raptus edat, sanabitur: & thoracem totum purgabit. Herbam si cum Oxygaro edat, magnum beneficium sentiet stomachi dolore vexatus. Ad Tussim radices in Caldaria decoques cum melle & pipere & Castoreo ad quartas, & in vino vetere ieiuno dato in potu. Hæc herba hoc [virtutis & naturæ suæ rationem & probationem] argumento habet, vt carne bubula concisâ & in Cacabum missâ, eius radicis si immiseris drachmas duas, cocta caro in vnum cohærebit.

SYMPHYTVM MAGNVM.



Symphitum maius læto solo satis obuium *radices* surculosas & crassas demittit, foris nigras, intus albas, sapore fatuo sed magnopere viscido & lento: *caules* cubitales, crassi satis, inanes, hirsuti, asperi & membrancis foliorum alatis appendicib. adnatis inæquales: *folia* Trago Helenij foliorum formam penè imitantur, acuta, rugosa, hispida: *flores* simul multi penduli, nolarum instar, purpurei aut ferruginei, albi, ex calyce hirsuto concolori, quadripartito, in 5. lacinias acutas diuisi, quibus totidem in penito flore adnatæ ligulæ herbidæ, totidémque apices albidi appositi, stylo floribus concolori [Flores Trago veluti Herbæ paralysis, partim ex pallido & luteo candicantes, partim cæruleo, quibus decidentib. ferme in herbariis vasculis clausum relinquitur.] Dioscorides licet Symphyti maioris flores luteos esse statuerit, ego tamen [inquit Marantha lib.1. cap.9.] & candidos & purpureos vidi. Descriptio

Cordus in Hist. tria Symphyti genera tribus distinctis capitibus describit, quæ colore tantùm florum differunt. Vnum vocat Symphytum maius, candidis floribus: alterum Symphytum maius rubrum: tertium Symphytum maius purpureum. Figuram apposuit Gesn. ex Trago. Symphytum alterum, inquit Matthiolus id ita vocãs; quod secundo loco reddidit Dioscorides, nulli dubium est, quin ea sit herba, quæ hodie passim Consolida maior nominatur, quam etiam nonnulli herbariorum Alum falsò appellant. Quip-

pe quòd eius notæ singulæ Dioscoridis historiæ ad vnguem hærêre deprehendantur. Hæc frequentissima nascitur in pratis, florib. non modò luteis, vt Dioscorides inquit: sed & candidis & purpureis, eadem sanè facie, ac forma.

Dicitur Symphytum maius Castori. Ioh. Agricolæ. Eur. Cordo, & Camer. in Epit. & Hist. Matthiol. Germ. idemque hort. vbi floris, meminit purpurei & albi. Symphytum alterum Anguill. Lacunæ. Cord. in Diosc. & Turnero. Symphytum Lonicero, qui etiam consolidam, Vnctuosam, Inulam rusticam, & Alum Gallicum cognominat. Symphytum Alum & Alus Lob. in aduers. pag. 251. (vbi duplex tradit, marem floribus purpureis, fœminam florib. albis) Obs. pag. 315. Icon. Plant. p. 583. Cōsolida maior Brunfels. Trago, Camer. hort. Lob. Thalio & Cord. in Diosc. or. qui præterea vocat Symphytum alterum Diosc. or. & Symphytum magnum Galeni, quod Plinium ignorasse scribit. Consolida, cespes magnus in palustrib. nascens Cæsalpino. Consolida magna vulgò. Solidago maior Ioh. Agricolæ, & Eur. Cordo.


Tab. not. Tabern. icon. & hist. Symphytum maius flore albo: Consolida maior *Vveis z vvalvurtz.* Item Symphytum maius flore purpureo, *Braun vvalvvurtz: Frustra* proposuit duas icones plantæ colore tantùm differentis.

Symphytum mas & fœmina. C. Bauhino phyt. Symphytum, seu Consolida maior 1. mas vel fœmina, illud ex purpureo cæruleum, hoc ex pallido & luteo candicans. Reperitur & luteo flore. Item apud Matth. Symphytum tertium siue Consolida maior. Symphytum magnum Dioscor. σύμφυτον ἄλλο siue πετραῖον Germ. *vvallvvurtz, schvvartzvvurtz, schmervvurtz.* Gall. *Consyre & Oreille d'Asne,* It. *Consolida maggiore.* Hisp. *suelda maiore.* Anglicè *Comfrey.* Off. Consolida maior. Boh. *Svvalvvurtz vvetsy.* Hung *Fekete nadal.* Croatis verò, qui eius radice ad cōtusa & rupta feliciter vtūtur, *Gavez.*

Locus & Tempus. Altero demum anno fructus edit. Floret Iunio & Iulio mensibus, gaudet palustribus & humectis, graminosis hortis & littoribus ac ripis, neque facilè vbi semel radices egerit propulsari potest, nam vel minima radicis portio humi infixa continuò in herbam emergit. Symphytum flore luteo florens mense Maio Monspessuli, Lugduni flore albo, Maio. Basileæ flore purpureo & albo copiosè in pratis. Patauij vidi in horto Iesuitarum. Montbelgardi abundat, flore albo & purpureo. Bononiæ in horto *di S. Saluator al burgo di Santta Catharina* flore luteo mense Aprili. Geneuæ in pratis versus Cologni flore albo, mense Maio. Sata semel in hortis vix postea extirpari potest, quia vtraque particula radicis facilè crescit.

Vires. Vires ex veteribus legantur antè. Radix vt videre est apud Tragum in medicina maiorem habet vsum quàm herba, éstque illa temperaturæ calidæ & humidæ vulneribus & rupturis internis commodissima. Mundata in vino decocta & pota exulcerationibus pulmonis, & vitiis thoracis expugnandis prodest. Non desunt qui ex radice aquam distillant ad suprà dictas affectiones: Solent Chirurgi emplastris suis adiungere. Omnis generis vulnerib., rupturis & confractionibus ossium commodissima est, quotidianâ id attestante experientiâ. Ego radice Symphyti nollim vti in omnib. vitiis ex thorace expurgandis: tantùm in iis quæ eueniunt à tenui subtili & calida materia. Flores in vino rubro coctos, bisque in die sumptos in cruenta vrina optimos scribit Camerarius. Radicem cum albumine oui applicatam sedare immodicas hæmorrhoides.

SYMPHYTVM TVBEROSVM.



Descriptio. Cæsalpinus ita describit: Cōsolida minor siue altera in collibus nascēs, locis vmbrosis, præcipuè sub olea; & cultis locis: *folio* Borraginis, minore, ac minùs aspero: *cauliculis* dodrantalib. aut paulò altiorib. *flore* pallescente: *radicibus* in obliquū sparsis, quibus rotunda tubercula insunt, colore candido, mollia, sapore non ingrato: viuit radice diutiùs.

An Hermolao Symphytum minus, radice intus & foris albâ ferè Bulbi effigie, rotunda?

Camer. in Hist. Matth. germ. dicitur Symphytum tuberosum *Gelbe Knœdichte vvalvvurtz:* in Epit. Symphytum radice tuberosâ, flore luteo: De hort. Symphytum maius flore subluteo tuberosâ radice.

Consolida minor. Anguillara epist. 14. Symphytum aliud, foliis Borraginis, flore luteo, radice tuberi [tartuffo] simili: Consolida minor vocata.

Symphytum hoc luteis floribus obseruauit etiam Lobelius quòd putaret esse Borraginem, nisi radix subesset tuberosa, vt fatetur in Adu. pag. 251. ac ideò in obs. pag. 315. [item Icon. Plant. p. 584.] vocat Symphytum tuberosum.

Dodon. in fol. vocat Symphytum tuberosum, facitque Symphyti alteram speciem, radice exteriùs nigra, intus candida, Symphyti maioris instar, sed tuberosâ: foliis quoque minoribus, caulibúsque breuioribus; floribus subinde luteis. Hist. Lugd. pag. 1074. Symphytum tuberosum Lobelij. Cæsalp. Consolidam minorem flore pallescente. C. Bauhin. phyt. Symphytum 2. [4. apud Matthiolum, vbi in figurâ hirsuties est neglecta] seu maius tuberosa radice.

Symphytum cuius meminit Anguillara vidi circa Patauium & in montibus Euganeis. Est mihi in horto Ill. E. C. delata Basileâ ex horto D. D. Martini Schmeletzij. Vulgatissimum in Italia, sub olea, & locis cultis, mense Martio flore luteo prodit in hortis: spontè etiam circa sepes. Inuenitur authore Clusio in omnibus Pannoniæ & Austriæ syluis vmbroso loco, præsertim verò sub fruticibus.

Miraculosam ad consolidationem & coniunctionem carnium & ossium tradit Anguillara.

***

PVLMONARIA ITALORVM AD Buglossum accedens.

Descriptio. Italorum Pulmonaria dodrantali & maiore altitudine herba, *radice* nititur alba, fibrosa, Hellebori, sed fibris rarioribus, & quibusdam crassioribus, gustu admodum lento & viscido: *caulis* rugulosus, purpurascens, hirsutus, vnus interdum surrectus, reliquis primum germinantibus, aliàs plures vt in Buglosso: *folia* alia statim à radice exorta, conferta, per terram sparsa, alia caulem inæquali situ sine pediculo amplectentia, oblonga, vnciam lata, neruo medio per longum donata, in acuminatum mucronem desinentia, lanugine supra infraque & in ambitu molli pubescentia, at adulto verè folia insignem acquirunt magnitudinem, præsertim infima, quippe quæ latitudine palmum superent, longitudine sesquipalmum, teneráque illa lanugine rigescente hispida redduntur: summitati caulis insident *flosculi* ex pediculis semuncialibus & breuioribus multi simul iuncti, interdum reflexi caudam scorpionis æmulantes, vt Echij, ex calycibus oblongis, striatis, hirsutis, colore modò purpurante, modò violaceo, alias mixto purpuro-violaceo, idque in vno eodémque ramo, in sex lacinias diuisi: in calycis fundo succedunt semina quaterna, Buglossi seminibus similia.



Cord. Hist. lib. 2. cap. 32. Pulmonariam Italorum describit sine maculis pro Symphyto sylu. cui addidit figuram Gesnerus, titulo Pulmonariæ Plinij, quæ placet.

Tragus libr. cap. 79. Histor. germ. vocat *klein vvalvvurtz*, Symphytum syluestre.

Buglossa sylvestris. Dubitat autem, an sit Symphytum petræum primum Dioscoridis: sed malè, cum vt ipsemet fatetur, descriptio non conueniat. Miror præterea apud Tragum huius figuram esse positam capite 77. libri dicti, pro *vvald Ochsenzung*, Buglossa syluestri, quam postea cap. 79. Consolidam maiorem siluestrem in syluis prouenientem vocat. Sed magis adhuc miror, hunc errorem nec dum in Hist. Latina esse animaduersum & correctum, sed figuram absque descriptione conuenienter correspondente cap. 77. pro Buglossa syluestri reliquisse, capite autem 79. pro Consolida tertia, seu Consolida maiore [minorem vocat inter nomenclaturas] siluestri absq; imagine descripsisse.

An Lonicero lib. 5. cap. 154. *vvalden Ochsenzung*, species Buglossi syluestris, quæ Græcis Lycopsis dicitur, quibusdam Germanis *scharpff Ochsenzung & scharpffzungen*: Videndum an sit etiam Lonicero cap. 158. Symphytum syluestre, quod Tragi verbis describit.

Matthiol. in Dioscor. Pulmonariæ [Pulmonariæ alterius in post. comment. cum magn. fig.] titulo plantam à nobis delineatam exhibet. In H. Germ. cum addit. Camerarij (vbi Boh. *Plicnice* vocatur:) Itémque Epit. (vbi Ital. nominatur Pulmonaria, Germanicè *Lungenkraut, fleckenkraut, & klein vvalvvurtz*, Gall. *herbe aux poulmons*) etiam Pulmonariam alteram appellat: Censura verò 93. in Amatum, Pulmonariam seplasiorum, ibidémque negat esse Potamogeton, id quod vult Amatus: dicens: Potamogeton, vt ego opinor, ea est herba quam officinæ Pulmonariam appellant, eò forsan quia pulmonis vitiis opituletur: quæ folio constat Betæ hirsutæ, notis albis maculato, & propè fontes & aquosos locos nascitur vnde Fontinalis nomē traxit, de qua Gal. lib. 8. *Fontinalis.* Hæc ille: Rectiùs autem Rob. Const. Pulmonariam herbariorum duplicem ait, hancq; alteram vocat Cirsij siue Borraginis speciem albicantibus notulis maculatam, locis opacis prouenientem, non autem aquosis. Ita vt vel hinc appareat non admittendam Amati opinionem, apud quem posita Icon quæ non est plantæ quam Potamogeton præter rationem vocat. *Amatus not.*

Baccharis. Turnerus Baccharin, Saluiam Hierosolymitanam, & Pulmonariam Officinarum vocat. Fracastorius lib. 3. cap. 8. de cont. Pulmonariam, Pulmonariam officinarum & Herbariorum Belgicorum, Pulmonalem Latinorum, Picardorum *Herbe de cœur* [Herbam Cordis] Belgarum *Onser Brouvven Sfin*, Gall. *Herbe au laict de nostre Dame*, h. e. latinè S. Mariæ lac, quòd folia maculis albis plena appareant ac si lacte conspersa essent. Lat. in fol. Symphytum maculosum aut maculatum. Non autem vocandum putat Symphytum syluestre, quòd & aliud syluestre sua natura sit: rectè etiam non parum differre ait, à Pulmonaria, de qua inter Musci genera agemus.

Pulmonaria maculosa. Lobel. in Aduers. pag. 252. Pulmonariam maculosam folio Borraginis, floribus primulæ veris, purpureis: item pag. 121. Pulmonariam recentiorum, Britannicam putatam. In Obseru. pag. 317. Maculosam pulmonariam (ac ita etiam in Icon. Plant. p. 586.) quam in horto Moutoni floribus albis variare tradit.

Gesn. hort. de hac loquitur cùm ait. Pulmonaria Plinij, Italis hodiéque vulgò sic dicta, sine maculis apud nos reperitur. Illa verò cuius Plinius meminit foliis maculosis, in Italia frequentior, est omnino Symphyto seu Consolidæ maiori dictæ cognata herba. In Catalogo pl. ipsi Auricula muris vt & Syluio dicitur.

Pulmonariæ maris & fœminæ: *hirschmangolt manlein hirschmangolt vveiblein* superfluam figuram habet Tab. quæ propter colorem tantùm posita: tolerabile fuisset si maculosam & non maculosam pinxisset.


C. Bauhin. phyt. Symphytum 4. siue maculosum, seu Pulmonaria latifolia.

Pulmonariam (siue vt audio vocatam à Fuchsio Buglossum Teophrasti) florentem vidi mense Februario inter Patauium & Balneum Aponense, ac inter idem Balneum & Arqua, necnon in horto Prioli Patauij obseruaui. Geneuæ passim florentem mense Martio & Aprili. Basileæ in horto D. Plateri. Lugduni *au bois de la bonne Allemande*. Montbelgardi non maculata frequēs in colle è regione pontis, florens Martio & Aprili in horto E. C. Patauij florentem vidi Martio in horto Iesuitarum: Veronæ in horto D. Serrati Medici, Ferrariæ in Monasterio S. Dominici à l'*Angeli*, & Florentiæ in horto Nicolai Ferrariensis. Pulmonaria, inquit Clusius, quæ

culis insignita, copiosè multis Pannoniæ & Austriæ siluis sponte nascitur. Reperitur & in collibus vmbrosis, opacis locis, & riguis tractibus. Et in Bohemia quidem foliis haud maculatis: In hortis facilè adolescit. Primo vere erumpit: mox florifera est: pereunt Autumno folia, radix perennat.

Tempera. Hanc herbam licèt in medicina non habere peculiarem vsum, nisi quod in cibis & placentis ex ouis verbasculorum modo, quibus temperamentum accedat, vsurpetur, in Hist. gall. scripserit Dodonæus. In Hist. tamen latina ait. Cæterùm facultate hoc Symphytum priori responderet, si radix huius viscosa: Verùm quandoquidem dura ac lignosa, siccior huius qualitas & magis adstringens. Foliorum in oleribus vsus est. Putantur verò & ad pulmonis vitia ac vlcera huius quoque radices conferre, & idem quod maioris Symphyti posse. Superat autem in Symphyti radice frigida temperies, sed tamen exigua adest humiditas viscosa, ac glutinans: Hæc nequaquam pruritum excitat, nec gustu acris aut mordax, sed ἄποιος siue exqualis, & qualitatis gustabilis expers; tantùm abest vt cum Scillæ acri viscididate huius humiditas lenta ac glutinosa conferri queat. Folia pruritum excitare possunt, non caliditate aut acrimonia, sed asperitate sua, vt iam scripsimus, minùs tamen quàm Vrticæ. Ad multa *radix* vtilis est; vulnera & enterocelas recentes imposita sanat: ad sanguinis cum tussi sputationem ac profusionem, & contra pulmonis vlcera multùm prodest paratur in hunc vsum & ex ea Serapium, quod sanguinis fluores sistit: recentia pulmonis vlcera consolidat: tussim sedat: febrium calores contemperat: humorum defluentium acrimoniam retundit; descriptio hæc est. ℞ Radicum Symphyti maioris vncias duas, dulcis radicis vnciam vnam, foliorum tussilaginis vnà cum radicibus manipulos duos, nucleorum nucum pinearum sesquiunciam, Zizipha 20. seminis maluæ drachmas duas, capitum papaueris drachmam vnam, fiat decoctio in aqua quantùm satis est ad libram vnam: Colato addantur sacchari & mellis albissimorum singulorum vnciæ sex, & fiat Serapium perfectè decoctum. Eadem quoque radix renum vlcera etiam diuturna cauat, & profluentem ex his sanguinem sistit: tum & superfluentes quoque muliebres purgationes supprimit, si vel decoctum eius bibatur, vel ipsa cum saccharo, aut melle condita, singulis continuis aliquot diebus assumatur. Ad omnium quoque reliquorum viscerum, ac internarum partium læsiones, & ad rupta vnicè commendatur. Tanta autem consolidandi huius vis est, vt vnà cum carnibus crudis in partes concisis cocta, eas simul cogat ac vniat. Aduersus etiam sedis inflammationes conducit, & nimium profluentes hæmorroides imposita reprimit. Huic plantæ rei herbariç periti non contemnendas vires tribuunt, ad pulmonis vlcera sananda. Qua in re, itémque in sanguinis reiectione mirabili successu se eam exhibuisse mihi (*inquit Matth.*) sæpiùs retulit Iulianus à Marostica Teruisiensis medicus: Idem in Epit. Camerarij addit, Cohibet, consolidat, siccat, abstergit, præfertur ad pulmonis cùm vlcera, tum cæteras infectiones, & ad sanguinis reiectiones: Datur totius plantæ decoctum ad suprà scripta, magno auxilio, cum saccharo pluribus diebus: Idem cum maiori quoque successu præstat foliorum succus potus. Pulmonariæ maculosæ Lobelij folia iusculis muliercul æmiscent, aut tusa ex ouis in placenta ducunt, adque pulmonis affectus & cordis vires conferre prædicant. Fallax admodum experimẽtum, vt nobis videtur, de Pulmonaria vulgari herba (quam intelligat non monstrat) tale adscribit Io. Agric. Vulg. Pulmonibus, inquit, egregiè opitulatur, & robur ipsorum conseruat, exaugétque. Quemadmodum experiri licet in pulmone animalis decocto cum hac herba, & non marcescente, neque eliquato, quanquam igni aliquandiu supposito, & quantùm satis est accenso.

PVLMONARIA ANGVSTIFOLIA Cæruleo flore.



Descrip. Hvic folia sunt angusta & villis obsita, Buglossi silo. Echiiue aut Anchusæ foliis non absimilia, molliora tamen, neque tam aspero villo hirsuta, nullo pediculo prædita; sed mediũ *caulem* amplectentia, qui paulatim succrescens, angulosus & hispidus, interdũ nonnihil purpurascens, in pedalem tandem altitudinem excrescit, in cuius fastigio multi pentagoni caliculi, in quinque purpurascentes lacinias diuisi, & subhirsuti nascuntur, continentes oblongos, concauos *flores*, Buglossi hortensis, aut Pulmonariæ vulgaris floribus formâ similes, qui per oras in quinque orbiculates ferè lacinias diuisi, colore, antè quã aperiantur, ex purpura rubẽte, deinde quando explicati sunt, cæruleo adeò eleganti nitent, vt Gentianellæ vernç floris venustatem si non superare, attamen proximè æmulari videantur, odore autem nullo grati: ij maturi decidunt integri, quemadmodum Buglossi hortensis & similium flores atque caliculũ inanem cum stilo, & quatuor *seminum* rudimento relinquunt, quod maturitate nigrum euadit, Echij aut Buglossi vulgaris semini respondens. Adnascuntur deinde secundum caulis pedem, alia hirsuta folia angusta, palmaris aut amplioris longitudinis, Echij aut Anchusæ foliis latiora, molliorâque, inter quæ (licet sicca sint) subsequente vere prodit caulis suis venustis floribus onustus: *radix* crassis carnosisque fibris prædita est, vt Pulmonaria maculoso folio, initio candicantibus, deinde vetustate foris nigricantibus, dulci sapore.

Clusio in Pannon. dicitur Pulmonaria 2. [in hist. post.] siue angustifolia cæruleo flore. Taber. icon. & hist. Pulmonaria 1. angustifolia. C. Bauh. phyt. pag. 501. Symphytum 5. siue Pulmonaria angustifolia: flore antequam aperiatur ex purpura rubente, explicato eleganter cæruleo.

Locus & Tempus. Nascitur passim per Pannoniam & Austriam inferiorem in montanis & cæduis siluis. Exilit nouo vere, florumque congestorum thyrsum ferè ante folia promit, diutissiméque floret.

PVLMO-

PVLMONARIA RVBRO FLORE, folijs Echij.



INuenitur, inquit Clusius, & quibusdam Pannoniæ locis alia rubro flore [Pulmonaria 3. quoad descriptionem, icon enim Lichen exprimit, cuius figura hoc loco errore Typographi pro Pulmonaria tertia Clusij exhibetur in Hist. Pannon. 4. in post. sine icone] superiori se è similis, nisi crassiorem maioremque *caulem* ac latiora *folia* haberet, & *flores* similiter, non vt illa cæruleos, sed pulcherrimè rubentes: alioqui & *radice* & temperamento conueniunt.

Huic omninò respondens cùm forma, tum amplitudine alia [Pulmonariæ 3. species altera in H. Pann. Pulmonaria 5. Pannonica seu Pulmonaria rubente cæruleo flore in Hist. Post.] est, cuius flores primùm rubent, vt in priore Pulmonaria: deinde cærulei saturatioris coloris fiunt.

Tabern. icon. & hist. Pulmonaria 4. Plinij angustifolia. Cur compilator imitatus Clusium hanc priori angustifoliæ non subnectit? C. Bauh. phyt. Symphytum seu Pulmonaria angustifolia altera.

Pulmonaria alba exotica.

Post Pulmonariam maculosam meritò & hæc referenda quam teste Lobel. in Obseru. pag. 317. alebat Petrus Coldembergius, folijs Britannicæ aut Alismatis humi prostratis, floribus Solano proximis, exilioribus, muscosis.

SYMPHYTVM PVMILVM REPENS siue Borrago minima herbariorum.

SYmphyti pumili ramulum munere Fratris habeo, cui paulò circa cacumen bina *folia*, alterum vnciale, alterum etiam minus, acuminatum vtrumque: *flores* in surculis extremis, suo quisque pediculo nixi, complures, quorum qui nondum explicati sunt Heliotropij in modum deorsum inflectuntur: qui autem expansi sunt, ij Pulmonariæ Italorū flores magnitudine æquant, vnifolij quidem, sed in quinque lacinias diuisi.

Hoc est illud Symphytum pumilum repens, Borraginis facie Borrago minima Herbariorum Lobelio [in Obs. pag. 311. in Icon. Plant. pag. 577.] de qua ait. Speciosam hanc plantam alunt Ill. Princeps de Chymay, D. Car. de Croy, cæterique peritiores stirpium exploratores Belgij, folijs Borraginis aut Pulmonariæ minoribus flosculis cæruleo-purpureis Borraginis, sed radix pulla Vlmariæ aut Cariophyllatæ fibris implexa. Floret hieme in pensilibus hortis, Vere etiámque Augusto in hortis. Gustanti cum muscositate nōnullā acrimoniam exhibet, quod Borragini aut Buglosso negatū est. Quænam sit hæc antiquis adhuc ignoramus.



De hac Dodō. lat. inquit: Borraginis altera extat species folijs similibus, sed minoribus: flosculis cæruleis paruis absque staminibus, quàm vulgaris Buglossi minoribus, radix restibilis hiemē sustinens, folijs interea quoque virētibus omninò rara est paucísque cognita. Hist. Lugd. pag. 881. inscribit Borraginem minimam herbariorum. C Bauh phyt. Symphytum 7. siue repens Borraginis facie.

CYNOGLOSSVM VETERIBVS.

CAP. X.

POst Buglossum Dioscorides, Cynoglossum tradit, *caule* carens. Cynoglosson, inquit, *folia* latifoliæ Plantaginis habet, at angustiora & minora, lanuginosa. *Caule* vacat, humique sternitur. Prouenit in salubetis. Folia cum suillo adipe veteri trita, canum morsibus, alopecijs ambustísque medentur. Ipsius verò herbæ decoctum, ex vino potum, aluum emollit.

Cynoglosson in nothis aliqui Phyton, alij Caballion [Caballiatium Marcellus,] alij Splenion, alij Scolimon, Romani Linguam canis aut caninam appellant. *Diescor. adscripta nomina.*

Buglosso quoque Cynoglosson subdit Plinius, rectè Gesneri iudicio ei caulem tribuens, quem Dioscor. negauit, dicens: Iungitur & Cynoglossos, caninas imitans linguas, topiarijs operibus gratissima. Aiúntq; quę tres thyrsos seminis emittat, eius radicem potam ex aquâ ad tertianas prodesse: quæ quatuor ad quartanas [Hîc omnia quę Dioscorides scripsit περὶ ἀγχούσης Plinius transtulit ad Cynoglossum: vnde meritò ea, vt supposititia, à Plinij textu asserit Cornarius, cùm, inquit, Cynoglosso adscribat quæ Diosc. Buglosso.] Est alia similis ei, quæ ferat lappas [folia Lapathi minuta Humelberg.] minutas. Eius radix pota ex aqua canis & serpentibus aduersatur.

Galenus, Paulus, & Ætius in simplicium censu, teste eodem Cornario, Cynoglossum omiserunt, fortè quod de Arnoglosso, i. e. Plantagine, dicta, etiam de illo intelligi voluerunt.

Nomina & virtutes herbæ Cynoglossæ hunc in modū prosequitur Apuleius. Græci Cynoglosson alij Phrygiam [alij pyrgiam,] alij Hemionion, alij splenion, alij caballion, alij scolimon, alij pygrin, alij leucrion [fortè legendum Teucrion] Ægyptij zenis, Itali linguam canis, alij sub-

labium, alij linguam Macedonicam. Ad morsum serpentis Herba Cinoglossa contrita & ex vino sumpta veneno resistit. Quæ folia quatuor habet pisata, & ex aqua potui data, prodest quartanis. Succum ex passo & oleo tepefactum in aurem stillatum mirè sanat eos qui minùs audiunt.


Litem inter Dioscoridē & Plinium de caule Cynoglossi ad propositum dirimere videtur Marantha lib. 2. cap. 4. his verbis. Scribit Dioscorides Cynoglossum caulem nullum proferre: quod ita est, multique qui verum Cynoglossum cognoscunt, hoc obseruarunt. Verùm cùm anno abhinc tertio nos Garganum montem Maio mense peteremus, in itinere largus Cynoglossi campus sese nobis obtulit: ex quibus multa caule vacare vidimus: multa tamen caules habere è medio frondium nascentes, nudos, dodrantis, aut ampliùs altitudine, in summitate scabrosos, vt sua vmbra vniuersum frondium ambitum, quæ humi sparsa iacebant, superarent: flores in illis subpurpurei, anchusæ æmuli: atque in vniuersum tota planta pulcherrima. Hanc rem nos attentiùs considerandam duximus. Atque ad illud vnum laborauimus, vt an diuersæ essent Plantæ, certiores redderemur: tandémque nullam in frondibus, radice, saporéque dissimilitudinem inuenientes, eandem esse coacti sumus affirmare: ancipitésque rei nouitas nos reddidit, an plantam illam pro Cynoglosso admitteremus donec Medicus quidam Germanus, materiæ medicæ studiosus, qui per multos annos Patauij artibus operam dederat, se Cynoglossum in Patauino horto consitam vidisse, quæ post tertium annum caulem edidisset, mihi affirmauit. Vnde priorem meam sententiam nihil mutans, hanc diuersitatem vetustatis ratione euenisse arbitratus sum, hocque Dioscoridi, sicuti & multa alia, incompertum fuisse.

Cùm itaque olim ne veteres quidem in huius plantæ delineatione sibi constent [Dioscorides siquidem ei caulem adem t quem Plinius tamen ei tribuit,] non mirum est si magna adhuc hodie inter recentiores herbarios contentio perseueret, quænam ex aliquot plantis, verum sit & facie & viribus Cynoglossum. Hi siquidem ad vires attenti, & ad eff ctus quos Catapotia de Cynoglossa inscripta pollicentur, aliud atque aliud Cynoglossum ostendunt.

Æquiuoca Cynoglossi sequentes agnoscuntur species, eodémq; nomine quæ sequuntur donantur plantæ: scilicet. Cynoglossum vulgare. Cynoglossum Monspessulanum. Cynoglossi vulgaris minor species & candidior. Cynoglossum minus. Cynoglossa folio virenti. Cynoglossum siluestre Thalij. Echium. Anchusa. Lithospermum maius. Echium Scorpioides, aquaticum Gesn. Cerinthe quorundam. Plantago. Narcissus. Cynoglossam etiam de Plantagine dici à Recentioribus tam verum, quàm verum est Arnoglossum & Cynoglossum Plinium & Apuleium inter se confudisse.

CYNOGLOSSVM VVLGARE.

Descriptio Nigra foris *radix*, intus alba, tota crassa, Rapam exiguam repræsentans foris coloris pulli, odore magis graui quàm sapore, qui dulcedinem nonnullam fatuam linguæ offert: *caules* circiter bicubitales in ramos multos diuisi, vetustate concaui, multâ lanugine obsiti: *folia* longa & latiuscula primo anno, secūdo vbi caulem fert, stricta, acuminata, incana, mollia, lanuginosa, odore graui, *flores* Buglossi officinarum, colore sordido rubente, quos folia quaterna aut quina hirsuta incana amplexantur: quibus succedū: *Lappulæ* quatuor conis suis ad stilum in medio prominulum concurrentes, nonnihil compressæ, spinulis hispidæ, quæ pertinaciter vestibus adhærescunt, cauitate vnica donatæ, in qua itidem *semen* vnicum.



In his regionibus, inquit Cordus in Diosc. malè asperam Anchusam [Echium vulgare] quam Lycopsim esse diximus Cynoglosson vocant. Veram autem Cynoglossam omnes aliæ Germaniæ gentes *hundszungen* id est, Caninam linguam vocant: quam etiam pharmacopolia habent. Dioscorides ei caulem negat: & nos etiam sine caule eam nasci vbique videmus, quibusdam tamen temporibus eadem caulem, purpureos flores, & post hos minutas lappas producit, quas Plinius etiam illi tribuit. Ergo imprudenter Ruellius scribit, non esse Cynoglossum quod in officinis habeatur, quoniam caules & lappas ferat. Multis enim nos annis obseruauimus Cynoglossam interdum primo anno, interdum & secundo sine caule nasci, vt Dioscorides eam depingit, reuerâ tamen caulem fert. Duplex inuenitur Cynogl. maior. De qua dicetur paulò post.

Vocatur hæc, inquit Tragus l. 1. c. 76. κυνόγλωσσον Græcis, Cynoglossa & lingua canina Latinis, *hundszung* Germanis dicitur. Posset & eadem lingua *hundskraut*, id est, Herba canina: *hundsvvurtzel*, id est, radix canina, appellari, cum tota sua substantia fœtore canino grauiter oleat. Hāc alij [teste Diosc.] Phiton, alij Caballatium, alij Splineron, alij Scolimon. Romani linguam canis aut caninam appellant. Apuleius c. 97. Phrygiam, Hemionion, Splenion, Caballion, Scolymō, Pyrgin, Leucrion, Zenis, Sublabium, & linguam Macedonicam vocat. Manlius sup. pill. rheumat. Mesue. Cynoglossam ait à quibusdam Kaliber, Censten, Alchaaber, Cabcachar. appellari. *Folia* autem Cynogl. vulgaris nobis nō videntur strata, vt scribit Tragus: Ic. etiam eius non est bona, sed potiùs est Echij. Fuchsiana etiā nostram quā iam sculptā emimus non benè exprimit Cynogl. Trag. nec.

Fuchs. videtur confundere hoc Cynogl. siue linguā caninā officinarū cū Echio vulgari, quod apparet ex fig. & descript. deceptus fortè fig. Tragi.

Cornar. in Dioscor. Notum est Cynoglossum & vulgò & officinis suâ Græcâ appellatione. Nostri illam sequentes *hundszung* dicunt, Nec aduersatur huic quod Dioscor. caulem non habeat

bore & per terram stratum esse dixit. Tale enim reuera primo ortus sui anno conspicitur. At vbi per hiemem durauit, sequenti anno assurgit, & caules producit quos thyrsos Plinius appellauit: ni minimè dubium sit vulgare officinarum Cynoglossum reuera id esse quod Plinius descripsit. Hæc Cornarius qui [vt Tragus] per terram sterni Cynoglossum vulgare asserit, nimiùm securè suam sententiam proponens.

Cornarius not.

Cynoglossam vulgarem Buglossæ vulgò vocatæ adeo similem ait Humelberg. apud Apul. vt ab ea non nisi odore [qui in Cynoglossa grauis est] discerni possit. An autem tanta sit similitudo iudicent lectores.

Humelb. not.

Cynoglossum

Lonic. lib. 5. cap. 156. *hundszung*: Cynoglossum: Lingua canis: eius duo Genera, maius & minus: maius est verum Cynoglossum Diosc. Dicitur etiam *lemde hundszung*: Paruum est Cynoglossum officinarum aut vulgare. Duas icones proponit Lonicerus, primam in qua caulis malè appictus: altera icon est eiusdem plantæ quum amisit priora folia: ignarus botanicus ex consideratione iconum ex vna planta duas facit.

Lonic. not.

Lycopsis Ruellio negat Amatus.

Ruellium reprehendit Amatus quòd falsò aliorum iudicio, Lycopsim eam non esse herbam contendat, quam vulgares Italiæ Pharmac. Cynoglossum appellent, cùm reuera inter se maximè differant.

Anguillara epist. 12. demonstrat satis se hanc herbam non agnoscere pro Cynoglossa. Gesn. hort. vocat Cynoglossam Italicam: In catal. plant. Lycopsim & quartum genus Anchusæ, cui Ruellium Linguæ canis hodie vulgò dictæ nomen attribuere refert.

Dod. in fol. p. 53. duas habet Icones quas Plantinus exhibet: Cynoglossum absque flore, & Cynoglossum cum flore, & describit. Græcis κυνόγλωσσ☉ ἢ κυνόγλωσσον dicitur: Latinis Lingua canis. Germanis est *hundszungen*, Belgis *honts tonghe*: Hispanis *Lingua del perro*: Italis *Lingua di cane*: Gallis *Langue de chien*: Anglis *hovvndes tunghe*: Bohemis *psy yazyk*.

Ætius lib. 1. & Tetrabili tertij l. 2. Limonium & Cynoglossam Candum eandem stirpem sentire videtur. Rondeletius Glastum syluestre esse voluit, sed syluestre Glastum à satiuo perquam differens est.

Lobel. in Obseru. pag. 311. (Itemque icon Pl. p. 580.) duas picturas exhibet sub his titulis. Cynoglossum vulgare sine flore, Lycopsis Lacunæ: Item Cynoglossum vulgare cum flore. Addit præterea Cynoglossum maximum occurrere in hortis Belgicis, folijs scilicet, floribus, semine, omnique sua parte duploque maius vulgari. Quod verò pingit in Aduers. credimus esse Cynoglossi vulgaris speciem minorem & candidiorem.

Locus & tempus

Per hiemem folia illæsa durant: appetente Iunio mense caulem emittit, authore Trago. Nascitur in parietinis & muris iuxta sepes, quò omnis generis sordes conijci plerumque solent, sabulosis & incultis denique locis Cynoglossum vulgare seu Lingua canis prouenit Patauij, Lugduni copiosè versus *la porte Neufue*, florens Maio: Basileæ passim. Montbelgardi inter portam *des Graniers* & Castellum extra vrbem: & alibi vt in horto E.C. Geneuæ cum flore & lappis Iunio mense: Monspelij prouenit & præterea alia species.

Tempera. Vires & vsus

Cynoglossa frigidam & siccam temperaturam obtinet inueteratis & malignis vlceribus & Mariscis præsertim sanandis efficacissima. Radix Cynoglossæ vino decocta, vesperi & mane bibita, aluum emollit. Eadē fermento obducta, ac paulatim in calido cinere tosta, & assata, postea abiecto fermento locis affectis Balani instar indita, calorem & dolorem internarum mariscarum protinus aufert, vtque citò curentur efficit, experientia id attestante, neque multis hoc genus curationis notum est. Aqua Cynoglossæ, succus & puluis eius mariscis vtilissima sunt, collutione & inspersu. Aqua distillata alia quoque sanat vulnera, præsertim genitalium, Linteolis in ea madefactis ac impositis. Herba tusa, & cum Adipe suillo in sartagine tosta, morsibus rabiosi canis medetur & ambustis. Caluis illitu capillos reducit. Aduersus inueterata mala pustularum, fistularum, & aliorum abscessuum tumidorum, vnguentum è Cynoglossæ succo confectum illitu efficax est. Confectio verò sic se habet: Succum Cynoglossæ cum melle rosarum æquis portionibus paulatim, quoad succus absumatur, decoque, post Terebentinam admisce, & fiet vnguentum Præstantissimum. Hæc Tragus qui vires tribuit Cynoglossæ Dioscoridis, quæ an conueniant vulgari huic nescimus: nec etiam ea vti velimus ad emolliendam aluum, nec ad morsum canis rabidi. Appollinaris ait conferre applicatum morsibus canis & caluitiem reparare. Dubitamus an consultum sit hac planta in prædictis morbis vti, nos nolumus experiri: nimiùm frigida est.

Porrò Matthiolus de eius facultatibus hæc prodidit. Radix sicca in puluerem trita, ex vino rubro pota dysenteriam sanat: vtilis admodum ijs quos gonorrhæa habet: item ad Catharros & grauedinem. Radix vulneraria est, vtilis sistendo sanguini & omnis generis vlcera & vulnera curat, in primis autem aphthas & maligna oris vlcera, ex lue venerea orta: nec non hæmorrhoides, si radicis decocto colluantur, & puluis eiusdem inspergatur. Succi & aquæ stillatitiæ facultas eadem. Ambustis scribunt auctores Aduersariorum opitulari, vel mulierculæ sciunt, refrigerandi scilicet manifesta qualitate, exsiccante, doloremque leniente, & maiorem affluxum prohibente, præsertim axungia alliquefacta fetuidaque instillata: item alopecijs de acri & erodente humore capillis defluentibus, confert: nec non emollit aluum eius vis malactica & mucaginea vino incocta, & frigore retuso: radix odore est penè soporifero, maximè hodie vsus ad acres & tenues fluxiones, magis tamen incrassat.

CYNOGLOSSI VULGARIS MINOR species & candidior.



Cynoglossi speciem habeo siccam, nescio vnde nisi ex Valerandi Dourez herbis fortè: dodrantem non excedit *radice* nigra vt in vulgari: à qua plures *caules*, tres in planta quam siccam habeo, in quibus *folia* duas vncias longa, tomento candicantis, vti & caules. *Semina* lappularum æmula, aspera,

Descriptio

quaterno- simul iuncta, non minora quàm in vulgari Cynoglossa.

An Cynoglossum pusillum Narbonense Lob. in Aduers. & H. Lugdun? An Caspari Bauhini phyt. Cynoglossum 5. siue medium, Cynoglossa minor Cordo?

CYNOGLOSSVM MINVS.

Descriptio.



PLantam quam exhibemus Cynoglossum minus vocauimus priusquam à quoquam factam eius mêtionem animaduerteremus: *caule* dodrantali, locis cultis cubito maiori ramoso: *folijs* multò vulgari minoribus, palmaribus, ad Buglossi minoris accedentibus, hispidis, grauiter odoratis: *floribus* paruis, rubentibus succedunt *semina* lappacea, pulchra, quaterna, vestibus adhærentia, multò vulgari minora.

An Cordo in Diosc. Cynoglossa minor, quam Dioscoridi incognitam fuisse scribit?

Tragus libro 1. c. 64 pingens & describens vocat Elatinem. Eius autem figura minùs placet. In ea siquidem desunt satis longa folia inferiora. Melior habetur apud Tabern. hac inscriptione. Heliotropium minus tertium, *Blauw Scorpionkraut*: Fuchsius in historia sua manuscripta Cynoglossum minus vocabat. Clusius in Pannon. pag 682. Cynoglossum pumilum. In H. post. Cynoglossum tertium, Cynoglossum pumilum siue Austriacum alterum. H. Lugd. pag. 1240. Lappula rusticorum. Casp. Bauh. phyt. Cynoglossum textum siue minus.

Locus & Tempus.

Cynoglossum Tubingæ & Geneuæ olim à me visum. Montbelgardi in horto Ill. Principis à me satum florebat Augusto. Cynoglossum pumilum Clusij crescit ad viarum & agrorum margines circa vrbem Viennam in nudis & salebrosis iugis huic vrbi vicinis, atque alibi. Floret verò Maio & Iunio.

Elatine, inquit Tragus, refrigerandi, exsiccandi, & sanandi vim obtinet, eoque nomine tenerrimis membris vtrinque vtiliter adhibetur. Elatines herba in vino rubro decocta, ac pota intestinorum erosionibus à dysenteria medetur, dysenteriam sistit, doloremque mitigat per aliquot dies continuos pota. Herba vino decocta, & gargarisata exulcerationes oris & colli persanat. Quin & stulta superstitione nonnulli persuasi, quorum suprà mentionem fecimus, ab oris vlceribus, quæ Græcis Aphtæ appellantur, eos liberari credunt, qui hanc herbam saltem secum gestauerint, testanturque id experientia comprobatum. Elatine viridis adhuc, tusa ac fronti imposita, oculorum inflammationibus & fluxionibus auxiliatur. Alia verò iuuamenta quotidie inueniri, ex iis quæ annotauimus colligi poterunt.

CYNOGLOSSA FOLIO VIRENTI Ioh. Bauhini.

Descriptio




CAules aliquot ex radice pollicari, nigra foris, intus alba, lignosa, sapore viscido & ingrato, erigit bicubitales, rectos, hirsutos, in alas diuisos, adultos, inanes: *folia* forma quidem sunt Cynogl. vulgaris, supernè læto virore splendentia, glabra, & tactu mollia, alicubi etiam molli lanugine obsita, infernè albicantia, hirsuta, & aspera odore nullo, sapore fatuo: *flores* vt in vulgari, ferruginei rubentesue, parui, in quinque lacinias diuisi, apicibus totidem paruis & rubentibus, è calyce hirsuto, quinquefolio, in atro virente purpuranteue: *lappula* quales vulgari: sculptor autem ineptus corrupit bonam fig. C. Bauh. phyt. Cynogl. semper virens: Cynoglossum folio viridi Ioh. Bauhino. Sed cur dicit semper virens, cùm vix vltra annum duret?

Locus & Tempus.

Cynoglossum hoc antè aliquot annos repertum in monte prope Masmuniter plantatum in horto Ill. E. C. sæpiùs ex semine deciduo se renouat: floret autem Aprili & Maio: semen maturat Iulio, deinde perit planta.

CYNOGLOSSVM CRETICVM PRIMVM Clusij.

Descriptio



MEminit Clusius in post. Hist. præter hæc duorum Cynoglossi Cretici generum, quorum historiam, qua potuit perspicuitate & facilitate ita prosequitur.

Profert Cynoglossum Creticum primum à summo radicis capite multa *folia*, longa, vulgaris foliis multò angustiora, venis aliquot secundum longitudinem excurrentibus prædita, ex viriditate canescentia: inter quæ nascitur *caulis* inæqualis, minimi digiti crassitudinem non attingens, per quem, inordinato

nato fito, nascuntur folia, iis quæ à radice prodeunt breuiora & angustiora ipsum quodámodò amplectentia, ex quorum alis circa summum caulem nascuntur *ramuli* aliquot cauis *flosculis*, in quinque lacinias per extremas oras diuisis, onusti, vulgaris quidem floribus forma similibus, sed minoribus & dilutioris coloris, in quorum medio quinque staminula saturè rubentia: singulis floribus succedunt, quemadmodum in vulgari, quatuor rugosa & aspera *semina* simul coniuncta (prominulo ex illorum medio stilo) vulgaris tamen seminibus minora, sed non minùs quàm illa, vestibus attingentium inhærentia: *radix* est longa, singularis, candicans, crasso & succulento cortice obducta, summa tamen cute subfusca, minimi digiti crassitudine, fractu contumax, raris tenuibus fibris per totam longitudinem prædita.

Hoc natali loco crescens nunquam vidit, sed in quorundam hortis semine natum duntaxat, quod ipsum etiam sæpiùs in suo aluit, ac primùm in Belgica semine ex Italia misso Cynoglossi Cretici nomine, deinde sponte deciduo conseruatum: florebat Maio atque etiam Iunio, quo similiter mense maturescebat.

CYNOGLOSSVM CRETICVM secundum Clusij.



PRimo anno ex *radice* lõga, instar digiti minimi crassitudinem consistente, aliquot fibris per longitudinẽ sparsis præditâ, crassiusculóq; cortice foris fusco amictâ, multa promit *folia*, palmũ aut ampliùs longa, vnciam lata, humi fusa, mollia, & tenui breuique lanugine tecta, neruo satis crasso illa per longitudinem æqualiter secante: inter quæ altero anno prodit *caulis* cubitalis aut amplior, striatus, firmus, rectus, molli lanugine obsitus, quem confuso ordine vestiunt folia iã dictis similia, sed quæ breuiora fiunt, quo propiùs ad summum caulem accedunt, ex viridi pallescentia: summus caulis in multos graciles ramos diuiditur summo fastigio Scorpiuri aut Heliotropij maioris instar inflexos, in quibus plurimi caliculi quinque lacinijs constantes, vnde *flores* emergunt primi floribus breuiores, illis tamen ampliores, in quinque lacinias orbiculares diuisi, candicantis initiò coloris, sed multis tenuibus purpurascentibus venis [quæ vetustate in cæruleum colorem transeunt] ornati: defluentibus floribus, conspiciuntur in caliculis quatuor *semina* coniuncta, vt in priore Cynoglosso Cretico, rugosa & aspera, è quorum medio prodit stilus.

Cynoglossa topiaria fortè Plinij.

E *radice* geniculatis, bicubitalib. *cauliculis*, asperis, Aparines ritu vicina quæuis arripit: *folia* bina & terna, atrouirentia, Echij modo hispida, Rubiæ paria, & aliquando maiora. *Flosculi* purpurei, violacei, Echij minores, verticillatim Cruciatæ modo, à medio caule summo tenus: *semen* inuolucris foliaceis, sinuosis, Sesamo simile aut Thlaspi, fuscum, gustanti dulce clauditur, cuiusmodi prim.° Lobelio impertiuit peritus Mutonius Neruiensis. Vniuersa planta gustu Echij æmulatur. Descriptio.



Lobel in Obseru. p.466. vocat Alisson Germanicum, Echioides (ita quoque Icon. Plant. p.811.) siue facie Mulluginis Herbariorum: Aparine Plinij putatum. Alisson Germanicum Echioides Lobelij H. Lugd. pag.1141. Aparinen maiorem Plinij Tabern. Cynoglossam 7 siue topiariam seu repentem C. Bauh. phyt. cui potiù. Cynoglossos topiariis operibus gratissima Plinij, quàm vel eiusdem Aparine l.27. cap.5. vel etiam Parthenium lib.21.c.17. Alyssum Germanicum Echioides, Aparinem maiorem Tabernæmontani, *Gress kleckraut*, Hort. Lusit.

CERINTHE VETERIBVS.

CAP. IX.

ALueariorum & apum causâ Cerinthen serere oportere prodidit Plin. lib.21. cap.12. Est autem, inquit, Cerinthe folio candido, incuruo, cubitalis, capite concauo, mellis succum habente. Huius florum auidissimæ sunt. Theophr. *κηρινθον* inter æstiuos flores annumerat hist. lib.6. c.7. De hac Columella lib.9. cap.8. de comparandis apibus ait. Sunt qui per initia veris Apiastrum atque [vt Vates ait] trita Melyphylla & Cerinthæ ignobile gramen, aliáque colligant similes herbas, quibus id genus animalium delectatur, & ita aluos perfricent, vt odor & succus vasi inhæreat, quæ deinde mundata exiguo melle respergant: &c. Vates ille est Virgilius, qui Georg.4. sic cecinit:

- - - huc tu iussos asperge sapores

Trita Melyphylla & Cerinthe ignobile gramen.

Ignobile gramen Seruius & Paulus Manutius dicunt vile ob copiam, quòd vbique nascatur.

Pro Cerinthe Plinij quatuor plantæ congeneres à quibusdam proponuntur. Harum *prima* est Cerinthe quorundam maior versicolore flore. *Secunda* Cerinthe quorundam maior, spinoso folio, flauo flore. *Tertia* Cerinthe quorundam maior flore ex rubro purpurascente. *Vltima* Cerinthe quorundam, sed minore flore flauo.

Cerinthes etiam appellatione donantur & hę plantæ. Gramen ignobile. Lilium fuluum Theophrasti Constantino: Lilij tertium genus Gesnero in OEcon. Pasqueta Ruellio. Æquiuoca

CERINTHE QVORVNDAM MAIOR versicolore flore.

Descriptio

QVatuor aut quinque ramos siue *caules* habet primùm, à summo radicis capite prodeuntes, rotundos, succulentos, interdum cubitales: quos amplectuntur numerosa *folia*, oblonga, circa pediculum latiora, mucrone obtuso, colore ex viridi ad cæruleum quasi tendente, candidis maculis aspersa, nonnihil villosa: è foliorum sinu nascuntur alij ramuli, Heliotropij maioris ramulorum instar sese intorquentes, pleni *florum* secundum ramulorum longitudinem dispositorum, longiusculorum, concauorum, à medio in extimam partem flauorum, altera quà caliculis inhærent, ex rubro purpureorum quibus apes valdè delectantur: his decidentib. bina plerumq; in eodem caliculo *semina* conspiciuntur, nigra, Erui magnitudine, seminis Echij, aut Ciceris arietini forma: *radix* alba: vbi spontè nascentem obseruauerim ignoro.

Apes delectantur.

Locus & Tempus.

Crescit autem nonnullis Lusitaniæ locis, sed copiosè per totam Bæticam. Floret nouo vere & Martio. Apud Belgas in hortis sata multò serius, videlicet sub æstatis finem, & subinde floribus scatet in hiemem vsque, tum perit, & deciduo semine singulis annis renascitur.

Memitha. Maru.

Quidam Cerinthen esse volunt, ea ratione ni fallor ducti quòd apibus grata sit, quod de Cerinthe & testantur Virgilius & Plinius. Vulgus herbariorum etiam Memitham magno errore vocauit. Non desunt qui Maru siue Almaru Auicennæ l. 2. tract. 2. descriptum putent, præsertim tertiam eius speciem: qua, vt verum fatear, nihil videtur Auicenna aliud describere quàm vulgarem nostrum buglossum, aut borraginem, quib. hanc nostram temperamento proximam existimo. Hæc Clusius in Hisp. de ea etiam agens in hist. rar. plant. Cæterùm iconem proposuit Maru maioris Dodonæi: nomina verò subuertit, quæ etiam minori Cerinthe de qua postea dicemus conueniunt. In lætis & vmbrosis collibus exit, inquit Dodonæus: tum & secus vias ac agrorum margines in Bohemia, Rhætia, Vindelicia, Norico, Pannonia, ac vltra citraque Danubium locis compluribus. Floret ac viget à Maio ad multam æstatem. Recentior ætas Maru appellat. Meminit autem Maru herbæ Auicenna c. 464. quinque eius species enumerans: quarum prima & secunda odoratæ calidæque: quarta similiter calida, sicca & attenuans: Tertia verò temperata, quæ existimatur esse buglossum: quinta refrigerans Misebar dicta: Cum qua Cerinthen (si cum aliqua) conuenire censemus. Videtur verò & Cerinthe eadem stirps esse, de qua Plinius l. 21. cap. 12. his verbis egit. Nec abhorret enim Maru ab eius descriptione: albicantibus si quidem maculis folia candicant; deorsum quoque flexa incuruantur; cubitalis stirps est, capitulum siue fastigium caulis concauos flosculos promit: è quibus apes mel legunt. Theophrastus Κηρίνθον inter æstiuos flores l. 6. enumerat; inter quos & Maru herbæ flos habendus. Meminit Virg. Georg. 4. vbi ipsam appellat ignobile gramen: quibus verbis, aut Graminis nomine Poëta (quod verisimile) abutitur, aut aliam vult intelligere Cerinthen, quæ graminis sit species. Exstat verò & apud Plinium Leucographidis herbæ nomen lib. 27. cap. 11. quæ qualis esset scriptum se non reperisse refert. Quod si verò non temerè nomina stirpibus indita hæc non abs re λευκόγραφις dicetur, folia etenim albis maculis inscripta habet [quin, inquit Ætius, cum subuiridis appareat, si ad cotem affricetur aut ad asperius pallium, locum inalbat.] Potest verò, teste Dodonæo, & Leucographis eadem cum Cerinthe esse dici. Manifestus autem est Plinij error qui de herba scribit quæ lapidi Galactiti tribui debent. Non rarò siquidem eadem stirps sub diuersis nominibus locis separatis occurrit: Non esse autem hanc Memitham, quæ Græcis γλαύκιον, adeò palàm est, vt refutatione opus non habeat. Cæterùm facultate hæc Maru species frigida apparet atque adstringens: & talis quoque Leucographis est Plinio authore.

Misebar

Cerinthe Theophrast. Cer. Virg.

Leucograp.

Lobel. obs. p. 215. (Icon. Plant. pag. 597.) Cerinthe maior floris sese expandentis colore purpuro-luteo.

C. Bauh. phyt. Cynoglossum 8. siue montanum maius seu Cerinthe, flore purpuro-luteo.

CERINTHE QVORVNDAM MAIOR, spinoso folio, flauo flore.



Descriptio.

FOEliciter nobis adolescit Cerinthe maior cubitum vnum aut duos alta, *radice* recta, simplice: *caulibus* digitali crassitudine, rotundis, læuibus, exalbidis, in ramos plures diuisis: *folia* glasti satiui linguam æmulantia, falcatis appendicibus ramos & caules amplectuntur, ex viridi glauca, plagellis candicantibus hic illic sparsis maculosa, spinulisq; tam supina quàm prona parte asperata, in ambitu arguté crenata, sapore ferè herbaceo: *flores* ex ramulorum fastigiis dependent plures iuncti, lutei, oblongi, in calathi formam, oris læuiusculè diductis: quorum singulis insunt occultata quina stamina lutea mucronibus atris præpilata, extrinsecus verò obuallant quinq; folia angusta, oblonga, concinnè per ambitum crenata: *semina* vnicuique flori succedunt bina, Orobi ferè magnitudine, nigra foris, pulpam intus albam continentia.

Locus & Tempus.

Semen ex Italia misit D. Io. Henricus Cherlerus gener, vnde enata floruit mihi in horto Ill. E. C. sub initium Iunij. Prouenire copiosè in agro Romano idem oculatus est testis, sicut per totam ferè Hetruriam in agrorum & viarum marginibus. Spontè nascentem obseruabam Valentino regno, & florentem Martio, atque Aprilis initio. Semine tamen ex Italia misso nata in Belgicis hortis, nonnisi Iunio & Iulio atque etiam seriùs florebat, & subinde in hiemem vsque.

Lobel obs. p. 216. Cerinthæ maioris è floris sese pandentis colore luteo differentia.

C. Bauh. phyt. Cynoglossi 8. seu montani maioris, seu Cerinthæ flore luteo varietas.

Cerinthe quorundam maior flore ex rubro purpurascente.

Cerinthæ tertium genus neque sponte nascens, neque in hortis cultum conspexit Clusius, sed I. Plateau Tornacensis Ciuis, in cuius horto cultissimo creuit, iconem misit: seri addens Februario, Martio & Aprili, pro aëris verni temperie: humido solo delectari, propterea, cùm æstiui dies incipiunt, & arescit solum, crebris rigationibus indigere, vt augmentum sumat: atque vt plurimùm Autumno duntaxat flores promere, cùm videlicet de cœlo crebri imbres cadere incipiunt. Annuam verò esse plantam.

Lobel. Obseru. pag.216. Cerinthæ maioris è flore purpureo & folio fusco glauco differentia. C.Bauh.phyt.Cynoglossi 8.siue montani maioris: seu Cerinthæ varietas, flore purpureo.

Cerinthe quorundam minor, flore flauo.

Descriptio. Cerinthe dicta Plinij herbariis, *caules* plures à recta *radice* fundit, teretes, læues, in alas diuisos, cubitales: partim erectos, partim humum versus reflexos, *folia* oblonga, subrotunda, Perfoliatæ siliquosæ quodammodò forma, caulem pinnis rotundis productioribus amplectentia, colore superne in atro virente vel cæsio, & creberrimis ceu poris impressis, non tamen vt in Hyperico pertusis, obiectu lucis apparentia punctata, infernè magis glauc. & veluti vndulata: *flores* inter alarum folia condit simul multos, caducos, luteos, sublongos, profundè crenatos de quibus totidem adnascuntur *stamina* Ochræ colore, stilo solo tenui albido extra flores calathum prominente: ex calyce quinquefolio, cui bina innascuntur semina, foris nigra, intus alba, & medullosa.

Flores lutei.

Locus & Tempus. Clus. in Hisp. vocat Cerinthen aliam: in Hist. rar. Cerinthen quartam: siue Cerinthen quorundam minorem flore flauo. Alebatur, inquit ille, etiam in Belgicis hortis, quando Viennam euocatus sum: nec antè spontè nascentem hanc plantam conspexeram, quàm in Austriam venirem, in cuius agris atque etiam Styriæ copiosè crescit, interdum etiam hieme in sua viriditate permanens. Huic Clusius in Hist. rar. particularem tribuit iconem: nomina autem ei communia cum priore Cerinthe. Eadem etiam illi nomina, & locus assignantur à Dodonæo quæ priori.

Gesn. hort. Cynoglossus montana à quibusdam, Telephium nonnullis eruditis existimatum: quæ Romæ in monte Palatino frequens nascitur ac à Græcis editur. Lobel. in Adu. pag.172. Cerinthe Plinij. In Obs. pag.216. Cerinthe minor.

H. Lugd. not. H Lugdunensis imperfectam dat iconem si intelligat eandem plantam quam nos: nescimus etiam cur apud eam dicantur folia villosa.

C.Bauhin. phyt. Cynoglossum 9. siue montanum minus.

Cerinthe quorundam Montbelgardi in horto Ill. C. W. ex semine deciduo quotannis nouis plantis se propagat: eius semen ex Burgundia nomine Maru mihi misit Tossanus Carolus. Olim habui Geneuæ in horto florentem Iunio, & virentem adhuc Autumno: frigore tandem consumpta semine se propagauit deciduo. Lugd. florentem habui Maio. Obseruaui etiam Basileæ in horto D. Plateri: Tiguri in horto Gesneri: Bononiæ spontè in agris prouenientem, vt & Florentiæ.

ISATIS SIVE GLASTVM MONtanum Dalechampij.

Cap. XII.



Descriptio. Glastum montanū in niuosis verticib. montiū gignitur, *radice* crassa, nigra, fibris multis capillata: *foliis* circa radicem multis, longo crassóque pediculo subnixis, venosis, Glasto similibus, sed in sūmo magis obtusis: *caulibus* multis, pede altioribus, in quib. folia supradictis angustiora & acutiora: *flos* copiosus in caulium vertice luteus nitet, oblōgi vasculi figura, supernè in cuspides diuisus, prominente in eius medio sinu, tenui pilo.

Vellem locum particularem annotatum vbi reperiatur Glastum montanum hoc Dalechampij, quod Hist. Lugd. p.1204. pingit: non multùm fortè differt à Cerinthe. C.Bauh.phyt. Isatis 3. siue montana vocatur.

HELIOTROPIVM VETERIBVS & in genere.

Cap. XIII.

Heliotropia duo sunt Dioscoridi: Maius vnum alterum minus, de quibus ita scriptum reliquit. Heliotropium magnum, quod aliqui Scorpiuron vocauerunt à floris figura, verum Heliotropium [addit quidam, λέγεται] ab eo quòd folia vnà cum Solis inclinatione circumaguntur: *folia* habet Ocimo similia, sed hirsutiora, nigriora [λευκότερα ver. quam lectionem secutus est Marcellus.] & maiora: *ramulos* à radice tres, aut quatuor, aut quinque: & ex his alas multas: in cacuminibus *florem* album, subfuluum [ita vulg. ex. ast. Sarrac. ὑποπόρφυρον, purpurascentem] incuruum, velut scorpionis cauda. *Radix* est tenuis & inutilis. Nascitur in asperis locis. Huius herbæ fasciculus cum aqua coctus & potus, pituitam & bilem per aluum ducit. Cōmoda est & ictis à scorpione, cum vino pota & imposita. Adalligatur eadem vt amuletum prohibens conceptionem. Tradunt seminis grana quatuor cum vino pota, vna hora antè accessionem, febres quartanas sedare [finire Sarrac.] tria, tertianas. At impositum semen, formicarias ac pensiles verrucas, & thymos, & epinyctidas resiccat: folia verò podagris, & luxatis, & pueris siriasi, ac partium circa cerebrum & membranas eius inflammatione affectis, vtiliter imponuntur. Mouent eadem menses, & fœtus ducunt, trita apposita. *Cæterùm* Heliotropium paruum [quod & alio nomine Scorpiuros vocatur] nascitur in locis palustribus, & iuxta stagna, folia habens similia prædicto, sed rotundiora: semen rotun-

semen rotundum, dependens vt pensiles verrucę. Potest herba cum semine, addito Nitro, hyssopo, & Nasturtio, ex aqua pota, latum & rotundum lumbricum expellere. Tollit & pensiles verrucas cum sale imposita.

Sed & Plin. Heliotrópij duo genera assignat. Heliotropij miraculum sæpiùs diximus, inquit, cum Sole se circum agentis, etiam nubilo die: tantus syderis amor est. Noctu velut desiderio contrahi cæruleum florem [de Cichorij flore, quæ etiam solem semper aspi it, hoc audiendum. Heliotropij flos, vel candidus est, vel subfuluus Dioscorid. Dalech.] Genera eius duo tricoccum: (paruum) & helioscopium [magnum.] Is præterea foliis tribuit ad terram vergere, quod Dioscorid. fructui: præterea similitudinem caudæ Scorpionis semini adscribit quam notam Dioscorides Scorpioidi assignat, de qua suo diximus loco. Dicendum igitur videtur Scorpioidem congenerem esse cum Scorpiuro Dioscoridis, cum quo Diosc. illam coniunxerit, perfectam eius descriptionem subiiciendo; & Plinius pro eadem planta acceperit; Quod autem apud Plinium semen comparatur caudæ Scorpionis accipitur pro cauliculo reflexo, in quo primò flos, deinde semen dispositum est. Plinius itaque Heliotropium tricoccum [minus] cum maiore Heliotropio Diosc. confundere videtur, tribuens vni, quod Dioscorides ad alterum refert. Dioscorides verò omissum Tricoccum videtur sub Heliotropio minore comprehendisse.

Duo igitur esse Heliotropia Varro quoque testatur. Nec minùs admirandum, inquit, quod fit, floribus, quos vocant Heliotropia. Idem & Paulus lib. 7. confirmat, seorsum priuatimque de vtroque agens. Heliotropium *maius*, quod & Scorpiurum vocant, calidam, siccam, & abstergentem vim præ se fert, cuius decoctum potu eiicit pituitam, bilémque: applicatum verò semen ipsius myrmecias & huius notæ vitia persiccat. *Minus* autem Heliotropium, & hæc abolet & latas tineas interimit, si cum semine suo, adiecto nitro, hyssopo, & Nasturtio bibatur. Hæc ille, quibus notis inter se differant satis docet: nec minùs quibus etiam viribus discrepent. Galenus Heliotropium in simplicium medicamentorum catalogo præteriit. Cæterùm Heliotropium maius, seu vt vocat Marcellus, herbam Solarem maiorem, sunt qui Heliotropon, qui Dialon, qui Heliopon, qui Scorpioctonon, qui Sesamum agreste, & qui Scorpij caudam dicant. Minus verò qui Scorpiuron, qui Solarem minorem. Circumagitur verò cum Sole Heliotropium, non vt fabulosè quondam in transformationibus suis Naso cecinit vt priusquam in florem mutaretur Syderis illius lucem & formam viuens homo amauerat: mutata etiam continuè contempletur: sed vt hoc etiam habeant rustici horarium, quod nubilo cœlo diurna illis horarum spatia ostendat. Qualia pleraque alia humano generi consulens natura dedit, & adhuc dare potest: si in cognoscenda maiestate eius diligentiores fuerimus. Neque enim æter nos beneficiorum suorum thesauros quotidiana liberalitate ea exhaurit, nec mutato consilio [quin voluptas illi est benefacere] quod semel animalium generi & homini dedit, indignata aliquando aufert. A nobis illi hæc inuidia est, cogimúsque nos malè audire eam, quæ nunquam satis laudabitur, quum grauius quicquam obiicere illi non audemus defatigatam, exhaustam, effœtam & ingratam appellãtes, non aliter quàm qui comessationibus ludisque suis parum faciles patres, auaros, inutiles, delirósque ingrati filij appellant. Benefica præsertim homini natura est, propter quem fecisse omnia videri potest. Tam multa nobis in cunctis eius partibus inseruiunt, ideóque non contenta in Heliotropij flore diei spatia, & horas homini indicasse, radice, foliis, seminéque medicinam etiam instruxit: Sciendúmque illud Heliotropium, Heliotropon, & Heliopon plantæ florisque huius veluti congeneres appellationes à Sole omnes factas esse, significaréque priores duas quod ad Solem se vertit: tertiam verò quòd Solem aspicit. Scorpiuron mox & Scorpij cauda à floris, vel vt nos certiùs dici credimus, seminis inflexione, quà Scorpionum caudæ vt Dioscorides ait speciem refert, dictum Heliotropium fuit. Scorpioctonon autem quia Scorpiones enecet. Fuerunt præterea qui Verrucariam vocauerint eò quòd tam multis Verrucarum generibus medetur.

Etsi multæ sint stirpes quæ Heliotropiæ & Helioscopiæ meritò dici possunt, quòd ad Solem semper conuertantur, & cum eo circumagantur, tamen hic particulatim de Diosc. Heliotropio agitur: Id autem Græcis ἡλιοτρόπιον & σκορπίουρον, ita Latinis Heliotropium & verrucaria nominatur, Gazæ Solaris, Recentioribus Herba cancri, quòd aduersus Carcinomata præsens sit: Ital. *Girasole*, Hisp. *Tornasol:* Gallis *Tournesol*, & *l'herbe au Chancre:* Germanis *krebsblumen*, & *Sonnenvvirbel*: Belgis *Sonnevvende*, *kancker*: & *krebscruyt*: Anglis *Scorpions tayle*. Nom. ling.

Plantæ tandem Heliotropia vocatæ, hæ nobis notæ sunt. Æquiuoca

Heliotropium maius flore albo, quod Heliotropium maius Diosc. esse dicimus.

Heliotropium minus quorundam siue supinum, Heliotropij maioris proculdubio genus.

Heliotropium tricoccum, Heliotropium minus Dioscoridis, cum quo existimamus idem esse Heliotrop. alterum Matth.

Heliotropium minus tertium Tabernamont. quod est Cynoglossa minor.

Præterea inter Heliotropia etiam recensentur: Echium Scorpioides minus. Ocimastrum verrucosum à Gesnero. Cichorium. Calendula siue Caltha, sed magno errore: Herba maxima, de qua lib. 25. Malua apud Græcos, teste Ruellio, & Guilandino. Lupinus eodem Ruellio teste. Lotus apud eosdem Græcos eodem teste vt & Guillandino. Ricinus, Monachis testib. Melissa, vt vult A. à Bodenstein. Elatine mas, teste Dodonęo.

Heliotropij defectu sumitur semen Rapæ, Fuchsio in antiball. scriptore.

HELIOTROPIVM MAIVS flore albo.

Majus Heliotropium duarum aut trium vnciarum est planta, alias dodrantalis & major, *radice* simplice lignosa: *caulis* fungosâ medullâ plenus, foris ex viridi incanus, tomentosus, multis alis concauus: *folia* ad ramulorum exortum & per ipsos ramos disposita, Ocymi foliis paria ex rotũdo oblonga, neruosa, cauli concoloria, hirsuta: *flores* ramosi, albi, parui, foliolis lanuginosis obsiti: cæterùm racemus ille spicatus cacumen in se Scorpionis caudæ initar, contorquet: *semina* succedunt triangula, breuia, cinereo, quaterna iuncta, acuminibus coëuntibus globo- Descriptio

globosum capitulum efficientia.

Plantam à nobis hîc icone & descriptione propositam Heliotropium maius Dioscor. esse concludimus. Haec autem, inquit Matthiolus, apud Hetruscos officinis Verrucaria appellatur, quòd Verrucas, myrmecias, & thymos affricata valenter adimat. Quare mihi, vt Ruellio quoque doctissimo, plurimùm errare videntur, qui censent Calendulam officinis dictam, quae & neotericis Caltha existimatur, esse Heliotropium maius: nam omnes penitus illius notae huic reclamare deprehenduntur. Neque eorum opinioni illud quicquam addit, quod huius Calthae semen quadantenus Scorpionum caudiculas refert, quoniam Dioscoridi Heliotropij flos, non semen, Scorpionis caudae effigiem repraesentat. Porrò Ruellius Heliotropium hoc vocari ait herbam cancri, quòd eius flores in caudae cancri [qui nobis astacus esse putatur] similitudinem inflectatur. Verùm haec nominis ratio à Ruellio assignata, mihi non planè satisfacit, quòd Scorpionum & astacorum caudae forma inter se maximè differant. Vnde potiùs crederem, hoc Heliotropium herbae cancri appellationem traxisse, quòd efficacissimum sit aduersus carcinomata & vlcera gangraenosa. Quod autem huius Heliotropij mentionem fecerit Galenus, non inuenio in simplicium medicamentorum censu. Paulus tamen meminit, sed non plura de hoc tradidit, quàm quae Dioscoridi accepta referre potest.



C. Bauh. not. Dicitur Heliotropium maius Ruell. Matth. Turn. Lacunae. Gesn. hort. [cui & Scorpioides album, & non alterum vt C. Bauhin. legit.] Dod. fol. lat. Castori, Camerar. hort. & apud Matthiolum, Caesalp. [cui & Verrucaria vulgò] Tabern. Clus. & Lobel. Obs. pag. 131. & Icon. Plant. p. 260. [vbi & herba cancri] In adu. pag. 101. Heliotropium maius, Solani folio flore Echij adunco, caudato Scorpioidis. H. Lugd. p. 1350. Heliotropium maius Matthioli. C. Bauh. phyt. Heliotropium primum siue maius Dioscoridis. apud Matthiol. Heliotropium vel erectum, vel repens.

Locus & Tempus. Floret Heliotropium hoc Aestate & Autumno passim circa Monspelium, sicuti circa Dubim inter *Audincourt* pagum Montbelgardensem & Pontem *de Roide* copiosè in agris, ceu etiam quibusdam in locis circa Basileam. In Alsatia Heliotropio maiore ita referti sunt agri vt videantur eo consiti: Lugduni floret mense Septembri & Octobri: Patauij circa muros in vrbe: Geneuae *à la petite Graue* Iunio & Iulio. Et licet hoc in asperis nasci Dioscorides tantùm prodiderit, tamen in Hetruria, & in Goritia, vbi frequentissimum visitur, passim ferè prouenit, in campis, secus vias, in oppidorum plateis, & circa aedificiorum areas, aridis item & sabulosis locis. Vbique Lugdunensis & Narbonensis Galliae cultis & incultis marginibus aridis obuium tradit Lobelius, nec non in Italia & Pedemonte, vt & Angliae & Franciae in hortis.

Vires & vsus. Verrucas & Mirmecias & thymos affricata herba valenter adimit. Efficacissima est aduersus carcinomata & vlcera gangraenosa, ad quae magno admodum successu eo vtuntur chirurgi, qui plantam & eius vires compertas habent. Heliotropio herba formicae maximè necantur, obturatis eâ earum foraminibus. Si Scorpionis cauernula [vt quidam memoriae prodiderunt] Heliotropij surculo circumscribatur, nunquam is foras egredietur: impositâ verò herba protinus illum emori aiunt. Folia ex rosaceo illita capitis dolorem mulcent. Epotum foliorum decoctum vnà cum cumino renum calculos pellit & frangit, & intestinorum animalia necat. Veluti autem Matthiolus totam plantam: ita Lobelius semen ad tumores strumosos, verrucas & vlcera phagaedenica magni esse experimenti docet. Vires ex veteribus vide antè.

HELIOTROPIVM MINVS QVORVNdam, siue supinum.

Descriptio. Simplice & lignosa *radice* nititur, *caules* plures ramosos emittente, eosque palmares & pedales, hirsutos, humi stratos: per quos *folia* Heliotropij maioris, dimidio minora, incana, pilosa, neruosa: *florum* alborum racemi caudam intorquent, relictis capsulis oblongis, turbinatis, hirsutis, in quorum singulis vnicum *semen* plerunque.

Clus. not. Hoc inquit Clusius, qui describit, proculdubio Heliotropij maioris genus est, licèt nonnulli cerebrosiùs asseuerare malint Heliotropium minus esse: minus quidem est altero, sed aliud minus proximo capite dabimus, Graeci σκορπίουρον quòd ramuli cum floribus Scorpionum caudae modo inflectantur, & ἡλιοτρόπιον, quòd eius folia cum sole circumagantur, appellant. Plinius etiam Helioscopium & Verrucariam vocat: mihi Heliotropium supinum erit. Hactenus Clusius.

H. Lugd. not. H. Lugdunensis huius plantae, duas descriptiones & figuras habet. Primae hunc titulum fecit pag. 1351. Verrucaria alia minor: Alteri hunc pag. 1352. Heliotropium humi sparsum Clusij.

Matth. not. An Matthiolo Heliotropium minus, quod se vidisse ac saepe legisse in Tridentino agro in palustribus quibusdam locis, idque compluribus ostendisse, refert, vt quod picturae satis responder e ipsi videbatur? *Sed si vidit* Heliotropium quod pingit, Cur quaeso non describit? Ego planè mihi persuadeo figuram factam à Matthiolo ad descriptionem Dioscoridis: fortè quod vidit, erat Echium Scorpioides aquaticum.

Lobelius qui praedictum Matthioli lapsum etiam in Aduers. notat, non valde dissimile Maiore Heliotropio describit, & tamen malè pro minore recipit. Is praeterea in Iconibus Plant. pag. 261. Heliotropium minus, non amplius repens facit.

C. Bauh. phyt. Heliotropium 2. siue repens: Heliotropium supinum Clusio. Item Heliotropium 4. siue minus alterum: Heliotropium minus


Lob. in Adu. & Icon. Plant. Adhæc Heliotropium 5. siue alterum Matthioli. Hoc enim quoad figuram falsam Matthioli relinquo sub minore : quod verba attinet, referenda ea puro ad Echium Scorpioides Solisequum. Præterea Heliotropium Clusij quod secundum facit reperire non obseruaui, nec separo à Lobeliano, quod quarto loco recenset.

Locus & Tempus. Accepi semẽ missum à Casabona Sturgardiam cum inscriptione Heliotropij supini Candiæ: seminaui hoc Montbelgardi in horto E. C. anno 1594. Heliotropium supinum Clusius ad quorundam agrorum margines, præsertim vbi Melopepones seri solent, Salmanticæ reperiebat: Florebat sub finem Iulij & Augusto, quo mense, & interdum Septembri, semen eius ad maturitatem perduci solet. Lobelius in quibusdam Monspeliacæ siluæ paludosis scrobibus obseruauit.


Vires & vsus. Cæterùm, vt eiusdem cum maiore est temperamenti, ita iisdem etiam viribus pollere verisimile est, inquit Clusius.

HELIOTROPIVM TRICOCCVM.

Descriptio. Heliotropio tricocco *radix* subest lignosa, simplex, paucis apophysibus fibrata, caulis cubitalis, rectus, incano tomento obsitus, sicuti & *folia*, Heliotropij maioris similia, maiora, sinuata, neruosa, *flores* racematim in priuatis pedicellis cohærent, exigui, luteoli, nullum post se *semen* relinquentes, *Siliqua* enim nullo præcedente flore nascuntur, tricoccæ, cinerei coloris, aspera superficie & verrucosa, quibus dehiscentibus semen exilit cinereum. Figura nostra ex Fuchsianis non placet, quare bonam ex Clusio parari curauimus, qui sic describit.



Descriptio. Minus Heliotropium vnico assurgit *caule* pedali, ramoso, illius *folia* superiorum folijs dissimilia, nonnihil ad Xanthij, plurimùm verò ad Solani somniferi folia accedunt, mollia & candicantia: *Flos* pusillus, racematim congestus, luteolus, inutilis, quippe qui sine semine perit, veluti flos Ricini & quarundam aliarum stirpium, quæ sua semina è floribus non producunt: ex alarum tamen caulis dependent ex longis petiolis, sub folijs quasi occultatæ, sine flore enatæ *siliquæ* triangulæ, quales Tithymalorum, sed asperiusculæ, scabræ, nigricantes, in quibus *semen* cineracei coloris, quod dehiscentibus siliquulis exilit, quemadmodum Tithymalorum & Ricini semina: Hæc capita siue siliquæ pannis affricatæ, florido viridi colore eos inficiunt, qui temporis momento in cæruleum, eumque elegantem, mutatur: *radix* inutilis, nec viuax, vt quæ singulis annis, vti priores, pereat, ita vt nouæ plantæ semine deciduo renascantur.



Ἡλιοτρόπιον μικρὸν Græcis dicitur, Heliotropium minus Latinis, vt Gesn. hort. Camer. in Hist. Matthiol. germ. & Epit. itemque de hort. vbi etiam Herba Clytiæ vocatur, quòd in hanc mutata fingatur à Poëtis, vnde hi versus.

Herba velut Clytia semper petit obuia Solem.
Sic pia mens Christum quò prece spectes habet.

Plinio qui eius historiam cum Scorpioide Dioscoridis confundit, Heliotropium tricoccum: Clusio Heliotropium minus tricoccum: Lobel. in Adu. pag. 101. Heliotropium vulgare, *Tornesil* Gallorum, siue Plinij tricoccum, quod Dioscoridem præteriisse, aut cum minore in vnam Historiam contraxisse, scribit, quamvis immeritò, siquidem ipsemet in obs. p. 133. itemque Icon. Pl. p. 261. Heliotropium paruum Dioscoridis vocet Heliotropium minus Clusij & tricoccon Plinij Aduersariorum. H. Lugd. pag. 1352. Heliotropium tricoccum Clusij. C Bauh. phyt. Heliotropium 3. siue minus tricoccum.

Germani *klein krebsblum* vocant: Itali *Heliotropio minore*, & si Clusio credimus, Castellani *Tornajol*: Narbonenses *Tornesol*, quæ quidem voces à Græco nomine deductæ videntur: Monspelienses apud quos copiosè prouenit, Verrucariam. Huius herbæ Baccas, vt Camer. scriptum reliquit, in Gallia Narbonensi infectores lanarum vocant *la Morella*.

Monspelij semine prægnans vidi mense Augusto: Geneuæ in horto meo semen proferebat, vt & Lugduni mense Iunio. Clusius inquit Salmaticensi agro frequentissimam. Lobelius in Gallia Narbonensi. Magno quæstu colligunt rustici Lunellæ, Narbonæ, aliisque vicinis locis matura semina Septembri, quæ distrahunt, infectoribus, & Chirurgis nonnullis, huius plantæ vires ad medica præsidia suprà quàm dici potest efferentibus.

FINIS LIBRI TRIGESIMI TERTII.



HISTORIÆ VNIVERSALIS PLANTARVM

LIBER XXXIV.

PLANTÆ MALIGNÆ ET VENENATÆ: VT SOLANA, ELLEBORI Aconita, Tithymali, & affines.

QVi stirpium diuitias omnigenas ostendere professi, tacitè aut luscis oculis prætereunt eas, quarum non gustatus modò, sed & odoratus, & ipse quoque intempestiuus contactus nocere possunt: tam à scopo suo nobis abesse videntur, vt ipsam etiam suæ professionis dignitatem, æstimationémque in periculum trahant. Qui ergo dixerimus herbas & florum imagines, ac pleráque huius naturæ non vulgata tantùm, sed & rara ac difficilia, iidem tacebimus quid in ipsis hortis nocere possit homini, ceterásque malignarum herbarum naturas, inter cæteras nascentium? cùm præsertim nisi noscenti eas, ipsa possessio pœna sit, aut esse possit? Minime verò. Quin omnem insumemus operam licèt fastidij, sed & noxæ periculum vrgeat: quando ita decretum est, minorem gratiæ aut voluptatis nostræ, quàm vtilitatum vitæ respectum habere. Quapropter & minùs tutas homini, & perniciosissimas quasque herbarum indagabimus. Quanquam nec ista quidem medicinis careant, sacrâ illâ parente rerum omnium nusquam non remedia ponente homini, vt medicinæ fierent etiam venena ipsa. Incipiemus autem à Solanis, earum promiscuo vsu immensum statim periculum minitante.

SOLANVM, STRYCHNOS VETERIBVS ET IN GENERE.

CAPVT I.



OLANVM, στρύχνον Græci vocant, quod Vitem vel acinum, aut tale quid signat. Theophrastus lib. 19. hist. cap. 12. 14. & 21. duo Solanorum [Vesicariarum Gaza] genera tradit: Somniferum scilicet & furiosum: at Dioscorides lib. 4. genera quatuor recenset: 1. est Solanum hortense, στρύχνος κηπαῖος: Alterum, quod peculiari nomine Solanum Halicacabum, στρύχνον ἁλικάκαβον, vocant. 3. Solanum somniferum, στρύχνον ὑπνωτικὸν: 4. & vltimum, Solanum manicum seu furiale, στρύχνον μανικόν.

Theoph. genera. *Diosc. genera 4.*

Solanum autem Græcos Strychnon vocare testatur lib. 12. cap. 13. Plinius, qui antè lib. 21. c. 31. Strychni etiam quatuor genera enumerat.

Plinio etiam. 4.

Apuleius omnia Solani genera vno capite complexus nomina eorum inter se fœdè permiscuit.

Apuleius reprch.

Gesnerus de auib. itémque de Lupo pro Caucali, vt habetur apud Syluium, legit Cuculum, exponitque Solanum.

Cæterùm, Solani vox hodie de pluribus stirpibus prædicatur. Est enim Solanum vulgare, quod Dioscoridis hortense statuimus, fructu nigro & subuiridi. Solanum vesicarium vulgare, Halicacabum Dioscoridis. Solanum siue Halicacabum Indicum. Solanum verticillatum, quod nobis non videtur multum differre à Solano somnifero Diosc. Solanum manicum multis siue *Bella donna*. Solanum tetraphyllon quod Gesnerus Herbam Paris esse contendit. Solanũ arborescens, vel fructicosum, siue Strychnodendros, vulgò Italorum Amomum Plinij putatum. Solanum Hierichunteum Cast. Durantis. Solanum manicum ex Guinea, de quo egimus H.n. l.3. cap. de Datura. Solanum scandens siue γλυκύπικρον, nobis Amara dulcis. Solanum tuberosum esculentum, Pappas appellatum. Solanũ pomiferum fructu rotundo striato molli, quod Mala aurea inscribimus. Solanum pomiferum fructu striato duro rotundo C.Bauh. Solanum peregrinum fructu rotundo, Hyoscíamus peregrinus Dalechampij, H. Lugd. C. Bauh. Nobis Solani species ex Apennino quorundam. Solanum pomiferum fructu oblongo, albo, purpureo, & luteo, Mala insana nuncupatum. Solanum pomiferum fructu incuruo, flauo, cinereo, & purpureo, de Melantzana. Solanum pomiferum fructu spinoso, longo, rotundo, atro, subnigro: Melanzana nigra. Solanum spinosum fructu rotundo, Pomum Hierochonticum Imperati C.Bauh. Solanum pomiferum folio rotundo tenui, Cachos Indorum Monardis, de quo

Æquiuoca

scripsimus H. n. lib. 1. Solanum pomo spinoso, rotundo, longo flore, quod dicitur de Stramonia multorum. Solanum fœtidum pomo spinoso oblongo: vel Stramonia altera. Solanum fœtidum pomo spinoso rotundo, Stramonia Ægyptiaca dictum. Solanum Ægyptiacum flore pleno. Solani folia Circææ dicta maior: Et altera alpina, Ocimastrum verrucarium. Solanum Mexiocanum flore magno, Iasminum Mexiocanum. Solanum Mexiocanum flore paruo C. Bauh. Solanum Indicum hirsutum corymbiferum, Clus. Exot. lib. 4. c. 19. Solanum triphyllon Brasilianum C. Bauh. Solanum racemosum Cerasorum forma, eiusdem. Solanum 8. C. Bauh. sive Herba à militibus ad ciuitatem Philippi euulsa & gustata, quæ eos propè ad furorem & insaniam redegit. Solanum quartum Trago, quod est nobis Pes anserinus.

SOLANI SPECIES VARIÆ
CAP. II.

SOLANVM HORTENSE SIVE VVLGARE.



Descriptio PRimariæ *radix* quæ parùm altè agi solet numerosæ fibræ summo cespite vagantes adnascuntur: vnde *caulis* surgit cubitū & sesquicubitū altus, angulosus, subhirtutus, multis alis concauus: *folia* quà fors tulit posita ad Atriplicis folia accedunt, saturatiùs virentia, modò sinuosa, aliàs integra, nec quà pediculo adnectuntur ita falcata: *flores* albidi, ex quinque folijs totidem stamina lutea coëuntia ambientibus, conflatos excipiunt racematim dependentes corymbi siue baccæ Hederaceis pares, succo prægnantes, in quibus *semen* plurimum, non utrumque: color autem baccarum variat in hac planta, inquit Matthiolus: in vna enim nigræ, in altera luteæ, & in alia subuirides spectantur. Variat acinis rubris luteis & nigris Gesn. & Camer.

Diosc. Solanum hort. Dioscoridi Solanum hortense [στρύχνος κηπαῖος] frutex est esculentus, haud magnus [οὐ μέγας alius codex non habet] alarum cauis multis, foliis nigris, & quàm Ocymi maioribus ac latioribus, fructu rotundo, ac primùm quidem viridi, mox vbi maturitatem assecutus est, nigro aut fuluo: est verò herba innocentis gustus.

Plin. Solan. De hoc Plinius ait lib. 27. c. vltimo: Solanum Græci Strychnum vocant, vt tradit Cornelius Celsus. Huic vis reprimendi refrigerandique. Lib. verò 21. c. 31. longiùs omnem Strychni Historiam prosequitur.

Synonyma C. Bauh. phyt. & pin. Solanum bacciferum 1. siue officinarum: Solatrum Brunfels. tom. 2. raphs. 8. & in 4. p. 94. Solatrum vulgare Trago: Solatrum minus Cæsalp. Solanum Lon. hortense Matth. Fuchs. Angl. Dodon. Gesn. hort. Lobel. Obs. p. 131. Icon. Plant. p. 262. H. Lugd. p. 597. Cam. & Ger. Satiuum Tab. Solanum nigrum Cord. in Diosc. & hist. quod edendo est. Cucubus & Cacubalum Plinij, Anguill. Solanum hortense, Circeæ aut Phaseoli folio Lob. in Adu.

Varietas Variat foliis magis laciniatis, vt Fuchsij figura: alia Halicacabi, vt figura Lobelij exprimit: acinis nigricantibus & fuscis: puniceis, quod Solanum puniceum Cordo hist. rubris, luteis, quod Solanum luteum Gesn. hort. Sic in arenosis Michelfeldæ vix palmam excedens reperitur.

Nom. ling. Στρύχνος κηπαῖος. Arabic. *Hamebathanaleb*, seu *Hameb alcha chaleb*, seu *Hanabalthabeb*. Germ. *Nachtschatt*, quæ vox vmbram nocturnam sonat. Belg. *Nascaye* & *Nachtscade*. Gall. *Morelle*. It. *Solatro*, seu *Herba morella*. Hisp. *morella* & *yerua mora*. Belg. *Nightshade, morell, petye morell, houndesberre*. Hung. *Zep zolo*, h. e. pulchra vua.

Locus Solanum istud multis gignitur locis, nec enim modò in hortis, à quibus cognomen tamen accepit, & in quibus crebrò aliis herbis permixtum reperitur; verùm & secus vias, agrorum margines tam Meridianæ, quam Septentrionalis gentis, sepimenta, veteres parietes, ruinas, & in asperis ruderibus subinde reperitur. Tempus Æstate autem, & in multum quoque Autumnum floret, & tunc quidem fructus maturi conspiciuntur.

Vires & vsus Solanum hortense frutex est esculentus, innocentis gustus. Vis ei refrigerandi: quare folia erysipelatis & herpetibus cum polline polentæ conuenienter imponuntur. Trita autem & per se imposita, ægilopa, capitisque dolorem sanant, & stomacho æstuanti auxiliantur: parotidas cum sale detrita illitu discutiunt. Sed & ipsius succus valet aduersus erysipelata & herpetas cum cerussa rosaceo & argenti spuma: ægilopas verò, cum pane. Infantibus quoque inflammatione laborantibus, quam Siriasin vocant, cū rosaceo infusus proficit. Inseritur & aquę, vel vitrioli vice collyrijs, quæ contra fluxiones acres illinuntur, quin & aurium dolori instillatus prodest: fluorem etiamnum muliebrē sistit in vellere subditus. Denique succus fuluo gallinarum cortalium [domesticarum, Corn.] fimo subactus, & linteo appositus, ægilopis præsentaneo est remedio. *Plinius* Plin. not. Cucubali folia trita cum aceto, serpentum ictibus & Scorpionum mederi dixit. Sed cùm vi refrigerandi & reprimendi polleat, vt ipsemet Plinius ait, aduersus ictus vel morsus venenatorum animalium Solano vti nollem. Ad fugandos quidem serpentes facere, testatur in Ther. Nicander.

Accipit innocuo medicantem frigore Strumum.

Greuinus tamen nullam eius rei rationem naturalem inueniri ait, quòd singulæ Solani species à Dioscoride descriptæ, frigidæ sint, in qua re cum serpentibus, quamvis venenosi sint, conueniunt. Existimat autem hoc fieri ob naturæ quandam contrarietatem. Trychno, quod aliqui Strychnō vocant, quodque editur, vtitur *Galenus* ad ea, quę Temp. Gal. refrigeratione & adstrictione opus habent: posse enim hæc duo ordine secundo. Succus [inquit *Matth.*] phreneticos iuuat ex aceto, & rosaceo sincipiti illitus. Illinitur fronti contra calidas oculorum fluxiones. Gargarizatur quoque cum aceto, ad faucium, & columellæ inflammationes & additur conuenienter in vnguentis, & emplastris, quorum ad vlcera contumacia est vsus: cibis idoneus est. *Fontanus* de Morb. intern. lib. 3. c. 29. in serapio ad cancrum vteri præscribit folia Solani

lan' dicens: proprietate occultâ discutere humorem cancri. Seuerinus Gobelius in suo de Succino commentario tradit ex putredine huius herbæ vermes virides maculis luteis intermistis crescere, in quorum capite cornu apparet interdum fermè digiti longitudine.

SOLANVM HALICACABVM VVLGARE.

Descriptio



Restibili serpétis *Radicis* fertilitate, licet ei' paruæ, affatim se propagat, *coliculis* tenuibus, subrubentibus & sub hirsutis *folia* sustinentib., Solani hortensis, maiora, leniter hirsuta, sæpè bina, sed in didem orta, ex quorum alis penduli emicant *flores* exalbidi, in quinque lacinias diuisi, apicibus concoloribus, pediculo vnciali: quibus succedunt vtriculi herbidi, per maturitatem rubentes, in quorum singulis *fructus* Cerasi magnitudine, colore, & forma, cum pulpa semina continens Strychnodendry, orbiculata, compressa: sapor fructui acidus cum pauco amarore. Matthiolo baccæ vino so succo refertæ, ipsæque rubentes. Rusci baccis persimiles, sapore austero simul & amaro.

Dioscoridi est alterum Solanum, quod peculiari nomine Halicacabum vocant, alij Physalida, i.e. Vesicariam, foliis antè dicto similibus, verùm latioribus: huius caules posteaquam adoleuerût, proni terram spectant: est autem fructus intra folliculos orbiculatos vesicis similes fuluus, rotundus ac læuis ceu vuæ acinus.

Plinio Strychni dicitur alterum genus, cui acini coccinei granosi in folliculis: Halicacabum vocant, alij Callion: nostri autem Vesicariam, quoniam Vesicæ & calculis prodest.

Callion.

Synon.

C. Bauh. phyt. & pin. Solanum bacciferum 2. siue vesicarium: Solanum halicacabum Trago, Matthiol. Lac. Lobel. Aduers. Obs. pag. 134. Ic. Plant. pag. 262. H. Lugd. Solanum vesicarium Gesn. hort. & Dodon. Halicacabum Anguill. & Cast. Halicacabum vulgare Fuchs. Turn. & Eyst. Halicacabum vesicarium Camer. Halicacabum, siue Vesicaria, Cordo h. & Gesn. hort. Vesicaria Cordo in Dioscor. Gesn. hort. & Cæsalp. Vesicaria vulgaris Dod. gall. prima Cast. Alkekengi Lonic.

Græcis στρύχνος ἁλικάκαβος & φύσαλις Dioscor.

Nom. lingu.

Germ. *Iudenkirsen*, quasi dicens Cerasa Iudaica, *Iudenbeuttlin*, *Iudendæcklin*, *Schlutten*, *Boberellen*, *Teuffelskirschen*, *Pfaffenschlotte*, *Pfaffenhœdlein*, *Rottnacht schatten*, hoc est, Solanum rubrum, *Groß oder Rottsteinbrech*, vt Brunfels. Saxifraga rubra. Belg. *Kriechen ouer zee*. Gall. *Baguenaudes*. Ital. *Alchakengi*, *Halicacabo*. Hisp. *Vexiga de perro*. Angl. vvinter cherye. Hung. *Pap monya*, hoc est, Testiculus sacerdotis.

Locus & Tempus.

Nascitur in parietinis, locis vmbrosis, aliquantulùm humentibus quandoque prope vliginosas sepes, & circa agrorum margines. Sub Autumnum fructus maturescunt: flores antè apparent scilicet Maio, Iunio & Iulio.

Vires & vsus


Vim, authore Dioscoride, vsumque obtinet hortensis Solani, nisi quòd in cibos minimè recipitur. Valet autem fructus epotus ad expurgandum morbum regium, quâ præditus est vrinæ ciendæ facultate. Cæterùm, ex vtriusque Solani herba succus elicitur, qui siccatus in vmbra reconditur, & ad eadem illa pollet. Arnoldus de Villa noua tria Alkekengi grana cum bono vino albo terit, potúque dat ad euacuandam vrinam in hydropicis. Baccarum vis [addit Matthiol.] habetur non solùm præstantissima ad renum vitia, & ciendam vrinam, sed ad eius quoque acredinem retundendam: bibitur namque earum succus ad ea omnia vtiliter cum Papaueris albi cremore, aut seminum Melopeponum, aut Cucurbitæ. Cucumerísue. Aspidibus autem aduersissimum est Halicacabum, vt admotâ propiùs eius radice, sapore inexpugnabili necentur. Refrigerat autem & adstringit ordine secundo, præceptore Galeno.

Morb. regius.

Vrinam ciens. Hydrops.

SOLANVM SIVE HALICACABVM Indicum.

Descriptio



Caulis huic Solano cubitalis, crassiusculus, in crebros ramos diductus: per quos *folia* Solani vulgaris, laciniata, atrouirentia, venulis ex medio neruo obliquis in lacinias exporrectis, pediculo duûm, triúmue vnciarum: *flores* è ramorum diuaricatione, foliorúmque sinu prodeunt, lutei, Solani halicacabi similes, ex vnico folio in quinque angulos exacuto: vesicæ Halicacabo pares sequuntur, virentes, quas *acinus* replet magnus, semine Halicacabi refertus, insipidus.

C. Bauhin. phyt. & pin. Solanum bacciferum 3. siue Vesicarium Indicum: Camer. hort. & Ic. itémque Eyst. Halicacabum siue Solanum Indicum.

Synon.

An de hoc Oliuus in Musæum Calceolarij? Est planta vocata Concordia aliunde deuecta, neque ita nobis familiaris & domestica, quæ Flos noctis dicitur, Solanum vesicarium. Hic flos veluti tenebras horrescens, nocte clauditur, dio verò Sole aduentante, diducitur, & folia cum floribus panduntur.

Apud Germanos non nisi in hortis quibusdam colitur, vt Mötbelgardi, Basileæ, & Lutetiæ.

Solanum somniferum Veteribus.

Locus

Solanorum (Vesicariarum reddit Gaza) gene-

ra duo videre licet, inquit Theophrastus Plant.l. 9. cap.12. Alterum somnificum radice rubrâ, sanguinis modo, sed candida cùm siccescit, fructu rubriore, quàm Coccus (grano iligneo, Gaza) folio Tithymali [Lactariæ, Gazæ] simili, aut Malo dulci, sed piloso: huius corticem radicis tundentes admodum & in vino meraculo madefacientes dant, atque ita dormire faciunt: nascitur rupibus & faucibus atque sepulchris.

Locus

Solanum somniferum aliquos Halicacabum vocare testatur Dioscorides, qui sequentia de eo scribit. Frutex est numerosis præditus ramis, densis, caudicosis, fractu contumacib. pinguium foliorum, Cotoneęque mali similium plenis: flore rubro, prægrandi [ἐμμεγέθει, vet. caret.] fructu in folliculis [ἐν λοβοῖς vet. θυλακίοις μικροῖς] Croci colorem æmulante: Radice denique grandi, cortice subrubro vestita. Nascitur in petrosis locis (ἐν πετρώδεσι τόποις. Ald. ἐν πέτραις.) non procul à mari (οὐ πόρρω θαλάσσης, vet. caret.) Radicis cortex drachmæ pondere in vino potus, somniferam vim habet, quàm opium mitiorem: fructus autem potenter vrinam cit: atque adeò corymbi duodecim hydropicis exhibentur: quod si plures numero propinentur, mentem è sua sede & statu dimouent. Sed remedio est aqua mulsa copiosa potui data. Pastillis etiam, ac doloris leuamentum præbentibus medicamentis succus eius admiscetur. Idem decoctus in vino, si ore contineatur, dolorib. dentium succurrit. Cæterùm, radicis succus cum melle inunctus, oculorum hebetudines tollit.

Diosc. ver. lectio.

Plinius

De hoc Solano superiori historiæ hæc addit Plinius. Quin & alterum Solanum, quod Halicacabum vocant, soporiferum est, atq; etiam Opio velociùs ad mortem, ab aliis Morion, ab aliis Moly appellatum. Laudatum verò à Diocle & Euenore &c. *Et paulo pòst*: Halicacabi radicem bibunt, qui sunt vaticinandi callentes, quòd furere ad confirmandas superstitiones aspici se volunt. Remedio est aqua copiosa mulsa calida potui data.

Morion. Moly.

Solanum somniferum Galeno.

Galenus Solani somniferi radicis corticē cum vino potum drachmæ pondere, somniferum esse ait: & ad alia Papaueris succo similem, sed in tantùm debiliorem, vt tertij ordinis sit frigefacientium, illo in quarto locato. Semen eius vim ciendi vrinam habere, sed insaniam inducere, si plures quàm duodecim corymbi bibantur.

SOLANVM VERTICILLATVM.

Descriptio



Solanū verticillatum cubitalem & maiorem altitudinem assequitur, *caule* recto, tereti, hirsuto, per quem alternata *folia*, Priapeæ foliis proxima, minora vt mihi videtur, ex rotundo leuiter in acumen desinentia, hirsuta, pediculis vnciâ breuioribus hærentia: è quorum sinu *flores* caulem proximè verticillatim oriuntur, Solani vulgaris pares, ex luteo pallescentes, ex quinque foliis compositi, apicibus aliquot in medio: succedunt vascula maiuscula *semen* continentia, vtriculis hirsutis fimbriatis obuoluta.

Matth. in prior. comm. depingit nomine Solani somniferi dicens tertium Solanum esse, sibique Pisis à Ghino missum, omnibus planè notis legitimo respondens. Id autem non describit. In post. comm. & Hist. germ. ceu etiam in Epitome (vbi verba Dioscoridis ponit) tradit florem habere rubrum, qualem etiam suo Solano somnifico, semel tantùm, vt ait, ad ripas Belgici maris viso, adscribit Amatus. Dodonæus tamen flosculos subrubentes, suo Solano somnifero attribuit. Ego autem ex luteo pallidos tantùm obseruaui.

Solanum somniferum Diosc.

Solanum hoc vtpote somniferum, Theoph. Dioscoridis, Plinij, & Galeni, negat in Adu. Lobelius, vt quod verticillatis florib., alijsq; quamplurimis indiciis, quiduis potiùs quàm Solanum exprimat, nec viribus alioquin respondeat. *Sed debilem* suam, nimisque insolentem opinionem argumentis haud comprobat. Litem discernere ij tandem poterunt, qui aliorum hac de re sententiam cum antiquorum decretis conferent, & sine passione dijudicabunt.

Lob. opinio reprobatur.

Et rectè, meo quidem iudicio, appellarunt Matthiol. Guill. Gesn. hort. Lac. Clus. hisp. & hist. Dodon. Lob. in obs. p.135. in Icon. Plant. p.263. Cast. H. Lugd. Camer. & Cæsalpinus, *Solanum somniferum*. C. Bauh. pin. Solanum bacciferum 7. siue somniferum verticillatum: Et phyt. Solanum 10. acinis in folliculis hirsutis per maturitatem, nunc rubris, nunc ex rubro croceis.

Synonyma

Dioscoridi στρύχνον ὑπνωτικὸν dicitur; Theophrasto verò στρύχνος ὑπνώδης; ab aliis δόρυκνον, & ἁλικάκαβον; Plinio Halicacabon & Morion: ab aliis Latinis Solanum somniferum: à plerisque etiam Solanum manicum, Apollinaris minor, Vlticana herba, Obsago: Malacensibus Orsuale, Clus. & Dodonæo: Lob. verò Hisp. *yerua mora que accarrea locura*.

Nom. ling.

Spontaneam vidit Clusius in Hispania in arce inferiore vrbis *Malaga* vulgò dictæ: apud Belgas verò & in Germ. hyemem non ferre, sed singulis annis serendam scribit: vidi autem Basileæ in horto D. Fœlic. Plateri florentem Octobri; Montbelgardi Septembri in horto Ill. E. C.

Locus & Tempus

An Solanum somniferum Alpini, Cuius foliis contusis emplastri modo ad calidas inflammationes vtuntur, atque illitis ex ipsorum succo fronte, temporibus, ac aliis corporis partib. in quibus pulsus sentiuntur: vel iisdem contusis, emplastri modo appositis, ad somnum familiarissimè vtuntur, non minusque ad exustiones?

DE SOLANO FVRIOSO ex Veteribus.

Descriptio

Solanorum, inquit Theophrast. (Vesicariarū, Gaza vertit.) alterum genus, furiosum sc. [ὁ δὲ μανικὸς στρύχνος] quod alij Thryoron [θρύορον. Gaza legit βρύορον, Briorem] vocant, alij Periтton (Perisson, Gaza) candidam, longámque & concauam cubiti ferè longitudine radicem habet. Datur bibenda drachmæ pondere, si quis per jocum efficere voluerit, vt pulcherrimus videatur, qui biberit. Si verò furere adhuc magis hominem, visáque aliqua animo eius obseruari, duarum drachmarum: &, ne furor desinat, trium:

& vt

& vt aiunt, Centaurium admiscere: Et postremò si hominem perimere, quatuor. Folio Erucæ est simile, sed maiore. Caulem altitudine quantùm protensa vtrinque brachia ab altero summo medio digito ad alterum traiecta per pectus longitudine patent, vt vlnæ longitudo: caput Gethyo simile, crassius, Plantani fructui par.

Diosc. Manicum siue furiosum Solanum, vt Dioscorides ait, Erucæ [εὐζώμῳ] similia folia habet, attamen maiora, & ad A.anthi, quem Pæderota vocant, accedentia: caules producit à radice proceros [ὀργυιαῖα] decem aut duodecim, Orgyæ [ὄργυια autem mensura est Hesychio, quanta est ambarum manuum extensio] altitudinem habentes: caput verò in fastigio eminens, vti Oliua, sed hirsutius, instar Plantani pilulæ, grandius tamen ac latius: flos niger: post hunc fructus racemosus, rotundus, niger, acinos decem aut duodecim, veluti Hederæ habens corymbos: sed vuæ modo molles: radix subest candida, crassa, concaua, cubitalis. Nascitur in montanis & vento expositis, ac πλαταμώδεσι, h.e. locis latis, magis que, mari vicinis.

Plinius De hoc Solano Plinius sequentia prodit. Tertio folia sunt Ocymi, minimè diligenter demonstranda, remedia non venena tractantibus: quippe insaniam facit paruo quoque succo. Quanquam & Græci autores in iocum vertere. Drachmæ enim pondere lusum gigni dixerunt, species vanas, imaginésque conspicuas obuersari demonstrantes. Duplicatum hunc modum, legitimam insaniam facere. Quicquid verò adiiciatur ponderi repræsentare mortem. Hoc est venenum, quod innocentissimi autores Dorycnion appellauêre, ab eo quòd cuspides in prælijs tingerentur, illo passim nascente. Qui

Manicum. parciùs spectauerant, Manicon cognominauêre. Qui nequiter occultabant, Erythron, aut Neurida: vt nonnulli Perisson: ne cauendi quidem causa curiosiùs dicendum. Ita Plinij vetus codex, in quo nulla pudoris vox, aut vestigium saltem eius habetur. Patet autem ex Theophrasto in Plinij vulgatis exemplaribus falsò lusum pudoris legi.

Galen. Galeno Solanum furiosum inutile est ad internas medelas. Si enim quatuor drachmæ fuerint acceptæ, mortem inducunt: si pauciores insaniam: Vna innoxia est, sed neque ipsa vtile quid habet. Extrà corpori impositum, viscera maligna proserpendóque depascentia curat. Ad hoc optimus est radicis cortex, siccans secundo ordine iam completo, & tertij initio. Frigefaciens initio secundi.

Στρύχνον appellatur μανικὸν à nonnullis πέρσιον, πιθήκιον, item & περιττὸν, ab alijs θρύον, aut potiùs vt Theophrastus habet, θρύορον, vel θρύονον. Dicitur & ἴνιον, ὀρθόγυον, πεντάδρυον, καὶ ἀνύδρον.

Nom.varia. Dioscor. l.6. de lethalib. med. Dorycnion etiam à nonnullis Solanum manicum appellari ait.

SOLANVM MANICVM MVLTIS, siue Bella donna.

Descriptio TOtum pululum opacat perniciosa Solani Bellæ donnæ dictæ luxuries: námque ex *radice* crassa trib. cubitis altiores *caules* eligit, pollice crassiores, hirsutos, qui in tuber crassescentes, in multos ramos indidem ferè exortos brachiantur: *folia* Solani hortensis formâ, non sinuata, & plusquam duplò, triplóque maiora, vtrinq; pilosa, supernè atro-nitentia, infernè ferè her-







bida: *flores* striati ex foliorum alis côcaui, Campanularũ instar, in quinque lacinias diuisi, colore intus quidem lurido purpureóque, fundo luteo versicolore, extrà verò tantillùm ex herbido rubescentes; subhirsuti: occultât autem fibras quinas ad exertum hirsutas, qualis & fundus est, apicibus albidis: stylus verò productior extra floris oras promittitur capitulo viridante: decedentibus floribus insident hirsuto quinquepartito calyci *baccæ* nitidæ Herbæ Paridis. Et hæc descriptio primæ debetur iconi, de qua hæc apud autores scripta inuenimus. Icon.2.

Solanum lethale Dod. Apud Dod. lat. vulgò Solanũ lethale, siue Solatrum lethale appellatur: Italis ac Venetis *Bella dona*: German. *Dollvvurtz, Dollkraut, Seuchraut*, & *Schlaffbeeren*: Belgis *Groote Nascaye* & *Dulle besien*. Sunt qui putent Fabam Inuersam dici. Ad Mandragoram Theophrasti (qui differt à Dioscoridis Mandragora) plurimùm accedit: si non ipsissimus est. Theophrastus hunc caulem habere ait, & fructum ferre nigrum ῥαγώδη καὶ οἰνώδη τῷ χυμῷ, i.e. acino vuæ similem, & succo vinosum. Respondent quoque facultates.

Camerarius, cui Solanum maius dicitur, Bellam donnam Italis vocari ait, quòd succo illius mulieres faciem decorent. Clusius verò qui Solanum lethale & Bellam donnam inscribit, non ineptè Theophrasti Mandragoras esse quosdam censuisse suspicatur. Id autem duorum generum esse testatur. Vnum amplioribus foliis, breuiore pediculo pendentibus, flore maiore. Alterum minoribus foliis & magis atris, longioréque pediculo fultis, minore flore.

Dicitur C.Bauh. phyt. Solanum 4. siue baccâ nigra Cerasi simili, Solanum Dioscoridis, fructu vuæ specie, & Solanum fructu nigro Theophrasti, Cacabulum Plinij, quod alij Strumum appellant, græcè Strychnon. *Eidem pin.* Solanum bacciferum 4. siue μελανοκέρασος: Solanum hortense nigrum Tragi, Mandragora Theophrasti Dodon. gall. Ang. Guilland. Morion Fuchs. Icon. Lon. tertia species Cordi in Diosc. Solanum maius Matth. Cast. Cæsalp. & Camerarij. Solanum somniferum Fuchs. Turn. Lob. obs. p.134. Icon. Plant. p.263. H.Lugd. p.1721. Solanum lethale Dodon. & Clus.hist. Solanum syluaticum Gesn. hort. Syluestre siue lethale Thalij, & Bella donna Clus.pann.

Icon. 2. Tragus, Dodon.gall.& Fuchsius pingunt effigiem secundo loco positam quam Solani somnifici alterius Matthioli titulo describit H.Lugd. p.1720. *Solan. hort. Dioscorid.* Hoc Solanum, inquit Tragus, apud Dioscoridem στρύχνος κηπαῖος, i. e. Solanum hortense Solanum satiuum, vel nigrum vocatur. Alij Scubulum, alij Allelo, Astrismurum, & Cacubalum appellant. Sunt qui radicem huius Solani pro Mandragora vendant, est enim Narcotica radix.

Ceruo desideratum. Idem lib.3.cap.24. Solanum hortense Ceruum magno desiderio inquirere didici. Hoc mirari subit solere hanc stirpem eosdem plerumque situs cum Sambuco siluestri [racemosa,] occupare. Hacce ceruus vnicè delectatur, folia eius non baccas decerpens, vnde intelligi potest, fructus hosce frigidioris esse qualitatis, ac feris, ne dum aliis iumentis & hominibus, minùs salutares, id quod natura bestias docet. Præterea, quod non minùs admiratione dignum censeo, obseruaui ceruum solum foliis huius plantæ vesci, non autem ceruam, nisi ea prægnans fuerit, & ceruum in vtero gestauerit, tum enim & ipsa huius stirpis desiderio tenetur, & illius folia degustare solet, aliàs nunquam. Solanum hoc hortense, vt obiter dicam, Mandragora mihi videtur, quam *Mandrag. Theophrast.* Theoph.lib.6.cap.2.describit. Id autem frigidæ naturæ esse iudico, ita quidem vt pro Sambuco siluestri [roseâ] si illa desit, vsurpari queat, Verùm enimvero quia Solanum hoc suibus conferre aduersus ardentes febres docui, quemadmodum & rei veritas habet, nonnulli in malam interpretantur partem, quod iumentorum & pecorum, & quo pacto morbis illorum subuenire possimus, mentionem faciam. At suibus sua quoque remedia à Deo proposita sunt. Præterea video Catonem, Varronem, & Columellam rememedia quibus pecorum morbis mederi conueniat, quàm diligentissimè descripsisse. Dissimulandum verò non est, baccas Solani hortensis somnum inducere, quod ipse tribus aut quatuor ex eo genere degustatis acinis expertus sum. Admonendi sunt ergo omnes vt à nimio eorum vsu abstineant.

Solan. somnif. Fuchsi. Fuchsius Solanum somniferum intitulat, ab effectu vt ait. Esse tamen qui Solatrum dormitorium vel marinum dicant, quòd rupibus non longè mari inueniatur: gall. *Morelle marine.* Aliqui Solanum hortense non sine maximo errore esse putant, plurimumque suibus conferre, ac easdem à lethalibus morbis præseruare asserunt. Ego tamen non laboro magnopere quomodo suibus [hic suggillatur Tragus] succurrat, sed quid in homine possit magis considero, quum constet plæraque aliis animantibus esse cibum, quæ homini venenum sunt. Experientiâ verò cognitum est, geminos pueros statim ex esu acinorum huius generis Solani mortuos esse. Quod sanè exemplum me mouet, vt somniferum esse credam, potissimùm cùm in vniuersum ferè illi descriptio quadret, vno hoc dempto, quod semen non habet in siliquis croceum. Sunt autem notæ quædam in hortensis etiam delineatione, quæ illi non conueniunt. Neque enim exilis est frutex, sed propemodum arborescens: neque etiam florem candidum, sed spadiceum obtinet.

A Fuchsio dissentit Matthiolus, nec eam plantam quam Herbariorum vulgus Solatrum maius nominat, Veneri verò vulgò *Herba bella donna*, Solanum somnificum Dioscoridis esse existimat. Siquidem id facie distet, & fructum non proferat in folliculis croceum, tametsi eius baccæ largiùs sumptæ interficiant, (facto inexpugnabili somno, vt quandoque acciderit pueris, qui discriminis ignari eas Vuæ vice deuorarunt) & viribus iisdem, quibus Solanum somniferum, polleant. Et hinc factum est præterea, vt eandem vlla Mandragoræ specie comprehendi posse negarit, sed Solani quintam speciem esse antiquis incognitam putarit. *Mandrag. negat, à Fuchs.*

Cæterùm, cum Matthiolus, Solanum maius, suæ gentis hominibus Bella donna appellatum, Strychni generibus annumerat, atque antiquis scriptoribus, silentio omissum decernit, Theophrastum sibi nunquam lectum, clarè exponit. *Matt. arrod.* Ille si Mandragoram eius autoris, differre à Bella donna ostenderit concedet Guilandinus sanè lectû ipsi Theophrastum, sed minimè intellectum. Porrò autem in Solani somniferi agnitione, vel ipsum, vel certè Dioscoridem falli necesse ait. Etenim quòd ille expressa icone proponat plantam, & floribus, & radicibus candidis paruisque constantem; contrà quod Dioscoridi describatur, flores habeat magnos, rubrosque, radice item prægrandi, russaque viuat. In Solano denique manico Matthiolum suam ignorantiam accusare testatur, quod quia ei notum non sit, protinus ab omnibus in Italia ignorari falsò definiat. *Guilandino subscribet Apollo.*

Porrò, Solanum manicum, quod secundo loco pictum proponimus, C.Bauh. in phyt. non agnouit. Collocauit autem id in pin. loco quinto, vocans Solanum somniferum bacciferum, Solanum somniferum alterum Matth. Gesn. hort. H.Lugd. pag.1720. & Camerarij, Solani lethalis aliud genus Dodonæi, Solanum somniferum Lonic. & Solanum de Hiettico Castoris. Solanum autem eius nonum in phytopinace, siue somniferum alterum Vvieri Camerarij hort. Ditmarsis & Vvestphalis contra morbum *die Varen*, magni existimatum, à *Bella donna* Italorum non separo.

Buchananus lib.7. suæ hist. Scoticæ exponit, quo pacto huius Solani succo vina & ceruisiam Scoti infecerint, vnde Danos hostes suos ita dementarunt, & in profundum somnum induxerunt, vt eorum Ducem Senonem cum toto exercitu deleuerint.

Circa

Locus & Tempus. Circa siluas, iuxta parietes, sepimentáque agrorum, aliisque parum cultis ac desertis reperiri locis: vmbrosa amare: Augusto atridere maturas baccas: flores & antè, & eodem reperiri tempore author est Dod. Obseruaui ego Monspelij & Tiguri in siluis, florentem mense Maio: itémque Montbelgardi in vmbrosis circa Becham ad Dubim: spontaneam quoq; inter Geneuam & Lugdunum. Quin & in hortis meis passim alui. Hæc vbi in siluis depasta reperitur, indicio esse solet venatoribus ceruos adesse.

HERBA PARIS.

Descriptio.



Herba Paris dicta *radicem* habet tenuem, geniculatam, repêtem: *caulem* mediocriter crassum, teretem, palmos duos circiter altum, rubentibus maculis, vt Serpentaria maior variatum: *folia* vno aut duobus cis summum caulē digitis quaterna, rariùs quina [teneræ, antequam hastam producat, terna sunt] ex angusto principio lata, in acumen desinentia, rugosa & neruosa, infernè splendentia, superrè non item: *flos* in hastula singularis, ex quatuor latiusculis acuminatis viridantibus folijs: inter quorum vnū quodque, foliolum tenuissimum, acutissimúmque eiusdem coloris intercedit: *stamina* pro foliorum numero octona, longa, acuta, viridia, additamentis croceis circa medium acuta, infirà parte atro purpurea: in medio sessilis *baccula*, futuri fructus rudimentum, quadrangula, atro-purpurea, ex cuius vmbilico quaterna filamenta, eiusdem cum ea coloris emicant. *Matthiol.* in medio purpureus, vino úq; globulus, acinæ Vuæ similis, in quo semen conclusum album, minutum, copiosumque, Halicacabi modo.

Acontium pardalianches Cordo. Cordo in Diosc. dicitur Acontium pardalianches, quod ait Theophrastum alibi Telyphonon, alibi Μυόκτονον, alibi etiam Scorpionem vocare. Idem in Hist. describit nomine Aconiti seu Pardalianches monococci. Annotat tamen apud eum Gesnerus Cordum falli, & Solani, non Aconiti, generibus adnumerari debere, Solanúmque syluaticum quoddam esse. Quæ occasio cur in epist. ad Platerum [vbi laudat Antidotum Saxonicam, Herbam Paris recipientem, Tigurensibus *kriitzlekrut* & *Blaterkraut* vocatam, aduersus venena & pestem] Fuchsium ineptè Aconitum facere scribat: cùm reuera Solanis cognata sit herba. Cur autem Fuchsius Solanum syluaticum tetraphyllon inter Aconita recenseat, nullam aliam rationem reddit, quàm quod Dioscorides non solùm calidi, sed & frigidi Aconiti, quod Scorpijs torporem inferat, mentionē faciat. Fuchsij opinionem sequutus est Cordus: huic sententiæ fauet & Hugo Solerius. Sed occurrerunt insuper, quæ Fuchsium adduxerunt, vt existimarit Herbam Paris, Dioscorideæ Pardalianches speciem esse. Et inter alia radix, quam refert talem esse, qualem in Pardalianche exigit Plinius. Idem etiam in epist. ad Aretium negat constanter contra Fuchsium esse Aconitum verum.

Fuchs. error. Sed & Matthiolus Fuchsium aberrare testatur, vtpote qui Herbam Paris, primi generis Aconitum, h.e. Pardalianches esse censeat. Semini siquidem nulla deleteria vis inest. An autem Herba Paris folia habeat Sanguineæ virgæ similia, vt affirmat Matthiolus, iudicent qui vtramque plantam norunt, dicántque an ex icone Matthioli, id quisquam possit colligere.

Variorum lapsus. Cæterùm, Cordi & Fuchsij opinionem refutant, reijciúntque etiam Tragus, Dodonæus, Hist. Lugd. & Lobelius. Sequuntur, verò recipiúntque, ma'è tamen, Lonic. Basil. Faber. [qui *Augenkraut*, & *voolfsvvurtz* vocari testatur] & Cornarius. Turnerus an Aconitum Herba Paris sit dubitat.

Synonyma. Dicitur autem *Aster non atticus* Trago: *Herba Paris* Matthiol. Aug. Dod. Cast. Cæsalpin. Hist. Lugdun. pag. 1313. Thal. Ger. & Eyst. *Paris Herba* Camer. *Aconitum salutiferum* Tabern. *Solanum tetraphyllon*, Gesn. hort. Lobel. in Aduers. Obs. pag. 137. & Ic. Plant. pag. 267. Solanum num. 10. [7. in phyt.] siue quadrifolium bacciferum C. Bauhin. pin. folijs communiter quatuor, aliquando tribus, quinque, & sex.

Nomina, linguar. Germanis inter alias appellationes dicitur *Einbeer*: Belgis *vvolfsbesien*, & *Spinnecoppen*, id est, Aranea: ab ementita videlicet araneæ forma: quam bacca vnà cum reflexis exiguis alabastris per maturitatem exprimit. Gallis *Raisin de renard*, *Estrangle Loup*. Hispanis, vt quidam aiunt, *[illegible]*. Anglis *One berrye*.

Locus. In montium, syluarum, conuallium & frutetorum opacis ac perinde aliis vmbrosis, pingui ac læto reperitur solo. Copiosè crescit apud Morpeth in Northumbria, in silua Cottingensi. Aprili florem exire: baccam Maio maturitatem assequi, auctor est Dodonæus. Ego Montbelgardi pluribus in locis semen maturum collegi Augusto. Geneuæ vidi prorumpentem mense Martio, & cum baccis Iunio & Iulio.

Vires & vsus. Multi in ea sunt opinione, vt credant herbam hanc inguini impositam, dolorem finire: nec desunt, qui asserant acinos Vuæ lupinæ deuoratos soporem inducere. Sed Tragus illos nequaquam degustare vult, ne fortè prorsus obdormiat. Ex Herbæ Paridis acino semen colligitur, non modò nulla deleteria vis inest, inquit Matthiolus: sed etiam contra veneficia præstantissimum est medicamentum. Noui enim ego quosdam, quorum aliqui morborum diuturnitate, alij verò veneficiis semi-stulti facti erant, hoc tantùm Paridis herbæ semine ad vigesimū vsque diem in puluerem hausto dragmæ pondere, pristinæ sanitati omninò restitutos esse. *Matth. not.* Nos contrà pronunciamus, eos semi-stultos, vel planè stultos esse, qui credunt veneficia à sagis illata (si tamen intulerint) tolli per herbas, verba, aut eiusmodi præstigia, quinimò si semi-stulti, pituitosi, & torpidi putamus huius plantæ vsu stultiores reddi: nolimus tamen improbare [si ea vera sunt, quæ narrat Matthiolus de sua notitia] in stultis, phreneticis & maniacis, qui insomnes sunt. Camerarius ad Hist. Germanicam Matthioli sequentia addit: Ex Herbæ Paridis baccis paratur oleum aduersus magnos dolores ma-

riſcarum & hæmorrhoïdum, quod ſæpiùs cum xylo in linteolo applicatur. Solent cum vtilitate baccas & folia applicare tumoribus & carbunculis peſtilentialibus. An autem tutum ſit iſtis peſtilentialibus tumoribus applicare narcotica, meritò controuertitur. A viris fide dignis accepit Turnerus pueros, aliquot in locis, baccas Aconiti nigras Fuchſij aliquando comediſſe ſine noxa, quod non fecerent illæſi, ſi ea Pardalianches eſſet. Audiuit Geſnerus acinis Solani tetraphylli, frigidiſſimæ herbæ deuoratis, gallinas mori. In locum acinorum Herbæ Paris, ijs deficientibus ſubſtitui poſſe putat idem Geſnerus, acinos Solani ſiluatici [*Solani* Bella donna] ſed tantò pauciores, quantò ſunt maiores. Cæterùm qui Aconitum coniectabant, venenatam prodiderunt. Pro Pardalian he autem recipi non poteſt. Omnibus enim conſtat, teſte Trago, multùm refrigerare, quod nullum Aconitum facit.

Necat gallinas.

STRYCHNODENDROS.

Deſcriptio. ARbuſcula trium cubitorum, aut altiore proceritate, gracili *ſtipite*, quem cortex integit cinereus, in ramis viridis: *folia* Euonymi, atrouirentia, ſapore ſubacri: *flores* Solani hortenſis, candidi, quinque folijs reflexis conſtantes, apicibus totidem in medio croceis coniunctis: ſuccedit ſingulis floribus *bacca*, fructui Halicacabi Solani æqualis, coccinea, *ſeminibus* ſimilibus referta luteis, orbiculatis, compreſſis.

Synonyma Lob. in Adu. refert quoſdam [Italos] Amomum Plinij putare, alios [Belgas] verò rectiùs Strychnodendron vocare. Et hinc in Obſ. p. 156. nominat Strychnodendrum, Amomum Plinij vulgò Italorum, Pſeudocapſicum Dod. Hiſpan. *Guindas de las Indias*, i.e. Ceraſa Indica: In Ic. Plant. p. 265. Amomum Plinij, Strychnodendron, ſiue Solanum arboreſcens. Strychnodendron dicitur Eyſt. & Geſn. hort. cui & Amomum. Amomum Plinij, Gerardo. Solanum arboreſcens Caſt. Cæſ. & Camer. Solanum fruticoſum Geſn. hort. & Taber. Solanum Americanum H. Lugd. p. 599. Pſeudocapſicum. Dodonæo. C. Bauh. phyt. Solanum 6. ſiue fruticoſum baccis rubris: Eid. pin. Solanum 9. ſiue fruticoſum bacciferum.

Vires & vſus. Lugduni & Geneuæ fœliciter mihi in hortis ex ſemine prouenit: verùm periit Hieme. Patauij virebat in horto Decembri & Ianuario, ac Februario.

SOLANI SPECIES EX APENNINO quibuſdam.

Deſcriptio. HErba rara eſt, & foliorum & fructûs figurâ inſignis: *folijs* quidem oblongis, per ambitum ſinnoſis, venoſis, ternis ferè ſimul ex internallis per *caulem* prodeuntibus, teretem, digiti craſſitudine, ferè cubitalem: *fructu* autem in caulium vertice rotundo, exiguo Malo ſimili, Pruni magnitudine, rubeſcente, ſemine pleno.

Synonyma Plantam hic depictam Herbarij quidam ad Hyoſciami, alij ad Solani ſpecies referunt. H. Lugd. p. 1718. inſcribit Hyoſciamum peregrinum Dalechampij: C. Bauh. phyt. Hyoſcyamum 6. ſiue peregrinum fructu rotundo rubeſcente: Idem in pin. Solanum pomiferum 3. ſiue peregrinum fructu rotundo.



Vires & eius natura adhuc incognitæ. Prætioſiſſimæ ac elegantiſſimæ picturæ, in vetuſti codicis manuſcripti membranis [quæ multarũ ſtirpium pictarũ imagines oſtẽdunt] hæc herba proponitur rudius expreſſa, nomine titulóq; Apollinaris. Dalechamp. qui deſcripſit, & in Apenninis ſiluis vmbroſis & denſis reperiri retulit, ita dicta a ro ante ab Apollonio Philoſopho, qui eam Platoni monſtrarit, eamque Græcis vocari Strygnion Malchion [Stry hnon manicon,] & Dorigion, hoc eſt Dorichnion.

MANDRAGORAS IN GENERE EX Veteribus & Neotericis.

MANDRAGORAS Græcis & Romanis, vel ... alijs ..., alijs ..., ſeu ..., alijs ..., nó nullis ..., Ægyptijs ..., Pythagoræ ἀνθρωπόμορφον, alijs ..., alijs ..., alijs ..., Zoroaſtri ..., ſeu ..., Prophetis ..., ſeu ..., Romanis ..., ſeu ..., aut ...: Latinis etiam Mandragoras, & Circæa, vel Circæon, Xeranthe a'ijs, aliquibus Antimnion, vel Antimion, Bombochylon, Minon, Ægyptijs Apemum: Pythagoræ Antropomorphon, alijs Aloëte, Tridacia à folio Lactucæ, alijs Cammoron, [Toxiti in Onom.] Zoroaſtri Diamonon ſeu Archine: Prophetis Hemionous aut Gonogeonas: Rom. Mala canina ſeu Mala terreſtria dicitur, Arab. vt Serap. *Iabora*, Auerrhoi *Luphaa*, alijs *Yabrohac*. German. *alraun*, *Erdræpffel*, & *hundſæpffel*. Officinis, Belgis & Italis *Mandragora*. Gallis *Mandragore*. Hiſp. *Mandracula*, & *Mandracola*. Angl. *Mandrage*. Hung. *Natragulya*. *Nom. lingu.*

Circæa quidem à Circe Solis filia illa venefica procurandi amoris artifice vocatur. Creditur enim huius radix ad amatoria conducere. *Mandragoras* autem, quòd Solis feruidioris impatiens, ad mandras pecorum, antra aliáſque ſpeluncas vmbroſas proueniat. *Mandre* enim aprica loca quò ſe recipiunt & ſtabulantur armenta, etiam hodie Itali è græco ſignificant. Pythagoreis etiam ἀνθρωπόμορφος, quòd humanum truncum & artus nonnihil adumbrarent radices implexæ, crura bina & clunes quaſi diſpatata oſtentantes, quam ad interpretationem alludit non inſcitè Septentrionalis nomẽclatio, quæ Mandragoram quaſi *Man & Draghen*: virigerã ſiue homigeram connotat. Et hinc à Columella epitheto dicitur Semihomo. Mandragoram Hebræi vocant Dudaim, Chaldæi Iabruchim pluraliter: Nam ſingulariter Dudai & Iabruach dicitur. Videtur mihi, inquit Rabbi Moſes Nehemanides, Leam ma-

dragoris propter bonum odorem delectatam, nec conceptionem medicinali herba, sed precibus à Deo impetrasse. Quare attulit illi Ruben filius ramulos de Dudaim [id est Mandragora] aut fructus eius qui sunt sicut mala, & sunt bene odorati. Sed radicem, quæ habet effigiem capitis & manuum non attulit, de ea nempe dicunt aliqui quod conceptionem iuuet, quod tamen ego in nullis Medicorum scriptis vnquam legi. Hæc ille. Paulò post recitat idem Nehemanides sententiam quorundam, qui dicunt Dudaim, id est Mandragoras, herbas esse quæ venerem stimulent, & ad amorem mulierum incitent, vnde hi Dudaim, à voce Hebræa Dodim, quæ significat amores deriuari: Sic ille, citante Trago, de Mandragoris. Leuin. Leminus Mandragoram inter herbas biblicas reponit. Gulielm. verò Stuckius l.3. antiquit. conuiual. cap. 8. de Mandragora eleganter & doctè disserit ex sententia sacrarum & prophanarum literarum, ita vt nihil ferè in hoc genere desiderari queat: Eum lege.

Impostura.

Cæterùm agyrtæ & impostores Circumforanei qui quotidie Mandragoram circumferunt, iactántque tanto periculo effodi, humanâ formâ ignaræ plebi eam ostendentes, ex vno Pythagoræ nomine eius Antropomorphos, vt credimus, mendacij sui occasionem arripuerunt. Neque enim, vt diximus, vox illa aliud, quàm humanæ formæ plantam significat. Accessit & Pythagoræ Columellæ testimonium, qui & ipse, tum vulgi opinione suæ ætatis, tum nominis superstitiosâ ostentatione motus, sic cecinit:

Columella [illegible].

Quamvis semi-hominis vesano gramine fœta
Mandragora pariat flores mæstamq; Cicutam.

Fictitas quidem esse agyrtarum imagines manúque ex aliarum stirpium radicibus adhuc recentibus efformatas, certò constat. Solent namque illi, exempli gratiâ, Altheæ, Arundinis, aliarúmque plantarum, & præsertim Brioniæ radicibus nuper euulsis humanam vtriúsque sexus effigiem insculpere, insertis in ea loca, in quibus pilos exoriri voluit natura, Hordei & Milij granis. Deinde eas, factâ scrobe, tenui sabulo obruũt, calidéque conseruant, vt sic aliquandiu detentæ, grana illa radiculas emittant, ipsæque imagines contabescant, ac aliam arte faciem induant. Et euenit, vt viginti summùm dierum spatio, è terra ita enatæ appareant. Tum eruunt, & radiculas ex granis natas acutissimo cultello concidunt, itáque aptant, vt capillum, barbam, & cæterarum corporis partium pilos referant. Hoc pacto miseri, & imprudentes homines decepti, Bryoniæ, plantarúmq; aliarum radices pro Mandragora emunt. *Sed* imposturæ huius finis nondum est. Has sub crucibus & rotis ex vrina suppliciis affectorum enatas persuadent, monstrosósque earum vsus pollicentur. Nec nisi magno vitæ periculo effodi posse nugantur, cane, qui effodiat, radicibus adalligato, & auribus pice obturatis, ne radicis clamorem exaudiant effodientes, vt quo audito illis pereundum sit. *Cuius* quidem imposturæ ac mendacij origo ex Veterum superstitione fluxisse videtur. Non enim defuerunt olim, in iactanda, cùm foditur Mandragoras, religione Theophrastus in Græcis: in Latinis verò Plinius. Hos, inquam, non puduit, in tanta rerum, quas scribebant, grauitate, ne quid contra communem sensum dixisse viderentur, populares, & sine ratione ritus huiuscemodi, posteris tradere. *Theophrastus* enim de effodienda Mandragora hęc scripsit. Circumscribũt & Mandragoram gladio ter, secántque ad occasum spectantes. Iubent & alium saltantem tripudio circumagi, multáque de veneris vsu & re dicere. A Theophrastro parùm euariat Plinius. Cauent, inquit, effossuri contrarium ventum, & tribus circulis, antè gladio circumscribunt: postea fodiunt ad occasum spectantes. His igitur auctoribus, & quasi per manus transita huiuscemodi superstitione, verisimile est, vanis periculorum, religionisque, & humanæ formæ, mendacijs, etiamnum Mandragoram celebrari: cùm tamen id potiùs quærendum fuerit, cur à sapiente illo Samio honestiore hominis nomine indicata fuerit. Neque enim verisimile putat Marcellus quia binâ radice, & hominis crura imitante nitatur, sic dictam ab eo fuisse.

Ex quibus radicibus effingantur.

Figmentum aliud.

Plin.

Porrò, Matthiolus fabulam illam, quæ ignaris Mandragoræ radices effodere volentibus tantopere minatur, ex Flauo Iosepho natam putat, qui etsi de alio radicis genere scripsit, ea tamen facilè ab impostoribus ad Mandragoræ radices, detorqueri potuerunt. Hæc sunt illius de Bello Iud. lib. 7. cap. 25. verba: Vallis, qua ciuitas à parte Septentrionali cingitur, quidam lacus Baaras appellatur, vbi radix eodem nomine gignitur, quæ flammæ quidem assimilis est colore, circa vesperam verò veluti iubar fulgurans. Accedentibus, eámque euellere cupientibus facilis non est, sed tam diu refugit, nec priùs manet, quàm si quis vrinàm muliebrem, vel menstruum sanguinem super eam fuderit. Quin etiam tunc si quis eam tetigerit, mors certa est, nisi fortè illam ipsam radicem ferat de manu pendentem. Capitur alio quoque modo sine periculo. Totam eam circumfodiunt, ita vt minimùm ex radice terra sit conditum, deinde canem ad eam religant, illóque sequi eum à quo religatus est, cupiente, radix quidem facilè euellitur, canis verò continuò moritur, tanquam eius vice à quo tollenda erat, traditus: nullus enim postea accipientibus metus est. *Hæc Iosephus.* Et his, quæ de Mandragoræ anthropomorphosi, eiúsque sub patibulo nascentis periculosa euulsione agyrtæ & circumforanei impostores fabulantur, haud duntaxat ignauum vulgus, fidem adhibet, sed nec literati homines, talibus magis seriò se opponunt, eásque medio tollere curant. Quin, deplorandum est eum in mundo hodie summo loco haberi: qui alijs arte quadam imponere nouerit, vt rectè ille dixerit; *Mundus vult decipi, Darumb sein wir hie*, Proinde sciant omnes Mandragoras agyrtarum nihil aliud esse, quàm meras imposturas.

Baaras herba historia.

Mandragoras namque veterum, licèt humano corpori quadantenus similis esse appareat, maximè si inferiores partes radicis spectes, tamen totâ suâ substantiâ, Mandragoræ agyrtarum fictitiæ, prorsus non respondet, id quod ex veterum descriptionibus facilè colligitur.

A Dioscoride quidem, qui duo eius genera assignat, & tertium ex aliorum opinione tradit, his verbis exprimitur. Mandragoras niger, qui fœmina existimatur, Thridacias appellatus, folia habet angustiora & longiora [vulg. exempl. μικρότερα, quidam vet. πλατύτερα] quàm Lactucæ, virosa [δυσώδη] ac graueolentia, in terram sparsa: atque inter ipsa, mala gerit Sorbis similia [vet. [illegible]] ex luteo pallida [vet. ὠχρώδη: nec malè nisi Dioscorides sibi contrarius esse velit, Samb.] odorata, & in his semen ceu Pyrorum. Radices ei sunt prægrandes, duæ aut tres, inuicem implicatæ, nigræ foris, intus albæ, & [Ald. φλοιώδεις.] crasso cortice vestitæ: can-

lem autem non producit. *Alterius* verò maris, seu candidi, quem aliqui Morion [vet. τόριον] vocant, folia sunt magna, alba, lata, læuia, ceu Betæ: poma quàm prioris duplò maiora [Ald. πυῤῥὰ], colore in Crocum inclinante, iucundè cum grauitate quadam olentia: quæque si mandantur à pastoribus, ij quodammodò soporantur: radix antè dictæ similis, at maior, atque candidior: orbata & hæc caule. Porrò & alium tradunt esse Mãdragoram, qui Morion etiam nominetur [hunc multi veteres, itémque Plinius non tradunt] nascatúrq; in opacis & iuxta specus, folijs albi Mandragoræ, at minoribus, penè dodrantibus, candidis, radicem ambientibus: quæ quidem tenera est, candidáque, paulò maior palmo, pollicémque crassitudine æquat.

His consentanea sunt magna ex parte, quæ Plinius lib. 25. cap. 13. tradidit. Mandragoram, inquit, alij Circeium vocant. Duo eius genera, candidus, qui mas, & niger, quæ fœmina existimatur, angustioribus folijs quàm Lactucæ hirsutis, & caulibus [legendum, hirsutis, æqualibus, non & caulibus: vtrique enim Mandragoræ caules desunt. Præterea hirsuta malè dixit, quasi δασέα legisset: neutrius enim folia hirsuta sunt, vt ex Dioscoride liquet] radicibus binis, ternisve, rufulis, intus albis, carnosis, tenerisque, penè cubitalibus. Ferunt mala Auellanarum nucum magnitudine, & in ijs semen, ceu Pyrorum. Album hoc alij Arsen, alij Morion, alij Hypophlomon vocant. Huius folia alba quàm alterius latiora, vt Lapathi satiui.

Lect. Plinij corrigitur.

Quæ Mandragoræ nigri poma Dioscorides οὔοις ἐμφερῆ, i. e. Sorbis similia facit, Oribasius etiam οὔοις & achradibus comparat: quorum prius ad magnitudinem & formam, posterius ad figuram tantùm referendum videtur. Marcellus, ᾠοῖς ἐμφερῆ legit, i. e. ouorum vitellis, vt ipse interpretatur, similia. Sed & ᾠοῖς malè legit, & hæc vox, oua, non ouorum vitellos significat. Præterea omnes probati codices & Oribasius οὔοις habent. Serapio Mespilum interpretatus est, quod vitium non Serapioni, sed ipsius interpreti adscribendũ. Plinius hæc mala Nucum Auellanarum magnitudine esse scribit. Idem Mandragoræ fœminæ caules tribuit, cùm vtrumq; Dioscorides ἄκαυλον esse dicat. Quare Cornarius in Plinio hirsutis, excaulibus, legendum esse crederet, nisi rursus sequeretur: Succus fit & ex malis, & è caule, &c. vt Plinius caulem ipsi omninò attribuat. Nam quæ de Mandragora tradidit, partim ex Dioscoride, partim ex Theophrasto transcripsit, qui etiam in Mandragora caulem agnoscit. τῶν δὲ ἄλλων, inquit, τὰ μὲν ὁμοιότερον τούτῳ τὸν καυλὸν ἔχει, καθάπερ ὁ μανδραγόρας, καὶ τὸ κώνειον. h. e. Reliquorum autem quędam similiorem huic [Ferulæ] caulem habent, veluti Mandragoras, & Cicuta. At Theophrasti Mandragoras a Dioscoridis Mandragora plurimùm distat. Quod cùm Plinius non animaduertisset, ex vtroque transcribens, vtriusque Mandragoram confudit. Maximam autem vtriusque Mandragoræ differentiam hæc perspicuè demonstrant. Dioscorides Mandragoræ nigri fructus Sorbi magnitudine, & pallidos esse dixit: alibi verò fructus, siue mala duplò maiora, & colore in Crocum inclinante depinxit, ac vtrumque sine caule. Theophrastus apertè Mandragoram caulem habere scripsit, vt ostendimus.

Orib. explicatur.

Plin. not.

Mandrag. Diosc. differt à Theophrasti.

Quisnam autem sit Theophrasti Mandragoras ab Herbarijs ambigitur. Cordus quidem tertiam Mandragoræ speciem, quæ priuatim Moriõ dicitur Theophrasti Mandragoram esse censet. Delineat autem is hoc nomine Solanum manicum Italis *Bella donna* dictum. Dodonæus eam Theophrasti Mandragoram esse censet, sed à Mandragora Morio Dioscoridis distinguit, quam Dioscorides non vidit. Fuchsius Solanum mortiferum esse suspicatus fuit.

Cardanus porrò duo Mandragoræ genera agnouisse videtur. Est, inquit, pomum croceum, quod bene olet, scilicet Mandragoræ, sed leuiter. Aliud huic persimile, quod malè olet, & ipsum tamen parum: plantam non vidi, quæ cùm frigidi tẽperamenti sit, non è genere Solani, quippe fructus eius sunt rotundi, plani, magnitudine & forma à pomorum sanguineorum, sed Peponum instar, parùm profundis canalibus diuisa. *Quibus* quid sibi velit Cardanus, non percipio: Pomum eius alterum fortè erat Malum aureum siue Lycopersicum. Verùm cur negat esse è genere Solani, quòd frigidi sit temperamenti?

Cardani.

Omnes Mandragoræ partes ad magnos in medicina vsus adhibet Diosc. Succus, inquit fit, è cortice recentis radicis tuso, & prælo subiecto, qui insolatus vbi concreuit, fictili reconditur. Malis quoque succus depromitur, sed aliquantò ignauior. Delibratur radix & traiectus lino cortex ad vsum suspenditur. Aliqui radices in vino ad tertias coquunt, & defæcatum ius seruant. cyathoque vno vtuntur in peruigilijs, & doloribus, & ante sectiones, vstionesque, ne sentiantur. Succus duobus obolis ex mulso potus [ὁ δὲ ὀπὸς ποθεὶς σὺν μελικράτῳ, i. e. lachryma, siue liquor cum melicrato potus: ὀπὸς sponte defluit, succus χύλισμα tundendo exprimitur] vt Veratrum per vomitiones bilem atram, pituitamque extrahit: verùm potu largiore vita adimitur. Medicamentis ocularibus, & his quæ dolores finiunt, pessis quoque emollientibus, admiscetur: semioboli pondere inditus per se menses & partus expellit: subditus sedi pro balano somnificus est. Radix ebur emollit quod senis horis cum eo decoctũ sit, & ad accipiẽdam, quã effingere optaueris, formã ipsum facile præstat. Folia recentia conuenienter oculorum inflammationibus & collectionibus quas vlcera excitarunt, cum polenta illinuntur: duritias omnes, suppurationes, strumas, & tubercula discutiunt: stigmata sine exulceratione delent, si quinis senisve diebus sensim perfricentur. Folia seruantur in murijs eosdem ad vsus. Trita radix ignibus sacris ex aceto, & serpentium ictibus ex melle aut oleo medetur: strumas atq; tubercula cum aqua dissipat: articulorum cruciatus cum polenta sedat. Fit citra coctionem *vinum* e cortice radicis ad hunc modum: Ternæ minæ in vini dulcis metretam conijciuntur. Datur ex eo terni cyathi ijs qui secari, aut vri debẽt: siquidem nullo tunc afficiuntur dolore, sed veterno quodam pressi torpescunt [διὰ τὸ καταφέρεσθαι, quòd alto somno opprimantur.] *Mala* soporem afferunt olfactu, & etiam si mandantur: item expressus ex ijs succus: nimio tamen dolore percussi obtumescunt. *Semen* malorum potum vuluas purgat, appositumque cum sulphure ignem non experto, rubra fœminarum profluuia sistit. Scarificatâ, punctisque multifariam apertâ radice erumpens lachryma cauo vase recipitur. Liquamentum autem succo lacteo præstantius est. Sed non vbique, vt experientia docet, radices lacteũ succum delachrymant. *Vt tertiam* Mandragoræ speciem non nouisse videtur Dioscorides, ita nec eius vires certas tradere. Aiunt, inquit, eam in

Vires & vsus.

Vinum è cortice rad.

Diosc. non nouit tertiam Mandragoram.

parte, offa, obsoniōve, drachmæ pondere deuoratam vsum rationis intercipere: obdormiscit enim homo, eo ferè quo comederit habitu, sensûs impos, ternis quaternísve ex quo data est horis. Hoc Medici vtuntur, cùm scindendi vrendíque necessitas adest. Antidotum esse aiunt radicem cum Solano manico potam.

Theophr. Theophrastus Mandragoræ folia vlcerib. cum farina vtilia esse scribit, radicem rasam, & ex aceto subactam ad erysipelata, ad podagricos dolores, ad somnum, & ad amores: dant. a. inquit, in vino & aceto. Secant orbiculos velut ex Raphano, quos filo transmisso in musto suspendunt super fumum. Quæ fortasse Plinius [qui sua ex Theophrasto & Dioscoride mutuatus est] exprimere voluit, cùm dixit. Concisa quoque in orbiculos seruatur in vino. Quæ tamen alio in loco dilucidiùs expressit. Sed is in publicis exemplaribus valdè corruptus est. Igni sacro medetur Mandragoræ radix. Siccatur in aëre, vt Cucumis, &c. Quem ex vetere codice sic restituit Cornarius. Igni sacro medetur Mandragoræ radix: secatur hæc in asses, vt Cucumis, primúmque super mustum suspenditur, mox in fumo. Dein tunditur in vino & aceto.

Galen. Tempera. Mandragoras, auctore Galeno, vincentem habet qualitatem refrigerantem, adeò vt tertij sit ordinis refrigerantium. Verumtamen nonnihil etiam caloris inest, & in pomis humiditatis. Quare soporem & conciliandi vim habent. Radicis cortex cùm sit valentissimus, non tantùm refrigerat, sed & deficcat, reliquum quod intus est imbecillimum est. Est autem Mandragoras pharmacum alioqui corpus nostrum corrumpere pote, sine quantitate tamen incommodare nequit.

Matthiol. repreh. Quod porrò voluit Dioscorides, sumptâ Mandragorâ, oleum rosatum cum aceto capiti infundi: Matthiolus, referente Turnero, contra rationem esse contendit frigida adhibere, cùm causa morbi frigida sit: similiter quoque Galenum taxat, quòd lethargicorum capiti oleum rosatum cum aceto instillet. Atque vt Galenum refellat, citat Ætium, Paulum, Trallianum, non admittentes oleum solum & acetum, sed calidiora postulantes, vt Chamæpityn, Serpillum, Pulegium, Castoreum, & similia addi. Galeni defensionem in aliud tempus differimus. Quod ad Dioscoridem, respondemus. Quòd si tres Galeno recentiores auctores, satis ei confutãdo essent, totidem pari pacto satis sint, ad Dioscoridem ab eo errore, quem impingit Matthiolus, vindicãdum. Sed duo ex iisdem testibus, quos ad Galenum confutandum profert, nempe Aëtius & Paulus, & cum iis è recentioribus quoque Græcis, vir doctus Actuarius, consulunt eorum [qui nimiùm assumpserunt Mandragoræ] capiti oleum rosatum & acetum infundere. Imò Matthiolus ipse paulò pòst, eodem capite tanquam sui immemor, & accusationis in Dioscoridem & Galenum intentatæ, fatetur magno ardore corripi, qui immatura Mandragoræ poma comederunt, multò maturis frigidiora: quàm igitur iustè paulò antè accusatus fuerit ab eodem Dioscorides, iubens caput eorum qui nimiùm Mandragorę bibissent, oleo rosato & aceto perfundi: Ac an ab homine tam obliuioso tantâ confidentia censendi taxandíque sunt veteres, quod sæpenumerò facit, penes viros doctos & prudentes iudicium esto.

Prodiderunt Serapio & Auicéna, semen Mandragoræ potum vteros purgare, idémque multos annos antea scripserat Dioscorides: ex quo etiam quis meritò dicat, Rachelem ante hosce omnes facultatis pomorum Mandragoræ consciam, ob id poma Mandragorę expetiuisse, vt purgato vtero aptior ad concipiendum redderetur, liberósque, non minùs ac Lia soror & ancilla Silpha procrearet.

Accipitrem aucupari nolentem quidam Mandragoræ radice fumigant, & confestim promptum ad aucupandum reddunt, Demetrio hoc attestante. And. verò Baccius Mandragorę, aliorúmque medicamentorum deleteriorum ebibitis succis, per lauationes in dulcibus succurrit.

MANDRAGORAS MAS.



Descriptio. ANtropomorphon dixêre Mãdragoræ *radicem*, crassam, longã, bifidam, fibris hinc inde prodeuntib. velut hispidã, incoxantem hominem, vt sibi persuadent, referentem: è cuius capite, maris quidem *folia* exeunt circiter cubitalia, sesquipalmum ferè lata, principio & mucrone angustis, atro virore prędita, fœtida: inter hæc à radice quoque [nullum enim profert caulem] pediculi exeunt crebri, duarum vnciarum, aut palmares etiam: *florem* singuli sustinentes albidum, at nonnihil purpurascentem, modicè hirsutum, Campanulæ ferè forma, quinis segmentis, è calyce foliato, laciniato, itidémque villoso, odore fœtido: *pomum* sequitur rotundũ, parui Mespili magnitudine, ex luteo viride. *Radicum* in off. prostant solùmodò cortices, maris an fœminę an vtriusque promiscuè, nobis non constat, insigniter autem crassam testantur radicem: quo nomine distinguas licet à Fraxinellę & Capparum corticib. adde colorẽ foris ex albo ferrugineum, substantiam mansu lentam: amaror idem.

Synon. Mandragora mas Trago, Fuchs. Matthiol. Dod. Lac. Cordo in Diosc. Lob. in Adu. Obs. pag. 138. Ic. Pl. p. 267. H Lugd. pag. 1726. Camer. Masculus Turnero: Mandragora Anguillaræ. Mandragoras Gesn. hort. Cæsalp. Mandragoras albus seu masculus Cordo hist. Mandragoras mas vel alba Camerario. Lobelius quidem & Dodonæus pro vtraque Mandragora vnam proponunt iconem, ad latera tamen pomum maris pingunt rotundum, fœminæ pyriforme.

Germanis *Alraun Manlein*: Belg. *Mandragora manneken*: It. *Mandragora maschio*: Gall. *Mandragore ou Mandegloire*: Lob. sed fortè legendum *main de gloire*.

In Italiæ, Prouinciæ, Narbonæ, & Hispaniæ hortis florem maláque maturat, semine aut radicibus ex Candia & Cycladibus insulis aduectis, vt scribit Lobelius. In reliqua Gallia non perinde, tametsi quandoque florem pomáque

apprimè matura dedit Bristoiæ Occiduo Angliæ aprico & tepidiuſculo horto.

MANDRAGORA FOEMINA.

Missum semen Florentiâ pro Mandragora Cretica fœmina, valdè paruum non maius Melanzanæ semine: neglecimus autem describere plantam, quia consumpta Hieme asperiore.

Mandrag. fœmina descript. Clus. Clusius Mandragoræ fœminæ *folia* adscribit angustiora, minora, & nigriora quàm mari, magis etiam rugosa, crispáque, virosa & graueolentia, & humi expansa: inter quæ longi *pediculi* exiliunt, per terram strati, quibus insident *flores*, Melopeponum floribus formâ ferè similes, coloris ex cæruleo purpurascentis: quibus succedunt *fructus*, non turbinati instar Pyri, sed rotundi, Vesicariæ fructu triplò maiores, initiò virides, maturitate pallescentem ex luteo colorem adquirentes, odorati, ſucci pleni, *semine* abundantes plano vt maris fructus, sed minore, nigrioréque: *radix* pedalem aut ampliorem longitudinem æquat, interdum bifida, intus alba, foris verò fusca, cui aliquot fibræ adnascuntur. Hæc ita Clusius, cui græcè Μανδραγόρας μέλας dicitur, & θριδακίας à foliorum Lactucæ similitudine: Latinè etiam Mandragoras niger & fœmina.

Synon. C.Bauh. phyt. & pin. Mandragora 2. siue fructu Pyri: Mandragoras fœmina Tragi, Matthiol. Cordi in Dioscor. Lac. Lob. Obs.138. Ic. Plant.267. Dod. H.Lugd.p.1726. Cæsalp.& Camerarij. *Eid.phyt.* Mandragora 3. siue flore cæruleo: *pin.* Mandragora 3. siue flore subcæruleo purpurascente: Mandragora fœmina Clusij hisp. & hist. Cast. & Eyst. Mandragora Lonic. altera Cæsalpini.

Matthiolus pingit in sua icone fructum turbinatum, ad Sorbum accedentem, nudum, sine foliolis: ea icon non placet. Lobel. & Dodon. folia addunt, an ex ipso fructu, nescimus. Camer. in Epit. Matthiol. propriam iconem habet, pinhens fructum rotundum cum foliis. An porrò

C.Bauh.not. C. Bauhinus duas faciat Mandragoras iudicent alij: saltem illud non placet, cum vnam Trago adscribere, cùm tamen Tragus scripserit Mandragoram sibi nunquam visam.


Locus Matthiolus perhibet copiosam in Gargano Apuliæ & aliis montibus haberi. Supra Gades itinere Hispalensi, non procul ab vrbe Xerez de la Frontera dicta, ad aruorum margines, quæ secundum flumina sita sunt, & quibusdam aliis Bæticæ locis vliginosis florentem obseruabat Clusius initio Februarij anno 1565. & paulò pòst, eodem videlicet mense fructum maturum colligebat inter Calpen & Malacam, nimirum toto illo maritimo tractu supra fretum Herculeum ad meridiem conuerso, & valde aprico, propter montes, vno aut altero miliari à mari distantes, qui in mediterraneis, vsque ad fretum continua serie producuntur. In Belgio nunquam videre meminit, nec de semine quidem, quod ex Hispaniis deferebat, germinare vnquam voluit: vt nec in Austria, quod aliquoties ex Italia postea accipiebat.

MELONGENA VETERIBVS.

Æquiuoca Melongena in Arabum codicibus primùm celebrata fuit. Hanc quidam suspicantur esse Solanum pomiferum fructu rotundo. Alij Solanum pomiferum fructu incuruo. Nonnulli verò Solanum pomiferum fructu nigro spinoso. De his autem deinceps ordine dicturi sumus.

Melongena vetus, Auicenna libro quarto cap. 455. auctore, noxia est, recens melior. In ea calidam temperiem superare, & siccam esse ordine secundo, ex amarore & acrimonia colligitur. Melancholiam gignit, cancrum, lepram, hæmorrhoidas, panos, dolorem capitis, & fœtorem oris. Obstructiones hepatis & lienis efficit, nisi cum aceto cocta fuerit, colorem corporis fœdum, atrum & citrinum, vt mirum sit Auerrhoëm Mala insana libro quinto Collect. cap. 101. commendasse suo quodam modo parata.

SOLANVM POMIFERVM fructu rotundo.



Descrip. Fibrosas parum altè defigit *radices*, *caule* vnico pedali, crassiusculo, firmo, subpurpureo, hirsuto: *foliis* palmaribus, & sesquipalmaribus, palmum ferè latis, per ambitum sinuatis obiter, infrà supráque pilosis: *flores* breuib. satis pediculis hærent, albicantes aut subpurpurei, in stellæ modū: quibus succedunt *poma*, oui, vel Cucumeris circiter magnitudine, & figurâ ferè, ex rotundo sublonga, colore purpureo, virescentéue, læui cortice, succosa albicantéque intus pulpa: in qua copiosa *semina*, albicantia, compressa, Piperis siliquastri æmula.

Mandrag. affinia poma. Affinia cùm essent Mandragoris hæc cæruleo-purpurea poma, Melongena vel Mala insana, exotica, ex fusco violacea, effigie oui oblongi, quidam Recentiorum suspicati sunt marem Theophrasti Mandragoram, eóque esu lethalem rati, insana mala vocarunt. Sed apud Theophrastum multa lectionis labes, fortè non distincta stirpium delineatio, ne dicatur farrago omnium congenerum, è quibus hæc eximenda est, & Cucumerum familiæ, aut potiùs Mandragoris vel Hyoscyamis adscribenda, vt Lobel. in Adu. statuit. *Theop.loc. manca.*

An Mazinzania Sethi. Apud Cordum in histor. vbi Melongenæ figura addita, quidam annotauit Simeonem Sethi fortè Mazinzaniam vocare. Sed Ruellius, qui Melensana vulgò vocari ait, quasi Mala insana, de hac nihil à veteribus fuisse scriptum prodit. Non desunt tamen attestante Trago qui tertiam Mandragoræ speciem quam Morion vocant esse, suspicentur. Quæ opinio Fuchsio displicet.

Brassauolus autem itemque Fuchsius Hermolaum immeritò, meo quidem iudicio, inquit Matthiolus, damnant, quòd in ea sententia eum fuisse velint, vt putarit Mala illa, quæ Italis corrupto nomine *Melanzana* vocantur, Liguribus *Melenzana*, Hetruscis *Petronciani*, Hispanis *Verangenes*, Germanis *Melantzan*, & *Dollapffel*, hoc est, Poma furoris, Gallis autem *Pommes d'amour*, hoc est, Poma amoris, esse tertiæ Mandragoræ fructus: certa ac firma Hermolai sententia, ex ipsius verbis sufficienter constat. *Cæterùm*, cur Poma amoris appellentur à Gallis, haud scio, inquit Ruellius, nisi quòd fortassis elegantiâ & pulchritud. placeant, & ita digna quæ amentur. Sunt tamen & alia Poma amoris, de quibus infrà dicetur. *Melenzanas* mala insana minùs sano iudicio vocat Hermolaus, inquit Scaliger: esitata namque nullos excitant furores: quippe iis in bellariis vtuntur Genuenses. Solanum pomiferum Gesn. hort. potiùs dixerit. Neque repugnarit idem in cat. pl. si quis Hippomanes hunc fruticem esse dicat, qui Poma Melensana vulgò dicta & amoris Poma producit.

Solan. pomiferum.

Synonyma

Mala insana Trago, Fuchs. Dod. Lac. Lon. Tab. & Gerardo: Malum insanum Gesner. hort. Melongena Matth. Cord. hist. Lob. in Aduers. Obs. p. 138. Ic. Plant. pag. 268. Cast. H. Lugd. p. 617. Camer. cui & Verengena Toletanorum: Melanzana fructu pallido Eyst. Solanum hortense & Pyra insana Cæsalp. Solanum 15. C. Bauh. phyt. Eid. pin. Solanum pomiferum 4. siue fructu oblongo: Et videtur Strychnon hortense Dioscoridis, vrbanum Theophrasti, esculentum Galeni, & tertium Genus Plinij. Variare ait flore purpureo, albo: fructu albo purpureo, luteo: figurâ quandoque oblongâ, aliquando instar mali rotundâ. An Malinathalla Theophrasti Bellonio?

Locus.

Basileæ in horto D. Cælij florebat & fructum ferebat mense Augusto, quem tamen vt plurimùm difficulter maturabat: in vasis fictilibus, viridariorum voluptati & gulonum auiditati colitur.

Vires.


Helluones interdum hosce fructus vti Cucumeres in acetariis helluantur, vti Romæ, Genuæ, Neapoli. maiore voluptate quàm vtilitate: deterior enim succus vel quolibet Pepone aut Cucumere est. Sunt ex Italis, qui horum pomorum esu venerem concitari putent: quod forsan ideò præstant, quòd flatus gignant. Adhæc frequenter manducati, febres generant diuturnas, & habitum totius corporis malum. Cæterum, qui Melongenas esse credunt Arabum, easdem cum illis vires huic adscribunt, de quibus consule caput præcedens decimum-sextum.

SOLANVM POMIFERVM fructu incuruo.


Genera tria Rauvvolff.

DE hoc Rauvvolffius in Itiner. partis primæ capite 4. Halepi reperiuntur tria genera Melanzanorum, Arabibus etiam Melongena & Bedengiam dicta, cinerea, lutea & rubella, longitudine & curuitate eadem longis Cucurbitis similia.

Hist. Lugdun. pag. 23. in append. Melantzana, Arabum Melongena: Caspar Bauhinus phyt. Solanum 16. Eid. pin. Solanum pomiferum 5. siue fructu incuruo, varians colore fructûs, qui flauus, cinereus, & purpureus.



SOLANVM POMIFERVM fructu spinoso.



Genera duo Rauvvolff.

SVnt præterea, eodem Rauvvolffio auctore, Melanzanorum alia duo genera, Arabibus Bathleschain nūcupata, longa & rotunda, quę maiora, colore nigra, læuia, ita lucida vt splēdeant. Melanzanæ nigræ, vt in Hist. Lugd. in app. p. 23. inscribitur, fruct^9 longus, altus, aliàs rotundus, colore nunc atro, nunc subnigro, cortice læui, & procul intuenti splendido, salubrior est coctus, vt inquit Auerrhoes, quàm crudus.

Synonyma.

Camer. ad hist. germ. Matthiol. Malorum insanorum species valdè spinosis foliis & caulibus, floribus maioribus. C. Bauhin. phyt. Solanum 17. Eid. pin. Solanum pomiferum fructu spinoso, primum, Melanzana nigra, Bathleshaia æthiopica Rauvvolff. Lugd.

POMVM DE HIERICHO, Melongenis congener.

Descriptio.

POmum Hiericho Ferd. Imperati, peregrina Italiæ plantę, nec aliis descripta, *folia* producit candicantia, simillima foliis Melāgianæ Italis dictæ, sed paulò minora. *Caules* & foliorum costæ spinosæ sunt: *flores* cærulei, instar florum Buglossi: *fructus* rotundi pomi instar [*in modo di Melo:*] quorum color antequam maturescant viridis, maturorum flauus: sapore insipido, & aliquantùm odorato.

C. Bauh. pin. Solanum pomiferum fructu spi-



nosò 2. Solanum spinosum fructu rotundo: Pomum Hiericonticum Imperati.

SOLANVM POMIFERVM, fructu rotundo striato duro.

Descriptio Caule est singulari Solanum pomiferum dictum, crassitudine digitali, cubitum alto aut maiori, glabro, lætè virenti, medulla albicante pleno, spinis subinde donato, in ramos plures diuiso: *folia* Melanzanæ foliis paria, sinuata, atrouirentia, vndique glabra, spinis fortuitis auersâ parte horrentia: *flores* Solani vulgaris, albi, cono luteo, poma sequuntur rotunda, torulis canaliculata, siue striata, dura.

Mala Æthiopica Dod. Dodonæus nobis auctor est, non parum à malis insanis differre, quæ nostra ætas Æthiopica cognominat, quòd ex Æthiopia in Hispaniam primùm inuecta existimentur. Veteribus autem cognita fuisse difficile esse affirmare. Cum Malinathalla verò Theophrasti nequaquam conuenire.

Solan. pom. herm. Lobel. Lobel. qui Solanum pomiferum herbariorum in Obs. pag. 135. [vbi Piper Guyneæ vulgò appellari refert quamuis minimè verè] & Icon. Plant. p. 264. inscribit, Solano verticillato simile facit, sed fructu siue pomo phœniceo, iucundissimo spectaculo, Amoris pomo dicto ferè pari: folio Hyoscyami lutei: flosculis Solani hortensis: æstiuam item esse plantam, Hispano semine natam.

H. Lugd. icon. bina Hist. Lugd. p. 612. Capsicum rotundum Dalechampij, fructu rotundo, rimis profundioribus fisso, rubro, pusillis granis farcto, subflauis, gustu acri: viribus iisdem pollet, quibus & cætera Capsica. Eid. p. 1730. mala Æthiopica Dodonæi. Lugdunensis duas figuras vnius plantæ exhibet, dicitque prioris fructum esse gustu acri, quod non placet.

Solan. pom. C. Bauh. in phyt. Solanum 14. Eid. pin. Solanum pomiferum 2. siue fructu rotundo striato duro; Solanum pomiferum Tab. Eyst. & Gerat. cui & mala Æthiopica: foliis magis minúsve sinuctis: in caule aliquando, vt & in foliis, modò inferne, modò superne, paruis aculeis.

Locus & Tempus Satum Montbelgardi, Iunij principio florum vestigia producebat, sed fructum non maturabat. Tardè admodum quoque ad perfectionem Coloniæ venit.

Vires & vsus Feruntur verò hæc mala in pinguium carnium iure cum sale ac Pipere cocta inferri ac edi: & minùs mali succi esse, quàm Insana aut Aurea: propterea videlicet, quòd duriora, diutiusque asseruari queant, nec ita facilè vt illa corrumpantur. Sunt tamen nec hæc Æthiopica boni succi, & alimenti non multùm corpori adferunt.

LYCOPERSICVM VETERIBVS, & in genere.

Lycopersici meminit Galenus 4. simpl. med. cap. 18. titulo, quod sapores acres omnium sint calidissimi, his verbis: Multa ipso statim odore aliena sunt, planéque pugnantiam cum homine indicant, velut & hæc ipsa quæ nunc dicta *Error. interp.* sunt, & Cicutæ, Papaueris, Mandragoræ, & Hyoscyami succus. Quin & nuper quoque herbam quandam conspeximus [hæc verba non bene translata in græco textu sic leguntur: ἐθεασάμεθα ἔναγχος βοτάνης χυλὸν, i. e. contemplati sumus *Locus* nuper herbæ succum] quem Centurio quidam ex Barbarica circa Ægyptum regione comportauerat, odore adeò graui, adeóque inamœno, vt ne gustare quidem auderem, sed lethalem esse conicerem: vtebatur autem ad vrgentes articulorum dolores: atque ipsis etiam laborantibus refrigerandi pollere facultate est visa. Est autem colore subflauo, odore tam graui, quàm Cicuta: nisi quòd leuem quandam instar aromatum odoris adferat gratiam. Nomen herbæ ex qua succus hic exprimitur, Lycopersicum esse dicebat.

Galeni timiditas. Ab ignaua Galeni timiditate, qui Lycopersium herbam, quòd grauiùs oleret, ne gustare quidem ausus est, procul abest Gesnerus: qui Lycopersium *Æquiuoca* Galeni non aliud existimat quàm Stramoniam dictam, vel fortè Cardiacam: Pomum verò auri opinantur Anguill. & Cam. alij verò teste Iulio Alexandrino Tagetem Indicum.

MALA AVREA ODORE FOETIDO, quibusdam Lycopersion.



Descriptio Tota plãta virosũ & χαρμβαρικὸν ferè vt Caryophyllorũ Indicorum, inquit Cam. spirat odoré, *caule* cubitali, & ad altitudiné quandoque humani corporis, minimi digiti ferè crassitudine, hirsuto, ramos latè spargente: *folia* tenella, pinnata, hirsuta, ex viridi flauescentia, ex tribus quatuórve singularium foliorum oblongorum, sinuatorum coniugationibus, quas pusilla quædam foliola intercedunt, composita: *flores*, Solani vulgaris forma, in luteũ languescũt, senis ferè foliis cõstãtes, quorũ mediũ eo idẽ obsidet stamina saturatiùs flore tincta: succedũt tandem

dem multa *poma*, non multùm Arantiis minora, sessilia, torulis ad oppositam vsque partem canaliculata, læuore eximio, colore vel aureo, vel ochreo, vel purpurascente, vel denique versicolore: *semine* intus copioso, circinato, compresso, & veluti membraneo, hirsuto: *radix* summâ ferè terra hæret, longis sed numerosis fibris vbertim capillata.

Mala insana Cæs. Synonyma. Lycoperf. Galeni. Pomum Indum. Pomum aureum. Pomum de altero mun. Mala insana, vt vocat, Cæsalpinus ad Solani furiosi genera pertinere existimat. Anguillar. epist. 12. Lycopersicum Galeni: Poma amoris Dod. gall. Lob. in Adu. & Obs. pag. 140. Camer. epit. Tabern. & Gerardo. Pomum amoris Cam. hort. & Pomum Indum Mediolanensium, nomine externo *Tumatle* dictum: Eid. apud Matthiol. germ. & Hist. Lugd. pag. 618. Poma aurea. Gesn. hort. Pomum aureum, Pomum amoris, Pomum de altero mundo, Pomum Solanis cognatum. Solanum pomiferum alterum, & Solani pomiferi genus aliud. Lob. Obs. p. 135. Glaucium putatum, Pomum amoris: Eid. Ic. plant. pag. 270. Poma amoris, Lycopersicum. Dod. lat. & Cast. aurea mala. Guill. pap. Tumatle Americanorum. C. Bauh. phyt. Solanum 20. Eid. pin. Solanum pomiferum 1. siue fructu rotundo striato molli, communiter luteo, auricolore, aliquando pulchrè rubente: rariùs albo: est & surrectus cubitalibus cauliculis, quod per omnia minus est. Poma amoris fructu luteo, & Poma amoris fructu rubro, & Mala Peruuiana. Eyst.

Nomina, linguas. Germanis *Goldtæpffel, lieb æpffel*. Belg. *Gulden appelen*. Gall. *Pommes d'or*, & *Pommes d'amour*. Ital. *Pomi d'oro*, alijs *Pomi del Peru*. Ghinus Amatulam vocauit.

Locus & Tempus. Habetur in hortis locísque humidis & solo pingui, vel etiam rigatione gaudet. Iulio & Augusto mensibus floret: Autumno fructus perficit.

Vires & vsus. Succus valdè quàm opportunus incipienti epiphoræ fluxionibusue oculorum fetuidis glaucoma facturis, si per initia admoueatur. Non modò irruentis enim humoris insultum compescit, sed etiam calorem moderatur sæpiùs periculo à recentioribus facto. Quin etiam erisipelatis, ignibúsque sacris vehementer obluctatur. Italis nonnullis esitantur poma cum Pipere, sale & oleo præparata, non secus atque Cucumeres. Sed eduntur & cocta: ast quem halat vniuersa planta teter spiritus, paruo emolumento & parum tuto in cibos venire satis prodit. Præbent autem mala corpori alimentum quidem perexiguum, & hoc ipsum tamen prauum ac vitiosum: refrigerant enim, sed aliquantò minùs, quàm Mandragora. In oleo autem cocta, ad scabiem sunt efficacia. Eadem arte chymicâ oleum subministrant contra partes igne, vel alia re candente, vstas curandas percommodum. Hoc oleo temporibus & carpis inuncto somnus conciliatur. Retulit olim

Somnum inducens. mihi Textor vir doctus, Medicus Paterniacensis in Heluetia, se phreneticum omnia rumpentem visitasse, qui, cùm ei manibus Aurea mala tenenda dedisset, eique clam aliquot subiecisset, paullò post obdormierit.

PYCNOCOMVM IN GENERE, EX veteribus & Neotericis.

Descriptio. PYcnocomon *folia* habet, vt scribit Dioscorid. Erucæ similia [Hîc interponit Lac. ex vet. cod. μικρότερα:] sed aspera, crassa, acrioráque: *caulem* quadrangulum; *florem* Ocymi: *fructum* καρπὸν: semen alij.] Matthiolij [σπέρμα habent vulgata exemplaria talia τρίον, i. e. Porri, sicuti & Oribasius legit, & Lacuna ex vet. codice] *radicem* nigram, rotundam [Ald. μακρὰν:] intus pallidam, exigui Mali figura, terram olentem. Nascitur in saxosis locis. Semen tumultuosa, grauiáque somnia facit, vnâ drachmâ potum. Discutit & œdemata, impositum cum polenta: nec non & spicula, & adactos corporis aculeos extrahit. Imposita quoque folia, tubercula, furunculósque discutiunt. Cæterùm radix eius in aqua mulsa drachmarum duarum pondere, aluum soluit, & bilem exinanit.

Plinius. Eadem Plinius lib. 26. cap. 8. & cap. 14. tradit. Habet autem denarios duos [10. 11.] pro duabus drachmis Dioscoridis, non ita magno discrimine, quum in vncia denarij septem drachmæ verò octo habeâtur. Suspicatur Cornarius hîc obolorum vocē deesse, vt 10. non pro denarij ponderis nota acciperetur, sed simpliciter pro denarij numeri nota, vt ita legeretur: radix eius in aqua mulsa 12. obolorum pondere.


Galenus. Galeno authore Pycnocomi radix, fructus, folia, omnia digerendi, attrahendique habent facultatem, vtpote quæ & gustu sunt acria: folia itaque phymata, & furunculos discutiunt, fructus valentior est: & hæc quidem efficere potest mistus alicui digerentium cataplasmatum, cuiusmodi est quod ex hordeacea farina conficitur: palos & alia id genus infixa ad extimam cutem elicit. Porrò radix ad suprà dicta quidem deterior est & infirmior, cæterùm bilem flauam expurgat.

Dalechampius nullum ex rei herbariæ scriptoribus, aut se audiuisse, aut legisse fatetur, qui Pycnocomum verum nouerit. Ignotum quoque sibi scribit Cornarius. Omnibus etiam in Italia ignotum scribit Matthiolus; in quo eum carpit Guillandinus in Theone, falsò id asseri scribens.

Æquiuoca. Sunt qui suspicentur Pappas Americanum Pycnocomon esse. Quorum quidem opinionem nunc probare non possumus. Fabius Columna voluit Succisam esse Pycnocomum. Pycnocomon Trago & Lonicero est Vlmaria. Apud Brunfelsium ponitur icon Angelicæ pro Pycnocomo: non tamen existimamus, eam ab illo intelligi, sed potiùs cum Trago & Lonicero Vlmariam. Pycnocomum quidam dixerunt de Barba capræ ramosa, quam opinionem meritò reiicit Fuchsius. Pycnocomum Anguillaræ est quorundam Reseda lutea, sed perperam, vt rectè iudicant Lob. & Camer.

PAPAS AMERICANVM.

Descriptio. CAulis bicubitalis & tricubitalis, ac etiam altior, crassiusculus succulentus, subrotundus, striatus, subhirsutus, viridis, è crebris punctis rubentibus maculosus, inanis, ramosus, inæqualis propter eas quas habet inde vsque à foliorum pediculis adnatas membraneas alas, atropurpureas, nonnunquam crispas: *folia* sesquipalmaria ex tribus foliorum coniugationibus componuntur, quibus impar vnum, reliquis maius ferè, alam claudit: sunt autem singularia folia hirsuta, ortu quidem inæquali, non adeò tamen quin alam quoquo modo deforment, altero tantò longiora quàm latiora, atrouirentia & splendentia supernè, infernè abest & splendor, & viroris intentio: coniugationes singulas intercedunt



alia foliola rotundata, Lenti aut Lupino ferè paria, ortu & positu perinde inæquali: rami in plures *pediculos* abeũt, atque hi rursum in alios numerosos, hirsutos, geniculo vno donatos, vnde cum parte reliqua pediculi cedunt facilè vel sua sponte *flores*: quorum singuli ex calyce viridanti quinquepartito, floribus Maluæ siluestris procerioris magnitudine pares, foris pallididuli & subhirsuti sunt, intus verò ex pallido purpurascunt, interdum albescunt, toti integri, cum quinque apicibus obtusis in ambitu, cæterùm à stilo viridante quem circumstant quinque fibræ croceæ, in vnumquemque apicem excurrit radius virescens: obseruaui quoque ex eadem regione suboriri folia quædam minora, flori concoloria, quæ multiplicem florem meditantis naturæ videri possent rudimenta: succedunt *poma* floribus numero paria, Castaneæ circiter magnitudine, sed forma orbiculata, atrouirentia, subhirsuta, in iis *semina* plurima, parua, plana, Solanis similia. *Radix* bulbosa, crassa, palmari longitudine & sesquipalmari, ac etiam multò minor, foris atrorubens, intus ex albedine pallens: vnus bulbus multos profert ramos, multásque emittit fibras, è quibus dependent bulbi multi, magni & parui, insipidi. Serpit & se propagat insigniter hæc planta.

Pape Peruanum. Openauk. Est, inquit Benzo, apud Peruanos radicis genus [*Pape* vocant] tuberum specie, exigui saporis. De eodem sic Thom. Henriotus, Openauk radices Virgineæ insulæ rotundæ, nodorum instar cohærentes, coctæ esui aptæ. Sic verò Pet. Cieca, Papas radices coctæ teneram, instar Castanearum elixarum, pulpam habentes, sole siccatæ *Chunno* vocatæ. **Chunno.**

In Colla, inquit H. Card. lib. 1. de rer. var. cap. 3. regione Peru, Papas est tuberis genus, quo pro pane vtuntur: gignitur in terra: ita natura prouidit sapienter vbique, siccantur vocantúrque Ciuno: factique quidam sunt diuites hâc sola merce, quam in prouinciam Potossi deducebant. Fert, vt dicunt, radix hæc herbam Argenome similem: forma est Castaneæ, sed suauior gustu, editúrque cocta, vel in farinam redacta. Inuenitur etiam apud alias gentes eiusdem Chersonesi, velut apud accolas prouinciæ Quiti.

Vnde primùm, inquit Clusius, qui huius historiam fusè & accuratè prosequitur, nacti sint Itali, ignorant: certum autem est, vel ex Hispanijs, vel ex America habuisse. Mirari autem subit, cùm tam vulgaris & frequens esset in quibusdam, vt aiunt, locis Italiæ, vt eius tuberibus cum veruecina carne coctis, non secus ac Rapis, & Pastinacæ radicibus vescerentur, imò etiam suibus in pabulum cederent, huius stirpis notitiam tam serò ad nos peruenisse: illud autem magis mirum, Patauinæ scholæ fuisse ignotam, ante quàm amicis, qui Patauij Medicæ arti operam dabant, Francofurto eius tubera mitterem. Nunc verò plerísque Germaniæ hortis satis vulgaris est planta facta, quandoquidem adeò fœcunda est. *Cæterùm*, dubium non est, quin sit ea planta, quam Petrus Cieça cap. 40. primæ partis Chronici sui sic describit. Locis Quito vicinis, præter Mayzum, habent incolæ stirpis genus, quo magna ex parte vitam sustentant, Papas videlicet, radices tuberibus ferè similes, nullo putamine, aut ossiculo tectas, quæ coctæ, teneram instar Castanearum elixarum habent pulpam: Sole siccatæ Chumo vocantur, & in vsum seruantur. Producit hic fructus stirpem Papaueri [condonanda est hæc comparatio militi] similem. Papas etiam mentionem faciunt August. Carate atque Gomara in sua generali Historia Indiarum. Quibus non valde absimiles videntur eæ radices, quas Virginienses *Openavvk* nominant. An verò Veteribus cognita fuerit hæc planta dubitat Clusius, nec multum abest quin credat esse Arachidnam Theophrasti, quæ cum hac perbellè conuenire ipsi videtur, præsertim radicis historiâ.

Locus & Tempus. Florere hanc Basileæ Iunio, scribit C. Bauhinus & sæpe ad Autumnum vsque & à primis pruinis offendi. Hanc ex insula Virginea primùm in Angliam, inde in Galliam, aliásque regiones delatam esse. Huius radices in Virginea Openauck dici: Acostæ verò in Hist. Indiæ, Papas: hinc Papas Indorum vel Hispanorum vocari, Italis *Tartuffoli*, quo nomine, & tubera nominare solẽt. Germanis *Grueblingbauem*, id est Tuberum arborem dici. **Openauck; Papas Ind.** Se anno 1590. huius plantæ iconem suis coloribus delineatam, à D. Scholzio Papas Hispanorum nomine accepisse, & à nemine descriptam inuenisse, ac adeò in phyt. sub Solano tuberoso esculento, figurâ additâ, descripsisse, eiusque iconem Clusio transmisisse. Solanum quidem se appellasse, propter formam aliquam foliorum, cum Malis aureis: florum, cum Malis insanis: fructuum, cum baccis Solani vulgaris: seminum, cum Solanis penè omnibus; denique propter totius plantæ odorem, quem cum Solanis communem habere ait. Pycnocomon Dioscoridis Cortusum censere, motum exemplari Dioscorid. manuscripto, cui similis figura adpicta. Et sanè notas florum ac radicũ Pycnocomi Dioscoridis, huic Solano conuenire: floris & seminis non item. Tandem relatum sibi ait apud Burgundos [qui ex ramis in terram reclinatis, terráque tectis propagabant, quò plura Tubera acquirerent] harum radicum vsum interdictum, vt quibus persuasum sit, earum esum lepram causare: & Artiscokos, Indicos vocari. *Hactenus ille.* In cuius pin. vocatur Solanum bacciferum 13. Pycnocomum Dioscoridis, Cortusi: & Papas Peruanorum, Eyst. Papas Acostæ lib. 3. cap. 20. & lib. 4. cap. 17. *Non autem* meretur hæc herba nomen *Grueblingbauem*, siue Tuberum arboris. Non enim caules profert arboris erectos, qui per se, se sustinere possint: sed in terram reclinantes, radicésque nouas, eam semel apprehensos, agentes: quotannis etiam pereunt caules. **C. Bauhin. lapsus varij.** An porrò hæc planta mereatur nomen Solani, ob odorem & aliquam similitudinem à fructu petitam, repugnantibus viribus & cæteris, iudicent alij. Nos huic eduli plantæ maluimus suum relinquere nomen. Non sunt

huic

huic folia Erucæ: nec radix nigra: neque sapor, neque vires denique cum Pycnocomo veterum conueniunt, vt patet ex ijs, quæ antè cap. 23. proposita sunt: Præterea planta illa, quam Burgundos Attiscolum Indicum vocare refert, à Pappa Americano, siue Solano eius tuberoso esculento, plurimùm differt.

Vires & vsus. Indi, Acosta referente, radicibus panis loco vtuntur quem *Chunno* vocant. Quin & aliud edulium eodem *Chunno* nomine nuncupatum admodum diu durans, ex eiusmodi radicibus, Sole siccatis, inque partes diffractis, conficiunt. Sed & viridem, vel coctam, vel assatam manducant. Ex alio autem Papas genere, in calidioribus fundis plantato, fercula, *Locro* appellata, parant. Sic in insula Virginea, apud quos in humidis & paludosis locis nascitur, radicibus in aqua aut aliter coctis vtuntur. Iis Castanearum, aut Pastinacæ in modum paratis, nonnulli vescuntur ad debiles vires firmandas. Nostrates, inquit Casp. Bauhinus, aliquando Tuberum modo sub cineribus assant, & cuticula ablata, cum Pipere comedunt: *Venerem excitat.* alij assatas & mundatas, in taleolas dissecant, & ius pingue cum Pipere affundunt & comedunt, ad Venerem excitandam, seménque augendum: alij & tabidis quoque vtiles esse volunt, quòd bonum alimentum præbeant, & nó minùs quàm Castaneæ & Pastinacæ alant, & flatulentæ sint. Clusius elixas, deinde epidermide veriùs, quá cute purgatas [facillimè enim cedit] & inter binas lances, Naporum, aut Raporum pinguiore vernecis iusculo maceratas degustabat, & sanè non minùs sapidas & palato gratas deprehendebat, ipsis Napis. Crudas vero, nimis asperas & flatulentas esse æstimat.

SOLANVM RACEMOSVM CERASOrum formâ C. Bauhini.

EX *radice* fibrosa *caules* exurgunt bicubitales, angulosi, aliquantulùm hirsuti, in multos ramos latè se spargentes diuisi, qui infirmi sunt, & nisi ridica sustineantur, in terram procumbunt, *Descriptio* succi pleni: ex caulis latere *pediculi*, tres, quatuórve vncias longi, hispidi, flores sustinentes, prodeunt. *Folia* habet in multas lacinias acutas, impari semper numero, Agrimoniæ foliorum instar diuisa, & per marginem incisa, alijs folijs minoribus interiectis, pallidè virentia, aspera, & grauem odorem spirantia. *Flores* plures, quorum singuli singulis pedicellis insident, luteoli, ex quinque folijs acutis compositi, à calice viridi quinquefolio sustentati, in quorum medio capitulum paruum rufescens, apicibus donatum: quibus *fructus* succedunt, quasi in racemo dispositi, Cerasorum forma & magnitudine, virides primùm, dein per maturitatem rubentes, in quibus, non secus quàm in Pomo amoris, copiosa humida medulla, & semen minutum albicans, & planum continetur.

Synonyma Solanum hoc bacciferum 14. [vt vocat in pin. vel vt in prod.] Solanum 2. siue racemosum Cerasorum forma: vel Cerasa amoris racemosa rubra, planta annua est, & singulis annis serenda. Aliquando tamen etiam ex deciduo semine renascitur.

NVX METHEL VETERIBVS.

NVx Methel [Ieuc Methel] ex authoritate Auicennæ Serapioni est fructus similis Nucivomicæ, & semen eius simile semini Mandragoræ [ita quoque legit Matthiol. & æ. Lugd. Sed Iahi Ebenalbaranich Arabs Citri simile dixit,] cortex asper: sapor eius delectabilis & vnctuosus. Virtus eius frigida in quarto gradu. Si detur ex ea in potu vnum Kirath cum vino inebriat fortiter: si dentur duo aurei occidit statim. Item: Nucis metellæ arbor, Vomicæ arbori non dissimilis fructum gerit Mandragoræ, oleosum, hirsuto cortice, sapore non iniucundo. Nucem Methel his ferè verbis describit Andreas Bellunensis. *Nux Methel Bellunensis.* Nux Methel ex sententia omnium Physicorum Syriorum & Ægyptiorum fuctus est cuiusdam plantæ magnitudine & folijs Melongenæ similis: vnde & à quibusdam Arabibus Berbengine nominatur, i.e. Melonginæ similis. *Berbengine.* Flos huic est albus, magnus oblongus. Fructus nux Methel nuncupatus, est veluti nux aspera, cortice spinoso, intus semina habens Pomi Mandragoræ seminibus similia, dulcia, pinguia.

Monachi in Mes. cens. 115. dist. 5. dicunt, Nucem Methel esse fructum spinosum plantæ cuiusdam, Solatrum spinosum vulgò vocatæ, aiúntque Nucem Mechil, siue Mochil, cum nuce Methel multùm conuenire. Sed tamen in rei veritate Nux Mochil aliud est à nuce Methel. Qua de re fusius H. n. l. 5.

Bellon. Obs. lib. 3. cap. 50. de variarum rerum experimentis apud Turcas, scribit eos singulare medicamentum inuenisse, cognomento *Tatoula*, quod illi, qui vigilijs torquetur, quiescetéque non valet, dimidij aspri pretio exibent, statímque somnum conciliant. Tatoula autem nihil aliud esse quàm nucem Methel Arabibus dictam, Græcis Solanum somniferum, quam spontè nascentem in planis Hiericuntis apud Helisæi fontem se reperisse scripto prodidit. Dispiciendum tamen proponit Clusius an Tatoula non sit Garciæ & Acostæ Datura, quæ Columnæ Solanum manicum.

Miratur verò Matthiolus quâ ratione ductus *Fuchs. not.* Fuchsius vltimo libello, vbi tantùm stirpium imagines in exiguam formam contraxit, dixerit, Nuces Metellas hispidos esse fructus peregrinæ illius plantæ, quam antea magno volumine Stramoniam vocauerat. Idem prorsus reclamare suspicatur Mauritanorum sententiæ, à quibus harum historiæ prodantur.

Idem demum tam officinas, quàm Medicorum vulgus, plerumque legitimas Vomicas Metellarum loco vsurpare, & contra Metellas nonnunquam Vomicarum vice supponere, magnóque errore inuicem confundere testatur. At de horum lapsu fusiùs alibi actum est.

Nux Methel, Rhasis testimonio lib. 3. cap. 30. facit stuporem, & quandoque perniciosa existit, inebriat, & nauseam ac vomitum infert. Item lib. 8. cap. 21. Narcotica est, sedat, opilat, facit euomere. Si ex ea drachma semis detur, inebriat fortiter: si multùm detur, occidit. His eadem sunt, quæ Auicenna habet. Stupefacit, inquit, cerebro noxia est, cordi aduersatur, carum adfert: drachmæ sexta pars sumpta inebriat, drachma vna eâdem die interimit. *Ea nuces,* inquit Matthiolus, cùm intus in corpus sumuntur, vertigines, & faciei ruborem inducunt: quin & oculorum caligines, temulentiam, inexpugnabilémque somnum: postremò oboritur frigidus sudor, vicinæ mortis præsagium. Auxiliatur noxæ excitatus pluries vomitus aquâ calidâ & oleo: post vomitum datur conuenientissimè butyrum & vinum meracum copiosum, additis Pipere, Pyre-

thro, Lauri baccis, Cinnamomo & Castoreo. Prodest & ægrotantium extremas corporis partes, nempe manus & pedes calidâ aquâ fouere, ac inde frictionibus rudi linteamine factis calorem in vniuersum corpus excitare: cum eo tamen, aut subinde balanino, aut costino oleo perunguntur affecti. Præstat idem exercitatio, proin te ad celerem gressum cogendi sunt, vt vniuersum corpus incalescat: & pinguibus postea cibis dulciq; vino refocillandi. In summa & his ea maximè conueniet curatio, quam epotum requirit opium.

STRAMONIA MVLTIS DICTA, SIVE Pomum spinosum.

Descriptio



CVbito altior est, radice multifidâ, lignescente: folia per caulem longis appensa pediculis, ampla, sinuata, grauē odorem spirātia: flores, ex longa tuba calathoides, ampli, candidi, margine angulofo, quina in medio stamina cum longis apicibus occultāt: quorum vnumquemque sequitur pomū orbiculatum, iuglādis putamine callofo adhuc inuolutæ magnitudine, bullatum, breuibúsque spinis asperatum, semine compresso, cinereo.

Gesn. lapsus

Gesn. hort. Nux methel Auicennæ, Stramonia Fuchsij, Turcarū Tatoula Bellonij, vna eadémque est planta. Ego autem Tatoulam Bellonij, à Stramonia Fuchsij separo. Ibidem pomum verius quam nucem dici autumat. Mandragoris adhæc annumerandam æstimat, aut potius sui generis plantam, quàm Solanis inserendam. Vel denique Lycopersicum Galeni, vel Dioscoridis Phriceum constituerit. Sed quænam ex tot, tamque varijs opinionibus, firma & postrema Gesneri assertio? Tragus propter formam Strichnis & Mandragoris accensendam indicauit.

Gesn. taxat.



Synonyma.

Stramonia siue Pomum spinosum dicitur Trago: Stramonia Fuchsio. Dodon. Gesner. hort. Lac. Hist. Lugd. pag. 629. Camer. & Eyst. Stramonium peregrinum Lobel. in Adu. obs. p. 136. [vbi & Lycopersicum Galeni] Icon. Plant. pag. 264. & Gerardo: Nux methella Matth. Cast. Acost. & Camer. Nux methel Auicennæ Anguillar. Fusch. Gesner. hort. Nux methella officinarum, Columnæ: Hyoscyamus Peruuianus Cordo hist. Tatula Turcarum, Guiland. pap. Hippomanes Crateuæ Anguil. Gesner. hort. Paracoccalon siue Barycoccalon [παρακόκκαλον, aut potiùs βαρυκόκκαλον] Græcis recentioribus: Melospinus Venetis: Malus Peruuiana Gall. Malum spinosum, Cæs. Corona regia quibusdam: Solanum Romanum Monspeliensibus & Guilandino: Solani pomiferi 3. genus Cæs. & Gesn hort. Solanum spinosum, Tab. Solanum 12. C.Bauh phyt. Eid pin. Solanum pomiferum fructu spinoso 4. siue pomo spinoso rotundo, longo flore.

Nomina, linguæ.

German. Stechæpffell. Kauechæpffel: Belg. de renæpffel: Gallis Pomme de Peru, & Pomme espineuse: accepimus nos Trojâ Gallorum nomine Nesples d'Inde, h. e. Mespili Indicæ. Italis Pomo spinoso.

Locus & Tempus

Colitur in hortis Germaniæ florens Augusto, in quibus fructum difficulter maturat.

Fructus ipse ac etiam tota planta soporiferæ sunt facultatis. Olinus refert Thraces nucibus Methellis vesci, vti Nucibus Iuglandibus Italos. Stramoniæ fructu pharmacopæi & Physici Orientales ad stupefaciendum vtuntur, & Nucem Methel esse affirmant, quia facultatibus ijs præditus sit, quas Nuci Methel Auicenna tribuit. Eosdem autem effectus habere, experientia comprobari testatur Dalechampius.

STRAMONIA ALTERA MAIOR, siue Tatura quibusdam.

Descriptio

EST vbi humanā proceritatem adæquet, ramis patulis brachiata, caule crasso, subhirsuto: folia sinuata, Pedis anserini vocati foliorum instar, sed quadruplò, aut quintuplò maiora, abominādo putore nares ferientia: flores ad ramorum diuaricationem ferè, niueo candore insignes, ex tubulo pentagono in longum latúmque calathum explicantur continuum, per marginem quinos mucrones totidem fissuris interceptos habentes, odore grato, sed obscuriore: in quibus latent stamina quinque longa herbida, apicibus ochris linea alba variatis, vnaque pistillum albidum. Cæterùm floris tubulum obuoluit laxior folliculus

culus quinquàgularis, totidem laciniis, totidémque mucronibus alternis, per oram diuisus: *fructus* succedit altero tantò maior quàm Iuglans suo callo adhuc obducta, oblongus turbinatus, pungentibus spinis vndique senticosus, qui per maturitatem in quatuor partes æquales dehiscit, dissepimento membranarum, quibus *semen* copiosum adhæret nigrum, compressum, medulla alba, sapore ingrato, distinctas: *radix* subest ex numerosis fibris compacta.

Datura Garcia. Notæ, quas Garcias Daturæ adscribit, non videntur omnes conuenire Stramoniæ nostræ secundæ, quamuis nomen & vires quadrent. Foliis enim esse ait amplis, Acanthi similibus, minoribus tamen, in ambitu crenatis, gustu nonnihil amaro, odoréque Raphani folia aliquantùm æmulantibus: floribus in extremis ramis colore Rosmarini, magna ex parte rotundis. Sed inepta prorsus floris est comparatio, quandoquidem, monente Clusio, tum formâ, tum colore, cum Stramoniæ aut Conuolulli flore veriùs conferendus fuisset.

Acosta tria Daturæ genera describit: addens, Nomen huic plantæ esse in Malabar *Vnmata caya*, in Canara *Datiro*, apud Arabes *Marana*, apud Lusitanos *Datura* & *la Burladora*, h.e. faceta: apud Persas & Turcos, *Tatula*. Cæterùm, Stramoniæ fructum per omnia fructui Daturæ similem pronunciat: atque si nonnihil ab eo differat, id locorum varietati adscribendum censet. Primum verò Acostæ Daturæ genus Clusio idem

Tatula Turcarum. videtur esse et cum Turcorum, qui Constantinopoli viuunt, Tatula, cuius vsus illis perquàm familiaris est. Nec abludere ab eo videtur Stramonia maior quam Columna Solanum manicum Dioscoridis censet. Figura autem Clusij apud Acostam minùs concinna satis respondet nostræ Stramoniæ alteri.

Synonyma Bellon. Obs. *Tatoula* Turcarum, Nux methel Arabum, Solanum pomiferum Græcorum. Camer. hort. *Tatula*, Stramoniæ species maxima: Eid. apud Matth. germ. Stramoniæ alterum genus, Stramonia altera. *Ige kolben, stachelnus:* Eid. Epit. Nuci metellæ congener planta.

C. Bauh. phyt. Solanum 13. siue fœtidum pomo spinoso, semine nigro: *Eid. pin.* Solanum pomiferum fructu spinoso 5. siue fœtidum pomo spinoso oblongo: Datura Acostæ Hist. Lugd. p. 1912. & 1913. Datura 2. Cust. Datura Turcarum Eyst. Stramonium spinosum Gerardi: *Dutroa* Linschotani, & *Datula* Paludani: variat floris colore: est enim vulgari flos albus magnus: alterius flauus: tertij, Hyoscyami floribus accedit: quare tres Daturæ Costæo, inquit C. Bauhinus: nunc & purpureo habetur. *Nos Dutroam* Linschottani & Datulam Paludani, diuersas à nostra Stramonia altera existimamus.

Locus Nascitur in Malauar, authore Garciâ, vmbrosis locis, & secundum aquas, addit Acosta. In hortis verò Germaniæ semina supra fimum iata sæpè plantas producunt, florem proferunt, & semina maturant.

Vires & vsus De viribus, vsu, & noxis dicendum restat. Inijcitur, inquit Garcias, à furibus Daturæ flos aut eius semen, in cibos eorum quos deprædari volunt: mente enim quodammodò alienantur, quotquot id medicamentum sumunt, & in risum soluuntur, magnâ cum libertate sinentes quod lubitum est deprædari. Durat verò hæc mentis alienatio viginti quatuor horarum spatio. Prima cura esto, vomitum cientia exhibere, vt quidquid in stomacho remansit, vnà cum cibo reiiciatur: deinde euacuare & diuertere oportet validis clysteribus, & forti brachiorum crurúmque paulò supra pedem confricatione, ac fortibus ligaturis: interdum etiam cucurbitulas applicare: quæ si non iuuent, venam secare in maiore pedis articulo necesse est. Horum remediorum vsu, nemo ex meis vnquam periclitatus est: sed omnes Dei beneficio intra viginti quatuor horarum spatium curati. Propinatur à plerisque hoc medicamentum ridendi & relaxandi animi gratia, cùm vident eos, qui id sumpserunt, velut amentes & ebrios ferri. Attamen non placet hic ludus: & ne in seruis quidem experiri velim. *Hactenus Garcias.* Quibus subdere lubet, quæ Acosta habet. Literati plerique, inquit, atque etiam maxima pars medicorum in Malabar & Canara: itémque apud Arabes, Persas, Turcos, & Lusitanos, legitimâ Nucem Methel esse censent, frigidámque ex cessu tertio, & siccam secundi fine constituunt. Primo autem Daturæ genere frequentiùs vtuntur: eius enim adeò vulgaris est vsus, vt paucæ sint meretrices: quæ inter sua [illegible] illud non recondant. Mala ergo inualuit consuetudo hæc apud impudicas solùm mulieres, vt huius seminis in puluerem triti dimidiam drachmam ex vino, aut alia, quæ magis arridet, materiâ, præbeant: miser qui eum hausit, diu velut mente alienatus remanet, aut ridens, aut eiulans, aut dormiens, plerumque etiam alteri colloquens & respondens, vt interdum etiam sanâ mente esse credas, tametsi mentis non sit compos, neque eum agnoscat, cum quo sermones confert, & colloquij habiti planè sit immemor, postquam ad se redit. Sunt verò nonnullæ adeò exercitatæ in hoc medicamento exhibendo, idque sic temperare norunt, vt ad certas, eásque quot velint horas, quibus id propinant: mentem adimant. Nonnulli tamen ad prouocandas vrinas ex medicis Gentilibus vtuntur. Porrò si ad eorum, qui hoc semen hauserunt, curam euocentur Hispani Medici, medicamenta vomitum cientia exhibent, vt, quicquid in ventriculo hæsit, reiiciant: acres deinde clysteres iniiciunt ad euacuandum, fortésque ligaturas adhibent ad diuertendum, tum etiam cucurbitulas adponunt, & venam secant. Gentiles verò Medici & Christiani indigenæ cùm à cucurbitulis & venæ sectione abhorreant, nihil aliud quàm vomitum prouocant, fortésque ligaturas & fricationes adhibent: quæ si non sufficiant, balnea ex aqua calida præscribunt ad eliciendum sudorem: Cæterùm, neutro ex postremis duobus vtuntur, nisi ad necem inferendam. Nihilominus tamē Brachmenes Medici ex secundi semine [quod floribus est flauis] catapotia faciunt, granorum piperis magnitudine, magnæ sanè efficaciæ ad sistenda alui profluuia, quibus adiuncta sit febris ardens: atque etiam in dysenteriis &c.

Temper. Acosta. *Datura* [illegible] *Cura.* *Datura postrema duo genera.*

DVRTOA HERBA SOPORIFERA.

Considerandum an cum Datura iam descripta eadem sit Durtoa, de qua Io. Linschotanus sequentia scribit. Est herba in Indiæ Goa, *Durtoa.* quam Durtoan vocant, efficaci virtute ad somnum & stolidum saporem, si potui aut cibo inspergatur. Hanc maritis præbent, iisque turpi somno victis, ac velut mente captis, adulterino coitu illudunt. Inde veneficia, paratæ in maritorum caput insidiæ, & noxia potio, morte in certum tempus, euentu nunquam irrito, destinata & prorogata. Et pariter fœminis ab irato marito certa mors.

HYOSCYAMI VETERVM IN genere.

Cap. III.

Hyoſcyami tria gener. Dioſc.

HYoſcyamus frutex eſt *caules* emittens craſſos [Orib. παχεῖς,] *folia* lata, oblonga, diuiſa, nigra, hirſuta: ſecundum verò caulem, continuâ quaſi ſerie *flores* prodeunt [Matthiolus non floribus ſed ſiliquis iſta tribui debere cenſuit, Sarracen.] tanquam Punicorum cytini, ſcutulis ſepti ſeminum plenis, ceu Papaueris. *Tria* porrò ſunt eius genera, inquit Dioſcorides. Vnum ſiquidem flores profert penè purpureos. folia Smilaci proxima, ſemen nigrum, ac cytinos prædutos & ſpinoſos: alterum flores habet luteos, folia & ſiliquas molliores, teneriorésue, & ſemen ſubflauum, Irionis ſemini ſimile. Ambo inſaniam gignunt & ſoporem, ideóq; vix in communem vſum recipiuntur. Tertium genus quod mitiſſimum eſt, adeóque ad medicinam vtile, pingue, molle, & lanuginoſum: candidis floribus ac ſemine. In maritimis ruderibúſque naſcitur. Albo itaque vtendum eſt: idque ſi deſit, flauum vſurpari oportet. Nigrum enim ceu deterrimum improbatur. *Recenti ſemine*, foliis caulibúſque tuſis ſuccus exprimitur, qui ad Solem exſiccatur. Vſus autem eius ad annum duntaxat prorogatur quia facilè corruptionem ſentit. Elicitur & ſeparatim ſuccus ex ſemine, cùm inaruit affusâ aquâ calidâ, tuſo & expreſſo. Eſt autem expreſſus eiuſmodi ſuccus liquore ſeu lacteo eiuſdem ſucco præſtantior, leniendiſque doloribus accommodatior. Ipſa verò herba virens contuſa, farinâ è Tritico trimeſtri additâ in paſtillos conformatur & reconditur [in antiquo Lac. codice legit σησαμίνῳ ἀλεύρῳ ἢ πηγάνῳ, hoc eſt, farinâ Seſami aut Rutæ. Ald. σιτηρῷ ἀλεύρῳ ἢ πυλάρῳ.] Porrò prius ſucci genus, & quod è ſicco ſemine exprimitur, collyriis ſenſum doloris auferentibus vtiliter inſeruntur: proſunt & contra acres calidáſque fluxiones, aurium dolores ac vuluæ mala. Cum farina autem polentáue, contra oculorum, pedum cæteroúmque partium inflammationes. Semen eadem præſtat, præterecáque ad tuſſim, deſtillationem, oculorum fluxiones, doloréſque efficax, itémque contra fluorem muliebrem, aliáſq; ſanguinis eruptiones, ſi oboli pondere cum Papaueris ſemine ex aqua mulſa bibatur. Subuenit & podagris, teſtibus inflammatis, mammiſque à partu tumentibus. Denique & aliis cataplaſmatis, quæ doloribus leuamentum præſtant, vtiliter admiſcetur. Quin & in paſtillos digeſta folia medicamentis omnibus dolores ſedantibus tum per ſe, tum etiam ex polenta vtiliter imponuntur. At recentia folia [additur in vet. cod. Lac. λεῖα.] illita, ad mitigandos omnis generis dolores apprimè ſunt idonea. Eadem terna, quaternáve cum vino pota, febres epialas depellunt. Cocta verò olerum inſtar, & tryblij menſura eſitata, mediocrem mentis alienationem faciunt. Aiunt & idem efficere ſi cui in colo vlcus ſentienti infundantur. Cæterùm, radice in aceto decocta dentes vtiliter in dolore colluuntur.

Vires & vſus

Variat Dioſcorid. lect.

Plinio genera quatuor.

Plinius quatuor recenſet genera, cùm tamen ſecundum & quartum vnum & idem ſint.

Breuiùs ſic Galenus. Hyoſcyamus, cui ſemen atrum eſt, inſaniam ac ſoporem affert: is cui ſemen mediocriter flauum eſt, propinquam ei facultatem habet. Verùm vtrique fugienda ſunt, vt inutiles ac deleterij. Cæterùm cuius ſemen ac flos candidus eſt, ad ſanationes maximè idoneus eſt, ex tertio quodammodò ordine refrigerantium.

Hyoſcyami epoti remedia.

Hyoſcyami epoti noxæ auxiliatur aqua mulſa copioſè data, auctore Dioſcoride, lácq; præſertim aſininum: ſi deſit, caprillum, vel bubulcũ, vel aridarum Ficuum decoctum. Faciunt etiam ad id nuclei pinei: item Viticæ ſemen, Intubus erraticus, Sinapi, Naſturtium, Cæpa, Allium, & hæc ſingula cum vino ſumuntur. Poſtea ſinendi quieſcere, quemadmodum qui vinum biberunt, vt excoquant. Et hiſce Dioſcorides remediis contra Hyoſcyami maleficium pugnauit. Et ſanè non malè damnauerit aliquis naturam eius, quæ adeò humanæ menti noxia, vt in furorem homines agat. Nec minùs etiam demirabitur Gentes, quæ non tam multis, quàm honeſtis appellationibus optabilem ignaris & admirabilem fecerint plantam, quæ alioquin ob eam, quam diximus cauſam, ableganda vltra Sauromatas fuerat & glacialem Oceanum, vt alſioſis locis illic naſcens ante maturum ſemen tota aliquando periret. Niſi fortè contra vota hæc noſtra intulerit aliquis tam grauem noxam non minore bono eam rependere, optandámque in orbe noſtro plantam quæ tam efficaci remedio contra dolores, quibus tota aliquando perit vita, hominis pugnet. Nec quia menti noceat, ideò doloris linimenta, quæ habet, abiicienda. Parum ſapienter enim quia malo coniunctum ſit bonum ex altero vtrumque damnatur: cùm liceat diſtractis in diuerſa contrariis malo prudenter carere, bono autem fœliciter vti. Quod in Apollinari herba præſertim faciendum, quam Græci ὑοσκύαμον, hoc eſt, *ſuum Fabam* ideò vocauerunt, quòd, vt in hiſtoria ſua retulit Helianus, paſtu eius conuellantur ſues præſenti mortis periculo, niſi copioſâ aquâ ſtatim ſe foris & intus proluerint. Alij, vt fit in deſiderio ſalutis, & ſuauiore voluptatis ſenſu, cum ope eius à dolore ad indolentiam quaſi diuino quodam beneficio reſtituti fuiſſent, non ampliùs Hyoſcyamum à ſuibus, ſed à Ioue *Dyoſcyamum* [Διοσκύαμον, hoc eſt, Iouis Fabam] dixerunt. Eâdem nominis ratione illi etiam vſi ſunt, qui à medicinæ auctore Deo Apolline, *Apollinarem* herbam, & *Pythonion* eam dixerunt. Fuerunt contrà qui à maleficio eius *Emmanes*, id eſt, furialem, ſiue in inſaniam & furorem agentem eam nominauerint, & à ſomno, quem facit, Hypnoticon: Superſtitiosè ac incertis nominibus, alij Adamantem, alij Adamenion, alij Atomon, alij Auginon, alij Dithyrambion dixerunt. Pythagoras & Oſthanes Xyleona vocauerunt: Zoroaſtres Typhonion: Latini Inſanam ac Dentariam [pro his fortè malè Trag. Inananoentariam:] Prophetæ Rhapónticum: Ægyptij Saphthor Hetruſci Fabulum vel Fabuloniam: Galli Belinuntiam: Daci Dieliam. Apuleio dicitur etiam Augmon, Alterculum, Calicularis, Ginga, Rementa, & Ligea. Serapioni Bengi, Auerrhi Elſoc. Matthæus Syluaticus plura alia Hyoſcyamo nomina tribuit, videlicet, Dens caballinus, equinus, Caſſilago. Papienſes Medicos Hyoſcyamum, Herbam pinulam, alióſque Canicularem & Caniculatam appellare teſtis eſt Iacobus Manlius. Sunt denique & inter Latinos ſcriptores, qui Symphoniacam herbam etiam vocauerint, Palladius ſcilicet Octobri menſe cap. 12. & Apuleius, inquit Marcellus, nonnullarum illarum nomenclationum rationem reddens.

Antiq. ſcriptores taxantur.

Symphon.

Cæterùm

Cæterùm, Hyoſcyami nomenclaturam ſequentes obtinuêre ſtirpes. Hyoſcyamus vulgaris niger. Hyoſcyamus albus. Hyoſcyamus albus minor. Hyoſcyamus luteus, Creticus. Hyoſcyamus Creticus alter. Hyoſcyamus peculiaris flore purpuraſcente. Hyoſcyamus Syriacus. Hyoſcyamus tertius vel potiùs quartus Matthioli in Epit. Camerarij, Hyoſcyamus luteus Dodonæi, nobis Priapæa, quibuſdam Nicotiana minor dictus. Hyoſcyami tertia ſpecies Geſneri, Nicotiana maior dicta. Hyoſciamus peregrinus Dalechampij, nobis Solani ſpecies ex Apennino dictus, de quo antè.

HYOSCYAMVS VVLGARIS.



Deſcriptio. Odore fœtido facilè ſe prodit Hyoſcyamus niger, nuſquã non obuius, *foliis* Spinæ albæ, mollibus, lanuginoſis, incanis, copioſis, nullo ordine in *caulibus*, craſſis, denſâ lanugine obſitis: *flores* conſertim enaſcuntur, calathi effigie, lutei, purpuraſcentium linearum crebro diſcurſu verſicolores, foris hirſuti, purpurantibus apicib., ſtilóque medium occupantibus: *pericarpium* hirſutum, oblongum, ſeſſile, Glandis inſtar, quinquepartitis acuminatis oris ſemen puſillum nigrum continet. *Radix* ſubeſt craſſa, rugoſa, foris lutea, intus alba, minùs olida quam folia.

Synon. Hyoſcyamus Brunfelſ. Turn. Matthiol. Lac. H Lugd. pag. 716. & Cæſalpino: Hyoſcyamus vulgaris Geſn. hort. Thal. & Eyſt. Hyoſcyamus 1. Anguill. & Tabern. Secundus Galeni Trago: Hyoſcyamus niger Dodon. Lon. Lobel. in Adu. Obſ. pag. 119. Icon. Plant. p. 268. Caſt. & Gerardo: Hyoſcyamus flauus Fuchſio: Hyoſc. niger vulgaris Cluſ. hiſt. Alterçus Fallop. de vuln. Apollinaris Cordo in Dioſcor.

C. Bauhin. phyt. & pin. Hyoſcyamus 1. ſiue vulgaris vel niger foliis modò integris, modò diſſectis, modò in ambitu in lacinias acutas diuiſis.


Varietas.

Nom. lingu. Germ. *Bilſenſamen*, *Billenkraut*, *Schlafkraut*, *Dolikraut*, *Seewbonen*. & *Teuffels Augen*: Item *Zigeunerkraut*: & *Rindswurtzel*: Belg. *Bilſen* & *Bilſencruyt*: Gallis *de la Hanebane*, quibuſdam *de l'herbe aux tignes*: nonnullis *Iuſquiame* & *Endormie*. Italis *Iuſquiam*: Hiſpan. *Velenho*, *Velenno* & *Meimendro*: Angl. *Herbayne*: Vng *Belend*, quæ vox Hiſpanicæ valdè affinis.

Locus & Tempus. Hyoſcyamorum familiariſſimus calidis & frigidis campeſtribus vbiuis Europæorum niger: floribus menſe Auguſto ſeminum pixidulæ ſuccedunt, Lobelio. Secus vias vbique ferè gignitur in ſabuloſis, & locis haud cultis.

Hyoſcyamus omnis refrigerat, ſoporifer eſt, & dolores ſedat: aduerſus acres calidáſque defluxiones oculorum, aliarúmque partium prodeſt: ſanguinis eruptiones & muliebria profluuia compeſcit, & ad teſtium aliarúmq; partium inflammationes adhibetur. Pictones ac Andegauenſes aduerſus pruriginem commendant, indéque vernaculo ſermone *l'herbe aux tignes* vocant: ſolent enim illarum prouinciarum ruſtici iſtam plantam, iam maturam & ſemine onuſtam, in camino ſuſpendere, deinde Hieme cum illis manus frigore tument, citinos eius carbonibus inſpergere, fumúmque exhalantem manibus excipere: iſto enim vapore non modò tollitur manuum tumor, ſed etiam prurigo illa moleſta, frigore contracta: Cluſium docuit Ioſephus Scaliger. Nobis indicatum per nobilem fœminam Alſaticam vapore ſemine Hyoſcyamo excitato in ſtuphis torporem & ſoporem in luci lauantibus: idem accidere gallinis ex eius ſuffimigio in gallinario. Si per tria quartanæ paroxiſmorum principia ſingulis vicibus ʒi. (ʒi. Fel. Plat.) ſeminum Hyoſcyami optimè triti cum vino generoſo detur, ægrum ſine dubio liberari promittit Timot. Roſilinus. Ex eodem Oleum ad arthritidem conficiens: neutrum autem probamus. De Hyoſcyami præparatione ad Laudanum vide Quercetani Pharmaciam reſtitutam. Vires

HYOCYAMVS ALBVS.



Deſcriptio. Hyoſcyamus albus, non tantùm flore alterius pari albo eſt, ſed & alabaſtris ſtriatis multò candidioribus magí que hirſutis, vaſculũ obuoluentibus ſemine albido refertum: adde *folia* hirſutiora, albiora, quæ tamen Nigri foliis magnitudine cedunt, laciniata: *caulis* quoq; eâdem illâ denſiore lanugine eſt obſitus, quem vt celeri ortu, eodem quo ſatus eſt anno protrudit, florémque & ſemen perficit, ita perennitate vincitur, vt qui non niſi ſemeſtris ſit vitæ. In noſtra emptitia imagine flores potiſſimùm diſplicent. Icon.

Synonyma. Hyoſcyamus candidus Trago [qui ieiunè deſcribit] & Dod. gall. Hyoſcyamus albus Matthiol. Dod. lat. Geſn hort. Turn. Lac. Lob. Obſ. p. 139. Ic. Plant. p. 269. Lon. Caſt. Hiſtor. Lugd. pag. 717. Camer. Ger. & Eyſt. Hyoſcyamus albus mitior, hirſutior in Adu. Hyoſcyamus 2. Tabern. Hyoſcyami alterum genus in maritimis Cæſalp. Hyoſcyamus albus admodum à communi figura differens, Alpino. Apollinaris 3. Cordo in Dioſcor. Hyoſcyamus 2. ſiue albus maior, vel 3. Dioſc. & 4. Plinij.

Locus. In Norbonæ ad Aurantiam ſiue Auraicum & inferiùs, eis, transque Rhodani oſtia, variis ſa-

torum & vetustorum secus vias marginibus sponte adolescit. Belgio, Angliæ & Franciæ in hortis seritur & moritur quotannis. Cayri prope pyrades nascitur.

Vires & vsus

Hyoscyami albi tusa planta fictili vasi inditur, cui subtus foramina sunt facta, cui alterum vas apponitur, & in terram omnia reconduntur tam diu donec liquor extillet. In doloribus dentium & aliis topici loco non contemnendum remedium, si teste Cam. à perito Medico adhibeatur. Sic molis effractum semen, & pressum, oleum reddit ad idem vtile. Aliter sic præparatur. Semen Hyoscyami album siccum ac recens accipitur, & contusum cum aqua calida, velut de amygdalino dicitur, subigitur. Et dum insolatur, partes ipsius quæ sub manu resiccantur, ad totam massam ammiscentur, & idem hoc donec nigrescat, ac grauiter oleat, repetitur. Dein excolatum & expressum reponitur. Facit ad aurium dolores, & in pessos ammiscetur, vt quod molliendi vim habeat. Hyosciami albi mitior & tutior multò vsus. In Cayro non secus quam Stramonio vtũtur.

Dolor Dentium.

HYOSCYAMVS ALBVS MINOR.



Synon.

LOb. Ic. Plãt. tom. 2. p. 261. Hyoscyamus albus minor. Teutonicè p. 296. descript. C. Bauh. phyt. & pin. Hyoscyamus 5. siue albus minor. Anguill. Hyosc. alter. Clus. h. Hyoscyamus, Hyosc. alb. vulgaris siue tertius, frequens & spontaneus in calidiorib. regionibus: at in frigidiorib., non nisi in eorum hortis, qui re herbaria delectãtur, conspicuus, candidiorib. mollioribusq; Nigro foliis, nec ita laciniatis, sed potius quodammodò sinuosis, breuiorib. satis crassis, longiore pediculo fultis: floribus albis, minoribus: calicibus læuioribus.

Locus

Hyoscyamus Creticus luteus minor.



Descriptio

FOlio est ferè Xanthij, minore, circũscriptione penè rotunda, laciniato, & veluti circumroso, hirsuto, pediculo vnciali: *caulis* cubitalem & sesquicubitalem assequitur proceritatem, ramosus, albido villo obductus: *flores* vncialib. hærent pediculis, è longo; hirsuto, striato, calyce prosilientes, lutei, fundo purpurascente: *semen* minimum, rubescens.

Clusio Hyoscyamus albus Creticus, siue quartus. C. Bauh. pin. Hyosc. 4. siue Creticus luteus minor.

Ex semine Stutgardiam per Casabonam Hyoscyami lutei Candiæ nomine misso, Montbelgardi floruit mense Iunio & adhuc Augusto. Locus & Tempus

Hyoscyamum Creticum luteum alium etiam tradit & describit Clusius, qui ipsi maior inscribitur: C. Bauhin. verò pin. Hyoscyamus 5. siue Creticus luteus maior: pro quinto in phyt. prod. & Matthiolo descriptus & picto.

HYOSCYAMVS PECVLIARIS FLORE purpurascente.



HYoscyamus peculiaris, vetusto quodam semine subalbido, siue cinereo, Came. hort. natus, flore per initia pallidi coloris, elegantioris tamen, quam qui in vulgari habetur, postea purpurascente & incuruo, non æqualiter patulo, vt reliquorum, sed altera parte aliquantulùm, repando: *foliis* alterius Hyosc. [Priapeæ.] sed lætiùs virentibus & multò minoribus. Planta vltra cubitum non assurgit. Conuenit autem cum Beze à D. Paludano ex Syria delato, à quo sola foliorum latitudine discrepat. Descriptio

A. C. Bauh. in pin. sub Hyoscyamo sexto comprehenditur.

HYOSCYAMVS SYRIACVS.



BEze planta rara à Paludano ex Syria delata prorsum cum præcedente conuenit, solâ foliorum latitudine discrepans. Dicitur & *Beze*: Germ. *Syrischer Bilsen*: Gall. *Hanebane de Syrie*. Cæterùm, Camerario authore, ipsa plãta plerumque huius iconis quantitatem quinquies in se con- Descriptio

ſe continere deprehenditur. Deſcribitur à Cluſio in pann. p. 510. Hyoſcyami peregrini rubello flore: & in poſt. hiſt. Hyoſcyami Ægyptij ſiue 2. flore rubello intitulatione.

Is fortè eſt, cuius Bellonius cap. 75. & 88. lib. 2. Obſ. meminit, & in Ægypto frequentem eſſe aſſerit: quem etiam apud Halepum ſe obſeruaſſe ſcribit Rauvvolfius lib. 1. cap. 9. ſui Hodæporici.

C. Bauh. not. C. Bauhin. pin. Hyoſcyamus 6. ſiue rubello flore: Hyoſcyamus peregrinus rubello flore Cluſ. pann. Hyoſcyamus Syriacus Camerarij. Cur quæſo ſeparat Hyoſcyamum Ægyptiacum Cluſij h. ab eiuſdem Hyoſcyamo peregrino in pann. Nunquid vtriuſque eadem deſcriptio? Cur, inquam, in pin. ſeptimum facit & cauliculis ſpinoſiſſimis eſſe ait. Cluſius equidem in Hyoſc. Ægyptio ſpinarum non meminit. Hac de re igitur indagandum erit.

NICOTIANA MAIOR, SIVE Tabacum maius.

Cap. IV.



Deſcriptio. HAud ita ludũ noſtro cœlo ſolóque aſſueuit Nicotiana ſiue Petum Indorũ, planta nobis æſtiua, *caule* tres aut quinque, vel plures cubitos alto, pollice craſſiore, tereti, hirſuto, copioſâ medullâ albicante pleno: huic *folia* ampla, Helenio vel Hippolapatho maiora, nullo pediculo, latis appendicib. cauli adnata, hirſuta modicè in acumen deſinentia, à medio neruo longitudinem percurrente tranſuerſis, nonnihilque ſinuatis productis venis, craſſis, alternatim diſpoſitis, ſapore acido & feruido, ſed euanido: maſticata & contrita, colore luteo inficientia: color tum cauli, tum folijs ex herbido in luteum palleſcens, vtriſque ad tactum glutinoſis: caulis faſtigium in ſurculos aliquot diducitur, ad quorum diuaricationes foliola longiuſcula, quorum ſingulis *flos* inſidet tres circiter vncias longus, tubulo hirſuto herbæque concolori, paullatim laxiore reddito, tandémque in cala hum explicato purpuraſcentem, indiuiſum, cuius margines tamen in angulos quinque acuuntur: flore continentur cum piſtillo *ſtamina*, quorum apices cinerula aſperſi ſunt griſea: floris autem imum obuallat vtriculus in quinque lacinias diuiſus: *ſemen* copioſum, minutum, ruſeſcens, minus quàm in Priapæa, vaſculis clauditur conicis, Auellanæ vulgaris oblongæ minoribus. *Radix* alba, fibroſa admodum, inſigni acrimonia eſt prædita. Tota planta odorem habet ſatis grauem.

Nicotiana [à Legati nomine] Lon. & Hiſt. Synonyma. Lugd. p. 1895. Nicotiana maior Tabern. Nicotiana 1. ſiue maior latifolia C. Bauhin. phyt. & pin. Tubac & Tubacka part. 5. Ind. or. & part. 6. & 8. Tabacum, Tabaco & Tabacca part. 8. & 9. Ind. Occid. Tabacum [nomine ab Hiſpanis impoſito, ab inſula, in qua abundat] Monardi: Tabacum latifolium Cam. Eyſt. Petum Theueto [cui & Herba memoriam tollens] Camer. ad Matthiol. germ. Petum latifolium Cluſ. ad Monardem: Sana ſancta Indorum, Lob. in Adu. Obſ. pag. 316. Ic. Plant. p. 589. & Gerardo: Herba ſancta Cluſ. ad Mon. Herba ſanctæ crucis fœmina, Caſtori: Herba reginæ, Cluſ. ad Monard. & Camer. hort. Herba panacea, Ægid. Eueratto: Herba Legati, Portugalenſibus: Vulneraria Indica Camer. hort. Pontiana Geſn. ad Aret. Hyoſcyamus Peruuianus Dod. Camer. ad Matthiol. & Cluſ. hiſt. Eid. ad Monard. Hyoſcyamus niger: Hioſcyami tertia ſpecies Geſn. hort. Tornabona [quia à Tornabonio miſſa] Cæſalp. *Perebecenuc*, Ouiedo: *Pecielt*, Indis: *Vppóvvoc*, Virgineæ indigenis: Arbuſtum, cuius folia exſiccant, & quorum accenſorum fumo inebriantur, Benzoni lib. 1. cap. 13.

Cæterùm, Galli, quòd Ioannes Nicotius regius aliquando in Luſitaniam Orator, eius ſemen primus ad Reginam Regis Galliæ matrem detulerit, illiúſque facultates docuerit, Nicotianam & Herbam Reginæ nuncuparunt. Alij verò Herbam ſanctam ob admirandas eius virtutes. Alij Bugloſſum antarcticum. *Nicotiana: Herba Regina.*

Ægid. Eueratus, qui Herbam panaceam [vti dictum] vocat, & Herbam Mediceam, Herbam Prioris, & Herbam ſanctæ crucis, cùm habitu ipſo, tum facultatibus. Conſolidam in tantùm referre dixit, vt ſpeciem eius quandam ſuſpicari non abſurdè liceat, potiùs, quàm Hyoſcyami lutei, vt viſum nonnullis fuerit. Nec, quòd fumo ebrietatem quandam accerſat, proinde Hyoſcyami ſpeciem conſtituerit, etſi eam tum folijs ac calicibus, tum culmo ac ſemine ſatis referat, &c. Nos autem nullam tantam ſimilitudinem agnoſcimus cum Conſolida, vt habitu referre eam poſſit, & ſpecies eius quædam dici queat: folia aſpera, caulis, flores, & ſemina plurimùm differunt, ac etiam ipſæ facultates quicquid dicat Ægidius. Non placet etiam eum dicere ſiliquam in orbem Mali ſpecie turgeſcere, ſiliqua enim oblonga eſt: id quodam modò poſſet dici de Priapæa, cui flos luteus. Non tandem exiſtimamus quemquam, cui cognita fuerit Nicotiana & Hyoſcyamus, approbaturum ſimilitudinem, quam Ægidius inter eas conſtituit. *Herba Medicea. Herba Prioris.*

Lerius aſſerit Nicotianam Petun dictam, verum Braſilianorum Petun non eſſe, nec quicquam commune habere: Autorem Domûs ruſticæ affirmare Nicotianam, *à Nicot* dictam, qui primus ex Portugallia in Galliam miſerit, ex Florida allatam, quæ vltra mille leucis à Breſilio diſtet: Eam verò in hortis Galliæ ob cœli inclementiam adoleſcere non poſſe.

Germ. *Tobacken, Indianiſch vvundtkraut, Indianiſch Beinvvelle, der Alten Kueniginkrauk, & heyligkraut.* Gallis, *Nicotiane, Herbe de la Roine*, Geneuæ *Preſidiale.* Ital. *Tornabona, Herba Sancta Croce*: Hiſp. *Petum, Tabaco.* Sunt denique qui *Elemoſinariam* vocant.

Naſcitur pleriſque Indiæ locis, humidis præſertim & vmbroſis, & exculto leníque ſolo. Seritur omni tempore: cùm verò prodiit, à frigore præſeruanda eſt, & ſecundum parietes plantanda ad eorum ornatum: ſiquidem toto anno viret, Citriorum modo, referente Monarde. Naſcitur omni ſolo [inquit Cluſ.] & ſemel ſata, ſe- Locus.

mémq; ad maturitatem perducens,seipsam deinde serit,nec opus habet alia satione. Si tamen serenda erit, Augusto aut Septembri id fiat, quoniam semen exiguum diutissimè sub terra latet, antequam germinet: & Martio aut Vere telluri creditum demum Augusto germinat. Floret autem hæc planta calidioribus regionibus Iunio & Iulio,semen Septembri maturescit [vidi in Lusitania tota Hieme florentem,] at alibi à mense Augusto in Hiemem vsque floret, & subinde semen profert, deinde primo gelu flaccessit, peritque tota; neque Hieme asseruari potest, nisi admodum difficulter, idque fictilibus aut capsis ligneis,in quibus sata,in fornicem aut penum illatis,vti Viennæ Austriæ fieri amat, vbi antè fenestras non tam ornatus & vmbræ gratia,quàm ob insignes facultates, de quibus deinceps sermo erit,præsertim à nobilibus quibusdam matronis, rei herbariæ studiosis,colitur.

Tempus

Calida & sicca est in secundo gradu: itaque calefacit, resoluit, mundificat, & aliquantulùm adstringit, vt ex sequentibus facultatibus iudicare licebit. Confert enim plurimùm: ad Cæphalæam: Hemicranium: Tetanum: Dentium dolorem: Pectoris vitia: Lienis & Iecoris obstructiones:Cruditates ventriculi: ventris tineas: Nephritides: Suffocationes vteri: Articulorum dolores: Perniones: Venena: Carbunculos: Ictus virulentos:Vulnera: Polypum: Podagram, Impetigines: capitis scabiem: Asthma: Famem: Sitim: recreationem, & alia innumera, vt fusiùs & specialiùs in huius tomi Appendice docebimus.

Temperam.

NICOTIANA SIVE TABACVM FOLIO angustiore.



Descriptio

Nicotiana fœmina, quòd mari omnibus partibus sit minor,minorem quoque nonnulli appellãt: sed insigne prætere a est *foliorum* discrimen, quæ non, vt mari, cauli apprimuntur, sed pediculis hærent satis longis: minùs etiam ampla sunt & hirsuta,magis acuminata: *flores capitula, semina* ex maioris comparatione addiscuntur.

Petum angustif. Clus.

Clus. apud Monardem, est Petum angustifolium, siue Petum alterum paulò minore folio, Solano, quod Bellam donam vulgò vocant, simili; sed magis mucronato, longóque pediculo inhærens: floribus per vmbellas natis saturatioribus aliquantò: radice, vt illius, lignosâ & multifidâ.

Priapeia apud quosdam non benè nuncupatur: Siquidem nec effigie, nec habitu, nec radice,nec colore, nec aliter Satyrio respondet.

Camer. hort. Tabacum angustifolium: Lob. in Icon. Plant. p. 585. Tabacum siue Herba sancta minor: Eid. in Obs. p. 316. Herba sancta siue Tabacum minus: Cast. Herba sanctæ crucis mas: Dodon. Hyoscyamus Peruuianus alter: Schvvenckf. Nicotiana minor, & Sana sancta minor: C. Bauh. phyt. & pin. Nicotiana 2. siue maior angustifolia: & Eyst. Hist. Lugd. p. 1895. Alterum Tabacum minus Lobelij, sine icone: An Petebecenuc eiusdem Historiæ?

Synonyma

NICOTIANA SIVE TABACVM MINVS.



Descriptio

Peti maris & fœminæ semine deciduo, spontè in Belgij hortis Petum tertiũ siue Peti tertiã quandam & dubiã speciem sibi natam ait Clusius apud Monardem, superioribus paulò humiliorem, cuius folia, vt in maiore, caules amplectũtur, sed multò angustiora, etiã infrà secundi generis foliorum amplitudinem: floribus tamen saturatiùs rubentibus magis hoc quàm illud æmulatur.

Tabacum minimum Camer. hort. Tabacum, siue Sana sancta minima Lob. in Ic. Pl. p. 585. Sana sancta, siue Tabacum minimum eidem in Obs. p. 316. & H. Lugd. p. 1896. Nicotiana 4. siue minima C. Bauh. phyt. & pin.

Synonyma.

PRIAPEIA QVIBVSDAM NICOtiana minor.



Descriptio

Crebris fibris albis donata est huius *radix* minimo digito suppar: *caulis* cubitalis & sesquicubitalis, rotundus, ramosus, hirsutus, glutinosus: *folia* Bellæ donæ, pinguia, hirsuta, subalbida, gustu acri, graui odore Matth. *flores* calathi effigie, ex luteo viridãtes, oris extrorsũ reflexis & in quinque lacinias obiter diuisis, foris hirsu-

tis hirsuti splendent, intus glabri, nullo splendore nitentes: apicos staminum cineracei: insidet autem flos calyci hirsuto, viscido, quinquepartito: *pericarpium* subrotundum, vmbilicatum, glandem virgæ virilis detectam repræsentans, *semen* continet pusillum, maius Nicotianæ, subflauum: Lobel. Itionis, & pusillum, gustu acre, vnde Rondeletio dicta Priapæa.

Petum 4. Clus. — Clus. Petum 4. siue Peti aliud genus, per omnia minus, folio rotundiore, nec hirsuto, pinguiue, licèt succulento, flore minore, & per extremum rotundo, pallescente.

Synonyma — Hyoscyamus luteus Dod. Gesn. hort. Lon. Camer. & Gerardo, atque Anguill. qui multùm cum secundo Dioscoridis conuenire ait. Lob. in Adu. Hyoscyamus solanifolius dubius, inter Hyoscyamum & Solanum furiosum ambigens. Cap. de Sana sancta Indorum dicit Hyoscyamum luteum esse non posse. In Obs. p. 140. Dubius Hioscyamus luteolus [Solanifolius addit in Ic. Plant. p. 269.] potiùs calefaciens, quàm refrigerans, vt minùs rectè scripsit Matthiolus. Hyoscyamus Peruuianus Tabernæmontano. Hyoscyamus niger vel 3. Matthiol. Cast. & Hist. Lugdun. pag. 1717. Nicotiana 3. siue minor, C. Bauhin. phyt. & pin. itemque Eyst. Tornabonæ congener, Cæsalp. Priapæia, à forma fructûs, Gesn. hort. Peti 3. genus Euerardo.

Lobel. — Semel in hortum translata in semine vndique nimis copiosè repullulat, & mense Maio apparere incipit.

Vires & vsus. — Ad pleraque, ad quæ Petum, conferre, verùm longè imbecillius esse, testatur Clusius. Matthiolus eiusdem eum cæteris Hyoscyamis naturæ esse scribit, adeò vt ordine tertio completo refrigeret, & soporem inducat. Sed quis obsecro assertioni [Euerardus etiam perperam humidum & frigidum statuit] Matthioli subscripserit? Lobelius neutiquam vsu receptam, aut exploratam dixit. Porentrui passim Nicotianam vocant & ad eadem vtuntur. Aqua verò stillatitia saporem vehementer acrem præ se fert. Herba aduersus pediculos vtilis est, & imprimis pulices necat, vt in canibus periculum fieri potest. Nam folijs huius affricatis cuti, vel succo illito, tanquam incantamento fugati decidunt. In Italia semine vtuntur ad priaspismum sedandum, & hinc fortè Priapææ nomen illi inditum fuit.

HERBA COHOBBA INEBRIANS.
CAP. V.

HVius meminit P. Martyr. l. 9. dec. 1. sequentibus: Cùm de belli euentu, de annona, de incolumitate, Zemes [deos suos] reguli Hispaniolæ Insulæ consulunt, domum Zemi dicatam ingrediuntur, ibique per nares absorpta *Cohobba*, sic herbam vocant inebriantem, quâ & Boitij in furorem statim vertuntur &c.

C. Bauhin pin. fortè est Nicotiana 5. quâ in insula Mambonit, Pyratæ comestâ inebriantur & dementantur, ita vt omnia pericula postponant: part. 7. Ind. or. 20.

HERBA CASSIANA, FAMEM, sitímque retardans.
CAP. VI.

EX Nicotianæ sextæ [vt vocat in pin. C. Bauh.] siue Cassianæ herbæ succo potionem conficiunt in Florida, quam, vbi in locum periculosum se conferunt, bibunt, eoque famem & sitim per horas 24. tollunt: part. 2. Amer. nauig. 4.

BVGLOSSO SIMILIS PLANTA Indica.

NAscitur apud Gangen fluuium planta hæc Buglosso consimilis, quam conterentes succum ipsius seruant, & profundâ nocte latibula Tigridum circumfundunt: ipsæ verò propter facultatem effusæ viriditatis cùm progredi non possint, moriuntur, sicuti memorat Plutarchus, non Chæronensis ille, ex opinione Callisthenis in l. 3. venationum.

HELLEBORVS ALBVS ET NIGER veteribus.
CAP. VII

Theophr. Helleborus niger & albus. — HElleborus niger, & albus videntur æquiuoca [veluti æquiuocè dici apparent, Gaza.] sed de facie differunt [varia sententia est,] alij enim similes esse aiunt, & solo colore inter se differre [præterquam quod radices colore inter se differant:] Esse namque vnius radicem [hoc vocabulum radicis omittit Gaza] albam, alterius nigram: Alij folium Nigri laureum [δαφνώδες,] albi verò porraceum [πρασώδες: sed fortè legendum πυρώδες] reddunt: radices autem similes, colore excepto. Qui similes dicunt, formam huiusmodi tradunt: caulem modò prope Albuci, sed longè breuiorem: folia continuò radici annexa: sparsáque humi: radicem valdè [largè Gaza] multiplicem. Nigrum equos, boues, suésque necare affirmant, ideóque eos non depascere [ideoque eum cauere, Gaza.] candido autem pecudes pasci. Atque hinc primò vim deprehensam, cùm illo pecudes purgarentur: tempestiuus Autumno, Vere autem intempestiuus. Niger vbique nascitur: nam & in Bœotia & Eubœa, & multis alijs locis: sed optimus Heliconie, ac in totum is mons medicaminibus laudatur: at candidus locis paucis exit. Optimi verò & vsitatissimi quatuor sunt, Oetæus, Ponticus, Eleaticus, Malliaoticus: nasci Eleaticum inter Vites aiunt, & vinum vsque adeò reddere prouocans vrinam, vt omnes qui bibunt graciles admodum ventre adducto efficiantur. Omnium tam eorum, quàm reliquorum optimus est Oetæus. Parnassius verò & Æolicus [prouenientes etiam ibi multi, emunt & vendunt ignari] duri sunt & summæ difficultatis. Hæc igitur quanquam formâ conueniant, vires tamen proprias sortiuntur. Elleborum non solùm radice, sed etiam fructu est vtile. Siquidem in Anticyra [vt fertur] fructu [cautè tamen dandus cùm validiùs purget] eius purgantur, quem Sesamaceum fert. Hæc inter alia sparsim Theophrastus addens cap. 8. Ellebori imas radices, atque tenuiores, [supernam enim in caput extuberantem, inutilem esse asserunt, & canibus dandam cum purgandum est,] succidi oportet. Item cap. 18. addit, Chius Eudemus arte minimè laudatus, Elleborum bibens, non purgabatur, & viginti duas aliquando purgationes vno die sumpsisse se retulit, foris apud vasa sedentem, nec surrexisse priusquam esset meridies, tunc verò domo petitâ, balnea ingressum cœnatúmque more solito, — Ellebori supos canibus dandum.

nec quicquam euomuisse. Hic tamen auxilio quodam præparato cohibuit: aceto enim acri aspersam pumicem bibisse se retulit post septimam Ellebori potionem, rursúsque ex mero eodem modo egisse. Tandem de caus.lib.6. cap.10. Elleborum nascens in Oeta monte, melius Parnassico est. Validius enim esse illud putatur, minusque aptum medicamini. Causa quamobrem validum ita, similis, atque in fructibus. Aëris enim duritia, nutrimentique largitate grauitas in eo quoque tractu, sicut in Bœotia prouenit. Porrò alius ager ad alias vires idoneus est, quemadmodum in fructibus quoq; perficiendis animaduertimus. Sunt etenim loca, quæ ne excoquere quidem vllo modo vires medicas valeant. Quippe multis in locis, & niger Elleborus hebes imbecillisque comperitur. *Vnde* credi haud temerè possit, aëre frigido & solo aperto, atque etiam alimento modico, opus esse. Et quidem venena, in montibus plurima nasci videntur, & in ijs maximè, qui altissimi sunt, atque amplissimi.

Diosc. Elleborus albus. Elleborus albus, ex authoritate Dioscoridis, folia fert Plantaginis aut Betæ siluestris, sed breuiora, nigriora, & [dorso] colore rubra, caulem palmi altitudine concauum: qui quidem tunicas quibus inuoluitur, abdicat cùm arescere incipit. Radices subiacent numerosæ tenues ac fibrosæ ab exiguo & oblongo capitulo, ceu Cepa exeuntes, eidémque annexæ. Nascitur in montosis & asperis. Radices messibus colligendæ. Optimum autem habetur Veratrum, quod modicè extentum est [τεταμένος vet. τετανώδης Sar.] candidum, fragile [εὔθραυστος. Alter ἄθραυστος, sed perperam, Sar.] carnosum, minimè exacutum, aut Iuncum referens, aut dum frangitur puluerem emittens, sed tenuem habens medullam, gustúque non admodum feruens, neq; saliuam subinde ciens: huiusmodi siquidem strangulat. Primatú tenet Anticyreum. At Galaticum æque atq; Cappadocicum candidius est, & puluerulentum, maiorémq; strangulandi vim habet. Purgat per vomitum varij coloris humores: collyrijs admiscetur, quæ caliginem oculorum discutiendi vim habet: menses pellit partúsq; necat, appositum: sternutamenta mouet, ac mures interficit cum melle & polenta subactum: quin & carnes colliquat & absumit, si coquatur vnà. Datur & jejunis per se, itémque cum Sesamo, & ptissanæ aut alicæ cremore, aut cum aqua mulsa, aut pulte, aut lente, aliáve sorbitione. Sed & cogitur cum pane, atq; ita inassatur. Apparatus verò insuperque victûs ratio vtentibus accommodata diligenter ab ijs tradita est, qui ex professo de ipsius dosi scripsitarunt. Sed maximè Philonidæ Siculo Ennço assentimur. Longum enim foret, in hac, quam præcipuè instituimus, materiæ medicæ tractatione, victus rationem ad medendum necessariam simul & semel exponere. Sunt tamen nonnulli qui dent ipsum cum larga sorbitione, aut copioso cremore: vel etiam exhibito parciore cibo post illicò Veratrum offerant: ac ijs præsertim, quibus strangulationis suspicio imminet, aut corporis imbecillitas adest. Illo enim modo sumentibus purgatio periculo vacat, quòd non intempestiuè intróve citiùs medicamentum corporibus accedat. Cæterùm, & sedi subditæ ex eo balani cum aceto vomitiones concitant.

Vires

Helleborum nigrum. Porrò Helleborum nigrum aliqui Melampodion, alij Ectomon, alij Polyrrhizon vocant, Melampodion verò appellatur, quoniam caprarum pastor nomine Melampus furentes Prœti filias eo primus purgasse & sanasse creditur. Folia ei viridia, Platani similia, sed minora, folijs Spondilij proxima [φύλλα τῷ σφονδυλίῳ. vet. cæter S rac.] pluribus diuisuris scissa, nigriora & subaspera: caulis breuis [βραχὺς, vt legit etiam Serap. & non τραχὺς asper, Sarac.] flores candidi purpurascentes, figurâ racemosi [βοτρυώδη. Quidam κυανοῦ, docti nõnulli βοτρυχώδη, Sar.] Semen intus Cnici quod & Anticyræi Sesamoides vocant, & in purgationes adhibent. Radices subsunt, tenues, nigræ velut è capitulo quodam Cæpæ simili dependentes, quarum etiam vsus est. In asperis, editioribus, siccioribúsque locis enascitur. Optimum quod ex locis eiusmodi petitur, quale quod ex Anticyra: nigrum enim inibi probatissimum gignitur. Eligi debet carnosum, plenum, cui tenuis medulla sit, acre denique gustu, feruénsque. Huiusmodi est quod in Helicone, Parnasso & Ætolia nascitur: attamen Heliconium præcellit. Veratrum nigrum purgat per inferiora [τὴν ἄνω κοιλίαν: Corn. legit κάτω. vt ex vers. apparet, Ioh. Bauh. Sarac. addit indubitanter ita legendum] trahítque pituitam & bilem, datum per se, aut cum Scammonia & sale. Drachma vna seu obolis tribus. Decoquitur & cum Lente, ac iusculis quæ purgationis causa sumptitantur. Prodest verò in comitialibus articulariisq; morbis, itémq; melancholicis, insanientibus & paralyticis. Subditum menses trahit & partus necat: fistulas inditum ac tertia die exemptum purgat. Similiter in auditu difficili immittitur in aurem, ibique ad biduum triduúmve sinitur. Scabiem quoque sanat cum Thure aut cera, aut pice ac cedrino oleo perunctum. Vitiligini verò, impetigini ac lepris ex aceto impositum per se medetur. Dentium dolorem coctum cum aceto collutione mitigat. Septicis etiamnum medicamentis admiscetur. Quin & hydropicorum ventri cum farina hordeacea & vino vtiliter imponitur. Porrò autem consitum proximè Vitium radices, vino inde expresso vim purgandi conciliat. Sed & eo domos aspergunt, purgandi expiandíque vim illi tribuentes. Quamobrem & qui ipsum effodiunt, stantes Apollinem & Æsculapium [de his etiam, at obscuriùs Theophrastus] precantur, obseruántque aquilæ volatus: eam enim alitem tradunt non citra periculum aduolare, atque etiam ei mortem inferre, quem Veratrum effodientem [moriturum eo anno succedentem cui Aquila prope aduolauerit: Thophr.] conspexerit. Celeriter quoque effodiatur oportet, quoniam habitu auráve sua caput aggrauat: quapropter ad id præcauendum: effossuri Allia præsumunt, vinumque subinde sorbent: ita siquidem ab afflatu securiores, noxæque minùs oportuni redduntur. Cæterùm, Veratrum hoc candidi modo etiam emedullatur. Veratra, inquit Plinius, duo sunt candidum & nigrum. Vtraque caule palmi [quadrantis altitudine Dioscorid.] ferulaceo, bulborum tunicis conuoluto, radice fibrata [fimbriata M. & CH.] Cæparum modo. Nigro equi, boues, sues necantur, itaque cauent id, cum candido vescantur. Tempestiuum esse tradunt messibus. Plurimùm autem nascitur in Oeta monte: & optimum vno eius loco circa Pyram. [Pyra, siuè Rogus, locus est in montis vertice, in quo sacrificantem Herculem aiisse ferunt, cùm impatientia doloris victus in accẽsam lignorum struem se proiecit.] Nigrum vbique prouenit, sed meliùs in Helicone, qui mons & alijs laudatur herbis. Candidum probatur Oetæum: secundum Ponticum: tertio loco Eleaticum, quod

Locus.

Vires.

Vitibus vim suam communicat.

Optimum in Oeta Pyra.

in Vitibus nasci ferunt: quarto Parnassium, quod adulteratur Ætolico [Parnassicum & Ætolicum, vendentes & ementes multi discernere nesciunt: duri sunt, perquàm rugosi, & flaccidi, Theoph.] ex[deletur hæc vox in vet.] vicino. Nigrum ex his Melampodion vocant, quo & domos[ita & Dioscor.] suffiunt purgántque spargentes [aspergentes se, M.] & pecora, cum precatione solenni: [eo purgant & sues, & oues, carmen quoddam occinentes, Theophrast.] hoc & religiosiùs colligitur. Primum enim gladio circumscribitur. Dein qui succisurus est, Ortum spectat: & precatur, vt id liceat sibi concedentibus Diis facere, obseruátque aquilæ volatus, ferè enim secantib. interest: & si prope aduolauit, moriturum illo anno, qui succidat, augurium est. Nec album [atrum Dioscor.] facilè colligitur, caput aggrauans, maximè nisi præsumatur Allium: & subinde vinum sorbeatur, celeritérque effodiatur. Nigrum alij Entomon [Cestemon Dioscor.] vocant, alij Polyrrhizon: purgat per inferna. Candidum autem vomitione, causásque morborum extrahit, &c. Drusum quoque apud nos, Tribunorum popularium clarissimum, cui ante omnes plebs stans plausit, Optimates verò bellum Marsicum imputauêre, constat hoc medicamento liberatum comitiali morbo in Anticyra insula. Ibi enim tutissimè sumitur, quoniam (vt diximus) Sesamoides admiscent. Cauendum est felici quoque cura, ne nubilo die detur: quippe impatibiles cruciatus existunt. Nam Æstate potiùs, quàm Hieme dandum [Aph.4.l.4.] non est dubio. Corpus septem diebus antè præparandum cibis acribus (esu radiculæ cum oxymelite:) abstinentia vini, quarto & tertio die vomitionibus [leuioribus, Gal. comm. aphor.13. l.4.] pridie cœnæ abstinentia. Vetant dari senibus & pueris: item mollis ac fœminei corporis, animíue, exilibus aut teneris, & fœminis minùs quàm viris. Item timidis, aut si exulcerata sint præcordia [intestina, vel renes, aut aliæ partes sub hypochondriis sitæ, vt ventriculus, Dal.] vel tumeant, minimévè sanguinem excreantibus, causariis, vel latere, vel faucib. Medetur morbis Comitialibus, vertigini &c. quæ ex ipso fonte petantur, Dal. hæc inter alia. Plinianis adscribit, Sex modis sumitur Veratrum album. I. radicula totâ nocte confixa eius festucis ad Drachmas sex, postridiè sumitur ex oxymelite. II. infusum in hemina aquæ pluuiæ ad Drachmas sex, citra decoctionem, post triduum bibitur. III. decoctum lib.1. in duobus sextariis aquæ, additis mellis l.2. percoctum, ad cochlear magnum lingitur. IV. Segmenta minutim forfice concisa, furfuris magnitudine, ad drach.11. datur cum alica, ptissana, hydromelite calidis. V. puluis crassiusculus sorbetur cum cremore ptissanæ, ad drachmam 1. VI. puluis tenuissimus ad scrupulos quatuor, cum melle formatis catapotiis deuoratur. Antylus & Posidonius apud Ætium.

Nubilo die non dandum.

Temperamentum ex Galeno.

Galenus tam album quàm nigrum Helleborum extergentis scribit esse facultatis & excalfacientis: quamobrem ad alphos, lichenas, psoras, lepráfque accommodat.

Si partes, quæ sunt sub septo transuerso, dolor affligat, nullámque ad iugulum de se significationem præbeat, aluum Veratro nigro, aut Peplio emolliendam esse docet Hippocrates, ea quidem ratione, vt Veratro quidem Daucum aut Seseli aut Cuminum, aut Anisum, aut aliud quidpiam bene olens admisceatur: Peplio verò Laserisfuccus. Quanquam autem inter se misceantur vnius sunt generis, neque dissimiliter agunt. Sed Veratrum nigrum tum meliùs, quàm Pepliũ ventrem soluere ait, tum etiam ad iudicationem magis valere: Peplium verò flatus magis erumpere facere. Dolorem autem hæc duo sedare. In subditio Veratrum album aut nigrum apponit. Portò si quid effluens ex vtero, mordeat, & summas osculi vteri oras vlceret, diuturnã flore fluxionem afferit. At si minimè copiosa fuerit, Lenticulæ decoctum cum Veratro, vt vomat exhibet. Nigrum ex aqua tenuiter tritum, & in pesso suppositum, aquam velut è carnibus educere idem scribit. Veratrum etiam ex vino dulci, cum farina Lolij & Tritici melle subactum subiicit. *Et hæc passim Hippocrates.* Quem his verbis taxabat Democritus: Ad me venisti Hippocrates, vt tanquã insano Veratrũ exhiberes à stultis hominib. persuasus, &c. Si ab his persuasus mihi tanquã insano Veratrum propinasses, prudẽtia in insaniam euasisset. Veratrum.n. sanis exhibitũ, menti tenebras offundit, insanis verò multùm prodesse consueuit. *Plura de virib. vide titulo de Elleb. albo.*

Sanis nocet, Insanis prodesse.

Scaliger ait Theophrastum lib. 9. cap.11. de Elleboris recitare sententias adeò absurdas, vt pudeat. Laurinum folium attribuere nigro, & Porri albo, pari mendacio: Album esse folio Gentianæ: nigrum digitato, vt Crotonum. Elleborum album radicem habere initiò non multiplicem, vt nigrum: sed simplicem, quæ postea spargatur in fibras: idque in verbis Theophrasti manifestè intelligi. Eum enim dixisse πολύῤῥιζον non simpliciter: sed ταῖς λεπταῖς magnâ efficacia articuli. In Aruernis & Rutenis, Album penè omnia animátia vel interficere, vel malè afficere. Strangulare enim equos & cætera iumenta. *Nunc, si* Scaligero Elleborus niger est Italicus flore modò albo, modò purpurascente, is nobis videtur dici posse folio Laurino: partes enim digitatæ singulares conueniunt cum folio laurino in multis, nec ea similitudo ita absurda apparet. nolimus propterea asserere Italicum Elleborũ Theophrasti: multa enim obscura in eius historia. De albo Elleboro nolimus Theophrastum accusare mendacij, sed existimamus potiùs textûs vitium: quid enim si pro πρασώδες legamus νευρώδες, neruis abundantem, quibus sanè Plantaginis modo abundat, quæ etiam πολυνεύρον dicitur: apud Plinium etiam & Dioscoridem Limonium vocatur Neuroides. Limonium verò dictum Neuroides appellatur à Plinio Beta siluestris, cui etiam Dioscorides comparat folia Ellebori albi.

Scaliger. redarguitur.

HELLEBORVS ALBVS.

Descriptio.

HElleboro albo *radices* subsunt fibrosæ, albæ, in caput collectæ: *caulis* bicubitalis interdum, teres, *foliis* stipatus, quorum pediculus caulem inuoluit: sunt verò ipsa *folia* formâ quidem quodammodò plantaginea, vel potiùs Gentianæ similia, longitudine verò pedali, haud multò angustiora, mollia, liris densissimis striata, & veluti plicata, subhirsuta: caulis à medio ferè ad cacumen vsque ex foliorum quorundam paruorum alis *thyrsos* emittit palmares & sesquipalmares *florum* crebertimorum, senis, ex herbaceo albicantibus foliolis radiatis constantium.

Vulgares herbarios confundere Dictamnum, Helleborum album, & Sigillum Salomonis, testatur Cordus in Dioscoridem.

Turpe profectò esse nouitio rhizotomo Matthiolo neminem iturum inficias arbitratur Gul-

Guilandinus in Theone, Consiliginem, à Græcis Helleborum candidum dici, nondum cognoscenti, collatis præsertim Vegetij, Aplyrti, Columellæ, & Plinij verbis.

Helleborum album in Alpium summis iugis sæpiùs quidem obseruauit Turnerus, sed sæpe animaduertit cacumina demorsa, quantùmque meminit, caules multò pede lógiores, quare veretur, ne παχυτεραῖον malè à Cornario sit redditum, palmi altitudine. *Corn. tax.*

Elleb. album flore nigro. Stutgardiæ in horto Ill. Principissæ anno 1608. mense Iulio obseruauimus Elleborum album flore nigro, vt vocãt, caule ad altitudinem hominis fusco & maculato, nõ dũ tamẽ flores expansi erant. Flore atro rubente, & ex viridi albescente, etiam inibi obseruauimus.

Nom. ling. Ἐλλέβορος λευκὸς Græcis, & quandoque sine aspiratione. Sunt qui ἀναδίκα, ἄτομον, πηγανοφάγον, ϛαχλῆ©, πολύῤῥιζον etiam nuncupent: Latinis Helleborus & Elleborus albus, itemque Veratrum album: aliis etiam Sanguis Herculis dicitur, Arab. *Cherbachen abaid.* German. *vveisz Nieszvvurtz Schampaner vvurtzel*, h.e. vt Tragus reddidit, Campanis. & alicubi *hemervvurtz*, vt Conradinus in lib. suo de Hung. febre recitat. Belg. *vvittenieſz vvortele*, aut *vvit Nieſzcruyt.* Gall. *Ellebore ou Veratre blanche.* Ital. *Elleboro bianco & Veladra.* Hisp. *Verde gambre blanco & yerua de ballesta.* Angl. *hellebor.* Boh. *kychavvka.* Hung. *Feyer bunyor.* Ἐλλέβορος autem secũdum Etymologicum dicitur παρὰ τὸ ἐλεῖν τῇ βορᾷ, quòd esu perimat, Veratrum quòd mentem vertat.

Synonyma Elleborus albus Brunfelſ. Trago, Fuchſ. Cordo hist. Gesner. hort. Ang. Lon. H Lugdun. Cluſ. hist. Elleb. albus flore herbaceo Eyst. Helleborus candidus Græcorum, Consiligo Vegetij. Absyrti, Columellæ & Plinij. Guilandino in Theone: Veratrum album Dod. gall. Turn. Lac. Cordo in Diosc. Helleborum album Matthiol. Lob. in Adu. Obſ. pag. 167. Ic. Plant. pag. 311. Cæsalp. & Castor. Helleborus albus 1. siue flore subuiridi C. Bauh. phyt. & pin. *Eid.* Helleborus albus 2. siue flore atro-rubente: Helleb. album floribus atrorubentibus præcox Lobelij Icon. Pl. p. 311. Obſ. p. 167. Elleb. albus alter floribus nigricantibus Dod. flore ex purpura nigricante Cluſ. hist. Ellebori albi alterum genus Cæsalp. Helleborus albus Germ. flore atro-rubescens Eyst. Mas Tab. icon.

Locus & Tempus Gaudet Veratrum album montanis & asperis, & non modò in Græcia, Italia, aut aliis calidioribus regionibus verùm & in Germaniæ, ac Heluetiorum montibus viret: viuit & in hortis. Floret Æstate: messibus aut sub Autumnum legendæ sunt radices, vt & plerisque Pannoniæ & Austriæ ſiccioribus pratis, vt obseruauit Clusius.

Mesue. Meluæo albus Elleborus minùs est tum acer quam niger, tum etiam minùs mordax, neque mox acrimonia eius apparet, si amarior est nigro. Cæterà nigro facultate est similis, nisi quòd diutiùs seruari potest: calidus siccus in medio tertij, similiter tergit, mordet, sed vomitu multo purgat, & sternutamenta violenter mouet. Vitandus autem est quòd strangulet. Nam vomitu immodico & violento symptomata excitat terrenda, foris autem affectus cutis vitia, scabiem, impetigines, lentigines valenter iuuat: albus itaque Elleborus quia huius tempestatis corporibus est molestus, velut venenum præsertim suffocans, vitetur, *Et paulò post:* Vtriusque Hellebori virtutem ex corpore deturbat mulsa, decoctum vuarum passarum, aut hordei, aut gallorum, aut gallinarum, cum oleo nucum, vel Amygdalarum dulcium, vel simili: puluerem verò Hellebori sumere tutum non est: datur autem à siliquis sex, ad tertiam drachmæ vnius, vel vſque ad drachmam vnam.

Macri Poesis. De Hellebori facultatibus Carmen scripsit Macer, quod ita habet:

Helleborum geminas species testatur habére,
Album quod sursum purgat, nigrumque deorsum.
Vim siccam, calidámque tenet, & tertius illis,
Est in vtroque gradus: nigro violentius album
Dicitur, &c. Ellebori radix per 24. horas vino aut oxymelite macerata, posteáque resiccata, potest, inquit Tragus, dimidiæ drachmæ pondere, aut saltem tanto, quanto pro constitutione vniuscuiusq; opus esse videbitur, cum vino exhiberi, furiosis & melancholicis. Sin verò potiunculam ex illa præparare volueris, tum vel biduo vino illam macerabis, aut iure carnium decoques, & cyathum mediocrem ex illa exhibebis ægroto: hæc purgatio tametsi & aluum & vomitiones moueat, nullo tamen periculo coniuncta est. Ellebori radix aceto decocta, ac in ore aliquandiu retenta, dolorem dentium tollit. In lixiuio decocta, si illo postea caput abluas, pediculos & furfures enecat: idem vnguento aliquo permista efficit.

Matth. aut. Albi Ellebori dilutum exhibuimus. [Matthioli verba sunt] quibusdam melancholicis, magno sanè successu, nullo tamen ægrotantium incommodo, nulláque noxa: quòd non alia ex causa euenisse putauerim, quàm quod in Tridentino agro aliísque circumfinitimis locis, ea fortasse sit illius cœli temperies, vt non adeò perniciosis facultatibus scateat vtrumque Helleborum, quemadmodum illud quod in calidioribus prouenit regionibus: tametsi non dubitauerim etiam vtriúsque acerrimam vim reprimi, ac corrigi propriis

priis quibusdam additis medicamentis. In germanico Botanologico cautionem addit: Veratrum album vehemens est medicamentum, nec sine additis restænantibus assumendum: quamobrem nusquam legitur Galenus radicem eius intrò dedisse, sed docere duntaxat quâ ratione foris sit vsurpanda, ad herpetas, scabiem, & omnem cutis impuritatem, quod si placet eam intra corpus vsurpare, prudenter id faciendum, idque solummodò in morbis magnis, vt epilepsia, vertigine, mania, hydrope, ischiade, conuulsione, elephantia, & similibus, & quidem hoc modo: primùm radices Hellebori albi, viginti quatuor horis macerantur in vino aut oximelite, pòst siccantur, in puluerem teruntur, cuius drachma semis ex vino calido manè propinatur: Possunt eædem radices biduum in vino, aut diem vnum in iure carnium macerari, & colaminis cyathus paruus dari: non malè adderetur Cinamomum tritum. Verùm enimverò non debet radix hæc seni, puero, fœminæ, nec vlli delicato dari. Sunt qui hoc modo vtantur: excauatur Raphanus, cui radix Hellebori immittitur, obdito operculo, sinuntur duos dies & noctes, postmodum abiecto Helleboro exhibetur Raphanus, qui purgationes molitur.

Elleborum vtrumque *dicit Gesnerus* [si cum aceto & melle decoquatur, vt Syrupus fiat:] medicamentum innoxium, & ad plerosque phlegmaticos morbos [thoracis & capitis in primis, vt asthma, Dyspnœam, epilepsiam] πολύχρηστον, sæpè vtilissimè se expertum esse: aluum enim vrinam, & meatus omnes, etiam cutis, mirificè nullâ molestiâ expurgare. Perplacet eidem D. Chrysost. Houberi [olim discipuli sui] medicamentum, quo corpus recreatur & stomachus expurgatur. Recipit autem Ellebori albi drach. ß. aq. ardentis Vnc. ij. Fit infusio per dies 14. pòst exprimitur per filtrum, & dantur pro vice drach. ij. cum vncia vini. Tandem eiusdem Gesneri, aquæ Elleboratæ descriptionem accipe. ℞ Ellebori albi Vnc. ß. Gentianæ vnc. i. Flor. Centaurij minoris M. i. Anisi drach. ii. baccar. Iuniperi drach. vi. Cinam. el. Vnc. ß. Macis, Zingib. añ. drach. ß. Aq. Fœniculi, Hyssopi, an. Vnc. ii. Mellis despumati Vnc. iii. destillentur in cinere [ni fallor addit etiam aceti aliquot vncias: inquirendum diligentiùs.] Huius liquoris vnciam semis dedit, cum aliquo syrupo, in grauissimis & desperatis quibusdam morbis, febribus præsertim, & summa cum admiratione profuit illicò manifestè, nec aliud incommodum attulit, nisi feruorem aliquem stomachi, sed breuem.

Morbi phlegmatici.

Aq. Elleborata cōpositio.

Demum, vt Ælianus animal. lib. 1. cap. 60. perhibet, farina ad Veratrum admista antea alueos dispersa perniciem adfert lacertis, insidias in apes facientibus & omnibus commemoratis animalibus. De Elleboro & Hispanorum ex eo toxico consulendus est Io. Langius epist. med. l. 1. epist. 68.

ELLEBORVS NIGER FLORE ALBO, interdum etiam valdè rubente.

Descriptio

Elleborus, cuius hîc iconem exhibemus, *radicem* habet numerosis fibris, vulgari paullò crassioribus, donatam: *folia* à radice *pediculo* spithamæo, crasso succulento, tereti, punctis purpureis, vt Dracunculi maioris, notato, appensa, diuisa vtplurimùm in folia nouem, viridantia, læuia, rigidiora, crassioráque, quàm in vulgari *flo-*



re viridi, lata, obtusa, serrata, in extremi folij ora & paulò inferiùs, crenis autem vidua reliquâ portione tota: pediculi singularium foliorũ, vt & auersi folij neruus, purpurascentes: inter folia *flores* occultantur pediculo plurimùm palmari & sesquipalmari succulento & maculoso, ex foliis quinque candidis, vngue purpurascente extrinsecus, subrotundis, striato venularum discursu præditis, ad floris imum foliolum oblongum integrum, paulóque inferiùs aliud tanquam vagina, interdum diuisum in plura: floris medium occupant *staminula* multa lutea breuiáque, cum corona decem duodecimue tubulorum virentium: succedunt *siliquæ* corniculatæ intortæ, septenæ, in quibus semen fit interdum, vt eunte in semina flore, eius folia tam intus quàm extrà colorem contrahant ferrugineum. Aliquando noster Elleborus florem habet valdè rubentem, interdum album pro anni constitutione.

Plant. Leonis Dod. gall. Veratrum nigrum 1. Lat.

Dod. gall. Plantam leonis inscribit, & Ellebori secundam speciem facit, floribus albis instar niuis, qui postea virides fiant. Latin. Veratrum nigrum 1. dicitur, quod flores habere ait initiò albidos, deinde purpurascentes, postremò virentes. Is licèt hanc plantam non recipiat pro vero Elleboro nigro, eam tamen probè nouisse non videtur, dum flores ait euadere virentes, sed potiùs duas plantas confundere.

Helleb. niger Lob.

Lobel in Adu. vocat Helleborum nigrum [Ic. Plant. 681.] german. *Christwurtz*, Belg. *Schwart Niesecruytz*, Angl. *Ore bele, and setter worte:* Ital. [addit in Obs. p. 388. vbi etiam Napellum Auicennæ Guilandi.] *Elleboro nero:* Hispan. *Verde gambre nero, & yerua de vallesteros.* Ait autem ex Pyrenæis & Alpinis in hortos transuectum, ineunte Hyeme, itidem paulò post brumam flores dare ex candore roseos, interdum albos, nonnunquam purpureos: à se collectum in Apenninis Bononiæ. Congruè describit, sed ineptum nomen germ. belg. ital. & hispanicum, vtpote alteri plantæ familiare, huic tribuit: non autem asserit an Dioscoridis, quia dubitat an textus eius corruptus.

Lob. not.

Matthiolus in Dioscor. tradit Elleborum nigrum cum candidis floribus, quod alterum facit, solo colore distingui ab eo, quod purpureos, & altero, quod herbaceos habet flores: hoc autem alterum & tertium genus adeò viribus imbecillia esse, vt ferè nihil ad aluum deiiciendam præstent, id quod facto periculo se didicisse scribit. Omnibus in vniuersum eandem esse foliorum speciem. Cæterùm, Solerij ineptam ait esse opinionem, æstimantis in scholiis in Ætij priores libros, Elleborum hunc, flores Rosa-

rum modo purpureos ferentem, itemque albos, esse Lycoctoni, vel Cynoctoni Aconiti esse speciem. In comm. post. quamuis dixerit in principio solo flore differre omnes tres Hellebori species: tamen postea ait, folia non esse in omnibus similia: ac ibi describit speciem floribus purpureis, & alterá albis, vt solo colore differentes, & folia diuersa ab Elleboro floribus herbaceis, proferentes. Descriptio quidem eius non malè conuenire videtur cum nostro Elleboro nigro floribus albis: veluti etiam eius figura, quam ponit in post. comm. sub titulo Ellebori nigri. In Hist. Germ. nescio quomodo factum vt mutatæ sint figuræ & descriptiones: pingit enim nostrum Elleborum nigrum floribus albis, pro Ellebor. 2. nigro: descriptio etiam quæ secundo loco data conuenit Elleboro floribus albis, quamuis eo loco tantùm purpurei meminerit coloris, & in descriptione præcedenti faciat omninò similem eam speciem, quam herbaceum florem habere ait, cum ea quæ album profert, quod approbare non possum: *Suspicor* ipsi non bene fuisse perspecta Hellebori nigri vulgaris genera.

Mat. not.

De nostro Elleboro hæc Turnerus: Dodonæ pro Helleboro nigro plantam exhibet, cuius folia descriptioni optimè respondent: quoniam tamen caulis læuis est, non asper, semina verò Aniso similia, rugosa, non autem Cnico, non possum verum Helleborum nigrum pronunciare. Nec ausim affirmare mihi vnquam obseruatum Helleborum nigrum legitimum. Hoc tamen ausim affirmare, eius defectu licere vti hac specie, quæ quotannis perit, quantùm supra terram est.

Hell. niger caule læui, semine Anisi Turn.

An Monardi ex versione Clus. de nouo Orbe, Helleborus niger Hispanico similis, & iisdem facultatib. præditus. An idem H. Lugd. ex Monarde p. 1907. sine icone?

Clus. hist. Elleborus niger legitimus, albo, amploque, Rosæ instar, flore, qui marcescens purpurascit.

Elleb. niger legitimus Clus.

An Veratrum nigrum Stiriacum Tabern.?

Synon. C. Bauh. phyt. Helleborus niger 3. siue flore magno purpurascente. *Eid. pin.* Helleborus niger 4. siue flore roseo: Elleborum nigrum Matth. in comm. & Icon. 4. p. 856. Cast. H. Lugd. & Camer. Planta Iconis Dodon. gall. Ellebor. niger flore magno purpureo Gesn. hort. Helleborus niger 2. Dodonæi [sc. gall.] H. Lugd. Veratrum nigrum 1. Dodon. latin. Legitimum Clus. pann. Striatum Tabern. Ellebori nigri alterum genus Cæs. Elleb. niger annuus Anguill. Niger legitimus Clus. hist. Niger verus Gerardi.

Locus. In variis hortis & siluis Elleborum hunc obseruauimus, animaduertimúsque eundem pro anni constitutione flores ferre albos aut rubentes valdè, etiam non marcescentes. Flos vt plurimùm initiò albidus, deinde purpurascens, postremò virens.

ELLEBORVS NIGER VVLGARIS, flore viridi vel herbaceo, radice diuturnâ.

Descriptio. Hic tum ab hortensi flore albo, tum ab adulterino manifesto discrimine seiungitur: licèt enim *radices* fibrosæ, nigræ, eæq; numerosæ, similitudinem magnam cum hortensi flore albo insinuent, dissimilitudinem verò cum adulterino, reliqua tamen plantæ facies differentiæ fidem faciet: *folia* enim ampliora, viroris herbacei, teneriora quàm vllius reliquorum duorum, in plura segmenta conciduntur, singulæque laciniæ in acutum mucronem, non obtusum more hortensis flore albo, desinunt, in ambitu serratæ, nec tam saturo colore tinctæ, nec tam rigidæ vt adulterini: iam verò *flores* pediculis palmaribus & dodrantalib. hærentes, colore sunt herbaceo, adulterini Ellebori æmuli, quinis maioribus foliis constantes, vmbilicum obsidentibus apicibus crebris, pallescentibus, *semen* corniculis aliquot surrectis coniunctisque aliorum more continetur.



Christvvurtz, i. e. Christi radicem, appellant, inquit Tragus, eò quòd quandoque circa Seruatoris nostri Christi natalem diem flores producat, præsertim quando temperatior fuerit Hiems: Aut certè *Christvvurtz*, quòd clysteribus quoque adiiciatur, quos Germani *Cristier* vocant. Recentiores contendũt eam esse Elleborum nigrum Dioscoridis, nec multùm ab illo abludit descriptio. Ego verò sentio Consiliginem esse Ruellij, cuius meminit & Plinius. Matthiolus contrà Consiliginem esse negat, Veratri nigri speciem herbaceos flores proferentem esse autumans. *Christi radix.*

Synon. C. Bauh. phyt. & pin. Helleborus niger 2. siue hortensis flore viridi: Helleb. niger Brunfels. tom. 1. thaps. 2. & in 4. p. 35. Helleb. niger nostras Cordi hist. Elleb. niger vulgaris Gesner. hort. & Cæsalp. Elleb. niger alter Matth. Elleb. niger tertius Dodonæi & Matthioli H. Lugd. Elleb. niger adulterinus domesticus Tragi. Ell. nig. adult. hortensis Fuchs. Pseudo-helleborus niger Dodon. gall. Helleboraster alter [siue Consiligo] Lob. in Aduers. Helleborastrum in Obs. p. 387. Icon. Plant. p. 684. & Gerardo: Veratrum nigrum Cordo in Diosc. Secundum Lac. Dodon. Clus. in pann. & hist. itémque Tabern.

Ellebore noir Gallis dicitur, vt & *Patte du Lion*: Belgis *vvieteruyt*, *vvaneruyt* & *vvaenceruyt*, Ger. *Christzvvurtz*. Anglis *Beere foote*. Hisp. *Verdegambre negro, y yerua de Vallesteros*: Hung. *Fekete bunyer*.


Locus & Tempus. In hortis variis occurrit. In Italiæ abundat montibus Euganeis: floret mense Febr. In Hassiæ pratis prouenire asseruit Gillenius. Clus. authore copiosè crescit ad Viennensis saltûs initium, quà Vienna ad Carthusianorum cœnobium Maurbach & Tulbingam iter est, vmbrosis locis, & vicinioribus etiam ad siluarum margines.


Vires & vsus. Huic cum genuino Elleboro easdem facultates, idémque temperamentum, testatum fecit experientia. Purgabit itaque perinde atque genuinus inferiorem ventrem, pituitam & flauam bilem ducens, & cætera eadem cum illo præstabit.

BVPHTALMVM DODONÆI, alijs Confiligo tenuifolia.

CAP. VIII.

Descrip. NOn absimilis Hellebori radici huius fibrosa *radix*, quæ sicca qualis in officinis prostat, sesquipalmaris, fibris nigricantibus tenuioribus constat, quàm Hellebori nigri radix à capite magis etiam diuulso pendulis, sapore amaro præditis, non paruá tandem acrimoniam relinquentibus: *caules* aliquot proferens spithamæos, striatos, tenues, in quibus *folia* tenuissimè dissecta, Eranthemi quorúdam, seu Floris Adonidis modo, sapore subamaro, odore, vbi attetantur digitis, intuaui: *flores* pulchri, flaui nullo excellente odore, ex foliis sedecim oblongis, striatis acuminatis, circa mucronem nonnihil crenatis, compositi: in medio amœna plurimorũ staminum partim herbidorum corona *capitulum* circumstat, oblongum, echinatum, vt in Ranunculis: subsunt flori quina folia hirsuta, viridantia.





Icones. Duæ nostræ icones sunt ex emptis sculptis: neutra verò placet, quia non adsunt omnes partes.

Tragi verum & nigrum Elleborum Ingelheimii effodiunt inter Bingium & Moguntiam, deferúntque Venetias.

A minoris Sesamoidis Dioscoridis historia non multùm abludere testatur Cordus in Diosc. eam herbam, quam Agyrtæ pharmacopolis pro Helleboro nigro vendunt. Vires enim easdem habere credit. Germani *klein Christvvurtz* vocant. Idem in hist. vbi figura pro Helleborina tenuifolia describit.

Matth. pingens in Dioscor. adductus est, vt suspicatus fuerit eam plantam esse veram Consiliginem Columellæ & Plinij, quam Tragus legitimum Veratrum nigrum esse putauit, non sine euidenti, vt ait, errore. In hist. Germ. vocat Pseudo-helleborum, *Vermkeinte schvvartze Nieszvvurtz.*

Sunt [inquit Dod.lat.] qui volunt hanc plantam Veratri nigri speciem esse: nonnulli Consiliginem, quidam Sesamoides: Elleborastrum alius. Nullam tamen harum appellationum huic stirpi conuenire mihi visum est, sed solum Buphthalmi nomen apud Dioscoridem. Quare Buphthalmum inscribo eam.

Elleb. veterib. indictum. Gesn. contrà hort. author est Dodonæum non rectè Buphthalmum facere herbam illam quâ pro Helleboro nigro quidam vtuntur. Idem rursus Ellebori nigri speciem facit veteribus indictam: In app. verò ad Anonimas potiùs referendam censet.

Lob. Adu. p. 315. & 345. Helleborus ferulaceus: Item, niger Helleborus Theophrasti, caule & folii Ferulæ, & Hippocratis. Obs. p. 456. vbi figura, Sesamoides minus Gesneri: Buphthalmus Anguillaræ. Icon. Plant. p. 784. Helleborus niger ferulaceus Theophrasti.

H. Lugd. notatur. H. Lugd. sub titulis, Pseudo-elleborus siue Consiligo Matthioli: &, Buphthalmus Dodonæi: Duas habet figuras eiusdem plantæ.

Cætera Synonima. Taber. Helleborus Hippocratis: Gerar. Buphthalmum siue Helleborus niger ferulaceus, *Oreeie*: Camer. apud Matth. germ. Buphthalmus Dodonæi, Helleborine flore luteo: C. Bauh. pin. Helleborus niger 9. [7. in phyt.] siue tenuifolius Buphthalmi flore: Elleb. niger verus Lon. Buphthalmum Dodonęi, Clus. pann. & hist. Elleborastrum nigrum Gesn. hort. & Camer. Elleborum alterum Castori. Fuchsius cùm Tubingæ apud eum eisem vocabat Elleborinem Dioscoridis.

Locus & Tempus. Mombelgardi in Ill. E.C. horto colui florentem Aprili & Maio Clusius vulgarem ait omnib. apricis collibus & siccioribus vtriusque Pannoniæ & Austriæ gramineis campis. Plurimam nasci in Bohemia, præsertim in agro Pragensi testatur Matthiolus. Prouenire circa Ienam in Thuringia, & circa Viennam in Austria prodit Camer. Apud Belgas hortensis est, Dod. Maio aut Iunio floret.

Vires & Vsus. Quod ad facultates attinet: Tragus sæpenumerò vidit homines citra periculũ huius radice fœliciter sanatos. Matth. ait in Bohemia tum Medicos, tum Pharmacopolas huius radicibus pro Veratri nigri vti: priuatim magno successu ad pecorum morbos: sed in medicamentis radices huius ἀντιβαλλομένας radicum Veratri esse non affirmat: idque, vt manifestum errorem, refutat Dodonæus, expertus eas minimè per inferna purgare. Eas etiam non sumendas esse pro Veratro nigro, quòd verum haberi possit, suadet Camerarius: addens tamen si radices externè admoueantur, duritries ac in scirrhum abituras collectiones certò dissipare.

DE SESAMOIDE EX Dioscoride & aliis.

CAP. IX.

INcidimus in Sesamoidum mentionem, quæ Veratro potentiâ ac viribus proxima sunt, & ex purgantium numero: opportunum idcirco eorum historias ex Dioscoride & aliis hic repetere. *Sesamoides duplex* Duo autem ea sunt: Vnum magnum: alterum paruum. In magni autem Sesamoidis descriptione inter Veteres non satis conuenit. Plinius lib. 22. cap. 25. Senetioni [i. e. ἠρυγέρων]

similem herbam scribit Oribasius Rutæ similiorem facit. Dioscoridis verò exemplaria vtrique herbæ Sesamoides istud comparant. Similis est herba, aiunt, Senecioni aut Rutæ: [ἠριγέροντι ἢ πηγάνῳ] folijs longis: flore albo: radice gracili, inefficace: semine simili Sesamo, amaro gustu.

Siue autem Dioscorides, siue alius, huius descriptionis auctor extiterit, oculata fide Sesamoides magnum non agnouisse videtur: sed ex aliorum scriptis tantummodò descriptionem eius collegisse: atque idcircò disiunctiua particula ἢ vsus: ignorans videlicet, cui simile Sesamoides magnum esset: Senecioni ne an Rutæ. Vtrique autem simile esse, vix possibile, id primùm annotante Dodonæo. Sunt etenim dissimiles multùm Senetio & Ruta, qualiscunque etiam ea sit, siue grauEolens, siue altera Hyperico similis.

Veratrum Antucyrense. Recentiores, inter quos Ruellius & nonnulli post eum, Sesamoides magnum existimant, quod à Theophrasto Veratrum nigrum describitur. Cognominatur enim ipsum Sesamaceum, siue σησαμοειδές: Anticyrenses, inquit, fructum sesama ei Veratri dare solent &c. Lege plura cap. de Helleboris. Et à Dioscoride, qui Sesamoides magnum apud Anticyrenses Veratrum [si modò genuina lectio] vocari refert: & à Galeno in lib. de simpl. med. fac. vbi Sesamoides magnum, Anticyricum Veratrum esse scribit. *Dodonæus* verò nondum repertum esse, nec facilè agnoscendum existimat.

Dicitur autem σησαμοειδὲς, vt Dioscoridis & posteriorum exemplaria habent in Anticyra ἑλλέβορον. Causa additur, quoniam Veratro albo in purgationibus misceatur. At propter hanc causam fortasse rectiùs ἑλλεβορίνη nuncuparetur. Nam Helleborines semen Theophrastus ait purgationi ex Veratro misceri, quod haud aliud quàm ipsius Sesamoidis esse verisimillimum est: Hippocrates enim, Strabo, & Dioscorides non aliud admisceri scribunt quàm Sesamoidis semen. In Ἀντικύρᾳ ait Strabo, nascitur σησαμοειδὲς, cui permixtum præparant Oetæum Helleborum. A Sesami autem forma & similitudine, Sesamoides nomen, vt Plinius ait, accepit.

Vires In abstergendo, excalfaciendo, desiccandó que similem Veratro vim, Galeno auctore, obtinet. Purgat pituitam & bilem supernè, vt Dioscorides refert, quæ tùm tribus digitis capi potest tritum, acceptum cum Veratri albi sesquiobolo, in aqua mulsa. Eadem de hoc ferè Hippocrates sub finem lib. i de vict. rat. in morb. acut. attamen non cum aqua mulsa, sed cum aceto mulso siue oxymelite exhibet.

DE SESAMOIDE PARVO EX DIOscoride.

Descriptio. SEsamoidi paruo, vt Dioscorides habet, dodrantales sunt *cauliculi, folia* habentes Coronopo similia, hirsutiora tamen ac minora: in summo cauliculorum capitula sunt *florum* subpurpureorum, quorum medium album, in quibus *semen* Sesamo simile, amarum, & ruffum: *radix* tenuis: nascitur locis asperis.

Nomina. Nonnulli ἀγριον σησαμοειδὲς μικρὸν, alij σησαμοειδὲς ἄγριον vocant: Galenus σησαμοειδὲς λευκὸν: & semen eius amaram qualitatem continere, multúmque amarum esse, excalfacere, rumpere extergeréque scribit.

Vires Purgat, inquit, Dioscorides, pituitam & bilem deorsum semen acetabuli mensura potum cum aqua mulsa. Idem impositum cum aqua tubercula & tumores discutit.

SANICVLA FOEMINA QVIBVSDAM, alijs Elleborus niger.

CAP. X.



Descriptio. CVbitum altos maioréſque premit *caules*, teretes, striatos, qui mansu saporem exhibent Imperatoriæ: *folia* Pentaphylli modo quinquepartita, singulis segmentis serratis, Imperatoriæ folijs suppària, rugosa, supernè atro-virentia, infernè ex virore in luteum tendentia. *Flores* simul aliquot Saniculæ, longè maiores, ex multis glomeratis flosculis virescétibus, quos folia obuallant multa striata, ex albo virescentia, pauca admista purpurâ: *semen* oblongum, alterâ facie planum, alterâ gibbum & caniculatum, colore cinereo: *radix* multùm fibrosa, Hellebori modo, atra.

Sanicula altera Fuchsij ab omnibus ferè Herbarijs pro specie Osteritij vulgò vocati habetur, sed falsò quando neque in folijs, neque in radice vlla appareat acrimonia, sed perinde atque in mare Sanicula amaritudo & adstrictio. Germanis etiam errore quodã *die klein Meisterwurtz*, h.e Imperatoria minor, nominatur. Fuchsius eandem quòd & forma & facultate ad veram Saniculam, quam marem facit, proximè accedere crediderit, Saniculam fœminam nuncupauit.

Dod. gall. vocat Veratrum nigrum & Elleborum nigrum, nullâ factâ mentione Neotericorum: sed tantùm veterum nomina, quæ Elleboro competunt, apponens. Idem de purg. & in fol. lat. pro Veratro nigro, non quidem Theophrasti, Dioscoridis depingit & describit. *Veratrum nigrum Diosc. Dod.*

Trago est lib. i. cap. 144. de Smyrnio, Osteritium 3. siue montanum, quinque folijs diuisim vnico pediculo insidentibus, Osteritij veri aut Saniculæ modo. Eid. cap. 173. Sanicula 2. siue fœmina adulterina.

Tantò minùs Lobel. in Adu. huic quadrare contendit Astrantiæ nigræ, siue atræ nomen, [huic Astrantiæ nigræ nomen minimè conuenire tradit etiam Dodon.] Germ. *Schwartz Astrentz oder Muetterwurtz*. quam periti Saniculam alteram putarunt, alij Helleborum nigrum, leuiusculâ, vt ait, coniecturâ. Is à luteo, quem effundit, succo vniuersa planta ac etiam alijs notis Astrantiæ, assimilauit, ideóque nigram appellauit: Obs. p. 381. Ic. p. 681.

Apollo Rad. i. supra elect. Iustinum, quartam facit Pentaphylli speciem, dicens fœminam nuncupari, Diapensiam & Saniculam. Sed vbinam quæso legit vocatam fuisse Diapensiam? *Apollo.not.*

Gesn.

Gesn. hort. Saniculam fœminam cognominatam à Sanicula genere toto differre contra Fuchsium concludit. Dodonæum verò falli scribit, putantem esse verum Elleborum nigrum Dioscoridis.

Cætera Synonyma. C.Bauh.pin. Elleborus niger 5. [4.in phyt.] siue Saniculæ folio, maior: Sanicula fœmina Fuchsij, H.Lugd.& Clus.hist. Veratrum nigrum Dioscoridis, Lac. & Eyst. Veratrum nigrum 2. Clus. pann. Imperatoria nigra Tabern. Elleborus niger Dodonæi, H.Lugd.

Locus & Tempus. Saniculæ fœminæ Fuchsij semina Montbelgardi sæpiùs terræ mandaui, sed nunquam prouenit. Obseruaui Lugduni *au bois de la bonne Allemande* prouenientem Martio mense: Basileæ florentem Iunio ac etiam Septembri. In monte Thuiri Iulio, vnde in hortum translata. Geneuæ folia producebat Aprili, florebàtque Maio ac Iunio. In montibus ac syluis Tubingæ vicinis quoque reperimus. Abundant hæc etiam Pannoniæ vtriúsque & vicinarum Prouinciarum prata, vmbrosæ siluæ, & montes. Talibus in locis montis Iuræ frequentem collegit Io. Schvvab. in asperis ac incultis, æstiuis mentibus florentem, totóque anno virentem.

Vires & vsus. Fuchsius affirmat Saniculam suam fœminam formâ & facultate ad veram Saniculam proximè accedere, & in ea vt in mare amaritudinem & adstrictionem esse. Dodonæo tamen visa est Veratro nigro Dioscoridis, forma & viribus respondere. Ad omnia tamen efficaciùs habendum.

Atros autem aliósque humores radices huius expurgare, testes habet in German. nonnullos exercitatissimos Medicos, qui his melancholicos purgatos feliciter ad sanitatem reduxere. Purgandi quoque huic facultatem adesse, testatur etiam Gesnerus in epistola quadam ad Occonem, in qua Astrantiæ nigræ Helleboro albo ferè similem vim, sed tamen mitiorem, & & per aluum purgatricem primùm se expertum refert. Quæ sententiam Dodonæi, Dioscoridis scilicet Veratrum nigrum esse, confirmant. Fab. Hildanus ad curationem scirrhi lienis in apozemate præscribit Saniculam fœminam Fuchsij.

Descriptio. Nos minimam Fuchsij Saniculam fœminam inuenimus in Rheticis montibus quæ vix vncias duas excedebat, nec floribus, folijs & radicibus nisi quantitate, differebat. Hæc C. Bauh. phyt. Helleborus niger 5. [Pin.6.] siue *Sanicula* folio minor dicitur.

SANICVLA MAS FVCHSII siue Diapensia.

Concinna sunt Saniculæ *folia*, quæ à *radice* adstringente, foris nigra, intus alba, fibrosa, exeunt, cum splendore virentia, rigidula, ferè rotunda, quinquepartita, singulis segmentis subdiuisis, quorum omnium pulchræ crenæ: *caulis* cubitalis, enodis, læuis, in fastigio diuisus *flosculos* sustinet, tanquam in vmbellis exiguis confertos, albos, quinquefolios, quos *lappula* excipiunt, vestibus adhærescentes.

Brunfelf. tomo 1. rapf. Diapensia, Sennicula, Pelium Hermolai [Coroll. 739.] Pentaphyllon Collinutij. Pentaphyllum verò ne sit, cur affirmet non habet, cur neget non videt. Ait vulgo Herbariorum Diapensiam græcè, latinè Ferrariam maiorem, & Consolidam minorem dici. Dod. verò gall.cum Io. Agricola negat speciem Pentaphylli.

Camer. opinio explosa. Camer. hort. scribit Saniculæ delineationem Ruellij nostræ non omninò conuenire: eam etiam inter Ranunculos ipsum retulisse. Sed non video vbi Ruellius hanc Saniculam ad Ranunculos retulerit: tradit quidem cap.de Ranunculis plantam Seniclon dictam sed ab hac diuersam. Satis autem conuenit descriptio Saniculæ Ruellij cum Sanicula mare Fuchsij.

Corn. constanter affirmat hanc Symphyti Græcis appellari aliquam speciem esse, videtúrque Consolidam minorem appellare.

Quam Fuchs. Saniculæ maris nominè depingit & describit, quamque à nullo veterum describi ait, eam Gesn. horto præcipuè & Simpliciter Saniculam appellat. Matthiolus Quinquefolium siue Pentaphyllon quintum vocat, ac in Hist. germ. annotat quibusdam Saniculam nigram dici. Apollo rad. 1. facit Pentaphylli 4. speciem marem: Amatus confundit Coralloidem cum Diapensia.

Ruell. taxatur. Quid veteribus fuerit Sanicula, inter Ranunculos se dicturum promittit lib. 2. cap. 147. Ruellius. Inuenio ego cap. 106. vbi de Ranunculis tractat, eum hæc dicere: Ranunculum 4. flore lacteo, tura nostra, ab Herbarijs, vt arbitror, edocta, *Seniclon*, quasi verò Saniculum appellant, &c. *Sed emendenda* Plinij lectio, qui pro lacteo in hac specie luteo habet, quod verbis Dioscoridis conspicuum cognoscitur. Si Ruellius Saniculam ad Ranunculum refert, quomodo à confusione excusandus sit, non video.

Synonyma. Trago est vulneraria herba, quam Consolidam minorem dicendam putat. Ipsi certè videtur verum esse σύμφυτον πετραῖον Dioscoridis. Quæ causa fortè vt Apollinaris Saniculæ eas vires tribuat quæ Symphyto propriæ sunt.

Etymon. C.Bauhin.phyt. & pin. Sanicula officinarum: Sanicula Brunf. Trago, Anguill. Gesn. hort. Lac. Lon. Cæs. Camer. Thal. Tabern. [cui & Consolida quinquefolia] & Eystett. Sanicula & Diapensia. Lob. Adu. Obs. 385. Icon. Plant. p. 663. & Gerardo. Diapensia Brunfels. Matth. Cast. cui & Pentaphylli 5. species. Sideritis 3. Dioscoridis Columnæ.

Nomina linguar. Sanicula à sanandis vulneribus nomen traxisse videtur: Germ. Belg. & Angl. *Sanickel*: Gall. *Sanicle, ou Senicle*: Ital. *Cinquefoglio maggiore*: Bœh. *Zanikl*. Vngaris *Sanicor*.

Locus & Tempus. In radice montis Saleuæ viret Februario. In siluis vmbrosis nascitur: gaudet pingui gleba, læto, humidóque solo: Florem Maio ac Iunio profert: semen deinde maturat: herbæ verò folia toto anno virent, nec hybernum horrent frigus. Abundant Saniculâ vulgari, subdit Clusius, Pannoniæ vtriúsque & vicinarum Prouinciarum prata, vmbrosæ siluæ & montes. Translata ad hortos subinde adolescit.

Tragus, qui sibi persuadet, sed malè: Saniculā esse Symphytū petræum, ascribit ei omnes vires, à Dioscor. ei attributas, quæ an quadrent, aliorum relinquimus iudicijs. Inter alia verò Chirurgis familiarissimam ait, & siccum obtinere temperamentum, ac iisdem penè cum Tormentilla pollere viribus, & posse adhiberi ad omnia interna vitia herbam hanc cum radice, sicut &

Tormentillam: vulgò nomen Saniculæ traxisse à mira sanandi vi, indéque potionibus vulnerarijs addi. *Fuchsio* non est simplicis naturæ, gustu id indicante adstringit simul & amara est, vt hoc nomine calfactoriam & exsiccatoriam esse nulli dubium sit. Statuitur autem calida & sicca ordine secundo. Herbæ succum vulneratis in potu mirificè conferre, experientiâ compertum est. Tumores quoque reprimere decoctam herbam impositam, aut eius succum illitum tam in homine, quàm in pecoribus constat. Neque enim aliud præsentius est auxilium, cùm ad fauces, vel pulmones vitium decubuit. Et in summa omnia quæ Symphyton præstat etiam Sanicula. Potissimùm verò sanguinis sputo, dysenteriæ, renumque vitijs medetur. Nos contrà, non omnibus renum vitijs conuenire putamus, sed duntaxat exhiberi posse, vbi aliqua vena in renibus rupta, vel in diabete, vel in vlceribus, si vires habet Symphyti, vt Fuchsius quoque perhibet. Internis & externis vulneribus, inquit Lobel. sanguinis eruptionibus, vlceribus, dysenterijs, ruptis & vulsis auxiliatur, decocta, pota & imposita. Dodon. qui siccam facit tertio gradu, sumptam & admotam commendat aduersus hernias. Saniculæ puluerem intritum melle & Glycyrrhizæ succo, ieiuno ventriculo potum, interanea omnia phlegminantia & pituita obducta expurgare dicit Brunfelf. Idem efficere quoque eius decoctum cum melle rosaceo, & sacchato. Sic & Lonicerus, qui varias attribuit vires tum aquæ, tum herbæ, quæ ferè ab alijs ascriptæ sunt, purgatricem quoque herbam pronunciat. Sed & Wirsung. ad aluum mouendam Saniculam cum radicibus & melle rosato optimè decoquit, decoctique vncias quatuor sumendas præcipit. *Sed si cantam* glutinandi & adstringendi vim possidet, qualem non solùm alij perhibent, sed etiàm quotidiana praxis comprobat, quomodo aluum ducet? Iudicent lectores an qui purgatricem statuerunt, non eorum errore, qui Peplidem pronunciarunt, seducti decipiantur. Quia denique Saniculæ succus vulneratis in potu commendatur: ideo Gallis in adagium venit vulgò iactatum, *eos non egere Chirurgo, qui Saniculam habuerint.*

EPIPACTIS ET ELLEBORINE VETERIBUS & in genere.

Cap. XII.

Dios. EPipactis, referente Dioscoride, ab alijs Elleborine vocata est, estque frutex [δαμάσονιον vet. quidam πόα μικρά, herba parua:] pusillus perquàm exiguis constans foliolis [Ald. folijs, vet. addit ἄνθη πορφυροειδῆ] contra venena, & iecinoris vitia pota prodest.

Epipactis, inquit Plinius lib. 27. c. 9. ab alijs Elleborine vocatur, herba, exiguis folijs, iecinoris vitijs vtilissima, & contra venena pota. Porrò non sine mendo in aliquibus Plinij codicibus Epicactis pro Epipactis, & Emboline pro Elleborine legitur, vt rectè annotat Gesnerus. Galenus huius mentionem omisit. Paulus sua ex Dioscoride transcripsit. Epipactis, inquit, quæ & Elleborine dicitur. Bibitur ad lethalia medicamenta, & ad hepatis morbos.

Theophrastus lib. 9. cap. 11. vbi de Veratro agit, ad Ellebori albi potionem, vt probè vomitus succedat miscetur, inquit, Elleborines semen. Hæc autem herbula est. Cornarius tamen hanc Theophrasti Elleborinem, aliam rectè putat ab ea quam Dioscorides etiam Epipactin appellari dicit.

Epipactis, Helleborine, Gesnero incognita herba est, vt fatetur in cat. pl. Idem de Lunarijs dicit apud Dioscoridem vocem Βόρον inter spuria mutilam esse pro ἐπιπακτίνην. Ait autem Plinium l. 23. c. 20. ineptissimè Epipactin inter arbores, & frutices reponere: commodiùs autem inter herbas. Cæterùm, Elleborinem dictam suspicatur à facultate vomitoria. *Gesnero Epipactis incognita.*

Epipactidis & Elleborines nomine proponuntur sequentes plantæ: Epipactis Matthioli, quæ commentitia videtur. Consiligo seu Helleb. niger sil. adulterinus. Sanicula. Damasonium quorundam. Gentianella. Herniaria. Lunaria botritis. Alsine. *Æquiuoca.*

EPIPACTIS MATTHIOLI.

SI Epipactis Elleborine ex eo dicta est, quòd cum Helleboro nigro similitudinem habeat, eam equidem crediderim [inquit Matth.] in Goritiensi agro nasci. Quandoquidem inibi frequens quædam parua herba reperitur, cuius figuram do, quæ folijs floribus & radicibus Elleborum nigrum repræsentat. Locus.

Scio Matthiolum herbæ cuiusdam, inquit Gesnerus, iconem dare cuius folia non absimilia inquit esse Ellebori nigri folijs: sed quis veterum præsertim, Epipactidis folia Elleboro nigro comparauit: Addo quòd neque fruticosa est, quam pingit herba &c. *Matthioli error.*

Lobel. in Adu. de Epipactide, contra Matthiolum præsertim inter alia hæc scribit: Non inde quia similis foret Helleboro videtur Epipactis dicta Helleborine, sed propterea quòd Helleboris misceretur, foretq; quasi frænum impressioni vehementissimæ pharmaci Helleborati: neque vtri Helleboro Dioscorides similem fecerit constat, imò ne fecisse quidem. Ea propter quid hîc Comentator hariolerur, qui volet videat, & rideat &c. Et Senensis arbiter decernit nobis Epipactidem pictam, nec descriptam: vt solet innumeris locis, vt pote aliunde mutuatus nec stirpem conspicatus: at sicubi fuerit nactus Brassicas aut Vrticas describendas, vel alienas inuaserit delineationes, enecat verbis, aut Crambe recocta. Sed rariores & cognitu digniores, pictori mandat: & ilico elogio illo centies inculcato addit, *Est similis prorsus nullis reclamantibus notis*: subditque non ad nostram cognitionem, sed ad sui ostentationem, non quidem se scire num Helleborine sit: sed tamen Epipactida esse ridiculè perinde ac si dicat quis, incertum esse num sit Helleborum, sed tamen certum, esse Veratrum.

C. Bauh. apud Matth. scribit sibi Epipactidem Matthioli nondum conspectam. In pin. tamen vocat Helleborum nigrum 7. [6. phyt.] siue Saniculæ facie: Epipactidem Matthioli & Lacunæ: Elleborinem, Matth. H. Lugd. & Tabern. Elleborinem alpinam Saniculæ & Ellebori nigri facie, Lob. Obs. p. 378. Ic. Plant. p. 664. Helleborinem Matthioli commentitiam Ad. Clus. in stirp. nomencl. pann. Helleborine Matthioli dicitur *Sarkokarchus.* Synonyma.

POLYRRHIZOS PLINII DALEchampij

Cap. XIII.

POlyrrhizos hæc Plinij Dalechampij, apud H. Lugd. p. 1140. pingitur & sic describitur.

Descriptio



Radice est multiplici, nigra, *caulibus* multis, angulosis, palmum altis: *foliis* Myrti paulò obtusioribus, per interualla geminis: *flore* pallido: *semine* in oblongis vasculis: gaudet asperis. A radicum multitudine herbę huic nomen datum.

Polyrrhizo Plinij hanc cōgruere autumant, de quo ait: Folia habet Myrti & radices multas, quæ tusæ dantur in vino contra serpentes: prosunt & quadrupedibus. Hist. Lugd. aliam habet ibidem Polyrrhizon latifoliam Dalechampij, quam Ranunculum montanum album esse suspicamur, de quo H.n. lib.30.

Cæterùm, quid sit Polyrrhizos hæc Plinij Hist. Lugdunensi, vt verum fateat, ignoro. C.Bauh. in pin. quærit an sit Elleborus niger 8. siue Elleborinæ nigræ species.

Dioſc.

STAPHIS AGRIA VETERIBUS.

CAP. XIV.

Staphisagria Dioscoridis *folia* habet veluti Vitis siluestris, fissa: *cauliculos* rectos, molles, nigros: *florem* fert Isatidi similem: *semen* in folliculis viridibus, veluti Cicer, triangulare, asperum ex nigro subfuluum, intus album, gustu acre. Cæterùm, vbi flos Glasto similis, non de figura herbæ Cæsalpino accipiendus videtur, sed de colore, quem Glastum inficit.

Astaphysagria Plin. Plinius lib.23. cap.11. Astaphisagriam & Staphim vocat, quam Vuam taminiam aliqui vocant falsò, suum enim genus habet: cauliculis nigris, rectis: foliis Labruscæ: fert folliculos veriùs quàm acinos, virides, similes Ciceri: in his nucleum triangulum. Maturescit vindemiâ, nigrescitque, quum Taminiæ rubentes norimus acinos, sciamúsque illam in apricis nasci, hanc non nisi in opacis: Hæc ille. Qui sibi in hoc

Plin. not. non constat, teste Cornario, quod Staphydem agriam falsò vuam taminiam vocari asserit: & quod paulò pòst de Labrusca dicit: Ita ac potiùs crediderim esse, quam vulgus Vuam taminiam vocat. Nam contra hæc lib 26. cap.13. in fine ait Vuam taminiam resistere phthiriasi, id est, morbo pediculari, his verbis: Nascuntur in sanguine ipso hominis animalia exesura corpus. Resistitur Vuæ taminiæ succo, aut Veratri, cum oleo perunctis corporibus, Taminia quidem in aceto decocta, etiam vestes eo tædio liberat: Hic itaque Vuam tamineam dixit Staphidem agriam. Nam de hac Staphide siluestri idem tradit Galenus lib.1. cap.7. secundum loca. Cornelius autem Celsus lib.5. cap.21. Vuam taminiam, σταφίδα ἀγρίαν Græcis nominari apertè dicit, quem sanè Plinius refellere voluisse videtur. In Scribonio appellatur Herba pedicularis: in Marcello vetere empirico, Peduncularia, eò quòd pediculos necat. Officinæ & græcam appellationem retinent, & Pituitariam vocant, itidem vt Plinius priori loco citato. Sed tamen Peduncularium potiùs, quàm Pituitariam legendum censet Cornarius. Cur autem non æquè Pituitaria, à pituita, quam è capite ducit?

Vires Staphidis agriæ si quis grana decem, aut quindecim, trita in aqua mulsa exhibeat, crassa per vomitus educunt, authore Dioscoride: qui autem hauserunt, obambulare debent: Et diligenter animaduertendum est, vt aqua mulsa assiduè detur, eò quòd strangulationis periculum affert, & fauces vrit: Herba ipsa trita & cum oleo illita, ad morbum pedicularem, pruritus & scabiem facit: Commansa verò pituitam plurimam ducit: Cum aceto coctâ si colluatur os, ad dentium dolores prodest, & gingiuas fluidas constringit: feruida oris vlcera sanat cum melle: miscetur & malagmatis feruorem inducentibus.

Astaphidis agriæ nucleis ad purgationem vti non censuerit Plinius, idque propter ancipitem strangulationem: nec ad pituitam oris siccandam. Fauces enim lædunt. Phthiriasi caput & reliquum corpus liberant triti, faciliùs admixtâ Sandarachâ: Item pruritu & psoris. Ad dentium dolores coquuntur in aceto, ad aurium vitia, rheumatismos cicatricum, vlcerum manantia. Flos tritus in vino contra serpentes bibitur. Semen idem abdicauerit propter nimiam vim ardoris: Quidam eam Pituitariam vocant.

Plin. not. In Plinio in eo quod dixit rheumatismos cicatricum, manifestus error est οὐλάς i.e. cicatrices, pro οὖλα agnoscente. Dioscorides enim οὖλα ῥευματιζόμενα i.e. gingiuas fluidas habet: & alioqui cicatricum nulli sunt rheumatismi.

Galeno Astaphis agria acrem vehementer vim habet, vt pituitam de capite ducat, & valdè extergeat. Quare etiam ad scabiem commoda est. Participat & vrente quadam facultate.

Apud Hippocratem morb. muliebr. statuitur σταφὶς ἀγρία medicamentum, quod illinatur ad anginam.

STAPHIS AGRIA.

Descrip.



Hirsutum habet Staphis agria *caulem*, cubito altiorē, teretē in multos ramos diductum: in his *folia* longis hærentia pediculis, ampla, vitiginea, vnde toti plantę nomen comparatum, vel Ricini magnitudine, & diuisurâ digitatâ, pilosa: *flores* pediculis frequentibus, tum è foliorum sinu, tum ex caulis fastigio, tum ex ramis insident, singuli suo, cærulei, è quinque foliolis hirsutis compositi, apicibus & staminibus foliaceis medium tenentibus *semen* rugosum, nigrum, angulosum, vridæ fa-



Pediculatia vera.

cultatis vi gustatu os incendit.

Hanc sunt qui veram Pedicularium, quòd sc. pediculos & lendes enecet, statuât & eam quæ Dioscoridi, Plinio, Galeno, & aliis veteribus Staphis agria dicitur, sed cũ descriptione non planè respondet, inquit Tragus. Quare dicam eam Staphidis agrias speciem esse, non ipsam Staphidem. Alij Pituitariam latinè, *Speichel vvurtz* germanicè appellant, quòd commanducata feruore multam pituitam trahat. Ego germanicè *Leüsz vvurtzel*, pedicularium, *leüszenæder*: semen verò *Meeusz vnnd Pfeffer*, q.c. Piper murium aut glirium appellabo. Porrò alij *Biszmountz* germ. etiam vocant: Belgæ *leuyscrount*, *leuyspædere*, Galli *Herbe aux poulx*: It. *Stafusaria*: Hisp. *Yerua pioienta*, *Caparas* siue *Fabaraz*, & *Paparraz*: *Yerua piolheyra*: Angl. *Srenuisa ker*.

Nom. lingu.

Synon.

Staphis agria Trago, Matth. Fuchs. Dodon. Gesn. hort. Lac. Turn. Lob. Adu. Obs. p. 393. Icon. Plant. pag. 689 [vbi & vitifolia.] H Lugd. Cæsalp. Cast. Camer. & C. Bauhino: Pedicularis Cordo in Diosc.

Quia autem vnanimi consensu præsens planta Staphidem agriam Dioscoridis esse statuitur, non absque ratione antiquorum appellationes adscribimus. Σταφὶς ἀγρία igitur Dioscoridi dicitur: ἀσταφὶς ἀγρία Galeno: aliquib. τρίφυλλον [Trifoliũ] aliis ... [Isfinum] aliis ἀσταφὶς [Astaphida:] aliis φθειροκτόνον [Phthiroctonon, quasi pediculos enecans: aliis ... [Phthirion:] aliis ἀπάνθρωπον [Apanthropon:] aliis πολυειδὲς [Polyides:] aliis ψευδοσταφὶς [Pseudostaphis:] aliis ἀρσενὸν [Arsenote] Ægyptiis ... [ibesaoedes] Has appellationes aliis discutiendas relinquimus. Astaphisagria, & Staphis Plinio: Latinis Herba pedicularis, ab effectu, vnde & Phthiroctonum dicta est, & nunc in Græcia φθειρόκοκκον granum pediculariam nominatur.

Locus

Nascitur in opacis. In Istria, inquit Matthiolus, Dalmatia, Apulia, & Calabria frequentissima prouenit. Apud Germanos non nisi in hortis sata reperitur. Requirit terram cultam & irrigatam, non nimiùm Soli expositam, placet meridionalis vmbra: verno tempore seritur, semen colligitur principio Iulij, iuxta Oliuerium de Serres: Dodonæo tamen semen maturescit & nigrescit cum vindemia.

Tempus

RICINVS EX VETERIBVS.

Cap. XIV.

Diosc.

Cici aut Croton [κίκι ἢ κρότων. κρότωνα quidem nominât, à Crotonis animalis similitudine.] aliqui, referente Dioscoride, Sesamum siluestre [σήσαμον ἄγριον] alij Seseli Cyprium [σέσελι κύπριον] appellant. Ricini verò nomen [κρότων⊙] accepit à similitudine quæ est illius semini cum ricino animali. Arbuscula autem est paruę Ficus, *folio* Platani, at maiore, læuiore & nigriore: *ramis*, caudicibúsque canis in Arundinis modum: *semine* [alius fructu] in vuis asperis, quod decorticatum ricinum animal repræsentat. Ex eo oleum nomine cicinum [siue ricinum] exprimitur, cibis quidem ineptum ac fœdum: sed aliàs lucernis & emplastris vtile, [Hodie in Officinis non est in vsu: de eo vide plura apud Diosc. lib. 1. cap. 33. & apud Plinium libr. 15. cap. 7.] Grana numero triginta [Matth. tria] purgata & trita poca, pituitam, bilem, aquásque per aluum extrahunt, ac vomitiones etiam cient. Veruntamen admodum ingrata laboriosáque est eiusmodi purgatio: siquidem valenter stomachum subuertit. Tusa verò & imposita eadem varos & vitia cutis à Sole contracta depurgant. At folia cum polentæ polline trita, oculorum œdemata inflammationésque leniunt. Eadem seu per se, seu etiam ex aceto illita, lactis vbertate turgentes mammas cohibent, & erysipelata restinguunt.

Theophrastus aliarum arborum folia ipsa sibi similia esse dicit, sed Populi, & Hederæ, & eius, quæ Croton appellatur, dissimilia & figurâ alterata. In hac enim noua rotunda sunt: vetustiora angulosa. Et hæc lib. 1. hist. loquutus, repetit lib. 2. de caus. cap. 22. Foliorum transfiguratio percipitur in Crotone. Nam postquam cum rotundo principio prouenêre, in angulum deinde se colligunt: quasi formam istam suæ perfectionis demũ capescere debeat. Quod ita fit, quia rès simplex facilior est, quàm multiformis: & principium rê difficilè peragere nequit, quia debile est. Theoph.

Galeno Ricini semen, quod & purgat, extergendi & discutiendi vim habet. Ita & folium, sed omninò debilius. Oleum verò ex semine calidius, & magis tenuium partium est, quam oleum commune, & propterea discutiendi vi præditum. Galen.

Guiland. in epist. ad Andr. Patricium multâ verborum contentione, magna constantia & asseueratione irreuocabili tuetur atque defendit, Ricinum hic à veteribus descriptum esse Hebræorum kikaion, idque etiam contra omnium interpretum sententiam: atque tum ex Hieronymi verbis, tum ex Arabica, Syriaca, & Mauritanica dictione comprobet.

Eandem Stirpem, quam scilicet Deus Ionæ Prophetæ iuxta Niniuen pro vmbraculo præparauit, & quæ subitò à verme corrosa est [cuius fortè imaginem fructus adhuc hodie etiam impressam retinet, si opinari haud nefas sit] & collapsa, Ricinum fuisse, Arias Montanus in comm. suis in Ionam quoque contendit, & κικαίων Hebræis dici euidenter ostendit. Idem etiam super per hac re concludit contra August. & Hieronymum Lambert. Danæus suis in Ionæ c. 4. Comm. kikajon Ricinum interpretans. Ac eius etiam meminit I. G. Stuckius l. 3. antiq. conuiuial. citans Leuinum Lemnium cap. 33. de Herb. biblicis, & Ariam Montanum, eadem cum iis docens.

RICINVS VVLGARIS.

Descriptio

Ricinus insigni auctu celeriter adolescit, *caule* crasso, striato, glauco, geniculato, inani, trium, quatuor & plurium cubitorum, Dodonæo

superiùs

superiùs ramoso, ex obscura purpura nitente & glabro ; candido videlicet, deterso, tenui instar farinæ, puluere, quo veluti conspersus subinde apparet: *folia* ampla, Cordo Platano & Aceri similia, digitata : in septem, octo, aut nouem, acuminata, serrataque segmenta, in quorum singula neruus è folij centro exporrigitur, diuiduntur, atrouirentia, splendida & interdum acetabuli instar concaua, potissimùm loco quo segmentorum nerui coëunt, vnde & pediculus auerso folio oritur dodrantalis, purpurascens, concauus: quantò autem superiora fuerint folia, tantò etiam ampliora existunt, sic vt ex his petasum ęquātia sit reperiri, nullum è vulnere lac manantia: *flores* lōgâ ferè thyrsoide surculo peculiari racematí insidēt,



è sanguineis, crispísque staminibus, quæ terna è fructus rudimento eminant, conflati: quibus muricata vascula triquetra succedunt, quæ *semina* claudunt oblonga, Ricini animalculi æmula, Dod. foris liuid. & maculosa, interiore medullâ candidâ, quæ capitulis per maturitatem fissis ac tunicas frangentibus, cum impetu exiliunt: ac præter *flores* videre est in eodem thyrso muscosa glomerata racemata coloris herbacei, quæ nullo relicto fructu tandem marcescunt: *radix* subest simplex, longa, crassa, lutea, candida, crebras circumcirca fibras emittens.

Bellon. apud Arab. vocat Cataputiam maiorem, Venetorum vulgi *Mirasol*, & Granum regale quorundam. Brunfelsius Cataputiam arborescentem esse, vel palmam Christi suspicatus est. Tragus, qui huius purgatione non delectatur, Dioscoridis Croton esse, auctorémque adducit M. Virgilium in Hetruria & Thuscia Phaselum Romanum vocari.

Monachi in Mes. dist. 12. cens. 316. Brassauolam admirantur dicentem, interpretem Serapionis errasse int erpretando Chertuam esse Cataputiam maiorem: quin ipsum deceptum autumant. Serapioni, inquiunt, Cherua dicitur Cataputia maior, Mesueo Albemesuch maius: Granum regium: Ricinus, Cici seu Cicum Dioscoridi: nonnullis Pentadactylus, Custos horti, Heliotropia, Girasolis, Mirasolis, & Sponsa Solis: Incolis Figghiera del inferno: Auerrhoi 5. coll. Halbarea.

Brassau. carpitur.

Σίκι ἢ κρότων Græcis dicitur, Ricinus Latinis, vt Trago, Matth. Fuchs. Dod. Anguill. Cordo in Diosc. & hist. Gesn. hort. Lac. Lon. Lobel. Adu. Obs. 392. & Ic. Pl. [vbi & Cerua maior, Cataputia maior, Granum regium Mesuæ] Cæs. Cast. H Lugd. & Tab. *Cici* Gesn. hort Ricinus vulgaris Camer. Ricinus maior Eyst. Ricinus, Kerua Tripoli Rauvvolf. Cerua aut Cataputia maior, Frag. Palma Christi Gall. Magus Christi Officinarum Corn. Sillicyprium Herodoti Gesn. cat. Ricinus 1. siue minor C. Bauh. phyt. *Eid. pin.* Ricinus 1. siue vulgaris: Foliis ludit, inquit: quare Theoph. 1. hist. cap. 16. [vt iam antè annotatum] Crotonis folia initio cùm proueniunt, rotunda sunt deinde in angulos formantur: tanquam perfectè articulata: Ratione loci magnitudine variat: nam hominis crassitudine in Hispania Clusius, & magnas arbores in Creta Bellonius vidit, vt scalis admotis conscendi debeant: ex quo apud Hispanos oleum conficitur, quod oleum Ficûs infernalis nominant, Monarde & Fragoso monentibus. Fit etiam in horto Eystettensi mentio Ricini minoris, qui omni ex parte prædicto magnitudine cedit.

Synonyma.

Germ. dicitur *vvunderbaum*, siue *vvunderblaum*, *Creutzbaum, Teutschscher hanff* & *Kæmischenbanf* Aegyptis aliquibus: *Keuschsche Bonen*: vel *Keumische Bonen*. Semen ipsum *Zecken korner*. Nam Ricinus animal, Cornario perhibente Germanis *Zeck* appellatur. Belg. *vvunderboom, Mulenerruyt*. Gall. *Palme de Christ.* It. *Girasole, Mirasole*, aliquib. *Fagiuolo Turchesco*. Hisp. *Figueira del infierno*. Angl. *Palma Christi*: Clus. in stirp. nomencl. pannon. *Sar fin.* Officinis passim Cerua siue Cataputia maior.

Nom. ling.

In Ægypto spontè nasci author est Matthiolus. Seritur : hortis, tum apud Germanos & Gallos; tum & alibi, non modò ad spectaculum, verùm etiam aduersus talparum iniuriam, quas ferunt Ricinum fugere. Annua verò in Germania stirps est: perficitur eodem quo sata est anno: semen, si Æstas calida fuerit, Autumno maturatur. In calidis regionibus multos resistit annos, vbi in maiorem excrescit altitudinem.

Locus & Tempus

Vires & vsus ex Dioscoride, Plinio, & Galeno priori capite adscripsimus. Eadem ferè de granis istis, quæ Dioscorides, Mesues habet, sed quinque aut septem, vel ad summum quindecim numero tantùm exhibenda tradit: eademque ex iure veteris galli, colli, iuncturarum, & coxendicis doloribus vtilia; & cum aqua casei, vel lacte caprino, hydropicis prodesse. Matthiolus suspicatur in Dioscoridis exemplari subesse mendum. Grana enim triginta seminis non sine periculo vitæ dari posse, nostro iudicio, rectè statuit, Quo fit vt cum Oribasio legat tria grana, non triginta.

Vires & vsus

Dosis.

Diosc. notat.

RICINVS MAIOR AMERICANVS CVRcas dictus, & Faba purgatrix Indiæ occiduæ.



Clusius Ricinum Americum sic describit: Hoc Ricini genus, inquit, ego vidi quod ante aliquot annos ex America adferri cœpit, vulgari paullò maius, cuius operimentum, seu siliqua illa triāgula, quæ semina continet, tuberculis asperis nō est obsita, vt in vulgari; sed

Descriptio

læuis & cinerei coloris. Ipsum granum siue semen vulgari simile, nigrum tamen & non maculosum, vt illud. An arbor quæ Curcas Americorum profert similis sit Ricino in Hispania & Creta prouenienti, planè ignoro, cùm qui inde fructum attulisset, arboris formam describere non posset.

Synonima. Clus. apud Monardem [qui Hispanorum Ficum infernalem, Arborem cùm fructu, tum foliis Ricino similem, sed in maiorem altitudinem ob soli vbertatem excrescentem, vocat] Ricinus Americus, & Curcas Americorum, Ricinus Americus Lob. Obser. pag. 392. Icon. Plant. pag. 688. H. Lugd. pag. 1790. Tab. & Ferd. Imperato, qui ab aliquibus *Dende* falsò existimari refert. C. Bauh. phyt. & pin. Ricinus 2. siue maior Amecanus: Camer. Ricinus Syriacus.

Habeo ex dono Illustrissimi mei Principis, à Paludano missum.

Vires & vsus. Mirificâ, vt aiunt, purgandi facultate præditum: nam etiamsi dimidia tantùm vnius grani pars sumatur, valenter supernè & infernè purgare relatum est Clusio. Gelisco, nouæ Hispaniæ prouincia, oleum, seu liquor quidam adfertur,

Oleum. cui Hispani, Oleum Ficus infernalis, nomen indiderunt, eò quòd ex arbore Ricino simili elicitur. Eâdem verò ratione hoc oleum Indi eliciunt, quam docuit Dioscorides, h. e. contuso semine, deinde in aqua cocto, postremum oleo innatante cochlearibus excepto. Hæc elicien dorum oleorum ratio è seminibus & fructibus. Indis admodum familiaris est, quippe qui nullam expressionem norint: sed etiam hoc oleum isto modo quàm expressione faciliùs elicitur. *Magnis viribus* pollet, veluti experientiâ & multo eius vsu comprobatum est, cùm in India, tum

Morbi frigidi. in Hispania. Omnes morbos ab humoribus frigidis prouenientes sanat, omnes tumores dissoluit, flatusque discutit, præsertim ventris, eámque ob causam non modò in Anasarca vtile, sed in omnibus hydropisis generibus, si, ventre illo inuncto, aliquot guttæ vino aut alio liquore commodo exceptæ sorbeantur: etenim aquas euacuat: quod etiam minore noxa facit clysteribus iniectum. Ventriculum frigidis humoribus & flatibus liberat: & coli doloribus vtile, si partes affectæ eo inungantur, & aliquot guttulæ sumantur. Efficaciùs subuenit ilei doloribus, vt experientiâ didicit Monardes. Articulorum morbis, à causa non admodum calida natis, auxiliatur, humorem euacuando, si aliquot huius olei guttæ pingui iure gallinæ dissolutæ sumantur. Contractos artus, si eo inungantur, curat, neruos mollitur distendendo, stomachum, vterum, & lienem obstructionibus liberat inunctione. Aluum puerorum emollit, illito toto ventre, atque ventris animalia pellit, maximè si eius vna aut altera gutta è lacte aut iure pingui propinentur. Ad psoras & vlcera capitis manantia valet: confert aurium doloribus, & surditati: omnibus præterea cutis vitiis, præsertim faciei, variósque mulieribus plerumque infestos, illitu expurgat.

RICINVS PARVVS ORIENTALIS, Dende dictus, quibusdam & Faba purgatrix.

Locus. FRuctus hic, pro *Dende* Auicennæ ex Creta delato mihi à Bernh. Paludano, qui est Fabæ purgantis Indiæ Orientalis nomine eundem misit, & ab Ill. Medico à Saxonia, ac etiam fratre C. Bauhino oblatus, est dimidio minor Ricino

Descriptio. Americo, cortice rectus cineritio, maculis hinc inde pullis asperio, gibbo, altera parte elatiore, pauloque planiore, tribus interdum eleuatis costis cõspicuo: cortici vulgari simili, tenui pellicula inuolutus subest nucleus, bipartitus, consistentiâ Ricini maioris Americi, sed colore pallido: saporis non ingrati, acris, & fauces diu & multùm vellicantis.



Icon. Huius icon exprimitur præcedenti capite in tabella Ricini maioris Americani, loco infimo. Et aliæ eiusdem hic ex Imperato traduntur Icones.

Porrò Ricinum paruum Orientalem sic describere videtur Monardes: Fabæ purgatrices, quæ Carthagini & Nomini Dei nascuntur, nostris similes sunt, sed minores, eiusdem cum nostris formæ & coloris, pellicula quadam tenui, vt Ceparum tunicula exterior, illas per medium intersecante, quæ cum cortice abiicienda est, &c. vide inter vires.

Aliquot peregrinos fructus Fabæ purgatiũ nomine insignitos accepit Clusius: sed nullus ipsi conspectus est, qui Fabæ purgatricæ Monardi descriptæ conueniret. Nos contrà, nostro Ricino Orientali, & Fabæ purgatrici, siue Dende, has purgatrices subiungimus. Quare lectorum erit iudicare an conueniant, nec ne.

Albelmeluch Mauritanorum. Semen plantæ dictæ Mauritanis Albelmoluch, à Serapione aliisque Arabum antiquis scriptoribus descriptæ sub nomine Dende, hodie apud eandem nationem in frequenti est vsu ad corporum euacuationes. Quia magnam habet similitudinem cum semine Cataputiæ multi idem putarunt cum Ricino Americano quamuis falsò, inquit Imperatus. Serapio cæterique Arabes tres species Dende describunt, Chinense, Indicum, & Saharicum ex quibus Chinense semen fert crassitudine & similitudine Pistachiorum

rum: Sahaticum magnitudine seminis Cataputiæ: Indicum verò mediæ proportionis inter illa duo. Idem præ alijs celebrat Chinense: Sahaticum verò reiicit propter operationis tarditatem & flatus quos generat, & alia grauissima sy[m]ptomata quæ producit assumptum. Repurgari debent semina vt idem docet, à cortice extimo, & lingulis interioribus, à quibus maximè periculum imminet. Habent namque vim causticam & carnis corruptricem, vt vel sola masticatione tactuque labiorum colorem immutent. Vnde mirari subit à tam eximiè calido pharmaco caussari posse flatus. Nos vti non asseruerimus Auicennæ Dend siue Dende nostro Ricino paruo Orientali conuenire: ita etiam negare nolimus, inter obscuram & Barbaram eius delineationem. Lectores poterunt apud Auicennam legere, quæ fusè de Dende scribit.

Synonyma. C. Bauh. pin. Ricinus 4. siue Americanus falsò creditus: Dende Serapionis, & Abelmoluch Mauritanorum, Imperato: Serapioni, species tres sunt, Seni, Sahati, & Indi: at Imperatus legit, Chinense, Indianum, & Sahatense, minùs probatum.

Caute. Fabæ purgatricis tenuis pellicula cum cortice abiicienda est; alioqui tantâ vehementia supernè & infernè purgant, vt in vitæ discrimen sumentem coniiciat. Assandæ autem sunt, vt illarum acrimonia infringatur; deinde in pulueren comminuendæ. Datur hic puluis vino aut sacchar[o] exceptus: ad cochleare vnum; deinde haustus vini sumitur. Apud Indos hoc medicamentum celebre est ob sumendi facilitatem: nam sine molestia bilem pituitam, & crassos humores, multò leniùs & faciliùs, quàm Nuclei pinei cathartici, Auellanæ purgatrices, & alia id genus medicamenta. Dantur in febribus diuturnis & importunis, in coli doloribus, & articulorum morbis. Dosis esto assatarum à quaternario numero ad senarium, pluriumve aut pauciorum, pro ægri viribus. Calidæ in secundo, siccæ in primo. Fabarum vulgaribus similium, quæ vomitum cient & aluum valenter purgant meminit Ferd. Lopez de Castagneda capit. 78. lib. 7. Hist. Indicæ.

Vires.

Temperam.

ERAWAY RICINI PVSILLVM GENVS.

Erauvay. VValichius Syuertz anno 1599. redemerat de nautis ex America reducibus, Erauvay, Ricini pusillum genus, quale ex Guinea etiam aliquoties aduehi meminit Clusius in Exot. l. 2. c. 21. Eo porrò nonnullos empiricos aduersus varios morbos vti, non semel obseruabat: etenim quum vehementer purget, succedit illis interdum ex animi sententia: eam ob causam valde commendabant, & tanquam peculiare secretum sibi reseruabant.

Synonima. C. Bauh. pin. Ricinus 3. siue Americanus minor: Erauvay Clus. Exot. lib. 2. cap. 21. & Ricini semina exigua, eodem lib. cap. 25. sub fructu nono. Vter ex fratribus melius docet? An Erauvay à Ricini seminibus distinguitur?

RICINO SIMILIS FRVCTVS.

INter exoticos fructus, qui anno à Christi natiuitate 1601. ex Orientali India aduecti fuêre, præter eos, quos in certas classes distribuere poterat, quatuor videbat, qui antè non conspecti ipsi fuerant. Horum autem quartus Ricini fructum valdè æmulabatur, nam triangularis erat & in tres cellulas distinctus, quarum singulæ semen continebant rugosum, vt antè maturitatem lectus fuisse videretur, nigrũ; exterior cortex fuscus & glaber erat, pendebatque inter quinque foliola longiuscula & latiuscula [quæ medium fructum tegebant] è pediculo semunciali, satis firmo.



Synonima. C. Bauh. pin. Ricinus 5. siue Ricino affinis fructus: exoticus fructus 4. Clus. exot. lib. 2. cap. 24.

TOXICVM IN GENERE. Cap. XVI.

TOxicum Dioscorides in proœmio libri sexti inter ea plantarum ramosarum herbarumque genera reponit quæ exitialem ac maleficam vim sortita sunt, quorumque sæpè continuo vsu homo in perniciem agitur. Consequenterque quæ priuatim Toxico conueniunt auxilia, eiusdem libri capite 20. sequentibus docet. Toxicum [τοξικὸν] ex eo appellatum creditur, quòd Barbarorum sagittæ eo illinerentur [Plin. tingerentur.] Qui biberunt haud ita multò post labiorum & linguæ inflammatione prehenduntur, iisque furor mentis incoërcitus varias imagines obuersat: quare vix medicinæ locus est, raróque qui hauserunt, incolumes euadere contingit. Vinculis attamen cohibendi, vt vinum dulce [Ald. passum] cum rosaceo bibere, protinusque remouere, ac Rapi quoque semen ex vino haurire cogantur. Priuatim verò iis conuenit Quinquefolij radix, itemque hircinus sanguis, aut caprillus eodem modo sumptus: proficit & Roboris, Fagi, aut Ilicis cortex cum lacte tritus. Prosunt etiam Mala cotonea in cibo sumpta, aut trita [non habet Ald.] cum Pulegio & aqua bibita. Amomum denique bene facit, vt & Balsami semen [βαλσάμου καρπὸς. Vet. tamen καρπὸς ὁμοίως λαμβανόμενος, i. e. fructus similiter sumptus] ex vino. Quod si qui periculis defuncti sunt, longo tamen tempore in stratis decumbunt, ac vbi surrexerê, sui impotes ac velut attoniti [ἐκπεπληγμένοι. Manardus legendum censet ἐμβεβρόντητοι, i. e. tabefacti. Et tale quid etiam habet Auicennas cap. de Napello, qui Toxicum esse videtur, Sarac.] reliquum vitæ tempus transigunt. Et hæc Dioscoridis de Toxico verba refert etiam P. Ægineta lib. 5. cap. 54. Quin & Aëtius tetr. 4. serm. 1. cap. 70. ferè eadem cum Dioscoride habet, inter alia, alexipharmacum, corticem quercinum commemorans tantùm. Cùm tamen, teste etiam Galeno lib. 2. de antid. cap. 7. si quis Toxicum ebiberit, auxilium quoque afferat vinum dulce, oleum ro-

satum, sanguis caprinus, semen Napi contusum ex vino, Polygoni succus. Plantaginisve, aut Origani, vel Thymi etiam aliquantulùm vino admistum.

Tusson corrupte Auic.

Signa porrò quæ ab Auicenna [qui lib. 4. fen. 6. tr. 1. summa 2. cap. 29. nominat corrupto vocabulo Tusson.] ponuntur in eo qui hauserit Napellum, sunt eadem his quæ hîc à Dioscoride & Paulo scribuntur in iis, qui Toxicum biberint.

Vtrum autem Toxicum frequenter nominatum à scriptoribus, sit reponendum inter Aconiti genera, nunc decernendum est. Promotus Græcus fuit huius sententiæ Toxicum fuisse non simplex genus stirpis, sed veneum quoddam compositum. Sed Mercurialis de venen. lib. 1. cap. 10. putat Toxicum, neque fuisse apud veteres vllum genus stirpis venenatæ, neque medicamenti venenati compositi. Sed appellatum fuisse Toxicum omne veneni genus, quo tela & sagittæ venenabantur, quæ à Græcis vocantur τόξα seu τοξεύματα. Vnde cùm inueniatur [apud Virgilium Æneid 9.

Vngere tela manu, ferrumque armare veneno.

Itemque apud Ouid. lib. Trist. 3.

Nam volucri ferro tinctile virus inest.]

Veteres consueuisse tingere sagittas Napello, Aconito Pardalianche, Elleboro, & plerisque alijs succis venenatis, tum simplicibus, tum mixtis, fit vt puter, omnia hæc & potuisse & posse hoc tempore appellari toxica, scilicet à sagittis, quæ tinguntur ipsis.

Certa veneni species.

Gorth. defin. τοξικὸν apud Antiquos certam quandam speciem veneni teterrimi fuisse concedit quidem, nec tamen quid esset constare arbitratur. Plinius cùm scribit authores esse qui à Taxo arbore toxica denominent venena, meritò controuertitur. Sunt enim hæc duo genera venenorum manifestò distincta apud Nicandrum & Dioscoridem, suntque tam sibi aduersa vtriusque symptomata, vt iure dubitare liceat. Taxus vniuerso corpori frigus infert, &c. Toxicum verò inflammationes & furorem. Toxicum porrò, vti diximus, inter herbas exitiosas cum Taxo separatim nominatur & describitur.

contra Plinium

Apud Galenum lib. de Ther. ad Pisonem cap. 10. scripta est quædam historia Helenij, qua videtur existimasse Helenium esse venenum, quo tingebantur sagittæ, & quia certum est apud stirpium scriptores Helenium non fuisse, neque esse venenum, sed herbam quandam aliam ab Helena repertam, Iul. Scaliger in comm. ad librum Aristotelis de plantis putat locum illum Galeni ita esse corrigendum, vt loco Helenij scribatur Velenium, sc. ἀπὸ τῶν βελῶν, h. e. ab armis, & sagittis, quasi, eo in loco vsus sit hac voce populari & romana, quæ idem significat, quod sonat apud Græcos vox Toxici. Et certè hæc coniectura Hier. Mercuriali non displicet, etsi enim huiusmodi vox, nimirum Velenium, non reperiatur apud scriptores Græcos, nihil refert, quia vox est materna populi Romani, & Galenus solet interdum vsurpare huiusmodi voces, quemadmodum 7. m. m. nominat decoctam, quæ vox erat non græca, sed populi Romani.

Velenium

Toxico veneno, ceu antè obiter insinuatum est, venena cuncta, quibus sagittæ tinguntur, generali appellatione denotantur. Huiusmodi sunt [stirpes intelligimus] Aconitum, Napellus, Taxus, Dorycnium, Sardoa herba, Cicuta, &c. Ladanum etiam quod in Syria atque Africa fit, authore Plinio, Toxicon vocatur.

ACONITVM IN GENERE.

CAP. XVI.

IN Aconiti historia tradenda eum obseruamus ordinem, quo ipsemet author id nobis delineandum proposuit.

Theoph. *Locus*

Aconitum igitur iuxta Theophrasti authoritatem, in Creta atque Zacyntho, sed plurimum, optimumque in Heraclia Ponti. *Folium* habet Cichorio simile [κιχωριώδες: sed fortasse legendum cum Dodonæo βατραχιώδες: Gesnerus autem πλατανώδες legit: quòd & Dioscorides Platani folium ei tribuat, & ipse eâ facie Lupariam suam, cuius flores esse ait, nouerit.] *Radicem* figura coloreque Nuci [καρυῷ ita Gesn. cum Gaza vertit, aut etiam καρικῇ, i. e. aridæ ficui Dod. addit: sed neutrum legendum, quin potiùs καρίδι, i. e. Squillæ:] similem, & vim in hac lethalem: folium autem & fructum nihil facere aiunt: *fructus* est herbæ, non humilis materiæ: breuis est herba & nihil superuacui habens, sed frumento similis: [ita Gaza. Alius sic: Herbæ autem semen est, non surculosæ materiæ. Breuis tamen herba ipsa necquicquam egregium habens [hæc omittit Dod.] Tritico similis. Cæterum, οὐδὲν περιττὸν, nihil egregium, vel eximium, vertit quoque Marcellus, & probat Gesnerus: quasi dicatur, etsi maximè venenosum sit Aconitum, & miris facultatibus præditum, nihil tamen herba ipsa insigne habet, aut admiratione dignum, nisi radicem fortassis.] non tamen semen illi spiceum [semen tamen in spica non habet, Gesn. Matthiolus nescio quomodo negationem non vidit; & semen in spica, velut frumentum habere falsò scripsit.] nascitur vbique, & non in Aconis solùm, à quibus habet nomenclaturam. Est autem vicus in Periandynorum [Dodonæo attestante, alij rectiùs Mariandynorum legunt. Theophrastus, inquit Gesn. de Lupo, loquitur de secundo Dioscoridis Aconiti genere. Non Periandynorum, vt græcè & latinè legitur, & à Marcello aliisque citatur, sed Mariandynorum legendum est: sunt enim Mariandyni populi vicini Paphlagoniæ, vt Dionys. Afer scribit, & eius interpres Eustathius, &c.] agro. Amat maximè locos petrosos. Non vescitur eo ouis, neque vllum aliud animal. Componi id quodammodò ferunt ad operandum, & hoc non cuiusvis esse] Gaza, confici ad officiendum modo quodam enarrant, nec nosse quemque.] Et ideo Medicos componendi ignaros pro corrodente vti. Etsi ad alia quædam bibatur, nullum sui sensum inducere, neque in vino, neque in aqua mulsa. Componi autem ita ferunt, vt certis occidere temporibus possit, videlicet duobus, aut tribus, aut sex mensibus, item anno: nonnullos etiam duobus annis elapsis. Pessimè verò illos de vita decedere volunt, quibus plurimo tempore corpus consumitur; facillimè quibus statim [qui plurimùm temporis resistere possint, quòd paulatim tabescat corpus & languore pereat diuturno; facillimè illos, qui confestim obeunt, Gaza.] Nullum autem aliud pharmacum repertum esse quod nasceretur, sed quædam auxilia his qui illud ingesserunt, excogitata esse. [Remedium nusquam esse compertum, sed falsò dici quoddam aliud resistens illi adhiberi. Gaza.] Nam incolas seruasse quosdam non herba, sed melle & vino & quibusdam eiusmodi: atque id rarò factum, summaque difficultate. Aconitum verò inutile ijs esse qui præparare ignorent, nec

Matth. lapsus

Theoph. corrigit.

Lapsus quorundam.

licitum

licitum possidere, sed capitalem pœnam institutam. Temporis differentiam pro collectionis ratione sequi autumant, mortes collectuum temporibus cópares euenire. *Hactenus Theophrastus de Aconito.* Ea autem neque Plinius, neque Dioscorides de posteriore Aconito habet: vno excepto, inquit Cornarius, quod Dioscorides etiam radices πλεκτάναις καρίδων comparauit, id est cirris Squillarum. Quanquam in Theophrasto non καρίδα sed καρύα legatur, & Nuci, non Squillæ Gaza verterit.

De Nepæ [ita Gaza malè σκόρπιον reddit] vocatæ radice, quàm 9. hist. c. 14. figura scorpioni similem ait, vtilemque ad eius ictum, sub Telyphono, planta diuersa à Scorpio spinoso, cap. 19. sequentibus agit. Telyphonon aliqui Scorpion vocant, eò quòd radicem similem scorpio habet: hoc super scorpionem derasum, ipsum occidit. Si verò quis veratrum album inspergat, rursus resurgere dicunt. Interimit & boues & iumenta, & oues, & in summa omnes quadrupedes eodem die, si radix aut folium in pudenda ponatur. Vtile verò est ad scorpij plagam potum. Folium habet simile Cyclamino: radicem, velut dictum est, scorpio similem. Nascitur velut Gramen, & genicula habet: amat loca vmbrosa. Si autem vera sunt quæ de scorpionibus dicuntur, iam etiàm alia huiusmodi non incredibilia existunt.

Dioscorides duo ponit Aconiti summa genera. Vnum, quod aliqui Pardalianches, alij Cammoron, alij Thelyphonon: alij Myoctonon, alij Therophonon [Ruell. Theriophonon] vocant, & folia habet tria aut quatuor, similia Cyclamino, aut Cucumeri [σικύου. Marc. Cucumeri silu.] sed minora [μικρότερα: nam perperá legunt Dioscoridis exemplaria μακρότερα, Dod] & subaspera [ὑποτραχέα, quidam vertút subhirsuta. Marcell.] caulem palmi altitudine: radicem similem scorpij caudæ, Alabastri modo splendentem. Hæc scorpio admota, resoluere ipsum dicitur: excitari autem rursus Veratro apposito. Ammiscetur & ocularibus dolorem eximentibus compositionibus. Occidit & pantheras, & sues, & lupos, & omnes feras, carnibus inditum & obiectum. Aconitum alterum] iuxta Gesnerum qui remotanea retinet] sunt qui Cynoctonon, qui Lycoctonon, qui Cyanon leucon, Romani Colomestrum appellant. Huius tria genera sunt: vnum quo venatores, duo quibus Medici vtuntur. Ex his tertium, quod Ponticum plurimum in Italiæ Iustinis montibus nascitur, antè dicto [Gesnero altero, quo Medici vtuntur, quod non descripsit, vt neque venenatorium] efficacius: Platani folia habet, sed magis incisa [Gesner. μᾶλλον ἐσχισμένα, pluribus quàm Platanus incisuris diuisa, Marcell. & Ruellius: sed licet etiam profundiores non crebriores incisuras accipere:] multoque longiora [Gesn. Ruellius & Matthiolus, qui μακρότερα legerunt: breuiora, Marcellus qui μικρότερα legit: quam vocem commodiùs fortè latinè reddas minora vel angustiora] & nigriora: caulem instar pediculi in Filice, glabrum, altitudine cubitali, & aliquando maiore: semen in siliquis quadrantenus oblongis; radices cirris marinarum Squillarum similes & nigras: quibus ad venationem luporum vtuntur, crudis eas carnibus imponentes: quæ in cibo ab illis sumptæ eos enecant: *Hæc Dioscorides.* Hìc tamen dissimulandum non est, verba illa, Huius tria genera, &c. in vulgatis codicibus Græcis exarata non esse, sed statim huius Aconiti nominibus, natalem & descriptionem subiungi, sine vlla generum distinctione: quæ nec in Oribasio reperias, & Marcell. vt spuria respuit.

Sed antiquorum inquit lib. 27. cap. 2. Plinius, curam diligentiámque quis possit satis venerari, cùm constet omnium venenorum ocyssimum esse Aconitum, & tactis quoque genitalibus fœminini sexûs animalium eodem die inferre mortem. Huc fuit venenum, quo interemptas dormientes à Calphurnio Bestia vxores M. Cæcilius accusator obiicit. Hinc illa atrox peroratio, eius in digito mortuas. Fabulæ narrauere è spumis Cerberi canis, extrahente ab inferis Hercule: idcoque apud Heracleam Ponticam, vbi monstratur eius ad inferos aditus, gigni. Hoc tamen in vsus humanos vertêre, scorpionum ictibus aduersari experiendo, datum in vino calido. Ea est natura vt hominem occidat, nisi inuenerit quod in homine perimat. Cum eo solo colluctatur, velut pari intus inuento. Sola hæc pugna est, quùm venenum in visceribus reperit: mirumque, exitialia per se ambo quum sint, duo venena in homine commoriuntur, vt homo supersit. Et *paulò pòst:* Torpescunt scorpiones Aconiti tactu, stupéntque pallentes & vinci se confitentur. Auxiliatur his Elleborum album, tactu resoluente: ceditque Aconitum duobus malis, suo & omnium. [Locum hunc esse corruptum nemo hac vsque animaduertit: Cùm tamen non facilè possit intelligi, quomodo Aconitũ duobus malis cedat, suo scilicet & omnium: nec vetus codex ita habet: fortè legendum ita; Ceditque Aconitum duobus malis suo dominio, procliui lapsu vocis *Dominio* in voces *&* *omnium.*] *Et rursus:* Tangunt carnes Aconito, necantque gustatu earum pantheras, nisi hoc fieret, repleturas illos situs. Ob id quidam Pardalianches appellauere. At illas statim liberari morte, excrementorum hominis gustu, demonstratum. Quod certè casu repertum quis dubitet? & quoties fiat etiam nunc vt nouum nasci, quoniam feris ratio & vsus inter se tradi non possit. Pudendumque rursus, omnia animalia, quæ sint salutaria ipsis nosse, præter hominem. Sed maiores oculorum quoque medicamentis Aconitum misceri, saluberrimè promulgauêre, apertâ professione malum quidem nullum esse, sine aliquo bono. Fas ergo nobis erit, qui nulla diximus venena, monstrare quale sit Aconitum, vel deprehendendi gratia. Folia habet Cyclamini aut Cucumeris, non plura quatuor, ab radice leniter hirsuta [Plinius legisse videtur ὑπόδασέα, pro ὑποτραχέα, subaspera, Dal.] Radicem modicam, cammaro similem marino: Quare quidam Cammaron appellauere, alij Thelyphonon, ex qua diximus causa. Radix incuruatur paulùm, Scorpionum modo, quare & Scorpion aliqui appellauere. Nec defuêre, qui Myoctonon appellare mallent, quoniam procul è longinquo odore mures necat. Nascitur in nudis cautibus, quas aconas [ἀκόναι saxa ne puluere quidem tecta, ἀκόναι cotes, Dal.] nominant. Et ideò Aconitum aliqui dixêre, nullo iuxta, ne puluere quidem nutriente. Hanc aliqui rationem nominis attulêre. Alij, quoniam vis eadem in morte esset, quæ cotibus ad ferri aciem deterendam, statimque admota velocitas sentiretur. *Huc vsque Plinius,* qui de vno & priore Dioscoridis Aconito scribit variegatiùs quàm ille, eadem omnia tradens, & plura insuper ad-

dens. De posteriore Dioscoridis Aconito, velut sibi ignoto, penitùs silet: Theoph. seorsim de Telyphono agit, & seorsim de Aconito, velut ab illo diuerso. Quæ autem de Thelyphono prodidit, ea omnia, inquit Cornarius, ad prius Dioscoridis Aconiti genus pertinent, velut etiam Plinius transcripsit.

Aconiti sumpti signa Porrò de Aconito hæc passim apud Plinium leguntur. Pantheras perfricatâ carne Aconito Barbari venantur: occupat ilicò fauces earum angor, quare Pardalianches appellauêre quidam, &c. Aconitum statim in lingua inter bibendum, cum adstrictione quadam dulcescit, & subinde, potissimùm cùm qui biberunt, exurgere conantur, vertigines effundit: lachrymas ciet: grauitatem pectori & præcordijs adfert, simulque crebri spiritus difflantur. Oleum balsaminum aduersatur Aconito ex lacte potum, ex Heraclide verò Eryngion in iure anseris decocta: Omasi item ius, ac vitulinum seuum, & castores ex lacte, aut aqua. *Hæc ille.*

Cæterùm, Panthera cùm Pardalianches venenum ederit, stercus hominis quærit: eo enim ipse iuuatur. Quocirca venatores stercus sibi propinquum suspendunt ex arbore aliqua, ne procul bellua abeat, petens suum medicamentum. Itaque insiliens ibidem, & spe capiendi perseuerans, in se efferenda emoritur.

Locus Hoc Acheronea littora gignunt, authore Nicandro in Alexipharmacis, vbi vorago irremeabilis inferni, & vrbes Priolai subuersæ resonant. Cuius omnes dentes, & superiùs palatum, gingiuasque adstringit amarus potus. *Symptomata* Circa verò prima voluitur pectora malo errore grauans, Viri cor conscendens. Calamitate verò mordet summum ventris imi, non clausum attollens os ventriculi. Portæ autem obstruit principia, primùm coli. Vbi omnis mortalium confestim inuehitur cibus. Semper verò ex luminibus humidis substillat sudor. Ipse verò ventriculus turbatus [inflatus] sursum quidem eructat spiritus: plurimi verò intus supra medium vmbilicum flatus sedent. In capite verò onus inimicum, sub temporibus verò palpitatio densa [crebra] infertur. *Veluti ebrij* Duplicia videntur oculis, qualia meraco noctu domiti vino &c. [tradit verò & ipse Nicander hausti Aconiti remedia: quæ apud eum videnda relinquimus, ea in genere tum ex eo tum ex alijs dilucidiùs traduntur.] Idæ in conuallibus, Phalacræis saltibus fœminas necans, θηλύφονον, & Cimmorum. In cautibus verò fœminam Aconitum producit in cacuminibus. Hæc Nicandri verba Diphilus ita interpretatur. Aconitum ex vomitu aiunt factum. Est verò plantæ radicula, similis Gramini, cuius potio amara cùm sit, os quidem omne constringit: cor autem mordet. Spiritum verò ob refrigerationem pulmonis præcidit, singultus crebros perficiens. Ideo etiam stomachum continuò se mouentem impediens claudit. Ventrem verò flatibus implet & colon. Temporibus verò palpitationem exhibens, & capiti onus, & membris sudores dementes facit & debiles. Aconitum species plantæ est, quod vocant ex accidente Pardalianches, quòd pereat ab ipso Pardalis. Ille verò remedium habet humanum stercus. Et non priùs comedunt illud [scilicet Aconitum] pardales, nisi habeant stercus vicinum, vt statim offendant auxilium. Pastores igitur oletum suspendunt in arbore. Deinde postquam comederint pardales Aconitum & impetum faciunt in stercus, retrahunt verò illud pastores, & circumsilientes moriuntur.

Fabula Memorat Aristoteles de animal. Aconitum ex vomitu Cerberi apparuisse. Recensetur enim Cerberum ex inferis emersisse, cúmque non posset sustinere Solis radios, euomuisse, & ex ipsius vomitu hanc natam esse plantam. Acheron autem esse fluuius in Heraclea Ponti, vbi infernalem canem Hercules eduxit. Hæc inter alia Diphilus Nicandri explicaturus sententiam tradit.

Galeno 6. simpl. septicæ & deleteriæ facultatis est. Aconitum itaque in cibo, potúque fugiendum: attamen ad putrefaciendum quædam extra os & sedem aptum est: herbæ autem radix ad hæc est vtilis. Est & Aconitum lycoctonum similis alteri facultatis, sed peculiariter lupos interficit, sicut illud pardos. Idem ad Paterniacum: Aconitum herbula est, quæ folia habet à sua radice duo vel tria similia Cucumeri, & thyrsulum non altum, radicem oblongam, & ad vnum magis tenuiorem & minutiorem: Speciem & colores ad similitudinem scorpionis pusilli sine pediculis. Vires autem habet quasi Thapsia, & valde venenosa dicitur.

Auicenna De duobus Aconiti generibus Auicenna Galenum secutus sub nomine strangulatoris *adib*, id est Lupi, & strangulatoris Leopardi, seorsum à Napello tractauit.

Aetius Ætius tetr. 1. s. 1. Aconitum pardalianches simile facit Seridi siluestri, eademque quæ Galenus de simpl. ei adscribit, habet. Tetr. verò 4. sect. 1. cap. 59. eius recenset Symptomata & remedia. Facit, inquit contra assumptum Aconitum ius Pulli gallinacei, vt & vitulinum pingue ius potatum & vomitu reiectum. Maximè verò propriè Trixago potata, & Castorium, & Iris ac Ruta. Quanquam aliqui à nullo horum se auxilium sensisse asserant.

Aconito perijt Aristoteles Diogenes Laert. lib. 5. de Aristotelis vita agens, refert eum ex Aconito hausto mortuum esse septuagesimo ætatis anno. In eum autem hoc scripsit epigramma:

Nuper Aristotelem læsa vt pietate nocentem
Detulit Eurimedon sacrificus (creris:
Ille Aconita bibens subterfugit: certè Aconiti
Hoc erat iniustum vincere sacrificum.

Theopompus Hist. scribit Agatarchum tyrannum multos Aconiti veneno sustulisse, conatumque esse latere: re verò detectâ, plerosque Heracleotarum non antè domo egressos, quàm Rutam edissent: Diodorus verò Siculus lib. 5. de antiquor. gestis, refert Hecatem fœminam omnium primam Aconitum inuenisse, quæ scilicet ad venena mortifera conficienda summum studium operamque impendisset.

Temper. Ἀκόνιτον genere duplex esse statuit Gorthæus: Vnum cui folia Cucumeris specie, minora tamen & subhirsuta: Alterius tria facit genera, &c. Cæterùm, cuiusnam temperamenti sit Aconitum, nondum à Medicis definitum esse ait: humidum & frigidum statuens, ac non illis, sed totius substantiæ qualitatibus deleterium. Contrà verò, Gorthæum carpens, calidum & humidum, vtpote septicum, statuit Mercurialis, eo fundamento, quòd Galeno & Auicenna dictantibus calida & humida sunt Septica omnia, seu putrefacientia venena. Quod etiam Plinius dixit Aconitum esse omnium venenorum ocissimum, falsum esse ita contendit Mercurialis. Si veteres cognouissent venena reperi quæ hodie habentur & præsertim in regionibus Indicis & Mauritanis, dixissent multò acutiora & celeriora Aconito haberi. Planta hæc neque folio quicquam nocet, sed tantummodò succo radicis, vt apud Theophrastum

ſtum quidam aiunt. Cur autem potiùs in radice venenum hæc planta gerat, quàm in folio, vel in fructu, puto ego nullam potiorem poſſe aſſignari cauſam: quàm proprietatem ſpecificam ipſius. Nicander vnum genus Aconiti videtur propoſuiſſe: Dioſcorides duo facit: ſunt qui tria, & recentiores inuenerunt quoque nouem genera, inter quæ adnumerant Napellum, celeberrimum venenum, adeò quod quæcunque de Aconito dicuntur, poſſint quoque referri ad ipſum Napellum, &c.

Dioſc. not. à Matth.

Dioſcoridi duo, inquit Matthiolus, produntur Aconiti genera, quorum poſtremum triplici diſtinguit differentia. Primùm, quòd pardos enecet, Pardalianchen: alterum verò quòd canes lupóſque conficiat, Cynoctonon, Lycoctonónque vocari ait. Hoc (vt diximus, in tria genera diſtribuit: veruntamen poſtremum tantùm deſcribens, duorum priorum hiſtoriam, & vires ſilentio præteriit. Quo fit vt Hermolai & Marcelli ſententiam probandam putet Matthiolus: qui non temerè quidem ſuſpicantur, in altero capite plura deſiderari, quibus & priorum hiſtoria, & quonam pacto tum Medici, tum venatores. iis antiquitùs vterentur, palàm fieret.

Conſiderandum an Lacuna in Dioſcor. bene attribuat Aconito nomen Vuæ verſæ, & Vuæ lupinæ.

Ex veterum autem ſententia ſic inter Aconita diſtinguit Dodonæus: Dicitur Græcis ἀκόνιτον παρδαλιαγχές: item & κάμμαρον, μυοκτόνον, θηλύφονον, θηρόφονον. Theophraſtus tamen de Aconito. Myophono & Telyphono [quod Aconito Pardalianchi Dioſcoridis reſpondet] ſeorſum egit. Exiſtimat Marcellus, quæ de primo Aconito & altero traduntur, ſpuria eſſe, & vnicum tantùm à Dioſcoride deſcribi, quod videlicet plurimum in Iuſtinis gignitur montibus. *Is olim* [*Dodonæus*] dicebat in hiſt. gall. folia ſubhirſuta, ſimilia Cucumeri ſiluestri, vt ait Dioſcorides, minora tamen: in poſtremis tamen: quia Doronicum, Aconitum exiſtimat, dicit Cyclamini ampliora, ad Cucumeris magis accedentia, minora: ſuſpicor eum intelligere Cucumerem ſatiuum.

Cæterùm, nomen Aconito ab ipſis cautibus præruptis & ſaxoſis locis eſſe, quæ Græcis ἀκόναι dicuntur, præter Theophraſtum & Plinium, ſenſit quoque Ouidius Metamorph. 7. his verſibus:

Quæ quia naſcuntur durâ viuacia cote
Agreſtes Aconita vocant.

Natales & Epitheta.

Auſon. in eidyll. 12. monoſyllaborum tantùm in fine poſitorum:

Aſpergit cautes, & dira Aconita creat cos.

Pallida, etiam, Nigra, Viroſa, & Stygia dixerunt poëtæ Aconita, vt & Lurida, vnde Ouid. metamorph. 15.

Lurida terribiles miſcent Aconita nouercæ.

Etymologia ab inuatio.

Sed aptior, inquiunt Aduerſaria, fuerit Aconiti nomenclaturæ interpretatio, ſi eam ab herbæ ſucco, vel radice, quibus quaſi cote ſpicula à venatoribus affricta & ſubacta celeriùs ſubirent, & perniciem afferrent, quàm ſi à cautibus, aut à pago cognomine deducas: tametſi poſſit etiam ἀπὸ τοῦ ἀκονίζειν deduci. Euſtatius in Dioniſ. Afrum ſcribens, Aconitum ſonare putat inexpugnabile venenum. Xenophon ſanè in libro de venat. ἀκονίτικον φάρμακον, hoc eſt, Aconiticum venenum, nominat, pro quo apud Heſychium & Varinum non rectè ἀκόνιτον legitur, vt teſtatur Geſn. de lupo. Cammoron appellatum eſſe refert Agricola, quòd malo fato & malo interitu occidat.

In inſula Ceo Menander ſcribit lege ſancitum fuiſſe, ne turpiter viuerent, qui bene viuere non poſſent: nempe vt effœti capularéſque ſenes Aconito vitam finirent, ne reliquis alimentum deeſſet.

Lex [illegible] ſancita.

Ex hactenus dictis certò conſtat Aconitum plurium ſtirpium vnum fuiſſe nomen, quas inter multas lethales compertum eſſet celerrimam & certiſſimam mortem adferre: de quibus quia veteres ſuccinctè nimis, atque minùs apertè ſcripſere, factum eſt, vt alij atque alij Aconita alia atque alia ſtatuerint. Aconitum autem dici poſſe omnem herbam venenoſam, Syluaticus & alij quidam huius farinæ ſtultè perſuaſi ſunt.

Æquiuoca.

Infelicitatem Matthioli de primo ſuo Aconito mox demonſtrabimus.

Cæterùm inter Aconita recenſentur ſequentes Aconiti ſpecies, aliæque plantæ: Thora Valdenſis. Herba paris, à Fuchſio malè. Doronica. Petaſites alba. Luparia. Ranunc. fl. in medio folio. Acon. lycoct. ſiliquoſum. Dentaria. Hecateis Ouidij. Aconitum magnum purpureo flore, vulgo Napellus. Aconitum Napello ſimile ſed minus, cæruleum, præcocius. Aconitum, lycoctonum autumnale Napello ſimile. Aconitum lycoctonum cum magno calcari, cæruleum. Aconitum Napello ſimile flore purpureo Neubergenſe, foliis latioribus. Aconitum lycoctonum Lyncæanum Napello ſimile. Aconitum coma nutante, maximum. Aconitum 4. Matthioli, fortè Delphinij flore. Aconitum lycoctonum flore Delphinii. Aconitum lycoctonum flore maximo. Aconitum lycoctonum radice bulboſâ, flore cæruleo, ſiue galea elatiori. Aconitum ſalutiferum, vocant Antitoram flore luteo Aconiti. Aconitum racemoſum, Actæa quibuſdam. Elleb. niger. Iris ſiluestris. Ephemeron. Ranunc. fl. globoſo, ſiue Trollius flos.

ACONITVM PRIMVM MATTHIOLI folius Doronici.

Aconitum

ACONITI primum genus Thelyphonum appellatum græcè ἀκόνιτον παρδαλιαγχές, Ital. *Aconito pardalianche.* germ. *vvolffs beer & Dolvvurtz.* Hiſp. *Centelha*, gall. *Herbe de la tora*: ſæpiùs legi [inquit Matthiol. in comm. impr. anno 1554] in Tridentinis montibus. Huius generis eſt & illud, quo vtuntur quidam in Romano & Neapolitano agro, lupis eo tantùm cædem procurantes. Radices eius pluries venales vidi Romæ in Aurelio ponte iuxta molem Adriani: quandoquidem non deſunt, qui eas expetant ad mures, canes & lupos enecandos. *Hæc ille*, dans iconem ſine deſcriptione, in qua deeſt flos: radix autem ſine villis fibris aliquomodò exprimit caudam ſcorpionis: videtur autem nobis fictitia: folia quaterna accedunt ad Doronicum vulgare. *In editione* anni 1559. prædicta repetit, nihil addens, præter appendicem, in qua inuehitur in Geſnerum, qui exiſtimarit & ſcripſerit imaginem eſſe fictitiam, allegans pro teſte, contra Geſnerum, ſuum pictorem, & alios: Sed ipſemet ſi vidit plantam integram, cur non deſcripſit ante quinque annos, aut nunc ſaltem deſcribit, accerſitâ ex Trid. montibus vel Roma, vbi venalem (ſi fas eſt ei credere) pluries vidit, vel Neapol. agro. *Si miſiſſet aliquam radicem Geſnero*, meliùs conſuluiſſet ſuo honori, quàm temerè debacchando in tam modeſtum virum, veritatis ſtudioſiſſimum. Si radices venales Romæ, &

Locus.

Contra nomina. Matthioli instantia. vsus earum sit in Romano & Neapolitano agro, procul dubio suum habebat nomen Italicum, quod reticendum haud erat. *In Hist.* germ. impressa anno 1595. hæc habet: Aconitum pardalianches noui scriptores nunquam cognouerunt: ego autem primus reperi non longe à Tridento in monte vallis Ananiæ: ne quis putet me fabulari, ostendi, &c. Aconitum quod Matthiolus primò inuenit, totum eradicauit, vt nullus hactenus simile potuerit reperire. Et in Editione anni 1571. folia maiora quàm sint cucumeris tribuit, quæ olim in prioribus editionibus minora Cucumerinis dixerat. *Tanta est huius plantæ cognitio apud Matthiolum.*

Lacuna not. Lacuna in Diosc. Aconiti primi Matthioli solam effigiem habet, & præter veritatem dicit bene cognitam in Italia. Dodon. verò Gall. Aconiti Pardalian. h Matthioli eandem cum eo dat Iconem, nec aliam se dare posse scribit, eò quòd in Belgicis regionibus non proueniat, quæ excusatio an sufficiens sit, iudicent alii.

Sed & Clusius in fine historiæ Dodonæi eam plantam, quam Matthiolus pro Aconito pingit, fictitiam dicit. Quare constanter adhuc crediderimus, Fuchsium & Maranthаm sequuti, folia quæ pingit Matthiolus, esse Doronici vulgò dicti.

Matthioli verò defensionem suscepit author H. Lugdunensis in Append. pag. 16. Eius picturam & verissimam & certissimam asserens, sed mutilam & radice tantùm pictа cum foliis: ac se integram nactum plantam à Seplasiario quodam in cuius horto multæ exciterint. Nasci verò in Allobrogibus in arduo & confragoso monte dicto *les Esche-les. Quis autem* quæso non miretur hominis impudentiam & temeritatem? Si vidit Aconiti Matthioli integram plantam, tantopere à Gesnero & Guilandino, aliisque pluribus expetitam, & quæ nunquam potuit integra à Matth. demonstrari: cur non repotuit & misit doctis Viris, ac pingi curauit, non emendicans folia Doronici Matthioli cum eius radice ficta, cuius ipsemet Matthiolus pertæsus, postea eam mutauit, non tamen restitutâ meliore: cur appingit ei præter mentem Matthioli flores Petasitidis flore albo. An non videt ille stultus, florem quem describit, non respondere Matthioli dictis, qui in


Descriptio. vno loco scripsit flores Chrysanthemo similes esse: & in alio dicit, caulem edere hirsutum, florem videre non licuisse, verùm (si sua non fallat opinio) Doronici æmulum illum esse se existimare. Quid blaterat mendax impostor de radice simili æmulaue scorpioni quam nunquam vidit in planta quam describit, diuersâ admodum à Matthiolina. Icon quam proponit, magis est falsa, quàm Mathioli, composita ex floribus Petasitidis, foliis Doronici, & falsa radice Matthioli, *egregium profectò monstrum.*

Aconitum Matthioli nondum visum. Aconitum pardalianches Matthioli (inquit Camer. in Epit. in append. vbi quemadmodum & in Hist. germ. curauit sculpendam iconem, qualem Matth. habet in suis comm. cum mag. fig.) tam rara est planta, vt nondum etiam diligentissimis rei herbariæ studiosis sese vspiam offerre voluerit. De ea itaque nihil adhuc certi indicare possum: alii planè negant extare.

Synon. C. Bauh. pin. Aconitum pardalianches 3. siue Dioscoridis creditum Matthiolo: Aconit. pardalianches Matth. Lac. Dod. gall. Cast. H. Lugd. & Tabern. An in rerum natura sit Aconitum Matthioli, dubitat Gesnerus de hort. & lunariis. In Lugd. hist. primùm Matthioli figura exhibetur: dein in append. iconi priùs propositæ, ramulus floribus onustus adpingitur: Quod aliqui fictitium existimant: Lugd. historiæ author plantam in Allobrogibus nasci scribit: quid sit ignoro.

THORA FOLIO CYCLAMINI.

Descriptio. CAulem habet singularem, palmarem, aut ferè etiam dodrantalem, iunceum: *folia* duo aut tria ex radice statim principiò oriuntur, cauli quoque circiter medium adnascitur, nullo interueniente pediculo, *folium* vnum aut alterum, vnumquodque singulare, ordine caulem conscendens, circinatæ ferè rotunditatis, Cyclamini foliis par, aut etiam duplò maius, in medio per marginem aliquando sinuatum, interdum minus, rigidū, neruosum, glabrum, argutis denticulis concinnè in ambitu vt crenatum: reliqua superiore caulis parte parua, oblonga, acuminata, simplicia, aut in lacinias aliquot fissa, Thalictri folia æmulantur: *flos* summo cauli insidet vnicus [interdum bifidus caulis in singulis ramis singulos gerit flores] Ranunculi & figurâ, & colore luteo: nec dissimile Ranunculorum echino capitulum è *seminibus* coaceruatis conglobatum: *radix* numerosis constat habitiusculis, oblongis, Asphodeli imitatione ad caput vnum obliquum annexis radiculis, in tenuia longaque filamenta desinentibus.



Thora duplex. Maior. C. Bauh. pin. Gesnerum sequutus Thoram duplicem statuit maiorem & minorem. Maior, inquit, foliorum exortu & numero variat: enascitur enim vno folio, vel duobus, idque vel statim à radice, vel nullo à radice, sed in caule duobus maiusculis, vel trib. vel quatuor, vel quinque ad summum: hinc Tabernamont. fœminam quatuor, marem duobus foliis magnis pingit. Minoris folia breuiora, supernè latiora, & magis incisa: huius flos Clusio quinis, illorum, quaternis [quina nec pauciora in Clusii figura obseruo] duntaxat foliis exprimitur.

Gesn. de Lun. Tora venenata, Dora fortè dicenda potiùs: Lunaria quorundam, Aconitum 1. Dioscoridis, Aconitum verum pardalianches Alexandri Peieri. & Gabr. Fallopii. Eid. de quadr. in hist. lupi p. 748. Herba rara, Toræ nomine in Baldo proueniens, flore violaceo. p. 947. Aconiti primum genus, folio Cyclamini, Tora Valdensium. p. 651. Aconitum Dioscoridis primum, Tora quorundam. De hort. Aconitum 1. siue pardalianches, Tora siue Toxicum vulgò Valdensium, folio nunc singulari, nunc binis, ternis, quaternis, aut etiam quinis ab vna radice. Hæc quidem sunt Synonyma Toræ Ges-

ræ Gesneri, qui Matthiolum meritò in eo labi affirmat, quod scribit folium ei semper singulare esse. Sed rursus aberrat, quod Toræ contra aliorum sententiam violaceum dicit.

Anguill. epist. 14. huius plantæ meminit, dicens, Ghinum Aconitum vocasse: ipse autem eam opinionem, non probat.

Thora. Tura Thoram, Tauram, aut Turam, vt vocant, Dodon. Valdensem cognominat, ad differentiam Napelli, qui & ipse Thora vocatur. An porrò cum Farfio Auicennæ eadem fuerit, disquirendum proponit, quòd hoc affirmare difficile sit;

Rheg. not. Rhegin. in exercit. refert Nepam, σκορπίον, ex Theophrasto Aconitum primum esse: hoc autem seculo produci herbam quandam nomine Nepæ, quæ alioqui plerisque herbariis Thora existimetur. Considerent quæso lectores an Rheginus non confundat nomina duarum plantarum?

An sit verum Aconitum dubitat Gesnerus.

De φθόρα Valdensium hæc in Adu. Lobelius. Non inscitè quis inferet huc [inter Gramen Parnassi & Cyclamen] illam istis per similem herbulam, quæ passim montium, Alpiúmque accolis vocatur Thora, interdum nulla adiectione, interdum Valdensium. Etenim multùm diúque venatores illius alpinæ gentis hâc vsi sunt, vti etiamnum multi alij, ad ferarum capturam, quibus solo sacco expresso, & spiculis illito certam citámque parant perniciem, quà namque hæserit telum, aut vulnus fecerit, subire repente virus, quo ilicò ora vulneribus [nisi præcisione anteuertant corrumpuntur, putrescúntve: vnde Phthora nuncupata, vestigio manifesto de Græcis relicto: quippe φθόρα corruptio, nex, venenum, aut mors. At hi quibus multis periculis notæ sunt vires earum omnium herbarum, quæ vulgò nuncupantur Sagittariæ, cuiusmodi cum multis Aconitis, etiam Hellebori sunt, Hispanis vocati *Hierua de los abaleftrieros*, prout ista est, cæteras prope elumbes & incertas ducunt. Huius verò ineunte Vere ius premitur, atque vesiculis, aut potiùs vngulis & cornibus bouillis reconditum emitur, mittitúrque venenum ad emporia finitima, vbi ad vsus annuos venationum sibi comparant ferarum insidiatores, quos vicini Delphinates, Allobrogi & Prouinciales vocant, *Besiers*, vel *Lobatiers. Qui quidem* monere potuissent pseudocommentatorem Matthiolum, ne Pseudo Aconitum astrueret, vt quæ funesta dote superet quoduis Aconitum & toxicum.

Matth. not. Thoram Valdensium Clusius inter Ranunculi genera, quæ grumosâ radice constant, referendam censuit, ideóque Ranunculum grumosâ radice tertium cognominauit, inferens Gesnerum voluisse in epistolis operâ Wolffij editis, esse Cyclaminum tertiam Plinij lib. 25. c. 9. & Limeum eiusdem lib. 27. c. 11. descripta.

Ranunculus grumosâ radice.


Synonyma. C. Bauhin. pin. Aconitum pardalianches 1. seu Thora maior: Pseudo-Aconitum pardalianches Matthioli: Aconitum 1. seu pardalianches maius Gesn. hort. Aconitum Ghini Anguill. Limeum Plinij Anguill. H. Lugd. Herba thora, Limeum falsò vocari creditum Guill. pap. Tora venenata Gesn. lun. Phthora Valdensium Lob. in Adu. & Icon. Plant. p. 604. ac Clus. hist. Thora Valdensis Clus. pann. Cast. H. Lugd. & Camer. Thora mas & fœmina Tabern. & Gerar. Thora maior Cam. epit. Hoc nos referimus Vulpariam alteram Cæsalpini. *Eid.* Acon pardalianches alterum siue Thora minor: Aconitum 1. minus Gesn. hort. Thora minor Gesn. de Acon. & Cam. epit. Thora. Valdensis Dod. Thora Sabaudica & Thora montis Bald. Tab. & Gerar. Limeum pardal. genus vno folio H. Lugd. Ranunculus grumosâ radice 3. Clus. hist.

Clusius cum Tabern. non demonstrat qua in re binæ illius icones differant: in foliis florum nulla est diuersitas. Vtraque enim tam Phthora Valdensium montis Baldi, quàm Ranunculus 3. grumosâ radice, quinque folia floris habet.

Locus & tempus. Thoram copiosè inuenimus in monte Iura, non solùm vno folio, sed etiam duobus, tribus & quatuor: florebat Iunio: semen dabat Iulio. Cæterùm, in Alpibus, & Allobrogum, Heluetiorúmque montibus gigni refertur, & apud Valdenses, ac Baldo Italiæ monte frequens.

Vires & vsus Perniciosa autem & venefica huius Thoræ vis, Napelli excedere fertur malitiam. Tantam autem esse aiunt, vt homo quidem præcipuè, deinde & quadrupedes, ac aliud etiam quodlibet ferarum, vulneratum aut ictum telo huius succo imbuto illicòue intra semi-horam pereat ac moriatur. Negatur tamen mortiferum, si bibatur, aut deuoretur, tametsi absque noxa [illegible] non fiat. Venatores succi vim experturi, acum eo inficiunt, quâ ranam pungunt: quæ si ilicò moriatur, præsentaneum iudicant: auctor Gesnerus.

THORA APVLA FOLIO ALCHIMILLÆ.



Mirum nõ annotare Tabernomontanum, vbinam terrarum Thoram suam hanc Apulam siue Neapolitanã, Alchimillę siue Stellarię foliis, asperis & maculosis, vt ait, alioqui aliis Thoris similibus, obseruarit. Si vidit vnquam cur non diligentiùs descripsit? De hac nobis nihil constat, quare posteris de ea cogitandi occasionem non eripimus. Vbi etiam C. Bauhin. in suo pinace eius meminerit, nondum intelleximus.

ANTITHORA SILVATICI folio rotundo.


Antithora 3. à Siluatico descripta, *radicem* habet ex rotundo oblongam, magnitudine & figurâ oliuari: *folia* rotunda, Asari similia, per ambitum leuiter serrata, nullis fibris donata, Asari instar. Hanc herbam semel tantùm mihi contigit [inquit Tabern.] videre ab Italo quodam

ex monte Gargano allatam [qui & in Sabaudiæ & Pedemontij montibus copiosè prouenire adferebat] sed sine floribus, quos Cyclaminis floribus similes perhibebat,colore violaceo,quales ei Siluaticus,authore Pandectarum,tribuit. Eum pro pictura nunquam licuit nancisci. Radix sapore est amaro. Qui aliquando Garganum conscendent montem, Siluatici Antitoram perquirent. Nos non multùm tribuimus relationi Tabernamontani,& minùs eius Rhizotomo, autori Pandectarum.

Synon. Hermol.& Ruell. Antitaura vel Antithora, herbæ Tauræ siue Toræ venenosæ, per antipathiam occurrens. Gesn. de lun. Antithora flore subrubeo,foliis rotundis & modicè incisis. Eid. de Aconit. Anthora folio Violarum,floribus subrubeis.Cæsalp. Figatella.

Quid sit. Quid per Antithoram intelligant affirmare non ausimus, rem diligentiùs examinent lectores.

ACONITVM FOLIO PLATANI, FLORE luteo pallescente.



Descriptio EX *radice* flexuosis, numerosis, nigricātibusque fibris, cirrisue implexis satis iucūdo odore præditis,*caulis* surgit leuiter hirsutus, duobus cubitis altior, inanis, striatus,rotundus, tenuis, lentus, & nonnihil flexuosus, in alas diuisus: *folia* ampla quinquepartitò primariò diuisa, singulis segmentis denuò subdiuisis, superiùs ex atro virentia inferiùs albicantia: vel,vt ait Lobelius,]*folia* viticea,altè incisa, nigricantia, & Geranii maioris vt similia,ita maiora: *flores* ex pediculis vncialibus, & plusquam sextantalibus, quorum singulis appositum foliolum oblongum, interdum diss ctum, sæpiùs integrum, lutei, aut ex luteo albóue herbacei, oblongi,concaui,inferiùs hiantes è foliolis quinis compositi, duobus lateralibus breuibus & latis, infimorum altero lato, altero acuminato, quinto in tubi modum, concauo,in cuius intimo recessu, duo *cornicula* in spiram conuoluto extremo, dorso breuem hiulcum canaliculum sustinentia occuluntur, ad quorum coitum in floris hiatu staminum conspicitur congeries herbidorum, apicibus vel albidis, vel herbidis, vel nigro mixto versicoloribus: Lobelio, flores lutei sunt, vel pallentes, Linariç colore & effigie: siliquæ ternæ vel quaternæ, Aquilegiæ, rectæ, simul iunctæ,in quibus semen, Lob. angulosum & atrum, Trago pullum, Cepæ vel Nigellæ semini non dissimile,quod degustatum crebra sputa prouocat,naturâ calidissimum,veluti Pyrethrum.

Luparia Ruell. Ruellius ait Lupariam vulgò nominatam, quod sic lupos enecet, folio Vitis,multas habente diuisuras & maculas? flore oblongo, luteo, ideoque recentiores Lycoctonon esse arbitratos.

Matthiolus Aconitum Ponticum statuit, in omnibus ferè Italiæ montibus præsertim verò Tridentinis nascens, foliis magis quam Platani incisis: caule Filicis: floribus luteis, figurâ similibus Ranunculi floribus, sed multò maioribus: vulgò Lupariam vocari perhibet,quanquā in Tridētino,Herba vulpis nominetur,eò quòd radices eius tritæ & carnibus mixtæ vulpes interimat. *Duas autem* proponit Matthiolus in impress. anni 1554. icones: vni titulus est Aconitum 2. Et hæc icon est Aconiti quod nos hoc capite exhibemus flore luteo. Alteri titulus est. Aconitum tertium: quod nobis figmentum est, compositum fortè ex præcedenti & Trollio flore: de hoc autem agimus H. n. lib 30. sub titulo, Ranunculi flore globoso. *De hoc* ait Gesn. de lupo: Matthiolus in in prior.comm.dicit Pontici Aconiti, quod Dioscorides descripsit,flores luteos figurâ similes Ranunculi floribus, sed multò maiores, &c. vulgò Lupariam dici. Verùm nostra Luparia & lutea,& cærulea,flores habet cucullatos,vt ita dicam,Ranunculi floribus longè dissimiles, quare deceptum hîc Matthiolum puto. Hæc Gesnerus de Pontico Aconito Matthioli quod in impress. anni 1554. Aconitum tertium inscribit. Cæterùm, ritè consideranti verba Matthioli, apparebit illum nesciuisse, quid scriberet, e[...]e incognitas plantas fuisse, ac duas confudisse: Tridentini Medici & pharmacopœi perpendant an vtraque planta, Aconitum 2. & 3. in proximis montibus proueniat, an ibi sit in vsu Aconitum Matthioli flore Ranunculi, quod nobis persuadere haud possumus. *In comm.* anno 1559. impressis, antè citatis,de tertio genere loquens,hæc addit: Quanquam Gesnerus de animalibus, negat inueniri Aconitum cuius flores lutei sint, atque Rosas æmulentur,attamen decipitur: siquidem plures extant montes, qui hoc Aconiti genere scatent. Quare me hîc vera scripsisse, Gesnerum contrà veritati refragari, posteris omnibus testatum relinquitur. Sed modestè Gesnerus scripsit,vt ante ostendimus, prudenter quoque fecisset Matthiolus, fassus si fuisset suum lapsum,pari modestiâ erga Gesnerum vsus. Ille nunquam, nec eius bucciuatores patroni, fautores,& discipuli monstrabunt Aconitum prouenire in Tridentinis montibus, nec in aliis quale suâ icone proponit Matthiolus. Esto sanè prouenirer planta planè similis eius figmento: non tamen propterea foret Aconitum Dioscoridis lycoctonum, & Luparia communiter dicta, de qua Gesnerus & nos hoc capite agimus. De Aconito Matthioli flore Ranunculi, pluribus loco à nobis dicto agimus, quod non negauit Gesnerus prouenire in Tridentinis montibus, si vera icone exhibeatur, nec veritati refragatur in iis, quæ scripsit contra Matthiolum loco allegato. In comm. cum magna figura eadem scribit cum præcedentibus, mutatâ nonnihil icone. In Icon. impressis anno 1571. Aconito suo secundo, in altis montibus nascenti, & præsertim in Baldo in Veronensi agro, & Aconito tertio flores adscribit purpureos, ita vt manifestè appareat has plantas non sibi notas fuisse: cùm in aliis Editionibus Luteos, vt reuera sunt, vtrique Aconitis flores tribuat. *Matthioli censura.* *Matth. mentitur.*

Aconitum Per tertiam & vltimam Lycoctoni Dioscoridis speciem, licèt Lacuna intelligat hanc plantam, Lupariam vulgò dictam, & aliquibus Napellum existimatam, floribus luteis, Linariæ similibus

milibus,attamen Aconitum secundum inscribit.

Synonyma

Gesn.hort. Aconitum secundum, vel lycoctonum, Radix lupi Tigurensium : efficacior floribus luteis : Item, Aconitum 2. flore albo, Napellus albus. Eid. in app. Aconitum pallido flore Lupariæ vel Lycoctoni nomine vulgò dictum; Aconiti species alia floribus albis, folijs minoribus, radice simili, nempe latiuscula, dissecta : In monte fr. Aconitum luteum. De quadr. secundi Dioscoridis Aconiti genera duo agnoscit, luteum & cæruleum: quorum illud multò venenosius & vehementius est, à Theophrasto & Dioscoride descriptum, ac Germanis Luparia per excellentiam dictum. Hoc quoniam radix interdum minùs nigra, fusca scilicet & nonnunquam albicans Lupariam albam nominant. Alij Patam lupinam vocant.

Luparia [inquit Siluat.] est herba interficiens lupos, & potissimùm puluis ex ea : quidam falsò dicunt Radiculam esse, siue Helleborum nigrum, cùm reuera sit Strangulator adip.

Turn. Aconitum alterum Dioscoridis, folio Platani profundè inciso, floribus luteis, siliquis breuibus, semina nigra continentibus, in hortis duntaxat nascens.

Dod. Aconitum ponticum: Eid. de purg. Aconitum luteum maius : officinarum plerarum Napellus : strangulator lupi Arabum, hoc est *Canach adip:* Auicennæ : In fol. lat. Aconitum lycoctonum maius.

Thal. Aconitum licoct. luteum. Lob. in Icon. Plant. p.677. & Obs. p.385. Acon. luteum ponticum, Lupicida.

Luparia duplex,

Camer. hort. Acon. lycoctonum fl. luteo, Lupariam Heluetiæ duplicem statuit : & Maiorem folio latissimo, minùs nigro, & serotino magis flore ait à minore discrepare, alioqui similes esse plantas. Hinc in Epit. & Hist. Matthioli duas habet figuras : Vnam inscribit Aconitum secundum, floribus lucidis, aut luteis pallescentibus: Alteram, Aconitum sextum, Napello simili folio, sed multò maiore, & albis quibusdam liuescente venulis, floris figura ad Lupariam accedens, colore pallescente luteóve. Cæsalp. lib. 15. cap. 32. Napellus primus, folio Platani, &c. Eid. cap. 33. Lycoctonum ponticum Dioscoridis, folijs effigie Platani.

Tabern. Icon. & Hist. Aconitum Matthioli secundum: Item, Aconitum 7. siue luteum seu ponticum. Eid. hist. Aconitum.8.

Verum variat C. B. nota.

C. Bauh. phyt. Aconitum 2. siue lycoctonum luteum : dilutiùs quandoque viret, interdùm & flos pallidior, communiter ex pallido luteus. Habetur & flore albo in monte Mutteto. Eid. Aconitum 7. siue inflexâ comâ, folijs latioribus: Acon. 6. Matthioli, florib purpureis, Camerario pallescentibus luteisve. Apud Matth. Acon. siue lycoct. luteum; Acon. 2. Matthioli florib. purpureis : Item, Acon. 10. siue sextum Matthioli floribus splendens purpureis. *Nos nusquam* comperimus Matthiolum dixisse Aconitum suum 2. florib. esse purpureis, imò manifestè ait subluteis. Sexto quidem adscribit purpureos, verùm vbi splendere dixerit, nondum legimus. Illud nobis constat, eum nihil certi aut serij de hoc Aconito, sed tantùm ineptam proposuisse figuram sine descriptione : descriptio, quam hic addit, conuenit descriptioni 2. à Matthiolo positæ : frater etiam ponit figuram Tabernamontani. Quæ occasiones vt non separemus hoc sextum à secundo Matthioli, donec nobis demonstretur, cuius plantæ imaginem Matthiolus exhibuerit.

Synonyma Nom. ling.

Ἀκόνιτον ἕτερον, ἀκόνιτον κυνόκτονον & λυκόκτονον Græcis : Germ. *vvolffsvvurtz*, Luparia : Rhætis *Ris de lup*, id est Radix lupi: Gall. *Tue loup. Estrangle loup: Madriettes*, Fuchs. It. *Aconito per amassar lupi & cans* : Hisp. *Yerua mata lonos:* Angl. *vvolfs bayne, Yelobbe vvolfs bayne, Playne:* Boh. *vvomeg.*

In altissimis montium vallibus nascitur in varijs Germaniæ Austrie & Pann. ac Heluetiæ locis: in sylua Hercynia præsertim. Refert Matthiolus in Italiæ omnibus ferè montibus nasci, præsertim in monte Baldo in Veronensi agro : Thal. in montibus cæduis, præsertim vbi graminum maxima est luxuries, Stolbergæ, Ilfeldæ, &c. Gesnerus sæpissimè iuxta petras montium emicare vidit, etiam in ipsis petris & rupibus sed terra intectis. Maio floret : in hortis ex semine nimiûm propagatur.

Vires & Vsus.

Qui Aconitum antiquorum esse admittunt, vires ex antè dictis petant. Lupariæ herbæ, semen aut radix in puluerem redacta, & cum oleo temperata, vt vnguentum inde fiat, illitu pediculos ac furfures quocunque tandem inueniantur loco, enecat ac expellit : idem radix præstare potest, si in aqua vel lixiuio decoquatur, ac cum illa postea caput abluatur : est autem adurentis facultatis sicut & Napellus : quare introrò sumi non debet, inquit Tragus. Quàm enim noxia sit planta internis corporis partibus, interitu conuiuarum Antuerpiensium, qui in acetarijs harum radice vescentes diem suum obierunt, abundè demonstratum fuit. Perhibet & Dodonæus, cui olim calida & sicca erat in quarto gradu, facultatem huius, veluti & reliquorum Lycoctonorum homini exitialem esse, & reliquis quoque animantibus perniciosam. Inter venena atrocissima reponitur à Lobelio. Pro deteriore cæteris Aconitis veneno habent venatores, inquit, qui Lupicidam vocant, non quòd idem non faciant altæ, sed quia citiùs & certiùs : quin nonnullis in locis adultæ flores, vel solo mansu fauces linguamque tumore excitato adurunt & vertiginem cient. Germani rhizotomi mures occidi promittunt, si Lupariæ radicem tritam cum pulte ex Auenæ aut Frumenti farina mixtam gustauerint.

NAPELLVS VETERIBVS.

Cap. XVIII.

Temperam.

AVicennæ Napellus est venenum perniciosum, natura in summo caliditatis & siccitatis gradu. Est venenum destruens bibentem se, maior verò potio est medietas drach. & minùs hoc interficit. Theriaca verò eius est mus Napelli, qui eo nutritur, semen sc. ex eo cibans. Ex omnibus autem confectionibus diamoschum magis Napello resistit : lib.2. Coll. tractat.2. cap. 499. Est & Napellus Moysi buha [subdit cap. 500.] quæ est herba nascens cum Napello. Et cuicunque Napellus appropinquat, non crescit, vel non fructificat arbor eius. Et est maior Theriaca Napello, & in ipso sunt omnia iuuamenta, quæ sunt in Napello ad albaras & ad lepram. Napellus verò Moysi est animal, quod moratur in radice Napelli, sicut mus. Confert ad albaras & ad lepram. Est Theriaca omni veneno

& viperæ. Napellus portò est [vt refert lib. quarto fen. 6. tract. 1. summa 2. cap. 1.] de deterioribus. Et accidit potanti ipsum, vt apostementur labia ipsius. Et lingua eius, & egrediuntur oculi eius, & frequens fiunt supercilium vertigo, & Syncope, & non exercere seu non mouere potest crura ipsius, & est malum, & qui euadunt ex eo rarò euadunt quin cadant in hecticam, aut phthisim, & quandoque facit epilepsiam odor eius. Et eius succo imbibuntur sagittæ, & interficiunt, quem inueniunt, statim. Oportet autem vt festinetur ad faciendum vomere bibentem ipsum cum decoctione seminis Napi: & Rapæ, & dentur in potu vinum, & butyrum coctum vaccinum, dando potum super potum, & similiter decoctio corticum glandium cum vino. Deinde cura eius principalis est Bezahar, & medicamen de muscho, & Algeduar, & buha seu bis mus buha, & theriaca magna quandoq; confert in eo vsque ad terminum. Et de melioribus rebus est vt detur in potu muschus in fricatione albezahard: aut quantitas ℥ j. de medicamine muschi cum siliqua vna muschi. Et existimant quidam quod radices Capparis sunt Bezahar Nappelli. Et omnia albezaharad sunt bona ei, & propriè illud quod simulatur alumini, & habet fila sicut fila lithargyrij. Et animal mus nominatum Napelli, & est mus contrarius Napello, & destituitur eius operatio, cùm comeditur ex ipso. Resistit & Zedoaria Napello, cum quo illa crescit. De Napelli assumpti signis & curatione consulendus etiam Rhazis & Haly.

Cura

Toxicum Græcorum

Cæterùm, crediderunt aliqui Napellum Auicennæ esse speciem Aconiti: Verùm Manardus eius fuit opinionis Napellum Arabum & Toxicum Græcorum idem esse venenum, quam opinionem non omninò repudiandam censuit Lacuna.

Auicenna [inquit Leonic. de err. Med.] existimat Cicutam, Succaram, esse Napellum, aut venenum, quod interficit hominem, & non interficit turdos. Galenus non de Napello & turdis, sed potiùs de Cicuta & sturnis hæc intelligi voluit. Signa quæ ab Auicenna ponuntur in eo qui bau erit Napellum sunt eadem quæ à Diosc. & Paulo scribuntur, de ijs qui Toxicum biberint. Quod in authore Pandectarum legitur, atque ab omnibus ferè Medicis creditur, Napellum esse speciem Aconiti, id ex Auicennæ sententia affirmari non potest. Aconitum enim duplex est authore Galeno: de ijs autem duobus Aconiti generibus Auicenna eundem Galenum secutus est, sub nomine strangulatoris adip, id est lupi, & stragulatoris leopardi, ac seorsim à Napello tractauit. Quod Galenus de Cicuta & sturnis, non autem de Napello & turdis, vt in ore est omnium ferè Medicorum, qui solâ Auicennæ autoritate freti id constanter affirmant, interpretandus sit, experientiâ compertum habetur. Quis enim dixerit an Turdi sine noxa Napello vescantur: cùm quid sit Napellus ex ipso Auicenna non constet.

Pandect. error alius

Idem Pandect. author, vnum Aconiti genus idem facit cum Napello apud Arabes celebri, sed falsò, cùm potiùs videatur Gesnero Ellebori nigri species esse.

Æquiuoca

Cæterùm inter Napellos sequentes recipiuntur & recensentur plantæ: scilicet, Aconitum folio Platani flore luteo pallescente, quod est Napelli primum genus Clusio, Napellus officinarum plerarumq; de quo antè. Aconitum magnum purpureo flore. Aconitum Lycoctonum autumnale Napello simile. Aconitum lycoct. Napello simile, flore purpureo, Neubergense, folijs latioribus. Aconitum lycoctonum flore maximo. Acon. lycoct. radice bulbosâ, flore cæruleo, galeâ elatiori. Aconitum racemosum, Actæa quorundam. Antithora, flore luteo Aconiti. Crescentij Napellus, siue, vt ait, Napus marinus, in littore maris crescens, venenum pessimum & perniciosum, summè calidum & siccum, quod linitum delet maculas cutis, &c.

NAPELLI MVS VEL MVSCA.

De animali, quod Napello nutriatur, hodie autores minùs conueniunt. Sunt enim qui murem: sunt & alij qui muscam esse contendant.

Remedium aduersus Napellum

Aduersus Napellum tam perniciosum venenũ remedia quædam enumerat Auicenna, quæ post venenum ipsum vomitione redditum præsidio sunt: atque inter ea murem etiam [vt antè videre licet] reperiri Napello enutritum, qui naturæ eius maleficæ totâ substantiâ aduersetur, & assumentem ab omni vindicet ac liberet periculo.

Musca Guainerij

Antonius Guainerius Papiensis suâ ætate celebris Medicus, in tractatu suo de venenis, hunc non murem, sed muscas esse existimat. Refert siquidem quendam Philosophiæ ac veritatis studiosum, sollicitè admodum ac diligenter murem huiuscemodi quæsiuisse, neque vnquam vel murem, vel arrosam etiam Napelli radicem ab eo repertam: sed muscas abundè multas folia depascentes inuentas, quas Philosophus ille muris loco accipiens, antidotum ex ijs confecit, quam & aduersus venena alia, sed contra Napelli vtilissimam ac efficacissimam comperit. Accipit hæc terræ Lemniæ, baccarum Lauri, antidoti Mithridatis singulorum Vnc. duas, muscas Napelli 24. mellis & olei, quantùm satis est.

Musca cæruléa

In eadem cum Guainerio & Philosopho illo sententia sunt quoque P. Pena, & M. Lobelius, qui murem Napellum depascentem nusquam affirmant visum: sed muscas esse, quæ turmatim aduolent, & floribus huius insideant. Napellus, inquiunt, à quouis animalium illibatus perstat, præterquam à muscis quæ illi turmatim insident & aduolant, & floribus fortè innascuntur, sunt enim fermè concolores, maiores quàm communes, alis capitulisque ex lurido viridiue cæsio virente, quasi cantharides, vel cincedulæ. Hasce attentiùs obseruauimus quidem continenter de floribus rostello delibantes: cæterùm murem Napelli frustra diu & multis aulsis plantis quæsiuimus, & an vidissent opiliones percunctati, vsquam sibi visum negabant. Quare μῦν siue murem, è μυῖα siue musca fecisse istos Arabas, iam tum suspicio nos incessit: quippe nullum antidotum è mure parant, è muscis præstantissimum, aduersus funestum tarantæ morsum, atque epidemicos morbos, cuiusmodi est hæc: ℞ Muscas quæ pastum ceperint de Napello n°. 20. Aristolochiæ, boli Armeni an. Dra. h. 1.

Cæsia musca Anglorum

Cæsias porrò muscas, quæ ex Aconiti cærulei seu Napelli floribus viuunt, studiosè Anglos obseruasse testatur etiam Thalius.

Matthiolus contrà gloriatur se murem, qui Napelli radicibus victitat, pluries in Ananiensibus montibus inuenisse. Sed quandoquidem controuertitur, an mus vel musca ab Arabibus rectè reddatur, cur Matthiolus non descripsit murem, & quo

& quo in loco, quaque figura, quibus auxilijs deníque eum deprehenderit? cur non indicauit, an eum noctu vel interdiu obseruarit? cur non icone, quâ formâ radicem atrosam eruerit, expressit? cur diuersimodè eam pingit?

Verisimile itaque est, vel Dodonæo teste, non murē esse, qui Napello sustētetur, sed muscas esse, quæ linctu eius viuant. Nam Aconitum, cuius Napellus species, mures ipsos interimit: atque inde μυοκτόνον καὶ μυόφονον, siue Muricida dicitur.

ACONITVM MAGNVM PVRPVREO flore, vulgò Napellus.



Locus

Descriptio.

Consultiùs ex hortis exularet pernecabile Napelli virus, nisi stultæ voluptatis illecebrarū quàm sanitatis studiosiores esse velimus, facileq; illice hoc oculorū pabulo in tāta florū cùm, salubriū aut saltē innocentium, tū amœnorum fœcunditate carere possent viridaria & paradisi: est autem trium circiter cubitorum altitudine, ac etiam humanâ, rigido, fractuque contumaci *caule*, tereti, purpurascente: qui in ramos diductus, in singulis longā gestat *florum spicam* cæruleorū & cucullo *folia* reliqua, quaterna numero, obtegentium: quos sequuntur, singulos tria ferè Aquilegiæ *cornicula*, *semine* plena: *folia* alterno situ ex vncialibus pediculis, atro virore nitentia, Aconiti lutei lycoctoni folijs maiora, in crebriores lacinias angustas multùm diuisa: *radix* Napi parui magnitudine, nigra, fibras è lateribus producit; sæpè & alios Napos collaterales adnatos habens.

Herbam, Germanis *Eisenbuetlin* dictam radice Lupariæ, satis iucundo odore, Tragus trium generum esse statuit. Maximam, Minorem, & Flore luteo. Nos hoc præsenti capite de maxima specie agimus, & de minore fortè sequenti. Fruticem flore roseo suspicamur esse Nerium. In Hist. germ. Aconiti facit speciem alteram, Napellum vulgò dictum, eius tamen picturam non exhibet.

Locus & Tempus.

Lobelio in Aduers. [vt etiam in Obs. p. 687. Icon. Plantar. pag. 679. vocat] Napellus vulgaris, vulgò Germanis *Kappenblumen*, dicitur, & propter similitudinem Brabantis *Muenchscappen*: Insignis, inquit, radix, insignior & flos, arguto naturæ opere: præ se námque fert cucullæ hiantis aut cassidis speciem. Huius videas acclîues montium saltus Iunio & Iulio perquàm elegantem, & luxuriantem fundere vbertatem in Rhæticis alpinis, cui tamen [cuncto illic arroso Gramine] parcit quantùm est pecoris, præsertim secus iter, quo Constantia Nasaretum versus itur, vbi à quouis animalium illibatum perstat, præterquam à muscis. Nec in vlla planta huic Napello congenere, muscæ hæ cæruleæ insident aut victitant, quo certior est coniectura istum Napellum esse Arabum, idemque Dioscoridis vnum ex Aconitis: Fortè autem Rappen pro Cappen legit Lobelius.

Turnerus vocat alterum Aconiti secundi genus, folio magni alicuius Ranunculi, copiosè proueniens in ipsis Alpium iugis inter Splengen & Clauennam. Fuchsius in suis paradoxis, nihil aliud Aconitum esse putat Mauritanis & præsertim Auicennæ quàm Napellum. Quâ in re meo quidem iudicio [Matthioli verba sunt] fallitur, quippe quòd reperio Auicennam de vtroque Aconiti genere scriptitasse, & alterum appellasse Strangulatorem adib, alterum verò Strangulatorem Leopardi quæ nomina eadem sunt, quæ apud Græcos Lycoctonos & Pardalianches: atque eundem priùs magnâ differentiâ speciatim de Napello egisse constat. Præterea Napellus radicem Aconitis longè dissimilem profert: sicuti & folia, quæ potiùs Artemisiam, quam Cyclaminum & Platanum referunt. Flores item edit purpurpureos, qui antequam dehiscant, mortui hominis caluariam repræsentant, dehiscentes verò pandunt sese Vrticæ mortuæ modo. Caules ei bicubitales, & aliquando maiores: semen paruum, nigrum, corniculis conclusum breuibus. Quæ certè omnia & harum plantarum discrimen apertè ostendunt, simul & Fuchsij sententiam refellunt. Hinc itaque colligendum putauerim Aconitum cuiusque generis nullam habere cum Napello cognationem &c. Cæterùm addit, existimarunt Manardus & Leonic. quod Napellus & Toxicum Græcis vocatum inter se nôn differant: sed isti aberrarunt. *Hæc Matth.* qui pro Napello iconem exhibet minùs artificiosam, & fortè ipsi minùs cognitam: quandoquidem Napello radicem assignat Aconitis longè dissimilem. Quæ autem est dissimilitudo in radicibus Aconiti eius 1. & 4ti, & Napelli? Quæ item in com. cum mag. fig. in radicibus Aconiti sexti & septimi, vbi Napelli longè diuersam proponit iconem, potiss. radice & folijs: caules etiam Aconitorum Matthioli aliquid commune habent, cum caulibus Artemisiæ: flores etiam, quamvis colore varient, formâ conueniunt: sed & vires quoque penè eædem sunt. Matt. iudic.

Synonyma plura.

Lacunæ Napellus, caulibus Artemisiæ maioris, floribus purpureis. Thal. Acon. cæruleum seu Napellus cum cæsijs muscis. Gesn. hort. Aconiti altera species cæruleo flore: Tota Italorum quorundam, etiam flore purpureo: Sueui alijque Germani vtramque Lupi radicem vocant. Eid. de lupo, Aconiti secundi Diosc. genus alterum cœruleum, luteo minus venenosum & vehemens: Napellus Arabum: Luparia nigra.

Synonyma.

C. Bauh. pin. Aconitum 10. [11. phyt.] siue cæruleum, seu Napellus 1. *Isenbuetlin* Brunf. in. 4. p. 292. sine icone; Trago. Napellus Matth: Lon. Dod. Cast. H. Lugd. & Cam. vulgaris Clus. pann. Napell. arboreus Eyst. Napellus verus Lob. Obs. p. 387. cæruleus in Adu. & Ic. Plant. pag. 679. Napellus maior latifolius & angustifolius Tabern. Napellus reticulatus, Cæsalp. Aconitum lycoct. cæruleum Dod. gall. Aconitum 2. vel lycoctoni species altera Gesn. hort. Aconitum lycoct. 6. Clus. hist. Aconitum cæruleum Gesn. coll. Thal.

Varietas.

Folijs est latioribus, & angustioribus [siue maius & minus, vt habet in phyt. & hinc apud Tabern. binæ figuræ: [flore communiter cæruleo, aliquando purpureo, roseo, albo, & è cæruleo &

albo colore variegatus, qui Napellus flore variegato Eyst.

Germ. *Eisen huetlein, Narren cappen, Cappenbluemen, blavv vvolffsvvurtz*. & *Teuffelsvvurtz*. Belg. *vvolffsvvortele*, It. & Hisp. *Napello*. Angl. *Blavv vvols bayne*, Gall. *Cappe de Moyne, & bleu au loup*.

Locus. In Alpibus Ananiæ & Rhætiæ, tum alibi in montibus, vt Harcynia Saxo thuringica, sæpè quidem iuxta saxa, sed magis in terrenis, nullo serente prouenit: apud Belgas quandoque in hortis reperitur, teste Dodonæo. Maio aut Iunio, interdum etiam serius, aliosis locis flores vigent:

Tempus. semen Augusto dat. Montbelgardi sponte copiosè prouenit inter pontem Vauiaucourt & Dampierre, ac vlteriùs inter dumeta. Non longè à pago Audincourt ad Dubin elatiori loco, qui non alluitur, Septembri mense copiosis floribus vidi anno 1608. ad hominis circiter altitudinem excrescere.

Vires & Vsus. Vis & facultas Napelli & homini & quadrupedibus multis perniciosa est. Euidenti, sed perquàm miserabili experimento, id Antuerpiæ olim compertum, in recenti adhuc est memoria. Cùm enim ab imperitis huius inter acetaria illatæ essent radices, quicunque eas ederunt, mox sæuissimis correpti symptomatibus breui vitam cum morte commutarunt, testimonio Dodonæi, qui olim calidum & siccum ad quartum gradum pronunciabat. Quin & Turnerus perhibet Gallos quosdam Antuerpiæ, pro Imperatoriæ, in acetario comestis Napelli radicibus, intra biduum omnes obiisse, exceptis duobus histrionibus, qui eas reuomuerint. Caueant sibi igitur mortales, ne breuis florum elegantia, graui dispendio veneni radicum compensetur. Cærulei Aconiti radicibus qui pro Elleboro nigro vterentur, pharmacopolas in Sabaudia vidit Gesnerus. Sed & Syluius alicubi reprehendit idem à nonnullis in Gallia fieri: cuius erroris occasio eis fuit radicis color, & quòd ventris profluuium similiter moueant, & quòd Elleborus ipse eis deesset. Saxonia se audiuisse narrat fuisse Medicum

Peste. Germanum, qui omnes peste correptos curarit imposito pro vesicante Napello, eo scilicet virulentiam omnem ad se trahente. Narrauit nobis nobilis quædam fœmina, multas aliquando gallinas, quæ *Narren Cappe* comedissent, fuisse mortuas: quibus verò Allia & acetum fuisset exhibitum, euasisse.

ACONITVM NAPELLO SIMILE, SED minus, cæruleum, præcocius.

Descriptio. VNius aut duorum cubitorum proceritatem assequitur minor Napellus, *caule* gracili, subhirsuto & subrubente, non ita recto: *folia* Napelli, minùs tamen crebrò partita, licet in quinque lacinias profundas primarias diuisa, quarum singulæ rursum variè subdiuiduntur, colore atro-virente nitido, ex pediculis duas tres-ve vncias longis: *flores* cærulei, cucullati, pilosi, quorum galea lingulas duas occultat purpurascentes, quorum capitulis impositus vtriculus liquorem melleum continet: duæ florum alæ supremo suo margine galeam ingrediuntur, infimos margines excipiunt duo subiecta folia, quorum quatuor complexu comprehenduntur atro-purpureorum staminum villi: *radix* subest nigra, oblonga, fibrata.



Synonyma. Camer. hort. Aconitum alterum, Napellus citiùs florens & vulgatior. TragoAconitum minus. Clus. pann. p. 406. & 407. Aconitum Lycoctonum 2. siue præcox Tauricũ: Eid. hist. Aconit. lycoct. 4. Tauricum. C. Bauh. pin. Aconitum 11. [siue phyt. 12.] violaceũ seu Napellus secundus.

Locus & Tempus. Inuenitur in Tauricis montium iugis, non procul à Salisburgo, in quibus floret Iulio, in cultis verò multò maturiùs, imò reliquis Lycoctoni generibus præcociùs, nempe Maio interdum mense, autore Clusio. Montbelgardi floret Iulio, & citiùs Napello, cui adeò simile, vt difficulter ab illo distinxeris.

ACONITVM LYCOCT. AVTVMNALE, Napello simile.

Descriptio. FOlia huius media quodammodò sunt inter Thoræ [Aconiti lycoct. radice bulbosâ] & tertij generis peregrini [Aconiti lycoct. Neubergici] folia, Thoræ quidem Italicæ foliorum quasi æmula, nonnihil tamen ad tertij generis peregrini foliorum formam accedentia, nec illis minùs ampla, atra viriditate splendentia supernè: *caulis* illi bicubitalis, crassus, firmus, striatus, virescens & splendens, summo fastigio florum spicam, tertio peregrino generi ferè similem gestans: quibus etiam succedunt pares *siliquæ* seu capita, & simile *semen*: *radix* illius etiam radici par, perennis, & multis ad latera adnatis se propagans.

Synonyma. Descriptionis autori Clusio dicitur in pann. & hist. Aconitum lycoctonum 7. vel autũnale: Dod. purg. & in fol. lat. Aconitum lycoct. alterum tota externa facie Napellum referens, sed radicum filamentis acciris multis tantummodò confibratarum ac Napo nequaquam similium differens, Napello seriùs multò, proliferum. Lob. Obs. pag. 386. Aconitum autumnale, facie Napelli toto vultu, & paritate Napellum referens, Belgis hortense, Augusto & Septembri florens.

C. Bauh. phyt. Aconitum 6. siue cæruleum Napelli flore, radice fibrosâ. Acon. lycoct. 2. Dodonæi. Eid. Aconitum 15. siue purpureum autumnale seu Napellus. Acon. lycoct. 7. siue autumnale Clusij. *Non duo* sunt, sed vnum Aconitum. Quare in pin. sub Aconito 7. siue cæruleo Napelli

C. B. not. flore meritò comprehendit.


Locus. Alebat hoc genus in Belgicâ Clusius, Bruxellâ primùm ipsi communicatum, dein de eius operâ Viennam delatum, eius vrbis elegantiores hortos ornare cœpit. Florebat seriùs, nempe Augusto, eam ob causam Napellum Autumnalem appellare solebat.

ACONI-

ACONITVM LYCOCT. CÆRVLEVM, calcari magno.

Descriptio

ALtitudine vix cedit Napello, *caule* inani, purpurascente, qui subhirsutus videtur: *folia* Aconiti lycoctoni lutei foliis simillima, in latas dissecta lacinias, hirsuta: summus caulis in longam abit *spicam florum* pulcherrimorum cæruleorum, longo rostrato Aquilegiæ, vel Consolidæ regalis corniculo, librantis se columbæ æmulo, cuius extremo hianti folia subsunt quaterna, aliorum Aconitorum modo, & in horum medio stamina multa: ad florum verò exortum bina foliola angusta ceu cornicula quædam eriguntur: hisce succedūt ternę iunctę corniculatæ siliquæ, *semen* continentes, nigricans, rugosum: *radix*, autor Clusio, crassa, tuberosa, vti alterius Lycoctoni flore Delphinij quod apud Belgas alitur, nigra, rugosa, concaua, grauiter olens, multis tenuibus, fuliginosáque lanugine pubescentib. fibris prædita, ad cuius latera secundum infimum caulem singulis annis noua germina repullulant.



Synon.

Camer. hort. Aconitum flore Delphinij, trium vel plurium cubitorum. Clus. pann. p. 404. Aconitum lycoct. 1. Lycoctonum flore Delphinij cæruleo, Silesiæ incolarum Lup oa radix: Eid. hist. Aconitum lycoct. flore Delphinij 1. Silesiacum. Gesn. hort. & in App. Acon. cæruleum aliud, luteo illi, quod Lupariam vocant, cognatum, in montibus quibusdam Bernensium ditionis, *Grosberg Ritterspaven*:

Tab. not.

Camer. apud Matth in hist. Aconitum 3. Eid. in Epit. Aconitum 4. flore cæruleo caudato. Taber. Icon. Aconitum Matthioli sextum: Eid. hist. Aconitum 7. Matthioli 6. flore Consolidæ regalis. *Tabern. longè* diuersam ponit figuram à Matthiolina. Ea enim in floribus calcaria habet, Matthioli contrà nulla.

C.B. not.

C. Bauh. pin. Aconitum 5. [4. phyt.] siue cæruleum hirsutum flore Consolidæ regalis, Acon. lycoct. cæruleum aliud Gesn. hort. *Hoc Aconitum* Gesneri C. Bauhin. olim referebat ad Aconitum suum cæruleum glabrum, quod inscribimus Acon. lycoct. flore Delphinij.

An Alcionium Anguillaræ epist. 12?

Locus & tempus.

Nascitur referente Achille Gromero frequens in montibus territorij Freyvvaldensis in Silesia, vbi in tricubitalem altit. interdum excrescere & Augusto florere ait; in horto verò Iunio.

Radix huic amara est sicut Anthoræ, & virium, vt Gesnerus coniicit, earundem, non ita venenosa vt cætera Aconita.

ACONITVM LYCOCT. NAPELLO simile, Neubergense, foliis latioribus, flore purpureo.

Descrip.

LAtiora vulgari Napello habet *folia*, licèt similiter incisa & laciniata, magis atra similiter & splendentia: *caulem* rectum, firmum, rotundum, trium interdum cubitorum altitudinem æquantem, & in multos ramulos superiore parte sæpenumerò diuisum, qui *flores* spicæ instar congestos, ferunt, colore purpureos, Napelli vulgaris floribus planè respondentes, hoc est, quatuor foliis cōstantes, quinto veluti galeola supereminente, & bina circumuoluta, instar litui, cornicula occulente, staminum tamen media congeries magis fusca est: florum spica in extremo caule nascens, reliquis oblongior est, & magis expansa: singulis floribus terna succedunt *cornicula*, interdum quaterna aut quina in caput vnum congesta, semen atrum & inæquale continentia: *radix* illi vulgaris Napelli instar, paruo Napo similis, cui in lateribus adhærent alij Napi, fibris præditi, quibus se propagat.



Synon.

Clusio, descriptionis auctori, dicitur in pann. p. 406. Aconitum lycoct. 3. vel Neubergense: Eid. hist. Acon. lycoctonum 5. quoad iconem, 3. quoad descriptionem. Neubergense. C. Bauh. pin. Aconitum 12. [13. phyt. siue purpureum foliis Napello latioribus] siue purpureum, seu Napellus tertius.

Locus & tempus.

Crescit in montis Neuberg Ducatus Stiriæ iugo ad vaccarum, istic æstiuis mensibus pascentium, stabula. Floret paulò post vulgarem, videlicet Iulio.

Aconitum lycoct. Lyncæanum Napello simile.

Descriptio

Medium quodammodò inter vulgarem Napellum, & genus Aconiti præcedens, quartum hoc peregrinum genus, siue ordine septimū, statuit Clusius: *folia* enim illis similia obtinere scribit: *caulem* inter illos medium, infirmiorem tamen, & supernâ parte aliquantulùm nutantem, *flores* vtriusque floribus prorsus respondentes, nisi cassis supra quatuor folia eminens, magis subleuaretur & hiaret, rostróq; magis mucronato esset: *semina* in ternis corniculis simul iunctis similia: *radicem* etiam non multùm variantem.

C. Bauh. phyt. & pin. Aconitum 8. siue comâ inflexâ foliis angustioribus. Acon. 7. Matthioli H. Lugd. Acon. lycoctonum 4. vel lyncæanum Clus. pann. p. 409. & hist. *Eid. apud Matth.* Acon. 11. siue sextum Matthioli. *Non audemus* nos certò

asserere huc esse referendam ineptam Matthioli figuram Aconiti eius 7. flore purpureo. Siquidem de ea, vt ei consuetum, nihil solidi scribit. Stirpium igitur peritiss. Clusij iudicio assentimus. Titulum porrò inflexæ comæ nolimus ei tribuere, ex sola mani Matth oli figura, quia Clusius suo Lycoctono inflexam comam non adscribit.

Vires & vsus. Missum fuit Viennam hoc genus Clusio, è Lynxæanis montibus erutum, quod postea in horto aluit, florens cum superioribus, aut paulò etiam serius.

ACONITVM LYCOCT. COMA nutante maximum.



Descriptio. TRium interdum cubitorum altitudine assurgit, caule tamen satis gracili, rotundo, superiore parte in multos ramos diuiso & nutante: summo caule lõgam florum spicā fert, Lycoctoni cærulei vulgaris, siue Napelli dicti floribus similium sed paulò dilutiore purpurā splendentium, quorum singulis (vt in aliis Lycoctoni generibus) succedant terna longiuscula *cornicula* ex eodem pediculo nascentia, semine inæquali, fusco plena: *folia* ampla & oblonga, in multas tenues profundásque lacinias magis diuiduntur, quàm in vllo alio Lycoctoni [præter id quod à Belgis flore Delphinij nominatur, inquit Clus.] genere, quæ supernè atra quidem viriditate prædita sunt, non splendent tamen: *radicem* habet crassam & longam, Napi ferè magnitudine, foris nigricantem, & per interualla multis fibris donatam, ac superiore parte in multa capita extuberantem, è quibus caules emergunt: subinde tamen recentes exiguos Napos ad latera enatos habet, quibus se propagat.

Synonyma. Clus. pann. p. 410. Acon. lycoct. comâ nutante 5. siue Lycoct. maximum: Eid. hist. Acon. lycoct. 5. quoad descript. 8. quoad iconem, comâ nutante: fortè Matthioli nonum. C. Bauh. pin. Aconitum 9. siue inflexâ comâ maximum: Acon. 9. Matthioli H. Lugd. Aconitum comâ nutante Clusij. *C. Bauhino in phyt.* Acon. 9. Matthioli diuersum erat ab hoc Clusij. Hoc quidem, nonum ipsi erat: Illud verò decimum, siue bulbosum inflexâ comâ. Nos autem potiùs existimamus Aconitum 9. Matthioli esse Antithoram, licèt aliter sentiat Clusius. Suspicionem nostram mouêre flores, quos luteos ait, & figura, quæ aliquo modo Antithoræ respondet.

C. B. lapsus.

Locus. Hoc Aconitum a Frid. Sebizio primùm ex Italia Viennam delatum est, & Clusio communicatum. Floret autem Iulio.

Aconitum 4. Matthioli fortè Delphinij flore.

Apud Matthiolum in impress. anni 1554. est icon sine vlla descriptione, nec indicat, à quo habuerit eam, contentus solâ inscriptione Aconiti quarti. Habet autem ea icon *folia* in multa segmenta diuisa, ad Napellum accedentia: *caulis* vnus diuiditur in aliquot ramos, abundantes floribus, in quibus *calcaria: radix* fibrosa est. In icone Compendij impressi anno 1571. non sunt flores magni, quales ei in delineatione ipsius textus adscribit. Quare existimarem ea verba, *flores mittit aureos magnos*, pertinere ad Aconitum tertium, sed id prohibent pôst dicenda. In comm. impressis 1559. præter iconem & titulum nihil habet Matthiolus. In comm. cum mag. fig. anno 1583. hæc addit: Sunt mihi sex Aconiti species, de quibus qui meminerit habeo neminem. Harum imagines, quas appingi curaui, misit ad me Hier. Donzellinus, qui tamen Dominico Moulesanto has acceptas referebat. Harum historiam describere operæ pretium non duxi, quòd appictæ imagines eas ad viuum repræsentent. De floribus tantùm dicam, qui in quarto & nono aurei sunt, in reliquis verò purpurei. Ex quibus Matthioli verbis apparet, ignotas ei fuisse plantas sex, quarum proponit icones. Quartæ tribuit colorem luteum. Ego putabam fuisse aliquem Typographicum errorem, nunc tribuo ignorantiæ Matthioli, qui omnes sex scribit ad viuum repræsentari cum tamen quinque pessimæ sint. Nec potuit ferre sententiam Matthiolus, non visis plantis ipsis siccis, vel virentibus. Nec plura in comm. Ital. habet, impressis anno 1568. Ibidem etiam tribuit colorem *giallo*: in Hist verò germ. dicuntur flores purpurei. *Flores colore giallo.*

Synonyma. Camer. apud Matth. in hist. german. Aconitum 4. Eid. in Epit. Acon. 4 floribus cæruleis caudatis.

C. Bauh. phyt. Aconitum 5. siue cæruleum glabrum flore Consolidæ regalis: An quartum Matthioli? nam licèt floribus dicat aureis, Camerarius tamen in Matth. dicit cæruleis: Acon. cæruleum aliud Gesn. hort. *Eid apud Matth.* Acon. 4. siue 4. Matthioli: An fortè Acon. lycoct. flore Delphinij cæruleo Lobelij & Dodonæi? *Item pin.* Acon. 6. siue cæruleum glabrum flore Consolidæ regalis: Aconiti genus floribus cæruleis Gesn. hort. Acon. Lycoct flore Delphinij Dod. Lob. Acon. secundum Clus. hist. Acon. lycoct. cæruleum 4. fl. Delphinij Dodonæi Hist. Lugd. p. 1741. An. Acon. 4. Matth. Lac. & H. Lugd. p. 1740?

C. Bauh. Aconitum cærul. aliud ego potiùs ad Acon. lycoct. cum magno calcari, quod ipsi 4. est in phyt. referendum censeo. Idem in pin. ad Acon. tuum 5. quod ei in phyt. 4. est retulit. Acon. flore Delphinij Dod. Lob. Clus. & H. Lugdunensis hic commemoratum, ab eius glabro separo.

ACONITVM LYCOCTONVM Flore Delphinij.

Descriptio. ACoritum lycoctonum, quod à flore Delphinij cognominatur à Dodonæo, procerè assurgit *caulibus* instar Napelli: *folia* variè similiter & crebérrimis incisuris diuisa: *flores* secundum caules superiùs, veluti in longam compositi spicā, è puniceo ac obscuriore colore purpuream

puram æmulantur; formâ ferè floris Regij, in posterius videlicet corniculum desinentes: *siliqua* & *semen*, vt maioris lycoctoni lutei: *radices* oblongæ, crassæ, tres aut quatuor demittuntur, paucis adhærescentibus filamentis.

Ob floris differentiam, Aconitum lycoctonum flore Delphinij [inquit Lob. in Obs. pag. 386.] discernunt nuperi; cui radices ternæ, quaternæue Anthoræ, quasi nodulo aptæ in fibras desinentes: caulis binûm, interdum ternûm cubitorum: folia altè & minutim diuisa, Anthoræ vel Napelli, sed minora: semine & siliquis non diuersis.

H. Lugd. p. 1742. Acon. lycoct. cæruleum 1. flore Delphinij Dodonæi. Clus. Acon. lycoct. fl. delphinij.

Hanc plantam esse Aconitum quartum Matthioli nondum asserere audemus. Matthiolo radix est fibrosa: Dodonæo verò & Lobelio bulbosa: Iconem nostram sculptam emimus.

Locus. Hoc Aconitum munere Robini hortulani Regij Parisijs primò vidi. Montbelgardi semen terræ commissum plantam dedit, quæ floruit Iulio.

ACONITVM LYCOCT. FLORE maximo.



Descriptio. Hæc folia in quinque lacinias altè diuisa, & illas denuò in ambitu concisas, Thoræ Italicæ foliis interdũ adeò similia, vt si quis plantas, antè quàm in flores abeat, conferat, nullum fermè discrimen deprehẽdere queat, nisi Italicæ Toræ splendeant, huius minimè: *caulem* bicubitalem nonnunquam, rotundum, non valde crassum, firmum tamen & rectum, ex viridi purpurascentem, supernè quinos aut senos ferentem, *flores*, inter omnia Lycoctoni genera maximos, quatuor foliis vt reliquorum generum, constantes, supereminente galeâ longè maiore, & vncialis aliquando longitudinis, elegantis è cæruleo purpurei coloris, sub qua bina longa cornicula extimâ parte latiora, & litui veterum Romanorum ferè instar inflexa, coloris dilutiùs purpurascentis, teguntur, staminibus nigris medium florem occupantibus, floribus succedunt tria plurimum *cornicula*, coniunctim ex eodem pediculo nascentia, interdum quaterna & quina, vt in tertio peregrino Clusij genere [in Lycoct. Neubergensi,] sed longè maiora, *semen* inæquale, & fuscum continentia: *radix* parui Napi formam æmulatur, nigricantibus fibris prædita: alias præterea similes radices lateribus adnatas habet, tenuioribus adhuc fibris quæ singulis annis adhuc recentes caules proferunt: sed etiam infimi caulis nodis adnascuntur tubercula, non secus ac in Italica Thora.

Synon. Clusio dicitur in pann. p. 410. Aconitum lycoct. 6. [9. ad iconem] Iudenbergense. C. Bauhin. pin. Aconitum 13. [14. in phyt.] siue cæruleopurpureum, flore maximo, siue Napellus 4. Acon. fl. cæruleo. Napellus serotinus Camerarij.

Locus & tempus. Spontè prouenit in Iudenberg, altissimo totius Stiriæ monte: Floret Augusto; in hortis verò sub extremum Iulium, seriùs reliquis superioribus. Anno 1585. copiosè quoque inueniebat Clusius, in quodam Schneeberg iugo, quà difficillimus est ascensus.

ACONITVM LYCOCT. FLORE cæruleo, galea elatiori, radice bulbosâ.



Descriptio. Præter fibras quibus subinde radicatũ terræ hæret, *bulbos* gerit turbinatos, è quorum basi fibræ aliæ exeunt: *folia* ex caule alternatim producuntur, mediocri amplitudine, quæ in quinque profundas lacinias, rursum leuiùs subdiuisas, conscinduntur, splendenti virore prædita, subhirsuta: *flores* galeati, rari, cassidem longam erigunt, colore dilutè cæruleo.

C. B. inconstantia. Clusio Aconitum Lycoctonum 10. dicitur. C. Bauh. pin. Aconitum 14. [16. phyt. & 12. apud Matth.] siue cæruleum minus, siue Napellus minor, in editioribus locis exilior proueniens. *In phyt.* dubitat an esset Aconitum 8. Matthioli: apud Matthiolum id asserit: in pin. negat, & facit 15. Aconitum, siue ramosum paruo flore; Aconitum 8. Matthioli H. Lugd. Floribusque ait esse luteis: Matth. purpurascentibus: at Camerario rubescentibus.

Describitur à Dod. de purg. & fol. pro Aconi-

Dod. notat. to lycoctono tertio, pingitúrque sub titulo Aconiti lycoctoni cærulei parui. Dod. huc refert Aconitũ minus Tragi, contra opinionem nostrã.

Lob. icones Descriptiones duas habet Lobel. in Obs. pag. 386. Vnam titulo Lycoctoni cærulei parui, Napelli facie: Alteram titulo Aconiti minimi. Neutra autem cum descriptione Dodonæi in totum conuenit, cuius figuram etiam in Ic. Plant. p. 678. sub priori titulo proponit. Rem perpendant lectores.

Camer. apud Matth. huius ineptam figuram habet, sub Aconito octauo. Eid. hort. Thora Italica.

An Alcionium Anguillaræ?

Locus Aconiti genus hoc radice paruo Napo simili Tiguri in Gesneri horto, Iulio mense florebat.

ACONITVM RACEMOSVM, ACTÆA quibusdam.

Descript. CHristophoriana herbariis dicta, *radice* crassiuscula, foris nigra nititur, fibris donata Dodonæo interiùs buxi colore lutea: *caules* sesquicubitales, ramosi, tenues, teretes, geniculati: *folia* rugosa, infernè propendentia, nonnunquam vtrinque, et si tota considerentur, valde ampla: abeunt enim in tria tegmenta pediculis palmaribus & sesquipalmaribus donata, atque hæc rursum trifariam diuisa, sæpiusque interdum triplici illâ diuisurâ dissecta, vt tandem terna simul folia singularia conspiciantur, Imperatoriæ quodammodò similia, oblonga, acuta, profundè satis incisa, quorũ medium foliũ incisuris duabus profundioribus dissectum tripartitũ apparet: *Flores* racematim dispositi, cãdidi, ex foliis quinque caducis compositi, intra quæ stamina candida, herbido nonnunquam apice: *baccæ* succedunt, vel, vt ait Dod. fructus rotundi, paulò longiores, per maturitatem nigri, striam lineámue, ab vna parte ostentantes, vuarum acinis alioqui similes, & in vuæ modum cohærentes. Nostram interim ætatem Christophorianam, & S. Christophori herbam vocitare tradit Lobelius (qui quòd vuas ferat *ἀμπέλοις* annumerauit.) fuisséque qui Costum nigrum dixerint: alios tamen maluisse Aconitum bacciferum nominare. Costo autem nihil habere respondens. Aconitis verò annumerari, propter perniciosam & Aconito similem, quam habere credatur, facultatem.



Cæsalpino Barba capri quorundam. Aret. apud Gesn. Aconitum racemosum. Gesn. hort. Christophoriana vulgo Italorum. C. Bauh. pin. Aconitum 16. [17. phyt.] siue racemosum: An Actæa Plin. lib. 17. cap. 7.? Christophoriana Clus. hist. Tab. Camer. & Eyst. cui & Costus niger quorundam. Napellus racemosus H. Lugd. *Napelli racemosus.*

Locus. Plerisque Germaniæ & circa Rhenum Mosámque locis, in syluis præsertim montosis occurrit, viuaci & diuturna radice, quotannis cauliculos & folia regenerans. Flores Maio, sed fructus Augusto, aut seriùs, perficiuntur. *Tempus*

Vires Fertur exitialis Christophoriana, ac non minùs noxia quàm Aconitum.

ANTITHORA FLORE LVTEO, ACONITI.



Descriptio ANtithora permeccabili Thoræ veneno aduersa, dodrantem alta, interdum & cubito procerior, *caule* est singulari, rigido, angulofo, subhirsuto, cui *folia* alternatim adnascuntur, Napelli æmula, tenuiùs dissecta, & splendoris illius expertia, auersâ parte albicantia, sapore amaro prædita Lobel. Nigellæ quadantenus similia: *flores* non ingrato odore præditi, cucullati, & rictu hiante Napelli penitus, excepto colore, qui huic ex flauo pallescens: corniculata seminis vascula itidem consimilia: *radix* ex bulbis oliuaribus constat, foris fuscis, intus albis, gustu amaris, fibratis.

Lobelio geminæ radices, Cyperi aut Orchidis, foris rugosæ, solidæ. Dod. foris subflauescẽtes, interiùs candicantes, fractu, vbi resiccatæ, contumaces, friabiles tamen, vbi quidem suæ spontis est: fœcunditate enim læti aut hortensis soli, lasciuienti subinde longiores ac plures subnascuntur radices.


Zerumbet Constantinopolitanorũ. Pro Zerumbet à Constantinopolitanis vsurpatis radicibus mihi olim eiusmodi exhibitæ, nempe pyriformes, siue turbinatæ, aliæ vnciales, aliæ duplò maiores, crassiusculę, quædam rugosæ modicè, quædam minimè, in quibus Zonulæ quędam, & auulsarum fibrarum vestigia, coloris extrinsecus fusci, intus albi, capite vmbilicato, vnde emersisse videtur caulis: consistentia dura, solida: sapor amarus.

Antora Matthiolus in prior. comm. est Napelli genus alterum. Is hoc tantùm pingit. Meminit quidem Napelli Moysi, quam aliqui Anthoram vocent, quæque antidotum sit: verùm non demonstrat quæ herba sit. In post. comm. lib. 4. cap. 80. eandem pingit sub Antoræ titulo, immutatâ tamen nonnihil figurâ, cui ex audita flores purpureos adscribit, ac addit: missam sibi esse radicem Anthoræ orientalis à Qualcebeno, dicẽte, mercatores vo-

tes vocasse Zedoariam, ideoque se existimare, quod si Anthora, Zedoaria Auicennæ non fuerit, nihil aliud esse quàm Napellum Moysi, ab eodem descriptum: Imò se credere Napellum Moysi, & Zeduariam apud Auicennam idem cum planta hac, quam integrè non cognouerit.


Camer. in Epit. Matth. Antoræ attribuit flores in luteo pallescentes, refertque purpureos à se non visos. Adhæc se obseruasse, non vnius modi figuram repræsentare radices Anthoræ: aliàs enim singulare tuber habere, aliàs geminas cohærere: esseque vel turbinatas, vel oblongas, nonnunquam triplices inueniri, nonnunquam quæ scorpionum imaginem imitentur. Et hanc varietatem iconibus binis hic adiectis rei herbariæ studiosis indicari voluit. Eadem in hist. germ. tradit. An eidem Aconitum nonum? *Anthora lutea Cam.*

Gesn. hort. Antithora vera, Aconitis cognata, Antora & Napellus Moysi Matthioli, Item, Aconitum salutiferum, Antithora & Antora vocatum. Eid. de Lun. in fine, loquenti de Antithora, Anthullia Gallorum Alpibus italiæ finitimorum.



Napelli effigie.

Anthora, inquit Dodon. effigie Napellum refert. Lacus Lemani accolæ & Taurini Ligures vulgo *Anthoro* appellant. Dicta autem Anthora, quasi ἀντιθόρα quod nempe Thoræ aduersetur, & alexipharmacum eius sit. Thoræ autem ac Anthoræ, siue Turæ & Anturæ voces, nouæ quidem videntur: sed tamen extant apud veterem Marcellum Empiricum, qui ex Tura & Antura aduersus leucomata & albugines oculorum medicamentum conficere docet. Meminerunt quoque Anthoræ Simon Ianuensis in Synonymis & Arnold. Villanoua in tractatu de venenis: sed quæ adferuntur, non satis notam aut cognitam ipsis fuisse Anthoram ostendunt. *Etymon.*



Lobelium quod attinet, is in Adu. p. 329. Anthoram Delphinii delineationem explere posse credidit.

Tabern. Anthoræ duas species tradit. Harum primam ait esse flore ex luteo pallido: Alteram solo flore cæruleo à prima distinguit, & iisdem locis prouenire scribit, sed rariorem. Anthoram Dioscoridis Delphinium arbitratur. An autem flore cæruleo viderit Tabernam. dubito: fortè recordatur Antithoræ Matthioli. Sed quũ rarior sit, cur non particulatim describit, & loca, vbi repererit indicat? Medici & pharmacopœi ab eiusmodi Anthora sibi caueant. C. Bauh. pin. ignorat & quærit quid sit. *Tab. duæ Anthoræ.* *Tab. not.*

Gerardo Anthora, siue Aconitum salutiferum Casp. Bauhino phyt. & pin. Aconitum 17. siue salutiferum, Napellus Moysis, & herba Napello similis eiusque veneno repugnans, Auicennæ: Anthora Matth. Gesn. hort. Lon. Cæsalp. Cast. & Camerar. Anthora Lob. Dod. Tabern. & Ger. Vulgaris Clus. hist. Aconitum salutiferum Gesn. hort. *Synon.*

Zedoaria vera Serap. Zedoaria Giedúar Aëtio, Actuario Zadoura, Zadouaria, Zadua. Zaduar Auic. Napellus Moysis. Germ. *Gifftheyll.* Gall. *Anthole.* Ital. *Antora.* Angl. *holsonce vvoes fes bavv.*

Anthora Rhæticis atque Sabaudicis alpibus emicat Æstate: quæ Taurinorum, Ligurum & Lemanorum accolarum operâ, plurima copiâ cœpta Venetias adferri plusculis ab hinc annis. Est enim prope Geneuam & ad Allobrogum Delphinensium alpes multa, Lobelio: Vt & in Galliæ Cisalpinæ & Liguriæ montibus; Matthiolo: Ac in Heluetiorum Alpibus Tabern. Ex his autem in Germaniam infertur & colitur in hortis, ac facilè ex radicibus prouenit: ex semine rarò ante triennium oritur. Geneuæ in monte Thuiri floret copiosè Iulio: semen maturat Septembri. *Locus.* *Tempus.*

Anthoram magno quodam prouidentiæ diuinæ munere aduersum Thoræ pernecabile virus comparatã rentur Taurini, Ligures & Lemani accolæ. Addit Anton. Guainerius tractatu de peste, diff. 2. cap. 3. magnæ etiam esse aduersus pestem efficaciæ. Præstant Antoræ radices [inquit Matthiol.] non solùm ad epotum Napellum, sed ad cætera quæcunque venena, quinetiam ad viperarum & reliquorum venenosorum morsum. Ligures Anthoræ radicibus [vt audio] felicissimè vtuntur ad intestinorum vermes. Dantur quoque vtiliter aduersus pestilentiam: & ad omnes internos dolores. Auxiliantur omnibus cordis affectibus, nec minùs præstare dicuntur, iis in febribus pestilentibus in quibus exanthemata lentium figura exoriuntur. *Hæc ille.* Sed iuuenes Medici & prudentes non nimiùm credant viribus quæ à Matthiolo huius plantæ radicibus tribuuntur: caueant ne pro Antithora [Matthioli opinionem sequentes, dicentesque Antithoram esse flore luteo] sumant Aconiti, vel Napelli speciem: caueant etiam à radicibus sibi incognitis; quæ venduntur pro Anthora siue Antithora, facilè enim venenata radix pro salutifera obtrudi potest: fortè Matthiolus habuit copiosè missas Constantinopoli, quas cupiebat diuendi, dum tantopere eas extollit, & ad omnes internos dolores vtiliter dari scribit, & auxiliari omnibus affectibus cordis [cur ita venditat radices plantæ sibi incognitæ. Considerent lectores an radix purgans conueniat commorsis à viperis & cane rabido: itemque peste laborantibus? Quis tandem credat radicem purgantem *Locus & Tempus.* *Matth. not.*

auxiliari omnibus cordis affectibus. Agyrtis plurimi fit, ad omnium venenorum amolienda nocumenta, dum plebeculam panægyricis declamationibus excitam præstigiis illis oblectant, & illudunt. Amarorem auersatur plebecula illic, aitque si quidpiam peramarum gustarit, amarius esse Anthora. Aduersus morbos cõtagiosos & febres vtuntur Veneti. Dodonæo Anthoræ radix est valdè & insigniter amara: aduersatur venenis omnibus: vtilis ad purgationes: serosos siquidem & muccosos etiam per inferiorem ventrem educit humores: lumbricos & ventris tineas pellit educitque, Hugo Solerius non modò per inferiorem ventrem, sed & per superiorem largas ait Anthoræ radices expurgationes moliri: modum esse ad quantitatem Faseli [quem vulgò Fabam vocat] ex iusculo aliquo aut vino: darique duris corpore.

DE TITHYMALO IN GENERE.

Cap. XIX.

Tithymali genera nouem Diosc.

Tithymali genera, Dioscoridi, Plinio, Galeno & Apuleio auctoribus septem sunt. Primus Characias siue masculus; Alter Myrtites siue Myrsinites, fœmina; Tertius Paralius; Quartus Helioscopius; Quintus Cyparissias; Sextus Dendroides; Septimus Platyphyllos.

Theophrastus tres tantùm enumerat 9. hist. c. 12. maritimum: masculum Oleæ folio: myrtarium candidum, folio Myrti: Vel, secundum Dodonæum, Paralium, marem & fœminam Myrtitem: Vel, Characion, Myrtiten & Paralion, Corn.

Differentiæ plures.

Plures autem hodie, quàm vel apud Dioscoridem extent, habemus Tithymalos, quarum partim confusas ab authoribus, nec verbis designatas, partim afflictas orationi non intellectæ Dioscoridis, quambilet suis indiciis deinceps illustrabimus & emendabimus. Dioscoridis quidem oratione quasi filo Ariadnæ ducti, sed nostrum ordinem sequuti, accuratioremque ex inspectione descriptionem; quò quælibet planta, cui propiùs quadret, magis perspicuum fiat. Tithymalorum historiam satis confusè Mauritani tradiderunt. Mihi difficilè videtur, inquit Matthiolus, decernere quæ Tithymali genera ex iis quæ à Græcis repræsentantur, ea duo sint quæ à Mesue & Auicenna Scebram & Alsebram nominantur: quoniam horum neuter, quod extet, earum plantarum faciem notis explicauit. Credidit Brassauolus illud esse Mesuei Alsebram minus & Auicennæ Scebram, quod Dioscoridi paralius. Sed ab eo dissentio, quòd nusquam legerim in horum monumentis Alsebram minus in maritimis nasci, & Auicenna dicat Scebram in hortis coli, foliis Tarco similibus. Nec possum cum eodem sentire, quod Alsebram maius apud Mesuem, & Mehezehegi apud Auicennam, idem sint Mauritanis, quod Græcis Tithymalus platyphyllos. Putauerim minoris generis, Scebram siue Sebram esse officinarum Esulam minorem, Tithy. cyparissiam Dioscoridis. Alsebram maius siue Mehezeregi eam omninò plantam, quæ Pityusa.

Nomina linguar.

Τιθύμαλον Dioscorides: τιθύμαλλον Theoph. Lactariam Gaza vertit. Latini, Plinio auctore lib. 26. cap. 8. Lactariam herbam, & Lactucam caprinam nominant. Sic etiam Columella, à lacti simili humore, qui secto aut vulnerato folio, caule, aliàue parte defluit. At Celsus lib. 5. cap. 7. Lactucam marinam appellat. Non tamen omnis Tithymalus, sed marinus ita propriè vocandus. Reperitur & Lactoris Esulam officinæ dicunt, teste C. Bauhino. Rei herbariæ periti etiam apud Germanos omnia Tithymalorum genera, *vvolffsmilch* & *Teuffels milch* vocant, h. e. Diabolicum lac, sicut illud Lupinum lac. Belgæ *vvolfs melck*: Galli *Herbe à laict* nominant: Itali *Tithymalo*: Hisp. *Lesche tresna*. Angli *vvulde spurge*: Boh. *kolovvratec* & *Ehvvogka*. In vniuersum Tithymalus ab Arabibus nominatur Xanser & Ethuha, Matth. Mauritanis Xanxer & Ethulia, H. Lugd. A succo lacteo quo turgent differentiæ cunctæ, nomen factum commune Tithymalis vel per diphthongum potiùs, auctore Lobelio, Tithoimalis, quòd mammam siue papillam vberis exitiosam virosámue non inscitè interpretatur.

Hippomanes ex Tithymalo

Quod porrò Theophrastus lib. 9. cap. 15. è Tithymalo Hippomanes fieri dicit, Theod. Gaza Hippophaes legendum contendit, & multi sunt qui ipsum sequuntur, sed haud ita clarum quâ ratione ducantur, teste Cornario. De Hippophae & Hippomane agemus ante Tithymalum serratum.

Tempus

Cæterùm, florem semenque Tithymali Æstate perficiunt: nonnulli seriùs, alii citiùs; in quibusdam regionibus priùs; in frigidioribus tardiùs.

Vires. & Vsus.

Omnes porrò vincentem habent acrem calidamque facultatem, inest verò & amaritudo. Valentissimus eorum est liquor: dein fructus & folia: postremò radix. Hæc aceto incocta, sanat erosorum dentium dolores: liquor in ipsa foramina inditur. Cæterùm, si aliam partem contingat, continuò adurit, vlceratque illam, ex quarto existens calefacientium ordine, qui ad exurentia pertinet. Sic pilos quoque & verrucas, & myrmecias, & pterygia, & thymos, cum oleo inunctus succus euellit: detergitque lichenas & psoras, propter amaritudinem: nec non vlcera phagedænica, anthracode, & gangrænode, quia valenter calfacit & desiccat, aliquando iuuare poterit. Ad hæc fistularum callos eximit. Prædicta omnia folia & fructus præstare possunt, sed imbecilliùs. Quibus sanè & ad pisces in aqua stagnali capiendos vti assolent: celerrimè enim ab illis in vertiginem acti, ac semimortui redditi, ad aquæ superficiem feruntur. *Porrò* cùm septem sint Tithymalorum genera, valentissimus est, quem Characian maremque nominant: & fœmina vocata myrsinites: & qui in petris nascitur arborescens. Deinceps qui Phlomo assimilis est: & Cyparissias. Dein marinus: ac denique Helioscopius. Proportione autem facultatis ipsorum & cinis, & lixiuium existet, *authore Galeno*. His similia Tragus habet. Omnia Tithymalorum genera adurendi vim obtinent, inquit, in primis verò lacteus eorum succus, quare rarò citra noxam sumi possunt. Semina pares habent facultates, at calidiora & acriora sunt, aluumque turbant, & vomitiones potenter excitant. E radicibus, herbis & lacteo Esularum succo vnguentum efficacissimum aduersus scabiem capitis contagiosam, quàm Germani *Den herbgrindt* vocant, confici potest, estque hoc singulare quoddam medicamentum. *Tithymalorum* verò omnium succum per inferna purgandi validam vim habere atque potentiam: Bilem, pituitam & quo-

& aquosos humores ducere etiam in exigua quantitate sumptum ; sed ventriculum vehementer conturbare, & interna viscera inflammare : eamque ob causam ab eius vsu doctos ac prudentes medicos abstinere , refert Dodonæus, qui nec foris eos tutò adhiberi monet. Farinam Tithymali succo suffusam ante aluços dispersam guttantibus lacertis, omnibusque animalib. aliis perniciem afferre testatur Ælianus. *Narrant* apud Plinium lacte tithymali inscripto corpore, quum inaruerit, si cinis inspergatur, apparere literas, & ita quidem adulteras alloqui maluere, quàm codicillis. Nonnulli tandem succo Tithymali albo propter calorem intensum in eo existentem coagulatunt Mercurium, & eiusmodi liquorem Lac virginis appellarunt: verùm falsum fundamentum hoc fuisse perhibet Paracelsus.

TITHYMALVS CYPARISSIAS.

Descriptio. RAdix minimo digito crassior, sępè tenuior, fibrosa, lignosa, & nonnunquam serpens, *caules* promit dodrantales, & cubitales, primò simplices, postea ramosos, in quibus *folia* primò Linariæ, mollia, quę postea tenuiora multò cùm in ramos diuiditur: *flores* in vmbellæ quasi formâ dispositi, longis pediculis folia quibus donantur perforatibus lutei, ex quatuor quasi semilunulis coniunctis extrorsum vergentibus corniculis, apicibus item luteis: quibus triquetri succedunt *loculi*, in quibus *semen*: ab eadem quoque radice exurgūt *cauliculi*, (ego pro abortu habeo, licèt à nonnullis pro priuata specie proponatur,) quorum folia breuiora multò, pinguiora, subrotunda, auersâ parte plurimis punctulis seu stigmatis rufis notata, in quibus ramulis non memini florem obseruare : est mihi etiam platicaulis: lacte autem partibus omnibus turget.



Variet. Hic Tithymalus pro anni tempore & ætate insigniter variat. Quare nemo posthac mirabitur, si authores in eo delineando non parum variare perceperit.

Dioscor. Tithymalus quintus siue Cyparissias caulem profert dodrantalem [σπιθαμιαῖον] aut etiam altiorem, subrubrum [ὑπέρυθρον, vet. non habet] ex quo folia Pini similitudine pullulant, molliora tamen, tenuioraque : atque in totum nuper nascentem pinum æmulatur, vnde & cognomen traxit.

Plin. quintum Tithymalum Cyparissiam vocari testatur propter foliorum similitudinem, caule gemino aut triplici, nascentem in campestribus.

Tragi icon τιθυμάλου κυπαρισσίου non differt à Fuchsii icone, quæ est Tithymali Cyparissias verno tempore prouenientis priusquam in ramos diuaricetur. Icon Trag.

Si Matthiolo coniectandum esset, putaret nil aliud Mauritanis esse minoris generis Alcebram siue Scebram, quàm plantam hanc, officinis Esulam minorem vocitatam. Hanc autem eam esse suspicatur, quam Dioscorides Tithymalum Cyparissiam. In post. comm. item Hist. germ. & Epit. miratur quod Dioscorides hoc Tithymali genus κυπαρισσίαν appellauerit, cùm Pinum, non Cyparissum referat. Matthiolum imitatur Lacuna. Diosc. not.

Lonic. duas habet icones Tithymali Cyparissiæ, quarum Altera malè posita est pro Tithymalo dendroide. Lonic. fig. dua.

Gesn. hort. Tithymalum Cyparissiam Matthioli, Pityusam aliorum esse, & non aliam quam Esulam vulgo dictam videri refert, sc. minorem, vt etiam Anguill. testatur : Pityusam ad hanc etiam refert Cordus in Dioscoridem, eamque Tithymalum Cyparissium siue Lactariam quintam vocat.

In Obs. pag. 192. figuram habet sub falso titulo Tithymali cyparissiæ. Sub titulo enim Pityusæ, siue Pineæ, officinarum Esulæ minoris, Turpeti nigri Actuarii, & Tithymali Cyparissiæ Tragi, Adu. p. 151. Angl. *Pyne spurge*, Hisp. *Esula menor*, posita figura eo non pertinet, alioqui sibi contrarius esset Lobelius : pingit namque ex Dodonæo Tithymalum pityusam. In Ic. Pl. p. 356. est eadem etiam figurarum transpositio. Nam ex mente Lobel. in Adu. non conuenit titulus Tithymali cupressini, sed Tithymali Pineæ.

Dod. gall. vnius plantæ duas proponit figuras : prior autem est ex Matthiolo sub inscriptione Tithymali Cyparissias: posterior ex Fuchsio, sub titulo Pityusæ minoris : fieri tamen potest vt intelligat Pityusæ siue Esulæ minoris nomine aliam plantam, quæ non demonstretur per effigiem eo titulo propositam.

H. Lugd. p. 1644. Tithymalus cyparissias Matthioli: p. 1648. Tithymalus cyparissias Dodonæi: p. 1654. Pityusa siue Esula minor, Dod. hist. stirp. Tithymalus cyparissias Fuchsii. Consarcinator H. Lugd. tres icones vnius plantæ posuit. H. Lugd. effigies tres.

Compil. Tabern. tres quoque picturas dedit. 1. est Tithymalus cyparissias: 2. Tithym. cupressinus primus : 3. Tithym. cupressinus alter. Prior effigies est plantæ verno tempore prouenientis.

C. Bauh. apud Matth. Tithym. cypar. maior : Tithym. pinea Lob. in Ic. Plant. Esula minor Dod. in fol. & Lugd. Pityusa minor Dodon. gall. Pityusa siue pinea, & Turpetum nigrum Actuarii Lob. in Obs. *Nos* Tithymalum pineam & Turpetum nigrum Lobelii, quoad iconem, huc non referimus. Esulam etiam minorem Dod. in fol. hoc capite non relinquimus, sicuti neque H. Lugdunensis. Pityusam autem minorem Dod. gall. quoad iconem huc referimus.

Eid. phyt. Tithym. 14. siue Cypariss. maior purpurascente coma : Pityusa siue Pinea offic. Lob. Obs. & Icon. Plant. Item, Tithym. 15. siue Cypar. minor; Tithym. cyper. Dod. lat. & Lobel. Obs. & Ic. Plant. Huius species minor, vix palmum alta, rubente capitulo. *Nos* Tithym. cyparissiam Dodonæi & Lobelii ad hoc caput pertinere non negamus.

Synon. Eid.pin. Tithym.cypariff.2. Tithym. cypar. Matth. Trago(cui & Esula vulg. maior & quinta) Fuchs. Anguill. Dod. (vt & Pityusa minor.) Turn. Lac. Gesn. hort. Lon. Lob. in Adu.& Obs. Cast. Thal. H.Lugd. (quæ Matthioli & Dodonæi figuram habet)Tab. Cam.& Calceol. in itin.Baldi: Tithymalus pinea & πιτυοῦσα Disc. *Eselskraut* Schvvenckf. Tithymalus cupressinus,siue Humipinus. Lob.Ic.Plant. Esula officinarum Cæsalpini.

Variatates C.Bauh. Variat: 1.folius Lini virentibus, coma flauâ, aliquando subrubente, Tithym. cyparissias rubente capitulo Schvvenckf. in collibus & montibus sterili & aridiore Solo.2. in montibus candidior.foliolis angustis,Esula candidior Cæsalpini 3. vix palmum altus,capitulo rubente. Iudicium nostrum supra nouissima hæc C. Bauhini synonyma ex prioribus colliges. Hoc duntaxat monemus nos latere, quam plantam Cæsalp. intelligat per Esulam suam candidam: C.Bauh. hic plantas coniungit, quas in phyt. olim separauerat.

Locus. Pratorum margines & sepium istam sæpiùs alunt Esulam: in Francia, Belgio, & Anglia non nisi horti pharmacopœorum, Lobelio: Turnerus testatur prouenire plurimùm in agris inter stipulas, demessis segetibus, adeò Chamæpity similem, vt non aduertentes facilè fallat.

Vires & vsus. Vim habet similem Characiæ, Myrsiniti, Palio,& Helioscopio, Diosc. & Plinio auctoribus. Vtilissima inter omnes Esulas ea est, inquit Tragus, quæ longis & astrictis, veluti Linaria, foliis vestitur ita tamen vt radix solummodò intra corpus vsurpetur, repudiato lacteo liquore: vt pote ad hydropem optimæ præparantur pilulę.

TITHYMALVS STICTOPHYLLOS.

Etymog. TIthymali genus hoc *caulibus* foliosis, simplicibus, non brachiatis, seu Tithymalus στικτόφυλλος,quod sic nominare solet Thalius, ob foliola mirè punctellis notata, duplex est,*Maius* & Minus. Pręcedentis autem abortum existimamus.

Synon. C.Bauh.phyt. Tithymalus 16.siue foliis punctis croceis notatis. Eid. pin. Tithymal. cyparissias 1. siue foliis &c. Tithym. στικτόφυλλος Shvvenckf. duplex Thalio: Tithym. aruensis Camer.Esula scabiosa Gesn.coll.

Locus. Cęterùm, Schvvenckf. se hunc Tithymalum in asperis & sabulosis passim cum Pinea secus itinera & agrorum margines collegisse perhibet.

TITHYMALVS MINIMVS ANGVSTIFOLius annuus.

Descrip. PAlmaris aut semipalmaris est plantula, *radicula* nitens tenui, tres aut quatuor vncias longâ, *cauliculos* & ramulos multos eâ quâ iam dixi longitudine, ac etiam dodrantales, *foliolis* stipatos semunciam, vncięue trientem longis, semiculmum latis, crebris,sursum spectantibus, lacte turgidis:*flosculi* herbidi,& pericarpium triquetrum, Tithymali Cyparissię, sed multis numeris minora.

Synon. Trago Esula exigua, Dioscoridis Peplos &



spumeum Papauer. Lob. Obs.p.193. Ic. Plant. p. 357. Esula exigua Tragi. Ponę in Baldo Esula minor Tragi. H. Lugd. p. 1656. Esula minima Tragi: Eid.p.1659. Peplis minor Dalechampii: *Duæ figuræ.*

Dod. gall. Tithymali genus admodum paruum: Lac. Tithymali Cyparissii species minor,vel Tithym.cypariss. alter. Tabern. Tithym. minimus. C. Schvv. Tithym. leptophyllos, *Stein milch* h.c. Tithym.petręus: *Nomen* autem hoc germanicum minùs placet: nec enim in locis petrosis,sed in agris prouenit. Schvvenckf. not.

Thal.Tithym. leptophyllos Matthioli: sic etiam Camer. in epit. Apud Matth.hist.germ. Tithym. minor.

C.Bauh. phyt. Tithym.24. seu Esula exigua Eid. pin. Tithym. Cyparissias 5. Esula minima Tragi, & Peplis minor Dalechampij, ac etiam Tithymalus leptophyllos Matthioli [sine descriptione, adˢit in Animad.]H. Lugd. Vna eademque est planta. *Summitas* Tithymali Matth. multùm cuarians à summitate Tithym. minimi facit vt diuersum statuam,nec dicam in H. Lugdunensi tres icones esse vnius plantæ, & Matthiolum potiùs mereri reprehensionem ob neglectam descriptionem, quàm Compilatorem H.Lugdunensis.

In segetibus Gallo-Belgii & Angliæ sæpiùs æstiuo tempore reperit Lobelius: Tragus in agris à messe,autumnali tempore.

Tota planta lacteo succo turget, & corpus vehementer purgat.

Tithymalus siue Esula exigua, foliis obtusis.

Tithymalus 2.in prod.4.Cyparissias in pin.siue Esula exigua foliis obtusis C.Bauhini, *radice* est exili,oblongiuscula, capillata, *cauliculis* pluribus ad terram resupinatis, aliquantùm repentibus, biuncialibus, triuncialibus, aliis palmo minoribus, rotundis, lacteo succo turgentibus, qui foliolis oblongis, angustis, sed semper in summo obtusis & velut abiectis, inordinatè vestiuntur. Hic in agris Patauinis & Massiliensibus reperitur. Descript. Locus.

Tithymalus exiguus saxatilis C. B.

Tithymalus 3. in prod. Cyparissias 5. siue exiguus saxatilis in pin. C.Bauhini,*radiculam* habet capilli modo tenuem, longiusculam, *cauliculos* tenues, vnciales & bunciales, angustissimis & breuibus *foliolis* cinctos,*flosculos* exiguos, rubentes: circa Monspelium locis asperis prouenit. Descript. Synon.

PITYVSA VETERIBVS ET IN GENERE.

Diosc. PItyusa,quam alii Clema,alii Crambion, alii Paralion, alii denique Canopicon vocant, à Cyparissia Tithymalo specie differre existimatur, ideoque etiam & in Tithymali genere connumeratur

meratur. *Caulem* profert cubito altiorem, crebris geniculis interseptum, *foliolis* acutis ac tenuibus circumdatum, Pini (πίτυος) folia imitantibus: *flores* exiguos penè purpureos (Lac. legit in vet. cod. ἄνθη μικρὰ λευκὰ ὡς διαπόρφυρα: (*semen* latū instar Lenticulæ: *radicem* candidam, crassam, lacteo succo refertam: quibusdam in locis frutex hic prægrandis reperitur. Purgat per inferna radix drachmis duabus data in aqua mulsa: semen verò, drachma vna. At succi farina excepti cochlearium in catapotio datur: foliorum denique modus, drachmę tres.

Plinius. Plinius lib. 24. cap. 6. de herbis propter cognationem nominis cum Pino & Picea agens: Et Pityusa, inquit, simili de causa dicetur, quam quidam in Tithymali genere numerant, frutex similis Piceæ, flore paruo purpureo. Bilem & pituitam per aluum detrahit radix, decocti hemina, aut seminis ligula in Balanis. Folia in aceto decocta, furfures capitis emendant: mammas quoque mixto Ruta decocto, & tormina, & serpentium ictus, & in totum collectiones incipientes.

Ita vetus codex, inquit Cornarius. Nam verba quæ præmittuntur in vulgatis exemplaribus, *cum honore* [vt etiam legit C. Bauhin.] & redundant, & penitùs ineptè adiecta sunt. Cæterùm vsus medicus à Plinio traditus, in Dioscoride non habetur: nec descriptionem totam Plinius expressit. Quod verò Dioscorides inter Tithymalos connumerari dicit, & à Cyparissia solùm specie differre: hoc etiam Pityusæ nomen probat, cui descriptio Cyparissiæ magis conuenit, quàm ipsi Cyparissiæ tithymalo. Sed & Galenus confirmat Pityusam quosdam Tithymali speciem esse putare, eò quòd succū habeat quemadmodum Tithymali: & quod similiter purget, vt illi: & per alia omnia viribus ipsis similis sit. Pityusam officinæ, itemque Herbarum periti Esulam hodie vocant. Nostri (Germani) communi reliquis appellatione *vvolffsmilch*: Arabes magna ex parte Turbit vocant. Nec est fortè cum Leoniceno & aliis, Syluio teste, hæc vox expungenda. Arabes sequuntur etiam recentiores Græci, inter quos & Actuarius est, qui Turpeti duo genera faciunt, alterum nigrum, Pityusam; alterum album, Alypon. At contra hos, altera Arabum pars, Serapio, & qui ipsum sequūtur Turbit asserunt esse Tripolium: & totum Dioscoridis de Tripolio caput, ipso autore citato, suo Turbit attribuunt, vt qui illos sequi velit, cautum esse oporteat etiam hac in parte, sicut sanè etiam in omnibus aliis. Nullus autem est potior cauendi modus, quàm vt illis in totum relictus, Græcos Medicos tutissimè sequamur. *Hucusque Cornarius.*

Alscebra Arabum. Dodonæo videtur Pityusa esse, Arabum Alscebra, aut Alscebra & Scebra, officinarum Esula, siue Ezula, quod nomen à πιτυούσης luxatum esse suspicatur, duabus sc. prioribus syllabis sublatis. Sic enim remanet ουσα, cuius diminutiuum Vsula, & vocali primâ mutatâ, Esula.

Censerem, inquit Matthiolus, Alsebram maius, siue Mehezeregi esse quæ Græcis dicitur Pityusa. Serapio de Scebram agens, ea omnia ex Dioscoride illi attribuit, quæ Pityusæ idem Dioscorides assignauit. Myrepsus quibusdam in antid. Esulam imponit cognomine Chamæpityn, quam Fuchsius nihil aliud quam Chamæpityn, non autem Tithymali speciem, referre scribit: ego tamen æstimo Myrepsum Dioscoridis, Pityusam intellexisse.

Sententiam Plinii de Psyllio nonnulli minùs acuratè de eius lacte gummíue expendentes Tithymali quoddam genus Pityusa dictum interpretantur. Sed Anguillara non potuit reperire plantam quæ respondeat Pityusæ Dioscoridis.

TITHYMALO CYPARISSIÆ SIMILIS, Pityusa multis.

Tithymalus hic rarus, etsi Cyparissiæ vulgò dicto similis, ab eo tamen alius est, *radice* longiore, crassiore, minusque fibrosa: *caules* multi, ferè cubitales, simplices, interdum in ramos multos dodrantales diducti; per quos *folia* conferta, crassiora firmioraque quàm Cyparissiæ, & magis glauca: ex venis ramorum insident *vmbella* magnæ, foliis peltatis, non maioribus Cyparissiæ. *Descriptio*

Icon quam proponit Dod. gall. Pityusæ minoris titulo, est Tithymali Cyparissii ex Fuchsio, verno tempore prouenientis, quicquid dicat C. Bauh. Lat. Ezulæ minoris inscriptione nostro Tithymalo correspondentem quidem proponit: verùm eius descriptio non placet. *C.B. not.*

Lob. in Adu. Tithym. Cyparissias, siue Cupressinus, vel Humipinus. Eid. in Obs. p. 192. Tithymalus Cyparissias, quoad titulum, quo verò ad effigiem, Pityusa, siue Pinea. officinarum Esula minor, Turpetum nigrum Actuarii, Tithym. Cyparissias Tragi Adu. p. 151. Videntur namque figuræ transpositæ in Obs. alioqui non respondent quæ in Obs. scribit, iis quæ in Adu. prodit. In Ic. quoque Plant. p. 357. Tithym. pineæ titulus huic figuræ non competit.

Schvvenckf. Tithym. cupressinus, Lobelio Humipinus. Tithym. Cyparissias Dodonæi. *Nos non* intelligimus Schvvenckfeldium: Tithym. cyparissias Dod. non est diuersus à Tith. Cyparissia Matthioli & Tragi, quem Pityusam Dioscoridis facit. Nec etiam icon Lobelii in Obs. transposita sub titulo Tithym. cupressini, diuersa est à Matthioli Tith. cyparissia.

C. Bauh. phyt. Tithym. 14 siue Cyparissias maior purpurascente comâ: Eid. pin. Pityusa 1. siue Tithymalus foliis Pini, fortè Pityusa Dioscoridis: Esula vulgaris maior & 5. Trago: Pityusa Esula vulgo dicta Gesn. hort. Pityusa siue Pinea, Esula minor officinarum Lob. in Adu. & Ob. Tithym. pinea, in Ic. Esula minor Dodonæi Histor. Lugd. p. 1653. Esula maior ad Pityusam reducenda Cæl. Tithym. cupressinus 2. Tabern. *Synon.*

Crepidines sabulosæ fluminum, & vicini colles frequentiùs hunc alunt. Ego florentem Aprili in Sabaudia collegi. Abundat in planitie arenosa prope Argentinam, & Basileæ ad Rhenum versus Haltingen: vt & prope Monspelium. *Locus & Tempus.*

TITHYMALVS, FORTE DICTVS Lucæ Ghino Pityusa, quibusdam Characias Pannonicus.

Pityusa Lucæ Ghino dicta est ea, si rectè coniicio, quam in Gallia Narbonensi memini me olim colligere, *radice* magnâ, longâ crassâ: è qua crebri nascuntur *caules* inæquales, dodrantales, sextantales, ac fortè dodrante maiores: *foliis* multis amicti, Paralii foliorum latitudine, longitudine maiore, interdum breuiore, acuminatis, spissis, colore ferè Myrsinitis. *Descriptio*

An Tith. Characias pannonicus, siue Characias 3. Austriacus Clusio.

Nascitur plerisque Pannoniæ locis: sed Viennensi agro tantâ copia in gramineis & siccioribus pascuis, vt Iunio mense, tum enim floret, omninò pallescere videantur.

Pityusa Ghini Anguill. Quidam demonstrant, Anguill. epist. 14. referente, pro Pityula plantam foliis similibus Myrto Tarentino, in acumen desinentibus quæ omninò Tithymalum Myrsinitem repræsentant: verùm caules nullos habent nodos, nec florem purpureum, nec semen Lentis: dicendum igitur non esse Dioscoridis Pityusam, aut textum Dioscoridis corruptum. Prædicta planta prouenit in maritimis: reperitur & in monte nigro Liuorni Pisanorum.

Dod. gall. Tithymali Cyparissiæ species tertia foliis omninò albis, in cæteris Cyparissiæ similibus. Lat. Tithym. Characias 4. quam nonnulli perperam Myrsinitem faciunt.

Dodonæus lat. eandem cum Clusio habet figuram, sicut & Lobel. in Ic. Plant. p 361. titulo Tithymali Myrsinitis alterius: & Obs. p. 196. sub intitulatione Myrsinitis alterius, & Turbith Alexandrini quorundam, Characiæ quartæ Dod. & Belgarum. Sed nec H. Lugd. p. 1646. sub inscriptione Tithymali Characiæ quarti Dodonæi, diuersam pingit: Hanc autem affirmat esse Myrsiniten alteram Lobelii. *Et hinc* Sole meridiano clariùs patet, *C. B. lapsus* C. Bauhinum manifesto errore inter Tithymalum Characiam tertium Clusii, seu quartum Dodonæi, & Myrsiniten alteram Lobelii, H. Lugdunensis, discrimen facere.

In phyt. Tithym. 3. siue Characias rubens germanicus, etiam in palustribus Michelfeldensibus *Synon.* frequens: Tithym. Char. pannonicus Clusii Item, Tithym. 4. siue Charac. longifolius: Myrsinites altera Lobelii: *Eid. pin.* Tithym. Char. 4. siue rubens germanicus: Tithym. pentaclonos Cordi hist. Tithym. Char. 4. Dod. Characias pannonicus Clus. pann. Charac. 3. Austriacus, Eid. hist. Tithym. fruticosus alius stipitibus rubris Camer. an Tithym. latifolius alter, Cæsalp: Item, Tithym. 5. siue Charac. angustifolius: Tithym. myrsinites altera, Lob. Lugd. Tithym. myrsinites angustiorib. foliis Cæsalp. Tithym. myrsin. 3. angustifolius Tabern.

Locus Frutetosis locis nasci scribit Cordus: Dodonæus verò latinus nasci in Belgii hortis.

Tithymalus incanus hirsutus C. Bauh. dictus Pityusa Anglica Camerario.

Descriptio CAules pedales, rotundos, rufescentesque profert: *foliis* incanis & hirsutis, Myrsinitis legitimi forma, confuso ordine vestitis, in summitate in virgulas diuisos, quibus vt in Myrsinite, *flores* & capitula triangula, *semina* continentia, insident.

Synonyma Tithymalum hunc 20. siue foliis per ambitum hirsutis [ita in phyt. vocat:] Aut [vti in prod.] Tithymalum 1. siue incanum hirsutum: Vel denique (vt in pin.) Pityusam siue Esulam 4. C. Bauhino ex Italia Neudorfferus attulit. In phyt. autem admisit esse Pityusam Anglicam Camerarii: ast in pin. dubitat, non tamen meliora docet.

C. B. not. Pityusa Anglica, missa Camerario à Th. Pennæo, foliis Tithymali arborescentis, sed magis glaucis & per ambitum hirsutis prodiit, sed neque in fictili sub tecto, neque sub dio per Hiemem durare voluit. Semen erat non dissimile arborescentis Tithymali semini.

APIOS.

FAcilis è *radice* est Apii cognitio, quæ quia oblôga, turgida, inque Pyri modum turbinata, plantæ nomen fecit, quam Napi radici rectè *Descript.* comparaueris: huius è capite *ramuli* aliquot exeunt palmo breuiores, *foliis* satis frequentibus amicti Esulæ rotundæ seu Pepli, at minoribus, ex angusto principio sensim dilatatis, perque extremum rotundis.

Apios, aliis Ischas (ὥσπερ οἱ δὲ ἰσχιάδα. Malim inquit Saracenus, ἰσχάδα vel potiùs ἰσχάς. in recto casu. Sic enim nominant Theophrastus & *Chamebalanos,* Plinius: fitque verisimilius ex radicis cum carica similitudine id nominis inditum illi fuisse, quàm *Chamebaphanos.* ab efficacia contra coxendicum dolorem:) aliis Chamebalanos (Sed & ἀντὶ τοῦ χαμαιβάλανος χαμαιράφανος ex Paulo legendum censuerim, Sarac. nam Plinius etiam hanc ipsam radicem ῥάφανον ἀγρίαν vocari testatur) aliis montanus aut siluestris [οἱ δὲ ῥάφανος ὄρειον, h. e. Raphanus montanus legendum suspicatur Sarac. pro ὄρειον ἀγρίαν] aliis denique Linozostis dicitur. Ramulos autem duos siue tres in terram spargit, iunceos, tenues, rubentes [κλωνία ἐρυθρά. Ald. ὀρθά, h. rectos:] & paullùm à terra sese attollentes, foliis Rutæ (ἀγρίῳ addit πηγάνῳ, Cat.) oblongioribus tamen & angustioribus, herbaceis: *semine* paruo: *radice* Hastulæ regiæ [ἀσφοδέλῳ. Sunt qui σπονδύλῳ seu σφονδύλῳ legere malint, vti Marcellus & Cordus. Cæteri, ἀσφοδέλῳ, indubitanter legunt, vti etiam legitur apud Theophrastum. At Plinius Apion radice Cepæ describit] & ad Pyri formam accedente, rotundiore tamen, lacteique succi plena, cortice, extrà quidem nigro, intùs verò candido.



Plinio Apios. Plinius auctor est lib. 26. cap. 8. Apion, Ischada, siue Raphanon agriam iunceos duos siue tres spargere in terra, rubentes, foliis Rutæ, radice Cepæ, sed ampliore, ideoque quosdam Raphanum siluestrem vocare.

Ischas Theoph. Ischada siue Apion (ἰσχάδα ἢ ἄπιον. Gaza reddit Cariciam seu Pyrum.) describit Theoph. lib. 9. cap. 10. folio quidem rutaceo, sed breui: caulibus ternis, aut quaternis humi stratis: radice, qua Albucum, verùm squamosa.

Galenus, Paulus & Aetius, inter simplicia Apion non recensent. Sed Paulus inter ea quæ pituitam euacuant, Appij dimidium habet. Hoc quale sit, iam diximus.

Apios antiquis dicta radix à Bellonio Obs. lib. 1. cap. 45. vera depingitur. Nostra autem icon *Synon. Nomina linguar.* Guariniana non placet: fortè ad radicem siccam facta est. Dicitur, illo referente Chamæpidia. Anguillaræ verò in Apulia Esula rotunda: in Græcia

Græcia & in Candia Pitraria.

Apios dicitur Matth. Anguill. Dod.gall. Lac. H. Lugd. p. 1595. (habet hæc & alteram figuram & descriptionem, sc. Dodonæi lat.p.1651. hoc titulo, Tithymalus tuberosus siue Apios) Tabern. & Castori. Dodon. lat. Tithymalum tuberosum inscribit: Clusius Tithymalum tuberosa radice. Apios vera Gesn.hort.& Lob.in Ic. Plant.p.364. Apios Aduersariorum, eid. in Obs. p.198. Radix prægrandis, turbinata, Americi orbis Chinam emētita, in Adu.p.29. Item p.204. Apios vera, siue Pyriformis radix Dioscoridis, malè à quibusdam China existimata.

Planta à Matth. [inquit Turn.] proposita pro Apio, pro vero potuisset ab omnib. haberi, si probasset semen habere paruum, radicemque purgantem, quod de Apio scribit Dioscorides. Verùm cùm neutrum faciat, tam de ipsius Apio dubitare quis posset, quàm ille de Apio Ruellii dubitat. Hæc ille, cuius rationes ceu infirmas pluribus refutandas haud decreuimus.


C.Bauh. phyt. Tithymalum 25. siue tuberosâ radice; *In pin.* Apium siue Tithym. tuberosum, siue Tithymalum tuberosa pyriformi radice. Hunc duplicem tradit: 1. est radice crassiore & maiore, foliis & ramulis minoribus: 2. radice minore, ramulis longioribus & foliis maioribus. Hanc ipsum distinctionem ex iconum diuersitate desumpsisse dicimus.

H. Lugd. Ἰσχὰς dicitur, quòd ἰσχάδα, i.e. Caricam seu Ficum aridam radix referat, Saraceno monente. Item & χαμαιβάλανος siue Terrestris glans à figura quoque. Sunt tamen & alii Chamæbalani Germaniæ familiares ac edules, de quibus alibi. Et hinc factum est, vt quidam ex herbarum peritis eam radicem, quæ *Erdnus*, & *Seuvbrot*, & *Erdtfeygen* Germanis dicitur, Apion esse voluerint. Alii Ornithogalon esse asserunt. Alii rursus ad Cyclaminum referunt. Cornarius Raphani siluestris genus quoddam esse putauit, ignotum tamen.

Locus. Nascitur in montosis & asperis aliquando & herbosis, authore Plinio: effoditur Vere. Ischas Dioscoridea adfertur ex Creta. Sed Apuleię etiam peculiarem esse monet Imperatus.

Vires & Vsus. Superior pars radicis assumpta, vomitione bilem pituitamque extrahit; inferior per aluum. Tota verò sumpta, vtraque parte purgat. Liquorem si libet excipere, radices tundito, & crateri aquæ inditas agitato, ac liquorem qui supernat penna collectum exsiccato. Huius sesquiobolus potus, per superna infernaque purgat. Hæc Dioscorides, à quo in succi collectione dissentit Plinius. Effoditur Vere, inquit, tusaque in fictili mergitur, deiectoque quod supernat, reliquus succus purgat vtraque parte, **Tempet.** sesquiobolo in aqua mulsa. Sic & Hydropicis datur acetabuli mensura. Inspergitur & aridæ radicis farina potioni, aiuntque superiorem partem eius, vomitione biles extrahere: inferiorem, per aluum. *Non autem* omnes partes ad idem vtiles esse, fortassis mirum non est, verùm eiusdem radicis has partes sursum, illas deorsum purgare, magis admiratione dignum est, velut Thapsiæ & Ischiadis. Nam eadem rursus & sursum & deorsum purgare, velut Veratrum nihil absurdi est, authore Theophrasto. Hanc autem purgatricem esse norunt omnes Monachi in monte Athor, teste Bellonio. Facultate & temperamento vehementer calidus & siccus, est, reliquis Tithymalis similis, ac perinde quoque molestus ac noxius.


Apios siue Ischas altera.



Descriptio ALiam etiam tradit & describit Clusius, cuius hic iconē damus, & quę ab illo *Apios* siue *Ischas altera* inscribitur: eius autem a Iacobo Plateau iconem acceperat qui semine peregrè accepto sibi natam duntaxat aiebat.

C. Bauh. in pin. facit. Apion, siue Tithymalum tuberosum 2. vel Tithymalum tuberosâ oblonga radice.

CHAMÆSYCE.



Descriptio GRacilem *radiculam* habet, longitudine circiter palmari fibris aliquot tenuissimis donatam: *ramulos* quadrantales ac etiam pedales, in alas subdiuisos, rubentes, subhirsutos, in orbem terræ apprimit: quibus ad genicula adnascuntur *foliola* coniugatim opposita, subrotunda, quà terram spectant rubentia, supernè viridantia, nisi quòd in medio purpurea nota sint maculosa, quædam tamen in extremis ramulis suprà infraque omninò saturā rubedine tincta sunt: *flosculi* ad ramulorum diuaricationes inter folia emicant purpurei: tota planta lac fundit vulnerata: pericarpia tricocca Esulæ exiguæ Trago dictæ, sub foliis latitant.

Chamæsyce Diosc. Syce Chamæsycem, quam aliqui Sycen (χαμαισυκῆν, οἱ δὲ συκῆν) nominant, refert Dioscorides ramos emittere quaternûm digitorum, per terram stratos, teretes, lactei succi plenos: folia Lentis figurâ, Peplo similia, parua, tenuia, ac terræ inhęrentia: semen sub foliis rotundum, ceu Pepli: radicem tenuem, ac superuacuam: sed neque florem, neque caulem promere.

Chamæsycæ Plinius lib.24.cap.15. Lentis folia adscribit, nihil se attollentia.

Chamæsyce Tithymali species est Cord.lib.5. hist.cap.6. Eam Matthiolus in Pepli genere reponit, Peplumque minorem suspicatur. Haud verò ipsi notam fuisse satis patet, quòd ne vnicā

quidem notam scribat, quæ non habeatur in Dioscoride. Præterea in Epist. & Hist. germ. eam planè omisit.

H. Lugd. not. H. Lugdunensis Chamæsycen Dalechampij p. 1660. quam Dioscoridis Chamæsycen constituit, à Chamæsyce Penæ & Lobelii separat, sed absque ratione.

C. B. not. Chamæsyces figuram cùm Matthiolus non haberet, existimabat C. Bauhinus se eam ipsi apposuisse in comm. per ipsum illustratis. Ast figura apposita Matthiolo non est Chamæsyces, sed Anthyllidis Valentinæ Clusij, quam Compilator Tabern. malè pro Chamæsyce exhibuit.

Synon. Chamæsyce Dioscoridi & Plinio, quasi humilis Ficus, C. Bauh. phyt. *Eid. pin.* Chamæsyce Matth. Anguill. Hesn. hort. Dod. (μύκων ἀφρώδης appellari dicitur.) Lob. in Adu. Obs. p. 198. Ic. Plant. p. 363. Clus. hisp. & hist. (hic author est Salmanticenses *Noguerucla* appellare, quasi pumilam nucem exprimere vellent, à seminis nimirum, vti putat, forma.) Cæsalp. H. Lugd. (quæ duplicem figuram habet, ex C. Bauhini opinione) Camer. Tabern. & Gerardo. *Nos* H. Lugdunensis figuram alteram p. 1381. Anthyllidis Valentinæ Clusij titulo propositam, à Tabernamontano falsò pro Chamæsyce, ac etiam à C. Bauhino apud Matthiolum exhibitam, huc non referimus. Si H. Lugd. duas habet figuras, habebit & Clusius duas.

C. B. not.

Locus & Tempus. In aridis, squalidis, petrosisque locis nasci dixit Plinius & Dioscorides. Nusquam in Italia aut Germania apparet, inquit Lobelius, sed duntaxat in Narbonensis Galliæ oliuetis vinetisque, vbi plurima præsertim aridis sabulosis, non procul Monspelio ad patibulum viâ, & tractibus maritimis. Montbelgardi in horto Ill. E. C. Aprili sata, floruit Iunio & Iulio: ex semine deciduo quotannis propagatur, etiam apud Belgas. Nasci aridis & sitientibus hortorum areis, solo aspero, omnibus locis in finibus Bononiensium, etiam intra vrbem, testatur Cordus. Copiosam vbique vidit Clusius in agro Salmanticensi squalidis & petrosis locis, atque etiam inter ipsa vineta, & plerisque aliis Hispaniæ locis.

Rami ex vino triti vuluæ dolores sedant in pesso appositi: tollunt tumores ac verrucas omnium generum illiti: decoctorum cibo aluus resoluitur: succus simili affectui prodest: illitus contra scorpionis ictum auxiliatur: aduersus caligines oculorum vtilis, hebetudines, incipientes suffusiones, nubeculas, cicatrices, cum melle inunctus. Plinius à Dioscoride euarians, linteolum pro pesso vsurpat, & ampliùs orthopnoicis prodesse addit. Chamæsycæ abstergentem simul & acrem vim Galenus attribuit. Itaque acrochordonas, & myrmecias, caules eius teneriores intriti, in modum cataplasmatis admoti, quique ex eis profluit liquor, auferunt. Cum melle verò crassas oculorum cicatrices detergunt: hebetudinem visus à crassitie ortam, adiuuant: sicuti & suffusionum principia.

PEPLIS.

Terræ faciem ceu muliebre flammeum patulis ramis variè diuaricatis sesquipalmarib', rubentibus, crassiusculis operit, per quos veluti ad articellos *folia* aduersa nascuntur, rubentia, duplò triplòue Chamæsyces maiora, crassiora paullò, per extremum rotunda, quorum pars ea quæ sub neruo est, productior est quàm quæ supra neruum, & veluti pinnata, flosculi luteoli proximè ramos oriuntur: capitula tricocca, leuia, duplò maiora quàm Chamæsyces: vbicunque vulneretur, lac fundit, radix longiuscula, crassiuscula, simplex. Matth. taxatur.

Peplis, quam Dioscorides aliquos siluestrem Portulacam (ἀνδράχνην ἀγρίαν,) Hippocratem verò Peplion [πέπλιον] vocare refert, in maritimis maximè nascitur. Frutex autem est *ramulos* quoquo versum expandens, vel in latitudinem sese diffundens, candidi succi plenus, *foliis* hortensis Portulacæ, rotundis, & infernè rubentibus: *semen* sub foliis rotundo, ceu Pepli [τοῦ πέπλου] feruente gustu: *radice* tenui, singulari, ac superuacua. Dod. lapsus.

Plinii, Galeni, Pauli, & Aetii de Peplide (περὶ πεπλίδος) verba inter vires dicemus.

Apud Matthiolum in comm. lat. cum mag. fig. Peplis vocatur, sed tanquam non visa non describitur. In ital. icon transposita est pro Peplio. In Hist. germ. malè inscribitur Peplus. H. Lugd. icones duæ.

Verisimile est Dodonæum Peplidem non nouisse: siquidem in Hist. gall. nullam dedit iconem: in lat. verò pro ea Anthyllidem Valentinam Clusii pinxit.

H. Lugd. huius plantæ duas effigies eadem p. 1659. sub diuersa tamen inscriptione proponit. 1. Peplis Matthioli. 2. Peplion Dalechampij. Pepli effigies.

Peplis, vt nomine, sic effigie Peplum præ se fert, & propiùs adhuc etymum Pepli vel Flammeoli exprimit, authore Lobelio, ac idcircò θάμνον ἀμφιλαφῆ Dioscoridi designari ait.

Plinium autem Portulacam siluestrem eiusdem generis ac naturæ cum Portulaca satiua, cum Peplio herba diuersissima confundere, ideò quod nonnulli Peplion, agrestem Portulacam vocarint, rectè Dalechampius monet. Plin. not.

Dioscorides quamuis vnius tantùm meminerit Peplidis, Anguillara tamen duplicem facit, & hanc priorem constituit: Alteram verò se obseruasse scribit in monte Maiellæ in Abruzzo, se extendentem per terram sicuti prior, foliis denariorum modo orbiculatis, Numulariæ modo dispositis, spissis, semine albo, radice digitum crassâ.

Peplis Matth. Turn. Lob. in Adu. Obs. p. 197. & Ic. Plant. p. 363. Clus. hisp. & hist. Cast. quoad descr. Cam. Tab. ic. & Ger. Peplus Cast. quoad iconem: Peplus minor Tab. hist. Peplium Cæsalp. Peplis 1. siue maritima folio obtuso, varians caule rubro & albo C. Bauh. pin. Synon.

Littora Norbonensia Thyrreni & Adriatici maris hanc reptricem abundè fundunt, ignotam alioquin Septentrionalibus, nisi hortis. Obseruatur quoque in insulis circa Venetias ab vtraque parte maris. Sed & abundè nascitur in omnibus Hispaniç Mediterranei maris litoribus: in Oceani littoribus nunquam obseruauit Clusius: imò nec in cultissimis quidem Belgicis hortis ipsi conspecta. Locus.

Colligi, reponi, darique vti Peplum, iridemque condiri solere: ac easdem quoque vires habere, authorem habemus Dioscoridem. Est & Portulaca, quam Peplion vocant, non multùm satiua efficacior, cuius memorabiles traduntur vsus. Ita Plinius lib. & cap. 20. Hîc mox subiungit per Collectio Repositio


git per

git per longum eius vsum. Sed quum ea omnia à Dioscoride penitùs omissa sint, ibidemque Peplion cum Portulaca siluestri confundat, etiam nos hoc loco tanquam aliena omittenda duximus. Peplion tum sursum, tum deorsum, pituitam bilemque purgare, flatusque deducere prodidit Hippocrates. Galeno Peplion frutex succum habet velut Tithymali, radicem quidem inutilem, quemadmodum etiam Peplos: succum autem fortem, & nec ipsum admodum vtilem. Sed vtile est semen, & feruidum: similiter vt Pepli semen purgans. *At hoc* Galeni loco, quod feruidum dicitur, ουσῶδες in græcis codicibus falsò legitur, i.e. flatuosum, pro πυρῶδες, velut Dioscorides & Paulus habent: & alioquin Peplion esse φυσῶν καταρρηκτικόν. Aetius ex Hippocratis sententia scribit. Quod itaque flatus rumpit ac discutit, flatuosum dici non potest.

Galen.

TITHYMALVS HELIOSCOPIVS siue Solisequus.

Descriptio



Breuis huic & plerumque singularis *caulis*, teres, modicè hirsutus: *folia* Portulacæ, vel propriùs Peplios, minùs pinguia quàm Portulacæ, ex viridi lutea, in ambitu crenata: *surculi* è caule summo nati vmbellam quodammodò efficiunt, *flores* sustinentes exiguos, herbidos, Myrsinitæ facie peltatos: *semen* in pericarpiis triquetris. *Radix* singularis, fibrosa.

Qui Helioscopius Tithymalus Dioscoridi dicitur, foliis est Portulacæ, attamen tenuioribus rotundioribusque, ramulis ab radice quaternis aut quinis, dodrantali altitudine, tenuibus ac rubentibus, lactei succi copiosi plenis, capite Anethi: semine velut inter folia locato. Comam cum Sole circumagit, ideoque Helioscopii nomen accepit.

Tithymali quartum genus Plinii, Helioscopion appellatum, quoniam capita cum Sole circumagit, foliis est Portulacæ, ramulis stantibus, à radice quatuor aut quinque rubentibus, semipedali altitudine, succi plenis: semine albo, columbis gratissimo.

Matth. not. Matthiolus pro more suo ponit sine descriptione iconem Tithymali Helioscopii inscriptione, foliis non serratis, Peplon potiùs repræsentantem, quam Tithymalum helioscopium. Camerarius aliam pinxit, ac etiam Casparus Bauhinus. Lacuna qui & Tithym. coronatum vocat, iconem Matthioli refertur, ac etiam Histor. Lugd. p.1644. Sed p.1648. meliorem exhibet Tithym. Helioscopii Dodonæi titulo.

C.Bauh. phyt. Tithym.13. siue Helioscopius: Eid. in animadu. in Hist. Lugd. Tithym. heliosc. Matthioli, foliis non crenatis p.1644. Tithym. heliosc. Dodonæi, p.1647. foliis integris, cuius in contextu non meminit H.Lugdunensis: Item, p.1648 Tithym. heliosc. Dodonæi, quę vera icon. *Videtur* nobis prior icon H.Lugdunensis esse Pepli. Secundam suspicamur esse Tithymali verrucosi: ergo huius plantæ hoc loco vnica figura, & non tres. C.B. not.

Esula Brunfelsi. tom.1. rhapsf.13. sine icone: in 4°. pag.124. cum icone. Esula vulgaris & tertia Trago. Esula.

Helioscopius Tithymalus Ang. Fuchs. Dodon. Cordo in Diosc. Turn. Gesn. hort. Lac. Lonic. Lob. in Adu. Obs. p 192. Icon. p.356. Thal. Camer. Tabern. & Hist. Lugd cum Icone Dodonæi pag. 1648. Item C.Bauhin. qui in Pin. præterea vocat Tithymalum Dendroidem Dodon. in icon. & Thalii.

Ceterùm, hunc Tithymalum duplicem facit: alium foliis crenatis, non vsque tamen ad caulem: alium non crenatis & rotundioribus, caule leuiter hirsuto.


Græcis τιθύμαλος ἡλιοσκόπιος: Germ. *Sonnenvvend vvolffsmich*, & *grosz. vvolffsmilch*: Belg. *Craonkenteruyt*. Gall. *Reueille matin suiuant le Soleil*. It. *Torteonaglio, Titimalo helioscopio*: Angl. *vvertgrasse*: Lat. Tithym. solsequius, & Lactaria solsequia. Nomina.

Cunctis gentibus familiaris, & hortis etiam olitoriis frequenter molestus: quin & passim prouenit, circa rudera, prope vrbium & oppidorum mœnia, in campis incultis, collibus, & vbique, tam culto quàm inculto solo. Locus.

Colligi succum & semen huius Tithymali, velut etiam aliorum: ac vim eandem habere cum Characia Myrsinite, & Paralio, sed non ita intensam, docet Dioscorides: Plinius addit bilem trahere per inferna in oxymelite, dimidio acetabulo. Vires.

PEPLOS SIVE ESVLA ROTVNDA.

Descript.



Peplos, quem aliqui Sycen [συκῆν] alii Papauer spumeum (μήκωνα ἀφρώδη) vocant, referente Dioscoride, frutex est succo albo plenus, folium paruum habens, Rutæ simile, sed latius: vniuersa coma palmi altitudine est, rotunda, per terram diffusa, & sub ὑπὸ vet. Lacunæ codex legit ὑπὸ ἴσχάδα] foliis semen est paruum, rotundum, minus quam Papaueris albi. Multi autem vsus herba est, radicem vnam habens, inutilem, à qua totus frutex enascitur. *Ita etiam describit Plinius.*

Peplon dici etiam Chamæsycen [χαμαισύκην] & Papauer spumeum (μήκωνα ἀφρώδη) & Meconiū [μηκώνιον] testatur Galenus in gloss. in Hipp. Meminit & Pepli Papaueris spumei de simpl.

Fuchs. taxatur. An Vineale Reuclium Ruellii? De Esula rotunda officinarum & vulgi, Fuchsius ita scribit quasi eam nunquam viderit. Icon, quam Lonic. etiam & Dod.gal. exhibent non repræsentat Esulam rotundam: folia longa & acuta sunt in eorum icone.

Matth. & Lacuna notātur. Non placet quoque Pepli effigies apud Matth. in prior. com. & adhuc minùs ea quæ in post. cum mag.fig. habetur. Non malè nostro iudicio huc retulisset iconem sui Tithymali helioscopii: neutrum describit, quare diuinatione opus est. Matthiolum imitatus est Lacuna icone & descriptione nulla.

Peplum passim in hortis Venetis & Patauinis prouenire, nec tamen Esulam rotundam vocari testatur Anguillara. Cæsalpino verò non fuisse notum Peplum, suspicamur quia nihil proponit de eo præter verba Dioscoridis & Plinii.

Synon. Peplus Matth. Fuch. Anguill. Dod. Cordo in Diosc.& hist. Turn. Lac. Lon. Lob. Obs. p.162. H.Lugd.p.1658. Cast.desc. Thal. Tabern. Ger. Calc.& Camerario: Peplis Cast. icon. Esula rotunda G. in.coll. Peplus siue Esula rotunda prima C.Bauh.pin.

Etymon. Peplus autem siue Esula rotunda, quòd ramulorum ambitu & quasi rotundo amictu velum efformaret, aut tellurem operiret, dicta fuit, nisi potiùs, vt Lobelius opinatur, ob purpuream foliorum superficiem, siue xerampelinam, quæ huic in vinetis nascenti & Peplidi in maritimis sabuletis degenti, vt plurimùm inest. Peplum namque fuisse purpurei vel phœnicei coloris, multæ historiæ testantur. Succus lacteus, quem tota fundit planta, Tithymali speciem fatetur.

Nomina ling. Πέπλος, quibusdam συκῆ ἀλὸς ἀφρώδης μήκων. Germ. *Teuffels milch, Rüde vvolffsmilch*, Gall. *Reueille matin de vigne*, i.e. Euigilium matutinum vineale. Hisp.& It. *Peplo*.

Locus. Germaniis & Galliis passim Peplus spontè prouenit, secus sepes, fossimenta, margines hortorum & in vinetis, in quibus etiam Diosc.& Plinius nasci scribunt.

Peplus colligitur in messe, siccaturque in vmbra,& assiduè versatur. Reponitur semen contusum & depurgatum. Ducit pituitam & bilem acetabuli mensura cum aquæ mulsæ hemina (κυάθῳ κοτύλης legendum iudicat Corn. potum. Sed & obsoniis admixtum aluum turbat. Conditur etiam muria, authore Dioscoride. *Sic ferè & Plinius* Galeno Peplos frutex paruus, succum habet similem Tithymalis, qui purgat velut illi.

PEPLVS MINOR.

Descript. Patulis in orbem *ramis*, variéque diuaricatis terram subiectam obumbrat: *foliis* Pepli maioris rotundis ferè, in modicum acumen leuiter desinentibus, dimidio minoribus: *pericarpia* pusilla Maioris aut Chamæsyces, triquetra, læuia, tribus locellis totidem claudunt *semina*.

Synon. Tabern.ic & hist. Peplus minor, Peplis Diosc. Portulaca silu. vocata, Peplion ab Hippocrate, ab aliis ἀνδράχνη ἀγρία.

Monspelii & Montbelgardi prouenit.

TITHYMALVS PLATYPHYLLOS Fuchsii.



Descriptio Annua est planta ex deciduo semine sese reparans: etsi *radix* lignosa interim sit: *caulis* sesquicubitalis & bicubitalis, rectus, singularis modò, modò plures, inter quos eminet medius, inter contractioris altitudinis socios, per quos tamen omnes frequentes obseruantur rami, quorum exortui *folium* magnum semper apponitur, duarum vnciarum longitudine, latitudine vnciali, talia quoque fortuito ortu per caules ramosque spectantur; at caulis fastigium in pediculos aliquot vmbellam mentientes abit, quo modo in Helioscopio diximus, quorum coitum, coronat rosa foliorum oblongorum, nec ad Helioscopii rotunditatem vllatenus accedentium, crenis parum conspicuis denticulatorum: è quibus pediculis vnusquisque subdiuitur, ramulis ex acetabulo exeuntibus: *flosculi* cotylis insident luteoli, quos sequuntur vix dum delapsos tricoccei *fructus*, minores paulò quàm Verrucosi, quibus & asperitate cedunt, in quibus semina parua, oblonga, cærulea.

Dod.gall. Fuchsii figuram Tithymali septimi siue platyphylli i.e. latifolii, applicat Esulæ maioris siue Pityusæ maiori, cum tamen in descriptione, Fuchsii plantam, quæ non est Tithymali πλατύφυλλος Dioscoridis, haud intelligere putamus.

Tabern.ic.& hist. inscribit Tithymalum characiam Matthioli, licèt Matthioli non sit, nec descriptio, quam in histor. dat, cum icone conueniat.

An Tithymalus annuus Pityusæ facie Lobelio?

Lonic. qui iconem Fuchsii habet, vt & Ponæ in Baldo,& Turn. dicitur Tithym. platyphyllos. C.Bauh. phyt. Titym.18. Eid.pin. (vbi duplicem statuit, sc. maiorem & minorem, & hunc foliis hirsutis. Tithym. aruensis latifolius 2. siue germanicus. H.Lugd.p.1659. Pityusa siue Esula minor (legendum maior.) Dod.hist.stirp. Tithym. platyphyllos Fuchsii.

Cęterùm, plantam exprimere videtur Fuchsius primò prouenientem, antequam vmbella sit ramosa.

Geneuæ & Basileę atque Montbelgardi crebram in agris & circa dumeta obseruaui, florentem adhuc Augusto & Septembri, sed rariùs. Cùm prodit initio Veris folia sanguineis guttis, in hoc Tithymalo aruensi annuo Camerarii, aspersa conspiciuntur.

TITHY-

TITHYMALVS MAGNVS MVLTI-CAVLIS, siue Esula maior.

Descr. MItum quàm luxuriet fœcundiore solo enatus Tithymalus ille, quem vulgò Esulam maiorem germanicam vocant. Lignosa enim candidaque *radix* non brachii modò humani crassitudinem assequitur, sed & suræ nonnunquam superat, longè lateque vario implexu propagata, perennat: nec minor caulium quos emittit luxuriosa vbertas, minimi digiti circiter crassitie, rubescentes & compluribus alis concauos: *folia* Cataputiæ minoris, oblonga, multùm illis magnitudine cedentia, Hyeme decidunt: *flosculi* vmbellati, concaui, luteoli, quatuor peltata foliola surrigunt, vt & è staminibus totidem, reliqua in concauitate occultantes: *semen* in loculis triquetrum, reliquis non dissimile.

Per Pityusam & Esulam maiorem Matthioli, cuius radices è Gargano pro Turpeto adferri dicuntur, Dodonæus eam intelligit, de qua hoc capite agimus, quamuis icon Matthioli non respondeat, & alia sit, vti diximus proprio de Pityusa Matthioli capite. An Gesnero Esula maior foliis Oleæ?

Tab. att. Icon Tithymali maximi apud Tabern. quamuis non placeat, tamen id Esulam maiorem accedere videtur; descriptio quidem non quadrat. *Verùm nihil* mirum, ignaro Compilatori quadrata rotundis miscere placuit, nec fortè Tithymalos hoc capite distinguere nouit.

Esulam maiorem germanicam, vt visu crebro apud Germanos & Belgas receptam ait, sic sanè nulli Tithymali speciei, quàm Pityusæ grandi frutescenti propiorem statuit in Aduers. Lobelius, addens nisi huc accommodetur, Dioscoridi aut minùs notam, aut prætermissam fuisse.

Synon. Trago Tithymali alterum genus *Grosz teufels milch*, Esula magna siue maior, Esula dendrodes seu arborescens. Cæsalp. Tithym. palustris, frequens in paludibus Pisanis. Schvv. Tithym. fruticosus palustris, *vvasser vvolffs milch*. Camer. hort. Tithym. fruticosus germanicus, in littore Rheni frequens. Cordo in Diosc. Pityusa maior Dioscoridis, Esula maior recentiorum. Lob. Ic. p.358. Esula maior germanica, vt & Obs. p.194. vbi & Turbith nigrum & adulterinum; Gall. *Turbith* noir: Hisp. *Esula maior: Esula maggiore* Italis. Pityusa grandis Thalio. C. Bauh. phyt. Tithym. 19. *Eid.* pin. Pityusa siue Esula 2. seu Tithym. palustr. fruticosus. H. Lugd. p.1653. Esula maior Dodonæi Hist. purgant. Esula maior germanica Penæ, Eid. p.1654. *Duæ effigies vnius plantæ.*

H. Lugd. att.

Locus Rarior in Italia & Gallia & Anglia nisi in hortis colatur: in Germania verò superiore & inferiore ad Rhenum: vt & in Silesia ad sabulosas fluminum crepidines.

Mesues Esulam purgatorium rusticorum esse scribit, & maiorem viscera interna exulcerare, atque eam ob causam perniciosam, monente Dodonæo. Impensè calida est, acris & exulcerans, ventriculoque molestissima. Errant verò non parum qui cortices harum radicum in medicamentorum compositionibus Turbith loco substituere temerè audent.


Pityusa Matthioli.

PItyusæ radices, quam officinæ Esulam maiorem nominant, Herbarii è Gargano Apuliæ monte ad nos (inquit Matthiolus) comportant, & magnâ imposturâ pro Turpetho venditant. Quod cùm non ignorasset Actuarius album Turpethum Alypiæ esse radicem prodidit, nigrum verò Pityusæ. Nec hîc obstat quod dixerit Dioscorides Pityusæ radicem sub esse candidam: nam is de interiore substantia tantùm intellexit, non autem de exteriore corticis membranula, quæ viridis rufescit, siccata nigrescit &c. *Cæterùm* quæ planta ab ipso tradatur, Pityusæ siue Esulæ maioris titulo (etiam in Epit. & hist. germ.) donata, nondum certò concludimus. Nullibi enim eam describit, præterquam in Hist. germ. vbi tamen Dioscorideam solummodò delineationem, ipso quidem non citato, dedit: in qua radix dicitur alba, quam ipse Matth. in comm. fatetur cortice esse rufescente & nigrescente. Glossatorum hîc & Patronorum eius declarationem requirimus ampliorem, qui nihil lucis ipsi attulerunt. Iconem in comm. cum mag. fig. & Hist. germ. nonnihil variat quidem, sed ad priorem videtur facta effigiem, & non ad plantam ipsam. In neutra porrò icone folia æmulantur Tithym. cyparissiam ab ipso Matthiolo depictum, qualia sunt Pityusæ in Italia passim prouenientis, licèt in omnibus maioris. In eius picturis folia latiora multò sunt, sed longiora, nec simile quicquam cum prædicta Esulæ foliis habentia, sed potiùs cum Tithymali nostri Verrucosi.

Synon. Castori & C. Bauh. apud Matth. cuius iconem pinxit, Pityusa: Eid. in pin. Pityusa siue Esula 5. Tithymalus foliis breuibus aculeatis.

Lonic. att. Lonic. (vt & Camerarius) quoque Matthioli imaginem haben, iam dictis addens, quæ Dioscorides de Pityusa scripsit, confundens suo more omnia. Sed & Lacuna suo nomine eandem cum Matthiolo stirpem pingit, eademque refert, additque in toto regno Neapolitano haberi Pityusam Esulæ minori similem, sed in omnibus maiorem: verùm non indicat quam plantam intelligat. Hos imitatur etiam H. Lugdunensis, quæ & ipsa præter Pityusæ Matthioli siue Esulæ maioris effigiem p.1652. exhibitam, & Matthioli inania verba nihil docet

TITHYMALVS SYLVATICVS toto anno folia retinens.



Descript. TIthymalus sylvaticus *radice* nititur albâ, validâ, lignosâ intortâ, variè diuisâ, multis fibris donatâ: à qua exsurgunt *rami* lignosi, cubitali longitudine maiores, flexiles, cortice exteriore insigniter rubente, & hirsuto: interiore virente, *foliis* supra

rami medietatem crebris, quatuor ferè vncias longis, semunciam aut paullò plùs latis, infernè canâ lanugine pubescentibus, excurrente per longum neruo ad medium vsque folium rubente, deinceps viridi, supernè quoque pilis, sed minùs euidentibus, leuiter hirsutis, atro virore splendentibus. Ex summis ramis oriuntur *pediculi* in vmbellæ formam, rubentes similiter & hirsuti, singuli singula folia ad exortum, iis quæ in ramis sunt minora, reliquis similia, habentes, sescunciam longi ad geniculum quoddam, vbi rursum duo folia præcedentibus minora, opposita, pedicellique bini ex præcedentium pediculorum vnoquoque explantantur, iique rursum cum foliolis suis minimis bipartiti *flosculos* sustinent foliolis circumdatos, minimos, herbaceo colore præditos, ita compositos ac si quatuor semilunulæ gibbis omnibus intrò spectantibus rhombum aliquo modo quis imitetur. Tota planta odore graui est, præter lignosam radicem, & lac fundit.

Odor.

Cordus in Diosc. Tithym. dendroides, Tithymalus sextum locum habens, Lactaria Germanis *Stein milch* vocata. Lobel. in Adu. Tithymalus characias Anglicus & Francus. Anguill. Tithymalus platyphyllos Dioscoridis. Cam. hort. Tith. fruticosus alius stipitibus rubicundis perennibus, foliis modicè hirsutis, latiusculis. Clus. hisp. & hist. Tithymalus characias alter, floribus pallidis, sine icone.

C. Bauh. mi.

C. Bauh. phyt. Tithy. 7. siue syluaticus: an Esula multicaulis Tragi, Tithymalus quibusdam Esula rotunda. *Nos Tragi* Esulam huc non referimus, quia meliùs conuenire videtur cum Tithymalo verrucoso quem Esulam rotundam Cæsalpini suspicamur. Eid. pin. Tithym. characias 3. siue folio lanuginoso: Tithymalo characiæ primo similis Clus. hisp. Tithym. characias alter, eid. hist.

An Tith. dendr. Gesn.

An Gesn. hort. Tithym. dendroides? An Cæsalp. Tithymalo characiæ similis in montibus. An Calceol. in Baldo Tithym. maior? An Tabern. Tithym. amygdaloides latifolius? Schvv. Tithy. πλατύφυλλος latifol. montanus, Esula latifolia, *Berg. vvolffs milch*. An aliqua ex Tithymali Characiæ speciebus Thalii?


Locus & Tempus.

Cæterùm, inueni florentem in montibus Euganeis inter Balneum Aponense & Arqua, aliisque in locis. Basileæ in montibus prope Krenzack, Dornack, ac Mutets. Geneuæ virentem in principio Februarii circa montē *Saleue* & pontem *d'Arue*: Montbelgardi abundat in siluis, & circa fontem admirabilem. Clusio referente crescit etiam in Hispaniis: deinde in Gallia tam Narbonensi quàm reliqua, Heluetiis, & reliqua Germania: in Belgii hortis semel satum copiosè prouenit. Lobelio teste, frequentior in Germaniis & Franciæ Aureliæ vicinis siluosis, quàm calidiori solo: nullibi quàm in Anglia copiosior: primo Vere floret: per Iunii messes fœtura. Anguillara ait copiosè in Italia prouenire, & Illyria potiss. in Baldo & in Maiella di Abruzzo.

TITHYMALVS AMYGDALOIDES, siue characias.

THeoph. 9. hist. 12. Lactariarum [τιθυμάλων] mascula vocitata, Oleæ folio constat, & magnitudine cubitum æquat: huius lac, cùm vindemia incipit, exprimunt, & præparato vtuntur: purgat inferiùs.

Dioscor. Tithymalorum masculus characias [χαρακίας. i.e. Vallaris.] vocatur ab aliquibus Comatus (ita reddit Sarac. vocem græcam κομήτης quæ ab effusa & ampla coma nomen traxit.) Amygdaloides (ἀμυγδαλοειδὴς, à foliorum forma, Amygdalæ similium:) aut Gobius (κωβιός) nominatur. Porrò sunt huic *caules* supra cubiti altitudinem, rubicundi, acri lacteoque succo referti: *folia* circa ramulos Oleaginis (ἐλαίᾳ) sed longiora: *radix* crassa & lignosa: in caulium cacuminibus coma est iunceorum virgultorum (χοινωδῶν ῥάβδων) & sub ipsis [ὑπ' αὐτῶν. Dalech. putat legendum ἐπ' αὐτῶν, supra ipsa) caueæ quædam peluibus aut alueolis similes, ac in iis *semen*.



Tithym. 1. siue charac. Plinio.

A Plinio lib. 26. cap. 8. primus Tithymalus cognominatur Characias, qui & masculus existimatur: ramis digitali crassitudine, fibris, rugosis [succosis ex vet. cod. reponendum] quinque aut sex, cubitali longitudine, è radice foliis pendulis, in cacuminibus coma Iunci. Et hæc est Plinii de Tithym. characia opinio.

Synon.

C. Bauh. pin. Tithymalus Characias 2. [1. phyt.] siue rubens peregrinus: Tithym. characias Matth. Lac. Lon. Cast. & Tabern. Tithym. characias Matthioli, secundus Dodonæi, H. Lugd. pag. 1642. Tithym. characias legitimus 1. Clus. hisp. & hist. Tith. characias alter Dod. & Cæsalp. *Dicimus* nos Cæsalpinum hunc intelligere per Characiam 1. siue magnitudine præstantem, in asperis maritimis ortum: Camer. per Tithymalum characiam circa Veronam plurimū: Et fortè Calceolarium in Baldo, & Anguillaram per Tithymalum Characiam, in Italiæ quibusdam locis Herba lazza, ac etiam Tortomaglio maggiore dictum.

Locus & Tempus.

Spontè prouenientem nullibi obseruaui, præterquam Monspelii, vbi abundat locis saxosis circa Castelneuf, florens Februario & Martio. Nascitur, authore Clusio, in asperis montosisque per Hispanias, Valentino regno, circa Malacam, atque etiam supra Arelatem itinere Massiliensi, & quibusdam aliis Narbonensis Galliæ locis: Martio flores profert.

Vires & vsus.

Dioscoridis succus lacteus per aluum pituitam bilemque trahit, obolis binis in posca sumptis: at cum aqua mulsa vomitiones etiam mouet: circa vindemiam succus in congestis ramulis, mox dissectis, & in vas inclinatis, excipitur. Aliqui adiecta Erui farina pastillos ex eo fingunt, qui Erui magnitudinē impleant. Alii in ficos quę exsiccantur ternas quaternasue guttas instillant, vt cum iis marcescant, eiusmodique ficos ad vsum recondunt. Sed & per se tritus in pila cogitur in pastillos, atque reponitur. Porrò, qui succum colligit, minimè obuersum vento stare, aut oculis manus admouere oportet: quinimò ante-


quam

quam operi sese accingat, corpus, præsertimque faciem, collum, scrotumque & vicinas partes, adipe aut oleo cum vino perungere. Quoniam verò fauces idem exasperat, catapotia quæ ex eo concinnantur cera aut decocto melle oblini, atque ita dari par est. Caricas verò binas ternasue soluendæ alui gratia satis est. Recens idem succus ex oleo illitos in Sole capillos detrahit, renascentesque flauos & exiles efficit, tandemque omnes abolet. Dentium cauis inditus, eorum dolores leuat: sed cera dentes oblinendi: ne fortè præterlapsus is, fauces, linguamue malè afficiat. Tollit & illitu myrmecias, pensiles verrucas, & quæ Thymi florem repræsentant, itemque lichenas. Valet idem aduersus pterygia, carbunculos, phagædenas, gangrænas, atque fistulas. Legitur semen Autumno, & siccatum Sole leuiter tunditur, tandemque ab aceribus repurgatum loco mundo reponitur. Similiter & folia siccata reponuntur: quæ haud secus ac semen lactei succi effectum præbent, dimidio acetabulo pota. Sunt qui ipsa inueterant, admisto etiam cum lacte Lepidio, caseoque contuso. Sed & radix drachmæ pondere hydromeliti inspersa potaque per aluum purgat. Decocta eadem cum aceto, dentium doloribus auxiliatur, siquidem eà colluantur.

Plinius. Trahit pituitam, inquit inter alia Plinius, sale addito in potu, bilem aphronitro. Si per aluum purgari libeat, in posca: si vomitione, in passo, aut aqua mulsa. Est enim tam feruentis naturæ, vt per se extra corpori impositus, pustulas ignium modo faciat, & pro caustico in vsu sit.

TITHYMALVS VERRVCOSVS.

Descript.



PLures huius *radices*, tenues, in vnam tandem coëunt, minimi digiti crassitudine, ac etiam maiore, lignosam, cubitalem ferè, cortice externè nigro, internè albo, lacte viscido prægnante: *virgæ* multæ, lentæ, & fractu contumaces, tenues, subrubentes, pedales, ac etiam cubitales, alternatim adnata, *folia* sustinent, deorsum ferè secundum caulem reflexa, vnciâ longiora, semunciam ferè lata, tenui lanugine obtecta, magis tamen infrà, quàm suprà quo fit vt inferior quoque pars magis quàm superna albicet: inferiora *folia* interdum rubent, nec non etiam superiora: *flores* in vmbella flauescunt, ex foliolis pettatis, vt Vmbilici veneris primulùm à satu è terra prorumpentis: quibus succedunt *capitula* rotunda, crispo ceu arenularum minutissimarum congestu, aut verrucarum instar asperata: quę matura vbi se aperiunt, in tres partes diuiduntur, in quibus terna semina, colore & figura ferè similia Gallitrico, medullam habentia albam, oleaginosam valde.

Trago Tithymali genus quartum, Tithymali Helioscopii species. H. Lugd. p.1647. Tithym. helioscopius Dodonæi: Item p.1650. Tithym. verrucosus Dalechampii: *figura duæ*. Thal. Tithym. helioscopius Dodonæi. Ponæ in Baldo Tithym. verrucosus Dalecham. C.Bauhin. phyt. Tithym. 6. siue Myrtifolia fructu Verrucæ simili: In aridis & sabulosis gignitur propè Lugdunum ad Rhodani fluenta: obseruaui & alibi.

Tithymalus non acris, flore rubro.

Descript. TVberculis inæqualem habet *radicem*, longiusculam, fibratam: *caules* pedales, vel cubitales, primò purpurascentes, non sine adnatis ramulis, *foliis* amicti Tithymali verrucosi, modicè in acumen rotundum desinentibus, glabris: *pediculi* è caulis fastigio aliquos exeunt (subiecta foliorum oblongorum rotula) vmbellæ forma, in surculos subdiuisi singuli, *flosculi* in medio foliorum duorum, similium acetabulis, parui, quadripartiti, rubentes: è medio flosculo rubro exoritur ex breui pediculo *fructus* paruus triquetet, vt in cæteris Tithymalis, tuberculis exasperatus, ex cuius medio stilus & ad latus pediculus vel ramulus, sustinens folia alia duo, & in medio alium florem ac fructum. Cęterùm, manat è vulnere lacteus liquor vt in reliquis Tithymalis, verùm nequaquam acris aut feruidus, sed astringens, vnde Tithymali aut Esulæ dulcis nomen meruit.

Eos errare scribit Tragus qui Miliariam Plinii statuunt. Gesn. hort. Erino cognatam herbam dixit, vt & Lobelius qui lupinum dulce [suss. wolffsmilch nuncupat] vel Lactotidi, Miliariue, Esulam dulcem Tragi. Esulam dulcem vel 7. Tragi etiam C. Bauhinus: & H. Lugdunensis, cui etiam Pityusa. *Erino est grata herba Gesn. & Lobel.*

Montbelgardi & Geneuæ obseruaui florentem Maio, nec non in vmbrosis ac vliginosis montibus ac vallibus.

Radix vulnera mirificè glutinat, sed intrò assumpta vehementer vomitiones mouet. Eius exterior cortex lacte ex aceto per diem & noctem maceratus, deinceps autem resiccatus, tusus & in puluerem redactus postea dimidiæ drachmæ pondere in vino vel melicrato potus, quosuis aquosos humores & choleram expellit, & hydropicis apprimè conducit, inquit Tragus.

TITHYMALVS SERRATVS. Dalechampii.

Descript.



TIthymalus serratus cubitali *caule* preditus est, per quem *folia* vncialia, alia culmo latiora, alia etiā minùs lata, pleraque non acuminata, sed subrotunda, denticulis per ambitum crenata, glabra, vt verò quæ vmbellæ pediculis ad coitum subiiciuntur folia,

multò latiora quàm longiora, nonnulla quoque orbiculata, nihilóque fecius in ambitu serrata: *flores* acetabulorum cauo insidentes, muscosi, lutei: *capitula* maiuscula, triquetra, ex tenui pediculo Myrsinitis ferè paria. In nostra imagine non bene repræsentantur serraturæ: folia etiam nimiùm acuta pinguntur. In Narbonensi agro frequens est, nec alibi temerè reperitur.

TITHYMALVS MYRSINITES.

Descriptio



Ramis dodrantalibus crassiusculis per terram maxima ex parte funditur, quos serie quadam ambiunt *folia* Myrti, pinguiuscula, colore glauco prędita, in acumen desinétia. Ramorum extrema in surculos abeunt indidem ortos, pyxidata *folia* rotunda transadigétes, vmbellatim dispositos: quibus inter folia insident *flores* colore herbido, quorum singularia foliola puluilli instar habentia, ansulis croceis donata sunt: pericarpia triquetra totidem grana continent.

Myrtaria cognominata candida, Lactaria [τιθύμαλος] est foliis Myrti condita, verùm aculeatis parte postrema, sarmentula in terram demittens longitudine palmi, quæ non simul, sed alternatis annis, Theophrasto quidem authore, fructificant, alia hoc anno, alia postero, quanquam omnia eadem radice exorta: loca montuosa desiderat: fructus Nux [κάρυον, vnde huic Tithymalo καρυιτὸ cognomen.] appellatur, &c.

Tithymalum alterum, qui fœmina [θῆλυς] existimatur, Myrtitem [μυρτίτην sc. à foliorum cum myrto cognatione] quem & Caryitem [καρυίτην] aut Myrsiniten [ἢ μυρσινίτην] vocant, Dioscorides similem scribit suapte natura Daphnoidi, foliis Myrti, sed maioribus ac firmis, in summitate aculeatis: sarmentis ab radice dodrantalibus: addens fructum proferre, alternis annis, Nuci καρύῳ Lac. legit in vet. cod. κεῤίῳ al. κρίῳ] similem, sed leniter linguam mordentem: nasci & hunc in asperis.

Alterum genus Tithymali, quod Myrtiten vocant, alij Caryitem, Plinio est foliis Myrti acutis, pungentibus, sed mollioribus [ex vet. cod. maioribus] & ipsum etiam in asperis nascens. Colliguntur comæ eius Hordeo turgescente, siccatæque in vmbra diebus nouem in Sole inarescunt. Fructus non pariter maturescit, sed pars anno sequente, & Nux vocatur. Inde cognomen Græci dedêre. Demetitur, &c.

Matth. notatur. Matthiolus in Diosc. hist. germ. & epit. Tithymalum myrsiniten ita pingit, vt eum nunquam obseruasse videatur, vel voluisse accommodare descriptioni Dioscoridis malè intellectæ, nullam appingens vmbellam cum nuculis, sed veluti magnam nucem: præterea eum non describit. Matthiolum imitatur Lacuna. *Lacuna not.*

Tithymali Myrsinitis nomen vulgare italicum, præter *Tortomaglio* nullum nouit Anguillara. Eos falli testatur cum Gesnero qui existimant hanc plantam nucem ferre: fructum quidem concedit nuci similem, sed non magnum vt nux, quemadmodum voluit Matthiolus, & Lonicerus.

Quin & Lobel. in Aduers. commentitiam Tithymali myrsinitis effigiaturam risit Matthiolinam.

Duas icones proponit compilator Tabern. sine descriptione: Tithym. myrsinites 1. & 2. Duas quoque Lob. in Ic. p.353. Tithymalus myrtifolius Obs. p.192. Item, Tithym. myrtites Dioscoridis Adu. p.150. Ego has duas non separo, licet C. Bauhinus diuersas statuerit in pin. vt mox dicemus. *Tabern. Lob. & C. Bauh. notantur.*

Duas quoque habet H. Lugdunensis: Vnam p.1642. Tithymali myrsinitis seu fœminæ Matthioli titulo: alteram p.1643. Tithymali myrsinitis meliùs expressi inscriptione.

Nunc quamuis C. Bauhinus in phyt. Tithymali 8. siue myrsinitis primi duas apud Lobelium & Tabern. icones existere dixerit, attamen in pin. easdem rursus separat, tanquam ab inuicem differentes, minùs sano, meâ quidem sententia, judicio. Tithymalus myrsinites 3. siue latifolius, inquit, est Tithym. myrsinites Matth. Anguill. Dod. Gesn. hort. & app. Lac. Lon. Lob. Cæsal. Lugd. Cast. Camer. (hic addimus) Bellon. Obs. lib.1. cap.18. & 55. & Schvvenckf. cui & Esula myrtifolia dicitur: Tithymalus myrsinites, myrtifolius fœmina repens Dioscoridis Aduers. Tithym. myrsin. legitimus (hunc Hispanis & Gallis ignotum ait) Clusio: Tithym. myrsin. 1. Tabern. Tithymalus verò myrsinites 4. siue angustifolius, est Tithym. myrsinites Dioscoridis Adu. Lob. icon. Tithym. myrs. alter Tabern. Tithym. myrsinites in montibus Cæsalpino. *C. Bauh.*

Non alibi quàm in Angliæ, Belgij & Franciæ hortis natum vidit Lobelius. Anguillara reperit in Marsis, & multis Abruzzo locis, & montibus Nursiæ. In hortis diuersis diuerso tempore & florentem & semina maturantem ego obseruaui. Semel verò in hortum translatus, inquit Camerarius, sese variis in locis propagat, ac illi facilè assuescit. Non caret admiratione, quod aliquando superfluas plantas à me euulsas, & in horto per acerrimam Hiemem proiectas, sequente Vere repererim adhuc integras & illæsas, quæ postea à quodam amico rursum aliò transplantatæ fuerunt. Crescit sua sponte in Samnitibus. *Locus & Tempus.*

Succus lacteus, radix, semen, & folia consimilem antè dicto [masculo characiæ] sortiuntur facultatem. Sed ille ad citandas vomitiones hoc ipso efficacior, præceptore Dioscoride. *Vires & vsus.*

TITYMALVS PARALIVS.


Descriptio.

LActariarum (τιθυμάλων) quod maritimũ granum [παράλιον καλοῦσι] appellant, Theophrasto folio est rotundo: caule, totaque magnitudine ad palmum, fructu candido: demetitur cùm vua nigrescere incipit, & siccatus fructus tritus potui datur, acetabuli tertia parte.

Tertius

Tertius Tithymalus παράλιος Dioscoridi vocatus, qué aliqui Tithymalida (τιθυμαλίδα) aut Mecona (μήκωνα, Dalech. mallet γλήχωνα.) appellauére, nascitur in maritimis, *ramis* palmum altis (σπιθαμιαίοις) erectis (ὀρθίοις Sic vet. cod. Lacuna etiam legit ὀρθοῖς Ira & Serapio, & Apul.) subrubentibus, quinis, senisue a *radice* exeuntibus: circa quos *folia* serie quadam digesta: eaque parua, quadantenus angusta, oblonga, & Lini foliis similia (ἰσοτάτα λίνω, vet. ἰσομήκεσι) capite in cacumine orbiculato (vet. addit πυκνόν. Sic etiam legunt Lac. & Orib.) in quo *semen* Erui simile, varium (album Plinio, Semen is incipiente vua colligi, & Siccatū teri sumique acetabuli mēsura ad purgationes tradit) *flores* albi. Frutex totus cū radice lacteo succo turget.

Icon. Icon hic exhibita facta est nobis absētibus, non vt optauimus.



Credidit Brassauolus illud esse Alsebran Meluei minus, & Auicennæ Scebrā, quod Dioscoridi Paralius est: sed ab eo meritò dissētit Matthiolus. *Huic autem* suisse notum Tithymalum paralium dicere non possum: non enim describit, nec vmbellam appingit: sed in extremitate caulium quiddam oroboides forte, quia Dioscorides ait semen esse Erui semini simile.

Lacuna & Lonicerus Matthiolum imitantur, eâdam censurâ digni.

Dod. lat. in fol. [vbi ait à Celso Tithym. marinum propteè Lactucam marinam vocari] duas proponit icones: vni titulus, paralius ex locis maritimis: alteri Tithym. paralius ex hortis. Dubitat Gesn. hort. an Tithym. paralius à Matthiolo & Dodonæo pictus sit Cyparissias?

Synon. C. Bauh. phyt. Tithymalus 11. siue maritimus: Eid. pin. Tithym. maritimus 1. Tithym. paralius Matth. Ang. Dod. Lac. Gesn. hort. Clus. hisp. Lob. Lon. Cast. Lugd. qui tres figuras vnius eiusdemque plantæ habet, Camer. & Tabern. Tithym. maritimus Cæsalp.

Variet. Variat is, qui in maritimis natus ab hortensi, hinc duæ figuræ apud Dod. Aduers. prætet Tithym. paralium virgis rubellis, foliis subnigris, flosculis ex herbaceo luteolis, meminit & cærulei in totum. Non modò in Italiæ & Hispaniæ,

Locus & Tempus. sed & in Hollandiæ, Zelandiæ, reliquaque inferioris Germ. maritima ora, locis incultis, aridis & præaltis subinde nasci testatur Dodonæus: atque hunc ad hortos translatum, luxuriantibus cauliculis & in longitudinem excrescentibus, rarioribus effici foliis. Ego apud mare prope Monspelium semine pregnantem vidi mense Augusto.

Vires & Vsus. Parali Tithymali vsus & reponendi modus similis est Characiæ & Myrsiniti, Dioscoridi.

Tithymalus Dendroides.

Tithymalus sextus δενδροειδὴς vocatus, inquit Dioscorides, qui in petris nascitur, *foliosus* est in acumine, densamque spargit *comam*, succo lacteo prægnans, subrubentibus ramis, *foliis* circa ipsum Myrti tenuioris, *semine* Characiæ. Descript.

Septimum Tithymalum, inquit Plinius, Dendroidem cognominant, alij Cobion, alij Leptophyllon, in petris nascentem, comosissimum ex omnibus maximè (maximis in vet.) cauliculis rubentibus, & semine copiosissimum, eiusdem effectus cuius Characias.

Tithymalum arborescentem dictum Dendroiden in Creta vidit excrescere Bellonius ad altitudinem duorum hominum, caudice crassitudinis cruris.

Dod. gall. Tithym. 6. siue δενδροειδὴς, leptophyllos quorumdam, Bellonij. Eid. de purg. & in fol. lat. Tithymal. characias 3. siue caule non rubens, sed exalbidus ac candidus, fortè Dendroeides Matthioli: Item, Tithym dendroides ex codice Cæsareo. *Iconem* a Lobelio pro Tithymalo dendroide propositam, exhibet Dodonæus pro Characia tertio, ac distinguit eum ab arboreo, cuius effigiem proponit ex cod. Cæsareo, cuius folia nostra plantæ sunt satis similia. Dendroidem [subdit] in petrosis locis exire Dioscorides prodidit: in Creta Bellonius: Aloisius in Tuscia, Liguria, & prope Massiliam. Matthiolus Dendroidem extra Terracinam agri Neapolitani vrbem offendisse se refert inter saxa antiquissimæ specūs, plantæ arborescentis effigie: & in Tergestino littore haud procul Timauo fonte in saxosis quibusdam rupibus. Qui tamen ab eo exhibetur, nequaquam ampla est coma aut Myrti foliis, sed oblongis, & Characiæ æmulis pingitur: *Hac ille.* Et sanè mirum est Matthiolum non describere Tithymalum dendroidem, & ei appingere comam siue vmbellam quæ nihil commune habet cum vllo Tithymalorum genere.

H Lugd. duas proponit figuras: p. 1644. Tithym. dendroidis Matthioli: p. 1645. Tithym. dendroidis Dodonæi ex cod. Cæsareo.

Anguill. narrat Tithym. dendroidem vel petræum ad altitudinem magni hominis crescere, trunco foliis vacuo, lignosissimo: comā constare ex tenuibus surculis: foliis similibus Myrti, paullò angustioribus: floribus luteis, aliorum Tithymalorum.

Camerario Tithym. arborescens siue petræus, est altitudine trium cubitorum, copiosissimo lacte abundans.

Separat C. Bauh. Dendroidem Lobelij à Dodonæi ex cod. Cæsareo, preter nostram opinionem. In phyt. Tithym. 9. siue arboreus folio Myrti: Item, Tithym. 10. siue dendroides ex cod. Cæsareo. *Eid pin.* Tithym. myrsinites 1. siue arboreus: Tithym. dendroides Matth. Gesn. hort. Lac. Lob. in Adu. & Obs p. 194. & Castori. Tithym. charac. 3. Dod. Tith. arbor. myrtifolius Lob. ic. p. 359. Tithym. arborescens Cęsalp. Item Tithym. myrsinites 2. siue dendroides ex cod. Cęsareo, Dod. Synon.

E semine facilè in Germania nascitur, sed difficulter tenellæ plantæ, vtpote frigoris impatientes in alterum annum durant, in hortis: Cætera de loco ex Dodonæo antè habentur. Tempus.

Tithymalus Dendroides similiter vt Characias, Myrsinites, Paralius, Helioscopius & Cyparissias reponitur & similiter operatur. Locus.

ALYPVM MATTHIOLI, TITHYMALIS affine. Cap. XX.



Descript. Alypi Matthioli nomine mihi Stutgardiæ per D. Schvvartzium demonstrata hæc planta. Ex ea autem *ramulus* quem asseruo, tenuis est, dodrátali longitudine, *foliis* onustus, alternatim positis, vnciam plùs minùs longis, vix culmum latis, in acumen desinentibus, secundum longitudinẽ decurrente neruo.

Verba autem Matthioli de Alypo, si quis cum figura plantæ quam describit conferat, deprehendet eum sibi non constare, vt meritò eum increpat Dalechampius.

Ac hallucinatur Coldenbergius in eo, quòd in Dispensat. Cordi supra diacalt. dicit, herbam quæ Alypi nomine hodie cognoscatur, affabrè Matthiolum in suis comm. depictam exhibere.

An Anguill epist 14. Alypum passim in Sclauoniæ (Illyriæ) insulis prouenientes?

ALYPVM QVIBVSDAM, SIVE ESVLA rara flore purpureo.



Descript. Sesquicubito longiores profert *caules*, non sine ramis frequentibus & longis, per quos *folia* Lentisci, vel Glycyrrhizæ, oblonga, per extremum obtusa, nisi quòd neruus qui secundum longitudinẽ visitur, in exiguum desinit stylum, glabra, euidentibus obliquis crebris neruis in margines exporrectis distincta, coniugatim ex modicis interuallis, breuibus pediculis donata: *flores* è ramorum cacumine pendent, aliâ lepositione quàm vllo Tithymalorum, coacernati in racemum pensilem, singuli oblógi, nolæ exiguæ formâ, colore purpurascente: radix valdè prolixa & satis crassa. Lac ex omnibus partibus acre & feruidum Tithymalorum more fundit.

Duas figuras habet Lobel. in Ic. Plant. p. 374. sub titulo Esulæ raræ è Lio Venetorum insula, In Obs. verò p. 201. vnam tantùm.

C Bauh. phyt. Tithymalus 21. siue purpurascentibus floribus marina. Eid. pin. Tithym. maritimus 4. siue purpurascentibus floribus: an Alypum Anguill?

H. Lugd. p. 1655. Esula rara, Penæ & Lobelii: Item Esula rara è Lio Venetorum insula, Penæ alia. *Duæ eiusdem plantæ effigies.*

Locus. Non alibi quam littoribus, & insulis finûs Adriatici reperitur, & in Lio insula exigua.

Vires. Licèt autem Turbith Antiquorum esse neget Casp. Bartholinus in suis parad. inter Botanica: posse tamen huius radicem succedaneum veri Turbith esse admittit, & Turbith Venetum appellari, quòd pares in purganda pituita moliatur effectus.

TITHYMALVS APHYLLOS.




Descriptio. *Caules* recti nudi quales Sparti aut Genistæ, aut certè paucissimis *foliis* donati circa Veris medium & Autumni; cum *floribus* in summitate pallidis, qui breui decidentes, cauliculos nudos relinquunt, anni reliquo. Intra flosculos autumnales *semen* latitat, etsi autẽ perfectè matura, apud nos tamen sata non crescit. Attamen frequens admodum est hæc planta in maritimis Africæ. Ex ea lac abundanter exstillat colore albo, sapore acutissimo & quasi caustico.

Æthiopes hâc plantâ siccatâ & in puluerem redacta vtuntur in condimentis, sicut nos Pipere, inquit hist. nat. lib. 28. cap. 1. Ferd. Imperatus. Quidam existimant esse Xabram & Camarronum Rhasis, quam Rauvvolfius se circa Tripolim obseruasse scribit, & quæ H. Lugd. Planta lactaria: vt & C. Bauh. phyt. dicitur. In Africa denominatur vocabulo quod nobis Piper longum denotat.

FINIS LIBRI TRIGESIMI QVARTI.





HISTORIÆ VNIVERSALIS PLANTARVM

LIBER XXXV.

HERBÆ CRASSIFOLIÆ ET SVCCVLENTÆ.

NVnc reuertemur ad eas, quæ penè totæ succi sunt, quarum quædam inter eas, peculiari priuilegio donatæ, vt etiam radice tenus euulsæ viuant & crescant, etiam nullo suffecto nutrimento, quod miraculo quis proximum putet.

PORTVLACA, ANDRACHNE, VETERIBVS.

CAP. I.

Æquiuoca



ADRACHNES [τῆς ἀνδράχνης] nomine diuersa stirpium genera comprehenduntur. Theophrastus enim libr. 1. hist.plant. cap.8. & 15. item 4.hist.4. Adrachnes arboris, quam Portulacam Gaza reddidit, meminit. Sed de hoc Adrachnes genere cùm alibi pertractatum, plura hic repetere instituti nostri non est. De herba duntaxat, quam 1.causar.10. & 4. causar 3. exhibet, sermonem facere decreuimus.

Andrachne duplex Dioscorid.

Huius igitur Dioscorides duo genera constituit: Ἀνδράχνην [satiuam intellige] & Ἀνδράχνην ἀγρίαν, h.e. Andrachnem siluestrem. Hanc sic describit. Portulaca siluestris [sic Ald. Paris. caret] cognominata, foliolis est quam antè memorata [satiua] crassioribus ac densis. Locis petrosis nascitur: interdum & in hortis. *Folia* verò habet Oleæ, sed minora multò, verùm plura, eáque tenera: *cauliculos* rubicundos, ab vna radice frequentes, in terram inclinatos: qui quidem commanducati succulenti percipiuntur, viscidi & subsalso gustu: Vim calfactoriam, acrem & exulcerantem: ac strumas quoque cum axungia imposita discutit.

Andrachne silu. Diosc. quid?

Et hæc portulaca syluestris Dioscoridis, hirsuta, exulcerans, quænam planta sit, nos adhuc latere, ingenuè fatemur. Dodonæus autem Illecebram esse sibi persuadet. *Præter* Portulacam maiorem satiuam, & minorem syluestrem, ambas eiusdem generis, & aliam quandam, & quidem siluestrem, à Græcis quoque ἀνδράχνην ἀγρίαν nuncupatam, veteres referunt, quæ alio nomine Illecebra à Latinis appellata est, inquit Dod. Confunditur autem hæc quandoque cum minore, siue syluestri Portulaca, eiusdem sc. generis cum hortensi. Neque ab hoc errore pleraque Dioscoridis exemplaria libera sunt. Nam quod in Portulacæ syluestris descriptione, *cauliculos manducatos bonum succum parere, viscosos & aliquantulum salsos esse* affirmatur, ad minorem siluestrem referendum est. Quod verò sequitur: *vis ei excalfactoria, acris, exulcerans,* &c. non huius, sed Illecebræ facultas est. *Diosc. not.*

Iam & Peplis, ab Hippocrate Peplion, nonnullis quoque Portulaca syluestris appellatur, Dioscoride teste. Quæ occasio cur Plinius lib. & cap.20. scripserit, Portulacam, quam Peplion vocant, non multùm satiuâ efficaciorem esse: sed ibi Portulacam cum Peplio herba diuersissima confundit: confundit quin etiam vires syluestris cum satiuæ Portulacæ viribus. *Peplis. Peplion. Plinij error.*

Recentior ætas & quandam superioribus marinam dictam Portulacam annumerat, quæ cùm fruticosa sit, lib. 8. H.n. post Halimum requirenda. *Portulaca marina.*

Telephium etiam, quod à nobis Anacamseros inscribitur, ob formam ei concessam, Trag. Portulacam maiorem dicendam putauit, licèt nemo antiquorum herbariorum ita vocarit. *Anacamps.*

Sic Alsinem palustrem minorem folio oblõgo, sibi Portulacæ aquaticæ nomine missã ait C.B. *Alsine palustris.*

Portulaca verò aquatica Thalii, foliis satiuæ minoribus, seminibusque iisdem, quid sit inquirendum.

Cæterùm quam Græci ἀνδράχνην nominant, & ἀδράχνην, Latini Andrachnen & Adrachnen vnius literæ elisione dicunt,& Portulacam: Germani *Burtzel*, & *Burtzelkraut*; *porcelen* item, ac *porcelenkraut*: Belgæ *porcelleyne*: Galli *du Pourpier*, aut *Pourcellaine*: Itali *Porcellane*, *Procacchia*: Hispan. *Verdolagas*, *Baldroegues*: Angli *Porcelain*.

Adrianus Turnebus Adu.l. 8.cap.23.edit.Lut. Portulacam etiam Portulatam dicendam existimauit,quòd foliis portulas imitetur. Sed exempla antiquorum voluminum desunt.

Nobis porrò triplex Portulaca cognita,est,de quibus nunc agendum.

PORTVLACA SILVESTRIS minor, siue spontanea.

Descriptio



PAssim in hortis & vineis nascitur spontanea & siluestris Portulaca, multis numeris minor, quàm satiua,tota terræ appressa, nec humo surgens, *radice* crassiusculâ, sicuti & ramis, succulentis, multifidis: *folia* vngue digiti minimi ferè paria, succulenta, crassa, atrouirentia: *flores* pusilli, muscosi.

Negatur esse genus tertium

Portulacam siluestrem siue alteram,vt vocat, Fuchsius negat esse Aizoi genus tertium, contrà quàm vt aliqui seducti mendosis Dioscoridis exemplaribus credunt. Nam quòd plerique nomina harum plantarum confuderint, factum subinde esse ait vt multa adulterina, quæ tertii generis Aizoo debeantur,capiti de Portulaca siluestri inserta fuerint, quæ omnia expungenda veniant.

Caput de Portulaca silv. videtur superfluum.

Matthiolus integrum ex Dioscoride caput de Andrachne agria demit, licèt Portulacæ siluestris genus hoc depingat. Et certè in iis exemplarib.quæ Coloniæ All.I. Stoer excudit, cum comm.Marcelli Virgilii, vnius tantùm generis Portulaca describitur, sicut & Ruelliana habent exemplaria.

Videtur deprauatum.

Quod itaque ad siluestris Portulacæ appellationes attinet, variant exemplaria Dioscoridis. Et optandum sanè esset,vt suo loco quæque plâta,in Veterum scriptis collocaretur, quod si fieret,maiori cû fructu illa legeremus, inquit Tragus. Sed ea semper fuit sciolorum in deprauandis optimorum autorum scriptis peruersitas, vt cùm aliquid minùs intelligerent, statim immutato ordine pro libito transponerent, aut omninò expungerent, substitutis in locum adulterinis sententiis,quo factum est, vt vetusta & emêdata exemplaria prorsus perierint, relictis nouis & deprauatis, quibus, si rem diligenter consideres, quod alibi deest, alio loco superfluum inueniatur.Id cùm in aliis multis capitibus Dioscoridis contigerit,tum verò in descriptione Portulacæ haud obscurè videre est. Nam Adrachnen duorum generum esse ait, hortensem & agrestem, sicuti rei veritas sese habet.Rursus sub descriptione Sedi minoris, tertium illud genus, Portulacam agrestem esse, & Illecebram, ac Telephion dici tradit. Præterea Telephio proprium dicatum est caput,quo loco Portulacæ agrestis seu Illecebræ iterum facta est mentio. Quis ergo non videt,in his mendosis exemplaribus, omnia esse confusa, nihilque vel suis propriis nominibus appellatum, vel suis locis dispositum? Sed cui adscribemus hæc, nisi temporis, quo omnia & variantur & abolentur, iniquitati, & herbariorum ac medicorum imperitiæ & negligentiæ?

Synonyma

C.Bauh. pin. Portulaca 2. siue angustifolia, vel siluestris,vt Trago, Matth. Anguill. Fuchs. Dod. Lob. Obs.p.210. Icon.p 388.Hist.Lugd. Cast. & Gerardo: Portulaca aruensis Tabern. Portulaca spontè nascens Cordo hist. Portulaca angustiorib. foliis Cæsalpin. Cepæa Cordo in Dioic.Lon.descr.

Portulaca exigua siue aruensis Camerario.

Descript.

Herbula nô ab aliis,vt autor perhibet, demonstrata,pinguis,sublutea,*coliculis* incuruis aliquâtulùm procumbentibus. *foliis* minutis, Portulacæ syluestris, pallidioribus tamen,semper geminis: nigro *semine* in vasculis paruis, Portulacæ similibus,sed quæ longioribus Pediculis, & gracilibus,nituntur,& maturè incipiunt hiare antequam *semen* plenè perficiatur. Sapor illi nullus qui notari queat, præterquàm herbaceus, vt in Alsine.

Synon.

Camer. Portulaca exigua siue Andrachnion aruense. C.Bauhin.pin. Portulaca 3. siue exigua Camerarii.

Primo Vere in agris frumentariis frequens est circa Lypsiam ante Cremensem portam.

PORTVLACA HORTENsis latifolia.



SImplice fertè est *radice*, progressu temporis lignescente, cui fibræ paucæ appensæ: *caules* plures emittit pedali longitudine, non rarò breuiores, teretes, subrubentes: folia incondita, succulenta, ex angusto principio, quo cauli adnascuntur, sensim dilatantur, sapore subacido: inter quæ oriuntur *flosculi* lutei,stellati,apicibus concoloribus: hisce succedunt pericarpia rotunda,*semen* continentia pusillum,pullum.

Portulaca quamuis græca ἀνδράχνης voce exprima-

primatur tamen ἀνδράχνην dicendam potiùs contendit Lobelius, quòd teneritudine quadam læta & carnosa in exortu luxuriet, ramulíque ac folia albicent, quadam spumosâ fuligine. siue tenui quapiâ aspergine cinereâ, & aura spumeâ, quam ἀχνὴν dicit, additque non adstringere, sed refrigerare, legendum esse apud Dioscoridem, idque noscitur eum, qui attentiùs caput de Portulaca à carcere ad calcem lustraturus sit: hanc enim illius primam & summam esse facultatem. Facilem autem esse lapsum, rerum ignarorum amanuensium, typographorúmque, græcè producentium, legentiúmque, στυπτικὴν ἔχει δύναμιν, pro ψυκτικὴν. *Lapsus in Dioscorid.*

Synon. Turnero dicitur Portulaca, vt & Cordo in Dioscor. satiua Anguill. (ἀνδράχνη in Græcia) Cordo hist. Dodon. gall. Histor. Lugd. & Eyst. Portulaca hortensis Brunfelf. descript. Trago, Fuchs. & Dodonæo. gall. Portulaca domestica Matth. Lob. in Obs. p. 210. Icon. p. 388. Cast. Tab. & Gerardo. Portulaca maior Camer. hortensis Gesn. hort. Portulaca latioribus foliis Cęsalpino.

Locus & Tempus. In hortis ac eorum areis subactis ac stercoratis commodè seritur Martio aut Aprili: Iunio verò ac deinde in Autumnum vsque viget ac viret: Solum desiderat lętum, pingue, non aridum.

Vim habet, vt author est Dioscorides, adstrictoriam (στυπτικὴν: ψυκτικὴν refrigeratoriam, *Vires & vsus.* Lob.) Imposita cum polenta capitis doloribus, ac tum oculorum, tum cęteris quoque inflāmationibus: itemque stomachi ardoribus, & erysipelatis, ac vesicę denique cruciatibus auxilio est. Pro cibo verò sumpta, dentium stuporem & stomachi ac intestinorum ęstuationem, fluxionemque demulcet. Erosione tentatos renes & vesicam adiuuat, ac veneris impetus exolait. Simili effectu prodest eius succus epotus, etiam in febribus efficax. Valet & diu multumque cocta, contra teretes lumbricos, cruentam excreationē, ac dysenteriam: itemque ad hæmorrhoides, & sanguinis eruptiones, nec non & aduersus sepis (σηπὸς) morsus. Sed & oculorum medicamentis vtiliter admiscetur, ac intestinis fluxione laborātibus, erosisue vuluis infunditur. Quin & ad capitis dolores ab æstu obortos cum rosaceo aut simplici oleo irrigatur. Erumpentes quoque, in capite papulas cum vino exterit. Vulneribus denique, quæ ad siderationem spectant, cum polenta imponitur.

Ex Plinio. Ex Plinio memorabiles Portulacę vsus perhibentur: Sagittarum venena & serpentium hæmorrhoidum & presterum restinguit pro cibo sumpta, & plagis imposita extrahit. Item Hyoscyamo poto, è passoque expresso succo. Cùm ipsa non est, semē eius simili effectu prodest. Resistit & aquarum vitiis, capitis dolori, vlceribusque in vino tusa & imposita. Reliqua vlcera cum melle commanducata sanat. Sic & infantium cerebro imponitur, vmbilicoque prociduo, In epiphoris verò omnium fronti, temporibusq; cum polenta. Sed ipsis oculis è lacte & melle. Eadem si procidant, prodest, foliis tritis cum corticibus Fabæ. Pustulis cum polenta & sale, & aceto, ac cerâ. Et vlcera oris, tumoremque gingiuarum commanducata cruda sedat. Item dentium dolores. Tonsillarum vlcera succus decoctæ. Mobiles dentes stabilit commanducata. Cruditates sedat, vocemque firmat, & sitim arcet. Ceruicis dolores cum galla & Lini semine pari mensurâ sedat. Mammarum vitia cū melle, aut cimolia creta. Salutaris & suspiriosis, semine cum melle hausto. Stomachum in acetariis sumpta corroborat. Ardentibus febribus imponitur cum polenta. Et aliàs manducata refrigerat etiam intestina. Vomitiones sistit. Dysenteriæ & vomicis datur ex aceto, vel bibitur cum Cumino. Tenesmis autem cocta, & comitialibus cibo vel potu prodest. Purgationibus mulierum acetabuli mensura in sapa. Podagris calidis cum sale illita, & sacro igni. Succus eius potus renes iuuat, & vesicas. Ventris animalia pellit. Ad vulnerum dolores ex oleo cum polēta imponitur. Neruorum duritias emollit. Venerem inhibet, venerisque somnia. Prætorii viri pater est Hispaniæ princeps, quem scio propter impatibiles vuæ morbos, radicem eius filo suspensam è collo gerere præterquam in balneis, & ita liberatum incommodo omni. Quin etiam inueni apud autores caput inde litum destillationem toto anno non sentire. Oculos tamen hebetare putatur.

Portulacā quidā vt cibo vtuntur, inquit Gal. 2. alim. sed imbecille præstat alimentum, idque frigidum humidum & glutinosum. Vt medicamentum autem dentium stupori medetur, ob lētorem suum morsus expertem. Et rursus lib. 6. simpl. Portulaca frigida & aquea temperamento est, paucæ cuiusdam particeps austeritatis. Proinde fluxiones repellit, & maximè biliosas & calidas, cum eo quod eas mutet, & alteret, magnopere refrigerans. Et fuerit sanè in refrigerandi quidem facultate tertii excessûs: à temperatis, in humectando verò secundi. Hâc ratione æstuantes, vt si quid aliud, adiuuat tum ventris osculo imposita, tum totis hypochondriis, maximè in febribus hecticis. Præterea stuporem dentium sanat, nempe qui ab acidorum contactu asperè exsiccati fuerant, leniens atque replens, vtpote quum viscosam habeat humiditatem. Similiter verò & succus eius. Itaque non foris modò impositus, sed epotus quoque refrigerat. Hoc sanè & toti herbę comesæ accidit. Quoniam autem restringit, vtiliter in dysenteriis editur, & muliebri profluuio, & sanguinis reiectionibus. Sed ad hæc quidem multò est, quàm herba, succus ipsius efficacior. In his cur dētium torporem discutiat Portulaca, causam reddit Galenus. Alexander tamen Aphrodiseus hoc Portulacæ munus cæcis rerum facultatibus, & abditis causis acceptum retulit. *Galenus.* *Stupor dentium.* *Dysenteria*

Cæterùm, Vallembertus infantibus laborantibus crustis faciei particulatim interdicit Portulacam nutricibus, propter proprietatem occultam, huic morbo nocuam, si internè sumatur, licet externè applicata vtilis sit.

CEPÆA.

Cap. II.

Spargit per terram *folia* succulenta, Portulacę similia, minora, subrotūda, alia per *caules* cubito proceriores, ramosos, ex oblongo per extremum rotunda: *flores* in caulibus à medio, summo tenus ex vncialibus pediculis plures congesti, suis tamen petiolis minoribus nixi, parui, albicantes: *radix* obliqua, gracilis, breuis, multis fibris capillata. *Descript.*

Matthiol. veram & legitimam Cepæam sibi

cognitam asseuerat: nec tamen vllam notam addit, vel figuræ, vel naturæ, nedum locorum, quæ nos certiores faciat, illum ad amussim Cepæam exploratam habuisse.



Color florum ex purpureo candicantium, vel luteorum, mihi dubium mouet, an Cæsalp. l.15.ca.23. nostram Cepeam intelligat. Sed video id adserere C.Bauhinum, quare ei fides habenda erit.

Synon. Græcis vt Dioscor. dicitur, κηπαία: Latinis, vt Plinio lib.26. c.8. Matthiol. Anguill. Lon. [quoad iconem C.Bauhin.] Lob. in Adu.& Obs. p.14. ac Ic. pag.393. Cast. Cæs. Tabern. Clus. hist.& C.Bauh. pin. *Cepæa*. Germ. *Cepeenkraut, Vuelsch harnkraut*, Tabern.

Locus & Tempus. Obseruaui Cepæam variis in hortis virentem Nouembri, repositamque Ianuario, ac Æstate florentem. Occurrit inter Valentiam & Lugdunum, *au bois de la bonne Alemande*: Geneuæ extra portam S.Geruasii. Author est Plinius Cepæam Portulacæ similem, nigriore radice, sed inutili, in litoribus arenosis nasci.

Vires & vsus. Cepææ Dioscorideæ folia pota cum vino vrinę stillicidio & scabiosæ vesicæ (vesicæ malis, Plin. nec plura) auxiliantur. Maximè tamen hoc faciunt, si cum asparagi myacanthini appellati radicum decocto bibantur. Paulus radicem cum Myacanthino asparago potam vrinæ stillicidiis ex obturatione obortis prodesse scripsit.

SEDVM ECHINATVM, vel stellatum flore albo.

CAP. III.

Descriptio. Ex *radice* breui, multis fibris capillata, *caulis* vnus, vel plures prodeũt spithamęi, pingues, supini, teretes, sæpe simplices, aliàs in duas alas diuisi, non tamen facilè fragiles: *folia* Portulacæ, subacida, carnosa & succulenta, coloris viridis, extremâ orâ, quæ latior etiam est, serrata, saporis Sedi maioris vulgaris: folia inferiora caulibus excrescentibus exsiccantur & corrugantur: caulibus ex certis interuallis ad latus adnascuntur *flores* stellati, Sedi, quinquepartiti, albi, apicibus purpurascentibus, quinque foliis acuminatis, teretibus, viridantibus, totum florem obuallantibus: *capsulę* stellatæ succedunt ex radiis quinque plurimùm, rarius sex, compressis, *semen* continentes, minutum, Aizoi vulgaris.

Aizoum peregrinum Cam. Camerario hort. qui Aizoum peregrinum vocat, Cæpæ non ineptè adscribi posse visum fuit. Quidam Lunariam appellant.

Duæ (Cepææ sc.) sunt Cæsalpino in parietib. opacis nascentes, vix excedentes quatuor digitos foliis latitudine vnguis, modicè angulosis: quæ Alteri quidem prope radicem densa sunt, vt in Semperuiuo: Alteri autem rara, quæ & ramosior est: flosculi candicantes: radix tenuis: fructus stellatus. Quidam Vmbilici speciem putãt: Dioscorides herbã Paronychiam appellat. Ego contra Cæsalpinum non duas, sed vnam constituo, ætate quidem differentem.



Semperuiũ tertium. Columnæ. Fab. Columnę Semperuiuũ tertium Dioscoridis & Plinii.

Synon. C.B. phyt. dicitur Sedum 25. siue flore stellato, & Telephiũ Imperati Cam. hort. C.B. not. *Ego* Telephium Imperati non noui, quod sciam, saltem sub eo nomine. Verùm non possum mihi persuadere Camerarium descripsisse nomine Thelephii eam plantam, quam pro Aizoo peregrino descripsit & depinxit iconum libro nº.2. Quis in tam excellenti Botanico putet memoriam ita labilem circa plantas sui horti: mihi longè alia stirps est.

Cepa altera. Fœl. Platerus in cuius horto primùm à me visa, vocabat Cepæam alteram, non obstantibus nonnullis, qui Tragium nominandum putarunt.

Locus & Tempus. Montbelgardi in horto E.C. quotannis spontè pullulat, virens Hieme, vigens Iunio, Iulioque florens.

SEDVM ECHINATVM flore luteo.



Descriptio. Simile iam dicto, sed minus, quod spontè ortum vidit Columna in pariete vetere ædis D Antonii extra vrbem, postea multis locis humentibus: toto habitu est similis superiori, *foliis* tamen variat non sinuatis, magis ad Portulacæ folia accedentibus, sed minoribus: *flores* item non albos, sed luteos promit, eodémque tempore perficitur: gustu etiam simili.

Vires. Nec dubium est, inquit Columna, quin idem specie & viribus sit Semperuiuum hoc tertium Dioscoridis flore luteo, cum Semperuiuo eiusdem tertio flore albo.

ANACAM-

ANACAMPSEROS, VVLGO Faba crassa.

CAP. IV.

Descriptio

PEdalis & altior est Anacampseros, *caulibus* rectis, teretibus, quibus perquàm crebra adnascuntur *folia*, surrecta, succulenta, Portulacæ foliis longiora, colore glauco, rubedine aliqua subinde perfuso, crenata, aliàs integra: *flores* in vmbellas digesti, albi, quorum singuli quinque foliis constant: *radix* subest tuberculis glandulosis strumosa: nullo v.nec sapore, nec odore excellit.



Euch. Roess. damnatur.

Per Fabam inuersam, *Gevuandt bonen*, herbâ latis foliis, ad Halicacabi folia accedentibus, existimamus Eucharium Roesl. Anacampserotem intellexisse, cuius iconé habet p.207. sub titulo *Maurpfepffer*, Vermicularis & Crassulæ. Ibi tamen nulla descriptio conueniens. Fabulosum etiam est quod dicit ferre Fabas inuersas: id enim desumpsit ex nomine.

Faba inuersa.

Faba autem inuersa dicta est, quia radix ima innumeris tuberibus scatet, quæ Fabarum implent magnitudinem.

Dorst. reprob.

A Dorsthenio inter vulnerarias numeratur, dicitúrque esse Telephion Dioscoridis, argumẽto à pictura & viribus petito. Verùm ab eo & ineptè describitur, & pro ea importunè, Orchidis maris maioris icon proponitur, quæ in Botan. hæredum Egenolphi pag.297. exprimitur.

Telephium.

Pro Telephio hanc videtur quoque admittere Lobel. in Adu. Quin & Fuchsius Anacampserotem ad Dioscoridis caput de Telephio reducit, esseque perhibet (nominus Bellonium & Solenandrum) qui Acetabulum alterum esse putent, quorum sententiam non admodum obscuram esse iudicat. Mirum autem eum credere, Illecebram Romanis dictam propriè huic plantæ conuenire. Alii inter spuria Telephii hanc vocem delent.

Scrophularia Trago.

Porrò an sit Telephium hæret Tragus, dicẽs: Quod illi in Dioscoride sit nomen, Herbarii nihildum exposuerunt certi. Nam alius Scrophulariam, alius Fabam grossam, alius Portulacam maiorem, alius postremò Semperuiuum nominant: Quod ad me attinet subscribo opinionibus duabus postremis. Nam si respicias formam, Portulaca maior non ineptè dicetur: rursus si perpetuitatem eius consideres quid obstat quominùs ἀείζωον vocetur? Et videtur mihi omninò esse Aizoon, quod Dioscorides Chrysocomẽ appellat. Et quamuis nomina quæ eo loco adfert Dioscorides, non satis ad præsentẽ herbam quadrent, non tamen de nominibus semper sollicitos esse oportet, vbi de re ipsa constat. Multi propter radicis formam ad Satyria pertinere arbitrantur. Sed si totam eius substantiam perspicias, rectiùs ad Portulacam, Sedũ maius & minus referes. Sin verò Telephium fuerit, vt multi arbitrantur, certè id est, quod à Diosc. Portulaca agrestis dicitur. Trago verò nunquam subscripserit Cronemburgius, quod Telephiũ illud *hymel schluten* vocatum Dioscoridis Chrysocomen crediderit: ac eos minùs verè sentire scribit, qui Sedi genus alterum, ac Semperuiuum minus, Fabam hanc crassam & inuersam arbitrãtur, cùm potiùs hoc nomine Telephiũ hoc, Cœli clauis dictum, intelligendum veniat.

Tragi opinio reiecta.

Cali clauis Cronemb.

Cronemburgii sententiam respuit Amatus asserens lib.4. cap.91. Fabam crassam, Sedum minus Dioscoridis esse. Idem lib.2. cap.183. negat Crassulam maiorem Telephium esse. Cuius opinionis quoque est Rob. Constantinus.

Sedum minus Diosc.

Anacampseros pingitur à Matthiolo nomine Fabariæ, meritóque negatur esse Telephium his verbis. Quanquam non desunt, qui existiment Telephium esse Fabariam: cùm tamen nulla reperiatur qualitate prædita, quâ abstersoriæ, siccantisque facultatis particeps dici possit, vt Galenus Telephium esse testatur, foliàque proferat Portulacæ longè maiora, eorum sanè sententiæ planè adstipulari non ausim: tametsi ea compluribus notis Telephium referre videatur. Velim tamen in his, vt in aliis quoque dubiis plantis, suum cuique esse iudicium. Lib. verò 3. cap. de Teucrio, quosdam producit, qui Teucrium alterum Plinii esse contendant.

Fabaria. Matth. Falso Telephium.

Dicitur Scrophularia Trago: Scrophularia media vel tertia Brunfelf. tom.1. chapf.37. Herba crassula, Cordo disp. Crassula maior, Amato, Cæs. Thal. & Dod. gall. Crassula siue Faba inuersa Gerardo: Faba inuersa Ioub. dec.1. par. 2. Faba inuersa, siue Crassula Gesn. hort. Lob. in Adu. & Icon. p.389. Fabaria Beron. hær. Egen. p.74. Matthiol. Guil. &. H. Lugd. Acetabulum alterum Cordo in Diosc. Acet. alterũ album Fuchs. Sedum minus Amato. Sedi genus alterum, & Semperuiuum minus, Cronemburgio. Telephium Matthiolo, Gesn. hort. Lob. Obs. pag.211. Tabern. Cast. & Camer. Telephium album Fuchs. Telephium alterum, siue Crassula Dod. lat. Telephium 1. siue vulgare C. Bauh. pin. Telephium vulgare siue secundum, Clus. hist. Cotiledon alterum Dioscoridis, Columnæ: Vmbilici veneris species Bell.

Synonyma.

Alii, vt annotat C. Bauhin. pin. foliis crenatis & subrotundis, vt Basileæ prouenit, pingunt: alii oblongis & integris, vt Lob. Dod. & Clusius. Flore est communiter albo, est & luteo: reperitur etiam flore purpurascente, & foliis rarioribus, estque Telephium 3. purpurascente flore, Clus. hist. Huc referendum id quod solo folio glauco, cæruleóue à vulgato differt, quod Telephium glaucum verius, Lob. Obs.

Varietas.

Cùm autem aduersus hernias hæc herba vsurpetur, ideò Germ. *Bruchuurtz* appellata est & *knabenkraut*. Sortita est & alia nomina, nam à sanandi facultate, *vundtkraut*: & à forma radicum, *zumpenkraut*, *fotzzvuein*, & *fotzzvuang* & à similitudine foliorum, *Bonenblatt* cognominatur. Dicitur etiam *Fettehenne*, *Donnerbonen*, & à superstitione, Herba S. Iohannis. *S. Iohans kraut*. Inter omnes plantas, inquit Tragus, vix alia reperitur, quæ diutiùs vireat, & ab interitu vindicetur, hac ipsa nostra Scrophularia, qua de causa nonnulli, præsertim Medioma-

Nomina linguar.

trices in vigilia D. Ioannis illa ad superstitiones suas, vti & Artemisia vtūtur. Nam quamprimùm ea dies transierit, suspendunt hanc herbam in conclauibus suis, alii etiam parietibus imponūt, & supra ianuas collocant, quibus in locis longo tempore viret, & continuò repullulascit, ita vt circa festum Natiuitatis virentem eam reperias. Hoc verò illi faciunt, eâ spe & fiduciâ persuasi, qua credunt illi homini qui herbam suspēderit, nullam lethalem ægritudinē accidere posse, tantisper dum illa incolumis sit & vigeat. Sed relictis his superstitionibus, ad propositum redeamus. Belgæ vocant *vvondecruyt*, & *Smeruvortele*. Gallis *Reprise*, *Ioubarbe des vignes*, *Feue espesse*, quibusdam *Grassete*, aliis *Orpin*, aliis denique *Chicotrin* dicitur. It. & Hispan. *Faba grassa*: Angl. *Orpyne*, Nomencl. pann. *Suly fiu*.

Locus & Tempus. Nascitur sine vllo negotio, & præcipuè locis vmbrosis. appetente Maio mense caules emittit, qui Iulio & Augusto flores proferunt.

ANACAMPSEROS PVRPVREA.



Descript. PAri cum alba magnitudine *caulem* habet ex *radice* strumosa, rectū & rigidum: *foliorum* dispositio eadem quæ in hoc, angustiora, longiora, dilutioreque virore tincta, perinde denticulis quibusdam per ambitum incisa: *flores* surculis insident vmbellati, non dictæ Anacampserotis, sed rubentes, quo etiam colore sunt stamina media & apices.

Synon. Est hæc Scrophularia seu Portulaca maior, Tragi: Fuchs. & H. Lugd. Telephium purpurascens: Lob. in Ic. pagin. 389. H. Lugd. Cam. ep. Tab. & Ger. Telephium floribus purpureis: Clus. hist. Telephium 5. purpureo flore: Fuchs. ic. Acetabulum purpureum alterum: Lon. Fabaria: Cæs. Crassula montana: Columnæ par. 2. Rapuncium vmbellatum: C. Bauhin. pin. Telephium 2. siue purpureum maius. *Hoc*, inquit,

Varietas foliis est longioribus & profundiùs crenatis: napis aliquando paucioribus, aliquando pluribus, quod posterius, Telephium quartum est Clusii in hist.

Telephium purpureum minus C. Bauh.

C. B. desc. A *radice* nodosa, & aliquot veluti minimis napis constante, multisque fibris prædita, *cauliculum* vnum vel alterum rotundum, semi-palmarem, fragilem ac succulentum promit: quem *folia* crassiuscula, succulenta, parua, in ambitu crenata, sine ordine ambiunt: *flosculi* quinque folii, purpurei, velut vmbellæ insident: quibus *capitula* pentagona, minutissimum *semen* scobis instar continentia, succedunt.

Locus & Tempus. In editissimo monte Brigoiæ, *Belchen* dicto, locis humidis Iulio florens, collegit author, quod in pin. tertio loco recenset.

ANACAMPSEROS MAXIMA.



Descriptio Habet duos, tres, pluresue *caules* ex radice prodeuntes, cubitales succulentos, in latus se inclinantes, in quibus ordinata sunt *folia*, hoc e. ex interuallis bina, semper aduersis pediculis nascentia, crassa, succi plena, vt in Crassula maiore, sed maiora, & magis carnosa: *flos* in extremis ramis quasi vmbellatim nascitur, quemadmodum in Crassula maiore, pallidus: *radices* illi plurimæ, glandulosæ, Crassulæ vulgari similes: sic describit Clusius, addens, ambigi an ad Telephium hæc planta sit referenda nec ne.

Synon. C. Bauhin. pin. Telephium 4. siue latifolium peregrinum: Teleph. Hispanicum Clus. hisp. H. Lugd. & Tabern. Telephium 1. Dodon. 1. siue Hispanicum Clus. hist. Telephium seu Crassula maior Hispanica Lob. Obs. 212. Ic. Plant. pag. 390. & Gerardo. Floribus est albis atque etiam rubris.

Locus Huic omninò simile, modò idem non sit, ad Austriacarum Stiriacarúmque Alpium radices locis vmbrosis sponte nascens inueniebat Clus.

Lutetiæ apud Robinum hortulanum Regium, & Florentiæ in cœnobio à *Innocenti* vidi.

ANACAMPSEROS MINOR rotundiore folio semper virens.



Descript. INter Anacampserota vulgò notum, & hanc speciē hoc interest discriminis, quod non tātùm minor hęc, sed & *radices* fibrosæ Sedi vermicularis, non tuberosæ: *foliorum* series non minùs stipata: verùm ea, excepto colore glauco, ad Portulacæ *folia* quàm proximè accedūt, magni

magnitudine & circinata ferè rotunditate: suntque admodũ caduca, sic vt sæpè maior pars caulis, vbi exciderint, foliis vidua conspiciatur, relictis interim vbique foliorum, vbi exciderint, vestigiis: *caules* graciles, teretes, nonnihil rubẽtes, per terram repunt, dodrantem longi: *flores* in vmbella Anacampserotis vulgaris, quorum singuli quinque foliolis ex albedine in purpuram vergentibus constant: *apices* verò sunt lutei: in medio autem flore coëunt quinque veluti alabastra mucronata.

Synon. Telephium minus repens semper virens, Lob. Obs. p.212. & Icon.390. Hist. Lugd. & Camer. Telephium semper virens Gerardo: Telephium minus Tabern. Telephium 3. Dod. sextum, Clus. hist. fortè Dioscoridis; Eid. Cepæa Pancii, & Camerario: Telephium 4. siue minus repens, C. Bauh. phyt. Eid. pin. Telephium 5. siue repens folio deciduo.

Locus & Tempus. Tota Hieme viret: facilè se propagat: rarius est, & hortis apud Belgas & alibi familiare.

Vires. Scropularia [vt Tragus vocat] maximè quod ad folia pertinet, humidæ & frigidæ est temperaturæ: radix verò fermè est calidæ qualitatis, poteitque hæc planta vtrinque vulneratis adhiberi.

Aqua vulneraria. Aqua verò ex herba & foliis distillata & pota, non leuis est medicina ad rupta & conuulsa, ac vulnera etiam, & vlcera interna, nec non erosiones stomachi, pulmonis, hepatis, matricis, & intestinorum: his omnibus vitiis medetur ista aqua, per aliquot dies continuò bibita: est autem

Dysenteria erosiones. illa aqua præstantissima medendis erosionibus intestinorum, quæ ex dysēteria accidere consueuerunt: radix cum melle in vino cocta & pota, iisdē pollet facultatibus: herba ipsa glutinat & sanat omnis generis vulnera, præsertim verò hernias: eadē tusa & imposita sanguinē è vulneribus manantē sistit: magnaq; dolores sedādi facultate præstat, idque tam in recentibus vulneribus, quam inueteratis ac sordidis vlceribus efficiunt tusa folia & imposita.

RHODIA RADIX.

CAP. V.

Descriptio



TVberosa *radice* nititur, quā à rosarũ cõsimili odore, saporeq; Rhodiam appellant, foris in fusco splēdente, intus albâ, fragili, roseum odorem halante, gustu Rosis simili, non ignauiter adstringente: virgæ ab vna radice plures oriuntur tenues, numeroso foliorũ agmine densè stipatæ, substantia & positu Telephii vulgò dicti, angustorum, oblongorum, acuminatorum & circumquaque serratorum, colore glauco, excepto mucrone purpurascente, sapore adstringēte: *flores* in vmbella gerit, quibus succedunt *siliquæ* oblongæ extrà reflexæ, corniculorum Aquilegii, aut Aconiti instar, rubentes, in quibus *semen* minutum, oblongum & paleaceum.

Rhodia autem siue rosea radix dicitur, quoniam vti insinuatum, contrita rosas redoleat, & non à Rhodo insula, vt Fuchsio monente, imperiti putant: Gall. *Racine sentant la rose*: Germ. *Rosenwurtz*: Belg. *Rosen wortelen*: Italis *Rhodia radice*: Hispan. *Rayz rodia*: Boh. *Ruozowy koren*: Græc. ῥοδία ῥίζα, vt Dioscorid. & Galeno. Nom.ling.

Flore & semine carere dixit Fuchsius, id quod Galenus etiam asserit, ast contra rei veritatem. Cordo protulit flores & semina maiori Crassulæ similia. Flos quidem nunc palescentis, nunc rubescentis coloris est.

Rhodia radix dicitur Trago. Matth. Anguill. Cord. in Diosc. (vbi & Rhodias & Rosaria radix) & histor. Gesner. hort. Lac. Clus. pann. Hist. Lugd. pag.981. Cast. Cam. & Gerardo, ac C. Bauch. phyt. & pin: Rhodia, siue Rosea radix, Fuchs. Lobel. in Adu. & Obseru. p.212. itemque Icon. p.591. Rosea radix Lon. & Tab. hist. & Icon. Synonyma

Dioscoridi nascitur in Macedonia: Matthiol. in altiss. montium rupibus saxosis, præruptisque locis, vbi vix tantùm terræ circum habet, vt illi inhærere possit: Nasci copiosè in Alpibus circa Saltzburgum Cordus refert. Pennæus monuit Camerarium in altis Angliæ montibus copiosam semper prouenire. Ex Allobrogum & Delphinatium saxosis, montosis, nec nō Taurinis alpibus, translata in viretis multis Belgicis, Gallicis, Anglicis & Italicis Iulio & Iunio vmbellas edit, referente Lobelio. Partes radicis resectæ iterumque plantatæ facilè crescunt. Nolunt autem nimis profundè terra obrui, sed ita vt gemmæ turgentes prope superficiem collocentur. Locus. Tempus.

Vtilem esse dixit Dioscorides in capitis dolore: si cum modico rosaceo trita imponatur, & frons & tempora ex ea irrigentur. Galeno est tenuium partium, & discutientis facultatis. In calefaciendo verò secundi recessûs esse censet, aut certè tertii incipientis. Valere scribit Matthiolus ad capitis dolores à quacunq; causa prouenientes, si recens confracta, & rosaceâ aquâ perfusa, vbi calidus est affectus, aut aqua Amaraci, si frigidus sit morbus, fronti temporibus illinatur: Adhæc cerebrum roborare odoris iucunditate, vtpote quæ temperatis sit qualitatibus prædita. Dodonæo tamen refrigerans, & Rosis odore & temperaturâ affinis videtur, & aduersus capitis ex solùm calida causa dolores efficax esse posse. Galenus, inquit Cordus, tantùm digerendo capitis dolores pellere credidit, cùm tamen id partim propter aliquam partium tenuitatem faciat. Constat enim ex contrariis qualitatibus, humida ac calida, terrea & frigida, quemadmodum ipsæ etiam Rosæ. Nos iudicamus nonprocul abesse à Rosæ aut Crassulæ temperamento, quamuis Galenus, eumque secuti, secundi caloris gradu eam donarint. Vires.

COTYLEDON VERA, RADICE tuberosâ.

CAP. VI.

EX *radice* tuberosa exiguis fibris donata *pediculi* exeunt palmares in medium peltati circina

tique, folii crassi succulenti, glauci, in vmbonê infertı, saporis viscidi & aquei: indidémque adeò *caules* prodeunt duo aut tres dodrantales aut altiores, aliàs simplices, aliàs ramosi, ab imo ferè ad summum vsque confertis *floribus* oblongis, herbacei, comosi, floribus Polygonati concauis, minoribus tamen: *semen* exiguum, Portulacæ simile.

Syzon. Græcis, vt Diosc. & Galeno hæc plāta Cotyledon [κοτυληδών] dicitur, ab aliquib. Scytalium (σκυτάλιον:) ab aliis Cymbalium (κυμβάλιον:) Latinis, vt Matthiol. (cui & Acetabulum) Lac. Turn. Cæs. Cast. H. Lugd. Tabern. & Gerardo, *Vmbilicus veneris*: Vmbilicus veneris maior Camer. in epit. Matth. Vmbilici veneris species 1. Anguill. Cotyledon Lobel. in Adu. & Obs. pag. 209. Cotyledon verus Cordo in Obs. silua. Cotyledon vera Dod. gall. Cotyledon 1. Dod. lat. Cotyledon 1. siue maior C. Bauhin. apud Matth. in phyt. & pin. Cotyledon, Vmbilicus veneris, Clus. hisp. & hist. Cotyledon, Acetabulum, Vmbilicus veneris, & Cymbalion maius, Lonic. Cotyledon minus montanum Sedi folio, Lobel. in Ic. Plant. p 386. quo ad figuram: titulus alterius est plantæ, quam primo loco posuit sub Vmbilici veneris titulo. Herba coxendicum, Plinio: Scatum cœli, Scatellum, & Scatuncellus, Manlio in Luminari maiori, referente Dodonæo, qui & hæc nomina inter nothas appellationes extare refert, κῆπος ἀφροδίτης, i. e. Hortus veneris: γῆς ὀμφαλός, Terræ vmbilicus, σίλχις, στεργηθρον.

Nomina linguar. Germ. *Nabelkraut*, *Groß Nabelkraut*: Belgic. *Nauelcruyt*: Gallis, Latinos sequentibus, *Nombril de Venus*: item *Escudes & Escuelles*: Ital. *Vmbilico di venere & Copertoiole*: nunc etiam Orbanti in Apulia Cotili à Cotyledone voce corrupta: in Abruzzo & Tuscana, *Cimbalaria*: in Græcia *Carichachi*. Anguill. Hisp. *Capadella*, *Scudetes & Orelas de monte*: Salmaticensium vulgò *Vasillos*, i. e. acetabula aut vascula, à caua folii capacitate acetabulum referente: Lusit. *Cocibelos*:

Locus & Tempus. Nascitur frequens in saxis & vetustis ædificiorum parietibus, & in oppidorum mœnibus: in locis calidis in fine Autumni oriri incipit, foliáque per Hiemem seruat: Aprili & Maio floret, & tūc folia marcescunt.

Vires & vsus. De Cotyledonis viribus hæc scribit Dioscorides: Succus eius cum vino circumlitus, instillatúsue, coniecta genitalia nudat, inflammationib. sacris ignibus, strumis, pernionibus illitu auxiliatur: stomachi ardorem refrigerat: folia cum radice comesa calculos frangunt, vrinam cient, hydropicisque ex melle dantur: herba vtuntur ad amatoria. Mistæ est Galeno 7. simpl. facultatis, nempe humidæ subfrigidæ, & cuiusdā obscurè adstringentis, & cum ea leuiter amaræ: vnde refrigerat, repercutit, abstergit, & discutit: itaque phlegmonas erysipelatodeis, & erysipelata phlegmonode curat: & maximè stomachi ardore æstuantis admodum vtilis epiplasma: putantur folia cum radice manducata calculos cōfringere, & vrinam mouere.

COTYLEDON ALTERA OLIM Matthiolo.



Descriptio. COtyledō altera quicquid habet *foliorum*, id omne per terram spargit: sunt ea verò numerosa, *pediculis* vncialibus, latiusculis, vnde veluti ex ceruice incipiunt dilatari, vt tādem circumscriptione sit rotunda, pulchrè crenata, semuncialis magnitudinis, crassiuscula, & ne vel siccata quidem corrugari solita: *caulis* vnicus tenuis, septē vel octo digitorum altitudine, nudus plurimùm, rariùs vnā supra radicem vnciā foliis donatus, superiùs in aliquot tenues ramusculos diuisus, quorum extremis hærent *flosculi* parui.

Matt. sug. Vmbilicum Veneris alterum, Cymbalion quibusdam vocatum, se vidisse ait Matthiolus in Foro-Iuliensium ciuitate Austriæ, in hortulo quodam Medici Iuliani à Marostica: porrò in pluribus montibus saxis inhærentium. Indicat omnes prorsus huic conuenire notas, quæ alteri Vmbilico à Dioscoride tribuuntur. Proponit autem in comm. Ital. anno 1554. & 1559. excusis, & in Epit. iconem plātæ cuius nullam dat descriptionem, & quam in postr. comm. mutat: nec tamen causam mutationis indicat.

Dod. sent. Dod. gall. titulo Cotyledonis alterius figuram habet Matthiolinam: ipsam autem plantam ab eo non visam existimo: nec etiam eius descriptio alicuiuś momenti est. Eadem tradit lat. in fol.

Quin & Lonic. pro Vmbilico veneris minore figuram ex Matthiolo proponit: an autem descriptio bene conueniat, alii iudicent: mihi non placet.

Synon. C. Bauh. apud Matthiol. Cotyledon media foliis subrotundis: Vmbilicus veneris alter Matthioli in 1. edit. & iis quæ minores figuras habēt, Eid. phyt. Cotyledon 3. siue media foliis subrotūdis: Cotyledon altera Matthioli, Clusii. *Si quis* conferat iconem in Matthiolo per fratrem exhibitam cum ea quam Clusius proponit pro Matthioli Cotyledone, magnum comperiet discrimen.

C. B. sug. Eiusdem adhuc opinionis est in pin. vbi inquit: Cotyledon alter Matthiol. & Lac. Cotyledon altera Dod. Clus. pann. & H. Lugd. pag. 1312. Coty-

Cotyledon altera quarta, Clus. hist. Phyllum thelygonum Dalechampii, Hist. Lugd. siue Lichen 1. Plinii, & Semperuiuum montanum. *Nos Clusij* Cotyledonem alteram quartam, siue Matth. itemque Phyllum thelygonum Dalechampii, H. Lugd. p. 1195. referendum ducimus ad Sedum serratum, de quo infrà. *Gesnero* de Lunaris cognominatur Crassula.

Locus. Reperitur in montibus circa Comum & Gothardum; itemque in Styriæ alpibus.

CYMBALARIA FLOSCVLIS purpurascentibus.

Cap. VII.



Descrip. Ex parietum rimis aut apud nos vasculis fictilinis, pendulas fibras, exorat, tenues, purpurascentes, teretes, læues, longas, neruo, quem facile stringendo linquit cortex farctas, in varias variè fibrillas facescentes, per quas *folia* est cernere longis appensa pediculis, hederacea, angulosa, supernè atrouirentia, inferiùs Cyclamini modo purpurascentia, tenera, succulenta, obscuro quodam amarore prædita: ad exortum porrò pediculorum quibus hærent folia, tortiles surgunt alii pediculi, quibus *flores* singuli insident, Elatines aut Anthirrini minoris, purpurascentes, calcari breui, rictu pallido; succedit *capitulum* globosum, semina claudens parua, crispa.

Cotyl. nō est. Hæc quæ vulgò Cimbalaris appellatur, non est Cotyledon, etiamsi hoc etiam Cimbalion à Dioscoride vocetur, inquit Hermolaus in Dioscor. Est autem Cimbalaris herba folio anguloso, hederaceo, flore paruo, purpureo, in muris terræ nascens, quam nonnulli, genus alterum Capni dictæ faciunt. Est namque Capnos, siue Capnion, h.e. Fumus, duplex, &c. Plinio Pes Gallinaceus: Ætio verò Chelidonia phragmitis nuncupatur.

Apud Insubres officinas legitimæ Cotyledonis loco Cymbalariā hanc vulgò vocatam vsurpare, euidenti quidem errore, notat Matthiolus. Is in post. comm. Ital. pulchrè depingit & describit, flores tamen luteos ei tribuit [vt & in Epit. Camer.] quales obseruare non memini: ibi inuersam oportebat esse figuram.

Matth. not. Cimb. Ital. Lob. Cymbalariæ Italicæ folio hederaceo (vt vocat etiam in Obs. p. 337. & Icon. p. 615.) quam Venetiis & Patauii pharmacopœi penuriā & ignoratione Cotyledonis veri Populeo vnguento miscere testatur, flores ex luteo virentes, adscribit Lob. in Adu.

Vmb. offic. Quantùm iudicio Lonicerus per Vmbilicum veneris officinarum intelligit Cymbalariam: an autem bene appingat adscribatque radices Oliuarum, iudicare poterunt, qui plantam cum radice eruerunt. Lonic.

Cymbalariam autem à cymbalo nomen duxisse testatur C. Bauhinus, qui Hermolaum Capnon primam Plinii fecisse credidit.

Dicitur verò Cymbalaria Matthiol. Histor. Lugd. Cæs. Cast. & C. Bauh. Cymbalaria vulgaris, Lacunæ: Cymbalaria foliis hederaceis flore cæruleo, Eyst. Linariæ Hederæ folio, Column. Synon.

Nascitur, vti dictum, in antiquis vliginosisque ædificiorum parietibus, maceriis, & saxis. Locus.

Facultatis est humidæ frigidæque cum adstrictione quadam. Iis profectò hanc plantam pollere facultatibus, facto periculo constat, quibus primi generis Cotyledonem. Sunt qui eā vtantur ad alba vteri profluuia, eandem recentem in acetariis propinantes, teste Matthiolo. Vires.

SEDVM VETERIBVS ET neotericis in genere.

Cap. VIII.

Genera; Dioscor. Genera Sedi (ἀείζωον) Dioscorides tria fecit: maius, minus, & tertium, quod aliqui Andrachnem siluestrem (ἀνδράχνην ἀγρίαν) aliqui Telephium (τηλέφιον:) Romani Illecebram vocant, cuius facultates à prioribus duobus diuersæ traduntur. Huic enim vis excalfactoria adscribitur: illa duo refrigerare dicuntur, vt suo quolibet loco dēmonstrabitur.

Genera duo Plin. Aizoi. Plinio lib. 25. cap. 13. Aizoi duo genera sunt: *Maius*, quod aliqui Buphthalmon vocant, alii Zoophthalmon, alii Stergethron, quod amatoriis conueniat: alii Hypogeson, quoniam in subgrundiis ferè nascitur. Sunt qui Ambrosiam, à sempiterno eius virore; potiùs vocant, & qui Amerimnon. Itali, Sedum magnum, aut Oculum, aut Digitellum. *Alterum* minusculum, quod Erithales vocant, alii Trithales, quia ter floreat, alii Chrysothales, aliqui Isoëches: Sed alii Itali Sedum, alii Aizoum vtrumque, quoniam semper vireat: aliqui Semperuiuum. Huic similis quam Græci Andrachnen agriam vocant: Itali Illecebram: hactenus Plinius secutus Dioscoridem, à quo in eo rursum recedit, quòd omnium harum vim eandem, perfrigerare & adstringere scribit.

Galenus quoque duo duntaxat Aizoi genera esse dixit. Ac sanè Dioscorides & eum secutus Oribasius, Illecebram non esse, sed videri tantùm Aizoi speciem esse scripserunt, vt eam Aizois similitudinis & affinitatis gratia duntaxat subdidisse videantur.

Dalech. Ἀείζωον μέγα inquit Dalech. apud Hist. Lugd. Apuleius στέργηθρον, & ζωόφθαλμον vocant, Galli *grande Ioubarbe*: It. *semperuiuo maggiore*; Germ. *groszhauszwurtz*: intelligit autem Sedum vulgare maius quod potiùs minori Sedo Plinii respondet. Ἀείζωον μικρὸν (pergit Dalech.) Apuleio Erithales dicitur, Plinio vero Erisithales: Gallis *Trique-madame*, & *Petite Ioubarbe*: German. *klein hauszwurtz*, *klein donderbart*: Itali *Semperuiuo minore*, & *Pignola*, à folio tereti pineo. Ἀείζωον τρίτον, quidam ἀνδράχνην ἀγρίαν, i.e. Portulacam siluestrem, & Thelephium nominauerunt, Romani Illecebram, Arabes *Andrachahara*, *Alsebram*, & *Telasen*.

Herbarii plura assignarunt genera, & aliter distinxerunt. Fuchsius tria descripsit & depinxit: Primum maius Aizoon, deinde minus, quod duplex facit: alterum marem, quod floribus luteis spectatur: alterum fœminam, quod floribus candidis seu pallidis conspicitur, postremò Aizoon minimum, quod tertium Dioscoridis esse putat.

Quatuor Dod. Dodonæus quatuor genera constituit, maius, minus, & Crassulam minorem siue vermicularem officinarum, quarum tertium genus statuit: his quartum addens minimum, quod Portulaca agrestis, & Romanis Illecebra dicitur.

Sedi genera duo nota Matth. Matthiolus ex Sedi generibus, à Dioscoride descriptis duo nota esse ait, nimirum maius & minus: minoris duo esse genera: Vnum, de quo Dioscorides tractat, quod fœminam recentiores appellant: alterum marem: tertium diu incognitum tandem Ghini opera & industria veluti in lucem prodiisse. Quibus addit Aizoum arborescens, idque varium.

Horum omnium, ac etiam aliorum, vti & nostra de Aizoi generibus sententia, ex descriptionibus dilucidior reddetur.

Nomina linguar. Cæterùm, *ἀείζωον* Græci, *διὰ τὸ ἀειθαλὲς τῶν φύλλων*, quòd perpetuò folia vireant, tam Aestate sc. quàm Hyeme nec vllis frigoribus, aut cœli iniuria, quantumuis frigida aut sicca nimis, emoriatur: quare *ἀειζώου* nomen apud Theophrastum 1. hist. 16. Semperuiuam Gaza vertit, vt cui à natura datum sit, humidum, viridéque semper durare eodem authore 7. hist. 14. Semperuiuum & Sedum Latini vocant, Apuleius vitalem, Macer Acidulam, vulgus Iouis barbam. *Sedum*, inquit Festus, alii *Sædum* appellant, herbam quam Opilius Aurelius Sesuuium vocari ait, eamque in tegulis seri: forte, quòd nonnullis locis plebis animos inuaserit opinio, non feriri fulmine domum, in cuius tegulis Sedum vireat. Hâc etiam superstitione inducti Germani *Donnerbart* & *Donderblat* appellãt, magis tamen propriè *hauszvvurtz*, h.e. si interpreteris, Domesticam radicem, quod sc. in culminibus domorum seratur. Belg. *Donderbaert*: Galli *Ioubarbe*: It. *Semperuiuo*. Hisp. *Semperuiua*: Angl. *houselike*. Boh. *Netresk*.

SEDVM MAIVS ARBORESCENS.

Descrip. FRutex est potiùs quàm herba, duorum cubitorum nonnunquam altitudine, brachiali verò crassitudine, multos ferens *ramos* pollicaris crassitudinis aut maiores, qui in multas alas diuiduntur digitalis crassitudinis, summo fastigio velut in orbem desinentes, multis *foliis* confertim & imbricatim sibi mutuò incumbentibus constantem, perinde ac in Sedo maiore vulgari, siue Cotyledone altera Dioscoridis. Carnosa sunt autem ea *foliâ*, succi plena, & linguæ instar efformata, h.e. ab infimâ sede paulatim in latum sese dilatantia, in ambitu, crebris & minutis veluti denticulis adeò leuiter serrata vt vix appareant, gustu paululùm adstringente: cortice denso, carnoso, succulento totus frutex cinctus est, cuius membrana exterior subfusca, maculisque, seu potiùs sedis foliorum vestigiis respersa, vt in Tithymalo characia. Interdum summis maioribus ramis emergit crassus, & veluti foliosus quidam *pediculus*, tanquam thyrsum gerés multarum gemmarum, quæ successu temporis in *flores* sese explicant ex flauo pallescentes, stellarum instar in aliquot folia diuisus, cum suis staminulis. Iam maturescere incipientibus floribus, & ad seminis



efformationem properantibus, gracilescit hic pediculus: *semen* exile est & nigrum.

Legitimum autem hoc esse Sedum aut Semperuiuum maius, Dioscoridi *ἀείζωον τὸ μέγα* dictum, Plinio Aeizoum maius, nemo est, qui inficias ire possit, si modò in stirpium cognitione mediocriter versatus sit.

Sed hæc assertio vtrorumque descriptionibus confirmatur. *Ἀείζωον τὸ μέγα*, inquit Diosc. caules edit cubitales, aut etiam altitudinem eam excedentes, crassitudine pollicari, pingues, egregie virentes, Characiæ Tithymali modo incisuris distinctos: folia pinguia, pollicari magnitudine, & extremo cacumine linguæ similia, & infima quidem in terram conuexa: quæ verò sunt in capite, ita conferta adductáq; inuicem, vt orbiculato ambitu effigiem imitentur oculi.

Aeizoum maius Plinio cubiti altitudinem excedit, crassitudine plusquam pollicari. Folia cacumine linguæ similia carnosa, pinguia, largo succo, latitudine pollicari, alia in terram conuexa, alia stantia, ita vt in ambitu effigiem imitentur oculi. *Aizoum maius Plinio.*

Sic haud dubiè Dioscor. est *ἀείζωον μέγα*, quod Apuleius *Vitalem* ac *Semperflorium* appellat. Quidam ab immortalitate, *Ambrosiam*: alii ab oculorum animalium similitudine, *Zoophthalmon*: nonnulli ab amore, quem conciliare fertur, *Stergethron*. Anguillara annotat Semperuiuum maius in Chio *Amarendos*, & in Corfu *Anastasiam* dici, ac vtramque vocem Immortalem significare. *Vitalis.*

Matthiol. in post. comm. Semperuiuum arboreum, Constantinopoli delatum: Item, Semperviuum alterum à Cortuso ex Corfu missum. Eidem Hist. germ. *Gebaumte hauszvvurtz*. Semperuiuum arborescens: & postea, Semperuiuum maximum, ex Corcyra insula Ionici maris.

H. Lugd. p. 1131. Aizoon Arborescens Matthioli: Item pag. 1132. Semperuiuum arborescens alterum Matthioli.

Synonyma. C. Bauhin. phyt. Sedum 23. siue arborescens flosculi candidis: Item Sedum 24. siue arborescens alterum. *Eid. pin.* Sedum 1. siue maius arborescens flosculis candidis: Aizoon magnum Dioscoridis, si caulis altitudo, & foliorum longitudo spectetur. Semperuiuum arborescens Matthiol. & Cast. Sedum maius verum, Gesn. hort. Semperuiuum maius, Anguill. Semperuiuum siue Sedum arborescens maius, Dod. Sedum arborescens Græcum, Illyricum, & Anglicum siue maritimum, Lobel. in Adu. Sedum arborescens maius flosculis candidis, eid. in Obs. p. 206. Sedum arborescens maius Græcum, in Icon. Pl. pag. 379. & Eyst. Semperuiui maioris alterum genus arboreâ specie, Cæsalp. Sedum maius, Clus. hisp. legitimum, Eid. hist. Aizoon arborescens, Camer. hort. *Eid. apud Matth.* Sem-

peruiuum

peruiuum arborescens primum & Maius. Item Sedum 2. siue Semperuiuum arborescens alterũ Matthiol. an diuersum à priore? *Miramur* Lobelium dicentem floribus esse albis, quòd Clusius, cuius iconem assumpsit, flores tradat esse luteos. Cur non annotat vbi candidis flosculis obseruauit, aut saltem vtroque reperit colore.

Lobel. not.

Locus & Tempus

Dioscorides in locis montosis & argilosis nasci scribit, eisque (hæc tamen in quibusdam codicibus desiderantur) qui & ipsum supra domicilia ferant, in fictibilibus vasis addit Plinius. Planis parietinis nascitur, inquit Theophrastus, nec non & in tegulis, cùm terræ confluuium quoddam arenaceum factum est. Vidit Camerarius aliquando in horto regio noui castri Neapolitani in fictili florere: In Germania non diu viuit: cùm Italicum aërem ferat. Ex Sicilia allatum ait Cæsalpinus: seri ramo, sed impatiens algoris: nam Hieme aspera amittere folia: aliquando perire ex toto. Prouenire refert Auguillara in Græcia, vt in Zante, Cefalonia & Corfu & Ghio etiam supra muros veteres Multas plantas Veronæ Patauii, Venetiis, & in Hetruriæ hortis Lobelius vidit. Vlyssipone obseruauit Clusius frequentissimum in ædium tectis & muris, Hispali verò in fictilibus, florens Decembri & Ianuario. Non vulgari autem cura indiget: Hiemis enim iniuriam ferre nequit in frigidioribus regionibus, nec cellæ cameratæ aërem conclusum patitur: quapropter in vaporario conseruari cupit.

Vires & Vsus.

Dioscorides vim ei perfrigerantem & adstringentem inesse dixit. Quamobrem *folia* tum per se, tum etiam cum polenta imposita, valebunt ad erysipelata, herpetas, nomas, oculorum inflammationes, ambusta & podagras. *Succus* autem ad capitis dolores cum polenta & rosaceo instillabitur: morsis à phalangio dabitur, itemque profluuio alui laborantibus atque dysentericis. Sed & teretes lumbricos pellet ex vino potus, & fluorẽ muliebrem sistet in vellere subditus: deniq; oculorum lippitudinibus, à sanguine obortis vtiliter inungetur. Addit Plinius *folia* imposita, vel succũ inductũ, vlcera oculorũ purgare, explereque, & ad cicatricẽ perducere, palpebrasq; deglutinata: aduersari Aconito præcipuè: a scorpionibus quoque habentem id ferri negari. Lusitanicæ mulieres ad detergendos capillos, & repurgandos dentes hoc Sedum vsurpant, referente Clusio. Leuiter quidem desiccat (inquit 6. simpl. Galenus) quandoquidẽ & mediocriter adstringit, omnis alterius vehemẽtis qualitatis expers; quare in eo plùs cæteris abundat essentiâ aquea: cæterùm non mediocriter refrigerat: est enim ex tertio ordine, & recessu refrigerantium. His Macri poësin subnectemus:

Synonyma

Dicimus Acidulam, quam Græcus dicit Aizoon
Sic dici credunt sapor illi quod sit aceti.
Crescit arenosis in pratis, & secus amnes:
Hanc auidè quidã comedunt in tempore veris,
Expertumque ferunt sibi, quod fastidia tollat.
Virtus est illi siccans & frigida valdè,
Tertius à Medicis datus est gradus huic in vtroque. &c.

SEDVM MAIVS VVLGARE.

Descriptio

IN orbem spargit terræ appressa *folia*, alia aliis incumbentia, crassa, succo lento, frigido prægnantia, æternũ viroris, sensim in acumen desinentia, ex fibrosa *radice* orta, quæ subinde se propagans numerosam similium orbiculorum sobolem parit: *caulis* totus similibus sed acutiorib. foliis veluti squammis obtectus, crassiusculus, pedali altitudine, superiùs in ramos diductus, *flores* scansiles serie quadam succedentes gerit patulos, purpurascentes.



Nostrâ sententia ii à verò longè recedunt, qui sibi temerè contra doctorum Botanicorum decretum persuadent hanc esse ἀείζωον magnum Dioscoridis & Plinii: in hoc siquidem notę quędam desiderantur, quæ in Sedo maiore arborescente comperiuntur. In hoc errore versantur inter alios, Croneniburgus. Trag. Fuchs. Dod. gall. Turn. Hist. Lugd. & C Bauh. in phyt. & apud Matth. Item Amat. Tabern. & Matth. atque Lonicerus.

Var laps.

Melius fortè cum Clusio sentiunt, qui Cotyledonem alteram esse statuunt. Nos maluimus inter Semperuiua retinere, cùm perpetuò vireat.

Synon.

Sedum, Trago: Vulgare Eyst. Sedum maius, Fuchs. hist. & icon. Matth. Cordo in Dioscorid. Tabernam. Gesn. car. & Fab. Columnæ Sedum maius vulgare Nomencl. pann. Sedum 1. siue magnum, Turn. Sedum 1. (3. pin.) siue maius vulgare, C. Bauh. phyt. Sedum seu Semperuiuum vulgare maius, Gesn. horr. Aizoon magnum Dioscor. quoad postrema Dioscoridis verba, C. Bauh. pin. Aizoon siue Semperuiuum. maius, Camer. hort. Lobel. Obseru. pag 202. Thal. Hist. Lugd. pag. 1129. Aizoon & Sedum maius, Amato. Semperuiuum 1. Lon. Semperuiuum maius Brunfels. Camer. epit. & Dodon. gall. Semperu. maius 1. Cæsalp. Semperuiuum maius alterum siue Iouis barba Dodon. lat. Barba Iouis, & Sedum maius, Euch. Roesl. & Theod. Dorst. Semperuiuum siue maius crenatum myrtifolium, Lobel. in Adu. & Icon. pag. 373. Onobletum (hoc ad aliam plantam refert C. Bauh.) Hippocratis m. m. & Cotyledon 2. Dioscoridis, Anguill. Vmbilicus veneris 2. siue Cotyledon 2. & Semperuiuum Italicum, Eid.

Huic plantæ & illę appellationes adscribũtur, quæ capite de Sedo in genere & sequenti de Sedo maiore arborescente, leguntur. Vocatur etiam Aithales. h. e semperuirens, & Chrysospermon ab aureo seminum colore. Aconion deniq; Aichryson, Holochryson, Chrysanthemon, Protogonon, Boton, Notion, Paronychiam, Chrysitin, Ceriam, Cuspiam, Iouis caulem, Leapetem, & Pamphanen nuncupari aiunt. Otho Brunfelsius Trithales, quòd ter in anno floreat, nominat.

Sed hoc nomen ad minus Sedum pertinere testatur Plinius.


Nom. ling. Ἀείζωον μέγα, Germanis *Grosz hausz wurtz, grosz Sonderbart, grosz Sonderblat*, & *hauszlauch*, hoc est Domus Porrum: Belg. *Sonderbaert* & Tabern. *Bladerloosen*: Gallis, *grande Iombarbe* Ital. *Semprevivo maggiore*: Hispan. *Siempreviua*, seu *Verdapuntera*: Angli *houselike* & *Sengrene*, rectiùs *housleleke*: Boh. *tucny muzyk*: Hung. *filbe erezto fiu*.

Locus. Nihil vspiam gentium vsitatius, vulgatiúsue Semperuiuo hoc, quod perenni vegetóque foliorum virore viget, eúmque Hieme & Aestate in parietibus, vel imbricamentis, etiam nullis vti videtur, radicibus nixum, aduersus quaslibet cœli impressiones tuetur. Caulis floriferus est post Solstitium æstiuum, subinde circa Augustum mensem demum assurgit, sed Aprili, post vernum videlicet æquinoctium, inter folia tenues hinc inde exeunt fibræ orbiculorum rudimenta proferentes, quibus tandem adauctis seipsam in complures orbiculos multiplicat. Caulis cùm appetente Autumno defloruit, protinus arescit. Seritur in regionibus nostris in tectis & muris, quibus locis felicissimè prouenit. Nam radices eius exiguæ, capillatæque cùm sint, facilè humi hærent, nutriúnturque. Quin & inter petras, & ad macerias, & muros, vbi terra planè destituta est, virentior quandoque conspicitur.

Vires & vsus. Qui legitimum Aizoó maius esse contendunt, ei vires & vsus Aizoi Veterum huic attribuere solent. Tragus planè humidæ & frigidæ esse qualitatis statuit, indéque calidis morbis, & inflammationibus adhibendum consulit, idque in externis frequentiùs, quàm internis corporis partibus. Et quidem in intensissimis acutarum febrium caloribus, nec non & dyssenteriis, aliísque profluuiis [& præterea in nónullis aliis morbis] aqua distillata exhiberi potest, mensurâ triû aut quatuor cochlearium. Succus & aqua distillata, linteolis in eo madefactis, ac impositis, inflammationibus quibusuis corporis, imprimis verò phrenetico morbo apprimè códucût. Quibus oculi, propter abscessum aliquem aut inflammationem, noctu præcluduntur, ii aquam distillatam infundât, quo facto non solùm inflammatio ipsa, sed & dolor tolletur, nec non fluxus oculorum calidus: idem auribus instillatus efficit. Rursus ille ipse succus & aqua distillata doloribus & inflammationibus iecoris & renum succurrunt, & articulorum morbo & podagræ medentur. Auxiliantur etiam ambustis igni, illita, & linteolis imposita. Succus Solatri succo admixtus, & cum oculis populeis decoctus in axungia suilla, ac percolatus, vt fiat vnguentum, mirè efficax est, omnibúsque populeis vnguentis, Tragi iudicio præferendus, & longè gratior.

Sedum vulgari magno simile.

IVsserat author noster descriptionem & figuram ex virente planta, ex horto Ill. C. Witt. esse parádam. Verùm cùm imbri perierit, nec aliunde haberi queat, Lobelii effigiem assumpsimus ex Ic. Plant. p. 373. sub inscriptione Semperuiui maioris crenati myrtifolii, primo loco exhibitam, quam author Sedo suo optimè respondere dixit. Suspicatus autem quondam fuit Semperuiuum sequens culturâ in hoc mutari, quòd fortè verisimile. A Clusio hæc icon malè pro Sedo vulgari maior pingitur.



SEDVM MONTANVM LATIFOLIVM flore purpureo.



Descript. SEdi genus habeo, cui *radix* crassa satis, ocellos circum circa crebros progignit: *folia* semunciâ breuiora, acuminata, latiuscula: *caulis* satis crassus, hirsutus, angustioribus vetustis foliis, mucrone subinde purpurascente, trium vnciarum altitudine, senos, plures paucioresue in cacumine, gestat *flores* magnos, longis, perangustis, purpurantibus foliis constantes, tes, multis in medio luteis apicibus, folioso circumiecto calyce.

Synon. Clusius hanc plantam in pann. pag. 481. vocat Cotyledonem alteram Tauricam: p. 482. Cotyledonem alteram secundam: in hist. Cotyledonem alteram tertiam. Camer. hort. dicitur Aizoon minus odorato & purpureo flore, fermè Asteris Attici. An Lob. Obs. p. 204. Sedum minus facie & foliis maioris? An eid. ic. p. 373. Semperuiuum siue Sedum maius, primo loco pictum? An Aizoum montanum H. Lugd. p. 1131. C. Bauh. pin. Sedum maius montanum foliis non dentatis, florib. rubentibus: Sedum minus flore rubente, Eyst. Item, Sedum alpinum 14. siue rubro magno flore. Aizoon montanum H. Lugd.

Locus & Tempus. In montibus Rhæticis & Tyrolensib. frequens occurrit. Clusius in Tauricarum Alpium iugis non procul Salezburgo crescere scribit: ac florere Iulio, in hortis etiam Maio.

SEDVM

SEDVM QVODDAM MONTANVM pulchrum.

Aliud quoddam Sedi genus ex Baldo nobis allatum altitudine vix palmum minorem, aut ad summum quatuor vncias æquat. *Radix* longa & plantulæ longitudinem æquans, simplex, In capite vmbellam producit dēsam, foliorum Sedi ferè maioris, minutissimorū, & vix ac ne vix quidem conspicuis serraturis donatorū: quędam etiam nullâ, quantum ex sicca dignoscere est. *Cauliculus* teres, subhirsutus, *foliis* vestitur aliquot longiusculis, alterno ex ipsorum foliorum distātia positu. Quem ordinem & *flores* in summo seruantes, mediam ferè cauliculi partem occupant, sed breui pediculo hærentes, nec vt in plerisque Sedis, per ramos diuiduntur. Flosculus ex sex foliolis, vt in plerisque Sedis constare videtur, cuius colorem in sicca discernere non est. Misit frater in Balbo monte collectum à D. Bechio. Descriptio



SEDVM LATIFOLIVM FLORIBVS magnis albicantibus.

Foliorum ocellum Sedi maioris in modum habet: *folia* Succulenta & acuminata sunt, aspera & per oras hirta: coliculus pal[m]aris, cuius summitati plures *flores* insident magni, senis oblongis foliis constantes, calyculo in multa quoque folia diuiso. In sicca planta *flos* albicat. Descriptio

An Cotyledon alteramontana: vel Cotyledon altera secunda, Clusio? An Gesn. hort. Sedum saxorum montium, folio in margine piloso, non serrato? An Dod. lat. Semperuiui maioris genus alterum, foliis secundùm margines tenuissimis veluti pilis, instar mollium spinularum adnatis, floribus ex luteo pallescentibus.

Synon. C. Bauhin. pin. Sedum 4. (2. phyt.) siue maius montanum dentatis foliis: Aizoon siue Semperuiuum maius Thalio.

Nobis Agerius communicauit sub inscriptione Cotyledonis pannonicæ Clusii.

SEDI LATIFOLII FLORE ALBICANTE, minor species, magis dentata.

Locus. Frequens in omnibus iugis vrbi Viennæ vicinis, atque in Austriacis Stiriacisque alpibus, est & hæc altera species Cotyledonis alterius secundæ Clusii histor.: cui etiam valdè similis, per omnia tamen minor, eiusque folia magis dentata. In pann. pag. 481. vocatur Cotyledonis alterius montanæ species alia minor.

Synon. C. Bauhin. pin. Sedum 5. (3. phyt.) siue maius montanum dentatis foliis alterum. Cotyledon altera montana minor Clus. pann. Cotyledonis alterius altera species, Eid. hist.

SEDVM SERRATVM.

Tenuis nigra est *radix*, subinde productis fibris latiùs se propagans: *folia* plurima in per terram sparsa ratiùs humo se tollunt, Sedi, pinguia, oblonga, extremo rotundo, ac etiam quædam nonnihil in acutum desinentia, vnciam vnam, vel duas longa, colore glauca, argutissimis in ambitu denticulis rigidulis, reliquóque *folio* candidioribus, crenata, sapore strenuè adstringente: ex quorum medio surgit *caulis* palmum vnum aut alterum altus, foliosus, in alas aliquot diuisus: *flores* albi quinque foliolis constant, vmbilico viridi apices croceos habente. Huius aliam speciem habemus multò maiorem, *foliis* trium, quatuórue vnciarum. Descript.



An Cotyledon altera Matthioli Clusio?

Gesn. hort. Sedum in saxis montium, malè Phyllum nominatum. Aretio in descr. montis Stockhornii, Sedum montanum maius folio serrato. Cordo hist. Aizoum serratum: hîc addit Gesnerus ab aliquibus vocari Germ. *Fischzung*, apponens duas figuras, vnam sub titulo Aizoi serrati, & alteram pro Aizoo serrato altero: cui autem rariores flores sunt, eosdem punctis sanguineis distinctos habet.

Tabern. Icon. & Hist. Palmaria: Item, Vmbilicus veneris minor, 1. & 2. Non placet separari Palmariam ab Vmbilico veneris: prior enim figurâ, sc. Palmariæ, est planta sine caule: cur autem Vmbilicum 1. & 2. tradat, me latet: figuræ non differunt. *Tab. not.*

Thalio, Aizoum serratum Cordi, seu Crassula serrata. Cæs. Phyllon 1. siue foliis pusillis, fermè oleagineis, candida quadam lineâ, in ambitu leuiter denticulatis. *Crassula serrata. Thal.*

Lob. in Adu. & Obs. p. 210. (vbi & Onobletum Hippocratis, Anguill.) Cotyledon minor Sedi folio: *Eid. ic.* p. 386. Cotyledon minor montana altera, sedifolia, vmbellifera, floribus albis, punctulis rubris aspersis.

Figura Aduersariorum respondet nostro Sedo: in Iconum libro typographi incuriâ ponitur p. 386. sub titulo Vmbilici veneris: in Obs. præter mentem Anguillarę dicitur Onobletum: Figura tom. 2. ponitur à Clusio pro Cotyledone Matthioli. *Lob. saxat.*

An Matthiol. in post. comm. cum mag. fig. Vmbilicus veneris minor, Cotyledon minor, Acetabulum & Cymbalion minus. Camer. apud Matthiol. germ. & Epit. lat. pingit titulo Vmbilici ve-

neris alterius, Sedum ferratum.

C. Bauhin. apud Matthiol. ponit iconem ex Tab. sub titulo Cotyledonis mediæ foliis oblongis ferratis. Habet porrò C. Bauhin. in phyt. etiam Cotyledonem sextam, siue minorem: foliis oblongis ferratis, semipalmari caule, flosculis albicantibus, longè quàm in priori minoribus. Eam verò in pin. silentio prætèrit, & cætera longè aliter recitat. Vocat autem Cotyledonē 3. siue mediam foliis oblongis ferratis, Cotyledō minus Eyst. Vmbilicum Veneris minorem. Lonic. & Gerardi: Onobletum Hippocratis Anguil-

C. B. not. laræ: sed præter huius mentem.

Inter Iornick & Gotardum inuenitur, & Ge-

Locus. neuæ in monte *Saleue* copiosè, in saxis & rupibus apricis. In quibusdam alpinis Allobrogum [inquit Lobelius] & Pedemontii, Sabaudáque Ostensi valle vocata, & Mindenis montibus Auerniæ & Germaniæ mihi visa. In montis Iuræ rupibus ad verticem dictum *Suchet*, collegit Ioannes Schvvab Sedum ferratum frequenter.

Vires. Adstringit tota herba: folia verò efficaciùs.

SEDI SPECIES SIVE COTYLEDON altera Erscheriana, lanugine alba, hirsutis foliis.

Descript. AFfine Sedum Cotyledoni alteri Matthioli, sed mollius, angustioribus & longioribus *foliis* non dentatis, sed alba duntaxat lanugine hirsutis, minùs etiam incanis, breuiore, crassioréque *pediculo*, & multis foliis septo, quę plerumque tam supernè quàm infernè nonnihil hirsuta sunt, paucioribus *floribus* hinc inde secundùm caulem ad singulas alas sparsis.

Synon. Clus. pann. p. 484. Cotyledon altera Erscheriana. Eid. hist. Cotyledon altera quinta: Cotyledonis genus quintum affine Cotyledoni alteri Matthioli.

C. B. not. C. Bauhin. phyt. & pin. Cotyledon 4. siue media subhirsuta floribus punctatis: Sedum foliis minoribus albicantibus ferratis, Gesn. hort. Cotyledon minus montanum alterum, Lob. ic. tom. 2. p. 279. Cotyledon altera 5. siue Erscheriana Clusii. *Nihilhorum* Clusius: non meminit is florum punctatorum: folia dentata negat, aut ferrata, qualia sunt Gesnero. & pingit Lobelius.

Locus & Tempus. Obseruatum hoc genus ab authore in Erscherianis iugis, mense Iunio suis floribus onustum.

COTYLEDON MINOR FOLIIS subrotundis, ferratis, C. Bauhini.

Descript. COtyledoni huic quintæ C. Bauh. in pin. radix subest tenuis fibrosa, fusca, circa quam *folia* multa, semi vngue minora, non vt in altero oblongis ligulis similia, sed subrotunda, margine crenato, crassiuscula, candicantia & nonnihil adstringentia: è quorum medio *caulis* semipalmaris, quandoque palmaris, subasper, minimis & paucis, foliis cinctus assurgit: in cuius summo, pedicelli, *flores*, multò quàm in secunda (Vmbilicum veneris alterum Matthioli in prior. comm. fortè intelligit,) ex quinque, quandoque etiam sex foliis & mediis apicibus compositos, sustinentes, qui albi, aliquando rubentibus punctis aspersi: nonnunquam extrinsecus lineis ternis, foliola floris percurrentibus, ita vt flores pallidè purpurascentes appareant: hos *capitula* exigua, nigrum *semen* continentia, sequuntur.

In Heluetiorum alpibus ipsis saxis ac scopulis adhæret: Iunio & Iulio floret: at ea quæ flore est pallidè purpurascente, apud Monspelienses in horto Dei collecta fuit. Locus & Tempus.

Sedo Serrato humilius Phyllon alterum, flore singulari purpureo.

Phylli [Sedi ferrati] alterum hoc genus humilius, *cauliculis* est simplicibus, altitudine quatuor digitorum, aut paulò altioribus, in quibus frequentia *foliola* specie alteriùs, longè exiliora: *florem* autem grandiusculum fert purpureum, singularem in cacumine: *fructum* oblongum, bifidum in extremo, in cæteris similem priori: nam & huic *semina* minuta vt Papaueris nigri in duplici cauitate continentur: saporéque constat adstringente: vt author est Cæsalpinus. Descript.

SEDVM MINVS, FOLIO LONGIVSculo, tereti, flore candido.



VErmiculari huic nomen fecerunt *folia*, quæ pinguibus caseorū putrescentium vermibus sunt simillima, alternatim in *caulibus* spithamęis & dodrantalibus, lignosis, rubentibus, aut viridantibus, disposita, atro-virentia, vel punctis rubris guttata: *flores* conferti veluti in vmbellam, stellati, quinque foliis constantes, internè albis, apicibus multis atropurpureis vmbilicum conoeidem albidum circumstantibus: *radix* tenuis, fibrosa. In hoc Sedo nullam percipio acrimoniam, quicquid dicat in Aduersariis Lobelius. Descriptio / Contra Lobelium.

Brunf. Is. tom. 3. chaps. 44. Semperuiuum minus album: Eid. in 4. pag. 278. Semperuiuum fœmina Camer. hort. Aizoon minus, albo flore, staminibus purpureis: Thal. Aizoi minoris species, *hunerbeer* vocata. H. Lugd. p. 1129. Aizoon minus Matthioli, idem cum proximo: Item pag 1130. Aizoon minus fœmina Fuchsii, Crassula minor seu Vermicularis, & pag. 1132. Vermicularis, siue Illecebra maior Lobelii, siue Semperuiuum minus alterum Dodonæi. *Aizoon* minus Matthioli Histor. Lugdunensis ad aliam plantam referimus. Synon.

Matthiol. Sedum siue Semperuiuum minus, floribus herbaceis seu subcandidis: Sedum fœmina recentiorum quorundam. Eid. hist. germ. *klein hausƷvvurtz*, flore herbaceo, *grasƷ grun*, aut subcandido, *bleich gelb*: in quibusdam albo, *vvvisƷ*: Sedum minus, Vermicularis, Crassula minor. *Vbinam vidit* Sedum minus, quod pingit Matthiolus, flore herbaceo, seu subcandido Matth. notatur.

dido. At satis in hist. germ. demonstrat sibi non notum fuisse discrimen inter hoc Sedum flore albo, & alterum flore luteo, dum ita indistinctè scribit. Tragum si consuluisset, non tam grauiter impegisset. Duo sunt, inquit, minoris Sedi genera, quæ hoc pacto inter se differunt, vt primum candidos & stellatos flosculos ferat: alterum verò subluteos & pallidos.

Fuchs. hist. & ic. Sedum minus fœmina, *klein hauszvvurtz vveible*: Eid. hist. Sedum minus alterum, gall. *Ioubarbe à petite fueille*.

Amat. not. Amatus vocat Vermicularem alteram flore albo, nonnullorum fœminam: verùm confundit cum Sedo paruo acri. In meo Amato adest figura nomine Semperuiui.

Crassula minor. Dodon. gall. Dodon. not. Dodon. gall. Sedi 3. species, Crassula minor, & Vermicularis officinarum, Belg. *Bladeloose* & *Pappecullekens*: Lat. in fol. Semperuiuum minus alterum floribus albidis: Italorum *pignola*. Cur non dicit flores albos? Cord. in Dioscor. Anton. Musam errare scribit, quòd Italorum Pegnolam Aizoon minus esse statuerit.

Gesn. hort. Sedum minus alterum, Crassula minor quorundam: Eid. in cat. pl. Sedum minus, vulgò Vermicularis. & Cauda muris, *ἀνζωον μικρόν*, *Klaffenkraut, Katzentrubell*: Item de coll. Sedum minus vulgare album.

Anguill. Semperuiua minor dicta Vermicularis.

Sedum minus 1. Clus. Sedum minus, vulgò primum, inquit Clusius, est vulgaris illa in muris editisque aridioribus & sabulosis nascens, vulgò Vermicularis cognominata, à teretibus, breuibusque vermiculorum modo foliis, albo flore.

Lobel. in Icon. pag. 377. inscribit Vermicularem, Crassulam minorem officinarum (hunc titulum in Obs. p. 205. omittit, vocatque anglicè *Mous tayle*, aliàs tamen *vvylde priekmadam*) & Illecebram maiorem, deque ea in Aduers. hæc scribit. Sæpissimè etiam hæc colligentes fallit propter natales eosdem, faciemque adeò minoris Sedi similem, vt mirum magis sit prorsum contrariâ pollere, nempe calfaciendi facultate: tamen discernuntur foliolis rotundis, carnosis, magis, & supernè retusis: flosculis pallidulis, vel albidis: demumque quia non semper viret, eò ad Illecebram referenda videtur, cuius est facultas. *Supina admodum* negligentia Commentatoris, qui nobis hanc fortè pro secundo Sedo dedit, nescius vt vulgus ignarum, facultatum, & immemor verborum Dioscoridis, qui sicuti monuimus cap. de Telephio & Portulaca, quia nec semper vireret, nec refrigeraret, non asserit hanc genus Semperuiui, sed tantùm cognationis & similitudinis causa proximè subdidit, viderique speciem dixit. Et *Matth. repreh.*

Lobel. redarg. hæc hactenus Lobelius. *Nobis autem* facilè fuit dignoscere Sedum minus flore albo, à luteo, ac etiam vrente luteo. Vermicularem quam vocat Lobelius nunquam obseruaui cum flosculis pallidulis vel albidis, sed tantùm cum albis.

Tab. not. Cur hanc Tabern. in hist. & icon. vocet *klein rot katzentreublin mit vveissen blumen*, Sedum minus hæmatodes, non video: in descriptione duntaxat florum alborum mentionem facit.

An Fab. Columnæ. Sedum seu Semperuiuum 2. vermicularis foliis?

C. Bauh. phyt. Sedum 5. Eid. pin. Sedum minus 1. siue teretifolium album: Semperuiuum minus, Cast. & Cæsalp. Sedum fœmina, Turn. Semperuiuum 4. Lonic. Tragus herba, Cordi.

Locus & Tempus. Passim in veteribus muris; circa aggeres sepimenta agrorum, locis apricis exit, Dodonæo: mensibus æstiuis flores promit.

Vires. Solenander Sedum minus alterum inter ea medicamenta recenset, quibus dolentes cum calore, rubore, ardore, & pruritu, hæmorrhoides haud difficulter curari possunt. Succus, inquit, Vermicularis, linteolis sæpius madefactus, applicatus bene facit. Mitius est, si cum hoc succo vnguentum populeon misceatur, appliceturque, ita dolorem sedat, & pruritum tollit. Apponitur etiam emplastrum ex Vermicularis istius manipulis duobus, Semperuiui maioris, manipulo vno, & butyri insulsi vnciis duabus confectum.

Sedum minus teretifolium alterum.

Descr. HVic folia alteri penè similia sunt, sed frequentiora & densiùs in caule stipata. In muris & maceriis etiam nascitur, sed priore minùs frequens, humi procumbens, & fibris subinde se firmans. *Locus.*

Synonyma. Est hoc Clusio Sedum minus alterum Sedi minoris genus secundum. Semperuiuum 3. Lon. Aizoon minus Matthioli, Hist. Lugd. pag. 1129. Semperuiuum paruum Lob. Obs. p. 205. Sedum medium teretifolium, siue Semperuiuum minus officinarum, Eid. ic. p. 176. Hoc C. Bauhin. in phyt. ad Sedum teretifolium luteum retulit, non sine errore. Quare rectiùs in pin. vocat Sedum minus 2. siue teretifolium alterum. *C. Bauh.*

Sedi minoris albi, Monspessulana species maior folio acuto.

Locus. PArietinis hæret passim Monspeliensibus & Nemausensibus Sedum quoddam satis magnum *caulibus* crassiusculis, frequentibus, ex vna *radice* subolescentibus, quos *folia* vestiunt, Sedi minoris maris Fuchsii *flore* luteo, foliis similia, sed maiora, crassiora, longioraque, in acumen desinentia: *floribus* comatur albis. Floret loco natali mense Iulio. *Descripi.*

SEDVM PARVVM FOLIO circinato, flore albo.



Descrip. PVsillum Sedi genus cuius per ramos folia parua non maiora quàm Sedi acris, sed densiora, non longa sed orbiculata, non tam hilari virore perfusa, sed ferè glauca. Iconem ex ipsa planta dare non possumus, quapropter à Dalechampio traditam assumpsimus, cui Aizoon dasyphyllum, id est densifolium inscribitur.

Aizoon dasyphyllum, i. e. densifolium, Dalech. in parietibus & muris Viennæ Allobrogum nasci obseruauit, *radice* breui, capillata, & pallida,

gracili, in exigua terra & parietum cæmento hærescente: *ramulis* plurimis, quatuor digitos altis, perquàm spissè congestis, *foliis* numerosissimis, crassis, teretibus, albicantibus, confertissimè stipatis, gustu fatuis, cum leui quadam adstrictione: *flore* in virgulis tenuibus candido, copioso, Semperuiuo medio simili. In Gallia nusquàm in eo tractu à se visam & repertam meminit.

Clusius non valdè absimile dixit Semperuiuo tertio Dioscoridis (Sedo minori caustico,) sed folia paullò crassiora esse, candidiora, teneriora, nec vt illa feruidi gustûs, sed viribus secundo respondentia, & frigida: florem item candidum: semen exiguum & subruffum. *Improbat* autem appellationem Aizoi dasyphylli (ἀείζωον δασύφυλλον) ceu omnibus Sedi generibus, quorum folia sunt crassa & densa, communem.

Synon. Cordo in Obs. sil. dicitur Tragus silvestris vulgari minor: Gesn. hort. Sedum minimum: H. Lugd. p. 1133. Aizoon dasyphyllum Dalechampij. Clus. hisp. Sedum minimum, frigidum: Eid. h. Sedum minus septimum. C. Bauhin. pin. Sedum minus 4. siue folio circinato.

Locus & Tempus. Geneuæ & Lugduni in muris viret Februario: floret Maio. In rupibus, veteribúsque muris cum in Hispania & Lusitania: tum in Gallia Narbonensi, præsertim Monspelij in muris suburbinorum, ad portas vrbis protensis, obseruabat Clusius.

Frigidum statuitur & secundo respondens.

SEDVM ALPINVM MINIMVM foliis cinereis, flore candido.



Descrip. TAm densè foliolis minimis rigidulis cinereis stipati sunt ocelli, vt conferto incubitu *foliorum* exiguorum, crassorum alterum alteri veluti locum præripere videatur, nec minùs fœcundus ocellorum numerus serpit *radicibus* lentis, lignosis, crassiusculis, nigricantibus, propagatorum, è quorum vmbilico *coliculus* nascitur trium quatuorve vnciarum altitudine, fili instar gracilis, hirsutus, raris foliis angustioribus donatus, in fastigij ramulis *flores* maiusculos gestans, colore albos præditos, quinque foliolis constantes, cum aliquot intus staminulis luteis.

Synon. Gesn. Fr. Sedi aut Phylli genus minimis omninò foliolis, cinereis ferè: Clus. pann. p. 486. & 488. Sedum alpinum 3. siue 1. flore albo: Eid. h. Sedum minus 9. siue alpinum 3. C. Bauh. phyt. Sedum 15. Eid. pin. Sedum alpinum 2. siue album foliolis compactis: Sedi aut Phylli genus flosculis albis, Gesn. Fr.

In Baldo, Braulio, & monte Fracto siue Pilati iuxta Lucernam reperitur. In præruptis Schnealben iugi locis, atque inter saxa, quà descensus est ad monasterium Newenberg, atque etiam in Sneberg, nascitur, teste Clusio. Iulio & Augusto floret.

SEDVM PVRPVREVM PRATENSE.



FOlia quæ per caulem sunt, Vermicularis folia referunt, nisi quod planiora existunt: multiplex verò est summi caulis cauliculo & ramuli numerosi, quibus singulis *flos* insidet vnicus, non adeò magnus, Vermicularis florem æquans, foliis constans coloris carnei, striâ per medium productâ, apicibus in medio pallidis. Descrip.

Trago, Sedi minoris 4. species in humectis, flore purpureo ac roseo: Clus. pann. pag. 486. & 487. Sedum palustre: Eid. hist. Sedum minus tertium, siue palustre: Camer. hort. Aizoon palustre à Clusio depictum: C. Bauh. phyt. Sedum 12. Eid. pin. Sedum palustre subhirsutum purpureum: Sedum palustre flore incarnato, Eyst. Huius speciem assignat alteram maiorem & candidiorem, seu marem & fœminam: flore purpurascente aut carnei coloris. Varietas.

Nascitur humentibus pratis circa Norimbergam, vnde siccam habuimus. Sed & Clusius hoc Sedi genus florens obseruabat vliginosis locis apud oppidulum Freying, quà Pragâ iter est Norimbergam, sub finem Iunij. Locus.

SEDVM MINVS FLORE LVTEO.



NIgrat huic tenuis *radicula*, fibris aliquot donata: *rami* inde exeunt dodrantales, qui si natalitium solum fuerint parietinæ, penduli mox recollectis viribus rectà surriguntur, quibus malè firmo nexu apposita *folia*, crassa, pinguia, acuminata, sursum spectantia, crebra: *flores* stellati, lutei, eiusdemque coloris apices. Descrip.

An Sem-

An Semperuiuum paruum Diosc.? An Aizoum minus Plinio? An Sedum alterum Matthiolo?

Amat. Sent. Amatus Sedi huius meminit, nomine tertii & Vermicularis flore luteo, masculi nonnullis dicti. Verùm, vt monuimus, confundit cum Sedo paruo acri: est figura ipsi nomine Sedi minoris.

Fuchs. in hist. & icon. dicitur Sedum minus mas, *klein hausz wurtz manlin*: Eid. hist. Sedum alterum minus, siue Aizoum Dioscoridis minus, Græcis τρίφαλες vocatum, vulgò Vermicularis & Crassula minor: Gallis *Triquemadame*, *Ioubarbe, & Rabauis*: Germ. *klein donderbart*: Belg. *klein donderbaert*.


Synon. Dodon. Semperuiuum minus. Sedum minus. Hæmatodes 1. Tabern. & Gerardo: Aizoon hæmatodes, Lob. icon. p. 378. Aizoon minus, siue Semperuiuum Dodonæi, H. Lugd. p. 1129. Sedum 2. Dioscoridis, Gallis *Triquemadame*, Clus. pann. p. 484. Eid. hist. Sedum minus 5. siue Sedum minus Dioscoridis alterum, cuius ramuli summo fastigio non incuruantur. C. Bauh. apud Matth. Sedum 3. minus: Eid. phyt. Sedum 11. Item pin. Sedum minus 5. siue luteum folio acuto.

Locus. Vulgò in hortis alitur: sed & sponte nascitur in Hispaniis muris & maceriis, referente Clusio. Montbelg. in horto, licèt annua planta non sit, Hiemem pertulit.

Tempus. Florens Octobri obseruaui Basileæ ad Rheni littus: Geneuæ in monte vicino *Salene* Februario: Florens Iunio inter Monspelium & Lugdunum passim in quibusdam siluis.

Vires & Vsus. Inter acetaria multis locis recipitur, in quibus & sapit, & palato gratum: æstuanti ventriculo confert, teste Dodonæo.

SEDVM MINVS ÆSTIVVM luteum.



Descriptio. PAlmaris, fruticosaque est planta, *folio* exiguo, Sedi minoris, rotundiore, flore luteo, *radice* inutili gustanti. Semperuiuum minus æstiuum Lobelii Obs. p. 205. Icon. pag. 379.

C. Bauh. phyt. Sedum 6. siue minus teretifolium album alterum: Semperuiuum minus æstiuum Lobelii: Aizoon dasyphyllum Hist. Lugdun. Variat floris odore albo, & luteo.

C. B. not. *Negamus nos* Sedum hoc Lobelij reperiri flore albo: Aizoon præterea dasyphyllum Lugd. diuersa est planta. Nec huc referimus eius Sedum minus teretifolium alterum album. Qua de re monitus in pin. tres distinctas plantas esse concludit. De Sedo minore teretifolio altero diximus alibi. De Aizoo verò dasyphyllo cap. de Sedo paruo folio circinato, flore albo.

Synon. *Caterum* in pin. Semperuiuum minus æstiuum Lobelii H. Lugd. p. 1133. sine icone, vocat Sedum minus 3. siue teretifolium luteum: Sedi minoris secundam speciem Tragi: Aizoon medium Thalii.

Locus. Belgis hortense est.

Sedum minus luteum flore se circumflectente.

Descriptio. Teretibus, crassis, succo plenis, & mucrone præditis *foliis*, & flauis *floribus* est, vt Sedum minus flore luteo, mas quorundam, eius tamē summus caulis in ramulos diuisus sese inflectit instar summitatum Scorpiuri siue Heliotropii maioris, teste Clusio, cui in hist. dicitur Sedum minus quartum, vel Sedum minus Dioscoridis primum: Camer. hort. Aizoon minus flore luteo inflexo: Lobel. Ic. p. 377. Aizoon Scorpioides C. Bauh. pin. Aizoon minus 6. siue luteum ramulis reflexis. Eius in phyt. confusè meminit, sub Sedo 11 siue minore luteo, acuto folio.

Locus. Iisdem cum Sedo luteo minore mare natalibus gaudet, eundemque vsum habet.

SEDVM ARVENSE FLORE RVBENTE C. Bauhini.

Descriptio. RAdice est lignosa, fibris capillata, *cauliculis* aliquot palmaribus, rotundis, rugoso, rubescente cortice tectis, qui in ternos, quandoque plures, ramulos [quorum aliqui recuruantur] diuiduntur: hos *folia* longiuscula, angusta, succulenta, sine ordine ambiunt: ramulis superioribus flores plures, vulgaris Sedi floribus similes, sed rubentes insident, semenque vulgari simile succedit.

Synon. Sedum hoc minus 7. [vt in pin. vocat] Vel (vt in prod.) Sedum nonum non longè à Basilea, in

Locus. agris Huningensibus, Autumno iam exsiccatum reperitur: quod etiam in agris argillosis ad Pyrenæos, sed minus, reperitur.

Sedum paruum montanum luteum.



Descriptio. CAulem vnum, plurelve, erigit palmarem, dimidio nonnūquam minorē, *foliis* crebris vestitum, Sedi minoris maris, siue florib. luteis, minùs acutis, planioribusque, qualia etiam per terram sparso caulis imo adhærent: superiùs diuiditur in ramulos satis frequentes caulis, qui *flores* gestant pulchellos, maiusculos, ex pluribus & foliolis, & apicibus luteis compositos: *radicula* summa ferè tellure vagantur, & subinde nouas plantas pro-

ducunt, subinde terram subeuntes.

Synon. Clus. pann. p. 484. & 485. Sedum alpinum 1. siue flore pallido, vel ex luteo colore pallescente, quinque foliis constante: Eid. hist. Sedum minus 6. siue alpinum 1.

C. Bauhin. phyt. Sedum 13. siue alpinum pallidum: Eid. pin. Sedum alpinum 5. siue flore pallido: Aretio Stockh. Sedum montanum minimum luteum.

Prouenit in monte Baldo, in monte Pilati, & Gothardo. In Sneberg, aliisque Stiriacarum alpium iugis, in Tauro monte, atque Iudenberg crescere scribit Clusius: florere sub finem Iulii Augusto.

SEDVM ALPINVM ERICOIDES CÆRVLEUM, nonnullæque aliæ Sedi species C. Bauhini.



Descript. Ex præruptis iugis, ac saxis humidis propendet, *radicem* habens, *foliolis* quàm in priore breuioribus, crassis, cinereis, velut in Sanamunda 2. Clusii, siue Erica Alexandrina, compactis, cinctos: singulis *cauliculis* vncialibus, foliaceis, *flos* magnus, cæruleus, quadrifolius, aliquot staminulis breuibus donatus, insidet.


Synon. Hoc (Sedum 10. in phyt. 4. in prod. Alpinum 17. in pin.) cùm anno 1579. Martio mense, per Locus. Varietas. Rhætiæ alpes iter faceret author, è rupibus, ob aquam defluentem, humidis, instar Cymbalariæ dependens, floréńsque collegit. Idem in Gothardi summitatibus, & in Valesia, ad thermas Leccenses supra Gemme reperitur, à priore tamen differens potissimum foliorum exilitate, & colore florum: item & colore, & magnitudine.

Tradit & describit idem C. Bauhinus & alia Sedi genera, ab ipso tum in Rhæticis tum in Valesianis Alpibus obseruata, vt pote *Sedum Alpinum Ericoides purpureum. Sedum Alpinum foliis crenatis asperis. Sedũ saxatile variegato flore. Sedum saxatile atrorubentibus floribus. Sedum saxatile hirsutum purpureum.*

SEDVM PARVVM ACRE, FLORE luteo, & aliud non acre.

Descript. Obuium in muris est, capillaribus *radicularũ* fibris appensum, vnde *ramuli* plurimi, palmares aut breuiores, tenues oriuntur, *foliis* exiguis admodum, densitate cum longitudine ferè pari: *flores* in extremis ramulis plures, lutei, quinque foliis radiatis constantes, apicibus in medio similiter luteis.

Semperuiuum 3. Diosc. Et hoc est Semperuiuum illud tertium Dioscoridi creditum, quod aliquos Portulacam agrestem (ἀνδράχνην ἀγρίαν) aut Telephium (τηλέφιον) vocare tradit, Romanos verò Illecebram, pusillis foliis crassiusculis [παχύτερα. Lac. legit in vet. cod. πλατύτερα:] ad Portulacæ similitudinem, ac densis in petris nascens. Et huius opinionis assecclas habemus inter alios, Cæsalpinum, Matth. Lob. Dod. Gesn. Anguill. Fuchsium, Amat. Clus. Histor. Lugd. & Casp. Bauhinum: contrà verò perperàm sentit Matthiolus: Suspicantur etiam nonnulli hanc plantam non esse Semperuiuum tertiũ



Dioscoridis, quòd illi folia desint. Sed Dioscorides hoc non Portulacæ esse folio, sed ad illius crassitiem tantùm accedere folia refert.

An Aizoo minori similis, Plin? Malè autem eiusdem Plinii Illecebram Italorum vocat Cæsalpinus.

Tragus Sedum nostrum pingit nomine Vermicularis: non tamen nominibus distinguit ab Aizoo siue Sedo minore floribus albis, nisi colore florum. Differentia tamen non in solo florum colore consistit, sed etiam in foliis, quæ huic multò breuiora sunt, & paullò acutiora, & ab basim nonnihil latiora. Differt præter hæc ab illa sapore feruido, vrentéque, vnde meritò *Maurpfeffer* dicitur, h.e. Piper murorum, vel murale, quòd sc. in muris proueniat, gustúque acris admodum sit, vt Piper. Dicitur quoque Germ. *Blatlosz*, quasi foliis destitutum, eò quòd pro foliis acinos quosdam habeat. Alii à forma *Judentreubel*, & *katzentreubel*, hoc est Vuas Iudaicas, vel Felium vuas nuncupant. Belg. dicitur *Muerpeper*: Angl. *Stone crop*, & *Stone hore*. Quidam volunt *katzentreubel* esse Hippuridem non leui errore. In eo etiam hallucinari deprehenditur: quòd calidum temperamentum ei inesse negat, quòd auulsa vt reliquæ plantæ temperamento calidæ, non arescat. Nec enim omnia calida, euulsa arescunt, vt Aloe. Suo gustui potiùs fidere oportebat Tragum quàm friuolæ imaginationi. Trag. not. Piper murale. Vua Iudaica Vua felium.

Apud Apollinarem pingitur quidem Aizoum acre, sed inter vires malè omnia confunduntur, nec fit mentio acrimoniæ, licèt ipsum nomen *Maurpfeffer* apertè denotet. Apollinaris.

Brunfels. de Sedo paruo vrente confusè egit, quare nomina & vires, quas ei assignat, non adscribo.

Eidem B. Portulaca tertia: Trago, Sedum minus tertium & Vermicularis, cuius nomine Camerarius etiam addit iconem Matthiolo, cui vt & Castori Semperuiuum minimum siue tertium. Anguillaræ Gramen 3. Plinii, & Semperuiuum 3. & & Vermicularis acuta. Dod. lat. Illecebra siue Semperu. 3. Eid. in h. gall. Sedi 4. species. Sedi 3. genus, Fuchs. Lac. Turn. & Cro- Brunfels.

& Cronemb. Aizoon minus, malè pro Vermiculari acceptum, Cordo in Diosc. Aizoon acre, Eid. hist. Sedum tertium Dioscor. Gesner. horto Illecebra, quibusdam recentioribus Soldanella dicta: & tertia species Sedi, Eid. cat. pl. Item, Sedum 3. Illecebra, & Portulaca siluestris Sempervivum 3. quoad descr. at 2. quoad iconem, Lon. Sedum minimum, Lob. ic. p. 379. siue Illecebra, Obs. p. 208 & Sedi tertium genus non semper virens, in Adu. Semperuiuum tertium minimum, alterum, Cæs. Aizoon minimum repens 3. Diosc. H. Lugd. p. 1130. Aizoon minus feruidi gustûs, Thal. Sedum minimum, Tab. Vermicularis siue Illecebra, Ger. Sedum minus 8. Causticū Clus. h. Sedum minus seu minimum causticum, Eyst. Aizoi facie planta, quę Dactylon 2. vel 3. Plinii, Columnæ.

C.Bauh. C.Bauh. apud Matth. Sedum 4 siue minimum acre. Eid. phyt. Sedum 8. seu minimum, duplex, aliud gustatum paulò pòst fauces exurit, aliud penè insipidum: floribus item candicantib. aut luteis. *In pin. Sedo* minori 8 siue vermiculato acri, hanc varietatem à sapore petitam, non ampliùs adscribit, meliora docens.

Locus & Tempus. Passim in tectis, muris & petris nascitur etiam in aggeribus, salebrosis & aridis locis, tenui gramine obsitis: adeò autem viuax, vt tenuissima ramulorum fragmenta facilimè radices agant, non tamen semper viret, vt voluit Dodonæus. Æstiuis mensibus cum floribus reperitur.

Vires & Vsus. Diosc. tertio Semperuiui generi, vim adscribit excalfactoriam, acrem & exulcerantem, atq; impositum cum axungia strumas discutere. Sed hanc facultatem supposititiam esse & Dioscoridis textui insertam, non sine iudicio censet Columna. Foris admota (inquit Dod.) rubificat, vesicas excitat, ac tandem exulcerat. Succus cū aceto, vel alio liquore extractus vomitum mouet, & crassos, pituitosos, ac biliosos humores educit; & subinde ita quartanis, aut aliis diuturnioribus febribus liberat: aduersus assumpta venena & hoc modo confert.

Sedum minimum luteum non acre.

Descriptio. COliculis & *foliis* minori [acri, Gesn.] persimile existit, multò tamen exilioribus, minoribusque his partibus constat: *flores* habet foliolis quinis stellę modo radiatis cōstantes, quinque exiguis acuminatis in medio apicibus *semini* ferendo natis, iisdemque decem staminibus circumuallatis, Aizoo acri floribus, forma, quantitate, & luteo colore similes, positu tamen differentes, non enim minoris aut acris Aizoi modo vmbellam siue capitulum constituunt, sed deinceps ab vncialibus aut longioribus coliculorū adnatus vtrinque alterno situ exeunt: ex his qui ab vno latere enascuntur, oppositorum spatiis iungūtur. *Radicibus* nititur tenuibus & capillatis.

Cauendum monet descriptionis author Cordus, qui Aizoon minimum vocat, ne Acris & huius similitudine fallamur, illam pro hac accipientes: addit hanc virere semper, & inde nomen inuenisse.

Synon. C.Bauh. pin. Sedum minus 9. siue vermiculatum insipidum: Semperuiuum 3. minimum, Cæs. Aizoon minus & Vermicularis insipida. Thal. Sedum minus seu Vermicul. insipida, Eyst. A priore non solùm gustu differt, sed etiam foliolis magis teretibus & tenuioribus: floribus est vtraque luteis, rariùs albis.

Nascitur iisdem, quibus acre & minus Aizoon natalibus. Locus.

Vires. Adstringunt vehementer coliculi, foliola & flores, quemadmodum minus Aizoon, sed vehementiùs: siccius enim est.

Sedum minimum arborescens, vermiculatum, flore luteo.

Descriptio. SYriæ natalitiis naturæ munifico lusu & luxu plantulam hanc pinxit Lobelius in Obs. pag. 206. Ic. 480. Sedi minimi arborescentis vermiculati, inscriptione, fruticosam, & densè geniculatam, confertisque *foliis* & *ramulis*, floribus luteolis, Vermicularis acris, vti tota facie. Et hanc in Italia quoque oriri opinatur. Hæc autem figura Lobelii non demonstrat plantulā, sed plantam arborescentem.

Synon. H. Lugd. p. 1132. Sedum minimum arborescens Lobelii C.Bauh. phyt. Sedum 20. siue minimum fruticosum: Eid. pin. Sedum minus 10. siue fruticosum: An Polygonum masculum fruticosum Thalio?

SEDVM ALPINVM HISPIDVM FERE, spinosum, flore pallido.




Descriptio. MVltos, dodrantales ferè *caules* tenues emittit, *foliis* vestitos alternante situ semuncialibus, peranguſtis, acuminatis, ex viridi pallentibus, spinulis per margines asperis, qualia prope terram multa, reptantem inferiorē caulium partē ornant: *ramuli* in quos *caules* superiùs diuiduntur, *florem* in cacumine gestant singuli, Sedi montani minimi lutei parem, pallescētem, apiculis in medio multis: succedit vnicuique *capitulum*, Lini simile, minus, turbine bifurco patente, è quo cōcussu excidit *semen* longè copiosissimum, minutissimum, puluisculi instar, colore nigrum.

Locus. Ex monte Calcaris, item Gothardo, quem traiecit Iulio ex Italia rediens florentem attulit. I.H. Cherlerus.

SEDVM MVSCOSVM.

Descriptio. CEspites totos operit luxurie fœcunda, Sedorum in morem, *radicularum* reptatu, *folia* maiora quàm Sedi alpini cinerei, acutiora, molliora, muscum terrestrem imitata: *coliculus* ex vmbilico natus vnciam vnam aut duas altus, foliolis crebrioribus vestitus, vnicum plerumque in fastigio gerit *florem* magnum.



Locus. Frater, à quo habui, prope riuulos in Alpibus crescere annotauit.

SEDVM MINIMVM SYRIACVM luteolo flore, Saxifragæ albæ.



Locus. Descript. OMnium [Sedorũ] huic longè minimo, ex Syria asportato, *folia* quàm superioris, & petræi montani Sedi minora: *cauliculi* sesquiunciam æquant, in quibus luteoli *flores* maiores pro plantæ exilitate, Saxifragæ albæ, aut Sedi petræi montani: *radix* implicata, fibrata.

Synonyma. Lob. Obs. p. 204. Icon. Pl. pag. 376. Sedum minimum tertium. A Dodon. lat. huius figura pro Sedo serrato ponitur. Casp. Bauhin. phyt. Sedum 9. siue minimum peregrinum, Saxifragæ albæ flore: Eid. pin. Sedum alpinum 1. siue Saxifragæ albæ flore, vel grandiflorum: Sedum minimum tertium Lobelii, H. Lugd. p. 1153. An Sedum alp. 4. Col. part. 2.


SEDIS AFFINIS TRISVLCA alpina, flore albo. CAP. IX.

Descript. SVmmo cespite vagatur, magnúmque spatiũ occupat, terræ appressis *coliculis*, tenuibus, fuscis, è quibus nascuntur *folia* vncialia, in trisulcum tridentem, latiusculum, Chamæpityos minorem desinentia, subhirsuta: alia in oblongum vtriculum glumosum conuoluta, lanugine pinnata, granum Auenæ affabrè referunt, trisulcis illis foliis subinde obuallata: *caules* surgunt quidam teretes, palmares, superiùs in pediculos aliquot [quorum foliolum indiuisum pusillum appositum] diducti, quorum vnusquisque *florem* gestat Spergulæ parem, albidum, striatum, vasculo succedente paruo *seminibus* pleno, quod circumdat florum calyx laciniis denticulatus.

Synon. Clus. pann pag. 491. Sedum Alpinum Aiugæ folio. *Eid.* hist. Sedum minus 13. Casp. Bauhin. phyt. Sedum 19. siue alpinum laciniato folio: *Eid.* Sedum foliis laciniatis 1. siue Sedum alpinum trifido folio.

Locus. Ex præruptis saxis, hiulcísque saxorum rimis Iunio collegit in monte Calcaris gener I. H. Cherlerus. Nasci in summo Sneberg. iugo inter saxa paullò antè à niuibus libera, floreréque Augusto, testatus est Clusius.

ALOE IN GENERE. CAP. X



Descriptio. SVcculenta, magna, dentata, crassa, in terram reclinata aliquantulùm; æterni viroris habet *folia*, adeò vt per hybernos menses extra terram etiam in hypocaustis suspensa non marcescat, sapore apud nos minimùm amaro: *caulis* inter folia surgit.

Ruell. non. Ruellius ait Aloe thyrsos striatos esse, quàm verè autem iudicent qui Aloen viderunt, inuenio quidem Plinium dicentem folia striata, vbi Cornarius meritò legere videtur strata. Hinc etiam lib. 3. cap. 19. in Dioscor. asserit folia vtrinque ex obliquo longioribus interuallis striari: Sed hæc autopsiæ committimus.

De florib. diuersa opinio. Matthiolus in h. germ. ait florum colorem esse incarnatum instar florum Granatorum: Gesn. autem hort. scribit florem ferre luteum: Tragus tamen album habere testatur, secutus Dioscoridem, dicentem: Aloe *folium* habet Scillæ (σκίλλῃ) similitudine, crassum, pingue, in rotundo modicè latum, retrorsum pandum. Sed vtrinque habent folia ex obliquo spinulas raris interuallis prominentes, easque breues, & quasi decurtatas (mutilas, Corn.) *Caulem* verò profert Antherico non dissimilem, *florem* album & *semen* ceu Hastulæ regiæ. Est autem tota odore graui & gustu amarissima. Vnicâ verò *radice* ceu palo in terram demisso vtitur.

Plin. Aloe [inquit Plinius lib. 27. cap. 4.] Scillæ similitudinem habet, maior, & pinguioribus foliis, ex obliquo striata (strata, vt diximus, Corn. legit:) Caulis eius tener est, rubens medius, non dissimilis Antherico: radice vnâ ceu palo in terram demissâ, graui odore, gustu amarâ.

Cæterùm, dum Dioscorides dicit Aloën folia Scillæ habere: & Plinius Scillæ similitudinem: si longitudinem tantùm consideremus, recta quidem est comparatio: si verò alia, non item: ac propterea addit ille, in rotundo modicè lata, crassa, pin-

sa, pinguia, retrorsum panda, vt rectiorem comparationem redderet. Et hæc obscurè admodum à Plinio dicuntur.

Monstrosa item Cubæ. Herbar. antiq. lo. Cubæ, Aloes monstrosam exhibet imaginem.

Lemnius & Munsterus not. Quàm benè autem Leu. Lemnius de herb. bibl. Aloen, arborem smaragdini coloris faciat, ipse viderit. Neque enim arbor est, neque arbuscula, id quod Munsterus voluit.

Synon. Cæterùm, in omnibus ferè linguis apud omnes ferè authores Christianos vnum & idem nomen hæc planta obtinet, quod est *Aloe*. Sic autē dicta videtur, quia maritimis gaudet. Particulatim tamen Camerar. Aloen communem vocauit: Aloem vulgarem, Schvvenckf. fortè ad differentiam Aloes Acostæ, quæ est Americana. Dicitur Aloe Dioscoridis, Columnę: Aloe marinum, folio planiore, Horto Scholziano: Aloe in Rama Iudææ copiosa, Rauvvolff. Aloe 1. siue vulgaris, C. Bauhin. pin. Aloe in insula Socotra, part. 2. Ind. Or. cap. 6. Aloe, siue Semperuiuum, Arabum Sebar, Area, Catecomor, Linsc. part. 4. Ind. or. cap. 38. & fig. 19. Azauar, siue Semperuiuum, quo campi pleni, part. 4. Ind. Or. Aloe & Semperuiuum marinum, Lobel. Obs. p. 202 Icon. pag 374. Semperuiuum marinum, Turn. & Hort. Lugd. Semperuiuum quidem à recentioribus vocatur à sempiterno virore, quo è laquearibus conclauium suspensum, quàm diutissimè viget: Marinum autem, à natali loco cognominatur.

Sedum amarum appellat Columella, ab eius succo amaro. Alii, vt inter Dioscoridis reiectanea legimus, Amphibion [ἀμφίβιον] quòd non modò terræ matri adhęrens, sed inde etiam exempta, déque trabibus voluptatis gratiâ suspensa, in aëre vitam tueatur diutissimè, nominant: alii Tragoceron (τραγόκερων) à cornuum hircinorum similitudine: alii Eryngion, ἠρύγγιον: alii demum Hermoinon, ἑρμεινον, vel, vt Corn. ἅμινον.

Nom. ling. Germ. *Aloepatick* & *Bitterwurtz*: Belgę, Itali, & Angli *Aloe*: posset tamen ad succi concreti differentiam, qui simpliciter *Aloe* nominatur, *herbe Aloe* nuncupari, Turn. Galli *Aloes* & *Perroquet*, quòd foliorum habitu & colore psittacum viridem referat, incerto autore. Aloe vulgaris, inquit Holler. inst. chir. lib. 2. cap. 5. patrio nomine *Zambana* appellatur: Hisp. *Canilla*, *yerua de acibar*, *yerua babosa*: Aphris *Saber*, *Paper*, siue *Subar*. Chaldæis *Alluaan*. Arab. vt Serapioni *Laber*: Auerrhoi *Canar*.

Quæ Aloe Latinis, & officinis, ἀλόη Græcis, hanc Arabes, Persæ & Turci, ait Garcias, *Cebar* vocant: nam quod Laber à Serapione dicatur, interpretis errore, aut librariorum negligentia factum esse existimo. Guzarate verò, quos Gedrosios putant, & Decan incolæ, *Areaa*: Canarini, *Catecomer*: Hisp. *Acibar*: Lusitani *Azeure* appellant.

Locus. Veterum de loco natali placita, inter vires recensentur. Aloes herba plurima nascitur in Cābaya, Bengala, aliisque multis locis. Cæterùm laudatissima est in Socotora, quæ inde ad Arabes, Persas, Turcos, denique per vniuersam Europam defertur, eâ nque ob causam Aloen socotorinam appellant. Distat autem hæc insula à freto [maris Erythræi] centum viginti octo leucis: qua de re non minùs Arabica, quàm Aethiopica dici potest quòd alterâ parte freti Arabia, terminetur, alterâ Aethiopia, teste Garcia. In regione quadam circa Caput bonæ spei, in Sinu Aguada Sanbras dicto, ingentem copiam, immò plenos campos Semperuiui obseruauit Linschotanus, quod incolis *Accuar* appellatur. Viri altitudinem facilè superat, & è longinquo visas herbas loci incolas esse existimabat. Ea ipsa est herba ex qua incolæ insulæ Sacotra Aloen conficiunt, quam Sacotrinam vocant. In quamplurimis Italiæ locis virescere conspicitur, præsertim Romæ, Neapoli, Venetiis, Ticini, & Genuæ: Item Patauii, Veronæ, Bononiæ, & Florentiæ, quibus omnibus in locis super ædium fenestris, ac atriis, fictilibus in vasis, terra plenis alitur, ac fouetur, ad spectaculum potiùs, quàm medicum vsum. Audio autem ibi vltra triennium non durare. Geneuæ Allobrogum aiunt Hiemem perferre non posse. A marinis partibus ad nos [Gallos Parisienses, ait Ruell.] defertur, sed solo credita nunquam comprehendit, immò breui carie confecta demoritur, licèt in tabulatis propendens, plerumque biennio vitam proroget. In Germania, quod ad folia attinet, nullo negotio prouenit, ac in Autumno lætissimam se ostendit. Hiemis tamen frigora in hortis ferre nequit, vnde Hieme aduentante euellitur, ac in hypocaustis suspēditur, quæ causa est vt in nostris terris florere non queat. Reposita per tres septimanas quasi peritura colorem suum amittere videtur: sed tamen paulò pòst non tantùm natiuum suum colorem recuperat, sed & incrementum accipit, ac si è mortuis resurgat. Exacta Hieme in hortos rursus transfertur, & plantatur, in quibus aliquantulùm augetur.

Facultas. Porrò nullam amaritudinem in nostrate Aloë repeties. Sed aliud quibusdam Hispaniæ locis Aloës genus inuenitur, in cuius sanè foliis manifestè amarorem cum acrimonia coniunctū inuenies, teste Clusio. Quædam de Aloes plantæ viribus leges inferiùs ex Garciæ obseruatione.

Aloes nomen plurivocum. Præter Aloën vulgarem est & alia Americana muricata a nobis cognominata. Nunc & Aloe monstrosa Autumni nata, a Clus. & C. Bauh. traditur, quam nondom descriptam inuenimus. Sed & Aloës, palustris tamen appellatione additâ, nobis Bononiæ demonstrata planta, à D. Vlysse Aldroando, quam ad Dodonęi gall. Stratiotem aquaticam, Sedum aquatile Lobelii referimus, de quo H. n. l. 38. Gentiana tandem, à Dioscor. Apuleio, pluribusque aliis quia amarissima, Aloë gallica nominatur de qua H. n. lib. 31. Est & A- Aloes lignū loës lignum, de quo H. n. l. 4.

ALOES SVCCVS.

Cap. XI.

Conficiendi ratio. EX Aloës foliis expressus, succus in vesicis aut aluta concretus aduehitur. Eius autem parādi rationem talem intelleximus: Rhodiis herbā ipsam accipi, in frusta dissecari & contundi, deinde in vas oblongum reponi, in eóque viginti quinque dies sini. Interea autem spumam attolli, inutilem & abiiciendam. His peractis, conchâ superiorem succi partem demi, ad quandam vsque demendo apparentem eiusdem succi differentiam: hunc in vesicam reponi, adque Solem exsiccari, Aloëmque succotrinam effici. Secundò demi succum in medio consistentem, & in vtres reponi, exsiccarique, ac Aloen hepaticam confici. Postremò sequi Caballinam, cæterorum veluti fæcem. Tres itaque eius hodie cognoscuntur differentiæ, ex eadem tamen planta

expressæ. *Optima Succotrina* appellatur, omnium purissima, quæ dum frigida est, malleo percussa, in splendida, nitidáque fragmenta dissilit. Colore fulua, aut russa & pellucida, inter tractandum mollescens, in Sole diffluens, atque foris nitido, fuscóque, aut nigro colore bonitatem suam intus latentem, abscondens & dissimulans. Saporé habet insigniter amarum, adstringentem, aromaticum, aliquantulùm tenuem, & oris halitum commendantem. Odorem autem aromaticum, & tamen grauem. Impurior secunda. *Hepatica*, quòd hepatis colorem exhibeat, dicta, primâ dẽsior est, aridior, iecinoris modo crenata. Colore in citrino subrussa, & Succotrina minùs pellucida, vixque oculorum aciem luménue admittẽs, quanquam interim micæ splendidæ sint. Odore & sapore Succotrinam æmulatur, grauiùs tamen olet, paullóque amarior existit, magísque adstringit. Et hæc quoque calido ducitur, & frigido cœlo friatur. Tertia sordida, inquinamentis multis contaminata, *Caballina* vocatur, veterinariis relinquenda medicaminibus, cui ob id nomen videtur inditum. Hæc omnium ponderosissima, aridissima, dẽsissimáque. Colore nigra, & minimè translucens, terra arenísque plena, & maius, quàm prædictæ virus olens. Gustu amarissima & valdè adstringens, non sine horribili qualitate aliqua palatum & stomachum afficiens. Eligito in quouis genere pinguissimam, purissimam, Hieme friabilem, Aestate molliusculam, & in manibus lentescentem, calculis, arenis ac terrâ carentem, tam gustu quàm olfactu aromaticam, amaritudinem resipientem, somnum odore conciliantem, & dissolutu facillimam.

Hepatica. *Caballina.*

De Aloes succi generibus, viribus & vsu hæc Dioscorides memoriæ tradidit. Aloe herba plurima in India præpinguísque nascitur, ex qua etiam coactus succus importatur. Nascitur & in Arabia, Asia, ac in locis quibusdam maritimis & insulis velut in Andro, non valdè eliciendo succo idonea, sed ad conglutinenda vulnera sanè quàm vtilis, si trita illinatur. Duo sunt porrò succi generæ: alterum arenosum, quod purissimæ veluti fæx, & crassamentum esse videtur: alterum, quod ad iecinoris imaginem vergit. Eligito pinguem, quæ nihil doli senserit, calculorũ expertem, nitidam, subflauam, friabilem, iecinoris modo coactam, quæque facilè humescat, eximiæque sit amaritudinis. Nigram contrà fractúque contumacem improbato. Sunt qui eam gummi adulterent: id quod gustu, amaritudine & odoris vehementia deprehenditur, eóque indicio quòd attrita digitis, non ad minima vsque ramenta resoluatur. Neque desunt qui Acaciam immisceant. Vim habet adstringendi, somnum conciliandi, exsiccandi corpora, corpora dẽsandi, aluum soluendi, stomachúmque repurgandi, si binûm cochleariũm mensura ex aqua frigida, aut lactis instar, tepida seu egelida bibatur. Sanguinis etiamnum excreationes sistit, & morbum regium emendat, ex aqua tribus obolis, aut drachmæ pondere, in potu. Deuorata verò cum resina, aut aqua, vel melle cocto excepta, aluum soluit: ternûm autem drachmarum pondere, perfectè purgat. Sed & aliis medicamentis purgantib. admista, præstat vt minùs stomachũ infestent. Sicca verò inspersa, vulnera glutinat, vlceráque ad cicatricem perducit, cohibétque: eadem peculiariter exulceratis genitalibus medetur, & disrupta puerorum præputia agglutinat. Quin & condylomata, rimásque sedis dulci vino ammixta sanat. Sanguinis ex hæmorrhoidibus eruptiones sistit, pterigia ad cicatricẽ perducit, liuida, & sugillata, hypopia dicta, ex melle tollit. Scabras quoque lippitudines, angulorumque in oculis prurigines mitigat. Dolorẽ capitis sedat, ex aceto & rosaceo fronti & temporibus illita. Sed & cum vino fluentem capillum continet: itidémque tonsillarum, gingiuarum, cæterarúmque oris partiũ vitiis cum melle ac vino proficit. Cæterùm, ad oculorum medicamenta torretur in munda & candente testa, liguláque subinde versatur, donec æqualiter tosta fuerit. Lauatur & Aloe: atque id quod arenosum subsidet, tanquam inutile secernitur: pinguissimum autem quódque læue est, recipitur. Hactenus Dioscorides. Qui statim in proœmio Nigrum præter veritatem falsò prodidisse scribit, Aloen fossilem in Iudæa nasci.

Diosc. Aloes herba locus. *Aloe lauatur.*

Aloe laudatissima [ait Plinius] ex India affertur, sed nascitur & in Asia: non tamen ea vtũtur, nisi ad vulnera recentibus foliis: mirificè enim conglutinant, vel succo. Ob id in turbinibus cadorum eam serunt, vt Aizoum maius. Quidam & caulem ante maturitatem seminis incidunt succi gratia, aliqui & folia. Inuenitur & per se lachryma adhærens. Ergo pauimentandum, vbi sata sit, censent, vt lachryma non absorbeatur. Fuêre (Niger id nugatus erat) qui traderent in Iudæa super Hierosolymam metallicam eius naturam: sed nulla magis improba est, neque alia nigrior est, aut humidior. Erit ergo optima pinguis ac nitida, rufi coloris, friabilis, ac iecinoris modo coacta, facilè liquescẽs. Improbanda nigra & dura, harenosa quoque, quę & gustu intelligitur. Gummi adulteratur & Acacia. Natura eius spissare, densare, & leuiter calefacere. Vsus in multis, sed principalis aluũ soluere, cùm penè sola medicamentorum, quæ id præstant, confirmet etiam stomachum, adeò non infestet vlla vi contraria. Bibitur drachma: ad stomachi verò dissolutionem, in duobus cyathis aquæ tepidæ, vel frigidæ, cochlearis [binorum cochleariũm, Diosc.] mensura, bis térue in die ex interuallis, vt res exigit. Purgationis etiam causa plurumùm tribus drachmis. Efficacior, si pota eâ sumatur cibus. Capillum fluentem continet cum vino austero, capite in Sole contra capillum peruncto. Dolorem capitis sedat, temporibus & fronti imposita ex aceto & rosaceo, dilutiorque (liquidior, ex alto instillata, Dal.) infusa. Oculorum vitia omnia sanari eâ conuenit, priuatim prurigines & scabiem genarum: item insignita ac liuida (generum suggilationes, τὰ ὑπώπια, Dal.) illita cum melle, maximè pontico. Tonsillas, gingiuas & omnia oris hulcera. Sanguinis excreationes, si modicæ sint, drachmę pondere ex aqua: si minùs, ex aceto pota. Vulnerum quoque sanguinem, & vndecunque fluẽtem sistit per se, vel ex aceto. Aliàs est etiam vulneribus vtilissima, ad cicatricem perducens. Eadem inspergitur exulceratis genitalibus virorum, condylomatis, rimísque sedis, aliàs ex vino, aliàs ex passo, aliàs sicca per se, vt exigit mitiganda curatio aut coërcenda. Hæmorrhoidum quoque abundantiam leniter sistit. Disenteriæ infunditur. Et si difficiliùs concoquantur cibi, bibitur à cœna modico interuallo. Et in regio morbo tribus obolis ex aqua. Deuorantur & pilulæ cum mellis decocto, aut resina terebinthina, ad purganda interiora. Digitorum pterygia tollit. Oculorum medicamentis lauatur, vt quod sit arenosissimũ, subsidat. Aut torretur in testa, pẽnáque subinde versatur

Locus. *Lacryma sponte.* *Adulterium.* *Non est noxia.* *Plin. illustratur.*

versatur, vt possit æqualiter torreri. *Et hæc Plinius.* Quod autem dixit Aloën inter torrendum pennâ versari, instrumentum omninò ineptum indicauit. Contrà aptissimè Dioscorides mystrũ ad hoc vsurpari dicit, & μύστρῳ μεταβάλλεσθαι ait. Est autem μύστρον, ligula, quam Germ. *Ein kelle* vocant. Porrò quod dicit Plinius, fuêre qui traderent in Iudæa super Hierosolymam, metallicam eius naturam; sed nulla magis, &c. Dioscorides de Aloë non habet, sed Aloën fossilem in Iudæa nasci, Nigro falsò dictum esse.

Plin. not.

De Aloe sibi contrarius est Gal.

De Aloë diuersos Galeni libros legenti, videbitur ipse quibusdam in locis sibi maximè contradicere. Quandoquidem 8. de comp. medic. sec. loc. vbi de Hiera agit, quæ ex Aloë paratur, manifestè asserit, Aloën vim habere purgatoriam non admodum valentem, & proinde non nisi ea purgare, quæ circa ventriculum & aluum continentur. Etenim, vt ipse inquit, etsi quandoque ampliori pondere exhibita, vsque ad locos circa iecur se diffundat: non tamen totius corporis purgatoria Aloë existit. Atqui contrario modo scripsisse videtur l. de Ther ad Pisonem, vbi apertissimè scribit, Aloën vniuersum purgare corpus, his verbis: Aloë atque etiam æris squama supercrescentes in vlceribus carnes comburit, & fluxiones quæ illis adueniunt subinde exsiccant: assumpta verò per os, vniuersum corpus purgat. Hæc ille: Quæ quidem his maximè repugnare videntur, quæ de Aloë priori loco citato scripsit, ac etiam 6. simpl. med. vbi Aloën inter ea medicamenta reponit, quę Græci ab excernẽdo stercore, ἐκκοπρωτικὰ vocant. Aloë herba, inquit, non admodum apud nos prouenit: & quæ nascitur in magna Syria, aquosior est, & facultatis imbecillioris: attamen vsque adeò desiccare potest, vt vulnera glutinet. At in regionibus calidioribus, qualis est Cœlosyria & Arabia, multò est melior.

Optima autem Indica, cuius liquor est id quod ad nos importatur cognominatum Aloe, medicamentum ad plurimas res propter siccitatem mordicationis expertem (intrò sumptum, forisque applicatum, quod paucis medicamentis contingit. Vide Alexandrinum in Gal. cap. de Aloë) vtile. Est autem non simplicis naturæ, sed, vt est indicio gustus, adstringit simul, & amara est: adstringit quidem modicè, sed fortiter amara est. Subducit & ventrem, vt puta ex numero medicamentorum Eccoproticorum. Est autem tertii ordinis exsiccantium: calfacientium autem, aut primi intensi, aut secundi remissi. Sed & ipsius facultatis mixturam attestantur particularia eius opera. Nam & gratum stomacho medicamen est, vt si quid aliud: & sinus glutinat. Sanat & vlcera, quę ægrè ad cicatricẽ duci possunt, & maximè quæ in ano sunt & pudendo. Iuuat & eorum phlegmonas aquâ subacta, & vulnera eũdem ad modum glutinat. Congruit similiter vrenti & ad phlegmonas in ore, ac naribus & oculis. In summa repellere & digerere simul potest, cum hoc vt paulùm exergat, quantùm videlicet vlceribus puris non sit molestum. Hucusque Galenus 6. simpl. Idem 3. simplic. dixerat Aloën totam aut parum, aut nihil purgare. Et hinc lic. 8. de comp. med. sec. loc. antè citato hæc subdit: Ad ventris subductionem illota Aloe est aptior: elota autem multùm de medicamentosa vi amittit: quam etiam febricantibus dare aliquis possit, si febris sit valde mitis. Infestissima autem est Aloe, vel lota, iis qui citra vitiosos succos intemperie affliguntur calidâ & sicca. Proximam ab his cladem percipiunt, qui siccam intemperiem habent, vel frigiditati etiam implicatam: & in vniuersum, qui ex sola qualitate particulam aliquam affectam ac læsam habent, &c.

Temper.

Diu autem multúmque agitata est quæstio: An Aloe venarum ora aperiat, necne. Sunt autem qui negatiuam tuentur, sunt & alii qui cum Mesue affirmatiuam amplexentur, concludantque aperire. Quod quidem mirum videri non debebit in multiplicium virium medicamento, ad tertium vsq; à temperamento recessum, sicco, & ad secundum calido, terrestrique, si adaperientium quoque, quæ anastomaticæ sunt, facultatem aliquam retineat, intus à calore nostro ad actum cum deductum, vt, quod foris acria multa faciũt anastomaticæ facultatis, intus ipsum, ignea concepta vi, & acrimonia, faciat, venarumque oscula aperiat, profecto sanguine.

Inquiritur an Aloe orã venarum aperiat.

Hanc autem sententiæ etiam Fallopius subscribere videtur cuius verba hic subdimus. Mesues inter benedicta vocata medicamenta, eò quòd leniter euacuent, vel saltem moueratam habeant vim purgatoriam, & nullum incommodum, molestiæque nihil afferant, Aloen recenset. Est hæc duplex in officinis: vna quæ succus est, & Aloes simpliciter dicitur: altera verò lignum, de qua alibi. Eius, quæ succus est, varia genera nouere Antiqui. Et Mesues primò quatuor differentes species, ratione loci, vnde deferebatur, cognouit. Harum prima, erat, quæ ex Succotri regione deferebatur: Altera ex Persia: Penultima ex Armenia: Postrema ex Arabia. Auicenna autem & Isaac nouerunt tres tantùm species, Succotrinam, Arabicam, & ex Senegia delatam. In officinis [licèt Fuchsius & quidam alii duas tantùm Aloes species nouerint] tres habentur, Succotrina, Hepatica, & Caballina. *Succotrinam* decurtatâ voce ait Fuchs. appellatam, quasi Succotrinam, à succo citrino: sed decipitur. Nec enim à succo, sed natali loco, quæ est insula Succotra, denominatur. Eius nota vna inter præstantiores est, vt sit saporis in principio subdulcis, in fine autem amarescentis, authore Mesue, quod mirum est. Nam Galenus, Ruffus, Paulus, & reliqui aiunt Aloen omnem ita amaram esse, vt nihil sit amarius. Ast ego horum sententiæ adstipulari non possum, quia Absynthium, Colocyntidem & alia quædam Aloe amariora esse credo. Sed sat est quod Aloes ex communi omnium consensu sit insigniter amara, & in principio, & in fine, contra quàm Mesues asserit. Variè hæc purgat. Nam si Ciceris vnius quãtitate (dosi vnius scrupuli) & post cibum exhibeatur, euacuat tantùm fæces. At si vsque ad vnam drachmam offeratur, euacuat à tota substantia bilem ex primis venis, vsque ad hepar, quod viscus sua facultas tamen non excedit. *Porrò* tantùm bilem, non autem crassos, viscidos, & frigidos humores euacuare, perhibet Galenus 8. comp. med. sec. loca. Mesues tamen & Rufus vir Galeno antiquior apud Oribasium etiam pituitam purgare testatur. Sed omnes mea sententia rectè dicunt. Nam Aloes ex se, i.e. ex sui natura & substantia euacuat bilem tantùm, vt vult Galenus, Ætius, & alii non pauci, teste experiẽtia. Sed euacuat etiã humores crassos, viscidos & tenaces, quãdo sc. tales humores sũt in cauitate vẽtriculi, vel intestinorũ. Amara liquidè est & detergit. *Hoc autẽ* inter cętera habet Aloes incõmodũ, quòd correctione egeat, correctũq; hepati

Aloe medicamentum benedictum

Fuchs. err.

Aloe non est omnium amar.

Mesues & Galenus cõciliantur.

noceat, calfaciendo & aperiendo ora venarum, existentium circa sedem, vt ait Mesues & alii multi, quos tamen alii accusant, vt qui Dioscoridi aduersentur. Sed pro Mesue rursùm insurgit Fuchsius, & alii. *Ego verò* ab experientia discedendum non iudico, eò quòd habeam ipsam dirimentem hanc litem. Docet hæc autem, quod frequens Aloes vsus, hæmorrhoidarum venas aperiat, quod ego millies obseruaui, & vos ex centum eorum qui Aloe ad excernendas fæces vtuntur, videbitis nonaginta hæmorrhoidarum fluxum pati: omisso verò Aloes vsu, venas illas claudi. Cur autem Aloes aperiat ora illarum venarum, equidem credo, quod à tota substantia id faciat: non autem quia tardè euacuet, & continuè ac sensim deorsum descendat, vt quidam volunt: quia & alia, quæ tardè euacuant, vt Mirobolani & Terebinthina idem facerent: Nec aperit venas illas adstringendo, quia multa alia etiam pharmaca cùm adstringant, idem præstarent, vt Mirobolani & alia non pauca. Itaque credo quod à tota substantia aperiat venas hæmorrhoidales. *Ne igitur* id faciat, oportet commiscere, vt dicit Mesues, Mastichem, Gummi Tragacanthæ, Bdellium & similia. Corrigitur etiam hoc incommodum si Aloes abluatur aqua Endiuiæ, qua ablutione redditur etiam minùs purgatorium.

A tota substantia.

Io. Iuuenenis not.

Io. Iuuenenis in annot. in Galeni lib. de Theriaca ad Pisonem statuit Aloen adstrictione suâ humores quos attingat depellere ac purgare. Malim ego cum Fallopio purgandi vim præter proprietatem, amaritudini potiùs quàm adstrictioni, attribuere: amara enim, non adstringentia, detergunt.

Aloes species dua Ruell.

Ruell. Aloen Caballinam & Succotrinam solùm agnouit, volens Succotrinam iocinoris modo esse coactam. Gesnerus præfert è tribus speciebus Hepaticam, asserens Aloes plantam in Germania esse insipidam, in hypocaustis verò suspensam, amarescere, vireréque ac viuere. Amatus Succotrinam cæteris antefert, iocinoris modo concretam, ruffam, splendentem, &c: Lacuna narrat Arabes meliorem Aloen & puriorē reliquis, Succotrinam vocare: bonitate secūdam, Hepaticam: malam & adulteratam, Arabicam. Succotrinam ex se distillare, ideóque qui magnā copiam colligere desiderant, solere argillâ solum optimè inducere, ne à terra imbuatur. Apollo testis est Succotrinam cognomento præferri, optimámque ex Aegypto conuehi, vtrium particulis, globulis ac arenulis interdum vitiatam, vt pondere incautos fallat. *Sed antiphœbus* malè irradians, ait Mesuem optimam cēsere Indicam, posthanc Persicam, tertio loco Armeniacam, Arabicam ignobilissimam, quæ tamen multò melior est, approbante Galeno.

Apollo not.

Garcias redarguitur.

A Garcia immeritò reprehenditur Brassauolus: quasi negaret Aloem esse amaram: non enim negat hic simpliciter Aloen amaram esse, sed in Europa amaritudinem amittere. Plures etiam id cum Brassauolo asserunt.

Contra Lacunā.

Cùm autem nobis præ reliquis in Aloes tractatione satisfaciat Garcias, plurimos, qui in illa occurrunt soluat nodos, atque multùm afferat lucis, rei reliquum ipsi committimus. Sic autem ille. *Succus* hic non extrahitur in quadam duntaxat vrbe, vt ait Lacuna: sed per totam insulā, quæ nullis vrbibus exculta est, pagósque duntaxat habet cum multis gregibus: neque laterculis ad excipiendum succum substernitur pauimentum, vt idem author est, quandoquidem in tota insula non est tanta politics. Nec audiendi sunt, qui succum ex superiori plantę parte profluentem, eò qui mediâ, aut infimâ parte profluat, præstantiorem faciunt: siquidem omnis succus bonus est, & arena caret, si adhibitâ diligentiâ extrahatur. *Præterea* non adulteratur: nimia etenim eius est quantitas: sed quòd incolæ negligentiores sint in auferendis sordibus, quas hic succus secum trahit: alius alio peior videtur. Hanc ob causam minùs adhibenda fides est Dioscoridi & Plinio, qui eam gummi & acaciâ adulterari scribunt, cùm exigua sit iis regionibus Acaciæ copia: imò nulla, quemadmodum à viris fide dignis accepi. *Illud* verò non negauerim, quin translatum, aliis in regionibus adulterari possit. Porrò quòd laudatissima sit quæ in Socotora nascitur, non solùm vulgari famâ, sed à celebrib. viris accepi, qui cōpertum se habere aiebant, Aloem quidem plerisque aliis Indiæ locis nasci: facilè tamen dignosci eam quæ in Socotora nascitur ab ea quæ à Cambaya, Bengala, aliísque locis aduehitur: Socotorinæque pretium quadruplò maius esse, illius quæ aliunde adfertur pretio. *Nec eius* plura sunt genera, vt volunt Arabes, sed vnicum duntaxat, tametsi varia illi indant nomina. *Quod* verò Dioscorides & Plinius scribunt laudatissimam ex India adferri, alii verò ex Alexandria, aut Arabia non simpliciter id intelligendum est, sed de ea quæ ex Socotora primùm in Indiā delata est. Nam etiam ex Cambaya & Bengala defertur Ormus, Adem, & Gida. Itaque minùs malè Mesue, qui vnum Aloes genus ex Socotora adferri scribit, aliud è Persia, tertium ex Armenia, quartum ex Arabia. Nam quæ in Lusitaniam defertur, ea ex Socotora allata est. Alexandrinam autem à quibusdam præferri hinc factum est, quòd pleraque aromata Ormus deferrentur, deinde Basora, Adem Gida: inde camelis Saez, & Alexandriam, vnde Veneti petentes, ea reliquę Europæ communicabant: non autem quòd in Alexandria fiat Aloe. Nascitur verò non modò in maritimis, sed etiam desertis Indiæ locis. Nullum eius inueniri gummi certum est, sed interdum aqua quædam viscida è foliis stillat, neglecta, & nullius efficaciæ. *Huius vsus* est non modò apud Arabes Turcósque Medicos, sed etiā apud Indos in purgantibus medicamentis & collyriis, tum etiam in vulneribus carne explendis: in quem vsum plerumque in suis officinis medicamentum habent, cui nomen *Mocebar* ex Aloe & Myrrha paratum, quo etiam plurimùm vtuntur in equis curandis, & vulnerum lumbricis enecandis. *Medicum vidi* magni Sultani Badur Regis Cambaya, ipsâ herba Aloe vtentem pro medicamento familiari, in hunc modum. Folia Aloes concisa cum sale coquebat, eius decocti octo vncias propinabat, quæ aluum sine molestia & nocumento subducebant quater aut quinquies. In vrbe Goa Aloen probè tusam & cum lacte mixtam propinant iis, qui vlcere renum aut vesicæ laborant, vel qui purulentas excernunt vrinas, non sine magno successu & ægrorum cōmodo: nam illicò curantur. Illius vsus etiam aucupibus notus est, qui confracta auium crura eā conglutinant. In India similiter maturandis phlegmonibus idonea. *Quamobrem* hallucinari mihi videtur Matthiolus qui Aloem ad spectacula potiùs foueri [in Italia dixit non in India] asserit quàm ad medicum vsum. Quòd verò Musa ne-

Aloes Socotrina optima.

Aloes Alexandrina.

Aloes planta medicus vsus.

ſa negat Aloen herbam amaram eſſe, magis mirum: nam ſæpè deguſtatam admodum amarã inueni; quoq; vicinior pars erat radici, eò amarior mihi viſa eſt; extrema autem folia amaritudine carere mihi videbantur. Tota planta viroſo odore prædita eſt. *Cæterum*, quoniã controuerſia eſt inter nõnullos auctores, debeantne ea medicamenta quæ Aloen accipiunt, ante cibum ſumi, an verò ſecũdum cibum, & an illicò à cibo; pauca viſum eſt hic adiicere. Galenus [Galeno adſcriptus ad Paternianum, Cluſ.] eius quinque catapotia exhibet (tria grana Ciceris magnitudine dat poſt cœnam, Cluſ.) & bene quidem, quoniam hâc ratione capitis dolores ſedat. Plinius autem lib. 27. cap. 5. efficaciorem eſſe, ſi potã eã ſumatur cibus, modicus videlicet & boni ſucci; quę ratio multùm mihi probatur, eamque ſequuntur Indię regionis Medici. Cùm enim Aloe medicamentum ſit debile, non euacuabit, niſi ſtatim vires confirmentur modici cibi eiuſq; boni ſucci ſumptione, vt eo digeſto meliùs euacuare poſſit. Paulus lib. 7. cap. 4. contrà, manè ſumendam præcipit, eoſque reprehendit, qui eam à cibo exhibent: corrumpit enim, inquit, cibum. Sed idem rurſus lib. 3. cap. 43. Aloen poſt cibum quoque exhibet, quam controuerſiam Nicol. Rorarius in ſuis contradictionum veterum auctorũ libris conciliat. Singuli autem ſuis nituntur firmis rationibus & auctoribus. Manardus aliique Recentiores multi acerrimè in Meſuem, Serapionem & Auicennam inuehuntur, quòd affirmauerint Aloen venarum oſcula adeò reſerare, vt inde poſtea ſanguis facilè fluat, eamque ob cauſam hęmorrhoidibus non conuenire: deinde quòd ſcripſerint melli admiſtam minùs purgare, minuſque ſtomacho noxiam eſſe, quàm reliqua purgantia medicamenta. Dicunt enim Manardus & huic ſimiles, Aloen non modò non aperire hæmorrhoides, ſed eas potiùs obſtruere: neque rectè ſcribere Meſuen, qui illam ſtomacho minùs noxiam faciat, quandoquidem huic ſit admodum vtilis, nec nocumentum aliquod adferat, mellią; admixta magis euacuet reliquis purgantibus medicamentis. Priora confirmant Galeni auctoritate: poſtremò verò, quòd mel, cùm ſit purgantis facultatis, alteri purganti adiunctum neceſſariò magis debeat purgare. Rectiùs Muſa, nullius in verba magiſtri iurans, Meſue opinionem confirmat, ſæpiùs expertum ſe eſſe affirmans, Aloen hæmorrhoidas aperire. Et facilè hoc præſtare poteſt ob amaritudinẽ. Quod verò oſcula venarum obturare aſſerant, cum Iacobo de partibus reſpondeo, foris quidem adhibitam adſtringere, intrò autem ſumptam aperire. Ad ea, quæ obiiciunt de melle, Meſuen videlicet aſſerere, Aloen cum melle mixtam minùs purgare, ſic reſponſum volo. Quandoquidem vtrumque medicamentum purgatoria facultate præditum eſt, validioris facultatem, debilioris, mellis ſc. facultate infringi: Sic etiam ſtomachum roborat & firmat accidentaliter, euacuando videlicet ſine nocumento, aut eo certè perexiguo, humores, qui ventriculum infeſtant. *Plinium* mirari ſubit, qui Aloen metallicam inueniri tradit. Ego non modò modicos Iudæos, ſed etiam pharmacopolas, Hieroſolymarum incolas diligenter interrogaui de Plinii loco. Sed illi negabant vnquam fuiſſe repertam huiuſmodi Aloë tota Paleſtina. *Hactenus Garcias. Non affirmat* autem Plinius, talem inueniri, ſed fuiſſe ait, qui traderent in Iudæa ſuper Hieroſolymam metallicam eius naturam.

Aloe amara planta.


Controuerſia, an poſt, vel ante cibum ſumēda.

Aloes diuerſi eij ... .

Plinius immeritò à Garcia taxatur.

ALOE AMERICANA MVRICATA.

Cap. XII.



Longè maioribus eſt *foliis*, bicubitalibus, carinatis, repandis, duplò craſſioribus, in longum præacutũ, rigidũ, rectũq; aculeum deſinentibus, per ambitum rigidis quoq;, ſed recurvis aculeis muricatis. *Deſcriptio.*


Aloe Americana, Dod. Cluſ. Hiſp. & hiſtor. Caſt. Camer. apud Matthiol. Hiſtor. Lugd. Tab. & Eyſt. Aloe in Piſano vireto, Lob. in Adu. Aloe folio mucronato, eid. in Obſ. p. 202. Icon. pag. 374. & Gerardo: Aloe ſpinoſa Camer. hort. & Schvvenkf. Aloes alterum genus nuper ex India occid. allatum, Cæſ. Aloe Maguei Mexicanum, Bry fratribus: Aloe 2. ſiue folio in oblongum aculeum abeunte: Aloe Acoſtæ: Allaguey Indorum, *Fyl y Agulla*, id eſt, Filum & Acus Hiſpanorum, ſpinis venenatis, Trag. America planta Aloes facie, Column. Manguey mexiocanum, alio nomine Metl. Linſc. Part. 4. Ind. or. fig. 19. Manguey arbor, ex qua parantur aquæ, vina, oleum, acetum, mel, ſyrupi, fila, acus, & res aliæ infinitæ in noua Hiſpania, quarum plerumque vnam domibus ſuis, ad vitæ ſuſtentationem cõſitam, colunt, &c. part. 9. Ind. ocid. lib. 4. cap. 23. *Synon.*

Circa Mexico, tanta copia naſcitur, quemadmodum apud nos vites: facit florem, & ſemen. *Locus.* Eam cædere ſolẽt antequam nimiùm adoleſcat: tum enim radix craſſior fit, quã excauatã quidam *Liquor* colligitur, qui Serapii modo illicò denſatur: is aliquantulùm coctus *mel* fit; depuratus *Saccharum*; dilutus *acetum*; & addito Ocpatli (radix ea eſt, quam ob eius præſtantiam, Vini medicinam nominant) *vinum*, illis quidem in vſu, ſed parum ſalubre: etenim valdè caput ferit & inebriat: nullum autem cadauer, aut impura ſentina adeò fœtet, atque illorum anhelitus, qui eo vino inebriati fuerint. Ex huius germinibus & tenellis foliis, fit *conſerua*. Foliorum prunis aſſatorum *ſuccus*, recentibus vulneribus aut vlceribus inſtillatus, breui ea curat. Germinum & radicum ſuccus cum Abſinthii illius regionis ſucco mixtus, viperarum morſibus vtiliter inſtillatur. Illius foliis paratur *charta* in vſum vulgarem ſacrificiorum & pictorum: & ex iis [Lini aut Cannabis modo paratis videlicet] fiunt *alpergates* (calcei genus Hiſpanis admodum familiare ex funiculis contextum) ſtoreæ, *chlamides, cingula, capiſtra & funes*, denique ſunt illis cannabinum filum. Horum foliorum cuſpides adeò firmæ ſunt & acutæ, vt illis *acus* aut ſubulę vicem præſtent, eas cum fibris extrahendo. Iſtis ſpinis ſacerdotes illius regionis in ſacrifi-

Omnis generis remedia.


ba, supernâ cinerea, inquit Rauvvolff.

Synon. Dicitur autem ei Kali 1. Arab. eis Vsnen dictum, incolis Schinan. Kali Arab. 1. genus Hist. Lugd. p. 19. in app. Kali 4. Casp. Bauh. phyt. Kali 6. Eid. pin.



Locus. Vsus. Iuxta Tripolim copiosissimum obseruauit Rauvvolff. cuius cineribus ingentes naues onustas Venetias transuehi ad saponem & alba vitra conficienda idem testatur.

CALI SIVE VERMICVLARI marinæ non dissimilis planta.




Descript. Ramaudeto maritimam ignotam Vermiculari nō dissimilem hanc acceptam refero, *radice* longâ & crassâ pro plantæ modulo, eaq; lignosa, *ramis* dodrantalibus, lignosis, gracilibus, nigricantibus, multifidis & versus radicē veluti in articulos distinctis: multis *foliis* ex interuallis verticillatim ferè caulem circumstātibus, Vermicularis marinæ dimidio minoribus, ad Thymum accedentibus, canaliculatis. Hanc ex sicca describimus & pingendam curauimus.

An Lob. Obs. p. 207. Vermiculata exilior, totaque minor altera, minùs crebis foliis, teretibus, oblongis; & flosculis herbaceis Centinodii, ex vireto generosi Viri Brancionis oriunda?

KALI MINVS, SIVE SEDVM minus arborescens vermicularum.

Descript. DVris lignosisque *ramis* cubitalibus, interdū rubescentibus, aliàs albidis fruticat, è quorum lateribus densissimè enascuntur propagines vnciales & sextantales, sursum spectantes, *foliolis*



perpusillis stipatę per ramorū scapos longâ serie, singularibus plerumq; & longioribus, vniuscuiusque sinum implēte globulo exiguo, Milii granum æquante, qui vbi explicatur, apicelos ostentat numerosos luteos: *semen* exiguum, nigrum, lucidū compressum. Dod. gall.

Anthyllis altera Dod. gall. Anthyllis altera Dioscor. *Borda* Neotericorum, species Kali, vel Alkali. In fol. lat. verò sub Kali albo describit & depingit.

Amatus vocat Anthyllidem crassam, suâ spōte nascentem, Valentinis Bordam dictam & Anthyllidem Dioscoridis. Sed obscurum admodum est quod folia crassa ait. Sunt verò qui Caudam muris, propter quandam cum cauda similitudinem, vocent.

Matth. not. Matthiol. eos errare contēdit, qui hanc Dioscoridis Anthyllidem esse dicunt. Is autem hanc cum Cali maiore & Salicornia confundit, pingens eam in summitate figurę ad dextrum latus: In descriptione autem eius meminit his verbis: Vbi denique planta adulta senescit, folia in caulium cacuminibus longè minora exilioráque conspiciuntur, colore rufo: ex quorum ortu pilulę prodeunt rotundę ac paruę, quibus exile semen includitur.

Kali minus Rauvvolff. Lob. in Adu. & Ic. p. 394. Synon. Hist. Lugd. pag. 1377. [ibi tamen sub falso titulo, Kali maioris Pe..ę] & Eyst. Kali alterum seu minus, Camer.


C.Bauh. Kali 2. siue minus album: Eid. pin. C.B. not. Kali 2. siue minus album (habet & tradit etiam pin. Kali tertium, siue minus alterum. Semine splendente: Anthyllis altera Dodonęi, H. Lugd. p. 1380. Salsola quędam in maritimis, Cęsalpin. Fallitur C. Bauhinus: Anthyllis altera Dodonęi Hist. Lugd. non est Kali hoc album, sed Medica marina, quam aliò referimus.

Locus. Monspelii ad mare cum superiore crescit, mēse Augusto semine abundans. Non solùm autem calidioribus regionibus hęc, sed etiam ad Septentrionem Anglię, Normanię & Belgis familiaris, Lobelio.

Vsus. Eosdem ad vsus, ad quos Kali magnum, sedulò colligunt coloni Narbonenses.

KALI HIRSVTO AFFINIS, ANTHYLlidis fortè aliqua species.

Descript. TEnella etiamnum & adolescentula est planta, *radice* tenui, simplice, palmâ longiore, *coliculo* duûm vnciarum, statim supra radicem in ramo dinaricato, tomentoso, quemadmodum etiam *folia* propter lanuginem densam canescūt, quorum ortus alternatus, ita interim vt ex eodē



puncto pluscula nascantur, quorum infimú duplò reliquis maius, Hyssopi foliorum forma, sed minus, mucrone obtuso.

Locus. In arenosis quibusdã iuxta Romam collegit gener I.H. Cherlerus.

CALI SPECIES SIVE VERMICVLARIS maritima arborescens.



Locus. Vermicularis maritimæ arborescentis, & Aizoi maritimi subfruticantis nomine ex Prouincia plãtam misit Iacob. Rinaudetus,


Descript. cubitalibus, teretibus, glabris, lignosis *stolonibus* cinerei coloris, fruticantem, in ramos longiusculos diductis: per quos confertim nascuntur *folia* semunciá breuiora, quædam etiam vncialia, succulenta, Cali nostri hirsuti, exceptâ hirsutie, similia, alternatim disposita, sapore salso. Hæc planta habet multa, quæ cum Cali minore conueniunt. Lobelii autem figuram cum ramulo nostro pingimus.

Synon. Anthyllis 4. siue Chamæpityides frutescens C.Bauhin.phyt.& pin. Anthyllis altera Chamæpity similis. Cordi in Dioscorid. Chamæpitys vermiculata Lobel. in Adu. & Ic. pag.381. Chamæpitys prima Dioscoridis Penæ & Lobelii, H. Lugd.p.1160.

Locus. Fruticat maritimis littorib. atque insulis Angliæ & Zelandiæ, nec non in squalidis campis Arelaten inter & D. Aegidii oppidum, non procul à Rhodani fluentis vberrima perennans.

CALI SPECIES SIVE VERMICVLATI fruticis varietas maior.


LOb.Obs.p.207. Vermiculatæ fruticis varietas maior [ita in Ic.p.382. etiam inscribitur]



An Chamæpitys altera vermiculata Dioscoridis? Densi conferti *ramuli*: sed quæ maior, *foliis* albis, densissimè conferta, denticulatis, Vermicularis acris, maiorib. item Obs. pag. 623. Erica Alexandrina Italorum, Sanamúda 3. Clusii. An autem figura eius hic apposita competat alicui Cali Vermiculato asserere nó ausim, ob historiam per Lobelium obscurè traditam: conferat obsecro lector figuram Lobelii in Adu. p.163.& descriptionem: item figuram Obs.pag. 207.& p 623. figuram Ericæ Alexandrinæ, cum descriptione Clusii, nec inueniet quidquam correspondens. Insani fuisse videntur pictores, qui nihil simile pinxerunt, aut correspondens Sanamundæ Ericæúe Alexandrinæ dictę Cortuso, teste Clusio, quod oportuerat monuisse, & reiecisse duas figuras, vt planè inutiles.

H.Lugd.pag.1132. Vermiculatus frutex maior Lobelii. C.Bauhin.phyt. Sedum 21. siue minimú fruticosum alterum: Eid.pin. Sedum minus 11. siue fruticosum alterum: Cassiæ ligneæ similis frutex tertius, Cæsalp. An sit Chamæpitys altera Dioscoridis dubitant Lob.& H. Lugdunensis: Selaginem Plinii Cæsalpinus suspicatur, & quibusdam Semperuiuum maritimum, & Vermiculariam arborescentem dici. Synon.

CALI ARABVM ALIVD.



Cali geniculatum siue Salicornia.

NVmerosis surgit *cauliculis*, nodulis articulatis, instar Equiseti: *radix* crassa, cinerea, lignosa: Descript.

Circa Tripolim obuia. Locus.


Rauvvolff. & H.Lugd.in app. pag. 20. Kali Arabum secundum genus. C.Bauh. pin. Kali 10. [7. in phyt.] siue geniculatũ alterum, vel minus. Synon.

Salicornia dicta Dodonæo copiosissima apud mare,

mare, *frutex* est sæpè cubito altior, rectus, sapore salso: *folia* non habet, sed *ramos* duntaxat teretes densos, vt sunt folia Aizoi, Cepeæ, & similiū, densè geniculatos, pixidatim geniculo alio aliud excipiente, successu temporis circa radicem lignescentes, quibus succedunt noui, crassi, virides, interdum intensè rubentes; in quorum extremitate *flores* parui, lutei, ex apicibus paruis constantes: *semina* non obseruaui, nec radicem.



Matthiol. hanc confundit cū duobus aliis pro Kali in Diosc. lib. 2.cap.112. isq; est ramus quem ad sinistrum latus posuit, & sic describit, huic cū u primùm è terra emergit, folium est ... forma, ... Sedo non absimile, ac deinde crescens, caule tecto, geniculato, erecto: quæ sequuntur non pertinent ad hāc plantam, sed ad ipsum Kali de quo supra.



Cali 4. genera.

Kali herbę, *Vshen* Mauritanis dictæ, Italis *Soda* & *Salsola*, Gall. *Soude*, Camerarius apud Matthiolum plurima genera haberi tradit, è quib. quatuor exhibet. *Mirum* interea nobis videtur, cur Camerarius apud Matth. vetus Kali omiserit, cuius tamen portionem Matthiolus pinxerat. Trium autem hic damus icones: quartum primo est affine.

Cam.ncl.

Synonyma Kali Anguill. & Leo. Lemnio, cui & Vermicularis, vel Crassula, vel Aizoon, vel Sedum marinum. Kali geniculatum Tabern. Camer. Kali geniculatum Penæ. Hist. Lug.[1] p.1378. (vbi & alia figura, mala tamē ex Matthiolo, Salicorniæ, &c.titulo.) Kelin Ægyptiorum species prima, & Kali primum, Alpino: Kali 7, siue geniculatum, C.Bauhin phyt. Kali 9. siue geniculatum maius, ibid pin. vbi differentias duas tradit, vnum simplicius & breuius, dodrantali altitudine, tectū & annuum: alterum multis ramis fruticans, lignosum & grandius, perpetuum: Haberi testatur &rubrum & viride. Alkali Gesn.hort.& Lonic. Trag spec. Dodon. gall.& lat. sub titulo Salicorniæ depingit, & pro Kali tertia specie describit, tametsi minùs ad vsum experatur. Gall. porrò Tragi speciem facit: Lat. verò Kali articulatum à nonnullis nominari.

Differentia C.Bauhin.

Salicorniæ siue Kali geniculati vermiculati inscriptione pingitur & describitur à Lobel. in Adu. & Icon. p.395. Clus.hisp. Salicornia nonnullorum, Sempervivum marinum Monspelianorum. Anthyllis tertia, Amato. Anthyllis constans veluti Tritici granis Cordo obs.sylua. Sallolæ genus aliud. Vinen & Kali Serapionis, Cæsalp.

Locus. Maltò frequentissima ad quaslibet maritimas oras tum Oceani, tum mediterranei maris, autore Lobelio: Ego copiosam florentem viridi Monspelii mense Augusto, iuxta mare, & inde delatam habeo Montbelg. in horto: reposita per Hiemem durat.

Temper. Gustu ait esse Lobelius non insalso, nec temperamento, aut vsu dispari à cæteris Kali generibus, verùm vbique neglectam. Calida & sicca

Vires. est herba Camerario, & calidior ex eo confectus cinis, qui ad quartum qualitatis vtriusq; gradum accedit, vrendiq; & cau...icam vim habet. Comburuntur in cinerem hæ plantæ, quo liquefiunt contriti lapides ad parandum vitrum. Lixiuium inde percolatum acerrimum & mordacissimum, addito oleo in saponem decoquitur ad abluendas vestes vtilissimum. Herbæ exigua quantitas intrò assumpta, vrinas & menses potenter euocat, fœtum eiicit, aquosos per aluum humores educit, hydropicos purgat. Eius nidore fugantur serpentes. Miscetur etiam cinis, quæ scabiei & cutis fœditatibus illinuntur, medicamentis: superfluam & excrescentem in malignis vlceribus carnem exedit.

KALI SECVNDVM ALPINO.



Synonyma **K**Ali altera species, Kali album nonnullorum: plāta salsa, atque acri sapore linguam feriens, Alpino.

C.Bauh.pin. Kali 7. siue Crassulę minoris foliis: Kali 2.species, Anthyllis quibusdam Alpini: Kali floridum repens, Aizoides Neapolitanorum, Columnæ part.2.

Locus. Vsus. In Ægypto alitur, ex qua vti & aliis, combusta cineres fiunt, ad vitra, saponem, & alia multa.


KALI ÆGYPTIACVM 3. ALPINO.

Anthyllis. **H**Anc cum priore sub genere reponendam Anthyllidis secundæ ensuit Guilandinus.


Alpino autem dicitur Kelli Ægyptiorum species tertia, & Kalli Ægypt. propria.

C.Bauh.pin.Kali 8.siue Ægypt. foliis valde longis, hirsutis: Kali tertia species Alpini.

Vsus. Ex tribus his Kali Alpini speciebus Sole in primis exsiccatis & mox combustis cineres ii parantur, qui illinc Venetias cõuehuntur ad vitra, atque alia conficiẽda. Aiunt multi illorum, folia trium harum plantarum, sed maximè secundæ atque tertię Kalli, in pulverem redacta, per os sumpta phlegma atque bilem exustam purgare. Idémque ex foliis expressum succum facere.



TRAGVS SPINOSVS MATTHIOLI, siue Kali spinosum.



CVbitales per terrã fundit *caules*, crassos, succulentos, atrorubentes, multis alis brachiatos: per quos *folia* crebra, lõgitudinis vncialis, crassa, salsuginoso succo prægnãtia, in aculeum rigidum pungentem desinentia: ex quorum sinu *flosculi* emicant parui, herbacei, succedente *semine* in cochleæ formam conuoluto, in vasculo, acutissimis rigidis spinis per oras munito: *radix* fibrosa, inutilis. *Figura* nostra ex Fuchsianis non vndique placet.

Matth. reprob. Lob. in Ic.p.797. Obs.pag.463. inscribit Tragon Matthioli, & Drypin Theophrasti Guilandini: In Adu. Tragon improbum Matthioli, Cali speciem spinosam, Scorpium Theophrasti: Matthiolum reprehendens, quòd Tragon Dioscoridis vocarit, & cum Scorpio Theophrasti cõfuderit: negat enim Tragum Dioscoridis, & meritò.

Gesnerus contrà de hort. & Tragum Dioscoridis, & Tragium maritimam herbam, & Scorpium Theophrasti & Plinii vocat, ac Fruticem pusillum aculeatum, sine ... Ast non benè frutex hæc solus dicitur, seu herba foliosa.


Sunt & alii qui Tragum Dioscoridis asserunt. Sed Tragus esse non potest: nam in primis frutex non est, sed herba excedens cubitum, in multos diuisa ramos, per terram se spargens. Secundo, Tragus foliis caret: hæc herba autem folia multa habet, &c. Tertiò, non habet illos veluti racemos: sed iuxta folia, veluti capitula spinosa, in quibus continetur semen conuolutum cochleæ instar, vnde factum vt cùm primùm hanc plantam intuitus essem, nomen Cochleiformis ei inderem: Postremò, adstrictionem non habet, sed salsa est & potiùs aperitiua. *Tragus nõ est.*

C.Bauh.pin. τράγος siue σκόρπιον, aut τράγανος Diosc. & Plinii: Tragum 2. siue Kali spinoso affinis: Tragum Matthiol. Lac. Castr. descr. Lob. & Tabern. cui germ. *Meer Stachelkraut*: & *Scorpionkraut*. Tragus & Kali 2. genus Dodon. gall. Drypis Guill. Tragon Matthioli, Lob. H.Lugd.p.1477. & Gerardo: An Tragon Cæsalpini? *Synonyma.*

Monspelii obseruaui mense Septembri iuxta lacus salsos quà itur ad mare & in agris. In hortis sata degenerare videtur, foliáque progignere longa & tenuia, minùs acuta & rigida, & crassa. *Locus.*

SAXIFRAGA ALBA, RADICE granulosa.

CAP. XV.



Descript. RAdix ex plurimis bulbillis, Coriandri seminis magnitudine, purpurantibus, amaris, fibris tenuibus inter se commissis, constat, quanquam & aliis præterea fibris longioribus, crassioribusque sit donata: *caulem* profert singularem nõnũquam, aliàs ternos, quinos & plures, teretes, purpureos, hirsutos, ramulis brachiatos: quibus insident *flores* albi aliquot, quorum non idem omnium tempus florẽdi, quinis foliis constantes, staminibus luteolis & stilo viridi, odore nullo euidente: flores includuntur foliolis quinque viridantibus cum ora purpurea, hirsutis, & tactu nonnihil viscosis, cuius lentoris particeps est cum foliis caulis: *folia* ex pediculis vncialibus, & palmaribus, hirsutis, ferè rotunda, cristata, ad Hederæ terrestris folia quodammodò accedentia, pinguia: eorum verò quæ in caule sunt, videas aliqua nullam dissectionem experta, integra, lanceolata, mucrone spadiceo: alia fimbriata quidem, sed non ita prope orbem complentia. Hæc nonnullis locis foliis est maioribus, altiúsque exurgit: frequentiùs tamen minoribus est, & humilior, vel C.Bauhino teste, cum Dodonæo.

Tragus pingit & describit nomine Saxifragæ albæ. Gesn.coll.stirp. Saxifraga maior, seu alba: Item


ba item: Item Saxifraga granata. Eid. hort. Saxifraga alba: In cat. Calcifraga, Ἐμπετρον. Apollinaris vocat *Steinbrech*: Galli *Romptpierre & Saxifrage blanche*: Belgæ *vvittesteinbreck*. Saxifraga, Lon. Saxifraga alba, Trago, Dodon. Fuschi.ic. Gesner.hort. H.Lugd.p.1113. Thal. Camer.& Tabern. Saxifraga alba chelidonides, Lob. Adu.& ic.p.612. Saxifraga alba tuberosa radice, Clus.hist. Saxifraga 1. siue rotundifolia alba, C.Bauhin. phyt. & pin. Saxifragia, Brunf. thap.33. tomo 1. Saxifragia maior, Eid. in 4.p. 100. Fuchs. & Lacunæ. Saxifragia 4. Matth. in comm. cum mag. fig.

Locus & Tempus. Locis herbosis incultis, in montibus, collibus in Germania, tum & in Bohemia, gignitur Maio mense cum floribus reperitur, paulò pòst folia, caulesque inarescunt, relictis circa radicem granis, quæ tempestiuè colligenda, alioquin & euanida futura.

Vires. Saxifragam ab effectu dictam esse affirmat C.Bauhinus quòd sc. eius tum stillatitia, tum decoctum, lapides renales & frangere & pellere dicatur, vt & farina granorum ad radicem, ex decocto sumpta. Grana hæc, & folia, ac radices, calida & sicca statuit Dodonæus, vtriusque qualitatis ordine secundo. Feruntur autem hæc, vesicæ ac renum vitiis ac doloribus mederi: calculos dissoluere: vrinas prouocare: stillicidioque auxiliari.

SAXIFRAGA AVREA DODONÆI.

Descript. Herbula est *foliis* multis figurâ terrestris Hederæ minoribus, interdû maioribus, præsertim postquam defloruit, rotû dioribus, succulentis, in ambitu laciniatis, vtrinq; hirsutis, suprema tamen & minora sunt, & vtrinque glabra: gustu subacido, & amaricante, stypticoque.



Pediculi angulosi, solidi atque albidi (infernè tamen rubescentes) ad terram villosi, quasi coliculi, assurgunt palmari & dodrantali altitudine, vel paulò altiùs in duos vt plurimùm, tresue ramulos angulosos sulcatos diuisi: in quorum summitate super foliis *flosculi* terni aut quaterni lutei, floribus Ribes vulgaris simillimi, inodori, foliolis quaternis crucis instar collocatis, aliquot staminibus luteis in medio calathiscum ambientibus: *semine* paruo, nigro: *radiculis* innititur longis ex albo rubescentibus, aliis crassiusculis: geniculatis, fragilibus, repentibus, plurimis verò fibrosis, tenuitate capillari.

Synon. Saxifraga aurea, Dod.& Gesner. hort. Thal. Cam. Ger. & Histor. Lugd.p.1113. Saxifraga Romanorum Lobelii, Eid. p.1114. Item Saxifraga alpina. Saxifraga aurea Lichenis facie, & natalitiis, Lob. Adu.& Icon. p.612. Saxifraga Sabauda, Rob.Constantino, qui cum Pilosella Herbariorum, & natalibus, & facultate, multisque figuræ notis conuenire hanc scribit. Chrysosplenion, *Gulden Miltzkraut*, Tabernam. Erysimi species Aldroando. C.Bauh.pin. Saxifraga 3.(2. phyt.) siue rotundifolia aurea: hepatica palustris, Eyst.

Nom.ling. German. *Gulden steinbrech* dicunt: Belgæ *Goldensteenbreck*: Galli *Romptpierre, ou Saxifrage dorée*.

Locus. Humidis, vmbrosis palustribus, riguis, muscosisque obseruaui locis, Maio & Aprili florentem, diuersaque gerentem folia, ita vt diuersas eius species quis existimarit.

Vires. Chrysosplenio saporem quem Licheni, adscribit Tabernamontanus; hinc existimant quidam facultates easdem habere, hepatisque & lienis obstructiones reserare.

SANICVLA ALPINA GVTTATA.

CAP. XVI.



Descript. RAdix Saniculæ guttatæ est crassitudine minimi digiti, nigra, densissimo fibrarum barbibitio capillata, sapore insigniter adstringente: *caules* hirsuti, teretes, & nonnihil tortuosi: *folia* rotunda, lata, pinguia, hirsuta, altis per ambitum incisuris serrata, sic vt minima folia tanquam digitata videantur sapore adstringente & subacri, alia à radice orta lôgis pediculis, palmaribus & sesquipalmaribus, hirsutis propter terram rubentibus, appensa: in caule, aut breui aut nullo pediculo donata: ex quorum alis pediculi semipalmares & palmares, tenues, hirsuti, intortâ ceruice prodeunt, in alios breuiores subinde diuidui: quibus insident *flores* raræ pulchritudinis, nullo excellentes odore, stellati, sex foliis oblongis constantes, albis, sanguineis punctulis guttatis: quorum singulorum medio *stamina* singula albida apprimuntur, & totidem foliis interiiciuntur: vmbilicus bicornis in meditullio surrigitur.

Synon. Gesn.hort. Sanicula alpina: Eid. de Lunar. Saniculæ alpinæ genus, Sanicula guttata: Item lib.3.ep.ad Zvving. Sanicula alpina Cotyledoni cognata. Io.Fabritio ad Gesner. Sanicula alpina guttata Clus.pann.p.439. Sanicula montana 1. siue guttata Eid.histor. Sanicula montana altera, Saniculæ guttatæ nomine Ferrariâ missa, quia eius flores sanguineis veluti maculis aspersi sunt. Montanorum pastorum & venatorum Sanicula alba, *vveisz Sanikel*. *Dubitat* Clusius an ea sit quam Lobel. in Aduers. & Icon.pag. Garyophyllatam & Geum alpinum recentiorum

folio herbaceo inscribit. Et mirum sanè quid si bi velit Lobelius, planta enim hæc quam pingit Lob. cum Garyophyllata nihil habet commune.

H. Lugd. H. Lugd. Caryophyllata siue Geum alpinum Penæ: Eid. Cotyledon tertia Dalechampii. Duę effigies eiusdem stirpis.

C. Bauh. phyt. Sanicula 9. Eid. pin. Sanicula rotundifolia 2. siue San. mont. rotundifolia maior: Sanicula mont. altera Eyst. Sanic. alpina Cam. ep. guttata, Eid. hort.

Locus & Tempus. Geneuæ eundo Lugdunum inter *S. Germain* & *Chastillon* Sabaudiæ reperi florentem Maio & in principio Aprilis. Crescit in omnibus Austriç & Stiriæ alpibus vmbroso loco, h. e. vbi plerũque siluæ in alpium iugis desinere incipiunt.

Floret Iunio, interdum etiam serius: in hortos verò translata, teste Clusio, multò maturius.

SANICVLÆ ALPINÆ aliquatenus affinis.



Descript. EX *radiculis* sparsis capillaribus, dodrantalibus surgit *caulibus*, sine nodis, cauis, subhirsutis, superiùs in ramulos abeuntibus: quorum extremis hærent *flores* Saniculæ alpinæ guttatæ, quinque candidulis constantes foliis, apicibus cum bifido vmbilico turbinato medium obtinentibus, circũiectis toti flori foliolis viridantibus: *folia* per terram sparguntur, subhirsuta, vnciam aut sescunciam longa, sensim dilatata, semuncialia, serrata, superiore potissimùm parte crassiuscula, gustu adstringente.

Locus. Hanc reperi in riuulo fontis pulcherrimo, qui est in cacumine Vogesi montis dicti Balon vbi florebat Augusto.

An Saniculæ montanæ alterius species secunda, Clusii?

C. Bauh. C. Bauhin. in pin. vocat Clusii Saniculæ montanæ alterius speciem secundam, Saniculam rotundifoliam tertiam, vel Saniculam montanam rotundifoliam minorem. Nostra verò in prod. illi est Sanicula: siue montana minor.

OPHIOGLOSSON.
CAP. XVII.

Descript. MVltis fibris & satis crassis cirratâ, Ellebori modo, si præsertim pinguius nanciscatur solum, *radice* donatur, post dulcedinem quam primam linguę ingerit, caloris & acrimoniæ nõnihil in palato relinquens, & paulum amarescens Camer. Huic surgit *pedicellus* palmaris, *folium* singulare sustinens, Betæ paruæ quodammodò, pinguius tamen & carnosum, miniméque neruosum, modò angustum & longiusculũ, modò latum & subrotundum, læue, erectum, sapore dulciusculo cũ viscositate & virositate aliqua: è cuius sinu quà pediculo committitur, ligula exit, bifurcata, non tamen secta, in acumen sensim desinẽs, citra extremitatem, vtrinque dẽticulata, scobinæ aut limæ aurifabrorum effigiatura. *Seminis* loco, inquit Camerarius, ei tenuis quasi pollen in linguę insectionibus, quibus per maturitatem dehiscentibus, excidit. Cæsalpinus ait esse vestigia seminis, at semen nullũ conspicuum contineri, viuere tamen radicibus, quibus copiosè propagetur.



Ophioglossum variare scribit C. Bauhinus: aliquando, inquit, folio est sinuato: ligula communiter simplex est, aliquando duplex, & etiam triplex, quemadmodum Camer. in Epit. Matth. pingit: est & abortiuum à Lobelio in Icon. p. 809. pictum. Varietas

An Plinio lib. 24. cap. Lingua herba circa fontes nascens: siue Lingulaca, lib. 25. cap. 11? An Fab. Columnæ, Epimedio congener, id est Lunaria?

Dicitur Ophioglossum, Trago, Fuchs. Dod. Lonic. Thal. H. Lugd. Cast. Cam. Tab. & Eyst. Synon.

Ophioglossum siue Eneaphyllum Lobel. Adu. Obs. pag. 471. & Icon. p. 808. ibi tamen Ophioglosson & Henophyllon legitur.

Gesn. hort. [vbi de veteri eius nomine ei constat] Ophioglossus Fuchsii, Henophyllum & Monophyllum: Italorum, præsertim Bononiensium [si non fallitur,] Serpentina: aliquorum (Belgarum, Dodon.) Lancea Christi, & Luciola, vel Lucciola, quòd noctu luceat. Eid. de Lunar. Ophioglossus Fuchsii, Lingua siue Lingulaca Plinii: & sic etiam in cat. plant. vt & Occo in pharm. Lingua vulneraria, Cord. hist. & Cam. Lingua serpentina, Cæs. & Cast. Serpentaria secunda, Brunfels. Echioglossum, Schvvenck. φύλλον, Folium, *Einblatt*, Amato in Diosc. non quoad figuram, sed quoad descriptionem. C. Bauh. pin. Ophioglossum 1. siue vulgatum.

Ophioglosso autem floris arguta cuspis, linguam serpentis exertam imitata, nomen impertiuit, fictum quidem ex germanico, quod est *Natterzünglin*, & *Schlangenzungen*: Silesii tamen vocant *Einblatt*, aut *Kechter wiederthott mit Zunglin*: Belgæ *Ons geeven Speer cruyt* & *Natertongen*: Galli *Herbe sans cousture*, *Langue de serpent*: It. *Lingua serpentina*, *Herba lucciola*: Angli *Adders tonge*: Boh. *hady Jazyk*. Nomina linguar.

In humidis ac palustribus pratis vt plurimùm prouenit: nonnunquam tamen & in montanis occurrit. In hortis locis vmbrosis posita durat & annua- Locus

& annuatim repullulat. In Belgio, Germania, & nonnullis Austriæ & Italiæ locis, Aprili vel demum Maio mense prodit, & ad vsque Iunium quandoque viget: paulò post tota marcescit, nec deinceps vsquam conspicitur. Euulsu radix contumax.

Tempus. Fuchsio, citra caliditatem exficcat insignem, id quod gustus satis indicat: vulneraria est herba, maligna siquidem & curatu difficilia vulnera sanat. Tumores etiam discutit, & ferè Symphiti facultates obtinet. Dodonæus frigidum quidem, sed moderatè asseris: siccum verò temperamento ampliùs esse ait, ad secundum gradum videlicet accedens. Ad recentia vulnera conglutinanda conducere, & admirabilis esse efficaciæ, Bapt. Sardus scribit. Recentia folia vulnera mirificè conglutinant & enterocelas sanant. Datur potanda ex aqua Equiseti ad intrinseca vulnera: auxiliatur sanguinem reiicientibus, pota ex aqua foliorum Quercûs, quo modo & alba vteri excrementa sistit: decoquitur in vino austero ad collachrymantes oculos. Illinitur recens cum adipe gallinaceo ad vulnerum inflammationes.

Apum ictus. Succus illitus apum ictibus auxiliatur. Herbæ puluerem aliquot diebus exhibitum ramices omnes curare posse affirmat idem Sardus. Conficitur ex hoc Oleum, foliis cum oleo Oliuarum ad Solem diutiùs maceratis, quod non modò recentia vulnera & rupta, sed & vetera vlcera citò sanat. Landatur & ad ramices exteriùs illitum.

Ophioglossum anguloso folio, C. Bauhini.

Descriptio. Ex *radice* crassâ, in fibras crassas abeunte, vnus vel alter *pediculus*, vncias quatuor longus, post medium dilatatus, effertur, cui *folium* vnicum, vncias tres longum, sesquiunciam latum, ad exortum vtrinque dilatatum & angulosum insidet & *stylum* sesquiuncialem linguam referentem, pediculo donatum obtinet.

Synonyma. Helmstadio missum hoc Ophioglossum angulosum anguloso folio, quod 1. in prod. 1. in pin.

Ophioglossum minus subrotundo folio, Eiusdem.

Synon. & descr. Ophioglossum 2. in prod. 3. in pin. *radicula* est fibrosa, *pediculo* simplici & breui, cui *folium* vnicum, subrotundum, vnciam latum, sesquiunciam longum insidet: ad cuius exortum, & veluti è folij sinu, *stylus* serpentis linguam referens, vnciam longus, exit: in humidis circa Monspelium pro-

Locus. uenit.

EPIMEDIVM, EPIMETRON & Epipetron.

Cap. XVIII.

Diosc. Epimedium caulis est non magnus, Hederæ foliis, denis aut duodenis, neque *semen*, neque *flores* proferens: *radicib.* tenuib. nigris graui odore, gustu fatuo, seu insipido: nascens in aquosis.

Vires. Huius folia incisa, & cum oleo trita, mammisque cataplasmatis instar adhibita, eas ita cohibent, vt non augescant. Et radix spem partus adimit (conceptionem impedit, Corn.) Et folia trita, postque menstruam purgationem quinis drachmis in vino pota quinque diebus præstant mulieribus ne concipiant. *Eadem & Plinius.*

Plin.

Galen. Epimedio vis est [vt ait Galen. 6. simpl.] moderatè refrigeratoria, cum aquea humiditate: quare nullam habet insignem qualitatem. Vberibus illitum ea recta seruare potest. Aiunt verò si pota hauriatur, sterilitatem parere.

Theophrastus h. l. 7. cap. 8. inter plantas quasdam omni penitùs flore carêtes, Epimetrum collocat. Hoc autem Epimetron Theophrasti Gesn. in cat. pl. idem Epimedio Dioscoridis, Galeni, & Plinij esse suspicatur. Sed hæc coniectura, vt à nobis non probatur, ita nec impugnatur. — Epimetrum Theophr.

Plinius lib. 21. cap. 15. de herbis spontè nascentibus, quibus pleræque gentium vtuntur in cibis maximèque Ægyptus, Acinon commemorat, Epipetron vocatam, quæ nunquam floret. At Turnebus hoc loco Aduers. lib. 16. c. 9. legendum putat Cynops. Dalechampius tamen (Acinos) nomen in Plinio retinendum censet, & vocem copulatiuam [&] interponendam, ita vt sensus sit, Acinos, & quam Epipetron vocant, &c. Ait enim in Theoph. l. 7. c. 8. in principio capitis Cynopis nomen legi, & à Gaza Canariam reddi. — Plin. restituitur.

Rob. Constantinus in Lexico suspicatur apud Theophrastum pro ἐπίμετρον ἐπίπετρον legendum. Ἐπίπετρον, ait idem, cuius & meminerunt Hippocrates, & Plinius planta est ex earum genere, quæ etiam solo auulsæ, suspensæque tantùm, folio diu durant. — Theophr. corrigitur.

Quare Epimedium in Dioscor. appellatum sit, ignorare fateor, inquit Columna, nisi ἐπὶ μηδίᾳ quòd in Media frequens oriatur. Apud Theophrastum Epimetron legitur, & pro eo in Plinio Epipetron. In Dioscoride legitur fructu carere, & forsitan hîc καρπὸν fructum, pro semine vsurpasse est censendum, non legitur enim in Theophrasto, nec in Plinio. Quare ab aliquo adiuncta hoc loco verba οὔτε καρπὸν censeo existimanda: aut legi debere & interpretari, non semen, neque florem fert: atque etiam dici posset suspectam adhuc esse eiusmodi lectionem: nam quælibet planta, priùs florem, deinde fructum, & semen perficere videtur. — Cur dictū Epimedium.

Porrò, quæ planta sit Epimedium asserere nondum audemus: sed præstat fortè etiam ignorasse hanc malignam herbam, hominibus probis vitandam, si præcipua eius vis est ea, quam Dioscorides ei assignat, & post eum Plinius & Galenus affirmant, conceptionem impedire. Et talis vsus lege non solùm diuina, sed & humana videtur interdictus, & planta si nota esset, impiis minimè demonstranda.

Epimedij, Epimetri & Epipetri [vna stirps & non distinctæ plantæ Column.] æquiuocationes vt tradamus, reliquum est. Is autem nominibus sequentes donantur plantæ: sc. Lunaria minor. Trifol. hepaticum. Epimedium multorum. Morsus ranæ. Ornithogalon maius spicatum. Caltha palustris. Acinos. Ocymum. Anacampseros. Lens palustris. — Æquiuoca.

LVNARIA BOTRYTIS.

Cap. XIX.

Fibrosa Ophrios *radice* prædicta, *pediculum* emittit vnicum palmarem, aut paulò longiorem latiusculum, cui vtrinque quatuor, aut quinque, aut plures adhærent coniugationes *foliorum* falcatorũ, crassorum, gibbo inferioris conuexum excipiente: ex eodẽ pediculo ex infimæ cõiugationis sinu *surculus* prodit palmaris, succulentus, crassus: è cuius lateribus alternatim nascuntur pediculi racemulis onusti, iubam imitantes. — Descriptio.

Columna sic describit. Exit ab *radice* tenui,

subnigrâ, intus flauescente, repente; atque fibris diuisâ, *folia* edens rotunda, Hederæ formâ, læuia, Soldanellæ marinæ similia, minora verò, tertij Sedi (Sedi echinati flore luteo) primis foliis ferè æqualia, quæ etiam Hederæ similia sunt, sed non ita crassa, atque molliora, singulari *cauliculo* ex opposito alternatim hærentia, dena, aut duodena, vel aliquando etiam plura pauciorave: secundum loci annique temperiem: è medio verò caulis parum sub primis foliis producitur petiolus tenuis in sūmo plures edens racemos vtrinq; petiolo hærentes foliorū etiam numerum æquantes, acinos habentes congestos, paucos, virides, qui nec florem vnquam edunt, nec semen intus habere conspiciuntur, sed pro eo pallido colore puluis tenuissimus, atque impalpabilis inuenitur, quo sato, an ex eo planta exeat, incertum est, sępè quidem cùm expertus sim nunquam exire aliquid cognoui. Tota planta dodrantalis ad summum est. Radix grauem odorem terreum, putidumque remittit, gustu insipido aqueo. Hæc ille. Nobis autem degustata radix atque etiam tota planta subdulcis videtur.

Fuchs. mos. Fuchsio Lunaria hæc minor in caulis summitate semen Betæ simile profert. Quod quā in verum sit: ij qui Betæ semen in hac planta viderunt, testentur: nos nunquam id obseruauimus. Trago quidem semen exiguum, copiosum: Gesnero sunt veluti semina quædam rotunda (sterilia, vt coniicit, non solida, sed luteo polline plena) colore giluo. Matthiolus describit semine ruffo, rotundo, minutóque. Lobelius ait ramosum florem edere, Ambrosiæ aut Botrydis, conuexione quadantenus Ophioglossi.

Lunaria petræa Gesn. Lunaria, quam petræam cognominare libet (inquit Gesn. de Lunar.) ligulam habet, cui cohærent racematim veluti semina colore giluo, per summum in spiram retortam, quæ fortè per maturitatem explicatur. Et fortè spira illa in causa est, vt à Luna sit impositum nomen, quòd instar Lunæ crescentis incuruetur, sicut in Filicum generibus & Phyllitide, cùm folia primùm crescunt, radix simplex descendit, pluribus in imum adnatis: gustus è dulci adstringit. Pastores Tauram vocabant, vel Teram, quòd vaccæ hac degustatâ, taurum requirant. Sunt in Italia qui Epipactin vocitent; quæ & Elleborine dicitur Dioscoridi. In agro Bernensi audiui nominari ab Empirico Clauem diaboli, h. e. *teuf fels schlussel.* Denique quod cum Luna augeri & decrescere quidam putant, quis non fabulosum existimet?

Lunaria minor dicitur Chymistis, ab aliis Lunaria botrytis ob semen racemosum. Ferunt autem equos in montibus, vbi hæc copiosa prouenit, eam supergressos, auulsis ab ea clauis, suos ferreos calceatus amittere, & ob id vulgo à nonnullis *Sferra cauallo* appellari. Sed perperam, vel Matthioli iudicio, quòd alia sit planta, quæ vel ab ipso effectu legitimè sic fuerit appellata, vel quòd semen proferat ferreis equorum calceis simile. Magni faciunt hanc quidam, præsertim Chymici, eáque pluris ferme æstimant, quàm aurum. Sed quàm isti in suis vanis opinionibus deludantur, ipso magno sæpè suo damno experiuntur. *Chymist. opinio vana.*

Perelegantem hanc Lunariam racemosam, Ceterach foliis, racemulis Ophioglossi, antiquis indictam, in Aduers. scribit Lobelius: recentiores autem Lunariam vocasse perhibet, à foliolis Lunæ crescentis in morem subter falcatis.

Cæsalpinus Lunariam hanc minorem cognominatam, seu racemosam, Ophioglossæ affinem tradit: quia vnico exit folio, incipiente Æstate, quod citò disperit: putat verò totidem habere folia, quot Luna dies habet: & inde Lunariam dictam esse: scribit enim incipiente Luna, incipere eius exortum, augerique in dies foliorum numerū, paticulatim explicato folio, vt in Filice.

Columna ait apud Theophrastum hanc plantam Epimetron vocari, & pro eo in Plinio Epipetron, & alibi, vt in Dioscoride, Epimedium, in aliis nomenclaturis Erineos, & Thryon, quia aquosis gaudeat locis.

An veteribus cognita, ambigitur, inquit C. Bauhinus: aliqui Cetarion Plinij censent: quidam Tragium secundum Dioscoridis, quod in montibus folio Scolopendrij, radice tenui & candida nasci scribit: nonnullis ἡμιονῖτις ἑτέρα & σεληνῖτις, quia aliqui Hemionitidē Lunariā maiorē vocant, hanc verò minorem & botrytem à plurimis racemulis vtrinque thyrsulo hærentibus & foliorū numerum æquantibus; Epipactis quibusdam. An ἐπιπακτὶς Dioscoridis, & Plinij Epimedium, quod fortè Theophrasti Epimetrum. Lunaria hæc foliis est denis, vel duodenis: nouendecim in Baldo notant: quare putant aliqui totidem folia habere, quot Luna dies, vnde nomen habeat. *An Epimedium.* *Nouendecim foliis.*

Synonyma. Lunaria, Trago & Dodon. Lunaria minor Matthiol. Fuchs. Dod. gall. Gesn. hort. Lon. II. Lugd. Cast. Ger. & Thalio. Lunaria racemosa, Lob. Obs. p. 470. & Ic. pag. 807. Lunaria maior, Cast. Lunaria vulgaris minor, Clus. h. ap. alt. ad l. 5. Lunariæ botrytis, Thal. Camer. hort. Col. & Eyst. Lunaria botryitis minor, Clus. hist. Ruta lunaria vel iecoraria, Tab. Epimedium Dioscoridis, Colum. ἡμιονῖτις ἑτέρα καὶ σεληνῖτις, Schvvenckf. Lunaria 1. vel minor racemosa. C. Bauhini phyt. & pin. An Lunaria nobilis, Fabritio in epist.

Nomina linguæ. A foliis hanc plantam germanicè *Monrautten*, quasi Lunaticam Rutam dicas, & *Monfraut*, Lunarem herbam appellare libuit: item *leber Rautten*, Iecorariam Rutam, & *vveisser vvidertkon*, *Rotht vvidertkon*; Silesiis aliis nonnullis *May druyflin*: Brabantis *Cleyn Maenecruyt*. Gallis *Taure ou Lunaire*: Ital. *Lunaria del grappolo*. Boh. *vvrat se nafe.*

Locus & Tempus. In monte Rhetiæ Bormio dicto Iunio mense collegit Genevæ in monte *Salene* vigentem Maio: in monte autem Thuiri racemum suum habentem, Iulio. In quibusdam altissimis siluis nasci refert Tragus: Iulio mense apparere, deinceps verò non item: esse qui dicant cum Luna augeri & decrescere, ita vt quod diebus supra terram Luna fuerit, tot etiam incisuris dissectum Lunariæ folium videatur. Tubingæ in pede montis Austriaco Iulioue Maij & Iunio mense copiosissimam

ſiſſimam inuenit Fuchſ. Geſn. In petroſis Sabaudiæ montibus, & ſatis frequêtem circa Clauennã inſignem Rhętiæ pagũ. Lobel. in Angliç collibus, qui Greuuici regiis ædibus, & Tameſi imminét, ſatis multum reperit. Mindena iuga eã etiamnum habent: ericeta, ſtrigoſa, ſteriliaque montoſa amat. In ſaxis, locis alpeſtribus, ac frigidiſſimis oriri teſtatur Cæſalpinus. Columna frequentem perhibet in monte D. M Virginis, vulgò *Mõ ■ vergine* appellato, frigido & excelſo, locis humidis aquoſis, pratenſibus: Vere exire, Mart. ■ ſc. menſe: Maio verò & Iunio cum botrybus racemoſam inueniri. In montium aut colliculorum decliuib. ac herbidis locis ſubinde gignitur, Solo tamen gracili ac multo: Sub finem Aprilis, Maio ac Iunio inueniri poteſt: cęteris anni menſibus temerè fuerit nuſquam apparentem requirere, inquit Dodonæus. Creſcere etiam in Pannonicis, Noricisque, ex veterum Geographorum deſcriptione, iugis, præterim verò in pratis, quæ ſiluis cinguntur antè quam ſuprema Alpium ſupercilia attingas, author eſt Cluſius. In monte Iura non rarò occurrit. In hortos tranſlata non diu durat. In Sileſiæ pratis nec non montium gramineis colliculis Maio conſpicuam tradit Schvvenckfeldius.

Vires & Vſus. Multi præclara quædam de Lunaria ſibi & aliis pollicentur, præterim verò Chymiſtæ, qui eam in arcanis habent, promittentes eius ſucco argentum viuum coagulari. Tragi iudicio exſiccatoriam habet vim [Cæſalpino, frigido & ſicco eſt temperamento] poteſtque fortè ad calidas ventris fluxiones vſurpari. *Temper.* Terreſtre quid præ ſe fert [inquit Fuchſius] guſtata, atque parum adſtringit, vt hinc mediocriter frigidam & ſiccam eſſe veriſimile ſit. Vis foliorum eius haud dubiè vulneribus efficax, glutinandi namque facultate prædita eſt. Conſtat experientiâ ad ſupprimendos menſes & album muliebre profluuium mirificè conferre hanc herbam. *Profluuiũ muliebre.* Ophioglosſum ipſo aſpectu & facultate eximiâ vulnera ferruminandi, vlceraque & luxata cogendi, vel æmulatur, vel ſuperat, ſi Lobelio credimus: guſtu præſicca & adſtringens. Ad enteroceles & herniias magnæ commendationis & vtilitatis pota & impoſita. Matthiolus toti plantæ vim mirè efficacem vulneribus glutinandis adſcribit: itemque intrinſecis, atque extrinſecis corporis fracturis ſanandis. *Superſtitio.* Datur v iliter commodéque dyſentericis, planta in puluerem contrita. Plebecula ſimplex ad quodvis faſcinum abigendum ſuperſtitiosè hanc plantam celebrat. *Vacca ad libidinem diſponuntur.* Taurum vocant paſtores Geſnero referente, quòd vaccæ eâ deguſtatâ ad libidinem moueantur, & requirant taurum. In Rhætiæ Clauenna aiunt ruſticos ibi iumentorum vlcera hâc herbâ curare. Idem verò de Lunariis ſemini vim venatam attribuit.

LVNARIA BOTRYTIS MInor multifolia.

Deſcriptio. CAmerarius in Epitome Matthioli, prodidit in Anglia ſpeciem hanc Lunariæ noſtræ rariorem inueniri, pluribus foliis donatam, & nonnunquam pluribus etiam racemulis.

De hac eadem, ni fallor, à Thalio hæc ſcribuntur: Lunaria botryitis, πολύφυλλος, quam copioſam in montium quorundam iugis ſummis circa Andersbergum reperiri initio Veris, iam ſub niuibus, Fauoniorum flatibus colliqueſcentibus prorumpentem, eſt *radiculis* paucis, multifidis, tenuibus ac luteis: *coliculo* primùm rotundiore, luteo, palmari ferè, in brachia diducto, quæ gemino latere iterùm brachiata, vtrinque *folia* lunata, flaua, ſecuricularum inſtar continent, ſed breuiora quàm in priori: deinde alium prope radicem coliculum exurgere obſeruaui (& fortè plures prodeunt inde) eodem modo foliatum & brachiatum. Medio loco inter hos coliculos *thyrſulus* exoritur *racemoſus*.



Cluſ. hiſt. Lunaria minor racemoſa Camerarij, Lunariæ minoris alia elegans ſpecies etiam ramoſa, ex Anglia allata.

Schvvenckfeld. Lunaria botryitis minor polyphyllos, rarior inuentu, *Groſſe vielbletterichte leber Rautte.*

C. B. not. C. Bauhin. phyt. Lunaria 3. ſiue racemoſa ramoſa: Lunaria botryitis pollyphyllos Thalio quid?an Lunaria minor ramoſa Cluſij? *Eid. Pin.* Lun. 2. ſiue racemoſa ramoſa maior. *Frater* in phyt. ſuſpicatur Lunariam botryitim polyphyllon Thalij, eandem eſſe cum Lun. minore ramoſa Cluſij: ſed nos has duas ab inuicem ſeparamus, vt poſtea dicemus.

Locus. Schvvenckf Lunar. πολύφυλλον in horto ſuo inter gramina cum priore copioſè creſcentem reperit. Anno à CHRISTI natiuitate 1603. ex Ioannis Bierdumphelij procerum Auſtriæ Medici epiſtola Viennâ Auſtriæ miſſa intelligebat Cluſius, hanc plantam ſponte naſcentem fuiſſe obſeruatam & lectam circa arcem Vveichſelbach. cum vulgari illa minor copioſè naſcentem.

LVNARIA BOTRYITES RAmoſa Sileſiaca.



Deſcriptio. IVbati *racemi* ſeſquipalmaris craſſiuſculi pediculi faſtigium ornant: *foliorum* ſitus & numerus longè diuerſus ſiquidem pediculus ſextantalis, craſſitie eius qui racemum ſuſtinet, nudus, in tres abit pediculos minores, quorum ſinguli ſurſum tripartiti *folia* ſuſtinent fal-

cata formâ, & positu Lunariæ vulgaris, minora, subinde per marginem serrata.

Hanc habuimus munere Agerij siccam sine radice: Clusius pingit cum radice, sine racemis. Totam autem plantam sic describit.

Desc. Clusii. Dodrantalis est planta, statim à *radice* vnam aut aliam foliorum alam protrudens, siue folium ramosum & multifidum, frequentibus *foliis*, vulgaris Lunariæ minoris foliis ferè similibus, constās, sed longioribus & crassiusculis, crebráque incisurâ diuisis, colore, vt in vulgari, viridi dilutiore & quodammodò pallescente: secunda ala, vt tenerior est, & postremò nata, tenui quâdam, sed rarâ admodum lanugine pubescere videtur, succulentiórque est quàm prima: ex eius quasi vtero, secundum radicem emergit *cauliculus* pinguis & succulentus, sustinens multifidam & maiorem *vuam* [floris ne an fructûs, dicere debeam, hæreo] quàm vulgaris, alioqui admodum similem, quæ an in albam farinam, quemadmodum in vulgari, resoluatur, affirmare non ausim, quandoquidem nondum maturæ erutæ fuerant, quas accipiebam, plantæ, inter quas vna fuit, quæ ternos botros protulerat: *radix* vulgaris instar, multis fibris latè in ambitum sparsis, crassioribus tamen constat.

Locus. Et hanc Lunariam minorem ramosam, siue Lunariæ speciem rarissimam, quam Silesij *Rechten ovidertbon* appellant, h. e. Trichomanes legitimum, Clusius quidem nullibi nascentem vidit: sed in Silesiæ quodam monte natam & erutam ad ipsum mittebant Viennam Austriæ Doctiss. viri Frid. Sebizius & Achilles Cromerus, significantes in altis Silesiæ montibus gigni: apparere autem, & florere eodem cum vulgari tempore. Cæterùm, Io. Aicholtzius Medicus Viennensis, ad quem etiam mittebantur ab ijsdem aliquot recentes eius plantæ, sæpè in hortum suum intulit: sed comprehendere noluerunt, omnem enim culturam respuere videntur, quemadmodum pleræque aliæ montanæ.

Synon. C. Bauh. nec. C. Bauhin. pin. Lunaria 3. siue racemosa multifido folio: Lunaria ramosa Silesiaca, Cam. Lunaria botrytis πολύφυλλος Thal. Lunaria minor ramosa Clus. pann. p. 510. & histor. *Ego Thalij* Lunariam ab hac diuersam facio, & ad præcedentem refero.

Finis Libri trigesimi quinti.

HISTORIÆ



HISTORIAE VNIVERSALIS PLANTARVM

LIBER XXXVI.

HERBÆ STELLATÆ ET COGNATÆ.

NOn sat erat artificiosissimæ naturæ, florum, fructuum, radicum atque foliorum varias & multiiugas exhibuisse figuras, ni etiam ipsorum foliorum in orbem positu radiantes quodammodo stellas perbellè exprimeret, vt in sequentibus plerisq; apparet.

APARINE.

CAPVT I.


Descriptio.



AB infima *radicula* oriuntur viticulæ, quadratę, asperæ, geniculatæ, proxima quæque scandentes adhærescentésque: *folia* sena, Rubiæ modo, stellæ instar radiata, singulis geniculis circumnascuntur, aspera, in spinulam desinentia: *flosculi* pusilli, albidi, è quatuor foliolis compositi, quorum singulis didymæ succedunt lappulæ, bina *semina* concludentes, cortice nigro, pulpa alba.

Synonyma.

Ἀπαρίνη Græcis, vt Diosc. & Galeno: φιλετέριον & φιλατέριον seu φιλεταίρειον, Hippoc. ἀμπελόκαρπον, vel vt meliùs ex Galeno corrigitur, ὀμφαλόκαρπον: aliis nonnullis φιλάνθρωπον, & φιλάδελφον: quibusdam denique ἰξὸν.



Aparinen, inquiunt Plinius & Galenus, aliqui *omphacocarpon*, alii *Philantropon* ab asperitate vestium tenaci, &c. vocant.

Quum itaque appellationes hæ etiam in his autoribus legantur, videntur rectè quoque in Dioscoride legi, etiamsi non desint qui ipsas cum aliis, ad supposititias remoueant. Galenus in gloss. Hipp. *Phileterion* speciem herbæ esse dicit, quam Aparinen nominant: & subdit *Philistion* eandem esse cum Aparine, & Phileterio. Et alludunt certè hæ appellationes ad vocem Philanthropon. An verò ὀμφακόκαρπος, rectè dicatur, velut Galenus, Plinius, Paulus, & Ætius habent: aut potiùs ὀμφαλόκαρπος, ex eo quod semen subcauum sit in medio, velut vmbilicus, vt Dioscorid. ait, dubitat Cornarius. *Philanthropos* autem, quasi hominis amica, quòd vestitui eius adhærescat, dicta videtur. Et ea de causa à nonnullis *Philadelphos* quoque appellatur.

Aparinen fuisse primùm *Asperulam* dictam, & ab imperitioribus in *Aspergulam* mutatam, ac tandem in *Spergulā* & *Spargulā*, testatur Fuchsius in Nicol. Myreps. sect. 3 n. 46. & 2. comp. sect. 15. Tamen Luminare maius negat *Spargulam* esse eā herbā quā rustici *Rasparolam* dicunt. *Rasparolam* autem vulgò Aparinen dici refert Apollo rad. 10. supra Matthæ.

In officinis per *Terrabis* intelligi Aparinen legitur apud Croenburgum lib. 9. de comp. in Marc. vbi addit, à Pandectario cap. 52. Apropatinen dici, & cap. 377 Lappaginem, hanc tamen ibi cum Personaria eum confundere. *Pandectarij error.*

Apatinem *Lappa* genus Cornarius facit. Et perhibet Dodonæus subinde Lappam & Lappā minorem à Latinis appellari. Sed & Lappam Gaza apud Theophrastum 7. hist. 8. & 14. vertit. Matthiolus contra hallucinari scribit Brassauolam, quod id suo simpl. examine Lappam credi- *Brassauola hallus.*

derit esse Dioscoridis Aparinen.

Plin. corrigitur. Plinius Lappaginis speciem esse affirmat. Lappagines autem, ipso auctore, duæ: vna aspera, Asperugo, ab asperioribus foliis dicta, ad quod nomen vulgare alludit: altera mollis, Mollugo. Et Aparine quidem Asperugo est. Lappago, inquit Plin. lib. 26. cap. 10. similis Anagallidi [fortè cum Dodonæo melius legeris Galio] nisi esset ramosior, ac pluribus foliis aspera, rugosa, asperioris succi, grauis odoris: quæ talis [mollis fortè legendum cum Dodonæo] est, Mollugo vocatur: similis, sed asperioribus foliis, Asperugo.

Synonyma. Aparine Brunfels. Trago [cui & Aparina, & Viscus] Matthiol. Fuchs. Anguill. qui in Græcia κολλῆδα vocari scribit] Dod. Cordo in Diosc. Lac. Tur. Hort. Lus. Lonic. Nomencl. pann. Portæ phyt. [vbi conceptum viperarum imitari ait.] Lob. in Adu. Obs. p. 464. [& Lappago aspera] & Icon. p. 800. & H. Lugd. pag. 1130. Cæs. & Castori. Aparine aspera, Thal. Aparine 1. siue vulgaris, C. Bauh. pin. vbi meminit Aparines alterius purpureis floribus, quã nondũ vidimus.

Nomina linguarum. Germ. *klebkraut*, & *Nabelsamen*, h. e. Semen vmbilici: & quibusdam *kletten*, q. e. Lappa. Belg. *Cleeb oder cleefcruyt*. Gall. *Reble, ou Grateron*. It. *Speronella*. Hisp. *Presera, Amor de hortulano*. Ang. *Gooshareth, Slyuer*, quòd vestibus adhæreat. Sic & Hung. ab adhærendo, *Ragaduany* dicta.

Locus. Exit iuxta margines agrorum, & quandoque in ipsis agris frugibus permixta: item secus vias, scrobes, sepes, & inter sentes.

Tempus. Æstiuis mensibus vbique frequens. Flores quandoque etiam quandoque Vere, & interdum Autumno profert. Theophrastus & Galenus in Lente eam coalescere scribunt, & amplexu suo eam suffocare: eóque modo illi grauem ac molestam esse.

Vsus. Aparine, inquit Dioscorides, pastores coli vice vtuntur, ad eximendos è lacte pilos [nimirum circum actis per lac foliis quorum asperitas adeò tenax est, vt facilè quicquid tetigerit, apprehendat, nam & vestibus hæret prætereuntium.]

Vires. Seminis caulium, ac foliorum succus, potus contra viperarum, phalangiorúmque morsus auxiliatur: infusus aurium dolori medetur. Herba cum axungia trita strumas discutit. Sanguinis etiam abundantiam ex vulneribus reprimere folia imposita Plinius tradit.

Temper. Modicè autem vt Galenus ait, extergit, & desiccat, habetque nonnihil subtilium partium. Aquam destillatam bis in die mensura trium ligularum potam, aiunt aluum cohibere, efficacissimámque esse aduersus morbum regium: Tragus.

RVBIA VETERIBVS.

CAP. II.

Erythrodanum. Ἐρυθρόδανον, ἢ ἐρευθέδανον, h. e. Erythrodanum [ab ἐρυθρὸς, i. e. ruber] seu Ereuthodanum, aliquibus τεύθριον vocatum, *radix* est rubra, tingendo idonea, Dioscoridi, cui duplex est. *Vna* quidem siluestris, *satiua altera*, vt in Thebana Galileæ, & Rauennæ in Italia. Sed & in Caria inter Oleas seritur, velut in aruis [ὥσπερ ἐν τοῖς ἀρούραις, vet. caret.] Vtiliter autem colitur [καὶ μετὰ οὐσίας, addit Lac. ex vet. cod.] quòd multo polleat quæstu, ex eâque amplissimus reditus percipiatur.

Descriptio. Sunt ei *caules* quadranguli, longi, asperi, quales Aparinæ: sed omni ex parte maiores, atque robustiores, *foliis* in orbem per interualla, nempe circa singula genicula, stellæ modo decussatim radiatis: *semine* rotundo, inter initia viridi, mox rubro, ac postremò, cùm ematuruit nigro. *Radix* est tenuis, longa, rubra.

Genera plura Theophrast. Ἐρυθρόδανον Theophrasto 6. hist. 1. plura sunt genera, summísque differentiis discreta: & 7. hist. cap. 9. radices rubicundæ. Verùm 9 hist. 14. folia Hederæ, sed rotundiora Rubiam (ἐρυθρόδανον) habere scribit, nasci humi velut Gramen, loca amare vmbrosa, ciere vrinam, ideóque huius vsum esse, ad lumborum & coxæ dolores. Cæterum Ereuthedanon hoc, si mendo exemplaria careant, à priori multùm differens est. Sunt qui Numulariam putent: sed vires non conuenire possunt. Licenter nimis asperum caulem spinosum vocat Plinius l. 19. cap. 3. Spinis Erythrodanon carere Theophrast. apertè docet 6. hist. 1. Porrò quod ibidem tradit fructum eius rubrum esse, fructum principio virere, deinde demum rubere, & cùm maturus est, nigrescere monuit Dioscorides. Sic verò idem Plinius l. 24. cap. 11. Alia est Erythrodanus (ab Erythro, siue Rhoë, qui frutex est) quam aliqui Ereuthodanum vocant, nos (Itali) Rubiam [à radicis colore] quâ tinguntur lanæ, pellésque perficiuntur. Distat ab eo, qui Alysson vocatur, foliis tantùm & ramis minoribus. De Alysso Plinij plura suo loco.

Thapsia Pauli. Paulus Æginetа θάψον quoque nuncupari refert lib. 3. c. ... ἐρυθρὰν ῥίζαν à Romanis: Dodonæus tamen ἐρυθρανίαν legit. Eandem ibidem βοτάνην χρωστικὴν etiam cognominat, & ῥίζιον.

Rubia. Sunt præterea quibus δράκοντος dicitur: alis κυνάγχης, à rubicundo colore. Marcellus antiquus scriptor etiam Polygonon appellat. Idem tamen Millefolium, Sanguinalem & Verbenam Polygona quoque facit.

Manus piceans. Tragus præterea Euthrion [sed malè fortè pro Teuthrion] & Sophobi apud Dioscoridem nominari scribit: apud Marcellum verò Florentinum, à vulgo Radicem & Manum piceantem, quòd asperitate suâ tractata manibus picis modo hæreat, vocare tradit: à Serapione Paue, Galeno Rhodiam (Rhobiam legendum) rhizam.

Tragus corrig. Ipse verò vocari ait Rubiam & Rubeam tinctorum, Spergulam veram tinctorum. Crocum vasicum quorundam, Roxam, Roxami, Falmam, Rodiam, & Eoam. Diximus Rhodiam pro ῥίζαν falsò legi.

Rubiam satiuam à Dioscoride descriptam nihil aliud esse affirmat quàm Thapsiam Asclepiadis, Anguillara.

Rubia Diosc. hodie nota. Rubiam Dioscoridis notam ait Cornarius in multis Germaniæ locis, & nasci in Spirensi agro, à fullonibus & tinctoribus maximè expetitam. Dodonæo verò Rubię propriè species nullę sunt. quamvis hodie plures cognitæ sunt plantæ, de quibus deinceps agemus.

RVBIA SATIVA.

Descriptio. Sarmenta longa producit, quadrata, vncinulis crebris harmata, geniculata, ad quorũ singulos nodos *folia* rotatim radiata circumponuntur, Aparines modo, sed multis numeris majora, consimiliter aspera, hispidis crenulis per ambitũ incisa, vestibus tenaciter hærentia: ex quorum alis *pediculi* exeunt, *flores* sustinentes ex luteo herbidos, stellatos, quinque folijs constantes, apiculis luteis: quibus *semina* succedunt rotunda, per maturitatem nigra: *radices* subsunt numerosæ, reptantes, succulentę, rufæ, miniatæ ue,

duæ

durâ lignosâ matrice farctæ, sapore mixto, dulci, acerbo, & subamaro.

Synon. Rubia Cordo & Corn. in Diosc. Anguillar. Dodon. lat. & Cæsalpino qui Theophrastum folio Hederæ des ripsisse ait, se tamen talem non vidisse. Rubia satiua, Brunf. Trago (cuius plura nomine priori titulo adscripsimus) Matth. [qui suis comm. figuram sine descriptione applicat,] Fuchs. Dol. gall. Gesner. hort. Lacun. Turn. Lon. Fracast. H. Lugd. p. 1319. & Castori. Rubia maior, Lobel. in Adu. obs p. 463. Ic. p. 768. & Clus. Hist. Rubia tinctorum, offic. Rubia 1. siue tinctorum satiua C. Bauh. phyt.

Nom. ling. Græcis ἐρυθρόδανον & ἐρευθέδανον Germ. *ferber Rotte*, aut simpliciter *Rotte*; *Einheimisch Rotte*. Rubia domestica Matth. Belg. *Grappe* & *Mee*: & puluis radicis, *Meecrappen*. Gall. *Garance*: Ital. *Rubbia*, vel *Robbia* : Hisp. *Ruuia*, *Roya*, *Granza* : Angl. *Madder* : Boh. *Marena*.

Locus & Tempus. Scribitur Rubia non paucis Italię, Hispaniæ & Galliæ, nonnullis etiam Germaniæ, præsertim apud Silesios, & plurimis Belgij locis, pingui fœcundoque solo. Æstate flores semenque facit. Maio ac Iunio radices leguntur, quæ resiccatæ & attritæ in vsus & medicinæ & tinctorum veneunt.

Rub. aperitiua Diosc. Rubiæ radix, inquit Dioscorides, ciendæ vrinæ vi prædita est : qua de causa arquatis auxiliatur pota cum aqua mulsa : itemque ischiadicis atque paralyticis. Crassam porrò copiosamque vrinam pellit, ac interdum etiam sanguinem : bibentes tamen quotidie lauari oportet, & excrementorum quæ redduntur differentiam contemplari. *Vanitas quorundam.* Contra serpentium morsus caulem cum foliis imponere prodest. Semen verò ex aceto mulso potum lienem absumit. At subdita radix, partus menses, secundasque trahit. Albæ quoque vitiligini illita ex aceto medetur. Subdit *Plinius*, Rubiâ tinguntur lanæ, eaque pelles perficiuntur : in medicina vrinam ciet : morbum regium sanat ex aqua mulsa, & lichenas ex aceto illita: & ischiadicos & paralyticos, ita vt bibentes lauentur quotidie. Radix semenque trahunt menses, alium sistunt, & collectiones discutiunt. Contra serpentes rami cum foliis imponuntur. Folia & capillum tingunt. Inuenio apud quosdam morbum regium sanari hoc frutice etiamsi adalligatus spectetur tantùm. *Galenus* 7. simpl. rubram tinctorum radicem, Rubiam esse dicit, eamque acerbam & amaram, proindéque præstare omnia ea quæ ab huiusmodi facultatibus sperari possunt : nimirum quæ Dioscorides recensuit.

Temperam. ex Dodon. Rubiæ autem radices vt potentiam ac vim haud obscurè adstringentem obtinent : ita quoque natura ac temperamento frigidæ sunt ac siccæ: partes interim nonnullas tenues habent, quarum potentia color earum facilè permeat : adeò vt & vrina assumentium ab his tingatur, inquit Dodonæus. Gustatæ siquidem acerbum saporem referunt, cum exigua tamen quadam dulcedine, primò occurrente, quam acerba & adstringens mox excipit qualitas. Quod non modò à nobis, sed & ab Auicenna obseruatum, qui cap. 58. Rubiæ radicem pontici esse saporis scriptum reliquit. Commendatur verò passim Rubiæ radicum decoctum, ruptis, cæsis, vulneratis, ex alto præcipitatis: fluores reprimere; inflammationes mitigare : offensas quassatásque partes ad sanitatem perducere creditur. Miscentur his de causis potionibus, quas vulnerarias recentiores appellant. In quibus tantam earum vim ac efficaciam, Matthiolus quoque esse refert, vt etiam thoracis & intestinorum lethalia vulnera his curari posse speretur : Accedit huic sententiæ Io. Spiringus, qui in rhapsodiis suis annotatum reliquit, Rubiæ decoctum cum Triphera magna exhibitum valere aduersus fluxum menstruum, hæmorrhoidum, & dysenteriam : idque euidentibus experimentis compertum, quod Rubiam adstringentis esse facultatis confirmat. Idem sentiunt cum Dodonæo Erastus & alij. *Vnde constat* : extergendi aut aperiendi potentiam Rubiæ nullam vehementem esse, & Dioscoridem huiusmodi vim ei temerè tribuisse : ac post eum Plinium, Galenum, & posteriores reliquos, in verba eius iuratos. *Contra Diosc. Plinium Galenum que & alios.* Et *hinc* manifestè hallucinari deprehenditur Fallopius, qui Rubiam in potionibus vulnerariis ceu pessimum medicamentum damnauit, eò quod ora venarum in tantùm aperire crediderit, vt etiam cruentum lotium ducere, literis confirmarit. *Fallop. hallucinatur.* Et Timoth. Rostin. qui in suppress. mensium huius puluerem cum sacharo exhibet. *Tim. Rostin. Item.*

Cæterum inficiendis lanis aptissima Rubia. Experiuntur folia Seuensibus mulieribus ad stannea vasa detergenda : siquidem mirum dictu quàm pulcherrimè nitescant, quæ Rubiam fuerint expertæ.

Rubia siluestris Monspessulana maior.

Locus & tempus. MOnspelij passim prouenit : Vere *flores* profert paruos, luteos : *fructum* fert Æstate & Autumno, qui per Hiemem durat : sed nec ipsa herba inarescit : inter sepes minor est, & asperior satiuâ.

Synon. Lob. obs. p. 463. Rubiæ maximæ varietas, C. Bauh. pin. Rubia 2. siue siluestris aspera, quæ siluestris Dioscoridi : Trago. Rubiæ erratica & siluestris : Cordo obs. sylua, Rubia silu. vera. Cæs. Rubia silu. in Etruria.

ALYSSON PLINII FOLIIS Erithrodani.
Cap. III.

Alysson cur dictum. DIstat inquit Plinius lib. 24. cap. 11. ab Erythrodano, qui Alysson vocatur *foliis* tantum & *ramis* minoribus : nomen accepit, quòd à cane commorsos rabiem sentire non patitur, potus ex aceto, adalligatusque. Mirum est quod additur, insaniam [Cornar. singultum legendum putat] sanari, eo frutice conspecto. *Plinii diuersa lect.* Sed adhuc alia lectio hæc est : Mirum est, &c. saniem siccari. Plutarchus tamen 3. sympos. scribit Alysson, si manu teneatur, vel omninò aspiciatur, singultu liberare : quo loco pro λυγμῶ quidam legendum putant λύσσης. *Alysson. Plutar. ubi.*

Alysson Plin. diuersum à Diosc. & Gal. Alysson autem hoc Plinij Dioscorides historiæ nihil conuenit. Sed nec cum Alysso Galeni, folio Prassi, flore cianeo, 2. de antid. quicquam commune habet, vt ij prorsus reiiciendi non sint, qui Alysson Plinij, herbariorum Asperulam cum Gesnero esse putant, authore Dalechampio.


Alysson fons. Est etiam apud Pausaniam in Arcadicis Alysson fons, oppido Cinæthaensium vicinus, cuius aqua potu sanat à cane rabido commorsos.

RVBIA ANGVLOSA ASPERA & parua Geneuensis.
Cap. IV.

Descriptio. MInùs rubet huic *radix*, quàm satiuæ maiori, minúsque saliuam tingit masticata, fa-

pore tamen non multùm dissimili, tenuis, lignosa, albâ matrice referta: huic surgunt *Flagella* longissima, quadrata, nonnihil rubentia, geniculata: quibus ad nodos *folia* stellatim adnascuntur Aparines modo, sed læuia, cuiusmodi est & reliqua plãta: *flores* Gallij more densè stipati, seu colore albo, quatuor foliolis acuminatis constant: *semen* Maioris Rubię semini respondet, sed minus nonnihil est.

Descriptio.



An Rubia quædam minor.

Figuræ Gutinianæ hic positæ, vnam eandémq; plãtam denotare videntur. Geneuæ obseruaui paruam Rubiæ speciem, cum Cynanchia, in pratis florentem, vix pede altiorẽ: ei *caules* tenues, graciles: *folia* sex, vel septem angusta, Gallij ferè sed breuiora: *flosculi* albi, quadripartiti, multi simul iuncti, minores multò & breuiores quàm Cynanchicæ, odorati: sapore nullo manifesto.

Varietas.



Matth. err. Matthiol. in suis comm. Rubiam siluestrem sine descriptione ponit & sub titulo non conuenienti: quia non est Rubia silu. Dioscoridea.

Camer. error. Camer. apud Matthiol. in h. germ. & Epit. malè sub titulo Rubiæ siluestris, Rubiis accedentem, Asperulam pingit. An Mollugo Clusio? Lobl. in Obs.

Lob. icones duæ. p. 468. & Adu. dicitur Rubia silu. minor: in Ic. p. 798. Rubia siluestris. Habet & huius plantę aliam figuram p. 801. sub falso titulo nempe Molluginis Belgarum, & Molluginis montanæ Dodonæi.

Cætera Synonyma. C. Bauhin. pin. Rubia 3. siue siluestris læuis: Rubia siuestris, Brunfels. Matthiol. Fuchs. Dod. gall. Gesn. hort. Lac. Turn. Lon. Lob. Ic. pag. 798. Hist. Lugd. pag. 1319. Camer. Cast. Thal. Tab. & Gerardo.

Locus. Plurima nascitur tam in Germanię siluis, quàm Angliæ, Gallieque: copiosissima in Vecti insula: at pulcherrima maximáque apud Vincestriam, in itinere Southantonensi. Geneuæ quidem circa

Tempus. dumeta Februarij principio florebat Monspelij, Lugduni & Parauij florebat Maio: Basileæ à Iulio in Augustum vsque.

RVBIA PRATENSIS LÆVIS acuto folio C. Bauhini.

Cap. V.

Descriptio. EX *radice caulis* cubitalis, lęuis, quadratus, rufescens; geniculatus, cauus, & communiter vnus exurgit, ex cuius nodis *ramuli* semipalmares prodeunt, quorum summis *flosculi* plures quadrifolij, pallidi insident: *folia* læuia, quaterna, vncialia, in acumen abeuntia, ad quemlibet nodum in orbem disposita sunt.

Synon. Locus. Rubiam hanc pratensem læuem acuto folio, 2. in prod. 4. in pin. apud Valesianos in pratis ad thermas Leucenses natam aiunt, ac etiam in pratis Lipsensibus reperiri, inquit author.

RVBIA ERECTA QVADRIFOLIA.

Cap. VI.



Locus. REctum hoc Rubiæ genus, Geneuæ, in Rhætia & alibi occurrit: *caules* eius non planè cubitales sũt, firmi, quadranguli,

Descriptio. in ramos diuaricati: *folia* quaterna, Rubiæ minoris, solida & dura, geniculis circumposita: in ramorum cacumine *flores* copiosi, albi, iucũdi odoris.

Olim quidã suspicabatur Spergulam Dodonæi, propter figuræ aliquam similitudinem. Verùm ab ea multùm differt: caulis enim inter cætera illi rotundus est. Floret Iunio.

RVBIA SILVATICA LÆVIS.

Cap. VII.



Descriptio. RAmosa præ reliquis est hæc, *caulibus* rectis læuibus, teretibus, tuberosis geniculis nodosa, per longa interualla interceptis: *folia* circum articulos radiatim posita, Asperulæ odoratæ, mollia, ac quàm in Rubia angulosa molliora: *flores* summis ramulis & per surculos tam copiosi vt muscarium imitentur, candidi.

Icones. Summitas florum & striæ in caulibus nostræ conis Fuchsianæ non placent. Huius alium ramum frequenti cap. pingimus.

Trago, Matrisyluæ cognata, Matrisylua secunda,

cunda; Asperula recentiorum. Gener. hort. Rubia sylvatica altera, siue folijs lævibus: Eid. app. Rubia siluatica major: Item coll. Alysson Plinij majus, *grosz wald Meister*. Dod. purg. & in fol. lat. Mollugo montana, Lappaginis species: Mollugo montana Dodonæo descripta, Thal. Mollugo altera montana Dodonæi, H. Lugd. p. 1089. Lob. obs. p. 466. Ic. p. 801. Mollugo Belgarum, Mollugo montana Dodonæi. An Mollugo Clusij? An Mollugo montana Tabernæmontani?

Locus & Tempus. Montium incola hæc est, & in dumetis non rarò abscondita: mensis Aprilis principio prodit: Iunio floret. In asperis quibusdam juxta Rhenum ad Mosam montibus nasci prodit Dodonæus.

GALLIVM LATIFOLIVM, CRVCIATA quibusdam flore luteo.

Cap. VIII.



Descript. MVltos à *radice*, compluribus fibris capillatâ, reptantéque *caules*, profert, dodrantales & plusquam cubitales, geniculatos, quadratos, striatos, hirsutos, ad quorū singulos articulos quaterna *folia* in crucis formam disposita, hirsuta, oblonga, mucrone obtuso nonnihil, sapore amaro: ad quorum ortum oriuntur *flosculi* cruciformes, verticillati, quatuor foliolis luteis totidemque concoloribus *staminibus* compositi.

Gallij secundum genus, Trago: Gallion, Turn. Gallium latifolium, Schw. Cruciata, Dod. gall. & lat. vt Gesn. hort. quæ Gallio cognata, Cam. Cast. Ic. Cruciata, Cæsalpino, (tennit Marantha, dubitat Hermolaus.) Cruciata herniaria. Thal. Cruciata 1. siue hirsuta, C. Bauh. pin. Cruciata autem ac Crucialis nominatur à foliorum crucis in formam situ, licèt ad Aparines & Rubiæ similitudinem aliquomodo accedat. Inguinaria etiam Plinij dicitur à quibusdam, fortè quia in hernijs & rupturis plurimùm præstare sibi persuadent.


Cruciata unde dicta.

Nomina linguar. Trago germ. *dasz ander Megerkraut*: alijs *Gelde walde Meister*, hoc est Asperula aurea, vt Lob. alibi verò *Geelb. kreutzkraut*. Silesi. *Geele Gliegegenge*. Belg. *Cruifete*: Gall. *Croisée*.

Locus & Tempus. Geneuæ Martio prouenit. Basileæ & Montbelgardi passim in sepibus, Maio floret: in Italia inter Vincentiam & Villanouam. Dodonæo teste juxta fossas, aquarum riuulos, & quandóque agrorum margines, inter sentes, à Maio in finem vsque Æstatis reperitur; & quidem cum flore.

Vires & vsus. Cæterùm facultate Cruciata Dodonæo nonnihil videtur habere ad strictionis, simul cum exsiccatione. Recentiores inter vulnerarias dictas numerant: & recentes aiunt ramices hac curari posse, decocto ejus aliquot diebus poto, herbâ verò ipsâ loco impositâ. Folia amara ait Schwenckfeldius, abstergere & calefacere, atque siccare. Potam thoraci, ventriculo, venis mesaraicis, & visceribus obstructis prodesse, excrementa pituitosa foras propellere, appetitum juuare.

RVBIA QVADRIFOLIA, GLABRA, angustifolia.



Descriptio. HÆc, quàm Gallium Tragi secundum, gracilior & delicatior esse videtur: *foliorum* cætero qui ordine & positu haud absimilis: Verùm angustiora sunt, acutioraque, glabra omninò dicerentur, nisi per ambitum tantùm exigua quadam hirsutie fimbriata essent. *Cauliculi* toti glabri sunt.

Ab Agerio propè Patauium in Italia collectam nomine Cruciatæ glabræ accepimus.

Locus. Figuræ huic ramum Gallij secundi Tragi adpingi curauimus, cùm Guariniana nostra non vsque adeò fœliciter videatur facta.

Gallium latifolium glabrum, C. Bauh.

Descriptio. RAdice est tenui, repente, geniculata: *cauliculis* tenellis, quadrangulis, geniculatis, palmo minoribus: *folijs* è singulis internodijs quaternis, decussatis, glabris, instar Plantaginis neruosis, palidè virentibus, & sesquiuncialibus: *flores* habet paruos, cauliculos verticillatim coronæ modo ambientes, luteos, breuibus pediculis donatos.

Rubia quadrifolia rotunda, lævis, Einsdem.

Descript. EX *radice* capillacea rufescente, *cauliculi* tenues, quadrati, geniculati, palmo altiores, quorum aliqui in ramos brachiati, exsurgunt: ad singula genicula *folia* quatuor rotunda, neruosa, tantillùm aspera, in orbem disponuntur: extremis cauliculorum, *flosculi* albidi, quadrifolij, pedicellis capillaceis insident, quibus *capitulum* paruum, geminum, asperiusculum, succedit.


Rubia hæc quadrifolia rotunda lævis, 3. in prod. 11. in pin. in montibus Heluetiorum, vt Gotthardo, & ad Eremitanos prouenit: hanc & circa Argentinam crescere dicunt.

RVBIA QVADRIFOLIA ITALICA hirsuta.

Cap. IX.

Descriptio. PVlchra est hæc Rubiæ species, *caulibus* cubitalibus & majoribus, quorum geniculis qua-

ternâ decussatim *folia* circumposita, formâ plantagineâ, neruosa, acuminata, mollia, subhirsuta, duas ferè vncias longa, vnciam circiter lata: *flores* nodis verticillatim circũnascũtur, circa basin decussatis folijs fulfulti, candidi.




Synon.

An Hermol. coroll. 532. Alyssõ cũ quinis folijs, flore albo? Lobel. Obs. p.465. Ic. pag. 810. Rubia læuis Taurinẽsiũ. C. Bauhin. pin. Rubia 10. siue quadrifolia, vel latifolia læuis H. Ludg. pag. 1130. Rubia læuis Taurinensium Lobelij. Ioach. Burs. Rubia latifolia albo flore globoloso. Eandem accepi ex Italia (vbi & ego eam collegi: Burserus juxta Lucernam reperit) delatam, nomine Stellariæ cruciferæ.

RVBIA QVADRIFOLIA, SEMINE Duplici hispido.

Descrip.



COliculos habet dodrante minores, multos in tenuibus, repẽtibus, inutilibus, *radiculis* surgentes, quadratos, *foliis* quaternis circum nodos decussatim positis, ad Alsinem vulgarem accedẽtibus, minoribus quã Rubię quadrifolię Italicæ, subrotundis, vnciã minoribus, venosis, nonnihil pilosis, cũ dulcedine quadã amaricantibus, ornatos. *Cauliculi* scapus in ramos binos, hi rursum in ternos, folijs viduos subdiuiduntur, in quorum summitatibus, *semina* bina, hispida, multò minora quàm Stellariæ, nigricantia.

Locus.

Neminem reperio qui hanc rubiæ speciem descripserit, quam nusquam etiam obseruaui, præterquam in monte Rosberg propè Masocoium [*Maszmunster* Germani vocant] mense Octobri, inter saxa, locis vmbrosis & frigidis.

RVBIIS ACCEDENS, ASPERVLA quibusdam, siue Hepatica stellaris.

CAP. X.

COmpluribus geniculis intercepta *radicula* tenella summâ tellure serpit, capillaribus fibris demissis: vnde cauliculi surgũt, tenues, quadrati, palmares & dodrantales: ad quorum singula genicula, *folia* radiatæ Rubiæ positu nascũtur, subhirsuta: circa fastigium diuiditur *caulis* in binos ternósve ramulos, ex quibus pediculi *flosculos* sustinent suauiter olẽtes. Valerianæ ferè formâ, cãdidos, è quatuor foliolis cõpositos: *semẽ* paruum rotundũ.



Descrip.

An Rubia silu. genus aliquod. Cæs.

An Cæsalp. Rubiæ siluestris genus quoddam, breuiori caule cõstans, fructu subaspero ac nigro? An eid. Alysson Hermolai?

Camer. not.

Camer. apud Matth. in h. germ. & Epit. malè pingit & describit Asperulam nostram pro Rubia siluestri.

Dorsth. reprob.

Theodorus Dorsth. Iconem Hepaticæ stellatæ apposuit quoque Caprifolio, sed ei haud congruit.

Tragi lapsus.

Trago Galatij genus, & tertium quidem esse videtur. At infeliciter nomen exprimit, dum Gallion Dioscoridis esse definit Matrisyluam.

Brunfels. error.

Stellaria hæc herbula malè pro Caprifolio apud Brunfelsium pingitur Caprifolium enim longè alia herba, imò quasi frutex est. Hepatica 3. ei meliùs dicitur in 4.

Error. quorundam.

Ignaris pharmacopœis Herba moschata, & Iua moschata dicitur, pro qua etiam non sine errore vtuntur.

Alyssum non est.

Quibusdam Alysson Dioscoridis videtur, sed folia non respondent. Lonic. Matrisyluam, Aparines speciem dicendam statuit, è semine sc. lappaceo, quòd vt Apparine vestibus adhęrescat. Ast hâc ratione facile quoque Lappam, Aparines genus quis dixerit. Nos propter florum & foliorum similitudinem Rubijs adjungemus.

Synon.

Matrisylua, Trago, Cordo in Diosc. Lonic. & Thalio. Mater silua: Hier. Brunsch. Asperula. Dod. gall. [eid. Herba stellaris & Spergula odorata] Frac. & Gerardo: Asperula Dodonæi. H. Lugd. pag. 870. Asperula odorata flore albo, Dod. lat. Eid. de flor. Asperugo Plinij. Hort. Lus. Asperula siue Aspergula, odorata Matrysilua. Asperula, odora Dod. purg. Cast. & Clus. pann. & hist. Aspergula, pandect. à Moretro reform. cap. 63. Asperula aspergula, Disp. Colon. p. 19. Asperula aut Aspergula odora nostras, Lob. in Adu. (vbi quæritur an Mollugo, aut Asperugo Plinij?) in Obs. p. 464. & Ic. p. 801.

Rubra syluatica aspera Gesn. hort. Rubia syluatica alia minor, Eid. app. Alyssum ex descriptione Plinij, In cat. Alyssum Plinij minus, Collect. Alyssos denique Eid. hort. vt & Lac.

Hepatica stellata, Tab. Aparine siluestris quædam, Cordo in Diosc. Asperula 1. siue Rubeola montana odora, C. Bauh. pin.

Nomina, linguæ.

Germani *hertzfreude*, hoc e. Cordis lætitiam, & Cordialem, nominant: Alij *leberkraut*, Hepatariam, Hepaticam, Epaticam & Iecorariam: alij


lij *Sterrleberkraut*, Hepaticem ſtellarem: Et quæ in ſiluis maximè reperitur, ideò vulgatiori nomine, *vvaldtmeiſter & vvaldt Manlin* vocant: Belg. *vvalmeeſter*, & *Leuercruyt*: Holl. *vveerraeck*: Gall. *Muguet*.

Locus & Tempus. Apud Belgas, vbi Maio, Iunio, ac ſeriùs floret, hortenſis eſt. In Germaniæ montibus, ac etiam monte Iuræ ſponte reperitur, Iunio & Iulio, in ſiluis locis opacis, pingui ſolo.

Vires & vſus. Facultatem huic, Gallio aliquatenus ſimilem, ſed tamen imbecilliorem tribuit Dodonæus. Fertur in vinum coniecta hilaritatem efficere, cordi ac iecinori prodeſſe. Reperitur hodie in celebrata illa potione vulneraria, *das Ballvvilerijſch vvunde tranck*, vocata.

RVBIA CÆRVLEA ERECTIOR ELATIÓRVE.

CAP. XI.



Deſcriptio. PLurimum hæc differt à parua illa repente Rubia. Hæc ſiquidem *caules* ſurrigit cubito maiores, anguloſos: *foliis* veſtitos ad genicula radiatis, multis, Mollugi nis paribus: ramulorum extremis hærent ex longo pediculo *flores* multi ſimul iuncti, oblongi, cærulei, circa imũ hirſuti, quibus circũpoſita radiata folia aliquammulta, piloſa, flores ſuperantia, eoſque veluti occultantia. Ad Rubiolam hãc cæruleo flore refertur Alyſſon Turn. à C. Bauhino. Nos potiùs ad ſequentem reducendã æſtimamus.

Synon. Dod. Aſperulam cæruleam inſcribit, vt & Lob. in Ic. p. 801. & obſ. p. 465. vbi Alyſſon Galeni perperam vocari ſcribit. H. Lug. p. 870. Aſperula cærulea Lob. Cam. hort. Aſperula flore cæruleo. C. Bauh. pin. Aſperula 2. ſiue cærulea aruẽſis.

Locus & Tempus. In Flandriæ pleriſque agris ſpontè exit: annua eſt, ſed ex deciduo ſemine ſeipſam ſerit. In horto mihi floruit Maio, Geneuæ & Lugd.

Rubia parua flore cæruleo ſe ſpargens.

Deſcriptio. PAlmam non temere excedit pumila hæc Rubia, *coliculos* per terram ſpargens, plures, quadratos, rubentes, hirſutos, & interdum ramoſos: *folia* radiata pro plantulæ portione ſatis lata, hirta & aſperiuſcula: *flores* in medio aliquot foliorum, Aſparines, ſed colore dilutè purpuraſcente: *vaſcula* exigua ſingulis floribus ſuccedunt gemina, cohærentia, nonnihil oblonga, & in ſummo digitata, in quibus *ſemen* fuluum, alterâ parte gibbum, alterâ planum. *Radix* ſubeſt tenuis, dura, lignoſa.

Synon. Turneron hanc intelligere credimus per




Alyſſon Plinij & Dioſcoridis: Dalechãpium, & H. Lugd. p. 1384. per Aſteriam ſiue Stellariam, Monſpelienſium cognominatam. C. Bauh. in pin. per Rubeolam 1. ſiue aruenſem repentem cæruleam: quæ 5. in prod. Cam. hort. per Rubiolam aruenſem, flore cæruleo, in agris Bauariæ itemque Haſſiæ frequentem.

Geneuæ, vbi altitudinem pedis aliquandò aſſequitur, floret in agris Februarij menſis principio: Monſpelij Martio: circa Baſileam adhuc Octobri.

RVBIA QVADRIFOLIA verticillato ſemine.

CAP. XII.



Deſcriptio. FAciei gratia meritò ſanè Rubiis annumeranda plantula. *Radicula* exiguâ nititur, nigricante, longiſſimis fibris per terrã fuſâ: *ſurculi* exeunt numeroſi, palmares, rigiduli, repandi, humique ſparſi, crebris internodiis diſtincti, ad quæ *foliola* quaterna exigua, rotunda, nullis pediculis adhæreſcunt: Ex quorum ſurſus ſinu

flosculi apiculorum modo luteoli emicant, verticillatim aggesti. Quos *vascula* sequuntur triquetra, rigidula, albicantia, ac veluti rostello asperiusculo donata: quæ vertebram spinæ serpentis figurâ pulchrè æmulantur. Eorum, vt & foliorum densior stipatus in extremis, quàm propter radiculam: Huic plantæ natura saporem amaricantem impressit.

Sapor.

An Cæsalp. Crucialis quædam minima in maritimis, quatuor digitorum altitudine: fructu in orbibus pungente?

Synonyma. C. Bauh. pin. Asperula 4. siue verticillata luteola: Asperula verticillata muralis minima, Columnæ.

Locus. Collectam detulit gener Cherlerus ex asperis & saxosis propter Nemausum.

RVBEOLA SAXATILIS, C. BAVH.

Cap. XIII.

Descriptio. PLantula est tota incana, semipalmaris, *cauliculo* tenui quadrato, geniculato, in vnciales ramulos brachiato *floris* patuæ, aspera, angusta, acuminata, communiter octo, totæ modo disposita habet: ramulorum summis *flosculi* plures, exigui quadrifolij, apicibus & minimis pedicellis donati, luteoli insident. In saxosis Galloprouinciæ prouenit Rubeola hæc saxatilis, 6. in prod. Rubeola 3. in pin.

Locus.

Rubeola maritima aspera, C. Bauh.

Descript. *Radice* est oblongâ, tenui, reptante & rufescente: *cauliculis* pluribus, geniculatis, biuncialibus, per terram sparsis, & capillaceis fibellis terræ affixis, *foliolis* pluribus, breuibus, acuminatis, virentibus & asperis, cauliculos inordinatè cingentibus: *flosculis* minutis, pallidulis. Hæc Rubeola maritima aspera 7. in prod. Rubeola 5. in pin. copiosè in littore maris Mediterranei non longè Monspelio, & etiam Massiliæ occurit.

Synonyma.

Asperula hexaphyllos purpurea.

Quam C. Bauhin. in pin. Asperulam 3. siue hexaphyllon purpuream nominat, ea apud Hist Lugdunensem p. 1117. Myagri alterius minoris Dalechampij intitulatione pingitur, & ab herbariis quibusdam exhibetur, *radiculis* multis, candidis, tenuibus, *foliis* Erythrodani, minorib. pallentibus: *cauliculis* multis, pede altioribus: *flore* in summo cauliculorum vertice copioso, purpurascente: *semine* minutulo, pingui & oleoso.

Descript.

Locus. In agris & nonnunquam in hortis gignitur.

GALLIVM VETERIBVS ET IN genere. Cap. XIV.

Etymon. GAllium, siue Galerium, aut Galatium (γάλλιον, γαλλέριον, γαλάτιον:) nomen ex eo traxit, quòd coaguli vice γάλα lac cogat & coagulare teste Galeno & Dioscoride, qui ipsum ramulo folio Aparine simillimo, ipsóque recto, & in summo flore melino, tenui, denso, ac multùm odorato, describit.

Galiopsis. Gallij appellationem Plinius ad Galiopsin retulit. Cæterùm, plantæ, quibus Gallij vox adscribitur, plures occurrunt, de quibus posthac separatim dicturi sumus. Rectiùs autem sentire eos nulli ampliùs dubium sit, qui Galion plantam illam constituunt, quæ propter foliorum tenuitatem in omnibus Aparinæ simillima est, atque inter cæteras notas florem luteum in cacumine possidet. Maximè verò decipiuntur, qui Galion Dioscoridis eam esse plantam existimant, quæ Crucialis herba à nonnullis nuncupantur.

GALLION VERVM: ET NONnullæ Gallij species.

Cap. XV.

FRactu contumaci *radiculâ* donatum est, longo tractu repente, tenui, lignosâ, fuscâ: ex qua virgulę surgũt dodrãtales, & cubitales, tenues, subhirsutæ: *folia* ad genicula ex interuallis radiatim caulem ambiunt, longiora & angustiora quàm Rubiæ siluestris, læuia, nitentia: *flosculi* copiosi in racemulos digesti, odorati quorum singuli quatuor foliolis stellarum radices imitatis constant, succedentibus vnicuique binis *seminibus*. Descriptio.



Gallium hoc flore luteo inter Gramina prouenire, & ingruentem tempestatem suauissimo odore pronunciare, suauiúsque etiam apparente Iride olere, testatur Camer. hort. Synonyma.

Gallium [vt Matthiol Lac. & Castor vocant] officinas ignorare falsò credidit Cornarius.

Gallium, Fuchs. Dod. Lon. Anguill. Apollini & Nomencl. pann. Gallium luteum, Lob. in Adu. & Obs. p. 467. ac Ic. p. 804. Thal. Hort. Lus. Ger. & Ponæ in Baldo. Gallium 1. Tabern. ic. & hist. vbi & Gallium Dioscoridis, & Gallia muschata quorundam. Gallium tenuifolium, Schvvenckf. Gallium aruense luteum, C. Bauh. apud Matth. Gallium 1. siue luteum, Eid. phyt. & pin. Gallium luteum Matthioli, H. Lugd. pag. 1088. Galion, Cordo in Diosc. Lob. Obs. p. 467. & Gesn. cat. Galion, Lappagini similis herba, Cæsalp. Galion, herba vulgaris, minor quàm Aparine, Eur. Cordo. Galion, Gesn. de lacte, & Trago, cui & Galij 1. genus. Gallion, species Aspergulæ, Cordo in Mitrid. Andromachi: Aster Atticus, Aspergula minor quorundam. Gesn. cat. cui & Bubonium. Spargula Cordo supra Martiarum.

Γάλιον siue γάλλιον. Germ. *Mergenkraut, Walstro, Wegstro, vnser frawen Berstro*, & *libkraut*: Saxonibus & Misnicis *labkraut* & *Raynwetzen*. Belg. & Flammandis *Walstheoo*. Gall. *petit Muguet, Aspergoute mineur*. It. *Galio*. Hisp. *Coaia leche yerua*. Angl. *Maydes here*: Boh. *Syryßtio Wa Bylina*: Hung. *Tey fugorytu fiu*, & *zent Iuan veraga*, h. e. Flos S. Ioannis Bap. Nomina linguas.

Nascitur apricis locis in collibus iuxta margines agrorum, solo lætiore: Iulio & Augusto floret. Locus & Tempus.

Facultatem, auctore, Galeno, exiccatoriam obtinet, & subacrem. Flos eius, vt Dioscorides ait, ambustis illinitur, & sanguinis profluuia sistit: miscetur cerato rosaceo: insolatur donec albescat: & tale acopum est lassitudinibus vtile. Vires & vsus.

Radix

Radix, eodem teste, venerem excitat. Florem tusum & impositum sacris ignibus mederi scribit Scvvenckfeldius: item contra cancrum & cancrosa vlcera commendari: fotu articulos luxatos restituere: comam in lacte maceratam illud coaguli modo condensare.


Gallium flore pallido.

Descriptio. RAdicem habet fibrosam, repentem: *caules* quadrangulos, articulis distinctos, cubitale, *folia* ad genicula ex interuallis radiatim caulem ambientia, prædicto maiora & latiora: *flores* pallidè luteos, minimos, in racemulum digestos, non tamé vt illud ita copiosos, nec ita odorosos Maio

Locus & Tempus. floret locis humentibus circa pratorum fossas & riuulorum margines.

Hoc Gallium Tabernamontano secundum est quoad descriptionem, eius enim nullam proponit figuram.

GALLIVM ALBVM.



Descriptio. NOn malè Gallio albo nomen huic fecerũt quidam, adeò inter se totâ facie conuenit: *coliculi* similiter tenues, sarmentosi, ramosi, quadrati, geniculati: *folia* stellata, Gallij, multa, coliculorum genicula ambiunt, sapore subacri: *flosculi* Aparines, quadrifolij, exigui admodum, sed conferti, candidi: *semina* gemina, rotunda, pusilla: *radix* reptat, quanquam & ex reptantibus coliculis fibris demissis se quoque propagat.

Synon. C. Bauh. pin. Mollugo 2. siue montana angustifolia, vel. Gall. album latifolium: Gall. tertium Trago: Gallium album, Lobel. in Adu. Cam. hort. & Thalio: Galion candido flore, Cordo in Diosc. & Cæs. Mollugo 1. Dodon. H. Lugd. & Tabern. Mollugo vulgatior herbariorum, Lobel. in obs. p. 465. & Ic. p. 802.

Locus & Tempus. Floret Maij principio circa Burcken, & inde versus Kentzinguen.

Gallium flore rubro Sprengerianum.

Descriptio. MAgna segete ramulorum terram operit rubrum Gallium, magis patulum, quam procerum: *caulibus* angulosis tenuibus, ex saturato virore rubentibus, admodum ramosis & rigidiusculis: geniculis *folia* accrescunt radiata in stellæ morem, tenuia, satis rigida, & veluti pungentia *flores* inter folia crebri, Gallij albi floribus pares, sed colore coccineo saturatiore tincti, quadripartiti.

Synonyma. Clusius hist. Gallium flore rubro inscribit, ac ab inuentore Sprengero Gallium Sprengerianum cognominandum putat. C. Bauhin. pin.



vocat Galliũ 2. siue rubrum

Locus & Tempus. Hanc stirpem primus in Italia obseruabat D. Sprengeri filius, ipsamque plantam cum semine in patriam referebat. Floret Æstate, semen sub Augusti finem maturũ est. Vidi autẽ ego mensis Septembris principio Basileæ florens in horto D. Chmielecij.

RVBIA SPICATA. CAP. XVI.



Descriptio. ANgulosis quoque *caulibus* est Rubia spicata, tenuibus, coloris cinerei, in ramos plures, pede longiores, diductis: ad quorũ genicula radiata *folia*, Aparines non maiora: *rami* in *spicas* abeũt semipalmares, atque etiam palmo longiores, glumis lõgâ serie ramo appressis, è quorum sinu *flosculi* tenelli videntur erumpere.

Ferd. Imperato Rubia spicata, planta Candiæ propria. Clus. hist. Rubia spicata Cretica C. Bauh. pin. Rubia 12. siue latifolia spicata.

Nomen ratio. Rubia quidem à similitudine quadam, quam eius folia cum Rubiæ folijs habere videntur, nominatur: & spicatæ cognomen additur, quia summi cauliculi & rami in spicæ formam desinunt. Cùm autem tota planta nonnihil aspera sit: non minùs commodè Aparinem vel Asperuginem appellandam suspicatus est Clusius.

RVBIA MARINA NARBONENsium. CAP. XVII.

Descriptio. RVbia marina frutex est qui cubitales possidet *caules*, angulosos, candicantes, duriusculos, multos, è *radice* crassa, lignosa, rubente, singulari, longiuscula, prodeũtes, iam simplices, iam ramosos, internodijs modò breuioribus, modò longioribus distinctos: *folia* verò articulis adnata aliàs frequentiora, aliàs confertissima, inalbent, breuia admodum, angusta, acumine leniter pungentia, sapore nullo: *flores* parui, longi, palle-

ſcentes. *Sculter* corrupit noſtram *figuram* potiſſimùm in floribus.

Rubia marina, Camer. apud Matth. & hiſt. germ. Cluſ. hiſp. & hiſt. Rubia marina Narbonenſium, in Adu. & Ic. pag. 799.

C. Bauhin. pin. Rubia 9. ſiue maritima: Erythrodanum marinum H. Lugd. p. 1385. & Crucialis maritima Cæſalpini. *Sed quum* Cæſalpini Crucialis ſit minima quatuor digitorum ego ad hanc non refero.

Locus & tempus. Monſpelij apud mare abundat: floret Vere & Autumno. Frater in littore Veneto collegit, florentem Iunio. In mediterranei maris, quod Hiſpaniam & Galliam Narbonenſem alluit littoribus frequentem etiam naſci teſtatur Cluſius.

SPERGVLA. CAP. XVIII.

Deſcriptio. PAlmaris aut ſeſquipalmaris eſt planta, ad cubiti etiā altitudinem excreſcens, *caulib.* multis, teretibus, frequenter geniculatis, ſub hirſutis, ramoſis: *folia* ad ſingulos articulos numeroſa, radiatim vt in Gallio caulem ambiunt tenuitate quinque pari, ſed nequaquā ita rigida, verùm flacceſcentia, ſuperiora cum coliculo leuiter hirſuta, auerſa parte ſulcata, ſapore nullo euidente: *capitula* in ramulorum faſtigiis multa, ſingula ſingulis pediculis donata (quorum vnus aut alter deorſum pendet, alij ſurriguntur, vt in Holoſteo caryophyllæo aruenſi Tabernamontani) Alſines ſimilia, hirſuta: quæ in *floſculos* albos è quinque foliis compoſitos explicantur, *apicibus* luteis, quibus ſuccedunt vaſcula Alſines, ſemina continentia puſilla, nigra: *radix* ſubeſt ſingularis, teſta albis raris fibris donata.

Dod. gall. ait Spergulam officinis & antiquis incognitam niſi ſit Seſamoides minus, cuius hiſtoriæ ſatis conuenire ſcribit. Idem tamen ſub Elatines ſpecie collocandam cenſet. De purg. verò, & in fol. lat. vulgò in Brabantia *Spurrie*, atque inde latinè Spergulam appellari refert, & nonnullos Polyganum nominare, quòd lactis abundantiam bubus promoneat: non eſſe tamen Dioſcoridis Polyganum, ſed multùm ab eo differre concludit.

Spergula Saginæ Lob. Lob. in Obſ. p. 467. itémque Ic. p. 803. Saginæ Spergulam inſcribit, & Polygonum *knauvel* Germanorum Tragi aſſerit. Sed ſecundum opinionem Dodonæi aliud ab hac Spergula cenſetur eſſe illud Polygonum.

C. Bauhin. pin. Alſine Spergula dicta 1. ſiue maior [Eſt & et Alſine Spergulæ facie media, & Alſinæ Spergulæ facie minor,] Spergula H. Lugdun. p. 1341. Alſine tenui folia altera, vel terreſtris altera τριχόφυλλος, Col.

Locus & tempus. Mombelgardi in agris inter ſegetes prouenit: floret Iunio, Iulio & Auguſto. Seri in agris & potiſſimùm quidem Autumno, vt Hieme, ac primo Vere, cùm alia pabula defecerint, bubus præbeatur, teſtis eſt Dodonæus.

Vſus. Pabuli igitur cauſa ſeritur, nec alium vſum, quod conſtet, habet. Semen quidem vomitione pituitoſos humores educere plerique referunt: eſtur tamen à gallinis & columbis, quæ non ſolùm citra noxam id ipſum ſublegunt, verùm etiam, hoc paſtæ, & oua plura, & citiùs excludere creduntur.

Spergula purpurea.


Deſcrip. SPergulam purpuream voco herbulam *radice* ſingulari, longa, craſſiuſcula, apophyſes quaſdam è lateribus emittente, ſapore betaceo: *caules* multi, per terram ſparſi, vt in Polygono 3. Tragi, dodrantales & minores in ramulos diuiſi: ad quorum ſingulos nodos *folia* ſtellatim adnaſcūtur, tenuia, ſemuncialia circiter, qualia Spergulæ, alia aliis maiora, plurimùm glabra, rariùs hirſuta: quibus ad exortum veluti ſquamulæ duæ, albæ, vt in Polygono, circumponuntur: ſapor herbaceus: in extremitate ramulorum variè diuiſorum *flores* multi purpurei Anagallidis phœniceæ floribus ſimiles è quinque foliolis compoſiti, alij recti, expanſi: alij penduli, occluſi, calyce quinquefolio oblongo, herbaceo, ſubhirſuto, pediculis longiuſculis hirſutis nixi, poſitu florum Aſpergulæ: *ſemen* in capſulis Spergulæ minutiſſimum, arenæ ſubtilioris inſtar fuſcum, aut cinereum.

Locus. Plantam hanc antè nunquam viſam reperi florentem menſis Maij medio, itineri à Beblingen verſus Stutgardiam prope pagum *Faingen an den fildern*, ſecus viam arboribus haud conſitam, nec herboſam. Baſileæ etiam ad Wiſam in ſabuletis & ſalicetis haud infrequens ab aliis obſeruata.

Spergula marina noſtras.

Deſcrip. CRaſſiore eſt *radice* quàm mediterranea Spergula, ex qua *caules* ſimiliter multos profert palmares

palmares & pedales, ad quorum genicula nascuntur radiata in orbem *folia*, spergulæ jam dictæ modo, crassiuscula, salsa: ramulorum cacuminibus *flores* è calyculis hirsutis erumpunt, similes, quoque forma, sed colore lutei; vascula nonnihil turbinata *semen* continent.




Perpendendum an non hæc apud H. Lugd. sit eadem p. 1385. Spergula marina inscribatur, licet nostra magis brachiata & minor sit. Verùm hæc euenire possunt ratione locorum.

Locus & tempus. Mense Septembri reperi apud lacum salsum propè Monspelium quà ad mare itur.

RVBIA CYNANCHICA.

Cap. XIX.



Descriptio. NOn pauca habet cū Gallio cōmunia, cujusmodi sunt repetatrix *radix*, lignosa, *folia* ad ramulorum genicula, radiata, perinde angusta & splendentia, sed longiora, pauciora: *ramuli* quadrati tenues, cubitales & minores etiam, plærumque in terram proni: *flosculi* lōgè pauciores quàm Gallij, nec racemosi, quadrifolij, rubentes, aut ex rubore in album fatiscentes, majores & longiores, quàm in Rubia angulosa non aspera: nullus flori odor. Plantæ sapor exiccans: *semen* ferè geminum, Aparines modo, oblongum nonnihil læve, pulpa alba.

Synon. An Tab. Ic. & h. Gall. album minus, *klein weisz Megerkraut*: Gall. quartum? Gesn. hort. Rub. species silu. multò minor, circa Bononiam Squinathica aut Herba vitæ appellata: Eid. coll. Rubiæ paruum genus, Aspergula, & Rubiæ cognata. H. Lugd. pag. 1185. Cynanchica, quòd ad anginas sumpta & admota valeat.

C. Bauh. pin. Rubia 6. siue cynanchica (tradit ille præterea & describit Rubiam cynanchicam saxatilem, circa Valentiam Delphinatûs à D. Bursero collectam:) Aspergula herba repens Gesn. coll. Saxifraga altera Cæsalp. Gallium tetraphyllon montanum cruciatum Columnæ.

Locus & Tempus. Geneuæ florebat mēse Maio & Iunio *au plain palais*: Basileæ multis in locis adhuc Octobri: Monthelgar. & in collibus vrbi vicinis, Iulio & Augusto in sabuletis & macris locis prouenit.

Vires. Cynanchica Rubi. siccat absque morsu: & ad anginas vtilissima est, sumpta & admota.

IVNCARIA.

Cap. XX.



Descriptio. HAbet in singulis geniculis bina *folia* ex aduerso sita, Asperulę odorato flore folijs quodammodò similia, breuiora tamen & Lini satiui folijs non absimilia: frequētes ramuli ex alarū sinu prodeūt, similibus foliis præditi, copiosos, paleaceos, candicātésque proferentes *flores*: *semen* deinde exile, nigricās: *radix* tenuis est, candicans, non viuax, sed singulis annis semine deciduo, nouellæ plantæ enascuntur, illo ipso anno etiam sub finem mensis Augusti.

Gallio rubro aliquatenus similis Clusio. Clusius descriptionis author propter foliorum quandam similitudinem, hanc herbam, quā Salmanticenses à junceorum cauliculorum forma & gracilitate Iuncariam appellant, Gallio rubro flore præfigendam judicauit.

Synonyma. Lob. in obs. p. 462. & Ic. p. 757. & Gerardo, Iuncaria Salmanticensis Clusij. Iuncaria, Tab. Cynanchicæ species. H. Lugd. p. 1185. Rubia 8. siue linifolia aspera, C. Bauh. pin.

Locus & tempus. Prouenit locis arenosis, inter vineta, secundo à Salmantica milliari. Floret Iulio: semen Augusto maturum est.

ARENARIA.

Cap. XXI.

Descriptio. DElicatula plantula, vix palmaris, ex *radiculis* longiusculis, albis, crebris geniculis intercepta, ramulos satis frequentes profert tenuissimos: *folia* ad radicem multa vncialia & geniculis inferioribus circumposita, semunciā longiora, sed insignis tenuitatis, vnà cum minoribus quibusdam adjunctis: at per articulos bina, in superioribus verò radiatim penè disposita, breuia minutàque, vt nihil suprà, verticillos imitata, hirsutiem interdum per coliculum exhibet, extremísque ramis *florem* Spergulæ, album, minorem, calyci insidentem viridi, foliosō.



D. Stephano Sprengero à quo primò accepi dicebatur Polygoni vel Holostei genus. Is circa Vlmam collegerat.

CRVCIALIS FRVTICOSA, CÆSALP.

Cap. XXII.

Descriptio.

CRucialis quædam dodrantalis, fruticosa: *ramulis* tenuibus: binis *foliolis*, angustis, in singulis geniculis: in alijs grana si gula acetabuli figura in quinque barbulas desinentia, patua, dura, viridia, & striata: intus *semina* bina continentur: oritur in montibus.

Cùm quænam hæc fruticosa sit nos lateat, eam post Rubiolas relinquimus, eò quod & ipse Cæsalpinus eam post illas locauerit.

ASPARAGVS ET CORRVDA in genere.

Cap. XXIII.

Asparagi generalis significatio.

ETsi Asparagus, vel Atheniensium more Aspharagus [ἀσπάραγος, vel Attico more ἀσφάραγος] vel Sparagus, vt officinæ detractâ syllabâ dicunt, Galeno 2. de alim. teste, generatim quidem omnes propè modum cauliculos teneriores, & teneriora germina seu olerum & herbarum, seu suffruticum, seu fruticum, arborúmque denotet: attamen peculiari generi plantæ etiam tribuitur, quæ sic dicta, quòd cauliculos hos, qui prima germinatione è terra prodeunt præcipuos habeat.

Generū duo Diosc.

Genera duo Dioscoridi. Asparagus in petrosis [ἀσπάραγος πετραῖος] nascens, quem Myacantham (μυακάνθαν, id est murinam spinam) vocant, vulgaris notitiæ: *Et paulò inferius.* Quidam narrant quod si quis arietis cornua contusa defodiat, Asparagum quoque (κηπαῖον, altilem, vet. addit) nasci: quod tamen probabile mihi non est. Altilis autem hic Asparagus, frutex est ramosus folijs numerosis, longis, Fœniculo proximis: radice rotunda, grandi, tuberculum [nodum, Corn.] habente.

Galenus 2. alim. duo quoque Asparagi genera memorat, βασιλικὸν regium, & ἕλειον palustre.

Asparagus Theophr.

Theophrasto 6. hoc 1. ἀσπάραγος [hanc solam vocem per geminam Asparagum, Corrudam Gaza vertit] ex toto aculeata est, & nullum juxta aculeum folium gerit. Et 6. hist. 3. ait juxta aculeos pusillum quiddam claue simile producere: ex quo flosculus tandem ipse erumpat: radice largâ, altâ, numerosâ, eâdémque tam crebrâ inuiti, vt pars superna radicum tota connexa & continua reddatur, ex qua vel ipsorum caulium prouentus facilitetur, &c.

Siluestres fecisse naturam Corrudas, vt quisque demeteret passim: sed ecce & altiles spectari Asparagos, hortorum curâ, testatur Plinius lib. 19. cap. 4. Et ait hinc ejusdem libri cap. 8. Omnium hortensiorum lautissima cura Asparagis. De origine eorum in siluestribus curis abundè dictum, & quomodo eos juberet Cato in harundinetis seri. Est & aliud genus incultius mitius Corrudâ (Asparago hoc spinoso vt sponsæ coronarentur apud Bœotios in more fuisse, tradit Alex. ab Alex. c. 5. l. 2.) passim etiã montib. nascẽs, refertis superioris Germaniæ cãpis, non infaceto Tiberij Cęsaris dicto, herbam ibi quandam nasci simillimã Asparago. Nam quod in Neside Campaniæ insula spõte nascitur, longè optimum existimatur. Hortensium [hortense, Dal.] seritur spongijs. Est enim plurimæ radicis, altissiméque germinat. Viret thyrso primùm emicante: qui caulem edocens, tempore ipso fastigiatus in toros striatur. Potest & semine seri. Nihil diligentiùs comprehendit Cato, nouissimúmque libri est, vt appareat repentinam ac nouitiam viro curam fuisse. Locum subigi jubet humidum & crassum. Semipedali vndique interuallo seri, ne calcetur. Præterea ad lineam grana bina aut terna paxillo dimitti: videlicet semine tum tantùm serebãtur. Id fieri secundùm æquinoctiũ vernum. Stercore satiari, crebrò purgari, caueri ne cũ herbis euellatur Asparagus: primo anno stramento ab Hieme protegi. Vere aperiri, sarriri, runcari. Tertio incendi verno. Quò matutiùs incensus est, hoc meliùs prouenit. Itaque harundinetis maximè conuenit, quæ festinant incendi. Sarriri jubet idem, non antequam Asparagus natus fuerit, ne in sarriendo radices vexentur. Ex eo velli Asparagum ab radice. Nam si defrangatur, stirpescere & intermori. Velli, donec in semen eat. Id autem maturescere ad Ver, incendique: ac rursus, cùm apparuerit Asparagus, sarriri ac stercorari. Ac post annos nouem, cùm jam vetus sit, digeri subacto solo, stercoratóque. Tum spongijs seri, singulorum pedum interuallo. Quin & ouillo fimo nominatim vti, quoniam aliud herbaresceret. Nec quicquam postea tentatum vtilius apparuit, nisi quod circa Idus Februarij defosso semine aceruatis paruulis scrobibus serunt, plurimùm maceratum fimo. Dein nexis inter se radicibus, spongias factas post æquinoctium Autumni disponunt pedalibus interuallis fertilitate in denos annos durante. Nullum gratius his solùm quàm Rauennatium hortorum. Indicauimus & Corrudam. Hũc enim intelligo syluestrem asparagum, quem Græci Orminum aut Myacanthon vocant, aliísve ominibus. Inuenio nasci & arietis cornibus (fabulosum vnúmque id sibi videri scribit Dioscor.) tusis atque defossis. Lib. 20. cap. 10. ait syluestrem Asparagum aliquos Corrudam, aliquos Lybicum vocare, Atticos Orminium, cujus efficacior vis & candidior major. Lib. 21. cap. 16. concludit in totum spinam esse Asparagum.

Asparagus optimus vbi

Corruda Asparagus.

Myacanthon.

Libycum. Orminiũ.

Cornarius, nostro judicio, acriter est reprehendendus, dum ait Asparagum palustrem Galeni, Dioscoridem petræum aut Myacantham appellare, & de ipso etiã prodi affirmare, quod si quis arietis contusa cornua defodiat, nasci Asparagum, vt sic satiuus ex siluestri fiat: Plinium verò Corrudam & siluestrem Asparagum vocare.

Corn. opinio reprehenda.

Reperio antiquos Græcos, inquit Fallopius in Epistola ad Mercurialem, vnde vox ista originem traxit, nõ solùm Ἀσπάραγον sed etiam ἀσφάραγον.

ραγον

ραγον appellasse rem, de qua loquimur. Ἀσπάραγος quidem communior erat appellatio, quâ totâ fermè Græcia vtebatur: ἀσφάραγος verò magis selecta vox, quasi solis Atticis reseruata, vti ex Athenæo conuiuiorum lib. 2. & ex Galeno lib. 6. simplic. & 2. alim. colligere possumus, videmusque (nisi scriptura mendosa sit) hoc confirmatum apud Theophrastum, cùm aliquando ἀσπάραγον, aliàs verò ἀσφάραγον in hist. pl. scriptum reperiamus. Vnumque hoc subinde addam, quod apud eosdem Græcos ἀσφάραγος guttur ac fauces aliquando significat. Quanquam Apion Grammaticus tollendę homonymię gratiâ non ἀσφάραγον, sed σφάραγον scribẽdum dixerit, veluti multi, etiã teste Eustathio, in hoc Homeri loco fecêre, qui non ἀσφάραγον sed σφάραγον scribendum judicauerunt. Dicitur autem ἀσπάραγος, quasi ἄσπαρτος, i.e. ὀ σπαρτὸς, nõ satus, quia, vt inquit Athenæus, inter omnes asparagos, hi qui minimè sati sunt, principem locum tenent, atque ijdem medentur omnibus internis morbis: qui verò seruntur, non in eodem pretio sunt. *Quid autem* per Asparagum intellexerit antiquitas, satis constat ex eodem Athenæi loco, atque ex Galeni 2. alim. & ex libro de attenuã e victu, quos secutus Oribasius 2. & 3. coll. & Paulus & Aëtius libr. 1. hæc nos docuerunt. Quatuor sc. esse Asparagorum genera, quorum primum illud erat in ordine, quod omnia olerum gemina, aut caules tenerrimos, sub se continet, cùm primùm illos planta ad flores, seminá que procreanda, aut fructus sustentandos emiserit, talesque sunt, vt cocti, aut crudi esui aptè accommodentur. Vnde teneros Brassicæ cauliculos ἀσπαράγους vocabant antiqui, ita etiam & reliquorũ olerum, vt Bliti, Lactucæ, Atriplicis, Maluæ, Betæ, Napi, Raphani, Lampsanæ, Nasturtij, Pyrethri Brassicæ sylu. ac similium, quib. hoc primum Asparagorum genus continetur. *Cui adiungamus* secundum, quod sub se omnia germina, aut recẽtes colliculos τῶν θαμνώδων fruticum [vt Rusci, Oxiacanthæ, Viticis, &c.] sc. complectitur, qui tenerrimi erumpentes esui apti sunt: nam quæ Vere primò erumpunt germina, hujusmodi etiam ab antiquissimis scriptoribus Asparagi nomine donata sunt.

Asparagus cur dictus.

Aspar. genera quatuor.

Aspar. secundum genus.

His addamus iam tertium genus quod in quibusdam plãtis quę ἐπιτοσόκαυλοι sũt, neq; inter olera domestica, aut syluestria, neque inter frutices cõmemorantur, proueniunt, suntq; tenerrima illorũ germina, aut cauliculi, antequam flores vel fructus protulerint, Vitis enim albę Bryoniæ dictæ, & vitis nigræ viticulæ asparagi nomine ab Antiquis in cibos assumebantur: ita & caules teneri elaphobosci & Hipposelini, & Anonidis, nostrisque temporibus additus lupuli & equiseti cauliculus tenerrimus, quæ plantæ omnes olera neque sũt neq; caulẽ annotiorẽ proferũt, illarũque partes tenerrimæ dum erumpunt, pro asparagis ad mensas veniunt: & quamvis asparagi isti à scriptoribus nuncupentur, alias tamen proprias appellationes possident, videnturque quasi impropriè Asparagorum nomine donati cùm quartum genus, ad quod jam venio, illud sibi propriè, asciuerit. *Sit itaque Asparagi quartum genus* quod sub se plantam continet quãdam quę propriè & peculiari quadã dote ἀσπάραγος, & Asparagus à Scriptoribus tam Græcis, quàm Latinis vocatur. Quæ planta Asparagus propriè dicitur, & cùm tenerrima est & noua, nondumque se in spinas aut folia, aut capillamenta explicauit, antiquorum, & nostrorum hominum etiam mensis valdè dignata, est eodem nomine insignita, quo tota planta, ob summam quam iniuit cum palato & sanitate corporis humani gratiã, atque vti de facie multiplicem nouimus plantã hanc esse, multiplicem item legimus apud Scriptores, quoniam Asparagi petræi meminit Dioscorid. & Galenus, necnon Asparagi myacanthini vel myacanthæ dicti, Regij verò meminit idem Galenus & Oribasius: montani Athenæus, ἑλείου, hoc est palustris Asparagi idem Athenæus, Gal. Orib. Paulus, & Aëtius mentionem fecêre, vt etiam κηπαίου, id est hortensis Paulus solus: Inter Latinos verò Asparagi satiui meminit Columella, quem Asparagum simpliciter, vel hortorum corrudam vocat Plinius: Asparagi quoque siluestris meminit Plinius, idem & Palladius. Et quamvis plures sint voces istæ, non ob id tamen mea sententiâ, plura quàm tria infima Asparagorum genera significant, Myacanthinum sc. siluestrem, & Myachanthinum cultu emollitum, tertium palustrem, neque alia sunt Asparagorũ genera ab his tribus, quæ dixi, distincta, &c. Sententia autem mea hæc est, magis probandas esse radices syluestris, illásque asseruandas, & in medicamentis collocandas; primò quidem quia in locis saxosis oriantur, sintque duriores, & ob id etiam incorruptiores seruari possint. Secundò, quia syluestr. Asparagus efficacior est ad omnia. Tertiò, quia in satiuo inest vis quædam φθορόποιος, & quasi venenata, cùm dicat Dioscorides vim ipsius sterilitatẽ ac infœcundicatem parere, quâ malâ qualitate fugiendam esse censeo. Quam ob rem, vt jam finem faciam [inquit Fallopius, cujus verba hactenus recitauimus] assero de syluestri tantùm locutum esse Dioscoridem: Et si de vtroque, *syluestrem* tamen, ipsius sententiâ, meliorem, ipsumque cùm ejus vsus sit tutior, asseruandum. *Satiuum* verò ad delitias mensarum, ac ad gulæ irritamenta esse magni faciendum.

Genus 4.

Radicibus silu. Aspar. in medicamentis vtendum.

ASPARAGVS HORTENSIS ET Pratensis.

Cap. XXIV.

Cordus Asparagum satiuum & campestrem tam editis, quàm planis locis nascentem sic describit: Asparagus caules emittit primo Vere teneros, longos, teretes, virides, glabros sine folijs, ab vno cespite plures, qui paullatim in numerosos, tenues, lentos, diuiduntur ramos, & virgas & circa has *foliola* frequentia, vnciæ longitudine, indiuidua & capillorum aut setarum modo tenuia: tota itaque herba cum Fœniculo aliquam in folijs similitudinem habet, & duûm cubitorum altitudinem petit. *Flores* Sole in Geminos transeunte circa ramulos copiosos, paruos, & pallidos producit, & post eos *baccas* Pisi quantitate, rotundas, rubentésque, intus carne sua duo aut tria nigra & corneæ soliditatis *semina* claudentes. *Radicibus* nititur perennibus, numerosis, ab vno transuerso, & propter caulium vestigia, aspero, villosóque dorso, vtrinque in obliquum descendentibus, longis teretibus, lentis, foris cineraceis, intus autem candidis, quibus dulcis & glutinosus est sapor: *coliculi* item adhuc teneri admodum suauem saporem habent, sic ipsa etiam semina.

Descriptio.

Alterum Asparagi genus Cæsalpino, crassiores habet, & gustui gratiores asparagos, quàm primum [Corruda] sapore quodam funges Prunulos imitante: caules breuiores, per se stantes: longiores ramulos: foliola mollia, non pungentia: flosculos longiore pediculo pendentes: fru-

ctus paulò craſſiores, in quibus ſemina ad ſummum ſex nigra continentur:amat hortorum vmbroſa:floret Vere.

Synonyma. Cætera.

Aſparagus, Brunfelſ. Tragoi[qui non bene diſtinguit à Corruda, quam ei ignotam fuiſſe ſuſpicamur] Matthiol. Fuchſ. Dod. gall. Cordo in Dioſcor. & hiſt. Geſn. horto (vbi majoris & minoris meminit. An eid. in append. Aſparagus Italicus, in nonnullis Germaniæ hortis creſcens, & à Germanico differens? (Lon. & Eluchaſi Tab. 11. quem tamen figura non exprimit. Aſparagus altilis, Fuchſ. Turn. & Tabern. Aſparagus domeſtica Bellon.



Aſparagus altilis Dioſc. idem cum ſatiuo & hortenſi, Anguil. Aſparagus ſatiuus, Lac. Caſt. H. Lugd. pag 610. & Germ. Aſparagus hortenſis, Hort. Luſ. Dod. lat. Lob. in Adu. & Camer. Aſparagus domeſticus, Eyſt. Aſpar. domeſticus vulgaris, Lobel. in Obſ. pag. 458. quoad titulum.

Ἀσπάραγος: Germ. *Spargen*: Belg. *Aſperges*, nonnullis *Corallcrnyt*: id eſt Herba coralli, à baccis coralli inſtar rubentibus: Gall. *Eſparge*: It. *Aſparagos*: Hiſp. *Eſparages*: Angl. *Sperage*: Boh. *Vromovve kareny*: Hung. *Sparga*.

Locus.

Aſparagus folio molli 1. ſiue ſatiua, C. Bauh. pin. qui cum in pratis Alſatiæ Baſileæ vicinæ, & in pratis ad Danubium ſitis, & in Burgundia circa Veſuntium ſpontè proueniat, hunc Plinium intelligere cenſet, cùm in ſuperioris Germaniæ campis prouenire ſcribit, & Cluſio dici Aſparagum mitiorem ſpontè naſcentem Hiſp & hiſt.

Aſparagus altilis vbique in hortis frequens eſt.

Aſparagus marinus.

Deſcriptio.

MInimi digiti ferè craſſitudine ſunt lignoſa *virgulta*, in tortuoſos ramos diuaricata, per quos *folia* breuiora, craſſiora, latiora, robuſtioráque quam in altili Aſparago, multò majora molliorάque quàm Corrudæ: baccæ duplò Iuniperinis majores, rubentes, aut nigricantes, *ſemina* complectuntur quatuor aut quinque majuſcula.

Aſparagus paluſtris Galeni.

Et hic eſt Aſparagus ἕλειος, cujus meminit Galenus lib. 3. alim. Voco autem paluſtrem hunc Aſparagum, quia prouenit apud lacus paluſtres propè mare Monſpelij. Qui præterea hic deſcribitur, non multùm differre videtur à Regio, ſiue eo qui in hortis colitur, & tum à Fuchſio, tum à Matthiolo pingitur, niſi quod videtur contrahere ſalſuginem aliquam propè mare.

A Regio quid differat.

Baccæ etiam, vti dictum, majores videntur, folia etiam craſſiora & firmiora. Præter has notas & alia occurrit, quâ à vulgari diſtinguitur, nempè color ſubcæruleus, vel cinereus, non viridis, qualis in vulgari.

Synon.


C. Bauhin. pin. Aſparagus folio molli 3. ſiue Aſparag. maritimus craſſiore folio: Aſparag. ἕλειος, ſiue paluſtris Galeni: Aſparagus paluſtris Matthiol. Anguill. & Tab. Aſparagus marinus Cluſ. hiſp. & hiſt. itémque Camer. Aſparagus maritimus Dioſcoridis Lob. in Adu. & Ic. p. 786. Aſparagi alterum genus Cæſalp. [hoc Aſparagi genus alterum Cæſ. huc non referimus.] Aſparagus ſylueſtris Gerardi.

Indicandum hîc erat, Aſparagum hunc maritimum Dioſcoridis Lobelij in Obſ. 458. Aſparagi domeſtici vulgaris titulo donari, & tamen pro maritimo inibi deſcribi. Cluſius Corrudam negat, & Aſparagi altilis genus aſſerit, & quia maritimis decliuioribus & herbidis locis ſpontè prouenit, marinum vocat.

Locus & tempus.

Monſpelij ad mare prouenit, floret Aprili: baccas maturat Auguſto vel Septembri.

Aſparagus platycaulis.



Deſcriptio.

MOnſtroſa noſtro judicio Aſparagi hortenſis varietas hæc data nobis fuit à D. Friderico Meier Argentinæ: qui narrabat primo Vere in horto Ill. Comitis à Leiningen propè *Creutznavv* in Palatinatu, & quotannis tali formâ prodire. *Caulem* exerit tricubitalem, vnciam latum compreſſum, ſtriatum, ex quo vtrinque ramuli prodeunt quales Aſparagi vulgaris, temerè & nullo ordine poſiti. *Foliola, flos & fructus* qualis vulgari.

Icon.

Figuræ Aſparagos è radice emergentes, & flores cum fructu & Acinis ſua magnitudine approximus.

CORRVDA.



Deſcriptio.

DVris, contortis, angulofis *virgultis* ad hominis altitudinē fruticat, in frequē ex ramulos ſtriatis, alternatim ferè diuiſis: *foliola* ex vno puncto plura exeunt, veluti in Larice, duriora & breuiora quàm Aſparagi altilis, & ſpinarū, quàm foliorū nomine digniora, quippe acriter pungentia

gentia : *flores* parui pallidi , altilis Asparagi æmuli: *bacca* prima fronte ejusdem baccis similes, ingrati saporis, & teredine obnoxiæ , in quibus primùm occurrit pellicula alba , pellucida, deinde rubra, densa,tertiò nigricans,postremò *semen* vnicum,vel duo, alba, latescentia,duriuscula.

Asparagi primam speciem,Dioscoridi petræam vocatam , Anguillara eandem cum Corruda facit,& Asparago spinoso,qui à Plinio Lybicus dicitur & Horminius. Nec species diuersas esse, vt multi putant,statuit.

Myacantha. E tribus Corrudæ generibus prior dicitur, inquit Clusius,Græcè ἀσπάραγος πετραῖος καὶ μυάκανθα, i.e. Asparagus petræus siue syluestris, & Murina spina. Plinius , etiam à Latinis Corrudam, ab aliquibus Lybicum , ab Atticis Orminium vocari tradit.

Corruda Etym. Corrudam nonnulli dictam volunt , teste Ruellio , quòd , vbi adoleuit, facilè corruat, decidátve ; sic Horminium ἀπὸ τοῦ ὁρμᾶν, q.e.ruo: Lybicum autem , à patria , Germ. *Stein spargen*, siue *Stich* : aut *dorn Spargen* , & *wilder Spargen* , Gall. *Esparge sauuage* : It. *Asparago saluatico* : Hisp. *Sparaga & Esparagos* indifferenter , tametsi Esparragos trigueros quia in agris frumento consitis apud eos plurumque crescit, appellant. Angl. *Pricky Sparage*, propter aculeos. *Horminium vnde Nom. ling.*

Synon. C.Bauh. pin. Asparagus Corruda dictus 1. siue Asparagus folijs acutis : Asparagus petræa Dioscoridis & Galeni : Corruda & syluestris Asparagus Plinij : Asparagus petræus & Corruda Dod. gall. Cordi hist. Rauvv. Bellon. Lob. in adu. & Icon. p.787. (Corruda differens ab altili Asparago) H Lugd. p.611. (icones duæ Dodonæi & Penæ) & Turn. cui & Asparagi alterum genus , & Asparagus syluestris. Asparagi prima species Anguill. & Cæsalp. Asparagus syluestris, Gesn.app.Lac.Dod.lat. Camer.epit. siue Corruda Bellonij : Corruda prior Clus. hisp. & hist. itémque Tab.

Locus. Circa Monspelium locis siccis & aridis prouenit : in Italia verò , Castella & Granatensi regno abundat. Floret vuâ maturescente, hoc est Augusto : semen Octobri maturum est.

Synon. Habet autem præterea duas alias Corrudas Clusius , quarum vna quæ ipsi altera inscribitur, C. Bauh. pin. dicitur Asparagus Corruda dictus 2.siue Asparagus aculeatus alter, tribus aut quatuor spinis ad eundem exortum.Asparagus syluestris alter Dodon. & Ger. Corruda altera , Clus. hisp.& hist. H.Lugd.p.613. & Tab.cui in Ic.Corruda Hispanica : Corruda hispanica altera quæ Lusitanica Lob.obs. p. 459. at suprà iconem , vt & in Ic.Plant.787. Corrudæ varietas, Asparagus petræus, & Myacanthinus Galeni : Asparagi genus quartum, Cæsalp.

Synon. Alia verò quæ ab ipso tertia inscribitur dicitur C. Bauh. pin. Asparagus Corruda dictus 3. siue Asparagus aculeatus spinis horridus. Polytricha ,Bellon. de negl. cult. & obs. lib.1. cap.18. Asparagus syluestris tertius , Dodon. Corruda 3. Clus.hisp. & hist. Lob. obs. pag.459.p.& Ic.pag. 788.H. Lugd. pag. 613. & Tabern. cui in icon. Corruda hispanica altera : Asparagus siluest. spinosus , Germ. Asparagi Theophrasti nomine, cui spina pro folio, ex Creta ab Honor. Bell. transmissa. Harum verò vtraque in Lusitania & Bætica tota occurrit. Nouembri fructu onusta, interdum floribus hinc inde sparsis,nec alibi visa.

Asparagi vires & vsus.

HIsce ita traditis , reliquum est, vt vires & vsus adscribamus. Asparagi igitur in petrosis nati cauliculus leuiter decoctus, & pro cibo sumptus, ventrem mollit, vrinámque cit. Radicum autem decoctum epotum , ægrè meientibus,regio morbo laborantibus, nephriticis & ischiadicis auxiliatur: itidemque morsis à phalangio , siquidem & vino decoquatur. Sic & dolore dentium infestatis proficit, si modò decoctum super affecto dente contineatur. Semen quoque potum ad eadem valet. Aiunt & canes , si Asparagorum decoctum hauserint , emori. *Altilis* verò Asparagi cauliculus ex vino albo tritus , renum dolores sedat. Coctus autem assusve Asparagus in cibo sumptus,vrinæ stillicidium,difficultatemque ac dysenteriam mitigat. Ejusdem radix in aceto,aut vino decocta luxatos artus mulcet. Cum ficulnis autem , ciceribúsve decocta, sumptáque , regium morbum sanat, & coxendicum cruciatus, vrinæque stillicidium leuat. Cæterùm , amuleti ratione alligata radix, itemque haustum ipsius decoctum , partum impediunt, sterilitatemque inducunt, ex authoritate Dioscoridis. *Vires & vsus.* *Agrest.* *Altilis.* *Amuletum.*

Plin. Vtilissimus stomacho cibus Asparagi , vt traditur, *inquit Plinius*. Cumino quidem addito inflationes stomachi colique discutiunt ijdem oculis claritatem afferunt. Ventrem leniter molliunt. Pectoris & spinæ doloribus , intestinorumque vitijs prosunt , vino cùm coquuntur addito. Ad lumborum & renum dolores , semen trium obolorum pondere , pari cumini bibitur. Venerem stimulant. Vrinam cient vtilissimè præterquam quod vesicam exulcerant. Radix quoque plurimorum prædicatione trita, & ex vino albo pota , calculos quoque exturbat, lumborum & renum dolores sedat. Quidam & ad vuluæ dolorem radicem cum vino dulci propinant. Eadem in aceto decocta contra Elephantiasin proficit. Asparago trito cum oleo perunctum pungi ab apibus negant. Syluestris Asparagi ad suprà dicta omnia efficacior vis, & candidiori major. Regium morbum extenuat. Veneris causa aquam eorum decoctam bibi jubent ad heminam. Ad idem & semen valet cum Anetho, ternis vtrumque obolis. Datur & ad serpentium ictus succus decoctus. Radix miscetur radici Marathri inter efficacissima auxilia. Si sanguis per vrinam reddatur, semen Asparagi,& Apij, & Cumini ternis obolis in vini cyathis duobus , quinis diebus Chrysippus dari jubet. Sic & hydropicis contrarium esse , quamvis vrinam moueat , docet: Item veneri : Vesicæ quoque , nisi decoctum quæ aqua si canibus detur , occidi eos (hoc Dioscorides tantùm famâ hominumque sermonibus vulgatum ait.)In vino decoctum radicis succum, si ore contineatur , dentibus mederi : *Hucusque Plinius*.

Galen. Asparago petræo siue myacanthino Galenus 6. simpl. extergendi vim adscribit , & neque calefacere , neque frigefacere manifestè , scribit, Ideoque & renes & hepar ab obturatione liberare : & maximè radices herbæ & semen. Quin & dentium dolores siccando sanare , quo sanè dentes maximè opus habeant. *Temper.*

Tradunt nonnulli, teste Mizaldo , radices Asparagi siccatas & dentibus infixas , illos absque dolore eradicare.Qua de re consule Schenckium lib.1.Obs.414.titulo,vt dentes sine dolore & ferro extrahantur.

Perhibet Tragus Asparagi recentia gemina, vino cum butyro & aceto decocta, qua ratione & Lupuli turiones parari solent, alvum emollire, vitia pectoris expurgare, vrinam promouere, sed & genituram minuere, si quis continuò illis vtatur. Semen aut herbam vino decoctam, & aquam distillatam, easdem cum radicibus obtinere facultates: aduersus morbum regium decoqui radicem cum ficis & cicere, & hac potione sumpta, morbum pelli, asseri.

DRYPIS THEOPHRASTI, ANGVILLARÆ CAP. XXV.



Descriptio. Titulo Drypis Theophrasti missa ad fratrem Casparum planta, lutea tota, herbacei potiùs, vti videtur, quàm fruticosi generis: *rami* in surculos diuisi, fragiles, tenues, politi, geniculis creberrimis distincti, ad quorum vnúquodque bina aduerso situ nascuntur *folia*, sine pediculo quidem sed non amplexi caulia, semúnciam plùs minùs longa, ab ortu latiora sensim acuuntur, Iuniperinis qualibet parte angustiora, fragilia, & spinam mitiorem ferè imitantia, superiùs veluti canulata, aversâ parte subrotunda.

Hæc Drypis videtur aliquid similitudinis habere cum Camphorata glabra, quæ tamen non serpit. Huic etiam quodammodò similis Echinopus Plutarchi quorundam, verùm illa est fruticosa planta.

Icones. Icon quam ex alijs assumpsimus descriptioni nostræ non respondet. Optassemus vt ex planta Fratris delineata fuisset.

Synonyma. Cæterùm, Drypis Theophrasti Anguillaræ dicitur Lob. Obs.p.460. Ic. Plant.pag.789. Tab.& H.Lugd.p.1480.

Drypis Theophr. Δρυπὶς Theophrastus 1.histor.16.tantùm meminit, eam semel duntaxat nominãs de genere spinoso, eique loco folij spinam assignans. Dicitur autẽ ἀπὸ τοῦ δρύπτειν, i.e. ἀμάττειν, νύττειν, ξύειν, à lacinando, pungendo, vellicando, quòd aculeis suis attrectantes & colligere volentes vulneret. Quibusdam Eryngium marinum Drypis Theophrasti videtur esse: Alijs Drypis est Acanos Plinij. Sed neutra opinio arridet. Guilandinus Drypida Theophrasti, Tragum Matthioli fecit: ast apertè hallucinatus est. Sunt qui Carduum capite nutante velint, sed errãt & ipsi.

CAVCON, EPHEDRA, ANABASIS, Veteribus. CAP. XXVI.

Locus. Caucon, & Ephedram, & Anabasin [his nominibus appellatur quoque Hippuris c. 13. l.26.] ab alijs esse vocatam, Plinius c.7. jam dicti libri, memoriæ prodidit, addens nasci ventoso ferè tractu, scãdens arborem, & ex ramis propendens folio nullo, cirris numerosis; qui sint Iunci geniculati, radice pallida. *Vires.* Dari ex vino nigro austero tritam ad tussim, suspiria, tormina, & sorbitione factâ, in quâ vinum addi conuenit.

Facilè autem apparet cur Ephedra & Anabasis vocetur, quibus nominibus Plinius verba tanquam originis expositionem statim adiungit, vt *Hermol. not.* superuacua sit Hermolai coniectura, Ephydron legi posse, quoniam in aquosis nascatur, monente Gesnero, Quadr. de equo.

Æquinoca. Porrò existimant quidam Plinij Caucon, Ephedram & Anabasim esse Hippurim, de qua posthac agendum.

Cuscuta. Alij sibi persuadent Caucon Plinij esse Cuscutam. Hæc autem opinio minùs placet.

Vrina marina. Mihi præ cæteris eorum opinio magis probatur qui arbitrantur Caucon Plinij posse conuenire Trago quorundam, siue Vuæ marinæ: de qua H.n.lib.39.

EQVISETA VEL HIPPVRIDES ANTIQVIS CAP. XXVII.

Genera duo Diosc. Dioscorides Equiseti duo genera fecit. Primum, quod in riguis & scrobibus nascitur, *cauliculosque* edit inanes, rubescentes, subasperos, solidos, geniculis in sese farctis interiectos: ac circum ipsos *folia* juncea, crebra, tenuiáque. In sublime autem attollitur, vicinos scandens arborum caudices, ex iisque dependet, circumfusum comis multis, nigris, vt est equi cauda: radix lignosa est ac dura. *Alterum* caule est recto, æquali, cubito majore, quodammodò inani, comis per internalla breuioribus, candidioribusque & mollioribus.

Plinio genera tria. Plinius & tertium agnouit. Equisetum [inquit lib.26. cap.13.] Hippuris à Græcis dicta & pratis vituperata (quoniam vliginosius pratum est, vbi nascitur, ceu l.18. cap.28. scribit Plin.) nobis, est pilus terræ, æquinæ setæ similis. Alij Hippurin, *Ephedron. Anabasis.* alij Ephedron, alij Anabasin (Eædem quoque sunt appellationes Cauci plantæ ab hac diuersæ, lib.26. cap.7.) vocant. Tradúntque juxta arbores nasci, & scandentem eas dependẽre comis junceis multis nigris, vt est equorum cauda, geniculatis ramulis folia habere pauca, tenuia. Semen rotundum. [Nihil Dioscorides: præterea falsum id est. Nullum enim semen edit.] simile Coriandro, radice lignosâ: nasci in arbustis maximè. *Hipp. tertia.* Faciunt & aliam Hippurim (hæc secunda est Dioscoridis) breuioribus & mollioribus comis, cãdidioribúsque, per quàm vtilem ischiadicis, & vulneribus ex aceto impositam, propter sanguinem sistendum.


Equisetis Equisolis. Cæterùm, Equisetum lib. 18.cap.28. dicta est Equisetis & Equiselis, quoniam littera t facilè in l mutatur. Ab hac porrò planta veteres Codeta quasi caudeta nominarunt trans Tiberim loca obsita caudis equinis apud Festum. *Codeta quid.* Dicta enim & Ἵππουρις, siue Cauda equina, quòd folia setis equinis respondeant.


Hippuris. Eur. Cordus suspicatur pro altera Sanguinali posse Equisetum intelligi, cùm creditum hodie Equisetum, historiæ Dioscoridis non vndiquaque respondeat.

EQVISETVM MAIVS AQVATICVM.

Asparago primùm protrudit palmares, & cubito altiores Polygoni fœminæ crassitie, internodijs longioribus, pyxidata insertione, distinctos (cotyla fimbriata nigricante alterius tubulum excipiente, quà notâ etiam à Polygono fœmina







fœmina differt) striatos, inanes, quorũ summo fastigio clauatum insidet *capitulum* veluti nucamentum, cujus diuulsis dehiscẽtibusque commissuris *flosculi* apparent ex fusco albidi: cæterùm *caules* plerumque nudi, interdũ radiata ex geniculis *folia* producunt, non explicata, vt Polygoni fœminæ, sed fistulosa, & ex pluribus articulis aptata, longè illis lõgiora, interdum pauca, interdũ multa, modò breuia, modò lõga: pro *radicibus* sunt creberrimæ, tenuissimæque nigricantes fibræ, longè, è caulium geniculis demissæ.

Icones. Figuræ nostræ sunt ex Fuchsianis. Nullum autẽ vidi Equisetum cui folia sint qualia pingit Matth. simplicia, sine geniculis, quamvis breuissima. Camerarius in hist. germ. omisit hanc figuram, & aliã reposuit, etiam in Epit.

Fuch. reprehend. Fuchsium porrò reprehendit Matthiolus quòd Equisetum primi generis in paruo libro imaginum aperto lapsu pro Polygono fœmina reddiderit, quàm antè in stirp. hist. eleganti figurâ expressit. Quam enim in hist. Equiseti longioris titulo donat, in ic. non sine errore, Polygonum fœminam Inscribit.

Hipp. maior duplex Trago. Tragi Hippurim existimo majorem primam & secundam, vnam speciem. Ejus quidem priorem figuram exprimere Asparagos longissimos sine folijs. Secunda autem pro majore altera non placet. Fuchsius etiam pro minore meritò *Ic. secunda, Tragi.* eam exhibere videtur, vti & Dod. qui Asparagos pingit vt Tragus, & præterea imaginem Fuchsij exhibet. Nec ipse quidem Tragus inter nomenclaturas. Hippurim majorem primam, ab altera majore distinguit.

An Equiset. palust. Lob. H. Lugd. Icones. An Equisetum palustre Lobel.

H. Lugd. p. 1069. Equisetum 1. Matth. Item Equiseti primi Asparagus Dodonæo: Adhanc p. 1070. & 1071. Equisetum junceum Tragi.


Tabern. Ic. duæ. Tab. hist Hippuris 1. ἱππουρις ἄφυλλος. Hippuris sine folijs, Hippuris nuda, Equisetum nudum, germ. *Schafftenhevv ohne bletter.* *Eid.* Equisetum 2. Equiseti 1. species Dioscoridis. cui competunt particulatim hæc nomina: Hippuris, Equiselis. Herba equinalis, Salix equinalis, Trimachium, Anabasis, Ephedra, Ephedrum, Gis, Schœniostrophum, Caucum, Saturni nutrimentum, & Salpingium. *Item* Cauda equina, Cauda caballina, Equi cauda, Colus columbina, Aspe- *Nomina linguar.* rella Equiseta & Equisetum, Arcontilla, Cenacella, Cunicella, Herba caballina, & ex Arnoldo Nouano, Hipposeta. Arabicè vocatur à Serap. simpl. cap. 137. *Dhenebalcail*: ab Auerrhoe, *Cenapalcail*: ab Auicenna, *Danebalchail*: ab alijs etiam *Denebalchiel*, *Denebalchelsl*, *Denebbachel*, *Dhenebbacals*, *Dnebachis*, *Dnebathil*, *Dhenbnalchail*, & *Dembalchi*. Ger. *RoßZschvvantz*, *Roßzvvadel*, *RoßZagel*: *Katzenschvvantz*, *Katzenvvadel*, *KatzenZagel*: *Pferdtsschvvantz*, *KatZenhelm*, *Schafftenhevv*, *Fantenfraut*, & *Taubenrocken*: Flammandis & Brabantis, *Peerdssteert*, & *Peerdenstart*, & *Cattensteert*: Gallis, *Queuë de Cheual*, *Queuë de chat*, & *Prela*: It. *Asprello*, *Coda di cauallo*, *Equiseto*: Venetijs *Coa di cauallo*. Hisp. *Coda de cauallo*, *Coda de mula*, *Rabo de cauallo*, & *Rabo de mula*: Ægyptijs, *Pherphra*: Boh. *Presleczka*: Polon. *PyZaßZfa*: Angl. *Horse tayle*: Hung. *Tal mojo fiu*, quod eo orbes & scutellæ detergantur.

Synon. ex C. Bauhin. C. Bauh. phyt. Equisetum 1. siue aquaticum longioribus setis: Eid. Equisetum 3. Item, Equisetum 6. siue junceum folijs nudum, non ramosum. Eid. pin. Equisetum 2. siue palustre longioribus setis: Hippuris major, Brunf. & Dod. Equisetum 1. Matth. Lac. Anguill. Castr. & H. Lugd. p. 1069. quæ etiam sub Equiseti primi Asparago Dodonæi pinxit. Caucon Plinij, Anguill. Equisetum majus, Dodon. gall. Lob. in Obseru. p. 461. [vbi figura non bona Matthioli] & Gerardo: Hippuris, Amato & Lob. in Aduers. & Ic. p. 793. Equisetum 2. & Hippuris 1. Dioscoridis Tab. qui & ipse iconem Lobelianam habet. Item Equisetum 3. siue palustre breuioribus setis: Equisetum palustre, Lob. ic. p. 794. Et rursus, Equisetum 10. folijs nudum non ramosum, siue junceum ἱππουρις ἄφυλλος: Hippuris major, Trago: Hipp. major altera, Lon. Sanguinali fœminæ similis, Cordo in Diosc. Polygonum fœmineum, ἀφυλλόκαυλον, Thal. Equisetum junceum, Tragi, & H. Lugd. Hippuris sine folijs & nuda, Tab. Equisetum nudum, Gerardo. *C. B. opp.*
Cùm autem, nos Equisetum junceum sæpiùs foliaceum esse obseruauerimus, ideò à primo Matthioli non separamus. Palustre Lobelij quod at-

tinet suspicamur naturæ lusum.

Locus & Tempus. In scrobibus ac locis aquas habentibus subinde & in pratis humentibus ac riguis reperitur. Aprili & Maio prodit.

Equisetum minus terrestre.



Descriptio. HAud secus ac Equisetum majus, *Asparagos* emittit, sed graciliores, longioribus & laxioribus fimbriatis nigricantibus cotylis tubulos excipientibus: nucamenti æmulum capitulum apicibus albidis confertum consimile: verùm ex geniculis *folia* radiatim enata, dodrantem æquant, & ipsa, quoque ex articulis sobolem radiatim pariunt, tota planta aspersa est sapore impensè siccante: *radix* nigra, caulibus crassitie respondet, fibris hinc inde exortis capillata, pluresque *caules* emittens.

Math. not. Matthiol. in Dioscor. pictura tantùm habet sine descriptione, sub titulo Equiseti alterius, quod ait vocari vulgò Asprellam. In post. comm. It. eandem figuram retinet sub inscriptione, *Coda di cauallo secunda*, omittens dici Asprellam, quâ occasione motus, nescio. Nullibi etiam describit suum Equisetum tertium, nec quâ in re à præcedentibus differat, declarat: suspicor ego alterius præcedentis varietatem: malè autem id C. Bauhin. phyt.

Synonyma. C. Bauh. pin. Equisetum 7. siue junceum ramosum folijs nudum, vocat. Sed cur Iunceum & folijs nudum: Matthioli figura demonstrat caulem cum folijs genicularis, qualia cæteris.

Tab. Ic. Hippuris aruensis, siue segetalis minor, *grob Vlter Schaffthevv*: *Item*, Equisetum palustre, *grosz vvasser Schaffthevv*. *Eid. hist.* Hippuris 3. siue aruensis t. major: Dioscoridis, ἵππουρις ἑτέρα, γένος & ἐκύτιον, vel, vt quædam exemplaria legunt, ἰχύτιον. Hippuris altera, Equisetum alterum, Gynus, Equisitum, & Equisetum minus. Equisetum aruense majus. Hippuris aruensis, & Segetalis major, ac Corsanda, Herbariorum: Italorum, *Sceuola*, & *Equiseto minore*: Gall. *Prele petit*: Angel. *Lyttel horse tayle*: Belg. *Cleyn Peerdssteert*, & *Cleyen Cattensteert*. Item Hippuris 4. Equisetum palustre majus, *grosz wasser Pferdtschvvantz*. Et tandem, Equisetum 3. siue minus aruense, Hippuris, 5. siue aruensis minor, *klein Vcker schaffthevv*.

Synonyma. C. Bauhin. C. Bauhin. phyt. Equisetum 4. siue pratense longissimis folijs, Hippuris maior Tragi [qui duo genera tradit, Majus & Minus]: Item, Equisetum 5. siue aruense, Hippuris minor Tragi. *Eid. pin.* Equisetum 8. siue pratense longissimis setis: Equisetum alterum Matth. (& apud eum, Cam.) Lac. Cæs. & H. Lugd. Hippuris altera Trago & Amato: Hippuris & Equisetum, Gesn. cat. Equisetum Fuchs. ic. & Cordo in Dioscor. Equisetum longius, Dod. gall. [figurâ transposi.â) & Fuchs. Hipp. major, Thal. prima, Lonic. Hipp. fontalis & Equisetum 2. Dioscor. Lobel. Hipp. minor, Lob. ic. figurâ 1. Equisetum palustre majus Tabern. palustre Gerardo. *Item pin.* Equisetum 9. siue aruense longioribus setis: Hippuris minor, Trago, Dod. & Thal. Hipp. altera, Gesn. cat. Equisetum, Et. Cordo, minus, Fuchs. figurâ transpositâ: minus vel 3. & 4. Lonic. Polygonon fœmina Fuchs. ic. Equisetum alterum, Cordo in Diosc. & Lob. ic. Hippuris aruensis major, Tab. Equisetum segetale, Gerardo.

Locus & Tempus. In sabulosis ac arenosis exit, sed tamen haud irriguis: in vliginosis non rarò. Aprili & Maio prodit.

EQVITI SPECIES ALIQVOT C. BAVH.

Equisetum nudum minus variegatum Basileense.

Descriptio. EX *radice* parua nigra, transuersâ, nonnihil capillatâ, *cauliculi* plures inæquales, rarissimè pedales, communiter palmares, semipalmares, & multò breuiores, striati, pallidè virentes, geniculis parte infernâ nigris, supernè albidis, articulati: folijs carentes & caui: in quorum summitatibus *capitulum* breuissimum juli instar insidet, quod a corona alba, ex octo, nouem, etiam duodecim, foliolis acutis composita, sustentatur: & quando pedibus calcatur, crepitat. Equisetum hoc quod authori 4. in prod. est, in pin. verò 11. prouenit ad ripam Rheni, juxta locum *die Baar* dictum.

Equisetum palustre tenuissimis & longissimis setis, Eiusdem.


Descript. CVlmo est inani, bipedali, geniculis pixidatim cohærentibus articulato, cum cæteris conueniens, exceptis folijs, siue setis junceis, longis, multòque [Polystachio] tenuioribus. Equisetum 3. in prod. 6. in pin. in palustrib. Michelfeldensibus.

EQVISETVM SIVE HIPPVRIS TENVISsima non aspera.

Descript. AD caulium articulos exoriuntur *seta* in orbem numerosæ, longissimæ, fili instar tenues, geniculatæ, & ad singulas juncturas cristatæ, molles, sine asperitate, multò tenuiores, quàm Equiseti minoris vulgaris: diuersum tamen longè, à Polygono fœmina, ne quis confusionem aliquam suspicetur.

Tabern. hist. Equisetum 6. Hippuris syluatica: Eid. ic. Equisetum syluaticum, *vvaldt Schaffthevv*: Germ. *vvood horse taile*. C. Bauh. pin. Equisetum 7. siue syluaticum tenuissimis setis,

Hippuris



Hipparis minor altera Tragi.

Locus & Tempus.

In mõte Balneo admirabili proximo mẽse Augusto ad torrentem in silua. Item in pratis juxta sepes loco non nimium humido, vltra Masmonster Soncouiæ, non lõgè à Sibẽthal vltra lacum.

Vires & vsus.

Dioscorides Equiseto vim tribuit spissandi: quare sanguinem naribus erumpentem succus ipse sistit: prodest dysentericis in vino potus: vrinam cit: sanguinolenta vulnera glutinantur tritis folijs & illitis: radix cum sua herba tussim, orthopnœam, ruptaque adjuuat: folijs in aqua potis, dissectiones vesicæ & intestinorum, Enterocelæque in vnum coalescere, cogique feruntur. Equisetum alterum cum aceto tritum vulneribus remedio est, eademque fungitur facultate. De Cauda equina hæc prodit *Galenus*, Hippuris adstringentem cum amaritudine qualitatem possidet, ac proinde valenter, simulque citra mordacitatem exsiccantem. Itaque vulnera vel maxima cataplasmate imposita glutinat, etiamsi præsectos esse neruos contigerit: præterea vocatas enterocelas glutinat: sed & ad rejectionem sanguinis, ad profluuium muliebre, potissimùm rubrum, ad dysenterias, & reliquos ventris fluxus, strenuum ac generosum est remedium herba ipsa, aut ex aqua aut ex vino epota. Sunt qui de ea scribant, quòd nonnunquam etiam vesicæ, ac tenuium intestinorum vulnera sanarit: ejus succus prodest etiam profluuio sanguinis prorumpenti ex naribus, tum fluxui obnoxijs in ventre passionibus ex austerorum vinorum quopiam potu: ac si febre teneantur, ex aqua. Quę *Tragus* de vsu externo habet, antè adscripsimus. Germen tenerum, juglandis julo simile, refert Matthiolus, tota vulgò vocare *Paltrufalo*, inque cibum assumere, jejunij quadragesimalis tẽpore: etenim illud priùs elixant, mox farinâ circumspergunt, & oleo in sartagine frigunt, manduntque piscium vice: ex quo cibo aluus quandoque eorum adeò constringitur, & constipatur, vt in coli cruciatum facilè incurrant. Sunt qui primum hoc Equiseti germen siccum asseruent per annum, quo subinde Æstate vtantur ad dysenteriam: quippe quod aqua calida nocte maceratum eo modo decoquunt, quo dictum est, & in cibum magno successu exhibent. Lintea Equiseti aqua stillatitia repente madentia, erysipelas sanant imposita, ardentem ani calorem extinguunt, alui profluuium sistunt pudendorum tumores reprimunt.

Temper.


Vulnera tenuium intestinorum.

EQVISETVM FOETIDVM SVB aqua repens.

Cap. XXVIII.

Descriptio.

SVpra modum fragiles habet *culmos*, vt vix cõtrectari possint, quin in puluerem ferè soluã-



tur, aquis autem innatat, crebris tenuibus albicantibus *culmis*, asperrimis & veluti sulphurearum aquarum sedimento arenoso oblitis.

Hæc est Hippuris minima, à Dioscorid. non descripta, semper in aquis nascens, præcipuè cœnosis, & in ijs sapiùs demersa, interdum emergens, grauis odoris & lutulenti, inquit Dalechampius apud Plinium. Intelligit autem Hippurim Plinianiam, Pini folijs similem, nigricantem, cujus vim admirabilem tradunt, quòd sc. sanguis profluuia vel tacto ea tantùm homine sistat.

A Diosc. non descripta.

Equis. Pini folijs simile Pliny. Dal.

Est H Lugd. p.1070. Equiseti quintum genus, Equisetum minimum, aquis cœnosis innatans vel sub ijs occultatum semper breuissimis & asperis setis, ac caulibus, lutosum virus olentibus, quod Lugdunenses *Chara* vocant, & quo lances escarias & reliquam ejusmodi suppellectilem abstergunt.

Chara Lugdunens.

C. Bauh. phyt. Equisetum 8. siue olidum, Eid. prod. Equisetum 5. (13. in pin.) siue fœtidum sub aqua repens.

Equis. fœtidum, C.B.

Solùm in cœnosis demersum reperiunt, quod primum Patauij in fossis Thermarum Aponitarum: dein non longè Lucernâ: tum Basileæ cis pontem, Michelfedæ & Hunningæ in Fossis obseruatum. Reperitur & Geneuæ, vbi ejus vsus est ad emundanda vtensilia.

POLYGONVM FOEMINA, VETERIBVS.

Cap. XXIX.

POlygonũ fœmina (πολύγονον θῆλυ. Sanguinariã fœminã vertit Ruell. Romani inter spuria, Seminalẽ vocant.) Diosc. *frutex* est exiguus, vno *caule* præditus, tener, & Arũdini similis, geniculis densus: quorum alia alijs tubarum modo inserũtur, infarciunturve. Ipsos verò geniculorũ articulos cingũt in orbẽ *apices* foliolis Pini similes: radix Superuacanea [ἀχρεῖα.] Nascitur in aquosis. Huic vis adstringẽs ac refrigerãs, ad eadẽ valens, ad quæ Polygonum mas, sed inefficacior.

Diosc. lest. varum.

Plin. l. 27. c.3. (Polygoni) genus facit ac Oreon (Horeum, ὡραῖον pulchrum. Vet. Ouræon.) vocari refert, in montibus nascens, Harundini teneræ simile, vno caule, densis geniculis, & in se fractis [in se fractis, Dal.] folijs autem Piceæ, radicis superuacuæ, inefficacius quàm superiora (quàm primum & secundum genus.) Peculiare ischiadicis.


Pliny nri.

Eodem verò nomine sequentes insigniuntur plantæ, scilicet: Polygonum 3. Dodonæ. Equisetum majus palustre. Equisetum folijs nudum non ramosum, Casp. Bauh. Equiseti facie Polygonum fœmina.

Synon.

Equiseti facie Polygonum fœmina.

Descriptio. CVbito altiores *caules* ex radice alba surrigit, rectos, Equisetorum modo crebris articulis pyxidatis geniculatos, crassiusculos, molles, inanes, minimè striatos, quibus ad juncturas nascuntur in orbem *folia* radiata, Gallij instar aut Rubiæ lenis, vnciam circiter lõga perangusta, vnico neruo per longum donata, suprà quæ ad eosdem articellos circum circa *semina* nuda, ex rotũdo oblõga, herbę concoloria, Fragariæ *seminib.* paria.



Seminalis Romanorũ Pinus aquat. Gallorum. Polygonon fœminam Romanos eodem nomine Seminalem appellare: Rura gallica verò aquaticã Pinũ testatur Ruellius. Miratur is (vt & Dalechampius & Sarracenus) Plinium, tradentem tertium Polygoni genus, Montanum siue Oreon ab eo appellari, cùm aquosis tantùm sit familiare, nec in montibus nisi forsitam opacis multiplicíque aquarum scaturigine madentibus, inueniri constet. *Plinius not.*

Reliqua synon. Polygonum fœmina, Dioscor. Matthiol. Eu. Cordo, Gesn. hort. & cat. Dodon. lat. Amato, Anguill. Cast. H. Lugd. & Tab. Polygonon fœmineum, Thal. Polygoni tertium genus, quod Oreon, Plinio: Sanguinalis fœmina, Dod. gall. Cauda equina fœmina, Gerardo.

C.Bauh. phyt. Equisetum 2. siue aquaticum breuioribus setis: Eid. pin. Equisetum 4. siue palustre breuioribus folijs polyspermon: Sanguinalis fœmina Cordi in Dioscor. Hoc communiter sine semine reperitur, aliquando ad singulas articulorum commissuras dena & plura semina (hinc polyspermon) adnascuntur. *Nos negamus* esse Sanguinalem fœminam Cordi: Ejus enim Polygonum fœmina est Equiseti genus. *C.Bauh.*

Nomina linguar. Πολύγονον θῆλυ Græc. German. *shannenvvadel:* Ital. *Poligono femina, & Corregiolla femina:* Hisp. *Polygono hembra:* Gall. *Renoüée femelle, & Pin aquatic.* Belg. *Duysent knoop vvyfken.* Angl. *the femelle horse taile.*

* * *

FINIS LIBRI TRIGESIMI SEXTI.





HISTORIAE VNIVERSALIS PLANTARVM

LIBER XXXVII.


SAXATILES, VT FILICES ET CAPILLARES, HISQVE ALIQVA SIMILITVDINE ACCEDENTES.

SATIS iam satis Plantarum notis atque ex his classibus æstimandis inhæsimus. Nunc & loci priuilegia æstimaturi (cùm & horti, campi, prata, ac syluæ satis lustrata videantur) montium prærupta & confragosa: itemq; rudera, parietinas, crepidines, etiamq; speluncas visitemus, vt quid etiam in ijs restet, videamus. Ac per rudectorum, colliumque caspites properantibus, vulgatissima statim occurrunt Filices, & his cognata quædam alia.

FILIX VETERIBVS.

CAPVT I.

Stercoratio Filici obnoxia.



THEOPHRASTVS .Hist.c.16. folia adscribit Filici multifida, & quasi serrata, vt Abieti. Porrò 8.hist. 8. addit stercorationem frumentis & reliquis herbis, præterquàm Filici, prodesse: hanc enim fimo superinjecto interire aliquos affirmare: interire & pecore incumbente. Libro autem 9.c.20. tractat de Filice fœmina, & quid distet à mascula: sequentibus docet. Filix fœmina vtilis contra interaneorum animalia lata, melle subacta: & contra tenuia, in vino dulci cum farina hordeacea data: si mulieribus grauidis detur, abortum facere: si cæteris, steriles in totum reddere, aiunt. Differt fœmina Filix à mascula, quòd folium vnico actu porrectum hæc habeat, & radicem crassam, & longam, & nigram. Harum igitur vires sterilitati addixisse natura putatur. Eodem lib. 9.cap. 21. addit ejus radicem colliquatam tantùm in vsum venire: gustum adstringere non fine aliqua dulcedine: lumbricum latum expellere: semē ei nullum esse, nec succum οὐδὲ ὀπόν: legendum arbitratur Cornarius οὐδὲ καυλόν: vt sit quod Dioscorides ait, φύλλα ἔστιν ἄκαυλα Nam & ipse Theoph. succum habere dixit, quem χυλὸν appellauit: vt de ὀπῷ negare non debuerit] quem emittat, hanc habere: Autumno succidi tempestiuè affirmari. Blechri ramuli [de Filice hæc scribere Theophrastum lib.1. caus. cap.8. concludimus] plantâ abscissi, seruare suum vitale principium possunt, ita vt ad germen etiam excitandum mouere se valeant: nam ea quoque solstitiis floret, quod permirum est. Et licèt sicca omninò sentiatur, principium tamen quoddam ejusmodi habeat necesse est, quod vnà cū aëris mutatione, alteratione que moueatur. Mirum præterea quòd nō remissa, sed potiùs intentâ sæuitia temporis incipiat: nisi fortè dies halcyonides suffecturas putaueris: nam ad imbecillorum, exiguorúmque mutationem, vel quantumlibet temporis satis est.

Diosc. Filix duplex. Matth.

Duplex est Dioscoridi Filix, mas & fœmina. Filici [mari scilicet quæ simpliciter πτέρις etiam à Theophrasto vocatur] quam aliqui Blechnon [βλῆχνον, Vet. βλῆχνον, Theocriti scholiastes βλῆχρον appellat,] alij Polyrrhizon [πολύρριζον] appellant, *folia* sine caule [ἄκαυλα,] sine flore [ἀνανθῆ,] sine semine [ἄκαρπα:] eáque ex vno pediculo cubitali fermè longitudine exeunt, incisa, & pinnarum modo vtrinque expansa, subgraui odore: *radicem* verò habet per summa cæspitum nigram [ὑπόπικρον, vet. addit.] quadantenus longam, multas fundentem propagines, quæ sunt sub adstringente gustu. Nascitur in montanis, saxosisque locis. Huius *radix* latum lumbricum, quem teniam vocant, excutit, sumpta drachmis quatuor ex aqua mulsa: meliùs, si cum Sammonij aut Ellebori nigri totidem obolis detur: verùm eos qui sumunt alia priùs edisse oportet. Eadem laborantes ex liene efficaciter restituit. Quinetiam cum axungia contrita & imposita, ictis ab arundine efficaciter auxiliatur: cujus rei probatio talis fertur. Perimetur Filix, quam per ambitum sata copiosior arundo cinxerit, & è contrà, extinguetur & euanescet arundo, quam multa Filix circumdederit.

Locus. Vires.

Thelypteris

Thelypteris [θηλυπτερίς, i. e. Filix fœmina] quam aliqui Nymphæam Pterin (νυμφαίαν πτέριν) nominant, *folijs* est Filicis, quæ tamen non singulari vt illa, pediculo hærent, sed è numerosis, altioribusque propaginibus exeunt. *Radices* subiacent longæ in obliquum, numerosæ, ex nigro flauescentes: aliquæ etiamnum rubræ inueniuntur. Et hæ quoque radices cum melle in eclegmate sumptæ lata interaneorum animalia pellunt: potæ verò ex vino drachmis tribus teretes lumbricos ejiciunt. Datæ fœminis, conceptum impediunt: quòd si à grauida sumantur, abortum illa faciet. Earundem farina præhumidis & ægrè sanescentibus vlceribus inspergitur, ac iumentorum quoque ceruicibus medetur. Cæterùm elixa folia, quæ recens eruperint [vltima hæc periodo, vet. caret] olerum vice manduntur, vt aluum emolliant.

Genera duo Plinio. Pteris.

Filis duo genera [ait Plinius lib. 27. cap. 9. nec florem habent, nec semen. Pterim Græci vocant, alij Blechnon (Nicander βλῆθρον: Interpretes βλάχνον Sed Phanias apud Athenæum lib. 2. filicam βλάχνον vocari scripsit, Dal. (cuius ex vna radice complures exeunt filices, bina etiam cubita excedentes longitudine, non graues odore. Hanc marem existimant. Alterum genus Thelypterin Græci vocant, alij Nymphæam Pterim, est autem singularis atque non fruticosa, breuior, molliorque & densior, foliis ad radicem canaliculata. Vtriusque radice [extremi Northmaniæ populi panem conficiunt, & : Hæc Dalech. interponit] sues pinguescunt. Folio vtriusque lateribus pinnata [pinnis, τῶς πτεροῖς, auium similia, vnde πτέριδα Græci vocarunt, & Celsus in suis Geopon, apud Columellam, Auiam, quam ad iumentorum collum in opere contusum, cum sale tritam & impositam, remedium esse præsentissimum scripsit, ad quem vsum Filicem fœminam Dioscorides commendat. Dal. [vnde nomen Græci imposuere. Radices vtriusque longæ in obliquum, nigræ, præcipuè cùm maturuêre. Siccari autem eas Sole oportet. Nascuntur vbique, sed maximè frigido solo. Effodi debent Vergilijs occidentibus. Vsus radicis in trimatu tantùm neque antea, neque postea. Pellunt interaneorum animalia, ex his tænias cum melle: cætera ex vino dulci triduò potæ. Vtraque stomacho inutilissima. Aluum soluit: primò bilem trahens, mox aquam: meliùs tænias cum Scammonij pari pondere. Radix eius duûm obolorum pondere ex aqua, post vnius diei abstinentiam bibitur, melle prægustato contra rheumatismos. Neutra danda mulieribus, quoniam grauidis abortum, cæteris sterilitatem facit. Farina earum vlceribus tetris inspergitur: iumentorum quoque in ceruicibus. Folia cimicem necant: serpentem non recipiunt. Ideò substerni vtile est in locis suspectis: vstæ etiam fugant nidore. Fecêre Medici huius quoque herbæ discrimen. Optima Macedonica est, secunda Cassiopica. *Idem libro* 24. cap. 11. ait Filicis radicem contritam & impositam, Harundinem corpore extrahere, & contrà. *Libro autem* 18. cap. 7. dixerat Filicem biennio mori, si frondem agere non patiaris. Id efficacissimè contingere, germinantis ramis baculo decussis. Succum enim ex ipsa defluentem, necare radices. Famam esse & circa Solstitium auulsas non renasci, nec Harundine sectas, aut exaratas vomeri Harundine impositâ. Similiter & Harundinem exarari Filice vomeri impositâ, præcipi.

Celsus.

Cæterùm, pessimam ex surculis Harundinem esse, quia aspera sit, eademque offensam etiam Filici inesse, Plinio prior Celsus lib. 5. cap. 16. tradidit, vsúque cognitum esse scribit, vtramque aduersus alteram medicamentum esse, si contrita superimponatur.

Galenus lib. 8. comp. med. secundum loca cap. 8. inter auxilia hepatica ab Asclepiade conscripta hanc enumerat: vnde in hepaticis affectionibus medicis admodum suspectam esse miratur Aug. Ferrerius.

M. Rulandus cent. 3. cur. 14. ad ictericiam nigram, splenem oppilatum, induratum, dolentem, & pungentem, pro potu in vino exhibet radicem Filicis.

Tragus virium non meminit vel fructus, vel seminis, quæ se in fœmina reperisse affirmat: sed nec Turnerus eas expertus est, non tamen vanâ coniecturâ se colligere scribit in multis morbis curandis maiorum esse virium, quàm radicem, aut folia.

Semen Filicem ferre non esse figmentum.

Et licèt Theophrastus, Dioscor. Plinius & Galenus Filicem ἄκαρπον esse affirmauerint, id est, sterilem & sine semine: & nec Medici Arabes & Persæ ad magicas vanitates nati, huius seminis meminerint: tamen vel agyrtæ circumforanei, vulgi ignorantiæ ad quæstum impudenter illudentes, & semen ostendunt, & venditant, quod Filicem ferre aiunt, auersis folijs inhærens, sed adeò minutum, vt visum ferè fallat: legique abscissis prope radicem folijs, & in domo suspensis, substrato linteolo, aut papyro, circa finem Iunij, vigiliam sc. D. Io. Baptistæ. Alij ipsamet Solstitiali nocte eam florere, eâdemque horâ cùm defloruit, maturum semen in terram cadere: ideoque nisi quis præsens tunc fuerit, nec videri florem, nec colligi semen posse, scripserunt. Et hæc tametsi à plurimis commentitia esse & superstitiosa putentur, ideoque refutentur, tamen nonnulli etiam docti aliter rem se habere cognouerunt, & à Theophrasto aliter traditum sciunt. Tragus enim eadem publico scripto asserere non dubitauit, testatus se neque superstitione ductum, neque præstigijs, aut incantationibus, aut vllis caracteribus vium, rem agressum, esse, & quater in vigiliæ D. Ioannis nocte tentasse, substratis linteis & Verbasci folijs, an semen id deprehendere & excipere posset: & sanè contigisse sibi fatetur, vt manè ante illucentem diem, semen paruum nigrum Papaueris specie repererit, & hoc amplius & copiosius sub alia atque alia Filice, alio item atque alio anno. Quare Cornarius immeritò mendacij insimulat Tragum. Numquid enim ipse Theophrastus 1. causa E βλῆχρον circa Solstitium florere, velut rem maximè admirandam producit?

Dioscor. opinio reprobatur.

Nunc, Filicem contra ictus ab Harundine factos, ideò vtilem ait Dioscorides, quòd Filix per ambitum satâ Harundine pereat, & vice versâ, Arundo Filice septa. Sed hanc probationem ceu vanam damnat Dodonæus. Sed & vanum est, existimare Filicem Arundinis familiaritatem per singularem aliquam antipatheiam respuere seu refugere, ita quidem vt veteres perituram dicant Filicem, quam per ambitum sata copiosior Arundo coronet, & contrà euanescentem & abituram Arundinem, quam obsepiens multa Filix in orbem cinxerit. Hoc enim haud aliunde contingit, quàm quòd Filix in humidis non adolescat, nec Harundo in sicco. Hæc enim nusquam lætiùs prouenit, nulloque alio genitali loco gaudet, quàm fossis, vliginosis & humectis pratis ac campis:

pis: Illa verò syluis, torolentis laxis, arenosis agris, & limitibus imprimis gaudet, ita vt binæ hæ plantæ, ob diuersitatem natalis loci, simul habitare non possint. Nunc verò quòd Filix loca sterilia, arida, ac deserta amet, testatur Horatius.

Tempus.

Neglectis vrenda Filix innascitur agris.

Marcescit Filix sub Hiemem: noua Vere erumpunt folia, tota Æstate in vigore futura.

Filix secundum Isidorum à singularitate folij dicta, quòd ex vna virgula altitudine cubitali fissum folium gignatur: Nicander in Ther.

Ἐν δὲ πολυσχιδέος βλῆθρον πυρὶ βάλλεο χάρτου Interpr. Multifidam Filicem crepitantibus iniice flammis.

Nomina Singula. Πτέρις autem & πτέριον à Græcis dicitur ab alijs, autum, vt antè ex Dalechamp. in Plinium dictum, quarum speciem in ramulis disposita eius folia referunt: pennatus enim & pennatis folijs frutex Filix est. Vocatur ab Arab. vt Serapione, *Sarax* & *Sarachs*: Auicenna *Kildarum*, vel Childarum: à Germ. *Farn*, *faren*, *farnkraut*, *farenkraut*, *waldtfaren*, *steinfaren*: Belg *Varencruyt*: Gall. *Feugiere*, *Feuchiere*: Ital. *Felce*: Hisp. *Helechs yerua*: Angl. *Ferne*: Boh. *kapradj*: Hung. *Papragy*.

Aequiuoca. Obseruandum autem hoc loco subscripta nomina cum præcedentibus, omnibus ferè Filicium generibus attribui, Pteris sc. Pterion, Filix, Filicula, Polyrrhizon, Pterineon, Dasycloon, Anasphoron, & Blechnon: item, vt magi vocant, Herbubaio, vel, vt Ægyptij, Asini sanguis, vel, vt alij, Iacula.

Mirari autem subit, quo pacto Filiculæ appellatio ad Catanancen de qua Dioscorides, agit, peruenerit. Trichomanes autem vocari Filiculam dicetur suo capite. Filix & Filicula dicitur etiam de Polypodio. Et, quæ sunt aliæ plantæ Filicis nomine donatæ, de ijs posthac agitur.

FILIX MAIOR ET PRIOR TRAGO, siue ramosa, repens.

Descriptio. TRes quatuórve cubitos altus hujus *caulis*, isque rigidus, fibrosus & in ramos fissus, aliquatenus angulosus: *Folia*, quod nomen indicat, pinnat, alatáve, dissecta, superiùs glabra, inferius hirsuta: *radix* digitum subinde crassa, foris nigricat, intus, albet, longè latéque importuno reptatu terram occupans, sapore amaricante, succóque glutinoso prædita.

Filix fœm. Dod. Dodonæo est fœmina Filix, flore ac semine carens: caule vnico striato, medullâ referto, versicolore, quo obliquè inciso, bicipitis aquilæ species quædam apparet: odore radicis graui.

Filix maior prima Trago. Trago, Filicis majoris 1. genus, Filix vsitatissima, in arenosis agris prouenient, vnico, purpureo, rotundo, longo & læui caule, multifidis lateribúsque pinnatis & viridibus folijs vestito, radice longâ, læui, foris nigrante, longè dique intra humum sese propagante, quo nomine magno est nocumento agricolis. Ita enim in agris remoratur, vt non facilè extirpari queat. Quamobrem ad superstitiones quidam confugiunt, persuasi si frumentarius ager, quem Filix obsedit, in die Io. Baptistæ sacro aratro vertatur, perituram Filicem, nec vnquam eo in agro locum habituram. Sed certiorem perdendi Filicis rationem Theophrastus demonstrauit. Atque hæc est Trago Filix mascula prior, Filicis maximum genus primum, Pteris Dioscoridis, cui florem & semen attribuit, vti antea diximus, & cap. de Filice floribus insigni fusiùs repetemus. Et huic adscribit nomina præcedenti capite apposita. Hoc demum admiratione dignum censet quod Filicis, maximè vero masculæ, radix incisa, vtráque in parte aquilam nigram duo habentem capita ex albo ostendit, quæ nil aliud re ipsâ est, quàm congeries venarum quæ per vniuersam radicem sparsæ sunt.

Corn. reprehend. Cornarius vtrámque Filicem notam sibi ait, nec tamen inter marem & fœminam discrimen facit. Oportebat autem eum, priusquam impudenter Tragum mendacij accusaret, circa festum D. Ioannis sub Filicibus sternere chartas & obseruare an vera dixerit Tragus diligens botanicus, quæ non tantùm ex libris, sed repetitâ autopsiâ scripserat. Nec etiam veteres omnia obseruare potuerunt, nec potest adhuc, aut vnquam poterit vllus mortalium. Et sanè plures hodie obseruantur plantæ semen ferre, quas veteres steriles pronunciarunt. Et hæc occasio quare contra veterum & neotericorum opinionem omnes Filices & similes, quæ veluti florem habent in folijs, semen ferre putamus, sed ita tenue, aut citò excidens, vt difficilè conspiciatur.

Lonic. fragmentum. Lonicerus pro Thelypteri siue Filice fœmina haud congruam ponit Iconem, sed talem, quæ potiùs Filicis multifloræ videtur. Quin ea, quam pro Dryopteride exhibuit, meliùs conuenit.

Synon. Dicitur Filix fœmina Cordo in Diosc. Anguil. Matth [qui eam sine descriptione pingit] Fuchs. Lac. Dod. gall. & lat. Lob. in Adu. Obs. p. 473. Ic. Plant. p. 812. Cast. Tabern. & Gerar. Filix fœmina Matthioli, H Lugd. p. 1222. Filix mas, Gesn. hort. & app. Filix mas major, Fœmina vulgò Herbariorum credita, Clusio pann. & hist. Filix fœmina prima, Thalio.

C. Bauh. pin. Filix ramosa 1. siue major pinnulis obtusis non dentatis, communiter per ambitum aliquando, tantùm folijs inferioribus, ad formam foliorum Scabiosæ, diuisis. Filix siluestris, Brunfelsio.

Cæsalp. Filicem singulari pediculo attollit, crasso, duro, læui, striato, cubitali, in cacumine in magnos ramos fisso, &c. foliolis in aduersa parte furfuraceâ quâdam lanugine præditis, copiosiore in tenellis, nuper erumpentibus è terra: Lanuginem porrò procedente tempore decidere, renascíque ex ea nouellas plantas probat, Filicibus, vbi antea non fuerint, in terram projectis, alijsque copiosè nascentibus.

Locus. Filix vbique siluis & neglectis, incultísque innascitur agris, adeóque viuâ & restibili vbertate luxuriat, vt etiam Sole feruidissimo, tenuíque solo, vicinis enectis plantis non marcida perstet, totósque colles impleat: ex decidua lanugine renascens, vt tradit Cæsalpinus.

Vires & vsus. Rarò in medicina locum habet, quanquam medij naturâ suâ siccæ temperaturæ, in puluerem redacta, ac pondere semunciæ ex aqua mulsa sumpta, latis tineis ventris enecandis conducat, teste Trago. Quòd si Scammoneam, aut Veratrum nigrum adjeceris, eò efficacius reddes medicamentum. Eadem in vino decocta, ac per aliquot dies pota, laborantes lienis excremento recreet. Ad


ambusta vel igne, vel feruidâ aquâ, aut Oleo, singulari experimento radicis succus expressus facit, si ei miscueris aquam rosaceam, aquam è fimo vaccino, aut è flore Tiliæ, distillatam, vel si harum nulla suppetat, fontanam, postéaque percolaueris, tum enim lentus quidam succus ex his confi.ietur, qui mirificè ambustis, vbi reliqua omnia medicamenta negauerint auxilium, medebitur. Armoricos & Neustriorum vltimos, qui vastas siluas colunt, in frugum inopia, è radice Filicis panem conficere notum est ex Dalechampij relatione, ejusdémque cineribus nitri loco injectis, saxa liquare, & vitrea vasa fingere, colore viridi & subobscuro, quibus vinum album, dulce, turbidum potare Andes, Vnelli, Cenomani gratissimum habent.

Filix maior mollis ramosa.

Descriptio. In ramos prælongos diuisa, similis Filici ramosæ Tragi: alarum etiam tarsi particulares eodem modo alternatum habent exortum: quorum singularia segmenta paulò videntur latiora breuioráque, denticulorum expertia, vt jam dictæ Filicis, quæ non tamen vt illi dura, sed mollia, nec subtus incana quantùm hactenus aduimaduerterim.

Locus. Filicis hoc genus, ni fallor, circa Tigurum Heluetiorum collegi: meminitque ejus Gesn. in app. hort. nomine Filicis maris mollioris.

FILIX FLORIBVS INSIGNIS.



Descriptio. Ex vno perplexarũ radicũ lõgarũ, nigricãtiũ cespite caules tollit bicubitales (ad hominis altitudinem, Trago) virides, glabros [striatos, Lobel.] ramis patulos: hinc alæ exoriuntur pinatis octo nouémve conjugationibus *foliorum*, impari vno numerũ claudente, constantes: singularia autem *folia* omnia sursum spectant, triũ, quatuórve vnciarũ longitudine, semunciam lata, ex principio latiore sensim attenuata, in obtusum tamen vtcúnque mucronẽ desinentia, neruo per longum decurrente, exporrectis in margines (qui integri sunt, nec crenis secti) infinitis oblique venulis: Tragus comparat folia Polypodio: caulis scapus in surculos aliquot diuisus, racemulos vnciales in singulis surculis multos sustinet, *feminibus* multis confertissimos, vt obseruabat Gargillus, licèt dicat Tragus florem ferre in vertice copiosum, candidum, similem Pycnocomo, qui circa festum Io. Baptistæ, nullo post se relicto semine decidat. Vel, vt dicit Lobel. palmares & sesquipalmares thyrsos & florũ ligulas oblõgas, dẽsis racemulis, Lunariæ & Ophiglossi æmulis, aut potiùs Tamaricis Narbonensis nuper erumpentis, quæ ex ferrugineo, fuscescunt, inque cariosum & puluerulentum situm fatiscunt, seminum speciem aut spem ostentantes: Dodonæo circa ramulos densã veluti seminum futurorum rudimenta adhærent, quæ tamen semina non sunt, nam sterilis & hæc Filix, vti cæteræ.

Rucll. lib. 3. cap. 92. Sideritidis eam speciem facit, quam Chymicos & Herbarios quosdam Lunariam majorem, alios verò nonnullos Filicastrum appellare refert. Sed vereor ne Filicastro falsò attribuat, semen Betæ, rotundius ac durius. *Sideritis Ruell.*

Gesnero Filix latifolia Cordi eadem aut proxima videtur cum hac nostra Filice, quam Tragus Filicis majoris alterum genus inscribit, & Filicis masculæ genus esse statuit.

Lonic. videtur picturam hujus exhibere titulo *Grosz vvaldfarn vveiblin*: hujus tamen Filicis descriptionem non ponit.

Gesn. hort. Filicis genus rarius, floribus insigne, à Trago depictum. De Lunar. picturam Osmundæ Dodonæi (quam Sideritidem alteram Dioscordis asserit, & Chymicorum atque herbariorum quorundam Lunariam majorem) diuersam putat à Tragi Filice majore & siluestriore cæteris, cujus hîc effigiem damus. Sed ab eo hac in re dissentimus. Non placet quidem figura Osmundæ Dodon. gall. quam Filicem aquaticam & Filicastrum quorundam cognominat: gall. *Osmunde ou Feugiere aquatique*: Belg. *vvatter Varen*, & *vvildt Varen*, quibusdam *Sinte Christoffels, cruyt*, hoc est, S. Christophori herba. Album verò illud in medio radicis, Cor. Osmundæ vocat. In fol. lat. vbi duæ Icones vulgò quidem Osmundam in Belgio dici testatur: sed rectiùs Filicem palustrem aut aquatilem nuncupari ait, viderique haud dissimilem ei Filici, quæ πλέον μεγάλη à Theophrasto appelletur, cui Polypodium simile facit: siquidem hujus singulare folium, Polypodij folio satis simile sit. *Fil. genus rarius Gesn. hort.*

Nullam licèt viderit Turnerus plantam, quæ rectiùs Sideritidis alterius descriptioni conueniat quàm hæc Osmunda quibusdam dicta: veretur tamen ne cacumen & semen vetent.

Recentiorum Osmundam, Filicem floridam, regiam cognominat in Adiu. Lobelius, à regijs, vt ait, ac præclaris viribus. In Obs. pag. 474. & Ic. pag. 813. Dodonæi duas imagines hoc titulo donauit: Osmunda, Filix florida, Filix latifolia Cordi.

H. Lugd. pag. 1225. prodit Filicem aquaticam Dodonæi [gallici sc.] & Osmundam regalem, Pseudo-Lonchitidem asperam vocare Matthiolum, eoque nomine depingere: Porrò Tragum aliud Filicis majoris genus exhibere, idque Osmundam vocare Lobelium, hanc tamen ab Osmunda Dodonæi differre: Item, Filicem florescentem Tragi, fortè Dryophonon Plinij lib. 27. cap. 9. fore. *Sed compilator*, Hist. Lugdunensis dupliciter, meo judicio, fallitur. *Primò*, quòd Filicem aquaticam Dodonæi eandem faciat cum Pseudo-Lonchitide aspera Matthioli: *Secundò*, quòd eam Filicem separet à Tragi Filice florescente, & Lobelij Osmunda, deceptus fortè Icone minùs bona Dodonæi gallici, qui eam in fol. lat. mutauit.

C. Bauh. pin. Filix ramosa 3. non dentata, florida: Sideritis fortè Ruellio: Filix mas Anguill. Filix latifolia Cordi hist. Filix palustris, Gesn. *Cætera synon.*

Gesn. app. Lunaria, maior, seu Filix lunaria & Filicastrum, Eiusdem de Lunar. An Filix palustris, Cæs.? Huius species tenuiter dentata reperitur.

Locus & Tempus. Nascitur locis riguis ac palustribus: non rarò in fossis aquas habentibus, in humidis quoque silvis. Apud Gallos, tum apud Britannos plerisque locis reperiri recitat Dodonæus: Germaniæ ac Belgio quoque frequentem ait. Vigere autem Æstate: Hieme marcescere folia, radice restibili. Ego in diuersis hortis obseruaui, etiam floridam.

Vires & vsus. Quo pacto ad ambusta faciat, præcedenti capite diximus. Scribit Lobelius radicem ad hernias & vlcera exploratissimi cõmodi esse. Quinetiam colicis & splenеticis plurimùm conferre Nonnihil calidam esse & acrem, odoris non ingrati. Radix, inquit Dodonæus, calida est & sicca, sed minùs quam vel maris, vel fœminæ Vtilis habetur, ac præsertim, pars illa radicis media, subcandida, quæ efficacissima putatur, non modò vulneratis, sed & cæsis, ruptis, ex alto deturbatis, decocta vel etiam tusa, & cum liquore aliquo sumpta: In decoctis, quæ vulneraria recentiores appellant, eâ de causa ab empyricis additur. Sunt qui tantam huius potentiam existiment, vt sanguinem alicubi intra corpus hærentem ac concretum dissoluere queat, & foras etiam per vulnus expellere.

HERMIONITIS ALTERA DALEchampij, Filici floridæ similis.



Locus Descriptio. IN Illua prouenit *radicib.* multis capillaceâ tenuitate, breuibus, subnigris: *cauliculis*, pedalem altitudinem vix attingentibus, in *folia* septem ferè aut nouem diuisis: quorum quaterna, sena vtrinque caulem pari ordine vestiunt, terna verò in summo caule extantia inferiorũ foliorum versum claudunt. Sunt autem ea omnia longa, angusta, in ambitu nonnihil crenata, obliquis incisuris vtrâque parte distincta, quas per medium folium procedens & eminens costa separat. *Flos* ei nullus, nullum *semen*, atque adeò ne auersam quidem foliorum partem subflauus puluisculus contegit, qui in alijs id genus plantis cernitur.

Synon. C. Bauh. pin. Hemionitis 4 siue multifida: Hemionitis altera Dalechampij, Histor. Lugd. p. 1218. Lingua ceruina ramosa. Colum. Agleofotidis seu Marmoritæ, seu Phyllitidis aut Scolopendriæ nomine à Cortulo accepta.


Facultas. Vis ei eadem adscribitur quæ Hemionitidi, seu Splenio attribuitur.

CHAMÆFILIX MARINA ANglicana.

Locus. CHamęfilicem marinam Anglicanam non nisi saxorum rupiúmve interuenijs aut petrosis asperginibus Cornubiæ innatam, Lobelius reperit ad maris alluuiones non procul ab ædibus generosi viri D. Muyle: Descriptio. Epusilla multis implexa pulis certis, & compactâ *radice*, Trichomanes aut Adianthi Pliniani, *foliola* binûm ternûmve vnciarum, rigida, carnosa, numerosa, atrouirentia, lucida, Filicis maris diuisurâ, ortu, positu, & gustu: lituris item auersâ parte extantibus ferrugineis, quorum pediculi & medius neruus serico nitore ex fusco lucent.

Synonyma. Chamæfilix marina Anglica: Lob. Obs. p. 471. Ic. p. 814. & H. Lugd. p. 1126. Filicula fontana 3. siue Filicula maritima ex insulis Stœchadibus, C. Bauh. pin.

DRYOPTERIS DALECHAMPII.




Descriptio. DAlechampius hanc pro vera Dryopteride exhibet, eámque in editissimis montibus nasci tradit, ad Quercuũ musculos radices, foris per terram vagâtes, *radice* capillata fibris densis, valdè tenuibus, inter sese implexis, subatris, gustu adstringentibus cum paucula dulcedine, quę cùm aliquâdiu mensæ fuerint, percipiuntur: *foliis* multis, obliquis, virentibus, & herbaceum virorem constanter seruantibus, etiam in dudum collecta planta, vnico pediculo adnexis, altiùs incisis, pennarum ritu explicatis, supernè læuibus & glabris, infernè exiguis & subluteis punctis, & quasi vermiculis puluerulentis & asperis maculatis: siue *caule*, sine flore, sine *semine*, nisi quis [vt vulgò multi de Filice nugantur] sessiles & pensiles in aduersa foliorum parte quasi vermiculos, dum flaui adhuc hærent, florem esse putet, cùm nigricantes decidunt, fructum ac semen.

Compilator notatur. Cæterùm, nimiùm securè Compilator H. Lugdunensis asserit Dryopterim Dalechampij p. 1218. esse veram. Et quia locus particularis huius plantæ non assignatur, non abs re quid sit dubitatur etiam à C. Bauhino in pin. vbi Filix non ramosa sexta vocatur.

FILIX VVLGO MAS DICTA, siue non ramosa.

Descriptio. FIlix mas vulgò, quæ non ramosâ mense Aprili, autore Trago, promit multos *asparagos*, primo exortu inflexos, cano capillitio obductos, non aliter atque Scolopendriæ suæ primæ folia, atque ij progressu temporis abeunt in *folia* am-

pla, duorum, trúimvæ cubitorũ altitudine, crebra, recta, frangi facilia, diluto colore virentia, Trago purpurea, ferrugineâ lanugine hirsuta.



(Plumatim, inquit Lobelius, foliosa, alæ figuram imitãtis, vnde nomen : *Dod.* audit, odore grauia, & secundum margines crenata, ac tergo veluti tenuissimo, sordidoque puluere asperſa, qui temerè semen esse à plerisque creditur, inquit ille.] Cæterùm, vtrinque inæquali ortu nascuntur cristæ palmares, sensim in mucronem tenuatæ, laciniis obtusis ceu foliolis diuisæ, in ramosæ Filicis morem : *radix* crassior, multis conuoluta & implexa appendicibus.

De eodem Tragus hæc scribit : Incisuræ foliorum parte auersa Maio mense quamplurimis exiguis, rotundis, & excrementis bruchorum simillimis punctulis notantur, quæ cùm maturuerint, ac nigra euaserint, id quod circa festum S. Ioannis fieri solet, prorsus decidunt, & à mulierculis quibusdam colliguntur, próque Filicis semine deinceps venditantur. Nolo recensere quas vanitates & superstitiones eiusmodi semine exerceant. Hoc genus Filicis saporem præ se fert subamarum ac talem prorsus, qualem glandes habent, quem neoterici Medici Ponticum nominant.

Filix, Brunfelſ. Brunfelſ. tomo 3. rhapſ. 51. iconem habet titulo Filicis, Filicis siluestris, vel magnæ : Trag. nomine Filicis vulgaris. Eam tamen, quod plerumque in siluis, locisque saxosis moretur, à Germanis etiam *Waldsfarn*, h. e. Filicem siluestrem, à Dioscoride verò θηλύπτερις, Fœmellam Filicem, & Nymphæam Pterin dici refert.

Fil. fœm. Cæſ. Cæsalp. dicitur quoque Filix, fœmina in vmbrosis nascens, multis ab eodem cespite folijs: Thelipteris Dioscoridis, & Filicis alterum genus Plinij.

Fil. fœm. Geſn. Filix hæc non mihi (Gesneri verba sunt apud Cordum in hist. lib. 2. cap. 174. cui figuram Tragi apponit] mas, sed fœmina ex Thophrasti & Diosc. verbis videtur, etsi plerique hodie marem eandem faciant, quam hîc Cordus, errore veluti per manus tradito, Filicem masculam vocat. Filix fœmina hęc [errant enim qui hanc marẽ faciunt, inquit idem de hort.] quæ multis à radice statim folijs oritur, passim in siluis abundat. Appello enim (ait in ſtirp. append. vbi sequentes Filicum diuersas species assignat) fœminam, quæ pluribus

Geſn. not. ab vna radice folijs germinat, nullo caule : multis iam annis horti mei incola : molior vel tenerior asperâ, &c. Obscurus est in ſua Filicum Historia Gesnerus. *Nos* verò contra Tragum, Gesnerum & Cæsalpinum ijs assentimur, qui Filicem ramosam, fœminam constituunt : non ramosam verò marem.

Lonicerus Pterida marem Diosc. facit dicitque in eius radice aquilæ imaginem apparere. Tragum sequutus. Verùm illum oportebat annotare marem Tragi à suo mare diuersum.

Matth. Filicem marem etiam pro Dryopteride ponit, vt dicetur capite de Adiantho nigro officinarum. *Matth. notatur.*

H. Lugd. p. 1222. Filix mas Matthioli : Item, p. 1227. Dryopteris Matthioli. *Modò* insinuauimus has duas plantas à se inuicem non differre, nec etiam Matthiolum inter has distinguere. *Item etiam H. Lugd.*


Filix mas Matth. Fuchſ. Dod. Lac. Lon. Lob. in Adv. Obſ. p. 475. Ic. p. 811. Caſt. Tabern. Ger. Filix mascula, Cordo in Diosc. & hiſt. Filix mas altera, Thalio: Filix mas, Oſmunda, Anguill. Filix non ramosa 3. siue dentata, C. Bauh. pin. qui duplicem asserit : alteram, cui pinnulæ in ambitu sunt dentatæ : alteram, cui non sunt serratæ : Et illam Filicem marem alteram, hanc Filicem marem primam, Talio dici. *Synonyma.*

Πτέρις & πτέριον Græcis, Germ. *Waldfaren manle* : Gall. *Fougere masle.* Angl. *ferne the male* : Belg. *Varen manneken* : It. *Felſche maſchio* : Hiſp. *Helecho.* *Nomina linguarũ.*

Passim in vmbrosis, vliginosis, & arenosis vallibus, limitibus etiam agrorum, & arenosis saxis, felicissimè autem in siluis, prouenit. *Locus.*

Quod si equus conciderit, nesciasque quâ ægritudine laboret, tunc particulam huius radicis, linguæ eius subjice, eoque facto equus confestim vtrinque deiiciet recrementa, sursusque consurget : id quod Tragus ipse ita se habere compertum. Folia Filicis tenera adhuc decocta & comesta ventrem emolliunt : radix in puluerem redacta humidis vlceribus & cicatrici repugnantibus inspergitur : pari ratione iumentis adhibetur. Filices siccatæ, vice straminis asseruantur pro pecoribus, maximè in ijs locis, quæ à culta terra longiùs absunt, vt sunt pagi in Hercinia silua alijsque similibus siti. *Vires & vſus.*

FILIX MOLLIS SIVE GLABRA, vulgari mari non ramosæ accedens.




Deſcriptio. RECTIS surgit & simplicibus *pediculis* Filicis vulgaris in modũ, sed glabris penitùs, omnique hirsutie destitutis : *rami* particulares in segmenta diuiduntur duplò ferè longiora, longiùs multò ab inuicem distantia mucrone acutiore, modò æqualibus marginibus, modò obiter profundiùs incisis, nullo tamen ordine, nec serratis aut dentatis : hanc quoque mollities à vulgari distinguit, & segmentorum modò distortum varietas : Circa Tigurum legimus.

An

An Gesner. hort. Filix mollis, cuius descriptionem dedimus sub Filice non ramosa, vulgò mas dicta.

FILIX FONTIS ADMIRABILIS AD MAREM vulgarem non ramosam accedens, non dentata.

Descriptio.



MAsculæ vulgò dictæ Filicis non ramosæ in morem simplices erigit *caules*, quos rami non diuidunt, non sine hirsutie aliqua: cristæ singulares paulò videntur longiores, diuisione ferè foliorum Ceterach, segmentis minimè crenatis, sed acutioribus quorum auersa parte puluerulenta ferruginea puncta agminatim proximè margines circumcirca conspiciuntur, medio libero. In montibus prope Fontem admirabilem in Ducatu Wirtemb. Augusto mense collegimus.

Locus

An Gesn. hort. Filix aspera, de qua antè sub Filice mare vulgò non ramosa? An C. Bauh. pin. Filix ramosa pinulis acutissimis non dentatis, Filix ramosa altera?

FILIX LONCHITIDI AFFINIS.

Descriptio.



LOnchitidi filici folæ similis est: *pediculi* tamen glabri sunt plures, vnde ex aduerso positæ oriuntur *alæ*, palmares & semipalmares, quarum vnaquæque in cristas vnciales & semunciales diuiditur, singulas denuò in alia segmenta non admodum profunda, mitibus spinis donata subdiuisas.

Hanc obseruauimus in proximis siluis fontis admirabilis Ducatûs Wirtemb. & in valle fontiũ Griesbachiana.


Hanc (aut certè sequentem) eadem suspicamur cum Filice aculeata Casp. Bauhini, quam in Prod. in maiorem & minorem subscriptis verbis distinguit.

Filix 2. siue mas aculeata maior, *radicem* habet nigram, fibrosam: *pediculos* pedales, foliosos, in multas alas pinnatas, modò maiores, modò minores, profundiùs diuisos, pallidè virentes, primis in ambitu dentatis, & in breuem spinulam desinentibus: in monte *Wasserfall* lecta. *Filix aculeata maior.*

Filix 3. siue mas aculeata minor, pinulis est breuibus, totis integris, non dentatis, sed in spinulam acutam breuémque omnibus desinentibus eodem quo prior loco prouenit, & in Harcynia & Stolberga veteri. Illa in pin. est Filix aculeata 1. siue maior: Hęc, Filix aculeata 2. siue minor: Filix mas tertia Thalij, quam spinosam seu aculeatam cognominat. *Minor.*

FILIX TENVISSIME ET profundè denticulata, Montbelgardica.

Descriptio.




MAgnitudine non cedit vulgari Filici mari non ramosæ: *foliorum* haud dispar positus, verùm cristati folij portiunculæ valdè sunt cõcinnæ, angustæ, profundis & argutis denticulis incisæ: *crista* verò totæ costæ annexæ alternatim oriuntur: similis Rhæticæ, quæ tenuior, aliquid similitudinis habet cum nostro Adiantho albo officinarum folio Filicis.

Prouenit in siluis prope Montbelgardum: item in monte Masmunster menseOctobri, ac in monte R. iberg, necnon in valle fontium acidorum Griesbachiana. *Locus & tempus.*

FILIX TENVISSIME SECTA EX monte Balon.

Descriptio.



FOlia cubitorum aliquot ferrugineo muco obsessis pediculis: in ramos particulares diuisa, non planè ex aduerso respondentes, palmares & sesquipalmares, quorũ vnusquisque cristas habet alternatim positas, semunciales & duarum vnciarum, in segmenta exigua per extremam oram crenata subdiuisas.

Locus & tempore. Hanc reperimus in Vogesi montis parte Balon quem ex fodinis Argenti dictis Gerardmegni conscendimus mense Augusto.

FILIX RHÆTICA TENVISSIME dentata.



Descriptio. AD Filicem tenuifoliam profundè dissectam accedit, verùm cristæ, quarum alternatus ortus, in singulares denuò cristulas diuiduntur, vnciales, paullóve altiores, seu longiores, tenues admodum, crebroque & profundè dissectas, longè inter se distitas, auersa parte punctatas vt aliæ Filices. Similis est Adiantho folio Filicis, sed differt non solùm in eo quòd maior est Adiantho, sed præterea quòd pediculi Adiantho ad radicem rubent, quódque segmenta sunt quoque diuersa.

Reperi in Rhætia primò, dein etiam in monte *Roszberg* propè *Moszmunster*.

DRYOPTERIS.

Descriptio. DRyopteridem δρυοπτερὶς Orib. δρυοπτερὶς: in muscosis veterum Quercuum δρυῶν: Roborum vertit Sarac. (partibus,Filici similem nasci,at multò minore (tenuiore Sarac.) foliorum incisurâ, authoritate Dioscoridis comprobatur. *radicibus* inter se implicitis,hirsutis [ῥίζας δασείας densis & crebris,pro hirsutis legit Datech [gustu in dulcedine acerbis, Hæc vna cum radicibus si tria illinatur,pilos abolet. Primùm autem posteaquam cutem enudauerit, Priorem deradere, & rursus recentem imponere oportet : & hæc Cornarii est lectio,quam alij, Plinium potiùs secuti,quàm verba & sensum Dioscoridis, malè cû Ruellio,sic connecterunt.Psilothrum est cum radicibus trita: illinitur enim primum vsque dum sudorem euocet,mox sudor abluitur, & recens imponitur.


Plinius. Plinij autem l.27.c.9.verba sunt hæc:Dryopteris Filici similis,in arboribus nascitur,tenui foliorum subdulcium incisurâ, radice hirsutâ: vis ei caustica est,ideò Psilothrum est radix tusa.Illinitur enim vsque dum sudores euocet : iterumque & tertiò,vt ne sudor abluatur.

In Dryopt. historia à Diosc. variat Plin. Primùm itaque foliis dulcedinem quandam Plinius tribuit : Dioscorides verò non folia, sed radices in dulcedinem vergere scribit : deinde ῥίζας δασείας, id est,densas & crebras, Plinius hirsutas dixit : præterea radicem tusam Psilothrum esse, Dioscorides verò herbam ipsam cum radice tusam. Adhæc adhibendi Psilothri modum videtur non exactè expressisse, vertit enim ἰκμάζειν, sudorem euocare,cùm scribit illinendam esse radicê,vsque dum sudores euocet,&c. cùm ἰκμάζειν sit humectare & mollire, vt Diosc. intelligat corporis partem depilandam aquæ tepidæ fotu priùs humectandam esse, quod est ἰκμάζειν deinde pilum deradendum,si ψιλοῦν legas, vel auellendû, si ἀποσπᾶν,quod huic loco optimè conuenit,quoniam efficacior est vis psilothri profundiùs subeuntis auulso pilo, vtpote viâ magis patefactâ, & postremo recentem Dryopteridem,non radicê solùm, sed cum ea herbâ ipsam cataplasmatis aut emplastri modo imponendam. Sic igitur Diosc. locum conuertendum ducit H. Lugd. Dryopteris cum radicibus trita & imposita pilos abolet. Oportet autem cùm pars pilosa aquâ humectata fuerit,primùm eam deradere,vel pilum auellere, deinde recentem Dryopteridem cataplasmatis modo imponere. Quibus verbis Diosc. id quod plerumque facit,non solùm Dryopteridis depilatoriam vim, sed vtendi quoque modum declarare voluit.Siue enim Psilothrum,i.e.medicamentû quod pilos detrahit,causticâ & septicâ vi id efficiat, quod priùs est psilothri genus : siue insigniter & extremè frigida,aut à totius substâtiæ proprietate, quod alterû genus est,capillum renasci prohibês: primùm oportet vt cutis tepentis aquę fotu rarescat,& relaxetur,deinde pili auellantur vel deradantur nouaculâ, aut septico causticóve aliquo detrahantur:(quod hodie Turcæ illitu sui Rhusma faciunt,) tum alterû psilotrû parti imponatur,ne pili renascâtur, quê ordinê hîc docet Diosc. Vult enim priùs χρῶτα ἰκμάζειν,deinde pilos ψιλοῦν, postremò παρὰ δρυοπτερίδα ἐπιπλάσσειν.

Galenus itidem scribit Dryopteridem gustu mixtam qualitatem præ se ferre,dulcem, acrem, amaram, in radice verò etiam acerbam : facultatem habere septicam, proinde etiam pilis glabram cutem efficere. *Galeno mixta quantitatis est.*

Cæterùm, Dryopteridis appellatio pluribus adscribitur plantis. Et nimiùm quidem temerè Côpilator Hist. Lugd. asserit Dalechâpii Dryopteridem esse veram Diosc. Pari lapsu Matth. pro Dryopteride Filicem vulgo marem dictâ pinxit. Filicem præterea minorem non ramosam plures Dryopterida vocant. Sed & Filix ramosa minor à nonnullis Dryopteris putatur, quorum opinio non placet. Adianthû album folio Filicis Dryopteridis albæ cognomentum etiam assumpsit : Et Dryopteridis nigræ Dodon. Adianthum nigrum officinarum. *Æquiuoca.*

FILIX MINOR NON RAMOSA.



Descriptio. REpit *radicibus* tenuibus, nigris, capillatis: *folia* dodrantalia & cubito longiora, non ramosa, quorum cristæ ex aduerso nascuntur, trium circiter vnciarum longitudine, diuisurâ crebrâ, non penitùs costam attingente, segmentis singularibus æquabili ambitu circumscriptis:diuisuræ sunt similes Filici

lici mari vulgò dictæ: *folia* siccata corrugantur & fiunt acuta, quod ideò monemus, ne quis fallatur videns siccatam non statim inter chartas dispositam.

An Pteridion masculum Cordo? Gesnerus asserit, Nos vlteriùs indagandum censemus. Icon Dryopteridis, aut Quernę Filicis Lobelij in Icon. p.813. posposita, nobis aptè conuenire videtur cũ nostra planta: sed Pteridion fœminam Cordi, vt in Obs. p. 475. cognominatur, aliò quoque referimus.

Tabern. not. H. Lugd. notatur. Tabern. ic. est Filicula petræa fœmina tertia: Eid. hist. Filicula petr. fœm. quarta, quam Compilator eius describendam superua aneum duxit. Sed quum sit Dryopteris, cum cæteris Filicibus haud ita temerè confundenda erat, sed necessariò describenda.

H Lugd. pag. 1217. huius meminit, dicens: Sunt qui aliam Dryopterim, eámque veram sic describunt, Folia huic Polypodij prorsus, &c. Omnia autem hîc ex Lobelio transcribit eo non citato, omittens etiam eius effigiem, quod mirum.

C. Bauh. notatur. C. Bauh. in pin. videtur vocare Filicem non ramosam 5. siue quernam, plures & diuersas confundens eo titulo plantas.

Locus. Tiguri prope lacum felium reperimus, & in valle acidularum Griesbach. Diu viuit in siccis etiam hortis, palustribus aliàs luxurians pratis, vnde Filicem aquaticam olim denominauimus.

FILIX RAMOSA MINOR.



Descript. PArietinas & rudera sequitur, *radicem* habens labyrintheo cõtextu multipliciter implexã, Polypodij radicib. tenuiorem, repẽtem, & in obliquũ se spargẽtem, nigrã, satis fibris tenuibus & duris capillaram, inquit Clusius, sapore cũ leui dulcedine insigniter acerbo: *coliculi* multi, tenues, ex viridi fusci, palmares & dodrãtales, lõgioresque ramosi, Filicis fœminę vulgò dictę instar (cui tamẽ magnitudine multùm cedit) quibus pinnatim annexa *folia* Filicea, crenulis denticulata, subinde auersâ parte puluerulentis tuberculis respersa.

Tragus duo Filicis exiguæ genera tradit, non quidam formâ, sed loco natali differentia: nam vnum ex crenosis saxis & rupibus prosilit: alterum verò in veterum & cæsorum Roborum caudicibus nascitur, folio vtrumque Filici simili, multò tenuiore.

Filicis exiguæ & arborea genera duo, Tragi. Huc & Cordi Pteridion fœminam referimus, quæ Thelypteridi, i.e. Filici fœminę [sic vocat monoclonon, i.e. vno petiolo surgentem, quã maiorem facit Gesn. & nos Filicem maiorem & priorẽ Tragi, &c. inscribimus] coliculi foliorúmque figurâ secundum proportionem omnino similis est: sed multò minor, ac tenerior.

Cordus in Diosc. (annotante Gesnero) vocat Dryopteridem Thelypteridi similem, multò tamen minorem, & quoniam parua est Filix germ. *Erdfaren* & *Lichfarn*, & ad græcæ vocis imitationem, teste Cornario, *Lichfarn*, eò quod cæsarum Quercuum caudicibus plerunque proueniat.

Lonic. notatur. Lonic. appellat Filicem quernam & Osmundulam Gallorum, Græcorum Dryopteridem, eiusdemque naturæ cum alijs Filicibus esse ait. *Sed icon* quam habet, est potiùs Filicis ramosæ, quæ vulgo fœmina dicitur. Præterea si eadem natura eius, quæ aliarum Filicum, non est Dryopteris, vt dicimus contra Tragum.

Tabern. ic. Filicula petrea fœmina 4. Eid. hist. Filicula petr. fœm. tertia. *Hanc Compilator*, vt tegat suam ignorantiam aut negligentiam, dicit non necesse esse describere.

An Gesn. hort. Dryopteris Adiantho ferè cognata herba in colle lapidoso ad Badam Heluetiorum spontè proueniens? An Eid app. Filici palustri similis Dryopteris, Badæ infra thermas statim iuxta fluuium ad læuam?

C. Bauh. pin. Filix ramosa 4. siue minor pinnulis [malè legitur primulis] dentatis: Pteridion masculum Cordi [hoc aliò referimus:] Filix fœmina altera tenuifolia Thalij: Filix querna seu Dryopteris, Gerardi.]

Locus. Non vbique locorum duæ Filices exiguæ Tragi inueniuntur, sed in altissimis montibus quales sunt *der ydar*, Hercinia silua, Wasgoia, & mons Tonitrui. Filix pumila saxatilis 1. (ita Clusius Filicem ramosam minorem vocat) copiosissimè nascitur in saxis, non modò ad Gamingam & Neuberg: sed ad omnium ferè montium radices Austriæ & Stiriæ. Ego Tiguri, Lugduni, Geneuæ, Montbelgardi & Basileæ in montibus annotaui.

Vsus. Filices suas binas exiguas temperaturâ vulgari Filici multicauli respondere putat Tragus, posséque pro Filice, cui gustu satis respondere ait, vsurpari. Sed si verum Dryopterim Tragi esse eadem temperaturâ cum vulgari Filice, Dryopteris veterum esse non potest, consideratis ijs, quæ antè proprio cap. ex veteribus scripsimus.

ADIANTHVM ALBVM FOLIO FILICIS.

CAP. II.



Descript. PArietinarum amasium Adianthum album quibusdam dictum, fatiscentibus commissuris rimas agentium, *radice* se insinuat transuersâ, satis crassâ, pro herbæ magnitudine, fibrosâ, ferrugineo musco obsitâ, sapore cum pluri adstrictione subdulci, herbaceo Polypodij colore: *ramuli*, vel potiùs foliorum

pediculi dodrantales & pedales, tenues, viridantes, nigricantésve inferna parte, plumatim annexis Filicis folijs stipati, inæquali ortu sæpe, minutis denticulis incisis, auersa parte atomis virentibus, tandem ferrugineis extantibus, aspersis: mollia verò sunt folia hæc, & ad folia Filicis nostræ tenuissimè dentatę, ac etiam Rhæticę accedentia minora tamen nec diuisuris ita dispositis, & facilè marescentia, sapore citra adstrictionem euidentem, dulci, tam euanido, vt penè fatuum dicas, cùm viscido lentore. Planta ipsa commune quiddam habet cum Ruta muraria, minùs tamen quàm Adianthum nigrum officinarum, quo teneriùs multò & candidiùs. An Pteridum masculum Cordo? An Dryopteris candida, Dod. gall. cujus Icon potissimum postrema non multùm arridet, sicut nec nostra?

Adiãthũ album & nigrũ Plinij Lobel. Adiantho albo & nigro Plinij, inquit Lobelius in Adu. [quo titulo in Ic. Plant. p. 81? duplicem effigiem ostendit, sed priore quæ etiam in Adu. ponitur, potissimũ demonstrare videtur nostrum Adianthum album filicifolium] solertæque omnes Belgiæ, Germaniæ, Burgundiæ, Franciæ, Sabaudiæq; ue officinæ, non modò hoc quo, sed etiam ab omni memoria, semper visæ sunt. Radix pusilla, filamentis crebribus compacta, atris, rectis, junceis, paulò crassioribus & prolixioribus, quàm Trichomanes: ex herbido pallentibus, foliolis vtrinque & altrinsecus plumatim dissitis, Filicis maris diuisurâ & situ, sed multò minoribus, altera facie virentibus, altera in glauco punctulis rubigineis series geminas habent, sesquipalmum eoque plus alta, hæc alba, immo vtraq; ue quæ nihil planè differunt: quia nigro Adiantho cauliculi neruosi ue nigricant politiore nitore, foliaq; ue sunt saturatiore virore, vires eædem prorsum, quas etiam doctis multis, nedum nobis, exploratas scimus ad quotidianas & consuetas potiones multis annis, magno commodo, nullo detrimento. Vt tandem conniciari dediscant isti tenebrosi commentatores, qui hasce Dryopteres virium ignoratione rejiciendas autumant: nihil enim acris, nedum caustici, hæ innoxiæ capillares habent: nam Dryopteridem aliam [fortè hîc intelligitur Filix non ramosa minor] esse scimus: audiuimúsque nos in frequentissimo studiosorum cœtu, Rondeletio præceptore docente, Dryopteridem nostram nonnullis suis ægrotis (dum in Allobrogum ad Rhodanum vrbibus factitaret medicinam) exitio fuisse ob pharmacopœorum flagitiosam inscitiam, qui non parum Dryopteridis potiunculæ, Polypodij vice, miscuissent. Hasce proinde, conjectura certa ducti, Plinio memoratum vtrumque album & nigrum Adianthum, Filicis foliis, imísque cauliculis fuscis & asperis, arbitramur. Hæc Aduers.

Synonyma. C. Bauh. pin. Filicula fontana 1. siue major, vel Adianthum album Filicis folio: Dryopteris candida, Dod. Dryopteris alba Dodonæi. H. Lugd. p. 1227. Adianthum album Plinij, Lobelij. Item Filicula fontana 2. siue minor: Filicula fontana, Tab. fœmina, Gerardi. *Has duas* Filiculas fontanas

C. Bauh. err. C. Bauhini nondum separamus, censemúsque vocandam Rutam murariam alteram.

Locus In muris & rupibus subinde occurrit. Blaumontij in veteri cisterna & circa castellum inter saxa obseruauimus, & Geneuæ circa montem *Saleue* pulchrè virens mense Februarij principio.

ADIANTHVM NIGRVM Officinarum.

Descriptio. IN capillarium etiam numero habent officinæ quod Adianthum nigrum vocant, plantam filiformem, aliam tamen ab Adiantho albo filiciformi. *Cauliculi* huic dodrantales, firmiores, nigriores, cui inæquali ortu adnectuntur cristæ vnciali circa principium latitudine, sensim in tenuẽ mucronem desinẽtes, quarum *segmenta* lacinias Rutæ murariæ imitantur, latiora, longiora, altius crenata, firma, punctulis puluerulẽtis auersa parte de Filicum more, distincta: *radix* crassa, fibrosa, qua degustata prope Patauium, dulcedinem cum magna adstrictione lingua percepit.

An Pteriadion Cordo?

Dryopteris fortè Mat. Matth. scribit Dryopteridem, Filicem ad vnguem referre, nascique etiam humenti solo & inter vepres circa Quercuum caudices, vel in Goritiensi agro, pluribus in locis, nullis repugnantibus notis, notissimam etiam ijs qui siluas ingentes frequentant. Sed vti Matthiolus temerè ait Dryopterim ad vnguem Filicem referre & notissimam esse, ita temerè anno 1554. & 1559. icone paruâ nihil aliud repræsentat, quàm Filicem marem, ei & vulgo dictam. Quin adhuc in Epit. anni 1571. Filicem pro Dryopteride proponit, nihil addens de suo, nisi dici, Ital. *Felce quercina*, Germ. *Baumfarn.* Gall. *Feuchiere des Chesnes.* Admiranda sanè Matthioli leuis inconstantia, vt qui in comm. cum mag. fig. lat. & ital. remanentibus allegatis verbis, aliam longè diuersam, & Adianthi nigri imaginem exprimentem, exhibeat iconem. *Camer.* in sua aucta Matthioli Epitome nouam effigiem, fortè Adianthum nigrum vulgare pro Dryopteride demonstrantem, dedit. Verùm si id intelligit, pictura videtur minùs benè efficta.

Dryopteris Matthioli C. Bauh. multipliciter errat C. Bauh. apud Matth. ponit iconem ex Tabern. sub intitulatione Dryopteridis Matthioli in minoribus iconibus. Brunfels. Cordi in Dioscor. Gesn. hort. & app. Lobelij, & H. Lugdunensis: Dryopteridis candidæ Dodonæi gall. & lat. Pteridij fœminæ cordi in histo. Filiculæ petrææ fœminæ primæ Tabern. & Filicis generis parui in montibus Cæsalpini. *Securè nimis* C. Bauhinus pronunciat Filiculam Tabern. petræam fœminã primam esse Dryopterim Matth. in minorib. iconib. quandoquidem ab icone Matt. multùm differat, vt quæ sit Filicis maris, vti sæpius dictum. Concesserim quidem potiùs esse Dryopteridem in mag. fig. quæ Adianthum nigrũ vulgi, ad quam accedere videtur Tabern. modò dicta Filicula. *Secundò*, Cordi Dryopteris, non eadem est quæ Dryopteris Matth. vel majorum, vel minorũ Iconum, neque etiam est Filicula Tabern. Cordus enim ait Dryopteridem suam esse Thelypteridi similem, sed multò minorem. Telypteris verò siue Filix fœmina Cordi, ramosa est planta. Quare Cordi Dryopterim meritò referimus ad Tragi Filicem arboream, de qua sub titulo Filicis ramosæ minoris. *Tertiò*, per Dryopteridem Gesn. in app. eam intelligimus, quam Cordus in hist. pro Pteridio fœmina descripsit, quæ nobis eadem cum Filice ramosa minore. *Quartò*, Lobelij in adu. Dryopteris diuersa & ipsa planta est non ramosa, quin imò diuersa quoque à Dryopteride Cordi, de qua sub titulo Filicis minoris non ramosæ.

mosæ. *Quintò*, Matthioli Dryopteridem in commentarijs cum magnis figuris existimamus potiùs Dryopteridem nigram Dodonæi & Hist. Lugdunensis, de qua præsenti capite, quàm albam, de qua præcedenti. *Vltimò*, Filicis genus paruum Cæsalpini, quod duplex traditur, non putamus conuenire: Vnum enim non serratum, vt Polypodium, alterum denticulatum: fortè intelligit duas Lonchitides *asperas*, et suo dicetur loco.

Dod. inconstantia. Dod. gall. satis commodè pingit Dryopterim nigram, admittens eam pro Adiantho christinatum, id est, Capillo veneris. Lat. verò in fol contrà, eos in errore versari scribit, qui Dryopteride nigrâ Adianthi loco vtuntur.

Gesnerus apud Cordum annotat Pterialion Tiguri in muris, sed rariùs prouenire: frequens autem Badæ in colle juxta Limagum, mox infra thermas: ibi & Dryopterim [Filicem ramosam minorem] nasci: qua cum ne quis confundat, cauendum esse.

Præter alia multa duo potissimùm esse testatur Turnerus, quæ vetant ne hæc vera sit Dryopteris, 1. quòd in parietinis cum Trichomane nascatur, nec non fruticum radicibus, in primis earum, quæ in opacis proueniunt, non autem Quercuû, à quibus & à Filice, Dryopteris nomen habeat. 2. est, quòd vim psilotri & septicam (quam ei tribuit Dioscor.) hæc non possideat. Angl. vocat, *Okefern*.

Adiant. nigr. Plinij. Lob. De Adiantho nigro Plinij, vt Lobel in Adu & Icon. pag. 810. inscribit, præcedenti capite diximus. Histor. Lugd. pag. 1228. dicitur Dryopteris nigra Dodonæi.

Onopteris maior, Tabern. Tabern. Adianthi genus, *Gresz Eselsfarn*, Onopteris major [sic n. Icon. inscribitur] similis Adiantho mas [Trichomanes], cum quo generali descriptione excepta foliorum magnitudine, conuenit, quæ paulò major. *Egregia* descriptio & distinctio Compilatoris Tabern. nisi adesset Icon. nullus vnquam posset diuinare quid velit, quòd fortè ipsemet haud intellexit. Quid si eadem sit cum ejusdem Tabern. Filicula petræ, fœmina prima, quam Compilator non ducit esse necesse vt describatur, quia eam procul dubio ignorat.

Clus. nomenclatur. An Filix 2. saxatilis Clusij? Is autem ejus Iconem exhibet radice repente, quæ non respondet descriptioni.

An Cæsalp. Adianthi nigri genus aliud?

Synon. C. Bauh. C. Bauh. pin. Adianthum siue Capillus veneris officinarum 2. vel Adiantum folijs longioribus puluerulentis pediculo nigro: Adianthum pulchrum Lugdunensi simile, Thalij: Dryopteris [Onopteris falsò legitur.] nigra Dod. & H. Lugd. Adianthum nigrum Plinij, Lob. Adianthi nigri aliud genus, Cæs. Onopteris major, Tab. mas Gerardi. Cæterùm, C. Bauh. ab Adiantho nigro separat Dryopterim Matthioli & Camerarij in Epit. item, Filiculam petræam fœmininam 1. Tabern. ac Filicem saxatilem 2. Clusij, de quibus jam dictum.

Locus. Patauij in monte *di Venda* inueni sesquipalmum excendens.


Vires. Experientiâ Turneri comp ertum est plantam, quâ Louanienses vsi pro Adiantho, plurimùm conferre contra calculum cum vino, aut emulsione amygdalarum extracta cum aqua Capilli veneris. Dryopteridis radices (inquit Matthiol.) in puluerem contritæ & cum furfuribus addito salis & sulphuris momento, equis deuorandæ aduersus intestinorum vermes, exhibentur: nàmque potenter illos expellunt & interimunt. Cæterùm, quum Matthiolus nesciuerit quid exhiberet pro Dryopteri, difficile est statuere, cui Filicum generi hæ tribuendæ vires: censemus tamen sine periculo experientiâ posse fieri, vt Adiantho nigro vulgò dicto debeantur.

Adiantho nigro similis si non eadem missa pro Capsligno.

Descriptio. A Clariss. Paludano missa hoc titulo: *Folia &* *ramus Capsligno*. *Ramulus* est spithameæ longitudinis, Adiantho nigro simillimus, si non idem, cujus ramuli foliati alternatim quoque ex costa pendent. *Folia* obscurè virentia, sed non in tenues adeò apices per extrema diuisa. Per cætera ita similia, vt ouum ouo. Summis verò folijs in dorso singulo folij segmento velut *semen*, quodâ Milij figurâ & magnitudine pullo colore adhæret; quod per mediam corpusculi sui longitudinem rima sulcatum videtur. Intus verò exactiùs intuenti puluerulentum quid apparet. Hujus portio est in superiore parte Adianthi nigri officinarum.

Icones. An Casp. Bauh. pin. Adianthum 4. fruticosum Brasilianum?

ADIANTHVM ALBVM TENVIFOLIVM, Rutæ murariæ accedens.



Descriptio. PEdales ex *radice*, emittit, sed tenues, caules, qui superiùs in ramulos alternos ferè diuiduntur, atque hi deinnò sæpiùs in alios minores, nullo ferè ordine, *foliis*, Rutæ murariæ dimidio minoribus, incisis, pulchrè viridantibus teneri oribus, mollicellis. Ex Gothardo attulit gener Cherlerus.

Synon. C. Bauh. pin. Adianthum siue Capillus veneris officinarum 3. vel, Adianthum folijs minutim in oblongum scissis, pediculo viridi.

LONCHITIS VETERIBVS.

CAP. III.

Lonchitis duplex Dioscor. LOnchitis Dioscoridi duplex est. Prior, *folia*, habet, Porro perquàm similia, latiora tamen & rubentia, plurima ad radicem circum fracta, veluti in terram procumbentia. Habet & circa caulem pauca, in quo quidem, *flores*, ceu pileoli, hiantibus comicis personis figurâ similes, sique nigri, sed è rictu albam veluti paruam linguam exerentes, quæ ad labrum inferiùs spectet: *semen*, inuolucris clausum, triangulum & lanceæ cuspidi simile, vnde etiam planta ipsa sibi cognomentum arrogauit: *radix*, Dauci

Nascitur in asperis & sitientibus.

Lonchitis altera quam alij asperam [τραχεῖαν] dicunt, *folia* profert Scolopendrij, sed asperiora, majoráque, ac multò magis diuisa. Vim autem habet vulnerariam, inflammationémque arcet, lienem quóque pota ex aceto absumit. Meminit porrò Diosc. Licij, quod Indicum vocauit, & ex Lonchitide frutice fieri dixit, & illi quædam ex altera Lonchitide adscribi.

Plini. vnã Lonchitidẽ nouit. Lonchitis [ita Plinius l.25.c.11. de priore Lonchitide, nam posteriorem non nouit] non [vt plærique existimarunt] eadem est quæ Xiphion, aut Phasganion: quanquam cuspidi similis semine. Habet enim folia Porri, rubentia ad radicem, & plura quàm in caule: capitula personis comicis similia, paruam exerentibus linguam: radicibus prælongis. Nascitur in sitientibus.

Galenus duas. Lonchitidis ejus, quæ triangulare semen habet (inquit Galenus, plures Lonchitidis species insinuans,) & figurâ simile illud cuspidi, radix similis est radici Dauci: & præterea vrinam ciens medicamentum. At ejus quæ Scolopendrio similia folia habet, ea viridia quidem ad vulnera glutinanda idonea sunt: arida verò cum aceto pota, lienes induratos sanant.

Cornarius. Cornarius licèt neutram Lonchitidem officinis notam, & Herbariorum de his meras diuinationes esse arguat, ipse interim tamen, quod pro certo pronunciet, non habet.


Lonchitidem quia parcè delineat Diosc. inquit Marantha, effectum est, vt multi multa de illa senserint: multique eam se cognouisse falsi sint, qui tamen à veritate longiùs aberrarunt: hi si nominis proprietatem inspexissent, non ita temerè de illa pronunciassent, in illis enim quas ostendebant, nulla lanceæ similitudo sumi poterat, neque ex semine, neque ex folio, neque ex radice: ergo alia illis quærenda erat: sicuti Ghinus, cùm nulla ex his, quæ ostendebantur, illi planè satisfaceret: tandiu quæsiuit, donec illam adinuenit, Diosc. descriptioni & nomini ex omni parte conuenientem: nam præter id quod habet folia longè magis diuisa, & asperiora folijs Scolopendrij: ejus extremitas ita dirta est, & acuminata, vt lanceæ speciem præbeat. Hanc non depinxit Matth. sed aliam: quam nescio quo pacto à Ghino pro Lonchitide ad se missam falsò asserit.

Æquiuoca. Tragoniam herbam Plinij suspicatur Lonchitidem alteram Gesnerus. Alij ex Recentioribus Adiantum nigrum officinarum, Dryopteridem nigram nominantur. Lonchitidem asperam esse volunt, sed non est, teste Dodonæo.

LONCHITIS ALTERA CVM FOLIIS denticulatis, siue Lonchitis altera Matthioli.

Descriptio. VNius & ejusdem plantæ nulla est foliorum diuersitas & latus, vt in Lonchitide altera Matthioli: pinnæ ad costam ligatæ non penitùs adnascuntur, sed breui hærent pediculo, in ima summáque ala breuiores quàm in media, longitudine circiter vnciali, forma falcatâ, gibbo deorsum spectante, latitudine minimùm duplâ ad Lonchitidis Dodonæi segmenta, & denticellis spinulis similibus circumquáque exasperatæ, subtus ferrugineo puluere obductæ: differt hæc Lonchitis à nostra Lonchitide filicifolia, cui folia magis diuisa.

Matthiolus asperam Lonchitidem majorem



[sic in comm. cum mag. fig. Lat. & It. inscribit.] *folio* delineat ad Polypodij faciem accedente, spithameæ longitudinis, vtrinque dispáribus incisuris dissecto, tenuibus, aculeatísque denticulis serrato, & vbique aspero, vnde illi nomẽ: *radice*, multiplici, tenui, subrubente, perinde ac in Phyllitide. De hac cum Marantha Matthiolo lõga fuit cõtentio. In com. autem cum mag fig Lonchitis hæc major meliùs exprimitur, quàm in prioribus comm. cũ paruis figuris, in quibus denticuli non, aut quàm minimùm, apparent. In Epit. Matth. à Camerario in lucem edita, est Icon. in qua denticuli quodammodò exprimuntur, verùm ea minùs placet quàm Matth. etiam cum minoribus Iconibus.

Dicitur Gesn. hort in app. Lõchitis altera seu aspera Matth. picta H. Lugd. pag. 1220. Lonchitis aspera major Matth. Tabern. Ic. & hist. Lonchitis altera mas, λογχῖτις & λογχῖτις τραχεῖα, Græcis, Lat. Lanceolaris, Asplenum siluestre quorundã: Germ. *Spicant maulin*, *Grosz Miltzkraut*: Belg. *Brachi Varen*. Notandum autem, Asplenum siluestre dici de Lonchitide Dodonæi, quàm Tabern. pro fœmina pingit. *Synonyma.*


An Lonchitis 2. siue Dalmatica, Anguillaræ? An Cæsalp. Filicis genus paruum alterum, folijs tenuissimè denticulatis, hirsutioribus, in parte aduersâ ferrugineis veluti furfuribus? An Lonchitis Marantha Lobelio?


C. Bauh. pin. Lonchitis 1 siue aspera: Lonchitis altera Ang. Lac. Cast. Lon. cui & *Spicant*, Germanorum, fortè à radice, Indicam Spicam referente: Lonchitis altera, quibusdam aspera, Cord. in Dioscor. Gesn. hort. app. Lonchitis Maranthæ. Germ. Icon. *Syn. C.B.*

Baldi montis incola. Reperitur etiam Monspelij in montibus circa Gangen, & ni fallor, in monte, *Vassefall*: item inter Clereual & Ran ad Dublin. *Locus.*

LONCHITIS ALTERA FOLIO Polypodij.

Descriptio. E *Radice* nigra, villosa, cõpacta, ac cespitis instar contexta, suprà sexaginta aliquando *folia* prodeunt, primo exortu Linguæ ceruinæ modo recurua, postea cùm se explicuerint, non tam lata quam illius, sed astrictiora apparẽt, & vbi excreuerunt in ambitu in terram reclinantur, pedalia aut cubitalia, nigris propter terrã pediculis, vel, vt ait Tragus, medijs venis puniceí coloris, quę vicem *caulis* tenent, quorum primæ cæsuræ Asplenij folium satis exprimũt, superiores ad summum vsque fastigium ad Polypodium accedunt, sic tamen





sic tamẽ vt maxima segmentorũ (quantùm hactenus animaduerterim) longitudo vix sit vncialis, ambitu æquabili nec denticulato, nec alia ratione vllâ inciso: horum in medio aliud surgit foliorũ genus, quæ recta, longiora, raris cæsuris satisque longo interuallo distãtib. scalarum gradus imitantur, aduersâ parte puluere Filicũ ferrugineo aspersa. De his Tragus, Iunio mense appetente alia multa & longè angustiora prioribus folijs subnascuntur, Polypodij instar incisa, in altum se attollentia, longissimis gallorum gallinaceorum pennis similia, exiguis & luteolis punctulis notata, sicut & Polypodij, proinde vena ea, quæ per medium folij transit, puniceí est coloris. Matthiolus scribit mitiora & tenuiora, angustioráque folia, quàm præcedentem, promere, & magis Polypodio similia, hirsuta & aspera: nos autem hirsutiem non animaduertimus, firma alioqui & satis rigida sunt folia.

An Cordo hist. (in Diosc. enim vocat Lonchitidem alteram asperam cognominatam) Struthiopteris, Filicis insignis species, in Hercynia sylua propè Gustariam inuenta, figurâ admodum spectabilis, &c. quæ Struthiopteris ab ipso nominata quoniam aspectu ac crispo foliorum [quæ gustu, cum tenuitate aliquâ astringunt] habitu Struthionis siue Struthiocameli pennas imitatur? An Lonchitis aspera minor Matth?

Gesn. hort. Lonchitis altera, *Spicant*, Germanorum aliquorum. Eid. app. Lonchitis aspera alia, Asplenum sylvestre Tragi, Ghini & Maranthæ Lonchitis dignior.

Tragus cap. de Scolopendria secundo loco describit & depingit pro Aspleno siluestri, *Walds Asplenon*, *Waldehirtzung*, & addit esse verum Dioscoridis ἄσπληνον se existimare. Sed interim aliam rursus plantam subdit, quam verum Dioscoridis Scolopendrium statuit.

Lonch. aspera Dod. Dod. gall. & Lat. Lonchitim asperam inscribit, facique λογχῖτιν τραχεῖαν Græcorum, Struthiopterim Cordi, Longinam & Calabrinam quorundam, Neotericorum Asplenium, & Asplenium siluestre, aut Asplenium magnum, Germ. *Grosz Miltzkraut*: Belg. *Gracht Varen*.

Pro Lonchitide altera pingitur in Icon. p. 815. & Obs. p. 475. eique in Adu. à Lobelio tribuuntur Polypodij folia, minora, tenuiora, minutiúsque incisa: palmos binos alta, pusilla, Polytrici, Cæteráchve radix: muscosi apiculi, vermiculorum in modum, præsertim prouecta ætate glomerati, spémque & speciem dantes seminis luteoli & racemosi, Oleæ fermè: tametsi sint euanida rudimenta, vti Filicis.

H. Lugd. nos. H. Lugd. pag. 1116. Asplenum sylvestre, Scolopendrium alterum Tragi, Lonchitis aspera Dodonæi. Item p. 1121. Lonchitis aspera Dodonæi. Extat & eadem pag. Icon. Lonchitidis asperæ Matthioli, verùm sub titulo Pseudolonchitidis asperæ Matthioli, & Lonchitidis asperæ Maranthæ: non autem erat exhibenda sub Pseudolonchitidis titulo, sed pagina 1120 sub suo titulo: sunt enim transpositæ Icones errore fortè typographico.

Cætera Synon. Tabern. Ic. & histor. Lonchitis altera fœmina: Eid. apud Wirsũg, Lõchitis altera Diosc, *Grosz Nesselfarn*. Cord. Asplenum spicantum, nomine ad siluam Harciniam familiari. Lonic. in Diosc. Asplenum, Linguæ ceruinæ siluestris species, & Scolopendrium verum Tragi: Eid. hist. Scolopendrium majus: Item, *Spicant*, ex genere Filicum. Lonchitis aspera Dioscoridis, & Lanceolaris. *Lonicerus deceptus*, malâ figurâ non benè separat *Spicant* à Scolopendrio majore.

C. Bauh. Lonchitis 2. siue minor: Lonchitis aspera minor Matthioli, Histor. Lugd. & Camer. Lonch. aspera, Thal. & Germ. Scolopendrium majus, Lonic. Lonch. altera Neotericorum, Clus. pann. & hist. C. Bauhinus debebat annotare apud Lugdunensem, figuram esse sub alieno titulo exhibitam.

An Filicis paruum genus Cæsalp.?

Locus. Elegantissimam hanc plantam non passim occurrere testatur Tragus. Vbi tamen inuenitur, tenebrosis &c. & humidioribus siluis, ibi magnâ copiâ prouenire solere dixit Lobelio Lonchitis altera locis nemorosis & asperis, in Anglia, Belgio, & Basileæ, propè montem arduum, vno ab vrbe miliari dissito, occurrit. Dodonæus nasci refert in scrobibus ac fossis, locis vliginosis, humidis atque vmbrosis: nec caulem, nec florem proferre: perpetuò virere: Æstate vigere.

Vires. Herbam esse vulneribus glutinandis, lienibúsque absumendis idoneam docet Matthiolus. Illis enim imposita, ne inflammentur vulnera, impedit.

LONCHITIS ASPERA MARANTHÆ.

Descript. A Superioribus tribus haud obscurè differt ista, toto habitu alia: *rami* dodrantales [vt in nostra planta sicca obseruauimus] in spadiceo nigricant, splendéntque, ex ruffa lanugine prodeuntes, cui longæ, nigræque capillares fibræ numerosæ subjectæ: nudi suprà medium sunt rami, inde verò summo tenus, breues exeunt, *pediculi foliis* amicti, quæ auulsa, planè dicas Aspleno, vulgò Cæterach dicto detracta, tã arcta est similitudo diuisionum, lanuginis parte inferiore, foliorúmque in Scolopendriæ formam conuolutionis. Camer. *radix* nigra, cirrosáque.

Synonyma. Matth. in comm. cum mag fig. Pſeudolonchitis: Lonchitis aſpera legitima Marãthæ. Camer. in Epit. Lonchitis aſpera Marãthæ. Cluſ. hiſtor. Lonchitis altera maranthæ, Filiculæ elegans genus. Tab. Ic. & hiſt. Lonchitis adulterina. Cæſalp. Ceterach. quoddam in Ilua naſcens, locis editis & ſaxoſis, folio dodrantali, ramoſo, ac magis hirſuto: Lonchitis aſpera Dioſcoridis.

H. Lugd. notatur. H. Lugd. pag. 1211. Pſeudolonchitis aſpera Matthioli, Lonch. aſpera Maranthæ. Icon. ſub hoc titulo poſita, haud conuenit. Quæ enim ei debetur, malè pag. 1230. pro Lonchitide aſpera minore Matthioli pingitur. Alia præterea proponitur deſcriptio & Icon. nomine Lonchitidis aſperæ, Iluenſis, quæ non eſt diuerſa, ita vt duas vnius plantæ Icones habeat H. Lugd. quarum prior magis arridet.

An Anguill. Lonchitis ſecunda, in monte nigro Hiſſis inuenta, Ceterach ramoſi ſpecies?

Syn. C.B. C. Bauh. Lonchitis 3 ſiue folio Ceterach, magnitudine varians: huic duæ figuræ apud H. Lug. ſu. 1. Lonchitidis aſperæ minoris titulo: 2. Lonchitidis aſperæ Iluenſis. Lonchitis 2 Dalmatica, Anguill. Lonchitis Maranthæ, Lobel. Polypodium Iluenſe, H. Lugd. pag. 1230. Filicula petræa mas Ger. Ic. *Nos.* Polypodium Iluenſe, H. Lugd. huc referri poſſe non negamus, ſed Lonchitidem Dalmaticam Anguill. à Polypodio jam dicto diſtinguimus.

C. Bauh. not.

Locus. In Stiriacarum alpium jugis locis æditis & ſaxoſis, vel in nemoribus aſpero loco naſcitur.

POLYPODIVM VETERIBVS

Cap. IV.

Deſcriptio. RAtio nominis ex Dioſcoridis deſcriptione colligitur: πολυπόδιον. Inter ſpuria aliqui Scolopendron, alij Pterin: alij à multifidis, radicum inciſuris, Polyrrhizon. Romani Filiculum, ſeu Filiculatem herbam vocant. Naſcitur in muſcoſis petris, & vetuſtis, Quercuum caudicibus, palmi altitudine, Filici ſimile, ſubhirſutum & inciſum, at non perinde tenui diuiſurâ. *Radix* ſubjacet piloſa, cirros habens ceu polyporum, craſſitudine minimi digiti: hæc ſi derata fuerit, coloris intus herbacei comperitur: acerba verò eſt, atque guſtu ſubdulcis.

Plinius. Detrahit bilem Polypodion quam noſtri (inquit Plin. lib. 16. cap. 44.) Filiculam vocant: ſimilis enim eſt Filici. Radix in vſu, piloſa, coloris intus herbacei, craſſitudine digiti minimi, acetabulis cauernoſa, ceu polyporum cirri, ſubdulcis, in petris naſcens, aut ſub arboribus vetuſtis, floret & ſemen non fert.

Semper autem poſt imbres erumpit, authore Theophraſto, cui radix hirſuta (δασεῖα) eſt & acetabula habet, ceu polypi cirri: purgat autem deorſum, & ſi quis adalliget, Polypum innaſci negant. Habet folium ſimile Filici magnæ, & in petris naſcitur. Et ſic quidem Cornarius hunc locum accipit de adalliganda Polypodij radice, & ita prohibendo ne polypus alicui in naribus naſcatur. (Gaza quod ὥςπερ legit Cornarius, habet ὡς φασιν, ſed ridiculè & perperàm.)

Plinius non corrigendus contra Maranthum. Iam mendum apud Plinium legitur in Polypodij hiſtoria, hanc plantam florere, & ſemen non ferre, cùm ita potius, vel conſimili modo reddendus ſit locus, Nec floret, nec ſemen fert, inquit Marantha. Ait contrà, florere Polypodium, velut & Filicem nobis non dubium, nec etiam ſemen ferre, licèt ob tenuitatem vix appareat. *Nolumus*, igitur cum Marantha Plinij textum corrigere: Vel, ſi corrigendus, potiùs delendum vocabulum, *non*, exiſtimaremus.

Æquiuoca. Cæterùm, vt ad æquiuoca deueniamus, Polypodium majus & minus, nobis vnum tantùm ſpecie cum Lobelio eſt (nec diuerſa, vt fruſtra quidam faciunt. Polypodium etiam Iluenſe pro Lonchitide aſpera Maranthæ nequaquam improbamus. Dryopteris aſſumpta pro Polypodio, exitio fuit multis ægrotis. Eſt & Polypodium Indicum quod deſcriptum habemus in Exoticis Cluſij. *De his nunc agendum.*

POLYPODIVM.

Deſcriptio. POlypodij *radix* obliquè ſub terræ ſuperficie reptat, altiùs fibras ſuas ex tuberculis, quibus plurimis ſcatet, demittens, ad craſſitudinem ferè minimi digiti accedens, nunc tenuior, colore foris buxeo, intus ferè herbaceo, ſapore dulci, tandem acerbo & adſtringente. Lobel. radix prolixioribus anfractibus, nodulis, acetabulisque donata & flagellis; Polypi piſcis ſimilibus, cujuſmodi ferè Coralli albi ſunt: craſſitudine digiti minimi, intus porracea, guſtu nonnihil adſtringens & ſubdulcis, quercina præſertim: modò vnum, modò plura, *folia* ex tranſuerſa radice, filicea, ex folijs multis, guſtu adſtringentibus, non denticulatis, ſupernè virentibus, infernè ad nerui latera vtrinque ordine quodam aceruulis quaſi pulviſculi ruffi punctatis, etſi interim hoc non ſemper obſeruetur, ad coſtam vnam mediâ ſui parte folijs viduam, tenuem, rigidam, annexa.

Matth. Sylvaticus non abſque errore, vt Iac. de Manlijs ſcitè annotauit, Polypodium Dipterim vocauit. Ac meliùs vix forte alij ex ſimilitudine foliorum cum Filice Filiculam nuncuparunt.

Tragus, qui vnam tantùm ſpeciem depingit, refert perperam à nonnullis, *Steinfarn*, hoc eſt, Filicem ſaxatilem, ſicut & Trichomanes appellari.

Matth. in Dioſcoridem duas exhibet, Polypodij ſpecies. Earum autem Icones in poſt. comm. (non quidem variat à priori deſcriptione) mutauit, ita vt difficile ſit, ſe ex ejus hiſtoria extricare, ſi quis figuras conferat. Sed majorem pariunt obſcuritatem, ſequentia ejus verba. Polypodium ſiue Filicula quæ in montibus prouenit in itinere, quo Goritiâ per montes in Carniolam itur, folijs anguſtioribus & admodum virentibus, Cæteracho per quàm ſimilibus, quanquam paullò amplioribus. Tantáque eſt ſimilitudo, vt mihi hanc herbam inſpicienti ea fermè viſa ſit verum Aſplenum: quæ tamen effoſſâ radice ſtatim pro Filicula agnoſcitur. Quibus verbis quid ſibi velit Matthiolus, tuæ lector committimus prudentiæ.

Dod. licèt in Hiſt. gall. vnicam tradat Polypodij ſpeciem: in hiſt. tamen lat. [vbi Filicis genus facit, & flore, & ſemine atque caule carere ſcribit] duas Icones proponit. Vni, quæ planè noſtræ ſimilis, titulus eſt, Polypodium minus, alteri Polypodium majus.

Duo quoque Polypodia pingit H. Lugd. ſcil. Polypodium primum Matthioli, p. 1229. & Polypodium ſecundum Matthioli, p. 1230.

Com-

Compilator apud Tabern. distinguit Polypodium 1. & 2. tantum magnitudine. Hunc sequitur C.Bauh. in pin. *Polypodium* 1. siue vulgare, faciens Polypodiũ Brunfels. tom. 3. chapt. 40. Tragi. Matth. Ang. Fuchs. Dodon. gall. Cordi in Diosc. & hist. Turn. Lon. Lob. in Adu. & Obs. p. 473. [vbi & Herba radioli Apulei] ac Ic. p. 814. Cæs. Cast. Cam. Tab. & Gerardi: Polypodium maius Dod. lat. Polypodium 1. Lugd. *Laudatque quod* in Quercu nascitur: reperiri ait in Fago, Corylo: in antiquis & cæduis saltubus. gustu amariorem prouenire, quam syluaticam censet: in ruderibus saxosis. *Polypodium* 2. siue minus, est ipsi Polypodium alterum Matth. Lac. Lugd. primum Tab. Polyp. minus Dodon. lat. Polyp. quercinum Gerardi. Nobis probatur judicium Lobelij, non distinguentis inter hæc duo Polypodia. Querna, inquit, sola in vsu, nec alia visitur, nisi si quando macilentius nacta solum, gracilior. Sic etiam quibusdam opacis nemorib. paululùm folio est adultiore, neutiquam tamen specie diuersa, vt frustrà faciunt quidam.

Nom. ling. Πολυπόδιον Græcis, Lat. & Officinis Polypodiũ, à radice, quæ cirrhos & acetabula polyporum modo habet, dictum est. Arab. vt Auicennæ *Desbers & Budeig*: Serap. *Bisbeig*: alijs Mauritanis, *Aibeig & Besfaige*, Manlio verò *Besfegi*. Phrisius in suis synonymis plura alia recenset nomina, quæ hîc studio omittimus. Quis enim tot barbaras appellationes enumerare possit; Germani *Engelsusz* vocant, *Susz farn*. h. e. Filiculam dulcem, *Susz vvurzel* Radiculam dulcem, à gustu quo prædita est: *Baumfarn*, & *Bropffvvurtz*, & *Corallenvvurtz* à forma: alij etiam *Dropffvvurtz* à maculis quibus notatur plùs quàm aliud quodcunque Filicis genus. Belg. *Boom varen*, & quibusdam *Eycken Varen*, h. e. Filix quercina. Gallicè *Polipode*: Ital. *Polypodio*: Hispan. *Filipodio* Angl. *Okefirne*: Boh. *Osladyc*.

Locus. Nascitur in siluis, radice in muscosis petris serpente: necnon in collibus placidioribus, iuxta radices, caudicésve vetustos arborum, præsertim verò Quercuum & Ornorum. Non rarò etiam in vmbrosis & vliginosis vallibus, è musco iam memoratis arboribus adhærente Polypodium prosilire vidit Tragus. In Alsatia, vti quoque in ditione Dominorum Bernensium intra Auenticum & Paterniacum in capitibus antiquarum & cæduarum Salicum affatim luxuriare vidimus, gustu amariorem alterâ, quæ siluatica censetur, quâ & præstantiorem nonnulli iudicant. Nascitur in veterum arborum carie exesarũ caudicibus, inquit, Dodonæus, tum & super veteres muros, ac ædiũ tecta: reperitur & in aggeribus secus agrorum margines, præsertim sub arboribus ac sentibus.

Tempus Quovis anni tempore viret, colligique potest: Vere nouo, noua folia promit.

Delectus. Querno Polydodio bonitatis notas octo Mesue attribuit, vt posteà dicetur, sed obscurè multùm & non conformiter bonis autoribus. Deligendum itaque censemus, quod eas habet notas & proprietates, quas illi Dioscorides & Plinius

Vires & Vsus. assignãt. Dioscorides quidem Polypodij radicem purgandi vi præditam esse prodit: dari autem ad aluum soluendam, coctam cum gallina, aut pisci bus, aut Beta, aut Malua. Aridæ farinã aquæ mulsæ inspersam, detrahere pituitam ac bilem. Tritam eandem luxatis efficaciter imponi, & aduersus rimas digitorum. *Galenus* Polypodio dulcem simul & austeram attribuit vincẽtem qualitatem, vt facultatis sit admodum desiccantis, citra morsum. Plinius testis est radicis exprimi succum aquâ madefactâ, & ipsam concisam inspergi oleri, vel Betæ, vel Maluæ, vel salsamento, vel cum pulticula coqui, ad aluum vel in febri leniter soluendam: stomachum offendere: Aridæ farinam naribus inditam polypum consumere. Radicem cubitorum ac pedum [Digitorum in pedibus, vet. cod.] rimis prodesse, & illitam luxatis.

Mesue Polypodium radix est plantæ lapidibus & arboribus increscentis, quam δενδροπτέριν, i. e. arborum Filicem, Græcos vocare dixit. Quod autem lapidibus innascitur, humiditate excrementosa, crudâ, flatulenta, ventriculum ad nauseam euertente, abũdare prodidit. Præstantius id, quod arboribus præsertim glandiferis, innascitur, affirmauit, præsertim si magnum sit, recens, solidum, foris ex nigro rubescens, colore intus herbaceo, vt Pistacium, sapore dulci, austero, tandem subamaro, nõnihil aromatico. Dioscoridi calidum esse tertio gradu, siccum secundo, addit idem, quod tamen Dioscorides non dicit: item, humores crassos, lentósque tergere, digerere, siccare, bilem atram & pituitam vel crassam, vel lentam purgare, etiam à iuncturis. Affectibus ob hæc melancholicis prodesse, vt quartanis, præsertim cum mulsa, Epithymo, sale Indo: colico etiam dolori, & splenis duritiei quovis modo vsurpatum. Contra rimas verò digitorum ideò tritã illiniri, quòd corpora extenuet & siccet. *Ne porrò* ventriculum ad nauseã euertat, vtque citiùs vacuet, dari ex mulsa, vel aqua Hordei, vel vuarum passarum, vel ex jusculo Gallorum & Gallinarum [vt Hamech suaserit] decoctum, vel sero lactis: Bibi vtilissimè ter, mitis leminibus odoris, vel alijs aromaticis, vt Dauco, Aniso, Fœniculo, Zingibere, vel simili, animam & facultatem ventriculi naturalem corroborante: Longam satis concoctionem sustinere: *dari* à drachmis duabus ad aureos quatuor. Auicennæ calidum est secundo gradu: siccum tertio. Ægineta ait radicem Polypodij læuem mulsæ inspersam, aut cum ea contritam, eundem quem Colocynthidem, effectum præstare, & addit, corpora extenuare, & ventriculum ad nauseam euertere, quod negat Auerrhoes, qui Polypodium censet medicamẽtum, & Epithymo præstantius, cui assentitur Manardus, asserens Polypodiũ imbecilliter & leniter purgare: quare corpora extenuare non posse, idémque per se exhibitum nullam stomacho inferre iniuriam. In eadem est sententia Actuarius lib. 5. meth. Filicula bilem & maximè atram ac pituitam ducit. Dantur, inquit purgatæ radicis seni scrupuli affusa aqua mulsa: purgat autem mediocriter, & citra molestiam, in gallinaceo iure, & in prissanæ cremore cocta radix. Aëtius vt bilem nigram & pituitam euacuet, expurgatæ radicis scrupulos sex, qui in aqua mulsa præferbuerint, exhibet. Oribasius drachmas duas coquit in prisanæ succo, dátque bibẽdum succum. Sunt tandem qui vociam integram sine noxa dederint, patum enim & sine molestia vocia nostratis Polypodij euacuat. Apuleius etiam sine labore ventrem subducere tradit, & ad capitis dolorem commendat. *Et hæc ex sententia vetustiorum scriptorũ dicta sufficiant. Ad Recentiores deuenimus.* Polypodij illius radicem in vsum duntaxat recipit Fallopius, quod ex Quercu assumitur, & quercinum ob id vocatur: illud autem quod accipitur ex alijs arboribus, ceu malum improbat. Rarò autem per eos exhibendum suadet, sed vt plurimùm in medicamentis compositis, vt infusionibus & decoctis. Lonicerus

ASPLENVM EX VETTERIBVS, ET in genere.

Cap. V.


Appellationes nothæ, Diosc. ASplenon, quod aliqui Scolopendrium, Splenion alij Hemionion, alij Pteryga, alij Pterim, quidam Lonchitim, nonnulli Asplenium, Apuleius Teucrium, aliqui Phrygiam, alij Phrygitin, alij Philtrodotem, Prophetæ, Mustelæ au. Felis sanguinem, vocant, *folia* habet scolopendræ animali similia, plura ab vna *radice* prodeuntia [sic Corn. ex vet. quæ dele. περιεχόμενα, id est in ambitum sparsa. Sic enim Sarac. reddit.] *Descriptio.* Nascitur in petris, parietibúsque contectis è calculis, silicibúsque, iisque opacis [sic enim legere malumus cum Sarac. quàm cum Cornario φύεται ἐν τοίχοις καὶ πέτραις. [Nam vel inter saxa, vel in parietibus humidioribus, qui è calculis silicibúsque congmentati sint, ferè Asplenon inuenitur. Ita verò parietes id genus distinguere voluit author, ab ijs qui è solida structura, nempè vel è quadrato lapide, vel è lateribus probè junctis eriguntur.] Nec verò *caulem*, nec *florem*, nec *semen* [ἄκαρπα ἀναυθῆ, ver. delet.] *Folia* autem Polypodij [Filiculæ, Sarac.] modo incisuris diuiduntur, subter flauescentia, hirsutáque, supernè verò viridia. *Vires.* Vim habent liquandi [absumendi, Sarac.] splenem, folia in aceto feruefacta, & ad quadraginta dies pota. Sed oportet etiam folijs cum vino tritis lienem integere [illini, Sarac.] Stranguriæ quoque, singultui, & regio morbo auxiliantur, calculósque vesicæ comminuunt. Cæterùm spem partus seu conceptionem impedire, tum per se, tum etiam cum muli liene amuleti instar. Verùm aiunt noctu, lunâ silente, ipsam effodere oportere, vt hoc præstet. *Hactenus Dioscorides.*

Plinius. Asplenum (ait Plin. lib. 27. cap. 5.) sunt qui Hemionium vocant, folijs trientalibus multis, radice limosâ, cauernosâ, sicut Filicis candidâ, hirsutâ, nec caulem, nec florem, nec semen habet. *Locus.* Nascitur in petris, parietibúsque opacis, humidis, laudatissima in Creta. Hujus foliorum in aceto decocto, per dies quadraginta poto, lienem absumi aiunt. Et illinuntur, [ita emendatiùs ex veteribus in vulgaris legitur. Et, illinuntur autem, eadem sedante singultus. Historia Lugdunensis.] Non danda fœminis, quoniam sterilitatem facit.

Herba mula Theophr. Folium herbæ mulæ vocata (ἡμιόνου.) sterilitatē mulierib. facere volunt, & aliquid vugulæ ac seminis [aliqui codices nō σπέρματος, sed δέρματος, pellis, vocem præferūt] muli animalis miscendū præcipiunt: constat hæc folio linguæ ceruinæ [ὅμοιον τῆς ἡμιόνου φύλλον σκολοπενδρίῳ, sic vulgati codices habēt, sed legēdum ex Dioscoride τῇ σκολοπένδρᾳ] appellatæ, radice numerosâ & tenui: montanas planities & saxosas amat: mulas hâc herbâ plurimùm delectari affirmant. Vsus ejus vel ad lienes, quemadmodum Volucri, siue vt H. Lugd. Clymeni. Et his verbis videtur Theophrastus lib. 9. cap. 19. Hemionij folium Scolopēdrio simile facere: Dioscorides autem Asplenō & Hemionion & Scolopēdrium idem vocari ait. Et licet Theophrastus, ἡμιόνιον & σκολοπένδριον primâ fronte aduersa fecisse cuipiam videatur: tamē eo loco [ὅμοιον ἔχον τὸ φύλλον σκολοπενδρίῳ] legēdum fortasse fuerit, vt apud Dioscorid. σκολοπένδρᾳ, vel etiam σκολοπένδρῳ. Nam & id animalculi genus vtróque modo apud Græcos effertur. Cæterùm, vt medicamentum ad conceptionem impediendam, Dioscorides adalligatum tum per se, tum cum muli splene, Asplenum commendari scribit, qui vsus in Theophrasto est ambiguus: nec enim indicat an adalligari, an potari velit, cum vugula, aut semine muli. Sed hęc commodè ignorari possunt. Et quod ejus rei gratia tradit Dioscorides silente Luna effodere oportere, Serapio aliter expressit, nempè oportere ipsum suspendi die aliquo in cujus nocte Luna non apparuerit.

Asplenū Galeno. Asplenum à Scolopendrio videtur quoque distinxisse Galenus lib. 5. simpl. cap. 11. dum remedia majoribus lienis obstructionibus dicata recensens, vtrúmque seorsim enumerat, Scolopendrium sc. & eam quæ lienem nomine repræsentat, Asplenon appellatam, Verùm eo loco alterutrum redundare facilè credideri mus] *præter Galeni sententiam inibi accreuisse Scolopendrium censet etiam Matthiolus qui dum Plinium lapsus arguit, quasi ipsi inter Hemionium & Asplenium nulla intercederet differentia, confundit inter se Hemionij & Hemionitis vocabula quæ expreßè Dioscorides ab inuicem disiunxit: nec enim ipse nec Plinius voluit aut scripsit Hemionitidem, Hemionium nominari*,] quoniam idem ipse, locis alijs, & maximè libro nono, de compend. med. sec. loc. ἡμιονίτιδος, ἀσπλήνου, καὶ σκολοπένδρου nomina, huic vni eidemque plantæ manifestò tribuit, teste Saraceno. Galenus breuibus his verbis Aspleni vires perstrinxit: tenuium quidem est partium, non tamen calida est herba, hac itáque ratione & lapides frangit, & lienes liquat.

ASPLENVM SIVE CETERACH.



Descript. CApillarib. filamentis nigricantibus pertenuib. contexta est *radix*, vnica, inquit, Tragus, ex qua quadraginta, nonnunquam, interdum & pauciora, haud temerè suprà digitum longa, vel, vt ait, breuibus pediculis appensa exsurgunt *folia*, falcatis vtrinque incisuris, Polypodij, sed longè breuioribus, licet aliquantò latioribus interdum, diuisa, pinguiuscula, supernè viridantia, infernè lanuginosa, russa farina aspersa. Ea, inquit Dod. cùm inarescunt complicantur & in teretem figuram contracta, foris que hirsuta, Scolopendræ similia apparent. Cordus ait, folia interiori sua parte viridia, exteriori verò & à tergo, flauo, hirsutóque & squammoso puluere, eóque non punctatim diuiso, sed continuo obducta: saporem folia adstringentem & aliquantulum tenuem habent. Cæsalp. Folia raris vtrinque diuisuris non conjugatim, sed alternatim digestis: color supernè virens, infernè rubigo quædam inest furfuracea, initiò argentea, postea flauescens.

Trag. not. Tragus Scolopendriæ veræ titulo pingit, & pro tertia vera ac minima Scolopendria describit, statuens non ineptè Filicem petræam dici posse, esséque verum Veterum Scolopendrion. Sed quomodo hoc sit verum, quum Lonchitidem, verum Asplenum & Scolopendrium eodem cap. statuat, videant lectores.

Asplenon Cordi. Gesn. addit figuram Tragi historiæ Cordi, qui etiam in Diosc. vocat Asplenion & Asplenon, eandémque & Scolopendrium, Ceterach Arabum, Germanorum, *Nesselfaren*, & eorum quorundam *Klein Spicant*. Sed hæ germanicæ appellationes minimè approbandæ. Vocatur magis propriè *Steinfarn*, aut *Miltzkraut*, vel etiam *Ceterach*, vt officinis Gallis & Anglis, quibus insuper dicitur, *Miltvvaste*, aut *fingerferne*, quòd digito non sit longior, aut *Scaleferne*, quòd squammis subtus sit obsita, inquit Turnerus, qui præterea ait, Asplenium auctore Dioscoride, vocari etiam Asplenium, Splenium & Hemionium. Ac Andromachum etiam eodem libro eadem nomina Asplenio tribuere. Verùm Galenum lib. 1. de simpl. cap. 12. omnibus his repugnare videri, Aspleniúmque & scolopendrium distinguere, ijs verbis, *Maxima lienis vitia*, &c.

Matth. ait tam à Medicis, quàm à Pharmacopolis, qui Mauritanorum scripta sequuntur, Asplenum Ceterach barbarâ voce vocari: ab ipsis verò Mauritanis Scolosendrion, seu Sculusendrium: Ital. *Aspleno, Scolopendria*, & *Herba indorata*: Hisp. *Doradilha*: Gall. *Ceterach*. Et hinc refutat eorum opinionem, qui contendunt Arabum Ceterach, non esse Asplenum Græcorum, quia folia Polypodij non habeat.

Græcè. Græcis, inquit Dodonæus, ἀσπλήνιον, σπλήνιον ac σπλήνιον nonnullis, ex eo dicitur, quòd aduersus spleenis morbos efficax sit: σκολοπένδριον verò à similitudine cum scolopendra, hirsuto ac multorum pedum verme: Theophrasto ac alijs ἡμιόνιον: Gaza Mulam herbam nominat: Dicitur & πτέρυξ: Nic. Myrepso λιθοπτέριον, Filicula lapidosa, & [si non fallor] σπληνοδάματον: Hisp. *Doradilla, Douradinha*: Belg. *Steen Varen, Miltcruyt*.

Est Ceterach. Lobelius putidos Literatores appellauit eos, qui Ceterach negare ausi sunt, aut lapsûs Dioscoridem insimulare, quòd Scolopendrium non nouissent. Asplenum etiam Anguillara admodum notum dixit nomine Citrach.

Cetrach vulgò appellatur in petris, & parietibus vetustis herbula hæc folio digitali: Dioscorides Asplenum vocat, alij Scolopendrium: Galenus tamen Asplenum diuersum facit à Scolopendrio. Apud Plinium perturbata videtur mihi (Cæsalp. loquitur) hujus descriptio: cùm radici tradat, quæ partim loco, partim folijs conueniunt: non enim radix cauernosa traditur à Dioscoride, sed in cauernulis saxorum nasci: neque similitudo Filicis, candor, & hirsuties radici Aspleni conuenit, cùm sit valdè tenuis & fibrosa, inter difficultates saxeas vix extirpabilis: sed folijs potiùs hæc conueniunt: aut igitur Plinius aliam intellexit, vt eam, quam Polypodio similem dixi inter paruas Filices, aut deprauatus hic locus est.

Helfric. notatur. Helfricus in nom. cl. 2. cap. 13. frustra Scolopendrij verba repetit, quæ antè Aspleni voce tradidit.

Syn. C.B. C. Bauh. pin. Ceterach officinarum: Scolopendria, Ang. vera, Tragi, & Tabern. Scolopendrium, Cordi hist. verum, Lon. Asplenum, Matth. Dodon. gall. Gesn. hort. Lac. Turn. Lob. Adv. & Ic. pag. 807. Castr. H. Lugd. p. 1215. & Camer. Asplenium, Cordi in Diosc. Dod. & Lob. Obs. pag. 470.

Tragus in Asperrimis montibus è scissuris petrarum non aliter atque Rotam mutariam prosilire scripsit. Dodonæus nasci aut in vetustis parietibus, in rupibus, in saxosis, opacis, ac vmbrosis Galliæ, Italiæ, Hispaniæ, & Britanniæ, Belgióque satis notum: toto anno virere, remissiùs tamen Hyeme: æstiuis mensibus noua subinde folia promere. Scolopendriâ vniuersam occiduam Angliam scatere perhibet Lobelius. Monspelij passim prouenit intra & extra vrbem in muris & in monte circa Esperon. Asplenum in Germania minimè frequens reperiri refert Cordus, præterquam in nigra silua inter Brisgoiam & Wittembergensem Sueuiam sita, imò ad Rhenum etiam passim, vt in margine additum. *Locus & Tempus.*

Inter hujus ætatis Empeiricos sunt qui hac herba non modò lienis durities ac tumores, sed & omnes jecinoris languores ac morbos feliciter ac citò curari posse prædicant: tantásque hujus in roborando hoc viscere vires esse affirmant, vt etiam animalis alicujus excoctum jecur, si cum hac coquatur, crudo simile reddatur, & ad priorem suam constitutionem restituatur. Sed hoc inter aniles fabulas referendum, vnà cum eo quod Dioscorides de noctu colligendo Asplenio refert, & pleráque alia vanissima, quæ in veterum libris subinde sparsim reperiuntur: à quibus nec recentiorum plerique abstinent, qui mendacijs ac inanibus nugis paginas quandóque implent, studiosísque non parum imponunt. *Vires & Vsus.*

ADIANTHVM VETERIBVS.

Cap. VI.

Theophrastus lib. 7. cap. 13. Adianthum appellatum scribit, quia in aqua nunquam folium ejus madescit, nec quicquam ipsi adhæsisse humoris constat, licèt maximè locis humidis nascatur: perpetuò viret: ejus genera duo, candidum & nigrum: ambo ad defluuium capillorum vtilia oleo trita. Gaza aliquando Adianthum, aliquando Capillum veneris vocat. *Adianthum vnde dictum Theoph.*

Adianto, quod aliqui Polytrichon vocant, Dioscorides *foliola* adscribit Coriandro similia, in summo: fissa: *cauliculos*, ex quibus prodeunt, nigros, admodum tenues, palmi altitudine, splendentes: *folia* (impositiia & adulterina sunt hęc de foliis vocabula: siquidem ea antè descripserit, Cord. huic loco etiam aliquid deesse censent, Marcellus, Virgilius & Tragus, præsertim quòd foliorum tam dissimilium in eadem Adianti capite mentio fiat) Filici similia, valdè parua: neque *caulem*, neque *florem*, neque *fructum* fert: *radix* inutilis est. *Dioscorid. dic.*

Inter spuria hæc leguntur nomina: Alij Callitrichon, alij Trichomanes, alij Ebenotrichon, alij Argion, alij Coriandrum aquaticum [κόριον ἔνυγρον] Ægyptij Epier, Romani Cincinnalem, seu Terræ capillum, seu Supercilium terræ, Daci Philophethela vocant.

Nos vt ad propositum reuertamur, recensebimus pro more nostro, sermonem præsentis plantæ apud Plinium extantem. Est autem iste lib. 22. *Plinius.*

cap. 21.

cap.21. Aliud Adiantho miraculum: Æstate viret, bruma non marcescit, aquas respuit, perfusum, mersúmve sicco simile est, tanta dissociatio deprehenditur, vnde & nomen à Græcis, alioquin frutici topiario. Quidam Callitrichon vocant, alij Polytrichon, vtrúmque ab effectu, &c. Duo ejus genera, candidius, & nigrum breuiúsque. Id quod majus est Polytrichon, aliud Trichomanes vocant. Vtrique ramuli nigro colore nitent, foliis Filicis. Ex quibus inferiora aspera ac fusca sunt: omnia autem contrariis pediculis densa inter se ex aduerso: radix nulla: vmbrosas petras, parietúmque aspergines, ac fontium maximè specus sequitur, & saxa manantia, quod miremur, cùm aquas non sentiat. Calculos e corpore mirè pellit, frangitque vtrique nigrum: qua de causa potiùs, quàm quòd in saxis nasceretur, & à nostris Saxifragum appellatum, crediderim: bibitur è vino quantùm terni decerpsère digiti, &c. Lib. 21. cap. 17. Adiantho æterna folia esse scribit.

Perperam autem Adianthi duo genera statuens, minus Trichomanes nominari refert: nam Trichomanes ab Adiantho differt. Et hoc testatur H. Lugd. talibus verbis: Plinium Theophrasti verba conuertere voluisse, sed ejus sensum haud assecutum fuisse, perspicuum est. Trichomanes enim alterum facit Adianthi genus, scilicet candidum. At Theophrastus cùm de vtróque Adianthi genere dixisset, de Trichomane, ceu diuersa planta, seorsim verba fecit.

Monspelij Adiantho albo & nigro abundant. Quid autem intelligat Fernelius in suo syrupo per Adianthum simplex, me latet, inquit Saguier, cùm duo tantùm genera Adianthi propriè dicti reperiantur in officinis, nisi sit Polytrichum quod Filiculam vocat Gaza. Nos suspicamur Fernelium per Adianthum album, Rutam murariam intelligere, per nigrum, Polytrichum, per Adianthum simplex, legitimum.

Porrò, vt dictum, nil aliud sonare videtur Adianthum quàm quòd non madescens, neque aquam admittens, propter siccitatem sc. superficiei, quæ aquæ contraria est, & eam solet repellere, quemadmodum, vt testatur Fracastorius lib. de symp. & antip. rerum, in puluere & pennis, & alijs siccis contingit: in quibus non consistit aqua, sed aut elabitur, aut in guttulas rotundatur. Signum autem quod in Adiantho nō consistat aqua propter siccitatem, id est, quod duabus existentibus Adianthi speciebus, albo, & nigro, nigrum quidem madescit, quòd humidis superficiei sit, album autem non, quòd siccioris. *Nicander* contrà Adianthon haud dictum ait, quòd folium perfusum, mersúmque aqua, *ὐ δαίνεται*, nūquam madescat, sempérque immadidum permaneat: quasi verò enim longiore morâ in aqua submersum æquè aliæ herbæ non irrigetur: sed quòd imbris è cælo descendentis stillicidia folijs ejus non insideant.

Fuchsio tamen magis placet, ab interioribus puteorum parietibus, & fontium marginibus, quas coronat, dictum esse Adiantum, quòd nimirum quasi sitiens illorum aquas, quas tamen odit & respuit, quærat.

Trichomanes à luxuria capillitij nomen habet, quòd sc. faciat luxuriare capillos & subnasci. *Polytrichon*, autem quasi multicomum, quòd pillorum multitudinem creet, eósque densos faciat, simúlque eorum profluuia expleat. *Callitrichon*, verò, quasi pulchricomum, quòd crines tingat, crispet, pulchrioréfque reddat. Nec aliâ ratione, *Capillus veneris* hæc herba dicta est, quàm à speciosis reddendis capillis: nec alio nomine veneris vox adjecta est, quàm quod hæc pulchritcomi pingatur. Quibusdam etiam *Ebenotrichon*, appellatur, præsertim nigrum genus [Trichomanes] quæ vox nihil aliud significat, quàm Ebeni capillum, id est, nigrum, & quasi colore Ebenus est. Oborta quidem suspicio est ex corrupta voce illa Ebenotricho, Latinis nomen factum esse, quod in communi vsu est, Capillus veneris. Be syllabam, Græci, Ve pronunciant: facilíque potuit lapsus esse ab audito Ebenotricho, in veneris trichas, id est, capillum. Ab Hippocrate, teste Hermolao, dicitur, *Callyphyton*, sed est vbi & Callyphylon scribitur. Dicitur etiam *Saxifragum*: non tam quia nascitur in saxis, quàm quòd calculos mirè frangit.

Sequuntur Adianthi, Polytrichi, Callitrichi, & Capilli veneris nomine donatæ plantæ. Veterum Adianthum siue Capillus veneris, quod Adianthum album dicitur Syluio & Tagaultio, vocat Tragus Adianthum magnum & verum. Idem perhibet esse qui vulgarem Capillum veneris (ne Rutam murariam vocat) contendant Adianthum album Theophrasti, alijs interim id negantibus, aliúmque in locum ejus substituentibus. Trichomanes vulgò Polytrichum dictum, quidam existimant Adianthum nigrum; Syluios Adianthum alterum Dioscoridis, & nigrum Theophrasti. Anglos pro Adiantho benè vsurpare Trichomanes autor est Turnerus. Dodonæus econtrà Plinium perperam Trichomanes inter Adianthi genera referre contendit, Trichomanéfque ab Adiantho differre. *De hactenus autem nominatis posthac agemus.* — Aequiuoca.

Filicula fontana C. Bauhini, siue Dryopteride candida Dodonæi, officinæ olim pro Adianto albo Plinij vsi sunt. Vide caput de Adianto folio Filicis.

Sed & Dryopteridem nigram Dodonæi, sequuti Lobelium, Adianthum nigrum officinarum inscribimus. Adiantum etiam nigrum officinarum, quidam ex recentioribus Lonchitidem asperam esse volunt: Sed hoc negat Dodonæus.

Adianthum Syriacum Tabern. quid?

Adianthum pulcherrimum Thalij non nouimus, & tamen ex eo describimus. Adianthum aphyllum aureum quibusdam dicitur de Polytricho Apulei quibusdam dicto. Siluiam transmarinam Callitrichon Herbarij magno errore vocant, teste Tagaultio & Ruellio. Inter Adiantha recensentur præterea Adianthum Syriacum Tabernæmontani: & Adianthum pulcherrimum Thalij.

ADIANTVM SIVE CAPILLVS VENERIS.

Descript. — MVsco russoque cæspiti implexæ sunt capillares *radicum* fibræ nigræ: *caules*, exeunt multi, tenues, nigri, dodrantales aut etiam cubitales, in ramos stamineæ tenuitatis diuisi, per quos tremulo filo appensa visuntur crebra, *folia* mollicella, tenellàque, læuia: Coriandrinis primitùs erumpentibus similia, nec magnitudine multùm cedentia, ferè triangularia, sectionibus per extremum rarioribus, altioribus cæsa. Foliis, Anisi Lobelio: incisa Apij modo odore velut Fungi, Cæsalp.

Syluius apud Mesuem de comp. med. libr. 1. vertit Capillum veneris, Adianthum album.



Adiantum hoc candidum & majus, Adianti appellatione indicare Dioscoridem, author est Tagaultius,& Polytrichum propriè cognominari,atque hoc quidem esse verum Capillum veneris, qui in Gallia Narbonensi plurimus reperiatur, circa puteorum interiores parietes & fontium margines: Húc topiarium fruticem,vulgò Capillum veneris nominatum perpetuò virere.

Adiant. nigrum Cord. Cord.in hist. pro Adianto nigro describit. In Dioscor. verò aut ejus textui,φύλλα ὅμοια πτέριδι, adjecta esse.

Ad magnum, Trago. Tragus quidem hoc pro Adianto magno pingit,sed non describit, ceu è peregrinis terris aridum ad se delatum. Hoc verò cum Lobelio pro Adianto verò Dioscoridis admittit, & H. Lugdunensis.

Ad. nigrum verum,Tabern. Compil. notatur. Capil. veneris vulgo,Cæs. Compilator Tabern. [qui in Ic. Adianthum nigrum verum in Hist. Adianthum. 1. nigrum, *Venus barr Weiblin*, inscribit.] crassam tuam ignorantiam in descriptione Adianti demõstrat, dum ait folia folijs Rutæ esse plane similia,deinde dum addit suæ descriptioni, quod Tragus de Rutæ murariæ duratione scripsit: nomina præterea confundit.

Cæsalpinus ad Capillum veneris vulgò appellatum, herbam nascentem in puteorum & fontium parietibus, aliisque specubus, aqua frigida irrigatis, reducit Adianthum Dioscorideum, ac Theophrasti genera duo, candidum & nigrum: Ab eo tamen rursus separat Adiantum nigrum Plinij.

Capillus porcinum Vetus Auicennæ glossographus, referente Gesnero, Quad. de sue, Adianthum siue Capillum veneris, Capillum porcinum vocat: nimirum quòd coliculos instar setarum proferant.

Synon. cætera. Adianthum dicitur Matth. Fuchs. Dod. (cui Adiantum nigrum Theophrasti & Plinij.) Anguill. Lac. Turn. Lob. in Adu. Obs. pag. 471. (vbi & Callitrichon Apulei.) & Icon. pag. 809. ac Castori. Adiantum Matthioli,H Lugd p. 1028. Adiantum Lugdunense, Camer. Capillus veneris verus, Germ.

C. Bauh. apud Matth. vocat Adiantum gallicum, & quòd Monspelio Lugdunum adferatur, Lugdunense: in pin. (vbi Adianthum album & nigrum nihil differre scribit, nisi quòd nigro, cauliculi politiore nitore nigricent, foliáque saturatius vireant: albo minus) Adianthum siue Capillum veneris 1. siue Adiantum folijs Coriandri. Hócque variare perhibet magnitudine & foliorum crassitie.

Nomina linguarum. Porrò,herbæ à nobis pictæ & descriptę etiam illa nomina adscribuntur, quæ præcedenti capite leguntur. Germani, *frawenharr*, *Iungfrawenharr*, & *Venus harr*, appellant. Belg. *Vrouwenhayr*, *Ende Venus hayr*: Gall. *Cheueux de venus*: It. *Capel Venere*: Hisp. *Culantrillo de pozo*: Angl. *Venus hayre*: Arab. *Bersiegnasen*, seu *Bersausan*, *Culbare albir*, & *Chilbare albir*.

Locus & Tempus. In parietibus, locis petrosis, vmbrosis, humidis, secus fontes & aquarum stillicidia exire, testatur Dodonæus: Italiæ verò & Galliæ notius esse, quàm Germaniæ & Belgio: Virere quavis anni parte: nunquam tamen vel florem, vel semen facere. Adiantum verum Dioscoridis nullibi quàm Narbonensi tractui frequentius: saxis,& riguis vmbrosisque petrosis, Veganio, sterilis, Seuenæ finitimis, ac rupium, fontium, & puteorum labris vel aspergininibus Monspelij, Nemausiique: rarò alibi in Gallia, Germania, Belgio,& Anglia, aut nusquam prouenit, quin in Italiæ quidem locis multis, multùm videre meminit Lobelius. Quare ex suprà dictis locis Lugdunum, Lutetiam, Antuerpiam & in alia celebriora emporia asportatur, caróque à Seplasiarijs emitur.

Vires & vsus. Quantùm thoracis affectus, hepatis, renúmque iuuet, Dioscorides docet his verbis. Decoctum herbæ potum prodest spirandi difficultati, suspiriosis, lieni,& felle suffusis, & vrinæ difficili:calculos frangit: aluum sistit: serpentium morsibus auxilio est: contra stomachi fluxiones in vino bibitur. Secundas ciet & menstrua: sanguinis rejectiones inhibet. Contra serpentium morsus cruda herba illinitur: alopecias densat, strumas discutit: furfures & manantia capitis vlcera ex lixiuio emendat: defluentes capillos continet cum ladano & myrtino, aut Susino, vel Hyssopo [sic enim vulgata habent exemplaria, καὶ σουσίνῳ ἢ καὶ ὑσσώπῳ, vt & Ruellius conuertit, sed in vetere rectiùs legitur, σουσίνῳ ἢ καὶ οἰσύπῳ, quod est,susino aut œsypo.] vinóque. Decoctum ejus cum lixiuio & vino infusum idem præstat. Coturnices & gallos pugnaciores facit, in cibos eorum additum. Seritur gratiâ vtilitatis pecorum circa ouilia. *Eadem ferè de Adiantis suis scripsit Plinius*, tradens inter alia, Folia in vrina pueri impubis, trita quidem cum aphronitro, & illita ventri mulierum, ne rugosus fiat, præstare dici. Adiantum, inquit Galenus in caliditate symmetrum est. Verùm desiccat, & extenuat, & digerit. Etenim caput ex alopecia glabrum capillis conuestit,& strumas & abscessus digerit, lapidésque frangit epotum, & viscosorum crassorúmque è pectore pulmonéque excreationibus non mediocriter cõfert, & ventris profluuiũ sistit: nõ tamẽ vllã manifestã caliditatẽ affert, sicut nec frigiditatẽ. Verũ posuerit ipsũ quispiã secũdũ hanc oppositionem & temperiem in ordine medio.

Mesues etiam Adianti temperiem & vires insignes recenset, inter quas & vim purgatoriam ei tribuit, ei assentiente Saguiero. Græci verò & Plinius nullam: ac cum authoritate ratio & experimentum falsum id esse comprobant.

Dioscorides etiam Adianti vires & facultates multas refert, non modò differentes, sed & repugnantes: & inter alias, sanguinis rejectiones ipsum cohibere ait: paullò verò antè, secundas ac menses ciere. Quæcúnque verò sanguinis rejectiones cohibent, ea etiam menses supprimunt. Addit idẽ in fine, Seri circa ouilia vtilitatis pecorum gratia: quæ autem vtilitas ex eo, non ostendit. Iam & seri Adiantum nequit, cùm semine careat: nec etiam commodè transferri. Apparent idcirco hoc loco multa aliũde translata, hoc loco

Dioscoridi

Dioſcoridi addita. Et fortaſſis, vt ſuſpicatur Dodonæus, ex Cytiſi hiſtoria acceſsêre.

Emblema de vpupa & Adianthi ramulo. Scribit Orus, vt & hoc coronidis loco addamus, vpupam vbi ſenſerit ex vuarum, quas appetit ſummoperè, eſu nimio noxam ſe incurriſſe, decerptâ Adianto herba, quam officinæ Capillū veneris nuncupant, mederi ſibi, ramulúmque ejus herbæ circumferētem obambulare. Quibus itáque temulentia valetudinem concuſſit, ij abſtinentiæ ramulo ſe luſtrent: ſiquidem ſeipſum vincere, palmarium ſit: Had. Iunius Emb. 15.

ADIANTVM PVLCHERRIMVM.

Deſcriptio. ADianti pulcherrimi, quod Thalius Lugdunenſi ſimile facit, folia à tergo lanugine denſâ, puluerulentâ ac penè rubente ex fuſcedine quadam, exornantur, quaſi folia Ceterach ſeu Scolopendrij veri. Folia autem illa ſunt in brachiatis coliculis ex nigro rubentibus ac flexibilibus, inciſa, crenata, non ita latis aliquantulùm particulis conſtantia vt in Lugdunenſi, ſed tenuioribus, oblongioribúſque & mucronatis. Ipſe

Locus. author hoc non reperit, ſed in libro quodam chartæ agglutinatum in pharmacopolio Northuſiano natus fuit, allatum ex Hercinia à vetula quadam herbaria. Lectorum eſto judicium,

C.Bauh. an ſit Adiantum nigrum officinarum, id quod vult C. Bauhinus. Vocat autem in pin. Adiantum ſiue Capillum veneris officinarum ſecundum, vel Adiantum folijs longioribus puluerulentis pediculo nigro.

RVTÆ MVRARIÆ FORTE AFFINIS,
Adianthum album criſpum alpinum Schvvenck.

Deſcriptio. E Radice pluribus tenuibus capillamentis implicita Coliculi plures, graciles, juncei, lęues, in ſummo brachiati naſcuntur, foliolis Adiantho albo [Rutæ murali] ſimilibus, magnis, virentibus, craſſioribus, criſpis, ac veluti punctis Ledi inſignitis, abſque flore & ſemine: aſpectu jucunda plantula.

Locus. Rariſſimum inuentu: non niſi altiſſimorum montium petroſis oritur. *Im Rauſchengrunde.*

Vires. Eiuſdem cum Adiantho facultatis.

RVTA MVRARIA.
CAP. VII.



Deſcriptio. RAdice tenuiſſimis fibris nigricantibus capillata, vel, vt ait Tragus, *radice* vnica nigra & capillata, ſubaſtringente, parietinas rimoſas occupat, *pediculos* promēs multos, Trago quadraginta aut quinquaginta coliculos, ſemipalmares, tenues, juxta radicem nigricantes, aut atrorubentes, reliqua parte virentes, nónihil in ſummo diuaricatos, ex quorum tum extremitatibus, tú lateribus *folia* oriūtur, Rutæ, vel Adianthi veri, ſed multò minora, ſtriata, rigidula, per ambitum crenata, supernâ parte virētia, inferiùs puluiſculo ruffo aut fuſco aſperſa, guſtu nónihil acerbo & ſubadſtringente, cū táillo dulcedinis leuiuſculæ veſtigio. Trago folijs eſt copioſis & quincunciali ordine inuicem conjunctis, inciſuris ſuis inſtar teneri Coriandri diuiſis, & quà terrā ſpectant, aureis punctulis Iulio menſe notatis: guſtu cum Hemionitide ſatis cōuenit, niſi quòd in his auſterior paulò & aſperior deprehenditur. *Cæterùm*, tum Tragus, tum alij non pauci exiſtimant Rutam muralem non florere, ſed ſterilem eſſe, vt Filices omnes, quod nobis perſuadere non poſſumus: quinimò, *florem & ſemen*, habere, ac ſemine tenuiſſimo propagari cenſemus: nec enim has plātas in muris ſine ſemine oriri credibile eſt. Nihil ſiquidem in calce, arena & lapidibus inuenitur, quod ad generandas ejuſmodi plantas aptum ſit.

Fuchſ. Rœſl. & Hier. Baunſch. diuerſarum plantarum nomina confundunt, vocando, *Maurrauten*, græcè Adiantum, lat. Capillum veneris, Coriandrum putei, Capillum porcinum, & Politrichum. Rœſl. & Brunſch. notantur.

Syluius de compoſ. med. lib. 1. Saluiam vitam vulgò dictam facit Adiantum quartum quartanísque curandis efficacem eſſe ſcribit. Rutam murariam, vulgus Herbariorum Capillum veneris & Cincinnalem herbam nominat, inquit Tragus, eſtque ex Adiantum album, cujus meminere veteres, aut certè illius genus. Vide plura c. de Adianto veterum. Fuchſ. Saxifragam inſcribit, vocátque græcè σαρξίφραγον, & σαρξίφαγον, quòd calculos è corpore pellat frangátque. Emperron verò, quoniam in ſaxis prouenīant. Adianthū quartanum Sylnio.

Matthiol. depingit nomine Paronychiæ etiam in comm. cum mag. fig. lat. & ital. dicens: Non deſunt qui ſententiæ meæ de Paronychia repugnent, atqui eorum calumnias ridere ſoleo: potiùs iidem [Dodonæus] accuſandi ſunt, qui hanc plantam alterum Theophraſti Adiantum faciunt, nempè quod album ipſe appellauit: ſiquidem is nullam inter nigrum & album interponit differentiam, niſi coloris in caule. Et quanquam non deſint [Lacuna & Caſtor] qui hanc plantam vnà mecum Paronychiam faciant, quum tamen ſint qui reclament, ne diſſenſio vlteriùs protrahatur, non Dioſcoridis, ſed meam Paronichiam eſſe volo. Fuchſius pro Saxifragia Dioſcoridis depinxit: verùm quòd hæc conſtet folio Rutæ, illa verò Epithymi, capillo úmque modo tenui, cur planè ejus ſententiam comprobem, non habeo. *Hactenus Matthiolus.* Is autem juxta Guiland. opinionem, in hujus plantæ ignorantia, duplici de cauſa verberibus cædi dignus eſt, cùm quod parietum Rutam, Andianthum candidum eſſe, tum quòd Adianthum candidum falsò pro Paronychia exhibet. Mirum ipſum erroris iſtius non potuiſſe admonere, Pepli, quam proponit, figuram. Etenim ſi quis Peplum & parietum Rutam juxta ſe collocet, eandem inter eas ſtirpes ſimilitudinem deprehendet, quæ inter Andianthum nigrum & Portulacam cernitur.

Vulgò Rutam murariam, aut Rutam muralem appellant: Germani, *Maurrauten, ſteinrauten*, & *Eſelſzfarn*. Belg. *ſteenruyte*: Galli, *Ruë de Muraille & Sauue vie*: Wall *Ruë*: Hung. Keo fali Ruta. Nomina linguar.

Ruta quidem dicitur, ob quandam foliorum cum

Rutæ similitudinem: sunt qui Vitæ-salulam nuncupent: officinæ Belgij Capillum veneris nominant, ac pro legitimo multo viæ sunt tempore.

Synonyma. C.Bauh. pin. Ruta muraria: Capillus veneris Trigi: Saxifraga major 2. Brunfelf. Ruta muraria Gesn. hort. & Germ. Adiantum candidum Cordi in Dioscor.& hist. Gul & Thalij: Adiantum album Lonic. Camer. Hort. Lus. & Tabern. Adiantum nigrum Gesn. hort. & Cæsalp. Saluia vitæ Lob. in Adu. Obs.p.472. & Ic.811. & H. Lugd p.1213.

Lonic. tamatur. Lonicerus duas habet figuras vnius Rutæ murariæ ex quibus duas facit plantas. Neutra autem est Capillus veneris. Quin & veri Adianti nomina suo more cum *Mamrauten*, confundit.

Nasci testatur Dodonæus in parietibus ac muris vetustis [arborum truncis malè Matthiolus] juxta aquas, puteos, fontes, locis videlicet humectis, ac quæ sæpiùs rigantur, ratóque à Sole illustrantur. Adeò viuax est, vt si quando hyberno frigore cæterarum capillarium vlla deficiat, aut victa sit, illa ijsdem inter cæteras locis saxeis lubens copiosè proueniat, non priùs emarcessens quàm noua incœperint emergere foliola, quæ quotannis Aprili mense apperente inter vetera prodire conspiciuntur, quæ Iulio punctulis aureis donantur. Plantationem autem non admittit, sed sponte sua naturâ cooperante è saxis nascitur, culturam refugiens.

Adianti & Trichomanis vicem supplet. Rutâ murariâ, vbi Adiantum verum, vt & Trichomanes desunt, aut vetusta sunt, vtendum suadet C.Bauhinus. Malè Tragus frigidam & siccam statuit, si enim frigida & sicca esset, non præstaret quæ de ea jactat, tametsi nonnulli callidam & siccam statuant. Eam ad Tussim cæteris capillaribus præfert Lobelius. Dodonæus verò Adianto temperamento ac facultatibus haud multò absimilem censet: ideóque prodesse dixit tussientibus, difficiliùs respirantibus, latere dolentibus: crudorum pulmoni inhærentium concoctionem decoctam promouere: valere ad renum & vesicæ dolores: vrinam clementer ciere: calculósque expellere & arenulas. Peculiariter autem præstare hanc compertum esse refert Matthiolus, ad puerorum enterocelas. Testatur enim nonnullos esse sanatos, haustos tantùm hujusce plantæ puluere continuis quadraginta diebus, quibus manifestè collapsa intestina in scrotum cernebantur.

TRICHOMANES VETERIBVS.

Cap. VIII.

Descriptio. TRichomanes Dioscorides nonnullo Adiantum appelare nouit, locísque ijsdem [cum Adianto] nasci, Filici simile, at longè exilius: *foliis* tenuibus, ordine vtrique dispositis, Lenticulæ similibus, aduersis inter se, in virgulis iisdem tenuibus, splendentibus, nigricantibus, iisque acerbis. Idem memorat eadem quę & Adiantum præstare posse credi. In nothis vocatur ab aliquibus Pterion, quasi Filicula, ab alijs Eupteron: à Romanis Capillaris & Pinnula atque Filicula.

Contra Plinij calumniatores. Iam licèt Plinius à nonnullis acriter accusetur, quòd lib. 22. cap.21. perperam Trichomanes inter Adianti genera retulerit: ij tamen non minùs accusandi sunt, quòd Plinium Trichomanes ab Adianto distinxisse, non perceperint. Trichomanes Adiantos similis est (ijsdem locis nascitur quibus Adianton, sed valdè paruum, Dioscor.) exilius modò, nigriúsque, folijs Lenticulæ, densis, amaris, aduersis inter se. Decoctum ejus stranguriás sanat in vino albo potum, additum Cumino rustico. Succus cohibet capillos defluentes, aut si effluxerint, separat. Alopeciásque densat tritum & in oleo illitum. Sternutamenta quoque gustatu mouet. Et ita de Trichomane Plinius lib 27. cap.13.

Theoph. Theophrastus lib. 7. cap. 13. refert ex quorundam opinione Trichomanes (Fidiculam Gaza reddit) vel ad destillationes vrinæ vnicè facere: *caulem* verò Adianto (Capillo veneris, Gaza) nigro similem gerere: *folia* admodum parua, densa, contrarijs inter se pediculis pendentia [aduersa, inter se condita, Gaza] *radicem*, illi nullam (minimam, Gaza) esse: loca amare vmbrosa.

Etymon. Trichom. R. Cæterùm; ipsa Trichomanis appellatio, ab insanâ quâdam in materiam & folia luxuriâ, in quæ se largissimè, ac velut furiosè effundit, ducta videtur Cornario. Vel, vt vult C. Bauhinus, dicitur Trichomanes à vi sua, quòd rara cute fluentem capillum expleat, & subnasci faciat: μανὸν enim Græci rarum vocant, & τρίχα capillum: hinc Latinis Capillaris dicitur: Officinis Polytrichum, quod nomen, secundum veteres, Adianti est.

TRICHOMANES, SIVE POLYTRICHUM.



Descriptio. TRichomanes capillata, nigricantéque *radice*, & conferta nititur: *foliola* habet ad costam pedalem, nonnunquam breuiorem, vt digitalem Trago, tenuem, teretem, rigidiusculam, fragilem, neruulo albo farctam, atrorubentem, splēdentémque adnexa, plurima, impari folio extremam alam claudente, parua, semuncialia, in ambitu nunc crenata, nunc nullis crenis conspicua, interdum crispa, supernè virentia, infernè ruffo puluisco aspersa: *Lob.* Astragali, Tribolive terrestris æmula: *Trago*, rotunda, Lenticulæ palustris consimilia, vt rudimentum pennæ satis exprimant: sapore mixto adstringente, subdulci, subamaro: *Trago*, gustu cum Hemio nitide [quæ nobis Phyllitis] satis conuenit, nisi quod in hoc austerior paullò & asperior reperitur.

Tagault. lapsus. Tagault. purg. lib. 2. cap. 19. contendit Polytrichon hoc officinarum, Trichomanes esse Dioscoridis, i. e. [vt ipse explicat] Adiantum nigrum, in vetustis

in vetustis parietibus & inter saxa frequentissimum. Sed Theophrasto clarissimè apparet Adianthum nigrum à Trichomane esse diversum.

Compil. Tabern. reprob. A Compilatore Tabernæmontani non distinguitur à cæteris Adiāthis Adianthum mas, *frauwen oder Venus haarmanlin*, vsque adeò stirpium ignarus est: Icon tantùm proponitur.

Synon. Trichomanes 1. siue Polytrichum officinarum, inquit in pin. C. Bauhinus, magnitudine variat: & hinc duæ figuræ apud Tab. Trichominis maris, & Trichomanis maris majoris, Trich. maris Gerardi.

Trichomanes Trago, Matth. Fusch. Ang. Dod. (cui & Callitrichum Apulei) Cordo histor. Gesn. hort. Turn. Lac. Lob. in Adu. Castr. H. Lugd. p.1211. & Camer. Trichomanes Dioscoridis Lob. Obs. p.471. & Icon. p.809. Trichomanes nigrum, communiter Saxifragia rubra, Thalio, Adianthum rubrum, Lonic. nigrum, Bauder. Ph. lib.1. sect.2. Polytrichum vulgò. Trichomanes Diosc. & Theophrasti, Cæs. Saxifraga minor vel rubea Braunfelsio.

Locus. Ex antiquis emergit muris, sed plerúmque in vmbrosis & humidis locis, interdum etiam arenosis & sabulosis saxis, aliquando etiam specubus, vt plurimùm autem tenebrosis & humidioribus à Trago reperta dicitur. Cordus nasci refert copiosè in vmbrosis roscidisque petris, quāvis neque caulem, neque florem, neque semen producere contendat, sed puluisculo folijs à tergo inhærente se propagare dicat, instar aliarum Filicis specierum: magnū addit ejus esse in Harcynia prouentum: Lobelius assignat vbique Belgiæ & Angliæ parietinis glareosisque opacis vijs vberrimum. Subdit Dodonæus etiam juxta fontes & riuulos locis humidis nonnunquam exire. Diuturnum ac viuax quóque esse: Hiemis injuria non offendi: sterile esse, vti Adianthum

Tempus & reliquas omnes Filices, cujus speciem esse tradit.

Tempera-tura. Tragus Rutam murariam & Trichomanes contrarias facultates obtinere prodit, adstringendi, digerendi ac educendi: temperaturā frigidas & siccas. Binæ hæ herbæ simul, vel singulæ vino aut hydromelite decoctæ, per aliquot ex ordine dies potæ, obstructiones jecinoris soluunt, morbum regium expellunt, pulmonis vitia expurgant, spirandi difficultati prosunt, melancholiam per vrinam ducunt, tumores lienis duros emolliunt, calculos trahunt, nec non venenum haustum: mulierúmque menses expellunt. Rursus prædicta decoctio, pulueres herbæ vtriúsque, necnon ex ipsis confecta eclegmata, syrupi, aqua denique destillata, quæ suis alui fluxiones, inflāmationésque jecinoris refrigerant. In lixiuio decoctæ, si ex illo caput abluatur, defluentes capillos continent, ictibus serpentum medentur, aliorúmque venenatorum, animalium morsibus. Pastores quidam Trichomane, in medendis porcorum affectionibus vtuntur, singulari experimen-

Iudic. aut. to. Sed periti dijudicent, an herbæ adstringentes frigidæ & siccæ possint ea præstare, quæ hîc prædicantur de Trichomane & Ruta muraria.


Trichomanes minus album.

Descri-ptio. QVod album Trichomanes vocamus vulgari simile est, mollius tamen siue tenerius, & albidius: *foliola* nonnihil sinuata videntur: infernâ parte *pediculi* nonnihil nigricant: *radices* capillares.

Synon. C. Bauh. pin. Trichomanes 2. siue minus & tenerius: Thal. Trichomanes candidum: Tabern. Trichomanes minor mas.

Locus. In Heluetiæ monte propè *Wesen* copiosum in rupibus nascitur, nec non in monte Burgundiæ propè *Mechе*.


TRICHOMAMES RAMOSVM.



A Petro Turnero accepimus Trichomanes ramosū anno 1571. in duos ramos, costa siue neruo diuisum: in cæteris an à vulgari differat, nos latet.

Synon. Pingitur à Tabern. in hist. & Icon. sub titulo Trichomanis fœminæ, *vvidertodt vveiblin*, Item, Trichomanis minoris fœminæ, *klein vvidertodt vveiblin*. Compilator non describit, nec vllam tradit differentiam à cæteris Trichomanis generibus. Nostrum an sit majus vel minus asserere non possumus. Casp. Bauh. in pin. vocat Trichomanes 3. siue ramosum majus & minus: Trichomanes fœminam, Gerardi.

FILIX SAXATILIS TRAGI.



Descri-ptio. INnumeris capillaribus nigricantibus cirrhis *radicatur*, nec minorem numerum *coliculorum* profert, palmam altorū, capillaceæ quoque tenuitatis, qui circa summum in 2. tréve portiunculas paulò latiores, & ferrugineo puluisculo, Filicum aut Asplenii ritu, respersas finduntur.

Filix tertia seu saxatilis Trago.

Filix petræa, Lonic. Filix saxatilis Tragi, H. Lugd. p. 1227. Filix saxatilis 5. siue cornuta, C. Bauh. pin. Holostium alterum, Lobel. in Adu. & Ic. part. 2. pag. 47. vbi & Filix saxea Tragi. Holostium petræum, Tabern. & Gerardo. Adianthum *ἀκρόσχιστον*, seu furcatum passim in scopulis aridioribus Harcyniæ Saxonothuringicæ, Thalio.

Tragus è saxis quibusdam prodire vidit in vl-

culo, *Erasz vveiler* propè Bipontium sito: deinde & in silua Bidilcensi non procul à *vvalgborn*. Inueni ego mense Septembri in monte Rang, jux a Than, inter saxa.

Vires. Saxatilem Filicem ejusdem cum Capillo veneris temperamenti esse, & pro eo vsurpari posse, author est Tragus.

PHYLLITIS VETERIBVS
Cap. IX.

Descriptio. Dioscoridi fert *folia* Phyllitis Rumici [λαπάθῳ] similia, sed oblongiora, & magis virentia (quidam ἰσθαλῆ, quæ ...) iens, septena've, recta [ὀρθὰ, vet. delet.] quæque parte anteriore læuia cernuntur, posteriore verò tenues quasi vermiculos annexos ostendunt. Nascitur in vmbrosis locis ac viridarijs, gustu acerbo. Neque verò *caulē*, neque *semen*, neque *florem* profert. Folia in vino pota serpentium morsibus aduersantur. Quadrupedibus itidem per os infusa auxilio sunt. Bibuntur & ad dysenteriam, & diarrhœam.

Diuersæ nostra appellationes. Sunt qui Phyllin vocent, alij Acaulon, quasi caule carentem, alij Lapathum agron, hoc est Rumicem silu stem.

Galenus. Phyllitidis Plinius mentionem non fecit. Galenus acerbæ qualitatis esse ait, quare non absque ratione alui pro fluuia & dysenterias pota sistit.

Etymon. Græcis φυλλῖτις, quasi foliosam dicas, cùm nihil nisi foliosus cæspes appareat: Latini quoque græcum asseruarunt nomen: officinis lingua ceruina dicitur, inquit Casp. Bauh. qui Phyllitide Theophrasti σκολοπένδριον, quam Gaza Linguam ceruinam vertit, suspicatur.

PHYLLITIS SIVE LINGVA CERVINA vulgi.



Descriptio. CAule vidua, ex capillaribus *radicibus* nigricantibus, numerosis, Trago: Cordo, masculæ Filici [id est, vulgari] similibus, implicitis *foliorum* vestigijs consistentibus, fibratis, foris nigricantibus, intus autem in pallido viridibus, *folia* fūdit oblonga sena, octona, vel dena, inquit Lobel. dodrantalia aut pedalia, duarum vnciarum plerúmque latitudine, Cordo acuto Rumici similia Trago & Cęsalp. spleni, vel linguę exertæ instar, imâ parte falcatæ Lunæ modo corniculata, læto virore splendentia supernè, infernè verò obliquis pulverulentis areolis, ceu lumbricis, rufficis: Cordo flauis aut rubentibus, Trago subluteis, virgatas: sapore subacerbo: odore, Dod. graueolente, *caule*, *flore*, *semineque* destituitur. Cordo etiam neque caulem, neque florem, neque semen fert, è vermiculis tamen foliorum in puluerem resolutis & sparsis nascitur: saporem habet tota herba adstringentem, cum tenuitate aliqua. Quid de præsenti planta sentiendum, tandem inuestigandum. Magna apud rei herbariæ scriptores, Manardum præsertim & Leonicenum: Ruellium & Fuchsium [qui Linguam ceruinam vulgò vocatam Hemonitim esse contendunt] Item Matthiolum, Cordum, ac Turnerum: Dodonæum, Marantham, & Lobelium [qui Phyllitim pro Lingua ceruina admittunt] controuersia viget, quam nostris hisce scriptis breuitati studentes nequaquam inserere possumus.

Synonyma. C. Bauh. pin. Phyllitis 1. siue Lingua ceruina officinarum: Lingua ceruina Eric. Cordo, Lonic. & Cæsalp. Phyllitis siue Lingua ceruina, Tab. emacul. Phyllitis vulgaris, Camer. & Clus. hist. Phyllitis Matth. Dod. Ang. Lac. Turn. Cordo, Gesn. hort. Lobel. Obs. p. 468. & 469. Ic. p. 265. H. Lugd. p. 1219. & Thalio: Hemionitis Leoni c. Manardo. Rueli. & Fuchsio: Scolopendrium, Brunfels. Scolopendria vulgaris, Trago. Est & latifolia, teste Camerario: sæpè etiam in fontibus exigua reperitur, C. Bauh.


Nomina linguar. Græcè φυλλῖτις dicitur: Latini nomen seruant: officinæ Linguam ceruinam appellant. Germani *hirschen Zung* & *hirtzZung* aut *hirsch Zung*: Belgæ *herstonge & Steenherstonge*: Galli, *Langue de cerf*: Hisp. *Lengua ceruina*: Angli *hartes tunge*.

Locus & Tempus. Cordus prodidit virere tota Hieme; & ab ijsdem radicibus noua folia singulis annis proferre, prioribus numerosiora: prouenire vmbrosis & saxosis montibus: solum amare pingue, non tamen ex ipsa terra immediatè nasci, sed ex musco lapides & præsertim calcarios tegente. Nullo ex semine, vt ait Tragus, sed spōte sua in vmbrosis & vliginosis montibus, vallibú que, nec nō quibusdam fontibus & humectis muris nascitur, præsertim verò in montanis Helvetiæ, & silua *Vedervva dt* vocata, è regione Mosellæ, & in ijs montibus qui ad Comitatum Valentiæ pertingunt. Hodie passim in hortis plantari consueuit. Folia appetente Maio prodeunt. Viret quovis anni tempore, haud aliter quàm Polypodium. Teste Lobellio vniuersa occidua Anglia scatet Phyllitide. Nulla prouincia est Clusio peragrata, præsertim quæ montosa sit, in qua Phyllitidem non obseruarit vel vmbrosis locis nascentem, vel in ipsis puteis inter lapidum siue laterum commissuras. Cæsalpinus addit oriri in vmbrosis lapidibus & juxta vetera sepulchra.

Vires. Idem celebrem facit ad lienem extenuandum decoctam in aceto, vel aqua destillata, in potu. Plura ex veteribus antè dicta sunt.

PHYLLITIDIS SPECIES SIVE HEMIONITIS Lobelio.


Locus. IN Anglia occidua, ad rupes antrosásque cautes D. Vincentij vno miliari ab vrbe peramœna Bristoia vberrimè luxuriantem hanc, facie Linguę ceruinę, plātā inuenit Lob. sed ternis quaternis've *foliis*, minoribus multò: vix enim quàm maxima tres digitos longitudine excedunt: minimè crassa aut rigida, sed mollicella, quasi Adianti veri, inter quod & alias plātas capillares, alioquin lætas & benè adultas ita exilis nascitur: nec vllis à tergo lituris asperata, ad mucronem lateribus vtrinque ad medium sinuatis & reductis: basi latiore lunata: segmento quasi vtrinque interiùs recuruo. Londinum in hortis plantandos cæspites misit author, sed parum diu superstites fuerunt.



fuerant: adeò námque tenuibus cirrhis radicis & foliis delicatulis injuriæ opportuna est, vt vix se attrectare citra lacerationem patiatur: gustu tamen neutiquam à Lingua ceruina alio est. Hãc nõnulli Flãdri putârunt esse aliam speciem à Phyllitide, nec tamẽ esse illam, quam depinxit Matthiol. In Obs. p. 469. idem Lobel. hæc subdit. Hemionitis Anglica mihi icone & oratione exhibita, Mechliniç à D. Brãcione & Georgio Rye, studiosè in fictilibus diu propter raritatem & teneritatem enutrita, tandem admirabili sui metamorphosi & trãsmutatione, in Phyllitidem abiit. Quod facit, vt facilè credam Phyllitidem & Hemionitidem easdem & congeneres esse, & cultu subire hujusmodi mutationes, nec magis differre, quàm agreste Cichorium à satiuo: neque facultates, quas vtriq; tribuit Dioscorides, refragantur. Attamen longitudo foliorum hujus Hemionitidis, quam Roma transmissam in fictili Mechliniæ alebat D. de Brancion, vix vncialis & sesquiuncialis erat, fortè transplantatione, injuriæ adeò obnoxia fuit, & velut semianimis, ac multùm imbecilla. Pingitur in Ic. pag. 806. hoc titulo. Hemionitis siue sterilis.

Adulta Phyllitidi æmulatur. Dodonęus quoque testatur Hemionitidem ex Britanniæ vmbrosis delatam tenellam quandoq; in Belgium, posteaquam adoleuisset, Phyllitidem angustis & oblongis foliis, ęmulari repertam esse: solósque angulos inferiores, paulò prominentiores, nonnihil discriminis ostendere. Idem se obseruasse testatur & Clusius.

PHYLLITIS POLYSCHIDES.




Descriptio. Alterum elegans Phyllitidis genus, solâ *foliorum* formâ à vulgari Phyllitide differt, alioqui reliquis notis ei persimilis: prodeunt verò ipsi ex *radice* multis fibris nigris & velud capillamentis prædita, seua, aut septena *folia* palmaris longitudinis, ejusdem cum vulgari foliis læuoris & viriditatis interna parte: at externâ, nullis aut rarissimis transuersis lineis insignita, extima verò parte multipliciter dissecta, inquit Clusius, qui Phyllitidem laciniato folio inscribit.

Dodonæi fert opinio Phyllitidem per ætatem quandoque folium in partes veluti lacinias quasdam findere, ita vt ex vno folio alia exire ac progigni videantur. Et hanc Phyllitidis varietatem; Phyllitidis laciniatæ titulo pingit. Lob. Obs. p. 469. dicitur Phyllitis multi fido folio, cui in Icõ. p. 805. incuria Typographi falsus titulus appositus, nempe Phyllitidis, siue Linguæ ceruinæ officinarum. Tabern. Phyllitis folijs laciniatis.

Cæteri Synonimi. C. Bauh. pin. Phyllitis 2. siue Lingua ceruina multifido folio: Phyllitis laciniata Clusij, H. Lugdun. pagina 1219. Phyllitis multifida, Gerardo: Phyllitis, Cast mucronata, Camer. In Sommerseti Anglicis cautibus frequentem oriri refert Lobelius, in Cantabris verò Clusius, sed raram.

PHYLLITIS CRISPA.



Locus. Phyllitidem crispã nullibi vidim° quàm Basileę in horto Io. Heitzmãni, Pharmacopœi, amici nostri veteris, ann. 1608. mense Octobri, *Descriptio.* angustiori folio quam in vulgari, in circuitu toto valdè crispã: sapore eodẽ cũ vulgari. Quod dolemus, neglex imus tunc virẽtẽ plãtã accuratiùs delineare.

HEMIONITIS VETERIBVS.

Cap. X.

Hemionitis Splenium. Ἡμιονῖτις seu σπλήνιον Gręcis, Latinis similiter Hemionitis, quasi mulariam dicas & Splenium vocatur, quòd eius *folia* sicut & Phyllitidis, Medicorum splenia, nimirum oblongas plagulas, formâ imitentur: quid si potiùs ab eorum vsu, quòd spleni medeantur: siquidem ex aceto pota lienem absumant, Dioscoride authore, cui *folium* *Descriptio.* emittit simile Dracunculi, curuatæ in cornua Lunæ modo sinuatum: *radices* subiacent multæ, eæque tenues: sed neque *caulem*, neque *semen*, neque *florem* profert: in saxosis nascitur, adstringente sapore prædita: ex aceto, &c. Suspicatur Dodonæus ex asplenij facultatibus hæc esse translata.

Hemionitis quid Theoph. Ἡμιόνιον Theophrasto lib. 9. cap. 19. Mulam Gaza vertit, quàm folio Linguæ ceruinæ constare, & radice numerosâ & tenui esse, asserit. Hemionium autem Theophrasto Asplenum esse, testatur Dodonæus.


Galenus. Galenus lib. 9. cap. 11. de comp. med. sec. loc. vbi ex pharmaca ab Andromacho conscripta recẽset, quæ epora spleneticis opem ferunt, Hemionitidem ab aliquibus ex antiquis Asplenum, ab alijs

Scolopendeium appellatum esse prodidit.

Si Matth. fides haud deroganda, inter Hemionium & Asplenum Plinio nulla intercedit differentia: qua de re consule caput de Aspleno. Credimus nos jam dudum cum Hermolao & Ruellio, Teucrium & Hemionitim, vnam tantùm Plinio plantam esse deprauatis ejus exemplaribus id insinuantibus li. 25. ca. 5. vbi pro Hermionion, legendum Hermion.

HEMIONITIS.

Descriptio.



Hemionitidis folium elegans muneri nobis dedit Cl. D. Zvvingerus amicus noster, Româ delatum, cujus longitudo quatuor vnciarum latitudo diametri ab vno ad alterum appendicem ferè æqualis, figurâ quodammodo ad sagittam accedéte: ipsum quippe folium in pyramidem fastigiatum, circa ima vtrinq; appendicem insignem habet, vt apparet ex icone. *Sinus* circa pediculum quales ferè Aristolochiæ rotundæ, quem folij præ... quædam in angustũ porrecta comitatur. Ipse *pediculus* an integer nescimus, videtur duarum vnciarum esse, costam insignem per folij mediam longitudiné emittens à qua ab imo statim ad ambitum quaquaversum, ipsæ etiam apophyses diriguntur. Parte aduersâ in ambitum, eminentiæ vermiculatæ eminent, quales in Phyllitide cernuntur, sed magis sursum spectantes: facies opposita glabra.

Hemionitis Matth. Non modò olim Matthiolus compertum habebat veram Hemionitim, quæ è Dioscoridis historia nihil prorsus dissidet, Romæ nasci in quibusdam ruderibus ædificiorúmque ruinis propè magnum Amphitheatrum: sed ipse quoque eam accepit ab Anguillara, qui Hemionitis plantam, cujus picturam dedit ille, ad se Patauio misit.

Eam nonnullis rupibus, saxorum interueniis, prouenire scribit Lobelius, loco autem antè à Matth. notato minimè: folia breuiora multò, ad basim latiora & falcata habere, inquit, conspexi, quorum aliqua palmum vix superabant, nonnulla verò sesquipalmum longitudine æquabant.

Synon. Clus. Hemionitim veram inscribit, quandam præterea tradens & describens quę ipsi Hemionitis peregrina nuncupatur. Lobelio verò Hemionitis varietas. H. Lugd. pag. 1217. Hemionitidem Matthioli Hemionitim 1. siue vulgarem. C. Bauh. pin. Hemionitim, Anguill. Gesn. hort. Lac. & Lonic. vocant.

Hemionitidem qualem pingit Matthiolus vidimus apud Gesnerum. Folium Româ delatum bis communicauit D. Iac. Zvvingerus, quod expressimus in tabella iconis Matthiolinæ.

LICHEN VETERIBUS.

Descriptio. Lichen [λειχὴν] qui petris innascitur, & ab aliquibus Bryon [βρύον] appellatur, Dioscoridi ceu muscus est roscidis petris inhærens. Is impositus sanguinis eruptiones sistit, inflammationes lenit, ac impetigini medetur. Iuuat & arquatos cum melle illitus: cæterùm defluxionibus oris ac linguæ succurrit.

Plinio est duplex Lichen. Sunt qui dicunt Lichen Plinio duplex esse: nos autem contrà existimamus ipsum eandem plantam bis describere, provt inuenit in diuersis autoribus traditam: & quidem postremum ejus genus desumptum esse ex eodem authore, ex quo Dioscorides habuit.


Galeno planta potius quã Muscus. Lichen qui in petris nascitur, esse quidem velut muscum quendam, sed plantarum generis rectè dici posse, vel ipse Galenus 7. simpl. testatur: ita verò nominatum suspicatur, quòd lichenos, id est impetigines curet.

Hermol. taxatur. Hermolaus in Dioscor. coroll. 665. Plinium imitatur, eo tamen non citato, duas tradés Lichenas. Quæ autem prima sit, non ostendit: an porrò per secundam, siue Ficatellam Apulorum intelliget Lichenem herbam, quæ Hepatica fontana cognominatur, dubitamus. Si tamen, quod suspicamur, eam intelligit, non bene separat à Lichene Dioscoridis, quem simpliciter muscum dicit.

In Lichenis remediis, inquit Cornarius, quem nos impetiginem dicimus, Plinius duo Lichenis herbæ genera prodit: sed Dioscorides posteriùs solùm genus nouit, de quo etiam Galenus verba fecit. Hic Lichen officinis notus est Hepaticæ nomine. Vnde & Germani *Leberkraut* vocant.

LICHEN SIVE HEPATICA fontana.

Descriptio.



Asperginosis saxis adhæ ret, *folijs* ceu ligulis multiformibus, squammatim incumbentibus, perplexo textu constans, lacinijs Lob. lactucinis sinuatis, Quercúlve terrenæ aut potiùs marinæ similitudine: sunt ea porrò folia pinguia, crassáve, superiùs hilari virore nitentia, inferiùs dilutiora, fibrarum capillarium infinitis cincinnis, lanæ similibus (quos saxorum commissuris infigit) subtus demissis: vetustate tandem *pediculos* erigit vnciales & sescunciales, tenues, glabros, quorum vnusquisque *florem* stellatum herbacei coloris [Lobelio dicuntur candidi] sustinet, qui exprimit paruum galerum suis radiis deorsum nutantibus, qui satis commodè expressus in nostra figura Guarinisna. Ex folijs (quæ

[quæ saporis sunt aliquatenus aromatici & amaricantis ac nonnihil mordicantis] eminent interdum parui veluti *vmbilici*, quales exprimuntur apud Lobelium.

An Hermol. Lichen Ficatella Apulorum. An Hermolao Lichen & Lechen, Apulis Iecoraria & Ficatella cognominata : de qua antè egimus.

Hepatica Platear. Plateario dicitur Hepatica, quia præcipuè hepati confert:herba in aquosis,& præcipuè in lapidosis locis nascens,minuta habens folia,terræ & lapidibus adherentia, quę quidem quantò maiora habet,tantò melior est.

Lichen Brunfelf. Brunfelf.tom.1. rhapf.246.huius plantæ, iconem vocans eam græcè λειχὴν, lat. Hepaticam, Hepatariam,& Iecorariam:germ. *Leberkraut*:Serapionis Hazozalsacher : Hieron. Herbarij Hepaticam primam.

Lichen Græcorū. Leonic. Lichen Græcis nominata,hęc,quam Medici quidam, nescio, inquit Leonic.de morbo gall. quâ ducti ratione, vel vsu, Hepaticam vocitarunt,neque enim apud celebrem authorem vel Græcum, vel Arabem legitur Lichenem herbam,hepati vtilem esse.

Inscribitur à Trago, Iecoraria seu Hepatica fontana *Brunnenleberkraut*, λειχὴν πετραῖος, seu aquaticus,dicente: si vires huius herbæ spectes, fortassis Hepatica appellari poterit : Sin autem veterum scripta consideres,nihil aliud est,quam serpens herba,quæ à Dioscoride λειχὴν appellatur. Matthiolo est Lichen Dioscoridis.Dodonęo Musci species est quam officinę Hepaticam vocant.Ferdin Imper.Epatica,Muscus aut Lichen.

Nomina linguarum. Cæterùm, quam Græci λειχὴν appellarunt, quòd lichenas serpentis morbi genus, imposita sistat & sanet, Latinis item Lichen dicitur : Arab.Azez alsachez:Ital.Lichene:Offic. Hepatica. German.*steinleberkraut*, & *Brunleberkraut*: Hisp. Hepatica, & Figadella: Gall.*Hepatique*, & *Porceran*.

Ic.tres Lob. Lob.in Ic p.246.tomo 2.itémque Obs.p.646. sub hoc titulo,Lichen,Hepatica,tres icones ponit,sed non demonstrat in quibus differant.

Compilator quoque Tabern. in ic.& hist. easdem tres icones habet,quas Lobelius,nec tamen ipse indicat differentiam.Sed & Compilator H. Lugd. easdem proponit p. 1084. nec tamen eas distinguit.

Syn. C. Bauhini. C.Bauh pin. Muscus saxatilis 1.siue Lichen petræus latifolius,vel Hepatica fontana:Hepatica,Brunf.Lonic.prima, Tabern. Lichen, Matthiol. Fusch. Anguill. Dod. vt Cordo in Diosc. Lac.Turn.Cast.Lugd.Cæs.& Thalio: Lichen 1. Lob.petræa, Gerardo.*Item*,Muscus saxatilis 2. siue Lichen petræus stellatus:Lichen.1.Lob. & Lugd.Hepatica 2. Tab.& Gerardi. *Ac demum* Muscus saxatilis 3.siue Lichen petræus vmbellatus : Lichen tertius, Lob. & Lugd. Hepatica tertia,Tabern.*Casp.Bauh.* apud Matthiolum Lichenis vnam tantum speciem commemorat.

Locus. tempus. Lichenem, Solis æstui inimicum, vmbrosis simúlque humidis locis gaudere, ideoque in fontibus profundioribus ac frigidioribus, nec non rorulentis petris duntaxat nasci perhibet Tragus. Dodonæus tamen non solùm vmbrosis, humidis, lapidibúsque stratis viis, sed & aliis semitis, quò Solis radij rariùs perueniunt, & quas nullus viator frequentat,crebrò reperiri ait:Maio ac Iunio mense capitula stellata proferre, & simul alia sæpenumero foliola prioribus addere. Lobelius verò scribit mense Iunio & Iulio proferre.

Vim habet, authore Galeno, extergendi, simúlque moderatè refrigerandi,& iuxta ambas siccandi : & sanè extergendi vim habet de petra,refrigerandi verò ab aquositate. Nam in humidis & roscidis petris nascitur. Quod verò eiusmodi substantiis componitur, inflammationem arcere nihil mirum est. An verò sanguinis eruptiones sistat, velut Dioscorides ait,non habet quod pronunciet Galenus. *Ego non* ausim dicere abstersionem Lichenis esse à petris. Qualem enim succum abstergentem sugere potest Lichen ex petris ita siccis? abstergere tamē non nego considerato sapore. Nec simpliciter frigidam ausim facere,sed malim calidam primo gradu & humidam dicere. Iecorum illitu curare, vt volunt Dioscorides& Plinius,cedere vix possumus: fluxionibus tamen posse vtilem esse facile concesserimus,quamvis Cornarius eam lectionem non probet. Hepatica fontana,inquit Tragus,frigida & humida est:potest vtrinque adhiberi commode : vino decocta, aut præter decoctionem è vino pota vitiis pulmonis iocinorisque medetur, inflammationes sedat, fluxiones capitis cohibet. Ad multas præterea calidas affectiones efficacior est,quam vulgò existimetur, etiam extrinsecus imposita. Tragea ex ea siccata confecta, saccharo, aliisque aromatibus & speciebus admixtis, iisdem succurrit vitiis. Lonicerus de viribus eadem tradit. Dodonæo frigida & sicca ac aliquantulùm adstringens temperamento est. Aduersus iocinoris inflammationes,calores,febres acutas& tertianas ex bile ortas efficax habetur. Secundum Platearium valet cōtra oppilationem hepatis & splenis ex calida materia. Quare omnibus syrupis contra dictam opilationem,& hepatis calefactionem indi debet:soluit enim ictericiam. Contra calida apostemata superponitur trita in principio: operatur enim repercussionem materiæ influentis.

LICHEN ARBOREVS SIVE PVLmonaria arborea.

Descriptio. Pulmonaria Licheni siue Hepaticæ fontanæ similis squammato *foliorum* incubitu, ineffabili laciniarum variatione, quæ quà matri suæ hærent, albicant, alterâ verò parte virent, rugosa, lacunis, eminentiisque inæqualia, sapore amaricante non sine adstrictione.

Descriptio. Tragi. Hanc sic tradit Tragus:Herba,quę vulgò Pulmonaria dicitur in muscosis Quercubus & Fagis prouenit, nonnunquam etiam in muscosis petris,& vmbrosis syluis,Iecorariæ seu Hepaticæ fontanæ consimilis,sed maior per omnia. *Folia* habet rugosa,inuicem incumbentia,viridia, lentiora & ficciora prædictæ, eâ quâ arboribus adhærescit parte albida,lanuginosa,similitérq; aspera & lenta, instar corij. Et hæc Germanis *lungenkraut* nuncupatur, potéstque Lichen siluestris & arboreus,*waldtlungenkraut* vocitari. Tragus in hist.germ.turpiter hallucinatus credidit Plinium hanc ad impetigines commendasse.

Vet. Suspic. Vt veteribus Græcis & Latinis nominata fuerit hæc herba, Fuchsio scire non licuit. Suspicatus autem fuit Pulmonariæ nomine donatam esse, propter folia veluti pustis aut punctulis quibusdam notata, atque hoc signo aliquam pulmonis humani formam referētia. Pulmonariam pręterea dictam esse coniicit,quòd pulmonum vitiis, exulcerationibus potissimùm eorundem, præsens remedium sit.

Tabern.icon.& hist. Pulmonaria, *groß baum-*

Belg. *leuen, lungenkraut*: Eid. ic.& hist. Lichen arboreum, *stein brauniechten*. Imperat. Pulmonaria & Muscus arboreus.

Syn. C.B. C.Bauh. pin. Muscus arboreus 7. siue pulmonarius: Pulmonaria, Trago. Matth. Fuchs. Dodon. vt Gesn. hort. Lac. Lon. & Tabern. Pulmonaria 1. Cast. erria, Clus. pann. Pulmonaria fungosa, H. Lugd. vulgaris, Thal. Pulmonaria Lichenis quoddam genus, Cæsalp. Hepatica terrestris, Ger. icon. Muscus pulmonarius, siue Pulmonaria officinarum, Lob. Obs. p. 647. Ic. tom. 2. p. 248.

Variatio. Variat laciniis latioribus & angustioribus: & hæc Licen arboreum, Tab. & Ger. dicitur, arboribusque, præsertim Quercui, Sorbo aucupariæ, & aliis adnascitur: petris quoque, sed hoc candidius est.

An Muscus 1. & 2. Dod. gall. Dod. gall. quoque fortassis exprimit iconem Lichenis arborei Tabern. sub Musci se. titulo, de quo scribit, Primum Musci genus crescit supra arbores, quod propriè dicitur Muscus, qui constat pluribus foliolis albis, laciniatis, & profundè sectis, inter se complicatis, sine radice, flore, & semine. Secundum Musci genus crescit circa arbores, dicitur *Herbe aux poulmons*, i. e. Pulmonaria, Hepaticæ aliquo modo similis.

Nomina linguarum. Germ. *lungenkraut*: Belg. *longenerupt*: Angl. *lungwurt*: Boh. *Plicnik*.


Locus. Annosis rimosisque caudicum Quercus, Fagi, aliarumque corticibus non modò, sed etiam lapidibus, & duris, pauitisque germinibus, instar crustæ aut loricæ inducuntur coriacea folia: nusquam tamen cauliculorum, aut florum vestigiis conspicuis extantibus, dictante Lobelio. In veterum Quercuum, Fagorum, aliarumque siluestrium arborum caudicibus, in opacis ac densis siluis gigni: reperiri & in petris quandoque, vel etiam vmbrosis aliis locis, testis est quoque Dodonæus. Tota Æstate inuenitur, inquit, Fuchsius.

Vires & vsus. Pulmonariâ herbâ vulgò ad pulmonis affectiones, asthma, suspiria & tussim vtuntur, confecto ex ea puluere, aut aqua distillata Puluerem ex ea sic fieri docet Tragus. Accipitur Pulmonaria herba sicca, Anisi semen, pulmo vulpis in aere siccatus, semen Fœniculi, Glycyrrhiza, radix Enulæ, Zingiber æqualis ponderis, eaque singula seorsim accuratè contunduntur, posteaque cribro purgantur, vt tenuissimus fiat puluis. Demum accipitur optimum saccharum tanti ponderis, quanti reliqua omnia extiterint, & miscentur omnia simul. Vsus huius pulueris in modum Trageæ manè & vesperi. Hoc & asthma soluitur, & obstructione liberantur pulmo & iecur: aspera denique tussis eo iuuatur. Magistri pecorum & veterinarij herbam, seu puluerem sale mixtum, pecori aduersus spirandi difficultatem, & tussim, singulari experimento exhibent. Recentiores quidam frigidam & humidam esse, Fuchsij quidem sententiâ, falsò statuunt: admodum enim adstringit, vt hoc nomine idem cum Quercu, in qua nascitur, habeat temperamentum. Desiccat itaque & paullò infrà media calefacit, in genere eorum quæ tepida sunt. Quia verò desiccandi & adstringendi facultatem obtinet, ideò vulnera recentia glutinat, potissimùm autem pulmonis. Ad incipientes quoque ac crescentes phlegmonas vtilis: vt & ad vtrumque muliebre profluuium, vlcera & disenteriam.

* *
*

POLYTRICHVM APVLEI MAIVS quibusdam.

Cap. XII.



Desc. primi Polytrichi. Polytrichũ Apulei quorundam cõstat *radicibus* tenuibus, longis: *cauliculi* duas vncias circiter longi abundant foliolis lungiusculis, postea nudi sunt & ad totidem vncias leues, quorum summitati innascitur *capitulum* sublongum, hians & nutabundum.

Secundi. Huius aliud genus est *radicibus* multò longioribus, *cauliculis* etiam multò maioribus, tum parte foliosâ, tum nudâ, quæ palmaris: *capitula* quoque maiora, hiulca, è quibus concussu leui puluisculus excidit luteus.

Syn. C.B. Ad Polytrichum nobile siue primum Tragi, quod secundo loco describimus, & C. Bauhinus in pinace Polytrichum aureum 2. siue medium vocat, refert idem Polytrichum Apulei aureum, vel 2. Lonic. Muscum capillarem Dodonęi, minorem Gerardi, Adiantum ἄφυλλον medium Thalii, Adiantum aureum minus Tabernæmontani, & Herbulam Gramini similem in parietibus maiorem & minorem Cæsalpini.

Nom. ling. Germani *vvidertodt* & *Gulden vvuidertodt*, ac *Iungfrauvenhaar* appellant: Belgæ *gulden vvederdoot*.

Locus & Tempus. Montbelgardi in sylua prope Souchaut inueni: abundat quoque in silua inter Montbelgardum & Arbouans capitulis puluere plenis mensis Iunij fine.

Polytrichum Apulei minus quorundam.

Descriptio. QVam plantulam, Apulei Polytrichum minus nonnulli appellant, contemnendæ exiguitatis est: ex muscoso *cæspite* tanquam stamina capillaria, recta & rigidiuscula se attollunt, semuncialia aut vncialia, tenuissima, colore purpureo aut aureo: quorum vnicuique insidet *apiculus* falcatus, quem auicularum vnguiculis minimis haud ineptè comparaueris, quem conuestit consimili figura inducta *vaginula*: quæ vbi cedere incipit, extrema cauda surrecta, galeritæ caput miro naturæ exprimere arbitreris: vbi deciderit, capitellum relinquit oblongum, atropurpureum. Linguæ vinosi saporis aliquid imprimit.

Synonũ. Dodon. Musci capillaris altera species omninò minor ac humilior. Lobel. Obs. pag. 648. Muscus capillúsve aureus minor: Addit in Hist. Belg. tom. 2. pag. 281. minus specioso nitore coloreque viuido, tristioreque aspectu. Tab. & H. Lugd. Adiantum aureum minus, *Kleiner guldener Vvidertod*. Muscus 2. siue saxatilis aut siluestris Trago.

C.Bauh.

C. Bauh. pin. Polytrichum aureum tertium siue minus, Capillus veneris Brunfels. Polytrichum Apulei minus Fuchs. Polytrichum aureum minus Dod. gall. & H. Lugd. Polytrichum aureum tertium Lonic. Muscus quidam in parietibus & tegulis Cæsalp. Adianthum ἄφυλλον minus Thal.

Locus. Visitur in compluribus compluris ruderibus, asperginosisque limbis parietinorum vetustiorum, Galliæ, Germaniæ, Belgiæ & Angliæ.

Polytrichum scoparium.

Descript. PRolixæ radices, cubitum plærumq; longæ, rigidæ, rubentes, angulosæ, tenues, in scopas excutiendo pulueri vestibusque purgandis plecti solitæ, terræ superficiem versus foliosis squammis vel pilis nitentibus rutilisq; comosę.

Lob. Obs. p. 645. Muscus scoparius (ita quoque Hist. Belg. p. 281, tom. 2. & Ic. p. 249 tom. 2.) muscidorum & vdorum Belgij & Frisiæ Orientalis sectator.


An Polytrichon majus Trago? Lonic. fortè hoc etiam comprehendit sub titulo Polytrichi Apulei. C. Bauh. pin. Polytrichum aureum 1 siue majus. Easdem plantas existimamus apud H. Lugdunensem p. 1323. Muscum terrestrem primum Tragi, & pag. 1327. Muscum scoparium Lobelij.

Compilo notatur. Compilator Tabern. titulo Musci erecti; *hoeffirvvachsend. miesz*, assumpsit iconem non bonam Lobelij & descriptionem separauit è Polytricho Apulei, quod non oportebat: nec placet radix.

Vires & Vsus. Hodie ad philtra amatoria, veneficia, magicas artes, multaque alia superstitiosa potiùs, quàm ad tuendam vel instaurandam corporis sanitatem in vsu esse Polytrichum Apuleianum vulgò dictum perhibuit olim Tragus. Si tamen quid de eo dicendum sit, videtur facultatibus Capilli Veneris præditum. Ego autem planè mihi persuadeo ex iis parari scopas vestium Belgicas.

ROS SOLIS.

CAPVT XIII.



Duûm generum. Descriptio. DVûm generum, petita ex *foliis* differentia, obseruatur Ros Solis: alteri *folia* oblonga, alteri circinatæ rotunditatis: exeunt autem vtrique septena aut octona folia, pediculo longiusculo nixa, ex rubro purpurascentia, corollâ tenuissimorū staminū, veluti cilio, rubescentiúmque circumquaque fimbriata, asperginé rorida guttularum per feruidissimos etiam æstus madida, modicè concaua, auriscalpium imitata: *coliculi* inter hæc exsurgunt graciles palmares & altiores, *flosculos* gerentes candidulos; *radices* fibrosæ, tenues.

Gesnerus Cordo in hist. Rorellæ figuram addidit, ejus seq. quæ rotundiore est folio, licet ibi Salsirora oblongifolia describatur.

Tragus notatur. Tragus Rorē Solis pingit in tabella Politrichi Apuleiani tertio loco, cum cōfundens eum primo siue nobili, quod nos Polytrichum minus quorundam inscribimus. *Idem* ejusdem figuram exhibet cap. de Musco, primo loco. Videtur autem præsentem plantam non agnouisse. Lonic. pro Polytricho Apulei, cui flores paruos albos adscribit, Rorem Solis exprimit.

Lob. in Adu. & Obs. p. 472. itémque Icon. p. 811. (vbi speciem alteram majorem jungit) Roridā siue Solis rorem & Droson recentiorum inscribit, sed aliam à Droso Alchimilla statuit.

Rorella 1. & 2. Tabern notatur. Tab. ic. & hist. pingit Rorellam minorem primam & secundam, magnitudine (vt ait Compil.) tantùm differentes. *Cæterùm* non recordatur compilator se Rorellam antea quoque tradidisse, dicendo Lonicerum & Tragum aliud Adianthi genus floribus albis, foliis verò rotundis describere. *Nos nullam* inuenimus apud Tragum mentionem factam Adianthi floribus albis: Lonicerus quidem meminit, vt jam dictum, Polytrichi Apulei floribus albis.

Synonyma C. Bauh. C. Bauh. pin. Ros Solis 1. siue folio rotundo: Polytrichum minus, quoad figuram, Tragi: Ros Solis, Dod. Lon. Cast. Camer. (cui & Solaria) major, Gerardi: Rosa Solis vulgò, Caio Britanno: Rorida siue Ros Solis major, Lob. Salsirora seu Sponsa Solis, Thal. Rorella minor 1. Tab. Rorella siue Ros Solis. Eyst. Mas & fœmina, inter Musci albicantis & subalbicantis & subrubentis genera crescunt. *Eid.* Ros Solis 2. siue folio oblongo: Rorella siue Salsirora, Cord. histor. Ros Solis, Lunaria quibusdam & Artemilla Gesner. de lun. Ros Solis alia, Dod. Lugd. minor Ger. Polytrichum Apuleij album, Lonic. Rorida siue Solis ros, Lobel. Rorella minor 2. Tabern.

Porrò, Ros Solis, Rorella & Salsirora, quæ veluti stellæ alicujus jubare sub Sole fulget, à mirabili natura nomen adepta est: nam quantumvis ardentissimus Solis æstus Æstate eam illustret, ejus tamen folia semper rore & humiditate madent, eorúmque lanugo guttulis aspersa manet: &, quod admiratione dignum, humidum illud in foliorum acetabulis contentum, vbi extremis digitis leuiter attingitur, dum adhuc natali suo solo adhærens, aut confestim inde euulsa Solis radios experitur, mox velut in exigua filamenta sericea candidiuscula deducitur, quæ confestim concreta, ita postea semper perdurant. Hanc ob magnam cum capillaribus affinitatem, hic subjungendam duxit Casp. Bauhinus.

Locus & Tempus. Exit locis desertis, arenosis, apricis, sed riguis, & rarò alibi, quàm in ipso humi nascente candido palustri musco. Æstate viget: Maio aut Iunio floret: colligendus Ros Solis cùm cœli constitutio siccissima ac serenissima fuerit.

Vires & vsus. Mirifica hæc herbula (subdit Lobel.) & efficacitate neutiquam posthabēda plærisque plantis apud antiquos decantatissimis, quibus fortè non nota fuit: ac ne quidem hodie admodum Italiæ, Norbonæ, Austriæve plagæ Herbariis. Est quippe vernacula Borealium. In Franciæ autem & Brabantiæ sabulosis ac vdis scrobibus interdum obuia fuit: Angliæ, Cantiæ, & Somerseti præfecturæ hâc adeò scatent, vt non procul illustri Cœnobio & monte Glossemberio vocatis, quantùm sat sit equo onerando suppetat.

PHYLLON THELYGONON Dalechampio.

Cap. XIV.


Descript. CRaſſis longis lignoſiſque præditũ eſt *radicibus*, in tot ferè capita diuiſis, vt latè natali ſoli faciem obumbrent: è ſingulis radicum capitibus *folia* exeunt confertiſſima, circinatim in orbem digeſta, vnciâ breuiora, peranguſta, vnico neruo per longum donata, exſucca, minimè denſa, aſpera, & pilis circumcirca hirta: ex circuli vmbilico *caules* ſurgunt, glabri, foliis nudi, duarum triúmve vnciarum, ſimplices, qui à medio ferè ſummo tenus *flores* gerunt maiuſculos, luteos, foliaceo viridi calyculo circumdatos: *ſiliqua* ſuccedunt Burſæ paſtoris, quam *Ganſzblumen* vocat Tragus, paullò acutiores, *ſemine* farctæ, paruo, compreſſo, ruffo, intermedia membrana duobus loculis diſcluſo.

Syn. C.B. Bauh. C.Bauh.pin.Sedum ſaxatile 2.ſiue alpinũ hirſutum luteum: Sedum ſaxatile foliis margine piloſo, Geſn.hort.Phyllon thelygonon, Dalech. in Dioſc. Phyllon arrhenogonon Dalechampij, H.Lugd. Sedum petræum montanum, Log. Sedum alpinum ſextum, Cluſ. pan.p.491. Sedum minus 12.ſiue alpinum 6.Eid. hiſt. Leucoion luteum aizoides montanum, Colum.part.1. Sedo

C.Bauh. autem affinem facere non poſſumus: nihil enim hujus folia cum illis commune habent, præter ſitum: nec enim craſſa, nec ſucculenta ſunt, ſed tenuia, anguſta, & in quibuſdam plantis vngue multò breuiora, in aliis longiora.

Locus. In ſummis Auſtriacarum & Stiriacarum Alpiũ jugis, inter ſaxa prouenit, vti etiam in mõtis Iuræ, ſummitatib. Meminit quoq; Cluſius dum olim è Narbonenſi Gallia per Heluetios in patriam rediret in Allobrogum alpibus eruere.

Phyllo Dalechampij aliquatenus ſimilis.



Deſcript. SImili cũ Phyllo Dalechampij eſt ortu, *radicibus* rubentitibus, ſerpentibus ex interuallis denſam radiatorum *foliorum* coronam ſimiliter proferentib. ſitu eodem, ſed *foliis* longioribus mollibus, glabris, è quorum centro *caulis* vnus, aut duo, dodrantales, teretes, glabri, ſuperiùs in duos ramos ſextantales diuiſi, quorum diuaricationi ſtellula circumpoſita foliolorum vix quadrantem vnciæ longorum, vnicuique ramulo in ſummo faſtidio *flos* inſidet vnicus, major quàm Phylli Dalech. è caliculo ſtriato quinquepartito, intra quem ſucceſcit poſtea vaſculum in quinque lacinias dehiſcens, ſemen continens.

Sedum Alpinum 5. ſiue minus 2. Cluſ. Pann. C.Bauh.pin.Sedum ſaxatile 4.ſiue Sedum alpinum gramineo folio, lacteo flore.

Locus. Serpens inuenitur in Sneberg. vicinis iugis, Sub finem Iunij & Iulio iſtic floret, & etiam in Monte Baſileenſi *Waſſerfal.*

TRIDACTYLITES TECTORVM flore albo.

Deſcript. TRidactylites puſilla eſt plantula *radice* tenui: *cauliculus* duas vncias aut palmum altus, hirſutus, rubeſcens, in ramulos ſubinde diuiſus: *folia* Lob. Rotæ, bifidâ, interdum trifidâ inciſurâ, eademque magnitudine quadantenus: nobis priora oblonga, ſimplicia, alia verò ſine pediculo cauli appoſita, pinguia, ſiue ſucculenta, pallida, hirſuta, tactu glutinoſa, in tria ſegmenta ceu digitos diuiſa, vel quina, *flores* ex calyculo oblongo hirſuto, albi, quinque foliolis conſtantes: in medio *ſtamunula* lutea: in calyculo vmbilicato quinquepartito *ſemen*, Lob. in folliculis Scorpioidis Myoſotidis non diſſimilibus.

Hanc Tragus l.1 c.111.nomine *bendelkraut* deſcribit: Lobel. Paronychiam alteram folio rutaceo appellat. Tabern. ic. & hiſt. Alſinem petræam rubram, & Paronychiam tertiam. Thal. Dactyliobotanon alterum Tragi.

C.Bauh.phyt. Alſine 4.ſiue Tridactylites albicans: variat ratione loci, quæ enim in tectis prouenit, major eſt & ramoſior, altera verò in arenoſis & ſiccis proueniens minor multò. Flore aliquando eſt niueo, communiter pallidè purpuraſcente.

Syn. C.B. Eid.pin. Sedum foliis laciniatis 6.ſiue Sedum tridactylites tectorum: Paronichia altera, Dod. rutaceo folio, Lob.Lugd. & Ger. cui & Paronychia laciniata: Vmbilici ſpecies quibuſdam, Cæſ. Dactyliobotanon alterum Thal. Alſine petræa, rubra, & Paronychia, tertia, Tabern. *Hendelkraut*. Trago.

Locus & Tempus. In parietinis, locisq; vmbroſis & petroſis naſcitur. Exeũte Hieme, Vere primo floſculos edit: deinde minimo æſtu mareſcit, vt nuſquam toto anno compareat. Montbelgardi in muris floret Aprili: Monſp. in locis ſiccis & muris primo Vere.

Vires & Vſus. Tragi iudicio *bendelkraut* binæ plantæ vim habent refrigerantem & humidam, poſſuntque citra noxam vtrinque aduerſus inflammationes vſurpari. Intrinſecus quidem cum cæteris in acetariis, Portulacæ ad modum, cui facultatib. parem ſtatuit: Extrinſecus verò vt Anagallides.

TRIDACTYLITES ALPINA.



Deſcript. PAlmaris interdum, & major multò etiam eſt planta, *folia* plæraque humi fundens, interdum vnciali longitudine, ac etiam multò minora, per extremum tripartita: alia vero nullam agnoſcunt diuiſionem, vt quæ in *cauliculis* ſũt, in ramulos paucos diuaricatis: *flores* parui, vaſcula magna: *radix* vt Agerati pur-

purpurei propagat. Inter nostras annotationes comperimus, nos anno 1561. in monte Braulio reperisse minimas plantas, floribus odoris gratissimi: & Geneuæ postea in proximis alpibus maiorem speciem inuenisse.

Saxifraga alba petræa Pona. Hanc etiam describit C. Bauhinus, titulo Alsines Tridactylitis Alpinæ: sic etiam Saxifragiam albam petræam Ponæ nuncupans: quamvis perperàm, vt ex vtriusque descriptione patet.

MVSCVS VETERIBVS, IN GENERE.
CAP. XVI.

Diosc. MVsci differentia multiplex. De arboreo hæc Dioscorides: Muscus, à nonnullis Splachnos appellatur. In arboribus, Cedro, Populo alba, aut Quercu reperitur. Præstat verò Cedrinus: proximus huic populneus: quo in genere probatur, qui odoratior est & candidus: nigricans autem deterior censetur. *Muscus* adstringendi vim habet, in caliditate & frigiditate medius μέσον θερμῦ καὶ ψυχρῦ. Marc. Patif. hæc non habet.] facitque decoctus insessu ad vuluæ affectus Miscetur & vnguentis [hic interponit vet. &c.] balaninis, ac oleis seu illitibus, propter eam, quā præditus est, inspissandi vim. Est & ad suffitum & acoposum medicamentorum præparationem vtilis, & accommodatus.

Galenus. De arboreo intelligendus est quoque Galenus simpl. 6. Bryon, vel secundum quosdam Splanchnon, inuenitur in Quercubus, & Piceis, & Populis albis. Vim habet adstringentem inualidam. Nec enim multùm est frigidum, sed proximè fermè medijs, quæ videlicet & digerendi & emolliendi facultatis sunt, maximè quod in Cedrinis lignis reperitur. Et hic Muscus arboreus ab eodē Galeno lib 1 cap. 1. fec. loc. etiam Bryon aromaticum appellatur. Ab Ætio verò etiam Hypnon, ac Sphagnos vocatur. Plinio etiam dicitur Sphagnos, præfertur autem Cyrenaicus: secundum locum obtinente Cyprio: tertium Phœnicio.

Hermol. Pretiosissimum odoris genus est (ait Hermol. in Diosc.) & quod Muscus vulgò nominatur ab Ætio, itémque Paulo, sed & à Phocione Grāmatico recentiore, moschus odoratus capreæ, seu quod idem est, dorcadis peregrinæ sanies, ex vmbilico eius & vomica. Gazellam vocant animal id barbari, &c. Quis autem sit peregrinus mus, odoratā celebratus pelliculā, non video, nisi quis animal id intelligat, ex quo zibettum excipitur. Bryon porò h.e. Muscus, verbum ex verbo dicitur & Ipnon. Sunt ex hoc nomine panni arentes muscoso villo, quales è glandiferis sola ferè Ægilops fert non in cortice modò, verùm è ramis dependentes, cubitali magnitudine, sed præstantes odore. Differentia hæc, quòd Bryon aliarum arborum cani quidam sunt villi: Brion verò Populi candidæ, vua.

Muscus ex animali. Appellatur, ait Cornarius, Muscus hodie Latinè, qui Græcis μόσχος dicitur & pharmacopolarum officinis in vsu est, vehementer odorata res, quę animalis cuiusdam sanguis, aut sanies potiùs esse à Serapione traditur. Hic autem Galeni tempore ignotus fuit. Ætium tamen ipsum nouisse putandum est, qui cùm alibi, tum 12. c. 46. in medicamento purgante ex Hermodactylis, Musci siliquam vnam habet.

Bryon. Algæ malè. Bryon, cuius Strabo meminit, Soletius σπλάγχνον reddit, & interpretem malè Algam vertisse ait. Idem Bryon Theophrasti & Plinij diuersum à Bryo Dioscoridis suspicatur: & Bryon Theophrasti & Plinij esse Lichenem Dioscoridis, Hepaticam officinarum. Sed apparet eum non vidisse Bryon thalassion Theophrasti, quod Plinium cum Phyco confundere credit.

Musci genera plura. Cæterùm, Muscum vocauit Cæsalpin. omnem villosam substantiam, sordi potiùs similem, quam plantæ, aut caudicibus annosis hærentem, præcipuè vmbrosis, aut saxis madidis: aut in aquis palustribus, aut mari. Et hinc varia genera Bryi à Græcis vocari, diuersis etiam nominibus donata esse perhibuit. Sed Dioscorides incanos villos qui ex ramis quarundam arborum pendens simpliciter Bryon vocat.

Aequiuoca. Cęterùm Musci appellatione donantur sequentes plantæ scilicet. Lichen. Polytrichum Apulei minus. Spica celtica. Lenticula palustris. Polytr. scoparium. Lichen arboreum. Ros solis Corallina. Lactuca marina. Eschara. Musci propriè dicti.

MVSCVS ARBOREVS VILLOSVS.

Descriptio. EX arboribus adultis, imprimis verò senio cōfectis, nisi frequētem senserint putatoris falcem, *villi* dependent incani, lignosi, tenuib. contexti filis, gustu adstringente. Trago est muscus quocunque tandem loco natus, potissimùm verò incanus & albidus ille, qui vetustis & aridis arboribus & lignis adnascitur, nihil aliud quàm villosum aut capillaceum quid, quāquam alius in hoc genere magis tenuis, alius crassior, quidam breuior, hic prolixior cernatur, prout arbor, vel lignum, cui inhæret, humidius aut siccius fuerit. Vocat βρύον & Splachnon Gręcorum, Vsneam officinarum, & Serapionis Axnech.

Dodon. Dodonæo arborei musci villosa quædam sunt, ex multis tenuiter ac variè diffectis, subinde veluti folijs inter se implicitis, confusa, quę arborū adhærescentia corticibus, à truncis ac ramis dependent, vt plurimùm colore candescentia: tamen quandoque & nigra quædam sunt, sed minora & tenuiora. Græci βρύα vocant: Latinis Muscus dicitur & σπλάγχνον, σφάγνος, καὶ ὕπνον: Oribasius σφακελίας appellat: Arabes & officinæ Vsneā Vsneā: Germanis *Moosz, Baummosz*: Belg. *Mosch*: Gall. *du Mousch*: Ital. *Musgo*: Hisp. *Musco de los arboles* Aphris, *Axnech*, aut *Vsnee*: Italicè, *Musco*: Boh. & Polonis, *Mech*.

Nom linguarum. Cani arborū villi, quales in Quercu etiam videmus, videntur Lobelio è genere earum plantarum, quas parasitas festiuè quis dixerit, propterea quia non nisi alienâ quadā maxima ex parte vescuntur. Horum omnium varietates villorum exilitate, differentiâ & figurâ discernit.

Synonyma. C. Bauhini. C Bauh pin Muscus arboreus 1. siue Vsnea officinarū: Muscus arboreus, Trago. Matth. Ang. Dod. H. Lugd. Cast. & Thalio: Muscus, Dod. gall. & Cordo in Diosc. Arborum Lonic. & Tabern. Muscus quernus, Lob. Obs. pag 643. Icon. part. 2. p. 242. Musci genus priuatim Splachnon vocatum, apud Dioscoridem, apud Plinium Sphagnon, itemque alibi vua Populi albæ, Cæsalp.

Locus. Reperitur potissimùm in Quercu, Robore, Populo alba & nigra, Vlmo, Betula, Pyro, Pyrastro, Pomo, Pino, Pinastro, Picea, Piceastro, Abiete, Cedro, Larice, ac alijs compluribus arboribus antiquis, absque radice, ac sine folijs, nunc tenuior, nunc crassior, p. el x ò que, modò breuior, modò longior, instar iubæ. Verùm primæ nobilitatis & odorati sunt, Cedrinus, Lariceus, Piceus, Pineus,

& Abientus: secundum locum tenet Populneus, sed candidus præstat, nigricans improbatur: tutillans medium tenet: vilissimus quernus.

Vires. Cæterùm Muscus refrigerandi ac adstringendi nonnullam vim ac potentiam obtinet, quæ tamen pro natura ac facultate eius, cui adnascitur, arboris, ac potissimùm eius corticis, vel remittitur, vel intenditur: eius siquidem cui adhæret corticis, veluti parentis sui, aliquam sibi ascifcit ac retinet facultatem. Idcirco in Quercu natus Muscus refrigerat, ac valdè adstringit: præter propriam, ascitâ etiam ipsius querni corticis vehementer adstringente faculatate. Ex Cedro, Pinu, Picea, Abiete, Larice, & resiniferis, minùs adstringit, & preterea digerēdi ac emolliendi facultatis particeps est. Serapio vinum in quo Muscus aliquot diebus maduerit, altum ait somnum inducere, ventriculum roborare, vomitiones compescere, & aluum sistere. Plura de viribus lege capite præcedenti.

Muscus arboreus peltatus & scutellaris.

Descriptio. SOlet & in arboribus crescere Musci genus, teretibus crassiusculis rigidis veluti *coliculis*, ramosis, quos cirrhi tenues vestiunt, incano colore, in ramorum fastigio sedente peltato orbiculo, cuius oras radij staminei circumcirca coronant.

Synonyma. Cortusus cùm Patauij essemus, vocabat Androsacen alteram. Tabern. dicitur, vti & Gerardo, Muscus ramosus floridus: H. Lugd. Muscus fœniculaceus: C. Bauh. pin. Muscus arboreus 3. siue cum orbiculis: Muscus quernus fruticosus τριχόφυλλος, Colūnæ. Crorrolara Ferd. Imperato. Hanc muscum C. Bauhinus eundem facit cum sequenti. Potissimùm in Quercu & Fago variat, vmbellis maioribus & minoribus, planioribus & radijs, multò diametro longioribus ramosis ac hirsutis.

Muscus arboreus ramosus.

FErd. Imperati *Foglio diramato*, Muscus arboreus, in truncis arborum reperitur cum scutellato iam descripto, cuius natura prope eadem, quòd & odoramentis misceatur, effectu pari. Similis est Pergameno dissecto. Principium latiùs in ramos diuisum, ortus tamen sui latitudinem æqualem segmentis impertit.

Muscus arboreus barbatus.

BArbuta seu barbatus Muscus Imperati arboreus, ramos producit similes chordis longis, cum capillamentis longis adhærentibus, colore viridante.

Muscus villosus herbaceus.

MVscus villosus, vt idem Imperatus author est, ex filamentis herbaceis constat, è pediculo pollicari & simplici prætensis, absque ramis.

Muscus amarus Absinthii foliis.

MVscus amarus Imperato in ramos abit trium vnciarum ab ortu quaquauersū expansos. Nam hoc ei proprium quod ab angusto principio dilatetur in ramos, diuisurâ ferè cornu cerui simili. Sapor eius amarus est. Imperatus describit hos suos Muscos lib. 27. cap. 12.

Muscus coralloides.

AMbigit inter Muscos & Fungos, in cariosis lignis & situ mucidis vliginosis locis nasci solitus, duarum triúmve vnciarum altitudine, rectus, fundo natali veluti appressus, non descendens, ramis permultis crebróque diuaricatis, Coralli plantulam imitantibus, substantia Fungi, pallida, aut ex cinereo flauescente, compressa. Hæc est illa Musci varietas, Corallij æmulatione ramosa, Lobelij in Obs. p. 643. Locus

Muscus arboreus Pennachio.

PLumatus Muscus arboreus [Pennachio *Musco arboreo*, inquit Ferd. Imper. lib. 27. cap. 12.] crescit in arboribus & muris impluuiatis atque humidis, filis subtilibus similis, breui pilo, colore viridi, ad tactum mollis, serici instar: dum siccatur pediculos quosdam producit cum capitulis. Locus

Fortè hic Muscus Imperati idem est cum Musco sequenti terrestri & hortensi. An C. Bauh. pin. Muscus terrestris repens 2. & 3. Muscus vulgaris pennatus maior & minor?

Muscus terrestris & hortensis.

OMnium vulgatissimus est hic mollicellus aspergine madentibus saxis, terræque humidiori appressus, repens, mollicellus, ramis longis tenuibus, foliolis acuminatis plumatim costæ hærentibus, colore viridi, aut ex viridi flauescentibus. Descriptio.

Trago Muscus 3. siue hortensis: Lobel. Obs. pag. 643. Muscus querno vilissimo vilior, saxis & vdis terræ glebis adnascens, quum à natali atque parente suo Muscus naturam imitetur. Eid. in Ic. part. 2. pag. 241. Muscus terrestris vulgaris: vt & Dod. in fol. lat. C. Bauh. pin. Muscus terrestris repens 1. siue vulgatissimus. *Muscus 3. siue hortensis, Trago Muscus terrestris vulg. Lob. & Dod.*

Vsus Empirici hoc Musco ad sistendum sanguinem vtuntur ab visis admoniti: hi enim quamprimùm vulnerati sunt, eo sanguinem sistunt. Vsum Musci ij proinde etiam norunt, qui naues, aquatica ædificia fabricant. Muscus qui hortos & prata humecta obsidet, ita vt gramen supprimat, Martio mense cinere abolerur, sed eo quo lixiuium fuerit confectum.


Muscus ex cranio.

QVidam medici & Pharmacopœi reponunt cranium hominis aliquamdiu loco humido, vnde tandem oritur muscus, quem reponunt & ad vsum reseruant. Dicitur particulare experimentum contra fluxum sanguinis, si puluis eius inspergitur. Pingitur à Tabern. in ic. & hist. muscus ex cranio humano, *Moosz. Von todten kopff.*

MVSCVS FILICINVS.

TAbern. muscum suum Filicinum à Filice, cui similem facit, denominat, germ. *farn mosz*, in ic. & hist. vbi Compilator non monet an arboreum aut terrestrem intelligat. Videtur is nobis depingere terrestris varietatem, in tenues ramos diuisam, coloris viridis, cuiusmodi memini obseruare iuxta rupes, *Muscus filicinus, Tabern.*

in



in siluis vmbrosis, non longè à *Maszmunster* & *Roszberg*.

Varietas triplex.

In Musco filicino Tabern. & Gerardi, C.Bauhinus, qui in pin. Muscum terrestrem repentem quartum facit, & Muscum filicinũ maiorem cognominat, triplicem varietatem obseruari testatur.

Muscus abietis facie.

Descript. Prædicto non multùm absimilis, viticulis in ramos diuisis, folijs capillaceis, vtrinq. (vt in Abiete) costæ oblongiusculæ adnatis, multò quàm in priore breuioribus & viridioribus. Authori C.Bauhin. in prod. Muscus tertius: Eid. pin. Muscus terrestris repens 6. siue Abietis facie Muscus.

Synon.

Muscus in Ericetis proueniens.

Apud Lobelium frustra delineationem aliquam huius plantæ inquisiueris, præter eius picturam, quæ in Icon. Plant. tom. 2. p. 243. sub dicto Musci in Ericetis prouenientis titulo exprimitur, & in Belg. hist. ni fallor, *heyde Mosch* inscribitur.

C. Bauh. pin. Muscus terrestris ramosus 11. siue Muscus paruus stellaris dicitur.

Muscus stellaris roseus.

Descript. Ex fibellis nigris *radicem* constituentibus, pedicelli vnciales prodeunt, quibus singulis *folia* plura instar Rosæ compacta, pallidè virentia, acuminata, in modum stellæ disposita, insident. Muscum hunc octauum in prod. Muscum terrestrem ramosum 12. siue Muscum stellarem roseum, author in saxosis Telamontij prouenire scribit.

Synon. Locus


Muscus sericeus quidam, fortè arboreus.

Descriptio. Ex cortice alicuius fortè arboris tenui, aspero, huic prodeunt villi breues, sericei, tactu leues, rufi, nullius saporis. Vnde acceperim, non recordor.

Muscus pulcher paruus repens.

Descript. Serpit Chamæcisses modo pulchellus hic Muscus, cui ad costam tenuem, fili instar, denticulata foliola, aduersa, valdè tenera, lucida, coloris Musci terrestris Tragi. Cæterùm, in varios diuaricatur ramulos, qui hinc, inde tenues radiculas emittunt.

Lobel. Icon. tom. 2. pag. 243. Muscus terrestris denticulatus, cui in Obs. pag. 644. Musci varietas



aliam, denticellis & sarmentosis viticellis pinnatis compressis argutâ naturâ solertia elaborata, reptatu serptúque innumeris flexibus implicata. Dodonæus iconem proponit sine descriptione, Musci terrestris minoris intitulatione.

Tabern. ic. Muscus tertius: Eid. histor. Muscus 2. Vbi notandum Compilatorem malè iconem hanc pro *Beerlapp* & Musco terrestri Tragi hoc loco exhibuisse. Habet enim iconem illam pro Lycopodio.

Compil. notatur

Synon. C.Bauhin. pin. Muscus terrestris repens 7. siue Muscus denticulatus maior: Muscus denticulatus Lobelij, Hist. Lugd. Muscus minor denticulatus, Ger. Muscus tertius, Tabern.

Muscus terrestris Lusitanicus.

Descriptio. Tenerrima herbula est hic Muscus, dodrantalibus aut pedalibus interdum repens *viticulis*, filo tenuioribus, numerosis, vtrinque adnatis ramulis in obliquum expansis, & subinde capillaribus quibusdam, quas producunt, fibris, terræ inhærentibus. Omnes autem viticulæ tectæ sunt frequentissimis foliolis, siue squamulis potiùs tenuissimis & tenerrimis, pulcherrima serie digestis, dilutioréque & quodammodò pallescente viriditate præditis tactu quidem mollibus, sed veluti siccis, adstringente gustu, cui tamen grata quædam dulcedo admista sit, inquit Clusius, qui Muscum terrestrem Lusitanicum inscribit.

Musc. ter. denticulatus alter, Lobel.

Lob. in Ic. tom. 2. pag. 244. dicitur Muscus terrestris denticulatus alter, vt in Obs. p. 644. vbi prætereà Muscum terrestrem repentem Lusitanicum Clusij vocauit.

Sola icone proponit Dodonæus Muscum terrestrem minorem alterum. Tabern. ic. Muscus 2. Eid. hist. Muscus I. *Ineptè* admodum Compilator Musci terrestris Lusitanici effigiem hoc loco ponit pro *Beerlapp* Tragi. Nam vera icon ab eo Lycopodio pingitur.


C.Bauhin. pin. Muscus terrestris repens 8. siue Muscus denticulatus minor: Musc. terr. repens, Clus. hisp. Muscus terrestris denticulatus alter Lobelij, Histor. Lugd. Muscus denticulatus, Ger. Muscus 2. Tab.

Nusquam hoc Musci genus Clusio conspectũ, quàm in vmbrosis aggerib. Oliuetorum, ad Colibriam Lusitaniæ vrbem, & Academiam totius regni celeberrimam, vulgò Conimbra dictam, trans flumen Mondego, Latinis Munda nuncupatam, non procul à deserto quodam sacello in colle sito.

MVSCVS TERRESTRIS REPENS à Trago pictus.

Descrip-tio.

LOngè latéque per terram serpit, subindéque è transversis ramis demissis fibris longis lignosis crassiusculis radicatur: ipsi verò *rami* variè in multos surculos diducuntur, funiculi instar habentes crassiusculi, *foliis* amicti, occultatique confertissimis, Camphoratæ ferè, nisi latiora essent: adultis plãtis succrescunt *pediculi* aliquot ex ramis extremis producti, sesquipalmares, tenues, foliis ferè nudi, singuli in geminam teretem sextãtalem mollicellam imbricatam clauam definentes.



Tragus author est Muscum terrestrem, *Beerlap*, caule & semine carere, nihilque aliud esse, quàm siccum & serpentem quendam Muscum, multifariam, tenuissimis quasi filis dilatatum, quibus radicis vice vtatur, petrisque adhæreseat, séque serpendo vulgari siluestri & saxatili Musco admisceat, per omnia vermi admodum longo [nam interdum nouem cubitos longitudine æquare] & hirsuto similium: Mense Iunio iulos non aliter atque Corylum emittere digitum longos & luteos, qui farina aspersi videantur: atque hunc illius florem esse, qui & protinus sine fructu decidat: Addit Germanos variis nominibus hanc plantam donare, *Beerlappen, teuffelszklavven, Seil oder Gurtel kraut. Neunseyl, Neungleych harscher, & Gurtelkraut* illam appellantes, quosdam etiam *wveingrein*: Latinè autem Muscum terrestrem non malè dici arbitratur, quòd formâ sua Corallium imitetur, licèt aliàs cum aliis nonnullis Herbariis Soldanam & Soldanellam appellare solebat, quam Serapio Chalkile & Solabar vocat.

Lobelius, in Icon. pag. 144. tom. 2. & Obs. pag. 645. inscribit Muscum clauatum, Pedem leoninum, quem Cordum perperam Chamæpeucen vocare scribit. Nos autẽ reperimus nos vbi Cordus Chamæpeucen appellãrit: scimus quidem apud Cordum hist. lib. 1. cap. 89. iconem Tragi positam esse titulo Chamæpeuces, sed non Cordi, vt ibi expressè annotatum.

Lycopodiũ siue Muscus 5. Dod. gall.

Dod. gall. depingit, sed minùs feliciter quàm Tragus, describitque nomine Musci quinti, vocans Græcè λυκοπόδιον, id est, Pedem lupi: Brabant. *wvolfs klavven* & ex quorundam opinione *wvinecruyt*: *Pied de loup.* Lat. in fol. meliorem exhibet iconem Musci terrestris, siue Lycopodij inscriptione, de quo inter alia ait: Reperitur nonnullis locis major, aliis minor & tenerior. Officinæ pleræque perperam Spicam Celticam nominant, peius ac cum maximo errore pro Spica Celtica in medicamentorum compositionibus substituunt.

Pormonaria & Pulmonaria, Anguill.

Anguill ep. 13. vocat Bermonariam & Pulmonariam, quã communiter pro Spica Celtica vti solebant. Cæsalp. etiam ex Musci genere est, quæ pro Spica Celtica vendebatur.

Matth. in hist. germ. vocat Muscum terrestrem, Bohemicè *Mech Zemsky* ac *Rużek*. In comm. in Dioscor. narrat non deesse ignaros pharmacopolas, qui pro Nardo Celtica plantam quandam emant arbores scandentem, &c. *Quam si* Matthiolus vnquam vidisset natali solo prouenientem, non dixisset arbores scandere: quod in post. comm omisit. Meliùs in histo. germ. & Epit. Camerarij scribitur viticulas sæpe ad septem octóque vlnarum longitudinem protendi, compluribus vtrinque adnatis ramulis: serperéque humi.

Cordis in Dioscor. vehementer eos errare dicit, qui præsentem plantam, quam ipse *katzenleitterlein* & *Mumzengrun* appellat, montanam Nardum esse putant, cùm Muscus potiùs sit.

Catal Francof. pag. 21. Chamæpeuce, Muscus serpentinus, Lycopodium, *Schlangen mosz, Wolfs klavven.*

Tabern. ic. & hist. dicitur Lycopodium. *Compilator* autem insignem hic ignorantiam suam demonstrat: ponit iconem plantæ exhibitæ à Trago pro Musco terrestri, cùm tamen antè tradiderit Muscum, quem *Beerlap, Bartelkraut*, &c. germanicè vocari, Tragumque eius vium declarare, dixit. *Considerent* præterea lectores stupiditatem hominis: Pagina 485 ponit duas icones pro *Beerlap*, sub titulo Musci primi & secundi, quæ ex Lobelij iconibus desumptæ, qui eas non pro *Beerlap*, sed pro diuersis Muscis ponit.

Synonyma.

C. Bauh. pin. Muscus terrestris repens 10. siue Muscus terrestris clauatus: *wveinkraut* Brunfel. quo vinum pendulum restituit: Muscus terrestris Trago, Matth. Lac. Dod. & Cast. Muscus vrsinus, vel Pes vrsinus, Gesn. frac. Lycopodium, Dodon. gall. & Tab. Chamæpeuce, Cordo hist. ic. Gesn. & Turn. Pormonaria siue Pulmonaria, quæ pro Spica Celtica vsi sunt, Ang. Muscus clauatus & Pes leoninus, Lob. & Ger. Muscus terrestris 2. & alius terrestris, H. Lugd. Musci genus quod pro Spica vendebatur. Cæsalp. Silaginis species altera, Thalio.

Locus.

Matthiolo nascitur in siluis, sabulosis & inuijs locis, inter saxa: gignit Iunio mense iulos. Tragus reperit in siluis ac desertis, cuiusmodi sunt Hercinia silua, &c. Lobelius mucidorum & opacorum sobolem statuit nemorum & sterilium vdorum. Iunio mense spicæ vigens: reliquo tempore inanes & effœtæ apparent. Montbelgardico in comitatu & in monte Balon etiam obseruaui.

Vires & Vsus.

Muscus hic vino decoctus ac potus calculos comminuit & educit, experimento, vt plerique apud Tragum testantur, certissimo. Nonnulli etiam aquam ex eo distillant eandem affectionem. Contusus aut in vino decoctus dolorem aut inflammationem sedandi vim obtinet ideoque podagræ calidæ impositus prodest. Vino pendulo impositus, intra paucos dies illud restituet. Tantùm autem Musci recipiendum erit, quantùm vas ipsum, siue magnum postulare videbitur. His addit Matthiolus, Pulueris eius drachmæ pondere sumptus cum vino rubro

rubro cohibet fluxum alui & dysenteriam: in eodem vino coctus, si eo abluatur os, tremulos dentes confirmat. Vbi quis refrigerare & siccare voluerit, tutò hâc herbâ vti poterit. Lonicerus easdem adscribit vires, quas Tragus: sed temperamento ait esse calido ac sicco, aliter quàm Matthiolus. Vrinas mouere scribit Dodonæus. Camerarius tenuem subtilem florem rem exsiccatum vtilem facit admodum aduersus calculum.

Muscus terrestris rectus.

Descriptio. IN nostra peregrinatione Rhætica obseruauimus hanc plantam Musco terrestri repenti accedentem, ramis crassioribus, dodrantalibus ferè rectis, in duas ac etiam quatuor partes diuisis, vesi digitos exprementibus: *foliis* longiorib. paulò & latiorib. sursum tendentibus. Locus Inueniebat Gesnerus in Engadina inferiore Rhætorum, mense Iunio, Maio verò inter Bellenzonam & Lugan: in monte Gothardo quoque vidimus.

An Sauina sterilis, siue siu. Trago? An Matthiolo in Diosc. est herba illa, quam aliquãdo vidit assumi pro Sabina, licèt nec sapore, nec odore eam referat: quamque sæpiùs existimauit esse Selaginem à Plinio lib. 24. cap. 11. commemoratam.

Syn. C.B. C. Bauh. in pin. Sauina syluestris Tragi, Gesner. hort. & Lonic. cui & Brathys siluestris: Muscus terrestris tertius, H. Lugd. Chamæcyparyssus, Turn. Tabern. & Gerardi: Sauina Tragi silnestris, seu Silaginis Plinianæ prima species, Thalio: Similis herbæ Sabinæ Selago appellata, Plinio lib. 24. cap. 11.

MVSCVS TERRESTRIS, FOLIIS retrò reflexis.

MVscum hunc vnde habuerimus non occurrit: ramulus quidam nobis ab Agerio datus Argentinæ: Eam autem sepere satis apparet ex sicca, fibrásque in terram demittere.

Descriptio. Hanc itaque sic describimus: Ex repentibus ramulis emittit coliculos multos, palmares, sed tenuiores multò, quàm in Musco terrestri Tragi, singulares, in singularem veluti iulum desinentes, vnciam circiter longum, qualis prædicto Musco est, sed minorem & carentem pediculo folijs nudo: *folia* ad Sabinam quodammodò accedunt, vel potiùs Iuniperum nisi essent breuiora, similia modò dicto Musco, quæ in eo differre videntur, quòd sursum non tendunt, nec cauli appressa sunt, sed expansa retrorsum, & deorsum reflexa vel repanda.

An C. Bauh. pin. Muscus terrestris ramosus 9. siue Muscus Cupressiformis ramosus?

MVSCVS TERRESTRIS RAMOSVS pulcher.


Descriptio. MVscum ramosum pulchrũ vocamus quendam Musco terrestri repenti affinem, longè tamen ramosiorem, aspectu hilariore, cubitalibus sarmentis, per quæ vix vlla obseruare licet folia: rami eius accedunt vtcunque ad Arborem vitæ, pulchro virore insignes, compressi, & veluti prælum experti, denticellis hinc inde incisi: clauas tandem producit, quemadmodum in Musco



terrestri repente priore diximus. Sunt nobis alij cubitales rami, sed rariores præcedentibus duobus, qui & ipsi sepere vidẽtur ac etiam fibras dimittere, quibus terræ affigitur. Pro hac planta posset substitui icon Sauinæ syluestris Tragi, nisi noster Muscus ramosior esset.

Synonyma. C. Bauh. An C. Bauh. pin. Muscus terrestris ramosus 1. siue Muscus erectus ramosus saturatè viridis: Selago 4. Thalij. Hæc inter folia aliquando granula habet.

MVSCVS CORNICVLATVS.



Descriptio. QVam plãtã Tabernamontanus in Ic. & Hist. Musci corniculati nomine pinxit, germanicéque *Geborne Mosz* appellauit, quòd similis sit multis ramis cornu ceruino, eã C. Bauhinus in pin. ad Filicem saxatilem quintam, siue suam corniculatam reduxit, & cum Holostio petræo Tabern. siue Filice saxatili Tragi, nostro quidem iudicio confundit. An Eid. pin. Muscus terrestris ramosus 12. siue Muscus ceranoides maior & minor?

MVSCVS PYXIDATVS.

Descriptio. E Corio terreo saxis instrato granulatus fungosæ substantiæ Muscus nascitur, surgentibus hinc inde semuncialibus & vncialibus pyxidulis crassis, cinerei coloris, superiùs in acetabuli formam patulis, pede angusto nixis. Vbi obseruauerimus non recordamur.

C. Bauh. pin. fortè Muscus terrestris ramosus 13. siue Muscus pyxiodes terrestris: Muscus terrestris pyxidatos alabastriculos imitatus, Lobel. belg. Eid. pin. Muscus 14. siue pyxioides tabulis maioribus & candidioribus constans.


Muscus pyxioides saxatilis.

TVbulis est longè minoribus, copiosioribus, nec ita candidis, qui petris saxisve latissimis

innaſcitur,ea quæ obtegit, quemadmodum in via Telamontium verſus, videre eſt.

Autori C.Bauh.prod.Muſcus 16.ſiue pyxioides alter,ſiue ſaxatilis: Eid.pin.Muſcus terreſtris ramoſus 14.ſiue Muſcus pyxioides ſaxatilis.

MVSCVS ALPINVS FLORE INSIGNI, dilutè rubente.



Deſcriptio. CRaſſiuſculas habet *radices*, in multa capita diuiſas, numeroſis fibrillis donatas: vnde *folia* infinita, anguſta, vix vnciam longa,terræ incumbentia, naſcũtur, Phyllum Dalechampij magnitudine æmulantia, ſine vlla aſperitate:inter hæc *pediculis* exeunt vix vnciales, tenues, quorum vnicuique *flos* inſidet vnus,magnus,rubellus, ex calyce oblongo ſtriato, Lychnidis florum formâ.

Cluſ. in pann.vocat hanc ſuam ſtirpem p.324. & 326. Caryophyllum 7. ſiue pumilionem alpinum: In hiſt. Caryophyllæum nonum, ſuſpicaturque eſſe Muſcum alpinum Geſneri in epiſtolis. Teſtatur autem hunc Caryophyllæum,in Iudenberg celſiſſimo Stiriæ monte interdum totum niueum naſci, aliàs reliquis notis cum illo conuenientem.

Caſp. Bauhinus phyt. Gentiana 18.ſiue Gentianella omnium minima, floſculo pallidè cæruleo, quam muſcum aliquem floridum pronuntiaret,niſi ſummè amaram diceret.Ego tamen tãtam amaritudinem obſeruare non potui. Eid.pin. Gentiana alpina minor 8. ſiue Gentianella omnium minima:pro qua H.n.g.l.31.deſcripta eſt.


Caryophyllum Cluſii vocat in pin. Lychnidem alpinam 4.ſiue pumilam folio gramineo:& Muſcum alpinum Lychnidis flore:Muſcum floridum, Geſn. epiſt. & Fracto : Ocimoidem muſcoſum Ponæ.

In alpibus Rhæticis, monte Pilati, & Cothardo prouenit. Caryophyllæus Cluſij ſummis Auſtriacarum & Stiriacarum alpium iugis inuenitur, nũdo petroſoque ſolo. Floret Iunio,ſemen Auguſto plærumque maturitatem adipiſcitur. At in hortos tranſlatus etiam ſub Aprilis finem floret: nonnunquam etiam ſecundò ſub Septembris initium.

FINIS LIBRI TRIGESIMI SEPTIMI.

HISTORIAE





HISTORIAE VNIVERSALIS PLANTARVM

LIBER XXXVIII.

AQVIS INNATANTES PLERÆQVE.

ET hactenus ita se habent terrestribus gaudentes plantæ. Transeamus ad aquaticas, vt vel frigidis solemus vmbris, vel ipsa adeò herbationis nouitate paulisper rejciamur, omnes vnà quasi sportula collectas exponendo.

NYMPHÆA VETERIBVS.

CAP I.

Nymphæa medicamentaria Arist.



AVTHOR est Aristoteles libro 2. de plantis Nymphæam medicamentariā [Τὸ νῦφαρ τὸ ἰατρικὸν] in dulcibus [dixit γλυκεροῖς, ad differentiam τῶν ἁλμυρῶν. Alius fortè vertisset perennibus, Scalig.] locis, in quibus fit, vt nó admodum alienetur aqua, cùm aër inclusus terrâ fuerit adeptus siccitatem: & aquę compactus humor: idémque aër manserit intra aquam: exire: extensam autem non esse, propterea quòd ejus radices agantur in terræ superficiem.

Theophr. Theophrastus Aristotelis & discipulus & scholæ successor, scribit lib 9. cap. 13. dulcem esse radicem Nymphææ: Nasci autem in lacubus & palustribus: vocare hanc Bœotos Madonaim [μαδωναῖν Gaza Madoniam vertit: aliqui tamen Madon legunt,] & fructum comedere: habere folium magnum super aquam: dici sanguinem sistere, si contritum quis plagæ imposuerit: vtilem quoque esse ad dysenterias potam. [Dalechampij sententia Theophrastus Sidæ nomine Nymphæam delineat.]

Genera duo. Nymphææ genera duo Dioscoridi, Plinio, & Galeno. Cæterùm, Dioscorides à Nymphis Nymphæę nomen sibi vendicasse credidit, quoniam

Locus loca amet aquosa. Nymphæa, inquit, in paludibus, stagnantibúsque aquis nascitur. Plurima autem inuenitur in Helide, Anygro amne, & in Bœotiæ Aliatro: *folia* verò habet Ægyptiæ Fabæ similia, at minora, oblongioráque, plura ab vna eadémque radice prodeuntia: quorum alia super aquam quodammodò extant, alia in ea ipsa demergunt: *florem* album, Lilio similem, in quo medium croceum est. At cùm defloruerit, *calyculus* rotundus, figura Malo aut Papaueris capiti similis, idémque niger extuberat, in quo *semen* [καρπὸς] nigrū, latū [πλατύς,] dēsū [vet. pro πλατὺς καὶ πυκνός, tātùm πυκρὸς legit:] atque gustāti lętum, glutinosúmve recluditur. *Caulis* est læuis, minimè crassus, niger, Ægyptiæ Fabæ cauli similis: *radix* nigra, scabra [τραχεῖα Orib. παχεῖα.] claue similis, quæ Autumno secatur. *Ea sicca* cum

Vires. vino pota, cœliacis ac dysentericis auxiliatur, liénemque consumit. Stomachi quoque ac vesicæ doloribus sedandis ipsa radix imponitur, & alphos ex aqua emendat: alopecijs etiamnum cum pice imposita medetur. Eadem contra veneris insomnia bibitur, si quidem illa in totum adimit: quin & aliquot diebus continentur epota, genitale ita infirmat, vt arrigi minimè possit. Idem porrò seminis quoque poti effectus est. *Est & altera Nymphæa*, cuius *flos* [ἢ τὸ ἄνθος, vet. non habet.] Blephara dicitur, *foliis* antè dictæ similis, at *radice* alba simul & aspera, *flore* luteo, splendente, Rosæ simili: *radix* & *semen* ad inhibenda fœminarum profluuia efficacites ex vino nigro bibuntur. Nascitur autem in Thessalia, iuxta Penæum amnem. Sunt qui hanc Nymphona vocent.

Plin. Nymphæa à Nympha dicta. Plinio lib. 25. cap. 7. prior Nymphæa nata traditur Nymphâ zelotypiâ erga Herculem mortuâ. Quare Heracleon vocant aliqui, alij Rhopalon à radice clauæ simili. Ideóque eos qui biberint eam, duodecim diebus coitu genituráque priuari. Laudatissima in Orchomento & Marathone. Bœoti Madon vocant, qui & semen edunt. Nascitur in aquosis, folijs magnis, in summa aqua, & alijs ex radice prodeuntibus, flore Lilio simili, & cùm defloruit, capiti Papaueris. In caule secatur Autumno. Radix nigra in Sole siccatur, aduersatúrque aluinis: *Est & alia* Nym-

phæa, in Thessalia, amne Peneo, radice alba, capite luteo, Rosæ magnitudine. Hæc ille loco citato. *Idem passim hæc habet.* Alopecias emendat Nymphææ radix, si vnà cum cicutæ radice trita illinatur. Stomachi vitia sanat Nymphæa Heraclia illita: Aluum sistit semen ejus cum vino potum: Tenesmo verò radix è vino bibitur. Aluum leniter soluit (imò potiùs retinet. Plinius negligenter hoc prodidit li. 26 cap. 8.) & Nymphæa in vino austero. Radix è vino pota lienem consumit, & vesicæ dolores sedat. Venerem in totum adimit Nymphæa Heraclia, semel pota, in quadraginta dies: Insomnia quoque veneris à jejuno pota & in cibo sumpta. Illita quoque radix genitalibus, inhibet non solùm venerem, sed & affluentiam genituræ: ob id corpus alere vocemque [quoniam habiliores sunt & voce magis canora, qui venere non vtuntur] dicitur. Nymphæa trita plagis imponitur. Humidis vlceribus, priuatim iis, quæ calceamento facta sunt, prodest Nymphæa arida inspersa. Apposita Nymphææ Thessalæ radix [quæ florem luteum gignit] vuluæ dolori medetur. In vino nigro pota profluuia inhibet. Heraclia verò illita Nymphæa omnes cutis maculas emendat.

Galenus Galenus refert Nymphææ tum radicem, tum semen desiccandi vim habere citra morsum. Quare ventris profluuia cohibere scribit, semenque siue per insomnia, siue alio pacto immodicè profluens retinere: iuuare porrò etiam dysentericos. Cæterùm, Nymphæam candidam habentem radicem, potentioris esse facultatis, vt muliebri medeatur profluuio. Verùm & hanc, & eam quoque, quæ atram habet radicem, ex vino nigro austero bibi. Porrò nonnullam habere quoque & abstergendi potentiam. Itaque & alphos sanare, & alopecias. Cæterùm, ad alphos macerari aqua: ad alopecias spice liquida. Sed ad hæc aptiorem esse eam, cujus radix nigra est, sicut ad alia, cujus alba.

Radix & semen in vsu, flos non est humidus. Nymphææ radicibus & semine vtendum, non autem flore solo: & frigidam & siccam esse illam totam, neque florem esse humidum Ang. Ferrerius Castig pract. med. cap. 6. sequentibus docet. Non probant quidem inquit, quod radicibus & semine Nymphææ in medicina vtimur, absurdum existimantes aliud præter florem ex ea assumere Sed vide quàm prudenter: Nam Dioscorides, Theophrastus, Galenus, Paulus, radicem & semen vsurpant, nulla floris ad medicinæ vsus facta mentione: & Auicenna radicis & seminis, æquè meminit ac floris Taxandi ergo illi potiùs, qui radicem & semen negligunt, & veteribus præteritum florem tanti faciunt, vt totius plantæ dignitatem in eum transferāt. *Est etiam* in facultatibus controuersia. Auicenna enim & tota ferè Arabum familia Nymphæam frigidam statuit. Galenus verò siccam facit, de frigiditate nihil certi decernens, nisi quod ex viribus satis indicat eam quoque frigidam esse. Quod verò sicca sit apparet ex eo quod plagis imposita sanguinem sistit, Theophrasto: & ventris profluuia cohibet, semen genitale fluens retinet, dysenterias iuuat, & muliebri profluuio medetur, Galeno, Paulo, & Aetio. Quas facultates Auicenna etiam agnouit in radicibus, & semine, non autem in flore. *Vnde conciliandi* eos occasionem sumpserunt quidam docti, radicem & semen frigida & sicca dicentes, florem verò frigidum & humidum. Quanquam ex compositis medicamentis, quibus admiscetur, facilè est indicare, hunc non humidum, sed siccum esse. Vtuntur enim mulierculæ aqua illius stillatitia, tum sola, tum cæteris permixta ad erugandam cutem, & poliendam faciem, quod citra abstersoriam facultatem effici non potest: quæ non humiditatem, sed siccitatem potiùs arguit, nec mirum florem abstersorium videri, cùm totâ plantâ ad alphos & alopecias vsi sint veteres. Nec existimandum hos tam cæcos fuisse, qui in re tam facili & sensibus obuia distinctionem illam (si modò vera fuisset) in flore, seminibus, & radice non animaduertissent. *Syrupum ex* Nymphææ floribus, non solum frigiditatis, verùm etiam humiditatis ratione, in conciliando somno, primas à syrupo papauerino obtinere aiunt. Verùm cùm solus ac simplex reuocatur in vsum, Syrupo violaceo inferior deprehenditur. Id manifestè probat recentiores floris temperaturam & vsum non benè cognouisse. Cæterùm, solebant pharmacopolæ parare hunc syrupum secundùm descriptionem cujusdam Pedemontani, qui multa commiscet, nullo delectu, addens vtriusque Nymphææ flores.

Cardanus flores solùm Nymphææ croceæ frigidos & humidos, cō que odoratos esse perhibet & somnum dulcem stratos conciliare. *Nymphæa crocea flores.*

NYMPHÆA ALBA.



Descriptio. Nymphæa alba, luteæ paullò pòst describendæ, antè floris productionem, simillima est rotundioribus tamen *foliis*, Dod. & foliorum & florum pediculis rotundis: *radix* crassissima cortice tegitur: nigriore intus cādida ac fungosa vnde plurimæ exeunt fibræ, quibus in fundo hæret: *flores* autem longissimis aquas trajicientibus pediculis hærentes, candoris emaculati, nonnihil odorati, liliaceis floribus similes, multiplici foliorum agmine stipati, verùm extrema folia exteriore parte ex albo virescunt, vt Ornithogali: medium occupant *stamina* numerosa. Dodon. autore post florem capitulum prodit rotundum, in quo *semen* nigricans, splendens, Milio majus.

Lotus Ægyptia. Alpino. Lotus Ægyptia planè eadem est Alpino, quam Itali Nymphæā atque Arabes Nuphar appellant. In toto quidem flumine Nilo, Ægyptia loca lambente nulla alia planta est inuenta, quæ notas Loti præ se ferat, quàm hæc Nymphæa, quæ profectò planta similis est, vt de Loto affirmat Dioscorides, Colocasiæ, seu Fabæ Ægyptiæ, floremque fert album, Lilio valdè similem, quam clariùs expressit Theophrastus, qui dixit florem habere candidum,

candidum, Lilijs foliorum angustia proximum, verè enim hic maioris Nymphææ flos est, qui Sole occidente clauditur, atque sub aqua occultatur, atque Oriente suprà aquam assurgit, & foras exit, aperitúrque. Quod non modò in Ægypto, verùm in multis Italiæ locis in hac planta obseruatur, maximéque in locis omnibus circum Venetias lacunosis vel palustribus.

Non itaque possum non vehementer admirari Theophrastum, Dioscoridémque, atque alios, qui omnes à Nymphæa distinctissimis capitib. Lotú Ægyptiam seiunxerint, quando vtraque vnum atque idem planè sit, & mirandæ ad Solem conuersiones de Loto celebratæ eædem sint, quæ in communi hac Nymphæa ab omnibus animaduertútur. Ipsa enim occidéte Sole florem claudit, deinde tota cum folijs sub aqua occultatur, eóque oriente, florem primò extra aquam demittit, aperit, atque paulò pòst cùm omnibus folijs supra ipsam assurgit. Ægyptij caules crudos cum suis capitibus per Æstatis calores mandunt: subdulces enim sunt, atque humidi, admodúmque refrigerant & humectant, quos appellant *Razelmil*.

Hin. nota ger. *Alpin. excutitur* Miratur & Guilandinus Plinium lib. 13. cap. 17 & 18. de Loto Ægyptia scripsisse, qualia, teste Alpino, huic Nymphææ conueniunt, *Nobis quidem* arridet Alpini sententia: verùm non conuenit decrisptio radicis, quæ non malè quadrat Colocassiæ vulgari, vt facilè dici possit duas plantas in Loti descriptione mixtas. De Loto Ægyptia Veterum sententias mox infrà prosequemur.

Apulei lapsus. Nymphææ Apuleius falsò Cichoreæ folium adscribit, id monente Eur. Cordo.

Quorundam confusio *Varia nomina* Brunfels. germ. p. 3. Lonicerus & Dorsthenius ignauus Botanicus plures stirpes cum Nymphæa commiscent, vocando (imitando Apuleium, qui & Herculaniam matrem nuncupat) Clauum, vel Digitum veneris, Clauam, vel Radicem Herculis, Algam palustrem: Papauer palustre: german. *Seeblum, keller Wurtz, keulvvurtz, vvassermachen, haarvvurtz, haarstrang, & berenlitzvvurtz* Apud Tragum eadem nomina latina leguntur: addit tamen, quosdam Heraclion, & Heracleam Rosam vocare germ. *vveisz Seeblumen, vvasser Gilgen, horvvurtz, & herstrang.* Apud Hist. Lugdunensem quæ extant huius Nymphææ effigies, errore quidem Compilatoris: vni hæc est inscriptio p. 1008 Nymphæa maior alba: alteri p. 1009. Nymphæa lutea maior.

Latinis sicuti Græcis Νυμφαία vocatur: Arab. *Nilofar, Ninofar*, & *Nilufar*, & *Nenufar*: offic. *Nenuphar*: Gall. *Blanc d'eau, & Lis d'estang*: Hispan. *Escudetes del rio, & Higos del rio.* Nenufar vocát Arabes: & græ. à voce corruptâ, propter natales aquas, *Golfano*: Itali nomen à discis mensarijs indiderunt. Belgæ *Plompen vvitte Plomoen*: Angli *vvater Rose, vvater lily*, vel *lelie*: Boh. *lekno Stulitk*: *Vizi tok.*

Matth. notatur. Matthiolus testatur Fuchsium lib. de comp. med. alias Græcorum Nymphæas, alias Arabum putare. Habebat is in primis comm. Nymphæam albam iunctam cum lutea: in postr. verò commodè propriâ figurâ vtramque expressit.

Synonyma Dicitur Nymphæa alba, Brunf. in 4. p. 1. Dod. Cordo hist. Lob. in Adu. Obs. p. 323. & 324. Icon. p. 595. & tom. 2. pag. 279. Acostæ, Tab. Thal. & Gerardo. Nymphæa flore albo, Anguil. & Clus. pann. & hist. Nymphæa cádida, Trago, Fuchs. Turn. & Cæsalp. Nenuphar album, Brunf. tom. 1. chapl. 3. Nymphæa 1. siue alba maior, C. Bauh. phyt. & pin. Nymphæa maior alba, Histor. Lugd. Cast. & Eyst. Habet Eyst. aliam quæ, nullatenus primæ sit dissimilis, nisi quòd omnia minora habeat. Nymphæa alba minor Est.

Nascitur in paludibus, stagnantibus aquis, amplioribus fossis, & pigro lapsu dilabentibus riuulis, ac subinde fluminibus, Maio & Iunio florens. *Locus*

Vires Nymphææ vtriusque vide ante ex veteribus. Nostra ætas candidæ flores ad capitis ex causa calida affectus commendat. Nymphææ, vel Loti Ægyptiæ, inquit *Alpinus*, vtuntur floribus & folijs contusis ad omnes calidas inflammationes, atque etiam succo, præsertímque ad demulcendos dolorès, à calida causa obortos, lacte atque oleo rosaceo misto, eodémque itidem modo oleo, quod ex floribus parant, ad calidos dolores, inflammationes, exustiones, vlcera & dolores capitis in febricitantibus, vigilijs, tum exteriùs folia contusa applicant, tum eius succo cum oleo & aceto frontem & tempora, illinunt. ad conciliandum somnum syrupum ex eo paratum frequentant, atque tum seminum, tum radicis puluerem ægrotis cum eius decocto exhibét. Vsus radicis seminúmque secreti loco habetur apud multos ad gonorrhæam, & in mulieribus ad album profluuium firmandum, & ad dysenteriam. Multi verò ab huius plantæ vsu cauent, eius loco alia sequentes, eo timore ne is coeundi tum desiderium, tum vires minuantur, apud eos etenim omnes compertum est vsum seminũ atque radicis homines reddere ad venerem valde frigidos ac tardos Hinc vsum hunc multos ibi sanctos heremitas sequi aiunt, vt faciliùs vitam cælibem ducere queant. *Vires*

NYMPHÆA LVTEA.

Descriptio Haud temerè herbam aquaticam inuenias, quæ maiore *radice* nitatur quàm Nymphæa, quippe quæ humani cruris crassitudinem nonnunquam assequatur. Harum quæ lutea est, *radicem* habet foris virentem, intus albam, fungosam & porosam, sapore subamaro præditam cum quadam adstrictione, cui multa appensa adnata crassitudine digitali, foris nigricantia, fibrisque multis capillata: *folia* aquæ innatant, spithamam aut sesqui spithamã longa latitudine palmari, formâ soleæ equinæ, propemodum rotunda, paulò oblõgiora quam candidæ, pinguia, lętóque virore splendentia, superiore parte glabra & læuis, inferiore verò



fibris aliquot distincta, *pediculis* digitali crassitudine, cubitos duos aut tres longis aut etiam longioribus, teretibus, [Dod. foliorum florúmque pediculis angulosis, quod considerare

tantùm. Medulla fungosa creberrimis rectis canaliculis pervia: quibus ad exortum interdum concurrentibus pluribus pediculis, *lanugo* candidissima, quæ & folia nondum explicata, hastę mucronem æmulantia, exteriore parte obuestit: *flores* pediculis consimilibus insident, sapore cum dulcedine aliquâ strenuè adstringente, odore Sisymbrij Cardamines, quinq; folijs crassiusculis constantes, colore luteo præditis, exceptis vnguibus, qui externa parte virescunt: intra verò septum foliorum quinque, duplex est corona, prior minutissimorum foliorum quę externis appressa rugosa conspiciuntur & similiter lutea, quo etiam colore prædita est interior, sed dilutiore ex complurimis ligulis retroactis & apicibus priorem coronam contingentibus: medium occupat pericarpij rudimentum ex luteo viride, quod delapsis coronis, foliisque florum totis jam viridantibus, saturo virore sed nitente tingitur papaveracei capitis magnitudine, sed forma vrceum affabrè exprimens, turgido ventre in angustam ceruicem desinente, quæ sensim dilatata margines vrcei effingit, steijs extantibus asperatos, & orificij loco aliquovsque pertusos: in his *semen* continetur Dodonæo teste, splendens, majus quàm albæ, Triticeo grano minus.

Compil. H. Lugd. notatur, & Matth. Hanc Compilator H. Lugdunensis malè ascripsit titulum Nymphææ luteæ minoris, cùm sit majoris figura. Matt. verò in poste. comm. & hist. germ. Nymphææ luteæ nouam habet imaginem, cùm in prior. potrio esset picta cum albo.

An Lilia Herodoti. Considerent lectores, an Lilia Herodoti lib. 2. Rosis similia in flumine nascentia, sint Nymphęa lutea, ipsi fortè minùs cognita, & malè descripta.

Apollin. ridetur. Egregia Apollinaris comparatio, qui flores cum Croci colore confert.

Synon. Nymphæa lutea, Trago, Matth. Fuchs. Anguill. Turn. Dod. Lon. Leb. in Adv. Obs. p. 313. & 324. & Lob. p. 594. Acostæ, Cast. Tab. Ger. & Eyst. ac Thalio, Gesn. de coll. stirp.

C. Bauh. pin. Nymphæa lutea 1. siue maior: Nenuphar luteum, Brunfels. Nymphæa lutea maior. H. Lugd. & Clus. hist: Nymphæa altera, Cordo in Dioscor. flore ex toto luteo, Cæsalp. Nymphæ citrina, Cordo hist. *Item*, Nymphæa lutea 2. siue minor magno flore: Nymphæa lutea minor, Lugd. Ger. Dod. ed. belg. Nymphæa secunda, Tab. *In phyt.* Nymphæa 2. siue luteo flore maior: Item, Nymphæa 7. siue minor magno flore: Nymphęa lutea minor, H. Lugd. *Nullam*


C. Bauh. not. *nos* particularem Nymphæa luteæ speciem minorem in H. Lugdunensi agnoscimus. Icon enim quę proponitur hoc titulo, est Nymphææ luteæ maioris, vt patet consideranti iconem Nymphææ luteæ maioris apud Tragum, Fuchsium, & Dodon gallicum, quam imitata est H. Lugd. licèt vel Compilator, vel Typographus pro minore exhibuerit.

Nomina linguar. Germ. *gal Seeblumen*, *Gelb. Seeblumen*: Belg. *Ghele Plompen*: Gall. *Iaunet d'eau*: Hisp, *Golfan amarillo*: Angl. *yellow water lilie*. Græcis Νυμφαία ἑτέρα, cuius flos Blephara.

Locus & Tempus. Nascitur vbi alba, eodemque tempore floret.

Vires Huius radicem, renum & vesicæ calidis morbis mederi, & aduersus gonorrhæam efficacem non temerè existimarunt Neoterici, vel Dodonæi opinione;

NYMPHÆA MINOR LVTEA flore fimbriato.



Descriptio. RAdiculis multis vliginoso cœno adhæsa est, capillaceis, è cauliũ nodis prodeũtibus: *foliis* multis, longo rotundoque pediculo nixis, gustu amaris, aquæ innatantibus, densis: *caulibus* teretibus, geniculatis: *floribus* luteis, flori Cucurbitæ perquàm similibus, quinque tantùm foliolis constantibus, non, vt in lutea maiore, numeroso stipatu congestis, aut multos apices intus gignentibus, per ambitum venustissimè fimbriatis: cauliculo oblongo, lato & compresso, *seminibus* pleno oblongis, latis, in ambitu pilosis, Atriplicis ferè modo, gustus quoque amari.

Compilator H. Lugd. & C. Bauh. notantur. Hanc H. Lugd. Compilator p. 1010. Nymphæã minorem albam, pro lutea inscripsit. Luteam autem in titulo esse legendum, ex descriptione colligitur, quod non animaduertit C. Bauhin. cui in phyt. dicitur Nymphæa lutea 4. siue minor altera: In pin. Nymphæa lutea 4. siue minor flore fimbriato: Nymphæa alia (in phyt. albam dixerat) minor, Lugd.

Locus Aquarum etiam est alumna: verùm regionum maximè Septentrionalium. Et quidem in Sebusianorum parte, quam vulgò *bressiam* vocant, plurimis stagnis ac viuarijs innatat. Præterea in Sequanæ ripis ad Mantam oppidum gignitur.

NYMPHÆA MINOR LVTEA



Descriptio. E Limoso fundo, inquit Lobelius, cujus descriptionem & iconem tradimus, trajicit nymphas iunceis *pediculis*, ternûm & quaternûm cubitorum, crassiusculis, Portulacæ singulare *folium* in summo gestantibus: *floribus* ex vno quasi iunceo exortu Primulæ minoris Cheli-

Chelidonij stellatis: gustu plusculum caloris videtur habere & siccior esse, quàm alba & lutea maior.

Compil. Tabern. Tabern. ic. & hist. Nymphæa lutea minor 1. & 2. Klein geel Seeblum. Compilator ponit duas figuras, non distinguens in descriptione, nec demonstrans vbi visæ.

Gerard. notatur. Imitatur compilatorem Tabernæmontani Gerardus, duas quoque Nympheas luteas, quartam sc. & quintam, siue minorem & minimam exhibendo, non tamen interim eas distinguens.


Synon. C. Bauh. C. Bauh. phyt. Nymphæa 6. siue lutea minor paruo flore: Eid. pin. Nymphea lutea 3. siue minor paruo flore: Nymphæa altera lutea (legendum alba. Hanc ad albam minorem referimus.) Lugd. An Nymphæa parua alia, Cam. in Matthiolum?

Locus. Iuxta amœnissima Thamesis fluenta, in vdis scrobibus frequens.

NYMPHÆA ALBA MINOR.

Descriptio Folia habet Nymphææ, paulò maiora quàm Brassicæ marinæ: *flores* albi, tenues, flaccidi: *capitula* capparibus similia, plena *semine* paruo, papauerino: hæc Matth.

Synonyma. Gerar. Nymphæa alba minor, the small white water lilie. C Bauh. phyt. Nymphea 3. siue alba minor: *Eid. pin* Nymphæa 2. siue minor: nymphea parua, Matthiol. Nymphæa alba 1. siue minor Nymphea parua, Matth. Nymphæa altera lutea minor, Lugd. ic. Nymphæa alba minor, Lobel. in Adu. Tabern.& Gerardi.




Locus Et hęc aquarũ alumna regionum Septentrionalium dũtaxat, præsertim Angliæ, via quæ Londino Oxoniam & Bristoiam ducit, secus & trans aquas viarum pigriores, minúsque profundas.


NYMPHÆA MINOR, SIVE MORSVS ranæ.

Descriptio In aqua fluitans multiplicat se flagellis suis tenuibus, in quibus veluti parua *capita*, vnde *foliorum* exortus & *radices* tenuissimæ fundum versus tendentes: *folia* circinatæ rotunditatis, teneris, vncialibus, interdum duplò maioribus. Asari foliis ferè similibus, sed minoribus, pediculis nixis palmaribus, *flores* veluti è vesica prodeunt, maiusculi, foliis albidis constantes, Dod. medio lutei.

Dod. gall. licèt Morsui ranæ deneget nomen græcum & latinum, tamen nihilominus [illegible] suspicatur. Lat. duas icones exhibet pro Ranæ morsu, dicens Belgas Vorschen beet appellare:

plerosque etiam Nymphæam paruam, & Klein Plompen: Fontinalis tamen siue Potamogetonis speciem videri: eiusdemque cum eo facultatis.





An Lens palustris magna, Cord. An Cordo in Diosc. groß wasser linsen h. c. Lens palustris magna, de qua dubitat an sit Stratiotes aquaticus, & an legendum in Dioscoride Asari pro Aizoi.

Lobel. in Adu. magis Nymphæis, quàm Potamogetoni accedere scribit flosculis intermicátibus luteolis, alibi lacteis, aut melinis, trium foliorum: gustu Nymphææ aut Lenticulæ palustris. Et hinc in Ic. p. 596. inscribit Nymphæam, siue, vt etiam in Obs. p 324. Ranæ morsum.

Compil. H. Lugdun. reprehe. Compilator H. Lugd. malè confundit p. 1010. Ranæ morsum cum Nymphæa alba minore, ac mira de hac tradit: Floret, inquit Augusti mensis principio. Flos noctu comprimitur, & sub aqua latet, interdiu patescit, & aquis sese exerit. Euulsa herba & rursus in aquam iniecta viriditatem diu retinet, & quamuis radicibus careat, reuiuiscit tamen, nouámque sobolem gignit: saporis qui & Lenticulæ palustris: vis refrigerandi & humectandi.

Synon. Svvenckf. vocat Morsum ranæ, froschbiß, & Violam palustrem. C. *Bauh.* phyt. Nymphæam 5. siue albam minorem tertiam: *idem pin.* Nymphæam albam 3. siue minimam. Nymphæam minorem albam, Lugd. Nymphæam paruam, Cæs. Morsum ranæ Dod. Lob. Cast. ap. & Tab.

Locus & Tempus. In lacustribus, stagnantibus, torpentibúsque aquis, vbi ranæ lubentiùs stabulantur, vnde nomen: ad arcem Londini regiam & mœnia plurima, Iunio, Iulio, & Augusto mensibus floret.

LOTVS ÆGYPTIA VETERIBVS ET Neotericis, in genere.

CAP. II.

Locus. Theophrasto lib. 4. cap. 10. Lotus vocitata, planis parte maximâ prouenit, cùm rura inundantur: huic natura *caulis* similis Fabæ [Ægyptiæ] & fructus eodẽ modo, verùm minores, graciliorésque. Nascitur fructus in capite, modo quo in Faba: flos candidus, Liliis foliorum angustiâ proximus, multus, densus & promiscuus, qui Sole occidente comprimitur, capútque integit: ad ortum aperitur, & super aquam assurgit: idque facit dum caput perficiatur, foliáque defluant: capitis magnitudo quanta Papaueris maximi, & percipitur incisuris non alio modo, quàm Papauer: nisi quod in his fructus frequentior habetur, qui Milio non absimilis est. In Euphrate caput, floresque mergi referunt, atque descendere

vſque in medias noctes: tantumque abire in altum, vt ne demiſſa quidem manu capi poſſit: diluculo deinde redire, & ad diem magis, Sole oriente iam extra vndas emergere, floremque patefacere: quo patefacto ampliùs inſurgere, vt planè ab aqua abſit altè. Ægyptij capita ipſa aceruis putrefaciunt, cumque tegumenta putruerint, in flumine lauando ſeparant fructum, & ſiccantes, pinſenteſque panem faciunt, eoque cibo vtuntur. Corſion vocant Loti radicem hanc. Ea rotunda eſt, Cotonei mali magnitudine, cortice nigro foris veſtita, quali nux Caſtanea tegitur: intus candida, quæ toſta elixáq; vitellis ouorum ſimilis ſapore eſt, guſtu ſuauis. Eſtur eadem & cruda, ſed gratior decocta, ſeu aquâ, ſeu prunâ.

Dioſcor. & Plinius notantur. In Loti Ægyptiæ hiſtoria Dioſc. l. 4. & Plinius lib. 13. cap. 17. & 18. Theophraſtum imitati ſunt. Plinius tamen cap. 18. addit, non aliunde magis quàm purgamentis Loti radicis ſues craſſeſcere. Idem lib. 22. cap. 21. ait eos, qui Loton, arborem tantùm putant eſſe, vel Homero autore, coargui poſſe. Eum enim inter herbas ſubnaſcentes Deorum voluptati, Loton primam celebraſſe. Eſſe & Lotometram, ex Loto ſata factam, ex cuius ſemine, ſimili Milio, panes in Ægypto fiant à paſtoribus, maximè aquâ, vel lacte ſubacto, &c. Cæterùm, videtur hîc Plinius Lotum Ægyptiam cum Loto ſatiua confundere, eumque ſecutus fortè & Galenus 7. ſimpl. Ægyptiæ Loti cum Nymphæa conuenientia ſupra ex Alpino demonſtrata, & quomodo vnum & idem ſint ex eiuſmet verbis probatum eſt.

Lotus Homeri, Anguill. Anguillara epiſt. 9. Homerum per Lotum intellexiſſe Ægyptiam exiſtimat de qua Theophraſtus: ſed quæ planta ſit non indicat. Aliqui dicunt in ripa Nili ſolùm Fabam Ægyptiam reperiri: eius autem radicis deſcriptionem & vſum, ſuſpicionem præbere Lotum Ægyptiam & Fabam Ægyptiam idem eſſe: & quidem fuiſſe, qui Lotum, Fabam vocarint: Theophraſtum autem de vtraque planta eodem capite, ſed fortè de Loto ex auditu verba feciſſe. Idem Anguill. epiſt. 14. de Loto Ægyptia nihil aliud nouit, quàm in Ægypto Colocaſiam vocari: déque Loto Theophraſtum ſibi contradicere: huic enim ſemen attribuere Fabæ Ægyptiæ ſemini ſimile, ſed minus & ſubtilius: poſtea verò Milio ſimile adſcribere.

DE FABA SIVE CYAMO ÆGYPTIO ex veteribus.

Cap. III.

Theoph. Faba in paludibus, ſtagniſque exit, inquit Theophraſtus. *Caulis* eius, qui longiſſimus, quaterna cubita perficit: craſſitudo digitalis eſt, ſimilis calamo molli, non geniculato, rimas intrinſecus habet tendentes per totum Lilij modo: caput ſuper hunc fauo orbiculato [σφηκίῳ] veſparum non abſimile: inque ſingulis cellis [ἐν ἑκάστῳ τῶν κυττάρων.] ſingulæ Fabæ continentur paululò ſuper id eminentes, multitudine plurimùm ter denæ: *flos* duplex, Papaueris magnitudine: color roſeus in plenum caput Papaueris ſuper aquam, folia ad ſingulas fabas amplexa exeunt magnitudine galeri Theſſalici, quæ caulem habent Fabarum. Fabam quamque conterenti amarum illud, ex quo pilula fit, inflexum pateſcit. Fructus ita ſe habet. *Radix* craſſiſſima, Harundine plenior, rimas ſimiliter, atque caulis, habens: manditur & cruda, & elixa, & aſſa, eoque cibo qui incolunt paludes vtuntur. Naſcitur itaque ſponte vel plurima: cæterùm, & ſeritur in limo, paleis largè admiſtis, vt deſcendat, incorruptáque maneat, ſicque fabeta faciunt. Sin autem ſemel apprehenderit, perpetuò manet: radix enim valida eſt, nec infirmior Arundinis radice, verùm ſpinis ſubhorrens: quamobrem crocodilus eam fugit, ne occurrens oculos offendat, quoniam acutè non videt. Naſcitur hæc etiam in Syria, Ciliciaque, ſed tractus ipſi non plenè conficiunt. Et circa Toronem agri Chalcidici quodam in lacu exit, magnitudine mediocri, vbi & percoquit, & perficit, & abſoluit fructum. Et *hæc ex authoritate Theophraſti.* Apud quem *Gaza* ἐν ἑκάστῳ τῶν κυττάρων, vertit in ſingulis cellis, & rectè. Sunt enim κύτταροι τῶν σφηκιῶν καὶ σφηκίων, καὶ τῶν κηρίων κοιλότητες, fauorum veſparum foramina, & fauorum cauitates. Gazam ſequutus eſt *Hermolaus*, & locum hunc ſic reddidit. Calyx in cacumine rotundus, veſparum fauo ſimilis, triginta plurimùm loculis, qui ſingulas ſinguli continent, non quidem omninò rectas, ſed paullò extantes. Atque ad horum etiam imitationem reliqui Dioſc. interpretes id quod ille dixit ὅταν δὲ ἀπανθήσῃ φέρει ϰυστία σφηϰίοις ὅμοια ἐν οἷς ϰύαμοι μιϰρὸν ὑπεραίροντες τοῦ πώματος, ὡς πομφόλυξ: ita conuerterunt, Vbi defloruit, fert folliculos ſiue vtriculos veſparum fauis ſimiles: quum tamen nulla σφηκίων mentio fiat, ſed dicat tantùm folliculos capſulis ſimiles proferre, in quibus ſit faba parum ſupra operculum velut bulla eminens. Hoc autem operculum πῶμα ab ipſo dictum eſſe videtur à κωδύα à Theophraſto appellata, & quam caput & calicem illi conuerterunt. Atque hoc modo etiã Cornario videntur idem dicere Theophraſtus & Dioſc. in diuerſa adeò & meritò nobis moram iniiciente dictione.

Porrò, Faba Ægyptia, quam nonnulli Ponticã [Αἰγύπτιος κύαμος, ὃν τινες ποντικὸν. Vet. codex hoc caput non habet, Sarac.] vocant, Dioſc. etiã teſte, in Ægypto quidem magnâ copiâ prouenit, ſed & in Aſia quoque & Cilicia paluſtribus locis inuenitur. *Folium* verò habet amplum inſtar Petaſi (ὡς πέτασον. vet. πέταλον, inquit Sarac. nimis vel temerè, vel obliuioſè. Dixerat enim antea vet. codicem hoc caput non habere,) ſeu galeri: *caulem* cubitalem, digiti craſſitudine: *florem* roſeum, dupla papauerini floris amplitudine. At vbi defloruit, vtriculos gerit folliculis ſimiles, in quibus faba paululùm ſupra operculum inſtar bullę prominet. Ciborium aut Cibotium ideò nominatur quaſi loculamentum, quod ſeratur eiuſmodi faba, ipſa humenti glebæ indita, atque ita in aquam demiſſa. *Radix* autem ſubiacet Harundinis radice craſſior: quæ cocta, crudáque eſtur, & Colocaſia nominatur. Faba quoque ipſa virens comeditur: ſed exſiccata nigreſcit, & Fabam græcam magnitudine ſuperat. *Vim porrò* habet adſtringendi, ſtomachumque iuuat. Quamobrem dyſentericis, cœliaciſque conuenit inſperſa earum farina polentæ vice: ſed & in pultem quoque redacta exhibetur. Efficaciores autem ſunt cortices, ſi decocti in vino mulſo tenui cyathorum menſura propinentur. Cæterùm ad aurium dolorem facit quod in earum medio viride ſpectatur, guſtu amarum, ſi cum roſaceo coctum inſtilletur.

Plinius ex 4. hiſt. plant. Theophraſti ſua tranſcripſit, & quædam variauit, quędam omiſit pro ſua voluntate, ſi non exemplaria fallunt, ita quidem vt Theophraſti verborum ſententiam non reddat. *Plin. notatur.*

Dioſc. Faba Pontica.

reddat. Licèt autem ſeorſim de Faba Ægyptia, ſeorſim & de Colocaſia egerit, tamē propriè eiuſdem plantæ ſunt Faba, Ciborium, ſeu Cibotium appellata, & Colocaſia radix.

Quod verò ex Colocaſiæ foliis, in variam vaſorum ſpeciem implexis, potare gratiſſimum habere tradit Ægyptios: id habet etiam Strabo lib.17. & teſtatur adeò magna eſſe illa, vt poculorum & catinorum vſum præbeant, aptam inſuper ad id habentia concauitatem, vt Alexandrinæ officinæ his plenæ ſint, & vt vaſis vtantur. Appellantur autem hęc folia, Ciboria & Cibotia: Dioſcorides tamen ipſas fabas ſic appellari ait.

Colocaſium Colocaſia porrò etiam Colocaſium dicitur Virgilio in Pollione: Ecloga 4.

Virg. *Mixtáque ridenti Colocaſia fundet Acantho.*

Galenus lib.2. de alim. Ciboria & Colocaſiam modicum alimentum corpori præbere ait, & talia omnia mali ſucci eſſe. Et 1. alim. Fabam Ægyptiam naturâ humidiore & excrementitiâ eſſe dicit. Quod verò ad vſum medicum attinet, ipſam præterit. Ita etiam Aëtius viridem quidem Fabarum Ægyptiarum fructum, Cibotium appellari dixit, & de ipſo in Fabarum tractatione conſiderandum eſſe proponit. Sed hoc poſtea de Fabis agens, non facit. De Colocaſia tamen tractās Manzizanion ipſam appellari ait, & ſimilem eius vim rapis & cepis eſſe, & corpus ipſius viſcoſum, vt extergendi vim habeat: eſſe etiā aluo cōmodā.

Italiæ ignota, contra Plinium. Hæc longiùs, vt aliquam ſaltem huius plantę cognitionem aſſequeremur, quę Italiæ etiam hodie ignota eſt, quamvis ſuo tempore ſeri cæptam Plinius dixit. Sunt tamen qui Venetiis ſatam vidiſſe, & radicem ſapore Caſtaneæ ſub cinere coctam ſe comediſſe, & in multis recèns inuentis inſulis, panem ex ipſa fieri affirment. Sed nec deſunt, vt præcedenti capite diximus, qui Fabam Ægyptiam, eandem cum Loto Ægyptia eſſe ſuſpicentur. Hermolaus nobis author eſt, Fabam Ægyptiam ſiue Colocaſiam ab Herodoto, quemadmodum & Lotum ipſam, Lilium Ægyptiū vocari. An v. ſequēs peregrin⁹ fructus valdè elegans, ſit Faba Ægyptia Dioſcor. ambigit Cluſ.

FRVCTVS VALDE ELEGANS, FABA forte Ægyptia Dioſcoridis.

Cap. IV.

Deſcriptio. Sitne fructus alicuius arboris, an alterius plantæ: incertus ſum (inquit Cluſ. Exot. lib.2. cap.13.) quia, qui mihi mutuò dabat, Emanuel Sweert, & apud quem ſimilē cōſpiciebā Henricus ab Os, Amſtelredamenſes, qui eum à nautis redemerant, nihil affirmare poterant: mea tamen opinio in eam partem inclinat, vt plantæ alicuius eſſe exiſtimē, & forſitan in aqua naſcentis, vt Nymphææ: quæ ſi vera ſit, Dioſcoridis Ægyptiam



eſſe Fabam aſſerere nō verear, tametſi inter Neotericos magna ſit de ea planta controuerſia: nam Papaueris caput habet, niſi quòd ſummâ parte magis planum, & patens, cellulas inſuper veſparum fauis ſimiles habet, in quibus fabæ, quas ſupra tricenas non ferre, Plinius auctor eſt. Si eos qui legerunt conuenire mihi licuiſſet, magis fortè explorata prodere poſſem, &c.

TRIBVLVS AQVATICVS.

Cap. V.



Deſcriptio. Ex vno capite *populneis folia* multa, ſeſcuncialia, duobus quadrantibus ſuperioribus ſerrata, ſuprà glabra, ſubtus rugoſa, Populneis quodammodò ſimilia, *pediculo* palmari, & ſeſquipalmari, fungoſo, & paulò infra inſertionem tuberoſo, hærentia: *flores* paruos albos ſequuntur muricati *fructus* ſpinulis armati, nigricantes, Caſtaneis pares, pulpâ, nucleóue non diſſimiles, candido, eduli, guſtu haud ingrato, qui autore Dod. & recens mandi, & arefactus, moláque contritus in panem cogi poſſe fertur: nos in ſuo cortice aqua elixum comedimus: *radices* longiſſimæ ex interuallis veluti ad genicula ſtaminum, vtrinque cæſariem promunt, partim in aqua natantes, partim limo hærentes. Cum flore à nemine pictam eſſe teſtatur Geſner. in epiſt. ad Coſ. Holtz, nec etiam placet noſtra ex Fuchſianis Icon.

Hic autem eſt Tribulus alter ſiue aquaticus Dioſcoridis, qui in fluminib. naſcitur, & comam ſupra aquas attollit, aculeos verò condit, & ipſis aquis occulit: foliis latis à pediculo longo dependentibus; caule parte ſummâ quàm imâ craſſiore: adſunt & ei adnata quædam capillamenta ſpicacea: fructus verò durus eſt, vti & Tribuli terreſtris. *Dioſc. Tribulus alter. ſiue aquaticus.*

Fluuiorum ſinguli priuatim, inquit Theophr. 4. do hiſt. pl. cap.11. aliquid ferre videntur. Nec enim Tribulus in omnibus, nec vbique erumpit, ſed paluſtribus fluminum tantùm: altitudine cùm profundiſſima quinorum cubitorum aut paulò profundiore, vt in Strymone fluuio. Merſus in aquam, prorſus ad imum vergit: folio amplo ad effigiē vlmei, pediculo admodum longo, caule parte ſumma quidem craſſiori, vnde folia, fructúſque dependent, qui nigri durique vehementer: naſcitur ſemine decidente, germenque in Vere ſuum emittit. Radicem alij annuam, alij diuturniorem affirmant, &c.

Plinius. Tribulus (inquit Plin.) non niſi in paluſtribus naſcitur, dira res alibi, iuxta Nilum & Strymonē amnes excipitur in cibis, inclinatus in vadum.

folio ad effigiem Vlmi, pediculo longo: [Quæ sequuntur [Tribulum terrestrem spectant] de hoc plura de viribus Tribuli terrestris, in Hist. nostr. gener.

Non desunt, qui populares & coctiuas Plinio vocatas Castaneas, esse censeant tuberosos fructus, in stagnantibus aquis enascentes, quibus rectè non adstipulatur Ruellius.

Nomina linguarum. Tribulum aquaticum sine descriptione pingit Matthiolus, vocans græcè *τρίβολος ἔνυδρος*: It. *Tribolo aquatico*: Arab. simpliciter *Tribolum Hasach*, seu *Hasek*: Hisp. *Abroyos*, & *Abrolhos*. Galli vocant *Mades*, & *Chastagnes d'eau*, teste Bellonio Obs. lib. 1. cap. 18. Dod. tamen Macres gallicè nuncupat: Lob. *Escharbotæ, Saligotz*, & *Truffles d'eau*: Germ. Wassernuß / Aquaticã nucem, Weihernuß / Seenuß / Lacustrem nucẽm Stachelnuß / Gallicum autem vulgus *Saligos, Cornuellas, Trufflas, Trapas, Castaneam aquatilem* & Castaneam Ferrariensem appellare author est lib. 3. cap. 24. & Spitznuß: Brabanti, waternoten: & à similitudine aculeorum ferreorum Muricysers.

Aquaticus, siue aquatilis, seu lacustris Tribulus, officinis marinus dicitur. Fructus seu nuces eius aculeatæ sunt, tribus robustis aculeis, vbi induratæ sunt, quo tempore etiam nucleus durus euadit, vt vix mandi possit, qui tamen recens valde mollis est, & admodum aquosus. Ab huius nucis similitudine dicti sunt tribuli, murices latinè appellati machinæ ferreæ, aculeatæ, in quãcunque partem incubuerint. quæ sub terram defodiebantur, Curtio lib. 4. Nunc etiam sparguntur, maximè in fuga, vt hostium insequentium impetum morentur.

Synonyma. Tribulus aquaticus, Trago, Matth. Dodon. Anguill. Lac. Cordo in Dioscor. Gesn. hort. Lon. Lob. Cæs. Cast. & H. Lugd. ac C. Bauhino: Tribulus lacustris, Cordo hist. Tribulus aquaticus maior, Clus.

Locus. Nascitur variis in locis, ac ferè stagnantibus fluuiorum partibus, lutosis lacubus, & vrbiũ fossis, quibus limosus sit fundus: inter Montbelgardum & Basileam obseruauimus, vbi floret mense Iunio. Matthiolus in plerisque Italiæ fluminibus & lacubus prouenire ait, præsertim in agro Mantuano & Ferrariensi: neque solùm in dulcibus aquis gigni, sed etiam in mari. *Theophrastus* autem non dixit in fluminibus nasci, sed fluminum palustribus. Si in mari prouenire obseruauit, cur locum non annotauit?

Vires & vsus. Dioscorides adstringentis refrigerantisque esse naturæ, vt Tribulum terrestrem, aquaticum statuit, ideoque ad omnes, ad quas terrestrem commendauit, tristes sensationes adhibendum censuit. Idem & Plinius fecit. Additur tamen ab his, Thraces, ad Strymona habitantes foliis Tribuli equos saginare: ipsos verò nucleo viuere, panem facientes prædulcem, qui & ventrem contrahat. Radicem castè puréque lectam, strumas discutere. Semen adalligatum, varicum dolores sedare: tritum verò, & in aquam sparsum, pulices necare. Plura lege antè in hist. n. gen. vbi de Tribulo terrestri Refrigerantis autem Tribulũ istum esse naturæ: exque humida & frigida essentia componi, inque ea aqueam magis esse, quàm in terrestri, in qua terreum frigidum potentius, ex autoritate Galeni ait Dodonæus. In vnguento Agrippæ [inquit Saguyer. in pharm. Fern.] omisit Tribulos Nic. Alexandrinus. Tribuli autem marini, qui Venetiis veneunt in foro, aqueum quid possident cum calore & acrimonia, propter qualitatem aquæ maris quæ ad fotus adhibita calefacta elicit & discutit. Aquaticum vidi sæpè in Burgundia extractum ex stagnis, cuius fructum in aqua coctum comedebant vulgares quasi castaneas: alij sub cineribus calidis decoquebant. Habet autem Nic. Præpositus aquaticos Tribulos non marinos, vt Fernelius. Sed hic meliùs quàm ille. Siquidem huius vnguenti munus est emollire, attenuare, &c. ventrem etiam illitu subducere, ad quam rem marini Tribuli aquaticis sunt efficaciores: qui si non sint in promptu, lauandi & macerandi erunt fluuiatiles aqua salsa. Obseruatione dignum est quod scribit Plautius ex Fernelio & Cordo, Tribulos recentes esse debere, & parũ coquendos, ne vis coctione perdatur. Fiũt tandem ex Tribulis verticilli precatorij.

POTAMOGETON. CAP. VI.


POtamogeton Dioscoridi folium habet Betæ simile densum [*Saru*, & non vt falsò Cæsalp. legit, Plinium secutus, hirsutum] & parum extra aquam eminens. Porrò refrigerat & adstringit, proindeque conuenit pruriginibus ac depascentibus vetustisque vlceribus. Nomen autem ex eo inditum est, quod in paludibus & æquosis locis nascatur. Dicitur tamen aliis inter spuria Stachyites, quasi spicata, nisi malis Stagnitem legere, corrupto à stagno vocabulo. Latinis Fontalis, seu Fontinalis, Ægyptiis Etenchis.

Medetur Potamogeton ex vino dysentericis & cœliacis, similis Betę foliis, minoribus tantùm hirsutioribusque, paulatim supereminens extra aquam, peculiariter refrigerat, spissat. Vsus in foliis, cruribus vitiosis vtilia, & contra vlcerum nomas cum melle vel aceto. *Castor* hanc aliter nouerat, tenui folio (Myriophyllon aquaticum Dodon. putat Dalech.) velut equinis setis, thyrso lõgo & læui, in aquosis nascentem. Radice sanabat strumas & duritias. Potamogeton aduersatur & crocodilis, itaque secum habent eam, qui venantur illos. *Ita Plinius lib. 26 cap. 8.* Plinius.

Potamogeiton Galeno 8. simpl. adstringit & refrigerat similiter Polygono: sed essentia eius crassior, quàm Polygoni est. Æquiuoca.

Potamogeton officinis ignota est. Nomen autem eius apud Diosc. Limonio tribuitur. Et rursus apud eundem cap. de Trifolio nomen Potamogetonis inuenitur. Herbarum tamen periti eam censent esse, quã Germani Samkraut vocant & Weerholden / quòd lacus occupet, cuius plures sunt species, de quibus posthac dicemus.

Potamogeton rotundiori folio.



Descriptio. POtamogeitonis *folia* plãtaginea, pallido virore splẽdentia, neruis secundùm longitudinem decurrentibus striata, haud aliter ac Nymphęę aquis innatant, *pediculis* longis appensa, ex ramis fungosis, teretibus: ad exortum pediculi folij, quod plærumque singulare est, membrana digitum longa apponitur,

tur, folium id, ac etiam florum caulem inuoluens: *flores* Persicariæ aut Bistortæ, purpurascentes, in spicam dispositi, petiolo insident crassitudine cũ caulibus pari, quos racematim congesta sequuntur *semina*, ruffescentia, latiuscula, in aduncũ mucronem leuiter desinentia, medullam albam continentia, Trago copiosa, dura, & folliculis quibusdam inclusa: *radix* capillaris, fibrosa.

Etym. & nomina lingu. Ποταμογείτων, quasi fluminibus vicinam dictam perhibet Fuchsius, quòd palustribus & aquosis nascatur. Stachitidem verò quasi Spicatam, ob caulem, quem floribus & semine spicatum ex se mittit. Alij tamen lat. Fontalem & Fontinalem quoque nominant. Germ. Seeblaben & Samkraut: Belgæ fonteynecruyt: Galli *Espi d'eaue*: It. *Potamogeto*.

Alga quarta, Trago. Tragus quartam Algarum facit, & verum Ποταμογείτονα Dioscoridis asserit. Sed & Rob. Constantinus apud Amatum pro genuino Potamogeto hanc pictam exhibuit.

Lobelius in Adu. adscribit Potamogeto Matthioli folia Plantaginis aquaticæ aut Betæ minora, aut Persicariæ, duriuscula: flores Bistortæ aut Persicariæ: radicem flexuoso anfractu excurrentem, ex geniculis multas propagantem fibras, trans aquam fundo immersas: gustu adstringentem, siccantem. Sed hæc descriptio Lobelij *Lob. not.* competit potiùs sequenti Potamogeto, quàm Matthiolino. Existimo Lobelio non fuisse notum Potamogetonem eum, aut vtrumque confundere.

Synonyma. Potamogeton 1. siue rotundifolium, C.Bauh. pin. Potamogeton, Trago, Matth. Fuchs. Anguill. Lac. Lon. Cæs. Cast. Lugd. & Tab. *Potamogeiton*, Dod. gall. latifolium, Ger. Potamogeton λειόφυλλον, Thal. Potamogetoni similis rotundiore folio, Cordo in Diosc.

Locus & Tempus. Nascitur in lacustribus & aquosis locis: floret Iunio & Iulio, quo mense & semen maturat.

Vires. Ex veteribus antè traditæ sunt vires: Fuchsius ait refrigerare & exsiccare gustum abundè docere: is tamen non docet qualis sit gustus, quod oportebat.

POTAMOGEITONIS SPECIES VARIÆ. CAP. VII.

POTAMOGEITON SIVE FONTALIS Persicariæ folio.

Descriptio. Manifesto discrimine à Potamogeitone primo secernunt *folia*, Persicariæ foliis similia, nisi essent maiora, venis obliquis & transuersis in marginem à neruo, qui vnicus secundùm longitudinem decurrit, ex porrectis, alioqui etiam non ita sunt obtusa, sed in acumen desinentia, & pro loci situ nonnunquam hirsuta: aquis plurimum innatantia *pediculo* sescuncialia aut sextantalia, ex *caulium* geniculis orto: inter quæ palmo sæpè breuior pediculus exit in spicam congestos *flosculos* Persicariæ gerens ex albo rubentes.

Potamogeton Dod. Dod. nota-tur. Dod. in fol. lat. sub antè dictis Potamogeti nominibus eandem penè descriptionem, quam in fol. gall. habet: verùm icon plurimùm differt: folia non sunt similia Plantagini, vt olim in hist. gall. scribebat, sed Persicariæ: quare suspicor non benè ei notam, quam in fol. gall. exhibebat. Lobelium autem hunc cum præcedente confundere antè diximus.

Synonyma. C.Bauh. pin. Potamogeton 2. siue Salicis folio: Phyllitis lacustris, Cordo hist. Potamogeiton Dod. Potamogeton, siue Fontalis & Spicata, Lob. in Adu. Obs. & Ic. Potamogeton 2. Dalechampij, Hist. Lugd. Potamogeton στενόφυλλον, Thal. Potamogetum angustifolium, Tabern. & Ger.

Locus & Tempus. Reperitur in paludibus, lacubus, vrbium fossis, & aliis stagnantibus aquis, non rarò etiam in riuulis, antè fluentibus: vbique frequens: flores conspicui sunt Augusto aut Septembri, Dodon. Montbelgardi in stagnis floret Maio.

FONTINALIS LVCENS MAIOR.



Descriptio. Fontinalis lucens maior, aquis innatans, in longos *ramos* deducitur, in varios rursum ramulos subdiuidendos: *folia* alterno situ nõ aduerso ex breuibus latis pediculis, longiora quàm Potamogetonis, angustioráque, tota lucida, neruo medium percurrente à quo in latus tenues vtrinque fibræ disseminantur: ad singulorum foliorum minus, appositum longiusculum, aliquoúsque *caulem* amplectens. Gesnerus vocabat Vuam aquaticam.

Locus & Tempus. Tiguri reperi in Forrensi mense Maio: Montbelgardi in Dubio flumine.

FONTALIS MEDIA LVCENS.

Descriptio. Fontinalem mediam lucentem voco herbulam aquis innatantem, cui ex tenuibus radiculis *rami* multi, imbecilles, pedales, densè geniculati: *folia* per genicula, bina sibi correspondentia, oblonga, in acumen desinentia, viridia & pellucida: *flores* ex pediculo vno aliquot parui simul iuncti forma & colore quodammodò Moschatellæ Cordi, quibus succedunt *semina* similiter conferta, parua, contorta, vt Meliloti vulgaris, cui quodammodò similia.



Tribuli aq. minoris species altera. Clus. Clus. hist. vocat Tribuli aquatici minoris speciem alteram.

Locus & Tempus. Floret & semen profert Geneuæ mense Iunio, in riuulis iuxta Rhodanum versus castellum *la Bastie*. Eadem etiam prouenit iuxta Dubin Mompelgardi, quà itur *Cleruaux*. Clusius videbat apud Ebersdorf arcem in lacunis, secundùm purissimæ aquæ riuos decurrentes nascentem.

FONTINALIS CRISPA.



Descriptio. FOntinalis crispa, similis Fontinali nostræ mediæ nisi quòd maior: *folia* longiora, quadrantalia ferè, non ita crebra, crispa, aspera, in ambitu dentata, ex opposito sita, lucida: *flores* herbacei, parui, verrucosi, ex pediculis sextante longioribus: tota planta insipido gustu natales suos refert: *semina* ramulorum extremis hærent racematim cohærentia, angulosa, acuminata modicè recurua.

Hanc Clusius in pann. p. 714. & hist. Tribulum aquaticum minorem vocat.

Alga secunda Trago. Trago dicitur Alga secunda, in fluentibus quidem aquis nascens, piscinis tamen & stagnantibus familiarior, quę quibusdam in locis deuorãda decoquitur. Hanc sub Fuco seu Alga marina Dioscoridis comprehensam iudicat, déque ea egisse Theophrastum lib. 4. cap. 7. vbi inter cætera, aquaticas plantas vulgatissimas Gramini similes esse calamis & caulibus asserit.

Lobelius in Ic. pag. 286. Pusillum fonti Lapathum inscribit, vt in Adv. vbi & Lapathiolum tenellum vocat.

Synonyma. C. Bauh. pin. Potamogeton 6 siue foliis crispis, seu Lactuca ranarum: Potamogeton ἐλεόφυλλον, seu crispum, seu fimbriatum, Thalio. An Alga Hydrolapathi folio, Gesn. coll.

Locus & Tempus. Floret Iunio in fluuio Alant circa Mompelgardum: atque in variarum vrbium & arcium fossis inuenitur, Iunij initio florens.

Potamogeton altera Dodonæi.

Descriptio. COmpluribus tenuibus ac teretibus *cauliculis* luxuriat, in alas subinde distributis: *folia* huic sunt lata, oblonga, acuminata, multò quàm prioris [Persicariæ folio] minora: è sinu ramulorum ac foliorum *pediculi* subinde prodeunt, in quibus spica breuis, *flosculos* proferens candicantes, muscosos: ac dein *semina* plana, rotunda veluti Aphaces: *radix* fibrosa fundo adhæret.

Synonyma. Dodon in fol. lat. Potamogeton, siue Spicata altera. C. Bauh. pin. Potamogeton 4. siue foliis latis splendentibus. Potamogeton μαλακόφυλλον, Thalio, cui maior & minor species.

Locus. Tota sub vndis nascitur, eminente tantummodò cacumine, sed in aquis haud profundis & dulcibus, quæ tamen maritimo æstu attolluntur: veluti in sinu illo, qui à Dordraco Hollandiæ ciuitate, ad Bredam Brabanti ciuitatem patet.



Fontalis minor lucens.



Descriptio. FOntalis minor lucens mihi dicta, aquis innatat itidem vt præcedentes, *ramulis* exilibus, infirmis: interdum lapidibus adhærescens: *foliis* alternatim positis, minutulis, nigricantibus ferè: tota quamproximè ad Muscum accedit planta. Inter Mompelgardum & Clareuaux prouenit: item in Masmünster.

Potamogeton racemosum angustifolium.

Descriptio. RAdice est capillacea, rufescente, *cauliculis* tenuissimis, palmaribus, in aqua fluitantibus *foliis* angustis, longis, binis ex opposito respondentibus: aliquibus in ambitu leuiter sinuatis, aliquibus minimè sinuosis: *petiolo* tenui, breuique, flosculi pusilli, vuæ in morem congesti, insident, quibus grana aculeata, simul iuncta, succedunt.

Synonima. Autori C. Bauh. prod. Potamogeton 1. Eid. pin. Potamogeton 7. siue ramosum [legendum vt ex descriptione patet, racemosum] angustifolium: Tribuli aquatici minimi nomine à D. Francomissum, ex Lusitania. Idem prope Monspelium, ad molendinum in aqua fluitans reperitur.

Potamogetum gramineum ramosum.

Descriptio. EX *cauliculo* pedali, etiam cubitali tenuissimo, rotundo, albicante, in plures alas brachiato, *folia* graminea, oblonga, atro-virentia, non alternatim,

alternatim, sed multùm ab inuicem dissita, prodeunt, quæ in alia folia, ferè capillacea, abeũt, nihilominus tamen ex primi folij ala, cauliculus in similia folia abiens, exurgit: in extremo caulis pediculus triuncialis, *flosculos* minutos, & granula subsequẽtia minuta & subaspera, nõ racemi modo, sed magis & velut in spica, dispersa, sustinet.

Synon. C. Bauh. authori prod. Potamogeton 2. Eid. pin. Potamogeton 8. siue gramineum ramosum: Fontilapathi graminei nomine, à D. Bursero, ex Austria missum, vbi in paludibus fluitat.

Potamogeton minimum capillaceo folio.

Descriptio. HOc paruum est capillaceo & *caule* & *foliolis* oblongis, inordinatè dispositis, pallidè virentibus: in summo pedicello paruo, modò vno, modò duobus, capitulum minimum & acuminatum, prioris tamen formâ, quod minutissimo *flosculo* pallidulo successit, sustinens, quorum aliud quasi vesiculæ foliaceæ in acumen desinentis, inclusum est.

Synonyma. Descriptori C. Bauh. dicitur in prod. Potamogeton 3. Eid. pin. Potamogeton 9. siue minimum capillaceo folio. Hoc cum sequenti, Monspelio D. Burserus attulit.

Locus.

Potamogeton capillaceum, capitulis ad alas trifidis.

Descriptio. HOc *cauliculo* est palmari, pilo non crassiore, ramoso, articulato, ad quemlibet articulum: *folia* bina, oblonga, quouis pilo tenuiora, ex aduerso respondentia: quorum alis, minutissimi *flosculi*, pallidulі insident, qui iuncti nodulum quasi referunt, quo maturato, nodulus siue capitulũ, ex tribus portiunculis semicircularibus in apicem abeuntibus & rufescentibus compositum conspicitur: nihilominus tamen ex priorum foliorum alis, pedicellus exurgit, qui in tria, ac etiam plura foliola absumitur, similisque in medio nodulus adponitur, in summitate namque capitulum nullum est.

Synonyma. C. Bauh. prod. Potamogeton 4. Eid. pin. Potamogeton 10. siue capillaceum, capitulis ad alas, trifidis.

FLVVIALIS PISANA, FOLIIS denticulatis. CAP. VII.



Descriptio. R*Amuli* molles quaquauersũ sparsi, ac variè diuaricati in aquis fluitant. Distincti sunt geniculis foliorum oppositorum, quæ imâ parte latiuscula, extremâ angustissima, vtrinque eleganter serrata, vel denticulata, vbi quoque densiore stipatu hærent: ad foliorum cõmissuras, & veluti ex sinu eorum, & ex parte vestiti emergunt noduli quidam oblongi Milij semine maiores, ouati, obscurè virentes. Ramulis quoque sicut & foliis conchulæ quædam exiguæ & vel prædictis granis minores hærent, vacuæ pellucidæ, acuminatæ. Planta hæc sicca nullo sapore manifesto prædita est, odorem autem quendam vliginosum spirat.

Locus. Lecta in flumine Pisas tendente Liburnum à D. Agerio Medico Argentinensi, qui Argentina communicauit.

PERSICARIA MITIS.

CAP. VIII.



FOliorum, quæ habet ista, cum Persicæ arboris foliis similitudo, nomen ei apud Latinos fecit: sũt enim illis similiter oblonga, acuminata, similique venarum discursu prædita, sed subhirsuta, & interdum liuidâ maculâ notata, vnde maculosæ cognomen, sapore adstringente acerbo: *caules* teretes, rubentes, ramosi, geniculati: *flores* in racemulis Bistortæ æmuli, colore purpurascente, vel albo: semen fuscum, latum, lubricum: *radix* tenuis, obliqua, lignosa & fractu contumax.

Non clam Fuchsium est quàm variè à multis diuinatum sit, quo nomine Persicaria vocata veteribus sit. Sed eius quidem sententiâ omnes decepti sunt nec ipsi constat nũ à veterib. descripta sit. Vulgus herbariorum vno consensu Persicariam nominat. Germ. Persickraut/ Pfersingkraut & flochkraut. h.e. Pulicariam: Belgę Persickecruyt/ Persickecruyt/ & Vloocruyt: Galli *Persicaire*, & *Culrage*: Nomencl. pann. Bolyha fiù, Kesereu fiù. Nomina linguarum.

Fuchsius porrò Persicariæ maculam non denegat, sed ei saporem admodum adstringentem, aliter ac Dodonæus, adscribit, qui vt plurimùm saporem nullum manifestum habere ait, & præterea maculâ differentem facit ab Hydropipere, in quo contra Tragum maculam negat. *In sapore dissentit Fuchsius à Dod.*

Lob. in Obs. Persicariæ plures species assignat, sc. Persicariam floribus albis Antuerpiensem, & aliam pusillam repentem, flosculis aliàs candidis, aliàs purpurantibus: tertiam in agro Neruiensi, multò maiorem, foliis hirsutis, gustu acerbis, floribus albis, aut purpureis: Hanc quosdam Britanniam appositè dicere scribit. *Persicaria plures species Lobel.*

Synonyma. Pulicaria fœmina dicitur Brũfels. tom. 1. thaps. 3. Persicaria fœmina, Eid. in 4. pag. 155. & Lon. Persicaria, Fuchs. Dodon. Anguill. Cast. Persicaria altera Trag. Matth. Tab. Persicaria maculata, Eur. Cordo, & Ger. Persicaria maculis nigris, Gesn. hort. Persicaria mitis maculo-

sa. Lob. Icon. pag. 315. Persicaria prima, Britannica Plinii, Cast. Cratæogonum, Lacunæ. Persicaria Matthioli, H.Lugd. pag. 1041. Persicaria pusilla Lobelii, Eid. quam ait in Antuerpiani agri glareosis sabulosisque vdis quadruplò minorem humi repere, reliquâ facie illi similem.

C. Bauh. *not.* C.Bauh. phyt. Hydropiper 2. siue Persicaria mitis: Eid. pin. Hydropiper 1. seu Persicaria mitis maculosa, & non maculosa: Lapathum quorundam. Eid. phyt. Hydropiper 3. [4. pin.] siue Persicaria minor: Pulicaria pumila, Tabern. *Cur separat* hanc, quæ magnitudine tantùm differt?

Locus. Reperitur similibus, & sæpe iisdem quibus Hydropiper locis, floretque eodem tempore.

Vires. Sapore acris non est, sed subacidum quippiam resipit, quare frigido siccoque est temperamento. Ob id inflammationibus incipientibus & recentibus vulneribus fertur prodesse imposita. Podagricis vtilis habetur.

PERSICARIA ACRIS SIVE Hydropiper.

CAP. IX.



Descriptio. QVi Persicariã nobis descriptam nouerit, idem Hydropiper nouerit: *radix* persimilis: *folia* Persicæ, maculosa & non masculosa: *flores* spicati, albi vel rubri: *semen* latiusculum, nigricans: *Sapor* verò nô, vt illi, acerbus & adstringens, sed Piperis instar acris, tum foliis, tum semine. Dioscoridi Hydropiper (Ὑδροπίπερι, id est, aquaticum Piper, quod à loco & sapore nomen habet) apud aquas maximè stagnantes leniterve fluentes gignitur. Caulem edit geniculatum ac solidum, circa quem alarum sunt concauitates, ac folia Menthæ similia, sed maiora, delicatiora, candidioráque, gustu acria Piperis modo, citra tamen vllam odoris gratiam. Fructum verò gerit in surculis paruis prope folia erumpentem, & racematim cohærentem, qui & ipse acris est. Cæterùm, radicem habet paruam, nullius in medicina vsus.

Persicaria fœmina triplex varietas, Trago. A Trago Persicariæ fœminæ titulo pingitur: proque Primo Persicariæ genere describitur. Tres autem coloris florum ratione species constituit. Ait enim flores esse in quibusdam ex roseo rubicantes, alios colore Bresilici præditos, nonnullos candidos. Hanc autem plantam iure Piperitin vocari posse, ob insignem suam acrimoniam, plus linguam vellicantem, quàm vel Piper, vel Aron: Dioscoridem tamen pro Pipere aquatico descripsisse, & Latinos quosdam Persicariam, ob foliorum, quam cum Persica arbore habent, similitudinem, & Herbam S. Mariæ vocasse: Iac. Manlium, Sanguinem Christi: Auicennam lib. 2. cap. 748. Zinziber caninum. Esse autem hæc propria illius nomina, Persicariam, Molybdenam, Maculatam & Plumbaginem. Germanos porrò Kafferkraut & flöchkraut, id est, Pulicarem herbam, quòd pulices abigat, vocare: posse & Muckenkraut, id est, Muscarum herbã appellari, quòd expellendis muscis, vix quicquã efficacius reperias. Si quidem quęcunque in pecoribus vulnera vel vlcera huius succo oblita fuerint, ea ab iniuria muscarum tuta maneant, etiam feruentissimâ Æstate. Idem Tragus aliud Persicariæ tradit genus, quod à priore distinguit solo sapore, quem huic postremo non adeò acrem attribuit, vt linguam mordicet, sed subacicidum qualem Acetosæ. Huius autem radicem per terram serpendo se propagantem, hortis & agris frumentariis, magnum ait afferre damnum. Esse verò quosdam subdit qui alterum hoc Persicariæ genus, in hortis & agris nascens, Crateogonon & Theligonon velint. Qua de re Ruellium l. 3. c. 64. consulendũ suadet: vbi is ab Hippocrate Polycriton, & à vulgo Gallorum Curaginem dici testatur. Sed tum Ruellius, tum Tragus satis intricatè tradere videntur historiam Persicariarum, vt patet ex superioribus, & potissimùm si quis vtriusque capita legat. In Trago porrò figura vna superflua est, si plantæ sapore tantùm differunt.

Dodon. de frum. vnam eandemque imaginem pro Persicaria & Hydropipere exhibet, aliter quàm in fol. lat. Matthiolus eorum opinionem haud censet approbandam, qui putant Cratæogonon esse quandam Persicariæ vocatę speciem, quod Persicaria nullis ferè notis Cratæogonum æmulari videatur: contrà quàm sentiat Turnerus. *Dod. mutat.*

Ceterùm, non desunt qui hanc plantam germ. Pfauwenkraut & Pfauwenspiegel, h. e. Pauonũ speculum, à maculis, quibus est notata, nominent. *Speculum pauonum.*

Malè autem à Theod. Dorsthenio Hydropiperi est apposita icon Anagallidis aquaticæ, quam Beccapungam vocant: non placet etiam ab ipso Piper montanum appellari.

Persicaria 2. [1. phyt.] siue vrens, & Hydropiper, C. Bauh. pin. Persicaria mascula, Brunfels. tom. 2. rhaps. 1. Persicaria mas, Lon. Persicariæ 1. genus, Trago & Tabern. Hydropiper, Fuschs. Ang. Dodon. Matth. Cordo in Diosc. Lac. Cast. Cæs. & Gerardo. Hydropiper Matthioli, H. Lugd. pag. 1038. Cratæogonon, Anguill. Persicaria mordax, Thal. & Eur. Cordo, cui & Piperitis, Plinio Siliquastrum dicta. Hydropiperi, & Persicaria hydropiper, Lob. Ic. pag. 315. Eid. in Obs. p. 171. Persicaria vrens, Hydropiper & Cratæogonum Cordi: germ. wasser Pfeffer: belg. waterpeper: gall. *Culrage*: Angl. Karmart the: It. *Pepo aquatico*: Hisp. *Pimienta aquatica*. *Synonyma.* *Nomina linguarum.*

Locus & Tempus. Nascitur locis palustribus, in fossis & scrobibus, hybernis mensibus aquas habentibus, & iuxta stagnantes aquas. Iulio verò & Augusto potissimùm floret.

Vires & vsus. Facultatem habet euidenter calidam & siccã: non tamen, Dodonæo teste, vti Galenus affirmat, tam calidam quàm Piper. Vim autem habent folia, autore Dioscoride, cum semine imposita œdemata veteresque duritias discutiendi, & sub

oculis

oculis sugillata emendandi. Siccata verò & tusa, sali & obsonijs pro pipere admiscentur.

COTYLEDON AQVATICA.

Cap X.

Descriptio. **F**Olijs peltatis vncialibus rotundis, per marginem obiter incisis, inseritur in ipsum vmbilicum (vnde in oras radiatim nerui excurrunt) *pediculus* palmaris, tenellus, è coliculis & ramis, adeóque & ipsis perplexis capillaribus *radiculis* enatus, indidémque & ramulorum diuaricationibus vnciales pediculi exeunt, glomeratum sustinentes singuli *capitellum*, Ranunculi aquatici, flosculo præcedente non multùm absimili: sapor huic acriusculus Sisymbrij.

Synon. Lob. in Adu. Obs. p. 209. & Ic. p. 387. aquatica Cotyledon acris Septentrionalium, an Calitriche Plinij? Cordo in Diosc. Cotyledonis, quā Cimbalion S. italion, Acetabulum & Vmbilicum veneris vocant, nomine, herba à quibusdam indicata, sed plurimùm ab Acetabuli descriptione differens. Dod. gall. Cotyledon aquatica, *Penninc-uyt* Belgarum: Eid. in fol. lat. Cotyledon palustris.

An Tarn. Cotyledon altera in palustribus nascens?

C. Bauh. phyt. Cotyledon 2 siue palustris: *Eid. pin.* Ranunculus palustris 4. siue Ranunculus aquaticus Cotyledonis folio, Ranuncul. aquat. vmbilicato folio. Col.

Locus & Tempus. Palustribus locis inuenitur, & præsertim humidioribus, & quæ frequentiùs hybernis mensibus rigantur. Iulio mense apud Belgas cum flore repertam ait Dodonæus.

RANVNCVLVS AQVATILIS ALBVS. Tenuifolius.

Cap. XI.

Descriptio. **V**Iolę aquaticæ, de qua pòst *ramos* habet, satis crassos, longos, inque ramentes ramulos sal..te digitos, per quos duorum generum promiscuè folijs conspiciuntur: alia enim capillaris tenuitatis confertissimis crinibus perplexa, alia verò supra aquam Ranunculi *folijs* similia, lucida, macolis quibusdam nigris notata, satis crassa, subrotunda, in aliquot partes diuisa, sed non profundè: *flores* satis frequentes, explicantes se capitulo folijs viridantibus obuoluto, apparent candidi, Violæ aquaticæ, vel Ranunculi, apicibus multis in tuberculum ranunculosum congestis, medium occupantibus: foliola octo sub eius initius in planta, ex qua facta nostra pictura.



Dodonæus inscribit Ranunculum aquatilem, vocátque etiam Polyanthemum aquatile, ac subdit, pharmacopæorum & herbariorum plerosque Hepaticam aquaticam & Hepaticam albam, perperam appellare.

Lobelius herbariorum. Ranunculus aquaticus Hepaticæ facie Lobelij in Obs. p. 491. & Ic. tom. 2. p. 35. Ranunculus fluuiatilis, Hepatica fluuiatilis, & Polyanthemū aquatile Tabern. Ab H. Lugd. p. 1021. pingitur huius imago inscriptione Hepaticæ aquaticæ & palustris.

Synon. C. Bauhin. C. Bauh. phyt. Ranunculus 15 siue aquaticus folio integro & capillaceo. *Eid. pin.* Ranunculus palustris 5. siue Ranunc. aquaticus folio rotundo & capillaceo: Polyanthemum palust. aut aquaticum, Dod. gall. Ranunculus tertius, Gesner. hort. Ranuncul. aquatilis, Ger. Ranunculus in aquis nascens folio parum scisso, Cæs. Hepatica palustris, Thal. De hoc ait: In nostro duplicia folia obseruantur, quæ sub aqua multifida, capillacea, quæ extra aquam rotunda & crenata.

In fossis aquas habentibus & lentè decurrentibus riuulis: nec non iuxta eorundem ripas, ac alijs locis humentibus gignitur. Aprili, Maio & sub inde Iunio mensibus abundè & latè floret. Abundat in fluuij Neccari glareosis, vbi aqua non profunda, inter Heidelbergam & *Neckergmundt*: vt & in alijs etiam aquis fluentibus, vt Mœno, & in Ducatus Burgundiæ, *Seine*.

Vires. Calida herba est Ranunculorum modo, non ita tamen vrens. Eius autem nullus medicus vsus est, nisi quod ab ignaris quibusdam, magno quidem errore, Hepaticæ albæ loco, medicamentis hepar refrigerantibus miscetur, teste Dodonæo, & Tabern.

RANVNCVLVS AQVATILIS OMNINO



Descriptio. **I**N hoc nulla *foliorum* differentia vt in Hepatica aquatica: siquidem omnia inter se similia, tenuibus illis duntaxat Hepaticæ folijs proxima, cęteroqui rami *flores* candid., capitula acetosa conueniunt.

Algastrago. Tragus pro primo Algę genere describit, Algámque primam facit, vocans germ. generali quidem vocabulo *Samkraut*. Iudicat autem & hanc sub Fuco marino Dioscoridis esse comprehensam, de eáque egisse Theophrastum lib. 4 cap. 7. vbi inter cæteras aquaticas plantas vulgatissimas Gramini simile esse calamis & caulibus, asserit.

Polyanth. tenuifol. Dod gal. huius meminit nomine Polyanthemi omnino tenuifolij, siue latioribus folijs. An Gesn. coll. Stirp. Ranunculi aquatici genus alterū minimum folijs minutis multifidis, vt in Cotula:

Ranunculus Chamæmeli folijs, rara herba & caustica, locis palustribus?


Syn. C.B. C.Bauh. phyt. Millefolium 14. siue aquaticum Ranunculi capitulo. Eid. pin. Millefolium aquaticum 6. siue folijs Abrotani, Ranunculi flore & capitulo: Alga Trag. Alga palustris & fluuiatilis, Gesn. coll. Millefolium maratriphyllon. 3. flore & semine Ranunculi aquatici Hepaticæ facie, Lobel Ico pag 791. & Gerardi: Millefolium aquat. flore albo, Clus. hist. Millefolium tertium, Oatersachs, Wasserfachs Schvv. Fœniculum aquaticum, Wasser feuchel, Tabern. Ranunculus tricophyllon aquaticus medio luteus vel, Ranunc. aquat. fœniculaceus τριχόφυλλον, Colum.

Locus & Tempus. Prope riuulos habitat: degit & interdum in ipsis: necnon etiam ad ripas fluminum: flores Aprili Maio & Iunio mensibus.

Vires. Tragus Algam naturâ frigidam ait, idemque non intro tantum, sed podagricis & calidis affectibus foris dumtaxat adhibendam. Schvvenckf. contra hoc suum Millefolium esse causticæ facultatis & e charoticon concludit. Verum ... vel ... & an ambo eandem plantam intellexerint, non abs re quæritur.

RANVNCVLO SIVE POLYANTHEMO aquatili albo, siue Millefolium maratriphyllon floridum.

CAP. XII.



Descriptio. Longissimis, in aliquot partes diuisis, teretibus, læuibus, inanibus flagellis, fluidis, aquæ impetum, cuius est alumna planta, imitatur: folijs ad geniculi Fœniculi, vel potiùs Peucedani, multò longioribus, & etiam Hepaticæ aquaticæ Dodonæi tenui folio, in pauciores partes diuisis: ex ijsdem etiam articulis surgunt pediculi concaui, quibus insident flores Ranunculi lactei, quinque foliolis striatis constantes, apicibus in medio luteis: quibus succedunt capitula consimiliter Ranunculi, viridantia, echinata.


An Fœni. cu. aquat. H. Lugd. An H. Lugd. p. 1023. Fœniculus aquaticus? Hûc C.Bauh. ad Millefolium maratriphyllum palustre alterum Lobelij refert, dicens figuram eius esse imperfectam.

Fluitans abundat in fluuio Mompelgardensi Alant dicto, & in Dubi: floret Maio & Iunio.

RANVNCVLVS HEDERACEVS RIVVLOrum, sed extendens, atra macula notatus.

CAP. XIII.

Descrip. Est cauliculis multis, humi iacentibus, & serpentibus, rotundis, radiculas exiles & prætenues, è nodulis quibusdam emittentibus, folijs multis, paruulis, Hederæ similibus: [quâ mobrem Hederaceus cognominatur,] atra macula notatis, pediculis breuissimis, ad quorum exortum floris conceptus emergit, granulis tuberosus, oblongus: flore luteo, Ranũculis alijs simili. Sapore acer est feruidus.



Synon. H. Lugd. p. 1031. Ranunculus hederaceus Dalechampij. C.Bauh. phyt. Ranunculus 34. Eid. pin. Ranunc. palustris 3. siue Ranunc. aquaticus hederaceus luteus.

Locus. Nascitur in riuulis & fluentis fonticulorum, locis sabulosis & macris.

MILLEFOLIVM AQVATICVM, DICTVM Viola aquatica.

CAP. XIV.

Descript. Violam aquaticam vocant aquarum amasiam plantam, cui radices longæ subinde obliquo actu se propagant sesqui palmares, è quibus orti pediculi trium quatuorve vnciarum, foliolorum pinnatim adnexis segmentis vncialibus, angustis: caulis rectus, inanis, striatus, geniculis aliquot per summa nodosus, ad quorum vnumquodque quini, aut seni verticillatim nascuntur flores pulchri, maiusculi, Leucoijs similes quinquefolijs albis, apicibus in medio luteis, constantes, pediculis vncialibus & sesquncialibus hærentes. [Dod. odorati:] florem calycis vice obuallant foliola oblonga, viridia: ipsisque pediculis apposita folia aliquot longiora acuta radiata. Tota herba, autore Dodonæo, ante caulis prouentum, sub aquis conditur, atque tunc ei innatans nouella videtur Abies: caulis verò vbi excreuerit vnà cum floribus superficiem superat, ac supra aquas eminet.

Matth. notatur. Myriophyllum alterum vocat Matth. in Diosc. & Epit. Camer. id non describens, sed Dioscoridi attribuens, quod tamen asserere nolim.

Dodon. in fol. lat. inscribit Violam aquaticam, vocans Belg. vvater Violieren, German. vvasser Veiel: Gall. verò Gyroffiees d'eau. Testatur idem Matthiolum Myriophylli speciem facere, tametsi cum descriptione eius parum conuenire dicat. Nec enim caule esse ait singulari, nec radice vnicâ, quale Myriophyllon à Dioscoride describitur.

Synon. C.Bauh. phyt. Millefolium 12. seu Viola aquatica latiore folio: Eid. pin. Millefolium aquaticum 4. siue Viola aquatica caule nudo: an Potamogeton Castoris apud Pliniũ l. 26. c. 5. Schvvenckf. Millefolium palustre secundum: Myriophyllum alterum, Matth. Lac. & H. Lugd. Myriophyllon, Cæs.

Cæſ. Myriophyllum equiſetifolium fluuiatile, Lob. in Adu. & Obſ. p. 460. Stratiores fluuiatilis, Geſn. hort. Viola paluſtris, Geras Fœniculum aquaticum 2. Tabern. German *Vuaſſerfenchel.*

Locus & Tempus. Aquarum reſidum & riuulorum vadoſis innaſcitur lubens: Alibi etiam, vt apud Belgas frequens in lacubus occurrit, & aquis ſtagnantibus, aut pigriù. fluentibus; prodit Iunio flores.

Vires. Et frigidam & ſiccam facultatem habere videtur Dodonæo.

Millefolium aquaticum, dictum Viola aquatica, ſecundum.


SVnt qui cum priore idem velint, ac illud folio latiore, hoc vero anguſtiore multò eſt.

Synonyma. Inſcribitur à Lob. in Obſ. belg p. 966. & Icon. Plant. 790. Myriophyllum equiſetifolium paluſtre. A Dod. in fol. lat. Violæ aquatilis altera Icon. Ab H. Lugd. Viola paluſtris.

Caſ. Bauh phyt. Millefolium 13. ſeu Viola aquatica altera: Eid. pin. Millefolium aquaticum 5. ſiue equiſetifolium caule nudo.

Millefolium pennatum aquaticum.

Deſcriptio. LOngis præditum eſt caulibus & fungoſis, internodiis ſatis crebris interceptis, ad quorum nodos quinque aut plura folia circumpoſita tenerrima, pulcherrimè criſtata & plumas auium imitata: ſpicam Equiſeti capitulo ſimilem habet. C. Bauhin. eſt in phyt. Millefolium 16. In pin. Millefolium aquaticum 8. ſiue pennatum ſpicatum. Trago eſt Alga tertia, vel Alga Virgilij. An Myriophyllum vel Marathriphyllum paluſtre, Lobelio? An Millefolium aquat. Matthiolo? Millefol. paluſtre ſpicatum, Schvv.



Locus & Tempus. Obſeruaui ego Geneuæ in lacuſtribus circa noſodochium: poſtea etiam inter Mompelgardum & pontem Vauiaucourt & Dubim, ac prope vrbem & præterea iuxta Belfordiam, florentem menſe Maio. Alga 3. Trag. naſcitur in piſcinis & ſtagnantibus aquis, humo limoſa & forti. Iudicatur planta terreæ ſubſtantiæ & Saturnia planè.


MILLEFOLIVM AQVATICVM minus.

LAtè ſe fundentibus *ſcapis* præditum eſt, qui rotundi, virides, frequentibúſq; nodis intercepti ſunt, è quibus tenues, capillaceáſque fibras ſpargit, quibus tellurí inhæret: ſuperior ſcaporum pars palmum ſupra aquas eminet, quam ad ſingulos nodos quinæ tenuium paruúſque foliolis prædictorum foliorum alæ ambiunt, vix vnciam longæ, virides admodum quæ ſenſim circa ſcaporum ſummitatem minuuntur, ſic vt in pyramidalem quaſi formam ſcapi deſinant, qui ſummo faſtigio etiam *floſculos*, quot foliorum alas in ſingulis nodis ferunt, puſillos valdè, octonis candidis foliolis ſimul iunctis, nec ſeſe explicantibus, præditos, qui deinde in quædam tubercula quatuor radiolos in capite habentia tranſeunt.

Ciuſ. deſcriptio nis autori dicitur in pann. 711. & hiſtor. Myriophyllon aquaticum minus. *C. Bauhin.* phyt. Millefoliũ 11. ſiue aquaticũ minus. Eid. pin. Millefolium aquaticum 3. ſiue floſculis ad foliorum nodos. Vulgare admodum eſt in Pannoniæ, Auſtriæ, vicinarúmque prouinciarum lacunis, ſecundùm riuos ſitis, nec profundis. Flore & ſemine onuſtam conſpiciebat author hanc plantam menſe Iunio.

MILLEFOLIVM AQVATICVM flore luteo galericulato.

Deſcriptio. TEnuiſſimis filamentis totum eſt contextum, iiſque ferè indigeſtis, appẽſis hinc inde crebris emblematis orbicularibus, Lenticulam aquaticam æmulantibus: *caulis* tenuis, dodrantalis, nudus, in ramulos aliquot parte ſuperiore diuiſos, *flores* gerit luteos, maiuſculos, cucullum referentes.




Synon. C. Bauhin. phyt. Millefolium 17. ſiue aquaticum lenticulatum luteum: Eid. pin. Millefolium aquat. 11. ſiue lẽticulatum: Lenticularia, & Meon aquaticum, Geſn. coll. Millefolium aquat. flore luteo galericulato. Lobel. hiſt. Belg. p. 967. & Icon. p. 791. Fœniculum aquat. galericulatum, Tabern.

Vocaui autem (inquit C. Bauh.) lenticulatum, quia veſiculæ paruæ lenticulares, non tantùm vltimæ foliorum parti adhærent, ſed infinitæ omnibus foliorum partibus ſubijciuntur, quod ta-

men figura Lobelii, qui solus pinxit, non proponit.

Locus & Tempus. Obseruauimus Geneuç in palustribus & in Michelfelden. Vidimus dein florentem mense Augusto & Septembri prope Bestordiam.

Millefolium aquaticum cornutum.




Descriptio. INnatat aquis *caulibus* donatum prælongis, fragilibus, in tenues ramos diductis, densè geniculatis, quorum singulos nodos circumcirca coronant radiata rigidula *folia* in fibras per extrem u cornuum terminorum ramosam diuisionem imitatas fissa, intra extremos obliquem nostra obliquo aquæ: *flores* parui geniculis adhærentes, herbæ ipse concolores, quibus succedunt *semina* prima, quaterna simul iuncta.

Synon. C Bauh. ap. Math. Millefol. aquat. cornutum: In phyt. Millefol. 10. siue cornutum Io. Bauhini: In pin denique Millefolium aquat. 9. siue cornutum majus. Hic addit & Millefol. aquat. 10. siue cornutum minus, quod notandum descripsit.

Locus. Abundat Mompelgardi in fossis. Reperitur etiam Geneuæ circa Noiodochium in paludosis. Basileæ quoque in palustribus, licet rarius, & quidem circa Hiltelingen inuenitur.

GRAMEN AQVÆ INNATANS cum vtriculis, siue Fœniculacea marina.

CAP. XVI.




Descriptio. AQuis innatant hujus longissimi & infirmissimi culmi, ad quorum genicula nascuntur *folia* bina aut terna palmaria, fili instar angusta, aliquando subdiuisa: per extrema culmorum, foliorum *pediculi* coeuntes veluti vtriculum efficiunt grano Auenæ magnitudine & forma simile pellicula obductum, in quo continetur aliquid nucamenti rugosi instar cohærens. Hanc genet Chelerus in riuulis lacustribus quibusdam collectam Monspelio attulit.

An Fucus ferulaceus, Lobelio & Hist. Lugdunensi; An Algæ species 2. Lemn. occult.? An Phucus marinus folio fœniculi Anguillaræ?

TRICHOMANES AQVATICVM Dalechampij.

CAP. XVII.



Locus. STurgardiæ anno 158., mense Ianuario itinere quo ad balneum ibatur, in fonte natantem, capillatam hanc plantam obseruare memini: quam tunc, quod doleo, non descripsi. Iac. Gargilli judicio, radix est Reginæ prati, qualem aliquando Basileæ in Byrsa ad radices annosç Salicis se reperisse refert.

Erat autem ea prorsus similis ei, quæ apud H Lugdunensem p. 1023. Conseruæ trichodis siue Trichomanis aquatici titulo pingitur, sine descriptione. Dicitur hæc C Bauhino in pin Fucus siue Alga capillaceo folio 3. siue Alga fontalis trichodes.

LENS PALVSTRIS.

CAP. XVIII.

Descript. STagnantium aquarum incola Lenticula, iisdé innatat, totam superficiem densissimo foliorum, infernè nigricantium, supernè virentium, nitidorum, orbiculatorum, Lentisq; modò compressorum, stipatu obtegens, quæ inter se capillamentis tenuissimis & albis arctè deuinciuntur: iisdémque ceu radicibus è limo adhærescente alimentum hauriunt.

Radix. Adrian. Spigelius in lentis palustris auersa parte, qua fundum spectat, radices esse apertissimas ait, quas mirum hactenus à nemine fuisse animaduersas.

Lens lacustris Dod. Dudon. in fol. lat. testatur Lentem lacustrem, caule, flore & fructu carere.

Muscus Dioscor. Etymon Synon. Muscus autem hic Lenticulæ similis, vt ait Dioscorides, dicitur Græc. φακὸς ὁ ἐπὶ τῶν τελμάτων, quòd folium sit Lenticulæ formâ: Latinis, vt Matth. Dod. gall. Anguill. (annotat hic in plurimis Italiæ locis, Anarinam dici) Cordo in Dioscor. Turn. Lac. Lob. in Obs. p. 648. & Ic. tom. 2. p. 249. H. Lugdn. p. 1014. & Gerardo, Lens palustris: Aliis, vt Trago, Cæs. & Tabern. Lenticula palustris: C. Bauh. in prod. & pin. Lenticula palustris 1. siue vulgaris: Brunf. & Thal. Lenticula aquæ, Pharmacopœis & officinis, quibus & Lenticularia seu Lenticularis: Lenticula, Lob. in Aduers.

Aduers. Sunt etiam qui Lentem lacustrem, Lentem aquaticam, seu aquatilem, & Lentem viperalem appellent, aliqui quoque Lentiginem & Muscum palustrem.

Nomina linguarum. Vocatur denique inter Dioscoridis nothas etiam φακὸς ἄγριος, hoc est, Lens siluestris, seu agrestis, ad differentiam sc. Lenticulæ satiuæ, Epipteron [Epipetron, ab Aristotele lib. 2. de plant. appellari ait Gesn. in cat.] Viperalis [Bipteralis Trago,] & Iceomigdones.

Arab. vt Serapioni, *Tahaleb*, seu *Thaleb*. Germ. *Meer*, & *Wasserlinsen*: Belg. *Waterlinsen*, sed frequentius, *Enden gruen*, hoc est, Anatum herbam, quod videlicet eam anates pascantur. Gall. *Lentille de mer*, *Lentille d'eau*. Italic. *Lente di paludi*. Hispanice, *Lentejya del lagoa*, & *Lentejas de agua*. Angl. *Duck meate*, *Duckes meale*. Hung. *Bekalencse*, hoc est, Ranæ lens. Boh. *Kzasa*, aut *Okrzehky*.

Sunt qui putant Ipnum plantam Orchomeni lacui à Theophrasto lib. 4. cap. 11. hist. propositam, Lentem palustrem esse, & ab ipso, siue à Bœotis sic nuncupatam, quòd fauillis è camino furnóve euolantibus similis sit: nam ἰπνὸς caminum furnúmve significat, conjectura, vt aiunt, eò probabiliore, quòd nusquam aliquam hujus Lenticulæ herbæ frequentissimæ notissimæque meminerit Theophrastus.


Locus. In lacubus, & stagnis, aliíque non decurrentibus aut fluentibus aquis, vt vrbium fossis, innatans & latè sæpè superficiem earum occupans reperitur. Hæc si (quod nonnunquam accidit) aquarum inundationibus à pigris aquis in fluentes transferatur, dum in torrentibus subsistit, mirum in modum propagatur: nam subnatis quibusdam capillamentis, quæ radicum vice esse videntur, sese terræ alligat, atque ita adolescens tandem crescit in plantam aquatico Sisymbrio haud absimilem. Id quod naturæ operum indagator Dalechampius non sine admiratione obseruauit.

Vires & Vsus. Vis est ei authoribus Dioscoride, Plinio, & Galeno refrigerans. Quare omnibus inflammationibus, ignibus sacris, & podagris conuenit, tum per se, tum cum polenta imposita. Agglutinat etiam in pueris hernias intestinorum. Magnifaciunt quidam, vt tradit Matthiolus, pumilæ hujusce plantulæ stillatitiam aquam ad internas viscerum inflammationes, & ad pestilentes febres. Quinetiam eandem præferunt ad oculorum ruborem & palpebrarum phlegmonas, & ad mammarum & testiculorum collectiones antequam augeantur: nam illita non obscurè fluentes humores repellit. Herba ipsa recens ex aquis allata, & fronti adhibita, capitis dolores mulcet, qui à calore prouenerint. Vescuntur ea anates magnâ voluptate, vt etiam gallinæ cùm aquis excempta furfuribus permiscetur.

LENS PALVSTRIS QVADRIFOLIA.

Descriptio. Fibrosis *radiculis* nititur ex crassiore alia (licèt eâ tamen tenui) transuersa demissis: vnde propagantur, *rami* multi, multifariam diuisi, atque tum ex ijs, tum ex radicibus pediculi ad aquæ superficiem pertingentes, quorum singulorũ extremis adhærent aquæ innatantia quaterna folia, triquetra, per extremum lata, angulis acutioribus ad pediculum coëuntibus, circa verò ramulorum diuaricationes pediculorũ neque exortus numerosa semuncialibus pediculis nixa cohærent grana nigra, dura, Lentibus majoribus paria.

Icones duæ, H. Lugd. Hujus plantæ Compilator H. Lugdunensis duas & picturas & descriptiones, diuersis quidem capitibus, dedit. Earũ prior p. 1014. Lẽmatis Theophrasti inscriptione: Altera p. 1015. Lẽtis palustris alterа Matth. olim titulo.




Locus. Lentis quadrifoliæ portionem pingit C. Bauh. in phyt. sub Icone 7. In prod. est ei Lẽs palustris 3. siue quadrifolia: In pin. Lenticula palustris altera, Matth. Lac. & Cast. app. An Lenticulæ alterum genus, Cæsalp.?

Vires & Vsus. In lacubus stagnisque agri Segusiani limpidum aliquem riuulum excipientibus nascitur. Copiosa quoque in Alsatiæ fossis, via illâ quâ Argentorato ad domum & pontem vectigalis itur.

LENS PALVSTRIS PATAVINA.

Descriptio. Ad vnam costam longiusculam adnascuntur vtrinque in alæ modum, folia denso agmine mutuò sese plurimùm, tangentia, ex oblongo rotunda, semuncialia, superiùs stigmatis notata, inferiùs musco obducta.




Folia Cæsalp. sunt rotunda, vnguis magnitudine, læte virentia, conjugatim in ramulis digesta, cruciformi figura, vt in Abiete: villi per totos ramulos deorsum spectantes, radicum vicem gerunt.

C. Bauhino sub folijs subrotundis copiosę lenticulæ, aliquando singulæ, aliquando ternæ, & quaternæ, rugoso prætenui cortice donatæ adhærent, quibus semen copiosissimum, minutissimum & flauescens includitur. Sapore aqueo constat.

C. Bauh. phyt. Lens palustris 4. Eid. prod. Lenticula palustris 4. (5. in pin.) siue latifolia punctata: in fossis Patauinis aquis supernatans, & in Silesia circa Vratislauiam. Pisis in Auxer fluuio quasi stagnante, qui aquas thermales ex monte

S. Iuliani recipit, fluitat, vnà cum aqua incedens, sed multis in locis interim quiescit, & tanquam exercitus castrametatur, idoneum locum ad quietem nacta.

Lenticula aquatica trisulca.




Descriptio. LEnticulæ palustris vulgò notæ ritu, aquæ stagnanti innatās visum penè fugientib. *fibrillis*, limum arripit alimentum subducens, quibus etiam inter se committuntur *folia*, non vulgarem sortita connexum & formam: foliolo enim Lenti leg tantos partis, pinnæ vtrinque foliaceæ transuersim squammata commissurâ ita incumbunt, vt & trahentem leua et sequantur, & iis detractis tenuius reddatur. Folium vt uniu..., totū autem omnium trium cōuexū trifulca hederacei folij formā quodammodò exhibeat: at hujus connexus capillari petiolo transuersim incumbit folium veluti temerè projectum, nequaquam tamen solutum, licèt adhæsūs ratio oculos fallat.

Synonyma. Lob hist.belg. & Ic.Plant.tom.2.p.3.: Hederula aquatica & Trisulcas aquatica quorundam: Belg. *Cleyn Water Veyl*: & sic etiam Gerardo Tab. Hederula palustris, *Water Eyben*. C. Bauh. pin. Lenticula palustris, siue Lenticula aquatica trisulca.

Locus. Colmariæ in fossis aquæ innatat, Morsui ranæ permista. Eandem cum Nymphæa lutea & Millefolio aquatico cornuto alunt stagnantes aquæ quæ fossarum aliocis cir... horum Monbelgardensium ... bus jungitur, adhuc

ALSINE AQVIS INNATANS FOLIIS longiusculis.

CAP. XIX.




Descriptio. LEnticulæ modo aquis innatat, longis, tenuibus, teretibus, infirmis coliculis, pedalib. & cubitalibus, ac etiā longioribus, in ramulos subinde abeuntibus, è quorum geniculis non tantùm demittūtur fibræ tenuissimæ & albidæ quibus radicatur, verùm etiā bina folia per geniculos oriuntur, Alsines, semunciam ferè longa, ex angustiore principio sensim parum dilatata: extrema autem ramulorum suprà aquam coronant folia multa, alia aliis imposita, latiora, radiatímque digesta, decrescentibus semper interioribus, inter ipsa verò stamina plerúmque bina apparent cum minimis capitulis luteis: inter longiora folia sub innatantibus ad singulos geniculos duo iti sunt stamina, prædictis similia, sed longiora, obseruaui etiam quatuor apices ex vno geniculo, verùm aderant quatuor folia. Illud penè omiseram, secundum longitudinem foliorum apparere neruos. Saporem nullum manifestum sentio in hac herba. An Alsine aquatica, H Lugd.?

Stellaria aquatica Lob. Ic. p. 792. & Fœniculum aquaticum stellatum Tabern. C. Bauh. in pin. cui Millefolium aquaticum. Synonyma.

Potentius in stagno ad fossas vrbis innatans viret mensis Decembris principio: Mompelgarti in diuersis riuulis ex fontium scaturigine obortis. Locus.

Alsine aquatica furrectior.




RAdiculas agit fibrosas repantes, quæ *coliculos*, surrigūt plures nō fluctuātes, vt ea quę innatās dicitur, sed rectos, palmares aut sesquipalmares, pingues & succulentos, in duos ramulos diuisos, aliquando tres, vel quatuor. Ex quorum singulis geniculis bina oriuntur, *folia*, Alsines vulgaris, oblonga, saturè virentia, crassiuscula, interna quidem ad Cepæa folia accedentia: superna, Portulacæ magis æmula. Ad inferiorum verò geniculorum basim, tenues quoque fibræ, oblongæ deorsum vergunt. Ex geniculorum sinu alterutro tantùm, *flosculi* emicant aliquot candidi, exigui, & quorum partes vix Lynceus dignoscat, breui pedicula donati. Tota cæterùm plantula crassula est, sapore viscido, nec aliam manifestam qualitatem gustanti exhibente. Descriptio.

In riuulis quibusdam Sundgouiæ Auri florentem legi, & in valle Grisbachiana ad fontes acidos. Locus & Tempus.

ALOE SIVE AIZOON PALVSTRE.

CAP. XX.

FOlia habet Aloës herbæ similia, sed breuiora & minora, per ambitus, duris quibusdam breuibus aculeis spinosa: inter quæ *vaginæ*, quædam erumpunt, cancrorum forcipulis persimiles, quibus dehiscentibus, *flores* exeunt candidi, trium foliorum, Ranæ morsus persimiles, luteola exigua stamina in medio gerentes. Pro *radicibus*, fibræ longæ sunt, rotundæ, candidæ, crassioribus Descriptio.



crassiorib lyrarũ fidibus, aut longis lumbricis persimiles, quæ ab ipso folia promente, breui capite descendentes, aquæ fundum petunt, quem tamé rariùs assequuntur. Exeunt ab eodem & aliç obliquç fibræ, quib. vbi Ranæ morius multiplicatur.

Synon. reliqua. C. Bauh. pin. Aloë 4. siue palustris: Planta foliis Aloës, quæ Stratiotes non est, Anguill. Stratiotes siue Militaris aizoides. Lob. in Adu. & Ic. p. 375. Stratiotes aquatica H. Lugd. pag 1061. Nam reperitur in stagnantium

Locus. aquarum lacubus & fossis vel pigrè fluentibus, maxima foliorum parte vnà cum floribus aquas superante, reliquis ipsius stirpis partibus sub aquis conditis, vnde cognomentum inditum.


Temps. Iunio, Iulio & subinde Augusto floret.

Impostura. Cæterùm, fibras quas pro radicibus habet, scelerati agyrtæ in aquæ plena phiala, quò majores appareant, mulierculis ostentatas impudenter mentiuntur vermes esse, quos medicamentis suis ex intestinis eduxerint, teste Dodonæo. Facultatem habet refrigerandi & siccandi.

Vis.

STRATIOTES ÆGYPTIA.

Cap. XXI.



Locus. Propè Pelusiũ, nunc Damiatam vocatum, Ægypti ciuitatem, quam Nilus præterlabens largiùs inundat, & ad libitum irrigat, in fossis, aquâ dictis fluminis decurrente plenis, hæc herba copiosè prouenit, aquæ Lenticulæ palustris modo supernatans, sine caule, folijs Cynoglossi, breuioribus, latioribus, densioribus, duriorib's, hirsutioribúsque ac albidioribus, à quibus pro radicibus exigua ac rara quædam lanugo pendet.

Descriptio. Quæ planta majori, Sedo est similis. Eam appellant Hayh. lem el mabut, quasi dixerint aquosum Sedum. Nullo odore est refecta, eo excepto, quẽ ab aqua accipit: sapore tamen adstringenti, ac sicco linguam ferit, non secus quàm Acacia facit. Hanc plantam Alpinus & Guilandinus verum esse Stratiotem Antiquorum existimant, & verum loquuntur, nostro quidem judicio.

Stratiotem verò fluuiatilis cognomentum ex eo traxisse testatur Dioscorides, quòd in aquis nascatur, inque ijs supernatans, sine radice viuat, quamvis folium habeat Aizoo simile, at majus. Ægyptijs Tibus nuncupatur, Magis autem Æluri sanguis.


Plinius tradit eam in Ægypto tantùm nasci, quod non credendum, cùm Dioscorides indefinitè dicat aquis innatare. Celebratur, inquit lib. 24. c. 8. & à Græcis Stratiotes, sed ea in Ægypto tantùm ex inundatione, Nili nascitur, herba Aizoo similis, ni majora haberet folia.

C. Bauh. pin. Lenticula palustris 6. siue Ægyptiaca, vel etiam Stratiotes aquatica folijs Sedo majore latioribus. *Cur ad* Lenticulam palustrem refert? Quæ stratioti & dictæ Lenticulæ affinitas? — C. Bauh. not.

Folia refrigerant, & sanguinem qui defluit à renibus, pota sistunt: vulnera quæ inflammationem timentur, intumescere non sinunt: ignibus sacris & tumoribus illinuntur, Dioscor. & Plin. amoribus, *Plinius*, hæc paullò aliter: refrigerat mirè, vulnera sanat ex aceto illata. Item ignes sacros ac suppurationes Sanguinem quoque qui defluit à renibus pota cum thure masculo mirificè sistit. Stratiotes aquaticus, inquit *Galenus* 8. simpl. humidæ & frigidæ facultatis est, terrestris verò no nihil habet adstrictionis: proinde sanè vulnera glutinare potest, & vlceribus esse vtilis. Sunt qui eo ad sanguinis eruptiones vtuntur, & ad fistulas. His addit, *Alpinus*: Ægyptij ad eadem ipsa mala vtuntur, quibus Plantaginem conducere compertum est Ex quo mulieres rusticæ, quas *Bedoui* vocant, ad sistendam sanguinis eruptionem ex vtero, atque aliis partibus, ejus decoctum, vel succum, vel puluerem per os quotidie ad drachmæ pondus sumunt. Rustici quoque ad vulnera sananda folijs contusis superpositis vtuntur, mirificèque ea sanant: eámque frigidam vsque ad primum gradum, & siccam supra secundum esse arbitrantur. — Vires & vsus.

PLANTAGO AQVATICA.

Cap. XXII.



Descriptio. *Foliorum* cum caulis imo quod inuoluunt ad tenues vsque & numerosas radicum fibras turbinat' cortus bulbi faciẽ aliquatenꝰ mẽtitur: *caulis* autẽ striatus, angulosus, inanis, subruber, plerúmq; cubitalis, non rarò etiam procerior, alis indidẽ ortis in orbẽ coronatur, atq; hę rursũ in radiatos ex intervallis, *surculos* facessunt: quorũ extremis insident, *flosculi* dilutiori purpurâ pallescentes, sim-

briatis foliis tribus constantes, totidem tori flosculi subjectis foliolis minoribus viridantibus, herbacei coloris staminulis senis è medio flosculo exeuntibus: *semina*, Milio vix majora, vtrinque compressa, margine sulcato, in trigonum, junctis lateribus, disposita, copiosa: *folia*, Plantaginis, longiora, acuminata, neruosa, glabra, sapore subacido prædita.

Matthiolus in Dioscoridem ait affirmare Ruellium, eique etiam subscribere Fuchsium, Plantaginem aquaticam, Alisma esse, vocarique à nonnullis Pastorale fistulam, ac etiam Barbam syluanam, nullis tamen notis hanc Plantaginem cum Alismate conuenire. *Hallucinatur*, autem Matthiolus: Fuchsius enim hanc non recipit pro Alismate. Quod autem nonnulli Alismatis nomen ad Plantaginem aquaticam pertinere contendunt, nullam aliam rationem demonstrare possunt, quàm quòd Alisma ad loca aquosa prouenire dicatur, inquit Tragus. Qui licet & ipsemet Plantaginem aquaticam vocarit, tamen inter Plantagines connumerandam haud censuit; quin & Gesn. de hort. impropriè Plantaginem dici testatur. Et hinc in cat. & Alisma, & Damasonium appellauit.

Fistula pastoris. Rob. Stephano, Amato in Dioscor. Rhegino in cast. Brunschvveig. & Ruellio, ut & qui Bacchanelio in cont. Fistula pastoris & Plantago aquatica, vna eademque est herba. Cæterùm ut omnes Alisma esse judicant, cùm quibus etiam Euric. Cordus, qui tamen vulgares herbarios Alineam corruptè vocare scribit, aliàque a Barba syluana aquaticam Plantaginem esse contendit.

Lonicerus contrà cum Durante tenet Barbam siluanam omninò eamdem esse cum Plantagine aquatica, ejusdemque opinionis est quoque Pandectarius Mattæ. cap. 8. & Eucharius, qui Barbam siluanam etiam Centumnodulam aquaticam vocant.

Fistula pastoris perperam. Fistulæ pastoris verbum à recentioribus perperam tributum Plantagini aquaticæ, vt potè putantibus Damasonium esse, concludit Cæsalpinus.

Quærit Lobel. etiam in Obs. num Plantago aquatica sit Limonium, aut potiùs Alisma siue Damasonium? Et respondet Anguillara ejus sibi nihil inuenire, quod meliùs conueniat Limonio Plantagine aquatica. Concludit verò in Adu. Lobell. Græcis antiquis Mauritanis & Latinis fuisse incognitam.

Synon. Nostræ ætatis Herbarij, vt Brunfels. tom. 1. rhapt. Trag. Matth. Fuchs. Dodon. Turn. Gesn. hort. Lob. in Obs. pag. 160. Cast. Thal. Schvvenckf. Cæsalp. H. Lugd. Tabern. [cui & Plantago palustris & Cochlearia palustris] & Gerardus, Plantaginem appellant aquaticam: Lob. in Adu. & Icon. p. 300. Plantaginem aquaticam foliis Betæ aut Plantaginis, flore Callij aloi: C. Bauh. phyt. & pin. Plantaginem aquaticam: 1. siue latifoliam, & Limonium Anguillaræ. Dubitat autem an Alisma siue Damasonium quæ Fistula pastoris dicitur Germanis, vt Cordo in Dioscor. & Lonicero, huc sit referendum. De hac nos inferiùs. Licèt autem omnes hi Plantaginem vocent, Plantagini tamen non admodum similis est: præterquam folium, nihil habet Plantaginis, quod tamen & ipsum Plantaginis folio non satis respondet: nam longius, magis fastigiatum, & minùs neruosum est.

Nomina linguarum. Germanis dicitur, *Wasser Wegrich, froschvvegrich*, Plantago ranalis, *froschlöffell, froschlöffelkraut*, id est, Ranæ cochlear, *hirtenpfeiff*, hoc est, Fistula pastoralis, & *Waydtsbart*: q. e. Barba syluana vt Simon Ianuensis, Eustachius & Pamphilus Herilacus de nat. aq. lib. 1. cap. 24. vocant. Belgis, *Water vveghbree, vvater vveghbre*: Gallis *Plantain d'eaue*, & *Plantain aquatique*: It. *Plantagine aquatica*: Angl *vvater Plantaine*.

Locus & Tempus. Exit humilioribus & aquas habentibus locis, in fossis juxta lacuum & riuulorum margines. Floret Iunio, Iulio & subinde Maio & Augusto, mensibus.

Vires & Vsus. Facultatem autem hæc Plantago frigidam videtur Dodonæo habere & siccam. Videtur nobis si frigida ad tertium gradum, vt vult Euch. in calidiori vero ad conceptionem facere posse. Schvvenckf. refrigerare & siccare quidem testatur, non tamen prorsus caloris expertem esse, sed aliquantulùm acrem abstergendi vim habere. Procidentiam curare, rubentem podagram, capitis dolorem à calida causa mulcere, cruento sputo, vrinæque mederi. Radices in vino decoctas, iis qui calculo renum & vesicæ molestantur, solatio esse. Summum secretum & expertissimum quo modò lac in mammillis consumatur, esse ait Timor. Rotsliu, succum hujus Plantaginis illis applicatum.

Plantago aquatica humilis angustifolia.



Descriptio. Gracili nudóque *caule* pedali & altiori prædita est, verticillatim circa medium, *pediculis* quadràtalib. & tricentalibus ex geniculo ortis radiato, consimiliterque aliis ejusmodi vmbellatim summum caulem coronantibus, quorum vnicuique *flos* insidet paruus, albus, è tribus caducis foliolis compositus, glomerato in paruo echini modum capitulo relicto: *folia* ex radice sena, septenáve, junceo pediculo palmari & sesquipalmari nixa, angusta, acuminata, minora multò quàm Plantaginis angustifoliæ terrestris, glabra, tribus longis neruis distincta, grati odoris, saporis fatui: *radix* fibrosa majoris Plantaginis aquaticæ.

Synon. Lobel. Icon. pag. 300. Plantago aquatica humilis angustifolia & longifolia: Schvv. Plant. aquatica angustifolia humilis: Tabern. Ic. & hist. itemque Cæs. Plantago aquatica minor: Gerardo, Plantago aquatica humilis: C. Bauh. phyt. & pin. Plantago aquatica 2. siue angustifolia. Dicitur ger. *klein vvasser vvegrich*: Angl. *dvvarfe Plantain*. Huic congenerem facit Clusius suam Plantaginem aquaticam minimam, vel suum Plantaginis elegans genus.

Locus & Tempus. Monpelij propè fluminum ripas, floret Aprili & Maio. Reperitur & in Silesiæ vdis.

PLANTAGO

PLANTAGO ITALICA RYFFIO, AQVOsis locis proueniens, quæ Fistula pastoris multis.

CAPVT XXIII.

Plantago Italica. Ryffio. VErum hoc Alisma (si credere fas est) ex Italia adferri curauit, quò ei in Germania non proueniret. Eius autem picturam dedit Ryffius in Diosc. lib. 3. cap. 144 nomine Plantaginis Italicæ, germ. *Welsch Wegrich*: *folio* Arnoglossi, sed angustiore, & semper in terram demisso: *caule* vnico sesquipedali, in cuius fastigio viride alabastriculũ in caulem concoloris floris dehiscit: *radicibus* crebris, vt Ellebori nigri, tenuibus, acribus, pinguibus: *flore* tenui, in candido pallescente: aquosos amat situs. *Descriptio.*

Fatetur C. Bauh. in phyt. se ignorare quid sit Alisma, siue Damasonium, vel etiam Fistula pastoris, Loniceri, Ryffij & Cordi in Dioscor. lib. 3. cap. 169.

An Bifolium. Nos verò inquirendum proponimus an Cordi Alisma, seu Herbariorum Almea, sit Bifolium maius, id quod aliqui volunt, vel Damasonium de quo in historia eius. lib. 2. cap. 107.

Brunfels. in Diosc. lib. 4. in exeg. tom. 2. pag. 121. perhibet Alisma in aliquibus comm. pro Fistula pastoris interpretatum reperiri: in alijs pro aquatica vel palustri Plantagine. Euch. Rosslino Fistula pastoris, *hirten pfeiff*.

Alisma male. Io. Agricola asserit esse quosdam, qui Alisma seu Damasonium Fistulam pastoris vocent, nullâ tamen ad hanc herbam comparatione, binis & nunquam pluribus folijs &c. Non iniustè autem Plantaginem aquaticam fore dicendam, si non Barba siluana hoc ei nomen præripuisset. Apparet autem ex his Eur. Cordi verbis, ex quo ▪ habuit Agricola, Fistulam pastoris, à Bifolio & Plantagine aquatica esse diuersam. Non tamen nobis constat, quæ sit Fistula pastoris Eur. Cordi & Brunfelsij, & an eadem cum Ryffij Plantagine Italica.

Fuchs. mysagur. Quam denique plantam Fuchsius intelligat per Pastoralem fistulam, quam nonnulli Alisma seu Damasonium putant, quámque à Plantagine aquatica vulgari, & Bifolio, quod ei Ophrys dicitus, separat, nos latet.

DAMASONIVM STELLATVM, DALECH.

CAP. XXIV.


Descriptio. HAbuimus à Dalechampio nomine Damasonij stellati hanc, quæ aquaticæ Plantaginis fibrosas *radiculas* in nodum collectas possidet, vnde palmaribus nixa pediculis *folia* exeunt, Plantaginis aquaticæ æmula, multò minora, & ad pediculi insertionem pinnata, interdum verò minimè: *coliculi* plures, alij triunciales, alij sesquipalmares, teretes, inanes, nodis ex longis interuallis articulati, è quorum geniculis, inque summo caulium fastigio, radiati in orbem exeunt pediculi vnciales, quorum vnicuique insidet quinûm se ûmve radiorum stella pulcherrima, Aizoi illius peregrini Camerarij stellas æmulantia.

Synonyma. Lob Obs. p. 160. Alisma pusillum angustifoliũ muricatum: Eid Icon. p. 301. Plantago aquatica minor altera: H. Lugd. p. 1058. Damasonium stellatum: C. Bauh. pin. Plantago aquatica 3. siue stellata.

Humidis & aquosis locis gaudet. *Locus*

SAGITTA.

CAP. XXV.



Descriptio. SAgittæ *radices* sunt multæ, albæ crassiusculæ, fungosæ, non sine capillaribus fibris, à quibus propagines nascuntur longissimæ, interdum bicubitales, junceæ tenuitatis, subter aquam serpentes, similes radicibus Lysimachiæ luteæ, Matth. comparat Plantagini aquaticæ: *folia* aquis innatant raræ formæ pulchræ alatæ sagittæ mucronem æmulantia, fuscis hic inde in inferna parte maculis notata, quædam, vt Mompelgardi obseruauimus, ex primis in acumẽ non desinunt, sed rotundantur. In eorum porrò singulas alas longi, terni, aut quini nerui per longũ porriguntur, obliquis à neruo in neruum venulis intercursantibus, læuore Plantaginis aquaticæ, pediculo minimi digiti crassitudine, fungoso, striato, penè triangulo, duos aut tres cubitos longo, pro aquæ profunditate, in qua viuit. Folia sapore nonnihil subdulci & viscido, cum vestigijs obscuræ acrimoniæ: caules rectos duos aut tres emittit, non multò folijs altiores, rotundos ferè, striatos, crassos, fungosos, in quorum parte superiore plures flores exoriuntur, plerumque terni, caulem amplectentes, ex pediculis siue ramulis modò longiusculis, modò breuioribus, pulcherrimi, mediocriter magni, tribus foliolis albis constantes, vngue purpurascente notatis, *florum* Anemy delatum foliolis paulò minoribus, in medio apices multi, rubentes. Sub flore foliola tria, viridia. *Flores* excipiunt echinata capitula, subpurpurea Matth. magnitudinis penè fructuum Arbuti, vel Fragorum, ex aculeis veluti constantia, qui nihil aliud sunt quam *semina* lata, compressa, in acumen desinentia, vnguibus auium similia: semen minutum ait Matth.

Cordo hist. Sagitta, siue Sagittalis: hic annotatum à Gesnero, esse Sagittam inter vluas [existimo legẽdum inter vndas] quam Mago apud Plinium legendum inter vndas [quam Mago apud Plinium lib. 21 cap. 17. Pistanam dicit à Græcis vocari, quámque ab Idibus Maij vsque ad finem Octobris mensis decorticari, atque tenui Sole siccari iubet.

Matth. in post. comm. vocat Sagittam Plinij, eius maiorem & minorem assignans speciem, vtramque copiosam in Bohemia, vbi Sagittam Herculis vocant. Dicitur Græcis πιστάνα. Germ. *Pfeilkraut*, It. *Saetta*. Ait autem cognationis esse Plantaginis aquaticæ. Nos huc Sagittam minorem referimus.

Lob. in Adu. dicitur Sagitta minor. Huius tam

in Obſ.p. 161. quàm Icon. p. 301. duas exhibet figuras: priori titulos,Piſtana Magonis, ſiue ſagittaria aquatica Plinij: Alteri, Sagitta minor. *Mirum* autem eum exprimere locis iam allegatis, Sagittam ſuam in Adv. maiorem, per effigiem Sagittæ minoris Matthioli: vtræque enim imagines eam delineant, quæ acutioribus eſt folijs.

Synonyma. Dicitur hæc C.Bauh.pin. Sagitta aquatica 2. ſiue minor latifolia: Sagitta minor, Matth. Dod. Lob.in Adv.H. Lugd.pag. 1016. Caſt.& Tabern. Sagittaria minor,Lob. Ic.pag.301.& Ger. Piſtana Plinij, Ang Germ. *klein Pfeilkraut.*

Locus & Tempus. Naſcitur in aquis cùm ſtagnantibus, tum decurrentibus, Floret Iulio & Auguſto. Ebroduni obuia eſt pluribus in locis,in Lacu & foſſis,atque piſcinis.

Temperamentum. Temperamento eſt frigido humidoque,& iiſdem cum Plantagine aquatica viribus pollet, dictatore Matthiolo. Id autem temperamentum & vires ſapor à nobis obſeruatus,præ ſe ferre non videtur. Matthiolus forte non deguſtâ â, plantâ, nec factâ experientiâ hæc aſſerit.

Sagitta maior.



Deſcriptio. MInori per omnia ſimilis, ſed omnia maiora ſpectantur: verùm folia non vſque adeò acuminata habentur.


C.Bauh. pin. Sagitta aquatica 1 ſiue maior: Sagitta maior, Matth. Dod. Caſt. & Taber. Piſtana Magonis, ſiue Sagittaria aquatica Plinij, aut Stœbe fœmina, Lobel. in Adv. Phleos mas latifolia, H. Lugd. p. 1016. Barban ſyluana recentioribus, Cæſ. Sagittaria maior, Ger.

Sagitta Etym. Sagittam porrò, à foliorum forma tricuſpidi, supernè in vnam, infernè in duas deſinentium, nomen habere, non dubitandum. Phleum autem Theophraſti 4 hiſt. 9. & 11. eſſe volunt quidam: vbi tamen notandum apud Theophraſtum Phleum & Phleos differre: nam Phleum genere neutro,paluſtris planta: at Phleos & Stœbe 6. hiſt. 1 idem ſunt,& fortè Poterium erit. Plinius lib. 21. cap. 17. inter vluas, vt antè ex Geſnero traditum, Sagittam vocat,eamque Magonem, à Græcis Piſtanam dici refert prodit. Græcis itaque *πιςάνα μεγάλη* dicitur: Germ. *groſz. Pfeilkraut*: Ital. *Saetta maggiore.*

Locus Naſcitur vt altera ſtagnantibus & decurrentibus aquis. Permultis quidem amnibus ac leniter labentibus in Italia, Gallia, Germania & Anglia: ſubter aquas è fundo vadoſo exit. Maio & Iunio in Anglia prope Oxonium, pone mœnia, in amœniſſimis illic receſſibus, & limpidiſſimis aquis: etiam Londini ad arcis regiæ vallum, & in Tameſis crepidinibus paludoſis.

Vires Paribus alteri viribus præſtat.

Sagitta minor anguſtifolia



Deſcriptio. MInori & hæc per omnia ſimilis, ſed omnia minora ſunt ei, foliaque anguſtiora multò,magiſque acuminata.

Synon. Tabern. & Ger. Sagitta minor anguſtifolia: C.Bauh.pin. Sagitta aquatica 3. ſiue minor anguſtifolia: H. Lugd. pag. 1016. Phleos mas ſiue Stœbe Theophraſti,anguſtifolia. Germani *klein ſpitzig Pfeilkraut* vocant.

ANAGALLIS AQVATICA, FLORE CÆruleo, foliolo rotundiore,minor. CAP. XXVI.

Deſcriptio. ANagallis aquatica *folio* rotundiore minor, *radicibus* nititur albis,fibroſis, quas ex geniculis ſubinde demittit: caules rubentes, rotundi,fungoſi,in terram reclinati, quam vbi attigerint, fibris enatis radicantur denuò: *folia* ex aduerſo bina ſingulis geniculis, longiuſculis pediculis hærentia adnaſcuntur, pinguiuſcula, atro virentia, ad vncias duas longa, ſubrotunda, crenata: è quorum ſinu ramulus prodiens *flores* ſuſtinet ſpicatos, cæruleos, ex quatuor foliolis compoſitos,ſtriato vmbilico albo,apicibus dilutiſſimè cæruleis, ternis, ex calycibus, quos quaterna folia viridia componunt: *ſemen* capſolis ſuperuenientibus didymis clauditur: ſapor plantę nullus manifeſtus.

Sium non eſt. Exiſtimarunt quidam hanc plantam *Sium* Dioſcoridis eſſe: ſed hallucinati ſunt: folia enim Oluſatri deſunt,& inodora ſunt.

Cepæa non ſatur. Putarunt tamen alij Cepæam eſſe. Et ſanè Dodonæus cum ea Anagallidem iſtam aquaticam conuenire poſſe arbitratur, ſi per *ἀγριφανής, κηπαία*, id eſt, hortenſis dicatur. Quod ſi verò idcircò *κηπαία*, quòd vel ſolùm, vel vtplurimùm in hortis naſcatur, nominata ſit: parum ei Anagallis hæc Cepææ reſpondere videtur, vt quę nuſquam minùs quam in hortis naſcatur: natura ſua in totum ſilueſtris,aquoſa requirens loca, perenniterque rigari poſtulans.

Plantæ huius in aqua naſcentis verū nomen ſe ignorare fatentur Monachi in Meſ.diſt.2. cenſ.4. vbi à quibuſdam Lauer falsò appellari ſcribunt, quanquam alij etiam falsò Creſcionem vocare non deſinant.

Synon. Sion Brunfelſ t6 3.thapſ.84. Sion nō odoratū primū.Trago: *Sium*,Eur.Cordo,Theoph.Golio in Onō Lonic.& Fuchſ.hiſt. Sij alterū genus,Eid.ic. Sium non odoratum, recentiorum quorundam, Geſn. hort. Sium ſiue Lauer commune, non reſpondens Dioſcoridis deſcriptioni,Anguill.

Cepæa,

Cepæa, Dod. gall. & Turnero. Anagallis aquatica, Dod. de frum. & in fol. lat. Lob. Obs. p. 248. Ic. p. 466. Gesner. coll. Texiri in Onom. philos. Harch Thal. Hort. Lus. H. Lugd. Lon. Cæs Colum. & Ponæ in Baldo: Anagal. aquat. 1. Schvvenckf. Anagall. qu. minor 1. Tabern. Anagall. aqu. siue Becabunga Lob. in Adu. Anagalidis tertium genus palustre. Ryffio in Dioscor. Anagall. aq. 2. siue minor folio subrotundo, Cas. Bauh. pin.

Nomina linguarum. Græcis ἀνάγαλλις ἔνυδρος: Germ. *Bachpungen, wasserpungen*: Belgis *waterpungen* & *Beekpungen*: Gallis *Berle* nominatur, vnde & Berula latinè dicitur. Marcellus tamen Berulam dici refert, quam Græci καρδαμίνη vocant. Italis & præsertim Hetruscis: *Gorgolestro*.

Locus. Et hæc in residibus exit aquis, & circa fontes, ac riuorum ac fluuiorum margines. Iunio, Iulio, ac Augusto, flores, seménque profert.

ANAGALIS AQVATICA, FOLIO rotundiore maior.

Descript. Anagallis hæc aquatica est iam dictæ omnino similis, nisi quòd *caulibus, folijs* (quæ vbi maxima, trientem longa sunt, & sextantem lata) & *floribus* maior est, ac latiùs diffusa.

Synon. Berula, siue Anagallis aquatica, Taber. Anagallis aqu. folio maximo, Thal. Anagallis siue Beccabunga, Ger. Anagallis aquatica 1. siue maior folio subrotundo. C. Bauh. pin. Anagallis aquatica maior rotundifolia, Hort. Lus. *Pfundue*.

ANAGALLIS AQVATICA FLORE CÆruleo, folio oblongo, maior.

Descriptio. Illis similis & hæc *radicibus* fibrosis ex articulis caulium hærens. Verùm *caules* recti, angulosi, crassi, caui, cubitales, & maiores, infernè rubentes: *folia* bina opposita, sine pediculis caulem amplexa, longiora quàm iam dictæ Anagallidis, palmi longitudine, latitudine vnciali & sescunciali circiter crenata, sapore nullo insigni: caulis in ramulos finditur ex foliorū alis ortos: *flores* spicati, crescendi modo, figuráq; prædictæ Anagallidis similes, calyculis & capitulis didymis itidem respondentibus.



Icon. Pro hac habemus iconem Fuchsianam ex emptitijs: folia tamen sunt longiora & angustiora huius plantæ.

Synon. Tabern. Berula maior: Anagallis aquatica, Gerardo: maior Gesn. coll. Anagall. aquatica 3. siue maior folio oblongo, C. Bauh. pin.

ANAGALLIS AQVATICA FLORE purpurascente, folio oblongo minor.

Descriptio. Et hæc Anagallis proximè dictæ *foliorum, florúmque* formâ similis: verùm *caule* rotundo, floribúsque purpurascentibus, & crescendi modo nonnihil differt. Non enim in caules ita brachiatur, neque radicibus tam latè propagatur.

Synon. Anagallis aquatica minor, Ger. secunda, Tabern. Anagallis aquatica 4. siue minor folio oblongo, C. Bauh. pin.

Locus. Omnes passim in locis vliginosis ac scaturiginibus.

Vires & Vsus. Tumores. Cum aceto & butyro tosta Anagallis aquatica ac calida imposita, & subinde renouata, tumoribus quibusuis & sacris ignibus prodest: apud veterinarios in magno est vsu: nanque in discutiendis tumoribus & sananda equorum scabie, alijsque id genus affectibus curandis vtuntur, teste Trago. Lobelius Anagallidum vires imitari dixit, totam gustu acriore Nasturtij, odore non ingrato. Sed & Dodonæo qualitatem ac temperiem Anagallis aquatica calidam habet & siccam, Nasturtio aquatico similem, remissiorem tamen: editur etiam vt illud. & ad Germaniæ maritimæ στομάκακην malum, quod Scorbutum nuncupant, vtilis quoque, eodem quo Nasturtium aquatile sumptum modo. Facultate tamen ac viribus minùs potens.

ANAGALLIS AQVATICA Angustifolia.

Descriptio. Geniculatim incedunt paruæ *radices*, demissis fibris ad iuncturas ortis firmatæ: *caules* cubitales, simplices, interdum in longos ramos propagati, ad quorum singulos nodos bina nascuntur ex aduerso sita *folia* trium quatuórve vnciarum longitudine, latitudine culmi, acuminata, nec uo vnico per longum donata, è quorum sinu *caulis* summitatē versus, *pedicelli* palmo lōgiores, tortiles pluribus conctis propaginibus enascuntur, *floribus* onusti paruis, sequentibus semper didymis capsellis compressis, è fissura stamen tenue mittitur.



C. Bauh. pin. Anagallis aquatica 8. siue angustifolia scutellata.

In aquosis Heluetiæ, vt Tiguri prope felium lacum, prouenit, & Mompelgardi versus pagum Sochaur juxta riuulos. Sic & in paludosis & fossulis Lusatiæ, etiamque circa Francofurtum ad Oderam, & Viennam reperitur.

SAMOLVS VALERANDI.

Descriptio. Pro *radicibus* fibras habet capillares, albas *caulem* verò cubito altiorem, *folijs* alternatis:



vestitum, vocā vnam aut alteram longis varia [illegible], ex oblongo per extremum subrotundis, glabris, neutiquam in margine incisis, crassis, pediculo nunc longiore, nunc breuiore, semper lanuginoso: caulis superiùs in ramos crebros finditur, atq; hi denuo in [illegible] in quibus *flosculi* [illegible] Anagallidis aquaticæ, sed colore albo prædiri.

Synon. Valerando Samolus Plinij quorundam. Lob. Obs. [illegible] Anagallis aquatica altera, fortè Sium [illegible] Trag. folio Pulegij segalis [illegible] pag. 4[illegible] Anagallis aquatica tertia. *Frustra dicitur* [illegible] de hac planta an sit Sium [illegible] Tragi secundum: nec enim quicquam commune demonstrari potest.

Lobel. not.

C. Bauh. pin. Anagallis aquatica [illegible] siue folio rotundo non crenato: Anagall. aq. altera Lobelij, H. Lugd. p.

Garland. modò Alisma, modò Cochleariam nominauit.

Locus & Tempus. In aquosis Istriæ florentem vidi mense Iulio.

HYSSOPIFOLIA AQVATICA.

CAP. XXVIII.

Descriptio. *CAules* multi, dodrantales, vel etiam longiores, striati, virides, foliis amicti alternatim positis, Hyssopi, aliquando breuioribus, breuis vitæ, [illegible] vnico secundùm longitudinem distinctis, sapore nullo manifesto, è quorum sinu ab imo ferè ad summum vsque cacumen *flos* vnus, vel duo, longiusculi, cærulei, sex foliolis striatis constantes, è calyculo viridi, cauli adnato, succedunt pro flosculorum numero *siliquæ* longæ, teretes, membranulâ viridante inuolutæ, quâ detracta calyculum propriè constituens tunica fusca *semen* continet copiosum, minutum: *radix* breuis, fibrosa. An Trago, Polygonum minus, Polygoni genus alterum.

Cordo in Obs. silua *Grase Poley*, herba Polygoni masculæ, non humi prostrata, sed erecta: Camerar. hort. Hyssopoides Io. Thalij. Gesn. coll. & Casp. Bauh. apud Matthiolum, Gratiola minor: Eid. phyt. [illegible] Io. Bauhini, Anagallis aquatica Monspeliensium. Item pin. Hyssopus 13. siue Hyssopus 14. siue Hyssopifolia major latioribus foliis, floribus cæruleis, rarissimè albis, minoribus: at ex Hispania floribus oblongis, saturatioris cærulei coloris.



Locus & Tempus. Florentem reperi mense Augusto, locis humidis circa *Bockkircken* & *Falken-Weler* in Alsatia. In Patauinis paludibus etiam occurrit.

Hyssopifolia minor, vel potius Thymifolia maritima.



Descript. SImplice lignosa contorta *radicula* nititur, caulem tollens palmarem, aliàs dodrante altiorem in ramos diductum, per quos crebra *folia*, Camphoratæ, sursum vergentia: ex quorum singulorum sinu ab imo ad summum vsque cristatæ *siliqua* perexiguæ rubentes Hyssopifoliæ majoris, *semine* referta, minuto, ex albo flauescente: *flos* vt alterius, minor, qui vix facilè discerni possit.

Locus. In vineis maritimis & ad vinearum margines prope Gramontium in agro Monspeliensi collegit I. Henric. Cherlerus.

FINIS LIBRI TRIGESIMI OCTAVI.

HISTORIAE



HISTORIAE VNIVERSALIS PLANTARVM

LIBER XXXIX.


DE PLANTIS MARINIS.

*C*OMPLESSE *poterant miraculum Telluris eiusque prioribus voluminibus recensita diuitiæ, totque genera plantarum, vtilitatibus hominum, aut voluptatibus genita. Sed quantò plura? quantò difficiliora, mirabiliorá que inuenta? Nec maria quidem, & immane illud pelagus medicinis caret, opifice natura ne in illis quidem cessante, & per vndas fluctusque ac reciprocos æstus, rapidosque cursus indefessas vires suas ostendente, nec vspiam miraculo maiore, si verum fateri volumus: quæ ipsa est D. O. M. inæstimabilis benignitas atque potentia. Ergo vt omniem insumamus operam, neque vllum fastidij periculum vrsisse ostendamus, quando ita decretum est, ita continuatum, marina quoque & profundi Oceani dotes, quantum humanitus fieri poterit hoc tempore, indagabimus, ipsum adeò pelagus prouocantes: vt videas posteritas nos & cura rerum, & copia diuitiarum naturalium nullo posthabito periculo institisse.*

DE ALGA, FVCO, BRYO, SIVE MVSCO Veterum sententiæ.

CAPVT I.

Theophr. Alga genera quinque.



THEOPHRASTVS 4 hist. c. 7. clarè & diffusè quinq; Fuci marini genera assignat, Zostera siue Prasson: capillaceū, siue fœniculaceum: Tinctorium, spongiatorium, siue Pelagicum: Gramineū & Lactucaceum.

Diosc. Fuci marini genera tria.

Dioscorides verò tria genera ponit. Fucus marinus, inquit, nascitur partim latus (πλατύ) partim oblongus (ὑπόμηκες) Orib. ὑπόμηκες) & puniceus [φοινικοῦν.] partim albus, qui in Creta ad terram nascitur, valdè floridus & non putrescens. *Refrigerandi* vim (ψυκτικὴν. Orib. συνακτικὴν, adstringentem) habent omnes, in cataplasmatis ad podagras & inflammationes efficaciter vtile: *Vires* verùm ijs adhuc humentibus vti conuenit, priusquam exarescant. Nicander puniceum asserit aduersus serpentes valere: idipsumque est, quo existimauere nonnulli colorem suum mentiri mulieres: cùm tamen radicula sit eiusdem nominis, qua sese fucant. Idem Dioscorides scribit Muscum marinum (βρύον θαλάσσιον) in saxis testisque ad mare nasci, capillaceum, gracilem, sine caule, valdè adstringentis gustus: ad inflammationes & podagras, quas refrigerare opus est, efficacem.

Plinius indistinctè & inconstanter Fuci marini genera tradidit. Tria autem genera eius facit: latum, & alterum longius, quadantenus rubens: tertium crispis folijs, quo in Creta vestes tinguntur, omnia eiusdem vsus. Bryon, addit lib. 27. cap. 8. marina herba sine dubitatione est. Lactucæ folijs similis, rugosa, veluti contracta, sine caule, ab ima (vna, Theoph.) radice exeuntibus folijs. Nascitur in scopulis maximè, testisque terra comprehensis. Præcipua siccandi ei spissandique vis, & collectiones omnes inflammationesque cohibendi, præcipuè podagræ, & quicquid refrigerare (Hæc Plinius ex capite Diosc. de musco marino, quo tantùm agitur de Alga fœniculacea, vulgò Corallina, non autem de hac Lactucea, Dal.) opus est. Libro porrò 32. c. 6. scribit Algā maris theriacen esse, Nicandrū tradere. Laudatissimam, quæ in Creta insula iuxta terram in petris nascitur: tingendis etiam lanis ita colorem alligantē, vt elui postea nō possit. E vino autem iubet eam dari. Et hæc Plinius, qui apertè Phycos thalassion, h. e. Phucum siue Fucum marinum, Algam vertit, licèt rursus in alia lingua nomen habere negarit, modò herbam vocando modò fruticem. Adde quod βρύον, i. e. Muscum & φῦκος confundit, vt id clarè ex iam dictis patet.

Plin.

Fuci marini genera tria.

Bryon herba marina.

Facit Plinius, inquit Cornarius, herbam & fruticem ex Musco, ipsique Lactucæ folia attribuit:


quum Dioscorides pilosum dicat pro folijs, h. e. τριχώδες, quod fortassis Plinius θριδακώδες legit, & Lactucæ folio reddidit. Quod verò Dioscorides ait, podagras, quæ adstrictione opus habet, i. e. τὰς στύψεως δεομένας, fortassis φλέξεως legendum, pro στύψεως, etiamsi vtraque lectio rectè habeat. Nam & Galenus Muscum marinum ex terrea & aquosa essentia, vtrisque frigidis, compositum esse dicit, & in gustu adstringere, & omnia calida impositū manifestè refrigerare, ipsisq; prodesse.

Nomina linguar. Alga, quod nomen plantis ferè omnibus, marinis commune est, vocatur græcè ab Had. Iunio φῦκος θαλάττιον vel θαλάσσιον & λιμναῖον: Lat. *Alga* & *Vlua*: hanc ait stagnorum esse: illam maris: & Fucus marinus: Germ. *Meergras*: Belg. *Wier*: Gall. *Vray ou Vrac* (in Oceano Normannico, *Bray*, aut, *Brac*, à voce græca βρύον.) *fueilles de mer*, *Coralline*: It. *Alga*: Hisp. *Las ouas del mar: Oua, oyerua de la mar.*

Poetæ cognominant Algam marinam, inutilem, mollem, viridem, flucticolorem, littoream humidam, tortilem, tenuem, putrem, & vilem: hinc vilior Alga.

ALGA ANGVSTIFOLIA VITRIARIORUM.

CAP. II.



Descriptio. *Folia* longissima, cubitalia, & longiora, plana, læuia, mollia fragilia, modò alba, modò rubra, vel atrouirentia, ligulas astrictorias æmulantia, ex iis quædam sūt latiora, alia angustiora: hærent substantiæ cuidam lignosæ, nigræ, vmbelliferarum plantarum instar comosæ, capillamentis cinereis, quæ in fibras satiscentia folia vetera & decidua relinquerunt. Existimamus descriptam plantam, traditam esse à Plinio lib 32. c. 6. nomine Algæ: à Dioscoride verò titulo Phyci marini.

Matthiol. in Dioscor. huius meminit eadem vocando Algam vulgatam Venetorum: Negare autem videtur esse Fucum marinum Antiquorum. Lacunæ in Dioscor. lib. 4. cap. 33. dicitur Alga marina & *Ovas marinas* Hispanorum: Eid. l. 4. cap. 101. Alga vel Phucus marinus secundus Dioscoridis, quo Venetiis inuoluuntur vitra & Romam deferuntur.

Fucus mar. alter. Dod. Dodō. in fol. lat. inscribit Fucū marinū alterum, Fuci marini proximum siue secundū genus Dioscoridis, sublongius ac rubēs. *Amat.* contra negat Algam marinā, quà apud Muranū Venetiis vitrea vasa parātur, esse Phycos thalassiū veterū genuinū.

De nostra Alga vitriariorum angustifolia hæc Rob. Constantinus apud Amatum: Phycus siue Fucus marinus qui etiam Latinorum est Alga, vocatur in Oceano Northmanico *Vray* aut *Vrac*, [*Bray* aut *Brac*, H. Lugd.] à voce græca βρύον. Nam βρύον & Alga alterum pro altero, vsurpat etiam Plinius. *Tria* autem Phyci genera existunt: vnum folio est Caricis, i. e. Graminis, sed æquabiliter lato ac molliore, nec mucronato, nihilque penè differt ab Vlua palustri, nisi colore, quem Vlua habet prasinum, Alga verò subuiridem tendentem ad russum, quem planè inducit in mari cum vel diu [illegible] atque maceratum, vel cum in aere exaruit. Pollicari mensura latiorem non vidi aut vlua vna longiorem. Sæpius in nostro mari nondum visa est. Folia tamen in vadis innatant figura ligulæ longioris, aut teniæ vittatæ in corollis lemniscatis. Hæc Algula est cui Dioscoride in odore Corallia comparat, de qua etiam Nicander ait [illegible]. Quam etiam scitè admodum in Alexiph. protulit, φυκιόεντας ἀγμούς: Algosas vias exponeret Plinius, i. e. littora. Nam vt etiam Virgilius canit,

Scopulis illisa refunditur Alga.

Quod fit præsertim cum tempestuosū est, & sæuit mare. Tunc abundanter latoribus eiectam & dispersam rustici Aestate, vt fœnisecæ [Fœnum nam hoc marinum est] rastellis accumulant, & in campo expositam furcillis versant quoad perarescat. Fœnum marinum *Phyci siue Alga alterum* genus est latifolium, folio quidem Lactucæ, sed minimè acuminato, verùm latitudine æquabili, & vndique sui simili, quales phyluræ: splenium enim longiusculum, aut fasciolam explicatam diceres cum vadis supernatat. Hoc genus est quod describit Plin. l. 13. c. vltimo, folio lato, colore viridi: congruitque optimè quod quosdam ait, Prason & Zostera vocasse. Sed mihi videntur *herba* folia, quæ *fruticis* esse ait. Rufescunt arida & complicantur, reuirescunt tamen aquæ imposita, & subito se explicant, ac diffundunt, vt acciti viuescere imaginentur, qui nunquam ipsa viderit. Plin. not. Alga Cæsalp.

Cæsalp. Alga in vadis limosis nascitur profundioribusque: expellitur autem ad littus cum fluxu: radices fert digiti crassitudine, geniculatas, nigras, humi repentes ramosas: quæ in multas veluti spicas desinunt, pilis sc. candidis, singulos geniculos circumuestientibus, similitudine Spicæ Nardi: folia Typhæ palustris, graciliora tamen, molliorāque, initio virentia: dein cum exsiccantur, albescunt. Videtur Dioscorides Gnaphalion appellasse: item Galenus & Plinius. Theophrastus Phycon, &, vt Theod. vertit, Algā, quod Prason, i. e. Porrū vocant quidam, alii Cingulum, cuius radices Cæpis gethyis comparātur. Spicæ enim huiusmodi cæpas referunt, quas vulgo Maligias vocant. Gnaphalium. Diosc.

Alga cur dicta. Imperatus Algæ, plantæ marinæ folia adscribit, primo ortu iuncta, acuta. Algæ autem nomen obtinuisse scribit, primo ortu iuncta, acuta. Algæ autem nomen obtinuisse scribit ab effectu, quem in ligaturis præstat. Et hinc quoque Hollandis & Zelandis à foliorum similitudine *Nebelen* dicitur, quasi dicas ligulas astrictorias.

H. Lugd. icones duæ. Ab H. Lugd. pag. 374. huius plantæ duæ figuræ proponuntur: *Prior* inscribitur, Fucus siue Alga marina graminea: Altera, Fucus, seu Alga marina Lobelii. Hæc vocatur etiam Fœnum marinum & Palea marina Monspeliensium: item Algula Dioscoridis, & βρύα λεπτὰ Nicandri. Palea marina.

Synon. C. Bauh. C. Bauh. pin. Fucus, siue Alga angust. folia 5. siue vitrariorum: Fucus marinus primus, Anguill. Fucus marinus, Lac. altera, Dod. Alga, Cæs.

Gesn. & Imper. marina, Lob. ic. p. 284. tom. 2. & in Adu. app.

Locus. Toto tractu mediterraneo ad aquas Marianas Adriatici & Occidui maris vniuersi penè littoribus nihil vilius & frequentius fluctuante Alg.

Vires & vsus. Lacuna ait esse insigne remedium & venenum lethale cimicum & pulicum, aduersus eos Romæ expertum. Algam, eo quo Rob. Constantinus dixit modo, probè siccatam pecorum & boum hybernæ stabulationi reseruant. Ex eóque qui hinc conficitur fimo, agros nimia defrugatione emaciatos & exinanitos stercorant, læto segetum prouentu: tametsi Alga ipsa per se, vt est è mari aduecta, pro pingui fimo lætamine sit, non secus atque marga. Alium etiam vsum præstat hæc Algula tenuioris fortunæ hominibus: eá enim siccata, tomenti loco suas culcitras infarciunt. Quæ olim consimiliter ipsius cognita commoditas in farciendis centonibus, viridisque in castris, locum habuit, id quod etiam ex Vitruuio lib. 10. c. 2. intelligitur.


ALGÆ POMVM MONSPEL. CAP. III.

Descriptio. Pilæ palmariæ simile est quod vocabant Monspelij Pomum Algæ, pilâ Modò maius, modo minus: turget & plenum est aquâ, coloris spongiæ, vel Fungorum iuglandium, qui in sicco in album mutatur. Comprimitur etiam instar orbis, habétque vmbilicum, & iuxta illum nonnunquam pilos similes Algæ pilis.

An Algæ fructus. Sitne Algæ fructus, vt quidam volunt, non assero. Iuxta mare mediterraneum Narbonense collegimus, cum Alga reiectum. Huius iconem in præcedenti tabella expressimus.

Nomina linguarum. Cæsalp. vocat Bursam marinam, pilam rotundam, intus concauam, ex muscosa substantia constantem, sc. capillari, colore viridi, relicto ostiolo rotundo, qua lapidibus adhæret nigro quodam petiolo pendentem: cum extrahitur ex aqua, ob velleris mollitiem considet: siccatâ autem salsugo quædam tenuis & alba efflorescit, mordaci gustu. *Bursa marina Cæs.* Hanc inter Alcyonia reponendam putat, & Alcyonium quartum Dioscoridis esse suspicatur. C. Bauhin. pin. dicitur Alcyonium 12. siue Bursa marina Cæsalpini.

PILA SIVE SPHÆRA MARINA. CAPVT IV.



Descriptio. Sphæra marina rotunda est instar pilæ lusoriæ, minor, ac etiam maior, penè pugnum æquans: constátque pilis, capillisve tenuibus & paleis, quales in Alga vitrariorum cernuntur, coloris rufescentis. Iconem proponimus ex iis, quas sculptas emimus. Cuius autem plantæ sit, nos latet.

Clariss. & ingeniosiss. Felix Platerus existimabat esse Pilam marinam, cuius meminit Galenus de comp. med. lib. 1. cap. 2. in fine, & Arist. lib. 9. Sed hæc opinio non placet Lacunæ.

Error. Pilam marinam [ἀστέρα θαλαττίαν] appellatam Halcyonij genere esse asserit Cornarius, etiamsi σφαῖραν pro voce ἀστέρα legendum esse, aliquando cum ratione, non temerè putauerit.

Eos verò meritò hallucinari crediderit Matthiolus, qui sibi persuadent, id esse Adarcem, quod vulgo Itali Pallam marinam vocant.

Rob. Constant. de genere Alcyonij pilam marinam esse ait & in algetis reperiri, atque etiam Algæ odorem referre: Northumannos vocare, *Pelotte de mer.*

Constat ex maris lanugine. Ex maris lanugine constant Pilæ quędam in littore repertæ, inquit Cęsalpinus, sed nulla intus cauitate: agglomerantur enim festucis pili vndis reiecti aliquando in tantam amplitudinē, vt vtraq; manu complecti vix possit: Pilam marinam vocant, cuius fit mentio apud Galenum inter medicamenta ad capillos conseruandos, & apud Myrepsum ad lumbricos enecandos.

Bala marina, Imp. Imperatus negat Ballam marinam esse de numero vegetabilium, quod sit ex minutulis paleis atque pilis congestus globus, à volutatione ab aqua marina factus. Et huius pilę, quoad substantiam aliquot narrat species: alias filtro similes, alias contextis paleis minutissimis, & alias glomeratis radiculis.

ALGA CRISPA SCABIOSA RVBRA & pallida. CAP. V

Descriptio. Ex *foliis folia* fractu contumacia nullo ordine, itémque ex ramulis, exoriuntur: *folia* quidem sunt tenuia, lucem transmittentia, vncialia, & sescuncialia, culmum quædam lata, alia latiora, crispa, rubra, vel ex fusco pallida, in ramos diuisa, aspera, quandoque hinc inde verrucis albis, crustisque cinereis & Halcyonij, sapore prædita salso: in quibusdam adhærent *radices* crassæ, capite villoso, Algæ radici similes, quæ an ei propriæ asserere non ausim, potius tamen contrarium censuerim.

Synonyma fortè Cæs. Bauhin. An Alga latifolio siue Algæ membranacea ceranoides C. Bauh. pin?

Gener. Cherlerus attulit plantas aliquot Mõspelio ex tractu Narbonēsis maris mediterranei.

OLEA MARIS RVBRI, THEOPHRASTI. CAP. VI.

In mari rubro vocato in Arabia arbos exit, quam Oleam appellat Theophr. 4. hist. 8. Est autem hæc Ariæ folio similis: fructum verò proximum nostris Oliuis parit, & lachrymam emittit, ex qua Medici sistendo sanguini, medicamentum componunt.

De hac Plinius lib. 13. cap. 17. In Arabia & O-

lea dotarurla hxymaqua medicamentum conficitur. Græcis inhæmon dictum, singulari effectu contrahendis vulnerum cicatricibus. In maritimis &c. Quæ hic sequuntur Theophrastus non de Arabicis Oleis, sed Oleis Indicarum insularum scripsit.

Inhæmon not.

Plin. not.

Diximus nos lib. 5. h. contra Apollinem & Cæsalpinum. Gummi elemi & Oleum Æthiopicum non esse hanc Oleam maris rubri.

VLVA. Cap. VII.

Algæ similia.

VLua simillima est Algæ vitrariorum, sed multo minor. Sunt veluti teniæ anguilæ coloris rubescentis, vel albi quę reiiciuntur copiose a fluctibus salsis, prope Perous & Frontign.

Locus.
Epitheta.

Vluæ palustris meminit Virgilius Æneid. 2. cum ait:

Limosóque lacu per noctem obscurus in ulva.
Delitui. In l. 6. Æneid.
Tandem trans fluuium incolumes vatémque virúmque
Informi limo glaucáque exponit in ulva.

In Bucol.

Propter aquæ riuum viridi procumbit in ulva.

Et 2. Georg.

At rubeas Salicum frondes, vluamque palustrē.

Vluam commemorat & Ouidius 4 Metamorph.

Nec steriles ulvæ Idem 6.
— — —paludibus Vluam. Idem 8.
Lenta Salix, Vluæque leues. Et
In medio thorus est de mollibus Vluis.

Idem 5. Fast.

Flumineam Limo celauerat Vluam.

Lucan. 2.

Et iussit Marius caput abdidit Vlua.

Mirand.

Viridanti sinit in Vlua.

De Vlua loquitur etiam Vitruuius lib. 2 c. 1. cùm nonnullos scribit, ex Vlua palustri, componere tuguria tecta. Seruius Maurus Virgilij explanator Algal & Vluam congeneres facit. Algam quidem mari propriam ait, paludi vero Vluam. Et hinc ille versus.

Alga venit pelago, sed nascitur Vlua palude.

Locus.

Et hæc occasio est, cur palustrem, lacustrem fluuiatilémque Matthiolus cognominauerit.

Alga nihil penè differt ab vlua palustri [inquit Rob. Constant.] nisi colore, quem Vlua habet prasium, Alga verò subuiridem, ad russum tendentem. In vliginosis autem & palustribus locis prouenit, sine caule, foliis Graminis, ab imo cæspite prodeuntibus, longioribus quidem, nec acutis in summo: in stagnis sub aqua, recta, demersa conspicitur: cuius leuissimo aquæ motu vibrantur frondes quæ viridissimæ sunt, figuræ ligulæ, euulsæ ab radice aquis fluitant.

LVCVS MARINVS, DICTVS ROCCELLA tinctorum. Cap. VIII.

Locus.

FVcum multi vocant quamlibet plantam marinam: alij tamen terrestris plantæ radici similem speciem faciunt. Allatum ex oceano habemus. Materies eius colorem præbet nobilissimi purpurei. Quapropter priscis fœminis tingendis genis expetitum, in fucum. Vnde Fuci nomen dimanauit, quod pulchritudinem fucatam atq; apparentem tantùm conciliat. Existimat Dioscorides Fucum esse herbę radicem, sed deceptus fuit similitudine. Nam & hæc & aliæ multę marinæ radicum herbarum terrestrium figuram æmulantur. Fucus hic antequam in tincturam redigatur, parte interna ex rubello candicat, externa nigricat. Euocatur viuidus eius color maceratione factâ in vrina. Sic paullatim tincturam acquirit, donec vltimò species quædam (Soda) salis alkali complementi loco, & vt densetur, addatur. Fuci in compositione portio ad vrinam est quintupla, plùs minùs pro bonitate Fuci. Maceratio vno mense completur. Salis pars duodecima additur, quod maceranti Fuco adiectum colorem pariter, odorémque Violæ excitat atque producit. Vocant hodie *Fucum Rocellam* à colore rubro, quem præbet, inquit Imperatus lib. 27. c. 9.

Fuci nomen vnde.
Diosc. lapsus.

Coloris parando ratio.

ALGA TINCTORIA. Cap. IX.



Descriptio.

ALgæ habui à Valerando Doures portiunculam, cuius inscriptio erat Alga 2. ex Candia quæ ei non absimilis, quâ inuoluuntur vitra, latior, pari tenuitate, & lentore, fructû contumaci, colore purpureo obscuro, seu spadiceo, sapore nullo euidente, propter vetustatem fortè: chartam, cui inuoluebantur, purpureo floridiore tinxit.

Synonyma.

An Ferd. Imperato, Alga Fucus de lata ex Candia qua tinctores vtuntur nomine Roccellæ.

An C. Bauhin. pin. Fucus siue Alga angustifolia 6. siue Alga cornu cerui diuisurâ: Herba Cretica Imperati, quæ tinctoribus Rubella dicitur.

Fucus capillaris tinctorius.




Descriptio.

FVcus hic capillaris, quem Imperatus lib. 27. c. citato ex oriente delatum scribit nomine Roccellæ, & excellentissimum ait ad tincturam, cum nobis incognitus sit, fusius describi non potuit.

An C. Bauhin. pin. Fucus ex Imperato 2. siue Fucus capillaceus Roccella: an Fucus 3. Anguillaris?

Fucus

Fucus verrucosus tinctorius.



Descriptio. ET hic ex eo-[illegible] numero est, in nobis ha-ctenus incogniti sunt, quique apud tinctores etiam Roccella dicitur, eodem Imperato, loco superius citato, au[illegible]re.

C. Bauh.pin. dicitur [illegible] e[illegible] incognitus 3. siue Fucus verrucosus tinctorius Roccella.

CORALLOIDES LENTA feniculacea.

Cap. X.



Descriptio. A Pede [illegible]to, quo scopulis [illegible] pressa hærere solet, *rami* prodeunt cõplures, dodrantales, multipliciter diuisi, lenti, flexiles, tenaces [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]aceo & [illegible] [illegible] [illegible]que capillaceaq[illegible] segmenta secantur. Colore porro variant. Sunt enim quæ liuido, aut pallido; ac albo; aliæ quæ fusco, subnigro, rufo, saturatè rubro, vel purpureo: aliæ denique quæ viridi sunt colore, & hoc in eis visu jucundum, quod bicolores plerumque sunt singulæ plantæ, crassiores rami vni[illegible] tenuiores alteri, colore donati plerique transparenti. Quorum colorum varietates [illegible] adseruamus. Sapor & gustus salsuginosus, pituitosus, sub dentibus nihil sabulosi exhibens : sed glutinis modo atteruntur, cui quidam rami penè concolores visu. Qui hepatis venas à parenchymate separatas viderunt, rem huic Coralloidi apprimè similem conspexerunt. Quædam asperantur hinc inde crustaceis tuberculis albis alteri adhærens portio spongiæ ramosæ Corallinæ [illegible].

Fucus siue Alga tinctoria Lugd. Pro hac placet apud H. Lugdunensem pag. 1372. Fuci siue Algæ tinctoriæ figura, sine descriptione. An C. Bauh.pin. Muscus marinus 4. siue tenuissimè diuiectus ruber ? An Leuino Lemn.de occult.nat.mirac. Algæ altera species, Zelandis VVoer, nonnullis *vveert* dicta?

Locus. Copiosè obseruauit atque collegit Cherlerus in tractu illo Narbonensi maritimo quo Magdalona Agdam tenditur.

FVCVS CAPILLARA DICTVS.

Cap. XI.

Descript. CApillara dicta planta, est ramis donata longis, minutissimis, frequentibusque, ideoq; capillaribus, colore russo atque purpureo. Truncis aliarum plantarum innascitur, instar Epithymi. Frequenter reperitur in Fuco cupressino, inquit Imper. lib. 27. cap. 9.


ALGA ANGVSTISSIMIS FOLIIS.

Cap. XII.

Descriptio. ALgæ minimum quoddam genus Cæsalpini, foliis est angustissimis: cauliculo spicoso, Gramini simili, dodrantali, cui limosa substantia infernè est agglutinata, qualis Adarce fertur apud Dioscoridem. Planta hæc quam Theophr. tradit Gramini similem, reperitur in nostro mari, [illegible] quit illic. C. Bauh. pin. vocat Fucum siue Algam angustifoliam 7. siue Algam gramineo folio.

ALGA CERVI CORNV DIVISVRA

Cap. XIII.



Descriptio. EST nobis ex Cherlerianis plantis vna, foliis membraneis, rubentibus, duarum aut trium vnciarum, ceruini cornu denticulis incisa, sapore salso. Enascitur ex excremento marino vt Fucus Capillara, quam non ausim asserere planè diuersam esse ab Alga crispa.

Icones. Hujus figura fortè in media tabella Palmæ marinæ Chondryllæ diuisura.

PALMA MARINA QVIBVSDAM.

Cap. XIV.

Descript. PAlmæ marinæ Theophrasti nomine mittebatur & hæc ex Italia fratri C. Bauhino. Ejus ramuli erant plani, dimidiati culmi latitudine, multifidi, nigri, aut cinerei, foliis amicti gracilibus, breuibus, diuisura accedentibus ad Chondrillam, multò tamen minoribus.

Synon. C. Bauh. pin. Muscus maritimus 3. siue viridis multifido folio: Muscus marinus Clus. hist. Palmula marina Imperati. *Nos* ad Bryi genus quoddam referendam censemus.

Coralloides tenuifolia obsequiosa minima.

CRassiusculi sunt ramuli, nigricantes, cornei, obsequiosi, multifidi, Coralloeidis fruticosi surculis similes, sed minùs duri, perpusilli, nulla crusta obducti. Ex Italia Fratri C. Bauhino missi.


DE MARINIS ABIETE ET QVERCV, veterum sententiæ.

CAP. XV.

Locus. QVercus & Abies, authore Theophrasto l. 4. cap. 7. ad mare, terrenæ quidem ambæ spectantur: sed tamen nascuntur super lapides atque fictilia: carent *radicibus*, sed modo patellarum adhærent. *Folium* ambabus velut carnosum, oblongius, crassiúsque: & Abieti crassius, frequens, nec leguminum siliquis absimile: concauum intus, nec quicquam intra se continens: Quercui tenue ac potiùs Tamaricis; color ambabus accedens ad purpuram: forma tota Abietis erecta, Quercûs flexuosa, atque in latitudine magis ampliata: ambæ multicaules fiunt, sed simplicior Abies: rami Abieti, longi, recti, solutique: Quercui breuiores, contortiores, spissiorésque: magnitudo tota ambabus cubitalis: parumve altior, verùm major Abieti. Quercus ad lanas inficiendas vel mulieribus vtilis: ramis adnexa pendent pleraque animalium testigerorũ, subter alia quædam cauli adhærent: ad quædam tota obesa ingrediuntur millepedæ, & aliæ quædam generis ejusdem bestiolæ, quodque polypi specimen gerit. Hæc itaque terrena, contemplatúque constant facilia. Quidam porrò vel alteram Quercum nascentem in alto referunt, quæ etiam fructum fert, & glans ejus commoda est. Quin & alias magnitudine insignes quasdam compertas, homines nantes, seque submergentes referre, traditur. Hucusque Theophrasti interpres Gaza. *Cæterùm* Quercus & Abietis historiam confudisse videtur Theophrastus, multásque notas Quercui tribuisse existimat etiam Clusius, quæ Abieti, aut ejus generis arbori marinæ meliùs fortasse conuenirent. (*Quercus alia.* *Theoph. not.*)

CREMENEI ISTRIS ABROTONI vel Thymi foliis.

CAP. XVI.




Descript. FIgura ejus & facies, ceu si quis arborem quandam aspiciat. Nam primùm, *trunco* est pedali ferè, crassiusculo, tuberoso, ad radicis alicujus instar fibroso, nigro. Ab hoc supernè *rami* exeunt compures, pedales, breuiores, in alios minores diuisi, *foliis* vestiti Abrotoni & multipliciter dissectis, quorum segmenta in oblongum intumescunt, turgescúntque, colore pullo aut nigricante: plærisque cæterùm locis cinerea quadam salsugine incrustatur, alicubi etiam fungoso & spongioso tegumento. *Sapor* salsuginosus, sicut & odor.

Valerandus qui ex Istria detulerat, atque à quo habuimus, hæc illi adscripserat: Abies marina, Cremenei vocant Istri. Communicauit tandem ramulum ex Italia missum, frater C. Bauhinus, nomine Abietis marinæ, foliis incumescentibus. Et hæc jam dicto nomine bene depingitur ab Imperato, qui Fuci follicularis speciem facit & Gongolaram vocat. Figura etiam à Lobelio in Obs. p. 653. & Ic. Plant. tom. 2. p. 254. exhibita, titulo Fuci marini foliis Abrotoni maris, quidem exprimit nostrum Cremenei Istriacum: *Abies marina.*

Synonyma. C. Bauh. pin. Fucus folliculaceus 8. siue foliis Abrotani: Fucus marin. foliis Abrotani maris Lob. Fucus marin. tenuifolius Tab. Muscus marin. foliis Abrotani H. Lugd. p. 1372. sine icone. Gongularis marina Theophrasti, Imperati. *Huc nos* etiam referimus Fucũ, quem Hist. Lugdunẽsis ibidem vocat πόντιον Theophrasti, & Tinctorum, in scopulis & petris nascentem, vnde auulsum vrinantes Spongiarii referunt, foliis tenuibus, Fœniculo similibus, rubris, sic tamen, vt quædã intermixta spectentur adhuc albicãtia.

FRVTICOSA MARINA PLANTA, QVIbusdam Conserua lignosa.

CAP. XVII.



Descript. LAta basi vel *radice* scopulis adhęret & hæc fruticosa marina planta, quæ pedialis vel cubitalis ferè. Ejus *caudex* lignosus, tortuosus, totus niger, vel pullus, quasi adustus foret, rugosus, fragilis, in ramos palmares diuaricatus, quos obsident vndique verrucosa *tubercula*, modò longiora, modò breuiora, ad radicis Polypodij tubercula accedentia, quæ versus superiora Ciceris penè magnitudine, oliuari formâ, rugosa, crispa racemorum modo cohærentia, in quorum turbinato fine exeunt *coliculi*, ramulive nigri, vel rufi, inque segmenta incõdita cæsi, subinde à medio ad summum vsque denticulati, in quibusdã *folia* segmentis ad Abrotanum accedunt, paullò tamen latioribus. *Fruticosa hæc planta non parum variat*, ita vt quis diuersas plantas suspicari posset. Quædam enim statim à radice plures stolones producit, aliàs vnum plerumq; videtur proferre. Obseruantur etiam ad radicem pili, quales in Algæ vitrariorum radice: Quædam tophaceis cinereis crustis obducuntur: aliis adhęret linum capillare, vel muscus tenuissimus: alię mytilos habent, aliæ oua Sepiarum credita: aliæ pilâ marinâ obuoluuntur. Sapor ligno nullus insignis, nisi aliquantulùm adstringens, cum leui

leni salsugine, quæ in folijs euidentior.

MVSCI MARINI GENVS FOLIIS pinnatis: & Abies Clusij Belgica.

CAP. XVIII.

Descriptio

TRium vnciarum est altitudine, in pulchros *ramulos* vnciales & sescunciales fissa, viuido virore tincta, *folijs* pinnatim annexis, vt in Viola aquatica, apophysibus nonnullis inæqualibus.

An Muscus coralloides alter albus, Lob.

An Lob. Ic. pl. tom. 2. p. 1050. Muscus coralloides alter albus? Icon Lobelij quidem conuenit sed color, qui nos dubitare facit, discrepat.

Abies marina Belgica, Clus.

Clus. hisp. hist. Lobelij icones habet pro Abiete marina Belg. de qua scribit quæ sequuntur: Abietem marinam Theophrasti mihi ignotam fateor; memini autem obseruare annis 1566. & 66. in Flandriæ ora maritima arbusculam ostreorum testis & mytulorum conchylijs adnatam, quæ Abietis figuram ita referebat, vt pumila Abies videretur, ramulis ordine vtrinque dispositis fragilis admodum, pusilla, rarò palmi altitudinem excedens, ex tenuibus veluti squamis contexta, nonnunquam omninò plana, & alia interdum in orbem prominentibus ramulis disposita.

Locus

Synonyma C. Bauh.

C. Bauh. pin. Fucus folliculaceus 13. siue Abieti similis maritima. H. Lugd. p. 1368. sine icone, Muscus candidus coralloides, squamulis locatus.

ERICA MARINA QVIBVSDAM.

CAP. XIX.

Descriptio.



VT minor est quam Cremincea Alga, ita tota tenetior, *ramus* tenuibus, non lignosis, rigidiore, non nimiùs tamen frequentibus, imò latiùs diuisus & ad fœniculaceam Algam accedentibus *fibris* tamen vtcunq; tenuioribus, inque turgidulas vesiculas desinentibus: nigricat iam sicca.

Similis missa est Fratri C. Bauh. ex Italia sine nomine, in quâ turgidulis folijs non animaduersis: An eadem, vel diuersa asserere non ausimus: in nostra icone portionem pictam exhibemus.

Synonima C. Bauh.

An Myrica marina Batauica Clusij?

C. Bauh. pin. Fucus folliculaceus 14. siue Tamarisco similis marinus: Myrica marina Batauica, Clus. hist. An Tamariscina Fucus, Imperati: *Nos hanc* sui generis plantam facimus.

FVCVS CVPRESSINVS IMPERATI.

CAP. XX.

Descriptio

FVcus cupressinus, quem aliqui existimant Quercum Theophrasti, Imperato monente, scopulis & testaceis marinis adhæret. In *ramos* abit, & hi rursus in minores, fronde breui, copiosâ, & acuminata, colore virescente atque nigro, quando exsiccantur. Altitudo dodrantalis, figura quasi in conum fastigiata, & Cupresso simillima. Frequens admodum est planta, qua piscatores ad cooperiendos pisces vtuntur quos recentes conseruare volunt.

Synon.

Fucum hunc cupressinum Imperati vocat C. Bauh. pin. Fucum folliculaceum 15. siue Cupresso similem.

Cupressus marina Belgica, Clusii.

Locus

MEminit Clusius anno 1566. & 1567. in Flandriæ ora maritima arbusculam ostreorum testis & mytulorum conchylijs adnatas obseruate arbusculas, quæ Cupressos ita æmulabantur, vt satis mirari nequeret prouidentiæ diuinæ opus & artificium, *ramulis* frequentibus in orbem, sed nullo ordine nascentibus, & sursum spectantibus, cupressinorum foliorum modo efformatis. Harum autem, tametsi aliquot annis inter chartas adiectatarum & compressarum rami, si in vitrum aut aliud vas aqua plenum injiciantur, statim sese explicare, & in orbem diffundi, seque surrigere incipiunt: eaque adeò de causa piscatorum vulgus satis obscœnum illis nomen indidit.

Descriptio

FVCI PLVRIMI ALII. CAP. XXI.

Fucus marinus dictus Lanuta, albus.

Descriptio.

PLanta marina, dicta Imperato *Lanuta* Fucus marinus, proximiùs quam vlla reliquarum dictarum ad herbæ cuiusdam *radicem* accedit. *Rami* candidi, flexiles, lumbricis similes, superficie inæquali, setis instar intertexti, breui lanugine vestiti: quorum extrema in germina finiuntur, orbiculati, in speciem alicuius stellæ, aut ramulorum vmbellæ congesta. C. Bauh. pin. Fucus Imperati incognitus 5. siue Fucus marinus lanuta.

Synon.

Fucus Radicella dictus, siue Vermicularis albus.

Descriptio

IMperato Radicella est Fucus vermicularis quidam, itidemque herbarum radiculis similis. Color albus & diu albuc recens est aliquantulum purpureus. Alijs herbarum stipitibus increscit quemadmodum Epithymus: Estque Fuci cupressini frequens incola. C. Bauh pin. Fucus ex Imperato incognitus 6. siue Fucus Radicella, siue Vermicularis.

Synonyma.

Fucus Terzola, Vermicularis species, facie Myricæ, coloris crocei.

Descriptio

TErzola Imperato species est Fuci vermicolaris, summitati Myricæ quodammodò effigie respondēs. Eius substantia tenera fragilis, pellucida, & ad virorem vergens *rami* præcipui paruis quibusdam appendiculis circumdati ordine quodam tertio quoque interstitio: quorum exma quasi trūcata, sæpe etiam bifida. Altitudo mediam spithamam ad summum æquat. Et quāvis ramis sit subtilibus, facilè tamen in aëre suapte naturæ sustinetur. Appendices interdum inæquales fiunt, alijs supereminentibus alijs. Nascitur in Trospe agminatim, & marcescens croceum acquirit colorem.

Locus

Synonyma. C.Bauh.pin.Fucus ex Imperato incognitus 7. siue Fucus Terzola, Vermicularis species

FVCVS TAMARICIOLA, SIVE TAMARiscifolia marina.

IN ramulis palmaribus gracilibus denticulata pulchrè foliola, vt Myricæ Narbonensis ramulum arbitreris.

Descript. Tamariciola, inquit Imperatus, est inter Fucos teneros & fragiles recensenda, sicut Terzola. *Scapos* erigit rectos, teretes, in acumen desinentes, à pede ad summa vsque minutulis appendiculis circumdatos, quarum vnaquæque fronde quadam prætenui vestita, à Tamarici frondibus non admodum dissimili. Color vt plurimùm aqueus. Siccata pennarum fasciculum quodammodò refert.

Synonyma Fucum hunc Tamariciolam Imperati, C.Bauhinus in pin. eandem suspicatur cum Myrica marina Batauica Clusij, quæ ipsi est Fucus folliculaceus 14.

Fucus marinus Forcellata, Lumbricariæ species.

Descriptio. FOrcellata, Imperato autore, est è numero Lumbricariæ dictæ, quæ ab imo successiuè in frequentes diuaricatur ramulos, tandémque in minutas terminatur furculas. Tertiam spithameæ altitudinis partem nanciscitur. Color ex rufo & purpureo mixtus. Synon. Casp. Bauhin. pin. Fucus ex Imperato incognitus 8. siue Fucus forcellata lumbricalis species.

Fucus Tremula, media inter Palmetam & Lumbricariam.

Descrip. TRemula Fucus medius inter Palmetam & Lubricariam. *Ramis* vna parte compressis quorum diuisura *foliis* quibusdam ferulaceis similis aperta, expansa, rarâque, quorum extrema incuruantur. Contrectati facilè tremunt, quod à mediocri crassitie cum firmitate coniuncta accidit. Innascitur testaceis marinis, vt Imper. annotauit. Casp. Bauhin pin. Fucus ex Imperato incognitus 9. siue Fucus tremula.

FVCVS SCOPARA, SIVE PENnachio marino.

Descriptio. SCoparia, Pennachio marino dicta fronde villis pennarum similis est, pilis longiusculis, itē alijs breuissimis vestita. *Nomen* obtinuit à frondis illosi ramos ambientis specie: Summitas in æqualem & quasi derasam planitiem terminatur, idcòque & scopam quodammodò repræsentat aut pictorum penicillum.

ROSA MARINA.

CAP. XXII.

Descriptio. PAtulis in orbem est *ramis* palmo longioribus, Quercus marinæ diuisurâ, tenuiore, ligulis angustioribus, coloris cinericei, per extremum digitatis, crispis, asperis.

Hanc habemus ex plantis Valerandi qui eam



Rosæ marinæ titulo donauit. An quis alius, & quo nomine hanc agnouerit, non occurrit.

BVLBVS MARINVS CRINITVS.

CAP. XXIII.



Descriptio. DE hoc Bulbo marino ἀγχώδη hæc leguntur in Nauigationibus Indico sermone conscriptis. Inter quasdam Insulas huius tanta stirpis eleganter expressæ copia prouenit, vt naues hanc supergredi coactas quandoq; remoretur. In fundo maris crescit, quatuordecim vel quindecim brachiorum longitudine, quatuor vel quinque altitud. extra aquam eminens, colore ceræ luteæ, *caule* satis crasso, ex quo per interualla oriuntur bulbi ex fastigiis capillitium quoddam emittentes. *Radix* crassior, bulbosa, quamplurimis fibris capillata.

H.Lugd.p.1505 Bulbus marinus crinitus, & C. Bauhino phyt. & pin. vbi inquirit quid sit?

ALGA MEDERENSIS GRANDI FOLIO.

CAP. XXIV.

IN Algarum genere recipit Cæsalpinus grande quoddam folium, æquale, ac planum, simile prælongis chartarum schedis quod ex Medera aduenitur cum sacchare: vtuntur enim eius folijs pro veste ac tomento, ne panes sacchari atterantur. Hoc genus quod adfertur cum sacchаro ex Oceano Atlantico, est Theophrasti, quod admirabili magnitudine crescit circa Herculis columnas: Dioscoridis verò Phyci genus lato folio.

Imperatus lib.27. cap.21. vocat Fucum giganteum, alij Algam latam: Nasciturque in maris sinubus, folia sunt substantia tenaci & coriacea,

cea. Iis vtuntur Oceani inhabitatores loco chartæ, & saccharum etiam iis inuoluunt. Eidem dicitur Palmifolium Giganteum, aliis *Barandine* à folij longitudine.

Lobelio in obs. p. 651. dicitur *Vrack* Nortmannorum. Hist. verò Lugdunensi *Zoster*, id est, Cingulum & Baltheus.

Synonyma C. Bauh. C. Bauh. pin. Fucus siue Alga latifolia 6. siue chartæ similis, costa carens: Folium grande ex Algæ genere &c. *Eidem* Fucus siue Alga latifolia 7. siue coriacea. Palmifolium giganteum, siue Fucus giganteus Imper. An vrak Nortmannorum Lobelio.

LACTVCA MARINA SIVE Intybacea.

CAP. XXV.



Descriptio. MAris sinubus innatātia quædam sunt folia, ab vno veluti pede prodeuntia, membranacea, lænia, & cùm exsiccantur quasi papyracea, pellucida, inuicem incumbentia, cōplicatáque & corrugata, colore herbido, dilutoque, Lactucam aut Intybam crispam quodammodo repræsentantia, vel Rosam expansam. Talis Istriaca, talis & Narbonensis quæ minor, cui adhæret Muscus marinus.

Lact. mar. Aetii. Lactucarum in mari meminit Aëtius lib. 11. cap. 45. aitque esse germina lata, & oblonga ac viridia, tenuia & subrugosa, ac veluti conduplicata, ad littora maris per fluctus ejecta.

Facile tamen crediderimus Bryō Theophrasti, Dioscoridis & Plinij esse stirpem de qua hoc capite agimus, & Aëtij Lactucam marinam.

Nomina, linguæ. Dodonæo gall. Muscus marinus, Theophrasti βρύον θαλάσσιον gall. *Mousse marine a large fueilles*, Brab. *Zee moscn*, videtur prima species φύκος, i.e. Fuci aut Algæ Dioscoridis, Lat. in fol. vocat Fucum marinum priorem, Fuci Theophrasti genus primum, non modò folio lato, sed & extenso, ac herbidi coloris: aitque hujus meminisse Aristotelem de animal. hist. c. 6. definientem esse purgamentum maris, fierique Æstatis initio, eoque ostreas tum & pisciculos ali. Atque hujusmodi Fuci genus Oceano germanico familiare ait Dodoneus, circa saxosos scopulos, quod vnà cum mitulis, conchis, ac ostreis prima Æstate subinde ad vicina loca defertur.

Alg. suffrutex. Rob. Constantino apud Amat. Algæ siue Fuci marini genus hoc suffrutex videtur potiùs, quā herba. Vocat autem Viscum marinum, folio crispę Lactucæ, & colore ab Alga differēs, quòd surculis rubris germinet, substantia verò & toto aspectu glutinum taurinum ementiatur. Cęsalpinus Bryon Theophrasti & Plinij vocat. Imperatus Folium marinum, siue Lactucam marinā.

Synonyma C. Bauh. C. Bauh. pin. Fucus siue Alga latifolia 1. siue Muscus marinus Lactucę folio, Fucus marinus, 1. Diosc. & Theophrasti: Bryon Lactucæ foliis Plinij & Lobelij: Muscus marinus alter, Matthiol. & Cast. Muscus marinus Theophrasti, Dodon. gall. & Lugd. Therapidion. Crateuæ, Ang. Bryon. thala sion, Turn. Muscus marinus virens latifolius, Dodon. Belg. Lactuca marina, Tab. *Fallitur C. Bauhinus:* dicitur Tabern. Lichen marinus, *Meerflekten*. C. Bauh.

Vires & Vsus. Vires Bryi Dioscoridis & Plinij huic plantæ conuenire non negamus. Eæ autem traditæ sunt cap. 1. hujus libri, Commodiùs autem hæc appli atur arthriridi quàm Muscus capillaceus, siu. Co allina, Camer. easdem penè vires, quas Pulmonariæ arborum adscribit, nisi quod propter salsuginem magis extenuare dicant. Eapropter vtilissimam prædicat applicatam calidis tumoribus & podagræ à bile ortæ.

Fucus Linza dictus, Lactucæ marinæ similis.

Descriptio. FVcus Linza dicta, Lactucæ marinæ similis; sed in eo differt quod tota in fascias (Linze) longas diuisa sit, eodem Imper. authore cap. 12.

Synon. C. Bauh. pin. Fucus siue Alga latifolia 2. siue Muscus Lactucæ marinæ similis.

ALGA LONGISSIMA, LATO TENVIque folio.

CAP. XXVI.

Descriptio. HÆc posteriori non multùm absimilis, ex *radicula* nigra, fibrosa, *pediculum* tenuem, triūcialem emittit, qui in *folium* sesquicubitalis longitudinis, vnciarum quinque vel sex latitudinis, planum, per margines hinc inde conuolutū absumitur: coloris pallidè virentis est, substantiæ tenuissimæ membranæ: hunc cum aliis maris mediterranei purgamentis rejectum, non longè à montis Cetij radice, collegit C. Bauhinus. Dicitur autem ei in prodr. Fucus maritimus 4. siue Fucus longissimo, latissimo, tenuique folio. Eid. pin. Fucus siue Alga latifolia 4. siue Alga longiss. lato tenuique folio. Synon.

Alga longissimo, lato, crassoque folio.

Descriptio. RAdice est breui ex crassis fibris composita, ex qua pediculus crassus, rotundus, semipalmaris prodit, qui in *folium* expanditur: *folium* vnum ingentis longitudinis pedes aliquot & vlnas excedit (rariùs ex vna radice duo folia ejusdem omninò formæ & longitudinis,) & latitudine vncias quatuor superat, ejusdem ferè per totum folium, principio excepto, latitudinis, in medio æqualiter planum, ad vtrumque verò latus paruum, conuolutum, tortuosum & sinuosum, obscurè virens, crassum, & dum terræ adhuc affixum, tactu forma gelatinę, viscosum & madidum: quare propter nimium madorem vix asseruari potest, licèt sæpiùs Soli exponatur: nam quoties chartæ reponitur, mador iste cum fœtore recrudescit, ita vt à corruptione non nisi post aliquot septimanas, donec planè siccetur, seruari possit. In Galliis ad maris littora versus *S. Malo* prouenit & è natali solo facile eruitur.

Synon. C. Bauh. prod. Fucus maritimus 3. Eid. pin. Fucus siue Alga latifolia 5. siue Alga longissimo lato crassoque folio.

Fucus axungiæ accedens.

Descript. ASsungiole dicti Fuci sunt consistentiâ crassâ, & dum in aqua adhuc sunt, tenera, & axungiam referente, quippe qui contracti liquescant & dissolvantur. Sed in aërem expositi, humor exhalat, & membranæ remanent siccæ atque subtiles.

Est & hujus species quædam cristæ gallinaceæ similis, quæ ab exiguo principio instar Rosæ majoris dilatatur. Folia ejus in eminentias terminantur, in morem cristæ galli, colore suo primario croceo.

Alia etiamnum Fuci cristati est species latifolia, cujus nimirum folia ad palmarem amplitudinem extenduntur, in ambitu Aloes Americanæ instar fimbriata, colore ruffo & croceo sicut prædicta. Nascuntur ambæ in cavernis & locis opacis. Dantur à nonnullis phthysicis & hectica febre consumptis.

Locus. Vires.

C. Bauh. pin. Fucus ex Imperato incognitus 16. sive Fucus axungiola.

PENNA MARINA.

Cap XXVII.

Descriptio. PEnna marina *caulem* surrigit substantia Adianto similem: figura totius alam avis alicujus refert pilis raris è costa prodeuntibus. Scopulis innascitur, testisque marinis modico interuallo à se inuicem dissita.

Synonyma Imper. l. 2 c. 12. Penna marina C. Bauhin. pin. Muscus maritimus 5. siue pennæ similis.


Pennaria marina.

Descript. EST hæc pennæ similis, attamen ramorum diuisura dissimilis: qui subtiles & Adianti firmiusculi in palmum expansi sunt, sicut alia plurima marina. Ramorum diuisuris muscositas quædam telam araneæ referens adhæret, quæ eadem & in pennis ipsis obseruatur.

Synonyma Imper. Pennaria marina: Casp. Bauhin. pin. Muscus maritimus 7. siue Adianto affinis.

MYRIOPHYLLUM PELAGIUM.

Cap. XXVIII.



Descript. ELegantis & peregrinæ hujus plantæ picturam, Clusius cum caulis infima parte & radice à Cortuso accipiebat qui valde apto nomine Myriophyllon pelagiũ Cortusi, appellauit Muscũ maritimum 6. siue Filicis folio, C. Bauhin. pin. Piscatores verò Italici *Pennachio delle Nimfe*, & *Palma di Nettuno:* quidem etiam *Scettro di Nettuno* nuncupabant.

Locus. Nascitur in altissimis gurgitibus maris Illyrici, vnde piscatores extrahunt hamis & instrumentis, quæ ipsi *Sperne* appellant.

Vires. Referebant præterea vtilem esse aduersus morsum omnium serpentum marinorum, & virulentos piscium ictus: applicatam supra leuia recentia vulnera, ea vigintiquatuor horarum spatio curare. Cortusus autem ejus periculum se fecisse scribebat, ad vermes necandos & ejiciendos, illámque non minoris esse efficaciȩ deprehendisse, quàm quævis Corallina, etiam minore quantitate datam.

POLYPODIUM MARINUM.


Cap. XXIX.

Etymon. NOmen obtinuit à similitudine *caulis*, quam habet cum terrestri, qui repens hinc inde locis hæret, vnde prognascitur, *folia* quoque simili ratione modoq; Polypodij quercini surriguntur, sed figurâ dissimili, & ad Adianti folia accedentia. Scapus substantia constat lanuginosa. Sæpiùs Zoophytis hæret, quæ referente Imperato, Italis Neapolitanis *Carnume* dicuntur.

Synonyma Polypodium marinum, Imper. Muscus maritimus 8. siue Astiante similis alter, C. Bauh. pin.

SCUTELLARIA SIVE OPUNTIA MARINA.

Cap. XXX.



Descript. INter naturalia nostra à multis jam annis pulchellam plantam marinam reseruamus sub nomine *Colique*, fortè à piscatoribus marinis ita dictam: vnde verò nacti simus, non ampliùs recordamur. Pede est crassiusculo, fungoso vnciali. A quo *surculi* (si ita vocare fas sit) prodeunt plures ex meris *foliis* mutuo incubitu constátes, ita vt alterum ex alterius margine enasci videatur, instar corollæ cujusdam qua preces connumerari solent: aut vti propiùs accedamus in re non vsq; adeò dissimili, sicut in Ficu Indica quã Opunciam vocant. Surculi isti rursus in alios laterales diuaricantur. Singularia porrò istius cõcatenationis *folia* orbiculata sunt, vtcunque latiora quam longiora, nummi instar compressa crassiuscula tamen, nonnihil rugosa, quæ diligentiùs inspecta velut ex binis membranulis compacta videntur: ac prima quidem vnguis ferè latitudine, pauca quędam lupino paullò majora, alia medio modo se habentia. Cæterùm superiùs plærumque folium quà gibbum inferioris excipit modicè sinuatum est. In extremis quæ sunt foliola, plerumq; vix Lentem superát. Adhæret nostræ plantulæ in quibusdam foliis, muscus quidam candidus, capillaris. Tota plantula salsuginosa est tum odore, tum sapore: Dentibus muscus adhærens commorsus stridet.

Eam ad Clusiũ mittebat Neapoli Imperatus, adscripto Sertulariæ nomine, quia veluti sertum aliquod, aut corollam ipsius folia ita connexa repræ-

xa repræsentant. Cortusus verò è Corsica plantam se accepisse scribebat Corallinę latifolię appellatione: nomen autem illi imposuisse, Opuntiæ marinæ littoralis & saxatilis; satis (Clusij quidem sententia) commodâ ratione. Nã Theophrastus 1. cap. hist. c. 12. scribit circa Opuntem herbulam esse quandam, quæ ex foliis radicem mittat, ac cum suauitate mandi possit. Plinius verò ipsum sequutus lib. 21. cap. 17. circa Opuntem, inquit, Opuntia est herba, etiam homini dulcis: mirùmque è folio ejus radicem fieri, ac sic eam nasci. Et certè credibile est hanc plantam recentem cum aceto, sale, & oleo, vel etiam sine sale, non minùs suauiter edi posse quam Portulacæ marinæ & similium folia.

Opuntia marina.


Cæterùm qui Cortuso plantam è Corsica insula mittebat, addebat iisdem facultatibus eam pollere, quibus reliquæ Corallinæ.

Synonyma C.Bauh.

C. Bauh. apud Matth. vocat Ficum maritimam, aitque in foliorum summitate producere florem paruum oblongum, modò vnum, modò plures, colore russescente. In pin. vocat Fucum subrotundum, siue Fucum folio rotundo: Sertolariam Imp. Corallinam latifoliam & Opuntiam marinam Cortusi: Lichenem marinum Clusij histor.

PALMA SIVE MANVS MARINA quibusdam.

CAP. XXXI.



Descript.

AMputatã à radio cubitoq; manum affabrè exprimit, ac ex carpo crassiore (compresso tamen) albicante, angustiore, in metacarpum sensim dilatatur, hinc in digitos quaternos, quinos, pluresve ferrugineos, rugosos, fungosos, multifidos diuiditur, qui rursus in minores particulas subdiuidũtur. Tota substantia coriacea quodammodo est & mẽbranosa: sapor & odor salsus.

Gesneriana icon de Zoophytis marinis ord. 7. circa 15. digitos habet. Vocatur autem Manus marina à similitudine quadam.

C.Bauh. pin. Fucus ex Imperato incognitus 17. siue Fucus aliquibus Palma marina duplex, vel cortice rugoso, vel læui.

FVCVS CAVVS. CAP. XXXII.

Descript.

CAua dictus Fucus marinus nascitur cum foliis longis, fasciis aut tæniis similibus, sed cepaceis foliis in morem concauis atq; canaliculatis, colore viridi, substantia subtilissima.

Synon.

C.Bauh. pin. Fucus subrotundus 5. siue cauus, Herba caua Imperati.

CORALLIVM RVBRVM

CAP. XXXIII.

Lithodendron apud Dioscorid.

COrallium, quod aliqui Lithodendron (κοράλλιον ὅπερ ἔνιοι λιθόδενδρον) appellarunt, marinã esse plantã cõstat ex Diosc. Ea quidẽ alto mari exẽpta, duratur statim atq; emergit, quasi à circumfuso nobis aëre, lapidescat, concrescatve. Plurimum inuenitur in promontorio Syracusis imminente, cui Pachyno nomen est. Probatissimum rubens, colore Sandarachæ, aut Sandycis saturatæ, nec secus terenti facilè cedens, & æquabili vsquequaque concremento, insuperq; Musci aut Fuci marini odorem referẽs, & quàm ramosissimum, forma fruticis, Cinnamomi æmulum. Quod autem in lapidis duritiem coit, scabrosum, fistulosum, ceu concauum, præterea & inane, seu spongiosum, vitiosum existimatur.

Locus

Ouidius.

Ouidius 4. Metam. in fabula de Andromeda & Perseo, Coralli proprietatem ita describit.

Nunc quoque Coralliis eadem natura remansit,
Duritiem tactu capiant vt ab aere, quodque
Vimen in æquore erat, fiat super æquora saxum.

Idem lib. 15. ejusdem operis:

Sic & Corallium, quo primum contigit auras
Tempore, durescit, mollis fuit herba sub vndis.

Corallium, marinũ esse fruticem, & ex alto extractum durari statim, atq; ideò Lithodendron vocari comprobant verba Plinij. Quantum apud nos (inquit lib. 32. cap. 2.) Indis margaritis pretium est, tantum apud Indos Curalio. Namque ista persuasione gentium constant. Gignitur quidem & in rubro mari, sed nigrius: item in Persico, vbi vocatur Iace. Laudatissimum in gallico sinu circa Stœchadas insulas, & in Siculo circa Heliam ac Drepanum. Nascitur & apud Grauiscas, & ante Neapolim Campaniæ: maximéque rubens, sed molle, & ideò vtilissimum Erythris. Forma est ei fruticis, color viridis. Baccæ ejus candidæ, sub aqua molles: exemptę cõfestim durantur & rubescũt, quasi Corna satiua, specie atq; magnitudine. Aiunt tactu protinus lapidescere, si viuat. Itaq; occupari, euellique retibus, aut acri ferramento præcidi. Hac de causa Curalium vocitatum interpretantur. Probatissimum quàm maximè rubens, & quàm ramosissimum, nec scabrosum aut lapideũ, vel rursus inane vel concauum. Authoritas baccarum ejus nõ minùs Indorum (Iudæorum, malè Bas. cod.) viris quoq; pretiosa est, quàm fœminis vniones Indici. Aruspices eorũ vatesq; imprimis religiosum id gestamen amoliendis periculis arbitrantur. Itaq; & decore & religione gaudent. Priùs quàm hoc notesceret, Galli gladios, scuta, galeas adornabant eo. Nunc tanta penuria est vendibili merce, vt perquàm rarò cernatur in suo orbe. Idem lib. 37. c. 10. ait Gorgoniam nihil aliud esse, quàm Corallium: nominis verò causam esse, quòd in duritiem lapidis mutetur. Cæterùm addit, sed falsò, emollire maria: legendum enim est, mollem in mari esse.

Coralliũ Locus.

Vsus.

Matthiolus perhibet Coralliũ ex Tyrrheno & Siculo mari extrahi, atque inde ad Italos deferri. Plinium miratur (vt etiam Amatus, Lacuna & Cornarius) quòd tam facilè sibi persuaserit, Corallium per se baccas ferre, quasi Corna satiua specie atque magnitudine, perinde atque cæteræ arbores suos proferunt fructus. Quandoquidem, vt fatentur ij, qui Corallia expiscantur, & in iis mercaturam exercent, nullas per se baccas edunt. Baccæ enim quæ in-

Coralliorum monilib. cornis ac cerasis similes visuntur, ex ipsorum truncis torno, & lima priùs parantur: mox smyridis lapidis puluere, & terra quadam, quæ è Tripoli Aphricæ adfertur, expoliuntur, & lucidum læuorem contrahunt, cùm iis diutiùs fricantur. Adhæc Corallia è mari circumquaque muscosa eximuntur, nec tunc vlla ex parte rubescunt, verùm inde artificibus tradita, deraso cortice rubent, & perpolita nitescunt.

Cæsalp. Corallium frutex, inquit Cæsalpinus, villosâ substantiâ obsitus est, instar Musci: colore viridi, aut cinereo, intus rubro, qualis est color carnis, aut intensioris rubedinis, qualis cocci: tradunt succosam esse plantam, succo lacteo: renasci, vbi lac contigerit. Figura autem est arborea, lapidibus hærens, cubito breuior: multis ramis, tortuosis, sine foliis, sine fructu, ac sine radice. Falsò Plinius putauit baccarum formam, artificio paratam, spontè nasci.

Gesn. Gesnerus de fig. lap. inter alia, Corallium sexu distinguit. Ac rubri quidem, marem rubentiorē tradit, fœminam verò dilutiorem. Ad hominis proceritatem aliquando accedere dicitur.

De Corallio vide Agricolam lib. 4. de nat. fossil. & Leuinum Lemnium lib. 2. c. 22. de occult. vbi ait mulieres Corallium deferre ius facere. Apertè autem hallucinatur Agricola credens Bryon Dioscoridis & Plinij esse Corallium.

Imper. Ferd. Imperato Corallium rubrum vegetabile marinum est, quod a primo trūco in ramos abit, qui rursus in alios, atq; minores diuaricantur: sic speciem gerens arboris foliis & fructib. suis orbatæ. Substantia petrosa est, densa, quæ præclaram atque insignem polituram admittit. Scopulis aut fortè cuidam substantiæ testaceę affixū reperitur. Vegetabile esse non tantùm inde constat, quod crescens propriis sese viribus sustinet, sed quod scandentium instar vicinis plantis lignosis innititur, atque fulcitur, quæ figura & ramorum diuaricatione ipsi Corallio similes.

Corallij hujus species colore etiamnum variantes aliquot sunt. Sunt enim aliæ saturè rubræ, aliæ lateritiæ, aliæ dilutiores, aliæ ad flauū tendentes. Sunt & quædam in fusci coloris variè permixti, quasi earum substantia ex succo minùs purgato varióque sit compacta.

Hist. Lugd. not. H. Lugdunensis Rhapsodus maximè hallucinatur, quòd pro Corallis rubro & albo p. 1375. ponat figuram Coralloidis fruticis Lobelij.


Synonyma C. Bauh. C. Bauh. apud Matth. pro Corallio albo & rubro ponit figuram ex Lobelio, qui tantùm pro albo posuerat, & non pro rubro. *Eid. pin.* Corallium 1. siue rubrum: Corallium Gesn. Lob. Lugd. & Cæs. Corallum rubrum Imper. coloris vel intensè, vel dilutè rubri est, vel subflauescentis, vel fusci.

Nomina linguar. Græcis κοράλλιον & λιθόδενδρον: Lat. Corallum & Corallium: Germ. *Corallen Bassad*, Belg. *Corael* Gall. *Coral*. Ital. & Hisp. *Corallo*: Arab. *Bassad*, *Mergen Besd*, siue *Morgian*.

Vires. Corallium adstringit & refrigerat mediocriter, excrescentia coërcet, oculorum cicatrices abstergit, vlcera eorundem caua explet, ac cicatrices extenuat. Contra sanguinis rejectiones excreationésve efficax est, & vrinæ difficultate laborantib. auxiliatur. Quin & potum ex aqua, lienem absumit. Surculi infantiæ alligati, tutelam habere creduntur, ait Plinius. Contra verò torminum, vesicæ, ac calculorum mala in puluerem igne redacti, potiq; cum aqua auxiliantur. Simili modo ex vino poti, aut, si febris sit, ex aqua, somnum afferunt. Ignibus diu repugnat. Sed eodem medicamine sæpiùs poto tradunt lienem quoq; absumi. Sanguinem rejicientibus excreantibúsque medentur. Cinis eorum miscetur oculorum medicamentis. Spissa enim & refrigerat. Vlcerum caua explet. Cicatrices extenuat. Corallio vsque adeò abundare Italiam, addit Matthiolus, vt ferè nullibi reperiantur infantuli, nullæque puellæ quibus non gestentur Corallij monilia aut collo, aut brachiis suspensa, quo item vtuntur fœminæ in templis ad suas preces faciendas. Cæterùm scribit comitialib. commodè adalligari, hauriendumque præberi. Famam esse Corallium ædes à fulminum injuria tueri. Idem mensium abundantiam cohibere, dentes commotos firmare, desquamatas gingiuas emendare, itémque oris vlcera sanare. Potum dysentericos juuare, seminis profluuium in viris, nocturnásque pollutiones, & in mulieribus albos vteri fluores reprimere. Recenseri inter ea (Auicenna teste) quæ cordi hilaritatem adferunt Corallio, inquit Lobelius, ædes à fulminum injuria tueri superstitiosum & fabulosum. Quoties siccandum, & sistere oportet eruptiones quasvis menstruas, dysenterias, & cruentas dejectiones, ad Corallia refugium quidem, sed vsta efficaciùs siccant. De iis nihil Galenus in lib. de simpl. med. facult. De variis verò eorum Hermeticis præparationibus consulantur Chymici.

CORALLIVM NIGRVM SIVE ANTIpathes, & adulterinum.

Corallium nigrum.



Descriptio. PRO Corallio nigro nobis ab amico demonstrabatur stirps hæc, à vero Corallio haud paucis notis differēs: Erat hoc firmum, nigrum, lentum, lucens & læue quidē, paucis tamen veluti verrucis alicubi inæquale, ramosum, durum, ac penè osseum Verùm quia flectebatur, & dentium attritu tenacissimum erat, accidit vt an factitium esset, dubitauerimus. Saltem hoc scimus non lapideam habere substantiam, sed lentam potiùs. In medio neruulum habet rufum.

Quod ἀντιπαθὲς vocant, κοράλλιον esse putauit vel ipse Dioscorides, speciē quidem solùm differens. Describit autem colore nigrum, arboris figurâ etiam ipsum, sed magis ramosum: aitque vim eandem, quam rubrum habere. Corallio simile dixit etiam Plinius & sine foliis esse.

Cornarius statuit Corallij tertium genus nigrum, rarum in Germania, Antipathes Plinij, & fort. ...is

fortaſſis eiuſdem Iſidos Plocamon.


Corallium nigrum. Matth. Matthiolus nigrum Corallium primùm vidit Neapoli, Ebenum colore referens. Poſt pulcherrimam eius plantam dono ipſi dedit Anzianus quidam, prope radices brachij ferè craſſitudinem æquantem, & à medio trũco in ramos ſeſe diffundentem, rarã quidem, ſed viſu dignam.

Pſeudo Corallium nigrum.

Synonyma. Amatus in Dioſcor. ait ſe Corallium nigrum, Anthipathes, vidiſſe Ferrariæ & Anconiæ. Antipathes hodie rariſſimum, ſiue Corallium nigrum verum in Gallicia Hiſpaniç inueniri ait Geſn. de fig. lap. c. 10. Antipathes ſiue Corallium nigrum Dioſcoridis (vt vocatur in Obſ. pag. 650. & Ic. Plant. tom. 2. pag. 251.) Maſſiliç inter Corallia occurrere, inſigni lçuore perpolitum, colore nigerrimo, teſtatur Lobelius. Imperatus Corallium nigrum, ſubſtantiâ omninò ſimile ait rubro, & colore nigro tantùm ſeparat, atque raritate.

Antipathis ſiue Corallij nigri iconem ex Lobelio proponit H. Lugd. p. 1376. itemque C. Bauhin. apud Matthiolum vbi Corallium nigrum Dioſcoridis vocat. Eſt hoc ei in pin. Corallum 2. ſiue nigrum.

Antipathes hirſutum, ſiue Corallium foliatum.




Locus. POna in Baldo monente, Antipathes ſiue Corallum foliatum eſt foliis minutis, inſtar ſetæ porcorum, ſeu ariſtæ triticeæ. Inuenitur in maris Sardiniæ fundo inter Corallia piſcandum. Eſt autem longitudine vnius hominis ſtaturæ, & vocatur in illis partibus vulgò Sambeggia.

An C. Bauh. pin. Corallina 6. ſiue nigra ſetacea? Antipathes ſecunda ſpecies Ponæ.

Corallium album & Corallium album officinarum oculatum.

INter naturalia noſtra Corallij albi officinarum truncum ramoſum aduerſamus. Maxima craſſities noſtri, ferè carpi humani eſt, pars quâ hæret lapidea, poroſa; ſubſtãtia ſolida, lapidea, ponderoſa, exterius læuis, tota candida, multis foraminibus radiatim intus ſtriatis donata. Rami temerè & inæqualiter diuiſi, tortuoſi, quos cum radice Polypodij, ſi figuram ſpectes, haud malè conferri poſſe dixeris.



Cornarius notum ait vulgò vbique Coralliũ albo colore. Albi tamen neque Plinium, neq; Dioſcoridem mentionem feciſſe, niſi id ſit, quod Dioſcorides colore pallidum dixit atque damnauit.

Suſpicatur Cæſalpinus Ebur foſſile eſſe apud Theophraſtum, quod vt Plinius refert, candido & nigro colore inuenitur. Apud Auicennam etiam mentio fit albi Corallij.

Cæſalpino porrò ſi credimus, incertus eſt Corallij albi officinarum, nitore & candore Eboris, ortus. Matthiolus tamen author eſt Corallium niuei candoris in Tyrrheno & Siculo mari reperiri, non quidem, vt rubrum, compactum, ponderoſumque, ſed læuius ac rarius, ſpongiarum modo inane.

H. Lugd. not. Rapſodus Hiſtor. Lugdun. non bene poſuit pag. 1374. figuram Coralloidis fruticis pro Corallio albo Lobelij in Obſeru. pag. 650. Ic. tom. 2. pag. 253.

Imper. diſtinguit Corallium album à nigro denſitate & politura, quam recipit, ſed in cæteris omnibus rubro ſimile dicit, albedine pura & lactea: non adeò frequens. Tradit & alterum Corallium album, fiſtuloſum, valdè ramoſum, in ſuperficie foratum, quod ex Sicilia adferri teſtatur. Cæterùm eius pictura optimè reſpondet iconi noſtræ ex Corallio noſtro paratæ.

Synonyma. Corallium album, Amato. Lac. Geſn. de lap. fig. & C. Bauh. pin.


Vires. Amatus adſtringendi & refrigerandi vim adſcribit omni Coralli generi, ſed albo potentiorem, proinde eo vtuntur Medici vbi maiore eſt opus refrigeratione.

Corallium candidius Verrucoſum punctatum, & Corallium ſtellatum albi puri coloris.

Deſcriptio. COrallij hæc ſpecies Imperati colore eſt quàm vulgatç candidiore, ſuperficie tenus punctata, tuberculoſa. Trunco cæteroqui ramiſque craſsioribus quàm rubri. Prouenit in Oceano. Reperitur quoque in Mari maiori.

Synonyma. Imper. Coralli candidioris ſpecies tuberculoſa punctata: *Corallo punticchiato tuberculo.* C. Bauh. pin. Corallum 7. ſiue album verrucoſum punctatum; Corallum album punctatum, Imp.

Coralliũ ſtellatũ quod ab Oceano habetur ſubſtantia eſt cçteris Corallij ſpeciebus ſimili, colore exquiſitè candido, ſuperficietenus denſo agmine ſtellarum minutularum impreſſarum obſi-




ta, vnde & nomen indeptum. Planta est de Coralliorum genere, magna satis, trunco & ramis teretibus, quadam sui parte striata.

Imper. Corallium stellatum. C. Bauhin. pin. Corallum 8 siue album stellatum: maius & minus, quod nobis nunc describendum.

Icon. est coralli verr. punctati.


Corallium stellatum minus album.



Descript. COrallij stellati genus hoc, ab Imperato ex mari Hispanico delatum, substantiâ est minùs solidâ, nec ita candidum sicut id quod pũctatum modò vocauimus: cæterùm vndique etiam stellis paruis impressis notatum: trũcus quoq; & rami crassiores, quam reliqua Coralli genera.

Synon. C.Bauh. pin. Corallum 8. alterum, siue album stellatum minus.


Coralij albi varietas stellata.



Descriptio. STipite longè crassiore, brachium equante, & materiâ magis fungosâ, multis, acetabulis insculpta aut inscripta. Vniuersa planta pedem vnum longa est, vixque cubitum proceritate superat.

Synonyma. Lobel. Obs. p. 651. Ic. tom. 2. pag. 253. & Hist. Lugd. pag. 1376. Coralloides siue Corallij albi varietas. C. Bauh. pin. Corallum 6. siue Corallum album ramosum alterum.

Corallum geniculatum album.



Descript. EX argumento nomen inditum est. Cõstat enim hoc Corallium internodiis quibusdam ceu articulis animalium. Ramosum enim est, & rami, ad instar articulorum animalium, ad inuicem committuntur. Figura cætero qui sunt rectã, circa articulos nodosiore, per longitudinem striatã. Substantia eius densa, alba, in medio exiguum meatum, medullæ vt puto vices supplentem, habet, qui à radice productus in omnes ramos propagatur. Est vt & alicubi velut pluribus corticibus constare videatur, alioqui cortice vnico obtectum est, vndique corallineo, albo, & reliquæ substantiæ. Percussu secundum longitudinem facto facilè diffinditur.

Synon. Imper. Corallium geniculatum: It. Corallo articulo. C. Bauh. pin. Corallum 9. siue album articulatum.

Crescit in Maiorica insula, vnde ab Imperato allatum est.

Corallium asperum candicans adulterinum.



Descriptio. EX lato principio crassus exoritur caudex, qui mox in ramos diuaricatur minutiis diuisos, albicantes, superficie asperos, tortuosos. Substantia interna minutissimis poris pertusa est, & quã externa facies albicantior.

Omnium maximè lapideum hoc Corallium esse videtur. Altitudo vix quatuor vncias adæquat.

Synon. An Gesn. fig. lap. Gypsum quod Coralloides cognominari potest? Est enim Corallio albo persimile, ramosa seu fruticante specie.

CORALLIIS AFFIN. PLANTÆ MARINÆ.

CAP. XXIV.

Porosæ Plantæ, & Porus magnus.

POri de genere vegetabilium sunt, substantia Coralliis propinqua: at *poris* ab iisdem differunt, qui eorum proprij sunt & peculiares: horum tamen alij propiùs ad corallia accedunt, alij

alij longiùs distant. Omnes communiter albi sunt. Et qui candidiores, densioresque sunt, ij Coralliis similiores sunt, & eundem ramorum ditaricationis modum seruant. Quorundam trunci superficie rugosâ, alij eadem punctata sunt. Qui rugosi sunt, lineas habent striatas secundum longitudinem tum truncorum, tum ramorum ad extrema vsque. Sed & meatus interna sua substantia porosa habent, per ramorum longitudinem procurrentes, medio quodam atque communi filo interposito. Quorum superficies punctata est, meatus habent, quos rami à centro à filo medio constituto ad ambitum educti intercipiunt.

Poro qui magnus dictus ab vna radice in ramos diffunditur: Truncus circa radicem crassitudine ferè est brachij humani: At cum Corallis collata altitudine sua non respondet. Nam breui interuallo, quæ truncorum diuisura est, à crassitie sua deficit atque minuitur. Neque enim altè assurgit. Terminatur in germina crassitudine digitali. Circa truncos solidus est, instar Corallij; at vltimi rami admodum porosi sunt & fragiles. Coloralibus, superficies rugosa, cæterasque obtinet conditiones, poris in genere tribui solitas.

Porus mag.

Synon. Imper. dicitur Porus magnus: C. Bauh. pin. Porus Corallo affinis 1. siue magnus. Ait hic Pori lapidis seruandis corporibus idonei meminisse Plinium lib. 36. cap. 17. his verbis: Pario similis (lapis) candore & duritie, minùs tamen ponderosus, qui Porus vocatur. Sed quia Plinius ita breuis, est, an de his Poris locutus sit, ambigit. Lapides autem hos substantiâ Corallis proximos esse non negat, & potissimùm porositate, vnde nomen habere affirmat, & à Coralliis differre.

Porus ramosus.


Descript. Porus ramosus Imperati effigiem habet Coralli albi, dictus est autem ramosus, ob frequentem ramorum diuisuram & dilatationem. Circa radicem crassitudine est digiti humani: Rami exquisitè teretes, superficie tenus punctati, in amplitudinem spithamæam panduntur. Durities ejus præ cæteris Poris ad Corallij naturam accedit. C. Bauhin. pin. Porus corallo affinis 2.

CORALLIIS AFFINIS MADREPORA.

CAPUT XXXV.




Descript. Matripora quibusdã dicta multis cannis ex vno trũco prodeũtibus, & circa ortum sibi mutuò cohærentibus constat. Ergo faui formam quodammodò repræsentant. Substantia tubulorum osi spongioso similis est, in quorum extremis cauitas apparet, radiis à centro ad ambitum



protensis firmo: in quorum medio ceu flosculus quidam conspicitur, segmento plano. Crassities eorum digito paruo æquatis, ab ortu ad extrema vsque eadem superficie tenus transuersim rugosi, quod in nullo alio à nobis descripto Poro obseruare licuit. Recenter exempti sorde quadam purpurea obtecti sunt, quæ temporis progressu nigricat.

Synonyma. Madrepora, Imper. Porus Corallo affinis 4. siue Coralliis affinis Madrepora stellata.

CORALLIIS AFFINIS MADREPORA ramosa.



Descript. Madreporæ ramosę extrema sũt plana, quemadmodũ præcedentis. Sed in trunco & ramis magna est differentia, Quippe primarius trũcu densus est & candidus, sicut Corallium. Sequentes qui velut annui adjuncti sunt, rari admodum ac debili substantia, colore obscuro & purpureo. Eadem substantia aliquid habet membranei, vnde colligi potest, Spongiarum in morem participare aliquid de vita sensitiua.

Synonyma. Madrepora ramosa Imper. Porus corallo affinis Madrepora ramosa, in qua varietas & in substantia, & colore pro partium diuersitate reperitur.

ABROTONOIDES PLANTA SAXEA.

CAP XXXVI.

Locus. Elegantem hanc plantam marinam, Ἀβροτονοειδῆ saxeam Amstelredami anno à CHRISTO nato 1600. Clusio donabat honestissimus vir Walichius Syuertz ejus vrbis Pharmacopœus, illo ipso anno à Batauis ex orientalibus regionibus delatam.

Erat porrò, inquit Clusius, ea planta tota la-



pidea, pedalis ferè altitudinis, in multos ramos diuisa, qui deinde in frequentes alios minores sese spargebant, elegantissimo spectaculo, & illos quidem Abrotoni fœminę foliorum formam pene referentes &c. E saxis autem in imo mari iacentibus abruptam fuisse arbitrabar.

Synon. Planta saxea Ἀβροτονοειδής, Clus. Exot. lib. 6. c. 7. Fucus folliculaceus 20. siue Abrotono similis saxea C.Bauhin.pin.

Porus similis Sabinæ.

PORUS Sabinæ similis: ramos qui habet subtiles, altera parte compressos. Superficies eminentiis quibusdam acutis dor ata est.

C.Bauh.pin. Porus Corallo affinis 6. siue Porus facie Sabinæ, Imper.

CORALLIVM ADVLTERINVM porosum.

CAP. XXXVII.

Descriptio. NVmeroso densoque agmine ex lapideo ferè principio exeunt fistulæ albicantes, striatæ, palmares, longiores plus minus, intus porosæ, quæ à centro ad ambitum ita radiatæ sunt, vt stellam multiplicem repræsentent. Substantia earum planè lapidea est, dura, nec ita fractu facilis. Primum pondere superat.

Millepora Imper. Imper. ait Milleporam numerosa producere germina quæ cannularum iuxta se inuicem positarũ instar denso stipatu nascantur. Quodlibet itaque germen formam referre cannæ cum nodis suis. Eius porrò superficiem secundum longitudinem esse striatam, circa extrema porosam.

Milleporam hanc Imperati ego eandem constituo, cum corallio adulterino poroso, licèt hoc strias per longitudinem non præ se ferat. Synon. Pseudo-Corallium album aut fungosum, Gesn. fig. lap. Porus Corallo affinis 3. siue Millepora Imperati, C.Bauh.pin.

CORALLIIS AFFINE ALCYONIVM FIstulosum rubrum: & Tubuli marini albi.

CAP. XXXVIII.

Descriptio. MArinorum naturalium elegantissimũ specimẽ inter naturę recondita nostra adseruamus, quod figura & specie partium corallio rubro quodammodò accedens totum agmentatum Halycionium quibusdam æstimatur. Ex meris tubulis rubris, Corallio rubro ferè concoloribus, aut certè saturatiùs tinctis, crassitudine culmorum Auenæ, ex semunciali aut breuiori interuallo crustulis lapideis connexis, cætera parte æqualiter diffidentibus coagmentatum est. Pleræque tamen superficietenus albicante quadam aspergine obiter vestitę sunt. Tota substantia lapidea est, sed Corallio rubro fragilior.

Tubularia Imper. Imperati Tubularia purpurea, quam quidam



inter Alcyonia recensent, & quidam Alcionium Milesium vocant, pororum ratione Tubulariæ purpureæ similis est, de marmorum quoque genere, ex paruis tubulis, concauis, atque vt plurimum connexis coagmentata, colore puniceis, intus politioribus, foris mediantibus quibusdam crustis transuersis, æquali interuallo ordinatis, venitis. Matriculæ putantur animalculorum marinorum in quibus nascantur, sicut apes in fauis.

Synon. Tubularia purpurea, Imper. Porus Corallo affinis 12. siue Coralliis affine Alcyonium rubrum, C.Bauh.pin.

Vltima autem ex propositis Iconibus est Tubulorum marinorum alborum Imperati.

Porus tubularis.

Descriptio. PORUS tubularis dictus, quòd paruorum tubulorum formam referat, ex quibus alij tubuli etiamnum pronascuntur. Superficie interna rugosi, externa punctati & porosi. In his sæpe materia Alcyonii, aut alterius cuiusdam substantia reperitur.

Synon. Porus tubularius, Imper. Porus Corallo affinis 10. Casp.Bauhin.pin.

ADARCE EX VETERVM ET NEOTOricorum sententia.

CAP. XXXIX.

Locus. ex Diosc. GIgnitur in Galatia quod Adarces appellatur. Est autem tanquam concreta salsilago (concremẽtum subsalsuginosum, Corn.) quę humidis & palustribus locis siccitate emergit, & circa arundines, graminàve concrescit, colore flori lapidis Asij similis, tota verò forma molli, & multiforo Alcyonio proxima, vt videri possit

Vires. sit Alcyonium palustre. Ad exterendas lepras, maculas à Solis ardore contractas, lichenas, lentigines, similiaque vitia, accommodatur: & in summa vis ei acris. Sed humores ex alto euocat: quamobrem & ischiadicis opitulatur, authore Dioscoride.

Calamochnus. Inter aquatilia dici debet & Calamochnus, latinè Adarce appellata. Nascitur circa arundines tenues, è spuma aquæ dulcis ac marinæ, vbi se miscent. Vim habet causticam. Ideò acopis additur contra perfrictionum vitia. Tollit & mulierum lentigines in facie. Ita Plinius lib. 32. cap. 10. Nec de alia Adarca loquitur l. 16. cap. 36. Est & in Italia nascens Adarca nomine palustris, ex cortice tantùm sub ipsa coma, vtilissima dentibus, quoniam vis eadem est quæ Sinapi. Temerè ergo Plinium accusant (inquit Corn.) qui hoc loco Arundinis speciem ipsum fecisse affirmant: & de eadem Arundinis specie repetiuisse l. 20. cap. 22. vbi ait: Sinapis naturam effectusque eosdem habere traditur Adarca, inter syluas nacta, in cortice calamorum sub ipsa coma nascens: est enim vna & eadem Adarca, de qua omnibus his locis agit. Hæc autem & Calamochnus dicitur, i. e. Arundinis lanugo, Latinis recepta Græcorum voce Adarca.

Adarcium Galen. Galeno Adarcium, quod aliqui masculino genere, Adarcum, aliqui fœminino Adarcem vocant, secundum essentiam velut spuma quædã est concreta aquæ salsuginosæ, quæ circum storeas & Arundines concrescit. Est autem acerrimum & calidissimum, & per se ipsum inutile. Miscetur autem his quæ vim ipsius obtundunt, atque ita multi vsûs euadit, in affectionibus calefieri postulantibus foris adhibitum. Intra enim corpus fieri non potest vt quis ipsum assumat, ob virium vehementiam. *Idem Galenus* lib. 1. cap. 1. τῶν κατὰ τόπους ad finem, in ænigmatica compositione, Pericalamitidem appellari posse dicit, id quod ab aliis Adarce, & Adarcium dicitur, propterea quòd calamis adnascatur. Appellatur & Limnitis à paludibus, à Galeno, & Aetio, & Paulo, multis locis.

Aliud est Cæsalpino apud Dioscoridem Adarce quàm Alcyonium, quamuis similis illi molli figura: est enim concreta salsilago, iuxta calamos & festucas agglutinata, locis palustribus & maris admistione cũ aquis dulcibus: colore cãdido, similis cõcretioni quæ in spõgiis reperitur: corpus omninò inanimatũ, inordinata cõpage.

Fluminis stercus. Conspici Adarcen in multis Hispaniæ paludibus author est Amatus, dicique voce Hispanica Fluminis stercus, siue Fluminis lixum, & ad multos vsus ab iis adseruari: circa mare verò potentius inueniri. Ait porrò Plinium & illius defensorem Collinutium, duas Adarces ponentes, nugari.

Lacuna vocat græcè ἀδάρκην, latinè Adarcen, Arab. *Atbarath* [Matth. Adarchi, seu Adaraca] Castil. *Alburreca*, refertque se Patauii apud Fallopium verum vidisse. Quid autem pictura exhibeat, cùm non describat, me latet:

Gesnero Adarce planta non est, sed plantis adhærens crusta.

Matthiol. verò negat legitimam Adarcen, quæ Diosc. & Plinii placitis respondeat, in Italia nasci, etsi id tradiderit Plinius.

PORVS ANGVINVS. CAP. XL.

Descript. PORus anguinus dictus Imperato, quòd exuuiis serpentum similis sit. Substantia sua



adhæret radici Algæ, alteri alicui materiæ, estque velut incrustatio quædam ex multis atque subtilissimis spoliis, sibi mutuò incumbentibus coagulatis: similis est spoliis serpentum, siue colorem, siue subtilitatem siue impressiones atque delineationes spectes. Substantia porosa est & fragilis admodum, propter extremam subtilitatem tunicarum, colore candido, & ea parte qua altera tunica ab altera separata conspicitur, argenteo splendore lucida.

Porus anguinus, aliàs Adarce appellatus, in aquis salis & maris quieti stagnantibus concrescit, Algas aliáq. corpora complectens. Reperitur in tractu Neapolitano in mari mortuo sub Baia. *Synonyma*

Porus Corallo affinis II. siue Porus anguinus Imperati, C. Bauh. pin.

SALIX MARINA. CAP. XLI.



Descriptio RAmi multi ex glauco nõnihil rubẽtes in aqua nascuntur, partim comantes longis, Sal[icis] similibus, maximè ex parte per oras nõ incisis, quibusdam veluti incisuras nonnullas ostendentibus, gustu salsis. Inter ramulos virgulæ surrigũtur, ferè Salicis sustimenti surculo haud absimiles, apicibus plurimis veluti squammatim compactis, non alia forma quàm quæ spectatur in Salice, dum herbaceo iulo florem parturit. Testis ostreorum [&] saxis quæ sub aqua marina sũt, innascitur. & sic adhæret, vtiis agglutinata non radice defixa, videatur

Synon. H. Lugd. p. 279. Salix marina. C. Bauh. pin. Fucus folliculaceus 16. siue Salix marina.

ARBVSCVLA MARINA CORALLOIdes rubra. CAP. XLII.

Descriptio PLantam hanc marinã Christianus Porretus pharmacopœus à quodã circumforaneo redimebat anno à Christi natiuitate 159[.] quam cum Clus. ostenderet, meritò arbusculã appellandã censuit, eò quòd maiorẽ videre nõ meminerit. Tres

tùm in pelago Tyrrheno inueniri addit, in quo corallium Lobelius reperiri dixit, & non corallinas.

Frutex Corallio similis Cæsalp. Frutices in nostro mari corallis similes, corallinas vocant, inquit Cæsalpinus, ligno intus durissimo ac nigro, specie Ebeni, sed ob tenuitatem inutili operibus: crusta his obducitur veriùs, quàm cortex, friabilis, pumicosa, aliis cădida, aliis rubens: adhærent lapidibus testacea quadam substantia dilatata. *Qui* ex his cortice rubro integitur, tortuosis ramulis constat, durissimisque, prope radicem nigris, hi in tenuem gracilitatem desinunt, perlucidam ablato cortice. *Qui* cortice albo integuntur duo sunt: vnus ramulis cōstat erectis, Iunci modo, flexilibus, numerosisque ab eodem veluti caudice prodeuntibus, cubitali altitudine, qui veluti punctis quibusdam signati sunt, vt Abietis ramuli. Abietem marinam puto apud Theophrastum. *Alter* ramos fert ad latera tendentes, crusta candida, veluti denticulatos, quibus sæpè adhærent lapidosa substantia, ex maris salsugine concreta, ac testacea quædam animalia. Quercus marina apud Theophrastum: folium his nullum neque muscus, sed loco eorū crusta videtur data. *Quartum* genus humi serpit, sarmentosum ex lapidibus pendens, vndique muscosa lanugine obsitū, nigricăte, aut cinerea, extremis capillis in tenuia veluti granula desinentibus. Vitis marina apud Theophrastum.

Synon. C.Baut. C.Bauh.pin.corallina 1.siue fruticosa recta alba: Iuncus petrosus Ang. Lithophyton marinum albicans Gesn.foss. Quercus marina Theophrasti, Clus.hisp 1.& exot. Corallina alba, Lobel. Tab.Corallium album, Lugd. Muscus marinus fruticosus, Cast. Coralliis similes frutices, Cæsalp. Corallium ligno intus durissimo & nigro, cui crusta obducitur, aliàs candida, aliàs cinerea, aliàs rubens, testacea substantia. *Eid.*corallina 2.siue lutea punctata: *Item*, Corallina 3.siue fruticosa purpurei coloris, Gesn. Corallina rubens Antipathis facie, Lob. Corallina rubra, Tabern. Quercus marina Theophrasti, Clus.exot. lib 6. cap.4. Quercus marina cum sua basi, Eid.cur.post. *An C.Bauhinus* has tres Corallinas rectè separet, atque Quercum marinam Clusii huc meritò referat, aliorum esto iudicium.

ERICÆ FACIE FRVTEX MARINVS.
CAP. XLIV.




Descriptio Marinum hūc fruticem, quem Clusius anno à Christi natiuitate 1597. à Doctissimo viro Henrico Hoiero, Bergēsi in Norvvegia Medico accipiebat, non incommodè Ericam marinā appellari posse arbitrabatur.

Erat verò is frutex cubitalis aut amplioris altitudinis, statim ab infimo in frequentes ramos assurgens, atque illi denuò in minores alios diuisi erant: interdum simul coalescebant, vt in plerisque plantis in mari nascentibus euenire solet: tenui cortice tegebatur, terrestrisque coloris erat. Totus porrò frutex plana forma excreuerat, & in sesquicubitalem latitudinem expansus erat. Omnes autem rami tanquam quibusdam tuberculis erant obsiti: sed minores longè frequentioribus, & maioribus (quod pictor per supinam quandam negligentiam non obseruauit) vt tanquam flosculorum gemmis ornati viderentur, quæ trita in tenuissimum pollinem resoluebantur. Tota alioqui planta lignosa & dura erat, atque lapidi aut scopulo innata fuisse videbatur, salsi saporis, vt quæ in Oceano natæ plantæ.

C. Bauh.pin.Fucus folliculaceus 17. siue Ericæ similis maritima: Frutex marinus Ericæ facie, Clus.Exot.lib.6.cap.5. Eid.Corallina 4.siue ruffescens exasperata: Ericæ facie frutex marinus, Clus.Exot. *Synon.*

FRVTEX MARINVS ELEGANTISSIMVS albus, Corallium nautis.
CAP. XLV.




Descriptio. Elegantissimus hic frutex marin⁹, inquit Clus.Exot.lib 6.cap.2 Arbusculæ marinę Coralloidi quodammodò congener, pedē & septem vncias longus siue latus erat, & tredecim vnciarum amplitudinem habebat, quâ parte latissimus: triū verò pedum & decem vnciarū erat eius ambitus; durus, porosus & lignosus atque valde planus, flabelli instar, in ternos aut quaternos crassiusculos ramos diuisus, à quibus innumeri alii tenuiores ramusculi exoriebătur, in longum & latum se spargentes, adeò miro ordine, vt simul quodammodò coalescerent, vacuaque tantùm quædam spatia relinquerent, cribri aut reticuli maculas imitantia. Integer frutex purpurascente colore obductus fuisse videbatur, quem deinde salsuginosa candida materia obduxisset, vt ex infima fruticis parte, & aliis quibusdam locis, à quibus salsugo detersa erat, apparebat: illam verò salsuginem crebertimis, iisq; valde exiguis, foraminulis tanquā acu impressis, tam affabrè tantoque artificio elaboratam conspicere licebit, præsertim in minutioribus rămulis, vt nullum opificem imitari posse mihi persuadeam: sed quum in adeò exiguo spatio, cuius capax est lignea tabella, illam elaboratam salsuginem pictor exprimere non posset, istum fruticem nudum & sine salsuginē delineare coactus est, vt ramulorum tenuitaţ

faciliùs obseruari & conspici posset. Latam autem habet sedem, quâ scopulo inhæserat sub marinis aquis. ex qua binæ aut ternæ aliæ adnatæ plantæ, siue potiùs rami abrupti fuisse videbātur. Eius materies dura, vt vix cultello scindi posset. Nautæ Corallium appellabant: sed ad Palmæ marinæ à Theophrasto descriptæ genus aliquod veriùs referendum esse arbitror.

Synon. C. Bauh. pin. Corallina 14. siue cortice reticulato maculoso purpurascente.

PLANTA MARINA RETIFORMIS. CAP. XLVI.


Descr. PLantam quandam marinam ex America aduectam anno â natiuitate Christi, nostri Redemptoris, 1597. mittebat ad Clusium ornatiss. idemque humaniss. vir Simon Parduynus, Consul Medioburgensis in Walachria Zelandiæ, valde raræ formæ. Nam instar virgulti lignosa erat, prorsus tamen plana, in frequentes ramos eosque etiam planos, sparsa, ex quibus in longitudinem & obliquè exibant multi neruî, retis instar ferè contexti, adeò firmi, vt ex æreo filo conflati viderentur, lumini tamen oppositi glutinis substantiam veriùs referrent. Tota planta cubito longior erat, prorsus, vt dictum, plana, & multis maculis, retis instar, pertusa, subrubescens, quadam tamen salsugine multi locis infecta, extima parte fermè pedem lata, infima verò palmum: sed ea non integra: nam ex vtroque latere plurimùm abruptum fuisse apparebat: salsus eius sapor. Cui rei innata fuerit, non liquet, vt cuius infima pars cōfracta esset: verisimile tamen scopulo, aut lapidi innatam Corallii modo: Nam triennio pòst se similes conspexisse refert Clusius Amstelredami in musæo cuiusdam ciuis, quarum infima pars plana erat, vt quæ scopulo adnata fuisset. In Americano autem Oceano natas aiebat.



Casp. Bauh. pin. Corallina 15. siue reticulato cortice altera: Planta marina retiformis, Clus. Exot. lib. 6. c. 3.


HIPPVRIS SAXEA. CAP. XLVII.

Descriptio CLusio ostendebatur hæc venusta planta marina Amstelredami anno à Christi natiuitate 1601. à perhumano viro Ioanne Langhe Cheirurgo, qui etiam illius ramo pedalis ferè longitudinis ab ipsa planta abrupto eum donabat, qui in subiecta tabella Lectoris oculis expressus proponitur.



C. Bauh. pin. Fucus folliculaceus 19. siue Equiseto similis saxeo: Hippuris saxea, Clus. Exot. lib. 6. cap. 8.

RESEDÆ FACIE PLANTA MARINA. CAP. XLVIII.



Descr. TOtus lignosus & durus erat hic frutex, non secus ac Erica fruticans, salsâ & albâ materiâ obductus, sesquipedalis longitudinis, non tamen integer, sed infima parte fractus, in decem vel plures ramos inæqualiter & nullo ordine nascentes diuisus, quorum aliqui abrupti: qui supererāt, toti tecti erant exiguis quibusdam vasculis rugosis, deorsum propendentibus, coloris ex albo cineracei, Resedæ vasculis, quæ semina iam matura cōtinēt, non valdè dissimilibus, longè minoribus, & infima parte, vtplurimùm connexis ipsis ramulis, quæ vacua & valdè fragilia, vt quæ digitis atterita, facillimè in puluerem resoluebātur, salsi admodum saporis.

Hanc marinā plantam, quam fruticem siue suffruticem appellandam censet Clusius, nanciscebatur Amstelredami anno à Christi natiuitate 1601. Quo autem in mari erutus fuisset hic frutex intelligere non potuit, quia nautas qui retulissent conuenire ipsi non contigit, & qui redimunt, ista minimè curant.

C. Bauhin. pin. Fucus folliculaceus 18. siue Resedæ similis maritima: Planta marina Resedæ facie, Clusio Exot. lib. 6. c. 6.

CORALLOIDES GRANVLOSA ALBA. CAP. XLIX.

EX magno ramo decerptam portionem adseruamus, quæ ceruini cornu instar plures ramos






mos de se mittit modicè recuruos sursũque spectantes. Tota porrò albo granulosoque cortice obducta est, ac si Saccharo incrustata esset. Interior eius substantia, cui crusta hæc granulosa adhæret, nigra est, duraque. Accepimus ab amico quodã qui ex theatro naturaliũ Serenissimæ Reginæ Angliæ se accepisse referebat, ex magno ramo decerptam.

ALGA MARINA πλατύκερως POROSA. CAP. L.

Descriptio



MAritima eleganti raritate pulcerrima aspectu est. Ab vno principio plures exeunt *rami* trium quatuorue vnciarũ, lati atque patuli, compressi, flexiles, crustosi, pallidi, colore exalbido, cũ striis obliquis quasi texturam demonstrantibus, damæ cornua lata non infeliciter æmulatur. Vnde *πλατύκερως* dici potest ex re nata. Dono dedit Emanuel Vurfstius Medicinæ Candidatus lectam in portu Bourensi: atque ex ea planta confecta nostra figura.


Imper.lib.27.cap.3. *Poro ceruino* siue Porri genus quod ramorum diuaricatione ceruina cornua æmulatur, cuiusque superficies punctata altitudine spithamæa inferior.

C.Bauh.pin. Porus Corallo affinis 7. siue Porus ceruinus, Imper.

ESCHARA. CAP. LI.

Descriptio QVæ Eschara Rondeletio dicitur pro radice principium habet latiusculum, ex quo foliacea quædam, & Lactucę crispæ in morem, substantia exit lapidea, crassiuscula, albicans, fragilis, cribri instar, rimarum longiuscularum plena: dentibus facilè atteritur, nullo manifesto nec odore nec sapore.


Synonyma Cæsalpino Rosa marina inter Muscos mari-



nos. Imper. Retepora, Eschara marina.


C.Bauh. Porus Corallo affinis 8. siue Porus reticulatus & Eschara marina, Imperati.

ESCHARA MARINA FRONDIPORA. CAP. LII.



FRondipora Eschara marina, Reti- Descript. poræ descriptæ similis quodãmodò: frondes quippe substãtiã similes, itidemq; ramosæ & incisæ, quib. extrinsec' eminentiæ quædã costis aut neruis foliorũ similes adnatæ: quarũ extrema mutuo cõnexu vnita poros cõstituũt, & retis formã quodammodò efficiunt.

RETICVLVM MARINVM. CAP. LIII.



NOmen ex Descript. rei ratione asciuit. Sic namque veluti stamine atq; subtegmine intertexto est, vt rete aliquo modo repræsentare videatur. Compressu duriuscula est, neque renitens. Colore subcinereo obsoleto. Odore atque sapore salsuginoso: dentibus attritum cedit ob

lentam & tenacem substantiam, nec facilè comminuitur. Maritimorum accola est. Nostra icon non in omnibus placet: foramina non satis manifesta, nec stamina satis tenuia.

An Imper. lib. 28. cap. 1. Rete marinum.

RETICVLATVM TOPHACEVM marinum. CAP. LIV.



Descript. Filamentorum conuolutorum in morem, totum ex filis tophaceis, cädicantibus, ac etiam [quod in tanta exilitate mirum] fistulosis ac cauis coagmentatū est, vt rete quodammodò in vnum glomerem confusum repræsentet. Ipsa crassities frusti coagmētati vncialis est, multis cauernis Spongię aut pumicis ferè instar cauata, substantia leui, & dentibus facilè friabili, dura, digitis non cedente, odore salso sapore nullo.

An Imper. Porus in figura di Matassa filo concauo, quamuis subtili? Adhærescit aliis substantiis & rebus marinis.

CORALLINA. CAP. LV.



Descript. Vnciam vnam aut alteram alta est, colore incano, cinericeóque, ramulis pyxid itim geniculatis, gracilib is, pinnis interdum è latere excrescentibus, odore nauseoso, pisculento, sapore salso ingrato: sub dentib. lapillorum instar crepitat, & facilè vel attritu digitorum in puluerem fatiscit.

Nomina Corn. vocat Bryon siue Muscum marinum Dioscoridis, Plinii (qui legendum θριδακώδη, Lactucæ folio, quod Dioscorides τριχώδη.) & Galeni, quam Germanos Meermoß, officinas Corallinam vocare scribit: Et recentiores Græcos σκωληκοβοτάνην, ab vsu ad vermes ex aluo expellendos, vulgò venalem Scolibotani proclamantes. Et quanquam hic vsus à veteribus traditus non sit, tamen βρύον θαλάσσιον esse, non ambigit: eiusdem etiam opinionis est Musa, Cordus, Anguill. Lac [cuius tamen figura vulgarem Corallinam non demonstrat] & Turnerus.

Gesn. de fig. lap. cum Medicis vulgò Corallinā appellat, herbulam maritimam, in saxis sine radice nascentem, & substantiam foris tanquam è limo quodam albicante circumnato fermè lapidescentem habentem.

Amatus ait omnium doctorum consensu muscum marinum, officinarum Corallinam esse: eam autem Anconæ magna in copia reperiri: Hispanos *Malborquinam* appellare, quia primo ad illos ex Maiorica altera insularum Balearium aducta sit.

Cæsalpino Muscus marinus lanugo est capillosa, in scopulis maris reperta, modò lapillis, modò testis, modò aliis fruticibus marinis inhærens, præcipuè corallo; quam corallinam vocant: mollis quidem quandiu sub aqua est, extractus autem & siccatus riget ob salsuginem: quidam erectus quidam humi sparsus: color varius, nunc albus, nunc rubens, aut flauescens, aut cinereus, aliquando niger, quidam & herbaceus, mollior. Dioscorides Bryon thalassion vocat: Theophrastus Phycon trichophyllon: Gaza Algam crinito folio, & Plinius Phycon capillaceo folio. *Muscus marinus Cæsalp.*

Lod gall. quoque corallinam hanc officinarum, græcè βρύον θαλάσσιον vocat. Lat. Muscum maritimum, gall. *Mousse de mer*, Brab. Zee Mosch: & ex quibusdam indoctis Soldanellam.

Crediderim & ego, inquit Matthiolus, Corallinam esse Muscum marinum, quòd certò sciam, eam ab iis reperiri, qui Corallia expiscantur, coralliis, sicuti etiam scopulis & piscium testis inhærentem. Is vtique cæteris præfertur, qui corallus adnascitur, vnde ei nomen. Probatur secundo loco, qui saxis adhæret, colore rubicundo: cinereus verò improbatur. Plinium constat errasse, in historia Musci marini quòd hunc perperam fecerit foliis Lactucæ similem: Arab. dicitur Tahaleb. siue Taleb, quibus tamen Muscus is cum Lente palustri confunditur. Hisp. Malhorquiana yerua: Germ. Meermoß: Corallenmoß. In Epit. cum add. Camer dicitur Muscus marinus gracilis, capillaceúsq; prouenire, caulis expers, colore, cùm siccatur, subrufescente, sapore salso, odore concharum marinarum simili. *Muscus marinus Matth.* *Delectus.*

Camer. in Epit. & Hist. Matthioli vnâ icone septem species pingit. I. a Matthiolo traditur. II. parui ramuli, sulphurei coloris, articulati. III. supra tophaceum lapidem album, coloris etiam sulphurei. IV. supra rubentes lapides. V. supra testacea. VI. & VII. pulchrè alba est, aut nonnihil ex cæruleo virescens est: & rubescens. Subdit tandem reperiri & alias species, quas ait recenseri non posse sine nimia prolixitate, densiùs tamen omnes prouenire, ac pictas esse.

Lobel. duas dat imagines. *Prior* est in Obs. p. 648. in Ic. verò p. 249. tom. 2. hoc titulo. Muscus candidus coralloides squammulis loricatis: *Altera* in Obs. p. 649. in Ic. pag. 250. inscribitur Corallina, cirratis copiosis coralli æmulatione implexis tenuibus surculis, caulis expers, colore rubicundo, aliàs luteolo, herbaceo, cinereo, aut candido, osseâ duritie, ad vermes profligandos decantatissimis viribus. *Icones duæ Lob.*

H. Lugd. p. 1368. Muscus marinus: siue corallina Dodonæi. Item, Muscus marinus candidus coral- *Hist. Lugd. icones 3.*

Rhapſ. & natur. compilat. err. coralloides. Cæterùm, Rhapſodus ſuo more ponit tres figuras vnius plantæ, adornans Corallinæ vnam ſpeciem ſine deſcriptione.

Tab. ic. & hiſt. Muſcus marinus ſiue Corallina ſecunda: Eid. Corallina altera. *Eius compilator* non diſtinguit, proponendo tantùm figuras: Prima Matthiolinæ imagini accedit, quam etiam C. Bauhinus apud Matthiolum poſuit: Altera icon conuenit cum vulgari noſtra Corallina geniculata.

Synonyma C. Bauh. C. Bauh. pin. Muſcus coralloides 1. ſiue Muſcus maritimus, Corallina officinarum: Muſcus marinus Matth. Ang. Dodon. Cordo in Dioſcor. Lac. Turn. Caſt. H. Lugd. Cæſalp & Tabern. Corallina, Lobel. Lemnio. Fucus capillaceus, Lugd. *Eid. pin.* Muſcus coralloides 2. ſiue ſquamulis loricatus: Bryon thalaſſion, Turn. Muſcus Marinus 3. Dodon. vel 2. Eid. Belg. Muſcus candidus coralloides, Lugd. Corallina altera, Tab. Nos *nondum* diſtinguimus: præterea Bryon thalaſſion Turneri refert C. Bauhinus quoque ad Lactucam marinam.


Vires. Corallinam circumforanei in puluerem contritam in plateis venditant ad puerorum vermes necandos: ſiquidem non modò interficit lumbricos, ſed eos quoque eodem die expellit, magna ſæpè cum adſtantium admiratione, quòd quandoque viſus ſit puer, qui ex aſſumpta huius pulueris drachma, centum vermes excreuerit. Puerulis, qui nondum annum ætatis quartum attigerunt, datur drach. ſemis: adultioribus drach. j. Aduertendum autem inueteratam & exoletam non eſſe ſumendam: præterea cùm ea vti volumus, priùs in puluerem terendam, non eum quidem ſubtilem nimis, ſed craſſiuſculum, quò diutiùs in ventriculo & inteſtinis hæreat: datur puluis in vino, lacte, aut Caſſia. Cur Matthiolus in comm. meminit centum vermium, quos vidit reiectos: in hiſt. autem germ. dicit circiter

Matth. not. ſeptuaginta? An Matthiolus circumforaneorum more ſcribebat quæ veniebant in mentem, ſiue viſa, ſiue non viſa. Quæ nunc dico non ſunt vt eleuem Corallinæ vim aduerſus lumbricos, ſed vt demonſtrem quantùm in rebus dubiis credendum Matthiolo, quicquid dicant de eo gloſſatores, fautores, & alii in cognitione ſtirpium minùs verſati, quamuis in cæteris docti viri, qui extollunt Matthiolum, de eo iudicantes, vt cæci de coloribus. Is ait in Epit. ſe cum Galeno & Dioſcoride facilè concedere, poſſe quidem Muſcum marinum, qui recens fuerit, refrigerare: quod verò ſiccus id efficere poſſit, quòd guſtu ſalſo fœtatur, non ita facilè ſibi cócedendú videri.

CORALLINA FISTVLOSA fragilis duplex.


Deſcrip. DVm triúmue vnciarum numeroſos progignit *coliculos*, cinereo filo craſſiori pares, ſuperficie criſpâ ſeminum ſaccharo conditorum, aliàs læui, & veluti torno elaborata, circularibus zonis denſis præcincta, intus fiſtuloſa, decuſſatiſque cruciformium interſtitiorú cancellis diſtincta, fragilis admodum & læui digitorum attritu in arenam ſolubilis, ſapore fatuo: propagines mediante tenui breuiſſimoque filo adnectuntur. Adnaſcitur quoque eidem fungo rudiori Fucus ille Abrotoni nomine Lobelio pictus, quem nos Cremenei Iſtriorum nominamus. Gener Cherlerus collegit in mari Adriatico.

Varietas Eſt nobis alia ſubtilior multò, ac ceu pili aut



filamenta quędam cruſtulis obtecta eſſent. Intus enim veluti pilus eſt tenuiſſimus: cruſta intecta poroſa eſt, alba, in plures ramulos verniculatos diuiſa, Corallinæ in modum, ſed minimos, exiguos, delicatulos.

CORALLINÆ AFFINIS, SIVE MVSCUS marinus tenui capillo.



Deſcript. SAxis aut concharum fragmentis innaſcitur, verſi latiùs multò ſe ſpargit, propaginibus, etiam quatuor vnciarum, abunde circumfuſis, ad teretem, durum, nigricantem neruum adnatis cirrhis capillaceis mollicellis, ramoſis, colore albicante, cinereo, viridanti, vel denique nigro, ſapore Corallinæ ſalſuginoſo: Verùm licet ad tactum mollis ſit, ſub dentibus tamen Corallinæ inſtar crepitat, & neſcio quid lapidei refert.

Deſcriptio

Varietas Eſt & vt vix vncialem altitudinem ſuperet, villis itidem ramoſis, denſiſſimis. Eiuſmodi candidiſſimam Pilæ marinæ inhærentem adſeruamus, vti Pilæ eius figura docet. Hæret etiam aliquando Coralloidi flexioſiori.

An Imperato lib. 27. c. 3. Peluccio petrigno.

Synon. C. Bauh pin. Muſcus maritimus 1. ſiue Muſcus capillaceus multifido folio albidus: Muſcus marinus vulgariſſimus, Lobelii in Obſeru. pag. 648. in Icon. tom. 2. pag. 249. & Lugdun pag. 1568. Muſcus marinus 2. Dodon. [figura ſine deſcriptione.] at 1. Eid. belg. Muſcus marinus, Gerardi: Muſcus marinus 3. Tabernam. Muſcus marinus herbaceus mollior, Cæſal. Muſcus albus marinus, Imper.

Compilator Tabern. exhibet adhuc aliam picturam huius Muſci marini, primo loco, ſine quidem deſcriptione, aut diſtinctione, per quam intelligo Muſcum marinum pollicem vix excedentem, in tenuiſſimos tamen ramulos diuiſum; quod non demonſtrat icon.

CORALLINÆ AFFINIS NODVLARIA. CAP. LVI.

Descriptio. RAmulis est breuibus multifidis, coloris cineritii, concretione lapidea, fragili: sub dentibus crepitat. Cum Corallina nescio quid commune habet, nullo tamen thorulo farcta, vt sunt Coralloides frutices.

Muscus. Imperatus l.22.c.13. Nodulariam numerandam censet inter Muscos marinos. Considerandum autem an vna ex Nodulariis Imperati non conueniat cum Corallina officinarum à nobis descripta.

Corallina. Casp. Bauhin. pin. Corallina 10. siue Corallinæ affinis Nodularia, varians colore albo, pullo, puniceo. Fratri missa est hæc planta marina Neapoli nomine Nodulariæ, Fuci generis.

ANDROSACES VETERIBVS. CAP. LVII.

Locus. ANdrosaces [ἀνδρόσακες, Ald.] in maritimis Syriæ nascitur. Est verò Dioscoridi herba alba λευκή, vt in Orib. legitur. Apparet autē vel ex Plinio λευκή pro λεπτή in Dioscor. legendum: Corn. quin & Marcell. & Matth. ex aliquo fortè antiquo codice, albam vertetunt. tenuibus cirrhis amara, sine foliis (ἄφυλλος, quidā putant legendum ἄφυλλον, Matth.) folliculum habens in cacumine, qui semen continet. Ea vim habet duarum drachmarum pondere cum vino pota, vt vrinas multas in hydropicis ducat. Sed & herbæ decoctum, & semen potum, eundē præbet effectum. Illinitur etiam vtiliter podagricis. Inter notha alii Picrida, alii Leucen, & alii Thalassiam vocant.

Descriptio Diosc.

Plin. Androsaces herba est alba (inquit Plin. l.27. c.4.) amara, sine foliis, folliculos in cirrhis habens, & in his semen: nascitur in maritimis Syriæ [Istriæ, alius] maximè. Datur hydropicis drachmis duabus tusa aut decocta in aqua, vel aceto, vel vino. Vehementer enim vrinas ciet. Datur & podagricis, illiniturque. Idem effectus est & semini.

Galen. Galeno 6. simpl. Androsaces humida [ὑγρὰ Paulus πικρά, & ita quoque Dioscor. & Plinius, Corn.] & acris herba est. Potest autem siccata & pota, tum ipsa, tum semen eius, vrinas abundè mouere, & discutere nimium, ac siccare.

Etymon. Androsaces autem dicitur, quòd hydropicorū aquas ducat: Vel, Hydrosaces, quia non nisi in aquis crescat. Non desunt qui eam plantam, quam nos Cuscutam nominamus, Androsacen esse, affirmant. Sed falsam eorum esse opinioné, nemo non videt. Alii hoc nomine nuncupant Tragum Gesneri. Androsacem alteram, Matth. Alsinen. Androsacen Matth.

ANDROSACES MATT. SIVE FVNGVS petræus marinus, siue Vmbilicus marinus. CAP. LVIII.

Descript. VItam agit sub aquis, concharum striatarum gibbis, scopulisue innascens: staminibus fili instar tenuibus, vncialibus & sescuncialibus, quorum singulorum extremum excipit vmbilicus clypeoli circinatæ rotunditatis, lineolis à centro creberrimis productis striati: color cinereus: sapor salsuginosus.

Plantæ hoc genus inuentum in Hetruriæ maritimis, Matthiolo misit Pisis Lucas Ghinus, qui si Androsacen statuisset, & Androsaces in Italia nasceretur, Matthiolus ex eo non dissentiendum putaret, quòd, præter alias notas, hæc planta tota candida spectetur, vt Oribasius ex Dioscoride transcripsit. Sed à pluribus iam annis plantam Gesnero, clarissimo præceptori, misimus, addidimusque Matthiolum multùm titubare, stirpemque hanc Dioscoridis Androsaces descriptioni non respondere, sed potiùs Fungum esse aliquē, conchis & lapidibus adnascentē: nec maritimā esse, sed marinam: non amaram, sed nonnihil salsam, nec acrimoniam habere manifestam: Galenum autem dicere acrem. Mordacitatem præterea non sentiri: licèt sint qui mordaci sapore eam participare dicant. Denique semina non proferre, quæ requiruntur à Dioscoride & Plinio.

Fungus marinus minimus, inquit Cæsalpinus, inter fungos lapillis innascitur, intra aquam: ei sapor inest salsus & mordens. Videretur Androsaces esse apud Dioscoridem, si eius pileoli semen continerent. Fungus marinus Cæsalp.


Camer. ad Epit. & hist. germ. Matthioli figuram proponit in qua Androsaces supra rupes & conchas pingitur, ac etiam, vt mihi videtur, ea species quæ minoribus est capitulis. Icon Camer.

Synon. C.Bauh. C.Bauh. phyt. apud Matthiol. & pin. Androsaces duas species tradit. Ei dicitur Androsaces petræ innascens, vel maior: Androsaces, Matth. Icon. Cast. & H.Lugd. p.1362. Musci marini genus, Guill. II. Androsaces chamæ conchæ innascens, vel minor: Androsaces, Cotyledon foliosum marinum Lob. in Adu. & Ic. pag. 587. Androsaces, Eid. in Obs. pag. 210. & Lugd. (cui & Vmbilicus marinus Monspeliensium) & Camer. Epit. qui vtramque vna figura exhibet. Fungus marinus minimus, Cæs. Androsace cōmuniter conchæ, rariùs petræ innascens, in stagnis circa Magalonam & Frontignanum. Non statuimus nos cum Casp. Bauh. in eo discrimen, quòd petræ, vel conchæ innascuntur: Fungus enim latiori capitulo, qualis à Matthiolo pingitur, æquè supra petram, ac supra concham prouenit. Præterea stagnis innatanté nō obseruauimus. C.Bauh.

Locus. Cæterùm, crescit & viuit in aqua, non in aere, vt Matthiolum pinxisse scribit Lobelius.

Idem ventrem sistere nouit, vt hic scrupulus Anguill. eximatur, nec experi, vt aluum soluat.

FVNGVS SIVE MVSCVS PETROSVS. CAP. LIX.




Descript. IMperatus h. nat. lib.27. cap. 8. author est plantam hic depictam Muscum petrosum (Itali Musco petroso) à quibusdam nuncupari, & ab aliis Alcyoniū quintum Dioscoridis statui.

Casp. Bauh. pin. facit Alcyonium II. & Fungum auricularem, Cæsalpini: Muscū saxatilem, Imperati.


FVNG

FVNGI LAPIDEI.
CAP. LX.





VT in terra, sic etiã in mari Fungi naſcuntur: at hi non molles, ſed lapideâ duritie prædi-ti, quorum genera, partim in Indico mari partim in Nilo eruta ſunt, vt Cluſio referebat ciuis quidam Amſterodamenſis, apud quem eos anno 1600. conſpiciebat.

E maioribus porrò qui è mari eruti, nullum exprimendum curabat, quia nulla apparebãt pediculi, qui eos ſuſtinuiſſet, ueſtigia. Sed quem ciuis ille dicebat in flumine Nilo natum, duntaxat tamen maiorem, quia integer, & alium præterea minorem & magis cõtractum, exprimi curabat, & maioris quidem pronã & ſupinã partem, in prima & ſecunda tabella, quæ hic appoſitæ; minorem, in tertia.




Fungus lapideus in Nilo natus





In Nilo natus, decem vnciarum habebat circumferentiam, eius diameter tres vnciæ cum ſemiſſe: totus autem ſaxeus erat & candicans, supernâ parte, ab vmbilico ad circumferentiam multis profũdis ſtriis, obliquè quodammodò excurrentibus ornatus, inferna autem, minùs elatis ſtriis, iiſque aſperis & quodammodò echinatis, erat præditus, quæ à circumferentia ad pediculum productæ deſinebãt, quâ videlicet parte magis fuſcus erat; pediculus eius breuis & craſſiuſculus, qui à ſcopulo aut petra abruptus videbatur.

Minoris, qui compreſſus, floris formam quodammodò exprimebat, circumferentia & ambitus [qui valde ſinuoſus,] ſex vnciarum erat diameter, in longitudine duarum cum ſemiſſe, in latitudine autem, vnius aut paulò plùs, & quia in floris quodammodò formam aſſurgebat, altitudo pæne duarum vnciarum erat, ab extremo orbe deſcendendo ſenſim gracileſcens: pediculum habebat breuem & craſſiuſculum: ſtriæ quæ externâ parte à pediculo ad circumferentiam excurrebant valdè conſpicuæ: quæ autem in parte interna, profundiores & magis conſpicuæ, ſimul etiam in medio coëuntes, quemadmodum ex icone in vltima tabella expreſſa conſpicere licet.

C. Bauh. pin. Fungus lapideus 1. vel maior in Nilo natus: Fungus ſaxeus Nili maior Cluſii Exot. lib. 6. cap. 10. Eid. Fungus lapideus 2. ſiue minor. Fũgus ſaxeus minor, Eiuſdem ibidem.

LICHEN MARINVS.
CAP. LXI.



LIchenis marini à Lobelio in Ic. Plant. pag. 247. tom. 2. inſcripti delineationem lege in Lob. Teut. tom. 2. p. 283.

FVCI FVNGIFORMES.
CAP. LXII.

FVci *fungolari* dicti Imperato, ſunt de numero foliorum marinorum, folio quaſi circino orbiculato, non ſine impreſſis lineamentis, itidem in orbem contortis. Adhærent rebus quibus innaſcuntur ea parte quæ in vicem eſt centri. Accedunt colore & figura ad Fungos quoſdã qui ſupra arbores creſcũt. Maiores redditi finduntur ſecundum lineas, quæ ab ambitu vergunt ad centrum. In hoc genere altera ſpecies, quę maior eſt, acquirit ſpithamæ longitudinem ſiue altitudinem, atque in aqua prouenit, minutulis nixa pedicellis. Hæc in ambitu foliorum criſpatur. Minor verò duas vncias vix excedit, & plana eſt: & ſæpè alterum folium ſtat ſupra alterum, color vt plurimùm ſpadiceus eſt.

C. Bauh. pin. Fucus ſubrotundus 4. ſiue Fungis affinis: Fucus fungularis maior & minor, Imper.

cocto veteres sinus agglutinat. Vetus Spongia inutilis est. Sed & ii filo diligenter & ipsæ aridæ velut linamenta indantur, conclusa vlcera & callos disparant. Si verò siccæ, recentes, & inanes imponantur, fluida, cuniculosa, & diuturna vlcera resiccant. Cohibent & sanguinis eruptionem cum aceto. Vstæ eædem ad lippitudines faciunt, & vbi quid extergere opus est. Verùm ad ocularia medicamenta meliùs faciunt lotæ. At cum pice vstæ ad sanguinis eruptionem conueniunt. Dealbantur tenerrimæ ex ipsis, in ardoribus Solis, spuma salis in petris cõsistente madefactæ & insolatæ: quod dum fit, caua ipsarum pars sursum spectet, deorsum verò quà resectæ sunt. Si verò fuerit serenitas æstiua, etiam sub lunam exponuntur, & spuma salis, aut aqua marina, asperguntur, & tales albissimæ fiunt, authore Dioscoride.

Plinius. Spongiarum genera diximus [inquit Plinius lib. 31. cap. 11.] in naturis aquatilium marinorum. Quidam eas ita distinguunt. Alias ex his mares [Lugdunenses, duriores & fistulis minoribus pertusas, mares vocant: molliores autem, laxiores, & amplioribus cauernis fistulosas fœminas. Dal.] existimauere, tenui fistula, spissioresque, persorbentes; & quæ tinguntur in deliciis, aliquando & purpura: alias fœminas maioribus fistulis, ac perpetuis, è maribus duriores alias, quas appellant Tragos, tenuissimis fistulis atque densissimis. *Mares & fœminæ.* Candidæ curà fiunt, è nouissimis recentes per Æstatem tinctæ salis spuma, ad Lunam & pruinas (rores potiùs. Nam Æstate nulla pruina fit) sternuntur inuersæ, hac qua parte adhæsere: vt candorem bibant. *Plin. corrig.* Animal esse docuimus, etiam cruore inhærente. Aliqui narrant & auditu regi eas [Plutarchus Spongias ab animali, simili araneo, regi scribit] contrahique ad sonum, exprimentes abundantiam humoris, nec auelli petris posse, ideò abscindi, ac saniem emittere. Quin & eas quæ ab Aquilone sunt genitæ, præferunt cæteris. Nec vsquam [in aliis maris locis, quàm Aquiloniis.] diutiùs durare spiritum [natiuum, quem è mari natalibusque suis conceptum, & fistulis abditum celant: Medici affirmant. Sic & prodesse corporibus, quia nostro suum misceant, & ideò magis recentes, magisque humidas: sed minùs in calida aqua [salsuginem citiùs diluit, quàm frigida.] minusque vnctas (Oleosa enim ac pinguia salsuginis vim obtundunt) aut vnctis corporibus impositas: & spissas minùs adhærescere. *Vires* Mollissimum genus earum penicilli [Achillæas Aristoteles vocat lib. 9.] oculorum tumores leuant ex mulso impositi. *Vsus Spong.* Iidem abstergendæ lippitudini vtilissimi: eosque tenuissimos & mollissimos esse oportet. Imponuntur Spongiæ ipsæ epiphoris ex posca: ex aceto calido ad capitis dolores. De cætero recentes discutiunt, molliunt, mitigant. Veteres conglutinant vulnera. Vsus earum ad abstergenda (non tantùm membra corporis, sed alia quæuis, vt mensas ἀπὸ θέρινος σπογγίαις, Homero: fouenda, operienda à foru dum aliud imponatur. Hulcera quoque humida & senilia impositæ siccant: fracturæ & vulnera Spongiis vtilissimè fouentur. Et ipsæ vulnerum inflammationibus imponuntur nunc siccæ, nunc ex aceto inspersæ, nunc è vino, nunc ex aqua frigida. Ex aqua verò cœlesti impositæ, secta recentia non patiuntur intumescere. Imponuntur & integris partibus, sed fluctuatione occultâ laborantibus, quæ discutienda sit, vt iis quæ apostemata vocantur, melle decocto perunctis. Item articulis alias aceto salso madidæ, aliàs è posca. Si ferueat impetus, ex aqua. Eædem & callo salsa madidæ: at contra scorpionum ictus ex aceto. In vulnerum curatione, & succidæ lanæ vicem implent, nunc ex vino & oleo, nunc ex eadem. Differentia hæc, quod lanæ emolliunt, spongiæ coërcent, rapiuntque vitia, [prauos succos, sordes, excrementa, saniem] vlcerum. Circumligantur & hydropicis siccæ, vel ex aqua tepida poscáue, vtcunque blandioribus opus est, operiue aut siccari cutem. Imponuntur & his morbis, quos vaporari oporteat, feruenti aqua perfusæ, expressæque inter duas tabulas. Sic & impositæ stomacho prosunt, & in febri contra nimios ardores. Sed spleneticis è posca, ignibus sacris ex aceto, efficaciores quàm aliud. Imponi oportet sic, vt sanas quoque partes spatiosè operiant. Sanguinis profluuium sistunt ex aceto, aut frigida. Liuorem ab ictu recentem, ex aqua salsa calida sæpiùs mutata tollunt, testiũ tumorem, caloremque ex posca. Ad canum morsus vtiliter concisæ imponuntur ex aceto, aut frigida, aut melle, abundè subinde humectatæ. Africanæ (quæ generatur in Syrtibus) cinis cum Porri sectiui succo sanguinem reiicientibus haustu salis ex frigida prodest. Idem cinis vel cum oleo, vel aceto fronti illitus, tertianas tollit. Priuatim Africanæ ex posca tumorem discutiunt. Omnium autem cinis cum pice crematarum, sanguinem sistit vulnerum. Aliqui raras tantùm, ad hoc cum pice vrunt. Et oculorum causa comburuntur in cruda olla figulini operis, plurimùm proficiente & cinere contra scabritias genarum, excrescentesque carnes, & quicquid opus sit ibi distringere, spissare, explere. Præstant & strigilum vicem linteolorumque affectis corporibus, & contra Solem aptè protegunt capita. Medici inscitiâ ad duo nomina eas redegêre: Africanas, quarum firmius sit robur, Rhodiacasque ad fouẽdum molliores. Nunc autem mollissimæ circa muros Antiphelli vrbis reperiuntur. Trogus author est circa Lyciam penicillos mollissimos nasci in alto, vnde ablatæ sint Spongiæ. Polybius super ægrum suspensos quietiores facere noctes.

Spongia vsta Galeno acris est & digerentis potentiæ. Spongia noua, non sicut lana, aut linamentum, materia duntaxat, est quæ humores irrigandos excipiat, sed etiam manifestè desiccat. Quare vulnera glutinat, si aqua, aut oxycrato, aut vino admoueatur imbuta: à qua sanè, quæ antiqua est, longo spatio relinquitur.

Subdit Quercetanus antiquos calculi remediũ docuisse, ex Spongia calcinata, & in cineres adusta. Item, plerosque recentiores Medicos eisdem Spongiæ cineribus vti ex vino albo propinatis in cura broncoceles, toto vnius Lunæ curriculo, certissima experientia.

SPONGIÆ LAPIS.

Cap. LXV.

Lapides, qui in Spongiis reperiuntur, cum vino poti, calculos in vesica frangere ac comminuere prodidit Dioscorides. *Descriptio* Spongiæ lapides inueniri in Spongiis & esse natiuos testatur Plinius. Quidam eos Cystolithos vocant quoniam vesicæ medeantur. Horum vires tes


res retulit Galenus l.9. simpl. medic. his verbis: Lapides qui reperiuntur in spongiis, frangendi vim obtinent, non tamen ita validam, vt lapidem in vesica comminuant, vnde qui id scriptum reliquerunt, mentiti sunt, verùm eos qui in renibus consistunt, rumpunt: &c.

H. L. not.

SPONGIA INFVNDIBVLVM IMITATA. CAP. LXVII.

Elegans hoc spongiæ genus, quod doctiss. & humaniss. Vir Dauid Sinapius adseruabat anno reparatæ salutis humanæ 1600. ac cuius etiam formam Clusii rogatu ipse delineari curabat, & ad eum mittebat, inhærebat adhuc suo saxo, eique durissimo & nigro, quod duodecim libras pēdebat.

Descript.



Synon. Casp. Bauh. pin. Spongia 9. siue formâ infundibuli: Spongia elegans, Clus. Exot. l. 6. c. 11.

SPONGIÆ VELARES. CAP. LXVIII.

Velares Spongias cum Imperato dicimus, quarum textura rara est. Nam ablata mucagine, quæ fibrarum vacua replet spatia, restat tantùm quiddam lanuginosum filamenti instar, aut capillorum simul ligatorum. Harum ergo vsus non est qualis spongiarum.

Descriptio

Est & huius species quædam cuius processus auium pedes quodammodò repræsentat, quarum superficies asperitatibus eminentibus oblita.

Etiamnum alia huius caudæ auis similis, cuius fibræ ab ortu ad extrema vsque extenduntur.

Alia quæ cornu cerui figuram æmulatur: nam è radice assurgens in ramos vna tantùm parte, siue altero tantùm latere, diuiditur. Huius substantia similis est laxo alicui nec condensato filtro.

C. Bauh. pin. Spongia 5. siue velaris Imperati.

SPONGIA RAMOSA CAP. LXIX.

Spōgia arbor.

Ferd. Imperatus l. 17 c. 7. p. 730. vocat Spongiam ligneam arboream: Et p. 718. Fungos spongiales dictos *Tufh*. Hæc arbusculæ in modum à trunco in ramos diuiditur: virgulta filtro duro similia, fissilia, à radice ad extrema vsque densâ spongiositate, floribus Typhæ [Tufæ] plantæ palustris simili, vestita. Huius materia facilè relaxatur, atque compressa, facilè in pristinum redit statum; qua in re à spongiarum natura degenerat. Ramorum diuisura ferè est qualis digitorum palmæ humanæ. Sunt & aliæ in rotunditatē collectæ, & ad Pini figuram quodammodò accedentes.

C. Bauh. pin. Spongia 6. siue ramosa.

DE ALCYONIO VETERVM ET Neotericorum sententiæ. CAP. LXX.

Alcyonii, inquit Dioscor. quinque esse genera compertum est. *Vnum* enim Spissum, acerbi saporis, spongiosa facie: item tetri odoris, ponderosum, & piscem olens, quod plurimū in littoribus inuenitur. *Alterum* oculorum pterygio aut spongiæ simile, leue & multicauum, odore ferè Algæ. *Tertium* vermiculi forma & colore penè purpureum est. *Quartum* succidis velleribus nō dissimile, multis inanitatibus hians ac leue. *Quintum* figura Fungi, inodorum, & intus quidem asperum, quodammodò pumicosū, foris verò læue, acre: quod plurimum in Proponti de circa insulam Besbycum appellatam, gignitur patrio nomine Halos achnen, quasi maris spumam aut lanuginem, vocat. *Duo quidem* priora in smegmata fœminarū assumuntur, contra lentigines, lichenas, lepras, vitiligines, nigritias & maculas in facie, reliquoque corpore. Tertium verò, iis qui difficili vrina vexantur, aut arenulas in vesica colligunt, idoneum est: itémque nephriticis, & ad hydropem lienisque vitia. Vstum autem & ex vino illitum, alopecias replet. Postremum ad albicandos dentes aptum est: assumitur & in alia smegmata, psilothráque, cum sale mistum. Quod si quis aliquod ex hisce Alcyonii generibus cremare voluerit, addito sale in crudam ollam mittat, lutoque oblito eius spiraculo, fornaci mandet: & cùm figlinum percoctum assatúmue fuerit, extrahat, & ad vsus recondat. Cæterùm lauatur vti Cadmia.

Genera quinque Diosc.

Alcyonium, vt Plinius est autor l. 32. cap. 8. fit in mari, ex nidis vt aliqui existimant, alcyonum & Ceicum: alii ex sordibus spumarum crassescentibus: alii è limo vel quadam maris lanugine. Quatuor eius genera Cineteum, spissum odoris asperi: Alterum molle, leniusr odore ferè Algæ. Tertium candidioris vermiculi. Quartum pumicosius, spongiæ putri simile, penè purpureū, quod optimum, hoc & Milesium vocatur. Quò autem candidius, hoc minùs probabile est. *Hac Plinius*: Qui tamen, inquit Matthiolus, Quintum fungi figura, cuius meminere Dioscorides & Galenus, in his Dioscoridem secutus, silentio prÿterierit.

Si Amatus Alcyonia nouit, cur non descripsit? Vocat Halcyonium Hisp. *Spuma della mar*, Gall. *Escume de mer, Merde de Cormarin*, Ital. *Alcionio*. Arab. *Zebd-lbar*, Germ. Meerschwam. Cæsalpino verò vt Diosc. & Galeno quinque sunt Alcyonia.

ALCIONIVM SPONGIOSVM officinarum. CAP. LXXI.

Alcyonii huius frustū adseruamus quod & idē in officinis prostat. Duos pugnos crassitudine amplitudineque facilè æquat: Substantia quā superficie tenus velut cortice obtectum est, albicat, aliàs cinerea est, nonnunquam pulla, pro temporis, vt arbitror, ratione, crustosa

Descript.




stosa, tota punctis canis notata, cauernis pluribus inæqualis. Interior facies Spongiæ similis est, sed firmior, colore pullo, tota porosa. Nam acicula vel modico pressu facilè penetrat. Pondus, pumicis lapidis non adæquat: odor & sapor salsuginosus. Est & nobis frustum ex quo Alga angustifolia protulit, eique ceu terræ inhærescit. In nostra icone demonstrantur radices & capillamenta Algæ.

C.B. not. C.Bauh.pin. Alcyonium 1.siue durum, aut 1. Dioscoridis Imperati: exhibet frater apud Matthiolum figuram Tabernamontani sed non indicat an eius meminerit Matthiolus, vel sub quo numero tradat.

ALCYONIVM STVPPOSVM IMPERATI.

CAP. LXXII.



Descript. STuppis in glomerem conuolutis substantia interiori quodammodò simile est, ad tactum molle. Inuolucro tenus Alcyonio duro aliquantulùm simile, concauo, calycis formam imitante. Ex cuius concauo odor expirat piscosus. Et germina interdum protrudit, sicut de molli dictum.

Synon.

ALCYONIVM TVBEROSVM.

CAP. LXXIII.

Descript. TVberosum est hoc Alcyonium, pediculo latiusculo, firmo, superficie tenus punctato: substantia interior fibrosa, fibris directè è corticis cauitate porrectis, & circa media iunctis, & quasi in vnum conuolutis. Totum candidum est, & plurimùm Algæ radicibus adhærens, figurâ tuberosâ inæquali, magnitudine interdù quantùm vix ambobus brachiis amplecti liceat.



Synon. Fer. Imper. authori dicitur Alcyonium tuberosum, forma Ficûs, Alcyonium 5. Dioscoridis. C.Bauhin. pin. Alcyonium 7. siue forma fructus alicuius Ficûs.

ALCYONIVM MOLLE IMPERATI.

CAP. LXXIV.




Descript. HVius materia Spôgiæ similis est, ad tactum cedens: cortice obtectum est è quo alia germina exeunt Iuncorum specie, crassitudine calami anserini, concaua: inter quæ textura quædam tessellata prætenui filo, raroque velamento obducta conspicitur.

Synon. Imper. Alcyonium molle, Alcyonium 4. Dioscoridis. Casp.Bauhin.pin. Alcyonium 4.

ARANTIVM MARINVM.

CAP. LXXV.

Descriptio. ARantium marinum Imperati, colore est viridi, figurâ Arantii instar rotunda: quod tamen motu quodam adapertum denuò clauditur, quasi sensu quodam & virtute contractrice, quod animalium proprium videtur, sit præditum. Et hæc de Arantio marino Imperati, quod idem suspicamur cum Granato malo Aldroandi. Hæc tamen separat Casp.Bauhin. in pin.cap.de Vrtica marina, collocans Arantia marina nono loco, Malum verò granatum Aldroandi, decimo.



perperam in arboribus in Insulis Hebridibus nasci credere. Mari enim illis interiecto magis eorum procreandi vim quandam inesse, quàm alicui alii rei credit.


Britannica concha Anatifera credita, subdit Lobel. facit specimen naturæ quippiam boni vel à sordibus meditantis, vt iam multa lubeat credere, quæ alioqui risissem apud rerum Septentrionalium Historicos, quanquam paulò secus hi narrant, duntaxat in Scotia aut Orcadib. maris Caledonii Arctici, olim à Romana classe deuictis, compertum. Nos verò non solùm ex Scotia, sed etiam ad Tamesim amnem, quà Londinũ præterfluit, primùm conchas pediculo rugoso crassiore è è nauis annosę carina auulsas, habuimus. Deinde Medio-castri &c.


Has conchas contrà Rondel. in Northmannia & Britannia oriri asserit, nec aues generari ex his tradit, sed pro Balani specie exhibet atque describit: addens homines & mulieres alia fastidientes cibaria, hoc edulii genere delectari, atque elixatis in aqua, disruptisque, internam carnem ex aceto edere.

Hanc etiam communem vulgi receptam sententiã meritò refutat Columna, dicens has Conchas anatiferas putatas nihil aliud esse quàm glãdes marinas descriptas à Rondeletio. Dum Conchas hasce, ait, ex quibus anates oriri falsò asseritur, minimè vidissem, atque apud Lobel. quique eum secuti sunt, conspicerem in maris rupibus arborem esse, quæ fructus hos Amygdalæ pares formâ, atque magnitudine, ederet: mentem sæpenumerò cogitatio huius rei perturbabat meam: neque credere poteram, etsi aliquando animum ad credendum inclinabam, ratione hac motus, quia scripta hæc erant à doctissimo Medico, atque demum ab aliis recepta: at quidem iterum reiiciebatur à sensu hæc imaginatio fortiore argumento, quia arbor fructus edens depicta exhibebatur, atque ab eodem Medico, iidem fructus Concharum nomine donati erãt, quas è nauis annosæ carina auulsas se habere testatur: quæ quidem inter se contraria, atque impossibilia censentur, &c.

De his apud Lobelium, Columnam & alios ex ipsis fontibus plura petat lector, nos necessariis insistentes, hic subsistimus.

FINIS LIBRI TRIGESSIMI NONI.





HISTORIÆ VNIVERSALIS PLANTARVM
LIBER XL.

EXCREMENTA TERRÆ, VT FVNGI ET TVBERA.

TAndem vela contrahentes & receptui canentes, adeoque portum captantes, sic in reditu nihilominus memores, Fungos contemplemur, & Boletos ac tubera ex ipsis etiam terræ visceribus eruamus. Adeò ad summa, vel potiùs infima, naturæ herbariæ per suprà scriptos ordines ventum est, vbi tamen etiamnum suâ sponte occurrit immensum potentiæ occultæ documentum, vt prorsus nec aliud vltra quæri debeat, nec par, aut simile possit inueniri, ipsâ se vincente naturâ, dum absque semine Fungos, absque radice Boletos & Tubera, progenerat. Ideò excrementa terræ Sapientes appellare non dubitarunt. Et tamen hæc præcipua est ventris insania. Omnia namque quæ vsque ad hoc volumen tractauimus, hominum causâ genita videri possunt. At in portentis, si, non contentam eorum voracitate frugum, fructuum, herbarumque multarum donis, ut & Fungos & Boletos, & Stillas, terræ excrementa, sed gulæ nouissima irritamenta, sibi progenita sciret. Verum hæc & magnâ satagentia quærimus, nullâ aliâ quàm deliciarum causâ, quas transcendisse quoque mirum sit. Nam qui sciat sibi hoc lateare venenum, hocque pro deliciis interdum sumptum, habeat quod vtique cogitet, reputetque secum, qualia sint horum pretia, quæ vita fugere potiùs, quàm quærere debeat.

DE FVNGIS ET BOLETIS IN GENERE.

CAP. I.



FVngorum, inquit Theophrastus, pediculus æqualitatem quandam peculiarem sortitus est: radice carent: e radicibus & iuxta radices Roborum erumpunt. Apud mare rubrum cùm aquæ plures incesserint, iuxta mare quodam in loco Sole tacti, in lapides commutantur.

Dioscoridi Fungorum differentia duplex est, aut enim in cibi vsum veniunt, aut venenosi sunt. Tales autem multis de causis fiunt. Aut enim iuxta clauos rubiginosos, aut panniculos putridos, aut reptilium bestiarum latibula, aut arbores quæ priuatim noxios ferunt fructus, nascuntur. Habent tales etiam crustam glutinosam, & posteaquam decerpti sunt, repositi facilè putrescentes corrumpuntur. Qui verò tales non sunt, cocti ac conditi suaues sunt. Et tamen etiam hi largiùs sumpti lædunt, vt qui ægrè concoquuntur, strangulant, & bilis sursum ac deorsum eruptionem inducunt. Ita vt Fungi partim genere, partim copiâ lædant. Idem lib. 1. cap. de Populo scribit quosdam tradere Populi albæ & nigræ corticem in tenuia frusta concisum & in puluinos stercoratios seminatum, in omni anni tempore Fungos edules producere. De Populi Fungis, vide postea cap. de Fungis pluribus simul albis ad arborum radices esculentis.

De Fungis Galenus sparsim hæc prodit. Fungus [inquit 8. simpl. frigida, humidaque admodum planta est. Quamobrem etiam proximè ad deleteriam, enecantemve facultatem accedit: & sanè inter eos sunt, qui interficiant, potissimùm qui ex natura istam habent qualitatem putredinosam. Rursus aliment. 2. Inter Fungos Boleti, si bellè in aqua fuerint elixi, propè accedant ad cibos insipidos. Non tamen sic solis ipsis vulgò vtuntur, sed apparant variè & condiunt, vt alia omnia, quæ nullâ insigni qualitate sunt prædita: Alimentum autem ex ipsis est perniciosum, frigidum videlicet, prauique succi, si quis ipsis largiùs vtatur. Omnium igitur Fungorum minimùm sunt noxii. Secundi autem post hos sunt Amanitæ. Reliquos verò tutius est omninò ne attingere quidem: multi enim ex ipsorum esu intereunt. Equidem noui quemdam, qui post Boletorum non satis elixorum (qui innocentissimi putantur) vsum largiorem, ægrè seruari potuit. *Temper. ex Galeno.* *Delectus.*

Inter ea quæ temerè manduntur, Boletos

meritò reposuerim (inquit Plin. lib. 22. cap. 22.) optimi quidem hos cibi, sed immenso exemplo in crimen adductos, veneno [Hoc euentu Nero Boletos appellat βρῶμα θεῶν, Suet.] Tiberio Claudio principi per hanc occasionem à coniuge Agrippina dato, quo facto illa terris venenum alterum, sibique ante omnes, Neronem suum dedit. Quorundam ex his facilè noscuntur venena, diluto rubore, rancido aspectu, liuido intus colore, rimosâ striâ, pallido per ambitum labro. Non sunt hæc in quibusdam, siccique & nitri similes veluti guttas in vertice albas ex tunica sua gerunt. Voluam enim terra ob hoc priùs gignit, ipsum postea in volua, ceu in ouo luteum. Nec tunicę minor gratia in cibo infantis Boleti. Rumpitur hæc primò nascente, mox in pediculo corpus absumitur, raroque vnquam geminis ex vno pede. Origo prima causaque è limo, & acescente succo madentis terræ, aut radicis ferè glandiferæ: initioque spuma lentior, dein corpus membranæ simile, mox partus. Illa pernicialia, prorsus improbanda. Si enim Caligiris clauus ferrive aliqua rubigo, aut panni marcor affuerit nascenti, omnem illicò succum alienum saporemque in venenum concoquit: deprehendisseque non nisi agrestes possunt, atque qui colligunt. Dicunt ipsi alia vitio, nunc quidem si serpentis cauerna iuxta fuerit, si patescentes primò adhalauerit, capaci venenorum cognatione ad virus accipiendum. Itaque caueri conueniet, priùs quàm se condant serpentes. Signa erunt tot herbæ, tot arbores fruticesue, ab emersu earum ad latebram vsque vernantes: & vel Fraxini tantùm folia: nec postea nascentia, nec antè decidentia. Et Boletis quidem ortus occasusque omnis intra dies septem est.

Fungorum genera. *Fungorum autem* lentior (natura) subdit cap 23. & numerosa genera, sed origo non nisi ex pituita arborum. Tutissimi qui rubent callo, minùs diluto rubore, quàm *Boleti*. *Mox* candidi, velut apice Flaminis [Sic albogalerum & pileum Flaminis vocat, cuius effigies in multis vetustis spectatur, præcipuè Iulij Cæsaris] insignibus pediculis. *Tertium* genus suilli, venenis accommodatissimum. Familias nuper interemere, & tota conuiuia, Annæum Serenum præfectum Neronis vigilum, & tribunos & centuriones. Quæ voluptas tanta ancipitis cibi? Quidam discreuere arborum generibus, Fico, Ferula, & Gummi ferentibus: nos item Fago, aut Robore, aut Cupresso. Sed ista quis spondet in venalibus? Omnium colos liuidus. His aberit veneni argumentum, quò similior fuerit arborum Fici. Aduersus hæc diximus remedia, dicemusque: interim sunt aliqua & in his. Glaucias stomacho vtiles putat Boletos. Siccantur pendentes Suilli, Iunco transfixi, quales è Bithynia veniunt. *Exsiccatur suilli.* Hi fluxionibus alui, quas rheumatismos vocant, medentur, excrescentibusque in sede carnibus: minuunt enim eas, & tempore absumunt. Item lentigines & mulierum vitia in facie. Lauantur etiam vt plumbum, in oculorum medicamenta. Sordidis vlceribus, capitis eruptionibus, vt & canum morsibus ex aqua illinuntur. Libet & coquendi dare aliquas communes in omni genere obseruationes, quando ipsæ suis manibus deliciæ præparant hunc cibum solùm, & cogitatione antè pascuntur, succineis nouaculis, aut argenteo apparatu comitante. Noxii erunt Fungi, qui in coquendo duriores fient, innocentiores qui Nitro addito coquentur, si vtique percoquantur. Tutiores fient cum carne cocti, aut cum pediculo pyri. Prosunt & pyra confestim sumpta. Debellat eos aceti natura, contraria iis. Imbribus proueniunt omnia hæc. Et quidem Boletos, suillosque, gulæ nouissima irritamenta circa radices gignit Quercus probatissimos (vt idem ait lib. 16. cap. 8.) Robur autem, & Cupressus, & Pinus, noxios.

Boleto periisse Claudium Imperatorem sequentibus demonstrat Iuuenalis, Satyra 5. *Boleto periit Claudius Imper.*

Vilibus ancipites Fungi ponuntur amicis,
Boletus domino: sed qualem Claudius edit
Ante illum vxoris, post quem nil amplius edit.

Item Satyra 6.

——minùs ergo nocens erit Agrippinæ
Boletus, siquidem vnius præcordia pressit
Ille senis, tremulumque caput descendere iussit
In cælum.

Martialis

Argentum atque aurum facile est, lanamque, togamque
Mittere, Boletos mittere difficile est.

Horat. satyr. 4 lib. 2. Sermon.

——Pratensibus optima Fungis
Natura est, aliis male creditur.

Extat iocus Plauti, alludentis ad Fungum maximum vbi seruus quidam vocatur pileatus Fungus:

Pol hic quidem fungino genere est, capite se totum operit:

Idem in Bacchidibus Fungum reddit, hominem stupidum, stolidum, inconsideratum.

Adeóne me fuisse Fungum, vt qui illi crederem?

Et aliquantò pòst.

Tanti est, quanti est Fungus putidus.

Fungi cortice, medullâ, neruo, venâ carent, pediculo admodum æquali: quanquam qui ex iis Pezicæ à Græcis vocantur, nec pediculum, nec radicem habeant. *Fungorum differentia Hermolao.*

Fungos, inquit Hermolaus, Græci *Myceas* vocant, nec distinguunt: quanquam Paulus etiam Boletos cognouit, *Bolitas* appellando, quibus & principatum inter Fungos dedit, sicut secundum locum iis, qui *Amanitæ* nominantur. Sunt & *Egiritæ*, sed industriâ, fermento in ipsis Populi nigræ truncis diluto, aqua protinùs coalescentes. Fungos Græci Deorum cibo nasci dictitant, vt Tranquillus in Nerone meminit. Porphyrius non cibum, sed filios Deorum, Fungos & Tubera vocabat, quia prouenire viderentur sine semine: Natâ fortè diuersitate, quòd verbum θεότροφος, & eum qui alit, & eum qui alitur, significat accentu modò commeante. Porrò Deorum & cibus & alumni ideò videri possunt, quoniam & eos, quorum pater ignotus est, filios terræ dicimus. *Deorum cibus.* Recentiores alia quoque nomina, vel genera dedêre: *Ouatos*, ab oui similitudine: *Spongiolos*, à spongia: *Digitellos*, à digitis: *Porriginosos*, à porrigine: Pezicas, quasi sessiles, & pediculis carentes. *Lacinia* priuatim dicuntur à Castanea, magnitudine spectabiles, vt singuli sufficiant. Innocentissimi sunt è Rubis & Carduis Vere, nati rotunditate clusili, quos inde *Prunulos* & *Spinulos* appellant, & *Carduelos*. Oritur & è saxo, id est, lapide lyncurio, siue lynceo vulgari voce dicto, Fungus, admirabili natura. Præciditur hic in esum. & alius subnascitur anno toto: pediculi pars relicta duratur in silicem, atque ita semper crescit lapis, restibili fœcunditate: nec credidi, antequã domi natos ita manducarẽ. Nouũ & hoc vita sibi comperit, inuicemq; multa perdit: quanquam est vbi Plinius hoc innuat. Sunt

& igniarii quidam Fungi, & quibus strigilium vice constrina vtitur.

Ruellii differētiæ Fung. artificiales. Tarentinus porrò author est, vt perhibet Ruellius, si caudice Populi nigræ iuxta terram conciso, fermentum aqua resolutum infundatur illicò prosilire Ægiritas Fungos: addens, si montanum aruum multis calamis, stipulis, & fruticibus scatens, cùm cœlum imbres parturit, incendatur, permultos sponte naturæ prorumpere Fungos. Si tamen aruo iam ignem experto fortè fortunâ non subsequatur, quamuis impenderet aqua, linteo raro stillatim imbris imitatione conspergendam. Iis itaque incensis locis nasci Fungos quidem, sed aliquantò deteriores: siquidem meliores in hoc genere sint, qui imbre aluntur. Gallos, Fungos *Campiones*, quòd in campis tepido imbre proueniant nominare: præferre autem in montibus inter Iuniperos, & in locis apricis enatos. Qui riguis prodeunt longo pediculo, callo corporis in turbinem mucronato, *Meruli os* à metæ figura, quasi Metulos nominant. Aliqui à neto fusorum glomere, *Fusos* malunt appellare. Ii moroso diuitum palato magis placent. Alij lætiore natura breui nituntur petiolo, clusili rotunditate insignes, diluto intus rubore, exteriùs candidi, qui cibo non improbantur, *Campestresque* nominantur. Alij in nemoribus & ex radicum pituita, calyce patulo, nigris intus aut liuentibus membranulis horrentes, qui vt noxij cibis abdicantur. Alij terræ cohærent nullo fulti pede, in globum circinati, nec vlla sui parte patentes dehiscunt, qui cùm rumpuntur, atram fuliginem eructant, toto callo in fumum abeunte: hos *Crepitus lupi* vulgus gallicum appellat: Ij nullo pacto manduntur. Alij velut succrementa quædam magnæ molis in caudicibus arborum, aut ramis tam pertinaciter hærent, vt vix auelli possint: hos *Arboreos* appellant. Sunt & igniarij quidam Fungi, quibus diutiùs laturi condiunt ignem: ijs strigilium aut deletilium Spongiarum vice constrinæ vtuntur. Fungi Etymon. Fungus, vt quidam volunt, à funere deflectitur, quòd suo veneno ad funus vescentes deducat. Græci Mycetas ab ensis capulo, vel summo vertice vaginam occludente appellarunt, à quo procidente Mycenæ nomen deduxerunt, vel ab insigni nympha cuius Homerus meminit.

Alcmene, Tero, & sertis redimita Mycene.

Differētiæ Cordo. Cordo in Diosc. Fungorum multiplex est differentia: Quidam enim, inquit, edendo sunt, quidam verò intra corpus sumpti strangulant. Germani omnes generali vocabulo Schwemme vocant. Qui autem edendo sunt, suis distinguuntur generibus. Sunt, enim quidam Piperis sapore, & lacteo liquore manant, hos Germani Pfifferling vocant. Sunt & Boleti, quos Bölz eadem gens appellat, venenati Fungi. Multa habent genera, sed omnia Poggenstül / id est, Bufonum cathedræ, siue Sellæ, Saxonibus dicuntur. Sub Betulis arboribus in candido & rufo colore varij nascuntur Fungi, quos fliegenschwem / id est, Muscarios Fungos vocant, quoniam muscas lactè intriti occidunt. Pharmacopolæ in suis officinis Fungos habent, quos ceruinos nominant. Ferunt eos in syluis ex semine ceruorum enasci, & propterea Venerem stimulare: sed falsum hoc est. Inueniuntur siquidem hi ceruini Fungi in præruptissimis montium syluis, quò ne damæ aut Rupicapræ quidem peruenire possunt, nedum cerui. Nec verisimile est eos venerem stimulare, cùm frigidum, pituitosum, crudum & malignum succum in humano corpore gignant. Quæ enim venerem accendere debent, contrarias facultates & qualitates habere necesse est.

Multa & varia Fungorum genera commemorat Tragus: quæ nos seorsim recensemus suo loco: Cæterùm neque plantæ, neque flores, neque semina sunt, inquit, sed nihil aliud quàm terræ, arborum, lignorum putridorum, aliarumque putrilaginum superfluæ humiditates, id quod inde colligi potest, quòd omnes, maximè ij, qui edendo sunt, & tonitribus & pluuioso cæli statu frequentiùs nasci solent, quemadmodum Aquinas poëta confirmat.

Et facient lentas optatâ tonitrua cænas,

Fungos Arabes teste Rhaze, *Gosia*, Fesich, & *Cantar* nominant, atque *Hatar*. Græci μυκήτας: Hebr. *Paaputn*: Germ. Schwem: omnes scilicet vno vocabulo comprehendentes, siue edendo sint, siue perniciales. Innocentissimos autem Boletos, quorum omnes ferè docti meminere, Germani Morchellen / heiderling / Rhcling / Brötling / & Pfifferling nominãt, Latini *Tubera, Amanitas*, & *Boletos*. Illa demum Fungorum genera, quæ super fimum, in tectis stramineis domorum, in putridis lignis, & ad arbores, Quercum sc. Fagum, Nucem, Betulam, Sambucum, pomiferasque denique, nec non in saxis & antiquis muris prosiliunt, recensere neminem, vel peritissimum rei herbariæ, posse arbitror. Nomina.

Tametsi duo tantùm Fungorum genera videatur recensere Dioscorides, ad Fungos duntaxat noxios & perniciales respiciens: tamen, vt ait Matthiolus, omnibus palam est plura ac diuersa eorum, quæ in cibis expetuntur, discrimina notari. Et horum quidem inter omnes Italiæ regiones feracissima est Hetruria, vbi illi Fungi cæteros antecellunt qui vulgò dicuntur *Prignoli*. Secundum verò locum apud Hetruscos tenent ij qui vulgò *Porcini* hoc est, suilli nuncupantur. Præter hæc multa alia Fungorum genera inueniuntur, vt ij qui vulgò *Prataioli, Turini, Orcelle, Cardarelle, Manine, Ordinali, Parigiole, Vescie di lupo* appellantur. Μυκήτες qui Græcis, Fungus Latinis dicitur: Arab. *Hazar* seu *Fatber*: It. *Fonghi*: German. Pfifferling & Reyoken: Hispan. *Hongos, Cogomelos*, & *Cylberquas*: Gallicè, *Champignon*, & *Patyron*. Et hæc Matthiolus obscurè de Fungis scripsit: Nec clariùs Castor Durantes. Matthioli differentiæ. Matthiol. & Castor. Denotant.


Ex Fungorum pluribus speciebus, Boletis in pratis plerumque principio Aprilis nascentibus, Amatus primas tribuit: & tamen tam hos, quàm Ananitas, reliquosve, tanquam noxios, ac prauissimi & frigidi nutrimenti, fugiendos ac rejiciendos consulit, vt à quorum esu vel rusticos etiam & agrestes homines mori viderit. Quinam autem sint eius Fungi pratenses Aprili prouenientes, non docet.

FVNGI VERNI, MOVCERON dicti, odori & esculenti.

CAP. II.

Descriptio. FVngi genus illud, quod, quia sub Musco communiter proueniat, ac sub eo latitet, *Mouceron* nostrates dicunt, magno in pretio est, mensisque lautioribus expetitum. Fungi primulùm erumpentes, *pediculis* breuibus fibras

decorsum agentibus *capitula* sustinent Piso magno æqualia: duodecuplò maiorem molem[nisi auellerentur]assecuturi. Sed pediculus ipse teres & in imo crispus vel rugosus ex terra non multùm emergit. Cæterùm clusiles sunt, rotundique in summo, subtus verò quà instar tentorij reflexi, rimosis à centro ad circumferentiam striis donati: vbi penitus excreuerunt, campestrium Fungorum instar expanduntur. Totâ verò substantiâ intus forisque candidi, gustus gratissimi, odorisque grati.



Hermolao innocentissimi sunt Fungi è Rubis & Carduis Vere nati, rotunditate clusili, quos Prunulos & Spinulos appellat & Carduelos ceu Ruellius, & Lacuna. Amato Boleti principio Aprilis in pratis nascentes. Matthiolo & Castori *Prignoli*, quos Porta villæ lib.10. cap.70. vulgò Virnos dici refert: Dalechampius verò apud Plinium lib.19. cap.3. Pezitas Plinii & Athenæi appellat.

Fungi Ver- ni Pezitæ Plinii.

Locus & Tempus

Primo Vere sub Martii finem & Aprilis initium prorumpunt locis apricis, nemoribusque inter spinas: Montbelgardi potissimùm & per comitatum Burgundicum finitimasque oras, nullo non ferè obseruauimus Vere, vnde & in Ducatum Vvirtembergicum interdum inuehuntur: latitant sub Musco, ita vt non a quolibet reperiantur, vnde dicti *Mouceron*. Rustici, & alii qui norût loca vbi crescunt, non facilè cuiquam demonstrant, propter emolumentum, quod inde hauriunt, non paruum. Fungi hi omnium optimi, qui vulgò Virni dicuntur, inquit Clusius, quòd verno tempore nascantur, primis Aprilis imbribus erumpunt, in filuis subarborum vmbris, & vbi nascuntur, quotannis repullulant. Aliquando, cæsis arboribus, è loco euanescunt: Solum in quo crescunt, cinerei est coloris.

Vsus

Vino alicubi imponuntur, vt gratum concilient odorem ac saporem, & ex eo eduntur.

FVNGI D. GEORGII, COLORIS EXALBIDI cum pauca flauitie, esculenti, pratenses.


CAP. III.


Descript.

PArua Fungi species est, duarum vnciarum amplitudinem vix æquans, orbiculari ferè formâ, supernè quidem aliquantulùm extuberante, & quodammodò puluinatâ: internè verò concamerata, & quibusdam veluti venis distincta, pediculo crasso breuique, coloris exalbidi, cui flaui quippiam admistum sit.

Synon.

Clusio est Fungorum esculentorum tertium genus, quod Vngari Szent Gyewrgi gambaia/ Germani Sant Georg schwammen appellant, quia circa diem D. Georgio sacrum inuenitur. Fortè Fungus optimus Horatio.





Locus.


Fungus 4. siue orbicularis exalbidus pratensis, C. Bauh. pin.

Præparatio.

Est verò hic Fungus, qui in ficcioribus atque pascuis pratis crescit, aliorum Fûgorum modo præparandus, qui repurgati vt plurimùm elixari solent, & in frusta côcidi, quæ inter binas lances reposita, inspersо oleo Oliuarum vel butyro, & Pipere addito, super prunas coquuntur: aut cum larido inÿcitur iusculum ex lactis cremore paratum.

FVNGVS CAMPESTRIS, ALBVS SVPERnè, infernè rubens.

CAP. IV.



Descript.

FVngi quos à natalitio solo campestri Montbelgardi *Champignons* denominant, primo pullulatu globosi, postmodum paulatim explicati, membranulas infrà ostentant rubentes, superiùs inoffenso læuore æquabiles & albi: saporis & odoris sunt boni, primulùm ex terra erumpentes.

Hi sunt illi Fungi Ruellio lætiore natura breui petiolo nitentes, clusili rotunditate insignes, diluto intus rubore, exteriùs candidi, qui cibo, non

non improbantur & Campestres cognominantur.

Trago dicuntur Fungi vulgares, Boleti Amanitę, germ. Heiderling & Drüschling (ita quoque Lonic. vocat,) & Gesn. coll. stirp. quòd in campis & aridioribus locis & iumentorum pascuis proueniant: & hinc gallicè *Campaniones* vocat, pileolis rotundis & latis similes, inferiùs prope terram puniceos, superiori verò parte membranulis liuidi coloris tectos.

Matth. Fungorum secundum genus facit, eosque hetruscos vulgò *porcinos*, h. e. suillos, vocare scribit in Diosc. in hist. germ. pro sexto genere depingit. An verò apud Diosc. per porcinos intelligat campestres, dubito: quæ de iis scripsit relegaui ad caput Fungi nostri porosi.

Lob. hist. belg. tom. 2. p. 305. & Ic. Plant. p. 271. Fungi vulgatissimi esculenti, carne prorsus alba, infernè subrubente, dum recentes sunt: vetustate vitium contrahunt, & noxii fiunt, grauem odorem contrahentes & fuscum colorem.

Synonyma C. Bauh. — C. Bauh. pin. Fungus 13. siue pileolo lato & rotundo liuido: Matth. Lac. Lon. Dod. Cast. & H. Lugd. p. 1587.

Locus & Tempus. — Abundanter inuenimus in Than, Beffordiæ, & Mompelgardi Augusto & Septembri, in pratorum collibus & planicie, boni saporis & odoris recenter è terra prodeuntes. In fine Iunii palmâ manus maiores alicubi obseruaui. An verò nascantur etiam Vere, vt vult Lobelius, in sabulosis & recens stercoratis agris, ac subinde quoque in fimetis, in quibus tamen insalubres oriri tradit, nondum obseruauimus. Vulgares Fungi, qui vulgò coqui solent, in campis, graminosis agris, aridioribus pratis, potissimumque iumentorum pascuis nascuntur. Iunio mense primùm cernuntur, inquit Tragus, maximè si pluuiosa & humida tum tempestas fuerit. Nam neque hæc, neque alia Fungorum genera, nisi pluuiosi cœli constitutione, procreantur, quæ etiam causa est, vt vno anno tardiùs, altero citiùs oriantur, & ab eodem tempore ad Augustum vsque mensem cernantur.

Utendi modus. — Boletis membranulas liuidi coloris, antequam in cibos veniant, detrahere oportet, ac tum demum, ipsos aqua bullire, butyroque & aromatibus condire conuenit. Sunt tamen qui hos Fungos membranâ auulsâ super carbones ignitos assare, solúmque sale aspergere, cibisque vsurpare soleant, prout cuique videtur.

FVNGVS CANDIDVS REGIVS odoratissimus.

CAP. V.

Descript. — PORta villæ lib. 10. c. 70. author est hunc Fungum antiquis indictum esse candidum, odoratissimum, orbem vix vtraque manu diductis pollice & indice cingentem, tam esui suauem, vt crudus edatur, præberi ægris innoxiè: incolas *Richione* vocare, quasi magnum Fungorum regem dicas: Autumnalem esse. C. Bauh. pin. Fungus 18. siue candidus odoratissimus orbe magno.

FVNGVS PIPERATVS ALBVS, lacteo succo turgens.

CAP. VI.

Descriptio — EXulant à mensis (non tamen omnibus, nec vbique) Piperati dicti Fungi, magni illi quidem lati, Campestres mole superant; pro magnitudine tamen minùs densi, non suprà tantùm albi, sed & subtus candidissimis tenuissimisque membranis contexti, cùm eæ Campestribus rubeant. Lacte turgent feruido: tandem inueterascentes, sursum flexis oris & pileolo tabescente superiùs caui redditi, metam inuersam aut infundibulum referunt.

Synonyma — Cordo in Diosc. Fungi Piperis saporis & lacteo liquore manantes. Trago Fungi tertium genus cibis expetitum, coloris prorsus candidi, rotundum. In hoc genere ait inueniri, qui disco latiores sint, omnes tamen, quum frangantur, lacteum & feruentissimi saporis [nam omni Pipere linguam magis vellicare] succum fundere. Orbiculatos à magnitudine vocari: à Germanis Pfifferling, sed rectiùs Pfefferling.

Cornar. secundum genus Fungorum Plinii: Fungi candidi. Lonic. qui non meminit succi lactei, Fungorum tertium genus: Boleti orbiculares. Matthiol. Fungorum quintum genus. *Miramur* Lonicerum, non meminisse succi lactei, licèt Tragus tradiderit habere lacteum succum feruentem.

Euch. Röslin. Boleti orbiculati, omninò albi, lac fundentes. Portæ, Fungus antiquis indictus, Piperitis vocatus: quia vescendo linguam vellicat, ac si Piper voraremus, ac fauces incendit: nascitur Autumno: coloris albi, vulgóque Pipitella dicitur.

C. B. pin. Fungus 10. siue pileolo lato orbiculari candicante: Fungi orbiculati, vel Fungorũ tertiũ genus, Tragi: Fungi boleti, Cordi in Dioscor. & Lonic. Fungi nemorum, Lob. Belg. Fungi esculenti octauum genus, Clusii. Eid. Fungus 27. siue albus acris. Quo pacto, quáue ratione C. Bauhin. Fungorum tertium genus Tragi, ad Fungi esculenti octauum genus Clusii referat haud dum constat. Clusius suum Fungum statuit amarum: Tragus piperei saporis. Iam quantùm inter saporem amarum & acrem seu feruentem intercedat, vel Fungus iudicat, qui ab Horatio homo inconsideratus mysticè dicitur. — C. B. not.

Locus & Tempus — In altissimis & tenebrosis siluis, Septembri & Augusto mensibus nascitur.

Qui siluam vulgò Odenwalde cognominatam incolunt pauperes, sale aspersos carbonibus ignitis cibo assare solent. Cæterùm, quum lacteum huius succum (à quo Bollentes eum Milchling vocant) aliquando digitis attigissem, & ex improuiso palpebras digitis abstersissem, quamprimùm magnas punctiones & pruritum expertus sum, talem quidem, qualem à Tithymalorum succo euenire contingit.


FVNGVS ALBVS, DICTVS MOMPELgardensibus & vicinis *Bissette*.

CAPVT VII.

Descriptio — AVgusti fine anno 1609. obseruaui hos fungos, Campestribus similes, sed infrà, supraque totos albos, quos Montbelgardenses & vicini *Bissettes* vocant. Hos olim eosdem esse putabam cum *Colombettes*, verùm distinguebam à Campestribus, quòd tardiùs prouenirent, & pede longiores essent. In siluis Quercuum, sed rariùs, occurrunt. Præcedunt *Columbettes*, & minores sunt.

FVNGVS MAGNVS TOTVS ALBVS sine succo lacteo, edulis, Columbettes Montbelg. CAP. VII.

Descript.




EX odulium quoque Fungorũ censu sunt hi, magnitudine excellentes, toti albi, tam subtus quàm suprà, omnisque succi lactei expertes, quo turgent Piperati, illis similes. Per ambitum aliàs cristari, aliquando reflexi & inæquales sunt, interdum non. Distinguuntur autem *Columbettes* à *Bissete* pede elatiore, & quòd latiores sint, tardiusque proueniant.

Locus. Inueni inter Champigni & Passauant Ludrensis Abbatis. In silua item è regione vrbis Montbelgardensis dicta *le Chesnois*.

FVNGI ALBI VENENATI VISCIDI. CAP. VIII.


Descriptio.



INterest sanè horum formam & naturam vel apprimè nouisse. Edulibus albis aliquo modo similes sunt, pediculo digitum crasso, tres quatuorue plùs minùs alto, qui clypeum sustinet orbicularem, palmarem, pressum, subtus candidissimo membranarum tenuissimarum squarro stipatum. Superna facies subcinericea, ad albidum nonnihil vergens, viscido tactu, fungosis verrucis eminentibus conspersa, quæ tamen sine membranæ noxa auulsu faciles, quas merè accidentarias esse putamus, vt quæ non in omnibus appareant. Sapore sunt minimè ingrato, sed subdulci, succo aqueo. Vnde deceptus quidam optimus ciuis Mompelgarbensis, vegetæ ætatis vir & corpore robusto, qui hos ipsos [ad quorum imitationem Eicon hæc nostra facta] coctos, & ad palatum eius præparatos nimis imprudenter vorauit. Mox enim nauseabundo stomacho vomitus infestabat, hinc vertiginem sentiens, prostratis tandem viribus, membrisque refrigeratis, soporosus iacuit, non sine mortis periculo. Nam & loquelâ priuatus, pulsu deprehensus fuit perexiguo cum suffocationis metu. Qui tamen paullò pòst vomitu prouocato priùs, alexipharmacis, Theriaca potissimùm, enematibus item restitutus fuit, postquam non paucas horas dubius & velut oppressus, inter vitam & mortem quasi succubuerat.

FVNGVS NEMORVM AMPLVS, INTERdum albus, nonnunquam maculis nigris distinctus. CAP. IX.

Descrip. FVngum hunc nemorum amplum pingit Lobel. in Icon. Plant. tom. 2. p. 272. deque eo hæc scribit in hist. belg. In siluis & nemorosis locis reperitur Fungi genus planum quod interdum in tantam amplitudinem excrescit, vt lancem implere queat. Id aliquando prorsus album, nõnunquam supernè maculis nigris & rufis distinctum, infernè album & nigris striis exaratum, pediculi inferiori parte nigra.




Varietas.

C. Bauh. C. Bauh. pin. miscet hunc cũ Fungorum esculentorum genere octauo Clusii, quod ipsi est Fungus decimus. Vide caput nostrum, Fungi tres siluarum, &c.

FVNGI LONGISSIMO PEDICVLO, CANdicantes, sed maculati, esculenti. CAP. X.

Descript.



NVllum inter Fungorum, qui innoxii æstimantur, genera esse putat Clusius qui hoc longiore præditus sit pediculo. Ait enim in octo aut nouem vnciarum longitudinem esse porrectum, digiti minimi crassitudine, rectum, versicolorem, & *maculatum*, striis quibusdam & maculis paruis & magnis ex albo, rufo, & fusco coloribus commixtis distinctum, marmoris varii instar. Ipsum

verò Fungi corpus pilei ſeu galeri formam quodammodò referre, valdè laxis oris, deinde ſenſim in turbinatam metam deſinens, altitudine trium vnciarum, aut ampliore, orarum diametro uncias ferè octo occupante, candicantis ſupernè coloris, multis tamen maculis magnis & exiguis ex fuſco ruſeſcentibus infecti, ſupremo faſtigio prorſus fuſco: inferna pars caua admodum & camerata, candicans quidem, ſed plurimis ſtriis fuſcis obliquè, & veluti in cincinnos compoſitis, diſtincta: duabus autem ferè vnciis infra ſupremum pediculi faſtigium, corolla digitalis circiter latitudinis ipſum amplectitur, vnde corporis ipſius Fungi oræ abruptæ videntur, dum in laxitatem ſeſe diffundit. Fungorum eſculentorum generis huius decimi octaui vnicam ſpeciem obſeruabat auctor, quæ in aruis plerumque prouenit. Tribus verò diuerſis anni temporibus interdum naſci intelligebat. An autem ille ſit Fungus, quem Porta à Neapolitanis *Cocuccelle* uocari ſcribit, dubitat.

Synon. C. Bauh. C. Bauh. pin. Fungus 24. ſiue Fungus pileolo lato, longiſſimo pediculo variegato: Fungi eſculenti 18. genus Cluſii. An Fungus pratenſis, quem quidam *Scarogias* vocant, Cæſal.?

FVNGI QVATVOR: 1. CANDICANTES: 2. etiam albicantes: 3. in albedine magis fuſci: 4. rufeſcentes, ſiluarum eſculenti.

CAP. XI.

HOs ſub Fungorum eſculentorum nono genere deſcribit Cluſius: Eiuſdemque generis ſe quatuor differentias obſeruaſſe ſcribit: omnes vno nomine cùm apud Vngaros, tum apud Germanos dictas, illis quidem **Berench**, his verò **Kremling**.

Prior ſpecies, inquit, ſecundo generi valde abſimilis non eſt: nam circinatæ in plano ferè eſt rotunditatis, vnciam aut binas vncias magna, ſupinâ parte puluinata & candicans, infernè autem magis eſt fuſca, & euidentioribus ſtriis donata, quàm ſecundum genus.

Ad quinti generis primam ſpeciem (ad Fungos ferè ſine pediculo,) plurimùm accedit altera ſpecies: etenim anguloſa eſt, ſed amplior, vt quam vncias quatuor aut plures æquare exiſtimem, ſupernè etiam albicans, non, vt illa, fuſca: infernè verò non læuis & glabra, inſtar illius: aut alba, ſed craſſis ſtriis ab vmbilico ſiue pediculo, in oras ductis, inſignita.

Tertia magnam affinitatem habet cum octaui generis [cum Fungis tribus ſiluarum] altera ſpecie: quia ferè orbiculata eſt, & æqualis pænè magnitudinis: ſupernè tamen in albedine magis fuſca eſt: infernè illi non diſſimilis, niſi quòd eius ſtriæ craſſiores ſunt, & pediculus illam ſuſtinens craſſior, breuior atque magis nigricans.

Sola magnitudine ab octaui generis tertia ſpecie differt huius quarta ſpecies. Illa enim amplior eſt, hæc minor, vtraque autem circinatæ ferè in plano rotunditatis: illa ſupernè rubeſcens, hæc multò magis ruſeſcens, eamque adeò ob cauſam Vngaris **Vöröſ Berench**: Germ. **Rote Kremling** dicta: gracihore illa pediculo nixa, hæc craſſiore & magis albo, vt etiam inferna huius pars candidior eſt illâ, & minùs euidentibus [redacted]

Synon. [redacted] Bauh pin. Fungus 12. ſiue Fungi pileolo lato & rotundo: Fungi eſculenti nonum genus Cluſii.


Locus & Tempus. Naſcuntur quatuor hæ ſpecies in caduis vt plurimùm ſiluis, ſub extremum Maium, aut Iunii initium.

FVNGI QVINQVE SILVARVM ASPERI eſculenti. I. ex albo vireſcens. II. ex cæruleo vireſcens. III. purpureus. IV. flaueſcens, inferna parte alba. V. ex albo fuſcus.

CAP. XII.

SVnt hi Fungorum eſculentorum Cluſii decimum tertium genus. Fungorum autem eſculentorum Cluſii decimi-tertii generis varias aſſignat is ſpecies, quæ apud Vngaros & Germanos varia obtinent cognomina: generali autem appellatione Vngaris **Galambicza**, Germanis **Teubelinge** dicuntur.

Locus & Tempus. Naſcuntur omnes promiſcuè in ſiluis, & Iunio Iulioque menſibus inueniũtur. Germanorum porrò diſtinctionem ſequẽs author, quinq; huius generis ſpecies facit.



Prima, omniũ ampliſſima eſt, vt cuius plana ſuperficies quincunciale diametrũ habeat, orbicularis vt plurimùm eſt eius figura, digitalis lõgitudinis pediculo, vnciam craſſo, ſubnixa: ſuperna parte protuberante, colore ex albo vireſcente prædita: infernâ candicante & ſtriata. Iſtam Germani **fraw teubelinge** / h. e. Dominarum cognominant.



Altera. Alterius paullò minor eſt amplitudo, vt cuius diameter quaternas vncias non excedat, orbicularis etiam & planæ eſt figuræ, ſuperne tumeſcẽtis, ſed in medio & quaſi centro nonnihil cõpreſſæ, vt vmbilicũ mentiatur, coloris ex cæruleo, viridi & fuſco commixti, infernè ex albo ſubfuſci, pediculo fulta pollicaris craſſitudinis, ſed breuiore quàm prima. Huic Vngari **Keek galambicza**, Germani **blaw teube**-

linge, quod eiusdem est significationis, cognomen dederunt.

Tertia Æqualis ferè cum superiore est tertia amplitudinis (interdum tamen vix binas vncias superat eius diameter) sed paululùm angulosa, coloris supernè elegantis, vt qui ex purpureo & saturato rubro commixtus videatur, emicantibus aliquando, sed raris albis maculis, quas contrahi arbitratur auctor, flore illo ex contactu deterso: inferna pars candicat, & fuscis striis exarata est, oris in ambitu parum & dilutè purpurascentibus, extremis nempe supernæ partis oris aliquantulùm inflexis. Vngaris **Veretws Galambicza**: Germanis **Rott teübelinge**, quod idem est, dicitur.

Quarta Quarta species minor est tertia, nec eius superficiei [quæ orbicularis est figuræ] diametrum binas vncias excedere putat Clusius. Vncialis longitudinis pediculo sustinetur, graciliore quàm superior: superna pars quodammodò puluinata, in medio nonnihil compressa, & vmbilici formam exprimens, colore flauescente, veluti fuligine infecto: inferna pars alba, fuscis striis à pediculo ad circumferentiam distincta. Germ. **Schwartz teübelinge**, i.e. nigrum, cognominant.

Quinta Quintæ speciei cognomen dederunt Vngari **Waras galambicza**, Germani **Rauch teubelinge** quasi dicas asperum. Æqualis autem est cum quarta magnitudinis, circinatæ in plano quodammodò rotunditatis, supernè etiam intumescens & puluinata, asperiorque reliquis speciebus, coloris supernè ex albo fusci: infernâ verò parte, candicante quidem, sed quam fuscæ striæ in oras excurrentes veluti inficiunt.

Icon. Figuræ, quas proponimus, sunt secundæ speciei. Prior quidem pronam partem: altera verò supinam demonstrat.

C. Bauh. pin. Fungus 8. siue vmbilicum referens variegatus.

FVNGI SILVARVM ESCVLENTI TRES, vnus candicans: albus alter cum flauescentibus maculis: & tertius ex fusco rubens.

CAPVT XIII.





HOs sub Fũgorum esculentorum octauo genere complectitur idem Clusius. Id autem genus in tres species diuidit: quarum primæ & secũdæ discrimen in sola magnitudine consistit, nõnihil & colore: omnes tamen tres, similis formæ. Vngari Keserevv gomba, h. e. amarum Fungum: Germani **Pfipfferling**: Galli *Champignon & Potiron* vocant; tametsi in vniuersum omninò pænè Fungorum genera iis nominibus donent.

Prima ergo species, binas ferè vncias lata est, planæ, sed orbiculatæ figuræ, supernè tamen quodammodò puluinata, & candicans: infernè veluti camerata & conuexa, striis quibusdam à crasso pediculo in oras ductis distincta.

Altera, huic prorsus similis, sed amplioris magnitudinis, vt quæ quaternas aut plures vncias æquet, eiusdem cum prima figuræ, sed grassiore pediculo subnixa supernè alba cute, cui insperiæ aliquot maculæ fuscæ & flauescentes: infernè flauescens aliquantulùm, & magis conspicuis striis à pediculo in extremas oras productis, exarata.

Tertiam speciem Vngari Voros Keserevv gomba: Germani eadem de causa **Rote Pfifferling** nominant, quia magis ruber præcedentibus: sed & Vngaris Bik alya dicitur, quòd sub Fagis interdum crescat. Amplior est hæc secundâ specie, & magis circinatæ rotunditatis, longiore gracilioreque subnixa pediculo, & colore supernâ & infernâ parte ex fusco subrubente, non minùs euidentibus & conspicuis striis, à pediculo in orbem diffusis, inferiùs distincta, quàm secunda species.

Omnes autem species, vt plurimùm, in cæduis siluis nascuntur, circiter Pentecosten, h.e. sub extremum Maium aut Iunii initium. *Locus*

Priores duæ species, palato gratæ esse feruntur, atque iis plerumque vescuntur eodem modo paratis quo Fungus croceus magnus. Tertiam edunt etiam nonnulli, sed pauci. *Vsus*

C. Bauh. pin. Fungus 10. siue pileolo toto orbiculari candicante: Fungi esculenti 8. genus Clusii. *Confundit* C. Bauhinus hunc Fungum cum Fungorum tertio genere Tragi [qui nobis est Fungus piperatus, lacteo succo turgens,] & Fungo nemorum Lobelii, quem amplum cognominamus. *C. Bauh.*

FVNGVS PÆNE CANDIDVS prona parte erinaceus.

CAP. XIV.

Descript. RAro naturæ miraculo parte prona pro membranulis innumeris veluti aculeis muricatus, erinaceum in memoriam reuocat, vnde ex argumento nomen imposuimus: maiusculus est Fungus, etiam palmo maior, albus, minùs tamen quàm piperatus, & ferè exsuccus. In siluis prope Montbelgardum mense Septembri à nobis obseruatus. An salubris vel venenatus ignoramus.

FVNGI IN METAM FASTIGIATI, esculenti, coloris albicantis fusco tincti.

CAP. XV.

SVnt hi Fungorum esculentorum quartum genus Clusii, de quo ait, Fungorum esculentorum quarti generis, Vngaris Syilvva alya dicti, quia sub Pruni arboribus nascitur, germanicum nomen nullum noui. Eius autem plures sunt species. Nam aut paruæ sunt aut mediocres, aut maiores. Prima vncialis duntaxat est magnitudinis aut paullò amplior, crasso subnixa pediculo, infernâ parte conuexa, & quasi fornicata, sulcis vel striis quibusdam apparentibus notata: superna autem in mucronem quo-
[redacted]



dammodò vel metam fastigiata, coloris albicantis fusco tincti.



Medii. Media species paullò planior est, quasi in orbem circinita, duarum vnciarum, aut maioris amplitudinis, inferna parte similiter fornicatâ, & striis quibusdam veluti exaratâ: color idem qui in superiore.

Tertia, quæ maior, formam quidem primæ similem habet: etenim supernâ parte in macronem fastigiata est, infernâ caua & fornicata: sed eius magnitudo plerumque est trium vnciarum, crassioreque pediculo nititur: color huius magis fuscus est, & notis quibusdam interdum distinctus: deinde superna pars, vt plurimùm lacera & scissa apparet.


C.Bauh. pin. Fungus 3. siue in metam fastigiatus, albus fusco tinctus.

FVNGI TVBEROSI ESCVLENTI, albi fusco permixti, vel maculis distincti.

Cap. XVI.



Etiam hi sũt ex Clusii Fũgorum esculentorum generibus, & septimum constituunt: Fungorum autem esculentorum septimi generis forma duplex illi visa est. Quòd vel planos conspiciebat supernâ parte nonnihil tumentes, interdum etiam in ambitu laceros, coloris aut albi fusco permisti, vel maculis quibusdam distincti: infernâ nonnihil conuexâ, & veluti striis siue sulcis, à pediculo crassiore in oras vsque ductis, exarata, fulci coloris. Aut orbiculari pænè figurâ, supernè, immò totâ superficie, candicantes, vt ouum exculptum exprimere videretur, præsertim adempto pediculo.



Hoc genus Vngari Choporke gomba, i. e. tuberosum Fungum appellant: Germani Angerling / quoniam in siccioribus pratis, siue pascuis iuxta pagos sitis (quæ ipsi Angern nominant) proueniat. Ter autem in anno reperitur.

C.Bauh. pin. Fungus 9. siue orbicularis sulcatus, albus fusco permixto.

FVNGI PVNICEI, LACTE DVLCI manantes, pratensibus similes, edules.

CAP. XVII.

Sexti ordinis Fungi in nonnullis altissimis siluis, vt est Odenwaldt appellata, nascuntur, puniceo præditi colore, pratensium Fungorum, quos Boletos vocant, magnitudinem haudquaquam excedentes, lacteum & dulcem manantes succum. Hi à quibusdam crudi deuorantur, sed qua vtilitate ignoro, inquit Tragus. Germani Brötling nuncupant.

Synonyma. Lonic. Fungorum quintum genus: Matth. germ. Fungor. genus octauum. C.Bauh. pin. Fungus 17. siue pileolo lato puniceo, lacteum & dulcem succum fundens: Fungus sextus Tragi.

FVNGI SILVESTRES ESCVLENTI duo. I subalbidus II purpureus, maculati. Cap. XVIII.

Fungorum esculentorum Clus. 15. genus faciunt hi: Prior, inquit, orbicularis ferè est figuræ, circiter quatuor vncias ferè latus, breui crassioreque pediculo fultus: supernè nonnihil exuberans & puluinatus, coloris subalbidi, sed veluti fuligine infecti: per quem sparsæ sunt aliquot albæ maculæ: inferna pars subalbi etiam est coloris fuligine infecti, multis crassioribus striis nigricantibus, à pediculo in circuitum excurrentibus, notata. Altera.

Alter priorem amplitudine superat, & eius oræ interiorem partem versus magis reflexæ, orbiculatæ quodammodò figuræ, cuius superior pars puluinata, coloréque tincta purpureo, cui ruber saturior commixtus, in meditullio tamen flauescens, & secundum oras albis maculis distincta, inferior pars ex albo fulca est, & tenuioribus striis exarata, pediculo, quam in Altera, longiore.

Huic decimo-quinto generi Fungorum esculentorum Clusii nomen dederunt Vngari Dizno gomba, h.e. suilli Fungi: Germani eiusdem significationis vocabulo Schweinlin / expresserunt, & postremam speciem à rubro colore Rott Schweinlin.

Cæterùm, duas has species manifesto discrimine inter se differentes, Porta Suillos antiquum nomen apud Neapolitanos adhuc retinere ait, atque illis *Silli* dici.

An porrò hoc Fungorum genus, tertium illud Plinii quod venenis accommodatissimum esse asserit, sit, inquirit Clusius.

C.Bauh. C. Bauh. pin. Fungus 25. siue orbicularis oris intrò reflexis: Suillos vulgò porcinos dictos, Boletis crassiores, supernè subfuluos, infernè cinereos, internè candidos, vocat Cæsalpinus.

Fungorum esculentorum decimum-quintum genus Clusii nascitur in siluis, & Iunio, Iulioque mensibus reperitur.

Tametsi autem non valdè probetur hoc Fungi genus: non desunt tamen qui illo vescantur, adeò intemperantis gulæ reperiuntur quidam.

FVNGI ABIETINI, ESCVLENTI, 1. RVbens. 2. mixti coloris, infernè candicans, 3. mixti quoque, rubescens.

CAP. XIX.

Fungi præsentes à Clusio ad vicesimum genus Fungorum esculentorum reuocantur, itaque describuntur.

Prima vicesimi generis esculentorum Fungorum species, orbiculatæ (planæ tamen) est figuræ, binas aut ternas vncias lata, supernè, coloris vel dilutè admodum rubentis, aut lateritii, venis quibusdam sic exarata, vt hirta videatur, non secus ac Fungus villosus puniceus, cui valde similis est, in medio nonnihil compressa, & veluti vmbilicata: infernè pallescens, & multis striis fuscis à pediculo, qui vnciâ paullò longior est, minimum digitum crassus, in orbem ductis insignita.

Altera priorem magnitudine non valdè superat, paullò tamen crassiore pediculo constat, magna etiam ex parte orbiculata est, sed non compressa supernè, immò potiùs extuberans, coloris ex albo, pallido, & fusco permixti: infernè candicans, & striis fuliginosi coloris, à pediculo in oras productis, exarata.

Tertia, longè amplior est binis superioribus, orbiculatæ tamen perinde atque illæ, figuræ, cuius diameter penè quincuncialis est, pediculo subnixa non maiore quàm præcedentes duæ: supernâ parte etiam extuberans, mixtique ex albo, pallido, rufo, fuliginosoque, coloris: inferna pars plana est, rubescentis coloris, crassis striis ex atro purpurascentibus à pediculo in ambitum excurrentibus notata.

Locus & Tempus. Vicesimum hoc genus esculenti Fungi ad vulgatiorem Fungorum formam redit, & sub extremum Autumnum in siluis, plerumqne autem sub Abietibus nascitur: cuius rei causa Vngari **Fenyo alya gomba**, Germani **Thanneling** appellant, licèt illis **Gresseling** etiam dicatur: nam Vngaris Fenyo-fa Abies est, atque Germanis **Thannebaum** idem significat.

C. Bauh. pin. Fungus 15. siue pileolo magno, plano, orbiculato, venis exasperato.

Fungi hirsuti interna parte perniciosi.

Tempus. Locus. Sub extremum Septembrem prouenit Fungorum perniciosorum vicesimum primum genus, inquit Clusius, subter Abietibus, quemadmodum & vicesimum genus esculentorum, cui persimile est: sed quoniam interiore parte hirsutum est, reiicitur. Germani **Falsche Gresseling**, quasi spurium, nominant: Vngari Fenyo alya gomba h.e. sub Abietibus nascentem Fungum: sed additis his duabus vocibus, *nem is*, vt solent omnibus Fungis non vescis.

Recens natus hic Fungus vnciâ non multò maior est, oris valdè in supinam partem inflexis, crassiusculo corpore, & veluti crassis quibusdam venis subrubentibus in orbem supernè ductis notato in albicante planicie: Adultus autem, vicesimi esculenti amplitudinem adquirit, supernè eiusdem cum primùm nascente coloris, & pari ratione subrubentibus venis in orbem ductis insignito, oris tamen magis inæqualibus: inferna pars dilutè ruber, & multis rufis striis exarata est: pediculus digitalis ferè crassitudinis, binasque vncias longus, qui confractus, rubrâ substantiâ constare deprehenditur.

C. Bauh. C.Bauh. pin. Fungus noxius 34. siue abietinus oris reflexis substantia rubra.

FVNGI SILVESTRES ESCVLENTI CERuini, 1. villosus puniceus: 2. glaber ex rufo fuscus.

CAP. XX.

Species. Decimum hi apud Clusium Fungorum esculentorum constituunt genus. Primus pediculo binas vncias longo, minimum digitum crasso, nititur: ipsius verò Fungi orbicularis in plano est formâ [cuius diameter duarum vnciarum aut amplioris magnitudinis est] supernè nonnihil extumescens, & veluti sericeis villis obsitus, colore puniceo dilutiore, & veluti carneo, oris in infernam partem valdè reflexis, quæ ex albo rufescit, & multis striis, instar aliorum Fungorum distincta est. Hunc Germani **Rauche hirschling**, h.e. hirsutum siue villosum ceruinũ Fungum: quemadmodum alterum **Schwartze hirschling**, quod significat nigrum ceruinum, Fungum, appellant.



Altera species. Alter longiore constat pediculo, eiusdem tamen cum superiore crassitudinis & magnitudinis: sed infima huius pars crassior est, & veluti limbo circumuoluta: ac præterea in hoc bini plerumque Fungi coniunctim ex eodem pede oriuntur: orbiculares etiam sunt in plano figuræ [præterquam quà parte sese mutuò comprimunt:] eiusdẽ cũ superiore est magnitudinis, aut paulò amplior, paululùm extumescens superiore parte, & glaber, coloris ex rufo fusci, oris non adeò in infernam partem inflexis, quę non minùs frequentibus striis est prædita, quàm prior, colore ex pallido nigrescente.


Synonyma. C. Bauhino in pin. Fungus 14. siue pileolo in plano orbiculari villoso: Fungi esculenti 10. genus Clusii. Prima species icone exhibetur.

Locus & Tempus. Nascuntur in cæduis siluis sub extremum Maium aut Iunii initium.

FVNGI

FVNGI LACERI SILVESTRES ESCVLENTI, subfusci coloris, infernè candicantes.
CAP. XXII.


Descrip.



INitiò quidem inæquali est figura hic Fungus, magis tamen ad orbicularem tendente per oras lacer, duarum vnciarum latitudine, supernè fusci coloris: infernè candicantis, & striis distinctis. Adultior autem, magis orbicularæ est figuræ, & per oras laceræ, quàm recens natus, tum longè amplior, vt cuius diameter sit quatuor vnciarum: eius item color magis fuscus supernè, & albicans infernè, cui fuscedo quædam admixta.

Synon. C.Bauh.pin. Fungus 16. siue pileolo plano subfusco oris laceris: Fungi esculenti 11. genus Clusii, qui circa Festum Pentecostes in cæduis syluis nasci scribit.

FVNGI FERE SINE PEDICVLO, coloris ex rufo fusci, esculenti, in arborum caudicibus nasci soliti.
CAP. XXII.



HOs sub Fungorum esculentorum quinto genere comprehendit Clusius: eiusque plures tradit differentias, sed omnes vno nomine appellatas: ab Vngaris quidem Peztricz, A Germanis verò Pasteruitz. Sola porrò earum differentia in magnitudine consistit, quandoquidem formâ, materiâ, & colore penè conueniunt.


An autem genus est illud quod Plinius à Græcis Pezicas dici, & sine radice sinéque pediculo nasci asserit?

Synonyma. C.Bauh.pin. Fungus 5. siue angulosus pediculo exiguo: fungi esculenti 5. genus Clusii.

Locus. In Vlmorú Populiq; albæ caudicibus deiectis nasci solet, & bis plærumque, etiam ter interdum, in anno prouenire.

Cæterùm, Peztricz repurgati eodem modo condiri possunt, quo Keyserling: sed & elixi conciduntur, atque in lance compositis frustis, laridum accensum instillatur.

FVNGI LVTEI MAGNI, DICTI *Iaseran*, speciosi.
CAP. XXIII.



Descript. LActifluos Fūgos nobis dictos magnitudine æquat, speciosus hic Fungus, & longè aliquando etiam superat, ita vt ad pilei magnitudinē interdum excrescat. Nitidus est, leuis, cuius membranæ subtus citrinæ, pilei verò facies superna crocco saturatiùs tincta est. Pediculus crassus, citrinus quoque in imo aliquando ceu in fimbriam reflexus fathiscit. Quum prodit primùm & antequam expansus est, magnitudine oui ac etiam minor totus, albâ fungosâque materia ceu inuolucro quodam sine volua tectus conspicitur. Voluâ verò hac membranaue obtegente detractâ, subest pilei principium veluti vitellum oui occultatum, quod crescendo paulatim à volua detegitur.

Locus. Clusio est Fungi esculenti 17 genus, de quo ait: Prouenit in siluis rara Quercu conlitis, iisque cæduis præsertim, & sicçioribus editioribusque locis, bis singulis annis, circa messem videlicet, & ante vindemiam. Vngari propter excellentiam Dr gomba, veluti si diceres Dominorum Fungum: Germani ob eandem causam Keyserling/ appellant, quasi cæsareum, quòd inter Fungos principatum teneat. Et sanè adeò elegans est, vt non mirandum sit, si eos, qui libentet Fungis vescuntur, præ cæteris generibus Fungorum, ad se edendum inuitet. Illius vnicam duntaxat speciem videre & obseruare memini: licet ex ætate discrimen quodpiam esse videatur.

Non dubium autem est, quin hic Fungus sit ille veterib' adeò celebratus Boletus, ac à principibus viris sic in deliciis habitus: nam si conferantur quæ de Boleto scripsit Plinius cum huius historia, similis esse deprehendetur. Infamis autem, & immenso exemplo in crimen adductus fuit, quòd olim Claudium Cæsarem coniunx Agrippina Boleto veneno illito, sustulerit, vt Neronem filium ipsi successorem imperio daret. Hinc illi Iuuenalis in Satyris sales primo capite huius libri de Boleto adducti prostant. Sed & ipse Nero, Boletum Deorum esse cibum cauillari solebat, quia illo perusset Claudius Cæsar, & defuncti Cæsares in Deorum numerum referri solerent.

C.Bauh.pin. Fungus 22. siue planus orbicularis aureus: Volua Plinii, Eluela Ciceroni, Boleti An-

guil. & Cæsalpini. An Matth.germ. Fungi tertium genus, herren pelz? An Portæ Villæ, Autumnales Fungi, primis imbribus nascentes, prarenses, Boleti Horatii?

Parandi ratio. Mensas lautiores ornant ac valde expetuntur, variis modis præparati. Vel enim integri, detracto tenui cortice externo, prunis imponuntur: vel membranulæ replentur, butyro addito, sale & Pipere: vel abluti vino in sartagine eodem modo coquuntur. Alii in frusta dissectos cum prædictis coquunt, quæ ratio coquendi meliùs placet. Sed & exsiccati seruantur, deinde ouorum instar coquuntur elixanturue, postea additis ZZ. Pipere, vel Caryophyllis eduntur.

FVNGI LVTEI PERNICIOSI SVB PINV habitantes.

Cap. XXIV.

Fungorum, qui sub Pinu nascuntur perniciosorum meminit Matthiolus in hist. german. atque Tragus, qui lib. 3. cap. 1. eos decimo loco ponit, statuens nigros esse & luteos, eosque iumenta magnopere expetere, licèt gustatis illis in morbos incidant. Narrauit mihi nobilis Baro à Thon vxorem suam ex esu Fungorum luteorum penè periisse vomitu & euacuatione per aluum, multosque suæ familiæ grauiter diuexatos in periculo suæ vitæ aliquandiu permansisse.

Iumentis noxii.

FVNGI STVLTORVM BOLETO SIMILES perniciosi.

Cap. XXV.

Locus & Tempus. Circa Messem & Vindemiam vndecimum noxiorum Fungorum genus in siluis reperitur, quod è terra primùm erumpens, valde Boletum imitatur, immò quodammodò mentitur. Vngaricum nomen nullum intellexi, inquit autor Clusius, sed Germanicum est Narrenschwämmen, ac si diceres fatuum, vel fatuorum Fungum, quoniam fortè, si quis vescatur, mente turbetur, quod facilè contingere potest, ad eius esum inuitante, præsertim primùm nascentis, tanta cum Boleto similitudine. Corpore dum è sua volua erumpit, est Boleto dissimili longiore, sescuncialis latitudinis, in metam assurgens, superna parte candidâ, infernâ camerata & multis striis à pediculo in ambitum productis, notatâ.

Fungus fatuorum.

Synon. C. Bauh. pin. Fungus orbicularis ex atro rufescens, siue Fungus 17.

FVNGVS PALLIDVS

Cap. XXVI.

Locus & Tempus. Autumni munus, Campestri similis Fungus, pari ferè magnitudine, sed variante: coloris tàm internè quàm externè luteo pallidi.

Fungus capreoli. Synon. Existimo Clusio esse Fungorum esculentorum genus duodecimum, quod prouenit in tiliis & reperitur circa Pentecosten. Germanis Rehling, quasi capreoli Fungus, dictus.


Matth. germ. Fungi 4. genus Reifeken: Cordo in Diosc. Fungus edulis optimus Reifechen. C. Bauh. pin. Fungus 11. siue pileolo lato orbiculari flauescente: Fungi 4. genus Trago: Capreolini Tabern. Fungi esculenti 12. genus Clusii.

FVNGVS LVTEVS SIVE PALLIDVS *Chanterelle* dictus, se contorquens, esculentus.

Cap. XXVII.

Descript. Monbelgardensib. dictus *Chanterelle* Fungus, rarò dimetientem habet palmarem sæpiùs eam latitudinem non assequitur, plano pileo, aliàs cauo, pallidus, oris subinde contortis, vt crispi nonnihil habere videri possit, membranis infrà nec densis contextus: huius pediculus rarò in vmbilicum inseritur, sæpiùs à medio decerat: odor gratus & innocentia eum commendat, & ob id mensis lautioribus curiosioribusque expetitur.





An Fungus Trago. An Trago Fungus quarti generis & vulgaris quidem, colore splendido & luteo? An Clusio Fungorum esculentorum genus 14. cuius duas facit species, & quod Hungaris Nyul Gomba, hoc est, Fungum leporinum à Germanis verò hasen ohrlein, leporinam auriculam appellari tradit.

Synon. Corn. in Diosc. Rehling Germanorum, Fungorum Plinii genus primum. Tab. Capreolini. Lon. Fungorum 2. genus. Matth. Fungorum 7. genus. Hic imitatus Lonicerum miscet hunc suum Fungum cum Digitellis.

Lobel hist. belg. tom. 2. p. 307. & Ic. Plantar. p. 273. Fungi nemorum, sinuosis oris supernè pallentes, & maculis rubris infecti, infernè subalbidi & striati. Huius icon optimè conuenit cum nostro Fungo *Chanterelle*, verùm maculas rubras in nostro non animaduertimus.

Vires. C. Bauh. pin. Fungus 20. siue angulosus & velut in lacinias sectus: Fungi genus magnum à figura auriculæ leporinæ Gesn. hort. Arborum Fungi auriculæ Iudæ facie Lobel belg. Fungi gallinacei Cæsalp. An Fungus leporinus, quem 7. facit Tragus, qui formam interaneorum vituli repræsentat, qui incanus & plumbei coloris? Credimus nos Fungum hunc leporinum Tragi meliùs ad Fungum intybaceum posse referri.

Vires. Fungorum *Chanterelle* apud Monbelgardenses creber vsus. Fungi sinuosi nemorum Lobelii à nonnullis primùm repurgati elixantur aut friguntur, denique eduntur: ac perinde probantur vt alii eiusdem generis prope arbores, aut sub illis, nascentes, quia purioris sunt naturæ, & absunt à ferreis clauis aut putrilaginosis locis: nisi fortè sub pernitiosis arboribus & circa serpentium latibula crescant.

Locus & Tempus. Oritur in siluis & nemorosis locis sub Fagis vt plurimùm, mense Iunio, ac etiam Septembri.

FVNGI LVTEOLI DICTI, colorem mutantes, maligni.

Cap. XXVIII.

Fungus *Cambiacolori* Italis dictus de numero Fungorum penitus malignorum est, autore Ferrante, cuius capitelli figura vulgati similis, substantia eiusmodi quæ mox vigorem perdat & in mucum abeat. Infernæ parti filamenta quædam in retis formâ obliquè intricata, facilè à suo capitello separantur. Color aliquantùm flauescens,

cens, mox tamen in virentem, & inde in azuream abit.

FVNGVS POROSVS, MAGNVS, craſſus.

CAP. XXIX.

Deſcrip. INſiſtit pedi craſſo longo, pileus palmari latitudine, omnium quos vidi denſiſſimus, turbinatus, aut ex fuſco albicans, infernè candidus, nullo ſubtus membranarum plexu textilis, ſed infinitis poris tenuiſſimis peruius, ſubſtantiâ interiore albâ.

Hic Fungus videtur nobis tradi per Cluſium pro tertia ſpecie generis decimi ſexti Fungorum eſculentorum, de quo hæc ſcribit. Prædictæ autem Tertiæ ſpeciei duplex eſt differentia. Nã alia eſt iunioris & recens natæ facies, alia adultioris. *Iunioris* porrò figura prorſus orbicularis eſt, diametrum duarum circiter vnciarum habens, valdè in rotundum elata ſupernè, & fuſci admodum coloris, fuliginoſique: infernè caua & fornicata, *Tertia ſpecies duplex.*



coloris albi & nullis ſtriis deformati: pediculus illam ſuſtinens binas vncias longus eſt, aut paulò longior, ſupremâ parte pollicaris craſſitudinis, infimâ duorum digitorum. *Adultior* autem longè amplior eſt: nam quaternas aut quinas vncias latus eſt, ternas ferè altus, & in rotundum quaſi faſtigiatus, coloris ſupernè ex fuſco rufeſcentis: infernè planus, æqualis, albus, nec vllis ſtriis exaratus: pediculo fulcitur ternas vncias longo, ſupernâ parte vnciam craſſo, infernâ binas, coloris ex albicante fuſci. Iſtam ſpeciem Germani **graw bultʒ** cognominant.

Fortè Amanita Pauli. Habet verò hoc Fungi genus aliquot notas ob quas Pauli ἀμανίτας eſſe liceat conicere: etenim colore fuliginoſo ſunt eius ſpecies, orbe etiam quarundam tam amplo, vt ſæpè humanum caput æquent, pediculo omnium craſſo, infrà colore nigro vireſcentes. An Fungi porcini Matthioli? An Portæ villæ, Fungi autumnales, Græcis ἀμανίται vocati, Latinis Suilli, Neapolitanis Silli & Ammoniti, Apicio Farnei Fungi à Farno Roboris genere? An Corn. in Paulum, Boleti, nomine latino apud Germanos ſeruato, contracto tamen, & ex triſyllabo ferè monoſyllabo facto: **bôltʒ** enim aut **Bolge** appellantur? An Eid. in Dioſc. Boleti Plinii, Germanis corrupta voce **Bôltʒ** dicti? An rurſus in Gal. de comp. med. ſec. loc. Fungorum terreſtrium genus, ſpongiis marinis ſimile; Fungi ſuilli? An Lob. Ic. Plant. tom. 2. p. 273. nemorum Funguli? maior ibi depictus. C. Bauh. pin. Fungus 22. ſiue Auguſti menſis: An Fungi 8. genus Tragi: 6. & 7. genus Leoniceri?

Locus & Tempus. Menſe Septembri inueni Fungum poroſum Geneuæ locis ſiluoſis & paludoſis. Binos interdum Biſantii (vbi abundant) reperi. Ibi ab Italis elixabantur, ſale condiebantur, & in Hiemem reponebantur, quos cum edere cupiebant, oleô incoquebant. Limaces hos appetere, à fide dignis intellexi.

Cæterùm, decimus ſextus veſcus Fungus Cluſii apud Vngaros in hunc modum apparari ſolet. Repurgatus conciditur, fruſta, paululùm in clibano exſiccantur, deinde in aqua elixantur: iis deinde exemptis, panis vulgaris, quo videlicet familia vti ſolet, taleæ ſupra craticulam toſtæ, in prædicto iuſculo coquuntur, id demum iuſculum cribro farinario ſecernunt: poſtremò, huic condimento [quod nec tenue nimiùm, nec craſſum nimis eſſe debet] elixa Fungi fruſta imponuntur, additoque aceto, Piperis, Gingiberis, atque Caryophyllorum aromaticorum polline eduntur. Tenuis autem fortunæ homines & ruſtici, illo cum Panici ſemine pultis inſtar decocto, & Pipere denique inſperſo, veſcuntur.

Qui vulgò *Porcini* Matthiolo dicuntur Fungi, priùs elixi ac demum farinâ circumliti, & oleo vel butyro frixi, magnam cum palato ineunt gratiam. Verùm hi non adeò tuti ſunt, quod in ſuo genere pernicioſi plures, quam in aliis reperiantur. Cæterùm periculoſi ac maleſici à peritis & oculatis viris facilè dignoſcuntur, cum à terra & cortice purgantur, inciduntur que decoquendi. Nam cultello diſſecti illicò [vt Plinius inquit] dilutus eius aduenit rubor, rancidus ſubinde aſpectus, liuidus intus color, rimoſa ſtria, pallidum per ambitum labrum: poſtremò accedit nigredo, & ita protinus computreſcunt. Quamobrem rectè ſcribit Auicenna lib. 4. fen. 6. eos nocentiores eſſe, qui nigri, vel virides, vel in nigrò putreſcentes viſuntur. Proinde amens quidem, & planè ſtupidus & ſtipes fuerit is qui tam repentinas mutationes viderit, & non cognouerit his notis eorum virus patefieri. Sed accidit plerumque vt illos potiſſimùm Fungi interimant, aut ſaltem in magnum diſcrimen adducant, qui eos ſuper ferrea craticula, aut prunis, calentibuſque cineribus aſſatos deuorant. Hoc enim modo decocti, cùm intra ſe las non ſecentur, non tam facilè cognoſci poſſunt, vt ii qui diſſecti parantur. Adhæc non ſemper officiunt Fungi, quòd per ſe lethiferi ſint, ſed quòd copioſiùs, quam par ſit, ingerantur: Quandoquidem cùm lenti admodum, craſſiſſimique ſucci exiſtant, arteriarum oſcula vſque adeò obſtruunt, vt concluſis intus ſpiritibus ſtrangulent. Quod cùm probè nôrint agreſtes in Hetruria mulieres, rariſſimè Fungos mandunt, niſi Allio & pipere adiectis. Aſſeruantur Fungi muriâ, præſertim qui vulgò porcini dicuntur: namque hoc modo parati innocentiores redduntur, amiſſo lentore. *Noxii & dignoſcantur.*


FVNGI IN METÆ FORMAM ſurrecti, pernicioſi.

CAP. XXX.

VIgeſimum Fungorum noxiorum genus conſtituunt hi apud Cluſium [quod Vngaris Varganya dictum, Germanis verò **Külʒ**, pertinac decimum-ſextum veſcorum Fungorum genus:] Huius variæ etiam ſunt ſpecies Cluſio, quæ circa Calendas Septembris in cæduis ſiluis naſcentes reperiuntur.

FVNGI SEPTEM PERNICIOSI, FORMA ad Fungum porosum multùm accedentes. CAP. XXXI.

VNdecimum perniciosorum Fungorum genus hoc Clusio est, quod Germ. Binsling appellant, secundum vias & in quercetis nascens circa Calendas Septembris. Huius autem multæ sunt species, omnesque perniciosæ præsentemque interdum mortem iis inferentes qui vescuntur, quia similitudine, quâ cum 16. genere vescorum (Fungo poroso) habēt, illecti, illos ab innoxiis discernere non sciuerunt.



Species. *Prima* quam prior imago exprimit, valdè gracili subnixa est pediculo binas vncias aut ampliùs longo, sustinente ipsum Fungi corpus orbiculatæ figuræ, sescunciam latum, aliquantulùm in supinam partem inflexum, coloris ex flauo, rufo, fuliginoso, commixti supernè, ex pallido fusci infernè, & multis striis exarato.

Altera amplior est, nec adeò gracilem habet pediculum: orbiculatæ etiam est figuræ, paululùm supernè tumescens, & coloris vel rufi, raris quibusdam maculis conspersi, vel fusci omninò & fuliginosi: infernè autem pallidi, frequentibus fuscis maculis notati, vel ex fusco pallidi omninò, nec vllis striis distincti.

Tertia species, Fungi in metam fastigiati tertiam speciem plurimùm imitatur: crasso etenim prædita est pediculo, vnciam longo, corpore in metam assurgente, vncialis magnitudinis recens nata, & ex cineraceo fusci coloris: adulta autem binarum vnciarum, colorisque magis exalbidi, & notis quibusdam distincta, lacera & hians.

Quarta species, duplex esse videtur: nam vel infra duarum vnciarum magnitudinem consistit, crasso corpore, gracilioreque pediculo prædita, supernè ex atro rufescentis coloris, infernè flaui, frequentissimis paruis maculis inspersis: Vel trientalem magnitudinem adquirit, crasso & protuberante corpore, fusco supernè, & scissuris quibusdam albis lacero: infernè ex flauo pallescente, striarumque experte.

Quinta species, Lis informis est, tuberis [dum iunior] figurâ, supernè valde fusca, infernè rubra, satura & nigricans, circa oras flaua & ochræ colore, binas vncias lata: in adulta magnitudo amplior, quatuor videlicet vnciarum, orbiculatæ pænè figuræ, per interualla protuberantis supernè, & fusci coloris, in quo dilutior rubescens color quibusdam locis elucet: infernè autem ex rubro atri atque obscuri, striis carente pediculo valdè crasso, inæquali & fusco, ipsum autem Fungi corpus confractum cærulei, virescente intercepti, est coloris.


Sexta species, magnum Cyclamini tuber valdè refert, tum amplitudine, tum colore, & inæquali rotunditate: infernâ autem parte ochræ colore est, venis quibusdam rubescentibus, aut subfuscis distincto, nullis tamen striis. Hanc speciem Vngari Eaba Varganya appellant.


Omnium autem amplissima est septima species, vt quæ sesquipalmaris sit, inæquali tamen ambitu, supernè magna ex parte purpurascentis coloris, cui permixti sunt rufus & fuliginosus: ipsum internè corpus subcærulei coloris, vt etiam pars supina cui pediculus inhæsit: reliqua pars inferior flaua est, binis aut ternis magnis maculis rufis infecta. Iunior verò & primùm emergens, longè minor est, duarum videlicet vnciarum duntaxat, supernè & infernè eiusdem cum Adultiore coloris. Addit octauò & describit Clusius Fungum quemdam dubium quem ad Fungi in metæ formam surrecti species referri posse censet.

Synon. C. Bauh. C. Bauh. pin. Fungus noxius 29. siue orbicularis secundum vias & in Quercetis Autumno nascens: Fungorum noxiorum 19. genus, Clusii. Huius C. Bauh. quinque facit species, sc. primam, secundam, tertiam, quartam, & quintam dubiam Clusii. Eiusdem quintam speciem constuuit Fungum noxium 30. tuberis figurâ. Sexta Clusii species est ipsi Fungus noxius 31. Cyclamini radicem colore & formâ referens. Septima verò Clusii species, est ei Fungus noxius 32. omnium amplissimus purpureus.

FVNGI PLVRES SIMVL ALBI, AD ARborum radices, esculenti. CAP. XXXII.

Descriptio. ET hi Fungorum esculētorum Clusii genus faciūt, sextum sc. Exigua autem est in sexto esculentorum Fungorum genere Clusii diuersitas: aut si quæ est in magnitudine differētia, eam ex ætate duntaxat prouenire arbitratur author. Hoc autē peculiare habet istud genus, quod non singulare, sed confertim plures simul plerumque crescunt: nam vel bini terniue simul coniunctim nascuntur, vel etiam quini, seniue, aut plures.





Sunt autem omnes ferè orbicularis formæ, planæ tamen, infernâ parte albi, & striati, supernè aliquantulùm protuberantes, mediâ autem nonnihil depressi, vt vmbilicum exprimere quodammodò videantur, colore magis fusco quàm infernâ. Minores circiter vnciam lati sunt, aut paullò ampliores: Medii, binarum vnciarum latitudinem adquirunt, vel explent: Maximos, quaternarum amplitudinem superare existimat.

Nomina Locus & Tempus. Omnes verò hæ Hungarico nomine dicuntur

Szil fa termevvt alya, h.e. ad Vlmos nascentes Fungi: tametsi indifferenter, ad Vlmi, Quercus, Cerri, Fagi, Ostriæ (quam Galli *Hestre*, Germ. **Hagenbůchen** appellãt) Betulæ, Populi albę & Iuglandis radices, aut earum deiectarũ radices siue caudices à nouo Vere in Autumnum vsque, crescant: Germani **Buchenschwammen**/ i.e. faginos Fungos nominant. Vngari autem eum , qui ad Ostriæ radices nascitur, coloreque magis fusco tinctus esse videtur , peculiariter Gilvvæ gyerthyan fa termevvt appellant. Magna etiam copia nascuntur in truncis resectis suprà dictarum arborum , præsertim verò Vlmi & Iuglandis, si leuiter terrà, vel etiam solo stramine sepulti & tecti putrescant. Quod valdè consonum est cum his quæ Matthiolus de populo scribit: cuius verba in studiosorum gratiam , hic adscribere libuit , ne quis vana esse existimet: quæ Vngari de Fungi modò descripti natalibus aiunt. Atqui [inquit Matthiol.] sciant velim rei medicæ studiosi, Populum albam, humo tenus sectam ad radicem vsque, & aquà calidà, in qua fermentum fuerit dissolutum , perfusam , infra quatriduum Fungos copiosos edere , esui quoque gratissimos.

Synon. C.Bauh. C.Bauh.pin.Fungus 7. siue Fungi vmbilicum exprimentes plures simul albi : Fungus in Populo alba Matth. Populnei αἰγειρῖται Dod. Fungi esculenti , 6.genus Clusii: Fungi sub Populo nascentes , *Tarini* vocati , subrubentes , pediculo candido, qui in cibis minimè probantur, Cæsalp. Fungi glauci dicti Portæ: bini aut tres vno pediculo prodeuntes, veluti Galli cristæ, odore, comà veluti villosa.

FVNGI MVLTI EX VNO PEDE, perniciosi.

Cap. XXXIII.

Continentur hi sub 2. Fungorum noxiorum genere Clusii: quod Vngaris dicitur Tuuis alya gomba, Germanis **Vnder dorn schwammen** (quod nomen Vngarici interpretationem exprimit) quia ad spinarum, quæ vetustate corrumpi incipiunt, atque inter dumeta nascuntur. Multæ autem eius sunt species, quarum prouentus circiter Calendas Octobris.

Locus. Tempus.

Primæ speciei, seni aut septeni nascuntur ex vno pede Fungi , longis & gracilibus pediculis fulti, orbiculato ferè corpore) fornicato tamen , seu camerato infernè) vel semunciali, vel vnciali , colore flauo , quemadmodum ipsi etiam pediculi, qui maculis tamen nigris distincti.

Confertim etiam nascuntur in altera specie, octo aut nouem Fungi ex vno exortu breuiore, & perinde gracili subnixi pediculo, in orbem veluti expanso corpore, quod vnciam & sescunciam latum est, supernè pressum, & tanquam vmbilicatum, coloris flaui rufo suffusi: infernà autem parte flauà, & multis fuliginosis striis distinctà.

Rufi coloris sunt, qui confertim etiam in tertia specie nascuntur Fungi viceni & plures ex eodem pede, gracilibus pediculis fulti: ipsius corporis Fungi forma orbiculata est , latitudo inæqualis , pro ætatis forsan vetustate: nam & inueniuntur vngue non maiores , & vnciales, & sesquiunciales , omnes rufo colore tincti supernè, infernè fuscis striis exarati.

Quarta species plurimos habet ex eodem ortu prouenientes Fungos, tricenos videlicet aut plures, pediculo, pro singulorum ætate , breui aut longo suffulto, orbiculatæ omnes figuræ, magnitudine tertiæ speciei Fungis pares: colore tamen inter se variant in hac specie: nam vel flaui sunt, multo tamen rufo colore perfusi, aut omninò rufi, sed nonnihil tumescentes & fusci: infernè autem nigricantibus striis notati. Germani **Stock schwammen** appellant, quia in ipsis truncis humi iacentibus nascuntur.

Maiorem orbem habent quintæ speciei Fungi, quippe cuius diameter sit duarum vnciarum, & quindeni aut plures ex eodẽ ortu nascuntur simul, dodrantalibus, gracilibus, andicantibusque pediculis fulti, colore supernà parte vel rufo vel ex rufo dilutè albescente, infernà parte quæ aliquantulum camerata est, subalbidà, & crassis fuscis striis distinctà. Figura hic apposita quintæ est speciei.



Turbinato & quasi in metam assurgẽte sunt sextæ speciei Fungi corpore, seni pluresue ab eodem exortu nascẽtes, & oblongis gracilibusq; pediculis medià parte crassiusculis, instar caulis Ceparum, fulti, latitudinem habentes vncialem, aut duarum vnciarum, supernè cineracei quodammodò ex ruffo coloris , aut fusci : infernè crassis nigris striis exarati.

C.Bauh.pin.hos Fungos distinguit: nam vicesimi secundi generis noxiorum Fungorum, 1.2.5. & 6.Clusii speciem refert ad Fungum suum noxium 35. siue ad Fungos dumetorum ex vno pede prodeuntes. Clusii verò 3.& 4. speciem, ad Fungum truncis humi iacentibus innatum, plures ex eodem ortu producentem. Synon.

FVNGI ALBI LVCENTES , EX VNO principio plures ex radicibus arborum.

CAP. XXXIV.

In cariosis arborum truncis occurrunt Fungi ex vno principio plures: longis pediculis innidentes, emaculati vndique candoris , etiam per membranas animalculorum morsiunculis & arrosionibus obnoxias, maiusculi, tenues, lentore viscido superiùs obducto nitidi. Descriptio.

His similes ex vno pede plures , inueniuntur liuidi , variorumque colorum , etiam longis pediculis nitentes. Ex horum etiam genere sunt, quorum meminit Ruellius , dicens ex pituita radicum in nemoribus Fungos nasci, &c.

FVNGI MVLTI EX VNO PEDE, clypeiformes, lutei & rubri.

Cap. XXXV.

Fungorum clypeiformium perniciosorum luteorum forma plana quidem est, sed rugosa & per horas reflexa, flaui coloris, pediculis fulcia.



Locus. Innaſcuntur plærumque putridis lignis, aut aſſeribus vetuſtarum ædium ruſticanarum & ſtabulorum.

Alia diuerſitas. Iiſdem locis & ſecundum ruſticorum caſas inueniuntur etiam alii eiuſdem quidem formæ planæ & orbiculatæ, ſed qui non ſunt reflexi, ac quorum etiam aliqui per oras crenati.

Inueniuntur adhuc alii his non valdè diſſimiles in aruorum aggeribus, ſub ſepibus, rubri coloris, quorum nonnulli nullo peculiari odore ſunt præditi: alii verò Moſchi odorem quodammodò referunt.

Synon. C. Bauhin pin. Fungus noxius 23. ſiue Fungus clypeiformis maior: Fungus alter venenatus clypeiformis eldus Lobel. belg. tom. 2. p. 306. & Ic. p. 272. Fungus alius clypeiformis pernicioſus Cluſ.

FVNGI SVPRA LAPIDES.
Cap. XXXVI.

De Fungo è lapide lyncurio enato quæ Hermol. ſcribit cap. 1. huius libri habentur. Eadem & Ruellius pro ſuis venditat. Similia & *Fungus lyncurius* Porta villæ lib. 10. c. 70. tradit de Fungorum genere è ſaxis nato. Commemorat & Bapt. Fiera in cœna Fungum lyncurium.

Lapides fungiferi. Tanta interceſſit quondam gratia Fungis cum menſis in Italia, vbi eorum frequentiſſimus eſt vſus, vt Neapoli inuenti ſint lapides, qui defoſſi, & in cellas vinarias tranſlati, terrâ aliquantulùm operti, & ſubinde tepidâ aquâ inſperſi, intra quatriduum Fungos non ingratos procrearint. Hos lapides & Romæ & Neapoli ſe vidiſſe iactat Matthiolus, ibique magna ſeruari diligentia, nempe quorum merito quolibet tempore Fungos edant.

Tantus igitur fuit hominum luxus, guloſitaſue vt pro habendis quotidie fungis, lapides quoſdã excogitarint, quos in cellis vinariis ſummâ curâ ſeruabant, & eos terrâ cooperiebant, ſuper quos, ſingulis 8. vel decem diebus, Fungi naſcebantur, de quorum natura ac malignitate tradit Galenus lib. de attenuante diæta cap. 9. vbi omnium olerum, peſſimos eſſe Fungos ſcribit, inquit Amatus.

Caſtor Durantes quoque meminit Fungorum ſupra petras prouenientium ex irrigatione aquæ tepidæ.

Tartufi fungarò Imper. Fer. Imperato Tubera fungifera (*Tartufi fungari*) conſiſtentia ſunt congeneri ac ſimili cum tuberibus eſculentis, ſed duriora magiſque fibrata. Magnitudo horum multiplex, & ſunt qui centenarum librarum pondo ſuperant. Fungos educunt Vere & Autumno. Quidam modicè humectata ſub terra condunt. Nimiùm enim madefactâ marceſcunt.

Synon. C. Bauh. C. Bauh. pin. Fungus 33. ſiue Fungus in ſaxis proueniens: Fungi è lapidibus Matthioli: Fungorum poſtremum genus è ſaxis Portæ: Fungus in lapide fungoſo Neapoli) Camerarii in Matth. germ. & Cæſalp. Fungus petroſus Imper.

Ex hoc Fungos toto anno enaſci, ſi aqua irrigetur etiam domi aſſeruato, creſcereque in dies continuâ fertilitate, pediculis in lapidem induratis, atteſtatur quoque Cæſalpinus. Porta ſcribit hunc Fungum ad eſum præcidi, alium ſubnaſci, ſemperque nouum produci, ſeptem diebus perfici: ſexies anno demeti: terrâ dodrante lapidem operiri: ex Veſuuio, ex Fageto, ex Parthenio, ex Gargano, & celſioribus montium partibus afferri.

FVNGVS RVGOSVS, VEL CAVERNOſus, ſiue Merulius niger & albus.
Cap. XXXVII.



Lautioribus menſis expetitus reponitur etiã *Deſcript.* exſiccatus vt alienis menſibus gulæ ſeruiat, formâ turbinatâ, totus circũquaq; ſcrobiculis peruius, vt fauos apũ imitetur, ex albo nonnihil rubeſcẽs, fuluus aut niger: inq; teriori cæterùm parte totus cauus, albus & velut farinaceo quodam læuore aſperſus; pediculus verò qui Fungi corpus ſuſtinet, infima parte criſpus, totus albus, cauus quoque.

Species ex Cluſio. Quandoquidem verò Cluſius horum Fungorum quatuor ſpecies obſeruauit, lubet etiam earum deſcriptiones ſubiungere, quæ ſic habent. *Prima* pollicis extremum articulum rarò ſuperat, valdè rugoſa, & quaſi faui inſtar in cellulas diſtinctâ membranacea cute, coloris albicantis, quaſi fuligine infecti, præſertim illius venæ, rugoſæ & prominentes, pediculo, quo nititur, cauo, vt & totum Fungi corpus. *Altera*, priorem magnitudine non multùm ſuperans, aliquantulùm contractior eſt, & pyri in clybano cocti inſtar rugoſa, vel potiùs tuber aut radicem Ariſtolochiæ rotundæ vetuſtate contractam & multis rugis præditam, valdè mentitur, coloris ex rufo fuſci: cuius rei cauſa Germani Braun Maurachen cognominant. *Tertia* primæ formâ non diſſimilis, ſed duplò maior, orbicularis plærũque, præter pediculum quo ſuſtinetur: interdum autẽ in trium vnciarum longitudinẽ, æqualemque aut ampliorum craſſitudinem, excreſcit, eiuſdem cum prima coloris, nec minùs quàm illa rugoſa, & veluti in cellulas diſtincta, internè etiam caua: Germanis Stock Maurach dicitur. *Quartæ* recens natæ figura quodammodò ad tertiam, quæ orbicularis eſt, accedit, ſed rugis magis turbatis & compreſſis, vt in ſecũda, color etiam magis candicans, & pediculus longior. Paulò adultior verò, in longitudinem excreſcit, metæ inſtar, aut pilei, ſiue Petaſi germanici longioris qui

limbo

limbo caret; cuiusque apud eos vsus duntaxat hieme, foris etiam rugosa, & in cellulas distincta, quæ colorem pallescentem veluti fuligine quadam infectum habet: internâ autem parte caua & hiante: Germani illam Maurachen nominant. Et hæc Clusius de primi generis Fungorum esculentorum quatuor speciebus, colore & magnitudine differentibus, quas Vngari Szemerchyek vocant, Germani Maurachen.

Videtur porrò ipsi hic Fungus is esse, quem Dalechampius spongiosum cognominat, in asperis & saxosis nascentem, sæpè tamen ad Castanearum radices, colore fuluo, corpore spongioso, figura in metam desinente, suauissimi gustûs: quam ob rem in delitiis haberi variis modis præparatum, vt hominum palatum variis condimentis oblectatur. Gallos vocare Morilles, inde fortasse, quòd ad Mori fructûs figuram nonnihil accedat, vt & eum quem Bapt. Porta à Neapolitanis Spongiolas appellari scribit, à spongiarum similitudine.

Scripsit de Fungis & Tuberibus duo capita Dioscorides quorum prius ὕδνον, h. e. Tuber vocauit, quod mea sententia, inquit Tragus, Morschellen dicunt Germani. Estque ea mihi Tuberum & Fungorum prima species, quæ rotunda est pileoli instar, foris foraminulenta, non aliter atque fauus mellis, coloremque cinereum obtinens: Galli *Truffes* vocant, non ut Theophrastus testatur, *Garanea*: Serapio cap. 236. *Kamech*.

Fungos, quos Morchen vulgò Germani appellant, Cornarius in Æginetam Dolab. lib. . cap. 77. in Diosc. & Gal. alim. eos esse existimat quos Græci Amanitas vocant.

An Fungi Spongioli Hermolai, Ruellii, Tragi & Loniceri?

C. Bauh. pin. Fungus 1. siue porosus: Fungorum 1. genus Trago, Lonic. & Matth. germ. Fungorum præcipuum genus Gesn. coll. Spongiola nonnullis Dod. & Imperat. Neapolitanorum Portæ: Fungi fauaginosi, siue Fungi rugosi, fauis mellis similes Lob. Ic. Plant. tom. 2. p. 274. & hist. belg. Fungi rugosi Cast. Fungi præcoces Dod. belg.


Locus Nascitur prima Clusii species apud Vngaros & in Germania plerumque sub Abietibus, in dumetis atque pratis, sed in his altera præsertim: tertia verò & quarta sub Quercubus magna ex parte, mense Aprili vsque ad Maii finem & ab eo tempore euanescit, nec vsquam apparet, vnde vulgato prouerbio apud Germanos dici solet Du nimst zu wie die Morchellen im Meyen/ hoc est, Non aliter atque Tubera Maio mense crescis & augeris. Merulii nigri abundant in syluis Abietum & Picearum inter Montbelgardum & Porentruum.

Per vniuersam Germaniam adeò in delitiis est hic Fungus vt filo traiectus & in corollas compositus è clauo suspendant, & adseruent, vt etiam media Hieme eo vesci possint. Aqua feruente bullitur, posteaque aromatibus è butyro conditus cibis apponitur. Recens verò apud Vngaros assari solet supra craticulam, vel ex oleo decoqui, sed etiam resiccatus torreri potest, priùs tamen macerari non oportet.

FVNGVS CANDIDVS, CRISTATVS, CAP. XXXVIII.

Fungi autumnales antiquis indicti qui vulgò Gallucci dicuntur, candoris immaculati, bini aut terni ab vno pediculo iuncti, formâ non rotundi, sed veluti galli cristæ, vnde nomen sumpsisse suspicatur Porta villæ lib. 10. cap. 70. sunt croci odore, comâ velut villosâ.

FVNGVS RAMOSVS FLAVVS & albidus. CAP. XXXIX.



Substantiâ est cum cæteris Fungis parili: sed figurâ longè aliâ. Nam ex vno geminoue crasso trunco in alios minores, hi in alios adhuc minores, ad minimos vsque creberrimis & anfractuosis segmentis Coralli fruticis in morem, sed longè densiore stipatu, finditur. Est & varietas quædam. Nam alii in tenuissimas ad extremum venarum instar hepatis diuisuras abeunt: alii in coralli aut paleæ crassitudine subsistunt. Colore sunt alias flauo, alias albido. Et hic curiosiori palatui expetitur.

Hoc fungi genus [Fungorum esculentorum Clusii genus vndeuicesimum] quod diuersæ à reliquis est formæ, eiusque elegantis, Clusius in tres species colore inter se differentes, nonnihil etiam formâ, diuidi posse arbitratur.

Vndeuicesimum Fungorum esculentorum genus hoc Clusii Vngari Szarwas gomba: Germani zigenbart/ oder Geißbart (quod idem est, vtraque enim vox caprinam barbam significat) tum Schäberling appellant: nonnulli etiam hirschling/ eodem quo Fungos villosos nomine. Porrò affinitatem quandam habere videtur cum illis Fungis quos Porta è saxis ex Gargano monte erutis nasci scribit, non pileatos, sed turiones vt asparagos, & in ramos diuisos.

Huc pertinere existimo Fungos digitellos à digitis dictos, quorum meminere Hermolaus & Ruellius, itemque Lonicerus, licèt non demonstrent quid velint.

Matthiolus in Diosc. secutus Lonicerum, miscet Fungum *manine* cum fungo Rheling: meliùs autem fecisset si distinguendo Tragum fuisset imitatus. In hist. germ. vocat hendelschwam.

Huc igitur referimus quoque Fungorum 5. genus, Digitellos (hendelschwam) luteos prorsus, partim ex albo pallidos & roseos Tragi, Digitellos siue Maninas vulgò Cæsalpini.

Quare hallucinari videtur C. Bauh. pin. distinguens inter Fungum 19. esculentum Clusii, qui ipsi est Fungus 29. siue ramosus Imperati: Et Fungos digitellos autorum iam allegatorum, qui ipsi sunt Fungus 31. siue candidus digitatus minor. Nec hic fortè eximendus Fungus 30. siue digitatus maior, Eiusdem.

Fungus ramosus Autumno ante Vergiliarum occasum prodit in vmbrosis syluis. Digitelli Tragi in humectis & vliginosis filuis reperiuntur: gaudent iuxta putrida ferè ligna prouenire. Fungus escul. 19. Clusii Septembri mense sub Corylis nasci gaudet.

Locus & Tempus.

Succosi sunt Trago digitelli eius iudicio frigidi, ac improbæ difficilisque concoctionis & prorsus insalubres.

FVNGI RAMOSI ARGENTEI. CAP. XL.

Locus.

IN putridis deiectarum arborum caudicibus crescit quod Clusio vicesimum quintum Fungorum non esculentorum, immò pernicialium genus est circa Calendas Nouembris. Hoc Vngari feyer ſʒarwas gomba à candore cognominant: Germani wild hirſchling, i. e. siluestrem ceruinum Fungum, ad eius differentiam, qui pro Fungo ramoso descriptus est.

Semipedalis magnitudinis est hic Fungus aut amplior, elegantissimæ formæ: nam fruticosus & in innumeros quodammodò ramulos diuisus, candoris immaculati, quorum nõnulli abiegnorum ramulorum figuram exprimunt, adeò vt si splenderet, ex puro puto argento conflatum quis æstimare possit: aliquando nullum habet pediculum, sed ipsi deiectæ arboris caudici inhæret: interdum sescunciali nititur pediculo.

Synon.

C Bauh. pin. Fungus noxius 40. siue ramosus candidus: Fungorum noxiorum 25. genus Clusii: figura habetur Exot. hist. ap. alt. in fine.

Varietas.

Huius generis obseruauimus Fungum digitatum nigrum veluti cornua exprimentem.

FVNGVS GALLINELLA DICTVS. CAP. XLI.

Descrip.

FVngus Gallinella antiquis indictus, secundum traditionem Portæ de villa, parua est forma Spongiis, vel nascentibus Porris similis, quatuor digitorum longitudine. Nascitur Autumno locis vmbrosis.

Locus & Tempus.

FVNGI DELICATISSIMI SAPORIS. CAP. XLII.

VLtra Balatonem lacum Vngariæ, in parua insula cui nomen *Fanot* Simidiensi Comitatu, Aprili mense nasci intelligebat Clusius *alterum genus Fungorum esculentorum* delicatissimi saporis, cuius nomen ipsi indicare nemo poterat, sed illis similis esse ferebatur, qui inter perniciosos & lethales Fungi fœtidi serpentini vocantur, & ab Vngaris Kygio gomba, à Germanis Natter ſchwamen dicuntur: pyramidali tamen dodrantalique apice & angusto hunc Fungum esse.

Synon.

C. Bauh. pin. Fungus 2. siue apice pyramidali & angusto: Fungi esculenti alterum genus Clusii.

FVNGI TRES FOETIDI SVB CORYLIS, serpentini dicti, perniciosi. CAP. XLIII.

Locus & Tempus.

DEcimum sextum Fungorum noxiorum genus Clusii faciunt hi, de quo ait: Extremo Sextili prouenit sub Corylis, fœtidi admodum odoris, quod Rigyo gomba Vng. Germ. Natter ſchwamen, quasi serpentinum siue colubrinum Fungum, appellant. Eius porrò tres species obseruantur magnitudine pænè inter se æquales, sed colore & formâ dispares.

Prior oblongo gracilique fulcitur pediculo, cui insidet initio veluti ouum excalptum: vnciaslis magnitudinis, coloris albi fuligine perfusi externâ parte, nigri striati infernâ & supinâ: dein, oras explicans, sescuncialem amplitudinem adquirit, in pilei, paruique galeri similitudinem formatam, albi supernè coloris, frequentibus fuscis maculis distinctam, atque ipso fastigio veluti fuligine infecto.

Altera longo, gracilique pediculo sustinet Fungi corpus, parui galeri figura formatum, vix vngue maius, initiò dilutiore fuligine infectum: sescuncialis autem magnitudinis cùm adoleuit, galeri etiam formâ, colore superna parte atrâ fuligine tincto: infernâ autem, instar fornicis camerata, & nigris striis exarata, quemadmodum & iunior.


Synon.

Tertia corpus, eiusdem cum superiore magnitudinis, valdè laceris est oris, & quodammodò in lacinias diuisum, rufi interdum coloris supernè, fuliginosis striis notatum infernè, nonnũquã autem albi coloris fuligine infecti supernè, & nigris striis exaratum infernè: aliquando etiam infernâ & supinâ parte adeò inuersâ & reflexâ, surrectisque laciniis, vt florem aliquem exprimere vel mentiri videatur.

Aliud Fungorum genus sub Corylis proueniens venenatum, ex Clusio quoque postea trademus. De quo hoc capite agimus est C. Bauhin. in pin. Fungus noxius 26. siue Fungus oris laceris & in lacinias diuisis.

FVNGVS CORALLOEIDES cancellatus. CAP. XLIV.

Descrip.



NObilis vir N. de Calluas, Peirets toparcha misit ad me (inquit Clus. Exot in appendicis alterius Auctario in fine) Fungum admirabilis texturę Nascitur autem ipso referente, Belgomeriensi agro, tum in siluis, tum inter harundines secundum fluuiolum consitas, gallinacei oui forma, dum è terra primùm erumpit, colore prorsus niueo, radicemque habere ait tenuem, candidam, in multas fibras valde tenues diuisam, qua firmetur & alimentum sibi necessarium attrahat: ouum autem illud siue voluam, dum maturescit, sensim disrumpi & dehiscere, & inde exilire, tanquam marsupium aliquod, distinctione cancellatim reticulatâ constans, & in obliquos veluti ramos inuicem sese secantes atque summâ parte in vnum coëuntes formatum, rubri coloris: vt tondem coralli ni rami simul implexi videantur: sed admirabilem illam externam venustatem & elegantiam prorsus deformari & corrumpi à fœtidissimo quem exhalat odore: illum autem odorem oriri suspicabatur à crasso cineraceoque quodam liquore rubentes illos ramos supina parte obsidente, quem

quem, simul atque ex sua volua exclusus est Fungus, varii generis parua insecta mirificè appetunt, & tandem etiam absumunt, omnem alium cibum præ isto spernentes: imò multos alios Fungos, quos alioqui optimos esse credunt & in deliciis habere solent. Inter perniciosos autem Fungos hoc etiam genus referendum esse, nemo vt opinor, inficiabitur: &c.

C.Baup. C.Bauh.pin.inter Fungos noxios quadragesimum tertium facit, vocatque Fungum rotundum cancellatum: Fungum lupi crepitum vulgi, efflorescentem Columnæ. Hunc C.Bauh. a Fungis puluerulentis distinguendum haud censet, licèt eum & Clusius, & Columna peculiari figura expresserint, & ipsemet hunc ab illis diuersum pronunciarit.

FVNGVS INTYBACEVS, ET ALIVS interaneis vituli similis, cinereus.
CAP. XLV.

Descrip: MEmorabilis est magnitudinis & formæ: planus & compressus, diametiente sesquipedali, ex foliis totus, aliis incumbentibus, aliis subeuntibus consarcinatus: Intybo crispo haud ineptè compararueris: singulares foliosæ portiones cristatis crispisque oris, in quas radix ab insertione producuntur, pectunculos imitati: color parte supinâ veluti cinericeus, pronâ albus: inuersus porosus apparet, stellamque marinam arborescétem egregiè exprimit. Odor haud ingratus. Substantia lignosior quàm vt in cibos venire possit, mése Septembri repertus: mense autem Augusto non ita durus obseruatur, quem quidam edulem dicunt. Nascitur in siluis.



An arborum Fungi Auriculę Iudæ facie, Lobelio? Eius Iconem nimis imitatus est pictor, nostrâ plantâ neglectâ cui cristatæ & crispæ oræ.

Locus. Huc iam pertinere arbitramur Fungi 7. genus Tragi, quod in siluis Augusto mense reperitur,
Tempus. prope radices Quercuum, magnum quidem, & formam interaneorum vituli repræsentans, incani & plumbei coloris, ac à nonnullis more aliorum Fungorum decoquitur: Germani Eichschwemme, & à forma hasen ohrlin/ h. e. Lepusculos nominant. Lonic. Fungos lepusculos: Matth.germ. Fungorum genus nonum: Gesn. coll. Fungi genus magnum.

FVNGI MONSTROSI, VASTÆ amplitudinis, esculenti, coloris vel ex rufo nigricantis, vel ex albo nigri. CAP. XLVI.

MOnstrum veriùs Fungi quàm Fungum censendum iudicat Clusius vicesimum primū genus suorum esculentorum Fungorum; quia adeò vastæ interdum est amplitudinis, vt integram etiam μυαντοτάγων familiam explere & satiare possit: nam refertur circa Levva Dominorum Dobo oppidum, in extremæ Vngariæ limitibus Croatiæ vicinis, tantâ nonnunquam amplitudine excrescere, vt bigam facilè expleret, præsertim, vt aiunt, si quis præteriens (quod superstitione non caret) admirabundus subsistat: immò (quod magis ridiculum) asserunt nonnulli, conuitiis proscindendum esse, vt in tantam molem excrescat, alioqui manere in ea magnitudine, quâ primùm conspectus est, quasi ægre ferentem se negligi.

Locus & tempus. Nascitur autem in Vngaria sub extremum Autumnum, vel circiter diem D. Michaeli sacrum, ad Quercuum radices. Vocatur ab Vngaris Bozfree gomba: à Germanis Scheberling.

Si quis porrò Fungos ferè sine pediculo cum hoc monstroso Fungo conferat, non sine causa forsitan existimabit, illos esse huius generis nondum adultas species, adeò illi ad illius formam accedunt.

Considerandum autem est, an similis fuerit Fungus, qui (referente Dione Cassio Niceo) Traiano Cęsare aduersus Decebalum Daciæ Regem proficiscente, ingens latinis literis inscriptus circumferebatur a Barbaris.

Eum certò esse concludit Clusius, quem Porta à Neapolitanis Gallinaccia appellari scribit, tantæ magnitudinis, vt sexaginta libras interdum pēdat, sufficereque possit ad vniuersam familiam pascendam. Portæ verba sunt hæc: Est Fungorum species antiquis indicta, Neapolitanis Gallinaccia vulgò nuncupata, mirabili profectò forma, vt nescias cui assimules: ad magnam crescit altitudinem, vt brachiis diductis vix homo complecti possit, pondus sexaginta librarum, non orbiculari formâ, vt cæteri, sed veluti manus in digitos plures diducta, vt Quercûs frondibus assimiletur, albus, callosus, vt vix integro vniuersa familia vesci possit.

C. Bauhin. pin. tamen dubitat an Gallinaccia Neapolitanorum Portæ sit Fungi esculenti genus 21. monstrosum Clusii, quod ipsi est Fungus 32. siue maximus Vngaricus.

FVNGI LARICVM MAXIMI LVTEI esculenti.
CAP. XLVII.

FVngi non tantùm humi proueniunt, sed & in arborum caudicibus, qui omni ferè periculo vacant (dummodò non sint arbores noxiæ) quòd è cortice prosiliant: cui nec ferrum, nec tabefactus pannus, nec serpentis cadauer subesse potest. Ex hoc genere quidam, præter Agaricum, Laricibus innascuntur in Ananiensibus montibus, triginta librarum pondere, aureo colore, per ambitum dissecti, in cibis gratissimi, nullo amarore præditi, licèt Agaricus ab eadem arbore productus sit amarissimus, inquit Matthiolus. C.Bauh. pin. Fungus 26. siue lariceus aurei coloris.

Fungus auritus Iuglandium, albicans.

ORechinole species Fungi coriacei figu[illegible] foliacei, quæ ab vno pedicello, in curuaturam abit, in ambitu Rosæ dimidiatæ instar dissecta. Pars inferna, reliquorum Fungorum in mo-

rem striis foliaceis secta. Nascitur in arboribus, specialiter in Nucibus, colore albicante. Fer. Imper. lib. 27. c. 6. An species aliqua Fungorum plurium simul alborum esculentorum, eorum sc. qui ad Iuglandis radices proueniunt?

Fungus lignosus arboreus ad furfures.

FVngus quo, autore Imperato, ad abstergendos capitis furfures vtimur, de lignosorum Fungorum genere est, magnus & maximi capitis medietatem adæquans. Nullo pediculo nititur, sed arboribus immediatè affixus hæret, diuisuras infernè manifestas habens, quarum ope furfures decutiuntur.

An Hermol. coroll. 698. Fungi quibus strigilium vice tonstrina vtitur? C. Bauh. pin. Fungus noxius 4. siue ad cutim extergendam aptus: Fungi igniarij species, quà in tonstrinis pro strigili vtuntur, Cæsalp.

Fungi Castanearum Laciniæ dicti.

FVngorum, qui Laciniæ priuatim dicuntur è Castanea, magnitudine spectabilium, vt singuli sufficiant, meminit Hermolaus loco suprà citato, & post eum Ruellius.

Fungus villosus arboreus, coloris ochræ, tinctorius.

Descript. FVngus villosus dictus Imperato, mediocris magnitudinis est, duobus pugnis simul iunctis ferè æqualis, vndique tunica mucosa obtectus, quæ in villos disiungitur breues, quorum longitudo ipsam tunicæ crassitudinem æquat. Interior quoque substantia villosa est, quæ arbori adhærens in filamenta, quæ ex corio emergunt, quaquauersum terminantur. Colliguntur ex arboribus pomorum, colore intus ochræ, qui exsiccati nigrescunt. Vtuntur mulierculæ horum decocto ad tingenda velamenta lugubria. Locus.

FVNGI ARBOREI AD ELLYCHINIA. CAP. XLVIII.

Descript. EX Iuglandibus colliguntur Fungi, truncis annosis adnati, substantiâ callosâ, lignosaque, in ambitu & fibris rectis contextâ, in meditullio molliore, in qua [si rectè memini] vix vlla apparent fibrarum vestigia: color foris cinereus, intrinsecus obscurior ad fuscum inclinans: præparatione autem assequuntur mollitiem illam, & ignium rapacem vim, quos depopulantes ipsorũ substantiam ad extremum fouent.

Ruellius Lac. & Lonic. meminerunt Fungorum arboreorum qui fortè iidem sunt cum iis quos cum Hermolao Igniarios vocant.

Fungi, inquit Tragus, qui radicibus arborum, potissimùm Populi nigræ adnascuntur, Ægiritæ nuncupantur: qui verò caudicibus quarumvis arborum adhærent, Arborei dicuntur, cùmque igni concipiendo parantur & vsurpantur, Igniarij, germ. Zündersschwem appellantur. Ad hos autem vsus adhibentur ea præcipuè Fungorum genera quæ Fagis & Nucibus adnascũtur: ignem enim quem semel conceperunt, non facilè relinquunt. Sunt non pauci qui Fungos hos ad id negotium parare norunt, decoquunt enim illos in lixiuio & siccatos tundunt, rursusque nitro coquunt, hoc enim pacto ad concipiendum ignem aptiores redduntur.

Ex Galeno manifestum esse ait Cornarius fuisse Galeni tempore Fungorũ genus aliquod, quod Ellychnion priuatim appellaretur, cognomine ταρσικὸν, cuius nusquam mentionem fecerit Plinius, quòd fortè Romæ nondum in vsu foret. Et licèt hodie quoque qualis materia eorum Ellychniorum, quæ ex Tarso adueherentur, fuerit, haud facilè quis dixerit, eò quòd res, & nomen perierint: Suspicatur tamen idem Cornarius Tarsensia hęc ellychnia ex Fungorum terrestrium genere fuisse, eorum videlicet qui similitudinem quandam ad marinas Spongias habent, & quibus etiam hodie ad ignis scintillam ex silice ad chalybem impacto excussam, excipiendam vtimur, quum commodissimè ignis in his Fungis seruetur. Nec de aliis Virgilium loqui credit lib. 1. Georg. Ellychnium Tarsicum.

Nec nocturna quidem carpentes pensa puellæ
Nesciuêre Hyemem: testa cùm ardente viderent
Scintillare oleum: & putres concrescere Fungos.

SVnt tamen qui Fungos quosdam crescere ac generari sibi imaginantur in lucernis, dum pluuiæ tempestas instat, Seruium Grammaticum sequentes, qui hunc locum exponens ait, Nam vt dicit Plinius, cùm aer humidus esse cæperit, fauilla quæ cum fumo solet egredi, prohibitâ aeris crassitate in lucernis residet, & quasdam velut Fungorum imitatur imagines. Cornarius tamen Plinium hæc dicere negat: Et nihilominus cum Seruio, tum iis qui illum hac parte sequuntur, fauillam Fungum fieri permittit, at ipsis suum commentum placere sinit: modò videant vt istum lucernarum Fungum apprehendant, ne aëris crassitate depulsâ, vnà cum fumo elabatur, si fortè in vsum assumere velint. Contra Seruium eiusque sectatores.

Cæterùm ex Fungis terrestribus fiantne Ellychnia dubitamus: suspicamur non fuisse Cornario bene perspectum ex quo Fungorum genere fierent fomites ignis, Spongiis similes, dum dicit esse ex terrestrium genere: colliguntur enim in Germania ex Iuglandibus, & præparatione redduntur Spongiis similes. Hos autem Fungos esse Virgilij & Plinij lucernarum non existimamus, ac hac in parte Matthiolo Cornarium reprehendenti assentimur. Corn. not.


An Fungus *Borsaro* recd. Imper.? An Fungus Agarico similis Lobelio?

FVNGVS AVRICVLÆ IVDÆ, COLORIS ex cineraceo nigricantis, perniciosus, in Sambuci caudice nascens. CAP. XLIX.

Descript. EST hic Fungosus perniciosus primus Clusij, de quo ait: Fungorum perniciosorum primi generis vnicam speciem obseruare memini, licèt magnitudo eius vna non sit: sed eam diuersitatẽ ex ætate oriri arbitror. Quotquot autem conspexi, breuissimo, vel potiùs nullo pediculo nituntur, sed caudici arboris inhærent, aut singulares, aut gemini, membranaceâ cute constantes, implicata & sinuosa, coloris ex cineraceo nigricantis. Vulgus *Auriculam Iudæ* nominat, cartilaginea enim & membranacea est substantia, quemadmodum auris. Vngari Boza fatermevvt: Germani holdeschwammen appellant, quia in Sambuci caudice nascitur, cùm huic arbori primùm prorumpunt folia.

C. Bauh. pin. Fungus noxius 1. siue membranaceus auriculam referens, siue Sambucinus. vt Cæst. Fungus ad Sambucum Trago: Auriculæ Iudæ vulgo: Fungorum perniciosorum 1. genus.

Vires. genus Clus. An Fungus auricularis Imperato?



Fungos in Sambuco genitos omnis generis inflammationes & tumores ex aqua rosacea aut vino impositos sedare & deprimere tradidêre quidam apud Tragum. Solet is Fungus, ait Clusius, tametsi non esculentus, à plærisque adseruari exsiccatus in vsum: nam in gutturis tumoribus, acetum in quo maceratus sit, exhibere solent, ad gargarisandum, & guttur eluendum.

FVNGI TRES DICTI SPONGIÆ lignorum. perniciosi. CAP. L.

FVngorum noxiorum vicesimum quartum genus Clusii faciunt hi, quod Germ. holtz schwammen appellant, quoniam Octobri mense, in putridis deiectarum arborum ramis crescat. Tres autem eius species obseruantur.

Species. *Prima* reliquis maior in maiusculis ramorum fragmentis humi iacentibus nascitur: formâ Fungo Auriculæ Iudæ haud valde dissimili, sed colore elegantiore, nempe rubro, vncialis aut duarum vnciarum magnitudinis: interdum plures cohærentes, & in vnum corpus veluti coalescentes, valde tamen se remittente colore.

Altera longè exilior est, & vnguis latitudinem interdum non superans, nonnunquam etiam latior, singularis aliquando, interdum bini simul coniuncti, formâ veluti supernè exsculptâ, coloris egregiè rubentis, & adeò floridi, vt coccineũ prouocare videatur. Inhæret plærumque tenuibus ramorum humi iacentium, aut corticis illorum fragmentis, in viis obscuris & ab arboribus obsessis, quæ Solis radios adimunt.


Tertia rugoso prorsus est corpore, vncialis aliquando magnitudinis, nonnunquam sescuncialis, interdum bini simul cohærent vnciâ minores, plærumque etiam terni, & illi quidem elegantiore aureo colore præditi, reliqui flauo: adnascuntur similiter tenuibus vel ramulis, vel eorum fragmentis humi iacentibus.

Synon. C.Bauh.pin. Fungus noxius 2. siue Fungus putridus, arborum ramis inhærens, plurimis simul cohærentibus.

FVNGI VENENATI QVINQVE, MVSCArii dicti. CAP. LI.

Species. HVic Fungorum noxiorum generi, quod duodecimum est Clusio Germani fliegenschwammen appellationem dederunt, à muscis, quæ illud valdè appetunt, & plærumque illi insident, non sine ipsarum pernicie, siquidem quotquot degustant, intereunt. Quinque autem tradit Clusius eius species, omnes extremo Sextili in cæduis siluis prouenientes:

Earum autem elegantissima est quam quartam facit, quæ hac tabella exprimitur, cuius ab ætate duntaxat quoddam discrimen est: Iunioris enim & recens natæ corpus minorem habet orbem, & binas vncias solummodò latum, rubro colore valdè saturo instar concreti sanguinis tinctum, per cuius superficiem frequentes exalbidæ sunt conspersæ maculæ: Adultior in maiorẽ latitudinem patet, vt quæ quincuncialis sit aut amplior,



tumida supernè, rubro etiam colore, sed paullò remissiore, quàm in iuniore tincta, obscurioribus veluti vndis intercursantibus distincta, & crebris etiam exalbidis maculis infecta: pediculo autem constat protuberante infima parte, deinde trientem longo, vnciam crasso, à quo infernâ parte crassæ nigræ striæ ductæ in ambitum: bini interdum eodem pede coniunctim nascuntur.

C.Bauh.pin. Fungus noxius 19. siue muscas interficiens: Fungi muscarii Trago, Cordo in Dioscor. Lon. & Tab. Fungorum noxiorum 12. genus Clusio. *Synon.*

Inuenitur quarta species in cæduis siluis Francofurto ad Mœnum vicinis, vnde rusticæ mulieres lectum, in vrbem deferunt venalem, cùm non ignorent plærosque empturos ad muscas necandas: nam cùm muscæ libenter illi insideant, diuulsam in fragmenta, variis in conclaui locis ante fenestras spargere solent, ad quæ inuitatæ & excitæ muscæ, succum sugunt ipsis perniciosum, & paullò pòst etiam lethalem. *Locus*

FVNGI BETVLARVM ALBI, MACVLAti, perniciosi. CAP. LII.

OCtauum hi sunt genus Fungorum noxiorum Clusio, quod circa Pentecosten prouenit in siluis ad Betularum caudices & truncos, cuius rei causa Vngari Nyrfa gombaya, Germani Birckenschwammen appellent, h. e. Fungum betulaceum. *Locus & Tempus*


Orbiculatæ, inquit, penè est figuræ, supernè paullo elatioris, albi coloris, leui fuligine adumbrati, in quo maculæ quædam rufescentes latitudo duarum vnciarum: inferna pars tota alba est, exceptis striis, quæ fuligine infectæ, à pediculo binas vncias longo & gracili ductæ, in extremas oras desinunt. *Descript.*

C. Bauh. pin. Fungus noxius 16. siue Fungus ad Betulam Trago. *Synon.*

FVNGI PRVNORVM COMMIXTI coloris perniciosi. CAP. LIII.

HOs sub Fungorum noxiorum genere secundo tradit idem Clusius. Sub Pruni arboribus, inquit, nouo Vere nascuntur secundum

Synon.



C.Bauh. pin. Fungi noxii 37. siue Fungi orbicularis in palustribus, species 3. & 4.

Circiter Calendas Octobris, cùm secúdum vias, tum in lignis putridis & palustribus locis proueniunt.

FVNGI DVO : BVLBOSO PEDICVLO: 1. pallidus maculatus. 2. tetri coloris.

Cap. LIX.

Locus & Tempus. DEcimum-quintum faciunt hi perniciosi Fungi genus, quod Clusius Vngaros Tinor gomba: Germanos verò Schmeer schwammen appellare refert: perinde ac si vnguinosum Fungum diceres, in cæduis siluis crescit extremo Sextili, h.e. circa diem D.Bartholomæo sacrum. Eius autem variæ dicuntur inueniri species: Clusius binas obseruabat.

Priorem, quæ hic pingitur, triuncialis amplitudinis cum suo pediculo, alioqui corpus ipsú Fungi vncialem magnitudinem non superat, pediculus auté binas, supremâ parte pollicaris crassitudinis, infernâ sescuncialis, in Bulbi formam excrescens, coloris ex albo pallescentis: ipsum etiam Fungi corpus supernè pallidú est, sed maculis dilutè nigricantibus distinctú, atque oris in supinam parté reflexis: infernè multis striis ex pallido fuscis, à pediculo in ambitum porrectis, distinctum. Hanc specié *feyer ti nor*, i.e. albá, Vngari cognominant.



Alteri, cognomen dederunt à nigro colore, Vngari *Fekete ti nor* : Germani Schwartz schmeer schwammen. Informis hæc est species, & valdè tetri coloris, vt veriùs ligni, siue radicis cuiusdam, nodosum & nigrum fragmentum videatur, quàm Fungus, quod vtraque manu vix comprehendi queat : crasso breuique pediculo nititur.

Synonyma C.Bauh.pin.Fungus noxius 22. siue Fungus pediculo in bulbi formam excrescente.

FVNGVS PHALLOIDES.

CAP. LX.

PHallum, ex Fungorum genere in Hollandiæ sabuletis passim crescentem, picturâ ad viuum expressit, & delineauit Had Iunius.

Locus. Donum, quod fœcunda illa Naturæ vis atque maiestas, & sacra rerum parens Tellus (cuius vtriusque benignitas nusquam clausa, tam sua sponte, quàm etiam coacta, sua dona liberalissimè impertit omnibus, parca nemini, officiosa vbique, & obsequiosa etiam, nisi fortè hanc illi laudem venenorum non minùs testibilis seges deneget) paucis mortalium cognitum, à nemine Veterum Recentiorúmue scriptorum ante me literis proditum, in sabuletis nostratibus enasci dederunt, in literarum monumenta referre, memoriæque consecrare volui: siue ludentis naturæ rudimentum illud sit in exprimendo veretro, siue singulare sit eius beneficium ad vsum mortalitatis comparatum, hoc præsertim tempore, quo propter effrænatas libidines, luxumque, cui modum omné ademit licentia, podagræ & articulares morbi agminatim incúbunt, ne diutius lateret incognita remedii præfés vtilitas, quæ permagna esse traditur in feruenti atq; intolerabili artuum cruciatu.

Descriptio. Hunc igitur Naturæ fœtum aliæ nationes admirentur, spectent, fruátur quatenus licet: docti verò, quibus liberalius suppetit otium ad omnifariam lectionem, & quibus fœlicior ingenii vena obtigit, diligentiùs cósiderent atque expendant secum virium rationem. Sed ad rem ipsam.



In medio acutarum caricum velut vmbilico sub extrema arenæ superficie massula inuenitur alba, rotunda, pilam manuariam aut bulbum specie pariter & candore referens, cui neruus bisulcus, aut fibra gemina, radicis loco subest, quo succum (vt arbitror) rapit: mucco ea lento, viscido, coacti iusculi cremorisue in modum spisso abundat, grauisque adeò, vt aquæ pondus superet, fusilisue plumbi fermè adæquet : eodem adeò gelido, vt volæ manus apposita massa [quam Pliniano vocabulo dixisse non absre licebit] penetrabilis frigoris sensum adferat. Ea vbi primùm scrobe reuelitur pallidior est, mox paulatim purpurascit, intercurrentibus sparsim ceu venulis quibusdam sanguineis : à quo colore nonnihil euariat fibrarum magis liuidus color, in concreti sanguinis nigrorem paulatim emoriens. At muccus reuulsa a terra volua citissimè liquatur ac diffluit: quin & coles ipse non multò post flaccescit, idemq; virosum vsque adeò halitum efflat, vt vel totius cubiculi aërem sit saturaturus. Hæc volua mensi-

bus autumnalibus citiùs tardiúsue pro diuersa anni facie ac temperie disrumpi vomicæ instar diffindique solet: quo tempore rectus inde scapus colesue exilit, illæsa volua exemptilis ac tum quidem scroti faciem prope mentitur turgida voluæ moles. *Neque* verò silentio inuoluendum est, id quod miraculi vicem implere posse, ne dicam superare, crediderim, quod nimirum scrobe reuulsa massa, volua etiamnum integra καὶ ὁλόκληρος priusquam colem effuderit, si fortè recondatur in penum, aut quemuis etiam domus angulum seponatur, post exactum diei vnius atque alterius curriculum in iustā suamque magnitudinem erectum scapum emittet, cuius rei documentum ab vno atque altero indubitatæ fidei homine quum accepissem, volui & ego periculum facere, itaque abstrusis in penetrale musæi mei adytum binis eiusmodi voluis, oculatus ipse testis eorum fidem approbaui.

Materia.

Materiā scapus fungosā constat, rarā, plumā leuiore, maculosus, cinerei propè coloris, foramine peruio rimosus, eoque læui ac velut dedolato, interiùs latiore, sub exitum arctiore, teres, ad duorum palmorum mensuram accedens.

Longitudo.

Sunt qui etiam dodrantales mammillæ se prædicant. Huic insistit, non vti Fungo petasus, sed galea aut capitellum in figuram metæ propemodum fastigiatum, exemtile, cætera glandis virilis specie, nisi quod cancellata sit cute quale elephanti traditur esse corium, vel qualis echinus, aut bouis ventriculus, cancellis rhomboïdibus præditus spectatur: eiusdem extimus vertex rugis adstrictior foramen habet

Graue spirat.

quā grauis expirat halitus, propterea à muscis frequenter osculatus: id capitellum cauli est concolor, videtur etiam sæpenumero, atrum in caule prorsus nigro, sed senio id acceptum referri debebit, exoleto namque pro candido anthracinus mutatur color: interdum etiam è leucophæo virorem induit capitellum illud, qui non multò pòst in fuluum abit. *Hactenus* germinis istius, ita vt volua, cole, & glandiformi capitulo constat, figuram vtcunque delineaui:

Phallus vnde dictus dubitatur.

Quamobrem autem Phallum nuncupauerim facilis explicatu ratio est, imò cuiuis obuia, qui vel à limine Græciam salutarit. Fecit hoc similitudo, quam habet cum coriaceo & ficulno veretro, quod in decantatis mysteriis vana gentilitas circumferre solebat, hoc Phallagogiā, illud Phallum & Ithyphallum indigitante superstitione. Quid vetat autem noua in re nouo vti vocabulo? quando & Fungorum diuersitas varia inuenerit nomina. *Porro* debeatne in Fungorum classem adoptari iste Phallus, non ausim temerè velut pro comperto & explorato

an sit Fungus.

definire, nolens aliorum sententiæ doctiorum præiudicatum: certè materiæ raritas leuitasque: & (quæ prima Fungi origo est) terræ madentis acescens succus, vnde gignitur, fungini eum esse generis testantur: tametsi striarum ductus, qui nulli huic sunt, reclamant, qui tamen in Fungis visuntur: nullum est huius etiam petasi pediculo cohærentis vestigium, quippe vbi capitulum, quod petasi vicem obtinet, innoxiè demi possit: natalis insuper locus repugnat, siquidem istud germen sabuleta tantùm, neque ea omnia, nisi caricibus veteribus consita producunt: at Fungos fermè vliginosa, rancida, situ squallida, & glandiferis radicibus vicina loca gignere scriptores ex confesso prodiderunt.

H. Lugd. p. 1799. icones exhibet Had. Iunii, sc. Phallum Batauicum, eiusque separatas partes, Veretrum, Veretri præputium, & Voluam tanquam scrotum, de quibus omnibus hæc subdit: Phallus, in maritimis Hollandiæ, ac Zelandiæ arenosis gignitur, hominis pudendo

Hominis pudendo similis.

suo præputio contecto adeò similis, vt inde nomen sit tributum. Siue integrum & partibus adhuc suis constantem ac compactum, minimè diuisis, siue in partes, è quibus componitur, iam discissum inspiciamus, ad verendorum hominis figuram sic accedit, vt in eo generando lusisse natura videatur lasciuiùs, succo in arenis frigidis siccisque reperto, è quo hominis penem fingere meditata sit, afflatu etiam maris fortassis adiuta, cuius vim maximè genitalem esse periti rerum naturalium omnes testantur, & suis Poëtæ fabulis indicant, τὴν ἀναδυομένην ἀφροδίτην versibus celebrantes, nempe Venerem è maris fluctibus exorientem, ac emergentem. Posteriore parte velut inter duas prominulas nates, cauum patet, [mauult enim Dalech. cum podice comparare, quàm cum muliebri vulua.] In id cauum, tanquam in scroti fundum, tenue filum subit, bifidum, quo tanquam radice, in arenoso solo defigitur. Quod terræ proximum est, Bulgæ figura, inferiora Phalli operit, extremaque ora laciniata, in apices extantes diducta, vndique illum amplectitur, rugosi scroti quadam imagine: Bulgā detractā subest aliud inuolucrum, tanquam elytroides tunica in hominis testiculis, Superiore angustius, ac minus, Phallum circumdans orbe simplici linea circumeunte, non tamen continuato, sed interrupto rima, quæ veluti duorum testium interuallum ostendit. In tuberculum subrotundum id desinit, radici vicinum, cui radix inseritur. Inde penis in longum porrigitur, mentulæ specie, punctis quibusdam notatus, in summo, sub præputio, pertusus, rotundo foramine, quod in extremo hominis veretro fistulam imitatur, quā vrina profluit. Munit summum illud fastigium, & vestit præputium [sic enim aptissimè vocari potest] vndique circumuolutum, cutis plicatilis modo. Extrema parte præputii carnosi osculi rotundus velut apex eminet, fistulosus, pelle circum crispata, humani præputii corrugato fini similis.

Satyrion Diosc. Matth.

Phallus hic Hollandicus pro Satyrio primo Dioscoridis, Matthiolo tribus foliis Rumicis affixis, fuit venditus, prout Ludou. Fumanellus, qui hunc & illum qui ad Matthiolum est missus, spectauit, apertè testatur: facilè autem fuit decipi, propter summam vtriusque, antequam è terra erumpat, similitudinem. Misit autem Matthiolo Satyrionis Dioscoridis primam illam speciem, quibusdam, vt ait, Trifolium dictam, Calceolarius.

Trifolium quorundam. Phallus Had. Iunii Lob.

Phallus Had. Iunii paullò aliter pingitur apud Clusium sub titulo Glandis seu capitelli Phalli, ex hist. belgica Lobelii cuius hic iconem subiicimus. Inter naturæ miracula, inquit, celebratur,

Locus.

hic Fungus apud Batauos anno 1559. Antuerpiam ad me missus. Similem deinde Septennio pòst arenoso loco ad Ligeris fluuii ripam non procul Blæsis reperiebam Septembri. Copiosè crescit in Hollandia è radicibus Sparti, diuersis sabulosis aggeribus, Sparto illo rudi consitis, præsertim verò iis qui Harlemo & Alcmariæ sunt vicini. Sunt

Vtilis ad podagram calidam.

(addit) qui asserant frigidissimum illum voluæ coagulatum & lentum muccum valde vtilem esse ad podagram ex humore calido prognatam profligandam. Muscæ valdè appetunt hunc Phallum, perinde atque alios fœtidos Fungos.

Synon.

C. Bauh. pin. Fungus noxius 38. siue Fungus fœtidus penis imaginem referens: Phallus Had.

C. Bauh.


Iunio: Phallus Batauicus H. Lugd. Phallus Hollandicus.



landicus, Satyrion trifolium Matthiolo [cuius non esse Fũgum ceruinum probat H. Iunius] Ponæ It. & in Balbo: Fũgus virilis penis arrecti facie Lob. belg. & Ic. Plantar. tom. 2. p. 275. Fungus marinus Dod. Belg. Fũgi perniciosi 23. generis species 5. Clusii. *Clusius tamen* speciem suam quintam Fungorum perniciosorum 23. generis, à Phallo Had. Iunii separat, quinimò huic duntaxat accedere scribit. Quare & nos de ea seorsim agimus.

Mirabilem hunc Fungum Doctiss. Vir. D. Mochius Medicus & Professor Academiæ Friburgensis, Brisgoiæ propè sacellum in sylua, D. Barbaræ dicatum obseruauit, eundemque mihi transmisit.

FVNGI PHALLOIDIS GENVS. CAP. LXI.



Descript.

FVngorum noxiorum 23. generis 5. Clusio valdè accedere videtur ad Phallum ad Had. Iunio olim in sabulosis aggeribus Hollandiæ, Oceano obiectis, obseruatũ & decantatum.

Informi autem pænè figura emergit, tuberis instar: deinde rupta illa externâ membranâ, siue voluâ, stilus exilis pollicari crassitudine, digitali autẽ longitudine, penis aut veretri canini instar, & tanquam vnciali glande summo fastigio præditus, initiò quidem ex atrò virescente, deinde nigrâ, & cellulis quodammodò prædita, quales ferè in Fungi rugosi vel cauernosi speciebus conspiciuntur : ea autem suo tempore expanditur, & striis infernè distincta est. Volua ipsa cineracei quodammodò est coloris, interdum etiam subrufi : ipse stilus siue coles, initiò albus, deinde *πελιὸς* & varius, paruisque notis subfuscis maculosus: fœtidus est hic Fungus, & iam periturus quodammodò liquescit, atque in atramentum dissoluitur, nigro colore tellurem inficiens. Dicitur etiam muscas eo degustato interire.

Circa Calendas Octobris, cùm secundum vias tũ in lignis putridis, & palustribus locis prouenit. Locus

FVNGI DVO, A SVE APPELLATI, albi, sed maculati, siluestres perniciosi. CAP. LXII.

IN cæduis siluis extremo Augusto crescit Fungorum noxiorum Clusii genus decimum quartum, cuius Clusius Vngaricum nomen intelligere non potuit : sed Germani Saw tasch appellant, cuius nominis causa quoque latet, nisi quod à sue appellatio desumpta videtur. Eius autem binæ obseruantur species, magnitudine, & supinæ partis colore inter se differentes. Locus & Tempus

Prima inæqualem habet magnitudinem : nam recenter natæ corpus, vnciâ maius non est, fastigiatum, coloris albi fuligine velut infecti, vncialis longitudinis pediculo, minimum autem digitum crasso, subnixum, interdum geminum ex eodem pede nascens : Adultã triuncialem diametrum habet, in orbem ferè circumscriptâ figurâ, supernè alba quidem, sed fusco colore infecta, flauo fastigio : infernè verò pallida, & rufis striis, à pediculo excurrentibus, exarata : pediculus digitalis longitudinis & crassitudinis.

Alterius forma, orbiculatæ, & velut circino circumductæ, est rotunditatis, cuius diameter trientem latus est, pediculo breui, pollicemque crasso, prædita, supernâ parte candida, cui maculæ paruæ fuscæ, & flauescens nonnihil color inspersus, & oris aliquantulùm in infernam partem conuersa : infernâ ipsa parte pallidâ, fuliginosisque striis insignitâ.

Synon.

C. Bauh. pin. Fungus noxius 21. siue Fungus latus, orbicularis, oris intus conuersis.

FVNGI STERQVILINI ALBI PERNICIOSI. CAP. LXIII.

CLusio Fungorum noxiorum est hoc tertium genus, quod Vngari Ganciou : Germani Mistschwammen appellant, quoniam in sterquiliniis primo Vere nascitur. Locus & Tempus Descript.

Vulgaris autem admodum est hic Fungus, propterea nemini non notus, formæ orbicularis in plano, veluti circino ductæ, exili & tenui fultus pediculo, tenui non crasso corpore, candidus omninò, & veluti farina conspersus, cum infernè tum supernè, pars tamen auerfa, fuscis striis, & à pediculo in oras ductis, distincta est.

C. Bauh. pin. Fungus noxius 11. siue Fungus fimetarius in plano orbicularis, candidus: an Fungus prateolis similis Cæsalpino?

FVNGI TRES BVFFONII, PERNICIOSI. CAP. LXIV.

MAio aut sub Iunii initium prorumpit septimum Fungorum perniciosorum genus Clusianũ, quod Vngaris Bagoli gomba/Germ. Grotten schwammen dicitur, vtriusque linguæ nominibus eandem rem significantibus, nimirum rubetæ vulgò buffonis dictæ Fungum. Cuius tres obseruabat author species: Tempus.

Vnam valde gracili, & plùs quàm duas vncias longo pediculo fultam, pilei vel galeri pænè figurâ in metam sublatã, vnciali ferè latitudine, oratum verò circiter trientali ambitu, coloris albi fuligine quodammodò infecti, summo fastigio flauescente : interior & caua pars fusca est prorsus, & nigris striis, à pediculo in oras ductis, exarata.

Alteram magis orbiculato: & tumente corpore, crassiore pediculo subnixam : cuius superna & tumescens pars duas interdum vncias dun-

...tat est ampla, nonnunquam etiam tres, modò fusci omninò coloris, ex albo pallescentis, modò flaui fuligine infecti, singuli autem maculis, albis, & nigris summâ parte notati, vt rubetæ colorē, præsertim fuscus, valde referre videatur: pars inferna alba est, leuibus striis subfuscis, à pediculo in oras excurrentibus distincta.

Tertium reliquis maiorem, & orbiculatæ prorsus in plano figuræ, cuius diameter trium vnciarum est, supernè albam, cui rubescens aliquantulùm color est admixtus, & raræ pallescentes maculæ inspersæ: inferna pars quodammodò pallescit, & frequentibus fuliginosis striis, à pediculo minimum digitum crasso, ad extremas vsque oras secta.

C.Bauh.pin. Fungus noxius 14. siue Fungus buffonius orbiculatus.

FVNGI RANARVM, ALBI, PERNICIOSI.
CAP. LXV.

Est hoc Fungorum noxiorum 13. genus Clusii, secundum vias & semitas in cæduis siluis proueniens extremo Augusto: quod Vngari Wrsé'em teremnig omba, h.e. ad semitas nascentem Fungum: Germani autem froschen stüel/ quasi ranarum sedem appellant, quoniam ranæ his libenter insidere conspectæ sunt.

Discrimen In hoc genere, inquit Clusius, obseruare licet discrimen quoddam, sed illud ex ætate duntaxat proueniens: nam recens nati corpus, ad binarum vnciarum latitudinem non pertingit, & supernâ parte candicans, fuligine quadam infectum est: infernâ etiam eiusdem coloris, sed raris striis, vixque apparentibus præditum: vbi autem adoleuit, maiorem habet latitudinem, quatuor videlicet vnciarum, & in orbem ferè circinatum est, immaculati supernè candoris, nisi orbis centrum pallerct: inferna pars etiam candida est, multis purpurascentibus striis exarata: pediculus gracilis & longus.

Synon. C.Bauh.pin. Fungus noxius 20. siue Fungus latus orbicularis candidus.

FVNGI QVODAMMODO ORBICVLAti atro-rufescentes perniciosi.
CAP. LXVI.

Tempus Circa Solstitium æstiuum inuenitur hoc genus perniciosorum Fungorum quod nonum est Clusii, in siluis nascens: quod Vngari Borsos gomba / Germani hohen schwammen nominant, quia crasso tumente sit corpore: nam satis breui est pediculo, vnciam non multùm superante, digitum aut pollicem crasso.

Eius licèt binæ videantur species, ætate tamen eas duntaxat differre arbitratur idem Clusius. Constat verò, vt dictum, crasso & protuberante corpore, sphericæ quodammodò & orbicularis figuræ, binas vncias lato in minoribus: in adultioribus autem, tres atque etiam quatuor, vel etiam ampliore, colore supernâ parte ex atro rufescente: infernâ, exalbido, & multis striis rufescentibus, à pediculo ad oras vsque ductis, insignito.

Synonyma C.Bauh. pin. Fungus noxius 17. siue Fungus orbicularis ex atro rufescens.

FVNGI DVO PERNICIOSI, PRIOR RVbri perelegantis coloris, rufus alter.
CAP. LXVII.

Locus & Tempus. Circa Calendas Octobris, cùm secundum vias, tum in lignis putridis & palustribus locis prouenit hoc Fungi genus, quod est primus & secundus Fungus, Fungorum noxiorum vigesimi tertii generis Clusiani.

Primus autem vncialis magnitudinis habet orbem, supernè tumidum & rubri perelegantis coloris: infernè albicantem, fuscis tamen striis exaratum, vnciali pediculo, non valde tamen gracili, fultum. *Alter* verò orbiculatæ etiam est formæ, paullò tamen amplior superiore, longiorèque pediculo subnixus, prolem Fungi ab exortu plærumque proferente: supernè rufi, & ad lateritium tendentis coloris: infernè dilutior, & frequentibus striis distinctus.

Synon. C.Bauh.pin. Fungi noxii 37. siue Fungi orbicularis in palustribus species 1. & 2.

FVNGI SVPRA LIGNA PROVENIENTES.
CAP. LXVIII.

Descrip. Fungos Imperatus communes appellat, supra ligna crescunt, capitello conuexo, concauo, profundis striis ac sulcis foliaceis radiato à centro ad circumferentiam: facillimè verminantur: striæ foliaceæ nigricant: capitella verò spithamæam aliquando amplitudinem acquirunt.

FVNGI PARVI, VARII.
CAP. LXIX.



Fungos paruos omninò cæruleos inuenimus in monte Tarresee prope Masmunster.

Fungus alius paruus, pileoli superiore parte alba, altera autem ex lutea rubente, cauliculis duorum digitorum supra lignũ putridum, mense Septembri circa balneum mirabile reperitur.

Occurrunt & alii ibidem in prato mense Septembri, Fungi minimi, lutei, externè viscidi.

Sunt quartò Fungi pediculo satis breui & crasso donati, ex luteo pallescentes, capitulo siue pileo turbinato.

Inuenimus tandem Fungos multos simul, longis & elatis pediculis non tamen crassis nixos, luteolos, à radicibus arborum putamus, mense etiam Septembri.



Fungi parui vndique luteoli, pediculo tenui admodum, ad tres digitos longo, pileolo turbinato, medio Octobri prope stagnum balnei admirabilis sub arboribus inueniuntur. Hi Mõtbelgardi etiam, præsertim supra montem vicinum, vulgò *la Crotte*, finiente Autumno primulùm prosiliunt. In principio autem turbinati sunt & vix Auellanæ minoris magnitudinem adæquant, mox expansi assis regii amplitudinem acquirunt, subtus sulcatis striis in orbem radiati, pediculo vnciali. Toti ad tactũ viscidi sunt.

Fun-



Fungus præterea paruus albus cum luteola parte, in summitate capituli, visco nitente resplendens, subtus cinereis plicis, altitudine quâ pingitur à nobis obseruatus est in Ducatu Wirtemb. non lõgè à fonte admirabili, in agris.

exsiccatum, isthinc olim ad se missum, exotici cuiusdam seminis nomine, explorandi gratiâ, an dignoscere posset: vt reperiuntur quædam ingenia, quæ ex aliorum ignorantia laudem captare & venari student.

FVNGI PARVI LVTEI, ET CLYPEIFORmes albi, lethales.

CAP. LXX.

Synon.

QVos Lobel. in Ic. Plant. tom. 2. p. 272. Fungos paruos lethales galericulatos inscribit, de iis in hist. belg. p. 306. vt & apud Clusium ait: Vulgares exiles perniciosi Fungi passim nascuntur, in agris, pratis, hortis, & veteribus ædificiis. Horum autem, *Quidam* sunt exiles, in rotunditate oblongiusculi, & prealti, galericuli instar concaui, colore flauo præditi. *Alii* ampliores, albi aut cineraceis fuscisque interdum maculis notati, infernè aut in cauitate nigri. Sunt & plani vt acetabula, nonnulli etiam parmis similes.



Synon.

C. Bauh. pin. Fungus noxius 24. siue Fungus clypeiformis minor: Fungorum alterius generis alter Dod. Fungus clypeiformis lethalis Lob. belg. Fungus perniciosus vulgaris Clus.

FVNGVS MINIMVS, SINE PETIOLO, perniciosus.

CAP. LXXI.

Descript.

HVnc Clusius ἀνώνυμον vocat, & omnium minimum esse existimat, vix semunciam altus est, & Autumno plærumque nullo petiolo fultus ligneis tabellis puluinos & areolas in hortis ab inuicem segregantibus adnascitur, cineracei, vel exalbidi coloris, formâ penè grossum immaturam referens, minimi digiti extremum articulum magnitudine & crassitudine vix æquans, singularis plærumque, vel (quando plurimi) bini, terni, aut quaterni simul cohærentes, qui maturi supernâ parte dehiscentes, pleni apparent lento quodam succo, & seminibus, magnitudine quidem seminis Cyclamini, sed exiles Fungulos formâ figuræ exprimentes, cineracei, vt parens, coloris.

C. Bauh. in pin. Fungus noxius 39. siue Fungus minimus ligneis tabellis areolarum hortorum adnascens: Fungus minimus ἀνώνυμος Clusii.

Nasci hunc Fungum etiam in Italia, Clusio nullum est dubium: nam meminit eius semen

FVNGI INFVNDIBVLVM REFERENTES, flauescentes, perniciosi.

CAP. LXXII.

HOc quod Clusio noxiorum Fungorum decimum genus est: Bis in anno reperitur: circa messem videlicet, & vindemiam, in siluis proueniens: Locus & Tempus



Vngri Beste gomba, Germani Geyß Schwammen appellant. h.e. caprinum Fũgum.

Valde autem exilis est hic Fungus: nam primùm emergens, vix vncialis est magnitudinis, interdum singularis, nonnunquam geminus, i.e. bini simul nascentes, ipso fungi corpore minimi digiti vnguem vix æquante, rufescentis coloris, cùm adoleuit corpus in vncialem magnitudinem excrescit, inferna parte valde à pediculo striata sese inuertente, adeò vt superna pars veluti camerata & caua reddatur, & cum suo pediculo, paruum infundibulum mentiri videatur: color flauescit tam externè quam internè & superna pars iam in vmbilici speciem contracta, rufis maculis est distincta.








C. Bauh. pin. Fungus noxius 18. siue Fungus minimus flauescens infundibuli formâ.

FVNGI ALBI PILEOLO INVERSO.

CAP. LXXIII.


FVngus hic albus, paruus admodum, vix ad vnciam digiti se attollens, ac etiam multò minor, instar calicis crescit, plicaturis & foliis se externè demonstrantibus, non sub pileolo, vt in reliquis. Pileolus enim inuersus facit veluti scu-



tellam: sunt etiam maiores altitudinis trium digitorũ, & latitudine duos excedentes. Obseruauimus mense Septembri in prato loco cliuoso prope Wäldt, & in monte Teck.

FVNGVS PVLVERVLENTVS dictus Crepitus lupi.
CAP. LXXIV.

Descriptio



NVllo ferè conspicuo pediculo nititur, glomeratæ rotunditatis, Iuglandis magnitudine, & minoris & maioris, primò albâ cute, & medullâ itidem albâ, cõspicuus, postea cute exalbidâ uel liuidâ, medullâ, quum corrumpitur, in tenuissimũ, siccissimumque puluerem fusci coloris, abeunte: calcatus crepitum edit, & fumum puluerulentum emittit. Eius autem puluis grauem & fœtidum spirat odorem: (Imper.) nec vllo pacto est esculentus [Ruell.]

Clusio est Fungorum noxiorum genus vicesimum-sextum, cuius tres obseruabat differentias, magnitudine & nõnihil etiã formâ inter se discrepantes, in omnibus prouinciis frequenter in siccioribus pratis nasci tradens.

Locus. Synon. C.Bauh. C.B.pin. Fungi noxii 42. siue Fungi rotundi orbicularis species 1. Fungus ouatus Crepitus lupi Hermol. Trago & Lonicero, qui videtur aliud Fungi genus cum hoc confundere. Fungus orbicularis Dod. Fungus glomeratæ rotunditatis Lobel. Lupi crepitus Matth. Cast. & Columnæ. Peziæ Plinii in pratis, quem esculentum dicit, Cæsalp. Imperato dicitur vesicarius Fungus, aliis Ouum Lupinum.

Germani Wolffsfürtz h.e. Crepitum lupi, Weiber fist/i.e. muliebrem crepitum, & Bübenfist: Galli *Vesse de loup*: Ital. *Vescie de lupo*: Vngari Posseteg, appellant. Helfrico in nomencl. dicitur græcè λύκου πέρδον h.e. Crepitus lupi, quod nomen etiam apud Herbariorum vulgus obtinuit. Nos Mense Septembri & Octobri obseruauimus in siluis accedentem ad magnitudinem pilæ palmariæ, nondum in puluerem conuersum, album externè & internè.

Vires & Vsus. Inueteratis & fluentibus vlceribus inspergitur: ea namque, teste Trago, desiccat, & quòd citiùs curentur, efficit. Idem siccatus leuissimus & subtilissimus in podicem insertus admodum fluorem hæmorroidalem sistit, vti Platerus parte 3. suæ praxeos docet.

FVNGVS MAXIMVS ROTVNDVS puluerulentus, dictus Germanis Pfofist.
CAP. LXXV.

Descript. PFofist nomine Germ. nũcupatus Fungus glomeratus tantã assequitur interdũ magnitudinem, vt caput humanum facilè æquet, aut etiam excedat, cute mẽbranea satis firmâ [quæ in principio ex albo cinerea, mox cum tempore liuida redditur] vndique cinctus, substantiâ partim cohærente sed rara, eorum instar quos excipiendis silice chalybeque excussis scintillis præparatos vendunt, colore etiam persimili: sicci leuissimi sunt, vt caput humanum singuli æquantes vnciale pondus non excedant.

Est autem hic Clusiani noxiorum Fungorum altera & tertia species generis vigesimi sexti.

Lonic. & Matth. notantur. Lonicer. huius meminit sub titulo ouatorum Fungorum, non tamen distinguere videtur à crepitu lupi, licèt ad magnitudinem capitis excrescere dicat. Hunc sequitur in hist. germ. Matthiolus.

Synonyma C.Bauh. C.Bauh.pin. Fungi noxii 42. siue Fungi rotundi orbicularis species 2. & 3. an Peziæ genus in siluestribus aliquando humani capitis magnitudine, quod sine periculo esitatur, Cæsalp.

Fungum Germanis Pfofist dictum marinis Spongiis annumerat Encel. de re metall. libr. 2. cap. 45.

Locus. Perelegantem huius generis Fungum vidimus Montbelgardi iuxta patibulum in densissimo dumeto: sunt qui pro certò asserant vetustiores, & iam iustam maturitatem transcendentes, præstare ad cõpescendas sanguinis eruptiones etiam periculosissimas, quo & ipsi multorum cum præsenti salute vsi sumus, in eo ipso casu. Vires.

FVNGVS OVATVS.
CAP. LXXVI.

Locus & Tempus. NOn aliàs mihi visus quã ex Alsatiæ Schvveghausen arce Dom. Waldnerorum à Freudstein cunti Butvviller, mense Aprili in pratis Fungus, oui ferè magnitudine, & figura ex rotundo oblonga, albus, quasi hirsutus, pediculo fultus longiusculo.

FVNGVS ROTVNDVS ALBVS.
CAP. LXXVII.

FVngus est [vt describitur à Cordo in sylua Obs.] grandis piræ instar, rotundus, foris pallenti cortice, intus candidâ, succosâ, dulcique carne constans, non in puluerem transiens, sed hyemis iniuriâ, Peponum exemplo, putrescens: nascitur Vere in eadem silua ex meris arenis. Locus & Tempus.

FVNGVS OLLVLARIS VEL BOTRYOIdes simarius.
CAP. LXXVIII.

FVngus βοτρυοειδὴς vel ὀμφακοειδὴς Montbelgardi 10. Decembris anno 1606. in equino fimeto repertus fuit. Vuarum autem albarum, amplarum, crassarum & longarum, veteribus Græcis ὀμφακὸς dictarum, similitudinem quodammodò refert.

Cùm verò Basileæ anno 1608. Octobri mense cum doctis Medicinæ studiosis deambulatum iuissem

fuissem, inueni ad Rheni ripam iuxta fimetum, Fungos ollares plures simul iunctos, & quosdam contractos, quorum vnum detegi, qui erat substantia lubricâ, molli, globosus, concauus, magnitudine mediocris pomi: in superiore eius parte, circulari foramine apertus.

REMEDIA ADVERSVS PERNICIOSOS *Fungos* CAP. LXXIX.

QVia hactenus de perniciosis Fungis sermonem habuimus, non abs re nos facturos existimauimus, si remedia aduersus eos nonnulla hic subiiceremus.

Diosc. Auxilio est omnibus Fungis, inquit Dioscorides l. 4. c. 78. nitri, aut lixiuii, cum muria acida potus: aut thymbræ, aut origani decoctum: aut gallinaceum fimũ cum aceto potũ aut melle copiosè delinctum. Probè verò alunt, & ægrè dissoluuntur, & plærũque vnà cum excrementis integri reddũtur. Fungi, inquit idem l. 6. c. 23. partim genere, partim copia lædũt. Omnes autẽ indũcunt suffocationes, strangulationibus per laqueos similes. His statim communibus auxiliis opitulari oportet, per oleum ad vomitum cogendum. Mirificè verò opem sentiunt à lixiuii cineris sarmentorum Vitis, aut lignorum Pirastri potu, cum posca & sale, aut nitro. Sed & Pirastri fructus aut folia cum Fungis decocti, strangulandi vim illam auferunt, esitataque eadem auxiliantur. Iuuat & stercus gallinaceum cum posca bibitum, itemque Aristolochiæ aut Absinthii drachma vna cum vino: insuperque etiam melle, seu in cibo sumptũ, seu ex aqua potum. Sic & Apiastrum cum nitro, Panacis radix & semen in vino; fæx quoque vini cremata cum aqua, & attramentum sutorium ex aceto, denique Radicula, Sinapi aut Nasturtium esu prosunt.

Fungi à venenatis bestiis arrosi non solùm suffocant, inquit Paulus & Aetius, sed etiam vlcerant intestina. Quare dandum est Absinthium largum, & ficuum & Origani decoctum, & aqua mulsa. Conducet etiam vomitus, & solium calidum, & cruda hordeacea farina præcordiis imposita.

Galen. Nouit quendam Galenus, cui post Boletorum non satis elixorum [qui innocentissimi esse putantur] vsum largiorem os ventriculi pressum, ac grauatum, coarctatúque fuit, difficilemque habuit respirationem, & in animi deliquium incidit, sudoremque frigidum sudauit, ac demum seruari ægrè, sumptis iis quæ humores crassos incidunt, potuit. Cuius generis est oxymel ipsum per se, & cum Hyssopo & Origano ipsi mediocriter incoctis. Is enim tum hæc sumpsit, tum nitri spumam ipsis inspersam: post quæ Fungos quos comederat, vomuit, qui iam quodámodò in succum pituitosum, frigidumque admodum ac crassum erant mutati.

Remedia Pliniana contra Fungos. Contra venena Fungorum laudantur passim apud Plinium, Cnicus siue Atractylis, & Pirorum ligni cinis, piraque ipsa, Raphanus ac Sinapi. Porrum sectitium comestum, semen & succus Brassicæ bibitus. Item Brassicæ siluestris, Vrticæ ac Myrti semen in vino potum. Ruta siue in potu, siue in cibo. Lilii radices & Folia Myrti ex vino trita & pota. Absinthium ex aceto. Mel, Vinum merum, & vini fæx pota, sed magis cruda. Cimolia creta ex posca pota. Gallinarum fimum, duntaxat candidum, in Hyssopo decoctum, aut Mulso. Muli denique piscis recentis è capite cinis.

Confert quoque Fungis & Tuberibus perniciosis, & medicamen de Assa, & Diatrionpipereon, & sumere in potu piper cum vino veteri.

Quòd si quis Fungos vel malè coctos, aut alioquin noxios deuorauit, & inde stranguletur, aut torminibus molestetur, eum vel Agarici per se, aut pilularum de Agarico drachmam è vino bibere iubet Tragus, vt sanetur.


Tradunt alii præter hactenus dicta, eum qui strangulatus, aut inflationes ex immodico Fungorum esu profectas senserit, Leuistici aut Angelicæ radicem in puluerem redactam, è vino sumere, aut Raphanum esitare, aut eius succum; aut Absinthites vinum potare, debere.

Prodest, inquit Matthiolus, mirum in modum Theriaca, & Mithridatis antidotus, ex acerrimo aceto pota, vt ex oxymelite, aut ex aqua vitæ vocata: quamobrem quinta essentia nostra theriacalis, in Fungorum malis mirificam fert opem. Prætulit ad hæc Auicenna calida quæcunque aromata: cuiusmodi sunt Diapipereos, Diacimino, Diagalanga, Diamoschum. Conciliator potandum exhibet magno iuuamento vinum optimũ, in quo conferbuerit piper, offertque subinde Allium crudum deuorandum. Id quod vniuersa ferè rusticorum turba etiam facit, quæ [vt Galenus ait] Allio Theriacæ vice plerumque vtitur. *Vomitio.*

Omnium tamen hactenus enumeratorum remediorum aduersus Fungorum malignitatem atque perniciem primùm auxiliantur vomitiones quocunque modo omni celeritate excitatæ.

DE TVBERIBVS. CAP. LXXIX.

NIhil aliud sunt Tubera, quàm sine *caule*, sine *foliis radices*, magnitudine variâ, pugillari interdum, aliàs Iuglandis, Castaneæ, aut Auellanæ, tuberculis extantibus inæquales, externâ superficie rugosa & nigrâ, substantia albâ, consistentiâ carnis castanearum, gustu fatuo, odore nonnihil graui. *Descript.*



Dioscoridi Tuber [ὕδνον Dioscor. & Galeno. sic vocat Galenus] radix est solùm rotũda, sine folio, sine caule, flaua: *Hydnon.* Theoph. 1. hist. 9. Tubera radice penitus carent.

Tuberum descriptio euidentior est apud Plinium lib. 19. cap. 2. Et quoniam, inquit, à miraculis rerum cepimus, sequemur eorum ordinem: In quibus vel maximum est, aliquid nasci aut viuere, sine vlla radice. Tubera vocantur hæc, vndique terrâ circumdata, nullisque fibris nixa, aut saltem capillamentis, nec vtique extuberante loco, in quo gignuntur, aut rimâ vrgente (agente, Corn.) neque ipsa terræ cohærent. Cortice etiam includuntur, vt planè nec terram esse possimus dicere, neque aliud quàm terræ callum. Excedunt sæpè magnitudinem mali Cotonei, etiam librali pondere. Duo eorum genera

Arenosa, dentibus inimica, & *Altera* lyncera. Distinguuntur & colore rufo nigroque, & intus candido. Laudatissima quæ in Aphrica crescunt. An ne vitium id terræ? neque enim aliud intelligi potest. Malum ne id ea protinus globetur magnitudine, quâ futurum est? & viuat ne, aut non, haud facilè arbitror intelligi posse. Putrescendi enim ratio communis est iis cum ligno. Lartio Licinio prætorio viro iura reddenti in Hispaniæ Carthagine paucis his annis scimus accidisse, mordenti tuber, vt deprehensus intus denarius primo dentes inflecteret. Quo manifestum erit terræ naturam in se globari, quod certum est ex iis, quæ nascuntur, & seri non possunt.

Tubera illa solùm videtur cognouisse Dioscorides, quæ flauescentes radices sunt: sed nigra tubera, quorum maximus prouentus locis Apuliæ finitimis, quæque in ditiorum cœnas auidissimè expetuntur, non nouit, vt Marantha meth.lib.1.cap.10.concludit. *Varietas*

Imper. Tuber. triplex. Imperato Tartufi [Tubera] è genere vegetabilium sunt, figurâ inæqualiter globosa sub terræ cortice. Substantia eorum callosa est, tenera, nutritioni apta Crescunt locis arenosis, & intra stirpes. Nostraria vt plurimùm ad melonum crassitiem accedunt, cortice tecta nigro, scabro, atque rimoso: substantiâ internâ colore lacteo, sapore communiter grato. Reperiuntur etiam quæ arenam continent, aut lapillos, aut aliam materiam. Ratio cur hoc eueniat est, quod [de hoc suprà Plinius] principium generationis eorum, est humor qui eiusmodi res obducendo consistentiam acquirit, atque ita crescit. Est & aliud tuberum genus, alibi nascentium, quorum superficies læuis, pallida, magnitudo minor, gustus gratus. Dignoscuntur Tuberum loca natalia ex rimis, quæ in terræ superficie spectantur.

Matth. triplex Matthiolus duo Tuberum in Romano agro haberi genera prodit, quorum alteri candida, pulla verò alteri pulpa subest: rimosus vtrique cortex ac niger. Addit & tertium genus in Ananiensi & Tridentino tractu prouenients, læui cortice, colore subrufo, cæteris longè minùs insipidum & gustu iniucundo: Tubera autem qualia pingit Matthiolus, talia primo loco in tabella exhibemus. Lobelii in Ic. Plant. tom.2.p. 276. Tuberum effigies à Matthioli figura diuersa est. Eius autem Tuberum vnum secundo loco depinginus, simile Tuberibus terræ Tab.

Geranium Theoph. Athenæi. Cæterùm, ostendit Athenæus lib.2.cap.22. Tubera dici Theophrasto Geranium (Quærit Gesn. lib.3.de auib. in Grue, an Tuberi appellatio Cranii meliùs conueniat propter rotunditatem. Ait autem apud Theophrastum græcè legi κεράνιον, & Athenæum pro ea voce posuisse γεράνιον. Hydnon porrò esse quod aliqui Aschion vocant, & Athenæus, γεράνιον:] & vnum genus vocari Mison, aliud Istum. *Tubera*, inquit, sua sponte ex terra nascuntur, locis præcipuè arenosis. Theophrastus Geranium nominat. Tuber apud Cyrenem nascens, quod Mison appellant, videtur valde suaue, & carnis odorem habere: quod in Thracia nascitur, Istum vocatur. De his etiam proprium quiddam narratur: dicunt enim, cùm aquæ autumnales & magna tonitrua fiunt, quod magna nascuntur, atque cùm maximè maxima. Biennium non absoluunt, quamuis annum viuunt. Vsus eorum & vigor est, Vere præsertim. Sunt qui etiam seminis principium hæc habere arbitrentur, quando in Mytilenæorum littore non priùs nasci compertum est, quàm pluuialis aqua semen ex Tiaris detulerit, is enim locus est in quo plura nascuntur in littoribus præcipuè, & vbi regio sit arenosa.

Porrò Tubera Latinis [inter alios Hermol. Ruell. Marcello, Rysfio, Lonic. Anguill. Lac. Corn. Val. Cordo. Matth. & Amato in Diosc. item Dod. Cæsalp. Lob. H. Lugd.p.1585. & Castori. Tuber .1. C.Bauh.pin. Tubera terræ Tab. & Ger.] dicta, græcè vocantur ὕδνα ab imbribus, & οἴδνα à rumore, ab οἰδέω, tumeo. Arab. *Ramech Alchamech*, *Tamer* & *Kema*. Germ. Erdt Morchel. & quibusdam hirschbrünst: alii tamen Ceruiboletum sic vocant, de quo postea. Dicuntur & alicubi Grublein. Gall. *Truffle*. Ital. *Tartufi*, *Tartofle* & *Tartufola*. Hisp. *Turmas de tieara*. *Synon. cum nominibus linguar.*

Cæterùm ab iis Tuberibus alii sunt, qui Tuberes arborum fructus dicuntur, & à Plinio lib. 15.cap.14. describuntur sub Tuberis serici appellatione, de quo lib.1. cap.1. de malis fuit tractatum. Tuberum verò appellatione donantur & sequentes plantæ, de quibus in variis huius historiæ Libris egimus: scilicet: Nucipersica. Nux hendan. Fungi supra lapides. Tuber Peruuianus. Manobi, fortè Trasi genus. Pappas. Okrepenaux. Fungus. Fungi cauernosi siue Merulii. Arachidna. Vitis nigra Matth. Tuber & Sigillum Mariæ. Iuiubæ. Guaiacana. Azadaracheni. Cyclaminus. Cerui boletus. *Æquiuoc.* *Pommes Suzines*

Vt autem ad Tuberum historiam absoluendam redeamus: Tubera ea quæ peculiariter à Plinio traduntur, trutinâ opus habere videntur. Siccis, inquit, hæc ferè & sabulosis locis frutetosisque nascuntur. Quum fuerint imbres autumnales, ac tonitrua crebra, tunc nasci, & maximè è tonitribus: nec vltra annum durare feruntur. Tenerrima autem verna esse. Quibusdam locis aceruantur riguis & seruntur, sicut Mitylenis. Negant nasci, nisi exundatione fluminum, inuecto semine ab Tiaris. Est autem is locus in quo plurima nascuntur. Gignuntur etiam in Acarnida, subdit Athenæus, circa Lampsacum: in Alopecomaeso, & in Eleorum regione. Ludouicus Rom. patr. nauig. lib.1.capit.7. scribit Damasci Tuberum ingentem esse vbertatem: nam nonnunquam viginti quinque aut triginta Camelos Tuberibus onustos illic conspici, & tamen intra triduum vendi: aduchi ex Armeniæ montibus, ex Asiaque minore. Tandem Author est Matthiolus, Tubera numerosa in Hetruria à à rusticis effodi, quòd à magnatibus maximè expetantur in cœnis. Bonitatis verò & vbertatis laudem sibi meritò vendicant quæ in syluula quadam Hornburgensi Vuirtembergensis dominii in Alsatia proueniunt. *Locus & Tempus.*


Tubera & cruda & cocta in cibum venire, testatur Dioscorid. & Galenus 8.simpl. Tubera omnibus nota ait, & in cõpage ipsorum terream naturam præualere, exiguâ quadam partium tenuitate ammixta. At libro 2.de alim. inter radices aut bulbos, quibus nulla manifesta qualitas adscribitur, annumerat. Proinde vtitur ipsis ad suscipienda condimenta, quemadmodum etiam aliis, quæ qualitatis exortia, & innoxia ac aquosa in gustu habentur. Est autem omnibus his commune, vt neque alimentum quod inde in corpus distribuitur, eximiam aliquam vim habeat, sed subfrigidum sit, aut aliquando crassius. Martialis Poëta secundum à Boletis locum ipsis tribuit, *Vires & vsus.*

Rumpimus altricem tenero de vertice terram
Tubera

Diphilus Tuberum naturam nnfacilè digeri affirmat, at bonum habere succum, extenuare, facileque excerni: inter ea veluti & inter Fungos, quædam lethifera esse. Cum pauco vino & aqua Tubera Montbelgardi coquunt, exsiccant, & demum cineribus calidis imponunt, & calida mensis inferunt, detractoque cortice, ac pipere excepta, non ingrata gustu, edunt.

TVBERVM GENVS QVIBVSDAM Cerui boletus. CAP. LXXX.

Descriptio



Boletum & Tuber ceruinũ appellant Tuberis genus, magnitudine Iuglãdis, interdum Auellanę & minore, tuberosũ & inæquale, substãtię inter duritiem & mollitiẽm mediæ, cortice intectũ ex cineraceo ad fuluũ nonnihil inclinãte, superficie granulata, cui callus subest atro-purpureus eà quàdiximus consistẽtia, qui recentior subadstringit, exsiccatus adstrictione amissa dulcedinem leniusculam linguæ offert; medicullium fungosa quædam substantia ex albido purpurascens occupat, texturæ perquàm raræ, vt similiter aranearum tel s conuoluatur, & in n hilum stilo vel mucrone cultelli terendo abeat, relicto quà abscedunt calli latera spacio inani. Siccum & iam dudum repositum nihil aliud continere comperitur quàm puluisculum vt in Crepitu lupi, sed farctiorem, sapore adstringente nonnihil, colore fuliginoso, nulla relictã in medio cauitate, cortice circumiecto satis crasso, duriusculo.

Synon.

De hoc Tubere subterraneo (inquit Matth.) quod ceruinum Boletum Bohemi vocant, nulla apud antiquos extat memoria. Huic eadem ferè facies inest, quam in cæteris spectamus Tuberibus, globosa tamen, & inæqualis. Extima cuticula subnigricat, carnosa verò & ipsa fũgosa substantia albicat. Sunt etiam qui genus aliquod reperiri dicant, erectæ viril s mentulæ formã, adeò vt altera parte detecta glans, in altera globuli quidam testiculos referentes conspiciantur. *Hunc autem Phallum non esse diximus antè ex Had. Iunio.*

Dicitur Fungus ceruinus siue Cerui boletus Matth. germ. & Lonic. Fungi ceruini. Boleti officinarum Cordo in Diosc. Boleti ceruini orbiculati Thalio: Tubera ceruina Lob. hist. belg. & Ic. Plant. tom. 2. p. 276. itemque C. Bauh. pin. cui & Tuber alterum. Sic dicta autem sunt, inquit, quia reperiuntur iis in locis vbi cerui libidinem suam exercent: quamuis Cordus inuenerit etiam in præruptissimis montium siluis, quò ne damæ & rupicapræ quidem peruenire possunt, ne dum cerui. Sanè repertus est, subdit Iordanus, iis locis, vbi ab hominũ memoria, nullus vnquam visus est ceruus. Ad Trenzinium nobile Hungarię oppidum circa Carpathi iuga frequentissimus montuosis locis, syluis opacis, vbi licèt ceruos reperias, non tamẽ eorum tanta copiâ, quæ plaustris Fungorum satisfaceret, siquidem vera censenda quæ de eius generatione scribuntur à Matthiolo, dicente: Fungum hunc Tuberum vulgarium modo sub terra nasci affirmant venatores, vbi ceruino semine in coitu inficitur solum. Id quod plærumq; fieri solet exempto è vulua genitali, adhuc seminis aliquid continente, mar s impetum fugiente fœmina. Hunc fortasse inuenire nemo posset, ni cerui ipsi locum quodam statuto anni tempore ostenderent. Scalpunt enim naturali quodam instinctu ducti anterioribus pedibus locum, vbi globosus Fungus sub terra delitescit, quod olfactu percipere eos affirmant. Spirat enim Fungus graui odore præsertim recenter effossus. Qui secreta hæc norunt venatores & rustici, qui siluas frequentant, loca diligenter obseruant ceruinis pedibus diducta, effossaque scrobe, Fungos eximunt, & pharmacopœis vendunt, qui dissectos in particulas, & filo traiectos siccant, postea in vmbra seruantur in medicum vsum.

Loca

Vires & vsus

Hunc Fungum, quamuis in ciborum vsum hactenus non venerit, magnis tamen exornant elogiis, eo enim iis in medicamentis vtuntur quæ venerem mouẽt, siquidem ad hoc plurimũ illũ valere putant, & præsertim, teste Matthiolo, qui humani genitalis faciem refert. In quem vsum sicci puluerẽ ex dulci vino propinant, drachmæ vel sesquidrachmæ pondere. Lactis vbertatem hunc etiam afferre aiunt ex ptisana vel muliebri lacte potum, sed valentiùs id agere si longi piperis aliquid addatur. Suffitus occlusos Fœminarum locos reserare traditur, & vuluæ strangulatus auertere. Non desunt superstitiosæ mulierculæ, quæ iis abutuntur in amatoriis poculis quibusdã, priùs admurmuratis incantationibus. Affirmant pręterea valere ceruinum Fungum ad epota venena ex mero haustum, quin etiam ad venenosorum omnium morsum, non modò potum, sed etiam illitum, excalfacere ex odoris graueolentia, quispiam facilè indicabit. Hactenus Matthiolus. Cordus non ait verisimile esse Fungum ceruinum venerem stimulare, cùm frigidum, pituitosum, crudum & malignum succum humano in corpore gignat. Quæ enim venerem accendere debent, contrariis facultates & qualitates habeant, necesse est. Nec verò similia sunt quę scribit Dorstenius. Si mulier accipiat Cerui boletum ad magnitudinem vnius pisi, & dimidiam partem manducet, & alia parte vmbilicum oblinat, statim absque dolore parituram: si verò imprudenter grauidę vtantur, magnum illis malum inde oriri posse.

TERFEZ AFRICANORVM, TVBERIS genus album. CAP. LXXXI.

Terfez Africanorum magis propriè radix quàm fructus dicitur, inquit Leo Afric. lib. 9. Crescit locis calidis in arena, & quidem copiosè iuxta vrbem Sela. Abundat in Numidiæ desertis. Locus.

Simile autem est Tuberi sed maius: cortex ei albus: reperitur magnitudine nucis & aurantii mali. Secundum opinionem Medicorum, qui *Camba* nominãt, proprietas ei refrigerandi. Arabes delectantur eius esu, quasi esset saccharum, & bona ratione: certè prunis impositum, postea mundatum, & pingui iure aspersum, singularis & Descriptio

terra

delicatus est cibus. Edunt etiam coctum cum aqua aut lacte.

Credidit Dalechampius Terfez siue Tuber album Africanorum, esse Mison Plinii & Athenæi. De quo hic ait, Misi [μίσυ. Dalech. Μίσυ] sub terra gignitur. Eius natura atque generatio eadem est, quæ & Tuberis: circa Cyrenum inuenitur, & suauissimi gustus esse creditur, odore carnis lib.2.cap.31.

Simile Tuberibus est, inquit ille l.19.c.3. quod in Cyrenaica prouincia vocant Misy [Mison, Turneb.] præcipuum suauitate odoris ac saporis, sed carnosius.

CRANION ET CERAVNION veteribus.

Cap. LXXXI.

Cranion Theoph. Theophrastus lib.1. cap.9. κράνιον iis annumerat, quæ omninò non habent radices. Plinius loco citato simile quoque facit Tuberibus, quod in Thracia Ceraunion vocant. Quæ autem peculiariter de Tuberibus traduntur, lege proprio capite.

Athenæus dicto loco refert Theophrastum scripsisse Ceraunium (χεράνιον quidam nuncupant) læui cortice tegi, vt Tuber, &c. Hic autem Athenæo contrarius est Dalechampius, dicens, Ceraunion nigrum tuber, velut ambustum fulmine: aut Tuberis aliud genus in fœtidum & nigrum puluerem euanescens; at vtriusque huius Tuberis verrucosi, quomodo læuis cortex intelligi possit, docti viderint. Apud Theophrastum nusquam scriptum memini Tuberum læuem esse corticem: fortassis legendum fuerit læui cortice tegi Fungum & Pezitem: scabro Tuber & Ceranium.

An Ceruiboletus. Considerandum an Cerui-boletus non possit reduci ad Cranion Theophrasti, si læui non sit cortice.

ARACHIDNA IN GENERE ET Aracoides.

Cap. LXXXII.

Theop. Arachidnam & quod Araco simile est [ἀραχίδνη καὶ τὸ ὅμοιον τῷ ἀράκῳ] ostendit Theophrastus lib.1. cap.11. Ambæ, inquit fructum ferunt sub terram, non minorem superno [eo qui in supernis plantæ partibus nascitur.] Pars ipsa carnosa, radicem simplicem (vnam) crassam, altiùs infigendam [in altum demissam,] mittit: cæteras verò, quibus insidet fructus, tenues (tenuiores,) ac summo cæspite [& in summo, & multipliciter fissas] cohærentes agit: loca arenosa potissimùm amant: neutrum folia gerit, neque foliis quicquam simile: sed quasi binorum fructuũ partibus inter se oppositis, fœcunda potiùs extât, quod mirũ profectò est: hæc Theophrastus.

Plin. Plinius lib.21. cap.15. inter herbas, quibus vtuntur in cibis, horum meminit, inquiens: Arachidna quidē & Aracos (Arachidna & Arachoides, Theoph.) cùm habeant radices ramosas, ac multiplices, tamen nec herbam vllam, aut quicquam aliud supra terram habent.

Hermol. Sunt & alia, præter Tubera [inquit Hermol. in Diosc. sine folio, aut herba, aut caule, supra terram, cibo idonea, in Ægypto maximè, vt Arachidna, & quod Araco simile vocatur à Theophrasto: à Plinio Arachidna & Aracos.

Rob. Constant. Rob. Constant. in Lexico Arachidnam commemorat ex Theophrasto & Plinio, quem erroris accusat, quòd Araco Lentis vitio perperàm tribuat, quod Aracoidi, & plantæ Araco simili, erat assignandum. Sed nec ipsemet quidem indicat quam plantam intelligat.

Pandect. sibi contrarius. Pandectarius sibi contradicit, dum Arachinde arborum ait habentem radices ramosas ac multiplices, & postea negat habere folium, nec herbam: quomodo arbor denique habebit herbam?

Gesn. in cat. dicitur Aracos, fructus Plinio radicibus solis, nec vlla superficie constãs: τὸ ἀράκου, ἀρακοειδὲς & ἀραχίδνα Aracoides, Aracidna, vel Arachidna frẽbdwürtz/Ein Egyptisch gewächs.

Arachidnæ autem nomine apud authores donantur etiam Chamæbalanus leguminosa: Arachidna Belli: Trasi siue Dulcichini: Dentaria aphyllos: Fungus: Tuber terræ: Papas Indor.: Manihot: Aracus: Batatas: & Igname.


OVITON ET OVIGGON VETERIBVS.

Cap. LXXXIII.

Vingum Theoph. Oeton. Theophrastus author est lib. 1. cap. 1. illud quod in Ægypto, Vingum [οὔιγγον. al. οἴτον & οἴτων.] vocatum, fructum sub terra parere. Eodem libro cap. 10. οἴτων inter radices quæ sub terra sunt, recenset, & radicem esse negat. Tandem cap. 11. ait, eius quod in Ægypto vocatum est οἴτον, folia quidem esse magna, & germen ipsius breue: ipsam vero radicem longam: & esse tanquam fructum, Excellere autem, & edi, colligereque, quando amnis defluxerit, coronantes aras Deorum

Cæterùm, vt inquit Dalechampius, malè Plinius reddit lib. 21. cap. 15. Vingum Theophrasti Oetum quod Indi & Æthyopes, apud quos plurimùm prouenit, adhuc vocant Hetich, voce corruptâ. Depingit hoc Theuetus, quomodo describit Theophrastus, cuius verba non fideliter idem Plinius exposuit, id quod etiam Solerius animaduertit.

FINIS LIBRI QVADRAGESIMI ET VLTIMI,
atque adeò
TOTIVS HISTORIAE VNIV. I. BAVHINI.



APPENDIX

AD ALIQVOS TOMI TERTII HISTORIAE PLANTARVM LIBROS.

SVBNECTENDA LIBRI VIGESIMI OCTAVI CAP. 120.

Galeopsis sive Vrtica iners minor, folio caulem ambiente.



GAleopsis hæc species minor, planta sesquipalmaris: interdum cubitalis, *caulibus* quadratis, infirmis, non nũquam surrectis, sæpiùs humi sparsis: *folia* primùm prorũpentia pediculis donata, similia foliis Galeopsis minoris, rotunda ferè, serrata: alia in superioribus caulium partibus oriuntur, bina, immediatè caulibus adhærentia, perfoliatæ ferè modò caulem ambientia, rotunda, hirsuta, profundè crenata, & crispa, odore minùs fœtido quàm præcedentes Galeopseos species, sapore nullo excellente: *flores* inter folia ad nodos verticillati caules, & eorum ramos, ambiunt: purpurei, hiantes, è caliculis oblongis, hirsutis, multifidis: radicem demittit simplicem, rigidulam, fibratam.

Locus & Tempus

Descriptio

Est hæc Dod. gall. Vrticæ fœtidæ secunda species. Lobelio in Ic. Plant. p. 463. Morsus gallinæ folio Hederulæ alter. *Figura* placet, non autem titulus, qui huic plantæ non conuenit, ceu & inscriptio Tabern. quæ Alsines speciem facit. H. Lugd. p. 1253. vocat Balloten crispam, & Coronopum quorundam. Sed rectiùs C. Bauh. phyt. Lamium 5. siue minus folio caulem ambiente: Schvvenckf. Lamium purpureum minus.

Monspelii copiosè prouenit, & circa Montbelgardum in agris: Geneuæ passim abundat in hortis, mense Februario virens & florens: Basileæ Maio in hortis, itemque agris quà itur Riehen, & extra portam S. Albani ad Rhenum: Veronæ quoque hanc obseruaui in theatro & circa vrbem.


Galeopsis sive Vrtica iners magna fœtidissima.

VRticæ *radice* nititur: *caules* cubitales & sesquicubitales, quadrati, hirsuti, inanes: nonnihil circa articulos rubentes: vbi & *folia* bina aduersa, Vrticæ, maiora, perquàm acuminata, innocenti lanugine obsita, in ambitu serrata, admodum fœtida: eodemque loci & *ramuli* in quos diuiduntur caules, exoriuntur: *flores* in spica per verticillos digesti, oblongi, tenues, cucullati, colore purpureo, concoloribus fibris, labello tamen albis lineis picturato.

Tragus Herculeam Plinii esse arbitratur, Thalio dicitur Vrtica fœtida maxima τετραγωνόκαυλος. C. Bauh. phyt. Lamium 6. siue maximum siluaticum primum. Schvvenckf. Lamium siluaticum spicatum, grauissimo & ingrato odore, germ. Scharlachnessel/ Gottes Vergess nonnullis.

Passim in siluis prouenit circa Montbelgardum, Tigurum, Basileam & Geneuam, florens Iunio, Iulio & Augusto.

Galeopsis maxima flore magno rubro.



CVbitali *caule*, interdum etiam maiore, quadrangulo, crasso, secundum radicem frequentibus geniculis prædito, à quibus bina semper inter se opposita nascuntur *folia*, Vrticæ foliis haud absimilia, per oras similiter crenata, sed longè maiora, palmaremque amplitudinẽ sæpissimè superãtia, hirsuta quidem, sed non mordacia: à medio caule sursum versus, ad singulos nodos, orbiculatim seni, octoni, nonnunquam deni nascuntur *flores*, non simul, sed successiuè sese explicantes, Lamii floribus multò maiores, saturè rubri & tanquam purpurei, galeæ instar hiantes, labro inferiore [cuius laciniatæ oræ] bifido & frequentibus ad latera barbulis prædito, interiore parte purpureis, & candidis lineis depicto, quatuor staminibus cum stilo sub galea latentibus, odore graui, vti tota planta, si teratur, gustu etiam insuaui & amaro: laciniata *vascula*, deciduis floribus, quaterna *semina* continere deprehenduntur Moluccæ similia: *radix* crassa, fibrosa, perennis, singulis annis augescens, pluresque stolones proferens.

Clusius descriptionis author vocat Galeopsin maximam Pannonicam: C. Bauh. phyt. Lamium 7. siue maximum seu siluaticum secundum.

Frequentem obseruauit idem Clusius in nonnullis syluosis Pannoniæ montibus, Maio mense florentem, & in hortum translatam qui conseruauit.

Galeopsis angustifolia fœtida.

Descript. GAleopsis species hæc *radice* nititur geniculatâ, reptante, adeoque & per fibras è cauliuin geniculis demissas denuò radicatur: *caules* duorum aut trium cubitorum altitudine, modicè rubentes, hirsuti, asperi, quadrati, inanes, *folia* ex nodis proferunt bina ex opposito sita, Lysimachiæ rubræ spicatæ Lobelii, angusta, acuminata, hirsuta, mollia, exceptâ auersi folii costâ rubescente, nonnihil aspera, per ambitum serrata, odore graui Galeopseos, sapore subamaro: *flores* spicati ex pluribus verticillis conflati, quorum singulares cucullati, Heracleæ Tragi, purpurascentes, labello variegato: in floris calyculo subnascuntur quaterna *semina*, nigra, nitida, ferè triquetra.

Synonyma Pingitur planta nostra in H. Lugd. p. 1357. Clymen. minoris Dalechampii titulo, describiturque pro Clymeno minore Herbariorum: A Tabern. pro Stachyde aquatica, braũn wasser Andorn: Sed dissimiles plantas iungit, nec bene describit, distinguitque: A Gerardo, pro Marrubio aquatico, Scharpe paintod water horehoũnd. Camer. hort. vocat stachydem palustrẽ Gesneri: C. Bauh. phyt. stachydem palustrem fœtidam, & Tertiolam Cæsalpini (sic illi dictam eò quòd Tertianas sanet) quã nos in dubiũ vocamus. An tandem est Trago Marrubium maius aut nigrum, groß schwarz Andorn.

Locus & tempus. Montbelgardi passim iuxta agros abundat inter dumeta florens Iulio, semen maturans Augusto: vt & Tiguri in ripa Lacus, referente Gesnero.

Herba venti Monspeliensibus

Descriptio HErba venti Monspeliensibus vocata *caules* habet cubitales, in multos diuisos ramos robustos, quadratos, rubentes, hirsutos: *folia* ex aduerso sita, Saluiæ, vel Parietariæ potiùs, foliis similia, dura, neruosa, supernè virentia & nitida, infernè subhirsuta, albicantia: ex quorum sinu verticillatim ramos, caulemque ambientes nascuntur *calyces* striati, hirsuti, in acutas barbulas desinentes, è quibus *flores* promicant galeati Verbasci siluestris Matth. sed coloris purpurei: verticilla autem vndique plumatis rigidulis cristis obuallantibus stipantur.

Gesnerus hort. vocat Herbam venti Monspeliensium: Herbam venti Rondeletii Lobelius, quem dubitare ait an fortè sit Othonna: itemque Parietariam Cordi Monspeliensium, Sideritidis genus Dalechampii, & Verbasci siluestris speciem Italorum in Obs. p. 286. & Ic. Plant. p. 532. H. Lugd. p. 1120. Herbam venti, Parietariam Cordi, Sideritis genus. C. Bauh. phyt. Marrubiũ 8. siue nigrum longifolium peregrinum, Othonnam quorundam.

Locus & Tempus, Prope Monspelium, Castelneuf, & Lunel, florentem conspexi Aprili, Maio & Iunio. Solibus æstiuis, imbribus & flatu iam marcescentia folia crebrò pertusa, & multifora, quasi vento peruia, visuntur, vnde & Herbæ venti nomen adepta.

Lamium ad Hederam terrestrem accedens.

AD Lamium referenda est elegans hęc planta, quæ ex *radice* Vrticæ vulgari simili, plures profert pedales *cauliculos*, teretes, quadrãgulos, frequentibus nodis cinctos: ad quos alternatim bina contrario situ in oblongis pediculis æqualiter nascuntur *folia*, Lamio, siue Vrticæ non mordaci vulgari & fœtidæ, quæ purpureo flore est, similia, vel proximè ad Hederę terrestris, siue Chamæcissi vulgaris folia accedentia: inter quæ *calyculi* terni, quaterni, aut quini, continentes *flores* Hederæ terrestris floribus formâ proximos, hiantes, nullâ supernè galeâ eminente, sed latiusculo folio reflexo duntaxat, mixtis coloribus, cæruleo, albo & purpurascente insignitos.

Synon. Clusius descriptionis author appellat in Pannon. p. 598. Lamium 3. peregrinum: In Hist. post. Lamium Pannonicum tertium. C. Bauh. phyt. Lamium 4. siue folio Hederæ terrestris.

Nascentem plantam nunquam videre contigit authori: sed iconem suis coloribus diligentissimè expressam ipsi dono dedit anno 1579. Ill. Dn. de Batthyan.

CANNABIS SILVESTRIS VETERIBVS.

Diosc. CAnnabis siluestris similes Altheæ *virgas* profert, minores tamen, nigriores & crassiores [asperiores aliis] cubiti altitudinem æquantes: *folia* satiuæ similia, sed nigriora quoque & asperiora: *flores* rubescentes Lychnidi similes [flores Lychnidis, subrubros alii:] *semen* verò & *radicem* Altheæ. Decocta radix, illitu inflammationes mulcet, tumores discutit, tophos articulorum dissipat: cortex huius torquendis funibus accommodatur. Vires

Acquinoc. Cęterùm caput hoc de Cannabi siluestri, quam quidam Hydrastinan, Romani verò Terminalem & Cannabem appellant, in multis Diosc. exemplaribus cum capite de Cannabe satiua, de quâ antè dictum, coniunctum habetur, an aũtem ex Diosc. sententia, me latet Tragus illud redundare putat, quòd Diosc. contra consuetudinem suam Cannabem siluestrem primo loco ponat. Plinius certè separat. Cannabis in siluis primùm nata est [inquit lib. 20. cap. 23.] nigriore folio & asperiore, dein cultu domita feritate mãsueuit in agris, &c. Plinius cùm legisset Cannabi silu. virgas esse Altheæ similes, oscitanter Cannabi tribuit, quod Altheæ proprium est, vt aquam spisset, quod infrà monebimus.

Variorũ lapsus. Ruellius Cannabis siluestris meminit, & tamen non satis demonstrat, quid intelligat. Cordus & Lacuna omnibus notam aiunt: quæ tamen sit, non tradunt. Amatus spontè in aruis nasci dicit: verùm non describit. Sed & Matthiolus in multis Italiæ locis, cùm siluosis, tum etiam campestribus eam prouenire asserit in prior. comm. sed in posterio. vidisse dicere non audet. Cannabem silu. nos non habere statuit Tragus, nisi per illam subintellexerit Dioscorides satiuæ speciem aliquam. Cannabim autem spontè prouenire in Virginea, sed foliis & caule à nostra satiua differentem author est Thomas Hariot.

Cannabis erraticæ paludosæ titulo, nescio cuius errore, ponitur in Obs. p. 284. & Icon. Plant. p. 527. Cannabis fœmina. Sunt qui siluestrem Cannabim Alceam officinarum esse contendant. Alii Clinopodii alterius Matthioli genus album. Alceam pentaphylli folio alii. Cristam Galli alii, quod perpendendum. Est tandem Cannabis siluestris quorundam Vrticæ inerti affinis quæ nunc describenda venit.

Cannabis siluestris quorundam, Vrtica inerti affinis.

Descript. BIcubitali & altiore surgit *caule* quadrato, hirsuto, & aspero in ramos diuiso: ad cuius articulos

diculos singulos gemina *folia*, aduersa pediculis appenduntur, Vrticæ foliis paria, acuminata, per ambitum serrata, in singulas incisuras singulis neruis obliquis à media costa exeuntibus, mollia, pilosa, atro-uirentia: *flores* ex foliorum alis verticillatim caules coronant, Lamii effigie, galeati, purpurantes, vel albicantes, labello parili, lineolis sanguineis luteisque versicolore, ex calyce rubente, in quinque spinas abeunte, in cuius fundo semina succedunt quaterna: *radix* nunc recta, nunc obliqua, ex albo nonnihil rubescit, potissimùm quà cauli committitur, fibris longiusculis donata.

Cannab. silu. Trago. Cannabim hanc siluestrem in censu vitiorum haberi, neque cum descriptione Dioscoridis cõuenire placet Trago. Caulem siquidem proferat hirsutum, lanuginosum & nodosum, tono aspero vestitum, Vrticę foliis simillimo: flore alio purpureo, alio prorsus candido, forma ipsa Vrticę fatuæ simillimo, semine per omnia fatuæ respondente. An Cannabis erratica paludosa silu. Lobel.?

Descriptio. Scvvenckf. Cannabis silu. spuria 1. Cannabis spuria facie Vrticæ Lob. Cannabina alba Tabern. wilder hanff/weiß hanffkraut/ wilde taub nessel/Acker nessel: inter segetes enascitur. *Item*, Cannabis silu. spuria altera Lob. Vrtica fatua silu. aculeata Thal. Sideritis 2. Matthiol. stachelichte wilde taub nesseln/ Stachelichte ackers nesselen: segetum pernicies. *Et*: Cannabis silu. spuria 3. Vrtica fatua silu. aculeata minor, Klein wild taub nesseln. Quam plantam intelligat Schvvenckf. per primam Cannabin siluestrem nobis nondum constat: secunda non est Sideritis Matthioli.

C. Bauh. phyt. Vrtica 5. siue fatua, aculeata foliis serratis: Trago Cannabis silu. propter formã seminis: Lobelio Cannabis silu. spuria altera. Item, Vrtica 6. siue fatua aculeata foliis non serratis.

Vrticam autem hanc fatuam silu. aculeatam Thalii esse silu. Cannabim Lobelii, testatur Camerarius. Dod. lat. in fol. sub titulo Cannabis sterilis depingit & describit: Hist. Lugd. p. 497. pro Cannabi siluestri Dalechampii, flore puniceo.

Locus & Tempus. Geneuæ copiosè floret Nouembri: Basileæ intra portam cineream & lapideam, in & extra vrbem, & ad fluuium Birsæ Iulio, Augusto & adhuc Octobri. Montbelgardi passim abundat.

Ladanum segetum flore rubro quorundam: & albo.

EX *radice* digitali, aut minori, lignosa, fibrata, *caules* surgunt pedales, quadrati, subhirsuti, propter terram rubentes, cęteroqui ex viridi canescentes, geniculati, ramosi: *folia* ex articulis oriuntur, Ledi, atro-uirentia, subhirsuta, ex aduerso posita, sapore exsiccante: *flores* indidem ex foliorum alis orti verticillatim caules ambiũt, Lamii floribus persimiles, colore nunc carneo hilariore, nunc albo, labello punctis duobus albicantibus notato, interiùs paullò notulis in luteum vergentibus resperso: apices sub galea teguntur lutei.

Descriptio.

Turner. plantam, quam hîc proponimus, Ancorariam vocat: atque esse Clinopodium alterũ Matthioli, cuius figuram sine descriptione proponit. Tabern. Alyssum (2. statuit in Hist.) Galeni flore purpureo: C. Bauhin. phyt. Sideritim 7. siue aruensem angustifoliam rubram: Hist. Lugd. p. 443. Ladanum segetum, *de quo ait*. Hæc



herba à foliorum cum Ladano similitudine & natalibus à Plinio Ladanum segetum dicitur, ab aliis Tetrahit angustifolium. Quia autem Plinius segetũ Ladanum duplex esse ait, id Herbarii sic interpretãtur, vt aliud album sit, aliud rubrum.

Locus & Tempus. Vtrumque nascitur in aruis lapidosis & inter segetes passim circa Montbelgardum. Obseruaui quoque Monspelii & Geneuę: itémque Basileæ florens Octobri: Flore albo & purpureo in Ducatu VVirtemberg. inter admirabile Balneum & Kirchen vrbem, & arcem.

Chamæcissus, siue Hedera terrestris, Veteribus & in genere.

Heder. terr. maior.



CHamęcissus quem quidam Chamęleucẽ, sterilem Hederam, Terrę coronã, & Selinitin appellant, & Romani Hederã syluaticã: *folia* Hederę similia habet, minora tamẽ, tenuioráque, ac in gustu valdè amara: *ramulos* à radice dodrantales, foliosos, per terrã sparsos, quinos, senósue: *flores* Violis similes, minores tamen: *radicem* gracilem seu tenuem, candidam, inutilem: nascitur in cultis. Folia vtiliter bibunt ischiadici tribus obolis in aquę cyathis tribus, quadragenis quinquagenisue [triginta aut quadraginta Cęsalp.] diebus. Eodem pota modo senis aut septenis diebus, regiũ morbum emendant, & expurgant.

Vires.

Plin. not. Plinius in Cissi & Chamęcissi voce valde implicitus est, & à Dioscor. alienus. Theophrastus quidem hederę ἐπιγείου i. e. terrestris, & τῆς ὑψοῦ αἰρομένης hoc est, in altũ sublatę meminit, nusquam verò Chamæcissi, teste Dalechampio.

Cæterùm, Chamæcysson hanc antiquorum esse Hederam terrestrem vulgarem, negant Cordus, Matthiolus, & Marantha. *E contrà* Hederã

terrestrem officinis dictam, Chamæcissum esse volunt, effigie quidem, viribus & vulgari appellatione consentientibus, Tragus, Fuchs. Dod. Lob. Cæsalp. & alii nonnulli.

Chamæcissi verò nomine sequentes donantur plantæ: scilicet: Volubilis minor. Hederæ. Helix. Consolida media. Consolida regalis. Gramen Fuchsii. Veronica mas.

Æquiuoc.

Hederam terrestrem vulgò appellant Brunfel.tom.1. Rhaps.22. Trag. Matth. Tabern. & alii, i.e. χαμαίκισσον, vt Dod. gall. Fuchs. Chamæcissum, vt Trag. Ruell. Humilem Hederam Lobel. & Hederulam ac Hederam terrestrem Barbarorum: Chamæclema Cord. in Histor. apud quem malè posita figura Floris tinctorii. Elatinen Brunfels. in 4.p.37. & Gesn. in cat.pl. Elatinen Dioscoridis Comes à Neuenare, quàm malè autem, indicat vtraque descriptio. Germ. Erdebhew / & Erden Kreutzlin / h. e. Coronam terræ, γῆς εἴσιστον: quidam Gundelreb / & Grundreben / Belgæ Onderhauen / Galli *Lierre terrestre*, & *Rage, Gesn.* Boh. Douen / Hung. fody folyo borostian fiu / h. e. terrestris serpens Hedera. Sunt nonnulli qui Asclepiada vocare velint, quorum error manifestus.

Passim sponte prouenit Monspelii, Lugduni: item Patauii & Geneuæ, virens Ianuario & Februario florens autem Martio & Aprili: Montbelgardi & Basileæ multis in locis floret Maio, In cultis pariter ac incultis locis reperitur, ac sæpenumero vmbrosis, iuxta sepes, parietes, & hortorum areas. Viret non modò Æstate, sed & Hyeme, quouis anni tempore: ab Aprili autem in multam Æstatem flores facit, teste Dodonæo.

Locus & Tempus

Sunt qui asserant apud Tragum, folia in aqua decocta, & pota, dysenteriæ prodesse: eademq; vino decocta & pota, vrinam & menses ciere, venenum & regium morbum expellere, obstructiones hepatis & lienis soluere, eadem aquæ destillatæ tribuunt: folia vino aquáue decocta, exulcerationi vitiisque colli & faucium gargarisatu conducere: hoc decoctum scabiei aliisque oris vt & locorum muliebrium vitiis mederi: & succum fistulis aliisque id genus malis purgandis maximè prodesse. Hederæ terrestris ex vino decoctum, inquit Matthiolus, potu vrinas & menses ciet, vermes necat, venenum per sudores pellit, hinc fit vt veterinariis magno sit in vsu ad equos, quos scisel infestat. Frequenter eâ vtuntur Chirurgi Itali, potissimùm vulnerato thorace, aut intestinis, in quem vsum compertæ efficaciæ potionem τραυματικὴν habent. Dodonæus verò facultate Hederam terrestrem calidam & siccam esse statuit: & quia amara, abstergere, & viscera ab obstructionibus liberare posse, atque aduersus tinnitus & surditates commendari auribus impositam.

Solent [inquit Camer.] alicubi in Italia vlcera inueterata succo Hederæ terrestris eluere, postea puluerem siccæ herbæ inspergere: egregiè plærumque iuuat. Aqua distillata & 44. dies cótinuos bibita, auctore Ludouico de Leonibus Medico olim Bononiensi insigni, in suppuratione pulmonum efficax. Quas veteres Chamæcisso tribuunt famultates easdem omnes Hederæ terrestri adscribunt, neque dubiú est Fuchsio, cùm sit admodum amara, quin eandem habeat facultaté, & alia etiá possit quæ illi adscribunt, vt euocare suppressos menses, vrinam mouere, obtusum auditum remouere. Contra pestem etiam tradunt Officinarum esse id quod equites quoque sciunt: hi enim quoties fibula dicta pestis equum corripuerit, hac contra eandem herba magna efficacia vtuntur.

Aqua tandem aut decoctio pondere vnciarum iij. confert mulieribus, tumore membrorum aut ventris laborantibus: idem præstat si epithemetur bis in die. Scribit Lerius in Hist. Americana cap. vltimo, cùm omnes diarrhœa & solutione ventriculi tenerentur, adeò vt nihil penitus retinere potuerint, breui tempore sanitati restitutos fuisse vsu pultis Oryzæ cum succo Hederæ terrestris cócoctæ, quæ amota ab igne contegenda est probè pannis, in olla postea ei commiscendi ouorum vitelli, omniaque ita confusa in foculo mensario recalfacienda. Vidi ego vtentes quosdam ad torsiones post partum, ventri appositâ, acipse etiam vtiliter sanè vsus sum. Huius porrò fœlicem vsum obseruaui in expellendis vermibus equorum si concisa detur cum auena.


Asarina Lobelii flore Hederæ terrestris.



Asarinæ, aut saxatilis Hederulæ, quam raro & non nisi locis mótosis & saxeis vidit Lobelius, in Galloprouinciæ Delphinatu & Narbonæ, perplures quidem notæ sūt quæ Hederæ terrestri conueniūt, proindeque nonnullis Hederà saxatilis dicitur: hanc vrinas ciere scit: an alium ducat, compertum haud habet: nec tamen id inficias it: nam hunc fortè vsu venit, quod de Asaro asserunt. Idem in Obs. p. 329. vt mihi videtur Asarinam ieiunè describit, ac perperam sterilem cognominat. Asarina sterilis, inquit, Senensis Narbonensis agri, diuersa ab Asarina Matthioli qui florem Anthemidis esse scribit: Huic folia & flores dilutè purpurantes Hederæ terrestris conueniunt: sed maiores, longiores. Rupibus & cautibus Vegantio contermінis Seuenæ oriunda.

Descriptio

In Ic. Plant. p. 601. inscribitur Asarina, siue saxatilis Hederula. C. Bauh. phyt. Hedera terrestris 3. siue [etiam Histor. Lugd. pag. 915.] Asarina Lobelii.



tis simplicis herbaceo innocenti sapore prædita *flos* aureus multiplex: *echinus* confragosus.

Icon Ranunculi dulcis multiflori apud Tabern. non placet. Eandem inscribit Gerardus Ran. maximum multiplicem, Double wilde Crowfoote.


Ranunculi speciem peregrinam serpentem, & Ranunculum duplicem appellat Cæsalp. Ran. luteum multiplicem Schvv. Coronopum Ranunculi speciei similem flore multiplici luteo Gesn. hort. An Ran. prat. maiorem fl. multiplici Trag.? An Ran. hort. multiplicem Fuschs. histor. Ran. multiplicem in Icon.? An Ranunculi tertiam speciem vulgatissimam, suis ramis per terram se spargentem, flore valde foliato, Anguill. epist. 11. An Ranunculi septimam speciem coronariam Cord. Hist. An Ranunculum hortorum Anglorum polyanthemon Lob. Aduers.? An Ran. 10. siue hortensem repentem pleno flore, C. Bauh. phyt.? An Ran. hort. fl. pleno secundum siue inclinantem, idem in Pinace? An quoque Ran. hort. fl. pleno tertium siue dulcem, & Polianthemum multiplex, Dod. gall. Lugd.?

Locus & Tempus

RANVNCVLI PLVRIMÆ species Aliæ.


RANVNCVLVS MAGNVS HIRSVTVS repens flore pleno.

Descript. EX *radice* fibrosa *caules* tollit cubitales, crassos satis, hirsutos, iuxta terram rubentes, superiùs virentes, fistulosos, in ramos aliquot brachiatos, & vbi terram attigerint, fibris, multorum Ranunculorũ more, se radicantes denuò: *flores* in ramulorum extremis, maiores quàm in præcedenti, numerosa foliorum serie constant, quorum exteriora Croco tincta splendent, modico interuallo diducta, interiora virentia aut chlora, scandulato incubitu consertim stipata exterioribus altiore situ posita, imbricatam coni Cedri Libani dicti laminarum conglutinationem quodammodò æmulantur, relictâ duntaxat vmbilicatâ in summo lacunâ: toti flori subiecta foliola quinque hirsuta viridantia: *folia* alia à radice oriuntur, alia à ramis, pediculo longo fistuloso, palmari & dodrantali, hirsuto, valde lata: primariâ diuisurâ tripl ci, quarum vnaquæque rursum tripartita, obtusa, crassa, hirsuta, supernâ parte atrouirentia, splendentia & rugosa, infernâ ex albido virentia dilutiùs: nonnulla interdum folia, vt circa floris pediculum antequam se expandat, caulem immediatè ambiunt, in tres oblongas diuisuras acutas, ampliùs non dissectas, abeuntia.



Montbelgardi in horto Ill. E. C. floret mense Aprili.

RANVNCVLVS ROTVNDIFOLIVS vernus syluaticus.



Descript. Fibrosâ *radice* nititur, minimè acri, ex qua surriguntur aliquot *caules* fistulosi, cubitales & sesquicubitales, in ramos brachiati, quorum singulis insident *flos* Ranunculi aureus, quinque foliis caducis constans, quæ extrorsum totidem triplò minoribus virescentibus circumdatur, in medio staminibus donatus plurimis croceis: succedit *echinus* qualis in vulgaribus Ranunculis: *foliorum* autem mira est varietas: nam ex inferioribus quædam circinatæ rotunditatis integra sunt, & in ambitu serrata: alia manente rotunditate triplice quintuplicéue diuisurâ incisa, atque ista quidem omnia longis pediculis appensa è radice statim oriuntur, & in hortis culta, insigniter crassescunt, vt alterius esse plantæ quodammodò videantur: at quæ ad alas & ramorum diuaricationes, in tenuissima & oblonga segmenta diuisa, radiatæ stellæ more caulem sine pediculo amplectuntur.

Tragus hunc describit nomine Ranunculi siluestris, vocatque german. Mertzen hanenfuß, quòd Martio mense in syluis reperiatur: dulcem ait, & ad Apulei Crus galli refert. Figura autem proprio titulo non donatur, sed malè sub inscriptione Ranunculi pratensis dulcis transposita locatur.

Tragus. Sed & Fuchsius Ranunculi siluestris titulo in Histor. pingit, sed non describit, nec ritè à cæteris distinguit. In Icon. Ranunculi primam speciem inscribit.

Dodon. gall. est Ran. 2. auricomus: Anguill. epist. 11. Polyanthemon Plinij: Thal. Ran. Martius Tragi: Tabern. (cuius icon non placet) in Icon. Ran. dulcis nemorosus: in H. (vbi præterea

ue spinosis oblongis compressis pericarpiis congestis conflata.

An Cæsalp. Ranunc. primus, linguam exurens, semine depresso, foliis cum maculis nigris: Ranun. læuis? An Lob. in Adu. Ran. palustris semine echinato, Apium Sardonium Dioscoridis putatum?

Clus. hist. post. vocat Ranunculum præcocem 3. Ran. Apulei quorundam, & Batrachium Apulei Iac. Plateau. C. Bauh. Ran. 23. siue palustrem echinatum Io. Bauhini: cuius meminere Aduersaria: verùm cum Ranunculo palustri rotundifolio læui confundunt. Idem in Pin. Ran. echinatum quartum, siue palustrem.

Locus. Gaudet locis humidis & aquosis Monspelii, ac etiam in fossis. In Belgio alicubi obseruatus.

RANVNCVLVS ARVENSIS echinatus.



Descript. Caule habet cubitalé circiter, subhirsutum, hilariter virescentem, cauú, & in ramos plures diuisum: *folia* in oblonga segmenta tenuia profundè admodum incisa, pilosa: *flores* Ranunculi aquatici, minores quã in pratési genere, luteol, quibus succedút echinata *capitula* ex pluribus subrotundis lappulis compressis & aculeatis composita: *radicem* habet fibrosam.

Fuchsius, qui nec describit, nec etiam ritè ab aliis distinguit, Ranunculum hortensem simplicem in Hist. inscribit, absque ratione. Magis congruè, Ranunculi alteram speciem constituit in Icon.

Figuram Fuchsii proponit Dod. gall. titulo Ranunculi albi, siue echinati. Lat. in fol. & Hist. purg. Ranunculi silu. tertii & Aruensis nomine & inscriptione, aliam exhibet effigiem. Hanc Lobel. in Obs. p. 380. pratensis Ranunculi varietatem intitulat, & Ranuncul. 3. siluest. Dodonæi, eumque ad Ranunculum Aduersar. pag. 298. refert. Sed non inuenio Aduersaria huius meminisse iam dicto titulo & pagina, nec etiam sequenti, nisi quod describendo Ranunculum rectum cum hoc confundant, semen attribuentes echinatum. In pratensis enim Ranunculi varietatis descriptione, capitula non dicuntur echinata, sed non diuersa à Ranunculo pratensi vulgari.

Et sanè capitula, quæ in hoc Ranunculo echinata sunt, faciunt, vt suspicer Matthiolum per Ranunculum quartum, figuram Ranunculi aruensis malè pictam exhibuisse. Nec me latet alterius esse opinionis Lobelium, Camerarium, & fratrē C. Bauhinum, vt suis ostendetur locis.

Synon. Cordo, cui est Ranunculi quinta species, à Gesnero in H. additur figura, vocaturque Ranunculus aruensis, ac etiam segetalis: de hort. Ranunculus aruensis, æstiuusque a Fuchsio depictus, Lob. in Ic. Plant. p. 665. & Gerardo, Ran. aruorum. Schvv. Ran. aruensis. Ponæ in Baldo Ran. echinatus Dodonæi. Tabern. Hist. Ran. 1. aruensis, Ersi acker hanenfüß / Ran. 13. aruens. latifolius siue icone: Item, Ran. 2. aruensis, der ander Acker hanenfuß / Ran. 14. aruens. angustifolius: & hunc in Ic. etiam pingit. C. Bauh. phyt. Ran. 21. siue Geranii tuberosi folio, Batrachium verum Cortusi: Item, Ran. 22. siue aruens. echinatus 1. siue aruensis. Ran. satiuus Turneri: folio aliquando latiore, aliquando angustiore, pro ratione folii pinguioris.

Germ. dicitur feld hanenfuß / & Acker hanenfüß. Belg. Acker hanenvoet. Angl. felde Coowesdote. Gall. *Grenouillet e blanche, ou herissonnée.* Nomina linguar.

Basileæ in agris conspicitur mense Maio, vti & Montbelgardi, Monspelii, & Geneuæ, vbi in hortis paruæ plantæ tota Hieme virebant. Septembri echinata profert capitula. Vulgaris in regionibus vicinis Rheno. Inter segetes Silesiæ Iulio floret. In aruis denique pleritque locis aliisque, vbi humidius solum, gignitur. Locus & Tempus

Ranunculus albus simplici flore.



Descript. Radix cauli quasi apposita palmaribus aliquot fibris, crassis mediocriter, rigidis & albis, dispartis constat: ex qua surgit *caulis* sesquicubitalis & bicubitalis, pallido & virente læuore nitens, supra communem fortè Ranunculorum crassus, solidus, in ramos aliquot diuisus, foliisque ad alas donatus, *flores* gerit vncialibus & sesquiuncialibus hirsutis pediculis Ranunculorum vulgarium forma & magnitudine, sed candore niuem prouocantes, suaueolentes, quinque vel sex foliis compositos, interdum cultura è longè pluribus, vt multiplicem florem iure possis dicere, quorum medium occupant *apices* lutei: *Folia* Aconiti foliis similia, quinquepartita, profundissimè serrata, internè hilari virore splendentia: supernè viridia, squalida. Tabern. ait sapore calido & acri, sed mitiore, & non ita vrente, vt in cæteris.

Clus. Ranunculus albo flore à Dodonæo descriptus differt à maiore, humilior, folia læuiora, & nonnihil altiora, flores rariores & minores, maturiùs floret.

Dodon. in Hist. purg. & lat. in fol. nominat Ranunculum flore albo, Ran. externorum quartum. Camer ad Hist. germ. Matth. Ran. candido flore. Tabern. Icon. Ran. album, Batrachium album: Hist. Ran. 5. album. Ger. Ran. alpinum album. Gesn. hort. coronopum quorundam, Ra-

nnnculo specie similem, silu. albam : Item, Ran. 3. in Bernatium montibus fidertsche appellatum, Chamæplatanum deinceps forsan vocandum: In app. Ran. album maiorem sil. fl. simplici : In cat. Ran. album simpl. flore non vrentem. Lob. in Adu. [hîc dubitat an sit Ranunculus albo flore Diosc.] Aconitum batrachoides: In Obs. p. 381. item Ic. Plant. p. 663. Ran. album flore simplici: Ibi etiam Ran. album alterum, Hic Aconitum batrachoides, cuius figuram in Ad proposuit : In Obs. & Ic. Pl. effigiem Dodonæi assumit, ac magnitudine à priore in Adu. exhibito distinguit.

Figura 3. Lugd. Figura Ranunculi montani albi apud H. Lugd. p. 1031. non displicet : Ad hanc autem Compilatorem alias duas malas reducere decebat, sc. Polyrrhizi latifoliæ Dalechampii p. 1140. & Aconiti quinti Matthioli, p. 1740.

Pona miratur. Pona in Baldo vocat Ran. quartum Dioscoridis : Item Ran. montanum album Dalechampii. Nobis vna solùm stirps est.

Nomina linguarum. Schvv. Ran. Alpinum candidum, Ran. Alp. maiorem leucanthemum folio Aconiti, Ran. max. ἀκονιτόφυλλον siue Aconitiformé, foliis amplis, profundiùs sinuatis, Platani instar, floribus lacteis : sapore subacri & nitroso.

Locus & Tempus. Perperàm C. Bauh. in phyt. hunc Ranunc. 4. Matthioli nuncupat, quia in figura nihil apparet quod respondeat. Præterea Ranunculum quartum Matthioli (quem nos aruensem echinatum vocamus) eundem asserit cum Ran. mont. quarto Clusii, de quo nos proximè dicturi sumus.

Descriptio. Sed quæ picturarum similitudo? quæ foliorum conuenientia? quæ floris colorum correspondentia?

Locus. Germ. dicitur weisser hanenfüß / weisser Alphanenfüß / & Siles. weiß Troßblüm: Angl. white montaine Crowfoote.

Abundat in Episcopatu Argentinensi vltra Rhenum prope fontes acidos Griesbachianum & S. Petri ad siluam Hercyniam : Geneuæ in monte *Saleue* & Thuiri florens Iulio mense. In Pannonicis montibus prouenit teste Clusio, vbi maior in Baldo frequentissimus. In vliginosis montosis Silesiæ seu ad riuulos ex montibus defluentes nascitur. Tandem in plerisque Galliæ, præsertim Narbonensis, montibus, & apud Allobroges subinde reperitur.

Tempus.

RANVNCVLVS ALBVS FLORE DENSO.

Descriptio. IN eo differt à Ranunculo albo simplice, quòd huic *flos* sit multiplex, magnitudinis Ranunculi pleni recti : æquè enim lacteo candore conspicuus est : *caules* recti, solidi, ramosi, sesquicubitales : *folia* quinquepartitò ad pediculum vsque dissecta : reliqua conueniunt.


Synon. Clusio in Pann. p. 369. dicitur Ranunculus flore polyphyllo albo : In Hist. post. Ran. mont. 4. alter flore pleno.

Synon. Camer. ad Hist. germ. inscriptione Ranunculi candido flore, florum picturam exhibet. Tabern. Ic. Ran. albus multiflorus : Hist. Ran. 6. coron. albus, floribus multò maioribus, quàm silu. pleni. Ger. Ran. alb. multiplex. Gesn. hort. Coronopus quorundam Ranunculo specie similis, hortensis, flore multiplici albo : An ibidem postea, Ran. alb. magnus fl. multiplici. In app. Ran. alter alb. fl. multipl. In cat. Ran. alb. fl. pleno. Schvv. Ran. alb. multiflorus, siue coron. albus.

C. Bauh. phyt. Ran. 40. siue hortensis albus multiplici flore. Pin. Ran. hort. fl. pleno sextus, siue Ran. Aconiti folio, fl. albo multiplici, Ran. leucanthemos fl. pleno Cam.

Nomina linguarum. Germ. Gefülter weisser hanenfüß / gefült weiß Frantz Schmirgeln. Angl. douple white Batchlers / buttons or double white Crowfoote.

Ranunculus flore albo Alpinus maior.



Descriptio. MAgna sunt *folia*, in quinque lacinias secta, viridia & in ambitu serrata, infernè dilutiora, & splendentia, dura, neruosa, quæ præmansa nullam manifestam acrimoniam, sed amaritudinem potiùs habere deprehenduntur : *caulis* cubitalis aut amplior, firmus, licèt tenuis, læuis, nodis aut geniculis præditus, in multas alas à medio ad summum expansus, in quibus *flores* satis ampli [interdum pleni.] Secundi (Ranunculi alpini Narcissi flore) tamen floribus minores, quinis foliis constantes, tenelli, toti lactei: aliquantulùm odorati, staminibus pallentibus vmbilicum occupantibus, & capituli rudimentum cingentibus, quod ex seminibus simul congestis, quemadmodum in reliquis Ranunculis, constat : *radix* præmorsa videtur, instar radicis Secundi, multasque longas & candicantes fibras habet.

Montani Alpium Austriacarum opiliones & venatores, Abbeiß / & Teuffels Abbeiß / id est, Præmorsæ, & Diaboli morsus, nomen indebant.

Locus & tempus. Abundãter prouenit in accliui montis Vvechsel, Schneberg, & aliorum montiũ siluosis locis, per quæ ad eos montes patet aditus. Floret istic eodem tempore, quo Ranunculus mont. albus Clusii, i.e. Iunio mense: sed in cultis Maio: semen maturat Iunio.

Ranunculus alpinus Narcissi flore.


Descriptio. IN celsioribus earundem Alpium iugis, multò humilior & magis hirsuta crescebat hæc plãta, pedalem altitudinem non excedens, *flore* paullò maiore [& qui Narcissi florem album, medium calicem flauum habentem, æquare posset] eóque etiam magis odorato, quàm prioris : eius etiam *folia* maiore amaritudine & acrimonia erant prædita, tametsi primo gustu quandam dulcedinem habere viderentur. Seriùs florebat priore : nam eam duntaxat florentem reperiebat, quum in inferiore iugo, alteram iam semen habentem obseruasset author.

Clus. Pann. p. 366. Ranunculi 2. alterum genus, p. 367. Ranun. Alpin. secundus, siue Narcissi flore : Histor. poster. Ran. mont. secundi species altera



altera. C.B. phyt. Ran.42. siue mont. hirsut. Narcissi flore: Pin. 5. siue hirsutus humilior Narcissi flore. Schvv. Ran. mont. hirsut. Narcissiflorus, Ran. polyphyllos niueus, aliquando purpurascens, radice concauâ, fibrillis candidis, miro naturæ artificio contectâ. Iunio & Iulio in Silesiæ montium conuallibus floret.

Ranunculus montanus albus hirsutus.



Descript. NIgra *radice* nutritur fibris crassioribus donata, quaque *caulem* emittit perenniũ plãtarum more, tenuibus filamẽtis comosa: ex hac *folia* nascuntur; quatuor, quinque, vel sex pediculis palmaribus hærentia, ampla, circũferiptione rotũda, sed in plurimas lacinias ad pediculum vsque incisa, hirsuta: *caulis* vnicus cubitalis, vel sesquicubitalis, pilosus, cuius summum in quatuor, vel quinque ramulos palmares plus minùs facessit, quam diuisionem folium ambit vnicum veluti perforatũ, sine pediculo, non minùs profundè quàm inferiora dissectum: *flos* vnicuique ramulo vnus insidet, albus, Ranunculi albi similis, an aliquid habeat purpurei non recordor, septem vt plurimùm foliis constans, apicibus in medio: hinc oriuntur capitula è latiusculis ex oblongo rotundis, læuibus seminibus cógesta, pluribus quàm duodecim, ad semen Pastinacæ Germanicæ accedentia.

Quandoquidem autem planta, quam describimus, nobis minùs integra est, quàm vt possit ex ea bona effigies parari, assumimus Clusii, quæ placet. In ea tamen varietas obseruatur, quòd flores constent quinque foliis. Nos semina nostræ plantæ appingenda curauimus: Picturam autem nostram sculptor nonihil corrupit.

In Hist. Pann. vocauit p.364. Ranun. montanum purpurascente flore: p.368. Ranun. tertium. Synon. Histor. post. Ran. mont. tertium. An Ranunculus quartus Matth. Lobelio? Is in Ic. p.696. effigiem habet nomine Alpinæ Pentaphylleæ Caryophyllatæ, quæ Ranunculo, de quo hic agimus, optimè conuenit,

H. Lugd. p.1743. Aconitum candidum ἀκονιτον Dalechampii, idem est cum nostro Ranunculo & longè diuersum à Ran. Dodonæi albo, contrà quàm Compilator voluerit, qui floribus sex foliola appinxit: nos plurimùm septem obseruauimus. Porrò cùm Dalechampius Aconitum hoc suum candidum, Geranium album esse suspicaretur, Herbarii quibus naturæ & facultatis huius plantæ indagandæ negotium commiserat, venenatam esse, & ex Aconitorum genere asseruerunt. H.L. err.


C. Bauh. phyt. Ran.43. siue montanus hirsutus purpurascente flore. *Pin.* Ran. mont. hirs. purp. flore.

Locus & tempus. Geneuę in monte Thuiri mense Iulio floret & Iunio. Crescit copiosè in monte Iuræ opacis iugis, semina maturans Augusto.

Ranunculus minimus Alpin. 2. albus & luteus.



Descript. OMnium quos vidi Ranunculorũ minimi sunt mihi in Rhæticis montibus collecti. Prior radicem oblõgã egit pro plantulę ratione magnam, fibris donatam crebris, longis, propagine vel ... bus, ... laterum aut trium vnciarum altitudine est, vno alteróue foliolo donatus: reliqua enim tria secta, vel profundiùs duntaxat circumquaque Geranii columbini modo serrata, rotunda ferè, crassa: flos summo cauli insidet albus, aut luteus, à Ranunculorum aliorum flore non differens.



Cæterùm, cùm Clusius Ranunculos minimos albos ad amussim describat, ac varietatẽ vnã, à nobis non obseruatam, tradat, lubuit præter nostram figuram, amborum effigiem inspiciendam, & contemplandam proponere.

Prior imago siccas nostras plantas Ranunculi minimi ob oculos ponit: Posterior Ran. mini.

mi montani effigie Clusianas præ se fert.

Jegerfraüt h.e. Venatorum herbam, appellari scribit Simlerus: item, Herbam causticam, & flore albo Ranunculum montanum. Montanos verò Austriacarum Alpium opiliones & venatores fieberfraüt vocare, & ad pellendas febres [vnde nomen] foliis eius contusis & carpo admotis vti.

Synon. Gesn.hort.Ran.mont. minimus. Lob. Obs.p. 381. Ran. minimus albus, nonnunquam satione in luteum mutatus. Fabricio apud Gesn.hort. in epist.Ran.paruus fl.albo. C.Bauh.phyt. Ran.16. siue minimus foliis crenatis: Item, Ran.17. siue montanus minimus laciniatis foliis. *Eidem in Pin.* Ran.mont.2.siue humilis rotundifolius flore minore, Ran. mont. primi species prima: Item, Ran. mont.3. siue alp. humilis rotundifolius fl. maiore, Ran. mont. minimus Gesn. hort. Ran. mont.primi species altera Clusii.Ran.montanus Dod. ed. Belg. flore interdum duplici foliorum serie constante.

Locus & tempus. In Rhætiæ monte Albula floret Iulio. Abundanter prouenire conspiciebat Clusius in summis Schneberg & vicinarum Alpium iugis, confragoso solo, & pænè in ipsis petrarum fissuris, Iunioque interdum isthic florebat, aliquando serius: vt videlicet nix maturiùs aut seriùs soluitur: in hortos autem translati, maturè admodum, & ante alios Ranunculos, Aprili sc. flores proferunt.

Ranunculus Thalietri folio.



Descriptio *Caulem* habet pedali altitudine assurgentem, gracilem, ex viridi rubescentem, in quo quaterna aut quina *folia*, maioris Thalietri flore albo foliis, colore & formâ valde similia, sed minora, & teneriora, amaro sapore: *flosculi* in singulis alarum sinubus singulares, candidi, quinque foliolis constantes, suis petiolis innitentes: quibus decidentibus succedunt bina aut terna *corniculata, semen* rotundum, subruffum, Aconiti hiemalis vulgò appellati semini ferè par, continentia: ex eadem radice, præter caulem, prodeunt bina aut terna *folia* suprà descriptis similia, singularibus, dodrantalibusque pediculis, eiusdem cum caule coloris innixa: radix impensè amara, multis albis fibris donata est, ex quarum capite alia exit nodosa *radicula*, subinde ad singula internodia nouas fibras agens, atque hac ratione se propagans, ideoque perennis.

Synonyma E tribus Ranunculi præcociùs florentis generibus est hic Clusio in post. Hist. alter ideoque Ran.præcocem secundum Thalietri folio cognominat. In Pann. ad quam potissimùm classem Ranunculum Thalietri folio referret diu secum deliberauit, sc. Ranunculíne an Thalietri vulgò existimati generibus adscribere debebat: etenim aliquot notas cum vtrisque conuenientes habere credidit. H. *Lugd.* p. 821. Aquilegiæ minoris Dalechampii titulo pinxit, teste Camer. hort. C.*Bauh.* phyt. vocat Ranunculum 3. siue album folio Thalietri: *Pin.* Ran. nemoros.3. siue Thalictri folio.

Locus. Abundè nascebatur in saltu Leytenberg, Manderstorf vicino, vltra Leytam flumen, quinto ab vrbe Vienna Austriaca milliari, vbi primùm illum obseruabat author, deinde quibusdam aliis vmbrosis siluis Viennensi agro. Inueniebat etiam apud Zollonock Ill. Herois Balth. de Batthyan in Vngaria oppidum, inter vepres.

Tempus Florebat Aprili, semen interdum Maio, plerumque Iunio, ad maturitatem perueniebat.

Ranunculus Creticus albo flore, maiore quàm Papaueris rhoadis.



Descript. *Foliis* est Ranunculi pratensis vel hortensis repentis, diuisis specie trifoliâ, rariùs quinquefoliâ, per margines crenatis, per terram sparsis: *caule* rotundo, pedali, qui duos vel tres *flores* sustinet magnos, ex sex, vel septem foliolis compositos, albos, Papaueris erratici florem magnitudine superantes, quibus succedit capitulum seminibus aliorum Ranunculorum more confarctum.

Synon. Ranunculum 38.siue Creticum album accepit C. Bauh. [vt in phyt. ait] Patauio à Laurent.Rosenavv pharmacopœo germano, cui in horto creuit, nomine Ranunculi ex Candia rari.

Ranunculus montanus purpureus calyce villoso, Fœlic. Plateri.



Descriptio *Plantulæ* huius facies diligensque consideratio facilè diligentibus differentiam sui à reliquis Ranunculi speciebus ostendet. Dodrantalis est plantula. *Folia* velut in digitos dissecta, partim à colliculorum exortu longis pediculis hærentia, partim ex ipsis pediculis

lis pendentia. In summo *flos* insidet singularis, Ranunculi, sed, vt sicca ostendit, purpureus, villosissimo & veluti bysseo, eique concolori lanugine obtecto, calyce præditus.


Locus. Cl. Fel. Platerus in Alpibus Valesiæ lectum in suo Herbario sicco adseruat, à quo mutuatam descripsimus ac pingi curauimus.

Ranunculus racemosâ radice.

Cubitali *caule* est, nonnihil hirsuto, quem comitantur à radice longissimis pediculis nitentia *folia*, orbiculata ferè, alia magis, alia minus, profundè dissecta, segmentis modò latiusculis, modò tenuioribus, subhirsuta: *flos* luteus Ranunculorum vulgarium similis, *radix* Chelidonij minoris æmula, è plurimis bulbillis, quos fibræ quædam intercursant, racematim congestis composita.

D. Bauh. phyt. vocat Ranunculum 26. siue racemosâ radice. Agerius siccam dedit pro Ranunculo Chelidoniæ radice.

Ranunculus Illyricus radicibus bulbosis, foliis longis.



Descript. Ranunculus Illyricus *radice* donatus est ex plurimis bulbulis, ceu Pini nucleis, albis, racematim quasi cõgestis, quibus se mirum in modum propagando multiplicat: *folia* germinatione prima ex pediculis longis rubentibus paruula, glabra, viridia, tam Plantagineis primigenijs similia, vt internosci vix possint, neruis per folij longitudinem decurrentibus: adolescentiâ dissecari incipiunt in longissimas portiones ternas quaternasue, varia dein diuisurâ adhuc amplius incisa, simulque molli & incanâ lanugine vnà cum pediculis pubescere: *caulis* cubitalis & sesquicubitalis, in ramos aliquot brachiatus, totus candidus & pilosus, flores gerit maiusculos aureo fulgore micantes, è quinque folijs compositos, interdum gemellos, inodoros. Quibus succedunt *capitula* aspera, Fragariæ instar, oblongiuscula, *semen* continentia.


Cæsalp. vocauit Ranunculi peregrinam speciem alteram flore grandi, folijs candidis. Tabern. Icon. Ranunc. Illyricum: Hist. Ran. 16. Illyricum: Item, Ran. secundum Diosc. Gelotophyllin Plinij libr. 24. capit. 17. σέλινον ἄγριον Authorum Epigramm. σαρδώνιον σέλινον Græcorum, σαρδώνιον πόαν aliorum, & γελωτοφύλλην. Herbam sceleratam Apulei: Herbariorum verò Ran. Sardonium, Sardoniam herbam, Sardoam herbam, Apium, siluestre & rusticum, German. windischer hanenfuß. German. Ran. Illyricum, Anglicè, Crow foote of Illyria. Dodon. Externorum Ranunculorum 1. quem Dioscoridis Ranunculum secundum esse vult: & Ran. Illyricum.

Lobel. in Obseru. p. 383. Icon. Plant. p. 672. & H. Lugd. pag. 1032. picturam Dodonæi Ran. Illyrici habent. Clus. in Hispan. vocat Ranunculum Pannonicum: Histor. post. Ranun. grumosâ radice quartum.

C. Bauh. phyt. Ran. 27 siue folijs oblongis incisis lanuginosis: Pin. Ran. grumosâ vel etiam Asphodeli radice 1. siue lanuginos. angustifolius maior; Item, Ran. grumosâ radice 2. siue lanuginos. angustifol. minor, Ran. Illyricus Eyst. Synon. C. Bauh.

Montbelgardi in horto Ill. E. C. suis bulbulis plurimùm se multiplicat: folia Æstate pereunt. Gener verò Cherlerus spontaneum obseruauit prope Romam, florentem Maio. Locus & Tempus.

Ranunculus Tripolitanus flore phœniceo, vel Asiaticus grumosâ radice. 1.



Descr. Hunc fusè describit Clusius: cui dicitur in Pannon. pag. 374. Ran. Byzantinus 2. siue simplex flore rubro, p. 376. Ran. Tripolitanus phœniceo flore: in H. post. Ran. Asiaticus grumosâ radice primus. Gerar. Ran. Tripolitanus, Anglic. Crowfoote Tripolie. Cas. Bauhin. phyt. Ran. 25. siue flore simplici rubro: Pin. Ran. grumosâ radice 5. siue fl. phœniceo minimo simplici.

Locus & tempus. Peregrè inuectus & Constantinopoli allatus Tarabolos catamer lalé nomine insignitus, quod Tripolitanum plenum florem significat: floret sub finem Maij, aut initio Iunij.

Ranunculus Asiaticus polyclonos, siue grumosa radice secundus.



Descript. Suspicamur cum Ranũculo hoc Clusiano eundem esse, aut certè valde similem Ranunculum Illyricum Imperati, cui Hist. nat. p. 755. *folia* adscribit profundè incisa, & in ambitu serrata, crassiuscula, & nonnihil pilosa, coloris pallidi & viridis, saporis ingrati & mordicantis: *flores* albos, interdũ color. minij: *semina* alata

& foliola, insipida: *radices* tuberosas, propter quas multis dicitur Ranun. tuberosus, p. 768. Ran. Tripolitanus radice tuberosâ, fl. puniceo.

C. Bauh. Pin. Ran. grumosâ radice 6. siue ramosus. Ran. Asiat. grum. rad. fl. phœniceo rubertimo, Eyst.

Ranunculus peregrinus grumosâ radice 1. 2. & 3. florib. albis.

RAnunculi hęc noua genera, Ioanni Bridoul, Insulis Flandriæ vrbis Medico, semine ex Italia accepto, nata, Iacob. Plateau vnà cum icone Clusio communicabat, qui fusè describit.

C. Bauh. Pin. dicitur Ran. grum. rad. 8. siue flore albo: *Item*, Ran. grum. rad. 9. siue fl. albo, leuiter crenato: Et, Ran. grumosâ rad. 10. siue fl. niueo.

Ranunculus Constantinopolitanus flore sanguineo pleno.



Locus

TRiplicem hunc facit pingit & describit Clusius qui Cõstantinopolitani quidem siue Byzantini cognomen illi dedit, quòd quibusdã hortis Byzantio vicinis & in eius vrbis conspectu, vltra tamen Bosphorum sitis, intellexisset inueniri, quã fortè ratione Asiaticum vocare præstaret.

Primus autem Ranunculis externis à Dodonæo descriptis accedit, sextusque constituitur, ac pro primi generis purpurei floris Ranunculo apud Dioscoridem admittitur, & verisimile est non perpetuò & vbique multipliciter farcto flore, sed & simplici non rarò nasci. Is etiam inscribitur à Lob. in Obs. p. 385. & Ic. Plant. p. 672. Ran. sanguineus multiplex: & sic itidem à Germ. qui The Double rod Crowfoote Anglicè vocat. A Tabern. Icon. Ran. Turcicus siue sanguineus: Hist. Ran. 15. Ran. sub prima Dioscoridis Ranunculi specie meritò reponendus, Ran. Chalcedonicus, Constantinopolitanischer hanenfüß. A C. Bauh. phyt. Ran. 24. siue fl. multiplici rubro: *Ab eodem* in Pin. Ran. grumosâ, vel etiam Asphodeli radice 1. siue flore sanguineo.

Ran. Turcicus.

Prior reliquorum duorum Ranunculorum Clusianorum Asiaticorum fl. pleno, cuius iconem damus, est Ran. Asphodeli radice 2. siue flore subphœniceo rubente, & Ran. pl. flore rubertimo, Eyst. *Posterior*, cuius etiam hic posita figura, dicitur Ran. Asphodeli radice 5. siue prolifer miniatus, Ran. Asiat. grum. rad. fl. pleno sanguineo prolifero, Eyst.

Ranunculus grumosâ radice, flore niueo.

Locus

RAnunculi grumosâ radice plantam semine è Creta accepto natam, ad Clusium mittebat anno à Christo nato 1601. Iac. Plateau, quę in-



sequente anno florem proferebat, Ranunculo peregrino formâ non valde dissimilem, Flores autem explicabat Ranunculus hic Creticus grumosâ radice flore pleno, mense Maio cũ Asiatico phœniceum florem gerente, quibus succedebat simile capitulũ, non dissimili paleaceo & acerosо semine obsitum, quod inutile esse arbitrabatur idem Clusius.

Ran. Cret. grum. rad. fl. pleno.

Synon.

Ranunculus Pyrenæus folijs sublongis non laciniatis albo flore.


PRorsus nouum censet Clusius hoc Ranunculi genus, quod anno Christi 1605. primò illi conspectum, cultum scilicet, suisque floribus onustum sub Martij initium in hortis Ioannis ab Hogelande & Christiani Porreti, quorum vterque à Ioachimo Venerio plantas acceperat præcedente Autumno è Pyrenæis montibus erutas.

Tempus

Locus

Casp. Bauh. pin. Ranunculus folio longo 4. siue montan. folijs Plantaginis. Ait C. Bauh. esse Ran. Pyrenæum albo flore Clusij in Hisp. app. 2. cùm tamen Clus. vnicam tantùm appendicem ibi annexerit, nec in ea huius meminerit. Idem suspicatur esse Ranunculum phœniceum Myconi H. Lugd. p. 1036. sed labitur: Est Ran. angustifol. bulbosus.

Ranunculus longifolius, alijs Flammula.



Descript.

CAule est dodrantali, glabro, fistuloso, geniculis nodoso, nunc solitario, nunc in ramos diuiso, reptante: *folia* priora ex longis pediculis vnciam semis lata, oblonga alia, alia subrotunda, superiora per caules ex articulis oriuntur, bina, interdum serrata quæ minùs angusta, longitudine circiter palmari, sapore acri: *flores* Ran. vulgaris pratensis, contractiores, aureo fulgore nitent: *radix* ex fibris albicantibus conflata est: *caules* etiam serpunt, & quidem rursus, vt in Ranunculis quibusdam, radicantur.

C. Bauh.

Locus & Tempus

Nomen Vires.

Dodon.

Dodon.gall. Flammulam, quasi flammam, aut Herbam ignis à superante & ardenti caliditate, nominauit: gall. *Flamule aquatique*: Belg. Egelcoolen: ferunt enim hanc ouillo generi esse perniciosam, ouesque hâc pastas herbâ, inflammationibus iecinoris, internorumque viscerum erosionibus ac exulcerationibus corripi: quod malum Egel vulgò appellant: vnde herbæ nomen. Qualem autem nomenclaturam apud veteres adepta sit, fatetur se ignorare, si non sit herba illa, quam Octauius Horatianus Cleoma appellat, quæ in locis quoque humidis crescit, & temperamento, admodum calida est. In Hist. verò purg. & lat. in fol. Octauii Horatiani Cleoma esse hic negat: quòd sc. Flamulæ Sinapios forma, qualis in Cleomate requiritur, haud respondeat. Suspicatur etiam non tamen affirmat, Plinio lib.21.cap.13. herbam illam esse, quæ ab exitio iumentorum quidem, sed præcipuè caprarum, Ægolethron appellata sit.

Synon. Lob. in Obs. p.382. Ic. Plat. p.670. priorem figuram Dodonæi Flammeum Ranunculum aquat. angustifolium, Taracouis effigie, inscribit, & Flammulam vulgi: Posteriorem Ran. aquatilem angustifolium serratum.

Tabern. Icon. Ranunculus lanceatus minor Spehr kraut/ langer wasser hanenfuß: *Item*, Ran. lanc. serratus, geker ffter langer wasser hanenfuß: *Hist.* Ran. 18. lanc. minor, δαφνοειδὲς πλατύφυλλον Cordi, Ran. latifolius, aliorum Fammula palustris minor: Ran. long. folius: *Item*, Ran. 19. lanceat. serratus, Flamm. aquat. serrata, Ran. longifol. serratus.

Gesn. apud Cordū Ranunculi duodecima species Cordi, læuibus & serratis foliis: Eidem hort. Ranunculi alterum genus, Dodonæo oues occidens, *Ego* Ranunculum Cordi duodecimum refero ad Ranunculum longo folio maximum, Linguam Plinii, Thalium imitatus.

Cæsalp. Ranunculus alter folio nulla ex parte scisso, coronopi, Ran. insectus.

Gerar. Ran. flammeus minor: Et, Ran. flamm. serratus

Schvv. Ran. flamm. minor siue lanceolat. minor, Lingua Plinii Lugd. Egelkraut: Item, Ran. flamm. angustifol. serratus, lingua maior Lugdunensis. *Lingua Plinii* est Ran. longo folio maximus: lingua maior, est Virgæ aureæ, siue Solidagini augustifoliæ affinis. Quare Scvv. dupliciter labitur.

C. Bauh. C.Bauh. phyt. Ran.32. siue palustris angustifolius non serratus: *Et Ran.*33. siue palustris serratus. *Suspicor* eiusdem plantæ foliis ludentis esse synonyma. In eadem enim planta vtrumque foliorum genus obseruaui, quæ perbellè nostra pictura ostendit. *In Pinace* [vbi nobis videtur differentes plantas confundere] Ranun. folio longo 2. siue longifol. palustris minor. Ran. 1. Anguillaræ: 12. Cordi, aquat. πλατυφυλλόφυλλος maior Thalii, Enneaphyllon Plinii lib.27.cap.9. Item, Ran. folio longo 3. siue palustris serratus.

Locus & Tempus. Tres huius habet icones H. Lugd. pag. sc. 1035. 1041. & 1038.

Geneuæ circa S. Geruasium floret mense Maio & Iunio, eâ quidem formâ, quâ à nobis pingitur, & circa Bossay in paludibus. Lugduni & Tiguri copiosè prouenit: Basileæ quoque vliginosis locis obseruatur.

Vires & Vsus. Facultate cæteris Ranunculis similis est, acris similiter, exulcerans, & vesicas faciens. Edendo pecora enecat, & ideò arcent sedulò pecus opiliones, ne eo vorato inflammentur præcordia, indidemque moriantur, vt videre est in balantum extis, quæ huius pabulo ambusta fuerant, teste Lobelio in Adu.

Ranunculus longo folio maximus, Lingua Plinii.



Descript. IN vliginoso Solo & palustribus exit Ranunculus Lingua Plinii Dalechampio putatus, *caule* bicubitali & altiore, crasso, læui, in ramos subinde diducto, per quem, veluti & per ramos, alternatim *folia* producuntur, pedali circiter longitudine, vix vnciam lata, crassiuscula, glabra, mucronata, saporis acris & amari Dalechampio: *flores* extremis inhærent ramulis, magni, Ranunculorum aliorum formâ: quinque foliis luteis constantes, quorum medium obsident numerosi apices concolores: eis superueniunt, authore Tabern. capita erinacea, paruæ nucis Iuglandis magnitudine, cum acutis aculeis saporis calidi & vrentis: *radix* compluribus fibris defixa nititur.

Facilè adducor, vt credam, Cordum Hist. per Ranunculi duodecimam speciem, platyphyllon non impropriè dictam, foliis inferiùs Lauri similibus, gracilioribus tamen, Linguam Dalechampii intelligere, vt asserit Thalius, quamuis figura à Gesnero addita, sit Ranunculi folio longo.


Cæsalp. Ran. folio nulla ex parte scisso, Ran. insectus. Tabern. Icon. Ran lanceolatus maior, groß lang wasser hanenfuß: Histor. Ranunc. 17. lanceolat. maior, Ranuncul. flammeus maior [etiam Ger. & Schvv.] & Flammula palustris maior. Casp. Bauhin. phyt. Ran. 31 siue palustris maior, foliis primis aliquando subrotundis, ad Chelidoniæ minoris aut Cochleariæ formam accedentibus. Synon.

Hunc à fratre habui, qui eum collegerat in paludibus circa Michelfelden. Nascitur copiosè circa Walckenridam monasterium ad piscinas inter arundines. Prouenit etiam inter vrbem imperialem Wormatiam, & Electoralem Oppenheym/ paludosis locis & fossis Rheni antiqui. Locus

Lingulacæ circa fontes nascentis radix combusta teritur, ac adipi suis nigræ admiscetur. Sed id excipitur, vt eius sit suis quæ nunquam peperit. Sic in Sole illita, plurimùm alopeciæ confert. Vires

Ranunculus gramineus pleno flore.

Sinon. EXhibemus præsenti capite figuram Ranunculi folio Graminis Dodonæi in fol. lat. sed descriptionem eius, quæ herbæ non conuenit, repudiamus. Est enim Ranunculi pumili graminieis foliis, de quo paulò infra dicemus.



Synon. Lob. in Icô. Plantar. p. 671. Ran. gramineus multiplex. Tabern. Ran. 24. Ran. gram. 2. multiplex, aut multiflorus, aut Coronarius, gefült groß hänlein / gefüllter groß hanenfüß. C. Bauh. phyt. Ran. 29. siue gramineus flore multiplici: Eidem in Pin Ran. folio longo 6. siue montanus folio gramineo multiplex.

Locus. Colitur in Belgicis hortis.

Ranunculus angustifolius bulbosus.



Descript. Herbæ cubitali vt plurimùm *radix* subest rotunda, bulbacea, exigua, candida, pluribus inuolucris Croco similibus contecta, ex qua aliæ radiculæ albæ, crassæ aliquantulùm, veluti capillamenta dependent. *Folia* ex radice prodeunt, longa, striata, à lōgo pedunculo dependentia, læuia, fractu contumacia, neruata, & in acutum desinentia, longitudine palmi vnius: latitudine verò transuersi vnius digiti, Palmæ folium in modo substantiæ & contumacia fracturæ imitantia. Caulem habet cubitalem ferè semper, tenacem, solidum, rotundum, in quo folia minora sunt. In summo caulis *flores* existunt ex quinque foliolis constructi, in medio muscosi, forma, figuraque similes Ranunculis. *Semen* habet candidum, magnitudine Milii. In radicibus sapor cum multa humiditate acris est, sed in foliis maior, vt vix Ranunculis cedat. Et ita in Hist. Lugd. delineatur.

Planta veteribus indicta, inter Ranunculi tamen genera Dalechampio videtur collocanda ex sapore, formâ florum, & radicum.

Synon. C. Bauh. phyt. vocatur Ran. 30. siue montanus longifolius: Pin. Ran. folio longo 7. siue gramineo folio bulbosus, Ran. leptomacrophyll. bulbosus, vel Ran bulbos. gram. montanus, Columnæ. Hist. Lugd. p. 1036. Ran. phœniceus Myconi.


Locus. Rara inuentu, frequentissima in montibus D. Mariæ à Monteferrato, & circumuicinis partibus ad montium radices, iuxta arbusta & querceta.

Tempus. Floret Aprili & Maio.

Vires. Ad eadem præstare creditur ad quæ Ranunculus, minoris tamen esse efficaciæ.

Ranunculus pumilis gramineis foliis.

Descriptio. Fibræ, quibus radicatur, vncias duas plùs minùs longæ sunt, satis crassæ, & fibrillis capillaribus donatæ, quæ in *radicem* minimi ferè digiti crassitudine coëunt, filamentis supra terram comosam, quod haud absurdè fortassis perennitatis fidem faciat: *folia* è radice statim pullulant, in mea quidem sicca planta, septena, duas vncias longa, aut paulùm admodum excedentia, angustiæ gramineæ, vnumque vncia breuius medio cauli adnatum, alioqui nudo & enodi, gracili, palmo altiori: cuius fastigio *flos* insidet vnicus, iustæ magnitudinis, qualis est Linguæ Dalechāpii, vel vulgaribus Ranunculis, maior multò quàm Ranunculi flammulæ dicti, è quinque foliis compositus, quæ totidem minoribus, vt in Ranunculis fieri solet, suffulciuntur: succedit Lob. teste *semen* racemosum Ran. pratensis.



Lob. in adu. dicitur Ranunculus pumilus gramineis foliis, & geniculatus. Sed cur geniculatum ait, cùm nihil tale figurâ exprimat aut descriptione tradat? Quare in Obs. p. 385. & Ic. Plant. p. 671. vocem geniculati meritò omisit.

Tabern. Ic. Ran. gramineus: Histor. Ran. 22. gram. primus. Ger. Ran. gramineus Lobelii: Schvv. Ran. palustris gram. minimus, & [sed perperam] Hydropiper lanceolatum H. Lugd. — Synon.

C. Bauh. phyt. Ranun. 28. siue gram. minimus: *Pin.* Ran. fol. longo 5. siue montanus folio gramineo, & Hydropiper lanceolatum Lugd. *Hos nos* aliò referimus.

Locus. Parum obuius, duntaxat Narbonensis Galliæ pratensibus, pone publicum diuersorium montis Lupi, & in arduis Mindeni Ruthenorum pratis & pascuis. In Prouincia & circa Monspelium quoque reperitur. Si plantetur pingui & humido loco, valdè excrescit, & pulcher visu est.

Ranunculus Autumnalis, folio lato, rotundo, serrato.

A Clusio describente pro Ranunculi grumosa radice primi specie secunda pingitur. Sed mirum Clusium in Hist. post istius descriptioni & alteram iconem, Ranunculi sc. grumosâ radice primi, apponere, ei non respondentem, nec vllam rationem reddere.

Dodon. (qui figuram Clusii, Ranunculi Lusitanici titulo assumpsit) inter exteros tertio loco reponit, & Hiemalem Ranunculum cogno-

mi-

minauit; tertiumque apud Dioscoridem esse asseruit, eiusque exemplaria pleraque δίσσιμον minùs bene habere, pro ἴσσιμον annotauit.


Lobel.in Obs.p.384.figuram Ranunculi Lusitanici autumnalis Clusii exhibet, eique in Hist. Belg. aliam non parùm differentem, de qua seq. capite, supponit, non tamen monet cur priorem sustulerit, & aliam substituerit. nec plura in Hist. Belg.de Ran. Lusitanico clusii, quàm in Obseru. In Icon. Plant.p. 673. Ranunculi Clusii imaginem omisit,& Lusitanici titulo, Ranunculum Belgicæ Hist. h.e. bullatum, reposuit.

Tabern.Ran.1. Lusitanicus Portugalischer hanenfüß: Histor.Ran.20. Lusit.siue autumnalis. Ger.Ran. autumnalis Clusii, winter Crowfoote. C.Bauh.Ran.36.siue foliis rotundis bullatis: Pin. Ran.grum.rad.12.siue latifol.bullatus Asphodeli radice,flore paruo.

Locus & tempus. Frequens est circa Olysipponem inter Oliueta,& plærisque Bæticæ locis,vbi florentem primùm Nouembri, dein & Ianuario collegit Clusius, & amicis in Belgium misit, apud quos Octobri & Nouembri flores protulit, & totâ Hieme folia retinuit in Maium vsque mensem: aliis nouis,paullò ante quàm florere incipiat, repullulantibus. Mechliniæ ipsâ bruma floret Lobelio in hortis.

Sunt in Lusitania qui Montan nominant[qua tamen appellatione ferulacea quædam planta apud eos etiam insignitur,] & ad pronocanda menstrua ex lacte propinant,referente Clusio.

Ranunculus Lusitanicus bullatus.



Synonyma Tempus. HOc genus Rannunli delatum est ex Lusitania operâ Clusii,& primùm à Lobelio [ex cuius descriptione patet esse genus præcedentis, aut ei admodū affine]in suo Herbario exhibitū, Belgico sc. p.819. itemque Icon. Plant.pag.673. Ranunculi Lusitanici Clusii inscriptione.

Antè diximus nos admirari sub dicto Clusii titulo Lobelium diuersas ponere icones nullâ indicata mutationis causâ. Tabern.Icon. Ran. Lus.2. Clusii : Hist. Ran. 21. Lus. secundus. Ger. Ran. Lus.2. Clusii. Clus. in Hist.post ponit iconem Ranunculi grumosâ radice primi titulo, quam non habuit in Hispanicis,nec demonstrat cur id faciat: in descriptione verò nulla vtitur distinctione quamuis icones sint valdè diuersæ.

C.Bauh phyt.Ran.36.siue foliis rotundis bullatis. Inter hunc & præcedentem Ranunculum non bene distinguit: Paullò meliùs in Pin vocat Ranunculum grum.rad.12.siue latifolium Asphodelli radice, fl.magno. C.B notat.

QVÆ HIC SEQVVNTVR SVBNECTENDA sunt libri XXX.cap.137.

Auricula ursi siue Primula Veris Alpina, flore rubente.



Descrip. QVæ flore rubente Auricula vrsi, *caulem* profert palmarem & maiorem, nudum,teretem, in viridi albicantem,in cuius fastigio calathiscus foliaceus exalbidus ferè & quasi farinâ conspersus, è quo prodeunt *flores* multi, vmbell tim digesti, pediculis semuncialibus & vncialibus, calathisco concoloribus, odorati, suaue rubentes, fundo intus luteo,in sex lacinias cordatas diuisi: *folia* à radice multa, oblonga,subrotunda,in ambitu serrata, crassa, magis suprà quàm infrà virentia, vtrinque farinaceo albo puluere conspersa,sapore amaro & nonnihil acri: *radix* crassa, fibrosa,alba.

Figuram damus plantæ in horto cultæ, quæ vbi adultior, variat foliis & flore, non quòd diuersa sit, folia enim longiora euadunt, & flores excrescunt. Ab hac non diuersam existimarim olim collectam in Rhætia, flore rubro,nisi quòd omnia minora floresque pauciores. Lobelius in Icon. Plant.p.570. inscribit Auriculam vrsi flore purpureo. Gesn.hort. Arthriticæ Alpinæ, siue Auriculæ vrsi species minor florib.purpureis, altiùs in alpibus nascens. De Lunar. Lunariæ arthriticæ species flore rubro, foliis minoribus, & modicè crenatis, in silua Grindelia ditionis Bernensis. de coll.stirp. Arthritica Alpina rubra, Arthr.petræa montana rubra. Aret.in descr. montis Stockhornii, flüblümen. flore purpurascente, sanguinis modo: itemque atro colore Clus. Pann.p.345. & Hist. post. Auricula vrsi 2. vel,rubro flore, Rotte Schlüsselblümen: Florem atrum in simili planta Clusius nunquam conspexit.

C.Bauh. phyt.Sanicula Alpina 2. siue purpurea, Auricula vrsi flore purpureo Lobelii.Item, Sanicula Alpina3. siue rubra, Auricula vrsi 2. Clusii. Is *animaduertens* errorem commissum, in Pinace has duas non ampliùs separat, sed

Kkkkk 2

vnam esse rectiùs pronunciat. Sanicula Alp. foliis serratis 2. siue Alp. purpurea, inquit, est Britannica Anguil. Auricula vrsi Cast. flore purpureo Lobelii, Auricula vrsi suaue rubens Ger. Auric. vrsi 2. Clusii, Primula Alp. latifolia, Tab. & Sanicula Alp. rubra eiusdem.

Locus. Hanc frustra per Austriacorum Styriacorumque montium altissima iuga quæsiuit Clusius: primùm autem conspexit in horto Aicholtzii, Medici & Professoris Viennensis. Ego in Rhæticis montibus inter Clauennam & Burmium collegi. Montbelgardi in horto Ill. E.C. floret Aprili.

Auricula vrsi flore rubro, maculis exalbidis, foliis subhirsutis.

Descript. Folia habet quàm præcedens minora, teneriora, minùs crassa, subhirsuta, per ambitum vndique serrata, inter quæ nascitur *cauliculus* superiori similis, *flores* in vmbella pares ferens, & rubros, exalbidis tamen maculis aspersos, cuius radix similiter fibrosa, nouasque è lateribus propagines fundens, authore Clusio, qui Auriculam vrsi tertiam facit, & germ. Rote Schlüsselblumen vocari alicubi ait.



Figura est Tabernæmontani qui quinque proponit solo colore differentes.

Casp. Bauh. phyt. Sanicula alp. 4. siue flore rubro albis maculis asperso. Pin. Sanic. alp. fl. variegato.

Locus. In Tyrolensibus iugis, præsertim in Kitzspil inueniri intellexit Clusius.


Auricula vrsi carnei coloris foliis minimè serratis.

Clusius hanc Auriculam vrsi quartam vocat. Stein Röslin autem h.e. petræa Rosula, ob venustatem & roseum colorem, tum quòd in scopulis nascatur, à montanis pastoribus nuncupatur.

Casp. Bauh. phyt. Sanicula alp. 5. siue folio non serrato: In Pin. Sanic. foliis non serratis 1. siue alp. rubescens, fol. non serrato: Auricula vrsi 7. Tabern. rubescens Gerardi.

Locus. Inuenitur in Sneberg, reliquisque vicinis iugis & Stiriæ Alpibus frequentissima. Rhizotomæ mulierculæ singulis annis in forum Viennense venalem inferunt.

Auricula vrsi orbiculata serrata coloris rubicundi.



Locus. Tyrolensi [Auriculæ vrsi flore rubro, maculis exalbidis, foliis subhirsutis,] non valdè absimilem hanc, in horto Ill. Principis Cattorum Wihelmi Cassellis florentem cóspiciebat Clusius anno 1599. Ei autem Auricula vrsi quinta dicitur. C. Bauhin. pin. Sanicula alp. foliis serratis 5. siue alp. foliis rotundis: quam etiã minoribus foliis reperiri ait.

Auricula vrsi alba.

Descript. Minor est rubrâ. Vnicam autẽ plantam conspiciebat Clusius, in horto Sprengeri anno 1591. Maio mense, quaterna, aut quina ferentem folia, crassiuscula, dilutè virentia, nullis crenis in ambitu donata, inter quæ prodire fertur caulis è viridi candicans, tres vncias aut ampliùs longus, summo fastigio ferens quinos aut plures flores, flauæ formâ æquales, sed candidos: radix superioribus respondens, aliquot fibris, vt illæ, donata erat.

Est clusio Auricula vrsi sexta: C. Bauh. pin. Sanicula foliis non serratis 2. siue alp. alba foliis non crenatis. Huic similis reperitur flore pallido, quæ Auricula vrsi pallido flore, Clus. cur. post.

Auricula vrsi angustifolia colore rubente.



Hanc etiam fusè describit Clusius: Icon autem est Tabernæmontani, Auriculæ scilicet vrsi octauæ, quæ Clusii descriptioni respondet excepto quod suæ nullum Tabernamontanus assignat colorem.

C. Bauh. phyt. Sanicula alp. 6. siue angustifolia flore dilutè rubente. Pin.

Pin. Sanic.alp. foliis serratis 5. siue alp.angustifolia, Auric.vrsi 5. Clus. pann. 7. in Hist.at 8. in cur. Auricula vrsi fl. purpureo, Ger. Eyst. Huic similis, breuioribus tamen foliis, cuius Clus.in cur.post.meminit.

Tempus. Crescit hæc, inquit Clus. in quibusdam Alpibus Carinthiæ & Styriæ superioris. Floret sub finem Iulii, h.e.niuibus in summis illis iugis liquescentibus. Rara hæc, quia ex procul dissitis montibus delata, in vnius Aicholtzii horto paucos annos perdurauit, omnem cultum ita respuēs vt nunquam ad frugem peruenire, imò ne florem quidem deinceps proferre voluerit.

Auricula vrsi minima flore carneo & niueo.



Locus. IN summo Sneberg iugo primus istam obseruabat Clusius anno 1574. neque vllo alio vicino iugo postea ipsi sese obtulit. In Tauro tamen & Iudenberg etiam inuenitur, & cum illa rarum aliud genus per omnia simile, sed cuius folia magis pallescunt, flores lactei sunt ca...ris.

Similem Auriculam nobis communicauit Agerius, cuius figuram exhibemus, earum quas hactenus vidimus Auricularum minimam, non penitùs vnciam altam, foliolis à radice semuncialibus, per extremum latis & fimbriatis, carnosis, pecioli inter hæc surgunt semunciales, quorum vnicuique insidet flos vnus satis magnus Auriculæ vrsi, purpureus, vel ruber, quantùm ex sicca planta iudicare licet: radix crassiuscula, duplò reliquâ plantâ longior, longis fibris appensis donata.

Synon. Clus.Pann. Auricula vrsi 6. siue minima, flore carneo & niueo: Hist.post. Auric. vrsi 8. minima: 10. cur.post. Lobel.Obs.p.308.Ic.Plant.p.571.Sanicula alp.minima Tabern. Ic.& Hist. Auricula vrsi minima, siue 9. flore niueo, interdum singulari, interdum gemino, inodoro, Klein weiß Beer Sanickel: item, Ic.& Hist.Sanicula alpina minima, flore rubro, Klein berg Sanickel: similis Saniculæ alpinæ, nisi quod radice, foliis & floribus paullò maior. *Tabern. habet* figuram Clusii, quam etiam nos in tabella superiori loco pingimus. Secunda Tabern. figura non videtur differre à priore iam dicta: sed fortè ex illa facta, vt videatur aliquid noui habere. Nos ex planta sicca flore purpureo & rubro, in inferiore tabellæ parte, iconem eâ magnitudine, quâ cruimus, expressimus.

C.Bauh.phyt.Sanicula 8.siue alp.minima. Pin. Sanicula alp.fol.serratis 7. siue alp. minima carnea, Arthritica cærulæis flosculis. Gesner. hort. Sanic.alp.minima Lobelii, Hist.Lugd. Auricula minima Gerardi. Item, Sanic.alp.minima niuea, Auricula vrsi minima flore niueo Clus. Tab. & Gerardi: An Auricula vrsi flore albo Eyst?

Auricula vrsi Myconi: pilosa, cærulea.



Auricula vrsi Myconi. DIuersam à dictis plantam Auriculam vrsi vocauit Myconus à foliorum figura pilis multis obsitorum, eamque pinxit & delineauit his ferè verbis.

Descriptio. *Radices* multas emittit ferè capillaceas, fuscas, petris inhærentes, gustu adstringentes, circa quas *folia* per humum repunt, Borragini quadantenus similia, in ambitu nonnihil laciniata, aspera, rugosa, crassa, neruosa, pilosa, maximè prope radices: ex iis enim ad foliorum exortum magna pilorum congeries tomento cuidam & veluti iubæ adsimilis enascitur. Eadem folia tam supernè quàm infernè villosa sunt, atque etiam in ambitu pili vbique rufescunt. Ex foliorum medio duo aut tres *cauliculi* emergunt, rotundi, dodrantales, hirsuti, solidi, succosi, purpurascentes, cum dulcedine adstringentes, in quorum fastigiis *flores* sunt cærulei, ex quinque foliolis compositi, & in horum medio stamina lutea, veluti ex vasculo, grani Hordei figurâ, sed maiora, in imo floris posito, exeuntia.

H.Lugd.p.837. Auricula vrsi Myconi: Auricula vrsi ex Pyrenæis, Clus.Exot. app.alt.auct. Eidem cur.post. Auricula vrsi nona. C.Bauhin. phyt. Sanic.alp.foliis serratis 9. siue alp. foliis Borraginis, villosa.


Locus. Nascitur in vmbrosis, montosisque locis, nonnunquam etiam humidis. In Pyrenæis præcipuè reperitur.

Aqua ex hac planta per organum vitreum destillata ad frangendum calculum in vesica, siue in renibus valdè efficax est. Id quod Myconus se experimento confirmasse asserit. Eadem aquâ Hispani aduersus tussim vtuntur: quam ob caussam plantam hanc *Yerua Tussera* nuncupant: alii à foliorum copia, *Pedula*.

Chamæiasme Alpina.

GEniculatim serpendo incedit tenuibus atris aut ex atro rubentibus *radiculis*, ocellum, per terram spargens foliorum semuncialium, latitudinis culmi, mucrone leuiter obtuso, hirsutorum: è quorum vmbilico *cauliculus* exit duarum triúmue vnciarum: nudus, enodis, hirsutus, cuius cacumen ornat vmbella *florum*, pro plantulæ modulo, magnorum, albicantium, per ætatem rubescentium, odoratissimorum, ad Saniculæ Alpinæ *flores* accedentium, quorum vbi pediculi cauli cōmittuntur, foliola subsunt viridia, hirsuta, infimis humi stratis multò minora. Eadem nonnunquam ex interuallis foliorum habet ocellos plures verticillatos, in *radice* veluti cātena

pendulos, quorum folia singulatia imbricato incubitu connectuntur, candicantia [cùm aliàs vt plurimùm vireant] villosa, minora: florum quoque calyculi multò hirsutiores.



Hæc est Sedum Alpinum Clusio 4. in Pann. minus siue 10. in Hist. post. cuius icô plantæ nostræ apprimè respondet, & hinc nostram ex illa desumpsimus. Iasmines enim móntanæ H. Lugdunensis p. 1104. figura non placet. Huc enim eam referimus, ac etiam Sedum 16. siue alp. hirsutum lacteo flore, C. Bauhini in phytopinace: Sedum alp. Pin.

Locus & Tempus. Chamæ-Iasinen alpinam inueni in Rhætia florentem Iunio, veniendo Burmio Tigurum, duplici specie traditâ. Gesnerus ad meam plantam propriâ manu hæc adscripsit: Flosculus in montium iugis, dum recens est, odoratissimus, Iasmini instar, vnde Chamæ-Iasinen alpinam voco, Arthriticis alpinis cognatam: flos candidus ætate rubescit.

SANICVLA ALPINA MINIMA PILOSA, Caspar. Bauhini.

Cap. CXXIX.

Synon. Sanicula alp. minima pilosa, siue montana 2. in Prod. Sanicula foliis non serratis 3. in Pin. *Descriptio* plantula est duarum circiter vnciarum, radiculam habens exiguam, ramulos vnciales, per terram sparsos: *foliola* breuia, angusta, incana, nonnihil pilosa, plura stellæ in modum disposita: *flosculos* oblongos, luteos, pro ratione plantæ magnos, qui singuli pedicellis minutissimis, è fimbriato obtusiore calyce prodeuntes, insi- *Locus.* dent. Hanc author in summitate Ventosi montis & Pyrenæis reperiri prodit.

VERBASCVM VETERIBVS, ET BLATTARIA.

Cap. CXXX.

Verbascum summas differentias duas habet authore Diosc. Alterú enim albú est, alterú nigrum. Et ex albo, alterum fœmina, alterú mas. *Fœmina.* Fœminæ igitur folia sunt Brassicæ, at pilosiora multò, latioraque & candida [λευκότερα, Orib.] *Caulis* cubitalis, aut amplior, albus, subhirsutus: *Mas.* *flores* candidi, aut quadantenus ex luteo pallescentes (ἀνθη ὑπόχλωρα Orib.) *Semen* nigrum: *radix* longa, gustu acerba crassitudine digiti. Nascitur in campestribus. Quod verò mas appellatur albis est, oblongis, angustioribusque *foliis*, ac tenuiori quoque *caule*. Nigrum autem albo prorsus esset simile, nisi latioribus, nigrioribusque constaret foliis. Est & Verbascum sylvestre, virgas gerens altas & arboris specie lignosas [δενδρώδεις Sar. ξυλώδεις Ald.] folia Saluiæ similia. Habet autem, vti Marrubium, verticillatos circa virgas ambitu florem luteum auro similem [χρυσοειδές.] Sunt porrò & Phlomides duæ, hirsutæ, humiles (χαμαιζήλοι τῇ γῇ: vet. στρογγύλα) rotundisque præditæ foliis. Tertia præter has est, quæ Lychnitis vocatur, ab aliis Thryallis, foliis ternis quaternisue, aut etiam pluribus [vet. numero foliorum caret] crassis, pinguibus & hirsutis: ea ad lucernarum ellychnia apta est. *Porrò* duum generum primo loco recensitorum radix adstringit: proindeque alui profluuio laborantibus ludicri tali magnitudine, vtiliter ex vino propinatur. Decoctum ruptis, conuulsis, contusis, & antiquæ tussi auxiliatur: ac dentium quoque dolores collutione mitigat. Verbascum autem cui flos aureus capillos tingit, & quocunque loco reponatur, blattas in se contrahit. Cocta in aqua folia œdematis & oculorum inflammationibus imponuntur, itemque syderatis vlceribus, ex melle aut vino. Cum aceto quoque vulneribus medentur, & à scorpione ictis opitulantur. At verò siluestris (totus hic locus, inquit Goup. non est in veteri, sed hæc omnia agnoscuntur ab interpretibus:) folia igni ambustis illinuntur. Fœminæ verò folia ferunt caricis interposita, eas incorruptas & à putredine immunes tueri. *Hæc ille*, quibus plura Verbasci genera tradit, id sc. distinguendo in album & nigrum, iterumque album subdiuidendo in marem & fœminam: denique subiiciendo Phlomides duas hirsutas, & tertiam Lychnitidem.

Phlomides duæ hirsutæ. *Vires.*

Verbascú Græci Phlomon vocát, inquit Plin. Genera habet prima duo, Albú, in quo mas intelligitur: alterum nigrum, in quo fœmina. Tertium genus nó nisi in syluis inuenitur. Sunt folia Brassicæ latiora, pilosa. Caulis erectus, cubitali amplior: semen nigrum, inutile: radix vna crassitudine digiti. Nascuntur in campestribus. Syluestri folia Elelisphac, alta, ramis lignosis. Sút & Phlomides duæ, hirsutæ, rotundis foliis, humiles. Tertia Lychnitis vocatur: &c. Paulò pòst: Distingui genera hæc penè superuacuum est, quum sint omnia eiusdem effectûs. Eam tamen quam Dioscorides, blattas ad se colligere dixit, Plinius non Verbascum esse, sed Verbasco similem herbam tradit. Est, inquit, similis Verbasco herba, quæ sæpè fallit pro ea capta, foliis minùs candidis, cauliculis pluribus, flore luteo. Hæc abiecta blattas in se contrahit, ideoque Romæ Blattariam vocant.

Diosc. in tradendis Verbasci quatuor differentiis sequitur & ipse Galen. 8. simpl. hisce verbis: *Differentia 4. Galeni.* Verbascum, i. e. Phlomon aliqui per p literá scribút, Plomó dicétes. Et est quædá foliis albis, quædá nigris. Et ex alba Phlomo mas est, cuius folia angustiora sunt: fœmina cuius maiora. Et ad has alia est Phlomos siluestris appellata. Præfert hæc auri speciem, & melinum in floribus colorem. Est & alia præter has, quam priuatim Phlomidē & Thryallidem vocant. Primarum radix in gustu acerba est, fluidisque affectionib⁹ auxiliatur. Quidam ipsam etiam colluunt ad dentium dolores. Folia tamen discutiendi vim habent. Ita & aliarum folia, & maximè eius quæ auri colorem in floribus præfert, qui etiam capillos flauos faciunt. Omnium enim folia siccantem & moderatè extergentem vim habent.

Φλόμος à φλέγω, vro, quasi φλόξ, flamma, quia hac herbâ pro ellychniis vtuntur, vt pleniùs postea annotabimus.

Phlomis, Phlomidis & Phlomitis, Verbasci & Verbasculorum æquiuocationes sunt hæ. Phlomos de Verbasco vulgari flore luteo, magno, fo- *Aequiuoc.* lio maximo. Verbascum vulgare reperitur interdum

terdum flore maiori, planè niueo. Verbascum maximum meridionalium odoratum duplex luteum & album. Verbascum crispum & sinuatum, quod Diosc. videtur. Verbascum angustifolium ramosum flore aureo, folio crassiore. Verbascum puluerulentum flore luteo paruo. Verbascum flore albo paruo. Verbascum nigrum fl. paruo luteo, apicib. purpureis. Blattaria fl. luteo. Blatt. pilosa Cretica. Verbasc. lychn. Syriacum. Verbasc. Monsp. fl. luteo hiante. Verbasc. silu. saluifolium. Verb. silu. saluifol. exoticum. Æthiopis. Iacobæa. Lychnis. Primulæ Veris.

Verbascum vulgare flore luteo magno, folio maximo.

Descriptio.



VErbascum vulgare ad tres cubitos & altiùs excrescit, ex *radice* alba, lignosa, satis crassa *caulem* proferens itidem crassum, multis alis subinde brachiatum, lanuginosum: *folia* Enulæ, lata, longa, mollia, incanâ lanugine pubent tota, nullo aut breui pediculo, alia per terrã sparsa, alia cauli adnata, quæ pro ætate non parum variant, quædam rugosiora: alia magis polita: caules modò singulares, modò plures, modò brachiati: Hinc tanta figurarum diuersitas. *Flores* in longo thyrso, plures simul iuncti, Rosulæ magnitudine, lutei, quinquepartiti, odore obscuro non ingrato: in medio apices quinque, duo glabri lutei, reliqui albidi, lanuginosi: *semen* in capitulis rotundis succedit, minutum, papauerino suppar.

Synon. Verbascum 1. Matth. Cordo in Diosc. H. Lugd. p. 1298. & Cæsalpino. Verbascum mas Anguill. Lob. in Aduers. Tabern. & Castori. Verbasc. mas & Candela regia Lob. in Obs. p. 303. Verbascum aut Phlomos vulgaris mas Dioscoridis Ic. Plant. p. 561. Verbasc. candidum mas, Lon. & Lacunæ. Verb. album mas, Thalio. Verb. latius Dod. Verbasc. latifolium mas, Eyst. Tapsus barbatus, Gerardo. Casp. Bauh. phyt. Verbasc. 6. siue mas latifol. flore luteo: Eid. Pin. Verbasc. 1. siue mas latifol. luteum.

φλόμος Græcis, & φλόμον Galeno, ἀπὸ τῆς φλογὸς à flamma, quòd eius foliis & caulibus in laternis pro ellychniis vterentur. A caule thyrsum siue funalem exprimente, vulgò *Torches* vocatur apud Lobelium, & Græcis φλόμος à flamma, quam alunt funales, aut Phlomi folia & caules in laternis. *Candelariam* quoque recentiores nominarunt, quòd caulib., adipe, seuo vel pingui aliquo illitis, nonnulli pro candelis siue funalibus vtantur. Officinæ *Tapsum* aut potiùs Taxum, quia toxicis aduersetur: *barbatum* à densa lanugine. Qui obseruarunt, inquit Lobelius, mustelas conflixisse cum serpente, penèque enectas & victas, pastas isto Tapso, & factas denuò alacres, duellum instaurasse, *Taxum* vocarunt. Sunt denique qui *Candelam regis*, *Lanariamque* vocent. Barbaris dicitur Cauda lupina, Aspalathum, Pomplilogos, Abedonei, Busuri, Flominos. Manlio Auidon, Auion. & vt quibusdam placet, Auicennæ lib. 2. cap. 2. Busuri appellatur.

Tragus verò Verbascum hoc maius, siue primum, vt vocat, masculum leucophyllon & Verbascum arborescens esse existimat, tametsi verba Dioscoridis aliam præ se ferre sententiam videantur.

Nomenclaturæ itaque, quas nunc recensuimus satis apertæ ac planæ sunt, quare à prolixiore illarum explicatione supersedebimus, paucis nonnulla indicaturi. *Differunt* itaque φλόμος & Phlemos, quæ est Viperinæ apud Apuleium cap. 5. appellatio. Aliud etiam est item Taxus, venenosa illa arbor, cuius Virgilius in Æclogis meminit. Aliud deinde Taxus barbatus (sic enim quidam scribunt, licèt alii Tapsum dicant) quod est Verbasci nomen. Quod autem quidam Verbascum Lanariam herbam appellant [quanquam & apud Dioscoridem peculiaris sit herba, quæ hoc nomine insignita est] id sine causa non factum est, cùm folia eius pilosa sint, ac veluti Saluia omnem attrahant puluerem, vnde & Blattaria dici posset, quemadmodum de Verbena Plinius scriptum reliquit.

Verbasci apud Germanos hæc sunt nomina, Wullkraut / Himelbrandt / Brennkraut / Bergenkraut / Kunigskertz / Unholdenkertz: apud Belgas, Wollecruyt / & Torsecruyt: Gallos *Bouillon blanc masle*, & alicubi *Bon homme*: Italos *Tasso barbasso & Verbasco*: Hisp. *Gordolobo*: Angl. Mulleyne The male.

Verbascum latioris folii frequentissimum iuxta agrorum aruorumque margines, aggeres, scrobes, aliisque locis haud cultis, à Iulio mense in Autumnum vsque cum flore reperitur: sed altero tamen, à quo enatum est, anno: semen interea perficitur. Et hæc quæ de loco & tempore de hoc Verbasco dicuntur, aliis subsequentibus Verbasci speciebus quoque debentur. Anno 1595. mense Augusto & Septembri colui Verbascum vulgare flore magno planè niueo in horto Ill. E. C. Month. Locus & Tempus.


Recentiores mollium lanuginosorum Verbasci foliorum decocto, cum dolore prominentes hæmorrhoides vtiliter fouent, nam & dolorem sopiunt, & ipsas hæmorrhoides resiccando resoluunt. Flores lutei capillos tingere posse putantur: Eosdem cum exiguo oleo in fimo aliquot diebus maceratos, donec videlicet resoluti fuerint, ad hæmorrhoidum dolores posteriores commendant. Sunt qui & gestatam radicem comitialibus prodesse rentur, præsertim eius, quæ nondum flores fecit, quæque collecta fuerit Sole Virginis dodecatemorion, Lunâ verò Arietis, peragrante: quod tamen superstitione & vanitate non caret. Verbasci decoctum tollit oculorum ardorem, si eo abluantur. Aqua stillatitia in eos iniecta, lachrymantes exsiccat. Saxonum rustica plebs vtitur aridis Verbasci caulibus in Naphtham iniectis ad nuptiales faces. Vires & vsus.

Verbascum maximum meridionalium, odoratum, duplex, luteum & album.


EXcellit maximus odoratus meridionalium Thapsus barbatus vt magnitudine foliorum

Descriptio

sic etiam odore suaui, omnibus Verbascis: varietas tametsi tantùm videtur descripti communis Phlomi: florib. quippe luteis & interdum albis exit senis foliolis: quæ arantur rubris lineolis odore suauissimo, *folio* longiore, latiore: *radice* crassa, nec aliubi dissimilis tota planta. Hæc in Adu. Lobelius, qui in Icon. Plant p. 560. vocat maximum odoratum meridionaliũ Tapsum barbatum fœminam flore albo: Item p. 561. Verbascum maximũ album flore subpallido.



Synon.




Locus.

In Belgicis & Gallicis Northmannis hortis alitur. Pedimontani verò agri, Narbonæ, Angliæ, & Italiæ, occurrit passim in campestribus.

Verbascum crispum & sinuatum.

Descript.



HVic Verbasco infima *folia* sesquipalmum circiter lõga, Papaueris corniculati modo sinuata, candicãtia, superiora verò breuiora, in acutiore mucronem desinentia, ferè hederacea: puluere aspersa vtrinque, magis tamen infernè, videntur, nullo pediculo, alis *caulem*, cui sunt continua, amplexantia: *flores* parui, lutei Blattariæ floribus non absimiles, caduci, in quinque segmenta laciniati, staminibus totidem villosis purpurascentibus, medium occupantibus apicibus croceis. *Non placent* pili longiores, qui huic Verbasco appingi solent.

Matth in post.comm. Verbascum aliud foliis Papaueris corniculati. H. Lugd. p. 1302. Verbascum laciniatum Matthioli. Dod. Verbascum silu. tertium. Camer. apud Matth. germ. Verb. folio Papaueris cornuti. Tabern. Verbascum silu. saluifolium fruticosum, lignosum: Ic. Plant. Verb. sylu. saluiflorum laciniatum. C. Bauh. pin. Verbascum 4. (2. phyt. siue nigrum folio Papaueris corniculati.

Locus & Tempus

Nusquam hanc speciem obseruauimus nisi Monspelii, vbi Autumno passim floret. Gener tamen Cherlerus plærumque secus vias in Italia obseruari retulit.

Verbascum angustifolium ramosum flore aureo, folio crassiore.



Locus.

PVlchrum hoc Verbascum communicauit Agerius, collectum, vt ait, in Austria,

Descript.

foliis dodrantalibus, vncias duas & semis latis, spissis, albis, veluti lanugine puluerulentâ obductis: *caulibus* quantùm ex portionibus datis iudicare possum, ramosis, vt in Verbasco flore albo minore. *floribus* aureis, minoribus quàm in vulgari.

An Verbascum Lychnite Matthioli? An Verbascum angustius Dodonæi?

C. Bauhinus, vt alibi apparet, Verbascum Lychnite Matthioli ad aliam plantam refert: item & Verbascum angustius Dodonæi.

Inquirendum quale Verbascum intelligat Franc. Indiæ de Gutta, & an sit nostrum angustifolium hic descriptum, vel aliquod aliud. Sunt quidam (inquit lib. 2. cap. 3.) qui summis laudibus Verbascum, folia angustiora habens extollunt, dicentes, id si tritum & loco affecto fuerit impositum, intra paucas horas ita dolorem tollere, vt facultatem ambulandi restituat. Experimentum neque difficile, neque periculosum est, ac propterea securè tentandum.

Verbascum puluerulentum flore luteo paruo.

Descriptio

TOtum densissimo vndiquaque *puluisculo* candicante, inferiùs tamen copiosiore quàm superiùs, obductum est, sed qui facilè deradatur, *foliis* florum calycibus caulibusque relictis viridantibus: surgit vero *caule* sesquicubitali, ac etiam maiore, recto, striato, duro, fractuque contumaci, medullam albam continente, per quem *folia* palmaria & sesquipalmaria, latitudine ferè palmari, rugosa, acuminata, obiter in ambitu serrata, grauis si fricentur odoris, sapore herbaceo cum

cum tantillo amarore: superior caulis pars innumeras edit propagines, foliis paruis vestitas, numerosis *floribus* onustas, pediculo breui nixis, colore antequam explicétur, partim luteo partim cãdido, propter puluisculum, sub quo latét, qui expansi, Verbasci vulgaris floribus respondent, sed quadruplò minores, lutei, quinquepartiti, duobus foliolis superioribus minoribus, reliquis tribus maioribus, in quorum medio apices quoque luteoli, odore nullo insigni: radix longa, crassiuscula, interiùs albicat, exteriùs tantillùm rubet, sapore amaro.



Matthiolus passim in comm. pro sua consuetudine picturam exhibet Verbasci secundi titulo, sine vlla tamen descriptione, nec annotatione loci, vbi obseruarit. Ea mihi videtur non malè quadrare Verbasco huic puluerulento.

C.Bauh.phyt. Verbascum 8.(2.in Pin.) siue mas angustioribus foliis, floribus pallidis, Verbascum 2.Matth. Lac. Cast. & Hist. Lugd. p.1299. Verbascum siluestre maius Loniceri. An Lonic. Verbascum secundum?

Locus & Tempus Montbelgardi inuenitur florens Iunio & Iulio intra mœnia, à porta *Grauier* ad portam prope Castellum.

Verbascum flore albo paruo.

Descriptio HAud aliis oriundum natalibus, nec facie multùm diuersa ex Verbascis luteis cognoscendum: *radix* compar & *caulis* alis concauus, lanuginosus: Verùm *folia* infernè tantùm incanâ illâ lanugine pubescunt, supernè verò, si tenella illa & exigua floribus apposita excipias, glabra ex atro virescũt, acuminata: *flores* verò parui, in alis digesti, Verbasci puluerulenti modo, colore albo, foliorum numero ludẽtes, quippe quos in eodem ramulo, imò ex eodem puncto ortos, constare modò senis, modò quinis foliolis, cernere contingat: stamina hirsuta buxei sunt coloris, apicibus miniatis.



Lob. Adu. Verbascum fœmina albidis floribus, senis foliolis diuisis, alioqui mari folio consimili & pari. Obs. p.303. Verbascum fœmina, floribus albis, & caule summo alis multifido. nũ Blattaria Pliniana? Hoc enim mirè capiuntur, & in eo victitant blattæ. Floribus luteis duntaxat ab hoc diuersum visitur. Icon. Plant. p.562. Phlomos mas alter, Verbascum fœmina Lychnite Matthioli: Item, p.563. Blattaria flore albo, perperàm Verbascum fœmina vulgò. An Lobelius perceperit quid scriberet de Verbasco, valde dubito.

Nec figura autem, nec descriptio Verbasci candidi fœminæ Fuchsii placent, licèt eam iam sculptam ponamus. Sed nec figuram, nec delineationem Verbasci albi fœminæ Loniceri approbo.

Trag. vocat Verbascum tertiũ siluestre, radice & caule secundo generi [i.e. nigro] haud dissimile: foliis candicantibus, modicaque lanugine hærentibus: floribus planè candidis, odore gratis. C. Bauh. pin. Verbascum 5. (7. in phyt.) siue Lychnite flore albo paruo, Verbasc. lychnite Matth. Lac. Tabern. & Gerardi: Verbasc. candidum fœmina, albo flore Dod. gall. Lugd pag. 1300. & Anguillaræ. Verbascum fœmina Lob. in Adu. Obs. p.303. & H. Lugd. p.131. Verbascum 4. Cæs. & Eyst. Phlomos mas alter Lob. Icon. p. 562. Phlomos lychnitis Matthioli, Hist. Lugd. p.1303. Verbasci tertii altera species Castoris. Item, Pin. & phyt. Blattaria 12. siue alba, Blatt. fl. albo Lob. Ic. p 563. Camer. Eyst. Hoc variare dixit flore paruo, eoque albo, vel viridi, vel viridi purpurascente, & magno flore, quare hanc vocauit Blattariam alteram.

Tempus Quotannis se propagat semel satum ex semine deciduo: primo anno caulem non fert, sed folia per terram sparsa: caule producto perit.

Verbascum nigrum flore paruo apicibus purpureis.

Descript. RAdix Verbasci vulgaris, vt & *caulis*, non minùs altus, brachiatus, striatus, purpurascens, minùs hirsutus: *folia* minora, rariora, alternatim posita, pediculis rubétibus duas aut tres vncias longis appenduntur, fœtida, at virentia, minùs villosa, leniter crenata, *flores* situ & crebritate pares, sed minores, saturatiore Croco tincti, Blattariæ vulgaris, purpurantibus staminibus, quinis, villosis: *semen* vt in vulgari.



Trago Verbascum alterum, nigrum. Dodon. Verbascum tertium, nigrum: Is describit, sed pulchram notam in floribus omisit. Pingitur satis commodè à Fuchsio pro Verbasco quarto, cognominaturque siluestre, & Blattaria quorundam: non describitur. Lonicerus etiam vocat

Verbascum siluestre, & duas eiusdem herbæ figuras ponit, nec in descriptione vllum descrimen statuit, præter magnitudinem: Facit quartum & quintum. Matthiolus Verbasci tertii in commentariis nullam facit mentionem, ponens tantùm figuram.

C Bauh. Pin. Verbascum 7.[5.phyt.] siue nigrum flore ex luteo purpurascente: Verb. nigrum Tragi, Dod. Lob. Ic. Tabern. & Gerardi: Verb.3. Matth. Lac. H. Lugd. p.1299. & Castoris. Verb. siluestre Fuchsii, Gesn. hort. & Turnari: Verbasc. siluminus Loniceri: Verb. nigrum saluifol. purpureo flore Lob. Obs. Verb. nigrum latifolium, Thalii: Blattaria Plinii, seu Verbasc. nigrum Eyst. Flore variat: alterius ex citrino purpurascit: alterius ex flauo candidus est: albi flore prorsus candido reperitur.

Locus & Tempus. Pratis Brabanticis, sabulosisque & herbidis, atque in Francia & Anglia, Iulio & Iunio sponte prouenit. Basileæ & Montbelgardi frequens est.

BLATTARIA LVTEA.



Descrip. FIrmum tollit *caulem* & rectum altitudine interdum humanâ, læuem, crassitudine pollicari, densissimo ramorum stipatu fruticantem: in quibus alternatim positi *flores* Verbasci ex pediculis hirsutis, vnciâ longioribus, flaui, sed saturatiùs, sic vt nonnihil rutilantis ruboris sit affusum, vnguibus intrinsecus lanugine villosâ purpurascentibus, staminibus similiter lanuginosis, apices miniatos sustinentibus, nonnihil odoratis: succedunt *semina* nigra in vasculis Digitalis, ex vertice stilum proferentibus: cæterùm vniuscuiusque *floris* pediculo appositum est folium acuminatum, vnciam circiter longum, aut maius: reliqua autem folia quibus multis scatet, Verbasci sunt, angustiora, atro-virentia, & superiùs splendentia, nullâ lanugine donata, in ambitu laciniata, odore ingrato. *Radix* Napi figura, alba, sapore nescio quid aromatici resipiente.

Blattariam Eur. Cordus Verbasci speciem fecit foliis tamen non ita hirsutis, sed viridioribus.

Tragus depingit & describit sub Blattariæ titulo, appellatque klein wullkraut/ h. e. Verbascum exiguum seu Verbasculum. Blattariam Plinii esse concludens.

Fuchsius Blattariam nominat, & Verbascum sic mentiri ait, vt pro eo sæpiùs ab imperitis decerpatur, esseque non paucos herbarios, qui decepti eam inter Verbasci genera connumerent. Sed cur non plantam tantæ cum Verbasco similitudinis inter Verbasca connumerent? Vt, quod sentio, verum fatear, in Blattaria similitudinem quandam video cum Verbascis, sed non tantam quæ fallere possit: quæ occasio, vt dubitem an Blattaria vulgaris sit Plinii. *Illud etiam* considerandum, an nostra Blattaria abiecta blattas contrahat. *Nolim igitur* cum Trago & Fuchsio Blattariam Plinii concludere, licèt & Matthiolus cum illis sentire videatur. Credo, inquit, quod non aberrent, qui sibi in animum inducunt, Blattariam Plinii, & Verbascum illud Dioscoridis cui flores insunt aurei, vnam & eandem esse plantam. In post. comm. eadem repetit, addítque Verbasculi, Blattariæ Plinii, Dioscoridem & Galenum non meminisse. *Sed quis non* animaduertit Matthiolum sibi contraria dicere?

Anguillara vult Blattariam tradi à Dioscoride pro specie Verbasci, folia habente similia Papaueri corniculato, qua in re hallucinatur. Nos censemus Dioscoridem Verbascum crispum illis verbis assignasse.

Lonicerus inter Verbasci genera Blattariam depingit & describit. Dodonæo Verbasci nigri species quædam apparet, quam cum posteriori ætate Blattariam appellat: atque eam esse, sed temerè, existimat, quæ à Plinio lib.22. cap.9. describitur. Lobelius in Obs. contraria scribit: vulgarem Blattariam in Brabantia perennare dicit: & postea annuam esse plantam. Camerarius apud Matth. germ. Blattariam hanc flore luteo ad Verbascum nigrum referendam ducit. Sed & Gesn. hort. Verbasci nigri speciem fecit. Val. Cordus Verbascum nominat leptophyllum: Cæsalp. Verbascum nonum: Blattariam, vti patet, Trag. Matth. Anguill. Fuchs. Dod. Gesn. hort. Lon. Lob. obs. p.304. Cast. Tabern. & Gerardus: Blattariam Plinii in Icon. Plant. p.364. Lob. Eyst. Blattariam flore luteo: C. Bauh. phyt. & pin. Blattariam 1. siue luteam folio longo laciniato. Is duplicem tradit: alteram quatuor cubitorum, tria, quatuor, quinque & plura vascula coniuncta habentem: alteram humiliorem, singula vascula proferentem, foliis multò viridioribus.

Germani plerique Goldtknopffle nominant: alii tamen, qui ad Rhenum præcipuè habitant, Schabenkraut & Mottenkraut: *Brabanti* Motten cruyt/ blattarie: *Galli Herbe aux mittes, Herbe venimeuse*, & *Blattare*: Hung. Penii3 fu.

In hortis Germaniæ, vt Montbelgardi in horto Ill. E. C. & Argentinæ in Frid. Meieri, obseruaui: se ex semine deciduo propagare, & caule floreque sequenti anno productis, primùm perire. Sed & passim pluribus Italię, & Germanię vtriusq; locis, iuxta aquarum margines, in lutosis aggeribus, & haud longè à fluuiorum ripis prouenit. Floret à Iunio mense in Septembrem vsque: semen interea perficitur.

Blattariæ folliculos, monente Trago, in quibus semina includuntur, inaurare solent puellæ, coronisque suis & sertis inserere. Cùm autem herba, scribit Matthiolus, gustu amara deprehendatur, hinc certò colligere licet, quod eadem & aperire & abstergere possit. Dodonæus testatur esse calidam & siccam, id quod ex sapore vt & & amara gustabili qualitate colligit.

Blattaria flore albo.

QVa in re differat à lutea nondum annotaui, præterquam in colore floris, qui albus est, & externè violacei quiddam habens, apicesque inter-

internos capitulis luteis. Argentinæ in horto Frid. Meieri collegi semen, quod Montbelgardi in horto Ill. E.C. terræ credidi, vnde plantam habui.


Blattaria magno flore.



Synon. HAnc Camerarius apud Matthiol. germanicum ad Verbascum nigrum refert, vocatque Blattariam pulchris albis floribus nuper ex Italia illatam. Lob. in Icô. Pl. p.564. Blattariam magno flore. C.Bauh. phyt. Blattaria 5. siue maximo flore: Idem Pin. Blattariam 5. siue maximo flore.

Blattaria flore cæruleo, vel purpureo.

Descriptio BLattariæ purpureæ *radix* crassa est & longa, succulentaque, cortice obducta rubente, alba medulla intus referta, sapore subdulci: *foliis* per terram expansis ad Conyzã Mathioli maiorem accedit, non tamen ita villosa sunt, sapore subacido cum aliqua acrimonia: *flores* & capitula Blattariæ vulgari similia fert secundo anno.



Synon. Et hanc flore purpureo Blattariam ad Verbascum nigrum refert Camerarius. Blattaria autem flore purpureo dicitur Gesn. hort. Lob. Icon. p.5. H. Lugd. p.1305. Camer. & Gerardo. Blattaria purpurea siue quarta C.Bauh. phyt. & Pinace.

Foliis est nigrioribus, non laciniatis, parumque serratis: flos modò obsoleto colore purpurascit, modò nigræ Violæ colore eleganti nitet, quandoque dilutè rubet. Et hanc vocamus Blattariam flore phœniceo. Flore cæruleo purpureóue floret Iunio & Iulio.

Blattaria flore viridi.

PIngitur hæc à Lobelio in Iconib. Plantar. pag.565. Blattariæ flore viridi titulo. C.Bauh. phyt. hanc sub Blattaria 3. (2. in Pin.) siue alba comprehendit, vocatque Blattariam flore viridi. Hanc Blattariam nusquam mihi videre contigit, nec inuenimus quenquam qui eam descripserit.



Blattaria flore viridi purpurascente.



Synon. EXtat hæc Blattaria flore ex viridi purpurascente à Lobelio picta in Icon. Plãt. p. 566. C.B. in phyt. sub tertia, quarta in Pin. siue alba meminit. Optassemus has Blattarias ab autoribus diligentiùs fuisse delineatas.

Blattaria pilosa Cretica, siue Arctus quorundam.



POna in descriptione mont. Baldi huius plantæ iconem proponit pro Arcto Cretico Belli, qui in Epist. ad Clusium sic vocat, licèt, vt ipse ait, legitimus non sit, siquidem neque folia rotunda habet, neque cymino simile semen. sed folia serrata, acteniciæ, verbasco similia, minora verò, & tota lanugine quadam, vt Æthio-

pidis folia operta, cauliculi insunt recti, floribus luteis, Verbasco aut Blattariæ similibus, onusti, quibus succedunt pilulæ rotundæ, paruæ Blattariæ similes, in quibus semina parua continentur: prouenit inter saxa & super parietes, nomine verò caret.

C.Bauh. in Pinace vocat Verbascum 8. [12. in Phyt.] *foliis* subrotundis, flore Blattariæ: *caulibus* cubitalibus, viridibus, rotundis, striatis, leuiter villosis, nec ramosis: *foliis* inferioribus oblongis, reliquis omnibus subrotundis, paruis, caulem basi sua alternatim amplexantibus, infernè incanis, supernè nigricantibus, ad quorum ferè singulorum exortum, duo minora adiiciuntur, ex quorum sinu pediculi, vnus, duo, tres, rarius quatuor, prodeunt: quibus singulis *flos* vnicus, luteus, paruus, ex quinque foliis compositus insidet, cuius medio stamina aliquot purpurea, quasi ex caliculo, vt in Blattaria, emergentia insident: hinc vasculum, semen minutum rotundum continens succedit.

Verbascum lychnites Syriacum incanum, summitate Floris Hierosolymitani.

Descriptio



HÆc noua planta speciosa differt à Verbasco syluestri Monspeliensi *florum* ortu & modo: sunt enim Lychnidis siluestris vel Chalcedonicę, coloris flaui: *foliis* item angustis, & virgultis quadratis, tomento crasso incanis, & *radice* lignea, inquit Lobelius, qui in Obs. p. 301. & Icon. Plant. pag. 559. inscribit Phloinon Lychnitidem alteram Syriacam: H. Lugd. p. 1301. Verbascum siluestre folio Saluiæ tenuifoliæ Lobelii: C.Bauh. phyt. Verbascum 3. siue exoticum acuto Saluiæ folio: Idem in Pin. Verbascum saluifolium tertium.

Synon.

Chrysogonum.

Descrip.

DIoscorides Chrysogono *folia* tribuit similia Quercui, atque fruticem esse densum: *florem* verò Verbasco coronario parem: *radicem* Rapo æqualem, intrinsecus vehementer rubram. Hanc cum aceto tritam & impositam muris aranei morsibus auxiliari.


Plinius Chrysogonon non habet, nec Galen. & posteriores medici Græci eius meminerunt: nec Cornarius habet quod de ipso in mediũ afferat, quum sit etiam officinis & Herbariis hodie ignota. Sunt tamen qui Caryophyllatam officinis dictam, itemque Herbam benedictam appellatam, Chrysogonum esse volunt: de quibus iudicent peritiores. De Caryophyllata lib. 30.

Videndum apud Castorem Durantem, vt & apud Rauvvolfium quid per Chrysogonum intelligant? Pro Chrysogono proponunt alii Blattariam de qua paullò antè: alii verò Tormentillam, de qua lib. 17.

Chrysogonum Dioscoridis quibusdam.

Descriptio

CHrysogonum Dioscoridis genuinum esse videtur. Altitudinem Leontopetali adsequitur, estque huic caule, *floribus*, *radiceque* rotunda [quæ internâ parte rubra est] haud absimiles. *Cauliculi* tamen graciliores in terram repandi & ab origine fili modo tenues, in varios *ramulos* diuisi: quorum extremis *flosculi* adhærent conspicui magis, lutei, densioréque stipatu positi, quatuor communiter foliolis constantes.



Folia coliculorum dorso adhærent gemina vtrinque, & ita sibi inuicem opposita, vt crucis figuram positu suo efficiant, atrouirentia, in extremo latiora, dissecta ad instar foliorum Quercus.

Concludit descriptionis author Rauvvolfius itin. part. 1. cap. 9. item part. 4. Icon. Numer. 119. verum esse Dioscoridis Chrysogonum. Hinc H.Lugd. pag. 28. Append. inscribit Chrysogonum Dioscoridis.

QVÆ HIC SEQVVNTVR SVBNECtenda sunt CAP. vltimo libri XXXI.

Limonium maius multis, aliis eben rubrum.



B LImonium maius, *radice* crassâ, rubente gustu adstringente: & in capita quædam diuisâ, nititur: *folia* inde oriuntur Lapathi minora, læuiora, politioráque, minùs atra, sed hilari virore tincta: inter hæc *caules* surgunt, pedales, tenues, ramis multis latè diductis paruli, per quos ordine conscendunt *flores* densi, in imam ferè partem vergentes, coloris ex albo cærulei, parui, calyculis rubentibus: *Semen* copiosum oblongum

gum

gum rufescens ex cæruleo, vt notat Lobelius.

Limonium Matth. Locus. Prouenit Limoniũ (inquit Matth.) nullis prorsus reclamantibus notis, innumeris ferè plantis in paludibus, quæ Timaui fontibus irrigantur, ac etiam Tergestino tractu. Hanc autem plantam Seplasiæ falsò Behen rubrum appellant, quam si quis diligenter expenderit, eam, ni fallor, inueniet omnibus notis Limonio adstipulari: vnde cogetur fateri hanc verum Limonium esse, aut saltē eiusgenus, &c. *Suspicor* autē non fuisse bene notum Limonium, cuius iconem exhibet, quandoquidem nullam addit descriptionem: sed tantùm frustrà repetit Dioscoridis verba: Præterea duas icones non parùm differentes proponit pro Limonio, nec tamen discrimen ostendit. Addo, illum omissâ bonâ effigie in Hist. germ. exhibere solam imaginem sui alterius.

Synonyma

Valerianæ rubræ similem pro Limonio missam inscribit Dod. in fol. lat. atque illam cum Limonij descriptione satis respondere.

Herbidus viror, pratensésque & palustres natales Limonio (ita etiam in Ic. Plant. p. 295. & Obs. p. 157. vbi & Behen rubrum Cordi, Italicéque Betola saluatica dicitur) nomen dederunt, Lobelio teste, quasi tu pratensem dicas herbam, aut cum Plinio siluestre pratense Blitum, huius quippe etiam videtur, aut species, aut perquam affinis nigræ Betæ, quam eiu etiam sistere aluum Dioscorides author est.

H. Lugd. p. 1024. & Clus. hist. Limonium Matthioli. Camer. hort. Limoniũ 1. Matthioli: Eid. ad Hist. germ. Been album, Limonium, Dermeiner weisser Been. Tabern. Ic. & Hist. Limonium 1. Behen rubrum Cordi: Gesner. hort. Been rubrum, Tripolium Dioscoridis quorundam.

C. Bauh. phyt. Limonium 1. siue maius: Eid. pin. Limonium 1. siue maritimum maius, Limonium Lac. Cæs. Cast. & Gerardi: Been rubrũ, Limonio seu Bistortæ cognata, Gesn. hort. Behen rubrum officinarum, Guilandini.

Locus & tempus. Difficulter è semine prouenit. Nonnisi locis herbidis & vdis maritimísue pratis vidit Lobel. vt Adriaticis & Norbonensibus littoribus, vbi maxima copia. Vbique in maris littoribus, præsertim autem mediterraneis, frequentem esse prodit Clusius. Obseruaui ego copiosè prouenientem Monspelij iuxta lacus salsos & mare, florentem mense Augusto & Autumno.

Vires. Matthiolus ait esse facultatibus Limonij veterum, quas præcedenti capite adscripsimus.


Limonium Matthiolinum.

Descript. MAtthiol. Limonium aliud dicitur perperam Behen rubrum officinarum. Limonium alterum Matthioli H. Lugd. p. 1024 quæ Matthiolum meritò reprehendit [vt & Lobelius] quòd inter hoc & illud non distinxerit, nec monuerit vtrum veriùs Dioscoridis Limonium repræsentet. Limonium alterum Matthioli non nouit etiam frater. Tabern. Icon. & Histor. Limonium 2. Pyrola.

LIMONIVM MINVS.

FAcie conuenit cum Limonio maiore: verùm *caules* humiliores, *flosculi* non ita cærulei, in album magis inclināt, copiosi: *radix* eadem dura, rubra, adstringens: *folia* per terram sparsa, satis crassa, interdum tamen exigua, per extremum rotunda.

Lob. in Adu. Limonium paruum Narbonense Oleæ-folium (ita etiam in Icon. Plant. p. 295.)



foliis tamen Oleæ minoribus aut Myrti paribus, humi radici proximis. H. Lugd. p. 1025. Limoniũ Narbonense paruum; vt & Camer. hort. C. Bauh. pin. Limonium 3. siue maritimũ (hæc vox in phyt. omissa est.) min. Oleæ folio. Iac. Rainaudetus misit nomine Phylli Dalechampij, frater C. Bauh. titulo Been lapidei & Tripolij minoris quorundam. Cęsalpino Limonium alterum exiguum: Gerardo Limonium paruum.

Monspelij floret Vere cum Limonio maiore. Frater collegit circa littora maris florētem Maio. Idem annotat prouenire in monte Ceti, sed non excedere altitudine spithamam. Inter salebrosa littora & rupes montis Ceti & alibi, Norbonæ & Gallo-prouinciæ saxosis, oriri frequentem scribit Lobelius. Difficulter verò è semine prouenire & vix ad florem perduci testatur Camerarius.

Limonium maritimum minus foliolis cordatis.

AD *radicem* crassam, lignosam, rufescentem, parùmque fibrosā, *folia* plurima densa, carnosa, lęuia, subrotunda, per terram instar cęspitis sparguntur, in quibusdam plantis obtusa, nullóque mucrone prædita: in aliis, in summo sinum habentia, & cordis formam referentia: inter quæ *cauliculi* plures, inæquales, trium, quatuor, etiam sex vnciarum, teretes, nudi, prodeunt, in plurimos breues & recuruos *ramulos* diuisi, *flosculis* frequentibus paruis, pallidè rubentibus onusti.

Limonium hoc quintum Casp. Bauhini in pin. primum in prod. siue maritimum minus foliolis cordatis, in littore maritimo, vt circa Massiliam & Liuornum, reperitur. An Limonium Oleæfolium aliud fortè?

Limonium maritimum minimum C. Bauh.

TErtia plantula vncias quatuor vix excedit: nam ad *radiculam* oblōgam, rufescentem, in summo diuisam, foliola minima, subrotūda, crassa, instar Sedi compacta; inter quæ *cauliculi* vnciales, paucos *flosculos* pallidè rubentes vel subcæruleos sustinentes, exurgunt.

Hoc in insula quadam non longè Massiliâ prouenit, inquit C. Bauh. qui Limonium 2. in prod. & 6. in pin. facit.

Limonium quibusdam rarum.

SVrculos producit cubitales, subhirsutos, tribus membranis crispis secundùm longum, sagittarum pennatas alas imitātibus donatis, adeò vt

angulosi videantur: *folia* sesquipalmaria, hirsuta, Asplenii diuisurâ, paullò latiora: superiora, quæ per caules, ex eorum diuaricationibus oriuntur, terna ferè, palmum plùs minùs longa, acuminata, Graminis cyperoidis aquatici foliis similia, triquetra, rigida: extremis ramulorum hærent numerosi congesti *flores*, Echii florum modo nonnihil recurui, coloris cyanei, quorum singuli vnico folio constant crispo, paruo, patulo ore cælum spectantes plurimùm, Scabiosæ Hispanicæ florum singularibus flosculis pares, nec ita dissimili figurâ: calyculi vniuscuiusque floris è pluribus contexti segmentis, lanugine asperiusculâ horrent: *radice* est auctore Rauvvolffio, oblongâ, extrinsecus fuscâ, intus rubrâ.



Synon. Rauvvolff itin. & Icon. n. 314. Limonii pulchra species H. Lugd. in app. pag. 55. Elegans Limonii genus: C. Bauh. phyt. Limonium 4. siue foliis Asplenii: Eid. apud Matth. Limonium laciniato folio: *Pin.* Limonium 7. siue peregrinum foliis Asplenii: Limon. peregrinum Clus. cur. post. Lim. Syriacum Eyst.

Locus. Ciahoriæ globularis titulo ex Creta delatam accepit Imperatus. Ad portum prope Ioppe in Iudæa in pratis humidis obseruauit Rauvvolff.

Vires. Folia, eodem referente, siccandi vim habent iisque in acetariis vescuntur incolæ.

QVÆ HIC SEQVVNTVR SVBNECTENDA SVNT CAPITI VLTIMO LIBRI. XXXIII.

Heliotropio similis aliquomodo.



Descr. FRequentes per humum lupinos spargit *coliculos*, palmares & sesquipalmares, ramis multis brachiatos, tenues: foliis vestitos ex viridi cinereis, asperis, semunciâ angustioribus, oblongis, & per extremum rotundis: *flores* luteolos, excipiût *siliquæ* oblongæ, in stylum desinentes, cinereæ, hirsutæ, duobus loculis totidem *semina* russa continentes: *Radix* parua lignosa alba.

Ab Agerio in Austria collectum habuimus.

An hæc est planta illa Heliotropio similis, cuius meminit Plutarchus de fluminum & montium appellatione, quam incolæ ad fluuii Hidaspis portas in tenuissimum puluerē conterunt, & succo æstibus se inungunt, vt sine periculo immoderatioris caloris euaporationem ferant.

APPENDIX AD LIBRI XXXIV. CAP. IV.

De Nicotianæ viribus & vsu.

FOlia huius plantæ calefacta & imposita, præsens in *cephalea* & *hemicrania* sunt remedium si morbus ex causa frigida aut flatibus ortus sit: sæpiùs verò sunt repetenda donec morbus tollatur: sunt qui caput oleo florum Mali Aurantii priùs inungant. Idem remedium rigidis ceruicibus, siue *tetano*, vtile est, & in totius corporis doloribus ab eadem causa ortis. *Dolores dentium* à causa frigida non modò finit, dente priùs deterso aliquo linteo eius succo delibuto, & folio in pilulam conuoluto, dentique indito, sed etiam, ne corruptio serpat, prohibet. *Pectoris vitiis*, tussi veteri, asthmati & similibus ex frigido humore ortis morbis, foliorum decoctum ex aqua, & eclegma ex eius decocto, vtilia sunt. Serapium è saccharo & foliorum decocto paratum, paucaque quantitate sumptum, putres humores pectoris eiicit. Asthmaticis interdum, eorum fumus ore exceptus auxiliatur: sed necessarias euacuationes præcedere opus est, si mora ferri possit. Sub cineribus calefacta folia, & sordida, non excussis cineribus, calidaque sæpiùs imposita, ventriculo perfrictionibus & flatibus laboranti auxilio sunt. Viridia folia alii manibus oleo inunctis confringunt & sic imponunt. *Ventriculi & lienis obstructionibus* atque scirrhis folia pauxillo aceto intrita, diuque illita & adstricta, vtilia sunt: sed his deinde folia calefacta, aut lineus pannus succo foliorum calente intinctus, singulis diebus superimponenda. Foliorum defectu, puluis communi vnguento obstructiones aperiente excipitur, & pars obstructa, aut tumore affecta, diu inũgitur. Indicæ mulieres valde commendant in puerorum, & etiam grandiorum *stomachi cruditatibus*: nam ventre inferiore priùs inuncto oleo lucernarum, & foliis sub cineribus calefactis, altero ventriculi regioni, altero tergori, quà vẽtriculũ spectat, impositis, eas cõcoquũt. & aluum emolliunt, si quoties opus erit, renouentur. Latas & teretes *ventris tineas* expellit foliorum succus cum saccharo coctus, & depuratus, paucâ quantitate sumptus: vmbilico tamen etiam imponendum folium tritum, & aluus deinde clystere eluenda. *Nephriticis* & flatulentis doloribus folia sub cineribus, vt antea, calefacta, & quàm calidè fieri potest adposita, magnum adferunt leuamen, idem remedium, quoties opus erit, repetendo. Commodè etiam clysteribus iniicientur: atque etiam fomentationibus & emplastris admiscebuntur.

In *suffocationibus vteri*, folia probè calefacta, & vmbilico, uterique regioni imposita, præsens adferunt remedium: quod si (vt fit interdum) animi deliquium subsequatur, fumus illarum naribus obiiciatur, illicò liberabitur: quod remediũ Indicis mulieribus adeò vulgare est, vt ea de causa Tabaci folia diligenter adseruent & magnifaciãt

Sunt

Sunt verò qui odorata vmbilico priùs admouēt, deinde folium superimponunt. Maximè autem conferunt aut Tacamahaca, aut Oleū de Liquid ambar, aut Balsamum, aut Caranna, aut ex his omnibus emplastrum constans, & in vmbilico assiduè gestatum. *Articulorum* doloribus (modò humores frigidi sint, vel saltem non nimiùm calidi) efficacissimè folia calida adhibētur, aut eorū succo calente pannus lineus intinctus: etenim humores resoluunt & digerunt, ideóque etiam tumoribus œdematosis, foliorum succo calido priùs elotis, vtilissimè imponuntur. *Perniones* sanare, si ter aut quater huius plantæ foliis fricentur, deinde pedes & manus aqua calidâ cum sale abluantur experientia docuit. *Venenis* & toxico perniciosissimo, quo Cannibales suas sagittas illinunt, resistere paucis ab hinc annis experti sunt nonnulli: nam ante sublimatum vulnerib. inspergere solebāt. Eodem modo venenatis pestiferísque *carbunculis* imposita crustas inducunt, deinde curationem adferunt: & ad *ictus* morsúsque virulentorum animalium præsens sunt remedium. *Recentibus vulneribus* imposita, illicò sanguinem sistunt, eáque glutinant: si maiuscula sint, vino priùs eluentur, & labiis vulnerum cōiunctis, succus foliorum inspergetur, & ipsa folia trita supra vulnus alligabūtur: postridie, reliquísque subsequentibus diebus idem ordo seruabitur, victúsque ratio necessaria. Vetera vlcera, gāgrænásque succus instillatus, & folia trita imposita detergent, curant, & ad cicatricem perducunt, purgato videlicet priùs corpore ex Medici consilio & missione etiam sanguinis, si necessaria sit, factâ: deinde obseruatâ, quæ conuenit, victûs ratione. Porrò non modò in hominibus eiusmodi vlcera curare, sed etiam in animalibus ipsa experiētia docuit: nam per vniuersam Indiam frequentia vlcera vaccas, boues & alia animalia infestant, quæ facilè ob regionis humiditatem extremam putrescunt, & vermibus scatent: quibus solebant inspergere sublimatum, melioribus remediis destituti: sed cùm magno isthîc veneat, plerumque quòd vlceribus inspergebatur, pluris constabat, quàm animal curandum æstimari potuisset. Itaque Tabaci facultates in hominibus experti, illius etiam vsum ad putrida, fœtida, vermibúsque scatentia animalium vlcera transtulerunt, atque adeò compererunt, succum eius instillatum non modò *vermes* necare, sed etiam vlcera mundare, deinde ad cicatricem perducere: prodest etiam iumentorū exulcerationib., ideóque Indi Tabaci puluerem semper circumferūt. Quendam noui narium *vlcere* laborantē è quo sanies manabat, non sine cōtagii suspicione: meo consilio instillauit foliorum Tabaci succum, à secunda instillatione multi vermes exciderūt, deinde pauciores, & post aliquot dies sanatum est vlcus: sed quę erosa erant, non restituta. Illius etiā foliis *impetigines*, & *capitis scabies* vtiliter confricantur. Hæc est celebrata illa Indicis Sacerdotib. planta, quâ vti solebant ad responsa danda. Etenim apud Indos moris erat, Sacerdotes de bellorum euentu, aliísque magni momenti negotiis consulere. Consultus, Sacerdos istius plantæ folia sicca vrebat, & eorum fumum tubulo seu cannula quadam in os excipiebat, deinde quasi in exstasin quandam raptus, cadebat, omni motu priuatus, sicque permanebat aliquandiu. Discussâ eius fumi facultate, ad se redibat, referebatque se negotium cum dæmone contulisse, & responsa dabat ambigua, vt, vtcunque euentus succederēt illis facilè persuaderet, sic se prædixisse: eóque modo barbaros illos homines miserè decipiebat. Cæterùm, vulgus etiam Indorum eum fumum per os & nares recipit animi gratiâ, cùm insomnia videre interdum, & extra se quasi rapi cupit, tum etiam de suorum negotiorum euentu, ex insomniis, quæ apparuerint, pronūciaturum. Nam vt impostor est diabolus, herbarúmque facultates nouit illos huius vires edocuit, quò apparentibus eiusmodi insomniis, miseris hominibus imponat. Sed & oneribus ferendis, aut aliis laboribus defatigati, Tabaci fumum hauriunt, & illicò, quasi mente alienati, corruunt: excitati verò, se refocillatos eo sōno, & vires recuperatas sentiunt. Vsus est etiam Tabaci apud Indos, *famis sitisque* sedandæ gratia, hoc modo. Conchylia quædam cochlearum fluuiatilium vrunt, deinde atterunt calcis modo, huius & foliorum Tabaci æquas partes sumunt, manduntque, donec ex vtrisque massa quædam fiat, quam in pilulas Piso maiores formant, atque in vmbra siccatas in vsū reponunt. Facturi iter per deserta, vbi neque cibum neque potum, inuenturos se putant, harum pilularum secum delatarum vnam inter labrum inferius & dentes reponētes eius liquorem assiduè sorbent, quâ absumptâ aliam reponunt, atque item aliam, donec peregrinationē triduanā interdum, aut quatriduanam absoluant: ista que ratione, toto illo tempore neque famē sibi molestam esse, neque sitim asserunt: cuius causam esse puto, quòd sorbētes assiduè pilulas illas, et à humores pituitosos, è cerebro eliciūt qui deglutiti, & in vētriculum demissi, naturalem eius calorem humectant, sed ab eo tandem absumūtur, aliorum ciborum defectu: vt in multis animalibus obseruare licet, quæ tota hyeme in suis latibulis se continent sine alicuius alimenti copia, quia color naturalis occupatus est in pinguedine absumenda, quam Æstatis tempore collegerūnt. Et hæc sunt quæ de celeberrima hac planta Tabaco eiusque facultatib. narrat Monardes simpl. hist. cap. 14. Mirum esse addens est quàm insignes & variæ Tabaci facultates singulis adhuc diebus deteguntur. Cæterùm cùm calidam & siccam secundo gradu concludat, de sicca, nō de calida intelligēdū ait Camer. Sūt qui folia singulis dieb. manè à ieiunis mandi iubent, vt podagrâ liberentur, quia multam pituitā in os attrahat, eámq. in partes inferiores defluere prohibeat. Herba (vt refert Io. Maria Bonardus) pedibus adalligata facit torpescere serpentes. Quidam referebant se expertos, aduersus herpetes quos Galli *dartres* vocant, & aduersus achores. Vtuntur etiam huius foliis apud Belgas plerique aduersus scabiem, cutisque fœditates, & ad vulnerum curationes. Calidis verò & robustis corporibus tantūmodò adhibenda, sunt qui sentiant. Debilibus siquidem ac senibus non fore tutum horum vsum. Atque hanc, vt videtur, ob causam, à Petun herba mulieres [quod ait Theuetus] in America abstinent, neque vllo vtuntur modo. Matronæ Viennenses, nobiles, præsertim rei herbariæ studiosæ, foliis eius recentibus, aut in vmbra siccatis, & stillatitio eorum liquore vitreis organis extracto, & vnguento ex eius foliis parato, frequenter vtuntur ad vlcera antiqua, putrida, maligna, gangrænas, scabiem, impetigines, lichenes, oculorum nebulas, cutis, facieique maculas, felici cum successu, multisque miseris rusticis auxilio sunt. Quin & stillatitium liquorem asthmaticis conducere, experientiâ comprobatum

esse scribit Car. Stephanus. Ad quoslibet morbos è frigido ortos, doloresve abigendos, Panacis olim decantatissimæ more, succus hodie melle excipitur, vel cum stillatitia & saccharo syrupus conficitur, qui cochlearis mensura asthmaticis orthopnœisve medetur.


Petum Indorum [verba sunt Gillenii] hodie non in vsu solùm, sed & abusu est. Et certè non tam quia salubre, quàm quia nouitate aliqua blanditur, sumitur ab omnibus indifferenter & immodestè. Ast indicatum est ex Hippocrate, qui volet rectè mederi, eum oportere humido per siccum, sicco per humidum, calido per frigidum, frigido per calidum opitulari. Hi ingentem committunt errorem, qui omnibus natutis laborantibus, eodem succurrunt remedio. Calidi omnes non sumus, nec frigidi omnes: sic nec omnia calida remedia, nec frigida omnia iuuant. Calida autem herba Nicotiana est, quæ gustu madet & feruet in ore: cuius folia vino calente imbuta, cutem, dropacis instar, exulcerant: cuius fumus & ipsa quoque masticata herba pituitam incidit, funditque: quod certè non fieret, nisi calefaciendi illi foret auctoritas. Hinc quibus prosit, facilè diuinabis: nimirum catarrhosis, & continua destillatione laborantibus. Nunc his quoque, qui ad Solana & Hyoscyamos referunt, satisfaciendum est. Neutrius enim facultates habet: Errant igitur, si ad vires: sin ad externam faciem spectent, danda aliqua indulgentia est: nam Hyoscyamum tota æmulatur planta. Sed nescio, an ideò facienda Hyoscyamus sit. Cur non sui generis herba?

Porrò, siccum Tabaci folium, Palmæ conuoluto folio, aut tubulo inseritur: deinde illo vna à parte accenso, per alteram fumus nidorque vrentis, patente ore naribusque excipitur: dolorum ita lenimentu: famis, sitisque obliuionem: & hilaritatem quãdam initiò, pòst largiore vsu ebrietatem etiam, veluti à meracissimo vino, adfert. Expurgari verò & eo modo multos per os, aiunt humores, ac cerebri superfluos absumi.

Plura qui volet, petat ex Raphaëlis Thorij hymno de Tabaco, & Michaelis Neandri Tabacologia.

APPENDIX AD LIBRI XXXIV. CAP. VII.

Elleborus niger silvestris adulterinus, etiam hieme virens.



Descriptio

PLanta est cubitalis odoris virosi, *radice* fibrosa, obliqua, cortice subnigro, nonnihil cum acrimonia leui amaricante, lignosam & duram medullam obducēte, *caule* tereti, quem inuestit primùm cortex mixto cum virore rubellus, alter pallidè virescens, cui subest *caulis* lignosus, copiosam medullam viridantem complexus: *folia* pediculis palmaribus appensa, densissimo stipatu caulem ambiunt, in tria, quinque, sæpiùs nouem, folia subdiuisa, lõga, striata, atro-virentia, in ambitu serrata, nullis interdum crenis incisa, dura, rigida, neruo per mediam lõgitudinem valde conspicuo decurrente, à quo vtrinque in latera obscuriores venulæ prodeunt: at superiora folia, vt in pauciores portiones sunt diuisa, ita & latiores sunt tum portiones ipsius folij, tum pediculus: ex alis prodeūt ramuli multi dilutè virentes, ob mollitiem floris ponderi imparem deorsum reflexi, paucis foliis pallidulis, paruis, integris, donati, quib. insident *flores* singuli, bini, terni, quaterni, ouales ferè, nec ita vt in Helleboris expansi, ex pediculis semipalmaribus, quadrantalibúsue, ex foliis quinis herbaceis, extremâ orâ, cùm se magis explicant, rubente, striati, compositi: in medio stamina plurima, capitello sulcato, exalbida, extra quæ intra floris calathum quatuor, rariùs tres aut quinque, ceu tubuli concaui, magis virentes, breuioréque quàm staminula oris fimbriatis, leuiter interdum purpurantib.: penitissimum floris meditullium occupant cornicula, Aquilegiæ vel Hellebori, bina, ternáue, tuberculo innixa, in quibus *semen*.

C.Bauh. phyt. & pin. Helleborus niger 2. siue fœtidus, Enneaphyllon Plinii, quod longa folia nouena habere videtur: Pedicularia fœtida 3. Tragi: Elleb. niger silu. adulterinus Tragi, Fuchs. & Lugd. Lycoctonum 2. Dod. gall. Consiligo, Ruell. Gesn. hort. Lon. & Gerardi: Consiligo silv. Tur. Pulmonaria Vegetii, Gesn. hort. Helleborus niger, alter, vel helleborine maior, Cordo hist. Veratrum nigrum 3. Dod. Clus. hist. Sesamoides magnum Cordi, Lob. Ic. Plant. p. 680. Helleboraster siue Consiligo Aconito propior in Adv. Helleboraster maximus Obs. p. 387. & Gerardo: flore & semine prægrandi Ic. Plant. p. 679. Helleborastrum magnum Tab. Enneaphyllon Plinii Cæsalpino. Synonyma

Magnitudine variat: hinc Helleborastrum magnum & minus, Tabernæmontano: At Gerardus sub Consiligine Ruellij, & Helleboro maximo proponit. Et hæc C. Bauhinus, qui Ellebori præsentis alteram speciem, quam Clusius Veratrum nigrum 4. peregrinum intitulat, in pin. Helleborum nigrum 3. siue hortensem alterum cognominat.

Lugduni abundat, florétque mense Martio *au bou de la bonne Alemande.* Floret aliàs Ianuario, Februario, Martio & Aprili: semen maturat Iunio. Nascitur in Germaniæ ac Belgii montibus asperis & petrosis: floret circa Ver & ipso Vere.

Hanc herbam internis corporis partibus adhiberi non debere: sed ab illa cauendum, tanquam à pestilentissima herba tradit Tragus. Dod. gall. qui Lycoctonum primum facit, venenatam qualitatem ei quoque tribuit. Vires

APPENDIX AD LIBRVM XXXIV. subnectenda eius CAPITI XIX.

Lathyris siue Cataputia minor.

Descriptio

ΛΑθύρις, quam & ipsam ὠλυκὴν vocant, & inter Tithymalos reponunt aliqui authore Dioscoride

Dioscoride, *caulem* producit cubiti altitudine, digiti crassitudine, vacuum: in cuius summo sunt alæ: *folia* in caule quidem oblonga[ἐπιμήκη] sunt, similia foliis Amygdalæ, sed latiora, læuiora[& λεπτότερα vet. cod. Lac.] in summis autem ramulis longiora [μακρότερα. Ruell. legendum censet μικρότερα minora] velut Aristolochiæ aut Hederæ oblongæ [ἐπιμήκους] folia: fructum habet in summis ramis triplici loculo distinctum, rotundum, velut Capparim: in quo tria sunt *semina* mēbranis distincta inter se, rotunda, Eruo maiora, quæ decorticata cādida sunt & gustu dulcia. *Radix* est tenuis[καὶ λεπτή, vet. cod. Lac.] inutilis. Totus autem frutex succo plenus est, velut Tithymalus.



Lathyris [inquit Plin. lib. 27. cap. 11.] folia habet multa, Lactucæ [Lactucariæ malimus legere, i.e. Tithymalo] similia, tenuiora [malimus læuiora] germina multa, in quibus semen tuniculis continetur, vt Capparis: quæ quum inaruêre, eximūtur grana Piperis magnitudine, candida, dulcia, facilia purgatu. Galeni verba infrà citantur.

Synon. C. Bauh. perhibet Lathyrim prout adultior vel iunior est, latiora, vel angustiora habere folia, hincque apud Tabern. duas esse figuras. Lathyris 1. siue maior (inquit in pin.) est Cataputia Brunf. tom. 1. thapf. 41. & Cæsalpin. Lathyris Brunf. in 4. p. 116. Matth. Fuchs. Dod. Corn. in Dioscor. Gesner. hort. Turn. Lac. Lonic. Cam. Cast. Lathyris Matthioli hist. Lugdun. Lathyris Dioscoridis Schvvenckf. Lathyris siue Cataputia minor Obs. p. 197. Ic. p. 362. & Trago: Cataputia vulgaris, Tartago Hispanorum Eyst.

Varietas. Ratione ætatis, latiora vel angustiora folia habet: hinc apud Tabern. Lathyridis latifol. & angustifoliæ: apud Gerardum Lathyridis siue Cataputiæ maioris & minoris nomine, figuræ exhibentur.

Nomina linguarum. Λαθυρὶς Græcis dicitur, Arabib. Mendana, Mēdena seu Mahendane: germ. Springkraut / Springwurtz / Springkörner / Springsamen, Treibkraut, Scheißkraut, & Fuchsmilch: Belg. Sprincruyt & Spurgie: Gall. *Espurge*: It. *Lathyri & Cataputia minore*: Insubribus Cacapuzza siue Scalapuzza, quòd aluū valenter euacuet, vomitionésque eliciat: vulgò Hisp. Tartago: Angl. Spurge, Nomenclat. Pannon. Nagyob eb tey.

Error Matthioli. Figuram Lathyridis Matthioli descriptioni non respondere dixit Turnerus: folia enim non esse Amygdalinis persimilia, neque illis latiora.

In hortis semel sata, semine quotannis se propagat, etiam Hyeme virens: primo anno fructū non fert. In agrorum Anglorum & Galliæ marginibus occurrit. In Hetruria frequētissima nascitur & apud insubres. Camerarius scripsit vbique suâ sponte ad Rhenum pullulare. Ego multa loca Rheni inspexi, verùm mihi offendere nunquam licuit. Floret Aestate: semen Augusto & Septembri maturat.

Vires & Vsus. Lathyris, ex Dioscoridis authoritate, nullus radicis vsus: grana sex aut septem in catapotio, aut cum Ficis aut Palmulis deuorata aluum purgant: sed aqua frigida postea sorbenda: trahunt autem bilem, pituitam aut aquas. Succus Tithymali modo exceptus, eundem effectum præbet. Cum gallinaceo aut oleribus folia decoquuntur ad eosdem effectus.

Dosis granorum Actuarii. Actuarius grana Lathyris maiora, quindecim: minora verò viginti, iis, qui efficaciùs purgari cupiunt, mandenda præcipit: iis verò, qui deiectionem non desiderant copiosam, iubet, vt integra deuorent, præsertim, si qui fuerit malo fuerit stomacho. Grana, quæ facilia purgatu sunt vicena in aqua mulsa, inquit Plinius, pota, hydropicos sanant: trahunt & bilem. Qui vehementiùs purgari volunt cum folliculis ipsis sumunt ea: stomachum lædunt, ideoque inuentum est, vt cum pisce aut iure gallinacco sumeretur. Lathyridem Galenus ex quorundam opinione Tithymali speciem esse dicit, quod & similiter vt illi succum habeat, & eodem modo vt illi, purget, & facultate illis similis sit, preterquam quod semen gustanti dulce appareat, & maximè purgantem vim habeat. *Trago* lacteus liquor calidior & acrior est herbâ & semine, quo ab empiricis, multi crudeliter necati sunt. Verùm si quis pilos superciliorum & frontis delere cupiat, is oleo lac Cataputiæ misceat, frontique vel superciliis illinat sub Sole, ita tamen ne oculos aut faciem contingat lacteus ille succus: nam eæ partes vbi hoc lacte infectæ fuerint, continuò inflantur ac rubescunt, ita quidem, vt lepræ speciem præ se ferant. Idem succus concauis dentibus inditus, dolorem illorum tollit, sed danda est opera, vt gingiua cerâ rubeâ muniatur. Adurit enim succus vt aliorum Tithymalorum, erodit, exest. Quare in superfluis carnibus, verrucis & serpigine exterendis maximus illius vsus esse debet. *Fernelius* Lathyri vires tribuit Ricini proximas, eiusque grana haud secus præparat à septem ad duodecim. In eundem quoque vsum tria quatuorue folia ex pingui iure cum oleribus vulgus coquere scribit. *Matthiolus* decem duodecimue seminis grana à putaminibus delibrata; iis, qui philtra, aut alia veneficia deuorarunt, ad vomitum potenter citandum, vtiliter propinari asserit. Lathyris autem propriam antidotum esse tradit Hyperici succum, aut herbam ipsam in puluere potam. Tabern. statuit Lathyridem calidam in tertio gradu, humidam in primo. *Schvvenckf.* ait semen calidæ & siccæ esse naturæ, extenuare, menstrua & vrinam ciere: paganorum qui philtra sumpserint esse medicinam, verùm ventriculum valde lædere: & corpus debilitare. Italæ mulieres sibi persuadent, si quis semina deorsum trahens euulserit, & ea comederit, per inferna purgari: Si verò sursum, per superna. Ab ascite egregiè liberare hæc grana experientia edoctus memoriæ prodidit Brassauolus. Cataputiæ folia & fructus in stagnum aut lacum proiectos, si pisces comederint, ventrem sursùm vertent, quasi mortui sint, ita vt manu eos capere possis, quos si in

Excrescentia. Foliorum dosis. Temperam.

aliam aquam frigidam conieceris, reuiuiscent, Hollerio teste.

TVRBITH VETERIBVS.

Delectus. DE Turbith ita scripsit Mesues lib. 2. cap. 2. de simpl. purgantibus. Est radix herbæ Lactariæ, folia Ferulæ, sed minora habentis. Est autem Turbith quoddam hortense, alterum siluestre: Et in his magnum & paruum: Item album, flauum & nigrum. Locis siccioribus quia lacte est crassiore, gummosius euadit, & melius. Laudatur enim gummosum, album, vacuum, arundinosum, cortice cinericeo & plano, recens mediocriter, fractu facile. Non gummosum autem imbecillum est, ac ventrem conturbat. Malum quoque est flauum & nigrum, crassum & gracile, cortice crispo, & dum frangitur intus ceu neruoso, quod est siluestre. Recens etiam minùs viscera conturbat, ac euertit: Vetus imbecillum est. Corticibus extremis liquato gummi illitis, ipsum quidam mentiuntur, quod si frangatur, intus gummosum haudquaquam erit. Calidum est ordine tertio: purgat trahendo mediocriter, flatus excitat, ventriculum ad nauseam euertentes: siccat quoque Temper. excrementis etiam tenuibus vacuatis. Correctum enim Turbith pituitam crassam, & lentam, & putrem à ventriculo, thorace, neruis, etiam à remotis, præcipuè à iuncturis educit. Ob id ad dolores arthriticos vsus eius est: à psora, lepra, baras, & aliis vitiis pituitosis, tum cutis, tum aliarum partium: & pituitosis febribus, aut præseruat, aut vindicat. Hoc autem sumpto, vitabis Austrum, & vsum piscium. Purgat tardè & imbecilliter, & stomachum ad nauseam subuertit, & vsu crebro corpus extenuat. Ob id cortex eius ad album vsque abradendus est. Acribus autem, vt Zingibere, sic eius actio intenditur, vt proprietate quadam mirabili per id commutatum, etiam à iuncturis, & his remotissimis & profundissimis pituitam crassam & lentam extrahat, cùm per se solum tamen pituitam educat, idque tardè. Ne verò stomachum exagitet, ac euertat, medicamenta stomachica misceantur, & odorata agitationem eius placatura, vt Mastiche, Zingiber, Piper longum, Gallia, & Aromatica alia. Ne denique corpus emaciet, oleum amygdalinum, vel Amygdala, vel saccharum ei miscenda sunt, vel cum Rufo Pistachia. Iudæus autem Turbith partem vnam, Zingiberis partem dimidiam, Amygdalatum duplum, cum condito, vel siccato succo Cydoniorum miscet, tanquam purgatorium salubre. Hamech verò Turbith partem vnam, foliorum Violarum partes duas, Zingiberis partem dimidiam miscet in trohiscos citra molestiam purgantes. Ioannitius autem, Dactylorum aceto dies duos infusorum, partes centum, Penidiorum partes quinquaginta, Amygdalarum purgatarum, partes triginta, Turbith partes triginta quinque, Scammonii partes duodecim, Zingiberis longi, foliorum Rutæ siccorum, an. partes quatuor, miscet cum melle despumato, & medicamentum fit mirabile. Sed filius Zezar, Filius Zezar. Turbith partes decem: Zingiberis partes quinque: Sacchari partes viginti: interdum Mastiches drach. tres: aliàs alia miscuit, pro variis indicationibus, ad morbos hoc remedio egentes. Idem quoque Turbith à raso cortice purgatum succo Cucumeris horas viginti quotuor macerat & siccat. Fitque sic valentissimum ad articulares affectus. Si quam in corpore noxam reliquit, pota mulsa calente, aut quæ saccharo rubro est dulcorata, aqua calida eam profligabis. Coctionem & trituram mediocrem sustinet. Datur puluere à drach. vna ad duas: Decocto autem à drachmis duabus, ad quatuor. *Et hactenus Mesues.* Aben Mesuæ Turbith est calidum & siccum in Purgat. tertio gradu, & melius ex eo est illud, cuius color est albus multùm, & lene exteriùs, subtilis ligni, non habens lanam. Et proprietas eius est laxare Sapor. phlegma viscosum, verùm ipsum infert debilitatem in animo, propter horribilitatem & abominationem sui saporis. Porrò rectificatio Turbith est, conficere cum oleo de amygdalis dulcibus, & dosis eius est à drachma vna, vsque ad duas, & oportet quod detur solum, &c.

Sic satis sufficienterque cùm declarata sit Turbith historia, missis plurimis quæ huius loci esse possent, hic tantùm quædam ex Fallopio, subiiciemus: fusiùs fortè alia occasione eius historiam tradituri. Turbith, inquit, non habet minorem vim, quàm habet Scammonium, sed quia non est in vsu succus ipsius, vt est in vsu succus Scammonii: at est in vsu radix: idcirco videtur habere minorem vim, quàm habeat Scammonium. Verùm tamen si conferatur succus succo, & radix radici: profectò Turbith non habet minorem vim quàm habeat Scammonium. Vnde aliqui volunt Turbith esse dictum à turbando. Sed decipiuntur, quia dicitur Turbith ab Arabibus quasi Turpethum, sumpto nomine à Græcis recentioribus, & præsertim ab Actuario, qui vocat hoc medicamentum nomine Turpethi.


APPENDIX AD CAPVT VLTIMVM libri 40.

HABB HAZIZ ARABIBVS.

LEo Aphricanus hist. lib. 5. scribens de vrbe Capes ædificata per Romanos ad mare mediterraneum, recenset ibi esse regionem, quæ non producat alios fructus, præter fructum sub terra prouenientem, magnitudine Raphani. Eum illos sugere, quia dulcis sit, prout Amygdalum, cuius saporem nonnihil referat, non tamen alimentosum esse, & vtilem, vt amygdalum. Communem autem esse per totum ferè regnum Thunense: Arabibus vocari Habb Haziz.

Hunc fructum videtur Dalechampius, qui Thrah Thunense vocat apud Plinium, ad eiusdem Mison, de quo capite de Terfez Africano, referre.

FINIS APPENDICIS TOMI TERTII.





ΕΠΙΓΡΑΜΜΑΤΩΝ

OMNIVM PRAECIPVORVM CAPITVM QVAE TVM IN PRIMA TVM IN SECVNDA PARTE TOMI TERTII HISTORIÆ VNIVERSALIS PLANTARVM CONTINENTVR

INDEX

Per pp. denotatur pars prima : per p.2. verò pars secunda , quæ incipit à LIBRO VIGESIMO SEPTIMO.



Abies & Quercus marina veteribus 802.part.2
Abrotonoides planta saxea 811. p. p.
Abrotonum vulgare 192.p.p.
Abrotonum cum pulchris Corymbis 194.p.p.
Absynthia veterib. 164.part.p.
Absynthium marinum veteribus p.167.part.p.
Absynthium Xantonicum veteribus 168.p.p.
Absynthium vulgare maius. ibid.168. part.p.
Absynthium vulgare montanum 173.part.p.
Absynthium arborescens Lobelii. ibid.
Absinthium insipidum ibid.
Absynthium maritimum latifolium siue Matthioli. 174.p.p.
Absynthium Ponticum vulgare folio inferiùs albo. pag.175.p.p.
Absynthii species, quibusdam chamemelum chrysanthemum Fuchsii p.176.p.p.
Absynthium & Ponticum & Romanum quibusdam, aliis ceriphium , & varia de eo sententia pag.176.part.p.
Absynthium Seriphium tenuifolium Marinum Narbonense pag.177.part.p.
Absynthium Seriphium Germanicum succulento folio siue Misnicum p.78.part.1.
Absynthium Seriphium Belgicum p.178.part.1.
Absynthium Valesianum tenuifolium candidum , siue herba alba pag.179.p.p.
Absynthium Austriacum tenuifolium pag.79.p.p.
Absynthium Ægyptium quibusdam pag.282.p.2.
Absynthium albis floribus , capitulis squarrosis 183.p.p.
Absynthium vmbelliferum Mutellina quibusdam pag.183.part.p.
Absynthium Montanum flore Chamameli p.184.p.p.
Acanthium veteribus 54.p.p.
Acantha leuca, spina alba veteribus 71.p.p.
Acarna flore luteo 91.p.p.
Acarna similis flore purpureo, chamaleon Salmanticensis Clusii 91.p.p.
Acarna affinis Leo ferox, flore pallido 92.p.p.
Achyllea millefolia odorata 140.p.p.
Acinos veteribus & in genere 258.p.2.
Acinus Manardi Matth. calamintha fol. 258. p.2.
Acinos multis 259.p.2.
Acini pulchra species 260. p.2.
Aconitum in genere 647.p.2.
Aconitum primum Matthioli foliis Doronici 649. p.2.
Anthora Siluatici folio rotundo 651.p.2.
Aconitum folio Platani flore luteo pallescente. 652.p.2.
Aconitum magnum purpureo flore , vulgò Napellus 655.p.2.
Aconitum Napello simile, sed minus, caruleum, pracocius 656.p.2
Aconitum lycoct. Autumnale Napello simile , ibidem.
Aconitum lycoct. caruleum calcari magno 657. part.2.
Aconitum lycoct. Napello simile , Neubergense, foliis latioribus , flore purpureo ibid.
Aconitum lycoct. coma nutante, maximum 658. part.2.
Aconitum Lycoctonum flore Delphinii. ibid.
Aconitum lycoct. flore maximo 659.p.2.
Aconitum lycoct. flore caruleo, galea elatiore, radice bulbosa ibidem
Aconitum 5. Matthioli effigie aliquius Ranunculi vel Anemones 419.p.2.
Aconitum Racemosum Altaa quibusdam 660.p.2.
Adarce ex veterum & neotericorum sententia 796. part.2.
Adianthum Album folio filicis p.749.p.2.
Adianthum Nigrum officinarum p.750. p.2.
Adiantho nigro similis si non eadem missa pro Capiligno p.751. p.2.
Adianthum tenuifolium album Ruta muraria accedens ibid.
Adianthum veteribus 758.p.2.
Adianthum siue Capillus veneris 759.p.2.
Adianthum pulcherrimum 760.p.2.
Ægipyrus vel Ægypyrus veteribus 198.p.2.
Æthiopis veteribus & in genere 315.p.2.
Æthiopis multis ibidem
Ageratum veteribus pag.142 p.2.
Ageratum plerisque , herba Iulia quibusdam ibidem.
Ageratum purpureum Dalechamp. 144.p.p.
Agriopastinaca Cretensium pag 149.p.2.
Aizoi maioris ortu persimilis exotica planta Lobel. p.96. p.p.
Alsine verna glabra, flosculis albis, vel potiùs Linum minimum 455.2.
Alcyonium Veterum & Neotericorum 818. p.2.
Alcyonium spongiosum officinarum ibid.
Alcyonium stupposum Imperati fol. 819.p.2.
Alcyonium tuberosum ibidem
Alcyonium molle Imperati ibid.
Alga, & de ea, fuco, bryo, & musco, veterum sententia 781.2.
Alga angustifolia vitriariorum 798.2.
Alga pomum Monspel. 799.p.2.
Alga crispa scabiosa rubra & pallida ibid.
Alga Tinctoria 800.p.2.

Alga angustissimis foliis 801.p.2.
Alga ceruicornu diuisurâ ibid.
Alga marina porosa 815.p.2.
Alga Maderensis grandi folio 804.p.2.
Alga longissima lato tenuique folio 805.2.
Alga longissimo, lato, crassoque folio ibid.
Alisma Matthioli siue plantago montana 20.p.p.
Alisma Tussani Caroli 519.p.2.
Aloe in genere 696.p.2.
Aloes succus 697.p.2.
Aloe Americana muricata 701.p.2.
Aloe siue Aizoon palustre 793.p.2.
Alypum Matthioli Tithymalis affine, p.676.p.2.
Alypum quibusdam siue Esula rara flore purpureo ibidem.
Alysson Plinii foliis Erithrodani 715.p.2.
Alyssum in genere veterib. & neotericis 319.p.2.
Alsine veteribus & in genere 362.p.2.
Alsine maior repens perennis ibid.
Alsine maxima H. Lugdunensis 363.p.2.
Alsine Vulgaris siue morsus Gallina ibid.
Alsine plantaginis folio ibid.
Alsine maxima Dodon. 364.p.2.
Alsine corniculata Clusii 359.p.2.
Alsine minima 364.p.2.
Alsine tenuifolia ibid.
Alsine muscosa quibusdam 365.p.2.
Alsine longifolia uliginosis proueniens locis ibidem.
Alsine fœtida Fabio Columna Dioscoridea ibid.
Alsines fœtida quodammodò similis laciniata, 366. p.2.
Alsine serrato folio glabro ibid.
Alsine serrato folio hirsutiori, floribus & loculis cauliculis adhærentibus 367.p.2.
Alsine oblongo folio serrato, flore caruleo ibid.
Alsine folio profundè serrato, flore purpureo siue violaceo ibidem
Alsines genus Fuchsio, folio hederula 368.p.2.
Alsine aquis innatans 793.p.2.
Altith & Aniudem veterib. 133.p.2.
Ambrosia veterib. 189.
Ambrosia quibusdam 190.p.p.
Ammi antiquis, & in genere 24.p.2.
Ammi odore Origani 25.p.2.
Ammi semine tenuissimo & odoratissimo ibid.
Ammi vulgare maius latioribus foliis, semine minùs odorato 27.p.2.
Ammoniacum veterum 53.p.2.
Ammoniacum 54.p.2.
Anacampseros, vulgò faba crassa 681.p.2.
Anacampseros purpurea 683.p.2.
Anacampseros maxima ibid.
Anacampseros minor, rotundiore folio, semper virens ibidem.
Anagallis phœnicea & cærulea 369.p.2.
Anagallis phœnicea, mas ibidem
Anagallis cærulea, fœmina ibid.
Anagallis lutea, numulariæ similis 370.p.2.
Anagallis serpillifolia aquatica 372.p.2.
Anagallis aquatica flore cæruleo, folio oblongo, maior 796.p.2.
Anagallis aquatica flore purpurascente, folio oblongo minor ibid.
Anagallis aquatica angustifolia ibid.
Anagallis aquatica flore cæruleo, folio rotundiore, minor fol. 795.p.2.
Anagallis aquatica folio rotundiore maior 796. p.2.
Ananas Acosta 95.p.p.
Ananas Linschot. ibid.
Ananas siluestris folio Aloes, fructu Cupressino. 96. p.p.
Anchusa veteribus & in genere 581.p.2.
Anchusa minor lignosior 582.p.2.
Anchusa minor lutea 583.p.2.
Anchusa flore albo aut pallido Clusii ibid.
Anchusa Monspeliana 584.p.2.
Androsaemon veteribus & in genere 381.p.2.
Androsace Matthioli altera. 368.p.2.
Androsaces veteribus 816.p.2.
Androsaces Matth. siue fungus petraus marinus, siue umbilicus marinus ibid.
Anethum syluestre semine exiguo, Ameos. 7.p.2.
Anethum 5.p.2.
Anemone hortensis Tragi 401.p.2.
Anemone in genere 400.p.2.
Anemone latifolia flore flauo I. Clusii ibid.
Anemone latifolia duplo flore flauo II. Clusii 402. p.2.
Anemone Italica latiusculis spinosis foliis III. Clusii ibidem.
Anemone latifolia ex purpura dilutiore albicante flore IV. Clusii ibid.
Anemone latifolia flore ad carneum colorem tendente, albicantibus vnguibus, V. Clusii ibid.
Anemone latifolia purpurei ferè coloris, vnguib. albicantibus Bizantina, VI. clusii 403.p.2.
Anemone eiusque species alia varia 403. 404. & 405. & 406. & 407. & 408.p.2.
Anemone magna alba plurima parte anni florens 411.p.2.
Anemone trifolia flore albo 412.p.2.
Anetho similis planta, semine lato laciniato 7.p.2.
Angelica satiua 140.p.2.
Angelica officinarum ibidem
Archangelica 143.p.2.
Angelica siluestris magna vulgatior 144.p.2.
Angelica siluestris repens 145.p.2.
Angelica siluestris hirsuta inodora Casp. Bauhini 146.p.2.
Anisum veteribus & in genere 92.p.2.
Anthemides siue Chamæmela veteribus 115.p.p.
Anthyllis duplex veteribus & in genere 573.p.2.
Anthyllidis species quibusdam ibid.
Anthyllis lentifolia, peplios effigie, maritima 574. p.2.
Antirrhinum vulgare 462.p.2.
Antirrhinum angustifolium syluestre 464.p.2.
Antirrhinum minimum 465.p.2.
Antirrhinum album serrato folio 457.p.2.
Antithora flore luteo Aconiti 660.p.2.
Antriscus Plinii quibusdam, semine longo Cicutaria vel Chærephyli 70.p.2.
Antriscus quorundam semine aspero, hispido 83. p.2.
Aparine 713.p.2.
Aphyllantes Monspeliensibus 335.p.2.
Aphyllanti affinis Scabiosa quinta Clus. Bellidi affinis 13.p.p.
Aphyllantes Anguillara, siue globularia Bellidi similis ibidem.
Apios 666.p.2.
Apios siue Ischas altera 667.p.2.
Apium quod Petroselinum Dalechamp. folio tenui, Apii Hortensis, semine subrubro amaro, radice nigra 119.p.2.
Apium siue Petroselinum Macedonicum multis 101. p.2.
Apium Montanum siue Oreoselinum veteribus, 103.p.2.

99.p.2.
Apium palustre siue Eliofelinum 100.p.2.
Apium vulgare ingratius ibid.
Apium seu Selinum quod Petroselinum Antiquis dicitur 102. p.2.
Apium siluestre Dodonai, siue Thysselinum quorundam 188.p.2.
Apium Cicuta foliis, seu Selinum alterum Clusii ibid.
Aquilegia flore simplici 484.p.2.
Aquilegia flore pleno 485.p.2.
Aquilegia flore simplici & pleno non corniculato ibid.
Aquilegia degener ibid.
Arachidna in genere & Aracoides 852.p.2.
Arbuscula marina coralloides rubra 713.p.2.
Arenaria 736.p.2.
Argemone Veteribus & in genere eiusque species varia 396.p.2.
Ageratum fecul... Dalech. 152.p.p.
Aristolochia veteribus & in genere 556.p.2.
Aristolochia rotunda eiusque species varia 559.p.2.
Aristolochia longa eiusque species varia 560.p.2.
Aristolochia Clematitis eiusque species varia 561.p.2.
Aristolochia polyrrhizos ibid.
Aristolochia Pistolochia altera 563.p.2.
Artemisia veteribus & in genere 184. & 186. p.2.
Artemisia tenuifolia siue leptophyllon, aliis Abrotonum siluestre 194.p.p.
Artemisia tenuifolia si non idem Abrotonum inodorum Lobelii 195.p.p.
Asarina Lobelii flore Hedera terrestris 856.p.2.
Asparagus & Corruda 736.pag.2.p.2.
Asparagus hortensis & pratensis 737.p.2.
Asparagus marinus 737.p.2.
Asperula hexaphyllos purpurea 734.p.2.
Asplenum seu Ceterach veteribus & in genere 757.p.2.
Artium veteribus & in genere, eiusque species 569. & 570. p.2.
Asa fœtida nostras officinarum 133.p.2.
Asarum 548.p.2.
Asarum maris 541.p.2.
Ascyron veteribus & in genere 380.p.2.
Atractylis veteribus & in genere eiusque species 82. & 83.p.p.
Auricula muris, siue Myosotis veteribus & in genere, eiusque species varia 358.359.360.p.2.
Auricula leporis in genere, eiusque species varia 200. & 201.p.2.
Auricula vrsi flore luteo 499.p.2.
Azarina Matthioli flore Anthemidis 566.p.2.

B.

Baccaris Dioscoridis Rauwolfio 163.p.2.
Barba Capri 488.p.2.
Bangue Cannabi simile 449.p.2.
Batanica planta foliis Helenii 111.p.p.
Been album officinarum 356.p.p.
Been albo officinarum similis planta semper virens 557.p.2.
Betonica flore albo 301.p.2.
Betonica folio Alopecuros quorundam 302.p.2.
Betonica coronaria siue Caryophyllea in genere, eiusque species circiter triginta elegantes 325.326.327.328.329.330.331.332.333.334.335.336.337. & 338.p.2.
Bifolium maius, siue Ophrys maius quibusdam 533.p.2.
Bifolium minimum 534.p.2.
Bistorta maior rugosioribus foliis 538.p.2.
Bistorta media folio minus rugoso ibid.
Bistorta minima 539.p.2.
Blattaria, eiusque species varia 874. & 875.p.2.
Blattero, eiusque species varia 859.p.2.
Borrago siluestris tenuifolia 577.p.2.
Borrago floribus cæruleis & albis 574.p.2.
Botrys veteribus & in genere 297.p.2.
Botrys plerisque Botanicis 298.p.2.
Botrys verticillata ibid.
Britannica veteribus 557.p.2.
Bubulus marinus crinitus 788.p.2.
Buglossum veteribus & in genere 523.p.2.
Buglossum folio Borraginis Hispanicum 577.p.2.
Buglossum vulgare maius & minus flore vtrumque duplici 578.p.2.
Buglosso similis planta Indica 631.p.2.
Bunium & Pseudobunium veteribus & in genere 28. & 29. p.2.
Bunium Dalechampii ibid.
Bulbo-Castanum 30.p.2.
Bulbo-Castanum Tralliano 29.p.2.
Buphtalmum Dodonæi, aliis Consiligo tenuifolia 637.p.2.
Buphtalmum Italicum segetum altissimum affine Chamæmelo 120.p.p.
Buphtalmum antiquis 123.p.p.
Buphtalmum tenuifolium folio millefolii ferè 124.p.p.
Buphtalmo tenuifolio simile Chrysanthemum Valentinianum Clusii 125.p.p.
Buprestis veteribus & in genere 199.p.2.

C

Cacalia, siue Leontice veteribus & in genere 568.p.2.
Cacalia quibusdam 569.p.2.
Calamintha veteribus & in genere, eiusque species varia 227.228.229. & 230.p.2.
Cali vulgare 702.p.2.
Cali Arabicum 701. & 704.p.2.
Cali, siue vermicularis marina arborescens eiusque varietates aliquot 703. & 704.p.2.
Caltha 101.p.p.
Caltha flore simplici & flore pleno ibidem
Caltha prolifera 102.p.p.
Caltha minima 103.p.p.
Caltha palustris 470.p.2.
Caltha palustris flore multiplicato 471.p.2.
Calochierni Carduus Cretensibus 85.p.p.
Camphorata Monspeliensium 379.p.2.
Cannabis mas & fœmina 447.p.2.
Cannabis siluestris quorundam vrtica inerti affinis 858.p.2.

ſ 2

ria circiter triginta sex 42.43.44.45.46 &
sequentibus usque ad 96.p.p.
Carlina caulifera siue acaulos 64. p.p.
Carlina siluestris quibusdam, aliis Atractylis 81.p.p.
Caros veteribus & in genere 68. & 69.p.2.
Carpesium ex veterum sententia 207.p.2.
Carthamus siue Cnicus 79.p.p.
Carthamus siue Cnicus fl.caeruleo 80.p.p.
Carui folia 171. p.2.
Caryophyllus aruensis vmbelliferus 361. p.2.
Cassuta siue Cuscuta 266. p.2.
Catanance Dalechampii 26.p.p.
Catanance affinis Sesamoides 27.p.p.
Caucalis veteribus & in genere 81.p.2.
Caucalis species variae 83.84.85. & 86.p.2.
Caucon Ephedra anabasis veteribus 738. p.2.
Cali geniculatum siue Salicornia 704. p.2.
Centaurium Collinum Gesneri flore purpureo & albo 32.p.p.
Centaurium collinum, siue Iacea spinosa flore luteo 34.p.p.
Centaurium maius veteribus & in genere 37.p.p.
Centaurium maius iuglandis folio 38.p.p.
Centaurium minus flore purpureo & albo 353.p.2.
Centauroides folio glabro, flore flauescente 40.p.p.
Centaurium maius alterum folio integro 41. p.p.
Centaurium maius, siue Rha capitatum folio Enulae, subtus hirsuto & incano ibid.
Centaurium siue Rha ponticum alterum angustiore folio ibid.
Centaurium minus flore purpureo & albo 353.p.2.
Centaurium minus adulterinum, quibusdam Lychnidis viscidae genus 355. p.2.
Cerinthe veteribus & in genere 601. p.2.
Cerinthe quorundam maior versicolore flore 602. p.2.
Cerinthe quorundam maior spinoso folio, flauo flore ibidem.
Cerinthe quorundam maior, flore ex rubro purpurascente 603. p.2.
Cerinthe quorundam minor flauo flore ibid.
Cha herba Iaponica 5. p.2.
Chamaedrys spuria species variae sex 285. & 286. p.2.
Chamaedrys veteribus & in genere ibid.
Chamaedrys vulgò vera existimata 288. p.2.
Chamaedrys spinosa 289. p.2.
Chamaedrys montis Sumani ibid.
Chamaedrys alpina, aliaque Chamaedryos species 289. & 290. p.2.
Chamaecissus siue Hedera terrestris veteribus & in genere 855. p.2.
Chamaemelum vulgare amarum 116. p.p.
Chamaemelum odoratissimum repens flore simplici & flore multiplici 118. & 119. p.p.
Chamaemelum aureum peregrinum capitulo sine foliis ibid.
Chamaemelo affine Buphtalmum Italicum segetum altissimum 120. p.p.
Chamaemelum inodorum, siue Cotula non foetida Ibidem.
Chamaecyparissus 133. p.p.
Chamaepytis vulgaris odorata 295. p.2.
Chamaepytios aliae species variae 296. & 297. p.2.
Chamaerops 423. p.2.
Chamaesyce 667. p.2.
Chaerephyllum 75. p.2.
Chelidonium minus veteribus & in genere 465. p.2.
Chelidonium maius veterum 481. p.2.
Chelidonia 482. p.2.
Chelidonium folio laciniato 483. p.2.
Chrithmum marinum tertium Matthioli 106. p.2.
Chrithmum & Batis veteribus 193. p.2.
Chrithmum siue Foeniculum marinum 194. & 195. p.2.
Chrysanthemum veteribus 100. p.p.
Chrysanthemum maius, Creticum, latifolium, minus, siue Bellis lutea parua [illegible] 104. & 105. p.p.
Chrysocome veteribus 155. p.p.
Chrysogonon 876. p.2.
Cicuta veteribus & neotericis in genere, eiusque species variae 174. & 175. p.2.
Cicutaria eiusque species variae 176.177.178. 179.180.181.182.183. & 187. p.2.
Cirsium veteribus & in genere 42. p.p.
Cirsium Anglicum, Pannonicum, Britannicum, Tomentosum, & Maximum, aliaque Cirsii species 44. & 45. p.p.
Clinopodium quibusdam Mallicbina Gallorum 243. p.2.
Clinopodium veteribus & in genere, eiusque species variae 250. p.2.
Consolida regalis in genere, eiusque species variae 210. 211. & 212. p.p.
Consolida media eiusque species variae 430. & 431. p.2.
Coris veteribus & in genere 381. p.2.
Coris Monspessulana lutea & purpurea 434. p.2.
Coralii plurimae species variae 808. & sequentibus p.2.
Coralliis affinis Madrepora 811. p.2.
Coralliis affine Alcyonium fistulosum rubrum, & Tubuli marini albi 812. p.2.
Coralloides eiusque species variae 801. 813. & 814. p.2.
Corallina eiusque species variae fol. 815. pag. 2. p.2.
Corallina affinis Muscus marinus 816. p.2.
Corallina affinis Nodularia f.l. 816. pag. 2. p.2.
Coriandrum veteribus & in genere 86. p.2.
Coriandri species variae 89. 90. & 91. p.2.
Coronopus veteribus & in genere 508. p.2.
Coronopus eiusque species variae 509. 510. & 511. p.2.
Corruda 721. p.2.
Cortusa 499. p.2.
Cotyledon vera altera & minor 683. 684. & 690. p.2.
Cranion & Ceranium veteribus & in genere 851. p.2.
Cremenci 802. p.2.
Crista galli mas & foemina, aliaque eius species variae 436. & 437. p.2.

Crocodilium veteribus 68.p.p.
Crucialis fruticosa Cæsalp. fol. 736.pag.p.2.
Cyminum satiuum & siluestre veteribus & in genere, eiusque species variæ 21.22. & 23.p.2.
Cunila veteribus 271.p.2.
Cupressus marina Belgica Clusii 803.p.2.
Cyanus veteribus & in genere, eiusque species variæ 21.22.23.24.& 25.p.p.
Cyclaminus veteribus & in genere, eiusque species variæ 51.52.53. & 54.p.2.
Cymbalaria 685.p.2.
Cynoglossum veteribus & in genere 597.p.2.
Cynoglossum vulgare, minus, Creticum, aliaque Cynoglossi species 598.599.600. & 601.p.2.

D.

DAmasonium Alpinum siue Elleborine floribus albis 516.p.2.
Damasonium Alpinum floribus luteis 517.p.2.
Damasonii species quibusdam, aliis Calceolus D. Mariæ 518.p.2.
Damasonium stellatum Dalechampii 795.p.2.
Daucus veteribus & in genere 55.p.2.
Daucus Creticus, Tyburtinus, Petræus, Tenuifolius, Selinoides, Cyanopus, Montanus, aliaque Dauci species variæ 56.57.58.59. & 67.p.2.
Daucus pratensis Dalechampii 9.p.2.
Daucus glauco folio similis Fœniculo tortuoso 16.p.2.
Dauco glauco similis Libanotis 17.p.2.
Delphinium veteribus 210.p.p.
Dictamnum & pseudodictamnum veteribus & in genere 251.p.2.
Dictamnus Cretica seu vera 253.p.2.
Dictamnum adulterinum, quibusdam verticillatum, vel potius Gnaphalium veterum 255.p.2.
Dipsacus veteribus & in genere 72.p.p.
Dipsacus satiuus 73.p.p.
Dipsacus siluestris siue Labrum veneris 74.& 75.p.p.
Doronicum veteribus & in genere, eiusque species variæ 17.18. & 19. p.p.
Dracunculus hortensis, siue Tarcon 148.p.p.
Drypis Theophrasti Anguillara sol. 738.pag.2.
Dryopteris 745.& 748.p.2.
Durtoa herba soporifera 625.p.2.

E.

ECchium Euchsii siue Borrago siluestris 581.p.2.
Echium veteribus & in genere 585.p.2.
Echii species variæ plurimæ 586.587.588. & 589. p.2.
Echinopus maior 69.p.p.
Echinopus minor 72.p.p.
Echinomelocactos 93.p.p.
Elaphoboscum veteribus & in genere 148. p.2.
Elatine veteribus & in genere, eiusque species variæ 371.& 372.p.2.
Elleborine, Epipactis, & Damasonium in genere 515. p.2.
Elleborines species variæ 516.& 517.p.2.
Elleborus niger flore albo, interdum etiam valde rubente 635.p.2.
Elleborus niger vulgaris flore viridi vel herbaceo, radice diuturna 636.p.2.
Epimedium, Epimetrum, & Epipetron 709.p.2.
Epipactis & Elleborine veteribus & in genere 640. p.2.
Epipactis Matthioli ibid.
Epithymum veteribus & in genere 264.p.2.
Equisetum maius aquaticum 738.pag.p.2.
Equisetum minus terrestre 739.pag.2.p.2.
Equiseti variæ species aliæ ibidem & 740.p.2.
Enavvaz Ricini pusillum genus 645.p.2.
Erucæ facie frutex marinus 814.p.2.
Eruca marina quibusdam 803.p.2.
Eryngium vulgare 85.p.p.
Eryngium cæruleum 86.p.p.
Eryngium marinum ibid.
Eryngium pumilum, pusillum, planum, latifolium, Alpinum, eiusque variæ species aliæ 87. & 88.p.p.
Eschara 815.p.2.
Eschara marina frondipora ibid.
Euphrasia 432.p.2.
Euphrasia parua purpurea 433.p.2.

F.

FAba seu Cyamus Ægyptius veteribus 766.p.2.
Fabregue 248.p.2.
Ferula siue Ferulago veterum 42.p.2.
Ferula folio fœniculi, &c. 43. p.2.
Ferula Galbanifera, Narthecium Theophrasti 44.p.2.
Ferulæ facie Thapsia siue Turbith Gallorum 45.p.2.
Ferulæ species alia ibid.
Filipendula 189.p.2.
Filix veteribus & in genere 741.p.2.
Filix maior & prior Trago, siue ramosa repens 743.p.2.
Filicis variæ species aliæ 744. & sequent.
Filix saxatilis Tragi 763.p.2.
Flos Constantinopolitanus, miniatus, albus, & varius 344. p.2.
Flos Cuculi, Odontis quibusdam 347.p.2.
Flos Cuculi flore multiplicato, purpureo & albo 348.p.2
Flos Adonidis vulgò, aliis Eranthemum 125.
Fluuialis piscina foliis denticulatis 787.p.2.
Fœniculum seu Marathrum veteribus & in genere 1.p.2.
Fœniculum siluestre, siue Hippomarathrum duplex, semine cachry simili & rotundo veteribus 2.p.2.
Fœniculum vulgare minus ibid.
Fœniculi variæ species aliæ 2.3.4.& 5.p.2.
Fœniculum tortuosum 16. p.2.
Fontinalis media lucens 795.p.2.
Fontinalis lucens maior ibidem
Fontinalis crispa 780.p.2.
Fontinalis minor lucens ibidem
Fraxinella, officinis Dictamnus 494.p.2.
Fructus valde elegans, Faba forte Ægyptia Dioscoridis 785.p.2.
Frutex marinus elegantissimus albus 814.p.2.
Fruticosa marina planta, quibusdam Conferua lignosa 802.p.2.
Fucus cupressinus Imperati 803.p.2.
Fucus marinus ibid.
Fucus Radicella dictus, siue Vermicularis albus ibid.
Fucus Terzolla Vermicularis species ibid.
Fucus Tamariciola, siue Tamariscifolia marina 804. p.2.
Fucus marina Porcellara, & Lumbricaria species ibidem.
Fucus Tremula ibid.
Fucus Scopara, siue Pennachio marino ibid.
Fucus Linza 805.p.2.
Fucus axungiæ accedens 806.p.2.
Fucus canus 807.p.2.
Fucus capillaris tinctorius 808.p.2.
Fucus Capillara dictus ibid.
Fungus siue Muscus petrosus 816. pag.2.p.2.

ibidem.
Fungus magnus totus albus, sine succo lacteo, edulis, Columbettes Montbelgardensibus dictus 826. p.2.
Fungi albi venenati viscidi ibidem
Fungus nemorum amplus ibid.
Fungi longissimo pediculo candicantes, sed maculati, esculenti ibid.
Fungi alii nonnulli candicantes siluarum, esculenti 827. p.2.
Fungi alii plurimi esculenti ibid. & 828. p.2.
Fungus penè candidus prona parte erinaceus ibid.
Fungi in metam fastigiati & esculenti ibidem
Fungi tuberosi &c. esculenti 829. p.2.
Fungi punicei lacte dulci manantes, pratensibus similes, edules ibidem
Fungi siluestres esculenti duo: I. subalbidus, II. purpureus, maculati ibid.
Fungi abietini esculenti 830. p.2.
Fungi hirsuti interna parte perniciosi ibid.
Fungi siluestres esculenti ceruini ibid.
Fungi siluestres laceri esculenti 831. p.2.
Fungi ferè sine pediculo in arboribus nasci soliti, esculenti ibidem
Fungi lutei magni, Iaseran dicti speciosi ibidem
Fungi lutei perniciosi sub pinu habitantes 832. p.2.
Fungi fulcrum Boleto similes perniciosi ibidem
Fungus pallidus ibidem
Fungus luteus siue pallidus, Chanterelle dictus, se contorquens ibidem
Fungi late di dicti colorem mutantes ibidem
Fungus porosus, magnus, crassus 833. p.2.
Fungi in metæ formam surrecti perniciosi ibidem
Fungi septem alii perniciosi 834. p.2.
Fungi plures simul, albi, ad arborum radices, esculenti ibidem.
Fungi multi ex uno pede perniciosi 835. p.2.
Fungi albi lucentes ex uno principio plures ex radicibus arborum ibid.
Fungi multi ex vno pede clypeiformes ibid.
Fungi supra lapides 836. p.2.
Fungus rugosus vel cauernosus, siue Merulius, niger & albus ibid.
Fungus candidus cristatus 837. p.2.
Fungus ramosus flauus & albidus ibid.
Fungi ramosi argentei 838. p.2.
Fungus Gallinella dictus ibidem
Fungi delicatissimi saporis ibidem
Fungi tres fœtidi sub Corylis, Serpentini dicti, perniciosi ibid.
Fungus coralloides cancellatus ibid.
Fungus Intybaceus, & alius intestineis vituli similis, cinereus 839. p.2.
Fungi monstrosi vastæ amplitudinis esculenti ibid.
Fungi Laricum maximi lutei esculenti ibid.
Fungus lignosus arboreus ad furfures 840. p.2.
Fungi Castanearum Lacinia dicti ibidem
Fungi arborei ad Ellychnia ibid.
Fungi Auricula Iudæ coloris, perniciosi, in Sambuci caudice nascentes ibidem
Fungi tres, dicti Spongia lignorum, perniciosi 841. p.2.
Fungi phalloïdis genus 845. p.2.
Fungi Sterquilinii albi ibidem
Fungi à sue appellati, siluestres, perniciosi ibid.
Fungi Bufonis perniciosi ibid.
Fungi ranarum, albi, perniciosi 846. p.2.
Fungi varii alii perniciosi ibid.
Fungi supra ligna prouenientes ibid.
Fungi parui varii ibid.
Fungi parui lutei & clypeiformes, atque albi lethales 847. p.2.
Fungus minimus siue periolo perniciosus ibidem
Fungi infundibulum referentes perniciosi ibidem
Fungi albi pileolo inuerso ibidem
Fungus puluerulentus, dictus Crepitus lupi 884. p.2.
Fungus maximus rotundus puluerulentus, Germanis Pfeffifft dictus ibid.
Fungus ouatus ibid.
Fungus rotundus albus ibidem
Fungus Ollularis vel Botryoides fimarius ibid.
Fungorum perniciosorum remedia ibid.
Fumaria vulgaris 201. p.2.
Fumaria minor siue tenuifolia surrecta 203. p.2.
Fumaria qua Splis dicitur ibid.
Fumaria varia species alia 204. & 205. p.2.

G.

GAlbanum veterum 50. p.2.
Galbanum & Galbanifera Ferula 52. p.2.
Galeopsis species lutea, viscida, odorata nemorensis 314. p.2.
Galeopsis veteribus 321. p.2.
Galeopsis siue vrtica iners fl. purpurascente ibidem & 322. p.2.
Galeopsis flore luteo 323. p.2.
Gallitrichum satiuum 309. p.2.
Gallitrichum exoticum 310. p.2.
Gallitrichum siluestre vulgò, siue siluestris Sclarea 311. & 312. p.2.
Gallitrichi varietas ibid.
Gallium veteribus & in genere, eiusque species variæ 731. 732. & 733. p.2.
Gentiana veteribus & in genere 519. p.2.
Gentiana magna flore purpureo 521. p.2.
Gentiana folio conuoluto ibid.
Gentiana vulgaris maior Ellebori albi folio 520. p.2.
Gentiana minor, seu vulgi Cruciata 522. p.2.
Gentianæ species aliquot aliæ 523. & 524. p.2.
Gentiana annua Clusii 526. p.2.
Gentianella eiusque variæ species plurimæ 526. 527. & 528. p.2.
Gentianellis affinis Calathiana verna Dalechampii 528. p.2.
Gentianella qua Hippium quibusdam ibid.
Geranium veteribus & neotericis in genere 472. p.2.
Geranium tuberosum minimum 474. p.2.
Geranium tuberosum, batrachoides varium, Asphodeli radice, Phæum 475. 476. & 477. p.2.
Geranium magnum folio trifido 478. p.2.
Geranium sanguineum siue Hæmatodes ibid.
Geranium Columbinum 473. p.2.

Geranium

Geranium moschatum folio ad Myrrhidem accedente, maius & minus 479.p.2.
Geranium speciosum annuum longissimis rostris, Creticum ibid.
Geranium Robertianum murale 480.p.2.
Geranium lucidum 481.p.2.
Gingidium veteribus & in genere 78.p.2.
Gingidium Matthioli 79.p.2.
Glaucium veteribus & neotericis in genere 397.p.2.
Glaux exigua maritima 363.p.2.
Gnaphalium veteribus & in genere, eiusque species variæ 157.158.159.160.161. & 162.p.p. & 255.p.2.
Gramen Parnassi Dodonæo; quibusdam Hepaticus flos 537.p.2.
Gramen Fuchsii, siue Leucanthemon 361.p.2.
Gramini Fuchsii affinis herba ibid.
Gramen aqua innatans cum vtriculis, siue Fœniculacea marina 791.pag.2.p.2.
Granal Hollandorum 702.p.2.
Garyophyllatus flos aphyllocaulos siue inunceus maior & minor 356.p.2.
Gratiola 434.p.2.
Gratiola alpina 435.p.2.

H.

HAcup siue Silybum quibusdam 84.p.p.
Helleborus albus & niger veteribus 631.p.2.
Helleborus albus 633.p.2.
Helenium siue Enula campana 108.p.p.
Helichrysus, Helichryson, & Heliochrysus, & Heleiochrysus veteribus 149.p.p.
Heliochryson quorundam folio Abrotoni 150.p.p.
Heliochryson Tragi, siue linaria tertia 151.p.p.
Heliotropium veteribus & in genere, eiusque species variæ 603.604.605.& 606.p.1.
Hemionitis veteribus 749.p.2.
Hemionitis 750.p.2.
Hemionitis altera Dalechampii Filici floridæ similis 729.p.2.
Herba Nalucana Acosta 3.p.p.
Herba de la Rotta 144.p.p.
Herba marina 106.p.p.
Herba à sue denominata 551.p.2.
Herba Cohobba inebrians 631.p.2.
Herba Cassiana, famem sitimque retardans ibidem
Herba Paris 613.p.2.
Herba Trientalis 536.p.2.
Herniaria glabra 378.p.2.
Herniaria hirsuta 379.p.2.
Hippuris saxea 814.pag.2.p.2.
Holostium veteribus & in genere, eiusque species variæ 507.p.2.
Hypericum veteribus & in genere, eiusque species variæ 380.381.382.383.384.p.2.
Hyssopus veteribus & in genere, eiusque species variæ 274.275.276.& 277.p.2.
Hyssopifolia aquatica 796.pag.2.p.2.
Hyssopifolia minor, vel potiùs Thymifolia maritima ibidem.
Hyosciamus veteribus & in genere, eiusque species variæ 626.627.& 628.p.2.

I.

IAcea nigra vulgaris capitata & squammosa, aliæque Iaceæ species plurimæ 27.28.29.30.31.32.33.34.& 35.p.p.
Iacea moschata 34.p.p.
Iacea tricolor, siue Trinitatis flos 546.547.& 548.p.2.
Imperatoria 137.p.2.
Imperatoria alpina 139.p.2.
Isatis, siue Glastum montanum Dalech. 602.p.2.
Iuncaria 736.p.2.

K.

KAli eiusque species variæ 514.& 707.p.2.

L.

LAserpitium Massiliâ allatum 157.p.2.
Laserpitio similis angustifolia ibid.
Lanaria, siue Struthium Dioscoridis Imperato 347.p.2.
Lappula Canaria flore pulchro, magno, albo 79.p.2.
Lappula Canaria flore minore tenuifolia 80.p.2.
Lappula Canaria latifolia, siue Caucalis ibid.
Lappula Canaria, siue Caucalis maritima 81.p.2.
Lauendula multifido folio 281.p.2.
Lens palustris 791.p.2.
Lens palustris quadrifolia 793.p.2.
Lens palustris Patauina ibidem
Lenticula aquatica trisulca 793.pag.2.p.2.
Leontopetalon in genere ex antiquis & recentibus 489.p.2.
Leontopodium veteribus atque Cemos 514.p.2.
Leontopodium Candia quorundam ibidem
Leucacantha 90.p.p.
Libanotides veteribus & in genere, earumque species variæ 37.40.41.164.165.& 167.p.2.
Libanotis quibusdam siue Ferulago 41.& 42.p.2.
Libanotidum Theophrasti species aliquot 164.& 167.p.2.
Libanotis altera quorundam, aliis Ceruaria nigra 165.p.2.
Lichen veteribus & in genere 750.p.2.
Lichen siue Hepatica fontana ibid.
Lichen arboreus, siue pulmonaria arborea 51.p.2.
Ligusticum vulgare foliis Apii 122.p.2.
Ligusticum veteribus & in genere 146.p.2.
Ligusticum quorundam foliis Angelicæ 147.p.2.
Ligusticum alterum Belgicum ibid.
Ligusticum maius, siue Imperatoria maior 147.p.2.
Ligusticum Matthioli & Lobelii ibidem
Ligusticum Rauwolfii foliis Aquilegiæ 148.p.2.
Lilium conuallium vulgo 231.p.2.
Lilium conuallium flore rubente 533.p.2.
Limonium veteribus 540.p.2.
Linaria lutea vulgaris, parua annua, parua serpens, Pannonica, maxima Dalmatica, odorata, inodora, Monspessulana, purpurea magna & parua, cærulea &c. 456.457.458.459.460.& 461.p.2.
Linaria Beluedere dicta, eiusque species variæ 462.p.2.
Lincostis herba Aristotelis 93.p.p.
Linum 450.p.2.
Lini syluestris species variæ 452.& 453.p.2.
Linum latifolium luteum 454.p.2.
Linum luteum Narbonense ibid.
Linum pumilum 458.p.2.
Lithospermum siue Milium Solis, eiusque species variæ 590.591.& 592.p.2.
Lychnis coronaria ac syluestris veteribus & in genere, eiusque species variæ 339.340.341.348.351.352.357.& 358.p.2.
Lycoperſium veteribus & in genere 120.p.2.
Lycopsis veteribus 584.p.2.
Lycopsis Dioscoridis quibusdam ibid.
Lonchitis veteribus 751.p.2.
Lonchitis Altera cum foliis denticulatis siue lonchitis altera Matthioli pag.752.p.2.

Lonchitis Altera cum foliis denticulatis siue lonchitis altera Matthioli p.752.p.2.
Lonchitis altera folio polypodii ibidem
Lonchitis Aspera Marantha p.753.p.2.
Lotus Ægyptia veteribus & neotericis in genere p.781.p.2.
Lucus marinus dictus Roccel à tinctorum. pag.784. p.2.
Lactuca marina siue Intibacea pag.800.p.2.
Lumbricorum semen pag. 805. p.p.
Lumbricorum semen Rauvolfii ibid.
Lunaria botrytis. pag.709.p.2.
Lunaria botrytis minor multi folia pag.711.p.2.
Lunaria botrytes ramosa Silesiana ibidem
Lutea Plinii quibusdam 465. p.2.
Lutea maxima Cretica Honorii Belli 466.p.2.

M.

MAiorana Smirnium quibusdam dicta 126.p.2.
Maiorana variæ species altæ 241. & 242. p.2.
Mandragoras ex veteribus & neotericis in genere 614.p.2.
Mandragoras mas 617. p.2.
Mandragoras fœmina 618.p.2.
Marrubium veteribus & neotericis in genere 316. p.2.
Marrubii species variæ ibid. & 317. p.2.
Marrubium nigrum siue Ballote 318.p.2.
Marrubium aquaticum quorundam ibid.
Marum Cortusi 242. p.2.
Marum veterum ibid.
Marum supinum 243. p.2.
Matricaria, vulgo minus Parthenium 129.p.2.
Matricaria flore pleno 130.p.p.
Matricaria odorata ibid.
Melanthium veteribus & in genere 207.p.2.
Melanthii species variæ 207. 208. & 209.p.p.
Melanthium siluestre siue aruense 209. p.p.
Melissa vulgaris odore Citri 232.p.2.
Melissa adulterina quorundam amplis foliis, & floribus non grati odoris 233.p.2.
Melissa Turcica multis dicta 234.p.2.
Melissophyllum veteribus & in genere 231. p.2.
Mentha Corymbifera, siue Costus hortensis 144.p.p.
Mentha Sarracenica species fl. Anthemidis 146.p.p.
Mentha veteribus & in genere 213.p.2.
Mentha variæ species plurimæ 215. 216. 217. & 218. p.2.
Menthastrum in genere eiusque species variæ 219. 220. 221. 222 223. 224. 225. 226. & 227. p.2.
Mentha aquatica siue Sisymbrium 223. & 224.p.2.
Mentha Cattaria 225. p.2.
Meu vulgare siue radix Vrsina ibidem
Meum veteribus 11. p.2.
Meum alterum Italicum quibusdam 15. p.2.
Millefolium aquaticum Fœniculo simile 8. p.2.
Millefolium aquaticum foliis Coriandri 9.p.2.
Millefolium Stratiotes pennatum terrestre 136.p.p.
Millefolii alpini species 138. 139. & 140. p.p.
Millefolium tomentosum alpinum 138. p.p.
Millefolii plurimæ species variæ 771. & seqq. p.2.
Mala aurea odore fœtido, quibusdam Lycopersium 620. p.2.
Moluca 234. & 235. p.2.
Moschatellina 206. p.2.
Muscipula eiusque species variæ 349. & 350. p.2.
Muscus veteribus & in genere 7.p.2.
Muscus arboreus villosus ibid.
Muscus arboreus peltatus & scutellaris 772.p.2.
Muscus arboreus ramosus ibidem
Muscus arboreus barbatus ibidem
Muscus villosus herbaceus ibidem
Muscus amarus absynthii folio ibidem
Muscus Coralloides ibidem
Muscus terrestris & hortensis. ibidem
Muscus ex Cranio ibidem
Muscus Filicinus ibidem
Muscus Abietis facie ibidem
Muscus in Ericetis proueniens, stellaris, roseus, sericeus, paruus, repens ibidem
Musci terrestris species aliquot 773. 774. & 775. p.2.
Muscus corniculatus 775.p.2.
Muscus pyxidatus ibidem
Muscus pyxioides saxatilis ibid.
Muscus alpinus 670.p.2.
Muttellina 66. p.2.
Myriophyllon siue Millefolium veteribus 7.p.2.
Myriophyllum pelagium 806. p.2.
Myrrhis veteribus & in genere, eiusque species variæ 77. & 78.p.2.
Myosuros 512.p.2.

N.

NAna siue Strobilus Peruuianus & Ananas 94. p.p.
Napellus veteribus 653.p.2.
Napelli Mus vel Musca 654. p.2.
Nardus Indica veteribus 201.p.2.
Nardus Indica vulgaris 201.p.2.
Nardus Celtica 205.p.2.
Nardo Celticæ similis siue Hirculus 206. p.2.
Nardus, siue Saliunca Neapolitana ibid.
Nardus montana veteribus ibid.
Narthecium Theophr. Ferulago Gazæ 44.p.2.
Nicotiana siue Tabacum eiusque species variæ 629. & 630.p.2.
Numularia siue Centimorbia 370.p.2.
Numularia rubra 371. p.2.
Nux Methel veteribus 623.p.2.
Nymphea veteribus & in genere, eiusque species variæ 777. 778. 779. 780. 781.p.2.
Nymphæa minor siue Morsus ranæ 781.p.2.

O.

OCymum veteribus & in genere, eiusque species variæ 243. 244. 245. 246. 247. 248. & 250.p.2.
Ocymum garyophyllatum Monachorum, siue Acinis Columnæ 260. p.2.
Ocymum odoratum siue Basilicum 245.p.2.
Ocymoides eiusque species variæ 342. 343. 344. 352. & 353. p.2.
Odontidi siue Flori Cuculi affinis Lychnis siluestris 348.p.2.
Oenanthe veteribus & in genere 189.p.2.
Oenanthe siue Filipendula Monspessulana folio Apii 190. p.2.
Oenanthe siue Filipendula aquatica 197. p.2.
Oenanthes siue Filipendulæ species aliæ 190. 191. 192. & 193. p.2.
Olea maris rubri Theophr. 799.p.2.
Onobrichis lutea Dalechampii 386.p.2.
Onosma veteribus 586.p.2.
Ophioglossum 708.p.2.
Ophioglossum minus subrotundo folio ibid.
Opium & Meconium 392.p.2.
Opium officinarum 394. p.2.
Opoponax 155.p.2.
Origanum veteribus & in genere 235. p.5.

Origanum Heracleoticum Ruellii ; siue Maiorana maior 237. p.2.
Origani varia species alia 236. 237. 238. & 239. p.2.
Origanum siluestre 239. p.2.
Origani facie Corymbi 185. p.p.
Othonna veteribus 97. p.p.
Ouiton & Ouiggen veteribus 836. p.2.

P.

Palma siue manus marina 791. p.2.
Paenia mas, fœmina, promiscua, aliaque eiusspecies varia 492. 493. & 494. p.2.
Panaces veteribus & in genere, eiusque species varia 10. 67. 154. 155. & 158. p.2.
Papauer satiuum & siluestre veteribus 389. p.2.
Papauer satiuum 390. p.2.
Papauer erraticum veteribus 395. p.2.
Papauer spinosum 397. p.2.
Papauer corniculatum ex veteribus & recentioribus in genere, eiusque species varia 397. 398. & 399. p.2.
Papauer spumeum in genere 400. p.2.
Papaueris alia species plurima varia 393. & sequentibus p.2.
Pappas Americanum 621. p.2.
Paronychia Anguillara quibusdam, & Paronychia siue Alsinefolia incana 366. p.2.
Paronychia Hispanica Clusii, siue Anthyllis minor 374. p.2.
Parthenium veteribus & in genere 128. p.p.
Parthenium Indorum inodorum, siue inodorum Achahouan Ægyptiorum 131. p.p.
Parthenium quinquefolium 141. p.p.
Passerina Lobelii 455. p.2.
Passerina Tragi 456. p.2.
Pastinaca siluestris, siue Staphylinus Græcorum 62. p.2.
Pastinaca satiua, siue Carota lutea & alba 64. p.2.
Pastinaca Syriaca siue Secacul Arabum 66. p.2.
Pastinaca, siue Staphylinus veterum, siluestris & satiua, Daucus etiam dicta 59. p.2.
Pastinaca Germanica siluestris, quibusdam Elaphoboscum 149. p.2.
Pastinaca marina, quibusdam Secacul & Crithmum spinosum 196. p.2.
Pastinaca satiua Germanica 150. p.2.
Pecten veneris eiusque species varia 71. 73. & 74. p.2.
Pedicularis eiusque species varia 437. 438. & 439. p.2.
Penna marina 806. p.2.
Peplis 668. p.2.
Peplos, siue Esula rotunda 669. p.2.
Peplus minor 670. p.2.
Perchepier Anglorum quibusdam 74. p.2.
Perfoliata in genere, eiusque species varia 197. 198. & 199. p.2.
Perfoliatum Centaurium luteum 355. p.2.
Persicaria mitis 787. p.2.
Persicaria acris, siue Hydropiper 788. p.2.
Personata, siue Lappa maior aut Bardana 570. & 571. p.2.
Peristereon, Verbena, & Hierobotane, siue Herba sacra 441. p.2.
Petasites 566. p.2.
Peucedanum veteribus & in genere, eiusque species varia 35. 36. & 37. p.2.
Phellandrium Plinii 183. p.2.
Phellandrium vel Cicutaria aquatica ibid.
Phyteuma 386. p.2.
Phyllon thelygonon Dalechampio 770. p.2.
Phyllitis veteribus & in genere eiusque species varia 764. & 765. p.2.
Phyllitis siue Lingua ceruina vulgi 764. p.2.
Phyllitis siue Hemionitis Lobelio ibid.
Phu veteribus & in genere 209. p.2.
Picnocomon 227. p.2.
Pilosella eiusque species varia 162. & 163. p.p.
Pimpinella in genere dicta 108. p.2.
Pimpinella Saxifraga tenuifolia 112. p.2.
Pimpinella Sanguisorba inodora 111. p.2.
Pinguicula Gesneri 546. p.2.
Pityusa veteribus & in genere 664. p.2.
Pityusa Matthioli 671. p.2.
Planta marina retiformis fol. 764. pag. 2. p.2.
Plantago veteribus & in genere, eiusque species varia plurima 501. 502. 503. 504. 505. 506. & 507. p.2.
Plantagini simile Antipharmacum, siue Contrayerua 507. p.2.
Plantaginis aquatica species aliquot 794. & 795. p.2.
Polemonium petræum Gesneri 351. p.2.
Polemonium veteribus 356. p.2.
Polium antiquis & in genere eiusque species varia 299. & 300. p.2.
Polyacanthus Casabona Acarna similis 92. p.p.
Polygonum fœmina veteribus 724. p.2.
Polygonum eiusque species alia varia 376. 377. 378. & 379. p.2.
Polygonon 386. p.2.
Polygonatum veteribus & in genere 528. p.2.
Polygonatum vulgò Sigillum Salomonis, aliaque Polygonati species varia 529. 530. & 531. p.2.
Polygala eiusque species varia 387. & 388. p.2.
Polypodium veteribus & in genere, eiusque species varia 338. & 756. p.2.
Polycnemon 347. p.2.
Polytrichum eiusque species varia 768. & 769. p.2.
Porus tubularis 814. p.2.
Porus anguinus 815. p.2.
Portulaca, seu Andrachne, veteribus & in genere, eiusque species varia 677. & 678. p.2.
Potamogeton eiusque species varia 784. 785. 786. & 787. p.2.
Pomum de Hiericho Melongenis congener 619. p.2.
Priapeia, quibusdam Nicotiana minor 630. p.2.
Primula Veris veteribus & in genere, eiusque species varia 496. 497. 498. & 499. p.2.
Prunella in genere; eiusque species varia 428. 429. & 430. p.2.
Pseudo-Nardus quæ vulgò Spica 281. p.2.
Pseudo-Nardus quæ vulgò Lauendula ibid.
Pseudo Melanthium 342. p.2.
Pseudo-Corallium nigrum 809. p.2.
Psyllium veteribus & in genere, eiusque species varia 512. 513. & 514. p.2.
Ptarmica in genere eiusque species varia 146. & 147. p.2.
Pulegium eiusque species varia 256. & 257. p.2.
Pulmonaria eiusque species varia 595. 596. & 597. p.2.
Pulsatilla, eiusque species varia 409. 410. & 411. p.2.
Pycnocomum in genere ex veteribus & Neotericis 621. p.2.
Pyrethrum veteribus & in genere, eiusque species varia 20. & 21. p.2.
Pyrola in genere eiusque species varia 536. & 537. p.2.

R.

Ranunculus, eiusque species variæ 412. 413.414.415.416.417.418.& 419. p.2.
Ranunculus aquatilis 771. p.2.
Ranunculus hederaceis riuulorum se extendens, atra macula notatus ibid.
Ranunculi variæ species aliæ 857. 858.859.860.861. 862.863.864. p.2.
Reseda lutea 467.p.2.
Reseda alba ibid.
Reseda facie planta marina 814.p.2.
Reticulum marinum 815.p.2.
Reticulum tophaceum marinum ibid.
Ricinus veteribus & in genere 642.p.2.
Ricinus vulgaris ibid.
Ricinus maior Americanus Carcas dictus, & Faba purgatrix Indiæ occidua 643. p.2.
Ricinus paruus Orientalis Dende dictus quibusdam, & Faba purgatrix 644.p.2.
Ricino similis fructus 645.p.2.
Rhodia radix 683. p.2.
Rosa marina 804. p.2.
Ros Solis 769.p.2.
Rubia veteribus & in genere 714. p.2.
Rubia satiua ibid.
Rubia siluestris Monspessulana 715. p.2.
Rubia plurimæ species aliæ 715. 716. & sequentibus.
Rubeola saxatilis C.Bauhini folio 718. pagina 2.p.2.
Rubeola maritima aspera C.Bauhini ibid.
Ruta veteribus & in genere 195.p.p.
Ruta satiua vel hortensis 197.p.p.
Ruta siluestris maior 199.p.p.
Ruta siluestris minor 200.p.p.
Ruta quæ dici solet Harmala ibid.
Ruta Hypericoides Siciliana affinis, siue Tragium 383.p.2.

S.

Sagapenum 156. p.2.
Sagitta 795.p.2.
Sagitta maior. ibid.
Sagitta minor ibid.
Salix marina 810. p.2.
Saluia latifolia 304. p.2.
Saluia serrata crispa 305.p.2.
Saluia tenuifolia 306. p.2.
Saluia Absynthium redolens 307. p.2.
Saluiæ species aliæ 305.& 306.p.2.
Samolus Valerandi Dourez. 796.p.2.
Sampsuchus seu Amaracus veteribus & in genere 239.p.2.
Sanguisorba minor 115.p.2.
Sanguisorba maior flore spadiceo 120.p.2.
Sanicula Alpina guttata 707.p.2.
Saniculæ Alpinæ affinis ibid.
Sanicula fœmina quibusdam, aliis Elleborus niger 638.p.2.
Sanicula mas Fuchsii, siue Diapensia 639. p.2.
Saponaria minor quibusdam 344. p.2.
Saponaria vulgaris 346.p.2.
Satureia satiua 272. p.2.
Satureia durior ibid.
Satureia tenuifolia 273.p.2.
Saxifraga veteribus & in genere 274.p.2.
Saxifraga Matthioli tenuifolia & vmbellifera 18. p.2.
Saxifraga multifido folio Pannonica 19. p.2.
Saxifragæ tenuifoliæ affinis; quibusdam Caucalis ibidem.
Saxifraga hircina maior 109. p.2.
Saxifraga hircina media 111.p.2.
Saxifraga hircina minor ibid.
Saxifraga hircina minima siue Pimpinella crispa Tragi 113. p.2.
Saxifraga Anglorum 171.p.2.
Saxifraga Antiquorum quibusdam & de Gypsophyto seu Symphyto maiore & minore Thalii 338.
Saxifraga Bauarica ibid.
Saxifraga alba radice granulosa. 706.p.2.
Saxifraga aurea Dodonæi 707.p.2.
Scabiosa in genere 1.p.p.
Scabiosa maior, communior, hirsuta, folio laciniato & non laciniato, & latifolia 2.p.p.
Scabiosa minor vulgaris 3.p.p.
Scabiosa prolifera 5. p.p.
Scabiosa rubra peregrina, quibusdam Indica 6.p.p.
Scabiosæ reliquæ species aliæ plurimæ 7.8.9.10. & 11.p.p.
Succisa siue Morsus Diaboli, Scabiosæ species 11.p.p.
Scabiosa squammata argentea 30. p.p.
Scandix veterum 70.p.2.
Scandix, quibusdam vmbella ex quamplurimis apicibus coagmentata 71. p.2.
Scordium 292.p.2.
Scordotis siue scordium folio saluiæ 293.p.2.
Scordotis tomentosa Cretica 294. p.2.
Scrophularia vulgaris & maior, variæque aliæ eius species 421.422.& 423.p.2.
Scrophularia minor, siue Chelidonium minus vulgo dictum 468.p.2.
Scutellaria Teucrii facie 291.p.2.
Scutellaria, siue Opuntia marina 806.p.2.
Sedum echinatum vel stellatum flore albo 680.p.2.
Sedum echinatum flore luteo ibidem
Sedum Veteribus & Neotericis in genere 685. p.2.
Sedum maius arborescens 686.p.2.
Sedum maius vulgare, montanum, latifolium, serratum, aliaque nonnulla Sedi maioris species 687. & sequentibus p.2.
Sedum minus teretifolium, longiusculo folio circinato, folio cinereo, flore luteo, flore purpureo, flore rubente, flore se circumflectente: pratense: montanum: alpinum: aruense: acre, non acre: arborescens: hispidum: muscosum: Syriacum: nonnullaque alia Sedi minoris species. 690. 691.692.693.694.695. & 696.p.2.
Sedis affinis trisulca Alpina flore albo 696. p.2.
Selinum tuberosum 201.p.2.
Selinum montanum pumilum Clusii, foliis fœniculi aut Peucedani, flore albo, semine Selini 17. p.2.
Serpillum veteribus & in genere 267. p.2.
Serpillum vulgare 268. p.2.
Serpillum Citrii odore 270. p.2.
Serpillum angusto lanuginosoque folio 270. p.2.
Serpillum Thymi folio Narbonense ibidem
Serpillum sylvestre, Zigis Clusio, Thymo vulgariori rigidiori similis 271.p.2.
Serratula 23.p.p.
Seseli Massiliense, Æthiopicum, & Peloponnesiacum veteribus & in genere 32.p.2.
Seseli Massiliense Nuperorum 33. p.2.
Seseli montanum angustifolium 3. Clusio folio Seseli Massiliensis Matthioli, semine Angelicæ 34. p.2.
Seseli Creticum, Tordylium veteribus 84.p.2.
Seseli Æthiopici Matthioli genus aliud Clusio. 86. p.2.

Seseli alpinum siue montanum primum Clusio, folio splendente, &c. ibid.
Seseli siue Siler montanum vulgare ibid.
Seseli Peloponnense Matthioli, siue cicutaria quorundam 184. p.2.
Seseli palustre lactescens 188. p.2.
Seseli Æthyopicum fruticosum, folio Periclymeni 197. p.2.
Siciliana, aliis Ciciliana, vel Androsæmon 386. p.2.
Sideritis veteribus & in genere eiusque species varia 424. 425. 426. 427. & 428. p.2.
Silaus veteribus 170. p.2.
Silaum quibusdam flore luteolo ibid.
Siler Creticum quibusdam, semine longo crispo incurvo ibid.
Silphium siue Laserpitium veterum 129. p.2.
Sion veteribus 171. p.2.
Sion umbelliferum 172. p.2.
Sium medium 173. p.2.
Sium maximum latifolium 174. p.2.
Sison veteribus & in genere 106. p.2.
Sison siue officinarum Amomum 107. p.2.
Sisymbrium veteribus & in genere 221. p.2.
Siser veteribus & in genere 152. p.2.
Sisarum multis 153. p.2.
Sisymbrium veteribus & in genere 222. p.2.
Smyrnium veteribus in genere 124. p.2.
Smyrnium Creticum perfoliatum 125. p.2.
Smyrnium peregrinum folio oblongo 126. p.2.
Solanum seu strichnos veteribus & in genere 607. p.2.
Solani species varia 608. p.2.
Solanum Halicacabum vulgare 609. p.2.
Solanum siue Halicacabum Indicum ibid.
Solanum verticillatum 610. p.2.
Solanum furiosum ex veteribus ibidem
Solanum manicum multis, siue Bella dona 611. p.2.
Solani species ex Apennino 614. p.2.
Solanum pomiferum fructu rotundo 618. p.2.
Solanum pomiferum fructu incurvo 619. p.2.
Solanum pomiferum fructu spinosa Ibidem.
Solanum pomiferum fructu rotundo ; striato, duro 620. p.2.
Spergula veteribus & in genere, eiusque species varia 719. p.2.
Spina alba silvestris Fuchsio 54. p.p.
Spina Arabica veteribus 70. p.p.
Spina alba quibusdam capite echinato 71. p.p.
Spina lutea 84. p.p.
Spina Solstitialis 90. p.p.
Spondilium ex veteribus & Neotericis in genere eiusque, species varia 158. p.2. & sequentibus 160. 161. & 163.
Stachys veteribus & in genere 319. p.2.
Stachys Fuchsii ibid.
Staphis agria veteribus & in genere 641. p.2.
Struthium, Radicula, seu lanaria Herba veteribus, & Condisi 345. p.2.
Struthium Dioscoridis Imperato 347. p.2.
Struthium spinosum, siue Condisi Bellunensis ibid.
Stæbe veteribus & Neotericis in genere, eiusque species varia 31. 35. & 36. p.p.
Stœchas Arabica vulgo dicta 277. p.2.
Stœchas viridis 279. p.2.
Stœchas serrato & crispo folio Ibid.
Stœchadis varia species alia, & Stœchadi affines plantæ 153. & sequentibus 154. 155. 156. & 157. p.p.
Stramonia multis dicta, siue Pomum spinosum 624. p.2.
Stramonia altera maior, siue Tatula quibusdam ibid.
Stratiotes Ægyptia 794. p.2.
Strychnodendros 614. p.2.
Symphitum petræum veteribus 433. p.2.
Symphytum maius Veteribus 595. p.2.
Symphytum tuberosum 594. p.2.
Symphytum pumilum repens, siue Borrago Herbariorum 597. p.2.

T.

Tatula quibusdam, siue Stramonia altera maior 624. p.2.
Tagetes Indicus minor simplici flore, siue Caryophyllus Indicus, siue Flos Africanus pag. 98. p.p.
Tagetes Indicus minor multiplicato flore 99. p.p.
Tagetes Indicus medius flore luteo pallido Ibid.
Tagetes maximus rectus flore simplici ex luteo pallido 100. p.p.
Tagetes maximus rectus flore maximo multiplicato Ibidem
Tanacetum vulgare flore luteo 131. p.p.
Tanacetum crispum flore luteo 132. p.p.
Tanacetum album 133. p.p.
Tataria Hungarica edulis 163. p.2.
Telephium purpureum minus Casp. Bauhini 682. p.2.
Terses Africanorum Tuberis genus album 835. p.2.
Tertionaria, aliis Lysimachia galericulata 435. p.2.
Tetralyx veteribus 68. p.p.
Teucrium Veteribus 290. p.2.
Teucrium multis ibidem
Teucrium Bæticum & Creticum Clusii 291. p.2.
Teucrium Scordonia folio Ibidem
Thalictrum Veteribus & in genere 485. p.2.
Thalictrum nigrius caule & semine striato 486. p.2.
Thalictrum speciosissimum glaucum semine & caule striato ibid.
Thalictrum maius folliculis angulosis caule laui 487. p.2.
Thalictrum minus, siue Rutæ pratensis genus minus, semine striato Ibidem
Thapsia Veteribus & in genere 47. p.2.
Thapsia siue Turbith Garganicum semine latissimo 50. p.2.
Thapsia prima secunda, tertia & quarta Clusii 186. p.2.
Thapsia Carotæ facie 187. p.2.
Thapsia Cæsalpini semine candido crasso Ibid.
Thora folio Cyclamini 650. p.2.
Thora Apula folio Alchymillæ 651. p.2.
Thymbra Veteribus & in genere 271. p.2.
Thymbra Græca 273. p.2.
Thymus Veteribus & in genere 262. p.2.
Thymum Creticum Ibidem
Thymum vulgare rigidius folio cinereo 263. p.2.
Thymus repens Pisanus 264. p.2.
Tithymalus Veteribus & in genere 662. p.2.
Tithymalus Cyparissias. 675. p.2.
Tithymalus Styllophyllos. 664. p.2.
Tithymalus minimus angustifolius annuus ibid.
Tithymalo Cyparissiæ similis Pityusa multis 665. p.2.
Tithymalus incanus hirsutus C. Bauh. dictus Pityusa Anglica Camerario 666. p.2.
Tithymalus Helioscopius siue Soli sequus 669. p.2.
Tithymalus platyphyllos Fuchsii 670. p.2.
Tithymalus magnus multi caulis, siue Esula maior 671. p.2.
Tithymalus Sylvaticus toto anno folia retinens 671. p. 2.
Tithymalus Amygdaloides siue Characias 672. p.2. p. 2.
Tithymalus verrucosus 673. p.2.
Tithymalus non acris f. rubro ibid.
Turbith 882. p.2.
Tordylium veteribus, siue Seseli Creticum 84. p.2.

Tithymalus serratus Dalechampii. Ibidem
Tithymalus Myrsinites 674.p.2.
Tithymalus Paralius Ibidem
Tithymalus Dendroides 675.p.2.
Tithymalus Aphyllos 676.p.2.
Toccum herba Brasiliana 450.p.2.
Toxicum in genere 645.p.2.
Tragium primum & secundum veteribus & in genere 383.p.2.
Tragium alterum Dioscoridis quibusdam folio Trichomanis 279.p.2.
Tragoriganum veteribus & in genere 260.p.2.
Tragorigani species varia. 291.p.2.
Tragus spinosus Matthioli, quibusdam kali spinosum 706.p.2.
Tribulus aquatilis albus 789.p.2.
Trichomanes Veteribus & in genere 762.p.2.
Trichomanes siue Polytricum Ibidem
Trichomanes minus album 763.p.2.
Trichomanes ramosum Ibidem,
Trichomanes aquaticum Dalechampii 791.p.2.
Tridactilites tectorum 790.p.2.
Tridactilites Alpina ibidem
Trifolium paruum quoddam, siue Lotus pratensis purpurea Dalechampii 366.p.2.
Tubera in genere 849.p.2.
Tuberum genus quibusdam, aliis Cerui boletus 851. pag.2.
Tussilago 563.p.2.
Tussilago Alpina minor folio rotundo 565.p.2.
Tussilago Alpina folio longo 21.p.p.

V

Valeriana in genere 207. & 208. p.2.
Valeriana maior odorata radice 209. p.2.
Valeriana syluestris magna aquatica 210.p.2.
Valeriana minor pratensis. 211.p.2.
Valeriana rubra latifolia & angustifolia Ibid.
Valeriana græca quorundam colore cæruleo & albo. 212.p.2.
Valeriana peregrina, seu Indica ibid.
Valeriana minima Nardifolia 206. p.2.
Valeriana bulbosa 207.p.2.
Valeriana tuberosa ibid.
Valeriana maior odorata radice 209. p.2.
Valeriana siluestris magna aquatica 210.p.2.
Valeriana minor pratensis vel aquatica 211.p.2.
Valeriana rubra latifolia & angustifolia ibid.
Valeriana græca quorundam 212.p.2.
Valeriana peregrina seu Indica ibid.
Valeriana Alpina 208.p.2.
Valde bona dicta planta 167.p.2.
Verbascum siluestre saluifolium exoticum folio rotundiore 307.p.2.
Verbascum siluestre Monspeliense flore Luteo hiante Ibidem.
Verbascum in genere eiusque species varia 870 & sequentibus p.2.
Verbena vulgaris 443.p.2.
Verbenaca supina 444.p.2.
Verbenaca nodiflora ibid.
Verbena Peruana perpetuò virens ibid.
Veronica in genere 282.p.2.
Veronica vulgatior folio rotundiore ibid.
Veronica spicata recta maior & minor ibid.
Veronica maior & latior, foliis splendentibus & non splendentibus 283.p.2.
Veronica fœmina quibusdam, aliis Betonica Pauli Serpillifolia 285.p.2.
Veronica petræa semper virens 289.p.2.
Veronica maior angustifolia caulibus viridibus 284.p.2.
Veronica spicata recta quibusdam, aliis Lysimachia cærulea ibid.
Veronica saxatilis ibid.
Vinosa siue Vinacea herba, rusticis gallis Minone dicta 295 p.2.
Viola barbata angustifolia Dalechampii 335.p.2
Viola in genere 542.p.2.
Viola Martia purpurea flore multiplicato maiore cum speciebus ibid.
Viola cærulea Martia inodora siluatica in cacumine semen ferens 543.p.2.
Viola montana folio multifido 544.p.2.
Viola montana purpurea solidiore folio ibidem
Viola Martia lutea ibid.
Virga pastoris vulgaris 75.p.p.
Visiago auricula facie Cretica, & varia alia Clusii Lychnides 351.p.2.
Visnaga minor quorundam, Selinum peregrinum Clusio semine hirsuto 91.p.2.
Visnaga 31.p.2.
Vlmaria 88.p.2.
Vlua 799.p.2.
Vmbellifera maximo semine, quibusdam Cachris Hispanica 41.p.2.
Vmbellifera Alsatica magna, vmbella parua sublutea 106.p.2.
Vrtica Romana siue mas cum globulis 445.p.2.
Vrtica vulgaris maior ibid.
Vrtica minor annua 446.p.2.

X

Xeranthemum 25.p.p.
Xeranthemum aliud siue Ptarmica quorundam Ibidem.
Xeranthemi fortè species 25.p.2.
Xanthium siue Lappa minor 572.p.2.

Z

Zatarendi herba 256.p.2.

FINIS.







